Trincavelli

Vol-1

1599

P Vols 6355

28/8/0

A 32

A xxix Tvi

h. 5. 13

EX BIBLIOTHECA

STUDIO · ET · VIGILANTIA

CAR. I. TABORIS.

M [redacted]

F99.

Scholæ, quæ eſt ad Vadum Stouretti ſive Stortfordiæ, ubi ipſe per 40 fere annos Medicinæ Praxin feliciter exercebat, hunc et alterum Trincavelij Tomum cum alijs libris 29 minoris Voluminis appropriavit Pet. Marc Sparck MD.

60144(9)

VICTORIS TRINCAVELII VENETI PHILOSOPHI AC MEDICI CLARISSIMI·

ET IN CELEBERRIMA PATAVINA Academia olim primarij profeſſoris,

OMNIA OPERA.

PARTIM EX DIVERSIS EDITIONIBVS IN vnùm collecta, partim nunc primùm in lucem emiſſa, ac in tres Tomos digeſta, ſumma cum diligentia correcta & impreſſa.

Horum Elenchum verſa pagina demonſtrabit.

QVIBVS ACCESSIT DVPLEX INDEX Capitulorum videlicet, & rerum omnium notabilium, quæ in ſingulis operibus continentur, locupletatus vterque & accuratè diſpoſitus.

Tomus Primus.

CVM PRIVILEGIIS.

Superiorum Permiſſu.



VENETIIS,

Apud Hæredes Melchioris Seſſæ. M D XCIX.

Ex Bibliotheca Petri Sparchij Wilstriens: Holsati Ao 1630

F 92.

In Primo Tomo hæc continentur.

Explanationes in Galeni libros de Differentijs Febrium. item In priorem librum de Arte curandi ad Glauconem.
Tractatus prior de Febre Peſtilenti.
Prælectiones eiuſdem de Ratione curandi omnes humani corporis affectus, in duodecim libros diſtinctæ.
De vſu & compoſitione Medicamentorum Libri quattuor.
Familiares exercitationes in primam partem ſecundi libri Prognoſt. Hippoc. & Gal.

In Secundo Hæc.

Conſilia Medica poſt editionem Venetam, & Lugdunenſem acceſſione CXXVIII. Conſiliorum locupletata, & per locos communes morborum digeſta.
Epiſtolæ item philoſophicis, & medicis quæſtionibus inſignitæ & expolitæ.
Tractatus tres { De Reactione. De Venæ ſectione in Pleuriticis &c. De Febre peſtilenti alter plane nouus.

In Tertio. Hæc nunquam antehac edita.

Commentaria in Galeni Libros de Compoſitione Medicamentorum.
Explanationes in primam fen Quarti Canonis Auicennæ in Commentarij formam redactæ.

Clariſſimo Viro

LAVRENTIO MASSÆ

Sereniſſ. Sen. Veneti à Secretis, &c.

Ioannes Bernardus Seſſa. S.

CVM VICTORIS TRINCAVELII Medici noſtra memoria omnium celeberrimi, ac præſtãtiſſimi opera omnia, tum ex omnibus editionibus collecta, tũ magna ex parte etiam nuper a me expiſcata, ac non paruo pretio redempta eſſem editurus, cogitare cepi, cui nam potiſſimum tanti operis patrocinium commendarem, atque deferrem, triaque potiſſimum mihi veniebant in mente, quæ ſpectare in hoc genere me oporteret, ne (vt græcorum dicitur prouerbio) δῶρον eſſet ἄδωρον; nempe vt is cui dicarem eſſet, aut aliqua ipſi auctori, vel ſanguinis vel alterius neceſſitudinis coniunctione affinis, vel ſaltem Rei, de qua agitur, medicæ inquam facultatis, ſcientiſſimus, qui poſſit de viri doctrina recte iudicare, vel denique ſi vtrunque deeſſet, mihi ſaltem, qui imprimendum curarem aliqua ratione vel ego illi deuinctus. Hæc omnia cum primum animum in te, cogitationemque conuerti, quod in eodem contigit momento, ſtatim occurrerunt. Tibi enim vir Clariſſime (vt a poſtremo primum exordiar) ego in primis ſumma omnia debeo, cuius in me vniuerſamque gentem meam meritorum ſummam valde cumulatam non modo referendis, & agendis gratijs, ſed vix cogitandis quidem aſſequi poſse confido; Artis vero medicæ tu non modo ſciens, ſed in ea dici potes merito corypheus, qui licet illam facienda medicina non exerceas niſi intra domeſticos tuorum, amicorumve parietes, cognitione tamen ita omnes antecellis, vt nemo quamuis peritiſſimus ſe tibi putet anteponendũ. Tu enim illam cum ipſo quodammodo lacte ſuxiſti, qui à teneris à NICOLAO MASSA Medico prȩſtãtiſſimo auunculo tuo in filium cooptatus Patauij poſt illius diſciplinam ſedulo operam dediſti, & quòd caput eſt (ac mihi pro tertio accedit) ipſummet Trincauelium viuentem, cui te Nicolaus amiciſſimus commendauerat, ita audiuiſti, vt omnia illius commentaria ſcribendo exceperis & obſeruaris diligentiſſime, ex quo nulla maior eſſe tibi poterat cum auctore coniunctio, cum ſi à paterna beneuolentia ac neceſſitudine diſceſſeris, nulla poſſit eſse maior conſpiratio atque affinitas, quam cum Doctore diſcipuli. Cum igitur hæc omnia in vnum conueniſsent, nefario me obſtringi ſcelere exiſtimaſsem, niſi tibi munus hoc qualecũq; debitum tot rationibus & cauſis detuliſsem; ad quȩ accedebat nõ paruum ad impellendum animum per ſe etiam habens momentum, nominis tui auctoritas, & amplitudo, quæ mihi & libro & auctori maximum poteſt afferre ornamentum.

Tu enim (vt omittam fortunæ ornamenta, quæ vix noſtra puto, vt prætercam fa miliç tuæ ſplendores, qui ſunt innumerabiles, ſiue CHARISINAM, vnde primum oriundus, ſpectes, in qua ANTONII Clariſſimi Patris tui facta præclara hiſtoriarum ſunt monumentis commendata & nulla vnquã obliterabit aut obſcurabit obliuio, ſiue MASSAM, in quam à NICOLAO genitricis tuæ fratre, cooptatus, quę nullis non ſplendet ornamentis) tu inquã ita omni inſigni tus es decore, & dignitates, vt nihil maius videatur poſse deſiderari. Si enim animum contemplamur, in quo verum eſt decus, qua tu virtute deſtitutus, quo cares ornamento? & vt cętera, quæ ad mores pertinent omittam, in re literaria, qua non es ſcientia & cognitione imbutus, vel potius ita cumulate inſtructus, vt cum eorum etiam, qui in ſingulis generibus excellunt, & nihil aliud in tota vita egerunt, nulli alij ſtudio addicti fuere poſſis merito conferri, & anteponi; ſi enim re conditiores literas requirimus, quas vulgo pulchras appellant, quis te illis inſtructior? ſi eloquentiam, quis te in dicendo facundior? ſi poeticam, quis te in pangendis carminibus elegantior? ſi philoſophiam vtramque, & quæ de naturæ arcanis, & quæ de moribus agit, quis te eruditior? ſi Theologiam, quis te diuinior? ſi medicinam, quis tibi conferendus? ſi leges, & Reipublicę benegerendę ſcientiam, quis tibi anteponendus? qui tot iam annos à legibus es Venetæ Reipublicæ, & à ſecretis. Si vero bona corporis ſpectemus, quæ non parui ſo lent eſse momenti ad felicitatem, quis te hac ingraueſcenti ætate firmiori vtitur valetudine? ſpecie vero, & regia quadam corporis maieſtate quis te admirabilior? vt merito illud Euripidis de te poſſit vſurpari εἶδος ἄξιον τυραννίδος; ſi denique bona fortunæ reſpiciamus, quis te honoribus cumulatior? quibus tu magis ſpernendis quam adipiſcendis glorioſus; quis enim neſcit te Romæ ſub PIO IV. Pontifice Maximo ampliſſimam Cardinalatus dignitatem ſępius oblatã (quod vix credi de noſtri temporis hominibus poſſit) non dicam fuiſse aſpernatum, ſed certe recuſaſse, cuius facti fortaſse prudentia admonita Reſp. mox lege id vetuit, quod integrum ante fuerat, ne quis in legationis munere obeundo, ſiue ciuis, ſiue Patritius delata à Principibus vel dignitates, vel munera poſset accipere. quis ignorat Venetijs te omnes tui ordinis dignitates ampliſſimas fuiſse conſecuturum, ſi animi tui magnitudinem inflectere, atque ad prænſationis munus (vt omnium eſt in more poſitum) demittere voluiſses, imo niſi te illa non curare palam profeſsus eſses? quippe qui hac tua ampliſſima à ſecretis Reipublicæ dignitate contentus ſatis tibi & patrię (licet tuis fortaſse non ſatis) feciſse videaris, ſi cętera te fuiſse pro meritum omnes agnoſcerent. Quid de filiorum optimorum πολυτεκνία, quam merito inter felicitatis partes enumerauit Ariſtoteles dicam? Tu enim multis & optimis filijs donatus, qui te virtuteſq́; tuas conantur exprimere, & imitari, pręcipue vero ANTONIVS Maſſa, qui nuper quędam opuſcula ex Plutarchi Græco conuerſa edidit elegantiſſime, & ad medicinæ ſtudia conuerſus egregiam illi operam nauat vſus Doctore FABIO PAVLINO Medico mihi coniunctiſſimo, tuiq́ue nominis obſeruantiſſimo; cuius etiam opera in his libris emendandis, & ſuo nitori reſtituendis potiſſimum enituit. Accipe igitur, & amplectere, qua tu ſoles humanitate Doctorem tuum Trincauelium, & duos ſimul clientes tibi magnopere deuinctos librum inquam & me ipſum, meq́ue vt facis ama & tuere. Vale.

BELISARIVS GADALDINVS MEDICVS VENETVS MEDICINÆ STVDIOSIS.

ET ſi maximas Bernardo Trincauelio gratias habere debemus, qui publicę vtilitatis
cauſa hæc Victoris patris ſui præclara in Arte Medica monumenta nunc in lu-
cem protulerit non minores tamen habendæ ſunt Laurentio Marucino Medico ex-
cellentiſſimo, qui eundem ipſum Bernardum, vt id faceret, ita quotidie cohortatus
eſt, vt etiam perſuaſerit. Etenim ex his duobus operibus, qui Medicinæ operam na-
uant, haud minorem fructum percipient, quàm ſi vniuerſa veterum medicorum
ſcripta diligentiſſimè euoluerent. Altero enim omnem febrium notitiam, altero au-
tem cætera morborum genera, qui corpus humanum infeſtāt, ſiue ſpectemus eorum
naturas, cauſas, & effectus, ſiue curandi rationem, ita ſubtiliter, & copioſè tradidit,
vt nihil præterea nobis requirendum ſit: neque hoc loco expectetis, vt id vobis longo ſermone oſtendam:
cùm & apud nos Patauinum Gymnaſium nobiliſſimum, vbi hæc omnia, multaque alia auditoribus ſuis ex-
ponebat, ſingularem hunc virum, & propè diuinum etiamnum admiretur, ac celebret, & apud exteros
quoque homines permulti ſint, qui optimè norunt, qualis vir ille fuerit tum medicina facienda, tum etiam
in antiquorum medicorum ſcriptis dilucidè explanandis: vnde fit, vt eius opera tam auidè ab omnibus per-
quirantur, & quotidie efflagitentur. Equidem, ſi mihi quod ſentio dicere liceat, dum alterū ex his operibus,
cui titulus eſt, EXPLANATIONES in Galeni libros de Differ. Febr. atq; in priorem de Arte Cur.
ad Glau. quodque annuo tempore publicè docens abſoluit, mecum ipſe conſidero, non poſſum huius pręſtan
tiſſimi ſenis doctrinam, artificium, & ordinem non maximoperè admirari. Primùm enim cuiuſq; libri capi-
ta, quæ ad eandem materiam ſpectant, ne in ijſdem ſæpius repetendis tēpus fruſtra contereret, ſimul colligit,
atq; planiſſimè explicat: Deinde verò non ea tantùm, quę tribus ijs libris continentur, declarat, verùm etiam
quicquid aliis in locis ipſemet Galenus, quicquid præterea Hippocrates, Dioſcorides, AEtius, Paulus, Tral-
lianus, Auicenna, Raſis, cæterique probati auctores de eadem re ſenſere, breuiter refert, ac clarè exponit: Po-
ſtremò tum ſententiam ſuam affert, eamq; confirmat optimis rationibus magnorum virorū auctoritatibus,
certaq; experientia, quam longo medendi vſu comparauerat, tum etiam aliorum falſas opiniones eodē ordi-
ne refellit, atq; infirmat. His autem tribus libris libellum de FEBRE PESTILENTI, vt auditori-
bus ſuis gratificaretur, miro quodammodo coniunxit: & ſanè opuſculum eſt pulcherrimum, in quo præter
cætera accuratè diſputat, ac ſtatuit, quando in febribus malignis & peſtilentibus aut vena inciſa, aut cucurbi-
tulis, aut hirudinibus ſanguinem mittere oporteat. Dum verò contemplor, & expendo alterum quoq; ip-
ſius opus inſcriptum de RATIONE CVRANDI Particulares Humani Corporis Affectus, quod
in duodecim libros diſtinxit, ac biennij ſpatio publicè in ſcholis definiuit, is certè mihi viſus eſt, quæcunque
de hac re ſcitu digna ab antiquis, tam Græcis; quàm Latinis, & Arabibus ſcriptoribus prodita nobis fuere,
quæcunq; etiam noſtris temporibus aut ab ipſo, aut ab alijs obſeruata, atq; vſu cōprobata ſunt, mirificè com
prehendiſſe. nihil enim de ordine, neque de artificio, atque doctrina nunc dicam: Sed illud vnum tacere non
poſſum, quod in hoc viro admirabile quidem eſt: nam viam certam oſtēdit, veramq; rationem nos docet, qua
facilè poſſimus innumera & apta medicamenta componere, atque eadem tuto ſingulis morborum generibus
adhibere. Quæ magis etiam apparebunt in quatuor libris, de vſu & compoſit. medicamentorum, quos vnà
imprimi nunc primum curauimus in ſecundo eiuſdem operum tomo cum Conſilijs medicinalibus in tres li-
bros digeſtis, & Epiſtolis itidem medicinalibus, in duos lib. collectis eruditione quidem & doctrina refertis,
vt legendo vnuſquiſq; optimè perſpicere poterit. His igitur de cauſis factum eſt, vt cùm Laurentius Maru-
cinus, & Bernardus Trincauelius laborem ac diligentiam meam in hiſce operibus emendatè diuulgandis re
quirerent, quamuis ad id peragendum præ ingenij mei imbecillitate non ſatis idoneum me eſſe cognoſcerē,
atque faterer, nullo tamen pacto recuſare potuerim: nam præterquàm ꝙ duorum amicorum morem gere-
bam voluntati, quibus tum ob eximias animi virtutes, tum ob paternam & veterem neceſſitudinem, quę in-
ter nos poſtea conſuetudine confirmata ad ſummam beneuolentiam peruenit, plurimum debeo, incredibilē
etiam ex ea re fructum me capturum eſſe intelligebam. In primis itaq; curaui, vt hæc opera quàm maximè
correcta, & emendata in lucem prodirent: quod quidem an aſſecutus ſim, alijs iudicandum relinquo: hoc vnū
certè ſcio, me nullis laboribus, neq; ſtudio, neq; induſtriæ, quoad per me fieri potuit, peperciſſe. Vt autem &
aliud præterea commodum vobis compararem, omnes paſſim in his libris citatas ſcriptorum ſententias, &
auctoritates in margine ſuis locis collocaui, niſi fortaſſe aliquæ & incuria, & nimia typographorum feſtina-
tione exciderint. Ac denique, vt veſtris ſtudiis omne genus adiumenti, quibuſcunque rebus poſſem, affer-
rem, tum ſeriem capitum horum librorum ſeorſum diſpoſui, tum verò rerum omnium, quæ in vtroq; ope-
re continentur, indices qua potui diligentia, locupletiſſimos confeci. Nunc igitur veſtrum eſt, Medicinæ Stu-
dioſi, vt hæc Trincauelij opera tam præclara, luculenta, & fructuoſa, à vobiſque tandiu exoptata, hilari vul-
tu, & grato animo accipiatis, atque hos meos labores, qualeſcunque ſint, æqui bonique etiam faciatis.

VICTORIS TRINCAVELII VITA,

A LAVRENTIO MARVCINO Medico Veneto deſcripta.

VICTOR Trincauelius noſtris temporibus vir grauis ex familia inter Venetos ciues clara, parentibus dignis ortus, domui ſuæ, Vrbi, orbique vniuerſo plurimum profuit: ſiquidem is vnus Philoſophiam, ac Medicinam aliàs barbarie deturpatas è Græcis fontibus eruere ſemper ſtuduit: quod præſtare facilè potuit, cum humanioribus ſtudijs in Latina, Græcaq; plurimum inſudauerit lingua. Paterque illius nulli vnquam pepercerit ſumptui, vt cupidiſſimo bonarum literarum filio omnibus in rebus honeſtiſſimis obſequeretur: multis ſic poſtea ipſe commodis, Græcorumq; exemplarium copia optimè munitus, maiora quærere ſtudia ſibi propoſuit: Patauiumque pergens, Dialecticam primo adijt facultatem, eoque in genere breui ſic ſe præſtitit, vt diſceptationibus, theorematibuſque diſcutiendis, publicè ac priuatim agens omnibus ingenij perſpicuitate, & doctrina maximè admirationi eſſet. Maioris verò adhuc nominis occaſione Bononiam ſe contulit, atque ibi per ſeptennium commoratus eſt: quo in loco plus certè olei, quàm vini conſumpſit. Vnde breui poſtea præceptoribus ſuis cariſſimus euaſit, qui minimè erubeſcebant ſæpius ipſum in rerum difficultatibus conſulere, petentes, vt locis ſcriptorum tenebroſis, lucidioribus interpretationibus ſuis opem ferret, quapropter nominis excellentia Græcus ſæpius appellatus fuit. Eoque tandem gloriæ deuenit in Academia, vt non ſecus hoc vno auditore Bononia exultaret, ac de ſtrenuo milite multis palmis decorato gloriari ſoleant maximi exercituum Imperatores. philoſophiam autem Medicinę ita ſemper coniunxit, vt ex pulſa veteri barbarie, recentis Græcię odor fragrantiſſimus, ſuis vndique vigilijs redoleret. Sic relicto illic nomine laudatiſſimo, multis coronis ornatus athleta fortiſſimus, victor tandem in patriã ob doctoratus inſignia petenda reuertitur: ijsq; meritò ab ea ciuitate receptis, in qua & natus, & educatus erat, patrijs voluit felicius ornamentis, quieſcere, quàm externis glorioſius decorari: ſic patriæ ſemper vixit amantiſſimus. Nec multò poſt inter celebres viros ſui temporis cum reponeretur, loco Clariſſimi Sebaſtiani Foſcareni Venetijs publicè philoſophiam profiteri à maximis ſenatoribus, qui illum deguſtauerant, etiã coactus fuit: in quo munere fungendo nõ ſolum communẽ ſuperauit expectationem, ſed philoſophorum ſui temporis gloriam non parum obſcurauit. Ampliſſimaq; illius fama vagante, dum artem quoque medicam fauſtè admodum exerceret, non paruo ſtipendio accerſitus fuit à Magnifica Ducatus Veneti Ciuitate Murani, ex inſulis Venetiarum, loci vicinitate maximè probata, templis veneranda, ædibus magnifica, viridarijs amœniſſima, piſcandi arte, vitriq; opificio celebri, & valdè clara: in quam, veluti in locum apprimè opportunum ad ſua ſtudia libenter æquoque animo ſe contulit. Qualem autem, & quantum ſe oſtenderit hoc in loco, quantumq; ab omnibus excoleretur, teſtes adhuc ſunt multi ſeniores, qui ſuum etiã nunc deperditum plorant Aeſculapium, tantaq; illius creuit in immenſum fama ex operibus diuinis, ex conſilijs prudentiſſimis & integerrimis, vt illum tota Venetiarum vrbs cęperit admirari, atq; expetere. In hac loci amœnitate Themiſtium Clariſſimi Hermolai Barbari ſcholijs, adnotationibusque doctiſſimis illuſtrauit quas omnes typis tradidit, vt quantum Græca in Philoſophia profeciſſet, ex illis cognoſceretur. Celebrem etiam de reactione Quæſtionem edidit iuxta decreta Ariſtotelis, & Auerrois, in qua ſummum ingenium, miramq; doctrinam demonſtrauit. Græcis autem literis maximè addictus imprimi curauit Themiſtium, Ioannem Grammaticum, Simplicium, & alios: Vagantibus autem opinionibus, dubijsq; diuerſis in re medica excellentiſſimorum virorum illius temporis intrepidus athleta cum ſummis medicis in palæſtram deſcendere minimè veritus eſt: duasq; medicas Quæſtiones æterni nominis promulgauit, quæ excuſæ reperiuntur: Altera vtrum in morborum initijs, ſolùm cum materia turgeat, purgantibus medieamentis vti liceat: Altera de vena in pleuritide, cęterisq; internarum partium inflammationibus ſecanda. His ſic de rebus tota ciuitas commota, virumq; mirificè ſuſpiciens, non permiſit amplius extra vrbem doctiſſimum ac Illuſtriſſimum medicum tanta cum iactura manere, ſed in commodum, & vtilitatem publicam, ſummis precibus ad proprios lares reuocarunt. Porrò cum magna ſui nominis dignitate extra vrbem ſe geſſiſſet

artem medicam exercendo, cępit poſtea Venetijs conſilio, & opere adeò ſe ipſum extollere, vt breui poſt tempore magnos inter medicos vrbis viſus ſit. Etenim Galeni multa ex græco in Latinum ſermonem tranſtulit, eiusq; opera ab alijs latinitati donata recognouit, ac in lucem purgatiſſima edidit, vt eius vigilijs celeberrima etiam nunç habeantur. Fuit etiam diligentiſſimus in omni re vir, & exactiſſimus, omnibusque Veneti Medicorum Collegij dignitatibus exornatus, cuius etiam orator ſæpius ad Senatores fuit, Statutorumq; eiuſdem Collegij: ac immunitatum acerrimus defenſor: vnde ob maximam illius eloquentiam, & libertas crebrò Medicorum ordini ſeruata eſt, & aucta dignitas; indeq; pater, ac omnium medicorum princeps euaſit: illiq; tandem licuit ſuis eximijs virtutibus cum Senatoribus inter publicas ſedere ſedes, non vulgari fauore, Principe ſic iubente (tantum ab vniuerſa Republica diligebatur, excolebaturque.) Præterea vigilijs & laboribus ſuis ad eam nominis celebritatem peruenit, vt non ſolum Venetijs, verùm in tota etiam Italia maximus Philoſophus & Medicus haberetur, ad quem omnes, tanquam ad Apollinem vndiq; confluebant. Morte verò Ioannis Baptiſtæ Montani medici eminentiſſimi, & præceptoris mei chariſſimi, cum vacaſſet per plures annos primarius ille locus Practicæ in Academia Patauina, præ hominum penuria, proptereaq; illi Cathedræ Medicinæ profeſſor idoneus maximè deſideraretur, noſtra hæc ciuitas, quæ inter alias bonum publicum ſemper excolit, & cęteris rebus omnibus anteponit, vt ſatisfaceret vtilitati ſtudentium, ſuo voluit Hippocrate denudari. Annum ſic agens nonum & quinquageſimum Victor Trincauelius arduam alioquin prouinciam ſuſcipere coactus eſt Patauinæ Lectionis in ſupremo loco Practicæ; quo quidem munere digniſſimo functus eſt tertium ſupra decimum annum, relictis magnis Ciuitatis lucris, quæ tria aureorum millia excedebant: in obſequium autem Reipublicæ auctorari voluit mille & ducentis, cùm reliquum nihil propoſuiſſet ſibi ex voto, quàm in publicam ſeruire gratiam, & Medicinæ ſtudioſis omnibus prodeſſe. Hoc tempore legendo, conſulendo, atque ſcribendo, multa nobis nomine ſuo digna reliquit. Iamq; in lucem miſſi fuerunt libri tres, & quarti fragmentum de Ratione ac vſu componendorum medicamentorum: Nunc autem tota Praxis, quam duobus voluminibus complexus eſt, altero ſcilicet de ægritudinibus particularibus, à capite vſque ad pedes: altero verò de febribus, in quibus artis Medicæ vis tota cognoſcitur, ac Trincauelij viri in arte ſumma excellentia oſtenditur. Scriptis præterea mandauit expoſitionem in Quartam Primi Auicennæ: necnon Commentationem in libros Galeni de Compoſitione medicamentorum per loca, Expoſitionemq; in ſecundum Prognoſticorum librum Hippocratis, & Epiſtolas complures medicinales, tùm ſuas, tùm Excellentiſſimorum virorum ad ipſum conſcriptas: in quibus voluminibus, Deo fauente, multa digniſſima conſpicientur, quæ ſummam huiuſce viri eruditionem præ ſe ferre poterunt. Extant præterea ducenta eius & plura Conſilia, & Opuſcula quędam, vt de Febre hectica, de Affectibus Ventriculi, Iecinoris, & Lienis, Quædam Anatomica fragmenta, de Vulneribus capitis, de Morbo Gallico, & alia nonnulla, quę quidem omnia (vt in prioribus feci) curabo, & hortabor, vt in publicum exeant, vt quantæ frugis ſemper fuerit Excellentiſſimus Victor Trincauelius, tandem ab omnibus cognoſcatur. Ad Culmen igitur gloriæ cùm aſcendiſſet artis ſtudio, atque experientia, externis æquè ac ſuis Venetis clariſſimus habitus eſt: vnde poſt multas ob magnos Heroas perpeſſus eſt peregrinationes, multasq; curſitationes ad patriam pro ſenatoribus ſuis libenter ſuſtinuit pro curandis illorum ægritudinibus. Iuſſu poſtremò Principis, ac Senatorum decreto, extra Ciuitatem mittitur in Forum Iulij, vt opem ferret Andreæ Pegel viro ſapientiſſimo, Cęſareęq; Maieſtatis Commiſſario, qui Vtini magna ægritudine detinebatur, de qua parum aut nihil ſperabant medici: Sic ſenio confectus ciuis fideliſſimus, magis alienæ quàm propriæ ſaluti in ſeruitium patriæ conſulens, libenter omne periculum ſubijt, breuique reſtituto ad priſtinum valetudinis ægro, febre ipſe poſtea ex incommodis corripitur: diemque vltimum præuidens, rediens Victor in Patriam, ſenectute, ac laboribus publicis nimium defatigatus, feliciſſimè obijt, annum agens ætatis ſuæ ſeptuageſimum ſecundum: relictis fratre Magnifico Vincentio viro optimo, duobusque filijs, in quorum accurata educatione adeò ſemper ſtuduit, vt alter, excellentiſſimus ſcilicet Franciſcus latina lingua patris æmulus, peritiſſimus euaſerit, & Iuris conſultus inde effectus à multis ciuitatibus conuocatus fuerit, in quibus iudicij ſynceriſſimi, ac exactiſſimi perenne nomen reliquit: Alter vero Bernardus, literis perpulchris, ac moribus ornatiſſimus, literatorum hominum, ac Senatorum plurium maximam ſibi gratiam in vrbe conciliauit. Ijs ſic optimè educatis filijs, meritò poſtea ab eiſdem ampliſſimo funere decoratus fuit, & apud Crucigeros publicè ab almo Medicorum Collegio deploratus, concione doctiſſima Excellentiſſimi Dominici Caſtelli: vniuerſæque Ciuitatis lachrymis magnifico ſepultus monumento, morum probitate, fide ac religione colendus, viuensque adhuc, vt glorioſè diſceſſit à nobis, ſic etiam feliciter illius anima ad cœlum euolauit.

ORATIO DOMINICI Caſtelli habita in funere Victoris Trincauelij, Medici præſtantisſimi. X. Calend. Septemb.

SI vnquam, doctiſſimi & humaniſſimi viri, in amicorum morte etiam Philoſophis lugendum eſt, nos certè hodie maximè flere debemus immaturum ſemper obitum Victoris Trincauelij ciuis noſtri amantiſſimi: ob cuius luctuoſum à nobis diſceſſum non ſolùm medicos, & patricios ſed literatos omnes, totamque ciuitatem magnopere ingemiſcere, & plorare videmus. Sentit illa dolores ſuos, ſentientque in dies magis omnes, eundem mortuum luctu deſiderioq; iure proſequendum, quem viuum ſemper honorificè coluerunt. Sed cum omnes deceat triſti & demiſſo eſſe vultu, ego fontem lachrimarum meritò optare debeo, ſi aliqua ex parte acerbiſſimum animi mei dolorem explere velim, vt ſicuti cæteris omnibus longè magis in amore, et conſuetudine ſecum antea fui, ſic mihi in primis liceat ſummo nunc in mærore lacrimisq; verſari. An ego illum defunctum, et in medio templo iacentem ſiccis oculis intueri vnquam poſſem? an ſine graui gemitu tam pij mihi præceptoris funus comitari deberem? Qui me filij loco ſemper habuit, cuius moribus et doctrina vel à puero inſtitutus, cœpi eius cauſa ſolius aliquid eſſe atq; videri, cuius honeſtiſſima et iucūdiſſima familiaritate cum me iam orbatum eſſe ſentiam, vita mihi moleſtiſſima eſſe debet. Cerno principem medicorum, virum doctum, noſtri ordinis decus & lumen importuno quodam fato, è vita deceſſiſſe. Cur enim non importunum fatum meritò illud appellem, quòd in tanta bonorum literatiſſimorumque hominum penuria, tam celebrem medicum, tam illuſtrem philoſophum, tam vobis vtilem ciuem, tam mihi cariſſimum patrem, et præceptorem eo potiſſimum tempore nobis præter ſpem eripuit, quo nos illo maximè vti oporteret? Doleat igitur noſtra omnis ciuitas, doleat Patauina Academia, mæſta ſit vniuerſa Italia, ac omnes denique Chriſtiani homines, ad quos tam eruditiſſimi viri fama percrebuit, audito hoc triſti nuncio plorent & lamententur. Ergo cum vos videam mæſtos viri pijſſimi, literatos omnes perturbatos eſſe ſciam, ac ego acutiſſimo dolore punctus, vix linguam mouere, aut os aperire poſſim, quo pacto huius præclariſſimi viri laudes de more inſtitutoq; maiorum pro dignitate enarrare vnquam potero? profectò ſi ab aliquo Victor Trincauelius laudandus eſt: à nullo quidem conuenientius, quàm à me, id fieri oporteret, cui ego me, meaque omnia iure meritò debere fateor, ſed ſi ingenij mei vires infirmas & tenues, nunc verò longe infirmiores præ nimio dolore redditas intueri velim: certe neſcio qua ratione inchoare de tanti viri laudibus orationem auſim, quam etiam facundiſſimi prudentiſſimique oratores, vt ad finem aliquem tandem perducerent, plurimum ſibi elaborandum eſſe putarent: Verumenimverò cum neque ipſe ſolemni hoc et ſibi debito honore fraudandus ſit, atque ego ingratus minimè haberi velim, viri tantę eruditionis memoria recreatus, eius egregias laudes vobis, vt potero, breuiter recenſebo. Nam ſi quid eſt, quod nobis hoc tempore conſolationem aliquam afferre poſſit, honorificentiſſima honeſtiſſimaque virtutum ſuarum commemoratio id certe maximè præſtare poterit: qua quidem in re hoc ego tam breui tempore patriam, genus, corporis dotes, fortunam, commoda, vltro libenterque prætermittam, quæ, vt cum multis ſolent eſſe communia, ſic huic non exigua neque

inde-

indecora contigerunt. Scimus enim nos, ſciuntque omnes prope gentes & nationes huius nominis celebritate admoniti in illuſtri hac noſtra et præclara Venetiarum ciuitate fuiſſe natum: quam ego bonorum omnium matrem atque alumnam, terrarum omnium principem, Italiæ decus, iuſtitiæ & religionis ſplendidiſſimum atque æternum lumen ſole, appellare. Is inquam tam inſigni et præclaro loco ab optimis parentibus Bernardo Trincauellio viro integerrimo, et Vrſa matrona frugaliſſima in lucem editus, honeſtè educatus, atque per eam puerilem ætatem bonis moribus & Chriſtiana diſciplina, quam ſemper hæc domus religioſiſſimè coluit, piè ſanctè eruditus, traditus eſt literarum profeſſoribus, qui per ea tempora Venetijs celebres habebantur, apud quos tantam ingenij celeritatem, tantamque animi alacritatem & propenſionem ad ea ſtudia capeſſenda ſecum attulit, vt à præceptoribus ſuis cohiberi potius, quàm incitari oporteret: cum non ſolùm, quæ ab illis audierat, ſtatim intelligeret, ac memoriæ, quæ huic fœlix & tenax ſemper fuit, conſtantiſſimè mandaret, ſed multa etiam ex ſe quæreret, & inueniret, ut non tam primas has dicendi diſſerendique diſciplinas à magiſtris ſibi eſſe inductas, nec tam noua iſta noſtra diſcere, quàm antiqua reminiſci videretur: Adeò vt eius condiſcipuli ſingularem adoleſcentis indolem ſumma quadam lenitate coniunctam libentius citra inuidiam admirarentur, quàm quod ſibi æmulandam ſperarent. Sunt certè in nobis virtutum quædam ſemina, ſunt bonitatis igniculi ſupraquam dici poteſt admirabiles atque eximij, quos huic vel cæli clementia, vel fœlici quodam ſuo genio contigiſſe dicendum eſt, vel, quòd ego magis exiſtimo, benigno Dei nutu & munere eſſe ſibi immiſſos, & traditos. His itaque diuinis donis vel à primis incunabilis imbutus & præditus cùm ita Rhetoricis, & Dialecticis profeciſſet, vt & acutus diſputator, & non mediocris orator iam haberetur, literasque, tum Græcas, tum Latinas diligenter teneret· cœpit ſe maiore ſtudio in rerum natura contemplatione, & in medendi ſcientia exercere: qui cùm valenti & robuſto eſſet corpore, potuit in illis magnis artibus inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia diu multumque verſari, vnde à nonnullis alter Philoponus cognomento diceretur. Quæ res effecit, vt dum ipſe maiores progreſſus, quàm quiſque cogitare vnquam poſſit, in philoſophia & medicina breui tempore facit, dum græca cum latinis coniungit, dum Arabes non negligenter legit, incredibile eſt, vt apud doctos viros in Academia Bononienſi & Patauina fuit in honore. Mitto nunc dicere, dum publicum legendę Dialectices onus apud nos ſuſtineret, quàm ſæpe hic in literatiſſimorum concionibus de ſe periculum fecerit, quàm acutè, quàm facilè & ex arte de quauis propoſita quæſtione reſponderet, ac ſi omnes Ariſtotelis, Platonis, Hippocratis, Galeni ſententias memoriæ teneret, ac quaſi in numerato haberet. Quam iſtę philoſophiæ partem non ſtudioſè percepit? Si de re œconomica loqui oporteret, nullus diligens paterfamilias hoc ipſo inſtructior: ſi de vita & moribus diſſerendum eſſet, moratiſſimus omnium habebatur, ſi de ciuilibus, ita mature & eleganter dicebat, vt in rebus publicis adminiſtrandis aſſiduè verſatus videretur, ſi de natura diuiniſque rebus ſermo ſibi habendus eſſet, de vtroque genere grauiſſimè & ſublimiſſimè diſputabat. Qui ſanè vir doctiſſimus, cùm iam ab omnibus magnus phyſicus, et ſummus Theologus exiſtimaretur, noluit tamen à muſis penitus et diſciplinis mathematicis abhorrere. Itaque interdum Poetas et Hiſtoricos ſumma cum uoluptate lectitabat, Geometras, Arithmeticos, Muſicos, Aſtrologos omnes in manibus ſæpe habebat, vt qui multorum lectione plurimum delectaretur, quaſi verò omnem diſciplinarum orbem circumplectendum ſibi eſſe putaret: quod quidem ſuo ſtudio et labore fœliciſſime eſt conſecutus. Nam cùm tempus eſſet, ut induſtriæ ſuæ fructum aliquem uoluptatemq; perciperet, primum quidem Bononiæ in nobiliſſimo doctiſſimorum philoſophorum, & medicorum collegio philoſophię et Medicinæ inſignibus ornamentis honorificentiſſimè decoratus, deinde domum reuerſus, et à ſuis ciuibus,

uibus, & domeſticis, iucundè atque benigne exceptus, dedit operam ut ſumma cum admiratione veram medicinam exerceret. Erat tunc temporis Venetijs, ac per totā ferè Europam ſummo in pretio Scota familia atque Arabum ſecta: literæ Græcæ & Latinæ ab horum ſectatoribus udibrio habebantur, nemo bonus medicus, aut ſapientiæ ſtudioſus dici merebatur, niſi ab Auicenna medicinam, & ab Auerroe philoſophiam percepiſſet: tantum nominis et authoritatis ſibi apud omnes gentes vendicauerant viri illi philoſophi & medici. Hic ergo magno animo, et inſigni eruditione vir cum ſciret bonas omnes artes à græcis inchoatas atq; abſolutas, ad Arabes atque nos tandem perueniſſe, temporumque iniuria deprauata & ſæua barbarorum Tyrannide violatas conſpiceret, auſus eſt primus Venetiis priſcam & legitimam medicinam, quam à græcis acceperat, contra Marini Brocardi magnæ tum exiſtimationis medici ſententiam, veriſſimè profiteri: qua in re ita ſe geſſit, vt breui etiam oſtenderet, quam vtile eſſet ex fontibus ampliſſimis, non ex anguſtis riuulis optimas diſciplinas hauſiſſe. Nam & publicè in Theriacæ Mytridatique antidoto facienda re quidem docuit coram grauiſſimis Senatoribus, quàm fœde & turpiter vetuſti illi Arabum Sectatores hallucinarentur, & priuatim ſæpe in conſultationibus medicis, ægriſque curandis multos illius ætatis errores detexit, atque indicauit, rude vulgus medicorum officioſè admonuit, docuit et caſtigauit, vt non amplius illi in curationibus obeundis huius ope conſilioque adiuti aberrarent. Quibus ſanè artibus conſecutus eſt, vt alter Aeſculapius ab omnibus ægris & vocaretur, & inuocaretur. Hinc huius diuinis operibus permoti infirmi corpore homines, ad eius ædes, tanquam ad ſanitatis Aſylum, vndique concurſabant, manus medici Trincauelij Dei manus appellabat, adeò præſtò & fælix in tollendis morbis & profugandis eſſe videbatur. Qui quæſo hac ætate inſigni aliquo malo ægrotarunt aut Italię duces, aut Germanię, ſeu Galliæ, vel Hiſpaniæ principes fuerint, qui non huius vel opem, vel conſilium, vel pręſentiam cupide quęrerent, & implorarent? Sed his ſummis dotibus non contentus hic vir, verè ad bene merendum de hominius, quicquid temporis aut ocij ſibi horis ſucceſſiuis conceſſum erat, id omne in bonarum artium ſtudijs ex colendis iuuandiſq; poſteris aſſidue, poſuit, vt quam ille ſcientiam ſummo labore acquiſierat, libentiſſime quoque aliis & liberaliſſime communicaret. Itaq; cum adhuc eſſet iuuenis eruditam ſane quęſtionem edidit de actione, et reactione. Themiſtium quoque ab Hermolao Barbaro olim latinum ſactum doctis quibuſdam ſcholiis illuſtrauit, grandior verò ętate factus totam de ſecandis corporibus rationem in frequentiſſimo eruditiſſimorum hominum theatro ſumma cum omnium admiratione edocuit. Et contra Curtium & Briſotum libellum de vena ſecanda in pleuritide elegantiſſime compoſuit. optimos præterea authores gręcos, qui deſiderabantur, Philoponum, Arrianum, Stobęum, cęteroſq; huiuſmodi emendauit, curauitq; ſuis ſumptibus, vt caſtigatiſſimi ederentur. Sed quod Galeni exiſtent libri huius vigilis latinitate donati omnes norunt, imò verò totus Galenus alioqui conciſus deprauatus, huius ſolius opera, ac doctrina, integer, incolumis, & latinus ad ſtudioſorum vtilitatem in lucem venit, vt eum iam omnes legere & intelligere quàm commodiſſime poſſint. Et quid obſecro voraciſſimus hic literarum helluo & ſcire, & efficere neglexerit, cum etiam in ſenectute linguam hebraicam addiſcere voluerit? Quas ob res cum paſſim tanti hominis fama peragraret, ac in dies ſingulos magiſque illuſtris & celebris haberetur, factum eſt decreto Senatus Veneti, vt maiori quàm alicui alii ſibi ſtatuta pecunia, primas docendi medicinæ partes in Academia Patauina obtineret. Quo in loco quam egregie & docte, quam etiam eleganter ſe geſſerit, teſtes ſunt eruditiſſimi libri, quos de tota medendi ratione ad vſum medicorum conſcripſit, teſtes ſunt quoq; ſtudioſi iuuenes, qui huius doctrina et experientia inſtructi magni nominis medici euaſerunt, ex cuius quidam ſchola tot di-

xerim

xerim exiſſe viros bonæ medicinæ præditos, vt vix, eos nunc omnes recenſendi, tempus ſufficeret. Hoc certè de tanto viro ſine lachrimis tacere non poſſum lumen iam omne Patauini Gymnaſij eſſe huius abſentia penè extinctum. Luges meritò, magisque lugebis in poſterum Patauium, hoc vno tibi erepto viro, huius vnius præſidio & decore ſingularis tua gloria longe progreſſa eſt, præclareque emicuit, ac niſi te res illa recreet, quòd duos ille nobis reliquit filios, Franciſcum & Bernardum, non tam rei & nominis, quàm eius eximiæ virtutis, atque doctrinæ optimos quidem illos hæredes, quos ego tum literis & diſciplina, tum morum probitate, & ingenij acumine tibi non exiguam, ſi quando occaſio tulerit, famam allaturos polliceor: alter enim celebris iureconſultus iam factus, & nunc apud clariſſimum Bergomi prætorem à quæſtionibus iudex; alter verò dum medicinæ et philoſophiæ operam dat: iam pridem de ſe optimam opinionem facit. Certè viri philoſophi ſi in commemorandis magni Trincauelij laudibus vellem diutius occupari? illæ nunc mihi tot tantæque ſubeunt, vt altera oratio exordienda eſſet, longius etiam tempus illę requirerent: nam arctiſſimam illam animorum coniunctionem, et dignam æmulatione caritatem, quæ inter ipſum & Vincentium fratrem cariſſimum, & virum ſanè optimum interceſſit, quis non admiratur? Cui non quoque notiſſima eſt hominis pietas & religio? modeſtia ſingularis? ſumma benignitas? officioſa erga amicos beneuolentia? matura in agendo prudentia? in conſilijs dandis fides atque integritas? in bonorum congreſſibus, quod vix ex eius facie quiſquam crederet, affabiles & iocundi mores? Sales temperati, & vrbani ex eius lingua melle dulciores quam ſæpiſſimè fluebant. Huius gratię & lepori cum magna eſſet coniuncta authoritas, binas cum haberet filias Fœlicitam quidem Antonio Mazza Ciui Veneto, & viro à ſecretis huiuſce Senatus prudentiſſimo, non tenui dote matrimonio collocauit, & cum hanc honeſtis & ſumptuoſis nuptijs copulaſſet, duos quoque filios liberaliter educatos vnà cum altera filia nubili, non exiguo patrimonio eis relicto, honeſtè ditauit. Quibus ſanè rebus ita proſperè geſtis vt extremum hunc vitæ ſuæ actum glorioſè finiret, proximis hiſce diebus publico decreto in forum Julium miſſus eſt, vt medicinam Andreæ Pagel Baroni Imperiali ſputo ſanguinis Vtinæ laboranti, ac penè emortuo opportunè præſtaret. Quo in negocio dum Reipublicæ anxiè ſatisfacere cupit, dum magnis itineribus nimium ſuum aduentum accelerat, vt Illuſtriſsimo viro maturam ſanitatem opemque afferat, vitam, proh pietas ſibi demit & aufert. Nam publico functus munere, & optimo, atque æterna vita digniſsimo principi ad meliorem valetudinem reſtituto, præ nimia laſsitudine febre correptus, pro patria, iam ſenex factus, & inter ſuos religioſiſsimè obijt: cum ergo ſeptuaginta tribus annis natus eſset, his vitæ ſuæ actibus honeſtiſsime fœliciſsimeque peractis, ſi è vita ille ceſsit, & ad ſuperos, vt par eſt credere, aduolauit, non eſt ideo viri clariſsimi, quòd hoc tempore eius vicem nobiſcum amplius doleamus, imò potius eius exemplo excitati atque admoniti, nobis quoque iter ad cæleſtia, houeſtè hic & liberaliter degentes, tutiſſimum, & glorioſum, diuino ſemper numine implorato, paremus. Dixi.

DE VICTORE TRINCAVELIO.

Laurentij Marucini Medici Veneti CARMEN

Doctus Apollinea prius Acron floruit arte:
Obtulit hinc fructus maximus Hippocrates.
Nicomedes ſequitur, quem Pergama mœnia tollunt,
Hic medicas artes è tenebris reuocat.
VICTOR dehinc Venetus, Ventis dans vela ſecundis,
Tutum carpit iter, barbariemque fugat:
Iure igitur ſecli decus admirabile noſtri.
Splendet ab Eois Victor ad Heſperios.

EIVSDEM EPITAPHIVM

Ex Aloyſij Luuiſini Parnaſſo.

Dij meliora, obijt modò Trincauellius, Heros
Aut eſt cauſa necis Germanicus, aut Venetus Dux,
Aut iter. ille vocat. iubet hic. hoc ducit. vt illum heu
Non Heros, non Dux, nec iter, Mors inuida Victrix
Suſtulit, vt victo Victore ſuperbior iret.
I modo, vince tuis Victor virtutibus orbem.

DE EODEM

Fabij Paulini Philoſophi, ac Medici Iudicium.

A Sene cum Coo diſcedis in arte medendi,
Vera vnus methodo ponè Galenus adeſt:
Poſt hos ſuccedit, ſed longo proximus Interuallo
Victor (vera loqui ſi libet ingenue)
At ſi victori noſtratum Turba medentum
Certet, victoris nomen in arte tenet.
Et quantum volat ante Senex, poſt terga relinquens
Tantum hos, dat Medico Tertia vela Mari.

INDEX
CAPITVM TOTIVS
OPERIS TRINCAVELII
De Febrium Tractatione.

Capita Primi Libri de Differentijs Febrium.

PRÆFATIO. Pag. prima.

Cap. i. De generali febrium diuiſione. 3
Cap. ij. De euidentibus & communibus cauſis febrium. 9
Cap. iij. Quo pacto ex præincipientibus cauſis variæ in corpore diſpoſitiones oriantur. 10
Cap. iiij. De peſtilentis febris generatione. 18
Cap. v. Non omnem febrem ex putredine oriri. 21
Cap. vi. Similem eſſe putredinem tumorum, & vaſorum, ac quibus notis Pus optimum, & vrina optima deprehendatur. 23
Cap. vii. Quibus notis ephemeræ à cæteris febribus diſtinguantur. 24

Capita Secundi Libri.

Cap. i. Reprobatio eorum qui putabant omnem febrem putridam fieri ex abundantia ſolius flauæ bilis. 35
Cap. ii. De communibus differentiis febrium putridarum. 36
Cap. iii. De exquiſita Tertiana. 38
Cap. iiii. De Quartana febre. 43
Cap. v. De quotidiana febre. 46
Cap. vi. De Epiala febre, ac de pituitæ generibus. 49
Cap. vii. De complexione Tertianæ febris cum quotidiana, ac de Semitertiana. 52
Cap. viii. De dignoſcenda exquiſita, & non exquiſita Semitertiana. 53
Cap. ix. Qualis ex ſanguinis putredine febris oriatur. 55
Cap. x. Cur inæqualis calor in pituitæ febre tactui occurrat, 58
Cap. xi. Quo pacto ex fluxionibus humorum, morbi generentur, ac de cauſa febrium, quæ per circuitum repetunt, & continentium. ibid.

Capita Primi Libri.

De Arte Curatiua ad Glauconem.

Cap. i. De communi, & propria hominum natura dignoſcenda, & ex quibus medendi methodus conſtituatur. 65
Cap. ii. De cauſis, & ſignis febrium Ephemerarum. 68
Cap. iii. De curatione febrium ephemerarum. 71
Cap. iiii. De febribus putridis. 74
Cap. v. vi. & vii. Signa febrium intermittentium, Tertianæ videlicet, Quartanæ, & Quotidianæ. 76
Cap. viii. Iudicia febrium continuarum. ibid.
Cap. ix. De curatione Tertianæ exquiſitæ. 82
Cap. x. Tertianæ nothæ curatio. 92
Cap. xi. Quartanæ curatio. 98
Cap. xii. Quotidianæ curatio. 104
Cap. xiii. Febrium continuarum quæ carent accidentibus curatio. 108
Cap. xiiii. Febrium, quæ cum accidentibus affligunt curatio. 109
Cap. xv. Curatio capitis à variis cauſis moleſtati. 137
TRACTATVS de febre peſtilenti. 146

INDEX CAPITVM DVODECIM LIBRORVM DE RATIONE CVRANDI

Particulares Humani Corporis Affectus.

Capita Primi Libri.

PRÆFATIO. Pagina 1.

Cap.i. QVi Ordo ſit ſeruandus. 2

Cap.ij. Quid vnumquodque prius expoſitorum Affectuum ſit, & qua ratione mutuò differant. 3

Cap.iij. De Ratione curandi propoſitos cutis Affectus in vniuerſum. 5

Cap.iiij. De Ratione curãdi hos Affectus per medicamenta; quæ & humores ad euacuationem parant, & intemperiem, quæ cauſa fuit horum humorum, remouent, & de ratione victus. 9

Cap.v. De Ratione, & via tractandę curationis horũ Affectuum particulatim, quantũ ad priuata topica remedia pertinere poteſt. 11

Cap.vi. De ratione curationis Furfurum, & Pediculorũ per remedia topica. 13

Cap.vij. De manantium Vlcerum capitis, vel cutis curatione. 14

Cap.viij. De Medicamentis ad capillorum defluuium accommodatis. 15

Capita Secundi Libri.

Cap.i. DE Internis partibus Capitis, & earũ natura: deque morbis, quibus illæ obnoxiæ ſunt in vniuerſum. 16

Cap.ij. De Inueſtigatione, vel Methodo inueſtigandi Affectus omnes internarum & contentarum Capitis partium. 17

Cap.iij. De Cauſis, & ſignis affectum hactenus expoſitorum. 19

Cap.iiij. De Affectibus proprijs Cerebri. 23

Cap.v. De Narratorum Affectuum cauſis. 26

Cap.vi. De Signis horum omnium Affectuum. 26

Cap.vij. De Ratione curandi Affectus capitis per generalem rationem. 28

Cap.viij. De Ratione curandi Affectus ab intemperie calida ſine materia, ſiue cum dolore fuerint, ſiue ſecus. 29

Cap.ix. De ratione curandi Affectus Capitis in frigida intemperie conſiſtentes ſine materia. 31

Sap.x. De Ratione generali curandi Affectus Capitis, qui cum materia ſunt. 32

Cap.xi. De Ratione curandi Capitis Affectus per euacuationem totius medicamentis moliendam. 37

Cap.xij. De Ratione exinaniendi Caput per priuata medicamenta, quæ ſtatim ipſum poſſunt euacuare. 41

Cap.xiij. De curatione eorundem Capitis Affectuũ, per ea remedia, quæ Topica dicũtur, ac capiti exterius adhibita vim habent tùm repellendi fluentes humores, tùm verò digerendi, vel diſcutiendi. 42

Cap.xiiij. De Aliquibus, quæ priuatim ad curationem Melancholiæ neceſſaria ſunt, et ſubinde de eorũ Affectuum curatione, quibus afficitur cerebrum aliarum partium conſenſu. 44

Capita Tertij Libri.

Cap.i. DE Affectibus in vniuerſum attinentibus ad particulas, quæ à Cerebro ſuas habent facultates, & de Neruorum reſolutione. 46

Cap.ij. De conuulſione, vel, (vt Græci aiunt) ſpaſmo. 49

Cap.iij. De ratione curãdi expoſitos iam Affectus ad neruoſas partes attinentes. 51

Cap.iiij. De deſtillatione, vel (vt Græci vocant) Catarrho. 54

Cap.v. de Ratione curandi Deſtillationes. 56

Cap.vi. De Oculorum Affectibus. 60

Cap.vij. De cauſis, & ſignis expoſitorum Affectuum circa Oculos conſiſtentium. 65

Cap.viij. De Ratione curandi in vniuerſum eoſdem Oculorum Affectus iam expoſitos. 66

Cap.ix. De ratione, & natura earum Medicinarum, quæ aptæ ſunt curandis Oculorum Affectibus. 68

Cap.x. De Ophthalmiæ, vel (vt Latini aiunt) lippitudinis curatione. 69

Cap.xi. De oculorum vlceribus. 70

Cap.xii. De Albugine, quam vulgo Nebulam oculi appellant Græci λεύκωμα. 72

Cap.xiii. De Imaginum, quæ oculis obuerſantur, atque de ſuffuſionis curatione. 73

Cap.xiiii. De viſus imbecillitate, & eius cauſis. 75

Cap.xv. De Partiũ oculis circumiacentium affectibus. 77

Cap.xvi. De Ratione curandi Palpebrarum affectus. 79

Cap.xvii. De Ægilope, hypopio, vel ſugillatione, ac reliquis proprijs faciei affectibus. 81

Capita Quarti Libri.

Cap.i. DE Affectibus reliquorum ſenſuum inſtrumentorum, quæ circa caput ſedem habent, ac primum de Auribus, earumque morbis diſcernendis, & diſtinguendis. 86

Cap.ii. De Aurium dolore, ac eius cauſis, & ſignis. 87

Cap.iii. De Curandis aurium doloribus ſecundum omnes differentias. 88

Cap.iiii. De vlceribus aurium. 90

Cap.v. De Affectibus, ex quibus lęditur actio ſenſus auditus. 91

Cap.vi. De affectuum curatione, quorum vitio lęditur auditus modo iam expoſito. 92

Cap.vii. de Parotidibus. 94

Cap.viii. De Naribus, & rationibus affectuum, quibus ſunt expoſitæ. 96

Cap.ix. De Profluuio, vel eruptione ſanguinis è naribus. 99

Cap.x. De defectu olfactus. 101

Capita Quinti Libri.

Cap.i. DE Cognoſcendis affectibus oris, & faucium, atque iiſdem curandis: primumq; de oris, et de

de quibuſdam morbis, quibus aliquæ earum ſunt obnoxię. 102
Cap.ii.De Gingiuarum affectibus, quæ & ipſę inter continentes partes recenſendæ ſunt. 103
Cap.iii.De Ratione curandorum affectuũ gingiuarũ. ibid.
Cap.iiii.De dentium affectibus, & eorum curatione. 105
Cap.v.De oris interioris affectibus. 108
Cap.vi. De inflammationibus, ac vlceribus omnium internarum partium oris,& Faucium. 109
Cap.vii.De ratione curandi Anginam, & reliquas Faucium,& Oris Inflammationes. 111
Cap.viii.De Earundem partium Vlceribus. 114
Cap.ix. De curandis oris vlceribus. 114
Cap.x.De Pendula,& laxata Columella. 117
Cap.xi.De Affectibus linguę particulatim. 118
Cap.xii.De Læſo ſenſu guſtus. 120
Cap.xiii. De Putrido ore. 121

Capita Sexti Libri.

Cap.i. DE Affectibus ventris ſuperioris, & particularum ad ipſum pertinentium cognoſcendis, ac curandis: Primumq; de harum omnium hiſtoria. 122
Cap.ii. De affectibus particularum, quibus ſuperior venter conſtat. 123
Cap.iii.De inflammationibus harum particularum, ſicut ſunt pleuritis, & peripneumonia,ac pręterea quęcunque alia partes occupant. 124
cap.iiii.De Ratione curandi inflammationes inſtrumentorum reſpirationis. 128
cap.v.De Tuſſi,& aſthmate. 140
cap.vi.De ſanguinis ſputo. 145
cap.vii. Quomodo curandus ſit affectus, ex quo quis ex labe ſpiritalium membrorum ſanguinem expuit. 146
cap.viii.De Empyemate,hoc eſt ſuppuratione. 149
cap.ix. De ratione curandi Suppuratos. 150
cap.x.De Tabe, quam φθίσιν, vel φθόνον græci appellant. ibidem.
cap.xi.De cordis affectibus. 153
cap.xii.De Syncope, & Lipothymia, quam animi deliquium latini vocant, ac cordis palpitatione. 155
cap.xiii.De affectibus partium externarum pectoris, primumque de affectibus mamillarum. 157

Capita Septimi Libri.

Cap.i. DE Affectibus earum particularum, quæ ad ventrem inferiorem pertinent: Primumq; de Hiſtoria, & ratione eorum, quibus conſtat venter inferior. 158
cap.ii.De ventriculo, & eius affectibus. 160
cap.iii.De defectu, vel ablatione,imminutioneve famis, vel appetentiæ cibi. 163
cap.iiii. De ratione curandi affectus, quibus tollitur fames non ex primario affectu ventriculi, ſed ex conſenſu. 166
cap.v.De fame, quæ canina dicitur: item & de appetitu rerum, quæ à natura humana alienæ ſunt, qui affectus Pica dicitur. 172
cap.vi.De ratione curandi hos tres affectus. 175
cap.vii.De Siti immodica. 177
cap.viii.De Affectu ventriculi, quem ſtomachi anxietatem iuniores, Græci cordis dolorem, vel morſum appellant. 180
cap.ix.De dolore ventriculi. 183
cap.x.De inflammatione ventriculi. 185
cap.xi. De vlceribus ventriculi. 189
cap.xii. De Affectibus ventriculi, quibus naturalium facultatum actiones læduntur: primumque de cruditate, vel defectu primæ concoctionis. 191
cap.xiii. De Affectibus ventriculi reſpicientibus expultricem facultatem. 197
cap.xv.De ratione curandi hos affectus in vniuerſum, et particulatim. 200
cap.xvi. De Cholera, vel (vt iuniores noſtri loquuntur) de cholerica paſſione. 202
cap.xvii.De Affectu ventriculi, quo præ nimio humore, vel multa ſaliuæ copia quidam coguntur continenter expuere: ſialiſmum græci dicunt. 206
cap.xviii. De Fluctuatione, & inflatione vẽtriculi. 208

Capita Octaui Libri.

Cap.i. DE Affectibus Iecinoris lieniſque cognoſcendis, & curandis in vniuerſum: ac primum de natura ipſius hepatis, atque eiuſdem facultatibus, functionibus, nec non & de alijs particulis, quæ ſunt tanquam organa iecinori miniſtrantia. 210
Cap.ii. De iecinoris affectibus,qui proprii eius ſunt, quiq; ex conſenſu eius cum aliis male affectis particulis ortum habent. 213
cap.iii.De Affectibus iecinoris, quibus qui laborant, à græcis medicis hepatici dicebantur. ibid.
cap.iiii.De obſtructione iecinoris. 211
cap.v.De Inflammatione iecinoris. 215
cap.vi.De curanda iecinoris inflammatione. 217
cap.vii.De duro in iecinore tumore,quem græci ſcirrhum appellant. 220
cap.viii. De regio morbo, vel (vt græci) de iocteri-cia. 233
cap.ix.De aqua intercute,vel de Hydrope, aut Hydero, vt græci vocant. 226
cap.x. De ratione curandi Hydropicos. 229
cap.xi. De Liene, & eius affectibus. 233
cap.xii. De ratione curandorum horum affectuum. 236

Capita Noni Libri.

Cap.i. DE Inteſtinorum affectibus,aliarumque particularum, quę ad ea pertinent: ac prius de eorundem natura,& officiis. 239
Cap.ii. Quibus Affectibus inteſtina obnoxia eſſe poſſint. 240.
cap.iii. De Aluo nimis aſtricta,& eius cauſis, vel affectibus curandis. ibid.
cap.iiii.De Aluo humida,& nimis fluida. 242
cap.v. De Alui profluuiis à vitio ventriculi ortum habentibus: ac de eorum differentiis particulatim. 248
cap.vi.De Alui profluuio ex vitio iecinoris concitato, quod hepaticum appellant, tàm cruento, quàm diuerſorum colorum. 251
cap.vii.De doloris inteſtinalis curatione. 254
cap.viii. De Teneſmo. 258
cap.ix.De doloribus inteſtinorum. ibid.
cap x. De curandis doloribus inteſtinorum. 260
cap.xi.De vermibus,ſeu lumbricis, qui in inteſtinis generatnur, ac eorum curatione. 263
cap.xii.De ea curãdi ratione,quę ad vermes pertinet. 266

INDEX.

Cap.xiii.De Ani,et earum particularum,quæ ad illum pertinent,affectibus. 269

cap.xiiij.De Hæmorrhoidibus,atque earum noxis 270

cap.xv.De Inflammatione, & aliis Tumoribus excitatis in ſede,rimiſque, quas Rhagadas Græci appellant, & vlceribus, ac reliquis ani affectibus. 274

cap.xvi.De Prolabente prodice,ac de ani reſolutione,vnde nequeunt contineri alui excrementa. 275

Capita Decimi Libri.

Cap.i. DE Affectibus renum,& veſicæ, atque aliarum partium ad hæc pertinentium:ac prius de natura, & officiis renum,& veſicæ. 277

cap.ij.De affectibus renum,primumque de inflammatione. 278

cap.iij.De ratione curandi inflammationes renum. 280

cap.iiii. De Scirrho renum,& ratione illum curandi.284

cap.v.De Abſceſſu, & vlceribus renum. 285

cap.vi.De Nephritide,hoc eſt de calculo renali. 286

cap.vii. De Ratione curandi nephritin, hoc eſt calculum renalem. 288

cap.viii.De Veſicæ affectibus. 290

cap.ix. De Suppreſſione vrinę,& eo veſicę affectu, quem ἰχουρίαν Gręci appellant. 291

cap.x.de ratione curandi,& ſuccurrendi illis, quibus ſupprimitur vrina. 294

cap.xi. De Affectibus pertinentibus ad corruptam, ſeu vitiatam actionem veſicę: primumque de difficultate mingendi,quam δυσουρίαν. & ſtillicidio, quod ϛραγγουρίαν Græci vocant. 296

cap.xii. De incontinentia vrinæ, & affectu, qui διαβήτης dicitur. 298

Capita Vndecimi Libri.

Cap.i. DE affectibus earum particularum, quę generationi,& generis propagationi inſeruiũt. primumque de inſtrumentis, quibus natura vtitur ad conſeruandas animalium ſpecies. 302

cap.ii. De Vteri affectibus ad menſtruas mulierum purgationes pertinentibus. 305

cap.iii. De Muliebrium menſium ſuppreſſione, ac de ratione eos euocandi. 306

cap.iiii.de ratione ſuccurrendi ſuppreſſioni menſium.308

cap.v. De immodico menſtruorum profluuio. 312

cap.vi. De ratione occurrendi immodico menſtruorum profluuio. 313

cap.vi. De ſtillicidio menſtrui ſanguinis. 315

cap.vii. De muliebri fluxu ab antiquis appellato, vel de albis menſtruis. 316

cap.ix. De Hyſtericis mulieribus, hoc eſt de illis, quę ex vtero ſtrangulantur. 317

cap.x. De Vteri communione, & peruerſione. 320

cap.xi.De Procidentia,ſeu prolapſu vteri. 321

cap.xii. De doloribus,& inflatione vteri. 322

cap.xiiii.De vteri hydrope. 324

cap.xv. De Scirrho vteri,& canceroſo Tumore. 329

cap.xvi.De vlceribus vteri. 330

cap.xvii.De affectibus ad vterum ea ratione pertinentibus, qua eſt generationis inſtrumentum. 333

cap.xviii. de Signis ſterilitatis. 336

cap.xix.De ratione comparandę Fœcunditatis. 337

cap.xx. Quibus notis grauidę deprehendantur. 338

cap.xxi.De Abortu,eiuſque indiciis,& cauſis. 339

cap.xxii.De Ratione cuſtodiẽdi grauidas ab abortu.341

cap.xxiii.Qua ratione ſuccurrendum ſit mulieribus poſt abortum, ac quomodo poſſit mortuus fœtus excuti 342.

cap.xiiii.De ratione opem ferendi illis, quę difficilem partum habent. 344

cap.xxv. De Mola,& aliis vitioſis, monſtruoſiſq; Conceptionibus,& partubus. 347

cap.xxvi.De iis, quę pertinent ad genitalia in viris pręcipuè membra,quamuis eorum quàmplura mulieribus etiam à natura tributa ſint, ſitu tamen variato.350

cap.xxvii.De Gonorrhœa,hoc eſt, de ſpontanea Seminis profuſione. 351

cap.xxvii.De Priapiſmo. 353

cap.xxix. De illis,qui veneris impotentes ſunt, quos frigidos legum periti appellant Gręci verò, vt Paulus, περὶ ἀπράκτων μορίων, hoc eſt de particulis impotentibus caput hoc inſcripſere: pręterea verò de illis, qui à venereo vſu plurimùm lęduntur. 355

cap.xxx.De Teſtium affectibus. 358

Capita Duodecimi Libri.

Cap.i. DE Affectibus articulorum in vniuerſum, ad quod genus pertinent arthritis, ιſchiadicus dolor,podagra,chiragra, primumque de articulorum doloribus, ac eorundem cauſis. 623

Cap.ii.De Ratione tuendi,& curandi eos, qui articularibus doloribus obnoxii ſunt. 368

Cap.iii.De ratione curandi dolores articulares, pręſentes, & vbi iam incipit acceſſio. 370

Cap.iiii. De Medicamentis exterius adhibendis locis dolentibus. 372

F I N I S.

INDEX CAPITVM QVATVOR LIBRORVM DE VSV ET COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM.

CAPITA PRIMI LIBRI.

Cap. 1. EXCVSATIO authoris de difficultate operis et rei tractandæ. pag. 1

Cap. 2. Communia præcepta, & theoremata, quæ ſunt huic arti fundamenta, explanatur. pag. 1.

Cap. 3. De Differentijs medicamentorum accepta ratione diuerſitatis & partitione à diuerſo modo vſus & adminiſtrationis. 3

Cap. 4. De differentijs medicamentorum, quæ per os aſſumuntur. 4

Cap. 5. De medicamentis purgantibus. 5

Cap. 6. De vſu purgantium medicamentorum, quæ benedicta ab Arabibus & Iunioribus dicta ſunt. 5

Cap. 7. In quot, et quibus conſiſtat tota ratio cõgrui vſus medicamentorum cùm horum de quibus nunc, tùm aliorum, quæ vim maiorem habent. 6

Cap. 8. Vnde accipitur quantitas, vel pondus aſſumendi medicamentum. 7

Cap. 9. De forma & conſiſtentia medicamenti. 7

Cap. 10. De tempore accommodato & opportuno ſumendi medicamenta. 8

Cap. 11. De ratione mixturæ horum medicamentorum facilium, & vſus eorum magis particulariter. 11

Cap. 12. De ratione tractandi hæc medicamenta, quando non tantum communium excrementorum gratia, ſed liberalioris etiam purgationis ergo ob euacuationem, vel reuulſionem offerimus. 13

Cap. 13. De ratione vſus medicamentorum, quæ ſoluentia potius, quàm lenientia dicuntur. 17

Cap. 14. De doſi in vniuerſum purgatoriorũ medicamentorum. 19

Cap. 15. De compoſitis medicamentis, quibus ſolent medici in purgandis corporibus vti. 22

Cap. 16. De vſu & compoſit. medicament. quæ flauam bilem euacuant, quæ pituitam, & quæ plures humores. 23

Cap. 17. De pilulis. 29

Cap. 18. De trociſcis inſigniter purgantibus, & de pulueribus, & qua ratione interdum ſint mutuò pilulæ miſcendæ. 34

Cap. 19. De ratione mutuò commiſcendi medicamenta compoſita cum ſimplicibus, & de potionibus. 34

Cap. 20. De clyſterijs. 38

Cap. 21. De Glandibus, vel ſuppoſitorijs dictis. 42

Cap. 22. De Vomitorijs medicamentis. 43

Capita Secundi Libri.

Cap. 1. DE continuatione dictorum cum dicendis, et de concoctione et maturatione aliqua. 45

Cap. 2. De ratione medicamentorum, quæ in vniuerſum ad præſens inſtitutum pertinent. 47

Cap. 3. De communibus quibuſdam fundamentis pertinentibus ad communem rationem eorum medicamentorum, quę per decoctionem parantur, & conficiuntur. 48

Cap. 4. De Syrupis, qui ſunt in vſu frequentiori. 51

Cap. 5. De Syrupis compoſitis, & de ratione compoſitionis eorum. 53

Cap. 6. De ratione & methodo rectè vtendi ſyrupis. 60

Cap. 7. De trochiſcis, vel, vt Latini dicunt, Paſtillis. 66

Cap. 8. De alijs medicamentis interiùs ſumendis, vt electuaria vel confectiones, quibus ad alia munia quàm ad purgationem vtimur. 69

Cap. 9. De Anodynis et narcoticis medicamentis, quæ ſoporem afferunt, & torporem. 76

Cap. 10. De Eclegmatibus, quæ Arabes Loch appellant. 78

Capita Tertij Libri.

Cap. 1. DE Intentione authoris in hoc libro, & quæ in ipſo ſequenti agenda ſunt. 83

Cap. 2. De ratione compoſitionis & vſu medicamentorũ, quibus medici vti ſolent in curanda vnitate ſoluta. 85

Cap. 3. De Medicamentis, quorum vſu curentur vulnera. 86

Cap. 4. De compoſitis medicamentis, quibus commodè vti poſſumus in conglutinandis vulneribus. 89

Cap. 5. De Ceratis, vel Emplaſtris, vel vnguentis vulgò dictis, quibus tum antiqui, tum iuniores vſi ſunt in conglutinandis vulneribus, & de ratione vſus eorum, quæ hactenus fuere expoſita. 91

Cap. 6. De differentijs vlcerum. 95

Cap. 7. de ratione compoſitionis, & vſus medicamentorum, quibus curandum eſt vlcus. 96

Cap. 8. De Curatione & ſimplicibus medicamentis, quæ tum ad ea pertinent vlcera à Græcis δυσεπούλωτα propriè dicta, tum quæ ad maligna adhibentur, ideſt κακοηθῆ appellata. 99

Cap. 9. De Compoſitione, & vſu eorum medicamentorum, quæ eiſdem vlceribus contumacibus & malignis curandis idonea ſunt. 102

Cap. 10. De compoſitione, & vſu eorum medicamentorum, quibus ſordida vlcera curanda ſunt. 105

Cap. 11. De Medicamentis accommodatis vlceribus putridis

tridis & gangrenoſis. 108

Cap.12. De erodentium vlcerum, quæ exedentia à latinis phagedenæ à Græcis dicuntur, & ipſa inter maligna connumerata, medicamentis. 112

Cap.13. De Sinu, & fiſtula, vel de medicamentis, quibus hæc curandæ ſunt. 113

Cap.14. De Calloſis ſinibus fiſtuliſque, ac alijs vlceribus, quæ oſtracoſa iuniores appellant. 116

Cap.15. De his, quibus curanda ſint vlcera, quibus ſuperarit caro inutilis, quem affectum Græci ὑπερσάρκωσιν *appellant.* 118

Cap.16. De Compoſitione, & vſu medicament. quę cauſtica, quæque ſeptica, hoc eſt vrentia & putrefacientia dicuntur. 119

Cap.17. De Medicamentorum ratione, quæ incurandis affectibus neruorum ad ſolutam continuitatem attinentibus, in vſum venire ſolent. 121

Cap.18. Quibus medicamentis ſiſtendus ſit ſanguis immodicè à vulneribus, & vlceribus profluens. 124

Cap.19. De curandis tumoribus, qui in corpore humano præter eius naturam excitantur per medicamenta, primumque de eorum natura in vniuerſum. 130

Cap.20. De Ratione medicamentorum, quibus curandæ ſunt inflammationes. ibid.

Cap.21. De Aptis medicamentis ad ignem ſacrum rectè curandum. 135

Cap.22. De Tuberculis, furunculo, bubone, phygetblo & carbunculo. 138

Cap.23. De Curãdis frigidis tumoribus, primumq; de humore molli laxoq; , qui à Gręcis œdema dictus eſt. 142

Cap.24. De Medicamentis aptis ad curandos tumores flatuoſos. 143

Cap.25. De Scyrrhis exquiſitis & non expoſitis per medicamenta curandis. 145

Cap.26. De Ratione compoſitionis, & vſus medicamentorum, quibus curandus eſt cancer. 149

Cap.22. De Ratione curandi reliquos tumores, & abſceſſus, frigidiores, qui ex pituitoſa materia ortum habent. 141

Cap.28. De Ratione eorum medicamentorum, quibus aptè curari poſſunt affectus cutanei, nempe prurigo, ſcabies & huiuſmodi. 152

Capita Quarti Libri.

Cap.1. QUalis ſit intentio authoris, & quid, quomodoque agendum ſum.4. lib. 155

Cap.2. De Topicis medicamentis accommodatis ad affectus cutis capitis curandos. 156

Cap.3. De Medicamentis aptis ad curandum manantia vlcera in capite, quę ἀχῶρες, & κηρία, & ψυδράκια *dicuntur.* 162

Cap.4. De Ratione compoſitionis, & vſus medicamentorum congruentium curandis affectibus internarum partium capitis primumque de illis, quæ ad plagas capiti illatas pertinent. 165

Cap.5. De Medicamentis componendis, quæ congruentia ſunt alijs affectibus internarum partium capitis curandis. 174

Cap.6. De affectibus capitis, qui à præſenti materia fouentur, per topica medicamenta curandis. 178

Cap.7. De affectibus per medicamenta topica curandis, quibus exerceri ſolent particulę, quę habent ortum, & facultates à cerebro: primumq; de illis, qui ad neruos, & neruoſas partes referuntur, vt ſunt reſolutio, et conuulſio. 182

Cap.8. De Medicamentorum compoſitione, quę apta ſunt curandis morbis proprijs ſenſuum inſtrumentis, primumque oculis, ac de eorum vſu. 185

Cap.9. Ad vlcera oculorum medicamenta. 188

Cap.10. De medicamentis, quibus maculę in oculis ex arte tolluntur, ac de eorum vſu. 191

Cap.11. De ratione componendorum medicamentorum, quorum vſu curandæ ſunt affectiones partium circunſtantium oculis, primumque palpebrarum, & angulorum. 192

Cap.12. De ratione curandi alios faciei affectus per apta & localia medicamenta, & de eorum compoſitione, & vſu. 198

Cap.13. De ratione compoſitionis eorum medicamentorum, quibus aptè curari poſſunt narium affectus. 202

Cap.14. De Medicamentis, quibus vtuntur Medici in aurium affectibus ex ratione curandis. 206

Cap.15. De ratione medicamentorum, quibus conſulere medici ſolent auditui laboranti, quatenus ad propriam eius rationem pertinet. 211

Cap.16. De Medicamentorum compoſitione, & vſu quæ apta poſſunt eſſe curandis affectibus oris. 213

Cap.17. De Medicamentis illis, quæ pertinent ad curandos malè affectos dentes. 216

INDEX CAPITVM LIBRI
EXERCITATIONVM
VICTORIS TRINCAVELII
In Primam Partem Secundi Lib. Prognoſt. Hippoc. & Gal.

1. *Præfatio in qua agit de Hippocratis ſcopo in hoc Lib.* pag. 218.
Cap. 2. *De Aqua inter cutem.* pag. 219.
Cap. 3. De Deiectionibus. pag. 228.
Cap. 4. De Vrina. pag. 235.

A D L E C T O R E M,

Indices rerum notabilium in ſingulis Partibus Huius Tomi contentorum habebis ordine diſpoſitos poſt ſingulas ipſas Partes.

GLi Eccellentiſsimi Sig. Capi dell' Illuſtriſs. Conſiglio de X. infraſcritti, hauuta fede dalli Signori Reformatori dello Studio di Padoua, per relation delli Tre, a ciò deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquiſitore, del Secretario del Senato Lorenzo Maſſa, & di Domino Fabio Paulini Dottore Lettor publico, che nell'Opere di Domino Vittorio Trincauela, parte già ſtampate in Lione, & parte a penna, non vi è coſa contro le Leggi, & è degno di ſtampa, concedono licentia che poſsino eſſere ſtampate in queſta Città. Datum die 6. Iulij 1598.

D. Franceſco Malipiero.
D. Almorò Zane.
D. Thodaro Balbi.
} *Capi dell' Illuſt. Conglio de X.*

Illuſtriſs. Conſ. X. Secret.
Leonardus Otthobonus.

VICTORIS TRINCAVELLI PHILOSOPHI, AC MEDICI VENETI,

IN PRIMVM GALENI LIBRVM DE DIFFERENTIIS FEBRIVM EXPLANATIO.

PRÆFATIO.

NOBIS hoc anno onus incumbit rationem curandarum febrium exquiſitus, quoad per nos fieri poterit, vobis exponere. At vero ea neque vna eſt, neq; ſimplex, ſed diuerſa, & varia, ſicuti variæ, & diuerſæ, ſunt hanc artem exercentium ſectæ: & vt methodicos in præſentia prætereamus, vtpote, quorum ſecta ab omnibus fere nunc ſit deſerta; reliquæ, quæ adhuc ſunt in aliquo honore, duæ ſunt; perinde ac dupliciter poſſumus inire rationẽ varias curãdi, ac diuerſas febriũ differentias, quæ, vt & natura, ſymptomatibus ſunt differentes, ita, & medicamẽta, & omnino remedia differentia requirunt, atq; inſtrumenta, quibus tollantur. In horum autem inſtrumentorum conquiſitione, & recto vſu, vniuerſa fere peritia, & ars medici conſiſtit: vnde quemadmodum duplex eſt via, qua medicus poteſt inuenire, & iudicare medicamenta, & reliqua remedia apta, & congrua ad curandas cùm febres, tùm alias morborum differentias: ita etiam duplex in medicina ſecta medicorum extitit. Alij enim ſoli ſymptomatum obſeruationi, & experientiæ incubuerunt, atque hęc ſequentes, & inuenere remedia opportuna, & inuentis congruè vſi ſunt, nec vlterius progreſſi ſunt, quàm ſenſus ipſi oſtenderent. Cùm enim obſeruantes inuenerint, quòd cùm in vnum aliquem affectũ aliqua certa ſymptomata conueniunt, his vſi reme-
A dijs, ægrotantem ab omni tandem morbi moleſtia liberauerint hoc memoriter tenentes, his eiſdem deinde remedijs ſubinde vtuntur, cùm ijdem eorundem ſymptomatum conuentus ipſis fuerint oblati, neque aliquid aliud inueſtigant, neque cuius naturæ ſit morbus ille, neque è quibus cauſis excitatus fuerit. Nam hæc, quæ ſuapte natura abdita ſunt, & à
B ſenſibus plerumque remota, partim tanquam ſuperuacanea, & minime curandis morbis neceſſaria, partim vero tamquam, ea quorum nulla ſit certitudo, & deſpiciunt, & prætergrediuntur: & hi ab ea, quam ſolam ſequuntur, experientia empiricos ſe appellauere. Alij vero fuere, qui & ipſi ſymptomata qui-
C dem, & quæcunque in ægrotantibus apparent, & ab ipſis ſenſibus conſpici poſſunt: diligenter obſeruant, neque tamen in his deinde conſiſtunt, ſed vlterius progrediuntur ad inueſtigationem abditarum rerum, nempe naturæ, & eſſentiæ ipſius morbi, atq; cauſarum eius. Symptomatibus autem, & reliquis rebus ſenſibus conſpicuis vtuntur, tanquam occa-
D ſionibus quibuſdam, & indicijs animum medici incitantibus, ad perſcrutandas cauſas horum omnium, vtpote, quæ poſſint deinde omnem ferè rationem curationis oſtendere, quaſi in ſpeculo, rei enim natura eſt, quæ exquiſite, & adamuſſim poteſt indicare omnem remediorum rationem, & ſcopos, quibus
E intendens medicus, omnem conſtituat curandi methodum. Hi vero quamuis experientiam non negligant, quia tamen rationem, tamquam præcipuum ducem, in medendo ſequuntur: ideo tùm rationales, tùm dogmatici ſunt appellati. Hi ſunt qui verè methodum profitentur, & ex methodo medentur, non

perinde,vt qui ſe methodicos nuncupauere, & communes quaſdam, generaleſque rationes, indicationeſque perſequebantur: quorum,quia iam ab omnibus exploſi ſunt,neque etiam alioquin meminimus. Vera enim methodus, etſi res ipſas in propria genera tandem diſſoluat, mox tamen genus per proprias differentias diuidens ad vltimas vſque tandem progreditur: nulla enim differentia eſt (de proprijs, & per ſe loquor) quæ non aliquam habeat indicationem,quæ ad abſolutam, & integram methodi rationem pertineat: quare qui febres ex methodo curaturus eſt, oportet, vt accepto communi genere, ac vniuerſo, quod febres omnes complectitur, id per proprias differentias partiendo, etiam vltimas omnes particulatim ſectetur, ac earum rationes perſequatur, earumq; cauſas, & ſymptomata, vel ſigna, quaq; in re, conueniant,& qua diſſideant: mox vero depromptis ab vniuſcuiuſque eorum, quod aliquam poteſt indicationem, vel ſcopum habere indicationibus, tùm communibus, tùm proprijs: ita deinde curationem ex arte,& ratione conſtituat. Vnde tractatio febrium ex ratione inſtituta, quatenus ad medicum pertinere poteſt, duas habet præcipuas partes, alteram, quæ verſatur circa exquiſitam perveſtigationem differentiarum febrium, & eorum, quæ ad ipſas pertinent, ſicuti ſunt cauſæ, & ſymptomata, quæ illi in ſigna tranſeunt: alteram vero, quæ ex his cognitis indicationes depromere docet, & ſcopos conſtituere, & illis remedia particulatim iuxta præſcriptam ab indicationibus methodum accommodare. Has autem duas partes Galen.duobus libris complexus eſt, non vno, & eodem, vt Auicenna, vna, & eadem fen: nempe, vt ita omnia ſeorſum expoſita, & in ſuum vnumquodque ordinem digeſta, faciliùs, & exquiſitiùs percipi poſſent. Primam hoc libro, quem vobis hoc anno explanandum propoſuimus, cuius titulus eſt de differentijs febrium, perſequutus eſt. Alteram vero diffusè quidem, &, vt ipſe dicere ſolet, per diexodum, in 8.9.10.11.& 12.metho.ſuccinctè vero, & per cōpendium,primo libro artis curatiuæ ad Glauc. Nos vero, quia nimis longum euaderet noſtrum inſtitutum, ſi vellemus omnia perſequi, ideo capita libri artis cur.ad Glauc. capitibus libri de differ. feb. ſubnectentes, cognitionem febrium curationi accommodabimus, vt abſolutam rationem vtramque habeatis. Nam medicinā rationalem, & dogmaticam profitemur,non empiricam.Quia vero inoleuit conſuetudo apud omnes fere libri alicuius expoſitores, vt quædam capita in initijs ſuarum explanationum exponant, quæ docilem, & attentum poſſunt auditorem, vel lectorem reddere: ideo, ne ea, & nos neglexiſſe videamur, ſummatim, & breuiter percurremus. Primùm ergo caput eſt ſcopus, &, vt iuniores aiunt, intentio auctoris: ſed id iam expoſitum eſt, ſi recte animaduertatis:præcipuus enim ſcopus eſt docere curare febres. Nam cum medica ſit hæc tractatio, cuius finis eſt ſanitatem efficere in humano corpore,aut tueri: hæc pars non ad tuendam pręſentem ſanitatem ſpectat, ſed recuperandam: quæ quidem non recuperatur, niſi morbo illi aduerſario abacto. Scopus ergo proximus huic parti medicinæ eſt curare omnes febrium differentias in humano corpore conſiſtentes, & hoc quatenùs ad vniuerſam febrium tractationem pertinet. Sed ſi loquamur de libro de differ.febr.eius ſcopus eſt, nobis exquiſitam febrium cognitionem tradere, tam in vniuerſum,& ſecūdum genus,quàm particulatim omnium differentiarum, & cæterarum rerum omnium, quæ ad febres pertinent. libri vero primi ad Glauc. ſcopus eſt, docere curare febres in corpore humano: vnde omnia, quæ de febribus docti ſumus in alijs

A libris, ea referre, & accommodare ad rationem curandi febres in hoc libro docemur: & proinde liber hic quaſi finis, & abſolutio eſt eorum, quæ expoſita ſunt in libro de differen.febr. Quare dicemus,ſi latinos ſequamur, quòd ſubiectum in libro de different. febr.eſt febris, quatenus tamen eius cognitio ad curationem poteſt conducere: ſubiectum vero primi libri artis ad Glauc. eſt febris, quatenus ex ratione in humano corpore curanda eſt, vel corpus humanum,quatenus aptū eſt, vt à febre ex ratione, & methodo curari poſſit. Ex quo deinde vnicuique poteſt patere, quāta ſit futura vtilitas ex hac tractatione ijs, qui illi diligens ſtudium hoc anno ſunt adhibituri. Nam nullus frequentior,aut ferè maior morbus ſolet hominibus ſponte contingere: quòd enim frequentiſſimi ſint febriles affectus, nemo non nouit: quòd autem in maximis morbis ſi nō omnes, ſaltem multæ febrium differentiæ ponendæ ſint, res ipſa, & experientia apertiſſimè demonſtrāt. Etenim, quæ hecticæ dicuntur, præcipue vero cùm inueteraſcunt, deterrimæ ſunt: de putridis autem præſertim continentibus ita Hipp.1.lib.Epid.comm.verò Gal. lib.3 .ait, ſunt autem acutiſſimi, maximi, grauiſſimi morbi, ac præ cæteris omnibus lethales in febre continēte. Ordo autem horum librorum talis eſt, quòd cùm præcipuæ medicinæ inquam, quæ ratione, & methodo progreditur, quinque ſint: Prima eſt,quæ græce φυσιολογικὴ dicitur,vtpote,quæ de ijs agat,quæ ſpectant, & pertinent ad naturam humani corporis, vt ſunt elementa,temperaturæ,humores, facultates, membra,& eius partes. Altera vero, quæ παθολογική, quia rationem,& naturam affectuum, & eorundem cauſas perſequitur. Tertia σημειωτικὴ, quæ videlicet de ſignis, & proſperæ,& aduerſæ valetudinis ſermonem habet. Quarta ὑγιεινὴ, hoc eſt ſalubris,quia de tuenda,vel ſeruāda ſanitate agit. Quinta θεραπευτικὴ appellatur, quæ rationem, & methodum curandorum affectuum docet: liber de differ. febr. quidem primario ad ſecundam, quam pathologicem appellari diximus, pertinere videtur, ſed aliqua ex parte ad ſimioticen: de ſignis ſiquidem, quibus particulatim differentiæ febrium diſtinguendæ ſint, multa verba facit. liber vero artis ad Glauc. præcipue quidem ad curatricem methodum pertinet, aliqua tamen in illo traduntur ex multa rerum connexione, quę ad ſimioticen pertinent. Vnde ordine quidem naturæ prima phyſiologica eſt, deinde pathologica, tertia ſimiotica, quartum locum ygiene occupant, poſtremum therapeutica: ordine vero à noſtra ratione, & cognoſcendi modo accepto ſimiotica pręcedit,& pathologicam, & ſequentes: nam in cognitionem ſanitatis, & morborum non niſi per ſigna deuenimus. Ad partem autem pathologicam pertinent libri de differentijs morborum, & ſymptomatum, ac de eorum cauſis, qui priores ſunt libto de differentijs febrium. Ad ſimioticam autem libri de locis affectis, in quibus docet,qua ratione, & quibus ſignis oporteat diſcernere ſedem, & locum, in quo affectus in internis partibus cōſiſtat. Ad curatricem partem ſpectat liber ad Glauc. methodus. libr. de comp.medica. tàm per loca, quàm per genera. Diuiſio autem libri de differentijs febrium hęc eſt, quòd in principe parre, hoc eſt, in principio cap. de febre, ac eius differentijs agit, in vniuerſum, & ſecundum communes, & generales earum rationes, in 2.3. & 4. de earum cauſis, in ſequentibus particulatim ad proprias rationes exponendas accedit, & de hectica quidem, & ephemera in primo libro agit, vtpote, quę ſimpliciores ſint,neque multas, & valde diuerſas habeant differentias. Putridis autem,quoniam multipliciores ſunt, ac plures, & valde inter ſe differentes rationes habent, ſecundum librum dica-

uit.

Cap.3.

uit. Quæ autem ad primum artis ad Glauc. attinent, mox ſuo loco explanabimus. De titulo, vel inſcriptione horum librorum: præterea vero de actoris nomine nihil eſt, cur multa ſint à nobis dicenda: cui enim non eſt notum, libros hos ab omnibus fuiſſe in Galenum Pergamenum, maximum medicinæ illuſtratorem, tanquam in auctorem relatos? vel quis eſt, cui Galenus ignotus ſit, qui aut medicis, aut Philoſophicis diſciplinis delectetur? Methodi autem, quibus ipſe vtitur in hac diſciplina tradenda, ſunt quatuor illæ, quibus vti ſolent, quicunque artes, aut ſcientias ex ratione, & methodo deſcribunt, videlicet reſolutio, diuiſio, diffinitio, & demõſtratio, quarum omnes tam Peripatetici, quam Academici Philoſophi meminere, & ipſe etiam Gal. in lib. de ijs, quę in medica officina, præcipue vero diuiſiua methodo, Com. 3: & hoc potiſſimum in libr. de feb. diff. ſecus autem in lib. ad Glauc. nam vt vtrobique compoſitiuã ſequitur doctrinam, modos tamen doctrinæ diuerſos ſequitur in hoc de differ. febr. lib. & in arte ad Glauc. in hoc enim doctrinam per diexodum tradit, nõ modo theoremata medicinalia tradens, verùm ea diffuſè explanans & probans: in artem autem curandi Glauconi dicata compendiarium modum doctrinæ ſectatur, & ſolas rerum concluſiones breuiter exponit. Et hæc, quatenus ad ea pertinent, quæ in initijs librorum expoſitoribus proponi ſolent, ſatis eſſe poſſe puto. Iam ergo ſententias auctoris aggrediamur.

De generali febrium diuiſione. Cap. I.

Lect. 2. FEBRIVM [differentiæ, quæ quidem maximè propriæ,] &c. Antequam ſententias Gal. explanandas particulatim aggrediamur, altius ſumpto principio, aliqua in vniuerſum ex ipſomet Gal. ſunt exponenda, quæ non parum lucis allatura ſunt illis, quæ hic à Gal. nobis ꝓpoſita ſunt. Eſt itaque aduertendum, quod vt conſentiunt omnes, tùm medici, tùm Philoſophi, medici finis vnus eſt, nempe ſanitas: duo vero ſunt ſcopi, vt in lib. de opt. ſecta expoſitum eſt: alter ad præſentem ſanitatem pertinet, & eſt eius tutela: alter ad abſentẽ, & amiſſam, & eſt eius recuperatio: ab acto nimirum morbo: vnde & duæ ſunt tanquam præcipuæ medicinæ partes, ad quas reliquę omnes veluti in finem referuntur: & prima quidem quæ eſt de tuenda ſanitate, nihil ad noſtrum inſtitutum pertinet in præſentia: quippe cùm officium ſit nobis de mãdatum exponendi rationem morbos curandi, & illis curatis ſanitatẽ reſtituẽdi. Sed morbus ex inſtituto, nunquam curari rectè poteſt, niſi cognitus, præcipue vero, ſi methodo, & ratione ſit curandus: cùm prima indicatio: & quæ veluti omnium fundamentum eſt in curandi methodo, ſit ea, quæ à natura, & eſſentia morbi ſit depromẽda, & ſicuti qui omnes morbos curaturus eſt rectè, & ex ratione Cap. 5. oportet, vt omnes morbos particulatim inueniat, vt probat Gal. primo meth. atque inuentos cognoſcat; ita qui rectè febrium omnium curandarũ rationem addiſcere, aut docere inſtituerit, neceſſe eſt, vt omnes febrium differẽtias prius inueniat, ac earum naturam, & eſſentiam perdiſcat: deinde vero earum curationis methodum inſtituat. Primum autem in Com. 20. libro de differ. febr. à Galen. docemur, quo methodum, & viam exponit, qua poſſumus vniuerſas febriũ differentias inueſtigare, & reperire. Methodus vero, qua id conſequi poſſumus, eſt ea, quam docuit Hipp. 6. Epid. ſed 3. lib. cõmen. Gal. nempe, vt prius ſingularia contẽplemur, ac illis mutuo collatis, quatenus illa ſimilia ſunt, in vnam amplã ſimilitudinem, & vnum primum, & commune genus referamus, &

A illud mox per diſſimilitudines eorũ, quæ in eo ſunt genere, partientes, hoc eſt, per differentias in diuerſas ſpecies diducamus: quas item ſpecies contemplari mox oportet, an præter communẽ ſimilitudinem, per quam in eã ſpeciem collectæ ſunt, aliquas particulatim, per quas differant, diſſimilitudines habeant: ac per eas iterum differentias communis illa ſpecies erit diuidenda, atque ſic ſubinde agendum, donec peruentũ ſit ad vltimas differentias, quæ eas ſpecies conſtituant, quæ nullas amplius diſſimilitudines contineant, per quas tãquam differentias poſſint in alias ſecari: tunc enim, vt & Porphyrius ex ſententia Platonis conſuluit, in partitionibus conſiſtendum eſt, nec vlterius progrediẽdum. Hæc recta B via eſt, qua vſi ſunt omnes, qui artes aliquas conſtituere, ait Hippoc. eadem etiam quæ rectè in eis inuenta, & acta ſunt, probantur: & quæ perperam, improbãtur. Hac ergo via, ſiquis voluerit febribus ex arte, & ratione mederi, incedendum eſt: vt nempe inuento primo, & communi omnium febriũ genere, id diuidendo per communiores primùm differentias in ſuas primas, & cõmuniores ſpecies partiamur, atq; eas mox in alias, donec ad vltimas ſit peruentum, quæ nullas alias differentes ſpecies contineant. Ita vero agere neceſſe eſt, quia nulla eſt ſpecies, vel differentia, & morborum aliorũ, & febrium quæ priuatam ſuam, propriamque methodum, vt quarto Meth. docuit Gal. non habeat. Hac itaque C via incedens Gal. nobis febrium tractationem in præſentia expoſiturus eſt, quod vt exquiſitius facere poſſit, non modo nos res ipſas docere ſibi propoſuit, verum & methodum eas ſcrutandi, & inueniendi tradit. Præterea quomodo poſſimus ab hac via diuertendo, & aberrãdo, in varios errores incidere oſtendit, & non modo id oſtendit ratione, ſed exemplis eorum, qui iſtius viæ ignoratione in varios errores lapſi ſunt, aperit. Vt autem hæc omnia melius intelligantur, aduertenda quædam, immo a primis dialectices rudimentis in memoriam reuocanda: nempe, quòd triplex eſt differentiarum modus, vel ratio, ſicut triplicis naturæ ſunt ea, quibus alterum ab altero differre poteſt: quicquid enim ab alio differt, aut ſubſtantia, & eſſentia differt, aut accidenti- D bus, vt & Porphyrius tradidit, qui differentiam ex ſubſtantia rei acceptam maximè proprie differentiam appellandam eſſe dixit. Et cum duplex ſit accidentium genus, quædã enim cõmunia ſunt, & quaſi differentia: alia propria, quæ, & ſi non conſtituant ſubſtãtiam rei, priuatim tamen naturã differentis rei conſequuntur: & hæ prope ſubſtantiam accedunt. differentiam à communibus accidentibus acceptam, differentiam communi quadam ratione, & lata dici ait, non propria appellatione: quæ vero accipitur à proprijs accidentibus concomitantibus naturam, & ſubſtantiam rei, propior eſt differentiæ nuncupatio. Hæc vero in primis dialectices rudimentis didiciſtis, quę hic in memoriã reuocata ſunt, quia non E parum proſunt ad ea intelligenda, quę hic à Gal. exponuntur. Quo loco aduertendum eſt: quòd qui exquiſite voluerit inquirere, ac etiam inuenire particulatim omnes febrium differentias, & ſpecies: illi neceſſe eſt, vt progrediatur partiendo primum, & ſummum genus per primas differentias, ac eas rurſus per alias iſtis proximas, & ſic ſubinde, donec peruenerit ad vltimas, quæ nullam pręterea admittunt partitionem pręter eam, quę in ſingularia fit, quæ omnino indiuidua ſunt. Quod ſi rectè acturus eſt, id imprimis illi procurandum eſt, vt hoc diſtinctè agat, vnamquamque differentiam ad ſuum proximum genus referens, & ea, quę vnius generis, non confundens cum ijs, quę alterius generis ſunt. Pręterea vero, vt omnes perſequatur, & nullius imme-

mor ſit: alioquin enim partitio vitioſa fuerit, neque [A] alterum, aut vtrumque vitium fugere poteſt. Duplex enim error, vt ex Hipp. Platoniſque ſententia declarat Gal. 9. de Plat. & Hipp. decretis, primus, ſi aliqua omittatur propria differentia ad id genus pertinens: alter, ſi aliqua differentia cum proprijs connumeretur, quæ ab eo genere per ſe aliena ſit: hæc autem euitamus, cùm vnumquodque differentiarum genus ſeorſum, & ſeparatim tractamus, nec alterum cum altero cõfundimus: cumque, omnes diſſimilitudines eorum particulatim examinauerimus, quæ ſub vno genere continentur. Quod cùm antiqui medici, aut neglexerint, aut ignorauerint in multiplices, & varios errores, in enumerandis, & exponendis differentijs febrium collapſi ſunt. Aliqui enim aliquas differentias [B] diuidendo, prætergreſſi ſunt, & eas quidem non modo vtiles, ſed & perquàm neceſſarias, quales ſunt illæ, quæ per ſe differentiæ ſunt, & ab ipſa rei ſubſtantia deprompitæ: ita vt nonnulli fuerint, qui cùm omnẽ operam in his exponẽdis conſumpſerint, quæ communes, & ex accidentibus acceptæ ſunt, totum hoc genus deinde prætermiſerint ꝙ quàm maximè vtile & neceſſarium eſt. Alij eius quidem meminere, ſed aliquas ipſius differentias præteriere, & pro illis quaſdam ab hoc genere alienas interſeruere: Alij mutuo hæc genera confudere, & miſcuere. Qui omnes ſi Hippoc. ſequi, ac imitari voluiſſent, inſontes ab hac calumnia ſe cuſtodiuiſſent. Hipp. namque exquiſitè, ac integre febrium partitionem per [C] omnia genera molitus eſt, & vtiles omnes differentias 6. Epid. Com. vero Galen. lib. 1. vbi ait.

[Com. 29.] Febrium hæ quidẽ manui mordaces ſunt: hæ vero mites: aliæ non mordaces quidem, ſed poſt increſcentes aliæq; acutæ ſunt, verum à manu vincuntur, &c. His verbis ſi animum diligentem intenderimus percipiemus quàm bene Hipp. viam, cuius paulò ante meminimus, incedens omnes vtiles febrium differentias, atque modos, vel genera partiendo ſcrutatus inuenerit. Sed vt hoc facilius percipiatis, ad ea quæ paulò antea expoſita ſunt, redeundum eſt, nempe quòd primum ea, quæ per partitionem ſumus ſecturi vſque ad vltimas, tùm ſpecies, tùm differentias, contẽplari oportet: in quibus ſimilia ſunt, & quibus diſſimilia, & à diſſimilitudinibus aſcendẽdo ad ſimi- [D] lia, colligere ea, quæ primo diſſimilia ſunt viſa, non ita tamen diſſimilia, & differentia, vt non aliqua e- [Cap. vltim.] tiam ratione ſint ſimilia. Nam ſi nullã haberent ſimilitudinem, & conuenientiam, neque ſub genere neq; ſub vna ſpecie contineri poſſent, ex ſimilitudine ergo diſſimilium indiuiduorum colligimus conſtituimuſque vltimam ſpeciem, quam ſpecialiſſimam appellãt iuniores, imitati Porph. vt Gal. declarauit ante Porph. 2. de diff. pulſ. & ante Gal. Plato. Ex ſimilitudine autem diſſimilium ſpecierum conſtituitur genus, & ex horum ſimilitudine genera generũ, vſque ad ſuppremum genus. Vnde, & Alex. Aphrod. in ſuo libro de anima huic ſentẽtiæ atteſtatur, vbi ait, ꝙ ſpecies eſt tenuis ſimilitudo indiuiduorum, & ge- [E] nus magis tenuis ſpecierum. Secundùm hanc rationem Hipp. cùm dixit febres quidem aliæ ad manum [Cap 4.] mordaces; aliæ, &c. videtur febres omnes, quæ alioquin particulatim differentes, & diſſimiles inter ſe ſunt collegiſſe in vnam rationem communem, & ſimilitudinem, per quam febres omnes dicuntur, & communi nomine febris dictæ ſunt. & deinde hoc commune per eas, quibus particulatim differunt rationes & diſſimiles ſunt tanquam per proprias differentias diuidit. Sed vt rem hanc clarius explanemus, ſequentes rationem methodi à Gal. c. 1. Meth. nobis traditam, Primum de febre, quatenus eſt id commune genus, quod partiendum proponit, verba faciamus; & contemplemur, quæ ut illa commu-

[A] nis ratio ipſius febris conſentit: Poſtea de differen- [Com. 8.] tijs agamus, quæ diuidentes hoc genus, ad varias ſpecies id deducunt. Dicamus ergo ꝙ ipſum commune febris nomen id ipſum ſignificat, quòd igneus calor tàm græcè quàm latinè. græce namque πυρετὸς dicitur ἀπὸ τοῦ πυρὸς vt 3. de fracturis expoſuit Galen. hoc eſt ab igne, ſignificat enim igneum calorem & præter naturam, & morboſum, diffuſum per corpus animantis: latine vero febris dicitur à feruore; feruidum enim calorem ſignificat, & qui excedit naturales terminos. Vnde hoc adeo omni- [Com. 28.] bus & conſpicuum, & notum eſt, vt non modò medici omnes, & Philoſophi, ſed & vulgares in hanc conſpirarint ſententiam, quòd febris in genere ſit [B] caloris præter naturam. & hoc etiam Galenus tùm hoc loco, tùm vel maximè primo libr. Comm. in 6. Epid. vbi hanc Hipp. ſententiam explanat, tanquam omnibus notum accepit. Accipiamus ergo in præſentia hoc tanquam primum, & cõmune genus febris nimirũ quòd ſit calor extraneus, vt dicit Auic. qui ex his duobus locis vniuerſam ferè ſuam deſumpſit febris diffinitionẽ, vel vt hic Gal. præter naturã, ꝙ ſi addiderimus eas differentias, quas huic generi addit Galen. his duobus locis, parum ſanè deerit ab abſoluta febris diffinitione, videlicet quòd accenſus in corde primùm, mox per vniuerſum corpus diffunditur, vel ſaltem per principes partes. Sed de his dif- [Com. 14.] ferentijs poſtea erit ſermo habẽdus. In præſentia vero ad ipſum genus redeamus, & eius naturã exquiſi- [C] te explicemus: nam ſi ea fuerit perſpecta, ab omnibus intricamentis, & confuſionibus, quibus Latini noſtri inuoluũtur, nos explicabimus. Cognita ſiquiden. hac natura cõmuni, cętera facilius poterunt expediri. Quod vt facilius exponi poſſit, explanandum primũ, an in hoc genere aliqua lateat æquiuocatio: ſolent enim, vt Ariſt. teſtatur, in genere æquiuoca- [Cap. 7.] tiones latere. Et vt cętera miſſa faciamus, vnius meminiſſe operæ pretium fuerit, cuius meminere Ariſt. quidem, ſed frequentius & abundantius Gal. multis in locis, præcipue vero 1. lib. Commen. in Aphor. & libello contra Lycum, quo defendit hunc Hippocr. Aphoriſmũ à calumnijs Lyci, & in 1. lib. de temper. ea verò homonymia, vt Græci aiunt, eſt in nomine [D] caloris, quod quidẽ duplex habet quantum ad præſens negotium pertinet ſignificatum: aliquando enim pro ea qualitate, à qua aliquid calidum dicitur, quæ θερμότης græcis, caliditas latinis dicitur: immo apud latinos antiquos calor, frigus, humor, & ſqualor nomina ſunt idem ſignificantia, quo diutiòribus ſignificat caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas: aliquando vero calor nõ pro ipſa qualitate: ſed pro ſubſtantia, vel corpore calido accipitur. Apud græ- [Cap. 7.] cos, vero ſunt duo nomina alterũ quod, vt iuniores noſtri ſoliti ſunt appellare concretum dicitur; Gal. [Lect. 3.] vero παρώνυμον, quod iuniores denominatiuũ interpretantur, vt eſt τὸ θερμὸν, hoc eſt calidum: alterum vero abſtractũ, vt θερμότης vel θερμοσία, hoc eſt cali- [E] ditas: & proprie quidẽ apud ipſos θερμότης vel θερμοσία ſolam qualitatem ſignificat: vt Galen. ait 1. de temper. τὸ θερμὸν vero, ideſt calidũ, quandoq; qualitatem, quandoque vero corpus ſeu ſubſtantiam calore affectam. Cùm ergo ita hæc res ſe habeat ante- [Com. 14] quam vlterius procedamus, tollenda hæc ambigui- [15.] tas, vel homonymia, ne in errorem aliquem nos per- [Com. 17.] ducat. Et primum conſiderandum eſt, quando dixit [26.] Gal. ꝙ genus febris eſt calor præter naturam vel ad- [Com. 22.] ventitius, vel, vt Auic. dixit, calor extraneus. num calor ſit hic accipiendus pro ipſa duntaxat qualitate, ac ſi dixiſſet, quòd caliditas præter naturã ſit genus febris: an potius accipiendus ſit calor pro calido: vt non ſolùm referatur ad qualitatẽ, ſed ad ipſum corpus vel ſubſtantiam, quæ caliditate extranea affecta eſt.

eſt. Et ſi rem ipſam, & Gal. etiam verba velimus conferre, & rectè perpendere, videbimus ipſum ancipitem, & varie fuiſſe in varijs locis de hac re loquutũ, & fere ſibi non conſentire. In hoc enim loco, hoc eſt, in primo capite ſatis apertè ait, θερμότητα παρὰ φύσιν genus eſſe febris, hoc eſt caliditatem: ſed vt ipſe: primo de tẽp. teſtatus eſt, nemo θερμότητα retulit niſi ad qualitatem, non autem ad corpus calidum. poſſem & alia loca in hanc ſententiam facientia afferre: ſed mihi ſatis ſit is locus: cũ tamen & 1. Apho. & 4. lib. Com. in 6. Epid. & 2. de ratione vict. in ac. mor. genus febrium eſſe τὸ θερμὸν dixerit, hoc eſt calidum, quod relationem habet tum ad qualitatem, tum ad ſubſtantiam, quæ caliditate affecta eſt, nec modò in aduentitio calore, qui febris genus eſt, ita varius eſt Gal. ſed etiam in naturali: interdum enim calidum appellat, interdum caliditatem. Id fragmentis enim commentariorum in Timeum Plato, & 5. comm. in 6. Epid. primo, Aphor. & alijs locis, quos ſuperius citauimus, caliditatem vel θερμότητα appellat, & cum differens ratio ſignificetur, vt parum antea expoſuimus, cum caliditatem, & cùm calidum: vel calorem dicimus: ideò anceps admodum videtur in hoc Galen. doctrina. Nos tamen putamus ſinceram eſſe, & vndique ſibiipſi conſentientem Galeni ſententiam: quod, vt percipiatis animaduertendum, quòd Galen. ſemper vnam, & eandem rem intelligendam nobis proponit, & cùm caliditatem appellat naturalem, vel præter naturam, & cùm calidum naturale, vel præter naturam. Nam ſecundum varias conſiderationes aliquando θερμότητα aliquando τὸ θερμὸν, appellat: ſemper enim in nobis, cæteriſque animantibus, immò in omnibus viuentibus eſt corporea quædam ſubſtantia, quæ calida quidem eſt natura: & in ea ignis ſuperat: cùm multa tamen aerea, aqueaque ſubſtantia, humida ſanè & mixta: quam quidem ſubſtantiam, nihil aliud quàm animam eſſe putaſſe Hippocr. Galenus multis in locis: ipſe tamen ait, quòd vel eſt ipſe animus, vel ſaltem primum, & próximum animi inſtrumentum in omnibus functionibus obeundis. Hæc ſubſtantia ex tenuiori humidioríque ſubſtantia, & vaporoſa ſanguinis generatur, & conſtat, & alitur. Et dum ſuum temperamentum aptum, & accommodatum actionibus animi ſeruat, omnia in animantibus rectè, & ſalubriter procedunt: cùm verò ab eo temperamento recedit, iam morboſum fit corpus, & ſi refrigeſcat quidem, vt in libro contra Lycum docuit Galen. morbi frigidi contingunt: ſed ſi incaleſcat, areſcatque, & ad igneam naturam accedat, tunc morbi calidi ſuboriuntur, præcipuè verò febres. Dum ergo benè temperata eſt hæc ſubſtantia propriè naturalis calor vel inſitus, vel innatus dicitur, cùm verò limites naturales ſui temperamenti excedit, eatenus & rationem caloris naturalis excedit, ac naturam, & rationem induit caloris extranei, & aduentitij, ſeu caloris præter naturam, & ad id genus pertinet, in quo febris continetur tanquam in Con.14. proprio genere, & hoc eſt quod Galen. primo Aphoriſ. ſignificare voluit cùm ait, quòd febris eſt calor naturalis mutatus in igneum, & 2. de facultatibus naturalibus, vbi ait, quòd naturalis calor immodicus febris eſt, item 2. & 8. Meth. dum ait, quod ca- Cap.7. lor ita auctus, vt ex eo corpus laboret, eſt febris. Cap.7. Hæcque eſt indubitata, & inconcuſſa tam Hippocr. quàm Gal. ſententia, ſi omnia voluerimus in vnum conferre, & colligere, quæ ab ipſis varijs in locis de Cap.1. Con.5. hac re ſunt probata, præcipuè vero libr. 5. Com. in 6. Epid. vbi ait, quòd innatum calidum, cui referendum eſſe acceptum cenſuit Hipp. omne opus in ani- Cap.9. mantis corpore, cum igneſcit hoc eſt ad naturã ignis vergit, non modo non poteſt priores actiones perficere, neque nos alere, quod tamen erat illius præcipuum munus, verum potius perdit, & colliquat con ſumitque perinde, vt ignis poteſt autem eſſe manifeſtum cuicunque rationem ineunti, & conſpicienti colliquationes corporis ab exurentibus febribus excitatas. Sed & apertiſſimè hoc exponit Galen. 3. de cauſis Pulſ. vbi in hunc modum loquitur, cum ait Hippoc. qui creſcunt plurimam habent innati calidi, non dixit calidi abſolutè, ſed addidit innati: vtpote qui & alterum calidum nouerit aduentitium nimirum, quo plurimo adulti iam abundant: & innatum quidem calidum benè temperatum eſt, aduentitium autem intemperatum, ac quaſi igneum. In eundem modum ait ventres hyeme, & vere calidiſſimi ſunt natura, ſed neque hi abſolutè calidiſſimi ſunt, ſed natiuo calore. Nam neque id genus calidi participes ſunt æſtate, verum eo tempore aduentitium calidũ, quod ſqualidum eſt, in illis abundat, quódque colliquat potius, quàm nutriat corpus, & actiones non modo non meliores edit, verùm neque pares illis quæ in moderato obeuntur. Ecce ergo, quàm apertè, & ſermone breuiſſimo rem hanc exponit Galen. Con.14. cui ſententiæ ſi ea addiderimus, quæ conferens primo Aph. adultos adoleſcentibus, & aduentitium calidum, in quo tanquam in genere febrem contineri dixit multis in locis, innato, præcipuè vero illis verbis vbi ita ait: cum igitur duæ ſubſtantiæ ſint, hæc quidem ſuauem habeat caliditatem, hæc vero triſtem: alteram quidem plurimam habent pueri: alteram vero illi, qui adulti ſunt. Et nulli dubium eſt, quòd prior ad calorem inſitum pertinet: altera vero ad illum, qui tanquam febris genus eſt. Sed, & ex eodem etiam commentario, vbi ait, quòd aſcitius calor in iuuenibus augetur, & imminuitur genuinus, nulla alia ferè ratione hoc ait, niſi quatenus ſubſtantia genuini calidi exſiccata, & accedens ad igneam naturam, in eam tranſit, quæ iam triſtis incipit euadere. Eſt tamen hic animaduertendum, quod caloris aduentitij, qui fit ex tranſmutatione ſubſtantiæ caloris naturalis ſuauis, & vaporoſæ in ſqualidam, & fumoſam, non vnus, ſed plures ſunt ordines, aliquando enim tanta adhuc non eſt tranſmutatio, vt excedat limites ſanitatis, & hæc tranſmutatio fit ex mutatione ætatis. Secunda tranſmutatio eſt, qua exceduntur ſanitatis fines, vt inſigniter inde læſis operationibus corporis animantis, iã morbidum corpus reddatur. Poſtremo vero tranſmutatio eſt, quæ non ſolum extra terminos ſanitatis calorem ingenitum animantis deducit: ſed etiam vitæ quo, vbi ventum eſt, iam neceſſe eſt mori. Sed dicit forſitã quiſpiam, quo ergo pacto Galen. defendendus Lec.4. qui ità varius videtur & a ſeipſo diſſentiens? qui hic & multis alijs in locis dixit, ſubſtantiam febris, ac eius genus: caliditatem præter naturam corporis eſſe: caliditas autem ita qualitatem ſignificet, vt nullus eam vnquam ad ſubſtantiam, vel corpus calidum referat: in alijs autem locis iam citatis, & alijs quorum breuitatis gratia noluimus meminiſſe, illam cõprehendit ſub calido aduentitio, tanquam proprio eius genere: & de calido loquitur, tanquam de corpore quodam, vel ſubſtantia calida, non autem de pura qualitate. Vt ergo res hæc plenius intelligatur, aduertendus animus eſt, quòd omnis ſubſtantia corporea, ſiue ſimplex ſit, ſiue mixta, quamuis propter aliquam operationem ſit à natura creata, ipſa tamen per ſe, & ſola nihil agere poteſt: in ſubſtantia enim per ſe, & proxima, non eſt facultas agendi aliquid: ſed eget aliquo alio, quo vtatur tanquam principio, quo agat, aut tanquam inſtrumento proprio: ſimplicia enim corpora per primas qualitates proxime agunt. Ignis enim, vt dixit Ariſtotel. in libr. de ſenſ. & ſenſ. non agit quatenus ignis, ſed quatenus calidus: neque

tamen qualitas ipſa (ſiue modo qualitates ſint elementorum formæ, ſiue formas ſequentur) poteſt & ipſa per ſe, & ſeorſum aliquid agere: ſuppoſitorũ enim, vt Philoſophi tradidere, ſunt actiones. Vnde totum elementum eſt id, quod agit: quo tamen agit, tanquam principio eſt, qualitas ipſa. Ita etiam in mixtis, totũ mixtum eſt id, quod agit, & edit ſuas operationes: agit tamen per ſuum temperamentum, tanquam per principium, quo agit, ſi putandum ſit, vt Galen. ſenſiſſe videtur, & Hippoc. attribuit, quod forma mixti ſit ipſum temperamentum: vel tãquam per ſuum proprium, & proximum inſtrumentum, ſi alios velimus ſequi, qui ſenſere præter temperamentum, aliam in mixto eſſe formam ſubſtantialem, per quam mixtum ſuũ eſſe habet. Et hinc eſt, quòd B quamuis ſingulatim hęc omnia ſint vnamet res, verbi gratia ignis vnum corpus eſt, quod ſemper agit, diuerſimode tamen de eo loquuntur auctores: & interdum quidem omnia referunt ad qualitates, interdum verò ad totam ipſam ignis ſubſtantiam, quia interdum ipſi principio attendunt, vel inſtrumento, per quod ignis agit, quodcunque agit: interdum verò conſiderant non ſolùm id, quod eſt principium, vel inſtrumentum agendi in igne, ſed illud quod per ſe & propriè agit, & eſt totum ipſum. Ita & Ariſt. in lib. de Generatione & interitu, & in 4. Meteor. & in lib. de Gener. & partibus animalium, aliquando effectus, & trãſmutationes, quæ contingũt in corporibus naturalibus, in ipſas qualitates refert, aliquando in ipſas corporũ ſubſtantias: aliquando caliditatem C effectricem, v.g. eſſe ait illius effectus, nonnunquam ignem. Ita, & Gal. actiones, quæ naturaliter in animantium corporibus integrè aguntur, ſicut eſt concoctio, nutritio, incrementum, & iſtiuſmodi reliqua, à calido innato fieri ait, quod vel animum eſſe ait, aut proximum inſtrumẽtum, vel ſubiectum animi. Et ipſum eſſe ſubſtantiam aſſerit in Commentarijs primi Aphor. (Cap.8.) Sed & eadem de temperamento corporis idem pronuntiauit, aliquando enim dixit, ſicuti 2. de natur. facul. (Cap. vltimo.) quòd actiones à temperie manant, & 5. de loc. affect. ſecundum temperamenti proprietatem particula agit: in libr. etiam, ꝙ animi mores ſeq. &c. ait temperamentum eſt animæ eſſentia, vel quatuor qualitatũ, vel quatuor pri- D morum corporum, immò primo de preſagatione ex pulſu ait (Cap. 3.), ꝙ temperatura proba fit ex quatuor elementis. Et quamuis hæc verbis diuerſa videantur, eadem tamen eſt ſentẽtia. Omnia enim hæc à calore naturali prodeunt; qui quidem per ſuam temperiem probam agit, ſicut ignis per caliditatem agit; ita etiam, cùm vitiatur eius temperies, neque amplius naturalis eſt, ſed extraneus; neque amplius ad ſanitatem pertinet, ſed ad morbum: & non modò non eſt cauſa operationum integrarum, ſed illis potius officit, & lædit: hæc tamen agit ratione temperamenti contracti. Et proinde neque mirum eſt, ſi febris, cuius eſſentia in hoc intẽperato calore conſiſtit, à medicis inter morbos recenſeatur, qui in in- E temperie conſiſtunt: quia ratio, vt iuniores aiunt, formalis morbi eſt lædere operationes: & quamuis calor extraneus, ſicuti & naturalis, ſit ſubſtantia quædã corporea, non tamen lædit ratione ſuæ ſubſtantiæ, ſed ratione ſui temperamenti improbi, ſicuti ignis non cõburit proximè per ſuam ſubſtantiam, ſed per ſuum calorem: & ideo etiam febris non eſt morbus in numero, ſed in temperie. Et hæc quidem ſatis in præſentia ſint, quatenus pertinet ad genus febris, quæ non modò declarant Gal. ſententiam in hac re, ſed & Auic. in prima ſtatim ſententia prima fen. quarti Can. vbi ait, quòd febris eſt calor extraneus. Sed vlterius & hoc conſiderandum, quod & ſi dixerimus extraneum calorem, vel aduentitium eſ- A ſe genus febris, non tamen id ita intelligendum eſt, vt ſit proximum, & vt iuniores logici aiunt, immediatum genus febris, ſed potius remotum. Nam, vt paulò antea dicebamus, alia eſt differentia, vel ratio aduentitij & extranei caloris, qui plurimus dicitur eſſe in iuuenibus iam adultis, & qui æſtate etiam multus eſt: alia verò differentia iſtius caloris eſt, quo iam morboſa corpora ſunt affecta: cum priori enim adhuc ſanitatis ratio ſeruatur, cum hoc verò nequaquam: ſed is etiam morboſus calor alias habet differentias, eſt enim qui febris eſt, & eſt etiam alius, qui & ſi operationes lædat, & extraneus ſit, nõ tamẽ adhuc febris eſt: ſicuti Gal. 4. Com. in 6. Epid. (Com. 2. Cap. 3.) exprimit, calida enim, & ſicca interdum intemperies in ventriculo poteſt eſſe, neque tamen adhuc B dici febris poteſt: ſed & inferius ait Gal. quòd quantumlibet reliquum corpus ab hoc externo calore corripiatur: tamen niſi ad cor perueniat, nunquam febris eſſe poterit. Vnde Auic. & ipſe hic accepit primam differentiam in ſua diffinitione febris (Cap. 2.), vbi ait accenſus in corde. Niſi etiam in totum corpus is calor expandatur, vel in plures, vel in præcipuas partes, non erit febris, vt Gal. etiam in libro de cauſ. morb. docet: febris enim eſt, ait ipſe, immoderata totius corporis caliditas. Sed de his plenius in poſterum. Nunc ſatis ſit hoc declaraſſe, quod febris ſit calor externus, vel præter naturam, non ſicut calor extraneus, factus ex exſiccatione naturali, quæ illi, ex ætate accidit: ſed maiori trãſmutatione, qua iam C ſanitati contrarius, lædit operationes inſigni læſione, quòdque ſicuti naturalis calor ſecundùm rem, & propriam naturam ſubſtantia corporea eſt, quæ maxime in ſanguine, & ſpiritu ſuum eſſe habet; ita, & extraneus corporea quædam natura eſt, immo illa eadem, quæ præter rei naturam facta eſt, ob vitium, & tranſmutationem factam in commodo temperamento, per quod genuinus, & naturalis calor dicebatur. Vnde ſicut origo, & fons temperamenti, & naturalis caloris eſt cor, ita vitiata eius natura, & temperie, erit cauſa, & ſcaturigo caloris præter naturam, qui per totum corpus expanditur. Quibus ita expoſitis genere nimirum, & natura febris in vniuerſum, particulatim tandem ad explanandas ipſius D ſpecies, & differentias accedamus. Triplicem itaque ordinem differentiarum febrium cõſtituit Gal. explanans prædictam partitionem: vt aliæ ſint per ſe, & propriæ, vtpotè quę ab ipſa rei ſubſtantia ſint acceptæ: & hæ omnes ab ea ratione accipiuntur, qua calor præter naturam per ſe poteſt eſſe varius in corporibus, in quibus eſt: aliæ vero ab illis, quæ huic calori accidunt: & hæ ſunt duplices: nam aliæ ab ijs, quæ priuatim, & proprie accidũt ipſi ſubſtantiæ rei, & illi propinquiora ſunt; alia vero remotiora ſunt, & magis aliena à natura propria ipſius rei. Tria vero ſunt, quæ proprie reperiuntur in natura & ratione caloris, qui alienus à natura rei eſt, & diuerſitatem aliquam faciunt in ipſo. Primum eſt, quia E res quęcũque eius eſt particeps, vel calidior dici poteſt, vel minus calida: & hanc differentiam accipi iuniores dicunt ab eo, quod magis vel minus dicitur. In hac autem differentia aliqua eſt abuſio, quatenus ad ipſam pertinet nominum vſurpationem; nominibus enim quantitati accommodatis ſæpiſſime vtimur pro illis, quę qualitatis propria ſunt: & maiorẽ, vel minorem febrem appellamus, itemque maiorem, & minorem calorem, quæ propriè ad quantitatem pertinent, pro intẽſiori, & remiſſiori, quæ qualitati magis accommodata ſunt, & ita has differentias dicimus accipi à magnitudine caloris. Alterum vero, quod ad naturam caloris pertinet, eſt materia, in qua primùm accenditur is calor, vnde cùm corpus animalis ſit integratum, & coagmentatum

ex triplici ſubſtantia, ex humoribus nempè, & ſpiritibus, & ſolidis particulis, in quibus duo illa continẽtur: in his omnibus poteſt primùm calor accendi: & ſicut varia eſt horũ natura, & ratio: & ita etiam diuerſa, vt declarabimus pauló poſt, caloris natura euadit: quo fit, vt non ſit deinde mirandum, ſi ſuę etiam ab his ſint accipiendæ febrium differentiæ. Tertium autem quòd in calore hoc repertum eius etiam diuerſitatis in cauſa eſt; quæ diuerſarũ differentiarum Lect.V. occaſionem affert, eſt modus motus caloris. Nam aliquando calor hic externus citiſſimè moueri videtur, interdum lento quaſi gradu: citus motus eſt, quandò ſtatim, vbi manum admoues febricitanti, tibi videtur acris, & mordens eius calor: aliquando autẽ in prima admotione manus, vix calor percipitur, vel eius acrimonia: verùm vbi diutius eam ibi detinueris, tandem calor percipitur, & acrior fit: Vnde in primo caloris modo ſtatim ſenſui calor, & eius acrimonia ſe offert, celer ergo videtur eius motus: in altero autem: vt vim eius percìpiamus, longiori tempore opus eſt. Has ergo omnes, febrium differentias Con.28. Hip. breuiſſimè, & exquiſitiſſimè cõplexus eſt, nulla prætermiſſa: differentias autem, quæ ab ijs, quæ caloris extrinſecè accidunt, non omnes perſecutus eſt: ſed eas tãtum, quæ inſigniores, & vtiliores ſunt: reliquas verò nobis addendas reliquit eadẽ methodo inhęrentibus: quod ipſe innuit in extrema parte huius ſententiæ, vbi ait: & alia quæcunque huiuſcemodi ſunt. quod notauit etiam Gal. lib. 1. com. in 6. Epid. exponens præfatam Hipp. febrium partitionẽ. Sed hic aduertendum, quòd Hip. his verbis non explicauit eodem modo omnes has differentias febrium, ſed diuerſimodè. quia illas, quæ à quantitate caloris acceptæ ſunt, ſecundùm propriam rationem & nominibus ſtatim, & proximè eas ſignificantibus explicauit: ſimiliter & eas, quæ à motu caloris: primas enim interpretatus eſt, vbi dixit, quædam ſtatim exardentes, quædam ſemper puſillæ: alteras verò cum dixit, aliæ acutæ: acutas autem alio modo intelligendas eſſe cenſet Gal. quàm cum dicimus morbum aliquem eſſe acutum. Nam acutum morbum, vt eodem commentario exponit, cuius tempora citò tranſeunt, hic autem acutas febres eas intelligit, quarum ſtatim manu appoſita percipiuntur calor, & acrimonia: citiſſimè enim ſe manui offerunt: & hoc propriè pertinet ad motum caloris, nempè quòd ſtatim, & citius manui, aut tardius occurrat. Eas verò, quæ naturam materiæ, in qua calor accenſus eſt, conſequuntur, non hoc modo explicat, ſed earum rationem inſinuat per quædam indicia, & quaſdam notas, quibus dignoſcendæ ſunt, & hoc eſt quod Gal. ſignificare voluit, cùm ait, quòd Hip. fecit febrium partitionem, tum à natura, tum à dignotione. Vnde quamuis non expreſſerit hecticam, ephemeram, & putridam, vel febrem in ſolidis particulis accenſam, vel in humoribus, vel in ſpiritibus, has tamẽ differentias per ea indicia ſignificauit, quibus diſcernendæ ſunt. Nam cùm febres diuidit in mordaces, & mites, nùlli dubium eſſe debet, quòd per mites intelligẽdę ſunt febres ephemerę in ſpiritibus accenſę: hæ enim, vt inferius docebimus, omnium mitiſſimæ ſunt: ita tamen hoc intelligendum, vt ipſe 1. lib. com. 3. in 6. Epid. expoſuit, quòd mitiſſimę ſunt in ſuo genere, & cum alijs febribus collatæ, non autem abſolute: ita vt calor aliquis febrilis poſſit ęquè mitis, & ſuauis eſſe, vt in integris, & ſanis corporibus. Neque enim externus, & aduentitius calor, vtpote qui præter naturam, & naturæ noſtræ aduerſarius ſit, ex æquo poteſt cum natiuo, qui nobis naturalis eſt, & familiaris, eſſe mitis, & ſuauis: ſed aliarum comparatione mitis, & ſuauis eſt harum febrium calor. acriores autem ſunt calores aliarum febrium, nempè pu-

A tridarum, & hecticarum. Differunt tamen hæ: nam vel ſtatim, vbi manum applicueris, percipitur acris, & mordax calor: vel primùm quidem nulla ferè percipitur acrimonia, & mordacitas caloris, ſed pauló pòſt quantò magis manum detinueris: tantò magis mordacitas continenter augeri videtur, & quaſi è profundioribus partibus emergere: & prior quidem differentia ad putridarũ febrium genus pertinet, quę ex putreſcentibus humoribus ortum habent: altera vero ad genus hecticarum, quæ primã generationem habent in ipſis ſolidis particulis. Sed hæc de febrium differentijs ſummatim, & per capita expoſita ſunt in præſentia, particulatim verò, & magis diſtinctè in ſequẽtibus explicabuntur. Interim verò non erit ab re B etiam meminiſſe quarundam quæſtionum, quæ expoſitores noſtros Latinos, tam huius lib. quàm primę Fen. 4. Can. Auic. anxios admodũ detinuere: Oriuntur autem ex verbis, quæ hic à Galen. prolata, & ab Auic. prima 4. recitata fuere. Nam ait quod differentiæ, quæ penes id quod magis, & minus calidum dicitur, & quæ à modo motus caloris accipiuntur, quæque a materia in qua accenditur febris, ſunt maxime propriæ differentiæ, & quæ ab ipſa eſſentia vel ſubſtantia ſunt: deinde has mutuò conferens ait, ꝙ illæ, quæ a materia, in qua accenditur caloris naturæ contrarius, præ alijs maximè propriæ ſunt. Hæc autem videntur omnino aduerſari principijs philoſophiæ naturalis. nam hoc tanquam principium a philoſophis omnibus conceditur, quod magis aut mi- C nus non variant, neque mutant ſpeciem. Deinde verò, ſi philoſophos ſequamur, ratio & eſſentia ipſius ſpeciei ab ipſa forma accipienda. vnde apud Græcos eodem vocabulo forma, & ſpecies ſignificantur εἶδος enim vtrumque ſignificat. Quomodo ergo differentiæ a materia acceptæ ſunt maximè propriæ? potius enim hęc videtur diuiſio accidẽtis in ſubiecta, quàm generis in ſpecies, & quæ potius ſit in illis ponenda, quæ diuiſiones per accidens dicuntur, quàm in illis quæ per ſe. Sed & difficultatem augent recentiores, qui omnes in hanc ſententiam videntur conſpiraſſe, & eam tanquam principium habent in hoc negotio. Sententia vero hæc eſt, nimirum quòd hęc tria, videlicet ſpiritus, humores, & membra, non ſunt propriè D materia febrium, ſi tamen exquiſitè loqui velimus: nam neque ſunt materia, ex qua ſit conſtituta febris, ſicut compoſitæ ſubſtantiæ conſtituuntur ex materia, & forma: febris enim accidens eſt, quod eiuſmodi materia caret: neque præterea materia, inquam quæ idem eſt, quod ſubiectum, in quo accidentia cõſiſtunt: quia neque ſpiritus, neque humor poſſunt eſſe ſubiectum febris. Morbi enim in animato corpore, tanquã in proprio ſubiecto fundantur: vnde aiunt ipſi, ꝙ calefactum quod in his eſt, quando febris accenſa eſt, & potius effectrix cauſa ipſius febris, quàm febris: quod ſi ita ſit, non amplius defendere poterimus, ꝙ differentiæ hæ ſint ab ipſa rei ſubſtantia depromptæ: quia effectrix cauſa extrinſeca eſt, & ad rei E cauſatæ ſubſtantiam non pertinet. Has quæſtiones mouent Latini noſtri iuniores, & per multas inuolutiones tandem in hanc reſolutionem deueniunt, vt dicant, quòd ſi velimus propriè loqui, & ſecundũ veram harum rerum naturam ſeorſum, & per ſe: hæ non ſunt vere proprię & per ſe differentiæ: hoc enim ſatis aperte probant rationes iam recitatæ. Verùm ſi eas ad medicum referamus, cuius munus & officium eſt, per artem ſuam congruis adminiſtratis remedijs, morbos profligare: poſſunt tanquam propriæ, & per ſe differentiæ accipi: quicquid enim per ſe medico differentem curandi rationem indicat, id tanquam propria, & per ſe differentia illi habendum eſt: quia omnia quæ in finem aliquem referuntur, per relationem ad eum fi-

nem, ſuam habent rationem: ab iſtis autem febrium differentijs medicus differentes indicationes depromit: & ideò tanquam per ſe, & à rei ſubſtantia acceptas differentias illas habet. quamuis ſi propriè loqui velimus, & ſecūdùm rerum ipſarum naturam, tales minimè ſint. Lect.VI. Mihi tamen nequaquam horum probatur ſententia, vt qui neque rerum ipſarum naturam ſequantur, neque methodi rationem, & ordinem ſeruent: duóſque errores videntur committere. Primum quidem, cum aiunt materias has, è quibus tres accipiuntur febrium differentiæ, ſi exquiſite velimus loqui, & ex ipſa rei natura, proprie materias appellari non poſſe: ſed potius cauſas iſtarum febrium: dicūt enim quòd calefactum in ſpiritibus, humoribus, & ſolidis membris potius eſt, cauſa proxima febris, quàm febris ipſa. Alterum verò committunt, cùm aſſeuerant non eſſe veras differentias, ſed pro talibus accipi à medico, quatenus tendunt in differentes rationes, & modos curationis: hoc enim ſatis eſt medico, cuius inſtitutum eſt curare morbos. Sed de priori errore inferius loquemur, vbi magis congrua erit hæc tractatio. In præſentia verò de altero verba faciemus. In hoc a recta via aberrare videntur, quòd confundunt, & peruertunt veram methodi rationem. Nam quemadmodum philoſophi dicunt ſcientiam noſtram non eſſe effectricem rerum earum, quæ à nobis ſciuntur, ſed eam potius à rebus pendere, & conſtitui: ita nos, ſi rerum naturam velimus ſequi, & doctrinam nobis à priſcis, & probatis auctoribus traditam; dicemus; quòd differentiæ febrium non propterea dicuntur per ſe differre, quia nobis diuerſas indicant, & demonſtrant rationes medendi: ſed potius quia ipſæ inter ſe, & ex propria natura diuerſæ, & differentes ſunt: ideò & diuerſam methodum nobis oſtendunt, methodus enim indicationibus conſtat, indicationes omnes ab ipſa rei indicantis natura, & ſubſtantia ſuã habent originem. 2. enim methodi medendi (ſi memor ſum) ita Galenus rem hanc expoſuit, ab ipſa rei natura exordiri, & ab ipſa ſumpto initio, quod conſequens eſt, citra tamen experientiam inuenire, hoc eſt per indicationem inuenire: & paulò poſt methodi principium ſtatuendum eſt, nimirum ipſa cognitio morbi, nempe qualis ſit eius natura. Vnde poſſumus à poſteriori, vt logici loqui ſolent, argumentum formare: Indicant diuerſos curationis modos: ergo ipſæ diuerſam habent naturam, & eſſentiam. Quòd ſi quiſpiam dixerit, quomodo ergo tu defendere poteris, has eſſe veras, & per ſe differentias? Id facilè fieri poterit, ſi rem hanc altius exordiri velimus, verùm operæ prætium forſitan faciemus, ſi prius reliquum iſtius capitis explanauerimus: quædam enim ſunt, quæ rectè explananata non parum facient ad clariorem perceptionem eorum quæ exponenda ſunt. Omnium autem dicendorum hoc tanquam fundamentum ſumendum eſt, ꝙ noſtrum corpus, atque adeò etiam cæterorum fere animantium ex triplici ſubſtantia conſtat, & coagmentatum eſt. Prima eſt ſubſtantia ſolidiorum particularum, ſicuti ſubſtantia cordis, ſubſtantia oſſium, neruorum, copularum, arteriarum, venarum, & tandem carnis. Altera verò ſunt quatuor humores, qui tanquam proxima elementa corporum animantium conſtituti ſunt ab Hipp. ex quibus genita ipſa ſunt, & aluntur, & augentur. Tertia ſunt ſpiritus, qui ortum ſuum habent in corde, & ab eo impulſi, impetu quodam deferuntur, & per arterias in vniuerſum corpus digerūtur, & ab his omnibus ita dependet vita, & integritas, perfectioq; animantis, vt ſine his, ipſum viuere vel breuiſſimo tempore nequeat. Hæc Hipp. quodam quaſi ænigmate inſinuans diſtinguere voluit, cùm dixit, tria hæc eſſe, continentia, contenta, & impetum facientia: continentia enim, ſunt ſolida membra, in quibus humores omnes, & ſpiritus continentur: contenta proprie ſunt humores: impetum, faciunt ſpiritus, vt diximus, per vniuerſum corpus. Sed vlterius, & hoc conſiderandum eſt, quòd vita potiſſimum in calore naturali conſiſtit: generatio enim, vt ait Ariſtot. in lib. de morte, & vita, eſt prima participatio animi à calore naturali, & vita eſt eius permanſio. Vnde ſicut cor eſt fons, & primum initium caloris innati, ita eſt fons, & origo vitæ, & proinde omnis particula, quæ vitæ particeps eſt, id acceptum refert à corde. Ex quo deinde ſequitur, quòd ſicut à corde effluit calor natiuus, tanquam a prima origine: ita nequit is natiuus calor corrumpi, vel vitiari in vniuerſo corpore, niſi male prius cor afficiatur. In febribus ergo, in quibus naturalis calor in extraneum corrumpitur in vniuerſo corpore, niſi aliquid, vt paulò poſt dicemus, impediat, prima origo à corde petenda eſt. Breuitatis igitur, & clarioris doctrinæ gratia in exponendis differentijs febriū, de quibus in præſentia ſermonem inſtituimus, ad cor ipſum orationē dirigamus. Itaque in corde ſunt hæc tria, nimirum corpus ipſum, & ſubſtantia cordis: ſecundò humores, qui in ipſo cōtinentur, & ex quibus tum ipſum alitur, tum in eo ſpiritus, quod tertiū eſt, tanquam in propria minera, gignūtur. Et ex iſtis tribus tres primæ febrium differentiæ ortum habent, & quæ maximè omnium ſunt propriæ differentiæ febrilis generis, imò aliæ omnes differentiæ, quantumlibet per ſe ſint, ab his omnem ferè rationem ſuam, vt oſtendemus, habent: vnde interdum febris ſuam originem habet a cordis ſubſtantia, ac mox in alias partes diffunditur, nimirū in ſpiritus, & humores: interdùm autem initium habet ab humoribus, indèque calor ad ſpiritus & ſubſtantiã cordis tranſit: quandoque verò primum ſpiritus accenduntur externo calore, mox verò & humores, & cordis ſubſtantia concaleſcit. Et prima quidē differentia eam febris ſpeciem conſtituit, quæ a Græcis hectica eſt appellata, eò quòd fundamentum ſuum habet in habitu corporis: habitus enim corporis, ſi græcos ſequamur, ad ſolidas particulas pertinet: & quia illæ iam in calefacto ſunt, & eius naturalis tēperies vitiata iam eſt, & itidem eorū calor innatus vitiatus. Altera verò differentia in putreſcentibus humoribus eſſe habet, & febrem putridam conſtituit. Tertia ex inflammatione ſpirituum accenditur: & quia raro diem excedit: ideò ephemera græce, diaria latinè dicta eſt. Quòd ſi quis quærat, cur hæc hectica, illa putrida, & tertia ephemera dicatur, & non tandem in vnam rationem omnes referantur, cùm ſemper, quamuis prima origo caloris febrilis ab vno ſit, paulò poſt tamen omnia alia, vt nuper diximus, comprehendat? Dico, quòd tātùm morbi propriam rationem, & per ſe habet calor, qui primum accenditur, in quodcunque accendatur, qui vero ab illo ad alias ſubſtantias tranſit, non habet rationem per ſe morbi: ſed ſi febris dicatur, vel morbus, id eſt, ratione, qua refertur in illum calorē, qui primùm accenſus eſt: Cur autem id ſit, facile, ſi bene animaduertatis, percipietis: occaſionem autem ſolutionis præſtitit nobis Gal. tùm hic, tùm lib. de morb. diff. Cap.1. ibi enim inter alias conditiones, quæ neceſſariæ ſunt ad hoc, vt aliqua affectio morbus dicatur, eſt, quòd ſit non tantùm πάθος, verùm & διάθεσιν, noſtri moderni primum paſſionem appellant, alterum diſpoſitionem vel affectionem. Differunt autem hęc, vt itidem declarat Galenus, quòd πάθος ea affectio eſt, quæ in motu, & trāſmutatione eſſe habet, vel in fieri, vt iuniores dicere conſueuere, quæque, remota cauſa, a qua efficitur, ſponte deſinit: διάθεσις verò ea

eſt

eſt affectio, quæ facta eſt: & iam diu permanſura eſt, remota etiam cauſa: iuniores autẽ in facto eſſe, ſuum eſſe habere aiunt. Vnde quia in hectica febre ſolidiores partes calefactæ ſunt, vel ſunt, vt recentiores dicunt, in calefacto eſſe, reliquę verò ſubſtantiæ tantum calefiunt, & nondum calefactæ ſunt, ideò quanuis febrilis calor vniuerſum corpus, & partes eius omnes attingat, ab illis tamen ſpecificam rationem conſequitur, quæ iam calefactæ ſunt, non autem ab illis, quæ tantum adhuc calefiunt, & quod de hectica reſpectu ſolidorum membrorum diximus, vos idem transferre poteſtis ad putridas reſpectu humorum, & ad ephemeras, eas cum ſpiritibus conferentes. Quia verò res hæc difficilior aliquanto videbatur, ne aliquid obſcurum relinqueret Galenus, rem hanc quibuſdam exemplis ab externis rebus depromptis explanare nititur: nempe ab illis, quæ arte conficiuntur, quæque, & ſi non exquiſitam ſimilitudinem habeant cum re hac, de qua is ſermo inſtitutus eſt, eam tamen habent, quæ non parum claritatis illi poſſunt afferre. Exemplum autem primum acceptum eſt à vaſe æneo, quod lebetem appellant: ſi quis itaque feruentem iam aquam in frigidum lebetem inijciat, nec totum impleat, lebes ex iniecta aqua calefiet, vt experientia ipſa docet, calefietque præterea, & aer, qui ſuperiorem partem vaſis, ad quam non pertingit aqua feruens, occupat: hocque exemplum accommodatur putridæ febri. Alterùm exemplum vice verſa ſe habet: ſi enim frigida aqua in lebetem adeò calidum iniiciatur, vt vrere poſſit, ex lebete calefiet aqua, item & aer: quod perinde ſe habet vt in hectica, in qua calefactis primum ſolidioribus particulis, calefiunt ab illis & humores, & ſpiritus. Ephemeræ autem febri accòmmodatum exemplum accipit à follibus fabrorum ferrariorum, quibus ignem accendunt: attracto enim aere calido calefacto ex igne, calefiunt partes ipſius follis: ſicuti ſpiritu in animantis corpore inflammato, reliquæ partes, vt ſunt ſolidæ, & humores calefiunt. Et in hoc differt follis ab accenſione febris ephemeræ, quod in ephemera febre, & humores, & membra à ſpiritu calefiunt, in folle autem non perinde humor continetur, ſicuti in animantium corpore: vnde oportet, quod huic exemplo deeſt, imaginatione ſupplere: vt ſcilicet imaginemur in folle humorem contineri, & quòd non ſecus humor calefiat, ac corpus ipſius follis. Imo ait Galen. ſi quis imaginatione vlterius progrediatur, ac cogitet, quòd non ſit vna tãtum ſiſtula, per quam attrahitur, & expellitur aer: ſed ſint plura, quaſi innumera foramina, per quæ dum dilatatur follis, aer attrahatur, & dũ comprimitur, expellatur: ita vt ſoli aeri ingredienti, & egredienti pateant, non autem humori, ſicut in corporibus animantium perpetuo dum viuunt: fieri conſtat. In hoc autem ars natura inferior eſt, vt clarum eſt. Sed hic eſt diligenter animaduertendum, quod & ſi dixerimus, quòd cùm vna ex his tribus ſubſtantijs calefacta eſt, ſubinde, & reliquæ calefiunt, tamen non eſt par horum omnium aptitudo & promptitudo ad ſuſcipiendum calorem ab alijs. Nam quæ craſſiora, & ſolidiora ſunt magis reſiſtunt, & ægrius calefiunt: tenuiora verò promptiora, ſunt, vt calefcant: vnde præ alijs, cùm aliquod aliorum accẽſum eſt, ſpiritus calefit: mox verò iuniores, minimè verò omnium ſolida corpora. Hoc verò dupliciter intelligi poteſt, vel quia vno horum calefacto iam, alia etiam facilius, & difficilius calefiunt, ſicuti in hectica calefacta ſunt membra, ab hiſque facilius, & prius ſpiritus calefit, quàm ſanguis, calefit tamẽ & ſanguis. Ita in putridis humores calefacti ſunt, & ab his calefiunt prius, & facilius ſpiritus, poſt & membra: ſed in ephemeris calefacti ſunt ſpiritus, mox humores: poſtmodum & ſolidę partes. Et forſitan hoc ſpectans Auic. in diffinitione febris, vbi dixit, quod erat calor accenſus in corde, ſubdit & ab eo procedens mediante ſpiritu, & ſanguine, per venas, & arterias in vniuerſum corpus: accenſa enim febre in corde, ſtatim calefit primum ſpiritus, mox & ſanguis: per quos reliquum corpus calefit. Lect. VII.

Sed & poſſumus hoc intelligere non de calefactione tantùm eorum, ſed de calefacto: nam cum vnum horum calefactũ eſt, duo reliqua aliquandiu calefiunt, ſed niſi interim ſoluatur affectio, eò res procedit, vt & illa pariter afficiantur, vt iã calefacta eſſe dici poſſint: atque hic etiam idem ſeruatur promptitudinis ordo: quò enim ſubſtantia tenuior eſt, eò citius afficitur, & tranſmutatur. Hic autem in calce iſtius capitis inſurgere videtur dubitatio non contemnenda, quam ſoluere, antequam vlterius progrediamur, operæ pretium fortaſſe erit. Inſurgit vero occaſione eorũ, quæ hactenus dicta ſunt: diximus enim febrem morbum appellari ratione, eius quod factum eſt, non eius quod in ipſa fit: & propterea tres eſſe conſtitutas differentias vel ſpecies febris, quia tres ſunt ſubſtantiæ, ex quibus conſtat integritas corporis noſtri, quæ calefactæ eſſe poſſunt, ſolidarum partium ſubſtantia, humores, & ſpiritus. Ex hoc autem videtur ſequi, quod omnis febris erit facta: nulla autem fiens. Nam in ephemeris calefactum propriæ febris, & morbi rationem habet, non calefieri: ita in putrida calefactum in humoribus propriè febris eſt, non quod in calefieri, & tranſmutari eſt. Sed hoc aduerſatur Gal. & in lib. de intẽperie inęquali, & in 8. meth. Cap. I. qui ibi febres partitus eſt & ait: quòd febrium aliæ factæ ſunt, aliæ adhuc fiunt, quę à nullo amplius dependent vt hecticæ, adhuc fiunt quæ ab alio dependent in eſſe. Ad hoc facilis eſt reſponſio, ſi recte velimus rem examinare, Febris enim comparatur ad id quod primum ſubiectum eſt externi caloris, in quo videlicet primum accenſus eſt calor: vt eſt humor, vel putrida fuligo in putrida, ſpiritus in ephemera, ſolida membra in hectica: atque ſi de ea ita loquamur, nempè quatenus ad hanc rationem pertinet, omnis febris facta eſt, & inde pendens, & temperatura ęqualis: & huic ſententiæ atteſtatur Gal. & hoc primo libr. & alibi. Sed ſi ad id reſpexerimus, quod propriè ægrotare dicitur, & cuius actiones per ſe à febrili calore læduntur, vt eſt corpus ipſum, ac eius partes propriæ, & ex quibus coagmentatur habitus corporis, ad has enim pertinent primùm actiones omnes quæ in animantis corpore læduntur concedimus ſolam hecticam febrem eſſe factam, & æqualem temperaturam, cæteras vero adhuc fieri, niſi & illæ tandem in hecticas conuertantur: quia in hectica dutaxat hæ partes calefactæ ſunt, in alijs vero adhuc calefiunt. Vnde, & aliæ omnes febres à febricitante percipiuntur, quia nondum æqualis intẽperies inducta eſt, ſed adhuc inæqualis, eſt: in hectica verò iam ęqualis facta eſt ſolidorum membrorum intemperatura, ad quam pertinet officium ſentiendi: vnde in ea trãſmutata ſunt continẽtia: in putridis verò contenta: in ephemeris impetentia, vel impetum facientia. Et hic primo capiti calcem imponemus. Nam ſi aliqua ſint, quæ indiſcuſſa videantur eſſe relicta, in ſequenribus capitibus facilius, & accommodatius diſcutiemus.

De euidentibus, & communibus cauſis febrium. Cap. II.

ET oportet q̃ iã dicta ſunt demõſtrare, atq; vnius cuiuſque generis, &c.] In primo capite, quod hactenus explanauimus, prima iecit fundamenta totius

iſtius

iſtius tractationis,quam hoc libro complexurus eſt, & ſumma capita totius huius negotij expoſuit, ſummatim tamen, & in vniuerſum. In vniuerſum autem, & ſummatim aliquid docere vel addiſcere, niſi tandem particulatim deſcendendo ad vltimas vſque differentias, & ad theoremata vltima veniamus, eſt confuſè, non autem diſtinctè aliquid addiſcere, vel docere. Et proinde iam incepturus diſtinctam inſtituere tractationē,poſteaquā dixit in priori capite expoſita fuiſſe tantum ſumma rei huius capita,hic reliquū eſſe ait,ne videamur velle nobis ita ab ſolutè abſque aliqua ratione credi, vt ea fundamenta,quæ poſita hactenus ſunt, demōſtrationibus proprijs fundemus:ac mox de ratione dignoſcendi ea genera,vel differentias febrium, quarum hactenus meminimus, ſermonem habeamus. Sed antequam rem ipſam aggrediamur, operæ pretium fecerimus, ſi de febrium generatione aliqua fuerimus præfati. Hoc tamen prius animaduertere debetis,vt artem Galen. ac eius methodum percipiatis, quòd omnis demonſtratio in his præcipuè diſciplinis, vel artibus, quæ circa materiam verſantur naturalem,& ſenſibus expoſitam,tandem reſoluitur in ea principia,quæ & ex ſeſe euidentia ſunt, & ab ipſis ſenſibus, & experientia accepta.Ab his ergo ordinem docendi,quaſi compoſitiua modo vſus, exorditur. Primùm ergo accipit tāquam verum & manifeſtum omnibus,quod febres habent quaſdam tùm externas, tùm internas cauſas, omnibus quidē notas,à quibus accendi conſueuere: illæ verò,& ſi particulatim ſint multæ,à medicis tamen, breuioris, & clarioris diſciplinæ gratia, in ſex capita redactæ ſunt: quæ à medicis ſex res non naturales appellatæ ſunt.Inter quas primū, & principē locum obtinet aer, mox cibus, & potus, tertiò ſomnus, & vigilia, quartò motus, & quies quintò animi affectus, vel perturbationes, ſextò inanitio,& repletio: ad hæc itaque capita omnia reducuntur tandem quæ exponuntur hic à Gal. Aerem enim febres afferre, cùm vel nimijs ardoribus caleat, vel algoribus refrigeſcat,vel aliqua putrida, & peſtilenti qualitate ſit affectus, ſicuti in peſtilentibus conſtitutionibus,manifeſtum eſt:imò hac ratione cum peſtilentia laborantibus verſari, cum lippientibus, cum phthiſicis periculoſum eſt: quia à vaporibus ab eorum corporibus exhalātibus, vel expiratis aer inficitur, ac ſubinde illos, qui in eo verſantur, inficit. Ita etiam multi ex potu meraci, & veteris vini à febre correpti ſunt, & qui calefacientibus cibis immodeſtè vſi ſunt. Sed ex nimio ſomno febricitarunt multi, & magis etiam ex immoderatis vigilijs. Sæpe etiam qui aſſueti ſunt ſe exercere, ac deinde mutata victus ratione otio ſe tradunt, & qui alioquin exercendo ſe, nimijs laboribus conficiunt corpus, hi facillimè febricitant. Præterea verò ex ira, triſtitia, timore videmus febres accendi quotidie. Crapula quoque,ebrietas, cruditas, ad febres perducunt: nec minus inedia,nimiaque abſtinentia,ac iſtiuſmodi reliqua, quæ vitandi longitudinem cauſa in præſentia prætergredimur,tanquam omnibus aperta, & confeſſa. Hoc ergo tanquam per ſe & experientia notum accipiendum eſt in hoc noſtro libello. Neque tamen mox ita etiam omnibus notum eſt,qua ratione, & quo modo affecto corpore noſtro ab his relatis cauſis febris accendatur: imò hoc à multis ignoratur, nec ab idiotis modò, verùm & à multis, qui medicinam profitentur, ac tanquam medici ab omnibus ferè habetur: ſed aliōs miſſos faciamus,vtpote ad quos non attinet hæc ſcrutari, & de medicis tantùm verba faciamus. In his itaque duplex eſt chorus eorum,qui hæc omnino ignorant. Primus eſt eorum qui Empiricam ſectam colunt, & tantùm experientiam ducem ſequuntur, illique ſoli hærent, cætera

A verò omnia prætermittunt: hi ſatis eſſe putant, harum cauſarum notitiam habere, noſſeque poſſe febres afferre, vt eis notatis, & obſeruatis pro earum diuerſitate, diuerſa poſſint remedia adhibere, & talia, qualia eos experientia omnium rerum magiſtra docuit. Rationes verò, & cauſas,cur hæ res ita noſtrum corpus afficiant, vt ſuperuacaneum id eſſe putant: ita etiam neque à nobis comparari poſſe exiſtimant: cùm rerum naturæ nulla ratione à nobis alioquin percipi poſſint: Alter verò chorus medicorum eſt eorum, qui tantùm agunt, vt ſcire, & ſapere videantur, veram tamen ſapientiam negligunt, & nihili faciunt, dummodò ſapientes eſſe credantur, cum tamen nihilo magis prioribus ſapiant, immò & B illis ſunt magis ignari. Huius verò ignorationis ea eſt cauſa, nempe quia artes, & diſciplinas tractare audent, antequam ſint exercitati in logica diſciplina, cuius munus eſt docere rationem, qua verum à falſo diſcernitur,& qua ſumptiones quæ accommodatæ ſunt demonſtrationibus, ab illis, quæ vix probabiles ſunt, & longè magis ab illis, quæ videntur prima facie probabiles, ſed magis decipiunt, quam verum aliquid demonſtrent. Hi ergo, ſi ignorantia accedat & ſuperbia, quæ plerunque ſolet horum hominum eſſe comes, eò inſaniæ & temeritatis perueniunt: vt ea negare audeant, quæ experientia nos quotidie docet, & de quibus nullus hactenus dubitabit. Inter alia autem negant, febres ab his cauſis accendi,quorum opinionem in preſentia non eſt,cur C refellamus, quia de hac re, ait Gal. abundè in libro de procatarcticis cauſis differuimus:in hoc autem eſt noſtrum inſtitutum,vt tantùm,quæ vera ſunt,doceamus,& demonſtremus accipientes, ac ponentes tanquam vera illa omnia,quæ alibi à nobis diſputata, & probata ſunt.

Quo pacto ex præincipientibus cauſis variæ in corpore diſpoſitiones oriantur.

Cap. III.

D SVNT igitur ſuppoſitiones hæ,calidum,frigidū, humidum, & ſiccum eſſe,&c.] Vt ergo exponere poſſimus facilius, qualis ſit affectus ille, qui quidē in noſtris corporibus à prenarratis cauſis gignitur,& quomodo gignatur, ad ea recurrendum eſt, quæ alijs locis fuere demonſtrata, & illis vtendum tanquam hypotheſi ad horum explanationem. Præcipua autem hypotheſis hic accipienda eſt, ea quæ ab Hippoc. 1.li. de natura humana demonſtrata, à Galen. verò primo libro de elementis iuxta Hippo. ſententiam expoſita eſt, nempe quatuor eſſe prima elementa humani corporis, atque adeò etiam omnium mixtorum corporum,calidum,frigidum,humidum, & ſiccum, vel, quod in idem tendit, vt ipſe eodē lib. docet, ignem, aquam, aërem, & terram, ex horum E enim miſcella,& temperatura omnia mixta corpora ſuam habent generationem. Altera vero hypotheſis eſt,quòd ſicuti, cum hęc aptum temperamentum, & naturæ animalis accommodatum ſeruant,animal bene valet,& integra ſanitate fruitur, ita ſi hoc iſtorum elementorum vitietur temperamentum, neceſſe eſt ægrotare: magis autem, & minus pro maiori, vel minori lapſu a proprio temperamento. Et quia temperamentum ſimplicibus corporis particulis primum, & per ſe conuenit, organicis verò & compoſitis ſecundariò, & per ipſas ſimplices, quæ & primæ corporis particulæ nuncupantur, & ſunt, ita & morbi, qui in intemperie conſiſtunt, primi morbi, vel ægritudines dicuntur. In quo genere continetur & febris, de qua in præſentia eſt inſtituta tractatio: eſt

Lect. VIII.

eſt enim calida intemperies, & pręter eius naturam in quo eſt, quæ primùm in corde accenditur, ac ſubinde in totum corpus diffunditur, vt paulò poſt exponemus. Tertia autem hypotheſis ea eſt, quæ ſuperius capite primo fuit expoſita, quòd febrium genera, vel differentiæ ſecundum genus caloris iſtius; qui febris naturam, vel ſubſtantiam conſtituit, ab ijs materiebus accipiuntur, in quibus accenditur febrilis calor. Vbi & id debetis animaduertere, quòd ſi rectè verba hæc perpenderitis, facile percipietis verum eſſe id, quod ſuperius dicebamus: nempè quòd omnes aliæ febrium differentiæ, quarũ ſuperius habita eſt mentio, quaſque proprias, & ab ipſa ſubſtantia caloris extranei acceptas eſſe dixi, omnes tãdem naturam ſequuntur materierum, in quibus accenſus eſt iſtiuſmodi febris calor, & propterea etiam dixi, quòd illæ quæ primùm, & proximè à materia accipiuntur, ſunt maximè propriæ differentiæ, quibus verbis has omnibus alijs videtur pretuliſſe. Poſtrema verò hypotheſis eſt, quòd cauſæ illæ, quarum in præcedenti capite facta eſt mentio, febres omnes præcedunt, atque propterea procatarcticæ dicuntur, quaſi præincipientes: quas nemo ferè eſt, qui nõ nouerit, quæque ab omnibus medicis obſeruentur, licet non eodem modo ab empiricis inquam, & rationalibus. In hoc enim hi differunt, quòd empirici eas obſeruant, tanquam quæ ad curationem non parum conferant. Rationales verò in his euidentibus cauſis non conſiſtunt, ſed vlterius progredientes ipſius rei naturam ſcrutantur, quæ per indicationes deinde ad rationem præſagiendi, ac curãdi deducit: ita tamen, vt neque ea omnino contemnant, & paruipendant, quę experientia comprehenduntur, ac inuenta ſunt, immò illis omnibus in commodum ſuum vtuntur; eiſque præterea multa addũt ex rationali methodo. At quæ ea ſint, quæ ab experientia petenda ſint, & quę à rationali methodo, non exponamus ait Gale. in præſentia: quia alibi hæc à nobis explanata ſunt, neque hic eſt eorum locus. De his autem, in libro Metho. in libr. de ſectis, & de optima ſecta, & alibi ſæpè ſermo eſt habitus. Quare ad inſtitutũ noſtrum redeamus, quod in hoc verſatur, vt oſtẽdamus, quomodo, & qua ratione cauſæ hæ procatarcticæ, nuncupatæ corpus afficiunt, quàndo febrem accendunt. Quo loco hoc in primis aduertendum, quòd cùm iam id compertum omnibus ſit, & in confeſſo, quod febris igneus calor eſt, lædens, & officiens actionibus animalis, neceſſe eſt, vt quæcunque recipiuntur, & admittuntur in numero, & ordine cauſarum quæ poſſunt febrem excitare, vim aliquam habeant inſigniter calefaciendi, quomodocunque id faciant: dico autem quomodocumque id faciant: quia non eſt idem modus ſemper, quo calor gignitur, augeturve in corporibus tùm animatis, tùm animæ expertibus, quemadmodum & varia ratio, vtriuſque modus eſt, quo ignis accẽditur. Vnde eiſdẽ, & totidẽ modis febris excitari poteſt, quibus, & quot calor gigni, & ignis accendi poteſt in his inferioribus corporibus, quæ apta ſunt ſuapte natura ad concipiendum calorem, & ignem. Omnes autem modi in hæc tanquã capita deduci poſſunt. Primùm quidẽ quædam motu calefaciunt: motus enim frequens, & velox, & calefacit, & ignem accendit: ſæpe plũbea ſpicula ſagittarũ liquefacta ſunt ex motu veloci, ex attritione ſanè corporũ. Vnde Indi, qui mundũ Nouũ appellatum incolunt, habent hunc modum familiarem accendendi ignẽ: cum ipſis illo opus eſt, duo ligna ſimul coniungunt, ac in terrã declinãt valde iũcta, pedibuſq; ea vtrinque calcant: tertiũ verò aridũ, altero capite inter illa affixo, vtraq; manu intra palmas acceptum velociter in orbem vertunt, & ſic ignis in eis accenditur: ſed in alijs etiam hæc eadem

A fieri quotidie inſpicimus. Deinde, & putredine ignis accẽditur. Videmꝰ enim ſæpe in nauibus onerarij, in lanis valde conſtipat[i]s, præcipuè verò, ſi aliqua fuerit in eis humiditas extranea, ignẽ fuiſſe accenſum, ita, vt aliquando & nauis periculum incendij ſubierit. ſed & ſtercora, quibus agri ſtercorantur, cum putreſcunt, adeò caleſcunt, vt comburant. Tertiò ob propinquitatem, & conuerſationem cum re aliqua calida, quemadmodum cùm ad ignem ſtamus, vel in calidiori aere verſamur. Quartò cùm effluxio aliqua calida à corpore aliquo intercipitur: vnde in hypocauſtis, vel appellatis ſtuffis claudunt omnes feneſtras, & omnia tandem foramina, vt neque aer calidus, neque calida vaporatio, quæ ab B igne attollitur, exire poſſit. Quintò propter mixtionem alicuius calidæ ſubſtantiæ, alicunde tanquam ex fonte efferueſcentis, ſicuti in Aponenſibus thermis fieri videmus: vbi ex fonte aqua efferueſcẽs, & exiliens, per foſſas fluens, cũ alia frigida commixta illam calidiorem reddit, aut eius calorẽ adauget, quantum ad noſtri ſenſus iudicium pertinet. Hæc itaque ſi quis diligenter conſiderauerit, facile percipiet, quot modis etiam febris accendi poſſit. Et hic eſt modus demonſtrationis, qui omnibus locis Galeno probatur: vt aut accipiamus ſumptiones quæ omnibus conſpicuæ, & per ſe notæ ſint, ex ipſa nimirum experientia, & ſenſibus acceptas, aut eas ſaltem, quæ a talibus demonſtratæ, & probatæ ſunt. C Vnde ſi demonſtrationem ad formam ſyllogiſticam deducere voluerimus, ita agemus. Tot ſunt modi, quibus in nobis calor à procatarcticis cauſis excitari poteſt, qui febris dicitur: quot modis in externis, & inanimatis corporibus calor accendi, & ignis poteſt. Sed omnibus ſupra expoſitis modis, calor ab externa cauſa, vt experientia docet, accenditur. Ergo eiſdem, & totidem febris. Prima quidem ſumptio inde manifeſta eſt, quòd febris etiam, vt ſuperius diximus, omnibus conſentientibus, eſt in genere caloris externi, & ignei: quare ſubinde neceſſe eſt, vt cauſæ febrium omnes tandem aliquo iſtorum modorum febrilem calorem accendant. Hoc verò etiam clarius patebit, ſi particulatim acceſſerimus ad omnes has cauſas, & earum natu- D ram contemplati fuerimus: ita enim facilè percipiemus, quomodo vnaquæque earum corpus noſtrum afficiat, & ſubinde febrem gignat. Incipiemus ab æſtu, qui à ſole, æſtate gignitur, præſertim vero diebus canicularibus, qui ἔγκαυσις à Græcis dicitur, quanuis aliqua videatur eſſe diuerſitas inter eos, aliqui enim putant hoc nomine actionem eam, quæ a ſole profluit, ſignificari; alij verò affectum, quem impreſſit ſol per eam actionem: nonnulli etiam ſunt, qui credunt potius affectionem ſignificari, dum fit. Sed de his ne ſimus ſoliciti, ſatis nobis quantum ad negotium noſtrum pertinet, hoc ſit: quòd à ſole afficitur calore corpus: qui calor non eſt naturalis, ſed externus, qui interdum febris me- E ritò dici poteſt, interdum autem nequaquam, niſi enim calor is ad cor perueniens ipſum adeò afficiat, vt concaleſcat, febris non erit, ex quo loco accipitur febrem eſſe non poſſe calorem, qui ſedem non habeat in corde. Sed de his poſtea. Modus autem is excitandi calorem eſt, ex occurſu, & adhæſione rei calidioris: ex ſole enim aer nos continens, & ambiens, excalfit, & calfactus nos calefacit. Eodem modo, & ignis calefacit. Medicamentum etiam vim habens calefaciendi interius, vel exterius applicitum ad idem caput, vel idem genus pertinet. Ex ira autem accenditur calor, & febris ſecundum duplicem modum. Primum quidem, quia in ira in corde efferueſcit facultas iraſcibilis, & natiuus calor, in quo ea fundatur tamquam in proprio fonte, ex quo fer-

uore caleſcit, tùm cor, tùm ſanguis, & ſpiritus in eo, A vt inde facile accendatur febris: cui accedit, & vehemens motus eiuſdem facultatis, & cum ea ſpiritus, & ſanguis, qui & ipſe plurimum facit ad augendum calorem. Sed hic etiam aduertendum eſt, quòd Lect.6. aliquis poſſet occaſione eorum, quæ paulò ante expoſita ſunt, facilè decipi. Dicebamus enim ſuperius, calorem, qui ex æſtu ſolis gignitur, non eſſe febris nomine cenſendum, niſi cùm cor etiam concalfactum fuerit. Sed in ira ſemper cor primùm calefit, ſanguiſq; , & ſpiritus: quia feruor eſt, vt diximus, iraſcibilis facultatis in corde ſitæ. Hoc enim falſum eſt, quia non omnis calefactio cordis, aut ſanguinis, aut ſpiritus in eo febris eſt, ſed ea, quæ eò iam prouecta eſt, vt iam non amplius à ſole, vel ab ira, vel B ab alia externa cauſa omnino pendeat: ſed iam omnino, aut magna ex parte facta ſit: ita vt quantum libet corpus ſoli ſubtrahamus, & eius æſtum effugiamus, vel ira ſit ſedata, & cordis motio: maneat tamē adhuc calor, qui actiones lędit inſigni aliquo tempore. Huius autem cauſa ſuperius à nobis fuit relata: ea verò eſt quia inter conditiones morbi hæc, quàm maxime neceſſaria eſt, vt ſit διάθεσις, hoc eſt, affectio ſtabilis & permanens, remota etiam procatarctica cauſa. Et quod de ira diximus, itidem de triſtitia intelligendum eſt: & ideo niſi figatur calor, aut in ſubſtantia cordis, aut in ſanguine, aut in ſpiritu, non erit febris: quòd ſi in aliquo horum figatur, erit quidem febris, ſed diuerſa pro ratione eius ſubſtantiæ, quæ calefit eo modo, quo dictum eſt: nempè, vt C ira ſedata vel triſtitia, diutius aptus ſit calor ipſe permanere. Nam ſi ita corripuerit caloris cordis ſubſtantiam, erit febris ſtatim à principio hectica: ſin autem humores in corde, erit humoralis, vel putrida: ephemera verò ſi ſpiritus: vnumquodque enim genus febrium ſtatim à principio ab his procatarcticis cauſis excitari poteſt, vt progrediente ſermone exponet Galen. quamuis facilius & promptius ephemeræ: interdum tamen & aliæ pro ratione aptitudinis, & affectionis corporis. Sed de his in ſequentibus verba faciemus. Vbi, & qui Auicennæ ſtudioſi ſunt, animaduertere poſſunt ex hoc loco, illum accepiſſe poſtremā particulam ſuæ diffinitionis, vbi ait, & inflāmatur inflāmatione, quæ nocet operationi- D bus, nō ſicut calliditas iræ, & laboris cū non vltimatur, ita vt non retineatur: atque facilè ex ijs, quæ nuper explanauimus, percipi poteſt, quidnam ſibi voluerit Auicen. illis verbis non parum obſcuris. Sed redeamus ad Galen. ad motum etiam ſpirituum in corde, tanquam ad proximam cauſam referenda eſt febris, quæ accenditur ex triſtitia, velociter enim reuocantur, & retrahuntur ſpiritus ad cor, in triſtitia & timore: neque enim in his fit feruor facultatis in corde, ſed potius refrigeratur in his perturbationibus natiuus cordis calor. Sed eandem rationem in vniuerſum febrem cōcitandi habet labor corporeus: is enim ex nimio, & immoderato labore inſtrumentorum, quibus motrix facultas vtitur in mouen- E do corpore, eius particulas calefacit: eæ verò ſunt muſculi, nerui, ligamenta, articuli: hæ ergo partes, dum diutius, & vehementius mouentur laborante corpore concaleſcunt, atque calor ſubinde diffunditur ad alias partes, donec ad cor ſerpat, & in aliqua in eo parte figatur: tunc enim febricitare animal incipit. Ad aliud autem caput, vel ad alium modum febrem contrahendi pertinet, cùm illa ex dēſitate, vel conſtipatione cutis accēditur: denſatur verò ex externo frigore: denſat enim frigus, aut etiam ex balneis vim aſtringentē habentibus, vt ſunt aluminoſa balnea, & plurimum exſiccantia: conſtipant enim corpora, & meatus, per quos difflantur, aſtringendo claudunt: quibus clauſis calor in corpus humidum agens illum diſſoluit in halitus naturam ſapientis illius humoris, vel illius ſubſtantiæ à qua fuere diſſoluti. Vnde aliqui ſunt vaporoſi, & mulcebres, alij fuliginoſi, & acres: idem nec eſſe eſt, & in animantium corpore fieri. Halitus autem hi excernuntur vacuatione quadam, quæ ſenſus noſtros latet, per poros, vel meatus anguſtos membrorum, præſertim verò cutis, qui præ exilitate ſenſum fugiunt. Ergo, cùm denſata aut ſtipata cutis inepta ſit ad huiuſmodi difflationes occultas duo ſequuntur incommoda, ſicut duo commoda conſequuntur animantia ex hac difflatione. Primum corpus excrementoſis his vaporibus, & fuliginoſis euacuatis mundum ſeruatur. Alterum, quia per eoſdem meatus frigidus aer ingrediens temperat, & intra naturales terminos calorem natiuum continet: in quo ſanitas conſiſtit illis itaque clauſis, & hac intercepta difflatione, & hi halitus cōtinentur, & refrigeratio, temperatioque natiui caloris membrorum interdicitur. Ex hoc incommodo ſequitur, vt animal calefiat, & calor natiuus ſuū temperamentum excedat: ex altero verò repletur excrementitio humore, vario tamen pro ratione diuerſæ naturę horum halituū. Nam ſi ſint vaporoſi, & mul- Lect.X. cebres (ſunt autem tales, cùm in corpore ſanguis bonus, & naturalis redundarit) tunc corpus ad plethoram deuenit, quæ eſt immoderata plenitudo bonorum ſuccorum. At ſi vapores fuerint fuliginoſi, & acres, contrahitur cacochymia, hoc eſt, plenitudo vitioſorum humorum: tales autem erunt halitus hi, ſi fuerit malus ſanguis, & ſcateat corpus malis humoribus: ſi etiam corpus ſuapte natura bilioſum fuerit, calidum videlicet, & ſiccum inſigniter. Præterea qui prauis vtuntur cibis acri qualitate, & medicamētoſa affectis, vt ſunt cæpe, bulbi, pori, alia, vinū antiquum copioſe e potū, aromata multa, & id genus reliqua. Sed & in illis gignitur is fuliginoſus vapor, qui ſæpius cruditatem patiuntur: non tamen quomodocunque patiantur cruditatem, ab ipſis fuliginoſus habitus expirat: ſed cū cruditas in nidoroſam qualitatem degenerat. Nam ſi in acidam vel frigidam & inſipidam deſinat, non eiuſmodi fuligo ab ea effluit, ſed humida potius & frigida. Vnde neque ab re addidit particulam illam, præſertim verò poſt eſum eiuſmodi prauorum ciborum: nam medicamentoſi hi & calidi cibi, cùm comeduntur, nec mox pro ratione à ventriculo coquantur, per inconcoctionem in nidoroſam, & fuliginoſam naturam tranſeunt; quemadmodum ſecundo de ſympt. cau. eos, qui cruditate laborant, pruritu exerceri dixit. Idē verò illis accidit, qui aquas prauas bibunt, vt ſunt paluſtres, lutoſæ, fæculentæ, quæque in piſcinis, & lacunis ſtagnāt: aut quæ corruptæ alioquin, vel putridę ſunt: nam hæ poſtremæ iam putridum cōtraxere calorem. alię vero, cùm craſſæ admodū ſint ex mixtura terreſtris ſubſtantiæ, ęgre admodum trāſire & digeri in venas poſſunt: quare dum diutius in ventriculo & inteſtinis moram trahunt, corrumpuntur, ac bileſcūt vt ex ſecundo de ratione vict. haberi poteſt. Cui & id Cap.42. accedit, quòd aquę hę prauę cum craſſę, & tarde per venas meent, ſunt obſtructionū cauſę: vnde, qui paluſtres aquas bibunt, dixit Auicen. quod tamē acceptum eſt à Gal. ſplenem tumidum plerūque habent, & proinde dixit ille, quòd ſunt obnoxij febribus, qui eiuſmodi aquas poſt prauos cibos bibunt. Pręter hos autē, & qui corpus aut nimio labore, aut curis multis conficiunt, aut nimijs vigilijs, quique frequentius acribus medicamētis vtūtur; imo in vniuerſum quicunq; res, q̄ ipſos, & calefaciunt, & exſiccant immodeſtè, habent in frequenti vſu. Vnū prętereà monet Gale. vt rem hāc vniuerſam exquiſitè teneatis: quòd cum dicimus illos eſſe huic incōmodo obnoxios, qui prauis veſcuntur cibis, intelligēdum eſt id, de omnibus

bus prauis cibis, vndecunque modo habuerint, quòd praui ſint. Nam quidam cibi ſuapte natura praui ſunt, & ſunt illi, qui quod medicamentoſam, & alienam ab humana natura qualitatem habeant, quamuis in eſum veniant, aliquantoque nutriant, magis tamen in medicamentis ponendi ſunt, quàm inter cibos, & alimenta recenſendi, vt ſunt acrumina omnia, & ſilueſtres herbæ, quas hic exponit Gal. Alij vero ſunt, qui quantum ad propriam eorum naturam ſpectat, optimi ſunt, & apti bonum exibere alimentum comedentibus, vitiantur tamen ex externa quadam occaſione, vti ſi in loco ſeruentur, vbi putreſcant, vel putridam aliquam qualitatem contrahant, vel ſitum: vel ex eo, quòd iam nimium inueterauerit, vel quia etiam a primo ortu ex mala temporum conſtitutione rubigine fuerint correpti, vt frugibus euenire ſolet, quibus veſci ſolemus, & leguminibus. In magnis autem frugum penurijs a fame coacti, multi praua omnia ingerunt cibaria: quo deinde fit, vt incidant in putridas, atque adeo etiam peſtilentes febres: aut natura forti excrementoſos ſuccos ex prauis cibis genitos, ad cutem propellente, ſcabioſæ, & leproſę pa-

Lect. X. pulæ illis excitentur. Ab his ergo omnibus qui hoc modo affecti ſunt, ſolet fuliginoſa exhalatio multa gigni, quæ per cutis meatus, niſi illi ſtipentur, excernitur, per quos & aer frigidus attractus, internum calorem refrigerat & temperat, ſed vbi ſtipata cutis eſt, vtrumque hoc incommodum deſideratur, quo fit, vt efferueſcat calor, refrigerante, & veluti flabellante, vt ita dicam, aere, deſtitutus. Cui deinde & illud accedit, quòd fuliginoſa hæc exhalatio detenta interius magis etiam calefacit: atq; duplici hac ratione febris accenditur. Aliquis tamen dubitabit fortaſſe, cui dubitandi occaſio inde pręſtabitur: quia multos videmus, qui veſcũtur prauis cibis, neq; tamen vlla in eis febris excitatur, quid ergo in cauſa eſt, cur hi a febre inſontes ſint, ſi febris cauſæ ſunt hæ? Huic dubitationi occurrit Gale. & ait, ꝙ cibi id genus, quorum nunc meminimus, ſuapte quidem natura corpus prauis replẽt humoribus, cùm naturam eam habeant, vt malum alimentum gignant: atq; hac ratione hoc tantũ agunt, quod aptum, & pronum in morbos corpus reddunt. Non tamen ob id ſtatim neceſſe eſt ægrotare, niſi alia acceſſerit occaſio: vnde ſanitate quidem, niſi aliquid aliud illis aduerſi contingat, interim fruuntur hi, quę ſanitas non admodũ firma eſt, neque conſtans, fruũtur autem, dum alioquin in alijs bene ſe habuerit corpus: nimirum quia probè per exiguos cutis meatus tranſpiree, & diffletur, refrigereturque: præterea vero, & nulla obſtructio obſideat aliquod internorum viſcerum. Vnde ſi hi nullum inſuper in victus ratione committant errorem, ex quo aut difflatio impediatur, aut obſtructio exoriatur, tantiſper ſani ſunt, quãtum in hoc ſtatu ſe ſeruarint: aliquando vero, imo ſæpè cruditates, & quod ex cibo corruptum eſt, concoquuntur, aut a natura forti per aluum deiiciuntur, antequam vlla ſuperueniat febris: nimirum ergo ſi corpus bonis humoribus præditum ſit, licet aut cruditatem, aut cibi corruptionem patiatur, dum bene perflatur, & internæ viſcerum viæ ſint apertæ, nequit, ait ipſe, fieri, vt febricitet: ſed ſi corpus cacochymum ſit, ac male diffletur, aut obſtructas vias internè habeat, fieri ferè nequit, quin febricitet ex leui quacunque occaſione: ſiue enim intempeſtiuè laboret, ſiue importunè vtatur balneis, ſiue alia ratione aberrauerit, vt penitus difflatio intercipiatur, & omnino obſtruantur venæ, corripitur etiam à febribus, aut ephemeris, præſertim cum extima cutis conſtipatur, & condenſatur, & exigui meatus conſtringuntur: aut putridis, cum obſtructio internas venas occupat, ac extimæ cutis meatus. Vbi & hoc eſt optimè conſiderandum, quòd differt apud Galenum conſtrictio, vel conſtipatio, ab

A ipſa obſtructione: quia conſtrictio, vel conſtipatio, eſt cutis denſatio, quę fit ab externo frigore, vel ex rebus externis applicitis, quæ vim habeant aſtringendi & conſtipandi: hæc enim aſtringunt meatus, & ita claudunt eos: a ſola ergo qualitate adſtringente, vel refrigerante, vel exſiccante, fit conſtipatio, vel conſtrictio. Obſtructio vero fit, quando humores in meatus intruduntur, & reſerantur, aut venas replent, atque ita eas concludunt, præcipuè verò cum illi validè infarti, & impacti ſunt: vnde obſtructio fit, aut ab humorum multitudine, aut a craſſitie, vel lentore. Ex hac ergo obſtructione facilè ſuboriuntur febres, præſertim putridæ: quia cum interna loca calida ſint, & ſanguinis ſubſtantia calida ſit, &

B humida: in quo omnes continentur humores: facilis etiam vtriuſque ratione fit putredo. Quæ enim calida ſunt, humidaque, cum difflatione & refrigeratione deſtituta ſunt, citiſſimè quoque putreſcunt. Ex quo tanquam corollarium ſequitur, quòd omnis plethora, vt Græci aiunt, vel plenitudo bonorum etiam humorum corpus animantis pronum, tum ad alios morbos reddit, tum vel maximè ad febres: & cum duplex ſit plenitudo, vt Galenus in libro de plenitudine probauit, & multis alijs etiam locis: alia, quã ipſe ad vaſa appellat, ob id, quia ipſa plus ſucci continent, quàm eorum capacitas commodè ferre poſſit, bonus tamen is ſuccus eſt: altera uero ad vires: quando plus humorum in corpore con-

C geſtum eſt, quam vires eius poſſint commode perferre, & rectè adminiſtrare: vtraque autem plenitudo fallax eſt, & in morbos prona. De prima habetis ſententiam Hippocratis primo Aphoriſmorum vbi ait, quòd athletarum optimus habitus in extremo fallax eſt, & periculoſus, vtpotè qui ſit multis morbis obnoxius, quos in commentario refert Galenus, in quibus eſt etiam febris: nec ob aliud certè, niſi quia nimia multitudo obſtructionum ferax eſt. Iam enim diximus, quòd prima obſtructionum cauſa eſt humorum multitudo. Alia autem plenitudo virium comparatione ſumpta, aliunde plerunque habet, quòd febres afferat: nempe quia humores neque probè regi, aut confici poſſint a facultate concoctrice. cuius vires ſuperant: & pro-

D inde facile corrumpuntur, & in cacochymiam deſinunt. Præter hos etiam, qui alijs aluntur cibis craſſioribus, ex quibus craſſi, lentique procreantur humores, hi etiam ob obſtructiones procliues maximè ſunt in febres. Vnde ſi rectè animaduertiſtis, hæc duo, quæ inter ſe contrarias videntur rationes habere, ſunt eiuſdem effectus cauſæ. Nam cibi acres omnes, & qui medicamentoſam naturam habent inter febris cauſas numerati ſunt a nobis: qui tamen vim habent attenuandi, & ad rationem attenuantis dietæ pertinent. Præterea, & illi cibi, qui ad rationem incraſſantis victus ſpectant, nimirum illi ſunt, qui craſſos lentoſque ſuccos gignunt. Sed diuerſus eſt modus vtriuſque, & diuerſa eſt ratio. Priores enim

E cibi ob id quidem faciunt ad excitandas febres, quia prauos generant humores. Reliqui verò, quia obſtructionem quidem faciunt, & ſubinde putredinem, & per conſequens putridas febres. Ad hoc autem genus pertinent, & febres, quæ iam inflammationes ſequuntur: omnes enim huiuſmodi febres, ex putredine accenduntur: fluens enim humor calidus facturus inflammationem, vbi receptus fuerit in loco, qui in inflammationem attollitur, ibi infartus, & impactus nequit difflari, & euẽtari: vnde putreſcit, & accendit febrem, quæ ſequitur naturã fluentis humoris, quia ſi omnino bilioſa fuerit materia fluens iam ad naturã ſpectabit eryſipelatis: quare vehemens quidem, & acris valdè calor corripiet inflammatam partem, qualem febris ardentis calorem eſſe dicemus.

dicemus. Sed ſi ſanguinea fuerit materia, calor etiam erit talis, qualis in vera, & exquiſita inflammatione, videlicet vaporoſus, & mulcebris: at vero ſi mixta erit fluxio, ita, & mixta ex vtroque erit inflammatio, & caloris ratio, in eam tamen inclinans magis partem, in qua alter humor alterum magis ſuperabit, & vincet, & dicetur eryſipelatoſa inflammatio, vel eryſipelas particeps inflammationis. Neque tamen calor ille febris dici poteſt, niſi calor paulatim ſerpendo diſtribuatur per partes vſque ad cor, vt ſæpius à nobis dictum eſt. Nec modo ab his inflammationum differentijs febris accenditur, ſed, & à carbunculo etiam, cuius ortus eſt à ſanguine afflato, & obſtructionem, accedente iam ad naturam melancholici humoris. Hæc ergo horum duorum capitum eſt ſententia. Sed antequam ad vlteriora progrediamur, ea, quæ ſuperioribus capitibus relicta ſunt indiſſoluta, diſſoluenda à nobis ſunt: ne ambiguos audientium animos relinquamus. Primum ergo, ſi rectè ſuperius animaduertiſtis, ex his, quæ in hoc capite declarata ſunt à Galeno patet reſolutio illius ſententiæ iuniorum latinorum: quam in hunc locum diſtullimus. Dicebant autem illi calefactum ſpiritus, vel humorum, vel ſolidarum partium non eſt febris, ſed potius cauſa proxima, vel coniuncta ipſius febris. Diximus autem eos à ſententia antiquorum medicorum, præcipuè vero Galeni diſſentire, qui vbique cum ex inſtituto loquitur, negat in morbis dari cauſam coniunctam. Præterea vero indicatio, quæ à cauſa accipitur, propriè ad præſeruationem pertinet, vt alibi teſtatur idemmet Galenus, vnde falſum eſſet, quòd dicunt, nempè quòd ideo ſunt diuerſæ differentiæ per ſe: quia diuerſos curationis modos oſtendunt. Sed hæc miſſa pro nunc faciamus, & illis attendamus, quæ hoc loco à Galeno propoſita ſunt. Quærerem enim ab ipſis in febre ephemera, in qua calefactum eſt, in ſpiritibus calefieri in membris: an ratione calefacti ſit appellanda morbus, & febris, quod in idem tendit: nam cum morbus genus febris ſit, quòd morbus non eſt, neque febris dici poteſt: an vero ratione calefieri? Non poſſumus, ſi Galenum ſequi velimus, profiteri aut febrem, aut morbum dici ratione caloris, qui adhuc in fieri eſt: hoc enim apertè teſtatus eſt Galenus etiam, & ei, vt diximus, conſentit vbique Auicenna, vbi dixit, quòd cum ex ira concaleſcit corpus, niſi calor eo peruenerit, vt ſtabilis, manenſque ſit, etiam remota ira, nondum febricitare dicemus, febricitat autem tunc primum, cum partes, quæ in corde ſunt, adeo concaluere, vt iam calor ſit factus independens ab externa, & procatarctica, ſeu primitiua cauſa: concaluit autem interdum ſanguis, interdum ſpiritus, aliquando, & corpus, vel ſubſtantia ipſius cordis. Ecce ergo, quàm apertè propriam febris rationem in id, quod calefactum eſt, non in id, quod calefit, referendam eſſe cenſet Galenus cum Auicenna. Sed ſi quis opponat, vt latini noſtri opponere videntur, quod calefactum in ſpiritibus, & humoribus propriè febris dici non poteſt, neque morbus, quia febris, atque etiam morbus omnis affectatio eſt animati corporis, ſpiritus vero, & humores, vt maior pars medicorum conſentit, animati minimè ſunt. Præterea is propriè febricitat, cuius operationes læduntur ab ipſa febre: membra autem ſolida ea ſunt, quorum operationes à febre ipſa læduntur, & ex eorum læſione ægrotare dicitur, qui febricitat: ergo in omni febre ex affectione ſolidarum partium aliquis ægrotare dicitur: non ex affectione ſpiritus, & humorum: quòd ſi ex affectu ſpirituum læduntur operationes membrorum, inde eſt, quia ſpiritus, vel humores malè affecti malè afficiunt membra: quare calefactum ſpiritum, & humorum potius rationem habet cauſæ, quàm morbi: cum non per ſe, ſed per aliud lædat actiones partium corporis. Quãuis obiectio valida ſit, & ſolutio difficilis: ſi tamen Cap.2. Cap.3. meminiſſe voluerimus eorum, quæ à Galeno multis in locis didicimus, præſertim vero primo, & tertio de locis affectis, quæ etiam à nobis in explanatione ſecundi libri de compoſitione medicamentorum per locos vbi de dolore capitis ex ventriculo habebatur ſermo, fuere expoſita: non erit difficile nodos hos diſſoluere. Poſſem enim prius reſpondere ſpiritus, & ſanguinem à multis fuiſſe creditos animatos, vel quòd, quamuis etiam animati minimè ſint, ſunt tamen proximum, & primum animi inſtrumentum: immo quaſi ſedes animi, & omnium facultatum: quia tamen mihi hæc non videntur tollere omnem dubitationem, alio modo reſpondendum puto: nimirum, quòd minimè putandum eſt eſſe abſurdum, quòd membrum aliquod, vel pars, aliqua, vel plures partes etiam ægrotent, & earum actiones lædantur ex aliquo affectu, vel morbo, qui in ipſis non ſit, ſed in alio, actiones enim earum læduntur, & illæ ægrotare dicuntur, & eſſe morboſæ, non ex aliquo proprio earundem affectu, aut quia contineant in ſe aliquid, quod poſſit propriè ipſarum morbus appellari: ſed ex alterius morbo, ex quo malè afficiuntur: ſicuti in omnibus morbis per conſenſum laborans, non laborat proprio aliquo morbo; ſed morbo vel affectu illius, cum quo conſentit. Et quamuis, vt eodem primo de locis affectis docet Galenus fieri nequeat, vt lædatur aliqua particula per alterius conſenſum: niſi quoquomodo, & ipſa afficiatur, aliquam recipiat malam qualitatem: dum tamen ſolo conſenſu laborat, qualitas illa nondum morbus dici poteſt, cum omnino, & in eſſe, & in fieri dependens ſit ab affectu primario, vt paulò antè dicebamus. Ita ergo dicimus, quòd in ephemeris læduntur actiones membrorum, ſed nos ab aliquo affectu proprio earum, ſed ab affectu impreſſo in ſpiritibus, & tantiſper febricitant, quantiſper hic durat, continenter enim calor, quo afficiuntur membra, dependens eſt al.eo, & eatenus lædit, quatenus fouetur, & conſeruator à calore iam facto in ſpiritibus. Quod ſi eo perduret tranſmutatio, vt etiam calor manens, & aliqua ex parte independens reddatur: iam erit febris genus vnum alteri additum, videlicet hectica ephemeræ. Hoc itaque modo diſſoluerem ego hanc dubitationem. Alterum vero, quod ſoluendum eſt, nimirum quomodo diuiſio febris à materia, ſit diuiſio per ſe, & à rei ſubſtantia deducta: difficilius fortaſſe erit, cùm fundamento nitatur, quod omnibus ferè paradoxum viſum eſt. Diximus enim calorem extraneum, vt eum Auicenna appellat, vel præter naturam, vt Galenus vel aduentitius, vt noſtri loquuntur, qui acceptus eſt tanquam genus commune febrium ſignificare corpoream quandam naturam, quæ propriè calliditas dicitur, non ſolam qualitatem: ſed cùm oppoſitorum ſit eadem diſciplina, & ratio. Galenus vero primum Aphoriſmum ex aduerſo opponit calorem naturalem, vel genuinum calori externo, & aduentitio, in quo tamquam in genere febrem contineri omnium conſenſu teſtatus eſt, atque eorum differentiam, & diuerſitatem exponat, & cùm omnis homonymia ſit fugienda ab ijs, qui diſciplinas lucidè tractare volunt, & omnis ambiguitas, quod Galenus ſemper Lect.XI. omni ope ſectatus eſt: neceſſe eſt, quòd fateamur, calorem eodem modo ibi accipi, & in eodem ſignificatu, cùm de natiuo, & cùm de externo dicitur. Apertè autem ait Galenus immo apertiſſime, ibi ſe de natiuo calore loqui, quatenus pro corpore

quodam

quodam calido accipitur, non pro ſola qualitate, quæ caliditas proprie dicitur. Vnde nemo eſt, qui non videre poſſit omnino ſequi, quod etiam ibi loquatur de aduentitio calore, qui genus febris eſt, vt corpus quoddam calidum, & ſubſtantia calida, non autem pro caliditate. Alterum vero fundamentum, cui res hæc oportet vt innitatur, eſt, quòd caloris, qui natiuus dicitur, eatenus tamquam naturalis habetur,& innatus, quatenus ſuum temperamentum ſeruat: vbi vero fines, & ſpatium ſui temperamenti exceſſerit, non amplius naturalis caloris rationem, & naturam habet, ſed ad naturam ignei caloris accedit, & externi: & per hunc modum accenditur febris, cùm natiuus, & genuinus calor in igneum, & extraneum tranſit. Hoc enim ſæpe teſtatur Galenus, vt, cùm ait, quòd calor naturalis auctus eſt febris, & cùm dixit, quòd eſt calor naturalis conuerſus in igneum: item quòd febris accenditur ob conuerſionem caloris naturalis ad igneam naturam. His autem conſtitutis, facilè oſtendimus, quòd differentiæ hæ febrium, quæ accipiuntur à materia, in qua conſiſtit ignea caliditas, & febrilis, ſint differentiæ per ſe, propriæ, & ab ipſa rei natura acceptæ, quodque diuiſio febris in hecticam, putridam, & ephemeram ſit diuiſio per ſe, non diuiſio accidentis in ſubiecta, quæ inter diuiſiones numerantur, quæ per accidens dicuntur, vt Boetius docet. Oſtendemus autem in hunc modum: quia cùm ſit neceſſe,vt quot modis dicitur vnum oppoſitorum, totidem & reliquum dicatur, ſi demonſtrabimus tres eſſe differentias per ſe, & ex ipſa rei natura, naturalis caloris ſpecies, & ſubſtantia diſtinctas, rationi conſonum, immo neceſſarium, videtur, vt ſint totidem differentiæ externi caloris:præſertim cùm extraneus calor ex naturali,vt diximus, fiat. Quòd autem triplex ſit differentia caloris natiui, facile poſſumus, & ratione,& Philoſophorum naturalium auctoritatibus probare: loquor autem in præſentia in animantibus, potiſſimum vero perfectis: & primus quidem calor non eſt animantibus proprius, ſed potius communis omnibus mixtis: imò mixtio omnis vi iſtius caloris efficitur: nam per concoctionem generantur mixta, vt habemus 4. Method. concoctio vero à proprio, & innato colore fit. Quare neceſſe eſt, in omni mixto haberi proprium, & innatum calorem: nec modo fit mixtum iſtius caloris actione, verum & ſeruatur ab hoc eodem calore: vnde deficiente hoc calore, diſſoluitur mixtio, & mixtum deſinit, vt in ijs, quæ putreſcunt, apparet: & calor is pars eſt ſubſtantiæ mixti, in qua ignis elementum, & aeris potiſſimum dominatur. Præter has autem, eſt, & pars aquea, à qua mixtum continuitatem habet, eſt & terra,à qua fixionem, & ſoliditatem retinet: quæ partes non ſunt elementa ſimplicia, ſed compoſitæ ſunt, & mixtæ: omnis enim pars mixti mixta eſt, ſed in vna vnum elementum, in altera alterum elementum vincit, à quo etiam habet appellationem. Iſtiuſmodi calorem proprium, & innatum habent in animante omnia prima corpora, & partes ſimplices, ex quibus corpus vniuerſum, & inſtrumentaria membra conſtituta ſunt. Habent præterea, & humores omnes ſuum naturalem calorem, quo integri ſeruantur, & in ſua natura, & à quo, dum generantur, regulatur mixtio, & ſubinde generatio: alioquin enim, neque putreſcerent, eo corrupto, ab externo calore. Et hanc rem mihi videtur Auerroes optimè percepiſſe, qui 4. & 5. colliget. de hoc calore verba faciens, ait: quòd in ſimplicibus particulis animantis eſt ſuus calor, qui à natura illis in primo ortu propriè inſitus eſt, & ex ipſa elementorum mixtione: vnde illæ genitæ ſunt, habetur.

Cap.42. · Cap.2. · Cap.18.

Et is eſt calor, de quo hactenus ſermonem habuimus quique non eſt vnius, & eiuſdem naturæ in omnibus corporibus mixtis, neque in omnibus ſimplicibus particulis animantis, ſed varius pro ratione diuerſitatis naturę eorum, quorum natiuus calor eſt:alterius enim naturæ eſt natiuus calor carnis ab eo,quod eſt oſſis, & ita reliquarum partium. Eſt & alter modus naturalis caloris, qui à priori diuerſus eſt, nec amplius communis eſt mixtis omnibus, ſed proprius ipſis animantibus, imprimis autem perfectis. Quod, vt facilius percipiatis, debetis animaduertere, quòd natura, tamquam iuſtus adminiſtrator, vnicuique rei inſtrumenta apta operationibus proprijs impartitur, atque illis accommodat pro ratione actionum, quæ illi rei maxime conueniunt. Vnde quia calor præ omnibus alijs qualitatibus eſt magis actiuus, & ad actiones aptus,ob id omnes mixtorum formæ agunt, & operantur, & proprias ſuas operationes edunt per ſuum naturalem calorem: vnde vt per calorem gignuntur, vt paulò antè expoſuimus, ita etiam per eum operâtur, & agunt. Quo autem res perfectior eſt, & ordinem nobiliorem, & gradum obtinet: eo etiam plures, & perfectiores habet operationes: nam vnumquodque eſt propter operationem propriam. Quare quo plures, & perfectiores habet operationes, eo illi plus caloris opus eſt: & cùm nullum mixtum, & compoſitum corpus animali perfectius ſit, nullumque plures, ac perfectiores operationes habeat, & eas fortiores: ideo ſapiens, & iuſta natura illi liberalior fuit, & copiam caloris maiorem, quam alteri cuipiam mixto largita eſt: adeo quòd ex omnibus mixtis ſola animalia calida actu reperiuntur, & citra externum aliquod ea adiuuans calefacere poſſunt: reliqua enim mixta,vt Auerroes 4.collig. animaduertit, externo egent adiuuante calore, vt alia actu calefacere poſſint. Naturam enim his alium calorem præter illum, qui omnibus mixtis communis eſt, indidit: qui priorem adiuuans, adaugens,& fouens, eſt veluti ſedes, & proximum animi inſtrumentum, ſine quo neque animus, neque vita poteſt conſiſtere. Et de hoc credendum dixiſſe Ariſtotelem in libro de morte, & vita, quod generatio eſt prima participatio animi in calido naturali, & vita eſt eius permanſio: & proinde videmus, quòd cùm fluxus iſtius caloris intercipitur, vel vinculo, vel alia ratione, ita vt nequeat ferri in aliquam particulam, illa paulò poſt interit,& ſideratur.Huius caloris ſubſtantia, & natura in ſanguine, & ſpiritu conſiſtit, vt ſenſere Hippocrates, & Galenus 8. de decretis Platonis, & Hippocratis, à quibus neque diſſentit Ariſtoteles, atque eam eſſe naturam noſtram in libro de tabe,vel marcore dixit idem Galenus, necnon & 5. Aphoriſm. Præterea & 4. dixit ex ſententia Hippocratis eſſe naturam,quæ regit ſolida corpora. Quòd autem in ſanguine,& ſpiritu eſſe habeat,ipſe frequẽter affirmat,clariſſimè vero 2.Aphoriſm.& 8.de Platonis, & Hippocratis decretis: vnde & natiuum ſpiritum illum 5. de facultatibus ſimplicium medicamentorum appellat.Iſtius vero caloris naturalis pręcipua ſedes,& veluti minera,ac fons,ſi Ariſtotelis decreta ſequi velimus,eſt cor omnino,ex parte vero eſt, ſi Galeni:nam ipſe & 6. de vſu partium, & 4. comment.in 6.Epid.apertiſſimè, & 5.de locis affect. appellat cor focum,& larem natiui caloris: ex parte inquam,quia eodem 4. comment.in 6.Epid. dixit,cor & iecur calorem proprium ſtatim à primo ortu ingenitum, & plurimum habere:carnes vero non habere calorem proprium ingenitum, ſed potius acquiſititium ex ſanguine: quæ quidem ſententia eo vergere videtur,quòd ſi in ſpiritu,& ſanguine eſſe habet natiuus

Cap.7. · Cap.3. · Com.22. · Com.73. · Com.1. · Cap.7. · Cap.9. · Cap.7. · Com.24. · Cap.1. · Com.25.

natiuus color, partim à corde, partim à iecore depẽ- A
deat. Ariſtoteles autem vnum vtriuſque fontem, &
initium cor eſſe ſtatuit, ſicuti venarum, & arteriarũ:
ideo ipſe vniuerſam rationẽ caloris naturalis in cor
referre poteſt. Galenus vero, qui ſanguinis fontem
iecur conſtituit, cor vero, ſpiritus: idcirco diuerſa
neceſſe eſt illi initia hoc modo ponere iſtius natiui
caloris. Vt tamen res hæc exquiſitius deffiniatur, at-
que poſſimus exquiſitius iſtius caloris naturalis na-
turam perſpicere, hoc etiam cõſiderandum eſt, quod
ſi exactè, & iuxta rei exquiſitam naturam loqui
velimus, ſanguis ipſe per ſe calor naturalis nequit
iure appellari: nam calor naturalis eſt veluti cauſa
agens, & efficiens in alendo, in augendo, & in om-
nibus alijs operationibus animalis obeundis: ſanguis B
autem eſt tamquam materia, qua alendum corpus
eſt: immò ſecundum Ariſtotelem vltimum alimen-
tum. Efficientis vero, & materiæ rationes adeo di-
uerſæ, & quaſi inter ſe aduerſarię ſunt, vt in vnum, &
idem conuenire nequeant: ſimili autem argumento
contra Diogenem Babylonium probat Galen. quòd
Cap.3. ſanguis, & ſpiritus non ſint idem: quia videlicet ſpiri-
Cap.3. tus moueat, ſanguis alat. Vnde eaten⁹ calor natura-
lis in ſanguine habere eſſe dicitur, vt rectiſſimè rem
hanc intellexiſſe viſus eſt Auer. 5. Coll. quaten⁹ ſan-
guis eſt propria, & proxima materia caloris: quod, &
Galenus ſenſiſſe videtur in libro de vſu vel vtilitate
reſpir. vbi animal lucernæ comparans, ait: cor ex pro-
portione funiculo reſpondere, flammam calori na-
turali, ſanguinem oleo. Accipiamus ergo primum C
Lect.12. tamquam conſtitutum, ſanguinem pertinere ad ra-
tionẽ calori naturalis, quatenus eſt propria eius ma-
teria: ex eo enim gignitur, & alitur, vt ſæpè loqui cõ-
ſueuit Galenus calor naturalis, hoc eſt, ſpiritus. Iam
ergo expoſuimus, quomodo in ſanguine eſſe habeat
calor naturalis. Conſideremus iam, quo pacto ſpi-
ritus pertineat ad rationem caloris naturalis: num,
& ipſe ſit etiam materia caloris naturalis, vel potius
ſit ipſemet natiuus calor. In quo quidem theorema-
te Galenus ſatis clare videtur ſenſiſſe vnam, & om-
ninò eandem rem eſſe calorem naturalem, & ſpiri-
Cap.3. tum: nam vtriuſque eadem omnino eſſe elementa,
Com.14. ait: vt patet, ſi quis legerit quintum librum de decre.
Cap.6. Hippocr. & Plato. & 1. Aphoriſm. & in libro contra D
Com.18. Lycum. Præterea in libro de vſu reſpir. ait, animæ
Cap.9. ſubſtantiam eſſe ſpiritum. At in lib. de Rig. Palu.
&c. dixit, animam, & naturam nihil aliud eſſe,
quàm innatum calidum, & quid aliud voluit,
quando ſcripſit in libro tertio comment. in 6. Epid.
calorem naturalẽ habere ſuum ortum in corde, qui
eſt ſubſtantia vitalis facultatis? Poſſemus innumera
loca ex eodem Galen. citare, ſed vnus adhuc ſit nobis
ſatis ex 5. de ſimplic. med. fac. vbi citato 14. Aphoriſ.
1. Aphor. ait, eſſe ibi intelligendum per innatum ca-
lorem, eum, quem in quocunque animalium natiuũ
ſpiritum nominamus. Nemo ergo eſt, qui dubitare
poſſit, quin Galenus voluerit ſpiritum, & calorem
naturalem eſſe vnam, & eandem rem. Si tamen rem E
hãc rectè perpendere velimus, & ad amuſſim iudica-
re, forſitam etiam profiteri poterimus, aliquam eſſe
differentiam inter ſpiritum, & proprium ac innatum
cuiuſcumque animalis calorem. Occaſionem au-
tem iſtius ſententiæ nobis tradidit Galenus loco nu-
per citato, vbi poſt iam recitata verba ſubiungit, nos
iam ante ſpiritum innatum, etiamſi non ſit animi eſ-
ſentia, ſaltem eius eſſe primum inſtrumẽtum demõ-
ſtrauimus in libro de Hippocr. & Platon. decretis, &
certe dicimus eum ſpiritum, in omnibus animantis
particulis contineri, ſed non eſſe vndequaque ſui ſi-
milem, veluti nec ſanguinem eſſe neceſſe eſt: tum
in ſpatijs inanibus non paruam eius ineſſe ſubſtan-
tiam, immo potius veluti materiam quandam, le-

A uiculam etiamnum mutationem expoſcẽtem ad in-
nati ſpiritus ſuis qualitatibus abſoluti generatio-
nem. Quæ vt recte, & ad medulam vſque percipian-
tur, quia videtur ipſe rationem ſpiritus ex ſimilitu-
dine ſanguinis exponere, cùm dixit, veluti nec ſan-
guinem eſſe neceſſe eſt: operæpretium eſt, vt prius
de ſanguine ſermonem habeamus, quem quidem
iam ſatis cõſtat eſſe veluti proprium omnium parti-
cularum alimmentum. Vnde Ariſtoteles vltimũ ali-
mentum appellauit, vtcumque modo ſanguinem ac-
cipiamus, ſiue pro collectione, & faragine omnium
humorum, vt eum voluit eſſe alimentum corporis,
ſiue pro vero ſanguine, & quarto humore: neque
enim quãtum ad præſens noſtrum inſtitutum perti-
B net, hoc multum refert. Sanguinis ergo, vt ſenſit Ga-
lenus principium eſt iecur, ſicut & ſedes naturalis, &
altricis facultatis, vt vero Ariſtoteles, eſt cor. Sed
neque hoc plurimum facit, vnum eſt, quòd omnibus
in confeſſo eſt, ſanguinem generari à natura, tam-
quam alimentum omnium partium: ſi ergo ſanguis
in vniuerſum cõſideretur, & ſimul referatur ad om-
nes partes alendas, & ad principium, & inſtrumentũ
primum ſanguificæ facultatis, dicimus ſanguinẽ vl-
timum, & proprium alimentũ animantis: ſed ſi par-
ticulatim, vel potius ſigillatim comparemus ſangui-
nem cum vnaquaque particula, neq; ſecundum Ari-
ſtotelem, neque ſecundum Galenum ſanguis erit
proximum earum alimẽtum: antequàm enim in ali-
mentũ ad illas tranſeat: oportet, vt ab vnaquaq; par-
C ticula tranſmutetur. Nam alio ſanguine eget, cor, vt
alatur, alio iecur, alio cerebrum, alio caro, alio oſſa:
vnde dum ſanguis ad particulas defertur, vt illo alan-
tur, tranſmutat, & alio modo tranſmutatur ille, quo
vnum, alio, quo alterum alendum eſt: quare ſecun-
dum hanc rationem videtur ſanguis potius appellã-
dus materia alimenti, quàm vltimum alimentum.
Eodem modo dicimus de ſpiritu, quod ſi ille confe-
ratur cum ſuo principio, ex quo ſuam habet origi-
nem, eſt veluti communis fons impartiens omnibus
particulis calorem naturalem: neque alium imparti-
tur, niſi ſpiritum. Eſt enim cor quaſi focus in domo,
in quo ignis accenſus, vt docuit Galenus vniuerſam
domum calefacit, ita ſpiritus idem erit, quòd calor
D naturalis: ſed ſi referatur ad partes omnes ſigillatim,
quæ eo ſpiritu, & calore ſunt fouendæ, & viuificãdę,
(ita enim loquar) non habet rationem caloris natu-
ralis, & proprij illarum: niſi enim approprietur illis,
(appropriatur autem per trãſmutationem per quam
redditur conueniens naturæ illius particulæ) nõ po-
terit dici abſolutus, & exquiſitus earum partium in-
ſitus calor: & ſecundum hanc cõſiderationem habet
potius rationem materiæ caloris innati, quàm quòd
ſit omnino calor naturalis omnium particularum Cap.2.
corporis animantis, vt de ſanguine dicebamus. Et ſi
rem hanc diligenti ſcrutinio diſquiſiueritis, inuenie-
tis nihil aliud illis verbis ſatis obſcuris voluiſſe Gal.
Sed forſitan longa eſt orationis ſeries extra propoſi-
E tum vobis videbitur. Ego vero maximè dico, eam ad
inſtitutum noſtrum pertinere, vt & vos iudicabitis,
ſed vlterius aliquanto fuerimus prouecti. Dicimus
ergo, quòd ſpiritus is in corde genitus, cùm ad vnam-
quamque particulam fertur, & illi proprius fit, &
congruens cum natura illius particulæ, recipitur in
ea, & miſcetur, & iungitur cùm innato calore illius
particulæ, quem diximus in ea generari in primo or- Cap.9.
tu ex mixtione primorum elementorum, ex quibus
illa genita eſt, & ex illis duobus fit poſtea vnus calor,
tamquam ex materia, & forma: formæ enim ratio-
nem habet ille, quem cor influit: materiæ vero, is, qui
ratione mixtionis eſt. Et rem hanc Auerr. 4. collect.
in hunc modũ proponit, & intelligit, ac mea quidem
ſentẽtia rectiſſimè, & is calor ex innato, & influente
con-

conſtitutus propriè eſt,& abſolutus natiuus calor,& A proximũ,& adęquatum animi inſtrumentũ:ſed colligamus omnia in vnũ. Habemus ergo tres differentias caloris,ſeu tria,quę ad naturam, & rationem caloris innati pertinent,videlicet ſpiritum, & ſanguinē, & calorem illum,qui particulis proprius eſt,ſiue modo accipiamus,quem primum expoſuimus, ſiue illũ, qui ex eo,& influēte conſtitutus eſt. Et manifeſtum eſt,quod tres iſtæ caloris differētię diuerſę, & diſtinctæ ſunt per ſe,& ſm ſubſtantiam, & ſecundum naturam,vt vnicuique patere puto. Sed, & id iam manifeſtum eſſe cuique poteſt, triplicem reperiri in animantibus,præſertim vero perfectis differentiam ſubſtantiæ, quæ ad rationem naturalis caloris pertinet, videlicet ſpiritum,& ſanguinem: hoc enim Galenus B ipſe nos docet loco parum antea citato, nimirum 5. de facultatib. ſimplicium medic. vbi ait: verum nihil prohibet ſubſtantiam ſanguineam, aeream que ſimul cum ſpiritu calidum inaudire innatum. Horum autem vnumquodque dum propriam, & animali congruentem, vt ſuperius oſtendimus, temperiem ſeruat, ad rationem naturalis caloris ptinere poteſt: ſed vbi huiuſmodi limites exceſſeris, acceſſerit autē ad qualitatem, & naturam igneam: iam,vt ſuperius fuit demonſtratum, à natura natiui,& proprij caloris recedit, & incipit extraneus, & præter naturam eſſe,nec amplius eſt inſtrumentum naturę aptum ad operationes particulis proprias exercēdas, ſed potius eas lædit, & imperfectas efficit. Vnde ex vitio iſtorum calorum (ita enim in præſentia loquar)cum ad C igneam naturam tranſmutantur,febris accēditur,quę quidem diuerſa ſecundum naturam eſt,ſicuti diuerſa eſt natura illius differentię caloris, qui vitiatus à ſua naturali temperie mutatur. Cum enim ſpiritus igneſcit,vel inflammatur,febris ephemera excitatur:cum ſanguis aut aliqua in eo ſubſtãtia, nempè humor aliquis accenditur febris humoralis,vel putrida: putreſcunt enim humores, cum à ſua natura defecerint,vt ſuo loco oſtendemus: at ſi calor,qui proprius,& cōgenitus cũ primis particulis ab ipſo ortu, degeneret in extraneam,& igneam naturam,febris ea excitatur, quæ hectica dicitur: vitiatur enim, & tranſmutatur temperatura naturalis totius habitus corporis, hoc eſt,ſolidarum partium vitiato proprio, & innato ca- D lore. Quare iam ſatis patet,quòd tres hæ febriũ differentiæ ſunt differentiæ per ſe, & ab ipſa rei natura, & ſubſtantia, & non ſolum, vt ad medicum relatæ, & diuiſio hæc eſt generis in ſpecies per proprias differentias,non autem diuiſio per accidens,vel accidētis in ſubiecta, vt noſtri recentiores videntur affirmare. Præterea vero perſpicuum eſt, quòd hę ſunt magis propriè differentię:nam illę, quę vel à magnitudine caloris, vel a motu caloris accipiuntur, ab his omnibus pendent, vt poteſt vnuſquiſque ex ſe conſiderare, nolumus enim in hac re longiores eſſe, ne vobis tędio ſimus. Tranſeamus iam ad alia. Mouent Latini expoſitores in his capitibus multas quęſtiones,quæ re vera excedunt fines medici: ſicuti,an elementa formaliter,vt aiunt ipſi,ſint in mixto,& ſimiles,quas nos conſulto volumus prętermittere,tãquã ad noſtrum inſtitutum nihil pertinentes. Digrediũtur autē hic Dynus pater, & Thomas filius,& quęrũt,an pter tres differentias febris, quę a triplici eius materia accipiuntur, poſſit pręterea, & aliud genus febris ab alia materia,ſicuti a chylo,vel ſucco in ventriculo putrefacto, vel à ſecundis humiditatibus ab Auicen. poſitis, aut à ſtercoribus putreſcentibus accipi: hęc enim febris neque ex humore, neque ex ſpiritu inflammato,neque ex ſolidis particulis, atque inter ſe litigant. Nos vero,quia hæc omnia ex putrida materia pendent, ideo putamus referendam hanc quæſtionem ad tractationem febrium putridarum.

Neque etiam in hoc proferemus ſermonem in longum,vt quæramus, an calor naturalis, & febrilis ſint duo calores diſtincti,& ſeparati in febricitante,natura,& re ipſa,vel potius ſit vna,& eadem res: quæ ſub diuerſis rationib⁹,& naturalis, & extraneus, vel prēter naturam calor dicatur. Nam vnuſquiſque facilè poteſt ex ſe huius quæſtionis ſolutionem ex dictis depromere: ſi enim conſtituimus febrem nihil aliud eſſe, niſi calorem naturalem tranſmutatum ad igneã naturam,neceſſe eſt eãdem rem eſſe, quæ prius, cùm temperatior eſſet,naturalis caloris rationem habuit: mox autem mutato temperamento facta eſt præter naturam. Hoc tamen aduertēdum,quòd natiuus calor cùm in igneum mutatur,vitiato eius tēperamento,nunquam, dum viuit animal, & operatur, poteſt omnino, & penitus fieri igneus, & præter naturam: cùm enim iam factus eſt extraneus, & prēter naturã omnino, in eo non poteſt animus conſiſtere, neque operationes edere, neque vita perſiſtere, ex parte enim naturalis eſt,ex parte vero extraneus,& aduentitius: vnde, & facit ad operationes, ſed non probe facit,quare illæ imperfectæ euadunt. Iuniores dicerent,immo,& Ariſt. eſſe re,& ſubiecto vnum, ratione vero vel formaliter duos. Et hæc ſatis quãtum ad hanc materiam. Sed,& id præterea exponendum eſt, cur cum febris ſit morbus, vel affectio calida,& ſicca, id enim,& Galen. affirmat 1. Aph. quo loco Hipp. victum humidum omnibus febricitantibus vtilem eſſe ait: omnes tamen per calorem eam definiunt, ſiccitatis vero obliuiſcuntur. Ad hoc videtur reſponderi poſſe,quòd id intelligitur: nam cum dicimus febrem eſſe calorem externum,& igneum,in hoc includitur, quòd ſiccus etiam morbus ſit. Ignis enim elemētum calidum,& ſiccum eſt, & ignea caliditas ſemper cum ſiccitate eſt: quamuis autem ita ſit, attamen primùm calida affectio febris eſt, ſicut ignis elementum, primum calidum eſt, ſecundario vero ſiccum:primumque caliditate officit, non autem ſiccitate: licet mox, & ſiccitas conſequatur, & tandem ſiccitate quoque lædat. Appoſite ergo medici omnes in genere caloris præter naturam collocant febrem,non autem ſiccitatis. Opponunt autem huic definitioni iuniores, ac probant non eſſe vſquequaque verum,febrem eſſe calorem: nam in aliqua febris parte friget corpus, nec vlla percipitur caliditas, vt in acceſſionum principijs in intermittentibus febribus. Præterea in ſyncopali febre exteriora frigent, vt poterit, ſi quis tanget,percipere, & interiora etiam, præcipue vero cor, vt pulſus indicant, qui cordis imprimis affectionem demonſtrãt:ſunt enim in hac febre parui,rari, & imbecilles. Qui etiam ex colliquatiua febre moriuntur, febricitant,& tamen illis exteriora frigēt, & reſpiratio frigida,quæ, & cordis, & totius corporis frigiditatem oſtendunt. Si quæcunque ab expoſitoribus latinis hic,& 1. fen. 4. Can. Auic. dicũtur,vt hos nodos diſſoluant, referre velimus, nimis in longum oratio noſtra protraheretur, & ſine multa vtilitate: ea propter nos ea referemus, quę magis conſona rationi vi- E debuntur. Ad primum itaque,quod oppoſitum fuit, dicimus, quòd in initijs acceſſionum nondum febris eſt accenſa: nam extra venas putreſcens humor febrem accendit pulſa putrida fuligine ad cor, non putreſcit autem in venis: tunc enim ex venis expellitur,cum rigor concitatur, & membrorum concuſſio:vnde nōdum incipit febris. Vel dicere poſſumus, quod calor ad interiora eo tempore refugit, tàm naturalis,quàm extraneus,& ideo refrigeſcũt extrema: non tamen propterea tollitur, quod febris eſſentia non conſiſtat in calore. Vnde Gal. 1. lib. comment. in Com. 28. 6. Epid. ait,febrem eſſe calorem præter naturam, qui potiſſimum in vniuerſum animal,vel in plures,vel in principes partes diffunditur:refugit ergo ad internas

partes,ſi quis accenſus eſt febrilis calor, & proinde in A his principijs febricitantes,valde ſitiunt, quod eſt caloris ſignum:in internis autem coarctatus calor,magis poſtea efferueſcit. Ad alterum,quòd obijciebatur de ſyncopali febre,dicimus,quòd in febre ſyncopali, quę humoroſa ab Arabibus,& Latinis iunioribus appellatur,accenſus quidem eſt igneus calor, qui febris eſt:ille tamen a multitudine frigidæ, & crudæ materiæ,quaſi ſtrangulatur,& extinguitur ſimul cum naturali calore:vnde cum ignis ſuffocatur,& hoc modo extinguitur , dum ignis eſt , ſemper calidum corpus eſt:quamuis interdum adeo languet , vt eius vis percipi nequeat. Ita ſemper febris calor eſt, & igneus calor : non percipitur autem , quia eius vis calefaciens vincitur a materia multa frigida,& cruda: plus enim ea in refrigerando poteſt,quàm febrilis calor in calefaciendo:ſicuti ſi in domo,vel cubiculo, in quo multa eſſet glacies, paruus ignis accenderetur , ignis ille facultatem ſanè calefaciendi haberet , longè tamen magis poſſet glacies multa in refrigerando,& hac ratione fiunt pulſus parui, & rari. In ſyncopali autem, quàm minutam noſtri appellant,ex acribus humoribus os ventriculi pungentibus excitata ſyncope , calor naturalis,& ſpiritus,qui cum febrili , vt diximus, idem eſt ſubiecto , diſſoluitur . Sicuti & in febribus colliquatiuis ſpiritus frigidus expiratur , quia calor vterque propè extinctionem eſt, vt non amplius eam vim habeat,quamuis in ſe calor ſit , vt poſſit expiratum,& inſpiratum aerem calefacere. Pręterea omnes & de eo dubitant,quod a Galen. 1. & 2. cap. promulgatum eſt,nempè,quòd febris eſſe non poſſit , niſi in corde igneus calor accendatur:quod & alibi Galen. teſtatur,præcipue vero 1. de fracturis , vbi ait , corde affecto excitari febrem , cuius modum exponit in libro de rat.cur.per ſect.ven. eadem vero commentatione 2. de fract. rationem innuiſſe videtur,cur febris nequeat accendi,niſi corde affecto , cum dixit , quia cor eſt fons caloris naturalis ſanè . Nam ſi febris ſit calor naturalis in igneum conuerſus,conuertitur autem, quia eius temperies , & mediocritas corrumpitur,teſte Gal. eodem 2. de natur. facult. ex hoc ſequitur,quòd idem cor,quòd cum bene valet,eſt fons naturalis caloris,cum male affectum eſt, fons efficiatur caloris febrilis . Hoc etiam , & alia ratione affirmari D poteſt:cum enim plures partes , & diuerſæ in eodem corpore vno,& eodem affectu ſimul afficiuntur, neceſſe eſt , vt ab vno communi principio male affecto ortum habeat affectus ille : nam vt & Gale. docet, ſi plures ſenſus ſimul laborent,& ſimili affectu,omnes ſenſuum affectus in cerebrum referendi. Quare cum aut omnes corporis partes , aut plures , aut magis præcipuè in febre a calore tenentur , neceſſe eſt , vt exordium febris ab aliqua particula petatur,quæ earum omnium princeps ſit : nec alia eſſe poteſt , niſi cor : quare ſemper in corde primum accenditur febris. Neque multi momenti ſunt dubitationes,quas excogitauerũt expoſitores;opponunt enim quia poteſt iecur,quod,& ipſum præcipuũ membrum medicis eſt,per venas calorem aliquem impertiri , & eum non naturalẽ,ſed igneũ corpori vniuerſo,ſicut cor ꝑ arterias ; quare accendetur febris , non affecto prius corde. Huic obiectioni reſpondemus,quod falſo nititur fundamento,quo negato vniuerſa ratio ruit:falſum ſiquidẽ eſt,vt vix imaginari quis poſſit,ſi naturã iecoris,& cordis probè,& exquiſitè teneat , ꝙ adeo incaleſcere igneo calore iecur poſſit,vt calefaciat corpus vniuerſum,nõ calefacto priùs, & affecto corde . Immo primum,quòd calefiet, erit cor : quia nullum membrum,nullumque viſcus eſt,quod maiori nexu, maiorique vicinitate ſit iecori iunctum, q̃ cor : coniungitur enim & per cauã venam,quæ ſtatim,vbi iecur fuerit egreſſa,maximum omnium ramũ in dextrum cordis ventriculum demandat,vt etiam Ariſto. crediderit ramum illum potius ſtipitis , quàm rami rationem habere,deinde nonne vena magna,& maxima arteria,quæ ſtatim a primo ſuo ortu pariter per ſpinam dorſi ferũtur,adeo exacte altera alteri hęret, vt facilis , & perpetuus ſit tranſitus per tenues meatus ab altera in alteram?vt ipſa experientia oſtendit: quacunque enim earum ſecta,euacuatur tandem ſanguis,qui in vtriſque continetur . Addamus & huic , quòd nullum membrum in animantis corpore eſt , quod aptius , quod facilius , quod velocius calefieri poſſit corde,vtpote quod dum ſanum etiam eſt,ſuapte natura ferueat:fieri ergo nequit,vt calor febrilis. a iecinore ortus in vniuerſum corpus diffundatur niſi prius cor afficiatur. Hoc vero, deducto ẽt argumẽto a ſigno,probare poſſum,& certo quidem ſigno:ſicuti enim Gal. 1. lib. artis. cur. ad Glauc. ait, febris, & vrinis,& pulſu cognoſcitur. cap. vero 6. ait, hoc omnibus febribus commune eſſe,quòd nimirum inęqualitatẽ habeant in vna arteriæ pulſatione: quod ẽt affirmat 3. de præſag. ex pul. pulſus vero affectionem cordis præ alijs omnibus oſtendit : vnde cum fieri nequeat , vt febricitet aliquis ſine pulſus inæqualitate aliqua,neque etiam febricitare poteſt ſine cordis affectu. Quod ſi iterũ inſtet,vt multi inſtant poteſt frigus diſpergi in totum corpus ſine cordis cõſenſu , ab aliqua alia particula,ſicuti a iecinore,vel liene, vel vẽtriculo: ergo itidem poterit & calor . Argumentatio hæc omnino vitioſa eſt, & nullius momenti : vtpote quæ peccet & forma,& materia . Nam primum ſequela vitioſa eſt,& neganda: quia nõ eſt par ratio caloris,& frigoris:etenim cor pręalijs omnibus viſceribus refrigerantibus cauſis reſiſtit , quippe quod & primò calidum ſit,& ſemper veluti fruẽs:vnde in morientibus vltimum eſt,quod refrigeſcat , cùm tamen contra facillimè omnium incaleſcat , & accendatur . Sed & id,quod aſſumitur,falſum eſt,nempe quòd totum corpus refrigeſcere poſſit adeo , vt actiones lædantur,niſi cor etiam conſentiat. Qui enim fieri poteſt,vt id accidat,niſi vis cordis ſuperetur prius eo refrigerato , quod eſt veluti ſcaturigo , & fons caloris totius corporis, a quo calor in totum corpus diffunditur,& perpetuò fouetur?quod eodem ſigno poteſt oſtendi:fiunt enim pulſus parui,& rari, ſicuti in hydrope fieri docuit Gal. 3. de cauſ. pulſ. Sed quia iam ſatis conſumpſimus temporis in his quæſtionibus, opportunum fuerit tranſire ad caput 4. in quo de peſtilenti febre agendum erit:ſi tamẽ vos prius monuero , quòd hæc omnia , quæ hic de cauſis febrium a Gal. præcipuè vero hoc 3. cap. propoſita ſunt, Auice. tranſtulit ad tractationem de febribus ephemeris, & ea complexus eſt capite de cauſis ephemerarum febrium : vnde qui Auic. afficiuntur, ſi quæ hic fuere a nobis expoſita,quatenus ad harum cauſarum expoſitionem pertinet, probe tenuerint , ea poterunt illis eſſe tanquam commentationes,vel explanationes, & illæ quidem exquiſitæ,illius capitis .

Margin notes: Cap. 3. — Com. 23. Cap. 5. Cap. 4. — Cap. 42.

De Peſtilentis febris generatione. Cap. IIII.

CAlidiores autem ambientis nos aeris ſtatus,quales maximè circa canis ortũ contingũt. &c.] Et ſi caput hoc fuerit a ſecũdo & tertio, vel ab interpretibus diductũ,vel a typographis ita diſtinctũ : materia tamen eadem,& idem ferè horũ omnium ſcopus,& argumentum eſt. Accepto enim hoc tanquam manifeſto,& omnibus noto,uel etiam uulgaribus: vtpotè quia ſenſus & experientia oſtendat,ꝙ cauſæ externæ & quæ procatarcticæ quaſi pręincipiẽtes a græcis medicis dicuntur, iuniores primitiuas appellant , febres

concitent:

concitent:illud quod deinde,& vulgaribus,& multis etiam medicis occultum eſt, vt ob id, quod etiã manifeſtiſſimum eſt,negauerint,cœperat oſtendere: nẽpe quomodo ab his externis cauſis adeo diuerſis natura,& proprietate,idẽ ſequatur effectus: febris enim calidus morbus,cauſę vero ex his multę potius refrigerandi vim habent, quam calefaciẽdi: & hoc docere cœpit præcedenti capite exponens,quòd omnes quidem hæ cauſæ vim habent calefaciendi, aut per ſe,vt aiunt philoſophi,aut per accidẽs,& id ſingillatim ferè in omnibus alijs perſecutus eſt. Hoc tantùm reliquũ erat,vt demõſtraret,quomodo aer ipſe, qui ambit,& circunfluit nos, pro ratione ſuæ temperiej,vel qualitatis calidę,aut ad caliditatem attinentis calefacere adeo corpus poſſit, vt corde facto calefactionis iſtius participe,febris accendatur. Et quamuis videatur inſcriptio ca.ferè ſignificare, ꝙ primario inſtituto hic ſit tractatio inſtituenda de febre peſtilenti: atque quomodo ab ea cauendum ſit, ſi tamen rectè rẽ perpendamus,pòtius ex incidenti,& vt πάρεργον res hęc tractatur: nam neque ad hũc locum pertinet hęc tractatio; ſed ad locum, vbi de febribus putridis erit agendum. Verum quia plerunque febris peſtilens ab aeris mutatione ſuũ habet ortũ, ideo hic de ea agit, non propria ratione,ſed vt per eam oſtẽdat, quonam pacto ex aere poſſunt febres originem habere. Poſtea vero,quia,vt dicebat Auer.ſermo, qui per ſe verus eſt,eam naturam habet, vt poſſit ſoluere omnes dubitationes & omnia obiecta: in ſecunda parte diſſoluit rationem, vel ſophiſmata eorum medicorum, qui contendebant has minimè ponendas eſſe inter cauſas tum febris, tum morborum. Quantum ergo ad primam partem pertinet, conſiderandum eſt, quod calidior ſtatus ambientis nos aeris duobus modis poteſt nos calefacere, & tandem cor, vno quidem per ſe, altero vero per accidens: per ſe quidem, quando ipſe primum calefactus eſt, ſicuti diebus canicularibus, cum enim caleat tunc, & vehementer caleat,ea ratione, per ſe quidem,nihil aliud primum poteſt facere, niſi calefacere: calefacit autem, dum continet, & cõtingit extremam partem cutis: illa vero calefacta ſuppoſitas partes calefacit,& aliæ alias, ita vt tandem ſæpe ad cor, & inde in vniuerſum corpus diſpergatur calor. Præterea vero,& cum inſpiratur aer calidior, vim habet calefaciendi: trahitur enim ad cerebrum,ad pulmones,& tandem ad cor:atque ita etiam per hanc viã calefacit. Tertio etiam per diaſtolen trahitur ab arterijs, & per eas prius calefactas cor cũ illis cõſentiens calefacit: & ita per ſe calefacit ambiens nos aer. Per accidens autem calefacit,quatenus cauſa eſt putrefactionis excitandę in corporibus animantiũ, præcipuè vero in humoribus,in venis,& arterijs,& corde cõtentis. Auctor autẽ eſt putredinis aer duplici de cauſa, vel ipſe ex ſe ſine alterius extraneæ rei mixtura: vel qa vapores aut halitus ſecum permixtos habet putridos: qui ab aliqua putri materia ortũ habuere, & ſunt veluti ſemina putrefactionis. Primo quidẽ modo efficit putredinẽ pręſertim in ijs, qui habẽt corpus nõ probè diſflabile: aucto enim calore,humores,cùm nõ poſſunt diſflari,putredo apprehẽdit:id vero præcipue euenit, quãdo immodicꝰ fuerit calor externi aeris,quaſi vincẽs omnes innati caloris vires: aut in ijs, qui vitioſis referti ſunt humoribus,ex praua victus ratione contractis,paratiſſimi enim ſunt,vt ex leui quacũque occaſione putreſcãt. Pręterea vero & in illis,qui in aere veluti ſuffocato habitãt, qui facilè perflari nequit,ſicuti illi qui in tugurijs degunt humilibus, & in qbus nõ eſt facilis perſpiratio. His omnibus de cauſis exorta putredine aer febris accendendæ in cauſa eſt. Et ſi quæras, quãdo aer ex putridis vaporibus mixtis inficitur,vnde illi adueniãt vapores hi. Reſpõdet Gal. ꝙ ex cadaueribus iacẽtibus inhumatis nec crematis: ſicut in prælijs interdum, & in bellis cõtingit: aut ex aliquibus aquis ſtagnantibus æſtatis tempore in paludibus, & vallibus, vel humilibus alijs locis. In quas cauſas refert prouentus peſtilentiæ, quæ verè peſtis vel peſtilentia dr̃: ex infectione enim,& corruptione aeris plerunque ſolet habere ortum:qui quidem corruptionem ex vaporibus habet: interdũ tamen & ex immodico eius calore. Quas omnes cauſas conueniſſe,& ſimul cõſpiraſſe, auctor eſt Thucydides in ea peſtilentia ſæuiſſima,quę in Athenienſes graſſata eſt. Ex eadem autem aeris contaminatione naſcitur contagium in morbis peſtilentibus, quia videlicet aer inficitur à corporibus affectis peſtilenti morbo, dum ab eis exhalat vapor putridus,quo aere qui vtunt̃,ſi ſint apti ad concipiendam putredinem, facilè correpti & ipſi eodem morbo deinde laborãt. Sed vt ea,quę dicta ſunt hactenus,facilius,& melius teneatis, aduertendum eſt,ꝙ peſtis,&peſtilentia,quæ vna,& eadem res eſt,in ijs morbis eſt,qui epidemici ab Hippoc.& antiquioribus medicis dicuntur, vtpote qui cõmuni quadã ratione populos paſſim inuadant,& deuaſtẽt. Vt enim Gal.& Hippoc.in primo de rat.vict.in acu. morb. & in ſecundo de natura humana, & in libro de aere,& aqua,& regionibus, item vero,& ſtatim à principio primo libro Epid. docet: morborũ triplex eſt differẽtia. Alij enim epidemici, Alij endemici, Alij vero ſporadici græcè nominantur, vt ita poſſit fieri partitio. Morborũ alij cõmunes multis ſunt: ali vero priuati, & particulatim tantum aliquibus eueniunt. Cõmunes quidem ex communi aliqua,cuius participes ſunt aut omnes, aut plures,ratione, & cauſa initiũ habent:cõmunis vero cauſa eſt,aut aer,aut aqua, his enim omnes vti neceſſario cogimur: præterea & victus ratio, quando cõmuniter aliquę ciuitates, aut regiones vel neceſſitate coactę,vel habitu ex conſuetudine contracto eadem vtuntur,facit,vt aut omnes, aut plurimi,qui ea vtũtur, eiſdem ſint morbis obnoxij. Cauſæ autem hæ cõmunes aut ſunt locis illis veluti naturales,aut ſaltẽ ſpontaneæ,aut ſunt aduentitiæ,ſed coactæ. Cõmunes aliquibus locis,& cõſuetæ ſunt,ſicuti eſt aqua,vel aer, quæ illis locis propriæ & naturales ſunt: ſicut tumor, q ex anteriori parte exortus,qui βρογχοκήλη, quaſi gutturis ramex,gręcè dicitur, bochiũ vero à modernis appellatur,in vallibus aliquibus Brixienſibus adeo illis omnibus,qui ibi habitant,familiaris eſt, vt cui deeſt, aliquod membrum naturale,ei deeſſe illis videatur:contingit autem illis vitio tum aeris frigidi, tum crudarum & frigidarum aquarũ. Alexãdriæ etiam olim familiaris, & frequens erat morbus elephas: quod Gal. retulit in rationem victus, & eos cibos, qui tunc promiſcue in vſu erant, hos omnes morbos endemos,vel endemios,vel endemicos nuncupabãt græci, quaſi populis illis communes,& familiares. Cauſæ autem communes,& aduentitiæ, quęque nõ ſunt illis familiares, neque cõſuetę, ſed neceſſario cõtingunt illis ex aliqua noua, & rara occaſione,sũt ſicuti aeris mutationes, quãdo ex ſuperiori aliqua ratione,vel ex ventis fiũt:vel ex infectione à putri aliqua materia, vel ex mala victus ratione, qua ex fame vti coguntur,vt in penurijs cõmunibus, in obſidionibus,in bellis: hos autẽ morbos,qui multos in eadem ciuitate, vel regione ex aliqua cõmuni cauſa, vel occaſione ſecundum hanc rationem adoriuntur,epidemicos,vel epidemios appellarunt antiqui. Cùm vero morbi quidam,& varij cõtingunt,qui tamen non ſint multis cõmunes, ſed diuerſæ naturę, & diuerſi generis in diuerſis ægrotantibus ſint, neq; ſequantur cõmunem aliquã, & ſimilem cauſam, ſed variã,& diuerſam in diuerſis pro ratione diuerſorum errorum commiſſorum in victus ratione,hi ſporadici,quaſi ſparſi dicti ſunt: eo ꝙ differentes, & diuerſas

Com. 9.

ſas in diuerſis,& naturas,& occaſiones habeát.Peſtis vero,ſeu peſtilentia proprie inter epidemicos locum habet:vera enim peſtis,quę proprie peſtis dicitur ſemper,aut aeris,in quo verſamur,aut aquarũ,qbus vtimur,vitium: aut communes errores in victu ab omnibus commiſſos,ratione quorum geniti ſint multi praui ſucci,qui poſtmodũ paruo negocio, & leui occaſione putreſcũt,ſequi ſolet. Non tñ omnis epidemicus morbus peſtis dici debet,ſed qñ malignus valde eſt,& qui plurimos perdat,ac interficiat, dicit̃ peſtis proprie,& peſtilentia. Lethales aũt vt plurimum ſunt huiuſmodi morbi ob eximiam quandam malignitatem,& prauam putredinem,qua putreſcunt humores in corpore,ac pro rõne maioris, vel minoris putredinis,vel deterioris,& minus prauæ, ita & malignus magis,& magis lethalis euadit morbus,vel minus malus,& malignus. Sed ſi vlterius quæras,an omnis peſtilens febris ẽt peſtilentia, vel peſtis appellari poſſit? Dico quantum ad hoc,ꝙ quãuis febris peſtilens a peſtilentia ſuam habuerit nuncupationem, nõ omnis tñ ob id peſtilentia dicenda eſt: neque enim omnis febris peſtilens morb.eſt epidemicus, qui ex communi quadam rõne, vt nuper expoſuimus, ortũ ducit,quiq; multos eodem tempore adoritur, ac perdit. Sæpe enim imo ſingulis ferè annis æſtatis tempore videmus aliquos,præſertim vero in magnis vrbibus,vbi varij,ac multiplices in victu errores committuntur,maligna,ac peſtilenti febre corripi, non ex cõmuni aliqua cauſa, ſed ex ea duntaxat priuata victus rõne,qua ipſi vſi fuere:quæ quidem febris ſimilis formæ eſt,& eiuſdem malignitatis cum ijs, quæ per vrbes in peſtilentijs paſſim vagari ſolent: cum tñ nõ ita frequens peſtilentiæ ipſæ ſint,vt patet. Neq; vero mirum eſt,huiuſmodi febres aliqñ contingere: nam ſicut in peſtilentijs ij maximè afficiuntur, vt hoc loco docet Gal.qui ad putredinem parati ſunt: ſic facilè fieri poteſt,vt ex multis hic relatis cauſis quædam interdum corpora reperiantur apta & diſpoſita, ita vt ex leui poſtmodum occaſione poſſit in ijs, in ipſoq; etiam corde talis ac tanta putredo concitari,qualis ac quanta in peſtilentijs accenditur:quemadmodũ Gal. concedit, poteſt intra corpus venenum per aduſtionem,vel putredinem gigni æqualis malitiæ, & prauitatis,cuius venena ſunt,quæ exterius nata a maleficis dantur. Et ego vidi canem, qui excrementa lenia illa,& ſyncera,quæ excreuerant quidam peſtilenti febre laborantes,comedit (cum tñ alioquin nulla vagaretur peſtilentia) & paucis horis morte correptus cecidit,totusq; turgidus factus eſt. Manifeſtum igitur ex his eſſe arbitror, non oẽm febrem peſtilentẽ eſſe morbum epidemicum, & conſequenter non poſſe dici peſtem,ſeu peſtilentiam:quãuis poſtea aliquãdo contingere queat, vt febres,quæ inter initia ſunt tantummodo peſtilentes,tandem in peſtem tranſeant: verum hoc eſt alterius negotij. Sed ſi pręterea etiam ſiccitatis,quænam propria,& per ſe ſit ratio febris peſtilẽtis?varij enim vario modo de hac re ſenſere. Res hæc aliquanto difficilis eſt,& quæ non videatur pertinere ad hunc locum,cum,vt paulo ante diximus, nõ ex primario propoſito eius hic meminerit Gal.ſed ea tãtum ratione,vt oſtenderet,quonam pacto ex aeris ſtatu,& mutatione corpora humana in febrem incidant.cũm ergo maxime hæc tractatio ad febres putridas attineat,eam ad illũ locũ transferemus,vt etiã minus temporis conteramus, & citius ad curandarũ febrium rõnem perueniamus. His itaq; in hunc modum declaratis, accedamus ad ſecundam iſtius capitis partem,in qua diſſoluit rationes eorum, qui omni opere cõtẽdebãt probare,ꝙ externæ hæ,& manifeſtæ cauſę a nobis appellatæ nõ poſſunt haberi tanquam propriæ cauſæ febris. Ratio aũt,qua mouebãtur,hæc eſt:quia quod per ſe, & ſecundũm propriam

A naturam tale eſt,id ſemper tale:& non cum vno tale, & cũ alio minime. Vnde ſi hæ ſunt verę febrium cauſæ,ſemper & omnibus in quos inciderint, febres afferent,quod tamen ſecus eſt:nam neq; omnes, qui canicularibus diebus iter faciunt,febre corripiunt̃: neq; in aeris peſtilentibus conſtitutionibus omnes in peſtem incidunt. Addebantq; præterea:ſi calor,frigus, cruditas,temulentia,& iſtiuſmodi reliqua veræ febri citandi cauſæ eſſent,qui magis incaleſcerent, illi magis febricitarent,& qui magis refrigerentur[minus:] atq; de alijs eodem modo:hoc vero falſiſſimum eſt: nam multi ex leui occaſione ab his habita in magnas incidunt febres,cum tñ alij plurimi ex maioribus occaſionnibus nulla tententur febre. Has rationes ſi qs

B voluerit percipere, ac eorum diſſolutiones longiori ſermone tractatas,legere poteſt librum de cauſis ꝓcatarcticis Gal.vbi de his ad ſaturitatem agit. Nos autem q̃ breuiſſimè de his agemus: ne dum in his nimis verſamur,occaſionem amittamus ad vtiliora perueniendi.Hic ergo rei affinitate,& quaſi conſecutione ductus ad has eorum rõnes reſpondet: vel nobis fundamenta exponit, quibus facilè diſſolui poſſunt eiuſmodi ſophiſmata. Totum vero reſponſionis momentum innititur fundamento illo philoſophico ab Ariſt.deſcripto, ꝙ ſcilicet actus cauſarum agentium fit in patiente diſpoſito. Vnde & 1.de gen.& inter. ait,ꝙ paſſio fit merito ſimilitudinis:actio vero merito contrarietatis.Quo poſito facilis patet reſponſio: Tex.48.

C cũ enim inferunt,ꝙ ſi hæ eſſent cauſæ febrium, vel morborum effectrices,ſequeretur,ꝙ ſemper,& in oĩbus febres efficerent:negandum eſt argumentũ: vel, vt noſtri ſolent reſpondere,neganda eſt conſequẽtia, & ratio negationis eſt hæc. Quia cauſa, quãuis ipſa, quantum in ipſa eſt,vim aliquid agendi habeat,nihil tamen agere poteſt,niſi habeat, in quod agat: neque enim cauſa agere poteſt in ſe ipſam: Sed illi aliquo ſubiecto opus eſt,in quod agat, nam ex quadam ratione,& proportione inter vim,& poteſtatem ipſius agentis,& reſiſtentiam illius, in quod agendum eſt, ſequitur omnis ratio ipſius actionis. Vnde ſicut non eſt ſemper eadem,& æqualis vis, & poteſtas agentiũ cauſarum:aliæ enim valentiores ſunt,aliæ verò infirmiores: ita etiam ea,in quæ agunt,non eandem prõ

D ptitudinem,& facilitatem habent,vt pariter affici poſſint:alia enim magis inepta ſunt, & magis reſiſtunt ipſi agenti,& efficienti. Nimirum, ſi & cauſæ ſemper æquales eſſent,& vim parem haberent: & ea quoque quę afficienda ſunt parem aptitudinẽ, & facilitatẽ haberẽt ad recipiendã impreſſionẽ,& affectionẽ ab illis cauſis:argumentũ ſequeretur nẽpe ꝙ ſemper idẽ effectus ab eiſdem cauſis proficiſci deberet: ſed cũ hę cauſę non ſemper ęquales ſint & æqualem vim habeãt: nam neq; ſemper æqualis eſt in aere æſtus,neq; ęqualis corruptio, neq; æqualis concitatur animi motus ex ira,vel mæſtitia,pręterea neque ea corpora, quæ in eas cauſas incidunt,ęqualiter apta & parata ſunt, vt afficiantur. Ideo neque mirum deinde eſt, ſi neq; omnes ab his cauſis ſemper febricitent, neq; ſi in pe-

E ſtilenti anni tẽpore, omnes,qui in eodẽ aere verſant̃, peſte inficantur :neque etiam ſi illorum, qui afficiuntur,aliqui magis,aliqui minus patiantur, aliqui euadant,alij pereant. Nam nemo negauerit ignem vim habere comburendi,neque,tamen omnia comburit: neque ea quæ comburuntur,ęqualiter,& ita citò cõburuntur:alia enim ab igne citiſſimè cremantur,alia neq; etiam cremari poſſunt? quædam vix ab igne ſuperari queunt,id uero ijs contingit,non niſi ob eam, quam habẽt vel ex natura,vel ex arte,vel ex tempore cõtractam aptitudinem,& apparatum,vt facilius, vel difficilius comburantur. Eadem ratione,& alia corpora animantium citiſſimè a calore,& maximè lædunt̃: alia autem a frigore,alia alijs cauſis magis ſunt expo-

ſita,

ſita,vel a natura ipſa ſtatim a primo etiam ortu ita fa A
cta,vel aduentitia quadam ratione contracta ex erro
ribus in victus ratione,vel ſpontaneis, vel coactis. Et
vt rem hanc exquiſitius percipiatis,conſiderãdum eſt
ꝙ ex cauſis prędictis,quas Gale.recenſuit, tanquã ex
quibus febres habent ortum,aliquę ſunt,quę propriè
habent modum cauſę efficientis,quia corpus ex natu
ra ſua immutant,& calefaciunt,& calefaciendo ad fe
brẽ perducũt,ſicut nimius aeris calor, qui poteſt pri-
mum eſſe ephemerarum,& hecticarũ febriũ efficiens
cauſa:item & motio multa,& vehemẽs, ira,& męſti-
tia,ſicut idem etiam calor putridarum febriũ in cau-
ſa eſt,dum ſuperat,& diſſoluit vim caloris naturalis,
frigus vero per accidens conſtipando cutim,& occlu-
ſis meatibus,per quos difflatur corpus, vt declaraui- B
mus,& interdũ extinguendo naturalem calorem. Ita
etiam putrida aeris conſtitutio febrium peſtilentium
eſt cauſa ferè efficiens,qui dum verſatur in corde per
inſpirationem,inficit,& vitiat ipſum cor,& ꝓ ratio-
ne,qua hęc maiora ſunt,& intentiora,ita etiã maio-
rem vim habẽt imprimẽdi,& magis etiã imprimunt,
niſi eis reſiſtat corpus,cui occurrũt,vt pote quod ha-
beat vim validam,qua illi poſſit repugnare,vel ex ipſa
natura tale conſtitutum, vt facilè poſſit contemnere
omnem contrariam vim cauſarum id oppugnãtium,
vel cura,& induſtria,intercedẽte proba victus ratio-
ne,quę omnino oppoſita ſit actioni,& operationi il-
lius cauſę. Alię vero in illis ſunt,quę a philoſophis re-
ferũtur ad genꝰ cauſæ materialis,quatenus tñ ad hoc
munus pertinet:ſunt enim tanquã præparãtes ſubie- C
ctũ corpus,vt facilius,& prõptius pati,vel affici poſſit
ab effectricibus illis cauſis:vt maximè in febribus pe-
ſtilentibus & putridis,quæ propoſitę ſunt a Gal. tan-
quam illæ in quibus facilius poterat oſtendere ſui ꝓ-
poſiti veritatem,videre eſt. Corpora enim quæ aut
ſuaptè natura,aut alia ratione multa abũdant humi-
ditate,facilè putredini patẽt:materia enim quę facilis
eſt,vt putreſcat,eſt humiditas,ſicuti efficiens eſt alie-
nus calor. Quæ ergo corpora ſcatent multis humori-
bus qui prę multitudine nequeãt commodè difflari,
facilè putreſcunt:itẽ quæ continent, atque congerũt
vitioſos humores,ſiue id fiat vitio intẽperaturę viſce-
rum,ſiue ob peruerſam victus rationẽ: nam cum hu-
mores illi ſint vitioſi,& inepti ad naturę officia,malè D
ab ipſa vel a ſuo innato calore adminiſtrari poſſũt,&
propterea ab externo correpti cito putreſcunt. Vnde
& hac ratione,tum plethora, hoc eſt nimia ſanguinis
copia,tum cacochymia corpus aptum reddit, vt a fe-
bribus,tum alijs,tũ,vel maximè putridis,& peſtilẽti-
bus corripiantur. Ad plethoram autem congerẽdam
faciunt,cibus,& potus copioſi,lauta conuiuia,modi-
ca exercitatio, vſus ciborum plurimum alentium,&
ſanguinem probum generantium. Contra vero caco-
chymiam inducunt cruditates,& cibi praui generan-
tes malum ſuccum:cruditates autẽ procreantur a cra
pulis,ebrietatibꝰ,otio nimio,nimia venere, & ab om
nibus,quæ concoctiones impediunt, ac cibis concò-
ctũ difficilibꝰ. Sicuti ex aduerſo inepta ſunt, vt ab his E
febribus apprehẽdãtur,quæ bonis humoribus,neque
tamen nimijs prædita ſunt,quę non ſunt excremẽto-
ſa,vitioſiſque humoribus repleta: talia vero ſunt,&
quæ ſuapte natura bonã habent,& æqualem tẽpera-
turam,& qui parci,modeſtique ſunt in potu, cibo,&
venere, & etiam exercentur pro ratione ſuæ naturæ:
quiq; a triſtibus animi perturbationibꝰ cauẽt. Quòd
autẽ hæc res ita ſe habeat,ab effectu oſtẽdit Gal. nam
aut cum adſunt iam peſtilentiæ,aut cum imminẽt,&
timentur,medici,qui prudentes ſunt ad cuſtodiẽdos
homines,immò & curandos, maximè procurant, vt
quanto fieri magis poteſt,eos,quorum ipſi curam ge-
runt,reddãt tutos a putredine,omnem ſiquidem ex-
crementitiã,& ſuperuacaneã humiditatẽ, quę veluti

A mater eſt putrefactionis,conſumũt,corporaq; vt mi-
nimè excrementoſa ſint, agũt vt probè tranſpirẽt,a-
pertis videlicet meatibꝰ. Curatio autem ſæpe,vt 2.
Aph. dixit Hipp. naturam,& rationem:& occaſiones
morbi indicat: liceat autẽ nobis dicit hic Gal. cõpre- Aph.17.
hendere ſub curationis nomine, & cuſtodiam,ſeu,vt
iuniores appellant,præſeruationem. Qua in parte,vt
verba Gal. rectè teneatis,eſt animaduertẽdum,quòd
ſi exquiſita acribologia ſit expectãda curatio propriè
morbo attribuitur:morbus enim propriè curari dici-
tur:pręſeruatio vero,ſeu tutela debetur ipſi cauſę:cũ
enim a futuro malo quẽpiã defendere volumus: at-
que illi cauere, cauſis obſiſtimus, qui enim inuadat
morbus,ſi omnes eius cauſæ ſint remotę? aliquando
B tamẽ cõfundimus nomina, & curationis appellatio-
ne etiam cuſtodiam, vel præſeruationem complecti-
mur,neque id præter rei ipſius naturam. Nã ſi rectè
rem perpẽdere velimus,eiuſdem omnino rationis, &
naturæ eſt curatio,& tutela ſanitatis, vel ꝑſeruatio,
quia,vt rectè ſentit Hipp. medicina eſt additio,& de-
tractio: neque enim aliud medici munus, niſi vt ex-
ceſſibus occurat,detrahendo quantùm excedit,vt ad
mediocritatem,in qua ſanitas conſiſtit, deducat: de-
fectibus autem,quantùm deeſt,addat: atque hoc ſit
tam dum ipſe tuetur ſanitatem, quàm dum morbos
curat:niſi quòd hæc inter illas duas partes intercedit
differentia,ꝙ,vt ipſe alibi docet,hoc eſt in lib. primo
de tuend. ſanit. & in lib. an tuendæ ſanitatis ratio ad
medicum, vel ad gymnaſten potius pertineat, cura-
C trix medicinæ pars verſat̃ circa errores, vel lapſus in-
ſignes corrigẽdos,addẽdo,uel detrahẽdò, a quibus iã
fit manifeſta lęſio:q̃ verò ſanitatem tuetur,circa exi-
guos uerſatur, ex quibus nondũ manifeſta ſit adhuc
actionum læſio. ſecundum ergo hanc rationem,vtra-
que poteſt cõmuni curationis nomine contineri. Sed
ſubtilis hæc nominum,& exquiſita perpenſio in prę-
ſentia non plurimũ refert: quocũque enim dicamus,
ſatis habemus id quod propoſito noſtro inſeruire po
teſt,nimirũ,quòd plurimum facit corporis aptitudo,
& præparatiò ad hoc, vt non æqualiter & eodẽ mo-
do omnes afficiantur in peſtilentijs. Nã ſi & caruerit
corpus excremẽtoſis humoribꝰ, & ex alia parte,quã-
tum fieri poteſt,& remedijs,& ea victus ratione,vta-
D tur, quæ oppoſita ſit ſecundum naturam huiuſmodi
cauſis,quantũlibet validæ,& potẽtes hæ fuerint: aut
nihil,aut parum illi poterunt officere: contra vero ſi
ſe & medicus,& ęgrotus geſſerit,aut interficient,aut
malè tractabunt, & hæc quantum ad huiuſce capitis
explanationem dicta ſufficiant.

Non omnem febrem ex putredine oriri.
Cap. V.

SED [quoniã de febribus peſtilẽtibꝰ facta eſt mẽ-
tio,quę oẽs à putredine ortũ habẽt,&c.] Febrium
peſtilẽtiũ mentio facta eſt, nõ quia proprius eſſet hic
locus tractationis earum,ſed vt oſtẽderet, quomodo
E aeris qualitas poſſit eſſe cauſa accendendi febres: at-
que in hoc vſus eſt tanquam exemplo febre peſtilẽti,
ſicut ab eius curatione, & argumentum deprompſit,
quo,& probaret,quòd propoſuerat, & cauillis eorũ,
reſponderet, qui negabant illas eſſe cauſas febrium:
quamuis nec illa per ſe ad præſens negotiũ attinerẽt,
ſed rei quadam affinitate,& cõſequutione ad hoc dę-
ductus eſt. Mentio autem facta iſtius febris:q̃ omni-
no ferè,& ſemper originẽ habet à putredine, reuoca-
uit in memoriam alium antiquorum medicorum er-
rorem,& opinionem,quę,ſi vera eſſet,deſtrueret fun
damenta iacta ſuperius,vel omnia, vel ſaltem præci-
pua:nẽpe quòd tria ſunt prima genera febriũ,videli-
cet hectica,ephemera,& putrida. Iſti enim duas prio-

res deſtruunt,& tamē tertiā admittūt, quę à putre- A
dine ſuū habent ortū:ita vt illis omnis febris putrida
fit,non ergo erunt hectica,vel ephemera. Decretum
autē hoc non meretur,vt ſiccis pedib. prætergredia-
mur:habēt enim fautores magni nominis,& viros ſa
nè illuſtres,mediceq; artis peritiſſimos. Nā & Athe-
næus medicus,non ille ſophiſta,quorum monumēta
extāt,ſed ille Attalæus cuius ſæpe Gale. meminit,ac
quicunque fuere illius ſectatores hanc ſententiā am-
plexi ſunt.Quamuis autē,ait ipſe, tales fuerint,equi-
dem illis nō poſſum aſſentiri: vt enim alias prętereā,
ſaltem ephemeræ excipiendæ erant. nam in his nihil
video,cur ex putredine eas habere originem profite-
ri debeamus, cùm ſæpe oriantur ſine vlla putredinis
occaſione, ſine vlloque putredinis ſigno. Neque e- B
nim video,cur ex extremo,& immodico calore ſolis,
& aeris nō poſſit adeo calefieri corpus citra vllā etiā
ex eo calore concitatam putredinem, donec per par-
tium ſucceſſionem ſit calor cordi impertitus. Vnde
ſpiritus,qui præ omnibus inflāmari apti ſunt,inflam-
mentur,& ſubinde accendatur febris. In ira quoque,
cùm feruor ſanguinis fiat circa cor,nō video, quin ea
ratione non poſſit calor concitari,& accendi ſpiritus,
eodemque etiam modo ab alijs cauſis iam expoſitis,
quas procatarcticas appellari dixim9, ſicuti exercita-
tio,cùm immodica eſt: item & cutis præter naturam
cōſtipata in ijs, in quibus multus,fuliginoſus,& acris
vapor generatur, & dum corpus perſpirabile eſt,per
cutis tenues meatus excernitur: illo enim detēto ci-
tra vllum putredinis indicium concaleſcit corpus:im- C
mo,quod maius eſt,aliquādo ex putrefactione febris
primam habet occaſionem, & tamen neque febris ea
à putrefactione ita fit,vt putrida ſit appellanda: quia
nō accenditur proximè cor à putrida aliqua fuligine,
quæ ipſum petat:hoc enim pacto febres putridę,quę
propriè putridæ dicuntur, habent ſuam proximam
originem.Quòd & ſi alicui pręter rationem,& para-
doxum hoc videatur, veriſſimū tamen deinde,re ꝑ-
cepta,illi videbitur. Hoc autem vt facilius intelliga-
tur,aduertēdū eſt,quòd hoc,quod diximus, maximè
in inflammationibus cōtingere ſolet: nempè vt in eis
fiat putrefactio,quæ febrem tandem accendat, & ta-
men febris,quæ accenditur, aliquando putrida, ali-
quādo vero minimè putrida ſit, ſed potius attineat D
ad genus febriū ephemerarū, quæ tantùm ex calefa-
ctis,nō autē putreſcētibus ſpiritibus gignitur. Febris
enim poteſt fieri ab ea putredine bifariā. Nam aut fit
per ſolam trāſmutationem partium vſque ad cor, ſi-
ne vlla putridæ alicuius materiæ participatione:ſicut
enim fit in exercitatione vbi articuli, & partes illæ,
quæ articulos mouent, ex multo motu primū cale-
fiunt,& ab his alię vicinę,& ſic ſubinde quo vſque ſit
ad cor peruentū, in quo initia febris oriuntur: eodē
quoq; modo cùm conculcatur,& impingitur ſanguis
in inflammatione,ac à perſpiratione deſtituitur à ca-
lore immodico, & ꝑter naturā corruptus putreſcit,
& quaſi in flammeum quendam calorem vertitur,ex
quo primæ partes,quæ vicinæ,& cōtinentes ſunt,in-
flammātes calidiores fiunt, ita vt & ipſe deinde alias
calefacere poſſint,& ſic ſubinde: neque tamē neceſſe
eſt, vt vapor aliquis ab inflāmatione elatus ad cor fe-
ratur:præcipuè vero ſi inflāmatio apprehenderit loca
externa,quę cutanea ſunt,& remota à corde,atque à
ramis maioribus venarū,vel arteriarum. Hæc itaque
febris initium habet à putredine, neque tamē putri-
da eſt, ſed ephemera, ſicut & illa,q̄ ex ira,vel labore,
vel æſtu excitatur,ſimilis ſiquidem eſt huius, & illius
generatio. Alio vero modo inflammationem febris
ſequitur: quia ea eſt in aliquo interno viſcere,aut ꝓ-
pè vaſa aliqua magna,per quę ſit facilis aditus ad cor:
ab illa itaq; poteſt excretus putridus, & fuliginoſus
vapor efferri ad cor, & is modus erit mod9 febris ve-

ræ putridæ. Nā alioqui omnes putridæ febres,præ-
ter peſtilentes veras,in quibus incipit putredo in hu-
moribus cordis,per hūc modū fiunt. Ad hoc ergo re-
ſpiciens Hipp. 4. Aph. protulit eam ſententiam, quòd Aphor. 55
omnes febres ex bubonibus malæ ſunt præter ephe-
meras:bubones autem inflammationes ſunt partium
adenoſarum,hoc eſt glandularū,ſicuti quando in in-
guinibus,aut ſub alis, aut poſt aures gignitur inflam
matio. Calor ergo primùm oritur ex conſtipatione,
& putrefactione humorum in ea cōtentorum, nō au
tem vt Eraſiſtratus putauit,qui credidit non hoc mo
do fieri inflammationem,ſicut voluere Gal. & Hipp.
ſed quòd cùm ſanguis extra arterias ſpiritus vi impel
litur,ac in exitu cōculcatur,fiat phlegmone. Ex ea er
go putri materia nequit ad cor peruenire fuligo, in
locis externis excitata putredine:peruenit autē,quā-
do in internis viſceribus aut ī locis,quæ permulta,&
ampliora vaſa cum corde connexa ſunt,excitatur. Et
proinde quando accēditur febris ex bubone,quæ pu-
trida ſit,neceſſe eſt,vt ea mala ſit,& prauæ naturę:ꝗa
neceſſe eſt, vt bubo foueatur ab inflāmatione aliqua
alicuius viſceris,aut ab abſceſſu,aut à putrido vlcere,
aut tandem ab aliquo prauo cuiuſpiam viſceris affe-
ctu. Vnde etiam videmus, ꝙ bubo putreſcens febrē
quidē affert,quantū quidem ad ipſum pertinet, quæ
non excedit limites ephemeræ febris, per vnum vi-
delicet diem,raroque ad tertium peruenit,quia ephe
mera febris per ſe quidem non excedit diei ſpatium:
vnde & nomen habuit. Spiritus enim præ tenuitate
nō poſſunt calorem diutius retinere, niſi interdū in
plures aliquando dies protrahať: quia adhuc perma-
net cauſa,ex qua fuit genita: ſicut eſt interdum cutis
cōſtipatio. Quāuis aūt in bubone poſſit putridus hu
mor interdum contineri,antequam effluat,vehemēs
tñ ille calor non perdurat,niſi dum putreſcit:cùm au
tem iam putruit, ſtatim ferè deferueſcit putrefacta
materia,euaporante nimirū calido,& ideo febris ne-
quit ab eo fota amplius prorogari. Et in hoc differt
inflāmatio in his externis partibus remotis, & à cor-
de,& à maioribus vaſis: quòd cùm ad vigorem perue
nerit,deſinit fluxio, neque aliquid amplius ad eū lo-
cū fluit,vel,ſi aliquid fluit,id non eſt alicuius momē-
ti. Vnde tota materia eo loco circumſcripta ſimul pu
treſcit,nec amplius aliunde fomentū habet:hoc vero
dico ſecundum plurimum. Ideo in bubonibus,& in
alijs inflāmationibus externis nō eſt cauſa,quæ febrē
foueat:in viſceribus autem internis,ad quæ plurimę,
& magnæ venæ,& arteriæ perueniūt,nō fit putredo
vniuerſę materiæ ſimul, quia nec ſimul defertur, ſed
cōtinetur, niſi ſiſtať fluxio: Vnde quod fluxit hodie,
cras putreſcit: interim autem dum hoc putreſcit,alia
materia defluit, quę vbi ad locū peruenit, putredinē
à priori contrahit, quod enim à putrido tangitur pu
treſcit. Vnde cùm illa iam putruit,& deferueſcit,alia
inflāmatur, atque ita interdū per aliquot dies febris
protrahitur, vt per hanc rationē aliquādo & periodi
in his febribus poſſint obſeruari:quæ quidē non ſunt
ephemeræ, ſicut neque ratione temporis, quo affli-
gūt,neque ratione modi,quo accendūt & durant,ijs
ſimiles ſunt,ſed ad genus putridarum pertinent. Gal.
vero,vt res hæc fiat clarior,exēplo ſenſibus expoſito,
hanc differentiā oſtēdit, ſi enim ait ipſe,ſit aut lapis,
aut ferrū aliquod expoſitū,aut igni, aut ſoli,aut ad-
damus nos,alicui rei putreſcenti,& ideo etiā calidæ,
calefiet quidem,& interdū,adeo, vt deinde quantū-
libet occidat ſol, aut ignis extinguať, aut refrigeſcat
putredo, tamen calor aliquo tempore feruet, mox
tamen ſpōte refrigeſcat. Et hic eſt modus, quo accē-
ditur ephemera. Sed in putridis rebus nō ita ſe res ha
bet. In ſterquilinijs enim vbi multa eſt materia apta
ad putredinē,ea nō ſimul vniuerſa putreſcit, ſed pars
vna incipit putreſcere; ac per diem putreſcit: altera
autem

autem die ſerpit putredo ad aliam:prior verò, vbi putruit,refrigeratur,vt diximus,ſed hęc ſecunda feruet: die aũt tertia ad aliam putrefactio tranſit, & ſic ſubinde fit,donec præſens affuerit materia ad putredinẽ apta.Per hunc modum fiunt febres putridæ, & in lõgius tempus protrahuntur,& hac etiam ratione fiunt in illis periodi. Niſi quòd exemplũ hoc videtur ſimile eſſe potius amphimerinis,hoc eſt, quotidianis: per imaginationem tñ poſſumus & illud aſſimilare tertianis, & quartanis,ſi imaginemur, non fieri quotidie, ſed alternis diebus has mutationes, vel per alias periodorum formas. Sed de his plenius in ſecundo lib. erit agendum.Vnum aũt in hoc capite relinquitur dubium diſſoluendum, quo ſoluto ad aliud poſtea caput explanandum progrediemur. Dubium vero ex verbis Gal.habet originẽ, quia dũ ſe opinioni Athenæi opponit,ait cum illo quidem ſe conſentire ex parte,ex parte aũt diſſentire,conſentire quidem, quatenus ad alias febres pertinet,diſſentire verò, quatenus ad ephemeras,qm̃ eas cenſet ex eo ordine eximendas eſſe,vtpote quas nunquam conceſſurus ſit inter putridas eſſe collocandas.Ex quibus verbis videtur illi concedere hecticas febres a putredine habere ortũ, quod tamen; & falſum eſt,& ſuis decretis aduerſarium, vt ſuperioribus capitibus didiciſtis. Reſpondeo, ꝙ per hæc verba Gal.noluit fateri hecticas febres eſſe putridas: nam aperte ſuperius hecticarum genus a putridis ſecreuit,ſed ſatis illi fuit ad deſtruendam illam generalem Athenæi & ſequacium ſententiam, oſtẽdiſſe ephemeras in putredinem non eſſe referendas. Deprompſit aũt argumentum potius ab ephemeris,q̃ ab hecticis,quia fundamentum,quod illi erat vſui futurum,erat apertius in ephemeris,quam in hecticis,quãdoquidem hecticæ plerunq; ſolent ſequi febres putridas,vt ſuo loco dicemus,ephemeræ vero vel nunquã, vel raro,immo quaſi ſemper ex ſe incipiunt, vt nulla poſſit eſſe ſuſpicio præcedentis putredinis. Mihi quidem omnino probatur hęc reſponſio.Poſſemus tamẽ forſitan etiam reſpondere,quod omnis quidem ephemera poteſt eſſe abſque vlla in corde putredine, non omnis aũt hectica,quia hectica,peſtilens, vt ſuo loco declarabimus,ortũ habet ab aliqua putredine in corde,ſine qua nequit accendi. Hic etiam poſſet excitari quæſtio,an febris omnis peſtilens a putredine ortum habeat, ſicut in principe iſtius capitis parte pronuntiaſſe in vniuerſum videtur Gal.ratio vero hoc inquirendi,& de hoc dubitandi, inde poteſt oriri, ꝙ 3.de præſag.ex pulſu aſſerere viſus eſt, aliquam eſſe febrẽ peſtilentem hecticam,vt autem ſuperius diximus diuerſum genus hoc eſt a febribus illis, quæ ex putredine ſuum habent eſſe. Quia tamen res hæc longam diſquiſitionem poſtularet,& cognitionem multorũ, quæ explananda ſunt,vbi de putridis febribus, & hecticis ſermo habebitur:ideo ipſam in eũ locũ differemus,vt paucioribus ac breuioribus rem hãc poſſimus abſoluere:Accedamus iam ergo ad caput ſextum.

Similem eſſe Putredinem Tumorum: & Vaſorum, ac quibus notis pus optimum, & vina optima deprehendantur.

Cap. VI.

HVMORVM autem putredo,quę in vaſis fit, ſimilis eſt ei,quæ in inflammationibus, atq; abſceſſibus accidit, &c.] Febrem ab inflammationibus accenſam,qualiſcunq; illa ſit,ſiue ephemera, ſiue putrida,ratione putredinis effici dixit Gale.Quãuis poſtea duplex ſit accẽdendi modus.Alter quidẽ per ſim-

A plicem tranſmutationem ad calidum earum partium, q̃ mediæ ſunt inter inflammationẽ,& cor,ſine participatione vllius vaporis putridi.Alter vero,per cõicationem fuliginis putridæ,quæ per venas,& arterias, vel tenues ẽt meatus ad cor tendit,quemadmodũ etiã fit in febribus,quæ abſolutè,putridæ ſunt citra aliquam inflammationem, ex materia nempe non infarcta in aliqua parte,ſed in vaſis putreſcẽte,vt in cõtinẽtibus, vel extra vaſa,vt in intermittentibus. Magna eſt ergo harum ſimilitudo putredinum, & q̃ in inflãmatione fit,& q̃ in vaſis,vt nuper diximus.Hoc ergo in præſenti capite exponendum proponit,ductus potius rerum quadam cognitione,q̃ quod proprie ad hunc locum res hæc pertineat.Potius enim libro ſecundo, vbi de B putridis febribus ſermo erit habendus, hæc fuiſſent accommodanda.Vbi eſt aduertendum, quòd tam in inflammationibus,q̃ in vaſis, vel etiam extra, materia,q̃ putreſcit,ideo putreſcit, quia perſpiratione priuata eſt,per quam continua quaſi flabellatione intra terminos naturæ,& temperaturæ ſuæ continetur calor natiuus:in inflammationibus tñ id euenit ob conculcationem,& conſtipationem,in vaſis vero ob obſtructionem,tum meatuum,tum vero oſculorum ipſorum vaſorum,ut ſuperius expoſuimus. Vnde ſicut ſimilem habent cauſam,ita ſimilem etiam habent rationem putredinis, quatenus ad ipſam putrefactionis rationem pertinet:nam de diuerſitate, q̃ poteſt ratione diuerſitatis materiæ oriri, q̃ putredini expoſita eſt, in præſentia non loquimur. Hoc autem po- C teſt facile cognoſci argumento a ſigno,uel a poſteriori,ut iuniores loquuntur,deducto, nempe ꝙ modus putrefactionis idem, uel ſimilis ſit in febribus intermittentibus extra uaſa,& in continẽtibus in uaſis. cũ ea,q̃ fit in inflammatione,ſiquidem putrefactio tandem,niſi diſcutiatur,terminatur ad pus:unde ex ipſo pure modum,& qualitatem putredinis iudicamus,& quomodo calor naturalis ſe habeat,quomodo etiam calor putrefaciens,uel externus, in uaſorum autẽ putredine,ex ipſa hypoſtaſi,uel ſedimento.Vnde quę in urina,eadem etiam in pure obſeruantur,nimirum color,ſubſtantia,æqualitas,& odor,eaſdemq; cõditiones oportet eſſe in pure exactè bono, q̃ ſunt in hypoſtaſi,q̃ omnino a medicis laudatur.Primum albus co- D lor: alba enim hypoſtaſis quãtum ad calorem laudatur,album itidem & pus, æqualis hypoſtaſis: æquale quoque pus,lenis hypoſtaſis,lene quoq; pus, ꝙ non fęteat hypoſtaſis, ꝙ & pus odore fędo careat. Cum enim hæc ita ſe habuerint, exquiſita concoctio facta eſt,quoad fieri poteſt,in excremẽtitia materia,q̃ nõ eſt amplius apta ad alendum corpus,vel particulas noſtri corporis.Duplex enim fit in uaſis concoctio, ut Gal. Com.44. docet 2.de ratione uictus,& 2.lib.com.in 1.Epid.Al Com.44. tera eorum humorum, qui alendo ſunt corpori, & hæc terminatur ad alimoniam partium:illos enim parat,ut facilè uertantur in ſubſtãtiam particularem, q̃ concoquũt.Altera uero excrementorum,q̃ cum non poſſit natura omnino ſuperare, & in rem utilem, ac E alimentum cõuertere,parat ad facilem expulſionẽ,;& quo magis poteſt, ad qualitatẽ corpori cõmodam & naturalem perducere nititur, optime uero perduxit, cũ albũ,lene,& æquale eſt pus,& minime fætens, ſignum enim eſt,ꝙ calor naturalis lõgo interuallo fuit externo fortior,& materiam illam optimè confecit. Vt aũt,q nouitij ſunt,probè hæc intelligãt, aduertendum eſt, ꝙ cõcoctio tam excrementitię materiæ, q̃ alimẽtitiæ fit a natura,uel calore natiuo earum particularium,quæ concoquendam materiam continent. Hoc autem commune eſt omni naturali agenti, ut in Philoſophia docemur,niti ſibi eã rẽ aſſimilare, in quã agit. Vnde Gal.propterea chylum in uentriculo per eius concoctionem genitum ait ſimilem eſſe ipſi uentriculo,ſanguinem uero iecinori: ſolidę etiam partes

A concoquendo humores,vel vt alantur,aut alia de cau
ſa,in album colorem tranſmutant:quia ille eſt earum
natiuus color,vt apparet in venis,arterijs cordis, liga
mentis,oſſibus,& carnibus etiam:nam & ſi rubicũdæ
illę videantur,ideſt propter ſanguinem, quem conti-
nent:vnde gallinarũ carnes,& vitulorũ, cũ lauantur,
& nullo ſunt ſanguine infectæ,cãdidæ ſunt. Cũ ergo
ita ſit,cum concoquunt quocunq; concoquant, ſem-
per nituntur omni ope aſſimilare ſibi, quantum fieri
poteſt,id,in quod agunt,& quò magis aſſimilant, eo
vires maiores habent,& indicant earũ calorẽ natura-
lẽ fortiorẽ eſſe,& magis externo pręualere. Vnde ꝓ-
bam concoctionem ſequitur albus color eorum, quæ
concocta ſunt,Lenitas vero hic ea intelligenda, quæ
B aſperitati aduerſaria eſt,& ſicut aſperitas partiũ inæ-
qualitatẽ habet,vel in ſitu,vel in modo ſubſtantię,in-
ſit,ſi vna alteri ſupremineat,in modo ſubſtãtię,ſi vna
ſit craſſior,altera tenuior,ſi vna ſit mollior,altera du-
rior:ita leuitas proprium ſimilem, & æqualem vndi-
que rationem comprehendit, quæ ſi ſit vel in pure,
vel in hypoſtaſi, ſignum eſt, quòd æqualiter partes
omnes ſuperatæ fuere a calore innato particularum,
nec altera fuit altera pertinacior, & magis rebellis:
quæ eſt conditio ſecunda probæ concoctionis. Ter-
tio vero, quòd ſemper eodem modo ſe habeat, &
non hodie bona ſit, & cras mala: vbi enim eſt hæc
inæqualitas, ſignificat aut varias eſſe affectiones: ita
vt aliquando bona concoctio fiat,& tunc bona appa-
reat hypoſtaſis: aliquando mala, & tunc mala ex-
C cernatur vrina, aut variam eſſe eorum humorum,
qui concoquendi ſunt, naturam,& conditionem, vt
3.lib.com.in primo Epid.docet Gal.Cum autem fę-
tida ſunt in animantibus excrementa,ex mala putre-
Com.23. dine fętorem habent. Vnde indicant non ita ſuperio
rem eſſe innatum calorem, quin & externus ſuum
locum non habeat. Quanto ergo valentior, & vigo-
roſior eſt vis caloris natiui, eo exquiſitio fit conco-
ctio: quanto autem ille imbecillior eſt, tanto auge-
tur magis ratio caloris, qui præter naturæ rationem
in corpore eſt: vnde etiam concoctio ab optima de-
generat ſecundum aliquam iſtarum trium, vel qua-
tuor conditionnm.Et quia perfectiſſimum vnum tã-
tum eſt,ſicuti centrum in circulo vnum eſt, receſſus
D autem multiplex,& varius, etiam ferè abſque nume-
ro,ſicuti recedẽtes a centro lineæ innumeræ eſſe poſ-
ſunt,ideo verius,& fere qui aliquo definito numero
comprehendi non poſſit,in calore,in leuitate,in ęqua
litate,in odore,& aliquando in aliquibus horum,ali-
quando in omnibus,aliquando in pluribus, eſt defe-
ctus ab optimo. Vnde quo magis ab optimo in ali-
quo horum deficit,& quo in pluribus, eo erit dete-
rior,præterquam in leuitate:in bonis enim leuitas o-
Com.21. ptima,vt declarauit Gal,2.Prog.in malis peſſima eſt,
quia ſicut in bonis exquiſitum ſignificat dominium
caloris natiui; ita in malis exactum dominium calo-
ri extranei. Hoc eſt ergo,quod exponit Gal.in præ-
ſenti capite.Sed antequam ad ſeptimum trãſeamus,
E aliqua ſunt exponenda hic de hypoſtaſi, & vrina,
poſt quam hic incidit eius mentio, & noſtri expoſito
res latini multa hic fabulantur. Nos tamen non per-
ſequamur tot nugas: ſed tantum rei iſtius reſolutio-
nem,& momentum, ex quo eorum omnes cauilla-
tiones facilè percipietis. Conſiderandum itaque eſt,
quòd vrina eſt aquoſitas, ſeu ſeroſa pars maſſæ, vt
aiunt, humorum, quæ eandem fere in ſanguine ra-
tionem habet, quàm ſerum in lacte: attrahitur au-
tem poſtquam è iecore ſanguis in venas digeritur, a
venis dictis emulgentibus, & in veſicam ſecernitur:
vnde eſt excrementum ſecundæ concoctionis, quæ
in iecinore fit,vt memini me alias declaraſſe, ſed nec
ſolius iſtius concoctionis excrementa continent vri-
næ,ſed etiam tertiæ, quæ fit in venis, & eius, quæ

A fit in ſolidis particulis. Niſi quòd primum, & per
ſe eſt inditium concoctionis,quæ fit in iecinore, & ve
nis:ſecundo vero quatenus ad omnes fere particulas
venæ perueniunt,a quibus ſicut alimentum exugũt;
ita etiam aliqua excrementa per eas expellunt. Vnde
per vrinam.2.lib.com.in 1.Epid.& in arte med.dixit
Gal.totius corporis excrementa vacuari. Aquoſa ve-
ro ſubſtantia magis qualis ſit ſanguis,& humores, vt
2.Prorit.ait Gal.indicat.Nam calor,& ſubſtantia, q̃ Com.4.
in vrinis ſunt,nobis ſigna præſtant, quibus facile co-
gnoſcere poſſimus, quomodo illi ſe habeant:cũ enim Com.4.
ſanguinis & aliorum humorum ſerum,vel ichor ipſis
permiſceatur,quale fuerit ſerum,quod commiſcetur,
talis efficietur vrina.Hypoſtaſis vero potius de tertiã
B concoctionem attinet:vnde ab ea maxime ſigna peti-
mus,quomodo ſe habeant facultates eorum particu-
larum in concoquendo, & adminiſtrando ſanguine;
& quàm validæ aut infirmæ ſunt.Nam ſi robuſta fue
rit vis alteratrix, quæ in ſanguinem commutat ſuc-
cum a ventriculo per venas attractum, ſanguis quo-
que optimus generabitur ex ea natura, quam ad eius
generationem aptam inuenerit: ſi quid autem inep-
tum in ea fuerit, id etiam concoquendo reddit ſimi
le, quantum poteſt, illis particulis, quarum vt fit
hæc concoctio. Album igitur,& leue illum erit ſi ex-
quiſitè ex omni parte, & æqualiter tranſmutauerit.
Vbi videtis,quod iuxta Galen.decreta primo Progn. Com. vii.
quòd ſubſidet in vrina album, & leue, eſt crementoſa
C ea pars,quæ in ſanguinis generatione(loquor de ſan-
guine, qui omnes humores complectitur) non po-
tuit exactam formam, & rationem ſanguinis conſe-
qui. Vnde vrinæ præcipuè in febribus inſpiciendæ
ſunt,& in illis præterea morbis, qui cum febre ſunt.
vt 1.& 3. de criſ.tradidit Gal.in aliarum autem par- Cap.8.
tium affectibus inditium ab vrinis paruam admodũ Cap.3.
vim habet, præterquam in affectionibus veſicæ, &
renum. Nam a venis profluit vrina:vt enim 4. de ſan.
tuen.ait,eſt ſerum eorum, quæ in vaſis continentur;
ſicuti ſudor eſt ſerum eorum, quæ in toto corpore:
exugitur autem, & collatur, vt 4.Apho. idem teſta- Com.69.
tur,in renibus,ac colligitur in veſica, atq; ideo poteſt
iſtorum omnium aliquod inditium continere. Sed
quantum ad præſentem locum pertinere poteſt, hæc
D mihi videntur in præſentia ſatis eſſe. At aliud itaque
caput ſermonem conuertamus.

Quibus notis ephemeræ cæteris febribus diſtinguantur. Cap. VII.

EAS autem quæ in putredine humorum febres ac
cenduntur,&c.] Tandem ad primum, & præci-
puum propoſitum reddit, & eo,vnde digreſſus erat:
quamuis neque inutilis fuerit digreſſio, immò ferè
neceſſaria. Nam videtur naturæ propemodum or-
do, vt iaciamus primo, & firmemus fundamenta;
quibus tractatio noſtra inuitatur: deinde illis, quæ
E reliqua ſunt, ſuperædificemus. Quoniam autem
non deerant, qui ea fundamenta, iam iacta quærere
conabantur, ſicuti illi, qui manifeſtas cauſas habere
vim accedendi febres negabant, ac etiam modum,
per quem febres concitant. Alij vero, & ſi id non
negarent, eo tamen deuenerant, vt vnum tantum
genus febrium concederent. Ideo prius fuit opus
refellere horum omnium opiniones, & cauillatio-
nibus,quibus vtebantur, reſpondere. vt poſteaquam
aperte conſtitutum eſſet, quòd & ab illis cauſis fe-
bris accendatur, & quòd tria ſint ſumma genera
febrium: mox agere poſſemus, quomodo ea diſcer-
nantur,& dignoſcantur, ac quibus notis. Vnde ſta-
tim ab initio iſtius capitis tanquam dicendorum
fundamentum accipit, febres ex humorum putre-
dine

dine accenſas alias eſſe ab ephemeris, ac omnino di-
uerſas, vt mox quibus ſignis, & qua ratione diſcer-
nendæ, & diſtinguendæ ſint, aperiat. Sed quia non
defuere, qui putarent eas a medico nulla ratione
diſcerni poſſe, neque vlla haberi ſigna, quæ certam
iſtius rei fidem nobis præſtare poſſint. Hi autem il-
li fuere, quos diatritarios appellauit Galen. qui exi-
ſtimabant, nos non poſſe exquiſitam rationem fe-
bris tenere: niſi tempus expectauerimus alterius ac-
ceſſionis, nimirum niſi tertia dies tranſijſſe viſa fue-
rit: & ideo diatriarios, hoc eſt per tertium diem
febres obſeruantes nominauit; de his autem eſt fre-
quens mentio apud ipſum Galen. in his enim fuere
methodici ferè omnes, qui Theſſalum ſecuti ſunt.
Cap.4. Diatriti enim primus author vt 4. Meth. & 2. de criſ.
Cap.3. tradit idem Galen. fuit Theſſalus. Ideo & hunc
errorem reijcit, & inquit, non ſolum earum di-
ſcretio poſſibilis eſt, verum & facilis, quicquid il-
li dicant. Et quia nihil eſt, quod magis proteruos,
& peruicaces homines vincat, aliosque exactius
doceat quam experientia, quæ vera eſt rerum ma-
giſtra: idcirco ipſis experientiam exponit. Millies,
dicit, hoc cognoſci poſſe oſtendimus, & facilè
etiam re ipſa, & experientia: vtpotè qui ſtatim a
prima acceſſione febris naturam nouerim, & cum
ea eſſet vera ephemera, non expectata alia acceſſio-
ne, priore deſinente, iuſſi, vt lauaretur, & cibum
aſſumeret ac mox ſequenti die rediret ad propria mu
nia: nec me mea fefellit opinio. Sed tandem his
omnibus relictis redeamus ad primum inſtitutum,
& ſigna exponamus, quæ obſeruantes poſſimus has
febres cognoſcere. Verum antequàm vlterius pro-
grediamur, aduertendum eſt, quod plerunque ſi-
gna, quæ accipiuntur ad dignoſcendos affectus, ab
ipſis ſymptomatibus, vel vt philoſophi loquuntur,
ab ipſis accidentibus petuntur. Quòd ſi & ab ijs,
quæ pertinent ad ſubſtantiam, & eſſentiam rei,
quæ ſubſtantialiter inhærentia appellat ipſe in pri-
mo libro artis medicinalis, petantur ſigna: vt ta-
men rationem ſignorum ſubeant, modum habent
accidentium: ideo enim tanquam ſigna accipiun-
tur, quod ſenſibus ſunt manifeſtiora: Ita & cauſæ
quandoque ſigna nobis ſunt: ſed eatenus non ha-
bent rationem cauſæ. Accidentia autem quo ma-
gis propria ſunt ipſi rei, eo certiora ſigna ſunt: pro-
pria autem ſoli, & ſi non omni, aut omni, & ſi non
ſoli, aut omni & ſoli inſunt: & hoc maximè pro-
prium eſt, & quod certiſſimam fidem facit. Et hæc
ea ſigna ſunt, quæ propriè, & vere ſunt pathogno-
mica, & quæ vim maximam habent. Vnde Galen.
vt exquiſitam eorum doctrinam exponat, non modo
ſigna deſcribit, verum, & eorum vim in ſignifican-
do inſinuat, dum eorum naturam reſpectu rei ſigni-
ficatæ declarat. Primum ergo ſignum, & quòd om-
ni quidem ephemeræ conuenit, eſt, quod cognoſci
poteſt per relationem ad cauſam, a qua febris eſt ac-
cenſa: quia ſemper eam præceſſit cauſa aliqua ex illis,
quæ manifeſtæ ſunt, & externæ, quęque procatarcti-
cæ eo tempore ſolebāt appellari: ſicut ſunt, aut ęſtus,
aut frigus cutim condenſans, aut balnea aſtringentia,
aut labor, aut ira, aut mæror: aut alia id genus, quorū
ſuperius eſt facta mentio; quæ quidem cauſa adhuc
recens ſit, quia ſi hæc iam diu præceſſerit, non poteſt
accendere ephemeram: quoniam deſinente cauſa, de-
ſinit eius impreſſio, & ideo oportet, vt ſit accenſa,
dum vis eius adhuc permanet. Hoc autem non eſt vſ-
que adeo proprium ephemeræ ſignum, vt poſſit cer-
tam eius cognitionem afferre, quia aliquando ex his
procatarcticis cauſis, & aliæ febres aliorum quoque
generum excitari poſſunt, vt hectica: quoties enim ex
labore vidimus aliquos incidiſſe in hecticam febrem,
alios ex mœſtitia, quoſdam ex ira, & ideo dixit Galen.
quòd hoc non eſt adeo iſtius rei ſignum proprium,
quin & alijs conueniat. Et forſitan ob id Auic. pri-
ma quarti cap. de ſignis ephem. mutauit rationem, &
modum loquendi, nempe vt ſignum proprius, & cer-
tius efficeret, & dixit, quòd de proprietatibus earum
eſt, quòd ipſæ non fiunt a cauſis antecedentibus, cau-
ſæ autem antecedētes ſunt cauſæ corporeæ, & inter-
næ, vt ſunt humores. Neque tamen & hac ratione id
efficiemus, vt ſit hoc ſignum illis omnino proprium.
Nam & hectica ſæpe, vt diximus, non fit a cauſis an-
tecedentibus, vt quæ fit ex ira, vel labore, vt id pręte-
ream, quod poſſet afferre dubitationem, quod inter
ephemeras, vt videbimus, collocat Galen. febrem ſy-
nocham citra putredinem, quæ a natura pendet cor-
porea, & eſt ſanguis: quomodocunque ergo dixeri-
mus, eædem ſunt difficultates. Vnde hoc quidē om-
nino, ſiue ſecundum Gal. ſiue ſecundum Auic. loqua
mur, eſt eatenus ſignum, quatenus omni febri ephe-
merę conuenit, non tamen illi ſoli. Mouent autem
hic latini noſtri expoſitores dubitationem, quæ &
Gal. & Auic. communis eſt. Nam inter ephemeras ſu- Lec.18.
perius numerauit eas, quæ & bubones ſequuntur, &
obſtructiones: hæ vero humores, & cauſas anteceden
tes potius ſequuntur, quàm procatarcticas. Et reſpō-
dent, quod duplex eſt ephemera, alia vera, alia nō ve-
ra: non veræ ſunt, quę ex bubonibus excitantur, & ex
obſtructionibus, quæ ſunt fere mediæ inter epheme-
ras, & humerales, & hæ ab antecedente cauſa excitari
poſſunt. Mihi tamen non poteſt hæc reſpōſio proba
ri: aliena enim omnino videtur & a Gal. & ab Auic.
decretis: cum enim hæc ſit propria ratio, & eſſentia-
lis ipſius ephemeræ, quod primum accendatur in ſpi-
ritibus, & quod habeat calorem mitem, quęcunque
has habuerit conditiones, illa erit vera ephemera cen-
ſenda: nam alia ſunt potius acceſſoria. Vera ergo erit
ephemera, quæ, & a bubone, & quæ ab obſtructione
habet ortum. Ad dubitationem autem dico, & pri-
mum quantum ad eam, quæ a bubone pendet, quod,
vt ait Galen. 4. Aphor. duplex eſt bubo. Alius enim a Com.55.
cauſa procatarctica excitatur, & externa, vel manife-
ſta, & febris, quæ eum ſequitur, ephemera ſemper eſt,
quantum ad ipſum attinet. Alius vero citra vllam pro-
catarcticam cauſam excitatur, ſicut fit aliquando in fe
bribus putridis, & hos bubones concomitatur febris
putrida: nam fouentur ſemper ab aliqua inflamma-
tione, aut praua viſceris alicuius affectione, & pro-
inde alias omnes febres quę bubonum comites ſunt,
deteſtatus eſt Hippocra. præter ephemeras. Hac er-
go ratione, & hanc ephemeram in cauſam proca-
tarcticam referunt, quia illa præinceperit, & il-
lam bubo, & ſubinde febris ſecuta eſt, quæ non cau-
ſam antecedentem referri poteſt, quia ea cauſa hu-
moralis, & putreſcens non petit cor. Vnde neque
calor febrilis refert naturam illius cauſæ, ſed natu-
ram materiæ, in qua accenſus eſt, hoc eſt ſpirituum.
Itidem etiam dixerim de febre ephemera ab ob-
ſtructione, & conſtipatione cutis orta: nam licet
hoc modo ephemera accendatur, & licet etiam con-
currat cauſa corporéa, & humoralis (fit enim ob-
ſtructio ex humoribus: attamē, ſicuti declarauit Gal. Cap.3.
ſuperius, quamuis congerantur cruditates, & quam-
uis etiam plenum corpus ſit, nondum tamen febris
excitatur: niſi aliqua occaſione præſtita digeratur,
expendaturque ea cruditas, & ea plenitudo in ha-
bitum totius corporis, & vſque ad oſcula tenuia ve-
nularum, & cutis, per quæ fit tranſpiratio, & diffla-
tio, vel intrudatur in venas viſcerum; occaſiones tu-
tem ſunt cauſæ extrinſecæ, & procatarcticę appella-
tæ, ſicuti aut nimius aeris ambientis calor, aut exer-
citatio, aut ira, aut aliquid aliud eiuſmodi, quod cor-
pus calefaciendo in cauſa eſt, vt materia illa liqueſ-
cat, & attrahatur ad extremos meatus, quos replēdo
obſtruit.

obſtruit. Vnde ſemper,& in omnibus neceſſe eſt,vt A præcedat aliqua ex his cauſis, quæ forſitan ob id ab antiquis nuncupatæ ſunt præincipientes, vel procatarcticæ,& ideo magis accommodate etiam locutus eſt Gal.quàm Auic.qui dixit,quòd præcipuum ſignũ obſeruandum in ephemeris cognoſcendis eſt, quòd ex cauſis procatarcticis habuerint ortum. nam febris ea, quam non præceſſerit aliqua ex his cauſis, eſſe ephemera nequit, quamuis poſtea neque omnis ea, quam eiuſmodi cauſa præcedit, neceſſario, ſit ephemera, quia quandoque & febres alterius generis occaſionem ab his cauſis habent. Difficilius autem eſt ſoluere dubitationem loquendo,vt locutus eſt Auic. nam ex bubonibus,& ex obſtructionibus factę febres videntur ortum habere ab antecedentibus cauſis, vt B paulo ante dicebamus.Sed & hoc eſt aduertendum, quòd cauſæ procatarcticę,vt alibi Gal.docet quantũ ad earum naturam pertinet, ſolent febres ephemeras afferre, quòd ſi aliquando & putridæ excitentur, id potius occaſionẽ habet a corporis aptitudine,& præparatione,quia aut vitioſis ſit refertum humoribus, aut nimis repletum. Et hæc ſatis de primo ſigno. Accedamus ad ſecundum, quod non amplius a cauſis, ſed potius ab effectu acceptum,ab excrementis videlicet,hoc eſt ab ipſa vrina. Nam vt ſuperius declarauimus,vrina certius ſignum eſt in affectibus iecoris, & venarũ,quàm in alio quoquam affectu, pręter renũ, & veſicę, ac maximam vim habet in febrilibus affectibus, & ipſam maximè in eis ſpectandam ſicuti & pulſum,primo artis ad Glau.vt videbitis dicit Gale. C Hoc ergo ſignum,quod maximè ephemerarum proprium eſt,ita vt & ſolis illis, ac omnibus conueniat, eſt,quòd ſtatim etiam a principio morbi vrina concoctionem oſtendat,tam merito coloris, quàm etiam hypoſtaſis. Ratio vero facilis reddi poteſt ex illis,quæ ſuperius fuere expoſita. Nam vrina quantum ad colorem,& ſubſtantiam,naturam humorum indicat in venis contentorum: hypoſtaſis veto concoctionis modum in iecinore,& venis,cum vero in ephemera, quantum ad ipſam ſpectat, nullum ſit in humoribus vitium,neque ex ea vitietur cõcoctio, ideo ſemper vrina laudabilis eſt,quantum ad naturam ephemeræ pertinere poteſt: poteſt enim aliquando aliquid eſſe cum ephemera iunctum,quod poſſit rationem certi- D tudinis iſtius ſigni permutare,vt paulo poſt dicemus. In primo vero ad Glau.hoc alijs verbis exprimit: ait enim vrinas in his febribus inſpici, quæ aut omnino his ſimiles ſint, quæ ſunt ſecundum naturam, vel quæ a ſtatu naturali parum degenerauerint, quod vel ob id dixit, quia ſicut in omni febre fieri nequit, quin natiuus calor vertatur in igneum,ita etiam neque fieri poſſit,quin aliqua fiat mutatio in excremẽtis confectis vi illius caloris,illa tamen exigua mutatio eſt in his febribus, vel ob id etiam,quia in aliquibus iſtarum febrium,vt inferius docebimus, fit vrina aliquanto magis ruſa,ea tamen mutatio non eſt inſignis,& multa. Tertium vero ſignum accipitur a pulſu, quod & ipſum proprium,& inſeparabile eſt. om- E nibus enim & ſolis conuenit,ſicut & prius. Duo autem notantur in pulſu in iſta febre, quæ propria, & per ſe illi conueniunt,vnum quando febris adeſt, alterum vero,quãdo iam receſſit. Primum, quòd dum febris adeſt, pulſus ſit magnus,& velox: hoc autem naſcitur, quia creſcit refrigerij neceſſitas,& vires validæ ſunt:nam nulla febris minus aut grauat,aut diſſoluit vires,quàm hæc. De frequentia vero diuerſa eſt ratio eius: cum enim frequentia, & raritas attineat ad quietem,quæ eſt inter duos contrarios motus,ex quibus conſtituitur pulſus, & duæ ſint quietes,altera exterior,quæ diaſtolen ſequitur: alia interior,quę ſyſtolen, quantum ad exteriorem, minor videtur eſſe frequentia, ſi conferamus cum alijs febribus aliorum generum, quia non ita breuis eſt ea quies,ſicut in alijs:non autem ita minus frequẽs eſt, quàm in alijs,ſi ad internam quietem reſpiciamus,qa ita ea breuis eſt,ſicut in alijs,hęc enim ſequuntur diuerſam rationem neceſſitatis. Nam per diaſtolen magis refrigerantur calefacta membra,per ſyſtolen mũdantur a fuliginoſo vapore. Vnde non eſt minor in his febribus neceſſitas euentationis, vel refrigerationis,quàm in alijs, eſt tamen minor mundificationis, quia in hac non gignuntur tot fuliginoſi vapores, ſicut in putridis,& ideo neque ita properat natura ad conſtringendam arteriam,ſicut ad dilatandã. Aequalis præterea pulſus in hac febre, eſt quædam tamen Gale.addidit ad hanc ſententiam 3.de pręſ.ex pulſu ferè neceſſaria:ait enim, quòd hæc ſigna propria ſunt neceſſaria in omni ephemera quatenus ephemera eſt, quia ſępe iũguntur cum ephemera aliqua,quę ipſum ab hac ratione euariare faciũt:ſunt enim ſæpè aliquæ cauſę,quę vel pręcedentes,vel pręſentes poſſunt paruum,& imbecillum pulſum reddere, ſicut fames,nimius labor,& alia, quæ vires eneruant, item aliquis ventriculi affectus,vt cordis morſus. Et quod de pulſu diximus,ſi de vrina etiã intelligatur, abſoluta erit etiam ſententia. Nam ſi aliqua in ea vt dixi, fiat mutatio,id referendum erit,aut in cauſam, vnde accenſa eſt,aut in aliquem alium affectum cum ephemera coniunctum. Hocque præterea habet pulſus febricitantium hac febre proprium, ac ab eo omnino inſeparabile,quòd ſyſtole nullo modo celerior ſit,vel ſi aliqua illi ſit addita celeritas,illa adeo exigua eſt, vt nõ percipiatur,cuius eadem eſt ratio,quam nuper retulimus,quia celeritas ſyſtoles ſit propter mundificationis neceſſitatem, excretis nempe fuliginoſis vaporibus, qui in hac febre,vel nulli vel exigui ſunt. Alterum autem ſignum certum, & proprium eſt, quòd poſtquàm febris receſſit, obſeruari oportet, id vero eſt, quòd deſinente acceſſione febris pulſus penitus & ex toto ad ſtatum priorem redit, & naturalem, nullum amplius ſeruans ſignum febris. In omnibus enim alijs,licet intermittentes ſint, & per longa interualla intermittant,nunquam tamen immunis penitus eſt ab aliqua mutatione, quæ poſſit medico indicare aliquas reliquias febris, vel inæqualitatis ex febre. Hoc vero ſignum refert primo ad Glau. Hæc ergo ſigna ſunt,quibus tanquam certiſſimis, & tanquàm illis quæ maxime propria ſunt, hæ diſtinguuntur ab alijs febribus,ait ibi Gal.tum a pulſu, tũ ab vrina deducuntur,& alterum referendum eſt ad actiones lęſas, alterum vero ad excrementa mutata: Huic verò ſuccedit etiam aliud ſignum ęquè propriũ his febribus, ſicuti & priora, quod ad caput ſignorum pertinet, quæ accipi dicuntur a ſubſtantialiter inhærentibus, & cum ſubſtantia febris conſiſtat in calido præter naturam,qui quidem in diuerſis febribus diuerſum modum,& diuerſam habet naturam. ideo ſignum hoc, quod ductum eſt a modo caloris a rei ſubſtantia duci dicunt medici. Modus autem caloris proprius iſti febri eſt omnium aliarum comparatione mitis, & ſuauis, quod quomodo intelligendum ſit,expoſui ſuperius,nempe,quòd non eſt ita accipiendum abſolutè,quòd ſit ſuauis. Nam ſi comparetur naturali caliditati,quę in ſanis reperitur,ſuauis minimè eſt: quoniam qualiſcunque ſit, omnino ad igneam naturam accedit, & ideo non poteſt omnino expers eſſe alicuius moleſtiæ,ſed aliarum febriũ comparatione,mitis,& ſuauis dicitur,quia nõ eã inſignem acredinem, vel mordacitatem manui imprimit,quàm aliæ febres. Præterea vero, & id tanquam ſignum ab hac febre inſeparabile refert,quamuis non illi ita proprium ſit, quin etiam alicui alteri non conueniat,nimirum quod cum incipit febris,calor ęqualiter aſcendit,neque aliquã oſtendit coarctationem,

& ſtrangulationem,ſicut in multis alijs, quæ ex craſ- A ſa materia accenduntur, ex qua fit deinde incrementum caloris inæquale, vt cum de putridis febribus loquemur exponemus. In ephemeris autem æqualiter,& calor, & pulſus increſcunt vſq; ad conſiſtentiam,quia vt dixi,nulla in his cauſa eſt,quæ impediat eorum aſcenſum. Verum ait Gal.hæc quidē nō ſunt omnino his febribus propria,vt & in alijs nō reperiātur:vt enim inferius videbimus, & in exquiſitis tertianis præ humoris,in quo illę accendūtur,tenuitate hæc eadem ferè reperiuntur,quia tamē hęc exactius, & manifeſtius inueniunt in ephemeris,quàm in alijs, ideo neque etiā abſonum putandum eſſet, ſi & hæc inter ſigna propria omnino reponātur, ſicut ꝙ calor in vigore,& conſiſtentia febris mitis videtur. Vnde B quāuis hæc communia quidē cum alijs febribus habeat ephemera,in hoc tamē inter propria referri poſſunt,quòd neque adeo euidēter,neque adeo exquiſitè in alijs reperiuntur,ſicut in iſtis. Et in eodem ordine eſt & hoc poſtremum ſignum, quod ab inclinatione febris deſumitur: in hac enim inclinat febris cum ſudore,vel rore,vel humido quodam,& ſatis copioſo vapore bono, hoc eſt qui qualitate, & copia non ſit diſſimilis ijs,qui ſolet in ſanis apparere, vt viſus eſt expoſuiſſe Aui.in ſanis inquam poſt moderatum exercitium. Quærit autem hic Steph.vnde ortum habeant hi ſudores, vel roridi vapores, cum febris hæc nullam habeat materiam præter ſpiritū,qui in rem ſenſibus cōſpicuam diſſolui non poteſt, & ait C quoſdam fuiſſe,qui dixerint,ſpiritum cum propè eſt, vt digeratur,& diſſoluatur, vbi ad extremam cutim deuenit, ab externo frigore denſatum in aqueam ſubſtantiam verti: vnde poſtea in modum ſudoris excernitur,ipſe vero hanc reſponſionem damnat: ait enim,quòd ſi prius tenuior non poterat per meatus exire,longè minus,cum craſſior factus eſt, & in aquā verſus. Vnde ipſe ait,quòd dum ſpiritus iam calefactus excernendus eſt per extimam corporis partem, ibi in eius meatibus humorem aliquem naturalem, & bonum reperiens illum proprio impetu ſecum ducit. Sed & hoc animaduertendum, quòd quamuis ita dictum ſit,non oportet tamen, vt ſupra modum eorū copia excedat: alioquin enim maiorem humorum copiam demonſtrarent, quàm par eſſet reperiri D in integro, & ſano corpore, atque ait ipſe primo ad Glau.quòd hoc etiam ſolet his febribus contingere, quòd non ſunt multo meliores vrinæ in febris inclinatione,quàm antea in principio, ea ratione, quam paulo ante expoſuimus. Præterea vero quod,ſi qua præfuerant ex febre excitata ſymptomata, ſicut aut capitis dolor,aut alterius partis,ea omnia ſimul cum febre deliteſcunt,vt nullum amplius, aut veſtigium, aut reliquiæ febris remaneant. Præterea,& hoc habet hęc febris peculiare,quòd facilius, & leuius, meliusque perfertur,& toleratur omnibus alijs, & hoc poſtremum ſit tibi,ait,tanquā ſigillum aliorum omnium. Calcem autē impoſiturus Gal.huic tractationi de ſignis ephemeræ febris concludit his verbis. Hæc E quidem eſt communis dignotio generis febrium ephemerarum:nam poſtea de earum ſingulis ſpeciatim dicemus. Vbi conſiderandum eſt,quòd ephemerarum febrium differentiæ a cauſis procatarcticis, a quibus accenſæ fuerunt,accipiuntur,& quamuis vna ſit earum omniū ratio,& curatio, quatenus pertinet ad ipſam febrem,ratione tamē cauſę,vnde ipſa excitatur,ſit aliqua in ipſis differentia,tam quātum ad eius rationem,quàm etiam quātum ad curationem, quia ratione ipſius cauſæ coniungitur,& alia affectio,quæ & ipſa ſuā habet indicationem, ex qua redditur deinde non ſimplex curandi illius ratio, ſed compoſita, & mixta, & cum medicus nulli indicationi ratione inſeruire poſſit, niſi cognitionem prius habeat illius rei,a qua indicatio eſt accipienda, ideo medicus febres ephemeras partitur,tanquam in differentes ſpecies,vel differentias,quamuis non ſint hæ propriæ,& per ſe differentiæ,quæ ab iſtis cauſis accipiuntur, ſed ſint potius complicationes quædam aliarū affectionum,quæ cum ipſis febribus coniunguntur, quæ vt dixi,& ipſæ ſuam habent indicationem, propter quā oportet & methodum curationis ſępe variare.Sed de hoc paulo poſt planius loquemur, In præſentia ſatis eſt,quòd & quę ſit febris ephemera oportet cognoſcere,& quis eius modus,vel differentia. Hoc voluit declarare Gal.verbis illis recitatis,vbi ait, quòd hæc indicatio,quam hactenus expoſuimus, quæ per hæc ſigna habenda eſt, nobis aperit communem rationem, qua cognoſcere poſſumus, quòd febris illa ſit ephemera,ſed quoniam hoc nō eſt ſatis, quia quamuis quantum ad ipſam attinet, ſit vnus, & ſimplex curandi modus, cauſæ tamen ipſæ dum præſentes adhuc ſunt, aliquam priuatam habent indicationem: aliquæ enim cum febre adhuc permanent,alię, licet iam abierint, aliquam tamen relinquunt affectionem,quæ & ipſa ſuam indicationem habet, ideo præter eam communem ephemeræ indicationem, oportet, hæc ſuis ſignis diſtinguere, quod ſe poſtea facturum pollicetur. Hoc autem faciet in poſtremo huiuſce libri capite. Sed iam ad reliquam iſtius capitis partem,in qua de febre putrida ſermonem habet explanandam accedamus.

Alterum vero febrium genus, quod ephemeris ex aduerſo diſtinguitur,&c.] Poſtquā ea, quæ ad ephemeras febres ſecundū illarum cōmunem rationē, & generalem pertinebant, quatenus ephemeræ ſunt, abſoluit:de his enim quæ deinde ſingulis earum particulatim differentijs conueniunt, tractationem ad poſtremum,vt diximus,iſtius libri caput diſtulit. Nā a generalioribus ad ea, quæ magis particulatim rebus conueniunt,proceſſus maximè ad ordinem docendi pertinet, quem diligenter in hoc lib.Gal.ſeruauit. Primum enim de tribus illis febriū differentijs primis,quas maximè proprias appellauit egit ſecundum communem, & generalem vniuſcuiuſq; earum rationem. Mox vero particulatim de earum vnaquaque ſecundū magis particulares,& priuatas earū differentias,In hac præſenti parte de febre putrida, hoc eſt ex putredine humorum accenſa, ſermonem inſtituit, ſecundum eam communem rationem, qua putrida eſt,ſigna nobis oſtendētia, quòd putrida ſit, exponens, quibus eam a reliquis febrium generibus poſſimus diſcernere. Diſtinctionem vero ſpecierum, vel differentiarum iſtius generis febrium particulatim differt ad ſecundum librum, ob earum, vt dixi, multiplicitatem, & amplam, copioſamque tractationem. Vt autem facilius intelligantur,quę ſtatim in initio iſtius partis dicuntur a Gal. eſt aduertēdum,quòd febris, ſecundum diuerſam conſiderandi rationem,variam poteſt & in duo, & in tria genera diuiſionem admittere. Nā ſi partitionis ratio accipiatur ab ea ſubſtantia, in qua febrilis caliditas fundatur,tripartita,vt hactenus expoſuimus, ſit eius diuiſio. Sed ſi reſpiciamus ad tempus, quo abſoluitur, vel detinetur febricitans, bipartita euadet diuiſio, quia aliæ, quantum ad propriam quidem naturam pertinet, per vnum tantum diem occupant hominem, aliæ vero ſuaptè natura per multos dies affligunt. Priores quidem ephemeræ dictæ ſunt, quæ & ab hoc nomen habuere,alteræ vero duplici differētia continentur,quia aut ſunt putridę,aut hecticæ. quæ quamuis in hac generali ratione conueniant,nontamen habent vnum commune nomen ſecundum hāc rationem,ſicuti ephemerę habent vnum commune nomen,hanc communem rationem referens. Hoc eſt ergo, quod his primis verbis ſignificare voluit Gal.

Gal. Alterum vero febrium genus, quod ex aduerſo diſtinguitur, proprium nomen non habet, quamuis duas habeat ſpecies, & nomine, & eſſentia per ſuas proprias differentias diſtinctas: quarum altera accenditur in humorum putredine, altera vero in ipſa ſolidorum partium ſubſtantia, quæ hectica, ſicut prior putrida, dicitur: & hæc quidem, quia ex putredine accenditur, illa vero, vel quia habitum corporis occupat, ad quem, vt diximus, pertinent ſolum ſolida membra, vel quia ægrè remoueri poteſt. Nam vt in prędicamentis teſtatur Ariſtot. habitus qualitas ea dicitur, quæ non facile a ſubiecto remoueri poteſt. Sed primum de febribus putridis agemus, eorum ſigna explicantes, quibus hæ ab alijs diſcernentes facilè iudicium firmum poſſimus ferre, quòd putridæ febres ſint, non hecticæ, neque ephemeræ. Poſtea vero de hecticis ſermonem inſtituemus. Sed quoniam ſigna ad has febres pertinentia bipartita ſunt, alia quidem in vniuerſum febrem eſſe putridam demonſtrant, alia vero diſtinguunt, & diſcernunt differentias, vel ſpecies diuerſas in hoc genere contentas. De prioribus quidem in hoc primo libro agit, immo in hac iſtius capitis parte, quæ ſequitur. Particulatim vero de ſignis vniuſcuiuſque harum putridarũ differentiæ in ſecundo libro acturus eſt: vbi omnem etiam rationem eorum, quæ ſolent accidere his febribus, exponet. Vbi hoc eſt animaduertendum, ꝙ qui voluerit omnia id genus ſigna obſeruare, illi & ab ijs, quæ incipientem febrem præcedunt, ſigna petere opus erit, & ab ijs, quæ incipientibus acceſſionibus apparent, & ab illis, quæ increſcentibus, & ab illis, quæ vigentibus, & ab ijs, quæ inclinantibus, & ab illis, quæ intermittentibus. Quantum ergo ad ea quæ febrem pręcedunt, conſiderandum primum, an præceſſerit aliqua ex manifeſtis, & procatarcticis appellatis cauſis: nam ſi nulla præceſſit, procul omni dubio febris ea putrida erit, quia ephemera eſſe nequit, vt ex præcedentibus potuit eſſe manifeſtum: diximus enim, quòd hoc proprium, & inſeparabile ab illis erat, nempe incipere præcedente eiuſmodi cauſa. Hectica vero, aut alias febres ſequitur, aut ſi ſtatim incipiens ſit hectica, neceſſe eſt, vt accenſa ſit ab eiuſmodi cauſa aliqua, vt ſequenti capite docebit Gal. At ſi aliqua præceſſerit, non tamen ſtatim eam non poſſe eſſe putridam aſſeuerandum: nam poteſt interdum, præcedente aliqua id genus cauſa, accendi nihilominus putredo, & febris putrida. Sed aduertendum eſt ait Gal. quod hæ cauſæ ex propria natura, & quantum ad ipſas pertinet aptę ſunt ad generandas febres ephemeras, putridas vero quaſi per accidens excitant, hoc eſt tantum ratione præparationis corporis, nimirum quia refertum ſit humoribus aptis ad putrefactionem. Vnde accenditur primum ephemera, ex qua humores illi, qui parati ſunt ſua natura ad putredinem, externo eo calore affecti facillimè putreſcunt, & inde accenditur putrida febris, quæ ephemeræ ſuccedit. Eſt itaque hoc proprium eius ſignum, non ita tamen, vt ab ea nunquam ſeparetur. Sed aliquis poſſet Gal. hoc modo interrogare, at quando ephemeram excipit putrida, qua ratione potero ego certo cognoſcere hanc ſucceſſionem? Facilè hoc tibi erit, reſpondet, ſi diligenter animaduerteris ad inclinantem ephemeram: neque enim percipies ephemeram omnino deſinere in exquiſitam integritatem, & febris vacuitatem: vt enim ſuperius diximus, ſolius eſt hoc ephemeræ proprium, quod dum inclinat, nullũ reliquum ſit febris veſtigium, nullæ reliquiæ, ſed penitus integer remaneat ęgrotans, neque alicui alteri febri hoc competit. Vnde omnino proprium eſt hoc ſignum ephemerarum degenerantium in putridas, & quamuis etiam poſſit aliquando aliquod inditium mutationis iſtius obſeruari, etiamnum conſiſtente ephemera, certius tamen, & apertius ea inclinante, id cõſpicitur. Ergo hoc ſignum petitum eſt ab ijs, quæ poſſunt præcedere inuadentem febrem. In initio autem dum accenditur febris, hæc conſideranda ſunt. Primum ſi inuaſio fiat cum rigore, aut horrore aliquo, quę tamen non poſſint in aliquam apertam, & manifeſtam cauſam referri, quæ vim eam habeat, vt poſſit rigorem concitare, ſicuti vel radij ſolares, qui vt docet Gal. 2. de ſympt. cau. liquefaciendo, & commouendo acria excrementa, rigorem concitant: vel externa aliqua refrigeratio, vel reliqua id genus: tunc enim proculdubio cenſendum eam fore acceſſionem febris putridę, ſed tamen neque hic ſemper rigor expectandus eſt: nam interdum accenditur putrida febris citra rigorem, ſicuti declarabimus in ſecundo libro. Nec modo rigor, ſed & horror ſignum eſt harum febrium, non tamen inſeparabile, ſicut neque rigor, immo neque ita proprium, ſi ſoli conueniat. Nam aliquando aliquas febres ephemeras comitatur, ſicut interdum fit in inflammationibus, & bubone, & alijs. Rigor autem, & horror eiuſdem ferè generis, ſymptomata ſunt, quę differunt, vt aiunt iuniores, ſecundum magis, & minus: horror enim ad cutem ſolam pertinet, rigor vero membra etiam concutit, ſed de his poſterius diſtinctè magis agemus. Signum vero, quod hoc ſequitur commune eſt principijs, & incremẽto acceſſionis. Ecce quomodo ordinatè per tempora acceſſionis procedit. Signum vero tale eſt, ꝙ pulſus nõ eſt ęqualis in hac febre, ſed diuerſus, & ſecũdum diuerſas pulſationes, & ſecundum diuerſas partes pulſus, comparando motum motui, & quietem quieti, & partes ẽt motus inter ſe, vt poſtea dicemus. Et eodem modo inæqualitas caloris in his febribus, tanquã ſignum habetur: nam dum manũ ęgrotanti adhibemus, & aliquo tẽpore detinemus, non ſemper eodem modo videtur calor manum afficere, ſed interdum acrior, & maior videtur calor, interdũ minus acris, & minor: præterea neq; æqualiter increſcere calor videt̃. Vtrũque vero horum ex materia prouenit. Pulſus enim inæqualis efficitur, quando facultas naturalis a materia opprimitur, & grauatur: illa enim inæqualitas inde naſcitur, quòd natura reluctatur materiæ, & interdum ab ea opprimi videtur: interdum eam ſuperare. Caloris vero inæqualitas fit ex diuerſitate partium materiæ, & motus earum ad putredinem: & hæc inæqualitas aliquo modo proprium harum febrium ſignum, & inſeparabile eſt, alio vero proprium quidem, verum non inſeparabile: ſemper quidẽ proprium eſt, quoniam id alteri febri, quàm putridæ nequit conuenire, ſed ea ratione ſeparabile eſt ab his febribus, quia licet in his omnibus neceſſe ſit aliquam excitari tam caloris, qàm pulſus inæqualitatem, in aliquibus tamen inæqualitas illa fugit ſenſum noſtrum, adeo exigua eſt, ſicuti vbi neque multa ſit materia, neque craſſa, vt in exquiſitis tertianis, & id genus alijs. Præterea vero, quod ad idem ferè ſignorum genus pertinet, & hoc proprium, ita huic febri eſt, quod alteri nulli conuenit, nimirum habere in vna, & eadem acceſſione plures veluti excreſcẽtias, vel inſultus. Ita enim intelligendus locus iſte. Non vt latinus expoſitor, qui credit velle Galen. per plures inſultus, ſeu excreſcentias, quòd febris plures habeat acceſſiones, vel paroxyſmos, quaſi dixerit, ꝙ his febribus proprium eſt habere periodos, at hoc non eſt, quod voluit Gal. Sed voluit, ꝙ vna, & eadem acceſſio, & idem paroxyſmus habeat plures excreſcẽtias, quod maximè videmus, vbi craſſa, & lenta eſt materia, quæ putreſcit: videtur enim iam incipere conſiſtere acceſſio, & calor, & paulo poſt iterum increſcit, immo nonnunquam videtur incipere inclinare, & paulo poſt iterum augetur, & huiuſmodi mutationes

tiones fieri conſueuere tum in tertianis nothis, vbi multa eſt mixta pituita craſſa,& lenta:tum in quotidianis,interdũ vero & in quartanis hoc obſeruaui,& hoc eſt, quod Græci dicũt ἐπιπαροξύνεσθαι, quaſi dicas ſuperexacerbari: videtur enim quaſi paroxyſmo additus. Sed licet hoc proprium ſit,non tamen & inſeparabile eſt,quia vel raro, vel nunquam id fit in exquiſitis tertianis. Ita & pulſus veluti compreſſio, vel oppreſſio,vel,vt Auic.vocat, coarctatio. Compreſſus autem,vel coarctatus pulſus dicitur, qui in principio acceſſionis notatur, cum videlicet paruus eſt, & inæqualis:talis etiam fit in ijs, qui plurimum comederunt,antequam concoquatur cibus,& dum aggrauat vires: fit enim eiuſmodi pulſus, oppreſſa, & grauata natura a multa materia:ab ea ſiquidem adeo opprimitur,vt non poſſit pulſus magnos edere, neque multum arteriam dilatare: dum vero illi reluctatur,inæquales pulſationes facit, hoc eſt pulſationes, quæ inter ſe collatæ æquales non ſunt: ſed aliquæ maiores ſunt,aliquæ minores,& ſi multa ſit oppreſſio, plures erunt minores: ſin autem non tanta, vt vires adeo obruantur,quin ſuperãt ipſam materiã, plures erunt maiores,quàm minores. Sed ſicuti præcedentia ſigna propria quidem, ſed non inſeparabilia ſunt,ita & iſtud:aliquando enim accenditur febris putrida ex tenui,& non multa materia, a qua natura parum opprimitur, ſicuti ſæpe exquiſitis tertianis ſolet contingere. Vnum tamen animaduertit Galen. quòd cũ hoc ſignum diximus ita proprium eſſe huic febri,vt alteri nulli accommodari poſſit, hoc intelligendum eſt, quatenus pertinet ad hanc ipſam febrem cũ alijs collatam: nam interdum poteſt in alijs conſpici,& febricitantibus, & non febricitantibus: id tamen non eſt merito febris, ſed merito alterius affectionis cum febre coniunctę,quam ſequitur cordis morſus, vel anguſtia ventriculi excitata a prauis, & vitioſis ſuccis in eo congeſtis, qui aut refrigerant, aut mordent os ipſius ventriculi: nam ſi refrigerant, conſentiente corde,pulſus parui fiunt: ſi vero mordeant inæquales. Sed ſi ventriculus noxa vacet, ita huic febri proprium eſt hoc ſignum, vt alteri nunquam poſſit attribui:facilis autem diſcretio eſt, cum vitio ventriculi exurgit hoc ſymptoma: nam ſi citato vomitu excernat noxiam eam materiam, & hoc ſymptoma ſedetur,id non ex febre, ſed vitio ventriculi contigit:ſed ſi per vomitum non recedat, in febrem res hæc erit referenda. Signum vero,quod præ alijs omnibus certius eſt,illud eſt,quod a modo, vel qualitate caloris eſt deſumptum,& ad caput pertinet eorum,quæ rei ſignificatæ ſubſtantialiter inhærent. In hac febre enim,acris,mordaxque eſt calor & nulla ex parte ſuauis. Quod quidem prudenter eſt intelligendum. Nam, vt diximus ſuperius,ſi conferatur febrilis calor cum natiuo commune hoc eſt omnibus febribus,quod earum calor ſit inſuauis:ſed ſi inter ſe comparemus febres, minus acredinis habet ephemera:quod autem minus malũ eſt, id quaſi melius ominantes,oppoſiti boni,vt dicit Galen.nomine nuncupamus,ita mitem, & ſuauem appellamus calorem ephemeræ febris: aliarum vero mordacem: omnium vero mordaciſſimus eſt calor putridæ, vt qui quaſi pungere,& mordere manũ videatur,perinde vt fumus maxime qui ex lignis denſioribus,cuiuſmodi ſunt quercus,vel ceri emanat, oculos,& nares videtur pungere, & mordere. Sed ſi dicas, & quid nonne & hoc ſignum & hecticæ commune eſt? infra enim inter ſigna hecticæ hoc refert, quòd calor,quo diutius manum retinueris, eo magis acris, mordaxque percipitur. Dico quòd prudenter locutus eſt Gale.dixit enim quòd nihil in ea moderatum eſt ſicut in ephemeris,quia & ſi in hecticis, poſtquam diu tetigeris,acrimonia percipiatur: in principio tamen

Cap.9.

A dum manum admoues, nulla percipitur mordacitas,vel acrimonia: imo mitis calor videtur: in putridis vero quoadusque tetigeris, ſemper calorem mordacem iudicabis, & proinde maximum cenſendum eſt hoc ſignum. Quamuis & hoc conſiderare debes, quòd res hæc euidentiſſime percipitur in incremento,& vigore acceſſionis. Nam in initio, quia calor recedit in profundum corporis, ſecum & fuliginoſos vapores ducens, exteriores autem partes refrigeſcunt: ideo non ita ſtatim percipitur caloris acrimonia ſed perinde,vt in hecticis, non ſtatim admota manu percipitur, ſed illi diutius immoranti videtur ex profundo eiuſmodi calor veluti emergere. Et inde deceptus eſt Themiſon medicus inter me-

B thodicos celeberrimus, qui credidit hoc eſſe commune omnibus febribus: nempe vt ſtatim appoſita manu calor non mordicet: ſed poſtquam diu detenta ſit. Cum id, & in initijs acceſſionum putridarum, & in hecticis obſeruauerit. Sed plurima inter eas eſt differẽtia,quia id familiare,& perpetuum eſt,& quocunque tempore in hecticis: in putridis vero tantum in principio acceſſionis, in incremento autem, & conſiſtentia manifeſtiſſimum eſt diſcrimen. Huiuſcemodi autem differentiæ diſquiſitionem ad eum locum differt,vbi de hectica erit agendum, hoc eſt, in ſequentibus capitib. Sed & ex pulſu accipi ſignum poteſt,quod proprium, & familiare eſt his febribus, vt ſolis his,omnibusque & ſemper conueniat: ideo

C ab illis etiam inſeparabile: id vero, & a ſyſtole accipiendum eſt,& a quiete,quæ exterior eſt,a qua incipit ſyſtole,& ad quam diaſtole deſinit. Signum vero tale eſt,quòd ſemper ſyſtole velocior eſt ipſa diaſtole, & breuior eſt exterior quàm interior quies. Vnde & pulſus ratione iſtius quietis nempe externæ frequentior efficitur,quàm reſpectu internę. Atque hoc ita certum ſignum eſt in diſcernendis putridis ab alijs febribus,vt nunquam fallere poſſit. Ratio vero iſtius eſt,quia duplex eſt ex pulſu vtilitas. Altera quidem refrigerationis,& huic diaſtole inſeruit: dum enim arteria dilatatur,frigidior attractus aer, refrigerat, & temperat calorẽ ſpiritus. Altera vero,vt fumoſus, vel fuliginoſus vapor, qui non poteſt non gigni vi caloris agentis in humidum excernatur,& hac ratio-

D ne expiatur ſpiritus, & huic muneri delegata eſt ſyſtole: dum enim contrahitur, & conſtringitur arteria expellitur & quaſi exprimitur aer iam intra calefactus,& vapor ſimul cum eo immixtus excernitur. Quies vero neceſſitate quadam inter hos duos, ſicuti inter quoſcunque oppoſitos motus, intercedit. Vbi ergo maior inſtat neceſſitas refrigerij, velocior fit diaſtole,& breuior quies interior, nam quãto citius poteſt natura, nititur dilatare. At vbi maior eſt neceſſitas excretionis humidorum excrementorum,velocior fit ſyſtole,& breuior ſimili ratione exterior quies. In putridis ergo febribus, vbi ex putreſcentibus humoribus multa gignitur fuligo, & longè copioſior,quàm in alijs: ideo creſcit excretio-

E nis neceſſitas magis,quàm in alijs: & proinde & ſyſtole velocior fit, & non poteſt tantum intermittere poſt diaſtolen,ſicut in alijs: ſed cogit citius incipere ſyſtolen:& ſic quies illa fit breuior. Hoc tamen ſubiungit Gale.magis conſpicuum eſt in incremento acceſſionis,quamuis,& in initio, & in vigore illud non ſit obſcurum. Huius autem rationem refert idem Galen.3.libr.de præſag.ex pulſ.petito exemplo ab igne,qui multis iniectis lignis accẽditur: ſtatim enim in principio vix materiam ſuperat, vt quaſi ipſe uideatur extingui, & neque flammam neque fumum multum edit:ſed ubi fieri ſuperior incipit, & materiam vincere, potius fumum vel fuliginem generat: at quando iam omnino vicit,& verè comburere incepit,maiorem flammã,quàm fumum gignit. Ita febri- Cap.7.

lis calor

lis calor in corpore ex proportione igni reſpondet:
principium quidem acceſſionis tempori, quo ligna
in ignem proijciuntur: incrementum, cum iam in-
cipit inſignis in eis apparere tranſmutatio: vigor
autem, quando iam flamma omnia occupat. Sed ad-
dit & aliud ſignum acceptum ex pulſu, quo manifeſtè
percipi poteſt principium acceſſionis harum febrium:
illud enim ſemper concomitatur pulſus paruus, &
velox, ſicuti vigente acceſſione, item uelox eſt, ſed
magnus. Verum hic aduertendum, ut a cōtradictio-
Cap.3. ne defendatis Galen. qui 12. meth. dixit manifeſtè in
febricitantibus fieri in principio pulſus raros, tar-
dos, & paruos: quòd ipſe 3. de præſag. ex pulſ. rè hanc
explanat, & ait, quòd in initijs acceſſionis, cum ma-
teria ad interiora confugiens nondum aliquo modo
calefacta eſt, quando & rigent, & omnia perfrigeran-
tur, & uidetur materia uincere calorem refrigeratis
internis uiſceribus, & quaſi extincto natiuo calore,
pulſus tunc & rari, & parui redduntur: cum uero na-
tura reluctans materiam morbi incipit aliquomodo
ſuperare, & calefacere, tunc pulſus, & frequētiores,
& quoquomodo maiores fiunt, & velociores ſecūdū
vtrunque motum quamuis id magis, & apertius in
ſyſtole eueniat: quàm in diaſtole. vt paulo ante ex-
poſitum a nobis eſt. Huiuſcemodi autem diuerſitas
pulſus, nempè vt ſyſtole ſit velocior diaſtole, & quod
exterior quies minor ſit, & breuior interiori, ſolis
his febribus priuatim peculiare ſignum eſt, quod eis
omnibus, & nulli alteri generi, non hecticis, nō ephe-
meris, conuenit. Sicuti & id, quod ab vrina accipitur:
nam id omnino inter maxima ſigna iſtius febris eſt
collocandum. Id vero eſt, quòd nunquam in initio
accenſionis febris urina concoctionem demonſtrat
inſignem: ſed aut omnino cruda eſt, aut ſi aliquid in
eo appareat referens indicium concoctionis, illud
exiguum, & obſcurum eſt. Vnde ſi pronunciatū pro-
tulerimus cùm diſiunctione, ſignum erit propriū, &
inſeparabile, vt dicamus, cum vrina cruda excerni-
tur, aut ſaltem leuiter, & obſcure concocta, eſt febris
putrida: ſed ſi quælibet pars ſeorſum, & diuiſim pro-
feratur, vtraque erit quidem ſignum proprium, non
tamen inſeparabile, quia in aliquibus nulla notari
poſſunt concoctionis ſigna: in alijs vero aliqua no-
tantur ſtatim a principio, ſed illa non inſignia, verum
potius exigua, & obſcura. Et hoc intelligendum eſt
de his febribus, quatenus ad earum propriam ratio-
nem pertinet, quia ſi inciperet ephemera, quæ deſi-
neret in putridam, tunc ratione ephemeræ incipien-
tis poterit quiſpiam cum incipit febricitare: habe-
re vrinas inſignem præ ſe ferentes concoctionem:
ſed id ratione præcedentis ephemeræ, non ſequen-
tis putridæ. Vnde cum in initijs apparet proba in
vrinis concoctio, quæ non permanet, ſed paulo poſt
recrudeſcit vrina, ſatis apertum ſignum eſt incepiſ-
ſe ephemeram, quæ mox in putridam degenerauerit.
Inter ſigna etiam putridarum febrium ea poſſunt
referri, quæ proprie notantur in eis: non tamen ſe-
cundum generalem earum rationem: ſed priuatim
ſolent apparere in aliqua putridæ febris ſpecie: ſi-
cuti ſi, vigente acceſſione, appareant ſymptomata,
quæ propriè febrem ardentem ſequi ſolent, vt ſitis
vehementiſſima, dolor capitis, aut delirium, magna
exagitatio, & id genus reliqua: aut ſi ea, quæ in lipy-
rijs febribus, aut in epialis conſpici ſolent, aut hæ-
mitritæis, aut in ijs, quæ typhodes, hoc eſt ſucceſſiuæ
dicuntur, quas iuniores laticas appellant. Verum
propria potius ſunt ſpecierum, quàm generis putri-
darum: eatenus autem genus etiam demonſtrāt, quia
genus ſine ſpecie aliqua non poteſt conſiſtere, neque
ſpecies ſine genere. Sed ſi inter ſigna generis ponan-
tur, ſunt quidem propria: quia extra illud genus ac-
cidere nequeunt, verum nō ſunt inſeparabilia: quo-
A niam ſeparari poſſunt ab alijs omnibus ſpeciebus,
& non ſolum demonſtrant in eo genere febrem il-
lam contineri, ſed etiam in qua ſpecie ea ſit. Poſtre-
mo vero loco refert ſigna ſumpta ab inclinatione
acceſſionis. Id vero eſt, quòd in intermittentibus
etiam putridis febribus, quantuncunque videatur fe-
bris ita intermittere, vt omnino in quietem citra
febrem deſinat, nunquam tamen ita ad integritatem
terminatur, ut uerè abſoluta ea integritas omnino
ſit: ſed ut ſuperius, ubi de ephemeris habitus fuit
ſermo, diximus, ſemper aliquod ueſtigium rema-
net, quo poſſimus conijcere relictas eſſe putredi-
nis reliquias aliquas, & quædam veluti ſemina. Vn-
de & hoc relatum eſt, tanquam ſignum quòd ephe-
B mera in putridam vertatur, quòd inclinatio febris,
qualiſcunque illa ſit, ſiue cum ſudore, ſeu citra ſudo-
rem, non deſinit in exquiſitam & integram quietem,
& vacuitatem reliquiarum febris. Et quatenus, qui-
dem ad ſigna propria putridarum, ſatis abundè iam
dictum eſt, quantum videlicet ad id genus pertine-
re poteſt. Verum quia erant quidam ex antiquis me-
dicis, qui præter ea, quæ a nobis fuerunt expoſita,
& aliud ex pulſu acceptum ſignum addidere, nō qui-
dem ratione motus, vel quietis, ex quibus pulſus
conſtituitur: ſed potius inſtrumenti: ſicuti eſt durus,
vel mollis pulſus, qui ſequitur affectionem arteriæ:
ad corpus enim arteriæ pertinet durities, vel molli-
ties in pulſu percepta. Quidam itaque, è quorum for-
taſſe numero fuit Archigenes, inter ſigna febris po-
C ſuere pulſum durum. Quam quidem rem, ſi recte vo
lumus ad examen reuocare: non negandum eſt, quòd
interdum in febribus non appareat pulſus durus: ſę-
pe quidem in hectica, interdum & in ephemera:
quamuis raro, quandoque & in putrida. Neque ta-
men inter ſigna cuiuſpiam iſtorum generum recen-
ſendus eſt: cum neque proprium alicuius earum, ne-
que inſeparabile ſignum dici merito poſſit, immo
neque etiam propriè in ſignis febris in vniuerſum
poſſumus illum ponere: quia potius ſequitur natu-
ram quorundam effectuum coniunctorū cum febre,
quàm febrē ipſam. Cauſæ enim pulſus duri, vt docet
Gal. hic, & primo de præſ. ex pulſ. ideo illum efficiunt
durum, quia arteriam aliqua ratione duram efficiūt.
D Tria vero ſunt, quæ tunicam arteriæ duriorem red-
dunt, nempe ſiccitas inſignis, condenſatio, & veluti
congelatio ex frigore, & tenſio. Vbi ergo ex aliqua
occaſione plurimum exſicccantur tunicę arteriarum,
tenſæ ſubinde, duræque ſentiuntur tum arteriæ, tū,
qui ab eis efficiuntur, pulſus: hæc vero ſolent accide-
re in ardente febri: cum in longum protrahitur, & iā
in torridum maraſmum vergit, hoc eſt tranſit. in he-
cticis etiam febribus ſolet ſæpe numero ſentiri, & in
aliquibus etiam melancholiæ, & febris quartanę ſpe-
ciebus, vt ibi tradit Gal. In ephemeris quoque, quan-
do accenduntur a cauſis arefacientibus corpus, vt fa-
cit interdum nimius ſolis ardor, immodeſtus labor,
plurima inedia, vigiliæ præter rationem, & modum,
E multaque, & excedens vacuatio, præcipuè cum adeſt
penuria cibi, quo inſtaurentur: & hac eadem ratione
poteſt in putridis febribus excitari. Condenſationem
autem præ frigore omnia faciunt, quæ immodeſtè
refrigerant, vt aer exterior gelidus, aqua frigida, vel
importune epota, vel in balneo adminiſtrata, diuti-
na in niue conuerſatio, item congeſtio plurimæ pi-
tuitæ crudæ, quam vitream appellauit Praxagoras,
quæ facile contrahitur ex multo eſu eorum ciborū,
qui illi gignendæ idonei ſunt, vt ſunt rapæ, poma,
cucurbitæ, & id genus reliqua. Vnde ex hac ratione
ſæpe in ephemeris, quæ conſtipationem, vel con-
denſationem a frigidis balneis, vel alioquin ex re-
frigeratione adeptæ ſunt, pulſus durus poteſt nota-
ri. Tenſio vero, aut conuulſionem ſequitur, aut re-
pletionem

pletionem arteriarum. Vnde in neruorum conuulſionibus durus eſt pulſus, vt arteria imitetur tenſam chordam. In viſcerum quoque inflammationibus: præcipue vero iecinoris, & lienis, pulſus fit durus: ex confluente enim humore ad loca inflammationum replentur arteriæ, & hac ratione tenduntur: & quamuis adſit etiam febris, non tamen proprie dicendum eſſe febris indicium, ſed potius inflammationis. Vnde in febribus putridis, vbi percipitur pulſus durus, dubitandum de interna inflammatione. Quòd vero non ſit propriè febris ſignum, patet ex eo, quòd ſi nulla ſit febris, adſit autem plenitudo arterias diſtendens, adhuc pulſus durus erit. Vnde non modo inflammationes horum viſcerum concomitatur durus pulſus, vt diximus, ſed etiam cum tenentur tumore duro, quem ſcirrhum græci appellant: quamuis, vt ibidem exponit Gal. duplex duritiei occaſio eſt in ſcirrho: videlicet venarum plenitudo: ſicut enim calidiori ſanguine replentur in inflammatis viſceribus: ita frigido & craſſo, cum ex ſcirrho intumeſcunt: præterea vero coudenſatio ex humore frigido, & craſſo. Sed de hac re plenius diſputauimus (ait ipſe) in multis libris, quibus complexi ſumus omnem pulſuum peritiam, ac eos libros nominat: nec modo ſcriptis explanauimus, verum opere ipſo, & facto in viſendis ægrotis hæc omnia experientia comprobauimus. Sed ad hecticas febres tranſeamus: quia iam ſatis (inquit ipſe) de his locuti ſumus. Nos vero, poſteaquàm inſtitutus eſt de putridis febribus ſermo, operæpretium facturos exiſtimamus, ſi quæcunque ad maiorem, & exactiorem earum cognitionem pertinent, hoc loco perſequamur: tum quia magis a iuuenibus huiuſmodi febres deſiderantur: tnm etiam quia difficilior eſt, ac multiplicior harum tractatio: dilata ergo hecticarum conſideratione ad ſecundum vſque librum, in his aliquantiſper immorabimur. Quoniam autem putridæ febres ex humorum putredine accenduntur, & in earum curatione putredo quoque ſuam habet propriam indicationem, vt & xj. meth. & alibi ſæpe teſtatur Gal. indicatio vero ab ipſa rei natura, & ſubſtantia deſumitur: Ideo a putrefactionis diffinitione exordiemur, ſequentes doctrinam eiuſdem Galen. qui & ipſe eodem xj. meth. harum febrium tractationem abſoluturus a putredinis diffinitione auſpicatur, & recte quidem. Nam ab hoc capite exorſi facile poſtea, & quomodo accendatur putrida febris: quotque ſint putridarum febrium cauſæ, & quæ: præterea vero quot ſint earundem differentiæ: & nihilo ſecius etiam quot, & quæ indicationes in febre putrida conueniant, ex quibus deinde conſtituitur methodus omnes eiuſmodi febres curandi: cognoſcere poterimus. Diuerſi ergo diuerſimodè putrefactionem diffiniuere. Nos autem duas tantum diffinitiones referemus, & explanabimus. Alteram Gal. quem tanquam ducem & lumen medicorum ſecuti ſunt, & a quo quaſi a primario fonte omnia, qui eo poſteriores fuerunt, hauſerunt. Alteram vero Ariſtotelis, omnium philoſophorum ſaltem naturalium principis: eaſque inter ſe conferemus, vt videamus, an ambæ in vnum conueniant, an vero differant, differenteſque habeant rationes. Nam ex noſtris latinis non defuere, qui putauerint aliam eſſe rationem putrefactionis, quàm Gal. diffiniuit, & aliam illius, quam Ariſtot. Proferamus autem prius Ariſtotelicam: illa enim nobis explanabit lucidiſſimè alteram. Itaque 4. meteo. ait quòd putrefactio eſt interitus, vel corruptio, (φθόρα, ait ipſe græcè) propriç, & innatæ caliditatis in vnoquoque humido ab aliena caliditate. Quam vt exquiſitius intelligamus, altius rem aliquanto exordiamur, vt ex proprijs fundamentis Peripateticorum ipſam exponamus. Eodem ergo li. 4. meteo. de putrefactione facturus verba, hoc tanquam fundamentum accipit putrefactionem eſſe naturalem corruptionem, vel interitum mixti, & quæ eius generationi contraria eſt. At vero, quia generatio eſt tranſitus ad eſſe: interitus autem vel corruptio ad non eſſe, dicere poſſumus, quòd altera rationem habitus habet: altera priuationis: ſemper enim tranſmutatio ſequitur rationem, & naturam rei, ad quam fit tranſmutatio: priuatio autem facile cognoſcitur per oppoſitum habitum: ideo ſi prius de generatione mixti paucula quædam dixerimus, illa nobis lucem non paruam præſtabunt ad ea intelligenda, quæ a nobis ſunt dicenda de putrefactione: præter id quòd non parum vtilitatis nobis afferent ad multa facilius percipienda, quæ poſtea vbi curationem febrium putridarum cum Galen. in libr. ad Glauc. explicabimus, in conſiderationem reuocabimus. Mixta itaque vt idem Ariſtot. primo de gener. & inter. docet, per mixtionem generantur: mixtio vero eſt, vt idem ait, miſcibilium alteratorũ vnio. Vnde tota ratio, & natura mixtorum conſiſtit in vnione eorũ, quæ mutuo miſcentur, dum generãtur. Miſcibilia vero primum, & per ſe ſunt humida, vt eodem primo probatur: vnde omnis mixtio ratione humiditatis fit. Quod Auer. 4. Meteo. inſinuare volens, ait, quòd humiditas eſt cauſa adunationis, & mixtionis. Secundo vero loco miſcibile eſt ſiccum: quia miſceri non poteſt, niſi per humidum: vnde mixtio fit, dum ſiccum cum humido miſcetur, vt primo de generatione & inter. inquit Ariſtotel. & 2. eiuſdem, & 4. Meteor. ex horum ergo miſcela humidi nimirum cum ſicco, generantur mixta: vt idem Auer. Meteo. 4. docet. Sed neque tamen hæc ſola ſatis eſſe poſſunt ad mixtionem peragendam, & mixta generanda: nam hæc tanquam mixtionis materia requiruntur, & cum materia per ſe quidem, & quatenus materia, nihil efficiat, ideo indigent aliquo agente ea mutuo miſcente. Miſcens ergo, primum quidem eſt calidum: alterum vero frigidum, & hæc quidem ſunt tanquam agentia, & miſcentia. Humidum autem, & ſiccum tanquam miſcibilia, & materia. Vnde ab humido quidem habet mixtum cõtinuitatem: a ſicco conſiſtentiam: a calido formam: menſuram vero, vel modum a frigido: neque enim ab omni calore, & ſecundum quemcunque modum fieri poteſt mixtio: ſed a quodam definito, & determinato ſecundum menſuram, vel modum accommodatum naturæ illius rei, quæ generanda eſt. Modus vero calori aduenit ex additione, vel mixtura frigoris, & proinde mixtio fit, & mixti generatio, tanquam a proxima cauſa a calore, qui inſitus, vel innatus, vel naturalis dicitur. Sed de his addamus, quòd mixtio, atque adeo etiam mixti generatio fit per concoctionem: quod patet ex definitione concoctionis, quã nobis quarto Meteo. Ariſt. expoſuit, vbi ait, quod concoctio eſt perfectio in vnoquoque humido a proprio, & innato calido ex oppoſitis paſſiuis, cum ergo vi proprij, & innati calidi perficitur humidum (perficitur autem illè apte admixto ſicco) miſcibilia ad vnitatem perducuntur, quæ eſt propria forma mixti, & mixtum generatur. concoctio ergo eſt veluti via, & tranſmutatio, quæ tandem ad vnionem, & generationem mixti terminatur. Cum autem ſimilis ſit ratio oppoſitorum, facilis iam erit expoſitio definitionis putrefactionis. Nam cum putrefactio ſit contraria, vt dicebat Ariſt. generationi mixti, neceſſe ſanè eſt, vt ſit interitus, vel vt aiunt, corruptio mixti: aut tranſitus, & via ad interitum, & corruptionem mixti. Verum cum interitus, vel corruptio rei mixtæ momento fiat ſicut aliarum ſubſtantiarum: putrefactio vero temporanea ſit tranſmutatio: ideo dicendum videtur, quod ſicut concoctio eſt tranſmutatio

Marginal notes: Cap. 8. — Cap. 8. — Com. 28. text. — Com. 38. text. — Com. 29. — Com. 29. — text. Com. 14.

tatio & veluti via ad mixtionem, & vnionem eorũ, quæ miſcentur: ita putrefactio tranſmutatio eſt, qua diſſoluuntur, & ſeparantur, ea quæ per concoctionẽ in mixtione ad vnionem perducta ſunt: & ſicut concoctio fit ex victoria caloris inſiti, vt pote quando ille obtinet materiam, præcipuè vero humidum in mixto: ita putrefactio fit ex eius imbecillitate, cum ille nequit amplius continere ea, quæ mixta erant: vnde neceſſe eſt, ut ſuperueniente calore extraneo ſeparentur, & diſſoluantur. Natiuus etenim calor duo habet aduerſaria: Alterũ, quatenus calor eſt, & eſt frigus: Alterum, quatenus natiuus & proprius eſt, & ſecundum hanc rationem illi aduerſatur externus, & alienus calor, uel præter naturam rei. Declarauit autem Gal. 2. de diffe. febrium quis eſſet is alienus, & externus calor, cum dixit, externum uero, uel alienũ calorem uoco, qui neque ingenitus eſt, neque prorius cuiuſcunque rei. At uero cum calor naturalis a frigore ſuperatur, & extinguitur, non dicitur putrefactio: ſed pòtius congelatio: Poteſt autem ab alieno, & externo calore bifariam ſuperari: & extingi prorius rei, & natiuus calor: nam aliquando adeo illum ſuperat, vt humidum, cui innitebatur: repentè conuertens in ſui ſubſtantiam, conſumat: quo conſumpto, ſimul & calor extinguitur: ſicut a maiori igne quandoque minor extinguitur: & hęc propriè non eſt putrefactio, ſed combuſtio. Interdum uero non ita, & ex tanta proportione ſuperat calor externus proprium, ut eius humidum comburat: ſed paulatim calorem naturalem extra euocat, & educit, diſſoluitque: qui euaporat digeſtus ab externo, & eum ſequitur humidum, a quo calor fouebatur: quo fit deinde, ut quæ putreſcunt, exterius uideãtur humidiora. Differunt autem hi duo modi extinctionis caloris extranei: quia combuſtio quidem ſemper uiolenta eſt, & præter rationem rei: putrefactio uero interdum naturalis eſt: interdum uero uiolenta, & pręter naturam: nam ipſemet Ariſt. dixit, ꝙ putrefactio eſt naturalis mixti interitus. Eſt itaque aduertẽdum: quia hoc non parum faciet ad dicendorum in ſequẽtibus perceptionem, quòd naturalis quidem interitus dicitur mixti, quando a proprio, & interno principio, ipſius oritur ratio, & occaſio interitus. Violentus autem quando ex externa cauſa, & præter rei ipſius naturam. Ex interno quidem principio originẽ habet putrefactio & interitus mixti, quando ipſe natiuus calor ſibi in cauſa eſt, vt diſſoluatur, & debilior euadat, quàm vt poſſit mixtionem obtinere, & conſeruare: idque euenit illi conſumpto, & digeſto paulatim proprio humido: & proinde ex ſuperuentu poſtea externi caloris diſſoluitur. Et hoc modo, & plãtæ, & animalia paulatim ſeneſcentia contabeſcunt, marceſcunt, & tandem intereunt. Alia vero putrefactio, quæ potius violenta eſt omnino præter naturam, vt quæ ab externo principio omnino fit, duplici ratione efficitur. Primum quidem, quãdo natiuus calor euincitur ab externo calore, & euocatur, tandemque diſſipatur. Et hac de cauſa in locis calidis, & temporibus calidis facillimè res putreſcunt, præcipue vero res humidæ: nam vbi multa eſt humiditas, non ita facilè a calore regi, & congruè adminiſtrari poteſt: neque illam contra iniuriam & diſſolutionem ab externo calore tueri: vnde ille victor, & ſuperior euadit. Contra vero externum frigus, internum calorem interius repellit, atque eum colligit, & eius euocationi reſiſtit: eius autem vis vnita, & in ſe collecta fit fortior. Vnde putrefactio minus fit in hyeme, & locis frigidioribus. Deinde vero fit putrefactio, quando calor natiuus in alienum, & extraneum cõuertitur, qui ſicut dum naturalis erat, generationis, & conſeruationis erat auctor, ita cum tranſit in alienum, & præter rei naturam, corrumpit,

A putrefacit, & diſſoluit mixtionem, vt & Galen. & Ariſtotel. in hoc conſentiunt. Nam & Gal. 2. de dif. feb. dixit, quòd natiuus calor concoquendi vim habet: alienus vero putrefaciendi. Degenerat autem in alienũ, cum excedit limites proprij, & naturalis tẽpe ramenti rei illius, cuius calor proprius eſt. Huius aũt exceſſus, & ſi multæ poſſint cauſæ referri: hæc tamen prima, & præcipua eſt, quæ & neceſſaria eſt omni etiam igni, dum in hoc inferiori mundo, & extra ꝓprium locum eſt, vt poſſit conſiſtere: ea aũt eſt ventilatio, vel euẽtatio, quæ fit, ab aere frigidiori, quæ cũ interdicitur extinguitur ignis: ita & natiuus calor, cum per hanc euentationem non tẽperatur, & refrenatur excreſcens exit proprios limites a natura illi B præſcriptos, ſtatimque in alienum, & extraneum tranſmutatur. Præcipue vero iſtius deperditæ euentationis cauſæ ſunt obſtructiones viſcerum, & conſtipatio, condenſatioque cutis in animatis corporibus, vel potius in animantibus, vt tandem ſermonem conuertamus ad ea, quæ proximè ad noſtrum hoc negotium attinent. Quòd autem hæc euentatio plurimum defendat a putrefactione, argumento illud eſſe poteſt, quod ea, quæ volumus ſeruare æſtate, in vmbra, vbi perflat aer vel aura, exponimus: quæ ſi radijs ſolaribus ſint expoſita, citius putreſcunt: quia aer ille calidior non poteſt probè ventilare. Vnde & Gale. ſuperius, vbi de febre peſtilenti erat ſermo, referebat ſeutentiam Thucydidis, qui dicebat, eos in ea peſtilentia maximè fuiſ- C ſe obnoxios, qui degebant in ſuffocatis tugurijs. Et hæc quidem quantum ad definitionẽ putrefactionis Ariſt. attinet ſatis ſint. Nunc eam Gal. examinemus: quæ quidem examinatio facilis, & breuis erit: nam illa Ariſtot. rectè percepta eſt veluti explanatio iſtius Gal. quæ ita ſe habet, putrefactio eſt mutatio totius putreſcentis corporis ad corruptionem ab externo calore. Quæ adamuſſim cum Ariſtotelica conſentit: quod facilè conſpici poterit, ſi perceperimus, quid ſibi voluerit Galen. per totam naturam putreſcentis corporis. At ipſe id lucidiſſimè tertio aphor. expoſuit, vbi ita ait, natura ſecundum ſuum propriũ ſignificatum eſt propria cuiuſque rei temperatura quatuor elementorũ. Et ſi quis dicat Gal. xj. meth. D dixiſſe putrefactionem eſſe mutationẽ totius οὐσίας, hoc eſt ſubſtantiæ, non autẽ φύσεως, hoc eſt naturæ. Facilè reſpondebimus, quod ſi quis legerit principium libri de natura humana, facilè percipiet eãdem eſſe rationem ſiue dicamus naturæ, ſiue ſubſtantiæ: nam naturam humanam probat. Hip. ad eam ſubſtãtiam referri, ex qua conſtat homo. Hæc ergo natura ab externo calore corrumpitur, quatenus temperatura diſſoluitur, ſeparatis elementis, vt enim generatio fit illis deductis ad temperaturam, & vnitatem vi, & ope natiui caloris: ita a calore alieno, vel externo illis diſſipatis, & diſſolutis, fit corruptio, & interitus: quæ quidem mixtura nunquam diſſipari, & diſſolui poterit: niſi natiuus calor prius vincatur, qui eſt ve- E luti naturalis nexus, vnita retinens ipſa miſcibilia. Ecce ergo quòd quamuis diuerſa ſint vtriuſque definitionis verba eadem tamen eſt ſententia. Sed hæc quæ ita in vniuerſum dicta ſunt, contrahamus, & accommodemus noſtro huic negotio. Cum enim de putridis febribus ſit in præſentia inſtitutus ſermo, quæ ex putreſcentibus humoribus accenduntur, hoc etiam diſquirendum nobis eſt quomodo, & qua ratione putreſcant humores in corpore animalis, & quibus de cauſis. Nam hoc non parũ conducet ad facilioreм intellectum eorum, quę de ratione curandi febres putridas ſunt a nobis poſtea exponenda. Com. 14.

Facillimè vero hæc explicabimus, ſi altius exorſi, quomodo & a quibus humores ipſi generantur explicemus. Aduertendum ergo, quod calor innatus

ſolidarum

ſolidarum partium, imprimis verò viſcerum eſt id, A quod eſt primum, & præcipuum agens, & effectrix cauſa ipſorum humorum, qui naturales ſunt in ipſo animante. Hoc enim docuit Gale. 2. lib. comm. in primum Epid. cum ait, ꝙ natura, a qua concoquuntur humores, protenſa eſt per ſolida corpora. Quid autem natura apud Gale. ſignificet, paulo ante aperuimus. Sed clarius 4. Aphor. ita inquit, natura, quæ regit ſolida corpora: eſt calor innatus, proximum & ſecundum eſt calor genuinus, & in eis innatus: & ſicut illa ab vtriſque generantur: ita etiam ab vtriſque ſeruantur & cuſtodiuntur, atque cum ab eorum tutela, & vt aiunt regimine deſtituuntur, ſtatim corrumpuntur, & putreſcunt. Sed quia fortaſſe hoc vobis obſcurius videtur: ideo exemplis apertiſſimis B hoc in nobis declarabimus. Primum itaque accipiamus a prima concoctione, quæ in ventriculo fit, qui cum cibum prius in ore atritũ ſuſcipit, ipſum tranſmutat, vt illum ſibi ſimilem reddat: Vnde per ſuum calorem naturalem agendo in natiuum calorem cibi & potus, illũ deſtruit, & eam temperaturam, mixtionemque, qua conſtat cibus, diſſoluit, vt ad eam perducat, quæ apta, & cõgrua ſit chylo, vel ſucco in ventriculo generando. Ex qua noua mixtione, nouaque temperatura elementorum, quã calor ventriculi efficere nititur, oportet, vt ſuus calor generetur proprius, & innatus illi materiæ, qui adiutus a calore ventriculi regat, & contineat ipſam mixtionem: ſecundum enim hanc rationem, vt ſuperius expoſuimus: generantur mixta omnia. Et forſitan huc re- C ſpexere antiqui illi medici, quorum ſæpe meminit Gal. qui dicebant cibum non coqui, ſed putreſcere in ventriculo: qui ſi hoc volebant, quod nuper diximus, non omninò aliena a ratione dicebant: nam neceſſe eſt, vt eorum præcedat corruptio, ſi ſit generandus per concoctionem vtilis ſuccus, ſed in hoc male loquebantur, quia tranſmutatio debet rationẽ ſuam a fine ſuſcipere: finis verò eſt, vt per concoctionem generetur ſuccus. Quo pacto autem chylum per primam concoctionem generari diximus: eodem & ſanguis, cæterique humores per ſecundam in iecinore, eiusque venis ex chylo gignuntur: ibi enim noua fit tranſmutatio chyloſæ materiæ, nouaq; mixtio, & temperatura elementorum, nouusque iterum D calor ex ea materia, mutata priori temperatura, excitatur: qui inſitus, & innatus, propriusq; humorum calor eſt, a quo regitur, & cõſeruatur mixtio: verum ſine calore iecinoris, nequit generari ſanguis, neque etiam cæteri humores, re vera enim duo hi calores in vnum conueniunt, & ex eis fit vnus calor, qui tanquam proximum, & vt aiunt, adæquatum efficiens eſt ſanguinis, & aliorum humorum, qui ita ſe habent inter ſe, ſicuti ſe habere calorem inſitum, vel innatum ſimplicium membrorum cum calore influente illi a corde, diximus: nempè quod calor iecinoris eſt veluti forma & calor proprius humorum & quaſi materia: ita etiam neque conſeruari poſſunt humores, niſi gubernentur, & conſeruentur ab E vtriſque his caloribus: adeo vt quicunque ex eis deficiat a cuſtodia, & proprio munere, ſtatim neceſſe ſit humores putreſcere. Vnde rectè dixit Hipp. quòd cum ſanguis extra venam exit, eum neceſſe eſſe corrumpi, & in pus verti. In febribus quoque intermittentibus humores extra venas expulſi, ibi putreſcunt, & febrem accendunt ob id quia deſtituti ſunt a calore naturali ipſius iecinoris, a quo fouebantur, dum in venis erant: ille enim erat naturalis locus in quo ſeruabantur. Sed & alio modo non rectè adminiſtrantur humores vel etiam in venis ob earum videlicet defectum: vtpote quia calor ipſarum venarum, quæ in hoc munere ſunt vicariæ iecinoris, excedit proprium, & naturale temperamentum, & ad igneam naturam accedit. Præcipua uero cauſa, quę naturalem temperiem naturalis caloris in omnibus noſtri corporis particulis conſeruat, vt Galen. lib. de vſu pulſus, & reſpirationis demonſtrat, & eius euentatio, & reſpiratio, Vnde cum illa intercipitur, prohibeturque, ſtatim calor naturalis ſuos limites excedens fit præter naturam: hanc vero diffiationem, & euentationem caloris, vt priori capite expoſuimus, prohibent ac intercipiunt obſtructio, & cutis condenſatio, vel conſtipatio. Calor vero alter, qui ipſis humoribus inſitus eſt, a ſuo officio deficit, quando ipſe ſtatim a primo eorum ortu imbecillior fuit, quàm, vt potuerit exquiſitè obtinere, & ſuperare ipſam materiam: & eam defectionem humido proprio, illi ſiccum commiſcendo, præſtare, quam requirebat ratio humoris generandi. Illud vero contingit interdum vitio ipſorum ciborum: Interdum vitio ventriculi, vel iecinoris malè coquentis. Vitio quidem ciborum, quando illi tantam habent humiditatem, vt illa neque probe coqui, neque tantùm ſucci cum ea commiſceri poſſit, quantum ratio requirebat, ſicuti contingit in eſu fructuum, qui ὡραῖοι a græcis, fugaces autem dicuntur a quibuſdam latinis: nam ſicut illi facile, & citò ob nimiam eorum humiditatem putreſcunt: ita eadem de cauſa ſanguis, & vniuerſum alimentum inde genitum facilè putreſcit: ita & quod ex oleribus gignitur. Calor itaque imbecillis factus facile, & ex leui occaſione vincitur. Ita etiam cibi alij ſunt, qui adeò frigidi ſunt, vt in concoctione alimenta frigida nunquam potuerint omnino a calidis vinci: vnde in crudos humores degenerant, in quibus calor ſuus natiuus valdè imbecillis euadit. Hoc vero ſæpe illis accidit, qui veſcuntur multis cucumeribus, cucurbitis, melone indo, pomis, pyris crudis, & aſperis, fungis, rapis, cibiſque vel malè paratis, vel non probè coctis: aut, vt ſuperiori capite declarauimus cum Gal. cibis, qui quantumlibet ex ſua natura boni ſint, malam tamen qualitatem contraxerint, vel ex eo quod conſeneſcentes iam inceperint putredinem, vel cariem, vel ſitum contrahere: vel ex loco, vbi ſeruati ſunt. Nam, & dum concoquuntur omnino aliqua putredinis ſemina ſeruant: quod quidem in vuis manifeſtum eſt: ſi enim inceperint putreſcere, vel ob humidam cœli conſtitutionem: vel quia ſeruatæ ſint ſimul in aceruum congeſtæ, vt trãſpirare nequiuerint: uinum quod poſtea ex ipſis, dum calcantur exprimitur, quamuis deinde bulliat, & clareſcat: attamen redolet ſemper putridum quẽdam odorem. Vitio uero tum uentriculi, tum iecinoris fit, ut humores faciles, & apti ad putredinem generantur: quando uel alterius eorum, uel utriuſque uis concoctrix aberrat: nam ſi fiat error inſignis in prima concoctione, non poteſt, ut eſt trita Gal. auctoritas, a ſecunda corrigi. Aberrant autem concoctiones hæ: aut defectu proprio: quia uel imbecilles ſunt ex frigida horũ uiſcerum intemperie: vnde crudi generantur humores: vel ex calida, vnde cibi corrumpuntur in nidoroſam qualitatem. Aut aberrant ratione alicuius extrinſecæ occaſionis, vt ex paruo aliquo ordine: ſicuti ſi quæ deberent præmitti, poſtponantur: aut ex importuna corporis motione, dum cibus coquitur: vel ex cogitationibus, & ſtudio: vel venere: vel ex nimia crapula: vel quia antequam ſit primus cibus confectus, alter ingeritur, aut tantus potus ingurgitatur, vt deinde fluctuet in uentriculo. Hæ itaque ſunt cauſæ, cur putreſcant humores febres excitantes: quæ tamen in duo capita referri poſſunt, in cauſas efficientes, & materiales: efficientes ſunt prohibita trãſpiratio, uel euentatio: hæc enim efficit, ut a calore alieno ſuperetur calor proprius: iſtius uero prohibitionis in cauſa eſt, tum obſtructio uenarum, uiſce-

A rum aut meatuum exiguorum: tùm vero conſtipatio, vel condenſatio: obſtructio fit aut à multitudine, aut a craſſitie: aut à lentore humorum: conſtipatio à frigore, vel ab aſtringentibus, vel ab arefactione. Ceteræ vero potius ſunt materiales, ob id, quia generant materiam aptam ad putredinem. Hic autem noſtri latini, & qui Auic. exponunt, diſputāt, an poſſit in noſtro corpore putredo accendi abſque hac prohibita tranſpiratione; an potius ſit ea ſemper

Cap. 4. neceſſaria: multaque ipſi in hac re conculcant. Nos tamen breuiter rem hanc expediemus: & quamuis eorum nonnulli concedunt, quod ſemper cum febre putrida ſit obſtructio, non tamen concedunt, B quod prohibita hæc euentatio àb obſtructione, vel conſtipatione ſit cauſa neceſſaria putrefactionis, & febris putridæ. Galen. tamen vbique refert eſſe cauſam neceſſariam, vt ab ea videlicet putrida febris, & putrefactio efficiatur, vt patuit ſuperioribus capitibus, clariſſime autem 11. Meth. id explicat, cùm ait, in duobus libris monſtrauimus quantam vim habeat reſpiratio, & pulſus ad hoc, vt calor corporis difflatione & ventilatione in ſua natura conſeruetur: ex quo deinde fit vt ſiquid eorum, quæ in corpore ſunt à putredine corripiendum ſit, opus ſit has intercipi tranſpirationes: & paulò ſuperius illa tantùm corpora putreſcere dixit, quæ cùm calida, & humida ſunt, neque perflata, neque ventilata in loco calido, & humido manent. vnde, & eodem libro & vbicunque agit de ratione curandi febres putridas, ſemper eius indicationis meminit, quæ ab obſtructione depromenda eſt. Neque eorum cauilla, vel rationes quicquam valent. Nam facile diſſolui poſſunt, vt illius exemplo oſtendam, cui illi plurimùm nituntur, & eſt de putrefactione chyli in ventriculo: vbi manifeſtum eſt, quòd ex calida temperatura ventriculi corrumpitur chylus in ventriculo: ex frigida enim cruditas generatur: vnde propterea putrefit chylus: quia eius natiuus calor in alienum, & igneum verſus eſt: at ſi rectè, & pro ratione fuiſſet ventilatus, nequaquam in igneum, & extraneum fuiſſet conuerſus. Sed de his ſatis, ſuperque a nobis dictum ſit. Quæ ſi rectè percipitis: & ea contuleritis cum primo cap. Auicen. 2. tract. vbi de cauſis putredinis agit, illud per hæc optime explanari poſſe videbitis. Accedamus modo ad ſecundum librum de diff. febr. poſtea quam hecticarum conſiderationem, vt ſuperius diximus, breuioris & clarioris doctrinæ gratia ad eum librum diſtulimus.

VICTORIS TRINCAVELLI PHILOSOPHI, AC MEDICI VENETI,

IN SECVNDVM GALENI LIBRVM DE DIFFERENTIIS FEBRIVM EXPLANATIO.

Reprobatio eorum, qui putabant omnem febrem putridam fieri ex abundantia ſolius flauæ bilis.

Cap. I.

AT illud ſupereſt, vt febrium differentias, quæ in humoribus accendũtur, percurramus, &c.] Quemadmodum diximus ſtatim ab exordio iſtius operis, cùm tres ſint primæ differentiæ febrium, vel prima, & ſumma genera, à materia triplici, in qua accenditur calor igneus, qui febris dicitur, ſuam habentia rationem: quæ quidem genera & ipſa per ſuas particulatim differentias diſpertita in multas, & differentes ſpecies deſcendunt: cumque horum generũ nullum ſit, quod in plures differentias, & inter ſe magis differentes natura, & forma, & ſymptomatibus, & ſubinde etiam curandi methodo diuidatur, quàm genus putridarum febrium, & proinde etiam: quod longiorem requirat diſquiſitionem: Ideo in primo iſtius operis libro de omnibus his tribus generibus in vniuerſum, & ſecundum eorum generales rationes tractationem prius inſtituit: poſtea vero particulatim de illis duobus, quæ ſimpliciora erant, diſtinctè per eorum differentias etiam vltimas ſermonem habuit: at tertij nempe eius, quod ex putreſcente humore

A excitatur, particulatim, & per ſuas differentias tractationem in hunc ſecundum librum diſtulit. In præſentia ergo de omnibus febrium putridarum differẽtijs, quantum ad earum generationem, & naturam pertinet, acturus eſt, & ad ſigna, quibus & dignoſcendæ, & diſtinguendæ ſunt. Verùm quia ars ſemper naturæ eſt imitatrix: natura vero cum quidpiam gene-
B ratura eſt, remouet prius, ſi quæ ſunt in ſubiecta materia contrariæ affectiones: poſtea propriam, & intentam formam inducit: Propterea ſolent auctores, qui theorema aliquod expoſituri ſunt: ſi qui fuerint errores ad illud pertinentes, eos prius refellere: mox id, quod verum eſt: docere. Ita igitur & Gal. facit: cùm eo tempore falſa quædam quorundam medico-
C rum opinio vigeret, qui omnes in humoribus accenſas febres ex vno, & eodem humore, non autem ex diuerſis, & pluribus excitari, hoc eſt, ex bile putabãt, ideoque accendi, quia plurima congeritur in corpore amara, vel flaua bilis, nec eſſe neceſſarium, vt putreſcat ad hoc, vt febris gignatur, opinari videbantur: quatenus ex rationibus Gal. poſſumus con-
D iectari. Vnde aduerſaria quaſi videtur horum opinio opinioni ſuperius in primo libro recitatæ: & in Athenæum auctorẽ relatæ: ſentiebat enim ille omnem febrem ex putredine fieri: hi vero has etiam quæ in humoribus accenduntur, citra putredinem accendi volebant, quaſi ſola copia bilis, cùm illa augetur, febrem afferre poſſit. Vnde ſicut illi alia duo
E genera tollere voluiſſe videbantur, ita hi genus putridarum. Cur autem hi putauerint, quod omnis eiuſmodi febris ex bile fiat, rationem non exponit Gal. Sed potuere forſitan hac ratione moueri, quoniam, vt & ipſe Gal. affirmat, & Hippoc. inſinuat, febris eſt affectus calidus, & ſiccus: ergo cùm accenditur, accendi non poteſt, niſi ab humore calido, & ſic-

& ſicco: omne enim agens, vt Ariſtot. in naturalibus libris teſtatur: nititur ſibi illud aſſimilare, in quod agit. In duobus ergo videntur aberrare hi. Primum, quia putent, quod ex ſolo excremento bilis poſſit gigni febris. Deinde, quod exiſtiment ex ſola bile febres accendi. Quare, & vtrumq; errorem remouet Gale. & primò quidem primum repellit ratione deducente ad id, quod falſum eſt, & contra experientiam: vt in hunc modum ratione formemus. Si ſola bilis copia in corpore congeſta citra aliam cauſam febrem accenderet, omnes illi febricitarent, in quibus multa eſſet bilis copia adaucta: ſed hoc eſt falſum, & contra ſenſum, & experientiam: ergo, & id, ex quo deductum eſt. Quòd autem conſequens id falſum ſit, oſtenditur: quia in auriginoſis, vel, vt Græci appellant, in ictericis copioſa collecta eſt flaua bilis, neque tamen plerique eorum febricitant. Vnde oportet aliquid aliud adeſſe ad hoc, vt febricitent: id verò eſt, quod opus eſt aliam cauſam accedere, ob quam ipſa putreſcat: nunquam enim febrem excitabit, niſi putreſcat. Sed de hoc, ait ipſe, paulo poſt eſt habendus ſermo. Contra vero errorem ſecundum, quod nō omnes eiuſmodi febres ex bili flaua ortum habeāt, probat deſumpto argumēto, & ab ijs, quę ſolēt febres ex humoribus exorientes antecedere, quaſi earum cauſæ, & ex ſymptomatibus, quæ concomitari, vel conſequi ſolent, & ex corporibus eorum, qui maximè proni, & apti ſuapte natura ſunt, vt in has febres incidant. Ratio vero in hunc modū ſe habet. Tertiana quartana, ac etiam quotidiana in omnibus his enumeratis adeo ſunt diuerſæ, & fere contrariæ, vt nequeant omnino fieri, quod ab eodem humore omnes originem habeant. Quòd vero in his ea omnia diuerſa, & pene contraria reperiantur per inductionem ab experientia acceptam facile oſtendi poteſt. Tertianæ enim frequentiſſime ſolent exoriri in corporibus, quæ aptiſſima ſunt ad generandam multam bilem, qualia ſunt calida, & ſicca: in ea item ætate, quæ maxime eſt ferax bilis, vt eſt iuuentus, & in ea omni tempeſtate, & conſtitutione, in qua multa gignitur bilis, ſicuti in ætate, quæ calida, & ſicca eſt: item in calidis, & ſiccis regionibus, in ijs etiam, qui victu vtuntur apto ad bilis procurationem, nimirum laboribus, ſolicitudinibus, cibiſque, calefacientibus, & ſiccātibus. Præterea ſymptomata omnia, quæ frequentia in his febribus ſunt, bilis copiam demonſtrant: vomitus enim billioſi ſunt, vrinæ, excrementa alui, & ſudores. At in quotidianis omnia ſecus, & ſecundum oppoſitam rationem ſe habere vnuſquiſq; obſeruare poteſt: nam in ea maxime familiaris eſt illis, qui maximè pituitoſi ſunt, vt qui frigidi ſunt, & humidi ſuapte natura, & qui alioqui pituitam generant: & in ætate, in qua plurima ea gignitur, vt ſenili ob defectum caloris, & puerili ob ingluuiem: in omni tempore frigido: in quo multa fit pituita, vt in hyemale, itidem in regionibus frigidis, & humidis, in vita otioſa, in multis crapulis: ex ijſque erroribus, vnde impeditur concoctio: vt ex balneis, aut motu, aut venere, aut ſtudio: ſed nec vomitus in his ſunt admodum bilioſi, quia potius pituitoſi: nec alui excrementa, nec vrinæ referunt bilem. Secundum vero eundem modum quartanas videmus excitari in corporibus, in ætatibus, in anni temporibus, in regionibus, maximè procliuibus ad generandum melancholicum humorem, ac in victus ratione eidem generando apta. Verum, & ea ſymptomata, quæ in acceſſionum principijs ſolent apparere, admodum diuerſa ſunt. Præterea id enim quod in exquiſita tertiana in principio morbi ſtatim manifeſtus apparet rigor, vt poſterius dicemus, forma etiam rigoris valde diuerſa eſt ab eo, qui in quartanis percipi ſolet. Nam in tertianis percipitur veluti res quædam pungens, & mordicans, oſtendens tenuem, & acrem, calidumque humorem. In quartanis vero eſt ſenſus rei refrigerantis. Et proinde nemo ſanæ mentis compos iudicare vnquam poterit ex eodem humore has febres adeo diuerſas in omnibus originem habere poſſe. Sed eſt aduertendum, quod rationem ſuam ad has febres redigit, cùm exquiſitæ ſunt, quia in illis ſigna magis conſpicua ſunt, & ſynceta: nam cùm non ſunt exquiſitę, ſicuti mixta, & notha eſt febris natura: ita etiam & ſymptomata, & ſigna confuſa ſunt. Eſt item aduertēdū, quod, quia aliquis poſſet à Gal. expectare, vt rationem iſtius diuerſitatis rigoris in his febribus exponat, & cur in intermittentibus rigor appareat, ſecus vero in continentibus. Ideo Gal. cauſam reddit, cur hęc prætermittat: ea vero eſt, quòd exquiſite in 2. de cauſ. ſymptom. hæc tractata ſunt, quamuis copioſius etiam in libello de trem. rig. palpit. & cordis vul. id ipſum expoſuerit, in quo etiam libro de cauſ. ſympt. (inquit ipſe) egimus, de earum febriū ratione, quæ ad idem genus pertinet, ſicuti tertiana intermittens ad idem genus pertinet cum tertiana continua, intermittentem vero in his tribus generibus putridarum febriū eam appello: cuius acceſſio definit in quietem febre vacantē, quantum per ſenſum iudicari poteſt. Quod dixit, quia non adeo vacua eſt ea quies, quin ſemper aliqua putredinis indicia, vel febris conſpici, & obſeruari non poſſint, ſi diligenter aduertatur, ſaltēm in pulſu; ſed ſenſu iudicatur, quantum ad calorem pertinet, corpus febre omnino vacare. Nam hoc peculiare eſt in ephemeris, quòd deſinant vndique & omni ex parte, tàm quo ad caloris ſenſum, quàm etiam quo ad omnia ſymptomata, in febris vacuitatem. Poſtremo loco ſummatim, & per capita differentias iſtarum duarum febrium ad idem genus pertinentium exponit, & inquit, quod in intermittente febre humor expulſus extra venas, vel vaſa, qui febrem facturus eſt, fertur per particulas omnes diſperſus, & ibi putreſcit: nam ſi ad vnam tantum decumberet, inflammationem excitaret, vt ſuperius diximus. In continuis autem non expellitur extra vaſa, ſed in eis concluſus, & putreſcens febrem accendit. Eadem itaque materia, & intermittentem febrem, & continentem gignit, & ideo vtraque ad idem genus pertinet, vt 2. de criſ. docuit Gal. quia propriæ, & per ſe differentię, vt à principio diximus, illæ in primis ſunt, quæ à materia in qua febris accenditur depromi ſolent: quæ vero à ratione intermiſſionis, vel continentiæ accipiuntur, è quodam potius febris ſymptomate deſumuntur, vt Galen. videtur dicere primo libro comm. in 6. Epid. id enim illi accidit ratione loci, in quo putreſcit humor. Multa præterea eſſent, quæ poſſent huc transferri, quæque ad intelligentiam eorum: quæ hoc loco dicta ſunt, non parum conducerent: ea tamen in præſentia nos prætermittimus, quia inferius loco accommodatiori erunt explicanda. Ne ergo tempus in illis repetendis inaniter conteramus, accedamus ad ſequens caput.

De communibus differentijs febrium putridarum. Cap. II.

INtermittentium igitur tres ſunt omnes differētiæ numero, quotidiana, tertiana, & quartana. &c.] Methodus inueniendarū differentiarum alicuius generis ad vltimas vſque, vt ſtatim ab initio vtrorumq; horum librorum, quos ſuſcipimus explanandos, oſtendimus, eſt diuiſio, & proinde ſemper fere diuidendo procedit in hoc libro Galen. Diuiſo itaque genere febrium putridarum in fine præcedentis capitis in con-

continentes, & intermittentes: & in præſentia vlterius progreditur, & intermittentes in tres partitur ſpecies, vel differentias, in quotidianam, tertianam, & quartanam: penes triplicem differentiam humorum, è quorum putredine accendi febris poteſt: hi vero ſunt pituita, bilis, & humor melancholicus. Sed ſtatim dicet aliquis, nonne etiam quartus humor, qui ſanguis proprie appellatur, poteſt putreſcere, & febrem accendere? Ad hoc dicimus duo. Primum, quod poteſt quidem putreſcere, verum febris ea non erit intermittens, ſed continens: nam, vt & Auic. inquit, locus, in quo ſanguis putreſcit, cùm putreſcit, ſunt venæ: & ideo diſquiſitio hæc non pertinet ad præſentem locum, in quo de intermittentibus inſtitutus eſt ſermo. Deinde vero, & hoc addimus, quòd cùm putreſcit ſanguis, ad eandem differentiam ea febris pertinet ad quam, & illa, quæ ex bile putreſcente accenditur, quia & ſanguis, cùm putreſcit, mutata propria natura, ad naturam bilis accedit. Sed quoniam in ſequentibus diffusè diſputanda eſt hæc quæſtio: ideo in eum locum differemus hanc tractationem. Continuarum vero eadem itidem partitio eſt, accepta ratione partitionis à materia putreſcente. Nam, aut ex bile flaua ortum habent, aut ex bille atra, aut ex pituita. Sed hæ differentiæ continuarum non habent nomina propria, ſaltem plurimæ illarum, vt oſtendemus paulo poſt, neque tamen propterea hæ differentiæ natura ſunt indiſtinctæ. Continuarum itaque febrium aliæ quidem ſimpliciter continuæ ſunt, & veræ, quæ nullam ſimilitudinem habent cum intermittentibus. In intermittentibus ſiquidē omnibus per periodos fiunt acceſſiones. His autem ſimiles ſunt illæ, quæ licet non intermittant omnino ita, vt ad vacuitatem febris acceſſio terminetur, inſigniter tamen febris remittitur. Quæ vero abſolute continuæ à priſcis medicis dicebantur, illæ ſunt, quæ nullas habent periodos, nec remiſſiones: ſed vniuerſa febris ab initio vſque ad finem eſt, quaſi vna acceſſio. Hanc autem ſynocham poſteriores medici appellauere. Vnde ea continentis febris differentia, quæ periodis manifeſtis diſtinguitur, vt inquit Gal. 3. lib. comm. in pri-
om. 20. mum Epid. quaſi media eſt inter eam, quæ vere intermittens eſt, & illam, quam antiqui abſolute, & ſimpliciter continentem nuncupabant: nam cum iſta collata intermittentis videtur rationem habere: cum intermittentibus autem, continens dici poteſt, & hæc ea differentia eſt, quæ non aliud habet nomen, niſi commune generis, nempe febris continua, vel continens. Hæc vero diuiditur eodem modo, ſicut intermittens. Nam, aut tertianarias periodos habet, aut quartanarias, aut quotidianas: ob id, quia hæ periodi naturam putreſcentium humorum ſequuntur, vel eorum motum: nihilo enim differunt ab intermittentibus, niſi quòd in intermittentibus idem humor extra vaſa putreſcit, in continentibus vero intra. Eſt tamen hic animaduertēdum, quod, vt hoc in loco ait Gal. ex putredine bilis, poſſunt ambæ hæ continuarum febrium differentiæ primæ excitari, & ea continua, quam dixit ipſe vocari ſynocham à poſterioribus medicis, & illa etiam, quæ periodica dicitur. Iſtius autem rei cauſam refert inferius Gal. Ex alijs autem humoribus tantum accenditur continua febris, quæ ſimiles habet periodos intermittentibus. Præterea, & id aduertendum, quod ſynocham, quatenus ex verbis eius percipere poſſumus, cum cauſo, vel febre ardenti in eodem genere collocat. Nam ait, quod continuarum, quę ex bile flaua proueniunt, duplex eſt ſpecies, altera, quæ per periodos inuadit, altera, quæ ſynocha dicitur. Vt autem progrediente ſermone videbis, cauſus febris eſt, quæ ex bile putreſcente ortum habet, nec ab exquiſita

A tertiana in alio differt, niſi putredinis loco. Hoc vero conſentiens eſt cum decretis Gal. qui febrem ex putredine ſanguinis refert ad genus febrium bilioſarum, ſicuti voluit, quod ſanguis putreſcens ad naturam flauæ bilis accedat. Vnde apud ipſum Galen. duæ ſunt febris ardentis differentiæ, vel, vt potius hic videtur innuere, ſynochæ. Altera eſt, quæ exquiſitus cauſus, vel febris ardens exquiſita dicitur, & eſt ex bile exquiſita. Altera vero ex ſanguine, qui ob putredinem accedit ad naturam bilis, & hæc plerumq; ſynocha putrida abſolute dicitur. Sed de his ſuo loco plenius, & planius agemus. Tertiò, & illud eſt aduertendum, quod periodus tertianarū febrium alternis diebus ſuas habet acceſſiones: quartanarum
B quarta quaq; die: quotidianarum, quotidie. Sed hoc intelligendum eſt, ſi febres ſimplices fuerint: nam, ſi fuerint multiplices, hoc eſt, ſi non vna tantum, ſed plures, poſſunt, & illæ, quæ ad tertianarum genus pertinent, & illæ, quæ ad quartanarum, quotidie habere acceſſiones: poſſunt enim ſimul duæ tertianæ coniungi, quarum altera prima die acceſſionem habebit: altera vero ſequenti die, quæ tamen acceſſiones ſibi reſpondebunt alternis diebus: tertia ſiquidem acceſſio ſimilis, & hora inuaſionis, & magnitudine, & reliquis ſymptomatibus erit primę, & quarta ſecūdæ, & hic erit modus, ſeu forma duarum tertianarum: vnde appellabuntur duæ tertianæ: nō autem quotidiana, vel amphimerina, ſiue cōtinuę ſint,
C ſiue intermittentes. Neque tamen aliquam iſtarum febrium, nempe, neque eam continuam, quæ alternis tantum diebus nouam habet acceſſionem: neque illam etiam, quam ex duabus veluti tertianis conſiſtere diximus, & intermedia quaque die alteram habet acceſſionem, Gal. inquit, ego ſemitertianam, vel græce ἡμιτριταῖον ſolitus ſum appellare, ſicuti forſitan aliqui alij nuncupabant. Nam hæmitritæum, vt inferius ipſe exponit, eam febrem vocandam cenſet, quæ ex tertiana intermittente, & quotidiana cōſtat. Sed de his poſtea. Eas vero, quæ ad bilioſarum febrium genus pertinent, quæque acceſſiones, vel periodos tertianarios habent, ego, ait ipſe, τριταιοφυεῖς voco, hoc eſt, τὴν φύσιν τοῦ τριταίου, id eſt, tertianæ naturam referentes. Iuniores Latini proportionales
D tertianas nuncupāt, ſicut alias proportionales quartanas, vel quotidianas. Verum, quia ſemper mihi inutilis viſa eſt, ſuperuacaneaque de nominibus contentio, dummodo in rebus conueniamus, permitto, vt quiſque prout illi magis libuerit, appellet. Dicit Gal. nobis tamquam documentum relinquens, vt in ijs tantum inſiſtamus, quæ ad rem ipſam percipiendam aliquam vim, vel aliquod habent momentum: non teramus autem tempus in illis contentionibus, quæ vtilitatem nullā, aut modicam afferre poſſunt. Hoc vero magis aduertendum eſt, quod ſi acceſſiones in febribus continentibus quotidie excitentur, non ſtatim iudicemus eam febrem amphimerinæ naturam referentem eſſe, vel quotidianæ, ita vt ex
E pituita putreſcente accenſam eſſe exiſtimemus, ſed reſpiciendum eſt ad naturam, & ordinem acceſſionum. Nam, ſi omnes fuerint vndequaque ſimiles, poſſumus rationabiliter putare, eam ad genus quotidianæ, & pituitoſæ eſſe referendam. Sed ſi tertia, primæ, & quarta ſecundæ ſit ſimilis, & ita ſubinde alternatim, potius hæc ex proportione reſpondere putanda eſt duabus tertianis, aut continuis, ſi acceſſiones ſolum remiſſiones, non intermiſſiones habuerint, aut intermittentibus: ſi verè intermiſerint. At ſi quarta, primæ, & quinta ſecundę, & ſexta tertiæ fuerit ſimilis, erunt omnes quartanæ: nam, & poſſunt duæ, & tres, & quatuor coniungi quartanæ febres, tàm continentes, quàm intermittentes. Ego enim in me tres paſſus ſum aliàs quartanas, ſed quę muta-

bantur: aliquando enim duæ erant, interdum vero, A ſed rarius tres. Paucis autem ante annis excellentiſſimus,& clariſſimus medicus Antonius Vrſatus Venetijs, vſque ad quatuor, & aliquando ad quinque paſſus eſt,& aliquæ earum videbatur continuæ. His autem diebus nuper elapſis viſitaui in eadem ciuitate adoleſcentulum nobilem, qui inciderat in tres manifeſtiſſimas quartanas. Verum ait Gal.hanc cõmixtionis febrium contemplationem potius ad libros de typis, hoc eſt, de febrium formis, vel figuris, quàm ad præſens negotium pertinere: quamuis de hoc etiam ipſe ſit poſterius tractationem inſtituturus. Vbi eſt aduertendum, quod ſicut ex libro illo colligi poteſt,qui inſcribitur contra eos, qui de typis ſcripſere, non vnum, ſed plures iſtius argumenti li- B bros compoſuere.Et impreſſus eſt liber ſcriptus Gal. de typis, qui quantum ego iudicare poſſum, non eſt Gal. ſicuti nec ille, qui contra eos diſputat,qui de typis ſcripſere. Nam mihi neque phraſim Gal. neque eius doctrinam videtur ſapere: immo,& multa in eo continentur, quæ diſſentiunt à Gal.doctrina:imprimis vero,quæ de hemitriteo ibi proferuntur. Et ſi enim appellationes, & nomina non eſſe tanti iudicet, vt de eis ſit diſceptandum, ſemper tamen, cùm ex ſententia ſua loquitur,hemitritæum ita interpretatur,ſicut hic. At de hoc ſuo loco ſermonem habebimus. Sed,& illud debetis notare, quod & verum reperietis,ait enim Gal. raro excitari quartanas continentes. Poſſumus etiam de differentijs ſynochæ, C videlicet,de acmaſtica, paramaſtica, & homotona multa dicere: verùm, quia poſterius quoque de his accidet ſermo, ideo nolumus præſentem ſermonem vlterius proferre.

De exquiſita tertiana. Cap. III.

QVAE autem ex humoribus ſimplices febres accenduntur,tot numero ſunt, quot nuper à nobis ſunt explanatæ,&c.] Per diuiſionem generis putridarum febrium per omnes ſuas differentias iam ſpecies omnes,ad vltimas vſq; perſcrutatus eſt. Vnde reliquum eſt,vt doceat, qua ratione alteram ab altera dignoſcere poſſimus:neque enim rectè curabimus has febres, niſi particulatim, & diſtinctè eas cogno- D uerimus.In ſequentibus ergo capitibus huiuſce libri, ſicuti etiam facit in eo libro, quem ad Glauconem ſcripſit, hoc imprimis agit, vt doctrinam nobis tradat.qua ſint facilè cognoſcendæ, & diſtinguendę hæ febres. Sed anteaquam negotium hoc aggrediamur, quædam exponenda occurrunt, quibus ignoratis, non facilè perciperentur ea, quæ in principe iſtius capitis parte deſcripta ſunt. Ea vero ſunt,quòd tanquam conſtitutum iam accepit, tot ſecundum numerum eſſe ſimplices febres ex humorum putredine excitatas, quot ſuperiori capite diuidendo inuenimus: nam licet,& aliæ ſint, quæ ab his diuerſæ videantur,illæ tamen ad iſtas tandem referendæ ſunt, quia conſtant ex his mutuò commixtis: interdum E enim duæ tertianæ,vel duę quartanæ,vel tertiana cũ quartana, vel cum quotidiana complicantur, & ſic ſubinde.Sed de his poſtea ſermo erit habendus,quia his cognitis facilis erit, & illarum cognitio. Hoc ergo primum accipit. Deinde vero,quòd harum ſimplicium, aliæ ſunt exquiſitæ ſimplices, aliæ autem non exquiſitæ. Id ergo eſt exponendum, quomodo intelligendum ſit, quaſdam eſſe exquiſitas ſimplices,quaſdam non eſſe. Aduertatis igitur, quòd in febribus duplex poteſt eſſe mixtura, altera quidem ratione acceſſionum, & naturæ febrium: altera vero ratione materiæ, ex qua acceditur febris. Sed exempla rem hanc clarius demonſtrabunt. Contingat itaque, vt aliquis duabus tertianis febricitet, vel ſimul tertiana, & quartana, ita tamen, vt acceſſiones harum febrium ſeparatim,& diſtinctis diebus,ac horis hominem inuadant. Febris hæc compoſita erit ex pluribus acceſſionibus, quarum vnaquæque propriam habet,& diſtinctam materiam, diſtincta etiam ſymptomata, vt altera ab altera facile diſcernatur. Vnde vniuſcuiuſque acceſſionis materia ſeparata eſt, & ſæpiſſime loco,& ſubiecto. Aliquando vero vna, & ſimplex eſt febris, quæ ſimplices habet acceſſiones, quæ per ordinatas periodos procedunt: erit enim aut vna tãtùm,& ſola tertiana,aut vna quartana: pendebit tamen non ab vna tantùm, & eiuſdem rationis materia,ſed materia illa erit diuerſa,& multiplicis naturæ, vtpote, quia erit ex duobus humoribus ſimul commixtis, & confuſis,vt quaſi factus ſit vnus humor: ſicuti ſæpe bilis,& pituita ſimul miſcẽtur,& ex eis euadit bilis quædam craſſior, quæ partim refert naturam bilis, partim pituitę: dum putreſcit autem, efficit vnam, ſimplicemque febrem, & vnam periodorum rationem: verum,& febris,& periodi,ſaltem quantum ad modum caloris,ad tempus afflictionis, & ad reliqua ſymptomata pertinet, neque omnino referunt rationem febris bilioſæ, vel tertianæ exquiſitæ ſimplicis, neque pituitoſę, ſed ea omnia ferè confuſa ſunt, & quaſi ex vtriſque complicata. Hæc ergo febris ſimplex quidem eſt, quia vnica eſt, non eſt tamen exquiſitè ſimplex: quia mixta eſt cauſa, vnde accenditur, mixta ſunt, & confuſa ſymptomata omnia, quæ febrem ſequuntur. Et propterea eiuſmodi febres tertianæ nothæ, vel ſpuriæ ſolent nuncupari. Quæ vero ex ſola, & ſincera bile ortum habent,exquiſitę tertianæ: & eodem modo exquiſitę quartanæ, & exquiſitæ quotidianæ. Et ita ſubinnuit harum febrium ſimplicium aliam,& poſtremam partitionem, cuius hactenus nulla fuerat facta mentio, in notham, & ſyncerã,vel exquiſitam. Et quamuis diſtinctè, neque hic, neque in libro artis ad Glauc. ſigna nothæ non explicet, diſtinctè tamẽ, & huic rei dicato capite,& cura nothę tertianæ agit, vt videbimus ſuo loco. Neque tamen propterea hoc vitio dãdum eſt Gal. quia, vt dicere ſolitus eſt Ariſt. rectum eſt iudex ſui,& obliqui: ita etiam, ſi quis exactam habuerit notitiam febris exquiſitę, & ſyncerae, facilè per ſe, & ſponte poterit febrem notham cognoſcere. Nam,cùm ea ſigna non apparent, quę ſynceram bilem,ſynceramque tertianam ſolent demonſtrare: tertianam tamen quiſpiam viderit, notham tertianam iudicabit: & quo magis ea deficient ab illis ſignis, quæ exquiſitæ propria ſunt, eo magis à ſimplicitate, & ab exquiſitæ febris ratione deficient. Sed de his ſatis,ſuperque. De ſignis ergo harum febrium agamus,quibus ſunt diſcernendæ. Verum,vt res methodo aliqua procedat, & vt eorum, quibus dignoſcendæ ſunt hæ febres, natura, & ratio percipiatur,aduertendum eſt, quòd quædã ex his febrem præcedunt,aliqua comitantur, alia ſequuntur. Quæ febrem præcedunt, ſunt illa, quæ corpus paratum, & pronum efficiunt ad has febres. Nam,vt in priori libro à Galen. habuiſtis, in generandis morbis maximam vim habet corporum præparatio. Vnde Hipp. 3.Aphor. dixit, quòd quamuis omnes morbi poſſint omnibus temporibus procreari, frequentiores tamen alij fiunt in vno tempore, quàm alio: eo nempe tempore, cum quo ſymbolum habent. Et ita de ætatibus, de regionibus, de naturalibus corporum temperaturis, de victus ratione, & id genus reliquis intelligendum eſt. Ea vero ratione hæc omnia prona corpora in febres efficiunt, quia in his humores illi plurimi generantur,qui apta materia ſunt,in qua febres per putredinem accendantur. Exempli gratia, in calida, & ſicca temperatura plurima bilis generatur,in iuuenili ætate itidem, in æſtate, in victu cale-

Cap. Aph.19.

calefaciente, & exſiccante eo, vnde copioſa bilis gignitur,in regione calida, & ſicca,;in ſimili etiam anni conſtitutione. Sunt ergo hæ ferè omnes cauſæ quaſi materiales morborum, quia materiam morbis ſubminiſtrant, vt ſuperius expoſuimus : vnde non ſunt certa ſigna,ſicut neque cauſæ neceſſariæ ; ſed,q́ alijs addita certiorem reddunt cognitionem, & hæc præcedunt omnino morbum. Oppoſita vero omnia faciunt ad plurimam contrahendam pituitam,vt frigida,& humida intemperies, ætas puerilis, & ſecundum ſenium, hyemale tempus, regio frigida, & humida, eadem anni conſtitutio, vita otioſa, & victus idoneus ad generandam pituitam. Tēperatura vero frigida, & ſicca,primum ſenium, autumnus, regio frigida, & ſicca, cæteraque id genus ad melancholiæ generationem faciunt, ſicut victus huic rei accommodatus.Et quò plura horum cōuenerint, eo etiam fidem maiorem facient : nec in his longius ſermonem protrahemus.Reliqua vero ſunt ſigna,quę tùm à ſubſtantialiter inhærentibus accipienda erunt:tùm à ſymptomatibus.Signum à ſubſtantialiter inhærentibus eſt modus, & quantitas, ac motus caloris. A ſymptomatibus autem accipiuntur ſigna ſecundum tria genera ſymptomatum, quæ ſunt actio læſa, excrementa, à natura mutata, & corporis qualitas itidem mutata. Nam, vt primo Aph.declarat Gal. ſignum, & ſymptoma, vna, & eadem res eſt, ratione tantùm differens, quia, vt morbum concomitantur, & illi accidunt, vel ab illo cauſantur, ſymptomata, vel caſus dicuntur : vt vero deducunt nos in morbi cognitionem, vel eorum, quæ ad morbum pertinēt, ſignorum ſubeunt rationem. Ad actiones itaque læſas pertinent rigores, vel horrores, pulſus,ſitis, vigilia,dolor capitis,deiectio appetitus, & id genus reliqua. Ad excrementa autem vrinæ, alui deiectiones, vomitus, ſudores, & alia iſtiuſmodi. Ad qualitates mutatas color croceus, vel liuidus, vel pallidus, tumor faciei, vel ventris, & alia, quæ ad hunc modum ſe habent. Sed iam ſeriò agamus, & rem particulatim explicemus. Vbique ergo à rigore ad dignotionem intermittentium febrium ſumit Galen. exordium : quod quidem ſignum proponit,vt 5.cap.primi ad Glauc. innuere viſus eſt, tamquam id, quod plurima nobis poſſit oſtendere. Primùm, quòd febris ea ex putredine ſit accēſa: nulla etenim febris citra putredinem,vt hic ait Stephanus, rigorem affert, & vt ſuperius hoc idem ex ſignis ephemeræ potuit accipi. Deinde, quòd ſit febris intermittens : continens enim febris nunquam cum rigore incipit. De rigore ſiquidem illo ſermo eſt, qui ſolet acceſſiones inchoare. Nam in ardente febre ſolet iudicatorius rigor euenire, quo terminatur morbus iuxta Hipp. ſententiam in Aph. vbi inquit, a cauſo habito, ſi rigor ſuperuenerit,ſolutio fit. Sed id in vigore,& prope finem accidit. Tertiò,& differētiam demonſtrat, & diſtinguit has tres febrium putridarum differentias. Rigor enim ſecundum ſuam generalem rationem febrem a materia pendere ſignificat, & putreſcente: quia fit ex motu materiei, quæ tanquam noxia, & mala, & ad putredinem præparata confertim extra vaſa expellitur, ne in vaſis putreſcat, ſed potius extra, & inde fit vt febris intermittat : non enim intermitteret, ſi in venis contenta putreſceret, & hac de cauſa ſignum eſt febris putridæ, & intermittentis. Præterea, quia non omnis humor,qui extra vaſa expulſus fertur per membra, quę ſenſu prędita ſunt, eundem modum rigoris in initijs acceſſionum excitat,ſed diuerſus diuerſum: ideo, cum vnaquęq; materia proprium habeat modum rigoris, facile etiam poteſt per rigorem diſcerni, quæ ſit ſpecies febris. Sed anteaquam vlterius prouehamur, nonnulla de cauſa, & ratione dicamus, cur febris aliqua ſit inter-

Tom. 12.

A mittens,& alia ſit continens. Nam,& ſi dixerimus, quòd, id eſt, quia prior accenditur à materia extra venas expulſa : altera verò ex materia in venis contenta, hoc tamen non videtur ſatis eſſe ad intelligentiam iſtius rei:quoniam, vt Ariſt. docuit 1. Poſt. analy. ad rationem ſcientię exactæ non ſolùm oportet cauſam illius rei tenere, verùm,& noſſe, quod illius cauſa ſit. Vnde,quamuis etiam tamquam verum ſupponatur in febre intermittente humorem pelli extra venas, in continua vero in venis contineri, multi tamen non percipiunt, cur humor putreſcens extra vaſa intermittentem febrem, in vaſis autem continentem accendat. Ideo,& hoc clarioris intelligentiæ gratia explanandum eſt. Iſtius itaque rei

B proxima cauſa eſt, quia putridus humor, qui priorem accendit acceſſionem, cùm diſperſus, & digeſtus ſit per omnes externas particulas, prius diſſoluitur,& euaporat, quàm alter expellatur. Vnde gignitur altera acceſſio. Nam, cùm febrilis calor in membris à materia, & vapore impreſſus, non ſit calor factus, ſed qui ſemper in fieri, & tranſmutari ſuum eſſe habeat, eatenus tantum eſt, quatenus à vapore putredo fouetur : quare cùm ab illo deſtitutus eſt,ſtatim refrigeſcunt partes prius calidæ, atque interim corpus vacat omni febrili calore poſt deſinentem primam acceſſionem, vſque quò altera materia expellatur, & putreſcat, & tempus id intermiſſionis tempus eſt:quod quidem in aliquibus longum

C admodum eſt,vt in quartanis, in aliquibus breuiſſimum, vt in quotidianis : in alijs medio modo ſe habet,vt in tertianis. Sed dicent aliqui, nondum omnis occaſio dubitandi ablata eſt. Duo enim adhuc obſcura ſuperſunt, & quæ egent explanatione. Primum,cur extra vaſa materia putreſcens diſſoluitur, & digeritur antequàm altera accendatur,non autem in vaſis? Secundum vero, quæ ratio eſt, quòd intermiſſio in quartana plerumq; excedit duos integros dies : in tertiana diem, & ſemiſſem : in quotidiana paucas etiam horas.Ad primum dicimus,quòd multa conueniunt ſimul in putrida materia, quæ extra venas putreſcit, cur cito diſcutiatur, & euaporet. Primùm, quia diſperſa eſt per anguſtos meatus totius habitus ferè corporis : quæ verò in vaſis putre-

D ſcit,in vnum collecta eſt,& ſimul: facilius autem humor diſperſus diſcutitur, & diſſoluitur, quàm in vnum congeſtus.Quemadmodum enim aqua in vaſe quodam contenta, ſi ſoli exponatur, longiori admodum tempore egebit, vt à calore ſolis reſoluatur, quàm ſi diffuſa, & expenſa per latam aliquam planitiem eſſet. Ita à calore tum naturali, tum extraneo putrilago illa per particulas corporis diſperſa citius & facilius abſumitur. Præterea corpus, ſeu tunica venarum,& arteriarum denſior,& ſolidior eſt,quàm ſubſtantia muſculorum, qui eam materiam ſuſcipiunt : hæc enim rarior eſt, & ampliores meatus habet, per quos facilior, & promptior fit euaporatio. Sed, & illud his accedit, quòd cùm extra ve-

E nas putreſcit humor, non habet aliquod aliunde fomentum, quo putredo diutius proferri poſſit : quia in eum locum non excutitur materia, niſi per certas periodos, cùm tamen in vaſis ſemper ſit aliquis humor, vel cum putreſcente mixtus, vel illi contiguus, ad quem ſerpens putrefactio poteſt acceſſionem diutius fouere. Vt hoc etiam,cuius Auicen.meminit, non ſit prætereundum, quod putredo in venis cordi vicinior eſt, viæque, & ipſæ latiores ſunt, vt & citius, & diutius poſſit eſſe cordi moleſta,quàm ea,quæ loca exteriora obſidet. Alterum vero, quòd rationem periodorum requirit, ſuo loco poſtea explicabimus. Quantum autem ad rigorem ſpectat, eſt etiam aduertendum,quòd dum materia, quæ extra venas tempore acceſſionis lata per particulas

corporis diſpergitur, aliquando rigorem concitat, aliquando horrorem, & frigus: differunt vero duo hæc ſymptomata, non quidem natura, ſunt enim ambo motus ipſarum particularum ſimiles, & eiuſdem naturæ: ſed differunt, eò quòd rigor maior motus eſt, & muſculorum concuſſio: horror autem ad ſummas tantùm partes, & ad cutim pertinet, non autem ad profundiores: vnde in horrore videtur cutis quaſi denſari, vt aſſimiletur cuti anſerum deplumatarum, & villi cuti hærentes erecti manent: minor ergo motus is eſt, & cauſam minorem habet. Quibus ita expoſitis, ſi rigorem accipiamus generaliore, & communiore quadam ſignificatione, nempe, vt comprehendit tam rigorem, quàm horrorem, erit ſignum proprium, & inſeparabile intermittentium febrium: nam omnes cum rigore vero, aut horrore habent incipientes acceſſiones. Sed ſi rigorem in proprio ſignificato acceperimus, erit quidem rigor ſignum proprium in initio acceſſionis, non tamen inſeparabile, quia ſoli febri interpolatæ, vt aiunt, contingit, non tamen omni: ſiquidem tertianarum, & quartanarum acceſſiones cum rigore inchoant; quotidianarum vero minime, ſed tamen cum horrore, ſicuti paulò poſt dicet Gal. De modo autem, & cauſis generationis rigoris, & horroris, in ſequentibus lectionibus ſermonem habebimus cum Galen. Nunc autem exponamus, quonam pacto tres hæ differentiæ febrium intermittentium ex rigore diſcernantur. Tertiana quidem, quæ exquiſita eſt, ſtatim à principio acceſſiones habet, quæ cum valido rigore, & vehementi membrorum concuſſione incipiunt. Quartanariæ vero ab initio quidem nunquam cum vehementi rigore inchoant, ſed cum febris protrahitur, & humor aliquam ſuſcipit concoctionem, tunc, & in eis magni fiunt rigores. Magnitudine ergo rigoris inter initia morbi differunt hæ duæ febrium ſpecies. Morbo vero ad rigorem accedente, ſimiles fiunt. Quòd ſi dicas, poſſunt ne, & eo tempore diſcerni? Poſſunt ſane, inquam, non quidem ex motu membrorum, ſed ex ſenſu. Nam, cùm ſemper in rigore ſenſus quidam triſtis, & moleſtus, dum fertur materia illa mala per ſenſientia membra, excitetur, pro ratione diuerſæ naturæ ipſius materiæ, diuerſus concitatur ſenſus. In tertiana, quia bilis tenuis, & acris eſt, & calida, percipitur moueri per partes ſentientes aliquod, quod pungit, ac ſi aculei per eas ferrentur: & quamuis refrigerentur exteriores, & extremæ partes: materia tamen illa, quæ per membra fluit, non percipitur frigida. Contra vero, craſſior eſt humor, vnde quartana ſuum habet ortum, & frigidior: ideo ſenſui, dum fluit, moleſtiam affert: non pungens, ſed frigens: videtur enim quaſi aura frigida per eas ferri. In quotidianis autem acceſſiones nullo penitus cum rigore incipiunt, ſed cùm pedum refrigeratione: poſtea vero progreſſu temporis perfrigerari corpus videtur, & potius horrere, quam rigere.

Cap. ſ.

Monet autem Glauconem Gal. primo Art. cur. vbi de tertianæ ſignis agit, quod ſi prima acceſſio cum valido rigore inuaſerit, poſſumus definite pronunciare febrem illam tertianam omnino futuram: ſed ſi cum leui rigore, non item ſtatim proferre debemus, tertianam eſſe: poteſt enim eſſe, & quartana, & quotidiana, necnon, & ſemitertiana: immo neque etiam, quòd omnino, & ex omni parte ſint intermittentes: quia, & aliquæ etiam continentes aliquando cum leui quodam rigore moleſtæ ſunt. Quo in loco multa ſunt notatu digna, quę forſitan à multis nõ animaduertuntur. Primùm, quòd aliquando, ſicut paulo ante diximus, rigor accipitur latiore quadam ſignificatione, vt verum rigorem, & horrorem comprehendit. Nam ait ibi, quòd cùm febris cum rigore exiguo incipit, poteſt eſſe, aut quotidiana, aut quartana, aut ſemitertiana, aut alia ex febribus continuis: at ſemper quotidianam à rigore excludit, illique horrorem, & perfrigerationem attribuit. Alterum vero notatu dignum eſt, quòd ſignum eſt febris tertianæ vehemens rigor in initio, & illi omnino proprium, ſi ſit ſimplex, & exquiſita tertiana: alioquin enim, ſi aut compoſita fuerit cum alia febre alterius generis, aut non fuerit exquiſita tertiana, vt quæ ex bile ſyncera non accendatur, fieri poterit, vt non incipiat cum vehementi rigore: nam rigor vehemens inde excitatur in tertiana, quòd tenuis humor eſt, & velociſſime ob tenuitatem, & calorem mouetur, & ex acrimonia plurimum laceſſit ſenſum, & irritat expultricem facultatem: ideo etiam ſequitur vehemens cõcuſſio. At vero cum febres complicatæ ſunt ex diuerſis generibus, ſicut ſemitertiana, quæ ex duabus febribus conſtat, altera continente pituitoſa, & altera intermittente bilioſa: à pituita obtunditur acrimonia, & tenuitas bilis, & eius motus retardatur. Ita etiam, cùm non fuerit exquiſita tertiana, excitata à craſſiori bile, poterit habere inuaſiones cum leui rigore.

Cap. 5.

Tertium etiam notatu dignum eſt, propter eam auctoritatem, quæ quotidie verſatur per ora medicorum, quòd proprium eſt continentium febrium, nõ horrere: & citatur ex primo lib. Art. cur. ad Glauc. Cùm tamen dicat ibi Gal. quòd aliquæ etiam continuæ leuem quendam rigorem habent. Sed quamuis primo intuitu difficilis iſtiuſmodi ſolutio videatur: ſi tamen animum aduerteritis, ſatis facile diſſoluemus. Dicimus ergo veriſſimum eſſe, quòd in vniuerſum proprium ſit continentium febrium non horrere, neque rigere, niſi cùm iudicandæ ſunt: rigor enim ſignum eſt inſtantis criſeos, vt in commentatione illius aphoriſmi, & in libro de criſ. teſtatus eſt Gal. At hoc intelligendum eſt, cum vera, exquiſitaque, & ſimplex febris continua eſt. Nam ſi eſſet quoquomodo mixta ex continente, & intermittente, poterit quidem adeſſe rigor, vel horror: ſed non ratione continentis, verum ratione intermittentis: neque enim humor rigorem, vel horrorem vnquam, dum in venis continetur, excitabit. Hoc autem duobus modis fieri poteſt, nempe, vt rigor in febre continente contingat. Primo, ſi ſint duæ febres, vel vnius, vel diuerſi generis, quarum altera ſit continens, altera intermittens. Veluti ſi vna tertiana intermittens coniuncta eſſet, & copulata cum altera tertiana continua, vel ſi ſit aliqua ſemitertiana, quæ conſiet ex quotidiana continua, & tertiana intermittente: in omnibus his rigor, vel horror concitatur, at non ratione continentis, ſed illius quæ intermittit. Alium vero modum exponit Stephanus græcus expoſitor, & eſt res aduertenda, quia poſtea in iudicando circa ægrotos plurimùm vobis inſeruiet, & à paucis aduertitur. Interdum enim vobis occurrent febres, quæ quantum ad omnia alia ſeruabunt modum, & materiam febris continentis, hoc ſolo excepto, quòd habebunt periodos inchoantes cum aliquo rigore, vel horrore. Hoc tamen non obſtante, dicit ille, neque ab eius ſententia diſcedendum eſt, affirmare oportet, quòd ſit vere continens ea febris. Quod ſi opponas, vnde ergo horror ille? Reſpondet, quòd ob id illud accedit, præcipue vero in febribus bilioſis, quia earum materia, cum tenuis admodum, & acris ſit, non poteſt aliquando tota in vaſis cohiberi, ſed nonnihil ipſius extra vaſa excidit, hocque moderatum rigorem facit. Addamus nos, & multa, quia, & venæ arteriæque partem aliquam eiuſdem pellunt omnino extra venas, maior tamen pars continetur in venis, & expelli nequit, quia aut meatus obſtructi, vel conſtipati aliqua ex parte ſunt, aut pars ea craſſior eſt, aut vires

tales non ſunt,quæ poſſint vniuerſam materiam, vel maiorem partem expellere. Quare, & febris continens erit, & rigorem habebit: at non ea ratione, qua continens eſt, ſed qua ratione mixta eſt ex continente, & intermittente, & quaſi ſunt duæ febres, quarum altera ex materia in venis putreſcente accenditur, altera vero ex putredine extra venas. Sed redeamus ad inſtitutum noſtrum: in his enim ſatis vagati ſumus. Itaque cum rigor leuis, & modicus eſt, non debemus illi ſoli attendere, ſi exquiſitam, & certam cognitionem febris habere voluerimus, & ſiquidem conſiderare voluerimus, an illo modo ſit continens ea febris, reſpicere oportet alia ſigna continentis febris, de quibus ſuo loco agemus. Sed ſi,an ea quartana,an quotidiana, vel alioquin omnino tertiana ſit, diſcernere voluerimus, calorem febrilem appoſita manu explorare oportet, qui quidem multus eſt in exquiſita tertiana, & admodum acris. Multus quidem calor, vt hoc ſecundo libro de different. febr. docet Galenus in febribus ſequitur multitudinem effluxus, hoc eſt, multitudinem vaporum, qui in febre à putreſcente materia effluit, & ad cutim effertur. Vnde cùm bilis tenuis ſit,& facilis,vt in vapores digeratur, mirum non eſt, ſi multus is effluxus multum afferat calorem: duabus enim febribus ibi multitudinem vaporis, vel exhalationis attribuit,& illi, quæ ex ſanguine, & illi,quæ ex bile eſt. In his enim idem accidit,quod in igne: cùm enim ligna imponuntur, quæ virida non ſint, ſed apta ad ignem,ſtatim flamma copioſa attollitur:ita,& ſi oleũ ſuperfundatur. Differt tamen is effluxus in tertiana, præcipuè vero exquiſita ab alijs febribus, quòd fumoſus, & acrior, & mordacior eſt, & tangenti moleſtus: at ex ſanguinea febre effluxus vaporoſus eſt citra ferè moleſtiam. De alijs autem paulò poſt dicemus. Adeo vero magnus eſt calor, & vrens, vt febri ardenti ſimilis ſit:ita enim, & ſecundo de criſi.affirmat Galenus, citoque ad vigorem peruenit, & qui æqualiter per omnes partes vſque adeo diffunditur, vt nihilo plus thorax, quàm extremæ partes caleant, quique, & ſi, dum primùm manui occurrit,multus, & admodum acris ſentiatur:paulò poſt tamen à manu victus miteſcere videtur:neque,vt in febribus malignis, & vrentibus, pertinax eſt: in illis etenim quo diutius tetigeris,eo moleſtior percipitur. Tertium ſignum,quòd certum,& proprium eſt,& ferè pathognomonicum,a pulſu accipitur,pręſertim verò, ſi omnes conditiones obſeruētur,quæ tũ primo ad Glauc.
Cap.5. tum 2.de criſi.deſcribuntur.Quia pulſus,qui hic de-
Cap.1. ſcribitur,poteſt,& in continentibus febribus, aliquibus ſaltem,ſi non omnibus,fieri,vt ſuo loco exponemus. Sed ſi addamus, quòd ſtatim in initio acceſſionis fiant,vt ab eo 2.de criſi.dictum eſt,parui,rari,tardi,& debiles:poſtea vero,dum calor extra expăditur, euadant maiores,crebriores,velociores,& vehementiores: iam hoc indicium erit intermittentis febris. Quæcumque enim intermittunt inchoante acceſſione,ſimiles habent pulſus, & id, quia eo tempore refrigeratur natiuus calor, qui etiam in intimas partes refugit,& quaſi ſtrangulatur. Differunt autem inter ſe,quia minus parui,item & rari, tardique,& debiles in tertiana,quam in alijs ſunt. Nam tarditas,raritaſque,præterea paruitas, & imbecillitas in his febribus parum admodum abeſt ab illis,qui ipſi ęgrotanti naturales ſunt,dum benè valet. At in quartanis abſunt magis,quam in alia quaque febre. Medij autem inter duos hos ſunt, qui deprehenduntur in quotidianis. Cùm vero acceſſio verſus incrementum vergit, pulſus velocius,& liberius aſcendit, & ad magnitudinẽ, & celeritatem,frequentiamque cito peruenit. Et hæc omnia inde eueniunt,quia materia hæc tenuis eſt, & leuis,quæ neque grauare,& opprimere poteſt natiuũ

A calorem, neque ad acceſſionem, & inflammationem difficilis, & ob id nulla in eo inæqualitas deprehendi poteſt,præter eam,quæ febribus propria eſt: quoniã inæqualitas in pulſu fit, vel ob facultatis imbecillitatem, vel ob virium diſſolutionẽ, vel demum ob eius aggrauationem,& oppreſſionem: exquiſita vero tertiana vires alijs minus labefactat, minus etiam ex tenuitate, & leuitate grauat: & hac etiam de cauſa citiſſime ad magnitudinem, fortitudinem, celeritatẽque accedit. Quòd vero habeant,quædam exemplaria primo libro ad Glauc.pulſus,& calidos eſſe;additum,hoc eſt ab aliquo librario: Nam id nullibi, neque in libro de criſi. neque de different. febr. neque de pulſ.vnquam à Galeno additum eſt, ſed,& in ali-
B quibus manuſcriptis libris non habetur. Quæ autem ſit ea inæqualitas in pulſu, quæ febri propria eſt: in ſequenti capite Gal. exponet, & nos etiam explanationem ad eum locum differemus. Quartum ſignum eſt ſitis valida ſatis, & importuna: cùm enim eadem ſit materia, in qua accenditur febris hæc, & ardens, ardentemque inextinguibilis ſitis concomitetur, ratio etiam ſuadet illam concomitaturam, & tertianã exquiſitam:ſiquidẽ vtraque ex bile flaua,calidiſſimo, ſicco humore ortum habet. Vnde nõ erit ſecundum hanc rationem ſignũ hoc tertianæ exquiſitę omnino proprium,quamuis etiam addamus, quòd vehemẽs, & importuna ſitis ſit huic attribuenda: talem enim neque quartana,neque quotidiana affert. Sed ſi rem hanc expoſuerimus, vt innuere videtur Galen.2. de
C criſi.forſitan erit tertianæ exquiſitę proprium,& inſeparabile ſignum. Addit enim, quòd cùm bibendi tempus congruum acceſſerit, & poſt potum vapor quidam humidus ſtatim per totũ corpus efferri cœperit, qui futuri ſudoris nuntius eſſe ſolet, hoc inter iſtius febris peculiaria ſigna reſpondendum eſt. Et ſi dicas,ſed quando eſt tempus opportunum,vt illi potum exhibeamus? Hoc pertinet ad eum locum, vbi de curatione erit agendum. Quintum vero ſignum ad tempus,ſeu ſpatium acceſſionum ſpectat: acceſſio enim in hac febre quantumlibet longa ſit,numquam excedit ſpatium duodecim horarum æquinoctialiũ. Horæ æquinoctiales ſunt, quales illæ, quas videtis deſignatas in noſtris horologijs. Nam antiqui aliam
D horarum partitionem ſeruabant,quàm nos: illi enim ſemper diem in horas duodecim diuidebant,& in totidem noctem: atque ita ęſtiuo tempore diurnę horę nocturnis erant longiores: cõtra vero hiberno,æquinoctialibus autem temporibus,horæ illæ his noſtris, quibus in pręſentia vtimur,erant ęquales,& nocturnæ diurnis. Loquimur autem de exquiſita tertiana. Nam ſi acceſſiones exceſſerint horas duodecim, non erit exquiſita tertiana,& ſi erit tertiana, ad naturam nothæ tertianæ accedet, & quo magis acceſſerint,eo magis recedet à natura exquiſitæ. Sed & alia febriũ putridarum genera longiores habent acceſſiones, vt ſuo loco dicemus. Cauſa vero, cur hæc breuiſſimas præ alijs habeat acceſſiones, eſt humoris tenuitas,&
E facilis digeſtio,& euaporatio: ſæpiſſimè vero, vt ipſe 2.de criſ.teſtatur, ſeptem horis abſoluitur: quamuis interdum breuiori etiam ſpatio, interdum longiori. Cur autem acceſſiones aliquando longiores fiant: id contingit, vel ex diuerſa humoris ratione, vel ex diuerſa corporis laborantis[natura]. Ex diuerſa quidẽ ratione humoris,vel qualitate,vel quantitate. Qualitate,quia cum craſſior eſt, lõgiorem efficit acceſſionem,difficilius enim diſſoluitur,& exhalat: citius vero,cùm eſt tenuior. Quãtitate,quoniam paucus humor multo facilius diſſipatus exhalat. Ex parte vero corporis id accidit, vel ratione conformationis, & ſtructurę,vel ratione virium. Nam ſi raræ ſit,vt aiũt, texturæ,facilis eſt humoris digeſtio,& exhalatio: ſin autem denſi, & ſtipati habitus, difficilior eſt eius diſcuſſio.

ſcuſſio. Identidem etiam, ſi vires ſint validæ, cito morbificā cauſam abſumunt,& diſſipant: contra vero,ſi imbecilles.Hæc eſt Galen. doctrina ex hoc 2.de dif.feb.& 2.de criſi.deſumpta, quæ memoriæ mandanda eſt;quia vobis in multis alijs inſeruiet, nō modo febribus, verum etiam morbis ab aliquo humore ortum habentibus: & non ſolum quatenus ad acceſſiones particulatim pertinet, ſed præterea quatenus ad tempus,& ſpatium totius morbi. Sed poſteaquam de eius acceſſione ſermonem habuimus, hoc etiam ſignum addamus,quòd ea inclinare incipiente,ſudor calidus per totum corpus æqualiter erumpit, qui qdem vaporoſus eſt,& calidus, ſimilisque ſudori, qui excitatur in ſanis corporibus in balneis: is vero habet ortum ex humore,qui putruit,& digeſtus,exhalanſque per tenues cutis meatus, ſecum aliquam in eis contentam humiditatem ducit. Interdum vero declinat bilioſa materia,non ad cutim,ſed ad ventriculum, vel inferiorem aluum. Si ad ventriculum pellatur,vomitu diſſoluitur acceſſio: Si ad inteſtina, deiectionibus bilioſis: Sin autem ad renes & veſicā, rufa vrina, & multa excernetur. Quodlibet autem horum per ſe proprium erit ſignum, ſed non inſeparabile. Nam quodcunque iſtorum inſpiciatur, indicabit febrem bilioſam: non tamen omnia ſunt neceſſaria adeſſe, verum aut ſemper,aut maxima ex parte quod iſtorum concomitabitur hanc febrem. Quòd ſi poſt eiuſmodi vacuationes apparentes ait Galen. primo ad Glauc. febris motus,qui omnibus manifeſtus eſt,omnino ceſſabit. Hoc autem ob id dixit:quia nunquam febris putrida, quæcunque illa ſit,ad exqſitam prorſus integritatem deſinit: id enim ephemerarum deſinētis acceſſionis proprium eſt, vt ſuperius expoſuimus, ſemper enim tempore intermiſſionis etiam aliqua remanet inæqualitas in pulſus motu, q̄ teſtis eſt aliquarum reliquiarum putredinis, de qua inæqualitate ſequēti capite de quartana agemus. Hic vero motus inæqualis arteriarū,adeo non eſt omnibus notus,quin pleroſque etiam medicos,eos inquā, qui non plurimum exercitati ſunt in rationibus pulſuum,& diuerſitatibus obſeruandis,lateat. Si igitur poſt ea omnia motus ille febris omnibus notus ceſſauerit,ſolaque hæc pulſus diuerſitas relicta ſit: iā certo poteſt pronuntiari,acceſſionem præcedentē fuiſſe exquiſitæ tertianæ, nulla alia expectata acceſſione,vt diatritarij expectare conſueuerant:nec minus certo, quàm ſi iam ſecunda acceſſio ſuperueniſſet. His addit Auic.& quædam ſymptomata, q̄ laborantes tertiana ſolent magis, quam alios febricitantes, affligere,ob id quia ex calidiorum, & ſiccorum vaporū exhalatione, qui ob caliditatem, & leuitatem humoris facilè ſurſum feruntur,caput ipſum quodam conſenſu læditur. Ea vero ſunt vigilia propter ſiccitatem vaporum: Capitis dolor,præcipuè acutus ſine grauitate: quoniam calidi & leues ſunt hi vapores, Amor ſolitudinis, quia ſermonibus, & ſtrepitu offenditur dolens caput, & eadem de cauſa ſilētium ſeruant libenter. Ex eadem etiam caliditate delirāt ſæpe: facilè in iram concitantur: quia ab omnibus facilè offenduntur. Addit præterea quòd præcipiunt quendam veluti feruorem in dextro præcordio, in regione videlicet iecinoris,id vero ideo eſt, quoniam bilis receptaculum,quod eſt fellea veſicula,ex concaua parte à iecinore pendet, illique inſeritur: vnde efferueſcit in acceſſione febris ibi contenta bilis. Vt præterea & illud addamus,q̄ calidior hepatis temperatura,ſicciorque in cauſa eſt,cur plurima congeratur bilis, ex qua tertiana accēditur. Et hoc inſinuare voluit Gal. cùm
Cap 5. Glauc. ſcripſit, quòd vix gigni tertiana poteſt citra iecinoris affectū: ſicut neque quotidiana ſine ventriculi vitio,& quartana abſque lienis incommodo. Sed de alijs poſtea. Hęc autem ſigna,& ſi non parū iuuēt,

A non ſunt tamen his exquiſitis tertianis propria; quia & continentibus excitatis ex bile in venis putreſcente conueniunt: ſæpe etiam nothæ tertianæ,ſed neq; neceſſaria ſunt. Nam multos tertianarios vidimus ſine capitis dolore, ſine delirio, & ſine alijs hic recitatis: & ideo neque ea retulit his locis Gal. Non eſſe autem & reliqua contemnenda, quorum ſuperius meminimus,ſuadent omnes,Auic. nempe,& Gal.vt ſunt ægrotantis,natura,ętas,anni tempus,regio, conſtitutio anni illius. Hæc tamen potius externa ſunt, quàm à natura ipſius morbi deducta: oſtendūt enim potius inclinationem, & propenſionem corporis ad hoc genus febris,quàm febrem. Sed hic facile quiſpiā dubitabit, cur Gal.cùm dixerit,ſigna quàm maxime
B propria in febribus eſſe,quæ à pulſibus, & vrinis petuntur,in dignoſcendis autem iſtis tertianis,vrinę ne meminerit quidem? Dicimus,quòd quia,vt,ipſe ſuperius teſtatus eſt, hic omnia breuiter,& ſummatim percurrit,& quia alibi ſunt expoſita, locaque etiā indicauit: ideo, ne compendij rationem excederet,relinquit. In ſecundo vero de criſ. hæc omnia perſecutus eſt,vbi ait,quòd ſi vrina ſubrufa,vel ſubflaua fuerit, & mediocris craſſitiei, hanc febrem ſatis apertè indicat:is enim calor bilis eſt,cōſiſtentia vero mediocris, quia bilis exquiſita ſuapte natura non eſt craſſa. Sed ſi etiam tenuis nimis vrina fuerit,multam cruditatem oſtendit, & obſtructionem aliquam: nequit enim humor excerni: bilis autem ob tenuitatem humoris cito à natiuo calore coquitur:& ideo in prima
C etiam acceſſione tertianæ, ſi non initio,ſaltem in inclinatione, vel in die intermiſſionis, aliqua notantur concoctionis ſigna. Vnde cùm tarda apparet concoctio,ſignum non exquiſitæ tertianę eſt. Quòd ſi pręter calorem, & mediocrem conſiſtentiam vrinæ,adſit,& vel enæorema, quòd transferunt ſublimamentum,vel ſuſpenſio,hoc eſt, hypoſtaſis aliqua in ſublimi vrinæ loco,aut nebula in medio alba, & laudāda: non modo indicabit eam eſſe exquiſitam tertianam, ſed quòd cito terminanda eſt, vt non ſit exceſſura quartam periodum. At ſi rufior ſit, nullaque in prima periodo nebula inſpiciatur, ad ſeptimam vſque periodum accedet. Ex quibus patet, quòd ex vrina non ſolum accipiuntur ſigna oſtendentia febris diffe-
D rentiam,ſed & quæ critica, vel iudicatoria dicuntur, & magis etiam. Ideo ea tanquam ad partem illam,in qua de his agetur,pertinētia reliquit. Et hęc mihi ſatis,ad huiuſce febris dignotionem eſſe videntur. Niſi quòd hoc mihi inſuper conſiderandum ſuccurrit, quia Auic. præter caput de exquiſita tertiana, alterū ſubnectit de diſtinctione tertianæ exquiſitæ à tertiana non exquiſita,ſeu ſpuria. Gal.vero in iam citatis locis hanc diſquiſitionem prætermittit, & quaſi negligit. Vnde facilè quis poſſet ipſum defeciſſe iudicare, quia non omnia neceſſaria febrium doctrinæ ſit perſecutus. Sed ſi rem recte perpendamus,facilè fatebimur,non eſſe neceſſarium id, quod à Gal. prætermiſſum eſt: non quidem, quòd febris non exquiſitæ
E cognitio non ſit cognitu neceſſaria illi, qui curare eā ſibi proponit:at quoniā facilè, vt idem Gal.teſtatur, cognita idea febris exquiſitæ,quam clariſſime deſcriſit,quiſque ad eam reſpiciens, & alteram, quæ ab ea degenerat,cognoſcere poteſt: vt enim & ſuperius diximus,rectus iudex ſui eſt, & obliqui. Vnde ſi calor non admodum acris, & mordax fuerit, degenerabit ab exqſita tertiana, & quo minus acris, eo magis degenerabit: ſi pulſus maiorem inæqualitatem habuerit,quàm ſolita eſt exquiſita habere,degenerare oſtēdet tertianam, & quo inæqualior, eo magis: ſi rigor non fuerit vehemens, neque erit veluti pungētis rei motæ,non erit exquiſita, ſed ab ea tanto magis recedet,quanto minor erit rigor,& minor punctio: ſi ſitis leuis fuerit: ſi dolor capitis potius grauis, quam

acutus: ſi in aliquam inclinabit vigiliam, & reliqua in hũc modum ſe habuerint, in quibus ſuperuacaneum mihi videtur tempus conterere. Et in hoc laudandus potius, quam damnandus Gal. qui paucisſimis verbis hæc omnia complexus eſt, dum dixit, quòd obſeruata idea, & ratione exquiſitę febris tertianę, quatenus ab illa in ſymptomatibus, & ſignis iam expoſitis declinare viſa fuerit; eatenus iudicãdum eſt febrem degenerare ab exquiſita, & accedere ad ſpuriam. Vnde neque de his alioquin longius eſt proferẽdus ſermo.

De Quartana febre.

Cap. V.

TERTIVM febriũ intermittentiũ genus eſt exquiſita quartana, &c.] Quãuis in hoc ſecũdo libro de diff. feb. itemque in ſecundo de criſ. Gal. prius de intermittente quotidiana, & poſtea de quartana ſermonem inſtituat: & eũdem ordinem Auicen. prima Fen. quarti can. ſecutus ſit, licet nõ omnino eundem, poſt enim intermittentes ſtatim continentes, quæ ad idem genus pertinent, particulatim ſubiungit. Quia tamen oportet eũdem ordinem ſequi medicum in curando, quem in cognoſcendo: à morbo enim cognito indicationes primæ ſemper accipiendæ ſunt, & quia nos etiam inter initia methodũ nobis à Gal. traditam ſequi inſtituimus. Ideo quamuis & hoc, & illo modo poſſit accommodatè tradi doctrina hæc, nos tamen decreuimus ordinem ſequi inceptum, & methodum, quam ſecutus eſt Galen. in libro Glauconi dicato. Explanabimus tamen ea omnia, quæ tum ipſe Gal. in his alijs duobus libris, tum Auic. in prima quarti deſcripſere: vel ſi non omnia, ea ſaltem, quę magis neceſſaria, magisque vtilia fuerint. Neque enim veſtra multum refert in pręſentia, quòd hunc, vel illum ſequamur ordinem. Progrediamur ergo, ſicut & Galen. facit in ſecundo capite primi lib. ad Glauc. vbi hunc ordinem ſeruat, vt ſemper ea genera febrium præmittat, quæ ſimpliciora ſunt. Vnde ab ephemeris ſumpſit tractationis exordiũ: mox vbi ad putridas deuenit, tertianas primùm adorſus eſt, tanquam in eo genere ſimpliciores, & quę maiorem, in multis habẽt cum ephemeris ſimilitudinem, vt explanauimus, vbi de eis erat ſermo. Inter putridas autem, & quatenus ad rationem curationis pertinet, vt oſtendemus, & quantùm ad multiplicitatem differentiarum, magis ſimplex quartana eſt, quàm quotidiana. Idcirco etiam prius de dignoſcenda quartana agit, quàm de quotidiana. Et quamuis Auic. poſt intermittentes tertianas, de continentibus agat, & de eis omnibus curandis, antequam ad alias differentias exponẽdas accedat: Nobis tamen via, in quam ſe dedit Gal. facilior intellectu videtur, & breuior. Nam & dicebat Ariſt. Quòd oppoſita iuxta poſita clareſcũt magis: dum enim ſigna, quibus diſcernuntur tres hæ intermittentes febres, ſubinde & quaſi ſimul tractãtur, inter ſe nimirùm collata, & dum recens eſt memoria, facilius percipiuntur, neque cogimur eadem, vt reuocentur in memoriam, è qua facilè interdum dilabuntur, ſępius repetere. Præterea magis æqualis eſt doctrina, ſi de omnibus intermittentibus per ſuas differentias agamus, poſtea de cõtinentibus. Sed ſtatim à principio iſtius capitis hoc notandum videtur, quòd non ſolum tertiana febris has duas differentias ſuſtinet, quòd alia ſit exquiſita, alia non exquiſita: ſed omnes aliæ etiam ex humoribus accenſæ febres: nec hoc modo nobis Gal. innuit, verum & in quo differat ratio eius febris, quæ exquiſita dicitur, ab ea, quæ non exquiſita, vel notha, vel ſpuria nuncupatur, inſinuat; cum dicit, quòd exquiſita eſt quartana, quando

A ex ſolo atrę bilis humore generatur. Accipitur itaque hæc patiendi ratio ab humoris natura, qui putreſcẽs febrem accendit. Vel enim humor ille ſyncerus eſt ſine vlla alterius humoris mixtione, & tunc febris exquiſita, aut tertiana, aut quartana, aut quotidiana erit. Vel eſt illi alius intermixtus humor: qui ſicut nõ eſt ſyncerus, ita neque febris erit exquiſita: & quo minus erit ſyncerus, & ſimplex, eo etiã magis febris aberit ab exquiſita: & hoc ita expoſitũ in vniuerſum, de omnibus eſt intelligẽdum. Nobis ergo hoc ſupereſt, vt ſigna explanemus, quæ delineare, & deſcribere poſſunt ideam quartanę intermittentis, & exquiſitę: atque ideo reuocemus in memoriam, quæ & de tertiana diximus: nimirum, quòd vbi febris offeratur
B curanda, quæ quartana ſit, neque tamen ſigna hæc, quæ expoſita ſunt à Galeno & ab Auic. ita clara, & exacta conſpiciuntur, ſicut ab illis deſcripta ſunt, ſuſpicandum eſt febrem illam non eſſe exquiſitam quartanã, & quanto magis confuſa, & obſcura erunt, eo magis recedet à ratione exquiſitæ quartanæ. Neque aliquis alioquin aliud caput requirat, in quo, quæ ad cognoſcendam, & diſcernendam non exquiſitam ab exquiſita faciunt, literis ſint committenda. Sed quia de exquiſitis, & non exquiſitis febribus mentio incidit: ideo huic ſermoni, & hoc addendum cenſeo, cuius etiam in ſequentibus meminit Galenus. Nimirũ tertianam, quartanam, & quotidianam in hoc differre, quòd tertiana, quo exquiſitior eſt, eo facilior, & bre-
C uior eſt, quo vero minus exquiſita, eo etiam longior, & difficilior, contra vero ſe habent quartana, & quotidiana, quia quo minus exquiſitæ ſunt, plerunque & breuiores, & faciliores: longiores autem, quarto ſunt exquiſitiores. Et huius ratio ea eſt, quòd ſuaptè natura humor melancholicus, & pituitoſus ad morbi longitudinem facit, quia craſſus eſt: craſſities autem humoris plurimum facit ad morbi longitudinẽ: cùm vero miſcentur hi cum bile, potius tenuiores reddũtur, bilis enim tenuiſſimus humor eſt, & facillimus ad digeſtionẽ: ideo morbi ab ea excitati natura breues ſunt, ſi ea ſit ſyncera, ſi vero alijs permiſceatur, craſſeſcit, & ita longior fit morbus. Vt autem rationem quartanæ exactius habeatis, hoc etiam animaduertite, quòd Gal. de quartana, & hoc ſecũdo de diff.
D feb. & ſecundo de criſ. immo & primo ad Glauc. nõ niſi in vniuerſum loquitur, cùm ait: quartana febris accenditur, quoniam humor melãcholicus putreſcit: neque tamen differẽtias iſtius humoris explicat: quia alijs in locis res hæc fuit expoſita. Auic. vero capite de quartana magis particulatim hoc tractauit, ait enim, quòd multiplex eſt differentia melancholici humoris, ex quo putreſcente poteſt accendi quartana febris. Et primæ quidem eius differentiæ ſunt duæ, quarum item Galen. meminit 3. Aphoriſ. ac 3. Prog. Com. 22.
& primo Prorrh. Prima eſt ea, quæ eſt ſanguinis pars Com. 28.
craſſior & veluti eius fęx; vt fęx in vino, & amurca Com. 4.
in oleo: hanc Arabes, & iuniores latini appellant melancholiam naturalem. Altera vero eſt, quæ ex bile aſſata generatur. Quamuis Auic. aliter loquatur: ait enim quòd prima eſt veluti fęx ſanguinis: altera vero, quæ ex exuſtione ſanguinis, vel aliorum humorũ in ſanguine mixtorum. Vbi eſt aduertendum, quòd ex vſtione loqui poſſumus dupliciter, vel vt propriè accipitur exuſtio, vt fiat à calore igneo, & ſicco conſumente, & in ſubſtantiam ſuam conuertente humidum, quo conſtat mixtum, quod comburitur, & ſic nõ eſt dubium, quòd & bilis comburi, vel aſſari adeo poteſt, vt in melancholicum humorem, quaſi incinerata conuertatur: hoc enim apertè fatetur locis nuper citatis Gal. poteſt itidem & ſanguis in eundem trãſmutari: ſæpe enim idẽ dixit, quòd ſi aſſetur ſanguis, eius tenuior pars in bilem: craſſior autem in melancholicum ſuccũ vertitur: vnde, & carbo, vel anthrax appellatus

appellatus tumor ex ſanguine aſſato, & verſo ad naturam melãcholici humoris generatur. At, quòd pituita in hunc modum aſſetur, vt in melancholicum ſuccum tranſeat in animantis corpore, cùm humor ſit, & frigidiſſimus & humidiſſimus, multi nunquam adduci poſſunt, vt credant, imo hoc apertiſſimè negãt. Sed ſi vſtio, vel vri accipiatur communiori quodam, & latiori ſignificatu: vt idem ſit, quod incinerari, & in quandã veluti cineritiam ſubſtantiam deſinere, quomodo, & Ariſtoteles 4. meteo. ait, quòd quæ putreſcunt, tandem incinerantur, iuxta atque ea, quę vruntur: & ſecundum hanc rationem ſi exponamus ſententiam Auic. nulla amplius reliqua erit controuerſia. Nam ex omnibus humoribus, dum putreſcũt, relinquuntur cineritiæ quædam particulæ, quæ, niſi vacuentur, & digerantur, poſſunt iterum putreſcere, & febrem accendere, quæ quartana erit: cineritium enim illud ad naturam accedit melancholici humoris: & ex bile quidem, quæ exquiſita ſit, iſtius cineritij parum admodum, ſi nõ nihil, relinquitur, vt pote quæ tenuiſſimæ ſit ſubſtantiæ, & quàm pauciſſimum habeat partis terreſtris, niſi aſſata craſſeſcat, quemadmodum illa, quæ vitellina à Gal. ſolita eſt appellari. Craſſiores vero humores, cùm putreſcunt, plurimũ cineritium relinquunt ob craſſiorem ſubſtantiã, quæ partium terreſtrium magis eſt particeps: & inde fit, quòd quartana febris raro, immo rariſſime ex ſe incipit: ſæpiſſime vero ſequitur alias febres, & eas quidem diuturnas: raro autem & fortaſſe nunquam exquiſitas tertianas. Et ſecundum hanc rationem concedere poſſumus, quòd quadruplex ſit differẽtia melancholici humoris ex exuſtione, vel incineratione facti: ſicuti quatuor ſunt humores, qui putreſcentes poſſunt incinerari: quàmuis ex bile quidem, ſi ſit ea exquiſita, forſitan difficile ſit, vt ea copia cineritij inde poſſit colligi, quæ febrem accendat: niſi cum in vitellinam vertitur, neque amplius exquiſitæ bilis

Com.vl. rationem ſeruat. Quæ omnia colligi poſſunt ex Gal. in fine huius 2. de diff. feb. de quibus etiam eo loco plenius loquemur. Hæc autem nõ inutile eſt adnotaſſe: quia quamuis omnes huiuſmodi humores per putredinem, & incinerationem in melancholicum ſuccum vertantur, qui mox, niſi aut digerantur, aut alioquin vacuentur, detenti in venis, ibique accepto initio putrefactionis, expelluntur, & vlterius putreſcẽtes quartanam accendunt: attamen cineritia illa, quæ in ſuccum melancholicum conuerſa ſunt, non omnino ſimilem ſeruant naturam: immo diuerſitatem aliquã retinent, ſicuti cineres ex diuerſis lignis combuſtis geniti, diuerſam & ipſi ſeruant facultatem: alij enim acriores ſunt, &, vt aiunt, fortiores, alij mitiores. Vnde humor ex aſſatione bilis genitus, malign⁹, & erodens eſt, alij vero non ita. Quare ſicuti bilis, quæ vitellini a Gal. dicitur, per aſſationem craſſefacta, vt paulo ante dixi; bilis exquiſita; vt ſanè puto, dici non poteſt: neque, ſi ex ea febris accendatur, illa erit, mea quidem ſententia exquiſita tertiana, neque fieri vnquam poterit, vt ea poſſit ideam ſeruare exquiſitæ tertianæ. Ita etiam pari ratione dixerim, quòd humor melancholicus genitus per aſſationem, vel incinerationem aliorum humorum, non ſit exquiſitus humor melancholicus: neque quartana ex eo genita exquiſita omnino erit appellanda, ſemper enim in eo humore retinetur aliquid, quod refert aliqua ex parte materiam præcedentis humoris, ex quo genitus

Aph.55. eſt: Vnde & Hippo. protulit eam ſententiam 6. Aph. huc fortaſſe reſpiciens cum ait, quòd deſipientiæ cũ riſu factæ ſecuriores, peſſimę vero cum furore, medię inter has, ita enim explanat Gal. quæ cum ſtudio, & ſolicitudine. Ex quibus deinde inferemus, quòd duobus modis aliquis humor non erit exquiſitus: primo, ſi cum alio ſit mixtus, neque ſolus, quem modũ hic

A expreſſit Galen. altero, cum is humor iam tranſmutatus ex aliqua parte ſeruat aliquid naturæ alterius humoris, aut degenerat aliquomodo a ſimplici natura ſua. Vnde ſyncera, & exquiſita melancholia eſt, quomodo nunc loquimur, quæ naturalis eſt, & veluti fęx ſanguinis, dum talis eſt: nam ſi & ipſa aſſetur, diutius in corpore detenta ſuper calefiat, iam & illa malignior ſit, vt ait Gal. 3. Prog. & ſecundum hanc Com. 27.

tionem duo etiam modi ſunt, quibus febris aliqua non exquiſita in ſuo genere ſit. Sed vnum præterea conſiderandum eſt, quòd, vt priori capite dixit Gale. raro ſtatim à principio quartana hominem corripit: ſed plerunque alias febres concomitatur, & ſequitur, & id ea ratione, quam nuper expoſuimus: quia pleB runque fit ex cineritio, quod eſt veluti reliquiæ quædam pręcedentis febris. Interdum vero etiam à principio inuadunt, vt idem 2. lib. com. in primum Epid. Com. 21.

teſtatur, quod contingit, vel ob ſtatum anni, in quo multa gignitur melancholia in humanis corporibus, vel ob naturam corporis, quæ prona ſit ad hunc humorem generandum: vel ob rationem victus. Cum enim plurimus is ſuccus gignitur, nec tamen digeritur, vel alioquin excernitur, ſi interim tenuium meatuum; per quos fit tranſpiratio, aut venarum fiat obſtructio, putreſcens hoc excrementum accendit ſtatim à principio quartanam. Addit autem Gale. quod Com. 27.

vagas, & errabundas febres ſolent magna ex parte quartanæ ſequi, quod ab Hipp. acceptum eſt tertio Progn. loco nuper citato. Errabundæ febres illæ diC cuntur, quæ non vnam, & certam periodorum rationem ſeruant, ſed interdum videntur imitari tertianas, aliquando quotidianas, nõnunquam quartanas. Cur autem illis vagus is periodorum ordo accidat, inferius, vbi de periodorum cauſa agemus, cum Gal. explanabimus. Sed neque hoc prætermittendum, quod monuit priori capite, quòd videlicet rariſſimè oriuntur quartanæ citra offenſam lienis, & id quidẽ non abſque ratione. Nam cùm lien ſit inſtrumẽtum naturæ, quo illa vtitur, vt quicquid ſuperuacanei, & excrementoſi humoris melancholici in corpore gignitur, & in ſanguine mixtum eſt, attrahat, ac deinde excernat: dum benè valet ipſe, & integer ſuo fungitur munere, non redundat in venis hoc excrementum,

D vnde poſſit quartana excitari: at vero ſi malè valeat, facilè gignuntur iſtiuſmodi febres. Sed & hoc aduertendum, quòd in cauſa interdum eſt lien, vt quartana, quę licet ſit plerunque diuturnus morbus, ſuapte tamen natura ſalubris eſt, & omni periculo vacans: immo quæ etiam, vt ait Hippo. primo Epid. com. vero Gal. lib. 3. a multis alijs grauibus morbis hominẽ vindicat, fiat grauiſſimus morbus, & qui in aquam inter cutem deſinat, atque homines iugulet: quemadmodum ſæpenumero ſe vidiſſe eodem in loco idẽ Gal. teſtatur. Hoc ipſum tamen ſano modo intelligendum eſt: alioquin enim ſi id in vniuerſum intelligatur, quòd quartana ſemper, ſi cùm lienis vitio accẽſa ſit, grauis ſit morbus: plerũque erit grauis morE bus: iam enim audiuiſtis ex Gal. quòd vix eſſe poteſt quartana ſine malo aliquo lienis affectu. Sed id intelligendum cum inſigni lienis vitio, ſicuti ſunt ſcirrhus, & inflammatio, vel eximia aliqua eius imbecillitas, quæ tandem ipſum etiam lienem ad ſcirrhum ꝑducit. At ſi ſit leuis aliqua iſtius viſceris infirmitas, vel aliqua etiam obſtructio, his non efficitur, quòd morbus grauis euadat quartana: niſi ex errore id fiat: & hoc innuiſſe viſi ſunt Gal. loco paulo ante citato, & Auic. capite de quartana. Sed poſteaquã de quartana febre, quantum ad eius naturam, & cauſas, diximus quæ poſſunt ſatis eſſe noſtro inſtituto, de ſignis eius agamus, quibus facile dignoſci queat, Vbi, & in quartana idem dicemus, quod in tertiana diximus, quòd, ſcilicet quædam ſunt ſigna, quæ febrem

quar-

quartanæ dicenda, & ipſam rem, quam quærimus, A proxime oſtendunt. Alia vero remotiora, & vt Gal. teſtatur capite ſexto primi ad Glauc. externa ſunt, q̃ non ita affectum oſtendunt, ſicut corporis aptitudinem, & propenſionem in quartanam: quæ omnia eo ſpectant, & demonſtrant cauſas adfuiſſe, & potentes, à quibus potuit copioſus congeri melancholicus humor, ſine quo quartana nequit accendi. Sed de prioribus in primis agamus. Quo in loco primum reuocandum eſt in memoriam id, quod ſuperiori capite de tertiana dictũ eſt, nempè quod quartana differẽtem admodum habet rigorem ab omnibus alijs febribus. Verum, vt huic rei aliquẽ ordinem addamus, ita dicamus, quod cum hæc omnia ſigna ſint tanquã ſymptomata morbum concomitantia, & à medico B obſeruata, quæ non ſemper, & omni morbi tempore obſeruari poſſunt, ſed aliqua ſtatim à principio ingruente acceſſione, alia ea increſcente, & ad vigorem accedente, alia conſiſtente, alia inclinante, nonnulla vero, quo tempore intermittit (tot enim ſunt tẽpora, quibus diuiditur periodus in intermittentibus febribus, vt in libro de temporibus morborũ docuit Gal.) quæ quidem ſigna deſumuntur à læſis actionibus, ab excrementis à naturali ratione mutatis, & à corporis qualitate item mutata. In initio acceſſionis hęc notari poſſunt, rigor, pulſusque. Rigor, vt dicebamus, ſeparatum modum ab alijs febribus habet. Nam quotidiana propriè rigoris eſt expers, vt diximus, potiuſque cum frigore extremarũ partium, & horrore incipit. C Tertiana ſtatim cum rigore vehementi corripit. Quartana rariſſimè, & fortaſſe nũquam cum valido rigore in morbi primis acceſſionibus accenditur, ſed poſtea, dum humor per concoctionem attenuatur, rigor inualeſcit: diuerſus tamen à tertianæ rigore, in quo ſentiuntur veluti puncturæ: cum in quartana quaſi frigida res percipiatur: veluti quando hyeme, & gelu rigemus. Addit autem Galen. ſecundo de criſ. quòd videtur in quartana, dũm riget, quaſi contundantur oſſa: craſſa enim, & grauis materia in profundiores partes deſcendens ad oſſa vſque, vel potius ad perioſtia pertingit. Deinde vero pulſus ſtatim inter initia acceſſionis explorandus eſt. Nam, quamuis in omni, febre, dum hominem corripere acceſſio incipit, pulſus parui, rari, & tardi fiant, non tamen æquè D in omnibus. Minimè enim in tertiana, in qua dicebat Gal. in priori capite, parum eos à ſuo naturali ſtatu recedere. In quartana autem, id adeo inſigniter percipitur, vt vix latere poſſit, qui vel mediocriter ſit pulſuum peritus: præſertim vero, ſi alias febricitantis illius, dum ſanus eſſet, aut dum alio febris genere tentaretur, pulſum diligẽtia adhibita tetigiſſet. De quotidiana poſtea dicemus. In incremento vero acceſſionis, modus pulſus erit attendendus, vel eius aſcenſus, & modus caloris. Nam quamuis pulſus incremento febris tranſmutentur ad velocitatem, & frequentiã, aucta nempe neceſſitate ex aucto calore: comparata tamen febris hæc cum tertiana, videtur adhuc ſeruare quendam modum tarditatis, & raritatis, ob frigi- E ditatem enim humoris rarus efficitur pulſus: ob imbecillitatem autem facultatis, quæ a craſſitie humoris grauatur, fit tardus. Calor non etiam ita cito aſcẽdit, & expanditur, neque ita liberè, vt in tertiana, & id propter humorem craſſum, & terreſtrem: paulatim ſi quidem frigidus hic, & ſiccus humor accenditur, perinde, dicit Gal. vt teſta, aut os. Vigẽte vero acceſſione, ſigna item ex pulſu, & calore petenda. Etenim calor neque ita, vt in tertiana vrens, neque ita acris, neque tamẽ ita obtuſus, vt in quotidiana: humiditas enim acrimoniã caloris obtundit: ſiccitas autem melancholici humoris aliquid acrimoniæ addit. Pulſus vero, & ſi neceſſe ſit, vt magnus velox, & frequẽs ſit: attamen longè minus frequens, velox, magnusque in

A hac eſt, quàm in tertiana: ſed & ea inęqualitas pulſus, quę omnibus febribus communis eſt, in quartana inſignior, & magis manifeſta, quàm alijs febribus: & hæc eſt ea inæqualitas, cuius & ſuperiori capite facta eſt mentio. Quamuis iuniores explanatores in priori capite de tertiana febrilem inæqualitatem audiant pro ea, quæ omnibus putridis communis eſt, quæ in vno pulſu eſt: non tamen in eadem pulſus parte: nimirum cum diaſtole cum ſyſtole confertur, & quies exterior cum interiore, quia celerior eſt ſyſtole, quàm diaſtole, & quies exterior minor, quàm interior. Hęc Cap. 7. vero non eſt illa, quæ ibi intelligenda eſt, quoniã, vt docet Gal. li. 3. de pręſag. ex pulſ. ea inæqualitas accidit pulſui putridarum ſolum in principio, & incre- B mento acceſſionis: nam in vigore æqualiter accelerat diaſtole ac ſyſtole, & quies interior perinde, vt exterior, fit breuis. Præterea, cum tempore intermiſſionis itidem dicat, quòd relinquitur ſola inæqualitas, quæ febribus eſt propria, procul omni dubio nõ ea ibi intelligenda, ſed hæc quam ipſemet Gale. hoc loco exponit: quæ videlicet in vna tantum notione arteriæ obſeruari poteſt: ea vero eſt, quòd dum mouetur arteria, velocius in principio, & in fine mouetur, quàm in medio motu, quod ad diaſtolem videtur referre Stephanus: Gal. tamen in vniuerſum ait, motum in initio, & fine celeriorem, quam in medio: nempe in vno arteriæ appulſu: quod omnino magis ipſi diaſtole poteſt accommodari, quàm ſyſtole. Hæc ergo eſt C inæqualitas, quæ omnibus febribus communis eſt, & quæ longe in quartana, quàm in tertiana manifeſtior eſt, & in vigore acceſſionis, & in tempore intermiſſionis. Sed duo hic inquirenda ſunt. Primum, quid in cauſa ſit, cur hæc in omnibus febribus inæqualitas contingat. Et iuniores quidam referunt, hoc inde euenire, quia cum & in tertiana, & in quartana facultas calida ſit, & inſtrumentum obſequatur, vrgeatque neceſſitas, incipit quidem velociter mouere pro ratione vrgentis neceſſitatis, ſed paulo poſt ſentiens ex onere, quo grauatur, impedimentum, aliquanto tardius mouetur: poſtmodũ, quaſi ex quiete reſumptis viribus, iterum accelerat motum. Hæc tamen ratio mihi minimè probatur: Nã inæqualitas hæc omnibus febribus communis eſt, ait Gal. iſti vero tertia- D nis, & quartanis hanc rationem accommodãt. Quærenda ergo eſt iſtius communis affectus communis ratio, cauſaque. Ideo aliter Stephanus ait, & melius mea ſententia, non tamen in hoc, ſed in priori capite: quòd cum in febribus omnibus vtraque vrgeat neceſſitas tam refrigerationis, quàm fuliginoſa excrementa, quæ ex febrili calore generantur, excernendi: & alteri quidem ſatisfaciat diaſtole, alteri autem ſyſtole: poſtquàm facta eſt ſyſtole, validè interim vrget neceſſitas refrigerij: ideo velociter incipit dilatare, & dum dilatatur, ita calor refrigeratur, & incipit minus refrigerationis neceſſitas vrgere, vnde remittitur hæc neceſſitas, ſed altera inſurgit, quæ eſt euacuationis, quo fit vt iterum incipiat accelerare: vt citius ad ſy- E ſtolen accedat. Secundum quæſitum eſt, cur manifeſtius in quartana poſſit hæc pulſus inæqualitas percipi, quàm in tertiana? Id autem euenit, quia in tertiana, vt dixit Galen. longe velocius, quàm in quartana arteria mouetur, & velocitas multa, quæ eſt in tertiana, facit, quòd non ita diſcerni queat hæc inæqualitas: cum enim tota diaſtole ſit quàm celeris, nõ adeo diuerſa eſt extremorum velocitas à medij velocitate, vt facilè percipi poſſit, in quartana vero cùm ſemper motus ſit tardior, facilè id cognoſci poterit, tam vigẽte acceſſione, quam dum intermittit febris. Vnde cum hæc etiam inæqualitas poſt deſinentem ephemeram non remaneat: ideo id tanquam propriũ ephemerarum ſignum poſuit. Nam tempore quoq; intermiſſionis in intermittenibus febribus ſemper

præſens

præſens eſt hæc inæqualitas: quam tamen noſtris his temporibus raros percipere credo. Sed de his ſatis. Signa vero, quę quaſi externa ſunt, accipiuntur à natura laborantis corporis, vt ſi ſit talis, quales, quæ plurimum humoris melancholici generant: ſicuti quæ ſicci calidique temperamenti adeo eſt, vt aſſato ſanguine, illum in melancholicum ſuccum vertat. Præterea, qui ſanguinem quidem generant copioſum, ſed fæculentum, & craſſum. Iam ab ætate, vt eſt primum ſenium: Ab anni tẽpore, qualis eſt autumnus: Ab anni, vel aeris ſtatu, ſeu conſtitutione, ſi autumnalis ſit: eſt autem naturam autumni ſeruans, quando varia, & inæqualis: qualis enim ſtatus aeris fuerit, tales ſolent generari morbi. Præterea à liene, ſi male fuerit affectus, & tumens: hoc vero ſuperius fuit expoſitũ. Cur vero inter ętates primũ ſeniũ: inter tẽpora autũnus quartanas afferat, tertio Aph. & tertio Prog. lucidiſſime exponit Gal. quem vos, ne interim in his exponendis tempus conteramus, poteritis legere. His addenda eſt & victus ratio præcedens, ſi talis fuerit, vt potuerit congerere multum ſuccum melancholicum. Si etiam præceſſerint febres putridæ, longæ, errabundæ. Hæc quidem ſigna, in vna, & prima acceſſione notari poſſunt, & ante acceſſionem, & poſtea, & aut propria ſunt, aut ferè propria quartanæ. Alia autem non ita propria ſunt, quia vel non omni, & nõ ſoli quartanæ adſunt. Sicuti vrinæ inter initia albæ, tenues, & dilutæ. Nam craſſa materia eſt, obſtructiones multæ, vt non facilis ſit tranſitus illi excremento, vnde poſſit tingi vrina, & craſſior reddi. In hac febre, ſi ſit exquiſita, nullus flauæ bilis vomitus expectandus, cum illa non exuperet, ſed interdum potius pituitæ, & illius copioſæ, atque oris multa humiditas: refrigeratur enim ventriculus à frigido humore, ac crudior redditus multam congerit crudam humiditatem. In aliquibus etiam vehemens excitatur fames: In alijs vero potius cibi faſtidium. Quod inde fit, quia tum humor melancholicus, tum pituitoſus, cum acidi ſunt, famem inducunt, ſi ori ventriculi inſideant: ſed ſi alio fuerint ſapore præditi, vt Gal. 6. de loc. affec. docuit, appetitu deiecto, cibi faſtidium afferunt. Nixus præterea eſt Auic. ſigna exponere, quib⁹ particulatim diſcerni poſſent differentiæ quartanarum, quando alter humor couerſus, vel ꝑ putredinẽ, vel per aſſationem in ſuccum melancholicum quartanam concitat. Verum quoniam, vt diximus, ſicut ille non eſt exquiſitus humor, vt qui ſemper aliquid præcedentis humoris contineat, ita, & quartana illa exquiſita non erit, & ſigna illa à veris, & proprijs degenerabunt, & aliqua ex parte referent naturã præcedentis humoris. Vnde, & febres præcedentes, & vrinæ, & pulſus, & reliqua id indicabunt.

De Quotidiana Febre.

Cap. V.

EST autẽ & altera exquiſitæ ſimplicitatis febris, quæ ex pituita, &c.] De quotidiana intermittẽte caput præſens à Gal. inſtitutũ eſt, ſicut & ſeptimũ in primo ad Gla. præcipue vero de ſignis proprijs, q̃bus ab alijs intermittentibus febribus eſt dignoſcenda. Sed quia, & hæc febris, perinde vt priores, plures habet differentias, exponendæ prius hæ ſunt. Primæ itaque differentiæ ſunt, quòd in exquiſitas, & in nothas, vel ſpurias diuiduntur, quæ à materia, ex qua accenduntur ortum habent. Vt enim & bilis duplex eſt, exquiſita, & notha, vel ſpuria, & atra etiam bilis, vt paulo ante expoſuimus: Ita, & pituita, vel exquiſita eſt, vel notha. Exquiſita quidem vna eſt, qualis eſt ea, quæ ſimplex nullique alteri humori mixta eſt.

A Notha vero, quæ ab hac recedit: quia vel eſt alteri ita adulterina facta: vel falſa, vel quòd ipſa ſecundum ſe, & per ſuæ ſubſtantiæ tranſmutationem à ſua naturali, & exquiſita conſtitutione receſſit, vt eſt pituita vitrea, vel acida. Hæc autem ſpuria plures itẽ differentias habet. Sed in hoc capite de ea ſermonẽ habet, quæ exquiſita, & ſimplex eſt, vbi ſtatim in primis verbis innuit diſtinctionem hanc, in exquiſitam, & non exquiſitam, ac quòd de exquiſita ſit habiturus ſermonem. Nã de alijs differentijs ſexto capite iſtius ſecundi li. & ſeptimo, & poſtea acturus eſt. Et proinde nos etiam mutauimus ordinem horum capitũ, vt eſſet magis continens. Vnde primũ quidem naturam, & eſſentiam iſtius febris exponit, dum ait, quòd B ex putredine pituitæ ortum habet. ab hoc enim naſcitur omnis diuerſitas iſtarũ febrium particulatim, nimirum à diuerſa natura putreſcentis humoris. Iam enim fuit probatum vſque à principio, quòd differẽtiæ à materia depromptæ, & præcipuæ ſunt, & ad eſſentiam febris pertinent. Quapropter reliquum eſt, vt agamus de ſignis proprijs hoc genus, vel hanc intermittentium febrium differentiam oſtendentibus: Colligamus ergo, vt in prioribus etiam fecimus, ſigna omnia, quæ tum in libro artis ad Glauc. & in hoc capite: tum vero quæ in libro de criſ. & his collatis cum ijs, quæ Auic. literis commiſit, ſi quid vtile pręterea inueniemus, & illud addemus. Sed cum huiuſmodi ſigna multas habeant, ſecundum rationem variam earum rerum, à quibus accipiuntur, differenC tias, vt res exquiſitius explicetur, ea in methodum referamus, aliquando ab ordine Gal. & Auic. recedentes. Accipiuntur ergo hæc ſigna, vel ab ijs, quę ad naturam ſpectant, & eſſentiam affectus, quem ſignificant, vel ab ipſis ſymptomatibus. Symptomata poſtea reſpiciunt excrementa mutata, actiones læſas, & qualitates corporis mutatas. Ad eſſentiam autem febris pertinent, quæcunque illi attribui poſſunt, quatenus calor eſt, & hæc ſunt quantitas caloris, vel intenſio: motus caloris: & qualitas eius. Incipiamus ergo à caloris qualitate, quæ quidem intimius eſſentiã caloris reſpicit. Calor itaque in quotidiana, pituitoſaque febre mixtæ cuiuſdam rationis eſt, vt pote, qui tum humidior ex tactu percipiatur: tum vero acris: D quæ in materiam ac in putredinem referenda ſunt, Nam cum pituita putreſcit, ratione quidem putredinis, acris quædam exhalatio attollitur, & fumoſa: calor enim rei putreſcentis: quippe qui omnino contra naturam eſt: neceſſario particeps ſemper eſt cuiuſdam mordacis, & moleſtæ qualitatis: Ratione vero materię putreſcentis, quę humida plurimũ eſt ſuaptè natura, neceſſe eſt, vt calor is cum multa humiditate percipiatur. Vnde effluxus iſtius febris eam qualitatem habet, ſicut vapor genitus ex fumoſa partim, & partim vaporoſa exhalatione: fumus enim ſicca, & quaſi terrea eſt exhalatio: vapor vero humida, & aquea, qualis fumus ille eſt, qui ex viridibus, & plurimum humidis lignis, dum comburuntur, accenditur: E qui quoquomodo, & ipſe oculos mordicat: multam tamen humiditatem præ ſe fert, diſſoluto nempe illo vapore in humorem. Non eſt autem validus, & vehemens huiuſmodi calor, uel flamma in hac febre, ut ad magnitudinem caloris tranſeamus, immo obtuſus, & ueluti ſtrangulatus. Quemadmodum enim à ſiccitate calor exacuitur: ita à multo humore hebetatur, & obtunditur: & quemadmodum ignis in uiridibus lignis parum admodum elucet, neque flammam mittit, niſi multo fumo oppreſſam: Ita & calor pituitoſæ febris obtuſus, & quaſi multo fumoſo humido inuolutus expanditur. Motus præterea iſtius caloris ſecundum omnem modum tardus eſt, ſiue loquamur de motu eius, dum in manum tangentis imprimitur: ſiue de motu, dum in uniuerſum corpus

ebricitans

febricitans effertur,& expanditur.Nam dum corpus A
laborantis hac febre manu tractatur,vix in primo ta-
ctu percipitur in eo calidum præter eius naturam, &
acrimonia : ſed ſi diutius perſeueret, tunc percipitur
manifeſto eius febrilis calor, atque acrimonia : dum
enim manus hæret corpori,caleſcens cutim rarefacit,
ac vaporem craſſum, effluxumque attenuat, vt faci-
lius efferri poſſit. Vbi eſt aduertendum,quòd hoc nõ
eſt ita accipiendũ abſolute,quòd videlicet nullo mo-
do in prima appoſitione manus percipiatur aliqua
acrimonia caloris: nam hoc priuatim in hectica repe-
ritur : ſed in genere ſuo, videlicet conferendo hãc fe-
brem cum alijs duabus præcedentibus : quoniam dũ
primum tangitur,non ita inſignis percipitur acrimo-
nia, ſicut in prioribus duabus putridarum febriũ dif- B
ferentijs. Tardus etiam eſt motus caloris in hac febre
quantum ad eius expanſionem pertinet : quia mate-
ria,vnde accenditur,natura frigida eſt, craſſaque, &
lenta, & hac ratione tardè accenditur, & poſtquam
calor accenſus eſt,tardè exterius efferri poteſt: ſiqui-
dem prę lentore,& craſſitie ſæpe materia illa in mea-
tibus detenta hæret, & proinde tardè admodum per
incrementum ad ſtatum peruenit. Sed neque æqua-
liter mouetur, neque ſecundum partes corporis,ne-
que dum aſcendit,& increſcit calor: nam dum manũ
expanſam corpori adhibemus, non æqualiter ſecun-
dum omnes partes penes earum continentiam vide-
tur ſe efferre calor : immo quaſi per cribrum,vt infe-
rius dicet.Gale.quod,vt ibi videbimus, refert ipſe in C
difficultatem putrefactionis,& acceſſionis caloris, ꝓ-
pter craſſitiem, & lentorem : neque enim æqualiter
partes omnes accenduntur: ſed paulatim,& inæqua-
liter:& ſicut ab eis inęqualiter vapor, & effluxꝰ exit,
ita & inæqualiter calor manui occurrit. Neque etiã,
dum ad vigorem acceſſio deuenit, æqualiter expan-
ditur calor, propter eandem difficultatem:immo ali-
quando, cùm videatur iam conſiſtere acceſſio,paulo
poſt iterum videtur increſcere. Et eadem inæquali-
tas in inclinatione poteſt obſeruari, cùm enim inci-
pit inclinare:non æqualiter imminuitur febris:ſed cũ
aliquandiu inclinauerit,iterum reaccendi videtur: id
vero fit, quia humor putridus præ ſua craſſitie non
facile expurgatur integrè,vnde reliquiæ materię reli-
ctæ,tanquam febrile fomentum, iterum ſuccendun- D
tur.Reliqua autem ſigna ab ipſis ſymptomatibus fe-
brem ſequentibus deſumuntur : ſymptomata verò
hæc, aut in acceſſionis initio apparent, aut in ipſius
incremento, aut in ipſa conſiſtente, aut inclinante,
aut tempore intermiſſionis.Primum ergo ſignum,&
ex præcipuis,quod in initio apparet ex ijs eſt, quæ ad
actionem læſam pertinent, maximè ſi ad motum
caloris,qui ad interna viſcera refugit, reſpiciamus: &
eſt,ꝙ inuadit acceſſio cum frigore : primum quidem
extremarum partium,deinde verò quaſi lento gradu
ad alias partes ſerpit.In quo videtur Gal. varius fuiſ-
ſe in diuerſis locis: aliquando enim ait, quòd inuadit
cum rigore modico,vt primo ad Glau. capite de ter-
tiana,interdum cum ſolo frigore, nonnunquam cum E
horrore aliquo. Stephanus modicum rigorem Gale.
accepiſſe ait pro frigore: vt enim ſuperius declaraui-
mus,frigus, horror, & rigor ad idem ferè videntur
ſymptomatum genus pertinere:differunt autem pro
ratione minoris, aut maioris. Vnde propemodũ ſem
per frigus in his incipit:deinde horrere,incipiũt,mox
& rigere, Vel ergo hoc intelligendum,quòd propriè,
quantum ad ipſas pertinet, cum frigore quotidianæ
inuadunt,quod quando aliquantò maius eſt, aut ri-
gorem leuem,aut horrorem ipſe appellat. Vel etiã,
vt quidam iunior libri ad Glauc. explanator innue-
re videtur,dicendum,quòd exquiſita quotidiana ac-
ceſſiones incipientes cum frigore habet : quæ autem
non exquiſitæ ſunt, interdum etiam cum aliquo

A horrore,& nonnunquam cum rigore : &,vt diximus
in prinicipio, incipiunt ꝑm extremas partes corporis
refrigeſcere,paulatim deinde ſerpit, & creſcit frigus,
donec veluti algeant vniuerſi. Sed neque in his æqua
liter etiam frigus augetur:nam cum ſæpe iam conſti-
tiſſe frigus videatur, paulo poſt iterum magis incre-
ſcit. Rationem autem horum omnium,ſi percipere
cupitis,hoc primum reuocare in memoriam debetis,
quòd ſermo habetur de quotidiana intermittente:
intermittens autem,vt ſit,pituitoſum ſuccum, vnde
excitanda eſt,oportet è venis excuti : ſi enim in venis
putreſceret,eſſet continens:humor vero ille expulſus
extra venas, qui ſuaptè natura frigidus eſt, dum per
membra ſenſu prædita defertur, neceſſe quoque, vt
B in cauſa ſit, quòd vel frigeat corpus, vel horreat,vel
rigeat. Sed de his paulo poſt verba magis diſtinctè fa-
ciemus. Primum ergo ſignum oſtendit,& quòd in-
termittens febris ſit, pariter,& quotidiana: immò,vt
poſtea exponemus, quòd ſit exquiſita quotidiana.
Alterum vero ſignum à pulſu accipiendum eſt. Pul-
ſus ergo in hac febre præ omnibus alijs putridis fe-
bribus intermittentibus, & exquiſitis minores,inæ-
qualiores,languidioresque ſunt. Cuius rationem re-
ferens Gale.hoc inde eſſe ait, quia pituita,quæ frigi-
da,lentaque, & craſſa,& grauis eſt,magis opprimit,
& aggrauat naturam,& natiuum calorem,vt is,qua-
ſi immergi, & obrui, vt Stephanus græcus explanat,
videatur. Diximus autem ſuperius inæqualitatem
C pulſus fieri ex oppreſſione, & aggrauatione : imbe-
cillitatem, tùm ex hoc,tùm vero, quia vires langui-
dę ſunt:& vtrumque affert is humor : quia enim fri-
gidus eſt, calorem reddit infirmum : quia craſſus,&
lentus inſuper, & multus, opprimit. Quòd ſi quis
opponat, rem hanc rationi quidem conſonam eſſe,
dum confert quotidianam cum tertiana:non ita au-
tem, ſi cum quartana fiat comparatio, quia melan-
cholicus humor ipſe quoque; vtpote, qui terreſtris
ſit,frigidus,& craſſus:vnde non minus poteſt,& op-
primere, & deijcere vires natiui caloris. Reſpondet
Stephanus, quòd,& ſi ſit terreſtris,& craſſus,tamen
non eſt æquè multus vt pituita, cum putreſcens fe-
brem accendit, & proinde neque ita potens eſt vi-
res deijcere : pituita vero non modo frigida, humi-
D daque eſt, verum longè copioſior generatur, quam
atra bilis, in humano corpore : vnde non modo fri-
gore,& humore, ſed & multitudine opprimit vires.
Et idem forſitan reſpexit Gal.cùm comparans quo-
tidianam tertianæ ait,& hęc quidem quotidiè habet
acceſſiones, quamuis minus calidus humor ſit is,quã
bilioſus : calidior enim humor ad motum prõptior,
& facilior eſt : ideo quantum ad hoc per breuius in-
teruallum deberet ſuas in febribus periodos habe-
re,& tamen contra euenit. Nam quotidianas acceſ-
ſiones pituitoſa febris habet : tertianas vero bilioſa,
quòd paulo poſt,vt videbimus, Galen.in copiam pi-
tuitæ refert. Sed de hoc ſuo loco ſermo habebitur.
Vnde ſi quotidianam cum alijs febribus in iſtis dif-
E ferentijs pulſus conferamus, illa minores, & magis
inæquales pulſus habet, ſiue cum quartana confera-
tur, ſiue cum tertiana : vtræque vero, & quartana,
& quotidiana minores, quàm tertiana pulſus habẽt,
& quotidiana adhuc minores, quam quartana : im-
mo quartana pulſus habet longè maiores pulſibus
quotidianæ, quam tertiana maiores pulſibus quar-
tanæ. Sed ſi in raritate, & ſpiſſitudine comparatio-
nem fecerimus, tanto ſpiſſior eſt quotidianæ pulſus
pulſu quartanæ,quanto tertianæ pulſus quotidianę:
nam omnium ſpiſſiſſimus eſt tertianæ pulſus: huic
ſuccedit quotidianæ : rariſſimus vero eſt quartanæ
pulſus : celeritatem autem parem fere pulſus habent
quartana,& quotidiana.Cur autem pulſus quotidia-
næ ſint frequentiores, inde eſt, quia minores ſunt:
quanto

quanto enim minores ſunt, tanto ſunt etiam ſpiſſio- A res, paruitati enim ſupplet natura ſpiſſitudine, vt neceſſitati ſatisfaciat, cum alioquin eadem ſit velocitas. Omnibus etiam alijs maior eſt in harum pulſu inæqualitas: propterea, quia maior eſt oppreſſio, vt ſuperius dictum eſt, & aggrauatio naturæ a materia pituitoſa, quàm a quapiam alia materia. Tertium autem ſignum, quod quidem, & ipſum in principio, & acceſſionis, & totius etiam morbi, ab vrina accipiendum eſt: in hac enim febre crudæ vrinæ quidem ſunt. Neque tamen hoc ſignum quoquomodo proprium dici poteſt quotidianarum febrium, quia omnibus commune eſt: iam enim, & ſuperius diximus febrium putridarum proprium, & inſeparabile ſignum eſſe cruditatem vrinæ, vel ſaltem leuem, & B modicam admodum concoctionem. Vnde animaduertendum, quòd vrina duplicem habet rationem ſignificandi in febribus: ſicuti in primo ad Glauc. Gal. (Cap. 7.) monet, vbi hoc argumentum tractat: nam per eam totius morbi tempora ſignificantur. Quia cum vel nulla, vel non inſignis in ea concoctio apparet, ſignificat principium morbi, ſicut & reliqua excrementa. Cum inſignis, & conſpicua iam apparet concoctio, incrementum. Vigorem vero, vel conſiſtentiam, cum integra eſt in ea concoctio. Vnde cruditas vrinæ communis eſt omnibus putridis febribus in principio. Sed tamen ab eadem deſumuntur ſigna, quibus etiam mutuo diſtinguuntur differentiæ hæ tres febrium putridarum: quia quamuis omnium ſit vrina cruda, non autem idem modus crudarum vrinarum C in omnibus febribus eſt inter initia: euariant enim, & in colore, & in modo ſubſtantiæ, vel conſiſtentiæ. Nam diximus antea, quòd plerumque cum ſeroſo humore pars tenuior, & ichoroſa humorum in venis contentorum excernitur, qui rationem, & coloris, & conſiſtentię illius commutant. Vnde vrina in tertianis febribus cruda quidem eſt in initio, quia tenuior eſt: attamen colore refert humorem in venis bilioſum plurimum contineri, quoniam ſubrufa eſt vel ſubflaua. In quartanis etiam cruda eſt ab initio, & plerumque tenuis, & diluta colore, tamen diuerſa. Quod exponens Stephanus ait, referendum eſſe in variam materiam atræ bilis: vnde excitata quartana eſt, quandoque enim ex ſanguine fæculen- D to putreſcente, interdum ex aſſata bile, & pro ratione ſucci eadem, quam paulo ante diximus, ratione, colore, & conſiſtentia vrinæ variantur. Quotidianarum autem febrium vrinæ in initio crudæ ſunt, diuerſa tamen ratione, pro diuerſa affectione corporis: nam cum maiores in hac febre, quàm in alijs, plerumque ſint obſtructiones ob craſſitiem, & lentorem ſucci, atque adeo etiam propter concoctricis facultatis infirmitatem: nequeunt percolari ichores pituitoſi, qui, & ipſi quoquomodo imitantur humorem, a quo ſecreti ſunt: quare ſeroſus humor ſyncerus ferè excernitur, qui ſuapte natura aquæ ſimilis eſt colore, & conſiſtentia. Vnde tenuis vrina conſpicitur, alba autem, hoc eſt, colore aquam refe- E rens, vt paulo ante expoſitum eſt: craſſa vero, & turbulenta interdum videtur. Non ſanè ob concoctionem, vt iunior expoſitor artis curandi ad Glauc. qui non aduertit, quod ſermo eſt de initio febris, vbi nondum ſigna aliqua manifeſta concoctionis poſſunt apparere. Sed potius, vt explanat Stephanus, hoc fit, quando natura aliquanto valentior aliquod vas, quod erat obſtructum aperit, & per illud excernit aliquid pituitæ, quæ vrinæ immixta eam craſſiorem, & turbulentam reddit. Auic. vero monet id alternatim ferè fieri, quia cum multus ſit is humor, interdum in venas congeſtus multas concitat obſtructiones, atque ita vrina tenuis fit: poſtea vero natura iterum nititur aliquod vas reſerare; & ita craſſeſcit, & turbideſcit vrina: ſed paulo poſt rurſum multa congeſta pituita denuo fiunt obſtructiones, & ſic ſubinde tenuis apparet. Addit autem Galen. & rubram aliquando in his febribus vrinam excerni. Quod quidem pręter rationem videtur, nempe quòd rubicunda in his febribus vrina mingatur: color enim is ſanguinem potius refert, quàm pituitam. Vnde quaſi ſuſpectus aliquibus fuit hic locus: & proculdubio hæſitarem & ego, niſi & Stephanus ita legeret. Dupliciter autem illũ expoſitores explanant. Iunior enim ait, hoc fieri ob imbecillitatem iecinoris, quemadmodum contingit in hydrope, vbi ex infirmitate ſequeſtratricis facultatis ſubcruenta mingitur vrina. Mihi tamen non admodum hæc explanatio probatur. Nam, quòd ſtatim inter initia huius febris, quam exquiſitam quotidianam conſtituimus, tanta appareat imbecillitas iecinoris, mihi ſane magnum videtur. Ideo aliter, ac melius Stephanus exponit, colorem nempe hunc eſſe ex pituitæ parte aliqua aſſata per putredinem. Sed de hoc ſatis. Percurramus alia ſigna, & poſteaquam caput, quod ad excrementa pertinet, aggreſſi ſumus proſequamur illud. Alui etiam deiectiones in hac febre cum ea conſentiunt, nẽ pituitoſiores ſunt, humidioreſque, immo aquoſiores, frigidiores, & crudiores. Quæ omnia prodeunt ex frigidiore ventriculi temperatura, quæ concoctioni inepta eſt. Vnde cruditas exuberans omnium horum in cauſa eſt: inde enim plurima gignitur pituita, multa etiam in excrementis relinquitur humiditas cruda, quæ tamquam inepta, vt in humores probos conuertatur, a venis non attrahitur, neque in iecur digeritur: & propterea humecta ea excrementa manent. Sed ex multis obſtructionibus non patet liber tranſitus in iecur ſucco cocto iam in ventriculo, qui remanens bona ex parte in excrementis ea humidiora reddit. Frigida ſunt etiam, quia frigidus humor in multa copia genitus eſt, & ſubinde generatur: nec modo ad aluum confluit is humor, ſed in vniuerſum corpus redundat: vnde, & humidius euadit, præcipuè vero in ventriculo plurimus congeritur: ex quo fit, vt frequenter ægri pituitam cogantur euomere, & dum illa in acorem vitiatur, acida eructant. Sudor vero inter initia iſtius febris aut nullus, aut modicus admodum excernitur: nam per anguſtos cutis meatus craſſus humor, ſicuti eſt in principio ægre admodum excerni poteſt: progrediente tamen febre, per concoctionem cum attenuatur, apparet ſudor, & aliquando etiam copioſus. Quare mihi ſanè probatur hic Auicen. ſententia, qui dixit ſalubriores eſſe quotidianas febres, in quibus copioſior effunditur ſudor: indicat enim pituitam illam, vnde accenduntur, eſſe minus craſſam. Qualitas etiam mutata in hoc corpore, vel ſtatim a principio, indicat hanc febrem. Primum pallor ad album vergens in toto corpore, præſertim vero in facie, color proprius eſt iſtius febris, qualis eſt plumbeus color. Qua in parte debetis animaduertere, qui Auice. incumbitis, quòd dum ipſe dicit, quòd color eſt decliuis ad citrinitatem, & viriditatem currentes in albedinem, idem voluit, quòd Gale. 2. de criſ. vbi ait, color his cum pallidita- te, albus: palliditatem enim expoſuit per citrinitatem, & viriditatem: id vero voluit exprimere, quod (Cap. 5.) Gręci per ὠχρὸν quod aliquando, vt ſępe refert Gal. accipitur, prout idem eſt, quod pallidum, aliquando idem quod κλωρόν, hoc eſt viride: vnde, quia qui in linguam arabicam tranſtulere, nunc hoc nunc illo modo hæc nomina ſunt interpretati: ideo Auice. hoc pacto locutus eſt, qui hæc omnia ex Gale. deſcripſit. Palloris vero cauſa eſt inopia ſanguinis, & ſpiritus, qui præter id, quod pauci ſunt, opprimuntur etiam, & veluti ſtrangulantur a multa, frigida, & craſſa materia,

teria, vt vix expandi queant: nam vapor ſanguinis, qui ex calore febrili feruеſcit, ad faciem elatus eam rubicundo afficit colore. Ad hoc idem caput ſignorum pertinent præcordia, vel vt græci aiunt, hypochondria intenſa, vt eodem 2.de criſ.literis traditum eſt, tumidioraque, pleniora, & inflata: hæc autem, vt & inſinuare videtur Auicen. ortum habent à multis obſtructionibus, quibus ea viſcera ſunt in hac febre obſeſſa, à lento, & craſſo humore excitatis: vnde pleniora videntur, qui quidem humor, poſtea cùm ab imbecillo calore afficitur, rareſcit, & in flatum vertitur, ex quo, & diſtenſa, & turgida ea redduntur. Quæ omnia à frigore, & à labefactata facultate ventriculi defluunt: nam aut raro, aut numquam citra noxam ventriculi accenditur hæc febris, pręcipuè vero oris ventriculi. Vnde etiam ad hoc febris genus ꝑtinet altera differentia febris, quam à ſymptomate Arabes ſyncopalem humoroſam appellãt, de qua ſuo loco ſermo erit habendus. Præterea, quòd etiam ad ſigna iſtius febris, vt 2. de criſ. monet Galen. attinet, eſt, ꝙ ſolent eam præcedere cruditates, tarda concoctio, ructus acidi, & id genus alia: & aliquando appetitus, oppreſſo ore ventriculi à multa pituita, ſi illa inſipida, aut dulcis ſit, tollitur, & ſitis etiam ferè omnis: quamuis ſi ea acida ſit, poteſt etiam nimius excitari appetitus, ſicut ſi ſalſa, ſitis. Cæterum in inclinatione, & interuallo, vel ſpatio intermiſſionis quędam ſunt etiam, quę ad hanc ſignificationem poſſunt ſpectare. In inclinatione ſiquidem non fit æqualis declinatio, vt diximus ſuperius, rei quadam connexione ducti. Interuallum autem numquam ita integrum in hac febre relinquitur, vt non ſemper reliquiæ putridę alicuius fuliginis percipiantur, ſi quis diligenter animaduertit. Quamuis interdum etiam medici cõcedant, immo multis quoque ita videatur, interuallum illud omnino eſſe integrum: quod & nos concedimus, cùm videlicet reliquiæ illę, ſicut ait Gal. adeo exiguæ ſunt, vt percipi nequeant, niſi exquiſita adhibeatur diligentia: neque enim ſemper res ad viuum omnino reſecanda, & vſque adeo exquiſita ratio exquirenda eſt. Illud autem ob craſſitiem, & lentorem materiæ euenit: nam ægre admodum diſcutitur, & attenuatur: vnde neque ſudore, vt tertiana, & ſæpè quartana reſoluitur: quod plurimum ad hoc facit. Reliquum autem eſt, vt poſtquàm de temporibus acceſſionum particulatim verba fecimus, de vniuerſa etiam acceſſione quædam dicamus. Acceſſio itaque quotidianæ febris media eſt, temporis ratione, qua hominem detinet, ſecluſo interuallo intermiſſionis, quod & ſi à periodo contineatur, non tamen acceſſionis pars eſt, inter tertianam, & quartanam: tertianæ enim breuiſſima acceſſio eſt, quartanæ longiſſima, media vero quotidianæ. Tempora etiam iſtius morbi generalia longa ſunt: eius ſiquidem reſolutionis terminus eſt à quadrageſimo die, vſque ad ſexageſimum: principium autem eius raro ante decimum ſeptimum terminatur, ſed & longiorem habet inclinationem, quàm tertiana. De exquiſitæ igitur febris quotidianæ ſignis, ſatis diximus.

De Epiala febre, ac de pituitæ generibus. *Cap.* *VI.*

EX hoc genere eſt, & febris ea, ꝙ propriè vocatur Epiala, &c.] De febre quotidiana exqſita hactenus egimus. Reliquum ergo eſt, vt de ea agamus, quę non exquiſita eſt. Quę quidem cùm non vnius tantũ modi ſit, ſed multas habeat differentias, & eas longè plures, quàm quæuis alia præcedentium febrium.

A Ideo earum tractationem poſtremam reliquimus, & in hunc locum tranſtulimus: nempe ne interrupta harum febrium videatur examinatio, & proinde etiam ordinem capitum à Gal. in hoc 2. libr. propoſitum mutauimus, & ordinem ab eo ſeruatum in 1. libro artis ad Glauc. ſecuti ſumus. Rem ergo ipſam aggrediamur, hoc tamen prius adnotato, quòd ideo notha febris dicitur, aut non exquiſita, quia recedit à natura exquiſitæ, & ſynceræ febris illius, de qua eſt mentio: quæ ergo quotidiana febris degenerat à vera forma, verę, & exquiſitę febris pituitoſę, & ab eius idea, notha, & non exquiſita eſt. Vnde cùm omnis ferè ratio in febribus putridis à natura putreſcẽtis humoris, ſaltem quatenus ad ideam febris pertinet, de-
B riuetur. Idcirco à natura etiam putreſcẽtis humoris oritur tandem differentia, vt hæc exquiſita, illa non exquiſita febris dicatur: cum enim putreſcens humor exquiſitus eſt, non degenerans à ſua natura exquiſitã accendit febrem: at cùm degenerat, notham, vel non exquiſitam febrem excitat. Humor autem, vt antea diximus, duobus modis ab exquiſito degenerat. Altero quidem, per tranſmutationem factam in ſe, & ſecundum naturam ſuam. Vnde ſuperius etiam diximus, quòd duntaxat humores, qui naturales ſunt, ſynceri, & exquiſiti ſecundum hanc rationem dici debent: & proinde naturalis pituita, quæ inſipida eſt, & mediocris conſiſtentię, naturalis, & exquiſita dicitur, & hæc, cùm putreſcit, exquiſitam generat febrẽ pituitoſam, & quotidianam: in qua ſigna omnia con-
C ſpici poſſunt, quæ præcedenti capite fuere iam expoſita: at vero cùm aliæ pituitæ ſpecies putreſcunt, quæ ab huius natura recedunt, quamuis nullum alium humorem alterius naturæ mixtum habeat, tunc febris ea quotidiana, vel pituitoſa nõ exquiſita dicitur: quæ quatenus humor à naturali degenerat, eatenus, & ipſa ab exquiſita febre recedit, quantum, & ad naturam, & ad ſymptomata, & ſigna pertinet. Poteſt, & alia ratione fieri non exquiſitus humor: nempe cũ non vnus & ſyncerus humor, ſed plures, vt, dum de tertiana notha ſermonem haberemus, expoſitũ fuit, ſimul putreſcunt. Poteſt enim, & bilis cum pituita, & ſanguis, & melancholicus humor ſimul putreſcere, & hoc duobus modis, vel ſimul permixti, vt quaſi in
D vnum humorem coaluerint, vel ſeparatim, & ſeorſim: ſiquidem ſimul computreſcant propriè excitatur febris notha: ſed ſi ſeorſum, faciunt ſeparatas periodos, & acceſſiones: & tunc potius dicendæ ſunt plures febres complicatæ, quàm vna febris notha, & in hoc genere eſt ſemitertiana, vel, vt Græci, hemitritæus. Sed de his in ſequenti cap. erit agendum. In præſentia autem redeamus ad febres ex pituita, quæ vna febris dici poſſunt, non autem plures. Illæ ergo febres, quæ ex pituita putreſcente non exquiſita excitantur, & rationem habent, cur non exquiſita ſit, quia illi eſt alter commixtus humor: ſicuti mixtus ille humor quaſi medius eſt inter vtrumque exquiſitum, vt inter exquiſitam bilem, & exquiſitam
E pituitam, vtriuſque enim princeps eſt: eius tamen appellationem ſortitur, qui in mixtura vincit, ita (inquam) febres ab eo humore putrido excitatæ, quaſi mediæ naturę ſunt inter duas exquiſitas, & ſecundum modum caloris, & ſecundum ſymptomata, ac ſigna: immo, & in curatione mediæ, quaſi inter curationem huius, & illius incedunt: earum enim curatio, neque omnino cum hac conſentit, neque omnino cum illa, ſed partim cum hac, partim cum illa: & ad eam magis accedit, cum qua maiorem affinitatem habet febris curanda. Vnde ſi aliquæ differentiæ in huiuſmodi febribus nothis ſint, illæ ſecundum eam rationem accipiuntur, qua ab exquiſitis magis recedunt, vel ad eas magis accedunt, quæquidem (vt Gal. primo artis cur. ad Glauc. ait) in-

definitæ,& ferè innumeratæ ſunt. At vero,quæ aliâ ratione nothæ ſunt, nimirum quoniam ab humore, qui exquiſitus dicitur, per ſe, & per proprium vitium degenerant,hoc eſt, à naturali pituita,illæ poſſunt indefinitum numerum, & certas quaſdam differentias referri,& hoc,quia, & modi, ſeu differentiæ non naturalis pituitæ. vnde ortum habent hę febres, in certa capita, & definita à medicis redactæ ſunt:quamuis particulatim conſiderando, & ea ratione, qua harum vna quæque magis, aut minus talis eſt,innumeratæ,vt 4.de tuen. ſan. ait Gal. reperiantur differentiæ: multiplex enim, & ferè indefinita eſt eorum ratio, quæ à medio, & ab optimo recedunt:ſicut medium, & quod optimum eſt, ſemper vnicum eſt. Tres ergo ſunt differentiæ pituitæ,quæ naturalis non eſt,neque exquiſita,vt hic, & tertio de loc.affec. tradit. Galen. Prima quidem ea eſt, quam Praxagoras vitream pituitam appellauit, propterea quia craſſitie, & lentore ſimilis eſt vitro in fornacibus liquefacto. Philippus autem,& ipſe inſignis medicus,humorem crudum nuncupauit. Hæc omnium frigidiſſima eſt. Vnde ſi ea in aliquo loco calidiori concluſa intra humanum corpus contineatur, ſicuti in craſſioribus inteſtinis, in quibus ſæpius congeſta ſtagnat, vehementiſſimos dolores concitat: quales ſunt,qui colici dicuntur, & id, vel ob intemperiem frigidam, qua membra afficit: vel quia à loci calore rareſit, & in craſſum flatum vertitur, qui partes, in quibus cauſus eſt,extendens cruciat: interdum vero rigorem abſque ſucceſſione febris: quandoque, & febrem,vt paulo poſt dicemus,excitat. Altera vero huiuſmodi pituitæ differentia ſapore quidem dulcis eſt, conſiſtentia autem non adeo craſſa, vt prior,ſed talis eſt, qualem ſæpè expuimus, quæ dulcem nobis ſaporem manifeſtè refert. Alia differentia eſt, quæ & ipſa expuendo percipitur, cuius ſapor acidus eſt. Alia vero ſalſa eſt. Sed ſecundo de loc.affe.Galen.& inſipidæ meminit. Verum ſi eius verba rectè perpenderimus,hanc tamquam naturalem habere videtur, quia eam talem eſſe ait, qualis ſaliua eſt in homine exquiſitè ſano. Conferens autem Gal.has pituitæ differentias mutuo, omnium frigidiſſimam,& craſſiſſimam eſſet ait vitream: hanc ſequitur acida, quamuis,& prior non ſit acidi ſaporis expers: poſtea tertium ordinem dulcis habet. De non naturalibus loquor; nam hac forſitan frigidior eſt inſipida. Dulcis enim non poteſt multum eſſe frigoris particeps, vt ſe in libr.de ſimp.med. fac. probaſſe inquit hic Gal. Salſa autem iam non modo frigida non eſt, ſed potius calida. Quod probat ea ratione,quia,& ſi pituita quantum ad naturam eius pertinet, frigida ſit: hæc tamen ex accidenti ſit calida, & id bifariam. Primum, quia putreſcens ipſa ſine alterius rei mixtura ſalſum contrahit ſaporem: omnia autem putrida partes habent calidas. Deinde vero cùm illi ſalſus aliquis,ſeroſuſque humor commiſcetur: ſapor autem ſalſus ſemper caliditatis inditium. Dices autem Gal.videtur aut fuiſſe oblitus, aut ſaltem fuiſſe ignarus alterius cauſæ ſalſedinis in pituita, quam Auicenn. retulit prima fen. primi can. & eſt, cùm exuſta bilis cum inſipida, & tenui pituita permiſcetur. Hæc difficultas ad alium locum pertinet: nobis in præſentia ſatis ſit hoc, quòd pituita ſalſa calidus humor eſt, vndecumque modo cauſa ſalſedinis petatur. Ex omnibus itaque his differentijs pituitæ,ſi putreſcant, differentes etiam excitantur modi febrium pituitoſarum ad hoc genus pertinentium, & ſicuti differentes ſunt humoris putreſcentis naturæ; ita & febres diuerſa habent ſymptomata, quibus cognoſci, & diſtingui poſſunt. Sed,quia de intermittentibus febribus hactenus ſermonem habuimus, quæ fiunt,cum humor extra venas expellitur; ideo, & quomodo cognoſcendus eſt is humor ſtatim à principio acceſſionis, dum hæc expulſio fit, docet. Verum, vt ea, quæ dicenda ſunt facilius intelligantur,eſt primum aduertendum, quòd(vt ſuperius expoſuimus)in principijs ipſarum acceſſionum, interdum frigent externæ partes tantùm, præſertim vero extremæ. Interdum præter id, horrent exteriores partes, præcipuè autem cutis, qui horror nihil aliud eſt, niſi motus quidam inordinatus, factus circa cutim, quæ veluti contrahitur, vt nocuam materiam, quæ per ſenſibiles partes fertur, exprimat: vnde pili ex ea contractione, & veluti conſtipatione recti ſtare videntur,& cutis fit inæqualis, & ſubaſpera,ita vt anſeris, vel gallinæ deplumatæ cutem imitetur. Interdum vero non modo hoc contingit in cute, verum,& partes muſculorum mouentur,immo,& muſculi inordinato quodam motu agitantur, & concutiuntur. Cõcutiuntur autem naturæ quodam inſtituto,nõ ex deliberatione,vt excutiant materiam moleſtam,quæ per membra ſenſu prædita fertur. In febribus quidem intermittentibus, cùm materia expellitur extra venas,per carnes, & ſentientia membra fertur:hic autem longè maior motus eſt. Nam prima alteratio ſolum perducit ad refrigerationem, & eam, aut maiorem, aut minorem pro maiore, vel minore retractione caloris ad internas partes. In altera vero percipitur quidam motus, veluti cuiuſdam auræ frigidiuſculæ, quæ per cutim ſerpit. At in rigore, adeo ſæpè concutitur vniuerſum corpus, vt & lectus,& cubiculum quandoque tremat: hæc autem diuerſitas contingit pro ratione, qua cauſa fortior eſt, & maiorem ſentientibus particulis moleſtiam affert. Quòd ſi quæratis, quænam eſt cauſa proxima iſtorum omnium ſymptomatum? Reſpondet Gal.tùm in 2.de cauſ.ſympt. tùm in libr. de rig. hor.palp.trem.& cõuul. quòd omnes cauſæ duobus capitibus comprehenduntur. Alterum eſt humor calidus, & acris velociter, & repentè afficiens membra ſentientia. Nam, & aqua calida repentè aſperſa dorſo in balneis quandoque concitat rigorem, & medicamenta etiam acria,vt ſunt ſinapiſmi. Præterea,& frigus, cui repentè occurrunt corpora: ſi enim diu verſati fuerimus in aliquo cubiculo calido hyeme, cum poſtea eximus, occurrentes frigidiori aeri, ſtatim nos rigores, & concuſſiones apprehendunt. Sic etiam in febribus, ijs eiſdem de cauſis, rigor,aut horror, aut frigus accidit, quandocumque accidit: hoc vero, vel illud fit ex diuerſa ratione humoris, qui extra venas pellitur. Vnde, cùm & bilis illa exquiſita omnium ſit calidiſſima,acerrima, & tenuiſſima: ideo vehementiſſimos excitat rigores: caliditate enim, & acrimonia plurimã affert moleſtiam, & tenuitate quaſi pungens facultatem expultricem irritat: præterea vero,quia fertur per membra. Aliæ autem differentiæ non exquiſitarum febrium, quatenus ab hac in his conditionibus remotiores ſunt, eatenus minores rigores afferunt: ita vt interdum ſolos horrores, nonnumquam extremorum dumtaxat perfrigerationem inducant. Altera etiam de cauſa in febribus concitatur rigor, videlicet ob frigus humoris, vnde febris accenditur, dum ſanè ille mouetur,atque per ſentientia membra fertur. Sed quia frigidus eſt, & humor melancholicus, & pituitoſus. Melancholicus quidem raro inter initia quartanarum,vt diximus rigorem inſignem excitat: craſſus enim eſt,& ineptus in initio morbi, vt confertim, & velociter feratur, moueaturque: cum vero attenuari per concoctionem à natura incipit, incipit etiam vehementiorem rigorem gignere. Inter autem differentias pituitæ vitrea quidem, & acida rigorem concitant etiam vehementem, quòd maxime frigidæ ſunt: vnde quamuis craſſæ ſint, & viſcidæ, dum

tamen

tamen mouentur, quomodocumque id fiat poſſunt concitare inſignem rigorem. At vero, neque ſalſa, neque dulcis pituita rigorem efficiunt, cum neque plurimum calidæ, neque plurimum frigidæ ſint, ſed tantum, ſi aliquid faciunt, horrorem faciunt, aut refrigerationem. Sed, & id intelligendum, quòd huiuſmodi pituita craſſa, cruda, & acida, & ſi ſemper rigorem ſuapte natura excitare apta ſit, dum per ſentientia membra mouetur, nõ tamen ſemper eodem modo, & cum eiſdem ſymptomatibus excitat. Interdum enim ſolum rigorem affert, qualis percipi ſolet in initijs intermittentium febrium: quem tamen nullus deinde calor conſequitur, & rigor citra febrem is appellatur à Galen. Quem quidem Hippocr. & antiquiores medici, ſi Gale. credimus, non cognouerunt: ea forſitan ratione, quia priſcis temporibus ex victus parſimonia, & negotijs, corporiſque exercitationibus non congerebatur, neque tanta copia, neque ita facilè humor is crudus. Citra febrem autem eſt is rigos, quoniam febris propriè eſt calor, rigor vero frigida eſt affectio. Aliquando autem ſimul percipitur frigus, vel rigor, & calor: & hoc bifariam. Quia nonnumquam in vna, & eadem parte teſtatur, ægrotans ſe, & calore, & frigore affici. Nonnunquam vero in diuerſis partibus, & quando in diuerſis partibus interius calor ſentitur, ita vt, quaſi vri conqueratur laborans: exterius vero frigus. Auic. vero, vt partitionem abſoluiſſe videretur, addidit, & ſecundam partem, quòd aliquando cõtra ſe res habet, quia interiora frigent, exteriora calent. Sed de his paulo poſt dicemus. Nam prius omnium horum ratio referenda eſt: ita enim & Gal. exponemus, & omnes differentias febrium iſtius generis, quarum meminere antiqui, explanabimus. Eſt ergo hoc ponendum, quòd humor hic, cùm per ſe calidus minime ſit, non poteſt calore afficere, niſi per accidens, vt philoſophi noſtri loquuntur, nempè ſi putreſcat: rigorem vero, per ſe, & citra aliam tranſmutationem à ſua natura concitat. Quando ergo mouetur, & per corpus exagitatur, ſtatim excitatur rigor ſine alia tranſmutatione: febrem autem non accendit, niſi putreſcat: vnde quando mouetur, & tamen imputris remanet, illum motum conſequitur rigor, nec tamen febris: non enim ita facile putreſcit, cùm plurimum frigidus ſit, facilius autem putreſcunt alij humores. Quòd ſi dicas, cur ſolum, ſi mouetur, rigorem affert, quieſcens autem nequaquam? Hoc inde eſt, quia dum quieſcit, aſſueuit particula, & quaſi illi familiaris fit: non afficimur autem plurimum ab ijs, quibus aſſueuimus, dum vero mouetur, ſemper nouæ particulæ occurrit: vnde, & ſui ſenſum excitat. At vero cum putreſcit, inde febris accenditur, & pro diuerſa putredinis ratione variç etiam iſtarum febrium ideæ obſeruantur. Nam ſçpe non integre, & ex omni parte putreſcit, ſed, vt Paulus ait, ſemiputreſcit. Sed cum ſemper, quomodocumque putreſcat, inæqualiter id fiat, tùm propter difficultatem, & ineptitudinem (vt ſequenti capite Galen. docet) ad contrahendam putredinem: tum etiam propter partium diuerſitatem, & inæqualitatem: ſi vehemens fiat eius putredo, & integra: rigore deſinente, ſequitur calor, qui per omnes partes æqualiter diffunditur, ſuperata quippè humoris naturali frigiditate: ſi vero non integre putreſcat, & quaſi ſemiputreſcat, calor non poteſt omnino çqualiter partes omnes vincere: vnde qua parte putreſcens vincitur, calidus videtur: qua vero non ſuperatur, adhuc frigidus ſentitur, atque ſimul vndique calore, frigoreque, & rigore corripitur febricitantis corpus: & hanc febrem epialam nuncupant Hippoc. Galen. Paulus, Aetius, & reliqui omnes græci. Auicen. tamen hanc relinquit innominatam, nomenque epialæ alteri attribuit, de

A qua paulo poſt diſputabimus. Dicit autem Paulus epialam dici per quandam metaphoram ἀπό τῆς ἁλὸς ἠπίας φαινομένης, hoc eſt, à mare leni, ac placido apparente, cum alioquin quando turbatur, ſit plenum timoris: vel παρὰ τὸ ἠπίως ἀλεαίνειν, videlicet ex eo, quòd facilè, ac leniter calefaciat. Et hæ omnes differentiæ harum febrium ad intermittentes pertinent, ſumpta videlicet ratione diuerſitatis ab humoris natura. Nam ſunt, & aliæ differentiæ, quæ à loco putredinis, & à tempore acceſſionis, & à ſymptomatibus deſumuntur. A loco putredinis naſcitur altera harum febrium differentia, quæ non amplius intermittit, ſed continens eſt: in qua vri, vel calere inſigniter videntur interiora, exteriora frigere: hoc autem accidit, cùm eiuſmodi pituita non expellitur extra venas, immo in penitioribus, & intimis viſceribus putreſcit: ibi vero putreſcit, quia loca illa calida, & humida ſunt: ideò facilius, & vehementius putreſcit humor. Ex multa autem putredine accenditur incendium magnum circa præcordia, & internas partes: & cum craſſa ſit materia, & craſſus vapor, qui ex putredine attollitur, non ita ad extremas vſque partes facilè expanditur, immo præmulto incendio, & moleſtia ibi excitata ſanguis, & ſpiritus ſimul cum vapore putrido, mixtim recedunt ad partes intimas, vt deinde extremæ partes à natiuo calore deſtitutæ refrigeſcant: atque ita interiora calent, exteriora frigent. Nam (vt Galen.) ait ſecedunt in interiora ſanguis, & ſpiritus ad expellendam, & exturbandam inde rem adeo moleſtam: ſicut etiã fit in intermittentibus, ſed in illis calor tandem ſuperata materia rediens expanditur: at in his craſſitie materiæ, & eius lentore, quæ calori renititur, nequit fieri ſuperior: immo ſæpè ex humorum malignitate ſuccumbit, atque eius vires diſſoluuntur. Galen. autem in his tantum duabus febribus vri interiora, & frigere exteriora inquit, quarto Aphor. nempè in hac appellata lipyria, & in ardentibus febribus, quas accendunt magnæ inflamationes exorientes in internis viſceribus, & ambæ malæ, continentes, & pernitioſæ ſunt. Auicen. vero voluit, & aliam reddere, cuius antiqui nõ meminere, de græcis loquor. Arabum enim hoc eſt commentum, & hanc contra ſe habere, quàm lipyria afferit: nimirum, quia in hac, cui ipſe epialæ nomen attribuit, (ait) interiora frigent, exteriora vero igneo calore detinentur. Huius vero ſymptomatis eam refert rationem, quòd internis partibus contineatur vitrea pituita, quæ ipſa frigida eſt ſuapte natura, & frigus illis affundit, vt quaſi gelidæ videantur. Sed cum putreſcat, & ſemper inæqualiter (vt diximus) putreſcat, quæ remanet imputris, refrigerat proximas, & eam continentes particulas, qui vapor deinde à parte putrida elatus, extrorſum fertur, & ad exteriora expanditur. Sed mihi quidem videntur hæc potius imaginaria, quàm quòd ex parte rei poſſit aliquid illis reſponderi: immo tota fere (vt aiunt) diametro illis, quæ ſuperius tam ex Galen. quàm Auicen. decretis probata ſunt, aduerſantur. Nam ſi febris ſit accendenda, porro neceſſe eſt calorem prius concitari in internis partibus, quippè quòd prius in corde accendatur, vt ipſemet Auicen. teſtatus eſt, & à corde prius ad interna, & vicina viſcera, mox vero ad externas, & remotiores partes deferatur. Cui, & hoc addamus, quòd, vt paulo ante dicebamus ex Galen. (quod, & ipſe fatetur) dum in internis partibus quietus continetur is humor, nullum ſuæ frigidioris naturæ ſenſum facit: frigidus autem ſentitur, cùm mouetur, & locum mutat: non mouetur autem humor, dum putreſcit, niſi cùm natura illum excutit extra venas, quemadmodum omnes in intermittentibus febribus

bus fieri fatentur. Vnde interrogemus, an hoc modo moueatur. Nam ſi extra venas expelletur, iam non amplius partes internas, in quibus continebatur, refrigerabit: non ergo interius percipietur frigus, ſed exterius in partibus, per quas expelletur. Sin autem non expelletur, verum ibi in venis continebitur, ſtatim, vt quieſcet, non amplius frigidus percipietur. Vnde mihi magis græcorum videtur probanda ſententia. Aliarum etiam differentiarum meminere Hippocr. & Galen. acceptarum a tempore, quo excitatur acceſſio: videlicet tertio libro commētariorum in primum Epid. quia aliqua diurna dicitur, alia nocturna, vbi ait, quod nocturna minus difficilis eſt, deterior vero diurna. Sed de his poſterius agemus. Poſtremæ autem differentiæ ab ipſis ſymptomatibus acceptæ ſunt, vtpotè, quia in illis exurgunt ſymptomata, quæ omnino rationem curationis commutant: ſicut illis accidit, quæ ſyncopales dicuntur, de quibus etiam poſtea ſumus habituri ſermonem. In præſentia enim volumus caput hoc perducere ad calcem. Nam reliqua ſunt vltima verba exponenda, quorum ſenſus eſt, quòd cum in his febribus frigus, & calor percipiantur ſimul, vel in eiſdem partibus, vt in hepiala: vel in diuerſis, vt in lipyria, id non eſt referendum in rationem febris propriam, quia, cum febris putrida eſſentiam ſuam à putredine habeat, partes, quæ putreſcunt per ſe ad rationem febris pertinent, quæ vero non putreſcunt, nihil cum febre habent proprium. Vnde quis poſſet affirmare, quòd febris ſit quidem vnus affectus per ſe, alter vero ille ſit, quem ſequitur rigor, vel frigus: ſecus autem eſt in tertiana, quia eadem eſt pars humoris, quæ & rigorem ciet, & febrem accendit. Sed eiuſmodi quæſtiones, quæ ad rationem curationis nihil addunt, vel detrahunt, logicæ potius ſunt, quàm medicæ: quoniam nihil aliud habent, niſi quòd diſputationis occaſionem nobis præſtant: ad opera autem artis nihil conducunt.

De complexione Tertianæ Febris cum Quotidiana: ac de Semitertiana. Cap. VII.

IAM vero tempus eſt, vt ad propoſitum inſtitutū reuertamur, &c.] Exquiſita tractatio febrium, quatenus ad earum differentias pertinet exigit, vt omnium, tam ſimplicium, quàm compoſitarum mentio fiat. Vnde explanatis ſimplicibus omnibus febribus, ſupereſt, vt ad compoſitas accedamus. Compoſitæ vero dicuntur, quæ non vnica febre conſtant, ſed ex complexione plurium febrium, vel eiuſdem naturæ, vel naturæ diuerſæ. Cùm enim primum partiti ſimus febres in continentes, & intermittentes: & intermittentes deinde, in tertianam, quartanam, & quotidianam: atque itidem continentes in totidem ferè differentias: poſſunt etiam componi, & tertiana cum tertiana, & quartana cum quartana, & quotidiana cum quotidiana: præterea, & tertiana cum quotidiana, & quartana & eodem modo, tam quotidiana, quàm quartana, cum alijs duabus: nec modo hæ, ſed etiam continentes, & inter ſe, & cum intermittentibus: aliquando enim non modo vna cum altera, ſed, & duæ, & tres, & plures complicari poſſunt. Ego enim vidi duas iuuenes, quarum altera quotidiè quatuor habebat acceſſiones, altera tres. De his ergo complexibus in primis in hoc capite ſermonem inſtituemus, præſertim vero de ſemitertiana, quæ græcè ἡμιτριταῖος dicitur, fitque ex complexione vnius tertianæ intermittentis, & vnius quotidianæ continentis. Nam varia fuit de hac penes antiquiores medicos ſententia, vt in ſequenti capite cum Galen. exponemus. Sed vt hæc apertius, & ordinatius tractemus, quia imprimis de hemitritæo ſumus ſermonem habituri, de complexionibus, primum omnibus, quibus tertiana febris cum quotidiana coniungi poteſt, agamus. Verum antea ne rem confundamus, quæ de vſu nominum à Gal. dicuntur, explanemus. Eſt ergo hoc prius animaduertendum, quòd (vt ſæpiſſime dictum eſt) tam ex bile putreſcente, quàm ex pituita duplex eſt modus, quo poteſt febris accendi. Vel ex illis putreſcentibus in venis, vel ex illis putreſcentibus extra venas. Et primo quidem modo febres fiunt continentes, quæ numquam intermittunt. Altero vero, intermittunt. Ex intermittentibus autem, quæ ex bile accenditur, tertiana à medicis ferè omnibus dici conſueuit, græcè τριταῖος. Quæ vero ex pituita ortum ducit, vtpotè, quæ quotidiè acceſſiones habet, καθημερινὴν febrem medici, qui temporibus Galeni medicinam faciebant, appellare conſueuerant: quod quidem nomen parum grecum eſt (ait ipſe) vel ſaltem nullis græcis, & probatis auctoribus in vſu. Quæ enim quotidiè fiunt, ea non cathemerina, ſed potius amphimerina nuncupantur à græcis. Vnde, vt & nos ſeruemus rectum vocabulorum vſum (inquit Galen.) in poſterum amphimerinam febrem vocabimus, quamuis in re, ſiue hoc, ſiue illo dixerimus modo, nulla ſit futura differentia: & ideo, neque etiam in hoc ita erimus pertinaces, vt velimus contendere, ſi quis velit eo vti vocabulo, quoniam de rebus, non de nominibus eſt inſtituta hæc tractatio. Continentes autem, quę intermiſſione carent, ex proportione reſpondent intermittentibus, quia, & ſi non habeant intermiſſionem: habent tamen excreſcentias, vel acceſſiones ſequentes propriam illius humoris periodum. Non autem illis erat adhuc proprium inditum nomen: clarioris tamen doctrinæ gratia imponamus illis quoque nomen, quo facilius percipi poſſit id, quod à nobis dicendū eſt. Et eam quidē, quæ à bile ſuū habet ortum, appellemus tertianam continuā, uel continentē: quę uero intermittit, tertianā abſolute, uel tertianam intermittentē, ſicuti iam quidam cœperunt appellare. Similiter eā, quæ ex pituita excitatur, amphimerinā abſolute, quomodo intermittit, uel amphimerinā intermittentē: quādo autē intermiſſione caret, amphimerinam continuā, uel cōtinentē. Nos autem tertianas, uel quotidianas latinè nominabibus. His ergo ita conſtitutis dicamus tertianarum cū quotidianis quatuor eſſe complexionis modos. Quia aut cōtinēs cum continente, aut intermittens cū intermittente, aut intermittens cū cōtinēte, & hoc dupliciter: quoniā, uel tertiana intermittens cū quotidiana cōtinua, uel tertiana continua cū quotidiana intermittente copulatur. Et ſicuti omnes hæ cōplexiones fieri poſſunt, immo interdū etiam fiunt: ita non parū prodeſt medico eas cognoſcere, & in earū cognitione ſe exercere. Quamuis tēporibus illis multi eſſent medici, q hanc cognitionem negligerent, qui quatenus hæc ignorabant, eatenus quoq; & à recta ratione eas curandi, & rectè uictum, ac alia remedia inſtituendi ab errabant: neq; enim poſſunt alioquin, & tempus futurę acceſſionis ꝓcognoſcere, & alia quęcumq; ad acceſſiones ꝑtinent, percipere. Vnde cū Gal. ob diligētē operam, quam huic contēplationi nauabat, ſæpe, & horam futuræ acceſſionis, & cōplexiones febrium facilè cognoſceret, ad id nimirum proſpiciens, & uictum, & cætera rectè inſtitueret, credebant illi, uel ſuſpicabantur ipſum ex diuinatrice aliqua arte, quam ex medica potius ea præſagire: cùm tamen neq, co-

gnitu difficilia hæc ſint, ſi quis rectè animum ad hæc intenderit,& ea diligenter obſeruauerit, quæ obſeruanda ſunt. Quòd ſi,quæ in primis obſeruare oporteat, quæras. Animaduertentes(inquam)ad ea,quæ docemur à Gale. facilè percipiemus. Præcepta vero eius hæc ſunt, vt non tantum rationem periodorum ſpectemus,quantum tum modum caloris febris,tum reliqua ſymptomata febris naturam concomitantia. Periodi enim, quando fuerint ſimplices febres, non fallunt,vtpotè quando vnica,& ſimplex fuerit tertiana, ſemper alternis diebus ſuas habebit acceſſiones: ſi vnica quartana,per quartã diẽ,ſi quotidiana, quotidie. Verum, vbi pluriũ febrium fuerit complexus, poterunt tertianæ quotidiè inuadere, vt ſi duæ fuerint tertianę:poterunt,& quartanæ,ſi tres cõponantur. Modus autẽ caloris non fallet,nec reliqua ſymptomata propria. Vnde ſi quis quotidie à febrili acceſſione corripiatur, cuius calor acris inſigniter, & mordax ſit, acceſſio vero ſtatim ab initio cum rigore inuadat,inclinetque cũ leui aliquo ſudore,vrinas etiã aut pallidas,aut flaues mingat, vomat etiam, vel per aluũ deijciat bilioſa, febris hæc tertiana,non quotidiana,erit cẽſenda,ſed non vna,& ſimplex: at potius duplex. Ita etiam in alijs agendũ eſt,ſemper propria ſigna cõſideranda, nec ſolis inſiſtendũ periodis. Nec vero res hæc ita ſe habet ſolum, cùm intermittentes plures copulantur:verum,& cùm cõtinentes,& continentes quoque cum intermittentibus:ſiue eiuſdem generis ſint,ſiue ad diuerſa genera pertineãt, quemadmodum in hemitritæo, vel ſemitertiana febre,de qua licet varie ſenſerint priores medici, varieque illã interpretati ſint: nos tamen in ea ſequemur modum Hippoc. qui ſemitertianam febrem appellauit complexionem intermittentis tertianæ, & quotidianæ continuę: ita vt tertiana ſuas acceſſiones alternis diebus habeat,& eas,aut cum rigore,aut ſaltem cũ horrore inuadentes:quotidiana vero cõtinua, quotidie, quo tamen modo continens febris acceſſiones habet. Vnde altero die duas habet diuerſas natura acceſſiones:alteram,quę omnino refert materiam bilioſę, & tertianæ febris:alteram,quę omnibus ſymptomatibus, & qualitate caloris refert natura pituitoſum ſuccum,quamuis interdum,ambo vnam habeant tãtum acceſſionem. Nam ſi accidat,ſicut nonnunquam poteſt accidere,vt duę acceſſiones conueniant, & eadem hora ſimul inuadant ægrotantes, coaleſcunt,& confunduntur in vnam, quæ eſt confuſa, atque ita mixta,confuſaque omnia habet. Quandoquidẽ neque ita acrem calorem habet, vt tertiana, neque ita obtuſum,& veluti ſuffocatum, vt pituitoſa,& quotidiana:ſic etiam neque omnino principiũ acceſſionis inuadet cum rigore manifeſto,vt ſolet ſimplex tertiana: neque cũ perfrigeratione,vt amphimerina,ſed cũ horrore, qui medium ſymptoma eſt(vt alias fuit expoſitum)inter illa duo, & quaſi ex vtriſque commixtum: atque ita etiam ſe habebunt reliqua. Et nonnunquam ſi eandem horam ſeruauerint vtriuſque febris acceſſiones,ita per hunc ordinem,& ſimili ratione febris ad finem vſque procedet. Quòd ſi aut vtraque acceſſio,aut altera mutauerit horam, aut accelerando, aut poſtponendo, quandoque conuenient,& & ſimul confundentur acceſſiones: quandoque diuerſis temporibus ægrotantem corripient: & modi tamen permixtionis quotidianæ febris continentis cum tertiana intermittente ambo ad hemitritæum pertinent,ſi Hipp.medicinam ſequamur.Hæc eſt itaque ſententia vniuerſi iſtius capitis in ſummam redacti. Addit tamen Gal.exemplum, vt clarius rem explanet, adoleſcentis,qui febre compoſita ex intermittente tertiana,& quotidiana continua laborabat: in quo cùm altera acceſſio acceleraret, altera ſemper tardaret, bis ſaltem confuſæ ſimul fuere acceſſiones,

A declaratque quam formam ſeruarent, quando confundebantur,& quam differentiam haberent ab illis, quæ ſyncerę, & impermixtæ accendebantur. Quæ quidem omnia, quia perſpicuè adeo ab ipſo exponuntur, vt explanationem alterius non videantur expoſcere. Ideo non amplius tempus conteram: ſed aggrediar ſequens caput.

De dignoſcenda exquiſita, & non exquiſita Semitertiana.
Cap. VIII.

B SED quoniã & de his ſatis dictũ eſt, rurſum ad id redeo,de quo, &c.] Vniuerſum caput hoc conſumit Gal. in explananda natura hemitritæi, ac differentijs exponẽdis,quibus ab alijs commixtis, ſeu cõplicatis febribus differat, necnon & differentijs, vel diuerſis ipſius modis: nempè quiſnam ſit exquiſitus, & quis non exquiſitus hemitritæus. Poſtremo vero loco,quia & hemitritæus, vt nomen ipſum demonſtrat,ex parte ſaltem aliqua, ad differentias tertianæ febris pertinet, de omnibus tertianæ differẽtijs ſummatim agit,vt oſtendat,ꝙ priſci illi medici male ſe habuerint,tam in explicanda ratione hemitritæi,quàm differentiarum aliarum tertianarum,præſertim vero Archigenes,& Agathinus. Hoc ergo cõſtituto,quòd hemitritæus in Hippocratica diſciplina ſit febris,quæ C conſtat ex complexione continentis quotidianæ, & intermittentis tertianæ.Quoniam qui aliter ſentiũt, ſicuti multos veterum medicorum ſenſiſſe ait, qui voluere etiam hemitritæum eſſe appellandum, ſi intermittens cum intermittente componatur: immo Agathinus omnem tertianam, quæ longius protrahitur,vltra fines videlicet exquiſitæ tertianæ, nomine hemitritæi comprehendit: hi procul à doctrina,& vſu Hippo.recedunt,qui quidem primo Epid. hemitritæum voluit febrem eſſe abſque intermiſſione: complexus autem ex omnibus intermittentibus neceſſe eſt,vt tandem intermittant. Vnde cùm in libro de typis, hemitritæus inter eas febres recenſeatur, quæ intermittunt,quod alienum eſt à Galen. decre- D tis in omnibus alijs ſuis legitimis libris,& Hip. quoque,vt hic,& alibi ſępe probare videtur:Ideo librum non eſſe,quem de typis Gal.conſcripſit,ſemper(vt & alias memini me vobis dixiſſe)arbitratus ſum. Itaq; ſi ita ſe habet hemitritęus, vt conſtet ex mixtura tertianæ, quæ ex bile putreſcente eſt accenſa, & quotidianæ,quæ ex pituita: ſi miſcendi ſint hi duo humores,neceſſe eſt, vt aliquo horum modorum miſceantur. Nempe vel æquales vtrinque ſunt in hac miſcella,vel inæquales. Si ſint æquales, tunc febris,quæ ex hac ęquali mixtione accendetur, erit exquiſitè media,& ſecundum formam, & ſecundũ ſymptomata, & tandẽ ſecundum omnia inter tertianam exquiſitã, & quotidianã: Vnde & motus caloris neque ita ve- E hemens erit,& acris, ſicut in tertiana, neque ita obtuſus,& quaſi ſepultus,vt in quotidiana, neque eius motus erit velox, liber,& expeditus, vt tertianę,quę vbi inceperit,cito, & ęqualiter per incrementum ad vigorem aſcendit, neque ita tardus, & inęqualis, vt quotidianę: immo videtur quaſdam habere,dum increſcit,& antequam ad vigorem accedat,veluti repetitiones, vt quaſi ex pluribus acceſſionibus conſtare videatur: nam videbitur tranſiiſſe principium, & increſcens acceſſio vigori proxima eſſe, tuncque iterum pulſus fiet compreſſus, & rurſum horrere incipit, perinde, ac ſi noua accenderetur acceſſio: & ita bis,& nonnunquã ſępius fit.Quod quidẽ fieri inquit Galen. expugna horum duorũ humorũ inter ſe ſuapte natura contrariorum: dum enim bilis putreſcit,

quę calidus,tenuis,& leuis humor eſt,& facillimè accenditur, facillimè expanditur, & exterius effertur, ſecumque trahit,& pituitam:aſcendit ergo facilè acceſſio,donec ſuperior eſt bilis:reluctatur tamen inter ea pituita, & cùm non ſit inferior bile(iam enim diximus, quod in hac mixtura æquales ſunt iſti humores)ideo & ipſa ferè alternatim vincit: & quando fit ſuperior ad interiora, & in profundum ſua grauitate recedit,& reuocat bilem, & reuocatur iterum etiam calor ad interiora: rurſusque ex hoc motu horrida fit cutis,& pulſus opprimitur,perinde vt in initijs acceſſionum fieri ſolet:atque ita fit, donec accendatur vniuerſus humor putreſcens,& accenſus expandatur. Sed ipſe etiam horror, qui in hac febre familiaris eſt, oſtendit mixtam eſſe hanc febrem, non ſimplicem. Nam,dum ſimplex eſt tertiana, fiunt inter initia rigores inſignes,& manifeſti.In quotidiana ſolum extremę,& externę partes refrigerantur.In hemitritęo vero horrent. Horror autem eſt ſymptoma medium inter perfrigerationem, & rigorem,vt quanto vehementior perfrigeratione, tanto debilior ſit, & leuior rigore. Sed ſi alia quoque ſymptomata velimus examinare, videbimus ea,& mixta,& ferè media inter ea,quæ tertianæ, & ea quę quotidianæ ſunt propria.Et hæc quidem ea eſt hemitritęi differentia,quę exquiſitus hemitritæus dicitur.Quòd ſi alter horum alteri ſit ſuperior, quatenus ſuperior, eatenus etiam magis ad ſe trahet naturam febris in omnibus,in modo caloris, in motu eiuſdem,in longitudine,vel breuitate tam acceſſionū, quàm totius morbi,in excretionibus. Quia ſi bilis vicerit,& vomitus,& alui deiectiones, & vrinæ, omnesque tandem excretiones erunt magis bilioſæ.Contra autem,ſi pituita. Sed hę duę differentię pertinent,& ipſæ ad rationem hemitritæi. Verum non ita exquiſiti ſunt hemitritęi,ſicuti prior: quoniam magis in hanc,vel illam inclinant. Qua in re Archigenem carpit,qui tantum harū duarum differentiarum meminerit, quæ exquiſiti hemitritæi non ſint:prioris vero,quæ verè hemitriteus,& exquiſitus dici meretur, ne verbum quidem fecerit. Multa etiam præterea addit Galen.quę ad vſum potius nominum pertinēt,quàm ad rem ipſam: monetque,quod quando verſatur aliqua inter nos controuerſia, vt imprimis aduertamus, ne decipiamur: ne ſcilicet quando putemus nos de rebus contendere, tandem omnis noſtra contentio ſit de verbis, & nominibus: ſicut ipſe in medicis illis ſuæ tempeſtatis ſe ſæpiſſimè animaduertiſſe teſtatur. Verum quoniam hæc nec admodum vtilia ſunt, & lucidè,ac apertè ab ipſo exponuntur: ideo nolo in his alioquin tempus conterere. Sed hoc tantum monebimus vos, ne fortaſſe dubitatio hæc turbet, quòd Galen.iuxta atque Hippoc. maximi momenti hanc febrem eſſe prædicat,ac cum maximo periculo ægrotantis accēdi: cùm enim conſtet ex duabus febribus,quarum altera alteram excipit, ſecunda reperiens naturam à priori valdè cōcuſſam,magis eam affligit: neque tamen in primo ad Glauco.vel in libro Method. docet eam curare. At hoc inde fuit. Quia cùm curationem oſtendat ipſius morbi natura, ſicuti morbus anceps eſt, medius confuſusque ex duplici febre:ita curatio, media futura eſt,& confuſa ex vtriuſque curatione, & propterea noluit Galen. particulatim de his compoſitis febribus curandis alioquin tractationem exponere, neque in libr.method.neque in primo libr. artis cur. ad Glauc. quamuis curatio non exquiſitarum febrium cum his non modicam affinitatem habeat: maximè vero cum illis,quas non compoſitas, ſed cōfuſas Galen.appellat, in quibus acceſſiones non ſunt ſeparatæ,ſed ſimul,& eadem hora inuadentes, ita vt quaſi in vnam coaleſcant. Hic autem eſt animaduertendum,quod hic forſitan miraretur aliquis,cur Galen. adeo diligens fuerit in tractandis complexionibus,& confuſionibus harum duarum febrium,bilioſæ videlicet,& pituitoſæ. Complexiones autem appellat, quando acceſſiones vtriuſque ſeparatæ ſunt, vt pote quando non eadem hora hominem detineant,ſed diuerſis horis accedant: confuſiones vero, quando eadem hora ſimul inuadunt, & hominem ſubinde detinent. Cur inquam de bilioſa tantum ac pituitoſa ſermonem habuerit: & aliæ cum is, & hæ cum alijs coniungi nequeant. Huic reſpondet ipſe, quod alias complexiones, & confuſiones ſilentio prætereundas cenſuit breuitatis cauſa, quia harum,quę expoſitę ſunt,exemplum ſecutus vnuſquiſque, qui rectè ſimplicium naturam perceperit, atque calluerit, poterit ex ſe in cognitionem venire complexionum omnium, & confuſionum: immo & differentiarum omnium earum ſimplicium febrium, quæ ab exquiſitis ſui generis recedunt,aut in illis diuerſos ordines conſtituere, & vnicuique ordini clarioris doctrinæ cauſa proprium nomen imponere. Quamuis quatenus ad curationem pertinet,non nomina, ſed rerum cognitio, naturæ inquam febrium, & earum ordinis, & motus, & ſymptomatum eam dirigat & gubernet. Quæ quidem omnia ipſe exemplo à tertianis petito, adamuſſim explanat, & adeo lucidè, vt alio,non egeant expoſitore. Et quia poſſet iuuenis harum rerum ignarus deterreri, quaſi ſit immenſa quædam futura inquiſitio, & vaſtum pelagus, ſi quis velit diligenter has omnes complexiones diſquirere: idcirco vt hunc etiam nodum diſſolueret Gal.ſubiungit, quòd neque res hæc nimis ampla futura eſt, neque admodum difficilis: quandoquidem non ſunt multæ differentiæ illæ, quas ſimul complexus eſt, qui voluerit rem hanc exquiſite tractare. Quia diſtinctio, & partitio febrium per differentias, quæ ab earum propria natura, vel eſſentia depromendæ ſunt in tria tantum genera conſumitur, penes triplicem materiam, quæ putreſcens poteſt febrem accendere, videlicet bilem vtranque, & pituitam, ex quibus ortum habent tertiana,quartana, & quotidiana febres. Quæ tria genera ſi partiamur in continentes, & intermittentes febres: ſex erunt conſtitutæ differentiæ propriæ, quæ mutuo commiſceri poſſunt. Quod ſi dicas, at multas alias in febribus differentias inuenio, quarum auctores meminere.Reſpondet Galen. quòd hoc quidem negandum non eſt, ſed animaduertendum, quod hæ ſunt primę,& præcipuæ,in quas omnes aliæ tandem reſoluuntur. Nam omnes alię,aut à multitudine horum humorum pendent, vt quando duplex,vel ſimplex eſt,item longior,vel breuior febris: Aut à quantitate, ſeu qualitate putredinis, ſicut peſtilentes ab alijs putredinis non natura, & eſſentia differunt,ſed modo,& qualitate putredinis, quia maior, & deterior eſt humorum putredo in peſtilentibus, quam in alijs, vt ſæpius hoc anno diximus: At ex modo motus, vt quando partimur febrem in acutam,& nō acutam: Aut ex particula, in qua accenditur putredo,ſicuti in pleuritide, phrenitide, peripneumonia, nephritide,& id genus alijs. Sed iterum forſitan veſtrum aliquis dubitabit inquiens, ſi partitio febrium, quæ per ſe eſt,febrium inquam putridarum, à materia putreſcente accipienda eſt, cur ſunt tres differentiæ, cum tamen quatuor ſint materię capaces putredinis? Nam & ſanguis ipſe quartus humor eſt, & ſicut mixta cætera: & ipſe putreſcere poteſt. Hanc dubitationem in ſequenti capite ipſemet Galen.diſſoluet.Ideo ad illud & nos eam differemus.

Qualis

Qualis ex Sanguinis Putredine Febris oriatur. Cap. IX.

EX omnibus verò, quæ ſuperſunt, nulla eſſet cōtēplatio prçſtantior, quàm illa, &c.] Idem inſtitutū in hoc capite explanando ſeruabimus, quod in hoc libro ſeruandum propoſuit Gal. nempè ſe theoremata velle exponere, vt illi verè exponenda videntur, & ipſam dumtaxat veritatem explanare, neque alioquin eorū, qui in hac re pperā ſenſerint, errores inſectari & refellere: ne fortè nimium deinde in hac re fiat præter vllam vtilitatem temporis diſpendium. Sic ergo & nos faciemus. Quia nullum ferè caput eſt, nullumque in medicina præceptum, vel theorema reperias, quod plures maioresque inter poſteriores medicos turbas concitauerit, eosque contra Galen. incitauerit, quàm hoc, quod in hoc capite exponendum ipſe ſuſcepit. Omnes enim Arabes medici, imprimis verò eorum princeps Auicen. quem ſecuti ſunt latini noſtri, qui fere omnes fuere Arabum ſectatores, contra Gal. inſurgunt, illique in hac re acre bellum indicunt, tanquam qui falſum dogma ſecutus ſit, & ſibi etiam in hoc non conſtiterit, quippe qui interdum quaſi coactus affirmet, vt 9. metho. ſicuti ex alijs humoribus putreſcentibus certa quædam forma, vel idea putridæ febris acceditur: ita etiam ex ſanguine, quam ſynocham putridam appellat. Hic tamen deinde nequaquam fieri poſſe contendit: non quidem, quòd neget ſanguinem poſſe putreſcere, ſed ait, quòd vbi putreſcere cœperit, non amplius ſanguis eſt: at in bilem verſus putreſcit. Vnde febris, quæ inde gignitur, nō amplius ſanguinea appellanda eſt, ſed bilioſa: quoniam humor putreſcens eius nō eſt amplius ſanguis, verum bilis. Hoc eſt ergo, quod Gale. attribuūt, & hoc tanquā eius dogma referunt. Vnde illū Auic. falſitatis arguere conatur, multaque in ipſum acriter contorquet argumenta. Auer. vero incōſtantię ipſum damnat, vt pote qui varie de hac re varijs in locis ſenſiſſe viſus ſit. Sed nos horū omniū ſomnia miſſa facere volumus: cum ipſi fruſtra laborent, neque Galen. ſententiā ſint aſſecuti, ſuamque ipſi potius: quā Gal. inſcitiam demōſtrent. Quod facilius, & breuius oſtēdemus, ſi quæ de hac re Gal. ſenſerit, explanauerimꝰ, quàm ſi proponere voluerimus, quę illi attribuerint, & eorum errores reprehendere. Cùm enim rectum, vt docuit Ariſt. ſit iudex ſui, & obliqui, collatione rectæ ipſius Gale. ſententiæ cum horum opinionibus, illorum error facilè percipi poterit. Aggrediamur ergo hoc negotium. Sed vt facilius, & exquiſitius rem hanc poſſimus interpretari, altius aliquanto exordiendum. In omni quæſtione, atque adeo etiam in omni controuerſia, vt expoſuit Ioannes Gram. ſecundo Poſt. analy. neceſſarium eſt duo reperiri, nimirum aliquod datum, τὸ δεδόμενον, ipſe ait, quod tanquam poſitum, & conſtitutum accipiatur: neque enim aliqua conſtitui poteſt diſputatio cum eo, qui omnia negat: deinde eſt & id, quod in quæſtionem proponitur, ac in dubium reuocatur: ille τὸ ζητούμενον, hoc eſt quæſitum appellat. Vnde ſi hanc, quā hoc capite proponit Galen. quęſtionem, volumus & percipere, & diſſoluere: neceſſe eſt primùm eam reſoluere, & inuenire quid ſit illud, quod ipſe tanquam datum accipit, vel quæ ſint, ſi ea plura ſunt. Deinde vero quid illud, de quo dubitatur, & in quæſtionem venit: Ita enim facillima erit iſtius modi diſſolutio. Vbi primùm, ſi rectè rem hanc perpendere voluerimus, id, quòd à Galen. in quæſtionem iſti reuocatum putant, tanquam datum, & poſitum ab eo accipitur: Nimirum ſanguinem quandoque putreſcere, & ex eius putredine accendi febrem, & hac alioquin ratione fieri ſynochum febrem. Hoc enim aperte 9. meth.

A & hic paulo inferius capite 11. & ſuperius quoque ſecundo iſtius libri capite: item, & tertio de criſi. affirmat: neque de hoc ipſe dubitaſſe reperitur. Præterea vero & hoc tanquam datum recipiendum cenſet, ab ipſa experientia acceptum & à ſenſu, ſed & conſenſu priorum medicorum omnium approbatum: Febrem ſcilicet hanc nullis periodis diſtingui, vt quę vnam tātum habeat acceſſionem perpetuam, qua etiam terminatur. Periodus enim refertur ad plures acceſſiones: & ideo propriè febris hæc nequit dici periodica, neque propriam habere aliquam ideam determinatam: ſicuti tertianæ, quotidianæ, & quartanæ, quæ vel quotidie, vel alternis, vel quaternis diebus acceſſiones habent. Tertium, quod quaſi
B datum accipit, eſt: Omnes periodorum, vel periodicarum febrium ideas in tria tantùm capita, vel tres differentias referendas eſſe. Neque enim vnquam ex quantumlibet diligenti obſeruatione reperta eſt alia idea, aliaue formula febris alicuius, quæ ſimplex fuerit. Nam de illis, quæ multarum complexione conſtant, alia ratio eſt, vt paulo ſuperius expoſitum fuit. Tres vero differentiæ illæ ſunt, quotidiana, tertiana, quartana. Quòd ſi quiſpiam opponat, quòd Hippoc. quintanarum, ſextanarum, & vlterius meminerit: Dicimus, quòd omnes illæ periodi vltra quartanam, ad quartanam tandem referuntur, & eiuſmodi cum quartana generis ſunt: vt alibi etiam probauit idem Gale. Quartum vero, quòd tanquam
C datum accipiendum eſt, hoc: Vnumquemque aliorum trium humorum, omnium confeſſione, vnam ex his tribus febrium ideis ſibi determinare. Bilis enim flaua tertianariam periodum: atra quartanariā, pituita quotidianas habet acceſſiones, & periodos. His itaque datis, quærit Gal. an, ſi putreſcat ſanguis, aliquando poſſit per periodos diſtinctam febrem accēdere. Nam quòd putreſcere poſſit, & quòd putreſcens perinde, vt alij humores, febrem accendat, pro neceſſario, & comperto habet, quodque ſynocham gignat. Sed nihil hoc ad inſtitutum noſtrum: quia ſynocha nullam periodorum formulam gerit: ſicut neque exquiſitus cauſus, quem bilis exquiſita putreſcens in venis magnis procreat: nam & is caret aliqua periodorum idea, quæ ſaltem ſit ſenſibus ma-
D nifeſta, vt in ſequentibus capitibus docebit. Quemadmodum igitur eadem bilis, cùm aut extra venas, aut in minores venas pulſa putreſcit, ſibi tertianariā periodum determinat, ſuaptè ferè natura: dubium eſt, an ita & ſanguis aliquando pulſus, ſi non extra venas, ſicut fit in intermittentibus, ſaltem ad minores venas à maioribus, ac ibi putreſcens aliquā poſſit periodicam febrem accendere. Quod ſi fuerit conceſſum, cùm nemo vnquam aliam periodorum rationem præter tres illas paulo ſuperius relatas obſeruauerit: neceſſe eſt etiam concedi, aliquam earum trium ad febrem hanc ſanguineam pertinere: quare erit neceſſe, vt hæc febris, vel inter tertianas collocetur, vel quartanas, vel quotidianas. Quo con-
E ſtituto, quęrit ad quam harum periodorum formam hæc febris ex ſanguine in hunc modum excitata referenda ſit: num in quartanam, aut tertianam, aut in quotidianam. At vero, quòd ſit neceſſe per hunc modum febrem ex ſanguine fieri, probat argumento à tumoribus præter naturam deprompto, præſertim vero a calidis: vt ſunt inflammationes, quas ſolet ſæpius febris concomitari interdum (vt primo libro cum ipſo Gal. expoſuimus) ephemera: ſicut plerūque Cap. 6.
contingit in inflāmatione exteriorum particularum, nimirum quando à materia putreſcente in inflāmatione non poteſt aliqua putredo cor pertingere, ſed ſubinde calefiunt continenter partes omnes intermediæ inter inflammationem, & cor, donec etiam, & ſpiritus in eo caleſcant: nonnunquam vero has ſe-

qui ſolet putridā, vt in inflammationibus internorū viſcerum, in quibus putrida fuligo ad cor delata ipſum calefacit. Neque poterat aliunde ſimilius, accommodatiusq́ue argumentum deduci, cùm iam fuerit oſtenſum eodem capite eundem eſſe modum, quo febres ex inflammationum putredine, & ex putredine in vaſis accenduntur, præterea vero cùm eadē ſit in vniuerſum omniū inflammationum excitādarum ratio, vbicunque illæ excitentur. Vnde inflammationes maximè harum febrium naturam, poſſunt & apertiſſimè nobis oſtendere, quia ſenſibus magis expoſitæ ſunt, vel ipſæ, vel ſymptomata, quæ ipſas ſæpiſſimè, & proximè conſequuntur: quæ enim in particulis exterioribus procreantur, ſenſibus ipſæ expoſitæ ſunt, quæ vero occupant interiores partes, ſuis ſymptomatibus patent: quare ſi non omnes, earū tamen multę, qua ſint natura ex ſymptomatibus, atque ex mutatis excrementis cognoſci poſſunt, vt deinde ab eis ad febres tranſlata ratione, earum exemplo, & ſimilitudine in cognitionem febrium, tam quo ad earū naturam quàm aliorum, quæ naturam ipſarū ſequuntur facile deuenire poſſimus. Tādē ergo ne in multis vagemur, vnam accipiamus inflāmationem in exemplum, & argumentum, quæ omnibus ferè nota eſt, & quæ in magnis morbis eſt, quæque à græcis pleuritis dicitur, & eſt inflammatio membranæ coſtas ſuccingentis. Porro pleuritis multas habet differentias, ſicut & phrenitis, & aliæ multæ, & hæ differentiæ acceptæ ſunt a diuerſa materia, ex qua genitæ ſunt, ſicut dicebamus, & febres putridas diuerſas habere differentias à differentibus humoribus, in quibus primum accendebatur febrilis calor. Vnde ſi quis ea, quæ pleuriticis quotidie euidenter apparent, diligens obſeruauerit, quatuor inueniet eſſet pleuritidum differentias. Nam aliquæ ſunt ſanguineæ, aliquæ bilioſæ, aliquæ pituitoſæ, aliquæ ex melancholico humore. Et quia poterit fortaſſe aliquis eſſe de hoc dubius: Ideo & id probandum eſſe Galen. cenſuit. Probat autem a ſigno, vel, vt Philoſophi noſtri loquuntur, à poſteriori: ſicuti etiam in libro de conſtitutione artis probauit: accepto videlicet hoc, tanquam iſtius rationis fundamento, quòd omnes inflammationes, quæ non ſunt comprehenſæ craſſa aliqua, & denſa pelle, qualis eſt extima corporis cutis, non poſſunt ita humorem in ea particula infarctum continere, quin aliqua pars illius tenuior, & aliquis ichor effluat, qui quidem naturam inflammationis, & humoris, à quo fuit excitata, oſtendit: ſicuti etiam ex ichore humorum in venis contentorum, qui cum vrina excernitur, atque vrinam inficit, qualitatem, & naturam humorum in venis congeſtorum deprehendimus. Et ideo ſicuti iudicamus febrem ex vrina, ita pleuritim ex ſputis: tenuis enim ichor in pleuriticis cum ſputo excernitur, qui ex pleuritide reſudauit: ſicut cum vrina ille, qui è venis excernitur in febribus. Quatuor autem ſunt ichorum differentiæ, quæ conſpiciuntur in ſputis pleuriticorum. Nam aliquādo ſpumoſa expuunt, interdum vero pallida, vel flaua: nōnunquam rubra ſputa, quandoque nigra: quamuis id inter hæc interſit, quòd nigrum nunquam ab initio expuitur, ſed ſemper præcedit pallidum, vel flauum, quod poſt in liuidum, & tandem in nigrum tranſit. Omnes autem medici exercitati, ac periti in hoc conſentiunt, quòd ſputum ſpumoſum ex pituita ſuam habet originem, quia ſpumam generat humor lentus ſputum in ſe continens cùm à calore afficiatur: pituita vero ſuapte natura lenta eſt, & quæ facilè in ſputum digeritur: licet autem, & melancholicus humor ſit flatulentus: caret tamen lentore. Color ſanè pallidus, aut flauus eſt proprius bilis: ideò ſputum pallidum, vel flauum bilioſæ inflammationis eſt argumentum: Ruber autem ſanguinis eſt. Interdum tamen & nigrum fit pleuriticorum ſputum, quod humorem melancholicum refert: ſed quia humor hic craſſus eſt, & terreę ſubſtantię: idcirco non poteſt penetrare in ſubſtantiam membraneā ſolidā, & denſam, qualis eſt ea, quę coſtas ſuccingit. Propterea vel nunquam, vel rariſſime poteſt ex hoc humore cōcitari pleuritis ſtatim à principio, ſed ſi bilis aut ſanguis aſſetur in inflammatione, tandem conuertitur in humorem melancholicum, & ita nigreſcit, vt expoſuit etiā Gal. in ſecundo de rat. vict. in acut. mor. Poterit autem fortaſſe quiſpiā dubitare, quia videtur neque ſecū, neque cum alijs præſtantiſſimis medicis conſentire. Nam & ipſe in libr. de diff. morb. & ſecundo de criſ. & ſecūdo ad Glauc. & quarto meth. & alijs multis in locis: necnon etiam poſteriores fere omnes inflammationem eſſe aiunt tumorem calidū excitatum à ſanguine, eryſipelas à bile, œdema à pituita; ſcirrhum ex melancholico humore, & cancrū. Hic autem quadruplicem eſſe ait differentiam inflāmationum iuxta quadruplicem naturam humorū, à quibus excitantur, quę ex colore eorum, quę ab ipſis effluunt, diſcernuntur. Hanc dubitationem ſoluit Gal. ſecūdo libro artis cur. ad Glau. vbi ait, quòd alio modo vſi ſunt inflāmationis nomine antiquiores medici, qui circiter tempora Hippoc. floruere: alio illi qui erant tempore Gal. vel parū antea. Priores enim inflammationes in vniuerſum appellant omnem tumorem calidum cum multa flamma. Vnde lethargum vocant inflammationem in cerebro genitam ex pituita: phrenitin autem inflammationē membranarum cerebri ex bile ortam; ita & carbunculum inflammationem ex ſuper aſſato craſſiori ſanguine, & iam in melancholicum humorem conuerſo. Poſteriores vero limita tuerunt, & contraxerunt ſignificationem inflāmationis, & eā appropriauerūt tumori ſanguineo ex naturali ſanguine concitato. Hic loquitur de inflammatione lateris, accepta inflammatione, Hippocratico more, non poſteriorum. Ponit pręterea Galen. experientia compertum eſſe, quod in inflammationibus quoque internotum viſcerum immo interdum & extremarum partium: ſicuti in ophthalmia: ſeruatur aliquis determinatus periodorum ordo, vel aliqua earum forma, ſiue idea. Quod non ſolum hic exponit Galen. verum etiam primo libro commentariorū in Apho. vbi & phreniticis, & pleuriticis, & lethargicis, & peripneumonicis ſuas aſſignat periodos. Colligamus ergo tandem rationem vniuerſam, & inſpiciamus, quid ex tot fundamentis poſitis colligendum ſit. Dicimus ergo, quod cum forma, & idea periodorum tam in febribus, quę accenduntur ex humoribus putreſcentibus in inflammatione, ſequatur naturam humoris putreſcentis in vaſis, quàm ex eiſdem putreſcentibus ſiue hic, ſiue ibi putreſcat, quę ab eodem humore pure putreſcente accenduntur, eandem etiam periodorum formam ſeruabunt. Sed cum longa etiam experientia ſit compertum in pluriticis rubra, vel cruenta expuentibus fieri acceſſiones per tertianarias periodos, in quibus ſanguis continetur, & ibi infarctus putreſcit. Sequitur ergo, quod & febris ex ſanguine putreſcente in vaſis accenſa tertianarias habebit periodos, vt & febris bilioſa habet. Reliquum autem eſt, vt tria pręterea quęramus. Primum, cur magis ſanguis putreſcens formam periodorum bilioſarum ſequatur, quàm pituitę, vel atrę bilis. Alterum, ſi ex putredine ſanguinis ſit tertiana febris, iuxta atque ex putredine bilis, quibus notis diſtinguetur hęc ab alia. Tertium autem, cùm dixerimus iam ex ſanguine putreſcente, quandoque accendi febrem, quę nullas habent manifeſtas periodos, vt ſynocha putrida: quę enim

citra putredinem eſt ad ephemeras ex Galen.ſenten-tia pertinet. Quandoque vero quæ periodos habent, qualis eſt hæc, quam nuper deſcripſimus, quod etiam in bilioſa febre diximus fieri. Nam ardens febris, quæ exquiſitus cauſus à græcis dicitur, & qui cum ſynocha putrida in eodem genere eſt, non habet manifeſtas aliquas periodos: ſicut nec ſynocha. vnde interdum Galen. acmaſticam hyperacmaſticam, & homotonam tanquam differentias cauſi refert. Quandoque vero ſynochæ putridæ, aliquando autem tertianarias ſequitur periodos. Quæritur ergo, quę ſit huius diuerſitatis ratio, & cur varij humores varias ſeruent periodorum ideas; cur etiam aliquando febres fiant errantes, quæ certas non ſeruant periodos. Et primā quæſtionem non ſoluit hoc loco, ſed eius ſolutio accipi poteſt ab ipſo quarto de tuen. valet. Neque enim credendum eſt, id quod hic refert Gal. referri ab eo, vt cauſam afferat, cur febris ſanguinea ſequatur ordinem bilioſarum febrium: nempe quod ſupra modum aſſatus ſanguis, partim in bilem, partim in melancholicum humorem vertatur. Neque illud etiam, quod in fine vltimi capitis refert, quòd ſcilicet ſanguis putreſcens tùm in bilem, tùm in humorem melancholicum tranſeat: Quia, ſi locum vtrumque diligenter examinaueris, hic rationem reddit, cur interdum in pleuritide ſputum fiat nigrum. Ait enim quod id fit ex aſſatione inſigni, vnde non niſi rarò fit nigrum ſputum, & ſemper, quando fit, aut rubrum, aut pallidum præcedit: & cum nigra expuunt pleuritici, inflammatio accedit ad naturam carbunculi: nam & in carbunculo calor ſanguinis putreſcentis liuens primum eſt: mox nigreſcit: & ideo pernitioſa iudicatur ea pleuritis. Neque etiam definita cauſa eſſe tertianæ periodi poteſt ea: nempe quia pars ſanguinis in bilem flauam: pars in atram, dum putreſcit, vertatur. Quòd ex verbis ipſiuſmet Gal. facillime percipies. Nam ait, quòd hæc humorum tranſmutatio cùm vnus in alterum vertitur, in cauſa eſt: cur periodi etiam rationem ſuam mutent: atque ita mutare videntur rationes, & ideas periodorū: quippe quia ſicuti tranſmutatur natura humoris: ita etiam mutatur periodorum forma. Sicuti ſanguis cùm in alium humorem vertitur, vertitur autem in diuerſos humores facilè pro ratione diuerſitatis partium, tenuior enim in bilem flauam, craſſior vero in atram. Cùm igitur iam verſus eſt ſanguis in alium humorem, non ſeruat amplius naturam ſanguinis, ſed eius humoris, in quem conuerſus eſt. Neque niſi cum ita vehemens eſt calor putrefaciens, vt aſſet etiā ſanguinem, fit hęc tranſmutatio. Quod inde patet: quia dicit, quod ſanguis putreſcēs vertitur, aut in bilem, aut in melancholicum humorem, vt diximus, Quæ verba non poſſunt referri, niſi ad id, quod hoc capite dictum eſt; Quod ſcilicet ſi ſuperaſſatus fuerit ſanguis, pars quidem eius ſubtilior, &c. Hoc inſuper niſi aliud additum fuerit, non videtur magis probare, quòd febris ſanguinea tertiana futura ſit, quam quartana, cùm non minus in atram, quam in flauam bilem putreſcens vel ſuperaſſatus ſanguis vertatur. Præterea cùm ſanguis iam conuerſus eſt in alium humorem non ſeruat amplius vlla ex parte ſuam mitem naturam, verùm fit mordax, & acris, immo erodens: vt patet in carbunculis, in quibus non apparet calor mitis, & vaporoſus, ſed vrens, & erodens. Ita etiam bilis per aſſationem, vel putrefactionem genita naturali acrior eſt, & mordacior. Calor autem febris ſanguineæ vaporoſus, & mitis eſt. Ad hæc ſi ſimilis ratio eſt humorum, qui in venis putreſcentes febrem accendunt, & eorum, qui in inflammationibus: in pleuritide igitur, in qua ſputum rubrum excernitur, ſanguis continetur, qui nondum conuerſus eſt in

A alios humores: colorem enim mutaſſet, ſicut & naturam: vnde 3. libro com. in ſextum Epid. ait Galen. pleuritides facillimæ & mitiſſimæ ſunt, in quibus ſanguinem expuunt: quare & ſine ſanguinis miſſione curari facile poſſunt, cùm neque magni morbi ſint: & tales etiam pleuritides tertianam periodum habent, vt hic teſtatur Gal. Ergo, antequàm in alium humorem vertatur putreſcens ſanguis, ſequitur ideam tertianarum febriū. Vbi vero in alium verſus eſt, ſequitur naturam illius humoris: & ſi in atram bilem tranſmutetur, tunc illius etiam formam ſeruabit. Nos vero quærimus, quam periodum ſit ſeruaturus, cùm putreſcit, & nondum verſus ſit in alium humorem, & mitem, vaporoſumque adhuc calorē ſeruat, qualem in febre ex ſanguine eſſe inquit Gal. Porrò autē dum ea, quæ hic referuntur, probe penſitamus, arbitramur fundamentum, in quo vniuerſa iſtius ſolutionis ratio conſiſtit, nobis voluiſſe tradere Galen. & quamuis non explicite id huic rei accommodauerit: legentibus tamen eam accommodandum reliquiſſe. Sed vt facilius percipere poſſitis omnem iſtius difficultatis, & ſolutionis rationem, aliqua ſunt deſcribenda ex ipſomet Gal. quarto, de ſan. tuen. qui de ſanguine, & reliquis tribus humoribus ſermone habito, ponit ſpatium quoddam, ſeu interuallum in ipſis humoribus, vel (vt iuniores loquuntur) latitudinem, quæ conſiſtit in ratione exceſſus, & defectus à medio temperamento, quod in generatione, vel in genere humorum optimum eſt. Hoc autem temperamentum medium eſt ſanguis, quippe qui optime coctus ſit, & ad temperiem mediam per concoctionem probam perductus. Cæteri vero humores ab hac longius abſcedunt. Alij quidem enim ſicut bilioſi, vltra probam concoctionem producti ſunt, & fere nimis à calore excocti fuere. Alij autem citra conſtitere, & vel ſemicrudi, vel omnino crudi remanſere: dum à natiuo calore conficerentur, ſicuti pituitoſi. Et ſicut in his extremis generibus varij ſunt ordines, quatenus alij à ſanguine remotiores ſunt: alij vero propiores: Ita & in genere medio putandum eſt, quamuis id non explicauerit Galen. Nam neque omnis ſanguis eſt æqualiter temperatus, ſed alter altero, vel magis, vel minus temperatus: Vnde quo temperantior eſt ſanguis, eo magis à natura aliorum humorum, qui intemperati ſunt, remotus eſt: quo intemperantior, eo magis ad alios accedit ſecundum eam intemperaturæ rationem, quæ cum illis confinis eſt. Sed huic addamus, quòd ſanguis, dū ſuum naturale temperamentum ſeruat, cauſa eſt ſanitatis per ſe, non febris, non morbi, quantum ad naturam ſuam pertinet. Si igitur febris accendenda ſit, oportet ſanguinem prius tranſmutari, & de ſuo temperamento dimoueri, & quo magis dimotus fuerit, eo magis ad alterius humoris naturam propius accedet. Vnde cùm non accendat febres aliquas, de quibus in præſentia ſermo inſtitutus eſt: niſi putreſcat: ſi volumus percipere, ad cuius humoris naturam, dum putrefit ſanguis, accedat: conſideremus, & contemplemur (ait hic Gal.) quo modo, & qua de cauſa putreſcat. Manifeſtum autem eſt, vel ipſo etiam Ariſt. atteſtante, quòd putrefactio fit ab extraneo calore, Extraneum autem omnem calorem appellat corpus animantis afficientem, qui inſitus, & ingenitus, atque etiam natiuus minime ſit: quòd ſi ita ſit, neceſſe ergo, quod putrefaciēdus ſanguis per tranſmutationem extranei caloris abducatur à ſua natura ad naturam alicuius alterius humoris, Non poteſt autem calefactus accedere ad naturam pituitæ, quia illa frigida, & cruda eſt: Neque ad naturam melancholiæ, niſi vel per aſſationem vltra modum, vel per vehementem putredinem quaſi inficeretur: nam naturalis melancholia & ipſa frigida eſt. Mirandum igitur mi-

nime

Marginalia: ap. 4. (beside "ab ipſo quarto de tuen."); Com. vlt. (beside "pleuritides facillimæ"); Cap 4. (beside "ſcribenda ex ipſomet Gal."); section letters B, C, D, E in the gutter.

nimè eſt ſanguinem putreſcentem, vel dum putreſcens adhuc eſt, vel dum putruit, vel omnino in aliũ humorem conuerſum ſequi, ac imitari periodũ propriam biliosi humoris, & nullius alterius. Et hęc mihi vera, claraque Gal. ſententia in hac re videtur. Alteram vero quęſtionem in calce ferè iſtius capitis diſſoluit ſatis facilè: nimirum quibus notis diſtinguenda ſit tertiana febris, quæ ex ſanguine putreſcẽte ortum habet ab ea, quæ ex bile. Hic vero tantum ſignũ exponit acceptum ab aliquo, quod ad eſſentiam febris pertinet. Neque in præſentia aliorum, quæ vel ab excrementis, vel à mutata corporis qualitate accipienda ſunt, meminit: quia ab ijs, quæ ſuperius particulatim de his febribus expoſita ſunt, facilè, & hæc haberi poſſunt. Conſequitur autem ſtatim eſſentiam febris, modus caloris, calor enim in materia ſicca acris, & mordax plurimum eſt: qui autem in materia humida mitis, & vaporoſus. Vnde mordacitas caloris ab vtraque bile diſtinguit ſanguinem, & eius febrem. A pituita vero putreſcente, & ex motu, ac modo caloris, & ex æqualitate diſcernitur febris ex ſanguine. Nam ſtatim à principio afficit manum, & talis percipitur applicata manu: qualis eſt: pituitoſæ autem materiæ calor, vt diximus ſtatim fere à principio primi libri, cùm primum applicamus manum, vix percipitur moleſtus (qui comes eſt præcipue febrium putridarum) ſed paulatim videtur increſcere, nec æqualiter omnes particulas manus afficit: verum (ait Gal.) videtur, quaſi aſcendens calor per cribrum percoletur: quod non ſit in febre ſanguinea. Videtur autem non indignum eſſe inquiſitione, qua de cauſa id fiat: nempe quod ita inæqualiter calor aſcendens paulatim manum afficiat in hac febre. Vnde rationem afferens Gal. ita proſequitur:

Cur inæqualis calor in Pituitæ Febre tactui occurrant. Cap. X.

COntemplanti vero mihi. ac cauſam perquirenti, cur in febribus alijs calor,] &c. Liquores, vel humores, qui craſſi, & viſcidi ſunt, dum in vaſe aliquo, vt in lebete, ſuppoſito igne efferueſcentes bulliunt, cum pituita in venis putreſcente, dum accendit febrem, in præſentia confert Galen. vt cauſam inueniat, cur in pituita febre calor inæqualiter, & quaſi per cribrum percolatus tactui occurrat: ſecus quàm in alijs omnibus febribus: in alijs ſiquidem æqualis omni ex parte diffunditur. Vbi id conſiderandum, vt ſimilitudinem, & comparationem rectè percipiatis, quod quamuis hæc interſit differentia, quòd pituita quidem à calore putrefaciente ferueſcit: humores vero illi, vel liquores lenti ab igne coquente, vel aſſante ebulliunt: nihil tamen ad rem noſtram hoc refert: nam vtrunque fit vi extranei caloris. Et quæ putreſcunt, præſertim vero ſucci, dum ab extraneo calore corripiuntur, bullire ſtatim incipiunt, quemadmodum in vinis æſtate fieri ſolet. Eiuſmodi igitur ſucci, vel liquores, qui præterquàm quod craſſi ſunt, lentoris quoq; ſunt participes, cùm feruent, multæ eorum partes a calore attenuatæ in ſpiritum diſſoluuntur, qui præ illorum lentore ægrè admodum ſe ab illis explicat: immo, dum extra efferri nititur, illi reſiſtentes ſunt partes ob lentorem: ac antequàm erumpere poſſit, quaſdam veluti bullas attollit: neque id æqualiter in omnibus partibus fieri poteſt, propter difficultatem eiuſmodi ſubſtantiæ, ſed eas partes prius calor ipſe digerit in ſpiritum, quæ tenuiores, & faciliores ſunt, & interim alias attenuat: neque enim hi ſucci omnino ſunt ita ſimilares (quamuis ſenſu tales videantur) quin multam habeant in partibus diuerſitatem. Sicut ergo in his vapor è varijs partibus, vel ſpiritus excitatur, qui per quaſdam bullas eruptas effertur, In eundem modum in pituita, quę lentus, & craſſus humor eſt, cùm putreſcit, contingere ſolet: ab eius enim putredine effluunt vapores putridi, qui quaſi ex quibuſdam bullis à putrefaciente calore excitatis erumpentes, expanduntur per vniuerſum corpus, & tandem ad cutem delati tangentis manum inæqualiter afficiunt: perinde ac ſi per cribri foramina efferretur effluxus ille, in quo fundatur (vt tradit Gal.) calor febrilis. bullæ enim ſunt quaſi foramina cribri. In ſuccis autem, qui tenues ſunt, & citra lentorem, eiuſmodi bullæ non attolluntur, ſed æqualiter vndique efferuntur calidi vapores. Verum quia de his ſatis dictum eſt, reliquum iam eſſe videtur, vt ad inſtitutum noſtrum redeamus, & alias quæſtiones perſequamur. Ita ergo ſubdit Gal.

Quo pacto ex Fluxionibus Humorum Morbi generentur: ac de Cauſa Febrium, quæ per Circuitum repetunt, & Continentium. Cap. XI.

SEd quoniam & de his, vt oportuit, diſſeruimus, nunc earũ febrium, quæ] &c. In hoc capite, quod & poſtremum eſt iſtius ſecundi libri, Reliquas propoſitas quæſtiones diſſoluendas aggreditur, pertinentes ad integram reſolutionem eorum omnium, quæ ad febres putridas, & periodicas ſpectant. Poſtquàm enim probatum, & cõſtitutum eſt, immo tanquàm notum acceptũ, ac ſenſui manifeſtum, aliquas eſſe febres, quæ per periodos affligũt: alias vero omnino periodis carere, vel ſaltem inconſpicuas, & eas, quæ ſenſus penitus lateant, vt diximus, habere. Illud modo explanandum eſt: quid ſcilicet iſtius diuerſitatis in cauſa ſit: Deinde vero cur, quæ periodos habent, non omnes eandem periodorum formam ſequantur. Nam aliæ ſtatutam, & determinatam ſeruant ſeriem acceſſiònum, aut quotidie, aut alternis diebus, aut per quartas dies: aliæ vero ſæpe ordinem variant. Item aliquæ cum intermiſſione periodos faciunt: alię nunquam intermittunt, nullumque tempus vacuum febre inter acceſſionem, & acceſſionem relinquunt. Præterea aliæ longiores, aliæ breuiores habent acceſſiones. Horum igitur omnium cauſa inueſtiganda eſt. Et quia longè difficilior eſt diſſolutio earum quæſtionum, quæ ad periodorum modum, & rationem pertinent: immo his diſquiſitis facilior erit via ad exponendam rationem earum febrium: quæ expertes ſunt periodorum: Ideo illas prius Galen. explanandas ſuſcipit: Poſtea vero, & alias in calce iſtius capitis diſſoluet. Sequemur autem nos eandem methodum in his explicandis difficultatibus, qua etiam ipſum Galen. ſecuti priores explanauimus. Nempe, vt per ea, quæ manifeſto apparent in alijs externarum partium, quæ ſenſibus expoſitæ ſunt, affectibus, ſi qui ſint, qui per periodos moleſti ſint, inueſtigemus rationem periodorum in febribus. Senſus vero & experientia nobis quotidie oſtendunt, multos præterea affectus, qui in partibus ſenſui manifeſtis excitantur, per periodos homines cruciare. Vnde ſi diligenter animaduerſum fuerit, qualia ſint ſymptomata, quæ apparent, quando ſuperueniunt acceſſiones periodorum: forſitan non erit arduum inuenire cauſſam, cur fiant hæ periodi. Per periodos autem ſæpe inuadunt capitis dolores, & qui à Græcis cephalalgiæ dicuntur, & qui hemicraniæ: præterea oculorum dolores, & lippitudines, quæ ophthalmiæ ab iſdem appellãtur: dolores quo-

que aurium interdum, & dentium: ſed & pedum, manuumque, qui podagræ, & chiragræ vocantur: & tandem articulorum: Quin etiam in internorum viſcerum inflammationibus, (vt in prioribus lectionibus diximus) in pleuritide ſcilicet, peripneumonia, phrenitide, & multis alijs ſæpe notantur periodi, quę per ſymptomata propria ſe oſtendunt. De exteriorum tamen partium affectibus ſit ſermo, vtpote qui facilius obſeruari poſſint. Conſideremus ergo, quam diuerſitatem habeat particula tempore periodi, quo dolor exacerbatur, & quam etiam alijs temporibus, quibus miteſcit. Et procul omni dubio inueniemus, vaſa omnia, quę ad eam particulam pertinent, eo tempore pleniora fieri, ac tumidiora: interdum, & rubicundiora, vel nigriora, ſæpe etiam arterias magis pulſare, nonnunquam totam particulam magis intumeſcere, ac rubeſcere: deinde vero inclinante dolore, ea etiam omnia ſubinde paulatim deliteſcere. Hoc autem manifeſtum argumentum eſt, eo tempore, quo dolor excreſcit, ad dolentem particulam noxios humores confluere, qui vel calefaciendo, vel refrigerando, vel implendo, & extendendo dolores concitant: vt omnis ratio concitandarum periodorum à fluxione petenda ſit, quæ per eiuſmodi interualla ad eam particulam fertur. Porrò autem, ſi & fluxionum cauſas perſcrutati fuerimus, & qua ratione illæ concitentur, poterimus etiam facilius percipere rationem iſtius motus, qui in aliquibus certum ordinem habet: in aliquibus eo caret. Accipiamus ergo hoc tanquam datum, & conceſſum, alibique demonſtratum, quòd cum fluxio motus ſit, qui eſt ab vna parte in aliam, & non à principio interno mouente humores, qui fluunt: neque enim ſponte humores mouentur in fluxionibus: ſed ab alio impulſu, aut attracti, vt cuilibet notum eſſe poteſt: neceſſe eſt igitur, vt ab alio moueantur. Vel ergo cauſa iſtius motus eſt in parte; vnde fit motus, quia ſane illa impellat: vel in illa, ad quam mouentur humores, vtpote, quoniam hæc attrahat: vel in vtraque, quia videlicet hæc attrahat, & illa impellat. Neque tamen adhuc conſiſtendum eſt, ſed progrediendum vlterius, & cauſa eſt inueſtiganda, cur hæc attrahat, & cur illa impellat. At vero illa impellit per ſuam expultricem facultatem, quę non inſurgit ad expellendum: niſi cogatur à re noxia, & moleſta: moleſta vero ſunt naturæ, quæ aut multitudine ſua eius vires aggrauant: aut ſua mala, & aliena qualitate moleſtiam illi afferunt. Vt tandem prima, & præcipua cauſa fluxionis ex parte illius particulæ, vnde ſit motus, ſint excrementitiæ materiæ in ea collectæ: quas natura amplius ferre nequit, & cogitur à ſe expellere. Expellit autem ad alias partes, ſi eas inuenerit ad ſuſcipiendum aptas. Aptitudo vero hæc recipiendi ab imbecilitate ortum habet. Neque enim vlla pars noxiam, & alienam à ſua natura materiã recipit, niſi coacta, quia nequit ipſam a ſe repellere. Et ſi recipit ob id, quoniam illa, quæ impellit fortior ſit: ipſa quoque a ſe ad aliam nititur impellere, quæ ſit ipſa imbecillior, atque ita ſubinde fit, donec deuentum ſit ad vnam, quæ ita imbecillis ſit, vel ſua natura, vel aliqua alia occaſione, vt à ſe ad aliam nequeat propulſare: & tunc ibi conſiſtit fluxio. Quamuis ergo fluxionis cauſa ſecundum hanc rationem duplex ſit, prior tamen, & quæ eſt tanquam initium motus, eſt in impellente: in recipiente vero eſt quædam aptitudo ad recipiendum. Aliquando tamen prima origo, & occaſio fluxionis non eſt in parte, vnde incipit motus: ſed in ea, ad quam mouetur materia fluens. Nam, vt docent Philoſophi, præſertim vero Ariſtot. in phyſicis auſcultationibus, motus omnis, qui non eſt ab intrinſeco principio rei motę, aut per impulſum fit, aut per tractum. Et ſicut prior fluxio, cuius occaſio erat in re, vnde incipit motus, fit per impulſum: ita hæc cuius occaſio eſt in re, ad quam fit motus, fit per attractionem: ea enim eſt, quæ excrementa ad ſe attrahit. Et quemadmodum etiam illa cogebatur a cauſa extranea, & aliena a ſua natura expellere: ſic hæc à cauſa extranea, & morboſa cogitur attrahere. Duplex ſiquidem cauſa eſt, qua particula aliqua noxiam attrahit materiam: calor extraneus, & intemperatus, quo affecta eſt ea particula: & dolor, qui vim habet perinde attrahendi, vt cucurbitula. Ac ſicut prioris fluxionis, quamuis initium eſſet in impellente particula: neceſſaria tamen erat, & aptitudo recipientis: ita & hic, & ſi prima origo motus ſit ab attrahente: attamen neceſſe eſt, vt ſit aptitudo in ea, à qua fit attractio. Ea vero aptitudo eſt, vt in ea ſit materia attrahenda, hoc eſt, ſuperuacanea. Nam particulæ ægrè admodum permittunt attrahi à ſe id, quod illis, aut neceſſarium, aut vtile eſt: facilè autem & nullo negotio id, quod ſuperuacaneum, & inutile in illis eſt. Vnde quando vniuerſum corpus mũdum fuerit, & vitioſa, ſuperfluaque materia vacuum, fluxiones, aut nunquam, aut ægrè admodum excitantur: ſin autem, vel multa, vel praua materiam ſit refertum, facillime concitantur. Quod ſi res hæc ita ſe habet, vt periodorum ratio à fluxione pendeat, fluxionum vero proxima ferè cauſa ſint excrementa, vel in toto congeſta, vel in aliquibus particulis, quæ acceſſionis tempore in periodicis affectionibus, aut attrahuntur ab affecto loco, aut ad illum impelluntur: neceſſe eſt, vt fateamur, quod ordo, qui in periodis, vel in earum acceſſionibus ſeruatur, ordinem conſequatur, & rationem, qua talia, & tanta, vel in toto, vel in aliquibus particulis generentur excrementa, vt ex eis attractis, vel impulſis poſſit acceſſio excitari. Generatio vero horum excrementorum, oportet, vt duplicem habeat cauſam effectricem, & eſt temperamentum, vel calor naturalis, cõctionem alimenti moliens, & materiam, ex qua illa generentur. Vnde interdum ex intemperie, aut totius, aut aliquarum partium gignuntur excrementa, quæ mox in cauſa ſunt eo quem diximus, modo fluxionem concitandi. Interdum vero errores in ratione victus commiſſi. Interdum vtrumque. Nam ſi vis concoctrix ſuo fungatur officio in conficiendo nutrimento, & ea offeratur materia coquenda, quæ illi ſit accommodata, probe conficit, neque excrementa generantur plura, quàm corporis ſani ſtatus requirat: & cùm nihil obſtat, quominus illa excrementa, quæ omnino generari, vel etiam in ſanis quotidie neceſſe eſt, per vias huic officio à natura deſtinatas opera facultatis expultricis expellantur, ſanitate integra homo, vel animalia cętera fruuntur. Sed cùm aut aliqua intemperatura, vel naturali, vel ex aliquo incommodo, vel errore contracta, per quam læſa eſt concoctrix facultas: aut ex aliquo errore, vel in qualitate, vel in quantitate alimenti, vel in ordine commiſſo: plus excrementi ſit genitum, quam poſſint ſatis eſſe viæ conſuetæ, & naturales, per quas ſolita eſt facultas expulſoria id genus excrementa excernere, aut ſi viæ fuerint obſtructæ: ita, vt liber & expeditus tranſitus non pateat: aut eadem vis expultrix ex aliqua intemperie ſit facta imbecillior, quam vt poſſit tantam excrementorum copiam excernere: ea retenta fluxiones, modo nuper expoſito, concitant. Et quia non momento, ſed certo quodam tempore opus eſt ad hoc, vt tanta excrementorum copia congeratur, vt poſſit concitare expulſoriam facultatem ad impellendum, aut vt attracta acceſſionem accendere poſſit. Ideo neceſſaria eſt tanta temporis intercapedo, vt tanta colligi poſſint excrementa, quæ fluxionem ſint apta concitare. Et

poſt-

poſtquàm in affectum locum fuit, aut impulſa, aut attracta ea copia, quæ acceſſionem doloroſam, aut febrilem poteſt efficere, affligit, quo ad vſque ea materia fuerit, vel digeſta per eam vacuationem, quæ ſenſum latet, vel per conſpicuam, vel quouis modo conſumpta; deinde quieſcit particula, donec iterum ex eiuſdem cauſis tantumdem ſimilis materiæ, eadem temporis ſpecie generetur, & colligatur, atque ita mox altera ſuccedit acceſſio. Et hac ratione per certos periodorum ordines concitantur eiuſmodi periodici morbi. Apertiſſimo vero exemplo hoc exponit Gal. qui ſemper oculos habuit ad ea, quæ euidenter apparent, ex excretione communium tam primæ, quàm ſecundæ concoctionis excremētorum. Videmus enim quoſdam, qui quotidie eadem hora ad aluum deijciendum ſurgunt: immo aliqui etiam certis horis ſemper mingunt: alijs autem nunquam ferè, ſed & ne poſſunt quidem etiam ſi velint: id vero eſt, dum eadem victus ratione vtuntur, quia tātumdem ex cibo, & potu aſſumpto, ſemper excrementi in eodem temporis curriculo congerunt: qui tamen ſi victus rationem mutauerint, ille etiam ordo mutabitur. Sicuti multos vidimus, qui cùm ieiunant, aut partius comedunt, vel bibunt, rarius etiam deijciunt. Contra vero ſi plus cibi ingerant, vel illius magis excrementoſi, vel magis humidi, citius, & frequentius deijciunt. Vnde qui ſeruant quadrageſimam plura, & frequentius excernunt. Ita quo tempore autumnalibus fructibus veſcimur, magis, & citius fluentem aluum habemus. Et tamen animaduertendum, quòd interdum fiunt periodi: non tantùm, quia affecta particula accipiat aliquid, quod vel in illam impellatur, vel ipſa attrahat: ſed potius ipſa ſibi eſt vniuerſa cauſa quoniam vel ex aliqua propria intemperię, vel ex vitioſo alimento illi amandato generat maiorem copiam excremētorum, quàm eius facultas poſſit recte adminiſtrare, & excernere, vel expellere. Vnde illa retenta efficiunt acceſſionem morboſam, vt ſuperius expoſuimus, quæ eodem etiam modo finitur. Poſtea vero dum manent eædem cauſæ, iterum ſimilia congeruntur excrementa, quæ ſubinde alias generant acceſſiones. Quòd ſi hęc ſunt febribus magis particulatim aptanda, aduertendum eſt, quod locus, in quo poteſt putreſcens humor febrem accendere, eſt triplex: (de ijs autem febribus in præſentia loquimur, quæ à priſcis medicis febres per ſe dicebantur, non de illis, quæ inflammationes ſequuntur.) Primò ſunt membra illa, quæ habitum corporis conſtituunt, vt ſunt muſculi, & reliqua de quibus, dum de interpaulatis febribus ſermo haberetur, abunde locuti ſumus. Deinde vero ſunt vaſa, ſeu venæ ipſæ: quæ quoniam duplicis generis ſunt, ſunt enim maiores, qualis eſt vena magna, quæ & caua dicitur, & quæ proximè ab illa oriuntur, item, & venæ pulmonum, & ventriculi, & iſtiuſmodi aliæ, ſunt & venæ minores: ideo duplicem acceſſioni febrium locum præſtant. Cùm ergo in omnibus venis accenditur febris, ſiue illa ſit putrida, ſiue etiam ephemera: neque ſit aliqua definita particula, aut etiam aliquæ particulæ, quæ vel attrahendo, vel impellendo occaſionem, & fomentum febri præſtent, febris ipſa periodis omnino caret, atque vniuerſa à principio vſque ad finem vna eſt acceſſio, quæ eatenus durat, quatenus vniuerſus is humor, qui putreſcens poſſit fouere febrem, digeſtus abſumatur: aut omnino ſit concoctus, & ad integritatem reſtitutus: aut partim concoctus, partim vero digeſtus. At ſi vitioſum humorem, qui aptus ad putredinem eſt, natura ipſa, quæ quantum poteſt, procurat, vt ſanguinem à vitioſis humoribus expiet, præſertim vero in venis maioribus, & cordis proximis, procul expellat: ſiquidem extra venas propellere poſſit, fiunt intermittentes febres, vt ſuperius in primis fere lectionibus expoſitum fuit: expelluntur autem huiuſmodi humores per periodos, ſicut per interualla congeruntur, vt ſæpius iam dictum eſt: ſi vero natura nequeat omnino expellere, quia aut ipſa imbecillior ſit, quàm vt id agere poſſit: aut craſſior ſit materia, & magis lenta, quàm vt per anguſtos venarum meatus poſſit impelli: aut quia meatus obſtructi, vel conſtipati ſint, ſaltem ad remotiores venas impellit, & procul à nobilioribus particulis, atque ita putreſcente ibi materia, continentes quidem, vt fuit expoſitum, febres excitantur: ſed quæ, vt per periodos fit horum collectio, & expulſio, ita etiam per periodos habent acceſſiones. Et quia duplicem ſuperius periodorum cauſam attulimus, alteram, quæ referebatur primum in expultricem facultatem, particularum, alteram vero, quæ in attractionem particulæ, in qua putreſcit materia ob eius caliditatem, vt dolorem. Gal. non modo priorem, Com. 2. & cum eo etiam Hipp. 4. de rat. vit. in ac. mor. verùm & alteram nouere, & docuere, vbi ardentem febrem fieri æſtate aiunt, cùm venulæ ex æſtiuo calore excicatæ, & calefactæ tenues, & acres humores à carnibus attrahunt, qui putreſcentes cauſum accendunt: ſiquidem in omnes venas, præſertim vero maiores perueniant: at ſi ſolùm ad minores, erunt febres continuæ, & nihilo ſecius carnibus à venis bilem, aut alios humores attrahentibus ob aliquam intemperiem, aut ob laſſitudinem doloroſam poſt labores contractam poteſt accendi febris: quod in fine illius commentationis inſinuauit Gal. Et hæc quidem eſt in vniuerſum cauſa periodorum, tam in febribus, quàm in alijs morbis. Cur autem quandoque longiores, quandoque breuiores fiant acceſſiones, pendet ab humoris qualitate, & quantitate. Quia cùm copioſior eſt, longius protrahitur acceſſio: longiori enim tempore eget, vt diſcutiatur, & abſumatur. Item ſi craſſior, ſi magis lentus. Præterea vero ex qualitate, affectione, & natura corporis laborantis. Si enim denſum, tardius: ſi ratum, citius: ſi iuuenile, citius: ſi ſenile, tardius: ſi fortius, citius: ſi debilius, tardius. Similiter, & ex recta victus ratione, vel ex erroribus. Plurimum etiam tempus facit: hiems namque, & autumnus omnia prorogant, ſicut ex aduerſo ver, & ęſtas abbreuiant. Et hinc etiam fit, quòd quædam acceſſiones adeo longæ ſunt, vt interuallum nullum integrum relinquant intermedium: aliæ vero relinquant, & aliquæ maius, aliæ minus. Cur autem fiant interdum, inæquales, & inordinatæ periodi, per quas ordo interrumpitur, cauſam refert Gal. quæ tamen multiplex eſt. Quia hoc interdum ex erroribus in victu contingit, ſicuti quando aut ægrotus ſui voti eſt, & intemperans: aut aſſiſtentes delinquunt: promiſcuus enim, & inæqualis victus, cùm occaſioni eſſe ſoleat, cur multiplicia, & varia generentur excrementa, tùm quantitate, tùm qualitate, in cauſa itidem eſſe poteſt variandi rationem, & ordinem fluxionum, & ſubinde periodorum, & acceſſionum. Sed, & tranſmutatio humorum, quę ſit in febribus, atque adeo etiam in alijs morbis, poteſt periodorum ordinem variare. Quæquidem, & ipſa multiplex eſſe poteſt. Aliquando enim mutatur natura humoris, ſicut ſanguis per exuſtionem vehementem (vt paulo ſuperius dictum eſt) vel per putredinem, partim in flauam, partim in atram bilem vertitur. Et vt natura humoris tranſmutatur: ita, & ratio periodorum variatur. Item, & bilis flaua aſſata, vt in ardentibus febribus, & in phreniti de ſolet interdum (vt Gal. docuit 2. li. Com. in primum Epid.) Com. 55. ad atræ bilis naturam verti. Quandoque vero non quidem primus humor naturam ſuam mutat, ſed alius eſt, qui aliunde, nimirum ab aliqua alia particu-

la,

la, alterius naturæ defluit ad locum putredinis, vel A alioquin ad locum male affectum. At ſicuti mutata eſt ratio,& occaſio fluxionis: ſic, & ordo, moduſque periodorum mutatur. Cum enim imbecillior factus eſt aliquis locus, poteſt à quacunque parte, quantum in ipſo eſt, excrementa ſuſcipere. Item etiam cum dolens eſt, aut inſigniter calens, poteſt vndecunque, & quæcunque excrementa ad ſe attrahere. Iam vero vniuerſa hæc contemplatio à Galen. hoc loco propoſita(ni fallor)explanata eſt. Quòd ſi forſitan vobis quædam exempla prætermiſſa videantur, quæ plura ipſe à capite,& eius partibus,à iecinore, alijſque particulis,tum internis,tum externis ad maiorem iſtius rei demonſtrationem exponit, ea quidem nos breuitati ſtudentes, conſultò B prætergreſſi ſumus, quia adeo apertè ſunt ab ipſo deſcripta, vt alio ferè non egeant explanatore. Vnū autem aperiamus, quòd ab ipſo Galen. licet in vniuerſum fuerit propoſitum: non fuit tamen particulatim diſcuſſum, quamuis haud minorem ambiguitatem,& dubitationem habeat,quàm quæ hactenus fuere tractata. Id vero eſt, vt inueſtigemus, ſi poſſumus,cauſam, cur tanta pituitæ copia tam breui tempore congeratur, vt quotidie acceſſionem excitet: bilis autem, quæ alioquin acrior, & ea ratione apta citius irritare expultricem facultatem, mobilior etiam, & quæ facilius accenditur: attamen alternis diebus acceſſiones ciet: bilis vero atra quaternis diebus. Hæc dubitatio adeo vexauit, tùm iuniores noſtros, tùm etiam Arabas, vt adhuc, quantum ad eos pertinet,res ſit ſub iudice. Auer. enim quarto libro ſuarum collectionum in primis Galen. ſententiam damnat, vtpote, quæ illi videatur aduerſari initijs Philoſophiæ naturalis,& Metaphyſicæ, quamuis nullis rationibus id oſtendat: ſed tantùm verſetur circa expoſitionem illius ſententiæ, quam veriorem eſſe putat,& quam ait in commentarijs, quæ in lib. de differ. feb. edidit, latius explanauiſſe. In hoc autem conſiſtit tota eius opinionis vis, quod vniuerſa periodorum ratio referenda ſit in naturam innati caloris ipſius animalis, qui materiam, quæ à bonorum humorum ratione omnino aliena eſt, afficit, & præparat, vt ea expellatur, & expulſa putreſcat, non poteſt autem eam vniuerſam, ſi multa ſit, ſimul affi- D cere, & parare, ſed per partes: prius enim tantam illius partem parat, quanta poſſit ad acceſſionem vnā accendendam ſatis eſſe, quam paratam natura expellit: poſtea vero tantiſper moratur, donec tantumdem præparet. Et hoc modo fiunt certæ periodi, & in tempore ordinato,& definito. Nam,quæ naturalia ſunt,ſemper ordinata ſunt:& quātum ad ipſa pertinet,eundem ſeruant ordinem. At cauſæ,quæ præter, vel contra naturam ſunt, inordinatæ ſunt. Ac proinde cum Gal. in cauſam contra naturam rationem periodorum referat, hoc eſt, in affectum aliquem illius præter naturam excitatum, vel in vna, vel in pluribus particulis, ab hac cauſa à natura aliena petit rationem ordinis in periodis febrium. Et huic fortaſſe fundamento innixus Auer. pronunciauit Galeni opinionem aduerſari naturalibus, & Metaphyſicis principijs. At hæc ipſius Auer. prælata ſententia, non modo Philoſophiæ aduerſatur apertiſſime, ſed & medicinæ, & tandem ipſi experientiæ. Quòd enim à calore naturali agente, & afficiente, paranteque materiam vitioſam ad expulſionem, & putredinem id fiat, omnino à naturali Philoſophia alienum eſt: præſertim vero peripatetica. Quia ſi hæc per ſe agit calor natiuus, vel tantum ad expulſionem actione ſua humorē aptum reddit, vel etiam illum ad facilem putrefactionem: vel ad vtrumque. Non poſſumus aliquo modo affirmare, quod calor natiuus humorem putrefaciendum ad putredinem

quoquomodo paret per ſe ſaltem: quoniam cùm hęc ſit vna Philoſophiæ radix (vt vtamur modò loquendi Auer.) quòd itidem eſt agens, quod materiam ad formam ſuſcipiendam parat, & formam etiam procreat,vel vt dici à iunioribus ſolet, formam illam inducit, ex hoc iam ſequitur, quod calor natiuus per ſe erit cauſa putrefactionis,quod ab eius natura omnino abhorret: eius enim natura penitus putrefactioni eſt aduerſaria. Nam putredo nunquam fieri in aliquo mixto poteſt,niſi vincatur,& intereat calor natiuus, & in animante tunc putreſcunt humores, cum à calore natiuo non probe adminiſtrantur. Præterea vero in eiuſmodi apparatu putreſcendæ materię, vel calor natiuus vincit materiam, & externo calore ſuperior eſt, vel ipſe vincitur. Siquidem vincit, non parat ad putredinem, ſed potius concoquit. Quia concoctio nihil aliud eſt,niſi victoria caloris in materia, vel in humido: concoctio vero aduerſaria eſt putrefactioni, quæ (vt ait Gal.) facit vt deſinat putredo. Vnde ſæpe febres putridę per concoctionem terminantur. Sed ſi calor natiuus vincitur ab externo (ſemper autem tranſmutatio ſequitur materiam agentis fortioris) non erit cauſa periodorum natiuus calor,ſed extraneus. Niſi quis diceret, quod neuter vincit: verum ex mutua inter duos illos calores pugna id fit. At hoc longè abſurdius eſt: nam dum res in pugna eſt, nihil ordinatum eſſe poteſt, cum omnia potius tumultuaria ſint: & C hac ratione ante iudicationem in morbis noctes turbulentæ, & difficiles ſunt, dum natura pugnat cum morbo,& antequam omnino vincat. Sin autem dixerit, quod calor natiuus ſolùm agit, vt ad expulſionem vitioſum humorem paret, quo expulſo calor extraneus illum corripiens in cauſa eſt,cur putreſcat. Neque hoc eſt rationi conſonum: quia, & ſi hoc verum ſit, quod cùm ſit vitioſi humoris expulſio, ea à facultate expultrice fiat, vſa natiuo calore, tamquam inſtrumento: ſicut, & alias omnes operationes natura per natiuum calorem molitur: attamen neque expulſio fit, niſi facultas excitetur à moleſtia percepta ab humore noxio, qui, vel multitudine grauis illi eſt,vel mala qualitate irritat. Vnde quamuis neceſſaria ſit actio caloris natiui in expellendo: ab ea tamen non poteſt accipi ratio ordinatę periodi, quoniam neceſſe eſt, vt pręcedat prius aliqua alia cauſa, nempe, aut multitudo,aut prauitas humoris mouentis,& excitantis naturam, & natiuum calorē ad expellendum, & erit tamquam prima, & propria periodorum cauſa, & tamquam primum mouens in hoc motu. Immo ſi ad viuum res ſit reſecanda, tandem erit confugiendum ad opinionem Galen. quod prima demum origo, atque prima cauſa iſtius rei ſit affectio aliqua præter naturam, à qua talis, & tanta materia vitioſa in hoc temporis ſpatio generatur, vt facultatem ad expulſionem excitet. Præterea etiamſi calor natiuus is eſt, qui hunc facit apparatum in humore expellendo, & putrefaciendo: & ob id, E quia non vniuerſum ſimul parat, ſed per partes fiunt periodi: actio autem naturalis caloris,qua ad expulſionem humorem parat,non eſt,niſi cōcoctio. Nam vt conſentiunt medici omnes, concoctio excrementorum vitioſorum,quæ ad bonum,& naturalem ſtatum reuocari amplius nequeunt, eſt eorum apparatus,vt facile expelli poſſint, quod etiam Auer. videtur innuere. Ex hoc autem ſequetur,quod in principio febris putridæ, cùm materia omnino cruda eſt, non poterit per periodos illa accendi, & ſemper etiam inter principia cuiuſcunque febris neceſſe erit aliqua apparere concoctionis ſigna. Habet vlterius, & hoc incommodum eius ſententia, quod eius rationem nullam reddit, quód tamen in hac re præ omnibus deſiderandum eſt, & præ alijs obſcurum:

hoc

hoc vero eſt, cur bilis tertianarias habeat periodos, pituita quotidianas, atra bilis quartanarias: Nam cùm pituita alioquin ſit humor crudior, craſſior, & lentus, atque ad motum difficilior, quantum ad id pertinet, videretur longius tempus requirere periodorum, quàm bilis, quæ, & concoquitur facilius, & mouetur etiam minori negotio, & tamen contra ſe res habet. Quare noſtri iuniores latini, vt Gentilis, Thomas, Garbenſis, & alij multi, qui hos ſecuti ſunt, in aliam viam abiere, & propriam quandam commenti ſunt opinionem, & dixere, quod cauſa periodorum eſt quædam naturalis proprietas iſtiuſmodi humoris: vt bilis, quæ ſuapte natura apta eſt, vt cùm ad putredinem mouenda eſt, alternis diebus moueatur: pituitæ vero vt quotidie, melancholici humoris, vt quaternis diebus: hæc vero proprietas ſequitur propriam naturam, & formam iſtius, vel illius humoris, & talem mixtionẽ, qua genitus eſt is humor. Ratio autem, quæ hos mouit, vt ita opinarentur, hæc præcipua videtur eſſe. Quia oportet vt certus, & definitus ordo naturalis in aliqua re ſequatur certam, & determinatam aliquam naturalem cauſam, quæ in illius rei natura conſiſtit. Hanc autem neceſſum eſt eſſe, aut illius rei formam, aut naturalem aliquam proprietatem, quæ formam illam ſequitur, quæ eſt formæ tamquam proximum inſtrumentum: ſicut grauitas, & leuitas, per quas elementa mouentur, aut formæ ſunt, aut propriæ quædam qualitates formas conſequentes. Et hæc quidem eſt omnium ferè latinorum communis opinio in vniuerſum tamen: quia inter eos particulatim non nihil differentiæ intereſt. Hi enim quorum meminimus, credidere proprietatem hanc eſſe quandam humoris naturalem propenſionem, qua appetit, vel procliuis eſt, vt per has periodos, & hunc ordinem moueatur. Alij vero his poſteriores exiſtimarunt hanc in his eſſe proprietatem, non quæ inclinet humorem ad putredinem, ſed potius per quam humor poſſit diutius reſiſtere putrefactioni, & per longius interuallum: neque enim videtur eſſe rationi conſonum, aliquem eſſe poſſe ex natura appetitum, & inclinationem ad putreſcendum, qui formam rei propriam cõſequatur, quin potius videtur vnicuique id inditum à natura, vt reſiſtat, quantum poteſt, rebus ipſum deſtruentibus. Hæ ſunt ſententiæ horum omnium, qui à Gal. diſſentiunt. Nos vero fabulas hæc omnia putamus, & quæ, vt à ratione ſunt omnino aliena, ita neque cum Philoſophiæ principijs, aut Medicinæ conſentiant. Nam, vt ſuperius ſæpe expoſitum eſt, acceſſiones per periodos fiunt ob id, quia vitioſa materia per eiuſmodi periodos, aut extra venas pellitur, aut à maioribus ad minores. Vnde cùm putreſcit humor in omnibus venis, aut ĩ venis maioribus nulla apparet periodorum diuerſitas, ſed eſt tanquam vna acceſſio. Iam vero hoc tamquam conſtitutum eſt apud medicos omnes, expulſionem hanc à facultate expultrice fieri, cauſamque, ob quam facultas mouet, & extrudit extra venas hos humores, eſſe moleſtiam, quam ex eis natura percipit. Quare manifeſtè apparet, quod hoc non fit ob naturalem propenſionem humoris ad motum, quę formam humoris ſequitur, quia motus humoris non eſt à principio intrinſeco, ita vt humor ex ſe moueatur ad locum putredinis, ſed mouetur ab extrinſeco principio, hoc eſt, à facultate expultrice particularum. Poſteriores autem quamuis putauerint multa abſurda poſſe declinari, ſi dicant, quòd eiuſmodi propenſio, vel proprietas non eſt ea, quæ ſit ad putrefactionem, ſed ad reſiſtendum putredini: attamen nec ipſi quidem ea proferunt, quæ aut rationi conſentanea ſint, aut experientiæ. Nam, quod ad locum putredinis impellatur humor, id non ex ſe habet, ſed propterea, quia

A facultatem expultricem excitat ad expellendum: non quia talis eſt ſecundum ſuam naturam, vel aliqua proprietate naturam conſequente, ſemper enim hoc ageret: vel etiam dum ſecundum naturam ſe haberet, & ſanum eſſet animantis corpus, quod tamẽ omnino falſum eſt: quandoquidem tunc maximè facultatem irritat, & excitat ad expulſionẽ, cùm ſuam naturalem rationem excedit, vel quantitate, vel qualitate. Quare relictis imaginarijs his opinionibus, Galenum ſequamur, qui omnem periodorum rationem refert in ipſam materiam, quæ cùm eo, & qualitatis malæ, & quãtitatis deuenerit, vt non amplius à natura particulæ, in qua aut genita, aut collecta eſt, nequeat facilè ferri, natura ad eam expellendam B inſurgit: in febribus quidem a venis ad loca extra venas, in quibus mox a naturæ adminiſtratione omnino deſtituta putreſcit, & acceſſionem accendit: aut ſi id non poteſt, ſaltem ad minores venas: & a maioribus, & præcipuis, quanto poteſt longius. Et cum plerumque eadem maneat cauſa, vnde illa materia genita, & collecta fuit, quamuis vniuerſa fuerit expulſa: ideo alia ſimilis priori in eodem ſpatio temporis, rurſus paulatim gignitur, & colligitur, quæ vbi tanta fuerit, vt poſſit rurſum expulſoriam facultatem concitare: iterum, ea expulſa, altera fit acceſſio, atque ita ſubinde fit, donec cauſa illa permanſerit. Sed adhuc veſtrum aliquis poſſet dicere, generalis hæc doctrina eſt, & hactenus quidem rationi conſona: nondum tamen omnem dubitationem C tollit, neque enim nobis demonſtrat, cur quotidie tanta in eo colligatur, qui febrem quotidianam habet, vt ſatis ſit ad acceſſionem conficiendam: in tertiana autem, quæ vna, & ſimplex ſit, non quotidie: ſed ſit neceſſe alteram diem expectare: in quartana vero res ad quartam perueniat. Galen. enim quamuis innuere hoc voluiſſe videtur, confusè tamen, & non niſi in vniuerſum id declarat, vt qui dicat non eſſe mirandum, ſi non omnis excrementoſa, & vitioſa materia eadem temporis intercapedine cumuletur, quia neque ſanguis, quo alimur, ſemper idem, & ſibi vndequaque ſimilis eſt, neque partium, quæ aluntur, eadem ſemper, & ſimilis eſt affectio: & proinde aliud tempus alijs ad tantam congerendam materiã D neceſſarium eſt, quæ naturam ſtimulare poſſit, vt expultrix facultas concitetur ad expellendum, neque tamen particulatim rem explicat, neque exponit, cur longius tempus ad congerendam bilem, quæ ad id ſit idonea, neceſſarium ſit, quàm ad congregandam pituitam, & longius adhuc ad cumulandum melancholicum humorem. Præterea ad officium noſtrum pertinere putamus, hoc addere illis, quæ à Gal. fuere expoſita. Accipiamus ergo initium noſtrum ab hoc capite, quod ita omnibus clarum eſt, vt nulla egeat explanatione, quòd dum corpus integra fruitur ſanitate, & particulæ omnes benè valent, generantur humores omnes ea qualitate, & quantitate, quæ nullam naturę noxam, nullam iniuriam af-E ferunt, ſed bene, & facile ab ea feruntur, neque cogitur eos alioquin natura ad alias particulas impellere, neque partes ab alijs excrementa attrahunt, niſi, quæ à natura id inſtitutum habent: ſicuti fellea veſicula naturæ inſtituto, quicquid excrementitij eſt in bilioſo humore, vel ſuperuacanei attrahit, atque per vias huic officio a natura delegatas tandem excernit. Ita & inteſtina primæ concoctionis excrementa ſuſcipiunt, & idoneo tempore expurgant. Veſica vero ſeroſum, excrementum, & reliquorum humorum ichores. Sic & lien, quicquid ſuperuacuum eſt humoris melancholici attrahendo in cauſa eſt, & ipſe, cur ſanguis integer, & ſuam ſeruans naturam cuſtodiatur. Præter has autem humorum expiationis eſt, & ea, quæ ſit per anguſtos, & inconſpicuos corporis

mea-

meatus,tùm per ſudores, tùm vero, & per vacuatio- A nem latentem ſenſum. Dum ergo viæ omnes apertæ ſunt, & partes omnes ſuo funguntur munere, nulla poteſt fieri collectio excrementitiorum humorum, qui fomentum, aut febri, aut alteri morbo præſtent, vel alioquin fluxionem concitent, vel impulſionem, vel attractionem,præter eas, quæ naturales, & vtiles ſunt. Quòd ſi vel viæ obſtruantur,ita vt excrementorum expurgatio prohibeatur, vel intercipiatur,vel etiam vires facultatis expultricis ex aliqua occaſione fiant imbecilliores, vt non poſſint pro ratione excrementis expurgatis, corpus mundum ſeruare, paulatim aceruantur excrementa,quæ, & fluxionum,& febrium,& inflammationum in cauſa eſſe poſſunt. Quæ omnia per certas periodos poſſunt exacerbari, B dum eadem cauſa permanet, ex qua fit, vt alternatis vicibus,nunc congeratur materia, nunc autem congeſta ad alias partes compellatur. Interdum vero,& alia de cauſa hoc ipſum fieri poteſt: quamuis enim nulla ſit conſtipatio meatuum, nulla ſit viarum obſtructio, neque etiam facultates ſint ita imbecilles, vt ſuo fungi officio nequeant: veruntamen tanta ſit excrementorum generatio,vt viæ naturales, & conſuetæ, præterea & organa a natura ad hoc munus inſtituta ſatis eſſe non poſſint ad ea excernenda, & corpus expurgandum. Vnde fit,vt eorum tanta fiat aceruatio,vt ſit neceſſe eadem hæc, quæ nuper expoſuimus,incommoda ſequi. Generantur autem adeo copioſa excrementa, vel propter aliquam in toto,vel C in aliquibus particulis contractam intemperiem: vel propter errorem in victus ratione commiſſum. Vnde fit ſæpe,vt congeſta multa vitioſa materia, aliquibus de cauſis iam dictis, accendatur, aut febris, aut alius morbus, qui, ſi cauſæ remoueantur,vnde poſſit iterum id genus materia cogi, ſicuti ſi mutetur victus ratio, vel obſtructiones tollantur, vel corrigantur intemperatura: non ſuccedet poſt primam periodum altera, immo corpus in reliquum ſanitate fruetur. Nonnunquam vero,quamuis prior materia vacuetur, & nulla exterior cauſa reliqua ſit, quæ occaſionem poſſit afferre febrem accendendi; ex præcedenti tamen acceſſione, vel ex prioribus diu retentis excrementis in particulis vitiatur, & tranſmutatur naturalis earum particularum temperatura: ex quo D deinde fit,vt ex earum alimento ob intemperiem particularum malè confecto, iterum alia prioribus excrementis ſimilis coaceruetur materia, quæ occaſioni ſit,cur aliæ accendantur acceſſiones,& periodi repetantur. Hæc erant cum Gal.prælibanda.Quòd autem longius temporis interuallum ſit neceſſarium ad periodum abſoluendam, quæ ex bile, quàm quæ ex pituita: minus vero,quàm ex humore melancholico: id prouenit,tùm à natura ipſius humoris:tùm à modo,& cauſis,ex quo generantur hi humores. Nam, (vt ab hoc capite exordiamur) quamuis vnus, & idē calor natiuus,qui,& temperatus eſt,ſit omnium eorum humorum opifex,qui in ſano corpore naturaliter generantur,omniſque eorum diuerſitas ortum E potius habeat ex partium diuerſitate materiæ illius, ex qua generantur. Attamen cùm illi naturæ rationem aut qualitate,aut quantitate excedunt: non modo ex materiæ ratione id habent, verum non minus ex efficiente cauſa:ex intemperatura enim frigida,vel frigida,& humida per cruditatem multa gignitur pituita:ex calida vero, & ſicca bilis primùm flaua, mox autem, ſi adeo excreſcat, vt aſſet, vel vrat materiam, quam afficit,& humor melancholicus. Hac ergo ratione excremētitij humores,& diuerſæ naturæ aceruantur. Sed,& ex materia, quia pituita ex frigida, & craſſa materia,& aquea, quæ inepta concoctioni eſt: bilis ex tenui, & pingui, eſt enim tenuis humor ſuapte natura,& quaſi ſanguinis ſpuma: ex terreſtri vero, & craſſa, quæ quaſi in cinerem tranſit, fit melancholicus humor. Conferamus itaque particulatim, & facilè rationem diſſolutionis iſtius quæſtionis inueniemus. Quia cum bilis non naturalis generatur, à calidiori,& ſicciori neceſſe eſt: eiuſmodi autem intemperiei calor acris eſt, qui vim plurimam digerendi, diſcutiendique habet: materia vero, vnde gignitur pinguis eſt, & tenuis, & magna ex parte aerea, ac ignea,quæ facilè attenuatur,& in aerem, vel in fuliginoſum,fumoſumque excrementum digeritur. Ideo plurimæ illius partes,præſertim vero,quę tenuiores,& ad digeſtionem faciliores,diſcutiuntur. Vnde, quæ reliquæ ſunt,cùm multæ eſſe nequeant, nō multa ex illis poteſt flaua bilis generari: quoniam ille idē calor igneus terreſtriores partes illius materię in atrā conuertet. Id vero duplici argumento ſuadere poſſumus. Primùm,quia videmus eos,qui ſuapte natura calido,& ſicco ſunt temperamento, & calorem naturalē ad igneum inclinantē habent,plerumque graciles ſunt, & macilenti, non aliam ob cauſam, niſi quòd humores, ex quibus alendi ſunt, & caro, pinguedoq; eſſent generandæ, magna ex parte in fuliginoſos fumoſoſque vapores ab acri,& igneo eorum calore diſcutiuntur: quare multis etiam id genus excrementis ſcatent hæc corpora: propterea facilius à ſimili calore pars apta in bilem flauam verti diſcutietur. Deinde etiam videmus, quòd in ſanis corporibus longè minor copia bilis ſuperuacuæ generatur præ pituita: quod indicat felleæ veſicæ paruitas. Sed longe etiam minus atræ bilis. Nam cùm naturalis melancholia,quæ veluti ſanguinis fęx eſt, in iecinore generetur ex terreis illius ſucci partibus, qui prius in ventriculo fuit confectus, mox vero per venas attractus in iecinore, in ſanguinem vertitur: multæ quidem eſſe illæ non poſſunt, cùm non attrahatur, niſi pars ſuccoſa: quæ autem omnino craſſior,& terreſtrior eſt,in ſtercus cōuerſa in inteſtinis inferius deijcienda relinquatur. Quin, & ea,quæ naturalis minimè eſt,quæque ex alijs humoribus per combuſtionē, vel per putrefactionem incineratis ſit,neque ipſa poteſt inſigni aliqua copia coaceruari, tùm eadem, quā de bile attulimus, ratione: tùm vero ea, quam Gal. refert in hoc capite: quia humores, vel ſucci, cùm vruntur, vel putreſcunt, alij nihil, alij parum admodum terreſtris,& cineritiæ partis relinquunt. Pituita vero breui admodum tempore plurima, non modo vitio ventriculi, verum omnium aliarum partium generari poteſt. Quia humor crudus eſt,qui non poteſt,niſi à frigidiori temperatura, & calore imbecilli, atque concoctrice facultate facta languida,& inualida gigni: quæ cùm nequeat alimentum oblatum, vt in ventriculo, ita in alijs partibus ſuperare, & conficere, quicquid inconfectum relinquitur (relinquitur autem eius pars maior, quando facultas illa debilis ex frigidiori intemperie reddita eſt) totum id in pituitam vertitur. Cui,& id accedit, quòd frigidior intemperies, & imbecillis calor parum poteſt diſcutere, vel digerere, ſicut poterat, qui bili tàm flauæ, quàm atræ gignendæ eſt. Quare,neque deinde mirum eſt,ſi citò ea pituitæ copia congeritur, quæ poſſit accendere acceſſionem febrilem, excitata prius expultrice facultate. Et quamuis ea non ſit acrimonia, quæ eſt in bile vtraque:attamen grauis humor eſt,& vires membrorum aggrauans concitare ad expulſionem poteſt. Hoc pacto huic quæſtioni reſponderem. Niſi forſitan,& illud præterea diſſoluēdum ſit: nempe, quòd ratio hæc, quam nos Gal. & ipſam rei naturam ſequentes attulimus, non videtur, niſi aliqua tantùm ex parte, non autem ex toto dubitationem ſoluere. Quandoquidem illa fortaſſe locum habere poteſt in illis,in quibus humor aptus ad putredinem in dies, aut ex aliqua intemperie in quadam particu-

la, aut ex praua victus ratione congeritur, & mox congeſtus ad locum, in quo poſtea putreſcit, expellitur. Sed in iјs, in quibus multa, aut plethora, aut cacochymia contracta eſt, antequàm cœperint febricitare, & a periodicis febribus capiantur, nullam vim videtur habere: quoniam ibi iam multa eſt materia, & quæ poſſit ſatis eſſe ad plures accedendas acceſſiones: nec eſt opus tantiſper morari donec noua congeratur materia, ex qua poſſit febrilis concitari acceſſio: quia illa ſemper in his præſto eſt. Huic etiam dubitationi reſpondere nitemur. Dicimus ergo, quòd (vt à Gal. ſuperius docti ſumus) corpus, quod multam copiam humorum coaceruauit: ſiue illi alioquin nullum aliud incommodum præter nimiam copiam habeant: ſiue præter id ſint etiam vitioſi, non ſtatim ea de cauſa febricitat, febre præſertim putrida. Quia niſi ex aliquo prætereа errore in victus ratione commiſſo illi in habitum corporis digeſti, aut in vijs, per quas ſolent corpora purgari, & viſcera difflari, infarcti, excitatis obſtructionibus, aliquod putreſcendi initium contrahant, neque ad locum aliquem, in quo putreſcere poſſint, expelluntur, neque in illis, in quibus continentur putreſcunt. Quamuis enim vitioſi fuerint, & ad putredinem faciles: dum tamen probè, & pro ratione difflantur, & tranſpiratione non interdicuntur, fieri nequit, vt putreſcant, ſed paulatim coquuntur, & ſi corrigi, ac emendari poteſt eorum malitia, in alimentum corporis tandem cedit: ſin autem, quod malum eſt, paulatim à bono ſecernitur opera naturæ, & per vias demum illi commodas excernitur. At ſi errores in victus ratione inſignes accidant, quorum occaſione fiant, & obſtructiones, & conſtipationes adeo, vt difflatio, & tranſpiratio intercipiantur, malitia eorum humorum, & copia augetur, dum fumi, ac fuligines, quæ per inconſpicuos corporis meatus ſolent excerni, ſupprimuntur, & hac ratione incipiunt eſſe graues, & moleſti naturæ. Vnde ſi illa potens ſit, & vires tales habeat, vt illos poſſit extra venas expellere, expelluntur, & inde intermittentis febris acceſſio concitatur. At ſi id nō poſſit, extruduntur ſaltem ad minores, & minus præcipuas venas, & tunc accenditur febris, continens quidem, ſed quæ periodos habeat. Quòd ſi neque hoc natura aſſequi valeat, in omnibus, aut maioribus venis putreſcens accenditur febris, aut ſynocha, aut ardens. Verùm, quoniam tota illa, quæ vitiata eſt, quæque ad putredinem apta, ſtatim ab eadem cauſa correpta putreſcere neceſſe eſt, ea conſumpta, niſi fomentum febris aliunde habeat: neceſſe etiam eſt, vt poſt primam acceſſionem deſinat. Fomentum vero habet à mala affectione relicta in venis, vel in toto corpore, partim à præcedente febre, partim à malis, & putreſcentibus humoribus, quibus accedunt, & obſtructiones, quæ adhuc permanent: quibus de cauſis ex alimento quantumlibet etiam bono in dies mala, & vitioſa materia generatur, quæ fouet periodos putridæ febris. Vnde tandem res in idem tendit. Hæc quidem ſunt, quæ nobis viſa ſunt, poſſe eſſe ſatis, quantum ad huius difficilis quæſtionis diſſolutionem, & ad iſtius etiam libri explanationem pertinet. Quorum omnium ſi veritatem ſumus aſſecuti, gratiæ ſunt illi habendæ, qui illuminat omnem hominem. Sin autem ſecus, rogandus eſt, vt vero lumine ſuo nos illuſtrans ad veritatem perducat.

Cap. 3.

A

B

FINIS.

VICTO-

VICTORIS TRINCAVELLII PHILOSOPHI, AC MEDICI VENETI, IN PRIOREM GALENI LIBRVM DE ARTE CVRATIVA AD GLAVCONEM EXPLANATIO.

De communi, & propria Hominum *Natura dignoſcenda: ac ex quibus Medendi Methodus conſtituatur.*

Procœmium. Cap. I.

QVOD non communem ſolum omnium hominum naturam ò Glauco, ſed, &c.] Quod vobis polliciti ſumus a principio, hoc etiam in prçſentia prçſtabimus: nempe, vt perfectam, & vndique abſolutam febrium doctrinam habeatis, me explanaturum ſimul, & libros Galeni de Differ. Febr. & eum, quem idem Glauconi, & amico, & viro Philoſopho in Platonis Philoſophia planè erudito, de ratione curandi conſcripſit, & non ſolum vnumquemque ſeparatim, ſed & eorundem capita, quando opus eſſet, facilioris, ac breuioris notitiæ gratia coniunctim expoſiturum. Quod quidem ſicut in ſuperioribus obſeruauimus: ita etiam in hoc libro facere conabimur, vt nulla in re laborem, ac diligentiam noſtram, quoad eius fieri poterit, deſideretis. Sed antequam rem aggrediamur, occurrit procœmium: quòd ſanè, cùm plurimum ſucci contineat (ſummatim enim, & quaſi per prima capita vniuerſam artem, vel methodum medicinalem com-
A plectitur) operæ pretium eſt prius explicare, breuiter
tamen, & ſuccinctè, non, vt multi fecere, longio-
ribus progreſſibus. Nam ſi omnia particulatim vel-
lemus exponere, quæ ipſe ſumma ſequens rerum fa-
ſtigia complexus eſt: neceſſum eſſet recitare hic om
nes omnino Galen. & Hippocr. libros. Nobis verò
ſatis erit tantum innuiſſe. In hoc ergo procœmio hçc
B omnia ſeriatim facit. Primum propoſitum, vel inſti-
tutum aperit, quod habuerit in hoc libro, & cauſam
etiam reddit ipſius inſtituti, & modum loquendi,
quem in hoc eodem ſeruaturus eſt: Præterea vtilita-
tem, & difficultatem ipſius exponit. Ex his enim
& docilitatem, & attentionem, & beneuolentiam
ſibi facile conciliare poterat. Propoſitum ergo eſt
C artem, vel methodum medendi vniuerſam in hoc li-
bro deſcribere, Vnde & habuit inſcriptionem græ-
cam θεραπευτικῶν liber, quaſi dixeris, eorum, quæ
ad curandi rationem pertinent, liber. Ex quo etiam
innoteſcit, quidnam ſit iſtius libri ſubiectū: eſt enim
illud idem, quod eſt totius therapeutices partis me-
dicinæ, hoc eſt corpus humanum, quatenus curari
D a morbis poteſt: & hoc ad docilitatem facit. Cauſa
verò iſtius inſtituti fuit Glauco, qui hunc librum
iſtius argumenti ſibi ſcribi efflagitauerat. Vt ergo
amici morem gereret voluntati, aſſumpſit onus ſcri-
bendi: quod non parui momenti eſt ad beneuolētiam
comparandam. Modus autem doctrinæ, quo vſurus
eſt, compendiarius eſt, quo concluſiones in alijs libris
E probatas, & diſquiſitas, in compendiumq; redactas,
complexus eſt. Sed methodū etiam exponit, cui ma-
ximè in his explanandis innititur, & eſt diuiſio: quē-
admodum etiam fecit in lib. de Differ. febr. Ex his au
tem attenti maximè euadimus, cùm breuem futurū
laborem polliceatur. Atq; ex hoc etiam patet huiuſce
inſtituti vtilitas: methodus ſiquidem curandi mor-

bos vna ex præcipuis partibus eſt artis illius, quæ quaſi princeps, & regina eſt aliarum omnium artium. At vero deinde animaduertatis, quòd hoc præſtare difficillimum eſt, nempe rectam medendi rationem exquiſitè exponere: quod eo argumento facilè percipere poteritis, quòd illi etiam medici, qui præcellentes habiti ſunt, nedum triuiales, in ijs, quæ ad hanc artem pertinent, tractandis, deprehenduntur errare. Quòd ſi quiſpiam dicat, & in quo conſiſtit tanta hæc iſtius rei difficultas? Nam non defuere, qui etiam paucis menſibus hanc artem poſſe comparari autument. Id nobis, & prius Glauconi explicat Galen. hoc pro fundamento prius accepto, quòd vniuerſa peritia, & abſolutio huius artis ſita eſt in inueniendis congruis remedijs, & in appoſito, & accommodato eorum vſu; Ad inuentionem autem accommodatorum remediorum pertinet, vt qualitas eorum, & quantitas definiatur; Ad eorum autem vſum appoſitum pertinet modus adminiſtrandi, locus, & tempus adminiſtrationis. Sed hic aduertendum, quòd in intellectu horum eſt quædam veluti (vt aiunt) æquiuocatio, vt videlicet poſſit quantitas intelligi, vel quatenus ad pondus, & menſuram pertinet: vel quãtum ad vires, & facultates. Ac prior quidem ſignificatio magis propria eſt: Altera vero ſatis etiam trita apud medicos, & alios. Semper enim magnitudinẽ appellant, & paruitatẽ, quas iuniores intenſionẽ, & remiſſionem; quatenus dicimus maiorem calorem eſſe in hoc medicamento, in illo autem maiorem vim ſoluendi, vel purgandi. Vt autem Galen. indicaret, quid per quantitatem intelligeret remediorũ, dixit quòd magnum eſt ſcire accommodare quantitatem remediorum pro ratione virium, quaſi velit quantitatem hic referendam ad qualitatem, & vires, non ad qualitatem propriè. Horum vero definitiones accipiendæ ſunt à rebus, quarũ cognitio plerunque difficillima eſt, & quam vix rationabili coniectura aſſequi poſſumus. Nam, vt à primo incipiamus, à qualitate nimirum remediorum, hæc à natura, & ratione morbi petenda eſt, & ab ijs, quæ ad morbos attinent, vt ſunt tempora, & iſtiuſmodi alia. Hæc autem non communi, & generali quadam ratione ſatis eſt cognouiſſe, vt me in initijs noſtrarum lectionum declarantem audiuiſtis, ſed vſque ad definitam vltimam differentiam determinare oportet: quod difficile admodum eſt. Neque enim alia, quæ ad hunc finem perducere poteſt, quærenda eſt via: niſi per partitionem, quam perſequi exactè, & perfectè non eſt cuiuſque, cùm in ea multi celebres etiam viri aberrauerint. Vnde Plato. illum ſuſpiciebat, tanquam virum diuinum, qui diuidendi rationem perfectam teneret. Quantitatis itaque remediorum rationem partim a natura laborantis hominis, partim à morbi magnitudine depromere oportet, immo ex vtriuſque collatione. Nam remedia debent viribus ex proportione morbis reſpondere. [Aph.6.] Vnde eam Hippocrat. primo Aphor. pronunciauit ſententiam, Extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt. Magnitudo vero morbi cognoſcitur ex multo receſſu à naturali ſtatu ipſius laborantis; quatenus ergo morbus longius a natura ſua hominem perduxit, eatenus maior dicitur; & maioribus eget remedijs, modo vires ea perferre poſſint, quæ & ipſe ad naturam laborantis pertinent. [Aph.9.] Vnde idem etiam protulit. Coniectari autẽ oportet, an æger cum hoc victu ſuſſiciat perdurare. Quare & exquiſitam rationem morbi, nec modo generalem, ſed diſtinctam particulatim vſque ad vltimas differentias habere oportet eum, qui qualitatem remediorum opportunam ſcutari voluerit, & qui quantitatem, naturam hominis laborantis exquiſitè & particulatim diſtinctè. Nam neque ſatis eſt in vniuerſum nouiſſe, quæ hominis natura: ſicuti quòd omnium animantium temperatiſſimus ſit, vtpote qui perfectiſſimas habeat actiones, & operationes, neque in vniuerſum, quæ ſit particularum omnium natura in humano corpore. Sed particulatim, & diſtincte quæ ſit vniuſcuiuſque, quem curandum ſuſcipimus, tum laborantium particularum natura. Quia (vt ſæpius diximus) non hominem in vniuerſum curamus, ſed hunc, vel illum hominem, & cum volumus metiri, quantus ſit morbus, neceſſe eſt noſſe, quantum receſſerit ab iſtius, vel illius natura: particulatim ergo, & diſtinctè ea cognoſcenda. Vtrumque itaque cognitu neceſſariũ eſt, & hominis, & huius hominis natura. Et quoniam (vt dicebamus) ſemper hunc indiuiduum hominem curamus: Ideo maioris momenti in curando eſt cognitio naturæ iſtius hominis, quem curaturi ſumus, & magis præcipua. Nam hominis in vniuerſum cognitionem quærimus, vt faciliorem nobis viam reddat ad cognoſcẽdam iſtius hominis naturam. Vtraque autem res ſatis difficilis eſt, & multarum rerum cognitionem requirit, exquiſitam videlicet perſcrutationem rerum earũ, quæ naturales à medicis ſunt appellatæ: ſicuti temperaturarum omnium, & earum etiam rerum, quæ eas immutare, & variare poſſunt, vt ætates, regiones, anni tempora, & conſtitutiones, vitæ inſtituta, conſuetudines, animi mores, & id genus reliqua. Hæc autem, & ſi omnino & tempus, & diligens ſtudium poſtulent: attamen ad diſciplinam reduci poſſunt, ac in methodum dirigi: atque ea ratione poteſt, & breuius tempus addiſcendi effici, & non parum difficultatis detrahi, librisque etiam deſcribi, in quibus deſcribendis inſudarunt omnes medicinæ auctores: Princeps autem omnium Hippocr. Propria autem, & priuata omnium curãdorum corporum natura, neque in artem, vel methodũ referri poteſt, neque voce doceri. Vnde oppoſito modo ſe habet medicus in docendo, & ſcribendo, quàm in operando, & curando. Nec modo id medicis ſolùm euenit: ſed illis omnibus, artibus & profeſſionibus, quæ in actione verſantur. Quæ enim in arte, ac diſciplina præcipuum, & primũ locum habent, ea poſtremò in actione conquiruntur. Quæ autem in actione poſtremum locum habent, ea in arte tradenda principia, & fundamenta ſunt omniũ. In artibus ſiquidem, & ſcientijs tradẽdis omnia nitimur reſoluere ad prima, & generalia principia: In operatione autem omnia conamur particulatim indiuiduis accõmodare: quod difficillimum eſt, quoniam priuata cuiusque natura experientia potius, vſuque, & conſuetudine, ſeu conuerſatione cum eo, cuius eſt natura, cognoſcenda eſt. Sæpiſſimè autem cogimur eos viſere, & curare, quorum nullam habuimus, neque familiaritatem, neque notitiam, vt potuerimus ea ſigna obſeruare, quæ nobis particulatim demonſtrãt naturã illius, quæ ſenſibus præſertim his, tactu nempe, & viſu iudicantur, vimque maximam habent. Ea autem ſunt color corporis, qui plurimum facit ad temperiem cognoſcendam: naturã enim humorum, quibus corpus abundat, oſtendit: Sed & calor corporis temperaturam demonſtrat, vt manifeſtè patet. Prętérea neque habitum ægri, an gracilis, an plenioris habitus fuerit, neque qualis fuerit eius natiuus calor, dum bene valeret, quod præcipue ex arteriarum pulſu cō rehenditur, noſſe facile poſſumus. Cum enim hæc in ægrotantibus immutentur ferè omnia: nemo non videt quot difficultates medicum circumſtent. Sed neque minoris momenti eſt ipſa occaſio; hoc eſt captare tempus opportunum adminiſtrandorum remediorum. Vnde & poeta dicebat.

Temporibus Medicina valet, data tempore prodeſt.

Quæ

Quæ tamē non eſt & ipſa minoris difficultatis,quod eo argumento colligas, quòd in ea vel præſtantiſſimos etiam medicos falli ſæpe contingat. Difficultas autem arripiendæ occaſionis (vt idem Hippocra. teſtatus eſt) inde exoritur, quod præceps eſt, & citò tranſit. Diligenti autem examinatione opus eſt, vt opportunitas hæc percipiatur. Oportet enim prius conſiderare, an ea, quæ nobis ſuadent talia remedia eſſe adhibenda, adſint, & fortem habeant indicationem. Deinde vero an aliqua ſint, quæ ratio nabiliter poſſint prohibere eorum vſum. Et ſi priora adſint, hæc autem abſint, opportuniſſimum erit, neque prætermittendum tempus. Quòd ſi & hæc ad ſint,& alia præterea,quæ contrariam habent indicationem, tunc perpendendum eſt,quæ maiorem vim habeant,& eorum indicationem ſequemur. Sicuti ſi morbus ex vitioſis humoribus pendeat, qui iam con cocti ſint,& vires ſint validæ, & natura ipſa nihil age re videatur: iam occaſio offertur vacuandi. Nam indicatio a plenitudine deprompta viget, nihil autē eſt,quòd contrariam habeat. Illico ergo vacuandū eſt: vel ſi etiam natura aliquid eſſet molita,parcè tamen, alioquin enim ſi vacuationem prætermiſeris, aut humore iterum putreſcente,poterit morbus recrudeſcere: aut recidiua poſtmodum ſubſequetur. Quòd ſi aut crudi eſſent humores, aut vires langui dæ,aut natura videretur ipſa ſatisfacere, abſtinendū eſſet omnino ab euacuatione, cum hæc maiorē vim habeant. Sed ſi eſſet plenitud o quidem inſignis humorum,qui turgerent, neque tamen concoctio adeſſet, hic duæ eſſent indicationes,altera ab humoribus excrementoſis,& turgentibus, qui vacuandum eſſe indicarent:altera vero a cruditate, nondum eſſe vacuandum oſtenderet, quòd concocta vacuanda, non cruda. Attamen quia magis vrget indicatio vacuationis propter turgentem morbum: Ideo non ob ſtante cruditate,non eſſet prætermittenda vacuatio propter imminens periculum ex præcipiti humorum motu: & ait Gal.quòd cognitio propriæ,& priuatæ naturæ eius, quem curamus, plurimam vim habet ad occaſionem remediorum arripiendam, & eorum dimittendam. Nam interdum erit indicatio ex morbi acutie, & eiuſdem vigore, exquiſitæ inediæ, aut tenuioris victus,eam tamen non poterit peferre ex indiuiduali quadam proprietate, quia cum abſtinet a cibo,exoluitur. Item morbus purgationem vi debitur requirere: ille propria quadam, & inſita natura, nullum purgantium medicamentorum poterit perferre, atque ſic de alijs. Dicet ergo Glauco. Quid ergo agendum medico mederi volenti in tot anguſtijs? Nitendum quippe illi eſt, vt per ea, quæ poſſunt ad diſciplinam deuenire, & in artem redigi, procedens,ſumpto initio a generalioribus theorematibus, ea ſemper per particularia limitando,& diſtinguendo, quantum fieri poterit, ad propria,& peculiaria accedat, generalibus illis addens ſemper conie cturam rationi conſonam. Et ad hoc conſequendū ſummopere proderit methodus ex generalibus theorematibus in ſuum ordinem digeſtis coagmentata. Vnde ſi quis prius propriam temperiem hominis curandi ſcrutatus fuerit, & ea quidem, quæ didicit in libris ſecundum rectam methodi rationem deſcriptis, limitando accommodauerit, quantum id fieri poterit, huic homini: addideritque limitationes ex ætatibus, ſexu, regionibus, temporibus anni, conſuetudinibus & id genus reliquis: deinde deuenerit ad ea, quæ narrata ſunt præter naturam, mor bos ſanè, cauſas, & ſymptomata, quòd ex operationibus, ex excrementis, ex corporis qualitatibus deſumuntur, ex operationibus, vt pulſu: ex qualitatibus, ſicut color corporis, & calor: ex excrementia, vt vrina, ſputo, ſudore, & alijs id genus; hic

A inquam proximè, quantum fieri per humanam naturam poterit, ad id accedet, vt rectiſſimè, & citra errorem valeat hanc artem exercere. Et quamuis longè certius, & melius operaturus ſit circa eum, cùm quo fuerit verſatus, & quem nouerit: attamen & in alijs longe propius ad ſcopum accedet, qui optime artem, & methodum calluerit, quàm ille, qui eius fuerit ignarus. Via vero, quam ſequi oporteat, qui rectè, & ex ratione hæc omnia, quæ ſunt, definere voluerit, ea eſt, quam primus oſtendit nobis Hippocrat.nempe diuiſio: alij vero poſt ipſum exco luere, & diſtinxere magis. In medicina quidem inter alios Mneſitheus Athenienſis, medicus præſtantiſſimus: In Philoſophia autem Plato. Cuius

B diuiſionis ea vis eſt, vt illa neglecta omnem errandi occaſionem multis præſtiterit. De ratione autem diuidendi; cùm in initijs lectionum noſtrarum dixerimus, quantum huic inſtituto ſatis eſſe poterat, non alioquin plura verba faciemus. De ijs vero,quæ poſſunt in methodum referri, copioſè ſuis libris actum eſſe ait Galen.ad quos etiam relegat diſcere volentes. Facturus autem principium iſtius tractationis, inquit Glauconem putare debere, ea omnia, quæ hic tradenda ſunt, præcepta intelligenda eſſe, hoc poſito, quòd nobis cognita natura illius, quem curaturi ſumus. Nam ita facilior erit doctrina: a facilioribus enim & notioribus eſt inchoandum. Si quidem per collationem horum cum ijs, qui nobis non ſunt omnino noti, ad eorum notitiam facilius

C perueniemus: Et primum agemus de febribus curandis, poſtquam & tu earum curandarum rationem præ alijs deſideras: & inter eas ab ephemeris, quæ ſimpliciores alijs ſunt, exordiemur. Verum antequam ſecundum caput aggrediamur explanandum,quoddam eſt in verbis Galen. quod obſcurius quidem videtur, ac cognitu dignum. Id vero eſt, quid ſignificet nomen naturæ communis omnium hominum, quam non ſatis eſt medico nouiſſe, & quam quaſi ex aduerſo propriè vniuſcuiuſque opponit. Nam in hoc inter iſtius libri expoſitores aliqua reperitur diuerſitas. Iuniores enim latini nomen naturæ communis ad temperamentum referunt,vt per naturam hominis temperamentum intelligamus.

D Refellit tamen Stephanus græcus expoſitor, hāc ſen tentiam, ea ratione, quia non reperitur vna omniū hominum communis temperatura: quoniam ipſe Gale.lib.1.de temp.declarauit,iam nouem eſſe temperaturas, quatuor ſimplices,& intemperatas, quatuor compoſitas, & vnam temperatam,quæ optima omnium eſt. Vnde poſitis quatuor naturæ ſignificatis, acceptis ex quatuor Hippo.ſententijs: quandoque enim (ait) natura ſignificat ipſam corporis tēperaturam: ſicuti accipiendum eſt,cum dixit Hippo. Naturæ,aliæ quidem æſtate: aliæ hieme melius, vel deterius ſe habent: Aliquando corporis conſtitutionem, vel confirmationem: ſicut, quando ait: Aliquos natura anguſtum pectus habere: alios crura ve

E luti leuiora,ac per ſuperiorum rationem, tenuiora: Interdum vero accipitur pro facultatibus corpus animantis adminiſtrantibus: vt cum dixit ipſe, Naturæ ſunt morborum medici: Nonnunquam etiam ſignificat propenſionem,vel inclinationem animæ, vt cū inquit, Naturæ animalium indociles ſunt. His quatuor naturæ ſignificatis expoſitis,dicit ipſe,duo tantum media accommodari poſſe noſtro inſtituto,videlicet vt conformationem ſignificat,& facultates noſtri corporis rectrices. Ambo enim hæc,& vnam com munem rationem in omnibus hominibus habent,habent & particulatim in vno quoque propriam. Mihi tamen non omnino probatur ſententia Stephani, præcipuè ea parte,qua aliorum ſentētiam reprobat, qui per communē naturam temperaturā poſſe acci-

pi, immo illam principaliter ſignificari puto. Et ratio eſt, quia cùm de medendi methodo ſermo ſit, quę ex indicationibus conſtituitur, earū rerum maxime debuit meminiſſe, quæ in iudicando vim maiorem habent, illa enim præ alijs maximè neceſſaria. Neque ratio eius mihi multi videtur momenti, quia & ſi quatuor ſint ſimplices particulatim diſtinctæ temperaturæ, & quatuor compoſitæ, collatis inter ſe nominibus: Si tamen homo ad alia animātia cōferatur, ſuam & ipſe communem habet temperaturam: intra cuius terminos ea eſt intercapedo, vel (vt aiunt iuniores) latitudo, vt continere poſſit eas omnes nouē temperaturas humanas: quemadmodum etiā Auic. 1. primi can. cap. de temperamentis, expoſuit. Puto tamen, quòd & alia duo in nomine naturæ comprehendantur, videlicet & corporis conſtructio, vel conformatio, & facultates etiam corpus regētes: & tandē res omnes naturales, quæ vim habent indicādi in morbis. Nam omnes illę indicationes à natura laborātis corporis accipi dicūtur. Et hanc verā eſſe, atque abſolutam Galen. ſententiam hoc in libro exiſtimo.

De Cauſis, & Signis Febriū Ephemerarum. Cap. II.

INITIVM igitur ſumemus à febribus, quoniam & tu earum præcipuè curandarum methodum, &c.] In pręcedenti capite ea expoſuit, vnde facilè poterat, & ſcopus eius in hoc libro accipi, & ratio eius, & vtilitas, & difficultas, & methodus, qua præcipue oportet vti in ijs rebus inueniendis, quæ ſunt medico cognitu neceſſaria: atque etiam quæ ſint ea. In prima autem huiuſce capitis parte, quem ordinē ſit in hoc libro ſeruaturus, oſtendit: quia primo de febribus acturus eſt: poſtea de alijs. Et reddit rationem iſtius: quoniam, cum ob Glauconem hæc ſcribat, ab eo capite exordium ſumpſerit, quod ab ipſo deſiderabatur prius, & magis. Poſſemus etiam nos rationem afferre deductam à rei natura, quia febres morbi ſunt in temperatura, qui illis partibus primùm officiunt, primumq; earum actiones lædunt, quę natura priores ſunt, ſicuti ſunt primæ, & ſimplices partes: alij vero aut organicis primùm, aut ſaltem illorum etiam cōmunes morbi ſunt, vt tumores præter naturam, abſceſſus, & id genus reliqua. Inter febres autem: quia ſimpliciores ſunt ephemeræ: Ideo ab illis etiam auſpicatur. Deinde cauſas omnes recenſet, à quibus ſolent hæ febres accendi. Sunt autem hę omnes, quæ procatarcticæ a græcis dicuntur: moderni vero primitiuas vocant. In quibus quidem explicandis non ero longior, quoniam de eis copioſè egimus in 1. libro de differen. febr. Hoc tamen pro nouitijs antequàm vlterius procedam, aduertendum, quod cauſarum procatarcticarum obſeruatio non propterea à medicis præcipitur: quia illæ per ſe, & ꝓpriè faciant aliquid ad curationem: vel ad indicandi rationem (quod docet Gal. 4. Meth.) ſed quia aliquam afferunt vtilitatem, & opem ad inueniendam affectionem, vnde petenda eſt poſtea indicatio: vt 2. de comp. med. ſec. loc. idem confirmauit, & hoc paulo poſt ex ipſomet Gal. oſtēdemus. Secundo etiā ex verbis eiuſdem mihi maximè videtur conſiderandum, quòd quantum pertinet ad curationem, febres hæ ſimpliciſſimæ ſunt, & curatu facillimæ: ita vt, niſi erret in victus ratione ægrotans, ſponte, & duce ſolum natura ſine alijs remedijs curentur. Non tamen propterea oportet negligentem, & ſtolidum eſſe medicum in ipſis tractandis, immo perquamdiligentem, vt eas ſaltem exquiſitè cognoſcat, ſi non propter ipſas, ſaltem propter maximos errores, & pericula, quę ex earum ignoratione contingere poſſunt.

A Nam cùm interdum ab his eiſdem cauſis procatarcticis ſoleant, & aliæ febres, præcipue vero putridæ excitari, quæ quidem inter initia apparent mites, & faciles, id ſæpenumero occaſioni eſt, & ægrotantibus: interdum vero, & medicis, qui primo videre à cauſa procatarctica eas ortū habuiſſe: deinde quòd etiam leues, ſicut ſolent eſſe morborū initia, vt docuit Hippocrat. primo Aphor. cùm ait, Circa initia, & fines omnia imbecilliora: id inquam eſt occaſioni, vt exiſtimetur febris ephemera, & eam parui faciant, neque putent aliud ſubeſſe, quod poſſit fomentum præbere alicui prauo affectui. Vnde negligenter ſe gerentes incidūt in graues morbos. Quod Galen. notauit in verbis Hippocrat. 3. libr. ſuorum comment. in primum Epid. in caſu cuiuſdam, quem B refert Hippocrat. ex leui occaſione cæpiſſe febricitare leui quadam febre, & ſubdit: quòd comedit, & bibit: vnde mox recrudeſcens morbus adeo increuit, vt ad extremum periculum hominem perduxerit. Ibique monet Galen. ex illis verbis eſſe animaduertendum, quanti referat eſſe diligentem, vt morbus ſtatim inter initia noſcatur, vt rectè deinde & ex ratione poſſimus ægrotantem regere, & tutò ea omnia inſtituere, quę ſunt inſtituenda. Præterea vero, niſi rectè tractentur ephemeræ, ſæpe in putridas tranſeuntes non parum negotij faceſſunt. Vbi ergo primùm acceſſerimus, ſimusquàm maximè diligentes in explorādis omnibus ſignis: primùm illis, quæ in eo morbo cognoſcendo, non ſumus ignari vim habere maiorem. Eiuſmodi autem ſunt, quæ ab vri- C na, quæ à pulſu petenda eſſe diximus, & quæ maxime propria ſunt appellanda, vt ſenſit Galen. Quo in loco forſitan neque id erit ingratum intelligere, quòd inter Auic. & Galen. aliqua in his ſignis videtur diuerſitas, nam & hæc eadem ab Auic. tractantur. Ipſe enim accipit hæc duo ſimul, ſignum videlicet ab vrina, & à pulſu, tanquā omnino propria: non quòd alterum tantùm poſſit ſignum propriū, & per ſe conſtituere ſeorſum, & ſeparatim, ſed quòd vtriſque ſimul in vnum conuenientibus, ſignum vnū vere proprium conſtituunt. Galen. tamen vult vtrumque ſeorſum, & ſeparatim habere rationē ſigni proprijſſimi. His deinde ſuccedat conſideratio modi caloris. Et quamuis hæc tanti momenti ſint: Neque D tamen & alia deſpicienda, ſicut ſi cauſa procatarctica aliqua non antiqua, ſed recens præceſſerit, & alia, quæ inſeparabilia quidem eſſe diximus, non tamen ſolis his conuenientia. Sed neque etiam fore inutile putandū, ſi alia conſiderauerimus, quæ circa faciem, accubitū, reſpirationē, & reliqua omnia, quorum cognitionē in Prognoſticis tradidit Hippocrat. Nam cùm plura habebimus cum illis, quæ maiorem vim habent, conſonantia, quaſi chorum quendam cantantium, maiorem certitudinem habebimus. Addit tamen, quòd poſt hæc omnia explorata, ſi certò iudicaueris eſſe ephemeram, & ſicuti maximum eſt ferè omnium (vt videbimus) remedium balneum, maxime priſcis illis temporibus, quibus quotidie E lauabantur, & decreueris ad balneum ipſum perducere, poteris ex eo etiam cōfirmare ſententiā tuam. Nam ſi in balneo nullus accidat moleſtus horror, atque poſt balneum melius ſemper ſe habeat, certiſſimus eris, te rectè iudicaſſe, Vnde poteris ſine vllo timore futuræ alicuius acceſſionis, cibum illi exhibere, & vinū dūmodo omnia modeſtè ille agat. Et hæc quidem quātum ad cognitionem ipſius ephemeræ. Sed & accedendum etiā ad exponenda ea ſigna, quæ nobis poſſunt oſtendere diuerſos eius modos, iuxta diuerſitatem cauſarum, à quibus excitata eſt. Verum (dicet quiſpiam) hoc ſuperuacaneum eſſe videtur, quia cauſæ hæ, & procatarcticæ, & manifeſtæ dicuntur, quoniā in propatulo ſunt, & omnibus notę, quas

facile,

facilè, vel ſenſibus poſſumus noſtris percipere, ſi præſentes ſint, vel ex aſtantibus, ipſiſque ægrotis ſciſcitari, neque tantum laboris perdere videtur neceſſarium in re adeo facili. Ad hoc reſpondet Galen. quòd & ſi in alio hoc non ſit medico vtile, eſt tamen hac ratione, quia nomen illi comparat, fidemque, & ægrotorum obedientiam, cum enim ea æger, quę alij ignorant, niſi ipſe aperiat, videat medicum ferè diuinantem, illum admiratur, illi credit, illi in omnibus paret, vt deinde facilius illi curatio ſuccedat, & honor, & lucrum: ſicuti idem Galen. ſæpiſſimè ſibi accidiſſe profitetur. Sed poſſumus & his addere, quod ſæpe hoc accidit, vt ipſi ægrotantes, aut no lint, aut non audeant cauſas referre, quas tamen no uiſſe operæpræetium eſt, quemadmodum & Galen. ipſe, & alter qui cognouit iuuenem ex amore ægrotare, quem ille detegere non audebat. Sed de hoc ſatis. Videamus modo, quibus argumentis hoc cognoſcere poſſimus. Eſt ergo aduertendum, quòd cauſæ, quas ægrotantes ſolent plerũque tegere, ſunt animi affectus, ſicut ira, timor, mæſtitia, amor, gaudium, & id genus reliqua. Huiuſmodi itaque procatarcticæ cauſæ (vt in vniuerſum loquamur) aut manent adhuc, & præſentes ſunt: aut iam receſſere, & euanuere. Solent autem ſemper manere poſt acceſſam febrem, ſtipatio cutis, obſtructio, bubonum inflammationes, cruditates. Aliæ vero cauſæ interdum manent, interdum abiere. Nam mæſtitia, timor, vigilia, cogitatio, gaudium, otium, vacuatio, dolor, ſitis, fames, ſæpe diutius durãt, ac poſſunt febri iã præſenti aſſiſtere. Ira autem, quæ breuis quidam (vt ait ille) furor eſt, non ſolet diu manere, & etiam ſolis ardor: plerunque enim citò poſſumus eum deuitare. Sed de animi affectibus cognoſcendis prius loquamur. Hi quidem, dum præſentes ſunt, vel ipſo etiam ægrotante minimè detegente a medico perito non ægre deprehendi poterunt. Neque in his certior via erit, quàm ſit pulſus: qui ergo pulſus peritiam probe tenuerit, ille facilè omnes hos affectus, quaſi diuinabit. Nam vnuſquiſque animi affectus ſuas habet pulſus differentias, quas ſi calluerit medicus, omnia faciliimè diſcernet. De his verò non eſt locus ſermonem in præſentia habendi. longior enim is eſſet, quàm noſtro huic inſtituto poſſit accõmodari. Sed de illis abundè, & lucidè actum eſt in lib. de differ. pulſuum, & de præſag. ex pulſu. Quòd ſi iam defierint cauſæ, ſedatis nempe animi perturbationibus, remaneant tamen affectiones, vel impreſſiones in corpore impreſſæ: parum iam ex pulſu habes, cui inniti poſſis in iudicando, quia deſinente animi motu, deſinit etiam pulſus alteratio, ſi non omnino, maxima tamen ex parte. Vnde aliunde petendæ ſunt notæ, primum quidem ex vrina. Nam in his animi motibus vrinæ magis ad rufum vergunt: dum enim ſanguis ex vehementi, & cõcitato, inordinatóque eius motu ſimul cum ſpiritu efferueſcit, (alioqu enim febris non accenderetur) bileſcit: bilem autem ſignificat vrina rufa. Commune tamen eſt hoc, & alijs cauſis, vt dicemus paulò poſt. Qualis autem fuerit perturbatio particulatim, aliunde eſt cognoſcẽda, nimirum a ratione caloris. Quandoquidem ſi iræ, vel furori mærorem comparemus: calor, & ſi in ephemera omni mitis ſit, inter ephemeras tamen minus mitis eſt in ea, quæ mærorem ſequitur, quàm in ea, quæ furoris comes eſt: quia mæſtitia corpus magis exſiccat, quàm ira, acrior autem ſit calor a ſiccitate. Sed & minor videtur copia caloris in ea, quàm in ira, quia per ſiccitatem conſumitur materia, & fundamẽtum caloris, vnde & minor tum hac ratione poteſt fieri vaporatio, tũ etiam quia in triſtitia calor potius refugit ad interiora, quàm quod expandatur. Quare & pallent mærentes. Contra vero in ira, efferueſcente

A ſanguine, & eo elato ad extra, maior copia vaporis ex ſanguine effundit ad cutim, & proinde calor copioſior, & minus acris percipitur ex tactu. At ſi mærentes cum ijs conferamus, qui curis, & cogitationibus, vel alioquin aſſiduo ſtudio conficiuntur, & febricitant, corporis habitus eos facilè diſcernet. Nã quantum ad hæc ſigna pertinet, quibus diſcreuimus mœrorem ab ira: cùm ab eis accenditur febris, ea qui dem mærentibus communia ſunt (vt hic notat Stephanus) cum illis, qui confecti curis, & cogitationibus febricitant. In his ſi quidem emaciatur corpus, vel areſcit, oculi caui fiunt, vrina rufa, decolores redduntur. Vnde, vt hi mutuò diſcernãtur, alijs egemus argumentis, imò ex eiſdem etiam hoc cognoſcimus,
B non tamen in vtriſque eodem modo ſe habentibus. Nam licet extenuatio, cauitas oculorum, & pallor ſint ipſis communia: maiora tamen, & magis manifeſta ſunt in mærente, quàm in magnis curis, & cogitationibus affecto. Præterea vero, ſi quis ea, quę ad oculos pertinent, conſiderauerit, facilè eorum affectuum ſigna ſatis aperta comprehendet. Etenim in bene valentibus ex oculis iudicamus, qui mæſti ſint, qui hilares, qui cogitabundi, qui irati. Imo (vt idem Stephanus addit) phyſiognomici multa ex oculis circa mores, & naturales hominum affectus (vt Ariſt. in ſuis phyſiognomicis declarat) dum ſani ſunt cognoſcere ſolet: longe autem magis hoc facilè cognitu eſt in ægrotantibus, quia externæ cauſæ magis afficiunt
C languida corpora ægrotantium, quàm fortia bene valentium. In hoc autem differunt, (vt idem Stephanus ait) quòd oculi mærentium quaſi immoti manent: cogitantium autem, & varijs curis exagitatorum oculi ſæpius mouentur, quia (ait ipſe) ſequuntur motum factum in principio, idest, motum varium ſpirituum in cerebro. Sed fortaſſe hoc verum eſt in illis, qui varijs curis, ac cogitationibus fluctuant, verum illos, qui vni tantum rei ſunt intenti, vidi, & corpore, & oculis perſiſtere immotis, & quaſi fixis. Cæterùm vlterius videamus, quomodo ab his omnibus diſcernendi ſint, qui ex importuna, & nimia vigilia febricitant: hæc enim ferè ſunt, & his cõmunia, ſed tamen non ſunt ita omnino paria, quin diſtinguantur, ſi quis diligens in obſeruatione fuerit.
D Nam quamuis & hi decolaratam faciem habeant ob id, quia præter id, quòd ſpiritus nequeant inſtaurari, qui ex vigilia, & actionibus animantis, dum vigilat, diſſoluuntur: reficiuntur autem, & roborantur dũ ad interiora, & ad ſuum initium redeunt, & alimẽtum, vnde fouentur acceperint, neque etiam concoctiones probè fieri poſſunt: nihil enim ſomno magis ad concoctionem facit: & propterea ex ſanguinis boni, & ſpirituum inopia pallida efficitur facies: Eſt tamen ſubtumens, quod in alijs affectionibus non eſt, quia potius ea depreſſa eſt, quàm tumẽs. Tumor vero ob multas cruditates genitas ex vigilijs fit: facile ſiquidẽ cruditates in flatum diſſoluuntur, qui per corporis habitum diſperſus, eum tumidiorem reddit. Sed &
E vigilantibus oculi etiam quaſi immoti manent, non quidem propriè oculi, dicit Stephanus: quoniam hoc potius in mærentibus conſpicitur, ſed palpebræ: vix enim eas attollere poſſunt. Vnde rectius forſitan habent exemplaria, vbi ſcriptum eſt δύσις, hoc eſt ligatio manifeſta pro κίνησις δηλή. In vigilia vero ſecus videtur, quàm in his alijs dictis affectionibus. Nam & caui ſunt in illis oculi, & ſicci ſine humore: in vigilãtibus autem, licèt caui ſint, humidi tamen ſunt ex excrementoſo humore ob cruditatẽ: alioquin enim concaui fiunt: quia conſumitur viſorius ſpiritus. At furore vel ira perciti, neq; oculos concauos habent, ſed potius prominentes, neq; faciem pallidam, quin potius coloratam, & calidiorem, ſicut & vniuerſum corpus, ſpiritibus nimirũ ſimul cũ ſanguine efferueſcentibus,

ſcentibus,& prorumpentibus ad exteriores partes ob vlciſcendi deſiderium: vnde,& corpus robuſtum eo tempore fit. Neque pulſus fiunt in his imbecilles, quia vires non detrahuntur, vt in alijs affectibus: imo maiores,& velociores ob auctum calorem. Sed quid dicemus de illis, qui cùm vehementer in iram excandeſcunt, non modo pallidi fiunt,ſed etiam tremunt? Reſpondet Stephanus, quòd in his non eſt ſola ira, at cum ea commixtus eſt timor, & præ timore pallent, & tremunt, non præ ira: qui timor vires deijciens ad pallorem,& tremorem perducit. Si itaque his inſtiterit medicus, facile poterit hos affectus diſcernere. Et hæc quidem quantum ad affectus,qui ad animum pertinent,ſatis ſunto. Agamus præterea de illis cognoſcendis, qui ad corpus primũ attinent: ſicuti labor, & laſſitudo,& cutis denſitas, quæ aut ab externo frigore, aut ex vſu aſtringentiũ exterius adminiſtratorum, quale eſt balneum aquarum aluminoſarum, vel alioquin aſtringentiũ contingit. Quorum cognitio, neque admodum difficilis eſt: corpus enim, vel potius cutis ex immodica, & laborioſa exercitatione ſiccior, quàm in alijs dictis iam occaſionibus, euadit: quæ quidem ſiccitas, niſi omnino modum exceſſerit labor, durat vſque ad conſiſtentiam. Nam conſiſtente morbo, à calore aucto diſſoluitur, digeriturque humiditas, & per ſudorem, vel vaporem excreta cutim molliorem reddit. Sed ſi labor plurimum modum exceſſerit, præſertim vero ſi exercitationi acceſſerit a ſole exuſtio,vel refrigeratio, tunc ſudor tardius aduenit,nẽpe non niſi febre inclinante, & poſt conſiſtentiam: in his enim magis humiditas conſumpta,& ideo tardius, & ægrius diſſoluitur in vaporem, vel ſudorem. Nec modo hæc reperitur differẽtia, verum & in pulſu. Quia ſi labor non plurimum ſit immodicus,vires potius adauget,& pulſus reddit maiores: exercitatio enim natiuum calorem excitat. Immodicus autem labor, ſpiritibus diſſolutis, vires languidas efficit,& pulſus paruos. Sed cutis denſatio,cum febris in cauſa eſt,facile manu comprehenditur ab eo,qui tactum habet exercitatum: carnes enim vel cutis denſior, & aſperior, ſolidiorque videtur, quàm fuiſſet antea. Docet autem Stephanus, quomodo exercere poſſimus tactum in his cognoſcendis: ſi enim aqua,in qua diſſolutũ fuerit aliquid aſtringens,manum lauemus, vel ſi ſit valdè frigida, facilè percipiemus qualis, & quæ ſit iſta cutis denſitas. Præterea & aliud ſignum ſatis facilè proponit, & eſt ex motu caloris, & ideo à ſubſtantia rei acceptum eſt; vt ab initio noſtrarum lectionum docuimus. In his enim ex denſitate cutis exortis febribus, ſi manum præſertim pectori adhibueris, vix calor percipitur, & mitis videtur,qui tamen,dum diutius manus detinetur, increſcere videtur,& fieri acrior. Vbi id animaduertẽdum eſt,quòd dicitur fieri acris, quatenus ephemera admittit: neque enim adeo acris, & mordax eſſe poteſt, vt in alijs febrium generibus. Inter initia autem puſillus videtur, quia nequit ob denſitatem meatuum ſe efferre calor, & egredi: dum vero manus diutius immoratur,caleſcit locus, & ex calore fit aliquanto rarior cutis,& inde facilior calori patet exitus:aliquanto vero maior acrimonia percipitur: quoniam denſata cute ſupprimitur euaporatio acrium, & fuliginoſorum excrementorum per meatus digeſtorum. Prȩterea vero in hac febre multa deſunt, quȩ retulimus ſuperius adeſſe illis, quæ ab animi perturbationibus concitantur. Nã neque adeo rufa eſt vrina,quia non ita humor in hac,ſicut illis,conſumuntur, ac p meatus digeritur, ſed potius continetur, & per venas,& arterias delatus, tandem excernitur per ;lotia, quo fit, vt ex mixtione bilis multus humor nõ æque poſſit infici. Neque corporis moles ita concidit, & conA ſumitur,& hoc, quia nõ digeritur humiditas in corpore: immo qui in ſanis digeri, & excerni ſolebat fuliginoſus vapor,detinetur ob denſitudinem cutis: & proinde,neque oculi excauantur,neque exſiccantur, ſed potius humidi & prominẽtes ſunt. Neque pulſus in his minores fiunt, vt in illis, qui ex mærore,curis, vigilijs,& labore immodico febricitant, eadẽ de cauſa. Hic tamen quædam dicit Gal. quæ illis obſcuriora videri poſſent, qui non admodum verſati ſunt in eius lectione: & ideo antequã vlterius prouehamur, ſunt & hæc explananda, quamuis nõ ſint multi momenti. At enim quòd hæc febris ſola eſt paſſio aſtricta. Quod dictum eſt propter methodicos, qui tria morborum genera faciebant: alia nãque (dicebant ipſi) aſtricta affectio eſt:alia fluẽs, ſicuti fluxus ſunt: B alia ex his mixta: & febrium vniuerſum genus in aſtrictis affectionibus ponebant, quod in li. de ſectis ab eo expoſitum eſt. Quaſi ergo eos mordens ait, ꝙ propter hanc nulla febris aſtricta affectio poſſet iure appellari: quippe quæ ex aſtrictione, & conſtipatione cutis ſuã habeat originem. Poſtremo autem loco refert ſigna, ſeu ſymptomata aſſidentia febribus ephemeris ex inflammatione in locis adenoſis, quæ noſtri iuniores emunctoria appellant, genitis: græci vero bubonas vocant. Vbi, vt omnia intelligantur, debetis aduertere, quòd inflammationes hæ fiunt à procatarctica cauſa: ſicut ex vlcere propinquo, vel labore,& incõmodo partium propinquarum. Nam quæ ſpontè, & ſine vlla manifeſta cauſa oriũtur, ple- C runque (vt diximus) ſunt malignæ, & malas febres concomitantur. Hæ ergo à manifeſta cauſa, ex ſanguine efferueſcente in illis partibus fiunt, & ideo calor inde plurimus accenſus cordi communicatur. Et quia nihil eſt, quod vires prius deiecerit, idcirco aucta neceſſitate fit pulſus maior, velocior,& frequentior. Sed & poſt conſiſtentiam calida quædam ex profundo humiditas emergit,calida quidem,ſed mitis, refert enim naturam humoris, vnde fuit digeſta: cùm enim nullum ſit in humoribus vitium, nec vapor inde oriens vllam poteſt referre acrem qualitatem, in multo autem calore,ſanguine, cum ſpiritu quaſi efferueſcẽte, multus vapor ab eo digeſtus ſurſum ad faciem fertur: Præter id, quòd etiam calefa- D ctus ſanguis facile ad ſuperiora aſcendit, niſi aliquis affectus eum interius, & in profundum diſtrahat, vt mæſtitia, timor, & id genus alia: & ea ratione etiam tumidior fit facies. Vrinæ autem ſubalbidæ ſunt. Cuius rei cauſa multos torſit. Mihi vero hæc verior videtur,nimirum,quod cum vrinæ ſubſtantia, quantum ad humorem, vel aquoſitatẽ pertinet, alba ſit, & coloris ferè aquæ: color enim pallidus, aut rufus, aut flauus (vt aliàs expoſuimus) illi accedit ex mixtura ichoris bilioſi: ſi quando intercipitur fluxus iſtius bilioſæ partis, decoloratior remaneat vrina. Dum vero oritur inflammatio, vnà cùm ſanguine confluit ea bilis portio, quæ ſolet vrinam inficere, aut omnino, aut magna ex parte. Notat hic tamen E Stephanus, quòd accidit aliquando, vt in hac etiam ephemera vrina videatur bilioſior, ſed in illis, qui calidiori, & ſicciori ſunt corporis habitu, quique ſunt bilioſiores: præcipue vero, quando ea inflammatio proxime accedit ad naturam eriſypelatis, in his enim copioſa gignitur bilis. Poſtremo autem commune hoc eſt omnibus ephemeris, quòd pulſus æqualis eſt, neque aliqua eſt, niſi interdum ea, quæ eſt in vna pulſatione, inæqualis, & illa etiam admodum inconſpicua eſt, quia nulla hic cauſa incidit inæqualitatis: ephemera enim neque aggrauat vires, neque diſſoluit, neque multus in ea fuliginoſus vapor excernendus eſt. Hactenus ergo complexus eſt Galen. pleraque ſigna ipſarum ephemerarum. Pleraque autem dico, quoniam aliqua de-

derelicta ſunt: quorum tamen circa finem primi lib. A de different. febr. meminit. Et ea fortaſſe ratione hic prætermiſit: ſicuti neque horum, quæ hic recenſuit, ibi mentionem fecit. retulit enim ſe ad ea, quæ erant expoſita in libro ſecundo de criſibus: Docet ergo eo poſtremo capite primi libri de differen.febr. diſcernere febrem ephemeram ex æſtu, vel ſolis ardore concitatam ab ea, quæ ex frigore externo ortum habet. Primò itaque agamus de ea, quæ ex ardore ſolis accenditur: In qua duplex eſt cõſideratio. Quia vel is, qui ſub antecedenti ſole verſatus eſt corpus habuit humoribus plenius: Vel illud purum eſt, & excrementis vacans. Nam ſi vacet excrementis, facilis cognitu erit affectio: quoniam cutis, & calidior, & ſquallidior tractata percipitur, quàm videatur re- B quirere calor febrilis, quem præ ſe fert pulſus: quia videlicet pulſus mutatio, quæ a febre fit, non videtur tanta, quantum calorem, & ariditatem oſtendit cutis. Huius vero ratio eſt, quia a ſolis ardore veluti exuſta cutis eſt, & arefacta; & ideo maior in ea accenſus eſt calor, quàm ille, qui interius in corde, per pulſum oſtenditur. Quod & eo argumento deprehendi poteſt, quòd hi, quamuis ex tactu multũ præ ſe ferant calorem: minus tamen ſitiunt, quàm alij, qui tantundem caloris, dum tanguntur, videntur præ ſe ferre: quod quidem ſignum eſt, eos minus in interioribus calere, quàm cutis demonſtret. Calor præterea in his ſtatim vigens percipitur, ſecus quàm in illis, qui ex conſtipata cute febricitant: in C quibus dicebamus, quod prima manus applicatione videbatur calor leuis, qui deinde increſcebat, & acrior euadebat. Sed & veluti exuri caput videtur, his qui ex ardore ſolis laborant, & plurimum iuuantur, ac delectantur profuſione frigidæ aquæ, aut alterius rei. Oculi vero, & calidiores, & rubicundiores, cum quadam ſiccitate apparent. Sed ſi corpus excrementis redundarit: tunc caput facillime repletur vi caloris attractis in ipſum humoribus. Vnde non modo facies rubicundior efficitur: verùm & caput ſanguine plenum euadit: quò fit, vt venæ omnes tumidiores fiant, & diſtendantur, & in oculis, & temporibus, fronteque, atque vniuerſa facie: tũ vero & deſtillationes, coryzæque concitantur. Vnde, & quędam ſigna ex ſuperioribus non funduntur. D Nam neque ita arida facies videtur: obſtat enim humor, quo caput refertum eſt: neque oculi ſicci ſunt: in deſtillationibus ſiquidem oculi ſolent humiditate abundare, vt ſæpe ferè lachryment. Et tunc non ita facilis diſcretio eſt iſtius febris ab ea, quæ ex refrigeratione euenit. Quandoquidem in hac febre neque ſquallida adeo facies, neque oculi adeo aridi, neque rubicundus color, neque tantus in cute calor. Plerunque autem in his accidunt deſtillationes, & coryzæ: quamuis & hoc in eis, ſicut in prioribus, ſignum eſt, quod corpus plenum ſit. Vbi enim corpus ſit plenum, & aliquod capiti incommodum acciderit, facillimè arripiuntur hi deſtillationibus: neque hoc accipiendum tanquam ſignum diſcernens E eos, qui ex frigore ab illis, qui ex calore febricitant. Nam deſtillationes facile tum ex calore, tum ex frigore concitantur, vt ſequentia verba indicant: imo ſi nulla adſit plenitudo, præcipuè vero capitis, nulla concitatur deſtillatio. Addit autem Galen. quod in iis, qui deſtillationibus ſunt obnoxij, ſæpe febris accenditur, quaſi ſolius capitis ſymptoma, quia ex ſolius capitis, vel exuſtione, vel refrigeratione, plerunque tamen ſequitur totius corporis affectum videlicet calefactionem, vel refrigerationem. Vnde cum affectus ex calore prodit, ſi abſit plenitudo, ab eo, qui ex frigore: facilis eſt diſtinctio ex cutis calore, ariditateque tam illius, quàm oculorum. At ſi adſit plenitudo, & ſubinde deſtillatio, licet oculi non ſint aridi, arida tamen cutis, & vehementer calida, quæ non reperiuntur in febricitantibus ex frigore. Hæc ergo ex poſtremo capite primi libri, de differ.febr. decerpta ſunt, quæ conſecutione argumenti, quod hoc in loco citato tractabatur, huc inde tranſtulimus. Vnde ob id etiam, ne ſæpius eadem repeterẽtur, caput illud, dum eum librum interpretaremur, inexplanatum reliquimus. Sed tandem breuiter harum febrium tractationem perſequamur, & ſubinde tertij capitis explanationem.

De curatione Febrium Ephemerarum. Cap. III.

CVRARE autem oportet omnes quidem balneis. At qui ex denſitate cutis, aut ex bubonibus. &c.] Si quis voluerit febres ephemeras probè, & ex methodo curare, oportet, vt omnem curationis rationem in ſuas indicationes reſoluat, atque earum omnium vires perpendat, moxque eas, pro earum facultatibus, & in indicando poteſtate in ꝓpriũ ordinem digerat, & ab eis deſumat ſcopos, quos in remediorum inuentione, & eorum vſu ſpectare opus eſt. De his ergo omnibus agendum eſt illi, qui docturus eſt rationem curãdi febres ephemeras. Quòd ſi in memoriam reuocauerimus quædam capita eorum, quæ ſuperius explanata ſunt, facilis erit iſtorum omnium inueſtigatio. Primum itaque hoc ponamus, quòd cum ſimplex aliquis morbus curandus eſt, cum quo nihil ſit complicatum, vel coniunctũ, quod & ipſum aliqua conſideratione dignum ſit, q̃ vel aliquod inferat periculum, vel morbum foueat, & augeat, vel aliqua de cauſa curationem impediat: tunc ſimplex, quantum ad illum ſpectat, curatio eſt, & vnica indicatio. Sed ſi plures ſint, aut affectiones, aut alia quædam, quæ ad aliquam priuatam cõſiderationem flectendi medicum vim habeant, tunc non poteſt amplius eſſe ſimplex, & vnica indicatio, & ratio curationis, at multiplex, quatenus multiplex eſt eorum conuentus, quæ habent propriam quandam indicationem. In febribus autem ephemeris, & ſi multi affectus ſint, qui cum ipſis coniungi poſſunt, ſicuti ſunt alia febrium genera, & aliæ morborum differentiæ: Ad noſtrum tamen inſtitutum non pertinet, quaſcunque complicationes referre, quæ iſtis febribus ſolent euenire. Sed de illis tãtum agere intendimus, quæ aut ſemper, aut frequentiſſimè cum his febribus iunguntur, & quaſi ratione ipſarum febrium, quæque plerunque faciunt aliquam in curatione varietatem. Hæ verò ſunt, vnde febres excitatæ ſunt. Et quia (vt diximus) febres ephemeræ cauſas alias non habent per ſe, niſi illas, quæ manifeſtæ ſunt, & procatarcticæ dicuntur: cauſis autem materialibus, quas antecedentes vocant, omnino carent: quoniam in ſpiritibus tantum eſſe habent: Ideo illæ ſolæ in conſiderationem veniunt. Vtamur ergo (vt docuit nos Gale. ſtatim a principio iſtius libri) methodo diuiſiua, & dicamus, quòd cum ab his cauſis poſſit variari curatio: variatur autem: quia aut illæ præſentes adhuc ſunt, cum iam accenſa eſt febris, & nobis curanda proponitur: vel abſunt, & iam receſſere: Sicuti verbi gratia, ſi quis ex ira febricitet, cum ſoleat eſſe breuis motus, ſæpiſſimè accenſa febre, ira ſedatur. Quæ vero ab obſtructione vel cõſtipatione cutis, interdum quæ a mœrore, & a vigilia pendent, diutius etiam cum febre perſeuerant. Sed ſi receſſit iam cauſa, manente febre, aut aliqua affectio relicta eſt apud febrem, quæ ſit alicuius momenti: aut nihil pręter febrem reliquum eſt: ſicuti quando cum febre remanet affectus frigoris, vel aſtringentium aquarum, quibus ſe lauerit quiſpiam: vel

nimiæ exſiccationis: remanet enim cutis conſtipatio: poſt ardorem autem ſolis calor immodicus, & ariditas, & interdum dolor, & calor capitis: Alia vero ſimiliter ſequitur obſtructio, quæ non eſt vt in præſentia ſigillatim referamus: quia tametſi ad exquiſitam rationē curationis cognitu neceſſaria ſint: dum tamen ſigna, quibus diſcernerentur, expoſuimus, ſi rectè animaduertiſtis, omnia fuerunt explicata. Itaque ſi neque cauſa amplius reliqua ſit, neque alia affectio derelicta, præter ipſam febrem: cùm febris hæc (vt ſtatim ab initio ſuperioris capitis dixit Gal.) ſimpliciſſima ſit, ſimplicem etiam habet indicationem, quantum ad ſui rationem pertinet. Cùm enim nulla ipſam antecedat repletio, à qua illa aut efficiatur, aut foueatur: Ideo per ſe quidem nullam vacuationis indicationem habet. Quòd ſi aliquando in ephemeris vacuandum, aut ſanguinem mittēdum Gal. conſulat', vt 8. meth. id non eſt propter diariam ipſam febrem: ſed propter aliquid aliud cum ea coniunctum, ac propter putridam febrem deuitandam. Vnde cùm in ſola intemperatura conſiſtat (ex eo enim excitata eſt: quia vitiata eſt temperies innati caloris: qui cùm prius temperatus eſſet, in intemperiem deinceps calidam, & ſiccam degenerauit) & cùm omnis morbus indicet ſe eſſe depellendum tanquam rem præter naturam: depellendum autem ſuo contrario. Erit ergo natiuus calor contrarius illi temperamento ducendus ad priſtinam temperiem, refrigerantibus videlicet, & humectantibus, tàm exterius adhibitis, quàm interius acceptis. Interius quidem cibo, & potu, qui humectant, & refrigerant. Victus enim humidus omnibus hac ratione febricitantibus conguens eſt, vt 1. Aph. docuit Hipp. Item (Aph. 19.) & frigidus, licet non expreſſerit. Quia (vt in comm. docet Gal.) cùm aliquid ab Hipp. dictū eſt, quæcunque idem cum eo iudiciū habent, ab eo dicta putanda ſunt: quamuis ea ſilentio prætererit. Si ergo propter id, quòd ſiccus ſit affectus humidum victum requirit: Ita quoniam calidus eſt, frigidum poſtulat. Exterius vero balneis, intellectis balneis: ſicuti intelligere ſoliti ſunt antiqui auctores, cùm balneas nominant abſolute, nulla addita limitatione, hoc eſt balneis aquæ dulcis, & qua in potu vtimur. Hæ enim balneæ vim habent inſignem humectandi, ac refrigerandi. At vero quia varius eſt vſus balnei, vt hic notat Steph. ſicuti tres ſunt partes balnei. Eſt enim aer balnei, qui calidior eſt, & in quo qui diutius manſerit, ſudat. Eſt & labrum, vel ſolium quod aqua calida plenum erat. Eſt deinde, & locus vbi frigida aqua ſeruabatur. Hæc vero omnia, facultates diuerſas habent: Nam aer balnei vim habet digerēdi maiorem, & cutim rarefaciendi: Vnde & ſudorem magis ciet. Aqua vero calida, & ipſa quidem aliquam vim habet digerendi, & reſoluendi, cutimq́ue mollem, ac raram efficiendi, & longè tamen minorem, quam aer: ſed humectandi longè maiorem. Frigidæ autem aquæ vſus poſt balneum vtilis erat ad corrigendum, ſi aliquis erat contractus calor ex actu calidiori balneo. In ſimplici quidem ephemera, vbi nulla ſit alterius rei cōplicatio, vtilior eſt vſus aquæ calidæ: quia humectatione egemus, & refrigeratione opportuna: & quamuis actu ſit calida ea aqua: poteſtate tamen refrigerat. Antiqui vero poſtea etiam frigidiori lauabantur, vt ſi calor ille actu aliquid impreſſiſſet, id detraheretur. Nulli autem ephemerę, per ſe quidem, digeſtione opus: quod ſi aliquando egeat aliqua diſcuſſione, id non eſt merito ſui, ſed merito alterius alicuius affectionis cum ea coniunctæ, vt paulo poſt oſtendemus. Poſt balneum vero inungendi ſunt dulci oleo, & tepido, atque moderatè fricandi: humectandi enim laxandiq́ue vim habet, & aliquam digerendi. In his autem neque multa frictio, neque multa inunctio expediens eſt: cùm neque digeſtione, neque multa laxitate ſit eis opus. Victus autem itidem humidus (vt diximus) illi inſtituendus eſt. Et quantum ad cibum pertinet, ſit ille humectās, & refrigerans, facilis concoctionis, non excrementoſus, neque nutriens plurimùm: ſit tamen boni ſucci refrigerans quidem, & humectans, primùm propter febrem. Facilis concoctionis. Nam quomodocunque ſit omnino febrilis, & extraneus calor vim concoctricem lædit, & imbecilliorem reddit cum hoc, quòd ſpiritus diſſoluit: Ideo neque multum eſſe oportet, neque concoctu difficilem. Boni autem ſucci, & non excrementoſum. Ne congeſtis multis excrementis, & illis ab externo & febrili calore malè affectis, & putreſcentibus, putridam febrem accendant. Et proinde olera, legumina, & quæcunque medicamentoſam qualitatem aliquam habent, vt ſunt acria, acida, auſtera, & eiuſmodi cætera vitanda ſunt, vtpote quæ exſiccent omnia, & ſint excrementoſa. Principatum vero obtinent primum ptiſana hordeacea, quæ eas omnes prærogatiuas habet, quæ in cibo optimo requiruntur: quas referunt Hipp. primo de victus rat. in mor. acu. & Gale. 8. meth. vbi de harum febrium curatione diffuſius, & lucidius agit, nec non etiam in lib. de ptiſana: quas ibi legere poteritis; ne tempus conteramus in his recitandis. Poſt autem ptiſanam ſecundum locum habet alica, quæ in hoc à ptiſana vincitur, quòd aliquem lentorem habet: & ideo vim etiam emplaſticam, per quam meatibus hærens poteſt eos obſtruere, & eſſe putredinis cauſa. Verum lentor ille exiguus eſt, qui facilè etiam demi poteſt, vt docuit ibidem Galen. ſi parum aceti incoquatur. Vnde & propterea qui far dānant, animaduertāt, quòd addito pauculo aceto, detrahitur lentor, & vis eius emplaſtica. Tertiū locum tenet panis ex iure leui, aut aqua coctus. Pro ratione enim naturæ ipſius ægrotantis hæc ſunt varianda: neque enim omnibus eadem ſunt in cibo grata, immo quòd vni gratiſſimum eſt, id alius adeo abhorret, vt natura ne admittere quidem illud poſſit. Sed ſi lauetur panis, præter id, quòd & ipſe aliquem lētorem deponit, & vim etiam ſalis, & fermenti, quæ & ipſa calefaciunt, & ſiccant, & eatenus medicamentoſa ſunt: minus etiam nutrit. Carnes vero pręcipuę ſunt, perdices: & montanæ auiculæ, quibus gallinaceæ ſuccedunt, & phaſianorum, & columborum iuuenū, ſi tamen ruri, & libere alantur: alioquin enim qui clauſi domi cuſtodiuntur, carnem habent excremētoſam: has ſequuntur hædinæ carnes. Semper tamen iuuenum animalium ſunt eligendę, non nuper natorum, neque veterum. Nā hæ concoquuntur nō facile: illæ vero non parum excrementoſæ ſunt. Piſces etiam quidem vtiles ſunt, vt qui ſaxatiles dicuntur: deinde aſelli: niſi qui capti ſint ad magni fluminis hoſtium, aut propè lacum: ſed & ſoleæ, & torpedo, itemq́ue lupus, & mulus, & mugil, ex alto mari: de quibus præter ea, quæ affatim fuere expoſita in libr. de alimentorum facultatibus, multa etiam 8. meth. verba iterum fecit Gale. Vbi eſt aduertendum, quod cibus, qui boni ſit alimenti, nec medicamentoſę qualitatis, vim habet humectandi, & remittendi acredinem, & vehementiam caloris externi: ſicuti contra fames, & inedia importuna corpus exſiccat, & inflammat ſpiritus. Potus vero vini dummodo id potens minime ſit, neque vetus, ſed quòd ὀλιγόφορον græci dicunt, pauciferum noſtri latini iuniores, admitti poteſt: hoc enim haud calefacit, ſed potius refrigerat: haud aſtringit, ſed potius ciet vrinam: humectat, roborat ventriculum, & ſpiritus inſtaurat: quo ſi careamus, aliud album, non multum potens, & tenue, multa aqua dilutum exhibeamus. Quòd ſi quis interroget, quando hi ad balneum ducendi

ſint,

ſint, quantum in illo ſit immorandum, quãdo etiam cibandi ſint, & quantum. Ducendi ſunt ad balneum inclinante febre. Quanto autem tempore ſit in eo immorandum, exquiſitè definire nemo queat. Nam & pro modo affectus, pro virium ratione, pro conſuetudine id metiri oportet. Idem de alimentis dicamus: cibus enim poſt balneum dandus: neque tamen plurimum replendus ægrotans: ſed eatenus cibãdus, quatenus putemus ab eo facile ferri, & confici poſſe, habita ſemper ratione ætatis, temperaturæ, naturęque, temporis anni, conſuetudinis, & virium laborãtis. Ita ergo cum ſolus adeſt reſpectus, & ſola indicatio ab ipſa febre, ſe medicus gerat. Quòd ſi adhuc cauſæ præſentes ſint: primum quidem procurandum eſt, vt huiuſmodi cauſæ remoueantur: remouentur vero & illæ ſuo contrario. Sicuti ſi labor adſit, ille tollendus erit, quemadmodum docuit Hipp. in Aph. vbi ait, In omni motione corporis, cum quis dolere cæperit, ſtatim quieſcere remedio eſt. Erit ergo iniungenda quies. Si moleſtæ, & longæ vigiliæ cauſæ fuerint febris, omni ingenio elaborandum, vt ſomnus concilietur: ſi triſtes animum perturbationes angant occupentque, & adhuc febrem foueant, amicis monitis, blandis, & exhilarantibus ſermonibus, hiſtorijs delectantibus, lętis nuntijs, promiſſionibus, & omni ope ſerenandus animus eſt. Eos vero, quia ex aſſiduo, ſtudio, & curis multis, ad febrem perducti ſunt, ſuadere oportet, vt ſtudium intermittant, curasque tantiſper abijciant, donec conualeſcant. Ita ſi ex ſole febricitent, in vmbram recedant. Si vero ex bubone, vel inflammatione ſit exorta febris, oportet inflammationem curare: & quia ea inflammatio ab vlcere plerunque ortum habere ſolet: ideo & vlcus curandum erit. Ita ſi ex conſtipatione cutis ſit orta, ea omnia, quæ vim ſtipandi, & denſandi habent, declinãda ſunt: ſicut infrigidantia balnea, aut aſtringentia, aut quæ nimis exſiccant. Si ex obſtructione, ea omnia deuitanda ſunt, quæ obſtructionem, aut parere, aut fouere poſſunt. Ablatis autem cauſis illis, conſiderandũ eſt, an ab eiſdem ſit aliqua relicta impreſſio, affectiove, & illa cum ipſa febre comparanda, & perpendendum, an aliquam indicationem habeat a febre diuerſam: an vtriuſque indicatio in idem tendat. Et ſi in idem tendat, non erit curatio vllo modo diuerſa ab ea, qua curãdas ſolas febres ephemeras diximus. Sed ſi ſit aliquid, quod diuerſam habeat rationem indicationis, pro ratione roboris indicationis, ita aut aliquãto euariabit, aut oĩno diuerſam faciet curandi rationem fere in omnibus: ſaltem donec fuerit illi indicationi plenè ſatisfactum. Sicuti. v. g. ſi ſit, aut cutis denſitas, aut bubo, aut obſtructio: ecce quanta in his inſurget diuerſitas in adminiſtrandis remedijs. Nam, & eos, qui ex denſitate cutis, vel ex bubone febricitãt, ſi ad balneum perducas, atque in aere balnei calidiori diutius detinueris, non modo non lędes: verum quàm maximè iuuabis: iuuabis autem, & ſi laueris: Sed quamuis lauatio omnibus his proſit: ea tamen, ſi copioſior fuerit, vtilior illis erit, qui denſitate, & meatuum aſtrictione, quam ijs, qui ex bubone febricitãt. Ratio verò omnium horum eſt: quia ex dẽſitate cutis laborantibus ſuppreſſa eſt vaporum fumoſorum, vel fuliginoſorum excretio, & digeſtio, qui retenti fouent, & augent febrem. Vnde aliqua etiam vacuationis indicatio exurgit: quia plenum his excrementoſis vaporibus eſt corpus. Euacuantur autem facillimè cutis rarefactione, & eorum vaporum digeſtione: quod facilè aer balnei præſtabit, qui (vt diximus) cutim laxat, & vim diſcutiendi habet. Sed & vbi bubo eſt, qui inflammatio eſt adenoſarum partium, euacuationis aliqua eſt indicatio. Nam ex fluxione ſanguinis fiunt id genus inflammationes, neque ea fieri poteſt ſine aliqua abundantia: vnde per vacua-

A tionem ſiſtitur. Quòd vero vacuent & aer, & aqua balnei, iam explanauimus. Parcius tamen iſti lauandi ſunt, & breuiori tempore permittedi, vt in aquis maneant: quia importuna balnea augent fluxiones: immò ſi multæ plenitudinis ſigna appareant, neque lauandi eſſent, tum hi, tum etiam illi: facile enim materiæ multæ vi balnei fuſæ, & in habitum corporis deductæ maiori copia, quàm digeri, & diſcuti a balneis poſſint, obſtructiones excitarent) quare & 8. meth. vbi ſit magna obſtructio, & inſignis etiam plenitudo, non iubet Gal. lauare, niſi prius corpore vacuato, præcipue vero ſecta vena) & bubonem ad immodicam magnitudinem perducerent. Alij autem febricitantes, in quibus relinquitur ſiccitas inſignis, in cor- Com. 4.

B pore, ita ut ſqualidi videantur: quales ſunt, qui ex ira, aut ex mærore, vel ex uigilijs, vel ex ſtudio aſſiduo, & curis, præterea ex nimio labore in febrem incidere: cum communis horum omnium ſit ſiccitas: conueniunt in indicatione cum febre, vnde liberaliſſimè, & ſæpiſſimè, quoad tamen id commodè fieri poteſt, lauandi ſunt, & poſt balneum multo oleo tepido inũgendi, & diu molliter fricandi, præcipuè verò, qui ex labore, & laſſitudine febricitant: ea enim laſſitudo affectio quędam eſt ſimilis inflammationi: & ideo eius curatio ſimilis curationi laſſitudinis illius. Vnde balneum humectat, & mollit, lenitque, ac digerit. Idem etiam pręſtat oleum, quod, & ſi adiuuet digeſtionem excrementorum, eorum præſertim, quæ ex colliquatis particulis congeſta ſunt: ſua tamen emplaſtica ſubſtantia prohibet, quo minus copioſa fiat humo-

C rum, ſpirituumque digeſtio. Sed de his plura in libro de ſan. tuend. Própterea vero addit Gal. ſæpius, quãtum poſſibile eſt, lauandi ſunt. Quia vires ſemper cõſulere, oportet. Qui enim imbecilliores, & languidiores facti ſunt, neque frictiones, neque balnea multa perferre poſſunt. Ex horum autem varii indicatione ſequitur & in ratione victus diuerſitas. Nam plenior victus ex bubone, & denſitate (addamus nos,) & ex obſtructione febricitantibus aduerſarius eſt: cum (vt diximus) hi minimè eſſe poſſint ſine aliqua plenitudine. Modum autem tenuitatis cibi oſtendet natura laborantis corporis. Etenim qui ſunt calido, & ſicco inſigniter corpore, hi a fame, & inedia plurimum lędūtur, vt eos, ſi ſine cibo detineas, vel etiam ſanos,

D incidere in febres videas, nedum iam febricitantes: ita & ætas, & tempus, & reliqua reſpicienda ſunt. Alijs vero, qui iam arefactum & confectum corpus habẽt, ſicuti qui ex labore ægrotant, ſi liberalius, & ſępius nutrias, dummodo alimentum propè, & facillime concoquant, id conferet: inſtauratione enim egent, & humectatione. Quin & vini exhibendi ratio, ratione diuerſitatis indicationum diuerſa eſt. Illis enim qui ex labore febre correpti ſunt liberaliter dari poteſt: modo ipſi & conficere, & perferre poſſint: id vero accipiendum erit ab eius natura, ætate, conſuetudine, & id genus reliquis. Dandum etiam & ijs, qui ex vigilia in febrem inciderunt. Quia vinum modeſtè bibitum, conciliat ſomnum. At illis, qui ex denſi-

E tate cutis febricitant, interdum exhibendum, interdum non: ſi enim plenitudo adſit, minime exhibendũ (de inſigni loquor) ne fundens materias ſit in cauſa, cur excitentur obſtructiones. Si vero corpus non ſit inſigniter plenum concedi tuto poteſt. Vinum enim præter id, quod rarefacit, roborat etiam vires, & calorem natiuum, vt facilius poſtea cauſas morbificas ſuperet. Itidem etiam de ijs dicendum, qui refrigerati febre detinentur. Nam ſi vehemens fuerit refrigeratio, aut corpus ſit plenum, cauendum a uino eadem, quam diximus, ratione: alioquin autem, calefacit, & rarefacit. Dandum & mętentibus, iratis, & omnibus tandem animo perturbatis. Niſi fortaſſe aliquid aliud adeſſet, quod obſtaret: ſicuti ſi capite dolerent,

lerent,& veñę pulſarent. Nam vinum facilè caput petit,& alios tum vapores, tum humores ſecum rapit. Sed & iraſcentibus etiam dãdum, poſtquam ſedatus ſit motus:nam alioquin feruorẽ augeret. Porro aduerſarium eſt illis quorum febris a bubone pendet: quoniam poteſt fluxionem irritare. Sed addamus, ꝙ & illis eſt inimicum, qui deſtillationibus tentantur. Nullam vero mentionem hic eorum fecit Gale. qui Cap.4. ex ardore ſolis febricitant: de quibus tamen 8.meth. loquitur. Verum dum ſigna eorum referret, caput cu rationis expreſſit, dum dixit: quòd frigidis perfuſionibus delectantur,& iuuantur. Tandem vero eadem eſt horum curatio, quæ & eorum, qui ex ardore ſolis dolore capitis exercentur. De quibus copioſus ſermo anno elapſo habitus eſt 2.libr.de comp.med. per loca. Totum autem momentum in hoc conſiſtit, vt caput oleo roſaceo, pręcipuè vero omphacino perfundatur,& eo ex alto cadente,& refrigeratio ex niue, vel aqua inſigniter frigida. In his autem neque vinum admodum vtile. Hæc de ephemeris febribus a Gal. ſummatim prolata ſunt, qui tranſiturus ad reliquas febres, quæ referuntur ad caput de putridis, eas bifariam partitur. Alias nãque ex inflammationibus, alias ex humoribus accendi inquit. Quæ quidem inflammationes ſequuntur, ſunt quaſi earum ſymptomata: quæ etiam plerunque non dicuntur abſoluta nuncupatione febres: ſed nomen ab inflammata particula habent, vt phrenitis, pleuritis, peripneumonia, & id genus reliqua, & hæ quidem curantur, curata inflammatione de cuius curatione acturus eſt in ſecundo libro. Sequenti autem capite ſermonem inſtituturus eſt de alijs, quæ ex humoribus accenduntur qui in communibus venis continentur,& quæ abſoluta nuncupatione febres dicuntur.

De febribus Putridis. *Cap. IIII.*

ATque ex humorũ putredine febres accẽduntur, hoc ipſo nominantur febres,&c.] Si modũ procedendi Gal. diligẽter perpenderitis, videbitis, quantum ad methodum pertinet, inniti quidem diuiſiuæ methodo: illa enim aptiſſima ad inuentionem omnium differẽtiarum ad vltimas vſque ſpecies rei, quæ in conſiderationem propoſita eſt: illis deinde inuentis, ordine compoſitiuo eas digerit. Semper enim a ſimplicioribus ſumit initium,& ſeriatim ad eas accedit, quæ magis compoſitæ ſunt. Vnde videtur ſtatim a principio hanc innuiſſe febrium partitionem. Quòd aliæ quidem ſimpliciſſimæ ſunt, Aliæ vero non æquè ſimplices: ſimpliciſſimas febres eas appellãs, quæ quãtum ad ipſam febrem pertinet, & ad ſuam naturam, nihil coniunctum habent quod aliam habeat indicãdi rationem, quàm eam, quæ eſt ab ipſa febris natura, & ratione. Nam ſi in ephemera aliquid ſit copulatũ, quod per ſe indicet, illud eſt: quia cauſa procatarctica, aut præſens eſt, aut aliqua alia affectio derelicta ab ipſa cauſa. Vnde neque id in omnibus eſt ephemeris: ſed tantum in aliquibus: Atque illud idem de hectica dicemus: propriè enim ſunt ſimplices febres, & quatenus ad ipſas pertinet, ſimplicem habent curationis rationem, a natura febris acceptam:& maximè hac ratione ipſas alijs ſimpliciores appellauit. Nam & hac ratione putridas febres quæ ſine accidentibus, vel ſymptomatibus ſunt, ſimpliciores illis eſſe dicet, quibus ſymptomata aſſident. Simplices itaque ſecundum hanc rationem in hecticas, & ephemeras erant diuidendæ: quoniam ambæ in hac ratione ſunt ſimiles. Quod ſi quæras, cur poſt ephemeras, hoc libro de hecticis, ac earum curatione, nullum ſermonem habuerit, ſicut in lib.met. egit,& in lib. etiam de differ. febr. Vnde in hoc libro videtur plurimum deficere, qui vnam febris differentiam ex præcipuis, & per ſe

A prætermiſerit. Ad hanc dubitationem varij vario modo reſpondent. Græcus enim expoſitor ait, quòd cũ in gratiam Glauconis hæc ſcripſerit, modum, & rationem, ſcopumque ſcribendi ad animum,& deſiderium eius direxerit. Vnde quia Glauc. requiſierat, vt ſummatim perſequeretur rationem curandorũ morborum, qui frequenter ſolent in hominibus euenire: Ideo tantum de ephemeris, ac putridis tractationem inſtituit: reliquit autem hecticas, vt quæ rarius homines corripiant. Alij vero reſpondent, quòd hæc eſt ratio docendi ex methodo, vt cum methodum generalem docuerimus, deinde per vnum aut alterũ exẽplum illam particulatim exerceamus, ac mox ijs, qui addiſcere volunt, relinquamus, vt priora veſtigia ſequentes, id quod reliquum eſt, abſoluant. Mihi quiB dem non omnino ſatisfacit horum reſponſio: quãdo quidem ſicubi alias methodum medendi Galen. conatus eſt docere, id maxime in libr. methodi therapeutices tentauit. At in illis tres has differentias,& earum etiam ſpecies diligentiſſime perſecutus eſt. Dicamus ergo,& nos hac in re ſentẽtiã noſtram. Quòd pro ratione diuerſi ſcopi, & diuerſorum etiè modorũ, quos in ſcribendo eligimus: ita eſt diuerſa ratio expoſitionis,& interpretationis. Qui enim ꝑ διέξοδον, hoc eſt diffusè, & copioſe omnia perſequi, & quaſi excurrere ſibi proponunt: hi in hoc doctrinę modo omnia explicant. At vero qui breuem & compendiariam doctrinam ſequuntur, ſicut plerunque ſequi ſolet Hipp. hi (vt pluribus in locis animaduertit Gal.) C vno, vel altero exemplo propoſitis, alia, quæ eandem rationem obtinent, relinquũt legentibus ſubintelligenda. Vnde cum, vt diximus, compendiariam doctrinam ſequatur Galen. non eſt deinde mirum, ſi expoſitis ephemeris hecticas pretermiſerit: vt pote, quæ quãtum ad rationem febris pertinet, niſi aliud, quod nihil ad eius rationem ſpectet, cum ea iunctum ſit, eaſdem omnino indicationes habeant. Potius vero ephemeras explanandas ſibi propoſuit: quàm hecticas: quia, vt græcus expoſitor ait, illæ frequentius cõtingere ſolẽt. Expeditis ergo ſimplicioribus febribus, ad putridas tranſitum facit, quæ præterea, quantum ad ratione curationis ſpectat, magis compoſitę ſunt, quoniam hæ ab antecedentibus cauſis ſemper penD dent, quæ ſuas habent indicationes: cum tam ephemeræ, quàm hecticæ per ſe quidem harum cauſarum ſint expertes. Has etiam obſtructiones pręcedunt, quarum comes eſt humorum putredo. Quæ omnia priuatas ſuas habẽt indicationes. Has aũt febres putridas in duas partitur differentias, quę diuerſitatem habent penes locum, in quo putreſcit humor, vnde febris accenditur. Quia aut humor putreſcens circunſcriptus in vno certo, & definito loco putreſcit: vel diſperſus per habitum totius corporis. Ex putreſcente humore circunſcripto in vno definito loco,& certa aliqua particula, accenditur febris, quæ inflammationis comes aſt. Nam cum humor circunſcriptus eſt in aliquo loco: ibi (vt etiam in præcedentibus lectionibus, vbi de febribus ephemeris, quæ ex bubone E excitãtur, loquebamur) infarctus in tumorem attollit eam particulam, in quam decubuit, & deſtitutus a difflatione, euentationeque putreſcit. Et ſi locus, qui ab inflammatione correptus eſt, aut cordi vicinus ſit, aut ſaltem venis, & arterijs maioribus, per quas facile poſſit vapor putridus ex putreſcente materia genitus ad cor deferri, ac ipſum calefacere: accenditur febris putrida, per eundem modum, per quẽ & aliæ febres putridæ, præter peſtilentes. Omnium enim idem eſt modus, nempe quia putris vapor delatus,& receptus in corde, calorem extraneum in eo excitat. Neque aliam differentiam habent: niſi quòd in inflammatione putreſcit materia in vno tantum loco concluſa: in alijs vero febribus putridis, ea ſparſa

eſt, vel

eſt,vel per membra totius corporis, vel in ipſis vaſis.
Sed tamen aduertendum,quòd hæc,quæ inflamma-
tiones ſequitur , magnam ſimilitudinem habet cum
illis affectionibus,quæ ſymptomata ſunt,non autem
morbi.Et hoc duplici ratione . Primũ,quia de ratio-
ne ſymptomatum eſt,quòd ſine morbis nequeant cō
ſiſtere,ſed morbos ſemper ſequantur , tanquam pro-
ximam cauſam . Deinde quòd proprie nō curatur,&
per ſe:ſed curatione morborum . Neque enim ſym-
ptomata propriam indicationem habent . Ita , & fe-
bris hæc ſemper ſequitur inflammationem : nec vn-
quam ſeorſum,& per ſe conſiſtit . Præterea vero,&
totam rationem curationis ad inflammationem diri-
gimus,nulla ſeorſum habita fere ratione febris:dele-
ta etenim inflammatione,tollitur & febris . Et pro-
be medici antiquiores , vt diſtinguerent hanc febrem
ab alijs putridis,eam ſymptomata,vel febrem accidēs
appellauere.Quam diſtinctionem Galen.in antiquos
medicos refert.Iuniores autem in Raſin:qui tāquam
ab alijs inuentam refert.in libris enim de diffe.morb.
C.1.5. veterum medicorum fuiſſe hoc inuentum (vt dixi)
Cm.66. recitat Galenus,& ea interdum vtitur, vt 4.Aphor.
A.1.73. & 6.& 7.& eam hic innuere videtur.Auicen.tamen
Cm.44. prima quarti ſtatim a principio horum ſententiā re-
Cm.42. probat:quamuis poſtea dicat , quòd ſi quis ea volue-
rit vti : modo quo pacto res ipſa ſe habeat probè te-
neat:non erit error aliquis alicuius momenti : immo
etiam in aliquo poterit iuuari. Vbi eſt conſiderandũ,
quòd ſi acriuologia vti velimus , hoc eſt exquiſitam
nominum rationem ſequi , febris iſtiuſmodi, vt Ste-
phanus hic exponit,non poteſt inter ſymptoma redi
gi.Quod duabus rationibus probat . Primum, quia
ſymptoma quodlibet,aut ad actionem læſam:aut ad
excrementa mutata:aut ad corporis qualitatem mu-
tatam refertur . Hæc autem ad nullum horum perti-
net. Nam ſi dicat aliquis , poſſe ad qualitatem muta-
tam referri:quia eſt calor alienus : Id quidem verum
eſt:ſed hæc qualitas,quæ proxime lędit operationes,
non eſt ſymptoma,ſed morbus.Hæc autem eſt altera
ratio,quam refert Stephanus,qui etiam hoc rectè no
tauit,quòd Gal.hoc loco accommodatiſſimè & pro-
prie locutus eſt:neque enim ait ipſe , hæ febres ſym-
ptomata ſunt inflammationum , quoniam proprie
morbi ſunt,cum operationes per ſe lædant . Quod
manifeſtiſſime vnuſquiſque percipere poterit , ſi in-
flammationes eas , quæ cum febre ſunt , ſicuti cum
febre ſunt inflammationes viſcerum , contulerit
cum ijs inflammationibus , quæ citra febrem in ex-
terioribus partibus excitantur . Sed , inquit , ſi-
cut ſymptomata ſunt , græce vero dixit, οἷον hoc
eſt veluti , vel quaſi: quod ſignificat ſimilitudinem
qnandam eas cum ſymptomatibus habere:eam vide-
licet, quæ nuper fuit expoſita.Vnde ob id,quia ſemp
inflammationem ſequuntur,& ſimiles ſunt ſympto-
matibus.Ideo ab antiquis medicis,præſertim vero ab
Hippocrate,vt monet Gal.tum locis ſuperius citatis:
tum etiam tertio Com.in primum Epid.& repetit
hoc in loco , neque febris nomine comprehēduntur:
imo nec vno proprio nomine appellantur,ſed diuer-
ſis,prout diuerſas ſequuntur inflammationes: quales
ſunt phrenitis,pleuritis,peripneumonia,& earum cu
ratio ex curatione harum inflammationum pendet,
quæ nomen a male affecta particula conſecutæ ſunt.
Reliquæ vero febres , quæ inflammationes minime
ſequuntur,proprio nomine febris appellantur. Vnde
cum febrium mentionem factam ab antiquis inueni-
mus:eæ intelligendæ,quæ non pendent ab inflamma
tione.Atque ita intelligendus eſt hic locus Galen.Et
de his,curationis rationem inſtituturus eſt in hoc pri
mo libr.De illis autem,quæ inflammationibus accē-
duntur acturus in ſecundo,vbi & de inflammationi-
bus aget. Hæ vero & ipſæ ſunt in plures differentias

A diuidendæ . Nam & in acutas , & diuturnas,vna eſt
partitio. Altera in continētes,& intermittentes. Ter
tia vero in febres cum ſymptomatibus,& eas,quę ci-
tra ſymptomata hominem detinent. Neque hæ di-
uiſiones ſunt ita ſicco,vt aiunt,pede pertranſeundæ:
imo in eis explanandis aliquantiſper immorandum,
ne obſcuritatem aliquam audientibus relinquamus.
Quatenus autem ad primam pertinet,hæc,vt exqui-
ſite percipiatur,conſideranda ſunt . Nimirum quòd
acuti appellatio multiplex eſt , &,vt logici dicere ſo-
lent,in ea latet homonymia, vel ęquiuocatio. Secun
dum enim eius communem rationem videtur reſpi-
cere motum ipſius morbi: quemadmodum 1.de dif-
fer.febr.ex ſententia Hipp.1.lib.comm.in 6.Epid.di Cap.1.
xit Gal.vt acutus morbus,vel febris dicatur,quæ ve- Com.29.
B lociter mouetur,vel tranſit : ſicuti etiam occaſionem
acutam,vel præcipitem eſſe dixit Hip.in primo Aph.
Motus autem velocitas,vt item 1.de differ.febr.dixi-
mus,aliquando accipitur ratione impreſſionis,quam
facit febris in manum tangentis corpus febricitans :
quia vel ſtatim mordax, & acris percipitur , vel tar-
dius,& poſtquam diu detenta fuerit manus applici-
ta ægrotanti : & ita expoſuit Gal.nomen acuti,cum
explanaret febrium partitionem ab Hip. ibi traditā :
vt,cum exponeremus primum illius libri caput, retu
limus . Aliquando uero acutum morbum dicimus,
non hac ratione , ſed reſpicientes ad tempora febris ,
vt illa citius,vel tardius tranſeunt . Morbi enim,qui
properant & velociter accedunt ad vigorem, vel con
ſiſtentiam,acuti vocantur. Qui vero tarde ſecundum
C hunc modum mouentur,& non niſi longo tempore,
hi diuturni,& longi nominantur . Et ſicut in primo
de differ.febr.primo modo vſus fuit Gal.Hipp.ſecu-
tus nuncupatione acuti:ita hic ſecundo vtitur, vt pa-
tet:quia illi opponit diuturnum : Vt acutum morbũ
intelligamus eum,qui breui tempore hominem de-
tinet:diuturnum,qui longo. Verum nec hoc præter- Cap.vlt.
eundum eſt , quod a Gal.docemur tertio de diebus
decretorijs,quod is modus accipiendi acutā, vel diu-
turnam febrem,eſt communis,& non exquiſitus, ſed
pingui quadam minerua acceptus . Nam ſi velimus
exquiſite loqui , diligenter diſtinguere per proprias
appellationes rerum naturam , non omnis morbus
breuis,item acutus eſt:neque proprie acuto opponi-
D tur longus,vel diuturnus morbus . Quandoquidem
proprie morbus acutus,vt idem Gal.ſecundo Apho. Com.19.
teſtatur,eſt qui vt breuis,ita etiam magnus eſt, & nō
ſine diſcrimine. Etenim multi morbi breues ſunt,ne-
que tamen acutos quiſpiam, ne vulgaris quidem ap-
pellauerit:ſicut exquiſita tertiana,ephemera,& id ge
nus reliqua . Acutos enim morbos , vt ex ſententia
Hipp.eodem tertio de diebus decretorijs ait Gale.)
ſaltem ſequitur febris continens. Vnde aliud eſt dice
re morbum breuem,vel modici temporis:& longum
vel diuturnum : hæc enim mutuo ſunt oppoſita : &
aliud morbum acutum , & non acutum . Nam id ,
quod proprie acuto opponitur , proprio nomine ca-
ret. Quia tamen aliquando hæc, immo ſæpius cōfun
duntur : omnis ſiquidem morbus acutus velociter
E mouetur,& diuturnus eſſe nequit , ſed ſemper mo-
dici temporis eſt:quamuis aliqui ſint breues,qui non
ſint acuti : & omnis morbus , qui tardi motus eſt ,
etiam diuturnus:Ideo & appellationes hæ, & nomi-
na confunduntur:& acutos morbos pro eiſdem cum
breuibus accipimus , & diuturnos , pro non acutis :
& ſecundum hunc modum accepiſſe videtur Galen.
cum diuidit febres in acutas , & diuturnas . Licet
autem videatur omnis hæc differentia in verbis: non
pauci tamen refert , hæc animaduetere,vt ab errori-
bus caueamus,& a multis alioquin ambagibus,in or-
dinandis his diuiſionibus:qnod quanti momenti ſit,
ſuperius audiuiſtis . Nam ſi ſecũdum hanc rationem

acceperimus

acceperimus acutum & diuturnum, nempe vt cõfunditur acutum cum breui, & nõ acutum cum diuturno, ſic oportet deinde partiri, vt diuidamus acutam in continuam, & intermittẽtem. Etenim hoc modo tertiana exquiſita febris acuta: vtpote quæ ſeptem periodis ad ſummum iudicatur, vt quarto Aphoriſmorum ait Hippocrates. Continuam vero diſtinguamus in eam, quę cum ſymptomatibus eſt, & eam, quę ſine ſymptomatibus. Ea, quæ ſine ſymptomatibus, Aph.59. eſt mitiſſima, vt hic ait Galenus, & ideo poteſt eſſe non magnus morbus, neque admodum periculoſus: cum non habeat diſcrimen, niſi quantum ad febris continuitatem ſpectat: alijs enim formidandis ſymptomatibus caret. Ea vero, quæ cum ſymptomatibus Aph.7. eſt, acuta eſt. Nam & Hippocrates dixit primo Aphoriſmorum vbi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos labores habet. Et per labores exponit Galenus ſymptomata, in quibus etiam acceſſiones recenſet. Idem Com.23. etiam Gal. 2. Aph. affirmat, acutum appello ſecũdum propriam, & exquiſitam rationem accipiẽdi acutum. Diuturnos vero morbos partiamur item in continẽtes, & intermittentes. Sed ſi ſtatim a principio velimus acutam febrem proprie, & ſecũdum eos, qui exquiſite de his loquuntur, diuidemus alio modo febres. Et dicemus, quòd putridę febres, vel ſunt, intermittentes: Vel ſunt continentes. Intermittentes autẽ ſunt, aut longę: aut breues. Breues, vt tertiana: Longæ, vt quotidiana, & quartana. Cõtinentes vero, aut diuturnæ, aut breues, Breues aut cum ſymptomatibus: aut ſine. Si ſine ſymptomatibus ſunt, non ſunt acutę febres: ſicuti eſſet tertiana continua, ex bile putreſcente in venis remotis, & minoribus, quæ nõ alia haberet ſymptomata, niſi illa, quę a bilioſa febre ſunt inſeparabilia. Sin autem cum ſymptomatibus, tunc vere febris acuta eſt: cum & continens ſit, & magnus morbus, & cũ magnis ſymptomatibus: ſicuti eſſet febris ardens, & febris peſtilens. Sed ſi ſit continens, & diuturna, nõ poteſt eſſe cũ magnis ſymptomatibus: quia eorum moleſtiam natura nequit diu perferre: & in hoc genere erit quartana, & quotidiana continuę: & interdum tertiana non exquiſita continua: quam Gal. ſequens Hipp. tritæophya appellat. Et quamuis primum videatur Gal. ipſe accipere acutum ſecũdum latius ſignificatum: tamen in his deinde tractandis, & diſponendis, videtur amplecti ſecundam ſignificationem. Nam primum agit de intermittentibus: deinceps de continuis ſine ſymptomatibus: poſtremo de ijs, quę cum ſymptomatibus: neque alioquin acutorum meminit. Vbi ſatis apparet quòd per eas, quæ cum ſymptomatibus ſunt, intelligit acutas. Et hæc quidem de hac partiendi ratione ſatis. Niſi quòd vnũ reliquum eſſe videtur, quod explanatione indiget: alioquin enim non modicam poſſet nobis præſtare dubitandi occaſionem. Quia nullus morbus eſt, qui ſymptomatum vacuus ſit. Nã morbus omnis actiones lędit: actio vero læſa ſymptoma eſt. Præterea vero omnis morbus ſymptomata ſua habet, quæ tanquã pathognomonica ſunt, & quaſi characteriſtica ipſius morbi. Ad hoc itaque dicendum eſt, quòd non hæc ſymptomata hic intelligit: ſiquidem argumentũ id, quòd verum eſt, concludit. Eiuſmodi vero ſymptomata nullam habent in curatione indicationem. Sed ſermo eſt de ſymptomatibus prauis, & malignis, quę timorem incutiunt, ne aut vires deijciant, aut pducant ad deterius genus morbi, vt ſunt animi defectus, dolor capitis intolerabilis, delirium continens, perpetua vigilia, & id genus reliqua, quæ præter febrem, & ipſa ſunt multi momenti: vtpote quæ omnino, vel aliqua ex parte medicum ad ſe conuertãt. Sed de his ſuo loco plenius. Porro autem fortaſſe vobis ſuperuacanea videbitur hæc tam diligens iſtarum differentiarum diſquiſitio. Ego vero imprimis neceſſa-

A riam exiſtimo, vt Gal. ipſe proſequens oſtendit. Nam hortatur, vt ſi fieri poſſit, ſumma ope nitatur medicus, vel prima ipſa die, has omnes morbi differentias cognoſcere: vtpote quoniam donec eas cognouerit, neque appoſite victus, neque aliorum auxiliorum rationem poterit inſtituere. Cum a natura, a modo, a more ipſius morbi, omnis ratio curandi deſumenda ſit. Quod ſi prima die nequit exacte cognoſcere, contendendum eſt vt ſecunda die, vel ſaltem tertia percipiat: raro enim expectatur quarta: & ad periodorum rationem hæc omnia referenda ſunt. Vbi eſt aduertendum, quòd in curandis febribus pręcipuum locum habet exquiſita cognitio formæ, & naturæ ipſius: ea enim & rationem, & tempus omnium ferè B oſtendit, quæ ad rationem victus, vel aliorum remediorum attinere poſſunt. Et ideo quo citius in eorũ cognitionem deuenerimus, eo citius, & tutius, pręſtãtiusque poterimus laboranti ſuccurrere. Atque ſi diligens, & peritus fuerit medicus, ſæpe ſtatim in prima die cognoſcet modum, & naturam febris. Quandoq; tamen id in prima die fieri non poterit: ſed oportebit ſecundam, interdum & tertiam expectare. Et ſi quæras, vnde id proueniat, cum Gal. profiteatur, ſe prima die ſtatim has febres cognouiſſe? Dico quòd vbi febris ſit ſimplex, & vnius tantum naturę, illa poteſt in prima acceſſione cognoſci. Vnde Gal. ipſe ſe & ephemeras ſtatim a principio cognouiſſe, & tertianas, & quartanas, in prima acceſſione aſſerit, diligenter nempe notata ratione pulſus, & modo caloris, & reliquis, C de quibus paulo poſt ſumus ſermonem habituri. At vero ſi febres variæ, commixtæ, & (vt dicunt) complicatæ ſint: tunc non poteſt ſtatim exquiſite percipi, qualis ſit febris. Sicuti v. g. ſi componatur tertiana cũ quotidiana, vt in hemitritæo: vel tertiana cum quartana: vel alia eiuſmodi fiat complicatio, non poterit hæc mixtura comprehendi prima die: ſed erit neceſſe expectare ſecundam: interdum & tertiam: raro vero quartam. Quòd ſi quæſieris præterea quibus indicijs innixi hæc omnia cognoſcere valeamus. Reſpondet ipſe, quod omnia progrediente ſermone explicauit: ſeruato tamen ſemper priori inſtituto: nimirum vt doctrina compendiaria in his etiam, ſicuti in alijs, vtamur. Vnde quo breuius potero (inquit ipD ſe) exponam. In alijs enim libris, ſicut in ſecundo de Diffe. febr. & ſecundo de Criſ. aperte, & diffuse hæc omnia tractata ſunt.

Signa Febrium Intermittentium. Tertianæ videlicet, Quartanæ, & Quotidianæ. Cap. V. VI. VII.

QVONIAM de his, dum explanaremus ſecũdum librum de Differentijs febrium, copioſum ſermonem habuimus, atque in vnum caput collegimus, quæcunque a Gal. literis tradita ſunt, tum hic, tum vero ibi, & in lib. etiam de Criſibus: Ideo ſuperuacaneum videtur in præſentia de illis amplius ageE re, ne fruſtra tempus conteramus. Quare ad caput octauum ſtatim ſermonem noſtrum conuertemus, cuius inſcriptio eſt.

Indicia Febrium Continuarum. Cap. VIII.

FEBRES autem continuas ex eo cognoſces, ꝙ nullum eis adeſt ex ſignis quæ, &c.] Diuiſimus in præcedentibus capitibus febres in continẽtes, & intermittentes: ac de ſignis, vel indicijs, quibus quod intermittentes febres ſint cognoſcere poſſimus: præterea vero, & particulatim de indicijs, quibus differentiæ

ſentiæ intermittentium febrium mutuo diſcernendæ ſint egimus.Quare reliquum eſt,vt de notis,quibus cognoſcendæ ſint aſſiduæ febres,ſermonem inſtituamus. Totum autem caput hoc deſcripſit ad verbum Auic.prima fen.quarti c.de ſignis febris inſeparabilis.Eſt autem hic aduertendum,quòd referuntur ſigna,quæ tamen non habent vnam, & eandem rationem. Nam aliqua hoc tantum indicant, quòd febris ſit continens,vel aſſidua: Aliqua vero præter id, quòd etiam ſint futuræ diuturniores.Alia,quòd magnæ,& malæ ſint.Prima itaque duo ſigna febrem nō eſſe intermittentem:ſed potius aſſiduam oſtendunt: & primum quidem per negationem eorum , quæ de intermittentibus expoſita ſunt , traditum eſt. Nam cum iam ſigna fuerint expoſita,quæ febrem intermit B tentem indicant:ſi eorum fuerimus memores,& recte omnibus obſeruatis , nullum eorum apparere in febricitante proſpexerimus: facilè iudicabimus eam fore aſſiduam. Quæ vero præcipua fuere,ſunt,quod acceſſionem habeant,quæ inceperit cum rigore , aut horrore,aut perfrigeratione,quęque deſierit cum ſudore,aut veluti rore,aut humido vapore. Deinde q̀ deſierint in interuallum purum , hoc eſt ſine vllis febris reliquijs,quod eſt(vt expoſuimus)tempus intermiſſionis. Cum ergo his omnibus febris caruerit,ea iudicāda erit aſſidua.Alterum vero ſignum eſt acceptum a longitudine acceſſionis,vt ſi ea exceſſerit ſpatium vigintiquatuor horarum.Nam quartanæ acceſſio,quæ longiſſima eſt , non extenditur vltra vigeſi- C mamquartam horam,ea videlicet, quæ exquiſita eſt: neque tamen(vt antea diximus)non exquiſita quartana longior eſt ea,quæ exquiſita, ſicuti tertiana non exquiſita longior exquiſita : vtpote quòd aliquando ad quertam & vigeſimam horam accedit. Vnde ſi præter id,quod careat indicijs intermittentis febris, extendatur etiam vltra vigeſimamquartam horam, iudicandum erit febrem fore aſſiduam. Tertium autem ſignum non ita,quòd ſit futura continens, indicat,ſicut quòd etiam diuturnior.Id vero eſt,quòd acceſſio inæquale habet incrementum. Dicitur autem inæquale fieri incrementum : cum non æqualiter,& vniformiter ſemper increſcit, donec conſiſtat:ſed aliquando increſcere videtur:poſtea vero conſiſtere , & quaſi inclinatur acceſſio:attamen paulo poſt iterum D increſcit. Hoc autem peculiare eſt pituitoſæ, & quotidianæ intermittētis, vt ſuperius diximus,& id propter craſſitiem pituitæ:vnde plurimum reſiſtit calori, & putredini.In aſſiduis autem (vt Stephanus exponit) indicat potius diuerſitatem putreſcentium humorem:& proinde etiam poſſumus ex hoc ſigno colligere,quòd febris non eſt exquiſita:ſed quæcunq; illa ſit,notha eſt.Ac propterea etiam vbi hæc eſt humorum putreſcentium diuerſa natura , cæteris paribus,diuturniores ſunt febres: quia natura magis in eis vincendis,coquendiſque laborat.Neque mihi iuniores hic probantur,qui inæqualitatem incrementi referunt,quia aliquando frigere, interdum calere videantur,& id referunt,in affectum ventriculi , aut E internorum viſcerum. Quoniam (vt ſuperius expoſuimus)alio modo intelligenda eſt hæc inæqualitas. Nam hæc,quam referunt iuniores , indicaret potius magnam,& pernitioſam febrem , cum in continente exteriora frigēt.Quartum ſignum accipitur a pulſu. cum enim febris omnis aliquam pulſus habeat inæqualitatem : In putridis quidem eſt ſua priuata inæqualitas,quæ certiſſimè febrem eſſe putridam demōſtrat:ea vero eſt, quòd & ſyſtole diaſtole celerior eſt, & quies antecedens ſyſtolen,celerior eſt ea , quæ illā ſequitur: Præterea vero ſyſtole in principio,& in fine celerior eſt quàm in medio:Hæc eſt ergo inęqualitas, quæ in his febribus,& illis omnibus propria eſt. Sed inſignior,& euidentior in aſſiduis,quam in intermit-

A tentibus.Vnde cum hęc inęqualitas maior nobis apparet , quàm in intermittentibus ſoleamus obſeruare:tunc eam fore aſſiduam ſuſpicandum eſt. Rationē autē refert Steph.quia cauſæ acceſſionis, non ita difflantur,ſicut in intermittentibus:ſed intus in profundo abſconditę latent. Quæ ratio mihi quidem probaretur,ſi de eo tempore eſſet ſermo , quo intermittunt,aut ſaltem remittunt:Verum quia hæc inęqualitas,vt ſuperius diximus,magis euidens eſt in principio,& incremento:Ideo mihi non admodum probatur.Qnapropter videtur alia reddēda ratio,& ea eſt: quoniam in aſſiduis materia in vaſis putreſcit,in quibus non eſt ita facilis difflatio,ſicut quando extra vaſa putreſcit:vnde maior in his mundificationis fuligi B noſorum vaporum incumbit neceſſitas , quæ iſtius inæqualitatis in cauſa eſt.Addit autem Gale.quòd ſi præter hanc inæqualitatem maiorem , pulſus præterea eo deueniat,vt omnino ordine,& proprio rhythmo careat:iam nō modo ſignum illud notat febrem eſſe aſſiduam : ſed etiam eſſe magnum , & difficilem morbum.Sed hic quædam ſunt conſideranda , vt res hæc exactius percipiatur,quòd rhythmus in pulſu,id eſt,quod Auic.pondus appellat:& eſt quędam veluti harmonia in pulſu,quæ cōſiſtit in ratione,& comparatione temporis,cum tempore motus pulſus , & cū tempore quietis: ſicur ſi temporis motus ſyſtoles,cū tempore motus diaſtoles , & horum cum tempore quietis interceptæ inter ſyſtolen,& diaſtolen:& quietis cum quiete fiat collatio,& diaſtoles, cum ſyſtole. C Vt autem Galen.1.de Dif.pulſ.ait,vnaquæque tum ætas,tum ſexus,& regio,atque aeris conſtitutio , & id genus reliqua, ſuum habet rhythmū,& ſuam harmoniam,ſeu proportionem , quæ ſi deperdatur,malum omnino indicat non exiguum. Nam (vt idem Gal.2.de cauſis pul.ait vitiatur hęc harmonia in pulſu:ob id, quia neceſſitas tū euentationis,tum mūdificationis vario modo,& non ſecundum vnam proportionem aucta eſt:ratione cuius diuerſitatis inordinate variatur,& ratio ſyſtoles,quæ mundificationi inſeruit , & diaſtoles , quæ euentationi. Cum itaque omnis ordinis,& congruę harmonię ratio tollitur,inditio eſt magnam in natiuo calore factam eſſe mutationem,quę fieri nequit, niſi a fortiſſima cauſa: D nimirum aut a maximo incendio:aut a mala & multa materia putreſcente : quæ omnia magni morbi in cauſa ſunt.In vniuerſum enim , quo res magis recedit a naturali ſtatu in morbis,eo etiam deterior eſt. Quæ vero ſequuntur ſigna non tantum cōferunt ad cognitionem febris,ſi aſſidua ſit,vel intermittens futura:ſed potius an aſſidua ſit longior, vel breuior futura. Ait ergo,quòd cum per duos priores dies viſa fuerit febris eſſe aſſidua:in tertia vero excreſcat acceſſio,neque tamen vlla adhuc ſigna appareant concoctionem aliquam effatu dignam oſtendentia:hanc febrē neque indicandam,neque terminandam iri in ſeptima putandum omnino eſt. Signum autem hoc tertianam continuam febrem illam eſſe demonſtrat.Ste E phanus vero cauſum vel febrem ardentem ſignificare inquit.Sed an febris ardens manifeſtas habeat acceſſiones, poſterius declarabimus. Vnum quidem eſt, quod harum acceſſionum ratio, febrem bilioſam indicat:eam tamen non exquiſitam. Nam ſicuti exquiſita in ſeptem periodis indicatur : ita continens (vt Gal.4.Apho.docet)die ſeptima.Sed cum non ſit iudicanda in ſeptima,niſi in tertia concoctio aliqua appareat , quamuis enim quarta ſit indicatiua ſeptimę: quæ tamen per dies impares exacerbationes,habent, iudicantur diebus imparibus,vt ſępe teſtatur Gal.& quę per pares,in paribus quoq; iudicantur,& indicātur.Erit ergo ex non exquiſita bile, quę non ita facile concoctionem admittit,vt exquiſita.At ſi pręterea (inquit Galen.)quarta dies tertię ſimilis fuerit,&c.

Cap.7.

Cap.ult.

Aph.59.

iuniores

iuniores exponunt,hoc eſt, ſi quarta ſimilem tertiæ acceſſionem habuerit,longior, & diuturnior erit febris. Quæ explanatio mihi non placet. Quia cum valida ſit in tertia acceſſio, & quarta non remittatur, ſed ſit perinde ac tertia difficilis,morbum indicat acutum,& velocis motus; quare etiam cito finem habiturum,vt Galenus alibi aperte declarat. Vnde mihi Stephani ſententia vero magis conſona videtur, qui ait,non ita intelligendum, quòd quarta ſit tertiæ ſimilis, quatenus ad acceſſionum rationem pertinet: quoniam,inquit ipſe,id a ratione ardētium febrium alienum eſt,quæ potius quintam,quàm quartam tertiæ ſimilem habent, ſed quantum ad concoctionem: hoc eſt,quòd non maior appareat concoctio in quarta,quàm apparuerit in tertia,& hoc iam oſtendit ma- B teriam concoctu difficiliorem,ac febrem quaſi ſepultam,quæ magis in profundo latere videatur,nec facile expandatur: quod & craſſam materiam oſtendit. Præterea vero ſi neque habitus corporis vniuerſi cōcidat,& extenuetur,ſigna hæc omnia febrium, quæ longius protrahuntur,ſigna ſunt. Quàm longi autem morbi hoc poſtremum,nempe non collabi, nec concidere habitum corporis,inditium ſit, & quomodo, & quòd non intelligendum ſit,quòd omnino nō extenuetur corpus: quia ferè id fieri nequit,præſertim in hoc genere febris:ſed quòd non collabatur pro ratione morbi,& cur etiam inde ſignificetur morbi diuturnitas,docet Gal.2.Apho.explanans Aphori.vigeſimumoctauum, ex quo hæc ſententia deſcripta eſt, longiori oratione:& tandem in fine illius comment. C ita concludit. Corpus febricitantium non omnino leuiter permanere,& nihil imminui, vel pluſquam ratio poſtulat,contabeſcere malum. [Nam permanere ex cutis ſpiſſitudine,& craſſitie humorum accidit: & propterea longitudo morbi ſignificatur,] & quæ ſequuntur. Hæc quidem igitur,inquit Gale.quantum ad febres continentes, quæ ſymptomatibus carent, pertinere poteſt,ſatis ſint:quoniam de illis quæ cum ſymptomatibus cruciant,his expeditis, particulatim ſermonem habebimus. Quòd ſi aliquis quærat,cum hactenus ſeriatim de differentijs omnium febrium, tam intermittentium,quàm aſſiduarum, quæ ſymptomatum ſunt expertes, tractationem inſtituerit: antequam de curatione aliquid dixerit: cur etiam de D differentijs earum,quas concomitantur ſymptomata,antea non egerit. Dicimus,quòd eædem ſunt harum,& illarum differentiæ,quantum ad rationem febris attinet. Nam ſymptomata,vt dicemus,non variant naturam febris:ſed ſunt quaſi alij quidam affectus cum febre coniuncti. Vnde de his poſtea particulatim curandis agemus: quandoquidem caput illud potius erit de curatione eorum, quàm de curatione febris. Et ideo illud poſtpoſuit,quaſi ad calcem tractationis febrium:vt pote quod ſit tanquam extra earum rationem. Quare iam reliquum eſt,vt rationem curationis febrium aggrediamur, & eum ſequamur ordinem,quem hactenus ſecuti ſumus, nempe vt ab intermittentibus ſumpto initio, mox ad continentes E tranſeamus. Ita enim & Gal.ſuam in hoc lib.methodum digeſſit. Ait ergo.

[Ex intermittētibus vero breuiſſima, ac mitiſſima eſt tertiana:longiſſima autem,ac quantum in ipſa eſt haud quaquam periculoſa, quartana,&c.]

Vel huius libri inſcriptio nobis indicare poteſt, quod Galen.artem curandi morbos in compendium redactam,ſeu(quod idem eſt)methodum exponere ſibi propoſuit. Quòd vero in methodo præcipuū eſt, tum ordo,tum ratio eſt. Vnde qui rationem iſtius græci vocabuli explanare voluerunt, dicere quòd methodus ſignificat viam,hoc eſt,ordinem, ac ipſam rationem. Cum ergo aliquam artem, vel diſciplinam docemus,ac eum in ordinem partes ipſius, ipſiusque

A præcepta digerimus, quem eorum ratio, & natura requirit,rectè, & ex methodo diſciplinam illam nos profiteri,& docere,facile affirmare poterimus. Quod autem,aut totum,aut maximum in vnaquaque arte eſt,in hoc conſiſtit,vt inueniamus media illa,quæ accommodata ſunt,& apta ad perducendum artificem vſque ad finem ſuæ artis,atque præterea illis accommodate,& ex ratione vtamur. Media autem, quibus medicus ſanitatem,quæ ſuus eſt finis, vel inſtaurat, vel tuetur,ſunt ipſa auxilia, quæ tum remedia, tum inſtrumenta ſolent appellari. In horum itaque inuentione,& vſu omne fere medici momentum, vel ſi nō omnino,maxima ſaltem ex parte conſiſtit. Hæc vero tribus capitibus,vel tribus ſcopis,ſaltem quantum ad negotium noſtrum in præſentia pertinere poteſt,cōtinentur. Nimirum,vt qualia remedia ſint futura opportuna,cognoſcamus. Deinde quanta,vel quàm magna. Tertio,quo tempore adminiſtranda. Primum nobis oſtendit qualitas,& natura morbi. Vnde neceſſe eſt(vt ſuperius diximus)illi, qui omnes morbos ſe curaturum profitetur, omnium etiam differentias morborum exquiſitè ſe cognoſcere profiteri. Priuſq; de omnium putridarum differentijs: quatenus tamē ad compendiariæ doctrinæ rationem attinet,ſermonem inſtituit. Secundum autem nobis demonſtrabit magnitudo ipſius febris vel morbi. Habemus enim expreſſam Hippocratis ſententiam, quòd morbis extremis,extrema remedia apta ſunt. Tertium vero,ex ipſius morbi temporibus præſertim accipiendum eſt. Vnde expedito primo capite,antequam particulatim rationem curandarum febrium putridarum aggrediamur,de his etiam duobus,quantum iſtius doctrinæ ratio patitur,breuibus agendum eſt. Sed de tertio prius,ſicuti & de eo egit Galenus, de tempore videlicet,& ſpatio ipſius verba faciemus. Nam facile eo Aph.29. percepto,poterimus & inire rationem, tum occaſionis remediorum adhibēdorum. (Hippocrates ſiquidem ſecundo Aphoriſmorum docuit,Cum inchoant Aph.12. morbi,ſiquid mouendum eſt,mouendum eſſe: ipſis autem conſiſtentibus, quieſcendum) tum etiam victus inſtituēdi. Etenim nō eadem victus ratione vtimur in dinturnis,& acutis morbis,vt per vniuerſum primum Aphoriſmorum librum docet Hippocrates, cum enim tota ratio hæc referatur ad vigorem, vel conſiſtentiam, vt idem monet primo libro Aphoriſmorum,morbi plerumque ſecundum propriam naturā,vigorem,vel conſiſtentiam cito, vel tardè futuram oſtendunt. Qui enim breues ſunt ſuapte natura citò futurum vigorem,vel conſiſtentiā demonſtrant. Qui vero diuturniores,quo diuturniores ſunt,eo vigorem remotiorem, & tardiorem fore neceſſario ſignificant. Vnde ſicut in prioribus facile eſt,& rationi conſentaneum,vt victus tenuis inſtituatur:Ita in his poſterioribus,& difficile eſt victus tenuem ęgrotantes perferre,& contra rationem eſt, quòd tenuis admodum inſtituatur. Quia vel ex inedia, viribus ſolutis,ſimul vita cum morbo deſinet: Vel ſi mox illis ſuccurrere voluerimus,eo tempore cogemur cibum afferre,quo potius eſſet abſtinendum. Ratio vero hæc generalis eſt,& quę omnibus ferè morbis,& illis pręſertim,qui ab humorib.excitantur, competit: & in hac generalitate limites noſtros excedit: cum de febribus putridis in pręſentia tantum habeatur ſermo: Ideo etiam hoc theorema febribus his accommodabimus. In febribus ergo antequam curationem aggrediamur,poſteaquam per præcedentem tractationem perſpectum nobis eſt,nō modo genus primū, & ſubinde proximū:ſed etiam eius differentiæ omnes vſq; ad vltimam:quærendum eſt deinceps, an diuturnus ſit morbus futurus:vt mox etiam cognoſcamus, an vigor,vel conſiſtentia remota admodum ſit: an vero breuis,&(vt hic ait Galen.)acuta ſit futura eiuſmodi febris,

di febris,& cito ſit ad conſiſtentiam deuentura. Hæc autem omnia cognoſcentur ex iJs,quæ 1. Aphoriſ.ab Hippo.propoſita, & a Gale.expoſita fuere, nempe ex ipſa morbi natura:ex ſucceſſiuo acceſſionum incremento:ex anni temporibus:& ex poſt apparentibus. Nam,vt ab inſtituto noſtro non digrediamur,febriũ intermittentium,quæ exquiſitæ ſunt, tres conſtituimus differentias,tertianam,quartanam , & quotidianam,& totidem notharum, vel nõ exquiſitarum. Tertiana quidem exquiſita omnibus alijs , quantum ad ipſam pertinet,breuior eſt, & nulli obnoxia periculo. Exquiſita vero quotidiana longior quidem eſt tertiana,breuior tamen quartana : ſed quatenus ad periculum pertinet,quotidiana:tum quia interuallũ, quo natura vires reſumere poteſt,ea breuiſſimum habet,neque ita integrum,vt alia : tum quia ſemper os ventriculi,vel ſaltem plerumque malè afficitur : ideo etiam alijs maius afferre periculum ſolet. At vero quartana exquiſita ex ſua quidem natura , quamuis omnium longior ſit:attamen cum nullum alium con iunctum habet alicuius viſceris affectum , cuiuſque periculi expers eſt:quoniam eius interuallum longiſſimum,& integrum ab omni febre , quo facile vires ab incommodo,quod illis attulit acceſſio, refici poſſunt.Sed poſtea non eadem ratio eſt tertianæ nothę, quæ quidem longiſſima aliquando euadit , & longo interuallo exquiſitam diuturnitate excedens . Et ſicut exquiſita præſcriptum terminũ habet, quem nũquam ex ſua natura prętergreditur,nempe,vt Hippo crates quarto Aphoriſm.teſtatur,ſeptimam periodũ: vnde,vt eo loco ait,Galenus nunquam excedit diem decimam tertiam : licet Stephanus decimamſextam hic dicat.Contra vero notha quandoque ad ſex men ſes prorogatur . Porro exquiſita definitam habet,& certam rationem : quia quantum in ipſa eſt,ſimplex eſt eius ratio: ſicuti & quod exquiſitum eſt ſimplex eſt.Nam quòd habeat aliquam diuerſitatem,interdũ enim in quinta,& in tertia periodo poteſt iudicari,id ab habitu corporis,vel ab anni tempore,vel a rigore, vel ab eiuſmodi alijs,non ex eo,quòd mixturam habeat alicuius alterius rei , prouenit . Notha autem, quoniam ex mixtura,vt ſuperius diximus, notha,vel ſpuria eſt : Ideo pro diuerſitate mixturæ varia etiam eſt ratio,vt naturæ ita etiam temporum, quibus terminari poteſt.Et hęc omnia cognitu neceſſaria ſunt, quo & victus,& reliqua remedia inſtitui recte poſſint. Hoc tamen eſt aduertendum,quod multa eſt,vt iuniores dicere conſueuere, latitudo intra terminos tertianæ comprehenſa . Termini vero extremi duo ſunt:Vnus quidem eſt ipſa exquiſita , quam diximus ſuapte natura eſſe breuiſſimam,& in genere putridarum, & etiam in differentijs tertianarum: Alter vero eſt notha,quę longiſſima eſt,qualis illa fuit,quam hic deſcripſit Gale.& exemplo adoleſcentis explanauit: quæ ab autumnali ad vernum vſque æquinoctium prorogata eſt . Intra hos autem terminos innumera fere breuiorum, vel longiorum febrium multitudo continetur inter ſe differentium , pro ratione , qua iſtis extremis propinquiores ſecũdum naturam ſunt, vel ab eis remotiores:nec eorum numerus arte medica definiri poteſt : quoniam ex ſe indefinitus eſt: quemadmodum & eorum omnium , quorum ratio conſiſtit in eo duntaxat,quod magis , vel minus tale dicitur.Sed oportet vt rationali , & artificioſa coniectura comparemus , hanc intermediam febrem cum omnibus illis ſignis & ſymptomatibus,ac reliquis cõditionibus,per quas extremos illos terminos conſtitui,& definiri oſtendimus : ſicuti ea fuere,quæ propria eſſe diximus exquiſitæ tertianæ & hæc , quæ in præſentia dicemus fuiſſe a Galeno obſeruata in eo adoleſcente . Facta enim mutuo cum illis collatione eorum quæ in noſtro , qui nobis curandus eſt obla-

C.59.

Aph.13.

Aph.21.

A tus,ęgrotante apparent, facilè iudicabimus , quatenus in hunc vel illum extremum inclinet , & deinde quatenus exquiſita ſit longior futura : quod quidem plurimum poterit deinceps conducere ad victus rationem apte inſtituendum , & accommodate remedia alia adminiſtranda . Verum vt facilius modum iſtius collationis percipere poſſitis,reuocanda ſunt in memoriam ea,quæ de tertiana exquiſita ſuperius expoſita ſunt,breuiter tamen , ne tempus conteramus. Deinde vero explanabimus,quæcunque refert hoc in loco Gale.& ita oppoſita(vt aiunt Philoſophi)iuxta ſe poſita magis eluceſcent.Quę ergo propria ſunt exquiſitæ tertianæ,talia eſſe diximus, quod acceſſiones cum inſigni rigore ſtatim etiam a principio inuadũt, B & rigor eſt,cum veluti puncturis quibuſdam potius, quàm cum ſenſu rei frigidæ motæ per corpus : calor autem feruens eſt,& acris,pulſus magni, frequentes, & celeres,terminatur,inter initia etiam cum ſudore, aut rorida quadam humiditate:tempus autem acceſſionis non protrahitur vltra duodecimam horam. iſque eſt terminus lõgiſſimus: acceſſiones autem fiũt alternis diebus.Et hæc quidem ſunt propria ſigna, quaſi characteriſtica,& pathognomonica. Alia vero ſunt quaſi acceſſoria , & confirmantia indicium : vt ſunt natura laborantis corporis,ætas , anni tempus, & conſtitutio,regio,victus ratio,& alia eius generis: quæ quidem febrem ipſam præcedunt.Hæc autem,ſi vim habeant calefaciendi , & exſiccandi , congruunt C cum natura bilis exquiſitæ:& ideo faciunt ad eius generationem,& efficiunt corpus aptum & promptum ad id genus febres,quæ ex bile accenduntur. Et propterea non parum conducunt ad cognoſcendam naturam ipſius febris,cum accenditur . Quanto autem horum plura,vel ſaltem ea , quæ in hac re maiorem vim habent,apparent, eo febris hæc exquiſita certius eſt habenda : quanto vero pauciora,aut minora,aut minus accidentia apparent,eo magis ab exquiſita recedit.Quod vt apertius declarare poſſimus, proponã mus exemplum adoleſcentis a Galen.deſcriptum, & illud explanemus . Adoleſcentia ergo primum notãda eſt.Hæc enim, vt capite de tertiana dixit idem Galenus,ſolet tertianas febres afferre . Deinde vero,q͛ autumno febricitare incepit,parum poſt ęquinoctiũ, D menſe videlicet Septembri , vel circiter eius finem. Autumnus autem,quamuis ſoleat potius melancholicas ægritudines per ſe generare:attamen cum æſtatem excipiat:corpus etiam bile adhuc redundans inuenit:idcirco & tertianæ ſæpe eo tempore excitãtur, Vnde tertio Aphoriſmorum ait Hippocrates autum no plurimi æſtiui morbi . Ex his ergo duobus poterat Galenus hanc forte tertianam conijcere. Cætera vero omnia generationem multæ pituitæ oſtendebant . Primum quidem eius natura : vtpote qui colore erat albus,habitu pinguis. Pituitoſæ autem ſunt hæ naturæ,quę & humiditatem multam habent,nec multum calorem . Sed & victus ratio magnum afferebat momentum,vt qui otio eſſet deditus , non autem labori, neque frugali victui , at potius crapulæ, E multumq́ue,& ſæpius comederet , & biberet ad ſatietatem,nullo ſeruato ordine:frequentiſſimis etiam balneis vteretur.Quantum ergo ad pręcedentia pertinet vix quiſpiam , neque etiam mediocriter in hac arte verſatus , poſſet expectare ex ijs exquiſitam aliquam febrem , atque adeo etiam longe minus tertianam . Et tamen ita deinde factum eſt. Nam a tertiana fuit tandem correptus , ea autem adeo ſpuria,& ab exquiſita degenerante,vt vix præter rationẽ tertianarij periodi aliquid in ea fuerit , quod in tertianam referre poſſit. Nam circa auroram ſtatim prima die inuaſit:tempus autem inuaſionis exquiſitę tertianæ congruum eſt circa meridiem . Incipit vero, non cum rigore,vt ſolent legitimæ,ſed cum horrore.

Aph.22.

Horror

Horror autem medius eſt inter rigorem,& refrigerationem. Et pituitoſa febris inter initia a quadam refrigeratione incipiente habet acceſſionem. Bilioſa vero,a rigore. Quare hæc,quæ quaſi mixta,& confuſa eſt ex vtraque,ab horrore incepit, qui rationem mediam inter eas vtraſque retinet. Sed nec calor talis erat, qualis in exquiſita tertiana. Quandoquidem, vt in illa aeris, & quaſi ardens accenditur:ita in adoleſcente, obtuſior, & magis ſepultus. Pulſus vero non magni, non celeres,non frequentes, vt in illa: ſed minores,tardiores,& rariores,qui & duriores facti ſunt, mediocriter quidem in principio: poſtmodum vero etiam inſigniter: quod in exquiſita tertiana eſſe non ſolet. Vnde autem prouenerit hæc pulſus durities,facilè percipi poteſt:ſi quis in memoriam reuocauerit ea, quę de pulſu duro ſuperius in primo de differ.febr.Galenus expoſuit. Cap.7. Nam humor frigidus,& crudus per venas, & arterias digeſtus, cum copioſius eſt, ſua frigida natura pulſum durum efficit: qui quidem inter initia, cum non eſſet adhuc fuſus, neque in motu, non etiam tantam poterat duritiem, quaſi congelata arteria afferre. Poſtea vero fuſus a febrili calore, & per arterias magis digeſtus maiorem attulit duritiem. Præterea vero nec vomitus bilioſi concitati ſunt, quia bilis, & ſi eatenus vinceret,quatenus ad propriam, & ſibi peculiarem rationem periodi febrem perducere poterat: in alijs tamen quaſi coercebatur,& reprimebatur a multa pituita illi commixta. Sed nec inclinans acceſſio cum ſudore copioſo, vt ſolet in legitimis tertianis diſcuſſa eſt,verum cum quodam leui madore: quoniam craſſa erat materia. Tempus vero acceſſionis, & inclinationis quàm maximè hanc febrem diſtare a legitima tertiana oſtendit. Nam cum exquiſitè acceſſio nunquam duodecimam horam ſoleat excedere: in adoleſcente vix poſt vigeſimam ſeptimam horam: immo ſi recte ſupputandum ſit, fere poſt trigeſimamſextam deſiit. Inclinatio etiam, quæ facilis eſt in exquiſita, & celeris, vt ſuperius docti ſumus: in hac longa & difficilis fuit, & adeo ſenſim, vt vix diſcerni poſſet, & ferè vſque ad horas veſpertinas protracta reliquerit integrum adoleſcentem. Sed & ea pars periodi: quam interuallum diximus appellari, oſtendebat febrem hanc eſſe magis natura quotidianæ, & pituitoſæ ſimilem & propinquam, quàm tertianæ: quia neque pulſus ad eam æqualitatem redijt, ad quam redit in legitima tertiana: ſed potius inæqualitatem illi proximam eo etiam tempore ſeruauit, quàm in quotidiana ſemper ſeruat, per quam facile poteſt cognoſci aliquas febris reliquias eſſe eo etiam tempore relictas. Et reliquę deinde acceſſiones huic primæ ſimiles fuere prætérquam temporis ſpatio. Prior enim longiori tempore adoleſcentem detinuit, quàm ſequentes: circiter ſiquidem horas vigintiquatuor aliæ occuparunt. Quod (vt Stephanus ait) inde euenit: quoniam vel maior materiæ copia prima die mota eſt: vel aliquis aut parum ante febrem, aut in ipſa febre ab eo fuit commiſſus error, qui aliquid longitudini acceſſionis addere potuit. Cum ergo in omnibus quàm maxime ab exquiſita tertiana eſſet hæc febris remota, & ad naturam quotidianæ accederet: Ideo etiam neceſſe erat exiſtimare eam longam admodum fore, & omnia tempora longiora habituram: tum ex eius natura propter mixturam craſſæ, & crudæ, copioſæque pituitæ: tum etiam quia in diuturno morbo,præcipue vero pueri,& adoleſcentes fiunt impatientes,& contempto medico,& familiaribus,interdum etiam ipſis domeſticis aſſentientibus aberrant;& hac deinde occaſione in lõgius malum prorogatur. Et pręterea inde quoque euenit, vt hac inſuper ratione hæc febris ab exquiſita variet, quod ſicuti illa tuta eſt,& nulli obnoxia periculo:ita hæc ſępe non eſt a timore & periculo libera. Nam cum ex multa redundante pituita male afficiatur vẽtriculus,vt enim in multis eſt propinqua quotidianę, in hoc etiam illi ſimilis eſt,quòd & in hac lęditur vẽtriculus,& multę quotidie fiunt cruditates.) inde obſtructiones excitantur in viſceribus, & tandem ad malum habitum qui græce καχεξία dicitur, perueniunt,qui eſt initium,& quaſi via in hydropem. Quę omnia in adoleſcente contigiſſe narrat Gal. ait enim illi lienem intumuiſſe, & faciem factam eſſe decolorem ob inopiam boni ſanguinis, & copiam cruditatum,& ſubtumidam: calore nimirum facto imbecilliore,qui materiam illam rarefacere,& in flatum ſatis craſſum conuertere poterat:non autem cum diſcutere,& digerere. Sed hæc in partibus extremis,quæ magis remotę a caloris fonte,& magis exãgues ſunt, magis apparebant,vt in facie,& pedibus. Quod ſi dicas, cur potius in his,quàm in manibus? Reſpondet Stephanus,quia illę ſunt cordi magis propinquæ, & proinde magis caleſiunt. Addamus nos, quòd etiam illæ in ægrotantibus, & iacentibus magis quàm pedes exercentur. Sed vnum etiam in hac hiſtoria aduertendum eſt,dignum animaduerſione,quòd principium iſtius morbi prorogatum eſt ab æquinoctio autumnali vſque ad vernum ęquinoctium,ſi tempora metiamur penes concoctionis ſigna. Nam circa veris æquinoctium cœpit materia illa coqui a natiuo calore. Calor enim nunquam illam potuit ſuperare: vtpote quæ plurimum rebellis eſſet, niſi quando ſol ad nos rediens recaleſcente aere illi opem tulit. Crementum vero per quadraginta dies durauit, ita vt poſt quadrageſimum diem viſa ſint ſigna referentia exquiſitam concoctionem, cum qua concoctione omnia alia ſymptomata ſubinde mitiora euadebant. Pulſus enim molleſcebat; acceſſiones breuiores fiebant. Deinde vero,& hoc animaduertendum,quòd cum tres ſint modi, quibus ægritudines terminantur, nempe, aut per excretionem, ſicuti in vera criſi contingit, & hac ratione acuti morbi terminantur: aut per abſceſſum:& ita ſolent terminari morbi, qui neque omnino acuti ſunt, neque omnino diuturni: aut per concoctionem: multi enim morbi concocta materia deſinunt, præcipue vero putridæ febres,& diuturnæ. Et hoc modo refert hic Galen. febrem in adoleſcente deſiiſſe. Propoſitis autem his duobus extremis,ſiquis recte perceperit, quæ hactenus ſunt expoſita,facile quaſcunque febres,aut ſimplices, aut duplices, aut multiplices tertianas, quæ intra hos terminos continentur, metiri, & iudicare poterit, adhibens exercitationem in hac re, quantum huic, vel illi magis propinqua febris ſit:& ita quàm longa, vel breuis futura: quod maxime cognitu neceſſarium eſt medico recte curare volenti: vt tamen ſemper rationem, & temporis habeat, quo cępit ægrotare, & an obediens ſit, & ex ratione ſe gerat in victu, & alijs tam ægrotans, quàm miniſtri, & aſſiſtentes. Et quamuis tantum ſit hic facta mentio tertianarum febrium, quæ & frequentiores ſunt: Attamen ſi quis methodum hanc obſeruare voluerit, facile poterit ad alias febres intermittentes illam transferre. Quia nos quidem, cum de eis ageremus, nixi ſumus exquiſitam vnamquamque exprimere. Vnde ſi omnia ea nota fuerint, quæ nos expoſuimus, febris illa, tanquam exquiſita, in eo genere erit habenda. Sed ſi aliqua defuerint, quo illa plura erunt, & maioris momenti, eo magis ſpuria illa erit, & magis a legitima febre aliena. Vt tamen hoc interſit, vt ſuperius etiam monuimus, inter tertianam notham, & alias nothas, quòd quo magis ab exquiſita recedit tertiana, eo longior eſt:

aliæ

A aliæ vero nothæ contra ſe habent : quia hæc notha fit per mixtionem craſſioris humoris : illæ vero ſecus, præſertim ſi ex mixtione bilis ab exquiſitis degenerent. Sed quia non ſolum de intermittentibus eſt ſermo inſtitutus, verum & de continentibus, quas diximus ipſis intermittentibus ex proportione reſpondere : Dicere poſſet aliquis, in continenibus vero quomodo diuturnas ab acutis, & citæ terminationis diſtinguam, vel diſcernam? Hoc poſtremo etiam exponere inſtituit Gale. qui ait, quòd in continentibus : neque ad rigorem oportet reſpicere, neque ad extremorum refrigerationem, neque ad interuallum, neque ad ſudorem, vel madorem, per quem diſſlatur acceſſio inclinans, neque ad aliud quodpiam eorum, quæ intermittentibus propria ſunt, cùm his careant febres aſſiduæ. B Sed in his ea ſunt obſeruanda, quæ utriſque ſunt communia : ſicuti ſunt, quæ poſt apparentia appellantur primo Aphoriſmorum ab Hippocrate, ea nempe: quæ concoctionem indicant, vt ſunt excrementa. Aph.12. In febribus autem maximè vrinæ hoc indicant, mox & alui deiectiones. Neque hic, vt putant recentiores, ſermo eſt de ea obſeruatione, qua cognoſcendum ſit genus, aut differentia febris : Nam de hoc non eſt in præſentia tractatio inſtituta : quia ſatis de eo actum eſt ſuperius. Sed loquitur nunc de ea ratione, qua cognoſcimus, an longus ſit, vel breuis futurus morbus. Et ſi paulo antea de exquiſitis, & non exquiſitis facta eſt mentio, ea facta eſt, vt plurimum conducit C ad cognoſcendum, num in longius protrahetur morbus, vel breui ſit terminaturus. Excrementa ergo obſeruanda ſunt, vt ex eis cognoſcamus, quomodo ſe natura habeat in coquendo morbum. Quia ſi citò appareãt concoctionis ſigna, ſicuti in ſecunda, aut tertia die, facilè circa ſeptimam indicabitur, neque in lõgum poterit proferri. Si tardius ea apparuerint, eo longior, & morbus erit. Præterea uero, & habitus corporis ad hanc cognitionem conducit. Qui enim rariori habitu conſtat, hoc commodum habent in his febribus, quòd humores facilius per meatus ampliores digeruntur, & diſcutiuntur. Qui vero denſiori ſunt habitu, longiore egent tempore, vt diſſlari, & perſpirare poſſint humores a naturali calore fuſi, & rarefacti. Vnde ex hac ratione diu- D tius ſolent detineri a morbis. Sed & modus caloris, & ipſe plurimum ad hoc facit, & hoc bifariam. Nã calor vehemens, & acris breuiorem : obtuſus, & quaſi ſepultus longiorem morbum indicat. Deinde calor, qui citò accenditur, citò etiam terminatur. At qui ſenſim, & lentè ad incrementum, & vigorem procedit, ſignificat morbum futurum longum. Motus etiam arteriarum contemplandi : quia cum veloces, magni & frequentes ſunt, morbum indicant breuem futurum : ſecus autem, ſi rari, ſi tardi, ſi parui. Præterea vero & alia quoque animaduertẽda, quæ ſuperius dicebamus exteriora appellari cùm febre collata, vt ſunt regiones, anni tempora, & aeris conſtitutio, quæ non modò rationem habent ſi- E gni in hoc : ſed & cauſæ, vel ſaltem concauſæ. Quoniam hæc omnia ſi calida, & ſicca fuerint, & ſignificant, & efficiunt, ſaltem ex parte, morbos breues: quia fundunt humores, & attenuant, & eos quoque diſcutiunt, vt ſecundo Aphoriſmorum Galen. docuit. Aph.5. Tempora vero, regiones, & aeris conſtitutiones frigidæ, & humidæ, morbos prorogant: cùm contra quàm ea, quæ prius expoſita ſunt, agant. Vnde æſtiuæ febres breues, & mox vernales: autumnales, & hyemales longæ. Ita & qui calidiori ſunt temperatura, quantum ad eam pertinet, breuioribus ſolent morbis tentari : qui vero frigidiori, lõgioribus. Sic etiam conſuetudo attendenda, qui enim exercitationi, qui parſimoniæ, & frugalitati ſunt aſſueti, breuioribus, qui crapulæ, & otio dediti, plerũque longioribus morbis ſunt obnoxij. Alterum vero caput ad curationem neceſſarium, eſt magnitudo morbi cognita. Quam fortaſſe, qui non admodum ſit in hac arte exercitatus, paruifaciet, nec in eam cognoſcendam plurimum incumbet: exiſtimans ſibi ſatis eſſe priora cognouiſſe, vt poſſit eximius medicus haberi, neque aliud eſſe ſibi deſiderandum. Sed hic decipitur, inſigni etiam errore. Nam ea forſitan plurimum ad exiſtimationem cõferre poſſunt: Quia de his appoſitè loquendo poterit videri peritus medicus : At poſtea res in operando non illi ex æquo ſuccedet. Quoniam hoc maximi momenti eſt ad rectè operandum, & ferè præcipuam partem, & difficiliorem iſtius artis continet : nempe comprehenſio, & examen magnitudinis morbi. Ex hoc enim capite omnis ferè præſagiendi ars pendet. Cùm namque morbus, & natura aduerſaria inter ſe ſint, & quæ ſe mutuo oppugnent : ratioque præſagationis in hoc præcipuè conſiſtat, vt quodnam horum victurum ſit, perſpiciamus, id quidem cognoſcere non poterimus, niſi vtriuſque vires & magnitudinem prius nouerimus, ac mutuò contulerimus : quodcumq; enim viribus, & magnitudine altero ſuperius viſum fuerit, victurum etiam pronuntiare poterimus. Ex his autem non modo moriturum, vel euaſurum ægrotãtem iudicamus : ſed & an citò, vel tardè: facilè, vel multo negotio id futurum ſit cognoſcimus. Quò enim maior morbus eſt, & naturæ vires minores, & languidiores, eò citius natura morbo ſuccũbet. Quo autem contra natura potentior, & fortior, morbus vero minor, & debilior, eo citius, & facilius ægrotus, ſuperato morbo, priſtinam recuperabit ſanitatẽ. Prẹterea, hoc idem caput ad victus inſtituendi rationem maximam partem obtinet. Aph.7. Nam primo Aph. docuit Hippoc. quòd vbi morbus peracutus eſt, ſtatim & extremos habet labores, & extremè tenui victu vtendum eſt: vbi vero non, ſed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum eſt, quanto morbus extremis eſt mollior. Sed & ad remedia aptanda morbo hoc maximam vim habet : cũ remedia debeant morbo ex proportione reſpondere. Etenim extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt, eodem Aphor. primo dixit idem Hippocra. Vt autem maximè neceſſaria eſt hæc conſideratio : ita & maximè difficilis: atque adeò etiam difficilior eſt. Aph.6. Quia in vniuerſum quidem facilè eſt rationem exponere, in qua tum virium magnitudo, & robur : tum morbi magnitudo conſiſtit : Vires enim ex earum operationibus cognoſcuntur. Vt vitalis quidem ex magnitudine, & fortitudine, vel ex exilitate, & imbecillitate pulſus cognoſcitur, num magna, vel parua ſit. Naturalis autem præcipuè ex concoctione veloci, & magna, quam excrementa oſtẽdunt. Animalis vero ex ſenſuum integritate, & robore in motu. Morbi autem magnitudo, cùm ille ſit exceſſus a naturali ſtatu, eius magnitudo conijci debet ex collatione ſtatus præſentis, cum ſtatu eiuſdem hominis, dum bene valeret : & quo magis a naturali abſceſſerit, eo maior morbus iudicandus erit, vt in Progn. & in lib. de ijs, quæ in medica officina, uel ut græce inſcribitur κατὰ τὸ ἰητρεῖον. Sed, ut rem exquiſitius, & magis particulatim tractemus, morbus aliquis, quemadmodum docuit Galen. quarto Metho. & lib. de Conſt. art. med. tribus de cauſis magnus eſſe poteſt : Aut propter eius uehementiam, ut febris ardens ipſa ſecundum ſe magnus eſt morbus : Aut propter particulæ affectæ dignitatem, & neceſſitatem, ut phrenitis, & peripneumonia, ob affectum cerebri, & pulmonum, magni morbi ſunt: Aut propter maligna, & difficilia ſymptomata, ut ſyncopalis febris, & colica magni morbi ſunt : illa quidem ob

animi defectum: hæ autem ob vehementem dolorem Et hæc quidem generatim, non multo negotio deſcribi, & literis committi poſſunt. Sed particulatim deinde perpendere, quanta ſit, in vno quoque morbo magnitudo, & quantum ſit in vnoquoque ægrotante virium robur: hoc neque doceri, neque literis definitè exprimi poteſt: & longè minus etiam definitè ſcriptis explanari, vel lingua doceri: cum vires cum morbo comparantur, quantus ſit alterutrius exceſſus. Et quamuis nihil ſit, quod magis medicū celebrem, & eximium reddere poſſit, quam hęc peritia: ea tamen non ſcientia, non diſciplina comparari poteſt; ſed tantum diligenti animaduerſione, & multa aſſidua exercitatione, & conſideratione. Et ſi aliquid fui, vel aliquod nomen conſecutus ſum in medicina (ait Galen.) totum id acceptum huic rei referēdum eſt: vtpote quia ſemper omnem induſtriam, & diligētiam adhibui, vt quo magis fieri poſſet: particulatim magnitudinem morbi perciperem. Hæc ergo tanquā maxima fundamenta, quibus omnis eorum, quæ in poſterum a nobis de ratione curandarum febrium dicenda ſunt, fabrica incumbet, accipienda ſunt. Aggrediamur ergo tractationem, hanc ea, qua poſſumus, diligentia. Et poſteaquam conſtituimus non poſſe ſcriptis definitè, & particulatim explicari harū rerum quantitatē: ſaltem eas indicationes, quę ab ipſa rei qualitate, & natura depromendæ ſunt, exponamus. Primumque de ratione curandi tertianam exquiſitam ſermonem habeamus.

De Curatione Tertianæ exquiſitæ. Cap. IX.

EXQVISITAM ergo tertianam, vt quæ ex flaua bile commota inualeſcat, quanto magis fieri poteſt, &c.] De intermittentium febrium curatione ſermonē in præſentia habituri, ab ea exordiū ſumemus, & eundem ordinem ſequemur, a qua ſumpſimus, & quem ſecuti ſumus, cum egimus de earum dignotione. Primum ergo de curatione exquiſitæ tertianæ tractationem inſtituemus: vtpote quę aliarū comparatione ſimplicior, & facilior ſit, ſiue ſymptomata, ſiue indicationes: quæ curandi methodum conſtituunt, reſpexerimus: & quæ magis ſimilis ſit ipſi ephemeræ, & breuitate, & indicationibus, & alijs multis, de qua quidem proximè ante has febres fuerat tractatum. Vt autem exquiſitius, & magis particulatim percipiatis rationem curationis iſtius febris, aliqua reuocanda ſunt in memoriam, quæ ſuperius fuere expoſita in vniuerſum, atque ea aptanda, & accommodanda, particulatim huic negotio, quod tractamus. Nam ita agere docuit Ariſt. in Poſt. analyt. nempe in diſciplinis principia communia, & generalia coarctanda eſſe ad inſtitutum priuatum: ita enim propria quodammodo fiunt: Diximus vero ſuperius omnem curandi rationem, vt in omnibus alijs affectibus, ita ēt in febribus in tria capita reſolu: videlicet in qualitatē remediorū, in quātitatē, ac demū in tēpus opportunū eorū vſui. Quæ eā inter ſe differentiā habent, ꝙ facilè quidē qualitas remediorū, & in vniuerſum, & particulatim definiri poteſt, & in methodū redigi. Quātitas vero particulatim nequāquā poteſt determinari, qa ea pendet à quātitate morbi: maior aūt, & minor morbus dicitur, quatenus magis, vel minus à naturali conſtitutione laborātis corporis recedit. Quod percipi non poteſt, niſi particulatim cognita priuata vniuſcuiuſque natura: hoc vero indefinitum, quod arte, & diſciplina definiri nequit, ſed potius id coniectura, & diligenti obſeruatione aſſequimur. Ideo multus quidem ero (dixit Galen.) in calce præcedentis capitis in exponenda

A qualitate: in quantitate vero paucus admodum, & duntaxat in vniuerſum. De tempore etiam, & opportunitate remediorum, quantum ad compendiariam diſciplinam pertinere poteſt, aget. Sed, vt omnia ex ratione exponat, duo primum fundamenta ponit, quibus omnia dicenda innituntur. Primum eſt, quod tamen ab ipſo ſecundo loco exponitur, acceptum ex definitione medicinæ ab Hippocr. tradita: nimirum, quòd medicina eſt additio, & detractio, additio quidem eorum, quæ deficiunt, detractio vero, vel repreſſio eorum, quæ excedunt. Alterum autem, quòd ex priori ſequi videtur, eſt, quod in ipſis morbis contraria medicamenta, vel auxilia contrarijs morbis remedio ſunt. Ex quibus ſequitur, quòd morbi, qui in temperie conſiſtunt, per intemperiem contrariam tolluntur: & qui ex repletione excitan- B tur, vacuatione curātur: & qui ex vacuatione, repletione. His ergo fundamentis poſitis, quibus vniuerſa iſtius curationis ratio incumbit, conuertit ſe Galen. ad perſcrutandas indicationes præcipuas, quæ nobis ſcopos demonſtrant, quos reſpicere oportet in reperiendis remedijs opportunis in hac febre curanda. Indicationes vero primas, & præcipuas nobis oſtendet natura, & eſſentia iſtius febris. Nā cùm febris omnis, quæ putrida ſit, in genere morborum exiſtat, qui in intemperatura calida conſiſtunt, & ea non ſimplici, ſed cum materia, ſitque intemperatura quidem non facta, ſed fiens. Facta enim ſola hectica eſt, quæ, & a materia independens eſt. Putridæ autem febres dependent, vt putridæ ſunt, & in eſſe (vt C noſtri recentiores Philoſophi dicere conſueuere) & in conſeruari. Vnde non vna, ſimplexque ex hac iſtius febris natura inſurgit indicatio, ſed potius duplex. Altera, quæ reſpicit ipſam intemperaturam, per quam operationes læduntur. Altera vero, quæ reſpicit materiam eiuſmodi intemperie feruentem. Et prima oſtendit eſſe tranſmutandam eam intemperiem, & tranſmutandam quidem per ſua cōtraria, iuxta ſecundum theorema, & fundamentum poſitū. Cumque febris hæc præ alijs omnibus calidiſſima, & ſicciſſima ſit intemperatura: vtpote, quæ ab humore aliorum omnium calidiſſimo, & ſicciſſimo foueatur: Ideo ſcopus nobis ab his indicationibus primus propoſitus eſt, quo humectandum, quoque refri- D gerandum ſit: nec modo quod ſit, & humectandum, & refrigerandum: verumetiam, quòd plurimum ſit refrigerandum, & humectandum. Horum vero alterum ad qualitatem: alterum ad quantitatem remediorum (vt exponemus paulo poſt) pertinebit. Altera vero indicatio reſpicit materiam fouentem eiuſmodi intemperaturam. Et hæc proponit nobis alterum item ſcopum, nempe detrahendam eſſe eam materiam: vtpote, quæ ſuperuacanea ſit in corpore, ac ſua præſentia foueat, & conſeruet ipſam febrem. Niſi enim illa detrahatur, fieri nequit, vt febris tollatur. Detrahitur autem vacuatione: atque huic ſcopo inſeruit alterum fundamentum, nempe, quòd per adhibita contraria, quod ſuperat, reprimatur. Superuacanea ergo bilis copia, vacuatione, tanquam ſuo E contrario, coercēda eſt, & ad naturalem modum deducenda. Ecce ergo quàm breuiſſimè Galen. naturam rei ſecutus, expoſiturus methodum curandi tertianam exquiſitam, à natura rei exorſus, primo indicationes depromit, ab eis ſcopos præcipue obſeruandos in inuentione remediorum deſumere docet: tertio vero ad inuentionem remediorum, vel inſtrumentorum procedet, quæ cū illis ſcopis conſentiant, atque illis congruant. Sed de his paulo poſt. Prius enim quædam circa ea, quæ hactenus propoſita fuere diſcutienda ſunt, & diligenter conſideranda. Ac primùm quidem, quòd quamuis in febre ſit imprimis intemperies calida, & ſicca, quæ cor corripuit, & ſub-

& ſubinde vniuerſum corpus. Deinde vero materia quæ eam intemperiem fouet,& cuſtodit, in tertiana ſanè bilis. Videtur tamen Gal.vniuerſam ferè indicationis rationem in ipſam materiam referre potius q̃ in ipſam intemperiem. Neque enim ait, quòd quia febris eſt affectus calidus,& ſiccus,refrigerandum,& humectandum ſit,ſed ait, quia bilis commota dominatur,qui humor,& calidiſſimus,& ſiccilſimus. Neque ea reſponſio omnino nodum diſſoluit, vt dicamus,quòd id tanquam corollarium ſequitur,nempè, quòd ideo affectus hic,vel intemperies calida,& ſicca eſt,quoniam humor,ex quo accēditur,calidus,& ſiccus eſt. Nam ſi hæc ratio proxima,& adæquata eſſet, a pari diſceremus,quòd quartana,& quotidiana, febres eſſent intemperies frigidæ:altera & humida: altera,& ſicca. Quod tamen falſum eſt,quia per ſe omnis febris intemperatura eſt calida,& ſicca.Siquidem febris non ſemper ſequitur naturam propriam humoris,ſed quandoque aduentitiam. Putreſcēs enim humor,qui ſuaptè natura frigidus,& humidus eſt,ex vi putredinis in calidum, & ſiccum tranſit. Vnde in febre tertiana duplex eſt caloris,ac ſiccitatis cauſa,& natura humoris propria,& eius putredo:cùm in alijs ſit vnica tantum,ipſa ſcilicet putredo.Dicamus ergo, quòd in febribus putridis raro admodum ab ipſa intemperatura febrili accipimus præcipuam aliquam indicationem. Sicut neque in alijs intemperaturis cum materia,niſi illa ſit iam facta ſtabilis,& independens. Quod in putridis non eſt,quatenus putridæ, niſi aliquando adeo excreſcat calor,vt quantumlibet fiens, & nōdum ſtabilis ſit,timeamus tamen, ne vires deijciat,aut ne figatur.Nam tunc fortis inde inſurgit indicatio,quia potius tunc ſubinduit rationem cauſæ, perinde,vt aliquando etiam ſymptomata. Alioquin enim (vt in primis ferè tractationibus noſtris expoſuimus) ea,quæ in fieri,& tranſmutari eſſe habent, nec dum diſpoſitionem,vel affectus dici poſſunt: nullam habent in curandi ratione indicationem: ſicuti neque ea ratione morbi dici poſſunt, ſi propriè velimus loqui. Vnde omnem indicationem retinet materia,a qua fouetur ea intemperatura, & fit. Et ideo appoſitiſſime locutus eſt Gal.cùm dixit, quòd oportet tertianam exquiſitam, quam maxime fieri poteſt, refrigerare,& humectare,vtpote,in qua bilis commota ſuperet.Secundum vero,quòd conſiderandū eſt, ad id pertinet,quòd ait ipſe,quòd propterea,quia in hac febre commota flaua bilis ſuperat,prẹter id,quod quàm maxime refrigerandum,& humectandum eſt, indicatur eſſe inaniendum. Nam cum in bile exuberante in corpore febricitantis duæ ſint partes. Altera, quæ actu iam putreſcit, vel calorem febrilem accendit. Et hanc iuniores, qui Auic. & Arabas ſequuntur,cauſam coniunctam appellant: Galen. tamen diceret, hanc non cauſam febris eſſe, ſed ipſam febrem, cùm ſit intemperatura cum materia: neque poſſit eſſe cum alia materia, niſi cum hac putri: immo ratione eius rationem morbi habeat. Quia cùm ipſa intemperatura in membris non ſit διάθεσις, vt græcè ait Gale.cùm non ſit permanens affectio, ſed, quæ fiat, & in tranſmutatione eſſe habeat. Ideo neque morbus (vt ſæpenumero ex Galen.ſententia expoſuimus) dici debet. Altera vero pars eſt, quæ nondum putruit, parata tamen ſua natura eſt,vt paulò poſt putreſcat: vel propterea, quòd non eſt, aſſecuta perfectionem ſuam, ſibi ex natura debitam a calore naturali: vel, quia nimis ſuperat naturalem modum, & copiam: vel quoniam adeo imbecilles ſint vires caloris natiui corporis, vt eam rectè nequeant adminiſtrare. Etſi ad ea,quẹ ſequuntur velimus reſpicere, procul omni dubio, hæc prolata ſunt a Gale.habito reſpectu ad bilem eam, quæ nondum putruit,verum cauſæ antecedentis adhuc rationem ha-

A bet. Quia, quæ iam putrida eſt, illa eſt, vnde acceſſio accenſa eſt,quæque non eſt vacuanda modis illis, quorum meminit hic Galen.ſed illa, tum a natiuo, tum ab extraneo calore diſſoluitur, diſcutiturque euaporante tenuiori, & humidiori parte, aut per vacuationem ſenſibus inconſpicuam, aut per eā, quæ ſenſibus eſt manifeſta,vt per ſudorem, qui inclinante acceſſione excernitur, & per quem deſinit acceſſio, relicto cineritio. Quæ autem nondum putrida eſt, illa eſt, quæ ſequentibus acceſſionibus materiam, & fomentum ſuggerit. Vnde quandoque vnica tantum acceſſione finitur tertiana febris, quia quicquid bilis ad putredinem apta aderat, ea vniuerſa ſimul putruit,qua conſumpta deſinit febris. Niſi B relictum fomentum in alio loco, ex quo præſtetur occaſio accendendi iterum aliam acceſſionem. Fomētum vero eſt,quoniam,aut reliqua eſt aliqua pars bilis in alijs corporis particulis,quæ per periodos propellitur ad locum putredinis: aut aliqua affectio in aliqua parte corporis, nempe calida intemperies in aliqua particula: vnde interim,dum conſumitur materia præcedentis acceſſionis, alia congeritur apta ad reaccendendum ſequentem, & nouam. Quare ſi velimus rem hanc intimius ſcrutari,curatio harum putridarum febrium vniuerſa,niſi, cùm tantùm eſt incēdium,& adeo continuum, vt timeamus, ne vires deijciantur,aut ad maraſmum,vel tabem corpus deducatur, vniuerſa inquam harum febrium curatio C verſatur circa hoc, vt fomentum ſubtrahamus futuris acceſſionibus,detracta videlicet materia. quæ hactenus cauſæ antecedentis rationem habet,& remota cauſa,nimirum mala ea temperatura,quẹ occaſionem præſtat in dies generandæ bilis. Hoc ſenſit, & Auic.capite de cur.febr.in vniuerſum,vbi ait,& ſcias, quod intentio in medicando has febres quandoque vertitur ad partem febris, & neceſſe eſt refrigerare, & humectare: quādoque ad patem materiei,& oportet,vt mutetur,& interdum vacuetur.Qua in parte, & illud aduertendum, quòd indicatio quidem, ſiue (vt ait Auic.)intentio,quæ circa febrem per ſe verſatur,vnica,& ſimplex eſt in omnibus febribus,& nullam in ſe habet differentiam.In quacunque enim febre,indicatio, quæ ab ea accipitur eſt refrigerandi, D & humectandi. Quia omnis febris, quatenus febris eſt,morbus calidus,& ſiccus eſt.Indicatio vero, quæ deſumitur ex parte materiei, multiplex, & varia. Immo,& interdum contrariæ ſunt hæ indicationes pro varia materiei ratione,& natura: quòd etiam in ſequentibus exponemus. Rariſſime autem medici intentio,& indicatio vertitur ad febris partem,& nonniſi in continuis,& ardentibus febribus: plerunque autem ad partem materiei. Quin,& hæc tandem eſt vera harū febrium curatio,ſecus quàm in hecticis,& in ephemeris. Et ſi opponas, quòd non erit hæc propriè curatio, quia curatio propriè ad morbum attinet: præſeruatio autem, uel cuſtodia ad ipſam cauſam. Dico uerum quidem eſſe, quod opponis (ut, E & Gal.teſtatus eſt)ſi exquiſita,& diligenti nominum obſeruatione uti uelimus. Verum in conſuetudinem deductum eſt a medicis,& illis quidem, qui celeberrimi fuere,ut quæcunque fiunt in morboſo corpore,quò morbus tandem tollatur, ſiue ea proximè morbum reſpiciant,ſiue cauſam, curationis nomine comprehendantur:qui quidem de rebus ipſis, potius quàm de uerbis ſoliciti fuere. Vnum præterea conſiderandum,quòd ſi,& diuerſa ſit omnino ratio ipſius febris,& ipſius materiæ,unde illa accenditur.Interdū tamen adeò hẹ ſimiles ſunt,& in unam eādē rationē conſpirant,ut,& indicationes inde depromptæ eædē aut omnino ſimiles ſint.Hinc autem prẹcipue locum habet in bilioſis febribus, prẹſertim uerò quoad primam,& maiorem earum rationem. Nam, & febris

ipſa calidus, & ſiccus eſt affectus: & materia ipſa (vt hic Galen. ait) humor eſt calidiſſimus, & ſicciſſimus. Vnde nulla eſt hic indicationum contrarietas, ita vt altera alteri obſtet. Et proinde, quàm maxime fieri poteſt, indicat refrigerandum, & humectandum eſſe. Atque huiuſmodi ratio, & methodus curandi, quando inter ſe indicationes conſentiunt, & faciliima, & ſimpliciſſima eſt. Et ideo etiam diximus, primam curationem iſtius febris fuiſſe deſcriptam, vtpote, quæ eſſet ſimplicior. Sed hoc quoque conſiderandum eſt, quòd quamuis indicationes à febre, & à materia, quatenus ad qualitates pertinet, in vnum conſentire diximus, non eſt tamen id ita accipiendum, vt omnino omnes indicationes, quæ hinc, & inde depromuntur, ſint omnino eædem: quoniam materia non modo qualitate, & temperatura moleſta eſt, quemadmodum febris, ſed etiam multitudine, & copia: quia ſuperuacuus eſt humor, vnde febris accenditur. Ideo præter indicationem refrigerandi, & humectandi, indicat etiam vacuandum eſſe: in quo diſcrepat à parte febris, quæ cum ſit intemperatura, quantum ad ſe pertinet, non indicat eſſe vacuãdum: vacuatio enim materiam reſpicit. Sed hæc indicatio vacuationis non prima eſt, & maior: at poſterior, & minor: non modo habita ratione febris, ſed etiã ipſius materiæ. Quod, vt rectius percipiatis, animaduertẽdum eſt, quòd (vt docuit Gal. decimo tertio Meth. conferens eryſipelas inflammationi) craſſus

Cap. 8.

humor a tenui, & acri differt, quod in craſſi humoris, etiam calidi curatione, præcipua, & prior indicatio præſcribit eſſe vacuandum. Nam eatenus refrigeramus in inflammatione, quatenus ſiſtamus fluxionem, & eius incrementum prohibeamus, in reliquũ autem euacuationi intendimus. Quia materia in inflãmatione contenta diſtendens maiorem concitat dolorem, quàm calefaciens. Eryſipelas vero, cùm a leui, & tenui humore excitetur, & mordaci, magis vrendo, & mordendo cruciat, quam diſtendendo. Ideo in primis danda eſt tranſmutationi opera, & magis, quam euacuationi. Etenim natura a moleſtia mordacis qualitatis liberata, facilius, & minori negotio eam materiam digerit. Vnde expectat auxilium medici in euacuandis craſſioribus partibus, quę tanquam fæx relictæ ſunt. Ita, & in his febribus licet multa ſit bilis, tamen magis moleſta eſt ardore, & mordacitate, quam copia: quoniam cùm tenuis ſit, & leuis, non opprimit, & aggrauat naturã, ſicut graues, & craſſi humores. Et idcirco prior eſt, & maior refrigerandi, & humectandi indicatio: poſterior vero & minor vacuandi. Quòd quidem memoriæ mãdãdum eſt propter quædam vtilia, & ſcitu digna, quæ paulo poſt ſumus expoſituri. Quatenus autem ad eam refrigerationis, & humectationis indicationem pertinet, Gale. videtur adeo breuis, vt non paruam reliquerit obſcuritatem, & ambiguitatem, cùm dixit refrigerandum eſſe, & humectandum, quã maxime fieri poteſt. Id vero dubium omnino videtur. quia, vt primo Apho. docuit Hippoc. remedia debent

Aph. 6.

ex proportione morbis reſpondere. Extremis enim morbis extrema remedia accommodata ſunt ad ſalutem: & quanto morbus extremo mitior eſt, eo etiã remedia extremis debent eſſe minora. Exquiſitã vero tertianã nemo, q ſapiat, ponet in magnis morbis, vt ipſe ẽt Gal. ſępiꝰ docuit. Quã maxime aũt refrigerare, eſt extremũ remediũ. Vnde, & Auic. a Gal. videtᷓ diſ-

Cap 32.

ſentire, q tract. 2. primę fen. quarti ait, & nõ vltimes in infrigidatione multa. Pręterea vero, & Gal. ipſe ĩ fine ſuperioris capitis de qualitate, nõ de quãtitate remediorũ ſe acturũ ait; hoc aũt videtᷓ quãtitatẽ ſpectare. Vt, & id nõ ſit prætereundũ, quod de indicationibus hic ſermo eſt, quæ a morbo, & a cauſis morbi depromendæ ſunt. Illę autem (vt paſſim in lib. meth. & lib. de Conſt. art. medic. & alibi ſæpe docuit) remediorum qualitatem demonſtrant. Quantitatem àutem, & locum, & modum adminiſtrandi oſtendũt indicationes deſumptæ, à natura, tum corporis, tum particulæ affectæ. Vnde ergò deducit, quòd quã maxime fieri poteſt, ſit refrigerandum? Vt autẽ res hæc exactius percipiatur, hoc intelligendũ eſt, primum, quòd Gal. verba hoc in loco referenda ſunt ad rationem, & vim indicationũ, quæ in exquiſita tertiana vigent. Non autem ita abſolute accipienda, nempe, quod extreme refrigeremus, & immodice. Quandoquidẽ immodica refrigeratio, aut vires caloris natiui deijcere poteſt, aut ad contrarium affectum perducere. Nam aliquando, vt & Auic. prima quarti docuit, nec ab eo diſſentit Galen. nimia refrigeratio ex tertiana exquiſita ad febrem pituitoſam, & quotidianam perducit. Quare conſiderandum, quòd diuerſa eſt ratio tertianæ exquiſitæ ab alijs putridis febribus. Quoniam in hac omnes indicationes, tàm, quæ ab ipſa febre, quam, quæ a materia prodeunt, in eundẽ ſcopum tendunt, neque in eis aliqua eſt repugnãtia: quia tàm cauſa, quàm febris eadem ratione modũ naturalem excedunt, calore videlicet, & ſiccitate. In alijs autem febribus ſecus eſt, quippe cum indicationes ſemper inter ſe aduerſariæ ſint. Nam febris refrigerandum eſſe indicat, materia vero, vtpote, quæ frigida ſit, quia, vel eſt pituita, vel humor melãcholicus, indicat calefaciendum eſſe. Et quamuis ſemper altera indicatio potior ſit, & vires maiores habeat, vt medicũ ad ſe conuertat: ſicut plerumque in his febribus indicatio à materia deprompta, Attamen nunquam ita illi inſeruit, vt omnino, & alterã deſpiciat, & negligat, immo, & eius ſemper aliquã habet rationem. Vnde in quotidiana, ſi pituita, quæ frigidiſſima eſt, indicat calefaciendum, & plurimum calfaciendum, & eiuſmodi indicatio potior ſit, quam ea; quæ à febre eſt, quæ tamen à febre eſt, repugnat priori, & obſiſtit, ne ita calefaciamus, ſicut requireret prior, & potior indicatio, ſed modeſtius, ac temperatius agamus. In tertiana autem, cum omnes indicationes propriæ tertianæ conſentiant: ideo, quantum ad eius naturam pertinet, poſſumus, quantum volumus, refrigerare, quia in eandem naturã conſpirarunt, vtræque res, à quibus ſunt petendæ indicationes. Vnde ſi modus refrigerationi imponendus eſt, ille non ab ipſa tertiana accipiendus eſt, ſed ab alia re, ſicut vel a febricitantis natura, & temperatura, vel ab aliquo alio affectu in quodam membro particulatim. Præterea vero, & hoc conſiderandum, quòd quando ait Galen. quòd refrigerare oportet, quàm maxime fieri poteſt, non ſolùm referendum eſt ad medicũ, vt eorum verborum ſit ſenſus, quòd medicus tantũ refrigeret, quantum ſuis remedijs refrigerare poteſt, ita vt extreme etiam refrigeret. Quia hoc falſum eſt, & admodum periculoſum. Nam ſequeretur, quod ſemper in his febribus extrema vtendum eſſet refrigeratione, & in omnibus eadem, ſi in omnibus, quàm maxime fieri poteſt, eſſet refrigerandum. Sed ea ſententia referenda eſt ad rationem, & naturã, viresque febricitantis corporis, vt ſit ſenſus, quòd oportet medicum, quàm maxime poteſt refrigerare, & humectare, habita videlicet ratione naturæ, & virium laborantis corporis. Semper enim remedia ſunt accommodanda corporibus, & eorum viribus. Quandoquidem oportet indicationes a morbo deſumptas moderari per eas, quæ a laborante corpore accipiuntur. Quare, vt poteſtis aduertere, in his verbis inſinuauit indicationem eam, quæ eſt ab affecto corpore, quæ quidem indicatio definit rationem magnitudinis remediorum. Nam, & magnitudinẽ morbi per relationem ad naturalem ſtatum corporis affecti cognoſcimus, vt ſuperius expoſuimus. Hanc vero indicatio-

dicationem tantum innuit, & confuſè, in vniuerſumque protulit, non autem definite diſtinxit. Quia iam audiuiſtis, quòd definitio hæc, & diſtinctio non poteſt particulatim deſcribi, & in artem redigi. Ita ergo intel igendus eſt is locus ſatis obſcurus. His itaque in hunc modum expoſitis, quæ proprios ſcopos ſpectandos in curatione exquiſitæ tertianæ comprehendunt, reliquum iam eſt, vt inſtrumenta, & media item explicemus, hoc eſt, remedia inquiramus, & explanemus, quibus ſcopos eos aſſequi poſſimus, quorum habita ratione inſtitutam methodum abſoluamus. Cùm autem duos propoſuerit ſcopos, & prior quidem in hac febre, & potior ſit, qui tranſmutationem per refrigerantia, & humectantia fit: alter uero & poſterior, qui inanitionem ſuperantis humoris ſpectat: Prius tamen de inſtrumentis agit, quibus vacuationem moliamur: mox vero de alijs, quæ priorem ſcopum reſpicient. Ait itaque, procurare oportet, cùm euacuare volumus, vt qui ad ventriculum humor confluit, per vomitum vacuetur. Vbi conſiderandum eſt, quòd quinque ſunt maximè in euacuatione perpendenda (vt ſecundo lib. Com. in ſextum Epid. docet Hip. & Gal.) quantum ad præſens negotium pertinet: Nimirum quid ſit vacuandum: Deinde quantum ſit vacuandum: Tertiò per quam viam ſit vacuandum: Quartò quomodo, hoc eſt quibus inſtrumentis ſit vacuandum: Quintò quã do ſit vacuandum: Quæ omnia, breuiſſime tantum, perſequitur Gal. Nam quia vacuatio tunc prodeſt, & vtilis eſt (vt in Aph. docuit Hipp.) cum ea purgantur, quæ purgari oportebat. Ea autem purgare oportet, quæ noxia ſunt, & morbos efficiunt. Eiuſmodi autem in his febribus eſt bilis. Ideò paulò poſt ſubdit Galen. iuuat autem per has partes facta bilis purgatio. Viæ autem, per quas bilis vacuari commodè poteſt, ſunt multiplices: aut enim per inferiorem aluum, aut ſuperius per vomitum, aut per vrinam, aut per cutem, nempe ſudoribus, vel euacuatione ſenſibus inconſpicua, per ocultos corporis meatus. Quòd autem per has omnes vias in tertianis exquiſitis vacuare bilem expediat, probat Galen. breuiſſimè, & optimè. Nam ars ſemper eſt naturæ imitatrix, & miniſtra, ſed natura ſæpè per has notas vias vacuat in tertianis exquiſitis bilem ſponte, & vtiliter etiam: ergo per eaſdem eſt a medico euacuanda, ſi eius uacuatione eſſe opus iudicauerit. Sed forſitã aliquis, & hoc definiri a Galen. cuperet, num .ſ. ſemper, & indifferenter per has omnes vias liceat vacuare: an vero aliquando per vnam, aliquando per aliã? Neque enim videtur rationi conſonum, medicum ſe habere ſemper ad omnes hos vacuationis modos indifferenter in his tertianis. Vnde videtur, & hoc ex Galen. exigendum, quando hoc, & quando illo modo ſit purganda bilis. Hoc vero, & docet Galen. ratione ab Hippoc. primo. Aphor. accepta: inquit enim per eam viam bilis ducenda eſt, in quam natura prona eſt. Nimirum ſi ad ventriculum ſponte ferri videatur, vomitu expurganda. Si ad inferiorem aluum, per inferiores deiectiones. Si ad renes, & inſtrumenta, ac vias vrinæ, per lotium vacuanda eſt. Si ad cutem propellatur ea, aut per ſudorem, aut per inconſpicuam vacuationem purgãda eſt, quod in balneis fieri ſolet. Tertio autem loco conſiderandum venit, quibus inſtrumentis, vel remedijs per has uias omnes particulatim ſit uacuandum: prius tamen ponendum eſt unum fundamentum, cui ferè uniuerſa ratio inueniendorum horum remediorum, uel inſtrumentorum innititur, quod eiuſmodi eſt. Superiùs expoſuimus, quòd cùm duæ ſint in hac febre indicationes, & duo ſcopi, alter refrigeratio, & humectatio, alter uacuatio: prior, & potior eſt hic refrigeratio, & humectatio, poſterior, & minor uacuatio: & propterea ſemper ad priorem oculus habendus eſt, ut ſcilicet in uacuatione ſemper aduertamus, ne eis utamur, quæ priori ſcopo inſigniter aduerſentur. Vnde ſi per aluum inferiorem deducenda ſit materia, optime id fiet per clyſteres, non tamen per quoſcunque; quia qui acres ſunt, & medicamentoſi, ut in quibus incoquuntur agaricus, aut colocynthis, aut centaurium, aut inijciuntur hieræ, hi calefaciũt, exiccantq; ualde, prętereà, quòd in initijs crudas materias uiolenter exagitãt. Quapropter inepti, & incõgruentes ſunt. Aptiſſimi autem huic negotio ſunt molles, & qui leniunt, hi enim humectando leni ſua natura, & refrigerando educunt, & utrique ſcopo commodi ſunt. Eiuſmodi autem clyſteres ſunt, quales in uſu erant Galen. temporibus, qui ex mulſa conficiebantur, hoc eſt, ex ea, quę aqua mellis appellatur. Cui (vt octauo, & vndecimo Metho. legitur) addebat ipſe parum olei: molliſſimus autem eſt eiuſmodi clyſter. Decimotertio autem Metho. addit etiam parum ſalis, aut nitri. Hæc uero moderanda ſunt, & pro natura corporis inaniendi. Quidam enim aluum habent, quæ niſi irritetur, nihil reddit. Præterea vero moderanda ſunt pro natura eorum, quæ in inferiori aluo continentur. Nam, & ſi exquiſita tertiana ex tenui humore, & lentoris experte accenſa ſit: Sępe tamen, vel ex natura laborãtis corporis, nempe, quia frigidiorem habeat ventriculum, vel ex malo victu, in inteſtinis congeſta eſt copia aliqua lenti, & craſſi humoris, ratione cuius clyſteres non educunt, niſi inditum ſit aliquid, quod vim habeat incidendi, & detergendi, cuiuſmodi eſt ſal, & nitrum. Et communiter ſolent raro admodum eiuſmodi clyſteres molles etiam, ſine ſale componi. In eodem ordine eſſet clyſter factus ex aqua hordei, addito item oleo, & ſaccharo illo rubeo. Solemus autem in præſentia, cũ molliſſimos clyſteres parare volumus, accipere tantũ iuris carnis, vel gallinaceæ, uel alterius, ac mollior erit clyſter, ſi ius erit pingue, addito oleo, & ſaccharo v. g. accipimus duas, uel tres uncias olei, unam autem ſacchari, uel paulo ſupra, & ex his clyſterem cõponimus, & ab aliquibus communes hi clyſteres appellantur. Ab alijs autem communes clyſteres fiũt ex herbarum decocto, in hunc modum, ut accipimus maluam, & folia herbæ uiolarum ad manipulum, quæ coquantur ex communi aqua: deinde uero accepto decocto in ea copia, quæ uideatur ſatis, habita ratione ætatis (minori enim egent pueri, maiori uero adulti) & natura corporis (quidam enim nequeunt admittere ingentes clyſteres, alij uero facile ferunt) decocto autem ſaccharum addunt, oleũque, & (ut in alijs diximus) ſal. Interdum, & folia betæ incoquimus, cùm aliqua maiori egemus deterſione: habent enim betæ folia non nihil nitroſę ſubſtantiæ, in qua uis eſt detergendi. Quidam & mercurialem addunt, hæc uero herba ualentiores etiã clyſteres efficit: prædita namq; eſt maiore ui medicamẽtoſa. Vnde, & aptiores eſſent eiuſmodi clyſteres in tertianis nothis. Dicet autem iunior, nullam mentionem feciſti uitelli ouorum, quibus utuntur plerunq; mulieres, dum conficiunt clyſteres, ita ut ſi prętermitteretur, uideretur commiſſum ingẽs peccatum. Ouũ quidem in his clyſteribus imponitur, quia & ipſum lenit: ſed magis quia dolores ſedat, & mitigat: & cùm ſępiſſime in reddẽdo clyſteri, dolores, & tormina cõcitari ſolent: hac potiſſimùm de cauſa utimur ouo luteo in clyſteribus. Vnde in illis omnino lenibus, ac mollibus, non eſt ita opus, ſicuti in acrioribus, hi enim maiores concitant dolores. Sed de clyſteribus mollibus hæc ſatis. Niſi quòd non erit forſitan extra inſtitutum, ſi propter nouitios, & hoc addiderimus, quòd aliquando cùm hæc in promptu non haberemus, facilis clyſteris apparatus eſſet: decocto nimi-

Marginal notes: A.22. (beside "len. ratione ab Hippoc. primo. Aphor."); Cap 5. (beside "Cui (vt octauo, & vndecimo Metho."); Cap. 9. (beside "rum ſalis, aut nitri"); Cap. 15. (beside "ro moderanda ſunt").

rum pugillo furfuris triticei ex aqua communi, cui A deinde decocto adderetur aut oleum, aut pingue aliquod,& ſal. De acrioribus vero poſterius. At ſi ægrotans clyſteres non admitteret, aut propter luxũ, aut quia natura eos non poſſet perferre. Noui enim quoſdam ex Sanutorum familia patritios, & clariſſimos in Veneta Rep. qui ex impoſitis clyſteribus exoluebantur,& in animi deliquium,illudque etiam maximum, & incidebant, & narrabant patruũ ſuũ, virũ ſua tempeſtate clariſſimum,& doctiſſimum,impoſito clyſteri, animam exhalaſſe. Quid erit ergo in his caſibus agendum medico? Erit ſanè medicamentis aliquibus agendum, quæ vi leniente, non autem exoluente vacuent: de quibus paulo poſt etiam ſermo habebitur. Nos enim(vt Galen.ſequamur)prius de ijs,quę vim habent vrinam ciendi agemus:in qui- B bus eadem communis,& generalis,ſuperiuſque propoſita regula item ſeruanda eſt. Vt ſane ab illis caueamus,quæ(vt undecimo Meth.repetit idem Gal.)inſignem vim habent calefaciendi,& deſiccandi. Nam eorum multi ſunt ordines. Quædam enim nõ modo nõ calefaciunt,uerum potius refrigerant, vt eſt mulſa,oxymel,ſyrupus,acetoſus,apomeli,præterea vero & ſemina cõmunia,vt melonis,cucumeris, & id gen⁹ reliqua;hæc tamen adeo leuia ſunt,vt ſępe,aut nihil, aut parũ faciant. Alia vero aliquantulum calefaciũt, ſed parum admodum: vt(quorum Galen.meminit) apium,& anethum, de quo apio idem octauo de Facul.ſimpl.med.ait, quòd eatenus duntaxat calefacit. vt poſſit ciere vrinam: non eſt ergo tanta in eo calefactio, vt queat febrem augere. Quo in loco aduer- C tendum, quòd hic, quatenus madefacere dixit,videtur inſinuare comam eius accipiendam eſſe, ſicuti & anethi:attamen vndecimo Meth.radicis quoque meminit. Ego vero vterer potius folijs, vel coma, quàm radice. Nam maior quidem vis eſt in radice, ſed neque hæc, neque illa plurimum calefaciũt. præſertim vero madefacta in aliqua potione. Potiones vero tales debent eſſe, quales ex Galen. paulo ante recitauimus:videlicet mulſa, apomeli, oxymel, ſyrupus, acetoſus,ptiſana, vel aqua hordei. Vnde Auic.conſulit ad ciendam vrinam dandum eſſe ſyrupum acetoſum ex apij decocto. Quòd ſi viridia erũt tam apium, quã anethum, minus etiam calefacient, & minus quoque exſiccabunt,ut de anetho ait idem D Gal.tertio & ſexto de Simpl.med.fac. Semper enim huic rei intendendum,vt quam minimè calefaciamus & ſiccemus. Subiungit autem Galen.& ſi appareant concoctionis ſigna,poteris abſque ullius noxæ timore,dare abſinthij comam ex mulſa maceratam, quod quidem medicamentum,non modo febri remedium optimum eſt, uerum & uim habet ſuccurrendi morſibus uentriculi à bile excitatis in eum confluente.Id quod non parum commodi afferre poteſt in his febribus: frequens enim in eis eſt eiuſmodi ſymptoma, ſicuti illæ ex multa bilis copia accenduntur, quæ in motu acceſſionis facile petit uentriculum, & os eius, & proinde plerunque bilioſi uomitus in eis concitantur. Quo in loco breuitas non paruam affert du- E bitationem, quid ſibi agendum proponat, dum abſinthium dandum cõſulit. Nam abſinthium uim duplicem uacuandi habet, nempe per aluũ, & per urinam. Et alij quidem meminiſſe hic abſinthij aiunt, tanquam medicamenti,in quo ſit facultas ciendi urinam,atque ad idem genus pertinentis, ad quod & apium,& anethum. Ego tamen crediderim illum potius attuliſſe abſinthium, tanquam medicamentum, quod uim habeat purgandi bilem per aluum. Quod duplici argumento probare poſſumus. Primum,quia præcipit expectanda eſſe concoctionis ſigna, anteaquam detur, quæ in purgationibus per aluum præſertim ſunt expectanda; eas enim imprimis reſpicit

A præceptum Hippoc. primo Aph. concocta eſſe me- Aph.22. dicanda, non cruda,neque in principijs. Vnde propter vim purgatoriam exigit concoctionẽ antequam abſinthium afferendum ſit. Non minorem enim vim ciendi vrinam habent apium,& anethum, quam abſinthium: neque tamen requirit in illis concoctionẽ: non requiret etiam in abſinthio, ſi eo ad proritandã vrinam vti vellet. Niſi quis dicat,quòd non eſt eadẽ ratio, quia in abſinthio eſt vis aſtringens inſignis, in illis non eſt. Mihi tamen videtur, quòd hoc nihil ſit. Nam cum ſuperior ſit vis aperiens, aſtringens facultas illam magis facit penetrare, vt docet Galen. Cap 8. præterea vero quarto de comp. med. ſec. loc. apium quoque in illorum genere ponit, quæ vim aſtrictoriam habent. Quare neque hoc tollit difficultatem. B Altera vero ratio eſt, quoniam ipſum laudat, tanquã præcipuũ remediũ ad eroſiones, & morſus vẽtriculi. Manifeſtũ autẽ eſt,quòd morſus vẽtriculi tollit, quia bilẽ de ventriculo detrahit. Vnde vj.de San.tuen.ad Cap.10. purgandũ ventriculũ à bilioſis excremẽtis, cõmẽdat abſinthium, & hierã ex aloe, quæ mutuò conferens, ait abſinthium non eam vim habere, vt poſſit educere bilem è ventriculo, ſi ea altius ſit in tunicis recepta, ſed eam tantùm, quæ exterius tunicas internas inficit, & alluit: hieram vero eam etiam, quæ in tunica abſorpta eſt, euocare. Sed & Steph. dari abſinthium hic ait, ob vim purgatoriam. Sunt tamen aliqui, qui propterea, quòd velint nullo modo ex Galen.ſententia medicamenta purgantia in febribus, vna quartana excepta, poſſe ex recta methodo exhi- C beri,vt ſcopulum hunc declinent,ad hoc confugiant, quòd hic vtendum abſinthio conſulit, tanquam medicamento vrinam ciente,non autẽ vt per aluum purget. Ratio vero,cui iſti innitũtur, hæc præcipua eſſe videtur. Quia omnino hæc indicationi aduerſantur ab ipſa febre in vniuerſum depromptæ, & à cauſa, vel materia febris in hac febrium differentia, quæ à bile putreſcente accenditur: quando purgantia medicamenta omnia calefaciunt, & deſiccant. Mihi tamen videntur rationem nimis communem afferre, quam diſſoluere non minus ipſis incumbit. Quandoquidem eadem ratione non liceret vti his, quæ vrinam cieant. Nam omnia item,quæ per ſe vrinam proritant, calida inſigniter ſunt (vt res clariſſima eſt) D non minus ſæpe, quàm purgantia: illorum tamen,& in his febribus,& longe magis in alijs meminit. Sed cum ex parte altera ratio demonſtret, vacuandum eſſe per ſeceſſum, & per vrinam. Ex altera vero natura talium medicamentorum febris indicationi aduerſetur, vt aliquid vtrique indicationi tribuamus, ea medicamenta eligamus, quæ minus calefaciant in eo genere: atque ità paramus, vt de eorum calore,& ſiccitate,quantũ fieri poteſt,detrahamus. Vnde,& prouocantia vrinam in aliqua potione, qua remiſſiores fiant eorum calor, & ſiccitas, & itidem abſinthium macerari, vel madefieri præcipit, vt & hæc, & illa ſuo fungantur officio,alioquin citra vllam noxam. Hic tamen conſiderandum eſt, quòd quando E bilis ſyncera eſt, quæ & calida eſt, & tenuis, atque propterea ad motum prona, & facilis. Ideo facili medicamento, & leui educi poteſt: præſertim vero, vbi iam appareat concoctio, & ita etiam melius res habet,ſi facile,& non violenter moueatur. Nam violenta exagitatio humores accendit, & eos præcipue, qui ſuapte natura ſunt calidiores. Ac propterea ex omnibus potius abſinthium, leue medicamentum, eligit,relictis valentioribus. Cui & id etiam adden- Cap. 1. dum eſt,quòd cùm ex eodem humore ortũ habeant, & ad idem fere genus pertineãt,(vt ſecundo de Diff. febr.dixit Gal.& quarto Aph.) tertiana exquiſita,& Aph.59. febris ardens, quæ cauſus dicit: Bilem tamen alio medicamento vacuent in tertiana Galen.& Hippoc. Com.7.

& alio

& alio in cauſo. Hic enim abſinthio vtitur. At quarto de Rat. vic. in acu. mor. habetur, quod in cauſo, cùm os fuerit amarum (quod bilem ad ventriculum declinare ſignificat) lacte aſinæ cocto, & copioſè bibito purganda bilis eſt: qui (vt Gal. ait) fuit antiquis mos. Ipſe vero laudat eius ſerum bibendum. Quem locum explanans inquit, lacte vtitur, quia timet caliditatem, & acrimoniam cæterorum medicamentorum, quæ vim purgandi habent. Cùm vero tertiana, tam in humore, vnde excitatur, quàm ĕt in calore: (nam ipſam καυσώδη appellat, quia æſtuoſa eſt) ſit febri ardenti ſimilis, non timet abſinthij calorem. Sed ſi omnia velimus examinare, neque hoc mirum videbitur. Quandoquidem non ita refert aliquantulum calefacere in exquiſita tertiana, ſicut in ardente febre. Quia in tertiana fit intermiſſio, & illa ſatis longa, in qua primum vacuata bile, quæ febrem fouebat, per interuallum febre vacuum, quo ſponte refrigeſcit corpus, ſi quidpiam caloris ſit ex medicamento relictum, facilè id diſſlare poteſt, vt magis deinde ex vacuatione ſequatur vtilitas, quàm ex ea calefactione detrimentum. In febre vero ardente, in qua calor neque remittit, neque intermittit, longe magis calefactio, tum timenda, tum declinanda eſt. Puto autem, quòd ſi noſtra hæc medicamēta lenia, ſicut ſunt caſſia, manna, tamarindi appellati ab Arabibus, ſyrupus item, quem roſaceum ſolutiuum, atque ille etiam, quem violaceum ſolutiuum appellant, qui fiunt ex multiplici maceratione roſarum, vel violarum recentium, fuiſſent in vſu priſcis illis temporibus, ea etiam laudaſſent. Præterea vero ſi Rhabarbarum hoc noſtrum Galeno fuiſſet notum, vel ſaltem ab antiquis illis medicis habitum fuiſſet tā quam purgans medicamentum, atq; modum calluiſſent illud in refrigerantibus, & humectantibus potionibus macerandi, ſicuti his temporibus fit, vt de ea in ſigni caliditate, ſiccitateque, & aſtrictoria facultate, quantum lædere poſſet, detrahatur: non poſſum nō credere, quòd non, & eo vſi fuiſſent, ſicuti abſinthio vtebantur. Nam experientia recto eius vſui atteſtantem habuiſſent: ſicut & nos eo in his febribus ſæpè fœliciſſimè vtimur, & medici Arabes vſi fuere. Sed de his in præſentia hæc ſatis ſint. Inferius enim rē hanc diligentius diſquiremus, an ſ. Gal. & Hip. medicamēta exoluentia in febribus repudiauerint, vel admiſerint. Hic autem, & illud aduertendum, quòd cùm bilem vacuandam eſſe, aut vomitu dixerit, aut ſeceſſu, aut per vrinam, aut per ſudorem, inſtrumenta, quibus has vacuationes moliri in his febrib⁹ oporteat per omnes alias vias exponit: quibus autem ſit ciendus vomitus, non meminit. Ratio vero eſt, quia hæc ex aliorum ratione facilè haberi poterant. Nam ſicut lenibus, & faciliimis in alijs vacuationibus medicinis vtimur, & ijs, quæ aut nihil, aut parum calefaciant. Ita, & in ciendo vomitu, ſi æger ſit facilis ad vomitum, & promptus, aliquando ſola digiti, aut pēnæ in intimum os impoſitione vomitum concitamus. Quòd ſi aliquanto difficilior vomitus procedet, aut ſimplicis aquæ tepidæ potu vtimur, aut poſca tepida, aut mulſa, aut oxymelite ex aqua, aut aqua hordeacea, aut hydrelæo, hoc eſt, aqua, & oleo. Etenim cùm bilis (vt paulo ante diximus) ſit tenuis, & facile fluat, non requirit valentiora inſtrumenta, vt educatur. Poſtremo uero de ijs etiam agit, quæ bilem per ſudorē, & per uacuationem ſenſibus inconſpicuam euocandi facultatem habent. In quibus præcipuum locum balnea obtinent: Et cum eorum etiam ſit multiplex differentia: quædam enim ſunt, quæ abſolutè ita uocantur balnea, & quæ intelliguntur, cum balneorum fit mentio ſine ulla additione, & ſunt, quæ fiūt ex aqua communi, uel dulci appellata. Alia uero ſunt, quę ex alijs aquis, quæ alioquin affectæ ſunt ex aliarum re-

A rum mixtione, ut ſunt aquæ marinæ, quæ ſalis naturam retinent, item nitroſæ, aluminoſę, ſulphureę, bituminoſæ, ferreę, & reliquæ id genus, quæ a uarijs mineris uariam facultatem ſortiuntur, ut Pataunę, Aquarianę, Calderianę, Lucenſes, Viterbiēſes, & mille aliæ: quę omnes ſaltem exſiccant inſigniter. Preterea, & earum multæ non parum calefaciunt. Solæ autem illæ ex aqua communi, cùm hoc, quòd bilē per corporis occultos meatus educunt, humectant, & refrigerāt. Horum igitur uſus, quàm maximè utilis eſt, utpote, quę præcipuam uim habeant primarię indicationi, quę eſt refrigerationis, & humectationis accōmodatam. Nam (ut ait hic Gal.) in febribus his longè præſtat hæc tranſmutatio uacuationi. Quare ſi ante

B te lauacrum oleo communi, & calido ægrotos perfūderis, ac mox ad aquas deduxeris, eodem nomine plurimū iuuabis. Cutis enim, & extimæ partes rareſcēt, & uiam patentiorem, & magis expeditam digeſtioni bilis exhibebunt, corpusque molle, ac humectum reddetur. Sicuti ratione contraria, ſi quis tertianarios lauerit aqua, aut marina, aut alia, alioquin minerali, illi res infœliciſſime ſuccedet: Quemadmodum infœliciſſimè ſucceſſit illi, cuius hiſtoriam refert Galenus, Qui falſa quadā, ſed apparenti ratione adductus, uſus eſt balneis earum, quas nuper retulimus, aquarum, atque eorum uſu adeo exſiccatus eſt, ut contabefactus interierit. Cùm enim nouiſſet eas uim habere bilem uacuandi, febremque ex bile

C ſuum habere ortum, putabat uacuata bile, ſe liberandum a febre. Vnde, & in tota etiam uictus ratione procurabat, ut bilis educeretur, neque alterius indicationis acceptæ, tum a natura morbi, tum a natura humoris ullam unquam uoluit rationem habere. Quocirca dum ſtudet, ſubtracta materia, a tertiana facili quidem morbo liberari, in grauiorem imprudens incidit. In his ſiquidem longè præſtantius eſt, ſe qualitatibus illis cum contrarijs opponere, quàm nimis eſſe uacuationi intentum. Vnde ſicut balnea illa penitus fugienda, ita hęc aquę dulcis omni ſtudio amplexanda, & liberaliter concedenda: ut non modo lauentur, ſed & in dolio aliquo maiori ſe demergentes, ſi id deſiderent natare permittamus eo uſque, quòd id facilè eorum uires

D poſſunt perferre. Nam longior mora in balneo, utpote, quòd digerendi uim habet, ſæpe uires diſſoluit: ad quas ſemper reſpiciendum. Reſpiciendū item eſt ad conſuetudinem, ſi enim is uſu balneorum delectatur, nullum committes errorem, ſi bis quoq; in die ipſum laueris: dummodò tempore opportuno id fiat. Hoc enim ſemper præ oculis habendū eſt, quippe, quòd non modo balnea, ſed quæcumque alia remedia incongruenti tempore adminiſtrata lædūt. Importune autem adminiſtrabuntur, ſi ante inclinationem acceſſionis adhibeantur; ſi nondum concocto cibo. Et ante concoctionem morbi. Nam ubi morbus ſit concoctus, non ſolum bis, ſed ſæpius lauare poteris. Vbi hoc eſt aduertendum, quod balnea

E eiuſmodi in alijs quidem febribus, ut ſunt tertianæ nothæ, quæ a materia craſſiori pendent, nec Galenus nec alius peritus medicus ante concoctionem concederet. Quandoquidem craſſi, & crudi humores ui balnei funduntur, & fuſi per uenas in habitū totius corporis diſtributi, obſtructiones augerent, & ſubinde febres. Sed ubi ſunt concocti, quia iam attenuati, & per concoctionem uacuationi redditi ſunt faciles, ſummopere proſunt, ut quę uacuant, ut diximus. Bilis autem, quatenus ad ipſam pertinet, cū tenuis, & calidus humor ſit, quāuis ui balnei moueatur, nullū tamen affert obſtructionis periculū, ut hic exponit Stephanus. Et licet ante concoctionē, & ipſa uacuationi ineptior ſit: iuuant tamen plus humectādo, & refrigerando, quàm uacuādo, quia magis qua-

litate officit hæc febris, quàm materia. Poſt concoctionem vero, cum iam aptior reddita ſit materia vacuationi, vel pluris, quàm bis adminiſtrata balnea proderunt. His expoſitis, quibus, & quod vacuãdum, & qua via vacuandum, & quibus inſtrumentis oſtendimus: reliquum eſt, vt propterea occaſionem, ſeu opportunitatem, vel quando vacuandum ſit demonſtremus. Niſi quòd ex prædictis quæſtio non leuis inſurgere videtur, quæ non eſt prætereunda ita ſiccis pedibus, quia nulla facta hic mentio videtur, miſſionis ſanguinis, quaſi nulla hic conueniat ſanguinis detractio. Nam eius alioquin meminiſſet, ſicut in tertiana notha meminit. Auicenna tamen hoc capite videtur voluiſſe phlebotomiam eſſe vtilem in curanda huiuſmodi febre, cum ait, & quando poſſibile eſt, vt phlebotomes, fac vſque ad tres periodos. Cap.15. Immo ipſe etiam Galen. vndecimo, Meth. fauere huic ſententiæ videtur, vbi ait, ſaluberrimum in febribus eſt, non modo continuis venam incidere, verumetiam in omnibus, quas humor putreſcens concitat. Facilis (vt opinor) diſſolutio huius quæſtionis eſt. Etenim venæ ſectio in magnis remedijs ab omnibus medicis ſemper habita eſt, quæ quidem magna remedia magnis morbis ſunt accommodata. Vnde quarto de Rat. vic. in acu. morb. & quarto Meth. atque in lib. de Rat. cur. per ſec. ven. probat, quòd ſectio venæ reſpicit indicationem deſumptam à magnitudine morbi. Febris autem tertiana, quæ exquiſita eſt, à nullo vnquam, quãtum ad ipſam pertinet, in magnis morbis poſita eſt. Quare neque eius quidem, quatenus ad eius rationẽ ſpectat, proprium remedium eſt venæ ſectio. Aliquando tamen non modo vtilis eſt in ea ſanguinis detractio, verum & neceſſaria, ſed non ſumpta indicatione ab ipſa tertiana, verum à futuro aliquo magno malo imminente, præcipue vero ratione affecti corporis. Nam ſępenumero poteſt tertiana exquiſita in aſſiduam, & in ardentem febrem tranſire: cum corpus tertianarij plenum admodum, aut ſanguinis, aut bilis eſt. Præ multitudine enim vel ſanguis ipſe poteſt putredinem contrahere, vel etiam bilis, ſi multa ſit, ac viribus factis imbecillioribus, quæ ipſam nequeant amplius rectè adminiſtrare, non poſſit amplius extra vaſa expelli, in ipſis deinde contenta putreſcere poteſt. Immo ſi Hippocr. credimus in lib. de Morb. facile tertiana in pleuritidem conuerti poteſt. Horum ergo ratione in tertiana exquiſita locum habere poteſt venæ inciſio. Et ideo etiam Auic. non in vniuerſum eſſe ſecandam venam ait, ſed ſi poſſibile eſt, vt fiat, hoc eſt, cum expedit, vt ſecetur, ſecanda eſt vſque ad tertiam periodum. Neque enim vltra eam periodum vtilis amplius illa futura eſt, quia iam apparente concoctione, quæ ad ſummũ in hac febre in quarta apparet, res in tuto eſt, neque alioquin timor amplius eſt magni alicuius futuri mali. Ita etiam ſaluberrimum eſſe hoc remedium in omnibus febribus putridis exiſtimauit Gal. cum illæ apparent indicationes, quæ exigere videntur ſanguinis miſſionem, quippe quòd aut magnus ſit morbus, aut timendum ſit, ne magnus euadat. Dicamus tandem, & quando ſit occaſio opportuna illis vtendi inſtrumentis, quæ apta eſſe diximus ad bilem vacuandam. Primùm itaque hoc attendendum eſt, quòd quæ vacuat, ſicuti eligenda ſunt pro ratione motus naturæ pellentis in hanc, vel illam partem, vt ſi ad vrinæ vias humores moueat, eam vrinam cientibus adiuues, ſi ad ventriculum vomitu, atque eodem modo in alijs. Medicus enim miniſter naturæ eſt, & ideo eius officium eſt in eundem cum natura ſcopum ſemper tendere, & nunquam niſi, ſi quando videatur non rectè agere, illi ſe opponere: Ita etiam in hoc debet eius operationem obſeruare diligenter: & an illa miniſterio, auxilio ipſius egeat, utpote quia parce uacuet, tunc enim ab eo iuuanda. Nam ſi alioquin quantum ſatis eſſe uideatur, eá perficeret, nulla tunc occaſio offertur medico quicquam in ea re agendi. Quare erit illi ſuperſedendum, ne aliquando naturam præcipitem agat. Quòd ſi illa conetur quidem agere, & uacuare, noxiamque materiã ad aliquẽ expulſionis locũ moueret: neque tamen excerneret: tunc opportunũ erit medici auxilium, & ſi ad loca conferentia eam propellat, inde ducendum erit. Verum deinde conſiderandũ, ꝙ in auxilijs, uel inſtrumentis, quibus opem naturæ ferimus, multa eſt diuerſitas. Primùm quidem uiribus: alia namque ſunt uehementiora, quæ uidelicet maiori motu, & ualentiori humores agunt: alia vero faciliora, & leuiora. In ijs, quæ valentiora ſunt, cautiores oportet eſſe, neque illis vti in initijs morborum, niſi raro admodum, & coactos. Iijs autem, quæ leuiora ſunt, locus ſæpe etiam in initijs eſt. Sicuti ſi vrinam prouocare voluerimus, ſi ſit corpus plenum admodũ, vel ſi ſint multæ in eo cruditates, niſi prius aliquantulũ inaniatur, non eſt tutum vrinam prouocare, itemque niſi appareant concoctionis ſigna. Alioquin enim cum ea, quæ vim habent ciendi vrinam, humores fundant, & inſigniter, valenterque moueant, facilè eos per venas diſtribuunt in vniuerſum corporis habitum, atque meatus anguſtos, per quos fit corporis perſpiratio, obſtruunt, & ita putredo, febrisque ſubinde augetur. Ea vero, quæ leuiora ſunt, ſicut ptiſana, mulſa, oxymel, ſyrupus acetoſus, ſemina etiam melonis, & iſtiuſmodi reliqua, cum blanda ſunt, neque multum calefaciant, hoc periculo vacant: potius enim vias parando, vrinam promouent, quam quòd humores fundant, & moueant. Ideo tempus eorum opportunum eſt etiam in principio. Loquimur autem de principio, & alijs temporibus totius morbi. Nam ſi particulatim de temporibus acceſſionum [loquamur] in principio acceſſionis nullam moliri vacuationem oportet, vno excepto vomitu. Galen. ſiquidem teſtatur ab omni motione in initio acceſſionis abſtinendum eſſe, præterquam a vomitu. Quia vomitiui opportuniſſimum tempus eſt principiũ acceſſionis. Nam etiam ſpontè natura vomitũ moliri ſolet in initio acceſſionis. Sicuti tempus opportuniſſimum ſudori eſt, inclinante, & acceſſione, & morbo. Sed ſi de ijs, quæ aluum purgant, ſit ſermo habẽdus, de clyſterium vſu primùm loquendum. Cùm in hac febre nullus detur locus, niſi leuibus, & mollibus clyſteribus, poſſumus opportunè illis vti ſtatim etiam in principio, niſi ſponte fluat aluus, nulla expectata concoctione. In his enim, quæ leniunt, cùm nõ moueant alioquin humores motu aliquo repentino, vel violento (neque enim vim vllam inferunt) ideo non requiritur expectatio concoctionis. De acrioribus vero, vbi conueniunt, ſuo loco, agemus De medicamentis autem, quæ deuorata aluum cient, maiori diligentia loquendum. Nam cùm eorum ſit multiplex differentia, aliqua enim ſunt, quæ propriè vim habere purgatoriam dicuntur: ſuapte ſiquidem natura attrahunt ab ipſis uenis, & ab uniuerſo corporis habitu, unumquodque eorum certos, ac determinatos humores: ut ſcãmonium bilem, colocynthis pituitam, epithymum bilem atram. Alia uero potius ex modo ſuæ ſubſtantiæ, quia uidelicet uel leniendo, aut comprimendo, & aſtringendo uentrem ſoluunt. Hæc quidem, quæ aſtringunt, ut ſunt myrabolanorum genera, adminiſtranda non ſunt in principijs, neque harum, neque aliarum febrium. Etenim, & obſtructiones augerent, & una febrem, ac omnes præterea euacuationes ſupprimerent, & id non ſit prætereundũ, ꝙ exſiccant. In fine autẽ quandoque admittuntur, qua ratione membra à morbo,

a febre,

à febre,& vacuatione laxata,colligentia, & modera-
te aſtringentia confirmant, & roborant. Quæ vero
leniunt,vt ſunt manna,caſſia noſtra Aegyptia, tama-
rindi,ſyrupus violaceus ſolutiuus, & id genus reli-
qua:ſicuti quæ erant antiquis in vſu,vt ſerum lactis,
Com.7. præcipue autem aſinæ, vel capræ. Antiquiores vero
c.29. (vt quarto de Rat.vic.legimus) in bilioſis febri-
bus ad bilem expurgandum, lacte aſinino cocto
vtebantur. His inquam nos etiam in principio an-
te concoctam materiam poſſumus vti. Nam cum
non habeant vim detrahendi determinatum humo-
rem, neque a venis trahant, non poſſumus ea in-
commoda timere, quæ ſequuntur, cum vacuamus,
morbo nondum concocto. Neque hæc eo Aphoriſ-
Aph.22. mo comprehenduntur, Concocta medicari, atque
mouere, non cruda, neque in principijs, &c.Quia
(vt ibi explanat Galen.)medicari ſignificat Hippo-
crat.medicamento purgare, quod vim attractoriam
habet proprij, & determinati humoris. Hæc enim
vim inferunt,& ex venis attrahunt. Sed ea, quo-
rum nuper mentionem fecimus, non pertingunt hu
mores, niſi ſi qui ſunt in vijs communibus, in inte-
ſtinis nimirum, & ventriculo: vel ſi aliquid præte-
rea mouent, id eſt, quod in proximis venis conti-
netur, & illud blande, & ſine vlla violentia mouēt.
Verum hic animaduerſione dignum eſt, quòd,vt
Arabes docuere,hæc etiam medicamenta lenia,& fa
cilia,& ſi cum accipiuntur non multa copia,ſed mo-
deſta,vim habeant, quam diximus, nempe vt potius
leniant,quàm vt attrahant: attamen cum eorum co-
pia, & (vt aiunt) doſis augetur, attrahunt & ipſa,
& quaſi ad ordinem ſoluentium medicinarum acce-
dunt. Et proinde videndum eſt, quomodo eis vta-
mur. Nam horum ratio ex modo adminiſtrationis
mutatur. Vnde nunquam fere in principio ad le-
niendam aluum exhiberem (vt multi faciunt) duas
caſſiæ vncias, aut tres mannæ, aut quinque ſyrupi
roſacei ſolutiui,ob hanc rationem. Illud præterea
conſideratione dignum, quòd antiqui medici tam
græciq́ Arabes, quantū poterant,& fugiebant vſum
horum etiam medicamentorum inter initia, & pręfe
rebant clyſteres. Hoc enim Auicenn.teſtatur, cum
relatis leuibus medicinis,ait,& magis dilectum apud
me eſt adminiſtratio clyſterium. Id ipſum quoque
ex Galen.hic habetis. Et ratio forſitan eſt, quia ea
medicamenta, ſi minori copia dederimus,aut nihil,
aut parum faciunt, & ſæpe plurimum conturbant:
ſin autem maiori, ſæpe vim ſoluendi aſſequuntur,&
hac ratione mouent. In præſentia vero nemo ferè
medicus non exhibet his febricitantibus bolum caſ-
ſiæ, aut mannæ,aut aliud id genus medicamentum.
Et cum hæc iam multo tempore inualuerit conſue-
tudo, non ſolum apud vulgares medicos,ſed prima-
rios etiam, & celebres, & tam diu perdurauerit, ſi
omnino mala eſſet,ſponte ſua iam concidiſſet.Qua-
re putandum eſt, tot, tantoſque medicos, qui eam
ſequuntur, aliquam habere rationem, cui innitan-
tur. Eſt itaque & hoc notandum, quòd diuerſa ra-
tio victus, quam homines varijs temporibus, & re-
gionibus ſequuntur, in cauſa quandoque eſt vt va-
rietur medendi ratio.His enim temporibus intempe
ratiores ſumus,quàm priſci illi eſſent. Vnde corpora
etiam plerumque his temporibus magis excremēto-
ſa ſunt,& cruditatibus in ventriculo, & inteſtinis ſca
tent.Nam priſcis temporibus ſemel tantum ad ſatu-
ritatem comedebant, & id in cęna: prandium vero
illis erat veluti ientaculum.Hac vero tempeſtate, qui
continentiores ſunt,in prandio, & cœna replent ſe:
alij etiam mane tempeſtiue, & inter cœnam,& prā-
dium. Et hac ratione raro admodum nobis offe-
runtur exquiſitæ tertianæ: frequentiſſimè autem
nothæ. Cum ergo clyſteres ad ventriculum, immo

A ad gracilia inteſtina pertingere nequeant:Ideo ſępiſ-
ſime hac de cauſa leni pharmaco ventriculum mun-
dare ab excrementis his crudis expedit, ne interim
dum concoctionem expectamus, a calore febrili fu-
ſa ab aperientibus medicamentis, quibus ſemper
propter obſtructiones in putridis febribus vtimur, in
venas digerantur, & obſtructiones augeant: cui ra-
tioni, ſi eis prudenter medicus vtatur, experientia,
felixque ſucceſſus adſtipulatur. Medicamentorum
vero genus alterum,quæ proprie purgantia,& attra-
hentia ſunt, multos habent ordines. Alia enim
valida ſunt, & quæ vim multam habent,vt ſunt ſca-
monium, colocynthis, elaterium, veratum, & id
genus alia. Quædam vero faciliora ſunt, & magis
B domeſtica, vt ſunt, abſinthium, Rhabarbarum,ſe-
na,aloe, epithymum, & eiuſmodi alia. Valentio-
rum illorum vſus medicis nullis probatur in eiuſmo
di exquiſita,& ſynceta bile, niſi,ſi quando materia,
vel morbus ſit turgens, qui in tertiana intermitten-
te,vel nunquam,vel rariſſime turget. Turgent enim
proprie morbi acuti: Non poteſt vero turgere,cum
extra venas putreſcit. Omnis enim vehemens mo-
tus,& confertim factus,nocuus eſt in hoc morbo,cū
calefaciat,& calorem accendat. Præterea vero me-
dicamenta eiuſmodi omnia magis in his febribus ca-
lefaciendo,& exſiccando lædunt,quàm vacuando(vt
dixit Gal.)proſint. Facilioribus autem, vt vſus eſt
Gal.abſinthio,nō video,cur nos vti non debeamus,
poſtquam apparuerit concoctio. Cur non ita Rha-
C barbaro: Nam ſi opponas calefacere, & exſiccare,&
aſtringere: Itidem & de abſinthio dicam. Neque
enim dubium eſt,quòd ipſe pontico vtebatur, quod
erat noſtro magis aſtringens, & minus calefaciens.
Vnde ſicut abſinthium dat madefactum ex aliqua po
tione: Ita nos Rhabarbarum ex aliquo decocto le-
niente, & refrigerante, vt ex tamarindis,prunis,zi-
ziphis, additis manna, & ſyrupo ſolutiuo roſaceo,
vel violaceo,exhibibere poſſumus,& huiuſmodi alia
medicamenta,quæ nullam habeant inſignem calidi-
tatem, vel ſiccitatem: vel ſi habeant,vt ſena,& aloe,
paucam habent, quam, ſi arte parentur, depo-
nunt, ſaltem quantum nocere poteſt. Experientia
enim quæ omnium rerum & artium tandem magi-
D ſtra eſt, & fundamentum,recte ita agi quotidie no-
bis demonſtrat.Quare,vt non oportet nimis eſſe ꝓ-
cliues,& audaces in medicamentis dandis, quæ vim
ſoluendi habent: Ita neque adeo ſuperſtitioſos, &
cortici verborum,ac ſententiarum illorum antiquo-
rum hærere,vt putemus alienum, & a ratione,& ab
eorum decretis omnino eſſe, per hæc medicamenta
in his febribus bilem purgare:cum natura ipſa ſpon-
te eam non vacuat.Sed poſterius de hac re ſermonē,
& quæſtionem inſtituemus. Redeamus in præſen-
tia ad noſtrū inſtitutum,& ijs,quę hactenus expoſi-
ta ſunt,addamus hoc,quod apprime eſt neceſſarium.
Id vero eſt,quòd mihi quidem nunquam eorum ſen
tentia probata eſt qui his,licet leuioribus, medica-
E mentis ante concoctionem apparentem vtuntur.
Nam (vt vos poteſtis obſeruare) Galen.in abſin-
thio exigit concoctionem. Quanto ergo magis in
alijs illa exigenda eſt?Vnde mihi merito ab Auicen.ij
reprehendendi videntur, qui ꝙ tenuis eſſet bilioſus
humor,putabant, illum nulla expectata concoctio-
ne eſſe vacuandum,vel in principio. Quia cum me-
dicus ſit naturæ imitator,& videat naturam nūquā
recte,& feliciter in vacuando agere ante concoctio-
nem in iudicandis morbis: neque debet ipſe, velle,
pluſquam natura poteſt. Vnum tamē addit Auicen.
quòd mihi magna conſideratione dignum videtur,
quamuis obſcura admodum ſint verba eius. Ait enim
ſimiliter,quando times,quòd ſit ægritudo furioſa,&
facis illud,erit illud, quod accidit de errore, ſi acci-
dit,mi-

dit,minuſquàm aliud. Senſus autem eorum verborum talis eſt, quòd ſi aliquando ratione aliqua adductus ante concoctionem euacuaueris per medicamenta, & raro illa non omnino vera ſit, ſed quæ te errare faciat: error minor eſt, qui committitur in hac febre vacuanda,quàm in alijs febribus. Quia bilis exquiſita tenuis, & admodum; ad motum facilis eſt,vt minori moleſtia,& facilius vacuari poſſit.Quòd ſi quæras, ecquænam poteſt eſſe ratio, quæ me in hunc errorem adducere poſſit, vt vacuem ante apparentem concoctionem.Timor inquam,& ſuſpitio,ne tandem febris hæc fiat turgens,& materia, quæ nunc videtur quieta, fiat mobilis,& demum aliquod inſigne afferat periculum.Sola enim turgens materia ſolet medicum ante concoctionem ad vacuandum impellere,vt Hippocr.tradidit. Ex quibus verbis vnum poteſtis elicere, quod ſatis aperte innuiſſe Auicen.viſus eſt:nimirum id,quod alias in noſtris priuatis exercitationibus de febre peſtilenti protulimus. Nempe quòd ſicuti cum morbus magnus eſt, vena ſecanda eſt: Ita ſecandam eſſe voluit Galen.cum dubitamus, ne magnus fiat. Pari ratione, vt turgente materia, purgandum eſſe voluit, non expectata concoctione: Sic dicebamus nos purgandum eſſe, quamuis nondum turgeat, videatur tamen fore, vt turgeat. Nam cum,ait quando times, quòd ſit furioſa,id non refertur ad præſentem febrem. Quia nullus vnquam dixit,quòd exquiſita tertiana, dum intermittens eſt, poſſit eſſe turgens,vel furioſa:quoniam ſic eſſet morbus acutus,& magnus. Poteſt tamen, vt ſæpe vidimus,eſſe in initio intermittens,fieri deinde aſſidua,& tranſire in magnam, & acutam febrem, & præterea turgere. Etenim cum expellitur bilis extra venas, non poteſt amplius turgere. Hæc diximus, qnia noſtra hæc ſententia Romæ a quibuſdam medicis fuit deriſa, vt videatis, quòd & Auic.auctor non omnino contemnendus, in noſtram inclinat ſententiam. Quam nos contra medicos illos defendimus, etiam ex Hippocr.& Galen.& literis mandauimus noſtram defenſionem,quam veſtrum videre multi. Poſtqurm autem Auicen.meminimus,hoc etiam ijs, quæ ſuperius expoſita ſunt,addamus, quod mihi videt̄ quàm maxime vtile propter medicamenta, quæ in plurimo vſu veteribus noſtris fuere,ſunt etiam multis in præſentia.Auicen.enim quamuis medicamenta ſoluentia,quæ acria, & valida ſunt, deuitanda eſſe dixit, & ante,& poſt concoctionem in hac febre, vt pote quæ omnino huic generi febris ſint aduerſaria,tum calore & ſiccitate,tũ vero violento motu:Attamen ſcammonij meminit non ſemel cum alijs medicinis leuioribus commiſcendi. Noſtri etiam medici electuarijs ab illis vocatis medicamentis,quæ accipiunt ſcãmonium, in hac febris differentia paſſim fere vtuntur: ſicuti electuario appellato roſaceo, vel ex ſucco roſarum, & eo, quod a Meſue deſcriptum reperimus, & illo, quod a Nicolao, & illo quod ex prunis conficitur, & quod ex ſebeſten: quæ omnia accipiunt ſcammoniũ.Vnde ſi quis illis etiam modeſtè voluerit vti cum aliis medicinis lenibus, ac leuibus, neque is error haberi poteſt,ſi rem recte perpendere velimus. Quandoquidem aliorum medicamentorum comparatione, cum quibus commiſcentur, & a quibus retunditur acrimonia, & violentia ipſarum,fere totum medicamentum parum plus quam leniens euadit. Sicuti ſi drachma vna, vel altera addatur vnciæ pulpæ caſſiæ, vel tamarindorum, vel tribus vncijs ſyrupi violacei,vel roſacei ſolutiui, vix ipſum poteſt habere, quòd ſoluat, ſed potius adiuuat, & accelerat aliorum operationem, quæ per ſe alioquin tarde,& debiliter cient aluum: præſertim vero, vbi quis illam aſtrictam, & ſolutu difficilem habeat: & ſæpe medicamenta illa omnino lenia mouent, & turbant,

A cum poſtea, aut nihil,aut parũm purgent:quod non eſt leue incommodum. De vacuatione ergo poſtquam ſatis ſuperque locuti ſumus, qui erat ſecundus ſcopus propoſitus, priorem tractemus, qui oſtendebat,quàm maxime fieri poterat:eſſe refrigerandum, & humectandum,nimirum eadem diſquirentes,quę de euacuatione diſquiſita ſunt. Vt primum de inſtrumentis agamus,quibus infrigidandum, & humectandum eſt.Poſtea de congruenti,& opportuno eorum vſu. Duo ergo inſtrumenta ſunt,quæ huic refrigerationi & humectationi appoſite deſeruire poſſunt. Victus ſanè ratio,& congrua medicamenta, tàm exterius adminiſtrata,quàm interius ingeſta. Sed prius de victus ratione agendum: poſtea vero & de alijs.

B Cum autem victus ratio comprehendat rectum earum rerum vſum, quæ non naturales a medicis noſtris nuncupari ſolent:Ciborum quidẽ,& potus particulatim meminit ob id,quia horum materia plures habet differentias. Reliqua autem quinque vt pote quæ ſimpliciorem rationẽ habẽt, ex relatione ad cõmunẽ omnium horum ſcopum percipienda reliquit. Cum enim ſcopus omnium communis ſit,refrigeratio,& humectatio:nemo non videt, aerem frigidiorem,& humidiorem eſſe eligendum,& ægrotantem reclinandum eſſe in cubiculo frigidiori,aeremque frigidiorem reddendum aſperſa aqua frigida per cubiculum,inſtratis herbis refrigerantibus, folijsque,& floribus, & fructibus. Et quia exercitatio calefacit, & exſiccat: exſiccant etiam vehementes animi mo- C tus,& calefaciunt etiam,ſaltem inter initia: Ideo ꝓcurandum,vt animo, & corpore, quantum fieri poteſt,quieſcat. Importuna etiam vigilia exſiccat, & calefacit: & Idcirco ab ea cauendum,& ſomnus opportuno,& congruo tempore conciliandus. Et hęc eſt ratio compendiariæ doctrinæ. Perſequamur itaque rationem cibi, & potus in his febribus:primumque de potu agamus. Quia ea quæ vſui veniunt in potu,cum illis,quæ hactenus tractata ſunt,maiorem habent affinitatem. Vinum enim quòd familiariſſimus nobis potus eſt, & non minus rationem medicamenti habet:Quatenus enim alit,& ſitim extinguit,accõmodatus potus eſt: Quatenus vere poteſt obſtructiones aperire,ſudorẽ,& urinã, & excre- D tiones reliquas promouere,& concoctionẽ humorũ crudorũ iuuare rationẽ medicamenti ſubinduit. In uino itaq; exhibendo, utrunque ſeruare oportet, & quatenus potus eſt,& quatenus medicamẽtũ.Quatenus potus,ut id eligamus,quod refrigeret, & humectet. Vnde uina omnia potentia, &(ut gręci aiunt) οἰνώδη, hoc eſt uinoſa,tanquã aduerſaria fugere oportet,atq; adeo etiam magis antiqua.Nã plurimum calefaciunt,& nõ parum etiã deſiccant. Vinum autem illud eligendum,quod album eſt,quod tenue, quod aquoſum.Hęc uina a græcis ὀλιγόφορα, quaſi paucifera dicas,appellantur. Refrigerant autem,& humectant, citoque diſtribuuntur. Et hoc quantum ad electionem uinorum pertinet.Dicamus præterea de

E tempore illud exhibendi, & de copia, uel menſura, cum id uim etiam medicamenti habere dixerimus. Poteſt enim (ut hic Steph.ait) fundere humores,& eos uel crudos diſtribuere, & obſtructiones augere. Prętere a uero & omnes excretiones mouere. Quod in initijs nõ admodũ opportunũ eſt, cõcoctionẽ impedit,quæ præſertim quiete perficitur. Ac proinde in initio morbi prorſus a uino quoque ſunt arcẽdi ægrotantes (ait Galen.) donec ſigna concoctionis nulla apparuerint. Quia cum iam morbus coqui cœperit, uinum poteſt concoctionem iuuare. Idem namque Galen.hoc teſtatur quarto de Tuend.ſan. quòd uinum ſemicrudos humores concoquit. Si quæras,interim uerũ,antequam morbus incipiat cõcoqui, qualis potus erit febricitãti offerẽdus:nã neq;

ille

ille interea conficiendus eſt ſiti. Potus illi congruens erit aliqua ex potionibus ſuperius relatis: vt ſunt aqua hordei, vel ſimplex, vel ex ſaccharo, vel aqua mulſa, vel aqua ſimplex ex ſaccharo, vel oxymel plurimum, & ex multa aqua dilutum, vel ſyrupus acetoſus eodem modo. Nunc autem potum conſuetum habent, vt aqua multa diluatur iuleb appellatum, vel roſaceum, ſi maiorem aliquam rationem ventriculi habere voluerimus, aut violaceum: plerunque gratior is potus eſt febricitantibus. Aquam vero ſimplicem, & ſine vlla mixtura, quæ facilem eius diſtributionem faciat, deteſtati ſunt Hippocrat. & Galen. primo de Rat. vic. in acut. mor. vt pote quę cum in ventriculo, & inteſtinis plurimum immoretur, ſæpe ibi corrupta, & putreſcens bileſcit. Cum autem iam eſt dandum vinum, liberaliter, an parcè dandum? Inter initia cum dandum eſt, paucum, & parcè dandum. Nam hoc modo adiuuabit quidem concoctionem, dum non vim plurimam afferet, neque multam poteſt in nondum exquiſite coctis humoribus motionem ciere, quæ concoctioni obſit. Inclinante autem morbo, cum cocta materia, eius excretioni incumbat natura, liberalior vini vſus, eo tempore vtilis erit, vt pote quòd excretionem plurimum adiuuat. De cibis vero ſermo eundem itidem ſcopum habeat, vt illi eligantur, qui poſſint refrigerare, humectareque, ſed ſint coctu faciles. Febris enim quæcunque concoctricem facultatem imbecilliorem reddit, vt cibos oblatos, niſi faciles concoctu ſint, nequeat conficere: cruditas vero morbum auget, auctis obſtructionibus. Hæc quidem in vniuerſum. Particulatim autem in cibis diuerſis eligendis hoc imprimis conſiderandum eſt, quòd neceſſe eſt, varium eſſe medicum pro varietate naturæ, conſuetudinis, morumque hominum, quos curandos ſuſcipit. Neceſſe etenim eſt, vt ſæpiſſime accommodet ſe naturæ, & inſtitutis eorum, qui curantur, modeſte tamen. Et cum multi, & diuerſi ſint ægrotantium ſtatus: nam & pueros, & adoleſcentes, & adultos curandos habemus, diuites, & potentes, delicatos, qui ſibi nimis indulgent: & pauperes, obediẽtes, & ſeruos, qui omnia, quæ præſcribuntur, agere parati ſunt. Pro ratione tantæ diuerſitatis, oportet medicũ vario modo ſe gerere. Etenim ſi curam habeat alicuius, qui delicatulus minime ſit, ſed prudens, & ſeuerus vir, paratus in omnibus parere, quæ recte ſint inſtituta, & omnia patienter ferre: facillis illi erit inſtitutio victus: & ſi in arte Hippocratica fuerit erudit⁹, eius exquiſitam rationem ſequetur, & vſque ad conſiſtentiam, & iudicationem febris non vtetur alio cibo, niſi, aut cremore ptiſanę, aut ptiſana, vel (vt alias ſæpe monuimus) pane loto, & deinde cocto ex aqua, vel macerrimo & leuiſſimo iure gallinacei pulli, & ſi parumper ſacchari ad gratiam conciliandum, addiderit, neque id oberit. At vero ſi febricitans, aut puer ſit, aut adultus, ſcilicet mollis, & delicatus, pertinaxque, & is, qui ſibi indulgeat, cum quo ſi contendere velis, ille iraſcetur, turbabitur, impatientior, & inobedientior euadet: cogitur medicus nonnunquam vel inuitus condeſcendere, & aliquid illi indulgere, ſed id quam maxime procurandum, vt quàm minus poſſumus, ſimus in illis liberales, quæ plurimum nocere poſsũt. Vnde omnino ſalſa omnia interdicenda, acria quoque, vt ſinapi, ſed & mel, quia facillime in ventriculo bilioſo, & iecinore calidiori vertitur in bilem. Concedenda vero ſunt, quæ magis ad primarios ſcopos attineant: quæ videlicet, & refrigerent, vel ſaltem non calefaciant, & deficcent. Qua propter in ferculis alica, vel far, probe elixum, & paratum: vt ptiſana, conueniet. Qui quidem cibus illis accommodatiſſimus, in quibus cibus ob calidam ventriculi intemperiem, & bilem in eo reſidentem

A corrumpitur: maxime enim corruptioni, & extraneo calori reſiſtit. Ex piſcibus autem illi, qui in alto mari inter ſcopulos capiuntur concedi poſſunt. Hi enim carnem habent, quæ alimentum frigidius, & humidius præſtat, & omnino bonum: cum tenera ſit: concoctu facilis, & omnibus fere vacans excrementis, ob id, quia ex alliſione aquarum ad ſcopulos coguntur continenter moueri: exercitatio vero conſumit excrementoſum humorem, cõcoctionemque, & natiuum calorem fouet. Non docet autem, qua ratione coquendi: Quoniam omnibus in vſu erat, vt ex iure albo elixarentur: quod probatur, aqua addito modico ſale, & oleo, præterea anetho, & porro. Concedit inſuper carnes volatilium,

B quæ molliores ſunt, vt quæ chortis appellantur: ſicuti ſunt pulli gallinacei non adulti, ſed parui. Præterea & carnes iuuenum phaſianorum nõdum adultorum. Cum enim grandiores ſunt, dureſcunt magis. Quo tempore autem tales haberi nequeant, alæ maiorum dandæ ſunt, eandem ratione (ait Steph.) qua & ſaxatiles piſces, tenuiores enim ſunt alarum carnes, & minus excrementoſæ, quia ſæpius exercentur, & mouentur. Sed & hoc addit, quòd vbi ventriculus nimio calore æſtuat, optimę ſunt alæ comeſtæ. Cum enim multis neruoſis partibus conſtent, facilius reſiſtunt calori extraneo, & non ita facile corrumpuntur. Et teſticuli præterea gallorum humidius, & frigidius exhibent alimentum, & minime excrementoſum, ac concoctu facile. At meliores ſunt

C eorum, qui venerem nondum ſunt experti. Ex quadrupedibus, dicit Galen. in lib. de Alimen. facult.) ſicuti ſuum carnes aliorum carnibus meliores ſunt: Ita eorum pedes alijs aliorum eadem ratione probantur in his animantibus, quia magis exercentur, & quia ali mẽtum ex illis, vt pote qui neruoſi ſunt frigidius eſt, & ex lentore, dum elixantur, humidius. Poſſunt eorundem & cerebella concedi, ſi ventriculus, neque ſupinus fuerit, nam ſtomachum mouent, neque præterea in coquendo infirmior. Animalium enim cerebra non facile coquuntur, vt ibidem teſtatur Gal. Ex illis adultis ergo has partes dari concedit. Ex iunioribus autem, & carnes. Nam ſuilla caro bonum quidẽ alimentum generat. Verum eget valentiori ventri-

D culo, vt coquatur. Vnde congruens cibus eſt eorum, qui exercentur. Facilius autem coquitur, quò iunioris animalis eſt: Et ideo adultorum carnes dare non audet, ſed porcellorum. Præterea eas liquefieri ait, hoc eſt maxime, elixantur, vt fere colliquentur per elixationem. Nam ita concoctu faciliores erunt, & humidum alimentum præſtant. Sed & ſorbilia oua, vt quæ neque ægrè concoquantur, neque ea natura ſint, vt calefaciant, perinde vt ptiſana, vt idem in li. de Med. facil. par. docuit, & ſecundo de Com. med. per loc.) ea tamen ſine garo danda eſſe ait, ſed potius cũ melle. Nos autem ſaccharo potius condiremus. Et ex ouis vitellos prẽfert, cum ſint albumine faciliores coctu. Cæterum ſi ſit neceſſe fructus aliquos con- Cap. I.

E cedere: Primum, ne ſimus nimis liberales in eorum vſu, monet, cum ait permittendum eſſe, vt guſtent eiuſmodi fructus, qui æſtiui, & autumnales ſunt: non autem, vt liberaliter eis veſcantur. Nã ſi modice comedantur, poſſunt quidem refrigerare, & humectare, & ea ratione prodeſſe, neque etiã lædere, quãuis non bonum ſuccum generẽt: qoniam paucus ille eſt, qui facile, dum paucus eſt, ab innato calore ſuperari poteſt, & corrigi. Sed cum copiam fructuum ingerimus: quia facile putreſcant, præſertim vero in ventriculo male a putrido calore affecto, corrumpuntur illi, & degenerant in vitioſos humores, qui febrem augent, ac fouent. Deinde vero, vt ab eis caueamus, præcipit, quę ægre a ventriculo confici, & coqui poſſunt. Aegre autem coquuntur amygdalæ,

nuces

nuces auellanæ, iuglandes, mala etiam cotonea. & pyra, cæteraque mala, quæ dura, & acerba ſunt, niſi igne probè cocta ſint. Et quatenus mea fert opinio, licet Auicen. cucumerem concedat, mihi tamen non admodum probatur, cum haud facile concoquatur. Dum enim crudus humor generatur, præterquàm quòd obſtructiones parit, facile etiam putreſcit. Et hæc quidem ad qualitatem ciborum pertinent. Sed & quantitatis ſuam eſſe rationem habendam exhibendi cibi affirmat: quæ quidem nequit omnino particulatim definiri, cum non ſit omniũ vnus, & idem modus, quippe cum ex ætatibus, temporibus, regionibus, naturalibus temperamentis, & conſuetudine varietur modus, & quantitas cibandi. Hoc tamen imprimis ſeruandum, vt non niſi quantum poſſit febricitans probè, & facilè concoquere, exhibeatur. Cruditas enim excrementa auget, quæ vt per circuitum gignuntur, ita (vt Steph. ait) per circuitus febrem, & augent, & fouent. Tempus autem cibo exhibendo opportunum eſt interuallum, quando corpus febre vacuum eſt, ſeruandumque hoc eſt, vt in die acceſſionis parciſſime alamus. Et ſi tempeſtiue cibus ante acceſſionem dandus eſt, id adeo tempeſtiue fiat, vt ſuperueniens acceſſio inueniat (vt monet Auicen.) ventrem vacuum: confecto videlicet, & diſtributo alimento. Alterum vero inſtrumentum, quo tranſmutanda eſt intemperatura, ad medicamentorum genus pertinet, ad eam ſcilicet illorum differentiam, a quibus non vacuatio, verùm refrigeratio, & humectatio petenda eſt. Ea vero partim exterius adminiſtranda ſunt, partim interius. Exterius quidem adhibentur balnea, fomenta, illinitiones. In balneis primum locum obtinet, & pręcipua ſunt ea, quorum ſuperius meminit Gal. ex aqua dulci. Sed quia de illis iam abunde dictum eſt, de alijs agamus. Veruntamen eſt, quòd Galen. neque fomentorum, neque illinitionum vllam fecit mentionem, & hoc tùm propter breuitatem, tùm præcipue quia eo tempore balnea in tanto erant, & tam frequenti vſu, vt ſolis illis fuerit contentus, vt quæ vim maiorem cæteris omnibus habeant: & quia loca commoda, & parata ad hũc vſum omnes fere domi habebant. Noſtris vero temporibus vſus balneorum fere obſoletus, & raro accidit, vt habeamus, neque apta inſtrumenta ad hoc negocium, neque miniſtros peritos, & aptos: Ideo alijs agimus medicamentis. Nam fouemus pręcordia, in quibus (vt antea diximus) fere fomes vniuerſus febris huius continetur, decoctis ex refrigerantibus herbis, & ſunt illæ quarum meminit hic Galen. vt lactuca, malua, endiuia, cichorium, rumex, & id genus reliqua: præcipue vero endiuia, & cichoriũ, & oxylapathum, quod nunc acetoſam vocant. Dextro autem pręcordio congruunt fomenta hæc iecinoris ratione. Interdum vero ſucco harum herbarum vtimur. Illinitiones autem, quæ his temporibus veniunt in vſu, ſunt infrigidans Galen. quod illeceratũ infrigidans appellat. Præterea & vnguentum roſatum Meſue appellatum ab eo in ſuo Grabadin deſcriptum, quod ſi frigida aqua lauetur, potentius erit in refrigerando, & humectando. Quandoque vtimur oleo violaceo, vel roſaceo, non omphacino, ſed communi: quæ, cùm magis refrigerare volumus, ex aqua frigida lauamus, ſeu conquaſſata refrigeramus. Interius autem antiquitus, cibis medicinalibus præſertim refrigerabant. Vnde ſuperiùs multa olera comedenda propoſuit refrigerantia, vt ſunt lactuca imprimis, malua, atriplex, rumex, vel lapathum. His ego endiuiam, & cichoreacea omnia adderem, & acetoſam appellatam, vel oxylapathum, boraginem, & id genus reliqua præterea & cucurbitam, quæ in ferculis cocta non erit aliena ab hoc negotio. Aliæ vero vel in acetarijs, dummodo aceti, neque admodum acris, parum inſpergatur, aut oxymelitis (vt capparas condiendos docuit Gal.) aut potius ſyrupi acetoſi: vel, ſi decoquantur in iuribus dari poſſunt. Quæ etiam in hunc locum diſtulimus, quia mihi uidebantur potius medicamentorum, quàm ciborum rationem habere. Sed de hac febre ſatis ſuperque diximus. Ad notharũ curationem iam nos conuertamus.

Tertianæ Nothæ curatio. Cap. X.

IN ijs vero, quę exquiſitæ non ſunt, prouidendum eſt pro viribus, ne morbus augeatur, ne ve ægrotantis vires, &c.] Quæ ſit notha tertiana, vel ſpuria, & cur notha dicatur, & quot in ea differentię, vel diuerſitates reperiri poſſint, non modo ratione, & verbis ſuperius expoſitum eſt, ſed & exemplo, ſi meminiſtis, demonſtratum: Vnde in his repetendis non eſt amplius tempus conterendum. Sed ſtatim ad curationis rationem explanandam accedendum. At vero quoniam plurima curatricis methodi pars a natura affectus curandi accipitur: Tertiana vero notha ea ratione, qua tertiana eſt, & in eodem genere eſt cum exquiſita tertiana, eandem etiam, ſi non omnino, magna tamen ex parte ſubit rationem curationis. Quatenus autem notha eſt (eſt autem notha, quia non omnino eius rationem, & ſimilitudinem ſeruat, ſed ab ea euariat, & in materia, in qua accenditur, & in modo caloris, & in ſymptomatibus, & acceſſionibus, & temporibus, atque id, non eodem ſemper modo, ſed magis, & minus materia, ex qua excitatur, ab exquiſita, & ſyncera bile recedit.) Eatenus etiam curationis ratio diuerſa eſt, & in victus ratione, & cæteris remedijs. Cùm ergo bilis, vnde hæc febris accenditur, craſſior ſit, quàm exquiſita bilis, ſiue modo craſſitiem habuerit per aſſationem bilis exquiſitæ, ſiue per mixtionem alterius humoris, vel pituitæ, quod plerunque accidit, vel humoris melancholici: Inde omnino contingit, quòd & acceſſiones fiant longiores, febriſque vniuerſa diuturnior, neque vehemens adeo ſit illius incendium. Vnde quantum ad indicationes a naturæ morbi, itemque a natura, & cauſa febris depromendas attinet, diſpar eſt ratio. Quoniam neque tanta eſt refrigerationis, neque humectationis neceſſitas, ſicuti in exquiſita: tum quia neque tantus calor: tum vero, quia humor, qui tenuiſſimus erat, ſi craſſior ex refrigerantibus, & humectantibus reddatur, atque ita ad quoddam temperamentum in calore, & ſiccitate, nec non in craſſitie deducatur, facilius a natura regetur, & a medico, cùm opus erit, educetur. At bilis notha, vt pote quæ craſſior ſit, ſi plus incraſſetur, difficilior ad concoctionem, digeſtionem, & vacuationem reddetur. Quare indicatio refrigerationis longe minor: maior vero vacuationis, quàm in exquiſita: quanto videlicet erit humor craſſior. Sed & victus ratio, quæ fundamentum fere eſt præcipuum curationis, ab ea non parum euariat, quæ tertianis exquiſitis apta eſt, & in qualitate, & in quantitate, pręſertim quatenus ad cibum pertinet, nec non & ordine, uel tempore exhibẽdi. Verum ut de hoc primum agamus, nempe de cibo, & potu, uel de alendo ipſo ægrotante: quædam ſunt imprimis conſideranda, quæ in uniuerſum in morbis omnibus, præſertim uero materialibus, præcipua ſunt in iudicando: nimirum uires ipſæ laborantis corporis, & morbus. Hęc autem duo inter ſe aduerſaria ſunt, & mutuo ſe oppugnant: Atque uti aduerſaria ſunt, ita & ab eis depromptæ indicationes inter ſe aduerſantur: Alterum quidem nempe uires, cùm ab eis ſanitas, & uita pendeat, indicat, quod eorũ cuſtodia, & conſeruatione præſertim ſit opus. Alterũ vero, ut pote quod vitæ, ac ſanitatis hoſtis ſit, indicat, ꝙ mere-

tur

tur expelli. Immo uires, & natura ipſa, quantum poteſt, illum deſtruere contendit; ſicut morbus ipſe ex aduerſo naturam oppugnat. Verum licet hę ſint præcipuæ res in indicando: non tamen indicationes ab his rebus ſemper eandem uim habent: ſed inter ſe comparatæ oppoſitam fere rationem habent. Quia quò uires imbecilliores ſunt, & languidiores, eo indicatio ab illis deprompta uim habet maiorem, & magis urget. Quo uero ualidiores, & fortiores, eo indicatio ab illis deſumpta minus medicum urget, & minorem uim habet. Morbus autem contra, vt eſt maior, & deterior, ita, & ſua indicatio fortior eſt, & vim habet maiorem. Vt leuior, & facilior, ita & minorem vim habet. Nec modo hac ratione pugnantes inter ſe ſunt hæ indicationes, ſed & alia. Quandoquidem illud, quod vni prodeſt, alteri eſt noxium: ſicuti verbi gratia, cum valida eſt a viribus indicatio, illi cibo ſatisfacimus: vires enim alimento ſeruantur, reparantur, vel augentur. Cibus vero noxius non parum eſt, ſi morbum reſpiciamus: quia morbum auget, prorogatque. Vnde Hippocrat. ſecundo Aphoriſ. ait, Non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lędes. Corrumpitur enim (ſubdit Galen.) adueniens alimentum corpori malos humores habenti. Neque hac ſolum ratione nocet, verum & alia, quam hic Galen. refert. Quoniam concoctioni morbi impedimento eſt. Dum enim natura, cuius inſtrumentum eſt calor inſitus, cibum concoquit, nequit interea morbum coquere, cùm tamẽ ſuperari nequeat eiuſmodi morbus, niſi per concoctionem. Ideo Hippoc. primo Epid. com. ſecundo ait, Concoctiones celeritatem iudicij portendunt, certamque ſalutem. Galen. vero inquit, concoctiones fiunt natura cauſas noxias ſuperante. Vnde quantum ſpectat ad curationem morborum, inedia eſſet opus: at illa viribus inimica eſt, que (vt dixi) alimento ſeruantur, & reparantur. In his igitur anguſtijs maxime prudentia, & iudicium medici, non modo in curandis his febribus deſiderandum eſt, verum & in omnibus morbis ex materia ortum habentibus. Nam cùm cibus concoctioni morbi impedimento ſit: vbi crudior, & concoctu difficilior, atque magis rebellis materia, quanto fieri poteſt parcius alendus eſt ægrotus, quia natura in coquendo magis laborat: & ea propter quò minus fieri poteſt, ab eo opere diuertenda eſt. Quãtum autem id fieri poſſit, oſtendunt vires. Cum enim valentes ſunt, facilè, & ſine moleſtia tenuem victum ferunt. At vero cum in ipſis omne momentum in morbis curandis ſitum ſit, immo & vita: Ideo illis ſtatim ſuccurrendum eſt. Totum ergo hoc negotium conſiſtit in pẽſitatione, & collatione horum duorũ. Sed & his addendum illud eſt, quòd non modo perpendendæ ſunt vires præſentes, ſed & futuræ conſiderandæ. Nam pueri pleniorem victum requirunt: non tantum propter præſentes vires, ſed magis propter futuras. Cum enim eorum ſubſtantia magis, & facilius diſſoluatur continenter a proprio calore, ſi tenuiori victu in morbis tractentur: facile vires in illis concidunt. Hac ergo de cauſa ad ætatem, ad temperaturam, ad tempus anni, necnon ad regionẽ, præterea ad conſuetudinem reſpiciendum eſt. Sed neque minus ad naturam morbi reſpiciendum. Quia in diuturno morbo hoc imprimis cõſiderandum, an vires hæ vſque ad vigorem talem victus rationem tolerare poſſint, quin concidant: Et propterea primo Aphoriſ. dixit, quòd tenuis, & exquiſitus victus in diuturnis morbis omnibus periculoſus eſt, & paulo poſt, Coniectari autem oportet, an æger, cum tali victu ſufficiat perdurare, vſque quò morbus conſiſtat. His itaque conſideratis prudens medicus ab his difficultatibus ſe eximet. In copia ergo, & parcitate

A cibi exhibendi hæc erunt conſideranda. At quatenus ad tempus pertinet, ait Gal. ſi alternis diebus, illis videlicet nempe, in quibus febre vacuum eſt corpus, alatur ægrotans, nihilque die acceſſionis offeratur, ſatis illi erit. Vbi conſiderandum eſt, quòd biliosæ naturæ a nimia inedia, & fame lęduntur plurimum, ita vt ſæpe in animi defectum ea de cauſa incidant. Præterea vero illi, qui tenuioribus humoribus refertum corpus habent, cum facilius, & plus hi digerantur, etiam ex inedia conſumuntur, & virium caſui obnoxij ſunt. Vnde in exquiſitis tertianis non indixit integram in die acceſſionis inediam: Indixit autem in tertianis nothis, vtpote quæ ex craſſiori humore, & cum pituita mixto ortum habeant.
B Cui & hoc accedit, quòd acceſſio tertianæ nothæ lõgior multo eſt, quàm exquiſitæ: ita, vt difficilius ſit arripere occaſionem cibi offerendi. Præterea vero materia craſſior (vt ſæpe in prioribus lectionibus diximus) magis occupatum detinet calorem naturalẽ, & non ita facile ab illo ſuperatur: & proinde plus cibus lædit in his febribus, concoctionem morbi magis impediens, quàm in exquiſitis tertianis. Sed & cibus, cùm vim habeat humectandi corpus, & ſi ſit accommodatus, etiam refrigerandi: quę ad primarium ſcopum in curatione exquiſitę tertianę maximè pertinet: Ideo neque adeo in illis noxius eſt. Addamus, quòd in tertianis nothis cum bile eſt inſignis pituitæ copia. Pituitoſa vero corpora facilius inediam poſſunt perferre, immo vtilis illis eſt. Quia cum nati-
C uus calor fomento ex alimentis deſtituitur, conuerſus ad pituitam, illam cõcoquit, ac in ſanguinem, quo deinde alitur, conuertit: & ita facilius famem, & vtiliter perfert, vt hic notat Steph. Qualitas autem ciborum ea deligenda eſt, vt hi imprimis offerãtur, qui coctu faciles ſint: tum ob id, quia craſſior humor magis grauat, & occupat natiuum calorem, vt non ita mox alimentum, ſi ſit coctu difficile, poſſit conficere: tùm vero, quia ſi ægrè coquatur, gignit crudam materiam, & humorem pituitoſum, qui fouet, & auget cauſam morbi. Sed neque quatenus ad primarũ qualitatum naturam attinet, oportet, vt cibi ita refrigerent, & humectent: Immo cum humor is non ita calidus, & ſiccus, neq; ita tenuis ſit, ſed potius craſſus,
D vt q partes pituitoſas, & frigidas habeat: Ideo habet etiam permixtam indicationem, vt non tantum refrigerantibus vtamur, ſed & attenuantibus cibis, in quibus ſit aliquid calidi. Nam vt frigida incraſſant, ita calida vim habent attenuandi. Vnde ſicut herbæ, & olera in exquiſita, quæ inſigniter refrigerarent, alijs pręferebantur: Ita hic, quæ moderate attenuent, vim maiorem curandi has febres habebunt. Eſt enim natura huius febris media inter exquiſitam tertianam, & exquiſitam quotidianam, & quaſi ex vtraque mixta. Sed duo ſunt conſideranda, circa victum, & ciborum rationem. Primum id quod a Gal. hic eſt inſtitutum, quod alternis diebus ſufficit in his non exquiſitis tertianis cibare ægrotantes. Quia recte monet hic
E Stepha. non eſſe hanc rationem tanquam irrefragabilem ſesuandam: ſed ſemper t ętatis, temporis, & regionis, imprimis vero conſuetudinis eſſe rationem habendam. Quoniam multi ſunt, qui propter has harũ rerum conditiones nequeunt hanc tertię diei exquiſitam inediam ſeruare: Immo his noſtris temporibus au rariſſime, aut etiam nunquam poteritis legem hanc, vel inſtitutum in medendo ſeruare. Quia primum familiares, & aſſiſtentes omnes reclamabũt: timent enim ſemper, ne fame ęgroti pereant. Deinde vero & alia de cauſa: quæ maiorem rationem habet, quam Stepha. innuiſſe viſus eſt, cum ait, conſiderandum eſſe: num ægrotans aſſuetus ſit, dum bene valeret, aſſidue comedere. Quandoquidẽ hos nõ oportet alternis diebus alere. Iudicatio enim a conſuetudi-

ne plu-

ne plurimam vim habet, Et proinde cùm noſtra hac tempeſtate, comparatione ad antiqua tempora, plus & frequentius conſueuerint homines comedere: vt qui temperantiſſimi ſunt, ſaltem bis in die ad ſaturitatem comedant: cùm antiqui parciſſimè pranderent, liberaliter autem duntaxat cœnarent. Vnde apud antiquos in conuiuijs, & comeſſationibus nulla fit vnquam prandij mentio, ſed tātū cœnæ. Sed & Martialis referens in eo Epigrammate,

Prima ſalutantes: atque altera continet hora,

quæ ſolebant qualibet hora Romani officia præſtare, cœnandi horam deſcribit. Prandio vero nullam adſcribit. Multi autem noſtrum, & mane, & poſt meridiem ientacula accipiunt. Hac inquam ratione eam in pręſentia non poſſumus exquiſitam victus rationem, quam inſtituere antiqui, omnino ſequi. Addit autem id Stephan. quod quando hæc conſuetudo nos his temporibus impedit alternis diebus, ſicut res poſtularet, nutrire: ſaltem tenuem cibum offerre, & qui ſit tenuiorum partium oportet. Nam, vt faciliùs coquitur: ita alimentum inde genitum faciliùs digeritur, & diſſoluitur: & hac ratione ait ipſe emendandus eſt error ex multo cibo commiſſus. Vt & id addendum ſit, quòd cibus ita procul ab acceſſionis tempore exhibeatur, vt iam de ventriculo ante acceſſionem deſcenderit. In acceſſionibus enim detrahendum eſſe ait Hippocrat. quia malum eſt eo tempore apponere. Deinde vero, quatenus ad rationem victus pertinet, & hoc conſiderandum, quod cibos, vt faciles concoctu eſſe oportet, & potus quoque propter eam rationem, quam retulimus. Ita oportet etiam habere (vt dicebamus) aliquid calidi attenuantis, & incidentis. Vnde quantùm ad primum, ptiſana quidem optimus eſt cibus.

Aph. Facillime enim coquitur, refrigerat tamen, pluſquam requirat hæc affectio: nec eam vim habet attenuandi, qua egemus in hac curatione: Ideo, vt vndique bonus, & aptus cibus reddatur, conſuluere medici antiqui, vt aliquid piperis incoquatur: attenuat enim inſigniter (neque tamen ob multam partium tenuitatem plurimum poteſt calefacere) roborat vētriculum, & flatus diſcutit. Ego vero interdum. & cinnamomo vtor: quamuis enim aliquam vim habeat aſtrigentem, ea tamen non eſt tanta, ut lædere poſſit: immo longe magis aperit, & attenuat, & præterea putredinem prohibet. Multi incoquunt radices apij, vel fęniculi. Potum vero laudat mulſæ, cum qua fuerint decocta vel ſpica, vel origanum, vel hyſſopum: quæ omnia attenuandi, & detergendi vim habent: & alia quęcunque vim habent & facultatem ciendi vrinam. Dummodo non plurimùm calefaciant. Quia indicatio a febre non ita contemnenda eſt, vt nulla eius ratio habeatur. Quæ autem calidiora ſunt, & ſicciora, febrem augent: & irritant. Præterea partes humoris, quæ tenuiores ſunt, aut exſiccant, aut euacuant: ſi illis ante concoctionem vtimur. Quæ reliquæ deinde ſunt, craſſiores, & magis terreſtres cum ſint difficiliores etiam ad cōcoctionem redduntur, & ad excretionem. Sed hęc magis pertinent ad medicamentorum rationem, quàm ad victum. de quo etiam ſatis abunde ſermo habitus eſt. Quare iam ad alia conuertenda oratio. Et quoniam diximus, mutatam eſſe indicationum rationem in hac febre: quia non eſt hic maior ratio habenda refrigerandi, & humectandi: quàm vacuādi, cùm humor hic craſſior, & minus calidus, ſiccuſque ſit: Ideo de ijs, quæ ad vacuationem pertinent, agamus. Et quia, licet aliqua medicamenta, quæ accommodata ſunt vacuationi in hoc morbo: non multam requirant concoctionem: quoniam leuia ſunt & facilia: pleraque tamen, quæ ſunt alicuius momenti, tutius, & ex ratione adminiſtranſ, ſi præcedat conco-

A ctio, pręſertim ſi id medicamentis ſit agendū: Idcirco primū de concoctione agendū eſt. Cōcoctio vero in morbis duplex eſt. Alia quidē propria, quā præcipue natura intendit, & hęc eſt, qn̄ humor vitioſus, qui nō plurimum a naturali ſtatu receſſit, vi caloris natiui corrigitur, & in bonum, remoto vitio, conuertitur: Altera vero quando id, quod adeo eſt corruptum, vt nulla ſit amplius ſpes, quòd vertatur in bonum, paratur a natura ad facilem expulſionem, & quantum per eam fieri poteſt, eius malitia emendatur, quò minus deinde noceat. Quæ omnia a natura primum fiunt. A medico vero, tanquam ab eo, qui illam adiuuat, & illi miniſtrat inſtrumenta, quibus facilius poſſit materiam ſuperare. Vnde medici officium eſt, Primum, vt omnia impedimenta, quæ poſſunt naturam B ab opere ſuo diuertere, auferat. Cùm vero eius proximum, & natiuum inſtrumētum ſint ſpiritus, & calor naturalis, qui vbi coguntur alteri muneri inſeruire, concoctionem deſerunt: Ideo procurandum imprimis eſt, vt quieſcant ægrotantes, & decumbāt: neque permittendi ſunt, vt aſſurgant, & ambulent. Omnis enim motus, tam internus, quàm externus: tam corporis, quàm animi concoctionem impedit. Vnde ira, mœror, ſolicitudo, cogitationes, & id genus reliqua concoctioni noxia ſunt. Deinde vero, vt non ſolum hoc præſtet, verùm & eam, vbi præ imbecillitate, aut difficultate ob rebellē materiam, deficit, adiuuet. Et hic, vbi de notha tertiana agit, potius hæc nobis documenta tradit, quàm vbi de exquiſita C agebat. Quia craſſior eſt materia, & quæ difficilius natura poteſt ſuperari in hac, quàm in exquiſita. Bifariam autem naturæ opem ferimus. Primum iuuando, & roborando natiuum calorem, qui concoctionis opifex eſt. Solet autem is eſſe imbecillior in notha tertiana: alioquin enim neque ea copia pituitæ fuiſſet genita, ob quam reddita eſt bilis non ſyncera, & febris notha. Atque hoc præcipue in ventriculum referendum eſt, cùm inde fere occaſionem habeat pituitæ generatio. Et propterea foueri præcordia præcipit rebus, quæ moderatè calefaciendo, robur addant calori natiuo earum partium, in quibus vis concoctrix ſedem primam habet, imprimis vero ventriculus. Fomenta enim hæc præter id, quòd D (vt diximus) calorem natiuum roborant, digerunt, & diſcutiunt flatus excitatos ex pituita ab imbecilliori calore: qui diſtendētes ventriculum, concoctionem impediunt. Fomenta vero qualia eſſe debent, nemo ex ijs, qui librum hunc explanant, expoſuit. Sed hic intelligendum, quòd ea ſunt adminiſtranda, quæ non plurimum calida ſunt, præcipue vero inter initia: tum ob ipſam febrem, tum etiam, quia vehementius calida digerunt, & diſſoluunt tenuiores partes: cùm violenter agant: relictis craſſioribus, & magis terreis, quæ deinde difficiliores euadunt ad concoctionem, & digeſtionem. Quare in his chamæmelum, roſæ, anethum, abſinthium ſunt ſatis accommodata: ſi coquantur, ex aqua: addito etiam aliquanto E vino albo nō admodum auſtero, ſed tenui. Item olea ex iſtis herbis, vt eſt chamęmelinum, anethinum, abſinthinū, vt ſi chamæmelinum oleum cum abſinthino, addita aliqua portione roſacei, miſceatur. Neque reſpiciendum eſt, quòd abſinthium prohibeatur in initio, & ante ſeptimam in his febribus. Quia aliud eſt (vt dicemus) ſi illud exterius adhibeatur: aliud, ſi deuoretur. Nam aſtrictio eius eſt neceſſaria, dum fouendus eſt ventriculus. Immo anethino oleo non vteremur ſolo: quia nullam vim aſtrictoriam habet: ſed commixto abſinthino. Poſtea iuuamus ēt naturam, materiam concoquendam reſpiciente, nempe vt rebus illis agamus, quæ vitia eius emendare valeant, & naturæ ipſi ſint tanquam inſtrumenta. Vnde cū materia hæc ſit craſſitudinis, & lētoris par-

tice; s:

ticeps: ideo paranda eſt attenuantibus, & incidenti-
bus. Et proinde Galen. cibum cum attenuantibus,
potumque ſuperius præcepit parandum, & con-
diendum, vt ſimul, & vim alimenti haberet, & me-
dicamenti, laudabatque incoqui hyſſopum, origa-
num, & ſpicam, & piper. De quibus forſitan dubi-
taret iunior, qui audiens, quòd inter initia ante con-
coctionem, ſi cienda eſt vrina, leuioribus eſſe cien-
dam dicebat Galen. neque manum admouendam il-
lis, quæ inſigniter calefaciunt: hæc vero omnia vri-
nam prouocant, & inſigniter calefaciunt. Ad quam
dubitationem reſpondemus, oportere rem benè exa
minare, & aduertere modum loquendi auctorum.
Nam dum parum piperis in multa ptiſana incoqui-
tur, adeo retunditur vis eius, tùm calefaciens, tùm
prouocans, vt moderatum fiat medicamentum. Et
eodem modo dixerim de hyſſopo, origano, & ſpica
cum mulſa. Sed vt rem hanc ad vſum præſentis tem-
poris deducamus, quibus medici ab Arabibus aucto-
ribus edocti, & ſi decoctis vtantur, frequenter ta-
men vſus eſt eorum, qui ſyrupi dicuntur, quod vo-
cabulum Arabicum eſt, & potionem ſignificat. Vn-
de ineptire mihi videntur illi, qui aut græcam, aut la-
tinam etymologiam iſtius vocabuli quærunt: ſicut
& illi, qui non ſyrupos, ſed ſerapia appellant, nec qua
ratione percipere poſſum. Sed redeamus eo, vn-
de diuertimus. Et de his agamus in iuniorum vtili-
tatem, & dimittamus nos particulatim ad eorum ca-
ptum. Verum, vt hæc facilius capere poſſint, hoc
imprimis aduertendum, quòd non eſt iſtius febris
omnino vnus modus, & vna ratio (ut ſuperius nixus
eſt oſtendere Gale.) ſicut ſimplex, & unica ratio ex-
quiſitę tertianæ. Quia ſyncera, & exquiſita bilis ſim-
plex eſt humor, & ſimplicem, unicamque habet ra-
tionem. Spuria uero bilis, que oritur ex miſcella al-
terius humoris, uariam habet, & multiplicem ratio-
nem; pro uaria, & multiplici ratione mixturæ, qua-
tenus aliquando cum bile plus pituitæ admixta eſt,
aliquando minus: & interdum craſſior, & magis len-
ta pituita: quandoque minus craſſa, & minus lenta.
Et propterea etiam ratio curationis uaria eſt, quæ a
natura morbi, & materię depromenda eſt. Qua pro-
pter diuerſa etiam medicamenta a medicis ad hanc
rem ſunt excogitata, & diuerſæ rationes ſyrupo-
rum: quorum alii ſimpliciores ſunt: alij ex pluri-
bus compoſiti, vt poſſimus ſatisfacere omni occaſio-
ni. Nā alij magis incidunt, magis attenuant: alij ma-
gis detergunt, magis vel minus calefaciunt. Incipia-
mus ergo a Simplicioribus. Simplicior itaque eſt
tum ſyrupus acetoſus, tum oxymel ſimplex. A qui-
bus ſolemus plerūque incipere, & parum differunt.
In incidendo enim fere pares ſunt ob acetum. In de-
tergendo maiorem vim habet oxymel. Hoc enim
ex melle, aceto, & aqua ſimul coctis conficitur. In
ſyrupo acetoſo, pro melle, imponitur ſaccharum.
Vnde mel, & calidius eſt, & quandam habet acrimo-
niam: ita magis ſaccharo detergit, & aliquanto plus
calefacit. Ex quibus facile poterit, qui diligens, &
prudens eſt, percipere, quando magis expediat ſyru-
po vti, & quando oxymelite. Quia & a natura ma-
teriæ illud accipere facile erit. Quò enim craſſior bi-
lis fuerit, & magis ſpuria: eo aptius medicamentum
erit oxymel. Si vero non admodum craſſa, ſyrupus
acetoſus. Præterea a febris magnitudine. Quoniam
ſi vehemens ſit febris: tutior eſt vſus ſyrupi: Item a
temporis natura. Nam æſtuoſis temporibus aptior
ſyrupus erit: Frigidioribus vero oxymel. Secundum
ordinem obtinet bizantinus ſyrupus, quo vti ſole-
mus, cùm in longiùs morbus protrahitur. Vim enim
aperiendi attenuandique, & incidendi habet: nec ta-
men inſigniter calefaciendi: Deſcribitur autem eius
cōpoſitio tribus modis, vt poteſtis legere apud Ioan-

A nem Meſ. in ſuo libello, qui Grabadin arabicè dici-
tur. Nam aut ſimplex conficitur: & ſimplex ſecun-
dum primam compoſitionem dicitur. Illi deinde &
acetum quandoque addunt, & appellant ſyrupum
bizantinum cum aceto, & hic efficacior. Vnde a ſim-
plici inchoant: mox prorogato morbo, addunt ace-
tum. Tertio, vt maiorem vim addant, adiiciunt ſuccū
roſarum, glycyrrhizan, ſpicam, ſemina aniſi, fœniculi,
apij, & vocant ſyrupum bizantinum completum.
Vim enim maiorem habet hoc modo attenuandi,
aperiendi, & vrinam ciendi. Sed & mel roſaceum eſt
in multo vſu, & valdè accommodatum medicamen-
tum, cum valide detergat citra calefactionem. Ad
hanc febrem, cùm craſſa eſt, & lentorem habet bilis,
B oxymel compoſitum valet. In quo duas radices, ſcili-
cet apij, & fęniculi imponunt. Interdum ex quinque
radicibus, additis etiam ſeminibus, quæ aperiunt, &
vrinam prouocant, conficiunt. Et conueniunt, vbi
materia craſſa valdè, & lenta eſt. Præterea ſyrupus
de betonica accommodatus erit huic febri: modera-
te enim calefacit, attenuat, abſtergit, & aperit. Infir-
mior tamen eſt oxymelite. Quòd ſi quis hos ſy-
rupos faſtidiret, decoctis eſſet agendum vt paulo an-
te dicebamus. Vt ſi radices apij, fœniculi, petro-
ſelini coquerentur, addita glycyrrhiza, & cichorea,
ſi timeremus, ne nimis calefacerent ea ſimplicia:
coquerentur autem vel ex aqua, vel ex iure leui,
& macro, ac deinde modico iniecto ſaccharo.
C Item decoctum betonicæ. Fortiora autem ſunt
medicamenta, quorum Galen. ſuperiùs meminit, vt
ſpica, origanum, calamentum, hyſſopum, & iſtiuſ-
modi reliqua. Parata autem materia, & iam appa-
rentibus indicijs concoctionis, de ea vacuanda cogi-
tandum eſt: niſi natura ſponte vacuet: quod tamen
raro euenit cū materia craſſa eſt. Modi autem, & in-
ſtrumenta, quibus id moliri oporteat, particulatim,
ſed breuiter, exponit Galen. Sunt autem ea, quę vim
habēt ciendi vrinam, quęque per inferiorem aluum,
tam inferius per clyſteres iniecta, quàm ſuperiùs per
os aſſumpta. Smiliter & ea, quæ per ſudorem, &
ſenſibus inconſpicuam vacuationem [euacuant.]
Præterea vero, & per venam ſectam. Sed quoniā alia
vacuationis inſtrumenta plerunque requirunt con-
D coctionem pręcedentem: Huic autem legi ſectio nō
eſt obnoxia. De ea ſermo priùs habendus à nobis
erit. Vbi hoc conſiderandum, quòd phlebotomiæ
in tertiana notha explicitè Galen. meminit: in ex-
quiſita autem nullam eius fecit mentionem. Et id
eſt, quia venæ ſectio magnum remedium eſt, & pro-
pterea magnis etiam morbis accommodatū. Exqui-
ſita autem tertiana, quantum ad ipſam pertinet, mor
bus facilis eſt, & ex ſe ſalubris. Ideò raro admodum
cogimur venam ſecare. Notha vero tertiana ex hu-
more mixto ortum habet, & morbus maior, ac diffi-
cilior eſt: Et idcirco ſępius in ea ſanguis mittendus
eſt: quàm in exquiſita. Sed neque ſemper in ea mit-
tendus ſanguis. verùm duntaxat, quando eius miſ-
E ſione fuerit opus, adhibitis diſtinctionibus, & limita-
tionibus ad hoc negotium rectè peragendum neceſ-
ſarijs. Primum autem & per ſe mittendum ſangui-
nem indicat (vt hic ait ςtephan.) plenitudo: & id pro-
pter timorem magni morbi futuri. Cum enim putre
do in corpore orta ſerpere poſſit, vbi multa materia
eſt ſerpente putredine, auget morbus, ea itidem au-
cta. Viribus ergo, & ætate conſentientibus mitten-
dum ſanguinem indicat: detracta enim parte aliqua
plenitudinis, faciliùs natura reliquum & adminiſtra-
bit, & ſuperabit. Non ergo propter præſentem
ſtatum in tertiana notha ſanguinem mittimus. Nam
cum ſit febris intermittens, ſignificat, quātū ad ipſam
pertinet (vt dixit Hip.) periculum abeſſe: & ideo ne-
que magnus morbus dici poterit. Sed quia vbi mul-

ta ſit

ta ſit plenitudo, auctis obſtructionibus,& factis imbecillioribus uiribus, calore extraneo increſcente ex putredine, facile in continentem tranſire, & fieri morbus magnus poteſt. Vt ergo hoc periculum euitemus, ſanguinem mittimus, plus, minuſue, prout reliqua, unde iſtius rei limitationes petendæ ſunt, oſtendunt. Ea vero ſunt corporis temperies, ætas, tempus, & conſtitutio anni, regio, conſuetudo,& id genus reliqua. In reliquis autem vacuationibus moliendis magis cautos medicos eſſe oportet, quàm in exquiſitis: quia humor vacuandus, craſſior, & viſcidior eſt, atque ad vacuationem difficilior. Vnde maiori eget apparatu, & fortioribus inſtrumentis. Et ſicuti in exquiſita, ſi inter initia vti vellet quis balneis,& ſi error id eſſet: non tamen ille erat multus. Item etiam ſi nondum concocta materia purgaret aliquis: neque inde poterat ita inſignis ſequi læſio, vt in hac: quia facilior humor tenuis, & minori moleſtia, q̃ craſſus,& lentus educi poteſt. Magis ergo expectanda eſt in hac febre concoctio, q̃ in illa:& ea, quæ concoquunt,& ea, quæ vacuãt valentiora eſſe oportet. Qua propter in hac febre agendum quidem eſt clyſteribus, non tamen omnino mollibus, ſicut in exquiſita: neque in his adhibẽdis, ſicut in alijs uacuationibus, expectanda concoctio: quoniam eorum uis ad uenas non pertingit. Accommodati itaque erunt acriores clyſteres. Vt tamen, & hic conſideremus, quod clyſterum acriorum ordines ſunt, & (ut aiunt) gradus. Alij enim alijs acriores, uel minus acres ſunt. Quorum electio depromenda eſt, & a febris natura, & a natura corporis. Iam enim ſæpius diximus, quòd in nothis tertianis multa penes materiæ rationem eſt diuerſitas. Nam non ſemper bilis hæc eadẽ habet craſſitiem,& lentorem. Vbi ergo lenta magis,& magis craſſa bilis eſt, uel pituita, quæ illi miſcetur, acriori etiam opus eſt clyſteri. Vbi minus craſſa,& lenta, minus etiam acri. Sed,& ætatis, & virium ratio habenda eſt, Pueri enim clyſteres inſigniter acres, & qui ſunt infirmioribus viribus (vt ex Hippocra. quarto de Rat. vic. in acut. morb. haberi poteſt) non tuto clyſteres fortiores tolerant. Quidam etiam ſunt, qui ſuapte natura non poſſunt, vel leues etiam clyſteres ſine ingenti moleſtia perferre, vt ſæpe animo deficiant. Clyſterium autem horum varij ſunt ordines. Nam ſicut in exquiſitis ſatis erat aut mulſa, aut aqua hordei, aut decoctum ex furfure, aut decoctum, ex malua, & folijs herbæ violarum. Ita in nothis fortiores erunt, ſi ſal in maiori copia inijciatur, ſi mellis roſacei addantur vnciæ duæ, ſi maluæ & violis betæ addideris folia. In his enim multæ ſunt nitroſæ partes, quæ vim habent attenuandi, & detergendi,& aliquam incidendi. Præterea vero, ſi & mercurialem, in qua ſoluendi eſt vis maior. Adhuc autem erunt acriores, ſi inijciatur appellatum electuarium lenitiuum, magis quoque ſi hieram ſimplicem, & adhuc etiam magis, ſi imponatur hiera, quam iuniores hieram compoſitam Galen. præſertim pharmacopolæ, nuncupant: & eſt in vſu tantùm in clyſteribus, & interdum per hieram picram, ita abſolutè prolatam, hanc intelligunt: accipit autem agaricum, turbith, epithymum,& colocynthin. Poſſunt autem & acriores fieri, additis corticibus agari-ri, & colocynthidis, & centaurij. Sed hæc raro in hac febre in vſu ſunt: niſi interdum quando adeo redundat pituita, vt concitet tantum ſoporem, vt comatoſi,& lethargici quaſi fiant, in quibus cogimur ſæpe acerrimis clyſteribus vti. Prudentia vero medici in hoc conſiſtit, vt probe metiri ſciat rationem humoris, & ſymptomatibus emergentibus, & ipſo morbo perceptam,& illi accommodare clyſteres, aut acriores, vel minus acres, conſideratis alijs coindicantibus, quæ paulo ante expoſuimus. Eſt uero hic aduertendũ, vt locum intelligatis Auicenn. obſcurum, qui non parum facit ad exquiſitiorem intellectum eorum, quę ad vſum clyſterium pertinent. Ait enim, & cum phlebotomaueris, non indigebis clyſteri. Quod in ijs affectibus, vbi erat opus ſectione venæ: neque tamen illa fieri poterat: quia vel ea erat natura laborantis, vt tuto illam non poſſet admittere, vt in mulieribus albis,& mollibus: præterea in præpinguibus: vel ætas non aſſentiebat; vel anteacta ratio victus prohibebat; vel quoniam nimis eſſe delicatulus, qui laborabat, vtebatur Gale. Clyſteribus acrioribus ad vacuandum, & reuellendum, vt ipſe etiam præcipit quarto de tuen. ſanit, quod & ſeruauit ipſe quinto Meth, vbi iuueni Romanæ ſanguinem expuenti, quæ ipſi ſe curandam tradiderat, ſanguinem mittere cum non eſſet auſus, quia inediam per triduum pertulerat, acribus clyſteribus eam liberaliter vacuauit. Quare interdum hos clyſteres adminiſtramus, vt vicem ſubeant ſectionis venæ. Vnde cùm venam ſecuerimus, non amplius opus erit nobis vti clyſteribus ad hoc monus peragendum. Sed de his ſatis. Conuertamus autem ſermonem ad aliud genus vacuationis: quod & ipſum non ita exigit prę-cedentem concoctionem. Quia vis iſtiuſmodi vomitus, qui in tertiana notha nobis vſui euenit, & de quo eſt ſermo, non pertingit ad venas, vt poſſit materiam, quæ in venis concoquitur, aut concoquenda eſt, mouere, vel agitare,& illi vim inferre. Vomitus ergo, qui facilis ſit, nec multa violentia illata a medicamentis, quibus ciendus eſt, concitatus adeo ſalubris eſt in hac febre, vt multi ſtatim poſt vomitum liberi euaſerint. Vtilior vero, ſi poſt cibum ciatur: tum quia, cùm plenus eſt ventriculus, facilius prouocatur ad vomitum: tum vel maxime, quia vtilitas, quã conſequimur ex vomitu, inde eſt, quòd ſimul cum cibo educitur pituita, quæ in ventriculo eſt. Niſi enim cõgeſta eſſet pituita, non eſſet notha febris, neque adeo prorogaretur: dum enim miſcetur cum cibo, facilius educitur, quàm dum ſola eſt propter eius lentorem. Cui accedit, ꝙ ſi cibi ingeſti habuerint vim aliquã attenuantem,& detergẽtem, vt ſunt res ſalitæ, vt ſunt olera attenuãtia,& vim nitroſam hebentia vt beta: ſi origano, vel pulegio, vel hyſſopo condiatur: attenuata pituita,& ea deterſa a vẽtriculi tunicis, vi iſtorum ciborum, facilius cum cibo educetur. Sed & ea, quæ ad vomitum mouendũ dari in hoc affectu ſolent, vt oxymel, aut mulſa in hoc iuuabunt. Neq; enim eorũ vomitoriorũ nunc fit mẽtio, quę a lõgioribus poſsũt attrahere: vt ſunt, quæ ex veratro parantur, illis enim eſſet error vti, materia nõ exquiſitè concocta. Aliud etiam vacuationis genus examinandum eſt, quã per medicamenta, quæ per aluum inferiorem purgant, moliri ſolemus. Et quia in his medicamentis, quæ purgant,& facillimum,& leuiſſimum medicamentũ eſt abſinthium, cuius primũ meminit Gal. hoc loco: Ideo & ipſius mentionem prius faciemus: deinde vero:& de alijs. Sed primum aduertendum, ꝙ quidam explanantes hunc librum aiunt, blandis medicamẽtis tractandam iſtius febris curationem inter initia, neq; manus admouendas fortioribus ante cõcoctionem. Quaſi ante concoctionem vti ex ratione poſſimus moderatis medicamentis: quod tamen falſum eſt. Nam nullorum medicamentorum, quę attrahũt a venis, congruus eſt vſus ante concoctionem. Quæ vero duntaxat leniunt ut caſſia,& manna,& quę incidendo, & detergendo, non trahendo, uacuant ea admitti poſſunt. Quamuis autẽ de his habito ſermone dixerit Auic. ꝙ illi magis probatur adminiſtratio clyſterium: ſicut etiã re uera probanda eſt. Niſi forte iudicandũ eſſet, ꝙ in uentriculo & inteſtinis ſuperioribus eſſet congeſta aliqua excrementorum copia,

quæ

quæ vomitu facilè educi nō poſſent: tunc enim non
eſſet ab re, procurare, vt lemēte pharmaco ea facilè,
& citra violentiam expurgarentur. Poſt ſeptimā er-
go diē abſinthij vſum maxime laudat. Vbi animad-
uertēdum, quòd ſeptimæ diei commemoratio idem
ſpectat, quod in ſuperiori capite pronuntiatum eſt.
Nimirum quòd apparētibus ſignis concoctionis, ex-
pediat illud dare, non autem antea. Nam longè ma-
gis neceſſe eſt expectare cōcoctionē in notha, quàm
in exquiſita tertiana: ſiquidem eius materia craſſior
eſt, concoctuque difficilior, & ad vacuationem in-
eptior: & ideo magis eget, vt concoquatur, quo faci-
lius, & minori vi vacuari poſſit. Sed quantum ad ab-
ſinthium pertinet, aliqua ſunt cōſideranda. Primùm,
duæ ſunt facultates in abſinthio: ex quibus vtilis eſt
eius exhibitio in tertianis febribus. Nā & vim habet
vacuandi bilem: & pręterea quia calefacit cum aliqua
aſtrictione, ventriculū confirmat. Et prima quidem
facultate præſertim confert exquiſitis tertianis: bilē
enim, quæ exquiſita eſt, & tenuis, facilè vacuat, nō ita
autē ſpuriam: vtpote quę craſſior eſt, lentoriſq; par-
ticeps. Vnde cùm hortatur, poſt apparentia ſigna cō-
coctionis, abſinthium dari, ait, quia & alioquin ven-
triculum roborat. Quaſi innuat vtrunque requiri in
tertianis, & bilioſi humoris vacuationem, & robur
ventriculi: verùm in exquiſitis primùm propter va-
cuandam bilem: deinde vero quaſi acceſſoriū quod-
dam eſt robur ventriculi, quia non eſt multa eius im-
becillitas in exquiſita: maior autē in notha: alioquin
enim non ea generaretur pituita, ex qua degenerat
ab exquiſita: Et ideo licet abſinthiū iuuet, quatenus
bilem attenuatā iam, per concoctionem vacuet: lon-
gè tamen magis ex ventriculi roboratione prodeſt.
Nam & ſi omnino eam vacuet: ſatis tamen eius vis
eſt infirma. Vnde non eſt eo ſolo contentus in cura
nothæ. Sed ait, quòd præterea dandum eſt, & aliud
aliquod medicamentū ex eorum ordine, quæ aluum
modeſtè ſubducunt. Quāuis eo maxime, & frequen-
tiſſimè ſit vtendum: nempe propter id, quod ventri-
culum confirmat. Præterea conſiderandum, quòd
ait, vſum eius appoſitum, & congruentem eſſe poſt
diem ſeptimam. Quæ ſententia non parum dubia
eſt, quando quidem non videtur conſentire cum de-
(Com. 38.) cretis Hipp. & eiuſdem Gal. Primùm quarto de Rat.
vic. in acut. morb. Gal. ipſe eum auctorem damnat,
qui nolebat in ardente febre, cùm purgandum vide-
retur, tribus primis diebus, ſed quarta vacuationem
eſſe mohendam. Inquit enim hanc definitionē non
à dierum numero eſſe petendam, ſed à concoctione
apparente, iuxta definitam in primo Aph. ſententiā:
(Aph. 22.) quod & confirmat idem Gal. eodem quarto lib. di-
(Com. 76.) cens, Neque enim oportet inter initia morbi ali-
quod iſtiuſmodi remediorum ægroto iniungere, de-
ſumpto ſcopo à numero dierū: ſed vt præcepit Hipp.
vel ſtatim à principio, antequam in aliqua parte fir-
mentur humores: vel cùm ad maturitatem fuerint
perducti. Vnde & prima interdum die, & ſecunda, &
quarta, & interdum quinta dedimus medicamenta.
Præterea cùm omnino apertiſſimum ſit Gal. poſt ſe-
ptimam diem eſſe abſinthium dandum cenſuiſſe, vt
id detur, iā apparente concoctione, quā videtur ſpe-
(C. 1. 59.) rare in ſeptima. Hoc quidem non videtur cum eius,
(C. 1. 7.) ac Hipp. decretis cōſentire. Primum, quia (vt in quar
to Aph. & tertio Progn. ambo docuere) in intermit-
tentibus febribus non à dierum numero ratio criti-
corum dierum accipitur, ſed à numero periodorum.
Quia idem poteſt periodus in intermittentibus,
quod dies in continentibus. Quamobrem non rectè
videtur dixiſſe, poſt ſeptimam diem. Etenim hoc
etiam docuere ipſimet, quòd mutationes inſignes in
morbis ſolent apparere in diebus, vel periodis iudi-
catorijs. Quod ſi dicas, quamuis non ita expreſſerit

A Gal. horum tamen verborum ſenſum & ſcopū idem
ſpectare, quia in ſeptima die contingit quarta perio-
dus, vt ſupputādo facilè percipitur. Mihi adhuc ma-
gis augeri dubitatio videtur: quoniā cùm quarta ſit
indicatiua ſeptimę (vt 1. Aph. ait Hipp.) ſi quarta pe-
riodo inſignis aliqua appareat concoctio, in ſeptima
morbus iudicatur plerūque. In notha autem tertia-
na, aut nunquam, aut ſaltem rarò in ſeptima periodo
terminatur. Is enim terminus eſt exquiſitarum ter-
tianarum. Nam & id ſignum eſt tertianam ab exqui-
ſita degenerare, cùm excedit periodum ſeptimam.
Hæc ſanè dubitatio non admodum facilis eſt. Nos
autem, quamuis non meminimus dubitationem
hanc alibi à quopiam expoſitore, vel auctore fuiſſe
B propoſitam, nitemur tamen pro viribus diſſoluere.
Dicimus itaque, Gal. cùm dixit abſinthium libera-
liter dandum poſt ſeptimam diem, id voluiſſe, quod
& præcedenti capite, cùm ait, & ſi cōcoctionis ſigna
apparuerint. Quia (vt ſuperius dictum eſt) non dies
expectandi ſunt, ſed concoctio: Neque ſcopus acci-
pitur remediorum à tēpore: ſed à concoctione. Ve-
rùm hoc eſt conſiderandū, vt dubitationem omnem
tollamus, quòd, vt ex ſentētia Gal. ſecundo de Criſ.
ſuperius expoſuimus, exquiſita tertiana à tertiana
notha in hoc, præter alia differt, ꝙ in exquiſita ali-
quando in prima ſtatim periodo, vel inclinante ac-
ceſſione, vel intermiſſionis tempore, apparent ſigna
concoctionis: & tunc in quarta periodo ſemper ferè,
niſi error accidat, iudicatur. At ſi in principio nō ap-
C pareant manifeſtè concoctionis ſigna, fieri nequit,
vt in quarta iudicetur: verùm neceſſe eſt, vt ad ſepti-
mam periodū protrahatur. In tertiana autem notha
nunquam ante quartam periodum poteſt concoctio
apparere: Ideo nunquam etiam ante ſeptimā diem,
ſed ſemper poſt eā expectanda cōcoctio, nempe poſt
quartam periodum. Vnde cùm concoctio inſignis
non poſſit per ſua ſigna apparere, niſi poſt quartam
periodum: Propterea neque poterit febris hæc in ſe-
ptem periodis iudicari: Neque etiam erit abſinthij
congruus vſus, niſi poſt ſeptimam. Quia neque ſi-
gna concoctionis, niſi poſt ſeptimam poſſunt appa-
rere. Citius autem, & tardius poſt ſeptimam: ſicuti
citius & tardius apparuerint concoctionis ſigna. Vn-
D de in ea tertiana notha, cuius ſuperius fuit facta mē-
tio, quæ protracta eſt vſque ad ſextum menſem. Vbi
vſque ad æquinoctium vernum ab autumnali nulla
apparuere indicia concoctionis, neque dandum erat
abſinthium. Hoc ergo voluiſſe Gal. putamus, nem-
pe quòd non niſi poſt ſeptimam ſit congruus abſin-
thij vſus: quia non poſſit aliqua concoctio apparere,
quæ inſignis ſit, niſi poſt ſeptimam. Sed ad vlteriora
tranſeamus: in hoc enim ſatis, ſuperq; vagati ſumus.
Quoniam vero (vt diximus) craſſa hæc materia, vn-
de febris hæc excitatur, vt concoctu difficilior eſt:
ita & ad euacuationem ineptior: Ideo ſæpiſſime ne-
que ſatis eſt ſolius abſinthij vſus: quāuis ſummope-
re iuuet: quatenus robur addit ventriculo plurimum
E in hac febre labefactato. Quapropter ait Gal. expe-
dire, in hac febre vti alijs etiam medicamentis, quæ
vim habeant aluum moderate vacuandi, vbi conco-
ctio iam percipi poſſit, & paratior ſit materia. Ad
quam parandam, vt facilius vacuetur, oxymel mul-
tum iuuat. Multi enim maximum ex eius potu ſen-
ſere beneficium: vtpote quod citra calefactionem de-
tergat, incidat, & attenuet. Sed de hoc dictum eſt ſu-
perius. Reliquum iam eſt, vt dicamus de ijs medi-
camentis, quorum meminit Gal. cùm ait offerēdum
eſſe aliquod ex medicamentis illis, quæ ſubductoriā
alui vim habent, ſuntque familiaria. Sed hic ſiſtamus
gradum: quia non modici momenti eſt locus hic, vt
rectè percipiamus, quid ſibi hic voluerit Galen. per
ſubductoria medicamenta. Fuere enim quidam, qui

omni ope contendebant Galen.& antiquos medicos A non purgaſſe febricitantes febre putrida medicamentis,quæ propriè aluum ſoluunt: vna quartana excepta. In ea namque purgationis per medicamenta explicitè meminit, vt ſuo loco videbimus. Quòd ſi illis afferas locum hunc, Reſpondent illi per ſubductoria medicamenta,potius eſſe intelligendos clyſteres: proprie enim illi ſupponuntur, & ſuppoſiti ſubducunt. Sed hi mihi delirare videntur, neque diligenter animaduertere,quæ à Gal. dicuntur, qui hoc libro breuitatem,quoad fieri potuit,ſectatus eſt. Vnde cùm ſuperius de clyſteribus egerit,non video, cur ſit opus idem hic repetere. Præterea vero, & ſeries verborum Gal. ſi recte aduertatis,indicat non de ijs, quæ per clyſteres inijciuntur, ſermonem haberi, ſed B de illis quæ per os deuorantur. Ait enim multos iuuiſſe oxymel epotum πινόμενον inquit ipſe græcè:Et ſubdit,[Et aliquid ex ijs,quæ molliter ventrem ſubducunt,&c.] Vbi manifeſte apparet,quòd ad præcedentia referenda eſt oratio,vt ſupplendum ſit, Et aliquid ex ijs,quæ facile ſubducunt, profuit epotum. Atque hanc iſtius loci ſententiam reliqui expoſitores ſecuti ſunt qui medicamenta,quæ epota,vel deuorata ſubducunt intelligi ſenſere. Imò græcus Steph. ait, hoc proprie ſignificare antiquis auctoribus verbum illud ὑπήλατα nempe medicamenta, quæ per aluum moderate euacuant. Et indicans,quæ ſint, vel qualia eiuſmodi medicamenta ſubductoria modeſtè, refert polydium, & alypium: quòd ferè in eodem gec nere eſt cum epithymo: item & mercurialem. Et hæc quatenus ad medicamenta ſimplicia pertinent. Nam ſubdit, ſunt vero & quædam compoſita, quibus inijciuntur ſcāmonium,& colocynthis,& agaricus,& elaterium. Quæ non carent dubitatione,& ambiguitate. Quo enim pacto hæc inter moderata medicamenta recenſenda ſunt? quæ ex valentiſſimis ſunt confecta medicamentis ſolutorijs, qualia ſunt ſcamonium, colocynthis, & elaterium. Vnde aliqua ſunt hic conſideranda, quæ vtilia vobis eſſe poterūt, nec ſcitu indigna. Primùm quòd multa habemus in præſentia medicamenta,quæ familiaria, & modeſta ſunt, priſcis illis temporibus, vel ignota, vel ſaltem non in vſu, ſicut caſſia Aegyptia,rhabarbarum,ſene, quæ ferè & faciliora, & meliora ſunt ijs, quorū me- D minit Steph. Deinde vero, quòd interdum medicamenta aliqua ſunt ex ſimplicibus confecta, quæ immoderata ſunt viribus,& in purgando, & in facultatibus alijs: ipſa tamen, hoc non obſtante, moderata, & mitia redduntur. Nam acria illa, & veluti effrenia medicamenta refrenantur, & miteſcunt mixtura,& quaſi conſuetudine cum alijs mitioribus, & familiarioribus medicamentis. Et hæc eſt vna ex præcipuis vtilitatibus, quæ adduxere medicos ad componenda ſimul plura ſimplicia in vnum compoſitum medicamentum. Vnde Scribonius Largus in ſuo de Compoſ. medic. libello, cuius non ſemel meminit Galen. referens compoſitionem hieræ Pachij, quam διακολοκυνθίδος appellat, eam vel hac ratione com- E mendat, quòd quamuis ex vitioſis admodum medicamentis conficiatur, quæ alioquin ſuapte natura ventriculo aduerſaria ſunt: confectio tamen, & miſcella eorum vim ita lenit,& mitigat,vt medicamentum hoc amicum tandem ventriculo euadat, & (vt ipſe ait) ſupra quam quis credere poſſit, illum confirmat. Et proinde neque in noſtri temporis medicos inuehi debetis, qui aliquando & medicamento, quod diaphoenicō appellatur, quòd ſcāmonium recipit, & eo etiam, quod ab auctore dicitur confectio hamech,vtuntur,& id genus reliquis. Fortiora enim medicamenta mitiora, & familiaria facta ſunt recta compoſitione. Cui aſſentiri, & ſubſcribere viſus eſt Gal.qui ſecundo Rat.vict.in ac. morb. ait, ꝙ

A pleuriticis niſi ingens febris vrgeat, dare tutò poſſumus, non modo veratrum, & peplium, verum & medicamentum διακολοκυνθίδος. Sed & id animaduertendum, quòd multa ſunt medicamenta,quæ quantum ad ipſa pertinet,optima ſunt,& recte confecta, & ea ſæpe nocere videntur. Quod tamen non ab ipſis medicamentis oritur, vt noceant, ſed ex imperitia vtentis. Nam medicamenta proprie ſunt inſtrumenta medici, & naturæ. Quæ perinde ſe habent, vt reliqua artificum inſtrumenta, quæ ipſa ſola nihil agunt: agunt vero, quatenus ab artifice mouentur, & recte quidem, ſi à perito: perperam autem, ſi ab imperito,& ignaro tractētur. Ita & medicamenta, ſi a perito medico, qui ea & morbis, & B temporibus, occaſionibusque, præterea temperaturis: ætatibus, & id genus reliquis nouerit accommodare,nunquam defraudant medicum, neq; ęgrotum. Quòd ſi interdum medicus, vel ægrotans ſua ſpe defraudati fuerint, hoc ſemper ex errore contingit aut medici,aut ægrotantis,aut miniſtrorum. Poſtremus vero vacuationis modus eſt, quæ fit per anguſtos: & inconſpicuos habitus totius corporis meatus: ſiue talis vacuatio ſenſus lateat: ſiue per ſudorem, & manifeſte fiat. Ad quā balnea plurimum faciunt,vt in præcedenti capite diximus. In his ergo maior eſt habenda diligentia, & cautio, quàm in exquiſitis. Quia non tantum referebat concoctionem expectare in illis,quātum in his. Quoniam cùm materia ibi feruens eſſet, & tenuis, magis refrigeratio- C nem exigebat, quàm vacuationem. Neque etiam ſi vi balneorum cruda adhuc materia in habitum corporis digerebatur: dummodo refrigeraretur, & humectaretur,aliquam noxam poterat afferre, quādoquidem cum tenuis eſſet, inepta erat vt obſtructiones excitaret. Materia vero non exquiſitæ, vt neque adeo feruens eſt: ita & longe craſſior: neque ita facilis ad vacuationem, & digeſtionem, niſi per concoctionem attenuetur. Vnde ſi ante concoctionē balnea adminiſtrentur,digerunt quidem partes tenuiores: craſſæ vero difficiliores ad digeſtionem & concoctionem euadunt. Sed & craſſas has(vt tùm Auic. tùm Steph. expoſuere) fundunt, & eas aut ad loca putredinis fluere faciunt, atque ita febrem augent: D aut malum cum bono permiſcent: vnde bonus corrumpitur. Præterea vero fuſum humorem in habitum corporis totius, & in tenuiſſimas venas digerūt, ac ſubinde obſtructiones augent. Vſus ergo balneorum in hac febre curanda vtilis eſſe nequit, niſi concocta materia,& (vt ait Steph.)morbo iam vigente: quia eo tempore concoctus humor & attenuatus facile poteſt citra vllam noxam, euacuari.

Quartanæ curatio. Cap. XI.

DEinceps de quartanis dicemus, quas etiam ipſas ab initio mediocriter, ac leniter tractare oportet, &c.] In quartanæ curatione,ſi ex methodo illa E tractanda eſt,oportet eodē calce incedere,quo in exponenda curatione tertianæ progreſſi ſumus: nēpe, vt primum per reſolutionē ſcopos inueniamus, quos ſtatim à principio ſpectare oportet eum, qui recte curaturus eſt, atque eas indicationes, quas no is offert natura iſtius febris, quam curādam ſuſcepimus. Hæc enim ſunt, quæ vniuerſam curandi rationē gubernant,& quæ nō ſolùm ab initio, ſed ad finem vſque præ oculis habere ſemper neceſſe eſt. Indicationes vero duplices inſurgunt in hac, ſicut in alijs etiam putridis febribus. Altera quidem ab ipſa febre. Altera vero ab humore, ex cuius putredine accenditur febris,& à quo eadem fouetur. Quæ indicationes mutuo diſſentiunt: non autem, vt in exquiſita tertiana, conſentiunt. Nam febris calidus affe-

ctus

ctis eſt, qui refrigerandum eſſe indicat. Humor vero melancholicus, qui frigidus ſuapte natura eſt, calefaciendum. Quamuis vtrunque humectandum pariter indicet. Præterea vero, & materiæ vtriuſque alia ratione differunt: quia bilis exquiſita feruidus humor eſt, tenuis autem, & leuis, & ob id magis noxius eſt ſua eximia, & acri caliditate, quàm corpulentia, & mole: hac enim ratione parum admodum naturæ grauis, & moleſtus. Vnde tam ratione febris, quàm materiæ indicatio refrigerationis potior erat, quam vacuationis. In quartana autem febris videtur quidem habere ſuam refrigerandi rationem: illi autem aduerſatur indicatio ab humore deſumpta, quę maiorem vim habet, quàm indicatio à febre. Etenim neque adeo magnus eſt quartanæ calor, neque adeo longus, vt timendum ſit, ne vires deijciat, cùm tempus intermiſſionis adeo longum ſit, vt corpus interim facilè poſſit reſtitui. Quare magna ex parte medicus ad materiam febris ſe conuertit: cui niſi ſit conſultum, nunquam ea tolli poterit. Diximus autem magna ex parte, quia nũquam altera indicatio omnino contemnenda eſt, quæ à febre proficiſcitur. Sed hoc imprimis cõſiderandum, quòd cùm febris diuturnior ſit, ea ratione fit diuturna: quia in dies ex aliqua alicuius viſceris intemperatura, & ex mala interdum victus ratione, vt Galen. ſecundo de Diff. febr. exponit, noua generatur materia, quæ febrem continenter fouet. Neque enim putandum eſt, quòd à principio morbi tanta fuerit congeſta materia, quæ per tot menſes potuerit tot acceſſionibus fomentum ſubminiſtrare. Quo conſtituto, ſi volumus febrem curare, duo primum ſcopi huc pertinentes exſurgunt. Alter, vt congeſtam iam materiam ſubtrahamus, vacuemuſque. Alter vero, vt prouideamus, & procuremus, ne noua in poſterum generetur. Et ſi mutuo omnes ſcopos conferamus, potior quidem videtur, vt congeſta vacuetur. Quia morbos ex multitudine factos vacuatio ſanat. Attamen cùm inter initia ea cruda ſit, & vacuationi rebellis, neque ſit purgandus iſtiuſmodi humor aliquis, niſi concoctus. Ideo inſurgit & tertius ſcopus, qui & ſi natura poſterior ſit, tempore tamen præcedere debet. Propterea his duobus imprimis inſiſtendum: nempe, vt & humor concoquatur: & ita conſulatur, vt ſi fieri poſſit, aut nullus amplius, aut paucus admodũ is humor generetur, qui febrem fouere poſſit. Atque non amplius hi ſcopi ita mutuo, vt priores, ſibi aduerſantur: imò maiori ex parte in vnum conſpirant, præſertim vero quantum ad primas qualitates pertinet. Cũ enim concoctio excrementorum non fit, niſi ad mediocritatem eorum deductio, exceſſus per contraria moderandi & corrigendi ſint: Melancholicus autem humor frigidus, & ſiccus ſit: humectantibus ergo, & calefacientibus erit humor hic tractandus, vt ferina eius natura leniat, & miteſcat. Craſſus præterea immodice eſt: quare & attenuantibus ei opus eſt. Sed & intemperies ea, ex qua quotidie generatur materia hæc eiſdem ferè tollenda eſt, niſi vbi per aduſtionem ſit genitus is humor: ex immodico namque calore, & igneo fit vera exuſtio. Hæc ergo eſt generalis methodus curandi quartanam, reſoluta in ſuas primas indicationes & primos ſcopos. Sed ad modum, quo particulatim ſcopos, & indicationes has exequi oportet, tranſeamus. Vbi generalia quædam præcepta ex ipſa item iſtius humoris natura accepta primũ obſeruanda ſunt, in adminiſtrandis remedijs, & tractandis ijs inſtrumentis, quibus quartanam demoliri oportet. Primùm quidem, quòd inter initia nullo violento, & valido inſtrumento vtamur, neque in tranſmutando & concoquendo, vel attenuando humore, neque in euacuando. Nam his vti eſſet error maximus, & maximè noxius. Iſtius vero ratio hæc

A eſt: quia humor is naturam quandam ferinam habet, rebellem admodum naturæ, & natiuo calori: vtpote cui in vtriſque qualitatibus aduerſetur. Vnde ad cõcoctionem difficilis eſt, & difficilior ad vacuationem. Qui ſi violenter tractetur, & validè calefacientibus, & attenuantibus, partes tenuiores diſcutiuntur, & abſumuntur: craſſiores vero magis terreſtre ſreddũtur, & ad eductionem ineptiores. Sed & ſi eius etiã vacuationem tentaueris inter initia violento medicamento, renititur illi, & magis exaſperatur, & irritatur. Et hæc omnia incommoda inde ſequuntur. Primùm ille non cedit vacuationi, & tractui medicamenti. Deinde medicamentum, dum attrahit magna vi, non ille, quia ineptus eſt ad motum, ſequitur **B** vim medicamenti, ſed humores boni, & vtiles ſequũtur, qui quidem quaſi frenum ſunt mali humoris. Atque ita ille effrenis magis efficitur. Pręterea in hac violenta tractione humores omnes commouentur, & exagitantur, & vitioſis cum malis ſimul commixtis vitiantur quoque qui vtiles, & boni ſunt, & ſic materia, & fomẽtum febris augetur, præter id, quòd caloris natiui vires infringuntur. Ab omni ergo violenta, & magna operatione, ſiue per tranſmutationem, vel (vt aiunt) alterationem: ſiue per vacuationem abſtinendum. Niſi fortè videatur eſſe opus venæ ſectione, & ſanguinis detractione, ait Gal. Nam hoc medicum inſtrumentum non videtur requirere tantam concoctionis obſeruantiam, ſicut alia vacuantia. Quia non attractricè aliqua facultate vacuat, vt **C** medicamenta attrahendo humores, & illis vim inferendo: ſed potius vena aperta, qui in ea continentur humores, ſponte ferè ſua effluunt. Neque tamen propterea præcipites in ſanguine detrahendo eſſe oportet: quin potius in hac febre maximè eſſe cautos oportet in ſanguine mittendo. Etenim ſi id opportunè fiat, & vbi ratio recta id agendum eſſe indicat, mirificè confert. Sin autem ſecus: ſummopere officit. Opportunè autem fit, vbi multa ſit in venis ſanguinis copia, qui neque omnino bonus ſit, ſed potius craſſus, & niger ad naturã accedens humoris melancholici: quoniã vel ipſe ita fuerit genitus, vt prope acceſſerit ad generationem iſtius ſucci: vel quia venæ contineant plurimũ melancholicum ſuccum immi- **D** xtũ ſanguini: eius enim mixtura ſanguis fit, & craſſus, & ater. Cùm ergo talis fuerit ſanguis, ſi vena ſecetur, vtiliter admodum id fiet. Si vero ſecus, plurimum lædemus. Nam ſanguis maximè naturæ familiaris eſt, & omni ex parte: cõſtat ſiquidem illis qualitatibus, quæ vitę fundamentum ſunt, calido nempe, & humido: vnde non modo natiuũ calorẽ fouet: verumetiam alios humores omnes refrenat, lenit, & mitigat. Quare cùm intempeſtiuè educitur, aſperiores, & magis effrenes, & ferè incorrigibiles euadunt humores reliqui: cùm ad eorum tẽperiem, & moderationẽ ſanguis faciat, quando bonus, & naturalis eſt. In lienoſis aũt talis eſſe ſanguis ſolet, qualem deſcripſimus ait Gal. Lenioſi vero dicuntur, qui malè affe- **E** ctum lienè habent: nimirum quia nequit opportunè fungi officio ſuo: ꝙ vel obſtrictus ſit, vel imbecillis: vtpote quia vel attrahere nequeat: vel quia attractũ humorem excrementoſum excernere nequeat. Eius enim officiũ hoc eſt, vt ſanguinem ab iſtiuſmodi excremẽtoſo ſucco expurget. A quo officio vbi deficiat, ille in vniuerſum corpus redũdans per venas, ſanguinem craſſum, & melancholicũ reddit. Et ob id, cùm Lienoſis ſanguis detrahitur, vena ſecta, effluit craſſus & ater. Sed & venæ in his, qui talem ſanguinem plurimum congeſſere, ſolent tumidæ, & nigræ videri. Hoc igitur imprimis obſeruandum, & animaduertendum, antequã tũdatur vena. Deinde vero, neque hoc ſatis eſt: ſed oportet, vt ſecta vena, præſens medicus aſpiciat, & conſideret qualitatem ſanguinis, &

eo inſpecto, ſi niger, & craſſus videatur poterit etiam permitti, vt liberaliter effluat: ſemper tamen habita ratione ætatis, plenitudinis, viriũ, temporis, & reliquorum iſtius generis. Quòd ſi minime talis effluat: ſed potius tenuis, & clarus, vt flauum calorem vergat, ſtatim cohibendus, & liganda claudendaque vena. Quòd ſi quæras, quænam vena tundenda ſit, quando ſanguinis detractione opus eſt. Ratio enim, cui & experientia aſtipulatur, indicat nobis non eaſdem venas, cùm ſecantur, omnibus affectibus pariter conferre, ſed alias alijs magis. definit & hoc Galen. ſecandam eſſe axillarem, vel interiorem venam in brachio (hanc iuniores baſilicam appellant) præſertim vero ſiniſtri, ea enim directè lienem reſpicit; & magis confert laboranti lieni. Quòd ſi illa non reperiatur (aliquando enim aut ita exilis eſt, vt non facilè à chirurgo reperiri poſſit: aut ita profunda) tunc media ſecanda, quæ fit ex coalitu axillaris, & humeralis in vnum. Aetius tamen rem hanc magis particulatim definit. Quam definitionem fortaſſe non appoſuit Galen. breuitati ſtudens; cui ſatis fuit exponere, quæ frequentius ſolent euenire. Et quia dixit ſuperius, rarò accendi quartanam ſine aliquo lienis vitio: Ideo eo reſpiciens ſecandam eſſe ſiniſtri brachij ait. Aetius vero, vel illi, à quibus Aetius accepit conſiderantes, quòd aliquando non ita vitio lienis fit quartana, ſicut iecinoris, multum melancholicum ſuccum gignentis, vel aſſato ſanguine, vel alioquin alia intemperie: Idcirco dixit, & hoc eſſe conſiderandum: quia ſi occaſio, à iecinore eſſet, tunc potius ex dextro brachio, quàm ex ſiniſtro ſanguis eſſet mittendus. Sed redeamus ad primum noſtrum inſtitutum. Præter miſſionem itaque ſanguinis ab omnibus alijs validioribus remedijs, quæ potenter aut vacuant, aut corpus tranſmutant, & humores, abſtinendum in principio, dum humor crudus, & pertinax eſt: ſed omnia blandè tractanda. Alterum vero præceptum generale eſt, procurandum eſſe, quantum per nos fieri poteſt, vt aluus mollis, & fluida ſit, q̃ ſi ſponte fluat, quantũ ſatis poſſe eſſe videatur, relinquendum hoc naturæ: ſin autem, iuuanda: Et ab initio quidem, quo rebus vtemur magis familiaribus, & conſuetis, eo felicius res ipſa ſuccedet. Conſueta vero, & familiaria imprimis ſunt ea, quibus in cibis vtimur: hæc præſtantiſſima erunt, ſi vim molliendi aluum habeant, ſicut ſunt olera, quæ ventrem laxant, & leniunt, vt eſt beta, oleo, & ſale condita. Nam hoc ipſum olus nitroſas partes habet, qua detergendo, & attenuando, & incidendo materiam ad facilem expulſionem parat. Præterea vero & expultricem facultatem irritat, & excitat. Habet & partes humidas, & aqueas, quæ mollire, & lenire aluum poſſunt. Oleum quoque additũ mollit, ac lenit. Sal vero nitroſus partes adiuuat. Eadem præſtabunt atriplices, & quę ſpinachia vulgo dicuntur. Sed & braſſicæ ius ad idem valet. Ius diximus, quia folia quartanarijs inimica: vtpote quæ ſuccum melancholicum generent. Paſſulæ quoque, & caricæ in prima menſa acceptæ aluum leniendo cient. Et pruna cocta ex iure, & ſaccharo, & quæcunque huius generis. Quæ ſi vel nihil, vel pro ratione exigentiæ fecerint, validiori inſtrumento erit opus. Vnde clyſteres erunt imponendi. Neque etiam hi ſine diſtinctione ſunt inijciendi. Quia diuerſimode parantur, & ita diuerſam vim, & rationem habẽt. Sunt enim molles clyſteres, & leues, de quibus ſuperioribus capitibus actum à nobis eſt. Sunt & acres, de quibus itidem abundè habuimus ſermonẽ: & in his etiam non vnus eſt ordo: alij enim acriores ſunt: alij vero minus acres. In horum autem vſu id ſemper præ oculis habendum, quòd ſtatim ab initio a nobis conſtitutum eſt: nimirum quòd principia huius febris, antequam concoctionis ſigna appareant, leniter tractanda ſunt, neque materia, quæ alioquin ferinæ cuiuſdam naturæ eſt, & rebellis, exaſperetur: ſed blandè tractetur. Vnde primum agendum eſt mollibus clyſteribus, vt leniendo ſuccum terreum ſuapte natura leuiter, & facile moueant, & melius tractabilem molliendo reddant. At vbi iam concoqui videatur, paulatim ad acriores accedendum: craſſus ſiquidem humor, & ineptus ad motum valentioribus eget inſtrumentis, vt educatur, neque amplius exaſperari poteſt, dum mouetur, ſi per concoctionem ſit factus mitis. Sed hic & illud præterea conſiderandum, quòd ante concoctionem aliquam manifeſtam, præcipit aluum eſſe lenem, & lubricam ſeruandam, aut cibis ipſam molliendi vim habentibus, aut mollibus clyſteribus. Vbi refellere videtur hoc tempore omnem medicamentorum vſum, quæ vim habeant aluum ciendi. Contra quam ſoleant medici noſtra hac tempeſtate agere, qui vel etiam illi, qui maximum nomen habent, curantes quartanarios eis caſſiam ab initio, vel mannam, vel diacatholicon, vel ſyrupum roſaceum, Aliqui etiam decoctum ſenæ, & alia id genus medicamenta exhibent. Et quamuis quidam, qui ſeueriores medici videri volunt, & profitentur ſe velle ad vnguem ſequi antiquum medendi modum, eos damnent: Nos tamen, qui nolumus adeo ſuperſtitioſi eſſe, putamus facile eos poſſe defendi: vtpote qui neque præter rationem, & inſtituta antiquorum medicorum agere videantur. Quandoquidem iſtiuſmodi leuia medicamenta, quorum vis, ſi qua in eis eſt, ſolutiua, vix ad iecur pertingit, neque violenter mouendo poteſt crudum in venis contentum humorem irritare, exacerbareq́;, ſunt quaſi media inter cibum, & medicinas. Vnde, vel; cibi medicinales, vel medicinæ (vt aiunt) cibales, præſertim vero cum nõ dantur in inſigni copia, appellari poſſunt, & comprehendi ſub eo capite, vbi ait Galen. ventrem molliendum eſſe per conſueta, & familiaria. Hęc autem conſueta, vel familiaria interpretatur Steph. ea, quæ cibi rationem habent. Quæ quidem ſi ſolùm cibi eſſent, non haberent autem aliquam medicamentoſam qualitatem: non mollirent ventrem. Quare iſtiuſmodi cibi medij, & ipſi ſunt inter cibum, & medicamentum. In his autem Steph. lac ponit, & mel: quod quidem lac per eius ſerum ventrem mollit: mel autem abſtergendo. Auic. vero loco lactis ſerum ponit; quod vim habet medicinalem. Vnde Hippoc. Com.8
quarto de Rat. vic. in ac. mor. ad purgandam bilem lac aſinæ dat coctum liberaliter potandum. Gal. autem pro lacte ſerum. Auic. vero, & aliquod medicamentum, ſicut epithymum, exigua copia incoqui voluit: quantum nempe poſſit ſeri vires aliquantiſper roborare, vel aliquid polypodij, vel ſyrupi roſacei, dari. Neque ſi rectè velimus Gal. verba examinare, videtur ipſe huic ſententiæ refragari, qui interdicit, quo minus vel fortibus vtamur medicamentis, neque magnam aliquam moliamur inter initia vacuationẽ, præter eam, quæ fit per venæ ſectionem. Ea enim magnum remedium, & inſignis vacuatio. Non ergo omnino vſum medicamentorũ damnat, ſed eorum, quæ valida, & vehementia ſunt. Sed de his ſatis. Particulatim iam remediorum omnium rationem, & vſum perſequamur, ſumpto exordio à victus ratione, quæ fere aliorum omnium fundamentum eſt. Atque primùm de victus ratione, quatenus ad cibum, & potum pertinet, ſermonem habebimus: poſtea vero ad alias res, quæ in victus ratione continentur, accedemus. In his autem tria conſideranda nobis proponit Gal. Nempe quales ſint cibi, & potus, qui offerendi ſunt quartanarijs, primùm in vniuerſum, mox & particulatim. Alterũ vero quã-

tum

tum cibi, & potus, ſit offerendum. Tertiũ, quo tempore ſit offerendum. Sed primũ caput imprimis tractemus in vniuerſum: deinde vero, & particulatim. Eligendæ ergo illæ ſunt eſcæ, quæ has habeant conditiones. Primò vt ſint boni ſucci, ſanguinemq; bonum, tenuem, & clarum generent. Ita enim ſubtrahentur fomenta febris, dum bonus ſanguis clarus, & tenuis non melancholicus & craſſus gignitur, qui proximè ad naturam humoris melancholici accedit, Non etiam talis, qui facilè putreſcere poſſit. Secundò & flatuoſæ minimè ſint: ſicut legumina ſunt, quę præter id, quòd plurimum gignunt melancholicum ſuccum, flatum etiam plurimum generant. Flatus vero, atque flatulenta excrementa (vt hic Steph. ait) in liene recepta, illum extendunt, & in tumorem attollunt. Præterea vero & cõcoctioni plurimum obſunt, tam ventriculi, quàm aliorum viſcerum, dum videlicet, ea intendentes, vetant, quominus materiã concoquendam amplexari poſſint, & illi hærere. Cui addamus quod eam, fluctuare facit. Nihil autem ferè eſt, quòd magis febricitantes tum in hac, tum in alijs febribus lædat, quam cruditas. Altera vero cibi conditio eſt, vt non ſint craſſi, vel lentoris participes. Cùm enim hæc, vt non facilè coquuntur: ita & non [facilè diſtribuuntur: tardum enim & non] facilem tranſitum habent: Vnde (vt idem Steph. monet) excretiones detinentur. Quo fit, vt excrementa detenta addita melancholico ſucco, febrem augeant, & foueãt. Tertia vero conditio, quæ in cibis vniuerſim ſeruanda eſt in hac febre, eſt, vt non refrigerẽt, & humectent. Quo loco hoc dignum eſt animaduerſione, quòd ſententia hæc plurimos turbauit, quonã pacto Gal. interdicit vſum eorum ciborum qui humectent: cùm tamen in omnibus morbis ex humore melancholico ortum habentibus, nihil ſalubrius ſit, quàm humectare: præſertim cùm humor hic ſiccus, & terreſtris ſit. Quare Alexander Trallianus hoc loco damnare, & inuehi in Galen. videtur. Leonicenus vero, & iunior interpres, & explanator iſtius libri, putantes mendum adeſſe, aliter legunt. Mutant enim Humectant, in Exſiccant. Vt præcipiat ea fugienda eſſe, quæ refrigerant, & quę ſiccant: quia correctio humoris huius fieri debet per calefacientia, & humectantia. Aetius tamen, & Paulus, Trallianuſque, & Steph. & quotquot reperiuntur antiqui codices manuſcripti habent Humectant, non Siccant. Vnde mirum admodum eſſet, quòd in omnibus pariter inoleuiſſet mendum. Quapropter Steph. videns difficultatem, nixus eſt nodum hunc diſſoluere. Sed, vt diſſolutionem melius percipiatis, aduertatis, quod non ita legit, ſicut habent græca exẽplaria, & impreſſa, vt interpretes plerique in latinũ tranſtulere: nempę ϗ τῶν ψυχόντων, ϗ τῶν ὑγραινόντων, hoc eſt, & quæ refrigerant, & quæ humectant. Vt ſit ſenſus, & ab ijs abſtinendum eſt, quæ refrigerant, item etiam ab illis, quæ humectant. Vt diſiunctim intelligamus, quæ hic proferuntur. Sed legit, perinde vt Aetius, Paulus, & alij, coniunctim: nimirum hoc modo, καὶ τῶν ψυχόντων καὶ ὑγραινόντων, id eſt, ab ijs abſtinere oportet, quæ refrigerant, humectantque. Ea ergo prohibet, quæ vim habent ſimul refrigerandi, & humectandi: Vnde omnia refrigerantia, ſiue deſiccent, ſiue humectent, noxia ſunt. Neque id extra rationem eſt, quia refrigerantia omnia, & humectantia incraſſant humores, & calorem natiuum obtundunt. Quare humiditas, quantum ad ipſam pertinet, maximè vtilis eſt: propterea quia aduerſaria eſt ſiccitati multę humoris melancholici: quia tamen, cùm eſt frigiditati iuncta, & ſi omnino molliat, magis incraſſat: Ideo hac ratione nocet. Non fecit autem mentionem ſiccitatis: quoniam omnibus in comperto eſſe po-

A teſt, quod per ſe obeſt: quia humoris ſiccitati addit: iuncta tamen calori, poteſt interdum iuuare, quatenus omnia, quæ attenuant, & diſcutiendi vim habẽt, calida fere & ſicca ſunt. Vnde paulo poſt ſalſamentis vtendum eſſe ait, & ſynapi, & pipere. Conditiones ergo ciborum in vniuerſum hæ ſunt. Sed rem hanc particulatim exerceamus. Quamuis itaque ſuillæ carnes optimum alioquin generent ſanguinem, ſi probè conficiantur, quia tamen craſſum, & viſcidum alimentum gignunt: reijciendas eſſe cenſet. Cùm tamen in exquiſitis tertianis eas interdum conceſſerit. Et id, quia bilis tenuior eſt, neque periculum eſt, vt nimis ab eis incraſſetur. Præterea cùm in tertianis confluat bilis in ventriculum, quæ in cauſa eſt, vt

B ſæpe cibus corrumpatur in nidoroſum ſuccum: hac de cauſa, quæ non facilè corrumpi poſſunt, illis congrua ſunt. Vt id addamus, quòd calidior eſt in tertianis, quàm in quartanis ventriculus: & ea propter facilius ea caro, quæ alioquin non facilè concoquitur, in eo ventriculo confici poteſt, quàm in quartanarijs, in quibus refrigeratur ab humore frigido. Vnde cùm de eius ſignis ageremus, diximus in quartanis multam generari in ventriculo pituitam. Longè ergo magis damnandæ ſunt bubulæ carnes, & vaccinæ, immo & vitulorum, niſi lactantium: præterea & anatum, & anſerum (craſſi enim ſucci ſunt & excrementoſæ) ſed & pauonum, tam noſtratium, quàm indorum, craſſiores, & concoctu difficiliores,972

C nes inter quadrupedes probandæ, & magis elixæ, quàm toſtæ: magis enim aluum molliunt. Pullorum quoque gallinaceorum, & caponum iuuenum: qui non ſint domi ſaginati, optimæ. Nam humidum, bonumque, nec craſſum, exhibent alimentum: ſaginatæ, enim incluſo loco excrementoſę ſunt, & malæ, & quæ veteres. Auium autem paluſtrium malæ. hæ namque excrementoſæ ſunt & plerumque craſſi ſucci. Nemorales vero, & ſylueſtres: quamuis ſicciores domeſticis ſint: quia tamen ſanguinem tenuem non craſſum, non viſcidum gignunt: Ideo huic negotio ſunt accõmodatę. Potus autẽ vini albi, tenuis, moderatè calidi eſſe debet. Eiuſmodi enim vinũ moderate calefaciens poteſt frigidũ humorem temperare,

D poteſt craſſum attenuare, cùm tenuis ſit ſubſtãtiæ: vim etiam molliendi aluum habet, & humectandi: mouet enim omnes excretiones naturales, vt illi attribuit Gal. Vinum vero antiquum nimis calefacit, & exſiccat. Nigrum autem, & craſſum, præter id, quod atrum, & craſſum ſanguinem generat, cohibet etiam excretiones. Piſces quidem aliqui poſſunt in hac febre eſſe vtiles, non omnes. Nam qui degunt in aquis paluſtribus, non bonis, non claris, quique in oſtijs fluminum. Præterea qui capiuntur propè magnas ciuitates, omnes ob pabulum excrementoſum, quo vtuntur, non admodùm probi ſunt. Particulatim autem, qui ſecundum propriam naturam duriores carnes habẽt vt muli, & qui triglæ, vel vulgò Venetijs barbones appellantur, non ſunt admodum in

E hac re vtiles: vtpote qui duriores carnes habent: quãuis alioquin mali minimè ſint. Auratæ vero aliquanto minus duræ ſunt: neque tamen & illæ molles. Sed neque qui viſcidas carnes, licèt molles eſſent, admittendi ſunt. Vnde & capitones, qui cephali dicuntur, reprobandi ſunt, ſepiæque & lolligines, & qui cetaceo genere continentur: omnes ſiquidem aut craſſum, aut lentum generant ſuccum. Ita piſces illi, qui nunc tinchę appellantur, & qui cyprini, aut vulgò rainæ. Laudari autem debent, qui aſelli, ὀνίσκοι græcè dicuntur, & ferè ſimiles gobijs ſunt: degunt autem in ſaxis. Menæ etiam & carnem teneram habent, & lentoris expertem. Sed & ſardæ non eſſent incongruæ. Quòd ſi quæratis, quo pacto parandi, &

coquendi eſſent piſces. Poſſunt quidem in craticula torreri. Sed coctura vtilior eſſet, ſi ex iure albo, cuius mentio antiquis, præſertim vero Gal. frequens eſt; cuius confectio eſt ex aqua, & porro, & anetho, addito modico ſale, & oleo. Quod ius in vſu noſtris temporibus non eſt. Id vero, quòd brodettum Venetijs appellatur huic proximum eſt. Nam pro anetho, imponunt folia noſtri ſatiui petroſelini, pro porro, tantundem cepæ: Niſi quòd, vt gratius reddatur, aromatum aliquid addunt. Quæ neque aliena à noſtro negotio eſſent; Poſtquam & ſinapi non timet Gal. & diatrionpipereon, & diaſpoliticon. Salſamentorū quoque non eſt inutilis, (ait idem Gal.) aliquis vſus. Aliquis diximus: quia, vt hic Stephanus notat, non oportet, vt ille ſit admodum liberalis. B Nam ſalita humorem melancholicum gignunt, vt ſæpe dixit Galen. ideo ſi quis ea plurima comedet, & frequenter, plurimum congeret melancholicum ſuccum, qui febrem hanc diutius fouebit. Vnde illis vti oportet perinde, vt medicamento, non quaſi alimento: Comedenda ergo ſunt modice quantum videlicet poſſint craſſum humorē attenuare, & quoquomodo incidere, præſertim vero, ſi multa congeratur pituita in ventriculo. & alijs partibus ad eum pertinentibus, ſicut congeri ſolet in melancholicis affectibus, quando conſentit ventriculus. Ita etiam ſinapis vſus ratione, qua attenuat, & flatus diſcutit, vtilis eſt. Et ad eundem ſcopum facit diatrionpipereon: attenuat enim, & flatus diſcutit, & ventriculum, & viſcera roborat citra inſignem calefactionem. C Cap. 5. Cuius confectio refertur quarto de ſan. tuen. quæ duplex eſt; altera ſimplicior: alia magis compoſita, ibique & vires eius, & quādo hæc, vel illa vtilior eſt. Sed & diaſpoliticon, cuius compoſitionis ratio, & facultas expoſita itidem nobis eſt a Gal. ſexto, de Cap. 10. ſan. tuen. facit enim plurimum ad attenuandos, & detergendos craſſos, ac lentos, humores, præcipue vero ſi in ventriculo conſtiterint. Dupliciter & hoc medicamentum confici ſolebat: interdum tantundem nitri optimi, ſicut & aliorum ſimplicium imponebāt: & id, vbi aluus erat aſtrictior: nōnunquam ſemiſſem nitri ad quodlibet aliorum; vbi aluus erat lenis. Quòd ſi non haberent commoditatem parandi hæc medicamenta compoſita, ſi quotidie ſolo vterentur pipere, & id ex aqua acciperet quartanarius, vtiliter accipiebat. D Eſt autem hic aduertēdum, quòd liberalior eſt in pipere dando, quàm in illis compoſitis medicamentis. Piper enim ex aqua quotidie dare permittit: cùm tamen medicamenta illa compoſita non eſſe danda, niſi diebus aliquibus, & per interualla iubeat. Nam piper, & ſi calidum ſit inſigniter, ex tenuitate tamen partium non poteſt plurimùm calefacere, præſertim datum ex aqua, quæ plurimùm poteſt calorem eius reprimere. Alia vero medicamenta non ita præſertim diaſpoliticon, quod ex nitro poteſt aluum ciere. Hæc itaq; de qualitate cibi, & potus. Quantitas vero definiri exactè nequit. E Nam in hoc reſpiciendum eſt ad naturam, & temperaturam corporis, ad ætatem, ad tempus anni, ad conſuetudinem, (vt 1. Aph. edocti eſtis) & ad tempus ipſius morbi. Reliquum eſt, vt ad tempus opportunum cibo exhibendo ſermonem conuertamus. Tempus autem cibo exhibendo ineptiſſimum eſt, id quo morbus iam ad vigorem perductus. In vigore enim victu, quo poſſumus, tenuiori eſſet vtendū, vt ſi fieri poſſet, à cibo penitus eſſet abſtinendum. Tunc enim imprimis natura, quæ alteri negotio maximè alioquin intenta eſt, nō eſt diſtrahenda. Sed quoniā fieri nequit, vt vires exquiſitā poſſint perferre inediam, Ideo, quantū minus poſſimus hoc tempore nutriamus. Tēpus vero, quod ad cibum dandum eſt opportunum, eſt initium, & inclinatio, diuerſis tamen ra-

A tionibus. Cibum enim in principio liberalius damus, vt vires eæ ſeruentur interim, quæ mox in vigore victum, quo poſſumus magis, attenuare permittat. Vnde plenius ſtatim à principio alimus: deinde quo magis vigori vicinior fit morbus, eo magis de cibo detrahimus. Inclinante vero morbo, cibus exhibendus, vt vires in vigore tum ex tenuiori victu, tum ex pugna, & labore imbecilliores factas inſtauremus, & reficiamus, & contra agendum, quàm temporibus ante vigorem. Nam à vigore ſemper victum augemus, & pleniori eo vtimur. Hoc etiam commune omnibus febribus eſt, vt in acceſſionibus, ſi fieri id poteſt, à cibo abſtineamus. Ita enim & Hipp. monuit, In acceſſionibus abſtinendum eſſe.

B POST cibi potusq; rationem, de aere eſſet agendum: niſi quòd ex ijs, quæ dicta ſunt, facilis eſt perceptu eius ratio. Nam ſi ad calidum quoquo modo, & humidū inclinauerit, melius erit: non ita tamen, vt craſſus ſit, vt paluſtris, ſed potius tenuis. Nā perinde corpora afficiuntur, ſicut & aer affectus eſt, in quo verſantur. Sed & modeſtus ſomnus humectando prodeſt: nimius vero hebetem reddit natiuū calorem. Vnde & vigilia ſuo tempore moderata ad attenuationem iuuat. Somnus tamen (vt 2. Aph. docuit Gal.) ſemper in initio acceſſionis, & incremento noxius: vtilis vero, inclinante acceſſione. His ſuccedit motio, & quies: de quibus ita definiuit Gal. quòd hæc ſunt varianda pro natura ipſius quartanæ. Nam interdum longa adeo acceſſio eſt, & adeo vehemens, C vt corpus laſſum, & totum confectum relinquat, intermedijs etiam diebus, vt fere vix moueri poſſit. hos autem non oportet exerceri. Quandoquidem Hipp. in Aph. docuit, quòd in omni corporis motione, cùm quis dolere cæperit, ſtatim quieſcere remedio eſt. Et proinde ſatis in his erit, ſi frictiones adminiſtratæ vice fungantur exercitationis: Vel ſi aliquas faciles perferre poſſint deambulationes, quo tempore febre vacui ſunt, hæc enim modeſtè adhibita: rarefacta cuti, & materia attenuata, ad digeſtionem alicuius partis non parum faciunt. Quod ſi non ita difficilis, & vehemens fuerit acceſſio, quin poſſint maiores, intermedijs diebus, labores perferre; non erit inutile, ſi de more ſuo exerceantur. D Eos vero, qui plurimùm balneis aſſueuere: ſicuti conſuerant temporibus illis: ita indicante longa conſuetudine, poteris permittere, vt lauentur. Verum ſi etiam poteris ab eis abſtinere, longè res melius habebit. Nam ante concoctionem non poteſt eſſe vtile admodum balneum. Hæc autem ita tractanda ſunt à principio, vſquequo vigor adſit. In vigore ſiquidem quieti imprimis nauanda eſt omnis opera: omnes enim corporis motiones naturam auertunt eo tempore, omni ope incumbentem concoctioni, & ſequeſtrationi noxiorum humorum. Quid autem in vigore morbi agendum ſit, paulo poſt exponemus. In præſentia enim occurrit dubitatio quædā diſſoluenda, quæ oritur ex occaſione eorum, quæ Gal. ſequentes dicimus paulo ante circa victus rationem E quartanarijs inſtituendam. Aliter enim Auic. ſenſiſſe viſus eſt, qui voluit, vt circa initium vſque ad tertiam, vel quartam periodum dentur auiculæ, poſtea vero pulli gallinacei. Ad tenuiorem autem victum pertinent auicularum carnes, quàm pullorum. Præterea & capite inſcripto de Cibatione patientium quartanam, præcipit inter initia ad ſeptimanam tertiam vſque, inſtitui tenuiorem victum: poſt vero plenius alendos quartanarios. Si defendere Auicen. volumus. (Nam generalis, & Hippocratica ſententia, quam ſequitur hic Gal. in omnibus morbis materialibus ſeruanda præcipit liberalius in principio alendos ægrotantes; parcius autem quo magis ad vigorem procedimus.) Ita dicendum puta-

mus,

mus, quòd Galen. reſpexit ad rationem quartanæ propriam. Auicen. vero reſpexit ad quendam alium affectum, qui aut ſemper, aut frequenter ſolet iungi cum quartana, qui videtur & ipſe ſuam habere indicationem: & eſt intemperies frigida ventriculi, per quam congeritur plurima pituita. Vt ergo illa concoquatur, ab initio tenuem victum instituit. Nam ea concocta, alitur corpus. Poſtquam autem vacuus fuerit ventriculus, tunc liberalius cibum offert, vt vires reficiantur, quò facilius in vigore poſſint tenuiorem victum perferre, vt ſequens Galen. monet. In quo vigore (vt diximus) & omnino quieſcendum, & alioquin procurandum, vt faciles omnes fiant excretiones, tam per cutim, quàm per vrinas, & alui deiectiones. Expeditas vero excretiones per cutim, digeſtis videlicet excrementis, illa præſertim faciunt, quæ vim habent laxandi, & molliendi, vt balnea dulcis aquæ, perfuſiones etiam factæ ex decocto chamæmeli, anethi, meliloti, maluæ, hordei. Item & cataplaſmata ex eiſdem. Præterea illinitiones ex oleo amygdalino, chamæmelino, anethino, & id genus reliquis. Per vrinas autem mouent, quæ diuretica appellantur. Atque etiam, cùm iam ſigna manifeſtæ concoctionis apparent, iam ventrem purgantibus, tum per vomitum, tum per ſeceſſum medicamentis agendum erit: vt materia iam cocta, & parata vacuetur. Concocta enim medicanda eſſe conſuluit Hipp. Et hoc, niſi natura ipſa ſponte, & ſine medicamentis agat, quantum ſatis ſit. Tunc enim omnia naturæ operanti eſſent ſinenda. Nam & id præcipit Gal. 1. Aph. Quæ iudicantur, aut iudicata ſunt, integrè non mouere, ſed ſinere. Etenim aliquos vidimus reddita multa nigra vrina, poſt morbi maturationem, à quartana tādem fuiſſe liberatos: alios vero deiectis multis excrementis nigris per aluum. Hoc tamen raro eſt in craſſis his humoribus, & morbis longioribus. Vnde plerunque purgandi ſunt medicamentis. Ac priſcis quidem illis temporibus in multo vſu erat veratrum, ad ciendum vomitum, & purgandum humorem melancholicum. Medicamentum enim hoc valentiſſimum eſt, ad purgandos melancholicos humores per vomitum: quo etiam inſanientes curabant. Vnde erat quaſi prouerbium, vt, cùm inſinuare volebant aliquem inſanire, dicerent illum egere veratro, vel nauigaſſe in Anticyram. Anticyra vero inſula in mari Laconico eſt, quæ plurimum, & optimum eiuſmodi medicamentum ferebat. Sed ab Arabibus medicis cæpit timeri hæc medicina. Aliquando enim adeo violenter, & vehementer mouet, vt ad conuulſionem corpus perducat. Noſtri etiam latini poſteriores ſecuti ſunt in hoc Arabes. Neque noui aliquem medicum, qui temporibus noſtris auſus ſit album veratrum alicui dare. Erat autem eius (vt hic exponit Steph.) triplex vſus. Nam aliquando ramos veratri radiculæ infigebant, ac radiculam deinde per vnam, aut alteram diem in oxymelite macerabant, atque ita radicula vim veratri attrahebat: mox ramulis veratri abiectis comedebant radiculam. Alter modus erat per decoctionem ex aqua, cuius decoctum bibebant. Tertio vero & ipſum contuſum interdum in tenuiſſimum puluerem redactum accipiebant, quando minus purgare volebant: Interdum vero in craſſiuſcula fruſtula, quando maiorem vacuationem cupiebant. Partes enim craſſiores diutius moram in ventriculo trahunt: tenuiores vero citius vna cū humore vacuato effluunt. Vnde prior modus leuior, & facilior eſt: alter vehemētior: tertius adhuc maior, & violentior. Noſtra autem tempeſtate vix retinemus vſum nigri veratri, ſed non ad vacuandum per vomitum: at potius per deiectionē alui: & eſt ſatis facilis medicina, quę commode vacuat humores atros, & ſine moleſtia. Ego eius ſemper decocto vtor ad drachmam vſque, interdum etiā ad ſcrupulos quatuor. Epithymum etiam prælatum eſt alijs medicinis ad educendum humorem melācholicum: præterea & polypodium. Arabes autem lapide lazuli vſi ſunt: & re vera vim habet hos humores purgādi. Verùm niſi ſit electus, & optimus, ac diligenter paratus, vidi ſæpe multam ventriculo anguſtiam, & moleſtiam attuliſſe. Facillimum medicamentū eſt ſena, & tutiſſimum, quod puerperæ etiam citra vllam noxam accipiunt, ſed potius iuuat, cum humor melancholicus factus eſt ex exuſtione. Compoſita vero, quæ in vſu ſunt ad hanc febrem, leuia quidem ſunt lenitiuum appellatum electuarium, & diacatholicon, & diaſene. Decoctio etiam epithymi à Ioan. Meſ. in ſuo libr. Grabadin deſcripta, ſemper fuit, & eſt in vſu frequēti, ad purgandum corpus ab humore melancholico. Fortius eſt confectio dicta hamech. Quòd ſi difficilior ad euacuationem humor eſſet, hieræ aliquæ ex maioribus poſſent in vſum deduci. Ego vero interdum hiera Pachij, quæ διακολοκυνθίδος à græcis eſt nuncupata, vtor, & feliciter ſolitus ſum vti, addito ſimul nigro veratro. Quemadmodū Gal. 1. & 2. de Comp. med. per loc. docuit, hieram communem, quam ipſe picram ex aloe appellat, accommodari poſſe, melancholicis affectibus: nempe illi additis, aut nigro veratro, aut epithymo. Vel etiam, ſi indos myrabolanos, vel ſenam addamus: pari ratione commodum huic negotio eſſet factum medicamentum: præſertim vero ſi ventriculus ex longa febre iam laxior redditus eſſet. Sunt etiam catapotia, vel pilulæ quædam, quarum vſus non eſſet inutilis, præcipuæ vero, & magis vſitatæ ſunt illæ, quas Ioan. Meſ. indas appellat: item & pilulæ ex lapide lazuli, & quæ ex lapide armeno: ſi tamen is lapis nobis eſſet notus. His ergo medicamentis vtentes humorem concoctum iam, qui febrem fouebat, vacuare oportet, vel alijs ſimilibus. Quòd ſi dicas, interim antequam humor coquatur, vt vacuari poſſit, nonne aliqua ſunt in vſu medicamenta, quæ naturam in coquēdo iuuare poſſint? quales ſunt ſyrupi ab Arabibus appellati, qui in præſentia apud omnes in vſu ſunt? Mea quidem ſententia antiqui medici Hipp. & Gal. potius ijs, quæ ad victus rationem pertinent cibis nimirum, hoc agebant: quos ita parabant, vt primùm quidē vim molliendi haberent: mox vero, & attenuandi. Quòd ſi alioquin alio vterentur, decoctis vtebantur ex medicamentis vim habentibus attenuandi, & aliquantiſper digerendi. Neque tamen & hæc ſyruporum inuentio, propterea quòd Arabum fuerit, damnanda eſt: cùm longus iam vſus & experientia id probauerit. Multi itaque ſyrupi huic negotio ſunt accommodati. Nos autem à leuioribus incipiemus, & ad fortiores deinde progrediemur. Primum ergo ordinem habet ſyrupus, confectus ex ſucco pomorū dulcium, qui ſimplex dictus eſt. Hunc ſequitur ſyrupus itē ex ſucco pomorū confectus, deſcriptus à Meſue, & relatus in regem Sabor, & appellatur Sabor regis. Hoc valentior eſt, qui ex pomis compoſitus dicitur, ab eodem item deſcriptus, ſed hic iam vim aliquam ſoluendi habet: accipit enim quidpiam nigri veratri. Quòd ſi quartana exuſto humore fuiſſet accenſa, ſyrupus ex ſucco fumariæ herbæ, vel fumoterræ cōfectus, optimus: primùm quidem ſimplex: poſtea vero, & compoſitus, qui ab eodem deſcribitur: habet tamen & is aliquid ſolutiui: accipit enim epithymum, & polypodium, perinde vt ille compoſitus de pomis. Itemq; & ſyrupus de epithymo. Vnde neque his ſtatim inter initia vti oportet: quāuis quantum ad rationem ciendi aluum, faciles, & leues ſint: ſed potius quando iam aliqua incipiat apparere con-

coctio in humoribus. Concoctione vero iam exquiſita apparente, & corpore expurgato, ſi aliquæ reliquiæ adhuc humoris ſuperſunt, nō eſt omnino ſemper vacuantibus, & ſoluentibus tollendum, quicquid reliquum eſt. Semper enim aduerſaria ſunt hæc medicamenta, ac viſcerum robur diſſoluunt. Vnde, & eſt tritiſſima ſententia, quod melius ſit infra ſubſiſtere, quam exquiſite corpus vacuare. Vt tamen hæ reliquiæ, neque ita in corpore remanentes iterum augeant, & reaccendant febrem: laudat poſtremò Gal. theriacæ antidoti vſum, quæ medicamentum ex viperis nuncupari ſolebat: & reliquas etiam maiores antidotos; ſicuti & Mithridatia eſt, & aliæ plurimæ, quarum fit mentio ab eodem in libro de Antid. primo, & ſecundo. Illæ tamen duæ in vſu maiori ſunt. Vim enim plurimam habent attenuandi, & digerendi reliquias horum craſſorum humorum; & præterea mutare malum ex morbo contractum habitum, & intemperiem, tum in toto; tum vero in ventriculo, & reliquis viſceribus. Præfert autem Galen. omnibus medicamentum, & antidotum ex Cyrenaico ſucco confectum, quod ſe in plurimo vſu habuiſſe teſtatur. Aetius autem libro ſeptimo exponit, quale fuerit hoc medicamentum, vbi de ratione curandæ quartanæ agit. Accipiebat enim Cyrenaici ſucci, vel liquoris, piperis, myrrhæ, foliorum etiam viridium rutæ, par pondus: quæ omnia optimè trita aſſumenda ſunt ruta leuigata, & diſſoluta ex melle in catapotiaque redigenda, & danda ſunt aliquibus ad oboli pondus: aliquibus autem ad ſemiobolum. At vero, quia eiuſmodi medicamenta, quæ validam vim habent, quando opportunè dantur, mirificè proſunt: hinc fit, vt imperiti ſæpenumero cùm videant ea adeo inſigniter contuliſſe ad tollendam febrem, credentes ita ſemper ea poſſe conferre, ſine temporis alia determinatione, & diſtinctione, ſiue in incremento ſit morbus, ſiue in principio, ea dare temerè auſint. Vnde ſæpiſſimè illis ſecus, ac ſperant, contingit: ſperant enim magnificè iuuatura, & magnificè nocent. Nam ex ſimplice duplicem quartanam efficiunt. Multoties ex intermittente continentem. Et proinde neque illum piguit, & hoc iterum monere: quamuis ex præcedenti facilè poſſet percipi: nempe quòd ab his medicamentis abſtinendum omnino ſit: niſi vigor accedat: ſiquidem ante vigorē apta ſunt potius nocere, quàm prodeſſe. Hactenus quartanæ curationem expoſitam à Gal. habemus: quorum pars maior ad exquiſitam quartanam referenda eſt. Quòd ſi dicas, ſed quæ non exquiſita, cur non docet eam curare? Dicimus, quòd quia non exquiſita, aut eſt per mixtionem alterius humoris, aut ex humore melancholico facto exuſtione aliorum humorum; quamuis enim exuſti humores (vt aliàs diximus) in melancholicum humorem tranſeant: ſemper tamen aliquid ſeruant naturæ præcedentis humoris: Ideo ſicut eſt quoquomodo mixta natura humoris, vnde febris acceditur, Ita curatio mixta eſſe debet. Sicuti etiā mixtā oſtendimus curationem tertianæ nothæ, vel nō exquiſitæ. Et quatenus magis, vel minus refert naturam alterius humoris: Ita magis mixta, vel minus erit ratio curandæ quartanæ non exquiſitæ.

Quotidianæ curatio. Cap. XII.

QVotidianam autem cùm curare volueris, vtere oxymelite poſt primos dies, & illis, &c.] Modus doctrinæ, quem in hoc libello ſeruat, compendiarius eſt, vt ſtatim ab initio noſtrarum lectionum diximus. Et ideo quæ ſemel tractata ſunt, non repetit, neque etiam eorum diſtinctè meminit, quæ facile poſſumus ex illis colligere, quæ prius fuerant expoſita. Vnde quia plurima ſunt; immo vero maior pars eorum, quæ ad curandam hanc quotidianam febrem pertinent: aut eādem, aut ſimilem cum ijs rationem habent, quæ in curatione præcedentium fuere explicata; Propterea breuiſſime, ac ſummatim, & tantùm ſolas fere indicationes, communesque ſcopos referens, ad continentes febres tranſitum facit. Primùm etenim, ſi rem diligenter perpenderimus, tertiana notha media ferè eſt inter exquiſitam tertianā, & quotidianam. Ac ſicuti illa ab exquiſita tertiana quatenus degenerat, eatenus ad naturam quotidianæ, vt ſuperius explanauimus, accedit; Ita & curatio eiuſdem ad rationem curandæ quotidianæ, eatenus prope accedit. Deinde vero & aliqua intercedit ſimilitudo inter quotidianam, & quartanam. In vtraque enim putreſcit craſſus, & frigidus humor: Igitur quantum ad hoc pertinet, aliquam indicandi rationem ſimilem habent. Cui & id inſuper accedit, quod in vtraque febre refrigerato, vt in ſuperioribus diximus, ventriculo, multa congeritur pituita. Ecce ergo quot ſint ea, quæ præſenti negotio poſſunt eſſe vtilia, ſi ab illis depromantur, quæ fuere prioribus capitibus tractata. Ne tamen iuuenes nouitios ſuſpenſos detineamus, qui nondum ſunt exercitati in his ratiocinationibus, & cōparationibus, rem hanc, quam ſummatim, & compendiarie complexus eſt Gal. explicemus, & enodemus. Tria igitur ita in hac, ſicut in alijs id genus febribus, ſunt cōſideranda: videlicet febris ipſa, cauſa febris, &, ſi aliqua ſint ſymptomata, quæ licet febrem ſequantur: adeo tamen ſunt interdum moleſta, vt & ipſa aliquam indicationem conſiderandam medico offerant. Sed de febre hac quidem non eſt, cur multa dicamus: quia illa neque adeo vehemens, & multa, vt vim habeat inſignem conuertendi ad ſe medici intentum. Immo aut vniuerſam, aut maximam vim habent indicationes, quæ à cauſa procedunt. Interdum vero, & ſæpe etiam ſymptomata. Nam præſertim, vt paulo poſt percipiemus, ventriculus adeo in hac febre imbecillis fit, vt non parum ipſius rationem habere ſit opus. Materia vero in hac febre contra ſe habet, quàm in tertiana ſe haberet. In ea enim, quia acri ſua, & calidiſſima natura potius affligebat, quam corpulentia, & grauitate: Ideo indicatio humectationis, & refrigerationis ſuperior erat, & prior indicatione vacuationis. In hac vero febre, quoniam craſſa, lentaque, & grauis materia eſt, & hac ratione plurimum rebellis: quamuis, & refrigerando, noceat: dum tamen putreſcit, calida euadit: ſed omnino quia ſuapte natura frigida eſt, antequam putreſcat, & illa ſit, quam præcipue ſuperare, concoquere, & vacuare medicus ſibi proponit: Idcirco, & calefaciendum eſſe, & ſiccandum indicat: fortior tamen in hac febre eſt indicatio vacuationis. Verùm quoniam humor is ineptiſſimus eſt, dum crudus eſt, vt vacuetur, & cùm vi educere volumus, id non niſi magno negotio fieri poteſt, & moleſtia naturæ illata: Ea propter hoc indicat parandum humorem eſſe, anteaquam vacuetur. Immo & hoc peculiare humor hic habet, quòd quia à ſanguine deficit (ſiquidem crudus eſt) neque perinde, vt ſanguis, ſuperari, & vinci potuit à natiuo calore: multæ eius partes ſunt, quæ ſi facilè, & dexterè tractentur: paulatim à calore coquuntur, atque in ſanguinem verſæ cedunt in corporis alimentum. Quare & hac de cauſa, neque ita importunè oportet eius vacuationem aggredi: ſed prius eius concoctionem tentare. Duæ ſunt itaq; primę in hac curatione indicationes: altera vacuationis: altera concoctionis. Sed quamuis tempore prior debeat eſſe concoctio: medici tamen inſtituto, & propoſito prior eſt vacuatio.

Verùm

Verùm quia in euacuationibus non eſt vna ratio,neque vnus modus:aliquæ enim ſunt, quæ non videntur tantam obſeruationem requirere concoctionis, vt eſt ſanguinis miſſio : Ideo antequam vlterius progrediamur,de hac ſermonem inſtituamus, & queramus,cur hoc ſit,quòd iſtius rei nulla à Græcis auctoribus ſit habita mentio: an videlicet mittēdus ſit ſanguis in quotidianæ febris curatione. Quaſi ipſi putauerint, nunquam in ea eſſe ſanguinem mittendum. Arabes tamen , præſertim vero Auicen.ſenſiſſe vidētur,ſanguinis miſſionem poſſe hic locum habere : nimirum ſi vrina interdum craſſa , & rubra cōſpiciatur. Putarem equidem,quatenus ad propoſitam quæſtionem pertinet , Galenum,cæteroſque græcos,qui eadem , quæ hoc loco deſcripſit Gal. eiſdem verbis tātum recitant , nullam hic mentionem miſſionis ſanguinis feciſſe : non propterea quia cenſuerint numquam eſſe mittendum ſanguinē in hac febre;ſed quia raro admodum ſit mittendus . Et hoc videtur pertinere ad modum compendiariæ, & breuis doctrinæ . nimirum vt ea duntaxat explicite referantur , quæ frequentius in conſiderationem veniunt;prætermittantur vero ea,quæ rarius cadunt;præſertim cùm alibi ſint diffusè tractata , vel ſaltem contineantur in illis , quæ in alijs libris rationibus cōmunioribus explanata ſunt .

Cap.4. Quarto vero de Sanita. tuenda vbi de laſſitudinibus,quæ morbos præcedere ſolent, & ſunt vel initia,vel nuntia futurorum morborum , ſermonem habet,regulas nobis tradidit , quibus facilè percipere [poſſumus] quando in affectibus,qui à vitioſis humoribus excitati ſunt , vtile ſit ſanguinem detrahere,& quando ſecus. Prior autem ea eſt,quòd conſiderandum eſt diligenter, an ſimul cum humoribus illis vitioſis multus etiam ſit in corpore ſanguis , vel paucus. Quia ſi ſit multus,ita vt ab aliorum humorū proportione minimè ſuperetur: audacter ſecāda erit vena. Sin autem nō ita multus ſit,ſed potius alij humores vincant:tunc alteram regulam tradit,inquiēs: Tunc propterea conſiderandum eſt,an eiuſmodi humores plurimum à natura ſanguinis receſſerint : an vero parum. Et hoc quidem in omnibus humoribus obſeruari poteſt:videlicet quòd eorum aliqui parum à natura ſanguinis deficiunt,alij plurimum . Quam quidem rem quoni ām eo in loco apertè,ac lucidè exponit Gale.nos in præſentia in eius explicatione nolumus eſſe multi.Sed hoc tantum tanquam exemplo propoſito vtemur.Ex multis ſcilicet à nobis ſuperioribus lectionibus explicatis pituitæ differentijs, dulcis magis eſt naturæ ſanguinis propinqua , quàm inſipida,& inſipida quam acida;& hæc,quàm vitrea,& omnino cruda . In ijs ergo,quæ multum a ſanguinis natura recedunt , ſectioni venæ parcendum eſt : vbi vero modicus receſſus fuerit , poſſumus ſanguinem mittere.Quòd ſi quiſpiā iunior quærat,ſed quibuſnā ſignis cognoſcere potero,aut ſanguinem multum eſſe,ant humorem non abeſſe multum à ſanguinis natura?Multa ſunt ea. Nam ſi color corporis rubicundus,ac bonus ſit, fieri neqnit ferè,vt ſit in eo ſanguinis penuria , aut quòd plurimū vitioſi ſint humores. Præterea venarum plenitudo,& color,Auice.tamen maxime innititur colori vrinarum : ait enim,cùm vrina rubicūda, & craſſior fuerit , ſanguinem eſſe mittendum . De modo autem ſignificationis vrinarum multus ſuperius ſermo habitus eſt. Gale.vero robori virium præſertim incūbit : dixit enim,quòd cùm humores plurimi,& vitioſi fuerint , ita vt vel ſanguinis proportionem ſuperent , vel remoti ſint plurimum à ſanguine , non poſſunt vires integræ,& admodū validæ eſſe . Quod ſi iterum quæras, quantum ſanguinis ſit detrahendum , quando detrahere oportuerit. Certa ſanè iſtius quantitas nequit definiri . Nam id petendum erit a multa repletione,a modo virium,ab

A ætate,ab omni tempore,a conſuetudine, & ab id genus reliquis . Sed hic aduertendū,quod quamuis diximus,venæ ſectionem , quando illam fore vtilem iudicatum fuerit,non exigere eam humorum concoctionem,quam reliquæ humorū vacuationes exigūt, quòd hoc intelligendum eſt , ratione habita ad eum humorem,qui ſecta vena vacuandus eſt , qui ſanguis eſt. Neque enim alioquin ad eductionē parari ſolet, niſi interdum ſi nimis craſſus fuerit: quia balneis,aut alio ſimili remedio quærimus , vt fundatur , & attenuetur,quo facilius fluat. Interdū tamen aliqua concoctio, & ſæpe etiam euacuatio prætermittenda eſt, antequam mittatur ſanguis , non tamen ratione indicationis, quæ nobis ſanguinem eſſe mittendū præ-

B cipit,ſed alterius,quæ aliūde eſt depromenda. In his quotidianis reperiť multa pituita in ventriculo collecta ex ipſius cruditate,itemque in primis venis,quę niſi pri9,aut coquatur,aut de ventriculo detrahatur, facilè(vt quinto de Sanit.tuen.docuit Gale.)fieri poteſt,vt dum venæ inaniuntur , miſſo ſanguine,attrahant crudam illam pituitam, quæ per alias venas diſtributa in viſceribus , & in vniuerſo corporis habitu plures,validioresque excitabit obſtructiones. Quare non ab re fuerit in his procurare , vt vel abſtinentia cibi coquatur, vel vomitu(de quo paulo poſt locuturi ſumus)educatur : vel leui medicamento , cuius vis non pertranſeat fines ventriculi,& venarū ad ipſum pertinentium . Quibus expeditis,ad eorū rationem, quæ ad concoctionis rationem , & præparationem,

C humoris ad vacuationem ſpectant,accedamus: quæ quidem in duobus præſertim capitibus conſiſtit , nēpè in victus ratione , & medicamentorum recta adminiſtratione. Primū ergo de victus ratione agamus. Cuius ſumma hæc eſt in vniuerſum , quod victus ſit attenuans , ſitque in primis incidendi facultate præditus . Hoc enim ſequitur indicationem ſumptam à natura iſtius febris,quæ accenſa eſt ex humore craſſo ſuaptè natura, & lento . Sed cùm reſpiciat res illas,q̄ nō naturales a iunioribus noſtris dicūtur, particulatim de earū qualibet breuiſſimè tractabimus . Sed ab aere ſumamus initiū,quo nihil eſt , quod magis corpus mutare poſſit. Facilè autem quilibet,qui eorum memor eſt , quæ hactenus expoſita ſunt , præſertim

D vero primarū indicationū,quo vim maiorem habent in curanda hac febre , poterit perſpicere,qualē oporteat eſſe aerem : nempe, quòd quantū fieri poteſt,ſit oppoſitus cauſæ ipſius febris, quę humor eſt frigidus & humidus,& craſſus. Erit ergo calidus,& ſiccus,purus,& tenuis.Quòd ſi talis non ſit natura aer,in quo verſatur ægrotās,fiat arte talis, accēſo videlicet igne, & eo quidem ex lignis,quæ natura calefaciūt, & deſiccant,ſicut eſſent ligna iuniperi,& cedri,& aliorum ſimiliū : itemque ſuffitu eorū,quæ calefaciunt,& ſiccant,dūmodo non afferant capitis grauitatem,vtpotè,quia caput repleant,vt aromata: non ergo ſit eorū odor acutus ,multus,neque grauis.Cibi vero omnes, qui frigidi,& humidi ſunt natura,fugiendi ſunt : niſi

E interdū ea ratione,qua detergendi vim habent, vtiliter poſſunt admitti. Sed corrigendus eſt contrariarū qualitatū exceſſus illis incoctis,quæ calefaciāt,& ſiccent,& attenuēt . Quemadmodū ptiſanam paramus pipere,vel hyſſopo icocto, vel porro,vel allio,vel origano,vel mentha,vel aliquo alio id genus . Ius etiam rubeorū cicerū,& cibus erit pane iniecto,& medicamenti vim habebit . Carnes aūt magnorū animaliū, & eorū,quæ humida plurimum ſunt, vt agni,veruecis,porci,malæ in hac febre ſunt.Hædinæ vero,& vitulinæ ex quadrupedibus concedi poſſunt , dū iuuenes ſunt,ſi dū coquūtur,parentur, & ſale(vt fieri ſolet ,) & alijs,quæ attenuent, & aliquantiſper calefaciant,ut apiū,& noſtrū hortenſe petroſelinū : ſed, & mentha,ſerpillū,pulegiū,& alia id genus: dummodo

tamen

tamen per gradus procedamus, inchoantes à leuioribus,& minus calidis,minuſque aperientibus,ne ſtatim fundentes materiam crudam adhuc, craſſamque in venas deducant, & obſtructiones augeant. Ex altilibus autem ſylueſtrium auicularum,& auium carnes,quæ concoctu faciles ſunt, & ſiccius alimentum præſtant, ſanguinem tamen tenuem gignunt, aptæ ſunt huic rationi victus, qui in præſentia inſtituitur. Quæ ſi condiātur modico incocto allio, non parum ad rem noſtram facient. Tales ſunt perdices,attagenæ,quas ſtarnas, vel francolinos vulgo appellant,itē phaſiani,& id genus reliqua. Sed, & pulli gallinacei iuuenes cocti cum aliquo prædictorum, quæ modeſtè calefaciant, ſiccent, & attenuent, non erunt à re noſtra alieni. Sed neque ſorbilia oua. Salſamēta præterea aliqua in prima menſa moderato vſu, incidendo, & attenuando poterunt prodeſſe. Ex acetarijs autem cappares parati,aut oxymelite, vt antiqui parabant: vel aceto, & ſaccharo, aut paſſulis,vt fieri in præſentia ſolet. Item,& aſparagi. Aliqui vero petroſelini radices coctas comedunt,inaſperſo oleo,aceto, & ſale,vt cichorei radices multi parare ſolēt:poſſunt, & hæ comedi, ſed & liquor ille(quem hic ſalſam appellant)qui conficitur ex folijs petroſelini tritis,& aceto diſſolutis,additis paucis amygdalis,& cruſta panis modica,præterea,& pipere adhiberi poteſt. Neq; etiam confectio illa,quæ ex ſinapi,& melle,& cydonijs componitur:& ſenauriam alij, alij vero moſtardam appellant,eſſet aſpernenda. Potus vero vtilis illi imprimis eſſet oxymel ſimplex, aut etiam acetoſus ſyrupus:diluerentur autem aqua, in qua incoctū eſſet,aut piperis parum,aut cinnamomi,aut radices fæniculi. Præſertim vero dum crudus eſt morbus. Nam vbi inſignis aliqua viſa fuerit concoctio, tunc,& vini potus vtilior erit. Reliqua vero huc omnia referantur. Nam vigilia ſomno vtilior eſt,tantus enim ſomnus indulgendus, quantus ad concoctionem facere poteſt. Alioquin enim cùm in hac febre a graui etiam ſomno tententur, expergefaciendi ſunt. Interdum namque in ſoporem incidunt,niſi excitetur: & nonnumquam in lethargum repleto videlicet capite craſſis,& frigidis vaporibus a pituitoſa materia elatis. Vigilia autem cùm exſiccet, attenuetque, & calefaciat ad humoris concoctionem magis facit. Immo, vt de quiete,& motione aliquid dicamus, ſi illæ eſſent ægroti vires, vt poſſet exercitationem ante cibum, & dum fameſcit,perferre:id medici antiqui, præſertim vero Auic.& Alexander Trallianus,quem ipſe Auic. in hac iſtius febris curatione ſequitur,fere ad vnguē, vt fieret,laudarunt:motus enim calefacit,& exſiccat. animi vero motus,præcipuè autem iracundia modeſta aliqua, vtpotè, quæ & ipſa calefaciat, & ſiccet,& gaudia non eſſent inutilia: aduerſaria vero triſtitia, & metus,quę refrigerant. Procurandum vero imprimis eſt, vt communes, ac conſuetæ excretiones non retineantur, ſed procedant, aut ſponte, aut arte,& auxilio medici. Et hoc compēdio quodam inſinuare voluit Gal.cùm dixit,Reliqua vero,quæ ad victus rationem pertinent, inuenies, ſi ad communes ſcopos reſpexeris. Vnum tamen, antequam ad alia medica inſtrumenta tranſitum faciamus,conſiderandum eſt, quod & ſcitu per quàm neceſſarium eſt. Nā de qualitate eorum, quæ in cibum offerenda ſunt,ſatis abundè diſſeruimus:de quantitate, & ordine offendorum nullus eſt habitus ſermo:cùm tamen,& hoc apprimè ſit neceſſarium. Quare pauca quædam verba de his etiam faciemus, vt tamen hoc prius ponamus, quòd pituita hoc priuilegium habet,quod magna ex parte,ſi recte tractetur, poteſt in ſanguinem, ſi vlterius coquatur,& in alimentum conuerti,cùm ſit humor ferè ſemicoctus. Magna ex parte diximus, quia aliæ ſunt pituitæ differentiæ, quæ ineptæ ſunt,vt ex

A ipſis alatur corpus,ſicuti ſalſa,& acida. Vnde in libr. de Conſtit.art.medi.ait Gale. ſalſam quidem pituitā purgare oportet, acidam vero alterare, & opem naturæ ad eius concoctionem afferre. Dulcis autem,& multo facilius concoquitur. Igitur ſi multa ſit pituita redundans in ventriculo, immo, & in venis,ſæpè illa per concoctionem in bonum ſuccum vertitur, vt non amplius ſimus coacti illam alioquin vacuare, vel aliter ad vacuationem parare. Id autem commodiſſimè fit per abſtinentiam à cibo, natura enim, dum non auertitur per ingeſtum nouum cibum pituitam, ſi ad concoctionem ſit apta,concoquere nititur. Vnde ſæpè in his febribus ſtatim ab initio victum admodum tenuem hac de cauſa inſtituimus,& ſæpè(vt dixere Auic.& Alexand.)conſumpta hoc pacto materia, quæ febrem fouebat, breui tempore febris deſinit. Atque(vt Hipp.& Galen.ſecundo de Rat.vict.in acu.morb.docuere)qui pituitoſi ſunt,facile admodū ieiunium, & victum tenuem ferunt citra moleſtiam, ſecus quàm biliosi. Verum,cùm res in longius protrahitur,ventriculus, iam abſumpta pituita,qua plenus erat, inanitus ab inedia cruciatur, & debilior redditur:huius tamen,præſertim vero verſus vigorem plurimam curam eſſe habendam ait hic Galen.quia ſæpe eius conſenſu in hac febre fiunt animi deliquia. Ideo eos alere oportet. Modus autem,& copia offerendi alimenti ea debet eſſe, vt ad vigorem accedentes ſemper aliquid detrahere poſſimus. In omnibus enim febribus hoc ſeruandum eſt,vt aliorum tempo- C rum comparatione ſemper tenuiſſimo victu vtamur, ſemper tamē habita ratione naturæ ægrotantis eiuſdem ætatis,& temporis: præterea,& conſuetudinis, vt ſuperius ſæpè fuit expoſitum. Quæ quantum ad rationem victus pertinet, ſatis in præſentia eſſe poſſunt. Reliquum autem eſt,vt ad eam rationem conuertamus orationem,quæ medicamenta reſpicit, nō ea,quæ purgant,ſed illa,quæ iuuant materiæ concoctionem,vt vel alimentum vertatur,vel facilius a natura excernatur. In his autem inueniendis reſpiciendæ ſemper ſunt primæ, ac communes indicationes, & ab illis depromendi ſcopi,qui a natura humoris,& cauſæ febris exurgunt,ſicut in uictus ratione, ita in reliqua adminiſtratione remediorum. Et cùm craſ- D ſus ſit & lentus humor, ijs imprimis remedijs, quæ facultate diſſectoria prædita ſint in uniuerſum utendum. Et hoc puto uoluiſſe Gal.cùm dixit. Et in uniuerſum caput diætæ tibi ſit, ut magis diſſeces. Quo loco per diætam, non id tantum ſignificari exiſtimarem, quod ad uictus rationem pertinet,vt ſæpius medici accipere ſolent. Nam Græcis diæta idem ſignificat quod ἀγωγή. Vnde omnem curationem iſtius febris in unam ſummam, & unum caput referre uolēs dixit:Caput ſit,ut omnia uim incidendi habeāt,quæ in principio, & ante uigorem ægroto ſunt adhibenda. Et ad id caput oxymel pertinet, & quæ urinas ꝓuocare probè poſſunt. Vnde ſub oxymelite referamus & ſimplex oxymel, & compoſitum ex radicibus, & E oxymel ſcillinum,& ſyrupum acetoſum, & ſimplicē compoſitum,& acetoſum diarhodon. De his autem, quæ cient urinam, multoties ſermonem habuimus, & in capite de tertiana, & de quotidiana. Ideo breuius rem peragemus,ſi tantum reuocauerimus in memoriā id, de quo ſæpè monuimus, quod inter initia, cum multa adhuc cruditas eſt, non aggrediamur curationem cum rebus plurimum calefacientibus, ſiue incidere,ſiue attenuare,ſiue urinam prouocare uoluerimus, quia cùm illa humorem uiolenter moueant, inęqualiter eum afficiunt, exſiccantque partes tenuiores,& quę relinquuntur, craſſiores, & difficiliores euadunt. Sed à temperatioribus inchoandum eſt,& paulatim ad altiora accendendum per gradus. Vnde mihi magis probatur lectio, quę in Pauli Aeginetę

Cap.29.

Cap.30.

exemplari habetur,'vt dicamus κατὰ τὰς πρώτας ἡμέ- A
ρας hoc eſt primis diebus,quàm μετὰ, ideſt,poſt pri-
mos dies. Nam incipiendum eſt ab oxymelite,in quo
eſt,præter inciſionem,vis ciendi vrinam . Deinde ad
vſum eorũ,quæ probè,id eſt,valentius proritant vri-
nam; atque ita ad vigorem vſque progrediendum, vt
poſt oxymeliti addamus apium,vel anethum: Dein-
de petroſelini,& fœniculi radicem:poſtea hyſſopum;
& ita vlterius,vel ad ſyrupos,vel oxymel,cùm his pa
ratos. Vbi vero vigor inſtiterit,qui in inſigni,& ex-
quiſita concoctione conſiſtit , tunc antequam aliud
moliamur,fouendus eſt ventriculus, & roborandus,
tam ijs,quę exterius adhiberi poſſunt,quàm illis,quę
interius . Interius quidem, vt eſſent ſyrupi ex abſin-
thio, & ex mẽtha:aut confectiones huic rei accõmo- B
datæ,ſicut aromaticum roſaceum,confectio ex galã-
ga appellata, quod quidem ſimplex forſitan , coſtus
antiquorum eſt . Exterius autem fomentis , factis ex
abſinthio, mentha,maſtiche , cinnamomò , galanga,
garyophilis coctis ex vino, & aqua;item illinitionib⁹
ex ol.abſinth.maſtichino,nard.ex mentha, vel id ge-
nus reliquis, Eius autem tanta cura habenda eſt,tum
ꝓpter præterita,tum etiam propter futura . Propter
præterita ſanè , quia tota ferè occaſio febris iſtius à
frigidiori,& crudiori ventriculo pendet,atque etiam
longe magis fit frigidior,& laxior , tam ob diuturnũ
morbum,quàm ob frigidam , & humidam pituitam.
Propter futura autem , quoniam accedente vigore,
iam opportunum erit pituitam fouentem hanc fe-
brem,tum vomitu purgare,tum per alui deiectiones. C
Vomitus vero , & medicamenta non parum ventri-
culum, ac os eius turbant . Expectandum autem vi-
gorem cenſet doctrinam, & præcepta Hipp. ſecutus,
non eſſe ſcilicet mouẽdum materiam', ita in his,ſicut
in alijs febribus,niſi concoctam:quia concocta ſucce-
dit vigor. Sed his conſiſtendum parumper eſt,& con-
ſiderandum , quòd cum pituitæ copioſæ generandæ
pręcipua cauſa ſit imbecillis vẽtriculus, quia in his fe-
bribus ſemper redundat multa pituita:ea tamen non
proximè febres accendere ſolet , niſi in venas diſtri-
buatur,& vel in eis , vel inde expulſa in muſculis pu-
treſcat,& alijs particulis,quæ habitum corporis con-
ſtituunt . Vnde euacuationis iſtius humoris ſcopus
bipartitus eſt : nempè vtramque hanc materiam va- D
cuare,& eam,quæ obſidet ventriculum, & illam quę
in venis continetur ; altera autem vomitu, altera ve-
ro facilius per inferiorem aluum medicamentis pur-
gatur,vtrunque tamen moliendum eſt, cùm iam cõ-
cocta eſt , quia antequam concoquatur,viſcida , &
craſſa eſt:& proinde eductioni,ac motui inepta,& re
mittens: quam dum volumus vacuare vi,illa quidem
lentore hærens particulis , per quas tranſitura eſt, &
craſſitie , difficilem per anguſtos meatus tranſitum
habet . Quare medicamenta lenia nihil agunt: fortia
vero plurimam vim naturæ afferunt : & omnia tur-
bant,potiuſque bonos , quàm inutiles humores tra-
hunt, cùm illi non ita reſiſtant . Concocta vero faci-
lior redditur,cum & tenuior ſit facta,& minus lenta. E
Sed quatenus ad vomitum pertinet, ſummatim rem
perſequitur,aït enim agendum eſſe,vt poſt cibum,&
radicularum eſum euomant . Multa hoc loco conſi-
deranda nobis offeruntur in ratione ciendi vomitus:
tam quãtum ad modum,& inſtrumenta,hoc eſt,me-
dicamenta,quibus ciendus eſt:quàm etiam quantum
ad tempus,quo prouocandus eſt. Nam quamuis vo-
mendum eſſe præcipiat poſt vigorem:non tamen ꝓ-
pter hoc vetat, quominus etiam ante vigorem , ſi in
initio acceſſionis ventriculus ſit nauſeabundus , vel
excitetur ſpõte ad vomitum, ipſum adiuuemus. Im-
mo,& vtile,hoc eſt,& neceſſarium, dummodo id le-
uibus medicamentis,vel auxilijs agamus. De quibus,
quia ſuperius habitus eſt ſermo in præſentia non lo-

quemur . Vomitus autem,de quo ait Gal.eſſe vigo-
rem expectandum,eſt is,quo volumus totum corpus
purgare,atque is, & à cibo ciendus eſt , & vi medica-
mentorum , quæ aliquam habent facultatem attra-
hendi ſuperuacaneum humorem : ſicut qui eſu radi-
culæ citandus eſt. Antiqui vero(vt de quartana dixi-
mus) ea radicula vtebantur parata ex albo veratro.
De purgatione autem alui non ita eſt facilè deter-
minare,immo eſt res difficilis. Quia Gal.abſolute nõ
eſſe purgandum ait,niſi poſt vigorem. Auic.vero,qui
in cura huiuſce febris omnia ferè ex Tralliano Ale-
xandro deſcripſit,necnon,& ipſe Alexãder ſecus ſen-
tire videntur:nolunt enim omnino vigorem eſſe ex-
pectandum , immo paulatim cõcoquendum eſſe hu-
morem,& ſicut concoquitur , ita etiam eſſe vacuan-
dum. Sic enim conſuluit Alex.lib. 12. ſuæ medicinæ.
Ego tamen putarem , quòd cum pituitæ , præſertim
vero craſſioris, & crudioris ſunt partes diuerſæ,& a-
liæ citius,& facilius concoctionem admittant : aliæ
tardius,ac difficilius ; ſi moderato aliquo, & faciliori
medicamento, quod inſignem vim humori nõ affer-
ret,procuraremus, vt quæ iam concoctæ ſunt partes,
vacuaremus, quod facile fieri poterit , cùm illæ iam
promptæ , & paratæ ſint: neque tamen aliarum con-
coctionem impediremus : quoniam non tanta eſſet
eius medicamenti poteſtas , vt illas exagitaret,immo
natura his eductis,ac oneris aliqua parte leuata,faci-
lius reliquas adminiſtrabit. Et ſæpe hac tempeſtate
id agere cogimur:cum neque ægroti, neque familia-
res poſſint tantam proferre procraſtinationem , dum
otiari illis interim medicus videtur . Euacuata ergo
ea parte,quæ concoctior videtur , alterius erit maior
concoctio expectanda . In vniuerſum tamen Paulus
Aetius, quos etiam ſequi ex parte videtur Auic. Ga-
lenũ inſequuntur,& concoctionẽ expectandam cen-
ſent,& poſt,uel citra uigorem eſſe vacuandum:quã-
uis Auic.priorem ſententiam non damnet. Et hac tẽ
peſtate maior pars medicorum eam ſequuntur . Sed
omnino,ſi modeſtus fuerit medicus, neque vtatur va
lidis admodum medicamentis, non vidi aliquod vn-
quam ſecutum fuiſſe incõmodum, ſed potius cõmo-
dum. Illud præterea conſiderandũ quod Paulus . &
Auic.idem ſi rectè perpendantur eius verba , ſentire
videntur . Alexander vero hanc ſententiam explicitè
pronunciat , longè conſultius eſſe in hac febre nolle
confertim vniuerſum hunc humorem vacuare, quã-
tuncunque enim ſit coctus is humor,nunquam tamẽ
non craſſus eſt , & non admodum ſequax, & ad mo-
tum facilis. Vnde ex violentiori pharmaco diſſoluũ-
tur naturæ vires : ſed ſi ſæpius purgauerimus,& faci-
lius,melius,& fœlicius res ſuccedet. Quòd ſi quæſie-
ritis , quibus imprimis oporteat in hac febre medica-
mentis vti . Omnes ferè primùm locum agarico tri-
buunt, vt etiam eſt in multo vſu . Et re vera optimũ
eſt medicamentum,& ſatis etiam facilè purgat ; mo-
do ſit electus,& bonus . Alioquin enim nullum me-
dicamentum magis conturbat : & ventriculum ſub-
uertit ; quando non fuerit electiſſimus, ſed lignoſus,
grauis,& malus . Polypodium quoque pituitam va-
cuat ſatis facile . Semina etiam cnici, chartamũ Ara-
bes appellant: adeo autem Galen.familiaria erant,vt
cocta ex ptiſana ad purgandam pituitam daret Inter
compoſita ſunt appellatum electuarium Indum de-
ſcriptum à Meſue,& diaphœnicũ,hoc eſt ex , palmu
lis,itidem à Meſue deſcriptum : quamuis deſcriptio-
nem accepiſſe a Paulo viſus ſit: & ſi in aliquibus eua-
riet . Colocynthis autem , & elaterium valentiſſima
ſunt medicamẽta. Poſſemus & pilulis ex agarico de-
ſcriptis à Meſue vti,& cochijs,& alijs multis. Sed hęc
in præſentia ſint ſatis. Gal. uero tam longam uerbo-
rum ſeriem , & ſententiarum explanationem breui
admodum,& conciſo ſermone perſecutus eſt, & tri-
bus

bus capitibus ſummatim comprehendit: nempè, ut poſt vigorē habita prius cura vētriculi, cieatur vomitus medicamentis, per aluū inferius corpus purgantibus, & pituitam educentibus purgetur: & quod reliqua omnia, quæ ad victus rationem pertinent, facilè quiſque, qui ad cōmunes ſcopos voluerit reſpicere p ſe inuenire poterit: neque tamen qui ſint hi cōmunes ſcopi, alioquin in præſentia exponit. Aetius vero in duo refert: videlicet in attenuantē victū, & medicamenta, quæ facultatē attenuandi, & ſecandi habeāt. Pręcipui ergo ſcopi in hac febre ſunt attenuare, & incidere: vtpotè, quòd craſſa ſit, & lenta materia, quæ febrem hanc fouet. Dices forſitan, nonne etiā calefacere, & exſiccare, cùm ea ſit frigida, & humida? & id etiā in ſcopis cōmunibus cōtinetur. Verū, (inquam) priores illi ſunt potiores. Contra enim in hac, quam in tertiana ſe res habet: in illa enim potior erat indicatio reſpiciens qualitates humoris, quam ſubſtantiam. In hac vero difficiliorem febrem reddit craſſitudo, & lentor. Hęc ergo ſunt, quibus maior pars curationis iſtius febris continetur: Niſi quòd vnū non eſt prætermittendum, in quo magnū eſt momentum, quodque animaduertendū plurimum eſt, præſertim vero medicis iunioribus, qui ſibi nullum præter Gal. imitandum proponunt: id vero eſt, quod Gale. in his iſagogicis, & compendiarijs libris, in quibus breuitatem ſectatus eſt, & compendiariā doctrinam, ſumma tantum rerū capita perſequitur: neque particulatim res ipſas diſtinguit. Vnde vno, vel altero in exemplū propoſito cætera relinquit ex alijs libris definienda, & addenda nobis ordinē ſequentibus oſtēſum in ijs, quæ ab eo fuere expoſita. Vt Alexander in curatione iſtius febris animaduertit, in qua quaſi Galen. carpit, qui non exquiſitè eam definierit, ſed confusè potius. Neque enim hæc generalis ratio, quam nobis tradit omnibus pituitoſis febribus poteſt accōmodari. Quia cùm (vt idem Gal. ſecundo de Diff. feb. docet, & eo loco nos expoſuimus) multæ ſunt differentiæ pituitoſarum febrium non parum inter ſe natura diſcrepantes. Alia enim frigidiſſima, & craſſiſſima eſt. Alia parum frigida, & non multū etiā craſſa, vt dulcis. Alia vero non modo non frigida multum, ſed potius calida, vt ſalſa. Sicuti natura euariant: ita & curandi ratione. Vnde ſi in febre ex ſalſa pituitā hoc curationis modo vſi fuerimus, non ſolum non curabimus, immo vero morbū faciemus grauiorē. Nec contemnendū eſt, quòd ait hic Alexander (nā neque illi aduerſarer Gal.) ait enim, quod ſalſam pituitam, ſi attenuare, & ſecare, & detergere voluerimus, medicamētis calidis, aut etiam cibis, craſſior euadet, & magis indureſcet, & acrior, maligniorque reddetur, quod & experientia nititur probare, & Ariſtot. auctoritate. Salſi enim humores igne, & concreſcunt, & radijs calidioribus ſolis magis craſſeſcunt, indurantúrque. Quare humectantibus potius, & refrigerantibus tēperantur, & coquuntur. Atque procurandū præterea eſt, vt cito vacuentur: quo enim diutius in corpore moram traxerint, eo etiam deteriores fiunt ſalſi hi humores. Et hæc mihi ſatis in præſentia viſa ſunt, quantū ad quotidianā febrē curandam pertinet. Vbi vnū conſiderandū eſt, vt Galen. a calūnia liberemus, quā inſinuare viſus eſt ei Alexander, quod ipſe, quatenus ad ſuū inſtitutū pertinebat, ſatis de quotidiana locutus, neque confusè, ſed diſtinctè, quantum ad ſuū attinebat negotium. Nā curationē morborū exponere ſtatim à principio eſt pollicitus, qui frequentius ſolent exoriri, & doctrinā ſummatim, & per cōpendiū tradere. Vnde ſui muneris erat ea tantū perſequi, quæ erant neceſſaria, Quare curationē, ſicut, & dignotionē exquiſitarū febriū intermittentiū tradidit: præterea vero, & modū, quo exquiſitæ a nothis diſcernerentur, collatis videlicet ſymptomatibus

A vtriuſque: quam comparationem etiā exemplo propoſito exquiſitę, & nothę tertianæ docuit, & eodem etiam exēplo quomodo variaret curatio huius a curarione illius: & hoc per collationem indicationum in vtriſque depromendarum: & præterea ſcoporum, & ex eis quomodo remedia eſſent conquirenda. Nobis ergo viam monſtrauit harū exemplo, vt nos poſtea eadem incedentes, idem in alijs faceremus, quòd ipſe fecit in his. Si enim examinauerimus per ſigna apparentia, qualis ſit pituita, vnde eſt febris accenſa, & qua ratione à naturali, vnde ortum habet exquiſita quotidiana, recedat: ita enim rationem ſequentes remedia; & viam curandi facilè erit nobis inire. Nam quo erit humor craſſior, frigidior, & viſcidior, eo etiā indicabit magis attenuandum, diſſecandum, & cale-

B faciendum: quo autem minus ita & minus his inſiſtendum. Et ſi interdum humor his calorem aliquē contraxerit, vt quando, vel amara ſit facta, vel ſalſa, vel alterius iſtorū ſaporū iam & non adeo calefaciētibus eget, ſed potius refrigerantibus. Ac proinde neque de epiala, & alijs iſtius febris differentijs alioquin particulatim agemus.

Febrium continuarum, quæ carent accidentibus, Curatio.
Cap. XIII.

C

IN continuis autem febribus, quibus quidem ſtatus morbi non vltra ſeptimā futurus eſt, & vires validæ ſunt, &c.] Febres quidem, quæ aſſiduæ ſunt, eſſentia, & natura ab intermittentibus non differūt, vt ſuperius ſæpè a nobis fuit expoſitum Differentiæ enim, quæ ad eſſentiam febris attinent, ſunt, quę, vel a ratione caloris, vel à materia depromuntur, vt ſtatim a principio libri de Diff. febriū a Gale. traditum eſt. Vnde eas aſſiduas, quæ ex eadem materia cū intermittentiū aliquibus accenduntur, cū illis etiā ad idem genus pertinere dixit. Differūt autem ratione loci, in quo is humor putreſcit. Nam, ſi in venis pu-

D treſcat, febris continenter affligit, & tum hac ratione: nempè, quia nullā requiem ęgrotātibus relinquit: tum vero, quia per venas fit maior cōmunicatio noxæ membris præcipuis, præſertim vero cordis: febris continua longè maior morbus eſt. Ex his autem facilè vnuſquiſque percipere poteſt, cur ſimul omnium continuarum febrium curationem vnico, & breui capite comprehenderit, neque vniuſcuiuſque curationem ſeorſum, & particulatim fuerit perſecutus. Quia indicationes, quæ nobis ſcopos oſtendunt, & qualitatem, naturamque remediorum, eædem ſunt in intermittentibus, & continuis febribus, quæ ſunt in eodē genere. Differūt autem penes morbi magnitudinem ita etiam validioribus remedijs, & exquiſitiore ratione curationis. Etenim primo Aphor. explanans

E Gal. eum Apho. Extremis morbis, extrema remedia, ait: Quare præcipit in ipſis fieri exquiſitam totā curationis rationem, & tenuiſſimum pariter victum adhiberi? Ratio ergo has febres curandi in vniuerſum eadem eſt cum ea, qua curandæ ſunt intermittentes, niſi quod exquiſitior eſſe requirit, & validioribus remedijs tractanda eſt. Vnde ſi de victu ſit loquēdum, ſecundum genus quidem eadem ratio eſt in vtriſque. Nam per relationem ad morbi vigorem hic, & ibi victus inſtituendus eſt: nimirum, vt tenuior ſit in vigore, quàm ante vigorem, vel poſtea: & quod in initio liberalius reficiamus febricitātem: paulatim vero vſque ad vigorem, cibum ſubtrahamus. Et ſicuti ante vigorem paulatim detrahimus: ita poſt vigorem non

ſtatim

ſtatim pleno victu vtamur: vires enim ex vi morbi laſſatæ, & imbecilliores redditæ, non poſſunt multã ciborum ingeſtorum molem conficere. Igitur cibo eatenus paulatim addendum eſt, vt paulatim illæ reficiuntur. Quoniam vero vigor in continentibus ſemper propinquior eſt, quàm in intermittentibus, in eodem genere facta comparatione. Ideo tenuior in eis, quam in intermittentibus victus eſt inſtituendus. Vnde ſicut in exquiſita tertiana intermittente, vigor ad ſummum in ſeptima periodo expectãdus eſt, quæ tredecima die incipit: ita in aſſidua, ſi exquiſita fuerit, raro excedit ſeptimam diem: vt in ardente febre fieri ſolet. Quare morbus hic peracutus erit, & ſtatim ab initio oportebit tenuiſſimo victu vti, ſi vires illum videantur ferre poſſe. Ea propter ſi cremore hordei in principio fuerimus vſi, ſemper eo liquidiore vtemur, donec in vigore ſolo potu aquę hordei, vel mulſę, vel iuleb appellati multa copia aquę diluti vtamur. Si vltra ſeptimam progreſſurus erit morbus, a principio ptiſanam dabimus, mox cremorem, poſt modum ſolum potum, vt ſemper tamen rationem virium habeamus, ætatis, temporis, regionis, conſuetudinis. Et hoc quantum ad alimenti, & ciborum copiam pertinet.
A .16. Quia quantum ad qualitatem, ſatis omnibus conſtat, humidam victus rationem conuenire omnibus febricitantibus, vt docuit primo Aphor. Hippoc. Qua autem ratione hæc ſententia explananda ſit, ad explanationem libri Apho. pertinet. Vnde, & ptiſanam, & chondrum, vel far, & mulſam in his febribus commendat, & partim ex aqua coctum. Hoc tamen aduertendum, quod nunquam quidpiam agendũ eſt aduerſa natura. Nam, etſi ptiſana omnibus præferatur cibis, in febre præſertim acuta, neque tamen omnibus omnino offerẽda eſt. Quidam eam adeo faſtidiunt, vt ſtatim euomant: alij vero adeo ſunt frigidi ventriculi, vt in eo facile aceſcat. Propterea his, aut panis coctus ex aqua, vel ex aquoſo iure, vel far optimè coctum, & paratum, vel huiuſmodi aliud exhibẽdum eſt: de quibus in intermittentibus dictum fuit. Quatenus vero ad vacuationem, quæ materię ratione requiritur, quæ qualitatibus morbi debetur, & hoc conſiderandum, quod continuæ febres non omnes æquales ſunt magnitudine. Plerumque enim maximi morbi ſunt febres, quæ ex calida materia, vt vel ex putreſcente ſanguine, vel bile accenduntur. Aliæ vero potius lentæ, & non magnæ ſunt: præſertim vero ſi careant prauis ſymptomatibus, de quibus in ſequenti capite erit ſermo habendus: Ideo aliæ quidẽ non habent admodum differentem curationem à ſui generis intermittentibus. Hæ vero, vt quæ magnum habeant calorem, & aſſiduum, ſemper fere in magnis
A .73. morbis ponuntur. Nam Hippoc. quarto Aphor. ait: Febres, quæcunque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, periculoſæ. Vnde præter eam indicationem, quæ accipienda eſt à natura morbi, accedit, ea quæ eſt a magnitudine morbi. Idcirco in his, & maximè conſiderationis eſt: an ſanguis ſit mittendus. Magnus enim morbus proxime, & per ſe indicat, magnis opus eſſe remedijs. Ita namque Hippocr. pronũtiauit eo Aphor. Extremis morbis extrema remedia opportuna eſſe ad curationem. In magnis autem remedijs plerunque quatenus ad præſens negotium poteſt pertinere: tria hæc ab ipſo recenſentur, victus
A .29. tenuiſſimus, vt nuper citato Aphor. indicauit Galen. venæ etiam ſectio, & purgatio, vt 2. Apho. tradidit idem Galen. Vnde, qui abſolutè innixi ſententię Ga-
C .4. len. 4. de Rat. vict. in morb. acu. & 4. Meth. & in libr. de Cur. rat. per ſect. venæ proferunt ſemper venã ſecandam, ſi fuerit magnus morbus, ſine alia definitione: obaudiunt, quæ ab eodem Galeno plerunque in hac re tradita ſunt: vtpotè, qui quarto Metho. dixerit, nempe, quod robur morbi, ſiue magnitudinem dicas, pro ſcopo nobis conſtituere oportet, tum in mittendo ſanguine, tum in purgando: quodque Hippocr. primus omniũ quos nouerimus, inuenerit hũc ſcopum. Si ergo indicatio a morbi magnitudine accepta, vel ſecandam venam nobis præſcribit, vel purgãdum, liquido omnibus patere poteſt (quod tamẽ latet multos, qui medicinam hoc tempore ꝓfitentur) rationem hanc non valere, morbus eſt magnus, vires & ætas conſentiunt, Ergo mittendus ſanguis. Sed oportet inferre. Ergo, vel purgatione, vel miſſione ſanguinis eget. Quodnam autem iſtarum potius eligendum ſit, aliunde petendum eſt: nimirum, vel a natura vacuandi humoris, vel ab eius motu, vel à natura laborantis corporis. Sed de hoc alibi plenius, & planius egimus. Et proinde Gal. non fuit ſatis dixiſſe. Sãguinem mittes ob morbi magnitudinem, ſed addidit, Et illis, qui magis rubent, quàm pro ratione ſuæ naturę conuenit, quibuſque tumens corpus plus ſolito videatur, venaſque eminentes, & diſtentas habent. Et nequis putaret hæc eſſe dicta, vt inſinuaret, viriũ robur (vt quidam arbitrantur) illud etiam addidit. Niſi tamen vires, aut ætas, aut eiuſmodi aliud prohibeat. Vbi manifeſtum eſt, hanc limitationem a natura exuberantis humoris accipiendam eſſe, quando in magnis morbis ſit ſanguis detrahendus, vel potius purgandum, quod apertius oſtendit idem Galen. primo Aphor. in calce commentationis vigeſimæ tertiæ, vbi ait, In maximis vero doloribus, in ardentiſſimis febribus, & maximis inflammationibus nullum maius inueniri remedium, quàm vſque ad animi deiectionem vacuare, adhibita diſtinctione, an ſanguinem mittere, an purgare oporteat. Quoniam vero, vt alij morbi, ita etiam febris aliquando ratione ſymptomatum, aliquando ratione membri affecti, interdum ratione ſuæ eſſentiæ magnus dicitur. Febris vero eſſentia eſt calor, hac autem ratione febres ardentes, quæ, & cauſi dicuntur, magni ſunt morbi, in quibus indicatio à febre magna eſt, Ideo magnis in hoc remedijs opus eſt, quibus maximus hic calor extinguatur, vel reprimatur. Vnde proprium earum, & ſingulare remedium eſt, potus multæ aquæ frigidæ, ad ſaturitatem, & vltra: non tamen, niſi appareant concoctionis ſigna, alioquin enim obſtructiones augeret, & cõcoctionem impediret. Et ſi aliquid aliud non obſtet, viſceris alicuius inflammatio, obſtructiones, infirmitas, vel cruditas vẽtriculi, & tempus, vel conſuetudo. Nã non ita audacter ei danda eſſet, qui nunquam ſolitus ſit aquam bibere: ſicut neque illi, qui eſſet aſſuetus, ſed ab his etiam petendus eſſet modus copiæ eius bibendæ. Hæc ergo eſt ratio, curandarum febrium continentium, in vniuerſum expoſita, quæcunque ſymptomatum expertia ſunt.

Febrium, quæ cum accidentibus affligunt, Curatio.
Cap. XIIII.

QVAE vero cum accidentibus ſunt, non æque ſimplicem exigũt curationem, &c.] Simpliciores febres eas eſſe dixit, quæ corripiunt citra alia ſymptomata, præterea, quæ communia ſunt, & naturam illius febris ſequi ſolent, quæque nihil, quantum ad ipſa pertinet, rationem curationis variant, quia nullam propriam addunt indicationem, præter eas, quæ particulatim ab illa differentia febris, quam curandam ſuſcepimus accipiendæ ſunt. Sicuti minus ſimplices illas eſſe inquit, quæ iuncta habẽt aliqua ſymptomata, quæ non ſolent propriam naturam illius

febris

febris ſequi, ſed aliam propriam,& priuatam cauſam habent, & quæ adeo vehementia ſunt, vt ſæpe poſthabita febre, vel omnino, vel aliqua ex parte, medicum cogant illis occurrere. Vnde vim habent curam variandi: neque tamē (vt nobis Gal. 12. Meth. tradidit) febres hæ, quæ cum ſymptomatibus dicuntur, aliquam differentiam habent, diuerſam ab illis, quæ hactenus expoſitæ fuere; immo illis eiſdem continētur differentijs. Nam ſicut ſimul interdum iunguntur duo diuerſi morbi: vt febris, & dolor colicus. Interdum duo, vel plura non modo diuerſarum, ſed inter ſe etiam aduerſantium naturarum ſymptomata. Ita etiam ſimul cum febre poteſt aliquod adeò ſæuum ſymptoma coniungi, vt medici propoſitum à febre diuertens ad ſymptomata conuertat. Huiuſmodi vero ſymptomata interdum alium proprium habent affectum, quem (vt diximus) ſequamur. vnde prima quidem, ac propria eorum curatio, eſſet affectus ablatio. Quià ſymptoma eſt, vt ſymptoma, ſiue febrem, ſiue alium affectum ſequatur nullam habet indicandi rationem, niſi cùm eo creſcit, vt iam timēdum ſit, ne vires deſtruat: tunc enim propriam acquirit indicationem, ſed omittit ſymptomatis rationem & eam, quæ cauſæ eſt ſubinduit. Quo tempore ſepoſito magna ſaltem ex parte reſpectu ad affectum, ipſi ſymptomati contraire oportet. De his ergo ſymptomatibus ſermo habendus eſt, quæ, vel raro febribus accidunt, habentque tanquam cauſam alium affectū ſeorſum à febre, vel ſi febrem ſequantur, adeo excreſcunt, vt dubitemus, ne vires illa ferre poſſint. Et quāuis ab ipſo ſymptomate nulla ſit accipienda indicatio, ſed tantum ab ipſo morbo indicandi ratio prima in curatione accipiatur. In cuſtodia vero, vel (vt aiūt) in præſeruatione ab ipſa cauſa. Attamen, quia in ægrotantibus corporibus plerunque ſimul mixta ſunt curatio, & cuſtodia, vel præuiſio. Ideo antiqui auctores vtrunque ſolent nomine curationis comprehendere. Hoc tamen non eſt hic prætereundum, quod ſymptoma nullum, quodcunque illud ſit, ſiue ſit id genus, quod febrem ipſam ſequatur, ſiue quod alium affectum per ſe curari à medico debet, niſi cùm, vel adeo ſæuum, & magnum ſit, vt maius afferat periculum ipſi ægrotanti, quàm faciat ipſe affectus, quem ſequitur, aut curationem impediat ipſius affectus. Et idcirco de febribus cum ſymptomatibus inſtitutus ſermo dicitur: Non autem de febre compoſita, cum alio affectu, vel cum alio morbo. Quia ſolum de curatione eorum ſymptomatum agitur in eo, quæ cogunt medicum ratione febris ſepoſita, ipſi ſymptomati occurrere. Non etiam de curatione febriū complicatarum cum alijs morbis, vel alijs affectibus. Vnde quamuis aliqua hic recenſeantur, quæ per ſe quidem ſymptomata minimè dici poſſint, ſed potius cauſæ, vel affectus: vt eſt acris ambientis conſtitutio, & qualitas, quemadmodum ſi æſtuoſus ſit, aut nimis frigidus: ita, & regio, & conſuetudo: immo, & natura laborantis corporis, cùm aut facilè diſſoluitur, aut facilis, & procliuis eſt, vt in ſyncopem incidat. Non tamen conſiderantur in hac parte, niſi ratione ſymptomatum, quæ ſolent hæc conſequi: quia ratione ſymptomatum, quæ vel in præſentia febribus aſſidēt, vel propter ea, quæ futura timemus, nos à ratione veræ, & rectæ febrium curationis diuertimus. Et ideo, & hæc quaſi ſymptomata conſiderantur, quia niſi, & eorum aliqua ratio in curatione habeatur, difficilia, & grauia ſolent excitari ſymptomata, vtpotè caſus, & deiectio virium, animique deliquium. Et proinde neque etiam cogimur dicere, quod hic alio modo, & latiori quodam ſignificatu ſymptomata, quàm in libris de morbis, cauſis, & ſymptomatibus accipiatur. Et quod diximus de ijs, quæ potius cauſæ ſunt, quā ſymptomata, putamus dicendum eſſe de aliquibus,

A quæ, & ipſa ſunt magis affectus, quàm ſymptomata. Sicut quando ventriculus crudis refertus ſuccis, vel alioquin vitioſis æſtuat: is enim eſt proprius affectus ventriculi, eius ſanè intemperies cùm materia: qui affectus ſi negligatur, & non habita eius ratione, febrem velimus curare, grauia ſuperueniunt ſymptomata, quæ, vt effugiamus, ſępe à recta febris curatione tantillum declinare cogimur, donec ſimus ab iſtiuſmodi ſymptomatibus tuti. Et per hunc modū ſeruabimus Gal. quo minus opus ſit dicere, quod alius ſit modus accipiendi ſymptomata hic, & alijs in libris. Et fortaſſe magis cum ſententia Gale. conſentiemus, qui duodecimo Metho. de febribus his, quæ cum ſymptomatibus dicuntur ſermone inſtituto, ac B de his ſymptomatibus verba faciens, quæ propriam aliquam in febribus indicationem habent, ita, quod eorum omnium triplex eſt differētia: videlicet, actionis offenſa: excrementorum immodica, tum excretio tum ſuppreſſio: præterea vero, & corporis qualitas, vel affectio à naturali ſtatu mutata. Quæ eædē ſunt differentiæ, quæ & in lib. de Symptom. diffe. ſunt à Gal. conſtitutæ. In vniuerſum autem, vt omniū dicendorum facilius ſententiam, & rationem inquirere poſſimus, hoc imprimis animaduerſione dignum eſſe cenſemus, quod omnia hæc ſymptomata, quæ in conſiderationem hoc loco deduci poſſunt, ſecūdum eam rationem conſiderantur, qua viribus officiunt, & eas proſternere poſſunt. Virium autem ſedes, & fundamentum proximum ſunt calor natiuus, & ſpiC ritus. Vnde cùm hi deficiunt, ſtatim robur, vireſque corporis concidunt. Deficiunt autem triplici modo. Quia, vel ſtrangulantur, ſuffocanturque: ſicuti, & externus calor a materia iniecta, aut ex prohibita euētatione ſtrangulatus interit: Vel per digeſtionem, & & diſſolutionem diſſipantur, vt paruus ignis a maiori extinguitur. Vel, quia ab immoderato frigore extinguitur. Quare hæc omnia, quæ tanquam febrium ſymptomata hic conſiderantur, aliquo iſtorum modorum calore naturali labefacto, caſum virium minātur. E quoniam prima, & præcipua ratio, indicatioque in omnib. morbis ea eſt, quæ a viribus depromēda eſt. Ideo etiam id genus ſymptomata à medico obſeruantur, & ſæpe eas indicationes, quæ a morbis D accipiuntur, obſcurant. Sed neque hoc etiam prętermittendum eſt, quòd indicationes horum ſymptomatum præſertim, & maxime reſpiciunt eas indicationes, quæ a morbis acceptæ euacuandum eſſe oſtēdunt, atque illis obſiſtunt, & prohibent, aut omnino, aut magna ex parte, quominus fiant ea, quæ alioquin morbus facienda, niſi hæc ſymptomata obſtarent, nobis oſtenderet. Diximus autem omnino, aut magna ex parte. Quia, vt progredientes monebimus aliqua dicendorum ſymptomatum omnino vacuationem prohibent. Alia vero, quominus copioſas, & confertim factas vacuationes moliamur: permittunt tamen aliquas modeſtas fieri. Vt autem particulatim res hæc tractetur, & de his ſymptomatibus ſigillatim ſermo inſtituatur, & id ex ratione, ac methodo, E Gal. tanquam primum id ponit, quod in vniuerſum eſt quaſi fundamentum totius methodi generalis curandarum affectionum compoſitarum, in quibus variæ reperiuntur, & contrariæ indicationes. Hoc vero in eo conſiſtit, vt diligenter examinemus, & perpēdamus ea, quæ indicant inter ſe collata: & pro ratione, qua ea maiorem vim habent, & fortiorē, maioriſque momenti: ita, & rem definiamus, & eo conuertamus animum, vt illi prius occurramus. Tria autem ſunt, quæ componi, & iungi poſſunt cum morbo curādo. Nimirum morbus alius: ſicuti ſi cum febre coniungatur phrenitis. Aut cauſa, quæ contrariam ipſi morbo indicationem habeat: vt in febre quotidiana pituita, ex qua febris accenditur, frigidus eſt humor,

cum tamen febris calida ſit intemperies. Quãdoque autem cum morbo coniunguntur ſymptomata aliqua, quæ præ ſua, vel magnitudine, vel malignitate, inſigne aliquod periculum afferre poſſunt: & proinde hac ratione, & ipſa iam non amplius tanquã ſymptomata habenda ſunt, ſed cauſæ (vt diximus) modũ ſubinduunt, & proprias quaſdam hac de cauſa indicationes, & ipſa afferunt. Vt autem prius attẽdamus huic, quam illi, in his compoſitionibus tria ſunt conſideranda. Primum an ea, quæ in vnum conuenere, ita ſe habeant, vt alterũ alterius ſit cauſa. Nam ſi ita fuerit, ab eo erit auſpicanda cura: quia alterum curari nequit, niſi cauſa morbi remota. Vel quamuis alterum non ſit alterius cauſa, ita tamen alterius curationem impedit, vt niſi id remoueatur, alterum curari nequeat, ſicuti ſi vlceri ſuperueniat inflammatio, nũquam vlcus curabitur, niſi tollatur prius inflammatio: ideo inflammatio prior curanda erit. Tertio autem conſiderãdum eſt, & reſpiciendum ad periculũ, quod nobis imminet ex præſentia earum affectionũ, quæ ſimul iunctæ, & compoſitæ infeſtant ægrotantem hominem. Etenim ſi vtrunque ſimul curari nequeat, & alterum ſit, quod inſigne aliquod periculũ minetur, ſi tempus vlterius in alterius curatione protrahamus: illud vero non tanti diſcriminis ſit; ratio omnis exquirere videtur, vt ab eo incipiamus, quod maius periculum ſecum affert. Et in complicationibus quidem diuerſorum morborum, aut morbi cum ſua cauſa, omnia hæc pendenda, & examinanda ſunt. In complicatione vero morbi cum ſymptomatibus, huic tertię duntaxat eſt attendendum, nempe quod ipſorum maius periculum iunctum habeat, atque illi occurrendum. Quia nunquam ſymptoma nos a morbi curatione diuertit, niſi quando (vt diximus) adeo excreuit, & malignum factum eſt, vt timeamus, ne vires diſſoluat, alioquin enim ſemper morbi curatio tractanda eſt: nam ablato morbo ſimul, & ſymptomata auferuntur. Addit autem Gal. & conditionem quandam huic theoremati, non parum neceſſariam, quæ & ipſa generalis eſt, quod quandocũque ex duobus, quæ ſimul compoſita ſunt in morbis, vel etiam ex pluribus, vnum eligimus, cui primum attendendum ſit, ita illi attendamus, vt & alterius, vel aliorũ non omnino obliuiſcamur, & illa negligamus. Hoc autem non erit, ſi ſtuduerimus occurrere illi, quod nos magis vrgere videtur, ſed eo modo illiſque remedijs, quæ minus poſſunt obeſſe indicationi aliorum, quæ relinquuntur poſtmodum curanda. Vnde ſi mutuo collatis, ac bene perpenſis febre, ac ſymptomate, viderimus febrem adeo validam, & magnam eſſe, vt quamuis, & ſymptomata non parui momenti ſint, ab ipſa tamen maius periculũ imminet: febri quidem primum erit occurrendum, ita tamen, vt neque plurimum irritemus, & exacerbemus ſymptoma, ne illud acerbius factum, & malignum, cogat deinde febrem ſaltem magna ex parte relinquere. Sed & pari ratione ſi iudicabit medicus, ſymptomata magis vrgere, quia timendum ſit plurimum, ne vires & naturam deijciant: procurandum imprimis erit, vt tantiſper leniantur, & mitigentur, vt citra hoc periculum, febrem mox curare poſſimus. Lenienda tamen, & mitiganda ſunt ea ratione, vt quantum fieri poteſt, minus augeamus febrem, & eam exacerbemus. Hæc ergo eſt generalis ratio, methoduſque in his obſeruanda. At vero neque id ſatis eſt. Generalia etenim præcepta parum proſunt addiſcentibus, niſi (vt ſæpe Gale. teſtatus eſt) exerceantur multis particulatim exemplis. Ideo quod in vniuerſum docuerat, id iam quibuſdam exemplis explanat, a varijs ſymptomatũ differentijs acceptis, neque tamẽ omnia perſequitur ſymptomata, quæ egent propria animaduerſione, & cura in febribus, ſed ea tantum, quæ frequentiora ſunt, & maioris momenti. His enim rectè perceptis, facile, & reliqua quomodo tractanda ſint, poterit vnuſquiſque, vel leuiter etiam in hac arte inſtructus, ex ſe cognoſcere, Quia vero, & frequentiſſima ſunt, & maximum negotium faceſſentia ea ſymptomata, quæ in febribus ſequuntur vitium, & noxam vẽtriculo, & eius ori illata: cum ob eximium ſenſum illius particulæ: tum vel maxime ob magnam, quam habet cum corde, affinitatem, & conſenſum, Nam & hac ratione priſci eodem nomine, cor, & ventriculum ſoliti ſunt nuncupare nempe καρδίαν, & cardiacos dolores appellabant eos, qui ad os ventriculi pertinebant. Age igitur ponamus, (inquit Gale.) quod aliquis febre putrida correptus ſit, in quo ſit plethora, hoc eſt, multa ſit congeſta humorum plenitudo, quo poſito, nemo non videt ſtatim exurgere fortem indicationẽ vacuationis. Nã morbos (dixit Hipp. ſecundo Aph.) (Aph. 22.) ex plenitudine excitatos, curat vacuatio: Sed in eo febricitante præterea male habeat ventriculus: nempè quia à vitioſis humoribus, aut ex cruditate recenti in eo congeſtis: aut ad illum aliunde confluentibus, & ad vomitum proritantibus, prematur, mordeaturq; atque inde anguſtiam, & quandam veluti ęſtuationẽ patiatur. Moleſtum adeo huiuſmodi ſymptoma naturæ eſt, cùm corpus vniuerſum anxium, & inquietũ reddat, vt & ipſum propriam, & validam habeat indicationem, nanque ſi negligatur, & vacuationi, prę ſertim vero per ſectam venam, ſicut requirere videtur humorum plenitudo, operam demus, facilem ex hac anguſtia (vt paulo poſt exponemus) ſequetur primũ animi deliquiũ, vel (vt græci aiunt) λυποθυμία. & tandem etiam ſyncope, quod eſt deterrimũ ſymptoma; eſt enim viriũ omniũ conciſio, & exolutio, & quaſi via ad interitum. Hoc itaque caſu poſito, & hac affectionum complicatione, vel compoſitione proponit in quæſtionem Galen. quid potius agendũ medico ſit: Nũ vacuandũ, vt prior indicatio exquirere videtur, vel potius tantiſper differenda vacuatio donec ventriculo ſit conſultum, & eius anguſtia, & moleſtia ſit ſedata. Atque ſuam affert ſententiam, moxque ſucceſſu, & experientia illam cõprobat. Ait ergo prius ventriculo conſulendum accommodatis remedijs, poſtea vacuandum. Etenim quicunque alioquin agere, & neglecto ſymptomate hoc, ſtatim vacuare aggreſſi ſunt, aut ad interitum ægrotantes adduxere: aut in extrema pericula eos cõiecere. Sed antequam vlterius progrediamur, quædam ſunt exponenda: quia ferè in his recte tractandis, cognoſcitur iudicium, prudentia, & peritia medici. Nã febriũ ſimplicium, quæ citra aliam complicationem ſunt, vt ſimplex, ita etiam facilis eſt curandi ratio. Maius lõgè negotium incumbit, cùm variæ ſunt coniunctæ, & inter ſe diuerſæ indicationes. Quare & ea, quæ ad hoc pertinent, ſunt diligentius examinanda. Eſt ergo conſiderandum, quod ventriculus, cùm obſidetur a vitioſo aliquo humore, præſertim vero eius os, plurimum ob eximium (vt diximus) eius ſenſum, angitur, & pro diuerſa ratione humoris, diuerſa etiam eſt moleſtia, quam percipit. Etenim ſi humor ille ſit crudus, & craſſus, ſicut eſt pituitoſus, & melancholicus, percipitur ab ægrotante, quaſi grauetur, & prematur ventriculus: grauis enim eſt is humor, & potius grauitate, & pondere moleſtus eſt, quam aliqua acrimonia, Quod quidem ſymptoma adeo affligit, vt præter id quod omnem quietem, adimat, videatur, & etiam reſpirationem impedire: conſentiente nimirum tranſuerſo ſepto, & reliquis ſpiritalibus inſtrumenmentis. Sed ſi acris ſit, & mordax, vt eſt bilioſus, mordendo, & pungendo ori ventriculi tantam afflictionem affert, vt natura nullo modo eam perferre poſſe videatur, & huiuſmodi affectio à græcis καρδιαλγία, a latinis morbus cordis appellatur, redduntur autem

anxij,

anxij, & inquieti, vt nullo vel momento temporis poſſint eodem conſiſtere loco: neque tamen referre poſſunt, quid ſentiant, vel quo affectu tẽtentur. Huiuſmodi autem mali ſucci, interdum in ipſo ventriculo gignuntur: interdum aliunde confluunt ad ventriculum. Gignuntur autem in ventriculo, vel a cruditatibus, dum ventriculus, aut ex eius perfrigeratione, & imbecillitate crudior factus, non probè concoquit: aut ex erroribus in ratione victus cõmiſſis. Vnde cibus in crudum, & pituitoſum humorem conuertitur, atque tenacitate ſua hærens ventriculo, illũ moleſtat. Quandoque vero crudi hi humores corrũpuntur, & ab extraneo calore correpti cõputreſcunt, degenerantque in vitioſos, & acres, atque adeo etiã mordaces humores. Sed & à capite craſſa, & cruda nonnunquam pituita ad ventriculum defluens, illi noxam hanc infert. Acres vero, & calidiores, bilioſique humores plerunque a iecinore ad ventriculum confluunt: nonnunquam autem à toto, vt in choleris appellatis fieri ſolet, vel (vt recentiores loqui ſolent) in cholirica paſſione. Præterea vero & hoc conſiderandum, quod tres ſunt differentiæ ſymptomatum, quæ ex id genus noxis ori ventriculi illatis excitantur, differentes ſolum pro ratione maioris, & minoris. Nimirum quatenus a cauſa vehementi, vel imbecilliori concitantur. Hæc enim anguſtia, quæ a iam narratis vitioſis humoribus efficitur, dum ea mediocris quodammodo eſt, anxios quidem (vt nuper diximus) & inquietos reddit, & vel æſtuatio, vel anxietas, vel cordis morſus dicitur. Quòd ſi augeatur, aucta ſanè cauſa, iam deficere, & vires amittere videntur, & animi deliquium quod λυποθυμία à græcis dicitur, accidit. At ſi vlterius noxa progrediatur, augeturque ſyncope ſuccedit, quæ eſt omnium virium ſimul conciſio, & exolutio, & id grauiſſimũ ſymptoma, & ferè extremum, quod poſſit in morbis contingere: cum ex cauſa aliqua non manifeſta contin-

Aph.41. git, vt Hipp. ſecundo Aph. & Gal. expoſuere. In hæc igitur, ſymptomata, periculaque incidunt, ſi quis vacuationem in febribus tentare audeat, neglecto ventriculi angore. Vulgares autem præſertim vero Venetæ mulieres hæc differentia ſymptomata ſuis nominibus diſtinguunt. Primum enim affannum: alterum faſtidium: tertium angoſciam appellant. In his ergo conſulit, ꝙ ab euacuatione tam per ſectam venam, quam per medicamenta, abſtineamus donec vẽtriculo ſit conſultum, & huiuſmodi moleſtia ſit ablata. Sicuti etiam ſi difficilis vomitus præceſſerit, acriũ, & mordacium humorum, qui in tranſitu non parum ventriculi os afflixerint: quamuis illi iam eiecti ſint, corroborandus eſt ventriculus ante aliam vacuationem: quia tum ex præcedenti vomitu, tum ex morſu humorum acriorum, qui per vomitum reiecti ſunt, languidior factus promptior, & propenſior eſt, vt à vel leui quacunque occaſione lædatur. Videtur tamẽ Galen. hoc in loco officio ſuo non parum deeſſe, vtpote qui hoc ſolùm moneat, quod ſi id nobis, dũ curabimus febricitantes, contingat, ꝙ illi curandi offerantur, qui his vrgentur, ſymptomatibus, quamuis indicatio ex morbo euacuandum quàm maximè nobis demonſtraret, ab euacuatione tamen eſſe temperandum, ac prius dandam eſſe operam ipſis ſymptomatibus tollendis, aut leniendis: neque poſtea nobis modum, & rationem tradit, quo illis occurramus. Sed huic obiectioni reſpondemus, ꝙ ad præſentem ſcopum, quem hoc loco ſibi propoſuit Gal. illud ꝓprie non attinebat: nempe quia hac principe iſtius capi. parte ſolùm inſtituerat multis exemplis oſtendere, & probare, ſæpe ſymptomata eam vim habere, vt obſiſtant indicationibus, quantumlibet fortibus, à morbo depromptis. In ſequentibus autem partibus ea tractat, quæ faciunt ad rationem occurrendi his ſymptomatibus, vel explicitè, vel implicitè: dum videlicet vno expoſito, quod ſimilitudinem cũ aliquibus alijs habet, ea itidem, tractanda eſſe, intelligi à legentibus voluit. Vnde cum dixerimus ab eadem cauſa, tantum ratione maioris, & minoris differentẽ excitari, & anguſtiam, vel æſtuationem ventriculo, & lypothymiam, vel animi deliquium, & ſyncopem, quæ vitio ventriculi concitatur: abunde autem ſatis inferius de ſyncope curanda agat: ſuperuacaneum videtur velle iterum eadem repetere de his aliis. Nã qui ſyncopi probè nouit obſiſtere, quæ maius, & difficilius incõmodum eſt, vt facilius, & lypothymiæ, & anguſtiæ occurret. Porro autem, vt exquiſitius rem hanc teneatis, vnum præterea eſt cognitu neceſſariũ nouitijs in hac arte, quatenus ad rationẽ horũ ſymptomatũ pertinet: ne interdum huius ignoratione aliquem deinde errorem inſignem cõmittant, quòd interdum ea concitantur a cauſa, quæ in ventriculo conſiſtit, vt aliunde amplius non fluat, vel foueatur: aliquando aliunde propulſa ad ventriculũ illũ angit. Cũ ſuã ſedẽ propriã habet in ventriculo, nec amplius eo aliunde confluit, plerunque cõtinenter ipſum affligit: licet interdũ magis, interdũ minus: in acceſſionibus enim febrium à calore febrili cõmota, & veluti efferueſcens moleſtior efficitur. Ita aliquibus quidẽ magis ante cibum: aliquibus magis poſt cibũ, pro diuerſa humoris natura, ſemper tamen moleſta eſt. Vbi autẽ aliunde confluit ad ventriculũ, ſolet plerũque per periodos affligere, & ſequi rationem periodorũ, & acceſſionũ febriũ, & cum acceſſionibus inuadere, & ipſis remittentibus remittere, vt in tempore interualli in intermittentibus febribus intermittant eiuſmodi ſymptomata: in continentibus autem aliquando intermittant, aliquando vero, & ſi modo creſcant, modo remittantur, nunquam tamen intermittant, ſicuti neque febres. Vnde quando illa intermittunt, tempore intermiſſionis, quando ventriculus quieuerit, ſolent medici, & ſanguinẽ mittere, & alioquin euacuare, ſi id opportunũ viſum fuerit, neque vlla præterea noxa ſequitur. Ea propter id, quod a Galen. hic probatũ eſt, intelligendũ eſt, Neque ſanguinem mittendum eſſe, neque alia ratione vacuandum, dum hoc ſymptomate æſtuat ventriculus. Sed prius ſedandam, & leniendam eſſe eam moleſtiam, & procurandum, vt ille colligat ſe, & vires reſumat: Poſtea vacuandum, prout oportuerit. Hoc itaque primum eſt ſymptoma, cuius meminit hoc loco Galen. Alterum vero eſt cùm, ait.

Sed neque ſi fuerit febris cum ventris profluuio, alia eſt opus euacuatione, verùm, &c.

QVOD alui profluuium traſtulit interpres, græce διάῤῥοιαν appellat Galen. Quod quidem non omne profluuium ſignificat. Nam & dyſenteria, & leienteria ad hoc genus pertinent. Diarrhœa autẽ eſt excretio copioſa humorum vitioſorum per inferiorem aluum. Vnde Galen. ſecundo lib. de Alimen. facult. ait, cùm vitioſi humores ex toto corpore in inferiorem ventriculi partem confluunt, diarrhœam pariunt. Et id genus profluuij eſt, quod ſæpius ſolet in febribus, tanquam earum ſymptoma excitari. Atque propterea de eo præſertim ſermonem Galen. in præſentia inſtituit: vbi ait, quod ſi febri fluxio alui accedat, hoc etiam ſymptoma obſtat medico, quo minus tuto, & ex ratione poſſit vacuare aliqua alia ratione: neque per purgatoria medicamenta, neque que per ſanguinis miſſionem. Quamuis etiam videretur vacuatio hæc ſpontanea per profluuium non eſſe tanta, quæ poſſit indicationi ſatis eſſe, quam medico offert multa, aut plenitudo, aut cacochymia

Cap.26.

in

in eo corpore reperta: Immo ea ſola debemus eſſe contenti. Quo loco debemus recte verba Galen. perpendere. Nam ſi ita fecerimus percipiemus, quod non eſt ſimplex hoc præceptum, ſed duo continens capita. Primùm, quod non ſit irritanda, & adiuuanda hæc alui fluxio, neque medicamentis, neque alijs vacuatorijs inſtrumentis. Huius vero ratio eſt, quia profluuia hæc, quæ in principijs morborum accidunt, nullo modo motus critici ſunt, cùm nondum coctus ſit morbus: ſed potius. fiunt a natura coacta, & irritata a multa copia, aut a praua qualitate humorum. Vnde neque per hos fluxus eo tempore ſubleuatur natura: ſed potius turbatur, & exagitatur, & vires redduntur imbecilliores, quare longe etiam magis vires deijcientur, & magis illa perturbabitur, ſi vacuatio vacuationi addetur, neque tamen leuior fiet: at magis grauabitur, reſolutis ſpiritibus per inſignem eam vacuationem, nondum parata materia: præterea magis irritata a medicamento, præceps in magnum aliquod periculum agi poteſt: nempe in immoderatam aliquam fluxionem, quam vires nequeant perferre. Vnde & vulgatam illam ſententiam Auicen. protulit. Ventrem ſoluere ſuper ventris ſolutione timoroſum eſt. Sed neque ſecare venam eo tempore erit opportunum. Duæ enim vacuationes contrariæ fere inter ſe, & ad diuerſa loca trahentes naturam magis exagitabunt, & turbabunt, magisque eius vires diſſoluent. Propterea (Com. 118.) in Com. 4. libro de Rat. vict. in acut. morb. ait Gal. fluente aluo, ſanguinem non detrahes. Nam ſi fluor poſt detractionem perſeueret, vires proſternit. Secundum vero caput, quod nobis a Galen. inſinuatur in hoc præcepto eſt, quòd neque etiam temere is alui fluor, qui ſolet febricitantibus accidere, ſit ſupprimendus, ſed potius ita relinquendus, vt in eo res ipſa ſoli naturæ committatur. Vnde ait Galenus cum aluus ſponte fluit, non eſt alia vacuatione opus, ſed ſola hæc ſufficit. Quibus verbis ſatis aperte indicat, non eſſe eam ſupprimendam: ſi enim illa ſatis eſt, ea debemus eſſe contenti, neque procurare, vt ſiſtatur. Ratio vero, cur, neque ſit hoc profluuium ſupprimendum, eſt, quia licet fiat a natura irritata: irritatur tamen, vel a nimia copia, quã amplius ferre, & recte adminiſtrare nequit: aut a praua humorum natura. Quare multus hic, aut vitioſus humor, cùm ferri a natura amplius minime poſſit, ab ea agitatur & mouetur, vt eo excreto, exoneretur, & leuior fiat. Vnde ſi intercipiatur eius excretio, aut interius putreſcens febrem adauget, aut delatus ad aliquod internum viſcus præcipuum, aut vitæ quàm maxime neceſſarium, extremum affert periculum. Vnde Aetius ſermone nono, de alui fluore in febribus, (Cap. 5.) hæc ait. Et enim obluctari, & excretionis cohibitionem moliri maiorem morbum facit: ſiquidem quæ cohibentur, ſurſum perlata, dolores capitis, aut phrenitidas, aut lethargos, aut parotidas inferunt pernitioſas. Sed res hæc ita intelligenda eſt, modo non ita ſit immoderata fluxio, vt nobis timẽdum ſit, ne vires deijciat, quia tunc quærendum eſſet, vt ſaltem ex parte cohiberetur, ne vires proſterneret. Et hoc etiam forſitan innuere voluit, cùm ait, quamuis non ſit pro multitudinis ratione: quaſi oſtendemus, quòd non eſt illi ſermo de immoderato profluuio, ſed potius de moderato, & parco. Quia vero artiũ theoremata, vel præcepta, quæ in vniuerſum ab artificibus pronunciantur, raro ita abſolute, vt prolata ſunt, accipiendæ, immo ſemper fere ſunt certis quibuſdam limitationibus definienda, & terminanda: alioquin enim interdum in eorum vſu errare non parum contingit. Hæc autem ſententia hac parte a Galen. propoſita ſæpiſſime in conſultationibus ver-

ſari per ora medicorum ſolet, quæ tamen neque poſtea ab omnibus probe tenetur. Quapropter, vt exquiſite percipiatur animaduertendum, quòd ea locum præſertim habet, quando profluuium febrem ſequitur, tanquam eius ſymptoma, & hoc tunc maxime euenire ſolet, cùm aut febris præcedit, & fluxus ſequitur, aut ſimul vtrunque incipit. Nam ſi fluxus præcedat febrem, febris potius haberet rationem ſymptomatis ad fluxum collata, quàm contra: ideo & fluxus erit is, qui primus rationem curationis indicabit. At vero cùm fluxus febrem, tanquam eius ſymptoma ſequitur: tunc conſiderandum eſt, quòd motus is naturæ excernentis humores per inferiorem aluum, aut rationem ſolam ſymptomatis retinet. Cùmque natura coacta, & irritata molitur potius, quàm ſponte ſua, neque rationem habet critici, vel iudicatorij motus: ſiquidem ſi tantùm ſymptomaticus motus: tunc ad vnguem ſeruãda eſt huiuſmodi ſententia, vt neque cohibenda ſit eiuſmodi fluxio, niſi cùm tanta eſt, vt timendum, ne vires fatiſcant. Semper autem rationem ſeruat ſymptomatis eiuſmodi alui fluor, cùm in principio morbi excitatur, & ante ſigna concoctionis. Cùm autem ſequitur concoctionem morbi, ferè non poteſt, non eſſe criticus, & vtilis. Tunc vero agendum erit, vt (Aph. 20.) Hipp. primo Aph. monuit, Quæ iudicantur, & iudicata ſunt integre, non mouere aliquid, ſed ſinere. Si ergo talis videatur excretio, quæ poſſit integre febrem iudicare, ſinendum eſt omne opus naturæ. Sed ſi vacuatio videatur non ea eſſe, quæ poſſit integre febrem iudicare, euacuationi illi erit addendum. Non tamen ſtatim: ſæpe enim inter initia euacuatio videtur modica, quæ tamen paulo poſt copioſa euadit: caute ergo agendum. At cùm iam videtur natura ab euacuatione deſtituta, nec quantùm ſatis erat, vacuaſſe medicus ipſe aut clyſteribus, aut medicamentis aliquibus accommodatis eam excitabit, vt vniuerſam rem abſoluat. Nam ſi quid relinquatur (Aph. 12.) poſt iudicationem (vt idem Hipp. teſtis eſt ſecundo (Aph. 21.) Aph.) recidiuas facere conſueuit: & ſi aliqua ſit molienda vacuatio, per inferiorem aluum moliri eã oportet. Nam & hoc primo Aphor. docuit Hippo. cùm ait. Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia, eo ducere. At vero, cùm fluxio alui per ſe morbus eſt, aut alium affectum ſequitur: aliam etiam rationem curationis requirit. Sed de his non eſt opportunum alioquin in præſentia ſermonem habere. Vnde ad tertium ſymptoma orationem conuertamus.

Sed neque ſi quis ſimul & diſtentione neruorum laborauerit, & ſanguinis miſſione eguerit, huic, &c.

TERTIVM ergo ſymptoma, quòd febricitantibus ſuperueniens rectam rationem curationis febris aliqua ſaltem ex parte impedit, eſt conuulſio, quam ſpaſmum Græci appellant. Eſt autem affectio neruoſarum partium, atque adeo etiam muſculorum, cùm ab externa, & non naturali cauſa moueri eo modo coguntur, quo mouentur ab appetitu in motu voluntario. Muſculi enim cùm ſponte, & voluntarie mouentur, contrahuntur verſus caput ſuum, & ſuam originem, atque ita diſtenduntur, qui quidem motus fit per ſpiritus delatos per neruos, & muſculos eos opplentes. Dum vero tenduntur, trahunt ad ſe oſſa, quibus infixi ſunt, atque ita articulum mouent. Interdum autem a cauſa aliqua morboſa præter, immo etiam contra appetitum, vel voluntatem animalis ſimilis fit contractio muſculi ad ſuum initium, & eiuſdem tenſio, vt ſexto Aphoriſmorum docuit Galenus & alibi ſæpe, (Aph. 39.) & ſubinde articuli motus. Eiuſmodi vero mor-

boſa contractio, quæ & conuulſio, & ſpaſmus dicitur, quantùm ad præſens negotium pertinere poteſt, duabus de cauſis præſertim excitari ſolet. Primùm quidem ex repletione: nempe cùm nerui, & neruoſæ partes replentur nimio aliquo humore, qui in ipſis quaſi abſorbeatur: Nam ſicuti ſpiritu repletæ tumidæ, & tenſæ redduntur, & quantum latitudini ex ea repletione additur, tantùm de longitudine detrahitur: quo fit, vt ea ratione contrahantur verſus principium, & tendantur: ita ſi humore aliquo repleantur, tenſi contrahuntur. Deinde vero, & ex alia cauſa poteſt hæc contractio fieri à priori, non modo diuerſa, ſed illi etiam contraria: videlicet inanitis, & areſcentibus muſculis, & neruoſis partibus. Vt enim lora, & muſicalium inſtrumentorum chordæ, cùm nimis exſiccantur, contrahuntur, & abbreuiantur: Ita & neruoſæ particulæ in animantibus, natiuo humore deperdito, aut per vacuationem immodicam, aut alioquin per exſiccationem, aridiores factæ contrahuntur, & tenduntur. Vterque autem conuulſionis modus in febribus ſolet cõtingere: non tamen eodem modo. Nam in principio febris non poteſt conuulſio fieri, niſi ex repletione: neque enim ita poteſt exinanitum, & arefactum corpus eſſe in initio, vt muſculi conuellantur, vt
Com. 57. quarto Aphoriſmorum docuit Galenus. Conuulſio vero ex inanitione, & ſiccitate potius verſus finem febres ſolet conſequi, præſertim vero ardentes febres. Sed de ea conuulſione ſententiam hanc Gal. exponere oportet, quæ in principijs febrium ſolet concitari, quæque ex repletione fit: ſicuti & pleraque hæc ſymptomata, quorum hic meminit, ſolent inter initia febricitantibus eſſe moleſta. Quod inde etiam manifeſtum eſſe poteſt, quòd ipſe ait. Si quis conuulſione laboret, ſanguiniſque detractione egeat, &c. Nam neque fieri poteſt, vt valida ſit indicatio mittendi ſanguinis in ſpaſmo ex inanitione. Quia morbos ex inanitione excitatos repletio (vt Hippo. in Apho. docuit) ſanare poteſt. Non vacuatio. Conuulſio autem ex repletione, ſi fiat cum corporis plenitudine in febricitantibus, tunc duplex eſt indicatio. Altera à febre ex plenitudine excitata. Altera vero à conuulſione. Hæ vero duæ indicationes partim mutuo conſentiunt: partim diſſentiunt, & aduerſantur. Conſentiunt quidem, ſi ad cauſam vtriuſque affectus reſpiciamus: cauſa enim vtriuſque affectus eſt plenitudo, quæ per ſe quidem
Com. 6. vacuandum eſſe indicat. Diſſentiunt vero quo-
Com. 6. quomodo per accidens: quia conuulſio affectio laborioſa, & doloroſa eſt, vt ſecundo Aphoriſmorum & quinto, quæ quidem ſolet vires diſſoluere. Præterea vero conuulſionem, & ſudor, & vigilia plerunque ſequi ſolent, quæ itidem vires labefactant. Vnde cùm virium indicatio, aut præſentium, aut futurarum vim plurimam in hac complicatione acquirat: Ideo & ſi non omnino obſcuret indicationes à morbo, & ſymptomate depromptas: inhibet tamen aliqua ex parte. Et quamuis plenitudo multa requirere videatur multam vacuationem: Prudens tamen medicus non exquiſitam molietur vacuationem. Quia omnis vacuatio inſignis vires diſſoluit: nouit autem ipſe eas non oportere plurimùm imbecilles reddere, ne ſub aliorum ſymptomatum, nempe laboris, doloris, vigiliarum, ſudoris, onere fatiſcant. Vnde duplici cautione vtetur. Prima, ne plurimùm vacuet, & quantùm alioquin requireret multa corporis plenitudo, & morbi magnitudo. Altera, ne etiam id, quod vacuandum iudicauerit vniuerſum ſemel, & vnica vacuatione detrahat, ſed potius partiatur: minus etenim vires lædit partita vacuatio, quam quæ confertim, & ſemel vniuerſa fit: & id nobis indicare voluit Gal. cùm dixit. Neque tantum ſemel mittere oportet, quantùm exigit morbus. Et quia eorum, quæ ſimilem vim habent, ſimilis eatenus ratio eſt habenda: ſimilem autem vim habent cum conuulſione immoderatæ vigiliæ, & dolores ingentes, vtpote quæ vires diſſoluant ſummopere. Proinde, cùm tanquam ſymptomata febres concomitantur, in earum curatione cauendum eſt ab illis vacuationibus, quæ vires deijcere facile poſſunt: quales ſunt, quæ tum copioſe, tum confertim fiunt. Vnde neque in his ſimul vniuerſa plenitudo detrahenda eſt, & a copioſa vacuatione abſtinendum eſt. Niſi quòd fortaſſe aliquis obijciat, quòd videtur Gal. ſui ipſius eſſe immemor, qui primo Aphor. dixerit, Com. 23.
ſe nullum præſtantius, & magis præſentaneum, reperiſſe remedium in maximis doloribus, quàm vacuare vſque ad animi deliquium: habita prius diſtinctione, an per miſſionem ſanguinis, an vero per medicamenta id agere expediat. hic autem conſulat, in magno dolore temperandum eſſe a multis, & confertim factis vacuationibus. Hanc dubitationem nõ memini me legiſſe, vel motam, vel diſſolutam ab vllo expoſitore, qui vel Aphoriſmos, vel librum hunc explanauerit. Nos tamen quantùm vires noſtræ huic oneri ſatis erunt, nitemur ſoluere. Dicimus itaque, quòd non eſt eadem ratio ſemper cuiuſcunque doloris. Nam cùm dolor cum febre coniungitur, aut cum ea tanquam eius ſymptoma coniungitur: aut contra febris dolorem ſequitur, quaſi eius ſymptoma. Cùm febris a dolore concitatur, & illum perinde, vt eius ſymptoma, ſequitur: tum prima curationis indicatio a dolore depromenda, vel a doloris cauſa. Vnde ſi malam temperaturam dolor ſequatur, & maximus dolor fuerit: tum inſigni, & exquiſita illius materiæ vacuatione, quæ tum excitat, tum fouet, erit tollendus dolor. Foueri autem poteſt non modo a materia, quæ continetur in particula dolente, ſed ab ea etiã, qua plenæ ſunt reliquæ particulæ: quia dolor vndique attrahit. Et ideo magna vacuatio, & præſertim in affecto loco vacuat, & tollit occaſionem, cur aliunde ad eam confluat. Et hoc reſpexit Galenus primo Aphoriſmorum. Sed ſi contra ſe res habeat, quippe quòd dolor febrem, tanquam eius ſymptoma, ſequatur: quamuis & doloris ſit ratio multa habenda: attamen prima indicatio accipienda eſt ab ipſa febre. Neque enim ſtatim poteſt per ſubitam vacuationem tolli febris, & dolor. Quoniam febres putridæ (de his enim ſermo in præſentia eſt) niſi coctus ſit morbus, tolli plerunque non poſſunt. Vnde cùm & ipſa febris vires reſoluat, item & dolor: confertim factæ vacuationes inter initia, viribus ex eis factis imbecillioribus, non poterunt concoquendo morbum ſuperare. Hoc eſt ergo, quod reſpexit Galen. hac parte, & in hunc modum, mea quidem ſententia, tollitur contradictio in dictis ipſius. Sequitur autem quartum ſymptoma, cuius multam rationem eſſe habendam cenſet, ſi febri aſſideat, de quo ita ait.

Ipſa præterea ambientis aeris temperatura loco ſymptomatis cuiuſdam habenda eſt, quando exquiſitè calida; & ſicca fuerit, qualis hoc anno fuit tẽpore medio iter Canis ortũ & Arcturi, &c.

AERIS nos cõtinentis natura, vel temperatura, ſiue illa ab anni tempore & conſtitutione, ſiue à regione pendeat, proprie quidem inter ſymptomata referri minime poteſt. Neque enim ad aliquod eorum genus pertinet, non ad læſam actionem, non ad excrementa a ſua naturali ratione mutata, non ad corporis qualitatem, ſed potius cauſæ rationem habet. Ideo tamen in præſenti negotio tanquã ſymptoma febris habendam eſſe cenſuere priſci medici, quia ad idem incommodum perducit, ad quod, & ſymptomata,

ptomata, quorùm conſideratio ad hunc locum pertinet, nempe ad viriũ caſum & diſſolutionẽ, imò, & ea ſymptomata, quæ hic conſiderantur, ea ratione, quia in hâc cõſiderationem veniunt, iã non amplius tanquam ſymptomata conſiderantur: ſed & ipſa (vt ſæpe ſuperius dictum eſt) quatenus rationem cauſæ ſubinduunt: in cauſa vero ſunt, cur ad ſyncopem, & virium exolutionem adducatur febricitãs. Vnde accõmodate locutus eſt Gal. cùm dixit, quòd eſt quaſi ſymptoma, hoc eſt eandem ſubit rationem conſiderationis hac parte, quàm & alia relata ſymptomata. Sicuti ergo in prædictis ſymptomatibus vacuationes confertim factæ, & copioſe admodum fallaces ſunt, & periculum maximũ afferunt: Ita & aeris calidior, & ſiccior, ſi plurimùm excelſerit, temperatura, itemque frigidior, & humidior. Nã, quæ calidior, & ſiccior eſt, ipſa primùm corpus euacuat: humores enim, & ſpiritus, digerendo diſſoluit, & conſumit. Et huic vacuationi, quæ multa eſt, & inſignis, ſi aliã imprudens medicus copioſam vel confertim factam addiderit, vel miſſo ſanguine, vel per medicamenta exolutis viribus corporis, ad ſyncopem, à qua refici ſæpe non amplius poteſt, ægrotantem perducet, vel ad diaphoreſin, hoc eſt ad ſpirituum, & innati caloris diſſolutionem per eius digeſtionẽ, & tandem ad interitum. Qua parte & id conſiderandũ, quod non omnis æſtiua aeris conſtitutio, calida videlicet, & ſicca obſtat vacuationi: omnis tamen modum aliquem illi imponit. Semper enim æſtiuis temporibus præſertim vero canicularibus, cùm feruet aer, oportet cautum eſſe medicum in vacuationibus, & moderatum ob eam, quam diximus rationem: nẽpe ne vacuationi vacuatio addita vires deijciat. Quòd ſi ea conſtitutio modũ etiã naturalem illius temporis excelſerit, vt eo anno, quo hæc ſcripſit, contigiſſe narrat Gal. (Ita enim antiqui codices manuſcripti habent. Sicut hoc anno inter Canis, & Arcturi ortum) poteſt omnino interdicere vacuationem, præſertim vero, ſi præter conſtitutionem, & tempus accedat, & regio calida, ſiccaque & ipſa. Sæpius vero non omnino vacuationi obſtat aeris temperies modum excedens, ſed copioſis, & confertim factis vacuationibus. Itidem autem & aeris frigida, & humida immoderata cõſtitutio copioſas, inſignesque vacuationes non admittit: Interdũ etiam omnino prohibet, præſertim vero, cùm ipſa quoque regio cum conſtitutione conſentit. Sed hæc quidem alia ratione, videlicet quia vacuatio omnis corpus refrigerat: fieri enim nequit, quin in vacuatione, præſertim inſigni, ſpiritus non cũ excrementis, & humoribus vacuentur, qui natiuũ calorem fouent. Vnde cùm temporis frigori & aliud additur, ex vacuatione, quaſi extinguitur natiuus calor: præſertim vero in initijs acceſſionũ, cùm item magis refrigeratur corpus, refugiente calor ad interna, ac ibi à materia oppreſſo, & quaſi ſtrangulato. Vnde cũ ſit factus imbecillior, tum ex aeris frigore, tũ ex vacuatione, ſæpe non eas vires habet, vt ſe reſumere poſſit, & regredi: imò ſuperatus à materia, ſtrangulatusque facile extinguitur. Quapropter concludit in his immoderatis aeris temperaturis noxias admodum eſſe vacuationes, quas incaute, medici moliuntur: idque fuiſſe ſua tempeſtate experientia comprobatum.

CVM enim inter Canis, & Arcturi ortum, cùm ſol in Leone eſſet, æſtuoſus aer eſſet, calidusque & ſiccus præter modum, periere ferè febricitantes omnes, qui fuere à medicis, nulla illius intemperiei habita ratione, vacuati. Qua autẽ ratione tempeſtas, & aeris temperies, cõſtitutioque: tanquã aliquot horũ ſymptomatũ in conſiderationẽ medici venit: eadem & naturalis corporis affectio, per quam alter altero promptior eſt, & magis facilis, vt à medicamentis

A afficiatur, vel ab euacuationibus turbetur, vel imbecillior reddatur. Quidam enim ſunt, qui facile ſuapte natura ferant, vt inſignes vacuationes, ita, & longam inediã citra inſignem noxam. Nam & longior inedia, vel tenuior victus vim inſignem vacuandi corpus habet. Alij vero ne mediocrem quidem ferre poſſunt: ſtatim enim & paruo negotio, cũ liberalius vacuantur, vel per medicamenta, vel per ſanguinis miſſionem, vel ſi diutius ieiunẽt, aut exoluuntur, aut ſe debiles fieri ſentiunt toto corpore, aut adeo male in eis afficitur ventriculus, vt ferè deijciantur naturales eius vires, atque deinde deſtructo ciborum appetitu, non modo cibos non appetant, verùm eos potius faſtidiant, & abhorreant: quos ſi aſſumere B cogantur, aut continere nequeunt, vel ſi contineant, conficere deinde non valent. Dum eſſem Bononiæ, & medicinæ operam nauarem, habebam ſociũ Taruiſinum patria, qui cùm alioquin robuſto videretur eſſe, & bono corporis habitu, leui tamen quocunque accepto medicamento, vel etiam ſola caſſia, vbi vacuari cœperat, ſæpius animo deficiebat. Alios noui qui miſſo ſanguine, ſi aliquanto liberalius fieret, plurimùm imbeciles euadebant. Iſtiuſmodi ergo corpora non ſunt, niſi caute vacuanda, & modeſte, ne magis lædamus, quàm proſimus. Alios vero, quos nouimus valenter, & facile perlaturos vacuationem, audacter poſſumus copioſe, cùm opus eſſe viderimus, vacuare. Vnde & Galen. ſecundo de Rat. vict. in acu. morb. multi faciebat nouiſſe naturam laC borantis corporis in ratione euacuandi. Quod ſi dicas, eiuſmodi facilitas, vt quiſpiam afficiatur plus, vel minus in vacuatione, non eſt, niſi ex quadam proprietate (vt aiunt) indiuiduali naturæ iſtius, & illius corporis. Harum autem proprietatum cognitio in artem deduci minime poteſt. Quomodo ergo cognoſci, & obſeruari à medico poterit? Non poſſunt quidem hæc certo, & diffinite percipi: ſed qui diligens fuerit, & omnia percũctari, obſeruareq; voluerit, coniectura prope ſaltem rem ipſam accedet. Duo vero ſunt, quæ multi ſunt momẽti ad propius accedendũ veritati in hac re. Primùm eſt euacuandi corporis temperatura, qui enim natura calidiores, & ſicciores ſunt, hi non faciles ſunt ad liberalem ferẽdam D vacuationem: hi ſiquidem tenuiores habẽt humores, & ſpiritus, & qui facile digeruntur: præterea, & habitu corporis ſunt rariori, quod ad copioſam, & facilem digeſtionẽ multùm habet momenti. Nec id præter rationem videri debet, ꝙ naturalis temperamenti cognitio ad hanc cognoſcendam proprietatem plurimùm faciat, quia proprietates hæ, aut omnino, aut maxima ex parte certam, & determinatam naturalis temperamenti rationem ſequuntur. Et quamuis nõ poſſimus ad vnguem vniuſcuiuſque tẽperaturæ modum particulatim cognoſcere, ad eã tamen proprius accedere poſſumus coniectura quadam rationali. Deinde vero, & experientia præcedens, quæ ex febricitantis conſuetudine, præſertim percipi poteſt, E magnum habet in hac re momentum; nempe vt corporis facilitatem, & procliuitatem ad patiendum cognoſcamus. Nam ſi quem vacuare volumus, nouerimus aliàs fuiſſe vacuatum, & liberaliter etiam, ſæpiusque, illasque vacuationes facile, & ſine inſigni noxa pertuliſſe: interdum vero, ſi facile ieiunium pertuliſſe, inediamque nouerimus, facile etiam poſſumus, & audacter illum, prout morbus, & corporis plenitudo requirit, liberaliter vacuare. At vero, ſi vel nunquam vacuari, præſertim vacuatione copioſa: vel ſi vacuatus fuerit, nõ facile autem tulerit eam vacuationem, ſed potius ab ea fuerit plurimùm imbecillis factus, & præterea læſus: præſertim vero ſecundum ventriculum: præterea ſi ieiuniũ nunquam longum ferre, immo nec parcitatem cibi, at ſemper

A fuerit aſſuetus plurimùm comedere: id ſignum ſatis euidens eſt, quòd ſuapte natura corpus hoc ægre admodum inanitionem ferre poſſet. Vnde hos quidem quãuis omnia alia hortentur ad vacuationem, ſicut eſt morbus, corporis plenitudo, ætas, regio, & id genus reliqua, non tamen audendum eſt vacuare: vel ſi ſit neceſſe, parcè vacuandi ſunt, nec vna ſimul vacuatione: minus enim læduntur repetitis, ſed modicis vacuationibus, quàm vna confertim facta. Alios vero intrepide: nimirum cùm alia præterea, quæ nuper recenſuimus, coindicant, ſi copioſe, & confertim vacuauerimus, non lædemus: ſed potius plurimùm iuuabimus. Tertium vero, quod non parum facit ad hanc facilitatem, & procliuitatem eſt habitus corporis. B Habitus autem corporis hic accipitur, vt ad carnes plerunque, & carneas partes refertur. Aliqui enim carnes habent (nam in his maximè hoc, quod dicemus, facilè percipere poſſumus) teneras, & molles, ſimiliter, & cutem: & qui hoc habitu præditi ſunt, eorum ſubſtantia facile digeritur, facile etiam per digeſtionem inaniũtur, & exoluuntur. Quare nec multam ferre vacuationem poſſunt. Qui vero ſolidiori conſtant habitu, & duriores carnes, cutemque habent, vt nec facile afficiuntur, ita & vacuationem facillime, & citra noxam, liberalem etiam ferunt, neque enim facile eorum ſubſtantia diffluit. Vnde priores nunquam audemus plenè euacuare inſignique aliqua vacuatione, vt per venæ ſectionẽ, vel validiora medicamenta. C Pari etiã ratione qui immoderato ſunt ſecundũ vtrunque extremum corporis habitu: vt qui, vel nimis pingues ſunt, obæſique, vel nimis macri, & graciles. Obæſi quidem, & pingues & frigidiori natura ſunt, & exangues. Vnde cùm modici ſint ſanguinis, paucos etiam ſpiritus, & exiguum calorem habent: ſunt igitur frigidi, & humidi. Quare cùm vacuatio liberalis corpus refrigeret, extincto inde ferè calore naturali, ad ingens diſcrimen eos adducere poteſt. Qua parte hoc intelligendum, quòd aliqui ſunt obæſi ex multa carne, habent enim habitum plenum magis carnis abundantia, quàm pinguedinis: quem habitum carnoſum appellamus, εὔσαρκον græci dicunt, & quamuis hi ſint præterea pingues, carnis tamen copia ſuperat: D vnde rubicundi ſemper ferè ſunt. Hi ſunt calida, & humida tẽperatura, & multo abundant ſanguine, atque liberaliorem ſanguinis vacuationem ferunt. Qui vero præpingues ſunt, & quorum hic meminit Galen. frigidi ſunt, & exãgues, neque rubicũdi ſunt, ſed potius aut albi, aut pallidi: Nimis itaque ex vacuationibus refrigerantur, & ſubinde læduntur. Itẽ vero, & qui emaciato corporis habitu ſunt, & valde gracili, inepti ſunt ad vacuationem: ſed alia ratione: (vt hic teſtatur Steph.) nempe quia cùm ſicciore ſint tẽperatura, nimis ex inſigni vacuatione exſiccantur. Dubitat autem hic idem Stepha. quomodo dixerit Galen. quòd qui graciliore conſtant corporis habitu, non perferunt vacuationem copioſam, præſertim vero ſanguinis: cum aliàs dixerit, quòd plerique horum E multum habent ſanguinem, vtpote qui venas magnas, & tumidas habent, plenaſque. Reſpondet ipſe, quòd hi quidem, & ſi graciles, & emaciati ſint, non tamẽ ſunt immodice tales: vnde neq; ita inepti ſunt ad vacuationẽ: qui vero immodice graciles, vt non multi ſunt ſanguinis: ita & ægre ferunt, ſi liberaliter inaniantur. Addamus autem nos, & magis, ni fallor, ad ſenſum Gal. quòd huiuſmodi homines, qui gracili admodum ſunt corporis habitu, & ſi venas habeant amplas, & ſanguine plenas, ſanguis tamen ille magna ex parte malus, & inutilis: paucus vero eſt, qui bonus, & naturæ operibus idoneus ſit, vt quarto lib. Com. in ſextũ Epid. docuit Galen. ſi enim copioſus ille ſanguis bonus eſſet, caro etiam copioſior geComm. 25.

A neraretur. Vnde neque multos ſpiritus hi habent, neque multum calorem naturalem: cuius ſubſtantia (vt ibidem ait Galenus) conſiſtit in ſpiritu, ac bono ſanguine. Quare neque vires admodum conſtantes, & validas poſſunt habere: quo fit, vt facile etiam per vacuationem, præter id, quòd nimis exſiccantur, etiam exoluantur, tàm per ſanguinis miſſionem, quàm etiam per medicamenta. Nam & ſecundo Aph. Hipp. vna cum Galen. hoc teſtatur, quòd Aph. 35. qui partes ad imum ventrem graciles habent, euacuationibus tã inferius per deiectiones alui, quàm ſuperius per vomitum inepti ſunt, & eas non ſine periculo ferunt. Poſtremo vero loco & ætatis meminit, quæ quamuis in rebus naturalibus ſit potius B reponenda, quàm in ijs, quæ ſunt præter naturam, vt ſunt ſymptomata: inter ea quoquomodo & illã referri poſſe ait, quatenus & illa eundem modum, & eandem rationem habent, quantum ad obſiſtendum largioribus vacuationibus pertinet, cum alijs ſymptomatibus hactenus enumeratis expoſitiſque. Aetas itaque tàm puerilis, quàm ſenilis non facile largas, & copioſas vacuationes perferre poteſt. Sed id partim ſimilem partim diſſimilẽ habet rationem. Similẽ quidẽ, quia in vtraque ętate diſſoluuntur vires, & robur natiui caloris, in largis vacuationibus: Diſſimilem vero, quia in ſenibus multa eſt caloris innati, & ſanguinis, à quo ille fouetur, inopia: & ideo eorum vires facile diſſoluuntur. Pueri vero (vt Gal. Com. 19. C 4. lib. Com. in lib. de Rat. vict. in acu. morb.) quamuis plurimo tum ſanguine, & ſpiritu abundent, tum etiam calido natiuo, ac virium robore: attamen, quia eorum ſubſtantia humida plurimùm, & tenera eſt, quæ facile vaporat: ideo plurimùm à multo, & valido calore illa continenter digeritur. Vnde cùm innatam ſibi, & continentem vacuationem inſignem habeat, aliam externam non facile tolerat, ſed potius ab ea vitalis vis facile diſſoluitur. Colligamus, ergo omnia ſupradicta in vnam ſummam, vt & colligit Gal. omnes igitur hos hactenus commemoratos, videlicet quos non facile diximus poſſe vacuationes liberales, & confertim factas perferre: ſi quando curãdus aliquis nobis in eis offeratur affectus, qui alioquin quantum ad ipſum pertinet, indicaret opus eſſe D liberaliori vacuatione, aduertendum eſt, ne ſemel, & confertim vacuemus, ſed potius in eis ea tentanda ſunt inſtrumenta, quæ vacuãt quidem, ſed paulatim: ſic enim neque vires deijciuntur, & facilius inanitionem ferũt. Inſtrumenta vero, quæ non cõfertim, ſed paulatim vacuant, ſunt moderatum ieiunium, vel tenuior victus. Et recte dixit moderata inedia, quia exquiſita, & longior iuſto inedia, & plurimũ vacuat, & imbecilles non parum vires reddit, & ægre admodum à multis fertur, vt, & ſuperius idem innuit. Moderatæ autem inediæ, vel abſtinentiæ a cibo non vna in omnibus ratio eſt, ſed varia in diuerſis. Nam, quæ vni erit moderata, alteri ne erit quidem abſtinentia dicenda, alteri autem erit nimia: & hoc pro ratione E ætatis, temperaturæ, conſuetudinis, regionis, vt docti ſumus ab Hipp. & Gal. primo Aphor. Præterea vero, & frictiones vim habent vacuandi: nam cutim rarefaciunt, & ad facilem digeſtionem corpus parant, rarefactis partibus externis, humores attenuãt, & ad digeſtionem præparant, calefaciunt, & iuuant natiuum calorem ad digerendum humores. Item & molles clyſteres, non confertim, ſed paulatim repetiti vacuant. Nam fortes, & validi plurimum ſæpe vacuant. Fomenta etiam moderate calefaciẽtia, tam per ea, quæ perfunduntur, quàm per ea, quę illiniuntur, rarefaciendo, & digerendo vacuant. Magis etiam cataplaſmata: maiorem enim vim habent, vt quæ, & craſſiori ſubſtantia ſint, & diutius immorentur applicata corpori: Sed & balnea, de quibus ſàtis diffu-

ſe di-

ſe dictum eſt in ſuperioribus capitibus. Quare neque opportunum eſt, vt de his in longius ſermonem protrahamus. Omnia vero hæc eundem ferè modum vacuationis habent: nimirum per inconſpicuos meatus, digeſtis humoribus, tũ bonis, tum etiam vitioſis. Calor ſiquidem natiuus nunquam otiatur: quà enim calor, humidum ſemper attenuat, & digerit: quà vero natiuus concoquit, & alit. Vnde cæteræ partes à venis alimentum attrahentes eas inaniunt, & niſi concocto cibo reficiantur, & repleantur ſanguine, inanes remanent, & hac ratione inedia inanit. Præterea vero ex fame accenditur calor, & acrior factus conſumit humiditatem corporis. Sed & natiuus calor in materiam excrementitiam agens, eam partim per ſenſum latentem vacuationem: partim per eam, quæ ſenſibus percipi poteſt, inanit: reliqua vero, aut per ſudorem, aut per ſenſibus inconſpicuam vacuationem inaniuntur. Hic tamen, & id animaduertendum eſt, quod non indifferenter his vacuandi modis, qui ſenſim vacuant, in omnibus vtendum: ſed conſulendę ſunt indicationes, quę à ſupradictis ſymptomatibus depromuntur. Aliqui enim ne leuem etiam mediam ferre poſſunt. Alij balnea non facilè perferunt. Alij clyſteres nõ admittunt, ſed neque, ſi admitterent, ferre poſſunt. Natura ergo corporis reſpicienda, & conſuetudo, præterea facilitas humoris ad euacuationem. Humores enim, qui circa venas primas, & naturalium membrorum ſunt, facilius per clyſteres poterunt vacuari. Quæ per ſimam iecinoris partem, & venas ſuperiores, per vrinas. Quæ vero materia per habitum corporis diſperſa eſt, per ſudorem, vel inconſpicuos meatus, ac per eam, quæ ſenſus latet, vacuationem excernitur. Hactenus de complicatione ſymptomatis cum febre egimus, quando videlicet ſubit rationem cauſæ, & nobis offert aliam indicationem diuerſam, & interdum contrariam indicationibus oblatis à morbo, vel ab eius cauſa. Verum, quia non vnum duntaxat ſymptoma (vt etiam ſuperius inſinuauit Galenus) ſed interdum plura, quæ item interſe, & cum morbo variam, ac diuerſam, immo contrariam habet rationem, & indicationem. Ne ergo, & hac parte ſuſpenſum relinqueret eum, qui medendi artem addiſcere cupit, & iſtud in præſentia exponere ſibi propoſuit, atque nobis generale præceptũ tradit, quod nobis in omnibus compoſitionibus earum rerum, vel affectionũ, quæ oppoſitas quoquo modo rationes, & indicationes habent: ſiue affectiones illæ ſint plures morbi, ſiue plures cauſæ, ſiue plura ſymptomata, ſiue cauſæ cũ morbo, ſiue cauſæ cum ſymptomate, ſiue morbus cum ſymptomate: maximo eſſe vſui poteſt. Præceptũ autẽ id generale in hoc conſiſtit, vt recte examinemus indicationũ vires, & robur, cùm plures ſimul coniunguntur indicationes, à quacunque modo re fuerint depromptæ, ac recte vniuſcuiuſque momentum, & periculum pendamus. Quibus perpẽſis, primùm, & pręcipue illi incumbamus, quæ maius momentum habere viſa fuerit. Ita tamen vt neque aliarum obliuiſcamur, ſed ſemper earum aliquam habeamus rationem: nempe, quia ſi fieri poſſit, & alijs aliqua ex parte ſatisfaciamus: vel ſaltem, quantum per nos fieri poterit, minus obſimus alijs affectionibus, quæ ex aduerſo indicant. Hoc ergo exponere Gal. voluit, cùm dixit:

Ita etiam ſi quando duo contraria accidentia conſequantur, inſpicere.

HOC eſt, vt quãdo ſymptomata cum morbo cõiunguntur, cùm maius impendet periculum ex ſymptomate, prius, & magis attendimus ſymptomati, quàm morbo, non neglecto morbo, ſed eius quoque habita, quanta poteſt ratione. In eundem modum rem tractabimus, ſi duo, vel plura ſymptomata ci-

A dem morbo aſſideãt, ea cum morbo, & inter ſe mutuò conferamus, & illius rationem habebimus prius, cuius indicatio nos vrgebit magis, & maius oſtendet periculum. Mox autẽ ſubiungit Gal. quę ſequuntur:

Eas vero, quæ habent ex ſymptomatibus, & morbis indicationes, non ſimpliciter, ſed ſecundum, &c.

QVO in loco, vt quo pacto hæc aut præcedentibus nectantur, exponamus, animaduertẽdum, quod quia non æque omnibus veriſimile videri poſſet, quòd ſymptomata, quæ morbum ſequuntur tanquã eius effectus, & (vt ſolitum eſt dici) tanquam vmbra corpus, quæque auferri nequeunt, niſi amoto morbo, eam vim poſſint habere, vt cogant medicum, aut omnino, aut aliqua ſaltem ex parte relicto morbo,
B ſymptomati tollẽdo dare operã. Ideo multis exemplis, ac ipſa experientia, quæ à medicis in illis obſeruata eſt, iſtud probauit. Ea autem in exemplum adduxit ſymptomata, quæ frequentius ſolent contingere in febribus, & vim aliquam inſignem habent. Nam ſi aliqua ſint relicta ex ijs, quæ expoſita ſunt, facilè, & aliorum modus poterit percipi. Neque tamen particulatim expoſuit, quomodo his ſymptomatibus ſit occurrendum in febribus. Hac ergo particula hoc incipit tractare. Sed & hoc conſiderandum eſt, quod (vt ſæpius dictum eſt) hæc ſymptomata ſolùm trahunt rationem curationis ad ſe, quæ periculum afferunt, ne vires deijciant: alioquin enim nunquam medicus ſymptomatibus curandis aliquã nauaret operam, ſed vniuerſus eſſet in curatione
C morbi, & ratione cauſæ. Vnde quatenus ad hoc ſpectat, amiſſa ratione ſymptomatis, cauſæ requirit rationem: quia tandem adducit virium exolutionem, & ſyncopem. Ob hoc ergo ſymptoma reliquorum omnium aliqua habetur ratio. Et hoc in hac re præſertim ſymptoma eſt. Reliqua vero omnia vt cauſæ, habentur. Vnde ea ferè omnia, quę tãquam ſymptomata, ſunt paulo ante relata, hic tanquam cauſæ deliquij animi, & exolutionis referuntur. Tertiò, & hoc conſiderandum, quòd (vt refert hic Gal.) licet vis, immo ſæuities ſymptomatis cogat medicum primùm procurrere, vt illud tollatur, antequã curationem, aut ad morbum, aut ad cauſam cõuertat. Semper tamen debet, & ad cauſam tum morbi, tum ſym-
D ptomatis habere oculos, atq; id multiplici ratione. Primùm, quia nuper docti fuimus, quod & ſi alterum præcipue ſit attendendum: non ita tamen, vt alterum negligatur. Si ergo rationem aliquam habere cauſæ oporteat, illam conſiderare oportet, & non ſolum ſymptoma. Deinde vero quoniam, & ſi in vniuerſum ſymptoma ipſum vnum ſit, tamen non ſemper, & in omnibus vnam, & eandem particulatim rationem habet, imò diuerſam, & pro eius diuerſitate diuerſus etiam modus curationis illi opportunus eſt. Hæc vero diuerſitas vniuerſa ſequitur cauſarum diuerſitatem. Et proinde, vt recte ſympto mata curemus, cauſas eorum prius diligenter conſiderare neceſſe eſt. Præterea etiam fieri nequit, vt
E recte aliquid, ſiue ſymptoma, ſiue morbus illud ſit, curemus: niſi id cognoſcamus, cùm vniuſcuiuſque iſtorum natura nobis rationẽ indicet, & qualitatem eorum, quibus curãdum ſit, oſtendat. Docuit autem Ariſt. quæ à certa, & determinata cauſa pẽdent, non poſſe exquiſite cognoſci, niſi cauſa ſit prius nota. Quod, & ſi in alijs plurimis oſtendere poſſumus, oſtendemus tamen in præſentia in vno, quod præcipuum, & maximum eſt in omnibus ſymptomatibus, quodque ad præſentem conſiderationem ſpectare poteſt: & eſt λειποθυμία dicta græce, vel exolutio: vel, (vt Latini appellauere) animi defectus, vel deliquium. Nam paulo antea diximus, quòd quæcunque alia in hoc capite ſunt in conſiderationem deducta, eatenus fuere conſiderata, quatenus aliquam rela-

relationem habént ad animi defectū, vel ſyncopen; nimirum, quia ea, vel ratione primaria, vel (vt aiunt) ex accidenti poteſt conſequi deliquium animi. Hoc igitur deliquium animi vnum, & idem in omnibus eſt, in quibus contingit, & vnam, eandemque rationem proximam habet; quantum ad ipſum ſpectat. Differentes tamen cauſas habet: quæ eam proximā rationem adducunt. Et pro diuerſis cauſis diuerſus erit modus ſuccurrendi febricitanti, afflictato ab hoc vno ſymptomate. Sed, vt hęc plenius, & magis exquiſite percipiatis, nonnulla exponere oportet. Primùm quidem, quomodo λειποθυμία ſit vnum tantùm ſymptoma, quomodoque eandem in omnibus rationem habeat. Eiuſmodi ergo animi defectus tandem nihil aliud eſt, niſi reſolutio roboris, & (vt græci aiunt) totius toni facultatum omnium præcipuarum in animantis corpore: primùm quidem vitalis, quæ aliarum veluti fundamētum eſt, mox vero, & aliarum. Statim ergo in hoc ſymptomate tres hæ facultates deficiunt, derelinquuntque corporis adminiſtrationem, vitalis videlicet, naturalis, & animalis. Vnde, & pulſus, & anhelitus, aut nō percipiūtur, aut adeo languidi fiunt, vt vix percipiantur. Sæpe, & excrementa præter voluntatem exeunt. Senſusque omnes, tàm interiores, quàm exteriores ab opere ſuo deficiunt. Hæc eſt ergo vna ratio in omnibus animi deliquijs, quæ item vnam proximam, & (vt aiunt recentiores) adæquatam cauſam habent: quæ eſt defectus ſpirituum, & natiui caloris. Cùm enim ſubſtantia facultatum omnium (vt ſenſere Hippocrates, & Galenus, & prioribus lectionibus noſtris expoſuimus) conſiſtat in ſpiritu, & copia innati caloris, vel ſaltem in his ſedem propriam, & fundamentum habeant: neceſſum ſanè eſt, ſi deficiant ſpiritus, & calor, robur etiam, viresque harum facultatum diſſolui. Diſſoluuntur autem ſpiritus, & calor, natiuus, & extinguuntur non amplius ab vna, & eadem cauſa, ſed à pluribus, & diuerſis, vel potius inter ſe aduerſarijs cauſis, quæ, & ſi particulatim innumeræ ferè ſint; poſſunt tamen in certa quædam, & definita capita deduci. Ideo earum partitionem quaſi ex methodo, vt res facilius percipiatur, faciemus. Omnes ergo cum Philoſophi, tum vero medici natiuum calorem igni comparauere, atque in hoc conuenere, quod eiſdem modis natiuus calor ſeruatur, & extinguitur, quo ignis in his inferioribus. Vt autem ignis hic ſeruetur, primùm fomento eget, quo quaſi alatur. Fomentum vero, & eius quaſi alimentum eſt ſubſtantia aliqua humida, vt eſt lignorum humidum, item oleum, vel ſeuum, vel aliquod eiuſmodi: Vnde ex defectu olei extinguitur lucerna. Eget præterea euētatione, & refrigerio ex aere: Qua de re cùm tegitur aliquo vaſe, vt frigidiori aeri prohibeatur acceſſus, ſtrangulatur ignis, & ſuffocatur. Eget etiam abſentia rei contrarię, quæ eo ſit potentior. Nam affuſa aqua extinguitur ignis. In frigidiſſimis etiam regionibus a nimio aeris frigore candelæ, & lucernę extinguuntur. Itidem fit in animantis corpore: à totidem enim cauſis proximis eius natiuus ignis extingui, & deficere poteſt. Primùm ex defectu proprij alimenti, quo fouetur, & perpetuo inſtauratur: ſicut flamma in lucerna ex oleo. Defectus autem alimenti iſtius multifariam poteſt contingere. Nam ob penuriam primi alimenti, hoc eſt, ciborum, ſicut in longa inedia, fameque, & bulimo appellato. Cibi vero, & potus ſunt tāquam primum corporis alimentum, quod per multiplicem concoctionem in ſanguinem, & alios tādem humores vertitur, qui (vt ſenſit Ariſtot.) vltimum eſt alimentum, vel ſanguis ſolus (vt ipſe ſenſit) vel cum alijs, (vt medici credidere) mixtus. Interdum vero ob penuriam, & defectum vltimi alimenti, ex quo ſpiritus, & calor naturalis inſtauratur: ſicuti in copioſa ſanguinis vacuatione. Nam, & ſi ſecta vena multus detrahatur ſanguis, ſolent animo deficere: ita in alijs etiam ſanguinis profluuijs, ſi copioſiores fuerint, ſæpe deliquia animi excitantur, ſiue per nares fiat: ſiue per os, vt per ſputum, vel vomitum: ſiue per aluum deijciatur, vt in appellata dyſenteria hepatica, ſiue per hæmorrhoides, ſiue mingendo, ſiue per menſtruas purgationes in mulieribus, vel puerperis, ſiue per illata vulnera. Item per alios fluxus alui, vt in choleris appellatis, vel diarrhæis, vel dyſenterijs, vel lienterijs: ita, & in immodico vomitu. In quibus vacuationibus immodicis duplici ratione facit calor naturalis, & ſpiritus: tum quia ſubtrahitur alimentum, & fomentum, calori naturali: tum vero, quia cum fluentibus humoribus multa ſpirituum copia vacuatur. Et quæcunque tandem vacuatio immodica poteſt natiuum calorem hoc modo extinguere. Deficit iterum natiuus calor ex ſtrangulatione, quæ fit, aut à multa obſtructione, per quam prohibetur ingreſſus aeris frigidioris: aut à multa materia, quęcūque illa ſit, nimis replente vaſa, & meatus ipſius corporis: quamuis illa alioquin bona ſit: Vnde in optimis athletarum habitibus periculum eſſe ſtrangulationis ex nimia ſanguinis copia teſtati ſunt Hippoc. & Gal. primo libro Aphor. Cùm vero multa in corpore contracta eſt, vel in ventriculo cruda, & frigida materia, pręter id, quòd interdum acrimoniæ ſit particeps, ſi corrūpatur, & mordere hac ratione poteſt, & dolores excitare, & ita ſpiritus diſſoluere: interdum vero choleras, & alui deiectiones concitare: cùm etiam frigida valde ſit, multo frigore aduerſario poteſt natiuum calorem, ſicut aqua ignem, extinguere: poteſt, & multitudine illum ſtrangulare, ſicut ignis ſuffocatur multa ſimul, & confertim ingeſta, lignorum ſtrue. Aph.3. Præterea deficit ſæpe natiuus calor extinctus, & quaſi congelatus à nimio frigore, tàm interno, quàm externo. Interno, ſicut (vt nuper dicebamus) ex multa copia frigidorum humorum, præſertim vero pituitoſorum, qui ex cruditatibus, & ex refrigerantibus cibis congeruntur, præcipue vero in initijs acceſſionum fit eiuſmodi extinctio, cùm frigori humoris accedit frigus ex principio acceſſionis. Ex externo autem frigore ſæpe calorem extingui, & deficere contingit in ijs, qui hyeme per montes, & niuoſa loca, & illa, quæ glacie oblita ſunt, & algentiſſimis conſtitutionibus iter faciunt. Demum per nimiam digeſtionem, vel (vt Græci aiunt) διαφόρησιν, deficit natiuus calor: ſicut ignis exiguus interdum à magno extinguitur. Quo pacto in ardentiſſimis febribus, & malignis ſolent & animi deliquia, & virium exolutio accidere, & in temporibus, conſtitutionibus, & locis calidiſſimis videntur fere vires deficere. Quo pacto, qui non conſueuere verſari in hypocaumate, vel (vt vulgò aiunt) ſtuffa, aliquando in animi deliquium hac ratione cadunt. His ergo de cauſis hoc ipſum ſymptoma, quod animi deliquium, vel ſyncope dicitur, ſolet in febribus contingere: quod ſymptoma adeo malignum eſt, vt cogat, alijs deſtitutis, illi ſoli auferendo operam dare. Hæc igitur ad exquiſitiorem eorum, quæ hic a Gal. referuntur, intelligentiam, prius erant explananda. Reliquum autem eſt, quod nobis incumbit, vt particulatim omnia percurramus, quæ fuere hoc loco ab eo expoſita. Ait ergo primum;

Nā animo deficiunt, & ex choleris nominatis, & ex profluuijs ventris, & difficultatibus inteſtinorum, ac leuitatibus, &c.

Cholera, quam hic nominat, ea eſt affectio, quam iuniores medici choliricam paſſionem appellant. Quæ quidem moleſtiſſima eſt affectio, acutiſſimaque, in qua adeo concitatur ventriculus, vt ſimul in vomitum, & copioſum alui profluuium prorumpat;

aliquan-

aliquando magis in vnum: aliquando magis in alterum: aliquando autem, & ſi in vtrumque concitatur, nihil tamen, aut parum admodum, neque hinc, neque inde excernitur, ſed tantùm vehemens quædam concitatio, & appetitus deijciendi, & vomendi contingit. Solet autem comes eſſe iſtius affectionis maxima anguſtia, & (vt iuniores loquuntur) ſtomachica anxietas, vel (vt Græci aiunt) cardialgia, vel (vt Latini) morſus cordis, quæ adeo eos inquietos reddit, quos affligit, vt neque poſſint, vel modico tempore, eodem loco conſiſtere, neque referre ſciunt, quid patiantur, ſed quaſi ſuffocari videntur, conſentiente, videlicet ſepto tranſuerſo cum ore ventriculi. Hæc autem affectio duplicem cauſam habet. Nempe aliquando concitatur à vitioſis, & àcribus humoribus in ventriculo contentis, & ipſum mordentibus, & pùngentibus, & ea ratione ſtimulantibus ad expulſionem. Generantur vero vitioſi hi ſucci plerunque ex corruptis cibis in ventriculo. Vnde ſolent frequentes hæ affectiones apparere in alijs, qui plurimis veſcuntur fructibus illis, qui facilè putreſcunt, præſertim peponibus, & qui varia ingerunt edulia in eadem menſa. Aliquando aliunde, vel à toto, vel à iecinore ad ventriculum propelluntur, vt ſæpe in principijs acceſſionum in febribus ſolet euenire. Et quamuis in hoc affectu plurimùm interdũ euomant, & deijciant, non aufertur tamen vomendi deſideriũ, vel deijciendi, quia aliquæ reliquiæ vitioſi humoris, aut inter tunicas ventriculi receptæ, aut oſculis venarum ventriculi, prȩſertim vero oris eius hærentes, ſemper irritant, vt tandem ex toto corpore ad ipſum humores confluant, & ex venis omnibus. Et hæc ab Hippocr. cholera humida quarto de Rat. vict. in acu. mor. appellatur. Interdum vero fit à flatu acri, & vitioſo inter tunicas ventriculi infarcto, illum exagitante, & irritante. Vnde faſtidium plurimum, & nauſea concitatur, anguſtiaque, & anxius plurimùm fit ventriculus, neque tamen, vel vomit, vel per inferiorem aluum excernit. Et hanc affectionem ſiccam choleram appellauit Hippocr. Ac in priori quidem differentia choleræ duplex concurrit cauſa, cur deficiente calore ſequatur animi defectus, videlicet immodica vacuatio, & præterea digeſtio ſpirituũ. Nam & totum corpus, dum conſiſtere nequit, laborat plurimum. Labor vero multus diſſoluit ſpiritus. Et ipſi etiam ſpiritus, dum præ anguſtia turbantur, & inordinato, ac multo exagitantur motu, diſſoluuntur, & digeruntur. In hac autem altera, hæc ſola cauſa accidit, cum in ea nõ fiat humorum vacuatio. Diarrhœa vero humoralis eſt alui fluxio, quæ interdum à toto fit, interdum vitio iecinoris, ex eius aliqua intemperie, vel obſtructione: interdum ex ciborum corruptione. Lienteria, quæ & inteſtinorum leuitas dicitur, ex imbecillitate facultatis cõcoctricis accidit. Fluxus autem cibalis dicitur, quia cibi, vt commeſti fuere, effluunt, antequam concoquantur, ob imbecillitatem facultatis concoctricis ventriculi. Quod, & contingere poteſt ab aliqua acri qualitate, ex corruptione in cibis contracta. Qua ratione autem hæc omnia poſſint deliquia animi afferre, nemo, qui ea, quæ in vniuerſum antea fuere expoſita, rectè teneat, non ex ſe percipere poteſt. Itemque, quomodo ex quacunque ſanguinis vacuatione:

Nonnunquam vero, & vehemens cruditas animi defectum attulit, & tunc præſertim, &c.

ANIMI defectum cruditas multa afferre etiam poteſt, & id multiplici nomine. Cùm enim ventriculus cibum non concoquit, præter id, quòd corpus, & natiuus calor à proprio deſtituitur alimento: ex inconcoctione multa gignuntur cruda excrementa: interdum frigida, ſi incorrupta remaneant, interdũ vero, & acrimoniam, & calorem contrahunt, ſi corrumpantur. Hæc itaque ſi retineantur aggrauant, cũ multa ſunt, & ſtrãgulant inſitum calorem, illumque inſuper refrigerant. Sin autem (vt Steph. teſtatur) excernantur, irritata facultate expultrice ex immodica vacuatione, ſpiritus, & natiuus calor diſſoluitur. Cui accedit, quòd mordendo, cùm retinentur, laborem, & anxietatem addunt:

Et qui bulimos appellatur, nihil aliud eſt, quàm, &c.

BVLIMOS Græcum vocabulum eſt, quòd famem ingentem ſignificat. Et quamuis medici Græci vario modo de ea ſenſerint: Alexander enim Trallia. 7. ſuæ Medicinæ libro hunc affectũ ortum ſuum habere ab intẽperie calida, & imbecillitate oris ventriculi ait: Gal. tamen, & ſecundo Aphor. & primo de Symp. cau. & quinto de Simp. med. fac. frigidum eſſe affectum voluit, ait enim ſecundo Aphor. quòd bulimos eſt defectus virium ab externo frigore: qui quidem affectus inter initia cum fame eſt: mox vero neque ea adeſt. Primo vero de Cauſ. ſympt. inquit, ortum habere à penuria, imbecillitate, & frigore ventriculi. Auic. vero vtriſque partem tribuens, duas huius affectus differentias conſtituit: Alteram ex calore, vt Alexander: Alteram ex frigore, vt Galenus. Nos autem alias oſtendimus, ſolam Gal. ſentẽtiam ſanam, & integram eſſe. Eum ergo ſequamur. Cùm igitur fame præcedente quidem, vires ventriculi refrigerati prius vehementer cadunt, vt etiam appetentia cibi deſtruatur, & fames, tunc bulimos eſt, atque hoc modo facilè eſt intueri, quomodo bulimos nihil aliud eſt, quàm quoddã animi deliquiũ. Quia vel iam fit deliquium, vel ſaltem via, & tranſitus ad deliquium. Quod duas habet cauſas, primam refrigerationem, & ferè extinctionem naturalis caloris, ventriculi primùm, & cordis per conſenſum cum eo: deinde vero diſſolutionem virium, ex defectu, & penuria alimenti.

Cap. 21. Cap. 7. Cap. 5.

Omnem prætere a, quæ ex vtero proueniet, ſtrangulationem defectus animi antecedit, &c.

QVI locum hunc explanauerunt, multa dicunt, neque tamen exquiſitè Galen. ſententiam aſſequuntur, vno Stephano excepto, qui quamuis breuiſſimus ſit: attamen optimè tenuiſſe rem videtur. Ipſe enim Galen. ſequutus ſexto de loc. affect. primùm docet, quid per vteri ſtrangulationem, quæ πνίξ grȩce ab eo dicitur, & per recurſum vteri ad ſuperiora, quos ἀναδρομὰς ipſe vocat, ſit intelligendum, & quomodo hæc inter ſe differant, mox quomodo lipothymia priorem affectum vteri præcedat, alterum vero ſequatur. Strangulatio ergo dicitur hic à Gal. affectus ille, qui ἄπνοια dicitur, hoc eſt, vacuitas reſpirationis, vel intercepta reſpiratio. Qui affectus ſeu ſymptoma maximum, & deterrimum eſt in mulieribus ex vtero laborantibus: eo enim perueniunt mulieres, vt non modo ab omni ſenſu, & omni alioquin motu deſtitutæ, verum, & motus reſpirationis expertes, aut omnino ſint, aut maiori ſaltem ex parte videantur, quia ſi aliquis reliquus ſit, à nobis non percipiatur, ita, & pulſus, aut penitus nullus, aut ita languidus eſt, vt vix ſentiatur: vnde quaſi mortuæ iacent. Fit autem affectio ex cordis refrigeratione, ex vapore vitioſo, qui ex vtero ad ſpiritualia membra, præſertim vero cor, & pulmones defertur. Id vero plerunque excitatur, vel ex retento, & putrefacto ſemine: quod in viduis continentibus ſolet contingere: vel etiam ex menſtruis ſuppreſſis purgationibus, cùm vitioſus ſanguis ibi contentus corrumpitur. Veruntamen raro id fit ex ſanguine, frequentiſſimè ex retento ſemine. Et hanc affectionem præcedit lipothymia: quoniam maius ſymptoma, & vehementius eſt apnœa, quàm lipothymia. Vnde primũ animo deficiunt (neque enim ſemper in animi deliquio ab omni ſenſu, & motu deſtituuntur) mox vt malũ

Cap. 5.

augetur, priuantur omni ſenſu, & motu: ita vt etiam reſpiratio, & pulſus tunc ſtrangulari, & in apnœa eſſe dicantur. Recurſus vero vteri ad ſuperiora, & eius declinatio ad latera ex interceptis menſtruis, & ex eius repletione ob eandem cauſam fieri ſolet, eſtque veluti ſpaſmus, vel conuulſio quædam, Quemadmodum enim cùm nerui, & neruoſæ partes valde replentur humore aliquo, intumeſcunt, & craſſeſcunt; augentur vero in latus, & contrahuntur ſecundum longitudinem, & plurimum tenduntur. Ita vterus, cùm obſtructis venis, per quas fit menſium purgatio, declinante tamen ſanguine ad ipſum de more naturæ in mulieribus, nec excreto ob obſtructiones, ibi repletis venis ex eo infarcto humore, nec modo venis, ſed & ligamentis, & neruis, refundante aliqua illius parte, & in illis abſorpta, intumeſcit, & eius partes quaſi conuulſæ, ſurſum retractæ recurrunt. Et ſi in vna parte duntaxat ſit vterus repletus, contracta ea pars alteram ad ſe trahit: vnde verſus affectam partem declinat, vterus vniuerſus, vt ſit in cõuulſionibus: nempe, in emproſthotono, & opiſthotono. Sed ſi vtrinque pariter repleatur, vtrinque pariter tenditur, & retrahitur, recurritque ad ſuperiorem partem verſus locum, cui appenſus eſt. Recurrens vero ſurſum impellit, & comprimit inteſtina, à quibus ventriculus premitur ſubinde, qui mox ſurſum impulſus ſeptum trãſuerſum, & reliqua tandem reſpirationis organa arctans difficultatem reſpirationi affert, vt quaſi ſtrangulari videantur. In hoc autem affectu, neque ſenſum deperdunt, neque motum. Nam mouent ſe, & quæ dicuntur, audiunt, quamuis reſpondere nequeant; quia organa reſpirationis, & vocis non ſunt libera. Vnde non eſt propriè animi defectus hic, ſed ſi increſcat, tandem reſolutis ex ea ſtrangulatione ſpiritibus, & euaporante ad cor excrementoſo eo ſanguine, interdum ſequitur & animi deliquium. Hic eſt ergo clarus intellectus horum verborum Gal. ſequitur deinde:

Atque inflammationes eius plerunque conſequitur.

MVLTA conueniunt in inflammatione vteri, quæ poſſunt ad animi deliquium perducere. Primũ quidem tumor eius. Nam, vt alia membra, ita & vterus intumeſcit, & plurimum etiam intumeſcere poteſt, ſi ingens ſit inflammatio. Deinde vero, & dolor vehemens non modo eius, ſed & aliarum partium, ſicuti capitis, quæ eius conſenſu laborant. Præterea vero, & ardens febris. Nam, & id Galen. teſtatus eſt, quòd plerunque febris ardens comes eſt vterinæ inflammationis. Multa inſuper, & vitioſa exhalatio ex ſanguine ibi infarcto, & putreſcente. Quæ omnia multi momenti ſunt ad diſſoluendos ſpiritus, & robur caloris naturalis. Sequitur autem, non præcedit animi deliquium has inflammationes: quoniam circa principia, & fines omnia (vt dixit Hipp. ſecundo
Aph.30. Aph.) ſunt imbecilliora: procedente vero ad vigorem morbo, ea magis inualeſcunt, & fiunt fortiora. Lipothymiam autem inter fortia, ac mala ſymptomata omnes poſuere. Sequitur Gal.

Antecedit autem morbum attonitum, & comitialem cùm malignus exiſtit.

APOPLEXIA, quam Latini plerunque morbum attonitum appellant, affectio eſt, in qua cerebrum malè afficitur, obſtructis eius præcipuis ventribus, & intercepto tranſitu ſpiritus animalis, qui facultatem ſentiendi, & mouendi reliquis particulis impartitur. Vnde & ſenſu, & motu illæ omnes deſtitutæ remanent, præter illas, quæ reſpirationi miniſtrant; quas natura omni ope defendit, & ſeruat, vtpote, quoniam illæ ad vitam alijs ſunt magis neceſſariæ: læduntur tamen, & illæ inſigniter, ſi affectus is ſit aliquanto inſignior: vnde difficilis ſit reſpiratio; & interdum ea noxa adeo progreditur, vt ad apnœam accedat, hoc eſt, ad defectum reſpirationis, de quo parum antea ſermo habitus eſt. Præfocatur autem in hoc effectu calor naturalis, & ſpiritus diſſoluuntur, ita vt ſi valida ſit apoplexia, ſtatim, & in momento hominem poſſit necare. Cum ergo vehemens fiat ſtrangulatio, cùm fortis eſt apoplexia, non eſt arduum videre, quomodo ipſam ſoleat ſæpe præcedere animi deliquium, ſtrangulato calore natiuo. Dico autem ſæpe, quia (vt puto) non ſemper id neceſſarium eſt, præſertim vero cum leuis eſt. Sed & epilepſiam malignam antecedit animi deliquium (ait Gal.) non autem omnem. Nam ſæpe neque frequentes, neque vehementes habet acceſſiones, ita vt quandoque neque cadant, neque omnino motu, & ſenſu priuentur. Aliquando autem adeo vehemẽs, & maligna eſt, vt interficiat. Auic. enim dixit, quod cùm frequentes fiunt acceſſiones, epilepſia interficit. Vnde, & Stephanus eam appellari malignã epilepſiam ait, quæ continenter fit, & vt ſurgunt, ſtatim etiam cadunt. In hac ergo ſolet animi defectus contingere duplici ratione. Primùm ex ſtrangulatione. Eſt enim totius corporis conuulſio. Quare, & muſculi, qui opifices ſunt conuulſionis, & ipſi participes noxæ illius ſtrangulantur. Præterea vero ex multa concuſſione totius ferè corporis, & eius agitatione, & labore vires, & ſpiritus diſſoluuntur. Fit autem is affectus, & ipſe ex obſtructione ventriculorum cerebri, non tamen ita valida, & integra, ſicut apoplexia.
Vnde ſecundo Aphor. ait Galen. morbum comitia- Com.45.
lem eſſe proximum apoplexiæ. Diſſolutiones etiam διαφορήσεις ait ipſe, ſyncopas quoque, & tabem antecedit. Quòd quidem ſyncopen præcedat lipothymia, non eſt difficilè creditu, cùm duo ſymptomata, (vt ſæpe ſuperius diximus) non differant, niſi maioris, minorisve ratione. Lipothymia enim increſcens tranſit in ſyncopen. Diaphoreſin vero præcedit deliquium animi. Nam, cùm omnino diſſoluuntur vires, prius in deliquium animi cadunt: diſſoluuntur autem; vel ab immoderato calore externo, aeris videlicet nos continentis: vel ab eximia intemperie calida totius corporis, præſertim vero viſcerum præcipuorum, à qua digeritur, non modo ſpiritus, ſed etiam ſubſtantia particularum. Item, & marcor, vel tabes, in qua fere conſumptum eſt humidum radicale membrorum etiam ſolidorum, quod erat ſedes, & fundamentum natiui caloris, ſæpe habet antecedentem animi defectum. Sed de hoc in lib. de Maraſmo agit Gal. vbi maraſmum ſyncopoſum appellat ſecutus Philippi medici ſententiam.

Sed, & in principijs febrium non admodum paucarum aduenit, & tunc præſertim, cum ſupra modum, aut ſiccum, & ſquallidum, &c.

NON ſunt referenda hæc verba Gal. vt quidam putarunt, ad eas febrium ſyncopalium differentias, quas Arabes minutas, vel humoroſas appellauere: in quibus conſenſu ventriculi ſuboritur ſyncope. De quibus, & in duodecimo Meth. meminit Galen. Nam de his verba paulo inferius Galen. facturus eſt. Sed de alijs febrium modis hic ſermonem habet, qui in contrarijs corporum habitibus excitantur, & contrarias etiam cauſas habent, cur animi deliquio, vel ſyncope tententur, neque magis ventriculi, quam totius corporis communi offenſa. Duplices enim interdum contingunt eſſe habitus, in quibus concitatur febris. Alter quando corpora ex præcedenti, Cap.5.&9.
aut calore, & ariditate inſigni exaruerunt, & emaciata ſunt: aut ex aſſiduo labore, vt ſæpe ijs euenit, qui ardentiſſimis æſtatis temporibus per ſolem, & puluerem longum iter fecere, qui adeo conſumuntur, vt veluti cuiuſcunque humoris facti videantur expertes, & inaniti, ſqualidique penitus efficiuntur, vt quaſi poſſimus dicere febres illas, quibus ij corripiuntur,

ripiuntur, factas eſſe ex inanitione, aut ſaltem cum_ multa inanitione. Alter vero omnino illi oppoſitus eſt, vt quando corpus nimis plenum eſt, vel etiã boni ſucci, vt in plethoricis corporum habitibus: quales, 1.3. qui damnantur ab Hippo. 1. Aphor. In acceſſionibus autem harum febrium, cum refrigeretur corpus, & in areſcentibus corporibus conſumptus fere, & digeſtus eſt calor naturalis, & ſpiritus, quare facilè deficit, & quaſi extinguitur. In multa autem plenitudine, cũ alioquin etiam ab onere multæ illorũ humorũ molis grauetur, & quaſi obruatur, ſtrãguleturque calor natiuus, & ſpiritus, in initijs acceſſionũ refugiẽtibus in profundas partes ſpiritibus, & ſanguine, maior fit ibi cõculcatio, & maior ſtrãgulatio. Quapropter neque mirum videri debet, ſi etiam animo facile delinquant.

Et nonnunquam etiam ſimul cum febre incendente, atque maligna inuaſit, &c.

FEBRIS ardens, quæ cauſus græcè dicitur, ex eodem (vt alibi diximus) humore putreſcente excitat, ex quo, & exquiſita tertiana. Niſi, quòd extra venas propulſus humor putreſcit in exquiſita tertiana, In venis autem, quæ cordi propinquæ ſunt, ſicuti pulmonis, ventriculi, & iecinoris in febribus ardentibus. Sunt autem diuerſi modi harum febrium ardentiũ. Aliæ enim ſunt, quæ, & ſi æſtum plurimum, & flammam etiam plurimam habeant, & præterea ea ſymptomata, quæ naturam iſtius humoris conſequi ſolent, vt eſt ſitis inexhauſta, vigilia, inquietudo, dolor capitis, bilis vomitus: non tamen alioquin malignæ ſunt: quia neque tanta eſt putredo illius humoris, neque tanta exuſtio, neque ea ſymptomata, quæ ſolent præter ea communia accidentia, particulatim prauã naturam humoris putreſcentis oſtendere. Aliæ vero annexam habent malignitatem, & prauam quãdam naturam humoris, ex quo fuit accenſa febris, quas cõ comitantur peſſima ſymptomata, timorem inſignem tum febricitantibus, tum medicis mali exitus incu- .75. tientia: qualia ſunt, quæ 2. libro Com. in 1. Epid. recenſuit Galen. exponens, qui ſint maligni cauſi: ait enim, quòd rigor, ſi ſtatim à principio febris ardentis inuadat, malignam febrem hanc oſtendit. Neque enim ea, quibus iudicari ſolent acutæ febres, poſſunt eſſe ſalubria, cùm ſtatim ab initio apparent, & antequam concoquatur morbus. Indicant namque naturam irritari plurimum à mala materia, & adeo, vt illam non poſſit perferre vſque ad concoctionem. Id vero, quia, vel ab eius multitudine nimis premitur, vel à praua, & maligna qualitate cogitur. Eodẽ modo multa anguſtia, ſeu angor, vt ne quieſcere, vel tantillum quidem poſſint. Sed, & faſtidium plurimum, leues quidem ſudores collum, & frontem, & clauiculas occupantes, non per vniuerſum corpus diſperſi, interdum etiam frigidi: hi enim anguſtiam plurimam indicant, & fere virium diſſolutionem. Deliria etiam, quæ cerebrum læſum indicant. Timores quoque, & mœſtitiæ, hæc inquam multam exuſtionem flauæ bilis oſtendunt, vt iam ad atræ naturam_ vergat. Præterea vero, ſi alijs partibus caleſcentibus, frigeſcant extremæ, & pleraque alia, quorum meminere Hippoc. & Gal. & in Aph. & in Epid. libris, itemque in progn. & Prorrh. Priores ergo cauſi, qui citra malignitatem ſunt, aut raro, aut nunquam, quantum ad ipſos pertinet, deliquia animi afferunt. Quamuis enim (vt hic etiam Steph. ait) vehemens calor, poſſit ſpiritus, & natiuum calorem digerere: non tamen_ eo progreditur, vt ad animi defectum deducat, ſi alioquin rectè tractetur. Quòd ſi maligna inſuper accedat natura, vel ob multam materiam, quæ rectè nequit à natura miniſtrari: vel ob inſignem putredinẽ, vel multam aſſationem: tunc animi deliquium facilè affert. Et ideo addidit Gale. cùm incendente febre, atque maligna nonnunquam inuaſit. Sed, & eos (ait ipſe) interdum inuaſit lipothymia, in quibus extremæ partes febre inuadente plurimum refrigerantur, & algent. Vbi conſiderandum, quòd per febrium inuaſiones duo poſſumus intelligere. Vel acceſſionum principia: vt dicamus, quòd quoties in initijs acceſſionum, præter modum partes extremæ refrigerantur, ſolent ſæpè excitari animi deliquia. Et ſi ita rẽ hanc accipiamus, erit referenda ad intermittentes febres, cum in febricitantibus multa eſt cruda, & frigida pituita præſertim vero in ventriculo. Tunc enim ſtrangulato a multa materia natiuo calore, tum vero refrigerato, poteſt animus deficere. Sed ſi ad continentes id referre volumus: vt dicamus, in inuaſionibus febrium, hoc eſt, inter initia febrium, quando febris continens, quantumlibet continua ſit, cùm tamen_ primum corripit hominem, cum multo extremarum partium frigore inuadit: tunc ſignum id pernitioſum admodum eſt. Nam, vel ex ſuffocatione caloris a copia multi, & frigidi humoris: vel ex inflammatione alicuius viſceris, ſolent ita in febribus continentibus fieri extrema corporis frigida: vel ob inopiam, & imbecillitatem caloris inſiti.

Et quicunque ob inflammationis magnitudinem, vel iecoris.

MVLTA de inflammationibus, præſertim vero partium internarum, dum de vteri ſtrangulationibus ſermo haberetur, ſuperius diximus, quæ eadem poſſunt hic in memoriam reuocari: vbi, & de ratione_ agitur, qua poteſt in deliquium animi ea inflammatio adducere, & ſi id poteſt vteri inflammatio, longè magis poterit_ iecinoris, & ventriculi, oriſque eius. Nam iecur membrum, & ipſum pręcipuum eſt, quod per venam, & arteriam maximas cordi connexum_ eſt. Ventriculus autem cum corde conſenſum habet, & præcipuè os eius, quod propriè ſtomachum antiqui dixerunt, quodque ea ratione cardiam, hoc eſt, cor appellabant: & præterea exquiſito ſenſu omnes alias particulas ſuperabat. Harum autem inflammationum ſemper comes eſt febris, & ea continens, quę quidem aliquas habet periodos, & acceſſiones, licet non intermittant, quod nos Gal. docuit ſecundo de Com. 12. diffe. febr. ſed clarius 1. Aph, præſertim vero in acceſſionum principijs. Quia in inflammatum locum_ ſi magna fuerit inflammatio (vt 2. Prognoſ. exponit Gal.) vniuerſa ferè moles ſanguinis cõfluit, & proinde plerunque extrema frigida, & exanguia relinquũtur, qua premitur, & ſtrangulatur natiuus calor. Maior vero influxio, & profundatio fit tempore principij acceſſionis. Nam in incremento calore iã emergente, & cum calore ſanguine, dum videlicet materia quoquomodo victa, calor expanditur, non fit tanta influxio. Sed ſi multa craſſorum, & crudorum humorum copia fuerit congeſta, malum adhuc duplicatur. Quandoquidem maior fit tunc naturæ, & innati caloris oppreſſio: cum præter noxam inflammationis accedit, & aceruus talium humorũ. Etenim cum crudi ſint, naturæ etiam rebelles, & pertinaces ſunt. Vnde, quamuis naturales facultates omni ope nitantur eos exturbare, vt calor expandi poſſit, illi tamen præ craſſitie, & lentore reluctantur. Vnde robur facultatum in eo labore ſæpè diſſoluitur. Et ita ſuccedit deliquium animi. Itidem etiam accidit, ſi præterea eo tempore aliqua inſignis particula, hoc eſt, quæ aut inter præcipuas ſit, vt iecur, cor, & cerebrum, vel ſaltem ſit alicuius actionis neceſſariæ ad vitam inſtrumentum, vt ventriculus, pulmones, lien, obſeſſa ſit inſigni obſtructione. Hæ enim particulæ, quæ principes ſunt, cum læduntur inſigni læſione, vt eſt valida obſtructio, principijs vitæ officiunt, illæ vero in conſenſum, cum male affectæ ſunt, has etiã trahunt. Neque ergo mirum_ ſit, ſi additis obſtru-

ctionibus

ctionibus inſignis alicuius particulæ viſcerum inflāmationi facilius, & magis accidit lipothymia.

Animo etiam deficiunt, quibus os vētriculi infirmum eſt, &c.

SIQVIS febricitate, vel ſuapte natura vētriculum habuerit imbecillē, vel etiā ex aliqua alia morboſa occaſione (imbecillitas vero eius ſequitur intemperiem) is facillime incidit in defectionem animi. Cū enim (vt ſæpè diximus) ventriculus cum corde inſignem admodum habeat affinitatem, & conſenſum: Lipothymia autem ſymptoma ſit, quod ad cor pertinet. Neque mirum videri poſtea debet, ſi male affecto ventriculo, fiat & cor particeps illius affectus. Ventriculus ſanè imbecillis facilè patet iniurijs. Iniuriæ vero, quæ illi inferri poſſunt, hæ ſunt. Cū, vel eius vitio, hoc eſt, per malā eius concoctionē gignuntur, & congeruntur in eo vitio excrementa: cruda nimirū, craſſa, & frigida: vel ſi corrumpatur cibus, per putredinem, calida, & mordacia. Vel etiam ſi ab alijs particulis excrementa in illis confecta, & collecta recipiat, vt à iecinore, vel a liene, vel a cerebro, vel tandem a toto corporis habitu. Membra enim imbecillia a fortioribus facillimè excrementa ſuſcipiunt. Ea vero excrementa, ſi acria fuerint, ventriculū mordēt, a qua moleſtia, reſolutis ſpiritibus, efficitur animi defectus. Sin autem cruda, craſſaque, & frigida, aggrauant, & premunt ventriculum, præſertim vero eius os, & ſubinde cor factum particeps, in animi defectionem facilè concidit. Sequitur autem:

Quidam etiam in vehementibus animi affectibus animo defecerunt.

ANIMI perturbationes motus quidam ſunt, qui concitari non poſſunt, niſi cum motione valida, & fere repentina, quādo vehemētes fuerint [motus] caloris, & ſpiritus vitalis, qui aut intro, & in profundum ruit, vt in timore, & mœſtitia: aut confertim extra effertur, vt in gaudio, & lætitia. Vnde priores plerunque pallent: hi vero rubicundi euadunt. In ira autem ſanguis, & ſpiritus circa præcordia efferueſcit. Motus autem omnis primum diſſoluit ſpiritus, & calorem, cum eſt violentior. Præterea vero ſpiritus in timore, ac mœrore confertim cum ſanguine refugiens ad inferiora, ibi conſtipatus, & denſatus quaſi ſtrangulatur. Id lætitia vero extra delatus, cor deſerit, & digeritur, euaporatque, vt interdum aliqui ex lætitia perierint. Feruor autem, quòd ſpiritum, & calorem diſſoluat, nemo eſt ferè, qui neſciat. Non ergo mirum eſt, ſi ex animi his perturbationibus, cum vehementius concitantur, lipothymia homines inuadat. Et ſicut alias motiones, & labores facilè ferunt, qui vires habent robuſtas: ęgrè autem, & non ſine noxa, & moleſtia, qui infirmiores ſunt. Ita, & hos animi motus. Vnde, & ſenes, & qui ſunt longo confecti morbo, vt conualeſcentes, mulierculæ etiam facilius animo deficiunt conſternatæ ex his perturbationibus. Vbi namque modici ſunt ſpiritus, ibi facilè diſſoluuntur. Mouet autem hic Steph. non contemnendam quæſtionem. Nam non videtur conſentire ſibi ipſe Gale. hic, & alibi, vtpotè qui ſecundo de Symp. cauſ. dixerit, nunquam ex ira aliquem interijſſe. Quod ſi ita eſt, qua ergo ratione in animi deliquium poteſt incidere, quod eſt veluti via in mortem? Nam ſi increſcat, & in ſyncopem tandem, & in mortem terminantur. Quod vero ira mortem non afferat, probari poteſt ratione: Quia facultas, a qua ira concitatur, eo tempore, quo ira accenditur, potius colligit ſe, & vires ſuas omnes, vt vlciſcatur iniuriam: vnde, & robuſtior redditur, & vi ad exteriora tandem prorūpit calor. Dupliciter autē reſpondet. Primum, quòd in iraſcentibus cum calor, & ſpiritus efferueſcens extra, confertim profert ſe, ſi robuſta ſit facultas, facilè reſiſtit, vt neque animo de-

A ficiat. At ſi imbecilles ſint vires, cū ex motione diſſoluātur, adeo lāgueſcūt, vt neq; robur ſeruare poſſint, neq; defendere, quo minus accidat animi defectus. Quod ijs facilius ſolet euenire, qui rariore conſtant corporis habitu, in illis ſiquidem facilius, & promptius digeruntur, & euaporant. Vnde in ira alij rubicundiores fiunt, in quibus non ita diſſoluitur vis caloris natiui: alij vero, & pallent, & tremunt: quod, & imbecillem indicat facultatem, & mixtū aliquem timorem cum iracundia. Vel etiam id dici poteſt, quòd ira poteſt ad defectum animi deducere febricitantem, non tamen, quantum ad ipſam pertinet, ad interitum: quia ſi ſit moderata, neq; ad lipothymiam perducit: ſi vero ſit vehemens illa, ad animi deliquiū

B accedet: neque tamen adeo vehemens, vt morte finiatur ob feruorem ſcilicet, & motum caloris natiui. Nos tamen credimus, & tertio reſponderi poſſe, & fortaſſe etiam melius, quòd ira, quantum ad ipſam attinet, neque ad animi deliquium, aut ſyncopē deducere poteſt, neque etiam ad ipſam mortem. Quod ſi quiſpiam fortaſſe dicat, id non raro in febricitantibus ipſis accidere, vt animo delinquant: Hoc inquam potius in corporis aptitudinem, ſeu diſpoſitionem referendum eſt, quam in iram. Nam ſi corpus iā alia occaſione ſit factū viribus imbecillū, infirmumque, vt vel ex morbo, quo confectū eſt, vel ex inedia longa, vel ex immodico labore, vel ex ætate, vel alia alioquin de cauſa, poteſt quidem tunc iracundia, & hoc, & illud conferre incommodum. Vnde ſępiſſimè

C viſum eſt, aliquos repente, cùm alioquin integro eſſent corpore, & bene valerent, ex repentino tamen, atque inopinato aut gaudio, aut mœſtitia, aut timore, & animo defeciſſe, & in ſyncopem, ac in ipſam tādem mortem concidiſſe, non autē ex ira. Quare pręſertim ad iratos referendum eſt, quòd præcipue huic ſymptomati ſunt obnoxij, primum febricitātes: deinde vero qui ſunt viribus infirmioribus, nec non etiam qui ſunt ſeniores. Sed & quod ſubiungit Gale. non parum huic noſtræ reſponſioni videtur fauere. Nam rorida quædam humiditas, quæ in febricitantibus interdum excerni ſolet, quæ eſt veluti initium quoddam, & præludium, vel nuntius futuri ſudoris, aliquando potuit animi deliquium afferre, non qui-

D dem illud per ſe, & quatenus ad leuem, eā, modicamque inanitionem pertinet, ſed potius ratione corporis, in quo adeo ſint diſſolutæ vires, vt neque tantillum illud incōmodum citra inſignem noxā perferre poſſint. Id autem præſertim contingit, quando mador is non opportunè apparet, ſed quando potius obeſſe ſolet: ſolet enim prodeſſe, tū inclinante acceſſione: tum vero apparente prius concoctione: tunc enim veluti cuiuſdam indicationis rationē ſubeuntes congruo tempore fieri dici poſſunt. Non eiuſmodi autem ſunt madores, qui perducunt ad defectū animi, ſed omnino vim habent ſymptomatis, pręſertim, cum hos affectus animi, quorū nuper meminimus, ſequuntur. Vnde ſi vires imbecilles reperierint, eas diſſoluūt, & in animi deliquium hominē conijciunt.

E Neque enim fieri poteſt, vt aliquam, aut ars, aut natura vacuationē moliatur, quin & ſpiritus in ea vacuatione diſſoluantur ex aliqua parte: quamuis vacuatio illa ſit excrementorum, vel alioquin vitioſorum humorum. Omnis autem quantulacunque ſit ſpirituum diſſolutio, vires languidas inſigniter lædit, & ideo illis qui imbecilliores ſunt, vel etiam leues madores lipothymiam poſſunt afferre: cum valentiores, & qui adhuc vires integras habent, non conſternantur, niſi a copioſa, & confertim facta vacuatione, & a multis, & immodicis ſudoribus. Vt tādem & hanc rem in vnam ſummam colligamus, quod quæcunque vacuatio, quæ confertim, & ſimul vniuerſa ſit, ſi copioſa fuerit, quomodocunque fiat, ſiue

naturæ

naturæ ope, ſiue medicis inſtrumentis, vires exolue-
re poteſt, inanitis nimirum ſpiritibus, ſiue ſanguinis
fuerit, ſiue puris, ſiue aliorum humorum. Vnde ſi hy
dropicus ſecetur, & multa ſimul educatur aqua: ſi e-
tiam aperiatur abſceſſus, vel ſi ſponte erumpat, poſt
maturationem, vel in pectoris ſpatium, vel ventris
inferioris, vel in ventriculũ, vel in quẽcunque alium
locum fiat eruptio, facilè inde poteſt animus defi-
cere. Confertim autem factę vacuationes vim maio-
rem habent. Quia quæ paulatim, & per vices fiunt,
non ita vires diſſoluunt. Nam interim, dum ſpiritus
inaniuntur, poſſunt alij regenerari, quibus vires in-
ſtaurantur, & reficiuntur. Quæ verò confertim fiunt
multis ſimul ſpiritibus euaneſcentibus, vires deij-
ciunt, cùm non adſit tantum temporis, vt nouis agge
neratis, interim illæ foueri poſſint. Quare vt recte, ac
feliciter ſuccedat vacuatio, non modò reſpicere opor
tet, ſi qualia vacuari oportebat, vacuentur, ſed etiam
ſit tanta ſit, quantam vires ſufferre poſſunt.

At vero ex vehementia dolorum veniunt diſſolutiones, &c.

POSTREMO, & dolores ſi immodici fue-
rint, magnam vim habent ad vires animantis diſſol-
uendas. Mouentur enim confertim ſpiritus & ſan-
guis, atque adeo etiam natiuus calor ad dolentem lo
cum, ibique cõſtipatur, & denſãtur: & id in cauſa eſt,
cur dolor inflammationes, & eryſipelata concitet.
Duplici ergo nomine diſſoluit vires. Primum repẽti-
na, & inordinata ſpirituum, & caloris innati motio-
ne: Deinde vero conſtipatione, & ſtrangulatione.
Quo fit, vt cum mordentur viſcera, aut aliæ parti-
culæ ab acri, & mordaci humore: Cùm etiam tormi-
na concitantur in inferiori ventre: Itẽ in colico do-
lore, & in iliaco, qui acutiſſimi, & vehementiſſimi
dolores ſunt: vires proſternantur. In colico, quidem,
quia a cruda, & vitrea pituita, quæ in flatum craſſio-
rem digeritur, tum refrigerantur, tum diſtenduntur,
& quaſi dilacerantur tunicæ inteſtinorũ. In ileo, quã
affectionem iuniores miſerere mei, appellauere, ma-
ximus concitatur dolor in gracilioribus: ſicuti in
colica in craſſioribus. Qui dolor inflammationem
ipſorum concomitatur: quæ obſidens viam, & tran-
ſitum fæcum, cogit eas relatas in ventriculum vomi-
tum reijci. Neruis etiam illata vulnera, vt pote quæ
& ingentes afferant dolores, & conuulſiones, poſ-
ſunt vires diſſoluere, & animi concitare defectus.
Itidemque capitum muſculorum vulnera, quippe
quæ multa parte neruea conſtent: & proinde & do-
loribus, & conuulſionibus obnoxia plurimum ſunt.
Capita autem in præſentia non propriè puto acci-
pienda, pro ea duntaxat parte, vnde originem mu-
ſculus habet, & ad quam trahuntur fibræ, cùm mo-
uentur: Sed pro vtroque muſculi extremo, hoc eſt
tam proprio capite, quàm etiam pro chorda, in quam
deſinit. Duæ enim hæ partes imprimis, & maximè
C. 4. neruoſæ ſunt. Vnde ipſe in libro de Euchymia, &
Cacochymia dixit, extremæ muſculorum partes v-
trinque neruoſiores ſunt. Præterea vero vlcera in ar-
ticulis, cùm maligna ſunt, dolores, & animi defe-
Ca. 6. ctum ſæpe inferunt. Quod vt intelligatis, audite Ga-
len. cur hæc articulorum vulnera alijs magis afferũt
lipothymiam, ita quarto Method. dicentem. Quin e-
tiam cacoethe ſtatim fieri, quæcunque in articulis
accipiuntur vulnera, id omnes ferè ſciunt. Vbi enim
tendones, & nerui, & carne vacua, atque oſſea loca
ſunt, hic doloris, vigiliarũ, conuulſionis, & delirij pe-
riculum inſtat. Præterea, & gangrænoſa, & depaſcẽ-
tia omnia. Gangræna, quòd ſit affectio genita in a-
liqua particula cum extincto eius ferè natiuo calo-
re, ac ſtrangulato a magnitudine inflãmationis pars
Ap. 50. ea in interitum tendit, vt ſeptimo Aphoriſm. & in li-
Co. 17. bro de Tumor. pręt. nat. & tertio de Artic. ait Ga-
len. Cùm enim inflammatione adeo inculcatur hu-

A mor, vt intercepta omni tranſpiratione, quæ per cu-
tis meatus fieri ſolet, ob eorũ repletionem, & obſtru-
ctionem natiuus calor ab euẽtatione deſtitutus ex-
tinguitur. Vnde liuidus illius partis color efficitur,
& veluti morticinus, & ſenſu priuatur. Cui malo niſi
obſiſtatur inter initia, ad vicinas partes ſerpens eas
depaſcit. Quare neque mirum deinde eſt, ſi calore
extincto, cùm inſignis aliqua ſit gangræna, præterea
vero eius vapore putrido per venas, & arterias, ſi ali-
quæ maiores ibi vicinæ ſint, ad cor delato, & illud læ
dente, interdum àccidat lipothymia: atque adeo etiã
in alijs vlceribus malis, quæ corroſiua ſunt, & ſerpẽ-
tia depaſcuntur viciniores partes: eiuſmodi enim do-
loroſa admodum ſunt, ſicuti & gangrænoſa dum fit,
B neque adhuc facta gangræna eſt. Poſtremo vero intẽ
peraturæ immodicæ, præſertim calida, reſoluẽdo, &
digerẽdo calorẽ naturalẽ, & ſpiritũ, frigida extinguẽ-
do, & tãdẽ vitalis vigoris, vel roboris diſſolutio a qua
cunque cauſa fiat, affert animi deliquium.

Hæ itaque, tandem omnia, ait, reſumens, *ſunt cauſæ,
cur ægrotantes animo deficere poßint*. Et quamuis parti-
culatim propriam vnaquæque earum requirat cura-
tionis rationem: in præſentia tamen neque ad inſti-
tutum noſtrum pertinet, eas omnes ſingillatim per-
ſequi, neque etiam opportunum eſt, ait Galen. Nam
ſi quis velit recte, & ex ratione curare omnes hos a-
nimi defectus, qui has omnes tam diuerſas cauſas
ſequuntur, oporteret cauſas in primis curare. Vn-
de, & oporteret agere de curatione omnium, eo-
C rum affectuum, quos ſequitur ſyncope. Non eſt au-
tem inſtitutus ſermo de curatione affectuum alio-
rum, niſi febris. De ſyncopa vero, vel lipothymia,
non eſt introducta conſideratio, niſi quatenus ipſa
per ſe trahit aliquam curationem, deſtituta, aut om-
nino, aut magna ex parte, tum febre, tum alijs affe-
ctibus, quibus aſſidet. Quare ſatis erit nobis de hoc
ſolum agere: quonam pacto poſſimus, aut iam præ-
ſenti ſyncopi, vel lipothymiæ occurrere, ac vires in
ea collabentes, animumque reuocare, & reficere: vel
illam imminentem arcere, & illi, antequam inuadat,
obuiam ire.

*Veluti quòd eos ex choleris, & ventris profluuijs, & multis
alijs confertim factis euacuationibus.*

D EXPOSITIS omnibus differentijs, & cauſis
deliquiorum animi, iam tempus opportunum adeſſe
videtur, vt curationem aggrediamur explanandam,
& rationem, vel potius rationes, quibus opus eſt me-
dicum illis occurrere. Sed hic conſiderandum eſt,
quòd duplex in his febribus exigitur medici opera.
Nempe primum, vt imminenti lipothymiæ occur-
ramus: & obſiſtamus, quò minus accidat. Vt enim
duodecimo Methodi refert. Gale. turpe eſt medico,
qui artis iſtius peritiam profitetur, nõ prænoſſe futu-
ri defectus animi periculum, illique occurrere, ſed ex
pectare, quòd hominem corripiat, ac deinde illi opẽ
ferre. Sed quia interdũ cõtingit, vt tunc accerſamur,
quando iam animo deliquere: Ideo & de hoc opor-
E tet, vt agant medici, quanam ratione reſumere ho-
minem, & ab animi defectu oporteat reuocare. De
priori autẽ prius agamus, quod & tutius: & præſtan-
tius eſt: mox vero & ad alterum accedemus. Cum au
tem tueri ab imminẽti lypothymia alia alioquin ra-
tione nequeamus, niſi cauſam, vnde ea excitetur, re-
moueamus, aut ſaltem refrenemus. Cauſa vero in v-
niuerſum duobus ſummis capitibus continetur: vi-
delicet inanitione, & repletione. Per inanitionem
enim vacuatis, vel digeſtis ſpiritibus, facultates la-
befactatæ concidunt. Per repletionem vero grauata
facultate, ſtrangulatiſque ſpiritibus, & calore natiuo
eorum fit extinctio. Primũ igitur de ijs, quæ ad ina-
nitionem pertinent, agamus. Et cum vacuatio du-
plex ſit generatim: Nam aut fit per vias latas, & ſen-

ſibus manifeſtas, vt quæ per aluum, per vomitum, per nares per vterum, per hæmorrhoidas, per inflicta vulnera: Aut per inconſpicuos cutis, & habitus corporis meatus: omnes vero hæ inanitiones fiunt ob immoderatum fluxum humorum in morbo concitatum; Ideo obſiſtimus futuræ lipothymiæ, cum immoderatam humorum fluxionem ad locum exitus, aut intercipimus, aut refrenamus. Proprium autem remedium fluxionum, & maximum maximeque præſentaneum, præſertim vero inter initia, eſt reuulſio, & deriuatio. Vnde quarto Method. & quinto etiam ait, cùm fluxio procedit, & valenter irruit, reuulſio præcipuum remedium eſt. Sed vt quæ a Gale. ad curationem, ſeu ad cauendum futurum in profluuio alui deliquium animi proponuntur, facilius intelligatis (neque enim facilia, & omnibus in promptu ſunt, immo non modicam habent obſcuritatem, cum nullam eorum rationem referat) conſiderandum eſt, quod his remedijs nititur occurrere huic ſymptomati: primum aſperſione frigidæ aquæ: deinde narium apprehenſione: tertio frictione oris ventriculi: quarto vomitum ciendo: poſtea vinculis pluribus, & illis vehementibus, brachia, & cura aſtringendo. Sed ſingillatim horum quodcunque perpendamus, & poſteaquam rationalem methodum profitemur, eorũ cauſas, rationesque inueſtigemus.

Cap.6. Cap.3.

Dicunt itaque nonnulli alias celeberrimi viri: primum aquam inſpergi, vt coerceantur ſpiritus, ne per anguſtos, & inconſpicuos meatus digerantur, & diſflentur. Frigida enim aqua inſperſa eos conſtipans, in cauſa eſt, cur ſpiritus contineantur, nec diſſoluantur. Vnde, vt hoc vim habeat maiorem, illis magis probaretur, ſi ex aceto, & roſacea aqua fieret hæc aſperſio. Acetum enim ad penetrationem maiorem facit. Aqua roſacea ad aſtrictionem. Mihi tamen non modo non probatur hæc ſententia, verum & Galen. aduerſari videtur. Non probatur quidem: quia in huiuſmodi ſymptomatibus, ſiue tollendis, ſiue arcendis, cauſa ſemper præ oculis habenda eſt. Et licet curationem primum conuertant ad ſe, & priuſquam ad cauſam: pro ratione tamen cauſæ eorum curatio euariat. In alui autem profluuijs cutis conſtipatio, & anguſtorum meatuum profluuiũ auget, conuertendo humores, & vapores omnes ad interna viſcera. Præterea diſſolutio ſpirituum, quæ ad ſyncopem perducit, non fit in profluuijs, per cutis anguſtos meatus, ſed vacuatione, quæ fit per aluum. Nam in immoderata vacuatione, quæcunque illa ſit, ſpiritus ſimul cum alijs humoribus excernuntur, & diſſoluuntur: non autem per cutem digeruntur. Quòd vero Galen. aduerſentur, declarat ſententia eius expreſſa paulo poſt, vbi ait, conſtipare cutem commodum eſſe in immodico ſudore: aduerſarium autem in alui profluuijs. Sicuti contra balnea in immodico ſudore, & ſanguinis profluuio plurimum nocere: iuuare vero poſſunt in alui profluuio: quorum vires ſunt rarefacere, & digerere, non autem conſtipare, neque coercere. Ego itaque ab ipſa re, & ex longa obſeruatione edoctus, alia ratione aquam inſpergi puto: & habere rationem & ipſam reuulſorij remedij, ſi modo eo aſpergatur, quo aſpergi ſolet in deficientibus animo. In omni enim animi defectu, cùm ille non fiat, niſi corde affecto, aut primario, aut per conſenſum, ſpiritus, & ſanguis recurrunt confertim ad interiora, & ad originem ſuam, vt illi opem ferant, relictis externis partibus: vnde & pallidi fiunt, & frigeſcunt: atque in eo recurſu additur malum malo; quia ibi conſtipati periculum ſtrangulationis, & ſuffocationis afferunt. Cõſueuere autem non modo medici, verum, & vulgares, immo & mulieres aquam frigidam caua manu apprehenſam repentè, & vi quadam in faciem conijcere, & ex repentina illa moleſtia a frigida aqua tum ex frigore, tum vero ex ea percuſſione, concitata, excitantur, & quaſi expergefiunt ſpiritus, & ſanguis, atque ita coguntur expandi ad exteriores partes, & cum eis etiam humores reliqui, & hac ratione, aut intercipi, aut refrenari poteſt fluxio. Vnde neque hoc intelligendum eſt, quòd inſpergenda ſit aqua per vniuerſum corpus, ſed illa inſpergitur in faciem, & violenta aſperſione. Nares vero apprehenſæ, eandem vim habent, quam reliquæ extremæ partes arctè deligatæ, & doloroſo vinculo. Nam ita fieri ſolet, nares apprehendunt digitis, & ſtringunt, atque concutiunt. Dolor namque ibi excitatus ruentem humorem ad inferiorem aluum ſurſum trahit. Vim enim habet attrahendi dolor repente concitatus. Proſunt etiam frictiones ventriculi. Quidam illas eo referunt, quoniam in animi defectu plerunque ſolet præcedere ventriculi æſtuatio, confluentibus multis humoribus ad ipſum. Ego vero puto id quidem verum poſſe eſſe in cholera, in qua ſimul, & ad ventriculum, & ad aluum inferiorem corrupti, & vitioſi ſucci feruntur, & ſimul ad vomitum, & ad profluuium alui incitant. In diarrhœa vero nequaquam, quia totus impetus humorum inferius eſt ad inteſtina. Vnde puto hæc quidem, & in alui profluuio, & diarrhœa conferre, diuerſis tamen rationibus. Nam, & vomitus & frictio oris ventriculi, quæ ſuperior eſt eius pars, reuulſoria ſunt remedia: quia retrahunt ſuccos ad inferiora propenſos ad ſuperiora. Vnde ſexto Aphoriſm. dixit Hippocrat. quòd vomitus ſponte excitatus ſoluit longum alui profluuium. Quem Aphoriſm. explanans Galen. hoc eſſe exemplum expoſitum nobis ait, vt naturam imitemur in operibus noſtris, quando ea rectè, & vtiliter agit. In cholera autem non ſolum multam vacuationem ſequitur lipothymia, verum & moleſtiam vitioſorum, & acrium humorum, qui feruntur ad os ventriculi. Ideo vero fricamus in cholera os ventriculi, & ciemus vomitum, vt vel vomitu vacuentur mali illi ſucci, vel ſaltem fricando deorſum ad fundum depellantur, cum ſurſum feruntur. Nam habemus vulgatam ſententiam, quòd fluxus fluxu curatur, & vomitus vomitu, & vomitus fluxu, & fluxus vomitu.

Aph.12.

Cauet tñ Gal. ne vomitorijs in hoc vtamur medicamentis, tantum enim reuulſionem requirit, non copioſam vacuationem. Vbi etiam debetis animaduertere vnum, quòd Galen. videtur ſibi contrarius, qui ſuperius dixit, quod vbi febrem fluxus ſequitur, non debemus aliter euacuare, neque per medicamenta, neque ſanguinis detractione. hic tamen præcipit, in diarrhœa vomitum eſſe ciendum: quod quidem vacuare eſt. Nos vero dicimus, ita eſſe reſpondendum quamuis neque viderimus aliquem hoc animaduertiſſe, quòd aliud ſpectans hic, & ibi, diuerſas protulit ſententias. Aliquando enim inſtituimus moliendam eſſe vacuationem aliquam primario, vt multitudinem exuberantis humoris vacuemus. Sicuti quando Hippocrat. dixit, quòd morbos ex plenitudine factos vacuatio ſanat. Et hac ratione inhibet omnem aliam vacuationem, cùm in febre accidit alui profluuium, vel diarrhœa: præſertim vero inter initia, cùm crudus eſt morbus. Interdum autem molimur vacuationem, non vt vacuemus, ſed potius, vt vacuationem, quam irruens fluxio ad aliquam particulam concitauit, reprimamus. Sicuti verbi gratia in ſanguinis profluuio immodico, aut per nares, aut per menſes muliebres, aut per venas ſedis, aut per ſputum, aut ex vulnere, venam aliquam in alia parte remota, & oppoſita ſecamus, & ſanguinem detrahimus, non tamen vt vacuemus: ſatis enim, ſuperque & vacuatus eſt, & continenter vacuatur: ſed potius, vt vacuationi occurramus, ac eam intercipiamus, vt paulo

poſt

poſt Galen. monebit. Ita in alui profluuio, cum immodicum fuerit, citamus vomitum, vt alio humorum impetum auertentes, profluuium ſiſtamus, intercipiamuſque. Ita etiam fluente aluo, vomitum tentamus. Contra vero, vomitus importuno occurrere volentes, clyſteres inferius inijcimus. Eſt autem & hoc conſiderandum, vt rectè ea, quæ hic referuntur, percipiatis, atque vt aliquam ex eis vtilitatem conſequi poſſitis, quod reuulſio eſt motus in contrarium, & in oppoſitam partem illi, in quam ſponte ferebatur humor. Vnde quæcunque molitur medicus circa corpus humanum, quæ eam vim habent, vt poſſint aliquorſum humores mouere: ea etiã reuulſoria remedia dici poſſunt. Nam ſi ſponte humor in aliquam fertur partem, & tu remedium aliquod inuenias, quod eum mouendo in aliam conuertat, præſertim vero contrariam, id reuellet. Quapropter omnia, quæ poſſunt alicunde vacuare, per quamcunque efficiant regionem, poſſunt etiam reuellere: quia nequit fieri aliqua humorum vacuatio, niſi moueantur humores vacuandi. Ergo, & purgatio per inferiorem aluum, & vomitus, & ſanguinis detractio, ſiue per venam ſectam, ſiue per cucurbitulas ſcalpello inciſas, ſiue per hirudines: item & ſudoris prouocatio, & vrinæ, & alia, ſiqua ſunt iſtius generis, reuellendi vim habent. Etenim ſi humor in vnam partem feratur, vtcunque modo fiat, ſiue per illam excernatur, vt in ventris profluuijs, aut vomitibus, aut ſanguinis fluoribus, ſi aliam vacuationem per aliam partem ex arte aggrediaris, humorem ad illam retrahes: ſiue feratur quidem, neque tamen excernatur, ſed potius ibi contentus moleſtiam afferat, vt in inflammationibus, & reliquis præter naturam appellatis tumoribus: in quibus itidem fit reuulſio, ſi ex alia parte moliaris vacuationem. Item & reuellendi vim habent alia omnia, quæ citra vacuationem humores attrahere poſſunt.

ATTRAHERE autem ad ſe humores poſſunt tria, videlicet dolor, calor, & vacuum. Dolor enim attrahit (dixit Galen.) perinde, vt cucurbitula. Calor etiam attrahit. Cucurbitula autem vi vacui attrahit. Horum ergo omnium modorum meminit hic Galen. Nam frictiones calefaciendo, vincula dolorem excitando. Hæc ergo, quæ humores mouẽdi vim habent, in parte remotiore, & oppoſita illi, a qua reuellere erat nobis inſtitutum, adminiſtranda ſunt. Si enim intercipere voluerimus fluxionem humorum, qui in ſuperiorem aliquam partem feruntur, eis vti erit opus, quæ deorſum trahere poſſint, cruribus ſcilicet cucurbitulæ ſunt affigendę, eadem etiam fricanda, & liganda, & ex interioribus venis ſanguis detrahendus: clyſteribus aluum cientibus vtendum, vel purgantibus per aluum medicamentis. Cõtra autem, ſi ad crura, pedeſue, vel ad vterum, aut teſtes, aut veſicam feratur, brachia vincienda, ac fricanda, humeris cucurbitulæ apponendæ, vomitus ciendus, venæ ſuperiores, vtpote in cubito ſecandæ, ac de reliquis in eundem modum. Hoc itaque primum eſt præceptum in reuulſionibus, quod nobis tradit Galen. Alterum vero eſt, quòd cum reuulſio (vt paulo ante diximus) ſit remedium, & inſtrumentum accommodatiſſimum ad ſiſtendas morbificas fluxiones. (Fluxiones vero ad vnam certam particulam feruntur, & ab alia impelluntur, vel vel a pluribus, interdum etiam a toto) vt rectè, & expedite reuellere poſſimus, duo primum conſideranda ſunt. Primum: vt cognoſcamus, quænam ſit pars, quæ impellendo humores fuit illius fluxionis cauſa. Deinde vero agendum eſt, vt exquiſitè teneamus naturam particulæ, ad quam fluxio fertur, nimirum ſitum eius, colligantiam, vel connexionem, quam habet cum particulis alijs: ſemperque quærendum eſt,

A vt reuulſoria remedia illis particulis adhibeamus, quæ vel in cauſa ſunt fluxionis, vt pote a quibus illi fluãt, vel ſi hoc timeamus, ſaltem ad eas retrahamus, quæ cum illa, in quam influunt humores, connexionem, vel communionem aliquam habent, quod accommodatis exemplis exponit. Si itaque menſes immodicè mulieri fluant, quos reprimere velis, & noueris mãmas plurimam habere cum vtero communionem, quæ & experientia comperta eſt, & anatomica ratione, mãmis ipſis cucurbitulas aliquanto maiores, vt valentius attrahant, affigens, facilius retrahes, quam ſi alteri alicui parti: puta ſi ſcapulis affixeris, & id ratione affinitatis & conſenſus. Sæpe etiam in ſanguinis profluuio, cùm e naribus erumpit, ob- B ſeruamus, e qua nare profluat. Quia ſi e dextra, putamus, cum fluxiones plerunque fiant per directum particulæ, vnde fit fluxio, a iecinore originem habuiſſe fluxionem. Quare cùm reprimere, vel intercipere effluentem ſanguinem voluerimus, cucurbitulam magnam dextro præcordio, ſub quo ſitum eſt iecur, affigemus, ac ita ad ipſum retrahemus, ac cogemus retrocedere. Cum vero e liene occaſionem habet fluxio, e ſiniſtra nare ſanguis frequentius effunditur. Quapropter pari ratione facilius retrahetur per cucurbitulam præcordio ſiniſtro affixam. Vtriſque vero præcordijs erunt affigendæ, vbi ex vtraque nare profluat. Neque iſtius rei rationem alioquin ex anatome depromere poterit quiſpiam, niſi hanc, quæ ſatis remota eſt, quòd iecur ſedem habere in dextris, C lienem in ſiniſtris ex anatome didicimus. Cur autem naris dextra maiorem habent communionem cum iecinore: ſiniſtra vero cum liene, ex anatomica diſciplina nihil aſſequi poterimus. Quoniam æquali tractu venæ tam dextræ, quam ſiniſtræ naris a iecinore ortum ſuum, vel deriuationem habent. Immo & lienis venę a iecinoris portis deductæ ſunt, vt, ſi per venas fit futura fluxio e liene, nequeat alia ꝓgredi via, niſi per iecur. Vnde hoc compertum longa experiẽtiã eſt, quòd corpus animantis vtrinque geminũ eſt, & partes, quæ in dextris ſunt, inter ſe naturæ quãdã affinitatem & communionem, & eam magnam habent, vt mutuo afficiantur, & magis quam cum alijs alterius partis. Rem vero hanc Athen. Steph. latius D quomodo fiat, expoſuit, quam omnes legere poteſtis. vulgatus enim eſt is libellus. Sed & aliquam habet retinendi, & ſiſtendi fluxionem, præſertim vero ſanguinis, qui e vulnere profluat. Modus collocandi particulam in ſitu, & figura accommodata: nempe ſi eã moderate fuerit accliuis. Nam ſanguis, & reliqui humores deorſum facilius fluunt, & ad decliuia loca ſponte: & quo magis decliuis fuerit locus, eò vehementius, & celerius fluunt: in accliuem autem non item. Vnde pars vulnerata collocanda ita eſt, vt deorſum minime vergat, ſed potius ſurſum, dummodo id modeſtè fiat, & citra eius dolorem, & incommodũ, quia ſi adeo accliuis ſit ſitus, vt ex incommodo dolorem afferat, magis concitabuntur fluxiones. Et cùm E duæ ſint fluxionum occaſiones. Altera ab ea parte, a qua fit fluxio, ex fluxione vacuatio. Altera vero ab ea, ad quam fit fluxio, & vacuatio. Et tertio etiam conſiderandum poſtea eſt damnum, quod intulit vacuatio. Per reuulſionem reſiſtimus impetui humoris, quem concitauit pars impellens. Partem autẽ, ad quam fluunt humores, nitimur ab eo incommodo liberare, eam roborando: robuſtæ enim partes repellunt valenter delatos ſuccos noxios, & inutiles. Dãnum vero reſarcimus, quod attulit inanitio, nimirum reſolutionem virium, & natiui caloris, alimento. Expeditis itaque ijs, quæ ad reuulſionis rationem attinebant, alia duo exponens ait.

Vinum etiam aqua frigida temperatum curat eas, quæ ex magnis fiunt euacuationibus, &c.

VINVM, & facilè, & cito concoquitur, & diſtribuitur: Ideo facilè, & cito inſtaurat diſſolutos ex multa euacuatione ſpiritus. Præterea vero languentem ventriculum roborat, vt pote quem ex inanitionè redditum frigidiorem calefaciat, & laxiorem colligat. Quale autem vinum oporteat eſſe, inferius exponet. Sed & aqua frigida temperandum eſſe ait. Frigida ad colligendum ventriculum, & denſandum nō parum facit, vt nō ita facilè deinde fluxiones recipiat. Hic vero multa conſideratione dignum eſt, quòd quamuis multi præterea ſint cibi, qui plurimum alere poſſunt, (vt hic monet Stephan.) & ſolidius præſtare alimentum, quodque reſolutioni magis reſiſtere poſſit, vt eſt caro ſuilla: vinum tamen accommodatius eſt. Quia carnes, vt coquuntur, requirunt calorem natiuum integrum, & fortem, qualis non eſt in ijs, quibus inſtat animi deliquium: qui enim languet, expoſcit facilem, & citam refectionem. Citiſſimè vero, & facile concoquitur vinum, & diſtribuitur: & ideo citiſſimè alit, & reficit, (quemadmodum Hip. &
Aph.12. Galen. ſecundo Apho. docuere) pręſertim vero ſpiritus. Addit autem Steph. quòd eiuſmodi vinū plurimum facit ad reprimendas fluxiones ad ventriculū. Nā cùm citiſſimè diſtribuatur occurrens humoribus, qui verſus ventriculum feruntur, eos ſecum ferè rapiens, in contrarium auertit. Vnde paulo poſt in materierum, quæ fluunt ad ventriculum, vacuatione vinum eligit, quod tenue ſit, & calidū, (quale habebatur in gręcia Lesbium) vt citiorem, & magis cōfertim diſtributionem habeat, & dum celerius diſtributum fertur, maiorem vim habeat auertendi humores ad ventriculum fluentes, Contra quam oporteat in eruptione ſanguinis, vndecunque fiat. Nam ſi vino interdum opus ſit, nempe, vt animo delinquenti ſuccurramus, vinum id non tenue, neque calidū ſit, quia attenuatus ſanguis, & fuſus à vino fluidior euadet, & ita magis cōfertim erūpet. Sed vinū conſiſtētia craſſum, colore nigrū, ſapore auſterum, quia cùm ſanguinem craſſiorem reddat, ineptiorē quoque ad fluxū efficit, Nigrum autem vinū craſſius eſt, Acerbum vero, cùm vim habeat aſtringendi, vias aſtringendo, & meatus conſtipando obſiſtere fluxioni ſanguinis poterit.

DEINDE vero, & hoc conſiderandū, quòd in his fluxionibus ad ventriculum frigida aqua eſſe temperandum ait: quoniam (vt item Steph. ait) frigus colligit: diſſolutos ergo ſpiritus, & quaſi diſperſas facultates colligens, illis tenorem, & robur addit. Sed hoc eſt animaduertendum, quòd ſecus eſt, quando vna, & ſimplex eſt indicatio, de qua ſermo habetur, nulla alicuius alterius ratione habita: ſecus vero quando plures nos circunſtant indicationes, & aliquando repugnantes. Etenim cùm vnicam tantum indicationem, & vnum ſcopum ſpectamus, vno tantum modo, & abſolutè pronuntiare poſſumus: ſed cùm plures reſpicimus indicationes, quandoque plures adhibere limitationes opus eſt. Quatenus ergo ad rationem ſuccurrendi lipothymię ſe vinum, quale expoſuimus, tum in ſanguinis ruptione, tum in fluxione ad ventriculum optimum eſt. Verum nec hoc ſatis eſt prudenti medico: ſed reſpiciendum præterea, an alia adſit etiam in eo corpore affectio, quæ contrariam habeat indicationem, quia tūc oportet, mutuo collatis indicationibus, illi attendere, quæ magis vrget, neque tamen, & altera negligenda. Sicuti ſi inſtaret quidem animi defectus, verū adeſſet vehemens capitis dolor: primum quidē deberemus ſuccurrere deficienti animo, ſed alijs inſtrumētis, quam vino: quoniam id dolenti capiti maximè aduerſarium eſt, vtpote quod facile tenuitate, & calore ſuo ad caput feratur, & ſecum alios humores ducēs, ipſum plurimum repleat, & ita augeat dolorem, & poſſit ad inflammationem perducere, quòd eſſet nō curare, ſed addere malum non minus priori malo. Item ſi adeſſet iam aliqua alicuius interni viſceris inflammatio, quam maximè vinum eſſet aduerſarium: inflammationem enim, ſiquid aliud, auget, & irritat. Præterea ſi delirium aſſideat, fugere oportet vini potum, eadem ratione, qua & in caput dolentibus. Sed & ſi ardens ſit febris, & crudus ſit morbus, omnino à vino erit abſtinendum: calefaciens enim febrem magis accendit, præſertim vero crudo morbo. Nam ſi iam eſſet concoctus, cùm vinum omnes iuuet, & moueat excretiones, facilè mouetur materia, cum cocta eſt; ægrè vero cruda: ideo vinum aliquod non potēs, & frigida aqua dilutum, citato ſudore, aut vrina, nō calefaceret inſigniter, & vacuando prodeſſet febri, & reficiendo animi deliquio. Cùm ergo timenda eſt ex potu vini noxa aliqua ingens, & quæ mox ſanari non poſſit, a vino aemperandum. Ita, & in profluuio ſanguinis non eſſe temere vinum dandum, conſulit Stephan. immo alijs eſſe occurrendum, ſi fieri poſſit, lipothymiæ. Et ideo ſuperius dicebat Galen. in omnibus his ſymptomatibus cauſam etiam reſpiciendam eſſe. Vinum vero quantum ad ipſum pertinet, maius concitat profluuium. Et ita agendum eſt in eo, quod dixit vinum aqua frigida temperandum: ſicut conſulimus in vino dando: reſpiciendum videlicet ſemper eſt, & conſiderandum, an aliud ſit in corpore, quod ex ratione poſſit vetare: vt ſi eſſet aliquis affectus, cui inimicum eſſet frigus. Semper etiam in his omnibus ad naturam corporis ægrotantis reſpiciendum. Vnde abſtemio non eſſet vinum dandum. Qui etiā ventriculum ſuapte natura crudum haberet, & frigidū, temperamentum ex aqua frigida non toleraret. Aetatis etiam habenda conſideratio. Nam iuuenibus, ac pueris vinum iniquius eſt; ſenioribus autem aqua frigida. Præterea & aeris circunflui ſtatus. hyeme enim moleſtior eſt potus frigidæ, aquæ: æſtate vero, vini. Poſtremo & conſuetudo ſpectanda eſt, quæ veluti aſcititia natura: ea enim, quibus aſſueuimus, facilius ferimus; ab inſuetis vero magis lædimur. Omnia ergo, & hæc, & alia iſtius artis præcepta horum conſideratione ſunt moderanda.

Ipſis vero locis imponere oportet, veluti vētriculo, & vtero, & ſtomacho, & thoraci, quæ corroborandi vim habent, &c.

CVM fluxio omnis (vt diximus) partim a parte, a qua fluit humor, pendeat: partim vero ab ea, ad quam fluunt humores: ac vtriſque particulatim ſit ſua ratio habenda. Reuellendo autem impetū, fluentis humoris auertimus: Roborando autem partem, ad quam fit fluxio, illam neque ita facilem, neque ita promptam ad fluxionem admittendam reddimus, valentemque, & robuſtiorem ad eam repellendam. Id autem præſtare poſſunt, quæ meatus particulæ conſtipant, eiuſque ſubſtantiam denſant: qualia ſunt, quæ aſtrictiore facultate prædita ſunt, & quæ refrigerant. Vt enim calidum laxat, & dilatat: ita frigidum denſat, & conſtipat. Igitur non modo reuulſione occurrendum eſt fluxioni, cùm illam immoderata ſequitur inanitio, vnde fit lipothymia, ſed etiam muniendo, ac roborando particulam illam, ad quam confluunt, & irruunt fluentes ſucci, & per quam fit vacuatio. Localia ergo remedia apponenda, quæ id præſtare poſſint. Sed, & hic in horum remediorum vſu cautum eſſe medicum oportet, & naturam particulę diligēter ꝑpendere. Nam & ſi omnes quidem in hac neceſſitate aſtringentem facultatem facilè ferāt: vt pote quæ ſua natura ſoleat omnes partes roborare: aliquæ tamen non facilè, neque ſine noxa illa ferre poſſunt, quæ actu refrigerant. Quę enim neruoſa

ſubſtan-

ſubſtantia conſtant, ab adminiſtratione frigidiorum, A quę actu frigida ſunt, quam maximè lęduntur. Cum enim exanguia ſint, facilè calor eorum a frigore ſuperatus, aut extinguitur, aut langueſcit. Sed quæ etiam inſignē aliquā, & neceſſariam habent operationem, vt iecur, ab inſigni calore plurimū lędūtur: ſicuti thorax, qui inſpirationi inſeruit cū inſigniter refrigeratur, & tuſſim affert, per inter coſtales partes facilè ad pulmones penetrante frigore: ac præterea refrigeratis neruis, qui muſculis facultatē motricē, afferūt, & ſepto tranſuerſo. Vnde ſemper ad reſpirandi difficultatem, & anguſtiā ſæpiſſimè perueniunt. Non tamen ita frigus actu etiam capiti noxium eſt exterius: immo ſæpiſſimè remedia actu etiam frigida, tum repellendi gratia, tum ſiſtendi ſanguinis profluuia, & con- B ferunt, & facilè feruntur. Cuius ea ratio eſt, quia os caluarię craſſum eſt, & denſum, quod non facilè pertranſit frigus vſque ad internas partes, retunditur enim frigoris vehementia in tranſitu. Vnde cū caluaria frangitur, aut terebello aperitur: in media ēt ęſtate cauemus à frigidiori aere. Ad compeſcendum ergo ſanguinis profluuiū è naribus capiti, & fronti frigida, & refrigerantia, præter ea, quæ aſtringunt, apponimus. Non autem omnium idē modus, quo remedia, quæ localia dicuntur, & refrigerando, vel aſtringendo, vel emplaſtica ratione ſanguinē fluentē reprimunt, ſed aliquando diuerſus pro ratione partis, in qua vena eſt, ex qua vel rupta, vel aperta fluit ſanguis. Nam ſi ex pectoris internis venis, aut exterius ea tho- C raci, quæ aſtringunt, adhibemus, vel delingenda interius offerimus. Ita ſi ex ventriculo, illi imponimus. Si ex capite, frōnti & capiti, ſi ex aliqua vena ꝓfundiori: verum ſi ex vena, quæ in ſummis, vel externis partibus ſedem habeat, imponimus medicamenta ea, q̄ quod vim ſanguinem ſupprimendi habeant ἴσχαιμα dicuntur. Sicuti ſi in naribus ſit, aut eroſa, aut fracta, vena, paratam veluti glandem, ſiue tentam confectā ex his: vel cui, hæc ſint illita, quæ ſanguinem ſupprimunt, imponimus. Ita ſi ex vulnere profluat, vulnerato loco, Medicamenta vero eiuſmodi (vt hic exponit Stephan. & quinto Metho. docuit Gal.) nempe q̄ ſanguinē cohibent, triplicia ſunt. Aliqua quidem dēſando, & aſtringendo, vt aqua frigida. Ita enim videtis lauari nares, & frontem, atque per nares attrahi D frigidam aquam ab ijs, e quorum naribus ſanguis eruperit. Item & oxycratū, hoc eſt aqua ex aceto mixta. Alia ſunt, quę emplaſticam naturam habent, & ob linendo obſident, & obſtruunt meatus, per quos exit ſanguis, ſicuti medicamentum, quod fit ex albumine oui, aloe, thure, pilis leporis, & iſtiuſmodi reliquis. Alia vero, quæ inuſta parte, vnde effluit ſanguis, cruſtā inducunt, quæ veluti operculum quoddam eſt vaſi, prohibens exitum: id autem fit, aut ignito ferro, aut medicamentis, quæ cauſtica appellantur, quia exurendi facultatem habent. Sed ad rationem curandi vulnera hæc magis pertinent, quæ tractata copioſè, & lucidè habentur quinto Method. E

Balnea vero influxionibus quidem ad vētrem aptiſſima ſunt, ſanguinis vero fluxu acriter, &c.

VT ſæpius dictum eſt, futuræ lipothymiæ reluctamur, quæ ex immodica vacuatione excitatur, ſi vacuationi obſiſtamus, vt eam reprimamus. Reprimimus autem dupliciter: nimirum ſi alio conuertamus ſuccorum impetum ruentium ad locū, per quē fit vacuatio: prętereà ſi obſtruamus exitum, & ita locum roboremus, vt poſſit repellere irruētem humorem. Alio vero ſuccos auertimus, ſi eos mouere nitamur, motione oppoſita illi, qua mouentur. Vnde ſi vacuatio per ventrem fiat, intro confluunt humores, dum eo feruntur. Siſtemus ergo hanc fluxionē, ſi ad exteriores, immo ad extimas corporis partes reuocauerimus. Quòd ſi vacuatio fiat per cutim & extimas partes, ſicuti quando ex ſudore nimio imminet animi deliquium, nos a cute repellimus motum humorū ad interna. Quòd ſi contra fecerimus, & eodē motu mouerimus, ſicut ſponte ipſi mouebantur prius, nō reſiſtemus immoderatę vacuationi, ſed ipſam potius iuuabimus, & irritabimus. Attrahunt autem ad exteriores partes, quę materias fundūt, & cutim, ſubiectas quòd particulas calefaciendo rarefaciunt: ſicuti q̄ denſando, vt refrigerantia, vel aſtringendo cōſtipant exterius adhibita ab extimis ad intima retrudunt humores. Quare cùm omnia, q̄ calefaciunt, itē & rarefaciant, & fundant: calefacit autem motus, & dolor, & balnea calida. Non eſt ergo mirū, ſi balnea, & ſudores cōcitent, & ſi ſanguinis profluuia augeāt, fundunt enim ſanguinem, & rarefaciunt: vnde, & in maiorem tumorem attollunt, vt quaſi efferueſcens facilè effluat. Omnia hæc ergo, nempe balnea, artuū doloroſa vincula, ad vomitū irritatio, motio corporea laborioſa noxia ſunt delinquēti animo, aut ex ſudore, aut ex ſanguinis profluuio. Non tñ putetis, ꝙ ego negē, quin ligaturæ remotis, & contrarijs partibus adhibitæ non ſiſtant ſanguinē fluentem: cùm in contrariam partem illum reuellant. Sed dico, ſi illæ parti vnde fluit, applicentur. Immo etiam ſi immodicus per vincula concitetur dolor, vel etiam in parte remota, violenter motis ſpiritibus, & ſanguine, augetur, & irritatur fluxio. Vnde nimis ſudanti corpori ſuccurrendum eſt ijs, quæ refrigerant. Et ſi ad reuocandum animi deliquium vinum dandum, illud frigidum dandum: contra vero, ſi ſudor eſſet prouocandus, calidum daremus. Vinum enim inſtaurans ſpiritus a lipothymia reuocat, & tuetur: frigus vero actuale eius, & meatus conſtipat, & humores incraſſans, & cogens ineptiores reddit ad fluxum. Præterea vero aer frigidior, & ita paratus, vt vim aſtringendi habeat. Paratur autem, ſi locus inſternatur illis, quæ vim habeant, tum aſtringendi, tū refrigerandi: vt eſſent myrti folia, roſarum, vitium capreoli, rubi folia, pyrorum, malorum, & id genus alia. Vt autem hæc ad coercendum ſudorem vtilia ſunt: ita noxia ſunt, quando ad ventrem inferius ſucci confluunt. Conſtipata enim extima cute, omnia interius repelluntur. Contra vero balneæ ſudanti noxiæ, & profluuio ſanguinis, vt pote, quæ ea augeant. Exemplum enim ab Hippo. & Gale. habemus tertio lib. Com. in primum Epid. vbi Metonis caſus expo- Com. 23. nitur, cui cum parce ſanguis efflueret, neque quantum ſatis futurus eſſet, loto capite, liberaliter effuſus eſt, vt integrè deinde fuerit indicatus. Satis autem hæc ſunt ad eam tractationem, qua ſymptomatibus, quæ ex inanitione excitantur, & virium exolutione, occurrendum ait Galen. nunc ad illa, quæ contrariā affectionem, hoc eſt, plenitudinem, vel multitudinem humorum ſequuntur, tranſeundum eſt, quæ quidem vt contrariam ſequuntur affectionem: ita & contrariam curationis rationem requirunt.

At qui ex multitudine, non ita, verum in illis artus quā plurimum fricare oportet calefacere, atque alligare, &c.

TRITISSIMA eſt philoſophi ſententia, quòd oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Et quamuis deliquium animi proximè, & in vniuerſum vnā (vt ſuperius expoſuimus) & eandem habeat rationem: quia tamen ſi ad cauſas, vnde excitatur, reſpiciamus, quæ variæ ſunt, immo etiam mutuo oppoſitæ, & pro cauſarum varietate, variam etiam ſortitur curandi rationem: Ideo tantum hunc modum exolutionem, vel defectum animi, qui ſequitur inanitionem, de quo hactenus ſermonem habuimus, &

& illum, qui repletionem, de quo in præſentia ſumus habituri, dicemus eſſe oppoſitos. Vnde expleta tractatione prioris, illi ſubiungit rationem curandi hunc poſteriorem.

F I T ergo is lipothymię modus ex multitudine. Quare ſi ad hanc rationem ſpectes, ſtatim vacuationis indicatio exurgit. Vnde iunior, qui nōdum conſumatus ſit in hac arte, accederet fortaſſe ſtatim ad euacuandum, vel per purgationē, vel per ſectionem venæ. Sed, (vt duodecimo Meth. exponit idem Gal. ij, qui vel nulla tentata vacuatione ſponte fere in lipothymiam incidunt, longe magis incident, ſi repente vacuentur. Nā, & plurimos videmus, qui dum vacuantur, aut ſecta vena, aut medicamento, animo deficiunt. Quia cauſa, quæ mouetur, vt ſecundo, de Cap.5. Sympt. cauſ. docet Gale.) magis moleſta eſt, præſertim vero, ſi confertim, & celeriter moueatur. Et proinde vacuationes, quæ validæ ſunt, & materias con- Aph.3. fertim cōmouēt, periculoſæ plurimum ſunt. Sed hic eſt conſiderandum, quòd huic ſententiæ videtur aduerſari tam Hip. quam Gal. primo Apho. qui præcipiunt pleniores habitus, & in extremo bonos, quales ſunt athletarum, ſtatim ſoluendos eſſe. Item in li. de Cap.5. Cur. rat. per ſang. miſſi, hanc plenitudinem celeriter vacuandam eſſe ait, prius quàm ingens aliquod malum efficiat. Iuniores quidem dicunt, quòd multitudinis quod πλῆθος dicitur, nomen eſt duplex, & ambiguum. Quod niſi exponatur, vel diſtinguatur, confuſionem, & errorem facilè poterit parere. Nam aliquando, præſertim cùm ita abſolutè profertur, ſolet accipi pro ea plenitudine, vel multitudine, quæ C ad vaſa dicitur, & ea ſignificatur venarū, & vaſorum omnium multitudo ſanguinis, vel omniū humorum ſimul, quæ etiā collectio ſanguinis dicitur (vt ſæpè monuit Gal.) præſertim vero cùm certam, & naturalem inter ſe ſeruant proportionem. Et ſecundum hunc modū non eſt is locus intelligendus, quia falſa eſſet Galen. ſententia, & contraria. Hippocr. in 1. Aph.2 Apho. talis enim eſt athletarum habitus, qui ad ſummum bonitatis peruenit, quique, niſi ſtatim ſoluatur, ſuffocationem natiui caloris afferre poteſt, vel multa alia incommoda. Vnde ſtatim illi ſecanda eſt vena, & ſanguis copioſus mittendus: neque timenda eſt lipothymia: cùm vires cum hoc habitu, & hac plenitudine validæ ſunt, niſi tandiu moremur, vt iam D fere ſit ſtrangulatus calor, & iam ſuperuenerit ſyncope, vel lipothymia. Alia vero eſt multitudo, quæ nō ad vaſa refertur, ſed potius ad vires vel facultatē, cum videlicet moles humorum ſuperat rationem virium, & hæc omnia eſt legere in Gal. lib. de mult. vel vel plen. Et quia in hac nō eſt multitudo ſanguinis, vel bonorum humorū, ſed potius malorū, & vitioſorum: quoniā ſi boni eſſent humores, & ſanguis, vires omnino integræ, & validæ eſſent, neque timenda eſſet vacuatio, neque animi deliquiū ex ea. De hac ergo multitudine aiunt iuniores quidā, hic Gal. loqui, in qua minime vacuationes inſignes ſunt tentandæ, quia infirmæ vires eas nō poſſent perferre. Mihi tamen nequaquam horū probatur ſentētia, & id mul- E tis rationibus: neque enim cum Gal. videtur conſentire. Nam cum ſuperius ſimul coniunxerit duos corporis habitus fere oppoſitos, videlicet alterum, cum nimis ſiccum, & ſqualidum corpus fuerit: qui quidem proculdubio ex proportione reſpondet affectioni factæ ex inanitione, vt diximus: alterū vero, cùm nimis plenum fuerit: & is affectioni ex multitudine excitatæ reſpondet. Ac de priori quidem ſit factus ſermo: iure merito de altero erat in præſentia agēdum. Pręterea vero, & hic, & ibi ſine vlla præterea alicuius humoris appoſitione, cuius humoris ea ſit plenitudo. Gal. autem ipſemet 2. de Comp. med. ſec. loc. ferè inter initia ait, cùm ſine vlla alia additione vſur- A pamus nomen multitudinis, vel plenitudinis, intelligenda eſt redundātia, aut ſanguinis, aut quatuor humorum æqualiter: cùm autem aliorū ſeorſum copiā ſignificare volumus, dicimus plenitudinem, vel multitudinem pituitæ, vel bilis flauæ, vel atræ. Ad hoc etiam facit: quia plenitudo ad vires, vt & ipſi fatētur, comprehendit cacochymiam, & copiā aliorū a ſanguine ſecretorum humorum. Hæc vero curatio, quæ hic inſtituitur, huic plenitudini vniuerſę nequaquam poteſt accōmodari. Cùm enim duplex ſit natura vitioſorum humorum pertinentium ad hanc plenitudinem: Nā aut frigidi illi, craſſique, crudiue ſunt, aut tenues, calidi, & acres: & vt hæc curatio poſſit quidem prioribus aptari: alterius adeo non eſt commoda, vt potius illis ſit noxia. Quandoquidem vtitur B calefacientibus, attenuantibus, ſecantibuſq; . Et hæc, vt poſſunt prodeſſe craſſis, ac crudis humoribus: ita illis oberunt, qui referti ſunt calidis, tenuibus: & acribus. Sicutique illi poſſunt inediam perferre facilè, qui crudis ſcatent humoribus: ſic iſti ab ea quam maximè lædi poſſunt. Niſi fortaſſe volueris dicere Gale. nō de omni in vniuerſum plenitudine referenda ad vires in præſentia ſermonem habere, ſed de ea duntaxat, quæ conſtat crudis, & frigidis ſuccis. At nō animaduertis deinde, quòd manca, & mutila erit Gal. ars, & doctrina: vtpote in qua ſit curatio alterius partis prætermiſſa, quæ non minoris eſt momenti, & periculi. Quare neceſſe mihi eſt ire in aliam ſententiam, & putare Gal. hic accepiſſe, ſicut ſuperius, multitudinem pro ea, quæ & plethora. Græce dicitur.

A D rationes autem ſuperius adductas, quamuis apparentes videntur, non eſt difficile reſpondere. Sed prius quædam ſunt conſideranda: nimirum, quod in 1. Aph. & in lib. de rat. cur. per ſec. ven. Galen. ſermo eſt de pleno corporis habitu ſoluendo in ſanis corporibus, dum integra adhuc fruuntur valetudine, & integris viribus. Hic autem cùm iam morbo, & difficili febri correpti ſunt: in quo timemus, ne in initijs acceſſionum animo deficiant, vt cùm de his verba faceret Gal. dixit ſuperius, Quia calor natiuus a multitudine iam ſtrangulari cœpit, & ex parte inde extingui. Nam cum in principijs acceſſionum, in quibus in profundum confugientibus ſanguine, & ſpiritibus, maior adhuc ſit caloris oppreſſio: & ideo maior ſtrangulatio, & extinctio. Et cùm euacuationes, copioſè, & confertim factę ſępe ad animi deliquium, fortia etiam corpora deducant: magis illæ timendæ erunt in ijs, qui iam propenſi ſpontè ſunt in animi deliquium. Dico ergo, quòd ſicut ignis, cùm opprimitur, & in extinctionem vergit, ob multam molem lignorum etiam aridorum, facilius extinguitur, ſi repentè, & confertim ligna commota detrahantur, quam ſi paulatim: noxia enim cauſa agitata magis nocet: Ita etiā copioſè, & confertim factæ vacuationes magis nocent. Quare prudenter monet. Gale. ad ſuccurrendum, & occurrendum futuræ, & imminēti lipothymiæ, illis vtendum eſſe remedijs, quæ ſimul, & reuellunt, & euacuant: frictionibus nempe, & vinculis, quæ ad extimas, & extremas partes multitudinem, quæ viſcerum natiuum calorem ſuffocando extinguit, eam digerendo, attenuandoque vacuat, non confertim agitando, ſed modeſtè, & paulatim: ne vis repentè naturæ fiat. Præterea vero abſtinentia vini, & cibi. Nā abſurdū eſt (ait Step.) vbi multitudine laborant, multitudinem addere multitudini.

Q V O D ſi item dicas, cętera non congruere: neque enim videntur medicamenta, quæ ſequūtur, videlicet decoctum thymi, origani, pulegij, hyſſopi, quæ calefaciunt, attenuant, & incidunt, vt oxymel etiam conuenire. Ad hoc reſpondemus, quod attenuantia etiam vacuant, dum uim digerendi, & diſcutiendi habent, & rarefaciendi: præterea attenuando

do faciliores ad diſcuſſionem humores reddunt. A Balneis quoque abſtinendum eſſe ait, cùm febricitãt: quia iam ſuperius fuit expoſitum, balneas febricitantibus obeſſe, cùm morbus crudus eſt.

Et quæ etiam ex vtero laborante exoluuntur, non aliter curandæ ſunt, excepto oxymelite, &c. Si ratio curationis prima ab ipſa curandi affectus natura petenda eſt: neceſſe etiam erit, vt ſimiles affectus ſimilem habeant curationem. Quod autem ſtrangulatio, & exolutio, quæ vitio vteri fit ſimilem habeat rationem cum ea, quæ ex multitudine fit, ex ijs, quæ ſuperius expoſita ſunt, dum de cauſa iſtius exolutionis ſermonem haberemus, facile percipi poteſt: cùm dixerimus vterum, dum menſes intercipiuntur, impleri, eiuſq; vincula: vt ea de cauſa quaſi ſurſum retracta ſuperiora B viſcera repellant. Erit igitur & hic affectus ex plenitudine. Similibus ergo remedijs eget. Et ſi aliqua intercidit differentia, ea non à natura affectus erit petenda, ſed potius a natura particulæ affectæ. Nam quantum ad materiam ipſam, & multitudinẽ oxymel accommodatum eſſet: ſed vteri natura illud non poteſt ferre: vtpote quoniam acetum illis omnibus partibus, quæ neruea ſubſtantia conſtant, ſicut, & neruis aduerſariũ eſt (frigidum enim, & ſiccum eſt,) & vtraque ratione lædit, longe etiam magis, quia tenuiſſimarum partium eſt. Vnde eius nocumentum pertingit ad intimas vſque partes. Et proinde oxymel ὑστεραλγὴς, quaſi vtero dolorem afferens ipſum appellauit Hip. 3. de Rat. vic. in acu. mor. Item in ſuperiori affectu, æquè fricandæ erant partes omnes, C vt materia in habitum totius attraheretur, digereretur q;. In hoc autem ex vtero, cùm ex retractione ad ſuperiora fiat hæc exolutio, vacuanda ſanè ea materia eſt, quæ replet, ſed eo modo vt vterus ad inferiora reuulſus non comprimat ſuperiora viſcera. Vnde fricanda imprimis crura docuit ſitus vteri, potius quam brachia. Cucurbitulaſque itidem non ſub mammis affigendas, vt cùm eius immoderatum profluuium compeſcere volebamus, ſed inguinibus, & coxis, vt vel deorſum, ſi aſcendit: vel in latus diuerſum, ſi fuerit in latus retractus, retrahatur. Præterea vero, & ex natura imprimis affectæ particulæ ratio vſus odorũ, vel grauiorum, vel gratioſorum: vt videlicet mulieri, quæ ſtrangulationi ſit obnoxia, odoranda fætida D offerantur: bene olẽtia vero inferius vtero adhibeantur. Nam e fætidis quaſi refugiens, deorſum conuertitur: ſequitur autem benè olẽtium odorem gratum. Vnde quæ vterinis affectibus obnoxiæ ſunt, ferre nequeunt odorem, aut moſci, aut ambræ, aut rerum aliarum gratum aliquem odorem redolentium. ſtatim enim, aut dolore capitis vteri conſenſu tentantur: aut etiam ex eodem vtero ſtrangulantur. Sed hic parumper conſiſtendum. Et primum conſideremus, quòd etſi oxymel vtero non admodum commodum eſt, ratione (vt diximus) aceti. Non tamen omne oxymel, ſicut nec omne acetum, eſt vtero aduerſarium. Nam nono de Comp. med. per loc. conſulit in ſtrangulatione vterina, ad excitandum ſtrangulatam mulierem dandum eſſe acetum ſcillititum abſorbendum. Siquidem ex ſcilla acetum deponit frigus quo E lædit vterum. Præterea vero neque propter hanc Galen. auctoritatem, & illam etiam Hipp. 1. de Rat. vic. in acut. morb. quòd acetũ, & oxymel magis noxium ſit mulieribus, quam viris propter vterum, debetis putare, ita interdicendum eſſe vſum aceti in vteri affectibus, vt eo nunquam vtamur. Nam ſi eſſet impacta multa materia lenta, & craſſa, obſtruens venas vteri, nullum putarem errorem committi a medico, qui oxymelite vteretur, tanquam medicamento, & illo cum alijs ſyrupis, vel decoctis ad attenuandum, & incidendum accommodatis. Et quamuis natura iſtius particulæ videatur ſecus indicare, illi tamen, & partem ſuam dabimus, ſi oxymel, paremus, vt Hippocr. & Galen. parari docuere tertio de Rat. vict. in acut. morb. Com. 36. & 37. Qua parte conſiderandum eſt, quòd alia ratio oxymelitis eſt, cùm eo ſolo vtimur, loco alimenti, & potus, vt conſueuerant antiqui medici in peracutis morbis, in quibus ſolo potu alebant ægrotantes. Potus autem erat, aut oxymel, aut mulſa, aut apomeli. Alia vero eſt cùm vſus eius eſt in morbis minus acutis, ubi præter potum utebantur, & ſorbitione ut aut hordei cremore, aut ptiſana. Alia etiam ratio cùm eo duntaxat tanquam medicamento utimur, ut cum eo, uel cum alijs medicinalibus decoctis, uel ſyrupis utimur. Nam cùm eo ſolo ſine alia ſorbitione utimur, magis acetum imprimit, & in inteſtina, & in alias neruoſas partes, cùm nudas eas, aut nullo munimento defenſas inueniat. At ſi alius præceſſerit cibus, uel ſorbitio, illiniuntur interim illo partes, per quas eſt illi tranſitus: ut neque deinde illis infigi, & eas abradere ita facilè poſſit: & quoquomodo obtunditur eius acrimonia, & quo longior eſt uia, eo magis obtunditur. Hoc autem loco, ſi rem rectè perpendas, de eius uſu eſt ſermo, quando eo ſolo, tam cibi, quam potus uice utimur: neque tamen tollitur, quo minus poſſimus, tanquam medicamento uti, & cum alijs mixto, ut illis addat uim maiorem ſecandi, & detergendi. Cui etiam accedit, quòd ſi oxymel parum acre fuerit, nempe ex modico aceto, parum admodum habet (ut ibidem ambo docuere) quod poſſit nocere: plurimum uero, quòd prodeſſe. Sed maius uidetur negotium nobis faceſcere particula alia: quæ & ſi, uel mulierculis ſit nota: ut pote quæ quotidie id experiantur, difficile tamen eſt rationem inuenire, cur ita fiat. Porro, quòd bene olentia naribus allata, & odorata, quam maximè mulieres, quæ uterinis ſtrangulationibus obnoxiæ ſunt, lædant: inferius autem coxis appenſa, uel iniecta in partes genitales, eas ab eo ſymptomate leuent: malè olentia uero: contra nemini non notum eſt, cum id quotidie doceat experientia. Qua tamen de cauſa id accidat, pauci ſunt, qui norint. Nam, quòd, uel animal ſeorſum ſit uterus, purum eſt delirium. Quòd etiam odores poſſit diſcernere, & percipere ineptum eſt credere, cùm organum ad percipiendos odores ſint nares, uel pars aliqua intra nares: neque eius ſenſus, uel organum ſit particeps uterus. Step. autem iſtius rei rationem ſubtilem refert. Sed meo iudicio nimis ſubtilem: & ideo quæ neque mihi admodum ſatisfaciat. Ait enim, quòd cerebrum percepta moleſtia, qua a graue olentibus officitur, in ſe reuocato ſpiritu odoratorio, contrahitur: tum ut moleſtiam fugiat: tum ut inimicum uaporem extrudat: quod deinde naturæ affinitate, & cognatione alię ſequntur partes, quæ & ipſæ contrahuntur, atque contractæ facilè uterum deorſum depellunt. Equidem ſi ingenuè uelimus loqui, primum non intelligo, quo nam pacto cerebro contracto, contrahantur, & reliquæ partes. Niſi dicas, Id ea fieri ratione, quòd cùm ſit initium neruorum eo contracto, contrahuntur itidem & nerui: quos neceſſe ſit, & eas partes ſequi, quibus affixi ſunt, vel per uenas, uel per arterias neceſſe eſt attractionem fieri, uel ratione uacui. Quæ omnia mihi præter omnem rationem uidentur. Nam is eſſet quaſi epilepſia quędam, aut alioquin cõuulſio, Præterea nullam rationem affert, cur odorata coxæ, uel membris genitalibus appoſita deorſum detrahant uterum: naribus uero oblata, ſurſum attrahãt. Vnde multas uidimus, quę odore moſchi percepto præfocatæ ſunt: ſicuti ex graui odore appoſito infernis partibus. Quare licet ipſe omni ope nitatur oſtendere reſponſionem congruam eſſe: Mihi tamen uidetur potius abſurda: quia cùm ad uterum plurimi ferantur nerui: & cum capi-

te vterus non paruum habeat conſenſum, & na-
turalem cognationem (vnde ſæpiſſimè male affecto
vtero caput dolet) ſicuti aliæ particulæ ſurſum ſe-
quentes contractum præ moleſtia cerebrum; ita &
vterus potius aſcenderet, quàm deſcenderet. Alij ve-
ro ſunt, qui aiunt, ꝙ ex graui odore ſenſu olfactus ꝑ-
cepto refugiunt ſpiritus ad vterum, qui ex retentis
menſibus, vel ſemine refrigeratus, & frigidis vapori-
bus ad cor elatis illi moleſtiā affert. Vnde ex ſpirituū
copia vterus calefactus malam eorum frigidorū ex-
crementorum naturam ſuperat. Cùm vero ſpiritus
præſertim odoribus bonis, & gratis refocillentur, &
quaſi alantur, augeanturq;. Ideo odorem earum ſup
poſitis inferius bene olentibus, & odoratis rebus ge-
nitalibus partibus arteriæ attrahentes, & intempe-
riem frigidam emendant, & ſpiritus inſtaurāt: vt de-
inde nihil mirum ſit, quòd ab his ſymptomatibus li-
berentur. Sed neque mihi ſatisfacit hęc reſponſio: pri
mum, quia cum totum corpus tranſpirabile ſit, ar-
teriæ odorem bene olentium rerum poterunt vnde-
quaque attrahere, ita ſi naribus, vt ſi vtero apponan-
tur, quæ gratum odorem ſpirant: & ita vel paulò
maius ex naribus, quàm ex genitalibus membris re-
Aph. 59. focillari poterunt ſpiritus. Vnde Hippoc. tanquam
ſigno efficaci cognoſcendum proponit, an mulier
fœcunda ſit 5. Aphor. ſi mulier pannis contecta ſuffia
tur inferius ex vtero, ac ſi in totum corpus vſque ad
nares, & os permeet odor rei ſuffitæ, mulier illa fæ-
cunda erit; alioquin infæcunda. Sed eodem etiam 5.
Com. 28. in eo. Aphor. Suffitus aromatum mēſtrua ducit, Gal.
ait, ꝙ niſi capitis dolores, quos huiuſmodi ſuffitus
calefaciendo, & implendo ſolet excitare, dum per to-
tum corpus permeat, timeremus ad remouendas fri-
gidas, & humidas affectiones corporis utiles impri-
mis eſſent. Siue ergo per inferius, ſiue ſuperius odo-
res oſſeruantur, hac ratione attractus poterit ſpiri-
tus refocillari per vniuerſum corpus, & inſtaurari, &
remoueri intemperies, ſi qua frigidior ſit. Præterea
vero non quocunque odore grato alitur corpus, vel
ſpiritus: ſed odore eorum, quæ vim alendi habent.
Vnde in curando deliquio animi in bulimo, non
quoſcunque, vel etiam gratos odores offerimus: ſed
eſculentorum, ſicut toſtarum carnium, quæ bene
olent, & iſtiuſmodi aliorum; ita vini aromatici, &
id genus aliorum. Non autem odorem moſci, aut
appellatæ ambræ. Quia quæ ipſa non alunt, quam-
uis odore delectent, & quoquomodo ſpiritus cōfor
tent delectando: attamen non alunt, neque ſpiritus,
neque corpus. Gratus tamen odor cibi, & odoratum
vinum & ſpiritus, & corpus delectant, & inſtaurant.
Nam & Democritum per dies aliquos odore panis
recenter cocti vixiſſe memoriæ proditum eſt, non au
tem odore piperis, aut ſtyracis, aut id genus aliorū.
Quemadmodum enim de potu exponit eo Commē
Com. 11. tario ſecundo Aphor. Citius refici potu, de potu, qui
vim alendi habet: ita etiam de odore earum rerum,
quæ alere poſſint intelligendum eſt, quod citiſſimè
alunt. Difficile eſt hanc diſſoluere quæſtionem, niſi
confugerimus ad quandam naturæ proprietatem
iſtius particulæ, quæ potius experientia nobis inno-
tuit: quàm quod ratione poſſit a rei natura deprom
pta probari. Si tamen velimus & nos aliqua com-
miniſci ad diſſolutionem nodi iſtius difficilis: dicere
poſſumus, quòd in omni ſenſu (vt & Ariſtot. ſecun-
Cap. 6. do de Anima, & Galen. primo de Symp. cauſ. expo-
ſuere) ſua reperitur delectatio, ſeu voluptas, & ſuus
dolor, & triſtitia. Non fit autem inſignis voluptas,
vel dolor ſine multa, & confertim facta (vt ibidem
docet Galen.) organi tranſmutatione. Nam quæ
ſenſim fiunt tranſmutationes in ſenſorijs latent ferè
ſenſus. Nec modo, non fiunt hæc ſine tranſmuta-
tione organorum, verū neque etiam ſine motu ſpi-
A rituum, & ſubinde ſanguinis. Vnde eos, qui in de-
litijs, & voluptate verſantur, bene coloratos vide-
mus, & quaſi de facie cognoſcimus: contra vero il-
los, qui in dolore, & triſtitia. In voluptate enim
ſpiritus, & ſanguis expanduntur, & quaſi geſtiētes
efferuntur, concitato motu ad locum voluptatis, vt
quaſi iuuent facultatem ad percipiendam volupta-
tem maiorem: nec modò ſpiritus, & ſanguis, ve-
rum & cor expanditur, aut mouetur in his affectio-
nibus. Nam, & Ariſtot. tertio de Anima in delecta
tione, & triſtitia commoueri ait. Contra vero in do
lore, vel triſtitia refugiunt ſpiritus, & ſanguis in in-
tima viſcera. Vnde in olfactu grauium odorum a mo
leſtia eorum odorum afflicta facultas ſentiendi inte-
B rius refugit, & ſpiritus etiam interius in profundum
verſus cor refugiūt, vt ibi collecti redeant poſtea va-
lentiores ad propellendam moleſtiam, & cum eis
ſanguis quoque mouetur, & eo impetu primum re-
pellunt deorſum vterum, qui aſcenderat: deinde
quia ibi locus interior caleſcit magis collecto ſangui-
ne, & ſpiritu facilius diſcutiuntur frigidi, & vitioſi il
li vapores ex menſtruo ſanguine, vel ſemine corru-
pto elati, atque intemperies frigidior impreſſa emen
datur. In bono vero odore naribus percepto, dum
efferuntur ſpiritus ad ſuperiora, & expanduntur cū
ſanguine præ voluptate, loca illa frigidiora relin-
quuntur, vaporesque illi mali facilius ad ſuperiora
elati per arterias ad cor feruntur, & ita animò defi-
ciunt ſtrangulatæ. Cùm autem inferius apponun-
C tur, ea quæ bene olent, trahitur quidem vterus de-
orſum, & a lipothymia imminente liberantur: non
ob aliquam delectationem, quam ex odore per ſe
poſſit vterus percipere: quia ſenſus iſtiuſmodi ex-
pers eſt, ſed potius (vt nunc exponemus per accides.)
Vnde & Gal. nō abſolutè protulit odorata eſſe ſup-
ponenda: verū addit, & quę laxare, & calefacere poſ-
ſint. quę enim bene olent, & vehementē habent odo
rem. (Nam hæc huic rei ſunt accōmodata, vt aroma-
ta omnia, ſtyrax, mirrha, thus, & id genus alia, vt tra
didit Gal. 4. de Simpl. med. fac.) tum tenui ſunt ſub-
ſtantia, tum calida, & hac de cauſa operantur, & iu-
uant. Quapropter de his ita ait ipſe 5. Aph. de ſuffitu
aromatum habito ſermone, ſua vi, ait, aperit vaſorū
D extrema obſerata: extenuat humorum craſſitudinē,
obſtructiones vero incidendo exobſtruit. Tum calo-
faciendo ergo, & laxando: tum aperiendo & digeren
do iuuant. Hęc ſunt quæ mihi in præſentia occurre-
re: quæ forſitan ad plenum vobis nō ſatisfacient: ſed
ea donec meliora inueniamus ſint ſatis.

*Si vero os ventriculi fuerit imbecillum, atque ideo animi ſe-
quatur defectus, ea, quæ roborandi vim habent, &c.*

VITIO etiam ventriculi interdum fit animi
deliquium: quod tribus modis fieri ſolet. Interdum
quidem, quia ipſe, vel potius eius os, quod ſtoma-
chum propriè appellauere antiqui, adeo languidum
eſt, & vires adeo imbecilles habet, vt vel minimo
quocunque incommodo ex multa ſenſus acrimonia
E lædatur. Poteſt autem hæc imbecillitas, vel ad vnā,
vel ad plures facultates pertinere: nēpe, vel ad conten
tricem, vel ad concoctricem, vel ad vtranque: ſæpe
enim in continendo laborat ventriculus concoquen
do. Interdum etiam, quia non appetit: immo abo-
minatur cibum, & cùm offertur, non modo reſpuit:
verum & eum faſtidit: & quia animo deficit, dum
is, qui laborat, vult ipſe ſeipſum, vel aliorum cōſilio,
ad comedendum cogere. Eiuſmodi vero imbecillitas
ab aliqua intemperie efficitur, quæ aut laxitatem ſub
ſtantiæ eius attulit, ſicuti aut humiditas, aut calor.
Calor enim rarefacit, & ita laxiorem reddit. Humi-
ditas autem emollit, & eneruat eius vires. Frigiditas
vero quamuis denſet: deijcit tamen vim caloris nati-
ui, & proinde concoctioni officit.

A VBI ergo ſola ſit imbecillitas, neque vllus contineatur vitioſus humor calidus, & acris, vel frigidus, & grauis, oportet imbecillitatem tollere, & roborare ventriculum, remota intemperatura, plerunq; aſtringētibus, & illis, quæ robur addunt ventriculo, vt per ea laxitas tollatur, & mollities. Quòd ſi adſit etiam prætereà tãtus calor, vt æſtuare, & quaſi exuri videatur, addenda ſunt, & quæ refrigerent, vt calor remittatur. Sin vero potius cõquerantur, ꝙ frigeat os ventriculi calefacientibus erit occurrēdum. Sed particulatim ad remedia exponenda accedamus, quorum Gal. meminit, & ad modum vſus, & adminiſtrationis eorum, vt in nulla re noſtra a vobis diligentia deſideretur. Aduertatis ergo medicamenta hæc, quę exterius ventriculo adhibentur, confici varijs modis, B & formis, ex eiuſdemque omnino ſimplicibus: & id pro varia ratione affectus, vel natura laborantis corporis. Nam interdum componimus cerata: aliquando emplaſtra: nonnunquã (vt aiunt) vnguenta: quandoque illitiones, vel linimenta. Vnde ex his ſimplicibus, quæ hic commemorat, 8. de Comp. med. per loc. docet cerata componere; hic vero emplaſtra, & perfuſiones, quas embrochas Græci, & iuniores eos imitati appellant. Ex his autem oleis, quorum hic meminit Gal. tanquam aptis ad perfundendum, poſſunt illis commixtis, & modica cera addita parari linimenta. Nullus autem horum modorum eſt, qui magis imprimat, quam emplaſtrum: conſeruat enim diutius vim medicamentorum, & craſſius apponitur. Sæpe tamen (vt inferius exponemus) C grauat, & pondere moleſtum eſt, vt quãdoque ventriculus, vel eius os moleſtiã diutius ferre nequeat. Ceratum vero minus aggrauat, tenacius, & diutius hæret, reliquimus enim, id plerunque, donec cõſumpto omni eius humore pingui, & viſcido, cuius ratione hærebit, ſponte cadat. Interdum tamen, quia maiorem duritiē habet, & ipſum moleſtum eſt. Perfuſiones vero, & illinimenta, quia cito defluunt, non ita poſſant potenter efficere, quod deſideramus. Ceratum ex his cõponit, vt diximus .8. de Comp. med. per loc. ſtatim a primo capite. Sed hic aduertendum, ꝙ Galen. ait in eiuſmodi affectu, cum animi defectus ex imbecillitate ventriculi, vel oris eius timendus eſt: illi occurrendum eſſe vſu eorum emplaſtrorum, D quæ hanc particulam poſſunt roborare: qualia ſunt ea, quæ ex palmulis fiunt, & vino, & polentis, & croco, & aloe, & maſtiche. Neque tamen putare debetis, quòd ſemper hæc omnia vni ſunt emplaſtro indenda: ſed quòd ex his componamus emplaſtra: vtpote quæ omnia eodem ſpectent: quia vim omnia habent roborandi ventriculum: aliquando autem pluribus aliquando paucioribus, & nunc his, nunc illis, pro ratione occaſionis vtamur: quoniam vel hęc, vel illa ſint magis in promptu: vel quoniam hęc, vel illa ſint magis noſtro ſcopo accommodata, vt docuit & octauo Meth. & in libro de Comp. med. per loc. In octauo enim Meth. docet ex his componere emplaſtrum ſatis paratu facile, & ſimplex: Sicut (ait E ipſe) ſi accipiamus oleum nardinum ver. gra. ad vncias duas, & iniecta maſtiche tenuiſſimè trita, & optimè mixta, quanta poſſit oleum ad craſſitudinem ſordium perducere, hoc eſt ad formam, & conſiſtentiam deducere mollis, vt nunc aiunt, vnguenti: quo imbui voluit panniculũ purpura marina infectum, ac calidum apponi. Hac noſtra tempeſtate panniculo coccineo vterentur. Sed non ita calido medicamento velimus vti, & magis aſtingenti, quia, vel febris, maior id moneret: vel ventriculi calidior intemperies, vel alui fluor, qui eſſet ſiſtendus, pro nardino oleo, melinum, hoc eſt, id, quod ex malis cotoneis conficitur, acciperemus. Hoc idem in modum cerati ibidem compònere docet, quo vtamur in ijs,

A qui moleſtiã nolunt emplaſtri ferre: quod loco non hæret: immo ſtatim ferè decidit, niſi cingulo ligetur. Parat autem hoc modo, vt in oleo liquetur tantundem ceræ, quantum eſt oleum: nempe vt ceratum fiat: vt ſi acceperis ceræ, & olei ſingulorum vnciam vnam, cui poſtquàm fuerit refrigeratum, addas maſtiches, & aloes in pollinem reductorum drachmam circiter vnam. His vero addebat, ait ipſe, & œnanthem, hoc eſt florem labruſcæ tritum, eadem portione interdũ & omphacium, hoc eſt, ſuccũ vuæ acerbæ inſpiſſatum: cùm videlicet opus plus refrigerare, & aſtringere, vt ſi quando eo debilitatis perueniſſet, vt cibum continere non poſſet: vel ſi aluus copioſe flueret. Interdum vero abſinthij ſuccum. B Quòd ſi vellemus hæc omnia in emplaſtrum redigere, quæ hic referuntur: ita eſſet agendum, vt accipiamus palmularum carnis vnciam vnam, quæ vino aſtringente maceretur, & molleſcat: deinde teratur in mortario: poſtea accipe farinæ hordei bene mundatæ, & cribratæ vncias duas, & vino, cui infuſæ fuere palmulæ, coquatur ad mellis ſpiſſitudinem: ac additis contuſis palmulis, miſce diligenter: quo aliquanto refrigerato, illi adde maſtiches, aloes, croci ſingulorum tritorum drachmam vnam. Sed hic aduerte, quòd polenta, cuius meminit, conficiebatur ex hordeo primum torrefacto, deinde mundato, & cõfracto. Vnde & magis polenta hæc ſiccabat, & aliquanto etiam magis quàm farina aſtringebat. Semper autem oportet ad ſcopos, & C indicationes reſpicere, quos nobis oſtēdit ratio affectus, & ſymptomatis ac bene examinata natura ſimplicium: ita & ea eligere, & miſcere, quæ magis ad negotium viſa ſunt pertinere. Nam ſi videatur res id exigere, magis refrigerantia erunt emplaſtro addenda. Exigeret autem, quando perciperet febricitans æſtum, & veluti ardorem multum in ventriculo. Refrigerantia vero ſunt cucurbita, lactuca, portulaca, ſolanum, ſeris, & reliqua iſtius generis, vt endiuia, cichoreũ, oxalis, ſemperuiuum, & eorum etiam ſucci. Vnde vel ea trita, vel eorũ ſuccus indenda ſunt. Aliquãdo vero dimiſſis emplaſtris, vtimur, aut illinitionibus, aut perfuſionibus, aut fomentis. Perfundi autē, & illiniri poteſt ventriculus, oleis, vt abſinthino, D maſtichino, nardino, item eo, quod ex mēta paratur. Perfundere autem ἐμβρέχειν, dicunt Græci, cùm ex alto cadens liquor afficit: ita enim fortius imprimit vires ſuas, & magis ad interna penetrat. Sed ex eiſdem herbis fieri poſſunt decocta, vel ex aqua, vel ex vino. Vinum vero aut album ſit, aut nigrũ, & minus aſtringens, vel magis, vt ipſe affectus requiret. Quòd ſi potius erit refrigerandum, roſæ aridæ œnanthæ, hoc eſt flos labruſcæ, & eiuſdem germina: item malum cotoneum, mala item alia, quæ vim aſtringendi habent: & pyra itidem, vuaque acerba. Interdum autem (ait Gal.) ęſtus adeo, & feruor magnus eſt, vt frigida aqua vtiliter bibatur, ſi tamen opportune detur. Opportunum autem eſt illam dare cùm morbus E æſtuoſus, plurimùm dandam eſſe indicat, nec aliud etiam adeſt, quod repugnet per contrariam indicationem. Porro repugnare, & aduerſari poſſunt (vt Steph. hic monet.) naturalis imbecillitas, & magna alicuius particulæ, quæ non facile queat frigus illud ferre, vt ventriculus, iecur, lien: præterea vero ſi inflammatio occupauerit viſcus aliquod inſigne: item ſi crudorum humorum multa congeſta copia, hæc omnia maxime ſuadent cauendum eſſe ab aquæ frigidæ potu: ſed præſertim languidus, & plurimum imbecillis ventriculus: aut os eius lęditur aqua frigida. Immo & vinum etiam calidum his bibendum vtilius datur, quàm aqua: niſi hic etiam aliquid ſit, quod aduerſetur. Aduerſari autem, & hic poſſunt, & inflammationes viſcerum, capitis dolor, vel deli-

rium: multa præterea cruditas, quia etiam in imbe-
cilliori ventriculo congeruntur multa excrementa.
Nam ſi calidior fuerit, vi caloris attrahuntur vitioſi
ſucci ad ventriculum: ſi frigidior, crudior erit, &
multa cruda congeretur materia. Quare plurimum
in his confert frictio partium extremarum, vt ea ra-
tione attractis excrementis a ventriculo leuior ille
reddatur, & tutior a timore defectus animi. Quod ſi
neque hac ratione leuior fiat, ad balneas ducendus
eſt quàm primum, vbi eſt ſenſus caloris. Intemperies
enim calidior balneis aquæ dulcis calidæ, tum per
rarefactionem, & euaporationem caloris: tum vero
per humectationem faciliime læditur: tum præter-
ea, quia excrementa calidiora & ſicciora, facilè dige-
ſta, in habitum totius corporis diſcutiuntur. Qui ve-
ro refrigeratum ventriculum percipiunt, ij vſu medi-
camenti diatrionpipereō, vel ipſius etiam piperis plu
rimum iuuari poterunt. Quamuis enim piper calidū
inſigniter ſit, qua ratione videtur eſſe febricitantibus
noxium: eſt tamen adeo tenuis ſubſtantiæ: vt ea fa
cilè diſſoluatur, antequam vltra ventriculum progre
diatur, & in venas, ac in iecur digeri poſſit, mirificè
vero tollit frigidam intemperiem, & flatus diſcutit.

Qui vero ex vitioſis humoribus os ventriculi mordicantibus diſſoluuntur, hos poſt aqua calidæ aut hydrelæi, &c.

QVOD ſi non tantum imbecillitate ex intem-
peratura contracta in ore ventriculi, aut accidat, aut
timeamus, ne ſuperueniat exolutio, & animi defe-
ctus: ſed potius ex vitioſis ſuccis os ventriculi occu-
pantibus, alia ratione illi occurrendum eſt. Quæ
& ipſa diuerſa eſt pro diuerſa natura eorum humo-
rum, a quibus malè afficitur ventriculus, Duæ enim
ſunt horum differentiæ: Nam aut ſunt acres, mor-
daces, qui mordendo, & vellicando eum laceſſunt:
Aut pituitoſi, & frigidi: qui tum refrigerantes tum
grauantes obſunt. De prioribus & acribus primùm
agemus: mox vero de alijs: Quoniam autem ſem-
per medendi ratio initium habet ab ipſa rei natura:
In hoc vero affectu duo ſunt, quæ lædunt, & quocū
cunque eorum remoto, tollitur omnis moleſtia. Pri-
mùm humor ipſe, qui cùm vitioſus ſit, & ibi præter
particulæ naturam contineatur, indicat medico, ꝙ
vacuādus ſit. Præterea vitioſi humoris qualitas nēpe
acrimonia, per quàm moleſtus eſt humor, quæ indi-
cat opus eſſe, vt obtundatur acrimonia vitioſi illius
ſucci, vt obtuſa miteſcat. Vtrunq; autem facilè vno,
& eodem ferè inſtrumento fieri poteſt. Nam quæ
excrementa ventriculum obſident, præſertim vero
os eius, facilius, ſi purganda ſunt, per vomitum pur-
gantur. Vomitus autem facilius excitatur, ſi aliquo
epoto liquore cieatur, qui vim habeat laxandi & mol
liendi os ventriculi. Prouocetur ergo vomitus, ex-
hibita aqua calida bibenda, vel hydrelæo. Vtrunque
enim mollit, & laxat, lenitque os ventriculi: atque
ita facilius in vomitum procumbit. Sed & dum hu
moribus illis, commiſcetur, mitigat, & obtundit
eorum acrimoniam. Hydrelæon autem, quod fit ex
oleo immixto aquæ ex pingui, & oleaginea ipſius
olei natura, vim habet ſubuertendi ventriculum, &
ad vomitum incitandi, præter id, quod omnem a-
crimoniam demulcet. Hac ergo ratione concitato
vomitu vtrique ſcopo facilè ſatisfaciemus. Poterit
tamen aliquis præterea nos interrogare, & quid ſi
ille ad vomitum non ſit facilis? Reſpondet Gal. pro-
curandum erit vt facilis fiat, Fiet autem facilis, ſi &
vacuandus humor ita paretur, vt facilè fluere poſſit:
ſi etiam ventriculus, vnàque & os eius, pronus in vo-
mitum reddatur. Fomenta vero calefaciendi vim ha
bentia fundunt humores, & fluidiores reddunt: præ-
terea laxant, & molliunt os ventriculi, & ipſum inſu
per ventriculum: hac ratione procliuiorem in vomi-
tum reddunt. Nec modo ventriculus fouendus eſt;

A ſed & artus: manus nimirū, & pedes calefacere opor
tet. Cum ventriculo enim extremæ hę partes affinita
tem, & conſenſum multum habent per neruos mul-
tos ad eas peruenientes. Vnde cùm contra retinere
vomitum volumus, iubemus, vt demergantur manus
in aqua frigida. Quibus peractis, niſi ſponte prodeat
vomitus, aliquo irritante os ventriculi excitandus:
ſicuti digito in fauces, vel prope radicem linguæ im-
miſſo: vel penna, ac motu: & veluti titillatione quadā
concitata prouocandus eſt, Quod ſi neque per hęc ꝓ
cedat, dabimus oleum quam optimum bibendum.
Quod nobis duplex poterit pręſtare beneficium. Nā
cùm plurimam vim molliendi, & laxandi habeat, fa
cilè ad vomitum promouet ventriculum, ſicuti pin-
B guia omnia: vnde ſimul cum oleo & vitioſus humor
eijcitur. Præterea cùm leniat, & lubrica loca, per
quæ tranſit, efficiat, mollita aluo, illam ad deiectio-
nem promouet: quod maximo eſt commodo, cùm
ea ratione deriuentur praui humores, & conuertan-
tur ad inferiorem aluum: & ita facilè deferant os ven
triculi, & morſus expertem hoc modo reddunt, & an
guſtia liberant. Atque adeo res hæc vtilis eſt, vt non
ſolum oleo ſit proritanda aluus: verum & glandibus
impoſitis procurandum, vt deijciat. Hic tamen, pri-
uſquam vlterius progrediamur, quædam ſunt conſi-
deranda. Primùm, quòd oleum optimum appellet,
quod calidum offerri iubet. Optimum autem appel-
lat quod dulce eſt, & plenè maturum, & ſimplex: id
enim lenit, & mollit. Nam quod immaturum eſt,
C ſtringit potius, & vomitū retinet. Similiter id, quod
eſt ſalis particeps, vel quod eſſet expreſſum ſimul cū
germinibus, vel ramulis oliuarum. In his omnibus vis
aſtringens aliqua, & exſiccans reperitur. Quod ſi ali-
quis medicinam faceret, vbi oleum non bene maturū
exprimeretur: ſicuti in aliquibus Iſtriæ partibus fie-
ri ſolet: & oleo careremus, quale laudat Galen.
quid eſſet agendum? Poſſumus vtiliter vti oleo a-
mygdalarum dulcium. Deinde vero cōſiderandum,
ꝙ Gal. hic ad proritandam aluum, non facit mentio
nem clyſteris: ſed tantum glādis, quam ſuppoſitoriū
appellant iuniores, Gręce προσθετα dicit Galen. pro-
pterea, quia primum inſtitutum illi eſt occurrere
futuro animi defectui. Clyſteres vero magis mo-
D uent, & agitant commotos humores. Immo vide-
mus aliquos, qui iniectis clyſteribus delinquunt ani
mo: non ita autem ſuppoſitis glandibus. Glandes
ergo potius eligit. Poſtremò vero: quia ex his mol-
lientibus, & laxantibus relinquitur, & imbecillior
ventriculus, & laxior, magiſque paratus ad recipien-
dos iterum vitioſos ſuccos ex alijs partibus confluen
tibus: Ideo ad medicum pertinet, huic etiam incom
modo conſulere, roborato nempe ventriculo: qui &
per ea, quæ exterius adminiſtrantur, & per ea, quę in
terius aſſumuntur opportune poteſt roborari. Vnde
interius, ſi coma abſinthij decocta ex melicrato bibē-
da detur: moxque aliquid etiam vini, quod ventricu
lo ſit commodum, roborabitur ventriculus. Exterius
E vero ijs medicamentis, quæ aut perfuſa, aut illita,
aut cataplaſmatis modum adminiſtrata poſſunt ven-
triculo robur addere. De quibus, quia ſatis abun
de paulò antea mentio habita eſt, in præſentia non
agemus. Et quia fortaſſe poſſet aliquis putare Ga-
len. non ex arte huic rei conſulere: Cur enim
non ſtatim a principio hæc non ſunt adminiſtranda,
quæ robur ventriculo imponunt? Sed prius ciet vo-
mitum: mox & aluum ad excretionem proritat: po
ſtremò roborat. Cùm tamen ſolum robur poſſit vē
triculum tueri ab omnibus incommodis. Particulæ
enim robuſtiores, non modo recipiunt ad ipſas fluen
tes vitioſos ſuccos verum & ſi qua in ipſis ſunt, ex-
crementa, a ſe reijciunt & expellunt. Ideo malam
hanc opinionem tollere nititur, aitque, quòd immo
hunc

hunc ordinem medendi ratio requirit, vt prius mun- A dæ reddantur ab excrementis particulæ: poſtea vero roborentur. Quia cum ea, quæ roborare poſſunt, aſtringant etiã, ſi excrementoſam reperiant particulã, aſtringendo impingent magis & inculcabunt excrementa, & maiorẽ moleſtiã inferant. Quare prius expurgare oportet, & ante purgationem ad faciliorem eductionem fouere: mox poſtremo roborare. Hęc ergo ratio eſt ſuccurrendi afflictioni ventriculi excitatæ ab acrioribus ſuccis.

Vbi vero multa pituita, & frigida in ore ventriculi fuerit aceruata, fouere quidem plurimum oleo: in quo abſinthium, &c.

Contraria eſt hęc affectio priori. Sicuti enim priorem excitabat calidus, & acris humor mordendo, & laceſcendo os ventriculi periculum afferẽs lipothymiæ: Ita hæc, quæ a multa, & frigida pituita pendet, refrigerando, & quaſi ſtrangulando ſua multitudine, & craſſitie calorem natiuũ quaſi extinguit. Hic vero: vt eorum, quæ dicuntur rationem accuratius poſſitis percipere, conſiderandũ eſt, quòd materia hęc molliorem ſua humiditate efficit ſubſtantiam, & tunicas ventriculi, frigidioremque, & proinde ex facultatis concoctricis infirmitate quotidie magis apta eſt creſcere: præterea vero cruda & craſſa eſt: quæ tamen (vt alibi fuit expoſitum) ſi ſuperari ab innato ventriculi calore poteſt, in ſanguinem, & corporis alimẽtum conuerti poteſt. Non facilè autem id fieri poteſt, tũ propter craſſitiem, tum propter frigus. Vnde iã ſatis patet, qui ſint ſpectandi ſcopi: nempe, vt roboretur ventriculus, tũ calefaciendo, tum leuiter aſtringendo: & hoc quatenus pertinet ad naturam membri, quod concoctionis eſt inſtrumentum. Deinde vero quantum ad materiam pertinet, vt illa facilior ſit, & promptior ad admittendã concoctionem, & ſiqua pars eius ſit, q̃ nequeat coqui, illa facilior fiat ad expulſionẽ. Id vero fieri põt remedijs, tũ exterius tũ interius adhibitis. Corroborabitur ergo vẽtriculus, & iuuabimus eius concoctricẽ facultatẽ fomentis, q̃ modeſtè calefaciant. Mitis enim, & tẽperatura eſt natiuus calor concoctionis opifex. Vnde oleũ maturum, quod tẽperatè calidũ eſt, cũ aliqua humiditate maximè eſſet huic negotio accommodatũ: niſi quòd nimis mollit, & relaxat ſubſtantiam particulæ. Quare ſi in eo incoquatur coma abſinthij, aliquam vim aſtringendi contrahet, qua conſultum ſatis probè erit huic incommodo: vt præterea aliquanto magis calefaciat. Materia vero illa craſſior, & lenta paratur, vt facilius concoqui, aut expelli poſſit incidentibus, attenuantibus, & detergentibus. Quo circa aptum medicamentum huic rei erit mulſa, in qua fuerint incocta ea, quæ vim extenuandi habent, vt hyſſopum, pulegium, calamenthũ, origanum, & id genus reliqua: item, & oxymel, & piper, & diatrionpipereon, diaſpoliticon, & reliqua, quæcunque ad hoc genus pertinent. Sed in vniuerſum vniuerſa victus ratio vim habeat incidendi. Sed hic Gal. videtur ſui immemor eſſe, qui cùm refertus eſt ventriculus cruda materia, velit eum foueri oleo ex incocto abſinthio: quod tamen ſuperius fuit ab eo damnatum: nempe roborantibus, & aſtringentibus, vti antequam purgata, & vacuata ſit materia. Dicebamus enim, quod vi aſtringentium magis impingitur. Dicimus, ꝙ in præſenti affectione fomenta quidem (vt expoſuimus) ad iuuãdam concoctricem facultatem neceſſaria ſunt. Hanc autẽ in vniuerſum interna viſcera habent rationem peculiarem, quod dum fouentur calefacientibus, & relaxantibus, exoluũtur eorum vires, præſertim autem ventriculus, & iecur. Ideo ſemper in eis additur aliquid aſtringentis: nempe quantum ſit ſatis ad cuſtodiendum robur viſceris. Et ſi rectè rationem inire velimus, cum abſinthium oleo incoquitur, illi quidẽ aliquã vim aſtringendi attribuit, eã tamen non multam, quæ poſſit compingere, ſed quanta poſſit ſeruare robur viſceris: cùm alioquin oleũ per ſe laxet, & hac ratione infirmior fit vis aſtringendi: præſertim vero cum exterius tanquã fomentum adminiſtratur. Nam partes laxantes, & calefaciẽtes, & quæ tenuiores ſunt præcedunt, & ſuũ opus perficiunt. Sequuntur vero aſtringentes, quæ ſubſtantiã particulæ colligentes, illi robur addũt. Interius autẽ ab aſtringentibus abſtinet: ſed tantum detergẽtibus, & diſſecantibus vtitur: quia ſtatim occurrũt vitioſis humoribus.

Quæ vero ex nimia frigiditate veniunt exolutiones, eodem modo curandæ ſunt, &c.

Dixit ſuperius Gal. bulimũ nihil aliud eſſe, quàm animi defectum. Quem locum explanantes expoſuimus bulimum ex Gal. ſententia (quamuis aliud Alexander Trallianus ſenſerit, & pariter Auic.) eſſe affectum frigidum ex vehementi frigore externo excitatum: in quo præcedit quidẽ fames inſignis: verum poſtea ſuperata, & deuicta appetitrice facultate ab externo, & immodico frigore, & fames cadit, vt neque comedere deinde poſſint. Vnde neque mirum deinde eſt, ſi iuxta ſint curandæ exolutiones ex frigore concitatæ, ac bulimos, cùm (vt iam audiuiſtis) bulimos ſit veluti exolutio: vel animi defectus ex nimio frigore concitatus, & ex penuria, & defectu alimenti. Calefaciendi ergo ſunt, & fricandi, fouendique ad ignem (Cõtraria ſiquidem contrarijs ſemper curanda ſunt) cibis etiam calidioribus reficiendi ſunt, non modo facultate, ſed etiam actu. Vnde & vinum aqua calida diluendum (dilutum enim magis attenuatur, & facilius penetrat ad intimas partes) cibi etiam offerendi qui facile, & citò alant, calefaciant, & gratum odorem habeant. Vinum ergo odoratum detur: oua ſorbilia: contuſæ carnes. Reficiuntur autem mirifice (vt octauo de Comp. med. ex. Archigenis ſententia tradidit Gal.) odoribus, qui gratum nidorem ſpirent: ſicuti odore carnium, præſertim vero toſtarum, & quàm maxime porcellorum. Cap 8. Com. 11. Quantum enim vim ad reſocillandas vires odor habeat, docuit Galen. ex Hipp. ſententia ſecundo Aph. Contrariam vero exigunt curationem illi, qui ex nimio externi aeris calore exoluuntur: ſicuti interdum in balneis ſolet euenire illis, qui nõ ſunt aſſueti: præſertim vero ſi aer balnei aliquanto ſit iuſto calidior: ſuffocari enim quaſi videntur: Ita etiam in locis concluſis, in quibus multa ſit hominum turba collecta, qui vel anhelitu poſſunt calefacere, vt in nuptijs, & in locis vbi celebrantur, vel ludi, vel iſtiuſmodi reliqua. Aer enim calidior, quàm par ſit redditus, ad refrigerationem corporis, & ſeruandam temperiem natiui caloris ineptior factus ſuffocat, & ſtrangulat. Vnde facile ſequitur lipothymia, & aliquid interdum deterius. Immo ægrotantes, qui dum ſudare nimis importune deſiderant, & ſtragulis ſe cooperiunt, ita vt, & caput contegant, aliquando animo deficere. His itaque ſuccurrendum eſt per remedia refrigerantia. Vnde inſpergenda eſt aqua frigida: aperiẽdæ ſunt feneſtræ, vt frigidiori auræ pateat introitus: cui etiam ſunt exponendi: ſed & flabellis iuuandi, vt facilius aer refrigeretur. Præterea os ventriculi fricandum, & exagitandum, irritandumq́; vt ſpiritus, qui ad intimas partes refugere, reuocentur, & excitentur. Deinde vero, poſtquam ab exolutione reſumere vires viſi ſunt: quia ex calore nimio intus, & extra diſſoluũtur, & exhalant ſpiritus, & ſubſtantia natiui caloris: Ideo vt inſtaurentur iterum, opus eſt. Inſtaurantur præſertim autem cibo ac potu: præ alijs autem vino. Quare etiam vinum illis dandum eſt, & alendi cibis, qui bene facile nutriant.

At qui ob inflammationis magnitudinem, aut vehementis febris malignitatem animi defectum patiuntur, & in principijs acceſſionum, &c.

Eos, qui in animi deliquium ex inflammationis magnitudine, & eos, qui ob vehemẽtem, malignamque febrem procliues ſunt in vnum caput redigit in præſentia, quanquam diuerſas vtriſque ſuperius tribuerit rationes: vtpote quoniam ſimilem habent modum, & rationem curationis. Quia vero copiosè de ijs ſermonem ſuperius habuimus, declarauimusque cur inflammationes internorum viſcerum ad animi deliquium perducant, & cur vehementes, & malignæ febres: Proinde ea in præſentia non repetemus. Niſi quod non eſt prętermittendũ, quod notandum putauit Steph. qui phlegmones magnitudinem duplici modo extimandam eſſe ait. Vel ratione particulæ inflammatæ: vnde ſuperius de inflammatione ventriculi ſermonẽ habuit, & oris eius, ita & iecinoris, & pulmonum. Vel ratione ſua propria: quia ipſa magna ſit, & in magnum tumorem elata, & ob id vehementem concitet dolorem qui poſſit vires diſſoluere. Nos tamen credimus, quòd in quacũque ſit particula, non afferet deliquium animi, niſi inſignis ſit inflammatio. Quandoque enim vidimus viſcerum inflammationes mediocres nullũ attuliſſe animi defectum. Cum ergo communis ſit modus, quo in deliquium incidant, tam qui inflammatione tentantur, quàm qui a febre maligna inuadũtur: ſtatim enim a prima inuaſione ſolent, & pulſus lãgueſcere, & procliues eſſe in lipothymiam: hoc inde eſt, quia ſucci omnes cũ ſanguine, & ſpiritu confugiunt, & confluunt in intimas partes, vbi natiuum calorem ſtrangulant, ac vires diſſoluunt. Aliquis tamen fortaſſe dicet, quod confluant ad inflammationem ſucci, hoc iam ſatis conſtat: vt pote quòd ſæpius iam ſuperius oſtenſum ſit. At vero, quod in febre maligna fiat hæc conuerſio ſanguinis, & ſpiritus, vel aliorum humorũ ad interiora, nullam cauſam vel rationem percipio. Porro ſi eorum, quæ in ſuperioribus expoſita ſunt, memores ſumus, neque hoc alicui mirũ videbitur. Nam diximus malignas febres ingentem ſequi, & malam putredinem, quæ accenſa eſt, vel in corde in locis, & venis cordi vicinis. Putredo vero magna, & ſpiritus vitiat, diſſoluitque, & cordi, quod natiui caloris initium, & focus eſt, plurimum officit: & hac de cauſa omnis ſanguis, ac ſpiritus interius, tãquam ad arcem iuuandam, & ſuccurrendam refugit. Vnde in id genus febribus ſolent externa frigere, interna vri. Quibus expoſitis, ſatis patet, qualem oporteat eſſe rationem his opem ferendi (eam enim rei ipſius natura oſtendit) nimirum omni ſtudio conandum, vt ſucci ad interiora cum ſanguine & ſpiritu recurrentes reuocentur ad exteriora, attrahanturque. Attrahere autem poſſunt frictiones validæ brachijs, & cruribus adminiſtratæ, artubus nempe: præterea vero, & ligaturæ: item ſi foueantur, & calefiant extremæ partes. Quia vero in ſomno calor, & ſanguis interius trahuntur, in vigilia exterius ad inſtrumenta ſenſuum, & motus efferuntur, & expanduntur: Ideo ſomnus nocet: vigilia prodeſt. Seruandi itaque vigiles ſunt, & arcendus eſt ſomnus. Præterea, & cibi, potusque abſtinentia iniungenda eſt. Nam magnæ inflammationes, & vehementiſſimę febres non accenderentur, niſi adeſſet multitudo congeſtorum humorum, in quibus abſurdiſſimum eſt nutrire, vt ait Steph. Ad hæc acutiſſimi morbi ſunt, hi, in quibus dixit Hip. ſtatim eſſe vtendum victu exquiſitiſſime tenui: hac enim ratione, & inflammationi, & febri fomenta ſubtrahimus. Vnde idem Hipp. dixit, impora corpora, quò magis aluntur, eo magis lędi. Hoc tamen aduertẽdum eſt (ait Gal.) quod hęc remedia, quæ hactenus expoſita ſunt, accommodata ſunt ad reuocandum hominem ab animi deliquio, cum iam in id decidit. Quæ tamen ſi prius adhibeamus antequam ſuperueniat, poſſunt eũ tueri, & de-

A fendere: & longè maius erit operæpretium, ſi medicus futuræ lipothymiæ occurrat, antequam ſuperueniat: quàm ſi pręſenti ſubueniat: nimis enim ſæuũ hoc ſymptoma, vt aliquando etiam non ita facile illi ſubueniri poſſit, cum plurimum inualeſcit. Quare nos monet vt nitamur prænoſſe imminentem animi defectum, vt illi contra eamus: antequàm inuadat. Cognoſcet autem facilius, qui ordinem febrium, & periodorum, vel acceſſionum diligenter obſeruauerit: quia aut ſemper, aut plerunque in acceſſionibus, immo circa initia acceſſionum contingit, quæ ſi prænouerit medicus, & anticipauerit opportunis remedijs facilius illi occurret, & ægrotantem tuebitur. Dubitabit autem aliquis hoc loco, quomodo velit hic Galen. abſtinendos a ſomno, & a cibo, potu-

B que eos, qui corripiuntur a malignis febribus: cùm tamen in eis virium præ omnibus alijs ſit ratio habenda, quæ facillime concidere in his febribus ſoleant: neque tantum earum, quæ præſentes ſunt, curam habere oporteat: ſed earum etiam, quæ futuræ ſunt. Vnde Auic. dixit, cogendos eſſe, vt comedant. Aetius quoque de febribus peſtilentibus inſtituto ſermone, ex Herodoti ſententia ait, non eſſe admodum tenui victu in eis vtendum. Ad hoc reſpondemus, quòd recte intelligendus eſt Gal. neque enim putandum, quod omnino interdicendus ſit ſomnus, inediaque iniungenda. Nam cùm in his febribus vniuerſa ſalutis ſpes, vt etiam in internorũ viſcerum inflammationibus, ſita ſit in virium robore (vt alibi teſtatur Gal.) neceſſe eſt, vt earum curam quàm

C maximam habeamus, ne concidant, & fatiſcant. Vnde tantum tum ſomni, tum vero cibi indulgendum eſt, quantum poſſint vires fouere, ne cadant. Sed eo tempore concedenda ſunt quo minus obeſſe poſſint. Maximè vero, & ſomnus, & cibus (vt ſuperius expoſitũ eſt) nocent in ipſis acceſſionibus. Quapropter inſtante acceſſione, & præſertim in eius principio, hæc ſeruanda ſunt, quæ hic inſtituuntur à Gal. Semper enim vnicuique indicationi id tribuendum eſt, quod illa requirit: modo tempore congruo id fiat. Et præceptum hic nobis traditum commune eſt omnibus affectionibus, in quibus deliquium animi fore ſuſpicamur: nempe, vt anteaquam ſuperueniat, illi conſulamus. Quod quidem poſſumus ſe-

D quenti ſententia, tanquam accommodato exemplo demonſtrare, qua ait Gal.

Eos etiam, qui ex ſiccitate in principijs acceſſionum ſyncopen ſunt incurſuri, optimum eſt prævidere, &c.

Sunt quidam, qui putant hic à Gal. ſermonem haberi de ijs, qui cum calidiori & ſicciori ſint temperatura, acribus, & tenuibus humoribus abundant, ventriculumq; habent imbecillũ, & ob id in ſyncopen incidunt: quia in acceſſionum initijs ad ventriculum eiuſmodi humores confluentes, illum erodunt, ac pungunt. Et ideo eos curari ijs cibis, qui tum roborare ventriculũ poſſunt: tum vero acrimoniam obtundere voluiſſe Gal. Mihi vero non videntur hi aſſequi mẽtem, vel intellectum Gal. hoc in loco: quia

E de ijs, qui vitio acrium, & mordacium humorum animo deficiunt, iam ſermo eſt inſtitutus paulo ſuperius. Putandum ergo eſt, hic Gal. agere de alijs, qui ex ſicca intemperie deficiunt ſine etiam materia, Nam iam probauit ipſe duodecimo Meth. quòd omnis intemperies membrorum, ex quibus conſtitutum eſt corpus, præſertim vero ſolidorum, maximè vero præcipuorum, in quibus ſedes eſt trium principum facultatum, & eorum, quorum conſenſu iſta afficiuntur, in quibus ventriculus præcipuum ferè locũ obtinet, ad animi deliquium poteſt deducere: Et tandem mea quidem ſententia referendus eſt hic locus ad id, quod ſuperius dicebat: Sed & in principijs febrium non admodum paucarum aduenit, & tunc præ- Cap. vlt.

præſertim, cùm ſupra modum, aut ſiccum, & ſqualidum aut plenũ immoderatè corpus extiterit. Quo loco duas proponit corporum differentias, & eas extremas, quæ in febribus, præcipuè vero in acceſſionũ initijs, ſolent ſyncope, vel animi defectione corripi. Altera quidem eſt quando humorum plenitudine graue, & refertum corpus eſt, & (vt ipſe ait) nimis plethoricum: atque in his, ſi aliquando timendus ſit animi defectus, quomodo ſit illi occurrendum, docuit ſuperius, vbi dicebat, Atque ex multitudine non ita; &c. Altera vero doctrina eſt eorum corporum, quæ nimis inanita, & exſiccata, vt ferè ſqualida ſint: & de his ſuperius etiam locuti ſimus: quo etiam loco expoſuimus, quomodo illi non aſſequantur ſententiam Gal. Hic igitur, quo pacto ſuccurrendum eſt febricitantibus, quos quidem cum nimis exſiccati, & aridi facti ſint prius, vel ex nimijs laboribus, vel ex multa penuria, vel ex id genus alijs: timemus, ne hac ratione ſyncopes euadat. Vnde cùm aduerſariæ inter ſe ſint eiuſmodi differentiæ corporum nuper expoſitæ, atque a natura rei ſemper ſint indicationes depromendæ: neceſſe ſanè eſt, vt indicationes etiam ab illis acceptæ ſint contrariæ. Et ſicut priori ſuccurrebat cibi abſtinentia, & vacuationibus, non quidem illis, quæ conſertim vacuant, ſed frictionibus multis extremarum partium: non modo in acceſſionibus: verum & anticipari per alias horas voluit. Ita hic per duas, vel per tres horas cibum dandum eſſe monet: qui facilè poſſit concoqui, & ventriculo ſit commodus (plerunque enim in his conſenſus areſacti nimis ventriculi momentum maximum habet) atque pedes, manusque ſtringendas, & ligandas eſſe voluit. Hinc autem facile percipi poteſt, quanta ſit vis indicationis, quæ ab hoc ſymptomate prodit. Poteſt enim aliarum ferè omnium obſcurare. Nam & theorema illud, quod maximam vim habet in curandis putridis febribus ab Hippo. primo Apho. pronuntiatum: nempe in acceſſionibus ſubtrahere oportet, addere enim malum eſt: inſtante ſuſpicione futuræ lipothymiæ, ita conniuentibus oculis pertranſire neceſſe eſt, & paulò ante acceſſionem cibum febricitanti offerre: eum vero, qui concoctu ſit facilis, vt facilè & citò coctũ opportunè remedio ſit ſqualori, & ſiccitati, vnde timem⁹ animi deliquiũ. Cibus enim talis, ſi probe coquatur, præcipuum eſt remedium ſqualenti corpori: humectat enim corpus, & eius habitum, atque ſpiritus abſumptos inſtaurat. Sed ſi ſit ventriculo aptus, facilius eum amplectetur ventriculus, faciliuſque & citius concoquet. Cur autem aſtringi pedes, & manus voluerit Gal. varij vario modo exponunt. Latini enim expoſitores aiunt, quod κρατεῖν dixit Gal. hoc eſt, ut ipſi interpretantur continere: quaſi voluerit, pedes continendos eſſe, hoc eſt non agitandos, neque dimouendos: ne motione diſpergantur, & diſſipentur ſpiritus. Sed proculdubio aliud eſt verbi διακρατεῖσθαι ſignificatũ: ſignificat enim continere, & aſtringere, vt præter id, quod pedes, & manus immotæ ſeruentur, aliud etiam voluiſſe videtur Galen. Vnde Steph. ait quod ideo aſtringi voluit manus, & pedes, vt caleſcant. Nã partes hæ plurimam cum ventriculo habent communionem, vt plerunque his caleſcentibus, incaleſcat & ventriculus, ac melius ita concoquat acceptum cibũ. Sicuti ſæpe videmus, quod ex pedum frigore, & ipſe refrigeſcit, & læditur. Mihi tamen neque hoc ſatisfacit. Vnde crederem, quod quia in lipothymia, & ſyncope ſpiritus, & ſanguis ad interiora, relictis externis partibus refugiunt, Ac ſicuti cùm eos, qui in animi defectum lapſi ſunt, reuocare, & excitare volumus, extremas partes ligamus, digitos conſtringimus, & ſæpe diſtorquemus, Ita cùm illam imminentem timemus, ligamus, aſtringimusque, vt ſpiritus prohibeamus intro ferri. Quoniam vero pro ratione roboris rerum, quæ indicant, ita remedia valentia ſunt adminiſtranda: vinum autem in febribus inter initia, dum cruda materia eſt (vt ſæpe ſuperius diximus) incongruum eſt: vtpote quod non parum poſſit obeſſe. Quapropter illud non eſt dandum, niſi magna vrgeat neceſſitas. Neceſſitas vero eadem eſt, quę & dandi cibi: vt vires inſtaurentur, & poſſint reſiſtere acceſſioni, quæ non ſufficerent alioquin, cùm diſſolutæ ſint. Quare ſi timeamus acceſſionem magnam futuram, quam ſit magna conſecutura ſyncope, vinũ etiam dandum eſt ante acceſſionem: quippe quod celerius, & facilius, & magis poſſit vires reficere, & ſpiritus inſtaurare. Sed quia alimentum ex vino genitum, vt citò inſtaurat: ita in febribus: citò diſſipari poteſt. Nam tenuis ſanguis itidem, & ſpiritus inde generatur. Ideo aut halica immixtum vinum dare oportet, aut ſimul cum pane. Cibi enim hi cũ magis diſſolutioni reſiſtant: ob id, quia aliquanto ſunt craſſioris alimenti, & alicuius lentoris participes: nõ parum, & ipſi ad noſtrum negotium faciunt: præter id, quod cibi hi neque facilè bileſcunt, neque areſcunt in ventriculo: quod tamen alijs ſorbitionibus facilè (vt decimo Meth. ait Gal.) accidere ſolet. Sed hoc tantum ſeruandum eſt, vbi magnæ acceſſionis, & vehementis deliquij uideamus inſtare periculum. Quia ſi res eo modo ſe habeat, ut timeamus quidem futurum defectum animi, non tamen illum uehementem, & magnum, ſed moderatum, a uino abſtinere oportet: & admiſcere melius eſt his cibis aliquid malorum punicorum, uel cotoneorum, uel pyrorũ, uel aliorum aſtringentium. Non propterea quia ratione febris uel etiam ſicci iſtius affectus ſit multa aſtrictione opus: Quia arido, & ſqualido corpori aſtrictio potius obeſt exſiccando. Sed ob id, quia uis aſtringens modica ſpiritus colligens, eos continet, ne ita facilè diſſipentur. Quæ & ipſa dimittenda, quãdo iam incipit facilius ferre acceſſionem: nõ quidem, quin ille non ſit alendus ante acceſſionem: ſed & hęc aſtringentia perinde tunc dimittenda ſunt, ut & uinum. Cibus enim in iſtiuſmodi deſcripto affectu, ubi corpus ſqualore confectum eſt, quàm maximè neceſſarius. Cuius rei ſi exemplum clarum, & apertum deſideratis (poſteaquam exempla mouent) quod uobis oſtendat, quomodo is habitus ſqualidus facilè contrahatur, & quomodo in animi deliquium perducat, & quantum periculum afferat niſi illi prudenter ſit conſultum, & qua ratione illi ſit conſulendum, & qua ratione motus Galen. inierit primus hoc conſilium, legatis duodecimum lib. Metho. quæ omnia, quia plenè & planè ibi à Gale. expoſita ſunt: ideo nõ proferam in longius de his ſermonem. Nemo enim ueſtrum eſt: qui ſi legerit, non ſit facile ea quæ ibi exponuntur, percepturus. Hæc quæ hactenus deſcripta ſunt (ait Galen.) eò ſpectant, ut occurramus futuræ ſyncopi, antequàm ſuperueniat. Sed ſi interdum, dum accerſitur medicus, antequam conſuluiſſe potuerit, ſuperueniat ſyncope ex inopinato: tunc citiſſime uinum calidum dandum, quo uires defectæ reuocari poſſint. Nam ita citius & facilius cõcoquetur a languenti uentriculo, & diſtribuetur: ac cum uino panis aliquid, & halicæ etiã quid modicũ. Cur autem ea, & quæ facile coquuntur dare expediat, neque ea multa, ſed modicè, ipſe cauſam refert, quia ſi aut multus fuerit cibus aut coctu difficilis, ab infirmo uentriculi calore non modo confici nõ poterit: uerum potius illum ſuperabit, & ſtrangulatum extinguet. Porrò duodecimo Meth. loco nuper citato poteritis uidere, quomodo in prioribus acceſſionibus, cibo ante acceſſiones exhibito, futuram prohibuit ſyncopen. Sed tandem ut eorum medicorum, qui deteſtabantur cibum dari ante acceſſionem,

nem, ignorantiam omnibus patefaceret, permiſit ſine cibo expectare acceſſionem, in qua ille animo defecit: a quo deliquio illum poſtea reuocauit. Vnde vniuerſam iſtius curationis rationem, tanquam in tabella depictam ibi habetis. Quare de his non amplius loquemur. Sequitur Gal.

At qui animo deficiunt ex membri principalis obſtructione, his oxymel dare oportet: atque ex hyſſopo, &c.

PRINCIPES partes, ſi aliquando obſtruātur, & ipſæ in cauſa ſunt, cur febricitantes deficiunt animo. Per principes autem partes, non modo hoc loco intelligenda ſunt tria illa principia, cor, iecur, & cerebrum, verum & particulæ illæ, quæ proxime his neceſſario miniſtrant, vt pulmones, ventriculus, venæ, & arteriæ maiores. Nam, & tria illa inter ſe, & hæc cum illis tantam naturalem connexionem habent, conſenſumque, vt vno laborante reliqua etiam male habeant. Quare quæcunque illarum fuerit obſtructa inſigniter (neque enim quamcunque, vel leuem etiam obſtructionem id ſequitur) poteſt animi deliquium ſequi conſentiente cum ea corde. Vnde & pulſus præ alijs omnibus ſignis, certius hanc obſtructionem ſignificat: qui inæqualis efficitur, aliasque ſubit differentias, ac illas præſertim, quæ, in magnitudine, & paruitate, quæque in vehementia: & debilitate conſiſtunt, nempe vt alter altero pulſus maior ſit, atque alter altero vehementius pulſet. Hæ ſi quidem inæqualitates obſtructionem inſignis alicuius particulæ certiſſimè demonſtrāt. Quæ quidem ſolet excitari, vel a multa, vel a craſſa, & lenta materia. Iſtius autem rei exemplum habemus à Galen. quarto de loc. affect. referente caſum Antipatri medici. Cùm enim iſtiuſmodi inæqualitates proueniant (vt hic monet Steph.) ex eo, quod natura, & eius facultas contendit ſuperare, & exturbare noxias cauſas: in ea veluti pugna, interdum ſuperior eſt: interdum vero ſeparatur: ita & pulſus modo maior fit: modo minor: & aliquando fortior, aut celerior: aliquando imbecillior, aut tardior, Quod ſi valida, & magna fuerit obſtructio: fiunt etiam intermittentes: vt Antipatro accidit. Verum neque etiam huic ſigno adeo fidere debemus: quin etiam nō putemus ipſum fallere poſſe. Quoniam & alia quoque de cauſa poteſt hæc pulſuum inæqualitas cōtingere. Inſignis enim multitudo ſanguinis, aliorumque humorum, quam plethoram medici Græci vocant, poteſt iſtiuſmodi concitare pulſuum inæqualitates. Et ideo antequam hoc pronuntiemus, nempe obſtructam eſſe aliquam inſignem particulam, conſiderandum eſt, an corpus opprimatur multitudine: vel plethorico laboret affectu: & cùm nulla conſpiciuntur ſigna iſtius plethoræ, percepto inæquali pulſu, iudicandum obſtructione laborare aliquam præcipuam particulam: atque tunc contendendum eſt omni ope, vt obſtructionem tollamus antequam id accidat, quod Antipatro accidiſſe narrauit Galenus. Quia vero obſtructiones plerumque fiunt à lenta & craſſa materia: ideo ſtatim, vt eas tollamus, nobis oportet hos ſcopos proponi, nimirum vt attenuemus, detergamus, & incidamus. Vnde, & pro potu, & pro medicamento oxymel optimum erit remedium. Præterea vero vtilia erunt decocta ex ijs parata, quæ attenuandi, incidendi, aperiendique facultatem habent: qualia ſunt hyſſopum, origanum, pulegium, & id genus reliqua: ſicut calamenthum, & multa alia, quæ deſcripta ſunt in lib. de Simpl. med. fac. addito melle. Quo loco poteſtis facile percipere, quod vſus ſyruporum non fuit Arabum inuentum. Præter oxymel enim quid aliud eſt potio confecta ex decocto harum rerum, quarum hic meminit Galen. & ex melle parata, quam ſyrupus? Immo & nomen Arabicum ſyrob, nihil aliud ſignificat, niſi potionem. Præterea vero ait Galen. victus ratio vniuerſa inclinet in eam, quæ vim habeat diſſecandi, & attenuandi. Vnde & cappares conditi aceto, & ſaccharo, vel (vt parabant antiqui) oxymelite: item etiam ſalita aliqua in prima menſa: panis probè fermentatus, & ſale confectus: aliqua præterea aromata immixta, quantum febris ratio poteſt admittere, præſertim vero piper, conueniunt. Sed & vbi aliqua apparuerit manifeſta concoctio, vtilia erunt decocta, vel ſyrupi, qui vim ciendi vrinam habent. Eiuſmodi autem ſunt quæ ex anetho, fœniculo, apio, petroſelino, dauco, ami, ſpica nardi confecta ſunt. Quæ vbi contuliſſe aliqua ex parte viſa fuerint, tunc vinum quod album tenueque ſit, dandum erit. Nam & ipſum iuuabit ad ciendas vrinas. Sed cur non etiam a principio dandum: ſed ſolum cum materia, & tenuior reddita ſit, & aliquātiſper concocta, ſuperius a nobis expoſitum eſt. Porro in his non parum prodeſſe poterit, ſi fricentur, & ligentur artus, ait ipſe nempe, vt materia, Vnde excitantur obſtructiones ab internis, & inſignibus particulis ad extremas, & minus nobiles attrahatur.

Nunc vero tranſgrediamur ad eum ſermonem, qui ſupereſt de reliquis exolutionibus, &c.

Sæpe animi deliquium confertim factas vacuationes conſequitur, quamuis id vacuetur, quod alioquin eſſet vacuandum. Sicuti quando rupto, aut ſecto ingenti aliquo abſceſſu, vniuerſum pus effluat: aut ſi ijs, qui empyici dicuntur, inuſto loco inter coſtas huic rei idoneo, pus extrahatur: vel ſi hydropicis aqua, quæ in inferioris ventris ſpatio congeſta eſt, ſecto abdomine vniuerſa exire permittatur. Quia ſemper cum copioſa vacuatione, quæcunque illa, & vndecunque fuerit multa copia ſpirituum confertim exinanitur: vt ipſe ſexto Aporiſm. expoſuit. Com. 21.
Has ergo vacuationes conſequentia animi deliquia curare docet in præſentia. Imprimis autem in illis curandis inſtaurationi euacuatorum ſpirituum incumbit. Spiritus autem duplici ratione inſtaurantur, reficiunturque, vt Hippocr. & Galen. ſententia docti eſtis. Primum & citiſſimè gratis odoribus: Deinde vero optimis, & ad id accomodatis cibis. Citauimus enim Gal. primo Aph. Hip. ſententiam referentis, quod humidum remedium ad vires recuperādas optimum eſt, quicunque citiſſima egent adiectione. Com. 11.
Vbi adhuc citius, per odoratum. Cuius rationem referens Stephanus, ait, quod ſpiritus, qui ſubſtantia vaporoſa, & aerea conſtant, aere, & vaporibus facilius, citiusque aluntur. Nam & Gal. ſenſit, aerem eſſe alimentum, vel fomentum ſpiritibus, aerem inquam, quem attrahimus, tum per inſpirationem, tū per pulſum: vaporoſa ergo (ait ipſe) ſubſtantia, quæ effluit ab odoratis rebus, vtpote, quæ teniorum partium ſit, attracta per anhelitum, ac ſpiritibus permixta, in eorum naturam facilè cadit, atque ita eos inſtaurat. Sed nunc etiam illa occurrit non contemnenda dubitatio: quinā odores grati ſint offerendi: an videlicet omnis gratus odor ſit huic rei accōmodatus: vel aliqui tantum. Nā Gal. eo commentario, quod nuper citauimus, vim plurimam facit in illis verbis, vbi Hippocr. ait, Vbi citiſſima refectione ſit opus: humido remedio opus eſſe: dicitque non ita id abſolutè intelligendum eſſe, & in vniuerſum, ꝙ ſubſtantia humida, quæcunque illa ſit, citiſſimè alat: ſed ea tantum, quæ alere apta eſt: ſicuti vina craſſiora. Ita forſitan dixerit quiſpiam, non quicunque odor idoneus eſt ad vires, & ſpiritus inſtaurandos, ſed odor gratus quidemrat rei aptæ ad nutriendum. Vnde lōge magis excitabit, & reuocabit ab animi deliquio odor vini alicui⁹ aromatici gratus, quā odor moſchi, aut ambræ: itemque odor caponum, quàm cupreſſi. Qua-

ſi. Quare in cura bulimi eiuſmodi odores eſſe offerendos diximus: quia & ipſe animi defectus quidam eſt, ex inanitione, vt diximus ſuperius. Vbi vero reſumptę ſunt aliquantiſper vires per hos odores, agēdum erit etiam cibo: ſed eo etiam, qui facilè inſtaurare poſſit. Facilè vero inſtaurabit, qui facilis erit cōcoctu. Vires enim imbecilliores redditæ, ſi cibus ſit concoctu difficilis, non modo non inſtaurabuntur: cùm cibum illum nequeant conficere: verum potius opprimentur, & ſtrangulabuntur. Prętereà vero ſorbitiones aptiores erunt, quàm cibus ſolidior ad reſumēdas vires. Facilius namque eſt potu repleri, quàm cibis dixit Hip. Sorbitiones autem vtiles ſunt, quales dictæ fuere: vt ptiſana, vel halica ex modico vino: ſed & bona iura; oua ſorbilia: panis ex iure coctus, & id genus alia.

Si verò ob triſtitiam, aut gaudium, aut timorem, aut iram, aut terrorem exoluantur, &c.

QVAM VIS in varijs animi perturbationibus, vario modo ſpiritus, ſanguis, & calor natiuus afficiatur, moueaturque. Nam aut in profundum cōfertim refugit: aut exterius effertur, aut efferueſcit. Hoc tamen in omnibus commune eſt, qui in animi deliquium incidunt, quòd calor & ſpiritus (vt ſuperius fuit expoſitum) ad cor: vel pręcordia confugiūt, tanquam ad principem partem, & arcem. Vndæ aliæ partes ferè deſtitutæ ab adminiſtratione naturæ non amplius cōtinere, & adminiſtrare humores poſſunt. Quare ſępiſſimè fit vt multa excrementa ad ventriculum confluant, atque ita lædunt, & fouent lipothymiam. Quo circa his omnibus occurrere oportet: nempe & ſpiritus recreandi ſunt odoribus gratis: & apprehenſione narium euigilandi, excitandique: pręterea vomitus ciendus. Sed & illis, qui ex vehementi dolore concitato ex vulnere accepto in articulis, vel neruis, vel tendonibus, conſulendum eſt eadem fere ratione. Nam prius ab animi deliquio reuocandi ſunt: mox vbi reuocati fuerint, curandi ſunt affectus illi, quos ſecuta eſt animi defectio congrua, & apta curatione, qua pręſertim dolores ſedentur, & vulnera in meliorem ſtatum reducantur. De quibus non pertinet ad præſens inſtitutum agere. Ita etiam alijs, qui colicis, vel iliacis cruciantur doloribus, vel alijs iſtiuſmodi, ſuccurendum eſt, ſi in animi deliquium iam conciderint, vt excitentur, & reuocentur: mox vt fomentis moderatis: moderate calefacientibus dolor ſedetur, vt digeratur, & diſcutiatur materia extendens, & veluti dilacerans dolentes partes. Præterea vero vt a loco dolente auertatur, extrema fricanda ſunt ac reliquis auxilijs, quibus docuere medici ſuccurrendum eſſe his affectibus, agendum eſt. Ita etiam, ſi contigerit, vt exoluatur, & animo deficiat aliquis ex infirmitate earum facultatum, quæ animantis corpus diſpenſant. Quæ medicis quidem ſunt tres. Quarum prima, & veluti aliarum fundamentum vitalis eſt: cuius ſedes eſt cor, & qua præſertim viuit animal. Altera vero eſt naturalis, qua alimur & creſcimus: cuius officina eſt iecur. Tertiam medici animalem appellant, quæ initium eſt ſenſus omnis & motus, qui imperium animi ſequitur, & eius proprium, ac primum inſtrumentum cerebrum eſt. Quamuis autem exolutio vel animi deliquium ad vitalem facultatem, cuius cor ſedes eſt, pertineat (eſt enim propriè cordis affectio, & rationem ſpirituum ſequens) tanta tamen eſt connexio mutua harum facultatum, vt ſi vna earum laboret inſigni aliquo affectu, alias quoque facillimè ſecum trahat in conſenſum. Vnde ex cuiuſcunque earum infirmitate poteſt animus deficere. Et ſicut vniuerſa vis, & robur in earum partium temperatura conſiſtit, in quibus, hæ ſitæ ſunt: Ita & earundem imbecillitas in earundem membrorum intemperaturam erit referenda,

A tanquam in cauſam propriam. Quare cùm voluerimus defectibus animi ex infirmitatibus harum facultatum ortum habētibus ſuccurrere: oportebit prius inueſtigare, quænam ſit in eo membro intemperatura, atque ſtudere, vt ea curata particula, redeat ad naturalem temperiem. De ratione autem curandi has temperaturas particulatim agere ad pręſens negotiū nō pertinet. Alias vero (quia longum ſermonem requirit) maiori otio ad te ſcribam ò Glauco, ait Gal. In præſentia autem ſatis ſit commune præceptum: nempe quòd per contraria ſecundum qualitates corriguntur intemperaturæ omnium particularum: videlicet calida frigidis, & frigida calidis, ſicca humidis: & humida ſiccis. Quia vero multa a prioribus me B dicis perperam literis tradita ſunt: De his etiam in poſtremum alio ad hoc dicato libro agemus. Nunc autem de his ſit ſatis dictum.

Curatio Capitis a varijs cauſis moleſtati. Cap. XV.

QVONIAM vero ſermonem de accidentibus hucuſque fecimus, rurſus ad primum inſtitutum redeamus, vnam in omnibus, &c.] Duo ſunt ſymptomata, quæ præſertim grauia ſunt & febicitātibus moleſta: defectus videlicet animi, & dolor capitis. De priori in capite pręcedenti, habitus eſt ſermo. C In præſenti de altero habendus eſt. Sed antequam vlterius progrediamur, hoc imprimis conſiderandum eſt, quòd ſi quis aliorum medicorū libros legerit, videbitur Galen. doctrina manca, & mutila: vtpote, quia ab aliis multa præterea alia ſymptomata febricitantibus moleſta deſcribuntur, atque exponitur ratio eis ſuccurrendi, quarum ne mentionem quidem fecit hic Galen. cùm tamen non exigui, ſed plurimi momenti ſint. Sicuti vigiliæ nimiæ, ſomni immodici, ſitis vehemens, appetitus deſtructio, & id genus alia: quæ interdum maius ægrotantibus negotium faceſſunt, quàm febris ipſa. Ad hanc dubitationem reſpōdemus, ſicut & alias diximus, quòd immo Gal. rationem integram vndequaque, & ex omni parte doctrinæ, & methodi expoſuit, quam in hoc libro inſtituerat: D nimirum breuem, & compēdiariam. In qua propoſita generali methodo, ſatis eſt deinde eam (vt ipſe dicere ſolitus eſt) uno aut altero exemplo lectores exercendo, explanare. Vnde cùm id fecerit, omnes ferè modo perſequens quibus ſolet, animi deliquiū [contingere] ac docuerit, quòd rationem illi occurrendi, reperta cauſa a qua excitatur, atque eam reſpiciendo, facilè inire poterimus. Iterum hoc eodem pręcepto in memoriā reuocato nempe in omnibus ſymptomatibus curandis, cùm illa propriam indicationem iam habere incipiunt, qua poſſunt, rationem cu rationis a morbo ad ſe conuertere, habendam eſſe ſemper præ oculis, tamquam communem ſcopum, cauſam illius ſymptomatis: utpote quæ, ſi rectè cōſideretur, curationem nobis indicabit: idem in dolore E capitis oſtendit (quod quidem ſolet eſſe moleſtiſſimū ſymptoma aliquando febricitantibus) nempe ꝙ non ſemper uno, & eodem modo ſit curandus, cum non ſemper ab eadem cauſa excitetur: ſed uarijs rationibus, pro diuerſitate, & uarietate cauſarum ipſum excitātiū. Reliqua aūt ſymptomata, accepto ab his exēplo reliquit nobis eadem regula tractanda, & moderanda, oſtenſa diligenter nobis prius uia. Verum ut rem ēt exquiſitius teneatis expoſitis curationibus doloris capitis, eandem methodum accommodare alijs ſympomatibus docebimus, Sed ad inſtitutum reuertamur. Propoſitum nobis eſt, de curatione doloris capitis in febricitantibus agere: quam uariam eſſe diximus pro diuerſitate cauſarum, ex quibus ortum habet.

habet. Vnde neceſſe eſt, ut omnes modos, & differẽtias dolorum inueſtigemus, & aſſequamur, quibus poteſt caput affici, atque etiam cauſarum, vnde ſuam dolor habet originem. Et quia, (vt diximus) dolor ſymptoma eſt, quod tanquam cauſam affectum ſequitur, neceſſe eſt, vt is affectus: quem ſequitur dolor, aut primario ſit in capite, aut in alio membo, doleat vero caput cum eo membro conſentiens. Sicuti ſæpe caput dolet propter affectum aliquando vẽtriculi, cum quo plurimum conſenſum habet, & affinitatem, tum propter neruos, tum etiam propter viam amplam, per quam poſſunt a ventriculo vapores in caput ferri. Interdum etiam conſentiens cum vtero, aut cum toto. Siquidem cum ventriculo conſentiat, conſiderandum eſt, qualis ſit ventriculi affectus, & quis modus conſenſus. Et quoniam quotieſcunque particula aliqua alterius conſenſu laborat aliquo affectu, nunquam poterit illius affectus curatio perfici, neque eo incommodo liberari ea particula; niſi prius illi ſuccurramus, quæ per ſe, & primario affectu laborat. Nam ſicuti docuit Galen. primo lib. de Loc. affect. propriè quæ cõſenſu laborat, non ſuo, ſed alieno morbo laborat. Ideo curatio etiam illi parti adhibenda, in qua primum morbus eſt. Itaque dolente capite in febribus conſenſu ventriculi: ab affectu ventriculi: petenda eſt curatio, & conſiderandum, quis ſit affectus in ventriculo, & ille tollendus eſt. Sed dices neceſſaria quidem ſunt, & vera hæc omnia, at quonã pacto fieri certior potero, caput nõ proprio, ſed alieno affici incommodo? Poteris id facile cognoſcere, ſi reſpexeris ad partes illas corporis, quarum conſenſu caput poteſt male affici, ac diligenter conſideraueris, an illæ bene ſe habeant, an vero male affectæ ſint. Et ſi illas perceperis nullo proprio tentari affectu, ſed potius integras eſſe: iam certior eris factus, caput primario laborare, illique ſuccurrendum eſſe. Vbi autem videris aliquam aliam particulam, cum qua ſępe cõſentire ſolet caput, aliqua affectione tentari. tunc ſuſpicandum eſt, eius conſenſu caput fuiſſe affectum: atque primum erit tollenda illius particulæ affectio, Præ omnibus autem particulis magis & frequẽtius, præſertim vero in febribus ex affectu ventriculi læditur caput. Ideo maxime, & imprimis ad ventriculum in eis reſpiciendum eſt. Cum enim in febrium aceſſionibus ſæpiſſimè vitioſi aliqui, tum pituitoſi, tũ bilioſi humores congeſti, vel ibi geniti, vel aliunde propulſi reperiantur, ab his calefactis a febrili calore vapores attolluntur ad caput, atque in eo recepti, aut calefaciendo, aut mordendo, aut diſtendendo, cerebri, & capitis membranas, concitant dolorem. Vnde remotis humoribus, a quibus fomentum vapores habent, vel nullo vel modico negotio tollitur dolor. Cognoſcitur autem horum humorum redundantia in ventriculo ſignis proprijs indicantibus malam cõtineri in eo materiam, nempe ex moleſtia. Nam ſi materiæ pituitoſę ſint, aggrauant ventriculum, & os eius, & faſtidioſus erit vir, ita vt quieſcere non poſſit præ anguſtia. At ſi bilis mordens, & pungens os ventriculi, concitabit (vt Græci aiunt) cardialgiam, hoc eſt cordis dolorem: Nam & mulierculæ laborante ore venticuli, cordis dolore affligi dicunt, ſi procuraueris, vt ea vitioſa materia vomitu excernatur, ſimul & caput, & ventriculum ab ea vindicabis moleſtia. Vnde vomitus ciendus' erit, introducto vel digito, vel penna in fauces, & irritatis illis horum agitatione. Quod ſi difficilior videatur vomitus, ſi bilis mordax fuerit: iam ſuperius docuit Gal. hydrelæo concitandum. Sin autem pituita, quæ tenax eſt, oxymelite ex aqua tepida. Ita curatur dolor capitis cum vẽtriculo conſentientis. Quod ſi cum alio conſenſerit, vtpote cum toto, cognoſcetur ex ſignis indicantibus totius corporis plenitudinem, aut cacochymiam.

A Quare toti primum cõſulere oportebit. Si cum iecinore, dolor potius occupabit dextram, quàm ſiniſtrã capitis partem: & ita iecinoris ratio erit habenda. Plerunque tamen in febribus, vt diximus ex ventriculo caput dolet. Vbi autem nihil apparet, quod ſuſpicionem poſſit afferre alterius particulæ laborantis, cuius affectione caput doleat: capiti ſoli erit attendendendum. Et cum non vna duntaxat poſſit eſſe cauſa, cur primario affectu doleat caput: ſed multiplex, & varia, & pro ratione cauſarum, ratio etiam curandi ſit varia. Ideo prius inueſtigandæ, & diſtinguendæ ſun cauſæ. Nam, & ſi omnis dolor primum, aut in intemperiem, aut in vnitatis ſolutionem referendus ſit: non tamen in his tantum conſiſtendum eſt: ſed & B iſtorum cauſæ ſunt inueſtigandæ. Quæ omnes, quãtum ad præſens negotium pertinet, in tria capita reducenda ſunt; in obſtructionem: in multitudinem: atque in phlegmonem, hoc eſt, inflammationem aliquarum partium capitis. Multitudo autem, quę ingens ſit, poteſt, ſi craſſiori humore conſtat, replendo, præterea vero aggrauando dolorem concitare. Sin autem non tanta ſit, dum in vaporem, & ſpiritum flatuoſum reſoluitur, qui diſtẽdat particulas, in quibus continetur, poteſt dolorem ciere. Sed ſi tenuis, & acris ſit ea materia, mordendo, erodendo. At obſtructio excrementis exitum pręcludens, in cauſa dolendi eſt, & varios concitandi dolores, pro ratione diuerſæ naturæ excrementorum: quæ poſtea, vel acrimonia, vel flatuoſo ſpiritu extendente, occaſionem do- C lendi afferunt. Inflammatio vero tum immodico calore, tum vero plenitudine, & diſtenſione dolorem excitat: vt ſæpius fuit a nobis expoſitum. Signa vero, quibus hæc diſcernenda ſunt, huiuſmodi ſunt. Quia vbi multitudo replens, & diſtendens in cauſa eſt: dolor quidem eſt cum grauitate, & diſtenſione: nempe quia grauans, & diſtendens dolor percipitur. Si vero per ſpiritum flatuoſum, in quem conuertitur materia alioquin corpulenta, ſed non multa: tunc percipitur tenſio, citra grauitatem. In inflammatione vero, ſicuti duæ ſunt dolendi rationes: ita etiam multiplex eſt dolor. Primùm enim cùm particula non modo repleta ſit, ſed infarcta craſſiori humore, ibi grauitas adeſt, tenſioq;. Pręterea cùm humor, & ſua- D pte natura calidus ſit, ibi conſtipatus, iterum, dum euentari nequit, magis accenditur, & calefaciendo auget dolorem. Particulatim autem inflammatio, ſi occupet membrum ſenſu pręditum, prope quod ſint arteriæ, dolor cum pulſatione percipitur. Vnde pulſatorius dolor, aut ex inflammatione eſt, aut ex ſpiritu flatuoſo, concluſo in aliqua particula. Sed in inflammatione grauitas eſt, quæ nulla percipitur in flatuoſo dolore. At his & illud addendum eſt, quòd cùm primæ partes, quibus caput coagmentatum eſt, ſint cutis, membranæ, oſſa, & cerebri ſubſtantia, è quibus ſolæ membranę ſunt inſigni ſenſu præditæ, Ideo cum vehemens excitatur dolor in membranis, has cauſas doloris perquirere oportet, & in earum E venis, vel arteriis, non in alijs particulis. Sed neque ſi hic conſtiteris, abſoluta, & integra erit reſolutio: ſed vlterius progrediendum ad inueſtigationem vſque primæ cauſæ. Nam cùm dolor incipit primum eſſe moleſtus, qui prius non moleſtabat: neceſſe eſt, cauſam doloris, ſiue ea ſit vapor, & ſpiritus, ſiue humor, qui aut acri qualitate, aut multitudine, aut excitata, inflammatione dolorem efficit: tunc primum occupaſſe caput. Eſt ergo, & alia quærenda cauſa, cur delatus ſit ſurſum, & caput impleuerit. Etenim ad curationem, & hoc cognitu neceſſarium: quia ad rationem illius cauſæ erit curatio dirigenda. Cauſa vero iſtius triplex eſſe poteſt. Primum magnitudo febris, & eius caloris, qui fundendo humores in corpore contentos, & ipſos veluti efferueſcere faciens,

in cauſa

In cauſa fuerit,cur illi in caput elati fuerint. Deinde
vero & capitis infirmitas. Iam enim ſæpius a nobis
dictum eſt, ꝙ facillime replentur imbecilles partes:
vtpote ad quas illæ, quæ robuſtiores ſunt, quicquid
ſuperuacanei in eis eſt, impellant. Tertio etiam to-
tius corporis plenitudo in cauſa eſt,cur caput replea
tur. Vnde cum hæc medico fuerint perſpecta, facilè
illi erit inire curandi rationem, tanquam ſcopum ſi-
bi præponenti,remouendam eſſe hanc cauſam.Quia
ſi totius plenitudo fuerit,facilis erit doloris curatio,
ſi multitudinem detraxerimus.Sed neque in pręſen-
tia res hæc, nempe quomodo eam detrahere opor-
tet, tractanda eſt: quoniam vbi de curatione febriũ
ſermonem faciebamus, ſatis de hoc egimus, & quan
B tum poterat ad noſtrum negotium pertinere. Nam
& tenui victus ratione, & frictionibus, & balneis,
& exercitatione, & ſanguinis miſſione, & alijs in-
ſtrumentis agendum eſt,quibus ſolet corpus inaniri:
quorum opportunitatem, & rationem, & nimis
longum, & ſuperuacaneum eſſet, ſi particulatim
nuac exponere vellemus. Sed ſi imbecillitas capitis
fuerit in cauſa, cur doluerit caput: tunc quia ea ſo-
la non poteſt in cauſa eſſe, niſi etiam fortiora mem-
bra eo impellant noxios ſuccos: Ideo vtriſque opor-
tet occurrere. Prioribus quidem reuulſione, quæ
pro temporis opportunitat e,& ratione corporis erit
molienda, aut acri clyſteri, aut ligatis extremis par-
tibus,aut illis etiam perfrictis, aut ſecta vena: pro vt
magis viſum fuerit expedire. Interim verò,dum re-
C uulſioni danda eſt opera, neque otiari permitten-
dum eſt caput imbecillum aut natura, aut ex aliquo
errore: ſed repellendi ſunt humores, qui in ipſum
irruunt: & ſiqui iam fluxerint, & recepti ſint, illi
quoque vacuandi. Demum vero robur illi, ne am-
plius eos admittat, addendum. Repellendi vim ha-
bent (vt ſæpius dictum eſt)quæ refrigerant,& aſtrin
gunt capiti perfuſa: qualia ſunt oleum immaturum,
quod tum omphacinum, tum omotribes græci ap-
pellant: oleaque alia aſtringentia: præterea roſa-
ceum,& per ſe ſolum: & ſi paretur germinibus tenel
lis oliuæ,vel hęderę corymbis, vel papaueris capiti-
bus,vel iſtiuſmodi alijs:& item & oxyrhodinũ. His
autem perfuſionibus non ſemper eodem modo expe
D dit vti,ſed diuerſimodè, pro ratione diuerſitatis na-
turæ illius materiæ, vnde fuit cõcitatus dolor.Quia
ſi acris, & calida fuerit, biliosaque materia, frigidis
actu vtemur, immo aliquando ex niue etiam refrige
ratis, vt ſecundo de Comp.med.per loc.docuit Gal.
Sin autem cruda,& frigida,tepidis,ne magis ex frigo
re recrudeſcat: vt ſemper rei natura dirigat curatio-
nem noſtram.Hic aũt exurgit magna dubitatio, cu-
ius mentionem etiam fecimus, dũ explanaremus ſe-
cundum de Comp.med. per loc. quia hic mentam,
viridem,& ſiſymbrium inter ea recenſet, quibus pa-
rãda ſunt ea,quæ vim repellẽdi habent in capitis do-
lore:quæ quidem inſigniter calefaciũt.Cũ tã mẽ refri
gerãtia,nõ quæ calefaciant, huic negotio potius ac-
E commodata ſint. Et quod maius eſt,ipſe etiam Gal.
ſecundo lib.de Comp.med. ſec. loc. miratur, quòd
Apollonius Conizam in his medicamentis recenſue-
rit, quæ vim refrigerandi habent: cùm non modò
refrigeret:immo potius moderatè calefaciat, & ta-
men ſiſymbrium, & menta viridis calefaciant in ſe-
cundo. Immo eodem loco (quod maiorem affert
difficultatem) mentam & ſiſymbrium oleo incoquẽ
da ait,cum diſcutere, & digerere volumus.Hęc enim
vtpote quæ calida ſint,& tenuis ſubſtantiæ,vim ma-
iorem attenuandis,& diſcutiendi, uacãdique habẽt,
quàm repellendi,& refrigerandi. Vnde mihi admo-
dum res hæc difficilis videtur. Neque tamen ſum
ignarus reperiendos forſitan aliquos, qui dicant mẽ-
tam poſſe repellere: propterea quia ſit alicuius acer-

A bitatis particeps. Quid tamen dicturi deinde ſint de
ſiſymbrio,non poſſum percipere. Niſi quis velit di-
cere,quòd hæc ſimplicia,quę conſtant tenuibus par-
tibus (vt de menta dixit proprio capite in lib.de
Simp. med. facult. Galen.) non apponuntur in his
medicamentis, tanquam repellentia: ſed vt ſua te-
nuitate facilius penetrantia ſecum repellentium,
& refrigerantium vim deducant. Sed mihi, neque
hoc ſatisfacit. Primum quia his calidis in affecti-
bus frigidis vtimur ad perducendam viam repellen-
tium ad internas partes: ſed in calidis, vt in febri-
bus, & capitis dolore in ipſis febribus, omnes ace-
tum immiſcent,vt Gal.etiam hic meminit. Præterea
confuſus admodum fuiſſet Gal.& obſcurus,qui non
B diſtinxiſſet,an cum alijs,an ſolis eſſet vtendum,cùm
alijs,& per ſe ſolis vti liceat: videlicet roſaceo,& ijs,
quæ cum capitibus papaueris vel germinibus oliuæ,
& corymbis hederæ parantur:menta vero,& ſiſym-
brio nequaquam ad repellendum. Vnde re vera non
habeo,quod in hac re exponam, quod mihi ſatisfa-
ciat.Multa ſane comminiſci poſſumns: verum illis
animus non acquieſcit:niſi velimus dicere mendum
inoleuiſſe exemplari Græco. Nam & ſiſymbij,& mẽ
tæ bis meminit in Gręco codice,hic quidem,& pau-
lo poſt, vbi ait,Sed ſi ſpondiliũ,vel ſerpyllo incoxe-
ris,vel calamenthum,vel mentam, vel ſiſymbrium.
Vt videlicet hoc loco ſint ab aliquo librario per er-
rorem hæc verba appoſita:ibi vero recte. Noui equi-
C dem,quòd Steph.huius dubitationis meminit,& ait
ipſe,quòd hic viridibus his herbis vtitur,inferius ſic-
cis. Viridiores enim hæ herbæ propter multam hu-
miditatem(vt docuit Gal.)minus calefaciunt. Nam
quæ aridæ in tertio ordine ſunt calefaciẽtium, viri-
des ſunt in ſecũdo. Et cùm vim aſtringentem aliquã
habeant,roborant etiam membrum.Sed mihi reſpõ-
ſio non videtur quadrare.Et enim calida in ſecundo
ordine non video quomodo repellant: vt ſaltem in
initijs vtamur.Sed de his ſatis.Repulſa autem mate-
ria,procurandum deinde eſt,vt ſi aliquid in capite re
ceptum eſt, quod vi repellentium non potuerit ex-
trudi,illud vacuetur,& ſubinde ita roboretur caput,
ne videlicet amplius eos a ſubiectis partibus vapores
recipiat. Vacuabitur autem per ea,quę attenuant,&
D digerunt:ita tamen,vt prius leuioribus:deinde vero,
ſi materia craſſior facta difficiliorem ad digeſtionem
ſe prẹſtiterit,etiã fortioribus,& calidioribus.Lenio-
ra erũt oleum ſimplex, nõ amplius immaturum, ſed
exquiſitè maturum,& calefactum, magis autẽ oleũ
antiquũ: calidius enim eſt:ſicuti,& ſycionium,item
& anethinum.Hęc enim oĩa modeſte calefaciunt,&
eã vim habent, vt materias modeſtè craſſas digerere
poſſint.Craſſiores autem quæ relinquunt, quaſi fex,
vacuatis nempe tenuioribus partibus, valentioribus
egent diſcutientibus:ſicut ſunt ſpondylion,ſerpyllũ,
pulegium,calamẽthum,menta,ſiſymbrium,& iſtius
modi reliqua,quę cũ non ẽt alicuius aſtrictionis ſint
expertia,poſſunt quoque caput roborare,& eius par
E ticulas imbecilliores. Vnde his erit uſque ad finem
utendum. Quòd ſi interdum adeo plenum fuiſſet
caput ex eius multa imbecillitate, ut exiſtimaremus
maiori etiam ui opus eſſe ad illud expurgandum, &
inaniendum:tunc eſſent ea adminiſtranda, quæ, &
per uacuationem ſenſui conſpicuam purgant: ut per
ea,quæ a Gręcis ἔῤῥινα caputpurgia a recentioribus
dicuntur. Item per ſternutatoria,& gargariſmata,
de quibus, & alias multus ſermo habitus eſt, & an-
nuente Deo,ſuo loco habebitur. Hic enim non eſt
locus proprius hæc exponendi, ne nimis in longum
noſtra protrahatur oratio. Vnde hoc tantum expo-
ſito:nempe,quod per hæc caput imprimis inanitur:
ad aliam rationem caput inaniendi,& quaſi euellen-
di craſſos humores,& impactos particulis tranſeun-
dum eſt.

dum eſt. Ea vero eſt,vt hominem dolentem ad bal- A neas ducamus,vt lauetur, præſertim caput, idq́, ſiccis ſindonibus fricemus. Nam balneæ fundunt humores. Siccæ autem ex ſindone frictiones inſignem attrahendi ex profundo vim habent:prҽterea,& calẽ facta cute,digerendi. Prætera vero caput ſale,nitro, & ſinapi aſpergamus.Quandoquidem, & hæc attrahendi,attenuandi, & deſiccandi vim habent. Vnde neque oleo inungendi: quia id humectat,& mollit: exſiccare autem in præſentia volumus, non mollire: & humectare. Verum hoc animaduertere oportet, id genus remediorum non poſſe accommodari, niſi vbi non multa ſit in toto plenitudo: alioquin magis à toto attrahendo oberit, quàm exſiccando poſſit prodeſſe. Tertia autem differentia doloris capitis a B cauſa accepti eſt, cùm is pendet a febris magnitudine:nimirum, quia humores in toto corpore a calore vehementi febris funduntur, & quaſi efferueſcentes attolluntur,ac caput replent,doloremq́ue concitãt. Hanc autem,quamuis eius primum meminerit, poſtremum curare docet: accepta,& hic curandi ratione à rei curandæ natura: refrigerantibus ſiquidem vtitur:vt perfuſionibus capiti adminiſtratis, quæ, & poteſtate,& actu refrigerent, quales ſunt,quæ conficiuntur ex hydrelæo, hoc eſt, aqua oleo immixto, oxyrhodino, decoctoque ex capitibus papaueris, & id genus reli quis,quæ omnia refrigerara, & actu frigida ſunt adminiſtranda. Nam(vt docet Stepha.) præter id,quod intemperiem calidiorem, quam capiti calidi attulere vapores, remouent, caput etiam C roborant,& ſubinde repellunt eos qui ad caput alioquin ferrentur, excrementitios humores.

In dolore autem capitis, qui ſanguinis fluxum, aut vomitum decretorium, ſignificat, non ſunt remedia quærenda: neque enim accidens quoddam, &c.

SI VERBA Galeni rectè perpendamus, hic voluiſſe videtur hanc partitionem. Dolorum capitis,quidam ſymptomatis rationem habent,Quidam vero minimè: quia potius tanquam ſigna à medico conſiderantur,& obſeruantur.Qui ſymptomatis habent rationem illi à medico curandi ſunt: curandi autem,vt hactenus expoſuimus. Qui vero rationem ſymptomatis minime habent, hi nullam alioquin curationem requirunt: ſed ita dimittendi ſunt,atque D omne negotium naturæ relinquendum:vtpote,quæ paulò poſt ſuperato morbo, & omnibus morbificis cauſis,per iudicationem liberatura ſit ægrotantem a dolore,ac reliquis incommodis. Solent enim iudicationes hæc præcedere, dolores,præſertim capitis, inquietudines, hallucinationes, deliria, & reliqua iſtiuſmodi, de quibus copioſè a Galeno in libro de Criſibus actum eſt. Dum enim natura ipſa concoctioni, & ſequeſtrationi noxiorum humorum incumbit,febres vehementiores fiunt; perinde, vt in abſceſſibus, dum pus conficitur: item, & dolores maiores concitantur, quàm cum iam pus factum eſt: vt Hippocrat. quoque ſecundo Aphoriſ.ait. Et quemadmodum confecto pure, & magis etiam ex- E creto,dolores,& febres, remittunt: ita dum natura concoctionem in febribus molitur, febres augentur,& dolores. Cocto vero morbo, remittunt: ac ſequente indicatione tandem omnia tolluntur incommoda.Eiuſmodi ergo dolores, & ſi, & vulgaribus,imperitiſque medicis interdum timorem incutiant:peritis tamen ſpem,& lætitiam maiorem afferunt,cùm percipiant futuram indicationem, & integram tandem ſalutem. Atque ad hoc referendus Aph.27. eſt Aphoriſ.ille ſecundo libro Aphoriſ. Non eſſe timenda maiora etiam mala in morbis, cum præter rationem fiunt. Colligendo ergo omnia, cum dolor capitis is fuerit, qui indicet futuram paulò poſt morbi iudicationem, neque curandus eſt, neque de eo oportet alioquin eſſe ſolicitum medicum, ne dum ſe ptofuturum credit, alioquin obſit: facile enim poterit eſſe impedimento naturæ. Vnde hoc tantùm procurandum eſt, vt cognoſcat eum dolorem iſtius eſſe naturæ. Quod, vt facilius cognoſcatur, quædam ſummatim ex libris de Criſibus deſumit.Sed hic aliquantiſper ſiſtendum,& quædam neceſſaria cognitu conſideranda. Primùm,quia Galen. ait,hunc dolorem,qui nuntius eſt futuræ indicationis febris per eruptionem ſanguinis è naribus, vel per vomitum, non eſſe ſymptoma cenſendum, ſed potius tanquam ſignum, & illud quidem optimum habendum.Quod quidem non paruum eſt dubium. Quandoquidem videtur Galen.ſui ipſius eſſe oblitus: Quia dolor per ſe quidem, & ſecundum propriam rationem ſymptoma eſt: pertinet enim ad læſam ſenſus tactus actionem. Quomodo ergo nobis ſuadere nititur, non eſſe cenſendum ſymptoma? Deinde vero,cum ait,non tanquã ſymptoma eſſe habendum eiuſmodi dolorem, ſed potius in ſignis bonis ponendum, videtur quaſi ſymptomata a ſignis ſeparare:cùm tamen præter ea,quæ ab his accipiuntur,quæ ſubſtantialiter rei inhærent, reliqua omnia ſigna à ſymptomatibus ſint accipienda, vt ſecundo libro Art. medic. docuit ipſemet Galen. Ad hanc dubitationem facilis erit reſponſio, ſi eorum memores ſimus,quæ ſuperius fuere expoſita: nimirum, quòd hic ſymptomatum conſideratio aliquantiſper diuerſa eſt ab ea, quæ ab ipſo Galeno in libro de Different.& Cauſ.ſymptom. expoſita eſt. Ibi enim de ſymptomatibus agit ſecundum communem eorum rationem,quatenus morbum ſequuntur, tanquam propriam cauſam. Hic autem non ita in vniuerſum,ſed magis particulatim. Nam hic tanquam ſymptomata in febribus habentur. Quæ quoniam inſigne aliquod periculum minitantia ſunt, & maius interdum, quàm ipſa febris, aliquam & ipſæ indicandi rationem aſſumũt, & cauſę iã magis ſubindunt rationem, tamque iſtiuſmodi ſymptomata habita ſunt,vt eo loco fuit expoſitum: quæ tamen minimè ſymptomata propriè eſſe poſſunt: & quaſi ſymptomata,a Gale.ſunt appellata. Alia etiam, quæ alioquin ſunt propriè ſymptomata,cùm nullam vim habeant propriam rationem curationis febris aliqua ex parte immutandi, neque tanquam ſymptomata habentur,quatenus ſpectat ad præſens inſtitutum. Quare eiuſcemodi dolor capitis, qui decretorius eſt,tanquam ſignum futuri iudicij a medico conſideratur. Et ſicut dolores capitis, de quibus hactenus actum eſt,indicabant aliquid agendum a medico eſſe,vt illi tollantur,& ſedentur.Ita hic ab omni medico auxilio eſſe abſtinendum, & res naturæ relinquenda penitus,& omnino indicant: neque illis apparentibus,aliud à medico procurandum eſt, niſi, vt ab ipſo cognoſcãtur iſtius eſſe naturæ. Vnde,quia res hæc nõ pauci momẽti eſt.Ideo quicquid præſentis libri ſupereſt: id totum in docendo, qua ratione hoc medicus percipere poſſit, ſummatim hic exponit. Quoniam eius copioſa tractatio ad librum de Criſibus pertinet. Reliquum eſt, ergo,vt ad ſequentium explanationem nos transferamus.

Conſideranda igitur, primum quidem ſpecies febrium, ſi calida, atque vrentes ſint: nam hæ per excretiones iudicari conſueuerunt, &c.

TRIA capita, quæ quantum ad præſens iſtius libri inſtitutum pertinet, ſunt cognitu vtilia, & maximè à medico conſideranda, proponit, explanat. Primum,quando dolor capitis tãquam decretorius ſit habendus. Alterum verò, an indicatio inſtet, & paulò poſt futura ſit, vel tardius. Tertium,cum dolor capitis ſoleat, non quãcunque in febribus iudicationem, neque vnum tantum præcedere modum iudica-

judicationis,ſed duos,videlicet ꝑ vomitũ; & per ꝓ-
fluuiũ ſanguinis è naribus,quomodo pręnoſcẽdũ ſit,
an per vomitum,an per ſanguinẽ profluentẽ e nari-
bus ſit iudicãdus morbus. Primũ itaq;,nempe, an ſit
decretorium ſignum dolor capitis cognoſcemus,(ait
ipſe) ſi tria cõſiderauerimus. Naturã videlicet febris,
quantũ ad eius ſpeciẽ pertinet. Deinde modum ter-
minationis:nimirũ,an ea appareant ſigna,quæ mor-
bum fore ſalubrẽ oſtendant,vel mortalẽ. Tertiũ eſt
tẽpus morbi:an.ſ.in principio,an in incremento, an
in vigore: ſumpta tamẽ temporũ diſtinctione a cõco
ctionis ratione. Quatenus ergo ad primum pertinet,
hoc imprimis eſt reuocandũ in memoriã, quod ſæpe
alias a nobis ex Gal. ſentẽtia expoſitum eſt,ꝙ triplex
eſt mod⁹,quo morbi ſalubriter terminanť: videlicet,
aut per excretionem humorũ per manifeſtam vacua-
tionẽ factã,aut per abſceſſum, aut per concoctionẽ.
Per primũ modũ velox,& cita admodũ fit reſolutio;
per vltimũ lente,& paulatim: ꝑ alterũ medio modo.
Sequuntur aũt diuerſi hi terminationũ modi diuer-
ſitatem,tũ naturæ morborũ,tum tẽporis, & conſti-
tutionis anni. Nã morbi acuti, & qui tandẽ excitan-
tur a calidis,& tenuibus humoribus, quique velocis
ſunt motus,hi ſæpe per excretionẽ terminantur: ſi-
cuti exquiſitę tertianæ,& ardentes febres,quæ cauſi
dicunť: ita & pleuritides, & phrenitides, & iſtiuſmo-
di reliqui. Morbi vero,& febres diuturnę,quę & craſ
ſis,frigidisq; humoribus accenduntur, paulatim ter-
nanť,& per concoctionẽ: paulatim ſiquidem,vt con-
coquitur morbifica materia: ita vel per anguſtos mea
tus (vt hic exponit Steph.) digeritur,vel in vrinis per
hypoſtaſin excernitur. Qui autẽ medio modo ſe ha-
bent,mediũ etiã terminationis modũ habẽt, per ab-
ſceſſum enim terminantur: vt per parotidas, vel bu-
bones: interdũ per ſcabiẽ, vel papulas per vniuerſum
corpus effloreſcentes. Ita ẽt iuuenum febres ſæpe per
excretionẽ iudicantur,ſenũ paulatim, & per conco-
ctionẽ. Aeſtate ẽt facilius per excretionẽ; hyeme per
concoctionẽ. Hoc ergo primũ conſiderandum eſt,vt
probe diſcerni poſſit,an dolor capitis ſit futuræ iudi-
cationis ſignũ: an potius ſequatur febrẽ, tãquã ſym-
ptoma. Quia ſi is morbus videatur ex eorũ numero
eſſe; qui nõ ſolent per ſanguinis fluxũ, vel vomitũ,
& tandem per excretionẽ iudicari,non putandũ eſt,
eſſe decretorium ſignũ. Alterũ vero,an ſalubris mor
bus ſit: an pernitioſus,cognoſceť ex alijs ſignis, quæ
malignã,vel benignã morbi naturã indicant: de qui-
bus,& in Prognoſ.li.& in li. de Criſi. abũde actũ eſt,
Cõ 45. tum ab Hip. tũ Gal. quæ exponere ad noſtrum nego
tiũ in præſentia non pertinent. Præcipua vero ſigna,
quæ morbi ſalubritatẽ oſtendũt, ſunt ſigna conco-
ctionis. Concoctiones enim apparẽtes dixit Hip. 2. l.
Com. in 1. Epid. celeritatẽ iudicij ſignificant, certãq;
ſalutẽ. Præterea vero hoc cõſiderãdum eſt,quia cùm
morbus pernitioſus fuerit,inepti, & imperiti medici
erit putare,dolorẽ capitis poſſe eſſe ſignum bonũ,&
nuntiare bonum ſubſecuturum iudiciũ morbi. Ter-
tio vero,& febris tẽpora ſunt conſideranda,quia nul
lum ſignum in principio morbi,dũ videlicet, crudus
eſt, ſed neq; in incremento apparens poteſt bonã nun-
tiare criſin futurã. Loquimur autẽ in præſentia de tẽ
poribus morborum,quę accipiunť a ratione apparen
tis cõcoctionis. Vnde cùm ſtatim a principio morbi,
incipit dolor capitis eſſe moleſtus, ille nequit eſſe ſi-
gnum iudicationis ſuperuenturę. In incremento ve-
ro,& ſi cùm incęperint alicuius cõcoctionis ſigna ap
parere,poſſit futurã denuntiare criſin,eã tñ nuntiat,
quę aut mala criſis ſit futura,aut ſaltem nõ perfecta.
Solũ ergo dolor ille capitis poterit indicium eſſe citę
ſalutis,& morbũ,aut per vomitum, aut ꝑ ſanguinis
profluuiũ iudicandum,qui in vigore,& iam cõcocto
morbo exoritur. His itaq; attendẽtes diſcernere po-

A terimus,qualis nã ſit dolor capitis in febribus. Alte-
terũ vero caput,quod a nobis aduertẽdũ propoſuit,
eſt,an inſtet,& paulo poſt futura ſit morbi iudica-
tio. Nã decretoria ſigna ſolent quidem criſin nõ mul
to tẽpe præcedere,immo illis apparẽtibus paulo poſt
iudicatur morbus. Plerunq; aũt futurã criſin antece
dit difficilis quædã ęgrotantis tolerantia,vt eo tem-
pore moleſtiſſimus,& longe magis,q̃ antea ſit ęgro-
to morbus, vt vix eum proferre poſſe videatur: quia
omnia moleſta ſymptomata increſcere videntur, Ac
cepta eſt aũt hæc ſententia ex 2. Aph. & ſecundo etiã
lib. Com. in ſextum Epid. Et ſi die ſit iudicãdus mor Aph. 13.
bus,nox præcedens difficilis erit: ſin noctu,præcedẽs Com 23.
dies. Hippocrates tamẽ noctis tãtum meminit. Pro-
B pterea,quia conturbatio hæc manifeſtior eſt,& mole
ſtior,qñ noctu accidit,quàm quando interdiu: vtpo-
te,qm̃ præter alia incommoda ſomnum etiam adi-
mit,quod ęgrotantibus admodum eſt moleſtum. Et
fortaſſe etiam die ſępius morbi iudicantur, quàm no
cte,adiuta natura a calore,pręſentia ſolis. Sed & ra-
tio dierum nõ parum nobis confert ad hoc diſcernen
dũ. Nam dies quidam ſunt,qui maximã vim habent
ad rationem iudicãdi morbi; ſicuti illi ſunt, qui pro-
priè critici dicũtur,vt quartus,ſeptimus,vndecimus,
decimuſquartus,& ſubinde. In his, frequẽtiſſimè ve
ro in ſeptimo,& decimoquarto, fiunt criſes,& inte-
gręque. In alijs autem,vt eſt ſextus,& octa
uus,aut non fiunt: aut ſi fiant,neque perfectę,nec nõ,
& cũ agitatione maxima,grauibus ſymptomatibus,
C & nõ modico timore,ac periculo. Quia nunquã na-
tura moliť criſin,niſi coacta a nimia morbi moleſtia.
De his vero magis particulatim agere ad librum, de
Rat. decret. dier. attinet potius,quàm ad pręſens ne-
gotium. Quare iam ad tertium caput explanandum
tranſeamus: nempe,vt diſcernamus futuram iudica-
tionem,quam ex dolore capitis ſignificari diximus:
num per vomitum futura ſit, aut per ſanguinem è
naribus profluentem. De hoc ergo ſermone habito
in hunc modum ait Galenus.

*Age iam ſit dies pro magnitudine perturbationis: deinde opor
tet conſiderare, &c.*

SEMPER, vt etiam Ariſt. 2. lib. Poſt. analyt.
docuit ſi quærendum eſt,qualis futura res ſit, opor-
D tet prius pro cõſtituto habere,ꝙ ea ſit futura. Vnde
cùm volumus pręnoſſe,qualis ſit poſt dolorem capi-
tis expectanda criſis; prius debemus habere pro com
perto,cõſecuturã oĩno criſin eſſe. Id vero nobis com
pertũ erit,ſi iã cœperit ea perturbatio,quã diximus,
præcedere criſin: atque dolor capitis in ea ipſa pertur
batione excitetur,non aũt cum alijs ſymptomatibus
morbum concomitantibus ſtatim a principio homi-
nẽ corripuerit. Alioquin enim (vt diximus) ſi ſtatim a
principio,dum crudus erat morbus, inuaſit,nõ eſſet
decretorium ſignum,ſed ſymptoma morboſum. Hic
tñ,& vnum conſiderandum,quod & Steph. viſus eſt
animaduertiſſe: nimirum,ꝙ poteſt,& decretorius do
lor interdũ inter initia morbi incępiſſe: ſed quatenus
E ad id,ꝙ inter initia incępit,nõ eſt decretorius. Verũ,
cùm iam perturbatione ea apparente,quę ſolet iudi-
cationẽ pręcedere,dolor augetur,& longe moleſtior
fit concocto iã morbo: tunc rationem acquirit ſigni
decretorij,& poteſt eſſe nuncius futurę iudicationis.
Itaq; ſi is dolor iã ſit iudicatus talis eſſe,vt futurã cri
ſin indicet,ſupereſt,vt quęramus,qualis ſit futura cri
ſis. Multiplex enim eſt modus, quo iudicari poteſt
morbus. Nam,& per alui profluuium,per hæmor-
rhoidas,per menſtrua,per ſudorem,per vrinam, per
vomitum,& ſanguinis fluxũ a naribus. De alijs qui-
dem quærere ſuperuacaneum eſt, quia ſolummodo
indicat eorum duplicem differentiam: videlicet,aut
vomitum,aut profluuium ſanguinis ex naribus. De
his ergo duntaxat agendũ,præſertim vero de futura
ſanguinis

ſanguinis eruptione è naribus. Nam,& illa in febri-
bus,præcipue ex tenui,& calido humore putreſçente
excitatis,quæ etiam illę ſunt,quę frequentius per cri
ſin terminantur,ſæpius ſolet iudicare. Vnde ſi ea ap-
paruerint ſigna,quæ oſtendūt ferri humores ſurſum
ad caput,dolor capitis etiam per fluorem ſanguinis è
naribus iudicādum morbum ſignificabit. Sin autem
perturbatio iam incipiat, quā conſueuit criſis ſequi,
& aliqua iam apparere incipiant,quæ oſtendant pro-
penſionem,& motum humorum ad ipſum ventricu
lum,expectanda criſis erit per vomitum. De his au-
tem paulo poſt ſermonē habebimus. Prius enim vnū
exponendum nobis offertur,quod omnium eorum,
quæ explananda ſunt, fundamentum eſt; quamuis
Galenus illud fere ad calcem iſtius libri,& capitis ꝓ-
poſuerit. Eſt igitur conſiderandum,ꝙ omnis criſis,
quæ per excretionem fit,a facultate fit, cuius officiū
eſt ſuperuacua,& noxia expellere. Expellit autē ea,
mouendo,vt omnis motus inter duos terminos con
ſiſtit,nempe inter terminum,a quo incipit motus,&
terminum,ad quem eſt motus. Quare,qui exquiſite
cogniturus eſt,qualis ſit futura criſis, & qua parte na
tura excretura eſt noxium humorem in criſi: impri-
mis oportet obſeruare, vnde impelluntur humores,
& quo tendant,vel propenſi ſit. Ex his enim facile
percipiemus,quomodo & ꝑ quā partem ſit iudican-
dus morbus. Nam antequam ſuccedat excretio inſi-
gnis,neceſſe eſt commoueri particulas, a quibus im-
pellitur humor excernendus, dum inſurgunt ad ex-
pellendum:item,& eas,ad quas fit impulſio. Hoc au-
tem apertiſſime percipietis,ſi his attēderitis,quę Ga-
len. exponit. Quę, vt facilius percipiatis,animaduer-
tendum,ꝙ morborum terminatio, opus eſt, & offi-
ciū facultatis naturalis, cuius ſedes eſt in viſceribus,
pręſertim vero in iecinore. Nam,& concoctio,& no
xiorum a bonis ſequeſtratio, & tandem ſecretorum
excretio iſtius facultatis actiones ſunt. Vnde,cùm fa
cultas, quæ corpus regit, ad excernendum inſurgit,
commouentur viſcera,quæ iſtius naturalis facultatis
ſunt inſtrumenta,& ſub præcordijs latent,ac inſignē
tranſmutationem patiuntur:quā facile diligens me-
dicus obſeruās,percipiet, & peſpiciēs poterit pręnoſ-
ſe paulo poſt naturam,morbo ſuperato, ad excretio-
nem morboſorum humorum properaturam. Perci-
piet autem ſurſum retracta hypochōdria. Fit autem
ea retractio, natura iam mouente ad ſupernas par-
tes excrementa,& veluti protrudente. Accidit autem
(quemadmodum acute ſatis hic exponit Stepha.) vt
ſicuti in nobis in externis impulſionibus,& iactibus,
ſi aliqua magna vi iacere, vel protrudere volumus,
non modo manu, ſed toto etiam corpore aliquate-
nus rem impulſam ſequimur. Ita(ait ille) & viſcera,
præſertim vero,quæ ſub hypochondrijs continētur,
adiuta aliquo modo a muſculis abdominis,dum ſur-
ſum impellunt excernendos ſuccos,eos itidem ſequū
tur,& ſic ad ſuperiora reuelluntur, vel retrahuntur
hypochondria. Ita ergo cognoſcemus vnde fiat mo-
tus,vel propenſio futuræ indicationis: & pro ratio-
ne,qua dextrum magis,vel ſiniſtrum hypochondriū
commoueri,conturbarique viderimus, ita etiam vel
ex iecinore, vel ex liene magis concitari motionem
excrementorum cognoſcemus. Deinde,& obſeruan
dum eſt,quorſum fuerant excernendi humores,quia
ſi per nares ſint expellendi,neceſſe eſt ſurſum eos ra-
pi. Si ergo diligenter attēderimus,iſtius raptus ſigna
manifeſtiſſima percipiemus. Nam,cum vehemens il-
le dolor capitis ſequatur aſcenſum vaporum, deinde
humorū in ipſum caput,& membranas cerebri, qui
vel pungendo,& mordendo,vel extendendo dolorē
excitant:& cùm is dolor poſſit ab his vaporibus con
citari,qui per venas ad caput feruntur, poſſit etiam
conſenſu ventriculi,a vitioſis humoribus,qui ad ven

A triculum impelluntur. Ideò dolor is poteſt, & hanc,
quæ per vomitum,& illam,quę per effuſionem ſan-
guinis è naribus excitāda eſt criſis ſignificare. Itidem
& delirium(Nam,& delirare conſenſu ventriculi po
teſt.)Ita,& ſplēdores oculis obuerſantes. Sed deinde
cùm neceſſe ſit per venas aſcendere excernendos per
fluxum ſanguinis humores:plenæ autem venę diſtē-
duntur,& ſi multa ſit diſtenſio,& dolent:cum collū
cum capite dolet,iam hoc ſignum futuram eruptio-
nem ſanguinis è naribus indicat. Venæ enim,quæ ad
cerebrum tam exteriores,quàm interiores feruntur,
per collum aſcendunt. Spirandi vero difficultas indi-
care poteſt tam futurum vomitum, quàm ſanguinis
fluxum,conſentientibus cum vētriculo membris ſpi
B ritualibus,præſertim vero ſepto tranſuerſo,vētricu-
loque ſurſum elato,& id comprimente. Itemque,&
venæ aſcendente multo ſanguine ſurſum repletæ,&
in tumorem elatę,tum comprimendo,tum anguſtā-
do ſpatio thoracis,& pulmonum,anguſtiam ſpiritus,
& ſpirandi difficultatem afferunt,cùm ex naribus flu
xurus eſt ſanguis. Palpitationes autem venarum in
temporibus,vapores in ſpiritus conuerſos per eas ve-
nas aſcendere ſignificant. Præterea ſi oculi,aut malæ
rubicundiores,vel nares ſint ſolito factæ,id ipſum ar
guunt: videlicet ſanguineos vapores, & ſanguinem
ſurſum ad caput ferri. Ita ſi nares prurientes cogant
admotis digitis fricare,& ſcalpere: iam erupturū ſan
guinem demonſtrant. Nam vſque ad narium venas
materiam oſtendit perueniſſe,eaſque extremas pun-
C gere,& irritare cœpiſſe. Hæc quidem (ait Galenus)
quantum ad iudicandam criſin,ſatis eſſe poſſunt. Ve
rùm,alia quędam ſunt,quę huic cognitioni inſeruire
poſſunt:videlicet,quia ſpem hanc augebunt, & opi-
nionem futuri ſanguinis profluuij è naribus cōfirma
būt. Ea vero nō ita ſigna ſunt certa& proxima iſtiuſ-
modi futuræ ſanguinis excretionis:ſed quandā apti-
tudinem,& facilitatem,vel propēſionem naturalem
ad eam,quæ vel corporis ægrotantis rationem ſequi
tur, aut aeris,aut conſuetudinis oſtendunt. Et corpo
ris quidem ratio accipienda eſt,ab eius ætate, & tem
peratura,& ratione victus. Nā iſtiuſmodi criticę ex-
cretionis,modus ſolet plerunque accidere in ijs, qui
multo,& calido ſanguine abundant. Vix enim,vbi
D aut paucus,aut nō calidus ſit ſanguis, aut ēt craſſus,
is facile ſurſum aſcendens iudicare morbos poteſt:po
tius enim inferius per hæmorrhoidas deſcendens ex-
cernetur,ſi ſit craſſus. Si frigidus,& paucus, non indi
catur per ſanguinis fluorem morbus. Et propterea ſi
calidum ſit corpus,magis etiam ſi & humidum.(Nā
ex calore facile attollitur in calidis: ex copia ſangui-
nis in calidis, & humidis: item in adoleſcentibus,&
iuuenibus vtriuſque rationis,& copię,& caloris)hu-
iuſmodi criticam ſanguinis excretiouem expectare
oportet. Ex ratione autem victus,ſi eam ſeruauerit,
quæ,& multum,& calidum ſanguinem procreare ſo
let:vt ſi ſit factum corpus plethoricum: ſi ſolitum ſit
alias habere aliquas ſpontaneas excretiones, quæ ex
aliquo tempore fuerint ſuppreſſæ:vt per hæmorrhoi
E das,vel per nares,uel per menſes in mulieribus. Ex
conſuetudine uero,ſi ſit aſſuetus,ut ſæpe illi, uel dū
ſanus eſſet multus effluere ſanguis ex naribus,uel in
alijs morbis fuerit iudicatus ſanguine profluente. Ex
aere uero etiam aliqua accipietur indicatio. Nā uere,
& ęſtate ſępius fiunt criſes per eruptionem ſanguinis
per nares:hyeme uero rarius. Itidem etiam potius ca
lidioribus anni cōſtitutionibus, quàm frigidioribus.
Sed nec ſolum his omnibus diligenter obſeruatis, fu
turū ſanguinis profluuium præſagire poterimus. Ve-
rum,& ex qua nare. Quia primum ſi retractū magis
dextrum hypochondrium ſenſerimus, per narē de-
xtram erupturum ſanguinem ſperandum eſt:per ſini
ſtram uero,ſi ſiniſtrum. Hoc enim nos docuit Hipp.
quod

quòd plerũque omnes abſceſſus, & excretiones κατ' ἴξιν, hoc eſt, per directum ad affectam partem fieri ſolent. Ita quoque ſi collum in dextra parte magis condoleat: ſi tempus dextrum magis palpitet: ſi oculus dexter, & facies dextra magis rubeat ſiniſtra: ſi maior pectoris anguſtia ſit in dextris, quàm in ſiniſtris (nam ꝙ ex iecore fiat impetus aſcendentis ſanguinis ſignificat) contra autem, ſi ex liene. Interdum autem non modo vtilis erit hæc cognitio ad curandi rationem, ſed & apprime neceſſaria. Etenim ſi ſuccedat immodica excretio, facilius cohibebitur per cucurbitulas hypochondrijs affixas ea parte, vnde originem habuit, vt ſuperiori oſtendimus capite quamuis ſocordia, vel incuria medicorum (ait ipſe) eo res iam peruenerit, vt credantur hæc omnino non poſſe arte medica cognoſci: cùm tamen ſint facilia cognitu ei, qui, vel mediocriter diligens fuerit. Neque modo hanc criticæ excretionis rationem cognoſcere poſſumus ſequentes hanc eandem methodum, verùm etiã futurum vomitum: quamuis rem hanc particulatim non expreſſerit Galenus. Semper enim ſi duo ſimilẽ rationem habeant, alterius tantum meminit diſtinctè, & eadem ratione alterum inueſtigandum relinquens. Vnde ſi iam ſuperueniente dolore capitis, & apparente ea conturbatione, quæ criſin præcedere ſolet: incipiat quidam veluti morſus cordis, ventriculi faſtidium, aliqua vertigo, oculorum obtenebratio, raptum bilioſarum materierum ad ventriculum demõſtrant, a quibus vapore excitati ſurſum verſus caput feruntur. Cùm vero iam labium incipit palpitare, vel tremere, nobis innoteſcit inſtare vomitum. Magis quoque, ſi tenue ſputum ex ore fluere incipiat. At ſi murmurent inteſtina, purgâtur etiam, flatus inferius reddatur, aliqua concitentur tormina, humorem ad aluum inferiorem declinare ſignificant. Sed hæc tractatio ad librum de Criſibus pertinet: ibique copioſè, & apertè res hæc expoſita eſt. Quare neque in longius de hac re ſermonem protraham. In fine autem iſtius capitis tranſitum facit ad ea, quæ ad ſequentem librum pertinent. Sed nos hic conſiſtamus, vel potius reuertamur ad ea, quæ hactenus expoſita ſunt: vel aliqua addamus quæ illis deeſſe vident̃. Diximus enim, quòd horum duorum ſymptomatum tantùm meminit in hac vltima iſtius libri parte. Quia nobis hæc exempla eſſe poterant, ad quæ reſpicientes reliquorũ ex nobiſmet ipſis poteramus methodum, & curandi rationem inuenire. Vnde, quia hoc non vobis omnibus forſitan ęque notum eſt, non erit a noſtro inſtituto alienum, ſi facta aliquorum ſectione, viam, & modum oſtenderimus, quo ſit illis occurrendũ, quãdo nimis moleſta ſunt ipſis ægrotantibus, eandem methodum inſequendo, quam Galenus in animi deliquio, & capitis dolore ſequutus eſt. Et hęc tria ſymptomata accipamus exponenda: vigilias immodicas: ſomnum immodicum: & ſitim importunam. Primũque de vigilia agamus: vtpote, quæ magis ſit dolori capitis ſimilis: poſtea vero de ſomno, qui vigilię omnino aduerſarius eſt, tam ex propria ratione, quàm ſi vtriuſque cauſas ſpectauerimus; ita enim collatis inter ſe duobus ſymptomatibus oppoſitis, res clarior euadet. Sed quædam prius explananda ſunt, in quibus vniuerſa fere vis eorum, quæ dicenda ſunt, ſita eſt. Hoc itaque imprimis conſiderãdum eſt, quòd ſimilis ratio omnino eſt, & doloris capitis, & vigiliæ. Nam ab eiſdem cauſis vtrunque excitari poteſt, & ad eandem particulam vtrũque pertinet, quamuis non ad eandem partem eiuſdem particulæ, ut alias me oſtendiſſe memini. Porro in capite, ad quod vtrũque hoc ſymptoma pertinere primum omnes fatentur, multæ ſunt partes facultatibus differentes. Nam eſt cerebri ſubſtantia, quæ aut nullo ſenſu tactus prædita eſt, vt ſenſit Ariſt. aut admodum exiguo, vt quan-

A doque viſus eſt Galenus ſenſiſſe. Vnde neque poteſt inſignis alicuius doloris eſſe particeps. Quia dolor ſequitur conditionem ſenſus. Membranę vero cerebri, præterea, & arteriæ, & venæ inſignem ſenſum habent, præſertim vero membranæ. Quare partes hæ vehementibus obnoxiæ ſunt doloribus. Sed cùm cerebrum deinde alias habeat facultates ſibi peculiares, & proprias, & ſuæ ſubſtantiæ tranſmutatione, quãuis non doleat, alia tamen patitur moleſta ſymptomata, præcipue vero ſi ventrium naturalis ſtatus, & temperies a cauſa morboſa tranſmutetur, afficiaturque. Et ſicuti hæ facultates diuerſæ in cerebro ſunt, ita varia habent inſtrumenta: quæ ſi male afficiantur, vitiant, vel alioquin lædũt eas actiones, quæ

B ab illis facultatibus edendæ ſunt, quarũ ſunt inſtrumentum. Vnde cum ad cerebrum attineat omnis, & ſomni, & vigiliarum ratio, ſi eius pars, in qua vis eſt, vigilias, vel ſomnum inducendi, tranſmutetur: ſiquidem ad calidum, & ſiccum, ſequentur vigiliæ immodicæ: ſi vero ad frigidum, & humidum, ſopor. Sed ſi pars ea, in qua cogitatio ſedem habet, vitio aliquo corripiatur, ſequetur delirium, vel amentia. Et ita etiam ſi memoria. Ita ergo eadem cauſa, verbigratia, idem humor, aut eadem intemperatura, ſicuti bilis, aut bilioſus vapor, aut calidior, & ſiccior contracta in cerebri membranis intemperies, aut pungendo, & mordendo, aut calefaciendo facile poterit vehementes commouere dolores. At ſi cerebri ventriculos oc-

C cupauerit, non amplius ingentem dolorem, quia ea particula non eſt magni doloris capax: ſed aut vigilias, aut deliria, aut aliam internam facultatum oblæſionem [excitabit] pro ratione, qua organa, vel huius, vel illius magis læduntur: & aliquando plures, aliquando pauciores, pro vt læſio plures, vel pauciores pertigerit partes. Et quot modis poterit capitis dolor concitari, eiſdem & vigilię, & deliria, & id genus reliqua, & ab eadem cauſa. Et ſicuti varius eſt cauſæ modus: ita & curationis. Ac eadem partitione in inueniendis differentiis vigiliarum vtemur, qua & in capitis dolore: habito videlicet reſpectu ad ipſam cauſam. Niſi, quòd hac ratione differunt, quòd dolor duplicem habere poteſt cauſam proximam: intemperaturam ſcilicet, & continui ſolutionem, quę ſequitur,

D aut punctionem, aut eroſionem, aut diſtentionem partium. Vigilię vero ſolam cerebri intemperaturam calidam, aut ſiccam. Ideo in vigilijs non ſunt quærendæ tot differentiæ, quot in dolore capitis: ſed illę ſolum, quę ſequuntur tranſmutationem cerebri ex mutatione ſui intemperamenti. Sequamur ergo eãdem methodum, quam in inueſtigandis cauſis doloris capitis ſecuti ſumus, quantum ſaltem ad eas partes pertinet, quæ ab intemperatura accipi poſſunt. Et dicamus ita hic, vt ibi, quòd caput lædi poteſt, & ad vigiliam immodicam perduci, vel proprio ſuo affectu: nẽpe ſi contraxerit calidam ſiccam ue, præſertim uero ſiccam intemperiem: quamuis & calida poſſit uigilias concitare. Poteſt etiam fieri uigilia conſenſu alterius

E partis, præcipue vero ventriculi. Vt enim dolor poteſt ex affecto ventriculo in capite concitari, conſentientibus videlicet membranis cum ventriculo: ita ẽt conſentiente parte ea cerebri, in qua ſedẽ habet ſomnus, & uigilia, per intemperiem ſumme calidam, & ſiccam, ſi quando bilioſi humores in vẽtriculum ſint congeſti, quorum uapores ad caput elati illud exſiccent, & calefaciant, in uigiliam propenſus redditur ægrotans, immo, & melancholici, cum exſiccent: magis uero, ſi putridi, acriores enim fiunt per putredinẽ. Nec modo conſenſu uentriculi, ſed & cum toto capite conſentiente contingunt uigiliæ, ut in febribus, cùm ex putreſcente materia, aut ſuapte natura calida ſicca, aut ratione putredinis elatus uapor caput petit. A putredine enim, ut ait Gal. 3. lib. Comment. in. 3. Com. 29.

in 3. Epid. acredo oritur, quæ inducit vigilias. Per primarium autem cerebri affectum ortum habent vigiliæ, quando, aut nimis calefactum eſt cerebrum, vel quando exſiccatum. Quod duobus modis eſſe poteſt, quia, aut ob ſolam intemperiem citra conſortiũ alicuius materię fouētis illam intemperiem, aut cum materia. Ex materia autem triplici poteſt fieri vigilia, ex biliosa, ex melancholica, & ex pituitoſa. Sed aliæ ſuapte natura ob naturalem earum ſiccitatem poſſunt afferre vigilias. Pituita vero non niſi quę ſalſa eſt, & quæ ex multa putredine acrior, & calidior facta eſt. Vnde cùm omnibus his etiam cauſis dolor quoque excitari poſſit, & cum horum omnium ratio curationis petenda ſit a ratione cauſæ, neceſſe eſt, vt ſimilis curatio ſit differentiarum vigiliæ cum curatione earum differentiarum doloris capitis, quę ſimiles habent cauſas. Et cum ſuperius omnem rationem doloris, ſi is a materia præſente foueatur in triplex caput reſoluerimus: nempe in obſtructionem, multitudinem, & inflammationem: ita vigiliæ itidem vniuerſam rationem in eadem reſoluere poſſumus. Nã cùm ex obſtructione exitus (vt diximus) pręcludatur excrementis, ſi talia detineantur excrementa, quæ, vel calidiora ſint, vel ſicciora, & tandem eius naturę, quæ poſſint vigilias afferre, eas concitant. Multitudo quoque eorum humorum, quos paulo ante retulimus, poteſt in cauſa vigiliarum eſſe. Item, & inflammatio: ea vero imprimis, quæ ex bilioſo ſanguine, vel ex ſalſo humore procreatur. Et tandem etiam ſi aduerterimus diligenter, facile eaſdem cauſas inueniemus, cur caput repletum fuerit his, aut vaporibus, aut humoribus, qui vigiliarum occaſionem præſtare poſſunt. Quoniam, aut ob vehementiam febris, eiuſque calorem, a quo funduntur humores, & fuſi facilè aſcendunt: aut propter imbecillitatem capitis, qua excrementa aliunde tranſmiſſa facile ab eo admittũtur: aut ob corporis plenitudinem. Et prout horum vnicuique docuit occurrere ad tollendum capitis dolorem. Ita eadem ratione nos vti poſſumus, vt occurramus vigilijs importunis. Quare & ſuperuacaneum videtur in his repetendis tempus conterere. Egimus enim de his paulo ante cum Gal. ſatis copioſè. Tranſeamus ergo ad aliud ſymptoma huic contrarium, ad ſomnum videlicet immodicum, vel ſóporem. Quod quidem ſicuti contrarium eſt, ita contrarias habet cauſas. Contrariorum autem (vt Philoſophi tradidere) eadem ratio, eadem itidem eſt diſciplina. Vnde quot ſunt differentiæ vigiliarum, totidem erunt, & importuni ſomni concitati in febribus: nimirum ex collatione eius cum ſuis cauſis, præterquam quòd vtriuſque contrariæ ſunt cauſæ. Somnus enim pręcipue ex humiditate, deinde ex frigiditate cõcitari ſolet. A cauſis ergo humectantibus, & refrigerantibus cerebrum concitari ſolet, & quot modis poterat ſiccior, calidior ve cerebri temperies vigiliarum eſſe in cauſa, tot humidior, & frigidior ſomni. Si ergo fuerit in ventriculo multa congeſta frigida, & humida materia: nempe pituitoſa, vel per exhalationes ab ea ad caput elatas: vel per ipſos neruos naturali conſenſu communicata frigiditate, & humiditate cerebro, facile poteſt ſomnus conciliari, præſertim vero in initijs acceſſionum, quando alioquin etiam refrigeratur, confugiente ſanguine, & natiuo calore ad intimas corporis partes. Quod autem facilis ſit is conſenſus, poteſt eo argumento ab experientia depromptо comprobari. Multos enim videmus, qui dum famem patiuntur, varie afficiuntur. Alij enim ſtatim dolore capitis tentantur. Alij vero moroſi, & iracundi fiunt. Alij quieſcere nequeunt. Alij nunquam dormire. Nonnullli etiam conqueruntur de quadam capitis grauitate. Quidam in ſomnum procliues ſunt. Nam fameſcens ventriculus, cum nõ offertur cibus,

A quem appetit, alio conuerſus a venis ad eum pertinentibus attrahit: & cum viſcera, ſi quid boni alimẽti in eis ſit, in ſe contineant, vt eo alantur: quod vero inutile, & excrementoſum eſt, permittant attrahi: ꝑ ratione quidem attracti humoris varia ſequũtur incommoda. Etenim ſi ſit bilioſus, & ad os ventriculi aſcendat, hominem ex moleſtia in eo percepta reddit iracundum, inquietum, moroſum. Si in fundo reſideat vapore ad caput ab eo aſcendente cõcitatur, aut dolor capitis, aut vigilia, vel vtrunque. At ſi pituitoſus ſit humor, & hominem in ſomnum propenſum reddet, & grauitatem capitis, & interdum dolorem, reſoluto eo humore in flatulentum ſpiritum, excitabit. Ecce ergo, quàm facile in affectibus ventriculi ſe-

B cundum omnem rationem caput afficiatur. Præterea vero, & refrigerato capite primario, conciliari poteſt ſomnus, & humectato. Nam hyeme in ſomnum procliuiores ſumus, quàm æſtate, & pluuioſis temporibus, quàm ſerenis. Ita facile in ſomnum (vt paulo ante diximus) in initiis acceſſionum procliues ſumus, & id interdum ſine alicuius materiæ fomento aliquando ex materia, vel in capite contenta, vel in venis in habitu totius corporis, quę a febre fuſa frigidis, & humidis vaporibus caput replet. Curatio autem per remedia quidem contraria inſtituenda eſt, eadem tamen methodo ſeruata. Nam ſi ex ventriculo ad illum digerenda eſt curatio, aut per vacuationem, aut per tranſmutationem: calefaciendo videlicet, & ſiccando, & tandem ea ratione,

C ꝑ quã docuimus ſuccurrere in dolore capitis, aut lipothymia pendente a vitio ventriculi, vel ex eius aliqua intemperatura, vel ex vitioſis humoribus in eo congeſtis. Sed ſi ex multitudine crudorum, & frigidorum humorum in toto, illi imprimis erunt ea ratione euacuãdi, quam expoſuimus in cura quotidianę febris. Si ab intemperatura aliqua contracta in cerebro, ſi ea ſine materia fuerit, calefacientibus, & ſiccantibus erit corrigenda: ſi cum materia, illa etiam erit inanienda, vt ijs, quæ caput per os, vel nares purgant, vel illis, quę attenuando, & diſcutiendo, de quibus cum ſit alias abunde diſputatum, ſuperuacaneũ videtur in præſentia eadem repetere. Procurandum præterea eſt, vt addatur robur capiti, quæ omnia

D in curatione doloris capitis ſunt a Gal. expoſita. Vt tamen id ſit aduertendum, quod tanquam commune præceptum in omnibus his ſuperius nobis traditum eſt, quòd non faciles in his ſymptomatibus ad ea particulatim curanda debemus eſſe, ſed quantum poſſumus incumbere curationi febris: conuertere verò nos ad horum vacuationem, ſi illa adeo augeatur, vt iam timeamus futurum aliquod periculum. Vnde ſæpe ſatis erit, cùm procliues ſunt in ſomnũ, & eos excitare, vocando, ſtringendo manus, aut pedes, oblato acri aceto odorando, & ſimili aliquo, facilique remedio. Ita etiam in vigilijs, quiete, leui, ac facili artuum frictione, lotione etiam ex aqua dulci calida, in qua fuerint cocta refrigerantia, & hume-

E ctantia, vt ſunt lactuca, violæ, flores nimphęæ, & iſtiuſmodi reliqua. At vbi re magis urgeat, tunc aggredi oportet eas rationes curationis, quæ hactenus fuere inſtitutæ: nec de his plura tractanda mihi in præſentia uidentur. De tertio itaque ſymptomate breuiter, & ſummatim nonnulla dicamus, hoc eſt, de ſiti: cuius comes eſt linguæ ariditas. Et ſicut hæc, de quibus ſermonem hactenus habuimus, ad caput pertinent: Ita, & ſitis ad uentriculum, præſertim uero ad os eius, ſicuti & fames, magis pertinere uidentur, & cùm immoderatæ ſunt, rationem habent actionis uitiatæ. Sitis itaque, quæ (ut Ariſt. 2. de Anima dixit,) appetitus eſt frigidi, & humidi, a duabus cauſis, (ut primo de Simpl. med. fac. docuit Galen.) proxime ortum habet, ex humoris

defectu,

defectu, & exceſſu caloris,interdum vero ex vtroque ſimul. Ex calida ergo, & ex ſicca intemperie concitatur ſitis, & calida, ſiccaque ſimul: & his aut cum materia, aut citra materiam. Materia vero, quæ ſitim affert, aut biliosa eſt, præſertim vero cum in ventriculi tunicis recepta eſt, & abſorpta: aut pituitoſa ſalſa. Siticuloſus autem eſt ventriculus interdum ex ſuo proprio affectu; interdum autem conſentiens cum alijs. Conſenſu autem iecinoris ſæpe ſitimus. Nam, & inflãmationum illius viſceris,reliquarumque affectionum calidarum ipſius comes eſſe ſolet ſitis. Conſenſu etiam cordis, ſi ipſum calido aliquo tentetur affectu. Item ex pulmonis, & gulæ,& totius tandem corporis [affectu calido:] vt in vehementibus febribus,& ſqualido corporis habitu. Vnde in remouenda, vel mitiganda ſiti propria, & vera curatio eſſet, cauſam remouere, & ſi ea pendeat ex conſenſu ventriculi cum alijs particulis, danda eſſet
30. opera, vt curaretur affectus earum: quia illis deſinentibus, deſinit & ſitis. Ita ſi totius corporis conſenſu, pro ratione affectus refrigerandum, & humectandum eſſet, aut balneis, aut medicamentis, prout & res ipſa exigeret, & ratio febris admitteret. Et ſi primario affectu ventriculus eſſet ſitibundus,& laboraret intemperie calida, ſiccave citra materiam, agendum eſſet refrigerantibus, tàm cibis, quàm potu,quàm etiam medicamentis. Cibi quidem humectantes,& refrigerantes: vt eſſet ptiſana,panis lotus, & coctus,vel iure gallinaceo,& conditus lacte amygdalarum dulcium,aut ſeminum melonis, vel cucurbitæ, vel aliorum id genus; lactuca præterea, endiuiaque, & id genus reliqua comeſta. Potus ſit aqua hordeacea, addito ſyrupo violaceo, vel alijs iſtiuſmodi. Præterea vero caput perfundendum oleis refrigerantibus, aut alijs refrigerantibus perfuſionibus, vel embrochis. Per neruos enim ſtatim exorientes

A à cerebro, quorum multorum particeps eſt ventriculus, conſentit primùm, & fit particeps etiam ventriculus earum tranſmutationum, quæ fiunt in cerebro. Nec modo hæc, quæ capiti adminiſtrantur, plurimum ſi opportune fiant,proſunt ventriculo,verum & ea, quæ pedibus. Vnde, & balneæ pedibus ex aqua dulci adhibitæ non parum proderunt. Lotiones etiam ori adminiſtratæ ex aqua hordei, ex aqua communi ſimplici, non parum facient. Item ſi lactucæ folia aqua frigida perfuſa ori indantur, & cum exſiccata fuerint, abijciantur, appoſitis alijs recentibus. Poſſunt & fruſta malorum reſecta, veluti in laminas tenues, & aqua macerata, in ore ſemper lingua eodem modo teneri, & cucumerum, vel melonis indi,quem anguriam appellamus. Faciunt hæc omnia ad mitigandam ſitim, donec cauſa ſit penitus ablata. Caules etiam duriores lactucę diſſectos ad magnitudinem nuclei prunorum. Item & ziziphæ

B aqua maceratæ commoda erunt auxilia. Quòd ſi materia præterea adſit,quæ calorem, & ſiccitatem foueat,blandiri quidem his interim oportebit. Præcipuum vero eſt incumbere, vt ea purgetur ea ratione, qua purgandam eſſe in ſuperioribus lectionibus docuimus. Ecce ergo, quòd in vniuerſum eadem, aut ſimilis methodus eſt occurrendi omnibus ſymptomatibus, quæ febricitantibus moleſta ſunt. In reliquis autem explicandis non protrahemus rem in longius,ne nimium temporis diſpẽdium faciamus. Præſtaturum enim putamus, vt aliqua de febribus peſtilentibus exponamus, quæ, & ſi in ijs, quæ hactenus tractata ſunt, eſſe poteſtate contenta, tum primo de Different. febr. tum hic videri poſſint, Quia tamen nullæ ſunt cum maioribus, pluribusque, & deterioribus ſymptomatibus, quàm peſtilentes. Forſitan ſi particulatim agamus, erit vobis magis ſatiſfactum.

VICTORIS TRINCAVELLII DE FEBRE PESTILENTI.

DISPVTATIO PRIOR.

CVM Febris peſtilēs neque ad vnam tantùm febrium primam differentiam attinere poſſit, neque vnam ſimplicem habeat rationem, ſed duplicem: nempe quia altera eſt eius differentia, quæ ad hecticarum B febriū genus pertinet: altera verò, quæ ad genus putridarum: Prioris quidē curatio poteſt in vniuerſum in curatione hecticarum contineri. Particulatim autem ſuperuacaneum videtur velle, aut docere, aut literis mandare eius curandæ methodum, cū omnino adeo curari non poſſit, vt neque etiā in longū admodum vita protrahi: neque enim tādiu viuere poſſunt, vt in maraſmum tranſeat: quemadmodū C docuit Gal. Aliarū vero curatio in ijs, quæ de ratione febres putridas curandi dicta ſunt, & in illis, quæ de curatione febrium cum ſymptomatibus vniuerſa (vt dicemus)continetur. Nā ab alijs hæc differt per eximiam quādam putredinem, & maiorē, (vt docuit

Com.29. Gal.primo lib. Com.in ſextum Epid.) quàm in alijs putridis febribus. Præterea vero, quia hanc, & plura, & maiora, deterioraque ſymptomata, quàm alias D ſemper, vt ex ſententia Rufi retulere Paulus, Oribaſius, & Aetius, concomitantur. Ideo, & hoc illis addendum eſſet, quòd quamuis eædem indicationes, & communes in vtriſque ſint ſcopi: attamen hæ, & exquiſitiori, vt quarto de Rat. vict. in acut. morb. traditum eſt, egent curatione, & maiori diligentia tractandæ. Poſſemus his paucis eſſe contenti. Verum quoniam hiſce temporibus iuniores quidam, vt ſapientiores videant, paradoxa q̄dam defendēda ſuſce- E pere, multaq; tam ad cognitionē q̄ ad curationē ſpectantia, in controuerſiam iterum, & queſtionē reuocant, nō animaduertentes, ꝙ dum paradoxis iuuenes allicere putant, in paraloga præcipites incidūt. Ideo, licet paſſim iam lectiones noſtras ab hinc tres annos domi inſtitutas multi habeant, in quibus ea omnia diſquiſita habentur, quæ ad hoc negotium pertinere poſſunt: Voluimus tamē ea iterum ad incudem perducere, vt nonnullos, qui poſtea exorti ſunt, errores

A extirpemus, & hoc in veſtram vtilitatem. Itaque tanquam conſtituto hoc accepto, quòd quamuis a peſtilentia febris peſtilens ſuam, habuerit nūcupationem: non tamen omnis febris, quæ peſtilens eſt, item & peſtilentia dicenda: ſiquidem peſtilentia in morbis epidemicis eſt, qui communes ſunt, & multos eodem tempore adoriuntur. Peſtilētia enim (vt dixit Gal.) eſt epidemicus morbus perniciofus, qui pleroſque, B quos apprehenderit, interficit. Id genus autem morbi communem aliquam cauſam ſequuntur: vt ſunt, aut aer vitiatus: aut aqua, qua vtimur, aut communis in aliquo loco, & vitioſa ratio victus. Sæpe autē videmus aliquos, præſertim vero in magnis ciuitatibus, vbi varij, ac multiplices in victu committuntur errores, qui a febre maligna, non ex communi aliqua cauſa, ſed ea duntaxat priuata victus ratione, quam ipſi ſeruarunt, corripiūtur, ſimilis formæ, & eiuſdem C malignitatis cum illis, quæ per ciuitates in peſtilētijs vagari ſolent. Hæ ergo peſtilentes febres dicuntur, non autem peſtilentia. Imò interdum febres poſſunt inter initia eſſe tantum peſtilentes, quæ poſtea in peſtilentiam tranſeant. Sicuti aliquando ex cōtagio poteſt peſtilens qualitas habuiſſe ortū, quæ dum ex negligentia hominum ad multos ſerpit, poteſt ex malo vapore ab infectis iam corporibus putredine quadam D aer affici, ita vt & ipſe peſtilens reddatur. Quamuis ergo, & peſtilentia, & peſtilens hoc modo febris hac, quam nuper expoſuimus, ratione differant: attamen quia vtraque vnam, & eandem ideā, & eūdem characteriſmum habēt: vna, eademque tractatione vtranque cōplectemur. Rē itaq; iam perſequamur, & cùm nemo non concedat febres reperiri, quæ peſtilentes ſint, ordinem quæſtionū ab Ariſt. propoſitū ſequentes, deinde inquirendū proponamus, quid ſint eiuſ- E modi febres, & quā rationem habeant, cur peſtilentes dicantur, & ſint. Quidam autem ſunt his temporibus, qui dicant, in duobus primùm conſiſtere omnem iſtarum febriū rationē. Nempe in modo putre- Com.29. dinis: quia ex putredine ſuum habent ortum. Primo quidem lib. Com. in ſextum Epid. Gal. ait, peſtilentes febres putridum habere calorem, & excellentem quandam putredinem. Deinde vero in materia, quæ putreſcit, & vnde accenditur ea febris: quoniam in hac febre vniuerſa (vt aiunt ipſi) humorum maſſa

computreſcit in venis: cùm in alijs continentibus febribus non putreſcat vniuerſa humorum congeries, ſed certus aliquis humor, vel partes aliquæ humorum. Differre autem mutuo illas differentias febris peſtilentis aiunt, quarum ſuperius meminimus, quòd cùm putredo in venis excitatur, putredo inquam omnium humorum eſt febris peſtilẽs putrida: cum vero in corde ſit humorum putredo, ea proprie eſt peſtilens hectica: quia neceſſe eſt vna & parietes cordis computreſcere. Addunt præterea, quòd non modo putreſcente vniuerſa humorum farragine poteſt concitari febris peſtilens, verum & ſi ſanguis purus, vt eſt humor ab alijs ſecretus, putreſcat. Sed & illud tanquã corollariũ prædictis adiungũt (quòd tamen videtur prædictis aduerſari) quòd poteſt interdum accendi febris peſtilens, non putreſcente tota ea humorum maſſa, ſed ex parte tantum, cum in aliqua ſeorſum particula putreſcens, vt in inflammationibus putreſcere conſueuit, ſanguis compactus, & infarctus. Quod ea ratione probare nitũtur, quia interdum viſæ ſunt anginæ peſtilentes, & pleuritides, quæ ab alijs non peſtilentibus differunt inflammationibus: quòd (vt ipſi videntur interpretari) in peſtilentibus putreſcit ſanguis, in alijs aſſatur, & ſupercalefit in eo priuato loco, & febres periodicas accendit. Hæc ſunt horum decreta, in quibus id poſſum pronuntiare, quod de antiquis dixit Auer. quòd verba onerabant ſententijs: ita verba hæc onerant erroribus: plures ſiquidem ſunt errores, quàm verba, & adeo euidentes, vt ne ſummis quidem labijs deguſtaſſe videantur antiquorum, & probatorum auctorum doctrinam. Nos autem aliquos colligamus, & eos, qui maioris momenti ſunt, ne plus temporis, quàm par ſit, cõteramus. Primùm ergo ex hac horum poſitione ſequitur, quòd omnis febris peſtilens ſit ſynocha, & quòd nulla alia febris poſſit eſſe peſtilens, niſi ſynocha. Quia & ipſe Gal. ſentit, quòd ſynocha accenditur, cum ſanguis vna cum alijs humoribus putreſcit in venis: ſicuti & cùm in aliqua particula fiunt inflammationes, & (vt ipſi aiunt) peſtilentes. Imò etiam, quod magis ad rem noſtrã facit, ſi ſolus citra alios humores ſanguis putreſcat, fit peſtilens febris: non poteſt autem putreſcere, quin & alij humores putreſcant: quia eius pars tenuior in bilem, dum putreſcit, vertitur: craſſior vero in humorem melancholicum. Nunquam ergo reperiri poteſt putredo inſignis ſanguinis ſynceri. Quòd autem hoc abſurdiſſimum ſit, nemo eſt, ſi modo ſit vel parum in doctrina Galen. verſatus, qui non viderit. Gal. enim in ſecundo lib. de Criſ. ſynocham febrem cum ardentibus, tanquam vnam eius ſpeciem collocat. Plurimæ autem febres peſtilentes non ſunt calore vehementes, vt nono de Simp. med. fac. ait idem Gal. Vnde tertio de Criſ. diſtinguens magnitudinem morbi a modo, per quem malignus dicitur, vel benignus, inquit, debiles, & paruæ febres ſæpe valde malignæ ſunt: aliæ vero calidæ, & incendentes ſunt, quæ tamen periculo carent. Sequitur item ex hac illorum opinione, quòd omnis febris peſtilens item eſſet hectica, & deſperatæ ſalutis. Quod tamen falſum eſt. Nam ſunt multi, qui euadunt a peſtilentibus febribus. Quòd autẽ hoc ſequatur, probamus ex ſuiſmet placitis. Quoniam ſi putreſcente vniuerſa humorum maſſa, accenditur febris peſtilens, neceſſe eſt, vt & qui in corde humores ſunt, putreſcant: quãdoquidem, & illi in humorũ maſſa cõtinentur. At cùm putredo in corde eſt, ea febris peſtilens hectica eſt. Niſi dicant, excipiendos eſſe eos humores, qui in corde ſunt: quos natura magis ad extremum vſque cuſtodit: quod quidem ſi dicãt, rerũ naturalium magnam oſtendent ignorationem. Quia neque vnquam fieri poterit, vt ſi tota humorum moles in venis inſigni

Cap. 4.

A putredine putreſcat, non etiam putreſcat ea pars, quę in corde eſt, ſi, & ali cor, & ſpiritus in corde ex ſanguine gigni neceſſe ſit, & continenter ſicut attrahitur ex venis iecinoris ſanguis a corde, vt & eo alatur, & ex eo gignantur quotidie ſpiritus: ita in pulmones, & alias partes per arterias diſtribuuntur. Etenim cum ſit vniuerſa farrago humorum facta in hac febre putris, non poterit attrahi, niſi ſanguis putridus a corde. Nulla ergo vis tueri cor poterit, quin ipſum repleatur humore putrido, quem neceſſario, ſi illi viuendum ſit, attrahit. Non animaduertunt etiam, ꝙ ſi aliquod in eo erit contentum, quod integrum, & expers putredinis ſit, neceſſe erit, vt & ipſum putreſcat, dum cũ eo miſcebitur ſanguis attractus ex B venis, qui iam putridus eſt. Nam ſi putreſcentibus (vt ipſi aſſerunt) humoribus in corde, neceſſe eſt, eam eſſe febrem hecticam: quia ſit neceſſe cordis parietes putreſcere, longe facilius humores, ſi qui ſint integri, immixtis illis putridis, qui cõtinenter attrahuntur a corde, cum illis computreſcent. Accedit ad hoc, quod omnis ſynocha febris cum putredine erit febris peſtilens, cum ex eorum decretis in putrida febre ſynocha putreſcat ſimul ſanguis cũ alijs humoribus in venis: ſiue ille ſit ſolus (ſolus enim putreſcens (aiunt ipſi, accendit febrem peſtilentem) ſiue cum alijs putreſcat. Nam nihil aliud eſt ſanguis cum alijs humoribus, ſiue ſit cum eorum ſub dominio, vel vtcunque alioquin ſit, niſi tota humorum maſſa. Sed & alia ratione ex dictis Gal. oſtendemus, quòd ſi ita C eſt, vt ipſi affirmant, neceſſe eſt, nullam peſtilentem febrem, ſiue putrida ſit, ſiue hectica, vnquam poſſe curari. Cùm enim totus ſanguis putreſcit, vel alioquin vitiatur (vt in lib. contra Iulianum docuit Gal.) morbi, qui inde oriuntur, curari nequaquã poſſunt: Ita enim ait, Non pollicentur medici ſe omnes morbos ex vitiato humore, omnemque corruptionem ſanaturos: ſed eos tantum, in quibus corpus adhuc validum ſit, & vires robuſtæ: non autem quando ſanguis penitus ſit corruptus, & factus æruginoſus, vt & aſſumptum alimentum in corruptelam trahat: verum quando potius poteſt ab accepto alimento contemperari. Grauiſſime etiam ea parte peccant, qua dicunt, hecticam peſtilentem accendi ex putre- D dine orta in corde: quia ſit neceſſe, parietes cordis computreſcere. Vtrunque enim falſiſſimum eſt, & decretis antiquorum, & probatiſſimorum auctorum aduerſarium. Quoniam ſi ex putredine humorũ cordis accendatur febris hectica (neque enim aliud intelligere poſſunt, cùm aiunt, ſi adeſt putredo in corde, fit febris peſtilens hectica: quia non poteſt referri id, niſi ad humores cordis: ſubdunt enim, quia neceſſario cõmputreſcunt parietes) ſequetur hoc abſurdum, quòd non poſſit fieri hectica peſtilens ſtatim a principio incipiens: ſed erit neceſſe, vt illa ſemper putridam ſequatur. Nam ſi ideo hectica eſt, quia putreſcentibus humoribus ab eis in parietes cordis tranſit putredo, in putreſcentibus autem hu- E moribus conſiſtit ratio febrium omnium putridarum, nonne enim primo de Dif. feb. probauit Gal. ex ſententia Hippo. febrem ephemerã in ſpiritibus primum accendi, putridam in humoribus, hecticam in ſolidis membris? Non poterit ergo peſtilens hectica accendi, niſi prius accendatur, & pendeat a putrida. Gal. tamen tertio de Præſag. ex pul. aperte pronunciauit, non paucas febres ab initio ſtatim eſſe hecticas. Quòd etiam dicant, quod ſi adſit humorum putredo in corde, neceſſe ſit, & parietes computreſcere: mihi ineptire videntur. Quæ enim quæſo eſt, hæc neceſſitas, quæ cogat cor computreſcere: cum humores ſæpiſſime in continentibus, & acutis febribus, vt in ſynocha putrida, in venis inſigni etiam putredine putreſcant: nulla tamen cogat neceſſitas cõputreſce-

Cap. 7.

re parietes venarum, vel arteriarum, in quibus illi A
putreſcunt? Niſi quis fortaſſe dicat, naturam magis
ſolicite tueri venas,& arterias,quam cor. Sed etiam
cùm dicunt ſolùm ex ſanguine in venis totius cor-
poris computreſcente, aut ex vniuerſa humorum
maſſa ſolùm, ex alijs humoribus, non autem parti-
culatim ex putredine aliorum humorum, peſtilẽtem
febrem accendi, hominis eſt, qui neque animaduer-
terit, quæ quotidie in ægrotantibus conſpiciuntur,
neque legerit, quæ de his febribus ab auctoribus, à
quibus medicinã docti ſumus,literis mandata ſunt.
Quot enim peſtilentes febres ſunt, quando mul-
tus eſt ex anni aliqua peſtilenti conſtitutione earum
prouentus, in quibus ſi vrinas, ſi alui deiectiones,
ſi periodorum rationem, ſi tandem reliqua ſym- B
ptomata,ac demum ætatem,temperaturã,anni tem-
pus, victus rationem reſpiciamus, omnia formam
bilioſæ febris oſtendunt, quæ ex bile putreſcente ac-
cenſa ſit. Sed ſi velimus ea etiam examinare, quæ
Hippo. deſcribens peſtilentes conſtitutiones, quæ
ſuis accidere temporibus, & quæ in Commentarijs
Galen. eas explanans expoſuerit; ſi ea præterea, quæ
particulatim ab eo obſeruata ſunt, dum morbos di-
uerſorum proponit in exemplum, luce clarius per-
cipiemus, multos in illis peſtilentijs certiſſimè labo-
raſſe febribus,& alijs morbis ex bile ortis. Nam (vt
Com. 22. Galenus tertio libro Commen. in tertium Epid. ait)
à ratione inſiti in nobis caloris generantur,& augen-
tur in nobis humores: qui ſi exquiſite fuerit tempe-
ratus,quantùm naturæ ratio in nobis requirit, mul- C
tus in noſtris corporibus generatur ſanguis. Sed ſi
ad igneam naturam conuertatur,multam, aut flauã,
aut pallidam bilem gignit. Atque ita de alijs humo-
ribus intelligendum eſt. At vero ſi externus calor,
qui eſt præter naturam,accedat, & afficiat corpus,&
humores in eo congeſtos, in cauſa eſt cur putreſcant
humores, & interdum maligna putredine, quicũque
ſint humores illi: Et proinde quamuis eadẽ ſit cau-
ſa efficiens, & eadem conſtitutio aeris, quæ omnes
afficit, non eſt tamen eadem forma febrium, & reli-
quorum humorum, qui paſſim in eo loco in homi-
nes graſſantur. Quod facile apparet. In prima enim
peſtilentia, quam in eodem tertio deſcribit, multos
fuiſſe ait,qui à febribus ardentibus correpti ſunt, qui D
etiam phreniticæ erant, hoc eſt, cum quibus erant
phrenitides coniunctæ. Quod Galenus refert in
multam bilem in illis congeſtam, quæ tum in iecur,
& ventriculum decubuerat, & ex ea febris ardens
excitabatur: tum verò in cerebrum ferebatur,& phre
nitim procreabat. Quoſdam etiam aſſerit, fuiſſe lon-
go ſopore tentatos: qui quidem non poterat ex bile
habere ortum, ſed ex frigido, & humido humore.
Poſſemus & alias perſequi peſtilentes conſtitutio-
nes; ſed hæc in præſentia ſint ſatis. Neque mino-
rem inſcitiam oſtendunt: cùm aiunt, argumento
accepto a pleuritide, & angina peſtilente, quod non
ſolùm concitari poſſit febris ex ſanguine, vel ex vni-
uerſa maſſa (vt ipſi loquuntur) humoris in venis E
putreſcente, ſed ex eo etiam in vna certa, & deter-
minata particula, vt in faucibus, vel in membrana co-
ſtas ſuccingente, vel alia particula, quæ inflamma-
tione tentetur. Quòd vero multam ignorantiam eo-
rum, quæ ad hanc partem attinent, hoc ſuo decreto
oſtendant, facile eſt oſtendere. Quia quãuis in mor-
bis, vel febribus peſtilentibus, multi accidant,& præ-
ter naturam tumores, vt inflammationes, eryſipela-
ta, herpetes, carbunculi, bubones, aphthæ, & id ge-
nus alia: & hęc quidam poſſint tam in internis viſce-
ribus, quàm in externis ſuboriri: Non tamen ab his
ratio peſtilentis qualitatis, & malignæ febris ortum
ducit, ſed à putredine, quæ interius ſedem ſuam ha-
bet. Nam hæc fiunt a natura irritata ab ea praua ma-

A teria: quæ non potens pro ratione adminiſtrare hu-
mores, partem aliquam eorum, nunc in hanc, nunc
in illam particulam quaſi furore agitata impellit:
nempe quatenus hæc, vel illa pars imbecillior eſt.
Vnde hæc ſunt ſymptomata conſequentia peſtilen-
tem febrem, potius quam febris hæc ipſa tanquam
ſymptomata concomitetur. Quòd Galenus tertio
libro Comm. in tertium Epid. ſatis aperte expoſuit, Com. 7
dum rationem eorum explicat, quæ pleuritico con-
tigere, qui adeò acuto, & maligno morbo labora-
uit, vt in tertia die obierit. Inquit autem, Hic æger
ſtatim tertio die cenſendus eſt obijſſe, a qualitate
ſuccorum virulentorum, nõ a phrenitide peremptus:
at phrenitis illum eſt ſubſecuta ſymptomatis vice.
B Ecce ergo, quòd non ex phrenitide primùm obijt,
ſed ex febre, quæ concitata eſt a putredine maligna,
venenoſaque virulentorum humorum, quæ fuit fe-
bris vrens. Hoc enim oſtendunt verba, quæ paulo
ſuperius refert Galenus, vbi ait, quòd huic phreniti-
co contigit ſtatim ab initio vomitus virulentorum
humorum: quod plerunque febribus adurentibus
conſequens eſſe ſolet. Ex his igitur humoribus pu-
treſcentibus fuit febris hæc maligniſſima: cui acceſ-
ſit & phrenitis, tanquam ſymptoma. Hocque mani-
feſtiſſime percipies in peſtilentijs relatis ab Hippo-
crate primo & tertio libro Epid. vbi ſæpe narrat
morbos multos in illis peſtilentibus ſtatibus peſti-
lentes febres conſequentes: vel paulo poſt apparen-
tes: vel ſtatim ab initio eas concomitantes. Cùm
C enim referta ſunt corpora multa cacochymia, quæ
incipit putreſcere: & natura ab ipſis moleſtata, eo-
rumque malitia eos incipit mouere, & agitare: illi
naturæ rebelles ex ſua prauitate ad diuerſa loca de-
lati diuerſas particulatim concitare ſolent affectio-
nes: vt tamen prima omnium origo, & fomentum
ſit mala materia in venis congeſta ex cauſis, vel ex-
ternis, vel internis, quæ ibi putreſcit, & vehementi
etiam putredine. Et de hoc ſatis in præſentia. Sed
& illud prætermittendum non eſt, quod ea etiam
parte errãt, qua dicunt, quòd quando ſanguis in ali-
quo priuato loco continetur, & in inflãmationem
attollitur, ac tumorem, in eaque aſſatur, accendit
febrem periodicam, quæ acceſſiones habet tertianis
D ſimiles. Videntur enim innuere, quòd ſi in aliquo
priuato loco putreſcat ſanguis, procreat peſtilentem
febrem: ſed ſi ſupercalefactus eſſet, periodicam.
Id quod omnino alienum eſt ab Hippocratis & Ga- Cap. 5.
leni doctrina. Nam hoc ab ipſo Galeno fuit pri- & 6.
mo de Differ. febr. expoſitum, & à nobis ibi expla-
natum, quòd idem eſt modus febriũ, quæ ex inflam-
mationibus ortum habent, & quæ ex putredine hu-
morum in vaſis, vtraſque enim accendit putrida fu-
ligo ad cor delata. Cùm ergo vndique ſit abſurda
hæc horum poſitio, nobis incumbit onus inueſtigan-
di, ac reperiendi eam ſententiam, quæ vera ſit, &
ab omni abſurditate aliena. Sed cùm duplex ſit fe-
brium genus, ad quod retulere Gal. & qui illum ſe-
E cuti ſunt, febres peſtilentes. Nimirum quia alias pu-
tridas eſſe dixere: alias vero hecticas. Quæ & ſi in
hoc conueniant in vniuerſum, quòd vtraque diffe-
rentia ortum a putredine habeat: particulatim tamen
plurimùm habent differentes rationes. Primùm qui-
dem de putrida agamus, poſtea vero & de hectica
noſtram proferemus ſententiam. Peſtilentes itaque
febres, ſi antiquiores auctores ſequamur, illæ in-
quam, quæ putridæ ſunt, eundem generationis mo-
dum habent,& eandem naturam, quam & aliæ non
peſtilentes: omnes ſiquidem tam hæ, quàm illæ ab
humoribus putreſcentibus accenduntur. Differunt
autem ab illis more (vt aiunt Græci) videlicet, quia
peſtilentes malignæ ſunt, & deteriores, magiſque le-
thales, quàm aliæ non peſtilentes,& putridæ. Nã di-

xit Gal. epidemicus morbus, qui plures interficit, peſtis dicitur, vel peſtilentia. Vnde vero illis hæc malignitas accedat, hic conſiſtit omne punctũ, & vniuerſæ penè iſtius quæſtionis ſtatus. Nos autẽ ſequentes Gal. dicemus, in hac febre, perinde vt in alijs morbis, à duplici capite omnem iſtius malignitatis rationem eſſe petendam, vt ipſe in lib. de Conſt. art. med. declarauit, & quarto Meth. (ap.16. ap.26.) Nempe à natura putridi humoris: Præterea & à natura membri, quod ab eo humore afficitur. A natura quidem humoris, qui putreſcit, duplex poteſt eſſe ratio malignitatis. Altera, quę eſt ratione naturæ propriæ illius humoris. Sicuti v.g. melancholia (quæ vere, & proprie atra bilis dicitur, à qua muſcæ fugiũt, & proiecta in terra bullas excitat) humor eſt ſuapte natura malignitliſimus, qui putreſcens deterrimã habet putredinem. Ita etiam virulentus, & æruginoſus humor, cuius paulo ſuperius facta eſt mentio, in quem, tanquam in cauſam retulit Gal. cur phreniticus ita cito perierit, veneni cuiuſdam naturam ſapere dicebatur. Altera poteſt eſſe ratio malignitatis ex ipſa putredine: quamuis enim interdum humor putreſcens, alioquin ex ſua natura, neque malignus, neque venenoſus fuerit: poteſt tamẽ adeo vehemens, & mala excitari putredo, vel ex multa eius humiditate, vel ex multa obſtructione: vel ex magna victoria caloris externi: vt ex putredine ea multa acquirant putreſcentes humores malignam, & veneno ſimilem naturam. Quemadmodum enim in exterioribus diuerſos modos, & ordines putreſcentium rerum videmus, quòd & ex malo odore, & ex colore, & alijs accidentibus facile percipere poſſumus, & in putridis vlceribus, & in abſceſſibus, qui ad putrefactionẽ partis terminantur: Ita & in vaſis, in quibus continentur humores in animante, varia eſt putredinis ratio, vt primo de Differ. febr. expoſuit Gal. vnde primo lib. Com. in ſextum Epid. ait, (p. 6. om.29.) febrem peſtilentem ab alijs putridis febribus differre per putredinis excellentiam. Altera vero ratio malignitatis ab ipſo affecto membro accipitur, ab ipſo videlicet corde, in quo accenditur putredo, & ad quod maxime attinet peſtilens febris, quæcunque illa ſit, ſiue putrida, ſiue hectica. Sed hic parumper conſiſtamus, & inquiramus, an febris hæc, quæ putrida peſtilens dicitur, accendatur ex humoribus in corde putreſcentibus: & ſi id fuerit conſtitutum, an ea ſola ſit peſtilens, quę à putreſcentibus cordis humoribus ortum habeat: vel interdum alibi accenſa putredine, poſſit fieri febris peſtilens. Porrò ſi Hipp. & Gal. medicinam velimus ſequi, oportet, velimus, nolimus, fateri febrem peſtilentem putridam concitari, cùm humores in corde putreſcunt: neque eam eſſe proprie hecticam, ſed putridam: neque ſemper illum, qui hoc modo laborauerit, mori neceſſario, immo multos euadere poſſe. Et qui ſecus ſenſiſſe Gal. exiſtimant, penitus delirant. (ap.3.) Nã ipſe tertio lib. de Pręſag. ex pulſ. apertiſſime hoc exponit. Inquit enim quòd ſi aer, quem inſpirando attrahimus, ſit putrida affectus qualitate, & cordis corpus putredo attingat, fit hectica peſtilens: in quibus autem putredo ad humores conuertatur, qui in cordis ventribus continentur, eorum multi euadunt incolumes: cùm in prioribus nulla amplius reliqua ſit ſalutis ſpes. Prima ergo differentia, & ea quidem præcipua febris peſtilentis hæc eſt, quæ corde primario affecto ex putredine primùm in eo concepta accenditur. Sed poſtea an ea ſola poſſit peſtilens, & maligna febris dici: an vero & cũ alijs aliquibus particulis, in quibus putredo oriatur, conſentiente corde poſſit febris ſuboriri, quæ peſtilens ſit, maius forſitã negotium habet. Neque enim hoc manifeſte definiuiſſe viſus eſt Gal. ſed tãtùm eius meminiſſe, quæ vitio primario cordis generatur. Si tamen diligenter

A ea voluerimus examinare, quæ ab ipſo traduntur in varijs locis, neceſſe eſt, dicamus alias etiã febres malignas, & peſtilentes poſſe concitari ex mala putredine humorum in alijs locis orta. Nã ſtatim in exordio ſecundi lib. Comm. in tertium Epid. ait, Verius erat dicere, quòd febres a cerebro affecto malignæ, item a membranis, quæ cerebrum continent, & a pulmone etiam malignæ, & præ his etiam, quæ corde affecto malignæ. Præterea vero libro ſecundo Comm. in primum Epid. dũ morbos refert, (Com. 75.) qui Thaſijs cõtigere, in poſtrema peſtilenti conſtitutione, quam eo libro narrauit, præſertim eos ab ardentibus febribus malignis, & perniciosis fuiſſe correptos, ait, qui ſtatim a principio euidentibus ſignis oſtendebant malignitatem, & exitium, vel etiam a phrenitide. (Com.73.) B Paulo autem ſuperius reddens rationẽ, cur illi tũ ardentibus febribus: tũ etiam phrenitidi eſſent obnoxij, ita dicit, idẽ humor febrium ardentium, & phrenitidis cauſa eſt, differens tantùm pro diuerſitate loci, quem occupat. Nam cùm vaſorum ſpatijs vna cum ſanguine continetur flaua bilis, vtcunque accendatur, contingit febres ardentes excitari, præſertim vbi in venis ventris, aut iecinoris, aut pulmonis bilis efferueſcat: quæ ſi ab inferioribus venis ad caput ſublata in cerebro, & in eius membranis figatur, phrenitidas generat. Sed hoc (Com. 1.) idem ſequenti libro apertius nobis inſinuat, nimirũ tertio, vbi ſtatim ab initio hæc pronuntiat, Peſtem ſiquidem, quæ multarum gentium fuit communis, hoc libro reddit, quibus indicat & eas, quas relaturus C eſt Hippocr. proſequens narrationem peſtilẽtis illius conſtitutionis, febres fuiſſe peſtilentes a putrido, & maligno aere procreatas: immo & reliquos morbos. Quod paulo inferius confirmat, cùm inquit, (Com.21.) Cùm dicit, & complures moriebantur, peſtilentes fuiſſe morbos, qui vulgabantur, demonſtrat: quod referendum eſt ad id, quod in præcedentis commentationis calce expoſuit, vbi ita ait, Quicunque morbus ſimul vno in loco multos inuaſerit, epidemicus, hoc eſt vulgaris hic vocatur: qui ſi & hoc habet, vt multos perimat, peſtis fit. Sed age & ea afferamus, quæ ille de febribus in ea contigiſſe peſtilentia inferius dicit, vbi hæc literis ab eo tradita ſunt: Dixerat autem Hippo. (Com. 33.) Quin febres ardentes, & phrenitis. Ga- D len. explanans ea verba ait, Hæ febres ardentes, & phrenitis ab eadem cauſa profectæ ſunt, ſed differentes fuere locis affectis. Nam quibus in iecinoris, & ventris regionẽ, maximeq́ue in os eius prauus humor inuaſit, hos febres ardentes ſollicitauere: quibus in cerebrum, phrenitis. Quod etiam peſtilentes, & maligni hi eſſent morbi: indicat pręterea Hippocr. de his dicens, Plurimi non diu ægrotabant. Acuta autem, & lethalia his contigere. Iam ergo ſatis patet, non modo febrem peſtilentem accendi ob putredinem propriorum humorum in corde: verum & ex vehementi aliqua putredine, maligunq́ue in illis partibus orta, cum quibus multum conſenſum habet cor. Ex putredinis enim magnitudine conſi- E ſtit malignitas abundantis humoris, ibidem ait Galen. (Com.23.) Patet præterea, non ex ſolo ſanguine putreſcente accendi febrem peſtilentem, ſed ex alijs etiam humoribus, modo vehemens accedat putredo. Et de his ſatis. Tranſeamus nunc ad aliam differentiam febris peſtilentis, quæ hectica eſt. Cuius mea quidem ſententia longe difficilior eſt definitio. Nam apertiſſime Galen. videtur dicere tertio de Præſag. (Cap. 3.) ex pulſ. in hectica febre peſtilenti ſubſtantiam cordis putreſcere: ait enim quod ſi aer inſpiratus fuerit putredinoſa qualitate contaminatus, & attingat corpus cordis putredo, tales fiunt pulſus: & febris illa hectica peſtilens eſt. Subiungit autem, neque igitur mirum eſt, ſi hi omnino morituri ſunt. Nam

quod vnquam poterit ſalutare remedium afferri pu- A
tredinis, quæ in corde eſt? ſicuti poteſt illis, in qui-
bus calor putredinoſus ad humores contentos in ven
triculis cordis conuerſus? quorum multi ſuperſtites
euaſere. Satis ergo aperte videtur expoſuiſſe in
hac febre corpus, & ſubſtantiam cordis putreſce-
re: præſertim vero ventres cordis. Quod mihi non
modo paradoxum, verum & maxime paralogum
videtur. Etenim quòd ſubſtantia alicuius ſolidi
membri ad putredinem conuertatur, & putreſcat,
tunc imprimis accidit, quando ad gangrænam, vel
ad ſphacelum vertitur, extinctò nempe natiuo ca-
lore illius partis ab externo, & igneo. Quæ corru-
ptio dum fit, & in tranſmutatione eſt, gangræna di-
citur. Cùm vero abſoluta eſt, & facta ſphacelus eſt: B
latini, ſi recte memini, ſiderationem appellant. Sem-
per enim in putreſcentibus corporibus eorum calor
proprius ſuperatur, & extinguitur, & in putrefactio-
nem tandem deſinunt, quæ gangræna corripiuntur,
vt tum alibi, tum ſecundo libro Comment. in ſex-
Com. 30. tum Epid. exponit Galen. ſed & aperte hoc oſtendit
Com. 25. tertio libr. in tertium Epid. vbi ait, quòd cùm putri-
dus humor in ſolidas partes decumbebat, illæ mar-
ceſcebant: vnde decidebant & oſſa, & carnes, & ner-
ui: ſed ſi ad interna procumbebat, longe erat dete-
rior affectus. Vnde quòd cor ad id, ſtante vita, per-
uenire poſſit, vt ſolidæ eius partes, & illæ maxime,
quæ maxime præcipuæ ſunt, quales, quæ ad ventres
pertinent, putreſcere incipiant viuente animante,
mihi prȩter omnem rationem videtur: cùm alioquin, C
neque aliquam continui ſolutionem, neque abſceſ-
ſum aliquem, vix autem initium inflammationis
ferre poſſit: quippe quòd quando inflammatio vl-
terius progreditur, neceſſe ſit (vt & ipſe Galen.
docet.) animal mori. Sed addamus & hoc, quòd
hectica febris ſiccus omnino affectus eſt, quem ſe-
quitur pulſus durus. Putrefactio autem humidus eſt
affectus. Dici enim ſolet, quòd mater putrefactio-
nis eſt humiditas: & quo res humidior, eo & magis
obnoxia eſt putrefactioni. Peſtilentes etiam ſtatus,
quos refert in ſuis lib. Galen. ſemper multa præceſſit
humiditas. Non ergo poteſt hectica febris ex putre-
dine primùm accendi. Præterea in hac febre, quam
ais accendi ex putreſcente cordis ſubſtantia, vel pu- D
treſit ſubſtantia illa, aut pars illa, quam putridam eſ-
ſe dicis: vel iam putrefacta eſt, quando febrem hanc
accendit. Si eſt tantùm putrefiens: nondū autem om-
nino putrefacta, ſicut neceſſe eſt te affirmare. Nam
quādo iam putrefacta eſt, emortua eſt ea particula,
& vel in incinerationem deſijt, ſicut illis, quæ per pu-
tredinem intereunt, ſolet euenire: aut in ſphacelum,
qui nihil eſt, niſi tranſmutatio partis in interitum, vel
in cadauer, quæ in corde viuentis animantis, dum
ipſum viuit, vix poteſt imaginatione capi, ſi quis
naturam, & principatum cordis probe tenuit. Si igi-
tur dixeris, febrem hanc excitari, dum putreſcit, &
in tranſmutatione eſt particula, quam putreſcere di-
cis, quod & in ratione putredinis contineri oſten- E
Cap. 8. dit nobis definitio putredinis a Galen. vndecimo
Meth. expoſita: quæ talis eſt, quòd eſt tranſmutatio
totius ſubſtantiæ putreſcentis corporis ad interitū,
vel corruptelam ab externo calore: Tunc febris hæc
non erit facta, neque æqualis intemperies, ſed potius
Cap. 1. & vlt. inæqualis, & fiens. Quod omnino rationi febris he-
cticæ aduerſarium eſt. Nam & hac ratione falſum
eſſet, quòd qui laborant hac febre, eam non percipe-
rent: contra quàm dicat Gal. Ita enim de gangræna
in lib. de Inæq. intemper. ſenſit, quòd dum in via, &
tranſitu eſt membrum ad interitum, inæquali cōſtat
intemperatura, quo tempore dolorem percipit, &
nondum ſenſus expers eſt. Vbi vero iam emortuum

A eſt, nullus eſt amplius doloris ſenſus, & intemperies
inæqualis facta eſt. Liquido autem apud omnes con-
ſtat, quòd hæc febris, quæ eſt hectica peſtilens, æqua-
lis eſt, & facta intemperies: non autem, quæ adhuc
fiat. Sed & accedit ad hoc, quòd Galen. ſatis a- Cap. 10.
perte oſtendit ex vndecimo Metho. putrefactionem,
vel putredinem affectionem eſſe, quæ in tranſmu-
tatione conſiſtat: non autem ſit facta. Eam enim
diuidit in duas partes, in eam, quæ iam facta, &
eam quæ in generatione eſt, & quæ futura ſit. Id
vero proprium eſt eorum, quæ fiunt, & conſtant
inæquali intemperie. Vt id etiam non ſit præter-
mittendum, quod febris hæc, quæ ex putredine
cordis ortum haberet, non magis putrida, quàm
B hectica eſſet. Nam cur minus putrida hæc, quam
illa, quæ ex humoribus cordis putreſcentibus ac-
cenditur? Et ab hac ſeparari minime poterit illa
pulſus inæqualitas, quæ propria, & inſeparabilis eſt
ab omnibus alijs putridis febribus: nimirum quòd
ſyſtole velocior eſſet dyaſtole, & quies exterior bre-
uior interiori. Quoniam ea inæqualitas ſit propter
maiorem neceſſitatem mundificationis, & excre-
tionis putridæ fuliginis, quæ multa in putridis fe-
bribus præ alijs generatur ex putredine. Sed eam
etiam in putredine cordis perinde neceſſe eſt gene-
rari, vt in alijs putridis febribus. Habemus autem
& ſatis claram auctoritatem, qua videtur nobis aper-
te indicare Galen. hecticam hanc febrem non conſi- Cap. 4.
C ſtere in putredine, qui ait in eodem tertio de Præ-
ſag. ex pul. Fiunt ſane, vt dictum eſt, non paucæ
ex peſtilentibus ſtatim a principio hecticæ, differen-
tes ab omnibus alijs febribus, quæcunque in valida
putredine conſiſtunt. Quibus verbis ſignificat,
quòd quamuis dixerit in eis putredinem ad cor per-
uenire, atque in corde eſſe, non tamen febrem hanc
ex putredine cordis ortum habere, cùm hoc fieri ne-
queat manente vita. Sed quæretis, quis ergo erit ſen-
ſus, & quȩ horum verborum expoſitio? Mihi quidem
videtur quòd Gal. hoc voluerit ſignificare, quod cùm
aer fuerit contaminatus putrida, & ſubinde mali-
gna aliqua qualitate, ea quidem conuerſa ad humo-
res, qui in corde ſunt, & ad ſpiritus, male afficit eos.
Et quia quod a putrido tangitur, putreſcit, ſi id ſit
D ad putreſcendum aptum, vel ſuapte natura, vel ex ac-
cidenti: Apti autem vel maxime humores ſunt ob
humiditatem, & quo humidiores ſunt, eo facilius
putreſcunt: Vnde in humidis, & calidis, & qua-
ſi ſuffocatis tempeſtatibus facillime, & leui qua-
cunque occaſione a putredine corripiuntur. Facile
ergo ex conuerſatione cum peſtilenti, & putrido aere
putreſcunt, & valde putreſcunt humores cordis, vt-
pote qui, & humidi, & in loco calido ſint. Quæ vero
inepta ſunt ad putredinem, non poſſunt non affici, &
ipſa a putrida illa qualitate: & quamuis non putre-
ſcant, contrahunt tamen malignam quandam qua-
litatem, qua ſecundum naturam ſaltem, licet ſecun-
dum ſubſtantiam non corrumpantur, inſigni tranſ-
E mutantur tranſmutatione, & degenerant plurimùm
a ſua priori temperatura: & pro ratione maioris, &
malignioris putredinis: ita malignior, & deterior
eſt qualitas ea, quæ impreſſa relinquitur a re putri-
da. Vnde & in hectica, dum humores in putridis fe-
bribus putreſcentes cōtinentur in venis, ſæpe a calo-
re ſuo ſolida membra tranſmutant: & quamuis non
putrefiant, tranſmutatur tamen eorum ſubſtantia,
quantum ad naturalem corū temperaturā pertinet.
Sed vbi præfuit vehemens, & maligna putredo ali-
quid venenoſi ſapiens, ea praua illius putredinoſæ
qualitatis natura imprimitur ſolidis etiam partibus:
& tametſi non putrefaciat eorum ſubſtantiā, retinet
tamen pernicioſam naturam qualitas ea, in quam
membra

membra tranſmutantur. Sicuti poſſumus externo exemplo oſtendere in dolijs, quibus vinū ſeruamus: in quibus ſi vinum interdū marceſcat, vel putreſcat, atque diutius ibi ſeruetur, quamuis dolium non putreſcat, ſemper tamen malam quandam a vino contrahit qualitatem, quæ aliquam putredinoſam naturam refert: ſemper enim putridum quendam odorem retinet. Immo non modo dolium, ſed & vinum ſi abiecto priori putrido aliud optimum infundatur, paulo poſt putridam eam infectionem contrahit, & retinet. Ita & aer putridus, peſtilensque inſpiratus, ad cor delatus in peſtilentibus tempeſtatibus ea eſt eius praua natura, vt quamuis non putrefaciat ipſum cor, tamen tranſmutando id pernitioſa ea, & peſtilente qualitate contaminat, ac eius naturalem temperaturam valide immutat, & labem ita imprimit, vt neque poſſit deinde remoueri. ſed eius vniuerſum habitum permutat, & ita ad hecticam perducit, perniciofam tamen, & acutam ratione illius venenoſæ qualitatis, quam ex maligna putredine ſibi comparauit, & ea ratione in ea illa omnia apparent, quæ putredinem referunt. Nam & colliquationes deijciuntur ſæpe, & anima fętet, putredinem referens, & reliqua, quæ Galen. tertio, de Præſag. ex pul. refert, neque tamen ea æqualitas pulſus variatur, quæ ſolet aliarum hecticarum febrium eſſe perpetua comes: quia inde non ea excitatur putrida fuligo, quæ in febribus putridis. Hæc ſunt, quæ mihi viſa ſunt dicenda in hoc difficili negotio: vt tamen iudicanda relinquamus illis, qui in his diffiniendis ſunt perſpicaciores. Hæ ergo ſunt duæ primæ differentiæ peſtilentium febrium ab ipſa rei eſſentia depromptarum. Sunt præterea & aliæ, ſed potius a ſymptomatibus acceptæ. Nam non vnus eſt earum modus, ſed multiplex pro ratione variorum ſymptomatum in his febribus apparentium. In aliquibus enim, vel ſtatim, vel progrediente tempore maculæ, vel papulæ per vniuerſam exteriorem cutem efflorefcunt, quas vulgares petechias his in locis appellant, quæ variæ in diuerſis ſunt colore, magnitudine, & multitudine. Aliquæ enim nigræ: aliæ purpureæ: aliæ liuidæ: aliæ rubræ: item aliæ paruæ, quæ vibices pulicum imitantur: aliæ, quæ cutim eleuant, & aliæ magis, vt ferè variolarum magnitudinem æquent: aliæ minus, perinde, vt quæ morbilli ſunt ab arabibus dictæ, aliæ etiam his omnibus maiores: quędam etiam vlcerantur, quædam minime. Fiunt autem interdum peſtilentes febres, in quibus non papulæ hæ exiguæ, ſed tumores inſignes, magnas inflammationes, aut excedentes, aut æquantes, ad anthracis naturam accedentes, extuberant, interdum plures, interdum pauciores. Ego ſemel vidi quendam peſtifera febre laborantem, qui multos habuit maximos tumores, qui proculdubio erant phlegmonæ eryſipelatoſæ, quorum vnus vniuerſam exteriorem manum ſiniſtram occupabat. Sæpiſſime autem loca glandulofa his tumoribus corripiuntur (Et propriè hæ Gianduſſa a noſtris vulgaribus appellantur) & ea loca ſunt, quæ emunctoria à noſtris medicis iunioribus dicuntur: vt ſunt inguina, ſubaxillæ, & loca poſt aures. Sunt tamen & aliquæ, in quibus horum nihil apparent: quæ plerunque aliarum peſſimæ ſunt. Sed de his hoc tantum dixerim, quod omnia hæc fiunt a natura pugnante cum prauo morbo, ac morbificas cauſas, quantū fieri poteſt, remotius a præcipuis mēbris ſanguine ab eis expurgato (vt declarat Gal. in lib. de atra bile) conante protrudere ad externas, & minus neceſſarias particulas. Sed de his nolumus alioquin longiores eſſe, cùm multi veſtrum noſtras habeant priuatas exercitationes de hac re inſtitutas prioribus annis, quibus hæc omnia diligenter, & expoſita, & probata fuere. Vbi de ſignis etiam, quibus, & cognoſci, & diſtingui omnes febrium peſtilentium differentiæ facile poſſint, copioſe actū fuit. Vel ſi qui ſint, qui eis careant, facile habere poſſunt, vtpote quæ iam vulgatæ, & in multorum manibus ſint. In hac enim penuria temporis, qua angimur in præſentia, nolumus in his repetendis fruſtra id conterere, ſed properare ad curandi rationem volumus: quam quidem licet ibi exquiſitiſſimè tractauerimus, quædam tamen addemus, & quædam repetemus, vt errores quorundam extirpemus, qui dum plus alijs ſapere videri volunt, alios dānantes, & communem opinionem euertentes, ſuam apertiſſimam detegunt ignorantiam. Ob id enim de hac re à nobis in præſentia hæc tractatio eſt inſtituta. Sed ne plus iuſto longiores ſimus, quæ ſuperius de febribus putridis curandis expoſita ſunt, & ſi hic non minus, quàm ibi neceſſaria ſint, non tamen repetemus (putamus enim a vobis ea tradita memoriæ) ſed de ijs tantùm agemus, quæ peſtilentibus febribus propria ſunt, quatenus peſtilentes ſunt. Nam cùm & hæ, & putridæ, & continentes ſint, ea omnia, quæ de curatione continentium, & putridarum febrium ſunt literis mandata, huic tractationi accommodata ſunt. Hoc autem addemus, quòd ſicut hæc febris peſtilens, & morbus deterior eſt, & acutior: ita maiore diligentia, & exquiſitiore curatione tractari debet. Vnde cùm ſit multa, & longa indicationum ſeries, quæ medico febres curaturo putridas ſtatim, (vt docuit Galen. vndecimo Meth.) inter initia ſe offerunt: illis omnibus poſitis tanquam alias declaratis, ea ſolùm perſequemur, quæ priuatim a peſtilentibus febribus, quatenus ſunt peſtilentes, & ab ijs, quibus peſtilentes ab alijs differunt, ſunt depromendæ. Sed cùm (vt diximus) hæ ab alijs differant per maiorem quandam, & eximiam putredinem: præcipuę indicationes in hac curatione illæ erunt, quæ à putredine ſunt accipiendæ. Deinde vero illæ, quæ a loco putredinis. Semper enim oportet ſimul iungi indicationes ab ipſo affectu, & a loco affecto. Locus vero putredine affectus eſt, aut cor, vt expoſuimus: aut particulæ illæ, quæ maxime poſſunt in ſui conſenſum cor trahere. At de putredine prius agamus, quæ (vt ibidem dixit Galen.) duas habet partes: ſicut omnia, quæ fiunt, & in tranſmutatione ſunt. In eis enim ſemper aliquid factum eſt, & aliud faciendum, ſeu quod futurum eſt: Ita in his, quæ putreſcunt, aliud iam putruit, aliud putrefaciendum eſt. Quod putruit, indicat, id, tollendum eſſe. Tollitur autem per euacuationem, vt videlicet in febribus putridis, quod putruit iam, vel per vrinam, vel ſudorem, vel vomitum, vel inferiorem aluum, vel ſenſibus inconſpicuam vacuationem, pro vt commodius fuerit, vel ratione humoris, vel ratione loci, in quo continetur humor, vel aptitudinis corporis vacuandi, & id genus reliquis. Id vero quod nondum putruit, ſed putreſcet, indicat putredini eſſe occurrendum, quo minus amplius putreſcat. Et de hoc prius agamus quia hoc præcipuum eſt in hoc negotio. Obſiſtemus autem futuræ putredini, ſi cauſis occurramus: quæ duæ ſunt proximæ. Altera eſt humiditas, tanquam materia: Altera externus calor, tanquam efficiens. Cauſa vero proxima exortus extranei caloris in viuentibus corporibus, aut omnino, aut maxima ex parte eſt obſtructio. Obſtructioque aut a craſſa, aut a lenta, aut a multa excitatur materia. His ergo in curandis putridis omnibus, præ omnibus autem alijs peſtilentibus febribus, eſt intendendum, vt tollatur excedens humiditas, quæ corpus reddit in putredinem propenſum, & vt obſtructio remoueatur, & eius etiam occaſiones omnes. Duo ergo hi ſcopi præcipui, quantum ad ea pertinet, quæ has indicationes reſpiciunt, nobis

nobis in hac curatione proponuntur: quos primo de A
Differ. febr. nobis clariſſimè propoſuit Galen. ſi eo-
rum memores ſumus, quæ dum locum illum expla-
naremus, dicta fuere: videlicet exſiccare, & corpus
probe tranſpirabile reddere. Hoc eſt ergo funda-
mentum generale, a quo omnis fere ratio eorum
pendet, quæ accommodari poſſunt huic curationi.
Sed ſumamus expoſitionis huius exordiũ ab ijs, quæ
poſſunt obſtructiones tollere. Horum omnis ratio
ab ijs erit petenda, quorum occaſione fiunt obſtru-
ctiones. Vnde ſi multitudine corpus detineatur, illi
euacuationibus erit ſuccurrendum. Et cùm morbus
acutus, magnus, & præceps ſit, remedijs id erit agen-
dum, quæ citò, & confertim corpus vacuare poſſunt.
Extremis enim morbis, extrema remedia (vt dixit B
Hippoc.) opportuna ſunt: non illis, quæ paulatim,
præceps ſiquidem periculũ eſt. Ea propter cùm duo
vacuationum arte moliendarum genera ſint, quibus
Com. 29. (vt ſecundo Aphor. tradit Galen.) opus eſt in magnis
morbis vti ad euacuandum: nimirum venæ ſectio,
& purgatio. In his eligendis antiqui, & probati me-
dici hac vſi ſunt diſtinctione, quam Rupertus anti-
quus, & præſtantiſſimus medicus expoſuit: cui Aui-
cenna, Oribaſius, Paulus, & Aetius ſubſcripſere. Por-
rò conſiderandum, an ſanguis plurimus abundet, &
eo abundante, ſanguinem ſecta vena detrahemus.
Cap 4. Huic tamen diffinitioni addendum, vel ſaltem ea
exponenda eſt, quemadmodum Gal. expoſuit quar-
to de tuend. ſan. nempe, vt ſub ea non modo com-
prehendatur ſolius ſanguinis abundantia, ſed, & C
aliorum humorum, quando fuerint cum ſanguine
permixti: vel quando non multùm a natura ſangui-
nis receſſerint, eo modo, quò ipſe ibi declaraui.
Quòd ſi alij exuberent excrementitij humores, pur
Cap. 4. gandum erit corpus. Ita enim ſenſit Galen. primo
de Differ. febr. Niſi quòd hic aliquanto conſiſten-
dum eſt. Primùm, quia multis in locis maxime ti-
ment miſſionem ſanguinis; ſicuti Venetijs, cùm fe-
brem eam peſtilentem metuunt, in qua ſolent papu-
læ apparere: & adeo confirmata eſt hæc opinio in ea
ciuitate, vt ſi cui fuerit ſecta vena, qui poſtea moria-
tur, vniuerſam cauſam referant in ſectionem ve-
næ. Conſiderandum autem, quòd ſi velimus de-
creta omnium antiquorum medicorum ſequi, qui D
ex ratione exercuere hanc artem, niſi viribus timea-
mus, aut ætas vetet, omnino eſſet mittẽdus ſanguis,
cùm ſit magnus, & valde acutus hic morbus. Vnde
quoties vires validæ, & integræ repertæ fuerint,
ſemper eſſet mittendus: quia vix fieri poteſt, vt pul-
ſus ſit vehemens, & magnus, quin vires adhuc conſi-
ſtant; is enim, vt Gal. in lib. Meth. docet, præſertim
validas vires oſtendit, & quòd alij humores a natu-
ra ſanguinis plurimum diſtantes exuberent per vni-
uerſum corpus, vt idem in lib. de Rat. cur. per ven.
ſect. teſtatus eſt. Ego tamen puto hic non parum hoc
animaduertendum eſſe, quòd (vt arbitror) poteſt
ex varijs Gal. locis depromi; nempe non parum re-
ferre, immo plurimam intereſſe differentiam inter E
febres, quæ peſtis proprie dici poſſunt, quæque ex
putrido aere, & peſtifero occaſionem habent ſuæ ge-
nerationis, & illas, quæ ex praua victus ratione, quę-
que potius peſtilentes febres, quàm peſtes diximus
appellari. Quia priores, & ſi omnino aliquam cor-
poris aptitudinem requirant, vt poſſint accendi, ſal-
tem humiditatis abundantiam, quæ ſuccos aptos ad
putredinem fecerit: maxima tamen pars occaſionis
ab aere in illis petenda eſt, tanquam ab efficiente.
Vnde in his facilius eſt, ſaltem inter initia, antea-
quàm plurimùm procedat putrefactio, quòd vires
fortes omnino reperiantur; cùm poſſint non admo-
dum mali eſſe alioquin humores, qui in corpore ge-
niti ſunt: niſi quòd ex aliqua excrementoſa humidi-
tate ſint facti faciliores ad putredinem. In illis autẽ,
qui non ex aere, ſed ex praua ratione victus incidunt
in id genus febrem, nõ poteſt illud referri in aerem,
ſed vniuerſa putredinis, vel malæ febris ratio peten-
da eſt a vitioſis, & prauis humoribus genitis ex mala
victus ratione. Vnde magis a materia pendet earum
occaſio. At vbi tanta eſt copia malorum humorum,
vt rationem bonorum ſuperent, non poſſunt eſſe vi-
res omnino validæ: & ſi primùm quidem validæ vi-
deantur, illis tamen non eſt plurimum fidendum:
quoniam cùm non habeant fundamentum firmum
(non enim multum ſanguinis boni habent, cui in-
nituntur vires) ſatis facili negotio, & leui occaſio-
ne concidunt. Quare ſi obſeruauerimus Gal. dum in Cap. 1.
primo & ſecundo libro Epid. de Aegrotis, qui Hip-
po. per eas peſtilentias oblati ſunt, curandis, ſermo-
nem habet, ait ſe pro certo habere, quòd illis ab Hip-
poc. fuerit ſanguis miſſus; quamuis illius remedij
nequaquam in narratione meminerit, quia morbi,
qui referuntur, tales erant, vt id requirerent. At in
libro de bonitate, & vitio ſuccorum, referens peſti-
lentiam, quæ eo tempore excitata eſt poſt penuriam,
& famem ingentem, ex vitioſis ſuccis, ex prauis ci-
bis, genitis ob bonorum inopiam: inquit, rariſſimis
fuiſſe ſanguinem miſſum. Nam medici timebant, &
ex ratione timebant (ait ipſe) qua vires pauciſſimis
eæ erant, quæ poſſent id admittere. Tales enim hu-
mores, qui ita facile ad malam, magnamque putre-
dinem perueniunt, (vt primo de Differ. febr. tradit
idem Gal.) praui admodum ſunt, neque vires foue- Cap. 4.
re poſſunt. Quare neque etiam mirum eſt, ſi ſæpe, &
vulgares experientia docti, in iſtis peſtilentibus fe-
bribus, quæ citra peſtilentiam excitantur, & malam
victus rationem duntaxat ſequuntur, timent miſſio-
nem ſanguinis per ſectam venam: ſed potius eligunt
illum ſcarificatione detrahere. Nam, & Gal. in illis,
qui ex ſui corporis natura non erant apti ad toleran-
dam ſectionem venæ, ſicuti ſunt corpora alba, & la-
xa, molliaque, ex ſcarificatione ſanguinem detrahe-
bat. Et ſæpe videmus in his febribus, in quibus pa-
pulæ efflореſcunt, accidere, vt ſecta vena ſtatim, aut
paulo poſt vires concidant, & pulſus languidi admo-
dum euadant. Quare mea quidem ſententia in hac
re ea eſt, vt neque adeo timidus omnino ſit medi-
cus in hac febre, vt omnino, & in omnibus fugien-
dam eſſe putet ſanguinis miſſionem: neque tamen
ita etiam promptus, & audax, vt omnibus mittat:
quamuis etiam prima viſitatione videãtur vires me-
diocres, ſed bene reſpicere debet, & cõſiderare, & ex
ante acta victus ratione, & ex alijs, quantum illi pul-
ſui, & viribus fidere poſſit. Et ſi mittendum putat,
ſtatim in principio id agat, antequam magis inuale- Com. 24.
ſcat putrefactio. (Hoc enim inſinuare videtur Gal.
qui tertio libro Comment. in primum Epid. expo-
nens hiſtoriam Critonis ab Hippoc. relatam, quaſi
illum excuſans, quòd non miſerit ſanguinem, ait
quòd ſæpe non accerſiretur ab initio, quia ſi inter
initia aduocatus fuiſſet, ſanguinem miſiſſet) & ante-
quam natura tentet expulſionem ad cutem. Sed de
hoc poſterius erit agendum. In præſentia enim ad
aliud vacuationis genus tranſeundum, videlicet ad
purgationem, quæ ad aliam partitionis partem ſpe-
ctat. Secundo enim Apho. ita Gal. refert, Hipp. non
hic tantùm, ſed & in alijs ſuis libris, quãdo inuicem,
proportione ſeruata, omnes humores augentur,
miſſione ſanguinis auxiliatur. Vbi vnus aliquis ex
ipſis ſuperabundat, purgatorium dat medicamen.
Hic tamen inſurgit quæſtio, quando in his febribus
vtendum ſit medicamento, & quo medicamento.
Equidem ad hoc reſponderem iuxta definitionem
Hipp. & Gal. vel quòd ſtatim ab initio, vel poſt vi-
gorem, vbi iam maturauerint, & ſint concocti pur-

gandi

gandi humores. Vbi conſiderandum eſt, quòd cùm materia, vel morbus turget, ſtatim a principio debemus purgare: vel ſi talis videatur, addamus nos, vt facile putemus, paulo poſt turgiturum, quamprimũ debemus purgare. Si turgẽt enim in valde acutis, eadem die dixit Hippo. quarto Aphor. purgandi ſunt. (A.11.) Peſtilens autem febris, & valdè acutus morbus eſt, & in quo ſæpiſſime turget materia, vt quæ, & vim, habeat veneni, & faciliſſimè ad principalia membra feratur. Nam ſæpe in peſtilentijs illis, quas refert Hippo. & in ægrotantibus, quorum particulatim, & nominatim meminit, videmus ex ſymptomatibus materias morbificas, & venenoſas vagas plerunque eſſe, quæ varijs petitis particulis varia afferebant incommoda, vt deliria, præcordiorum tenſiones, alui profluuia, vrinarum copiam: quæ materiam ad varias partes moueri indicabant. In multis papulæ prius apparebant, quæ mox, recedente materia ad internas corporis partes, deliteſcebant, & alia deinde apparebant ſymptomata. In Critone, cuius paulo ante meminimus, in quo pes ad talum intumuit tumore rubente cum tenſione, & papulæ nigræ effloruere, mox delirans perijt, nonne manifeſtè turgebat acutiſſimus morbus ille? Atque ſi velimus diligenter animaduertere ad ea, quæ tum a Gal. tum ab Hippocr. referuntur, facile in his febribus turgentis morbi ſigna manifeſta conſpici ſolent. Neque id mirum videri debet. Quandoquidem turget morbus, cùm natura, vel a multa, vel a praua materia concitata etiam inter initia mouere eam, & extendere nititur, quamuis importunè. (Co.12.) Id genus autem febrium ſemper à praua, & venenoſa materia ortum habet, ſed & ſæpius a multa etiam. Vnde 1. Prorrh. tradit Galenus habito nimirum ſermone de motionibus, quæ in acutis morbis fieri ſolent, rationi conſonum eſt, eas euenire in illis affectionibus, quæ à multitudine, vel a qualitate vitioſorum humorum concitantur, dum alias in aliam feruntur partem: aliquando quidem in principem, & tunc morbi benignitatem vitiant: aliquando in non principem, & ita benignum morbum efficiunt, atque eo tempore oportet medicum aggredi vacuationem humorum, qui moleſti ſunt, tum multitudine, tum qualitate. Quare ſæpè inter initia iſtius morbi, ſi multa admodum, & plurimum mala ſit materia, de qua ſit timendum, ne vlterius putreſcens, aut exuſta ad venenoſam naturam vertatur: aut ſi ferri cœperit verſus præcipuum aliquod membrũ: quæ materia fuerit remota a ſanguinis natura: non video, ſi ſequi Hipp. decreta velimus, cur vacuare ſtatim in principio nõ liceat, præſertim ſi aut ſanguis non fuiſſet miſſus, vel non auderemus tantum mittere, vt eſſet, aut pro ratione multitudinis: aut quantus poſſet eſſe ſatis ad reuulſionem a membris principalibus. Nam, & Aetius monebat in his febribus non eſſe mittendum copioſum ſanguinem: quia præ alijs omnibus vires diſſoluit: Galen. etiam loco paulo ante citato, hoc eſt, primo de Different. febr. dixit, ſe in peſtilentibus tempeſtatibus conſueuiſſe, ſi corpora eſſent excrementis ſcatentia, ea purgationibus curare. Quod ſi quis reſpondeat Galen. ſententiam illam ad cuſtodiam, non ad curationem eſſe referendam, nempe, antequàm febricitent, vt tuti a peſtilenti labore reddantur. Primum illi aduerſatur modus loquendi Gale. qui ait, purgationibus curamus. Deinde eſto, quòd eo, ſit referenda hæc ſententia: idem Galen. in libro de Ratio. cur. per ven. ſect. aperte dixit, quod quæcunque incipientibus morbis vtilia ſunt, ea melius eſt anticipare, vt defendantur ab imminentibus, & futuris. Si ergo oporteat vti medicamentis inter morbi initia purgantibus, hoc modo vtendum. Reliquum eſt, vt præterea quæramus, quibus

A medicamentis: Græci quidem omnes poſt Gal. mirifice laudant Rufi medicamentum, quod conficitur ex aloes, & ammoniaci partibus duabus, myrrhæ autem vna parte: quo medicamento, ſi quis quotidie fuerit vſus, non putat Rufus fieri poſſe, quin a peſte non liber euadat. Et re vera non poſſum non ſummopere ipſum laudare. In potu autem ex odorato vino dabat. Præter enim id, quòd moderate euacuat, ſine multa humorum commotione, roborat viſcera, a putredine tuetur, aloe præſertim, & myrrha, & ammoniacũ quoque, & deſiccat valenter. Arabes etiam omnes illi ſubſcripſere: niſi quòd aliqua immutarunt, credo ex malis interpretationibus: crocum enim pro ammoniaco imponunt, & aloes partes vnam: B ceterorum tertiam vnius partem, & hæc in catapotia redigunt: cùm alioquin Græci horum puluere vtantur. Hoc tamen in his mihi videtur animaduerſione dignum, quòd id genus medicamenta poſſunt accommodari, & ſalubriter quidem in his peſtilentibus conſtitutionibus, antequam a febre corripiantur, & niſi aer fuerit admodum æſtuoſus: vel ſi iam etiam cæperint febricitare, dum ea nõ eſt admodum acuta febris, ſed lenis: ſicuti interdum eſſe ſolẽt peſtilentes. Quia quando acuta tenentur febre, & interius vri videntur, vſus iſtius medicamenti non probaretur Galen. Non enim ipſe octauo de Compoſit. medic. per loca. teſtatur, cùm de hiera ſermonem habeat: ait enim, quòd ſi conficiatur ex lota aloe, poterit quis ea vti audacter etiam in febribus, ſi (Cap.2.) C valde debiles fuerint. Vnde noſtris his temporibus longe præſtantius videretur eſſe, eis vti medicamentis, quæ & facile citra vllam agitationem, & violentiam aliquam motionem ſoluent. Nam ſi materiam paratam ad motum inueniant, & quam natura, aut mouere cœperat, aut paulo poſt erat aggreſſura, facile, naturam adiutricem habentia, illam poterunt euacuare: ſin autem illam immotam, & rebellem, cùm non violenter poſſint mouere, neque illam alioquin exagitabunt, neque illa in his timenda eſt caliditas, ſicut in aloe, vel hiera, vel Rufi medicamento. Ea medicamenta erunt ſyrupus roſaceus ſolutiuus: qui mihi magis violaceo probatur, quia vim aliquam exſiccandi maiorem habet, ratione cuius magis putre- D dini reſiſtit. Cura enim propria harum febrium eſt exſiccatio. Deinde vero tamarindi: quoniam illi itidem moderate vacuant, refrigerant, reſiſtunt putredini, ſicut & alia acida, exſiccant ſatis moderate, & aperiunt: quæ omnia in his febribus non modo vtilia, ſed & neceſſaria ſunt. Neque hic ſunt audiendi inepti illi, qui eorum vſum in febribus damnant, & nouorum ſomniorum nuntij ſunt. Somniarũt enim, quòd tamarindi aduerſarij ſunt his peſtilentibus febribus, ob id, quia aſtringunt. Hi quidem mihi magis, quam illi, qui his febribus laborant, deliri eſſe videntur, ac ſibiipſis non conſentire. Primùm quidem neſcio, qua ratione adducti contendere velint, eos aſtringere ſaltem inſigni aſtrictione, niſi ex acido ſa- E pore. Quod argumentum nullum eſt. Quia ſapor acidus (vt Gal. 4. de Simp. med. fac. probat) in tenui ſubſtantia conſiſtit: aſtrictio vero in craſſa, & terrea. Vnde per ſe acida attenuant, incidunt, & aperiunt, licet refrigerent. Quòd ſi aliqua acida etiam aſtringant, id illis accidit, quæ non habent hunc ſaporem ſimplicem, ſed cum acerbo, & auſtero mixtum, ſicut vua immatura. Et quòd ita ſit, quòd aſtrictione careant, atteſtantur auctores omnes Arabes, quorum fuere inuentum, qui de eorum ſtipticitate hoc ſolùm dicunt, quòd vomitum reprimunt: quod quidem nõ aſtrictione faciunt: ſed quia bilis acrimoniam obtundunt, & eam euacuant, atque ad inteſtina conuertũt. Neque enim ita læderent ventriculum, & egerent correctione, & aſtringentibus, ſi ipſi inſigni eſſent

aſtri-

aſtrictione prediti. Niſi dicas, quòd refrigeratione id preſtant, Sed hoc fabula eſt. Nam, & myrobalani refrigerant, non tamen lædunt: immo roborant ventriculum, quia aſtringunt. Neque ita in acutis febribus, vbi eſſet lenitione opus laudarentur. Sed illis donemus etiã hoc, in ipſis videlicet aliquã eſſe aſtrictionẽ. Primum, plus in his febribus inſigniter exſiccando poſſunt prodeſſe, qua ratione putrefactioni obſiſtũt, quàm aſtrictione obeſſe: cum leuis aſtrictio, & roborando interna viſcera, & a receptione malignorum excrementorum defendendo, non parum conferat: ſicuti aqua lentium in morbillis, & variolis, (vt docuere Arabes, & recepta iam paſſim eſt conſuetudo) quæ vim habet aſtringẽdi, & ſiccandi; Nam alioquin aſtringentia omnia, quamuis leuem aliquam aſtrictionem haberent, eſſent reijcienda, neque cichoreum, neque endiuia, neque ſcordium poſſent tuto in his febribus dari, neque Rufi medicamentum, neque ſexcenta alia, quæ longo vſu, & auctoritate probatiſſimorum auctorum ſunt probata, neque etiam theriaca, neque mitridatia antidotus. Valeant ergo hi nouorum dogmatum inuentores cùm ſuis commentis. Immo mihi videretur, quòd nunquam in his febribus manna, aut caſſia, quę medicamenta mihi, & alijs maxime probantur, ſine additis tamarindis, dãda eſſent: quia humectant. Cura autem harum febrium eſt exſiccatio. Sunt tamen, & compoſita medicamenta quædam huic rei idonea. Nam, & quod in his partibus electuarium lenitiuum appellatur, mihi probãdum, & quod diacatholicon a Nicolao dicitur, & quod deſcribit a Meſue, & tryphera Perſica dicitur, quam ipſe in peſtilentia æſtate laudat. Et quamuis ea accipiant, quæ non ſint aſtrictionis expertia, vt rhabarbarum, & myrobalanos, ſi tamen, & ea cum alijs comparauerimus, & modum compoſitionis conſiderauerimus, videbimus adeo vim aſtringendi remitti, vt non propterea impediri poſſint, quin fiat commoda purgatio, aut queant aſtringendo aliquam afferre maiorem obſtructionem. Sed præter id, quòd viſcera roborant moderata ea aſtrictione, adiuuant etiam vim ſoluentium medicamentorum, ſicuti cotoneum malum feliciorem efficit, & minori cum moleſtia operationem ſcammonij, neque aliqua ex parte, licet aſtringat, officit. Itaque, ſi corpus inanienendum, ſicut inaniendum omnes cenſent, cùm multis redundat excrementis, id ſtatim inter initia agendũ eſt. Quia cùm vlterius res progreditur, ſemper progrediente item putrefactione, deterior, & magis maligna fit materia: ita vt, & vires quotidie magis langueſcant, & natura ad euacuationem ineptior reddatur. Sæpè etiam mali illi, & peſtilentes ſucci a natura concitata ab eorum prauitate præcipites, & confertim feruntur ad præcipua membra: quo fit, vt in extremum periculum adducatur ægrotans. Exinanito ergo corpore, vel altera, vel vtraque ratione, omni opere incumbendum eſt putredini, atque illi obſiſtendum, quacunque ratione id fieri poteſt, duplici ea ratione, quam nobis Gal. 11. Meth. tradidit: nempè, vt id, quod iam putruit ab integro ſeparatum excernatur: reliquum autem humoris, quod nondũ putredine correptũ eſt, a putredine defendamus. Quod iam putruit, ab alijs ſecretum educetur ea parte, in quam magis eſt propenſa natura: ſiquidem ad ventriculum vomitu, & eo facili: ſi inferius ad aluum, clyſteribus: ſi ad renes, & veſicam, in ijs, quæ vrinã proritant: ſi ad cutem, frictionibus, quæ eam rarefaciunt, & ad exteriora trahunt. De quibus cum abunde in curatione febrium egerimus, ſuperuacaneum videtur eadem repetere. In hoc enim non modo Gale. ſed & Rufus, & cæteri antiqui medici conſenſere. Defendemus autem remouentes putredinis cauſas, quæ duæ ſunt proximè: humiditas (vt diximus) & externus calor: ſed addamus tertiam obſtructionem, quippè, quę calorem fouet. Humiditati exſiccando cõtra ibimus: calori refrigerando: obſtructioni aperientibus. Sed hæc particulatim tractemus. Primum ab Auic. quæ acida ſunt. (Nam, & refrigerant, & ſiccant) tam medicamenta, quàm cibi laudantur. At de his cibis poſterius agemus. Etenim vtroque inſtrumento medico oportet exſiccare primum, mox & refrigerare: videlicet, victus ratione, & medicamentis. Præterea vero (vt Gal. 5. de Simpl. med. fac. palam pronunciat) Cap. 26. eadem acida vim habent incidendi, extenuandi tollendi obſtructiones, purgandi, citra tamen calefactionem: accommodatiſſima ergo his febribus. Vnde, & ſyrupum confectum ex acido ſucco citrij pomi, quàm maxime laudamus, & ſimplicem acetoſum, & qui ex ſucco oxalidis conficitur, quam acetoſam herbam appellant. Noui inſcitiam quorundam, qui debacchantur quotidie, & publice, & priuatim contra ſyrupum confectum ex acido ſucco pomi citrij (quẽ vulgo ex acetoſitate citri appellant) ac eum deteſtãtur, & damnant, quaſi piaculum ſit commiſſum ab illis, qui eo vtuntur. Sed hi dum alios damnare credũt ſuam detegunt ignorantiam. Sed ne iniuria, & nos illos damnare velle videamur, audiamus rationes, quibus innituntur, & penſitemus, quantum momenti hac in re habeant. Aiunt ergo, errant moderni practicantes, qui eo vtuntur cum ille maximè aſtringat. Sed qua ratione probas, quęſo, quòd valdè aſtringens ſit? Nam, neque probatum quemquam auctorem, aut legimus, aut audiuimus, te vno excepto, qui hoc aſſeruerit, neque qui eo tanquam aſtringente inſigniter fuerit vſus. Propterea, quia dum coquitur (Coquunt autem Apothecarij ipſum conficientes) Immo, & Meſue, qui illum deſcribit, eſſe ſuccum coquendum ait ad conſumptionem tertiæ partis, ac iterum additis alijs dum conficitur ſyrupus. Vnde ait ipſe, per decoctionem digeruntur partes aereæ: remanent autẽ terreſtres, in quibus conſiſtit vis aſtringens. O quantã ignorantiam, & ſocordiam in hac re oſtendunt huiuſmodi homines. Primũ enim hoc falſum eſt, quòd quæ aſtringunt, omnia fiant magis aſtringentia per decoctionem: immo, & aſperitatem cocta, & aſtrictionem plurimum remittunt. Poſſumus quidem innumeris exemplis id oſtendere, mala enim cotonea, pyra acerba, & ſexcenta alia, quæ cocta in cibũ veniunt, ſuauiora fiunt, cùm tamen ante cocturam ne comedi quidem ex auſteritate poſſint. Et cum magis terrea ſit eorum, quæ auſtera, vel acerba ſunt, ſubſtantia, ſi per cocturam reſoluuntur aereæ partes, & tantũ relinquuntur terreſtres, deberent acerbiora, & magis auſtera fieri, & aſtringentia: fiunt tamen minus aſpera, & minus aſtringentia. Nec modo ea, quæ in cibũ veniunt, cocta remittũt aſtrictionem, ſed & metalla, vt chalcitis, quemadmodum docet Gal. 10. de Fac. ſimp. med. Sed quomodocunque ſit, illud ab his quęrerem, quando decoquitur is ſuccus, vel quando iã, quantum ſatis eſt ad conficiendum ſyrupum, coctus eſt, ſit adhuc accidus inſigniter, necne. Hoc ſi affirmauerint, iam ſatis conſtat ipſum vim habere extenuandi, incidendi, obſtructiones aperiendi, vrinam ciendi, & quod eſt præterea tenuis ſubſtantiæ. Acidus enim ſapor in frigido tenui (vt 4. de Facul. ſimp. med. docuit Gal.) conſiſtit. Non ergo aſtringet, ſaltem inſigniter. Huic vero, & aliud addamus, quòd hac eadẽ ratione tollitur omnis vſus ſyruporum, qui, vel ex ſuccis, vel ex decoctis parantur. Neceſſe enim eſt hæc omnia coquere, donec ſuperuacanea, & excrementitia humiditas conſumatur: alioquin non poſſent ſeruari, aceſcerent enim, aut putreſcerent. Et hac ratione, neque ſyrupo in putridis febribus ex ſucco endiuiæ, vel cichoreæ, vel oxalidis, vel roſarum eſſet vtendum: ac plurimum errarent, qui his vterentur: ita

neque

neque decoctis, vt vtebantur antiqui. Et miror, cur hunc ſyrupum, non autem eum, qui ex ſucco roſarũ, vel ex ſucco oxalidis pari ratione damnent, cùm, apertius dixerit Gal. aliquam eſſe in his aſtrictionem, quã in acida citrij mali parte. Valeãt ergo hi cum his ſuis inſulſis rationibus. Et nos ſyrupis iſtiuſmodi, vel decoctis ex his vtamur in his febribus: videlicet ex acido ſucco citri, vel limonũ appellatorum. Nam, præter vim exſiccandi, qua reſiſtunt putredini, & veneno ſę qualitati, inſigniter etiam lotium proritãt. Quòd præter id, quòd ſignum eſt maiorem vim attenuandi habere, & aperiendi, quàm aſtringendi, prodeſt etiam ad excernendum per vrinam ſaltem putrefactã partem humorum in febre. Præſtantiſſimus eſt ergo is ſyrupus, & maxime huic curationi accommodatus. Inter medicamenta etiam, quam maximè hoc nomine accommodata conſenſu omnium auctorũ, qui hac de re reperti ſunt verba feciſſe, primum ferè locum habet bolus armena, ita vt qui in magnis peſtilentijs eius ope non fuere liberati, nullis alijs remedijs a morte eximi potuerint, vt Galen. teſtatur 9. de
a.12. Simp.med.fa. Ob id autem tantam vim habet, quia eximiè exſiccat, & refrigerat; vtrunque autem putredinem arcet quam maximè. Sed hic etiam inſurgunt medici moderni, & bellum maximum, tã bolo huic, quàm medicis ea vtentibus indicunt grauiterque eos errare aſſeuerãt. Vniuerſam autem iſtius erroris cauſam referunt in aſtrictionem. Cùm enim maxima in venis ſit putredo: bolus vero inſigniter aſtringat, auget obſtruendo putredinem. Verum, quoniam nullã habent probati alicuius auctoris antiqui ſentẽtiam, quam poſſint afferre, duplici ratione ſuadere nituntur, quòd aſtringat: videlicet, quia linguę appoſita hęret: deinde, quia dyſenteriæ mirum in modum confert. Quòd ſi quis obijciat Gale. auctoritatem, quam nuper citauimus. Reſpondent Gal. illam in peſtilentijs, quæ ab aere inſpirato pendet, fuiſſe vſum: atque nos illa in his poſſumus ea ratione vti, quia aſtringẽdo meatus claudit, & ingreſſum aeris prohibet, qui peſtilens eſt. In febribus vero, peſtilentibus, quæ ex humorum putredine accenſæ ſunt, Galen. non fuiſſet vſus. Quantam ignorantiam oſtendunt hi, & medicinæ, & Philoſophiæ, & omnium diſciplinarum. Plures enim errores committunt, quam verba proferant. Nam primum a nullo vnquam hoc dictũ inuenient, quòd bolus armena vim aliquã inſignẽ aſtrictoriam habeat. Eius vero rationes adeo pueriles, & friuolæ ſunt, vt ferè earũ meminiſſe erubuerim. Etenim primum, quòd hæreat linguæ, hoc argumentum eſt lentoris, non aſtrictionis. Alumen enim validè aſtringit, chalcitis, chalcanthum, gallæ, balauſtia, & alia innumera, quæ tamen nõ hærent linguæ. Et hærent, quæ non aſtringunt, vt quo aucupamur, viſcus, & pituita lenta. Quæ vero lentoris, vt multæ terræ,
de ter- quarũ 9. de Fac. ſimp. med. mentio facta eſt, ſunt participes, & linguæ hærent. Quod etiam dyſenterias mirificè ſanet, non eſt aſtrictionis, ſed exſiccationis argumentum, vt vnuſquiſque ex Gal. loco nuper citato percipere poteſt: qui omnia, quæ ab armena bolo efficiuntur, in vim exſiccandi, non aſtringendi refert. Alioquin enim non video, cur magis auxilium, quod præſtat dyſentericis, ſuadere nobis poſſit, quòd aſtringat, quàm cũ aſthma curet, & omnem ferè [ſpirandi] difficultatem, quòd careat aſtrictione: verum vtrunque per deſiccationem efficit, ſicut, & quod vlcera curet, & phthiſicis ſalutare ſit remedium, & reliqua, q̃ ibi refert Gal. Iam ergo omnes videre poſſunt, quam vanis, & futilibus rationibus innixus, tam acre bellũ aſſumpſerit. Videamus modo, quo pacto aliorum tela ipſe declinare nitatur. Reſpondet ergo Gal. ſentẽtiæ contrarium ſentientis, illum rectè quidem, & alijs conſuluiſſe, & ipſum fuiſſe vſum armena bolo in

A peſtilentijs, quæ ex aeris infectione ſuum habent ortum, quia aſtringendo cutaneos meatus, aeris ingreſſum prohibet. Hoc vero alijs eſt noxium, quæ ex humorum multa putredine accenduntur. His nihil nõ modo ineptius, verum neque magis erroneum excogitari poteſt. Primum enim hoc aduerſarium ijs eſt, quæ nos Gal. docuit 1. de Differ. feb. loco toties citato: qui tanquam ſaluberrimum remedium, & præcipuum propoſuit, vt corpus bene ſit perſpirabile in veris peſtilentijs. Non ergo voluit claudi cutis meatus. Nam nihil ita putredinis cauſa eſt, nihil ita eam fouet, & auget, ſicuti hæc perſpiratio corporis prohibita. Miror, cur, ſi adeo ab aere illis timendum putat, vt propterea velit conſtipandos, aſtringendoſque
B meatus cutaneos, non etiam prohibuerit inſpirationem? Quandoquidem liberiorem ad cor ingreſſum habet aer per inſpirationem, & magis confertim, quã per cutaneos meatus. Deinde non animaduertunt, q eiuſdem generis vtræque febres ſunt, quantum ad earum propriam eſſentiam. Nam omnis febris peſtilens, ob eximiam putredinem eſt peſtilens, & in vtraque vehemens, & multa eſt humorum putredo. Vnde ſi propter vehementem putredinem armenica bolus noxia eſt, pariter errauit Gal. qui in peſtilentia dedit: ſicut qui etiam in alijs peſtilẽtibus febribus. Omnibus enim putridis febribus noxia eſt conſtipatio cutis, quæ tranſpirationem, euentationem natiui caloris prohibet. Sed de curatione per medicamenta hæc in præſentia ſatis eſſe poterunt. Etenim ſi aliqua vi-
C deantur prætermiſſa, facilè, ſi illa cum ijs, quæ dicta ſunt, conferantur, poterit eorum ratio percipi, tranſeamus ad rationem victus, qui ijs debet eſſe, vt ſemper ad eos ſcopos ſpectet, qui præcipui ſunt in hac febre: videlicet, vt ab eius cibis, & potubus cauẽdus ſit, qui excrementoſi ſint, ab eis quoque, qui plurimum humectant: præſertim excrementitia humiditate. Nam ptiſana quidem damnari non poteſt: quia, & ſi humectet, non eſt tamen humiditas, quæ putredini apta ſit, quoniam alioquin refrigerando, abſtergendo, vrinam ciendo, & aluum lenem reddendo, quo nomine iuuat ad excrementorum vacuationem, magis longe iuuat, quàm lædere poſſit non multa ſua humiditas. Quod ſi oxalide incocta iure, quo parari
D ſolet, condiatur iam, & vim aliquam exſiccandi acquiret, vel iſtiuſmodi alia: ſicut eſſet fruſtrum limonis, aut citri. Far vero, vel chondrus bene coctus, & panis coctus ex iure, ſunt quidem fercula, quæ cum, & optimum alimentum generent, & non facilè putreſcant, apti ſunt cibi. Verum, quia non habent, vt ita aperiant, & aluum leniant, erunt huic negotio fercula meliora, ſi modico condiantur aceto, vt ex Gal. in prioribus lectionibus docuimus. A vino eſt abſtinendum, ſaltem inter initia, dum morbus crudus, potus vero ſit ſyrupus multa aqua dilutus, ex acetoſo ſucco citri, vel acetoſus ſyrupus: quando non vergerent inteſtina in dyſenteriam. Laudant Arabes decoctam aquam ex tamarindis, de quibus iam diſputa-
E uimus: quæ præter extinctionem, & ſitis, & ardoris febrilis, aluum lenem, & fluidam ſeruat: quod maximum commodum affert, niſi quando adeſſet nimiũ alui profluuium. Reliqua vero eo modo inſtituenda, quo ſymptomata, & morbus requireret. Nam interdum vigilia, interdum ſomnus erit conciliandus. Sed de his in præcedentibus lectionibus, quantum ſatis erat, diximus. Verum hoc tantum addendum puto, quod & Aetius ex Herodoti ſententia monet, quod quamuis febris hæc magnus admodum, & acutus morbus ſit: attamen, quia nulla ferè febris eſt, à qua facilius, & frequentius vires proſternantur, & interdum confertim, & repentè. Ideo exquiſitè tenuis victus non eſt vndequaque tutus, quia non ſolum reſpiciendæ ſunt præſentes vires, ſed & futuræ proſpiciendæ.

ciendæ. Quare interdum,& oua damus ſorbilia,&
carnes etiam: ſed tunc illæ eligendæ, quæ non facile
putreſcant ob humiditatem,& bonũ ſanguinẽ, ſiccio
rẽ tamen procreent: in quibus perdices primum locũ
obtinent,& nemorales auiculæ. Reliquæ parentur a-
cidis condimentis, vt citro, folijs oxalidis,& id genus
alijs. De frictionibus, quidem cum ſæpè pro exercita
tione aſſumantur, in ratione victus dicendum vide-
tur. hæ poſt corporis vacuationem erunt vtiles, quip-
pe, quæ ad digeſtionẽ faciunt, & vacuationẽ: corpus
etiam rarefacta cute reddunt perſpirabile. Niſi forſan
hi, qui in his febribus, ſi appareant papulæ, eas nõ eſſe
iuuandas aiunt; quia expellantur ſymptomaticè, vt
ipſi inquiunt, pari ratione, & frictiones ſuſpectas ha-
beant. At de his paulo inferius loquemur. Aer vero,
aut eligatur ſiccior, aut paretur. Quòd ſi cubiculum:
B in quo decũbit æger, in aquilonẽ vergat, erit melius,
quam in meridiem. Nam, ſicut aquilo arcet putredi-
nem, ita auſter eam fouet. Parandus autem aer vapo-
ribus rerum exſiccantium, & refrigerantium, vt her-
bis ſiccantibus, vel ſuffitibus, vitiũ ſcilicet, rami, myr-
ti, pomorum, & aliorum, quę exſiccant, vt citri, limo
num, narantiorum, cotoneorũ fructus, malorũ puni-
corũ, prunorũ etiã, & reliquorũ iſtiuſmodi. Suffitus
quoque ex aqua roſacea, & aceto, in quibus bulliant
ſandali, fruſtrũ citri, vel limonis, aliquid etiam cinna-
momi, & id genus multa. Quibus expoſitis reliquum
eſt, vt de ſymptomatibus, quæ ſolent apparere, aliqd
dicamus: non quidem de illis, quæ fuere tractata in
lectionibus prioribus, vt ſunt animi deliquia, capitis
C dolor, & quæ eadem methodo curationis diximus
eſſe tractanda; vt ſomnus, vigilia vtraque immodica,
ſitis, & id genus reliqua, quia ſatis poſſunt eſſe ea, q̃
ſuperius expoſuimus. Sed de illis, quæ pręſertim ſunt
familiaria his febribus, & habent quandam priuat.
& ipſa morborum rationẽ, & indicationẽ: ſicuti ſunt
papulæ, quæ efflorescunt per cutim, carbunculi, bu-
bones, parotides, vlcera oris, quę aphthæ a Gręcis di-
cuntur, & frequentiſſima ſunt in febribus, vt quaſi pa
thognomonica ſigna fuerint. 3. de Præſag. ex pul. ha-
bita. Primũ autem de papulis ſermonẽ inſtituamus,
vtpotè, de quibus maior fuerit excitata a iunionibus
noſtris contentio. Quidam enim ſenſere eam expul-
ſionem, tanquam vtilem accipiendam, & adiuuandã,
D attrahentibus nimirum auxilijs ad ſuperficiem ma-
teriam noxiam, quam natura expellere conatur. Vn-
de, & frictionibus vtũtur, & cucurbitulis inciſis ſcal-
pello, & ſine etiam inciſione. Alij vero his aduerſan-
tur, & contendunt, potius quã adiuuandum, hanc ex
pulſionem prohibendam, & diuertendam eſſe: pro-
pterea quòd motus is ſymptomaticus eſt, factus a na
tura, quæ multitudine aggrauata, & qualitate irrita-
ta ad cutem ſimul bonos humores cum malis tranſ-
mittit. Quare inferunt, quòd qui cucurbitulas prius
affigunt, apparentibus his papulis, mox vero eis inci-
ſis ſanguinem detrahunt, ægros ſe curaturos dũ cre-
dunt, illos interficiunt. Id vero ea ratione probare ni
tuntur: primum, quia in his non adeſt robur virium,
E vt poſſint ſanguinis miſſionem perferre: ſed & ſpiri-
tus, necnon, & bonum ſanguinem euacuant. Alij etiã
addunt, quod inciſæ cucurbitulæ tenuem ſanguinem
vacuant, relicto craſſiori, a quo maior fit obſtructio.
Sed hi multa ignorantiæ caligine obſeſſi ſunt, vt qui
cortici verborum duntaxat inſiſtentes ad medullam
rerum nunquam perueniunt: neque veram ſententiã
aſſequuntur. Verum ne in his nimium diſpendium
temporis faciamus, cùm res hæc ſit in noſtris priuatis
exercitationibus diffuſè tractata, eã in præſentia bre-
uibus perſtringemus. Nam, quòd frequẽter expulſio
hæc rationem potius critici motus habeat, quã ſym-
ptomatis, inde apparet, quia multos videmus illis ap-
parentibus, liberos euaſiſſe. Sed quoniam, quæ refe-

A runtur ex probatorum auctorum relatione magis, &
ab alijs, præſertim vero proteruis accipiuntur, quàm
ea, quæ nos vidiſſe teſtari poſſumus. (Mouet enim
liuor plus homines, quam veritas.) Ideo Hip. & Gal.
auctoritatibus agemus. Hipp. itaque, & qui eius ſen-
tentiam præſtãtiſſimè omniũ tenuit, & aſſecutus eſt
Gal. tres differentias motionum, quibus noxios hu-
mores in morbis natura mouere ſolet, nouere: ſiue ad
excretionem eos moueat: ſiue ad abſceſſum. Excretio
nem ipſi appellant, quando aut ad deiectiones alui in
ſurgit: aut ad vrinam: aut ad ſudores: aut ad ſangui-
nis eruptiones, vel per nares, vel per ſedem, vel per
menſes. Abſceſſum autem propriè, quãdo ab vna par-
te in aliam mouentur, & transferuntur humores, im
pellente prius natura. Quod bifariam interdum fieri
poteſt. Interdum ad partem aliquam, & præcipuam,
vt ad iecur, cerebrum, cor, pulmones, os ventriculi,
ſeptum tranſuerſum. Aliquando vero ab internis, &
principalibus, ad exteriores, & ignobiliores: quales
ſunt, cutis, adenes, vel glanduloſæ partes, artus, & id
genus alia. Prima ergo horum motuũ differentia eſt,
quando omnino rationem ſymptomatis habent, ne-
que aliqua ex parte critici motus, & hi non modo nõ
prodeſſe vllo modo poſſunt, verum potius obſunt.
Alia vero differentia eſt, quando omnino critici ſunt
hi motus, & a natura fiunt, quæ deuicto iam morbo,
& profligato, noxios humores expellit: & hi ſemper
ſalutares, & boni. Quòd vero ita de his ſenſerint au-
ctores, facilè innumeris, fere eorũ auctoritatibus poſ-
ſemus oſtendere, & apertiſſimè, ſed nobis vna ſatis ſit:
C & quia clarior eſt Gal. ideò eum in præſentia teſtem
citabimus. Quarto igitur Aphor. ita ille inquit. Malæ
excretiones prauorum affectuum ſunt ſigna, & ſæpè Com. 48.
fiunt iuxta, atque in vlceribus putridis, e quibus ef-
fluunt ichores, qui nihil affectui proſunt, interdum
tamen fiunt perinde, vt quando erupto abſceſſu, plus
inde effluit, atque ita expurgatur affecta particula.
Sed eſt & tertia differentia, quæ eſt intermedia, quæ
neque omnino eſt critica, neque omnino ſymptoma-
tica eſt, ſed potius iuuat, quam noceat: & interdũ per
eam facta aliquantiſper leuior natura, & morbo mi-
tiori facto, in reliquũ incũbens relicto excrementitio
humori facilius ad concoctionẽ perducit. Et eodem,
quo Gal. vſus eſt in explicandis duobus excretionum
D differentijs externis, exemplo vtamur, & nos in hac
tertiana, & media exponenda ab ipſo tamen ſumpto
argumento, qui 1. de Differ. feb. hoc clariſſimè expla Cap. 6.
nauit, vbi dixit ab vlceribus aliquando pus effluere
vndequaque probum, & laudabile, album ſane, leue,
& æquale, citra vllum grauem odorem. Aliquando
verò omnino putridum, fœtidum, & malo colore in-
fectum. Et ſicuti prius, quòd probum eſt, efficitur om
nino vincente natura, & natiuo calore. Ita alterum
penitus, & ex toto natiuo calore ſuperato, & euicto
ab extraneo, & putrido. Interdum autem, & pus ef-
fluit, tertio quodã, & medio ſtatu, vel effectu: videli-
cet, cũ non ex alterius abſoluta victoria, ſed ex vtri-
uſque veluti pugna, & neutro alterum penitus ſupe-
rante. Vnde in eo purè vtriuſque apparent manifeſta
E indicia: nempe, quæ, & actionem natiui, & actionem
externi caloris oſtendunt. Nam ſi fuerit pus album,
non erit leue: vel ſi leue non erit æquale, vel ſi æqua-
le malè olens. Et iſtius tertiæ differentiæ (vt ibidem
tradit Gal.) magna eſt latitudo, & multi ordines, qua
tenus aliquando magis vincit natiuus, aliquando ma
gis extraneus: quæ & maioris, & minoris ratione in-
numeros poteſt ordines habere. Ita ergo in criticis
motionibus, aliqui fiunt abſceſſus, aliquæ etiam ex-
cretiones natura omnino vincẽte, & profligãtę mor-
bo. Aliquæ fiunt natura victa, & ſuperata a multitu-
dine, vel a malignitate morbi. Sicut in peſtilentibus
febribus fluxus colliquatiui, ſudores frigidi circa frõ-
tem,

Com.71. tem,& collum,& qui vires diſſoluunt. Quòd apertè A declarauerunt Hippo.& Gal.3.Epid. commentariorum vero Gale.item tertio,vbi idem Gal.ita ait: Ipſe enim Hippocra.in præſenti ſermone apertè oſtendit, quòd tam vrinæ, quam ſudores, atque etiam vomitus,& quæ per aluum deijciuntur, nonnunquam ratione ſymptomatis vacuantur. Com.27. Sed apertius ſecundo libr. Comment.in primum Epid. vbi hæc literis tradidit. Has febres,de quibus ſermo in præſentia habetur ſudores comitantur,qui nihil proderunt,neque etiam ſunt ſignum bonum. Cuius cauſa in promptu eſt:hoc enim morbis crudis attribuimus: indicant autem,aut humorum copiam,aut virium imbecillitatē. Sed hoc idem de his iudicijs, quæ per abſceſſus fiunt poſſemus innumeris ferè exemplis, & auctoritatibus B oſtendere. Nam in libr.de Rat.ciborum boni,vel mali ſucci in relatione peſtis illius maximè, quæ famem, & magnam penuriā ſecuta eſt, ait relatis prius varijs tuberculorum, & papularum modis,qui per cutem efflorеſcebant in ea peſte,ait inquam: Aequè hęc omnium placidiſſima erant,quibus per cutim efflorеſcētibus,vitioſus ſuccus de viſceribus, profundoque corporis exinaniretur: alijs verò quibuſdam carbunculi, & phagedenæ ſpecie cum febre plurimos interfecere. Ecce quomodo priores abſceſſus per papulas efflorеſcentes criticæ expulſionis rationem habuere. Alteri per carbunculos tantum ſymptomatis. Verū interdū bubones, carbunculique magis criticam,quàm ſymptomaticam rationem habent. Etenim longa obſeruatione hoc cognitū eſt, quod longè ſalubriores ſunt C peſtes, in quibus plures extuberant bubones, & carbunculi,quam in quibus vnus tantum. Vnde,& Turcæ, quos ſolet ſæpè peſtis aggredi, iam rectè agi cum ægrotante putant, cùm plures bubones exeunt. Com.38. Sed & papulæ,quas refert idem Galen.2.libr. Commentariorum, in primum Epid. rationem tantum ſymptomatis habuere,vtpotè,apparentes, moxque euaneſcentes. Indicabant enim(vt ibi ipſe explanat)naturam morbo quidem, quantum poterat, reluctantem eam propulſionem tentaſſe, ſed illi tamen ſuccubuiſſe,& nequaquam potuiſſe reſiſtere,ſed potius ſinētem materiam ſecedere introrſum ad mēbra principalia. Vnde ibi eas papulas non fuiſſe excernendis morbis ait Hipp. De alijs etiam abſceſſibus ad ingui- D na factis,abaxillas,poſt aures,quid dicam,cùm omnibus ſint manifeſta? Quotidie enim in peſtilentijs videmus multos illis apparentibus, aut ſtatim,aut paulo poſt mori.Sed quod etiā ſint motus quidam in ægrotantibus, qui quaſi medij ſunt inter duos extremos,poſſumus quam plurimis exemplis, & auctoritatibus probare, ſed probemus aliquibus, quæ citra vllam controuerſiam ſunt, & primum afferamus in iſtius theorematis teſtimoniū morbos, quos turgentes appellauit,quaſi per metaphoram Hipp. 1. Apho. Com.22. & 4. In eis enim ait Galen.cum ſuperabundantes humores mouentur, nec dum in aliqua parte firmati ſunt,tunc ad eos expellendos natura incitatur,& aliquo manum porrigente indiget, & hunc humorum E motum ad aluum deducente. Motus is naturæ humores agitantis eſt,vt expellat. Neque enim illi ſpontè moueri poſſent, niſi a facultate expultrice mēbrorum mouerentur. Quòd vbique apertè pronunciat Galen. Vbi de hac motus ratione verba facit:ſicut o- Com.14. ctauo de Compo.med. per loc. vbi exponens verbū, turgere,ait,hoc eſt, motus ad excretionem adducat. Sed clarius ſecundo libr. Comment.in ſextum Epid. Com.53. ita inquit Hippocr.ait,turgeat,atque ad excretionem humorum natura,quæ animalia gubernat,incumbit. Profectò is motus non eſt omnino criticè expellentis naturæ,quippè,qui in initio morbi eſt,& ante cōcoctionem: neque omnino ſymptomaticè, quia nec ſalubris eſſe poſſet,neque,vt cauſa, neque vt ſignum: quòd apertè oſtenſum eſt ſuperius ex Gale. Sed cum ſæpè, & ſalubris ſit, & bonus non poſſumus dicere, quòd ſit penitus rationē habens ſymptomatis. Quòd vero ſit ſæpè ſalutaris,indicant, & verba recitata nuper: nempe,quòd natura in his adiuuante indiget,& manum porrigente: at quæ omnino ſunt ſymptomata,non ſunt iuuanda. At clarius etiam primo Prorrhet. Com.12. vbi de hac eadem re habito ſermone, ita ſcriptū reliquit: Dixit autem in principio,quia forſitan id alio tempore fieri nequeat. Nam frequenter in initijs videmus tranſmutationes fieri, non autem cum inueterauerint morbi. Rationi vero conſonum eſt, hoc euenire in affectionibus,qui a multitudine, vel a qualitate vitioſorum humorum excitantur,dum alias in aliam feruntur partem: interdum quidem in principem aliquam tranſlati: interdum in eas, quæ principes non ſunt. Vnde,cùm ad principes transferuntur, vitiant morbi benignitatem. At cùm ad eas,quæ minime principes,benignitatem demonſtrant. Atque eo maxime tempore oportet medicum aggredi vacuationem noxiorum humorum. Ad hoc etiam caput pertinent omnes criſes, quæ imperfectæ ſunt: quia, vel ſine inſigni aliqua cōcoctione præcedente: vel nō iudicatorio die factæ ſunt: atque ideo neque integre potuit morbus per eas iudicari. Vnde poſtea ſequuntur recidiuæ, a quibus interdum ad interitum deducuntur ægroti:interdum vero leuiores aliquanto per priores excretiones facti,deinde iterum integre iudicati, ſani euadunt. Talium multa exempla proferre ex libris Epid.Hip.poſſumus: ſed aliqua adducemus, reliqua vos ipſi ab illis libris petere poteritis. Primū autem legamus,quæ de Herophonte 3.lib. in primū Epid. ſcripſere Hipp.& Gal.qui cū acuto,& fere per- Com.20. nicioſo morbo affligeretur,& intumuiſſet lien,octauo die detumuit lien,& cœpit inguine primū dolere ſecundū lienē: mox vero tranſlati ſunt dolores in vtrāque tibiam:vnde & noctem ſequentem faciliorem habuit: & mox vrinæ magis coctæ viſæ ſunt: & poſtea nono die per ſudorem iterū iudicatus eſt:verum necdum integre,quia neque dies aptus erat iudicationi integræ: neque ea adhuc concoctio apparuerat, q̄ ſufficeret: interdum deinde recidit in febrem,a qua fere in quarta a recidiua integre nocturno ſudore eſt iudicatus. Et proculdubio, ſi vellemus etiam aliquos ægrotantes,qui tum etiam hoc 1.tum etiam 3. Epid.lib.deſcribuntur,perſequi,idem quod in hoc oſtenderemus:ſed nimium temporis in hoc contereremus. At quædam de hoc primo ægroto, qui euaſit, dicamus: poſtea ſermonem ad eos,quos obijſſe dixit Hip.conuertemus: vt his mutuo collatis demonſtremus has omnes expulſiones, quæ per abſceſſum, vel per excretionem fiunt, & mediæ ſunt inter eas,quæ omnino ſymptomaticæ ab his appellātur,& eas,quæ omnino criticæ,ſemper ſi perdurent, neque cū incæperint, mox retrocedere vitioſi humores permittantur,ſiantque ad partes non pręcipuas,& nobiles eiuſmodi inquam motiones eſſe vtiles ægrotantibus, & eis aliquanto ſubleuari. Fiunt enim hæc a natura(vt Cap.4. a Gal.in libello de Atra bile, apertè expoſitum habe- Com.19. mus: & in libr. de Cibis boni vel mali ſucci:& 3.libr. Com.in primū Epid.)contendente cum morbo,& morbificis cauſis:& nitente expellere a venis, & internis nobilioribuſque particulis nocuos humores ad partes minus nobiles, vt eſt cutis, vel adenes,vel artus,aut etiam extra corpus, ſi poteſt. Nam cùm ad partes nobiles,& principales fiunt, non a natura pugnante,ſed a morbo vincente fiunt. Quòd autem ita fit,quod videlicet ſemper cum vtilitate fiant hæ trāſmutationes,oſtendam exemplis euidentiſſimis ab eodem Hippo.petitis. Etenim exponens Gal.hiſtoriam Herophontis, & eorum quæ illi contigerant, rationemque eorum referens in commentario, quæ illi

euenere

euenere octauo die, ait: Tanti momenti fuit noxios A
humores ad imas partes abſceſſiſſe, & mox aliquam
apparuiſſe concoctionem, vt quaſi primam occaſio-
nē ſalutis illius eum abſceſſum fuiſſe cenſuerit. In ijs
vero, qui etiā male terminantur, non ſine vtilitate ſę
pe fieri eiuſmodi motus, & repulſiones a natura con-
tendente cum morbificis cauſis: quāuis tandem, vel
nimiā copiā, vel ob inſignē malitiā vincere nequeat:
ſed potius ſuccūbere cogatur: oſtendit in eodē libro
Com.19. hiſtoria Sileni ab Hippoc. relata, quā explanans Gale.
ait, quòd mirū fuit, cur non in ſeptima mortuus ſit:
id enim portendere videbantur ſæuiſſima ſympto-
mata, quibus afflictus fuit in tertia, & quarta die. Sed
ex virium robore potuit ſeptimā ſuperare. Et quia
in octauo apparuerunt papulæ paruæ, rotundæ, ru-
bentes, cum ſudore factū eſt, vt natura ita reluctan- B
te morbo, propellenteque ad cutim ſuperfluitatē ma
lorum humorū, potuerit etiā nonā tranſire, & vſque
ad vndecimā peruenire. Et nulli dubium eſt, quòd ſi
ſponte, vel auxilio artis copioſior fuiſſet ea facta ex-
pulſio, lōge melius res habuiſſet. Vnde cum inferius
Com.26. hiſtoriam Critonis deſcriberet Hippocrat. in quo do-
luit, ac intumuit pes, & nigræ papulæ eum occupa-
runt: Gale. ait, quòd naturæ inſtitutum erat, materiā
noxiam procul a principalibus particulis protrudere,
quàm vniuerſam cum pars illa capere non poſſet, re-
cedens ea ad internas partes hominem interfecit. Ac
miratur, cur in hac re non attulerit auxiliū Hippocr.
per ſectionē venæ. Hoc etiam Galen. apertè 1. libro
Commen. in tertiū Epid. explanās hiſtoriā illius, qui
in Dealcis orto decumbebat, ait quòd nullū eorum C
ſymptomatum, quæ ibi referuntur, aliquid boni ha-
bebant, præter abſceſſum, qui in lienē, & ſiniſtrū pe-
dē factus fuit. Ex his itaque declaratis tanquā corol-
lariū quoddam hoc depromendū eſt, quod & certiſ-
ſimū eſt, ſi Hippoc. decreta, itidē & Galen. ſequamur:
Com.23. quòd ſcilicet neque tranſmutationes illæ ſunt a me-
dico iuuandæ, & fouendæ, quæ omnino, & penitus
ratione ſymptomatis fiunt: & aliquid in eis agere o-
porteat, medicū potius eas impedire, & reprimere o-
portet: præſertim vero cùm vires deijciunt, vel ſi fiat
impetus verſus membrū principale: neque illæ, quæ
omnino criticæ: præſertim cū integrè iudicare viden-
tur. Primū quidem vel ipſis Galen. verbis oſtendere
Aph.21. poſſumus, qui primo Aphor. ait, Oportet itaque me-
dicū naturæ motū animaduertere, & ſi quidem ido-
neus fuerit, ei conuenit ſubminiſtrare, & adminicula-
ri. Si vero contrarius, & noxius, prohibere, transfer-
re, atque diuertere oportet. Alterum etiā Hipp. iuxta
Aph.20. ac Gal. aperte pronuntiauit eodē 1. Aph. vbi ait, Quę
iudicantur, & iudicata ſunt integrè, neque mouere,
neque nouare. Sed præterea, quòd motiones in mor-
bis, quæ ſolum ratione ſymptomatis fiunt, non ſint
iuuandæ, inſinuat Hippoc. & Galen. ſecundo libro in
primū Epidem. de peſtilenti ea conſtitutione loquen
tes: ait enim Hippocrat. ſudores multi, & adeo abe-
rant, vt recrearent, vt etiam contra læderent: referēs
autem rationē, quòd potius læderēt, quā prodeſſent:
quia inquit, ſumma erat eorū cruditas, & potius cō-
tingebant ex nimia humorū copia, vel ex multa viriū
imbecillitate: ac potius quia natura non poterat eos
regulare, & continere, quam quod natura eſſet, quæ
ſponte eos moueret. Vt hinc nemo non videat, tales
neque etiā iuuādos: cum & ab eis magis vires deijce-
rentur. Itaque ſolū ij, qui ad tertiam differentiā per-
tinent, iuuari debēt: videlicet, qui neque omnino cri-
tici ſunt, neque omnino ſymptomatis ratione, ſed me
dio quodā modo ſe habent. Quia motus naturę ſunt
fortiores quidē eatenus, & cū morbo contendentis; a
multitudine autem vel mala qualitate coactæ, non
expectata maturatione, nitentiſque malam materiam
ex parte ſaltem expellere: vt mox aliquanto facta le-
uior, reliquum facilius poſſit coquere. Poſſumus au-
tem id multis oſtendere argumentis, depromptis ex
varijs Hipp. & Gal. locis. Nam primū turgente mate
teria, & ea motu exagitata, ſtatim vacuandum eſſe
præcipiunt. Quoniam tunc naturā habemus vacua-
tioni adminiculantem. Vnde in Cōmen. 29. Aphor.
1. Aph. ait Gal. melius eſt circa principia vacuare, quo
minorē iam factā materiam facilius poſſit natura cō-
coquere. Sed nec modo in turgētibus morbis, verum
etiā in illis, in quibus natura incipit quidem vacua-
re (quamuis ante apparentem concoctionem) parcè
tamen, & non quantum ipſa iuuari poſſit, vacuat, iu-
uare eam nos debere, ſi Hipp. & Gal. ſequi velimus,
oſtendunt ipſi tertio lib. Comm. in primum Epid. in
hiſtoria Metonis; qui cùm grauiſſime ægrotaret, ac è
dextra nare cæpiſſet nulla etiam apparente coctione,
ſanguis, parcè tamen fluere: & grauiter ille habebat.
Vnde vt abundantiùs ſanguis flueret, caput lauit, po
ſtea vero & frequenti fluxu ſanguinis, & ſudore inte
gre iudicatus eſt, vt nulla ſit ſecuta recidiua. Et locū
exponēs Gal. ait, quòd ea hiſtoria nos præſertim duo
docet: Primùm, quòd ad adiuuādum ſanguinis pro-
fluuium è naribus balneum multum valet. Deinde
effectu comprobat veram eam eſſe ſententiam apho
riſticam primo Apho. Quæ ducere oportet, quò ma-
ximè natura vergit per loca conferentia, eò ducere.
Quo facilè quis hos iuniores inſcitiæ nomine dānet,
qui ꝙ critica non omnino ſit expulſio, nō eſſe iuuan
dam putant: reſpiciant quæſo, an fluens ex Metonis
naribus ſanguis critice fluxiſſe dici poſſit, qui inter
initia ante vllam concoctionē apparentem fluxit. Sed
huic & illud addamus: nonne & carbunculi, & bubo
nes, & parotides, qui in peſtilentibus febribus omni-
no apparent, eadem ratione extuberant, qua & papu
lę: natura videlicet expellente vitioſos humores, quā-
to poteſt longius ab internis viſceribus, & ante vllam
concoctionem? Symptomatica ergo eſt ea expulſio:
quàm tamen omnes iuuare omni ope nituntur. Nam
nullis repellentibus vtuntur, ſed potius ijs, quæ exte-
rius attrahunt, ita vt, & ſcarificent, ſeu ſcalpello ſum-
mas partes incidant. Vana igitur eſt horum oppoſi-
tio. Sed & hoc adijciamus, quòd non poſſumus, non
niſi de quibuſdam mirari, qui omni ope contendunt,
non eſſe affigēdas, & incidēdas cucurbitulas, eo quod
D papularum expulſio ſit ſymptomatica, nec iuuanda,
& tamen ipſi poſtea vtuntur illinitione ab Aetio ex
Herodoti ſententia deſcripta, quæ ex oleo, & aqua,
& modico nitro paratur, cui vis eſt, trahendo mate-
rias ex profundo ad cutim, non permittere papulas
retrocedere: atque ita cum non eſſe iuuandam ſym-
ptomaticam expulſionē contendant, mox ipſam iu-
uant. Igitur ſibi ipſis non conſtant. Nā vel nullo mo-
do iuuanda: vel ſi ſit iuuanda falſum eſt ſymptoma-
ticum motum non eſſe iuuandum: neque animad-
uertunt antiquos auctores eam adiuuari voluiſſe. Cū
etiam aiunt, non eſſe illis per cucurbitulas ſanguinē
detrahendum; quia vires languidæ ſunt: inepta ſatis
eſt oppoſitio. Nemo enim niſi imperitus ſanguinem
mitteret languentibus viribus. Quòd ſi dicant, in om
E nibus vires languere. Falſa dicunt: cùm ſæpè aucto-
res velint copioſum eſſe ſanguinem laborantibus fe-
bre peſtilenti mittendum, ſecta etiam vena. Sicuti mi
ratur Gal. cur Hip. Critoni ſanguinem non miſerit.
A quo omnino abſtinendum eſſe potius dixiſſent, ſi
ſenſiſſent vires eſſe languidas ſemper in his febribus.
Immo Græci omnes in curandis carbunculis, cū illi
cum febre ſunt, ad lipothymiam vſque mitti ſangui-
nem volunt: qui tamen, vt nemini non notum eſt,
malignarum febrium comites eſſe ſolent. Sed cur in
hoc laboramus, cùm ſuperius probauerimus ex om-
nium probatorum auctorum ſententia ſæpe in peſti-
lentibus febribus eſſe venam ſecandam; quod reme-
dium,

dium, & antiqui omnes, & Galen.prius longe fe- A cere, quatenus ad vires imbecilliores reddendas pertinet, quam ſcarificationem. Vnde quando vires omnino languent, nihil aliud medico agendum eſt: niſi illis reficiendis incumbendum, inſtaurādiſque: neque ſolum a ſcarificatione abſtinendum: ſed a clyſteribus, vt Hippocrat.4.de Rat.vict.in acu.mor. docuit. Cæterum quod etiam poſtremo opponunt alij, nempe ſcarificationem in his fugiendam poſt cucurbitulas: propterea quia tantum tenuem partem vacuāt ſanguinis, relicta craſſiori, vt deinde maior fiat obſtructio: & falſum, & vanum eſt. Nam vbi ſanguinis craſſitiem timemus, docuere, & Aetius ex Herodoti ſententia, item & Oribaſius ex Apollonij, & Antilli, quibus Galen. ſubſcripſit in libello de Cucurb. hiudini- B bus, reuulſione, ſcarificatione, aut frictionibus, aut potu aquæ tepidę ex ſpongijs, aut calefactione ex calidis linteis huic timori occurrere: Funditur enim ſic ſanguis, vt pars craſſior fuſa fluat facile, id quod obſeruant chirurgi, qui hæc agunt: præſertim vero qui vulgo hic ſtuffarij a nobis appellantur. Alioquin enim, ſi hoc incommodum haberent ſcarificationes, eſſent fugiendæ in illis omnibus affectibus, in quibus præfati auctores in locis nuper citatis eas ſummopere laudant. Nam ſi in magnis inflammationibus, in carbunculis, in menſium ſuppreſſionibus ſcarificatis partibus, tantum tenuior pars efflueret, & craſſior magis obſtrueret, longe magis obeſſent, quam prodeſſent: cùm tamen hoc habeant omnes pro ſaluberrimo remedio. Immo Oribaſius loco C nuper citato capite de ſcarificatione ait, ſe in ea peſtilentia, quæ ea tempeſtate Aſiam deuaſtauit, ope harum ſcarificationum liberum & incolumem euaſiſſe, nec ſeipſum modo, verum etiam alios multos, Sed de his ſatis. Niſi quòd ſuperſunt quædam dicenda de ſignis febris peſtilentis, quæ conſulto prætericram: quia noueram veſtrum quàm plures habere noſtras illas exercitationes alias domi priuatim inſtitutas. Quoniam vero a nonnullis requiſitus fui, vt aliqua etiam de hac re proferam in medium: quamuis hic non ſit eorum locus proprius, vt tamen illis rem gratam faciam, ea iterum hic exponam: ſed de illis, quæ quoquomodo remota dici poſſunt, quàm proxima, ſermonem non habebimus: quippe quę po- D tius cauſas febris peſtilentis reſpiciunt, quàm ipſam febris naturam. Et cùm cauſa febris peſtilentis duplex ſit, altera quidem ad genus efficientis cauſæ pertinet: altera vero ad genus cauſæ materialis: prior enim dependet ab ijs, quæ poſſunt calorem extraneũ accendere in corpore, qui vehementis putredinis ſit opifex: altera ab ijs, quæ corpus aptum, & pronum, & capax putredinis, & externi caloris reddunt. Cumque nihil ſit, quod vim maiorem habeat afficiēdi corpus, & ea quæ in eo ſunt, quàm aer: vt qui per omnes partes permeet, & cum omnibus commiſceatur. Ideo peſtilentiæ, & febrium peſtilentium maxima cauſa eſt aer, cum factus eſt alienus a ſua natura. Poteſt vero aer tranſmutari a conſtitutione, vel a tē- E peſtate, quę eo tempore diuerſa, & fere contraria eſt temperamento naturali illius temporis: vt quando calida, & humida fuerit temporis conſtitutio, neque recte a ventis aer fuerit perſpiratus, & veluti ſuffocatus eo tempore, & peſtilentes febres, atque adeo etiam peſtilentiæ vagari ſolent: cuius exempla habetis 1.& 3.Epid.ab Hippoc. Aerem etiam permutant, & loca, vel regiones, vel naturali, & propria illius loci qualitate: vel noua, & aſcititia. Naturali quidem ſicut in locis, in quibus cœlum inſalubre eſt, vt loca paluſtria, præſertim æſtatis tempore: aut vbi ſunt antra, aut voragines, a quibus peſtilenti qualitate ſpiritus affecti ſpirant. Aſcititia vero, vbi aut propter bella, aut hominum incuriam putredines, vel cadauerum inhumatorum, vel aliarum rerum multæ malum emittunt vaporem. Poſt aerem aquæ, quibus in potu, aut in coquendis cibis vtimur, vim habent putredinem in humanis corporibus concitandi. Victus autem ratio peſtilentibus febribus occaſionem præſtat, cum ea ſeruatur, quæ humoribus generando ſit, qui facilè, & plurimũ putreſcere poſſunt: vel ob quātitatem, quam vincere non poſſit natiuus ventriculi calor, vel ob qualitatem, vel ob apparatum, & condiendi rationem, vel ob ordinem, vel ob alios errores, qui ad obſtructionem perduxerint: vel ob venerem. Nam frequens, & immodeſta venus, vim plurimā habet ad peſtilentes febres accendendas. Ad hæc ergo omnia reſpiciens medicus, coniecturas poterit ſibi comparare, quibus vſus hoc ſaltem cognoſcet, an poſſit febris eſſe peſtilens. Quòd autem determinatè ſit, tum ſigna, quæ ſtatim a ſubſtantia febris proximè accipiuntur, indicabunt: tum quę a proprijs ſymptomatibus. A ſubſtantia febris ſigna ſunt deprompta, quæ a modo febrilis caloris accepta ſunt. Peſtilentes enim febres omnes exterius non plurimum feruentes ſunt, ſed quaſi tepidæ: quamuis eximia quædam ſit in eis putredo, ea ratione, quia putredo aut in cor de eſt, aut in vicinis partibus, ad quæ refugiunt ſanguis, & ſpiritus: ſicuti ſolent facere in magnis, & prauis earum partium affectibus: neque calor plurimus exterius poteſt expandi. Quod, & nono de Simplic. medic.facult. & 1.li. Com.in ſextum Epidem.docet Galen. interius tamen vel ipſi ægrotantes incendium magnum percipiunt, vt neque linteos ferre poſſint, vel ſi ipſi non percipiunt, vt in hecticis peſtilentibus, ſigna tamen vrentis caloris apparent, vt ſunt fluxus colliquatiui, linguæ ariditas, & nigrities. Facilius autem calor percipitur, applicata manu thoraci: cùm enim circa cor ſit fomes febris, ibi & maior, & acrior percipitur calor, vel ſtatim eo tacto, vt in putridis: vel tandem diutius tangendo, vt in hecticis. Ex ſymptomatibus autem cognoſcuntur hæ febres: quia & ſi non videantur plurimum calere ægrotantes, ſunt tamen plurimum anxij, & inquieti. Vnde dicebat Auicen. ſunt quietæ exterius, turbantes interius. In eis maiora contingunt ſymptomata, quàm pro ratione magnitudinis febris, vt deliria, appetitus omnimoda proſtratio, dolor capitis, linguæ ariditas, & nigrities, cuius comes interdum eſt vehemens ſitis: interdum, & hoc eſt peſſimum ſignũ, cùm licet arida lingua ſit: ſe tamen non ſitire aiunt, extincta videlicet fere vi appetitrice oris ventriculi. In ſignis etiam iſtius febris ſunt fluxus colliquatiui, liquidi, lenes, in quibus aut nigra, aut ſyncere bilioſa deijciuntur cum vehementi fœtore. Aliquando & reſpiratio fœtens eſt, & redolens internam putredinem. Præterea aphthæ, hoc eſt vlcera ſordida: interdum nigra, quæ naturam eryſipelatis, aut herpeltis referunt, aut inflammationis: & hoc etiam maximum eſt ſignum: quod fere fallere non poteſt, vt ſenſit Galen.3. de Præſ. ex pul. Vires etiam pulſus interdum ſtatim, & ſine alia occaſione cadunt, & languidæ ſiunt: Interdum quamuis non videantur grauiter laborare, & cibum accommodate accipiant: ſemper tamen, & quotidie pulſus ſiunt minores, & imbecilliores. Diſtinguitur autem hectica peſtilens a putrida, his imprimis. Quia ſicut in alijs hecticis illi ſuum calorem multoties non percipiunt, ita in his vt ſæpe neque febricitare, neque ægrotare putent: quamuis in mortem proni ſint, contendunt etiam ſe eſſe ſanos, & aſſurgere volunt. Immo cùm (vt diximus) in his calor expādi non admodum poſſit, medici quoque vix cognoſcunt, & percipiunt in eis calorem febrilem: ac non niſi illi, qui in his ſunt exercitati. Facilius autem percipiet, qui diligenter thoracis partes tractauerit. Nam quamuis primo appulſu, non percipiatur calor acris: dum tamen tangē- do

Com.26.

do perſeuerat medicus, videtur acris quidam, & inſuauis calor, quaſi ex profundo emergere. At in putridis, vt diximus, ſe interius vri fatentur. Præterea in hecticis ſemper febris æqualis, & vniformis eſt, nullas acceſſionum varietates habens vel periodorum: niſi ſi quando poſt cibum aliquantiſper incaleſcat: Cum tamen in putridis, ſi quis diligens alioquin ſit, facile percipiat aliquam periodorum rationē. Prę-B terea vero in hecticis peſtilentibus ſæpe, & pulſus, & vrinę medicis imponunt, quia non videntur permutatę a naturali ſuo ſtatu. Nam pulſus ęqualis videtur, & ſeruans naturalem ſuam velocitatem, & frequentiam. Cùm in putridis peſtilentibus, ob id quia, & maior, & deterior eſt, putredo, inęqualior, & maiorē diuerſitatem ſeruet pulſus, quam in alijs putridis, vt nul-A lum videatur pondus, vel rhythmum ſeruare. Sed & vrinę in putridis febribus, aut turbatæ, aut liuidæ, aut dilutæ, & aquoſæ, aut nigræ. In hecticis vero, quia febris illa non pertinet ad materias in venis contentas: ferè ſemper ſuum naturalem ſtatum ſeruant, vt aut nihil, aut parum a ſanis varient. Et quamuis multa præterea, & alia ad hoc argumentum pertinentia afferri poſſent, quia tamen hæc etiam ſatis eſſe queunt: Ideo hic demum conſiſtere volumus.

***

Alteram de febre peſtilenti huius Auctoris diſputationem inuenies in Secundo Tomo ſub finem.

FINIS.

INDEX LOCVPLETISSIMVS EORVM QVAE IN LIBRIS DE DIFFERENTIIS FEBRIVM,

In Commentario in primum de Arte curandi ad Glauconem,& in Tractatu de febre peſtilenti continentur.

A

ABſceſſus quid vocetur ab Hippocrate, & Galeno 156.a,col.2
Abſceſſus dupliciter interdum fieri poteſt ibid.
Abſceſſus plerumq; κατ'ἴξιν hoc eſt per directum ad affectã partem fieri ſolent 143.a,col.1
Abſinthium duas habet facultates; adſtrictoriam, & purgatoriam 97.a,ool.1
Abſinthij decocta ex melicrato ventriculum roborãt 132.d,e,col.2
Abſinthium bilem è ventriculo purgat 86.b,col.2
Abſinthiũ vim habet inſignem adſtringendi 86.b,co.2
Abſinthium ex mulſa maceratum non modo febri tertianæ remedium eſt, ſed etiã vim maximã hẽt ſuccurrendi morſibus ventriculi ex bile concitatis. ibid.c,d
Abſinthium quo tempore exhibendum ſit in exquiſitis tertianis ibid.
Abſinthij vſus quando conueniat in tertiana notha. 96.a,col.1.cum ſeq.
Abſinthium vim duplicem habet euacuandi, per aliũ, & per vrinam 86.b,c,col.2
Acceſſio in exquiſitis tertianis nunquam excedit duodecim horarum ſpatium, & cur 41.a,col.1
in Acceſſionis principio nulla vacuatio facienda eſt, vno excepto vomitu 88.d,col.2
in Acceſſionibus à cibo, & ſomno abſtinendum 134.a, colum.2
Accidentium duplex eſt genus 3.d,col.1
Accidentia propria, quænam ſint 25.e,col.1
Acetoſæ, vide Oxalis.
Acetum frigidum & ſiccum eſt, & tenuiſſimarum partium 128.e,col.2
Acetum facit ad penetrationem 124.b,c,col.1
Acetum vtero eſt noxium 128.e,col.2
Acetum non omne eſt vtero incommodum 129.b,co.1
Acetum ſcilliticum non eſt frigidum ibid.
Acida per ſe attenuãt, ancidũt, & aperiũt 153.c,d,co.2
Acida refrigerandi & adſtringendi facultatem habent ibid.e,col.2
Acida quæ adſtringant 153.d,col.2
Acida conueniunt in omnibus febribus malignis, & peſtilentibus ibid.
Aciditas in tenui ſubſtantia conſiſtit ibid.
Actio fit merito contrarietatis 20.e,col.1
Actiones non ſunt ipſarum qualitatum, ſed ſuppoſitorum 5.d,e,col.2
Actionis ratio in quo conſiſtat 20.a,b,col.2
Actiones & oppoſitiones mixtorum ex calore prodeunt, & cur 15.e,col.1.cum ſeq.
Actiones quæ integræ in animantiũ corporibus eduntur, vt concoctio, nutritio, incrementum, & reliqua, à calido innato fiunt 6.c,col.1
Actiones prodeunt à temperie, vel temperamẽto. ibid.
Actio læſa quas res complectitur 76.d,col.1
Actus cauſarum agentium fit in patiente bene diſpoſito 21.a,b,col.2
Acuti appellatio multiplex eſt 75.a,b,col.1
Acutus morbus, vel febris. vide è ſuis locis Morbus, & Febris.
Adoleſcentia ſolet febres tertianas afferre 80.b,col.1
de Adoleſcente quodam febre notha detento, quæ autũno incępit, & vere finijt hiſtoria, vide diffusè. ibid.
de Adoleſcente alio qui febre compoſita ex intermittente tertiana, & quotidiana continua laborabat. 53.d,e,col.2
Aegrotantes quæ velare ſoleant 68.e,col.1
Aegrotare per conſenſum quid ſit, & quomodo contingat 14.b,col.2
Aer per inſpirationem attractus, & per pulſum eſſe alimentum & fomentum ſpiritibus ſenſit Galenus. 136.d,col.2
Aer præ omnibus corpora animalium immutare poteſt 105.d,e,col.2
Aeris iutẽperies quomodo corpora afficiat 115.b,col.1
Aer à quibus rebus potiſſimum inficiatur, & vitietur. 159.e,col.1.& a,col.2
Aer ambiens calidus duobus modis poteſt corpora calefacere 18.c,col.2.& ſeq.
Aer quo pacto febres afferat 10.a,col.2
Aer quomodo frigidior reddatur in curatione febris building bilioſæ 86.c,col.1
Aer qua ratione paretur, vt refrigeret, & adſtringat. 127.c,col.2
Aer quotidiana febre laborantibus qualis conueniat. 105.c,d,col.2
Aer qua arte calidus, & ſiccus efficiatur ibid.d
Aeris intemperies quæcunque immoderata vacuatione inſignes prohibet 115.c,d,col.1
Aer auctor eſt putredinis duplici de cauſa 19.d,col.1
Aer calidior quàm par ſit, ſuffocat, & ſtrangulat 133.e, col.2.134.a,col.1
Aer maxima cauſa eſt peſtis, ac peſtilentium febrium, & cur 159.c,d,col.1
Aer peſtilentibus febribus quomodo aptè paretur. 155.b,col,2
Aer peſtilenti febre laborantibus conueniens, qualis, & in quàm cœli partem vergere debeat ibid.
Aequinoctia 79.b,col.2
Aequiuocationes multoties in genere latent 4.a,b,co.2
Aeſtate minus procliues in ſomnum ſumus, quàm hyeme 118.b,col.2
Aeſtas tertianarum ferax 36.c,col.1
Stephani ſententia ſuper expoſitionem ſignificati naturæ refellitur ibid.a,col.2
Stephani adnotatio in verbis Galeni, dum ſermonem habet de ijs, qui curis & cogitationibus confecti febricitant 69.d,e,col.2
Stephani animaduerſio in ſigna ex vigilantium oculis deprompta 69.c,col.2
Stephani reſponſio, cur qui vehementer in iram excandeſcunt, non modo palleant, ſed etiam tremant. pag. 70.a,col.1
Stephani documentum, quomodo cognoſcere poſſimus, quando aliquis ex cutis denſitate febricitet. pag. ibidem
Stephani adnotatio, qua de cauſa in ephemeris aliquando vrina videatur ſatis biliosa 70.c,d,col.2
Stephani adnotatio ſub varium balneorum vſum. pag. 71.e,col.2
Stephani ratio pulcherrima, quòd febris, quæ inflammationes ſequitur, magnam habeat ſimilitudinem cum illis affectionibus, quæ ſymptomata ſunt, non autem morbi 75.c,d,col.1
Stephanus rectè ſenſit febrem ex inflammatione accenſam nullo modo poſſe inter ſymptomata redigi. pagina ibid.d,cum ſeq.
Stephanus rationẽ exponit, cur pulſus inæqualitas maior appareat in aſſiduis, quàm in intermittentibus febribus 77.a,col.1
Stephani eadem ratio non admodum probatur, & cur. ibid.& ſequ.
Stephanus exiſtimauit exquiſitam tertianam poſſe ad decimam ſextam vſque diem prorogari 79.c, col.1
Stephanus rationem reddit, cur prior tertianæ nothæ deceſſio, quę adoleſcentem illum, cuius hiſtoriam refert Galenus, inuaſit, ad vigeſimam ſeptimam vſque horam, immò ad trigeſimam ſextam perdurauerit. pagina 79.c,col.2
Stephani ratio, cur in eo adoleſcente tertiana febre laborante pedes intumuerint potius, quàm manus, laudatur, & confirmatur 80.c,col.1
Stephani conſideratio, & adnotatio de vino quo tempore exhibendam ſit in exquiſita tertiana 92. b, colum.1
Stephani ſententia, cur quando neceſſitas vrgeat vtendi maioribus auibus, eorum alæ potius quàm aliæ partes exhibendæ ſint in febribus 91.b,col.2
Stephani expoſitio cur pituito ſa corpora facilè, immò vtiliter ſumem perferant 93.c,col.1
Stephani animaduerſio pulcherrima in verba Galeni, vbi inquit ſatis eſſe in non exquiſitis tertianis ſi alternis diebus alantur ægrotantes ibid.d,e
Stephani opinio de ſignis, quæ indicant ſanguinem in tertianis nothis mittendum eſſe 95.e,col.2
Stephani ſententia, quãdo conueniat balneorum vſus in tertianis nothis 98.c,col.2
Stephanus in cibis medicinalibus, ſeu medicinis cibalibus lac ponit, & mel 100.b,c,col.2
Stephani auctoritas de cibis flatulentis citatur. ibid.e
Stephani alia auctoritas de cibis craſſis & viſcidis adducitur 101.b,col.1
Stephani ſententia de ſalſamẽtorum vſu in febre quartana, tanquam optimè citatur 102.a,col.1
Stephani explanatio circa triplicem veratri vsũ apud antiquiores medicos 103.d,col.1
Stephani opinio, cur qui habitu valdè gracili præditi ſunt, inepti ſint ad vacuationem 116.d,col.1
Stephani dubitatio, & ſolutio, & quomodo dicat Galenus eos qui graciliori ſunt habitu, non perferre copioſam vacuationem, cum aliàs dixerit pleroſq; eorum multum ſanguinis habere, &c. ibid.
Stephani eadem ſolutio confirmatur ibid.e
Stephani ſententia de retentione, & excretione excrementorum 119.a,col.2
Stephanus quam vocet epilepſiam malignam. pagina 121.d,e, col.1
Stephani diffuſa expoſitio circa partes humani corporis, quæ communionem inter ſe habent, & conſenſum, vt mutuo affici poſſint 125.c,col.2
Stephanus rationem reddit, cur in fluxionibus ad ventriculum frigida aqua ſit temperandum vinum. pag. 126.b,col.1
Stephanus monet, lipothymię ex ſanguinis profluuio exortę, eſſe potius alijs rebus, quàm vino occurrendum, vide rationem ibid.b,col.2
Stephanus triplex medicamentorum quæ ſanguinem ſupprimunt genus exponit 127.c,col.1
Stephani auctoritas citatur 128.e,col.2
Stephani admonitio in exhibenda aqua frigida in lipothymia vitio ventriculi concitata 131.e,col.2
Stephani auctoritas de nutritione in magnis inflammationibus & febribus 134.e,col.1
Stephanus rationem explicat, quare ſpiritus odoribus gratis, & ſuaue olentibus facilè reficiantur. pagina 136.c,col.2
Stephani ſolutio circa dubitationem de menta & ſiſymbrio viridibus, quæ cum inſigniter calefaciant, inter repellentia tamen in dolore capitis a Galeno recenſentur, non admodum probatur 139.b,c,col.2
Stephani pulcherrima animaduerſio de decretorio inter morbi initia apparente 141.b,c,col.1
Stephani acutiſſima explicatio, cur hypochondria ſurſum retrahãtur, dum iudicatoriam excrementorum natura molitur 142.c,d,col.1
Stercus quid ſit 63.b,c,col.2
Stercora, quibus agri ſtercorantur, aliquãdo putreſcentia adeò caleſcunt, vt comburant 11.a,col.2
Strangulatio quid ſit 120.c,col.1
Strangulatio vnde ortum habeat ibid.
Strangulatio ex vtero quæ dicatur a Galeno ibid.d
Strangulationem præcedit lipothymia ibid.e
Subiectum lib.de Differ.febr.quod nam ſit 2.e, col.2
Subiectum primi lib. Artis Cur.ad Glaucon. eſt corpus humanum quatenus à morbis curari poteſt. ibid.& 65.a,col.1
Subſtantia omnis corporea, ſiue ſola, ſiue mixta, ipſa per ſe, & ſola nihil agere poteſt 5.e,col.2
Subſtantiæ quò tenuior eſt, eo citius afficitur, & tranſmutatur 9.a,col.2
Sudor eſt ſerum eorum, quæ in toto corpore continentur 24.c,col.2
Sudor, vel humidus quidam vapor cur in inclinatione ephemerarum apparere ſoleat 27.b,c,col.2
Sudor calidus cur inclinãte tertiana per totum corpus æqualiter erumpat 42.a,col.1
Sudor opportunè prouocatur inclinante acceſſione, & morbo 88.c,d,col.2
Sudores in crudis morbis apparentes aut humorum copiam aut naturæ imbecillitatem indicant. 157.a,b, col.1.& ſeq.
Suffitus aromatum menſtrua educit 130.c,col.2
Suffitus ex aqua roſacea, & aceto, in quibus bulliant ſandali fructum citri, & aliquid cinnamomi, in peſtilentibus febribus accommodatiſſimus eſt. pagina 156.b,col.1
Suillę carnes aliorum animalium carnibus meliores ſunt 91.c,col.2
Suillę carnes humidæ plurimum ſunt. pagina 105.e,col.2
Suum pedes eadem ratione meliores ſunt alijs particulis, qua auium alæ 101.c,col.2
Suillæ carnes optimum ſanguinem generant, ſi probè conficiantur, ſed craſſum & viſcidum alimentum gignunt ibid.& ſeq.

Super-

Superbiæ ignorantiæ plerumq; comes eſt 86.b,c,co.1
Superbia ignorantiæ copulata quò homines perducat. pagina ibid.& ſeq.
Symptoma quid ſit 39.b,col.1
Symptoma, & ſignum in quo differant ibid.
Symptomata affectus ipſos nobis ſignificant 25.e,col.1
Symptomata animum medici incitant ad perſcrutãdas morborum cauſas, atque inueniendam curandi rationem 1.d,col.1.& a,col.2
Symptomatũ tria ſunt in vniuerſum genera: aut enim ad actionem læſam, ad excrementa mutata, aut ad corporis qualitatem itidem mutatam referuntur. 39.b,col.1.46.c,col.2.& 75.a,col.1.& ſeq.
Symptomatum,quæ vẽtriculo accidunt,triplex eſt differentia,vide. 112.b,col.1
Symptomatum omnium differentia triplex 110.d,e,colum.1.& a, col.2
Symptoma ſine morbis nequit conſiſtere, ſed ſemper morbos ſequitur 75.a,col.1
Symptoma, vt ſymptoma eſt per ſe nullam habet indicandi rationem ibid.b,& 110.b,col.1
Symptomata quandoque medicum ad ſe trahunt. pag. 104.c,col.2.& 109.d, col.2
Symptoma per ſe curationem non requirit 111.a,col.1
Symptomata in peſtilentibus febribus apparentia quę. 148.a,col.2.156.e,col.2.& ſeq.
Syderatio, vide ſphacelum.
Syncope eſt virium omnium conciſio, atque exolutio, & quaſi via ad interitum 112.c,col.1
Syncope & lipothymia in quo diſcrepent 120.e,col.2
Syncopalis febris, vide Febris ſyncopalis.
Synocha febris, vide Febris ſynocha.
Syrupi non erant in vſu apud antiquos. 103.b,col.2
Syrupus eſt Arabicum vocabulum deductum à ſyrob, quod potionem ſignificat. 95.b,col.1.& 136.e,col.1. cum ſequen.
Syrupi Arabum inuentum 103.c,col.2
Syruporum vſus non fuit re vera Arabum inuentum, ſed Græcorum. vide. 136.e,col.1
Syruporum varij ordines,& genera. 95.b,col.2.& 103.d,colum.2
Syrupi in tertiana exquiſita qui conueniant. pagina 85.b,col.2
Syrupi in tertiana notha cõuenientes qui. 95.c,d,col.1
Syrupi in quartanis apti 104.b,col.1
Syrupi in malignis & peſtilentibus febribus congruentes qui 154.b,c,col.2.& ſeq.
Syrupus roſaceus ſolutiuus quomodo fiat 87.b.col.1
Syrupus violatus ſolutiuus quomodo conficiatur. ibid.
Syrupus roſaceus ſolutiuus optimum eſt medicamentum in peſtilentibus febribus 153.c,col.2
Syrupus acetoſus leniter vrinam mouet 88.b,c,col.2
Syrupus acetoſus ex apij decocto exhibitus lotium inſigniter prouocat 86.c,col.1
Syrupus acetoſus ſimplex valdè accommodatus eſt in peſtilentibus febribus 154.b,c,col.2
Syrupus acetoſus, & oxymel ſimplex ſunt faciles, & blandi,ac parum differunt,vide. 95.c,col.1
Syrupus acetoſus, & oxymel quando conueniant in tertianis nothis ibid.
Syrupi bizantini deſcriptio triplex ibid.
Syrupus byzantinus vim aperiendi, attenuandi, & incidendi habet ibid.
Syrupus bizantinus quando conueniat ibid.e
Syrupus dictus Sabor Regis ad coquẽdum humorem melancholicum valet 103.d,e,col.2
Syrupus ex ſucco pomorum dulcium ſimplex præparat humorem melancholicum ibid.
Syrupus de pomis compoſitus ibid.
Syrupus de ſucco acetoſæ mirum in modum confert in febribus malignis 154.b,col.2
Syrupus ex acido ſucco citri quam maximè conuenit in febribus malignis & peſtilentibus ibid.e
Syrupus ex acido citri ſucco præter vim exiccandi, qua reſiſtit putredini, inſigniter etiam vrinam proritat. ibid.& ſeq.
Syrupum ex acetoſitate citrij non adſtringere aduerſus quorundam falſam ſententiam ibid.
Syrupus de abſinthio ventriculum roborat. pagina 107.a,col.1
Syrupus de menta imbecilliori ventriculo commodus eſt. ibid.b
Syrupus de betonica moderatè calefacit, attenuat, abſtergit, & aperit 95.b,col.2
Syſtole,cui muneri delegata ſit a natura 26.e,col.1
Syſtole in pulſu inſeruit mundificationi fuliginoſorum excrementorum 26.a,col.2.45.d,col.2.& 77.c,co.2

T

Tactus,& viſus ſint ſenſus, meritò quorum ſit iudicium de natura ægrotantium 67.c,d,col.2
Tactus quomodo exerceatur in cognoſcẽda cutis denſatione 69.b,c,col.1
Tamarindi antiquitus nullo erant in vſu 85.e,col.1
Tamarindi moderatè vacuant,refrigerant,reſiſtunt putredini,exiccant ſatis modeſtè, & aperiunt. pagina 153.c,col.2
Tamarindi vomitum reprimunt ibid.
Tamarindi vtrum adſtringãt diſputatur aduerſus quorundam opiniones ibid.
Tamarindi in febribus peſtilentibus conueniũt. ibid.d
Tamarindorum aqua valdè accommodata eſt pro potu in peſtilentibus febribus 155.d,e,col.2
Temperamentum ſimplicibus corporis particulis primum & per ſe conuenit 10.e,col.2
Temperaturæ octo numero ſunt,quatuor ſimplices,& intemperatę,quatuor compoſitæ 67.c,col.2
Tempora periodorum intermittentium febrium quot numero ſint 45.b,col.1
Temporibus pluuioſis cur magis in ſomnum procliues ſumus,quàm ſerenis 144.d,col.2
Tempeſtate noſtra errores in victus ratione plurimi committuntur 89.e,col.1
Tertiana febris, Vide febris tertiana.
Themiſon medicus inter Methodicos celeberrimus. pagina 35.c,d,col.2
Themiſon quomodo circa febrium calorem deceptus ſit. ibid.& ſeq.
Theoremata artium, & diſciplinarũ in vniuerſum ab artificibus prolata ferè ſemper certis quibuſdam limitationibus terminanda ſunt 113.a,b,c,d
Therapeuticæ partis medicinæ ſubiectũ eſt corpus humanum quatenus à morbis curari poteſt 65.b,col.2
Therapeuticus liber vnde inſcriptionem habuerit. ibi.
Theriaca vocabatur ab antiquis medicamẽtum ex viperis 104.a,col.1
Theriacæ vſus a Galeno laudatur ad tollẽdas reliquias humoris melancholici in quartanarijs. ibid.
Theſſalus auctor & princeps diatritariorum medicorum 25.a,b,col.1
Thorax refrigeratus tuſſim affert 127.a,col.1
Timidi & mœſti cur plerumque palleant. pagina 122.a,col.1
Timor repentinus mortem quandoque affert. pagina 122.c,col.1.& ſeq.
Tinchæ piſces malum alimentum præſtant. pagina 102.e,col.2
Tranſmutatio ſemper ſequitur materiam agentis fortioris 60.e,col.2.61.a,col.1
Tranſmutationes repẽtè & confertim factę dolorẽ vel voluptatẽ, quales fuerint ſimul afferunt 130.e, col.1
Tranſmutationes quæ ſenſim fiunt in ſenſorijs ſenſum latent ibid.

Tremor

Tremor quid 51.a,col.1
Tremoris cauſa. ibid.
Tremor labij vomitum iamiam inſtare demonſtrat. 143.c,col.1
Trifera perſica in peſtilentia æſtate laudatur. pagina 134.b,col.1
Triglæ ſeu barbones duras habent carnes 101.d,col.2
Trincauelius auctor huius operis tres paſſus eſt ſimul quartanas 37.a,b,col.2
Trincauelij opinio de venæ ſectione in malignis peſtilentibus febribus 152.c,col.2
Triſtitia ſæpe numero febres generat 12.b,col.1 & reliqua. Vide ad Meſtitia.
Τριταῖος febris 52.a,col.2
Τριταιοφυὴς quæ febris ſit 37.c,col.2
Turcæ ſæpius à peſte corripi ſolent 157.c,col.1
Turgere, ſiue Græce ὀργᾶν quid ſignificat apud Hippocratem ibid.e
Tumores in febribus peſtilentibus apparentes qui. pagina 148.e,col.1

V

VAcuatio generatim duplex eſt, vide 124.d,col.1
Vacuationem arte moliendarum duo ſunt genera, venæ ſectio, & purgatio 152.b,col.1
in Vacuatione quinque perpendenda ſunt 86.b,col.1
Vacuationes debent fieri per eam regionem, ad quam natura inclinat ibid. & 113.c,col.2
Vacuationis determinatio non a dierũ numero, ſed a concoctione apparente petenda eſt 97.d,e,col.1
Vacuatio opportuna prætermiſſa quot malorũ in cauſa ſit 67.a,col.1
Vacuationes quando fieri oporteat ibid.
Vacuationes quando proſint 85.b,col.1
Vacuationes melius fiunt circa principia morborum. pagina 188.a,col.2
Vacuatio fieri debet ſtatim, cum materia turget. ibid.
Vacuandi inſtrumenta quomodo, & qua conſideratione eligenda ſint 90.a,col.1
Vacuatio plerumque præcedentem concoctionem requirit 97.c,col.1
Vacuatio ſanat morbos ex repletione ſeu multitudine factos 99.c,col.1.111.c,col.1.115.c, col.2.cum ſeq.
Vacuatio omnis inſignis vires labefactat 114.d,e,co.1
Vacuatio copioſa & confertim facta quæcunque fuerit, ſpiritus plurimum diſſoluit 136.b,c,col.2
Vacuationes immodicæ poſſunt naturalem calorem extinguere 118.a,col.2
Vacuatio quęlibet omnino aliqua ex parte ſpiritus ſemper, ac vires diſſoluit, & eneruat 122.d, colum.2. & 124.c,d,col.1
Vacuationes quæ periculoſæ 128.e,col.2
Vacuationem qui homines facilè ferant, & qui non. pagina 116.b,c,col.2
Vacuationem impedire ſolent tria, humores crudi, vires languidæ, aut natura ſponte moliens 67.a,b.co.1
Vacuum attrahendi vim habet 124.a,b,col.2
Vapor eſt exhalatio humida & aquea 47.c,col.1
Vapores humidi aut ſudores qua de cauſa inclinantib. ephemeris appareant 28.e,col.1
Vena baſilica quæ 100.a,col.1
Vena baſilica ſecta laboranti lieni confert ibid.
Venæ ſunt vicariæ iecinoris 33.c,d,col.1
Venæ ſectio in magnis remedijs ſemper habita eſt. pagina 88.b,col.1.95.d,col.2.100.e,col.2
Venæ ſectio vires diſſoluit 153.e,col.1.& ſeq.
Venæ ſectio non requirit tantam concoctionis obſeruantiam, ſicut alia vacuationis inſtrumenta. pagina 85.d,col.2.99.c,col.2.105.a,b, col.1
Venæ ſectionem non indigere tanta concoctione quo modo intelligendum ſit 104.e,col.2.& ſeq.
Venæ ſectionem factam, dum multa eſt in ventriculo pituita, quæ damna conſequantur 105.b,col.2
Vena, fluente aluo non eſt ſecanda 113.a,col.1
Venã incidere in febribus non modo continuis, ſed in ijs etiam, quas humor putreſcens accendit, ſaluberrimum eſt 88.b,col.1
Venæ ſectionem non requirunt, per ſe vnquam ephemeræ & cur 72.a,col.1
Venam quando in ephemeris ſiccare contingat .ibid.
Venæ ſectio per ſe non competit exquiſitis tertianis. pagina 88.c,d,col.1
Venæ ſectio quando in tertianis exquiſitis locum habeat ibid.d
Venæ ſectionis meminit Galenus in tertiana notha, nõ autem in exquiſita 95.b,c, col.2
Venæ ſectio quando molienda eſt in tertianis nothis. pagina ibid.d
Vena quando perforanda ſit in febribus quartanis.pag. 99.a,dol.1
Vena in quartanarijs quæ pertundenda, & ex quo brachio 99.e,col.2
de Venæ ſectione in febribus quotidianis nullam Gręci mentionem fecere 105.a,col.1
Venæ ſectio in quotidianis rarò facienda ibid.
Venæ ſectio in quotidianis quando locum habeat, ex Arabum & præſertim Auicennæ ſententia. ibid
de Venæ ſectione limitationes in febribus, atq; morbis omnibus, qui à vitioſis humoribus excitantur, à Galeno traditæ ibid. c,d
Venæ ſectio in malignis, ac peſtilentibus febribus ſæpius facienda eſt 159.e,col.2
Venæ ſectio quando moliẽda, & quando non in peſtilentibus febribus 152.a,b,col.1.& ſeq.
Venæ ſectio ſi facienda eſt in febribus peſtilentibus, in initijs fieri debet ibid.
Venæ ſectio Venetijs formidatur in febribus peſtilentibus vbi papulæ, ſeu vulgò peticulę efflore ſcãt. ibi.e
Vena ſecta in febribus malignis ac peſtilẽtibus, in quibus papulæ, ſiue anathemata apparent, ſæpè paulò poſt vires concidunt, & pulſus languidi admodum fiunt 152.c,col.2
Venam pertundere cõſueuerat Hippocrates in curandis ægrotis per eam memorabilem peſtilentiam oblatis ex Galeni ſententia ibid.
Venæ ſectio in febribus malignis & peſtilentibus laudatur magis, quàm cucurbitularum cam ſcarificatione appoſitio, niſi vires ſint imbecillæ. 158.e,colu.2. & 159.a,col.1
de Venæ ſectione in peſtilentibus febribus Trincauelij ſententia 152.e,col.2
Venenum poteſt intra corpus per aduſtionem, aut putredinem gigni æqualis malitiæ, & prauitatis venenis externis 20.c,col.1
Ventrem ſoluere ſuper ventris ſolutione periculoſum eſt. 113.b,col.1
Ventriculus magnam habet cum toto capite connexionem, & affinitatem 138.e,col.1
Ventriculus cum cerebro plurimum conſentit. pagina 144.a,col.1
Ventriculus cum corde maximum habet conſenſum. 121.c,col.2
Ventriculus plurimam habet communionem cum partibus extremis, manibus ac pedibus 135.d,e, columna 1.
Ventriculus quomodo cibum & potum tranſmutet. pagina 33.b,col.1
Ventriculus ſenſu inſigni præditus eſt. 111.a,colum.2. 121.c,colum.2
Ventriculum & cor græci eodem nomine καρδίαν appellabant 111.a,col.1.& 121.c,col.2
Ventriculi grauitas quid ſit 111.a,col.1.cum ſeq.
Ventriculi anguſtiá quid ibid.

Ventriculi

Ventriculi morſus frequens eſt ſymptoma in tertianis exquiſitis 86.a,b,col.2
Ventriculi morſus. Vide Cardialgia.
Ventriculi vitio interdum fit animi deliquium, & illud tribus modis. vide. 130.b,col.2
Ventriculi imbecillitas ſequitur intemperiem. pagina 122.a,col.1
Ventriculi intemperaturæ cum materia quibus ſignis deprehendantur 138.d,col.1
Ventriculi intemperaturis quo pacto occurrendum. pagina 131.c,d,col.1
Ventriculi frictiones conferunt in lipothymia. pagina 126.a,col.1
Ventriculum tam interius, quàm exterius roborantia quæ 102.b,col.1.& 107.b,col.1
Venus frequens & immoderata vim plurimam habet ad peſtilentes febres accendendas 159.a,b,col.2
Ver & æſtas morbos abbreuiant 60.c,d,col.2
Vere & æſtate ſæpius fiunt criſes per ſanguinis eruptionem, è naribus 143.a,col.1.& ſeq.
Veratrum in multa copia atq; optimum naſcitur Anticyræ 102.c,col.1
Veratrum erat in multo vſu apud antiquos ad ciendum uomitum, & purgandum humorem melancholicum ibid.
Veratro utebant antiqui ad curandos inſaniẽres. ibid.
Veratro egere, prouerbium quid ſignificet ibid.
Veratri triplex erat uſus apud ueteres ibid.d
Veratrum Arabes timuerunt in uſum habere ibid.
Veratrum eſt uehemens, & uiolentum adeò medicamentum, ut ad conuulſionem corpus aliquando perducat ibid.
Veratri duæ ſpecies ibid.
Veratrũ album nemo his tẽporib. audet exhibere. ibid.
Veratrum nigrum eſt in uſu hac tempeſtate ibid.
Veratrum nigrum eſt ſatis facilis medicina, quæ cõmodè uacuat humores atros & ſine moleſtia ibid.
Veratro nigro quomodo, & quantũ ad doſim, & quantum ad formam exhibendi utatur auctor ipſe Trincauelius ibid.e, & ſeq.
Veruecis caro plurimum humida eſt 105.e,col.2
Veſicæ officium 62.e,col.2
Victus promiſcui, & inæqualis ratio quid mali efficiat. 60.d, col.2
in Victus ratione plurimi hac tempeſtate errores committuntur 89.e,col.1,& 94.a,col.1
Victus ratio in morbis omnium ferè fundamentũ eſt. pagina 100.e,col.2
Victus humidus febricitantibus omnibus conuenit. pagina 72.b,col,2
Victum frigidum cur non meminerit Hippoc. in febribus, ſed ſolum humidum ibid.
Victus ratio in ephemeris qualis 72.a,b,col.1
Victus ratio in tertianis exquiſitis quæ. 90.a, colum.2. 91.92. paſſim.
Victus in tertianis nothis qui. 93.94. ſparſim.
Victus in quartanis qui. 101.102.103. per totum.
Victus in quotidianis qui 105.a,col.2
Victus in febribus continuis qui 108.b,col.2
Victus in febribus peſtilentibus qualis 155.c,d,col.2
Vigilantes faciẽ ſubtumidã habent, & cur 70.a,b,col.1
Vigilantium facies quare decolor ſit ibid.
Vigilantium palpebræ quaſi immotæ manent ibid.
Vigilia quam intemperiem ſequatur 143.b,col.2
Vigilia ex triplici materia cum intemperie oriri poteſt, ibid.& ſeq.
Vigiliarum cauſæ in tria capita reducuntur, in multitudinem materiæ, in obſtructionem & inflammationem. ibid.b,c
Vigiliæ ratio vniuerſa ad cerebrũ ſpectat 144.a,b,col.2
Vigiliæ quandoque conſenſu ventriculi, & totius excitantur, vide quomodo ibid.e
Vigiliæ quo pacto ex fame aliquando cõtingant. ibi.c,d
in Vigilia calor & ſanguis ad inſtrumenta ſenſuum efferuntur, & expanduntur 134.d,col.1
Vigilia importuna exiccat, & calefacit 89.b,col.2
Vigilia ſomno vtilior eſt in febribus quotidianis. pag. 106.c,col.1
Vigilia ſuo tempore moderata ad attenuationem iuuat 102.b,col.2
Vigiliæ quomodo abigantur 144.d,e,col.2
Vini varia genera, & quæ laudabilia, quæ verò non. 101.b,c,col.2
Vinum Leſbium quale. 126.c,d,col.1
Vina οἰνώδεις, ſeu vinoſa quæ 90.d,col.2
Vina ὀλιγόφορα, ſiue paucifera quæ, & quas partes habeant 72.e,col.2.& 90.d,col.2
Vinum album tenue quale, & quid boni præſtet. pag. 101.c,col.2
Vinum nigrum præter id quod ſanguinem craſſum, & atrum generat, excretiones etiam cohibet. pagina ibid.& 126.a,col.2
Vinum antiquum valde calefacit, & exiccat. pagina 90.d,col.2.& ſeq.
Vinum facilè & citò concoquitur, & diſtribuitur. pag. 126.a,b,col.2
Vinum obſtructiones aperit, ſudorem, vrinas, & excretiones reliquas promouet, atque humorum crudorũ coctionem viuat 90.d,col.2.126.a,col.2
Vinum aqua dilutum facilius penetrat 122.d,col.2
Vinum rarefacit, roborat vires & calorem natiuum. pagina 73.e,col.2
Vinum ſpiritus ex multa vacuatione diſſolutos citò inſtaurat ac reficit 126.b,col.1.& 135.a,col.2
Vinum languentem ventriculum roborat 126.c,col.1
Vinum modeſtè bibitum conciliat ſomnum 73.e,col.2
Vini potum quæ prohibeant 126.a,col.2.131.d,col.2
Vinum quale & potus ſit, & medicamenti rationem habeat 90.d,col.2
Vinum inflammationibus inimicũ 126.a,col.2.131.d, colum.2
Vinum caput dolentibus maximè aduerſarium eſt. pag. 74.a,col.1.126.a,col,1.& 131.d,col.2
Vinum ex ſe fluxiones concitat 126.e,col.2
Vinum in morborum initijs dum cruda materia eſt, incongruum, & noxium eſt 135.a,col.2
Vinum quibus in ephemeris dandum ſit 74.d,e,col.1
Vinum quibus in ephemeris interdicendum. ibid.
Vinum in principio febrium tertianarum quouſq; ægrotantibus interdicendum 90.e,col.2
Vinum quale concedendum in quartanis 102.e,col.2
Vinum quando exhiberi poſſit in quotidianis. pagina 104.c,d, col.2
Vinum in peſtilentibus febribus omnino fugiendum. pagina 155.c,col.2
Violæ refrigerandi & humectãdi vim habent, ac ſomnum indicendi 144.e,col.2
Vires ex operationibus earum cognoſcuntur 81.d,co.2
Vires corporis triplici modo deficiunt 110.d,col.2
Vis, animalis ex ſenſuum integritate ac robore in motu deprehenditur 110.b,col.2
Vis naturalis ex concoctione in excrementis dignoſcitur ibid.
Vitalis facultas, animalis & naturalis. Vide Facultas.
Vita quid ſit 15.e,col.2.& 16.a,col.1
Vita in naturali calore conſiſtit 86.d,e,col.2
Vnguentum dictum infrigidans Gal. optimũ eſt pro illinitione præcordiorum in exquiſitis tertianis. pag. 92.c,col.1
Vnguentum roſatum Meſue ad idem valet, quod infrigidans ibid.c,d
Voluptas non poteſt fieri inſignis ſiue multa, & cõfertim facta organi tranſmutatione 130.e,col.1
in Voluptate ẽt cor mouetur ſecũdum Ariſt. ibi.a,col.2

Voluptas

Voluptates & delitiæ homines vt plurimum benè coloratos reddere ſolent ibid.
Vomitus ea, quæ ſunt in ventriculo, vacuat 133.e, columm.2.& ſeq.
Vomitus non parum ventriculum atque eius os perturbat 97.b, col.1
Vomitus bilioſi plerumque in exquiſitis tertianis concitantur 86.d, col.1
Vomitus virulentorum humorum in quibus febribus plerumque appraeant 148.b, col.2
Vomitum futurum quæ oſtendant 143.a, col.1
Vomitus ſpontè excitatus longum alui profluuium ſoluit 124.b, c, col.2
Vomitus fluxu curatur ibid.
Vomitus vomitum curat ibid.ç
Vomitus non requirit præcedentem concoctionem. 96.e, totam pag.
Vomitus in principijs acceſſionum febrium opportuniſſimè mouetur, ſecus quàm ceteræ omnes euacuationes 88.c, col.2
Vomitus in tertianis exquiſitis quando prouocandus ſit 114.a, b, col.1.& 85.c, col.2
Vomitus in tertiana notha ſaluberrimum eſt remedium 96.b, c, col.1
Vomitus quando ciendus in tertiana notha. ibid.
Vomitoria quæ in tertianis nothis fugienda. ibid.
Vomitus quibus proritetur in quartanis 103.a, col.1
Vomitus quando opportunè moueatur in quotidianis. pagina 107.c, & ſeq.
Vomitum ciendi rationes ac modi varij 87.d, col.1. 132.d, col.1.& 138.b.c, col.2
Vomitus facilè cohibetur, & ſupprimitur, manibus in aqua frigida demerſis 132.A, col.ij
Vrina eſt ſerum eorum, quæ in vaſis continentur. pag. 25.c, col.1
Vrina eſt excrementum ſecundę concoctionis. ibid.
Vrina quomodo generetur ibid.
Vrinæ quæ bonæ, & quę malæ eſſe dicantur 23.24. diffuse.
Vrinæ hypoſtaſis 23.d, col.2.& 24.c, col.1
Vrinę partes quę, & ſingulę perpenduntur, atque explicantur ibid.
in Vrina quę obſeruanda ſint ibid.
Vrina quantum ad colorem, & ſubſtantiam indicat naturam humorum in venis contentorū 26.c, d, col.1
Vrinę in febribus cur inſpiciendę ſint 24.c, col.2
Vrina maximè ad febrem cognoſcendam facit. pagina 43.a, col.1.& 68.c, col.2
Vrina paruam admodum indicandi vim habet, pręterquam in febribus, & in affectibus renum, ac veſicæ, & cur 25.c, col.1.26.c, col.1.& 31.c, d, col.1
Vrinæ cruditas communis eſt omnibus febribus putridis in principiu 48.c, col.1
Vrina tenuis cruditatem, & obſtructionem aliquam ſignificat 43.b, c, col.1
Vrinæ ſubalbidæ quomodo fiant 70.d, col.2
Vrinæ in perturbationibus animi ad rufum vergunt, & cur 69.d, col.1
Vrina in ephemeris concocta eſt, & cur 16.c, d, col.1
Vrinæ putridarum febriū circa initia quales 30.b, col.2
Vrina in initijs putridarum concocta apparens, & paulò poſt recrudeſcēs ſignum eſt certiſſimum incepiſſe ephemerā, quæ mox in putridā degenerauerit. ibi.
Vrinæ tertianarum quales 42.a, b, col.2
Vrinæ tertianæ nothæ quales ibid.
Vrinæ quartanarum quales 46.b, c, col.1
Vrinæ quotidianarum quales 48.a, b, col.1
Vrinæ quotidianarum cur in initio crudæ ſint ibid.
Vrina cur aliquando in quotidianis rubra excernatur. pagina ibid.a, col.2
Vrina rubicunda & craſſa in quotidianis ſanguinē euacuandum eſſe indicat 105.a, col.1.& ſeq.
Vrina peſtilentium febrium putridarum qualis. pagina 159.a, b, col.2
Vrina educit ea, quę sūt in renibus, ac veſica 154.e, co.1
Vrinam prouocare non eſt tutum, vbi corpus admodum plenum ſit, vel multæ in eo reperiantur cruditates 88.b, col.2
Vrinam prouocantia humores fundunt, atque inſigniter mouent ibid.
Vrinam mouentia omnia calida inſigniter ſunt. pagina 86.d, col.2
Vrinam proritantia quæ ſint 88.b, colum.2. 106.d, e, col.2.& ſeq.
Vrinam prouocantibus quando in febribus tertianis exquiſitis vtendum ſit 85.86. ſparſim.
Vrinam mouentibus in tertianis nothis vtendum pag. pagina 94.c, d, e, col.2
Vrina in quartanis prouocanda eſt, & quando. pagina 103.a, b, col.1
Vrina quando cienda eſt in quotidianis 107.a, col.1
Vſtio duplici modo capi poteſt 43.d, e, col.2
Vterum eſſe animal putare delirium eſt 129.c, d, col.2
Vterus plurimū neruea ſubſtantia conſtat 129.b, col.1
Vterus magnam habet cum capite affinitatem, & conſenſum 130.a, b, col.1
Vtero malè affecto ſæpiſſimè caput dolet. ibid.& ſeq.
Vterus cum mammis magnam habet connexionem. pagina 125.a, col.2
Vteri inflammationem concomitatur plerumq; febris ardens 120.c, d, col.1
Vteri inflammationem ſequitur animi deliquiū. ibid.d
Vteri recurſus ad ſuperiora quid ſit ibid.e, & ſeq.
Vterus non poteſt ferre acetum 129.b, col.1
Vtero oxymel eſt inimicum. ibid.
Vterum neque diſcernere, neque percipere poſſe odores credendum eſt 129.a, b, col.2
Vterinis affectibus obnoxiæ cur rerum redolentium odorem ferre nequeant ibid. & 130.a, co.1
Vterus qua ratione gratum bene olentium rerum odorem ſequatur 129.b, c, col.2.& 130.a, col.1
Vua immatura adſtringendi vim habet 153.e, col.2

Y

Yπήλατα medicamenta quæ vocentur 98.b, col.1

F I N I S.

VICTORIS TRINCAVELLII VENETI PHYSICI.

DE COMPOSITIONE ET VSV MEDICAMENTORVM, LIBRI QVATVOR.

Cap. I.

NON leuis, & facilis, ſed ardua certe, ac maxima prouincia eſt, quã ſuſcepi, vt ſcilicet methodum exponam, qua poſſitis apte, & vtiliter medicinis, ijsque tum ſimplicibus, tum arte commixtis, compoſitiſque in ęgrotis curandis vti. Cum enim argumentum hoc ab antiquioribus, ac celeberrimis Medicis, etiam ſit tractatum, nunquam tamen adhuc nobis ſatisfactum: quid a me illorum omnium minimo ſperari poſſe creditis, qui expectationi veſtrę reſpondeam? Ne tamen me ſubterfugiſſe laborem putetis, rem hanc vniuerſam iam aggredior: id primum vos monendo me non per diexodum, vt Galeni voce vtar, rem hanc eſſe diſquiſiturum: nimis enim ampla, ac lata, atque in vaſtum quaſi pelagus tractatio hęc excreſceret: ſi ſcilicet, quęcũque cognitu neceſſaria ſunt, vt recte quis ſimplicia medicamẽta componat, atque eis apte vtatur, in præſentia exponam, & ſingula ſuis demonſtrationibus declarem. Sed breuius, quoad poterit, & apertius agemus, non recedentes ab ea docendi ratione, quam compendiũ, iſagogeve videbitur poſtulare. Cum enim, vt Gal. ſępe tradidit, ei qui methodo ſimplicia medicamenta eſt compoſiturus, opus ſit, vt eorum ſimplicium componendorum, & commiſcendorum naturam; & facultates omnes, omneſque numeros, & gradus calleat, atque perſpectas habeat ſingularum affectionũ, ſymptomatumque, & cauſarum naturas, & differentias, vnde indicationes ſumuntur, & ſcopi, quibus
A Medicus in medicamentis componendis, & vtendis innititur: hæc quidem cùm ſint copioſe, tum ab alijs Medicis, tum maxime a Galeno in ſuis libris expoſita, atque ita, vt aptius, vel clarius a me explicari nunquam poſſint. Ideo hæc omnia, quæ de hac re in lib. de ſimpl. med. fac. & in lib. de Morb. ſimp. differ. &
B cauſis, ab illo ſunt ſcripta, & probata, tanquam fundamenta ſermonis noſtri principiaque ponemus. At nec minus etiam temperaturas naturales corporum, quibus ſunt adhibenda medicamenta, & eorum mẽbrorum omnium, ac particularum, quarum ſaluti cõſulentes, medicinas paramus, & commiſcemus, nouiſ
C ſe neceſſe eſt. De his autem omnibus Galen. in lib. de Temper. & in Arte medica, erudite, & copioſe diſputauit. Ideo, & hæc a nobis tanquam conſtituta ſunt accipienda, & Theorematibus ibi probatis, tanquam principijs eorum, quæ de compoſitione medicamentorum dicemus, vtemur.

D

Communia præcepta, & theoremata; quæ ſunt huic arti fundamenta explanantur.

E

Cap. II.

SED, vt ordinem congruentem ſeruemus, & ne omnia confundamus, altius aliquanto rem hanc exordiar, & generalia quædam prius tractabo. Nam, & 4. Meth. dicit Galenus, Methodum eſſe quandam generalem viam, quæ omnium particulatim com-

munis eſt. Initium autem hic eſto: Medicamentum, aut cibus ea ratione, qua medicamentum, & cibus eſt, abſolutas aliquas res per ſe non ſignificat, ſed eas tantum, quæ ex relatione dicuntur. Hoc docuit Galenus ſtatim in principio primi libri de Fac.ſimp. med. Medicamentum enim ſemper alicui medicamentum eſt, vti cibus alicui cibus. Vnde ibidem definiens medicamentum, dicit, quòd eſt id, quod naturam noſtram alterare, vel mutare poteſt, ſicut cibus, vel nutrimentum, eſt id, quod ſubſtantiam noſtram augere poteſt. Ex quo fit, vt vnum, & idem cum diuerſis diuerſimode collatum, & cibus, & medicamentum dici poſſit. Poteſt etiam, nec cibus, nec medicamentum eſſe. Cōparatum enim ad humanū corp⁹ (de his nāq; ſimplicib⁹, q̄ ad aliud referunt̄ nūc ſermo nobis eſt inſtitutus) medicamētū, & alimentū dr̄, quatenus ad noſtrum negocium pertinet, itidē, & venenum. His poſitis tandem ad inſtitutum noſtrū redeamus, & dicamus. Quòd cum omnis methodus medicinalis ex ipſis indicationibus pendeat, primæ vero indicationes duæ ſint, altera, quæ ab eſſentia affectionis, vel tollendæ, vel cuſtodiendæ: altera, quæ a natura, aut corporis, aut partis affectæ depromenda eſt: compoſitionis, & mutationis medicinarum occaſio ab aliquo iſtorum trium ſemper petenda eſt, aut a natura corporis, yel particulæ, cui illud eſt adminiſtrandum, aut a natura medicamenti adminiſtrandi, aut a natura affectionis, cui illud eſt adminiſtrandum: hæc enim maximè rationem medicamenti conſtituunt, nempè res ipſas, quæ dum ad aliud refertur, medicina dicitur, & corpus ad quod illa relata talis dicitur. In corpore autem iterum duo ſunt conſideranda, nempe affectio illa, quæ ſe eſſe in illo, aut cuſtodiendam, aut tollendam indicat, & & propter quam maximè medicamentum eſſe neceſſarium cenſemus, & ipſam illam corporis naturam. Sed hæc omnia, vt clariora reddātur, exemplis declaremus. Et primò, quomodo a natura affectionis occaſio componendorum medicamentorum accipienda ſit. In vniuerſum autem id oſtendamus, accipientes tanquam fundamentum, quod a Gal. 5. Metho. cap. 22. exponitur quòd vnumquodque vim habens indicandi, aliquid vnum pro ratione ſuæ naturæ indicat: quod quidem ſi ſimplex ſit, ſimplicem quoque habebit indicationem: ſi vero ſimplex non ſit, ſed compoſitum, compoſita quoque erit indicatio: vnde etiam compoſitam remediorum, & medicamētorum rationem requiret. Exempli gratia. Sit aliqua intemperies corporis noſtri, quæ alicuius particulę operationes lędat, ſtatim oſtenditur indicatio illius tollendæ, & tollendæ etiam remedijs contrarijs. At ſi illa ſimplex fuerit, vt calida, aut frigida, &c. ſimplex quoq; erit indicatio, & ſimplicem remedij rationem poſtulabit. Si vero calida, & humida ſit, vel calida, & ſicca, &c. iam compoſita inſurgit indicatio. Quòd ſi illa intemperies cum materia fuerit, vt ſi ſit frigida, & humida ex materia pituitoſa, craſſa, & lenta, iam multiplex eſt ratio indicationis. Pręter id enim, quòd calefaciendum, & ſiccandum ſit, attenuandū eſt etiā, incidendum, & euacuandum: raro autem vno, & ſimplici medicamento poſſis his omnibus ſcopis ſatiſfacere, ex qua ratione inuenta eſt dicta ratio medicamentorum componendorum, vt ex multis diuerſarum facultatum medicinis compoſito medicamēto, vnum compoſitum conſtituamus, quod poſſit vnicuique indicationi ſuam contrariam facultatem afferre, quo affectus ex illa parte tolli poſſit. Sed præterea hoc notandum, quòd aliquando plures affectus, vel in eodem membro, vel in diuerſis reperiuntur, quorum cum ſigillatim propriam vnuſquiſque remediorum requirat rationem, nec vnum medicamentum particulatim ſatisfacere poſſit, plura comparamus.

A A natura autem partis affectæ occaſionem componēdorum medicamentorum accipimus, vel propter membri dignitatem, & neceſſitatem actionis eius, cuius roboris ſemper habenda ratio eſt. Cum enim, exempli gratia; In affectibus ventris, & iecinoris laxantibus, & diſcutientibus, & digerentibus opus eſt, nunquam illis ſolis vtimur puris, ac ſimplicibus, ne robur viſceris diſſoluatur, ſed ſemper ea, quæ aſtringunt, ſunt miſcenda, ex Gale. 13. lib. Metho. 15. Vel aliquando etiam ſumitur occaſio medicamētorum componendorum ratione ſitus membri: nam ſi in altum membrum ſitum eſt, vt non ſit facilis ad id trāſitus, aliquid commiſcemus quod tenuitate ſua faciliorem, & celeriorem tranſitum faciat, antequam B vis medicamenti a medijs partibus, per quas tranſeūdum eſt, diſſoluatur; vt 2. de Comp. medic. per loca, in dolore, & inflammatione capitis Gal. Exponit. Acetum enim oleo roſaceo miſcemus, quamuis doloribus acetum quātum ad naturam ſuam ſit infenſiſſimum, & in his actibus ſola roſacei facultate egeremus: quia cùm cerebrum, aut membranæ, quæ profundæ ſunt, laborant, vis olei roſacei eo non facilè perueniret, & ideo addimus acetum, vt olei a tenuioribus aceti partibus producti, facilior ſit penetratio. Vnde ſi externæ capitis partes laborent, vel ſi internæ ſint detectæ, acetum reijcimus. In capitis enim, & caluariæ vulneribus, a mixtura aceti abſtinemus. Tertio loco occaſionem miſcendi medicamenti a ratione ipſius medicamenti ſumimus aliquando, at- C que hoc multis de cauſis, vt Galen. ſtatim in principio primi de Comp. per genera declarat. Quod vt magis perſpicue explicare poſſimus, altius aliquanto rem repetemus. Dixi paulo ante, medicamentum ꝓprie dici id, quod facultatem habet corpus noſtrum tranſmutandi, vel vt dicunt, alterandi: ea vero facultas, qua medicamentum corpus noſtrum tranſmutat, aut in elementa, ex quibus conſtituta ſunt qualitates elementorum reſolutæ, quando per primas qualitates agit, vt ſunt calor, frigus, humidum, ſiccū, aut etiam per ſecundas, & tertias, vel quartas. Qui enim affectus has ſecundas, & tertias ſequuntur, etſi ſtatim a primis non oriantur, tandem omnes in primas referuntur. Inde enim poſtremò omnis aliarū D vis profluit, aut vero ea facultas in ipſas elementorū qualitates referri non poteſt, ſed in totam ſubſtantiā, & formam eius ſpecificam: ſicut dicimus, quòd ſcammoneum habet vim euacuandi bilem, item, & Rhabarbarum, colocynthis vero pituitam, veratrum autem humorem atrum, nō quia calida, aut frigida ſint, ſed quadam ſubſtantiæ ſuæ, & formæ proprietate, & ita dictas interdū medicinas expoſcimus ea ratione, qua qualitatibus corpus immutant, aliquando autē quia vacuant, & purgant. Quibus ita expoſitis, cū neceſſe ſit, vt facultates medicamentorum, quibus corpus tranſmutandum eſt, aut æquiualētes ſint, & aptę eatenus tranſmutare, quatenus tranſmutatione opus eſt, aut etiam min⁹, aut magis, ſi ęquales ſint affectui, E quem requirimus, iam nihil eſt, quòd cū alijs miſceātur. Sin vero maiores ſint medicamenti vires, quàm nobis ſit ex vſu, commiſcemus aliqua, quibus de illius medicamenti viribus detrahamus; quod ſi minores, aliqua addemus, quibus vires medicamento adijciamus. Sed vt apertior hæc res reddatur, in vtroque medicamentorum genere hoc explanantibus exemplis agamus. Sit aliquis, qui affectus ſit intemperie aliqua frigida in ventriculo cum materia aliqua pituitoſa ventriculo hærente, quæ in flatum vertatur, & dolorem excitet, quæ tamen, neque vehementer cruda ſit, neque intemperies illa etiam admodum ſit inſignis, & velimus nos remouere illā intēperiem, & flatus diſcutere, & materiā attenuare, ſtatim nobis occurrent piper, aut zinziber, aut gariophyllum, aut

cinnamo-

cinnamomũ:videãtur autem hęc pluſquam vellemus calefacere, aut quia minor eſt ea intemperies, vel qa iecinori timemus: tũc aliquid miſcemus, quo nimiũ horum calor obtundatur, vt ſunt roſæ, aut ſandali, aut coralli, vel quidpiam ſimile, aut ſaccarum roſaceum,aut myrobalani conditæ. Contra vero,ſi eſſet opus,abſinthio in ea frigida intemperie remouenda, quæ cum humectatione ventriculi eſſet,ſubſtantiam eius laxantem: nempe,vt ipſum calefaceret,& aliqua etiam diuerſione,abſinthio adderemus marrubium, quod aliquanto calidius eſt, & maiorem vim detergendi habet:ita etiam in purgantibus medicinis aliquando addendi roboris medicamento, aliquando detrahendi gratia miſcemus plura medicamenta, & ſimul cõponimus,ſicut ſi alicui expedire putaremus, vt purgetur,bilisq; detrahatur,ad hãc aũt purgationẽ ciendã elegerimus Aegyptiã ſiliquã,quam Arabes Caſſiã fiſtulam nũcupant,& id vel ratione ætatis,vel anni tẽporis,vel laborantis particulæ: illæ tamen,cui eã daturi eſſemus,eſſet alui aſtrictioris, quam vt leuioribus medicamentis facile ſolui poſſet, caſſiam cũ portione alterius medicamenti,quod ſcãmoniũ reciperat,quo caſſia valentior in vacuando fiat,cõmiſcebimus. Ita,& Gal.vt ipſe in 14.Meth.capit.17.ait purgaturus mulierem, quam diu herpes detinuerat, cũ omnia medicamenta renueret, ſero lactis ſcãmoniũ immiſcuit:ita,& interdum vſuri acri aliquo, & valẽti medicamento,eius violentiam timẽtes, aliquid leuius,& facilius comiſcebimus,puta ſcammonio rhabarbarum adderemus,aut myrobalanos,aut manna, aut caſſiã,aut aliquid quippiam ſimile. Prima ergo occaſio componendorum medicamentorum a medicinarum natura accepta,atque primus ſcopus eſt hic, addendi nempe aliquid, vel de viribus detrahendi gratia,vt additione ea,vel detractione ad eam æqualitatem,& temperamentum perducatur,quod,uegotio accommodatum,& congruens eſſe videatur. Nec ſolùm in his,quæ nuper diximus, ſcopus is locum habet,ſed in ſoporiferis, quæ narcotica medicamenta, vel anodyna, hoc eſt, dolorũ laxatiua,a Græcis dicũtur,quod in principio libri de Comp.per genera Galenus declarat. Componũt enim medici frigida cum calefacientibus,vt vis ea,quæ ſoporem, & torporem adfert, ab illis obtundatur. Hic ergo primus componendorum medicamentorum eſt vſus,qui accepta occaſione a natura ipſius medicamenti ſumitur. Alter vero eſt,propter odorem, vel ſaporem aut aliam qualitatem ipſi naturę ingratam,aut moleſtam ventriculo:vnde natura id medicamentum renuens ad vomitum excitatur, & exagitatur, atque adeo Galen.& Hippocrat.docuere,illi eſſe aliquid commiſcendum, quod gratiam aliquam, & ſuauitatem conciliaret. Nam,& Hipp.2.de Ratione victus,in acutis morbis peplio,& veratro nigro pleuriticos purgaturus, ſemina odorata commiſcet,nempe fęniculi,aniſi, & ſimilia,vt ibidem declarat Gal.Ita interdum cum aliqua medicina opus eſt,quæ ſuapte natura plus iuſto ſoleat morari in ventriculo:ne longiori mora illum nimis turbet,aliquam ei alterius medicamenti acutioris portionem,leuem tamen addimus,quod eius deſcenſum acceleret, & inde ventriculum ea moleſtia liberet. Vnde agarico zinziber addimus,& ſal,quod gemma vocant, interdum etiã oxymel: nonnunquã autem, & ſi medicina aliqua eius qualitate vtilis futura ſit,quia tamen in ea alia eſt etiam qualitas, quæ multum poteſt ventriculum, & cætera præcipue viſcera lędere,ſicut fere omnes medicinæ lædunt, quæ proprie ſoluentes ſunt,vt ſcãmoneum, colocynthis, elaterium,& alię huiuſmodi,quæ alicuius venenoſæ qualitatis,& naturæ noſtræ inimicæ participes ſunt, aliqua egebit mixtura,qua aut tollat noua illa qualitas,aut illi obſiſtatur: vnde rationi experimentisq;

A innixi medici,aliqua quaſi alexipharmaca, (vt Græci dicunt)quibus incommodis harum medicinarum obſiſtatur,,excogitarunt: qui ſcãmoneum in malo cotoneo decoquunt, ne vis eius vires ventriculi diſſoluat:& iſta omnia habent ſua medicamenta, quibus corriguntur,& conſolantur. Tertius vero vſus, vnde interdum medicamenta commiſcere cogimur, eſt,vt aliqua forma,& modus ſubſtantiæ medicamẽto detur: quæ forma, & qui modus nobis maxime ex vſu futurus eſt.v.g.(vt ibidem Gale.dicit.) Si aliquod medicamentũ nobis conſtituere velimus,quod emplaſticam formam conſtituat,plura medicamenta commiſcere neceſſe eſt: quia nullum reperire poſſumus,quod ſolum nobis hoc præſtare valeat: neque B enim cera ſola,neque oleum ſolum,neque reſina ſatisfaciet: nec item metallica medicamenta, quæ coctura liqueſcunt,ſicut ſpuma argenti, aut alia ſimilis naturę:vnde neceſſe eſt,hæc aut omnia,aut quędam ſimul mixta coquere,vt ad eam formam redigantur, quibus dictas herbas contuſas,& in puluerem deductas addimus, & arborum lachrymas,& alia, prout indicationes varie oſtendunt.

VLTIMVS etiã compoſitorum medicamentorum vſus, quem refert eodem loco Galenus, eſt, vt medicamenta, quæ Græcis πολυχρηστα dicuntur, hoc eſt,varij,& multiplicis uſus habeamus,ſicuti qui theriacam,& mithridatum antidotum compoſuere, id ſibi propoſuere, ut medicamentum conficerent, C quod omnibus uenenis aduerſaretur, ac opem ferre poſſet. Hi ergo ſunt omnes uſus, uel ſaltem pręcipui,quos medicamentorum mixtio nobis præſtare poteſt,atque in hos tanquam in proprios ſcopos reſpicere oportet eum,qui rectè,& ex arte medicamenta compoſiturus eſt.

De differentijs medicamentorum, accepta ratione diuerſitatis, & partitione a diuerſo modo vſus,& adminiſtrationis.

Cap. III.

D SED cùm nihil magis ad doctrinæ perſpicuitatem facere videatur, quam diſtinctio, & ordo,in his rebus præſertim, quæ multiplicem, & varium vſum habent,maxime autem vſus varietatem,multiplicitatemque ipſa medicamenta reſpiciunt: ideo, niſi priuſquam particulatim tractationem inſtituamus,uſus hic diſtinguatur,& ad rectam partiendi rationem redigatur, confuſio maxima in diſcentium, ac legentiũ animis facile ſuborietur. Diuiſio enim inter omnes methodos ad dearticulatam, & exquiſitam diſciplinam maximè conducit, ut ex ſententia Platonis vide eius,& Hipp.Placitis Gal.docuit. Hac ergo methodo vſi,omnem methodum,& rationem, qua vti ſolemus medicamentis partiendo exponamus, & dicamus, quòd medicamenta, quæ noſtro E uſui accommodari poſſunt,aut exterius adhibentur, aut interius aſſumuntur. Quæ exterius adhibentur, diuerſum habent uſus,& compoſitionis modum,diuerſamq; formam:nam, aut cerata ſunt, aut emplaſtra,aut illinitiones,ſiue linimenta dicas,aut fomẽta, aut lotiones,ſiue balnea,aut perfuſiones, quas Græci embrochas appellant,aut pulueres. Quæ uero intra corpus aſſumuntur, aut in nares attrahuntur,inijciuntur ue, aut in aures inſtillantur, aut ori induntur,aut inferius in anum immittuntur, aut per genitalia membra æquè in uiris, ac mulieribus adminiſtrantur,ſicut in affectibus penis, uteri, & ueſicæ fit. In nares autem,aut ſuccos, aut decocta, aut liquores vehementer inſpirando, uel ſpiritu attrahendo ad

ſuperiores,& internas capitis partes adducimus:pulueres vero fiſtula,aut penna exceptos inſufflando adigimus. Quæ ſumuntur,aut deuorantur, aut non deuorantur,ſed diutius in ore continētur,quæ, aut maſticantur,ſeu manduntur,aut ita quieta, dum liqueſcunt,continētur,vt Diacodion appellatum ,& Diatragacanthum,& eclegmata,& quę delinguntur,& a Barbaris Loch dicuntur,aut vero gargarizantur. Quę deuorantur,ſunt aut catapotia,aut boli dicti, aut potiones. In potionibus autem omnia,quę bibuntur cō prehendi poſſunt,vt ſyrupi dicti a noſtris, quod vocabulū apud Arabes potionem ſignificat:nec eius quærenda Latina etymologia,vt quidam ex noſtris fecere:decocta item,cæteraque medicamenta fluētia,quę bibenda dantur. Quæ ano ſubijciūtur,clyſteres ſunt, & glandes,vel vt iuniores dicunt, ſuppoſitoria. Per clyſteres etiam,quæ per æneam fiſtulam linimenta, aut lotiones ob interna vlcera inteſtinorum inijciuntur,inijci dicimus. Quæ per membra genitalia mulierum medicamenta recipiuntur,itidem ſunt aut clyſteres,aut glandes:in virile autem membrum liquida,& tantum fiſtula ænea,aut argentea,aut ſimili propter meatus anguſtiam impelli poſſunt. Neminem nunc eſſe puto,qui his omnibus non oſcitanter lectis non facile comprehendere animo poſſit, quàm ſit magna harum rerum congeries,& ſilua, quas tamen omnes hoc noſtro inſtituto ſermone complecti opus eſt,niſi mancum,& mutilum negocium relinquere velimus. Sed,vt tandem rem hanc particulatim magis tractare poſſimus, expediamus, ſiquid præterea ſit, quod in vniuerſum ſit cognitu neceſſarium: in quibus hoc potiſſimum eſt,quòd medicamēta tam ſimplicia, quàm compoſita ſunt medici inſtrumenta,quibus in curandis morbis vtimur: quorum congruens vſus, cùm a recta victus ratione diſceſſerimus,præcipua,& maxima vis medicinæ artis eſſe videtur: ipſius vero pars maxima in ipſorum compoſitione, & mixtione ſita eſt. Et ſicut alia omnia apta,& congruentia eatenus dicuntur,quatenus ex illis initiȷs pendent, a quibus vniuerſa medendi methodus conſtituitur, nempe ex ipſis indicationibus,ita,& horum rationem non diſſimilem eſſe dicemus. Vnde, & in medicamentis componendis,non minus indicationes illæ ſunt obſeruandæ,quàm in aliȷs omnibus medicis inſtrumentis, & operationibus obſeruentur:quarum primę duę ſunt, vna præcipua a temperatura naturaque tum malè affecti corporis,tum etiam particulæ illius,cui, aut propter quam medicamenta componenda ſunt, & adminiſtranda:dixi vero naturam,quia non ſolum temperatura indicat,ſed ſitus etiam figuraque, & cōnexio, cæteraq; , in quibus natura membri conſiſtit. Altera indicatio eſt a natura,& eſſentia ipſius affectus, vel morbi,ad quem tollendum componuntur. His ſuccedunt,& aliæ,quę non ita præcipuę ſunt,nempe,quia ad has referuntur:ſed neceſſariæ, & ipſæ ſunt nō quidem propter ſe,ſed tantum,quia ad exquiſitam illorum cognitionem faciunt:illę vero ſunt,Aetas,regio, tempus anni,eius conſtitutio,conſuetudo, vitæ ſtudia,& inſtituta,vt ſunt artes,& eiuſmodi reliqua; de quibus omnibus,& in methodo morbos curandi, & in libro de Compoſitione medicamentorum, & aliȷs itidem locis ampliſſimè Gal. diſſeruit.

De differentiȷs medicamentorum, quæ per os ſumuntur.

Cap. IIII.

HORVM autem omnium tractationem ab his inchoabimus, quæ per os ſumenda ſunt: quæ cùm diuerſam admodum,vt nuper expoſui,differen-

A tiam habeant, vt clariori doctrina vtamur, alium a præcedenti partiendi modum ſequemur: ab affectu ſcilicet,& facultate harum medicinarum, vel potius a ſcopis deſumptum, quos in exhibendis hiſce medicamentis ſpectamus,& intuemur. Medicamenta igitur,quæ ore ſumenda damus,aut ideò damus, vt vitioſos, & ſuperuacuos humores, vel in vniuerſo corpore,vel in aliqua parte congeſtos purgemus, atque euacuemus, aut per proprias medicamentorum vires vitia in vniuerſo corpore contracta ſecundum qualitates, tam primas, quàm ſecundas,& reliquas, emendemus: ſicut quando nitimur calidam partium aut totius intemperiem contractam, aut frigidam remouere, aut ſiccam, aut humidam, vel etiam mi-
B xtas. Quod autem ad alias qualitates pertinet, ſicut ſi lęuia exaſperare velimus, vel aſpera lenire, & lęuigare:præterea laxa,& rara aſtringere,& denſare, denſa,& aſtricta laxare,& rarefacere, & reliqua his ſimilia. Aliquando vero non ſolum vt corporis affectus tranſmutemus,vtimur medicamentis, ſed quia ſæpè non ſolum qualitate,& affectione læditur corpus,& etiam vitioſæ materiæ præſentia, quæ affectionem particulæ fouet, & ſeruat: ideo propter vitium quoque huiuſmodi humoris corrigendum, medicamentum medicus, aut bibendum, aut deuorandum offert ægrotanti, præſertim cùm interna viſcera, aut vaſa ſuperuacui humores occupant, duplicem nimirum ſcopum reſpiciens: primus eſt, vt ſi fieri poteſt, in bonam, & vtilem naturam, & munijs corporis
C accommodatam,eos reuocet: tunc autem quando vitium non ſit inſigne,reuocantur. Secundus vero ſcopus eſt, vt quando id fieri nulla ratione poteſt, ſaltē euacuationi aptiores reddantur, aut naturæ minus rebelles, & minus nocui fiant, & quando lentum,& craſſum attenuare, & ſecare, item detergere quærimus. Cumque tales ſucci ſæpius obſtructiones afferre ſoleant, ideo hos præcipuę ſcopos in curandis obſtructionibus ſpectamus: quando autem nimis tenuis eſt;craſſiorem reddere contendimus:ſi ſit autem ita acer, mordaxque, vt pungens, & abradens,tum naturam turbet,& ſtimulet,inquietumque & dolentem reddat ægrotantem; tum vlceret internas, aut externas partes, procuramus, vt aptis medicamētis
D & acrimoniam obtundamus, & mordacitatem deliniamus: & ſubinde his omnibus rationibus ad facilem euacuationem paremus. Sed de hac quidem medicamentorum ratione poſterius ſuo loco agemus. Nunc prius ſermonem de his medicamentis inſtituemus, quæ,vt corpus inaniatur,a medico frequentius dari ſolent. Eorum autem duplex eſt differentia,aliȷs enim vtimur, vt determinatam aliquam particulam purgemus: aliȷs vero, vt vniuerſum corpus inaniamus:certam particulam purgādo inaniūt, quæ apophleſmatiſmi dicuntur,quæque, vel manſa, vel gargarizata caput, & cerebrum,detracta ab eo pituita, vacuant: a iunioribus autem noſtris, tum maſticatoria,tum gargariſmata vocantur. Aliȷs vero vtimur, vt vniuerſum corpus, atque etiam communes
E vias,& viſcera communia purgent: quæ quidem triplici ſunt diſtincta facultate, ſicut triplex eſt regio, & triplex via ſenſibus manifeſta, qua per medicamenta poteſt vniuerſum corpus euacuari: nam aut ſuperius per ventriculum, & ſtomachum vomitu, aut per inferiorem aluum, & ſedem deiectionibus, aut per renes, & veſicam vrinæ fit euacuatio. Et ſicut triplex eſt regio, per quam vniuerſum corpus poteſt inaniri,ita, & triplex eſt medicamentorum facultas, triplices eas regiones reſpiciens, a quibus, & horum medicamentorum differentia naſcitur:aliqua enim vim vomitum ciendi habent, alia inferiorem aluum,alia verò vrinam. De quibus omnibus quàm breuiori, & manifeſto ſermone poterimus, ſubinde

agemus:

agemus: ſumpto tamen initio ab illis, quæ ciendæ A aluo inferiori in primis idonea ſunt.

De medicamentis purgantibus.

Cap. V.

SED horum medicamentorum, quæ ab Hippoc. ὑπήλατα, quaſi aluum ſubducentia dicuntur, diſtinguẽdorum ratio, tum a modo, quo aluum cient, eſt accipienda, tum uero a robore, & uehementia facultatis qua aluus proritatur. A modo quidem quo aluum cient, quia alia leniendo, & lubrica reddendo deijciendi in cauſa ſunt, alia incidendo, & detergendo, alia aſtringendo, & comprimendo exonerandi alui ſunt occaſioni: alia uero ſunt, quæ propriè purgatoria, Græcè καθαρτικὰ dicuntur medicamenta, appellari a Latinis conſueuere: & hæc attrahendo ſua natura humores ad loca excretionis aluum proritant. Sed differunt hæc omnia, quia priora eas actio nes, quas pollicentur primum, & proxime, tum qualitatibus manifeſtis, quibus præditæ ſunt, tum modo a proprietate ſuæ ſubſtantiæ acceptas referunt. Vnde, & primum humores, quibus occurrunt, euacuant, & qui in ventriculo, & in reliquis vijs repe riuntur, per quas tranſeunt, parumque vlterius purgatoria eorum vis extenditur. Quæ vero proprie Cathartica dicuntur, vel purgatoria medicamenta, proprietate ſuæ naturæ id faciunt, quæ aut eorum forma, & ſubſtantia eſt, aut aliqua proprietas ſtatim formam ipſius medicamenti ſequens, & rationem proprię illius eſſentiæ: vt tamen, & hoc his addamus, quòd priora etiam medicamenta, quamuis magis, & efficacius agant temperatura ſua, & modo ſuę ſubſtantiæ, magis quàm aliqua vi attractoria, qua humores remotiores poſſint ad loca excretionis attrahere, non tamen omnis omnino facultas, qua hunc magis quàm illum humorem poſſint attrahere, illis denegata eſt. Imo, & hęc ita ſe habent, vt vna potius bilem, alia potius pituitam, vel humorem melancholicum attrahat. Vnde omnes auctores, qui de illis ſermonem habuere, vnicuiq; eorum aliquam facultatem attribuunt, qua magis hunc, quàm illum humorem reſpiciunt: ſed illa facultas adeo breuis, & imbecillis eſt, vt vix eius operatio conſpici poſſit, niſi inſigni copia exhibeantur: & propterea hęc medici in ſoluentibus medicamentis, quæ verè purgatoria ſunt, minimè ponenda eſſe cẽſuere. Sed, & alio modo hæ duæ medicamentorum differentiæ diuerſam habent rationem, nempe, quòd prior eorum eſt, quæ facilia ſunt, ac tuta, & aut nullam, aut quam exi guam naturæ vim, aut moleſtiam afferunt, & ex his ea etiam minus alijs, quę leniũt, vt ſunt Manna, Caſſia, Tamarindi, & quæ Sebeſten ab Arabibus, Myxa verò, vel Myxaria à Græcis, pręſertim poſterioribus appellantur. Item, & pruna, violęque, & roſæ, vel harum ſucci: præterea ſerum lactis, imo & lac ipſum præcipuè aſinæ. Nam huiuſcemodi omnis fere medicamentorum qualitatis expertia ſunt. Vnde, & ſæpe illis ſimplicibus vtimur, & ſine alterius rei compoſitione, & mixtura: quòd ſi aliquãdo illius aliquid addimus, illud fit, vt eorum operationem acceleremus, & adiuuemus, quæ & debilis, & tarda nimis interdum eſſe ſolet, & ea ratione magis aliquam ſolent moleſtiam afferre, quàm quòd eis inſit vlla maligna vel naturę aduerſaria qualitas, quę mixtionem, vnde corrigantur, requirat: aliqua tamen ipſorum nonnihil viſceribus incommodi afferunt, dum operantur ita vt ob eam rem egeant aliqua, vt iuniores dicunt, conſolatione, vel correctione, præſertim verò in illis, qui imbecilliorem aliquam particulam habent, & illi incommodo obnoxiam, cuius occaſio id medicamentum eſſe ſolet: ſicuti caſſia, quæ leuia, & imbecilla inteſtina habentes lędit: in illis enim tormina, flatus, & dolores concitat. Tamarindi quoq; aciditate ſua ventriculo debili, & frigido officiunt: nec Sene medicamentum eſt ſatis ventriculo commodum. Ad tollendas, itaq; huiuſmodi noxas interdum has cum alijs, dum vti volumus, componere ſoliti ſumus, quã uis etiam alijs de cauſis id fiat, de quibus magis particulatim poſtea agemus. Alterius vero differentiæ medicamenta, & proprie purgantia, vel Grece καθαρτικὰ dicuntur, omnia & viroſa ſunt, & acria, & ſua natura qualitatis naturę aduerſariæ, & quaſi veneni non expertia, quæ niſi reprimantur, & corrigantur,
B poſſunt magis lędere, quàm iuuare: vnde, & inſignẽ exigunt cautelam, moderationem, & temperamẽtũ, quod ſibi cõparent aliarum medicinarum mixtione, & compoſitione, & quaſi condimento, proindeque, rariſſime ſimplicibus, ſæpiſſime vero mixtis, & compoſitis illis vtuntur medici. De vtriſque autem cùm ſit habendus ſermo, rationi magis conſonum eſt, vt a prioribus incipiamus, mox, & ad alia ſermonem cõuertamus. Et quia non ſolum inter ſimplicia medicamenta, hęc diſtãtia intercedit, ſed ex compoſitorum numero alia ſunt facilia, & lenia, quę aut nullam, aut modicã admodum agitationem, & conturbationem concitant, dum aluum mouent: alia vero corpus non parum agitant, & turbant: ideo, vt exactior doctrina
C euadat, de vtraque medicamentorum compoſitione tractationem inſtituemus.

De vſu purgantium medicamentorum leuium, & facilium, quæ benedicta ab Arabibus, & Iunioribus dicta ſunt, ſecundum generales rationes.

Cap. VI.

NON omnia ſimplicia medicamenta, quæ ad præſens inſtitutum referri poſſunt, in præſentia percurremus: nimis enim in longum noſtra proueheretur oratio, & vltra huius inſtituti fines, qui
D ſunt, vt Iſagogicam tantùm compendioſamq; doctrinam huius rei explanemus nouitijs, non autem exactam penitus, atque abſolutam prouectioribus tradamus. Quæ ergo facilia ſunt, & quibus ſunt ſoliti medici ſæpe, vel ſolis, & ſimplicibus, ſiue alterius rei mixtura vti: & id propterea, quod ex ſe quidem nullam habent naturam, vel qualitatem corpori humano noxiam, quæ medicum cogat, vt illi quidpiam addat, quod eius malitiam reprimat, atque emẽdet. Sunt ſiliqua illa Aegyptia, quæ Caſſia ab Arabibus, & Iunioribus dicitur, quæq; antiquis medicis (quod vſquam me legiſſe meminerim) fuit ignota. Item, & Manna, ab Arabibus dicta, vel mel Aereum a Græcis, vel alio modo appellatum. Et Tamarindi, vel hi ad
E palmularũ ſiluestrium genus attineant, & aliud ſint, a Græcis poſterioribus Oxiphenices vocãtur, quaſi acetoſæ palmulæ. Nam puto illos errare, qui eſſe dicunt, quos Galenus appellat Phœnicobalanos. Serũ lactis, præſertim caprini, & in eodem ordine Hippo. & Galenus, vt patet 4. de Ratione vict. in ac. com. vij. coctũ Aſinæ lac poſuit. Roſa etiam, vel eius ſuccus, & pruna: præterea Myrobalanorũ ab Arabibus appellatorum genera tria, vt ſunt Citrinæ, Chebulæ, Indæ. Dixi ab Arabibus appellatorũ, quia Græci Myrobalanon, glandem vnguentariam nuncupant, quã Arabes Been, (ni fallor,) vocant. Pręterea Rhabarbarum, Aloes, Abſinthium, Fumaria, vel Fumusterræ, Senæ, Epithymum. Si quando autem nõ ſolis his vtimur, ſed potius alijs additis componimus, nos ratio

multiplex,vt hæc cũ alijs componamus adducere po
teſt: quia aut horũ medicamẽtorum per ſe,aut pur-
gandorum humorum,aut morborũ, qui eorum vſu
curandi ſunt,aut corporum, quorũ curationẽ tracta
mus,gratia ea cõponimus. Alia itaq; interdũ ꝓpter
propriam ipſorum naturã,his leuibus medicamentis
adijcim⁹:quod quidem dupliciter fieri poteſt. Nam,
aut propter vim,& facultatem,qua aluum ciẽt,& ſol
uunt, aut propter aliquam aliã in eis qualitatem ad
primas,vel ſecundas pertinentẽ,hęc miſcemus. Qua-
tenus ſpectat ad facultatem,qua aluus cietur,additio
nem alterius rei requirunt medicamenta leuia, quia
omnia in vniuerſum,vt prius diximus,primum tardè
admodũ ventrem ſoluunt, & ſuam in hac re opera-
tionem abſoluunt:deinde verò,& debilẽ vim mouen
di,& trahendi,vel educendi purgandos humores ha
bent:ex quo aliquando hæc incommoda ſequuntur.
Ex priori quidem, quod aliquando tunc cõmouent,
quando agitari humorem purgandũ, aut corpus pur
gari non oportet, vt in initijs acceſſionũ,vel alijs in-
congruis eiuſcemodi tẽporibus, & interdũ quo tẽpo
re cibus acceptus in ventriculo eſſet concoquendus,
vt deinde turbatus ventriculus ex medicamenti mo
tione, cogatur ſimul, & cibum, & medicamentum
reijcere. Ex altero aũt ſequitur,quod ob imbecillita-
tem facultatis motricis mouent quidẽ purgandos hu
mores,ſed non eam vim habent, vt poſſint eos ſolue
re,& educere:vnde moti,& educti moleſtiam longè
maiorẽ afferunt,& ſæpè in cauſa ſunt,vt acceſſiones,
doloresq́;, & reliqua ſymptomata,maiora fiant:nõ-
nunquam etiam pro ſua imbecillitate paulatim mo-
uent,& frequenter cogunt ægrotos,vt ad deiiciendũ
aſſurgant,quod non parum laboris, & incõmodi la-
boranti adducit,dum.ſ.parum deiiciunt,& ſępiſſimè
aſſurgunt. Quãobrem medici, vt his malis occurrãt,
aliquid addunt,quo vel accelerari poſſit operatio,vel
vis eorũ augeri. Quatenus aũt ad alias eorum quali-
tates pertinet,quia quædam eorum, vel minus cale-
faciunt,vel refrigerant plus quàm velimus,aut nimis
aſtringunt,& exaſperant,aut min us laxant, & lęui-
gant. Ideò medici ſæpè,vt hos exceſſus corrigant, &
mediocritatem quandã adducant,aliquid addere cõ-
ſueuere,vt paulò poſt de Myrobalanis, Tamarindis,
Rhabarbaro,Caſſia,Manna,& alijs quibuſdam expo
nemus. Natura verò purgandorũ humorum medi-
cos impellit,vt his medicamentis aliquid adijciant,tũ
ea ratione,quia nonnunquã non vnus tantũ humor
eſt euacuandus,ſed plures, ſicuti cùm ſunt craſſi cum
tenuioribus mixti. Et quãuis leue medicamentum eã
vim ſua natura habeat, vt tenuiores humores facilè
purgare poſſit,craſſiores tamen non poteſt: ideò ali-
quid addemus,quod in craſſioribus humoribus mo-
uendis,opem his ferre poſſit. Etenim Aloe per ſe bi-
lioſos humores,& pituitoſos ſi tenues fuerint,poteſt
educere,craſſos verò minime: vnde Hiera compoſita
eſt,quæ ſimplex,vel ex Aloe dicitur; in qua additis
aromatibus,quæ vim habent attenuandi, ſit, vt craſ-
ſos,& lentos humores poſſit euacuare. Sunt etiam
alia,quæ ſimplicia,vnum, & ſimplicem humorẽ pur-
gare poſſunt:alium verò, aut nullo modo, aut adeò
infirmiter,vt ſi aliquid purget,nihil tamen,quod ali-
cuius momenti ſit, poſſit euacuare: quibus ſi aliqua
alia miſceantur,quæ hęc ex ea parte iuuent,illum itẽ
humorem facilè vaeuabunt: ſicut Aloe addito Epi-
thymo, vel Sena,melancholicum,& vſtum humorẽ
facilè,& ſine moleſtia euacuabit. Sed, & morborum
natura quandoq; medicum cogit, medicamenta hæc
cum alijs cõponere,& miſcere, atq; id multiplici oc-
caſione: primò, quia non vna erit, & ſimplex indi-
cationis ratio, quæ medico vacuandum eſſe ſuadet,
ſed quoquo modo compoſita, vt ſi quis diarrhœa in
media æſtate corripiatur,quæ a copia bilis in vniuer-
A ſo corpore congeſta,ortum habeat, ea de cauſa medi
cus iudicet agendum eſſe iuxta eam regulam,quę ſę-
pe fluxum curandum eſſe fluxu præcipit, velitq; co-
piam illam leui,& facili medicamento vacuare, duos
ſibi ſcopos proponit:primum,vt medicamentũ illud,
ratione,tum temporis,tum naturæ vacuandi humo-
ris, & intemperiei calidioris corporis, ex qua illa mul
ta bilis genita fuit, nõ plurimum calefaciat:& pręte-
rea,vt poſt euacuationem,aliqua aſtrictionẽ propen-
ſionem naturæ ad fluxum,& viarũ laxitatẽ refrenet,
ne magis naturæ motus concitetur, quæ deinde prę-
ceps facilè agi poſſet. Vnde, aut Caſſiã eligemus, aut
Manna,aut Tamarindos,& eis addemus Rhabarbari
qppiã,vel citrinarũ myrobalanorũ,vt vnciæ liquoris,
B vel,vt aiũt,floris Caſſię,drachmã,vel Semidrach. Rha
barbari in puluerẽ redacti, aut tantundẽ myrobala-
norum:vel parabimus infuſionẽ,(vt Iuniores loquũ-
tur) Rhabarbari ad ſeſquidragmam ex decocto fru-
ctum parato ex iuiubis,tamarindis, prunis, & ſimili-
bus:cui Syrupi roſacei ſolutiui, aut mannæ, ad duas
vncias,aut aliud his ſimile addemus. Eodem modo
in febribus calidioribus, ventrẽ Rhabarbaro purga-
turi, quod illis alioquin calefaciendo aduerſariũ eſſe
videtur, Cõmodus autẽ eius vſus eſt, tã aperiendo, ſi
quæ ſunt obſtructiones,quã bilioſam materiam pur-
gando,ipſum refrigerante decocto macerabimus, &
alia addemus medicamenta, quæ eius quidem calorẽ
tẽperent,neq; vim purgatoriã impediant, ſed potius
iuuent. Poſſemus multa præterea eodẽ ſpectãtia exẽ
C pla exponere,ſed hæc pro exẽplo ſatis eſſe putamus.
Ratio deinde corporum,quibus purgatoria medica-
menta ſunt exhibenda,medicamentis ſimplicibus ali
quid addere ſuadet,quibus ea cõmixta faciliorẽ ſpera
mus operationẽ eſſe præſtitura:quod quidem aliquã
do neceſſum eſt,propterea,quia,& ſi quod ad natura
medicamenti attinet,id maximè ſit ſcopo, quem ſibi
medicus propoſuit aptum,corpus tamen adeo aſtri-
ctum eſt,& difficilis aluus,vt his leuioribus ſolui ne-
queat,& ob id aliquid,quo vis medicamenti exacue-
tur,& augeatur,addimus. Aliquando aũt,quia in nõ
nullis aliquod viſcus eſt infirmum,quod facile ab ali-
qua medicamenti,quod alioquin eſſet opportuniſſi-
mum,qualitate lædi poſſet, ideo ne aliqua ex parte
D lædat,ſed proſit vndequaque, aliquid illi miſcemus,
quo imbecilliorem particulam ab iniuria medicamẽ-
ti defendat. Nam cum caſſia,inteſtina ſua natura la-
xa,& leuia habentibus nocua ſit:tamarindi vero ven
triculo infirmiori,& frigidiori, quando (vt inferius
dicemus) ij s uti medici uolunt, medicamẽtum aliud
inueniant, quo primam quidem facultatem purgan-
di non impediant: læſionem uero quam alioquin af-
ferre poſſet, emendent.

In quot, & quibus conſiſtat tota ratio
congrui vſus medicamentorum, cum horum,
de quibus nunc, tum aliorum, quæ vim ma-
E *iorem habent.*

Cap. VII.

SED his vniuerſaliter expoſitis de iſtiuſmodi
medicamentis magis particulatim, ac de con-
gruo eorum vſu agamus. Quod, vt rectius faciamus
prius hoc generale theorema inueſtigemus, quod ad
hoc negotium non parum facere videtur: nempe,
quot ea ſint, in quibus omnis ferè congruentis ho-
rum medicamentorum vſus ratio conſiſtit. Ea (vt
arbitror) quatuor ſunt: qualitas,& natura medica-
menti,quo vti volumus,quantitas eiuſdem; modus,
vel forma, qua exhiberi commodius poteſt: vltimò
tempus

tempus ea adminiſtrandi. Qualitatem medicamenti primum,& per ſe indicat vacuandi humoris natura, & qualitas, quia id medicamentum ad vacuationem moliendam eligendum eſt,quod poſſit commode,& tuto eū humorem educere, quia aut noxius eſt, aut vero timemus,ne noceat,aut morbum facit, aut facturus eſt, vel ipſum fouet,vel foturus eſt,vt 1.l.Aph. docuiſſe tum Hip.tū.Gal.videtur. Et quāuis hęc medicamenta,quæ leuia ſunt, & quorum uis ad remotiores,& penitiores uenas non pertingit, plerunque uacuant eos humores,qui in uijs communibus ſunt, aut in locis prope eas,& eos quibus occurrunt: attamen unū quodque eorum omnino unū magis quàm alium humorem naturæ ſuę proprietate purgat,pręſertim ſi in aliqua copia detur. Vnde hæ facultates ſunt exactè a medico memorię tenēdę,ut accommodatum medicamentum poſſit eligere: neque hoc ſolum referendū eſſe putamus ad qualitatem eius medicamenti, quod primario tanquam nobis opportunum eligemus,ſed ad alia etiam,quæ cū his ſunt commiſcenda. Nā ſæpe medicamentū,quod aliqoui ineptum,& noxium eſſet,mixtum, (vt tertio de temp. Gal.ait)fit aptum,& noſtro ſcopo ſatisfaciens. Sed, & primo de Comp.med.per genera:dicit,quod idem medicamentum alijs immixtum diuerſos effectus gignit,& horum indicatio ab illis accipitur,quæ nobis, vel corrigendum eſſe medicamentum demonſtrant. vel eius viribus aliquid addendum eſſe,eo quod, aut imbecillius quā corpus,aut humor qui euacuandus eſt requirit:vel vt aliū etiā humorē purgaret. Et hæc non ſolū in vniuerſum,ſed etiā particulatim ſunt cognoſcenda. Nā ſæpe aliqua inter nonnulla medicamēta familiaritas & naturalis affinitas intercedit,vnde feliciſſime commiſceri poſſunt. Et ſæpe,vt experiētia docuit,duo ſunt ſimplicia,quæ quamuis eiuſdem ſint naturæ,alterū tamen altero maiorem cum tertio familiaritatem habet,& conformitatem, ita vt id cum altero mixtum, feliciorem in purgando ſortiatur effectum,quàm ſi cū altero fuiſſet compoſitum, ſed de his particulatim paulò poſt agemus. Hoc tantum in vniuerſum expoſito,ꝙ ſemper ratio maior illius medicamenti habenda eſt, quod primario nobis opportunū ad expurgandū corpus fore cenſemus:neque illi ea addenda ſunt, quæ eam illius vim detrahant,& operationē impediant vel tardent:cuius gratia maxime id elegimus. Huic aūt priori capiti accedit & temperies corporis purgandi,tempus & regio. Nam calida & ſicca regione, itemque tēperatura,& tempore æſtiuo,ab acrioribus,calidioribus, & validè exſiccantibus medicamentis cauendum. Contra vero a frigidioribus,& humidioribus in contrarijs regionibus,temperamentis,& temporibus.

Unde aſſumitur quantitas, vel pondus aſſumendi medicamenti.

Cap. VIII.

QVANTITATEM vero cōmodā medicamēti exhibendi docent, partim magnitudo & quātitas morbi, itemque copia euacuandorum excrementorum, corporiſque purgandi natura & vires: quibus etiam additur temporis,ętatis,& regionis ratio. Nam cùm omnium natura conſtantium per ſe conſiderentur,vel ad alia referantur, ſit certa quædā & determinata ratio,ſint certi denique fines, hoc itē in medicamentis collatis cum corporibus, quorum ratione hoc habent,quòd medicamenta dicantur obſeruari poteſt,quando certa quadam menſura adminiſtrata modeſte illa afficiunt, infra quam vel nihil

A efficiunt,vel parum admodum, ita vt non modo iuuare non poſſint,ſed etiam lædere,dum mouent quidem ſuccos,ſed illos deinde ſuperare non poſſunt,& vel digerere, vel educere: ſupra autem illam menſuram immodice mouent,& effrenis eſt eorum operatio. Ea verò menſura non omnino eſt indiuidua,aut eadem ſemper, ſed latitudinē habet: quin moderata & certa hæc menſura variari poteſt, quantum ad idē medicamentum pertinet,aut ratione corporis purgādi,aut ætatis, aut temporis,aut regionis, atque aliorum multorum. Nam corpora quædam, niſi cōpioſiori exhibito medicamēto ſolui,ac purgari nequeūt, alia verò vel modico etiam accepto ſoluūtur: multos enim noui,qui vel ſemiuncia caſſiæ deuorata, liberaliſſime fuere purgati, tamē alij ſemiuncia paruiſſimè B ſunt inaniti. Sed & pueri nō poſſunt æquè copioſum medicamentum atque grandiores & adulti admittere: præterea æſtate corpora facilius & minori ſoluūtur medicamēto,quàm hyeme,quare fines certe mēſuræ medicamentorum aliquantò ampliores ſunt. Sicuti,verbi gratia,caſſiæ Aegyptiæ a ſemiuncia vſque ad ſeſquiunciam,vel ad ſummum vſque ad duas vncias, poteſt eſſe congrua menſura: & quia acceptus erit liquor ex ſiliquis extractus,quas cānas vocamus, ideo oportebit vt medicus,qui ea rectè vti volet,exactè corporis purgandi rationem habeat: nempe an a medicamento facile corpus illud vacuari ſoleat:nam minori copia egebit, maiori uero qui ſunt alui aſtrictioris. Mox ad morbum & copiam humorum vaC cuandorum reſpiciat, quia cùm morbus leuis eſt & facilis, neque periculum aliquod in mora eſſe videtur, quod nos ſemel & confertim vacuare cogat, poſſumus minori copia medicamenti vti: ſed ſæpius & minori illata vi naturæ parcius vacuare. At vero, ſi ſit morbus,qui vacuandum iam eſſe indicet, neque longam moram videatur admittere, id medicamento addendum erit, quo morboſis humoribus liberalius detractis,ægrotus ſubleuetur, & fomentū morbo ſubtrahatur. Nec minus excrementorum, quæ euacuanda ſunt,copia erit aſpernanda: nam ſi multa illa fuerit, & medicamentum modicum exhibuerimus,quod paucitatis ratione imbecillius quoque ſit, tunc maxime excrementa excitātur & mouētur, nec D tamen ab imbecillo illo medicamento educi, aut expelli poſſunt. Vnde fit,vt magis moleſta,imbecilla huiuſmodi medicamenta fiant (ſemper enim cauſa morboſa cùm mouetur, vt Galenus ſecundo de Cauſis Symptom.atteſtatur,notior eſt quàm cùm quieſcit) vnde ad hoc incommodum vitandum, vel maior medicamenti quantitas erit exhibenda,vel illi aliud ualentius erit immiſcendum, quo illius viribus aliquid addatur.

De forma & conſiſtentia medicamenti.

Cap. IX.

E SED & formam, & modum medicamenti exhibendi eligimus, partim illius, cui medicamentum dandum eſt, naturam & morem reſpicientes, partim morbi, quo ille laborat rationem conſiderantes,quibus & temporis ſtatus, & natura additur. Nam, vt à primo incipiamus, aliqui ſunt, qui nunquam catapotia, vel pilulas, neque bolos deuorare potuerunt,nec ſyrupos admittere. Sed primum hoc conſiderandum, quòd medicamentorum formæ, ſubſtantiæve, uel conſiſtentiæ modo plurimùm differunt, quia pilulæ ſubſtantia conſtant,quæ alijs cōpactior & ſolidior eſt: potiones vero dilutiori, tenuiori, & magis fluida. Inter has uero medio quodammodo ſe habent, quæ vel boli a iunioribus di-

cuntur, vel confectiones, quæ ex ſaccharo fiunt decocto, ad conſumptionem vniuerſi ferè externi liquoris, quo fuerat dilutum, vt deinde in orbes vel rotulas redacti & refrigeſcentes in ſolidiorem compagem tranſeant. Sed hæc medicamenta quamuis ſolidiora etiam pilulis, primum videantur, tamen dum manduntur, ab eo qui eſt in ore humore diſſoluta, teneriora fiunt. Modus verò aſſumptionis eſt, quòd boli & pilulæ deuorandæ integræ dantur, quia facilius ita ſumuntur. Cum enim ingrati ſaporis & odoris plerumque ſint, non poſſunt ſine multa moleſtia, & interdum faſtidio ore diutius teneri, ſed deuoratæ ſtatim ad imum ventriculum delatæ, minus ſumentem affligunt. Potiones bibendæ dantur: cùm enim fluidæ ſint, citò defluunt. Confectiones verò (ita enim nunc vulgò dulciora appellant, quæ ſaccharo condiuntur, vel parantur) cum alijs omnibus minus ſint ingrata, propterea quia ſaccharo dulceſcunt. & gratiam ſibi conciliant, mandi facilè poſſunt. Sed redeamus iam vnde diuertimus. Nonnulli nũquam potuere, vel voluere catapotia deuorare: imò eorum aliqui, dum medicorum ſuaſu, aut aſſiſtẽtium ſumere niterentur, ferè ſtrangulati ſunt. Alij vero bolos omnino detrectant: quod ſi cogantur, omnia euomunt, qui tamẽ potus facillimè accipiũt. Alij ſi liquidas biberint medicinas, ſtatim vel paulo poſt eas vomitu reijciunt: facilè autem pilulas, vel bolos admittunt, & continent: appellatas autem confectiones facilius, nomine fere & dulci primo guſtu decepti pueri accipiunt, & qui perinde atque pueri delicati ſunt. Conſulenda itaque naturæ ratio, & conſuetudinis eorum, qui medicinas ſunt aſſumpturi, & raro aliquid a medico repugnante natura agendum eſt. Præterea vero cum medicinę ſolidiores ſemper ſaltem actu, imò plerunque & poteſtate ſicciores ſint, liquidiores autem humidiores, vbi minus exſiccare voluerimus, liquida & fluida medicinæ conſiſtẽtia opportunior erit, quàm ſolida & magis ſicca. Quòd ſi humidior eſſet affectus, prę̨ſertim vero cùm materia, non eſſet ineptum medicamentum id, quod non ſolum poteſtate, ſed actu etiam ſiccum eſſet. Quod de ratione naturalis affectionis corporis dixi, illud idem ad morborum rationem eſt referendum. Vnde rariſſimè pilulis in febribus vtimur, præcipuè ſi magnæ & acutæ fuerint, & in alijs calidioribus morbis, raro etiam æſtate & temporibus calidioribus. Nam in potionibus facilius eſt calorem & ſiccitatem medicinarum retundere refrigerãtibus decoctis, vel aquis & ſyrupis, mox in bolis & confectionibus.

De tempore accommodato, & opportuno ſumendi medicamenta.

Cap. X.

POSTREMO verò multam ad congruentem medicamẽtorum vſum tempus vim habet, quod ſicuti multiplicis eſt ſignificationis, quatenus ad nos pertinet, ita quoq; multiplex de eo ſermo eſt faciendus. Nam cùm de tempore vſus alicuius medicamẽti loquimur, aut tempora morborum ſpectamus, id eſt, vel eius principium, vel incrementum, vel conſiſtẽtiam, vel decrementum: aut ad anni tempora reſpicimus: hyemem ſcilicet, æſtatem, autumnum, vel ver: aut particulatim ad horas, vel partes diei: vt ſi quę̨ramus, an mane dandum ſit medicamentum, & homini ieiuno, vel magis veſperi, & poſt cœnam aſſumptam: Si de vere purgatorijs & fortioribus medicamẽtis ſit inſtituenda inquiſitio, iam ab Hip. & cæteris antiquioribus medicis definitum eſt, occaſionẽ pur-

A gandi a ratione humorum petendam eſſe: In vniuerſum enim ſi purgandum eſt, aut in initio morbi purgandum eſt, aut poſt concoctã materiam, id eſt, vel in fine vigoris, vel ſtatus, vel iã incipiente inclinatione. Diſtinctionis aũt, vel electionis tẽporis opportunioris, occaſio a motu, vel quiete humoris accipiẽda eſt. Nam ſi ſtatim ab initio natura a multitudine vel praua ſuccorum qualitate concitata eos exagitat, & vel ad varias partes importunè moueat, vel ad expellendos nocuos humores in membro aliquo principali, hæc naturę concitatio fieri videtur, quamprimum fieri poterit, aut illa eadẽ die, illa materia erit euacuãda. Quod ſi ſtabiles ſint humores, neque præcipites moueantur, vel ſi moueantur quidem, ſed ad vnum cer-

B tum locum mouerentur, vbi ne vel multitudinis vel prauæ naturæ humorum, aut loci illius quo tẽdit, nobilitatis ratione aliquod magnũ malum excitaretur, timendum non eſſet: morari tantiſper expediret, donec humor a natiuo calore eſſet & coctus & paratus: & tum demũ obſeruantes quid natura ageret, de purgatione decernendum eſſet: quia ſi natura ſponte ſua ageret, & excrementitios coctosq; humores, quantũ ſatis eſſet, excerneret. omne negocium naturæ relinquendum eſſet. Sin autem vel ipſa non moueret, vel parcius quàm expediret, medicamentis & auxilijs noſtris eſſet iuuanda, & excitanda. Præterea vero ex alio etiam capite poteſt hæc diſtinctio accipi, videlicet a ſcopo, quem ſibi medicus in vacuando propoſuit. Nam cùm aliquando purgantibus medicamentis ea

C tantum ratione vtamur, vt copiã malorum humorum detrahamus, aliquando vero etiam vt alicuius materiæ in aliquem locum confluentis impetum reuellamus, & auertamus, quæ quidem aliquod inſigne malum illi loco ſit allatura, quod in ſuperiorum partium, capitis nempe, oculorum, & aliorum ſenſuũ inſtrumentorum, fauciumque affectibus fieri ſæpe ſolet. In his enim purgatio per medicamentum, quod reuellẽdi vim habet, Galenus 13. Meth. docuit, capite vndecimo. Reuulſuri itaque nonniſi in principio purgamus: reuulſio enim eſt remedium, quod huiuſmodi morborum initijs proprium eſt, & accommodatum, vt idem Galenus ſæpe quarto & quinto Metho. docuit, alioquin vero expectandus eſt ſtatus

D & concoctio, vt tamen & hoc conſiderandum ſit, quod diligens hæc horum temporum obſeruatio pręſertim adhibenda eſt in eorum medicamentorum vſu, quę certos & determinatos humores attrahendi & ſoluendi vim, & eam quidem validam habent. Nã ijs, quę leniendo purgant, vt Caſſia, Manna, Tamarindi, violæ, roſæ, pruna, lac & eius ſerum: poſſumus cõmode & tutò vti, ſi opportunitas indicet, & in initijs & alijs morborum temporibus. Nam eandem ferè rationem habent, quam & clyſteres leues, prætérquàm quòd clyſteres ad ventriculum & ſuperiora inteſtina non pertingunt, quod huiuſcemodi medicamentis non eſt denegatum: attamen neque ipſa ad penitiores venas, & remotiora loca perueniunt, ſed

E tantum communes vias purgant, vel ſi aliquas venas attingunt: neque humoribus, qui uacuationi inepti ſunt, & egent concoctione uim ullam afferunt. Teſtis eſt Galenus cum Hipp. quarto de Ratione uictus in ac. morb. com. vij. qui in febre ardenti, ubi amarum fuerit os, quod bilis in uentriculo contentæ eſt argumentum, ad eam expurgandam, timens purgãtia medicamenta, quæ calida & aeria ſunt, propter febrem, lac aſinæ coctum copioſum bibendum dat, vel eius ſerum: qui viri ſi iſtiuſmodi leues, & caloris, omniſque acrimoniæ expertes medicinas nouiſſent, aut in uſu habuiſſent, lacti (mea quidem ſententia) in febre illa prætuliſſent. Quamuis autem conſideratio hæc illis magis poſſit accommodari, quæ poſterius de illis medicamentis dicenda erunt, quæ uere ſol-

uentia

ſtentia & purgantia dicuntur,rei tamen conſecutio-ne ducti,ea hoc loco voluimus exponere : cui & hoc addendum exiſtimamus, quòd neque etiam medicamentis omnibus,quę ad tractationē hanc pertinent, & inter facilia & benedicta collocata ſunt, ex ratione poſſumus inter initia morborum vti,pręſertim in febribus a putredine humorum excitatis, quarum præcipua cauſa eſt obſtructio: quia,quæ vim inſignē habent aſtringendi, in principio antequam attenuati,& inciſi fuerint,& partim etiam vacuati humores qui multitudine,craſſitie,lētoreque ſunt obſtructionum cauſa,aſſumpta, obſtructiones, & ſubinde febres augerent:huiuſmodi autem ſunt Mirobalani,& Rhabarbarū: vnde rariſſimè,& fere nunquam periti medici illis initijs febrium, & ante materiam paratā vtuntur. Tempus deinde poteſt accipi, vt diximus, quatenus ſcilicet,totius anni horas & tempeſtates reſpicit,ideſt,Ver,Aeſtatem,Autumnum,& Hyemem: & quatenus ad hanc acceptionem pertinet. Vſui medicamentorum abſolute tempora maxime apta ſunt Ver,& Autumnus,vt Gal.exponit,explanans Aphoriſ.illum,Sub Cane,& ante Canem : præſertim vero id in fortium medicamentorum vſu,quæ purgatoria proprie appellant, obſeruandum eſt, vt a vehemntibus caloribus & frigoribus caueamus, tunc enim vti poſſumus his facilioribus, & lenibus : attamen & in horum vſu aliqua diſcretione opus eſt.Nam quę qualitatibus ſunt moderata,tam ſimplicia quàm compoſita in vſum venire facile, tam æſtate, quàm hyeme poſſunt,vt Manna, & Caſſia : quæ vero refrigerant, hyeme magis cauenda ſunt,vt Tamarindi,Mirobalani,Violæ,& ſimilia:ita quæ calefaciunt,& exſiccant, æſtate non ita facile ſunt admittenda, vt Rhabarbarum,Aloe,Senæ,Epithymū,& id genus reliqua. Cū vero tempus reſpicit particulatim diuerſas diei partes,mane,veſpere, & meridiem continet, dupliciter poteſt conſiderari: nam aut id ad naturam differentium diei partium refertur,aut ad aliquid, quod frequenter in illis contingere ſolet:matutino autem tēpore,ſi id quod frequentius contingere ſolet ſpectemus,omnes ſere concoctiones,vel ſaltem prima & ſecunda ſunt abſoluta:plerumque autem & excreta earum excrementa:in meridie vel aliquanto antea, cibus aſſumptus eſt,veſpere autem noſtris his temporibus,cœnamus,noctu,ſomno,& ſpirituum,viriumque refectioni vacamus: ſed & concoctioni tempus, id eſt,maximè opportunū. In morbis vero pręſertim his, qui ſuas acceſſiones per periodos habent, inuadunt acceſſiones interdum matutinis horis, interdū meridianis,nonnunquam autem veſpertinis, aut nocturnis. Quæ quidem omnia æque cibi exibendi rationem,ac medicamenti mutare poſſunt. Vnde ſi de tempore diurno loquamur, quod ad eius naturam pertinet,tempus & hora matutina ad accipiendas medicinas eſt opportunior,tum propter rationes nuper expoſitas, tum vero quia tempus id in die magis eſt temperatū, & quod ex proportione Veri reſpondet. Sed ſi ea,quæ ſolent in horis contingere, conſideremus,ſæpe priori conſideratione poſtpoſita, alteri rei incumbendum eſt,& alijs horis ęgroto medicamentum eſt exhibendum. Et vt de ea indicatione ſermonem primo habeamus,quā nobis ſymptomata morbi accidentia oſtēdunt,ſemper illi qui opportune huiuſmodi medicamentum exhibere voluerit, tempus acceſſionis eſt declinandum. Inter ſymptomata verò Galenus primo Aphoriſ.& acceſſiones collocat. Ita autem acceſſionis tempus declinādum eſſe cēſemus, vt neque eo tempore medicamentum exhibeatur, quod deinde acceſſionis tempus ea conſequatur, vt in initijs acceſſionis medicamentum purgando moueat.Sed & id monuit Auic.vbi dicit:In die paroxyſmi non eſſe quippiam mouendum: quod & Oriba-

A ſius libro ſeptimo,cap.vigeſimotertio confirmat, cuius inſcriptio eſt, Quos,& quando, & a quibus,&c. quod in vniuerſum tamen ex verbis Galeni, hinc inde excerptum eſt,vbi ait,quòd acceſſiones quoq; quo modo ſit euacuandum docent. Nam dum acceſſio infeſtabit,a ſuperioribus educes:vbi deſtiterit, quod intermiſſionem dicimus,ab inferioribus detrahes: q̄ ſi aut quotidie fiant acceſſiones, aut febres ſint continentes,ita vt nequeat tandiu ſine cibo eſſe ægrotus, nullaque ſit intermiſſio, vel adeo breuis, vt medicamento, & cibo deinde exhibendo non ſufficiat, remiſſionis, vel inclinationis tempus erit eligendum. Huic deinde conſiderationi ſuccedit & illa,an potius ante,vel poſt acceptum cibum, vel ſimul cum cibo
B medicamentum ſit offerendum. Nam his omnibus modis,ſi ea diligenter obſeruemus,quæ fieri a medicis quotidie ſolent,medicamenta purgantia dantur. Potiones enim ieiunis, & ante cibum, aut ſemper, aut plerunque ſolemus exhibere : poſt cibum verò, imo poſt cœnam ſumptam vna vel altera hora, in affectibus,præſertim capitis, catapotia deuoranda tradunt,aut omnes, aut plures hac noſtra tempeſtate medici : efficacius enim ab eis poſſe caput expurgari putant,ſi medicamenti vapores cum illis, qui ex cibo euaporant ſimul mixti ad caput feruntur. Simul autem cum cibo vel in cibo interdum, idque etiam in iecinoris affectibus,vt ipſe decimotertio Method.c. decimoquinto teſtatur, medicamentis purgantibus
C Galenus vti cōſueuerat. Epithymum enim,vel veratrum nigrum ex ptiſana coquebat,quam deinde forbēdam dabat:item & polypodiū, vel cnicum, quod Cartamum Arabes dicunt. Sed & parum Scamonei ex ptiſana datum dicit ipſe, primo de Facul.alimen. parciſſime purgat. At cùm a differentibus occaſionibus accepta ſit differens hæc exhibendi medicamenta ratio,non ab re ergo fuerit, huic etiam diſtinctiones aliquas adhibere, quibus iuuenes eruditi & moniti, occaſiones & opportunitates percipiant,quibus innixi quid quoque tempore pro rei occaſione agendum ſit,cognoſcant:Itaque niſi ab his voluerimus recedere,quæ cùm in antiquis & probatis auctoribus, tum etiam medicinam faciendo obſeruaui priorem modum vt tutiorem, & rationi magis cōſentaneum
D amplectemur:nempe vt vacuo ventriculo, & homini ieiuno purgantia medicamenta aſſumenda offerantur:neque enim in hoc probando tempus conterendum putamus,cùm res hęc fere omnibus in confeſſo ſit. Nam quòd vel intermixta cibis,vel poſt cibum exhibentur,id fit tantum particulatim, & certis definitiſque(vt paulò poſt dicam)occaſionibus. Hoc tamē animaduertendum,cuius etiam nos monuit Hippo. ſecundo de Ratione vict.tex.xiij.& ibidem etiā Gal. quòd ab accepto medicamento aut ſtatim cibus dandus eſt,aut ſi differendus eſt,tantiſper morandum,donec & purgatio & motus medicamenti abſoluatur. Nam ſi dum purgatio fit,cibus ſumatur, operatio purgantis medicamenti exoluitur. Quòd ſi tu quæ-
E ras,quodnam horum magis præſtet,vel ſtatim ab aſſumpto medicamento comedere,vel differre, donec medicamentum ſuam abſoluit operationem? dicerē, hanc quæſtionem commode definiri non poſſe, niſi hæc duo prius conſiderentur, nempe & vires medicamenti,& cauſam, propter quam poſt medicamētum cibum damus. Nā vt a priori incipiamus, ſi leue fuerit medicamentum,qualia ſunt ea,de quibus pręſens ſermo inſtitutus eſt, cum id validas admodum vires non habeat,& tarde,vt diximus ante, moueat,poſſumus paulò poſt aſſumptum medicamentum cibum dare : nam leuia medicamenta a calore ventriculi facile ſuperantur,& facile eorum vis diſſoluitur. Imo ſæpe etiam coquuntur, & in alimentum,anteaquam aliam moliantur purgationem,tranſeunt, & vt Gal.

dicit

dicit tertio de Facul. ſimp. med. cap. xxvj. facilius in illis medicamentis fit, quæ omnino a ratione cibi non ſunt aliena, vt ſunt Manna, & Caſſia. Vnde cibo exhibito non ita facilè medicamentum ducitur, cùm ventriculus, vt rei ſibi magis familiari, cibo concoquendo magis incumbat. Præterea vero cum tarde ſoluant, & moueant, iuſto longior plerumque eſſet mora, ſi eo vſque moraremur cibum, donec purgatio eſſet perfecta. Vnde poſt acceptum medicamentum, quod ſtatim comedant præcipimus, vt antequàm medicina ad actum deducta, mouere aluum incipiat, iam propè confectus & concoctus ſit cibus: quod ſi interdum ex ratione apparatus, quia promptior, & aptior, & facilior ad deijciendum venter ſit, idem ante concoctionem mouere incipiat, cùm in fundo & ſub alijs reſideat, poteſt facilè aperto pyloro ſine magna cibi perturbatione deſcendere. At rurſus quis dicet, cur cum caſſiam non in potione diſſolutam, ſed in bolo damus, non præcipimus, vt Hippocrat. conſulit, id eſt, quòd ſtatim ægrotus comedat, ſed horam interponi iubemus? Dico hoc non tm̃ ratione medicamenti fieri, ſed magis illius qui medicamentum ſumpſit. Fieri enim ferè nequit, quin dum medicamentum deuoratur, aliquod faſtidium vel nauſea comitetur: vt ergo interim motus, & turbatio ventriculi ſedetur, interuallum id interponitur. Sed & cauſa, propter quam cibum poſt medicamentum damus, conſideranda eſt: quia interdum non ideo præſertim cibum damus, vt alamus, & vires reficiamus, qui tamen in alendo corpore primus, & præcipuus eſt ſcopus: ſed magis alterius alicuius commodi gratia, ratione ſane reperte in eo cibo alicuius qualitatis. Quando enim medicamentum ex eorum genere eſt, quæ ventriculum, ſi aut eius pars, vel impreſſa qualitas aliqua hærens ori eius in tranſitu relicta ſit, plurimum lędere, & turbare poſſunt, cibum aliquem offerimus, qui poſſit lenire, & medicamenti qualitatem obtundere, atque relictas particulas de ore ventriculi detractas detergendo ad imum perducere. Vnde non omnis cibus, ſed ptiſana præſertim commendatur, quæ cum cibus ſit ventriculo familiarior, gratior eſt, quam ſiquid offeratur, quod naturam medicamenti referret. Huc accedit, quòd non ſolum lenitate acrem, & moleſtam illam medicamenti qualitatem demulcere, & ſedare humiditate poteſt: ſed etiam deterſione, ſi quid medicamenti in tranſitu gulæ, vel ori ventriculi hæret, detrâhit. Quòd ſi medicamentum, aut huiuſmodi eſſet, aut ita paratum, vt id incommodum non timeremus, differendus cibus eſſet in vſu quidem fortium medicamentorum, quouſque purgatio facta fuiſſet: in illis autem, quæ aluum lenitate cient, per aliquod breue ſpatium (id quod etiam Gal. ſecundo de Facul. ali. cap. xxxj. docuit) cibus ſumendus eſt, hac nimirum ratione, vt ſi ante cibum medicamenta exhibita ſint humiditate, & lentore aluum afficiant, & leniant: atque ſi non ſtatim poſt exhibitum medicamentum, ſumptus ſit cibus, eam magis lubricam faciant, quàm facerent ſi ſtatim poſt medicamentū cibus ingereretur. Prius enim a calore ventriculi diſſoluuntur, & quaſi liquantur, vnde & partes lenes reddunt, per quas trāſeunt: nam ſi cum cibis eſſent commixta, ab illis horum vis confunderetur, & quaſi obtunderetur. De his autem medicamentis quæ vel ſimul cum cibo danda, vel ex ptiſana, aut ex alio cibo coquenda cenſuit Galen. ita ſtatuendum eſſe exiſtimo, quòd hæc ſane aut leuia ſunt, aut quæ facili, & leui motione ventriculum turbare, aut concoctionem impedire nequeant: quia, præſertim ſiquid habent acrimoniæ, id a muliebri natura eorum ciborum, quibus miſcentur lenitur, & remittitur; & cibus adeo medica-

A mentum ſuperat, vt id quod ex vtroque commixtū eſt, dici magis cibus debeat, qui medicinalis alicuius facultatis ſit particeps, quàm ad ea quæ propriè medicamenta dicuntur referri. Quòd ſi valentiora etiā medicamenta cibis coquere Gal. ſolitus eſt, adeo modicam tamen eorum quantitatem coquendam immiſcebat, vt tum ex eo quod coqueretur, tum etiam multa copia cibi moderatiora & meliora facta, aluū non niſi leniter ac modice ciere poſſent, ita vt nulla ventriculi turbatio, aut noxa accidere poſſet, quæ alicuius eſſet momenti. Quod inde patere poteſt, quia & in iecinoris inflammatione curanda, eorum meminit, cùm tamen valentiora medicamenta eiuſmodi affectioni maxime aduerſentur. Aloen enim &
B hieram in id genus inflammationibus viij. de Comp. med. ſecundum loca, damnauit, atque id præſertim, ſi nondum concocta inflammatio fuerit. Quod vero ad id attinet, quod proxime dixi, prætermittendum non eſt, quòd huiuſmodi medicamenta cibis incocta iam proprie & abſolute, nec medicamenta eſſe dicenda, nec cibi, ſed magis cibus, qui particeps medicamentoſæ qualitatis factus ſit: eiuſmodi autem inter cibos reperiri multa, liquido conſtat, quæ & cibi quidem ſunt, ſuapte tamen natura etiam medicamenti officio funguntur. At nunquam neq; Hipp. neque Galen. neque peritus aliquis medicus aliquod medicamentum cibo immixtum, quod huiuſmodi eſſet, ea copia exhibet, vt liberaliorem & copioſiorem poſſet purgationem moliri. Sed tandem etiam
C pauca dicamus de cōſuetudine illam, quam iuniores noſtri introduxere, nempe vt medicamenta purgantia poſt cibū, præſertim vero poſt cœnam deuoranda præbeant, quod in primis in catapotiorum, vel pilularum vſu ſeruare ſoliti ſunt, id autē non in omnibus ſed in capitis tantùm affectibus curandis obſeruant, ea quidem ratione, quòd hoc modo & facilius, & valentius caput inaniri poſſe putāt, cùm medicamenti vapores, vel ſaltem eius vis cum vaporibus, dum cibus in ventriculo conficitur: ad caput delata efficacius poſſit excrementa in capite congeſta detrahere. Sed neque hic modus vnquam mihi placuit, neque ratio eorum ſuis magis partibus fauet, quàm aduerſariorum. Ne autē hoc temere dixiſſe videar, ratio-
D nes adduco, quæ me in hanc ſententiam impellunt. Et vt primo a leniori incipiam, conſtat, quòd omnium ferè pilularum materia eſt Aloe: raro enim pilulas inuenies, quas antiquiores deſcripſerint, quæ Aloen non accipiant. Attamen Aetius lib. 3. vbi de Aloe loquitur. Et Paul. lib. 7. dicit, quòd etſi commode veſpere a cœna dari poſſit, melius tamen eſt, vt mane accipiatur & ante cibum. Paulus vero huius rei rationem, quam Aetius prætermiſit, addit: quia, inquit, cibum ipſum ſi poſt ſumatur, corrumpit, ſed hoc prætermittamus: nam hoc cuipiam fortaſſe ſatis anceps videbitur. Auicenna enim ſecundo Can. capite de Aloe, contrarium videtur ſenſiſſe: cùm dicit: Neque enim cibum corrumpit, quamuis addi-
E derit, ſi ex eo fiant pilulæ mixtæ cum ijs, quæ rectificant ipſam. Ac primam quidem partem ex medicinali compendio Oribaſij ad Euſtachiū ſcripto ſumpſit. In vniuerſa autem hac oratione, cùm dicit, quòd cibum non corrumpit, ſi miſceatur cum his quæ illum rectificāt, duo videtur inſinuare: primùm quòd ſolum ſine aliorum mixtura cibum corrumpit, deinde hoc eſſe tanquam Aloes priuilegium, vt ne a cibo etiam ſumpta, cibum corrumpat, quaſi purgātia cætera medicamenta poſſint cibum corrumpere, quod alioquin neque præter rationem eſſe videtur: quia venenoſa ferè natura omnia medicamenta conſtant, & ventriculo in primis aduerſantur (ſi de vere ſoluentibus & purgantibus loquamur, quæ à cibi natura, ratione que ſunt aliena) vnde ſi vitioſus aliquis

humor,

humor,præſertim biliòſus, in ventriculo congeſtus ſit,vel poſt cibum quidem in ipſum confluat,ſępe,vt omnes medici dicunt,cibum corrumpit: acria etiam medicamenta non minus viroſam, & cibi aduerſariā habent naturam, quare non minus poterunt cibum corrumpere ſi cibo immiſceantur,cū purgantia præſertim medicamenta,eam cum humoribus,quos purgando ſua natura trahunt,habent familiaritatem: vt quemadmodum tertio de Simplic.medic.facult.cap. c.xxiiij.dicit Galenus.Si a calore ventriculi ſuperata coquantur,in eum humorem vertūtur, quem attrahendi vim alioquin habent.Adde pręterea,quòd qui a cibo ſumenda eſſe medicamenta volunt, ſecus ac Galenus & Hippocrates præceperint,agunt.Nā cum medicamētum aliquod purgatorium, quod vere medicamentum,non autem veluti cibus medicinalis dici poſſit,accipiēdum eſt,in primis ſtudeant illi,ne minima quidem eius vis,vel particula in deſcenſu intercepta,ori & ſuperioribus ventriculi partibus hæreat, quæ eas turbare & irritare poſſit, ſed vniuerſum ad imum ventriculum deſcendat. Et ideo,vt paulò ſuperius dicebam,ſorbendam eſſe ptiſanam hordeaceā conſuluere,quæ ſi quid ſuperioribus partibus hæſerit,deorſum ad imum detrahat. Sed hi recētiores in hæc incommoda incidunt,quæ antiquiores illi ſummo ſtudio declinabant. Poſt cibum enim acceptum medicamentum ab eo ſuſpenditur,& impeditur,quo minus poſſit ad imum ventriculum delabi,imo cogit vt proxime ad os ventriculi moretur,quod facile quidem conſtabit, ſiquid nam ventriculus agat ab accepto cibo conſiderauerimus:qui quidem æque ex inferiori ac ſuperiori parte ſeſe colligit, vt vndique cibū concoquendum complexetur, & ei coquendo hæreat. His quoque & id accidit, quòd medicamenta poſt cibum ſumpta,ſi celeriter & breui tempore purgare inceperit,quod tum ex medicamenti natura poteſt contingere:ſi nempe his conſtat,quæ celerem habent operationem, tum vero ex corporis atque humorum vacuandorum natura & præparatione, duò hæc incomoda facile ſequi poſſunt. Alterum quidē, quòd cum medicamentum vitioſos humores attrahat ad ſe,vt ferrum magnes,attracti,& cibo adhuc in ventriculo moranti commixti: illum facile corrumpent. Alterum autem, quòd ſuperiorem ventriculi partem commouens & concitans, facile in cauſa eſſe poterit,vt vomitu ſimul cibus & medicamentum reijciantur,vnde maior deinde conturbatio,quàm purgatio ſubſequutura ſit. Poſtremo autem & ex loco a ſimili,& ex verbis Galeni quarto de Sanitate tuēda, capite ſeptimo, depromptam addo rationem: dicit ibi,nullum medicamentum,quod ad diſtributionem alimenti in vniuerſum corpus inſignem vim habeat, poſt cibum eſſe dandum,quia tum eum coqui quàm diſtribui magis expedit: quare & nos eadem ratione concludemus,cùm cibus ingeſtus eſt, vtilius eſſe vt ille concoquatur,quàm vt venter purgetur,præſertim cùm purgatio concoctioni maximè aduerſetur, vt idem Galenus quarto de Ratione victus in ac.mor. autumat. Ratio quoque qua ipſi vtuntur, nullam vim habet ad id probādum,quod ipſi affirmant, imo magis eorum ſententententiam videtur explodere. Primum enim non ideo maiorem vim humores purgādi vel attrahendi medicamentum habebit, quòd cibi vaporibus immixti vapores medicamenti ſunt, aut eius facultas ſit illis impreſſa, quia vt etiam probat Galenus,non eſt neceſſe, quòd medicamentum, aut eius pars aliqua, vel aliquid aliud medicamentoſa ea qualitate humorem petat, vt attrahatur, quia propria ſua natura,vel tota ſubſtantia, a medicamento ſit attractio,ſicuti etiam ferrum a magnete trahi dicitur:vnde ſuapte natura ad eum locū attractio fit, in quo eſt res,quæ vim attrahendi habet, ſiue quidē

A eam inſitam habeat,ſiue aliud acquiſiuerit. Nam ad illum locum ferrum attrahitur, in quo eſt magnes, ſed & ferrum ſi magnete fricetur, aliud ferrū, quòd ipſi proximum ſit,ad ſe attrahit:pari itaque ratione, cum ex antiquiorum medicorum ſentētia,attractio, quæ a medicamento fit,magnetis attractioni reſpōdeat,medicamenti vel ciborum vapores,qui iam affecti a medicamento ſunt,caput petentes eo humores attrahent, & ita non modo faciliorem, non facient purgationem,ſed illā potius impedient. Verū enimuero experientia docet, quod vbicumque fuerit id, quod vim habet attrahendi,eo attrahatur purgādus humor.Apophlegmatiſmi enim,qui a iunioribus maſticatoria dicuntur, item & gargariſmata ad os trahūt,& p os purgant caput.

B Errhina etiam vel caput purgia per nares.His autem & hoc addamus, & huic rei finem tandem imponamus,quòd humores,qui tū in partibus remotioribus cōtinentur, vt in articulis, & totius corporis habitu,ſępe liberaliter & facile per accommodata medicamenta purgantur,neque tamē expectant,vt medicamenti aut cibi vapores qualitate affecti eo ferantur.Hoc tamen velim dixiſſe,quòd ſi hanc conſuetudinem ſequi voluerimus, quæ iam noſtris temporibus inualuit plurimum, nēpe vt poſt cibum pilulas demus,cibus & cœna modica eſſe debet: & ea ſunt commendanda, quę cito & facile coquantur,facileque inferius deſcendant,vt deinde ante medicamenti motionem ſint confecta,facilemque ad medicamenti motum deſcenſum habeant, nec illi

C reſiſtendo,& difficilior, & magis turbulenta ſubſequatur purgatio. Multa certe hoc capite tractauimus,quæ forſitan commodius & aptius inferius explicarentur,vbi de acrioribus & valentioribus medicamentis agendum erit.Nam leuiora hæc,de quibus nunc eſt ſermo inſtitutus, non tantam exigunt cautionem ac diligentiam:ſed ne iſtiuſmodi doctrinam, quæ coniuncta quodammodo eſſe videtur,ſepararemus,placuit omnia hoc capite expoſita, vna eadēque ratione complecti.

D

De ratione mixturæ horum medicamentorum facilium, & de vſu eorum magis particulariter.

Cap. XI.

NVNC vero quæ magis vniuerſaliter expoſita ſunt particulatim ſimplicibus illis medicamentis,quæ leuia vel lenia, vel benedicta appellauimus, aptemus,& ſingillatim de vnoquoque dicamus.Primum videlicet,quibuſnam ea miſcere conueniat: deinde quibus humoribus purgādis idonea ſint:tertio, qui eorum modus aut menſura ſit congrua: poſtremo,quæ eorundem forma futura apta ſit, dicemus. Nam de tempore ſatis ſupra actum eſſe putamus.Vt ergo facilioribus iſtis medicamentis vſuri, a quibus

E ſępe ſi alia eis miſceamus,faciliorem & feliciorē operationem ſperamus, aliquam rationem & methodū habeamus,qua ea eligamus, quæ his aptius, & vtilius miſceri poſſunt,a quibusdam,quæ in vniuerſum adhuc conſideranda ſunt,incipiemus: poſtea ad ſingula accedentes,hæc generaliter propoſita,ſigillatim in quolibet medicamento,tanquam proprijs exēplis explanabimus. Primum ergo hoc dignum animaduerſione mihi eſſe videtur, quod paucis quidem verbis,vt vndecimo de Facult.Simpl.med.capit.de ouò expoſitum eſt: re autem ipſa & effectu in libris de Comp.med.ſecundum genera & ſecund.locos, ampliſſime fuit explicatum: Id vero eſt, quòd medicamenta, vim validam non habentia, duplici de cauſa cum alijs medicamentis mixta cōponantur.Interdū,

quia

quia ipſa ideo illud poſtulant, quia ex illa mixtura, & vtiliora, & meliora fiunt: interdũ vero, quia ea quæcunque illis miſcentur, & cõponuntur, inde maximã vtilitatẽ, & cõmodũ purgandis ægrotis adferunt: id autem præſertim, quod maximum quidẽ eſt, mixtiora hæc medicamenta illis, quæ vim maiorẽ habent, impertiuntur, quod, vt ibi Gal. docet, eorũ quaſi materia ſunt. Illa enim cum his leuioribus mixta, faciliorem tutiorem, & minus nocuam purgationem moliunt. Ex eo enim, ꝙ illis hæc mixta ſunt, illorũ acrimonia mireſcit, & violentia, atque gratia, & familiaritas cum ventriculo, & reliquis viſceribus conciliat: neque tamen principali eorum actioni, qua purgant aduerſantur, imo ſæpe iuuant; quia vel leniunt, & leniendo facilior ſuccedit purgatio. Vnde & qui de hac re ſcripſere, vt Ioan. Meſue, plurimũ laudant, vt medicamenta lenientia cum his, quæ ſoluũt, miſceãtur. Ait enim quòd eorũ operationem felicitant: & ideo cũ ſermonem de Manna habuiſſet, beatificat operationes omniũ aliorum exoluentium medicamentorum, vel quidẽ detergendi, & attenuandi vim habent, vt amara habent, & inde humores vacuandi prõptiores, & faciliores ad euacuationem reddũtur, aut denique aliquam & moderatam habent adſtrictionem, qua viſcerum ſubſtantiam colligentes, quæ a violenta fortiorum medicamentorum actione laxari, & diſſolui ſolet, plurimũ prodeſſe poſſunt: quo nomine Aloen cum omnib. alijs purgantib. medicamentis mixtam, non parũ corporibus purgandis dixerunt conducere omnes autores, qui de ea re ſcripſere, præſertim Oribaſius, Actius, Paulus. imo & Dioſ. necnon, & Arabes omnes. Sed & Auerroes de Rhabarbaro ait, quòd vt ipſum nulla eget correctione, ita alijs medicinis additum, emendat quicquid in illis eſt malignitatis. Et hoc quod hactenus diximus, nõ tantũ ad ſimpl. medicamenta, ſed ad compoſita quoque eſt referendũ, vt ea ſunt, quæ nunc a iunioribus electuaria dicuntur, pilulæ, & id genus alia. Nec tãtum in purgantibus medicamentis ita res ſe habet, ſed & in omnibus alijs, vt ſunt ea, ex quibus vel emplaſtra conficiuntur, vel cerata, vel linimenta, vel fomenta, vel perfuſiones: id quod ſi ea quæ a Galeno de huiuſmodi medicamentorum ratione tradita ſunt, diligẽter legerimus, facile percipiemus. Sed de hac miſcellæ & compoſitionis ratione poſterius dicemus: magis enim ad tractationem illã quam de medicamentis inſtituemus, quæ vim maiorem habent, pertinere videtur. Particulatim aũt quo pacto leuioribus his medicamentis vti poſſimus, vt ea cũ alijs componere, & non quidem aliorum ratione, ſed ipſorum ſermonem in præſenti habeamus, & illis ea accommodemus, q̃ in vniuerſum hactenus expoſita ſunt. Hoc primum explanato, quod ipſis interdum vtimur, non vt redundantem humorum copiam imminamus, & corpus purgemus, ſed tantum vt aluum lubricam ſeruemus, & ex communibus inſtrumentis excretionem ea deducamus, quæ quando non ſponte aluus deijcit, clyſteres detrahere ſolent: quod in his præſertim fieri ſolet, qui aut nolunt, aut non poſſunt clyſteres admittere: aſſiduos enim clyſteres moleſtos eſſe xiij. Meth. Gale. c. vigeſimo tertio teſtatus eſt. Aliquando vero aliquid amplius ex medicamento requirimus: nempe vt liberalius educantur humores, qui cum in ventriculo, & in inferiori aluo quaſi ſtagnant, tum vero in venis, quæ a iecinore cauaque præſertim eius parte ortæ eo pertingunt: verum tamen & pro diuerſa horum corporum ratione, diuerſa etiam vſus medicamentorum ratio naſcitur: quod particulatim exponit Gal. viij. de com. med. per loc. Aloen enim ſolum inteſtina vt ventriculum inanire dicit, ſi modicè tamen ſumatur. Nam ſi liberalius quis ea vſus fuerit, operatio illius eiuſdem ſententia, ad iecur vſque attinget. Quamobrem Aetius, Paulus, & Oribaſius, quos & Arabes ſequuntur, aiunt, quòd ad hoc, vt clyſteris officio fungatur, ſatis erit ſi triobolum detur, moderatam vero eius aſſumptionem fore, ſi duæ accipiantur dragmæ: liberalis vero purgatio ſequetur, addit Dioſcorides, ſi tres dragmę dentur, plurimis tamen vel vna tantùm ex ea accepta pilula, quæ ſcrupulum pendat, ſatis eſt commoda ad aluum excitandam. Hic ergo poſſumus colligere, quotuplex ijs leuioribus medicamentis vtendi ratio ex horum vario vſu naſcatur: quæ namque de Aloe diximus, eadem & alijs, quibus hoc modo vti ſolemus, poſſunt accommodari. Caſſia enim hoc modo ſatis erit, ſi illius liquoris, qui ex ipſa extrahitur ſemiunciam, vel minus etiam acceperimus, tum cùm prandium ſumus ſumpturi: atque ob hoc minus etiã ſemiuncia ſatis eſſe dixi: quia ſæpe ſi tantum ſiliquæ eius vel cannæ, quantum palmum lõgitudine æquet ſumpſerimus, eumque nigrum liquorem comederimus, & quaſi delinxerimus, rei neceſſitati ſatisfaciemus; quòd ſi ponderentur ad trium dragmarum pondus non aſcenderet. Idem & de alijs dico, vt exempli gratia, de Manna. Attamen aliquibus, & his longe leuiora ſatisfaciunt, vt ſi ante cibum lactis ſerum cum ſaccharo ſumpſerint. Antiqui vero (vt Galenus voluit) etiam cum ſale vtebantur, vt ſæpe & pruna exſiccata in prima menſa commeſta, ita ſola & cruda profuerint, quatenus ad hunc ſcopum pertinet: & magis faciũt quæ communia ſunt, & dulciora, quàm quæ Damaſcena dicuntur, quæque magis acerbitatis, & auſteri ſaporis non ſunt expertia, vt ea ſunt, quæ vulgares myrobalanos appellant. Sæpius autem iſtius rei ergo, ex modico iure macro vel aqua, addito ſaccaro copioſo decoctis illis vtimur. Vt vero minor horum medicamentorum, quando ad hunc vſum accipiuntur, copia aſſumenda eſt: ita & minori cura egent, minusque ſtudendum eſt, vt cum alijs miſceantur: nam ex illa modica quantitate nullum timemus incommodum: cuius quidem euitandi gratia, alia ſint illis addenda. His etiam illud addo, quòd licet plura ſint, quæ quantum ad ipſorum facultatem ſpectat, hoc nobis præſtare poſſunt, tamen non ita promiſcue, & ſine vlla diſtinctione illis vti debemus: aliquando enim vnum erit commodius & aptius, aliquando aliud. Nã illa quæ inſigniter aſtringunt, huic muneri non perinde ſunt idonea, vt myrobalani ab Arabibus appellatæ, atque Rhabarbarum: maxime vero ſi totum vel (vt aiunt) in ſubſtantia exhibeatur: quia eius dilutum, vel infuſio minus aſtringit. Nam etſi cum accipiuntur aluum cieant, poſtea tamen eam magis aſtrictam, & ad deiectiones difficiliorem reddunt. Aloe autem etſi aliquam habeat aſtrictionem, maiorem tamen deterſionem & attenuationem habet, cum amaritudo alia omnia ſuperet: & inde vias magis expeditas relinquens, ad faciliorem conducit deiectionem. Lenientia vero omnia medicamenta huic rei, de qua nunc agimus, idonea ſunt. Præterea vero in horum electione, ad morbum, ſi quo laboret æger, reſpiciendum eſt ad naturam corporis, ætatis, temporis: conſuetudinemque. Ecce enim, ſi febris quidem adſit, quæ putrida ſit, & longe etiam magis hectica, ab his quæ inſigniter calefaciunt & exſiccant eſſet abſtinendum, vt ſæpe conſulunt Hippocrat. & Galen. Vnde cenſuere aloen lotam, poſſe quidem in febre admitti, cum ea mitis, & non vehemens ſit, cum tamen ea quæ illota eſt, in hac declinandam eſſe cenſuerint. Licet enim aliqui febricitantes eam ſine noxa pertuliſſe videantur: non defuere tamen, qui plurimùm inde læſi ſunt. At ſi aliquando nobis e re eſſe viſum fuerit, vt illis vtamur, corrigenda erunt, vel decoctis, vel alijs rebus additis, quæ nocuas eas

qua-

qualitates temperent: ſed ſi corpus & viſcera ſint ob ſtructionibus obnoxia,ab his cauẽdum erit, quę vim habent ſtringẽdi manifeſtam , præſertim vero in initio antequam præparatio ſit facta , & per attenuantia,incidentia,& detergentia humores fuerint commoti . Vnde inter initia non tantum a myrobalanis abſtinent plerique medici,ſed & a rhabarbaro . Corporis etiam natura,& habitus eſt reſpiciendus : quia hi qui ſunt ſicci corporis habitu,præſertim vero ſicci ventriculi,vel etiam calidi,a frequẽti vſu eorum,quæ vel calefaciunt,vel exſiccant,cauere debent. Obſerua uit enim Gal.ex 8.de Comp.Secun.loca,aliquos aſſi duo vſu Aloes ad tabem fuiſſe perductos.Ita eis,qui frigidiorem habent ventriculum ab illis abſtinendũ, quæ refrigerant,vt Tamarindis,violis,prunis,ſero la ctis,& huiuſmodi: vel ſi eis vti voluerint illa ſaltem temperent,illis additis, quæ eorum frigus reprimere valeant.Humidum autem ventriculum,vel lenem ni mis habentibus,non admodum humida,& lenientia conducunt , ſed magis ſicciora . Vnde hic Aloen,& Hieram,ex 8.de comp.mod.per loca Gale.maxime conferre cenſuit. Contra vero ſiccioribus temperatu ris,præſertim cum citra materiam illa ſiccitas eſt, plu rimum obeſſe ibidem tradit. Hæc eadem poſſunt ad anni tempora,& ætatem referri . Similem enim hæc cum corporis natura,& temperatura indicandi ratio nem habent,vt ſępius Gal.declarauit.Quantum etiã ad hoc conſuetudo faciat,nemo eſt,qui neſciat : quæ enim nobis familiaria ſunt , ea minus naturam noſtram,quàm ea,quibus vti nunquam ſolemus, turba re videntur.

De ratione tractandi hæc medicamenta, quando non tantum communium excrementorum gratia, ſed liberalioris etiam purgationis,ergo ob euacuationem,vel reuulſionem offerimus.

Cap. XII.

SICVTI his medicamentis in maiori copia vtimur, cum liberaliter purgare volumus,ita etiam maior tunc cura erit adhibenda . Nam plerunque ſi aliquid , quod noxium eſſe poteſt eis inſit , magis id nocere poterit,cum copioſior erit medicina aſſumen da Hac igitur pręſertim ratione,cum ijs,licet faciliori bus medicamentis vtimur , alijs additis ea componimus.Sed,quæ mihi in eis miſcendis,& componendis animaduertenda eſſe videntur,hæc ſunt: nimirũ, quòd præcipue in his eligendis,quæ cum his miſcenda ſunt,ad eum ſcopum ſpectemus, qui nobis in primis aliquid miſcendum eſſe oſtendit.Nam aliqua mi ſcemus,vt medicamentum adiuuemus, quo citius,& valentius quoque purget,vel vt vnum potius , quàm alterum purget,quem alioquin non vacuaret , vel vt eius vis aliquam particulam pertingat , quam ſolum aut non attingeret,aut ægre ſaltem,& languide : vel poſtremo,vt occurramus,quò minus aliqua in re vẽtriculum lædat vel aliud quodpiam viſcus. Vnde pro diuerſis his ſcopis varia quoque his medicamentis commiſcemus.Sed,vt a caſſia incipiamus : ponamus nos operæpretium eſſe facturos,ſi ea vſi fuerimus,& illius ſententiæ ſimus,vt illam demus : primum illud erit perpendendum,quænam apta , & commoda futura ſit eius doſis : hoc vero quo pacto ſit exiſtimandum ſatis ſuperque fuit ſupra declaratum . Deinde conſiderandum , an tantum ſit , quantum optamus purgatum : nam ſi illa ſola non videatur eſſe ſatisfactum , tunc vlterius progredientes , examinabimus

A vnde futurum ſit , ne illa quantum opus ſit purgare nequeat:id autem accidit , aut quia euacuandus humor,& craſſior,& magis lentus eſt, aut quia locus ille a ventriculo remotior eſt,quàm vt eius vis eo poſſit peruenire.Ecce enim in affectibus pectoris ea vrimur:pectori enim dulcedine illa ſua,& lenitate ſatis commoda eſt,& vtilis:commodus item eſt eius vſus, in virium affectibus . Quamobrem ſi difficulter poſſit,eo quo cupimus peruenire,neceſſe eſt, vt alterum medicamenti mixtione iuuetur . Si ergo mixtione adiuuanda propter humoris inepti craſſitiem,& lentorem : & affectus , quo tentatur ægrotus, ad renes pertineat,accommodatiſſimum medicamẽtum hyſſopum erit:attenuat enim,diſſecat, flatus diſcutit,&
B detergit:vnde in prouerbio fere eſt,quòd ſyrupus ex hyſſopo bonus eſt abſterſor,qui quidem õn tantum in renum,ſed & in affectibus pectoris , & pulmonis maxime conducit:& cum etiã ipſum aliquid ad purgandum pituitam faciat , hac quoque ratione capiti proderit.Sed ſi non tanta caliditate,vel attenuatione eſſet opus radix dulcis,vel liquiritia,vt noſtri dicunt, eſſet vtilis.At ſi cuperemus eius vim ad renes vſque, &vias vrinæ peruenire,eas nempe ab eo craſſo viſcidoque excremento,quod acre non eſſet , purgaturi: quæ vero diuretica dicuntur miſceremus,quæ & calida ſunt,& habent partes tenuiores,& ſubinde attenuant,vt pote,quæ ad renes, & vrinarias vias ſecum
C caſſię vim facilius ducant,ſicuti ſunt ſemina aniſi, vel fœniculi,quę flatum , qui a caſſia ſępe ſolet excitari diſcutiendi vim etiam habent : ſi autem nitroſus,& acris eſſet is humor, tunc liquiritia , vel recens capillus Veneris,vel aliquid huiuſmodi immiſcẽdum eſſet:ſed ſi nullum horum particulatim quæreremus, ſed aliquid tantum nobis eſſet exquirendũ, quo magis,& facilius ſumpta caſſia expurgaret,neque tamen craſſitiem crederemus obſtare,aut multum lẽtorem. tunc,vt Arabes docent,ſerum lactis, pręſertim in cali dis morbis,atque calidioribus temporibus illi additum , eius operationem mirum in modum iuuaret. Quod ſi maiori auxilio caſſia videretur egere,quia aut longè liberaliorem vacuationem,aut ex remotio ribus partibus cuperemus , vel etiam ſi expedire putaremus , vt ea alium pręterea humorem educeret,
D quem educere ſola nequiret,aliud fortius medicamẽ tum eſſet illi addendum , illudque magis , & minus forte,vt & res ipſa,& ſcopi nobis propoſiti ratio , & humoris extrahendi natura videretur exigere. Nam ſi pituita eſſet detrahenda, agaricum adderemus : ſi melancholicum humorem , vbi exuſtus eſſet is humor,epithymum,vel ſenam:ſi bilem,aliquid ſcãmonei,vel alterius medicamenti,quod eiuſdem facultatis eſſet.Interdum vero non ſimplicia addimus medi camenta,ſed compoſita , ſeruata tamen prioris ſcopi ratione . Sępe enim aliquid illius medicamenti addimus(quod Diaphœnicon,id eſt ex palmulis,& Gręci,& Arabes appellant)cum craſſos humores purgare volumus,aut id,quod cõfectionem Hamech appella
E uit Meſue,quando exuſtos,& melancholicos humores aut ea,quę a roſarum ſucco nomen habuere,ſi bilis ſit educen da.Sunt pręterea alia multa , quę in his recenſeri poſſent,quę in pręſentia omittenda eſſe putamus . Nam, & horum tantum exempli gratia meminimus.Hoc tamen nullo modo prętereundum pu tamus,quòd cum caſſiæ aliquid addẽdum eſt, (quod etiam de alijs huiuſmodi medicamentis dictum eſſe volo)nempe cùm primum,& pręcipuum opus ex caſ ſia,uel ex alio leui medicamẽto quęrimus,cuius quidem natura huic , quem nobis primo propoſuimus ſcopo,ſit maxime apta, & accommodata , hoc nobis in primis eſt ſeruandum,ne alterius illius medicamẽ ti,quod addendum eſt,eam quãtitatem adijciamus, quæ caſſiam ipſam ſuperare poſſit: tunc enim prima,

& præcipua

& præcipua operatio addito medicamento attineret, non caſſiæ, vel id genus alijs: vnde caſſia magis materiæ rationem ſeruaret, quàm eius quod præcipuum eſſet, vt ſuperius diximus. Ea igitur quantitas eſt addenda, quæ caſſiam ſollicitare, & adiuuare poſſit. Vnde nunquam id addemus, quod iuſtè, & integre (vt nunc dicunt) doſis modũ, & rationem poſſit habere. Quare Agarici, vel Diaphœnicon, vel alterius dragmam ad ſummum vnciæ caſſiæ addemus. Ne videamur autem obliuioni tradidiſſe poſtremã illam cauſſam, qua aliquid leuioribus medicamentis addimus, nonnulla etiam de ea dicamus. Ea erat, vt alicui noxæ occurramus, quam poſſet medicamentum afferre. Et quia hactenus de Caſſia loquuti ſumus, de ea quoque proſequamur. Hoc tantum itaque caſſia habet incommodi, quòd tormina aliquando mouet, in his præcipue, qui leuia, & humidiora inteſtina, & qui viſcera debilia habent, vt Meſues dicit. Iſtiuſmodi autem ſuſpitio tolletur, ſi aliqua addantur, quæ viſcera modeſta aliqua adſtrictione roborent, vnde inter ſimplicia maſtichis, Myrobalanorũ, Rhabarbari, & Spicę idem Meſue meminit: nos poſſumus, & Aloen, & citri ſemen addere. Inter compoſita vero hiera ex Aloe optimum, & commodiſſimum eſt medicamentum. Interdum vero, & eo medicamento, quòd Diacatholicon Meſues appellat, ego vtor: ſed horũ aliqua poſſunt duobus ſcopis ſatisfacere. Nam, & vt læſio emẽdetur, quam ob tormina, & dolores timemus, & pręterea in purgando non parum conducunt: huius vero ſunt Rhabarbarũ, Myrobalani, Aloe, & illa compoſita. Maſtix vero, & ſpica hanc ſolum vtilitatem prèſtant, quòd efficiunt, ne viſcera lædantur, aſtringendo, roborando, & flatus diſcutiendo. Quantum vero ad eorum delectum ſpectat, quando nobis videtur caſſiam ſolam poſſe purgationi ſatisfacere, vtemur maſtice, & ſpica, ſed ſi operępretium eſſe putauerimus, vt præter id quoque ea vis, quæ ſoluit, iuuetur, aut rhabarbaro, aut myrobalanis: myrobalanas quidem, vbi maiori aſtrictione, & refrigeratione, & & præterea aliqua alterius humoris detractione ſit opus: chebulis, ſi pituita: citrinis, ſi bilis: Indis ſi melãcholicus humor ſit educendus: Rhabarbaro vero vbi magis calefacere expediat, & præter adſtrictionem, & obſtructiones ſint aperiendæ. Aloe etiam idem præſtabit, ſiue lota, ſiue illota ea vſi fuerimus, vt tamen ſciamus, quòd lota minus purgat, minuſque calefacit, illota, & magis calefacit, & purgat magis. De copia autem exhibenda ſatis ſuperque diximus. Ex his quoque facilè quiſquę percipere poterit, quomodo ſe medicus in vſu mannæ gerat, cùm ſimilem ferè duo hæc medicamenta naturam, & vires habent: aliquanto enim imbecillior eſt manna, vnde, & eius copia, vel (vt aiunt) doſis maior eſſe debet: accedit enim interdum ad tertiam vnciam. Neque de Tamarindis, item longiorem nos ſermonem habebimus. Tantum dicemus, quæ ſunt medicamenta acutis febribus, temporibus, & temperaturis calidis maximè commoda: nam, & bilem tenuem, calidamque facillimè, & ſine illa agitatione, & turbatione educunt, & extingunt præterea ardorem, & ſitim reprimunt, quæ earum febrium moleſtus, & moroſus comes eſſe ſolet: vnde illis raro hyeme vtimur, & in his qui ventriculum habent frigidiorem ab eis abſtinemus. Plurimum enim frigidiores ventriculos lædit, & ideò e re eſſe videtur, vt huius incommodo aliqua ratione occurramus, ſicuti ſi ea miſcuerimus, quæ ventriculum roborant, & aliquantiſper calefaciunt, vt eſt maſtix, ſpica, macis, abſinthium, & alia huiuſmodi. Sed etiam docuit Meſue ab his tamarindis nocumentum tolli, ſi cum apio, fœniculo, & endiuia, & cichorio infundantur, vel coquantur: quia vero, & tarde, & languidè ſoluit ſerum lactis, præſertim caprę, quòd magnam habet cum eis familiaritatem, eos facillime iuuare ad purgandum poterit. Sæpe, & eos cum caſſia, manna, & rhabarbaro fœliciter miſcere conſueuimus. Electio vero horum poteſt facile percipi, ex his, quæ paulo ante de caſſia diximus, De ſero autem lactis ſatis abunde a Meſue, & reliquis, tàm Arabibus, quàm Græcis ſcriptum eſt, & aliqua etiam ſunt a nobis ſuperius dicta. Vnde in his exponendis tempus non teremus. Solis etiam prunis, roſis, aut violis, raro ad purgãdum vtimur, atque id ideo, quia vim purgandi leuiſſimam habent, ſi ſolis illis vtamur: nam componimus ſyrupos ex roſis, & violis, in quibus noſtro hoc ęuo omnes fere medici, & in Italia, & in alijs regionibus, quæ cum Italia conſuetudinem habent, vtuntur: ſed poſtea cum de compoſitis agemus, de his quoque loquemur. De Aloe autem ferè quæcunque ad noſtrum inſtitutum facere videbãtur, ſuperius expoſita ſunt, præterquam quòd quamuis Meſue ab ea in hyeme ideo cauendũ eſſe dixerit, quia orificia venarum aperiat, non minus tamen ab ea cauendum eſt æſtate, præſertim æſtuoſa, & ſicca, cum ſit ſatis calida, & magis etiam ſicca, & tutus non admodum ſit eius frequens vſus in calida præſertim, & ſicca temperatura: quanquam ſi lauetur, & endiuiæ ſucco, vel cichorei, vel roſarum, vel aqua, minus obeſſe poſſit: non parum enim de calefaciendi poteſtate detrahitur, imò, de ea, qua exſiccat, non ob id, quod herbæ hæ exſiccent, ſed quia per loturam aufertur bona illius ſubſtantiæ pars, quæ magis eſt medicamentoſa, & ſubinde, quæ maiorem vim calefaciendi, & exſiccandi habet. A Iunioribus præterea quibuſdam Meſue damnatur, quod hoc vitium Aloe ineſſe dixerit, quòd orificia venarum aperiat, & ea ratione illis eſſe nocuam, qui ſanguinis fluxui per hæmorrhoidas, & earũ doloribus ſunt obnoxij, in vtroque vero reprehenditur: Primùm quidem, quia antiquiores, præſertim Dioſcorides, cui, & alij aſtipulantur, dixit; Aloen ſanguinis ſputum reprimere: hoç hoç vero rationi conſonum eſſe nõ poteſt, quod ora venarum aperiat, & ſputum ſanguinis tollat; quòd vero hæmorrhoidas irritet, aiunt, id quidem interdũ fieri, neque id tamen in Aloen eſſe referendum, ſed in acriores humores, qui dum in Aloe educuntur, ſedis venas pungunt, & irritant, quæ hac de cauſa deinde aperiuntur. Mihi ſane Meſue videtur, ſi recte intelligatur, & eius dicta cum alijs auctoribus, a quibus ea deſcripſit, conferantur, & ad eorum præſcriptum explanentur, poſſe à tanta calumnia defendi: neque enim id in vniuerſum accipiendum eſt, quòd orificia, vel ora venarum aperiat, ſed duntaxat ad venas ſedis, vel ani eſt referendum: hoc enim ex Serapione depromptum eſt, vbi de Aloe agit: citato enim prius Paulo, addit, aperit orificia venarum, quæ ſunt in ano, vt fortaſſe vitio librariorum, vel eorũ, à quibus tranſlatus eſt, ea verba ſint prætermiſſa. Hæc quantum ad Meſuem. Quamuis autem quod refert Serapio, nunquam in Paulo me legiſſe meminerim, hoc tamen ad rem facere nõ admodum videtur, modo vera ſit iſtiuſmodi ſententia, vt tamen non ſit id prætermittendum, quòd ex his patet, nullam contra hanc ſententiam facere rationem, qua Meſuem nitũtur improbare Iuniores: nimirum, quod ſi ſanguinem ſiſtit, cum expuitur, non poteſt ora venarum aperire: nam fieri poteſt: vt ſanguinem, qui expuitur, reprimat, ora tamen venarum ſedis aperiat, quod ea ratione fit, quia partes adſtringentes, quæ frigida, & terreſtri ſubſtantia conſtant, facilius ad ſpirituales, (vt ita dicam) partes perueniant a tenuioribus, ex quibus pendet amaritudo deductæ, quæ fortaſſe nõ ita facile vſque ad venas ani peruenire poſſunt, ad quas ijs partibus, quæ amaritudinis cauſa ſunt, facilior eſt aditus. In tenui enim ſubſtantia amaritudo

ſita

ſita eſt: & ipſemet Meſues difficultatem hanc in capitulo de Centaurio vidit, & eam nixus eſt diſſoluere: ſed quia eſt in hac re ſuſpecta, imo nullius fere momẽti Meſues auctoritas, ideo ex Galeni decretis ratione a ſimili deprompta Meſuem tueri conabimur, Galenus 7. de ſimplicibus medic.facult. vbi de Centaurij maioris radice loquitur, dicit, quòd ſanguinem expuentibus eſt vtilis, cùm tamen magnam in aperiendis vteri venis vim habeat, ita vt poſſit, & abortum facere, & fœtum mortuum deijcere: vbi Galenus dicit, quòd non eſt mirum, affectus fere oppoſitos ab ijs medicamentis prodire, quæ etiam diuerſis conſtant partibus, & his facultatibus, quæ ſibi inuicem aduerſant̃. Sed hęc oĩa omittamus, & neq; auctoritatibus adeo innitamur, ſed rẽ ipsã diligentius cõſideremus. Reuera enim negare hoc non poſſumus, quod experientia etiam patet, quin Aloe priuato hoc vitio ſit præditum, vt nempe præ alijs fere medicamentis, eos lædat, qui dolori, vel fluxui hęmorrhoidali ſunt obnoxij, & id non tantùm, vt Peripatetici loquuntur, per accidens, id eſt, ob id, quia acres, & bilioſos purgat humores, ſed ſua etiam naturali facultate. Nam ego pluribus annis, quibus medicinam Venetijs exercui, & experientia obſeruaui, quod illos curaturus, qui hoc incommodo tentari ſolent, dum varijs medicamentis, quibus illos purgarem, vterer, ab alijs nõ adeo facile, & prompte hæmorrhoides irritabantur, quamuis illa etiam acriora eſſent, atque ea, quæ copioſa excrementa bilioſa educerent. Neque enim ſenæ, neque Rhabarbarum, ſed neque agaricum tantam moleſtiam afferebant: non negauerim tamen quin & alia etiam medicamenta id præſtare poſſint, ſed & hoc addiderim, quod plus minuſve pro ratione, aut acrimoniæ medicamenti, aut eorum humorum qui excernuntur naturæ, aut copiæ. Nam, & ſine vllo medicamento in alijs fluxionibus eas excitari vidi, vel quidem aptitudinis, & ꝓpenſionis gratia, vel ratione acrimoniæ humorum. Sed vtcumque res ſe habeat, priuata quadam ratione ac proprietate, hoc magis ab Aloe fieri, quàm ab alijs medicamentis dubitandum non eſt. Quòd ſi dicant aduerſarij hoc ab Antiquioribus medicis nunquam memoriæ fuiſſe proditum, ego eadem ratione aduerſus illos dicam, qua ipſi dum de rhabarbaro loquuntur, hoc argumentum iſta reſponſione effugiũt, nempe, quòd primi illi auctores, & ſi plura reperierint, & nouerint, non tamen omnes vires eorum ſimplicium medicamentorum, quæ ab illis reperta ſunt cognouerunt: nam eorum nullus purgatoriam facultatem in rhabarbaro ineſſe cognouit: licet enim alijs rationibus id in vſu haberent, nunquam tamen eo veluti purgatorio medicamento vſi ſunt, quæ vis poſtea percepta eſt, tam in eo, quòd ex Ponto, vt idẽ Manardus dicit, quam in eo, quod ex India defertur. Quidam tamen mercator, qui diu in Perſia verſatus eſt, qui quidem erat aromatarius, & horum omnium medicamentorum peritiſſimus: & is vir, vt eius verbis maxima eſſet adhibenda fides, mihi retulit, Rhabarbarum in montoſis Perſiæ locis naſci, colligi ſiccarique, & in Aegyptum, vel Syriam a Perſis negotiatoribus ferri, vnde ad nos deinde defertur. Sed de ijs ſatis. Hoc autem incommodum (ſicuti a poſterioribus fuit obſeruatũ) bdellij, vel maſtichis admixtione facile mitigari poteſt. Sed iam de rhabarbaro paucula quædam dicamus: de eo enim nonnulla etiam ſupra relata ſunt, quibus tamen hoc addamus: quod nullum auctorem ante Meſuem me legiſſe memini, qui de duplici hac ratione, qua eo vtimur vnquam egerit. Cùm enim minorem ex eo reſtrictionem requirunt Medici, id macerant per octo, vel decem horas, vel plus aliquo decocto, aut aliquo liquore occaſioni, & ſcopo, quem tunc ſpectant accommo-

A dato. Vnde æſtate plerunque eo liquore macerant, quo illius caliditas, ſiccitas, & aſperitas remitti poſſit. Hyeme vero eo, quod humores attenuet, & illud in aperiendo adiuuet. At cùm maiorem adſtrictionẽ, vt in alui fluxionibus, & ſanguinis ſputo, & profluuio quęrunt, eo toto vtuntur, & vt Iuniores dicunt, in ſubſtantia. Sed & illud eſt etiam animaduertendũ, quòd cùm toto eo, vel in ſubſtantia (vt aiũt) vtimur, non minus aperit, quamuis adſtringat magis. Antiqui enim, vt ex eorum libris poſſumus obſeruare, etiam cùm obſtructiones erant aperiendæ, toto illo vtebãtur, neque, vt docuit Gal. de Facul. ſimpl. med. in his medicamentis, quæ conſtant diuerſis, & inter ſe aduerſarijs partibus hoc eſt abſurdum: non enim B illæ, quæ adſtringunt obſtant, quominus aliæ aperiẽtes ſuo fungantur officio: immo, quoquomodo potius iuuant: nam cum a natiuo calore ad actum deductæ diſſoluuntur, quæ aperiunt, vtpote, quæ tenuioris ſint ſubſtantiæ, præeunt: quas deinde adſtringentes ſequuntur, & quaſi exprimentes eas vlterius impellunt, & adigunt: & inde fortaſſe etiam magis, & valentius purgat Rhabarbarum, cum totum accipitur (id enim experientia ſępe perceptum fuit) quã quando ſolus liquor, in quo fuerit maceratum: quãuis, & hoc poteſt accidere ex eo, quòd totum magis reſiſtit, ne a calore natiuo magis diſſoluatur, & digeratur, & ideo diutius poteſt vim ſuam ſeruare: neque C ijs, quæ de illo a Galeno, Dioſcoride, & ab Arabib. dicta ſunt, habeo quod addam, niſi quòd raro in eo exhibendo vidi his temporibus medicos vltra drachmam tertiam fuiſſe progreſſos: quòd ſi Meſue longe maiorem copiam permittere videatur, non quidem ego crederem eam Meſues eſſe ſententiam, ſed magis in libris Latinis eſſe mendum, qui multis etiã alijs ſcatent erroribus, præſertimq; in vocibus menſuras, & pondera referentibus. Vnde nunquam eſt his libris fidendum, quin & medicus ſemper conſultans rationem, & experientiam ex frequenti vſu obſeruatam, ſuum etiam ipſe iudicium apponat. De Myrobalanis etiam ipſis nihil quod dicam habeo, præter ea, quæ ab Arabibus ſcribuntur, qui earum fuere inuentores (quod ego quidem nouerim) & fortaſſe ea ratione, quia ab Indis, cum quibus in exercenda D mercatura commercium habuere, & apud quos hæc naſcuntur, fuerunt edocti. Vnde ad compoſita medicamenta, quæ cum his ſimplicibus in eodem ordine ſunt, quod ad ſoluendi rationẽ pertinet accedamus. Sed nec de his omnibus etiam, ne prolixiores ſimus, ſermonem habere volumus. Satis enim fore puto, ſi ea, quæ ſunt in vſu communiori, & frequẽtiori a me exponantur. In his itaque noſtris proximis regionibus, vt puta Venetijs, Patauij, & in reliquis huiuſmodi ciuitatibus paſſim, & frequentiſſime in vſu eſt medicamentum id, quod vulgo Electuarium lenitiuum appellant, & illud quod recentiores medici noſtri, qui paulò ante hanc noſtram ętatem claruere, Diaſebeſten nuncuparunt, cuius auctor Bartholomęus E Montagnana fuit. Et duplici modo in vſum ſolet venire: interdum enim non addito ſcãmonio, eo vtuntur, & tunc aut ſimplex Diaſebeſten, aut incompletum appellant: interdum vero, & ſcãmonium addũt, & vel completum, vel compoſitum vocant. Singulæ autem iſtius medicamenti vncię ſcammonij ex cotoneo, quod deinde diagridion nuncupant, parati, quinque grana accipiunt, in copia tamen, vel põdere ſcãmonij indendi ſolent Apothecarij variare. Longè autem faciliùs eſt medicamentum, & id quod magis inter lenientia ſit recenſendum, illud quod ſimplex eſt, & citra ſcãmonium, quamuis & illud quod ſcammonium admittit, poſſit in hunc ordinem a nobis referri: adeo enim exiguam ſcãmonij accipit portionem, vt illud non ſit, id quod primũ purgat, ſed quod

alia

alia medicamenta iuuat, & excitat, vt ſuperius in A multis alijs explanauimus. Vnde ſæpe ſi ſolo hoc electuario, vt dici ſolet, vtamur, integram vnciam exhibent, quæ doſis non videtur valentiora medicamenta ſpectare, ſed potius lenientia, & facilia, verum etiam quantum ad rationem compoſitionis pertinet, idem de eo medicamento cenſendum eſt, quod Diaprunon ideo iuniores vocauere, quod magna ex parte ex prunorum ſucco conficiatur: nam, & ſine ſcāmonio id conficiunt, atque Diaprunon non ſolutiuum dicunt. Aliquando vero ſcāmonio addito, ſolutiuum dicunt: ſed quia longe maior eſt copia ſcāmonij, quam accipit eiuſmodi confectio ſi componatur, vt a Nicolao deſcribitur; ideo tunc non inter lenientia, ſed inter vere ſoluentia collo- B candum erit. Præſtans præterea eſt, & id medicamentum, quòd a Meſue deſcribitur, & Diacatholicon, quaſi omnes in vniuerſum reſpiciat humores, ab eo appellatur, quod, & ipſum eſt in hoc ordine, a qno neque procul abeſt Diaſena a Meſue item deſcriptum. Sed de his omnibus id item dicendum eſt, quòd ſupra de ſimplicibus diximus, nimirum, quod interdum illis tanquam materia aliorum fortium vtimur, vt quando illis fortiora immiſcemus, quantum ad horum fere doſin accedat, interdum tanquā eo, quod præcipuum ſit futurum in euacuando, vt quando, vel ſolis vtimur, vel ſi aliquid addimus, id tantum addimus, quod hæc iuuare poſſit, vel accelerare. Hæc de his electuarijs lenioribus dicenda ſufficiant, ſatis putans fuiſſe auctores, qui exacte ea ex- C poſuerint, ſignificaſſe. Hoc tantum in præſentia reſtat dicendū, quòd eorum alia quidem bilem purgant tenuem, præſertim, vt ſunt Diaſebeſten, & Diaprunon citra ſcāmonium, & eadē calidioribus temporibus ſunt accommodata. Alia vero pluribus humoribus præſertim exuſtis purgandis vtilia ſunt, & hæc ſunt: Diacatholicon, Diaſena, & Electuarium lenitiuum. Sed nequis putet ſola ea medicamenta, quæ vulgo Electuaria vocant, ad hunc primum medicamentorum ordinem pertinere, huic etiam ſermoni addendum eſt, quòd & ſyrupi reperiuntur, & pilulæ, & pulueres, & decocta, ad hunc eundem ordinem pertinentia. Et ſyruporum duę differentiæ, quę quidem ſoluunt, nobis in vſu ſunt: quarum alteram D nos ſyrupum roſatū ſolutiuū appellamus: quidam autem Mucharum ſolutiuum magis barbaro vocabulo nuncupant, & hoc quidam Aphothecariorum ex nouē, alij vero ex duodecim roſarū infuſionibus parant. Syrupū autē roſaceū ideo appellamus, quia aqua ex multiplici maceratione expreſſa, & ex ſaccaro decocta in formam, vel modum Syrupi redigitur. Alteram autem ſyrupi differentiam, Violaceum ſolutiuū appellant, quæquidem ex violarum infuſione eodem modo ante aliquot annos fieri cœpit: id tamen inter has differentias intereſt, quod frigidior, & humidior eſt violaceus, & ideo maiorem calorē extinguendi, & ſomnū conciliandi vim habet, maiorē etiam leniendi. Vnde etiam inflammationibus eſt ac E commodatior, & reliquis calidis, & ſiccis pectoris, & pulmonum affectibus: ſitim etiam magis extinguit, Roſaceus vero magis detergit, aperit, & roborat, & ideo eſt in iecinoris, & cerebri calidis præſertim affectibus præſtantior, Quatenus autem ad eorum doſim pertinet, hęc ſunt conſideranda, vt maiorem vim ſoluendi habet roſaceus violaceo, ita violaceo poſſumus vti copioſiore: ſed & præterea, quòd cum recentes ſunt, magis ſoluunt: dum veteraſcunt aūt, purgatoria eorū vis reſoluitur: quapropter menſe Maio, & Iunio, Iulioque interdum tres vnciæ ſatis ſunt, Martio, & Aprili vix quatuor, vel interdum etiā quinque poſſunt liberaliter aluū ciere. Poſſemus quidem hic, & de ſyrupis de fumoterrę, vel fumaria,

A qui compoſitus nuncupatur agere, & de eo etiam, qui ex pomis cōpoſitus dicitur: ſed illis vtimur non ſoluendi, ſed præparandi gratia, quamuis, & ipſi aliqua accipiunt, quæ purgatoria aliqua facultate ſunt prædita, leuiſſimam tamē vim habēt, niſi ab alio adiuuentur medicamento. Sed & quia decocta plurimum cum ſyrupis conueniunt, de ipſis quoque paucula quædam dicemus. Duo autem ſunt, quæ in frequentiori ſunt vſu. Alterum, quod dicitur fructuum decoctum, quod ſi, vt deſcribitur a Meſue, conficiatur, vim quidem mediocrem, facilem, & ſine moleſtia purgandi habet: prunis enim addit, & caſſiam, & mannam, & tamarindos, ſebeſten, & ziziphas. Sed his temporibus varius eſt eius vſus, aliquando enim B fit in prunis, ſebeſten, & ziziphis, quibus addunt flores, quos cordiales appellant, videlicet Boraginis, Bugloſſæ, & violarum. Interdum vero ſine his conficiunt: his nonnunquam Tamarindos quoque addunt, aliquando vero non addunt: adduntque quando maiore caloris extinctione feruētis bilis eſt opus, & maiore item euacuatione: cum vero ventriculus debilior, & frigidior, cui videatur timendum eſſe, eos adimunt, & eſt iſtiuſmodi decoctio veluti materia, qua æſtuoſis, & calidis temporibus omnia fere purgantia medicamēta diſſoluuntur. Nam prętermiſſa caſſia, quandoque etiam & Manna, ſi macerandum eſt rhabarbarum hoc decocto infuſum, hoc tempore macerant, ſed & ſi aliud purgans medicamentum ſit diluendum, hoc itidem decocto diluunt: C nam lenit, humectat, & refrigerat: præter hoc autem & id decoctum in vſu eſt, quòd ex Epithymo dicitur humori melancholico purgando aptiſſimum: cuius inter alias duplex in vſu reperitur confectio. Altera ex Raſi deſumpta, altera ex Meſue, quæ item hic in maiori eſt vſu. At iſtud non huic medicamentorum ordini eſt adſcribendum, cum, & turbith accipiat, & agaricum, & nigrum etiam veratrum: ideo poſterius forſitan de eo ſermonem habebimus. Id vero, quòd a Raſi refertur, omnia facilia habet præter Turbith, quod quidem cum non in multa copia inijciatur, poteſt aliquo modo in hoc ordine cenſeri, cum ſit facilis ſane medicina, quæ ad humorem melancholicum facile purgandum ſit apta, ſiue aliquem ſyru- D pum huc pertinentem addamus illi, ſiue eo tanquam materia, qua alia medicamēta ſint diluenda vtamur. Solent autem Apothecarij huius decocta diutius parata non ſeruare, ſed ea cum illis opus eſt, conficere: quia calidioribus temporibus facile putreſcunt. De decocto autem ſenę, quod & ipſum in multo eſt vſu, multus non ero, cum varie, & multipliciter conficiatur: nam tum ex ratione eorum, quæ ſenæ adduntur; tum vero ex illis, quæ de ſenæ paulo ante ſunt dicta, facile omnia, quæ ad ipſum pertinent, poterit quiſpiam, vel leuiter inſtructus aſſequi. Syrupi autē ſi probe cocti fuerint, integri diutiſſime ſeruantur. Pilulæ vero, vel catapotia, quæ in hunc ordinem referri poſſunt, ex his quibus nunc vtimur, ſunt Pilulæ E ex hiera, quam Galenus Dialoes appellat. Item, & pilulæ, quas tertio can. Aſſaieret vocauit Auicenna, has vero, & priores addito Agarico quandoque conficiuntur, vt a remotioribus partibus, præſertim vero a capite vim maiorem habeant attrahendi, quarum hæc eſt differentia, quod illæ, quæ ex hiera conficiuntur, calidiores ſunt, vnde frigidioribus affectibus multo ſunt opportuniores, quàm calidis: at Aſſaieret non ita ſunt calidæ, additis enim myrobalanis aliorum medicamentorum caliditas temperatur. Elefanginæ vero ab eodem Meſue deſcriptæ, inſigniter calidæ etiam ipſæ ſunt, imò, & illis ex hiera confectis calidiores: & præter id, quod non minorem vim purgandi habent, quàm hiera habeat: calefaciunt etiam, flatuſque diſſoluunt, & diſcutiūt, craſ-

ſamque,

ſamque,& lentam materiam attenuant, vnde ad do-
lores ex materia pituitoſa flatulenta cõcitatos, præ-
ſertim in vẽtriculo, & inteſtinis admodum præſtan-
tes ſunt. In hoc eodem ordine ſunt Maſtichinæ,quę
etiam laboranti ventriculo, & craſſiores humores,
tum bilioſos, tum pituitoſos congerenti prodeſſe,
maximè poſſunt:& ratione Agarici earum vis ad ca-
put etiam pertingit, & ad oculos: vnde earum vſus
affectibus oculorum,& capitis vtilis eſt,tum illis,qui
earum partium primarij ſunt, tum vel maximè his,
quæ ex ventriculi conſenſu oriuntur. In hoc eodem
etiam ordine ſunt pilulæ, quæ de Tribus cũ rhabar-
baro vulgò appellantur, quia ſcilicet ex tribus medi-
camentis ſimplicibus cõfectæ ſint, Aloe ſcilicet, Aga-
rico, & Rhabarbaro pari ſingulorum pondere, quæ
mirum in modum obſtructiones aperiunt, bilemque
notham præſertim, & pituitam educũt. Vnde in fe-
bribus diuturnis earum vſus præcipuè conducit,quæ
à multis viſcerum obſtructionibus fouentur, ſed &
doloribus, tam ventriculi, quàm iecinoris ab eiſdem
humoribus excitatis cõferunt. Dicuntur autem cum
rhabarbaro, vt eas diſcernamus ab illis, quæ interdũ
pilulæ cõmunes, interdum de Tribus dicuntur;& ab
Arabibus tãquam medicamentũ deſcribuntur, quod
in peſtilentia ſit maximè ſalutare, eaſque in Rufum
auctorẽ referunt, quamuis ſi Græcos legerimus alio
modo medicamentũ Rufi ſe habeat, q̃ Arabes retu-
lerint.Hi enim ex Aloe,croco,& mirrha eas cõficiũt.
Rufus vero croci non meminit, ſed Ammoniacum
pro croco imponit, neque pilulas conficit,ſed pulue-
rem cõponit. Neque eſt idẽ horũ pondus Rufo, &
Arabibus,vt ſi Paulũ legere voluerimus Aetiũ,& O-
rib cap.de peſtilentia,& Arabes,vbi idẽ argumentum
tractãt,perſpiciemus: ſed ſiue hoc,ſiue illo modo cõ-
poſuerimus,mirũ eſt medicamẽtũ, & a poſterioribus
omnibus probatum,& multis elatum laudibus:quod
tamen mea quidem ſententia: magis accommodatũ
eſſet homini a peſtilentia cuſtodiendo, & defenden-
do,quàm iam lapſo in peſtilentiam curando:exſiccã-
do enim quod inſigniter præſtat, & facilè ſine agita-
tione purgando a peſtilenti putredine defendere po-
teſt;tutior tamen eſt eius vſus,quando nulla,aut mo
dica febris eſt accenſa: quia cum febris acuta eſt, ſicuti
ſæpè febres peſtilentes ſunt(nam etſi exterius non vi
deantur ardentes, interius tamen vrunt) calefacien-
tia, & exſiccantia, vt Hippocrates, & Galenus ſæpe
teſtantur, maximè illi aduerſantur. Harum om-
nium doſis eadem ferè eſt. Communis enim vſus
eſt, vt vſque ad ſeſquidrachmam, vel ad ſummum
ad drachmas duas accedamus. Pulueres autem,
quibus non modo medici, ſed interdum etiam mu-
lieres ad purgationes vtuntur, ſunt primum pul-
ueres hierę,& ſenę puluis,quem Apothecarij,& vul-
gares apud nos ſenæ præparatum appellant: facilè
ſanè medicamentum, & primum quod ego nouerim
à Bartholomęo Montagnana deſcriptum,exuſtis prę
ſertim humoribus,craſſiſque, & pituitoſis deducen-
dis aptum. Conficitur autem accepta ſena ad ſeſqui-
unciam, additis deinde macere, & zingibere vtriuſ-
que drachmis tribus, & deinde fæcis vini albi, quam
vulgares Tartarum appellant ſeſquidrachma. Hoc
medicamento noſtræ obſtetrices in ciendo aluo, ſi
quando in puerperis ſupprimatur,vtũtur:dant enim
drachmam vnam, aut alteram ex iure gallinaceo,
quod ſæpiſſime citra vllam noxam aluum mouet.
Aliqui tamẽ,& ſal itidem inijciunt,& ſcammonium:
ſed cum hæc adduntur, iam medicamentum hoc
hunc ordinem medicamentorum excedit. Scammo-
nium enim, & ſal illud acriora ſunt medicamenta,e-
tiam ſi cum leuioribus aliqua copia commiſceantur,
quàm, vt poſſit ad hunc ordinem admitti. De pu-
luęribus autem hieræ, licet illæ ita in vſu antiquis

A fuerint, tamen ob aloes amaritudinem, pauci ſunt,
qui illas abſque aliorum mixtura poſſint admittere:
ideo non multa præterea de his dicemus. Sed ad a-
lium medicamentorum ordinem noſtrum ſermonem
iam conuertemus.

De ratione vſus, & compoſitionis medica- mentorum, quæ Soluentia potius, quam lenientia dicuntur.

Cap. XIII.

SERVANTES in his eundem, quem in ſupe-
rioribus ſeruauimus ordinẽ, primò de ſimplicio-
ribus medicamentis, tum de compoſitis agemus.
B Quamuis quantum ad inſtitutum noſtrum per-
tinet, in his res ſecus ſe habeat, ac in alijs, de qui-
bus hactenus loquuti ſumus:quia illis non modo in-
terdum,ſed frequentiſſime,vt ſuperius diximus:ſim-
plicibus vtuntur medici, ſæpe vero pauciſſimis addi-
tis: his vero rariſſimè ſolis: ſæpius vero compoſitis.
Vt autem compoſitorum vires cognoſcamus, & illis
congrue vtamur, neceſſe eſt prius de ſimplicibus ad
hoc genus pertinentibus agere, cum illa ab his vires
ſuas ſortiantur. Non omnia autem,quorum aucto-
res meminere perſequemur, ſed ea tantum,quæ paſ-
ſim in vſu ſunt frequentiori, & quæ inter compoſita
recipiuntur, quibus frequenter ad purgandum ægro
tum corpus medici vbique ferè vtuntur. Itaque va-
C letiſſima ſunt,Scãmoniũ,Colocynthis,Elateriũ, Ve-
ratrũ nigrũ, albi namque veratri vſus poſtquam Ara
bum doctrina in has regiones, & in noſtra ſtudia ir-
repſit,intermiſſus eſt. Arabes enim ab illo tanta incõ
moda afferri teſtantur, atque tot malis ab illo ægro-
tos affici affirmant,vt omnes medici,aut maxima eo-
rũ pars,illorũ maledictis perterrefacti, illud in vſum
reuocare timuerint. Sed neque de eo in præſentia a-
gendũ eſt: cum enim de his quibus vomitus excita-
tur,agemus,de illo ſermonem habebimus. Polypo-
diũ, Epithymũ Turbith,Agaricum,& Cnicus,quem
Arabes Carthamũ appellant, vim mitiorẽ aliquantò
habent:de quibus illud in memoriã eſt reuocandum,
quod ſuperius diximus.nimirũ,nos ſæpe his vti,vt il-
D lorũ mixtione imbecillium medicamẽtorũ vires ad-
iuuemus,& excitemus:atque ea,quę tardiora ſunt,
acceleremus: quo tamen caſu eorũ modicã portionẽ
alijs addimus, non aũt ea, quę ad id pondus prope
accedat: ſed quod exhibere ſolemus, cum ſolis vti-
mur,vt eis mediocriter purgemus:tunc .n.imbecil-
lium vires ſuperarent, & ipſa non aũt leuiora vacua-
rent, purgarentq; :ſed de hoc abundè ſupradictũ eſt.
de ijs ergo quantũ ad id caput attinet,quo ſoluũt,&
in purgando præcipua ſunt, nũc tractandũ nobis eſt.
Et quãuis, vt paulo ante dixi, raro his ſolis medica-
mentis medici vti ſoleant, plerunq; aũt in cõpoſitio-
nibus,veluti in appellatis Electuarijs, aut catapotijs,
aut id genus alijs in vſum veniet, quia tñ aliquando
ẽt eis ſolis vtimur,& ſępius ẽt antiqui vtebantur,nos
E ẽt primo de illis ſolis ſimplicibuſque, poſtea de eiſdẽ
cõpoſitis in vſum deducendis exactius loquemur.
Neque tamẽ cum illa in vſum ſola deduci dicimus,
intelligi volumus ea omnino ſimplicia, & ſola,atque
ſine vllo apparatu, & correctione, vel vlla materia
exhiberi: nam ſi vel ex iure, vel ex mulſa, vel ex a-
liquo alio decocto accõmodato accipiantur: nõ ideo
tolli credimus, quin dicere poſſimus,quòd illis ſolis,
& tanquam ſimplicibus vtamur, ſicuti cum mulie-
rem illam nobilem,quæ herpete laborabat,& omnia
medicamenta renuebat, Galenus Scammonio, ſero
lactis addito decepit. Et quia,vt iam ſæpe dixi,vel nũ
quã, vel quã rariſſime medici, qui ex ratione meden-
tur,hęc abſq; vllo apparatu ęgrotis afferunt,ꝓpterea

quod nullum eſt horum medicamentorum, cui inſi-
gnis aliqua malignitatis, ac praua non inſit qualitas,
qua iecur, ventriculum, & reliqua viſcera, reliquaſq;
præcipuas, ac digniores corporis partes plurimum
poſſit lædere. Ideo primum de ratione, qua ea para-
mus deinde vero paratis illis, & correctis, quomodo
vti poſſimus, ſermonem faciemus, & poſtremo de il-
lis, compoſitis, quibus hæc purgandi facultatẽ affe-
runt, agemus. Primum autem quædam tractemus,
quæ in vniuerſum ad hoc negotiũ attinere arbitror.

TRIA ſunt, quæ communi quadam ratione
his medicamentis corrigendis, & ita parandis ne
noceant, medici diligentiam maximam poſtulant,
Primum eſt, quod omnia iſtiuſmodi medicamenta
qualitate quadam prædita ſunt, quæ naturam vene-
ni ſapit, & naturæ noſtræ inimica ſunt; neque ab his,
quæ vere, & exquiſite venena ſunt, vt in Commen-
tario quinto, in ſextum Epid. Galenus docuit, alia ra
tione differunt, niſi quod venena verè, & propriè illa
dicenda ſunt, quæ ſuaptè natura eam vim, & faculta-
tem habent, vt eorum vſu humano generi mors, &
pernities, paretur: quæ quidem licet quando in exi-
gua admodum copia exhibentur, illum cui oblata
ſunt non interficiant, nunquam tamen in aliquod
humani corporis commodum, aut vtilitatem verti
poſſunt; nihil mirum autem eſt, ſi exigua admodum
copia exhibita non interficiant: & ſi enim qualitate
agant, & forma, certa tamen quantitas exigitur; quod
non in his ſolum, ſed in cæteris omnibus rebus natu
ralibus locum habet. Ecce enim neque minima ignis
faulla cõburet, cum tamen ignis ſua natura combu-
rendi facultatem habeat. Medicamẽta vero, quæ pur
gandi vim habent, & quæ propria ſua natura ventrẽ
ſoluũt, ſicuti hæc, exempli gratia, de quibus præſens
ſermo eſt inſtitutus, in multa quidem copia perinde
atque venenum interficit, in certa autem, & definita
quantitate, quantum nempè natura poſſit eam recte
adminiſtrare, & regere, & opportunè illi oblata plu-
rimum conferre poſſunt, & vtilia ſunt: ad purgandũ
enim corpus ab his excrementis, quæ illi ſunt mole-
ſta, illis tanquam inſtrumentis natura vtitur: nam fa-
cultatem eam habent, qua certos humores ad vẽtri-
culum, & inteſtina, dum in illis horum vis manet, at-
trahunt: quos deinde expultrix facultas ad exterio-
res partes expellit. Quòd ſi maiori copia hæc medi-
camenta exhibentur, perinde, vt venena necãt: vnde
Theriaca, quæ vim habet exprimendi, & venenorum
omnium pernicioſam facultatem abolendi, ſi homi-
ni exhibeatur, qui pharmacum purgatorium accepe-
rit, quamuis iam purgatio inceperit aluum ſiſtit vi
medicamenti repreſſa, & ſuperata, ſicut alia quoque
venena ab ipſa ſuperantur. Immo hoc maxime argu-
mento, an rectè parata ſit Theriaca cognoſcimus. Al
terum vero, cuius in horum medicamentorum vſu
maximam rationem habere oportet, eſt, quòd pro-
pria ſua natura ventriculo, præcipue ori eius aduer-
ſantur; vt eodem ſecundo, de Ratione victus in acu.
mor. & 8. de Compoſitione medic. ſec. loca, cap. 3. mo
net Galenus. Cùm enim alicuius acrimoniæ non ſint
expertia, hac ratione lædunt: ob eximium enim iſtius
particulæ ſenſum, plurimam ex eorum vſu moleſtiã
percipit. Huc accedit id, quod nobis ob oculos ver-
ſari ſemper debet, nempe, quòd plurimum viſcerum
robur, & ſubſtantia exoluitur, laxiorque redditur, ni-
ſi illis aliquo modo conſulamus. Tertium deinde con
ſiderandum eſt, quòd adeo ingrati, & moleſti ſapo-
ris, & odoris ſunt dum deuorantur, vt cum primum
a guſtu percipiuntur ſtomachum ſubuertant, & fa-
ſtidium moueant: ſed non tantum dum ſumuntur
ſunt moleſta, ſed poſtea etiam moleſtas, & ingratiſ-
ſimas eructationes excitant: quæ, vt Galenus primo
de Compoſitione med. per loca. ca. 3. ait totum ho-
A minem turbant, & cogunt vt medicamentum euo-
mat: atque deinde ita ſollicitum reddunt, vt quieſce-
re nequeat. Sæpe enim humores mouent, neque ta-
men educere poſſunt. Sed agamus modo, quomodo
etiam in vniuerſum his tribus incommodis occurre-
re poſſimus. Quantum ad primum pertinet, vt ſupra
dixi ex Galen. lib. de Temper. & in 6. Epid. Com. 5.
ſi ſint in ea quantitate exhibita, qua vires naturę vin-
cãt, & ab ea ſuperari, aut rectè adminiſtrari nequeãt,
nocent: ſed ſi modicè oblata fuerint, & quantum, a
natura regi poſſint, quaſi eius accommodata, & vti-
lia inſtrumenta fiunt, adeo in hoc conſiſtit ratio oc-
currendi huic primo incommodo, vt cuiuſque medi-
camenti eam menſuram inueniamus, quam natura
facile, & citra inſignem moleſtiam ferre, & regere
B poſſit. Et hoc eſt, quod arabes, Latini, & multi
etiam ex Græcis, Doſim appellant. Neque ta-
men negare volo, quin etiam multum quandoque
expediat, aliqua his commiſcere, quæ venenoſam
eorum naturam vim habeant reprimendi; ſed de
hoc poſtea particulatim magis agemus. Alteri ve-
ro incommodo mixtura ſuccurrimus. Aliquid e-
nim cum eis miſcemus, quod tum horum medi-
camentorum acrimoniam obtundit, ac lenit, tum
vero ſubſtantiam ventriculi, & aliorum viſcerum col
ligendo illis robur addat, & obſiſtat, quo minus a
medicamentoſa pharmaci, qualitate diſſolui, aut la-
xari poſſint. Vnde Medici fere omnes pręſertim Me-
ſue, eos ſummopere laudat, qui cum purgatorijs me
dicamentis lenientia commiſcent: ait enim, quòd
C illa horum operationem beatificant. Sed, & alia
ratione præterea occurrimus, ſi poſt aſſumptum
pharmacum, aliquid ſorbendum demus, quod de-
tergendi vim habeat: vt ſi quid aut ſubſtantiæ, aut
qualitatis medicamentoſæ ſit relictum, quod ori vẽ-
triculi hæreat, ad fundum detrahatur, quemadmo-
dum eſſet mulſa. Sed & ſyrupus roſaceus ex roſa-
rum ſucco, vel infuſione, (vt aiunt) factus, poſ-
ſet huic rationi ſatisfacere. Hippocrates vero eo-
dem, quo de ratione vict. loco vtroque nomine pti-
ſanam, vel hordei cremorẽ laudat, ſi poſt acceptum
pharmacum ſorbeatur: quia & leniendi & detergen-
di vim habeat: quidam vero ad ſubſtantiam & par-
tes oris ventriculi colligendas & roborandas, malum
D cotoneum, vel aliud quod ſit aſtrictionis particeps,
mandunt, vel pirum, aut ſuccum deuorant. Tertio
autem incommodo occurrendum eſſe docuere Hip-
pocrat. & Galen. rebus, quæ bene oleant, vt grato, &
aromatico odore, inſuauitatem, & abominationem
(vt ita dicam) quam ſecum medicamentum affert,
mitigent, aut reprimant, & ventriculo gratiam con-
cilient. Vt enim fœtida, & quæ tetrum ſpirant odo-
rem, & quæ horribiliter ſæpe guſtum afficiunt, faſti-
dium, & tandem vomitum cient: ita quæ bene olent,
& quæ grato ſunt ſapore prædita, vt ſunt grata ven-
triculo, imo & cæteris viſceribus, ita facile ab eo de-
tinentur, & rectè adminiſtrantur. Vnde poſtea exco-
gitatum eſt, vt Gal. ſæpe dicit, vt ex melle medicamẽ-
ta conficiantur, vel ſaccharo, illiſque aut aromata, aut
E ſemina bene odorata addantur, vt ſemina fœniculi,
aniſi, cymini, ameos, & huiuſmodi alia, quæ quidem
præterea attenuando, & aperiendo faciliorem phar-
maci operationem reddunt, ita vt minori moleſtia ę-
grum afficiant. Hæc ſunt præcepta communi qua-
dam ratione expoſita: ſed antequam res particu-
larius a nobis tractetur, de Doſi prius adhuc quæ-
dam in vniuerſum, quæ cognitu neceſſaria ſunt, ex-
ponamus.

De doſi in vniuerſum purgatoriorum medicamentorum.

Cap. XIIII.

NVLLVM fortaſſe caput aut tam neceſſarium, aut tam vtile eſt, quàm illud in quo medici agunt de inuenienda menſura vel quantitate medicamenti, quæ ita congruè exhiberi poſſit, vt iuuet plurimũ, obeſſe vero vel nihil, vel minimum queat, atque hoc non modo in his medicamentis medicum ſolicitum reddit, ſed in omnibus alijs ferè medicinæ inſtrumentis. Nam, vt in libro de Cur. ratione per venæ ſectio. dicit Galenus, ſæpiſſimè non tantum medicis euenit, ſed etiam popularibus hominibus, vt pro comperto habeant, quid in morbo curando ſit agendum. Cùm enim natura morbi cognita fuerit, inde euidentiſſima ratione perſpicitur, an ſanguinem detrahere expediat, vel magis calefaciendum refrigerandumue ſit, quæ vero ſanguinis copia ſit detrahenda, aut quantum calefacere, aut refrigerare oporteat, non certa quadam, aut præfinita ratione poſſumus cognoſcere, ſed quadam tantum coniectura ſuſpicari. Quod Galenus in commentario in ſecundum de Rat. vict. comm. 37. teſtatur, vbi dicit, Singulorum præſidiorum quantitatem artificioſa coniectura agere. Vnde poſtea in libro de Cur. ratione, per ſect. venæ. addit, nihil eſſe, quòd in agendo medicinam, artem æquè faciat coniecturalem, ac cuiuſque remedij quantitas. Quam autem hæc artificioſa coniectura ſit difficilis, idem ille eodem ſecundo de Rat. vict. cùm hæc protulit, oſtendit. Artificioſe conijcere viri eſt, qui vires omnium, quæ ad eam artem pertinent, didicerit, memoriæque mandauerit, & in artis operibus diligentia adhibita ſe exercuerit. Vnde etiam in huiuſmodi doſi purgatorij medicamenti diſcernenda, ſæpe medici in diuerſas abeunt ſententias, præſertim vero cũ particulatim res hæc tractatur. Nam minor ſententiarum diuerſitas oritur, cũ generatim, & in vniuerſum huiuſce rei conſideratio proponitur, nimirum ſcilicet, quando quærimus, quæ homini laboranti, alicuius medicamenti quantitas dari tuto poſſit, vt natura facilè deinde euacuationem illam ferat: nulla tamen particulatim relatione facta ad hunc vel illum: quo quidem caſu maxima ex tẽperata ætate, viribus tẽpore anni, regione, artibus, diuerſitatis ratio poteſt oriri. Nam generalis illa conſideratio latior eſt: & amplioribus finibus cõprehenditur, longè vero anguſtiores proponuntur, cùm generales rationes contrahere, & eas particulatim huic vel illi ægrotanti accõmodare neceſſe eſt, Cũ autem medico vtrumque ſit neceſſariũ, ideo de vtraque ratione agemus. Primũ in vniuerſum hoc negotium tractantes, mox vero quo magis per artem fieri poteſt, præcepta hæc ad rationem vſus & operationis particulatim contrahentes. Quicunque ergo rectè rationem eam tenere & addiſcere voluerit, qua medicamenta; ſiue illa ſimplicia fuerint, ſiue cõpoſita per ſuas congruas doſes metiri ex arte poſſit, oportet vt hoc primum tamquam fundamentum iaciat, nempe vt omnia medicamenta ſimplicia primum perſpecta ac cognita habeat, quantum ad facultates eorum, & vires pertinet. His enim optimè cognitis, facilè deinde erit, illis, ex quibus compoſitum medicamentum eſt confectum, mutuo collatis, & compoſitorum vires facultateſque cognoſcere. Nec ſolum ex Gale. paſſim ſatis eſt, ſi communes eorum rationes tenuerit, ſed vt eas in ſuos gradus digerat neceſſe eſt: neque de illis ordinibus vel gradibus nunc loquor, qui primas qualitates reſpiciunt, quamuis & illi ſint neceſſarij, ſed de illis loquor nunc, qui naturam eam reſpiciunt, qua medicamenta vim purgatoriam habẽt: quia non omnia eandem aut æqualem vim habent: immo alia alijs valentiora, aut imbecilliora ſunt: & ſicut differentes ſunt vires, & robur, ita & differentem habent menſuræ, quantitatis, vel copiæ ad purgationem offerendæ rationem. Hæc enim in ordines, & gradus diſtinctio, non minus neceſſaria eſt illa, qua vt calefaciamus, vel refrigeremus, vel humectemus, vel ſiccemus, vtimur. Sed exemplis rem illuſtremus. In his medicinis, quæ nunc in maiori vſu ſunt, ſupremũ ferè ordinem, & vt Galen. loqui ſolet, quartum ordinem, tenet Scãmoniũ, Elateriũ, Colocynthis, & Euphorbiũ. Horũ enim rari ſunt medici, qui dũ purgare velint, noſtris præſertim his temporibus, audeant ad põdus ſemidrachmæ accedere: plerique vero neque ad ſcrupulũ. Tertij ordinis ſunt, Veratrũ nigrũ, flores geniſtæ, quibus mulierculæ multum vtuntur, Turbith, Agaricum, ſarcocolla, ſerapinum, opopanacum, & huiuſmodi: in quorum vſum non timemus etiam drachmam excedere. Vt tamen inter hæc ſint alia alijs vehementiora, vltra tamen pondus ſexquidrachmæ raro tranſcendimus. In ſecundo ordine ſunt, polypodium, Cnici ſemina (carthamum Arabes dicũt) centaurea, hermodactylli, Cyaneus lapis, quem Lazulum Arabes dicunt, radix iridis, vel eius ſuccus, in quibus ad drachmam alteram & ſemiſſem aliquando progredimur. Vltimus ordo, & qui primus dicitur, ſi a leuioribus & facilioribus (vt Galen. ſolet) incipiamus, eſt eorum medicamentorum, quorum tractationem in prioribus capitibus expediuimus.

SED hoc in primis in horum medicamentorũ ratione conſiderandum eſt, qui purgantiũ medicamentorum facultates, atque eorundem robur & efficacia ſola experiẽtia medicos edocuit, ita vt vel parum, vel fortaſſe nihil ratio cõtulerit (de ſimplicibus loquor.) Inde quicquid de facultatibus vel doſibus horũ medicamentorũ dicendũ eſt, id tũ ab experientia & obſeruatione petendũ erit: & proinde qui in vſu horum ſimpliciũ medicamentorũ peritior fieri voluerit, oportet illũ, vt ea quæ a probatis authoribus de illis ſunt prodita, diligenter legat: & deinde artẽ hanc exercendo diligenter, & ſolicitè effectibus & operationibus quæ poſt exhibitũ medicamentum, ſequi ſolent diligenter attendat, vel longè ante optimos ſecutus præceptores, obſeruet, quid & quomodo res illis ſuccedat. Nam ſi diligenter quis animaduertat, videbit ꝙ qui volunt eſſe (vt de natura pronuntiauit Hippocrates) αὐτοδίδακτοι, hoc eſt, ex ſeipſis, & ſine præceptore, quem ſequantur, artem medicinæ diſcere, ſi profitentes in innumeros inciderunt errores, qui non ſine inſigni ægrorum damno & periculo committuntur. Nec id mirum, nam fallax admodum eſt & periculoſum, ſi lectis his, quæ ab antiquis & probatiſſimis medicis literarum monumentis circa doſim medicinarũ ſunt tradita, illis vſquequaque hæreamus, non adhibito prius diligenti examine & iudicio: non quòd illi non fuerint excellentiſſimi, & omni fide atque auctoritate digni, ſed, quia per tot annorum curricula, eorum libri in manibus tot ignorantiũ literas, & negligentium librariorum verſati ſunt, vt in his, quæ ad põdera, & mẽſuras medicamẽtorũ tũ ſimpliciũ, tũ compoſitorũ pertinet (vt ſæpe ẽt Galenus in libro de Cõpoſitione medicamentorũ ꝑ genera, & ſm loca animaduertit (tanta errorũ congeries orta fuerit: vt niſi recto iudicio fuerint omnia extimata, facilè poſſimus errare. Quod etſi ex multis locis poſſemus oſtendere, vnus tamẽ nobis ſatis erit ad rẽ hanc patefaciẽdã. De doſi enim Hieræ, Dialoes ſemel vij. Methodi ſecũdo, bis viij. de Compoſitione medicamentorũ ſecundum loca, Galenus loquutus eſt: quæ tamen loca ſi quis conferat, facilè errorem illorum locorum inoleuiſſe iudicabit. Nam aliquando dandam eſſe drachmam

ad ſummum ait, alibi completam doſim eſſe tres dragmas. Sed quis eſt quæſo, qui ea, quæ de his ſimplicibus medicamentis, de quibus nunc loquimur, legerit, non miretur? Sicuti etiam iure admiratus eſt Auicenna ſecundo Can.cap.de Scāmonio, cùm viderit, quàm varij, & diuerſiſſimi fuerint antiquiores auctores in eorum pondere limitando, & definiendo, quo illa ad purganda corpora tuto dari poſſint. Nam vt a Scāmonio, quod in frequentiori vſu eſt, incipiam, Dioſcorides poſſe ad drachmam vſque tuto dari cenſuit, quamuis deinde dicat, poſſe interdum ſatis eſſe ſemidragmā, vt liberalis fiat purgatio: duo vero oboli, hoc eſt ſcrupulus, poteſt cōmodè aluum ciere, & ita videtur ſentire, doſim eius eſſe a ſcrupulo ad drachmam. Paul.vero 7.libr.ſuæ medicinæ ait, dandos eſſe obolos quatuor, qui pendent duos ſcrupulos, cum quo Aetius, & Actuarius conſentiunt. Meſue vero, quem omnes ferme iuniores ſequuti ſunt, non audet ſcrupulum dare, imo conſulit non eſſe excedenda grana duodecim, ſicuti minimum quod dari poteſt, vt ventrē ſoluat, voluit quatuor eſſe grana. Quid de Elaterio dicam: de quo ſenſit Dioſcorides non eſſe obolum excedendum, qui ſemiſcrupulum æquat, ſicuti minimū quod dari adultis poteſt, vt commode purget, ſatis eſſe dimidium oboli, hoc eſt, pondus granorum quinque. Paulus tamen tres obolos, hoc eſt, ſemidrachmam dari poſſe dicit: itidem Aetius, & Actuarius. Meſue vero cum Dioſcoride ſenſiſſe viſus eſt: ipſe enim a granis decem vſque ad ſcrupulum progreditur. Sed & doſim Colocynthidis hic eſſe ait, a granis ſex vſque ad decem, cum Dioſcorides triobolum det, quod ad drachmæ dimidium accedit. Sed iam hæc exempla omittamus (eſſent enim innumerabilia recenſenda) & ad alia vtiliora procedamus. In hac tanta ſententiarum diuerſitate, ſiue illa ex erroribus orta ſit, ſiue ex authorū propoſito, ne relinquamus animos iuuenū, & perplexos, & ſuſpenſos, rē hanc diligentius examinemus. Hoc primū expoſito, quòd longè cautiorē oportet eſſe medicū in his metiēdis medicamentis, quādo ipſi res eſt cum eo purgando corpore, cuius naturam non habet adhuc perſpectam, quonam, ſcilicet pacto liberales purgationes ferat, quam facile ſit medicamētis obediens; qui ſi naturā exploratam habeat, & nouerit, an leui medicamento facile ſoluatur, an vero aluum habeat aſtrictiorem, modo prudens ſit medicus re: multi non erit negotij; vt dicit Galenus in ſecundo de Rat.victus in morb.acut.com.xj. accommodatum pondus medicamento præſcribere. Sed quando ignota ſit purganei corporis ratio, maior æſtimatio & diligentior eſt adhibenda penſitatio: ita vt neque eorū ſententia placeat nobis, qui amplam putant exhibendám eſſe copiam, ſuntque in dandis medicamentis liberaliores; neque illos etiam ſequamur, qui nimis timidi in exhibendis medicamentis eſſe videntur: ſed eorum, qui viam mediam tenuere, veſtigijs inſiſtamus: quod eodem loco Galenus inſinuaſſe viſus eſt, cùm dicit in illis qui nobis noti non fuerint, tantum medicamenti dandum eſſe quātum pluribus datum, ſolet mediocriter purgare. Duo enim ſunt extremi errores, qui quantum fieri poteſt, ſunt a medico declinandi. Primus, ne immoderata fiat euacuatio, hoc enim corporis ægri vires deijcere poteſt. Alter ne ſi iuſto imbecillior ſit medicina, ita vt nihil vacuet plus calefaciendo noceat, quàm proſit, & interim morb. creſcat, aut moueat quidem, non vacuet, tamen: aut longè minus vacuet, quàm mouerit; vnde poſtea humores vitioſi moti non educti, maiorem, vt ſenſit Galenus ſecundo de cauſis ſympt. capite quinto, moleſtiam afferant. Quòd ſi quis fortaſſe petat, vnde nam a iuniori medico, qui nondum medicinam faciendo, & per experimenta artem hanc ediſcere potuerit, hæc ſint petenda. Dicimus, quòd vt Cytharœdi cytharizando, non autem ſolum diſciplina, vt docuit Ariſtoteles fiunt; ita & omnes artes per exercitationem tandem & vſum abſoluuntur: in illis tamen, quæ opere manus, vel alioquin corporis miniſterio vtuntur, niſi ipſe artifex ſe exerceat, & manum, vel aliam partem aſſueſcat, nihil efficit: artes vero, quarum peritia a corporea artificis exercitatione non pendent, ſed ingenio potius & iudicio nituntur, non modo ex ipſius artificis vſu abſolui poſſunt, ſed etiam ſiquid alij periti agant, obſeruauerint. Vnde iunior medicus, ſi aliquandiu in maiori aliqua ciuitate verſetur, vbi multi ſint medici, qui plurimum ſint exercitati, & eos ſequatur, & obſeruet: facilè hæc omnia percipiet, quonā pacto, ſ. medicamenta metientes illis vtantur; multis inter ſe collatis, quæ ſoleat eſſe communis eorum doſis, qua frequentius mediocriter homines in ea regione ſoleant purgari. Neque minus etiam illi proderit, ſi diligenter libros Apothecariorum legerit, vbi illi ex ſuorum medicorum præſcripto medicamenta deſcribunt: ita enim non multo tempore ſi diligentes fuerint, ſaltem eorum, qui in maiori vſu ſunt, ſi non omnium peritiam aſſequētur. Sed & hoc ſciendū eſt, quod non pauci eſt momenti, nimirum quod quoties iuuenis aliquis circa doſim alicuius medicamenti præſcribendi dubius erit, potius parcior eſſe debet, quàm liberalis. Hoc enim Auicenn. Quarta Fen.primi Con.monet, cùm dicit, Melius eſſe in purgando infra ſubſiſtere, quàm exquiſitiſſimè vacuare. Cui ſententiæ conſentit Hippocrat. & Galen. primo Aph.Com.iij. qui præcipiunt vacuationes immodicas eſſe fugiendas, vtpote quæ periculoſæ admodū ſint. Nā facilius deinde eſt repetita vacuatione p alterum medicamentū, addere id, quod in priori defuerit, vel aliquo clyſtere leuius medicamentū adiuuare, & detrahere id quod motum, neque tamen eductū fuit: quā immodicā vacuationē reprimere, & corpus poſt factas imbecilliores vires ex nimia vacuatione reficere. Nec minori diligentia vti medicū oportet circa medicamenta, quibus vſurus eſt, vt perſpectum ſane habeat, quomodo illa medicamenta ſe habeant, id eſt, an pharmacopola, apud quem diuertit, ſit vir bonus, & in eligendis, & emendis optimis quibuſque medicamentis peritus, atque in illis rectè ſeruandis ſollicitus: num item medicamenta ſint noua, vel iam inueterata. Noua enim plerumque fortiora ſunt. Verum & loci, in quo medicamenta nata ſunt, & vnde allata, nobis habenda eſt ratio: nam locus multum virium medicamento addit, aut de illis detrahit: ac fortaſſe id in cauſa fuit, vt tanta inter probatiores medicæ artis authores in pondere, & quantitate ſimplicium medicamentorū præſcribenda varietas exorta fuerit, quanta ſupra oſtendimus, Nam, vt a ſcāmonio exemplum petamus: Dioſcorides illud alijs præfert, quod in Myſia Aſiæ prouincia oritur, vnde triobolum dari, id eſt, ſemidrachmam cenſet. Credo enim magis huius ſententiæ fuiſſe Dioſcoridem, quàm qui integram drachmam auſus ſit concedere: & arbitror mendum eſſe in libris etiam Græcis, & ita puto tum Paulum, tum Aetium voluiſſe: Arabes vero, & præſertim Meſue, illud quod in Antiochia colligitur, anteponunt: & Plinius Colophoniū, mox Pirenenſe; crediderimque fortè quod mitius erat ſcāmonium ex Myſia allatū, vnde & liberalius etiam concedi poterat: acrius vero id quod ex Antiochia, quo Meſue, & alij, quos ille ſequutus eſt, vtebantur, & ideo timidiores fuere. Et hoc non noſtrum eſt cōmentum, ſed primus quem ego legerim Auicenna fuit, qui hoc capite de ſcammonio animaduertit.

QVOD autem ex loco, & regionibus medicamentorū vires mutētur, nullus ſanus medicus vnquā ignorauit: poſſumus autem nos id exemplo a iunio-

ribus

ribus accepto demonſtrare. Nam Rha, ſi ad antiquos reſpiciamus, qui de eo ſcripſere, Græcos, inquam, Pōticum tātum nouere: Arabes verò & illud quod Barbarum nuncupatur, quod ad nos nunc vel ex Perſia, vel ex India fertur. Et vt doctiſſimus Manardus ſcripſit, qui vtrumque vidit, & illud ex Ponto à Sarmatis allatum, & hoc noſtrum, quo vtimur, videtur ad vnam ſpeciem vtrumque pertinere: noſtrum tamen eſt odoratiſſimum, cum illud inſignis odoris ſit expers: quod vt idem retulit, & ſi purget, longè tamen minus efficax eſt, quam noſtrum. Vnde antiqui nunquam illud inter ea medicamenta recenſuerunt, quæ aluum quoquo modo cieant, noſtrum vero vim eā ciendi habet inſignē ſatis: quæ diuerſitas non niſi à loco vel regione oritur. Sed de his ſatis.

B PORRO nec minus à medico conſiderandus eſt modus vel ratio, qua vti his medicamētis vult, nempe, an crudis vel coctis: præterea ſolis ne, an alijs additis, præſertim vero illis, quibus ſi quid malitiæ eſt in medicamento, corrigatur. Nam ſi de ijs medicamentis loquamur, quibus decoctis vti ſolemus, ſicuti ſæpe ſcāmoneo, aliquando colocynthide, ſæpius polipodio: Epythimo, quandoque veratro nigro, vel ſemine cnici, vel turbith: item ſemine & flore geniſtæ vtimur, cùm per decoctionem acrimonia eorum miteſcat, & malitia obtundatur: liberaliores in eorum vſu eſſe poſſumus. Per decoctionē enim partes acriores & ingratæ, partim vi coctionis digeruntur, partim cum alijs magis mixtæ temperatiores fiunt: deinde C vero ſolent plerumque ex alia re coqui, qua aut caliditas, aut acrimonia, aut tandem quicquid in ea ſit, de quo timemus, ne ventriculi, vel aliorum viſcerum vires lædat, obtunditur. Nam vt ſcāmoneum primū tanquam in exemplū proponamus, id cum parari vario modo ſoleat, modus is maximè ab omnibus probatur, vt ex malis aut cōmunibus, aut cotoneis id fiat per coctionē autē paretur. Ex malis quidē cōmunibus ita vt accepta olla, aut teſtaceo, aut mundo vaſe, malis primū fundus ad certā craſſitiē, verbi gratia, digitalē, ſternatur, mox item tantūdem ſcāmonei ſuperponatur, & ſic ſubinde donec vas plenum fuerit: mox autem carbonibus accenſis in camino poſito vaſe, atque eo optime triticea maſſa operto, quantum ſatis ſit, D coquatur. Satis autem coqui dicimus, cum mala induruerint. In cotoneis etiam ita coquunt: illis acceptis, & extracta duriori illa parte media, in qua continētur ſemina, reſciſſa tamen ſuperiori quaſi lamina, in excauatam partem ſcāmonium induunt: mox lamina, quæ prius fuerat reſciſſa pro coperculo addita cooperiunt, triticeamque paſtam circumquaque malo cotoneo obducunt, ac ita coquendum apponunt. Quoſdam tamen vidi, qui ſucco ex cotoneis expreſſo, eo ſcāmonium macerantes parant. Sed omnibus in comperto eſſe poteſt, per coctionem longè magis ſcāmonium miteſcere: nam vt rectè ſaltem hac parte videtur mihi Meſue monuiſſe, per decoctionē acrior eius pars & ferocior digeritur, & abſumitur. Sed & id, quod e calore ventriculi in flatum digeritur, qui E ventriculum diſtendere, & ſubuertere ſolet, per coctionem etiam diſcutitur: per quam item quaſi matureſcens, leniens, & minus nocuum euadit. Ex cotoneis vero, quæ moderate aſtringunt, purgatoria eius vis ſit moderatior, ſeu hebetior: vnde & tutius, & cū minori moleſtia ſit purgatio. Inſuper vero liberaliores eſſe in eius vſu poſſumus, cum Diagridio vtimur. (Sic enim ſcāmoniū ex cotoneis per coctionem paratum appellant) quam cū crudo, vtimur, licet ſit ex eo ſucco per macerationem paratum: & mea quidē ſententia, is cotoneorum ſuccus aſtringendo vētriculo, & alijs viſceribus maius robur, quàm alia communia mala, afferre poſſit, & magis vim ſolutiuā obtundere, tamen cum ex alijs malis ſcāmonium coquitur,

A plus ad temperandam, & moderandā eius violentiā, motionem & acrem qualitatem coctura poteſt, quàm extinguens, & refrigerans magis ſucci illius cruda natura. Quare & amplior eius doſis comedi poteſt, quando ex malo cotoneo, quam quando ex alijs malis cocta eſt, item magis cum ex his, quàm quando ex maceratione in ſucco citoniorum, & magis ad purgationem videtur facere, cùm ex hoc ſucco paratum eſt, quā ſi ſine hoc detur. Quod de coquendo ſcāmonio diximus, illud idem alijs aptari poteſt, nempe vt ſemper, & cocturæ rationem habeamus, & eorum, in quibus, vel cum quibus coquenda ſunt. His nimirū bene perpenſis, non ſolū quatenus ad eorum qualitatē pertinet, ſed etiam ad quantitatem, ſicuti ut exēplis etiā agamus, diximus ſuperius fuiſſe antiquos ſolitos, medicamenta purgantia cibis incoquere, præſertim vero ptiſana, quia nullus fortaſſe cibus eſt huic negotio aptior: nam poteſt refrigerando, humectandoque, ſiccitatem & calorem eorum remittere: lenitate acrimoniam & exaſperationem: lubrica eius natura & ſua deterſione id efficere, vt citiſſimè vis medicamentoſa ab ore ventriculi, cui eſt maximè noxia, deſcendat. Vnde tātā vim habet hæc coctura, vt quēadmodū prius admonui, ideo medicamētū potius ſit cibus medicamētoſus, q̃ ſimpliciter & abſolute medicamētū, vel ſaltē ad ordinē mitiſſimorū medicamētorū deduci poſſit: ita vt antiqui ſint auſi in viſcerū inflammationibus, & acutis morbis illis vti. Prope ptiſanam eſt ius pulli gallinacei, quod facultatē habet, vt Gal. & Auicēna teſtati ſunt, omnē ſuccorū acrimoniā tēperādi. Proximè ad hęc ferculū ex farre accedit. Neque etiā panis ex iure, vel aqua coctus ab hoc negotio alienus eſſe videtur, p̃ſertim ſi panis lotus ſit prius. Itē & ius albū antiquis in maximo fuit vſu, & alia multa ferculorū genera, q̃ ad hūc vſum trāsferri poſſunt, ſicuti ex lēte, & id genus alijs, vt Dioſco. etiā docuit. Sed ſi quis iure lentiū vſus fuerit, illi cōſiderandū eſt, multū referre, an primū illud ius ſit prima nempe aqua non abiecta, ī qua primū ferbuerit, ac altera addita, in qua poſtea plene coquat̃. Nā niſi mutetur aqua, dū lens coquit̃, ius illud aliquid vitioſi à cortice lentis cōtractū retinet, quod alui deiectionem facit, & calidius aliquāto eſt: alterū vero ex priori abiecto, & altera ſuperinfuſa poti⁹ fluentem aluū ſupprimit, quā cieat, aſtringit ſi quidem: quo fit, vt hoc ius magis purgatoriam medicamenti vim reprimat. Vnde magis ventriculi robur tutum ab ea noxa ſeruabit, quàm illa medicamenta ſolent afferre. Primum vero & ſi communi ratione cum in cienda aluo imbecillius ſit alijs purgatorijs medicamentis, eorum quoque modo vires poſſit remittere: minus tamen quam alterum reprimet, cùm non ſit adeo aſtringens, ſed potius illa aliquo modo iuuet. Vnde in ſecundo purgatorio medicamentum liberalius inſpergi poterit, quam in primo. Sed & copia conſideranda eſt tum iuris, tum aliorum ferculorum, vel decoctorum, vel aliorum alioquin liquorum, in quibus purgatorium medicamentum inſperſum vel maceratum, & dilutum, vel etiam decoctum exhibeamus: quia ſicuti vinum, quo magis aqua diluitur, magis vires amittit: nam ſi cyatho vini cyathum aquæ addideris, minus potēs erit, quàm ſi tantum ſemicyathū, quamuis totum bibatur: ita ſi ſemiſcrupulum ſcāmonij, vel veratri in vncijs tribus decocti alicuius, vel alterius liquoris incoxeris, aut inſperſeris, vel maceraueris, valentius omnino medicamentum erit, quam ſi ſex vncijs indideris: & hoc in vniuerſum eſt intelligendum quod quotieſcunque purgatorio medicamento ea addiderimus, quæ eius aut vim, aut acrimoniam, aut aliud incommodum in eo timendum corrigendi facultatem habent, quo ea maiori addiderimus copia, eo etiam tutius illis poſſumus tamquam facilioribus vti: necnon ita in ſim-

plicibus [ſolum] ſed in compoſitis; etiam, vt inferius dicemus intelligi volo: niſi ea ſint addita quę exacuēt, & vim medicamenti maiorem reddant. Particulatim autem quæ ſint, quibus ſoleant, vel poſſint vti medici in corrigendis, aut temperandis, aut reprimendis purgatorijs medicamentis, nolo in præſentia exponere: quia etiā libellus hic nimis excreſceret, & de his diffusè ab antiquiorib⁹ medicis, vt Paulo, Aetio, Actuario, Meſue, Serapione actū eſt. Iā ergo de cōpoſitorū medicamētorū vſu agam⁹, qbus in purgādis ægris frequētiſſime his noſtris tēporibus vtimur. Iſtis enim bene perceptis, facilè deinde poterunt & alia, de quibus authores diffusè agunt, cum his collatis intelligi.

De compoſitis medicamentis, quibus ſolent medici in purgandis corporibus vti.

Cap. XV.

DE compoſitis quidem medicamentis ſecus ac de ſimplicibus cenſendum credimus. Nam quamuis illa ex his conficiantur, & vires ſuas ab his mutuentur, & hęc quantum ad vires, & ad corrigendi rationem, & ad doſim pertinet, omnia ſunt penitùs experientia percepta. Compoſita tamen primùm neque rectè confici, neque confecta iudicari, neque in vſum tuto deduci poſſunt, niſi rationali methodo innixi fuerimus, ita tamen, vt experientia ſit perquā neceſſaria, hoc enim Galen. dicit tum alibi ſæpè, tum iiij. de Com. med. per genera. vbi dicit, Medicamenta citra rationalem methodum cōponi non poſſunt, ita neque citra experientiam nemo vim eorum, certo & accuratè ſcire poterit: quia vt idem v. de Sanit. tuend. ca. 2. dicit, experientia fidem inuenti medicamenti cōprobat. Vnde & id medico iuniori præſertim conſuluerim, vt omni ſua ope ijs compoſitis medicamentis vtatur, quæ ſint in vſu frequentiori, & ſępius fuerint experta, atque ꝓbatiſſimorum medicorum, & iuniorum, & antiquiorum experientiam ſequatur, neque ex vſu nouorum medicamentorū ſub quodam ſecretorum prætextu fauorem & auram popularem affectet: nouiſſe enim ille debet, quòd omnes antiqui in hoc conſentiunt, medicamentum id, quod plures experti ſunt, illi eſſe longo interuallo ꝓferendū, quod non eſt experientia comprobatū. Vnde Galenus v. de Comp. med. ꝑ loca, cap. primo, hoc inſtitutum ſequutus ait. Quę ex conſentiente experimento ſunt iudicata, ea ſtabiliora ſunt, & ob id etiā vj. de Tuenda ſanit. cap. xiiij. ſemper in vſu medicamentorū experientiā, qua illa comprobata ſunt pro norma eſſe habendā conſulit, & eouſque progreſſus eſt, vt neque aliqua medicamenta tanquā vtilia conſcribenda & publicanda eſſe cenſuerit, niſi prius probata fuerint experiētia: vtriuſque ergo tanquā inſtrumentis ſunt purgatoria medicamenta examinanda, & æſtimanda: ratione nēpe præcedente, tum ſubſequente experientia. Hoc quaſi fundamēto iacto, particulatim magis hoc negotiū tractemus. Etiam cum medicamenta aluum ſoluentia, ſi formam & conſiſtentiam reſpiciamus, partiri in duplicem differentiā poſſint: in ea, quæ electuaria dicuntur a iunioribus, & Arabibus, & in catapotia: quamuis enim ex ſaccharo parentur medicamenta, & ita parentur, vt in quaſdam veluti placentulas ex ſolidiori forma redigātur: quæ vulgo confectiones, vt alia dulciaria dicuntur: fiant etiam & paſtilli, & trochiſci, qui vim habēt purgandi, vt qui a violis nomen habuere: præterea & pulueres, fiantque etiam ſyrupi, omnia tamen poſſunt tandem ad has referri differentias: neque enim paſtillis niſi in catapotia, aut puluerem redactis in purgando vtimur: pulueres vero aut aliquo liquore dilutas bibendas damus, aut melle, vel ſyrupo aſſumptas, & ad modū electuarij diductas exhibemus. Syrupi vero nomen potionem ſignificat, dilutis vero electuarijs fiunt etiam potiones. Sed de his primo agemus, mox de catapotijs, vt tamen illius meminerimus, quòd non parum ad breuiorem doctrinā faciet: nēpe quòd cōpoſita medicamēta purgatoria, ſi ea, ex quibus conficiuntur, excepto melle contuſa, poſſunt in puluerem redigi. In quemcunque modum & formam voluerimus, parari poſſunt. Nam aſſumptis pulueribus ex melle vel aliquo ſyrupo, fiet quod vulgo electuarium appellamus; ſin autem diſſoluto ſaccharo ex aliqua aqua, vel aliquo decocto decoquatur ad abſumptionem ferè liquoris, quo fuerit diſſolutum, moxque vaſe ab igne detracto, pulueres inſpergant, fieri poſſunt placentulæ, quæ confectiones ab Apothecarijs dicuntur. Nemo autem non videt, ex ijſdē pulueribus poſſe & pilulas fieri, ſi tantillū alicuius liquoris ſuperinfundatur, quanto poſſint aſſumpti pulueres colligi, & conſiſtere. Et cum purgatoria medicamenti vis ex pulueribus pendeat, vnuſquiſque videre poteſt, quòd maiorem vim habeat pilularū drachma, quàm ſemiuncia medicamēti alio modo parati: ſolent pharmacopolæ, dum medicamenta alio modo parant, vt parari ſolent, quæ confectiones vel electuaria appellari diximus, ad librā mellis vel ſacchari tres ſpecierum vncias inijcere. Quibus & id accedit, quòd vt ſupra fuit dictum, quo maior eſt copia materiæ, quæ ea miſcentur, quæ vim purgandi habēt, eo robur in purgādo remiſſius, & mitius fit. Sed de his ſatis. Agamus tandem particulatim de his medicamentis q̄ electuaria in præſentia appellant; in qua tractatione quæ de his dicemus, ad ea etiam erunt referenda, quę vulgo confectiones nuncupari diximus. Neque tamen omnem ſiluam compoſitorum purgantium hoc capite complecti volo, quorum deſcriptionem ab authoribus multis peti poſſunt: ſed tantum eas deſcriptiones ſpectabimus, quæ in vſu maiori, & frequentiori ſunt. Porro cùm præſens inſtitutum circa ea cōpoſita medicamenta verſetur, quæ purgando corpori ſunt apta, purgatio vero tantum neceſſaria eſt, vbi copia eſt vitioſorum humorum, ex Galeno & Hippocrate. Quando enim affectus eſt citra materiam, corpuſque mundum fuerit, vacuatio non habet locum: vnde Hippocrates etiam dicit, quòd corpora ſana ex vſu medicamentorum exoluuntur: & ideo primum ſuperuacuus & vitioſus humor purgandum eſſe indicat. In purgatione vero præterea ratio habenda eſt naturæ, corporis purgandi, ætatis, temporis, & regionis vbi fit purgatio, quare in medicamentorum compoſitione, electione, & vſu, hæc quoque omnia erunt ſpectanda. Nam cum omnium ſimplicium medicamentorum, ſi vere purgatoria ſunt, vis calefaciat, & exſiccet, corpus turbet, vires laxet, & diſſoluat: quę omnia nobis in cauſa ſunt, vt ſupra diximus, cur potius compoſitis quàm ſimplicibus vtamur medicamentis in purgando: & quamuis primum, & præcipue ſit conſiderandum, vt id medicamentum eligamus, quod eum humorem vim detrahendi habet, quem vel putamus in præſentia ægroto negocium faceſſere, vel ne in poſterum faceſſat dubitamus; quia tamen medicamentum correctione eget, neque ſemper expedit, vt eiſdem corrigatur, quia alia corrigentia in alijs morbis ſunt opportuniora, vt in calidioribus vel frigidioribus, alia in alijs ætatibus, vt iuuenili & ſenili; alia in alijs temporibus, vt æſtate, vel hyeme; alia in alijs temperaturis, & naturis corporū: alia in laxiori & imbecilliori vētriculo; alia in vniuerſo corporis habitu ſolidiori, vel infirmiori. Ideo ꝓ horū omniū ratione diuerſis, & varijs opus erit medicamētis, vt morbos curare commodè medicus, & citra noxā poſſit. Vnde cùm prima, & præcipua ſit indicatio,

tio,

tîo,quæ ab affectu vel eius cauſis accipitur, ideo baſis in cōponendis medicamentis inde eſt accipiēda, reliquorū vero,quæ illi addenda ſunt, ratio,ab alijs poſtea,q̄ præterea expoſuimus,petenda erit. Primo ergo medicamenta,de quibus loquuturi ſumus, diſtinguemus ſecundū eorū humorū rationes,ad quos purgandos exhibentur: & cùm tres ſint humorrū differentiæ,tres quoque erūt ordines,vel potius quatuor medicamētorū,de quibus agemus. Nā aut ſimplices ſunt humores,aut mixti: ſimplices, vt bilis vtraque & pituita. Primo ergo de his,quæ purgandæ bili potius accōmodata ſunt, tractabimus, mox de his quæ pituitam purgandi vim habent. Tertio de ijs, quę atram bilem purgant. Poſtremo ea ſubiungemus,quę plures & diuerſos humores mixtim purgant.

De vſu & compoſitione medicamentorum, quæ flauam bilem vacuant, quæ pituitam, & quæ plures humores.

Cap. XVI.

MEdicamenta compoſita, quæ electuaria dicuntur,teneram vero ſubſtantiam, & quaſi eorum medicamentorum conſiſtentiam habent, quę Eclegmata a Græcis, Loch ab Arabibus dicuntur: ab aliquibus autē poſterioribu s medicis antidotorum nomine appellantur, & quæ ſunt bilioſo humori purgādo apta,nō omnia hic congeremus,ſed ea tantū,quæ his tēporibus in Europa vbique ferè in frequenti vſu ſunt,& apud omnes Pharmacopolas conficiunt. Hæc ergo in maiori vſu habentur: Diaprunon,vel Diadamaſcenon, quod a prunis, vel præſertim damaſcenis ideo vocatur,quia medicamenti huius(non dico vt iuniores baſis & precipuam) ſed in hac cōpoſitione potius materia ſunt. De eo autem nūc loquor,quòd ſolutiuum appellant,addito videlicet ſcāmonio: nam quando citra id ſit in lenientibus, ponere poſſumus. Alter eſt, quod ex ſucco roſarum fit, & ab eo nominatur,& vtriuſque auctor, aut ſaltem expoſitor fuit Nicolaus. Huic autem negocio accommodata iterum ſunt duo ex Meſue deſcripta: alterum quod roſatum Meſue vulgo dicitur, diuerſum ab eo Nicolai: præterea id quod ex pſillio,id eſt,ex ſucco vel mucore ex ſemine pſillij, per eius cōquaſſationem,& ex aqua extracto conficitur,a quo & nomen habuit. Hęc ſi in examen aliqua adhibita diligentia reuocauerimus, ſatis fore putamus. Nam etſi aliqua præterea reperiri poſſint medicamenta, quæ huic præſenti inſtituto eſſent accommodata, ſi illa cum his conferantur, & cum horum examine, facilis quoque eorum ratio cognita erit. Sed primo, aliqua pro dicendis fundamenta iaciamus. Bilis intus detrahendæ hæc medicamenta vim habent. Humor eſt,ſubſtantia tenuis, qualitatibus calidiſſimis, ſicciſſimiſque aliorum omnium,acris,& mordax, ſapore amarus. Vnde omnes morbi ab hoc humore excitati, ardentes, & ignei ferè ſunt, & acuti, qui præter dolores, & incommoda, quæ afferunt, hoc præſertim mali habent, quòd corpora accendunt,& quaſi vrunt: argumento ſunt febres ardentes, quæ Cauſi Græcè dicuntur,Tertianæ,Eryſipelata, Herpetes,Pleuritides, Phrenitides, Ophthalmiæ, & huiuſmodi morbi. His addo ex Galeno, & Hippocrate in libro de Natura hominis, quòd vt bilis copia, & ſuis qualitatibus,in regionibus, tempeſtatibus, temperaturis, temporibus, maxime viget,& dominatur: ita licet in omnibus temporibus, regionibus, tempeſtatibus, naturis, ætatib. omnia morborum genera, poſſunt pro varia occaſione excitari: frequentius tn̄ excitātur

A morbi,qui conformes naturæ ſunt, tēporibus,ætatibus,& nup expoſitis reliquis cōditionib. Vnde iſtiuſmodi morbi,quos ex bile oriri dixi, frequentiſſime in iuuenibus, & natura calidioribus corporibus, atque locis,& tēporibus calidioribus, vt æſtate,medicis negotiū faceſſere ſolēt. At vero cū,& ea ſimplicia medicamenta, quæ bilē detrahere poſſunt(loquor de verè purgatorijs)inſigniter calida & ſicca ſint, & acria p̄ter id quod aucta intēperie,a calido & ſicciori humore impreſſa,non parū obeſſe poſſunt, humoris quoque calorē,& acrimoniam,tū calida & ſicca ſua temperatura, tum etiam motu, cum motus calefacit exacuunt:quo fit præterea,vt viſcera laxata eneruentur. Vnde neque adminiſtrari tuto medicamenta

B poſſunt,niſi his incommodis omnibus proſpiciamus. Quatenus enim ad acutos morbos pertinet, quàm cautum in vſu ſoluentium medicamentorum medicum eſſe oporteat, docet vbique Galenus & Hippocrates: præſertim vero Aphoriſ. I. Sed & quantū horum medicamentorum vſus noxius eſſe poſſit ęſtuoſis temporibus & locis,cum quibus etiam ætas,& naturalis temperies corporis calidior conſentit, oſtendunt ijdem quarto Aphor.com.v.quo loco & robur corporis a vi medicamentorum exolui aperte pronūtiauit Galenus. Vnde cauti & periti medici hęc omnia proſpicientes, compoſitiones medicamentorum excogitarunt, quibus poſſent omnibus his obſtantibus,tuto cum opus fuerit,illis vti, quia ſoluentium quidem vim purgatoriam moderatā retinent, ſi quis

C modeſtè & opportunè vtatur, adeo autem vis calefaciendi,& exſiccandi temperatur, & ipſorum acrimonia obtunditur, roburque viſceribus additur, vt inſignem aliquam noxam afferre non poſſint, imo ex eorum vſu id nobis contingit, quod eodem Aphoriſ. in purgationibus monebat Galen. attendendum eſſe nimirum maiorem noxijs humoribus vacuatis ex purgatione ſequi vtilitatem, quam id ſit,quod ex his medicamentis neceſſario ſequitur, detrimentū. Sed rem hanc iam particularius agamus, eo medicamento in exemplum propoſito, quòd Diadamaſcenō dicitur. Hoc tamen primo conſideremus, quòd iſtius compoſitionis duplex eſt modus. Nam primum citra ſcāmonium fit,vt vulgo dicitur, non Solutiuū,quod

D ad præſentem tractationē non pertinet, Conficitur autē ex prunis,quæ vbi exquiſitè ex aqua cocta ſunt, extrahuntur, atque cribro fricata ſuppoſito terreo vaſe, donec per foramina vniuerſus ſuccus relictis dūtaxat nucleis excipiatur. Sed prius in ea aqua, ex qua fuerant decocta pruna, inſperguntur violarum recentium, aut aridarum flores pondere ſeſquiuncię, qui vbi pauliſper incocti fuerint,percolandi, facta expreſſione, extrahendi, atque abijciendi ſunt. Poſtea vero illud prunorū, & violarum decoctum accipe,& libris duabus ſacchari additis ad conſiſtentiam ſyrupi coquatur,addito ſucco prunorum,qui cribro fuerat collectus ad pondus libræ. Vbi autem ſpiſſior fieri per decoctionem cœpit, accipere oportet tamarindos,quos oxyphęnicas, ac ſi acidas palmulas dicas,iu

E niores Medici Græcè appellant, & interiorem caſſiæ Aegyptię medullam,ſingulorū vnciā vnā:vtraque autem ex eodē decocto diſſoluantur,& colata medicamento indātur, & ad congruā ſpiſſitudinē coquant. Semper cum ſpatha, vt aiunt,miſcendo & agitando. Poſtremo vero inſpergatur, & immiſceatur his puluis,vt Recipe Sandalorū rubeorum & alborū,ſpondium,rhabab.cinnamomum,ſing. drachm.tres:roſarum aridarum, violarum, ſeminis portulacæ,ſcariolæ,berberis,ſucci liquiritię,dragacanthi,ſingul.dragmas duas. Seminum citruli vel cucumeris, melonis, cucurbitæ mundatorum, ſing.drachmam, omnia contuſa & cribrata in tenuem puluerem deducantur. Simplex hæc compoſitio, quæ & nō ſolutiua

dicitur, ita ſe habet: in qua ſi rectè volumus conſiderare præcipuum medicamentum, & id quod confectionis huius eſt baſis, ſunt pruna, quę vt Galenus ſecundo de Alim. fac. cap. trigeſimoprimo dicit: Sua humiditate, & etiã lentore, aluum leniendo ſubducunt. Arabes vero illis vim aliquam detrahendæ bilis concedunt: refrigerat vero modice. Cætera propter aliquam commoditatem adduntur: quia enim modicã vim pruna habent, addit author huic compoſitioni Tamarindos, & caſſiam, quæ etſi fere ad idem genus medicamenti, tam ratione purgandi humoris, quàm modi, quo aluum cient, pertineant; omnino tamen maiorem vim habent ſubducendi, præter id quod Tamarindi magis refrigerant, magisque feruorem bilis extingunt: augent ergo vim prunorum, eaque nõ parum iuuant. At vero quia ille, qui medicamentum hoc compoſuit, ſcopum talem habuit, vt commode in bilioſis, & acutis morbis, & calidioribus temporibus eo poſſemus vti, ideo nondum ex ijs videbatur compoſitio vim tantam habere refrigerandi, quantum ad id ſatis eſſet, ob hoc violas addit, quæ magis refrigerant & leniunt, fructus autem berberorum (quos idem eſſe volunt, quod oxyacantha apud Dioſcoridem) ſemina Scariolæ, vel ſeridis, cucumeris, melonis, portulacæ, & cucurbitæ, quæ refrigerant, & aperiunt, ex quo præter refrigerationem eam præſtare poſſint vtilitatem, vt vias aperiant, & humori educendo faciliorem tranſitum parẽt. Succus vero liquiritiæ, & tragacanthum lenire, & remittere acrem, & mordacem bilis naturam poſſunt, ne dum tranſit per partem ſentientes, moleſtiam vellicando & mordendo corpori afferat. Quia tamen eiuſmodi omnia partim refrigerantia partim humectantia ventris, & aliorum viſcerum ſubſtantiam laxam & languidam poſſunt reddere, ideo vt & huic incommodo occurreret, cogitauit recte expedire, & Rhabarbarum addere, quòd omnia viſcera colligendo laxam eorum ſubſtantiam roborat, & quod ad primum ſcopũ non parum facit, cùm potius deductionem bilis adiuuet, q̃ eã poſſit impedire. Sed & Cinnamomum addit, qa & ventriculum mirificè roborat, & grato odore gratiam illi conciliat, & cordi amicum eſt, quod vitæ noſtræ eſt fundamentum. Merito ergo laudatur vulgo hoc medicamentum, tãquam morbis & temporibus calidioribus accommodatiſſimum. Si modo velimus nos, vt ait Nicolaus ex lenitiuo medicamentum hoc laxatiuum reddere, cuique huius compoſiti medicamenti libræ, ſeptem diagridij drachmas, hoc eſt, ſcamonij in malis cocti immiſce. Sed hic parumper eſt conſiſtendum, & conſiderandum, quod additum ſcamoneum, medicamenti ordinem & naturam mutat; non enim amplius inter lenientia ponitur, ſed inter verè purgatoria, & ea, quæ ſoluendo, bilemque attrahendo liberaliter corpus vacuant, neque tum amplius eius medicamenti præcipuum fundamentum; & baſis ſunt pruna: ſed tota ea compoſitio tanquàm apta, & commoda iſtius medicamenti materia facta eſt. Primum autem, & præcipuum eius fundamentum, & baſis eſt ſcammonium: nam quod validè bilem attrahat, ſcammonio acceptum refert, reliqua vero in compoſitione poſita, ad id faciunt, vt facilius, & minori agitatione atque minori noxa fiat bilis purgatio, dum prior compoſitio corpus leniendo iuxta Hippocratis præceptum fluidum illud efficit, acrimoniam ſcammonij reprimit, refrigerando calorem eius temperat, modica aſtrictione Rhabarbari, & cinnamomi, berberorum laxitatem quam afferre ſolent, laxantia hæc medicamenta corrigit. Vnde medicamentum iſtud adeo modeſtum, & tutum redditur, vt eo facile, & ſine timore vti poſſimus, in temporibus, ætatibus, regionibus, atque conſtitutionibus calidioribus: ac item in acutis morbis, quãdo opportuna purgandi occaſio fuerit. Sed nonnulla prius conſideranda ſunt, quam ad alia tranſeamus. Primum enim ſcãmonium poſt abſolutam medicamenti coctionen adijcit Nicolaus, quia cum iam prius ſeorſum coctum in malo cotoneo fuerit, opus illi non eſt, vt iterum coquatur: minus enim eius vis diſſolueret, quòd in alijs etiam compoſitionibus eſt aduertendum, nempè, vt cum diagridij fit mentio, id non indatur, niſi poſt eorum coctionem, quæ coquenda ſunt. Deinde vero quatenus ad eius doſim metiendam pertinet, hoc ignorãdum non eſt, quòd ſemuncia, vt quotidie oſtendit experientia, ea eius eſt portio, quæ plures liberaliter quidem, ſed citra noxam purgare ſolet. Dum enim ego Venetijs medicinam facerem, animaduerti vulgares, & artifices ſpõte ſua abſque medicorum conſilio cùm purgari volebant, ad Pharmacopolas accedere, & petere, vt ſemiuncia ſucci prunorũ ſibi traderetur: ita enim ipſi hoc medicamentum appellabant, & medicamẽto accepto facile, & ſine vlla moleſtia æſtate præſertim, liberali fruebantur purgatione. Neque tamen hoc ita exquiſite in omnibus ſeruandum eſt adeo, vt putemus nũquam id pondus eſſe variandum: rariſſime etiam id excedendum: interdum etiam minus dandum pro ratione roboris corporis, ætatis, facilitatis, & lubricitatis ratione, vt & in leuioribus medicamentis ſuperius expoſuimus. Tertio, & illud eſt aduertendum, quòd hæc, quæ nuper expoſuimus, ita ſunt intelligenda, vt locum habeant, quando ſolo hoc medicamento vtemur: quia ſi eo tanquam calcari, & ſtimulo aliorum medicamentorum vteremur: ſicuti ſi caſſiæ addere vellemus, aut lenitiuo appellato electuario, vel alteri medicamentorum, non erit integra hæc doſis ſeruanda, ſed Minor. Nam tantum addendum erit, quantum alterius medicamenti infirmitas, & purgandi corporis ratio videbit requirere, interdum vero paulo plus. Quarto, id etiam eſt cõſiderandum, quod iunioribus Medicis fortaſſe dubitationem afferet, quia ea nimia videtur eſſe medicamenti iſtius copia, quam nos diximus pro eius doſi habendam eſſe: quæ cõi rõne pluribus põt eſſe ſatis: nã ſemiuncia ſcrupulum fermè diagridij, hoc eſt, viginti grana comprehendit, cum tamen Meſue ad grana duodecim vltimum terminum pręſcripſerit. Huic obiectioni ex ſuperius dictis facilè reſpondeo, quòd inde alij non minoris auctoritatis Medici, quàm Meſue, ſecus ſenſere, & ampliores terminos huic doſi conſtituere. Sed ſeruata etiam Meſues auctoritate, dico, quod alia eſt ſcãmonij ratio, quando in diagridium eſt mutatum, idem quando ſolo eo vtimur, & quando in compoſitionibus: dum enim alijs miſcetur, vis eius remittitur, vt ſupra dictũ eſt. Sed & huic rationi mox, & experientia adſtipulatur. Sed iam ad alterum medicamentũ ex ſucco roſarũ confectũ tranſeamus: in his enim dictis fuimus longiores, quia accõmodari etiã ſequentibus poterunt, vt nunc videbimus. Cõponitur ergo hoc medicamentũ ſic: Accipiũt ſaccharum, & ſuccũ roſarũ ſingul. vncias ſexdecim, atq, illis ſimul coctis ſyrupũ faciunt eo mõ, quo ſyrupi recte parãtur, cui ſyrupo hos pulueres addũt. Rec: trium ſandalorum differentias, id eſt, albi, rubri, & citrini ſingulorum ʒ vj.

Spodij. ʒ iij. Diagridij. ʒ xij.

Cãphorę ʒ j. Oia cõtuſa, & ĩ puluerẽ redacta ĩſpergant, & ita diligẽter ſunt immiſcẽda, vt ad cõſiſtẽtiã, & formã electuarij deducantur. Quòd ſi cũ Diadamaſceno conferat, primo quatenus ad primũ, & pcipuũ ſcopũ pertinet, ſimilem ambo ferè rationem habent, ſi ad vim purgatoriã reſpiciamus: primũ enim, & pręcipuũ medicamentum ſimplex, quod baſis a noſtris recentioribus dicitur, vtrobique eſt ſcammonium, cuius primaria facultas eſt bilem euacuare, reliqua

vero

vero tanquam adiuuantia apponũtur, vt faciliorem, minorique moleſtia, & noxa reddant operationem quàm ſcammonium redderet, quod alioquin violentum medicamentum eſt. Nam primum omnia refrigerant, quamuis enim roſarum ſuccum Meſue dixerit eſſe calidum, & ferè ad primum vſque calefacientium ordinem redegerit. Galenus tamen in refrigerantibus primo meth.cap.nono, illum ponit: & tertio de Simpl. medic.fac. cap.13. Si Græca, & manuſcripta exemplaria ſequamur, ventriculo item, & cordi, & omnibus viſceribus amicus eſt, tum modice aſtringendo, tum vero grato odore, quaſdam tamen partes calidas immixtas habet, quibus detergere, digerere, & aperire poteſt, in quibus amaritudo, & aromaticus etiam odor fundatur. Sãdali etiam refrigerant, & aſtringunt: vnde, & languenti, & æſtuanti ventriculo, cordique ex calidiori aliquo affectu laboranti opem ferunt, mirificeque ſuccurrere creduntur. De ſpodio non habeo quid dicam, nempe, an credam ſpodium hoc, cuius Arabes, & Nicolaus meminere, eſſe rem noſtris incognitam: neque de camphora etiam ſermonem habebo: creditur tamen refrigerare, quamuis acrem, & quaſi grauem ſpiret odorem. In purgandi itaque facultate, ſimile ferè medicamentum hoc priori eſt, niſi quod, vt nũc dicemus, mea quidem ſententia, prius aliquantiſper potentius eſt, quàm hoc: alijs vero facultatibus hoc magis refrigerat: nam prius recipit rhabarbarum, & cinamomum. In hoc autem præter ſcammonium, omnia refrigerant. Sed & illud ex prunis leniendi, & humectandi vim maiorem habet: nam prunorum ſuccus, & caſſia leniunt, & humectant, & violæ, & liquiritiæ ſuccus, & tragacanthum, roſæ: hoc autem magis deſiccat, omnia enim in eo ſiccant. Vnde, & maior in hoc eſt laxiorum viſcerum aſtrictio, & roboratio: & ideo accommodatius eſt hoc medicamentum illis affectibus curãdis, qui a calida fluxione ſunt excitati, vt ſunt podagræ, chiragræ, & tandem dolores articulares ex tenuioribus, & bilioſioribus humoribus ortum habentes: nam præter id, quod vitioſos detrahit ſuccos, fluxionemque deprimit, & membra aſtringendo roborat: & tertianas quidem febres curare poteſt. Sed quotidianas quomodo (id quod Nicolaus vult) non video, cùm calidos, & vitioſos ſuccos purgandi vim habeat præcipuam, & refrigeret etiam: at quotidianam pituitæ vacuationem, attenuationem, & deterſionem: præſertim in inclinatione inſignem requiret. Nam etſi ſcammonium pituitam quoque detrahere poſſit, primùm tamen bilem purgat, & alia, quæ addita ſunt, potius bili, quàm pituitæ temperandæ ſunt, accommodata. Tandem ergo vbi viſcerum, & particularum maior ſit laxitas, & imbecillitas, hoc ex ſucco roſarum paratum medicamentum alteri eſt præferendum. Vbi vero morbus ſiccior ſit, & ſitis vehementior, aluusque magis aſtricta, mihi magis Diaprunon probaretur. Vnde, & in tertianis, & in febre ardente, Nicolaus laudat Diadamaſcenon. Sed quantum ad doſim pertinet, cum in priori voluerit libræ medicamenti ſcammonij drachmas ſeptem addendas eſſe cum ſolutiuum facere volumus: huic autem toti compoſitioni, quam ad duarum librarum pondus contraxit: ita enim dixit, quòd tertia pars totius compoſitionis, quam ſuo maiori antidotario deſcripſerat, vt ipſe inſcripſerat, ſunt libræ duæ, habent autem drachmas duodecim ſcammonij: vnde ſeſquidrachmam libra quæque accipiet: maior ergo ſcammonij copia in hoc erit, quàm in priori. Præter quàm quod & minor eſt in hoc, quàm in priori aſtrictio, & fortiora ſunt alia lenientia: caſſia nimirum, & tamarindi in medicamento ex prunis. Vnde ſi ſolum demus hoc ex roſis, vel tantumdem, vel etiam paulo plus quàm prius dare poſ-

A ſumus. Tertium vero medicamentum cuius meminimus, eſt, quod itidem ex ſucco roſarum conficitur: deſcribitur autem a Meſue, & appellatur propterea Electuarium roſarum Meſues, quòd & viribus, & compoſitione priori Nicolai ſimile admodum eſt, & quatenus ad ſcammonij copiam nullam ferè differentiam habet. Nam licet medicamentum Nicolai Diagridium accipiat, quod non habet tantam vim, ſicuti ſcammoneum crudum: & in hoc a Meſue ſcammonij Antiocheni fit mentio, quod refertur ad id, quod crudum eſt: quia tamen Nicolaus poſt cocturam addendum præcepit, Meſue vero noluit ex ſaccharo, & roſaceo ſucco diutius coqui, res tandem eadem euadit, & in idem tendit. Temperatius autem hoc eſſe B videtur, ſi pulueres, qui inſpargendi ſunt poſt confectum ſyrupum ex libris quatuor ſucci, & ſeſquilibra ſacchari, vncijs ſex mannæ, & ſeſquiuncia ſcammonij inſpiſſentur. Pulueres vero oportet ex paſtillis ex ſpodio, qui ad æſtum vẽtriculi extinguẽdum, vel remittendum in calidis, & æſtuoſis febribus plurimùm valent, accepta ex illis vncia, & ex paſtillis ex berberis drachmas quatuor, qui item refrigerãt, galliæ vero, & croci ſing. drachmas duas. Gallia autem ab ipſo Meſue deſcripta eſt, quæ vim habet inſignem, grato præſertim ſuauique odore, omnia præcipua roborare poteſt, maxime vero cor, & cerebrum. Et quamuis ſi rationem ſcãmonij, quòd recipit habuerimus, paria ferè ſint duo hæc medicamenta, quatenus ad purgatoriam, & facultatem pertinet, & eiſdem affe- C ctibus pariter poſſunt conducere, hoc tamen Meſue præſtantius aliquantiſper videtur: nam & facilius purgat, minusque corpus conturbat, quod experientia ſæpius docti ſumus, cui & ratio atteſtatur: quia vt idem Meſue in ſuo libro de Conſolatione medicinarum exponit. Fœliciorem, & faciliorem euacuationem purgantia medicamenta præſtant, ſi mixta exhibeantur cum his, quæ facultate leniendi ſunt prædita. Hoc autem manna accipit, cùm alterum nihil ferè præter ſuccum roſarum accipiat. Huius doſis dum ſolum accipitur, vſque ad vnciam tutò aſcendere poſſet, vel paulominus. Ferè enim vncia medicamenti, ſcammonij grana circiter duodecim, vel paulominus continet. Nam, vt teſtantur, qui cõponunt, D ſi hoc medicamentum, tum poſtquam coctum eſt, pendatur, tum vt deſcribitur a Meſue conficiatur, libras duas & vncias octo pendit. Quartum medicamentum in his, quorum meminimus eſt, quod ex ſucco, vel mucore extracto ex ſemine pſillij macerato, ex quo tanquã ex materia medicamenti fit, a qua etiam nomen eſt conſequutum. Huius vero duæ compoſitiones ſunt in vſu in his locis, præſertim Venetijs, Patauijque. Altera Meſ. altera Barthol. Montagnanæ. De vtraque nos aliqua dicemus, & primùm de ea, quam ſcriptis mandauit Meſ. paratur ea ſic. Acceptis ſucci boraginis, & noſtri bugloſſi vulgaris, endiuiæque, & apij ſing. lib. duabus: poſtquam cocti, & deſpumati fuerint, in his macerentur per E diem, & noctem, hæc infra ſcripta.

Cuſcuta ab Arabibus appellat Aniſum.

Senæ folliculi, cuiuſque ſemiuncia. Capillorum Veneris manip. j. Succi fumiterræ vnciæ tres.

Quatuor aſſari. Spicæ nardi duæ: mox coquenda, vt tamen ſemel tantum bulliant, nec diutius, atque poſt ebullitionem indantur illis violarum vncię tres, duæ autem epythimi, ac iterum parumper bulliant: deinde colentur ſucci, & commode exprimantur, ac illis abiectis ex ſucco macerentur iterum per diem, & noctem vnciæ quatuor ſeminum pſilij, vel pulicariæ herbæ, poſtea mucillaginoſus ſuccus illis conquaſſatus extrahatur. His recte factis, accipiendæ ſunt quatuor iſtius mucillaginoſi ſucci libræ, quibus ſacchari duæ libræ, & ſeminis ſunt immiſcendę. Scã-

monij

monij item in pomo cocti, vnciæ tres, & ſemis, atque facili coctura omnia mox coquenda; cui poſtea hi ſunt, inſpergendi pulueres, vt accipiantur Trochiſcorum Diarhodon, ex ſpodio, ex rhabarbaro, ſing. vncia, ex berberis ſemiuncia, etiam omnia contuſa in puluerem redigantur. Hic tamen primo, illud eſt animaduertendum, quòd licet in hoc medicamento copioſum ingrediatur ſcāmonium, quia tamen duplici afficitur coctura: primùm nempe ex pomo, mox iterū ex ſuccis, & ſaccharo, quaſi ſyrupus fit; & propterea adeo vis ſcāmonij remiſſa miteſcit, vt facile, neque plurimum ſoluens fiat medicamentum, ita vt toto cum ſolo eo vſuri ſumus, ſemiunciam etiam excedere poſſimus. Sed quatenus ad eius vires, & facultates ſpectat: morbis quidem bilioſis, & id genus febribus confert. Sed vt & Meſue teſtatur, ijs etiam, quæ curatu difficiliores ſunt, nimirum cum bilis exuſta iam eſt, & per aſſationem craſſior facta, vt iam in humoris melancholici naturam vergat, id enim folliculorum ſęnæ, & epithymi, & ſucci fumariæ, vel fumi terræ admiſtio facit: neque ab hoc ſcopo alieni ſunt ſucci vtriuſque, vt ipſe ait, bugloſſi. Vnde, quia calidus humor, aſper eſt, ideo mucillaginem pſillij, vel pulicariæ accipit, quæ lenire, & refrigerare poteſt: ſicuti & ſuccus endiuiæ, & paſtilli ex ſpodio, & berberis. Craſſior autem factus humor, requirit attenuationem, & apertionem, quod quidem præſtare poſſunt ſuccus apij, & paſtilli Diarhodon, & qui ex rhabarbaro dicuntur. Hi enim attenuant, & aperiunt, & iecur ventriculumque, & viſcera omnia roborant. Vnde diuturnis febribus, quæ hominem ad aquam intercutem ſolent perducere, tollendis ſummopere cōducere creditur, Bartholomęi autem Montagnanæ deſcriptio ab hac non parum differt, neque cum ea conuenit, niſi in mucillaginoſo pſillij ſucco, ſcāmonio, & ſena. Nam primùm Sebeſten, tamarindos, ſenam violas, & paſſulas accipit, ſing. vncias quatuor. Polypodij vero libram vnam, eaque immerſa libris decem, aquæ dulcis, per diem ac noctem macerat: mox ad medietatem decoquit, decoctumque percolatum, & expreſſum accipit, & calefacit, illique imponit ſeminum pſillij libram: ita tamen vt ex ipſis itidem per diem, & noctem maceratis, & agitatis mucoſus ſuccus extrahatur. Cui deinde ſacchari libras quatuor immiſcet, additis liquore Caſſiæ, & Tamarindis prius ex decocto diſſolutis. Poſt decoctionem congruam pondere ſemilibræ, præterea vero & infraſcripto puluere facto, ex Diagridij vncijs quatuor, Spodij, Rhabarbari, Sandalorum amborum, roſarum, violarum, ſeminis papaueris albi, portulacæ, endiuiæ, ſcariolæ, lactucæ, fœniculi, aniſi, dragacanthi, amili, gummi Arabici, raſuræ eboris, fumariæ, liquiritiæ ſing. vncijs tribus. Myrobalanorū Indarum, & Emblicarū ſing. drachmis quinque, & ſemis: ex quibus omnibus tandem conficiendum eſt medicamentum: quòd ſi ad doſim reſpiciamus, eadē poteſt eſſe, quæ & priorum. Nam quātum ad ſcāmonium pertinet, ferè quælibet iſtius medicamenti vncia, diagridij paulo plus ſcrupulo accipit. Quòd ſi vires reſpiciamus, ſatis potens eſt medicamentum ad varios humores vacuandos, præſertim vero pituitam craſſam, & bilem: quia præcipue aluum cient polypodium, cuius copia inſignis accipitur, & ſcāmonium. Nam tamarindi, & caſſia adhibetur potius vt leniant, & aluum fluidum efficiant, & vt reliqua facilius, & cum minori moleſtia purgent. Sed ob eandē lenitatem gummi amylum, violæq;, & liquiritia additur: Rhabarbarum vero, & vtrique myrobalani, tum vt ſubſtātiam viſcerum roborent, & colligant, quæ vi purgantium diſſolui, & laxari ſolet, tum & ſenam iuuant, & polypodium in vacuandis pituita, & humoribus aliquibus exuſtis,

A & melancholicis; cætera vero ſunt appoſita ad temperandum purgantium medicamentorum calorem: præter aniſum, fœniculum, & fumaria, quæ craſſos humores attenuare poſſunt, & flatus diſcutere. Valet ergo in febribus tertianis nothis, & alijs affectibus, qui ortū ab alijs humoribus, tum bilioſis, tum pituitoſis habuere. Sed & de medicamento ex palmulis, vel dactylis, vt Iuniores loquuntur, quod & Græco vocabulo Diaphœnicum appellauit Meſue, cuius deſcriptionem, & compoſitionem omnes fere his temporibus ſequuntur, aliquid dicamus. Conficitur hoc modo: vt palmularum, quæ per triduum fuerint in aceto maceratæ, drachmæ centum accipiantur.

B Penidiorum drachmæ quinquaginta. Amygdalarum dulcium opime purgatarum drachmæ triginta. Turbith drachmæ triginta. Scāmonij quinque, zingiberis duodecim, piperis longi, foliorum aridorum rutæ, cinamomi, maceris, ligni aloes, ſeminum aniſi, fęniculi, dauci, galangæ ſingulorū drach. ij. & ſ. Deinde omnia exquiſite trita cum melle cocto, & deſpumato, quantum ſatis eſt, commiſceātur. Huius medicamenti compoſitio, ſiue a filio Zezar, vt Meſue refert in ſuo Antidotario fuerit excogitata, ſiue vt alibi dicere videtur, a Ioannitio, ad exēplū Aetij ſermone tertio, & Pauli libro ſeptimo, compoſitum eſt: præterquam quod illi Turbith non apponunt, vtuntur tamen palmulis, ſed ex aceto coquunt, non autem macerant; ſed illa, miſſa faciamus, de hoc C quod a Meſue relatum eſt, dicamus. Pręcipuum medicamentum, & quod compoſitionis baſis dici poteſt, eſt Turbith, de quo quid antiqui ſenſerint, & quo nomine Græci id appellauerint prætermittemus nunc, ne iuſto ſimus longiores: hoc ſaltem mihi videtur eſſe manifeſtum ſatis, id quod nos vtimur ex aliqua harum plantarum, quæ ſuccum lacti ſimilem habent, & ideo lactariæ herbæ, vel lacticinia appellantur fuiſſe acceptum, eius autem facultas eſt, vt craſſam pituitam, cum recte paratum eſt, purget, eamque a remotioribus etiam partibus trahat, reliqua vero huic medicamento: præſertim ob paratum Turbith, induntur, vt illius (ſi qua eſt) malitiā corrigant. Cùm enim hæc incommoda, quòd per ſe, niſi D iuuetur, debile eſt medicamentum, parumque, & tarde purgat: præterea quod flatulentum eſt, & qui excitato flatu ventrem ſubuertit, & faſtidium illi adfert, & ſubinde lædit; item eſt calidum, & ſiccum inſigniter. Experientia autem docuit roborari illud addito zinzibere, vt teſtatur Meſ. acceleratur vero eius operatio addito ſcammonio, neque putandum propterea apponi, vt ipſum ſit quod euacuet; nam tota compoſitio pondus quinque librarum circiter æquat, in qua drachmæ duodecim ſcāmonij apponuntur, vt vnaquæq; vncia duodecim grana habeat, ſemidrachmam autem Turbith, & præterea circiter grana quinque. Portio autem ſcāmonij ad Turbith, oſtendit ſcāmonium eſſe additum, vt turbith opera- E tionem acceleret, & iuuet, quamuis ab eo tolli non poſſit, quin bilem & ipſum purget. In ea enim portione eſt, vt in ea ſit doſi, quam Meſue præcipit, quo fit, vt poſſit bilis aliquid detrahere. Sed penidiæ leniendi cauſa apponuntur, & vt vim calefaciendi remittant, & ſiccandi turbith, ita & dulces amygdalæ: palmulæ vero, & ipſæ præſertim ſi dulces fuerint: id enim ſignificare puto cheyron, Arabicum vocabulum quod Caryotę Græcum: ita enim quę teneræ, & dulces ſunt, græce dicebantur: quam autem in tollendo ventriculi faſtidio vim palmulę habeant, quod ſoluentia medicamenta concitant, & eorum abominabilem adeo ſaporem obſcurando, vt poſſit guſtum fallere, teſtis eſt Galenus tertio, de Fac. ſimpl. med. Vti autem aceto in coquendis, vel macerandis pal-

mulis ſolebant Antiqui, vt legitur apud Aetium ſermone tertio, & Paulum libro ſeptimo. Propterea forſitan, quia aliquam vim ex aceto contrahant, qua præterquam quod aſtringendo confirmant ventriculum, poſſunt etiam craſſiores humores vacuando attenuare: reliqua vero aromata duplici ratione accipiunt, prima communis eſt, nempe propter odorem gratum, quo ventriculo gratia conciliatur, & robur membris præcipuis additur, Altera vero flatus diſcutiendi vim habet, ex quibus facile quiſque percipere poteſt, medicamentum eſſe maxime opportunum febribus diuturnis, a craſſis humoribus accenſis, in quibus multa lenta, & craſſa pituita mixta eſt, ſicuti ſolet in autumnalibus febribus contingere: item, & affectibus, qui frequentius ſolent hyemalibus, & frigidioribus temporibus oriri, & qui ex flatuoſa materia excitari, vt colica, & id genus alijs. Sed ſi etiam medicamentorum ſimplicium, quæ in hac compoſitione accipiuntur, copia ſit extimanda, nempe ſcãmonij, & turbith, cum ſolo vſuri ſumus, poſſumus accedere ad doſim a quatuor vſque ad ſex drachmas, & vltra etiam quandoque: accipit enim vncia huius medicamenti ſcammonij circiter ſemiſcrupulum: Turbith vero ferè ſemidrachmam, vt tamen ratio ſit habenda naturæ corporis purgandi, quatenus ad facilitatem, & difficultatem purgationis pertinet: item ad ætatem, & vires, & alia huiuſmodi. Indum raro in vſu eſt, quod Maius a Meſue nuncupatur.

Accipit Cinnamomi, Caryophylorũ, Spicæ nardi, Roſarum, Caſſiæ, Maceris, Ciperi, ſing. drach. iiij.
Sãdalorũ citrinorum drach. ij. ſ. Ligni aloes, Nucis muſcatæ, ſingulorum drach. ij. Turbith optimi drach. L. Sacchari, & penidiarũ, ſingulorũ drach. xx. Galãgæ, Cardamomin vtriuſq; Aſſari, Maſtichis, ſingulorum drach. j. ſ.
Scammonij cocti ex pomo drach. xij.

Hæc omnia prius ſunt ex oleo amygdalino fricanda, deinde accipiuntur ſucci cotoneorum malorum, item, & punicorum, præterea Apij, ſingulorum ſemilibra, qui addito melle optimo quantum ſatis ſit, coquendi ſunt ad congruentem ſpiſſitudinem, ac poſtea pulueres inſpergendi, & commiſcendi. Si eorum, quæ de præcedenti medicamento dicta ſunt, memores ſumus, facile omnia, quæ ad Indum attinent, percipiemus. Nam ſi Turbith pondus cum ſcãmonij pondere conferamus, quadrupla proportio turbith, & aliquanto etiam maior erit ad ſcãmonium: quare præſertim, & primùm, & maxime pituitam craſſam, & lentam purgare medicamentum poterit, licet & aliquid bilis, magis tamen in eo ſcãmonium iuuat, & accelerat operationem turbith, quàm quod ipſum præſertim cum coctum accipitur inſignem poſſit vim purgandi bilem habere. Sed ſaccharũ, & penidię leniendi cauſa apponuntur, reliqua vero tanq̃ (vt Arabes q ſolẽt) cõſolãtia, ſicuti aromata, q̃ poſſunt flatũ diſcutere, quẽ ſuapte natura turbith excitat, & id attenuando, & calefaciendo. Aromatico vero, & ſuaui odore vires reficere viſcerum, quæ ſedes ſunt præcipuarum facultatum. Sed ſpica, roſæ, ſandali, cinnamomũ, caſſia, maſtiche, & ſuccus cotoneorum, & punicorum, qui quamuis, & calorẽ aromatum, & aliorum medicamentorum cum roſis, & ſandalis tẽperiẽt, cum aſtringentia tñ ſint, ventriculo ſuccurrunt, ne ab exoluentibus medicamentis, quæ maxime illi aduerſantur, eius natura diſſoluatur: Aromata vero omnia tenuitate partiũ, craſſam, & lentam pituitam attenuando, & ſiccando, iuuant vacuationem, quam adiuuant, & ſucci fœniculi, & Apij. Erit ergo accommodatum admodum medicamentum purgando corpori, quod tali craſſa pituita refertum ſit, & curandis morbis ex ea exſiccatis. Do-

A ſis vero ea, quam Meſue præſcribit, ſi extimare voluerimus, quod tota compoſitio accedit ad libras ſex, & vncias quatuor, vel circiter, vt atteſtantur, qui componendi periti ſunt: vnde integra medicamenti vncia continet ſcrupulos duos turbith, aut paulo minus, ſcammonij vero paulo minus decem granis, quod coctum mitius, & facilius euadit: eſt ſatis exigua, nec video cur cum ſolo ſumus vſuri, non poſſimus & quinque drachmas, & ſex etiam dare, ſiquidem liberaliori euacuatione opus fuerit. Sunt autem facultatibus admodum ſimilia duo hæc medicamenta. Medicamentum vero, quod in Hamech Arabem auctorem refertur, his conſtat, vt accipiantur.

B Myrobalanorum, citrinorum vnc. iiij. Kebulorũ, Indorum, Rhabarbari, ſingulorũ vnc. ij. Agarici, Colocinthidis, Polypodij, ſingul. drach. xviij. Abſinthij, Thimi, Senæ, ſingulorum vnciam vnam. Succi fumariæ, libram vnam. Pruna ſexaginta.

Paſſularum exacinatarum vnc. vj. ac infuſa in ſero lactis macerantur in vaſe, quod ſtrictum os habeat: vſque ad quintum diem, mox parumper ſimul bulliant, poſtea colentur, & ex eo decocto diſſoluantur.

Caſſiæ Aegyptiæ vnc. iiij. Tamarindorum vnc. v. Mannæ vnc. ij. ac omnia manibus fricata iterum colentur, & poſt colaturam addantur.

Sacchari ſeſquilibra. Scãmonij, ſeſquiuncia. Iterumq; coquantur ad mellis conſiſtentiam: poſtremo additis his pulueribus omnia miſcenda ſunt, nimirum, vt C accipiamus trium generum Myrobalanorum ſingulorum ſemiunciam.

Bellericarum, Emblicarum, Rhabarbari, Seminis fumariæ, ſingulorum drach. iij.
Spicæ nardi, Seminis aniſi, ſingulorum drachmas duas, contundantur omnia, & cribrentur in exquiſitum puluerem.

Hæc medicamenti confectio vim habet, ſi ad ſimplicia, ex quibus componitur reſpiciamus, vt multiplices, & ferè cuiuſq; generis humores purget, præſertim vero ſi addantur, &

Violarum drach. xv. Epithymi ij.
Aniſorum, Roſarum, Fœniculi, ſingulorũ drachmę ſex, vt aliquando addi ſolere ait Meſue.

D Ex Agarico enim, & colocynthide præcipue habet, vt pituitam detrahat, ad quod faciunt etiam myrobalani, chebuli, quæ quamuis cæteris omnibus ſint infirmiores, dum tamen ab alijs valentioribus iuuantur aliquid omnino, & ipſi poſſunt. Nam de his quæ in puluerem redactæ poſtremo inſperguntur, in hoc non plurimi fecero, quia mea quidem ſententia addita ea ſunt potius ad cæterorum correctionem, quam quod ea vim alicuius momenti in vacuando habere poſſint. Myrobalani quidem, Rhabarbarum, ſemina fumariæ, & ſpica, & roſæ propterea, vt colligendo, & aſtringendo robur viſcerum, quod plurimùm diſſoluunt purgantia medicamẽta, ſeruare poſſunt, aniſum, vt flatus, qui cum mouentur E ſucci excitari ſolent, & conturbant, atque ventriculum reddunt nauſeabundum, diſcutiant, id ipſum, & fœniculi ſemen ſi addatur efficit: polypodium vero, vel (vt Latini appellant) Filicula, commode quidem pituitam purgat, nihilo tamen minus, & melancholicum humorem, quem & Thymus, & Epithymum ſi addantur vacuant: quamuis hoc quod modicum imponitur, vim multam habere non poſſit. Sed & Indi Myrobalani huc ſpectant. Sane vero vſtos & aſſatos humores detrahit, & hæc omnia aqua caſei nonnihil iuuat, & fumariæ ſuccus, ex quibus maceratio, & decoctio. Citrinę autem myrobalani, rhabarbarum, & ſcãmoneum pręſertim bilem purgant, quæ deinde caſſia, Manna, & Tamarindi iuuant, quãuis maior ex ipſis ſit vtilitas, quod acrimoniam leniunt,

niunt,& obtundunt, caloremque ſoluentium medicamentorum remittunt, ſicuti & paſſulæ, & prunæ, & violæ cum imponuntur. Vnde quamuis ex vehementibus admodum, & viroſis medicamentis ſimplicibus hoc confectum ſit, adeo tamen eorum viroſa vis corrigitur, & temperatur, vt facillime deinde, totoque, & citra vllam ferè moleſtiam, & conturbationem ventriculi, vel aliorum viſcerum purgare ſoleat. Valet autem ad tollendas diuturnas, & autumnales difficileſque febres ex colluuione omnium ferè humorum excitatas, ex æſtate enim præcedenti multa congeſta eſt bilis, & ea aſſata, ex vſu autem plurimorum pituitoſorum cibariorum, vt ſunt fructus, radices, & olera, & ex imbecillitate contentricis facultatis, tum ex reſolutione caloris naturalis ex priori æſtu, tum ex inæqualitate conſtitutionis temporis multa pituita: ſed incineratis ex putredine humoribus, ex febribus longioribus plurimus eo tempore gignitur melancholicus humor: inde Autumno multus eſt quartanarum prouentus. Autumnalibus ergo febribus curandis optimum eſt medicamentum, & alijs quoque morbis, ex vitioſis humoribus ortis, præſertim craſſis, & elephantiaſi, vitiliginibus, cæteriſque difficilioribus cutis affectionibus. Eius doſis ad quatuor, & quinque drachmas accedere poteſt, & vltra etiam cùm ſolo eo vtimur. Nam cum tota compoſitio reſoluatur tandem in libras circiter ſex, & ſemiſſem, vnaque vncia colocynthidis, agarici, & polypodij, habebit grana quatuordecim, vel paulo plus, ſcāmonij vero grana nouem, paulove plus, reliquæ potius vim horum reprimunt, & temperant, quam augeant. Poſtremo de eo quoque medicamento aliquid dicendum eſt, quod Diaturbith appellatur, cum rhabarbaro, & eſt Bartholomæi Montagnanæ inuentum, alicubi vero in multo vſu eſt. Solet fieri ex ſaccharo probe cocto, adeo vt in placentulas, vel rotulas concreſcere poſſit. Cuius compoſitio ita ſe habet.

Rec. Sandalorum alborum, & rubeorum, violarumque, & zinziberis. Singulorum drachmam vnam ſ.
Seminis aniſorum, Cinnamomi, Croci, Maſtichis, Singulorum drach. ſ. Turbith, Hermodactylorū, Singulorum vnc. j. Rhabarbari electi drach. x.
Diagridij drach. iiij. Sacchari optimi. lib. ij.

Decocto ſaccharo ex aqua, reliqua trita, & in puluerem redacta, inſpergantur, & fiat ſolida confectio in placentulis, vel rotulis. Talis compoſitio poteſt pituitam, & bilem purgare: præſertim vero craſſam, ratione tàm turbith, quàm hermodactylorum: vtriuſque enim vis eſt, vt craſſam educant pituitam, cùm adiuuantur à rebus, quæ proprietate quadam naturæ, & ſuis etiam qualitatibus naturalibus, iuuare poſſunt, vt poteſt zinziber, ſemina aniſi, & cinnamomum eam extenuando. Sed & ſcāmonium eorum viribus quippiam addit. Rhabarbarum vero illi pręſtat cum ſcāmonio, vt bilem poſſit detrahere. In morbis ergo ex miſcella horum humorum excitatis, ſuccurrere laborantibus poterit: præſertim vero articularibus, podagriciſque, & chiragricis doloribus, & coxendice, quòd turbith, & hermodactyli pituitam à remotis partibus trahunt. Poteſt etiam eſſe vtilis febribus diuturnis, vt ſunt tertianæ non exquiſitæ: & eſt medicamentum facile, ſatiſque tutum, Quamuis enim, & turbith, & hermodactylus in his ſint, quæ non parata turbant, pręſertim ventriculum, tamen tum ex cinnamomo, & zinzibere, tum ex ſemine aniſorum, præterea rhabarbari multam copiam admodum correctam [recipit:] nam flatus craſſiores, quos hæc medicamenta alioquin concitare ſolent, & à quibus ſubuertitur ventriculus, zinziber, cinnamomum, & aniſum potenter diſcutiunt. Rhabarbarum viſcera omnia laxata aſtringendo roborat, de eo enim prædicat Auer. quod ipſum, vt nulla eget correctione, ita alias omnes medicinas corriget. Quamuis auctor præſcripſerit ei doſim à drachmis duabus vſque ad ſex, cur tamen non poſſit integra vncia non video, ſi conficiatur ſicut paſſim conficitur, ita enim pulueres diſtribuunt, vt quotacunque vncia ſacchari, dragmam ſpecierum, vel pulucrum vnam accipiat. Accipiet ergo vnciam diagridij circiter grana ſex, turbith autem, & hermodactylorum grana circiter duodecim, & dimidium ſingulorum: rhabarbari circiter ſexdecim. Ex ſuperius autem explanatis, nemo eſt, qui non percipiat ſandalos, & violas cæterorum medicamentorum calorem temperare, ſed violas propterea addere lenitatem. Hoc tamen citra vſum huius medicamenti notandum, quòd Medici pueris etiam hoc exhibent. Quamuis enim ea accipiat medicamenta, quæ laborioſe ſoluunt: adeo tamen omnia recte caſtigata ſunt, vt vel etiam tenera ætas hoc ferre poſſit, proinde ita ab exigua doſi eius terminos ſumpſit, à duabus nimirum drachmis. Nam raró cum pueris dandum eſt, duas vel tres ad ſummum drachmas excedunt. Facilius autem ſæpe hoc medicamentum accipiunt ex ratione modi ac formæ compoſitionis. Id enim ſub prętextu dulciarij cuiuſdam admittunt, & in febribus, & vermibus ſatis opportunum eſt medicamentum. Sed nunc ſi aliquam de hieris maioribus huic ſermoni addiderimus, ſatis ſuperque dè his medicamentis dictum eſſe putabo, atque deinde ad pilularum tractationem orationem noſtram conuertemus: neque in ipſis erimus admodum longi, cum neque noſtris his temporibus ſint in frequenti vſu, niſi quòd in clyſterijs ſæpius accipiuntur. Cœpimus tamen Venetijs vti hiera, quam Scribonius Largus in ſuo libello ſummis effert laudibus, & in Pachium auctorem refert, de qua præter alia multa hęc etiam ab eo literis tradita fuere, quòd quamuis viroſum admodum medicamentum eſſe videatur, tamen non modo non lædit ventriculum, verum ſupra quàm quis credere poſſet, ipſum confirmat. Diacolocynthidos autem appellatur. Multæ tamen reperiuntur confectiones ſub hoc nomine deſcriptæ. Sed ea, quam retulit Scribonius, eadem ferè eſt cum ea, quam Meſue, Paulus, & Aetius deſcripſere, non tamen eam in Pachium, ſed in Rufum Epheſum referunt: & ſi in re aliqua euariant, id potius librariorum culpa contingit, ſi quis recte rem examinet. Eandem vero compoſitionem reperimus in exemplari antiquo manuſcripto, quod erat in bibliotheca excellentiſſimi ducis Vrbinatis, niſi quòd erat in ponderibus diuerſitas aliqua, in ſimplicibus autem nulla, aut modica. Cuius deſcriptionem hic particulatim non refero: vtpote, quę paſſim reperiatur. Facultas vero ex Galeno primo de Compoſit. medica. ſecundum loca. & in libro de Facile parab. med. eſt, vt pituitoſos humores vacuet, quamuis, & alios etiam aliquantiſper purget. Nam in colocynthide, & ſagapeno, & opopenace vis eſt purgandi pituitam primùm, quamuis non eam ſolam purgent: ſed & idem facere poſſe agaricum nemo non nouit, omneſque ferè conueniunt circiter quatuor drachmis doſim eius comprehendi. Quia vero dixi varias eius confectiones antiquitus in vſu fuiſſe, id eſt, & Scribonij teſtimonio, & Galeni poſſumus oſtendere. Scribonius enim interdum huic compoſitioni, vt valentiorem redderet, duplum prioris ponderis colocynthidis addebat: opoponacis autem, & ſagapeni drachmas tres, qua compoſitionis ratione vtendum audacter eſſe dixit, vbi diuturniores, & rebelles magis morbi facti ſunt. Galenus vero ſecundo de ratione vict. in ac. varie medicamen-

camentum hoc parari ſolitum eſſe ait, neque eſſe medicamentum, quod plurimum periculum habeat, cum pleuriticis, ſi illos acuta febris non angit, tutò dari poſſe autumet. Addit tamen compoſitionem illis eſſe congruam, cum accipit veratrum nigrum, non autem ſcāmonium: ex quibus verbis facile percipitur, quod interdum hæc hiera ita in vſum deducebatur, vt fuit primùm deſcripta: quæ cum vim purgandi maiorem ex colocynthide habeat, deinde ex opoponace, & ſagapeno, ideo licet poſſit, & alios humores purgare, maxime tamen pituitam purgat: cum vero illi aliorum etiam purgandi vim addere volebant, ſi melancholicum humorem, nigrum veratrum, vel epithymū, vt ſecundo de Compo. medic. ſecundum loca docuit Galenus, Si bilem, ſcammoniū: vnde interdū alterū addebāt, interdū vtrumque, interdum neutrum, & id pro ratione naturæ morbi, naturæ corporis ægrotantis, & virium ipſius. De Benedicta vero nuncupato medicamento, & de eo, quod Eleſcof à Meſ. ab Auicenna vero Epiſcopi dictum eſt, nolumus ſermonem longiorem habere: neque enim ita in frequenti vſu ſunt, ſicut hæc alia: atque benedictæ vſus frequentior eſt in clyſterijs, adde, quod ex his, quæ de alijs diximus horum etiam inire rationem quiuis poterit. Sed antequam etiam ad pilulas me conuertam, id pro iunioribus medicis addendum puto, quod nos aliquando fortioribus his medicamentis latiores terminos, & ampliorem doſim præſcripſimus, non vt hortaremur Medicos iuuenes, vt in eorum vſu ſint audaciores, & plus etiam iuſto interdum, ſed vt ſciant, quòd aliqua ſunt corpora, quæ & robuſtiora ſunt, & aſtrictiora, in quibus aliquando niſi liberaliores fuerimus, nihil efficiemus. Semper tamen tutius eſt modeſtos eſſe, & circa medias doſes potius, quàm circa extremas verſari. Id etiam notandum, quòd cùm hæc valentia medicamenta lenientibus, & alijs leuioribus immiſcemus, & ſit eorum copia quanta poſſit commode aluum ciere, non ſunt hæc maiora medicamenta in multa copia inijcienda, vt accedant ad maiores limites præſcriptos in his, ſed ſi horum aliquid, verbi gratia, vnciæ caſſiæ, aut electuarij lenitiui, aut diaſenæ, aut huiuſmodi addideris, ſatis tibi erit duas aut tres drachmas addidiſſe, & aliquando vnam tantùm pro ratione roboris medicamenti, & natura corporis expurgandi.

De Pilulis. *Cap.* XVII.

PILVLAS nunc Medici medicamenta in globulos efformata appellant, quæ catapotia, eo quòd integra deuorantur, Græce dicuntur, & aliquando à ſimilitudine Coccia. Duæ autem commoditates eos impulere, vt pilulas conficerent: vna in accipiendo, altera in operando, quæ in accipiendo eſt, duplex eſt: nam & minus euadit medicamētum, cum in pilulas redigitur. Contuſis enim medicamentis ſimplicibus, vt ex eis puluis fiat, & adiecto melle modico, quanto aſſumi poſſint, vt cohęreant, & non diſpergantur, fiunt pilulę, raroq; doſis earum ſeſquidrachmam excedit. Deinde vero non ſolida, & integra deuorantur, & ſæpe ex aliquo liquore vt aqua, vel aliquo ſyrupo accommodato citò deſcendentes, vniuerſumque os non inficientes, non ita ingrato, tum ſapore, tum odore offendunt. Aliqui etiam aliqua re inuoluunt: nam aut inaurant, aut illis, quas nebulas vulgo appellant, inuoluunt, vt nullam ex ipſis moleſtiam percipiant. In operando autem commodus eſt iſtius medicamenti vſus, quod cum ſolida ſint, non ita facile à calore ventriculi diſſoluuntur, neque ita cito inde defluunt. Vnde longiorem moram ibi trahentia à remotioribus partibus,

A ſicuti ſunt articuli, & caput valentibus trahere poſſunt. Quare earum frequentior vſus eſt in capitis, & articulorum doloribus. De his ergo dicentes, eas etiam tantum (vt de alijs medicamentis fecimus) exponemus, quæ in frequentiori ſunt vſu, loquendo ſemper de ijs, quæ in purgatorijs valentibus poni poſſunt, nam de facilioribus, & leuioribus quantum ſatis fore diximus ſupra actum eſt.

Incipiemus autem à Cochijs appellatis, quas Raſis deſcripſit 9. lib. ad Almanſorem, in hunc modum:

Recipe pulueris hieræ, quæ ſimplex à iunioribus.
Amara dialoes à Galeno dicitur drach. x.
Colocynthidis drach. iij. & ſcrup. j. Scammonij drach. ij. ſ. Turbith. Stęcadis, ſingul. drach. v.

B Ex his omnibus in puluerem redactis, & ex aliquo liquore aſſumptis, fiant pilulæ. Ipſa autem compoſitio oſtendit, quòd purgare præſertim poſſunt craſſa, & pituitoſa excrementa. Ferè enim baſis ſunt turbith, & colocynthis. Duplum enim eſt pondus turbith ad ſcammonium, ſed & colocynthis ſuperat ſcammonium: nam quota quæque drachma accipit circiter grana octo, vel paulo minus colocynthidis, minus enim aliquanto, ſed parum: Turbith autem grana circiter vndecim, vel paulo plus. Scammonij vero circiter grana quinque: quia tamen ſcammonij ea eſt copia, vt poſſit, & ipſum ſolum purgare: ideo, & mediocrem vim bilem detrahendi medicamentum habebit: quòd inſinuare videtur, auctor, crudum id eſſe apponendum, quod & hoc modo acrius C eſt: reliqua vero tanquam ea, quæ vim corrigendi habent, qualitates ventriculo, & cæteris viſceribus noxias in hoc medicamento accipiuntur: ſicut hiera, quæ roborat, & firmat ventriculum, & alia viſcera, ſi quod aliud medicamentum, ſed & ſtœchas ab omnibus prædicatur, tanquam id quod vim magnam habet roborandi omnia viſcera, & tandem vniuerſum corpus, & Galenus 8. de Simpl. med. fac. Arabes vero præterea dicunt eſſe purgatoriū medicamentum, quod tamen non nouiſſe in eo antiqui videntur, qui præterea capiti plurimùm vtile eſſe aiunt, & hac ratione puto Raſim his pilulis addidiſſe, quibus in omnibus ferè capitis affectibus vtitur. Confert tamen, & ob id, quia obſtructas vias aperire poteſt, per D quas purgatio ducenda eſt, & purgandos humores craſſos extenuare. Ex quo patet, quàm hallucinentur Iuniores, qui in expoſitione noni libri ad Almanſorem, inuehuntur contra has pilulas, eas nimis fortes appellantes, in quibus acerrima accipiuntur medicamenta, & ea non correcta. Quis enim non videt ex hiera, tum ratione aloes, tum aromatum optime, & turbith, & colocynthim corrigi? Sed ſtœcadis etiam naturam, & facultates ſi exiſtimauerimus, cum duplum accipiatur hieræ ad turbith, triplum ferè ad colocynthim, par autem portio cum colocynthide ſtœcadis accipitur, non video cur non poſſint haberi tanquam correcta, & temperata, quātumlibet acria, & ventriculo viſceribusque noxia hæc ſimplicia alio-E quin ſint: nam Galenus tanquam correctas habet ſuas ex colocynthide pilulas, quarum, & primo de Compoſit. ſecundum loca, capite ſecundo, & lib. de Facil. parab. med. cap. 5. & in decimoquarto Meth. capite octauo, meminit. Cùm tamen eſſent confectæ ex colocynthidis parte vna: Aloes vero, & ſcammonij pari pondere, duabus nempe partibus, quibus ipſe, & partem vnam abſinthij addit, quæ poſtea aſſumuntur ſucco braſſicæ, & in pilulas fiunt: dantur vero vndecim, eas autem videntur in frequentiſſimo vſu habuiſſe, in quibus nihil eſt aliud, niſi aloe. Vnde hæ longe videntur eſſe correctiones, in quibus illi tantum momentum, & difficultatem ponunt. Imò cùm iam pluribus annis vbique ferè ſint in maximo vſu, facile purgant, neque cum multa moleſtia, pro

ratione tamen iſtius ordinis compoſitorum medicamentorum, modo quis recte eis vtatur, & ex ratione. Vnum duntaxat notandum, quod Meſue vbi de cura doloris capitis ex frigido, & pituitoſo humore agit, meminit harum pilularum, aitque inijciendum ſcammonium paratum, & coctum ex malo cotoneo, Raſis tamen huius non facit mentionē: ſed ſi ita fiat, etiam faciliores erunt, & tutiores, vt ſuperius fuit expoſitum. Quatenus autem ad earum doſim pertinet, quæ res eſt maioris conſiderationis, notādum quòd Raſis doſim earum integram eſſe dicit, vt dentur decem pilulæ, cuius tamen ponderis illę ſint, non exponit. At Meſue pondus præſcribit. Dicit enim doſim earum eſſe drach.ij.ſ. quæ copia conſiderato robore harum pilularum in purgando, maior fortaſſe iuſto eſt. Vnde facilè credo eſſe mendum in numeris, & exiſtimo legendum drach.j. ſ. ea ratione adductus, quòd ſi hæ pilulæ recte ſint confectæ, quotidie videmus, quod plurimi vnica drachma accepta facile purgantur, & ſatis etiam liberaliter, accepta vero ſeſquidrachma liberaliſſime. Imò ſi conſideremus modum, quo vtitur in exponenda harum pilularum doſi, videbimus Raſim huc ſpectaſſe, cum enim ait, dandas eſſe decem, ad conſuetudinem omnium ferè antiquorum reſpicit, qui cum catapotia formabant ad magnitudinem, aut erui, aut ciceris: ita enim Galenus in libro de Facil. parab. capite de Manantibus vlceribus capitis loquitur, ita & in libro de Comp. med. per loca, ſæpiſſime nunc erui, nunc ciceris inſtar, vel magnitudine conficiendas eſſe pilulas ait. Itidem & Nicolaus fere loquitur: quæ ſi ita, id eſt, ciceris magnitudine formentur, decem circiter ſeſquidrachmam pendent: ſi erui, etiam minus. Vnde Galenus ſuas illas ex aloe, ſcammonea, & colocynthide confici voluit magnitudine erui, atque dandas decem & ſeptem. Aureas vero pilulas Nicolaus ciceris magnitudine efformatas, aut nouem, aut vndecim dari voluit, quaſi eodē ſpectantes, quo Raſis. Vnde modeſta Doſis Cochiarum erit drachma, liberalior vero ſeſquidrachma, quamuis interdum viderim duas etiam drachmas datas feliciter: præſertim vero in graui ſopore, vel valida apoplexia, cum adeo attoniti & ſopiti ſunt ægroti, vt violenter cum illis agere ſit neceſſe. Nam aliqua aqua, duæ drachmæ diſſoluuntur, & vi aperto ore, cochleari tradūtur bibendę. Nam tunc quia natura ſopita eſt & ſtupida, niſi valentius irritetur, non excitatur ad excretionem: tum etiam quia liquida, quæ facilius de ventriculo, & citius diffluunt, non ita vacuāt copiosè. Sed de his ſatis.

DE pilulis Aureis, quæ facultate & robore purgandi his Cochijs ferè pares ſunt, agamus, Conficiuntur ſic: Recipe Aloes, & diagridij, ſing. drac. v.
Roſarum, Seminum apij, ſing. drac. ij. ſ. Seminum aniſi, Feniculi, ſing. drac. j. ſ. Croci, Maſtichis, Colocynthidis interioris, ſingulorum drachmā vnam. Hęc omnia trita aſſumantur aqua, in qua maceratum fuerit tragacāthum: deinde formandæ ſunt pilulæ magnitudine ciceris. In his baſis, & momentum eſt in ſcammonio præparato. Nam etſi addat colocynthidis, aliarum tamen rerum comparatione nō poteſt vim inſignem habere. Aloes autem & maſtix adduntur, vt ventriculo & reliquis viſceribus ſuccurrant, ne a rapiditate, & acrimonia ſoluentium medicamentorum laxentur & diſſoluantur: quòd magnam autem vtilitatem ſemina illa odorata afferant, id eſt, aniſi fœniculi & apij, iam ſatis ſupra ex Galeno & Hippocrate expoſitum eſt. Crocus vero & cordi eſt amicus, & facile poteſt vim medicamenti ad caput ducere; facile enim caput petit, vt ſecundo de Comp. med. ſecundum loca, capite primo, docuit. Ex multa itaque ratione confectum eſt hoc medicamentum, cuius vis prima & præcipua quatenus eſt ſoluēs

A medicamentum, ea eſt, vt valenter, & a remotioribus partibus poſſit bilem attractam purgare. Vnde doloribus capitis & articulorum eius congruus vſus, valde vtilis eſſe poteſt: poteſt tamen & aliquid pituitæ detrahere, ſed longe aptius eſt medicamentum purgandæ bili. Ex ſeminibus præterea illis diſcutere flatus ſatis commode poterit: & eius quidem doſis communis, qua liberaliter purgatur, eſt drachma, quamuis vbi aſtrictior ſit aluus, accedant aliquando medici ad drachmam vnam ſ. pręſertim vero in robuſtioribus corporibus. Si enim recte voluerimus, ſupputare, drachma continet circiter grana quindecim diagridij vel paulo minus; quæ copia, ſi velimus rationem præparationis habere & exiſtimare quantum B miteſcit vis ſcammonij quādo coquitur ex cotoneo, neque maior æquo videbitur. Sunt autem hæc quidem Aureæ bilioſis affectibus accommodatiores, Cochiæ vero, vt diximus, pituitoſis. Tertio Nicolaus deſcribit pilulas ſine quibus, quaſi nefas ſit eas paratas non habere, ob earum ſummam vtilitatem. Accipiunt hæ Aloes lotę, drac. xiiij. Myrobalanorum drac. v. ſing. Maſtichis drac. j. Abſinthij, Roſarum, Violarum, Agarici, Senæ, Cuſcutæ, ſing. drac. j. Scāmonij, mox triti, & ex ea copia ſucci fœniculi diſſoluti ac tranſmiſſi vel colati ex linteo, quanta ſatis ſit ad abſumendos hos pulueres, ita vt ex eis poſſint pilulæ confici drach. vj. ſ. Si recte compoſitionem hanc velimus exiſtimare, primò quidem bilem C purgabit; nam aloes alia omnia copia ſuperat, mox ſcammoneum; hæc vero rhabarbarum, & citrini myrobalani aliquantulum adiuuabunt, purgabunt tamen & pituitā: nam aloes præſertim adiuta ab agarico, & myrobalanis chebulis, & emblicis, & bellericis, poteſt & pituitā detrahere: ſed & ſcāmonium dum coliquandi pituitam, & attenuandi, detergendique cum calidum & amarum ſit vim habet, poteſt addere facultatem aloe, qua poſſit & pituitam detrahere. Senæ vero & myrobalani Indi aliquid faciunt ad purgandos exuſtos & atros humores. Cùm vero & rhabarbarum, & myrobalani, & maſtix, & roſæ aſtringendo plurimum valeant, ſimul cum aloe in roborando & purgando ventriculo, atque aſcenſum vaporum ad caput prohibendo: ideo in affecti- D bus oculorum, præſertim calidioribus, atque adeo etiam magis, ſi ex conſenſu ventriculi foueantur, non parum vtiles ſunt. Sed & laboranti quoque ventriculo, & multis vitioſis humoribus ſcatenti, præcipue ſi aſtrictior ſit aluus, vt facilioribus medicamentis non facile cedat, conducent. Neque etiam eſſet earum inutilis vſus in doloribus articulorum vel calidis, vel ex mixta materia, ſed in febribus quoque bilioſis, vbi iam concocta eſſet materia, & obſtructiones apertæ: nam optime correctum eſt medicamentum. Primùm enim myrobalani, & roſæ & rhabarbarum maſtixque poſſunt, vt ſupra oſtendi, omnium medicamentorum acrium violentiam reprimere, & ventriculo, viſceribusque, ſi timeamus, E aliquid ex ſcammonio vel agarico robur conciliare. Præterea & qualitatibus ſatis eſt temperatum medicamentum, quia primo Aloem lotam accipit, quæ ex lotura plurimum fit minus calida, deinde ſunt myrobalani, roſæ, violæ, quæ poſſunt aliorum medicamentorum calorem temperare. Sed ſi etiam (quod & his temporibus plerique facere ſolent) non crudum ſcāmonium inijciatur, ſed paratum & coctum, id eſt, diagridion: eo etiam facilius & lenius erit medicamentum, tutiusque; quamuis Nicolaus crudum ſcammoneum velle videatur. Doſis earum eſſe poteſt a drachma & ſeſquidrachma, & erit etiam ſatis facilis & tuta operatio, quam poſſumus interdum excedere: præſertim ſi acceperit diagridium. Vnaquæque enim drachma accipit circiter grana vndecim,

decim, vel etiam paulo minus. Infirmiores enim ſunt hæ pilulæ prioribus duabus. Sunt præterea quibuſdam in vſu pilulæ Arabicæ dictæ, ab eodem Nicolao deſcriptæ, quæ præcipue bilem & pituitam purgant. Nam eam vim habent Aloe, diagridium, & myrobalani citrini, admixto autem caſtoreo, & aſſaro, quæ craſſam pituitam extenuant. Aloe vim acquirit vt pituitam detrahit. Sed & Bryonia ex Dioſc. & Arabibus pituitam purgat, atque eam ex capite detrahit: ſed & bellericæ, chebulæque, & emblicæ myrobalani, præter id, quod cum reliquis myrobalanorum differētijs corrigunt bryonię, & diagridij calorem, & acrimoniam, diſſolutionemque viſcerum, vtpote qui refrigerant & aſtringunt, ſicut & roſæ & maſtix: faciunt quoque ad detractionem pituitæ. Inde vero licet præ alijs minorem vim habeant, poſſunt tamen aliquid melancholiæ detrahere: multiplices ergo humores purgant, præſertim vero pituitam & bilem, affectibus vero capitis tollendis accommodatum eſt medicamentum, vt quod & purgare, & roborare, firmareque tum caput tum ventriculum poſſit: neque tamen plurimum violentum eſt, ſed potius ſatis modeſtum: cum enim accipiat aloes vncias quatuor, myrobalanorum vero omnium, præterea maſtichis, diagridij, roſarum, & radicum aſſari, ſingulorum drachmas quatuor, additis autem caſtorei drachmis tribus, & vna croci, omnibusque aſſumptis, ſucco fœniculi vel abſinthij, fient catapotia. Vncia autem huius medicamenti continebit aliquanto minus viginti ſex granis diagridij, vt quælibet drachma habeat paulo plus tribus diagridij granis. Alicubi tamen non ſemiunciam, ſed integram vnciam diagridij aſcriptam reperi, quod neque multa eſſet copia: nam drachma grana circiter ſeptem capiet: tuto ergo poſſent dari drachmæ duæ: & longe etiam plus, ſi non vncia integra, ſed ſemiuncia apponatur. Author vero ait, quòd poſſunt curare dolorem capitis, vel etiam diuturniſſimum, id vero intelligendum eſt, frequenti & repetito earum vſu: neque enim adeo validum eſt medicamētum, vt ſemel aut iterum aſſumptum eradicare poſſit morbos ex longo tempore difficiliores factos. Sunt etiam aliquibus in vſu pilulæ Arthriticæ eo, quod morbis articularibus ſint vtiles: nos tamen nolumus omnia ſectari: ex his enim quæ nuper expoſuimus, & earum quas non exponimus, has cum illis conferentes, poterit vnuſquiſque ex ſe inire rationem. Ad eas autem orationem conuerto, quę ex Meſue excerptæ, paſſim in vſum Medicorum venere: neque tamen omnes deſcriptiones ad examen reuocaturus, ſed earum tantum, quæ magis celebres habentur. Nam his recte examinatis, ex earum ratione aliæ quoque faciles perceptu erunt, & quia Alephanginæ ad priorem ordinem medicamentorū potius pertinent, ideo illis prætermiſſis, de pilulis ſtomachicis ſermonem primo habeamus, quæ poſſunt colluuiem omnium vitioſorum humorum è ventriculo, & alijs etiam remotioribus partibus ſicuti è capite, & aliunde detrahere, & vtilis ſane eſt confectio correctioque. Ea eſt huiuſmodi.

Recipe Hieræ picræ, quam ſimplicem appellant, drachmas ſeptem. Myrobalanorum trium, id eſt, citrinarum, chebularum, Indarum.

Abſinthij, Scammonij, ſing. drachmas tres.
Agarici, Salis Indi, ſing. drachm. duas.
Epithymi Cretenſis, Aniſorum, ſing. drach. ij. ſ.
Turbith, drachmas decem.

EX ſcāmonio quidem, & citrinis myrobalanis bilem flauam educunt, chebulis vero & agarico pituitam, vel etiam craſſiorem: & præterea ex ſale indo, ex hiera vero vtrumque humorem: ex epithymo autem bilem atram. Sed ſi vires, & copiam medicamentorum conſideremus, primò pituitam, deinde bilem flauam: minorem autem vim habet atrā bilem educendi: calorem autem & acrimoniam medicamentorum contemperant myrobalani, & tres drachmę penidiarum, & ſuccus ſcariolæ, quo aſſumēdę ſunt pulueres, vt pilulæ fieri poſſint lenitatem præterea aliquam penidiæ addunt medicamento. Doſis autē earum eſſe poterit a drachma vſq; ad alterā, vt drachma modeſte quidē ſit purgatura, ſeſquidrachma ſatis liberaliter, duę vero drachmæ, vbi liberaliori ſit purgatione opus. Facile enim, præſertim in corporibus fortioribus duæ drachmę fieri poſſunt, Singula enim drachma ferè grana quatuor diagridij, turbith vero circiter tredecim, Agarici paulo minus tribus. Has ſequuntur pilulæ Aggregatiuæ, iam diu ab omnibus celebratiſſimæ, quæ & ipſæ purgando aggregant varios, imò ferè omnes vitioſos humores. Componuntur autem ex his medicamentis ſimplicibus, quæ præter purgationem excrementorum, quam expectare oportet, ex his medicamentis, quæ vim purgandi habent, poſſunt viſcerum obſtructiones aperire, & ea etiam roborare. Accipit enim ſucci abſinthij & eupatorij, ſingulorum drach. tres, & quamuis Meſue aliud eupatorium nouerit, quàm Galenus & Dioſcorides: tamen ſi etiam in his eupatorio vteremur, quod in præſentia agrimoniam appellant, non putarem deteriorem fore compoſitionem, & totidem etiam rhabarbari drachmæ, quæ ad aperiendas obſtructiones, & roboranda viſcera nō parū faciunt, ſicut & aniſum, & zinziber, quorum ſing. accipitur drach. j. quatenus vero ad purgandi rationē attinet, cū accipiat agarici, colocynthidis, polypodij, & chebularum myrobalanorum, ſing. drac. ij. Salis autē gēmæ drac. j. turbith, drac. vj. inſignē vim habebit pituitam craſſam educēdi: totidem vero drachmæ aloes, & præterea diagridij, cum rhabarbaro, & pari pondere citrinarum myrobalanorum, non minus in purganda bile poterunt: quæ etiam iuuare poterit electuarium roſarum, de quo ſupra loquuti ſumus: ſed & aliquid præterea atri humoris, licet modicum, ex drachmis duabus Indarum myrobalanarum, & vna epithymi, quamuis & polypodium hæc nonnihil iuuet. Zinziber vero & aniſum ad extenuationem craſſorum humorum proderit vna cum ſale. Roſæ item aridæ cum myrobalanis & maſtiche, cuius quoque drachmam accipit, poterunt calidiora medicamenta temperare, & colligere, vnireque ſubſtantiam viſcerum, ne violentia purgantium medicamentorum laxata diſſoluantur. Correctum ergo eſt medicamentum, & tutum, ſatis tamen efficax, quòd plurimum poteſt ad diuturnas & nothas febres, quales ſunt autumnales, quæ varijs humoribus, & pertinacibus putreſcentibus ſolent excitari: ita etiam in alijs morbis ventriculi, capitis, inſtrumentorum ſenſuum, in obſtructionibus lienis & iecinoris, quæcunque purgationē liberalem requirere viſa ſint. Doſis eius eſt vſque ad ſeſquidrachmam. Drachma enim ſatis copioſè purgare poteſt, quia præter id, quod habet & electuarium roſatum, quo reliqua aſſumuntur, ſingula drachma continet circiter grana ſeptem ſcammonij, totidem turbith. Agarici vero, & colocynthidis paulo plus granis duobus: liberaliori autem purgatione ſi fuerit opus, poteſt & ſeſquidrachma accipi. Pilulæ vero, quæ ex rhabarbaro nomen habent, nō illæ, quæ ex Arabico vocabulo ex Rhaueth habent appellationē, nullū accipiunt forte vel violentū medicamentū. Accipiuntur Rhabarb. drach. iij.

Succorum Abſinthij & liquiritiæ, drac. j.
Citrinorum myrobalanorum, drach. ij. ſ.
Hieræ picræ, vel ſimplicis dictæ, drach. x.

Vnde neq; in hoc medicamentorū ordine ſunt ponēdæ, ſed in primo: Doſis vero earum, ſi etiam drac. ij. excede-

excederet, minime obeſſe poſſet; ſed vtiles admo- A dum eſſent, vbi ex longioribus febribus, & validis obſtructionibus, adeo eſſet tum ventriculi robur, tum maxime iecinoris factum imbecillum, vt iam in hydropem & malum corporis habitum res procliuis eſſet, necdum amplius validas purgationes viſcera languentia poſſent perferre, vacuatione tamen egerent, verum leui & facili. Pilulas indas in Haly authorem referunt Arabes. Conficiuntur acceptis myrobalanis, & veratro nigro, polypodioque, ſingulorum drachmis quinque.

Epithymi, Stœchadis, drachmis ſex. Agarici, Lapidis cyanei vel laxuli dicti ab Arabibus & iunioribus, optime loti, Colocynthidis, Salis indi, ſing. drachm. quatuor, Succi eupatorij, Spicæ, ſing. drachmas duas. Gariophyllorum, drach. j. B Hieræ picræ, drach. x. Hęc aſſumpta ex ſucco apij fiũt pilulæ: quæ vtiles admodum ſunt purgando humori melancholico. Nam Indi myrobalani, veratrum nigrum, polypodium, & epithymum, lapiſque laxulus, hoc præcipue faciunt. Ex colocynthide vero, agarico, & ſale indo, aliquid etiam pituitæ purgare poterunt. Vnde commodum medicamentum his erit maxime, qui tentantur melancholicis affectibus, vt ſunt quartanæ febres, & icteritia nigra, quæ vitio lienis concitatur, & cancer, & elephantiaſis, & reliqui melancholici affectus. Harum doſis commoda erit a drachma vſque ad ſeſquidrachmam, vt paulo plus, quamuis ad tres vſque drachmas acceſſerit Meſue. Valentia enim ſatis ſimplicia accipit, etſi ſcammonij ſit expers. C Nam & nigrum veratrum, & colocynthim, & lapidem lazulum, & ſal accipit copioſè ſatis: quæque enim drachma continet circiter quinque grana, tam veratri, quàm polypodij: agarici autem colocynthidis, & lapidis lazuli, circiter grana quatuor, itidem & ſalis. Sed in Fœtidis pilulis, quas ideo fœtidas dictas puto, quia ſagapenum, & opopanacem, & caſtoreum, quæ grauem ſpirant odorem copioſe accipiunt, & de quibus nunc loqui volumus: amplior aliquanto mihi doſis illis præſcripta a Meſue videtur, quàm ratio requirat: mihique videtur modeſtam ſatis eſſe doſim, ſi drachma, vel ad ſummum ſeſquidrachma accipietur: nam multa accipiunt valentia ſimplicia. D Nam præter eas, quas gummas Arabes & iuniores appellant, accipit colocynthin, ſcammonium, & turbith ſatis copioſè. Componuntur enim in hunc modum, vt accipiantur ſingulorum horum drachm. quinque, id eſt,

Sagapeni, Opopanacis, Amoniaci, Bdelij, Colocynthidis, Syluestris rutæ, Epithymi, Aloesque. Duę autem tum hermodactylorum, tum eius, quam vulgo Eſulam vocant.

Euphorbij ſcrup. quinque. Cõpoſitio hæc his conſtat, quæ craſſos & crudos humores poſſunt euacuare, præter epithymum & ſcammonium, quorum alterum potius atram, alterum flauam potius bilem purgat: nam aromata, vt zinziber, cinnamomũ, E ſpica, crocus & bdellium, & ammoniacũ etiam ſunt tanquam corrigentia & reprimentia malitiam purgantium medicamentorum. Nam bdellium, & amoniacum craſſos & induratos humores vel etiam in articulis emollire poſſunt, & digeſtionem iuuare: ſed & potentia ſunt omnia ferè ea medicamenta, vt vim habeant trahendi pertinaces humores a partibus remotioribus, vt ſunt articuli. Vnde in articulorum doloribus, qui a frigidiori humore excitantur, ſunt in frequentiori vſu: neque tamen his adeo valentibus medicamentis inter initia, antequam maturescat aliquãtiſper crudus humor temere vti oportet, quod & quidam iuniores monuere, ſed prius materia cruda coquenda eſt. Accipit autem ſingula iſtius medicamenti drachma, circiter grana quinque ſcammonij, & turbith circiter grana quatuor. Vnde poteſt ſæpiſſime drachma eſſe ſatis vel ad ſummum ſeſquidrachma, quatenus ad doſim earum pertinet. Pilulæ autem Lucis maiores, quæ & ipſæ ſunt in frequenti vſu, præſertim vero in affectibus oculorum, & aliorum ſenſuum inſtrumentorum, faciles & leues ſatis ſunt: nam quamuis habeant turbith & colocynthin, præterea vero & agaricum, drachma tamen vna huius medicamenti priorum duorum grana neque duo capit, agarici vero paulo plus tribus, vt prætermittam ſenam, rhabarbarum, epithymum, & aloem, quæque omnia ſunt facillima medicamenta. Nam in prima aloes videtur tanquam baſis huius medicamenti, deinde agaricum & ſenæ. Vnde præcipue purgandæ pituitæ erunt accommodata. Agaricum enim colocynthis iuuat, & turbith, & myrobalani tres, chebulæ, emblicę & bellericæ, vt prætermittam opopanacem, & ſagapenum, quæ præter id quod & ipſa aliquid faciunt ad pituitam ducendam, addunt etiam vim, vt poſſint a remotioribus attrahere. Aromata vero omnia & ſemina attenuantia, vt de hiera haberetur ſermo ex ſententia Galeni expoſuimus, addita aloe, & alijs medicamentis leuioribus, id præſtant vt facilius & valentius poſſint craſſos & pertinaces humores detrahere. Vnde illis additis turbith, rhabarbaro, & aloe, & ſena, id præſtare poterunt. Purgant tamen præterea hæ pilulæ bilem flauam & exuſtam, quæ iam in atrã vergat. Nam rhabarbarum & myrobalani citrinę, & aloe, flauæ bilis purgandæ, inde ſenæ & epithymum atræ bili vtiles ſunt: multiplices ergo; præſertim vero pituitoſos humores purgant, & earum modeſta doſis poteſt capere drachmas duas, quamuis ad tres vſque Meſue conceſſerit. Sicut enim faciles ſunt, & tutæ: harum autem confectio ita ſe habet;

Accipiunt Roſarum, Violarum, Abſinthij, Colocynthidis, Turbith, Cubebæ, Calami aromatici, Nucis muſchatæ, Spicæ, Epithymi, Carpobalſami, Xylobalſami, Siſeleos, Seminis rutæ, Schinanti, Aſſari, Maſtichis, Gariophyllorum, Cinnamomi, Aniſi, Fœniculi, Apij, Caſſiæ, Croci, Maſtichis, ſingulorum vnc. duas. Myrobalanorum, quinque. Rhabarbarum ſingulorum drachmas quatuor. Agarici, Senæ, drachmas quinque.

Euphragię, drachmas ſex. Plurimum autem valere aiunt euphragiam ad acuendum viſum, ſicut & fœniculum. Nonnullis deinde interpoſitis, tandem deſcribuntur a Meſue illæ pilulæ, quæ vbique de Agarico Meſue appellantur. quibus etiam frequentiſſime: & felici admodum ſucceſſu vtimur in affectibus pectoris, & inſtrumentorum ſenſuum, cum obſidentur a craſſa & lenta pituita, ſicuti in aſthmaticis & diuturna febre laborantibus.

Accipiunt Agarici drachmas tres.
Iridis, Marrubij, ſingulorum drach. vnam.
Turbith, drachmas qninque.
Hieræ picræ, drachmas quatuor.
Colocynthidis, Sarcocollæ, ſingulorum drachm. duas.
Myrrhæ drachm. vnam.

Harum baſis in purgando eſt turbith, cætera vero partim adiuuant, vt colocynthis cum agarico, partim corrigunt, vt picra, partim detergunt & attenuant craſſos, & lẽtos humores, vt radix iridis, marrubium, & Myrrha, vt facilius detrahi poſſint. Harum doſis ad ſeſquidrachmam accedere poteſt, quamuis ſæpe & drachma purget: q̃que enim drachma totius medicamenti continet turbith ferè gra. 16. agarici vero paulo minus nouem, & colocynthidis circiter ſex.

Multis etiam locis ſunt in vſu pilulæ quę nomen habuere a lapide Cyaneo, vel Lazulo, nimirum ad purgandos melancholicos humores,exuſtoſque,quarum confectio eſt,vt accipiatur:

Lapidis lazuli, dragm.ſex, Agarici, Epithymi, Polypodij,ſingulorum drac.8. Scammonij Veratri nigri, Salis indi,ſingul.drac.ij.ſ. Garyophyl. Aniſi,ſing.drac.4.

Hieræ picræ drac.4. Omnia autẽ aſſumãtur in pilas ex ſucco endiuiæ : Si rectè autem rem velimus exiſtimare, pituitam etiam præter atram bilem,licet valentius atram bilem purgent, & ſunt aliquanto Indis fortiores:vnde & aliquanto minor eſt eorum doſis : ad ſeſquidragmam enim ferè poteſt accedere: quamuis etiam dragma poſſit modeſtè purgare. Sed & de pilularum ex hermodactylis vtrarumque, tam maiorum quam minorum ratione pauca quædam dicamus. Ad podagras,& articulares dolores vtræque facere poſſunt,ſed non eodem modo,niſi quòd ſicuti fere ſemper,hi dolores ex mixta materia tum calida,tum frigida excitantur, quamuis interdum calida frigidam,& copia,& viribus ſuperat, interdum vero è contra : ita vtræque confectiones vtroſque humores purgant,maiores tamen magis frigidos, minores vero calidos magis.Accipiunt enim maiores.

Hermodactylorum, Aloes, Citrinorum Mirobalanorum, Turbith, Colocynthidis, Bdelij, Sagapeni,ſingul. dragm. ſeptem. Caſtorei, Sarcocollæ, Euphorbij, Rutæ ſylueſtris, Apij, ſingulorum dragm.tres.

Croci, dragm.j.ſ. Sumantur ex ſucco caulium. Vnde priorum medicinarum circiter duodecimam partem,ſingulæ æquant totius medicamenti, vel parum admodum plus. Singula enim dragma continet vniuſcuiuſque earum grana fere quinque, ſecundus vero ordo medicinarum vigeſimam partem, Nemo autem eſt, qui non percipiat maiorem vim habere purgandi pituitam, & frigidos humores, quàm calidos. Harum doſis poteſt extẽdi vſque ad ſexquidragmam,quamuis etiam dragma ſatis eſſe poteſt.

Minores vero conficiuntur ex dragm. quinque. Hermodactylorum, Scammonij dragm.ij.ſ. Myrobal.Citrinorum.drag.3. Roſarum.drac.2.

Aloes drag.decem.Quę omnia exceptis hermodactylis bilem purgant. Capit autem ſingula dragma paulo minus ſeptem granis ſcammonij,hermodactylorum vero duplum. Sed & electuarium roſatũ,quo aſſumuntur, vt in priori capite oſtendimus,aliquam vim purgandi bilem inſignem habet. Vnde nunquam vel rariſſime excederem ſeſquidragmam. Sed ſæpius ſatis mihi eſſet dragma.

De trochiſcis inſigniter purgantibus, & de pulueribus, & qua ratione interdum ſint mutuo pilulæ commiſcendæ.

Cap. XVIII.

QVædam etiam medicamenta ſub trochiſcorum nomine in vſum frequenter medicis veniunt, quæ vim purgandi inſignem habent.Sunt autem hęc præſertim tria,primum paſtilli vel trochiſci ex violis, & a Meſue hi deſcribuntur, vbi de aſthmatis curatione agit. Horum confectio ſic ſe habet, vt acceptis floribus violarum,qui neque plenè virides, & humidi ſint, neque omnino aridi, ſed medio modo ſe habeant ad drag.6.

Turbith optimi ad drag.4. Succi liquiritiæ, Mannæ,& ſcammonij,ſing.ad drag.ij.

RATIO cõpoſitionis oſtendit eos habere quòd leniant partes in pectore contentas ex violis & ſucco liquiritiæ, & moderate humectando poſſint facile excretionem excrementorum facere, quæ inſtrumenta ſpiritus obſident,ex turbith quod acuitur & iuuatur a ſcãmonio, poſſunt craſſam & pituitoſam,vel in remotioribus partibus reſidentem materiã purgare. Accipit autem ſingula horum trochiſcorũ drachma, ſcammonij grana ſeptem & ferè dimidiũ,turbith vero gra. xv. vnde & drachma vna eius ſatis liberaliter purgare poteſt : plerumque tamen alijs medicamentis immiſcemus,& caſſiæ ſæpe, & potionibus,quibus plus minusve, cum his vti voluerimus, pro ratione medicamenti hos trochiſcos immiſcemus. Nam cum mannæ vncia, vel ſimilis medicamenti commoda & liberalis purgatio ſequetur. Sed cum alijs ſoluentibus & valentioribus medicamentis cautius erit agendum. Sed & id aduertere oportet, quod apud plures pharmacopolas dupliciter ſeruatur hoc medicamentum:nam & completum,vt nuper fuit expoſitũ, nempe cum ſcammonio,& præterea & non completum ſine ſcammonio,& tunc ſolum habet turbith, in quo proprie vis adſit purgatoria,atque ita leuius longe medicamentum erit,minusque acre,ita vt ſæpe vnciæ caſſiæ, vel alterius medicamenti, vel alijs potionibus,æſtate præſertim,cum minus calefacere & excitare corpus volumus,duas etiã drachmas vel ſeſquidrachmam damus. Solent autem cauti medici, ne error cõmittatur,præſcribere apothecarijs,quoſnam velint inijci,vel commiſceri medicamento,quo vſuri ſunt,atque ita inſtituere. Accipe trochiſcorum ex violis vel ſine ſcãmonio,vel cum ſcãmonio : ſi hos drachmam exempli gratia vnam : illud tamen non ignorandum,quod qui citra ſcãmonium fiunt,pituitæ purgandæ ſunt accommodatiores. Nã in his præter turbith,nihil quòd vim proprie purgãdi habeat : reliqua enim potius temperant & leniunt : qui vero ſcãmonium accipiunt,non minorem facultatem habẽt educendi bilem,quàm pituitam. Duæ præterea ſequentes paſtillorum compoſitiones, Illi quippe,qui ex agarico dicuntur, & illi, qui Arabico nomine Alandahal,excogitati ſunt propter correctionem colocynthidis,& agarici,vt hæc duo medicamẽta,quæ antiquis medicis ſolita ſunt eſſe in vſu frequentiſſimo,vbi eſſet purgatione pituitæ opus, præſertim ſi ea ſit ex remotioribus particulis detrahenda, ſemper parata haberent,ne quo tempore eis vtendum eſſet, parari ſtatim cogerentur : partim ergo propter commoditatem parata ex arte haberi voluere,partim vero propter vtilitatem : nam ſi diutius parata ſeruentur,atque compoſita cum illis ſimplicibus, quæ vim haberent,aut vires eorum augere,aut malitiam corrigere,melius in vnionem quandam venientia,ſimul vnitis ſingulorum facultatibus, & mutua fermentatione,& correctiora fiant,& faciliora. Agaricum vero in his trochiſcis,illis quaſi condiunt,quæ vim maiorem in purgando addant, accelerentque eius operationem : alioquin enim lente vacuat, atque vt facilius è ventriculo, præſertim vero ab ore eius deſcendat,cui moleſtiam afferre,faſtidiumque ſolet,& ſępe vomitum etiam concitare præ leuitate ſua. Sed colocynthin potius illis parãt,quæ vim eius & acrimoniam obtundant: & deliniant, mitioremque in purgando reddant.

Trochiſci vero ex agarico, quos & hoc nomine medici ſignificant,interdum vero agaricũ trochiſcatum appellant, ita paratur. Accipiunt electiſſimum agaricum : nihil enim maioris momenti eſt in pharmaceuticæ medicinæ parte,& ea præſertim, quæ verſatur circa purgantia medicamenta,quàm vt ea eligantur,quę optima ſint:alioquin omnia cedunt in ruinã vitę ægrotantiũ,& honoris medicorũ,atq; in pulue-

rem redigunt, demerguntque ſæpius in vino, in quo fuerit zinziber maceratum: aliqui addunt & ſpicam; deinde paſtillos conficiunt: ſæpiſſimè vero & ſal gemma, & oxymel addunt, & tum vulgo Agaricum præparatum dicitur; ex mixtione ſalis gemmæ redditur aliquanto acrius medicamentum, & quod citius poſſit operari, mitius vero ſi citra id fiat. Horum trochiſcorũ aliquando ſeſquidragmam damus, interdum & drag. 2. vel ſeorſum citra aliam mixturam, vel ſi lenibus & leuibus medicamentis immixtos deuorandos offerimus. Sed ſi cum alijs, & valentioribus miſceamus, pro ratione aliorum metimur copiam horum, ne totum poſtea medicamentum compoſitum nimis acre & potens euadat. Alandhal autem ita paratur, accepta nimirum colocynthidis interiori parte, abiectis autem ſeminibus incidatur quantum ars requirit: mox maceretur, & diſſoluatur tragacãthum, gũmi, & bdellium ex aqua roſacea. In his enim facultas eſt, qua poſſit miteſcere & leniri omnis acrimonia, & calor temperari: quo peracto colocynthis eo glutinoſo humore perfuſa, & aſſumpta in paſtillos formanda, qui in vmbra deinde ſiccandi ſunt, & poſtea iterum exquiſitè terendi, rurſusque eodem humore aſpergendi, iterumque paſtilli formandi, qui poſtea congrue ſeruandi ſunt. His medici in compoſitionibus vtuntur pro colocynthide, vtpote qui longe mitiores & magis tuti, quàm colocynthis ſola. Ideoque præterea de illis nihil dicendum eſt, cum de colocynthide ſit ſuperius ſermo habitus. Sed & pulueres etiam in vſu eſſe ſolent ad corpora purganda: nobis autem duorum meminiſſe ſatis erit, prior autem eſt cuius ſuperius facta eſt mentio, qui puluis ſenæ præparatæ dicitur: cuius duplex eſt apparatus, primus & ſimplicior, de quo ſupra locuti ſumus, & alter qui diagridium accipit ad ſexquidragmam, ſalis indi ad ſemiunciam, ſenæ ad vnc.viij. fœcum vini ad vnc.iiij. maceris ad drag. iij. cinnamomi ad ſexquidragmam. Eius facultas eſt, vt præſertim melancholicos & exuſtos purget humores, ſed & aliquid pituitæ & flauæ bilis: additur enim ſal indum, ſena, & dragma puluer is accipitur paulò plus granis duobus, vncia vero paulò plus granis ſeptem ſcammonij, varijs tamen in locis plus minuſve ſcammonij addunt. Quantum verò ad medicamentum pertinet, non eſt admodum acre, quin etiam dragmæ tres dari poſſint: nam capient ſenæ dragmas duas, ſalis grana ſex, vel ſeptem. Alter vero puluis hermodactylorum dicitur, qui etiam hermodactylatus vulgò dicitur: vtuntur eo etiam vulgares nullo medico inſtituente, quando obnoxij ſunt podagrico vel articularibus doloribus, & accepta ſemiuncia liberaliter ſine multa moleſtia purgantur. Cuius compoſitio,

Accipit aniſorum, Zinziberis, Cinnamomi drag. xij. Diagridij. drag. j. Salis indi, drag. v. Semiuncia autem ſcrupulos octo hermodactylorum conhnet, diagridij vero ſupra grana duodecim. Vnde non ita temere id pondus medicamenti dandum eſt omnibus, niſi ſit robuſtum corpus, alioquin enim valens adeo medicamentum, vt tres dragmæ & minus poſſint ſatis copioſam moliri euacuationem.

De ratione mutuò commiſcendi medicamenta compoſita, atque compoſita cum ſimplicibus, & de potionibus.

Cap. XIX.

QVAMVIS de ratione componendorum, & commiſcendorum medicamentorum in primis

A huius libri capitibus in vniuerſum ſatis egerimus, non ſolum autem ſimplicia mutuò componuntur, ſed aliquando ſimplicia cum compoſitis, & compoſita cum compoſitis, vt iſtarum compoſitionum modus ex illis, quæ in vniuerſum expoſita fuere antea, rectè perceptis, cognitu non ſit difficilis, cùm tamen medici nouitij ſoleant etiam nonnunquam in his, quæ facilia ſunt, hæſitare, non ab re fore cenſemus, ſi particulatim etiam de hoc verba faciamus: vt tamen de his tantum medicamentis nunc ſermonem habeamus, quibus in purgando vtimur, de alijs enim ſuo poſtea loco erit agendum. Sed hoc primum tanquam iſtius negotij fundamentum ponamus, Medicos, ſcilicet, peritos cum medicamen-
B ta commiſcent, & addunt aliqua ſimplicia illis, quæ rectè fuerant compoſita, aut compoſita compoſitis, eos id ratione, non temere agere. Vnde & nos nunc id debemus agere, & rationes explanemus, quas medici nouitij ſequentes aptè etiam ipſi has mixturas moliri diſcant. Vniuerſa autem huius rei ratio (vt ſupra etiam dixi) vel a natura medicamenti, vel affectus, vel corporis purgandi petenda eſt: a natura quidem medicamenti, quia aliquando valentius eſt medicamentum, aut infirmius, quàm ratio aut morbi, aut roboris corporis, aut humorum purgandorum copia requirat: quare, vt id valentius, aut infirmius reddamus, aliud tum ſimplex, tum compoſitum addimus: ſicuti exempli gratia, Ponamus duos eſſe purgandos, qui capitis dolore
C ab eodem humore tententur, quorum alter iam ſæpius fuerit purgatus, ſuperſint autem reliquiæ, non multæ autem: alter verò nondum fuerit purgatus, imo ſcateat excrementis, ita vt copioſam requirat purgationem, velim autem vti pilulis cochijs, ſed earum dragma alteri ſit minus, alteri parum: alterum duorum faciemus, nam vel in altero de pondere detrahemus, dabimus autem ſcrupulos duos tantum, in altero vero addemus ſemiſcrupulum, aut ſcrupulum integrum: vel in priori miſcebimus cochias cum alijs pilulis lenioribus: exempli gratia, ſunt quæ ex ſimplici hiera, aut quæ ex ea addito agarico fiunt, ſingularum autem accipiemus ſemidragmam: at ve-
D ro quia ea omnia, quæ in hiera accipiuntur, vim habent corrigendi acrimoniam medicamentorum fortium, quæ cochiæ accipiunt: Ideo pilulæ factæ ex his duabus mixtis, faciliorem purgationem, & cum minori moleſtia molientur, quamuis pondere & copia alias, quæ ſolis conſtat cochijs, ſuperent. In altero vero vel cochiarũ pondus augebimus, addito præterea, aut ſemiſcrupulo, aut integro ſcrupulo: aut ſimplex aliquid addemus, quod eas exacuet, & id ſimplex erit, quod nobis oſtendet ratio euacuandi humoris: nã aut diagridij duo vel tria grana adijciemus, aut veratri, aut colocynthidis. Sed interdũ non tantũ cauſa vacuandi plus minuſve addimus, ſed ratione alicuius alterius qualitatis, quã
E moderatiorẽ cuperemus, queadmodũ ſi æſtate nobis videretur eſſe dandas pilulas, timeremus autem calorem (pleræque enim calefaciunt) aliquid miſcemus, quod vim habeat refrigerandi, ſicuti ſi dragmæ pilularum, addemus aut mirobalanorum ſemiſcrupulum, vel, vt aliqui, ſandalos, aut ipſas reformari, vt dicunt, vel iterum aſſumi ex ſucco roſarum inſtitueremus, vel violarum, vel cichorei, vel alicuius alterius huiuſmodi, vel ſaltem ex aliquo refrigerante ſyrupo: aut ſi conſilio Auicen. quarta fen. primi can. pilulas ex aliquo decocto exhibendas curaremus, vel, vt ipſe ait, ex apozemate facto, ex rebus quæ aut refrigerent, aut lenitate faciliorem adiuuent purgationem, aut ſi refrenationem aliquam pilularum in purgando deſide-

deſideremus:fieret ex aſtringentibus, de quibus poſtea ſuo loco ſermonem habebimus. Aliquãdo etiam componimus pilulas cum alijs ſimplicibus, vel cum alijs pilulis alia plane ratione, quam inſinuare voluiſſe videtur. Gal.1.de Cõp.med.ſec.loc.c.2.nimirum vt medicamentum, quod aliqua particulatim ratione nobis vtile fore putamus, non tamen tanta in eo uis eſſet,humores aliquos noxios purgandi, quãta egeremus: quia illud alterius humoris, magis purgatorium cognoſceremus, quam illius,quem nos eſſe purgandum cenſuimus, aliquod ſimplex immiſcebimus, quod ipſum promptius ad hunc humorem vacuandum reddat. Exemplo ab eodem loco Galeni petito rem declaro: hiera,quæ primum fuit medicamentum, quod hoc nomine fuit appellatum, vt primo eiuſdem operis libro teſtatus eſt Galenus, erat tanquam ſacra anchora, ad quam priſci medici confugiebant in arduis, & maximis morbis, cuius, vt ſuperius oſtendimus, fundamentum eſt in colocynthide. Vnde & diacolocynthidos Græce dicta eſt, poſtquam & alijs medicamentis nomen id inditum eſt,ſicut illi, quæ dialoes nuncupata eſt, diſtinctionis gratia. Vnde hæc, ita vt ſecundum primam compoſitionem ſe habet, pituitam vacuat, ſed interdum, vt eodem primo de Comp. medi. & ſecundo de Ratione vict.in acut.morbis, ſcammonium addebant, interdum nigrum veratrum, & hoc cum erat vel flaua vel atra bilis educenda. Eodem modo nunc Patauij cœperunt hac eadem de cauſa cochyas pilulas habere paratas, in quibus pro colocynthide,trochiſcos alandahal apponũt, atque longe minori pondere hoc ponunt, quam colocynthin impoſuerint Rhaſis,& Meſue, cum tamen Meſue conſulat, vt cùm ℞ colocynthide Trochiſcis illis ſimus vſuri, pro duabus drachmis & ſcrupulo colocynthidis, inijciamus quatuor horum trochiſcorum. Copioſum poſtea veratrum apponunt, nimirum dragmas duas,& minimam portionem diagridij:nam circiter ſemidragmam: vnde hæ pilulæ bilis quidem,& pituita aut parum,aut nihil educent, primum autem atram bilem purgandam reſpicient. Alij vero pro ſuo arbitrio mutant tum veratri. tum aliorum ſimplicũ portionem, de quibus non eſt cur hic particulatim agamus, cùm hæc in exemplum ſint propoſita: quia tamen res hæc non modici momenti eſt, ideo non vnico exemplo, aut altero contenti, alijs etiam vtamur: interdum ergo ſi nobis propoſitum fuerit, quoſdam purgare humores ſicut in aqua intercute. Meſue autem habet pilulas ex chamælea, quam Mezereon vocat in ſuo Grabadin, & illas eſſe huic officio aptas ait. Nicolaus vero pilulas de Elaterio, ſed adeo raro in vſum veniunt, vt ſemper ferè adeo ſint inueteratæ, vt facilius exiſtimare poſſimus iam earum vim eſſe exoletam, aut ſi etiam recentes fuerint, timemus earum acrimoniam,& agitationem: quare vt res magis tuto ſuccedat, accipiemus aliquas pilulas faciles, & quæ acrimoniæ ſint expertes, imo ſint potius ſua natura tales, vt & roborare viſcera, ac defendere poſſint, & reprimere malitiam nocuorum medicamentorum,vt ſunt pilulę ſuperius ex Meſue deſcriptæ,ex rhabarbaro appellatæ: hæ enim tutiſſimæ ſunt, & ſcrupulo earũ vni vel altero, inijciemus grana tria vel quatuor elaterij, eiſdem etiam ſi craſſior,& pituitoſus humor eſſet educendus,aut trochiſcos alandahal,aut colocynthin adderem ad id põdus, quod nobis fore videtur ſatis, vt quatuor vel quinque,vel ſex grana, & vlterius quandoque. Sæd vero eadem ratione pilulas cum pilulis miſcemus, vt interdum cochias cum aureis, & eas pari põder. Nam cochiæ craſſos pituitoſos magis, tenues vero & bilioſos aureæ euacuant, nempe cum volumus pariter vtroſque purgare. Sed ſi aliquanto plus vi-

A deatur purganda pituita, aurearum vnum acciperemus, cochiarum vero duos ſcrupulos, ſicuti contra, cum plus bilis eſſet in capitis doloribus expurgandum. Ita in affectibus oculorum pilulæ ſine quibus vtiles ſunt, & eas aptiores eſſe diximus calidis & bilioſis humoribus. Pituitoſis autem frigidiſque purgandis congruæ ſunt quæ Lucis maiores dicuntur, vtraſque commiſcemus aliquando pari pondere,aliquando inæquali. Ita aliquando non modo duas, ſed & tres componimus ex eadem ratione. Quibus autem de cauſis, & quotuplex ſoleant pilularum fieri compoſitiones, vel plurium earum mutuo,vel vim ſimplicibus medicamentis, eiſdem etiam & totidem quotidie fiunt diuerſarum medicinarum, quæ tene-
B riori ſubſtantia conſtant, quales ſunt quæ ab Arabibus, & noſtris iunioribus electuaria dicuntur. Nam & caſſiæ ſæpe alias addimus compoſitas, interdum diaſebeſten, interdum diaphœnicon, diadamaſcenum, & alia quæcunque ſunt ſupra expoſita,ſecundum eandem rationem,ſecundum quam & pilulas miſceri diximus. Interdum vero ſimplicia ſimplicibus immiſcemus, ſicut agaricum caſſiæ, præſertim in affectibus pectoris addere ſolemus. Tamarindos autem, vbi ſit opus maiori extinctione: ita Galenus cum vellet purgare bilem, immiſcuit ſcammonium ſero lactis. Sed & compoſita compoſitis, vt electuario lenitiuo, vel diacatholicon addimus,vel confectionem Hamec, vel indum electuarium, vel qui
C ex pſilio fit, nempe vt hæc leuia exacuemus, & illis vim maiorem,vel alios humores purgandi addamus. Ita interdum diaphœnicon cum roſaceo, vel cum Hamec, vel cum alijs. Nec quantum ad hoc pertinet aliam habemus rationem, quam his addamus, præter eas, quas de pilulis expoſuimus,niſi hac,quòd hæc tenuiora medicamenta diluendo, ad potionis formam, vel conſiſtentiam deducimus, quod etſi in pilulis etiam fieri poſſit, & ab aliquibus etiam fiat, raro tamen id accidit. Ideo de his,vel de horum vſu in hunc modum pauca quædam dicenda ſunt,antequam hunc primum librum claudamus, & hinc accipiemus initium, nempe quòd quatenus ad fundamentum medicamenti pertinet,pilulæ, vel catapotia magis euacuare ſolent, quàm quæ electuaria,vel bo-
D li dici ſolent, & boli, quàm potiones: dixi quatenus ad fundamentum, vel conſiſtentiam pertinet,quia id intelligendum eſt, ſeruata in cæteris paritate,niſi tamen interdum pilulæ exſiccatæ induruerint,vt quaſi lapis quidam ſuperari, & ad actum deduci a ventriculo nequeant, quod ſi acciderit, turbare quidem poſſunt, neque tamen purgant: quare huic rei conſulere volentes medici, iubent, vt vel vomitu reijciantur, vel ſuperbibito iure aliquo procurent, vt humeſcant,& molliantur. Vnde fortaſſe factum eſt, vt plerumque, aut ex modica aqua, aut ex vino, aut ex iure accipiantur. Sæpiſſime etiã medici quando exhibituri ſunt pilulas, præcipiunt eas ex aliquo liquore (vt aiunt) reformari. Sed cum de ijs ſatis eſ-
E ſe poſſint, quæ hactenus expoſuimus, paucula quædam præterea de illis dicamus, quæ pertinent ad rationem medicamentorum, quæ potanda quotidie dantur. Conſtat autem potiones fieri ex ſimplicibus aliquibus medicamentis decoctis ex aliqua aqua,& ea vel communi,aut arte facta, vt ſunt ſtillatitiæ,vel iure aliquo, vel ex medicamentis demerſis & maceratis ex aliquo liquore, vel aliquo decocto (Iuniores infuſiones appellant) aut tertio ex medicamentis ſimplicibus, vt ſunt caſſia, manna, & tamarindi dilutis, vel diſſolutis ex aliquo humore, vt ſunt aqua communis,vel ſtillatitia, vel decocta,vel ex infuſionibus vulgo dictis. Sed & ex cõpoſitis,quæ paſſim electuaria dicuntur,eodem modo,quo ex ſimplicib. diximus, potiones parari ſolent, ex communi tamen

aqua, quæ ex puteo vel fonte hauſta in potu, aut cibis coquendis vtimur, nunquam aut ſaltem rariſſimè primum fiunt medicinales potiones, ſed ea tanquam materia ad paranda decocta vtimur. Vnde neque de hac multa verba faciemus. Agamus ergo primum de ſtillatitijs aquis, quæ ex varijs herbis per deſtillationem extrahantur. Neque tamen volumus nunc quæſtionem illam examinare, an poſſit in illis aquis aliqua vis remanere, qualis erat in herbis antequam fieret deſtillatio: vanus enim mihi videtur hic labor cùm experientia ipſa per tot annos atteſtetur, aliquas ſeruari vires in iſtiuſmodi aquis. Sæpiſſime enim videmus puerperas, quæ parce purgabantur vſu aquæ ex capillis Veneris deſtillatæ, liberales habuiſſe purgationes, & in alijs quoque affectibus idem accidiſſe animaduertimus. Neque mihi, qui ſecus ſentiunt rationem aliquam habere videntur, quæ non lubrico fundamento fundetur, dicunt enim quòd neque odorem, neque ſaporem ſeruant earũ herbarum, ex quibus ſtillasunt: nos vero primò dicimus, quod ſi in vniuerſum id loquantur, falſa dicunt. Nam ex herbis habentibus inſignem aliquem odorem illum ſeruant, ſæpe etiam ſaporem, ſæpe & alias qualitates: aquam enim roſaceam quis negabit odorem roſæ ſeruare? Item ex floribus citri, ex gelſaminis, & alijs infinitis, aquæ nonne ſuarum herbarum odorem ſeruant? imo & multi etiam reperiũtur, qui artis deſtillationum periti, aquas per deſtillationem eliciunt, quæ etiam ſaporem ſeruant, pręſertim vero ſi in duplici id fiat vaſe: quis enim nouit aquas ex cinnamomo, & cæteris aromatibus extractas, ſeruare tum odoris, tum ſaporis eandem acrimoniam? quòd vero & cæteras qualitates ſeruent, quæ naturam & formam, & totam ſubſtantiam ſequuntur, ipſa experientia demonſtrat. Nam ex rhabarbaro deſtillatur aqua, ſi illi in deſtillando diligentia adhibetur, quæ pariter, vel ſaltem paulò minus, quàm ipſum rhabarbarum ventrem purgat, & bilem flauam educit. Sed donemus illis tandem multas eſſe aquas, in quibus nihil remaneat, quòd vel odore, vel ſapore id referat, vnde deſtillarunt, quamuis multa etiam ſint, quæ referant, tamen propterea non efficiunt illas eſſe omnino inutiles. Nam quotidie multis vtiliter vtimur in conficiendis medicamentis, quę dum ſeruantur, aut alioquin parãtur, odores eos mutant, aut omnino amittunt, quos prius habuere. Nã quædam ſunt, quæ odorem, item & ſaporem fundatum in quadam tenui ſubſtantia diſperſa in ſummis partibus habent, quæ facilè dum res areſcunt, digeſta a calore circumſtantis aeris euaporant: quanta enim differentia eſt inter roſarum, & violarum flores, poſtquam aruerint, vtriſque tamen aridis in medicina vtimur. Sed addamus vnum, quod non eſt ab hoc inſtituto alienum. Amygdalæ, quæ amaræ ſunt, inſignem & manifeſtam habent amaritudinem, dum comeduntur: oleum tamen ex eis expreſſum, ſi tantiſper quieſcat, donec reſidente fœce clareſcat, aut nullum, aut admodum obſcurum ſeruat amarorem, ita vt a dulci ſapore modiciſſimè differat. Attamen quis non expertus eſt illud, nihilo ſecius eſſe, quàm amygdalarum efficax viribus? Sed de his ſatis: rem perſequamur? Cum aquas, vel decoctas accipimus, vt medicamenta bibenda dari poſſint, illis aquis vel decoctis diluenda ſunt medicamenta, quæ præter id, quod ab eis dilutiora euadunt, poſſint etiam aliquã vtilitatem pręſtare, & adiuuare medicamentum: vel etiam ſe alicui noxæ opponere, quam ex ipſo medicamento timeremus. Vtilitates autem has nobis oſtẽdunt, aut natura loci affecti, aut natura affectus, aut natura, & facultas medicamenti: natura quidem loci affecti, quia ſi particulatim morbus aliquam in corpore particulam tentet, non ſit autem qui totum pus affligat, aquam, vel decocta parabimus, quæ præſertim ſit illi particulæ commoda. Vnde in affectibùs inſtrumentorum reſpirationis, & pectoris ex illis ſimplicibus aquas vel decocta paramus, quæ præter id, quòd ſint apta ſcopis, quos nobis morbi natura indicat, familiaritatem quandam cum illis particulis habeant. Vnde ſi ſit humor aliquis, qui eas prates calefaciendo, & ſiccando exaſperet, vtemur aquis violarum, boraginis, maluæ, altheæ, capillorũ Veneris, & ſimilibus, decoctis vero ex floribus item violarũ, maluæ, boraginis, radice altheæ, radice dulci, id eſt, liquiritiæ: fructibus etiam quales ſunt Iuiubæ, vel ziziphæ dictę, & myxæ, vel vt nunc appellant, Sebeſtẽ. Si verò obſideantur partes a craſſo humore, vtemur hyſſopo, betonica, marrhubio, addita radice dulci, & ſebeſten: Sed ſi aquis vti mallemus, aquis ex his eiſdem herbis deſtillatis vteremur. In affectibus verò iecinoris, endiuia, cichoraceaq; omnia, oxaliſque, ſeu acetoſa eſſent accommodata ſimplicia, ex quibus aut aquę, aut decocta parentur, quando calidiores eſſent affectus. Abſinthium vero, & eupatorium, quod nunc agrimoniam appellant, & marrhubium etiam iecur à frigido, & craſſo humore obſideretur, & obſtrueretur, ita etiã ſi ad renes, illa eſſent accipienda, quæ renes ſua natura reſpiciunt, vt tamen à ſcopis, quos morbi natura affert, nô ſint aliena, Quando vero morbus non ſit addictus alicui particulæ definitæ, ſed ſit vniuerſo corpori cõmunis, habita ratione naturæ vniuerſi corporis quod a calidis vel à frigidis ſoleat facilius male affici, morbum in primis ſpectabimus, eis paratis decoctis, vel aquis, vnde ſunt purgantia medicamenta diluẽda, quę adiuuent ad morbum tollendum, refrigerando, calefaciendo, vel attenuando, & aperiendo, vel reliqua præſtando, quæ nobis eſſe agenda demonſtrant indicationes, & ſcopi à morbo oblati. Sed & natura medicamentorum, quæ vim habent purgandi, oſtendunt nobis rationem aquas eligendi, vel decocta parandi, quibus conficiendæ potiones eſſent, & diluendæ. Nam aliquando medicamentum diſſoluendum, & diluendum, etſi quatenus ad purgatoriam facultatem inſtituto noſtro ſit accommodatiſſimum, habent tamen annexam aliquam qualitatem, quæ non minus nocere poſſit, quàm purgatio ꝓdeſſe. Propterea, quia minus calefacit, & ſiccat, aut quia nimis acre, aut quia laxat, & turbat ventriculum, & reliqua viſcera, aut quia ſaporem, vel odorem nimis habet ingratũ. Vnde decocta parabimus, vel aliquas eligemus, quibus ea omnia corrigantur, quæ poſſint lædere, neque tamen impediant eam vtilitatem, quam ex medicamento quatenùs purgatorium eſt ſpectamus. Vnde in febribus, in quibus eſt vehemens calor, quales ſolẽt eſſe in iuuenibus, præſertim vero æſtate excitatæ, aquis refrigerantibus, vt ſunt cichorei, endiuiæ, acetoſæ, vel huiuſmodi alijs vtimur in diluendis purgatorijs medicamentis, vel decoctis refrigerantibus, vt eſt decoctum fructuum, cuius Raſis, Auic. & Meſ. meminerunt, quod in hunc modum fit:

Acceptis prunis octo,
Sebeſten vero ſex, Iuiubis totidem,
Tamarindorum ſemiunciæ,

Omnia coquendo ex aqua, vt ars requirit, deinde abiectis fructibus, hoc decocto vtimur ad diluenda medicamenta: Priores tamen auctores addunt caſſiam, & mannam, ſed tunc tanquam integro medicamento vtuntur ad purgationem facilem bilis. Sine his autem eo vtimur, tanquam apta materia ad diluenda alia medicamenta, ſicut ipſi mannam, & caſſiam diluunt. Multa tamen Medici interdum ipſius rationem, & quandoque detrahunt tamarindos, appellantque decoctum, vel aquam fructuum abſque tamarindis, & hoc præſertim in his, quibus male ha-

bet, & languet ventriculus ex frigidiori intemperie. A Vbi vero ventriculo non timent, & rem maiori extinctione egere illis viſum fuerit, duplum tamarindorum, nimirum vnciam apponunt, & appellant aquam fructuum duplicatis tamarindis. Hyeme vero quando morbus ex craſſis, & pituitoſis humoribus oritur, alia decoctorum ratione opus erit, alia etiam aquarum. Nam accipiemus paſſulas, liquiritiam, radicem, vel ſemina apij, fœniculi, & radices aliorum huiuſmodi. Interdum vero ſi ſit in iecinore, vel ventriculo infirmitas, eupatorium: præterea, & abſinthium addimus, vt accepta ſemiuncia paſſularum, liquiritiæ dragmis tribus, cæterorum parum, fiat decoctio ex aqua. Sed ſi lien affectus videatur, pro abſinthio, & agrimonio, ſcolopendriũ, & cuſcutam accipimus. B Nam hæc decocta attenuando, & aperiendo, faciliorem facient futuram purgationem. Præterea vero in morbis melancholicis decocta parabimus, quibus vtemur in diluendis purgatorijs medicamentis congruis atræ bili expurgandæ, quæ & ipſa, ipſam purgationem iuuabunt, ſicuti ſi ita fiat:

Recip. Senæ electæ drac. iij. Epythymi. drac. j. ſ.
Prunorum drac. iiij. Paſſularum drac. iij.
Liquiritiæ drac. ij.

Semper enim hæc quæ leniunt, vt ſunt paſſulæ, & liquiritia, & pruna, magnam afferunt in expurgandis melancholicis humoribus vtilitatem. His autem vel ex aqua communi facta decoctis, deindeque collatis fit commoda materia potionibus. Nec modo decocta hæc ſunt potionibus apta materia, ſed etiam ma- C cerationes, vel vt vulgo dicuntur, infuſiones diuerſorum medicamentorum ſimplicium: eorũ inquam, quæ vim purgandi habent, cõmodam, & vtilem materiam præſtant: de quibus paucula etiam quædam pro exemplo, vt de alijs fecimus, nunc dicamus. Non eſt vna, & ſimplex ratio, quæ mouet medicos, vt ſimplicia medicamenta macerent, ſed multiplex, & varia: ſicuti neque vnus eſt ſcopus, qui id agendum nobis oſtendit: nam aliquando vt malitiã, & noxam corrigamus medicamenti, ſicuti colocynthim infundere docent, in aqua roſata, in qua tragacanthum, & bdellium fuerint diſſoluta, vt in trochiſcis Alandahal oſtendimus. Interdum vero, vt robur medicamento addatur, atque eorum acceleretur operatio. Hac e- D nim de cauſa Agaricum in acetum, in quo prius fuerit maceratum zinziber ſæpius demergunt, vt prìori capite diximus. Interdum etiam fiunt tales macerationes, & infuſiones, vt diuerſæ partes, quæ in eo medicamento ſunt, quæque diuerſas naturas habent ſeparentur, & eis vti poſſimus, quæ noſtro inſtituto ſunt accõmodatiores, & hac præſertim ratione rhabarbarum infundere cõſueuere docti medici ab Arabibus. Nam in eius diluto poſt infuſionem, remanent partes illæ, in quibus eſt maior aperiendi vis, minima vero aſtringẽdi: & dum dilutum percolatur quo leuior eſt expreſſio, eo minus, & particeps eſt aſtrictionis: & quo magis exprimitur, magis quoque aſtringit. Quæ infuſio, ſeu maceratio facienda eſt ex E aquis, vel decoctis magis noſtro negotio aptis, habita ratione temporis, vel morbi, nempe, vt refrigerent, ſi aut calidior morbus, aut temporis conſtitutio requirere videatur, caliditatem rhabarbari temperandam eſſe, vel ſi validæ eſſent obſtructiones, ea acciperentur, quę rhabarbarum iuuarent, aperiendo, & attenuando. Agaricum ergo interdum macerare ſoleo, vel ſimul cum rhabarbaro, vel ſeorſum ex alio decocto, ſi ſimul vti voluero vtroque, & id quia faſtidium, & vomitum ea præſertim ratione concitet, qui lenitate ſua facile ad os uentriculi aſcendit, & illud irritat. Cùm uero infunditur, ac deinde colatur, remanet fere ſola uis, aut ſi aliquid ſubſtantiæ pertranſit, illud adeo tenue, & parum eſt, ut nõ multam moleſtiam afferat. Vnde ſæpe obſeruaui, quòd ſi in hunc modum exhibetur, minus ventriculum turbet. Sed hoc præterea aduertendum, vt cum paramus eiuſmodi diluta, cum medicamẽtis macerandis, ea ponamus, quæ tanquam correctoria ſint accepta ex longa auctorum experientia. Reſtat, vt finem huic capiti imponamus: ſed quia multa ſæpius dicta ſunt pertinentia ad copiam exhibendam medicamentorum, vel vt aiunt, doſim tàm ſimplicium, quàm compoſitorum, ſemper autem illi addimus, ſi illis vtamur ſolis: ſed quia in hoc poſtremo capite monuimus, quòd ſæpiſſime non ſolis vtimur, ſed vel compoſita mutuo miſcemus, vel illis alia ſimplicia addimus, videtur autem modus is loquendi inſinuare, non eſſe eandem rationem ſeruandam, cum ſolis vtimur, & cum ea præterea cum alijs componimus. Vnde rationi conſonum eſſe putarem, vt de hoc etiam paucula quædam dicamus. Sed hoc primo ſuppoſito, nempe quòd quemadmodum in alijs qualitatibus contigit iſtis medicamentis, ita etiam in hac facultate, qua purgant. Nam ſi alicui medicamento calefacienti alterum immiſceamus, quòd aut non calefacit, aut minus, quàm primùm, remittitur vis calefaciendi, vt id minus calefaciat, quàm quando ſolùm in vſum veniebat: atque idem de laxantibus, vel aſtringentibus, & alijs medicamentorum viribus eſt intelligendum. Quare cùm ſint aliqua medicamenta, quæ purgatoria ſunt, & alia, quæ nullam vim habent purgandi, & in his, quæ purgatoria ſunt varij reperiuntur ordines, vt oſtendimus ſupra, quia alia maiorem, alia minorem vim habent purgandi, quando ſimul miſcemus, quæ purgant cum illis, quæ non purgant, vel quæ in purgando ſunt infirmiora, & id ſiue de ſimplicibus, ſiue de compoſitis medicamentis loquamur, ſemper vniuerſum id medicamentum, quod ex ea mixtura reſultat, remiſſiorem vim habet purgandi, & inferiorem ordinem, quàm haberent valentiora medicamenta, ex quibus id fuit compoſitum. Vnde ſicut mutatur ratio virium in purgando, ita etiam doſis ratio mutatur. Nam, quamuis in aliquo medicamento accipiantur, quæ in vltimo ordine ſunt, vt ſcãmonium, colocynthis, & elaterium, quia tamen hæc hebetantur, & remittuntur ex mixtura aliorum, quę inferiora ſunt: vel etiam, quæ vim nullam purgatoriam habent, totum illud medicamentum ratione mixturæ ad ſecundum, vel tertium ordinem deducetur, & proinde liberalior erit doſis illius, quod mixtum eſt ex illis omnibus, quàm ſi vnum, vel duo adminiſtrarentur. Sed neque inepta eſt etiam conſideratio iuniorum dicentiũ, quòd cum plura ſunt commiſcenda medicamenta diuerſi ordinis, non ſunt ita temerè, & ſine vlla ratione commiſcenda, & ſine mutua comparatione, ſed vnumquodque eorum prius ſeorſum extimandum eſt: & habito quæ poſſit eſſe eius ſecundum ſe integra, & congrua doſis, deinde mutuo conferenda, & ſimul extimanda, quanta poſſit eorum, dum mixta ſunt apta doſis eſſe. Neque enim vtriuſque accipienda eſt integra doſis: exempli gratia: Si diaphœniconis, vel confectionis Hamech, integra doſis ſit ſemiuncia: diaſebeſten vero cum ſcãmoneo poſſit doſis congrua eſſe vncia, cum hæc cõponere ſimul voluerimus, non erit ex ratione factum, vt illius compoſiti vtriuſque detur ſeſquiuncia: nam non minus vtriſque ſeorſum, ſed longe magis purgabit, qui pilularum aurearum, & Aſſaieret ſing. drachmã accipiat, & eas mixtas dederit, quàm ſi ſolas aureas pondere drachmæ, & id quidem ratione quantitatis, vel copiæ maioris. Nam etiam lenia medicamenta in multa copia exhibita liberalem poſſunt moliri euacuationem, & interdum liberaliorem, quàm modeſta eorum, quæ

quæ valentiora, & fortiora ſunt. Eſt enim trita Philoſophorum ſententia, quòd in maiori quanto, vis maior eſt. Vnde conſiderandum eſt, quando medicamenta ſunt commiſcenda, an altero tantùm egeamus, alterum vero addamus, vt illud, quod nobis præcipuum eſt iuuemus, & exacuemus. Nam ſic non egemus, vt alterius addamus, quantum ad eius integram doſim accedat, quia ipſum erit quod euacuabit, non illud quod volebamus eſſe præcipuum medicamentum. Vnde vnciæ, vel ſexquiunciæ caſſiæ, item, & electuarij lenitiui, vel ſimilis alterius addemus dragmam, aut roſacei, aut diadamaſceni, aut diaphœniconis, & id genus alterius, vel etiam paulo plus. Quòd ſi vtriuſque opus requirimus, quia varij ſint humores purgandi, ſicut bilis, & pituita, accipiemus roſaceum electuarium, & diaphœnicon ex vtroque quantum videatur, ex vtriſque compoſitum medicamentum poſſe vnam integram doſim conficere, vt ſi vtriuſque ſeorſum doſis ſit ſemiuncia, vtriuſque dragmas duas accipiemus; ſed ſi maiorem purgationem bilis volumus, accipiemus tres roſacei, & vnam diaphœnicon, & è contra. Ita ſi ſit opus pilulis cochijs, & aureis, vel ſingulorum ſemidragmam, vel alterius ſcrupulum, alterius ſcrupulos duos. Sed ſi miſcendæ ſunt aureæ cum maſtichinis, aurearum ſemidragmam accipiamus, maſtichinarum dragmam, niſi primum vellemus maſtichinas, illis autem exacuandi, & iuuandi gratia aureas, vel cochias addendas eſſe putaremus. Nam ſatis eſſet tunc dragmæ maſtichinarum addere ſcrupulum aliarum, ſed ſi maſtichinas apponeremus, vt reprimerent, & moderarentur vim aliarum, tum dragmæ aliarum ſcrupulum, aut ſemidragmam maſtichinarum adderemus. Quando ergo medicamenta ſunt miſcenda ex omnibus, oportet integram doſim conficere, vt ſi alterius dimidiam doſim acceperis, & dimidiam etiam alterius, ſi par vtriuſque fuerit neceſſitas. Quòd ſi inæquales, alterius accipies tertiã doſis partem, alterius duas tertias, vel ſi quartam vnius, alterius reliquas tres quartas, ſi duo tantum ſint neceſſaria. Si vero ſit opus tribus, ſeruanda eſt eadem partitionis ratio. Huic tamen conſiderationi illud quoque addo, quod & hoc eſt aduertẽdum, quòd nullius medicamenti neque ſimplicis, neque compoſiti ratio doſis in quodam impartibili conſiſtit, ſed ampliores, vt dictum eſt ſupra, fines habet. Eſt enim eorum ſumma doſis, eſt minima, eſt media, quæ vt ſunt incerta in medicamentis ſeorſum, & ſecundum ſuam propriam rationem conſideratis (quæ tamen ratio accepta eſt a collatione medicamenti, cũ natura corporis, cui offerẽdum eſt medicamentum) ita & cum ſimul miſcentur ſpectare oportet, & rationem morbi, propter quem purgamus, qui vt ab humoribus concitatur, ita pro modo, & copia humorum metiri oportet medicamenta, & naturam, & vires purgandi corporis: quia ſi corpus ſit facilè, ut a medicamentis, ſoluatur, vel ſi vires non illæ ſint, vt poſſint facilè liberaliorem, & confertim factam vacuationem ferre continebimus nos intra fines mediocris etiam doſis, omnibus illis ſimul æſtimatis, ex quibus vniuerſum commiſcemus medicamentum exhibendum: ſin autem corpus validum fuerit, & quod non facilè purgetur a medicamentis, ad terminos amplioris doſis accedamus, & aliquando, ſi indicationes, quæ nobis oſtendunt eſſe miſcenda medicamenta, non fuerint æquales, non æquales etiam ſequemur doſes: alterius enim, quod ſequitur indicationem fortiorẽ medietatẽ accipiemus doſis maioris, alterius vero, quod accepimus ratione indicationis, quæ vim maiorem habet, accipiemus medietatem minoris doſis. Poſſemus, & exemplis hoc oſtendere, ſed quia ex ijs, quæ in prioribus capitibus ſunt expoſita, facilè hæc percipere poteſt quiſque, ideò ne longiores ſimus hic conſiſtemus, finem imponentes huic ſermoni, qui eſt de medicamentis, quæ per os accepta purgant per inferiorem aluum: & factis paucis verbis, de his quæ per ſedem inijciuntur, cùm eandem ferè purgandi rationem habeant: præterea, & de his, quæ per vomitum, finẽ huic libro primo imponemus.

De Clyſterijs.

Cap. XX.

CLYSTERES, quibus Medici tanquã apto inſtrumento, tam ad cuſtodiendam, quàm ad recuperandam ſanitatem vtuntur, & ſi ſint viribus, & officijs differentes, omnes tamen vnum commune officium habent, quòd aluum inferiorem iniecti abluunt craſſiora inteſtina: & abluendo ſi qua in eis ſunt excrementa educunt. Vnde Clyſteres nomen a verbo Græco habuere, quòd κλύζω, id eſt, abluo ſignificat. Sunt ergo quidam eorum qui nullum ferè aliud officium habent, niſi quod abluant aluum inferiorem, & ab his ſanè excrementis, quæ in illis ſuapte natura congeri ſolent, munda ſeruant, qui etiam vulgo communes clyſteres ſolent appellari. Alij vero ſunt acriores, & vim habent maiorem, & qui ex ea materia conſtent, quæ magis ſit medicamẽtoſa, & vim attrahendi excrementitios humores, a remotioribus partibus habent, & qui acres clyſteres a Medicis nuncupantur. Alij ſunt deterſorij, & vim habent detergendi, quibus ſolemus vti in vlceribus præſertim inteſtinorum, cum illa ſordida, & maligna fuerint, aliqua vim exſiccandi, & conſolidandi habent eadem vlcera, quidam etiam ſunt quibus vtimur ad deliniendos, & demulcendos dolores, qui anodyni etiam dicuntur: quorum triplex eſt differentia, quia alij primum dolores, alij facultem qua dolores percipimus, tertij verò proximè cauſas dolorum reſpiciunt. Primi his conſtant, quæ proprie temperato quodam calore, & leui humectatione laxando particulam, ſedant dolores. Alteri ſtuporem afferentes dolenti parti ſenſum ferè auferentes, occaſioni ſunt, vt dolor non ſentiatur. Tertijs vtimur cum ablata cauſa dolentibus particulis conſulere ſtudemus, ſicuti cum flatus in inteſtinis, vel in alijs partibus aliquem conſenſum habentibus cum inteſtinis excitati, dolores cõcitant, paramus clyſteres, qui vim habent diſcutiendi flatum. Sunt poſtremo, & clyſteres qui aſtringendi vim habent, quibus pręſertim vtimur ad ſupprimenda moleſta alui profluuia, interdum vero, & robur addam[9] inteſtinis laxioribus, ne ex cauſa facile ſuſcipienda vitioſas fluxiones, a variis corripiantur morbis. Antequam autẽ omnes clyſteriorum differentias particulatim perſequamur, quædam in vniuerſum de hac re tractemus. Primum quòd clyſteris nomen multiplex eſt, & aliquando inſtrumentum ſignificat, interdum vero medicamentum. De vtriſque autem aliqua neq; tamen ea multa dicemus. Vt in rationali medicina, cætera fere omnia a ratione indicationum ſunt deprompta, ita & quæ ad clyſteres, vel pro inſtrumento, vel pro medicamento ſumantur, pertinent. Nam figura, & conformatio iſtius inſtrumenti a ſitu, & figura particulæ, per quam in aluũ inijcienda ſunt medicamenta, vt 4. Metho. cap. vltimo, docet Galenus deſumpta eſt. Cùm enim neceſſe ſit per rectum inteſtinum iſtiuſmodi medicamenta inijci, oportuit hæc inſtrumenta, quibus fieret hęc iniectio illi particulæ fuiſſe accommodata, & quatenus ad materiam, ex qua conſtant, & quatenus ad formam, vel figuram pertinet.

Vnde

Vnde oportet, vt inſtrumentum hoc fiſtulam habeat A teretem, longitudine, & craſſitie accommodatam parti: adultis enim longior, & craſſior erit opportuna, pueris vero breuior,& tenuior. Præterea vero vt ex materia duriori conſtet, vt vi poſſit adigi, neque cedat, & flectatur dum imponitur, ſit etiam expers cuiuſcũque aſperitatis,ne atterendo partem,in quam infigitur, irritet eam, & dolores concitet,præſertim vero in his,quibus hæmorrhoides ſunt moleſtæ. Vnde ab hac rõne docti homines,aut exbuxo faciũt has fiſtulas, aut ex ebore, aut ex metallo aliquo,præſertim vero ex aurichalco,aliqui ex argento; exterius autem deterſas,& optime læuigatas, & lænes: imo, & eo tempore, quo eis ſunt vſuri, aut oleo,aut butyro,aut pingui alia re, huiuſmodi fiſtulas imbuunt, B vt minorem afferant moleſtiam: eam fiſtulam oportet eſſe affixam, aut alligatam, alicui altero inſtrumento tantæ capacitatis, vt eam medicamenti copiam capere poſſit, quæ ſit huic rei opportuna, & per quod ea materia impellatur, & cogatur introrſum in aluum inferri. Vnde duplex excogitata eſt materia conficiendi hæc inſtrumenta: altera ex metallo, vel ex ligno in figuram longam,& teretem interius cauam quaſi craſſam quandam fiſtulam formatam,ſimilem illi inſtrumento, quo vtuntur hi,qui folles i.pilas luſorias maiores inflãt, in ſpiritu interiꝰ impellentes,& adigentes,quaſi ſymphone quodã,& in hoc clyſterium modo, maior eſt vis impellendi in interiorem aluum materiam, vel humorem contentum in clyſterio, & ad ſuperiores partes. Et hoc C inuentum mea ſententia, nouum eſt, cuius non memini factam eſſe mentionem ab Antiquioribus Medicis. Alter modus horum inſtrumentorum,qui tritiſſimus eſt, & domeſticus, & familiaris mulieribus præſertim verò in pueris,ex vno enim capite fiſtulam illam tenuiorem veſicæ alligant, quam accommodato humore, deinde quaſi vtriculum implent, & adacta in annum fiſtula manu ex altero capite veſicam apprehendunt, & aduerſus fiſtulam premunt, quaſi humorem in inteſtina per fiſtulam vi exprimentes: quidam vero ex molliori corio conficiunt vtriculum, figura, & capacitate veſicam imitantem. Fit & alio quodam modo hoc inſtrumentum ligneũ, accipiunt lignum longum, cubitali ferè longitudi- D ne aut paulo minus, & torno formant hoc pacto, vt ſuperiori parte imitetur figuram, & capacitatem vaſis, quo vtimur in exponendis ferculis, vel grandioris calicis, totum autem concauum, vt quaſi canale contineat vſque ad alterum caput, cui fiſtula affixa eſt, in quo nulla alia vis eſt, qua impellatur humor, niſi grauitas ſuperioris humoris, qui comprimendo cogit inferiorem vlterius ferri, donec effluat in inteſtina. Qui autem ex veſica fiunt clyſteres, antiquis videntur fuiſſe in maiori vſu: eorum enim frequens eſt apud Galenum mentio. Et priores quidem magis procul ad ſuperiores inteſtinorum partes adigũt medicamentum, quam alteri: hi vero quam tertij. Vt autem Galenus decimotertio Meth.teſtatur, ra- E ro clyſteres vltra craſſiora inteſtina prouehuntur: interdum vero ait ipſe, ſi plurimum nitaris pertingũt ad tenue inteſtinum,quamuis in aliquibus vſque in ventriculum, vt idem in tertio de Cauſis ſympt. teſtatus eſt,aſcẽderint,id tamẽ raro fit.Sed de inſtrumentis hæc ſatis. De medicamentis inijciendis agamus. Clyſteriorum multiplex eſt differentia.Vt enim dicit Galenus primo de Rat. Vict. in acut.com. 45. clyſteriorum ratio à ventris affectu, & ab indicatione, quæ ab illo depromitur,accipiẽda eſt. Vnde pro varia ratione affectuum,& indicationũ, quæ ab ipſis affectibus oriuntur, etiam differentiæ variæ clyſteriorum excogitatæ,& inuentæ fuerunt: quod vt exquiſitius,& clarius exponamus,illud eſt repetendum quod paulo ante propoſui:nempe quòd quæ per clyſteres inijciuntur, plerunque inferiorem aluum abluunt,aliquando tamen ad gracilius inteſtinum pertingunt, rariſſime vero ad ventriculum aſcendere poſſunt. Quo fit vt præſertim,& primùm accommodata ſint medicamenta curandis affectibus craſſiorũ inteſtinorum,deinde vero,& aliarum partium,quæ vel ratione vicinitatis, vel alterius affinitatis cum inteſtinis conſenſum habent. At vero cum varij ſint affectus inteſtinorum, quæ nobis commodum clyſteriorum vſum, & adminiſtrationem indicant, vel illorum, quæ aliqua ratione cum inteſtinis conſenſum, & connexionem habent, variæ etiam ſunt clyſteriorum differentiæ,quatenus ad vires eius humoris, & ad medicinalem materiam pertiñet, ex qua conficiendus eſt humor per clyſteres inijciendus. Nam copia excrementorum,ſiue ea ſint primæ concoctionis,ſiue ſecundæ,ſiue alio quouis modo in inteſtinis,vel alijs particulis ad inteſtina pertinentibus fuerint cõgeſta, indicant vſum,& iniectionem clyſteriorum:nempe, vt excrementis illis per vacuationem detractis,ab omni moleſtia,& affectu homo liberetur: præterea vero, & flatus copioſus,vel in inteſtinis genitus, vel aliunde ad ea delatus, ſi diſtendens affligat,clyſteres,qui digerant, & diſcutiãt flatulentam materiam indicant. Dolores quoque interdum adeo vehementes,vt non tantum temporis permittant,vt cauſæ doloris remouendæ incumbamus,indicant eam clyſteriorum rationem,qua leniri,& ſedari dolor poſſit,vel demulcendo cũ his,quæ vere anodyna ſunt,vel cum ſtuporem inducentibus, & ſenſum ſopientibus. Sed & vlcera,quæ inteſtina occuparũt,certas quaſdam clyſteriorum differentias indicant, cum nulla medicamenta in craſſorum inteſtinorum affectibus melius, & præſtantius poſſint locum affectum attingere, quàm quæ per clyſteres inijciuntur. Vnde ſi ſordidum fuerit vlcus,requiret detergentium clyſteriorum naturam: ſin vlcus fuerit erodens,valide exſiccantium: ſi mundum,conſolidantium: ſi autem facta ſint laxiora,& imbecilliora, quam ob cauſam vitioſorum humorum fluxiones accipiant, roborantium, & aſtringentium: præter id quod ſi inflammatione tententur, primùm repellentibus opus eſt,mox digerentibus,vt de aliarũ partium inflammationibus ſępe legendo diſputauimus. Sed de illis potius ſermonem inſtituamus,quæ euacuationis cauſa ſunt inijcienda, accepto inde initio,quòd inteſtina cum ventriculo præter quã quòd continua ſunt,habent etiam naturam non parum ſimilem,ſiue rationem ſubſtantiæ ſpectemus,ſiue naturales facultates. Nam, & ipſa non ſunt expertia alicuius facultatis, qua poſſunt cibum concoquere, vt ſi quæ ſibi reliquiæ ſuperſint, quæ effugerint primam concoctionem in ventriculo, concoquantur poſtea, & perficiantur in inteſtinis, quod Galenus quarto,de vſu partium cap.17.expoſuit. Vnde,& eorum medicamentorum, quæ inferius iniecta vacuant,natura,non eſt admodum ab ilJis diuerſa,quæ ſuperius per os aſſumpta corpus purgare diximus, nec modo in vniuerſum, verum & particulatim. Vnde clyſteriorum, quibus vt euacuemus vtimur, multiplex eſt natura, quemadmodum eſſe multiplicem naturam medicamentorum diximus, quæ ebibita,vel deuorata purgant. Quædam enim abluẽdo ſolùm vacuant,& quoquomodo leniendo inteſtina, alia detergendo, alia attrahendo, & ſoluendo purgant. In hoc vero clyſteres a medicamentis per os exhibitis differunt, quòd clyſteres aſtringendo, & comprimendo non poſſunt aluum ciere: nam quæ comprimunt, & aſtringunt, ſi inferius inijciantur aſtringendo inferiores partes,ſiſtunt potius fluentem aluum,quia aſtrictionibus factis,inferioribus parti-

bus inhibetur tranſitus excrèmentorum, quæ a ſuperioribus deferuntur: quæ verò per os ſumuntur, ſuperiores partes aſtringendo, & quaſi comprimendo inferius contenta excrementa deſcendere compellunt. Sed primò quæ communia ſunt exponamus, deinde particulatim eorum rationem perſequemur. In vniuerſum ergo hæc ſunt conſideranda, nempè copia, vel quantitas, humoris inijciendi per clyſteres: deinde qualitas, & natura materiæ, ex qua parantur clyſteres: tertiò hora vel tempus, quo aptius, & ſalubrius ſunt imponendi. Quatenus ad doſim, vel copiam, non eſt eius certa menſura, ſed varia pro ratione ætatis, & naturæ corporum. In adultis enim raro minus libra, aut plus ſexquilibra paratur: & alij quidem facilius ferunt ingentes clyſteres, **B** alij vero vix mediocres. Vnde in his plurima ratio naturæ habenda, & tolerantiæ corporis, cui imponendi ſunt clyſteres, quæ ſi nobis ignota fuerint prudēs Medicus primò mediocria tentabit. Pueri vero non ferunt multam copiam clyſteris, vt in tenella ætate ſit ſatis ſemilibra, aut paulò plus. De qualitate autem, & natura clyſteriorum paulò poſt dicemus, quia ea multiplex, & varia eſt, pro diuerſa indicationum ratione. Dicamus prius aliqua de hora apta clyſterijs imponendis. In vniuerſum ergo dicimus, vt extat breuiſſima ſententia ſcripta, nec ineptè quidem, in eo libro, qui Medicus inſcribitur, vel introductio, cuiuſcunque auctoris fuerit ? quòd ſi reſpiciamus in horam diei, tempus congruum ad imponendum clyſtere eſt ante cibum aſſumendum: inge- **C** ſto enim cibo, non eſt inferior venter commouendus, ne concoctio turbetur, aut cogatur cibus incoctus è ventriculo deſcendere. In morbis qui periodos habent, tempore intermiſſionis clyſteres ſunt imponendi: in acceſſionibus enim, præſertim vero febrium, quominus fieri poteſt, corpora medicamentis ſunt mouenda, vt & Auicenna conſuluit. Nam in vehementibus doloribus ſæpè contingit neceſſitas in acceſſione vti clyſteri, vel ſaltem tempore remiſſionis clyſteres ſunt imponendi (loquimur de clyſterijs, quibus vtimur vt ventrem vacuemus.) Sed ſi reſpiciamus ad generalia malorum tempora, multiplex eorum eſt vſus, pro ratione multiplicis naturæ clyſteriorum, & multiplicis occaſionis ea admini- **D** ſtrandi. Nam eorum quædam leuia, & mollia, & his omnibus morborum temporibus vti poſſumus, ſi ſit opus alui lenitate, nimirum tam initio, quàm incremento, vel vigore: quia non agitant, neque cōturbant crudos humores in venis contentos, neque eorum concoctioni ſunt impedimento. Alia ſunt, quę acria appellantur, & vehementiora ſunt, quorum ratio variatur pro varia ratione ſcopi illis vtendi. Cùm enim conſtet medicamentis, quæ vim habent attrahendi a remotioribus etiam partibus, non eſt vſus congruus, niſi poſt morbi concoctionem, & id ſi euacuandi gratia plurimum, & præcipuè adminiſtrātur: quod ſi reuellendi præſertim, & primum: nam vt reuulſoria medicamenta laudauit Galenus ſecun- **E** do de Compo. medic. ſecundum loca, ex Archigenis ſententia, & illis reuellēdi cauſa vſus eſt, & loco miſſionis ſanguinis, quinto Meth. cum Romanam matronam curauit, quæ ſanguinem ex ſalſa deſtillatione expuerat. Eorum tempus opportunum, & accōmodatum illud idem eſt, quod & reliquorum auxiliorum, quæ vim reuellendi habent nempè principium morbi: reuellentia enim remedia principijs commoda ſunt, ſicut declinantia inueteraſcentibus morbis: vt tamen de clyſteribus hæc intelligenda ſint, quæ in eo ſunt genere, quæ inter vacuatoria auxilia a Galeno tertio de Arte medicinali recenſentur. Agamus modò de qualitate clyſteriorum, & eorū differētijs acceptis a natura, & qualitate mate-

A riæ, ex quibus fiunt clyſteres. Primæ autem eorū clyſteriorum, quæ ciendo aluo idonea ſunt, differentiæ, ac magis generales ſunt hæ: quod clyſteres quidam leues, leneſque ſunt, qui molles dicuntur a Galeno quarto de Rat. vic. in ac. & primo ad Glauconem, & alibi ſæpè. Alij vero fortes ſunt, qui longè maiorem vim vacuandi habent: & hi acres clyſteres ab eodem vbique nuncupantur. Particulatim vero vtriuſque generis plurimæ ſunt differentiæ, & ordines, pro ratione qua alter altero in ſuo genere, aut mollior eſt, aut acrior. Sed primum de molli clyſteriorum genere agamus, tamquam de ſimpliciori, & faciliori, & quod frequentius ſoleat in vſum, & quocunque tempore venire. Primum ergo locum **B** inter molles clyſteres habet, qui ex oleo communi, vel ſimplici fit experte ſalis, & aſtrictionis, cuius meminit Galen. 12. Meth. & 4. de Rat. vict. in acu. morbis, qui quidem clyſteris modus vtilis eſt, præſertim vbi aluus aſtricta plurimum ſit, & ſicca, atque referta arido, & duro ſtercore: mollit enim fæces, lenit aluum atque eam lubricatam relinquit. Præterea vero vbi aliqua eſt acrimonia humorum vellicantium, & mordentium inteſtina, lenit, & obtundit eorum acrimoniam: copiam autem olei voluit eſſe Heminam, quæ continet circiter vncias nouem. Interdū addit Galenus, vt ibidem legere eſt, vt magis anodynum faciat, adipem anſerinum, aut gallinaceum. Eſt vero præcipuus eorum vſus in doloribus ventris, præſertim ex acrimonia humorum, ſicuti quando **C** flatulentus dolor eſt ex pituitoſo humore excitatus coquuntur autem ruta, aut ſemina, in quibus eſt vis diſcutiendi flatus. Proximum huic, quatenus ad mollis clyſteris rationem pertinet, id eſt, quod fit ex iure pingui, vt eſt ius decoctorum inteſtinorum bubulorum, vel vitulinorum, quæ quotidiè venalia in cibum veniunt, in quibus in ventris torminibus et adeps aliquis diſſoluitur, aut veruecis, aut hirci, aut huiuſmodi. Neque alienus ab hoc ordine cenſendus eſt clyſter qui fit ex lacte, in quo ſæpè, & butyrum diſſoluunt: qui quidem etiam maxime congruens, & ipſe eſt in doloribus, & torminibus comitatis ab acri fluxione ad inteſtina: ſed & in pueris, qui a vermibus cruciantur. Lac enim, & butyrum cibus eſt a **D** vermibus petitus, ſicut dulcia omnia. Vnde in inferiora inteſtina iniectum allicit ad ſe vermes, interdū aſcendentes ad ventriculum, & plurimum negotij faceſſentes, qui ſæpe deinde dum clyſter reijcitur lacti, quod ſequuntur immixti, & ipſi educuntur. Idem ferè præſtat ius pingue, in quo ſit butyrum diſſolutum addito ſaccharo, vt ſi ſemilibræ iuris, ſexquiuncia butyri, & vncia ſacchari imponatur. Sed neque hoc prætermittendum, quod etiam mulierculis notum eſt, quod ſicuti vermes lac, & butyrum, & pinguia, dummodo ſalis ſint expertia, maximè ſequūtuor: ita olea omnia, & ſal fugiunt tanquàm maximè aduerſarium, a quo etiam interficiuntur. Ideo oleum ſæpè pueros vermibus laborantes lædit, ſi per clyſterem ſupponatur: refugiunt enim ab his ad ſuperiores **E** partes ſicuti lac, & butyrum ſequuntur. Vnde mulieres, quæ puerorum gubernandorum peritæ ſunt, oleo, præſertim vero omphacino, cibos condiunt, ab eo autem per clyſteres ſupponendo cauent maxime, ſicuti etiam a ſale abſtinent, & loco eius copioſius ſaccharum indunt: abſtergēdo enim cauſa eſt, cur citius reddantur clyſteres. Sed & ad eundem ordinem pertinent clyſteres ex ptiſana hordacea parati, leniunt enim aſperitatem, & acrimoniam acrium excrementorum, & præterea modice detergunt, & refrigerant: & tandem ſunt epiceraſticæ facultatis. Aliquam vim maiorem habebant clyſteres, qui erant Antiquis in vſu frequenti, præſertim vero in acutis morbis calidiſque, & eorum meminit Galenus ſecundo, & octauo Meth.

tio Meth. conſtat autem ex mulſa, & oleo, vt:

Rec. Mulſę vnc. x. Olei vnc. ij.

His autem aliquid ſalis 13. Meth. aut nitri, aut aphonitri addito: clyſterem reddunt aliquanto acriorem, ſicuti ſi vna, vel dragma ſalis addatur: nã hoc in vſu eſt noſtris his temporibus, cum fere nitro careamus, pręter id, quod arte conficitur ad bellica inſtrumenta. Sed nunc ſunt in maiori vſu clyſteres, quos multi communes appellant, confecti ex iure alicuius carnis ad decem, vel duodecim vncias, & vncijs duabus, vel paulò plus olei, vna autem ſacchari impurioris, quod rubeum, vel craſſum appellant. In eo enim maior eſt detergendi vis, quàm in illo albiori, & per plures decoctiones magis purgato: maior etiam in illo quaſi ſacchari excremento, quod vulgo hic melatiũ, iuniores mel cannę appellãt. Verum hoc niſi parumper in iure, vel decocto, de quo paulò poſt dicemus coquatur, cõuerſum in flatus dolores ventris ciet. Saccharũ in quam accipiunt ad vnciã, vel ſexquiunciam, addũt deinde ſalis quantum nuper diximus. Sal autem pręter id, quod eſt in eo vis incidendi, & detergendi, attenuandique viſcidos, & pituitoſos humores in inteſtinis, ſtimulat etiam expultricem facultatem ad expellendum clyſtere, ne dum nimis continetur, magis conturbet, & moleſtet. Aliquantiſper autem vim maiorem habet: qui etiam in vſu frequenti eſt noſtris medicis, & mulierculis notiſſimus clyſter, confectus ex decocto maluæ, betæ, & violariæ, accepto ſingulorum manipulo, & ſimul illis decoctis, additis deinde oleo, ſaccharo, & ſale, vt nuper diximus: aliquãdo vero addunt etiam manipulum mercurialis, & ſic fit clyſter valentior: nam mercurialis iam vim aliquam medicamentoſam habet, vt quæ etiam comeſta poſſit purgare, ſicuti malua mollit. Folia violariæ leniunt, & refrigerant. Beta vero quia nitroſas quaſdã partes habet, incidere, & detergere poteſt: ſed interdum aliquod eorum medicamentorum, vel ſimplicium, vel compoſitorum, de quibus ſupra loquuti ſumus, adiungimus, vt liberalior vis, & natura clyſteris: quia ſi addatur aliquod medicamentum leniens, non propterea clyſter reducetur extra ordinem lenium, & mollium clyſteriorum. Solemus plerumque aut caſſiæ Aegyptiæ liquorem, aut electuarium lenitiuum, a ſemiuncia vſq; ad vnciam addere, & mel roſaceum, vt paulo ante diximus, ad vncias duas pro ſaccharo. Apothecarij tamen quoddam medicamentum compoſitum habent, & confectum ſeruant ad vſum clyſterium, & caſſiam tractam, vel caſſiam pro clyſtere, vulgo dicunt. Conficiunt autem hoc modo:

Accipiunt prunorum viridium libr. 4.
Tamarindorum, duas.
Paſſularum, ſex vncias.
Violarum duas.
Capillorum Veneris, Betæ, Maluæ, Mercurialis, ſing. manip. ij. & ſs. Hordei, libram.

Quæ omnia in libris ſexdecim aquæ, ad medietatem coquenda ſunt, ac mox fiat omnium proba cõtritio, & hoc decocto ex arte parato diſſoluantur caſſiæ extractæ ex fiſtulis libr. ſex. mellis lib. 12. atque ad mellis craſſitudinem coquantur. Interdum ergo vnciam, interdum plus minuſve clyſteri addunt interdum vero ſimplicem liquorem caſſiæ clyſteri addunt, ſequiturque liberalior euacuatio: neq; tamen adhuc clyſteres hi excedunt limites mollium, vel lenium clyſteriorum, quibus vti facile poſſumus in febribus, & reliquis etiam morbis.

Alter ordo eſt, qui clyſteres acriores, vel vt iuniores loquuntur, acuti clyſteres appellantur, quique ex acrioribus, & proprie purgantibus medicamentis cõficiuntur decoctis, vel immiſtis. Decoquuntur autem plerunque ſimplicia medicamenta, immiſcentur ve-
A ro compoſita: neque enim compoſita vlteriorem requirunt cocturam, cùm ſatis coquantur, dum conficiuntur. Simplicia autem medicamẽta, ex quibus decocta ad acriores clyſteres deduci ſolẽt, hæc fere ſunt (de his autem loquimur, quæ vim purgandi habent, non de his, quæ calefaciendi, vel refrigerandi, attenuandi, flatus diſcutiendi, & alia huiuſmodi faciẽdi:) nimirum colocynthis, agaricum, ſemen cnici, vel vt Arabes dicũt, carthami quoquomodo tritum, cyclaminis radix (arthanita in libris Arabũ dicitur) cẽtaurium minus, hyſſopus interdum, & polypodium. Cõpoſita vero, quæ ſolent immiſceri clyſteribus, cum eos acutiores reddere volumus in primis vſitatiſſimũ eſt, hiera, quam præcipue picram Apothecarij appel-
B lant, alij vero hieram pro clyſteri: quia raro venit in vſum noſtris hiſce temporibus præterquam in clyſteribus, quamuis alicubi fiant pilulę, addito melle quãtum ſufficit ad aſſumendos pulueres: aliquando vero nuncupantur hiera ex ſexdecim rebus: ex ſexdecim enim ſimplicibus præter aloem conſtat, in quibus eſt colocynthis, epythimum, agaricum, & turbith: & deſcribitur a Nicolao, vbi de hieris agit. Sed etiam aliquando vtuntur Medici diaphœnicon, & indo vocato electuario: interdum vero, & Benedicta Nicolai præſertim in muliebribus affectibus, & articularibus doloribus, & eo quod a Meſue Eleſcoph dicitur, ab Auicenna vero Epiſcopi. Hoc autem quãtum ad hæc omnia medicamenta pertinet, aduertendum, quòd
C plerunque non vtimur acrioribus clyſteribus ratione vacuationis, niſi in affectibus, qui fouentur a craſſis, & frigidis humoribus, & ad eductionem difficilioribus, ſicuti ſunt pituitoſi, & melancholici, raro vero in calidioribus, & tenuibus, niſi aliquando reuellendi gratia, vt in lippitudine oculorum, & capitis doloribus. Galenus vero, & in deſtillatione ſalſa. Vnde pleraque hæc compoſita, quibus in clyſterijs acrioribus vtimur, purgant pituitoſos humores, aliquid ẽt melancholici. Sed & poſſunt bilioſos reuellere, & tenues, quia rara ſunt ſimplicia purgatoria, quæ etiam bilem cum alijs non purgent. Sed vt magis particulatim agamus de vſu clyſteriorũ, præſertim vero acriũ, ſicut eorum non eſt vna ratio, quantum ad acrimoniam pertinet, ita neque temere & indefinite opor-
D tet vti. Verum in his ſicut in omnibus alijs, quæ vim habent purgandi, primùm quidem morbus reſpiciendus eſt, & pro eius magnitudine & difficultate acriores & vehementiores clyſteres eligendi ſunt, aut molliores & faciliores. Deinde ad tempus anni, vt paulò ante inſinuauimus, nec minus etiã vt primo de Rat. vict. in mor. acu. docuit Gal. & Hippocrates, ſpectande ſunt vires, & ætas: nam vires imbecilles vix perferre poſſunt clyſteres molles, nedum acres & vehementiores clyſteres, ſicuti neque vllum aliud vehementius, fortiuſue remedium. Pro horum ergo ratione, clyſteriorum vim metiri oportet. Exacuimus vero clyſteres, ſi prioribus quos lenes & molles appellauimus, nempe verbi gratia, vt ſi exemplis agendum ſit,
E accepta li. decocti ex malua, beta, mercuriali, aut alicuius alterius decocti, cuius fuit ſupra facta mentio, & illi dragmæ duæ addantur ſalis communis, horum vero compoſitorum medicamentorum, quos nuper diximus ſemiuncia, vt hieræ illius, quã Nicolaus magnam dicit, aut diaphœnicon, aut huiuſmodi, quod magis medico opportunum videbitur: nam ſi præter euacuationem deſideraret etiã flatus diſcuſſionem, hieram eliget, aut diaphœnicon, & tandem, ne tempus conteramus, conſideratis facultatibus horum medicamentorum, & illis cum natura morbi collatis, id eliget, quod magis accomodatum iudicabit, & aliquãdo vno ex his quinque, duo vel plura, & ſingulorum ad ſummum ſemiunciam, raro autem vnciam vel ſeſquiunciam excedimus, omnibus ſimul compoſitis:

poſtremo

poſtremo vero mellis roſacei duas vel tres vncias. Quia vero mulieres ſolent clyſteribus omnibus vnũ vel alterum oui luteum immiſcere, de hoc etiam aliqua dicemus. Ideo ſane illa imponunt, quia aſperitatibus inteſtinorum, quæ acrimoniam tum humorũ, tum medicamentorum ſequi ſolent, ſunt remedio, cùm mitigatoriam emplaſticamque facultatem habeant, leniantque. Adhuc autem clyſteres acriores fiunt, ſi decocta, ex quibus conficiuntur, fuerint magis medicamentoſa, vtpote quæ fiant ex his ſimplicibus, quæ vim inſignem purgandi habent, qualia ea ſunt, quorum nuper meminimus, vt cnici ſemen, agaricum & turbith: vehementiora his ſunt cẽtaureum min⁹, cyclamini radix, ariſtolochia, colocynthis, quorum tantum erit imponendum, vt vis eorum poſſit prę acrimonia perferri: vt exẽpli gratia, colocynthidis dragma, vel ſequidragma, agarici autem, turbith, vel cnici ſemiuncia, & plus etiam: eodem etiam pacto cẽtaurij, aut artanitæ, quibus deinde additis beta, malua, mercurialis fit decoctum, cuius quantum ſatis eſt accipimus; illiſque additis melle, vel roſaceo melle, oleoque & ſale, prætereaque oui vitello, clyſterem faciamus. Sed interdum, vt valentior euadat, adijcimus vnciam, vel plus compoſitorum medicamentorum, quorum paulò ante facta mentio eſt aliquando quidem vnius interdum vero plurium. Solẽt autem medici ſæpius ſoluentibus, & acrioribus medicamentis aliqua immiſcere lenientia; eſt enim quidam peritorum medicorum cõſenſus, quòd lenientia acrioribus mixta, faciliorem, & feliciorem eorum operationem reddant, Vnde caſſiæ vel ſimplicis, vel compoſitæ, quam vulgo pro clyſteri appellant, vnciam, vel ſemiunciam ſemiunciæ vel vnciæ acrium illorum medicamentorum clyſteribus inijci ſolent, Et ſi horum exempla habere cupimus, ea a Raſi nono ad Almanſ. & a Meſue petemus capite de curatione Lethargi. Hoc vero illis quoque quę dicta ſunt addemus, quòd clyſteres huiuſmodi euacuant & reuellunt, & quamuis non ferantur vltra inteſtina craſſiora, vel parum vltra, attamen vacuatio tandem in uniuerſum corpus pertingit, & a remotiſſimis partibus reuellũt, ut ſunt articuli & caput. Fiũt etiam, vt diximus, clyſteres ſępe, non ita vacuandi aut reuellendi gratia, ſicuti ob alios ſcopos a natura morbi vel ſymptomatum medicis propoſitos. In doloribus enim ex flatu fiunt clyſteres ex medicamentis, quę extenuant, & flatus diſcutiũt; quemadmodũ ſi accipiamus chamæmelũ, anethũ, abſynthiũ, his autẽ fortiora ſunt ſaluia, pulegium, calementhum, abrotanum, marrubium, artemiſia & matricaria, præſertim vero in affectib. vterinis ex ſuppreſſis menſibus: præterea etiã ſemina aniſi, fęniculi, carui, amij. Ex his ergo fiũt decocta ad clyſteres ad attenuandos & diſcutiendos flatus, quibus & olea eodem ſpectantia addi ſolent: vt oleum ex amygdalis amaris, chamęmelinũ, & anethinum, abſyntinum, nardinũ, rutaceum, & huiuſmodi. Fiunt etiam interdum clyſteres ex vtraque facultate mixti, nempe purgatoria & diſcuſſoria, quemadmodum ſi facto decocto ex illis, quæ modo fuere expoſita, illi addamus vel hyeram, vel diaphœnicon, vel electuarium indum, uel benedictum, uel huiuſmodi. Poteſt etiam & decoctum eſſe perinde mixtum facultatib. ut ſi capiamus maluam, betam, mercurialẽ, anethũ, chamæmelum, ſemen cnici, agaricum, & decocto ex his parato, addamus caſſiam, aut hyeram, aut huiuſmodi. In alui autem profluuijs, pręſertim uero in dyſenteria, fiunt alia clyſteriorum genera: aliquando enim quæ acrimoniam erodentiũ humorũ obtũdãt, doloreſque ſedent, quæque inteſtina emplaſticis obliniant, defendantque inteſtina ab abraſione, quibus poſtea ſuccedunt quę detergũt, ſi putemus ulcera eſſe iã facta, & ea ſordida, uel ſi ſint detergenda & abluẽ-

A da inteſtina: & ita detrahendos humores acres, qui uellicant. Poſtremus locus illis eſt, qui conſolidant & roborant. Primorum natura hæc eſt oleum ſimplex cum adipe gallinaceo, uel anſerino, cuius clyſteris ſuperius mentio facta eſt, præterea ius pingue præcipuè inteſtinorum bouis, uel uituli, uel capitis veruecis: acceptis nempe nouem vel decem vncijs ex aliquo horum iurium, cui addatur adipis hirci, aut renum capræ vnciam, tres vero vncias olei roſacei, vnciam vero ſacchari roſati diſſoluti ex iure, & probè colati, & totum ouum, nempe tam album quàm luteum vnum vel alterũ: ex his omnibus mixtis paramus clyſterem. Sed aliquando lac accipimus quantum ſit ſatis, & in illo diſſoluimus butyrum ad B vnciam, aut etiam plus: quib. ouum addimus & clyſteri inijcimus. At ſi ſupprimendus eſſet ſanguis effluens ex inteſtinis, unam uel alteram dragmam boli armeni, uel lapidis hæmatitis apponeremus. Deterſorij autem clyſteres fiunt ex aqua, decoctove hordei, addita ſexquiuncia ſacchari, uel mellis roſacei, uel ut ſolebant Antiqui, ex colata ptiſana, uel hordei cremore. Fieri clyſteres poſſunt, additis ſaccharo uel melle roſaceo, citra tamen ſal, niſi quando uiderẽtur ulcera iam facta plurimum putrida: tunc enim docuere antiqui acrib. clyſteribus eſſe opus: nam & muria, & aqua ſalſa, & trochiſcis Andronis, & id genus alijs, ut ipſi ad arſenicum uſq; progrederẽtur. Nos ta C men hoc tempore raro hęc aggredi audemus. Vbi uero opus eſt conſolidatione, his agendum erit, quę deſiccant, & aſtringunt. Vnde decoctum lentium cortice detracto, & prima aqua abiecta, decoctum etiam riſi, uel oryzæ, ita & decoctum braſicæ abiecto primo iure, in quo uniuerſæ nitroſæ partes transfuſæ ſunt, & accepto ſecundo, in quo braſſica fuerit exacte cocta: ſiſtit enim aluum ſecundum ius, & ſiccando conſolidat, quibus addendus poſtea eſt adeps hircinus: is enim præ alijs ſiccat: item ſuccus plantaginis, vel polygoni ad vncias duas vel tres: ſed & bolus armena, & lapis hęmatites. Sed & magis aſtringentia in hos vſus fieri poſſunt, decocta ex aridis roſis, malicorio, cytinis, interdum & gallis, alijſq; præterea iſtius naturæ rebus, quibus addi ſolent olea, vt maſtichinum, roſaceum, omphacinum, vel ex malo D cotoneo, quod melinum appellant Græci, iuxta modum & doſim paulò ante deſcriptam: & quantum ad clyſteres pertinet hæc ſunt ſatis.

De glandibus vel ſuppoſitorijs dictis.

Cap. XXI.

QVAS Græci Balanos, Latini Glandes appellant, deducto nomine a figura oblonga, qua glandẽ imitãtur: ſunt enim longioris & teretis figuræ, pèrinde fere vt quercina glans, & eiuſdem etiam craſſitudinis. Iuniores medici ſuppoſitoria appel- E lant, quia ſedi ſupponantur. Horũ ergo, vt eſt etiam clyſteriorum, diuerſa ſunt genera. Nam & molles ſunt, & acres. Molliſſimæ omnium & faciliores ſunt, quæ fiunt ex ſepo, præſertim hircino, interdum & bubulo: hæc enim cum concreſcunt, magis indurantur: fiunt autem citra ſal: & quamuis anteaquam liqueſcant, & diſſoluantur, aluum quoquo modo ſtimulando cieant, cum liqueſcunt poſtea molliunt, & dolorem ſedant. Vnde aptiores ſunt his, qui duras & dolẽtes hæmorrhoidas habent, quiq; in ano fiſſuras habent: quia in eo eſt vis aliqua digerendi & conſolidandi, cum alijs vel adipibus multis maiorem habent ſiccitatem. Sæpe etiam ſum vſus glandibus ex butyro confectis, præſertim vero hyeme; cõcretum enim butyrũ magis ex frigore indureſcit, vt in glan-

des in-

des inciſum conformari poſſit,vt ſepum. Sed æſtate A etiam id fieri poteſt, ſi in aqua frigida id fiat: vſus autem his ſum in his, qui tumentes & dolentes, & quaſi inflammatas habebant mariſcas,præſertim internas, nec illis parum profuit: nam mollit & digerit, & dolorem lenit. Quædam etiam mulieres conficiunt glandes ex aſſungia porcina, ſed ſi accipiatur ſalita, non eſt expers alicuius acrimoniæ. Vnde magis quidem ſtimulat aluum, non ita autem mollit, & dolorem ſedat. Ex adipe autem confectæ glandes, vtiles præterea ſunt illis, in quibus vermes in vltimo inteſtino prope anum gignuntur, qui aſcarides dicuntur. Cum enim rebus pinguibus delectentur, his glandibus a ſepo illectis infiguntur, & cum eis exeunt. Familiariſſimę vero & leuiſſimæ glan- B des ſunt, quæ a mulieribus puerulis imponuntur. Fiunt autem ex melle cocto ad craſſitudinem & ſpiſſationem aptam, vt ex ea fiant glandes; quæ ſi citra ſal fiant, læuiſſimæ & facillimæ ſunt, quia tamen nihil interdum faciunt, ſi aſtrictior ſit aluus, ideo ſal tenuiſſime tritum addunt quantum illis ſatis viſum fuerit, & aliquam ita acrimoniam conſequuntur. Interdum vero & ſtercus muris addunt, quod & ipſum non parum eſt acre: vnde & magis irritat inteſtinorum facultatem expultricem, imo vtuntur aliquando pro glande ſtercore hoc ita integro, quod vidi aliquando mouiſſe plus quàm voluiſſent. Acriores autem glandes interdum fiunt ex re facili paratu: accipiunt enim ſaponem, quo deterguntur dum C lauantur veſtes, & eius fruſtrum in formam glandis adducunt, reciſis circum circa partibus, atque ita imponunt. Sæpius vero rem hanc apothecarijs mandant, vt fiat decocto melle, & poſt illis additis puluеribus hieræ magnæ vocatæ a Nicolao, in hunc modum.

Recip. pulueris hieræ picræ, dragmam, Salis gemmæ, (hoc enim acrius & vehementius eſt) dragmæ dimidium, Mellis, q. s. & fiant glandes vel ſuppoſitoria duo. Iſtiuſmodi glandibus vtimur in morbis capitis, interdum ventriculi & aliarum partium ſuperiorum, cùm reuellendum potenter eſt, atque cum ægroti in nimium ſomnum proni ſunt, vt euigilentur, ſicuti in febribus tertianis, nothis, & quotidianis, in lethargo, ſopore, & id D genus alijs.

De vomitorijs medicamentis.

Cap. XXII. *& vlt.*

VT hoc primo libro omnia medicamenta complectamur, quæ purgando per ſuperiora vel inferiora aluum cient, & corpus vacuant, antequam ad alia tranſeamus medicamentorum genera, de vomitorijs etiam agamus quantum ad prius inſtitutum ſatis eſſe poteſt. Et quia non exercitatis hæc ſcribimus, ſed illis qui nuper medicinæ faciendæ tradendi ſunt, quique aliquod rudimentum in hac re requirunt: ideo non multa dicemus de illis vomitorijs medicamentis: quæ licet antiquis illis & abſolutiſſimis medicis in frequentiſſimo fuerint vſu ad curandos diuturnos & difficiles affectus, noſtris tamen temporibus, & ante hæc etiam ab omnibus ferè dimiſſa ſunt: qui ab Arabum maledictis adeo deterriti fuere, vt eorum vſum omnino fugiant. Loquimur autem nunc de elleboriſmo a Græcis appellato, hoc eſt, de purgatione per vomitum excitato ex veratro albo. Neque hoc tamen cum Arabibus authoribus ſentio, qui hoc referunt in naturam noſtrorum hominum, id eſt, qui noſtris his temporibus oriuntur & viuunt: quæ adeo ſit reddita imbecillis, vt nō poſſit hoc medicamentum perferre: hanc enim fabulam eſſe puto, & anilem quidem. Cùm enim cætera medicamēta perferuntur a noſtris hominibus ſicut & a priſcis illis ferebantur, non video cur & hoc non poſſint ferre. Sed potius ex timore medicamentorum hoc puto accidiſſe, quàm ab imperitia ortum habuiſſe, cùm non crederent ſe poſſe moderari vim & operationem iſtius medicamenti, ſicuti eam moderabantur antiqui: verùm neque is ſum, qui velim iunioribus & incipientibus medicis conſulere, vt tyrocinijs ſuis ſint primi, qui medicamentum hoc introducant in vſum, ne forte ſi res felicem ſucceſſum non ſortiretur, ſtatim a principio ſuę profeſſionis malum nomen ſibi compararent. Vnde nos dimiſſo illo medicamento de facilioribus, & familiaribus ſermonem habebimus. Quia vero vomitus proprie ea excrementa prima vacuat, quę in ventriculo ſunt congeſta, ſiue in eo fuerint genita, ſiue aliunde ad ventriculum cōfluxerint, ideo per vomitū non modo ventriculus. ſed etiam corpus vacuari poteſt: nec modo vacuandi vim habet, ſed etiam reuellendi, reuellit autem pręſertim ab infernis partibus. Vnde in coxendicis, & podagricis doloribus, pręterea renum, veſicæ, & vteri, & inteſtinorum affectibus, reuulſorium & pręſentaneum remedium eſt vomitus. In ſuperiorum autem partium, ſicuti pectoris & capitis, non ita eſt cōmodum: nam caput repletur ex vomitu, nec non & oculi. Sed & illud priuilegium vomitus habet, quod cùm in initijs acceſſionum in febribus putridis, atque etiam in ipſa acceſſione omnes aliæ fere vacuationes nocuę ſint, ſolus vomitus vtilis eſt, & ab arte excitatus. Cū autem duplex ſit oſtium, quo euacuari poſſunt quę in ventriculo continentur, alterum ſuperius, & id os appellatur, quę per hoc oſtium reijcienda ſunt, vomitu reijciuntur: per inferius autē, quòd ianitor vel portinarium dicitur, quę per inferiorem aluum ſunt purganda deijciuntur, atque in his, quibus validum eſt os ventriculi, difficilis eſt vomitus, ſicut facilis in illis, in quibus eſt latum & imbecille. Contra vero ſi infernum oſtiolum aut imbecillum, aut validum fuerit. Sed & ratione humorum fit, vt facilior vel difficilior fiat vomitus: tenues enim humores, qui pręterea & leues ſunt, cum facilius aſcendant ad ventriculum, vt ſeroſi, aquoſique: pręterea vero & bilioſi, facilius vomitu purgantur: craſſi vero, vt pituitoſi & melancholici, facilius per ſeceſſum: ex quo fit, vt non ſit ſimplex ratio eorum medicamentorum, quę vim habent vomitum ciendi. Alia enim laxant & molle reddunt os ventriculi, & id ad vomitum pronum reddunt. Alia vero humores aptos reddunt, vt per os reijciantur, ſicuti quæ eos attenuant, detergunt, & incidunt: quędam etiā ad ventriculum attrahentia excrementa, ea ad ſuperiorem partem mouent, ſicuti ſunt, quę propriè medicamenta vomitoria dicuntur. Sed rem hanc tandem particulatim tractemus. Vomitum primo modo mouent, quæcunque pingui & oleaginea ſubſtantia conſtant. Sed & tepida ventriculum in vomitum E facilem & propenſum reddunt. Varij quoque cibi, & diuerſæ naturę, in copia comeſti, & multus vini dulcis potus nauſeabundum reddit ventriculum. Altero autem modo, id eſt, parando humores vt facilè euomi poſſint, vomendi in cauſa ſunt, quęcunque ſecandi & attenuandi vim habent: familiariſſimè vero vtimur, pręſertim in febricitantibus uomitiuis: poſca tepida, id eſt, aqua, cui parum aceti fuerit immiſtum: oxymel quoque ſimplex ad duas vel tres vncias bibendum dandum ex aqua tepida. Poſt quæ niſi ſponte ſuccedat vomitus, iuuare illum oportet intromiſſo digito, vel penna in fauces: quod ſi penna, uel fauces fuerint ex oleo delibutę prius facilius ſuccedet vomitus. Tertio vero modo cieri vomitus

poteſt

poteſt raphanum, ſeu radicula, conciſa in tenues particulas & comeſta oxymelite, & familiaris facilisque vomitus eſt, qui ex hoc medicamēto cietur, Antiqui vtebantur bulbo, quē vomitorium appellabant, quia concitat vomitum, tanquam facili uomitorio, quem coctum prius ex aqua oxymelite condiebant, vt in li. de Fac. parab. in fine teſtatur Galen. ac mox comedebant. Noſtris vero temporibus mulierculæ, & multi vulgares vomitu purgaturi ventriculum, atque adeo etiam corpus vniuerſum, vtuntur floribus geniſtę, & exhibent circiter dragmas duas, & aliquando etiam plus, & ſuccedit poſtea copioſa per vomitum, & interdum etiam per ſeceſſum euacuatio excrementorum diuerſorum colorum, & diuerſorum ſaporum: dicunt eos fuiſſe faſcinatos. Neque hoc fuit incognitum antiquis medicis, flores geniſtæ, & ſurculos, & ſemina vim purgatoriam habere per vomitum: nam Galenus dixit ſemina, & ſurculos ſtrenue. Dioſcorides vero ait, quòd flores & ſemina geniſtæ, ſi tuſa ex mulſa bibantur, purgant per ſuperiora ſine periculo, perinde vt veratrum. Semen verò per inferiora purgare dicit. Et reuera, flores hoc noſtro tempore comeſti, & per ſuperiora & per inferiora etiā purgant. Galenus vero in radice melonum, & melopeponum vim ait eſſe ciendi vomitum. Sed de his credo dictū eſſe ſatis. Vnum hoc addo, quod ad diſtinctionem eorum, quæ paulò ante dicta ſunt, facere poteſt: Nimirum quod ſi propterea volumus vomitum ciere, A vt acres humores & calidos vellicantes os ventriculi educamus, vt ſæpe neceſſarium eſt in febribusলললbilioſis: Hydrelęum, hoc eſt aqua & oleum id præſtantiſſime faciet, vt Galenus primo ad Glauconē docuit. Nam præter id quod vomitum ciet, obtundit etiam acrimoniam eorum, & aluo lenita, cauſa eſt cur & eorum pars, quæ non ita facile per vomitum poterat educi, per ſeceſſum defluat. Vbi vero craſſi & lenti ſucci ſunt vomendi, vt in tertianis nothis, ac quotidianis, & ſæpe etiam in quartanis, aptius medicamentum erit B ex poſca vel oxymelite, uel etiam ex ſyrupo acetoſo. Sed & hoc addamus, quòd ventriculus facilius poſt cibum concitatur in vomitum, quàm ieiunus. Cùm vero cibum damus, vt euomant, præter id, quod oportet cibos eſſe diuerſos, præſtabit etiam ut in his ſint, quæ ſecant & attenuant, ut ſunt ſalita.

PLVRA quidem in præſentia a nobis conſulto ſunt omiſſa, cùm de purgantibus medicamentis, tum de clyſteribus & glandibus, & quæ etiam diximus, C latius & uberius declarari poterant: ſed quia, ut ſæpe dixi, tyronibus hæc ſcribimus, ea tantum in præſentia afferre uoluimus, quæ ad breuem & compendiariam inſtitutionem eorum, & iſagogen tantum facerent: quod & in ſequenti etiam libro ſeruabimus.

Finis primi libri, De Medicamentorum vſu, & Compoſitione.

VICTO-

VICTORIS TRINCAVELLII VENETI PHYSICI.

DE COMPOSITIONE ET VSV MEDICAMENTORVM, LIBER SECVNDVS.

De continuatione dictorum cum dicendis, & de concoctione & maturatione aliqua.

Caput I.

QVAMVIS ſi ad ſcopum medici, qui morbos eos eſt curaturus in quibus opus eſt purgatione, reſpeximus prior videatur eſſe tractatio, quam priori librò perſcrutati ſumꝰ: ſi tamen rationem ſpectemus, qua medicamēta in opus & vſum deducūtur, lōgè priora eſſe ea ſunt cenſenda, de quibus hic loquuturi ſumus. Raro enim medici, imo rariſſimè ab initio morbi, verè purgatorijs medicamentis vti ſolent: duntaxat enim in morbis turgentibus, plerumque autem poſt áliqua, quæ ad leniendam aluum faciunt, ab illis medicamentis curationē inchóamus, quæ tum corpus, tum vero humores vacuandos, ad faciliorem purgationem parant: & hi quidem dum coguntur, & corpus dum humidum fit, ad facilem vacuationem parantur: hoc enim Hippoc. partim 1. partim 2. Aph. Aph. 22. nobis inſinuare viſus eſt: nempe concocta medicari oportet, non cruda, neque in principio. Item corpora ſi quis purgare voluerit, oportet ea prius fluida facere, quæ

A maxima ex parte vi & ope medicamentorum moliri
ſolemus. De huiuſmodi ergo medicamentis, nobis
in præſentia reſtat agendum. Et licet non ſolum ea
corpus vacuent, quæ aluum inferiorem, ſuperioremve
cient. ſed præterea ea quę vrinas; ſudoreſque, item
& quæ digerunt, & per eam euacuationem inaniunt;
quæ inconſpicua eſt, & ſenſus latet; tamen magna
B illa medicamenta, de quibus ſupra egimus in ratione
vacuationis, & hæc, quæ per lotia ſudoreſque, &
tandem per digeſtionem in halitus vacuant, intercedit
differentia: quia illa quadam proprietate, quæ
formam eorum propriam ſequitur ſua natura prædita
ſint, & quam non poſſumus in primas qualitates
quoquomodo referre, vnde non modo vim habent
C vacuandi, ſed eligendi, etiam certum humorem &
definitum, quem attrahant, vacuentque. Quæ autem
ſudores & vrinas prolectant, ea aut per ſuas qualitates,
& propter intemperantiam propriam id
agunt, aut modo ſuæ ſubſtantiæ, qualitatis, ſcilicet,
aut tenuiorum, aut craſſiorum ſunt partium:
quæ omnia ex Galeno quinto de Simpl. med. fac. in
D temperiem, & partium naturam referri poſſunt; non
autem in aliquam propriam facultatem, qua hunc
humorem magis, quàm illum euacuent: nam calefaciendo,
attenuando, ſiccandoque agunt, quicquid
agūt. Quo fit, vt deinde illis eiſdem nō minus ad parandos
humores, & corpus ad faciliorē purgationem
vtamur, pręſertim verò ſi illi lenti, & craſſi fuerint, &
E corpus obſtructionibus fuerit occupatum. Sed redeamus
vnde diuertimꝰ: vt ergo euacuatio feliciter, ac faciliter
ſuccedat, opus eſt concoctione, maturationeve
eorum excrementorū, quę per medicamenta euacuanda
ſunt: nam Hippoc. & Gale, apparatum materiæ
purgandæ, tum maturatione, tum concoctione

appellare

appellare ſolent. Præterea verò opus eſt, vt corpus fluidum fiat. Sed de his paulo etiã longius agamus.

EST hoc in primis conſiderandum, vt quę dicẽda ſunt, de eorum medicamẽtorum ratione, quibus ad maturandos aut concoquendos, humores detrahendos exquiſitius percipiantur, quòd concoctio nihil aliud eſt, niſi tranſmutatio, quæ fit a natiuo calore, in materia quæ concoquitur; hoc enim Ariſto. 2. de Anima. & 4. Meteor. Hoc item Galen. 2. & 3. de Nat fac. c. 4. & 7. aperte dicit. Primũ enim & præcipuum cõcoquens, eſt calor natiuus. At vero ſicut nõ eadem eſt ratio & natura rei, quæ concoquitur: ita neque eadem eſt concoctionis ratio & modus. Cùm enim omne quod tranſmutat aliquam rem, ideo illam tranſmutet, vt in ſubſtantiam ſui ſimilem cõuertat: ea vero & abſoluta concoctio cenſenda eſt, in qua id quod cõcoquitur, in ſimilitudinem concoquẽtis conuertitur, id autem quod eo modo conuertitur, quandam habet ſuapte natura, vt dixit Gale. ſecundo lib. com. 45. in primum Epid. cum re coquente familiaritatem. Vnde quo maior erit familiaritas, inter partem concoquentem & rem cõcoquendam, eo & plures partes & melius in ſubſtantiam rei concoquentis tranſmutatæ cedunt: nunquam tamen tãta eſt inter hæc duo affinitas naturæ, vt id quod cõcoquitur, ſecundum omnes ſui partes vertatur in ſubſtantiam rei, quę concoquit. Quæ ergo partes ita exquiſite coqui nequeunt, excrementa ſunt, quæ interdum plura, interdum pauciora ꝑ ratione rei, quæ concoquitur, vtpote, quæ vel aptior, vel ineptior ſit ad concoctionem, aut etiam pro ratione roboris natiui caloris concoquẽtis relinquuntur. Excrementa autem & ſi omnino exquiſita tranſmutatione, in naturam rei concoquentis conuerti minimè potuerint: neque tamen omnino cruda relinquuntur; nam & ipſa aliquo modo verſus ſubſtantiam rei concoquentis tranſmutatur, ſaltem enim ſecundum qualitates conuerſa ſunt: nempe in calore, in ratione temperamenti; item craſſitie, vel tenuitate, & huiuſmodi. Vnde omnes volentes reddere rationem, cur in tabeſcentibus optimum ſignũ ſit, quando aut ſponte, aut ex inciſione effluit pus album & leue: item & vrinæ in febribus quando hypoſtaſim habent albam & leuem, aiunt, quia indicant natiuum calorem, qui ſedem ſuam in ſolidis particulis habet, viciſſe, atq; trãſmutaſſe materiam illam excrementitiam, quantum ſecundum propriam eius naturam tranſmutari poterat; neque enim talis erat, vt in vtilẽ & alimento aptã ſubſtantiam, poſſet tranſmutare. Niſi aliquando pituita, quæ in generatione humorũ plenè tranſmutari non potuit: per vlteriorem enim concoctionem, ſi non vniuerſa, ſaltem ex aliqua parte conſequitur eã cõcoctionem, qua vt 1. de Rat. vict. in mor. ac. dicit Gale. in vtilem & alimoniæ corporis aptum ſuccum conuerti poſſit. Hæc itaque eſt illa concoctio, qua in humano corpore concoquntur in morbis atq; etiã in ſanitate vitioſi, & excrementitij ſucci, qui occaſioni eſſe poſſunt, cur morbi concitentur. Eſt enim, vt 3. de Criſib. ait Gal. eorum tranſmutatio a calore naturali eos ſuperante, & eorum contumaciam vincente; a vitiata enim concoctione, cùm natiuus calor, qua natiuus eſt, materiam nequit ſuperare, copia malorum humorum congeritur, quos ille factus validior, tandem adoritur, etſi ſuperare, & vincere poteſt, coquit, eoſque coctos, quando nequit in vtilem ſubſtantiam conuertere, aut digerit, aut paulatim per loca ad excretionem commodiora & aptiora, vel confertim, vt in morborum iudicationibus excernit. Quia uero imbecillor eſt interdum, quàm ut poſſit materiam facile ſuperare, vel proptèr uires labefactatas ex morbi magnitudine, ex aliave occaſione, uel propter multitudinem cõtumaciamve excre-

A mentorum, quæ vehementer cienda vel craſſa, vel lenta ſunt, vel pro propter aliquam qualitatem naturæ aduerſariam, ita vt periculum ſubire videtur, ne natura ſuccumbat, & ſuperetur natiuus calor, vel ſaltem ne tardè admodum ipſe ſuperare poſſit, eget, vt 4. de Ratione vict. in acu, morb. cap. 43. dicit Gal. aliquo externo auxilio, quo ipſe validior fiat, & contumacia excrementoſæ materiæ poſſit facilius ſuperari. Quibus omnibus ſubſcribere videtur Ariſto. 4. Meteor. com. 45. & 47. Vbi accipimus, quòd in vtraque concoctione primum & præcipuum agens eſt natiuus calor, extremum vero adiuuans eſt medicus: qui quaſi naturæ miniſter & adiutor, vtens inſtrumẽtis ſuis ex ratione adminiſtratis, illi auxilio eſt: id quod B quinto libro commẽtariorum in ſextum Epid. com. primo aperte declarat Galenus. Et eodem quarto Meteor. inſinuauit Ariſtoteles. Dupliciter autem medicus in iuuando naturam ſuis inſtrumentis vti poteſt: primo quidẽ ſi natiuo calori robur addat, quod quonam pacto præſtare poſſit, facilè percipiemus, ſi meminerimus eorum, quæ a Galen. alibi ſunt expoſita: nempe quod calor natiuus eſt ea natura, quę in animante corpora regit, ſeu partes ſolidas. Præcipua enim hæc ſunt, a quibus tum concoctiones fiũt, tum vero alia munia propria facultatis, quæ naturalis a medicis appellatur. Horum autem vniuerſum robur, vt Gal. 2. lib. commẽtariorum in primum Epid. com. 46. & alijs locis, poſitũ eſt in ſymmetria calidi, C frigidi, humidi, & ſicci. Omne ergo momentũ iſtius rei in probo natiui caloris, & ſubinde ſolidarum partium temperamento conſiſtit. Hoc ergo modo poteſt medicus miniſter adiuuare naturam, nempe vt reuocata naturali temperie ſimul & vires ſuas ipſe recuperet. Deinde vero & alio modo poteſt medicus adiutor eſſe naturæ laborantis, id eſt, ratione materiæ, quæ concoquenda eſt: nimirum quando inſignis aliqua materiæ copia congeſta intemperiem fouet morboſam, ac obſtat naturæ, quo minus ad naturalem temperiem redire poſſit: nam niſi id fomentum tollatur, nunquam temperatura propria reuocari poterit. Solet autem aliquando materiam ſine vllo vſu medicamentorum detrahi, vt quando hoc miſſione ſanguinis fit, quod ad noſtrum inſtitutum nihil in D præſentia pertinet, nonnunquam autem per excretionem vi & ſponte naturæ ſolius factam, vt adiuuãtibus medicamentis purgatorijs: quæ quidem excretio nunquam vtilis eſſe poteſt, niſi, vt paulò antè dixi, præcedat eorum, quæ excernenda ſunt, concoctio, quam natura ſponte molita ſit, aut adiuta a medico, qui ſua adhibuerit inſtrumenta. His pręterea addo, quòd aliquando multus excrementitiuſque humor infarctus eſt in tenues & anguſtos meatus, per quos difflatio corporis atque euentatio caloris fit, vnde maxima eius ſeruatur temperatura. Cauſa autem illius infarctus, qui non facile remouetur, eſt materia multa aut craſſa, aut lenta, quam neceſſe eſt, vt ſanitas priſtina redeat, euacuare: euacuatio E autem rariſſimè, ne dicam nunquã, fieri poterit ſine opera medicamentorum, quæ attenuent, diſſecent, & detergant. Aliquando etiam tanta eſt excrementorum, præſertim craſſorum & crudorum cõgeries, vt ferè calor natiuus ab eis ſtranguletur, a quibus prę terea multæ & difficiles in viſceribus, & contumaces obſtructiones excitantur, quæ ſcirrhos & alios plurimos morbos, prauoſque adducunt affectus. Et ſæpe natura ab ijs ſponte ſua nequaquam ſe poteſt explicare, imo medici auxilium opportunum expectat: & quamuis non parum etiam alia medici inſtrumẽta ſæpe opportuna & neceſſaria ad hoc ſint, nos tamen, quia pharmaceuticen medicinam tractamus, de medicamentis vt in priori etiam libro, tantum hic agemus. Cùm verò in vniuerſum duplex ſit eorum

medi-

medicamentorum vſus,quę nunc nobis in hoc ſecũdo libro proponuntur conſideranda:nam,aut per os ſumuntur,aut exterius adhibentur:primum de illis, mox de ijs etiam tractationem inſtituemus.

De ratione medicamentorum, quæ vniuerſim ad præſens inſtitutum pertinent.

Cap. II.

VNIVERSA medicamentorum ratio, quæ medico in vſum ad corpus,vel humores parandos ad faciliorem purgarionem venit,ſiue ea ſint ſimplicia,ſiue compoſita in his duobus conſiſtit. Nimirum in diſtincta cognitione virium vel facultatum, eorum vniuſcuiuſque,ſiue illæ ad primas, ſiue ad ſecundas qualitates referantur,vel ad tertias etiam,& hoc non vniuerſaliter ſolum,ſed diſtincte & particulatim,& per ſuos ordines & gradus. Præterea in exquiſita cognitione horum ſcoporum,qui medico indicant,quæ facultates ſint futuræ, vtiles,& aptæ ad tollendum affeſtum.Horum vero cognitio a natura curandi affectus eſt petenda. Demum & tertio in exquiſita cognitione naturæ corporis,vel perticulæ laborantis. Itaque de ijs tribus agemus nos,quatenus inſtituto noſtro ſatisfacere poteſt.Initium vero a ſermone de ſcopis faciemus,quia tractatio de facultatibus primis,ſecundis,& tertijs medicamentorum,vniuerſaliter & particulatim a Galeno,Aetio, Paulo & alijs ſufficienter abſoluta fuit.Satis ergo nobis nunc erit,ſi illa tanquam poſita & conſtituta ab his authoribus accipientes, illis tanquam fundamentis ad ea explananda vſi fuerimus,quę ad rationem compoſitionis,& vſus eorum,quę magis proxime ad hoc inſtitutum pertinent.Sed ad rem redeo.Porro ſicut ſagittatores ſignum aliquod ſibi pręfigunt, quo dum ſagittas impellunt, collimant, & ad quem omnem impulſum & momentum ſagittarum dirigunt(id autem Græci ſcopum nuncupant)ita neceſſe eſt,vt omnis artifex,qui verus ſit artifex,& non temere,ſed ex arte agat,ſibi id tanquam ſcopum proponat neceſſe eſt,quod circa naturam, circa quam operatur agendum putat,quod illi deinde ſit tanquam regula, ad quam omnia agenda deinceps referat. Quare medicus, qui affectum aliquem curaturus eſt, vt ex arte curet,oportet vt primo cognoſcat,quid ſibi agẽdum ſit,vt curare poſſit: & illud poſtea tanquam ſcopum in omni ratione curandi,qua vſurus eſt,ſpectet.Hoc autem natura curandi affectus, vt tertio Method. probauit Galenus cap.primo,præſertim poteſt oſtẽdere:nã,vt ille ait,abſurdiſſimum eſſet putare, quòd aliud ſit quod ratione curationis indicet, quàm morbus qui curandus eſt.Vnde pro diuerſa natura curãdi affectus varij oriuntur ſcopi: qui ſtatim percepta natura curandi affectus,medico perito & diligenti ſe offerunt. Quia vero affectus non ſemper eodem modo a medico conſideratur: aliquando enim vniuerſaliter & ſecundum ſuam communem rationem: aliquando vero particulatim:ita duas quoque habet correſpondentes indicationes. Ecce enim morbus ſecundum ſuam vniuerſalem rationem eſt res naturæ,& ſanitati aduerſaria,actionem lædens, vnde ſtatim medico,qui ſemper vult ſanitatem tueri, & corpus a morbis vindicare inſurgia cõmunis indicatio: morbum omnino tanquam hoſtem eſſe profligandum. Cùm autem ea, quæ ſe mutuo oppugnant, ſint contraria, ideo hoc primum ſe illi offerat, tanquam ſcopum inuẽiendum eſſe aliquid, quod morbo aduerſetur,cuius vſu morbus depellatur.Sed hoc in vniuerſum nequit fieri: nam neq; morbus in vni-

A uerſum aliquem affligere poteſt:oportet ergo vt certus ſit, determinatusque morbus, vt tandem vſque ad vltimas differentias deſcendendo, & diuidendo progrediamur. Et ſi enim ſingularia ea ſint,quę nobis curanda primo ſe offerunt, in artibus tamen exponendis non eouſque fit progreſſus, ſed ſatis eſt ad vltimas vſque ſpecies perueniſſe. Cùm ergo morbus diuiditur in tria prima genera, reſpicientia tres illas primas naturas, a quibus pendet vniuerſa ſanitatis ratio,id eſt, apta temperatura vniuerſi corporis,& cuiuſque partis,recta & proba earundem conformatio, & vnitas ſeu continuitas. Prima natura particulis ſimplicibus & ſimilaribus tribuitur per ſe: altera vero, compoſitis, ſiue inſtrumenta-
B rijs. Vtriuſque tertia communis eſt, vt nunc quorundam ineptiam prætereamus, qui in Galenum & alios latrantes,putant ſibi celebre nomen comparaturos: aiunt enim hi eos morbos qui in ſolam contentionem referuntur, non eſſe vtriſque particulis cõmunes,ſed alios ſimplicibus proprios,alios inſtrumentarijs eſſe voluere. Nos vero ſequamur nunc Galenum, & agamus primo de eo genere,quod natura primum eſt, & quod in intemperatura conſiſtit, Sicut enim ſanitas in apta & concinna ſymmetria & temperie primarum qualitatum conſiſtit, ita neceſſe eſt morbum conſiſtere in vitiata temperie & menſura earundem: vtpote qui ſanitati opponitur, non ſicuti extremum extremo, ſed vt extrema medio.Morbus ſiquidem oritur ex receſſu a temeyrie,
C & mediocritate contrariarum qualitatũ primarum, qui exceſſus aliquando componitur,vt noſtis. Simplex dicitur,cùm fit receſſus in vna tantum contrarietate a mediocritate,vt in calido, vel frigido duntaxat, ſeruata mediocri temperatura aliarum duarum, id eſt,humidi & ſicci:vel è contra. Compoſitus vero,quando in vtraque contrarietate a mediocritate fit receſſus. Sed eſt alius compoſitionis modus pręter hunc,is vero eſt,quia ſæpe citra fomentũ aliquod vllius materiæ contrahitur aliqua intemperatura,vel ſimplex illa ſit,vel compoſita, vt verbi gratia, in hectica febre:aliquando vero ea intemperatura a præſentia alicuius materiæ fouetur, vt in tertiana febre, & heriyſipelate: calida & ſicca intemperatura ortum
D & fomentum habet a bilioſo ſucco,aut infarcto, aut defluente per particulas. Quemadmodum autẽ morborum ad primum genus pertinentium multiplex eſt facta partitio, pari paſſu vnaquæque harum differentiarum, per quas facta eſt partitio, ſuam propriam & accommodatam habet indicationem, a qua & proprius etiam ſcopus deſumenduseſt. Inueniendum eſt ergo vnicuique harum differentiarum id, quod in primis illi tanquam contrarium opponatur. cum vnaquaque intemperatura aliam intemperaturam habeat contrariam, ſimplex ſimplicem, compoſita,compoſitam, ſcopus, quem ſibi medicus præfigit in morbis, qui conſiſtunt in calida intemperatura,eſt, refrigerandum eſſe.& in alijs eodem modo
E vel ſimplicibus vel compoſitis. Quando vero præter particulæ intemperamentum adſit etiam materia, quæ ipſum efficit & fouet, neceſſe eſt, vt inde tum indicationes, tum ſcopi oriantur varij. Nam præter illam communem indicationem, quæ ſequitut rationem vniuſcuiuſque materiæ morboſæ, nimirum quòd morbos ex repletione factòs, vacuatio ſanat, quæ ad priorem librum potius pertinet,& præter alteram, quæ a qualitatibus primis, quibus illa materia prædita eſt, & a quibus pendet & fouetur intemperatura contracta in membris. Sunt alij ſcopi, & aliæ indicationes, tum a modo & ratione ſubſtantiæ, tum vero ab alijs illius qualitatibus pręter primas, quę obſtant, quominus primo & communi ſcopo, niſi cum magna difficultate & incom-

modo

modo ſatisfacere poſſimus. Prior enim & communis ſcopus erat, vacuandam eſſe materiam morboſam, cur autem difficilis & laborioſa euacuatio ſit, in cauſa eſt, quia aut nimis tenuis ſit humor (Dum enim attrahitur, in tenuioribus & anguſtis meatibus earum particularum, per quas tranſiturus eſt, quaſi abſorbetur, vt inde non poſſit educi facile) aut quia craſſior eſt iuſto. Craſſæ enim materiæ ad eductionem & euacuationem ſunt difficiles, aut tertio quia lenta ſit. Lentus enim humor adeo tenaciter hęret locis, in quibus continetur, & per quæ tranſit, vt idē nequeat modico negotio diuelli. Sed & a modo, quo in ea particula continetur, oritur difficultas vacuationis materiei, quia ſi quaſi per vaſa, vt dicit Galenus ſecundo, & octauo de Com. med. per loc. diffluat, facilior eſt eius euacuatio: ſed ſi velut abſorptus, & infarctus in ſubſtantia particularum inculcatusque, vt in tumoribus præter naturam, nempe in inflãmatione, heryſipelate, ſcirrho, & huiuſmodi: lõge difficilior erit vacuatio, Præterea facilior eſt etiam euacuatio eorum, quæ in vijs communibus continentur, per quas fit euacuatio vel in locis vicinis ad ea pertinentibus, vt ſunt ventriculus, inteſtina, & venæ ad hæc petinentes, nempe meſeraicæ, & concaua iecoris pars, quando per aluum futura eſt euacuatio: renes vero, & connexa iecoris pars, ſi per lotia ſit euacuandum. Et quia non ſolum cogitandum, quòd vacuandum ſit, ſed & quomodo poſſit facile & citra noxam vacuari, ab omnibus his medicus aliquã particulatim indicationem petit, a qua propriumſcopum depromat, quem deinde ſpectans accommodata his omnibus, & opportuna medicamenta reperire, & adhibere poſſit. Quamuis autem de his hactenus egerimus, perinde ac ſi ea proprie duntaxat, illis morbis ſint, qui ad intemperamentum pertinēt, ſi tum volumus rem exacte diſquirere, in hos tandem ſcopos etiam cetera morborum genera, in quibus medicamentis opus eſt, neceſſe eſt reſolui. Quia ſi medicamentum proprie dicendum eſt, quod corpus noſtrum tranſmutare poteſt, & omnis tranſmutatio fiat per ipſas qualitates, tandem huc omnibus confugiendum eſt: nam aut calefaciendum, au refrigerandum, aut attenuandum, aut incraſſandum, aut incidendum, aut detergendum, at rarefaciendum, aut laxandum, aut denſandum, aut conſtipandum. Hæc enim omnia vſu, & ope medicamentorum fieri poſſunt, & quotidie a medicis fiunt. Quibus ſi addiderimus, quòd aliquando partium agglutinatione eſt opus, interdum vero illis, quæ vim habent ſepticen, aut cauſticen, hoc eſt, putrefacientem, vel vrentem, omnia fere complexi erimus, quę in vſu, & electione, compoſitioneque horum medicamentorum, de quibus nunc loquuturi ſumus, quęri ſolent. Sed hęc ad exquiſitam rationem compoſitionis, & vſus huiuſmodi medicamentorum, neque ſatis ſunt cognita Medico: nam illa adhuc indicatio, quæ ab his pendet nimis generalis eſt, quia non tantùm illi nouiſſe oportet, quod calefaciendum, frigefaciendum, &c. ſed & quatenus hoc faciendum ſit: nam alioquin ſi ita temere calefaciamus, & alia agamus, neque nobis terminos aliquos hac in re præſcripſerimus, facile ab vno extremo in aliud, & aliquando deterius fieri tranſitus poterit. Hos verò terminos nobis præſcribendos illa eadem oſtendere poſſunt, quæ priores illos ſcopos etiam indicarunt, ſi eorum notitiam diſtinctam habuerimus. Cùm enim illa, (vt dicebam,) in quodam exceſſu, vel receſſu à naturali mediocritate conſiſtant, nullus autem receſſus indiuiduus eſt, ſed aliquam habet latitudinem ſecundum eam rationem, qua aliqua vel magis, vel minus ab ea mediocritate recedere dicuntur: in quo item receſſu, vt Gal. præſertim **A** in tertio Artis prauæ dicit, poſſunt ordines ita notari, ſicut in viribus medicamentorum, quibus corpus mutare poſſunt; notarunt & Galenus & alij fere omnes poſteriores. Diſtincta ergo cognitio rationis exceſſus in morbis, vel in morboſis cauſis, deſcribere Medicus facile poterit, modum, limitesque vltra quos non oporteat, in his, que nuper exponebamus progredi. At vero, quia iſta receſſus ratio percipi nunquam poterit, niſi ex collatione cum ea naturali mediocritate, a qua receſſus factus eſt, ideo oportet prius nouiſſe naturalem ſtatum, tum corporis ægri, tum particulę, ſi ea male affecta eſt, & tandem neceſſe ſit perſpectam habere maxime naturam omnium partium humani corporis, quibus medicamenta **B** ſint adhibenda: nec modo quantum ad earum temperaturam, ſed & quantum ad ſubſtantiam, munia, dignitatem, & pręſtantiam pertinere poteſt: quia multa exteriùs adhibita, externis partibus vtiliter, & citra noxam adminiſtrantur, quę ſi interius aſſumerentur perniciem afferrent. Præterea in dignioribus partibus, magis cautos eſſe oportet Medicos, & ſemper earum robori proſpicere. Sed & ſitus earum non paruam rationem habere oportet: nam quo remotiores ſunt partes: & quo per longiorem viam medicamētis iter eſt futurum, anteaquam ad locum affectum pertingant, eo etiam valentiora, & fortiora requiruntur medicamenta: quia eorum vires ſemper in tranſitu remittuntur: atque res hæc tantam habet vim, vt ſæpe ſit neceſſe opportunis medica- **C** mentis aliquid intermiſcere, quod aliquin quatenùs ad eius naturam pertinet, alienum eſt, & aduerſarium curando affectui. Vtile tamen ea ratione eſt, qua iuuat alia accommodata medicamenta, vt facilius, & citiùs perueniant ad morboſum locum, vt in medicinis dolori capitis opportunis acetum immiſcemus. Sed de his exquiſitiùs in ſequentibus mox agemus. Hæc ſunt, quæ ab Antiquioribus medicis & à Galeno pręſertim multis in locis aliquando breuiter, & per compendium, aliquando vero diffuſe, & per diexodum, expoſita, & probata ſunt, deprompta quidem ex principijs, & decretis Hippocratis. Nos verò tanquam conſtituta, & probata accipimus tanquam initia ad explicanda, quæ magis parti- **D** culatim facere poſſunt ad rationem accommodatè componendi medicamenta, quibus in tuenda ſanitate, & depellendis morbis vtimur.

De communibus quibuſdam fundamentis, pertinentibus ad communem rationem eorum medicamentorum, quæ per decoctionem parantur, & conficiuntur.

Cap. III.

E QVONIAM verò plura eorum medicametorum, quæ tam interiùs aſſumuntur, quàm exterius adhibentur, præſertim vero ſi ex pluribus conficiantur, per decoctionem componuntur, & ad vnã formam certamq; conſtitutionem deducuntur: ideo non erit ab re, ſi prius de communi decoctionum ratione aliqua verba faciam. Et primo, quibus de cauſis ſint adducti Medici, vt medicamenta interdum ſola ſimpliciaque, interdum plura, interdum pauciora ſimul ad ignem decoquãt, & quæ vtilitas inde proueniat. Hanc verò rem, vt diſtinctiùs tractemus, diſtinguenda eſt primo cocturæ ratio. Nam ea ex Medicis, & Philoſophis duplex eſt; nempe elixatio, & aſſatio. Elixatio eſt coctura, quæ fit à calido in multo humido. Aſſatio vero eſt ex quarto Meth. a calido, ſicco

do, ſicco

do ſicco & igneo. Licet autem vtroque modo coquantur medicamenta, frequentius tamen per elixationem, præſertim quæ interius ſumuntur, ac deuorantur: imo, & eorum plurima, quę exterius adminiſtrantur, vt linimenta, & vnguenta. Item emplaſtra cerata, & oleorum quamplurima. Primum ergo loquemur de his, quæ ad ignem ex multo humore coquuntur, & quaſi elixantur. Et quia horum alia ſimplicia ſunt, alia mixta, & compoſita, de ſimplicibus etiam primo loquemur. Simplicia vero ſunt, vt ſucci, tum fructuum, tum herbarum, liquoreſque, & in his etiam aquam ponimus. Non eſt autem vna eademque ratio, cùm hæc coquantur: nam aqua quidem a medicis, quantum hactenus me legiſſe memini, duplici de cauſa coqui ſolita eſt: nempe vt aliqua particulatim malitia ab ea detrahatur, vnde craſſæ, paluſtres, & limoſæ aquæ coquebantur ab Antiquis, quia facilius terrenæ, & limoſæ partes, poſtquam refrigerari permittitur aqua, vi ignis ſegregatæ deſcendunt: rareſcit enim ſubſtantia aquæ per decoctionē, ac facilius propterea extraneæ partes ſecretæ deſcēdunt. Non coquebātur autem aquę ab Antiquioribus Medicis ad potum, ſi defæcatæ ſua ſponte, & bonæ erant: ad corrigendam ergo aliquam eius maliciam, ipſam incoquimus: propterea etiam ad eam refrigerandam. In regionibus enim, in quibus fontes vel putei frigidi, vt in Aegypto, aut nulli, aut rari ſunt, cum opus eſt aqua frigida, vt teſtatur Galenus 4. libr. Commentariorum, in 6. Epid. com. 10. eam primū decoquunt, mox vero noctu ſub dio aeri exponunt. Ita enim magis, & facilius refrigeratur, præſertim quando prius efferbuerit: promptius namque eam per ebullitionem priorem rarefactam ſubit frigus. Facilius enim tranſmutātur que rara ſunt, quam quæ denſa. Succi vero præſertim plantarum, & fructuum, coqui & ipſi ſolent, præcipue vt ſeruari imputres poſſint. Facillime enim præter vinum, oleum, & mel, ex 3. de Fac. ſimp. med. cæteri omnes fere putreſcunt, citiſſimeque, niſi concoquantur, ſiquidem conſumitur, dum coquitur aqueus quidam humor, qui putreſcendi in cauſa eſt. Decoquūtur autē interdum, vt condenſeſcāt, & indurentur, ſicuti ſuccus radicis dulcis coctus, cogitur, & induratur, ſuccus etiā abſinthij: & vt idem ſexto de Comp. ſecundum loca, ait: Succus Hypociſtidis, vuæ acerbæ, & centaurij, & quamplures alii, qui vt ibidem ſcribit, ſi fuerint plurimum excocti exſiccantur, craſſeſcuntque, & tandem indurantur per cocturam, vt & multi alij liquores, ſicut reſinæ omnes, præterea, & mel, & lac. Coquuntur itidem ſucci, liquoreſque, vt ab eis aliquid, quod nocere poſſet remoueatur, quemadmodum lac, & mel, quę cruda, ſunt flatulenta, atque aliquando excitato flatu ventriculum, & aluū cnoturbāt, & dolores concitant. Vnde coquuntur, vt partes illæ per cocturam conſumantur, quæ apta materia ſunt ad flatus excitandos: cum enim ex 4. de Rat. vict. in morb. acut. com. ſeptimo, lac Aſinæ coctum ad laxādum aluum præciperetur, illud coqui propter flatū dicit Galenus. Item 3. de Fac. alim. cap. 39. ait, Mel, niſi probe coctum ſit, flatus gignere. Præterea vero interdum vt aliquam qualitatem, facultatemque his adimamus, quæ noſtro vſui, quātum ad noſtrum inſtitutum pertinet, non eſt futura. Sicut verbi gratia, lac quidem, & mel accepta citra cocturam aluum cieunt inferiorem, ſed mel ſuperiorem quoque, ſit vt ibid. teſtatur Galenus, copioſum delingatur: ſed decoctum non amplius ciet inferiorem aluum, nec vomitum: nam mel cuiuſdam acrimoniæ particeps eſt, qua ventrem aliquantulum ſoluit: lac vero ratione ſeri, quod nō eſt nitroſitatis alicuius expers, facultatem aliquantulum habet proritādi deiectiones alui. Vnde mel coctum cum acrimoniam deponat per

A decoctionem, amittit etiam vim ſubducendi aluum, & potius poſtea vrinam prouocat. Facile enim hoc modo per venas permeat, cùm de ventriculo prius deponeretur, ad id incitantibus acrioribus partibus quàm in venas diſtribui poſſet, ita & lac, ſi eatenus coquatur, vt ſeroſus humor abſumatur non modo non ciet aluum, ſed potius eam ſiſtit, & aſtringit. Vnde Antiqui præſertim aſinino lacte ad purgationes inferioris ventris vtebantur, & eo quidem cocto quātum poterat eſſe ſatis, ne flatus gigneret: coctura vero modeſta non tollebat vim purgatoriam: cum enim ſeroſius ſit lac iſtud præ omnibus alijs, per facilem, & modeſtam cocturam nequit vis ſoluendi ab eo adimi. Sed agamus modo de illa coctura, qua B plura ſimulque compoſita, & commixta coquuntur, ſicut quando ſyrupi, & medicinalia decocta, & alia medicamenta per dictam iam coctionem parantur a Medicis, vel eorum miniſtris. Non agemus autem nunc de ratione, & cauſis compoſitorum medicamentorum in vniuerſum, neque etiam exponemus, quam vtilitatem afferat compoſitio plurium ſimplicium, in vno eodemque medicamento, & qua neceſſitate Medici ad componenda medicamenta compulſi fuerint, quia de his copiose in priori libro actum fuit: ſed tantum de coquendi ratione loquemur. Neque tamen vt doceamus modum coquendi particulatim, & reliqua, quæ medici ſuis ſeplaſiarijs tractanda relinquunt, ſed de vtilitate, & commodo, C quod medicamenta conſequuntur per cocturam aptam, quando plura ſimplicia medicamenta ſimul commixta coquuntur: deinde quam commoditatem medicamentis coctis afferant aliqua, quæ ipſa ex ſe aut nullam, aut ſaltem non inſignem vim, vel facultatem habent. Quatenus ergo ad primum pertinet, hoc imprimis eſt conſiderandum, quod cum ars naturam quantum poteſt imitetur, natura vero in generatione corporis mixti, & compoſiti ad vnionem, ſiue ad vnam formam diuerſam ſimplicia corpora per concoctionem factam a calore natiuo, & inſito rei deducit: ea enim eſt eius vis, vt poſſit ſiccum elementum cum humido miſcere, rem in vnam perfectionem conducere, & ad vnam formam, quæ inter ea, quæ miſcentur media eſt, viresque omnes, & fa- D cultates, ſub quodam modo, & quadam menſura eorum, ex quorum miſcella progenita eſt, in ſe continet. Ita & Medicus naturam imitans, nititur per cōcoctionem diuerſorum medicamentorum vires, & facultates diuerſas in vnam quaſi mediam facultatē vnire, quæ illas vires, quæ prius diuerſæ ſparſim, & ſeorſim in diuerſis illis medicamentis habebantur, per eorum compoſitionem, & decoctionem collectas contineret, vt illis deinde ad morbos in quibus multæ, & complicatæ ſint indicationes vti poſſet. Vnde & Ariſtoteles quarto Met. vbi de generatione mixtorum per concoctionem agit, dicit concoctionem, ac eius differentias nomen quidem nullum habere proprium, quo tranſmutationes hæ, quas na- E tura molitur, ſignificentur, neceſſarium autem fuiſſe ea transferre, quę propria artis ſunt, ſicut cōcoctio, elixatio, & aſſatio, propter eam ſimilitudinem, quæ eſt inter operationem naturæ, & artis eam imitantis. Galenus itaque in libello pro puero laborante comitiali morbo, reddens rationem, cur oxymel, hoc eſt acetum mulſum, quod fit ex aqua, melle, & aceto ſimul mixtis, decoqui voluit Hippocrates, cum ea omnia liquida ſint, & quæ mutuo facile citra concoctionem miſceri poſſint? dicit, vt melius, & exquiſitius vniantur: addit avtem præterea, vt & aceti acrimonia obtundatur, & mellis flatulētia corrigatur. Sed & cerata, vel emplaſtra, quæ ex lithargyro componuntur, & alijs mineralibus ex oleo decoctis, vel ex alio liquore, meliora eſſe ait primo de compoſit.

medic. per genera, quo magis cocta fuerint: rationem vero, vnde ea, quæ coquuntur, facilius ad vnionem, & æqualitatem deducuntur, viſus eſt inſinuare, primo de Alim. fac. capite primo, vbi hæc ſcripſit: Omnibus enim, quæ coquuntur in aliquo humore vſu venit, vt quiddam ab eius facultate in ſe deriuent, atque etiam, vt viciſſim de ſua portione aliquam impartiantur. Commiſcentur itaque vt hac ratione ſaltem facultates exquiſitè diffundantur per totam medicamenti ſubſtantiam, & digerantur in eius partes omnes, & ita in vnum coeant. Habet præterea, & aliam commoditatem decoctio, quæ priuatim illis medicamentis vtilis eſt: quæ diutius parata ſeruantur (de illis loquor, quæ ſunt liquida, vt potiones) præſertim ſi mel, vel ſaccharum accipiant: nam hæc duo maxime id præſtant, vt diutius ſeruari poſſint integra medicamenta, & illa maxime, quæ ex herbarum fructuumque ſuccis parantur, vt multi ſyrupi fiunt: nam quamuis hæc vim magnam habeant cuſtodiendi medicamenta a putredine, corrumpuntur tamen, niſi ſint probe cocta, adeo vt extranea humiditas, quæ putrefactionis fomentum eſt, abſumatur. De alijs vero medicamentis, quæ exterius illinuntur, aut apponuntur, vt ſunt olea medicinalia, emplaſtra, & huiuſmodi, ſuo loco dicemus. Sed neque id in pręſentia prætermittendum, cuius & in priori libro meminimus: nempè, quòd quamuis ea præſertim ſimplicia, in componendis his medicamentis, quæ per decoctionem abſoluenda ſunt, ſint eligenda, quamuis facultatibus poſſunt aliquid conferre, pertinens ad ſcopum, quem in curando affectu ſpectandum nobis propoſuimus: vtimur tamen ſæpiſſime, & alijs quibuſdam, quæ cum his componimus, quorum facultates præcipue ad noſtrũ inſtitutũ faciunt, quamuis ea vel nullas, vel ſatis exiguas vires habeant, quæ poſſint aliquam præſtare vtilitatem, propoſito ſcopo primum attinentem: & tamen eorum vſus, vt tertio de Compo. medic. per genera cap. 5. dicit Galenus, & ſi nõ primum, ſecundario ſaltem multam afferunt commoditatem: neque eam vnam tantum, ſed multiplicem. Primam quidem commoditatem tribuunt aliqua medicamenta ſimplicia in compoſitione accepta, quòd tanquam materiæ alijs medicamentis officium præſtant, ad quod officium ea in primis idonea ſunt: quæ vt tum ibid. docet Galenus, tum vero xj. de Fac. ſimpl. med. non ſunt vehementi aliqua facultate prædita: valentioribus enim medicamentis hæc ſe tanquam materiam exhibent: in illis enim fortiorum medicamentorum vires, & qualitates commiſcentur, & quaſi, (vt diximus,) confunduntur, & veniunt per decoctionem; nam cum nullam eximiam qualitatem, vel vim habeant, non poſſunt inſigniter aliquo modo validioribus facultatibus obſtare. Vnde hac ratione albo oui, imo ſæpe, & toto ouo vtimur in componendis, & miſcendis multis medicamentis, parandiſque, tum ad oculorum affectus, tum ad alios aliarum partium, vbi fugiendam eorum mordacem vim cenſemus: in ceratis vero, & emplaſtris multis, & huiuſmodi medicamentis præſertim oleo communi vti ſolemus; nam oleũ vetus, & quædam alia olea proprie non pertinent ad hoc munus, quia iam ſibi comparauere maiorem digerendi, & deſiccandi facultatem, quam hoc officium requirat. Eadem quoque ratione multa medicamenta, quæ in modum emplaſtri ſunt conficienda, lithargyrum, hoc eſt, argenti ſpumam, & eam ſæpe copioſam accipiunt: nam hoc ſimplex nullam habet eximiam facultatem, qua maioribus, & difficilioribus vlceribus admodum conducere poſſit: quia tamen liquari poteſt per decoctionem ex oleo, vel vino, vel aceto factam, ideo vt commoda materia ad deducendum, & componendum medicamentum ad

A compagem faciendam emplaſtri, vt ibi 1. de Comp. med. per genera capite quinto docet Galenus accipi ſolet. Eundem præterea vſum præſtat aqua in potionibus, decoctiſque multis, & epithematis, quæ præter alias commoditates, & hanc habet, quòd vi eius humiditatis, vt Galenus dicit, vim habet vt tandem per omnia illa permeet, & penetret, quæ in ea macerantur, vel coquuntur. Multa etiam accipiuntur, tanquam commoda, quamuis primo ſcopo, vel nihil, vel parum conducant: neque ea præterea ſint, quæ munere materiæ tangi poſſint, ſed alio modo ſunt vtilia: nam medicamenta reddunt minus ingrata, & inſuauia, nimirum vt facilius admitti, & contineri ab aſſumentibus poſſint. Quę enim admo-

B dum ingrata ſunt, abominationem mouent, ventriculum ſubuertunt, & turbant, vnde aut vomitu reijciuntur, aut ſi detinentur vi, adeo exagitant, & conturbant vniuerſum corpus non modo ventriculum, vt ea conturbatione magis obſint, quam prodeſſe poſſint: atque huius præcipue in his ratio eſt habenda, vt Galenus ſexto de Comp. med. ſecundum loca, & primo de Antidotis monet, quę ore ſunt ſumenda: hæc enim maxime faſtidium concitant. Duo autem ſunt, quæ præſertim moleſta, & ingrata reddant hæc medicamenta: primo fœdus odor, ſecundo triſtis ſapor, & cum maxime purgatoria medicamenta, tum ſuo odore, tum ſapore, tum quadam naturali inimicitia ſint ventriculo aduerſaria: ideo Hippocrates, & Galenus 2. de Ratione vict. in morb. acut.

C & 8. de Comp. med. ſecundum loca, conſulit illis ſemper eſſe aliqua admiſcenda, quę tum ſuaui, & aromatico ſapore, tum familiari odore, gratiam conciliare medicamento poſſint. Vt tamen quatenus ad odorem pręcipue pertinere poteſt, hoc ſit aduertendum (quod neque in ſapore eſt negligendum) quòd quamuis huius conciliandæ gratię, ratio aliqua ſit habenda, attamen non ea eſt habenda, vt primarij ſcopi obliuiſcamur, idque procurandum maxime, ne hęc omnino ſuperent aliorum vires, quę propoſitum ſcopum primario reſpiciunt. Vnde vel ea ſunt eligenda, quę his non habent vires aduerſarias, vel illis adeo modeſte vtendum, vt non poſſint de aliorum viribus multum detrahere. Et quantum ad medi-

D camenta ſoluentia pertinet, Antiqui, (vt diximus,) ea miſcebant, quę aromaticum ſpirabant odorem, quorum cum multa calidiſſima eſſent, & tenui ſubſtantia in purgando, pręſertim vero craſſiores humores attenuando, & vias aperiendo, poterant iuuare. In pręſentia vero medici, & ſuccum roſarum ob gratum roſę odorem, quem refert, immiſcere his medicamentis ſolent, in quo neque multus eſt calor, & vim detergendi, & attenuandi habet: quo, & in alijs potionibus vti, non eſſet ab hoc inſtituto alienum, quamuis ad purgationem non eſſent confectę. Quia vero iam diu in tota Europa inuaſit conſuetudo, vt ſępe decocta bibenda ex aquis per deſtillationem ex herbis extractis fiant, itemque ſyrupi appellati

E eiſdem diluantur, quę dum deſtillant, fumoſum quendam odorem contrahunt, qui ingratus admodum eſt, & quo recentiores, & noue ſunt, eo etiam magis ingratum odorem redolent. Huius rei incommodo ſic occurrendum videtur, vt eas eligamus, quæ recentes non ſunt, ſed a quibus iam magna ex parte euanuerit, & euaporauerit ille ingratus odor: tempore enim euaporat, vt experimento, tum ab alijs, tum maxime ab aqua roſacea petito percipere poſſumus. Sed præterea, & id deprehenſum eſt, quod ſi fiat deſtillatio ex aqua, vel, (vt dicitur,) in duplici vaſe, vel (vt Iuniores dicunt,) in Balneo Mariæ, non videntur aquæ illæ ita extractæ, inſignem, & ita moleſtum contrahere odorem. Sed neque hoc videtur negli-

gendum in vſu odoratarum rerum,quòd aliqui ſunt A odores,qui etſi aliquibus multum grati ſint,eosque delectēt,alijs tamen ſunt noxij:nam inſignes,& aromatici odores illis ſunt incommodi, quibus dolet caput, vt & Hippocrates quinto Aphoriſm. docuit. Apho.28.Multæ etiam mulieres eos odores,vt ſunt Moſchi,& ambræ appellatæ,& huiuſmodi aduerſantur,præſertim vero illæ,quę ſunt vterinis ſtrangulationibus obnoxiæ,quæque hyſtericæ dicuntur. Memini ego cum eſſem Venetijs,& eſſet cuidam nobili mulieri oblatus ſyrupus bibendus,quem Apothecarius,qui paulo ante tractauerat quædā medicamenta compoſita, quæ hæc odorata accipiunt, illotis manibus commiſcuerat, mulier eo odore percepto, ſtatim cœpit ex vtero ſtrangulari. Quidam vt hæc B incommoda deuitent, vas vnde bibendum eſt medicamentum, linteo madefacto ex aceto, & aqua roſacea contegunt, relicto tanto foramine vt bibi medicamentum ſine impedimento poſſit. Aceti enim odor acris, odorem medicamenti ſuperat. Faſtidio vero, quod ex ingrato ſapore occaſionem habet,imprimis ſolet eorum mixtura conſulere,quæ familiaria ſunt naturæ,vt dulcia omnia,mel,ſaccharū,& huiuſmodi,& ideo Gal. eodem ſexto de Cōp. med.ſecundum loca,laudat Archigenem,qui præcepit in his,quæ ad affectam columellam paranda ſunt, ſemper mel hac de cauſa miſcere auſteris medicamentis, quorum vſus in principio ad repellendam fluxionem eſt neceſſarius,vt & ipſe in principe parte illius libri monuerat. Et hinc introductum eſt in C vſum,vt omnia ferè medicamenta bibenda, vel deuoranda,præter pulueres, ſiue vim calefaciendi habeant,ſiue refrigerandi,ex melle,aut ex diluto ſaccharo coquantur,vel ſaltem condiantur:& id preterea,vt aſſumentibus minus ſint moleſta,quamuis ſępe vires aduerſarias illi habeat, quod nobis indicat ſcopus primarius. Sæpe enim is indicat refrigerandum eſſe,vtimur tamen ſyrupis,vel decoctis,vel placentulis confectis,vel conditis melle,& ſaccharo,quę facultatem aliquam calefaciendi habent. Vbi id notandum, quòd præter horum ſimplicium medicamentorum facultates proprias,quæ propriam naturam,& temperiem ſequuntur,habēt has communes in medicamentis compoſitis commoditates (loquor D de ſaccharo, & melle)primo,quòd ea imputria,& incorrupta,ſi congruam cocturam fuerint aſſequuta, longo tempore ſeruari poſſunt, præſertim ſi ſuccos fructuum,vel herbarum receperint: ait enim Galenus ibidem, quòd ſucci ſine melle imputres diu nequeunt manere. Deinde vero, quia tollit medicamentorum ingratum ſaporem, naturæque eſt familiare: tertiò facit reliqua medicamenta,quibuſcum mixtum fuerit,celerius tranſire,& in corpus permeare: Quartò enim Meth.ca.7.ait idem Galenus, quòd mel eſt inſtrumentum digeſtionis medicamentorum in corpus, & celeris tranſitus,veluti vehiculum: id vero,tum dulcedinis ratione,tum tenuitatis partium. Hic tamen,& illud eſt conſiderandum,has E vtilitates non ſolum mel, ſed & ſaccharum habere, quod quamuis temporibus Hippocratis,& Galeni eſſet cognitum,vt & Dioſcorides,& Galenus videntur indicare,vel nullus tamen, vel rarus ſaltem erat tunc temporis eius in medicamentis vſus. Vnde non erit præter rem,ſi de his,& de horum differentia paucula quædam dixerimus. Differunt ergo,quia mel dulcius eſt ſaccharo: item calidius,& tenuioris ſubſtantiæ, & non omnino alicuius acrimoniæ expers: ſaccharum vero ſuauiorem habet dulcedinem,præſertim id,quod optime purgatum,& deſęcatum eſt. Vnde eius frequens eſt in menſis vſus,& minus calefacit,& minus mordet dum detergit. Ex quibus ita expoſitis, facile percipitur, quòd peritus Medicus, qui his ob has communes vtilitates eſt vſurus, non illis promiſcue,& indiſcriminatim vtetur: nam vbi affectus, quem curare inſtituit, ex calidis, tenuibus acrioribusque humoribus oriuntur, non ita commodus erit mellis vſus: nam & Galenus in calidiſſima,& tenui deſtillatione curanda 1. de Comp.med. per loca, cap.2. conſulit, vt medicamentum, quod diacodion dicitur, & quod valet multum ad reprimendas deſtillationes, prætermiſſo melle ex ſapa paretur:ex melle vero ſi humor deſtillans craſſior,& frigidus ſit,nos vero in tenuibus ex ſaccharo cōfecto vti ſolemus, vtpote,qui parum calefaciat,neq; perinde,vt mel attenuet. Vnde ſordida vlcera,quæ deterſione egent, ſi ſint eximij ſenſus, mel roſaceum propter eius morſum ferre nequeunt, facile tamen ferunt ſyrupum roſaceum,eum etiam,quem ex ſaccharo,& roſarum ſucco conficiunt. Sed nunc etiam in curādis affectibus,qui a calidis,acribus,& tenuioribus humoribus oriuntur,ſyrupis potius vtimur ex ſaccharo paratis,quàm ex melle: vt ſunt violaceus ex endiuia,vel cichorea,vel oxalide,vel ziziphis,& huiuſmodi. In affectibus autem a craſſioribus,& lentis frigidisque ſuccis,potius vtimur illis,qui mel accipiunt. Vnde in tertiana exquiſita,& huiuſmodi,frequentius Medici hoc tempore accipiunt ſyrupum acetoſum,& roſaceum,ſi illo ſit opus. In nothis vero tertianis,& quotidianis ſæpius oxymelite vtūtur, & melle roſaceo. Hæc,quæ hactenus expoſuimus,ſi diligenter legantur, & tanquam exempla accipiantur,facile alia omnia,ſi qua legenti offerentur,cum his collata percipi poterunt. Quare iam magis particulatim dicamus de compoſitione,& vſu medicamentorum, qui ad hunc librum pertinent. Et primo de illis agemus, quæ per os ſumuntur: & in his primo de ſyrupis,qui nūc in maiori ſunt vſu,& vbique ferè parati reperiuntur: deinde de decoctis,tum de paſtillis,vel trochiſcis: deinde de electuarijs,& confectionibus dictis: poſtremo in 3. libro de Ratione eorū,quæ exterius adminiſtrantur agemus plenius.

De ſyrupis, qui ſunt in vſu frequenti. Cap. IIII.

SYrupus eſt Arabicum vocabulum, quod vt mihi quidam illius linguæ peritus dixit,potum,vel potionem ſignificat: neſcio an corruptum fuerit ex orbet, quod Arabibus potionem ſignificat. Aliqui in præſentia, vt Latiniores ſint, Serapium vocant, quo vocabulo vſi ſunt Græci Iuniores, qui Arabibus ferè poſteriores, & ab illis multa nomina medicamentorum deriuauere,& multa etiam medicamenta deſcripſere,in quibus Actuarius fuit. Sed & Serapium neque Græcum eſſe vocabulum,neq; Latinum,ſed ex Arabico deductum,atque corruptum. Et quamuis ſyrupi iſti noſtri putentur eſſe inuenta Arabum,ego tamen hoc non puto: nam,& Galenus primo Artis cur. ad Glauconem,quoddam medicamentum, quod conficit ex quibuſdam ſimplicibus decoctis,ex aqua,& melle,potionem appellat,& inde forſitan,& modum confectionis,& nomen ſyrupi potionem ſignificantis,in ſuam linguam tranſferentes deprompſere.

Syruporum itaque duæ ſunt primæ differentiæ: aliqui ſunt ſimplices, non quidem quòd verè ſimplices ſint, ſed per collationem ad alios: nam ipſi etiam ex pluribus conficiuntur, ſaltem enim ex ſaccharo,vel melle,& aliquo ſucco,addita aliquando aqua:ſed quia in ijs vnum tantum ponitur:in quo ſit vis id agendi, quod in eo præcipue quærimus,mel vero,& ſaccharum recipiunt,quaſi medicamēti ma-

teriam, & propter alias commoditates, neque primum, ſed ſecundario admittuntur. Hęc ergo ratione ſi ſint cum alijs, qui ex pluribus hoc modo conficiuntur collati, dicuntur ſimplices. Interdum vero, & vere compoſiti ſunt, & ex multis primum confecti: quia tamen diuerſimode ſolent componi, ita vt pauciora interdum primo accipiant, & illis ſæpe ita confectis vtimur, poſtea vt efficaciores illos reddamus, alias priori compoſitioni addere ſolemus: vt vero quonam ſit vtendum iudicemus, ſimplicem appellamus priorem, cum citra aliquam aliam adiectionem eo vti volemus, quemadmodum Medici tripliciter ſyrupo de Byzantijs Meſue vtuntur: aliquando ſine alterius medicamenti adiectione, præter primam compoſitionem, & hunc ſimplicem vocant: aliquando acetum illi addunt, & appellãt Byzantinum cum aceto: aliquando vero quædam alia aromata, vt ſuo loco dicemus, addunt, & Byzantinum completum, vel compoſitum dicunt. De ſimplicioribus ergo prius nos ſecundum rationem agemus. Hi varij, & diuerſi ex propria eorum natura ſunt, immo & inter ſe aduerſarijs facultatibus differentes: nec illis ſolum, quæ ad facultates primas referuntur, ſed & alijs etiam ſecundis, & tertijs, nec modo his differunt, ſed etiam ſi cum varijs particulis humani corporis conferantur: ſæpe enim ex illis reperiuntur duo, nonnunquam & plures, qui licet ſint facultatibus ſimiles, vterque enim refrigerabit, aut calefaciet, neque ordine, vel gradu diuerſi admodum erunt, alter capiti commodior erit: ita alter renibus, alter pulmonibus, &c. Nam cum ex medicamentis ſimplicibus conficiantur, & ab illis ſuas facultates vniuerſas habeant, pro ratione diuerſitatis naturæ, & facultatis horum ſimplicium, diuerſas etiam ipſi vires habent. Fiunt autem ſyrupi hi ſimplices, aut ex aliquo ſucco alicuius herbæ, vel fructus, aut ex eorundem decocto, vel ex aqua, in qua medicamenta fuere demerſa, & eatenus macerata, vt eorum vires in aquam tranſierint. Iuniores dicunt ex infuſione, vt ſyrupum factum ex infuſione roſarum, vel violarum. Ex ſuccis, qui ex endiuia ſimplex dicitur, quique ex cichoreo, qui ex oxalide, vel oxylapatho, id eſt, ex ſucco acetoſę, item ex bugloſſa, quamuis ſit in communi ferè omnium medicamentorum ſententia hac noſtra tempeſtate, herbam, quam vulgo bugloſſam appellant, non eſſe Antiquorum bugloſſum: ſed quomodocunque ſit, ſi ea non eſt, ſicut ego non eſſe arbitror, eſt ſaltem altera, quæ ab ea viribus, & facultate non plurimum euariat. Præterea ex boragine, quę verum eſſe bugloſſum Antiquorum nunc creditur, fit idem ſyrupus, & ex ſucco roſarũ. Item & ex ſucco betonicæ, qui ſimplex ex betonica dicitur: ex ſucco etiam fumariæ, qui ex fumo terræ ſimplex nunc dicitur: ex ſucco quoque florum nimpheæ, quam Arabes nenuphar nominant, vt & vulgo nunc dicitur. Item ex ſucco tuſſillaginis, quam farfaram in apothecis ſicuti Arabes nominant, & ex ſucco iuæ, vel aiugę, vel chamæpithis alicubi paratur ſyrupus: ex ſucco item lupi ſaliceti, qui nunc ex lupulis vulgo dicitur. Item ex ſucco ſcabioſæ, quæcunque ſit ſcabioſa. Ex ſuccis autem fructuum fiunt ſyrupi aliqui ſimplices, qui in multo ſunt vſu, vt ex ſucco mali punici, qui ex granatorum ſucco communi appellatione dicitur. Item ex ſucco malorum dulcium, qui vulgo de pomis dicitur: ex ſucco mali citri, vel medicæ, qui ex acetoſitate citri vulgo dicitur: ex ſucco limonis, ex ſucco malorum cotoneorum, vel cydoneorum: ex ſucco vuæ acerbæ, vel (vt dicunt,) agreſtæ, ex ſucco cucurbitæ, ex ſucco, qui berberis ab Arabibus dicitur: multi eſſe putant oxiacantham, (vt Græci dicunt.) Item ex ſucco ribes, & ex ſucco fructus mirti, ex ſucco mororum, præſertim ſylue-

A ſtrium, qui bati dicuntur. Sed ſunt præterea ſyrupi ſimplices, qui ex maceratione, vel (vt nunc dicitur,) ex infuſione ex aqua, ex qua deinde addito ſaccharo coquuntur, & conficiuntur. Pręcipue vero fit in præſentia ſyrupus ex maceratione, vel infuſione roſarum, & illum bifariam parant: nam vel ex folijs recentibus, hoc eſt, non aridis, & communiter vocant ſyrupum roſaceum recentem: vel aridis folijs aqua demerſis vtuntur ad eiuſmodi ſyrupi confectionem, eumque roſaceum ex roſis ſiccis paſſim appellant. Item, & violaceum ex ſimili infuſione, non quidem aridarum violarum, ſed recẽtium parant, quem violaceum ſimplicem vocare ſolemus: ex ſtęchade etiam macerato, ac mox decocto ex aqua, ſimplicem con- B ficiunt ſyrupum, addito ſaccharo aquæ. Hi itaque ſyrupi ſimplices dicuntur, ea ratione, qua nuper expoſui, & ijdem in curandis morboſis affectibus in frequentiori ſunt vſu, & parati maiori ex parte reperiuntur, de quibus priorem ſermonem ſumus habituri. Neque in eorum confectione explananda multus ero, cum neque multa egeant explanatione. Facile enim poteſt eorum facultas percipi, cum vno tantum ſimplici medicamento, præter illa, quæ tantum materiæ vice funguntur, conſtant. Nam quatenus ad primas qualitates pertinet, refrigerant quidem, & deſiccant endiuia, cichoreum, vel intybus, oxalis, vel acetoſa, item roſarum ſuccus, & nympheæ ſuccus, & ſuccus mali punici, & mali medici, vel citrij: item qui limonium dicitur, cotoneorumque, & C vuæ acerbæ, berberis, & ribes, mirti, & mororum quo præſertim nunc vtuntur Medici. Succus autem lupi, vel lupuli in controuerſia trahitur a Iunioribus: nam cum Meſ. illum indicauerit parum refrigerare, quamuis & parumper ſiccare, Iuniores tamen quidam potius calefacere credidere, ducto argumento, quòd odorem grauem flores habẽt, & in ceruiſia calefaciant, & ſiccent: nam & inebriant. Ego tamen cum ſemper priores Medici, qui Arabes ſequuti ſunt, tanquam medicamento parumper ab æqualitate per frigidum recedente vſi ſint, & mirum videatur, quin aliquando in eo caliditas deprehenſa fuiſſet a Meſue, non poſſum hactenus diſſentire, pręſertim cum neque id argumentum cogere videatur: D nam non puto ſemper eſſe neſcium flores, & folia, vel ſurculos, & horum ſuccum ſimilis eſſe facultatis. Succi vero violarum, & cucurbitæ refrigerant, & humectant: at betonicæ, fumariæ, ſtœchadis, iuæ, vel aiugæ, & tuſſillaginis, ſcabioſæque calefaciunt, & ſiccant, ſicut calefaciunt, & humectant, ſuccus bugloſſi, & boraginis. Decocta ſequuntur facultates illorum, ex quibus conficiuntur. De dilutis vero, vel (vt aiunt) infuſionibus non plura dicam, cum putem eas quoque ſequi naturam eorundem ſimplicium, quæ macerata fuere. Cum vero neque in his, neque in alijs id genus medicamentis nouiſſe ſit ſatis, eorum facultates, quæ ad primas qualitates pertinent, ſed & aliarum cognitione eſt opus. Ideo addo, quòd eorum, quæ expoſita ſunt, quędam vim ha- E bent aperiendi obſtructa viſcera a craſſis, & lentis ſuccis, imò eorum plura, nec modo quæ calida conſtituta ſunt, verum & ea, quæ frigida natura conſtãt. Vnde quæcunque alicuius amaritudinis non ſunt expertia, vim habent diſſecandi, extenuandi, & tandem aperiendi, vtpote, quia amaritudo in tenui ſubſtantia exiſtit. Aperiunt itaque inter frigida endiuia, & magis cichoreum, vel intybus, vt qui amarior ſit: oxalis uero, licet amara non ſit, ratione tamen acoris potius aperit: nam & acidus ſapor ex Galeno 4. de Fac. ſimpl. medic. tenuitatis partium ſignum eſt. Præterea roſa, lupulus, necnon, & ſuccus mali Medici, vel citrij, & limonum, eadem ratione hæc præſtant, uel longe etiam magis: quia urinam ualde

cieunt,

cieunt,vt calculos in renibus atterere poſſint. Aperit A etiam betonica, vt Galenus, & Dioſcorides oſtendūt,fumaria,& ſtœchas, & iua, horum præterea aliquibus adſtrictio nō videt̃ deeſſe,qa viſceribus robur afferre poſſunt,neque tamen, vt idem Galenus eodem de ſim.med.Fac.dicit,aliquid obſtat,quominus vni eidemque ſimplici medicamento ambæ hæ facultates poſſint attribui,quamuis inter ſe ſint aduerſariæ,nempe adſtringens, & aperiens,atque a contrarijs etiam cauſis ortum habeant,quia non ab eiſdem partibus prodeunt: pleraque enim medicamenta ex pluribus,diuerſisque partibus conſtant,& illis etiam contrarijs: hoc experientia oſtendit, quamuis ſenſui non pateat,ſed neq; alioquin adſtrictio apertioni eſt impedimento. B Immo,vt ibidem dicit Galenus,aſtrictio in cauſa eſt,vt vim maiorem aperiendi habeant: nam præcedunt partes illæ, quæ aperiunt, quippe,quæ tenuiorem ſubſtantiā habeant: ſequuntur vero aſtringentes: quæ quaſi impingendo vlterius,& intimius priores impellunt. Aſtrictionis ergo participes ſunt endiuia,cichoreum,roſa,vel eiuſmodi ſuccus,& magis etiam arida: recens enim magis aperit, arida magis aſtringit: vnde cum magis aſtringere,quàm aperire volumus,vtimur roſis aridis,& ſyrupo ex illis confecto: cum autem aperire, vtimur ſucco,& tum ex eo,tum ex roſarum infuſione ſyrupis: ſed & fumaria particeps eſt aſtrictionis, & ſtęchas,item betonica,vt ex eius viribus a Dioſcoride relatis percipi poteſt. Magis vero aſtringunt C myrtus,malum cotoneum,ita vt vel parum,aut nihil aperiant,præſertim naturalia viſcera: aſtringunt nonnihil,& mali citrij ſuccus,& mali punici.De oxymelitis vero,& ſyrupi acetoſi, vtrorumque ſimplicium in præſentia viribus non meminerimus: nam ea,quæ de illis paulo ante literis tradita ſunt, ſatis mihi eſſe videntur. Quæ autem de ſyrupi acetoſi,& oxymelitis,vel aceti mulſi: item de mellis,& ſacchari differentia dicta ſunt,ſi bene percipiantur,facile, quæ interſit differentia patebit inter ſyrupum,& mel roſaceum: nam mel aliquanto minus refrigefacit,magis detergit,& digerit,aperitque,quàm ſyrupus ex ſucco roſarum confectus,aliquanto fortaſſe etiam magis aſtringit. Scilliticum etiam oxymel longe maiorem vim habet extenuandi,& aperiendi, D ex acrimonia,& partium tenuitate,tum ſcillæ,tum aceti, quamuis in calefaciendo non excedat ſecundum gradum. Et quatenus quidem ad examen compoſitionis horum medicamentorum ſpectat hæc putarem eſſe ſatis. Potuiſſem quidem,& hæc omnia in ſuos gradus digerere,quod etiam cognitu maxime Medico eſt neceſſarium: ſed cognita natura ſimplicium,ex quibus fiunt, habitaque ratione mellis,& ſacchari,quæ illis adduntur,facile quiſque de illis iudicium facere poterit: cum præſertim etiam de his alij multi egerint. Vnde nos hæc omittentes de ſyruporum vſu,ac de eorundem miſcella quædam dicemus. Sed fortaſſe præſtiterit, vt prius etiam de compoſitis appellatis agamus. E

De ſyrupis compoſitis,& de ratione compoſitionis eorum. Cap. V.

DE compoſitis ſyrupis acturi particulatim a frigidioribus incipiam, ab illis nempe, quorum frequentior vſus eſt in febribus diuturnis præcipue: nam in illis cum prorogantur, & difficiliores euadunt,ſolent Medici compoſitis ſyrupis vti,vtpote, quos valentiores eſſe credunt: & præterea,quia febres huiuſmodi plerunque plures coniunctas affectiones habent,quæ multas indicationes,variosque nobis afferunt ſcopos,quibus facilius per compoſita medicamenta ſatisfieri poteſt. Nam plerunque diuturnæ febres a craſſis,& lentis humoribus fouentur,qui attenuandum,& detergendum eſſe indicāt: adſunt etiam obſtructiones,& illæ iam inueteratæ, quæ aperiendum: ſæpe & imbecillitas ventriculi, nonnunquam,& iecinoris: primò ergo examinabimus ſyrupum de cichoreo compoſitum,qui nunc eſt in frequentiſſimo vſu. Actor eius fuit Nicol.Floren. in cap. de Curandis obſtructionibus,qui licet in eius conſtructione videatur vnum,& ſimplicem ſcopum primo inſtinctu habuiſſe, complectitur tamen particulatim plures ſcopos,qui depromuntur,tum a varijs affectionibus,tum vero a cauſis: nam cum obſtructio plerunque oriatur a craſſis, aut lentis, aut multis humoribus, infarctis in hoc viſcus, hi primum ſuas habent indicationes, tum ratione qualitatis,tum quantitatis: quantitas indicat, quòd quo facilius,& minori noxa poteſt,euacuationes: craſſities,& lentor,attenuandum,detergendum,& ſiccādum: deinde vero,quia has iſtius viſceris obſtructiones ſolet ſæpe febris ſequi: vel ſi nulla etiam adſit febris,tamen obſtructiones inteſtinorum viſcerum cum difflationem commodam eorum, quæ in eis continentur humorum, impediant, in cauſa etiam ſunt,cur calor exacuatur,& increſcat,calidaque inde intemperies contrahatur,quæ & ipſa ſuam habet indicationem appoſitam prioribus indicationibus: quia attenuatio,deterſio,& tandem apertio,& euacuatio per ea fieri ſolet,quæ calefaciunt. Præterea vero, quia in febribus diuturnis laudant Auctores, vt & lotia cientur: præſertim vero vbi cœperit aliqua apparere commotio: hoc autem ſyrupo frequenter in iſtis febribus vtimur,& ideo etiam huius rationem habuit ille,qui huius ſyrupi auctor fuit. Inſuper vero, quia iecur,quod præcipuum membrum eſt,nobis curandum ſeſe offert: ideo & ab eo etiam ſua propria inſurgit indicatio,quæ nobis ſemper ſignificat, vt curemus ne a medicamentis laxetur,& imbecillum reddatur: ad quod præſertim faciunt, quæ alicuius aſtrictionis non ſunt expertia: ſicut ergo complicatæ ſunt indicationes,ita & varia multiplicique materia medicamentorum fuit opus. Vnde ſyrupus hic primò accipit omnia genera cichoreæ earum herbarum,quas Galenus octauo,de Comp.medic. per loca in affectibus calidioribus adeo extollit,vt dicat adeo familiaria eſſe iecori,quod in calido quidem affectu plurimum proſunt,quamuis autem refrigerent,in frigido tamen non nocent: in febribus ergo, & iecinoris obſtructionibus ea ratione proſunt, quia refrigerando quidem intemperiem calidiorem, tum febrilem, tum ab obſtructione excitatam reprimunt, & aliquantiſper contemperant eorum medicamentorum calorem, quæ calidiora ſunt, vt ſunt lupini, radicesque fœniculi, apij, & aſparagi,craſſosque, & lentos humores attenuare,& diſſecare poſſunt: inſunt etiam,quæ vrinam cient,ſicuti veſicaria, quam Alchachengi Arabes appellant,& Aſplenon, ſcolopendriumve, polythricum,adianthum,Capillus Veneris, & cuſcuta,in quibus aliqua calida,aliqua ſatis temperata ſunt,aliqua etiam refrigerant: radix vero dulcis lenitatem quandam præterea habet,quæ & ipſa vtilis eſt. Quia vero,(vt dicebamus,)rarò diuturnæ febres per ſpontaneas excretiones iudicantur, neque etiam facile valentioribus medicamentis ob ineptitudinem materiæ cedunt: ſed vt Auicenna ex Alexandro depromens,dixit: ſæpius magis proſpere cedit res,quando paulatim ſicut humor,& corpus parantur,ita etiam leuis ſequatur vacuatio. At vero,quia non eſt vna,& ſimplex ratio ea euacuandi, quæ iecur obſident,& omnis diuerſitas a natura iſtius viſceris ſumitur:

A nam, quæ ſuperiorē, & conuexam eius partem occuparunt, & facilius per vrinam ducuntur, quæ vero cauam, per aluum: ideo in hoc ſyrupo, pręterea, quę vrinam cieunt, voluit & portionem aliquam rhabarbari imponi, tantum autem, vt ferè quota quæque vncia ſcrupulum accipiat, nempe, vt ſi quid ab alijs medicamentis aptum ad excretionem ſit factum, id leniter, & faciliter ſine agitatione eorum, quæ cienda ſunt, & nondum parata educantur. Vnde ſolent Medici prius hoc ſyrupo citra rhabarbarũ vti, mox vero vbi iam humor coqui cępit, rhabarbarũ addere. Neque his, quæ hacten⁹ ſunt expoſita, id obſtat, quod eſt frequens in ore Medicorum, nempe cõtra rationem eſſe cõtrarias motiones, vacuationesque moliri: quia illud verum quidem eſt, quãdo motiones illæ inſignes B adeo, & validæ ſunt, vt altera alteram impedire poſſit. Rhabarbarum autem præter id, quod leuis eſt, & facilis [euacuationis] medicamẽtum eius etiam modica copia imponitur, vt nullam inſignem motionẽ concitare poſſit: imò nonniſi facilem, & paratam materiam mouere. Huic accedit, quòd mirifice vẽtriculum roborare poteſt, iecur, & reliqua tandem viſcera. Si autem ſingulatim perpendere velimus medicamẽta, ex quibus hic ſyrupus factus eſt, non modo in obſtructionibus iecinoris vtilis eſſe poterit, ſed & lienis: nam & Aſplenum, quod citrach appellant, & cuſcutæ, ſunt medicamenta lieni familiariſſima. Syrupus quoque de endiuia cõpoſitus, paratus reperitur apud noſtros ſeplaſiarios præſertim ex inſtitutione Gentilis: C qui fit ex tribus libris ſucci de endiuia ad ignem depurati, & clarioris redditi, & totidem hepaticæ herbæ: antiqui lichenem nuncupauere. Creditur autem a iunioribus, quòd hæc herba in affectibus calidioribus plurimũ prodeſt, aperitque obſtructiones, quamuis antiqui non tanti illam fecerint: ipſam quidem refrigerare ait Galenus & exſiccare, & aliquid præterea deterſorij habere: vnde neque præter rationem eſt, quòd vim etiam aperiendi obſtructiones habeat, & aliquam etiam digerendi, cum illita curet ictericos, niſi fortaſſe quis dicat curare ictericos laborantes inflammatione & intemperie calidiori iecinoris. Illis autem ſuccis addit Gentilis,

Roſas, Violas, Folia lenticulæ aquaticæ,
D Flores nymphee, Polythricum, ſing. vnc. quinque,
Capillum Veneris, Ordeum mundum,
Semina communia frigida, ſing. vnc. j.

His deinde, confecto ſyrupo, addunt:

Sandalos albos & rubeos, & berberos ab Arabibus appellatos, Semina cotoneorum.
Lignum aloes, Cinnamomum,
Cortices citri, ſing. ſcrup. j.

Mihi quidem hic ſyrupus quamuis multi eo vtantur frequenter in tertianis nothis, & in aperiendis iecinoris obſtructionibus videtur lõge priori ex cichorea infirmior, & minorem vim attenuandi & aperiendi habere, atque maiorem refrigerandi, ſi mutuo ſimplicia vtriuſque conferantur. Vnde putarem ad tertianas diuturnas & validas obſtructiones priorẽ eſſe E præferendum, vtpote qui magis poſſit attenuare, digerere, aperire, & vrinam ciere: ſed vbi maior eſſet opus refrigeratione & roboratione, hic eſſet accommodatior. Quia vero etiam quidam vtuntur ſyrupo ex hepatica a Franciſco Pedemontano cõpoſito, qui ex herba lichene conficitur, & lenticula aquæ, additis floribus violarum, roſarũ, cucurbitæ, illisque ex ſucco malorum punicorum irroratis, & aromatizatis (vt aiunt) ex drachma iunci odorati: item & ſandali, ſpodijque, & addito ſaccharo conficitur ſyrupus: hic tamen in multo vſu nõ eſt, ſed poteſt eſſe magis in vſu ad temperandam calidam iecoris intẽperiem, quàm ad obſtructiones aperiendas: nihil enim accipitur, quod aperiendi vim habeat, pręter iuncum odoratũ, cuius tamen non admittit copiam inſignem: vnde febribus tertianis exquiſitis poteſt accõmodari, nothis vero, & alioquin diuturnis non admodum. Sed accedamus iam ad eos ſyrupos frigidos, qui pectori atq; ſpiritualiũ membrorum affectibus ſunt familiares: primo autem agamus de eo, qui ex papauere nigro & albo componitur. Author eſt Meſue, & duæ ſunt ſatis variæ cõpoſitiones in Meſues Antidotario. Altera prior & ſimplicior, quæ potius ad præcedens caput pertinet, altera quæ eſt compoſitior. Prior fit ex decocto capitũ papaueris, tum nigri, tum albi, addita pari copia ſacchari & penidiarum ad conſiſtentiam ſyrupi ducatur, refrigefacit imprimis, tum humectat, vnde vtilis eſt ad conciliandum ſomnum: ex quo in billoſis febribus poteſt in vſum venire, quando vigilia nimis eſſet importuna; nam quia medicamentum frigidum eſt & humidum, in cauſa eſſe poteſt vt capiatur ſomnus, & temperat calidos etiam ſiccos acresque vapores, qui vigilias afferunt. Item confert maxime in deſtillationibus calidis & acribus, poteſt etiam aliquanto aſperas arterias lenire, & tuſſi ab acri & calido humore excitatæ, conferre. Tamen ſecunda deſcriptio, quæ in frequentiori vſu eſt his temporibus, ſicut prior veteribus erat, maiorem vim leniendi pectus habet; nam capitibus papaueris addit capillum Veneris, radicem dulcem, zizipha, ſemina lactucæ, maluæ, cotoneorum malorum, quæ omnia aſperitates, præſertim vero pulmonum delinire, & leuigare poſſunt mirifice, & cum alia refrigerent, radix dulcis & capillus Veneris modici & temperati caloris ſunt; vnde in affectibus particularum, quæ reſpirationi inſeruiunt, maxime vero ſi fuerint excitati ex acriori & tenuiori deſtillatione exaſperante vias ſpiritus, maxime conducere poteſt. Laudatur ergo recte tanquam tuſſi aridæ imprimis vtilis, nam ſiſtere refrigerando & incraſſando deſtillationem poteſt præter lenitatem, quá inducit. Poteſt interdum & febricitantibus prodeſſe, pręcipue vero ex bile putreſcente, tenui, & plurimum acri excitata febre, ſed magis etiam ſi comitem habeat vigiliam immodicam, & importunam: nam facultatem imprimis habet ſomnum cõciliandi. In vniuerſum autem eius vſus maxime eſſe poteſt vtilis curandis, vel deliniendis omnibus affectionibus, quę oriuntur a materia acri, tenui & mordaci: ſicut ardor vrinæ ſe habet, & huiuſmodi aliæ affectiones, quales ſunt eroſiones oris, faucium, nariumque. Succedit ſyrupus de iuiubis, propterea quòd in primis ex ziziphis conficiatur. Facultate vero parum a priori euariat: componitur enim additis ad zizipha vel ad iuiubas, numero ſexaginta, nam mihi eorum probatur emendatio loci in Meſue, vbi videtur velle, vt accipiantur lib. x. nam cum l. aliquando libram ſignificet, aliquando ſit nota ſignificans quinquagenarium numerum, ſuccreuit mendum, & cum lx. ſignificet ſexagenarium numerum, ſimul duabus illis literis iunctis; inſcitia librariorum illis ſeparatis factum eſt, vt omnes deinde pene legerint libras decem. His ergo addendum tragacanthum,

Semina cotoneorum, Papaueris, Melonis,
Lactucæ, ſing. drachm. iij.
Capilli Veneris, vnc.
Seminis lini, Maluæ, Florum violarum, ſing. vnc. v. Radicis dulcis, drac. v. Radicis dulcis, drac. viij.

Et totidem hordei mundi a cortice, quæ coquãtur in lib. iiij. aquæ, & ex ſacchari libris ij. fiat ſyrupus. Is proinde vt prior refrigerat & incraſſat: læuigat autẽ, ſiue lenit partes reſpirationi miniſtrantes, ſi quando ſint a calida deſtillatione exaſperatæ. Vnde præcipue ſolet eſſe utilis in calidis affectibus ut tuſſis eſt, quãdo a calida & acri materia excitatur, vt etiam pleuritis: in pleuritide enim ego præſertim in principio

cipio hoc vti ſoleo, & ſępius quidem feliciter. In frigidis autem non item, aliquanto tamen minus quàm prior refrigerat incraſſat, & minuit, etiam fluxionem ſiſtit. Quidam præterea eo vtuntur in ardore vrinę, & vlceribus veſicæ, quibus & Auicenna agens de iuiubis videtur atteſtari, qui hos fructus in vitijs pulmonum, & vlceribus veſicæ vtiles eſſe dicit, quorum ſententia mihi probatur, non obſtante quòd Galenus in ſecundo de alim. Fac. cap. de ſericis affirmet, ad tuendam ſanitatem vel profligandos morbos, nullum momentum habere: nam neque arbitror verba illa ad inſtitutum noſtrum facere, vtpote quia de illis loquitur ſub ea ratione, qua in cibos veniunt: neque enim ea ibi reprobat, niſi quia cibi mali ſunt, & modicum alimentum comedentibus afferunt, & quòd ſint concoctu difficiles, neque ventriculo commodę: nã neque ad alui deiectiones, neque ad eam ſiſtendam faciunt: non loquitur autẽ de his, quòd vt medicina ex decocto, vel alia ſimili ratione non poſſint eſſe aliquando vtiles, præſertim cum optime matura ſunt: nam & vulgus ab experiẽtia ductus, vtiliter in tuſſibus calidis ſolet eorum vti decocto: & iuniores etiã eorum vſum in multis medicamentis laudant. Succedit modo ſyrupus violaceus, qui compoſitus dicitur, qui & ipſe ſimili facultate præditus eſt, niſi quòd differunt: quia qui ex papauere dicitur; his duobus ſequentibus magis refrigerat, incraſſatque: mox qui iuiubinus eſt dictus: minus autem ambobus illis hic, refrigerat tamẽ & ipſe, lenitque exaſperatas partes a calidiori fluxione, præſertim vero pulmones, & partes ad ipſum pertinentes: ſed in calidis affectib. præſertim oris, fauciũ, & partium, per quas vrina delata ſolet mordere, & veluti vrere. Frequentiſſimus autẽ eius vſus eſt in pleuritide & peripneumonia, quamuis etiam in exquiſitis tertianis non eſſet inutilis: conficitur ex violis pondere duarum vnciarum, ſeminibus cotoneorũ & maluæ, ſing. vnc. j. Triginta autem tum iuiubis, tum ſebeſtẽ, coctis vero & colatis, & eorum decocto addito ſacchari ſeſquilibra. Fit ſyrupus vtilis ad illos affectus, ad quos & priores. Sequitur ſyrupus Bizantinus a Meſ. dictus, qui in frequentiſſimo eſt vſu ferè apud omnes, neque ſi eius cõpoſitionem examinemus, eſt vnius tantum facultatis, neque ſemper eaſdem vires habet, ſicuti neque vna & ſimplex eſt compoſitionis ratio: nam prior & ſimplicior cõpoſitio accipit ſuccos endiuiæ, Apij, ſing. lib. duas, quibus omnibus coctis & depuratis, ad confectionem ſyrupi addendum eſt album ſaccharum eo pondere, vt quatuor libris ſuccorum addantur libræ duæ ſacchari & ſemis: hũc nonnulli ſimplicem bizantinum vocant, alij ſine additione: aliquando vero ex inſtituto Meſue ſemiſſem aceti albi inijciunt ad ſuccorum pondus, atque in communi vſu eſt: bizantinus cum aceto nuncupatur. Tertiò vero & aliquando hæc ſuccis incoquenda indunt roſarum, vnc. ij.

Radicis dulcis, drac. v. Spicæ nardi, drac. ij. Aniſi, Fœniculi, Seminis apij, ſing. drach. iij.

Dicitur vero bizantinus completus, aut cum additione. Differunt hæ tres compoſitiones, temperantia, viribus & efficacia: nã prima compoſitio eſt temperata, vel ſi temperamentum excedit, modice excedit, quatenus ad primas qualitates pertinet, in reliquis modeſte attenuant: nã & endiuiæ ſuccus, & apij, & lupulorum vim attenuandi & aperiendi habent aliquam, & borago. Saccharum vero aliquam detergendi. Cum vero acetum additur, vis quidem attenuandi, & ſecandi, & aperiendi augetur, non tamen calefaciendi: nam acetum potius refrigerat: additis autẽ reliquis rebus, fortior in alijs omnibus redditur, cum & aliquanto magis calefaciat, non tamen multum: nam quamuis aniſorum, fœniculiq; & apij ſemina, ſatis calefaciant, & ſpica: roſarum tamen copia, quæ aliorum omnium põdus ſuperat, poteſt eorum calorem non parum temperare, & radix dulcis cum prope temperiem accedat, ſed & lenitatẽ quandam vtilem ſane poteſt medicamento impartiri, non autem eius temperamentum in primis qualitatibus mutare. Sed ex roſis, & ſpica præter alia commoda, hoc etiam habet, quòd poſſit non parum roborare ex eorum modeſta aſtrictione, viſcera interna: præſertim ventriculum, & iecur a diuturnis febribus laxiora, & imbecilliora reddita. Si ergo rem recte examinemus, cum primum ſit tranſitus in febribus putridis, ab illis ſimplicioribus ſyrupis, quia iam maiori ope ſit opus, & fortioribus medicamentis ad apparandas materias fouentes febrem, & ad eas concoquendas, quia iam difficilior videatur facta & pertinax: quia aut per aſſationẽ facta ſit craſſior, aut quia ſæpe inter initia tenuiores & faciliores humores putreſcũt, mox vero craſſiores: aut quia membra naturalia a calore extraneo, & febrili facta ſunt imbecilliora: & ideo craſſiores & crudiores gignunt humores: aut interdũ natura ex vitiata temperatura & aucto calore, exuſtos, & in naturam melancholici ſucci vergentes procreat: primus tranſitus plerũque fieri ſolet ad ſyrupũ bizantinũ ſimplicẽ, mox illi addunt acetũ, poſtea vero ad ſyrupũ acetoſum compoſitum appellatũ, vel ex duabus radicibus, de quo paulo poſt ſumus loquuturi, vel ad eundem citra acetũ: ſed cum aceto maiorem vim attenuandi & aperiendi habet. Ab hoc autem ſolet fieri tranſitus ad bizantinũ, cum additione vel completum, quo etiã fortior eſt acetoſus ex quinque radicibus, additis pręterea ſeminibus. Sunt autem diuerſi hi ſyrupi, qui eundẽ ferè ſcopum, atque eandem indicationem reſpiciunt, efficacia tamen & viribus differunt, & id quia non ſemper eadem omnino ratio eſt earum affectionum, & earum materierum, quæ fouent ipſas febres: nam & obſtructiones interdum maiores & difficiliores ſunt, ita & humor qui quaſi cauſa antecedens febrem fouet, aliquando craſſior & lentior eſt, aliquãdo minus. Et qa remedia vel medicamenta cũ morbis & eorũ cauſis ſunt cõferenda: ideo & pro eorũ ratione ſunt immutanda. Sed dicamus pauca de ſyrupo acetoſo. Conficitur ex decocto radicũ fœniculi, apij, endiuiæque, iniectis ſingularum earum vncijs tribus libris decem aquæ, additiſque ſeminũ aniſi, fœniculi, apij, ſingul. vnc. j. at ſeminis endiuiæ, vnc. v. hæc omnia ad medietatẽ aquæ coquantur, & mox ex tribus libris ſaccari fiat ſyrupus, cui vbi per deſpumationem inclaruerit: additur acetum ſicut de bizantino diximus. Si conſideremus, hic eſt aliquanto calidior bizantino, & eo maiorem vim attenuandi habet. Sed & calidior & valentior in his ille eſt, qui ex quinque radicibus vulgo appellatur, his enim accedunt radices petroſelini, bruſci, aſparagique: in reliquis autem fit ſicut ille ex duabus radicibus, qui temperatior euadit additione radicis endiuiæ atque ſeminis eiuſdem. Poſtremo vero inter ſyrupos qui acetoſi dicuntur & compoſiti, eſt qui a Meſue acetoſus Diarhodon appellatur, & quo præcipue vtũtur medici in diuturnis febribus, tertianis, ſpurijs, quas fouent difficiles viſcerum obſtructiones, maxime iecinoris, ſed etiam lienis, vbi eorum viſcerum ſit tanta contracta imbecillitas, vt iam febricitantes in malum habitum, quem Græci cachexian dicunt, procliues eſſe videantur: nam uim non exiguam aperiendi, & craſſos humores attenuandi habet, præterea languida uiſcera roborandi: tamen ſi recte uelimus hanc compoſitionem, cum illa bizantini conferre, parum hæc ab illa diuerſa eſt: nam illa ſuccum boraginis, & lupulorum accipit, quibus hæc uacat, & hæc ſemina endiuiæ, quæ illi deſunt.

ſunt. Vnde illa exuſtis melancholicisque eſt accommodatior excrementis, in reliquis vero parum viribus & facultate diſcrepant. Sunt itaque hæ confectiones ſyruporum febribus, quæ a craſſis lentiſve ſuccis fouentur, atque omnibus affectibus ex obſtructionibus excitatis, vel qui adiunctas viſcerum obſtructiones habent, in primis opportunæ: ſed & in vteri affectibus ab eadem cauſa pendentibus. Et quamuis Hippocrates tertio de Rat. vic. in acut. morb. vſum aceti in affecto vtero ob nerueam eius naturam videatur habuiſſe ſuſpectum, non tamē propter hoc plerique medicorum putarunt, omnino hos ſyrupos eſſe reijciendos, qui acetum recipiunt, præſertim in eis vitijs a frigidioribus & craſſioribus ſuccis orientibus, dummodo modeſtus ſit, ſed potius illos in acutis & doloroſis morbis, vt ſunt inflammatio: præterea in vlceribus declinandos eſſe putarunt. Sed iam agamus de alijs ſyrupis, qui abſque aceto fiunt, & ijs præcipue, qui ſunt in frequentiori vſu, & vbique parati reperiuntur. Primò autem ſyrupum de Eupatorio a Meſue deſcriptum exponemus, vtpote qui cum his, de quibus hactenus a nobis actū eſt, viribus, non parū ſit ſimilis, niſi forte quòd hic prioribus omnibus, in aperiendis obſtructionibus, roborandisq; afflictis ex diuturno morbo viſceribus, pręſtat, vt poſſit & aquā intercutem aut curare, aut ſaltem illi plurimum prodeſſe, qui eo affectu ſit implicitus. Conficitur autem acceptis duabus vncijs, ſingulatim harum radicum, nempe.

Apij, Fęniculi, Endiuiæ, Radicis autem dulcis, Iunci odorati, Cuſcutæ, Abſinthij, Roſarum, ſing. drachm. vj. Capillorum Veneris, Spinæ albæ, Spinæ Arabicæ, Florum aut radicum bugloſſæ. Seminum fęniculi, Aniſorum, Eupatorij, ſing. drac. v. Rhabarb. Maſtiches, ſing. drac. iij.
Spicæ, Aſſari,
Folij, ſing. drachm. ij.

Atque his omnibus ex 10. lib. aquæ vſque ad conſumptionem tertiæ partis, decoctis, additisque præterea lib. iiij. ſacchari illis, decocto percolato, fit ſyrupus, qui vim inſignem aperiendi & attenuandi habet, præterea addendi robur viſceribus infirmioribus, & id ex aſtrictione ex iunco odorato aliqua, abſinthio, roſa, & alba illa ſpina, eupatorio, rhabarbaro, maſtiche, ſpica, & folio. Longe tamen in eo maior eſt vis attenuandi & aperiendi, quàm aſtringendi. Vnde duplex eſt illi commoditas ex aſtringentibus: primò, quod roborat membra ex morbo facta laxiora; deinde quòd aſtrictio, ex Galeno de Fac. ſimp. med. quando vis aperientiū non ſuperatur ab aſtringentibus, potius aperientia adiuuat. Ideo mihi non probātur quidā ex Iunioribus, qui ſuo pharmacopolæ conſulebant, vt in parando hoc ſyrupo, pro ſpinis illis adderent aliquid, quod aperiret potius, cum ſcopus ſyrupi ſit aperire. Sed neque in hoc etiam multam vim facerem, ſiue verum inijciatur eupatorium, cuius Græci meminere, ſiue illa herba, quam Meſue deſcripſit in ſuo tractatu de Simplicibus medicamentis: quia vtrumque ſi guſtu & recta ratione examinetur, vtile eſt medicamentum: nam amaritudinem cum aliqua aſtrictione habēt, cui accedit & experimentum; nam ſyrupus is cum ſuo eupatorio in vſu & apud Arabas, & apud noſtros diu feliciſſime fuit. Neque adeo etiam moroſus eſſem, vt ſi cui agrimonium magis probaretur, propterea de viribus & præſtantia plurimum detractum eſſe crederem. Magnam vim habet roborandi viſcera, præſertim ventriculum; maxime vbi deiecta ſit cibi appetentia, ſyrupus qui vulgo dicitur de Abſinthio, non eſt tamen ea aperiendi facultate præditus, qua prior eſt, maiori autem adſtrictione, & minori etiam vi calefaciendi. Poſſet eſſe vtilis in febribus illis, in quibus laxior & languidior eſt ventriculus, vt tamen eo non vtamur inter initia, dum valde excrementis, & multis obſtructionibus ſcatet corpus, ſed poſteaquam & aliquantiſper fuerit aliqua ratione vacuatum, & concoctio aliqua viſa fuerit. Aliqui excellentiſſimi medici in fluxu alborum menſtruorum ab vtero ſuppreſſione ſunt feliciter vſi: neque hoc eſt præter rationem, quia affectus ille aut ortum, aut fomentum a ventriculo habere ſolet, præſertim quando alba & pituitoſa excernuntur. Alij etiam in laxitate & imbecillitate inteſtinorum laudant. Componitur autem accepto abſinthio ad libram ſemis.

Folijs roſarum, drachm. ij.
Spicæ, drachm. iij.

Quæ in lib. ij. & ſemiſſe vini antiqui boni & odorati, totidemque ſucci cotoneorum, primùm per diem & noctem macerantur, poſtea coquūtur ad medietatem: moxque additis lib. ij. mellis, Syrupus iſte multam affinitatem habet cum ſyrupo de menta. præſertim in roborando laxum & infirmum ventriculum, atque in eius incommodis ſuccurrendo.

De hoc ſyrupo de menta iam agamus. Conſtat ex ſuccis tum cotoneorum amborum generum, nempe dulcium, & illorum, quæ auſtera dicuntur, tum etiam malorum punicorum: trium item generum ſing. ſeſquilibra, illis omnibus; deinde addatur ſeſquilibra mentæ aridæ & roſarum, drachm. ij.

Quæ omnia per diem ac noctem macerata mox coquantur ad medietatem; poſtea lib. ij. ſacchari vel mellis additis, tādem fiat ſyrupus, & poſtea aromatizatur, vt aiunt, ex gallia moſcata. Hic ſyrupus ſi recte perpendatur, non eſt calidus, vel parum admodum: nam etſi menta prope tertium ordinem calefacientium aſcendat, ea tamen eſt ſuccorum copia, in quibus eſt concoquenda, vt poſſit vel parum calefacere, vel etiam refrigerare; quo fit, vt non poſſim non admirari, quod Iuniores quidam ſcripſerunt, commodum eſſe ſyrupum, & aptum ad remouenda mala ventriculo moleſta; ſi ex frigida cauſa ortum habent, quamuis poſtea addant, quòd etiam ventriculum roborat calido affectu laborantem, quæ non facile mutuo cohærere poſſunt, niſi forte dicamus, quòd cum temperatum ſit medicamentum, poteſt in contrarijs etiam affectibus eſſe vtilis. Equidem non negauerim poſſe eſſe vtilem, præſertim in miſto affectu, & pendente a materia miſta, vt etiam bilis ſpuria: nam cum ſatis copioſam materiam accipiat, quæ, vt ait Galenus tertio, de Fac. ſimpl. medic. tenuis eſt ſubſtantiæ, vel partium tenuium, ſi quid aliud attenuare poteſt & ſecare craſſas materias, & flatus etiam diſcutere, & facultate aſtringente, qua omnia prædita ſunt, quæ in hanc veniunt compoſitionem, firmare poterit, & colligere laxiorem, fluidumque ventriculum. Non tamen minus putarem prodeſſe poſſe, vbi calida ſit materia tenuis, & acris: nam copioſi ſucci, & omnes quidem frigidi, eius calorem temperare poſſunt, cum longo interuallo ſuperent portionem mentæ, ac aſtringendo, & colligendo ventriculum eum reddere ineptiorem ad eam materiam abſorbendam, quę abſorpta poteſt, & morſum vellicando, & faſtidium, & ſingultum, & vomitum proritare: ſed ſi qua etiam particula infigatur, & abſorbeatur a tunicis, facile menta tenuitate ſua penetrans in intimas partes, illam digerere, & diſcutere poſſet, vbi neque vis aſtringens, vt ſæpe diximus, obſtare poterit. Vnde ego ſæpe in febribus etiam acutis, cum ægrotantibus moleſtus eſt ſingultus, & faſtidium vel nauſea, a bilioſo etiam & acri humore excitata, hoc ſyrupo vti ſoleo, & eo non confertim, & in magna copia exhibito, ſed potius ex cochleari paulatim.

Syrupus de betonica compoſitus facultate non eſt pluri-

plurimum ab his diuerſus, qui paulo ante ſunt deſcripti, niſi quod illis omnibus magis calefacit, attenuat, digerit, detergit, & aperit. Vnde validum eſt medicamentum ad cienda lotia, & menſtrua, & poteſt plurimum in affectibus capitis, oculorum, & internorũ viſcerum, vt ventriculi, iecinoris, lienis, vteri, & reliquorum, ſi oriantur à frigido, & craſſo humore. Betonica enim, ruta, chelidonium, leuiſticum, pulegiũ, chamædris, ros marinus, origanum, folia lauri, ſaluia, hyſſopus, rubia tinctorum quorum ſing. accipit manip. ſemis. Præter euphragiam, & fragrariam omnia calefaciunt, attenuant, flatus diſcutiunt, menſes, & vrinam euocant: ſed quia item omnia deſiccãt, radix dulcis his additur, quæ lenitatis & humiditatis aliquantulæ particeps eſt, vt aliorum ſimplicium aſperitas aliquantiſper leniatur: ſed & ſemina aniſorum, fœniculi, ameos, petroſelini, anethi, quorum ſing. vnc. j. accipit, itidem vim habent attenuatoriam. Vnde & aperiunt, & vrinam citant. Vt tamen aliquantulum hęc calidiora, & ſicciora temperentur, additur ſem. lactucæ: vnc. j. ad lenitatem verò & humectationem conferunt & bugloſſi flores: refrigerant autẽ & roſæ, ſing. autem eorum vncias quinque accipit, præterquam quòd etiam ſua aſtrictione robur viſcerum, & particularum ſeruare poteſt, quæ ab illis calefacientibus & digerentibus, alioquin minus laxatæ imbecilliores redderentur: quamuis enim aliqua eorum non ſint omnino aſtrictionis expertia, non tamen videbatur illa eſſe ſatis. Cùm autem non ſit admodum in frequenti vſu hic ſyrupus non erimus in eius expoſitione longiores. Vno hoc tantùm addito, quòd eius vſus non admodum congruus eſſe poteſt in vitijs eorum affectuum, quibus accommodari poteſt, cùm nimis validam vim habeat: nam ſemper ferè præſtat curationem è leuioribus auſpicari, diuturnis autem factis morbis, quando hæc non ſunt ſatis, ad fortiora manus admouenda. Tranſeamus ad ſyrupum ex ſtœchade compoſitum.

Hic vim inſignem attenuandi, digerendique, etiã è profundo materias craſſas, impactas particulis extrahendi habet. Componitur enim ex multis, quæ calefaciunt, & exſiccant, & tenuium partium, vel tenuis ſunt ſubſtantiæ: qualia ſunt imprimis, pyrethrũ, piper, zinziber, origanum, calamethum, aniſumque, a qua natura neque ſtœchas & thymus ſunt aliena: ſed & aroma[ta], quæ deinde adduntur, quando appellatur ſyrupus ex ſtœchade cũ additione, vel cum aromatibus omnia calefaciunt, tenuique ſubſtantia conſtant. Vnde maxime eſt vtilis ex omnium ſententia affectibus a pituita craſſa & lenta, præſertim vero capitis, & neruorum, & maximè illis, qui a craſſa & frigida deſtillatione excitantur, & fouentur: tales enim humores ipſe attenuat, & calefacit, & digerit, eorumque copioſam humiditatem deſiccando tandem poteſt finire, & [;] ſi impacti in neruos vel articulos ſunt, inde euellere.

Accipit autem ſtœchadis, drac. xxx.
Origani, Thymi, ſing. drac. x. Calam. Pyretri,
Aniſi, ſing. drac. vij. Piperis longi, drac. iij. Zingib.
drac. ij. Paſſularum exacinatarum. drac. iiij.

Ex horum autẽ decocto, additis libris quinque mellis, fit deinde ſyrupus, qui ſine aromatibus, vel ſine additione dicitur, & id quia interdum dum illa coquuntur, adduntur quædam aromata raro linteo ligata ſimul coquenda, nempe cinnamomum, calamus aromaticus, nardus, crocus, zingiber, piper longum, & præterea nigrum, ſingulorum drac. v. Quidam dicunt hæc eſſe addenda, vt calidior euadat ſyrupus, ac ſit efficacior in affectibus frigidioribus, quod mihi non placet: nam ſi ea adderentur, quæ maiorem vim calefaciendi haberent, putarem ijs additis, quòd medicamentum magis calefaceret: verum cùm omnia quæ in priori ordine ſunt, ferè ad quartum vel ſaltẽ ad tertium ordinem calefacientium accedant, neque ea, quæ inſuper addunt, aut plura aut calidiora ſint, non puto quòd magis calefaciant ijs additis: nam calamus aromaticus, nardus & crocus vix ſecundũ ordinem aſcendunt, piper vero longum & nigrum, & zingiber, licet inſigniter calefaciant, prima tamen cõfectio, & pyrethrum, & zingiber, & logum piper accipit copioſum, vt illud præterea addamus, quòd nigrum piper, etſi videatur plus caloris habere longo, illud tamen cum in tenuiori ſubſtantia, quam in longo fundetur, citius digeſtus euaneſcit, quàm vt poſſit multum calorem imprimere. Vnde puto non hac de cauſa hæc eſſe addita. Nigrum enim piper illi additur, vt quamuis eius vis præ partium tenuitate cito diſſoluatur, tamen antequã diſſoluetur, adiuuat eorum penetrationem in intimiores partes, quæ deinde vi calefaciendi diutius integras ſeruare poſſunt, ſicut longũ piper, & zingiber, quæ propter hoc repetita ſunt in hac additione. Crocus vero & concoctoriam vim habet, quę non parum vtilis eſſe poteſt, vbi morbus a cruda, & craſſa materia oritur: nardus autem, calamus aromaticus vna cum croco in tanta copia eorum: quæ digerunt & attenuant, & calefaciendo laxant ea, aſtringendi mediocri facultate, quã ſua natura habent, poſſunt viſcerum, & particularum robur ſeruare, Cinnamomũ deinde ſuaui ſuo odore, ſpiritus fouere, & vtilem facultatem poteſt, præter id quod omnem fere malorum humorum malitiã corrigit, & obſtat, quo minus putreſcant. Sed dicamus de ſyrupo, qui ex corticibus citri fit. Hic capiti imbecillo non parum quoque conducit, & ventriculo, & omnibus viſceribus præſertim vero cordi. In affectibus tamen frigidis, quamuis ſi Galeno credimus, vbi de partibus mali citri agit, non plurimum calefaciat, odore ſiquidem grato naturæ illorum non parum familiare eſt, amaritudine autem poteſt, & calefacere, & attenuare, ſed etiam concoctionem iuuare, vt ſecundo de Alim. fac. dicit Galenus. Nõ conficitur autem ex tot ſimplicibus hic ſyrupus, quin & inter ſimplices recenſeri non poſſit, ſed hoc nihil refert. Modus confectionis eſt, decocta libra corticum ex lib. v. aquæ ad conſumptionem duarum partium, & addita libra ſacchari fiat ſyrupus, qui deinde conditur vel aromatizatur ex granis quatuor muſchi, aliqui autẽ ex Meſue dum, coquitur addunt huic ſyrupo ſaccharum, decocto ex corticibus addunt aliquam portionem corticum item citrij coquendorum ſimul ex ſyrupo. Quòd ſi fiat, vires maiores habebit, ſed erit minus gratus, quia amarior. Quidam etiam ſericum coccyneum cum eo ſyrupo coquendum ponunt, & id quia omnes Arabes putant, quòd ſericum illas vires habeat, vt cordi plurimum, & ſpiritibus recreandis conducat, & longè etiam magis ſi cocco tinctorio ſit infectum, vt inſinuatur Meſue, quamuis Auicenna illud crudum magis laudaſſe viſus ſit. Græci tamè hæc non tanti fecere: nam ſericum in materia medicinali non poſuere, neque etiam coccum infectorium, illis qualitatibus, quas Arabes putaot, prędítum eſſe opinati ſunt, ſed facultate aſtringendi, & citra morſum deſiccandi. Vnde & in magnis vulneribus, præſertim neruorum vtile eſſe medici cenſuere, & mulieres has vires in ipſo nouere præcipuè obſtetrices: quæ illo in puluerem redacto cum modico thure aut maſtiche ex ouo ſorbili ſorbendo vtuntur in prægnantibus, ſi timeant futurum aborſum. Sed iam de ſyrupis commodis humori melancholico agamus; vel is ex aſſatione & exuſtione ſit genitus, vel fæx [!]ſit ſanguinis: neque ineptus eſt his tranſitus, quia & pręcedens ſyrupus multis affectibus ex hoc humore non eſt ineptus. Cum enim in iſtis melancholicis affectibus, & caput, & cor, frequenter malè afficiatur, vt in melancholia,

cholia, & furore ſeu mania, tum etiam ventriculus, vt in hypochondriacis his omnibus præcedens ſyrupus non parum quoque conducit. Sunt autem hi ſyrupi, primo ex fumaria compoſitus, ex pomis regis Sirab, ex pomis compoſitus, & ex epithymo, qui omnes à Meſue deſcribuntur. In hoc vero hi ſyrupi conueniunt, quòd præterquam quòd vim habent parandi materiam aduſtam bilioſamque, iam ad atræ bilis naturam vergat, & ſalſam etiam acremque pituitam: multa enim accipiunt, quæ demulcent ſiccitatem, & aſperitatem horum vitioſorum humorum, eoſque deliniunt: habent etiam licet non inſignem aliquam vim ſoluendi. Vnde eorum plerique, ſi alia copia exhibeatur, ſatis mediocrem citatę aluo moliuntur purgationem: ſed & aliqua inſuper accipiunt, quæ attenuant, & obſtructiones aperiunt. Sed particulatim de his agamus. Syrupus de pomis Regis Sibar conficitur ex duabus libris ſucci domeſticæ bugloſſæ, & totidem ſylueſtris, tribus vero ſucci malorum dulcium in quibus folliculorum ſenæ vnciæ quatuor per diem ſint maceratæ, ac vnica ebullitione ebullierint: mox colatis, & additis libr.iij. ſacchari albi fit ſyrupus, ita tamen dum hæc coquuntur croci drag.ij. in linteo deligatæ adijciantur, & fricetur ſæpe linteus, vt vis croci facilius excipi a medicamento poſſit. Vtilis eſt ad humorē melancholicum temperandum: nam ſucci illi bugloſſæ vtriuſque, id eſt bugloſſæ nunc dictę, & boraginis, temperata quadam, & leui calefactione & præterea humiditate id præſtare poteſt, ſuccus vero malorum dulcium, & bene olentium, & ipſe humidus eſt, & ad aliquem calorem, ex ſecundo de alim. fac. inclinat: ſed & cordi eſt admodum gratus eius ſuauis odor, quo cor præcipuè, & eius ſpiritus fouentur, & recreantur, cuius in melancholicis affectibus multa ratio habenda eſt ſemper: ſena vero additur, vt ſi quid illius humoris ſit, quod iam paratum ſit, nec ſit admodum pertinax, facilè & paulatim ſine agitatione earum partium, quæ nondum ad euocationem ſunt aptæ, educatur. Vnde in quartanis febribus, & reliquis affectibus melancholicis is ſyrupus in maximo eſt vſu. Incipimus autem primo a ſyrupo de pomis ſimplici, mox ad hunc accedimus cum gradatim progredi volumus. Syrupus vero de fumaria, qui vel maior vel compoſitus ſolet appellari, hoc modo fit.

Primo fit decoctum ex Myrobalan. Citrinarum & chebularum, drag.xx.

Boraginis, Violarum, Abſynthij, Cuſcutar, ſing. vnc.j. Radicis dulcis, Roſarum, ſing. vnc.v. Epithymi, Polypodij, ſing. drag.vij. Prunis centum, Paſſularum Semilibra, Tamarindorum, Caſſiæ fiſtulæ, Aegyptiæ, ſing. vnc.ij.

His omnibus decoctis vſquequo pars tertia aſſumatur, decocto percolato adduntur ſucci fumariæ cocti, & deſpumati libr.iii. & totidem ſaccari, & fit ſyrupus.

Merito quidem laudatur hic ſyrupus, qui roboret viſcera, præſertim vero ventriculum, & iecur: nam abſynthium, roſæ & paſſulæ poſſunt id optime præſtare, quæ & obſtructiones iecinoris reſerare poſſunt. Cuſcuta vero potenter obſtructiones lienis aperire creditur, habet vero aliquam vim purgandi ex myrobalanis citrinis, & chebulis, quorum ſatis magnā copiam præ alijs accipit, & eas adiuuant excitantque epithymū, & polypodium: & cum citrini myrobalani bilem flauā imprimis educant, & chebulæ tenuem pituitam, epithymū, & polypodium illis vim addūt, vt & craſſiores humores tum exuſtos, tum ſalſos poſſint præterea euacuare. Caſſia quidem adiuuat, & ipſa ſua ſolutoria facultate: ſed magis modo ſubſtantiæ, lenitateque ſiccitatem eorum medicamentorum demulcendo, ſicut & tamarindi, & paſſulæ, & radix dulcis, flores boraginis, & violarum, & præterea pruna, quamuis & refrigerent, vt & tamarindi: per eā vero facultatem, qua purgant eductis ſalſis, & exuſtis humoribus: vtilis eſt eius vſus cutaneis affectionibus vt ſunt ſpecies lepræ, & impetiginum, vt pote quia licet non inſigniter euacuet, paulatim tamen, & ſæpe attrahendo ad inferiorem aluum, eos auertit, a cute, & aſſiduè facit vt ad aluum inferius ferantur, quo fit deinde, vt cutis libera ab ingruentibus in eam humoribus euadat. Is autem eſt ordo in his cutaneis affectibus, vt priori vtamur ſyrupo ſimplici ex fumaria, mox vero cum inueteraſcit affectio, & fit difficilior, ad compoſitum accedamus. Sed & affectibus a morbo Gallico aliquod fomentum habentibus, vtilis & frequens eſt apud medicos huius ſyrupi vſus. Syrupus ex pomis compoſitus dictus deſcribitur a Meſue cap. de curanda mania & melancholia; ita autem ſe habet. Recipe capillos Veneris,

Radices vtriuſque bugloſſi, Flores earundem. Polypodii, epithymi, ſing. vnc.i. Folliculorū ſenæ, Chamæpitheos Stæchados, ſing. drag.vij.

Chamępitheos, Schenanthi, Ellebori nigri, ſing. drag.iij. Fumariæ, drag.viij. Eupatorij. drag.iiij.

Coquūt ad medietatem: coctis epithymum additur, quod vna ebullitione ferueat, ac omnibus mox percolatis, additoque ſaccharo, & ſucco illis decocto fit ſyrupus. In multo eſt vſu, & honore in affectibus ab atra bile, præſertim vero ſi ab humore, qui in melancholicum ex aſſatione degenerauerit. Vnde in furore vel mania illum Meſue maxime laudat: nā & vim inſignem habet ad leniendam iſtius humoris ſiccitatem, aſperitatemque, ex vtriuſque boraginis radicibus floribuſque, qui temperati caloris cum humiditate ſunt, & ex ſucco pomorum dulcium, qui quam maxime in his affectibus eſt vtilis: ſed & vim inſignē magis attenuandi habet, quod in his affectibus, qui oriuntur ab humoribus hiſce craſſioribus & terreis maximè conducit: attenuāt autem chamępithis, ſchęnanthum, eupatorium, & fumaria. Quia autem auctori huius ſcopus fuerat, non modo parare vitioſum hunc humorem ad faciliorem euacuationem, & eius aſperitatem demulcere, vt minus eſſet moleſtus, verum, & facilè ſine vlla vi, ſi quid paratum eſſet, prętera detrahere non exagitatis partibus illis, quæ nondum ad deductionem aptæ ſunt, ideo nigrum veratrum, polypodium, epithymum & ſenam addit, neque tamen ea copia, vt multam vim poſſint renitentibus, & ineptis humoribus inferre: ſed quanta poſſet facile ſequentes humores allicere. Vnde aliquam facultatem purgandi habet is ſyrupus, & maiorem quam præcedens, qui ex fumaria maior fuit appellatus: ſed nec ipſe multam, poteſt autem melancholicos & exuſtos humores modicè ac facilè educere. Syrupus ex epithymo, etſi quatenus ad euacuandi rationem pertinet, præſertim aduſtos & melancholicos vniuſcuiuſque generis humores ſpectet, mixtos tamen humores ex omni excrementorum genere detrahere poteſt, vt pituitam ſalſam, & bilem, epithymū enim, cuius eam copiam accipit, vt ipſum ipſius compoſitionis quaſi baſis conſtituatur, cui facultas prima eſt melancholicum ſuccum detrahere.

Accipiuntur. drag.xx.

Myrobalani vero omnes induntur, quorum aliæ bilem, quędam melancholiam, quędam pituitam purgant. Indarum & citrinarum plus: nam drag.xv. inijciuntur, ſicuti fumariæ & cuſcutæ, drag.x.

Thymi, Calamenti, Bugloſſi, Emblicarum, Radicis dulcis, Polypodij, Agarici, Stœchadis, ſing. drag.vj. Roſarum, Seminis fœniculi, Aniſi, ſing. drag.j.ſ. Pruna, xx. Paſſularum exacinatarum, drag.iiij. Tamarindorum, drag.iij. Sapę,

lib.

lib.ij.
Sacchari libr.iiij.

Agaricum autem etſi multiplices humores poſſit e-
ducere,pituitam tamen, & bilem præcipue,ſicut po-
lypodium melancholicum humorem,& pituitã,prę-
ſertim ſalſam ducit. Thymũ aũt,calamẽthũ, cuſcutę,
fumaria,ſtœchas, potius humores craſſos attenuant,
& corpus fluidum vijs apertis reddunt,cui conferũt,
& ſemina aniſorũ,& fœniculi:quamuis hęc,& aliam
cõmoditatẽ ex ſecundo de Ratione vict.in acut.mor
bis Gal.afferant.nã grato , & aromatico ſuo odore ,
gratiam ventriculo, & reliquis viſceribus conciliant,
quo minus abominentur viroſum, & ingratum odo-
rem , & iniquam qualitatẽ medicamentorũ purgan-
tiũ,quæ adiuuant,& roſæ,ſtœchas,paſſulæ,& fuma-
ria : hæc enim omnia ſua modeſta aſtrictione robur
addunt langueſcentibus viſceribus ; radix vero dul-
cis: itemque & paſſulæ prunaque,tamarindos etiam
illis addiderim, & ſapã , familiaritate & lenitate hu-
miditateque ſuæ ſubſtantiæ poſſunt,& medicamen-
torum acriũ,& humorũ aſperitatẽ demulcere,& vias
delinire. Vnde præſtans eſt medicamentũ,& vtile ad
apparatũ humorũ,& ad eorũ euacuationẽ,in illis p-
ſertim affectibus , qui ex exuſta bile,aut pituita ſalſa,
vel melancholicis humoribus mixtim excitantur , vt
ſcabies difficilis, & prauæ naturæ , & lues Gallica,&
capitis externi morbi , vt areæ,faui, acores,& huiuſ-
modi, & in lepris quoque,& incipienti elephantiaſi à
Græcis appellati . Sed iã agamus de alijs ſyrupis, qui
in tuſſi,& affectibus mẽbrorũ reſpirationi inſeruien-
tiũ , præſertim cũ a craſſa , & lenta materia obſiden-
tur,vtiles ſunt . Frequentiores huic ſcopo pertinẽtes
ſunt,vt a leuioribus,& mitioribus incipiam,Syrupus
ex liquiritia , ſyrupus ex hyſſopo , ex marrubio vel
praſſio,vltimo qui ex calamento . Poſſet vero in hoc
ordine collocari ſcilliticum oxymel:ſed potius hic ad
ordinẽ ſimpliciorũ ſyruporũ pertinet.Sed antequam
de his agamus,hæc primo in vniuerſum pro his dica-
mus, quæ accepta ſunt ex Galeni ſeptimo de Comp.
med. ſecundũ loca . Cũ partes ad ſuperiorẽ ventrem
pertinentes lenta, & craſſa materia ſunt refertæ , fa-
cta anguſtia in vijs ſpiritus,quia aut bronchia in pul-
monibus obſtruuntur, aut ſpacium in thorace reple-
tum fit anguſtius , difficilis concitatur tuſſis cũ mul-
ta ſpirandi difficultate : & quãuis plurima & frequẽs
fiat tuſſis, nulla tamen aut modica fit excreatio,quia
materia illa ob craſſitiem , & lentorem remittitur,vt
non facilè impetu aeris per tuſſim impelli poſſit , niſi
poſtquam materia per concoctionẽ contumax reddi
ta fuerit,& aptior vt elidatur,quod citius fit,& com-
modius,ſi medici opus accedat, qui ea adhibeat,qui-
bus facilius poſſit pertinacia materiæ ſuperari, & cõ-
modius educi. Duo vero ſunt,quæ in primis ex Ga-
leno,ibi . hoc præſtare poſſunt,primum ea quæ atte-
nuant,diſſecant , & detergunt craſſos hos , & lentos
humores,vt ſunt calida,& tenuiorum partium, vt ta
men neque multa ſit horum caliditas,quanta nempe
magis eo ſiccando poſſit indurare,nam his potius de-
terior affectio fieret . Sed neque hoc etiam ſatis eſt,
ſed oportet,& id præſtare, quod in omni ferè euacua
tione(præcipuè ſi fiat per manifeſtas vias)commodũ
eſt,vt fluidæ & leues viæ reddantur , per quas vacua-
tionẽ ſumus molituri. Id vero pręſtantius fit his,quę
mollire,applanare,& lęuigare poſſunt,quália ſunt hu
mectantia. Vnde ait Gal. ꝙ diſſecantibus oportet ad
dere ea,q̃ humectent, tum in ratione victus admini-
ſtrata,tũ per medicamenta adhibita : quare his com-
poſitionibus hi duo ſcopi ſemper ſpectandi ſunt, quã
uis non pariter, & ęquali ratione , ſicuti neque horũ
humorũ , qui partes has occupant eadem eſt natura:
quia alij alijs ſunt craſſiores, & magis vel minus len-
ti . Syrupus ergo primus , qui a liquiritia nomen

A ſortitus eſt a Meſue deſcribitur.
Accipit radicis dulcis,vnc.ij.
Capillorum Veneris vnc.j. Hyſſopi,vnc.v.
Quæ ſimul ſunt maceranda ex lib.iiij.aquæ commu-
nis,ac mox ad medietatem coquenda ac colanda:de-
cocto vero inijciendæ ſunt mellis,ſacchari,
Penidiarum,ſing.vnc.viij.Aquæ roſatæ,vnc.vj.
Quibus additis,per cocturam ad conſiſtentiam ſyru-
pi res adducenda eſt.Si hæc rectè examinãtur in hyſ-
ſopo ſatis eſt inſignis vis attenuandi , & detergendi,
in capillis Veneris aliqua , ſed leuis,attenuandi,& a-
periendi:extenuant enim craſſa excrementa in thora
ce,ex Galeni ſexto de Simpl. med. facul. Maior in
melle poſt hyſſopum eſt vis attenuatoria,& deterſo-
ria: radix vero dulcis moderatà humectat,læuigat,&
B applanat aſperitudines in thorace, & aliis etiam par-
tibus. Vnde medicamentum eſt tuſſientibus commo
diſſimum . Sed & ſaccharum,& penidiæ,eandem fe-
re vim habent,nempe humectandi : præſertim cũ ex
aqua coquuntur,ac aperiendi, deliniendique exaſpe-
ratas partes pulmonum , aquam roſaceam cùm au-
thor addiderit non poſſum aliam afferre rationem ,
niſi propter cõciliandam ex grato odore aliquã me-
dicamẽto gratiam: nam quòd nonnulli referunt, in-
ijci vt aliqua moderata adſtrictione robur particulis
illis addat,vt deinde violẽtius poſſint extrudere tuſ-
ſienda intruſa excrementa,vt non damno,ita nõ ad-
modum probo,quia aſtringenda , vt loco antea cita-
to monet Galenus,quantum ad id, quod primũ prę-
ſtant,non admodum vtiliter immiſcentur medicamẽ
C tis ſputum iuuantibus, quòd ſi aliquid omnino addẽ
dum ſit ob illarum partium robur,id oportet vt ſit
modicum.In aliis autẽ ſimplicibus , ex quibus hic ſy-
rupus conficitur,tanta eſt aſtrictio, quanta ad id oſſi
cium poteſt eſſe ſatis : nam & radix dulcis non eſt a-
ſtrictionis expers , & huius etiam magis particeps eſt
capillus Veneris. Et ſyrupus hic temperati cuiuſdam
& modici caloris,qui pleuriticis etiam poteſt eſſe cõ-
modus , ſi quando craſſa , & lenta expuunt ; nam ci-
tra hoc ,quod poſſit calefaciendo inflammationem ir
ritare,extenuans, & diſſecans craſſitiem humorum
facilius ſputum reddit. In hoc ergo horum ſyruporũ
ordine,qui craſſas,& difficiles in thorace materias ad
facilem excreationem parant,poſt ſimplices is primus
D ſit,& aliis mitior,& temperatior. Secundum vero lo
cum in his , qui paſſim in vſu ſunt eſt,qui ab hyſſopo
appellationem habet,& ex his conficitur.
Accipit Hyſſopi,
Radicum apii, Fœniculi,
Radicis dulcis,ſing.drag.x.
Hordei mundi.vnc.v.
Seminis maluæ, Cotoneorum malorum,
Tragacanthi,ſing.drag iii.
Capillorum Veneris,drag.vi.
Zizipharum,
Sebeſten, ſing.drag.xxx.
Paſſularum exacinatarum,drag.xii.
Ficuum aridarum pinguium,
Palmularum pinguium,ſingul. numero decem.
E Penidiarum albarum lib.x.
Prædictis decoctis ex aquæ cõmunis copia, quan-
ta ſatis ſit decocto addantur penidiæ , & poſtea per
vlteriorẽ decoctionẽ fiat ſyrupus,qui priori vim ma-
iorẽ habet extenuandi,& detergendi : præterea vero
ſuo humore cũ quodã lentore lęuigandi,& applanã-
di omnẽ aptitudinẽ partiũ in thorace contentarũ:nã
hyſſopo, ꝙ inſigniter extenuat adduntur radices fœ-
niculi,apiique , & liberalior copia capillorũ Veneris,
quæ omnia præter id quod attenuant, poſſunt ẽt lo-
tia ciere:quod ſi modeſtè fiat in his affectibus,nõ pa-
rum eſt vtile . Partem enim aliquam materiæ atte-
nuatã per vrinã deriuare poterunt. Vnde & vulnera-

rij medici iamdiu in curādis illis,qui ex thoracis vulneribus ſuppurati ſunt: tandem quibuſdā vtuntur decoctis,quę potiones ad caſſatos ſuo ipſi modo appellant, quę præter vim deſiccatoriā, inſigniter,& lotia proritant,ad quod valet,& maluæ ſemen. Caricę vero pingues,vt Galenus ſecūdo de Fac.alim.dicit,vim habent detergentē,cuius & paſſulæ, hordeūque non ſunt expertes:quāuis & hæc,& tragacanthū,ziziphę, ſebeſtē, & penidię,non nimiā vim applanandi,& deliniendi internas thoracis partes habent. In eiſdē aūt affectibus vſus iſtius ſyrupi eſt,in quibus & prior,niſi hic valentius eadē efficit, quæ & prior, vtpote,qui maiorē vim attenuandi,detergendique habet,maiorē etiā læuigandi, & deliniendi particulas in thorace. Vnde a priori ſolemus incipere, & cum morbus inueteraſcit, & pertinacior ſit affectus ad hunc mox accedimus. Quemadmodum ſi pertinacior fiat affectus, & magis adhuc inueteraſcat,craſſiorque & magis lenta euadat excreanda materia, ſyrupo tunc plerūque vtimur, qui ex Praſſio hoc eſt, ex Marrubio nomen habuit:conficitur autem ſic.

Recipe praſſij vnc.ij.
Hyſſopi,
Capillorum Veneris ſing.drag.vj.
Radicis dulcis drag.j.
Calamenthi,
Aniſi,Radicum fœniculi,
Apij ſing. drag.v.
Seminis maluæ,
Fœnugræci,
Iridis ſing.drag.iij.
Seminis lini,
Cotoneorum ſing.drag.ij.
Paſſularum exacinatarum vnc.v.
Ficus aridas pingues xv.numero,
Penidiarum,
Mellis deſpumati,ſing.lib.ij.

Is eſt alijs potentior, & calidior, & præterea vim maiorē habet extenuandi, digerendi, & detergendi. Nā praſſiū in primis, ſatis inſignē facultatē habet attenuandi,& detergendi,ac digerendi, necnon & iris: præterea & calamentum,neque his caret fœnū Græcū,quāuis nō eā admodū vehementē habeat, vt hyſſopū.vt in pſentia & capillū Veneris,radices fœniculi,& apij,& ſemen aniſi prætereā, vtpote quorū antea facta ſit mentio. De ſemine aūt lini,& mali cotonei hoc tantū dico,ꝙ mea hæc eſt ſententia, iſta in cōpoſitione huius ſyrupi accipi propter mucillaginoſum ſuccū, qui in cortice eſt, quiqe dum hæc ſemina ex aqua, præſertim ſi aliquantulum ſit calida,concutiuntur, detrahitur, & a iunioribus Mucillago dicitur,& vim habet deliniendi, & lęuigandi aſperitudines omnes:neque enim eorum mihi probatur ſententia,ſemen cotonei hic admitti, vt ſyrupus ſit alicuius aſtrictionis particeps: nam capillus Veneris,vt paulo ante dixi,poteſt hoc quantū ſatis ſit pręſtare. Ad difficiliores ergo thoracis affectus,& concitatos ex craſſiori magiſque lenta materia, & pertinaci,vim maiorē habere poteſt hic ſyrupus. Reliquū eſſet,vt de ſyrupo ex calamēto imprimis cōfecto aliqua dicerem⁹, qui & ipſe in tuſſi difficili pręſertim in ſenibus plurimū laudatur,ad extenuandos,& digerendos craſſos, & lētos humores:præterea vero ad liberanda omnia viſcera ab infarctu,& obſtructionibus, præcipuè vero lien,& merito quidē laudatur: nā vtrunque calamentū,ſylueſtre ſc.& domeſticū, cuius vtriuſq; duas accipit vncias,potentes extenuat,detergit & digerit, idē etiā liguſticū,daucus,& ſchinanthū præſtare poſſunt,quorū ſing.drag.v.accipit. Paſſularū addit libr. ſemis,& ex libr.ij.mellis ſyrupus conficit:coctis nēpe prioribus medicamentis,ex qua de more aliorū,additoq; ſubinde melle. Sed in hoc particulatim exponē-

A do non erimus multi; hæc enim pauca ſatis eſſe poſſunt ei, qui probè memoria tenuerit ea, quæ tradita ſunt literis. Multi pterea & alij ſyrupi deſcripti ſunt, tū à Iunioribus, tū ab antiquioribus,quos ſi omnes proſequeremur,nimis in longum noſtra protraheretur introductio. Vnde cùm maiorem partem eorum qui ſunt in vſu frequentiori explanauerim, finem faciam, cùm præſertim ſi quis animum diligenter his, quæ dicenda ſunt de his aduertit, facilè & omnium aliorum rationem conſequi poterit. Sed & decoctis, quibus aliquando pro ſyrupis vtuntur medici, ſæpe etiam ad diluendos ſyrupos, quorum etiam vſus antiquis ſyruporum vice frequēs fuit,nolo plura loqui, quia ſiquis rectę hæc æſtimauerit, quæ de ſyrupis dicenda ſunt, non egebit longiori ſermone, vt illi ea,q̄ B ad decocta pertinent explanentur: nam plerique ſyruporum ex decoctis conficiuntur. Tum ergo ob hāc cauſam, tum etiam quia rariſſimè decocta ſeruari diutius apud apothecarios ſolent, aut poſſunt,noluimus in his explicandis tempus terere.

De ratione, & methodo recte vtendi ſyrupis.

Cap. VI.

ACcommodatus & congruens horum medicamentorum vſus,mea quidem ſententia vel Ga- C len. præſertim in primo ad Glauco. in his conſiſtit: primum vt medicamentum id eligamus, quòd ea ſit natura,& illis qualitatibus præditum, quę ſcopo nobis ab indicationibus propoſito ſatisfacere poſſit, tam ſecundum qualitates,quàm ſecundum robur,& ordinem ſiue gradum:deinde vt modum,vel pondus ſeu menſuram præſcribere diſcamus illi ſimplici, vti ſatis fore videatur,ſin autem illud ſolum non ſit ſatis facturum, ſed additione alterius egere videatur, qua menſura,& proportione ſit illi commiſcenda, tertio quo pacto illis oportet vti:quarto,quo ordine:quinto,quando & quo tempore: ſexto,quoties & quouſque. Quia vero omnium eorum,quæ a medico rectè tractanda ſunt,ratio ex mutua comparatione & collatione duorum præſertim capitum depromenda eſt, D nempe eorum,quæ corpori præter naturam accidūt, deinde illorum, quæ ex propria natura illi cōueniūt. In priori capite tria continentur, quæ tamen ad vnū referuntur:primus eſt morbus,ſecundus quod ipſum præcedit, id eſt, cauſa: tertium eſt ſymptoma,quod morbum ſemper ſequitur: quæ omnia a medicis res præter naturam dicuntur. In altera autem ea omnia, quæ naturalia dicuntur, vt temperatura naturalis tū corporis vniuerſi,tum vero ſigillatim omnium particularum,ex quibus corpus coagmentatum eſt. Præterea conformatio eiuſdem, atque eorum omnium vnitas,continuitaſue,ad quæ poſtea alia tanquam ad ea, quæ magis præcipua ſunt,referuntur: ſed horum aliqua,vtpote quæ ad inſtitutum noſtrum non faciāt E plurimum,miſſa faciemus: ad rectam enim medicamentorum electionem, neque corporis conformatio plurimum facit,minus etiam vnitas, præſertim vero in eligendis qualitate,quantitateque, & natura medicamētis, confert naturalis corporis temperies,& ea quæ illi attinent,vt ætas,regio, tempeſtas,& hora anni,ars, & vitæ inſtituta, & conſuetudo quæ eatenus conſiderantur, quatenus immutant naturalem temperaturam. Quantum vero ſpectat ad primum caput, duo quidem prima maxime ad noſtrum de eligendis medicamentis inſtitutum faciunt, nempe morbus, & cauſa: nam hæc maximè medico rationem agendorum indicant, ſymptomata parum admodum, & niſi quia nonnunquam adeo excreſcunt,

vt

vt iam cauſæ rationem ſubinduant. Sed exquiſita horum definitio ad hunc locum non pertinet, præcipuè ergo morbus, & cauſa indicant non ſemper tamen vtraque: hæc ſimul: nam aliquando ſola cauſa eſt præſens, aliquando ſolus morbus: aliquando vtrumque, & aliquando maiorem vim indicandi habet cauſa, aliquando morbus, vt interdum ſoli cauſæ proſpicere oporteat, interdum ſoli morbo, nonnunquam vtriſque: ita tamen, vt aliquando prius vni eorum, mox vero & alteri.

NON erimus autem multi in exponendo, quo propriè, & primum reſpicimus cauſam in ea parte medicinæ, cuius proprium munus eſt ſanitatem tueri, quam iuniores præſeruatiuam dicunt. Morbum autem præſertim, & primum in curatrice methodo, præcipuè ſi cauſa morbi nulla amplius præſens ſit, ſed vniuerſa iam receſſerit: quia vbi cauſa adhuc eſt præſens, ſicut ſemper in morbis, qui fiunt adhuc, necdum omnino facti ſunt, præſens eſt, neceſſe eſt, vt illa etiam ſuam habeat propriamque indicationem, & ſicut complicatę ſunt indicationes, ita etiam mixta ſit actio medici ex curatione, & tutela, ſeu præſeruatione. Quamuis ex Galeni ſecundo aphoriſm. & primo de Differen. febr. inualuerit apud medicos ea conſuetudo, vt abſolutè, & hæc curatio dicatur. In eligendis ergo medicamentis aptis, & opportunis, ſummè neceſſaria ſunt hæc duo, primum exquiſita cognitio naturæ morbi, ad quam pertinet etiam cauſæ cognitio: deinde & agnitio naturæ corporis, & particulæ laborantis, ſi particulatim morbus locum aliquem occupet: nam ex mutua collatione indicationum, quæ ab his duobus depromendæ ſunt, innoteſcet omnis ratio congruentium medicamentorum: morbi enim ratio naturam, & qualitatem medicamenti opportuni in vniuerſum indicabit, particulatim vero illam definiet natura corporis, vel particulæ male affectæ. Sed quæ hactenus generali quadam ratione tractauimus, particulatim iam exponamus. Primum quidem in illis affectibus, qui propterea communes dicuntur, quia nulli certo loco ſunt addicti, vt febres, & alij, in quibus ſunt peculiares aliquæ indicationes, a certis illis definitiſque particulis deſumptæ, præſertim vero & primum de febribus agamus, quæ cum aliquando vnam ſimplicem habeant indicationem, nempe ab ipſa febre, vtpote quia a nulla alioquin cauſa foueantur, ſicut tum Ecticæ, tum etiam multoties ephemeræ. In putridis enim, quæ fieri non poſſunt niſi præſens ſit humor, ſemper mixtæ ſunt indicationes a cauſa, & a febre. De illis ergo ſimplicioribus priorem rationem inſtituamus, in his ſane febribus, quando nulla alia eſt adiuncta affectio præter febrē, ſtatim inſurgit primum refrigerationis, mox & humectationis indicatio, cùm ſit affectus calidus & ſiccus. Vnde nobis ſtatim ſe offerunt ſyrupi quicunque ſuperius numerati vim habent refrigerandi, & cum multi eorum deſiccent, tamen & aliqui humectent, illi opportuniores erunt, qui minus exſiccare poſſunt. Sed quia ſyrupum diximus potionem ſignificare, accipiam & alias potiones, quæ refrigerare, & humectare poſſunt, quamuis non ſoleant ſub nomine ſyrupi contineri, tanquam huic ſcopo attinentes. Occurret ergo primum potus aquæ frigidæ, deinde aquæ hordeaceæ: nam & hæc in vſu eſt his temporibus, deinde mulſæ, tertio ſyrupus acetoſus ſimplex dilutus ex multa aqua, item ſyrupus violaceus ſimplex, ſyrupus ex floribus nympheæ, ex papauere, ex ziziphis, quique ex portulaca dicitur, & alij multi ſimiles, de quibus ſuperius ſermo eſt habitus. Quatenus ergo ad affectum ipſum pertinet, nulla aliorum habita ratione, aqua frigida omnium aliorum præſtantiſſimum eſſet remedium. Vnde tanquam optimum (niſi alia obſtet indicatio fortior, in ephemera, & febre ardente, vbi ea indicatio quæ a morbo ſumitur, ſuperat illam quæ a cauſa) a Galeno indicatum eſt medicamentum: pariter enim refrigerat, & humectat. In hectica vero niſi indicatio ab habitu, & viribus corporis obſtaret, vtile & ſalutare admodum eſſet, & Galenus in libro de Tabe in principio antequam corpus extenuetur, & ſanguis abſumatur, vireſque fiant imbecilles vtiliter dari poſſe dicit. Sed vbi iam corpus attenuatum, & exangue factum eſt, vireſque languere incipiunt, ab his alia inſurgit indicatio, quæ vim maiorem habet, quàm quæ erat a morbo accepta, indicans longè maiorem læſionem ſubſequuturam, quàm vtilitatem: nam calor natiuus ſimul cum extraneo ab ea extingui facilè poterit. In febre vero ardente optimum, & præcipuum medicamentum id futurum eſt, quando neque morbus crudus fuerit, neque alius adſit affectus, cui id noxium ſit, vt viſceris alicuius inflammatio, vel inſignis obſtructio: horum enim indicationes priori illi omnino obſtant. Sed & vniuerſi corporis ratio ſua habenda erit: nam ſi imbecillum ſit, & ſenile, ſi gracile & attenuatum, non facilè vim ferre poterit tanti remedij. Nec minoris etiam facienda eſt natura viſcerum, præſertim ventriculi, & iecinoris, nimirum ſi frigidiora, & imbecilliora hæc fuerint: quibus itidem addendum eſt, & tempus anni, vel tempeſtas: nam iſtius remedij vſus hyeme non eſſet tutus vt æſtate: addenda pręterea eſt conſuetudo, nam facilè & citra noxam potius ferre poſſunt, qui ſani citra vllum incommodum ſoliti ſunt eam bibere, quàm qui inſoliti. Vnde quando hiſce de cauſis timemus ita confertim & multum corpus tranſmutare, mitius eſſet agendum, & leuiora eſſent attentanda, vt eſſent aqua hordeacea, & alia, quæ ſubinde fuere propoſita, quæ potius poteſtate, quam actu frigida eſſent. Nam talia cum ad actum paulatim, & non in momento deducantur, non ita facile deterrent, lædunt, atque extingunt, calorem natiuum. Vt tamen, & illud ſit conſiderandum, quòd eorum aliqua quamuis ratione propriæ naturæ poſſent eſſe commoda, interdum tamen illa reſpuimus, vt philoſophi dicunt, per accidens, quia facile in bilem vertuntur, vt deinde ea de cauſa magis calefaciant, & exſiccent, quam potuerint refrigerare, & humectare. Qua ratione mel, & quæcunque ex melle fiunt aduerſaria a Galeno nono methodi iudicantur, vt eſt apomeli, & mulſa: oxymel tamen nō ita facile in bilem vertitur, & quamuis deſiccet, cum tamen dilutius ex multa aquæ mixtione eſt, potius humectat, & proinde ſitim ſedat: ſed acetoſus ſimplex magis etiam humectabit & refrigerabit, quantum ſaccharum melle minus calefacit, & ſiccat. Violaceus porro pariter humectabit, & refrigerabit. In vniuerſum ergo potiones, quæ refrigerent, itemque ſyrupi refrigerantes: & cum multi eorum inter ea medicamenta relati ſint, quæ deſiccent, febres vero hæ humectantia deſiderent, dum tamen diluuntur aut multa aliqua, aut alio humore qui humectat, ſicut eſſet ius pulli gallinacei iuuenis, eam etiam vim aſſequentur, qua poſſint humectare. In affectibus autem, in quibus actionem mixtam eſſe oportet, quia non modo affectus ratio ſit habenda, ſed & cauſæ, quæ præſens fouet, & auget morbum, item electio medicamentorum fit collatis primum inter ſe indicationibus tum a morbo, tum a cauſis deſumptis: conſiderandumque eſt, num ea inter ſe collata, in eandem conueniant temperiem, vtpote ſi ambo calida ſint, nempe morbus & cauſa, ſicuti in tertiana, in

cauſo: nam & humor, qui febris in cauſa eſt, calidus & ſiccus perinde eſt, vt febris: an vero diſſideant inter ſe, vt in quotidiana, & quartana. Febris enim eſt affectus calidus, ſiccus: pituita vero ſua natura frigida, & humida, ſicut atra bilis frigida, & ſicca: ob id primum in ea collatione conſiderandum eſt, quòd febris quatenus ad ipſam pertinet, cùm ex ſola temperatura morbi rationem habet (ea enim apertiones lædit) ſolam indicat tranſmutationem, qua lapſus naturalis temperamenti corrigatur: at cauſa febris, cùm materia ſit noxia qualitate, & quantitate, ratione qualitatis, & ipſa indicat tranſmutationem, qua itidem vitioſa eius qualitas, qua morbum fouet, vel actu, vel poteſtate emendetur: actu quidem, ſi ſuapte natura calida ſit: ſi poteſtate vero, quia quandoque licet natura frigida ſit, calorem tamen putreſcens contrahit, ratione autem quantitatis indicat euacuationem. Vnde quantum ad harum rerum rationem pertinet, cùm cauſa morbum efficiat, foueatque & augeat, licet primum deſideremus morbum, qui proximè actiones lædit, remouere, tamen quia remoueri aut non poteſt, aut non facile manente eius cauſa, ideo frequentius opus eſt curationem a cauſis incipere remouendis. Aliquando tamen morbus adeo ſæuit, vt timendum ſit, ne dum cauſæ incumbimus, vires a morbo diſſolutæ fatiſcant, quo fit vt cogamur ſtatim ab initio reprimere ſæuitiam morbi, quo id periculum euitemus: hoc vero præſertim in ardentibus febribus timemus propter magnum, & continentem earum ardorem: nam quamuis & exquiſitę tertianæ ſimile incendium in acceſſionibus afferant, quia tamen non continenter, ſed per longiora interualla affligunt, non ita inſigne periculum minantur; reficiuntur enim interim vires, dum intermittunt, & ideo in eis, non adeo vrget indicatio a morbo, vt cogat ab eo ſumi curationis initium. Verum cùm vtræque indicationes tam a morbo, quàm a cauſa ſemper, ſi alicuius ſint momenti, tam morbus quàm cauſa vim habeant, nunquam ita vni attendimus, vt nullam alterius rationem habeamus: ſed ſemper & illi aliquid damus. Et ſi aliqua ſint auxilia, quæ vtraque ratione, hoc eſt, tam cauſæ, quàm morbi poſſint eſſe commoda, ab eis ſtatim incipimus ſine vlla hæſitatione, modo vires non obſtent. Sicut in febre ardenti, & ſynocha ſtatim ſanguinem copioſum mittere ſolemus, vbi per vires licet: nam refrigerat, & quantitatem detrahit: quatenus vero ad medicamenta pertinet, cùm morbus maximus, & acutiſſimus ſit, atque ideo etiam præceps, indicat opus eſſe magna, & celeri extinctione, quod officium nullũ medicamentũ præſtantius aqua frigida præſtare poſſet; verum quia in febre putrida putredinis vniuerſa fere ratio ab obſtructionibus pendet, quæ ab impactis humoribus crudioribus fuere excitatæ: aqua autem frigida eos magis impingeret, & inculcaret, præterea & recrudeſceret ex nimio frigido, vnde ſubinde creſceret putredo, & febris, ideo poſt ſanguinis miſſionem, tantiſper indicatio, quæ à cauſa deſumpta eſt, nos immorari, & differre potum aquæ frigidæ cogit, donec aliqua concoctionis ſigna appareant, & ſint aliquantulum apertæ obſtructiones: cito autem incipit concoqui calidus & tenuis humor, qui ſuapte natura poteſt iuuare apertionem, poſtea vero aquam propinamus. Vnde extincto calore, qui vires reſoluebat, natura reſumpto ſuo robore, & collectis viribus, paulo poſt inſurgens vniuerſam noxiam materiam aut per ſudorem, aut per aliam illi commodiorem viam excernit. Sed ſi vel ætas, vel tempus, vel affectus aliquis in viſceribus aduerſatur, potioni aquæ frigidæ, aliȷs refrigerantibus erit agendum, tum externis, tum internis, quæ non repente, & valde refrigerent, ſed paulatim, dum tamen frequentius adminiſtrantur, & ſi non ita cito, totius tamen opus ſaltem abſoluunt, quales ſunt ſyrupi, decocta, cibi refrigerantes, olea, emplaſtra, epithemata, quæ exterius & ipſa refrigerant, & vt methodus febribus medendi præſcribit, poſſunt ex his confici quę refrigerant, non tamen ſtipant, & obſtructiones augent, ſed potius aperiunt, vt ſuo loco dicemus. Nunc enim ſermo habendus eſt de electione ſyruporum, vel huiuſmodi aliarum potionum, quando magis & prius in febribus inſeruiendum eſt indicationibus, quæ ad cauſam pertinent: in quibus ſi cauſa cũ morbo conſentiat facilis & ſimplex ratio eſt, præſertim ſi tenuis vel acris, calidaque materia ſit, refrigerantia enim medicamenta eadem ratione vtrique apta ſunt, hoc tamen plus cauſa habet, quòd concoctionem deſiderat, & excretionem, concoctioni vero quantum attinet illi humori, opportuna ſunt eadem, nempe refrigerantia & humectantia, vtpote quoniam ſatis concoquuntur humores, cum eorum vitia corriguntur. Sed quia in putridis febribus ſemper inſunt obſtructiones, quæ & putredinem fouent, & materiæ excernendæ ſunt impedimento, vt eæ remoueantur, & corpus fluidum fiat, maxime vtilia erunt medicamento, quę refrigerent quidem, ſed potius aperiant: vnde & ſyrupus acetoſus ſimplex, & qui ex cichoreo, vel endiuia, roſaceuſque etiam recens præſertim vbi aliqua ſit laxitas in aliquo viſcere, & interdum oxymel ſimplex apti, & congruentes erunt. Vbi vero ſit ingens aliqua putredo, quæ febrem maligniorem reddat, acidæ res ſolent a medicis aliȷs præferri ratione putredinis, vt rectè Auicenna ſenſit, ſicuti quæ ex oxalide, vel ex ſucco citri, vel limonis componuntur, vel vuæ acerbæ: nam febri, & calidiori humori, tum ſua natura, tum ex putredine, præſidio ſunt refrigerando, exſiccando vero malignam putredinem reprimunt, præter id, quod horum multa etiam nonnihil aſtringentis habent, quod viſceribus robur addere poteſt citra noxam, quę ex obſtructionibus eſſet ſuſpecta. Difficilior vero eſt inſtitutio, quando morbus & cauſa ſibi mutuo ſunt contraria, vt in quotidianis: nam pituita frigidus, & humidus eſt humor, febris contra. Sed quia febris hæc non habet ingentem calorem, imo lenta eſt, & caloris quaſi ſtrangulatio non plurimum periculi minatur febrilis calor, niſi ex morbi diuturnitate, & ne extinguatur, & quaſi ſtranguletur natiuus calor a craſſa, lenta, frigidaque materia, ideo cauſæ ſuperandæ, præſertim operam nauamus: habemus tamen & febris aliquam rationem: nam eligimus imprimis ſyrupos, & alia medicamenta, quæ vim aliquam calefaciendi habent, inſigniter tamen attenuent, & ſecent, aperiantque. Præterea vero quia viſcera, & ventriculus, & iecur ab hac materia refrigerantur, laxaque redduntur: & obſtructioni ea propter obnoxia fiunt, ideo ſemper his aliquid immiſcemus, quod vim roborandi habeat. Incipimus tamen a facilioribus, & leuioribus, quia inter initia, vt dicit Hippocrat. ſecundo Aphoriſm. omnia ſunt imbecilliora, & facilius etiam omnia fert natura, quando paulatim aſſueſcit: vnde ſtatim a principio nitimur humorem ſecare & attenuare, non admodũ tamen calefacere, ne liquatus, & quaſi fuſus craſſus humor, moxque in anguſtas venas digeſtus augeat obſtructiones, vtemur ergo oxymelite, melle roſaceo: in vtroque enim eſt digerendi, & attenuandi facultas. Sed hæc maior eſt in oxymelite ex aceto. In melle vero roſaceo maior roborandi viſcera ex roſis: verum & ſyrupus ex betonica ſimplex, ſi eorum meminerimus, quæ ſupra de eo dicta ſunt, poteſt eſſe medicamentum accommodatiſſimum, & huic negotio pertinentiſſimum. Hi vero ſyrupi, ſi diluentur decocto, vel diluto, aut infuſione abſinthȷȷ, vtiliores erunt.

erunt. Cum vero res in longius protrahitur, valentiora in vſu ſunt introducēda, vt eſſet oxymel: quod compoſitũ, vel de radicibus appellant. Tandem vero ad ſyrupum ex hyſſopo, vel calamento, qui in compoſitis ſunt. Poſtremo ad ſyrupum acetoſum diarhodon, cum iam adeo viſcera facta ſunt imbecilla, vt res in malum habitum, vel aqua intercutem procliuis eſſe videretur. Ego vero & oxymelite ſcillitico ſæpe in his tandem feliciter ſum vſus: ſed nos ſyrupos diluere ſolemus ex decocto, & ex radicibus communibus, de quibus nunc quædam paucula diximus: interdum ex decocto eupatorij veri, quod nunc agrimoniam appellant. His enim & cauſa antecedens febris ad facilem vacuationem paratur, & corpus fit fluidum, & viſcerum internorum vires cuſtodiũtur, B quatenus fieri pōt. Tertiana vero notha, media quodāmodo eſt īter has duas priores, ſiue ad morbũ, ſiue ad cauſam reſpiciamus. Nā neque ita acris & vehemētis caloris eſt, vt exquiſita: neque etiam ita obtuſi, & veluti ſtrangulati, vt quotidiana: ſed quaſi inter eas media eſt. Materia etiam, ex qua putreſcente accenditur, media eſt, & ipſa, tum acrimonia & calore, tum craſſitie, & lentore, vtpote quæ ex bile flaua, & pituita mixta ſit: quare etiam rationem curationis mediam, & mixtam requirit: nam aliquid requirit, quod non omnino ſit expers facultatis calefaciendi, attenuandi & ſecandi, non tamen ita, vt in quotidiana. Itaque inter initia apti ſyrupi erunt oxymel ſimplex; ſyrupus roſaceus ex roſarum ſucco, quem C Arabes dicunt geleniabim, ex ſaccharo: aliquando etiam mel roſaceum: poſtea vtemur ſyrupo, quem byzantinum vocauit Meſue. Quia ex mixtura tum calefacientium, & attenuantium, & diſſecantium, tum vero, & calorē temperantium factus eſt, tum accedimus ad eum, cui additur acetum, & quem byzantinum cum aceto dicunt: poſtremo etiam ad illum, quem completum, additis nempe aromatibus, appellant. Verumtamen quia iſtiuſmodi bilis, quæ putreſcens hanc febrem excitat, non eſt ſemper ſibi ſimilis: nam in miſcella bilis cum pituita multæ ſunt diuerſæ [differentiæ] pro ratione maioris, minoriſue: quoniam & craſſior, & mitior craſſa, & magis vel minus lenta eſt, ita etiam magis vel minus calida. D Vnde & ſyrupi eligi debent ſicuti, & decocta, quæ huic diuerſitati aptari, & accommodari poſſunt, vt oxymelite, & ſyrupo ex betonica, addemus ſyrupũ ex cichoreo: & ſi viſum fuerit expedire, vt vtamur diluto vel decocto abſinthij, ſicuti ſæpe expedit, vt primo libr. ad Glauc. præcipit Gal. illi & cichoreum addemus, ita & eupatoriũ, vel agrimonium cum cichoreo componemus: ſi iecur obſtructum fuerit, & tenſum, fiatque inde imbecillum. Nec admodum differens erit ratio electionis horum medicamentorum in melancholicis febribus: nam nec in ipſis adeo multus erit calor, vt cogere poſſit medicum poſtpoſita cauſa morbo incumbere. Vnde prior & potior etiam in his eſt indicatio a cauſa, & per comparationem ad ipſam; medicamenta ſunt eligenda, atque E eatenus eſt morbus reſpiciendus, quatenus ipſum non nimis exacerbemus: nam in quartanæ curatione duplici nomine calefacere oportet: primum, quia humor frigidus eſt, & ſiccus: deinde quia craſſus, & ferè terrenæ ſubſtantiæ cuiuſdam, & ideo attenuãtibus, ſecantibuſque medicamentis: & aliqua ex parte digerentibus opus eſt: quæ quidem omnia hæc agunt ratione partium calidarum, & ſiccarum, quarum non ſunt expertia. Verùm quia hæc præterea non parum ſiccant, & ſiccatio huic humori eſt omnino aduerſaria, ideo ea ſunt eligenda, quæ quantum fieri poteſt attenuent quidem, ſed non multum ſiccent: etſi aliquod quidem medicamentum huic ſcopo congruens reperiatur, eo vtemur, ſin minus, plura com-

A ponimus. Sed quia quartanæ raro a principio inuadunt, plerunque vero alias febres ſequuntur, quod argumento eſſe poteſt, quod vt Galen. ſecundo de Diff. feb. expoſuit, ſæpius fiunt quartanæ ex cinericia parte derelicta, quaſi ex aſſatione, & putredine humorum, a quibus fouebantur febres præcedentes. Ideo cum & in his ſit optimum a leuioribus incipere, ſolent ſtatim a principio medici vti ſyrupo ex fumaria ſimplici, vel ex lupulis: nam exuſtis humoribus ſunt accommodati, ſicuti in cinere, & calce, & ideo multi ſyrupũ ex cichoreo addunt. Vſitatiſſimi præterea ſunt ſyrupus de bugloſſa, dictus ex boragine: nā herbæ hæ temperatum quendam calorem habent: ſunt etiam, vt Galenus dicit ſexto de ſimplic. medi- B camentorum facultatibus; herbæ humectantes, quæ hac ratione aptæ fiunt humori melancholico; interdum vero, & ſyrupus ex ſucco pomorum dulcium, immo ſæpe hoc vtimur, mox ad compoſitos accedimus, tam ex fumaria, quā ex pomis, & alios, qui particularius ſuperiori capite ſunt expoſiti. Sed quia quartanæ plerunque a liene fouentur, ſicuti tertianæ a iecinore: ideo ſemper lienis rationem habemus in quartana: & vt in alijs febribus præſertim laudatur abſinthium, & eupatorium, ita in illis, vbi lieni conſulendum eſt cappares, præſertim vero cortex radicũ ipſorum. Solet etiam eſſe in frequenti vſu aſplenium, vel ſcolopendrium, qui Arabice nunc dicitur Citrac. ex quibus decocta fieri poſſunt, ex quibus ſyrupi diluantur.

C QVIA vero præterea multi ſunt morbi, qui non ita vniuerſum corpus reſpiciunt, & occupant, ſed in vna tantum particula conſiſtunt, a qua ſunt etiam indicationes depromendæ: quippe cum, & hæ maximā vim habent ad aptè eligendum congrua medicamenta: ideo de his quoque aliquem breuem tamen ſermonem faciamus, non eſt tamen admodum diuerſa ratio electionis medicamentorum, à priori, niſi quatenus in his non ſolum eſt ſpectanda illa indicatio, quā vniuerſi corporis natura nobis efficit: ſed & particulæ male affectæ ſua propria, quæ plurimum facit ad medicamenti electionem: nam quo nobilior eſt particula, vt dignioris magiſque neceſſariæ apertionis inſtrumentum, eo etiam maiori eget cuſtodia, & D magis quantum ad medicamenta pertinet, caute tractanda. Vnde præter tria membra præcipua, ventriculus, lien, & pulmones quoque magnam vim habent, & magna egent cuſtodia. In eligendis ergo medicamentis in affectibus harum particularum, particulatim aliquantulum, & quo breuius fieri poterit, verſabimur. Et primo circa ea, quę pertinēt ad iecur, quod quidem cum molli, & laxa conſtet ſubſtantia, facile laxantibus, & digerentibus eius vis diſſoluitur, facileque induratur à craſſis ſuccis, a conſtipantibuſque, & inſigniter aſtringentibus: cum etiam contextum ſit tenuiſſimis, & anguſtiſſimis venulis, facillime etiam obſtructionibus occupari poteſt. Vnde in curandis eius affectibus horum maxima eſt habenda ratio: nempe primum, ne diſſoluatur eius robur, & E ideo illa medicamenta ſemper ei apta ſunt, quę expertia non ſunt omnino alicuius aſtrictionis, nec tamen multę: ſed quanta robur viſceris conſeruare poſſit, non tamen vt in cauſa ſit aſtrictionis. Pręterea vero vt etiam vim aliquam aperientem habeant. Vnde pręſertim ea medicamenta, quæ vel amara, vel ſub amara ſunt, ſi tamen cum amaritudine etiam partes alicuius aſtrictionis participes habeant, & ideo calidis affectibus maxime commendatur endiuia, cichoreũ, & cichoracea omnia, roſæque, & omnia medicamenta, quę ex his conficiuntur: vt pręterea ea etiam ſint timenda, quę confertim, & plurimum refrigerant: extingunt enim eius natiuum calorem, proinde neque actu frigidis, tam internis, quàm ex-

ternis

ternis vtimur. In frigidis verò eius affectibus lau-
datur abſynthium, betonica, fumaria, eupatorium,
filex, piſtacia, marrubium, chamæpithis, chamædris:
priora tamen in maiori vſu ſunt & familia riora, &
ea omnia medicamenta, quæ hæc accipiunt dum
componuntur, ſiue ſint ſyrupi, ſiue decocta, ſi-
ue trochiſci, vel alia quæcunque. Non eſt autem
fere differens ratio medicamentorum: quæ ven-
triculo commoda ſunt: nam & in ſuis medicamen-
tis ſemper propter cuſtodiam virium requirit aſtri-
ctionem, a ſolis enim laxantibus plurimum lædi-
tur, neque facile fert, quæ eximiè frigida ſunt. Vn-
de fere a ſimilibus medicamentis bene habent hæc
duo viſcera: commode enim refrigeratur a cichora-
ceis roſaceiſque medicamentis: ſed & vtrunque
viſcus, ſi opus ſit eiſdem apte conuenit præcipue
abſinthio, betonica, fumaria, eupatorio, &c. Lien
verò cum & ipſius actio neceſſaria ad ſanitatem ſit
plurimum, vt a fœculento ſucco ſanguis, & iecur de-
purgetur, conſtat autem ſubſtantia rariori & laxio-
ri, quam iecur, alitur verò craſſo & fœculento ſan-
guine, aptuſque, vt in libro de Ratione cur. per ſe-
ctam venam dicit Galenus, ad ſuſcipiendas fluxio-
nes, vnde propter neceſſitatem defæcationis iocino-
ris & ſanguinis, oportet vt eius robur ſeruetur: qua-
re præcipiunt medici, quòd in vſu & comparatio-
ne medicamentorum, quibus curandi ſunt eius af-
fectus, ea eligamus, quæ roboratione & aſtrictio-
ne non careant, & quæ attenuent & detergant,
propter eius procliuitatem in obſtructiones, &
ſcirrhos ob craſſitiem ſucci, quem attrahit, & quo
alitur. Vnde & amara etiam probantur, & quæ
in primis tenuis ſunt ſubſtantiæ, quæ tamen neque
plurimum calefaciant ſiccentque, & vt Galenus
quinto de Fac. ſimpl. med. dicit, eadem fere medi-
camenta lieni & iecinori accommodari poſſunt,
præſertim in eorum obſtructionibus & ſcirrhis,
quando neque inueteratus plurimum creuerit affe-
ctus: nam tunc valentioribus vti oportebit in lie-
ne, quàm in iocinore. Lieni enim valentius opem
ferunt radicum capparum cortex, item radices
miricis, vel vt nunc dicunt Tamariſci, ſed & fraxi-
ni cortex, & citrach, quibus plerunque in deco-
ctis vtimur, quamuis ex Gal. ibi. diuerſus erat an-
tiquitus horum vſus in affectibus alterutrius viſce-
ris: in affecto enim iocinore illis ſecundum ſe, &
ſeorſum vtebantur, vtpote in puluerem redactis, in
liene verò ex aceto mixtis vel coctis: ego autem
vterer oxymelite eorum decocto immixto: imò ali-
quando ex oxymelite ſcillino poſſemus & ſyrupum
bizantinum addito aceto eorum decocto inſperge-
re, maxime enim lieni acetum familiare eſt. Quate-
nus autem ad electionem medicamentorum, qua-
cunq; per os ſumenda ſunt in capitis affectibus, non
multa habeo, quæ poſſint illis addi, quæ in vniuer-
ſum de alijs particulis, quarū hactenus facta eſt men-
tio, tractata ſunt: nam propterea quia cerebrum &
ipſum inter præcipua membra eſt, & mollioris
humidioriſq; ſubſtantiæ, & proinde quę facile tranſ-
mutetur, ideo vt eius robur ſeruetur, maxime illi
cōmoda ſunt medicamenta, quæ præter alias facul-
tates modice etiam adſtringunt; inſuper vt in refri-
gerando & calefaciendo non admodū immodici ſi-
mus ſed magis in refrigerando: facilius enim & fri-
gore læditur, & quamuis Gal. interdū aqua vel oleo
niue refrigeratis caput cū ęſtuat iubet perfundi, vo-
luit tamen menſuram refrigerationis accipi, & a ma-
gnitudine ęſtus, & inflammationis, & ab habitu cor-
poris, ſexu, ætate, tempore, & quod ipſe dixit de
illis quæ exterius adminiſtrantur, putarim non eſſe
etiam contemnendum in interius accipiendis: nam
& diacodion, & ſyrupo ex papauere vtimur, ſed id

A cū cogit neceſſitas incommodi alicuius iam præſen-
tis aut futuri. Præter alios ſyrupos, quibus ſolent vti
medici in affectibus capitis ſi frigidi ſunt, & craſſio-
ri aliqua materia foueantur, ſunt ſyrupus ex ſtœcha-
de: a Meſue enim docti ſunt, qui dicit, ſtœchas capi-
ti maxime vtile eſſe. Dioſcorides tamen magis in
thoracis affectibus laudat nulla facta capitis men-
tione Galen. verò dicit, ipſum addere robur omni-
bus viſceribus, eàque ab obſtructionibus vindica-
re. Item ex betonica, præterea melle roſaceo, qui-
bus ſi lentus ſit humor, & oxymel addunt. In calidis
autem, roſacei ſyrupi in frequenti ſunt vſu, & cicho-
racei, vt tamen ſimplices prius, deinde, compoſiti,
cum fortiores ſint, in vſum veniant. Solent autē no-
B ſtri iuniores Arabes imitantes, illis aliquid alicuius
aromatis addere, præſertim nucis muſchatę a noſtris
dictæ, ſiue ſit Mirica a Græcis appellata ſiue aliud:
quod ideo addunt, quia ſperant facilius ad cerebrum
deducendam eſſe illius medicamenti facultatem ope
illius aromatis, & illius odoris: nam aromatū vapor
facile caliditate & tenuitate ſua, vt Hipp. in Aph. vi-
ſus eſt innuiſſe, caput petit, & cum ita ſit, aromatiza-
ri ſyrupum dicunt. Quamuis autem inſtrumēta reſ-
pirationis, vt thorax & pulmones actionē exerceant
vitę maxime neceſſariam, non tamen quantū ad ho-
rum natura ſpectat, tantam in eis vim habet indica-
tio, quę per aſtringētia, robur viſceri addendū iubet,
cum potius fere aſtringentia his inimica ſint: vias e-
nim ſpiritus exaſperant, & anguſtant, quas tamen a-
C pertas in primis ſeruare oportet, & lenes: vt & ſpiri-
tus facilius per illas ferri poſſit, & excrementa, quæ
naturæ inſtituto per aliam ferme viam expurgare
nequeunt, minori labore educantur. Vnde laxanti-
bus potius, ſi non omnino, ſaltem ex aliqua parte
opus eſt, & aperientibus, quamuis ex ſecundo Meth.
morbus alioquin curandus eſſet aſtringentibus, vt
in his, qui ſanguinem reiectant: Sed & alia eſt diffe-
rentia inter has particulas & naturalia viſcera, quan-
tum ad medicamentorum electionē pertinet, quòd
dulcia nō admodū ventriculo & iocinori illis ægro-
tantibus conferunt: nam multus eorum vſus ex Gal.
ventriculum reſupinat, in iocinore vero præſertim
ſi calidus ſit in bilem vertuntur, præter id quod eo-
D rum plurima illud obſtruunt. Partibus verò reſpira-
tioni deſeruientibus, tanta eſt cum dulcibus familia-
ritas, vt ſine mixtione alicuius dulcedinis nullum
medicamentum poſſit in his efficax eſſe. Vnde ſiue
lenientibus aſperitates pulmonum & thoracis opus
ſit, ſiue attenuantibus, ſecantibus, detergentibuſve,
vt in difficultate reſpirandi, quæ a craſſa & lenta ma-
teria, impacta in vijs ſpiritus, vt in aſthmate excita-
tur ſiue nobis incumbat munus aſtringendi, vt in re-
iectātibus ſanguinē a thorace, vel pulmonibus, ſem-
per immiſcemus dulce aliquod alijs opportunis me-
dicamentis, & id quia hæc facilius, vt Gal. dicit, dum
per gulam delabūtur deuorata in aſperam arteriam
quaſi reſudantia aſſumuntur: quo fit deinde vt quo-
E niam præcipue proſunt in tranſitu per gulam: quan-
do verò ad ventriculum deſcenderunt parum, rectè
a medicis inſtitutum ſit, vt huiuſmodi medicamēta,
quibus vti ſolemus in curandis harum partium affe-
ctibus non abſorbeantur, & deuorentur confertim:
ſed paulatim quaſi delingantur: vnde ſyrupis ſæ-
pe vti ſolemus non alioquin ex aliqua aqua dilu-
tis, vel ſi diluantur inſtituimus, vt veluti pitiſſan-
do paulatim abſorbeantur. Et hæ ſunt obſeruatio-
nes, quæ a natura particulæ ſunt deſumendæ: quate-
nus verò ad naturam affectus pertinet in harum par-
tium aſperitatibus quæ ab acri, calida & tenui de-
ſtillatione fomentum, & occaſionem habent. Syru-
pi vtiles erunt violacei, & qui ex ziziphis fit, & qui
etiam ex portulaca; ſed interdum ſi calida & pluri-

mum

mum acris fluxio fuerit, Syrupus ex papauere non erit ineptus, ſicut & diacodion, præſertim confectum ex ſapa, vel ſaccharo: quando vero viæ ſpiritus & particulæ, illi miniſtrantes obſidentur a craſſa, & lenta materia, ſimplex oxymel optimum erit: vlterius vero re procedente, Syrupus ex radice dulci confectus, poſtea & ſyrupus ex hyſſopo: tandem & qui ex praſſio, qui omnes ſunt in compoſitis: poſtremo præſtantiſſimum medicamentum erit oxymel ſcilliticum. Sed cum iam de electione medicamentorum, habita ratione morbi, & partium, quantum ad inſtitutum hunc noſtrum pertinet, ſatis dixerimus, reſtat vt alterum iam caput tractemus. Id eſt, de copia, & menſura horum medicamentorum, cum illis vti volumus: ſiue ſolis, ſiue cum alijs mixtis: Et ab ipſis ſyrupis incipiemus, vt hactenus fecimus. Conſueuere hac, & priori tempeſtate medici, cum ſyrupos gratia præparandi humores noxios, & corpus fluidum faciendi exhibent: plerumque a ſexquiuncia in corporibus adultis, vſque ad alteram vnciam accedere: & cum vſus iamdiu inualuerit, vt illi ex aliquibus ſtillatitijs aquis, vel ex aliquo decocto, vt paulo ante diximus, diluantur, in more etiam eſt, vt tres, aliquando verò quatuor vnciæ accipiantur ad hoc officium, ita vt vniuerſa copia ad quinque vel ſex vncias perueniat: & id quidē, mea ſententia, quia huiuſmodi medicamēta, neque odore neq; ſuo ſapore grata ſunt, imo fere ventriculum, dum aſſumuntur, ſæpius ſupinum reddunt: præter id, quod humor, quo conſtant (omnia enim ſaltem actu humida ſunt) laxiorem ſubſtantiam ventriculi atque viſcerum lædunt. Ideo neque admitti, ſi maiori copia offerantur, neque etiam ferri facile poſſunt, niſi interdum calidioribus temporibus quando ægri multa cruciantur ſiti: tunc enim maximè ſi frigidi offeruntur longiores, vt dici ſolet, ſyrupos cupiunt. Præterea vero cum ita liquidi facilius de ventriculo diffluunt, viſum eſt medicis, quòd ſi maiori darentur copia, parum prodeſſe poſſent: & quod de ſyrupis diximus, id etiam ad decocta & potiones eſt referēdum. Quod ſi interdum non vnus ſyrupus noſtro ſcopo ſatisfacere videatur, ſed plurib. ſit opus, illorū pōdus ſcopis eſt aptandū, qui nobis demōſtrant plurib. eſſe opus: nā nos ad hanc cōparationē & mixturā accedimus, quia ſint ſimul cōiūctæ duæ vel plures res, quæ diuerſam rationē indicandi habeant, ſicuti eſſet morbus & cauſa, vel duo morbi: vel quia, etſi principaliter aliquid nos cogat ad vſum alicuius medicamenti, timemus tamen, ne alicui alteri particulæ noxam afferat aliquam, vt ventriculo, vel iecinori, vel vtero, vel alteri particulæ. Vnde eligemus quidem medicamentum illud, quod præcipue affectui eſt accommodatum, ſed illi aliquid aliud miſcemus, quod familiare ſit alteri, cui timemus. Sicut id quod præcipuum eſt, primum reſpiciendum eſt, ita & copia illius medicamenti maior eſt apponenda, quod accommodatius iudicauimus eſſe præcipuo ſcopo noſtro: vt verbi gratia, ſi ſit febris bilioſa cum laxitate & dolore ventriculi: accipiemus quidem vnciam ſyrupi ex endiuia, vel ex cichoreo, & illi ſemiunciam ſyrupi roſacei addemus: ita ſi cauſa morbi fuerit materia lenta vel craſſa, morbus vero calidus: ſaltem ob putredinem vtemur quidem ſyrupo ex betonica, vel oxymelite compoſito, vel ſyrupo ex hyſſopo, prout valentioribus & imbecillioribus opus eſſe viſum fuerit, horumque vnciam apponemus, ſemiunciam vero cichoracei alicuius addemus. Semper enim ſcopis & indicationibus ſecūdum earum vim & robur accommodata ſunt medicamenta. Modi uero, quibus his ſyrupis vtimur, duo ſunt in vniuerſum: nam aut illis dilutis & fluidioridus factis ex aliquo liquore, vel humore: aut

A ſiccioribus, & citra miſtionē alterius humoris. Hæc autem differentia eſt inter vtrumque modum: quod cum liquidi & fluentes ſunt, ut citius diffluunt per gulam, & deſcendunt ad imum ventriculum, & ita facilius aſſumūtur, & digeruntur per uenas etiam anguſtiſſimas: cum vero citra dilutionem accipiuntur, cum ſint lentoris alicuius participes, in via & trāſitu ventriculo hærentes diutius immorantur: quo fit deinde, vt hac de cauſa, quemadmodum ſupra dixi, ſæpe illis in thoracis, & aliarum partium in eo contentarum affectionibus vtimur, non quidem dilutis: nam dum diutius in tranſitu moram trahūt, facilius penetrant, & tranſmutantur a ſpiritalibus membris, ſed & affectibus etiā ventriculi hoc pacto maiorem

B impreſſionem facere poſſunt. Ordo vero, quo illis ſolemus in curandis morbis vti eſt, vt fere ſemper a ſimplicioribus, & leuioribus incipiamus, & paulatim ad magis compoſita, & valentiora aſcendamus: nam mutationes repente factæ & confertim, naturæ moleſtiores ſunt, vtpote quæ ſint violentiores. Tempus autem opportnne his medicamentis accipiendis, quæ habenda ſunt liquidiora & diluta, videtur eſſe, cum vētriculus eſt inanis a cibo, & eatenus ante cibum, vt ante illum ingeſtum, acceptus ſyrupus, vel decoctum potuerit eſſe ad actum deductus, & iam de ventriculo defluxerit, & a venis meſeraicis fuerit aſſumptus: nam ſi dum cibus in ventriculo eſt, aſſumitur, miſcetur cum cibo, & confunditur, & eius facultas a cibo, & alio potu remittitur, cum diffe-

C rentis ſit naturæ & qualitatis. Præterea non attrahitur niſi poſt concoctum cibum ſimul cum eo, cui & hoc accedit, quòd ſi cum cibus coqui cœpit, accipitur, impedit, & remoratur concoctionem: ſicuti ſi ferculis dum coquuntur, aquam inſpergas: feruor earum intercipitur. Sed & id addemus, quòd ſyrupi, licet vim medicamenti in primis habeant, tamen & aliquid naturæ cibalis: quantū autem lædat alterum cibum ingerere, antequàm prior ſit confectus, & de ventriculo deſcenderit, nemo eſt qui neſciat. Vnde recte fieri putamus id, quod pleriſque locis ſeruari ſolet, vt eiuſmodi medicamenta, quæ ægrotis traduntur, ratione apparatus tam humorū quàm corporis, per tres horas uel circiter ante aſſumendum

D cibum detur. Noui tamen aliquos fuiſſe celebres medicos, quibus præſertim in affectibus capitis probabatur, vt iſtiuſmodi medicamenta poſt cœnam traderentur, eadem ſane ratione qua & catapotia. Sed mihi hæc illorū ratio ſatis inepta videtur, quia hæc medicamenta cum & ipſa a ventriculo aut concoquantur, aut ſaltem ab eius calore tranſmutantur dum in ventriculo coquuntur, non video cur minus eorum uapores aſcendant ad caput, quàm vapores, cibi: & cur minus cum per ſe coquuntur, quàm cum ſimul cū cibo. Quod ſi vapores eorū citra cibū poſſint aſcendere, & ſuā vim magis integrā ſeruent cum ſola ſint, quam cum confuſa in longe maiori ciborum mole: & licet illis hoc condonemus, quòd va-

E pores utrorumque mixti ad caput efferantur, longe tamen efficacior & validior erit medicamenti vis, quando ſeorſum tribuerimus, quàm quando erit cibo immixtum: non negabo tamen, quin quod interdū exhiberi aliqua medicamenta vtiliter poſſunt liquida etiā, vt eſſet ſyrupus ex ſucco cotoneorum & alter ſimilis: ſed id alia ratione, quam ut eius uapor ad caput referatur, ſed potius ut aſtringendo tū robur ori uētriculi tribuat, tum etiā ut potius reprimat uapores, qui aſcendentes caput replere poſſunt. Sicuti dyacitonite ſæpe uti ſolemus, alioquin uero magi expedit, ut hæc uētriculo ieiuno ſumātur. Sed queties, & quouſq; id genus medicamēti in curandis morbis uti oportet: Si minus modici, & parci fuerimus in uſu opportunorū medicamētorum, cum illis

vtamur, vt naturæ in conquendis & tranſmutandis humoribus laboranti opem feramus, aut illa non poterit, autem ægre tardeque vincet noxiam materiã: quatenus etiam ad auxilia medici pertinet, protrahetur etiam in longius euacuatio, quam ſibi moliẽdam propoſuit medicus, cùm ſit neceſſe concoctionẽ morari. Si verò immodici & nimij fuerimus, cum eiuſmodi medicamenta concoctionem iuuantia, plerunque vim præterea habeant digerendi, laxandique, reddent viſcera laxiora & imbecilliora: itidem de incidentibus, & detergentibus dicere poſſumus: ſed & caliditatis cum hæc eadem non ſint expertia, poſſent calidam temperaturam afferre, ſicuti e contra quæ refrigerant. Vnde monuit Galen. quòd medici imprudentes quandoque non curant morbum, ſed potius in affectum contrarium transferunt. Oportet autem in hac re primùm præ oculis habere primam indicationem propoſitam, & eatenus vti medicamẽtis, quatenus præſens erit res, quæ nobis eorum medicamentorum rationem indicauit, qua quidem remota ab huiuſmodi etiã medicamẽtis abſtinere oportet, immo interdũ neque eatenus illis incũbẽdum. Sæpe enim, vt dicit Galenus, natura ipſa citra vllum medicamentorũ vſum morboſa vitia corrigit, præſertim quãdo non ſunt amplius ingentia, quod nos quotidie experimur. Videmus enim quod poſtquam de morbi magnitudine non parum fuerit ope medici detractum, natura paulatim reſumptis viribus, quæ fuerant prius labefactatæ reliquias præcedentis morbi ſponte, & nullum exigens auxilium a medico, ſæpe abſumit: & hoc fortaſſe ſpectans Auicenna dicit, quòd non omnis ægritudo ſuo medicatur contrario: in multis enim ſufficit ſola regiminis bonitas. Rem autem hanc ſola prudentia, & peritia poterit moderari, ſed de ſyrupis iam ſatis.

De Trochiſcis, vel, vt Latini Dicunt, Paſtillis. Cap. VII.

TROCHISCORVM nõ eſt vna ratio, niſi quatenus ad eorum formam, & figuram, & confectionis modum pertinet: nam omnes ex aridis medicamentis tritis, & in puluerem redactis, moxque aliquo liquore, vt cohærere poſſint, aſſumptis, ac in orbicularem formam depreſſam lupinis fere ſimilem conficiuntur. Vnde Græce trociſchi, vel cycliſci, a Latinis Paſtilli dicuntur. Facultatibus vero, & modo, quibus illis vtimur, ſunt differentes: alijs enim vtimur interius per os aſſumptis, & detractis; alijs vero exterius adminiſtratis: quibuſdam vero vtroque modo. Sed hanc vſus diuerſitatem exponemus, cum de illis particulatim agemus. Primum enim hoc arbitror conſiderandum, quòd inter medicamenta quæ ore ſumpta vim habent corpus immutandi, præſertim attenuando, ſecando, digerendo, & exſiccando, aperiendoque: videtur trociſchorũ facultas, & vſus maiorẽ vim habere, ſeruata ſemper aliorum paritate: quia ſimplicia, ex quibus fiunt ſecundũ totã ſuã ſubſtantiã, & vniuerſas vires ingrediuntur: & præterea quæ ex plantis accipiuntur, ſi prius areſcant, & id ex arte fiat, aſſumpto aqueo illo humore, quem ſeruant, dum viridia ſunt, maiorẽ vim calefaciẽdi, vt Galenus ſępe dicit, & ſiccandi habent, & ſubinde attenuandi, & diſſecandi. Vnde multa eorum acriora arida ſunt, q̃ viridia, quod & de ruta, & de alijs herbis a Galeno fuit expoſitũ: quare in curatione febriũ putridarũ, Auicenna præcipit nunquã eſſe inchoandum curationem a trochiſcis, immo nonniſi poſt quartã decimã diẽ. Eorũ paſtillorum, quę deuo-

A rari ſolent, alijs pręſertim in febribus diuturnioribus vtimur, in quibus ventriculus, & iecur, & tandẽ omnia viſcera imbecillia fiunt, & multis obſtructionibus obſidentur, laxioraque ex multa pituita reddantur, q̃ a cruditatibus ex infirmitate quotidie genitis ortum habent. Vnde omnes ex illis conficiuntur, quæ aſtringendi & roborandi aliquã facultatẽ habẽt, & ex alijs, quę attenuandi, ſecandi, & exſiccandi, & calefaciẽdi. Alij etiã & illi multiplices ab authoribus deſcripti reperiuntur, qui aut in nullo, aut in raro ſunt vſu, quorũ vires ſunt partim vt refrigeſcant, aſtringantque, partim vt ſitim ſedent, quos non proſequemur hac tractatione, qua rationẽ eorũ medicamentorũ explanare polliciti ſumus, quæ in frequentiori vſu hac noſtra tempeſtate eſſe ſolent. In quibus ſunt trochiſci, q

B de roſis vulgo dicuntur, & ſub hac appellatione ſeruantur, quorum duæ ſunt compoſitiones. Ea quæ magis in vſu eſt, eſt illa, quæ trochiſcorum appellantur: ſimplicior enim eſt, & minus etiam valida: altera vero, quæ maiorum trochiſcorum de roſis dicitur, & valentior eſt, ex pluribus ſimplicibus conficiuntur. Prior in maiori vſu eſt, & plerunque paratur: conficitur autem ex roſis aridis pondere drag.iiij.

Radice dulci pondere, drag.v.

Spica nardi pondere, drag.ij.ſ.

Omnibus ex vino albo aſſumptis, fiunt trochiſci, qui ventriculum ex multa pituita laxante etiam emolliente languidum poſſunt reficere, roborare, & deſiccare fluxiones ad ventriculum, & iecur delatas: nam folia roſarũ arida exſiccant, aſtringuntq;:

C ſpica vero attenuat, calefacit, obſtructiones aperit, modeſte ventriculum calefacit, concoctoriam etiam modeſte omnium vitioſorum excrementorum facultatem habet: & vim habet ciendi lotia: radix etiam dulcis alicuius aſtrictionis particeps eſt, ſitim ſedat, & lenit omnes viſcerum aſperitates: diuturnis ergo febribus, in quibus multa pituita redundat, vtiles ſunt. His vero valentiores, & fortiores ſunt trochiſci, qui diarodon, hoc eſt, ex roſis nuncupantur, nomen tamen Græcum potius, quàm Latinum retinent, vt ab alijs diſcernantur, quæ ſuam a roſis appellationem habuere. Deſcribitur ſic à Meſue.

Accipe roſarum aridarum aureos.vj.

Spicæ nardi, aureos ij. Radicis dulcis, aureos

D iij. Ligni aloes, aureos ij. Spodij, aureum.j. Croci, ſemiunciam, Maſtichis, drag.ij.

& vino albo, omnia aſſumpta fiunt trochiſci.

In his priori confectioni additum eſt Aloes appellatum, vel agalochum, quod cum ſit aſtringentis guſtus cum quadam amaritudine, vt Dioſcorides dicit, vim habet obſtructiones aperiendi, roborandi viſcera, extenuandi craſſos humores, & humida ventriculi vitia emendandi, iecinoris doloribus ſuccurrendi: præter id quod Auicenna illi tribuit vim, ſcilicet, cordi roborando idoneam. Addit & ſpodium, quod Arabes Canæ appellant, eo quod ex quibuſdam cannarum radicibus combuſtis conficeretur, res (mea quidem ſententia) his temporibus ignota. Additur & parum croci, qui calefaciendi aliquan-

E tulum, & exſiccandi vim habet, &, vt ait Dioſcorides ciendi vrinam, præſertim vero coquendi quæcunque concoctione egeant: roborant ergo viſcera, aperiuntque hi paſtilli ſatis inſigniter*: excrementoſum humorem deſiccant, colliguntque laxiorem ex nimio humore redditum ventriculum: quare diuturnis febribus, quæ ad malum habitum, & aquam intercutem adducunt, ſunt maxime vtiles. Tertium ordinem obtinere poſſunt qui ex roſis maiores dicuntur a Meſue deſcripti, ita vero fiunt:

Recipe roſas aridas, drag.iiij.

Agalochum ad drag.ij. vel lignum aloes, vt Arabes dicunt,

Maſti-

Maſtiches, ſexquidragmam, Spicæ nardi, Cinnamomi, Caſſiæ, Schœnanthi, Abſinthij, ſing.drag.j.

Ex quibus tritis, & decocto quinque radicum cõmunium, & vino veteri aſſumptis, fiant trochiſci. In his præter decoctum radicum, in quibus eſt vis aperiendi inſignis, & lotia ciendi, ſuperioribus adduntur cinnamomum, caſſia, quorum quanta vis ſit in aperiendis, & roborandis viſceribus, & putredini obſiſtendi omnes norunt. Et ob id etiam in hoc deſcribendo non erimus multi, ſicut etiam in ſchœnantho & abſinthio. Sed his etiam validiores ſunt,qui a roſis & eupatorio appellantur:

Nam præter roſarum.drag.viij.
Et ſpicæ drag.iij.
Et Spodij,ſexquidragmam,
Et radicis dulcis.drag.iij.
Accipiunt rhabarb.drag.iiij.

Quod & mirifice obſtructiones aperit, & craſſas materias ſua amaritudine,& partium tenuitate attenuat, & detergit: vi etiam aſtringente laxata viſcera colligit, & roborat, excrementitiamque humiditatem deſiccat: aliquid etiam, ſi quidem paratum ad euacuationem,nulla vi ineptis illata euacuare poteſt. Accipiunt etiam Eupatorij ſucci drag.x. de quo ſatis in ſyrupis loquuti ſumus. Credimus enim in his nos & vero eupatorio Dioſcoridi, & noto Galeno vti poſſe, quod nunc agrimonium vocant, & Meſue etiam eupatorium. Nam licet in nomine Arabes decepti ſunt,in facultatibus tamen illius herbæ, vt potè quia ab ipſa experientia fuerunt edocti, non credo fuiſſe deceptos: quin & quod iecinori roborando, & aperiendo commodum ſit medicamentum nouerunt. Præſtantiſſimi vero in obſtructionibus aperiendis, & facile educendis humoribus,qui obſident obſtructa viſcera: illiſque roborandis, atque etiam lotio ciendo ſunt paſtilli, qui ex rhabarbaro dicuntur. Rhabarbari enim copia, quam accipiunt,longo interuallo,illa omnia ſimplicia ſuperat:

Accipiunt enim Rhabari.drag.x.
Succi eupatorij.drag.iiij.
Roſarum,drag.iij.
Aniſi.Rubiæ,abſinthij,
Seminum apij,Agarici ſing.drag.i.
Amygdalarum amar.drag.iiij.

Vnde apparet, quòd maiorem vim aperiendi habet, quàm ſuperiores & ciendi lotia: Nam rubia & aſſarum,apij ſemen, & ſpica ea facultate ſunt prædita, & ex ea rhabarbari copia maiorem etiam facultatem ciendi aluum habent. Vnde in diuturnis febribus,& illis,in quibus iam adeſt cachexia,atque ſubeſt futuræ aquæ intercutem ſuſpitio, optimi ſunt, & in multo vſu ſi rectè parantur. Sunt & ad eaſdem febres admodum vtiles, qui ex abſinthio dicuntur, & ipſi in frequenti vſu, quamuis qui à rhabarbaro dicti ſunt,valentiores ſint: ſiquis recte extimare voluerit, copioſius ſiquidem rhabarbarum illi accipiunt; hi enim conficiuntur,acceptis Roſarum,

Abſinthij,ſing.drag.ij.
Rhabarbari, Succi eupatorij,
Aſſari, Apij, Spicæ,
Maſtiches, Malabatri,
Amyg.amar.ſing.drag.j.

Illiſque ex ſucco endiuiæ aſſumptis. Sed de his ſicuti etiam de illis,qui ex eupatorio dicti ſunt, & in hunc modum componuntur, vt accipiatur mannę vel tereniabin, ſucci eupatorij vtriuſque dragmam vnam.

Roſarum,vncias quinque. Spicæ, drag.iij. Rhabarbari, Aſſari, Aniſorum,ſing.drag.ij.ſ. Spodij,drag.iij.

Componantur ex ſucco eupatorij, non multa di-

A cturi ſumus. Ex illis enim,quæ de alijs dicta ſunt facile,& horum vires, & robur percipi poteſt, quando ſuperfluum eſt in longiorem ſermonem hoc protrahere. Ad paſtillos autem ex capparibus tranſeamus, qui in plurimo ſunt vſu apud omnes fere in curandis affectibus lienis, præſertim in validis & antiquis illius obſtructionibus,& ſcirrhoſis tumoribus. Nam ex omnibus ferme medicamentis, quæ in his lienis affectibus,quos nuper recenſuimus, ſolent ab auctoribus plurimum commendari.

Accipiunt enim primum corticis capparorum, & agni caſti,vel viticis ſeminũ,ſing. drag.vj.quæ vtraq; attenuant, deterguntque inſigniter, cùm ſint tenuis ſubſtantiæ,vel partium tenuium, amaritudinis non expertia,cum aliqua auſteritate, quę indicat non deB eſſe aliquam vim aſtringentem, qua robur viſcerum ſeruari poſſit: quæ omnia ſunt vtilia & neceſſaria ad aperiendas viſcerum,& præſertim iecinoris, & lienis obſtructiones,& atterendos, diſcutiẽdoſque eorum tumores duriores,item accipiunt nigellæ,

Calamenti, Succi eupatorij, Acori, Amyg. amarar. Naſturtij, Ammoniaci, Florum rutæ, Ariſtolochię rotundæ,ſing.drag.ij.

Quę omnia,excepto ammoniaco,quod vim habet molliendi inſignem, quòd & ipſum durioribus affectibus commodiſſimum eſt, valenter attenuant,digeruntque: poſtremo accipiunt cyperi, ac ſcolopendrij vtriuſque drag.ij.quorum primum extenuat & inciC dit,cum modica quadam aſtrictione. De ſcolopendrio non eſt cur multa dicam, quia a liene tãquam ei medicamentum aptiſſimum a Græcis Aſplenon dictum eſt. Vnde valide confert ad tollẽdos induratos, inueteratoſque tumores eius & affectus, quòd non modo inferius ſumptum ex aliquo huic rei idoneo decocto,quale id eſt, cuius Meſue meminit, nempe ex radice capparorum, fraſſinique, & ex myricæ foliis,ex vino decoctis, cui decocto Gal.oxymel addidiſſet: nam in his affectibus eſſet nũquam pretermittendum acetum, mirificè prodeſſe poteſt: ſed & externis aliquibus oleis,vel ceratis exceptum & illitum non parũ ſolet eſſe vtile.Sunt & aliæ duæ trochiſcorum deſcriptiones, qui itidem tam exterius, quam interius adminiſtrati ſolent eſſe vtiles, & eandẽ vim D habent.Qui cum & ipſi in vſu ſint,& parati reperiãtur non ſunt ſilentio prætereundi:Habent autẽ conſimiles fere facultates. Ambæ enim poſſunt ſanguinem reprimere,& ſiſtere,vndequaque ille profluat, & id vel illinantur,vel deuorentur. Primum autem de illis agemus, qui a terra Lemnia, vel terra ſigillata nomen habuere,quorum author fuit Meſ. Et quia ſanguis fluens reprimi non vna facultate, ſed multiplici poteſt:nam & per refrigerantia, & per exſiccantia & agglutinantia, & per aſtringentia, vt ea etiam prætercam, quæ exurendo inducta quadam cruſta, quaſi operculo quopam præcludunt exitum fluenti ſanguini,nam his nullis in medicamentis locus videntur eſſe, quæ deuoranda, interiuſque ſumenda ſunt. E Si quis diligenter compoſitionem horum paſtillorum conſiderauerit,ex omnibus illis facultatibus conſtare facile percipiet:fiunt enim ſic:

Recipe ſanguinis draconis,

Gummi Arabici aſſati, Ramich medicamenti, Roſarum aridarum,& eorumdem ſeminum. Amylique aſſati, Spodij, Acatiæ, Hypociſtidis, Canapis, Lapidis hęmatitis, Balauſtiorum, Boli armeni, Terræ Lemniæ, Seminis canapis, Corallorum,Charabe, hoc eſt ſuccini,vel electri ſingulorum drag.j.

Margaritarum, Tragacanthi, Papaueris nigri, ſing. ſexquidragmam, Portulacæ aſſæ, Cornu cerui vſti, Thuris,Gallarum, Croci,ſing.drag.ij.

His omnibus tritis fiũt trochiſci ex aqua plãtagi-

nis, quibus agglutinant amilum, tragachãtum, nonnihil, & portulaca, quæ præterea & refrigerat, exſiccant cætera omnia, & eorum pleraque aſtringunt, imo, vt & magis exſiccent aliqua earum aſſantur: Nam aſſatio, vt Galen. ſępe dicit, ſiccitati & aſtrictioni addit, ſiccant autem refrigerant, & aſtringunt ſanguis draconis, roſarum folia, & ſemina, ſpodium etiam arabum, quicquid illud fuerit, ſiccat & refrigerat. Acacia autem, hypociſtis, lapis hæmatites, balauſtia, terra lemnia, corallus lapis, Margaritę, omnia refrigerant, ſiccant plus minuſue, aſtringunt. Sed & thus non ſine aſtrictione eſt, quamuis ea nõ multa ſit, adiuuat ad ſiſtendum præterea ſanguinem: tũ quia emplaſticam habet facultatem, tum vero quia etiam deſiccat: crocus vero & ipſe aſtrictionis eſt particeps, & exſiccat, quamuis calida hæc ſint: deſiccando: item & ſuccinum ſolet fluxiones ſiſtere, quamuis potius caloris quam frigoris videatur eſſe particeps: quod autem nigrum papauer refrigerando poſſit ſanguinem fluentem reprimere, nemo eſt qui non nouerit. Potens ergo in hoc officio præſtando eſt hoc medicamentum, ſi modo aliquibus aut non careremus, aut rariſſimè haberemus, aut etiam ficta ea non afferrentur: nam neque terram lemniam, neque bolum armenum me vnquam vidiſſe puto, quæ vera & fidelia ſint. Exiſtimo tamen terram illam, qua allata ex oris Orientis pro Armena vtimur, non fore inutilem, quia quæcunque illa ſit ſiue rubrica, ſiue quid aliud, refrigerat, deſiccat: præterea lentorem quendam habet: quibus nominibus etſi forſitan non ſit par bolo armenæ, illa tamen non multo eſt inferior. Valet autem medicamentum hoc non modo deuoratum, verum & per clyſteres, præſertim vero in affectibus dyſentericis iniectum ex rebus & decoctis huic rei accommodatis, immo & exterius ſi illis ex aliquo aſtringente ſucco, aut oleo illinantur particulæ, vnde ſanguis emanat. His vero facultate ſimiles ſunt paſtilli, itidem a Meſue deſcripti. qui ex Charabe ab eo dicuntur, quia accipiunt Charabe vt Arabes dicunt. Succinum vero, vel electrum, vt Græci authores. Vnde & Galenus ſeptimo de Compoſ. med. per loca, tradidit litteris confectionem paſtillorum, qui dialectim dicti ſunt, & in Aſclepiadem relati, qui maximè vtiles eſſe dicuntur ſanguinem expuentibus. Meſue hos ſuos dicit vim habere reprimendi ſanguinem vndecunque manantem. Sic componuntur:

Recipe Charabe partes ſex,

Cornu cerui vſti, quod dum vritur magis exſiccat, & aſtringit, Gummi Arabici, Corallorum vſtorum, Tragacanthæ, Acaciæ, Hypociſtidis, Balauſtiorum, Maſtichæ, laccæ, Papaueris nigri aſſi, ſing. partes duas, Thuris, Croci, Opij, ſing. partem vnam, & dimidiam,

Hæc compoſitio eſt caute tractanda, vtpote quæ non parum ſit ſoporifera, & quamuis in ea nigrum papauer, & toſtum imponatur, quod, vt tertio de Comp. med. per loca dicit Galen. propterea torruere antiqui medici, vt aliquantulum vim ſoporiferam remitterent, adeo tamen copioſum opium recipiunt, ſi quis ſupputauerit, vt valde ſoporificum ſit medicamentum: præſertim vero cum nihil accipiat, quòd vim aliquam inſignem habeat, qua poſſit ſe opio, & facultati eius opponere. De ſimplicibus autem, ex quibus fiunt hi trochiſci, nihil eſt, quod plura dicamus, quam quæ dicta ſunt in expoſitione priorum trochiſcorum, niſi quòd in his & lacca imponitur, ſiue illa ad cancamum Dioſcoridis, ſiue ad quidpiam aliud referatur: vnum tamẽ hic noto, quod cum vim habeat in primis ciendi lotia: & obſtructiones aperiendi, non videtur fortaſſe ſatis apta huius cum alijs commixtio. Poſſumus tamen huic rei reſpondere, quod duplici nomine poteſt, & hoc medicamentum in his eſſe vtile: primum quia ſiccat, deinde quia dum humores ad vrinarias vias mouet, rationem reuellentis auxilij ſibi comparat. Sed & hoc addo, quòd ſi illis vteremur in his, qui ex thorace vel pectore ſanguinem expuunt, neque priores, neque iſti poſſunt plurimum prodeſſe, niſi ex melle, aut ſapa, aut ſyrupo aliquo exhibeantur, quæ, vt Galen. ſeptimo de Comp. med. per loca dicit, eos ad particulas, quæ laborant poſſent perducere. Vltimo loco loquamur de paſtillis, qui ab Arabibus a Meſue, de Alchachengi [appellantur:] quæ eſt herba quam inter ſpecies ſolani recenſet tam Dioſcorides quam Galenus, eam Latini veſicariam dicunt, quia rubentes fructus ceraſis fere ſimiles, in quibuſdam quaſi veſicis ferant, Grę ci Phiſſalida, & Alicacabum nuncupant. Vnde & Paulus paſtillorum, quos διαφυσαλογῶν appellat, meminit: ſicuti Galen. in quinto de Comp. med. ſecundum genera, aliorum meminit ἀλικακαβῶν dicit. Hi vero, de quibus acturi nunc ſumus, multum laudantur in ardore vrinæ, & in renum & veſicæ vlceribus, & conficiuntur ſic:

Recipe fructuum vel granorũ veſicariæ, drag. iij.

Seminum cucumeris, Melonis indi, quem nos anguriam dicimus. Cucurbitæ, ſing. drag. iij. ſ. Boli armenæ, Gũmi Arabici, Thuris, Sanguinis draconis, Seminum papaueris albi, Amygdalarum amararum, Succi rad. dulcis, Tragacanthi, Amili, Granorum pini, ſing. drag. vj. Seminis apij, Succini, ſiue carbæ boli, Seminis hyoſciami, Opij, ſing. vnc. ij.

Fiunt autem paſtilli ex Iuleb, aut mulſa. In his trochiſcis eſt facultas deliniendi, demulcendique omnẽ lotij acrimoniam: nam primus medicamentorum ordo, nempe fructus vel acini veſicariæ, & tria illa maiora ſemina quamuis vim habeant ciendi lotia, refrigerando tamen, & ſubinde acrimoniam, quæ ſoboles eſt nitroſarum, & bilioſarũ partiũ, quæ mixtæ cum vrina feruntur, & abradunt, vellicãtque vias, per quos tranſeunt, obtundere & reprimere, & muliebri quadam humiditate demulcere poſſunt: ſed radicis dulcis ſuccus temperato calore, & humore reſiſtit acrioribus humoribus, & idem pineæ nucleus præſtare poteſt, qui lęuigare poteſt aſperitates ab acri humore excitatas. Semen autem papaueris albi, & hyoſciami refrigerando præter id quod mitigat ardorem, & acrimoniam obtundendo etiam quaſi ſoporatum ſenſum doloris ſæuitiam leuiorem reddũt. Thus maturando ſua facultate concoctrice non parum vtile poteſt eſſe. Tragacantha autem & gummi, & ipſa applanandi & lęuigandi vim habent: quia vero vlcera antequam ad cicatricem ducantur aliqua ſemper deterſione egent, ideo huic officio inſeruiunt amygdalæ amaræ, quæ præterea vna cum ſeminibus apij aliam commoditatem medicamento afferunt: nam cum alioquin ea, quæ diſſecant & attenuant, vt quarto Aph. dicit Galen. aduerſaria ſint renibus vlceratis, commoda tamen eſt intermiſtio eorum his medicamentis, quando non multa copia miſcentur: quia vt idem Galen. decimo de Comp. med. ſecũdum loca docuit, in cauſa ſunt, cur medicamenta primaria citius & facilius perueniunt ad vlcerata loca. Curant autem vlcera tandem quæ deſiccant, vt bolus armena, & altera etiam bolus, quæ miltos quoque, vel macra a medicis dicitur: & ſanguis draconis, ſuccinumq; præterquam quod & fluxiones ad vlceratam partem inhibent, vt antea etiam fuit a nobis expoſitum. Sed & hoc iſtis eſt addendum. Nempe ꝙ duobus modis ſolent hi paſtilli confici: aliquando enim iniecto opio, aliquando citra illud. opium videtur neceſſarium quando tanta eſt ſæuitia doloris, vt ferri nequeat: aliquando enim adeo excreſcit, vt & fe-

bres,

bres,& animi deliquium adducat & vires deijciat: ſi vero facile fertur dolor, præſtat citra opium illis vti. Innumeræ ſunt præter has dictas paſtillorum differentiæ, quæ vel non ſunt nunc in vſu, vel ſi quis illis vti velit, illis cũ iſtis, de quibus ſumus nos nũc loquuti collatis, facile erit & eorum rationes percipere. Sunt & alij, qui potius exterius adminiſtrari ſolent, & præcipue in externis vlceribus curandis, quæ ad præſentem locum non pertinent.

De alijs medicamentis interius ſumendis, vt electuaria, vel confectiones, quibus ad alia munia quàm ad purgationem vtimur.

Cap. VIII.

ELectuarium vocabulum eſt medicorum Arabum, ab eo fortaſſe deductum, quia ex electis, & præſtantioribus ſimplicibus fieri ſoleant, vt efficaciora deinde ſint, quod vocabulũ retinent & noſtri medici, qui Arabas in medicina vndequaque ſequũtur, Græci vero quantum ex Gal. lectione aſſequi poſſum hęc omnia medicamenta Antidotos appellarũt. In primo enim libro de Antidotis ſtatim in principio quid ſit Antidotus hoc modo declarat. Quod C eſt id genus medicamentorum, quod non exterius adminiſtratum, ſed intra aſſumptum malas corporis affectiones ſanare poteſt, præſertim verò diuturnas: addidit ille idem ſecundo libr. Vnde & triplices Antidotorum differentias exponit, quia aliquæ veneno epoto opem ferunt, aliæ venenatis ferarũ morſibus auxilio ſunt, aliquæ morbis ex mala victus ratione excitatis, vtilem operam præſtare ſolent. Quamuis aliqua etiam reperiantur antidoti, quæ triplici nomine, & triplici hoc officio celebres ſint. In quibus quæ Theriaca præſertim dicuntur, cuius Andromachus fuit author, tum verò Mithridatica primum habent locum. Sed de illis antidotis, quæ ad duas priores differentias pertinent, non ſumus longiorẽ ſer- D monem habituri: ſed tantum hæc pauca ſatis erunt, quæ ad noſtrũ inſtitutũ pertinẽt, quòd de venenorũ vel venenoſorum alimentorum remedijs, aut curatione ad præſentem libellum agere, ſpectare non videntur: quia tamen compoſita medicamenta, quæ præſentanea ſunt vtrique generi venenorum, pręſertim cõficiuntur ex pluribus aromaticis, ac alijs quoque quæ ſimilem cum aromatibus vim habent in calefaciendo, attenuando, & aperiendo, præter eam facultatem, qua priuatim venenoſæ qualitati aduerſantur: Ideo veniunt ſæpe & in vſum alijs, vbi nulla eſt veneni ſuſpitio, præſertim verò in affectionibus diuturnis interdum capitis, interdum ventriculi, iecorisq; atque aliorum viſcerum, ſępe vteri, & articu- E lorum, & id maxime cum a craſſis, & frigidis ſuccis oriuntur: nã hæc medicamẽta vi magna attenuandi, digerẽdi, & quaſi atterendi craſſos & pertinaces humores prædita ſunt, præter id, quod & robur addũt natiuo calori: ipſis tamen non ſolemus vti inter initia horum affectuum, & non niſi prius aliquantiſper expurgato corpore, & apparatis humoribus per coctionem: alioquin enim exagitant ineptos & multos humores, quos cum ob eorum pertinaciam non poſſint facilè ſuperare, maligniores & importuniores reddũt, quod ſæpe quartanarij experti ſunt, qui ante concoctionem corporis expurgationem theriaca vti volunt, & quartanas duplicarunt triplicaruntve,

A imo & interdum in continentes mutarunt, cum tamen in vſu alij, qui ea opportuno tempore ſumpſere liberati fuerint. Sed hac tantum tanquam communi regula his omnibus propoſita, tranſeamus ad tertiam antidotorum differentiam, quæ magis inſtituto noſtro eſt opportuna, eas nempe antidotos continẽte, quæ morbis excitatis à mala victus ratione curandis accommodatæ ſunt. Et quia in electuarijs ab Arabibus dictis eſt etiam magna pars eorum medicamentorum, quæ vim purgatoriam habent, de illis nunc nullam faciemus mentionem: quoniam de his ſatis in priore libro egimus. Quæ ergo nobis exponenda reſtant duplicia ſunt: alia enim primum affectus primarios reſpiciunt, aliqua verò magis ſunt ex- B cogitata, vt aliqua ſymptomata: quando illa adeo excreſcunt, & ſæuiunt, vt maius negotium faceſſãt quàm morbus, reprimãt & mitigent. In quibus præcipuum locum tenet dolor, qui pro ſæuitia ſua ſæpe cogit medicum, deſtituta omni ratione curandi affectus incumbere repreſſioni, & mitigationi doloris, præſertim verò medicamentis illis, quæ tepore vel ſopore inducto hebetant facultatem ſentiẽdi, vt nequeat doloris cauſam percipere. Sed de iſtis poſteriorem faciemus tractationem: priorem verò de his, quæ primum reſpiciũt affectus, & eorũ cauſas. Quia verò omnes hæ antidoti, ſiue electuaria conficiũtur ex aridis ſemper ferè medicamentis in puluerem redactis, ac mox ex melle aut ſaccharo aſſumptis, & ex ratione artis decoctis, quamuis ex ſaccharo hæc me- C dicamenta componi Arabũ fuit inuentum: antiquiores enim non eam copiam ſacchari, neque id in tanto vſu habuere, ſed melle ſolum in his vtebantur. Vnde antiquis medicis vnus tantum erat modus conficiendi Antidotos, nempe in forma teneriori, ſimile illis, quæ eclegmata quaſi delinctus dicas, à Græcis dicitur. Arabes autem ſacchari vſum in his cõponendis medicamentis introduxere: & duas etiam formas, vel modos conficiendi hæc medicamenta introduxere: alterum a priori non diſſimilem, dum per mel aſſumunt pulueres ex aliquo ſyrupo, vt infra dicemus: alterum verò qua ſaccharum ex aqua diſſoluunt, deinde coquunt, & aliquanto etiam plus coquunt quàm ſi ſyrupus eſſet conficiendus: D nam cum magis excoctum fuerit ſaccharum refrigeſcens poſtea concreſcit, & indureſcit: ſed paulò antequam refrigeſcat, placentulas confingunt, aut rotulas: interdum verò quoſdam quaſi morſus ſeplaſiarij morſellas vocant. Medicamenta autem in hunc modum conformata, Confectiones appellant: nam vulgares dulciora, quæ in vſu ſunt in bellarijs in ſplendidioribus conuiuijs, confecta vel confectiones appellãt ex ſaccharo factas. Sed & hoc antequàm magis particulatim rẽ tractemus, iuuenes aduertant, quòd cuicunque libræ mellis vel ſacchari addunt binas vncias pulueris, quamuis antiquioribus temporibus (qui tyrones adhuc ſunt) vt eſt communis medicorum opinio, trinas vncias puluerum, libræ ſac- E chari vel mellis inijcere ſolerent, vt quadruplum eſſet ſaccharum vel mel ad pulueres: noſtris autẽ temporibus ſextuplum eſt. Hoc verò introductum eſt, vt minus ingrata eſſent medicamenta aſſumentibus, quamuis habeant poſtea vires minores. Noſtra enim hac tẽpeſtate, magis indulgemus delicatioribus moribus hominum, quàm priſci faciebant. & hac etiam cauſa commenti ſunt medici rationem conficiendarum harum, quas confectiones vulgo appellamus. Sed & hoc addamus, quòd cum tota fere vis horum medicamentorum deriuetur ab aridis medicamentis, ex quibus fiunt pulueres, & eorum maxima pars vim potius exſiccandi habeat, ideo id genus medicamentorum quatenus ad primas qualitates pertinet,

net, potius deſiccant, quàm humectant: In alia autem contrarietate alia calefaciunt, alia refrigefaciũt. Vnde in ſiccioribus affectibus, quantũ ad id ſpectãt, nõ eſt admodum vtilis eorum vſus, niſi aliquid aliud ſit adiũctũ, quod aliquã indicationẽ maioris momẽti haberet, vt eſſet laxitas, vel imbecillitas, vel frigus, vel calor alicuius viſceris, & maioris faceremus robur, quod horum vſu eſſet addendum illi particulæ, quàm deſiccationem, cui alia ratione poſſemus deinde occurrere. Neque illud præterea omittendum, nempe quòd cùm mel ſit calidius aliquanto ipſo ſaccharo, & magis etiam aliquanto deſiccet, & detergat; ideo medicamenta ex melle confecta, aliquanto vires maiores in his habent, vbi calefaciendum ſit, & attenuandum, vel digerendum & detergendum. Nõ ſolùm autem hoc medicamentorum genere vtimur, propter corrigendas intemperaturas, præcipue vero humidas aut frigidas aut calidas, ſed & propter multa alia commoda. Aliquando enim vt aſtringendo, & colligendo laxiorem ſubſtantiam particularum, illis robur addamus, & interdum vt reprimamus influentes humores. Ad hoc autem opus ea præſertim idonea ſunt, quæ conſtant illis ſimplicibus, quæ aſtringentis facultatis non ſint expertia: aliquando vero vt craſſos, & lentos humores attenuemus, & digeramus, ſi qui ſint in ventriculo aut inteſtinis, aut in alijs vijs communibus, atque ita ſubinde obſtructiones aperiamus, cui muneri opportuna ſunt, quæ ex medicamentis calidis, & tenuis ſubſtantiæ facta ſunt. Vnde ſæpiſſimè hæc eadem, vim flatus diſcutiendi, diſſipandique retinent; ſed magis particulatim rem agamus, & incipiamus a facilioribus illis, quæ potius refrigerant, & ita ad temperatiora progredientes, ad calidiora tandem perueniemus.

QVIA vero duo medicamenta his temporibus ſunt maximè in vſu frequentiſſimo: alterum quidem, quod maximè commodum eſt in calidioribus affectionibus naturalium viſcerum, præſertim vero ventriculi & iecinoris, quamuis nec parum vtile eſſe poſſit cordi calidiori intemperie laboranti. Et hoc Diatriõſandalon nunc dicitur, quamuis etiam Triaſandali vulgo dicantur, accepta appellatione a triplici ſandalorum genere, vnde maiori ex parte conficitur. Alterum vero, quòd affectionibus gutturis, faucium aſperæ arteriæ, & harum partium aſperitatibus maximè conducit, atque a tragacantha, quod ſimplex præcipuum ferè eſt, in hac confectione nomen ſortitum eſt. Diatragacanthum enim dicitur. Sed de priori primum, mox de hoc loquamur.

Accipit ergo primum trium generum ſandalorum:

Alborum, Rubeorum, Luteorum, Itemque roſarũ aridarum, Sacchari, ſing. drach. vj. Rhabarbari. Spodij, Succi radic. dulcis, Seminis portulacę, ſing. drach. iiij. ſ. Amili, Gummi Arabici, Tragacanthæ, Seminum melonis, Cucumeris, Melonis Indi, Cucurbitæ, Scariolæ, ſing. drach. iij. Camphoræ, ſcr. ij.

His commixtis & tritis duplex deinde eſt modus confectionis: primus veteribus conſuetus, & à Nicolaõ deſcribitur: Ille enim omnia hæc medicamenta aſſumit ex roſaceo ſyrupo, ea copia quæ poſſit eſſe ſatis ad dandam illi formam eclegmatis, vel, vt aiunt, electuarij. Nunc tamen paſſim in ſolidiori compage factis placentulis, vel rotulis, hanc confectionem parant: Accipiunt enim ſaccharum, & aqua macerant, præſertim verò roſacea, donec diluatur diſſoluaturque: poſtea in vaſe conſueto, quo coqui ſolent id genus medicamenti, decoquunt quantum ſatis eſt: poſtremò additis pulueribus, probè commiſcent, & facta proba commixtione effundunt in paratum inſtrumentum, efformatum in formam rotularum, vel placentularum. Eſt verò in hac forma magis in vſu, quia eſt magis hæc grata ægrotis. Non enim ita videtur ſpectantibus habere medicamenti effigiem, gratior deinde etiam guſtu aſſumentibus. Maxime vero, vt dixi, affectionibus calidioribus iecinoris, & ventriculi, & cordis, quibus præ laxitate ſubſtantiæ accidit imbecillitas; vtile eſt medicamentum, & præterea capite dolentibus, præſertim vbi a bilioſa materia oritur dolor: refrigerat enim non exigue, nam ſandali & roſæ ad ſecundum gradum refrigerãtium aſcendunt, quamuis non deſint iuniores, qui in dubium reuocauerint an ſandalij refrigerent, necne; quia tamẽ alij quicunque authores eorum notitiam habuere: (nam Græcis & antiquioribus videtur hoc medicamentum fuiſſe ignotum) volunt omnes eos eſſe facultate frigidos, & quicunque eis vſi ſunt, tanquam refrigerantibus ſunt vſi; Præterea vero ex Auicẽna in octauo de Viribus cordis aliquam habent aſtrictionem, qua laxa viſcera colligere, & roborare poſſunt, pręter id quod, vt idem Auicenna cui & Arabes ſubſcribunt, ſpirant odorem quaſi aromaticum, quo ſpiritus omnes in primis reficiuntur & roborãtur. Vnde roborata omni ferè ratione membra, non facile defluentes excrementoſos humores præſertim vero bilioſos admittunt. In hoc etiam adiuuat rhabarbarũ, quod præter vim roborandi, præcipue vero ventriculum & iecur, quam habet aſtringendo: tenui etiam ſua ſubſtantia & calida, poteſt ſiquid iam defluxerit partim digerere, partim quoquomodo inferius ad inteſtina ducendo, ea qua præditum eſt facultate leuiter aluum ſoluendi, influentes bilioſos humores deriuare. Sed ſemen portulacæ refrigefacit & ipſum ſicut portulaca cum aliqua aſtrictione, vnde omnes affirmant, portulacam plurimum valere æſtuanti ventriculo, & alijs viſceribus, ſemina vero illa, quæ maiora frigida a noſtris medicis appellantur, quod refrigerent omnibus eſt in confeſſo: ſed & ipſa cum ſoleant ad vias vrinæ fluentes humores mouere, aliquam etiam rationem deriuandi habent. At vero quia bilioſus humor præter caliditatem, poteſt ſua acrimonia vehementiores in viſceribus excitare dolores, pungendo, mordendoque, & quaſi exaſperare: ideo iure merito Auctor iſtius confectionis huic incommodo conſulens, addit ad illum ſuccum radicis dulcis, gũmi & tragacãtha, qui applanare & demulcere poſſunt omnem aſperitatem, & omnem etiam acrimoniam obtundere: hebetareque, & morſum demulcere. Camphora vero & refrigerat, & ſpiritibus familiaris eſt, quæ autem vis ſit ſaccharo, nẽpe leniendi detergendique, in qualitatibus vero actiuis ferè ad temperiem vergẽs, pręter id quod bonum & gratum ſaporem guſtui conciliat, omnibus eſt ferè notum. Quid plus habere poſſit, ſi ex ſyrupo roſaceo aſſumpti ſint pulueres, & in modum electuarij diducti, facile norit, qui eorum, quæ de ſyrupo roſaceo ſupra dicta ſunt, meminerit: quod tamen non eſt multum in vſu. Diatragacanthum vero, quod a Nicolao & proponitur, & deſcribitur, & his temporibus eſt in vſu frequentiſſimo, atque vbique paratum reperitur: & quamuis ſi ſpectare vellemus ad modum, quo hoc medicamento vti ſolemus & debemus, & ad eius officium, magis fortaſſe pertinere videretur ad eorum medicamentorum ordinem, quæ eclegmata à Græcis, ab Arabibus vero & noſtris Loch dicuntur, quod medicamentorum genus in affectionibus præcipue membrorum, quæ reſpirationi famulantur, in vſu eſt: maxime enim proſunt, dum paulatim, frequenterq; deliguntur, facilius ſiquidem dum paulatim & iugiter per gulam feruntur delincta aliquid ad aſperam arteriam, quaſi abſorptum trãsfluit, ac ita

ad pulmones & thoracem defertur: nam alioquin quando confertim in ventriculum confluunt, in ueloci illo tranſitu nihil, quod inſigne ſit ad internas thoracis partes permeare poteſt, quòd ſi deinde morandum poſtea tantiſper eſt, donec medicamentum per venas digeſtum pertingat, ad affectum locum in thorace, adeo longa eſt via, per quam illi eſt tranſeundum: vt interim ita tranſmutetur in itinere ab ipſis particulis, quod nō multas vires, cum eo peruenerit, ſeruare poſſit. Vnde quamuis fiat hoc medicamentum, de quo nunc ſumus loquuturi, forma & compage ſolidiori, & duriori, perinde vt medicamenta alia, quæ vulgo confectiones dicuntur: non tamē ita manditur, & deuoratur, vt illa, ſed diutius in ore vel ſub lingua detinetur, donec a ſaliua molitum liqueſcit, paulatimq́ue quaſi delinctum defluat vt eclegmata: nos tamen ſequuti potius formam, & ſubſtantiæ modum in hunc ordinem retulimus illum. Componitur ſic.

Recipe tragacanthę. vnc. ij.

Gummi. vnc. j. & drag. ij. Amili. vnc. ſ. Radicis dulcis. drag. ij. Seminum melopeponum, Cucumeris. Cucurbitæ, ſing. drag. ij. Penidiarum, drag. iij. Camphorę, ſcrup. ſ. Syrupi violacei, quantùm ſatis.

De his ſimplicibus, ex quibus hoc medicamentum conſtat, ſupra ſatis dictum eſt: quare patet vires huius medicamenti eſſe, vt poſſit refrigerare, lęuigare exaſperatas partes, præſertim fauces, guttur, aſperam arteriam: præterea reprimere acrimoniā fluentium deſtillationum calidarum, & acrium, & eas tēperare, & delinire. Vtilis ergo præcipuè eſt deſtillationibus iſtius generis, & tuſſi ab ea excitatæ. Diacodion vero, quòd ex capitibus papaueris fit, à Græcis dicitur & Arabibus, & Latinis. Eſt autem frigidius medicamentum priori ex tragacantho, & in quo vt maior eſt vis refrigerandi, ita & ſiſtendi ſubinde fluentes deſtillationes, & illas incraſſandi. Non eſt autem vna eius forma, vel confectionis modus, neque quatenus ad ea, ex quibus fit, neque quoad modum ſubſtantiæ, vel compagis, ad quam redigitur. Fit ergo primo ſic, vt maceratis capitibus papaueris, quæ mediocris ſint magnitudinis, & neque omnino viridia & recentia, neque omnino arida: nam in aridis ferè ſuccus deſiccatus & abſumptus eſt: in viridibus vero ex ſeptimo de Comp. med. per loca, aqueus humor nimis vires medicamenti languidiores reddit: maceranda autem ſunt hæc capita, numero x. in ſextario aquæ pluuiæ, vel fontanæ, hoc eſt in libris ij. & ſemiſſe alterius per diem naturalē integrā moxq́ue coquenda: & nōnulli præſcribunt cocturæ modum ex partibus aquæ per coctionem abſumendis: nam alij, quibus ſubſcribit Meſ. ad tertiam aquæ partem abſumptam coquendam eſſe dicit, alij plus minus, Galenus dicit quod eatenus ſunt coquenda, donec tenera, & flaccida euadāt, mox colanda & exprimendus eſt eorū ſuccus vniuerſus, vtpote in quo ſit vniuerſa vis, quam requirimus: mox addito melle aut ſapa, ad eam menſuram, vt decoctum horum capitum ad mel, vel ad ſapam duplum ſit: iterū deinde coquitur ad ſyrupi conſiſtentiam, vt perinde ſyrupi coquuntur. Hoc autem modo confectum medicamentum, alij purum Diacodion, vt Meſue appellat, alij ſimpliciſſimum. Cuius facultas eximia eſt ad ſiſtendas præcipites deſtillationes omnes: vim enim non modicam habet refrigerandi, & incraſſandi, vt omnes norunt, quibus natura eorum, ex quibus fit, nota etiam ſit. Eius vero vſus vtilis eſt inter initia, ſiue tenuis, & calida ſit deſtillatio, ſiue frigida, & craſſior. Sed tu dicis, cum refrigeret, & incraſſet deſtillātem materiam quomodo poteſt eſſe vtilis eius vſus in frigida, & craſſa materia? Dico quòd fluxiones præcipites, & quæ confertim fluunt, non poſſunt

A eſſe admodum craſſæ: nam craſſi ſucci non multum fluxiles, & mobiles eſſe poſſunt, ſed mox in locum, in quem defluunt, craſſeſcunt, vel digeſtis tenuioribus illorum partibus, vel alia ratione: & præterea lenteſcunt: & hoc ſpectantes præſtantiſſimi Medici præſertim vero Galenus, duplicē excogitarunt eius confectionem, nempe, quia aliquando ex melle, aliquando ex ſapa conficiunt: quando fluxio frigidior eſt, & craſſior, ex melle componunt, quod calidius aliquanto eſt, & detergit, & attenuat: vnde pro facultate capitum papaueris poteſt fluxionem intercipere. Ex melle autem defluxam iam materiam, maxime autem ad pulmones, & thoracem, vbi maxime craſſeſcit attenuando, & digerendo parare ad B facilem excretionem. In calidiori vero tenuiorique deſtillatione, vtilior eſt, ſi ex ſapa conficiatur, quippe, quæ neque calida vt mel ſit, neque attenuet. Sed & id notandum, quod ſi ea duntaxat, quæ hactenus dicta ſunt conſiderentur, videtur potius medicamentum hoc ad ordinem ſyruporum pertinere. Sed quia & alio modo in præſentia a ſeplaſiarijs paratur, & in vſu venit, nempe, quòd ex ſaccharo fieri ſolet, & eo adeo excocto, vt concreſcens in placentulas, vel rotulas confingantur, perinde, vt alia medicamenta, quæ confectiones dicuntur. Ideo eius tractationem in hunc locum diſtulimus: nam ſaccharo pro ſapa, vel melle vtuntur, atque in hunc modum factum, facultate inter primum, quod ex melle fit, & illud, quod ex ſapa medium eſt: quia ſaccharum minus attenuat, C & detergit, quam mel, magis vero quam ſapa. Vnde huiuſmodi forma vſus eſt eius frequenter, cum neque in tenui, & calida, neque in frigida, & craſſa adeo poſſit lædere, vt aliæ duę compoſitiones, ſed in vtriſque poſſit eſſe vtilis quamuis non ita efficax in frigida vt prima, neq; in tenuiori vt altera. Præterea vero hæc tertia eſt guſtui gratior, & ſuauior. Cum vero propter vitia thoracis, & pulmonis hoc medicamento vtimur, eo vt Diadragantho, & alijs medicamentis vtimur, nempe vt in ore diutius detentum, & liqueſcēs paulatim deglutiatur, vt delinctus, vel eclegmata. Conſueuere autem Medici Antiquiores ex eodem ſeptimo de Comp. med. ſecundum loca, huic medicamento dum id, additis melle, vel ſapa co- D quendo abſoluunt, alia inijcere, vnde fiat efficax ad reprimendum ſanguinem, ſputo, vel vomitu reiectatum ex aſpera [arteria] vel fracta, vel corroſa vena in ſpiritalibus partibus, vel etiam alijs viſceribus: cuius additionis, & Meſ. meminit: inijciunt autem aſtringentia, vt ſunt acacia, hypocyſtis, crocus: alij pręterea, & thus, & myrrham: quidam, vt Meſ. balauſtia rubiam, & medicamentum quod ramich Arabes appellant, inijciunt quotæ cuique librę medicamenti horum ſing. vt ait Meſ. drac. j. Poſſemus autem præſertim vbi ab acri, & calida fluxione oriretur ſanguinis reiectio, nos armenā bolum, vel terram Lemniam, aut hæmatitem lapidem, vel id genus huiuſmodi addere. Sed iam ad illas confectiones tranE ſeamus, quæ licet in aliquod frigus inclinent, à temperamento tamen parum recedunt: primum autem de illa loquamur, quæ a roſis Diarhodon dicitur, cuius duplex reperitur deſcriptio, vna Meſ. quæ communis dicitur, alia Nicolai, quæ in Abbatis cuiuſdā gratiam fuit compoſita, a quo, & cognomine ſortitum eſt [nomen:] vulgo enim Diarhodō Abbatis dicitur. Et licet aliqui interdum etiam illa communi vtantur, altera tamen magis vulgata eſt, & in maiori vſu, quæ differunt, quod prior aliquanto frigidior videtur. Abbatis vero temperatior, quamuis non ſit inſignis inter ipſas differentia.

Conſtat autem prior cōmunis ex drac. xxx. foliorum roſarum aridarum, trochiſcorum vero Diarhodon, trochiſcorum item ex ſpodio, pręterea, &

radicis dulcis ſing. dr. iiij. Garyophyllorum, Galliæ moſchatę, Trium ſandalorum, ſing. dr. iij. Spodij, Croci, Maſtiches, Ligni aloes, ſing. drag. ij. Aſſari, Spicæ indæ, Maceris, Cardamomi, Seminis portulacæ, Lactucæ, Scariolæ, Cucumeris, Cucurbitæ, Melonis, Citruli, Margaritarũ Alfehen, Geſnich, Ozimuni, interpretantur Raſuræ eboris, Tragacanthi, Gummi Arabici, ſing. dr. j. Camphoræ, ſexquidragma, Moſchi ſcrop. ſ.

Materia cōfectionis eſt ſyrupus, qui fit ex aqua roſacea, & ſaccharo. Vnde patet, quod Meſ. conficiebat in formam, & compagem Antidoti, vel vt nunc aiũt, electuarij, ſicut & ſuum Nicolaus, cuius compoſitio ita ſe habet:

Recip. Sandalorũ alborũ, Rubeorum, ſing. dr. ij. ſ. Tragacanthi, Gumi Arabici, Spodij, ſing. dr. ij. Aſſari, Spicæ, Maſtiches, Cardamomi, Croci, Ligni Aloes, Garyophyllorũ, Gallię moſchatę, Aniſorũ, Fęniculi, Cinnamomi, Succi liquiritiæ, Rhabarbari, Seminis baſiliconis, Berberis, Scariolæ, Portulacæ, Maluæ, Lactucæ, Papaueris albi, Cotoneorũ, Citruli, Mellonis, Cucurbitæ, ſing. ſcr. j. Margaritarum, Oſſis ex corde cerui, ſcr. ſ. Saccari candidi, Foliorum roſarum, ſing. vnc. j. & drag. iij.

Materia verò, qua aſſumenda ſunt omnia, & commiſcenda in hac confectione eſt itidem ſyrupus ex ſaccharo, & aqua roſacea, vt ad formam, vel compagem antidoti deducatur. His tamen temporibus ſyrupo vlterius excocto cōfingunt placentulas, vel rotulas, aut etiā morſus, vel vt vulgo dicũt Seplaſiarij, morſellas. Quamuis autem nunc in frequentiori vſu ſit Diarhodon Abbatis, quia tamen viribus, & natura vtrumque proximum eſt, ideò de vtroque vna, & eadem tractatione, breuiter loquemur. Si omnia ſimplicia, ex quibus hæc medicamenta fiunt, ſeorſum examinemus, ac eadem mox ſimul mutuoque conferamus, facile videbimus, ea quæ refrigerant copia, & numero alia vincere, quamuis nō multo interuallo: & ideò vniuerſum medicamentum refrigerabit quidem, vt tamen non inſignis admodum ſequatur inde refrigeratio, ſed modeſta. Cùm verò ex diuerſis ſimplicibus conſtet, & illis natura, & facultate differentibus, ipſum quoque non ſimplices, ſed potius multiplices vires, quibus laborantibus viſceribus, præſidio eſſe poteſt, retinebit: nam ex multis calidis conſtat, quæ tenuis ſubſtantiæ, & tenuium partium ſunt, quæque illi facultatem impartiri poſſunt, attenuandi, digerendi craſſos ſuccos, deſiccandi excrementitium humorem, qui laxando languida reddit viſcera: præterea verò aperiendo eorum obſtructiones: multa etiam inſunt, quæ cùm vim ſatis inſignem habeant ciendi lotia, ea ratione poſſunt educere reliquias vitioſorum humorum, ſi quæ iam inclinantibus morbis reliquæ ſint. Sunt quoque multa aſtringentia, quæ poſſunt aſtringendo, & colligendo, laxiorem, & languidiorem viſcerum ſubſtantiam roborare: præterea verò cùm nullam habeāt ingratam qualitatem, non odorem, non ſaporē, non quippiam aliud, quod faſtidium poſſit aſſumentibus afferre, maximè commodum eſt medicamentum conualeſcentibus, præſertim faſtiditis, iam à præcedentibus medicamentis tam purgantibus, quam alterius generis, quæ ingrata admodum ſunt: vnde vtile eſt ad finiendas reliquias morborũ, præſertim calidiorum, cùm poſſit, ſi quid relictum ſit calidæ intemperaturę in viſceribus, tanquam fomentum quoddam morbi præcedentis illud paulatim tollere, reliquias obſtructionum auferre, roborare languidiora viſcera: præterea verò ventriculum, & iecur, quamuis & capiti non ſit inutile, & cordi, cùm multa recipiat, quæ illi commoda ſunt, quæque eius ſpiritus quoquomodo fouere poteſt. Nolumus autem omnia ſimplicia ſingulatim exponere, ne nimis longi ſimus, maximè cùm de pluribus illorum ante loquuti ſimus. Reliquorum verò vires, facultatèſque clarè à Galeno, Dioſcoride, & alijs fuerunt explanatæ. Modus verò eo vtendi idem omninò eſt, qui & aliorum id genus antidotorum, nempè vt manè, & ieiuno ventriculo accipiatur, ita vt ante ingeſtum cibum poſſit a natura in actum deduci. Alias antidotos exponendas alterius naturæ, & temperaturæ, nempè calidæ aggrediamur: quæ valent ad corrigenda vitia, quæ oriuntur a frigida intemperatura in frigidis tempeſtatibus: calefaciunt enim, attenuant, & digerunt reliquias frigidi, & pituitoſi excrementi: præſertim verò ventriculo, & reliquis viſceribus inſidentis, & flatus inſigniter diſcutiunt: nam & multis aromatibus cōſtant, & alijs præterea medicamentis, quæ fundatam habent caliditatem in partium tenuitate. Sed eorum etiam pleraq; multa recipiunt, quæ aſtrictionis ſunt expertia, & proinde roborant colligendo languidiora, & laxiora viſcera. Incipimus autem a temperatiori in hoc ordine, quod aromaticum roſaceum nuncupauit Meſ. deducta appellatione a roſis, quarum inſignem copiam aliarum cōparatione recipit, tum verò a multis aromatibus, ex quibus conficitur, niſi quis dicat, ab aromatico odore, quem ſpirat eſſe in hunc modum vocatum. Sed quomodocunque res ſe habeat; parum refert: ex multis autem deſcriptionibus quas Meſue refert, ea ſolum eſt in vſu, quā ipſe in Gabrielem auctorem retulit. Conſtat verò his:

Recip. Roſarum aridarum drag. xv.
Radicis dulcis drag. vij. Agalochi, vel ligni aloes, Sandalorũ citrinorũ ſing. dr. iij. Cinnamomi electi drag. v. Maceris, Garyophyllorũ, ſing. dr. j. Spicæ ſcr. ij. Moſchi ſcrup. j. Ambræ ſcrup. ij.

Materia verò, qua hæc omnia in puluerem redacta poſt concoctionem in formam Antidoti, vel electuarij aſſumatur: ſunt ſyrupus roſaceus, & qui ex corticibus citri fit, pari copia; quamuis in frequentiori vſu in præſentia ſit, vt ad ſolidiorem formam redactum in placentulas, vel rotulas confingatur. In hac compoſitione, quamuis roſarum ſit præ cæteris maior copia, tamen præcipuum, & ſimplex, & baſis eſt Cinamomum: roſæ verò ea copia accipiuntur, vt medicamentorum aliorum, præſertim aromatum, inſignis calor temperetur. Scopus enim auctoris fuit medicamentum conficere, quòd a tēperie non multo recederet interuallo, numerus autē, & copia aromatum, & eorundem vis aliorum cōparatione maior, quæ calore, & tenuitate partium poſſunt rarefaciendo laxare ſubſtantiam viſcerum, quamuis eorum nonnulla alicuius aſtrictionis non ſint expertia; ea tamen ſatis modica eſt, & ideò roſæ, & ſandali, præter id, quod aliorum caliditatem temperant, aſtrictionem etiam addunt, quia poteſt etiam robur particulis conciliari, ſicuti radix dulcis ſatis copioſa additur, quæ poteſt exaſperatas particulas ab exſiccantibus inſigniter, & aſtringentibus medicamentis mitigare, & delinire, acrimoniamque, ſi qua ſit calidorum medicamentorum demulcere: cui auxilio eſſe poſſunt, & gūmi, & tragacāthum, præcipuam tamen vim vt dixi, a cinnamomo habet: quod cũ ex octauo de Comp. med. per loca, calidũ ſit in tertio ordine, ſi etiam tenuiſſimarum partium, poteſt obſtructiones aperire, ſi quæ in ventre ſint craſſos quoque, & lentos humores viſceribus hærētes attenuare, & extergere. Præterea verò cum eam facultatem habeat, vt vitiatos humores corrigat, ac tranſmutet vitiatas qualitates in id, quod ſecundum naturam ſe habet, præſertim verò putrefactiones humorum emendat, & vitia nō modò ſeroſorũ humorũ, atq; aliorũ, verũ & venenoſis qualitatibus reſiſtit, quod & reliqua aromata, quæ a cinnamomo, (vt ibidem dicit Galenus,)

rius;)non plurimum diſſidentis naturæ ſunt, non parum iuuant:merito ergo videtur Meſ.hoc medicamẽtum tot laudibus extuliſſe,nempe,quòd vẽtriculum, ac viſcera nimio humore madida,& deficientia roboret,& firmet:cùm poſſit ſeroſos humores in eis abſorptos reſiccare,craſſos & lentos attenuare, & detergere,flatus ea extendentes diſcutere, langueſcentem natiuum calorem fouere,& putredinem in eiſdem corrigere.Eſt autem in conualeſcentibus pręſertim medicamentum valde vtile ad viſcera frigida,& laxiora, ex diuturnis morbis reddita, & reliquias vitioſorum humorum tollendas,& corrigendas. Deſcribit mox idem Meſ.& alia medicamenta,quæ item aromatica nũcupantur,vt moſchatum,garyophyllatũ,nardinũ, quæ,quia in nullo vſu ſunt noſtris temporibus, ideo in illis non immorabor. Non parum autem calidiora medicamenta ſunt,quæ Diaciminũ,& quæ Diagalãga dicitur,vtpote,quia ex omnibus conſtent,quę calida ſunt inſigniter, nullumque ſimplex admittant. vnde poſſit horum calor remitti,vel temperari. Conficitur Diacyminon ſic:

Rec.cucumeris prius ex aceto macerati,poſtea exſiccati vnc.i.Zingiberis,Cinnamomi,ſing.vnc.iiij.
Garyophyllorũ,Ligni aloes, Maceris,ſing.vn.ij.ſ.
Galangæ,Piperis longi, Cardamomi, ſing.vnc.ij.
Moſchi.ſcrup.j.

Fiat autem medicamentum ſecundum præſcriptionem Meſues,ex melle deſpumato,ea copia,quæ ſatis ſit vt redigatur ad formam antidoti, ſeu vt Arabes dicunt electuarij. His tamen temporibus, plerique ex ſaccharo medicamẽtum hoc perinde,vt ea,quæ hactenus a nobis ſunt expoſita parant, confectis ex eo placentulis,vel rotulis, eadem nempe ratione.Hic ſingulatim ſingula ſimplicia non expono,cùm ea nota ſint omnibus,ſed omnia ſatis erit in vniuerſum complecti. Cymino enim excepto, quod calidum in tertio ordine,& partium admodum tenuium, quarum tenuitati additur maceratio ex aceto,ſiccum etiam inſigniter eſt,quodque ad attenuandos, & diſcutiẽdos flatus craſſiores,& contumaces validum eſt medicamentum:reliqua omnia in genere aromatum,quę & calida inſigniter ſunt,& tenuium partium vnuſquiſque mediocriter in hac arte inſtructus iudicare poterit. Videbitque ex his medicamentum hoc efficax non parum eſſe ad ſuperandas, & corrigendas frigidiores ventriculi, & aliorum viſcerum maiores intemperaturas, exſiccandosque ſeroſos humores abſorptos in ſubſtantia viſcerum,eosque omnino abſumendos,& ſubinde madorem viſcerum,vnde languida,& laxa fiũt,tollendum,ad attenuandos,detergendosque craſſos, & lentos hęrentes viſceribus humores,flatusque craſſos, & contumaces diſcutiendos. Vnde,& non parum concoctioni facere poterit. Diagalanga,pręterea non multum ab hoc viribus eſt diuerſum,ita conficitur.

Rec.Galangę.Ligni aloes,ſing.vn.vj.Garyophyllorũ,Maceris,Cardamomi maioris,ſing.vnc.ij.Zinziberis,Piperis tum longi,tum albi, Cinnamomi, ſing.vnc.j.ſ. Calamenti aridi, Mentę aridæ, Liguſtici,Spicæ,Seminum fœniculi, Carui, Aniſi,ſing. vnc.j. Calami odorati, ſexquidragmam.
Sacchari albi vnc.x.

Conficitur ex melle deſpumato ea copia, quæ ſit ſatis.Sed in pręſentia ex hoc etiam medicamento mutato melle in ſaccharum rotulas conficiunt, vel placẽtulas,ſicuti, & ex priori, cum quo ſi conferatur non eſt omnino æque calidum, vt illud:nam ſi aliud non eſſet,dragmæ x.ſacchari cum alijs medicamẽtis permixtæ,præter mel,vel ſaccharum,quod tãquam materia eſt,qua fit medicamentum ex aqua coquẽdum, aliquantulum poteſt aliorum calorem remittere, cũ ipſum in calorem,parum admodum mediam tempe-

A riem excedat:& vt alia præteream, quæ vti communia ſunt,& valde calida non ſunt,vt macer,ſi Galeno credimus,& lignum aloes,& calamus aromaticus nõ multum calefacit magis hoc ipſum medicamentum: præterea aſtringit aliquanto: nam ſpica, & menta maceri addita,& reliquis,quæ vtrique medicamento ſunt communia,& quæ aſtringendi facultate non carent,aliquanto hoc alterum aſtringentius reddit: cũ vero omnia,ex quibus conficitur, conſtent tenui ſubſtantia,tenuioribusq; partibus,ideo hoc vt alterum, ſcilicet aliquanto minus calefacit, extenuat tamen, & detergit craſſos, & lentos ſuccos, eosque ad vrinæ vias facile deducere poteſt. Præterea vero ſeroſam humiditatem, qua ventriculus, & iecur, B reliquaque viſcera madida, & laxa langueſcunt, deſiccare,ac illis aſtringendo aliquod robur addere, flatulentum etiam, & craſſum ſpiritum omnia viſcera infeſtantem diſſipare: concoctionem illorum a frigore, & laxitate factam imbecilliorem adiuuare. Sed & muliebres menſes valde ſatis ciere. Vnde his temporibus in frequenti vſu, vel obſtetricibus etiam eſt in puerperis,quæ a flatu, vel vitioſis halitibus ab vtero, ob modice fluentia puerperia male habent, & interdum ſtrangulantur. Prodeſt quoque non parum eadem ratione hyſtericis mulieribus, quæ ex vtero pariter ob ſuppreſſos menſes ſtrangulantur. Conſimilis fere naturæ eſt medicamentum, quod Diambra dicitur a Meſ.& a reliquis poſterioribus, quod & ipſum vniuerſum fere ex aromatibus C confectum eſt.

Rec.Cinamomi,Doronici,Garyophyllorũ,Maceris,
Nucis muſchatę,Folij, Galangę.ſing.vnc.iiii.
Spicę,Cardamomi maioris,& minoris,Zinziberis, ſingulorum vnc.i.ſs.
Sandalorum luteorum,Ligni aloes,Piperis longi, ſingulorum.vnc.ii.
Ambræ,aureum i.Moſchi.vnc.ſs.

Fit ex ſyrupo roſaceo,& aqua roſacea.Mea ſententia aliquantiſper minus calidum eſt prioribus: nam, & ſandali,& ſyrupus roſaceus,& aqua roſacea, poſſunt nonnihil aliorum ſimplicium calorem remiſſiorem reddere, ſed minus etiam aliquanto poterit menſes muliebres ciere,& vrinam: nam calamentum, cymi- D numque potentia ſunt medicamenta ad euocanda menſtrua,& lotia,quæ in Diagalanga adiuuant ſemina aniſi,fœniculi,& carui: ſed ob eximium præterea odorem moſchi,& ambræ, quæ copioſa accipiuntur in hoc medicamento,multæ mulieres,quæ hyſtericis ſtrangulantibus ſunt obnoxiæ,non facile id ferre poſſunt:mouetur ſiquidem ſtatim vterus ab inſigni odore ſurſum:& ſæpe eas ſtrangulat:nam odor prius percipitur,& quaſi momento,quàm reliqua deuorata in ventriculo ad actum deducta conferre poſſint, alioquin autem eas omnes laudes meretur hoc medicamentum,quas illi Meſ.tribuit: tam cordi,capiti,ventriculo,& reliquis viſceribus,ſi ob frigidiorem intemperaturam langueant,præſidio eſſe poteſt,etſi a craſ- E ſis frigidisque vaporibus, vel alioquin vitioſis offendantur,aut a reliquiis craſſorum, & frigidorum humorum pituitoſorum,vel melancholicorum infeſtentur,atque illis digeſtis poteſt hilaritatem,vel lętitiam conferre:pręter id,quod ſuaui,& grato odore fouet, & dilatat ſpiritus omnes. Dubitaret tamen fortaſſe quiſpiam, præterea quod inter laudes fere omnium horum antidotorum,& hæc recẽſetur, nempe,quod caput armet, & roboret:cùm tamen ex aromatibus maxima ex parte conficiantur, quæ hac ratione in aphoriſmis damnantur,quòd capiti grauitatem afferant. Mihi Meſue in cap.de Dolore frigido capitis optime ſenſiſſe videtur, & probe rem hanc tenuiſſe. Sententiam enim Hippocratis eſſe limitandã,ait duabus conditionibus, atque ita intelligendam, quòd

aroma-

aromatum vſus immodicus, ac dum corpus plenum eſt excrementis nocet, & caput grauat: vtpote, quia & ipſa calidiora ſuo vapore ſurſum lata poſſunt caput implere: & præterea alijs etiam excrementis, digeſtis, & rarefactis in vaporoſam ſubſtantiam occaſioni ſunt, cur ſubinde in caput ferantur. Sed modeſtus horum vſus, præſertim corpori exinanito probe prius roborare cerebrum poſſunt, correcta nimirum eius frigida, ſi qua adſit intemperies, & digeſtis vitioſis vaporibus, & humorum reliquijs, quibus occupabatur. Omnium verò horum medicamẽtorum antiquiſſimum, & ab antiquioribus Medicis, præſertim vero a Galeno laudatum eſt id, quod Diatrionpiperon, eo quòd ex tribus piperum generibus fiat ex parte dicitur. Id autẽ 4. de Tuend. ſan. docuit conficere Galenus, quem alij quidem poſteriores imitari voluere: non tamen exquiſitè, quia longè fuit ſimplicior Galeni compoſitio, alij vero plura addidere, prout vnicuique viſum eſt magis expedire: nam & Galenus interdum illud ſimplicius parabat, paucioribus ſanè ſimplicibus acceptis: interdum verò pluribus. Simpliciſſimum fiebat acceptis trium piperum, ſingul. drag. 50.

Aniſi, Thymique, ſingul. drag. viij.

Illis mox commixtis, & tritis aliquando addebat, & zinziberis drag. viij.

Et hoc minus ſimplex dicebat, & adhuc minus ſimplex, quando aliorum pondus præter pipera duplicabatur vt ſing. illorum acciperentur dr. xvj. Arabes autem plura addidere, variato etiam aliquatenus priorum pondere: nam Meſue ita conficit, vt accipiantur trium piperum ſing. drag. v.

Zinziberis, Aniſi, Thymi, ſing. drag. ij.

Spicæ Amomi, ſing. drag. j.

Caſſiæ, ſemi. Sileris, Aſari, Enulæ aridæ, ſin. dr. v.

Conficit autem ex melle deſpumato. Nicolaus verò adhuc plura addit. Ego tamen vti ſoleo hoc medicamento ex præſcripto Galeni: nam neque video cur tot additis ſit opus, cum ita ſimplicibus poſſit crudiori ventriculo ſuccurrere: pituitoſos, lentos, craſſoſque ſuccus extenuare, detergere, atque eorum coctionem iuuare, partim etiam digeſtionè iuuare, flatuſque ventriculo, & ventri vniuerſo moleſtos diſſipare, refrigerata quoque viſcera vniuerſa calefacere: vnde & hac etiam de cauſa arida tractantibus vtile eſt medicamentum. Si quis verò cuperet, & hoc percipere, quænam eſſet iſtius medicamenti differentia, quando ſimplicius in vſum venit, nempè citra zinziber, & quãdo illo addito, tum ex alijs locis, tum præterea ex Gal. de ſimpl. med. fac. id percipiet: nam cum medicamentum hoc ex ſimplicibus omnibus ſit confectum, quæ ſunt inſigniter calida, ea tamen tenui adeo ſubſtantia conſtat, & partibus tenuibus, vt neque ob id multam poſſint impreſſionem facere, & valde calefacere, præſertim verò loca, quæ remotiora ſunt: citò enim digeruntur partes illæ, in quibus fundatur vis calefaciẽdi. Vnde ſi ad refrigeratum vẽtriculum, aut ad illud, in quo collecta ſit materia, quæ præ lentore, & craſſitie non ſit admodum digeſtioni, & attenuationi contumax, ſatis erit illud ſimplicius, item etiamſi cauendum ſit, ne iecur alioquin calidum a medicamento magis calefaciat: nam calor ante diſſoluitur, quàm ad remotiores partes peruenire poſſit. Sed ſi maiori, & diuturniori egeamus impreſſione, & calefactione, zinziber addemus: cum enim id ſit non omnino ita partium tenuium, vt ibidem exponit Galenus, ſed aliquanto craſſiorum, poſſunt illæ diutius ſeruato calore, quem tamẽ non æquè citò ſtatim ab initio, vt piper oſtendunt, in cauſa ſunt, vt magis imprimatur medicamenti calor, & ad remotiora interim loca pertingat: at hoc longe etiam magis ſi duplicetur pondus eorum ſim-

A plicium, quæ piperibus ſunt addita. Sed neque prætermittendum eſt, cuius item Galenus 4. de Tuenda ſan. meminit, & non parum facit ad præſens inſtitutum, nempè, quod modus conficiendi medicamenta, non parum momenti ad variãdam rationem virium, & operationem illorũ facit: & vt alia prætereamus, hoc tantum exponemus, quod ad contritionem, & tuſionem aridorum ſimplicium pertinet: antequam ex melle, vel alia materia aſſumantur, conteri, & in puluerem redigi ſolent: nam interdum minutiſſimè trita, & tenui cribro excuſſa accipiuntur, interdum verò craſſius illud fit, & in craſſiora fruſta. Primus terendi modus congruentior eſt illis medicamentis, quæ operæ pretium eſt, vt in tenuiores venas ſicut
B in iocinore ſunt, & in remotiora loca, & tandem in habitum vniuerſi corporis digerantur, quemadmodum maximè ſequens medicamẽtum quod Diacalamenthum nuncupatur, requirit, vt paulò poſt dicemus. Diatrionpiperon etiam aliquando alterò melius ſe habebit, ſi lenius, & craſſius fuerit contritum, ſicut quando propter affectum proprium ventriculi, & primarum venarum illi attinentium illud conficimus, & cauendum putamus, ne illius vis vlterius ad iecur vſque pertingat: nam craſſiores partes cum non poſſint facilè penetrare in penitiora loca, diutius in ventriculo immorantes, magis illum afficiunt. Quod ſi præterea cuperemus, vt eſſet commune medicamentum, & alijs quoque viſceribus vtile, in tenuiorem puluerem eſſent conterenda ſim-
C plicia medicamenta: neque mihi probatur alioquin quorundã ſentẽtia, qui in vniuerſum pronunciarunt, ſemper medicamentum hoc eſſe conficiendum ſimplicibus craſſiori modo, non autem exquiſitè contuſis, quibus Auicenna quinto can. fauere viſus eſt: quia ab hac ſententia videtur Galenus diſſentire, quarto de Tuend. ſanit. qui modum exponens, quo conficiendum ſit medicamentum hoc, omnia ſimul tundenda eſſe, ac per tenue cribrum tranſmittenda eſſe præcipit. Triplex autem modus poteſt eſſe vſus iſtius medicamenti: nam, & ex melle deſpumato, vt reliquæ, quæ ab Arabibus, & noſtris Iunioribus electuaria dicuntur, & ex ſaccharo confectis rotulis, vel placentulis: præterea verò poſſumus, & ſolis vti pul-
D ueribus in ferculis, vt nunc aromata paſſim inſpergi ſolent, inſperſis, aut illis ex aliquo liquore epotis: neque enim ingrati odoris, aut guſtus eſt, præter acrem ſaporem, qui eſt aromatum proprius. Hæc autem itidem a Gal. de Diaſolitico* antiquitus appellato medicamento, eodem quarto, & ſexto, de Tuenda ſanit. literis tradita ſunt: de quo etiam paucula dicemus: cum præſertim facultatibus plurimum ſimile ſit huic nuper expoſito, & alijs etiam prioribus, ſi ſimplicia ex quibus conſtat conſiderentur. Fit enim ex quatuor ſimplicioribus calidis, & partium tenuitate præditis: præſertim verò ex cymino, quod in hoc etiam medicamento prius in aceto maceratum, vt in Diacymino macerãdum eſt, piper etiam, quod
E aut longum, aut album accipiendum eſſe Galenus voluit, quamuis Iuniores tantum longi meminerint, & rutæ folia, neque omnino arida, neque viridia: nam arida nimis calida, & acria euadunt: viridia verò excrementitiam quandam humiditatem habẽt, quæ flatuum diſcuſſioni nonnihil eſt impedimento. Nitrum præterea, quod quamuis non eam in partibus tenuitatem habeat, quam tria priora: habet tamen maiorem vim diſſecandi, atque abſtergendi craſſos, & lentos ſuccos ventriculo, & inteſtinis hærentes: vnde non parum iuuant alui deiectiones: quo deinde fit, vt Galenus conſuluerit medicamentum hoc dupliciter conficere, nempe, vt nitrum pari cum alijs põdere iniiciatur, tum præſertim vtile futurum, cũ aluus fuerit aſtrictior, nec probè deiiciat: exſicca-

bitur

* Diospoliticum Galenj. P.L. 1618

bitur enim a nitro copioſiori, in quo eſt vis abſterſoria ſatis inſignis: aliquando verò vt nitri dimidium pondus aliorum apponatur, cuius vtilior vſus eſt futurus, quando fluidior fuerit aluus: in vniuerſum autem medicamentum vim habet extenuandi pituitam craſſam, & lentam ventriculo, & inteſtinis hærentem, craſſiorem flatum diſcutiendi, diſſipandique aluum etiam modeſtè citandi: vnde vtile admodum medicamentum erit ad tollendos dolores a flatu, & ventriculo, & inferiori ventre concitatos, maximè verò ſenibus congruens erit, quod & tutum, & facilè eſt id, quod modus, & vſus, quem præſcribit Galen. poterit oſtendere: nam, & ex melle, vt alij Antidoti confici poteſt, & ex ſaccharo in placentulis, vt reliquæ, quæ confectiones vulgò dicuntur: poteſt etiā puluis ita citra ſaccharum, vel mel, tanquam ſuperſile medicamentum ſeruari, ferculis inſpergendus: nā vtile fore medicamentum dixit Galenus, ſiue in cibis immixtum fuerit aſſumptum, ſiue ante cibum, ſiue a cibo; nihil enim habet, quod poſſit concoquentem ventriculum interturbare, & impedire. Sed iam de Diacalamento aliqua etiam dicamus. Diacalamentum, & ipſum non modo ad morbos depellendos vtile cernetur, ſicut & illa, de quibus hactenus ſumus loquuti, verum, & ad tuendam ſanitatem. Vnde, & eius ſanè longam mentionē, ſicut & diatrionpipereon, & diaſpoliticō. 4. de Tuē. ſan. Gal. facit. Et quamuis in communi vſu ſit in præſentia, vt medicamentum a noſtris Pharmacopolis fiat, vt Meſ. deſcripſit, & in ea deſcriptione nonnihil a ſimplicibus Galeni ſit varius, quamuis parum: nam ille duplicis calamenti, nempè fluuiatilis, quod mētaſtrum dicitur, & montani, quod abſolutè calamentum a Græcis, a Latinis verò Nepita dicebatur. Galenus tamen iſtius tantum meminit: maior autem eſt diuerſitas in pondere ſimplicium: nam Galenus duos tantum ordines deſcribit, in primo ſunt calamētum, petroſelinum, ſiler, vel ſeſeleos, pulegium. ſing. drag. xij. In altero ſemen apij, & cacumina thymi, quorum vtrorumq; accipiūtur dr. ij. His addūtur lybiſticis dr. xvj. Piperis autem dr. 48. quę omnia exquiſite tuſa, & tenui cribro excuſa aſſumenda ſunt melle deſpumato: quia tamen Meſ. profitetur ſe in huiuſmodi medicamenti confectione Galen. ſequi, ideo conficiendum, putarem potius, vt Galenus præſcripſit: neq; tamen multum referre exiſtimo, ſiue hoc, ſiue illo paretur modo. Porrò medicamentum inſigniter calefacit, craſſoſque quoſcunque humores ſecare, & attenuare poteſt, & digerere, flatuſque craſſos, & difficiles citra naturalia membra concitatos diſſipare, ventriculo crudiori, & reliquis viſceribus ex intemperie frigidiori infirmioribus ſuccurrere. Hoc autem præcipuum, & eximium habet, vt præ alijs faciat ad digeſtionem, & penetrationem alimenti in omnes partes, & vniuerſum corporis habitum. Neq; tamen propterea quod illud tot laudibus fere omnes homines extollant, putandum vtile fore, ſi eo promiſcuè, & incautè fuerimus vſi, vtpote, ſi inter initia morborum, quando corpus, & præſertim viſcera, & primæ venę ſcatent vndique crudis craſſiſq; excrementis; nam cum validum ſit medicamentum, poteris excrementa ab eius vi liquata digerere in anguſtas venas, & tandem in vniuerſi corporis habitum. Vnde aut excitabuntur, aut maiores, & difficiliores fient obſtructiones; plerumque ergò poſt commode expurgatū corpus aptus, & appoſitus erit eius vſus. In his autem medicamentis inde ſperamus facilem diſtributionem, digeſtionemq; in venas, & habitum corporis. Conſuluit Galenus, vt exquiſitius tundantur, & tenuiori cribro excutiantur, cuius præſertim in exploratione huius medicamenti meminit. Meſ. verò ait, quòd eius vſus non modo interius aſſumpti, & deuorati, quomodo hactenus dixi, ſit futurus vtilis: verum, & ſi exterius dorſo, præſertim ſpinæ illinatur, vel in modum cataplaſmatis apponatur; maximopere enim poteſt febrium frigora, rigoreſve depellere, aut mitigare. Sed de his ſatis. Iam tempus eſt, vt ad aliud genus antidoti accedamus: niſi quis dicat nos præteriiſſe celeberrimam Antidotum, quæ in lāgueſcentibus viſceribus, quando contracto malo habitu inſtat iam timor aquæ intercutis, admodum eſt vtilis. Ea verò eſt, quæ cyphoides a Græcis, vt a Galeno, Andromacho, & alijs his poſterioribus dicitur, a Iunioribus autem noſtris electuarium, de vino, vel de paſſulis; ſed cum adeò fuerit examinata, & explanata eius confectio a Galeno. 8. de Compo. med. ſecundum loca, diligenter, & exquiſite, ideò de hoc nihil aliud dicemus. Neque etiam tempus conteramus in exponendis duabus illis antidotis, quæ plurimum ab Arabibus Medicis celebrantur, præſertim in curando malo habitu, ac ſubinde aqua intercute, præſertim verò cum hi affectus ſequuntur validas, & inueteratas, indurataſque obſtructiones. nam cum eorū præcipua cauſa ſit infirmitas virium, præſertim verò concoctricis viſcerum, & maxime iocinoris, quæ aliquādo ſolam cauſam habet intemperaturā abſque alio affectu particulatim: & quamuis omnes intemperaturæ poſſint vires iſtius viſceris deiicere, hydropis tamen frigida intemperatura proxima cauſa eſt; nam quamuis interdum etiam ſequatur febres ardentes, id tamen fit, quando ab immodico calore extraneo diſſoluitur vis caloris natiui, vnde illo poſtea deferueſcente ſuccedit frigida intemperatura: aliquando autem præter intemperaturam, adſunt etiam alij affectus intemperiem fouentes, præſertim frigidi, vt obſtructiones a craſſis humoribus ſcirrhis, & huiuſmodi alijs morbis, quāuis etiam ſummopere laudentur a malo habitu, & hydrope Cyphoides, & hæ aliæ, nempe, Dialacca, & Ciacurcuma. Si tamen rectè res examinetur, quàm res omnes poſſint eſſe vtiles in omni differentia hydropis, vtpote, quia omnes, & intemperiem frigidam poſſit remittere, & tandem tollere: præterea verò, & attenuare craſſos humores, & obſtructiones aperire, accommodatior tamen erit Cyphoides, vt octauo, de Comp. per loca, inſinuat Galen. quando ſola erit intemperatura, & inter initia morbi: efficaciora autem, & valentiora medicamenta erunt Dialacca, & Diacurcuma, in validis, & induratis obſtructionibus, nam conficiuntur ex his, quæ vires maiores habent extenuandi, extergendi, & ſecandi craſſos humores; præterea verò flatus diſcutiēdi, & lotia cienda, quod & maximum eſt in ratione curandi hydropem, cum non modo craſſam aquæ intercutem reſpiciant, ſed & ipſum iam factum morbum: nam cum in hoc affectu intumeſcat venter repletus, aut vento, aut ſeroſo humore, plerumque verò vtroque, cum raro altera hydropis differentia ſine altera conſiſtat, nempe timpanites, & aſcitis, diſcuſſio flatus, & ſeroſi humoris vacuatio per vrinam, non modò in his, verum in anaſarca, vbi crudo humore madida caro occupans habitum corporis tumet, videtur fere totius rei ſummam continere. Quod autem hæ antidoti has facultates habeant, poteſt vnuſquiſque facile percipere, qui & eorum, quæ ſupra dicta ſunt, memor erit, & compoſitionem horum antidotorum legerit. Diacurcuma enim a Meſ. ita deſcribitur:

Accipit Spicæ, Mirrhæ, Caſſiæ, Croci, Schenanthi, Coſti, Cinnamōmi, ſing. par pondus.

Fit autem confectio ex melle deſpumato. Dialacca autem accipit laccæ lotæ, quam plerique credunt eſſe Cancamum Græcorum:

Rhabarbari. ſing. drag. iij. Spicæ, Maſtiche, Seminum apij, Schenanthi, Abſinthij, Succi eupatorij,

Ameos,

Ameos, Sauinæ, Amigd. amar. Coſti, Mirrhę, Rubiæ tinctorum, Semin. fœniculi, Aniſi, Aſari, Ariſtolochię, Gentianæ, Croci, Cinnamomi, Hyſſopi, Summitatū ſchęnāti, Bdelij, ſin. ſexquidragmam. Piperis, Zinziberis, drag. j.

Cætera teruntur, mirrha, & bdellium ex vno diſſoluuntur, omnia ex deſpumato melle aſſumuntur. Nemo autem non videt, hanc antidotum vires habere maiores, quàm Diacurcuma in aperiendo, ciendoq; tum lotio, tum maxime muliebribus mēſibus. Vnde quando ex illis ſuppreſſis ortum habuiſſet malus habitus, vel aqua intercus, optimum eſſet, ſi quod aliud medicamentum. His expoſitis, ſi quod aliud fuit prætermiſſum, quod ad hoc genus pertineat, id ad normam eorum, quæ ſæpius a nobis fuere ſupra explanata reuocatum, facile percipi, ac iudicari poterit. Prætermiſſæ autem a nobis de induſtra ſunt duæ Antidoti, quæ a Nicolao deſcribuntur, & plurimum cōmendantur ad cienda lotia, & atterendos lapillos, præſertim verò renum: nā quamuis multa fuerint ab Antiquioribus, & recentioribus Medicis literis tradita medicamenta, quæ aperte pollicentur, poſtea calculos infringere in veſica, ego tamen nunquam vidi, neque audiui quemquam, qui medicamentorū ope fuerit curatus, & liber euaſerit a lapide in veſica, & ſi qui curati ſunt, opera Chirurgi, & per ſectionem fuere curati. Lapilli autem renum quotidie & per has antidotos, & per alia medicamenta, tum ſimplicia, tum compoſita infringuntur, & excernuntur. Vtiles præterea ſunt duæ hæ antidoti ad renales dolores, ſiue a calculo fuerint cōcitati, ſiue a mucoſis, & craſſis excrementis in renibus impactis, ſiue a craſſiori flatu. Vocantur autem medicamenta alterum ab auctore, vel ab illo, in cuius gratiam, & commodum fuit excogitatum: Iuſtinū nempe, a Iuſtino Imperatore, alterum verò ab affectu Lithontripton, vtpotè, quod lapillos poſſit atterere. Conficitur autem vtrunque ex illis ſimplicibus, quæ omnia calida ſunt, & partium tenuium, quæque vim habent extenuandi, diſſecandi craſſos humores, & ſubinde lotia potenter proritandi. Nolo autem omnia particulatim examinare, cum nemo ſit, qui recte attenderit his, quæ hactenus examinata ſunt, & velit naturam ſimplicium, quorum non meminimus, ex Galeno, & alijs inquirere, non poſſit facilè rationem inire iſtius examinis. Vnde hoc ſolo animaduerſo, ad noſtrum inſtitutum redibimus, nempe, quod medicamenta hæc valida admodum ſunt, quibus ſi vtamur, dum corpus plenum, & excrementoſum fuerit, materias impetu quoddam maiori exagitabunt, & confertim ad vias vrinæ, & renes impellent. Vnde ſæpe, & maiorem difficultatem vrinandi afferent; magis vtique repletis partibus illis, & infarcta ibi materia, potiuſque maius malum efficiunt, quàm leuent. Atque hoc in primis memoriæ mandatum eſt, quod magis præſtat, & inchoare ab inanitione corporis, & incipere a ſucci liquoribus anteaquam hæc fortiora tentemus.

De Anodynis, & Narcoticis medicamentis, quæ ſoporem afferunt, & torporem.

Cap. IX.

MEDICAMENTA, quæ ſoporifera ſunt anodyna, hoc eſt, dolorem leuantia, vel ſedantia dicūtur, improprie tamē, quia nō tollūt dolorē: nā cū dolor ſit vitiata ſenſus actio, cuius vniuerſa ratio, vt Galenus ex Hippocrate in primo de Natura humana, & in libro de Elem. docuit, in duobus conſiſtit, nempe in repentina, & confertim facta trāſmutatione alicuius particulæ, quæ ſit prædita ſenſu per qualitates primas, aut in ſoluta continuitate, requiruntur duo hæc ad dolorem, aliqua tranſmutatio inſtrumenti, & integritas facultatis ſentientis. Hæc verò medicamenta non leuant dolorem, quia obſtant quominus fiat tranſmutatio, & corruptio inſtrumēti, ſed impediunt ne ea tranſmutatio percipiatur, & hoc quia lædunt ipſam facultatem, quæ vi medicamētorum horum redditur quaſi torpida, & ſtupida, & quaſi extincta ab illorum immodico frigore: non ergo cauſam doloris auferunt, ſed ſenſum doloris adimunt, & id quidem primum, quia aliquando poſſunt aliquo modo, & cauſam doloris remittere, ſi ea eſſet calida intemperies. Vnde, & narcotica quaſi torporem inducentia hæc medicamenta a Græcis dicuntur. Quare neque etiam, vt Galenus ſæpe dicit, hæc proprie curatio dici poteſt, quo deinde fit, vt Medici Antiqui quicunque celebres fuere, præſertim verò Galenus, tum ſecundo, tum quarto, & ſeptimo, de Compo. medica. ſecundum loca, in hanc ſententiam venerit: Omnino eſſe frigidum horum medicamentorum vſum, quatenus per nos fieri poteſt, neque ad ea confugiendum, niſi a multa cogamur neceſſitate. Cogimur vero quando adeo ſæuit dolor, vt nequaquā amplius ferri poſſe ſine euidenti periculo videamus: propterea, quia aut conuulſionem, aut virium caſum timeamus, aut etiam ſi nimis importuna, & perpetua vigilia vigeat: nam capto ſomno, & interim reſumptis viribus, facilius poſſumus, mox, & nos, & natura purgare cum cauſis doloris. Simplicia autem medicamenta, quibus tanquam ſoporiferis vti Medici ſolent, præcipua ſunt opium, radices mandragoræ, ſemina hyoſcyami, ſemen cicutæ: nam ſemina papaueris albi, etſi ſomno conciliando ſint apta, adeò tamen familiare eſt medicamentum, vt neque inter narcotica medicamenta fere ſint recenſenda. Priora verò eam vim habent, vt eis ſimplicibus, & ſolis, aut nunquam, aut rariſſime audeamus vti. Componuntur enim cum alijs, atque ita tutior, & ſalubrior fit eorum vſus. Duæ autē ſunt occaſiones præcipue, quæ nos, & nuper citatis locis docuit Galenus ad eorum vſum adducunt, & duos ſcopos, cum illis vſuri ſumus, ſpectandos afferunt: plerunque enim illis vtimur in vehementioribus doloribus, primum, vt aliquam quietem afferamus, qua vires aliquo modo refectæ facilius deinde moleſtiam illam ferre poſſint. Deinde verò in vehementi tuſſi, quę alioquin, aut nimias, & valde importunas vigilias affert, aut aliquam pulmonum, vel aliarum in thorace partium morbum foueat, & augeat, eiuſque curationem impediat, vt in reiectione, vel ſputo ſanguinis, & vlceribus in illis locis: doloribus vero quo pacto remedio ſint, nuper expoſuimus: tuſſi eadem ratione conferunt: nam cum non excitetur tuſſis, niſi ex aliqua noxa, vel moleſtia illata inſtrumentis reſpirationis, a qua earum partium facultas expultrix incitatur ad expulſionem rei noxię, ea quæ ſoporifera ſunt torpido reddito illarum partiū ſenſu, occaſioni ſunt, vt moleſtia percipi nequeat. Tum præterea aliquando, imo frequenter obſiſtendo cauſæ, quippe, quia tuſſes difficiles oriūtur a deſtillationibus ſæpe acrioribus, & tenuibus, quarum impetus hæc medicamenta reprimunt, & ſæpe intercipiunt, partim quia refrigerant, & intraſſant, atq; ita ſiſtūt, partim verò, quia frigidis, & ſoporiferis medicamentis in compoſitione immiſceri ſolent, ex ſeptimo, & octauo de Compo. medic. ſecundum loca, alia contrariæ facultatis, nempe, calida, & ſicca, & tenuium partium, & id quidem propter multiplicem vtilitatem: primò, vt corrigatur noxa, quæ ſolet ſequi vſum

medica-

medicamentorum ſoporiferorum, deinde vt vis illorum ad remotiores partes, & intimas, & profundas dolentis loci adducantur, ad quas pertingere acquiret, vtpote, quæ ſtipando tranſitum ſibi præcludant: præterea vero ſiccando, & digerendo poſſunt fluentes humores digerere, & abſumere: & cũ horũ, quæ miſcentur plura inſuper vrinam ciere poſſint, poterunt etiam ſaltem aliquam eorum excrementorum partem auerſam a membris ſpiritalibus conuertere ad vias vrinæ: ſed & flatus diſcutere, & craſſas materias attenuare: & hac etiam ratione fit, vt cùm has ſoporiferas antidotos ob vehementes dolores exhibemus, interdum non ſolum ſymptomatiǳ conſulamus, ſed etiam cauſæ, quando ſcilicet dolor eam habet materiam craſſam, quæ in flatum craſſum, & difficilem vertitur. Ex his autem ita expoſitis, & illud depromptum eſt, quod nos Galenus eodẽ nono docuit, cum exponeret confectionẽ philonij Antidoti, cognitu optime neceſſariũ: nempe in his medicamentis componendis ſemper tres ſcopos præ oculis habendos eſſe, nẽpe primum, vt ſtupor ſenſui obducatur, quod officium ad ea ſimplicia pertinet, quæ ea facultate prædita ſunt, quorum paulo ante meminimus: deinde quia illa naturæ particularum, & earum calori natiuo ſunt contraria, curandum eſt, quo minus inſigne aliquod detrimentum in lęſa particula remaneat: tertiò vt ſi fieri poſſit ita paremus, vt nõ modo ſymptomata tollant, aut remittãt: ſed & affectui, qui doloris in cauſa eſt, ſi non omnino, aliqua ſaltem ex parte conſulamus. Sed & hoc addo ex eodem Galeno, quòd ſcilicet ſemper ad hos ſcopos dirigenda ſit in vniuerſum ratio compoſitionis horum medicamentorum, non tamen ſemper omnes æqualiter ſpectandi ſunt, imò diuerſimode pro modo earum occaſionum, quæ nos ad vſum horum medicamentorum impellit: nam vbi vehemens & intolerabilis dolor vrget, maiori ope ſoporiferorum medicamentorum egemus, vtpote in doloribus colicis, vbi & opportuniora ſunt illa, quæ maiorem vim habent in ſtuporem adducendi: vbi vero aut facilior eſt dolor, aut potius tuſſis eſt importunior, non ita vehementibus ſtupefacientibus eſt opus, & magis erit vtilis commixtio aromatum, aut communium ſeminum calidorum & ſpirantium gratum odorem. Vnde in priori illa differentia horum medicamentorum, quæ valentiora ſunt, compoſitiones illæ continentur, quæ colicæ nuncupantur proprie, aliæ vero potius tuſſiculares a priſcis medicis, vt dicit Galenus, in quibus & aromatum, & ſeminum habentium facultatem ciendi lotia, maior copia accipiebatur: quod ſi quis certius percipere cupiat, legat ſeptimum, & nonum de Comp. med. per loca, & medicamenta ibi deſcripta probe perpendat: nobis enim in præſentia non tantùm ſupereſt otij. Nos autẽ in pręſentia verſabimur tantum in his narcoticis, quibus vbique ferè vtuntur medici, quorum aliquorum tamen meminero, quæ magis ſcilicet ſunt vſitata. Antiquiſſimum itaque medicamentum omnium, quorum extat memoria, eſt Philonium, quod a Philone Medico Patria Tarſenſi, ex Galeno dictum, id eſt, ab Authore, vel inuentore primo. Cõfectionem autem Galenus poſtea deſcripſit, eamque inter colica medicamenta, & primum ſane recenſuit, quæ eſt etiam omnibus alijs, quæ a poſterioribus deſcriptæ ſunt, vt ab Arabibus ſimplicior.

Rec. croci, drac. v. Pyrethri, Euphorbij, Spicę, ſing. drac. j. Piperis albi, Hyoſquiami, ſing. drac. xx. Opij, drach. x. Conficitur deinde ex melle deſpumato. Hic vt ibidem dicit Galenus, ratio illorum trium ſcoporum eſt habita: nã ſoporiferorum habet inſignem copiam, nempe hyoſquiami & opij, vt poſſit quãtumlibet pertinacẽ dolorem offuſcare. Caſto-

A reum vero piper, euphorbium, & pyrethrum detrahunt, ſi quid noxæ ex ſtupefactorijs derelinquat in particulis, ad quas vis eorum peruenit: præterea faciliorem etiam tranſitũ medicamento parant. Spica & crocus eidem primariæ affectioni quantum in ipſis eſt, conſulere poſſunt: nam hæc duo inſignem vim concoctoriam omnium prauorũ excrementorũ habent: priora vero, quæ calida, & partium tenuium ſunt, eadẽ attenuare, digerere, & flatus diſcutere poſſunt. Efficax ergo eſt medicamẽtum, & ex recta methodo confectum, vnde meritò inter colica, quæ maiorem vim requirunt, collocatũ eſt: & ſi Galeno credimus, vt primum fuit, ita ferè eſt aliorum quaſi baſis & norma: nam poſteriores hoc aliquantiſper immu-
B tato, vel ſecundum pondus ſimplicium, vel alijs additis, vel etiam detractis alias confectiones fecere: quòd ſi ab Antiquis & Græcis prius, longe etiam magis deinde a poſterioribus, Arabibuſque factum eſt: hoc facile viderit, qui legat Meſ. Auicennam, & reliquos Arabes, vbi de his agunt. Ecce enim Meſ. poſt nuper expoſitum Philonium deſcribit vt Hamech ſolitus erat conficere, in quo prætermiſſis pyrethro, euphorbio, & ſpica, addebat nigellam, caſtorium, ami, cyminum, baccas lauri, calamẽtum, margaritas, & cortices radicis mandragoræ, & omnium par pondus accipiebat: quæ ſi proprie conſiderentur, videbimus hoc medicamentum longe minus priori eſſe ſoporiferum. Vnde cum præſcribit quantum poſſit ſemel tutò accipi, liberalior eſt in hoc, quàm in prio-
C ri: nã huius dicit, quòd drachmę duę excedi poſſunt, cum tamen prioris concedat ſolum quantum poſſit magnitudine cicer, aut fabam æquare. Vnde Antiqui hoc quidem in tuſſicularibus medicamentis poſuiſſent, primum vero in colicis. Idem vero Meſue in cap. de Sputo ſanguinis, aliud Philonium deſcribit, quod & Perſicum appellauit, in quo nihil de primo detraxit, neque illorum ſimplicium pondus immutauit: ſed addidit opio par pondus terræ Lemniæ, croco vero par pondus lapidis hæmatitis: quæ quidem, vt ſæpe dixi, vim habent inſignem reprimendi & ſiſtendi ſanguinem, ſed cum terrena quadam & craſſa ſubſtantia conſtent, cui non eſt facilis tranſitus ad intimiores particulas, vt dicit Galenus, niſi
D ducantur ab aliquibus, quæ ſint tenuis ſubſtantiæ, & tenuitate partium ſecum ducant aliorum craſſiorum medicamentorum facultates, ideo primæ Philonis Tharſenſis confectioni Caſtorij, doronici, zedoariæ, ſing. drach. j. adiecit. Et hæc quidẽ cõpoſitio in multo fuit vſu: & eſt: præſertim vero vtilis eſt, & efficax in his, qui ſanguinem expuunt: quæ ſi recte extimetur, collectis ſimul ſimplicibus, vnde fit, aliquanto minorem vim ſoporiferam habet, quàm prima illa Philonij, vtpote quæ opium, & hyoſquiamum pari cum illa pondere accipiat: plura vero ſimplicia: tum calefacientia, tum refrigerantia, & aſtringentia accipit. Vnde eorum duorum ad reliqua proportio aliquanto minor eſt, quàm in primo, eſt autẽ
E magis potens ad inducendum ſoporem, quàm illud Hamech. Vnde drachma eſt id genus, quod ad ſummum tutò dari poteſt: eſt ergo quaſi medium hoc inter primum & alterum, quamuis primo ſit propinquius. Auicenna autẽ quinto canon. aliud deſcribit, & Romanũ appellatǫ: & eſt quaſi medium inter Perſicum, & illud primum Philonis: nam præter terram Lemniam, lapidem hæmatitem & ſuccinum, ea omnia inſunt, quæ & in Perſico. Conſueuere autem medici hactenus in ſputo ſanguinis Perſico vti, in alijs vero occaſionibus hoc Romano. Sed de Philonij compoſito hæc ſatis: ad alia iam tranſeamus. Alias tres Antidotos præter Philonij confectionem adduco, quæ omnes adhuc in aliquo vſu ſunt, licet in maiori fuerit prioribus tẽporibus. Et primùm eam,

quæ

quæ ab Arabibus, præſertim a Meſue, a quo deſumitur Egetea, interdum Sagzanea nomine Arabico dicitur. Eſt autem medicamentum quatenus ad facultatem ſoporem inducendi ſatis facile, & modeſtum, nam fit ex duodecim ſimplicibus pari pondere acceptis, & ex melle deſpumato aſſumptis: nẽpe caſtoreo, myrrha, opio, pipere, pipere longo, galbano, coſto, cinnamomo, phu, dauco, aſſaro & croco: inter quæ ſolum opium vim habet ſoporiferam, reliqua vero omnia facultatem calefactoriã, attenuatoriam & digeſtoriam: ſunt enim tenuium partium, vnde & flatus diſſipare poſſunt, & valide ad vrinarias vias attenuatos humores craſſos deducere. Vnde in doloribus membrorum naturalium concitatis a frigida, craſſaque, aut flatulenta materia, commodum erit medicamentum, vtpote quod & dolorem lenire poſſit, & cauſæ etiam, affectuique primario conſulere, & cum multa immo reliqua omnia, frigidæ & ſoporiferæ qualitati aduerſentur, obſtare etiam poterunt, quominus noxa aliqua in internis viſceribus relinquatur. Miror autẽ, quomodo iſtius Meſue dixerit, ad ſeſquidrachmam dari poſſe, & Philonij Hamech duos aureos, cum tamen hæc illa potius ſit infirmior. Duæ vero reliquæ a Nicolao deſcribuntur, altera quę Requies magna ab illo dicitur, altera Tryphera magna. Requies magna facilior eſt alia, neque ita propter dolores vehementes ſedandos eſt confecta, ſicut ad conciliandum ſomnum in illis morbis, in quibus a vaporibus tum calidis, tum ſiccis nimis importuna eſt vigilia, vt in febribus tertianis, & quartanis atque etiam in acutis, & adeo facile & leue medicamentum eſt, vt id audeant lactantibus infantibus nutrices dare, cum noctu vigiles & ſibi importuni ſunt: quod tamen laudare non poſſum, ſi temere & incaute id fiat. Conficitur ſic.

Recipe roſarum, violarum, ſing. drach. iij, Opij, Seminum hyoſciami, Papaueris albi, Corticum mandragoræ, Seminum ſcariolæ, Portulacæ, Lactucæ, Pſillij, Nucis myricæ, vel muſcatæ, Cinnamomi, Sacchari, ſingul. ſeſquidrachmam, Sandalorum omnium, Spodij, Tragacãthi, ſing. ſcrup. ij. & gra. quinque.

In his præter cinnamomum quo & ipſum aliquid habet, licet calidum ſit, quod poſſit ſomnum incitare, & nucem moſchatam, quæ duo ad correctionem ſoporiferorum accepta ſunt, prę́ſertim vero opij & mãdragoræ, omnia refrigerant, & acrimoniam excrementorum, quæ ſomnum abigunt, demulcent. Vnde in materia craſſa & dolore flatulento, nihil continet hoc medicamentum prę́ter illa duo, quod poſſit tertium ſcopum ſupra ex Galeno expoſitum reſpicere: reſpiceret autem ſi a calida materia, & acriori dolor oriretur. Tryphera vero magna contra ſe habet: eſt enim medicamentum, quod præſertim frigidioribus affectionibus eſt opportunum: & quia duplex poteſt eſſe eius confectio, nam aliquando fit cum opio, aliquando non: Cum fit cum opio, tunc etſi ſperemus vtilem fore etiam primario affectui, cum præter opium, hyoſciamum, & mandragoram cætera poſſint tollere frigidam intemperiem, craſſos humores extenuare, flatus diſcutere, & per lotia vacuare; præcipuus tamen ſcopus eſt intolerabili dolori ſtupidiori ſenſu reddito occurrere. Cum vero citra opium, hoc medicamento ſumus vſuri, nulla doloris ratione habita, affectui præſertim curando, operam nauare volumus. Ex his autem conſtat:

Recipe opij, drach. ij. & gr. xv. Cinnamomi, Gariophyllorum, Spicæ, Galangæ, Zedoariæ, Zinziberis, Coſti, Stiracis, Calami aromatici, Calamenti, Cyperi, Iridis, Peucedani, Acori, Mandragoræ, Spicæ celticæ, Roſarum, Piperis, Aniſi, Apij, Petroſelini, Macedonici, Fœniculi, Dauci, Hyoſciami, Seminis citri, ſing. drach. j.

Conficitur ex melle. Medicamentum celebre eſt, & etiam mulierculis notum, vtpote quæ non conſulto etiam medico ſæpe a Seplaſiarijs petant, maxime quando, vt errorem ſuum tegant, cupiunt abortiri: in affectibus enim vteri, maxime ſi ex ſuppreſſis menſtruis purgationibus ortum habeant, plurimum valet: quippe cum magnam vim habeat ad ciendos menſes, nec modo deuoratum, ſed etiam confecta glande ex eo, vel ſolo, vel additis præterea alijs pertinentibus ad eundem ſcopum vt laudano, gallia muſcata, & huiuſmodi alijs, atque ſuppoſita, inductaque in membra genitalia muliebria. Et ego hoc modo ſæpe nec inutiliter ſum vſus, & alios vti præterea vidi. Eſt & aliud medicamentum, quod ſi quatenus ad modum & formam confectionis pertinet, non videatur ad hoc caput pertinere, pertinet tamẽ, ſi ad eius facultatem & materiam reſpiciamus. Catapotia enim potius quàm antidota & electuaria fiũt, de quo pauca quædam dicemus, paſſim vero in vſu eſt ſub nomine pilularũ ex cynogloſſa, & licet duæ reperiantur confectiones, quæ ex cynogloſſa fiunt, altera quæ alio nomine a Meſue, a quo deſcribuntur appellatur: ipſe enim pilulas ad omnes morbos catarrhi, nunc autem ſunt in multo vſu, & dicũtur pilulæ ex cynogloſſa. Altera autem a Nicolao deſcribitur, & pilulas ipſe ex cynogloſſa nominat, ſed nos priorem: quæ in maiori vſu eſt, paucis examinemus. Conficitur ex his,

Myrrhæ puræ, drac. vj. Thuris, drac. v. Opij, Hyoſciami, ſing. drach. iiij. Croci, ſeſquidrachma, Radicum cynogloſſæ, drach. iiij. ſ.

Ex his omnibus tritis & commixtis, fiunt pilulæ, quę ſi recte iudicentur, ſunt validæ inducendo ſopore, poſſunt & valenter ſiſtere præcipitem deſtillationem. Nos autem, licet dicat Meſ. poſſe ſumi a ſemidrachma vſque ad drachmam, rariſſime ſupra vnam pilulam, quæ ſcrupulum pendat exhibere ſolemus. Sed de his hactenus.

De eclegmatibus, quæ Arabes Loch appellãt; Cap. X. Et vltimum.

LOquimur hic de his medicamentis, quæ paſſim Arabico vocabulo Loch, vel Lochat appellant: Græci vero Eclegma, quod Latine Delinctum ſignificat, a delingendo ſane; nam vt ſupra non ſemel dictum fuit, in affectibus membrorum reſpirationi inſeruientium, medicamenta, quæ ad deliniendas aſperitates ab aliqua intemperie, vel a materia deſtillante ad eas partes, vel ab aliquo tumore, vel tuberculo earum partiũ excitatas maxime proſunt, ſi paulatim delingendo & lambendo ſumuntur, quàm ſi confertim bibantur, vel deuorentur. Vnde appellationem a modo, quo ſumuntur ſortita ſunt. His autem ferè ſolum in faucibus, gutture & particulis, quæ thorace continentur male affectis vtuntur medici. Horum autem medicamẽtorum in vniuerſum, duplex eſt differentia; nam quædam eorum ſolent parari, & ita parata ad vſum & commoditatem ſeruari; alia vero tum parantur, quando viſum fuerit medico iubenti, opportunum futurum eorum vſum. De his ergo primum agemus, & de compoſitis præcipue: nam ſæpe, vt antea expoſui, & ſyrupis in hunc modum vti ſolemus. Incipiemus autem ab eo, quod vulgatiſſimum & nulli non notum, noſtri vulgo Saponeam vocant, a quadam ſane cum ſapone, quando nondum concreuit, ſimilitudine: nam tenerum quidem eſt, & album cum quodam lentore.

Cum autem conficiendum eſt, accipiunt aquam violaceam, quæ ex floribus violarum, non autem ex folijs herbæ, vt quidam faciunt, deſtillauerit, & eam quanta ad diſſoluendum ſaccharum, poſſit eſſe ſatis. Indunt vero ſaccharum illud albiſſimum, quod per trinam concoctionem fuerit defœcatum & depuratum: nam id aptius eſt ad hoc medicamentum, colore & ſapore ſuauius, & gratius reddendum: coquunt autem vt ſyrupi coquuntur: poſtea addunt amylum, nonnulli vero & aliquid olei amygdalini dulcis indunt, & ſemper miſcendo medicamentum, dum coquitur ſpatha exagitant, quoad ad cōgruā compagen deuenerit: poſtea impoſitum in aliquod vas vitreum, aut teſtaceum, aut etiam argenteum ſeruant, quod ſolet cochleari ſumi, & in ore teneri: donec liqueſcens paulatim defluat ac deſcendat. Medicamentum hoc aliquātulum potius ad frigidum inclinat: conſiſtentia aliquantiſper eſt emplaſticum, mollit autem, & lenit. Vnde confectio hæc ad molliendas, & deliniendas exaſperatas particulas, quæ ſunt reſpirationis inſtrumenta, commoda eſt, præſertim autem fauces, aſperam arteriam, & ſubinde pulmones, quando tuſſientibus ob deſtillationem calidam, & acrem vtilis eſt, Præterea vero ob intemperiem calidam & ſiccam, immo etiam frigidam: nam probe temperatum eſt in calore & frigore: ſaccharum enim, præſertim vero albū, & probe purgatum, leuis eſt & temperati cuiuſdā caloris, ſicut & amygdalinum oleum: amylum vero ad leue frigus inclinat. Præter emplaſticam autem, atque mollitoriam facultatem, habet etiam aliquid abſterſionis ex ſaccharo: Vnde accōmodatum eſt medicamentū pro excreatione facile reddenda, cum leniat, molliat, & aliquādo detergat. Pleuriticis vero eſt in vſu, niſi, quòd cum non modo ſit medicamentum, verū & alat, cauendum aliquando erit, ne dum facile reddere ſpiritū paramus, plus alamus, quàm requirat ratio victus tenuioris, qui in morbis acutis maxime congruit: neque enim eſt res guſtui ingrata, niſi illorū, qui ſua natura res dulces faſtidiunt. Solent præterea & alia fieri medicamenta eandem ferè vim habentia, aliquantiſper tamen varia pro diuerſa eorum natura, ex quibus conficiuntur. Communis ſane horū omnium materia eſt, tum ſaccharum, quòd vulgo candidū vocant, tum vero quæ penidia dicuntur, partim tragacanthi: itē & Diacodion, quod fit in placentulis ſiue rotulis, & ſaccharum violaceum, & quæ nunc conſerua violarum dicitur: quorum vnum vel plura conterunt, atque ex aliquo ſyrupo diluunt, & eligūt quam putant eſſe ſcopo accommodatiorem: nam ſi delinire, incraſſare, & refrigerare voluerit ſyrupo violaceo, aut illo, qui fit ex ziziphis: quòd ſi præterea & deſtillationem ſiſtere, ſomnumq́ue conciliare, opportunus erit qui ex papauere dicitur, at ſi materia excreanda craſſa, & lenta fuerit, egens attenuatione & deterſione, aptus erit qui fit ex radice dulci: valentior autem erit ille, qui ex hyſſopo, verum & aliquanto etiam calidior: vnde ſi ſine caliditate detergere cuperemus, non erit ineptum medicamētum mel violaceum. Sed & illa, quæ miſceri & conteri ſolere dicimus, itidem eligenda erunt pro ea ratione, quā exigere videbitur propoſitus ſcopus: nō erit autem difficilis, eorum electio, cognita ipſorum natura. Sed de aliquibus & hoc parari ſolet, quod facile paratu eſt, lenitq́ue & mollit exaſperatas illas partes. Accipitur autem ſuccus ex nucleis pinearū contuſis, ſeu lac, interdum etiam ex amygdalis dulcibus, & his ſacchari candidi, præſertim violacei, quantum poſſit ex ſucco diſſolui addunt, mox coquitur lento igne, donec ſpiſſeſcat. Quæ hactenus ſunt expoſita, non ſeruantur parata; ſed cum eis fuerit opus, conficiuntur. Multa autem etiam apud Apothecarios

A parata ſeruantur, quæ nūc ſumus explanaturi. Incipiemus vero ab illo, quod vulgo appellant Loch de pino, quodque præcipue ex nucleis pineorum confici ſolet. eius vero deſcriptio ita ſe habet:

Accipiuntur drachm. triginta. Nucleorum pinearum, Amygd. dulcium, Auellanarum aſſatarum, Tragacanthæ, Gummi Arabici, Radicis dulcis, Succi eiuſdem amyli, Capillorū Veneris, Radicum iridis, ſing. drach. iiij. Pulpæ palmularum, drach. xxxv. Amygd. amar. drach. iij. Mellis ex paſſulis, Sacchari albiſſimi, Butyri recentis, ſingul. drach. iiij.
Mellis q. ſ.

Omnibus deinde contuſis & mixtis, fit eclegma. Si B recte perpendatur hæc confectio optima eſt ad parandas materias craſſas, & difficiles ad excretionem, quæ in membris reſpirationi inſeruientibus continentur, atque ibi tuſſim difficilem concitant, & ſpirandi difficultatem: nā in illa ratio omnium eorum ſcoporum habita eſt, quos maxime in his affectibus harum partium ſpectādos eſſe docuit Galenus: nam aliqua continent, quæ vim habent detergendi, extenuandi, & diſſeccandi craſſa & lenta excrementa, & expulſioni renitentia, alia vero multa, quæ molliunt, applanant, & leuigant vias, per quas naturæ excrementitiæ ſunt expellendæ. Eſt vero præterea medicamentum modeſte calidum, quod maxime neceſſarium in his eſt. Oſtendemus autem rem hanc ita ſe habere, vt ſimplicia omnia, ex quibus fit, conſideremus, C & accommodemus illis quæ a Gal. tum in lib. de Fac. ſimpl. med. tum in libris de enrundem compoſitione, præſertim 7. ſecundum locos ſcripta ſunt. Vbi ea recenſens, quæ vim habent applanandi & deliniendi internas in thorace, & pulmonibus vias, vt facilis deinde fiat excreatio, & excretio ſuperuacuorum humorum in illis contentorū, atque in ſuos ordines redigens. In primum ordinem tragacanthum digeſſit, & gūmi arabicum, amylum & nucleos nucis pineæ, in alterum vero butyrum, glycyrizam, id eſt radicem dulcem, vel eius ſuccum & decoctum, dulces amygdalas, pulpam palmularum, & mel, quod paſſulatum appellant in eundem ordinem referrem ego, quamuis ex melle, quod paſſularū decocto ad- D dunt, aliquid exterſoriæ, & attenuatoriæ facultatis habeat. Sed attenuant quidem, atque detergunt reliqua ferè omnia, vt perinde ad expurgandas vias, & loca reſpirationi ſeruientia, cū a craſſis & lentis ſuccis obſidentur, non parum cōmoda ſint, nā & auellanæ aſſatæ, vt inſinuare videtur Gal. ſeptimo de ſimpl. med. fac. vim attenuādi ſibi comparant: tenuiores enim partes ex aſſatione reddūtur: ſed & adiāthum, vel capillus veneris vim habet craſſos, & lentos humores attenuādi: mel vero, amygdala amara, & iridis radix maiorem vim attenuandi, & detergendi, & ſecandi habent. Quare poteſt hoc medicamentum facile id quod pollicetur, præſtare, nempe opem diuturna tuſſi laborantibus ferre, ſi tamen illa a craſſis & E lentis ſuccis habeat fomentum. Hoc eclegmate calidius & valentius eſt, ad attenuandos, detergēdos, facilesq́ue ad excretionem reddendos craſſos, lentoſq́ue & crudos ſuccos in thorace detētos, medicamentum illud, quod Iuniores Meſuem ſequuti, Loch ſanum & expertum nuncupant, & in præſentia eſt in frequenti vſu. Vnde ad difficilem tuſſim diuturnamq́ue, item & ad raucedinem tollendam exiſtimatur eſſe commodum valde, & efficax medicamentum, præſertim vbi nulla, aut non vehemens adfuerit febris. Conficitur vero ſic:

Recipe Cinnamomi, Hyſſopi, Radicis dulcis, ſing. vnc. ſ. Zizipharum, Sebeſten, ſing. fructus triginta, Paſſularum exacinatarum, Caricarum pinguium, Palmarum, ſeu dactylorum pinguiū, ſing. vnc. ij.

vnc.ij. Fœni Græci, drag.v. Adianthi pugillum, Seminũ aniſorum, Fœniculi, Radicis iridis, Calamenti. Seminis lini,ſing.drag.iiij.

Omnia vero ſimul in libr.4. aquæ ad medietatẽ coquantur, cui decocto mox addendæ ſunt duæ penidiarum libræ, & ad craſſitudinem mellis iterum decquatur,& additis nucleis pinearum mundatarum,

Amyg. dulcium mundatarum, Radicis dulcis, Tragacanthæ, Gummi Arabici, Amyli,ſing. drag.iij. Iridis,drag.ii.

Poſtea omnibus ſimul mixtis fiat medicamẽti agitatio dum albeſcat. In hoc medicamento præterea, quæ cum priori communia habet, ſunt ziziphæ, quæ tum refrigerant,tum leuigant, vt tẽperare poſſint aliquanto calorem medicamentorum calidiorum,ſunt & myrrha vel ſebeſtẽ,quæ lẽto ſuo humore applanare omnia exaſperata, & temperare delinireque acrimoniam, & exaſperationem acriorum, & calidiorum ſimpliciũ poſſunt. Caricæ vero pingues ipſæ quoque vim habent molliendi. Poſſunt vero potenter attenuare, & deſiccare lentos, & craſſos humores, & ſubinde detergere, præter illa quæ expoſita paulo ante fuere, cinnamomum, hyſſopum,calamentum, ſemina aniſi, fœniculi,& nonnihil etiam ſemen fœni Græci. Vnde Galen.primo de Alim.fac dicit,Medicamentum ex eo & melle cõfectum, eſſe vtile ad diuturnos thoracis affectus, qui ſine febre fuerint. Sed vtile etiam,quàm maxime eſt, & nulli fortaſſe ſecundum,ad extirpandos hos eoſdẽ thoracis affectus, Eclegma illud, quod conficitur ex ſcylla,& ſummis laudibus a priſcis omnibus, præſertim vero a Galeno pluribus in locis extollitur. Poteſt vero non vno tantum, ſed multiplici modo parari hoc medicamentum,ſicut & multiplici modo antiquiores medici parauere: nam interdum ex ſucco eius addito melle, & cocto vſque quo ad compagem eclegmatis perueniat, quo pacto docuit Meſ. conficere,ſed longè ante illum, vt Gal. octauo de Comp. med.ſecundum loca,teſtatus eſt Antonius Muſa,qui ex Scylla cruda voluit ſuccum exprimi, interdum vero ex vniuerſa Scylla, ſed ea cocta, aſſata nempe vel elixa, & ea poſtea ex melle cocta,coquere autem illam medicos conſueuiſſe ait Gale. octauo de Med. ſimp. fac. vt de vehementia virium aliquid detrahatur: modum vero,quo aſſatur, idem Galenus nono de Comp. med. ſecundum loca cap. primo docuit. Docuit præterea & Dioſcorides. Sed Meſue illius quidem medicamenti, quod ex ſolo ſucco conficitur,meminit, eius vero quod ex Scylla aſſata ſola fit addito melle,non meminit, ſed illi hyſſopum, marrhubium,irimque,& myrrham addit.Hoc autem nõ eſt pretereundum ita ſiccis pedibus, cum dignum ſcitu ſit,nempe quòd antiqui medici vario modo componere medicamentum ex ſucco Scyllæ ſoliti ſunt. Aliquando enim,vt & Meſ. inſtituit, qui accipit expreſſum ſuccũ ex ſcylla cruda,& addito melle,quantum ſatis fouere videtur, decoquit,donec conſiſtentiam eclegmatis ſibi comparet, quæ confectionis ratio a Galeno ſumpta eſt ſeptimo de Comp.med.ſecundũ loca: neque tñ aliquem turbet,quòd ex ſcylla cruda exprimendum ſuccum conſueuerint antiqui, præſertim Aſclepiades, cum Dioſcorides ſcyllã crudam humano corpori non parum eſſe noxiam dicat, propter vehementiam virium eius, de qua per decoctionem nonnihil detrahitur, cum poſtea ex melle exquiſito coquatur. Alio autem modo a Galeno in eo libro, quo conſulit puero comitiali morbo laboranti, docuit ſuccum extrahi ex ſcylla quaſi per deſtillationem: non quidem igne vſus, ſed diuiſa ſcylla in plura exigua fruſta,atq; in vas iniecta,quo mel deferri ſolet,& ſeruari, clauſoque eius oſculo,ac probè pelle aliqua contecto,& deligato, canicularibus diebus ſoli exponi volebat, & ſæpius verti, vt vndique pariter incaleſceret: ſit tamen locus, vbi vas collocatum in meridiem verſus, & a boreali plaga auerſus, deſtillat enim vi ſolaris caloris liquor ex ſcylla, qui collectus melli optimo immiſcetur, atque ita conficitur medicamentum. Sed & reliquis fruſtulis eiuſdẽ ſcyllæ,quæ ita cocta reperiuntur ac ſi eſſent elixa exquiſite tuſis,& læuigatis,atque ex optimo melle diſſolutis vtile medicamentum parari poteſt. Præterea vero interdũ ſcylla luto inuoluta, vel vt nunc ſolent in triticea maſſa ſub anthracibꝰ,vel in clibano,vbi coquitur panis, aſſatur, deinde conteritur,& ex melle fit medicamentum, vt nono de Comp. med. ſecundum loca docuit Galen. & Dioſcorides. Et ſimplicior eſt iſthæc componendi ratio, cui alij alia addunt,ſicuti quiſque apud Meſ. & Galenum nono de Comp. medicamentorum ſecũdum loca legere poterit, quomodocunque autem paretur, cum ſcylla vim habeat vehementem propter partium tenuitatem ſecandi, citra tamen inſignem calorem ſemper fiet orthopnoicis,& aſthmaticis, qui a craſſis & lentis excrementis male habent,vt tum alibi,tum ſeptimo de Com. med.dicit Galen. quàm maxime ſalutare. Sed & de Eclegmate, quod ex pulmone vulpis reſiccato,& ex arte parato fit, pauca dicamus: nam & ipſum in frequenti vſu eſt noſtris temporibus: eius vero compoſitionem a Meſue noſtri medici deſumpſere,quamuis id in Galenum authorem ipſe referat,id tamen ego apud Galenum nunquam meminime legiſſe. Conficitur ſic:

Recipe pulmonis vulpis ſicci,
Succi liquiritiæ,Capillorum Veneris,
Seminis fœniculi,ſing.drag.iiij.

ſit deinde medicamentũ ex ſaccharo cocto ex aqua. Medicamentum hoc, vt & Meſue teſtis eſt roborare pulmones poteſt, & attenuare, detergereque materias craſſiores in illis contentas, atque humiditates, ſuperuacaneas deſiccare: nam vulpinus pulmo affinitate & ꝓprietate naturę,pulmonibus robur addit, & ſiccat, capillus Veneris etiam attenuat quidem craſſiores ſuccos, eoſque ad excretionem parat,ſed eſt alicuius aſtrictionis particeps, vnde roborare poteſt pulmones languidiores factos. Addit vero Meſ. quòd medici ſæpe rob myrti addunt, hoc eſt, ſuccum baccarum myrti ad ignem inſpiſſatum, nempe vt aſtringendo maius robur viſceri impertiatur. Quo loco eſt aduertendum, quòd quamuis alia ſint etiam medicamenta paria myrto in aſtringẽdo,myrtus tamen in hoc officio, affectibus thoracis,& pulmonum accommodatior ea ratione videtur, quia ſubſtantiam habet diuerſæ, non autem ſimplicis naturæ, vt pote quæ ſit ex ſecundo de Alim. fac.ſaporis myrti ex auſtero & dulci. Dulce vero thoraci, & pulmonibus maxime commodum eſt, & familiare. Eſt ergo medicamentum hoc maxime vtile aſthmaticis,ſuppuratis, vel empecis, & phthiſicis,vel tabeſcentibus ex vlcere contracto in pulmonibus, cum pectus,pulmoneſque poſſint attenuando, & detergendo mundos a craſſa lentaque materia,atque pure ſeruare: & deinde exſiccando conſumere malas materias, & adiuuare vlceris conſolidationem, non eſt autem inſigniter calefaciens. Quia autem & id medicamentum,quod ſucco Braſſicę fit,& dicitur Loch ex caulis ab Arabibus, & iunioribus in frequenti vſu eſt,ideo nec ipſum eſt ſilentio inuoluendum. Fit autem hoc modo.

Recipe ſucci ex folijs braſſicæ expreſſi,libr.v.quę decoquũtur igne lento, ſemper auferendo ſpumam ad conſumptionẽ librarũ trium, mox illis inijcitur libra mellis, & tantundem ſapæ, ac vlterius ad craſſitidinẽ eclegmatis decoquitur: & ad tuſſim humidã laudatur, & id iure optimo; nam braſſica vim habet attenuandi,

tenuandi,

tenuandi, detergendi, atque exſiccandi cum aliquo calore, vt li. de Salubri victu innuit Galenus. Præterea cum non ſit alicuius aſtrictionis expers, habet etiam vim roborandi: addito autem melle, additur etiam attenuandi & detergendi facultas: a ſapa vero habet, vt poſſit mollire, leuigare & applanare aſpera in pulmonibus. Vnde quamuis non habeat ita vires validas hoc medicamentum vt præcedentia, non tamen ſpernẽdum vtique videtur, cum & partes reſpirationi inſeruientes aſtringendo poſſit roborare, detergendo & extenuando expurgare. Præterea vero deſiccando ſuperuacuas materias in eis abſumere, & quia inde etiam habet, vt poſſit agglutinare, & ſanare vlcera ex ſeptimo de Fac.ſimp.med.vel etiam maligna, & aſthmaticis vtile erit, & phthiſicis vel tabidis ex vlcere, præterea tuſſi laborioſæ & difficili, necnon & aſperitati arteriæ aſperæ, & raucedini vocis, quæ occaſionem habet ex multo humore irrorante exaſperanteque vias ſpiritus. Sed iam de his medicamentis agamus huius generis, quæ accommodatiora ſunt affectibus harum partium, quæ a calidioribus, & tenuioribus excrementis, vel deſtillationibus oriuntur. Et primo de eo agamus, quod a Meſ. Diapapauer dictum eſt. Conficitur ſic.

Recipe Sem.papaueris albi, drag.xxv.
Amyg. dulcium decorticatarum, Nucleorum Pinearum, Gummi Arabici, Tragacanthæ, Succi rad.dulcis, ſing.drag.x.
Amyli, dr.iiij. Seminis portulacæ, Lactucæ, Cotoneorum malorum, ſing.drag.iiij.
Croci, drag.j.
Penidiarum, drag.iiij.

Syrupi qui conficitur ex capitibus vtriuſque papaueris nigri, ſ. & albi, atque ex violis & ſemine lactucæ, q.ſ.ad medicamenti confectionem, non exponam particulariter ſimplicia omnia, ex quibus hoc medicamentum fit, cum nullum horũ ſit, de quo iam non aliqua huc vſque dixerimus: nam nullus eſt, qui mediocriter ſit verſatus in illis libris, qui ad medicinalem materiam pertinent, qui non facile percipiat, medicamentũ hoc refrigerare poſſe, & incraſſare deſtillantes ad pulmonem & thoracem, calidos, acres, & tenues ſuccos, & ſubide etiam reprimere, & ſiſtere fluxiones, & eas maturare. Præterea vero vias, & meatus in partibus inſpirationi inſeruientibus delinire, & quaſi applanare: papaueris enim ſemina, lactucæque, & portulacæ refrigerant non parum, & ea etiam ratione craſſiores defluentes humores reddunt. Tragacantha vero, gũmi, & amylum applanant, deliniunt, & quoquo modo cum ſint emplaſticæ facultatis, incraſſant: ad quod nonnihil etiam mucoſo ſuo lẽtore faciũt ſemina malorum cotoneorum, & portulacę: de nucleis pinearũ & amygdalis nihil nunc loquor, cum ſatis de his ſupra. Vnde omnibus affectionibus in thorace exiſtentibus ortis a calida intẽperie, vel ab acrioribus & tenuioribus humoribus, vt ſunt tuſſes, aſperitudines, pleuritides, & alij alioquin dolores accomodatum eſt medicamentum: poteſt præterea eſſe vtilis febricitantibus, præſertim vero tertianarijs, & illis, qui febre ardente laborant: nam & fluentibus illis præſidio eſſe poteſt, & afflictis a nimia vigilia, & adiuuare concoctionem acris bilis, & tenuioris, & eius feruorem retundere. Sed & de Loch, Dono a Meſ. dicto, agamus: confert hecticis & conſumptis phthiſicis: eſt enim alicubi in vſu frequenti.

Accipit autem ſeminis papaueris albi,
Spodij, Seminum lini torrefactorum, Croci, Amygd.dulcium, ſing.drag.iij. Amyli, Tragacanthæ, Gummi, Seminum cotoneorum malorum, Cucumeris, Naſturtij coctorum,
Amyg.amararum,

Fabarum, ſing.drag.j.ſ.
Penidiarum drag.lx.

Penidijs ex aqua dilutis, diſſolutiſque prius, addantur reliqua, & coquãtur. Poteſt hoc medicamentum leues & molles reddere pulmones, & particulas ad illos attinentes, quod commune eſt, vt diximus, omnibus medicamentis, quæ affectionibus harum partium curandis accommodata ſunt. Hoc vero præſtant amygdalæ dulces, tragacantha, gummi, amylũ, ſemina malorum cotoneorum, & penidiæ: quæ item vna cum ſeminibus papaueris, cucumeris, tum emplaſtica vi, tum etiam refrigerando, poſſunt reprimere acrimoniam deſtillationum, a quibus vlcerari plerunque pulmones poſſunt, partim autem poteſt detergendo vlcus, ſi adſit, mundum reddere, quod in curandis vlceribus maximam vim habet, præſertim vero, ſi id citra morſum fiat: citra morſum autem ex ſeptimo de Comp. medicamentorum ſecundum loca, detergit ſemẽ lini toſtum, fabaque preſſa, & amaræ etiam amygdalæ. Vnde neque mihi eorum ſententia probatur, qui exponunt naſturtium coctum, hoc eſt probe maturum, quia potius exiſtimarem, quòd ſicut medici in his affectionibus ſemine lini toſto vti ſolent, quia ſine mordicatione detergit, ita puto Meſuem voluiſſe naſturtij ſemen coqui, vt poſte quia nimis acre ſit, per cocturam enim acrimonia detrahitur. Poſtremo autem multa adſunt, quę deſiccare poſſunt, vt ſpodium, ſemẽ naſturtij, amygdalæ amaræ, item & faba, de qua Galenus ſeptimo de ſimpl.medic.facult. dicit, quod innoxie exſiccat. Tertio autem meth. quod carnem procreat, vlcera vero præſertim exſiccatione curantur. Iure ergo a Meſue laudatur hoc medicamentum, tanquam ſalutare phthiſicis & tabidis, & in vniuerſum tuſſiẽtibus, vtpote quod facilem efficiat excreationem materiæ in thorace contentæ, & ſubinde plurimum faciat ad mundas ab excrementis reddendas partes reſpirationi ſeruientes, vt medicamentum ſatis temperatum, non calidũ, non immodice ſiccans. Eſt etiam in multis locis in vſu, vt Serapion iſtius medicamẽti auctor loquitur, Loch ex lini ſemine. Fit enim ex ſemine lini aſſato quidem, ſi ſit vt ille inſtituit, & vt antiquiores medici lini ſemine in hiſce medicamentis vti ſolebant, quod ex ſeptimo de Compoſitionibus medicamentorum, ſecundum loca facile percipitur, quamuis Seplaſiarij multi id ex iſtius non aſſati farina conficiunt: accepta ergo farina huius aſſati, & addito melle quantum videtur eſſe ſatis, & illis ſimul mixtis, fit medicamentum, de quo nihil eſt vt plura dicamus, cum paulo ante de ſemine lini ſatis dixerimus, nempe quod citra mordicationem detergat. Vnde non inutile eſt medicamentum ad extergenda craſſa excrementa viſcida, obſidentia vias in thorace & pulmonibus. Poſtremo dicamus de Loch ex amygdalis, quod & ipſum in frequenti vſu eſt. Fit hoc modo: Recipe amyg.dulcium,
item amararum, Seminis lini aſſati,
Nucleorum pinearum,
Seminum aniſi,
Tragacanthæ,
Gummi, Radicis dulcis,
Eius ſucci ſing.drag.j.ſ.
Sacchari,
Penidiarum, ſing.drag.iij.

Deinde ex melle & ſucco fœniculi, prius tamen probe coctis & deſpumatis, & alijs adiectis, conficiatur medicamentũ ex arte: ꝙ ſi recte conſiderentur ea, ex quibus fit, valet ad aſperitates partiũ reſpirationi inſeruientiũ, quando id a ſiccitate prouenerit: quamuis non parum etiam poſſit eſſe vtile ad facilem reddendam excreationem craſſarum materiarum, ſi quę ſint in pulmonibus, & thorace interceptæ: nam dulces

amygdalæ, pinearum nũclei, tragacãtha, gũmi, radix dulcis, & eius ſuccus, præterea & penidiæ molliunt, deliniunt, & hũmectas eas partes reddunt: lini vero ſemen aſſatum citra morſum detergit: detergit vero & mel, nonnihil & ſaccharum, & aliquãtulum etiam amygdalæ amaræ, quæ præterea vna cum ſucco fœniculi craſſa excrementa attenuare poſſunt, ſicut & ſemen aniſi: quatenus vero ad primas qualitates pertinet, eſt medicamentum temperati cuiuſdam caloris, quod ad applanandas aſperitates viarum reſpirationis, & ad attenuandas detergendaſque craſſas & lentas materias occupantes inſtrumenta reſpirationis, non parum ſit vtile, præſertim vero quando affectus nondum fuerit inueteratus & pertinax. Sed iam ad tertium librum nos accingamus, finem huic ſecundo imponentes. In quo tertio de Medicamentis, quæ exterius adhibentur agemus. Prius tamen hoc dicam, quod valde vtile illis eſt futurum, qui operam diligentem Pharmaceuticæ parti artis medicinæ nauare volunt. Illud vero eſt, quod perinde in medicamentis vt in affectionibus non eſt vna impartibilis ratio, immo ampla & ſpatioſa: eſt enim inter eorum ſupremum terminum & infimum magnum ſatis interuallum, vel latitudo, vt Iuniores dicunt, quæ quamuis certis quibuſdam finibus claudatur & terminetur, media tamen non ita definita, immo, vt ſæpe teſtatus eſt Galenus, multiplicia ſunt, vt nullo numero definito claudi poſſint. Vnde cum in hoc magnum ſit momentum, nempe vt vires medicamenti accommodentur & aptentur ipſi morbo,

A quod & Hippocrates velle viſus eſt, cum dixit, Ex-
tremis morbis extrema remedia eſſe opportuna, &
quòd quanto ab extremis morbus receſſerit, tanto
etiam remedia ſi ab extremis receſſerint, erunt op-
portuniora, quod & ſi Hippocrates ſequenti aph.
particulatim id de ratione victus explanauerit, do-
B cuit tñ Gal. hoc in more fuiſſe Hippocrati, vt quan-
do plura erant eandem rationem habentia, illi ſatis
erat, ſi vnum illorum particulatim expoſuiſſet, cæte-
ra verò addenda, & eadem menſura menſuranda re-
liquiſſet. At vero neque poſtea fieri poterat, vt me-
dici ita innumera medicamenta, quibus tam multi-
C plicibus affectuum differentijs poſſet ſatisfieri in
promptu, & parata haberent. Vnde coacti ſunt eam
inire rationem, vt aliquibus & illis diuerſarum, im-
mo inter ſe aduerſantium virium confectis & para-
tis, ex varia illorum, quando opportunum videtur,
miſcella multiplicem ſupellectilem medicamento-
D rum ſibi parant, mixtis ſane interdum mutuo ſim-
plicibus, nonnunquam ſimplicibus cum compoſi-
tis, & quandoque compoſitis cum compoſitis, at-
que hoc modo per rationabilem coniecturam mix-
turam variantes, apta & accommodata medicamen-
ta affectionibus ſibi comparant: & hoc quidem &
E in vniuerſum in omnibus conſpici poteſt, & parti-
culatim in eclegmatibus ſiue Loch iam declaratis.
Sed hic conſiſtamus, immenſas gratias Deo Opt.
Max. agentes, cuius aſpiratione & nutu finem tan-
dem huic libr. 2. imponimus.

VICTORIS TRINCAVELLII PHILOSOPHI, ET MEDICI VENETI,

LIBER TERTIVS.

De Compoſitione, ac vſu medicamentorum. Cap. I.

IN his noſtris explicationibus, quas inſtituimus de Compoſitione,& vſu illorum medicamentorum, quæ medici in curãdis affectibus, quibus humanum corpus exercetur, in frequentiſſimo vſu nunc habent,partim Andromachum & Herã antiquos & illuſtres medicos,partim vero Galenum imitati ſumus. Illi enim vniuerſam medicamentorum compoſitorum ſiluam bipartiti,duo volumina confecere: quorum altero ea medicamenta complexi ſunt,quę interius áſſumi ſolent:altero autem illa, quæ exterius adhibentur. In eundem ſane modum, & nos vniuerſam hanc tractationem in duas ſecuimus partes; & priorem, primo & altero libro (quantũ per nos clarius & exquiſitius fieri potuit)expoſuimus. Quia enim vniuerſa eorum ratio,quę ad eam partem attinere videbatur,tandem poteſt in duos ſcopos referri: præſertim vero, vbi vitioſa,& excremẽtoſa materia adeſt,quæ morbum foueat & augeat: nẽpe vt illis excremẽtis detractis corpus expurgetur, ad commodiorẽ, & faciliorẽ vacuationẽ, tũ corpus, tum excrementa parentur, ac vires particularũ roborẽtur: ea propter omnia,quæ ad hęc duo officia ſpectant duobus prioribus commentarijs cõprehendimus: in præſenti vero libro alteram comprehendemus. Et quia hoc etiã argumentũ multiplex eſt,& varium, ideo in digerẽdis, diſponendiſque eius partibus,Galenum,quantũ poterimus,imitabimur, qui vniuerſam medicamentorum compoſitorũ ma-

A teriam,duobus monumentis abſoluit,quorum alterum de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera inſcripſit, alterum vero de eorundem compoſitione ſecundum locos: accepta nempe occaſione iſtius diſtinctionis, non ab ea inclinatione, quæ a natura morboſi affectus accipienda eſt, quam prioribus duobus libris ſumus ſequuti: ſed potius ab illa,
B quæ ab ægris partibus vel membris petenda eſt. Quia tamen hæc ſententia aliquibus fortaſſe videbitur aliquanto obſcurior, non erit ab re, ſi illam breui expoſitione explanauerimus. Porro nu'li medico notum non eſt, partes, ex quibus humanum corpus eſt coagmentatum, duplicis in vniuerſum eſſe naturæ: aliæ enim primæ & ſimpliciores ſunt,
C quas Ariſtoteles & reliqui Peripatetici ὁμοιομερῆ Græci, ſimilares autem Latini nuncuparunt: & hæ quaſi proxima, & vltima ſunt animantis corporis elementa: præſertim vero hominis, quales ſunt caro,nerua,oſſa, copulæ vel ligamenta, mẽbranæ,cartilagines,arteriæ,& venæ. Vniuerſus etenim humani corporis habitus ex his conflatur, adeo vt ſua com-
D muni ratione nullum particulatim ſibi ſitum, nullũ locum in corpore definitum vindicent, niſi quatenus illæ,quæ compoſitæ & inſtrumentariæ dicũtur, ex his coagmentantur. Aliæ vero,quarum nuper meminimus, poſteriores natura ſunt, & non amplius ſimplices, ſed potius ex prioribus illis conſtitutæ, & compoſitæ,quæ inſtrumentariæ Latine, Græce vero
E organicæ dicuntur: vtpote,quæ ſint proxima,& abſoluta inſtrumenta, quibus in obeundis omnibus operationibus, quæ a facultatibus proficiſcuntur, vtatur animus, eæ vero omnes ſuum priuatum, peculiaremq;, tum ſitum, tum locum in humano, imo cuiuslibet animantis corpore ſibi vendicant: quippe quæ vt primo de Locis affectis, & primo de Vſu part.cap.2. tradidit Gal. propriam habeant circumſcriptionem, per quam earum quælibet in ſe vna, &

ab alijs omnibus diſtincta: & proinde ab Antiquis A Medicis loca in animante appellantur, in quo ſenſu Hippocratis liber adhuc ſuperſtes eſt, cuius inſcriptio eſt, de Locis in homine, & Galeni alter inſcriptus de Locis affectis, & tertius de Compo.med.ſecundum Locos. Hæ eædem etiam partes particulæ appropriata nuncupatione ab eiſdem dicũtur: quod in libris, quos de Vſu particularum inſcripſit idem Gal.oſtendit. Sicuti autem priores corporis partes, quæ ſimplices ſunt, omnibus communes ſunt, & prope in vniuerſum corporis habitum digeſtæ: & quantum ad ipſas, & communem earum naturam ſpectat, nulli particulæ, ita priuatim accommodari poſſint, quin & alijs attribuantur: & propterea curationis ratio, & methodus, quæ ab iſtis indicationi- B bus conſtituenda eſt generalis dicitur, vel penes genera accepta. Quæ vero a compoſitis particulis priuatim depromuntur, & a peculiari, & propria earum natura a locis accipi dicuntur: & medicamenta, quæ componuntur ex collatione, & comparatione cum his priuatis indicationibus, & ſcopis, iuxta locorum naturam compoſita eſſe dici poſſunt, atque localia medicamenta, vel remedia a Medicis appellari ſolent. Et quemadmodum ſimplicia membra, quæ & communia a nobis nuncupata ſunt, natura priora ſunt, & indicationes quoque ab illis deſumptæ: & ſcopi, qui has ſequuntur communiores, & generaliores ſunt, ita priorem etiam ſermonem de eorum medicamentorum vſu, & cõpoſitione inſtituemus, quæ ad has indicationes ſpectant: poſtea vero de illis, quæ C referuntur ad naturã certæ alicuius, & definitæ particulæ, vt ſunt cerebrũ, oculi, nares, aures, lingua, vel os, pulmones, cor, iecur, lien, ventriculus, inteſtina renes, veſica, vterus, manus, brachia, & id genus alia. Sed quia vniuerſa primorum membrorum ratio, & natura, tum in recta conſiſtit temperie, tum vero in vnitate, vel continuitate: ideo neceſſe eſt, vt omnes affectus, vel morbi, quibus hæ ſimpliciores partes tentari primum poſſunt, aut in vitiatam temperiem tanquam in proprium genus referantur, aut in ſolutam vnitatem, continuitatemve. Cum enim morbus nihil aliud ſit, quàm quidam receſſus a naturali ſtatu ipſius particulæ, vel (quod tamen tantundem valet) receſſus a ſanitate, inde ſane conficitur, vt ſit D neceſſe in eiuſdem generibus morbos conſiſtere, in quibus ſanitas, vel naturalis corporis conſtitutio. Semper ſiquidem oppoſita in idem genus referuntur, & eadem ſemper eſt oppoſitorum diſciplina. His tamen omnibus hoc præterea addamus, quòd quamuis in his commentarijs ſimus profeſſi, nos eſſe eum ordinem ſequuturos, quem oſtendebat ea indicatio, quam nobis ratio affectæ partis primum afferebat: non eſt tamen ita id accipiendum vt velimus perinde eſſe ſpectandam hanc indicationem in compoſitione, vt vſu horum medicamentorum, quæ in conſiderationem reuocanda ſunt, ac ſi altera, quam nobis natura affectus demonſtrat, eſſet omnino prætereunda. Imo neceſſe ſemper eſt, vt hæc il- E lam præcedat, & ſit quaſi primum iactum fundamentum in conficiendis, atque in uſum deducendis congruentibus medicamentis. Vnde vt ratio uniuerſa curationis variatur, partim ob diuerſam naturam ipſius affectus, partim uero propter diuerſam naturam corporis, uel partis affectæ: ita etiam ab his duobus uniuerſa fere ratio tam compoſitionis, quàm uſus medicamentorum omnino eſt petenda. Quare, ut apte, & concinne poſſimus communem, & generalem methodum proprijs, & priuatis accommodare præceptis, & a communibus, & uniuerſis indicationibus ad priuatas particulatim deſcendere: oportet prima indicationum genera, partiendo differentias omnes, uſque ad ultimas inueſtigare. Sed cum indicatio ſequatur naturam rei indicantis, omnis indicationum differentia a differentibus rebus ortum habet, quæ vim aliquam indicandi habeat. Aggrediamur ergo negotium. Omnis intemperatura, vt alias etiam expoſuimus, aut ſimplex eſt, in qua nimirum exceſſus duntaxat eſt in vna primarum qualitatum contrarietate, aut compoſita in qua exceſſus eſt in vtraque contrarietate. Præterea vero, vel hic exceſſus nullum ab aliquo humore, vel materia fomentum habet: ita vt quatenus ad illum attinet, ſit citra omnem materiam, vel habet præſentem materiam, a qua ſeruatur, & fouetur, neque tamen erimus longiores in illis differentijs, tam ſimplicibus, quam compoſitis particulatim exponendis: cum nullus ſit Medicus adeo ignarus, qui non nouerit, quatuor eſſe ſimplices, & quatuor compoſitas intemperaturas, quatenus ad rationem qualitatum pertinet, quodque ſi ad rationem materierum reſpiciamus, tot ſunt intemperaturæ, quot etiam materiæ, vel humores, a quibus illæ ſuum fomentum habent. Sed hoc conſiderandum eſt, in quo maius videtur eſſe momentum: nempe, quod duplex eſt modus earum intemperaturam, quæ ortum, & fomentum habent a materia præſente. Nam vt ſecundo libro Comment. in primum Epid. docuit Galenus, aliquando humor per vaſa alicuius particulæ fluens alluit, & quoquomodo perfundes circumſtantes partes eaſque tranſmutans per ſuas qualitates, variata illarum naturali temperatura, actiones inde prouenientes lædit, & iſtius generis proprie ſunt morbi illi, qui in intemperiem cum materia referuntur: aliquando autem a præcipiti, & confertim facta fluxione humorum decumbentium in aliquam partem primum replentur vaſa maiora eo pertinentia, & intumeſcunt: mox vero eadem fluxio, & in minora impellitur: quæ itidem repleta diſſoluuntur: demum præ multitudine materiæ, & diſtentione vaſorum pars aliqua, & illa quidem non exigua, quaſi expreſſa excidens extra vaſa, replet inania ſpacia circumſtantia, quæ nimirum intercedunt inter vaſa, & alias partes: vt ſunt muſculi, & aliæ vicinæ partes, replet, & anguſtos meatus ipſarum particularum pene ab ipſis abſorpta, & ibi infarcta in tumorem particulam attollit. Et quamuis interdum non ita præceps, & confertim deffluat humor, ſed potius paulatim, vt in craſſis ſuccis ſæpius euenire ſolet, nihilo ſecius tamen cum implentes infarciuntur, tandem ſit eadem quaſi expreſſio, & repletio vicinarum partium, & hoc pacto vt docent Medici: in primis verò Galenus multis in locis, fiunt omnes differentiæ tumorum, in quos attolluntur particulæ præter ſuæ naturæ rationem. Sed neque hoc ſilentio inuoluendum eſt, quòd ſicuti ſimplicibus his particulis nihil prius & intimius attinet, quàm ſuum naturale temperamentum: ita etiam quicunque morbi primum his ipſis attribuunt, paulo poſt fere neceſſitate quadam comitem habent intemperiem loci morboſi, quod facile probatu eſt. Si quod enim eſt morbi genus, in quo ſententia hæc anceps videri poſſit, illud eſt, quod in ſoluta continuitate conſiſtit: preſertim, ſi ab externa occaſione fiat, vt a gladio, vel ſimili aliqua re. Si quis autem recte animaduertat, & rerum naturam velit conſiderare, facile percipiet, neceſſe eſſe, vt ſtatim aliqua intemperies ſequatur: nam præter id, quod locus ſit imbecillior (alioquin enim non duplex eſſet excrementum, quòd Medicum cogit in curandis vlceribus vti ſemper quidem medicamentis exſiccantibus: ſæpe vero, & detergentibus) vix fieri poteſt, quin aliqua excrementitia materia a partibus integris, & valentibus affluat ad locum affectum,

fectum, & imbecillum, quæ immutare poteſt naturale illius partis temperamentum. Huic etiam accedit, quòd neque ita fieri poteſt concoctio alimenti proprij à loco vlcerato: quum augeatur ſemper excrementitia quædam, & ſuperuacanea humiditas, quæ impedimento eſt vlceri, quominus conſolidari poſſit, niſi locus diſiccetur. Tumores vero præter naturam proprie, & primum in genere morborum ſunt, qui in intemperie conſiſtunt, quæ cum materiá eſt, vnde medicamenta omnia, quibus in curanda ſoluta vnitate vtimur, vel in curandis tumoribus, quæcunque illa ſint, ſiue compoſita, ſiue ſimplicia, primum per ſuam temperiem agunt, & tranſmutant illam particulam, cui adhibentur calefaciendo, aut refrigerando, aut deſiccando, aut humectando: deinde vero per ſecundas, vel tertias qualitates, nempe aſtringendo, vel laxando, coquendo, detergendo, & id genus alia præſtando. Et proinde, cum in omni horum medicamentorum ratione, & vſu oporteat primum particulatim meminiſſe ſui temperamenti, per quod agere, & tranſmutare poſſunt morboſam partem, atque ſcopos exponere, quos ſpectare ſit neceſſe, quando ipſa componimus, & compoſitis vtimur: ideo non ſeorſim tractationem de illis medicamentis inſtituemus, quibus vti oporteat in curanda, & emendanda vitioſa intemperie contracta in aliqua parte ex interna externave occaſione, ſed ſtatim ſermonem aggrediemur, qui verſabitur circa rationem medicamentorum, quæ ſolita ſunt venire in vſum in curandis duobus morborum generibus; nimirum tum illis, qui ad vnitatem ſolutam pertinent, tum vero illis, qui ad diuerſas differentias tumorum præter naturam: ſumpto tamen initio a ratione curandorum vlcerum, & vulnerum.

De ratione compoſitionis, & vſus medicamentorum, quibus Medici vti ſolent in curanda vnitate ſoluta.

Caput II.

SOLVTAE vnitatis, ſi rem recte iudicare voluerimus, duæ ſunt primæ differentiæ: nam aliquādo partes diuiſæ, ita dehiſcunt, & mutuo ſeparantur, vt earum ſolutio ſenſibus comprehendatur: ſicuti quando a re incidente, vel contundente, & diſtendente, vel detergente, & erodente, vel vrente, vel mordente partes dilacerantur ſeparanturque: aliquando vero, & ſi vnitas omnino ſoluatur, non eſt tamen ea ſolutio talis, vt partium diuiſio oculis, vel aliquo sēſu percipi, & diſcerni poſſit, ſed cogitatione potius rationeque deprehenditur. Nam hoc conſtituto, quod cauſa doloris ſit vnitatis ſolutio, & proxima eius cauſa vt credimus ſenſiſſe Galenum, atque ita rem ſe habere putamus, quicquid voluerit Auerroes, neceſſe eſt, quod in quacunque parte dolor excitatur, in ea ſit vnitatis ſolutio: attamen ſępiſſime dolores etiam vehementiſſimos, in aliqua particula concitatos animaduertimus, in qua nullam diuiſionē notare poſſumus, quæ adeo inſignis ſit, vt ſenſu aliquo percipi poſſit. De hac autem ſolutione continui non agemus in hac tractatione primum, & per ſe, neque de medicamentis, quæ illi remedio eſſe poſſunt: niſi quatenus interdum ſolent dolores vehementes vulnerum, aut vlcerum eſſe comites, qui rationem curationis, aut omnino, aut reliqua ex parte ad ſe conuertunt: ſed de medicamentis illis præcipue ſermonem inſtituamus, quibus vſi Medici, vlcera, & vulnera, & alias conſimiles in ſimplicibus, & ſimilaribus membris concitatas affectio- A nes curare conſueuere. Hoc autem iſtorum affectuum genus multiplices, & varias habet differentias, quæ omnes variam viam, rationemque curationis, pro varia ratione, & natura harum differentiarum oſtendunt: & ſubinde variam quoque, & differentem rationem medicamentorum requiquirunt. Porro autem diuerſitas, & diſtinctio iſtarum differentiarum occaſionem habet, aut ab ipſo affecto membro, aut a natura affectus in ſe, & ſecundum propriam ſuamque naturam conſiderati, aut ab alijs ſymptomatibus, vel affectionibus, quæ cum ſoluta continuitate iungantur. Sed de prima diuiſione differentiarum, quæ depromendæ ſunt a varia natura affecti membri prius agamus. Sicuti B igitur diuerſa ſunt, & diſſimilis naturæ membra ſimplicia, quibus infligi poſſunt vulnera, ita & morbi, qui alioquin in ſeipſis conſiderati ſimiles dici merentur, ita diuerſi, & differentes habentur, vt etiam diuerſa nomina ſortiti ſunt, & differentem curationem deſiderant. Quòd enim differentia nomina habeant morbi, qui in ſolutam vnitatem tanquam in proprium genus referuntur, oſtendere Medici antiqui fere omnes, ſed præſertim Galenus, tum alibi, tum vel maxime in libro de Differentijs morborum, capite ſecundo, qui dixit: Vulnera quidem, & vlcera ſolutam continuitatem in carne ſignificant, Grece vere, τραῦμα, vel ἕλκος, & id ſi ex inciſione fiat continui ſolutio: quanquam quæ ab externis fit cauſis Hippoc. τραῦμα appellat. C Nam ſi diſrumpatur caro alia ratione ῥῆξις potius vel ῥῆγμα vt itidem tertio Meth. capite primo, & ſexto, capite primo tradidit, nuncupatur: at in neruis facta ex inciſione continui ſolutio nomen proprium non habet, neque Græce, neque Latine, ſed eiuſdem nominibus in his abutimur, quibus, & in carne. Nam vlcera, & vulnera neruorum itidem appellamus: immo, & eodem nomine ſignificamus ſolutam continuitatem in neruis concitatam non ex inciſione, quo & in carne nuncupamus: quamuis deinde habeant quoddam magis peculiare nomen nerui, quo ſignificatur quædam differentia cuiuſdam ſolutionis vnitatis particulatim: nempe, quando ex diſtentione diuelluntur, & dilacerantur fibræ D illæ, ex quibus præſertim contextus eſt muſculus: nempe, σπᾶσμα, quaſi diuulſionem dicas. Sed hoc idem nomen ad venas, & arterias transferimus, quādo ſimilem affectus rationem patiuntur. Cum vero os ſolutionem continui patitur, Hippocr. & Græci nunc ἄγμα, nunc κάταγμα nuncupant: nos fracturam. Sed de his hactenus. In ſequentibus vero magis particulatim agemus: primumque de vlceribus, vel vulneribus, vt ſolutam in carne vnitatem ſignificant, verba faciamus: exponamus autem in primis, quæ iterum ſit differentia inter vulnus, & vlcus, vt clarius, & magis ex ordine doctrinam inſtituamus, & in ſuperius diximus, Galenus τραῦμα, & τρῶσιν vulnus vocat παρὰ τὸ τιτρώσκειν, E quod vulnerare ſignificat: vlcus vero fere a Græco vocabulo deductum eſt, ἕλκος enim illi appellant. Et ſi Arabes, præcipue Auicennam ſequamur, facilis, & aperta eſt inter hæc differentia: nam vulnus continui ſolutionem appellat a re pungente, vel incidente factam, dum recens, & cruenta adhuc eſt, & nondum purulenta, vel nondum pus procreat: vlcus uero eam, a qua pus emanat, unde uulnera cum eo perueniunt, ut iam pus gignant, in ulcera tranſeunt, & proinde Auicenna 4. Fen. can. dixit ulcera fieri, aut ex uulneribus, aut ex ruptis abceſſibus. Et quamuis Gal. aliquando hæc confundere uiſus ſit, ſi tamen recte loca examinentur, & mutuo conferantur, in quibus de his ab illo habetur ſermo, facile percipiemus, & illum in aliam

ferè ſententiam non iuiſſe. Nos ergo hanc in præſentia ſententiam ſequamur, vtpote, quæ clarius ſit inſeruitura præſenti noſtro inſtituto. Et quia vulnus aliquantiſper ſimplicior eſt affectus, cuius, & curationis ratio eſt ſimplicior, ideo primum de compoſitione, & vſu eorum medicamentorum agemus, quæ Medicis vulnerarijs (qui improprie forſitan hoc tempore chirurgi nuncupantur) in curandis vulneribus in vſum veniunt.

De Medicamentis, quorum vſu curantur vulnera. Cap. III.

QVoniam medicamentorum, quæ componenda ſunt, quæque in vſum deducenda ſunt, duplex à Medico, qui probe rationem eorum tenere voluerit, iudicium faciendum eſt; primum earum facultatum quibus præditum eſt illud medicamentum, nimirum, vt exacte calleat, an deſiccet, & quatenus, hoc eſt, quo ordine, vel gradu poteſt deſiccare, vel calefacere, & quatenus id agere poterit, atq; eodem modo de alijs, vt qualitatibus tàm primis, quàm ſecundis, & alijs, vt quatenus refrigerare poſſit, quatenus detergere, quatenus aſtringere: & ne in his longiores ſimus, idē de reliquis medicamentorū compoſitorum viribus intelligendum eſt. Hoc autem iudicium vertitur circa rationem medicamenti, vt refertur ad corpus humanum cōſideratum in vniuerſum, & nondum per aliquas limitationes particulatim determinatum. Alterum vero iudicium Medico neceſſarium eſt, vt medicamentum refertur ad vſum: verſatur autem id iudicium circa hoc, vt cognita natura, & facultatibus compoſiti medicamenti, iudicet in quo morbo, quo tempore, quibus in locis, quibus corporibus illo poſſit apte, & ſalubriter vti. Ex collatione ergo medicamentorum particulatim ad ipſos vſus fit hoc alterum iudicium. Vnde primum illud fieri debet examinatis prius ſeorſim, ſingulatimque ſimplicibus omnibus, ex quibus conficiendum, aut confectum eſt medicamentum: deinde vero illis omnibus mutuo inter ſe collatis. Quemadmodum enim in compoſitis naturalibus ex mixtura proximorum elementorum, ex quibus conflatur mixtum, emergunt, & reſultant vires, & facultates illius mixti: ita in compoſitis medicamētis ex mixtione, & quaſi cōfuſione ſimplicium, vnde conficiuntur, exiſtunt, & quaſi emergunt omnes vires, quæ poſſunt quoquo modo illi compoſito medicamento iure attribui. Quare maxime rationi eſt conſentaneum; illum optime iudicaturum aliquod compoſitum medicamentum, qui prius nouerit particulatim ea omnia, ex quibus confectum, aut conficiendum eſt, probeque rationem inire, ac conferre illa ſciuerit, ex quibus medicamenti compoſitio conſtat. Alterum autem, quod circa vſum verſatur, illud eſt, quod perfectum medicum demonſtrat; nam etſi primum etiam ſit illi ſumme neceſſarium, niſi tamen, & hoc alterum accedat, nihil ferè primum proderit. Hoc alterum enim, tum Medicum omnino, tum cognitionem, peritiamque medicamentorum abſoluit: primo namque iudicio inniti nondum poſſumus, vt Galenus ſæpe teſtatus eſt, præſertim vero in libro de compoſitione medicamentorum ſecundum loca pronunciare, num medicamentum bonum, vel malum ſit, recte cōpoſitum, aut ſecus: quādoquidem id cognoſcemus, vbi primo præterea fuerit additum, & hoc alterum. Iſtius vero omnis ratio petenda erit ab ipſis ſcopis, quos nobis offerunt indicationes, quæ vniuerſam medendi methodum conſtituunt, & regunt. Conſideratis ergo, & recte perpenſis omnibus illis rebus, tam naturalibus, quàm etiam illis, quæ præter naturam rei accidentes, vim aliquam indicādi habent, recte fieri hoc iudicium poterit. Vim autem indicandi habent, quatenus ad res naturales pertinet, propria, & naturalis corporis temperatura, ad quam ætas, regio, vitæ inſtitutum, & conſuetudo referuntur: deinde vero particulatim natura, & temperatura male affectæ particulæ. In rebus vero, quæ ſunt præter naturam in nobis vim propriam indicandi habent, præſertim affectus, deinde cauſa: Interdum tamen, & ſymptomata aliquam ſibi vim indicandi vendicant, quamuis tunc non habeant amplius rationē ſymptomatis. Si autem affectus nō vnus, & ſimplex, ſed multiplex ſit, pro ratione multarum compoſitarum affectionum, multiplex etiam inſurgit indicationis ratio. Porro ab his omnibus, quamuis non æqualiter, petenda eſt ratio iudicandi appoſitum, & congruentem medicamentorum vſum: non ęqualiter inquam, quia non ſemper, immo vero raro eſt eorum, quæ indicant æqualis vis. Cum itaque tractatio hæc inſtituenda ſit de compoſitione, & vſu externorum medicamentorum, vſus vero ſit finis compoſitionis, de ſcopis primum, quos ſpectare oportet, in iudicando aptum, & congruentem medicamentorum vſum in curandis vulneribus, paucis agendum videtur. Sequemur autem in hac re exponenda methodum, quam nos Galenus primis libris method. nempe, 1. 2. & 3. præſertim docuit, & primùm priores, & communiores ſcopos, qui in vulneribus nobis oſtenduntur, inquiramus. In vulnere ergo in carnoſa particula, partes, quæ prius vnitæ, & continuæ erant, a re incidente diductæ, diſiunctæ, & ſolutæ ſunt. Vnde rei iſtius natura, & conditio nobis apertiſſime indicat, quòd ſi particula ſit priſtinæ vnitati reſtituenda, neceſſe eſt, vt partes ad ſe mutuo adductæ hæreant, coniunganturque, & quaſi agglutinentur: neque hoc cognitu difficile eſt, neque, (vt ait Galenus,) magnū aliquod in arte medica, cum ipſis etiam vulgaribus. & fabris ſit perſpectum, atque in hoc artifex ab inerti minime differt. Sed differunt in ratione peragendi illa, quę nobis prima hæc indicatio, & primus ſcopus oſtendit, nempe quo pacto, & quibus inſtrumentis id ſit peragendum. Nouit ſiquidem peritus Medicus, quæ ipſe, vtpote, qui miniſter naturæ ſit, poſſit in his, quæ indicantur, peragendis præſtare, quæque natura. Nam in aliquibus Medici ope omnino opus eſt, in quibus natura nihil poteſt: in quibuſdam vero ſola natura poteſt, neque quidquam a Medico deſiderat. Nonnulla vero præterea ſunt, quibus vtriuſque opera, tàm Medici, quàm naturæ vtilis eſſe poteſt. Sed rem hanc exemplo apertam, & claram efficiamus: præſertim vero in ſimplicioribus vulneribus, vbi nulla alia ſit coniuncta alterius rei indicatio, præter illam, quæ ab ipſo vulnere, vel ſoluta partium vnitate depromenda eſt. In vulnere ergo ab incidente inſtrumento illato, primum partes, quæ prius coniunctæ erant, diſiunctæ, & ſeparatæ dehiſcunt, vt in medio earum reliquus ſit hiatus quidam, vel inanis locus, qui aut cruore, aut aere repletur. Si ergo inſtituenda eſt illi particulæ vnitas, & integritas, neceſſe eſt vt partes, quæ deductæ dehiſcant, adducantur, & mutuo hærētes, primum agglutinentur, mox & concreſcāt, coaleſcantque. Agglutinantur autem ope ſanguinis, qui tum in oſculis exilium venarum, tum etiam in anguſtis meatibus reciſæ carnis continetur. Ille enim officio veri glutinis fungitur: coaleſcunt autem opera natiui caloris, qui eas etiam particulas ſanguinis in ſubſtantiam, & naturam veræ carnis conuertit: perinde vt alimentum in ſubſtantiam rei, quæ alitur conuerti-

quo-

quotidie ſolet, in quo quidem negotio ad Medicum ſolum pertinet, aut adminiſtrantem illi chirurgum labia, vel diductas vulneris partes in vnum adducere, cum id natura, ſi vulnus aliquantiſper inſigne ſit, ex ſe præſtare nequaquam poſſit: mox verò procurare, vt adducta, quoad mutuo coaluerint, coniuncta permaneant: id autem medicus non quidem medicamentis facere poteſt, ſed potius manu ſua, & faſcijs, vinculiſque, tum etiam ſutura, aut fibulis. Neque in his opus eſt medicamentis, quantum ad hoc munus pertinet: niſi ſi quando panniculis glutinoſo aliquo medicamento imbutis vtimur, & illis vtrinque vulneratis partibus agglutinatis, atque aſſutis aliquibus vinculis, quibus tanquam inſtrumentis, vt ſuturā fugiamus, adducimus labia, vel latera vulneris: quod in facie præſertim fieri conſueuit. Hæc itaque ſolus Medicus conferre poteſt. Sola autem natura eos humores, quibus medijs agglutinantur, & poſtea ſimul coaleſcunt vulneratæ partes, tanquā aptam, & congruentem materiam poteſt ſubminiſtrare: Medicus verò, aut nihil, aut parum. Præterea verò, & concretio, & coalitus ille, non niſi opera naturæ fit, & caloris natiui, qui aut ipſamet natura eſt, aut eius proximum inſtrumentum. Medicus tamen tanquam eius adiutor, & miniſter illam in hoc opere poteſt iuuare, & id duplici ratione: primum ea adminiſtrans remedia, quibus ſicceſcens modice materia ea, qua media agglutinantur, coaleſcuntq; partes, citius negotium abſoluitur, & validius tenaciuſque hærent: nam neque fieri poteſt, quia per ſolutam particulæ vnitatem, ea reddita imbecillior, non ſemper aliqua excrementitia humiditas ſubcreſcat, quæ remoretur, aut impediat coalitum, vnionemque partium: quapropter huic rei vtilis eſt exſiccatio. Hac ergo ratione primum poteſt Medicus ſuis medicamentis vtilem operam naturæ præſtare. Deinde vero quando vulneri aliquod ſuperuenit ſymptoma, quod impedimento ſit, quominus poſſit Medicus diſiunctas, & ſeparatas partes adducere, & coniungere, & natura nequit ea moliri, quæ ad coalitum, & vnitatem faciunt, & ſubinde, neque etiam eius miniſter Medicus. Vnde prius ad Medici officium pertinebit ſuis inſtrumentis procurare, vt ſymptomata, quæ curationi impedimento ſunt, remoueantur: ſæpe verò vulneribus inter initia poſſunt accidere, ac impedire curationem, vt profuſio ſanguinis, præſertim verò ſi venæ aliquæ, vel arteriæ inſignis alicuius magnitudinis ſint reciſæ, & potiſſimum in profundioribus, & latentibus partibus vulnerati loci: deinde dolor aliquis non contemnendus: tertio verò (& hoc maiora vulnera, & profundiora ſolet ſequi) cum inciſio magna, & profunda fuerit, quamuis ſuatur vulnus, faſcijsque, & vinculis quantum ars admittit, aſtringatur, nequeunt tamen ita exacte adduci latera vulneris, vt vndique, & ex omni parte mutuo ſibi hæreant, & adiungantur: ſed ſemper neceſſe eſt relinqui, ſaltem in fundo, aliquem hiatum, & locum vacuum, in quo nunquam poterit fieri agglutinatio, & coaleſcentia. Vnde in his erit neceſſe, vt carne regenita locus repleatur, quo partes deinde vniantur, & continentes fiant. Poſſunt & alia ſuperuenire ſymptomata, quæ in cauſa poſtea erunt, cur vulnus in vlcus tranſeat, vt intemperaturæ, & id genus alia. Sed de his poſtea ſuo loco particulatim agendum erit: in præſentia autē de illis inſtituemus tractationem, quæ proprie vulnera a noſtris dicuntur, τραύματα verò a Græcis, interdum ἕναιμα ἕλκη, hoc eſt, cruenta vlcera. Et de ſimplicioribus primum, ſimpliciora verò illa appellamus, vt Galenus 3.Meth. & alijs etiam præcedentibus libris appellauit, quæ nullum aliud adiunctum ſmyptoma habent, nullam aliam circumſtantiam præter ipſum vulnus. De compoſi-

A tione ergo, & vſu eorum medicamentorum agemus in hoc capite, quæ faciunt ad curandum vulnus in quantum vulnus eſt: nulla nimirum habita ratione alterius rei, quæ cum eo coniungi poſſit: & priuatam aliquam indicationem habere. Et quia ratio componendorum medicamentorum ad hunc vſum præſertim referenda eſt in rationali medicina, vſus verò ad propoſitum ſcopum. Ideo imprimis inueſtigandum proponamus, quis ſit is ſcopus, quem ſpectet vulnerarius Medicus vulnera curaturus, & ſi ille non ſit vnus tantum, ſed plures, qui tandem illi ſint. Cum verò Galenus ſecundo meth. fuſè, & clare hanc rem explanauerit, ſummatim verò, & per capita in ſecundo de Compoſitione medicamentorum ſecundum B genera, & in Commentarijs librorum Hippocratis, de fracturis, ab eo vniuerſam hanc rationem petemus: duo ergo imprimis eſſe vtilia his vulneribus agglutinandis, & ad vnionem perducendis docuit ibi Galenus, nempe exſiccationem, & aſtrictionem, neutram tamen inſignem, & multam. Quod vtilis, & neceſſaria ſit exſiccatio, nuper hoc capite probauimus: quod tamē omnibus, tam vlceribus, quàm vulneribus commune eſt: omnia enim ea deſiccatione egent. Sed & aſtrictio vtilis eſt, vtpote, quæ partes cogat ſimulque colligat: præter id, quod agglutinationem validiorem reddit, non multa tamen in his exſiccatione opus eſt, quia humorem, cui accepta referenda eſt agglutinatio, nimis ſiccando, aut abſumeret, aut ineptum ad glutinationem redderet. Sed C & aſtrictione modica opus eſt: nam quæ valenter aſtringunt: vt ſæpe teſtatus eſt Gal. valide etiam exſiccant, ſed & valide colligendo particulas in cauſa ſunt, cur, ſi quis humor in earum meatibus ſit contentus, qui vtilis eſſet naturæ ad huiuſmodi negotium, ab his ad alias exprimatur, & impellatur. Vtilis eſt ergo modeſta aſtrictio, quanta nimirum ſatis ſit ad colligendam, & roborandam particulam, atque ad firmandam agglutinationem: præterea verò ad illam tuendam, ne ab alijs integris ſuperuacuas humiditates recipiat, quæ incarnationi, vt ita dicam, ſint impedimento. Si quis autem vlterius progreſſus petat magis particulatim, & diſtinctè rem hanc diffiniri, ac quærat quatenus id genus medicamenta, D quæ huic officio ſint congruentia, exſiccantia eſſe oporteat. Dicemus nullam poſſe iſtius differentiam, & ſtatutam menſuram deſcribi, neque aliquem determinatum ordinem aſſignari, quia pro diuerſa ratione temperaturæ corporis, aut vulneratæ partis, item pro ratione ætatis, ſexus, artis vel inſtitutionis vitæ, rationis, victus, & aliorum omnium, quæ modum, & rationem temperaturæ corporis ſolent immutare, mutatur etiam ratio, & modus, vel menſura medicamenti: nam ſi ita eſt, vt probauit Galenus ſæpius, præſertim verò 3.meth.cui, & Auicenna 4.fen. 4.ſubſcripſit, quòd eo medicamento in horum vulnerum curatione vti oporteat, quod cum loco vulnerato collatum, vim habeat exſiccandi, & tanquam axyoma a Philoſophis accipitur, quod inter ea, quæ E æqualia ſunt, & ſecundum qualitates paria, non poteſt eſſe actio, neceſſe eſt, vt ſiccanda ſit particula, vel ad maiorem ſiccitatem perducenda, medicamentum facultatem habeat magis deſiccantem, quàm ſit ſiccitas, quæ tunc in deſiccando membro reperitur. Vnde temperaturæ, & ſexus, & ætates, & reliqua id genus, quæ ſicciora ſunt, in vulneribus curandis deſiderabunt ea medicamenta, quæ maiorem vim exſiccandi habeant, & quæ humidiora, minus exſiccantia requirent. At verò, quia neque etiam oportet inſigniter excedentem eſſe eam exſiccationem, ſed reſpectu corporis modeſtam, & modicam: maiorem tamen, vt Galenus 3.& 4.meth. affirmat, quàm illa ſit, qua eſt opus in vulnere, vbi caro deſit,

A & ea ſit generanda, ſicut maior requiritur in adducenda cicatrice vulneri, quam in eo agglutinando. Vnde quantum ad hæc pertinebit, triplex erit ordo exſiccantium medicamentorum, quæ ſint apta curationibus vulnerum quatenus vulnera; nam omnino eorum vniuerſa curatio exſiccatione abſoluitur, & quæ carnem in vulneribus gignere apta ſunt, in primo ſunt ordine: quæ ea poſſunt agglutinare, ſecundum occupant ordinem, vel vt nunc loqui ſolent Medici, gradum: quæ verò cicatricem inducere tertium. Niſi quòd alia ratio eſt iſtius diſtinctionis, vel partitionis iſtorum ordinum in his medicamentis obſeruandorum, quando in ea medicinæ parte, in qua de facultatibus ſimplicium medicamentorum in vniuerſum, & generali ratione agitur; quia ibi de B illis, & eorum diſtinctione communi quadam ratione ſermo eſt inſtitutus: nempe quatenus referuntur ad corpus temperatum: illud enim eſt veluti communis menſura, ad quam primum referenda ſunt omnia communia theoremata ad Medicum ſpectantia. Hoc verò loco ordines hos referendos cenſemus, non ad temperatum corpus, ſed ad illud, quod curandum eſt: nempe, vt cum eſt in vulnere generanda caro, illis vtamur medicamentis, quæ in exſiccando collata ad naturalem ſiccitatem illius corporis, quod vulnus accepit, illam per vnum ordinem excedant: ſi ſit tentanda agglutinatio per alterum: ſi ſit inducenda cicatrix per tertium, quo deinde fit, vt eadem medicamenta poſſint generare carnem in C vno, quæ in alio non poterunt. Semper enim ſicciora corpora ſiccioribus in omnibus his officijs indigebunt medicamentis: humidiora vero minus deſiccantibus. Quibus & hoc addendum putamus, quod non medica ratio, & ipſius diuerſitatis habenda eſt, quæ in vulneribus ſolet plerumque conſpici. Nam vulnera exigua leuioribus, & facilioribus medicamentis poſſunt curari, maiora verò non ita: imò valentioribus eſt in illis opus. Sunt enim quædã vulnuſcula, quæ naturæ ſponte ſine vlla Medici ope agglutinantur, alia facillime leuique medicamento, ſicut interdum ſolo albo oui: alia vero maiora vix efficacioribus, & maioribus conſolidari, & curari poſſunt: vnde Galenus 2. de Compo. med. ſecundum genera, D iſtius rei memor, cum de Barbaris medicamentis eſſet ſermo, & multas eorum compoſitiones expoſuiſſet: deſcripturus illas, quibus ille in primis vtebatur, duas proponit circa calcem illius libri, quarum primam accommodandam eſſe ait magnis, alteram vero minoribus vulneribus. Sed iam particulatim agamus de ipſis medicamentis: ſatis namque circa generalia theoremata ſumus euagati. Hoc accepto tanquam conſtituto, quod ſcopus ſit in his medicamentis huic officio futuris idoneis, manifeſta, vel conſpicua reſpectu exſiccandi corporis exſiccatio, non tamen ea vehemens, & multa, ſed tanta vt poſſit citò, nempe antea, quàm materia illa, qua agglutinandæ erant partes, in pus vertatur, ſiccari quantum oportet, abſumpta, ſi qua ſit, excrementi- E tia humiditas interim in vlcere genita; nam cito pus ſuccreſcit, ſecundo enim fere, vel tertio, vel, vt Galenus tertio libro Commentariorum in librum de Fracturis teſtantur, ad ſummum quarto die. Si ergo de his medicamentis, nobis dicendum eſt, quæ his ſcopis accommodari poſſunt, illud in primis aduertendum, quod in his aliqua ſimplicia ſunt, aliqua verò compoſita: ſimplicia quidem ex propria ſua ratione id habent, vt agglutinare, vel incarnare, vt etiam vocabulo Iuniorum vtamur, valent: vnde Medici illis ſolis citra aliorum medicamentorum compoſitionem, & mixturam interdum vtuntur, vt in progreſſu ſermonis a Galeno petitis exemplis oſtendemus, Compoſita vero medicamenta, quæ ad hos vſus confecta a Medicis fuere, quamuis vires ſuas a ſimplicibus, vnde conflantur, ſint ſortita: multa tamen ſæpe in illis accipiũtur, quæ particulatim quantum ad ſuam naturam priuatim pertinet, non modo his ſcopis non poſſunt aptari, vt potius illis ſint aduerſiſſima: ſed aliorum mixtione ita miteſcunt, vt idonea, & vtilia reddantur, & ideo quamuis in compoſitis Antiquorum, vel Iuniorum Medicorum aliqua reperiemus ſcripta ſimplicia, non ſtatim ea etiam accipienda ſunt tanquam vi prædita agglutinandi. In medicamentis ergo agglutinantibus, quæ ſimplicia ſunt, primum, & leuiſſimum illud eſt, cuius mentio facta eſt a Galeno vndecimo de Simplicium medicamentorum facultatibus, nempe album, vel candidum oui: niſi quis forte dubitet, quia hoc videtur alienum ab initijs, vel fundamentis poſitis, nam ſi quæ agglutinant magis ſiccant, quàm quæ carnem gignunt, adeo lenis ſiccitatis eſt oui album, ſicut Galenus ibi affirmare videtur, vt vix reperias medicamentum idoneum generandæ carni, quod minus ſiccare poſſit: præterea quamuis repellendi facultatem habeat, id tamen habet, non quia ſit aſtrictionis particeps, quæ tamen erat ſecunda conditio harum medicinarum, ſed tum refrigeratione, tum vero emplaſticæ, & glutinoſæ ſubſtantiæ. Ad has dubitationes in hunc modum reſpondere poſſumus, quod in humidioribus corporibus poteſt agglutinare, quia ſatis eſt, quod tantum deſiccet, vt ad naturalem ſiccitatem corpus adducat; nuper enim diximus, menſuram ſiccitatis in his non eſſe accipiendam ex natura ipſius medicamenti, per ſe, & in reſpectu corporis temperati: ſed ex collatione cum corpore, vel parte vulnerata. Vnde multa medicamenta corpus vnum nimis exſiccabunt, quæ alterum, aut nihil, aut parum: immo etiam vlcus humidius reddent: ad id vero, quod de aſtrictione oppoſitum eſt, primum volumus contendere, an album oui ſit alicuius aſtrictionis particeps: nam Auicenna ſecundo Can. vbi de ouis agit, videtur aliquam aſtrictionem albo attribuere, apud Galenum vero hoc non memini me legiſſe; ſed dicerem, quod quamuis per ſe non aſtringat, idem tamen officium præſtat, ac ſi leuiculam haberet aſtrictionem, vt poſſimus affirmare, quod quaſi per accidens aſtringit: nam refrigerando, partes quoquo modo ſubinde conſtipando, & denſando, colligit, atque tum hac eadem ratione repellit, tum vero glutinoſa, & quaſi emplaſtica ſua ſubſtantia, impletis nempe anguſtis, & inconſpicuis meatibus, tam carnis, quàm venularum, in cauſa eſt, cur arceatur, & reprimatur fluxio humorum a venis maioribus ad minores, & peculiares venulas, atque vt prohibeatur inflammatio: vt prætercam nunc, quod tamen non eſt omnino prætereundum quod & dolorem ſedat, ſanguinem fluentem ex vulnere hac fere eadem ratione ſiſtit. Hæc de oui albo Galenus præſertim quarto, de Compoſitione medicam. ſecundum loca, vbi de oculorum morbis agit, nos docuit. Præterea, & vinum, quod medium ſit, vt 2. ad Glauc. ait Galenus, inter dulce, & aſtringens, vt communi quadam ratione omnibus vulneribus, & vlceribus vtile eſt: ita agglutinandis ipſis non inutile erit medicamentum; quamuis nigrum vinum magnis vulneribus magis ſit opportunum. Sed antequam vlterius progrediamur, erit aduertendum, quòd plurima medicamenta ſimplicia deſcribemus, tum ex alijs, tum vel maxime ex Galeno, quæ ſi fuerint recte perpenſa, & cum his, quę de ipſis deſcripta reliquit Galenus collata, facile percipere poterimus, id quam maxime verum eſſe, quòd paulò antea dicebamus, non eſſe exquiſite vnam rationem eorum omnium medicamentorum, quæ ad conglutinanda recentia vulnera Medicis proſunt

in

ſu vſum venire,vtpote, quoniam ea diuerſam rationẽ habeant collata cum diuerſis corporibus aut cũ diuerſis vulneribus. Cùm enim,vt paulo antea dictum eſt, vniuerſa conglutinandi ratio primum quidem in modeſta deſiccatione conſiſtat, deinde vero in leui aliqua aſtrictione: abſterſio autem potius aduerſaria eſt,vnde,& ſi aliquando aliqua medicamenta ſimplicia,aut etiam compoſita, quæ vtilia ad hanc concretionem, vel coalitum vulnerum cenſentur ab auctoribus,videbuntur non eſſe expertia alicuius detergentis facultatis: tamen ſi recte illa fuerint conſiderata, adeo modica vis illa detergendi erit, & alioquin ab alijs ita ſuperata,vt exiguas admodum vires poſſit habere,aliæ vero qualitates, quæ a Peripateticis actiuæ dicuntur,per ſe quidem quatenus ad agglutinationẽ pertinet, nihil faciunt. Vnde inter hæc multa calida ſunt,non pauca autem frigida, ſed omnia deſiccantia,& aliquantiſper aſtringentia. Et ſi res hæc fuerit diligentiùs examinata,ad maiora vulnera maiori exſiccatione erit opus, minori verò ad minora: item minorem deſiccationem requirũt corpora molliora,& humidiora: maiorem verò duriora, & ſolidiora. Vnde quotieſcunque Galen. in libris de facul. ſimplic.medic. ſermo eſt de illis medicamentis, quæ ſecundum ordinem deſiccantium excedunt, atq; inſignis ſunt aſtrictionis non profert ita abſolutè conglutinare vulnera,ſed addit,ꝙ,vel magna, vel maxima vulnera conglutinant, aut quòd in duris corporibus,de aliquibus verò ait,quòd vulnera magna cõglutinant,vlcera verò maligna,& antiqua curãt. Sed illa,quæ mediocria, vel parua vulnera conglutinando poſſunt ſanare,itemque in corporibus medijs,aut etiam teneris, vt ea quæ ſunt in ſecundo ordine, vel etiã infra, nullã aliã determinationem addit, ſed ait eatenus exſiccare, & aſtringere,vt cõglutinare poſſint vulnera. Addimus vero,vel infra ſecũdũ ordinẽ, quia ſi recte aduertamꝰ,Galenus 6. de Facult. ſimpl. med. inſinuare videtur,quòd ea,quæ media, vel teneriora corpora vulnerata poſſunt conglutinare, non eouſque in ſiccitate progreſſa ſunt, vt ad finem vſq; ſecũdi ordinis perueniant, ſed in medio illo, vel infra etiã conſiſtunt,quod exẽplo bituminis,picis,& reſinæ oſtendit. Sed inſuper,& hoc aduertendũ eſt,ꝙ folia, germina,fructuſque plantarũ dũ viridia ſunt,ſemper ferè partẽ quandã habent humidã, & aqueã,quæ cũ areſcunt,euaneſcit, & propterea plantarũ partes hæ, ſi vim ſuapte natura exſiccandi, & aſtringendi habẽt, maiorẽ illam habent quando aridæ ſunt, quam quãdo virides: & ideo multa horũ glutinare ait cum viridia ſunt. Galen. ergo inter ea,quæ mediocria vulnera agglutinare poſſunt, recenſet rubi folia, item piceæ,& tedæ, & polygoni, pollij, polycneumonis, mala auſtera,& acida,ſalicis folia,pira domeſtica,bretãnica,myriophyllon, periſtereon,quercus folia viridia,& tenera,item vlmi,& braſſicę,& centauriũ maius: præterea vero, & caſeus recens tritus, caro cochlearum trita, & ſarcocolla. Vulneribus accommodata etiam eſt Aloe, ſed quia in tertio ordine eſt, dixit Gal. quòd vtilis eſt,cum ſubigitur aqua vt eius facultas deſiccatoria, & aſtrictoria ex aqua temperetur: quod nobis poteſt tanquam præceptum eſſe, quod ſi interdum deſint medicamenta, quæ nobis idonea propterea videantur, quia facultates maiores habeant, quam nobis poſſint eſſe ex vſu, ſi ea parentur ex aliqua alia re, quæ remittere, & detrahere de viribus poſſint, fieri poterunt noſtro officio idonea. Maiora vero vlcera, & in ſiccioribus corporibus cõglutinant narciſſi radix,cauda equina,ſcordium,pyra ſilueſtria, & auſtera,folia, & germina corni,ſtæbe, iſatis, pix arida, bitumen, & reſina,& amurca,quæ omnia,ſi corpora ſicca, & dura fuerint,conglutinare poſſunt,alioquin enim contendunt, vt ſexto de Simplicium medicamentorum facult. dixit Gal. potius, & irritant,ſi mollia,& tenera fuerint.

De Compoſitis medicamentis,quibus commode vti poßumus in conglutinandis vulneribus. Cap. IIII.

Compoſitorum medicamentorum, eorum inquam,quæ ad præſens inſtitutum attinent,duplex videtur eſſe ratio,nam quædam ſeruari ſolent, vel apud ſeplaſiarios,vel apud Medicos,& præſertim in ciuitatibus aut vbique,aut pleriſque in locis,& hæc tum propterea,quia Medicis propter eximias,& multas eorum vires,longa experientia probata in frequenti vſu ſunt: tum vero, quia propter operam,& diligentiam,quam requirunt dum conficiuntur: neque,breui tempore,neque ſemper,& vbique parari poſſunt. Vnde parantur idoneis temporibus,& maxime commoditati ſolent eſſe,præſertim in itineribus,in exercitu,in nauibus. Peritus enim Medicus ope duorum,vel trium medicamentorum poterit in diuerſiſſimis naturis,& temperaturis corporum conſulere. Nam ſi aliquod compoſitum illi paratum adſit,quod validas vires habeat,quarum robur,& acrimoniam non multi ferre poſſunt,ille altero,aut infirmiori facultate prædito,aut etiam contraria,immixto,& id ſecundum variam,& diuerſam rationẽ mixturæ varia,& diuerſa facile conficiet medicamenta,quibus poterit accommodate,vt ſæpę Galenus docuit,vti in diuerſis corporum naturis,& diuerſis etiam tàm vulnerum,quàm vlcerum differentijs,vt quamuis duo tantum ſint medicamenta actu,poteſtate tamen illi ſint futura quam plurima. Ex multiplici ergo vſu eorum parata ſeruantur,& talia plerunque ea ſunt,quæ in maiori exiſtimatione ſemper fuere apud plures medicos antiquos,& iuniores,aliqua etiam ita parata ſeruentur,licet non in multiplicem vſum veniant,ſed in vnum duntaxat, quia ad illum vſum præ alijs omnibus ferè ſunt præſtantiora,atque omnia pene talia,quæ ita vbique ſolent parata inueniri,efficaciſſima ſolent eſſe,vt non niſi in difficilioribus affectibus & durioribus corporibus ſoleant adminiſtrari. Alia vero,non ita ſeruantur: ſed ſolum cum illis voluerimus vti,parantur,tum quia, neque alioquin integra poſſent ſeruari,tum etiam quia & materiæ,vnde conficienda ſunt,& modus ratioque compoſitionis nobis ſemper in promptu eſt, vt inter facile parabilia medicamenta poſſint recenſeri. Et quia horum ratio facilior,& magis in promptu eſt: ideo de his primum verba faciemus,vt tamen neque omnia exponamus,quæ in hunc ordinem redigi poſſent,nam nimij in illis enarrandis eſſemus,cum ferè innumera ſint: ſed aliquibus expoſitis, relinquemus occaſionem iuuenibus, vt iſtis vſi tanquam exemplis ipſi deinde,vbi illis vſu euenerit, aliorum ſimili modo componendorum rationem ineant. Et cum facillima ferè inuentu ſint oua, quorum album tanquam accommodatum huic negotio laudauimus, ſed leuiſſimum illud & admodum imbecillum ad conglutinationem vulnerum diximus: quo tamen frequentiſſime,& in omnibus ferè adhuc recentibus,& a quibus effluit ſanguis,vtimur ad ſanguinem ſiſtendum & ſupprimendum: ſi voluerimus ipſum reddere valentius, & efficacius, addemus aliquid,quod ſiccantius & aſtringentius ſit,& illud erit eligendum pro ratione naturæ vulneris & ſymptomatum,quæ fortaſſe licet non adſint,timenda ſunt, ne ſuperueniant,aut ratione loci,aut ratione corporis vulnerati. Solent vero plerunque cum noua ſunt vulnera,poſtquam aliquantiſper refrixerint,dolere:

in

in primis autem & præcipue timendum eſt,ne ſuperueniat inflammatio, vbi vulneratum corpus fuerit magis plenum, ſiue bonis, ſiue etiam vitioſis ſcateat humoribus: vnde ſi doleat locus, albo oui erit quidpiam addendum,quod præter id, quod facit ad conglutinationem, aliquam etiam vim habeat mitigandi dolorem: vnde totum ouum accipiemus: nempe tam luteum, quàm album: nam ſi Galen. credimus, licet magis album conglutinet,neque luteum tamen ab hac facultate alienum erit. Addemus autem prȩterea & aliquid roſacei olei, & ſi magis videatur vrgere indicatio a dolore, addemus id, quod completum eſt: ſin autem maior videatur indicatio conglutinationis, & arcendæ inflammationis: præterea & reprimendæ profuſionis ſanguinis, inijciemus aliquam partem olei roſacei omphacini dicti, quod ex oleo expreſſo ex immaturis oliuis fit,& ex roſis nondum maturis, & expanſis: maiorem enim vim habet illud refrigerandi, exſiccandi, aſtringendique. Oleum verò albo oui additum medicamento præterea & aliam impartitur commoditatem, quia dum pululli ſtupei albo oui intincti apponuntur, & ibi donec deſiccentur manent: ſicut illis manendum eſt, nam ex præcepto antiquorum non ſunt remouendi primo, imò neque altero die: cum deinde remouendi ſunt, ita tenaciter vulneri,& circumſtantibus partibus agglutinati ſunt, vt nequeant, niſi vi, diuelli: ac ita, aut dolor concitatur, aut interdum labra vulneris, quæ iam conglutinari cœperant, diuelluntur, diſſeparanturque. Sed illis addito aliquanto oleo roſaceo, quodcunque illud ſit, aut maſtichino, aut etiam tantillo myrtino, præter additam aſtrictionem, & deſiccationem, fit etiam, vt facilius & minori moleſtia abſtrahi a vulnere poſſint: poſſumus etiam poſteaquam exagitatum aliquo cochleari, aut alio inſtrumento albumen oui adeo fuerit, vt in tenuem liquorem vertatur, inijcere, aut aliquid maſtiches, ſicut exempli cauſa ſi ſit octuplum albumen ad maſtichen, aut plus etiam, vel ſi & manna thuris tantundem, iuniores cortices thuris vocant. Sed & Aloe trita, & ex hoc liquore ſubacta ſicut aqua ſubigi volebat Galen. non erit incongruum medicamentum: & quò maior erit proportio albi oui ad Aloen, ita erit mollioribus corporibus, & minoribus vulneribus conglutinandis aptius: quo vero maior copia Aloes addita fuerit albumini, eo valentius erit medicamentum & difficilioribus conglutinatu vulneribus accommodatius. Et eadem ratione poſſunt fieri variȩ mixturæ ſupraſcriptorum ſimplicium, & in diuerſis ordinibus, prout illa magis erunt medico in promptu, quas ſi vellemus ſingulatim exponere, nunquam finem eſſet hæc tractatio habitura: vnde hic conſiſtemus, [cum] præſertim in explanandis medicamentis illis, quæ in communi vſu ſunt, & parata reperiuntur, hocipſum, quod nunc declarabamus, fiet apertius. Sed quia eorum compoſitionis duplex eſt modus: alia enim conficiuntur ex ſimplicibus, quæ teri, & in puluerem redigi poſſunt, nullo addito, quo poſſint aſſumi & in vnam formam, aut emplaſtri, aut cerati, aut linimenti alicuius coire, ſed ita puluerulenta ſeruantur, & ab antiquis arida medicamenta nuncupabantur,vt quiſque ex lectione Galen. imprimis, mox vero Aetij, & Pauli percipere poteſt. A iunioribus & Arabibus pulueres dicuntur, quarum differens vis poſtea ſignificabatur, additis facultatibus, vel pollicitationibus, quas eiuſmodi medicamenta pollicerentur. Vnde hos pulueres conſtrictiuos, vtpote quia ad ſtringendum & ſiſtendum fluentem ſanguinem valeant, alios vero incarnatiuos, ſic enim ipſi eos appellant,quos accommodos eſſe putant ad conglutinanda, vel vt ipſi loquuntur,ad incarnanda recentia vulnera. Alia vero ad compagem cerati vel emplaſtri, ſeu vt vulgo dicere ſolent, vnguenti tandem deducuntur,additis aut oleo,aut reſina, aut cera,vel alio glutinoſo medicamento, quo cætera aſſumpta poſſint venire ad compagem cerati vel emplaſtri,vel vnguenti. Non eſt autem eadem ratio duplicis iſtius formæ confectionis horum medicamentorum, quatenus ad vſum & modum adminiſtrationis pertinet. Nam præter eas facultates, quæ particulatim ex extimatione, & mutua collatione eorum ſimplicium, ex quibus componuntur, cognoſcendæ ſunt,de qua re paulo poſt loquemur, differunt etiam alia quadã generaliori ratione, quia arida ex illis ſolis ſunt conficienda,quȩ in puluerem trita redigi poſſunt, vt mineralia omnia. Ex ordine vero eorum ſimplicium, quæ ſuperius fuere relata, ſunt Aloe, bitumen, pix arida,thus,maſtiche, & lapides quidem terræ,quorũ fit mentio a Galeno in nono de Facultatibus ſimplicium medicamentorum. In emplaſtris vero, ceratiſque,& linimentis poſſunt,& glutinoſa accipi,& pinguia,& arida,& quæcunque alia,quatenus tamen ad ſubſtantiæ modum pertinet. Differunt præterea ratione impreſſionis,& roboris: nam ſi ad modum cõpoſitionis, & id quod in formam medicamenti referri poteſt reſpexerimus, efficacius agere poſſunt em plaſtra,vel cerata, & linimenta, quam arida medicamenta:quia hæc cum neque ſint aſpergenda,antequã ſit conſutum vulnus,neque intra labra vulneris: nã vt omnes teſtantur, impedit conglutinationem,quicquid intercipitur inter ea, & ad profundiores partes pertingere nequeunt, cum magis terrea ſubſtantia conſtent, quæ non poteſt ita ad illa penetrare, vt 3. method. docuit Galenus ſine ope alicuius humoris, vel liquoris,qui illam ducat,cui ſententiæ, & Auicenna ſubſcripſit: vnde etiam ambo pronunciauere concordes. Quod arida medicamenta,& ſi commode ſe habeant ad conglutinanda minora vulnera, quæ in altum non ſint adacta,maioribus tamen agglutinandis inepta ſunt. Sed & hoc ſilentio non eſt prætereundum, immo quam maximè animaduertendum, quod non parum facit ad rationem compoſitionis, & ſubinde etiam vſus: nempe quòd in his medicamentis parandis,quæ ventura ſunt in vſum curandis maioribus, & profundioribus vulneribus, & vlceribus,quæ ſinus non habent,in quos indendum ſit medicamentum,hæc imprimis procuranda: Primum,vt ea, quæ in puluerem conteruntur, præſertim ſi terrea conſtent ſubſtantia, quanto magis poteſt fiant tenuis ſubſtantiæ, & tenuiorum partium. Id vero bifariam fieri poteſt, nimirum ſi diligentiſſime trita, & lȩuigata fuerint: item ſi contritio,& lȩuigatio fiat ex aliquo humore, qui partium tenuitatem illis impartiri poſſit, vt eſt acetum, & illud quo acrius erit, ita erit in cauſa maioris tenuitatis:item & vinum prȩ ſertim tenue,interdum & aqua. Sed ſi lȩuigatio ȩſtate ſub ſole fiat, illud eſt præſtantius: nonnulli multa horum adurunt,vel lapides,& metalla, quȩ tenuitatem ſane maiorem ſibi comparant: ſed ab igne præterea,& acrimoniam adipiſcuntur, verum deinde illam ſi probe lauentur,facile deponunt. Quod in nono de ſimpl.medic.facult.& in libris de compo.med. ſecundum genera, & in libris method. ſæpe docuit Galenus,& exemplo nobis calx eſſe poteſt. Deinde vero hac eadem de cauſa, nempe ut facilius in profundiores partes penetrare eiuſmodi medicamenta poſſint, medici hoc excogitarunt, ut in illis medicamentis in horum uulnerum uſum paratis aliqua inderentur, quæ aliquantulam maiorem aſtrictionem haberent, non ea ſanè ratione, quia ſit opus maiori aſtrictione ad conglutinationem per ſe, ſed ob aliam utilitatem, quæ inde quaſi per accidens conſequitur,

cuiuſque

cuiuſque meminit Galenus in lib.de compo. medic. per genera, & de ſimplicium medic. facul. ea vero eſt, quod vis aſtringens coniuncta cum illis, quæ partium tenuitate conſtant, facilem tranſitum præſtant: illa enim ſequens quaſi a tergo, ſimilis eſt impellenti & compellenti ea ad interiora prorumpere, hoc autem re ipſa oſtendemus particulatim: cum emplaſtra vel vnguenta deſcribemus. Primum enim de aridis medicamentis agemus, quæ inſperſibilia, vel inſpergibilia appellabant priſci medici, iuniores verò pulueres. In principe autem loco de eo verba aliqua faciemus, cuius Galen. meminit, cum alibi, tum vero 5.meth.ca.4. quamuis non tanquam medicamenti, quod fuerit confectum propter conglutinanda vulnera, ſed potius propter ſiſtendum & intercipiendum immodicum profluuium ſanguinis è vulnere manantis præſertim. Ratio tamen & experientia illi atteſtantur, quòd & vulnera conglutinare poſſit cũ ex leporinis pilis,& oui albo apponitur vulneri,cum componatur ex aloe & thure tritis. Et inter fortia medicamenta maiorum vulnerum conglutinatoria connumerata eſt aloe, & multam eius mentionem fieri videbimus in deſcriptionibus emplaſtrorum,huic vſui appoſitorum: niſi quis fortaſſe dicat,nũc ſermo eſt de aridis medicamentis, quorum fere inutilem eſſe vſum in profundis vulneribus dixit Galenus.Dicimus quòd vis aloes lenitur,& remittitur miſtura thuris,quod & ſi aliquantulam aſtrictionem habeat, eam tamen puſillam admodum habet, & maiorem longe vim habet mollientem, digerentemque,& pręterea concoquentem: ſed longe etiam magis lenietur ſi ex pilis leporis, & oui candido fuerit adminiſtratum. Sed inferius, vbi de medicamentis, quibus reſtringendus eſt ſanguis, erit agendum, exactius de eo agemus. Ad alia tranſeamus in præſentia. Puluis autem, cuius ab omnibus fere iunioribus medicis vulnerarijs fit mentio,immo & a prioribus etiam nempe Arabibus ad conglutinanda recentia vulnera, & puluis ruber, qui incarnans vulnera ab alijs nuncupatur, accipit thuris drachmas duas, ſanguinis draconis drachmam. Albucaſis his,& viuæ calcis tres addidit drachmas: quod cur fecerit mihi non ſatis conſtat, cum illa non modo mordeat, verum vrat, & cruſtas generet. Vnde mihi magis probantur illi, qui vel armenicæ boli, vel ſantalorum tantundem addidere: nam omnia hæc deſiccant quidem, non tamen ſupra id, quod videtur deſiderare agglutinandum vulnus, & omnia etiam ſunt alicuius aſtrictionis non expertia, immo & eorum aliqua thus, aliquid emplaſtici habent, & fortaſſe etiam ſanguis draconis. Thus vero præterea aliquid concoctorij, quod vtile poteſt eſſe ad dolores, ſi qui ſint, mitigandos leniendoſque. Sed hæc omnia etiam vtilia eſſe poſſunt ad reprimendas, aut etiam arcendas inflammationes: eam præterea facultatem habet, vt poſſit ſanguinẽ ex vulnere fluentem ſiſtere, in hoc tamen efficacior fortaſſe eſt prior puluis, quem ex ſententia Galen. paulò ante deſcripſimus: ſicuti fortaſſe nec minorem vim habet agglutinandi, præſertim ex aloe copioſa, quam accipit. Sed de hoc altero agamus, cum adduntur aut bolus armena, aut ſantali, additur etiam maior,tum aſtrictio,tum exſiccatio. Vnde & robur additur, ſiue conglutinare, ſiue ſanguinem fluentem reprimere velimus. Sed quomodocunque ſit, fortaſſe in minoribus vulneribus & corporibus non admodum duris, hæc facit, aliquid: in durioribus autem, ni fallor, prior Galen. efficacior erit. Quidam ex recentioribus & tertium ad hæc eadem laudauere plurimum, qui ex longe pluribus conficitur. Accipit enim boli armenæ, terræ lemniæ, vel ſigillatæ, ſingulorum drachmas ſex, thuris, maſtiches,

A ſarcocollæ, ſingulorum drachmas duas & ſemiſſem: myrrhæ, aloes, ſingulorum ſeſquidrachmas, tragacanthæ, ſanguinis draconis, ſingulorum drachmam, farinæ hordei, fabarum ſingulorum drachmam: ex omnibus optime tritis fiat tenuiſſimus puluis. Hic minus frigidus eſt. Nam thus, myrrha, maſtiche, & aloe calida aliquantiſper ſunt, ſed maiorem etiam vim, tum ſiccandi, tum aſtringendi habent.Nam præter tragacantham,& farinas aſtringunt omnia. deſiccant vero omnia, & aliqua ſatis inſigniter, vt Bolus armena, terra lemnia, myrrha, aloe, nonnulla etiam prædita ſunt facultate concoctoria, qua mitigare dolores poſſunt, & emplaſticam quandam ſubſtãtiam habent,vt thus, maſtiche, B ſarcocolla, tragacantha, myrrha vero aliqui vt concoctorio vtuntur medicamento, ſed & aloe aliquid habet emplaſtici:quia vero amaritudo in partibus tenuis ſubſtãtiæ conſiſtit, cuius aloes, & myrrha ſunt participes, ideo alijs intritæ & immixtæ, poſſunt adiuuare ad penetrationem,& ductum facultatis aliorum ad profundiores partes. Vnde puluis ſic poterit maiora, quàm prior vlcera conglutinare, & in durioribus & ſiccioribus, & concoquere, ſi quid habeat concoctione opus, & magis mollire, & ſanguinem ſiſtere. Adhæc nonnulli & iſtius meminere, cuius compoſitio hæc eſt. accipit myrrhæ drachmas tres,aloes quatuor, thuris duas: calidus vero puluis eſt, prioribus magis calefaciens, deſiccans & aſtringens: ſi quis voluerit ſimplicia bene extimare, vnde C commodum fortaſſe erit medicamentum, non initijs, dum reprimẽdum eſt ſanguinis profluuium, neque dum adhuc timemus futuram inflammationem: ſed potius vbi confirmanda & ſtabilior reddenda erit conglutinatio,vel cum ea videtur contumax. Cõficiunt alij varia diuerſaque medicamenta arida ad hunc eundem ſcopum parata, tum ex herbis aridis, tum vero ex alijs. Nam quidam & lapidem coraliũ: alios vidi margaritis vti, alios addere electrum vel ſuccinũ, alios aliud: ſed cognita natura ſimplicium, & ea collata cum propoſito ſcopo, & cum natura etiam corporis male affecti,conſici plura medicamenta apta & vtilia poſtea poterunt: & de his ſatis longum habuimus ſermonem, quare non erit ab re, ſi D hic conſiſtamus, & ad aliam medicamentorum formam conuertamus orationem.

De Ceratis, vel emplaſtris, vel vnguentis vulgo dictis, quibus tum antiqui, tum iuniores vſi ſunt in conglutinandis vulneribus, & de ratione vſus eorum, quæ hactenus fuere expoſita.

Cap. V.

E MEDICAMENTIS, quibus agglutinanda eſſent recentia vulnera, varijs vtebantur antiqui, varijs etiam vtuntur iuniores. Quamuis antiqui viſi ſunt in hac re diligentiores fuiſſe in his diſtinctionibus, & limitationibus: iuniores vero pinguiori aliquantiſper minerua ſua expoſuiſſe, diuerſitatis autem in medicamentis conficiendis, & eligendis rationem vniuerſam, tum ab ipſo affectu, tum vero a corpore affecto, vt paulò etiam ante expoſuimus, petendam cenſuere: quatenus, inquam, maiora valentioribus, minora imbecillioribus medicamentis erant curanda. Item robuſtiora, ſiccioraque, & denſiora corpora fortiora, & acriora requirunt, & ferunt medicamenta: leuiora vero, & leniora, tenera, quæ vel ob naturalem tem-

periem,

periem, vel ob ætatem, vel ob ſexum, vel ob artem, & vitæ inſtituta talia ſunt. Vnde Galen. ſemper, vbi de hoc negotio eſt inſtitutus ſermo diuerſam præſcribit emplaſtrorum materiam. Vnde medicamenta prioribus corporibus, vel vulneribus accommodata, & apta conficienda ſunt: diuerſam item eorum, quæ vlceribus. Paruis enim, quæ admodum non ſint profunda, itemque mollioribus, maxime ait accommodata eſſe, quæ ex lithargyro, vel ex ſpuma argenti cocta, & ex oleo, hæc aceto & oleo parantur. De horum autem compoſitionis, & vſus ratione primo libro de comp. med. per genera, cap. 5. abunde diſſeruit, & alijs ſubinde, de quibus & nos propter iuuenes hic nonnulla maioris diſtinctionis gratia dicemus. Itaque antiqui medici emplaſtra ex lithargyro tripliciter parato conficere ſoliti ſunt, quæ, vt differentem habent modum, & rationem apparatus, & cocturæ, ita & differentes vires conſequuntur. Primum enim coquunt lithargyrum ex hydrelæo, hoc eſt ex aqua & oleo pari inter ſe pondere: nempe tam aqua & oleo, quàm etiam lithargyro. Verum hoc monet nos Galenus, quòd quotieſcunque id genus medicamenta ex cocto lithargyro conficiuntur, quo magis coctus erit lithargyrus, eo maiorem deſiccandi, & meliorem formam compagemque habebit; glutinoſius ſiquidem emplaſtrum erit, & magis tenax. Nam eo peruenit, nempe vt glutinoſior, & tenacior euadat, ſi optimè fuſus liqueſcat, quod illi per probam cocturam accidit, & quo ex maiori liquoris copia coquitur, eo etiam magis, & melius funditur: contra vero, niſi exquiſite fundatur, liqueſcatque fere friabile, & tenacitatis expers fit emplaſtrum: nequit autem in modico liquore exacte coqui, fundique. Vnde ait Galenus, Si duplum lithargyri ſit vtroque humore, aqua nimirum & oleo, adeo tenax & glutinoſum erit medicamentum, ſicut ſi ex reſina, vel cera eſſet confectum: quatenus vero ad vires eius pertinet, vim repulſoriam, reſiccatoriamque quamuis non inſignem, habebit: & id non quidem, quod ſicut iterum ſuperius declarauimus, aſtringentis ſit facultatis per ſe, aut exſiccet: ſed potius ratione, qua vim refrigerantem conſecutum eſt ratione aquæ, cui neque oleum, ſi recens ſit, reſiſtit: frigus ergo cutem, & ſubiectam carnem contrahit, & cogit. Quod ergo argumento oſtendit, quia rugoſam facit particulam ſpongia, cum frigida aqua madida illi apponitur, & comprimendo vel contrahendo ſubſtantiam partis non modo repellit, quod influit: verum & exprimẽs, ſi quid in ea humoris continetur, ad alias vicinas expellit, quo deinde fit, vt per accidens ſiccior euadat particula. Quomodocunque autem deſiccetur locus vulneratus, ſiue id primarie fiat, ſiue ex accidenti ſequatur, commoditatem omnino vulneribus affert. Leuiſſimum autem eſt hoc medicamentum, & ſolis tenellis pueris, & mulierculis, & id genus alijs ſanandis aptum, & vlceribus vulneribuſque curandis, quæ parum vltra cutem peruenere. Altera vero confectio emplaſtri ex eadem argenti ſpuma fit, cum coquitur donec liqueſcat ex oxelæo, hoc eſt, oleo cum aceto commixto. Et quantum ad rationem confectionis pertinet, non ita facile ſpuma argenti funditur, & cito cocta ex hydrelæo, ſicut ex oxelæo, quamuis & ex hydrelæo etiam tandem fundatur: præſertim ſi inter initia, antequam ad ignem coqui incipiant tria illa, oleum, aqua, & ſpuma argẽti ſimul in mortario probe commiſceantur, & quantum ad hoc attinet, non eſſet opus ad eliquationem lithargyri ita copioſo liquore: quia tamen, quo ex eo copioſiori coquitur, redditur fortius, & magis ſiccans: proinde ſi duplum ſit vtriuſque pondus ace-

A ti ſane, & olei ad ſpumam argenti, erit medicamentum mediocriter exſiccans. Quod ſi plus etiam, quam duplum vtriuſque pondus accipiatur, vt ſi ex binis libris & ſemiſſe vtriuſque libra coquatur lithargyri, erit adhuc fortius, & ſiccantius medicamentum, & fortius adhuc erit, ſi oleum fuerit vetus. Vnde ex priori ſymmetria compoſitum medicamentum ſatis congruens erit conglutinandis recentibus vulneribus mediocribus, præſertim vero in corporibus non valde duris: nam alioquin alter, & tertius confectionis modus eo progreſſus eſt, vt poſſit & difficilia vlcera fiſtuloſaque curare, & ſinus tam magnos, quàm paruos, cum inſignem vim exſiccandi & citra morſum habeat. Tertia autem con-
B fectio eodem modo fit, ſed ex œnelæo, hoc eſt, ex vino & oleo, ſed vino optimo & antiquo, & interdum ex eo, quod ſit particeps adſtringentis facultatis: & quia tunc euadit, vt ibidem tradidit Galenus ſimile medicamentũ illi, quod palmeum, vel diapalma, vel ex chalcite appellauit Galenus, de quo poſtea ſumus ſermonem ſuo loco habituri, ideo de hoc in præſentia non faciamus plura verba. Sed ad ſermonem de Barbaris appellatis medicamentis tranſibimus, quæ præ alijs vim agglutinandi vulnera & vlcera habere antiqui medici, & cũ eis Galenus credidere, & è multis duo tantũ in examẽ deducemus: quibus in primis Galen. ſe vti ſolitum teſtatur in fine libri ſecundi de Comp. medic. per gen. quorum alterum ſimpliciorem habet componendi rationem,
C Vnde & commodum minoribus & vulneribus eſſe ait: alterum multipliciorem, quantum ad materiam eorum, ex quibus conficitur, componendi rationem habet, quod & maioribus vulneribus conglutinandis aptius eſt. Nam quamuis ibi, & plura alia referantur Barbara a varijs auctoribus compoſita: nobis tamen ſatis erit iſtorum examen: quod ſi cum alijs fuerit collatum, erit etiam illorum explanatio. Primum vero de maiore agemus, vtpote quod multis in locis in vſum chirurgis venire cœperit. Componitur autem in hunc modum. Accipiunt picis libras quatuor, ceræ lib. tres & vncias quatuor, piceæ libras duas & vncias decem, bituminis libras duas, olei vncias nouem, lithargyri, ceruſæ, æruginis,
D ſingulorũ ſeſquiunciam, thuris vncias tres, aluminis liquidi drachmas ſex, aluminis ſciſſilis vncias duas, opopanacis, ſquamæ æris, chalbani ſingulorũ drachmas ſex, aloes, opij, myrrhæ, ſingulorum drachmas duas, terebinthinæ libram, ſucci mandragoræ drachmas tres, aceti libras duas, & ſemiſſem. Hoc eſt ergo Barbarũ Galen. emplaſtrum, in quo conficiendo ille non vnum & ſimplicem ſcopum habuit, ſed plures, quos primum exponemus. Nam ex illis facilis eſſe poterit eorum omnium expoſitio, quæ ad iſtius medicamenti compoſitionem ſunt aſſumpta. Cum ergo ad hoc præcipue id genus medicamenta ſint compoſita, vt opportuna ſint ad cõglutinanda recẽtia vulnera, vel etiam magna, quamuis deinde ratio-
E ne multiplicis rerum mixturæ euadant etiam vtilia ad multa officia. Primum ea referenda ſunt ad primos & generales ſcopos in conglutinandis vulneribus ſpectandos, nempe vt modeſte deſiccent, & aliquantiſper etiam aſtringant, neque tamen vim detergendi habeant, quatenus ſaltem pertinet ad conglutinandi munus. Veruntamen iſtis & hoc addendũ, quod quæ maiora vlcera cõglutinatura ſunt, magis ſiccantia eſſe oportet, & magis etiam aſtringentia: cum rationi ſit conſentaneum, maiorem humiditatis copiam, & gigni, & influere ad maiora vulnera, quàm ad minora, vnde & vulneratæ partes laxiores etiã redduntur. Sed & plerunque maiora minoribus periculo ſuperuenturæ inflammationis magis expoſita ſunt, quæ per aſtringentia repellitur, ob-

noxia

noxia etiam magis ſunt doloribus, quibus inſuper
proſpiciendũ eſt, ſed raro etiam, vt ſuperius monui-
mus:in magnis & profundis vulneribus,ita aptari la-
bra poſſunt, vt penitus vſque ad profundum cōmit-
tantur, & vniantur: immo ſemper in aliqua parte
deducta ſunt, & locus cauus, & inanis manet, qui
alioquin nequit ad vnionem peruenire, niſi caro no-
ua gignatur repletura ſpatium illud, quo fit, vt in
his ſit opus aliqua carnis generatione, ad quam
generandam vtilis eſt & aliqua abſterſio. Sed in his
præterea fere fieri nequit, quin aliqua humiditas
confluxerit, quæ aliqua concoctione egeat: & cum
iam profundum ſit vulnus, & neceſſe ſit, vt vſque in
profundum exſiccetur ſuperuacua humiditas: quare
opus etiam eſt illis medicamentis, quæ tum tenui-
tate partium, tum aliqua item caliditate poſſint hu-
morem è profundo attrahere,exſiccareque. Hi ergo
ſunt ſcopi omnes, quibus regenda & adminiſtranda
eſt vniuerſa iſtius compoſitionis ratio. Sed particu-
latim omnia extimemus. Imprimis nihil præter o-
leũ & ceram hic accipitur,quod non exſiccet, neque
enim ſit olei veteris mentio: & ſi mutuo omnia con-
ferantur, ad ſecundum ordinem deſiccantium, vel
paulò vltra accedet medicamentum. Nam ærugo,æ-
ris ſquama fortaſſe vltra tertium ordinem aſcendit,
ſicut & alumen, & aloe ad tertium ſaltem. Pix vero,
picea,reſina,& chalbanum,& opoponax,bitumen,&
myrrha ad ſecundum fere ordinem pertinent: & te-
rebinthina fere his eſt ſimilis, quibus omnibus ace-
tum,dũ eo alia liqueſcunt vel coquuntur,vel in leuo-
rem teruntur,maiorem exſiccandi vim addit: quare
vniuerſa iſtius medicamenti temp eries erit fere in-
ter ſecundum, & tertium ordinem. In caliditate e-
tiam ad ſecundum. Nam licet opoponax, chalba-
num,bitumen ad tertium ordinem in calore referan-
tur, ærugo vero & ſquama præſertim crudæ, & non
lotæ parum a quarto abſint, pix vero, reſina picea,
thus,& myrrha,terrebinthinaque circa ſecundum,&
alumen parum vltra, tamen ſpuma argenti, quæ in
aliquod potius frigus vergit: aloes aut in primo eſt,
aut paululum ab eo recedit; ceruſa etiã, quæ frigida
circa ſecundum eſt, opium vero & mandragoræ ſuc-
cus, quæ in quarto ordine refrigerantium ſunt, qui-
bus & acetum addendum,quod & ipſum refrigerat,
quod & adiuuat oleum,quod cum nõdum inuetera-
ſcit, aut temperatum medicamentum, aut modice
calidũ eſt, vt & ipſum faciat ad remittẽdum & tem-
perandum calorem eorum, quæ inſigniter calida
ſunt: vnde omnibus recte perpenſis cenſerem eſſe
quidem referendum in ſecũdum ordinẽ eorum, quæ
calefaciunt, verſus tamen finem eius prope tertium.
Aſtrictionem habent modicam quidem thus & tere-
binthina & bitumen, maiorem aloe & ceruſa: lon-
ge vero maiorem alumen ſciſſile & rotundum, quæ
ſi cum alijs conterantur, facile poterimus indicare
adeſſe quidem aſtrictionem, ſed ſolum quanta ſit
ſatis conglutinandis vulneribus, & repellendis vna
cum aceto humoribus ſi qui eſſent ad fluxionem
parati. Vim vero e profundo attrahendi habent pix,
bitumen, terebinthina, chalbanum, opoponax,
quæ & ipſa in profundum penetrare ob partium te-
nuitatem, & vim aliorum eo perducere poſſunt, nec
minorem vim ad profundiores partes ſe intromit-
tendi habet ærugo, nec ea ſquama caret: quam-
uis maiorem habeat ærugo,hæc omnia vero acetum
mirifice adiuuat. At deterſoriam facultatem ſatis
modeſtam habent terebinthina, myrrha, pix, aloe-
que: inſignẽ vero ærugo & ſquama,quæ tamen dum
ab alijs mollientibus præſertim vero ab oleo, & ce-
ra,aliquantum vero a thure, & a lithargyro: præte-
rea vero & ab aſtringentibus reprimitur, adeo mite-
ſcit, vt nequeat impedire vulnerum conglutinatio-

A nem. Multa vero ſunt,quæ vim etiam concoctoriam
habent,vt thus, terebinthina, pix, chalbanum, opo-
ponax, bitumen. Vnde & hac ratione, vt ſæpe nos
docuit Galenus in libris de compoſ. medic. per gen.
idonea ſunt ſedandis doloribus, quæ propria & vera
ratio eſt, qua dolores ſedari ſolent. Quia tamen in-
terdum illi adeo vrgent, vt ſit neceſſe ad ea manus
admouere, quæ ſtuporem particulis afferunt, proin-
de ne ex hac parte etiam deeſſet laboranti, addidit o-
pij drachmas duas, & mandragoræ ſucci drachmas
tres,quæ tamen ſi cum alijs recte conferantur,adeo
pauci momenti ſunt,& ita aliorum mixtura corre-
cta,vt neque poſſint noxam aliquam afferre,ſed po-
tius prodeſſe: quamuis autem præſertim tanquam
B conglutinans laudetur, non ſolum tamen huic rei
commodum eſt, ſed poteſt & vtile eſſe carni in vlce-
ribus generandæ,& cicatrici etiam interdum indu-
cendæ, nam pro diuerſa ratione, tum corporis,tum
etiam vulnerum, vel vlcerum, diuerſa poſſunt hu-
iuſmodi compoſita medicamenta moliri. Sed ad a-
liud Barbarum minus, & ſimplicius in præſentia
tranſeamus, quod minoribus vulneribus eſſe magis
accommodatum dixit Galenus: illudque in hunc
modum deſcriptum reliquit. Picis,ceræ, reſinæ pi-
ceæ, reſinæ frictæ, bituminis, ſingulorum libram,
ſpumæ argẽti drachmas decem,ceruſæ,æruginis,ſin-
gulorum drachmas quinque, opoponacis drachmas
tres,olei, æſtate vncias ſex: hyeme vero vncias no-
uem: ſicca in mortario acri aceto leuiganda ſunt,re-
C liqua vero his affundenda. In hac confectione cum
deſint thus, myrrha, chalbanum, & terebinthina,
minor erit vis digerens, & concoquens, quàm in ſu-
periori: minor etiam vis ex profundo attrahendi:
quamuis enim reſina fricta aliquantum & ipſa attra-
ctoriam vim habeat, vincitur tamen a terebinthi-
na: minor etiam eſt in hoc emplaſtro vis aſtringens,
vtpote in quo deſideretur aloe, & utrunque alu-
men: nec tanta eſt etiam in eo deterſoria facultas,
quia non accipit, neque terebinthinam, neque myr-
rham, neque aloen: præſertim vero cum ſquamam
non admittat. Quatenus vero ad vim deſiccandi
pertinet, eam etiam minorem habet, ſicut & mino-
ris aſtrictionis eſt particeps: crederem vero aliquan-
D tum etiam minus (quamuis neque multa in illis ſit
differentia) calefacere, quàm prior compoſitio. Vn-
de merito Galenus priorem Barbari confectionem
accommodatam eſſe dixit maioribus vulneribus,
hanc vero poſteriorem minoribus: vt pote, quæ
ſit minus potens. Quare his noſtris temporibus in-
troducta eſt in vſum a multis medicis prior, & ma-
ior, non autem altera: nam priori facile eſt de viri-
bus detrahere, addita cera, & oleo, vt ſæpe Gale-
nus docuit, vel illam commiſcendo cum alio medi-
camento debiliori, vt eſſet id quod Baſilicon appel-
lant. Iuniores vero & ipſi quibuſdam medicamen-
tis ad agglutinanda recentia vulnera conſueuere vti,
& non inepte: conficiunt autem ex illis aridis me-
dicamentis, quæ in principe ipſius capitis parte
E fuere examinata. Aſſumunt enim eos pulueres, vel
ex liquore tenuiori albuminis oui ſecundum eam
compagem, & formam emplaſtri, quæ commode
poſſit aut ſtupeis puluillis accipi, aut panniculis: in-
terdum vero ex cerato confecto ex oleo præſertim
roſaceo, vel communi, uel eo quod completum uul-
go appellant, prout præſens occaſio indicare uidea-
tur ſed opus maiori concoctione, ut quando dolor
eſſet mitigandus, aut maiori refrigeratione & aſtri-
ctione repulſioneque, ut quando inſtantem inflam-
mationem timeremus. Quandoque uero pulueres
ex terebinthina excipiunt, & unguentem, ut ipſi
dicũt,cõficere ſolent,& ſæpe terebinthina lota utun-
tur: quæ enim lauatur, minus mordet, & minus ca-
lefacit,

lefacit,& maiorem vim concoctoriam habet,atque magis item digerit, & ſiccantius fit medicamentum, quando pulueres ex terebinthina aſſumuntur. In pſentia tamen parum referre putarem, ſi quando terebinthinæ fit mento: vera accipiatur terebinthina, quæ terebinthi reſina eſt,vel laricea,quæ & ipſa vulgo terebinthina dicitur: quia duæ reſinæ adeo facultatibus proximæ ſunt, vt altera pro altera in his medicamentis ſumi poſſit. Et quatenus ad rationem compoſitionis, & præſentis inſtituti pertinet, hæc mihi videntur poſſe eſſe ſatis. Reliquum autem eſt, vt aliqua etiam exponamus, breuiter tamen, quæ ad rectam vſus rationem attinent. Quia vero primum,quod ſequitur ipſum vulnus, eſt ſanguinis effuſio, quæ niſi prius intercipiatur, fruſtra erit quidpiam aliorum tentare: Vnde primum ratio habenda fluentis ſanguinis, atque in hunc modum res tractanda, nimirum ante alia omnia reſpiciendum eſt ipſum vulnus,& conſiderandum,num inſignis alicuius magnitudinis, an potius paruum ſit, cum ab eo ſanguis in multa copia minime effundi poſſit, niſi forte contingat, reciſam eſſe maiorẽ venã, vel arteriam,ex illis præſertim,quę vſque ad extimas,& ſubcutaneas partes deferri ſolent, quod tamen raro admodum contingere ſolet, paruo etiam negotio ſupprimitur. De ſanguinis autem immodico profluuio ex inciſa vena, vel arteria, opportuniori loco agemus. Sin antem inſigne fuerit vulnus,primum conſiderandum erit,copioſus ne ſanguis effluxerit, vel ſecus: quia ſi copioſus effluxiſſe videatur,procurãdum, vt quanto citius poteſt ſupprimatur, ne vires ex nimio eius fluore fatiſcant. Quod ſi videatur nõ fuiſſe factũ pro ratione vulneris,multũ profluuiũ,non ſtatim conandũ eſt,vt intercipiatur fluxus:nã vt ex tertio metho.docuit Galenus ex ſententia Hippocratis quàm plurimam vtilitatem affert vulneratis corporibus, cum moderata copia ſanguinis effluere permittitur: quia præter id, quod ſæpe ſupplet vicem miſſionis ſanguinis ex ſecta vena, quæ fere neceſſaria eſt in maioribus vulneribus, ad reprimendas fluxiones humorum ad vulneratum locum, & arcendas inflammationes, præſertim ſi reuulſoria fuerit euacuatio, maximo enim præſidio eſt ad euitandos dolores,fluxiones,& ſubinde inflammationes. Cùm enim ſponte naturæ confluant humores ad locum affectum ex uniuerſo fere corpore in magnis uulneribus:ſi reprimatur per modica inſtrumenta, ſanguis ſtatim ab accepto uulnere,ita ut nequeat effluere, retentus,dũ continenter eo confluat,non modo qui in uicinis,ſed & qui in remotioribus etiã partibus continetur, ibi infarctus diſtendens partes circum uicinas,dolorẽ excitat,& in tumorẽ illas attollit, & tandem in inflammationem. Quòd ſi copioſus ſanguis per uulnus effuſus inaniatur, illa euacuatio redũdat tandem in uniuerſum corpus: unde ſicut præcipua cauſa cur facile humores in aliquem locum confluant, eſt, aut copia, aut uitium humoris: ita corporis euacuatio præcipua cauſa eſt, cur non concitentur fluxiones in affecto corpore. Cùm uero iam ſtatutum fuerit ſanguinem eſt ſupprimendum, tunc conſiderandum eſt an uulnus ex eo genere ſit, quod mereatur, ut per agglutinationem curetur,uel ne. Quia ſi tale ſit primum oportet labra, uel latera adducere,& ſimul cõmittere, uel uinculis, & ligaturis, uel ſutura,& antequam id fiat, aduertendum, an in grumos concretus ſanguis in uulnere contentus ſit: nam ipſum detergere oporteret, quia grumi ſanguinis omnem conglutinationẽ impediunt, & tandem putreſcentes in pus uertuntur: detergere autem ſolebant antiqui concretum ſanguinem ſpongia madefacta uino præſertim nigro, & aſtringente, poſtea ſuendum eſt uulnus, nam ita fere neceſſe eſt
A cum vulnus aliquantiſper profundum eſt, ſi labra ſint apte committenda: præter id quod commodius, deinde poſt ſuturam,medicamenta, quæ inter initia adhibenda ſunt,accommodari poſſunt,quam ſi faſcia & puluillis triangularibus deligetur vulnus. Faſcia autem a duobus principijs circumducta vulnus deligandum eſt, quæ tunc præcipue poteſt commode aptari,quando vulnus ſecundum membri longitudinem fuerit inflictũ;alioquin enim vtGal.1.lib.Com.6.de his quæ in medica officina monuit,ſi per tranſuerſum adactum fuerit,potius ſutura erit accommodata,præter quam ſi eſſet opus capita muſculorum, vel tendines apprehendere, quia partes omnino in aſſuendo vitãdæ ſunt. Verum neque hoc prætermit-
B tendum in præſentia videtur, quod ſumme neceſſarium videtur: nempe quòd ante adminiſtrationem medicamentorum, quæ congruentia vulneri ſunt, poſtquàm vel per ſuturam,vel deligaturam commiſſa vulneris labra,ſi ob eius profunditatem remanet aliquis in fundo ſinus,vel cauitas,cum interdum nequeat fieri exacta cõmiſſio vſque ad profundas vulneris partes: tunc magis ſiccantibus & ex profundo trahentibus medicamentis erit opus, vt ichor, vel pus,quæ neceſſe eſt ibi congeri,exſiccetur: & præterea ſi ea videatur horum copia futura,vt per medicamenta deſiccari, & abſumi quantum res ipſa oſtenderet,omnino nequiret,procurãdum eſt,vt facilem exitum habeat, nempe in ea parte, quæ ad effluxum
C commodior futura eſt,loco relicto aperto:& qui deinde impoſitis linamentis, vel vt iuniores loqui ſolent, tentis aliquo apto medicamento delibutis, apertus etiam ſeruetur ita,vt ſæpe ſi ſinus relinquatur amplus, ſit neceſſe hac eadẽ de cauſa per inciſionem moliri in inferiori eius parte foramen ad facilem exitum puris: & id quando particula vulnerata eo modo, & in eo ſitu collocari nequit, quo facile poſſit pus effluere. Inter initia tamen dum vulnus nondum pus,vel humorem copioſum gignit, quæ fortem habeant indicationem: fortem enim indicationem habent hæc cùm copioſa retineantur: quia vulneratas partes interiores erodunt, & dolores vehementes concitant,& vt idem Gal.3.meth.cap.4. expoſuit,inflammationes adducunt. Inter initia ergo quia ad-
D huc ſanguis effluit, magis idoneus erit medicamentorum vſus, quæ non maiorem vim habent reprimendi, & ſiſtendi ſanguinem quàm conglutinandi commiſſa labra vulneris, vt ea arida ſunt, quorum antea facta eſt mentio,quales ſunt pulueres,qui a iunioribus conſtrictiui dicti ſunt ex albo oui aſſumptis,addito roſaceo oleo,vno, aut altero. Poſtea vero tranſeundum eſt ad illos, quos incarnatiuos,vel agglutinantes appellant, mox ſi valentiori medicamento opus eſſe videatur, ad emplaſtra Barbara erit accedendum. Neque enim putarem omnino tutum eſſe eorum vſum ab initio,dum adhuc in motu ſunt humores, & maxime vrget indicatio arcendæ inflammationis,calida nãque ſunt,& vim attrahendi a profundis etiam partibus habent: vnde cum vul-
E nus recens omnino eſt, neque abeſt ſuſpicio fluxionis humorum, facile concitari poteſt inflammatio. Sed iam tempus nos a præſenti vulnerum tractatione reuocare videtur,vt ad vlcera ſermonem conuertamus. Nam ſi ad rationẽ curandorũ vulnerum pertinere fortaſſe videretur,vt de illis ſymptomatibus aliqua verba faceremus, quæ plerunque ſolent vulneribus accidere,ut immodica ſanguinis effuſio,& uehemens dolor:attamen quia ea ſolent ſæpe & ulcera concomitari, & eiſdem ferè præſidijs in utriſque ſolemus his occurrere: ideo conſulto diſtulimus horum ſermonem ad tractationem de ulceribus. Hic ergo conſiſtamus quatenus ad rationem ulnerum pertinet: niſi quis fortaſſe putaret magis rationi

con-

conſentaneum eſſe, vt poſt inſtitutum ſermonem de vulneribus, ſecundum quod vulnera proprie dicuntur, quæ in carne fiunt, ſubnecteretur tractatio de illis, quæ ad vulnera neruorũ curanda pertinent. Quia tamen neruorum vulnera, aut rariſſime aut nunquã curantur ſimplici ea curandi ratione, quę vulneri debetur, quatenus vulnus eſt, vel vt iuniores noſtri loqui ſolebant, per primam intentionem: ideo conſultius nobis viſum eſt, vt poſt tractationem vlcerum, illa differatur.

De Differentijs vlcerum.
Caput VI.

VLCERA appellamus in præſentia, quæ per ſolam agglutinationẽ, vel vt noſtri iuniores loqui ſolent, per primã intentionem curari nequeunt: quia ſaltem in ipſis ſit opus carnis generatione, quamuis alioquin nihil aliud habeãt quod ad vulnus propria ſua ratione non pertineat. Nam ratio curandi ea vlcera, quæ adeo munda & ſimplicia ſunt, vt ſola conglutinatione, vel ſecũdum modum, quo iuniores loqui ſolent, ſola incarnatione curari poſſint, illa eadem omnino eſt, qua curantur vulnera. De medicamentorum ergo compoſitione, quæ his vlceribus curandis idonea ſunt, atque de apto & accommodato eorum vſu nunc agemus. Verum quia, vt alias diximus, vnaquæque methodus pertinẽs ad curationem affectuum, primum quidem diuerſa euadit ratione diuerſitatis naturæ ipſorum affectuum, nõ eſt autem vna naturæ ratio in ipſis vlceribus, ſed multiplex & diuerſa: ideo vt, quæ ad inſtitutum noſtrum attinere omnino videntur exactius explanentur, neceſſe eſt, prius inquirere omnes differentias vlcerum ad vltimas vſque, cum diſtinctas indicationes & proprias vnaquæque earum ex priuata ſua natura habeat, quę ſuos etiam ſcopos oſtendunt, ad quos referenda eſt vniuerſa, vt ſuperius etiam fuerat expoſitum, compoſitionis, & vſus ratio. Vlcus ergo cum ſecundum ſuam propriam rationem ſignificat ſolutam & diuiſam partium vnitatem, aut omnino ſimplex eſt, aut non ſimplex: ſimplex appello ſicuti & Galen. 3. method. cap. 4. appellauit, in quo non fit niſi partium diuiſio, quibus nihil aliud deeſt, niſi vnitas, continuitasve. Nam ſi aliquid illis præterea deſit, vt pote ſi reciſa ſit aliqua cutis, vel carnis, vel oſſis particula, iam non eſt ſola, & ſimplex vnitatis ſolutio: ſed defectus, vel amiſſio illius particulæ, præter partium ſeparationem. Vnde neque erit ſimplex indicatio, vel ſimplex ſcopus, quia oportet regenerare amiſſam particulam, & vnire diſpertitas partes. Vlcus ergo non ſimplex illud eſt, cui aliquid præterea adiunctum eſt, præter partium ſeparationem, quæ vero illi adiunguntur, aut proxime accedunt ad naturam propriam vlceris, in quantum vlcus, aut ab eo remotiora ſunt. Nam ſi vlcus proprie, & per ſe eſt continui ſolutio: continuum verò, cum ſoluitur per eam diuiſionem terminatur, & continuum cum terminatur, ſtatim ſuboritur figura. Nam mathematici definiunt figuram quòd eſt, quæ termino, vel terminis clauditur: vnde magis propriæ vlceris differentiæ erunt illæ, quæ ab ipſa vlceris figura erunt accipiendæ: quemadmodum dicimus, quod vlcera alia plana ſunt, alia cõcaua, alia rotunda, alia longa, vel angularia. Quæ verò differentiæ ab his ſumuntur, quę remotiora ſunt a propria natura vlceris, alia ſunt tanquam ſymptomata illi accidentia, alia vero ſunt affectus, qui cum vlcere coniunguntur, & habent omnino ſuam eſſentiam a natura vlceris, vt vlcus eſt alienum. ſymptomata quoque aut talia ſunt, vt fere per ſe vlcus & propriã

A eius naturam: ſi non omnino, aliqua ſaltem ex parte conſequantur: aut ex diuturnitate, vel ex mala curationis ratione, vel ex externa aliqua occaſione illi accidunt. Symptomata quoque, quæ ſi nõ omnino, aliqua ſaltem ex parte, imo vero ex magna parte vlcus per ſe ſequuntur, ſunt illa, a quibus vlcus, aut ſordidum dicitur, aut virulentum, vel humidũ. Loquamur autem in præſentia, vt vulgo nunc chirurgi loquuntur. Quomodo vero iſtæ differentiæ a ſymptomatibus ſint depromptæ, quæ magna ex parte ſequuntur propriam vlceris naturam, facile percipiemus, ſi in memoriam reuocare voluerimus ea, quæ a Gal. 3. meth. fuere expoſita: nempe quòd in concoctione, quam natura in particulis noſtri corporis quotidie molitur, B neceſſe eſt duplex generari excrementum, alterũ tenuis & aqueæ fere cõſiſtentiæ, ἰχὼρ Græce dicitur, a priſcis autem Latinis ſanies proprie: iuniores vero virus illud vulgo appellent: & hoc ſane excrementũ, niſi ex alimenti copia plurimum redundet in halitum digeſtum per eam euacuationem, quæ ſenſibus inconſpicua eſt, excernitur: ſed vbi nimia erit affluentia alimenti, per eam etiam excernitur vacuationem, quæ ſenſibus eſt conſpicua, vt per ſudorem: vnde extat ea Hipp. 4. Aphoriſ. 51. ſententia, quòd ſudor in ſomno citra manifeſtam aliam cauſam excitatus, argumento eſt, quòd corpus vel nimio vtitur cibo, vel vacuatione eget. Conſpicua itidem fit, quando calor natiuus imbecillior factus, nequit digerere in halitum hoc excrementum, C vel etiam ſi ex motione corporis excalfiat, & antequam digeratur in halitum, per ſudorẽ excernitur. Vnde quia vlcerata pars ægrotat, & ea ratione languidior eſt, in vlceribus ſemper eiuſmodi ichoroſum excrementum cõgeritur, quod vlcus humidius reddit, atque inde fit, quòd omne vlcus deſiderat. Alterum vero excrementum craſſius eſt, magis ad naturam terream vergit, quod per cutem extimam excretũ & cõcreſcens illi hæret, donec abluaſ, & detergatur: & id eſt ſordes illa, quæ manifeſto conſpicitur circa cutem eorum, qui negligentiores & ſordidiores ſunt circa curã ſui corporis. Hoc itidem excrementũ congeritur in vlcere, & ſordidũ illud reddit, Græce autẽ ῥύπος, Latine ſordes appellatur: & præ- D terea in cauſa eſt, cur vlceribus curandis ea medicamenta opportuna ſint, quę non ſint deterſorię facultatis expertia. His tamen addendum eſt, quòd quando iſtius generis excrementa congeruntur in ipſis vlceribus, eatenus tamen, vt non excedant rationem ipſius vlceris qualitate, vel copia, non faciunt diuerſas in vlcere differentias, propterea quia hæc concomitãtur ipſum vlcus per ſe, & quatenus vlcus: vnde neque mutant communem rationem vlceris. vt vlcus. Verum quando ſupra rationem vlceris, excreuerint, id illis accidit, quòd & alijs ſymptomatibus, nempe quod ſi plurimum excreſcant, tunc exuta ratione ſymptomatis, induunt rationem cauſæ, atque ſubinde incipiunt propriam habere indicationem, atque ita conſtituunt diuerſas vlcerum dif- E ferentias. Nam vbi refertum eſt vlcus tenuiori excremento, humidum, vel ſanioſum, vel virulentum a medicis nuncupatur. Sed ſi alterũ craſſius nimis excreuerit ῥυπαρὸν Græci, ſordidum Latini appellant. Symptomata vero, quæ magis aliena ſunt a natura vlceris, & citra quorum complexum poteſt vlcus conſiſtere, ſunt ſicut cum dicimus aliquod ulcus calloſum, uel oſtracoſum, ut aiunt Græci, aliquod autem doloroſum. Differentiæ uero ulcerum, quarum meminerunt antiqui medici, & ab alijs affectibus accipiuntur, qui cum ulcere ſimul complicati conſiſtunt, ſi uelimus exquiſite loqui, non ſunt proprie ulcerum differentiæ, utpote quoniam hi affectus per ſe etiam, & citra ulcus, ut Gale. docet, con-

ſiſtere

ſiſtere poſſunt, & habent propriam curationem. Sed ſequamur in præſentia communem, & inueteratam conſuetudinem, & eas tanquam vlceris differentias accipiamus. Eiuſmodi ergo affectus, & quorũ complexu cũ vlcere depromimus has differentias quaſi vlcerum ſint, aut proprij, & primarij ſunt ipſius vlceratæ partis, aut non ſunt eius primarij, ſed potius per conſenſum aliunde male habet vlcerata particula. A proprio affectu particulæ accipiuntur differentiæ vlcerum, quæ maligna proprie ab antiquis dicta ſunt: nam quando, vt ait Gale. 1. & 4. de comp. medic. ſecundum gen. habitus illius partis, in quam contractum eſt vlcus adeo vitiatus eſt, vt alimentum, vel etiam optimum illi particulæ diſtributum a natura, corrumpatur in malos, & vitioſos humores, atque deinde ex hac cauſa redditur difficilis curatio, tum proprie antiqui maligna, diuturna, inueterata, vel Græce κακοήθη appellabant [vlcera.] Horum vero non eſt vna tantum ratio, ſed multiplex, & diuerſa: nam aut ea ſola eſt corruptio humorum, in quos alimentum degenerat, quæ poſſint conſolidationi eſſe impedimento, & cicatrici inducendæ, & ea vlcera, quæ in hunc modum ſe habent, abſolute cacoethe, vel maligna vlcera appellantur, aut tanta eſt corruptio, vt vitioſi illi humores non ſolum inepti ſint carnis generationi, & cicatrici contrahendæ, verum & eam conſequuti ſint acrimoniam, vt abradant, & erodant ſubiectas, & circũſtantes vlceri partes, & eiuſmodi vlcera ἐσθιόμενα a Græcis, & Phagedena, exedentia a Latinis: a iunioribus vero corroſiua nuncupantur. Aliquando præterea vitioſi humores in cauſa ſunt vt putredo vlceratum particulam apprehendat, & quia, vt trita eſt ſententia, quod a putrido tangitur putreſit: ideo non modo vlcus ipſum putredo corripit, verum ad vicinas illi partes ſerpens eas quaſi depaſcitur: & proinde a Græcis id genus ulcera νομαὶ παρὰ τὸ νέμεσθαι, quod depaſci ſignificat: a Latinis uero depaſcentia ulcera nominantur. & hæc intercedit, ut docuit Galenus ſexto de Compoſitione medicamentorum ſecundum gen. inter hanc & priorem differentia, quòd in hac eſt putredo, & ratione eius ſerpens, & depaſcens eſt ulcus. Solet autem quantum ad ipſam pertinet, plerumque excitare febrẽ. Eſtiomena uero, uel phagedenę, non ſolent comitem habere febrem, exedunt uero, & ſubiectas ulceri partes, & uicinas, atque ab herpete hac ratione differunt, quòd herpes exedit itidem uicinas partes, uerum cutaneas duntaxat, non autem ſubiectas, & profundas, phagedenæ uero cum ad ſummam, & extremam malignitatem deuenirent, ſolebant a priſcis medicis uocari chironia a Chirone Centauro, qui horum ulcerum curandorum peritiſſimus erat: item & telephia a Telepho heroe, quia ſimili ulcere contracto a ſagittis Herculis diu fuit miſere cruciatus. Solent autem eiuſmodi phagedenæ, coniunctum habere circunſtantium partium tumorem cum inflammatione. Vlcera uero quæ non tantum difficicilia euadunt propter proprium aliquẽ affectũ, quantum propter conſenſum cum aliqua male affecta particula, aut cum uniuerſo corpore, a quibus influunt uitioſi ſucci, qui naturæ impedimento ſunt, quo minus ad conſolidationem poſſit perducere, a Galeno, ῥευματικὰ hoc eſt, defluxioni, obnoxia dicuntur: & ut ille. 1. & 4. de comp. med. ſecũdũ gen. docuit: quamuis & aliæ ulcerũ differentiæ ægre admodũ cicatricem admittant, & conſolidentur: hæc tamen ulcera, quæ difficultatis occaſionem aliunde habent proprie a Græcis δυσεπούλωτα, hoc eſt ægre cicatricem admittentia dicuntur: & id quia alię, quę ab alijs affectibus, uel ſymptomatibus, quorũ complexu redditur vlcus malignum, ſuas habent priuatas nuncupationes. Hæ ergo ſunt vel omnes, vel pleræque vlcerum differentiæ, quarum facta eſt mentio ab antiquis. Et quamuis alij etiam affectus poſſint conſequi vlcera vel cum illis coniungi, vt ſunt intemperaturę, inflammationes, eryſipelata, œdemata, carnis excreſcentia, contuſio, & dolores, & id genus alia: nolumus tamen ab his ſumere differentiarum vlcerum rationes, quia hæc longe remotiora ſunt a natura vlceris, & propriam priuatamque curationem deſiderant: vnde opportunum forſitan eſſet, vt alio orationem conuertamus: nempe ad exponendos ſcopos, vnde depromenda eſt vniuerſa ratio compoſitionis, vſusque medicamentorum, quorum ope curanda ſunt vlcera: niſi quod fortaſſe præſtiterit magis adhuc particulatim tractare eas differentias, quas diximus magis proprias eſſe vlcerum, qua vlcera ſunt: dicebamus enim vlcus omne aut æquale eſſe, aut cauum. In vlcere plano, uel æquali nihil deeſt niſi cutis aut cicatrix. Cauum autem aut ſolum cauum, aut cum ſinu eſt, hoc cauernoſum vlcus recentiores dicunt, quod quidem eſt veluti canalis quidã effoſſus in carne. Sinus autem tum præſertim appellatur, cum amplum habet internum ſpatium, quod ſi anguſtum fuerit, & oblõgum, fiſtula, vel fiſtuloſum vlcus appellari ſolet. His vero & illud addamus antequam huic capiti finem imponamus, quod nos Galen. in lib. de totius morbi temper. docuit, nimirum quòd & vlcera ſua habent tempora, quæ rationem concoctionis eorum excrementorum ſequuntur: quæ ſolent in vlceribus generari & congeri: cum enim tenuis ab vlcere, & aqueæ ferè ſubſtantiæ, crudusque emanat ichor ſeu ſanies, principium eſt, cum vero incipit craſſeſcere, & minori copia effluere, eſt incrementum: conſiſtit vero morbus, cum iam pus apparet bonum: in inclinatione autem pus, paucum quidem eſt, ſed craſſius & albius: circa hæc ſatis ſumus euagati. Vnde ad ea redeamus, quæ ad noſtrum inſtitutum pertinent.

De Ratione compoſitionis & vſus medicamentorum, quibus curandum eſt vlcus concauum. Cap. VII.

AB vlcere cauo ſumimus initium, prætermiſſa ratione curationis vlceris omnino ſimplicis, quia, vt paulo ante diximus, eadem eſt eius, & vulneris curatio: itidem etiam de vlcere æquali & plano, cum ſola egeat cicatrice, ſatis erit actum cum expoſuerimus, quibus auxilijs vel medicamentis ſit inducenda cicatrix. Incipiemus ergo a ratione compoſitionis, & vſus medicamentorum, quæ apta videntur ad curanda vulnera caua, ſi tamen citra ſinum & cuniculum aliquem ſint, & citra fiſtulam, quæque citra complexum alterius, alioquin differentiæ præter defectum carnis, quæ ſit generanda, vt cauitate repleta, ad planitiem & æqualitatem deducatur antequam conſolideſcat. Prima ergo indicatio in hoc vlcere eſt carnis aggeneratio, quod quidem opus eſt ſolius naturæ, non autem medici, niſi quatenus ipſe poteſt naturam iuuare, vt expeditius, & citra vllum impedimentum hoc ipſum præſtare poſſit. Hoc ergo tantum a medico deſiderat, & expectat natura, vt ea omnia remoueat, & de medio tollat, quæ illi ſunt, vel eſſe poſſunt impedimento. Et vt prætercam alia, quæ externa ſunt: quemadmodum praua victus ratio, incommodus membri ſitus, & quæcunque id genus alia, quæ ad communia potius & generelia præcepta pertinerent, de illis tantum in præſentia ſermonem habebimus, quæ omnibus vlceribus propria, & quaſi familiaria ſunt: quæque

primos

primos ſcopos, qui a medico ſpectandi ſunt, nobis demonſtrant: hæc vero ſunt, duplex illud excrementum, quod in omni vlcere generatur: nempe tenue & ichoroſum, quod virus appellatur a recentioribus: & craſſius alterum, quod ſordes, hæc quidem naturæ impedimento ſunt, quo minus poſſit vlceri carnem probam ſaltem aggenerare. Ad officium ergo medici pertinebit procurare, vt remoueatur duplex hoc excrementum. Detrahitur autem ſordes per ea medicamenta, quæ deterſoriam vim habent: ichor vero per ea: quæ exſiccant: duo ergo in vlcere quocunque primum inſurgunt ſcopi: nempe exſiccandum, & detergendum eſſe. Verum quia plerunque humidius & tenuius excrementum copioſius eſſet ſolet in ſimplicibus vlceribus, præterquã in illis, quæ ſordida proprie appellantur: Ideo primus ſcopus in vlcere eſt exſiccatio, alter vero deterſio. Facto autem æquali & plano vlcere, inſurgit indicatio inducendæ cicatricis. Sed de hoc poſtea. Redeamus ad priores ſcopos, nempe deſiccandum mox, & detergendum eſſe. Verum quia neque ſatis eſt nouiſſe in vniuerſum ſiccandum, aut detergendum eſſe: ſed & quatenus ſiccandum aut detergendum eſt, cognoſcere oportet, quia nimia exſiccatio vtilem etiam materiam aggenerandæ carnis abſumeret. Ita & nimia exterſio, non ſolum ſordem detergeret, verum & nouam, tenellamque iam genitam carnem detraheret; quia tamen de hoc ſuperius etiam verba fecimus, ideo breuius in præſentia rem abſoluemus. Diximus autem ſuperius in vlcere, quod neque ſordidum, neque humidum ſit ſupra quàm requirat communis illa ratio vlceris caui, quatenus vlcus eſt, non eſt opus multa deſiccatione, ſed ea ſatis eſt, quæ modice excedat naturalem ſiccitatem illius partis, in qua vlcus eſt: nempe vt per vnum ordinem, vel vt a recentioribus dici ſolet, per vnum gradum, & id quidem non per relationem ad medium inter fines humanæ temperaturæ, ſed facta collatione cum naturali temperie vlceratæ partis, & proinde id quod, cum ſermo erat de vulneribus, expoſitum fuit, hoc etiam loco in memoriam reuocandum: nempe quod non idem modus exſiccantium in omnibus corporibus, vel particulis vtilis & aptus eſt ad generandam carnem, quia quæ ſicciora ſunt, ſuapte natura egent medicamentis magis deſiccantibus, quæ vero minus ſicca, minus. Nec minor ratio habenda eſt particularum, quàm vniuerſi corporis. Nam ſicuti humana corpora plurimum natura & temperatura differunt: ita & partes, ex quibus illud coagmentatum eſt inter ſe natura, & temperatura non parum differunt, aliæ enim ſicciores, aliæ humidiores ſunt. Et ſicut temperamentum corporis vniuerſi natura ſiccius medicamenta exigit magis ſiccantia, & humidius minus ſiccantia, ita pars corporis, quæ ad alias relata magis ſicca eſt, præ alijs requirit magis exſiccantia medicamenta, & quæ humidior, minus exſiccantia: vnde ſi temperatura vniuerſi corporis, cum natura, & vlceratæ partis in ſiccitate conſpirent, magis ſiccantia, vt 3. meth. cap. 9. docet Galen. poſtulat medicamenta. Si vero mutuo diſſentiant in temperatura: nempe quia alterum a mediocritate per ſiccitatem, alterum per humiditatem labatur a medio ſi par vtrinque ſit receſſus, moderate exſiccantia, qualia maxime requireret corpus temperatum, eſſent apta & appoſita medicamenta. Sed ſi impar ſit receſſus, ita medicamenti vis a mediocritate ad illud extremum declinet, in quod magis inclinat receſſus. Non ergo mirandum erit, ſi in r ecenſendis medicamentis accommodatis ad generandam carnem in vlceribus multa & diuerſa, tàm ſimplicia, quàm compoſita proponemus, quæ tamen non ſunt in eodem ordine vel gradu, ſed potius in valde diuerſis. Inter ſarcotica ergo medicamēta, hoc eſt, ea, quæ apta ſunt ad generandam carnem in vlceribus, ſunt thus, quod tamen imbecillum eſt medicamentum, terebinthina, laricea reſina, pix vtraque, liquida, & arida, colophonia, aloe, myrrha, fuligines etiam earundem rerum: præterea & ex œſypo etiam fuligo, imò & ex butyro, quamuis hæ leniores ſint, caries item lignorum, præſertim vero ex vlmo, farina etiam fœnigræci, & hordei, fabarumque, vbi nō eſt opus multa deſiccatione, vtilis eſſe poteſt. His vero valentiora ſunt, ariſtolochia, iris, farina erui, cadmia, pompholyx, vlmi folia, plumbũ vſtum & lotum, anemone, multa etiam alia in medium proferri poſſent, quæ in his recenſeri poſſunt: ne tamen iuſto longiores ſimus, hæc in præſentia ſatis ſint, reliqua vnuſquiſque ex libris tum Galen. de ſimp. med. facul. tum vero Dioſc. poterit deſcribere. Tranſeamus ergo ad expoſitionem compoſitorum, tum eorum, quæ pulueres a recentioribus, arida vero medicamenta ab antiquis dicuntur, quam etiam aliorum, quæ emplaſtra vel cerata, vel vt iuniores loqui ſolent, vnguenta dicuntur, & primum ea exponamus, quæ leuiora ſunt & poſſunt replere caua vlcera carne, vbi nullus alioquin ſit complexus alterius rei diuerſam habentis indicationem ab vlcere. Primum ergo eſt id, quod iuniores reſinum, vel reſinatum vnguentum appellant, facile medicamentum & corporibus nō admodum duris accommodatum, vlceribusque non admodum contumacibus, aliquantiſper enim calefacit, & attrahit, quantum quippe ſit ſatis ad attrahendam vtilem materiam, & idoneam ad generandam carnem: modeſte etiam deſiccat, & habet aliquam detergendi facultatē: & inſuper aliquid habet, quod ad concoctionem facit: ſi concoctione vlceri ſit opus, quæ nunquam non vtilis eſt, cum præter alia faciat etiam ad leniendos dolores. Accipit autem reſinæ pini, terebinthinę, ceræ citrinæ, olei communis boni ſingulorum partes æquales: conficitur primum oleo, reſina, & cera ad ignem ſimul diſſolutis, & colíquatis: mox additur terebinthina, vim exſiccantem quidem habet, ſed eam debilem. Nam quamuis reſinæ ſecundum ordinem fortaſſe non excedant, remittitur tamen eorum facultas exſiccandi mixtura pari olei, & ceræ. Sed & detergendi vim hæ habent, præcipue terebinthina: necnon & digerendi, ſed illam etiam modicam, eadem etiam ratione aliquid concoctorij, præterea, vt ſæpe diximus, habet & ex terebinthina nonnihil aſtringentis: vnde eiuſmodi medicamentum: in primo ferme ordine erit aptum mollioribus corporibus, & vlceribus in carne ſubortis. Non procul ab hoc facultate, & viribus eſt vnguētum, quod Aureum, tum Meſue, tum vero iuniores appellant: cuius confectio accipit, ceræ nouæ vncias ſex, olei libras duas & ſemiſſem, terebinthinæ vncias duas, reſinæ pini, colophoniæ ſingulorum ſeſquiunciam, thuris, maſtiches ſingulorum vnciã, croci drachmam. Eliquata cera ex oleo, inijciatur terebinthina, poſtremo colophonia & thus, primũ probe tuſa, deinde ſimul miſta refrigeraſcente medicamento inſperſa inijciantur, poſtremo addito etiam croco omnia probe commiſceantur. Si hoc medicamentum cum priori conferamus, erit eo aliquanto magis ſiccans, priori enim additur colophonia, & maſtiche, & thus, quæ omnia ſiccant. Præterea vero maiorem etiam vim concoquendi habet ex thure & croco, magis, etiam aſtringit, vnde illo inſuper magis roborare poterit particulam affectam, & repellere, ſi aliquis ſit timor, ne ad vlcus humores confluant. Quibus omnibus bene æſtimatis, facile erit iudicatu, quòd hoc medicamentũ maioribus & difficilioribus vlceribus erit magis idoneum, cum ma-

gis deſiccet: aliquanto etiam magis digerat, & concoquat, roboret & repellat. Tertium vero, quod & in maiori vſu eſt, a Meſue & alijs Arabibus & iunioribus medicis Baſilicon appellatur quaſi regium, vel regale dicas. Cuius deſcriptio duplex eſt: de eo autem loquor quod Baſilicon magnum appellant, & differunt duæ deſcriptiones ſimplicium pondere, & proportione, non autem numero vel natura. Prima enim accipit ceræ albæ, reſinæ pini, ſepi vaccini, picis terebinthinæ: thuris myrrhæ, ſingulorum vnciam, olei quantum ſatis eſt. Alia vero deſcriptio impares accipit eorum ſimplicium, ex quibus conficitur, partes: nam acceptis primum ceræ vncijs ſex, picis vero tribus, ſingulorum aliorum addit ſeſquiunciam. Prior quidem deſcriptio in omnibus erit potentior, nempe in exſiccando, digerendoque, & abſtergendo, atque in extrahendo ex profundo. Nam cum omnium ſit par pondus in prima: in altera vero, ceræ ſit duplum pondus ad picem, & quadruplum ad alia: neceſſe eſt, vt aliorum omnium vis longe magis in ſecunda obtundatur, quàm in prima. Prima ergo valentior erit altera. Vnde & difficilioribus & maioribus vlceribus curandis erit accommodatior: ambæ tamen prioribus maiorem vim ſiccandi, detergendique habent, & è profundo extrahendi ob picem, & myrrham ſatis copioſam: magis etiam mollire poſſunt ob vaccinum adipem: in concoctoria autem facultate non multa eſt differentia. Nam quamuis in Aureo ſit crocus, non tamen copioſus ineſt, in hoc autem thuris plus accipitur. Laudatur vero hoc medicamentum præſertim in neruorum vlceribus. Sed de hoc tamen ſuo loco ſermonem habituri ſumus. Sed quia omnia, quorum hactenus meminimus, medicamenta, quamuis deſiccent ſatis modeſte: & aliquantiſper etiam detergant, ſunt tamen calida, & vim, vt dicebamus, attrahendi habent: quæ conditiones aliquando in vlceribus, præſertim vero in eorum initijs ſuſpectæ ſunt, ſi maiora ſint vlcera, & profundiora: ſi etiam corpus ſit immundum aut etiam plenum: nimitum ne interdum inde inflammatio adducatur ad vlcus. Vnde Galenus 3. method. capit. 8. protulit hanc ſententiam: nempe quòd quamuis interdum loci intemperies medicamentorum refrigerantium vſum adigat, nō tamen opportunus admodum eſt vſus hyoſchiami, aut mandragoræ: quamuis deſiccando poſſent vlceri accommodari, quia nimis refrigerant, & eadem etiam ratione reſina, pix, & bitumen, quamuis modice quidem deſiccent, nonnunquam tamen ſunt medicamenta nō admodum vlceribus commoda, vtpote, quia eximius eſt in ipſis calor, qui remittendus eſt, ſi tutò illis vti velimus, miſcella aliquorum refrigerantium. A qua præterea ſententia neque locus primo de compoſit. medic. ſecundum gen. c. 12. deſcriptus videtur eſſe alienus: vbi ait Gal. quod vlcera inter initia requirunt medicamēta, quæ repellant, ne ſuboriatur inflammatio: vbi vero tuti ab inflammatione ſimus, opus relaxantibus erit, vt ſi quid incluſum ſit, exhalare poſſit, imò etiam ſi aliqua ſit contracta inflammatio, non tamen magna, vt citius ſoluatur, adhuc vtilis eſt laxantium vſus. At vero repleto iam vlcere, & reddito æquali, cum iā opportuna eſſe incipiunt, quæ cicatricem inducunt, ad aſtringentia redeundum. Vnde non erit etiam alienum a noſtro inſtituto, ſi & de medicamentis egerimus, quæ deſiccant & refrigerant cum aliqua etiam aſtrictione, vt interdum illis ſolis interdū vero commixtis cum alijs calefacientibus pro rei exigentia, & opportunitate vti medici poſſint. Incipiemus vero a moderatioribus, & facilioribus, primumque ab illis, quæ priſcis etiam temporibus erant in vſu:

A primum ergo deſcribemus illud, quod Meſue & iuniores vnguentum Triapharmacum appellauere: alij vero vnguentum ex lithargyro, quod ita deſcripſere Meſue & iuniores. Accipiatur lithargyri exactiſſime triti & leuigati pars vna, cui perfundatur nunc olei, nunc aceti, atque eatenus conterantur ſimul, donec ad compagem & conſiſtentiam emplaſtri vel vnguenti deuenerint. Quod quidem medicamentum, ſi in hunc modum parabitur, moderate quidem deſiccabit: quamuis enim acetum, præſertim acre, vim maiorem deſiccandi lithargyro impertiatur, præterea & refrigerandi: oleum tamen, quod pari ferme portione immiſcendum eſt, efficit, vt neque multum deſiccare poſſit, magis tamen ſic-
B cat & refrigerat, quàm quando ex ſolo oleo & lithargyro, vt ſuperius diximus, fit medicamentum. Acquirit etiam ex multa illa contritione, & leuigatione partium tenuitatem: ſed magis ex aceto, vnde & aliquando detergere poteſt: ex eodem præterea habet, quod refrigerando repellere poſſit influentes ad vlcus ſuperuacuos humores: verum non eſt validum admodum medicamentum, ſi hoc modo paretur: immo quod teneris & mollibus corporibus aptum, non autem plurimum ſiccis & maioribus profundioribusque vlceribus. Validus autem ſi eo modo paretur, vt in altera deſcriptione docuit Meſue: quemadmodum ferè ex Galeno primo de compoſitione medicamen. ſecundum gen. tranſcripſit. Conficitur vero non ſolum per trituratio-
C nem, & mixturam, verum per decoctionem in hunc modum. Accepta ſelibra lithargyri optime contriti, aceti vero acris, & cui nihil aquæ fuerit immixtum, tantundem illis infundatur & olei veteris libra, omnia deinde facili non violenti coctura ad conſiſtentiam, quæ manus non inquinet, ducantur. Emplaſtrum hoc, ita enim eiuſmodi medicamenta appellabat Galen. magis priori deſiccat & minus refrigerat: & id duplici ratione. Primum quia vetus oleum magis ſiccat, & magis etiam calefacit: deinde vero quia tum coquitur medicamentum, efficitur ratione ignis minus refrigerans: & quia humiditas digeritur, ideo fit magis deſiccans, vt ibidem docuit Galen. qui &
D hoc addidit, quod ſemper quo magis coquuntur eiuſmodi medicamenta, eo fiunt ſiccantiora: quapropter & difficilioribus, maioribusque vlceribus erit accommodatum medicamentum. Sed hoc non eſt prætermittendum, quod tanquam rem multi momenti, eodem loco docuit, nempe quòd licet hanc nos menſuram præſcripſerimus huic medicamento, non eſt tamen putandum, eam eſſe ita ſtatam ac firmam ſeruandam, vt non ſit eorum ratio pro varijs occaſionibus immutanda. Nam poſſumus interdum oleo vti non veteri, ſed communi: tamen nunc id noſſe oportet, quod in deſiccando infirmius erit medicamentum, & facilioribus idoneum: interdum vero liquidorum ſimplicium ma-
E iorem copiam, interdum minorem infundere poſſumus: nam interdum par pondus omnium accipitur, atque ita deinde coquitur: nimirum vt ſingulorum trium accipiatur libra, nonnunquam duplum, tum olei, tum aceti ad lithargyrum accipitur: poteſt & triplū accipi: vt tamen illud nouerimus, quod quo liquores maiori copia ad lithargyrum effunduntur, eo etiam, vt ad conſiſtentiam congruentem iſtiuſmodi medicamentis adducātur, magis coquenda ſunt: & quo magis coquuntur, eo quātum ad formam medicamenti pertinet, fit magis tenax, & glutinoſum, & particulæ facilius hærens: quatenus ad colorem, fit magis nigrum & ſplendens perinde, vt bitumen. Vnde nonnulli, in quibus eſt Auicen. illud vnguentum nigrum appellarunt. Quo vero ad vires

attinet,

attinet, fit magis deſiccans, & maiorem tenuitatem partium ſibi comparát, & proinde eo etiam accommodatius medicamentum erit curandis vlceribus cum ſinu, & profundioribus (iuniores dicerent cauernoſis) interdum & fiſtuloſis. Sed poſtquam de his medicamentis, quorum baſis eſt lithargyrus in præſentia tractatio eſt inſtituta, de tertia etiam compoſitionis ratione agamus, qua conficitur emplaſtrum, quod Galen. ex lithargyro & œnelæo, ſicut prius ex lithargyro & oxelæo ſolitus eſt nominare: propterea quia alterū ex aceto & oleo, alterū ex lithargyro, vino, & oleo paratur. De hoc vero non eſt cur multa dicamus, quoniā paratur ſicut illud, quod ex oxelęo cōficitur: & hoc quoq; maiores vires ex maiori concoctione ſibi cōparat, ſicut & alterum, & eadem poteſt eſſe diuerſitas, ſi oleum vetus, vel nouum accipiatur: item quod longiori coctura opus eſt, quo copioſiora, tum vinum, tum oleum inijciuntur: item ſi loco aprico ſub ſolaribus radijs ſit coctum, adeo vt quandoque per totam diem canicularibus temporibus Galenus coxerit, euaſeritque pręſtantiſſimum medicamentum, quo deinde vſus, difficillima & cauernoſa vlcera carne primo repleuerit, conglutinaueritq;, & tandem ad cicatricem deduxerit, non minus quàm ſi vſus eſſet ſuo illo ab ipſo ita decantato vnguento, vel emplaſtro quod diachalciteos, vel diapalma appellabatur. Verum in confectione iſtius ex lithargyro, hoc reliquum eſt, vt moneamus eſſe accipiendum vinum clarum, album, & tenue, vt erat antiquitus Falernum, nam ita & magis deſiccans erit, & magis digerens. Sed vt magis roboretur particula, & magis repellatur influxus ſuperuacaneorum humorum, oportet, vt præterea ſit alicuius aſtrictionis particeps. Sed præterea & de medicamentis illis agamus, quæ a iunioribus compoſita ſunt, & in præſentia in vſu frequenti habentur: primumque de eo quod paſſim Vnguentum ex plumbo dicitur. Accipit autem plumbi vſti, lithargyri ſingulorum vncias duas, ceruſæ ſtibij, hoc eſt antimonij ſingulorum vnciam, olei roſati quantum ſatis ſit. Aliqui tamen ceræ vncias duas, & ſemiſſem adijciunt, olei vero roſacei & terebinthinæ ſingulorum vncias quatuor, componunt autē prius liquefacta ex oleo & cera, deinde addita & commixta terebinthina, poſtea iſtis ab igne detractis, metallica exacte trita, & in puluerem redacta, inijciuntur & probe miſcentur. Medicamentum hoc deſiccans eſt, & ſatis inſigniter, & præterea alicuius aſtrictionis eſt particeps, refrigeratque: quamuis magis refrigeret cum ſit citra terebinthinam, reliqua enim omnia præter hanc refrigerant. Non magis autem aſtringit, neque magis digerit, aut detergit, quia terebinthina vim habet & detergendi, & digerendi, & non aſtrictionis expers. Plumbum vero & ſi ſuapte natura frigidum ſit & humidum, tamen dum comburitur, fit exſiccans medicamentum: & mixtæ quodammodo naturæ: ex ignis enim calore acquirit tenues quaſdam, & calidas partes, per quas & digerere aliquantiſper poterit, & nonnihil detergere, niſi lauetur: per lotionem enim ab eo detrahitur quicquid calidi ſibi comparauerat ſicut & calx: remanet autem frigidum deſiccans, deponit præterea & omnem morſum, vt & oculis euadat idoneum & commodum medicamentum, ſed omnino retinet ex igne aliquam partium tenuitatem. Antimonium vero, quod ab antiquis auctoribus dicebatur ſtimmi, vel ſtibium, & ipſum frigidæ eſt non tamen inſignis, temperaturæ. Auicenna enim refrigerare ait, in primo ordine, deſiccare vero in ſecundo, ſed non exiguam vim habet aſtringendi cum illotum eſt: nam ſi lauetur, non parum exoluitur hæc eius facultas, ſed adeo vt prope accedat ſicuti docuit Galenus quarto de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos. cap. 4. ad eorum medicamentorum ordinem, quæ mordacitatis ſunt expertia. Ceruſa vero & ipſa modice refrigerat, nonnihil etiam aſtringit, ſed exſiccat quoque, ſi Auicennę credimus, in ſecundo ordine: emplaſticum tamen eſt medicamentum. In vniuerſum ergo medicamentum deſiccans eſt ſine vllo morſu, quod præterea poteſt repellere influentes ad vlcus ſuperuacaneos humores, tum ratione aſtrictionis, tum vero emplaſticæ facultatis: quare poterit caua vlcera carne replere, & non modo ad æqualitatem, verum ad cicatricem etiam perducere. Poſſemus autem & plurima alia medicamenta deſcribere, quæ non parum viderentur præſenti inſtituto facere, ea tamē in præſentia omittimus, ne iuſto longiores videamur, vel potius in ſequentes tractationes differimus, vtpote, quia cum ea ſint valida medicamenta, & vt Gręci dicunt πολύχρηστα hoc eſt multiplicis vſus, potius ad vlcera difficilia vel maligna curanda idonea ſunt, quàm ad hæc ſimpliciora, de quibus in hoc loco ſermo a nobis eſt inſtitutus: quamuis poſſint interdum ita parari, vt etiā his ſimplicioribus curandis poſſint accommodari. Et ne idem ſæpius repetendo nimium temporis conteramus, vniuerſam horum rationem ad magis opportunum locum reſeruabimus: Conuertamus ergo iam ſermonem noſtrum ad medicamenta apta curandis vlceribus, quæ cum complexu alterius rei, ſiue affectus illa ſit, ſiue aliud quidpiam, quod impedimento ſit, quo minus vlcus curari poſſit, niſi illud remoueatur. Et primum agemus de vlcere, quod δυσεπούλωτον à Græcis appellatur, quaſi dicas ægre recipiens cicatricem.

De curatione, & ſimplicibus medicamentis, quæ tum ad ea vlcera pertinent, a Græcis δυσεπούλωτα proprie dicta, tum quæ ad maligna adhibentur, id eſt κακοήθη appellata. Cap. VIII.

SI memoria ea tenemus, quæ ſuperius fuere expoſita, nempe quod ægre admittentia cicatricem ab antiquis, vt teſtatus eſt Galenus proprie ita abſoluta nuncupatione, nullaque addita adiectione, illa dicebantur, quæ nullum in ſe vitium alioquin haberent proprium, quod eſſet impedimento inducendæ cicatrici, ſed vniuerſam iſtius incommodi rationem habent a conſenſu cum aliqua alia particula, vel cum vniuerſo corpore, vnde vlceri influunt ſuperuacui & vitioſi ſucci, qui impediunt, quo minus poſſit contrahi cicatrix. Addit tamen Galenus ſexto aphoriſmorum, quòd interdum hæc difficultas accidit, nō tantum ex fluxione, quæ ab alijs partibus ſit, ſed potius ex aliquo vitio contracto in oſſe ſubiecto vlceratæ carni: nam ab eo virus quoddam effluens obſtat cicatrici inducendæ, vel etiam ſi inducatur, in cauſa ſubinde eſt, cur iterum erodatur, ob eius acrimoniam. Cum ergo in hoc vlceroſo ſtatu, vt ad primam & propriam cauſam veniam, complicati affectus [ſint,] quorum alterum in cauſa eſt, cur nequeat alterum curari: nulli dubium eſſe poteſt, quod primum intendendus eſt animus, ſi medicorum omniū præcepta ſequi velimus, ad effectum illum, vnde ortum & occaſionem habet ea difficultas. Et quia a fluxione pendet vniuerſa occaſio, primum ergo occurrendum fluxioni, & aut ſiſtenda, aut auertenda a loco affecto, ſiſtetur autem præcipue, ſi aut vniuerſo corpori, aut particulæ, a qua occaſionem habuit fluxio, probe conſulamus, vacuatione, aut per miſſionē ſanguinis, aut per purgantia medicamenta: deinde

per emotionem cauſæ illius,ex qua,aut multus,aut vitioſus humor,qui defluebat,generabatur : ſed hæc non ſunt in hoc loco,niſi ſummatim tractanda,quia non pertinent ad primum hoc noſtrum inſtitutum. Ergo vt breui in vnum complectar omnia,auertitur fluxio partim per topica remedia, quæ vlceri adhibentur, partim vero per reuulſionem primum, mox & per deriuationem. Reuulſio quidem fit dum trahuntur fluentes ſucci procul,& ad contrariam partem,quæ fieri poteſt,vel cum vacuatione,vt per ſectam venam,vel inciſas cucurbitulas , vel per hirudines,item per purgationem per aluum inferiorem, vel vomitũ. Citra conſpicuam autem vacuationem, fit per frictiones,per cucurbitulas abſque inciſione, per vincula dolorifica, interdum & per lotiones. Deriuatio vero fit, quando his eiſdem inſtrumentis fit attractio ad vicinam aliquam partem : atque hæc breuiter,& per tranſennam attigiſſe ſufficiat. Topicorum vero, ſeu localium remediorum duplex eſt ratio, alia enim procul a loco affecto apponuntur, qua parte tranſeunt humores defluentes ad locum, & hæc vulgo emplaſtra,vel vnguenta defenſiua dici ſolent,vtpote quæ obſtent,& defendant tranſitum humorum ad ipſum locum. Defendunt autem,quia ſtipant particulam, cui apponuntur, & illam quaſi cõſtringendo & denſando claudũt meatus,per quos feruntur humores. Alia vero vlceri apponuntur,& appoſita duplicem vim habent : primam quidem, vt ingruentes humores repellant a ſe ad alias partes, deinde vt receptos iam, ſi omnino nequeunt alios exprimere,exſiccando vel digerendo abſumant. Scopi vero, a quibus pendet vniuerſa ratio compoſitionis horum medicamentorum hi ſunt,nempe priorum,quæ recentiores Defenſiua vocant, vt ea agant, quæ pauloante diximus aſtringendo & refrigerãdo : aſtrictio itaque & refrigeratio erunt compoſitionis illorum ſcopi. Ex medicamentis ergo erit eorũ compoſitio,quæ vim refrigerandi & aſtringẽdi habeant: ſed cum his etiam ponamus,quæ vim habent emplaſticam: in alijs vero, quæ vlceri ſunt apponenda, ſcopi itidem erunt aſtrictio, refrigeratio, & exſiccatio, & ea etiam maior, quàm in alijs vlceribus,de quibus hactenus egimus : cum non ſolum ſit opus exſiccare humiditatem, quæ vlceris ratione ſubcreſcit,ſed etiam præterea quæ influxit. Primum autem de prioribus ſermonem habeamus. Hæc itaque loco opportuno appoſita, partim aſtringendo meatus,per quos patet aditus ad vlceratam partem, partim ab emplaſticis,ſi medicamenta aliqua iſtius naturæ indantur, illis repletis, partim etiam redditis humoribus, qui fluxuri ſunt, vi refrigerantium craſſioribus, difficiliorem tranſitum ad vlcus præſtant. Locus autem accommodatus his vnguentis apponendis,in cruribus quidem aut brachijs,eſt ſupra vlcus per ſex,aut ſeptem, aut octo digitos : quia plerunque ex ſuperioribus partibus ſucci in his vlceribus ſolent defluere,in alijs locis aut circumcirca ſunt apponenda medicamenta id genus,vel ad locum illũ,per quem medicus rationabili aliqua coniectura iudicat fieri defluxum noxiæ materiæ. Materiam vero aptam compoſitioni horum medicamentorum, in vniuerſum quidem, nuper expoſuimus,nempe quia omnia refrigerantia,aſtringentiaque,necnon emplaſtica huic negotio ſunt imprimis apta,in quibus ſi de ſimplicibus loquamur,ſunt multi ſucci & aquæ:ſicuti ſuccus plantaginis,ſolani,polygoni, ſemperuiui, lenticulæ in paludibus naſcentis, vmbilici veneris, vuæ acerbæ,portulacæ,cucurbitæ, cucumeris, imo & malorum præſertim eorum,quæ acida,vel auſtera ſunt, & pirorũ, & aliorũ fructuum acerborum : itidem & harum earundẽ rerum aquæ, & præterea roſacea aqua,item & acetum non valde

A acre,& omphacium,albũ oui. Prętęrea & multa arida medicamenta intrita, qualia ſunt bolus armena,terra lemnia,lapis corallius,lapis hæmatites,ſanguis draconis, folia roſarum arida: cytini mali punici,malicorium, balauſtia, & id genus alia multa: inter olea autem huic officio idonea ſunt roſaceum, præſertim omphacinum,itẽ & myrteum, melinum quoque,hoc eſt,quod fit ex malo cotoneo. Poſſunt autem duo vel plura horum mutuo mixta componi, vt exempli cauſa,Si acceperimus roſaceam aquam,& illi acetum addiderimus, vt ſi partem vnam aceti, & duas aquæ acceperimus,& ſi duorum ouorum etiam album iniecerimus,& omnia ſimul conquaſſata commiſcuerimus, erit accommodatum medicamentum, **B** neque deterius euadet medicamentum,ſi addatur etiam tantundem olei roſacei, præſertim omphacini, aut alterius olei ex his,quorum nuper meminimus. Si etiam ſuccum ſolani, plantaginis accipiamus,& addito aceto illis vtamur: item ſi contuſa portulaca, & illi addito ſucco vuæ acerbæ mox vtriuſque ſuccũ expreſſerimus, acetumque addiderimus,vel citra etiam acetum, optimum & maxime opportunum erit medicamentũ. Poſſunt interdum & adminiſtrari medicamenta iſtius generis in hunc modum : nempe vt aliquo ex ſupra numeratis oleis illiniamus locum aptum huic officio,poſtea aridum aliquem puluerem inſpergamus : ſicuti ſi acceperimus arida roſarum folia,bolum armenam, draconis ſanguinem,& omnia probe trita redigamus in pul- **C** uerem, poſtea inſpergendum, quod ſi addamus aut cytinos,aut malicorum, aut quidpiam aliud aſtringens,valentius erit medicamentum. Sed ſi poſt hos inſperſos pulueres lineum aliquem panniculum perfundamus aut aqua roſacea, aut aceto, vel aqua etiam communi frigida immixto aceto commodius res ſe habebit, & melius etiam, ſi panniculus ſæpe, dum ſicceſcit, madefiat eadem aqua. Pharmacopœi autem ſolent compoſitum medicamentum ſeruare ad hos vſus, quod vulgo vnguentum Defenſiuum vocant, cuius hæc eſt confectio. Accipit boli armenæ ſemunciam, ſanguinis draconis, terræ lemniæ ſingulorum ſeſquidrachmam,olei roſacei ſeſquiunciam, myrtini ſemunciam, ceræ albæ ſex drachmas. **D** Diſſoluta cera ex oleis, poſtquam aliquantiſper ab igne remota refrigerata fuerint, illis arida medicamenta optime contrita, & lęuigata inijciuntur, & cum exacte mixta fuerint, infundantur in aquã roſaceam, vel acetum roſaceum, vel vtrumque : non remouetur autem hoc medicamentum niſi alternis diebus. Et hactenus quidem de hoc medicamentorum genere. Alia vero,quæ vlceri imponuntur,vt diximus, oportet vt vim deſiccandi habeant,& repellendi, vt tamen neque etiam deterſoriæ facultatis ſint omnino expertia : quantum vero ad deſiccandi rationem pertinet, & ſi vtrunque medicamentorum genus, quibus curanda ſunt vlcera, quæ difficulter curantur,& ægre cicatricem admittũt : nempe & id **E** quod idoneum eſt illis, quæ ægre ad cicatricem deduci poſſunt,nondum tamen maligna ſunt,inſignem vim deſiccatoriam requirunt, maiori tamen deſiccatione opus eſt, vt maligna commode curari poſſint, quàm vt ea, quæ ſolum δυσεπούλωτα dici conſueuere. Veruntamen præterea & id aduertendum eſt, in vtroque horum vlcerum genere, nimirum vt procuremus, quantum fieri poteſt, vt citra morſum fiant hæc omnia,quæ requirit proba eorum curatio, quod tamen non eſt admodum facile. Nam vt 1. de compoſit. medicamentorum ſecundum gen. docuit Galenus aſtringentia facile ſolent vlcera exaſperare. Præterea vero cum in his,quæ nondum maligna ſunt, difficultas a fluxione occaſionem vniuerſam habeat ; ſicuti ad repellendum eſt opus aſtringentibus :

bus: ita propter eum humorem qui influxit & iam receptus eſt in vlcerata parte neceſſaria ſunt quæ digerant, & è profundo attrahant: vix autem fieri poteſt, vt id genus medicamenta non ſint acria, & proinde etiam non excitent dolorem: quo deinde fit, vt facile ſuperueniat inflammatio, quæ in cauſa eſt, vt vlcus exedatur, & augeatur, & hæc eadē incommoda longe magis inſunt malignis vlceribus. Quare huc tendit omnis induſtria medici, vt eam medicamentorum materiam deligat, quæ citra morſum deſiccent. Et quia horum particulatim nequit vna ratio, vnusque definitus modus præſcribi, quia neque omnia corpora, neque omnes in eodem corpore partes ab eiſdem æqualiter ſolent morderi, & propterea etiam difficile admodum eſt, ſtatim prima die aſſequi ſcopum exquiſite in vſu medicamentorum: imò plerunque neceſſe eſt ſæpius mutare rationem medicamenti, additis nimirum illis, quæ aut obtundant, aut exacuant vires, obſeruata nempe impreſſione & mutatione, quæ in vlcere vi medicamenti facta eſt, cum medicamentum detrahitur: nam interdum, licet medicamentum valide tum aſtringat, tum detergat & deſiccet, non videbitur tamen mordere, quia copia humoris, & ſordis, quæ vlceri obducta eſt, remittunt acrimoniam & morſum medicamenti alioquin acris, & mordacis, paulo autem poſt, vbi fuerit vlcus ſiccius, & magis mundum ope illius medicamenti redditum, non poterit amplius illud ferre, ſed erit neceſſe mutare in aliud, eiuſdem quidem facultatis, in vniuerſum vero tanto imbecillioris, vt minime mordeat, dummodo neque adeo etiam ſit imbecillum, vt nequeat vlcus deſiccare, neque quantum opus eſt detergere, & mundum efficere: vnde non modo vtile ſane erit, verum & neceſſarium, vt medicus, qui recte voluerit, & apposite vti medicamentis, ſæpe cū id, quod vlceri adhibuerat, detracturus eſt, poſt detractionem conſideret copiam tum ſordis, tum humoris, quæ tam vlceri, quam detracto medicamento inſident, vt deinde hæc conferat cum illis, quæ ante illius medicamenti appoſitionem diligenter obſeruauerat: ex eorum ſiquidem collatione facile percipiet vires, & opus illius medicamenti. Præterea vero an expediat viribus illius addere, quatenus ad deſiccationem, vel deterſionem attinet. Sed neque minoris momenti eſt præceptum illud, quod nobis a Galeno quarto de Compoſitione medicamentorum ſecundum genus traditum eſt: oportere medicum particulatim ſibi cognitionem omnium ſimplicium medicamentorum comparare: particulatim inquam: quia non eſt illi ſatis cognouiſſe medicamentorum vires, & facultates in vniuerſum: ſed eorum ordines, & gradus oportet perſpectos habere, quæ illi in hos vſus venire poſſunt. Ita enim fiet, vt facilius, ſiue illis ſimplicibus vti voluerit, ſiue compoſitis, & ad affectus ſtatum & conditionem, atque ad corporis & particulæ naturam ea referens, ad propoſitum ſcopum proxime accedat. Nos ergo in præſentia doctrinam, & inſtituta Galeni ſequentes, primum ſimplicia medicamenta, quæ in his deſiccādis & detergendis vlceribus, non omnia quidem, ſed quæ ſunt vſitatiora exponemus. deinde vero & de compoſitis agemus. Incipiemus, autem a metallicis medicamentis: nempe ab his, quæ in mineris, vnde metalla effodiuntur, ſolent reperiri. Cadmia ergo prima in examen veniat, quæ quidem vim deſiccandi habet, & eam modeſtam & citra morſum, præſertim ea, quæ in mineris reperitur: nam ſi inde vel eiecta, vel etiam aliqua ratione deuoluta, vel in aliquo torrente, vel alioquin in præterlabente aqua diu iacuerit, vitiatur eius facultas, & de vi deſiccandi detrahitur: ſiccantior autem efficitur, ſi ex acri aceto,

A vel vino giluo perlucido, & tenui aliquantulū aſtringente, quale antiquitus erat Falernum, fuerit lota, nunc putarem non futurum ineptum vinum ex Peloponeſo Venetias delatū, quod vulgo Romaniam vocant, & quodcunque aliud ſimile, ſi ex his inquam per æſtatem pluribus ſubinde diebus in ſole teneretur. Chalcitis vero longe hac magis deſiccat, quocunque modo illa vtatur medicus ſiue vſta, ſiue elota. Sed cum citra exuſtionem in vſum venit, acerrimum & valentiſſimum medicamentum eſt, adeo vt cruſtas perinde excitet, vt ignis: cum vero vritur, miteſcit eius acris, & mordax vis, ita vt facile ſolidioribus & duris corporibus ferri poſſit. Sed & minus deſiccat, quàm cruda, & quæ ignem non ſit experta.

B Cum vero & poſt vſtionem eluitur, mitior adhuc fit, & cuiuſcunque morſus ferè expers: minus tamen quàm illota deſiccat, vt mollioribus etiam corporibus poſſit eſſe vtile medicamentum. Ad id genus vero pertinent chalcanthum, quod a Latinis ſutorium atramentum appellatur, ſoryque, & miſy, niſi quod chalcāthum alijs omnibus magis ſiccat, magisque aſtringit. Huic ſuccedit chalcitis, poſtea miſy, deinde ſory: vnde ſory his craſſius eſt, atque in omnibus imbecillius: miſy vero chalcantho, & chalcitide minus ſiccat, minusque vrit, & minus mordax eſt: in his tamen omnibus eadē ferè ratio eſt, cum vruntur, & cùm lauantur. Per vſtionem enim primum, mox & longe magis per loturam domatur, & retūditur morſus omnium metallicorum:

C quamuis deſiccatoria vis & ipſa remittatur, remittitur præterea & aſtrictio: non tamen omnino aboletur. Sed quod & diphryges antiquitus appellatur, in his medicamentis recenſet Galenus, quæ optima ſunt ad vlcera curanda, quæ ob copiam influentis humoris ægre admodum cicatricem admittunt: vtpote quoniam valenter quidem deſiccet, neque tamen valde mordax eſt, & præterea inſignem habeat vim aſtringendi, quamuis non tantam, quantum habent chalcitis & chalcanthum, antequam vrantur, ærugo vero chalcitidi par medicamentum eſt, quantum ad robur & morſum pertinet: ſi vſta conferatur cum vſta chalcitide, & vtræque etiam conferantur mutuo, quādo nondum ignē expertæ ſunt, quip-

D pe quæ fortiſſima ſunt medicamenta, utpote quæ perinde, vt ignis carnem vrunt, & cruſtas concitant. Mutuo tamen alioquin hac ratione differunt, quòd ærugo valenter detergit, cuiuſcunque vero aſtrictionis expers eſt, cuius tamen particeps eſt chalcitis vna cum alijs, quæ illi cognata genere ſunt. Alumen etiam ſatis abunde ſiccat, quia tamen valenter admodum aſtringit, non eſt eius admodum frequens vſus in curandis vlceribus, eius inquam ſolius, & citra aliorum miſturam: ſicut aliquando reliquis vtebantur in vlceribus antiqui ſolis, aridisque inſperſis. Præterea vero ab hoc uſu non ſunt aliena, imò quàm maxime utilia, hæc, quæ & ipſa inter mineralia recenſentur: æris nempe, & ferri ſquama, & re-

E crementum plumbi, & plumbum, omnia ſiquidem uſta ſatis ſiccant, nihil tamen, aut parum admodum mordent. In hoc autem ſquama æris ab alijs differt, quòd abſtergendi facultate prædita eſt, ſed & chryſocolla appellata, quam uulgo & aurifices, & ſeplaſiarij Arabico uocabulo boracem appellant, in his medicamentis, quæ inter mineralia uel metallica connumerantur, poni ſolet, deſiccat enim ſatis, neque multum mordet. Ex alijs etiam ſimplicium medicamentorum differentijs multa poſſunt depromi noſtro huic inſtituto facientia, quorum eodem quarto de Comp. medic. fit mentio, quia aut ſine ullo morſu, aut ſine multo ſaltem uim habent non modicam deſiccandi, ut ichthyocolla, ſarcocolla, ſed etiam lapis ſpecularis, cum comburitur, itemque

vſtum vitrum. Sed & buccinæ oſtrearum, & reliquorum id genus teſtæ combuſtæ citra vllum morſum non ingeneroſe deſiccant. Non modo ergo his medicamentis poſſumus in emplaſtris, vel vt nunc loquimur, in vnguentis vti, verum & ita aridis,& in puluerem redactis, atque vlceribus, tum malignis, tum vero ægre contrahentibus cicatricem inſperſis. Ex herbis quoque, plantiſque non pauca colligere poſſemus, ſed nonnulla tantum proponemus, collecta tum ex Galeno, tum vero ex Dioſcoride, relinquentes deinde laborem auditoribus ex eorundem lectione: alia etiam huic negotio opportuna inde deſumpta, huic loco addenda,& vt prætercam in præſentia fructum Aegyptiæ ſpinæ,qui exſiccat quidem, ſed non minus aſtringit, vtpote qui his locis incognitus ſit: galla,quæ omphacitis,hoc eſt immatura dicitur, exſiccat, & non parum aſtringit, item malicorium,& thus,ſed & multæ tum herbæ, tum radices,quas 4. de Compoſitione medicamentorum Galenus recenſet, non parum exſiccant & aſtringunt, vt ariſtolochiæ radix, iridiſque, item & acori,panacis,& chameleontis nigri, cyperi, dracunculuſque,& gladiolus inſigniter deſiccant,ſed generoſius etiam centaurium,polium. Terris etiam aliquibus ad exſiccandum vtebantur antiqui,quorum aliæ magis, aliæ minus exſiccabant: ampelitis enim magis, eretrias autem minus, ſed & Lemnia ſphragis, vel ſigillata terra,& armena bolus non ingeneroſe deſiccant,lemnia tamen aſtrictionis non eſt expers, & citra morſum hæc agunt. Poſſem cum his ponere lapidem hæmatitem,& xiſtum, & corallium,& alia multa ex libris de medicament.ſimplic.facultatibus, & Dioſcoride decerpta. Itaque 6. de fac.ſimp.med. Galen. ad curanda maligna vlcera plurimum valere ait, ſi cicer cum melle adhibeatur, itidem & lupinorum decoctum, præterea vero iſatim mirifice quibuſcunque malignis vlceribus reſiſtere dixit,quamuis etiam putrida, vel exedentia ſint. Sed quia interdum non poteſt ita ſola ferri a quibuſdam corporibus,vtpote quoniam validum ſit admodum medicamentum, docuit etiam qua ratione mitigari eius vehementia poſſit, quatenus facilius feratur,nempe ſi tritis eius folijs panis immiſceatur, hordeive,aut tritici farina,vel polenta. Septimo autem eiuſdem operis libro dicit, etiam decoctum albarum violarum eſſe vtile, ſi cerato miſceatur vlceribus, quæ ægre cicatricem admittunt: malignis vero præter centaureæ minoris folia, arida & trita, cuius & ſuperius meminimus: braſſica, & eius ſuccus vtilia medicamenta, item & hederæ folia viridia ex vino cocta. Dioſcorides vero præcipue folia hederæ nigræ laudat, cortex etiam radicum capparorum a Galen.& à Dioſc. facto ex eo cataplaſmate laudibus multis effertur, necnon & papaueris & corniculati folia, & flores ſordidis malignisque vlceribus vtilia ſunt. Nam eam detergendi vim habent, vt niſi poſteaquam mundum factum fuerit vlcus, ab eis deſiſtas, carnem puram eliquare valeat. At vero, polium aridũ inſperſum,præſertim vero illud, quod minus eſt, curare maligna vlcera tradidit: polium vero quod heracleum nuncupatur, non modo hoc præſtare poſſe ait, verum & oſſa nudata carne contegere. Sed & peucedani radicem vlceribus malignis eaſdem vires habere teſtatur, vt purgare poſſit vlcera,implereque,& ad cicatricem perducere. Imò & oſſium ſquamas abſcedere facit: ſed & ſcordium aridum illis vtile eſſe ait, & corticem radicis ſolani,quod maniacum appellatur. Nono vero de ſimplic. medic. facul. vbi de chryſocolla agit, factitiæ cuiuſdam meminit, quæ in mineris nequaquã effoditur,ſed arte conficitur ex vrina pueri,quæ in æreo mortario confecto ex rubro ære,quod ſane tenerius

A & mollius eſt, piſtillo item æneo circunducta eatenus atteritur,donec quaſi deraſo, vel potius diſſoluto de parte ære, vrina ad mellis craſſitudinem deueniat, idque fiet facilius, ſi in ſole,vel in calido loco fiat. Euadit autem medicamentum malignis & contumacibus ſumme vtile, vtpote vt multum ſiccet, neque tamen multum mordeat: poteſt autem in vſum venire,& ſolum citra aliorum complexum,& cum alijs etiam opportunis medicamentis commixtum. Dioſcorides vero glandes laudat cum ſalita axungia: folia item vrticæ, ſi ex ipſis adiecto ſale,fiat cataplaſma, ſed de ſimplicibus, quæ his ſcopis attinent, ſatis mihi hæc poſſe videntur.

B

De Compoſitione, & vſu eorum medicamentorum, quæ eiſdem vlceribus contumacibus, & malignis curandis idonea ſunt. Cap. IX.

SEd tandem de compoſitis medicamentis, quibus in curandis contumacibus vlceribus poſſumus cum vtilitate & proſpero ſucceſſu vti, ſermonem inſtituamus. Quamuis enim ſi quis recte & ex arte nouerit ſimplicibus medicamentis vti in his vlceribus, quæ propter influxionem ægre ad cicatricem duci poſſunt, & proinde diuturna fiunt, atque C in illis,quæ vitiata temperatura vlceratæ partis maligna iam euaſere, illi interdum ſola ſimplicia poſſint eſſe ſatis: tamen vt Galen. 6. de Comp. medic. ſecundum loc. cap. 3. teſtatur, interdum mixturæ ſimplicium vtiliores ſunt, quam ſit ſimplicis vſus: præſertim cum non ſit æque facile aptare ſimplex medicamentum opportunitati, quam requirit,tum ratio effectus, tum vero natura corporis & particulæ,& temporis, & reliquorum,quæ cum his eandem habent rationem: ſicut facile eſt compoſitum medicamentum accommodare variata ex arte ſimplicium ſymmetria: & proinde de medicamentis etiam compoſitis, quæ partim antiquis,partim etiam iunioribus medicis ſolita ſunt venire in vſum ad curanda id D genus vlcera,agemus: hoc tanquã fundamento præcipue iacto, quod in his præcipuus ſcopus ſit,vt inſigniter deſiccent,& quantum fieri poteſt citra morſum: deinde vero quia nunquam fere eſt,quin in his vlceribus, non aliqua etiam ſuccreſcat ſordes,neceſſaria eſt aliqua deterſio: tertio, quod tamen proprium potius eſt vlceribus contumacibus propter fluxionem ſuperuacaneorum humorum,quàm illis,quę maligna iam ſunt,quamuis ab illis non ſit alienum, nempe quòd præterea opus illis eſt aliqua aſtrictione, vt fluxio auertatur, repellaturque. Nam quando etiam maligna facta ſunt,nequit fieri,quin ex imbecillitate contracta in vlcerata parte, ex vitiatis eius habitu & temperatura, a vicinis ſaltem E partibus non confluant excrementa. Ideo neque inutilis eſt ipſis aliqua aſtrictio. Vnde ex his tanquam corrolarium quoddam deduxit Galen.4. de Compo. medic. ſecundum gen. cap. 1. quòd iſtiuſmodi vlceribus nihil perinde aduerſarium eſt,ſicut quæ,oleoſi generis, quæque malthacodea ab Hippocrate dicuntur, quaſi mollientia dicas, in quibus præcipue oleum eſt, præſertim quod vetus non ſit: atque adeo etiam adipes omnes, præſertim vero ſuilla, vtpote quæ præ alijs molliat & laxet, minus autem exſiccet: deinde vero & reſinæ,vtpote quæ licet deſiccant, molliunt tamen & laxant: tertio vero cera, nam & ipſa mollit. Quòd ſi quis opponat, quod plurima Galenus medicamenta refert, quæ accipiunt reſinas, alia quæ adipes, nonnulla etiam

quæ

quæ oleum,& aliqua quæ ceram. Dicam,quod hæc accipiuntur, vel propterea quia neceſſaria ſunt, vt medicamentum formam ſibi comparet emplaſtri, aut cerati vel vnguenti, vel vt vires aliorum medicamentorum validæ,& maiores,quàm requirat ratio medicamenti relati ad proprium ſcopum, contemperentur,& mitigentur, & ad certum modum deducantur. Sæpe enim, vt eodem de comp. ſecundum gen. docuit Galen. fit compoſitum medicamentum ex aliquibus ſimplicibus,quorum quodlibet per ſe non modo ineptum eſt, ſed etiam aduerſarium ipſo affectui curando: dum tamen poſtea recte & appoſite miſcentur, ex eis optimum & maxime accommodatum illi ſcopo conflatur medicamentum. Sed particulatim hanc rem tractemus, vt etiam exemplis res apertior & clarior euadat. Primumque agemus de medicamento cuius auctor fuit Galen. idque quàm plurimis effert laudibus, atque illis in temporibus in plurimo vſu propter maximam eius vtilitatem in varijs vlcerum differentijs fuiſſe teſtatur, diuerſis autem nuncupationibus ab eo fuit appellatum: nam & Phœnicinum emplaſtrum vocabat interdum, quaſi palmeum latine dicas; interdum vero, diachalciteos, quatenus quidem tum ex chalcitide,quaſi ex præcipuis medicamentis,tum vero ex ramo & ſegmentis palmæ arboris conficiebatur: nunc etiam a noſtris chirurgis introductum eſt in vſum,& vulgo diapalma dicitur. Conficitur vero ex oleo veteri, veteriq; adipe axungiave argenti ſpuma,& chalcitide, quorũ vt ait Galen. ſymmetria eſt hæc. Acceptis libris duabus vetuſti adipis, tribus autem olei veteris, totidemque argenti ſpumæ,chalcitidis vero tritæ & læuigatæ vncijs quatuor. Modus vero conficiendi eſt, vt adipis optime prius mundati,& percolati, exemptis nempe membranis libræ duæ mortario indantur,moxque chalcitis inſpergatur,atque oleum infundatur, illisque trita argenti ſpuma addita,omnia eo probe commiſceantur,quoad exquiſite in vnum coierint: poſtea tranſlata in cacabum coquantur: hoc tamen in coquendo obſeruato,vt ramo palmæ dum coquitur medicamentum,vtamur tanquam inſtrumento ad commiſcendum cõficiendumque id emplaſtrum, loco quidem ſpathæ appellatæ, qua in conſimilibus medicamentis parandis vti ſolemus: ſit autem ramus viridis, a quo reciſi circunquaque ramuli, & minutim inciſi, ſubindeque contuſi in medicamentum,non ſtatim vt feruere incipit,conijciendi ſunt, ne conſumatur eorum ſuccus, vnde aſtringendi & repellendi vim medicamentum contrahit. Sed cum aliquando bullierit: ramus autem craſſior,dum eo circunducitur medicamentum, & ipſe ei impertitur ſuum ſuccum, & eandem facultatem,& proinde cum pars ea qua ducitur medicamentum videtur arida vi ignis facta, abſcindenda eſt, vt illi altera quæ adhuc viridis & humens eſt ſuccedat: ac ita dum coquitur medicamentum, ſubinde fiat: erit autem ſatis coctum, vbi ad id deuenerit,vt amplius non coinquinet. Eſt autem medicamentum, quod quidem inſigniter deſiccare poteſt, nihil enim eſt, quod non exſiccet, nam argenti ſpuma minus alijs exſiccat,& quantum ad ipſam pertinet modicam his vlceribus ſua illa infirma ſiccandi facultate impertitur: accipitur tamen potius,vt ſit tanquam materia apta ad confectionem emplaſtri,vtpote quæ per cocturam ex oleo liqueſcat. Oleum vero vetus,& itidem adeps licet molliendi aliquam vim habeant & laxandi, attamen quia præterea vim digerendi non imbecillam habent, digeſtis ſuperuacaneis humoribus non parum faciunt ad deſiccationem iſtorum vlcerum, quæ inſignem exquirunt deſiccationem: ac ea propter vetera accipiuntur. Chalcitis vero cum cruda,& citra vſtionem accipiatur,& ipſa his vlceribus ſumme,quãtum ad eius naturam propriam attinet, aduerſaria eſt: & adeps,oleumque. Nam hæc, quia laxant & molliunt, illa quia erodit & vrit, vt etiam cruſtas excitet: mixta tamen, adeo vtrunque miteſcit,& in quandam inter hæc duo extrema mediam naturam temperatur, vt inde optimum, & accommodatiſſimum fiat, medicamentum. Nam ab adipe & oleo morſus, & acrimonia chalcitis obtunditur, & miteſcit, neque tamen propterea impeditur exſiccatio: a chalcitide vero, quæ vim habet non modicam adſtringendi,exſiccandique reprimitur, & temperatur facultas molliendi & laxandi, quæ in oleo & adipe eo nomine vlceribus obeſſe poterant, quam & palmæ ſuccus adiuuat, & ex his medicamento additur vis repellendi, ex qua conſequitur, vt poſſit influentes humores arcere: & ſubinde vt commodum ſit, quando timenda eſt futura inflammatio, vel etiam quando iam incœpit, habet præterea a chalcitide aliquid, quod ſordes detergere, & mundum vlcus reddere poſſit. Optimum ergo medicamentum erit ad omnia vlcera, aliosque affectus,quique curatu difficiles ſunt, ob fluxionem, ex qua rheumatici affectus ac ſi defluxorios dicas, a priſcis ſoliti ſunt appellari. Cum vero maiora ſunt effecta vlcera,& omnino contumacia, & ad contrahendam cicatricem per quam difficilia, fortius medicamentum requirunt, fortius autem iſtud euadet, ſi quatuor chalcitidis vncijs aliæ duæ addantur,vt ſint ſex. Nam & magis deſiccabit maioremque vim repellendi habebit,& detergendi,& ſicut hoc pacto fortius fit medicamentum: ita & remitti præterea facile poteſt: ſi emplaſtrum ex aliquo aceto diſſoluatur, atque adeo vt facile poſſit euadere præſtans medicamentũ ad glutinanda vlcera,vel vulnera, quæ per agglutinationem curari deſiderant, imò cum per talem olei mixturam pro diuerſa ratione & portione olei additi poterit accommodari omnibus id genus vlceribus vulneribusque omnibus temperaturis,& ętatibus, quatenus aut valentius,aut mitius per hunc modum fiet: imò interdum fit magis digerens,interdum magis repellens,& aſtringẽs ratione diuerſitatis olei,quo emplaſtrum diſſoluitur: ſi enim ex oleo veteri, aut cicino, aut alio ſimili diſſoluatur,magis digerens erit,& magis accommodatũ inclinantibus inflammationibus, & fluxionibus: ſin autem oleo roſaceo omphacino aut melino, aut myrthino, aut alio aſtringenti, magis repulſorium erit, & magis opportunũ incipientibus & increſcentibus fluxionibus,inflammationibusque. Sed ſi diſſoluatur oleo dulci & communi, non veteri,in hoc mediocritatem ſeruabit, & magis anodynum, hoc eſt doloris mitigatorium erit, ſed de eo ſatis loquuti ſumus: vnde tempus opportunum erit, vt ad alia tranſeamus, nam ſi quis plura audire voluerit, adeat Galenum primo de compoſ. medic. ſecundum genera cap.2. Et quia circa medicamenta a Galeno deſcripta verſamur in præſentia, qui teſtatus eſt ſimilem fere facultatem habere emplaſtrũ, quod fit ex ſpuma argenti & œnelæo parata,& trita, ac ſubinde læuigata & cocta, hoc eſt ex vino antiquo & aſtringenti, & oleo, donec liquata ſpuma, vt ſuperius diximus argenti, ad cõpagem emplaſtri deuenerit: de hoc quoque nonnulla verba faciamus. Sed de confectionis ratione non eſt, cur multa dicamus, cũ idem ſit modus,qui & cũ ſit ex hydrelæo, vel oxelæo, de quibus ſuperius multa verba fecimus. Sed hoc conſiderandum eſt, quod quia vlcera, de quibus in præſentia agimus, quæque dyſepulota, vel maligna dicuntur, egent medicamento generoſe exſiccante, dum tamen id citra morſum fiat. Citra morſum quidem omnino hæc ſiccant, ex quibus conſi-

conficitur emplaſtrũ, non habet tamen inſignem
vim exſiccandi, niſi partim a vino, a quo item &
vim aſtringendi,& repellendi ſibi comparat,partim
vero ex ipſa coctum; nam quo diutius coquitur,eo
etiam ſiccantius fit medicamentum, longiori vero
opus eſt decoctione,vt ad formam emplaſtri dedu-
catur,quando maior effunditur copia tum vini,tum
olei: vnde vt pares vires palmeo emplaſtro,& hoc,
de quo agimus aſſequeretur, Galenus ſolebat per
quindecim ſubinde dies ſemper vinum, & oleum ſi-
cut abſumebantur vi ignis, affundendo coquere,id-
que præſertim in ſole, ita enim & generoſe exſiccans
medicamentum reddebatur, & non parum etiam
aſtringens, & repellens. Quare perinde efficax &
B ad eadem ferè vtile euadat, immo, & eodem modo
adminiſtrandum: nam ſi ad pura vulnera congluti-
nanda erat vſurus, illud ex oleo liquabat: interdum
etiam ad repellendas inflammationes ex aſtringen-
tibus oleis; illis vero inclinantibus,ex digerentibus,
vt antiquo, vel cicino; niſi quòd hoc præterea con-
ſiderandum eſt, quòd quatenus pertinet ad eam
vim, qua ſordes ex vlceribus eſt detergenda,& vlcus
mundum reddendum, hoc palmeo longe infirmius
eſt; nam ſi aliquid in iſto eſt, quod poſſit detergere,
eſt vinum, quod voluit eligi Galenus tenue, & par-
tium tenuium, vis enim deterſoria ortum habet a
partium tenuitate, quæ ſi cum aliqua aſtrictione ſit
coniuncta, fortius agit, cum aſtrictio cogat partes
illas tenues demergi in profundum, nequit tamen
C vinum æquari in hoc chalcitidi. Vnde ſi vlcus ſor-
didum ita eſſet, vt requireret inſignem aliquam pur
gationem, id valentius præſtaret palmeum, vel ex
chalcitide emplaſtrum. Quia vero ſunt multi ex
noſtris iunioribus, qui ſummopere laudant medi-
camentum ab Auicenna quarta fen. quarti can. de-
ſcriptum; vbi de vlceribus ægre admittentibus cica-
tricem, malignisque agit: ideo de illo & nos pauca
dicemus: nempe de facultatibus eius. Componitur
autem in hunc modum, Accipit cadmiæ, chryſocol-
læ, aluminis, ſingulorum drachmas octo, æruginis
raſæ, quæ viride æris a iunioribus nuncupatur,vtrũ-
que autem aſſumi ipſe voluit, & eam, quæ deradi-
tur,& illam, quæ ſponte decidit ab ære: ſingularum
D autem ipſarum vſtarum drach. j. gummi cupreſſi
drach. quatuor, ceræ, olei roſacei, vel myrtini ſin-
gulorum quantum ſatis ſit. Medicamentum,ſi di-
ligenter æſtimetur, examineturque; generoſe qui-
dem deſiccat: & parum abeſt, quin ſit morſus ex-
pers,moderate etiam detergit, & aſtringit. Nam
vt a deſiccatione incipiam,nihil eſt ferè in eo, quod
non ſatis generoſe exſiccet: cadmia enim, vt cæ-
tera omnia metallica medicamenta non parum de-
ſiccat; de chryſocolla vero itidem Galenus nono de
ſimplicium medicamentorum facultate ait,illam eſ-
ſe præditam digerente & deſiccante facultate: de-
ſiccat præterea generoſe & alumen,quamuis craſſio-
rum alioquin partium ſit,quæ tria ſunt pręcipua me
E dicamenta, & quaſi, vt iuniores loqui ſolent, baſis
medicamenti, ſed ærugo potenter ſiccat, & cupreſſi
reſina vel gummi,detergit vero cadmia vt ait Gale-
nus,mediocriter,potẽtius autem chryſocolla,vtpo-
te,quæ etiam carnem eliquet,& alumen detergendi
facultatem nullam habet: ærugo vero eam maxime
inſignem, vtpote quæ vrat,& cruſtas concitet: nec
modo ſordem,verumetiam carnem liquat & erodit.
Sed cum vſta vtraque accipiatur in medicamento,
non parum de vi, & acrimonia per vſtionem detra-
hitur, quemadmodum etiam ſuperius ex ſententia
Gal. præſertim 4. de Compoſi.med. per genera expo
ſuimus; aliorum comparatione nõ multa copia eius
accipitur. Si enim cum illis ſingulatim comparetur,
illa ad ſingulorum aliorum metallicorum medica-
A mentorũ quartam partem accedit,ſed ſi ad vniuer-
ſam medicamẽtorum omnium aridorum miſturam,
eſt 15. tantum pars,cum & flos,& viride æris ſingu-
la pendant drachmã: vniuerſa vero miſtura ad drach-
mas triginta accedat, vnde tanquam alia adiuuantia
potius apponuntur, quàm vt præcipua in medica-
mento ſint, longe autẽ minus detergit medicamen-
tum,quia omnia quidem prẹter oleum & ceram ſic-
cant,& pleraque generoſe: alumen vero non modo
non detergit, verum potius reprimit deterſoriam
aliorum medicamentorum vim aſtringẽdo: reprimit
præterea & cupreſſi reſina, tum aſtringendo, tum
etiam quia reſinæ omnes aliquid mollientis habent,
ex alumine vero, & ea reſina, præterea ex roſaceo
B myrrhinove oleo id aſſequitur medicamentum, vt
aſtringat,repellatque; quamuis quodcunque oleum
fuerit,quod accipietur, efficiet vt in caliditate ma-
gis temperatum reddatur, ſicut autem minor eſt vis
detergendi quàm deſiccandi: ita minor aſtringendi,
quàm detergendi. Inſigniter ergo exſiccat,modeſte
detergit, modice aſtringit: nempe quantum poſſit
ſatisfacere ad repellendos, ſi qui influant ad vlcera-
tam particulam vitioſi ſucci. Quare erit optimum
medicamentum ad dyſepulota,& maligna vlcera,ſi
modo id quoque habuerit,vt citra morſum,aut ſal-
tem citra inſignem morſum ſit,adeo vt vlcus mini-
me irritetur, quod neque in illo etiam deſideratur.
Nam cadmia modice admodum mordet,ſicuti mo-
dice detergit: chryſocolla vero etſi valẽter detergat,
C non tamen vt nono de ſimpl.med. fac. tradidit Gal.
inſignem habet morſum ſicuti & flos æris,& ærugo
non poteſt plurimum mordere, tum quia modica
copia eorum medicamentorum inijcitur: tum vero
quòd cum vruntur, miteſcant non parum: cui & id
addamus,quòd cera,oleum,& reſina,& ipſa non pa-
rum reprimunt horum medicamentorum acrium
mordacem qualitatem: niſi quod & magis particu-
latim de cera,& oleo ſermo habendus eſt: quia neq;
Auicenna neque iuniores pondus, vel menſuram
olei,vel ceræ prẹſcripſere: & id mea quidem ſentẽtia,
quia medicamentum hoc poteſt valentius & infir-
mius additis pluribus,vel paucioribus oleo,& cera
fieri, atque ita omnibus corporibus accommodari:
D nempe tàm duris,& robuſtis,quàm teneris,& mol-
libus: quia quo plus aridorum medicamẽtorum ce-
rato,hoc eſt mixturæ olei & ceræ additũ fuerit,for-
tius erit medicamentum: quo minus autẽ infirmius:
& mitius, ſed nos quoquomodo iſtius rei determi-
nationem, & definitionem a Gal. 2. de Comp. med.
per gen. vbi de viridibus vnguentis ſermonem ha-
bet,ſane petemus, qui confecto cerato ex reſina &
cera,illi ſecũdum variam proportionem æruginem,
quæ nullam ſit experta vſtionem, interdum acrius,
& magis detergens medicamentum conficit,inter-
dum leuius,& mitius. Nam ad robuſta & dura cor-
pora curanda octauam partem æruginis cerato in-
dere docet,vtſi tribus cerati vnc. tres ęruginis inijciã-
E tur drac. ſi vero duodecima,nimirũ, vt drac. duæ ęru
ginis tribus cerati vncijs aſſumantur, mollibus cor-
poribus poterit eſſe aptum medicamẽtũ. Sed ſi duo-
decima pars opponatur, vt ſi viginti drachmis cera-
ti duæ addantur ęruginis,mediũ erit inter duo prio-
ra medicamentum. Sed hoc,quod longe ex mitiori
materia conſtat,quũ ſit viua ærugo, longe maiorem
copiam poterit aridorum medicamẽtorum vtiliter
admittere,cum cerato commiſcendorum: cum etiam
ex oleo magis, quàm ex reſina miteſcere poſſint a-
cria medicamenta. Vnde ſi aridorum octauam ad
ceratum portionem addiderimus, modeſtum & fe-
rè cuiuſcunque mordacis qualitatis expers & medijs
corporibus erit idoneum: ſi decimam,illud & tene-
ra corpora facile poterunt ferre: ſicuti dura & ſicca,

ſextam vel ſeptimam confectio. Quamuis Galenus quarto de compoſitione medic. ſecun. gen. cap. ſecundo, referens confectionem cuiuſdã medicamenti, quod tanquam valentiſſimum ab eo iudicatum eſt: conſtat autem ex ſquama æris, & ærugine accepta earum ſingulorum vnc. & illis aſſumptis ex ſemilibra ceræ emollita ex ſeſquiuncia laricεæ reſinæ, ait, quòd quando cera tripla ad metallica accipitur: valentiſſimum quidem medicamentum eſt, quod poterit eſſe accommodatũ vlceribus valde malignis: ſed ſi quadrupla accipiatur çera, mode ratum erit, & aptum cu rationi eorum vlcerum, quæ non admodum ſint maligna, moderatius adhuc futurum, & idoneum vlceribus, quę ęgrè quidem cicatricem contrahunt, nondum tamen maligna ſunt. Poſſemus & alia innumera ferè medicamenta, quæ ab hoc loco nõ eſſent aliena referre. Sed minus excreſceret is liber: & hæc iuuenibus mediocriter in arte medica eruditis ſatis eſſe poſſunt. Nam his tanquam exemplis vſi, & reuocatis in memoriam illis, quæ in prioribus capitibus in vniuerſum ſunt expoſita, facile & ipſi quæcunque in præſentia eſſe in vſu diuerſis, quibus occurrerint, chirurgis, viderint, examinare poterint, & iudicare. Nã ferè innumera ſunt medicamenta, quibus in affectibus ſolent vti diuerſimodè, pro diuerſa ratione eius, qui vtitur paratis. Tum igitur hac de cauſa, tum etiã quia multa inferius erit neceſſe deſcribere, examinareque medicamenta, quæ licet difficilioribus, & malignioribus, quàm hæc ſint, de quibus nunc agimus, ſint magis accommodata: poſſunt tamen in hos vſus commode tranferri ab eo, qui probe eis vti nouerit, cum poſſint arte tractata, vt hactenus non ſemel oſtendimus ex Galeni præceptis mitiora facile reddi. Quare ad alia vlcera accedemus, quæ coniunctas habent certas quaſdam circumſtantias, a quibus certa quædam nomina ſortita ſunt, ex quibus ſignificatur, qualis ſit ea malignitas, vel quodnã ſit id, quod cicatricem impediat: & quia illa, quæ a iunioribus virulenta dicuntur, quæque tenui, & quaſi ichoroſo humore madent vnde fit, vt ægre ad cicatricem duci poſſint, poſſunt ad hoc caput fere adduci: curantur etenim per ea, quæ inſigniter exſiccant, ideo ſtatim ad ea medicamenta explananda tranſibimus, quibus vtuntur vulnerarij medici ad curanda vlcera ſordida.

De Compoſitione, & vſu eorum medicamentorum, quibus ſordida vlcera curanda ſunt.

Cap. X.

QVamuis ſi rem recte æſtimare voluerimus, aut prorſus, aut fere nullum ſit vlcus, quod non aliquantulum ſit ſordidum, quia vt Galenus docuit, & nos ſuperius expoſuimus in omni vlcere duplex generatur excrementum tenue, quod virus a iunioribus, & craſſum, quod ſordes a Latinis omnibus, ῥύπος vero a Græcis paſſim dicitur. Quia tamen in his excrementis procreandis non eſt omnium vlcerum par ratio, in aliquibus enim tenuioris excremẽti longe maior copia ſcatet, quæ etiam impedimẽto eſt, ne facilis curatio reddatur: in alijs vero longe maior copia ſordis, quæ remoratur, & impedit inductionem cicatricis. Quando ergo difficultas curandi vlceris a multa ſorde habet occaſionem, & eius indicatio alijs omnibus vim habet maiorem, hanc nuncupationem vlcus ſortitur: quod vlcus ſordidum nuncupatur. De his ergo medicamentis præſentem ſermonem habebimus, quæ apta ſunt his vlceribus curandis, quo nempe modo illa ex methodo ſint componenda, & ex methodo ſint deducenda in vſum. Sed quia prima cuiuſcunque methodi fundamenta ſumuntur ab ipſa rei natura, ideo non alienum a noſtro inſtituto fuerit, ſi de generatione ſordis primum aliqua dixerimus: poſtea vero vero cur copioſa exuperet in vlcere ſordes, & ſupra quam requireret ratio communis vlceris. Nam ita poſtea facilius poterimus, non modo genitam ſordem detergendo detrahere: verum & obſiſtere, quo minus in tanta copia generetur. Sæpius ante retulimus Galeni ſententiam in hac re, quòd omni corpore quantumuis ſano ex alimento præter partem illam, & maiorem ſane, quæ in ſubſtantiam corporis quod alitur, quotidie conuertitur, reliqua ſemper eſt aliqua pars, quæ exquiſite conuerti in vtilem, & alendo corpori idoneam materiam nequit. Et quemadmodum ſubſtantia cuiuſcunque corporis mixti, quod alitur, duplici conſtat materia, altera quidem humida aquea, & fluida, quæ continuitatis partium in cauſa eſt, & quæ veluti pabulum eſt natiui caloris: alia vero craſſiori, & magis terreſtri, quæ ſoliditatem, & craſſitiem, & conſiſtentiam illi præſtat: ita neceſſe eſt, vt alimentũ, quo corpus itidem alendum eſt, duplici conſtet ſubſtantia illis duabus ex proportione reſpondente, atque ita etiam duplex relinquatur excrementum: alterum quod ex ea parte relinquitur, non probe concocta, & elaborata, quæ tenuior eſt, & humidior: alterum vero ex craſſiori. Et quia dum bene valet corpus, & probè circa victum ſe habet, non in multa copia, neque admodum craſſa conſiſtentia generantur hæc excrementa, neque ita conſpicua eo tempore ſunt: cum autem ex aliquo malo affectui vires aliquãto fiunt imbecilliores præſertim concoctrix, maior exuperat, & magis conſpicua iſtorum excrementorũ copia. Et hæc ſane eſt ratio, cur generetur duplex hoc excrementum. Sed cur in tanta copia, vt iam propriam, & præcipuam indicationis rationem aſciſcãt, mox exponamus: non eſt autem iſtius rei vnica, & ſimplex ratio. Nam id poteſt, aut ab externa cauſa ortum habere, aut ab illa, quæ in ipſo corpore conſiſtat: & cauſæ quæ in corpore conſiſtunt, aut in vniuerſo corpore, aut in aliquibus male affectis particulis impellentibus ſua excrementa ad vlceratam particulam. Ex externis quidem cauſis ſordes copioſa occaſionem habet, quando ex mala curatione, atque ex non recte adminiſtratis medicamentis id accidit. Duplex vero eſt ratio medicamentorum, quæ vim magnam habent ad plurimam in vlceribus ſordem generandam, quæque vires inter ſe fere aduerſarias habent. Nam ex pinguium, mollientiũ, humectantiũ, emplaſticorumque vſu importuno, plurima ſuccreſcit ſordes. Cùm enim horum vſu plurimo humore ſcateat vlcus, ille tandem vi caloris loci concreſcit in ſordem. Ita etiam contraria quadam ratione ea medicamenta, quæ immodice detergunt, quæque acriora ſunt, ſordem augent: ea ſiquidem vt quarto de cõpoſitione medicamentorum ſecundum gene. teſtatus eſt Galenus carnem colliquant, quæ deinde ex colliquatione diſſoluitur in prauos ichores, qui digeſtis & diſſipatis vi medicamenti partibus, quæcunque conſiſtentia tenuiores erant, circa vlcus concreſcentes in ſordem tranſeunt. Ex internis vero cauſis multa gignitur ſordes: ſi aut corpus vniuerſum multis vitioſiſue humoribus ſcateat, vel aliqua alia male affecta particula, excrementa ad vlceratum locum, tamquam ad partem imbecilliorem continenter amandet: aut ex aliquo vitio proprio loci vlcerati, quod in cauſa eſt, quòd alimentum vel etiam probum in mala excrementa vertatur. Nam aut ibi quaſi computreſcit, aut exuritur, aut ſemicrudum relinquitur, pro ratione diuerſitatis vitioſæ intemperaturæ in illo lo-

co

co contractę. Nemo autem eſt, qui non videat, quòd fieri nequeat, vt vnus ſit medicamentorum modus, vel natura, quæ accommodanda ſit huic affectioni, quæ licet vnum habeat ſymptoma genere, tamē diffe rentiam capit, & diuerſas habet differentias; immo etiam inter ſe aduerſarias. Vnde quantum ad ipſam generalem ſordis rationem habet, ſane vnam communem indicationem, nempe omnino detergendum eſſe vlcus, vt purum reddatur: non tamen mox idem erit modus offerendorum detergentium. Nam ſi ex importuno mollientium vſu ſuccreuerit ſordes, exſiccantibus & detergentibus erit opus, atque illis valentioribus: quatenus & magis ſordidum, & magis humidum vlcus euaſerit: & ſicut paulatim ſiccius, & purius fit, ita etiam minus detergentibus, & minus ſiccantibus erit vtendum, ſi tandem in naturalem ſtatura volumus particulam adducere: alioquin enim in contrariū exceſſum adducemus: præter id, quod vlcera, quo ſolidiora ſint, eo, vt expoſuit Galenus ibidem facilius acriora, & valentiora detergentia medicamēta ferunt: ſordes enim quaſi vallum tuetur ſubiectā carnem, & acrimoniam medicamenti non parum retundit. At vero ſi ex acrimonia, & vehementia medicamenti eliquata caro in ſordem degenerauit, detergentibus quidem ſed leuioribus, & mitioribus erit agendum: illis quidem quæ poſſint ſordem factam auferre, non tamen tantā deinde vim habent, vt carnē diſſoluant, & colliquent. Neque hoc prætermittendum eſt, quod itidem docuit Galen. his argumentis cognoſci, ſordem habere occaſionem a nimia vi medicamenti: nempe quod vlcus ſemper magis concauū fit, quódque vlceris labra, & calidiora, & rubentiora fiunt, vt quaſi iam initia inflammationis excitentur. Quod ſi aliunde, vt ab vniuerſo corpore ob eius plenitudinem, vel cacochymiam originē habeat copioſa ſordes, quatenus ad ſordem auferendā pertinet, omnino indicatur detergentibus eſſe agendū: ſed prius rationem habendam fomenti, quòd illa aliunde habet. Vnde primùm inaniendum, vel expurgandū erit vniuerſum corpus illis, quæ videntur magis exigi à ratione plenitudinis, vel cacochymię: de quibus agere ad hunc locum non videtur pertinere: itidē etiam ſi ab vna, vel pluribus particulis defluerent excremēta, tum vacuatione, tum reuulſione intercipere, aut auertere oportet eam fluxionem, atque ſubinde, ſi in mandante particula eſſet aliquis affectus, vnde generarentur copioſa illa excrementa, illi occurrendū eſſet. Verū quantū ad localia vlceri apponenda, non ſolum, ex detergentibus illa eſſent conficienda, ſed & aliqua repellentia eſſent addenda: præſertim poſt aliquam corporis vacuationem, vt repellantur influētia excrementa. Poſtremo vero, ſi in ipſo vlcere eſſet vniuerſa ratio ſordis, vel ob calorem putrefacientem, vel exurentem, vitia hæc prius eſſent tollenda, de quibus vitijs cōferendis ſuo loco ſermonem habebimus. In præſentia enim particulatim de ratione compoſitionis eorū medicamentorū agemus, quæ apta ſunt expurgandis ſordidis vlceribus. De quibus hoc primum accipiendum tanquā conſtitutū, quòd quęcunque detergendi facultatem habent, ea tenui ſubſtantia cōſtare opus eſt, & tenues partes habere: eſt enim abſtergens aſtringenti, vt docuit Galen. libr. 5. de Facultatibus ſimp. medica. cap. 11. contrariū: aſtrictioni vero, vt idem 7. eiuſdē ait, & aliàs etiam, ſępe opus eſt craſſæ, & terrenę frigiditatis. Vnde cū in partium tenuitatē referatur vis abſtergens, ideo ſicuti calida aliqua, & frigida etiā aliqua tenui conſtant ſubſtantia: ita neque omnia abſtergentia calida, neque omnia frigida: ſed interdū hæc, interdū illa: vnde & amara fere omnia, quia amaritudo ſemper in tenui ſubſtantia attenuata a calore conſiſtit, aliquid deterſorij habent. Sed & dulces ſucci, quicunque tenues ſubſtātia

A ſunt, detergūt, vt mel & ſaccharum: præterea & quæ acidum ſaporem referunt: vnde 7. de Comp. med. ſecundum locos Gal. ait, quòd medicamenta, quę ſunt ſucci craſſioris deterſionem impediunt. Multa vero eſt detergentium diuerſitas. Nam præter id, quod aliqua calida ſunt, aliqua frigida: nonnulla ſine vllo fere morſu detergant, alia cum modico morſu, quædam cum inſigni morſu, & dolore. Præterea multiplex eſt detergentium ordo: quia aliqua parum admodū, alia mediocriter, alia valide detergunt. Mode ratiſſime detergunt farina hordei, fabarū, cicerū, fœnugræci, ſemen lini torrefactum, mulſa plurimū diluta. His aliquanto magis farina erui, & lupinorū, myrrha, cadmia, ſuccus apij, terebinthina, reſina laricea, amara amygdala: ſed magis adhuc iris, radix panacis,
B ariſtolochia, mulſa mediocriter diluta: nam eo magis extergit, quo minus diluta eſt. Iſta præterea vincunt in detergendo, ſpuma nitri, aphronitrum, & nitrum id, quod tenuium partium eſt, vt erat quod berenicarium antiquitus appellabatur. Detergit non parum ſal, quod & aſtrictionis non eſt expers: generoſiſſime extergunt, ita vt & carnem eliquant, & vrant, ærugo, flos æris, chalcitis, miſy, ſandaracha, auripigmentū, atramentū ſutorium, quæ & mordaciſſima ſunt, ita vt & cruſtas excitent, ſi crudis illis, hoc eſt non vſtis, neque lotis vtamur: ſed ſi vrantur, minus mordacia, atque minus detergentia euadunt. Si autē poſt exuſtionem lauentur diligenter, adhuc minorē detergendi facultatē retinent, ſed & morſus omnino
C expertia redduntur. Hæc itaque ſunt ſimplicia, quæ detergendis vlceribus eſſe vſui ſolent, diſtincta per ſuos ordines. Noluimus autem longiores eſſe, in diſcernendis calidis a frigidis, quia fere omnibus qui vel a limine medicinā ſalutauere, nota ſunt, vel ſi alicui aliqua parū ſint nota, nemo eſt, qui Gal. aut Paul. aut Aetiū, aut Auic. aut Serapionē non habeat, vnde facillimè, & citiſſimè poſſit addiſcere. His ergo medicamentis aliquando ſolis, & ſimplicibus vti ſolent medici: præſertim illis, quæ mitiora ſunt, interdū vero & ſæpius tanquā materia, ex quibus cōpoſita conficiuntur. De quibus paulo poſt ſumus habituri ſermonem: prius enim hoc, quod non indignum ſcitu eſt, mihi videtur exponendum, depromptum ex Gal.
D 5. de fac. ſimp. med. cap. 12. Nā ad præſens inſtitutū non parū facit: Illud vero eſt, quòd detergentiū duplex eſt differentia, quæ tamen non diſtinguuntur, niſi ratione maioris vel minoris: ſunt enim aliqua tātū detergentia, vtpote quæ vim habeant, vt ſordem detrahant, ſiue in cute illa ſuboriatur, ſiue in vlcere: neque vlterius progreditur eorum vis. Nēpe vt præterea poſſint obſtructos & infarctos meatus expurgare, & ab infarctu & obſtructione liberare, & in hoc genere ſunt ea, quæ partes aliquas, vel qualitatē aliquā nitroſam habent. Sunt & alia, quæ maiores vires habent, vtpote quæ non modo exterius adhibita vim habeant a cute, vel vlceribus ſubcreſcentem ſordem detergere: verum & interius aſſumpta, vias, &
E meatus maiores, vt ſunt venæ, præſertim quæ per viſcera digeſtæ ſunt, expurgare, & extergere, & ab obſtructionibus, quæ ex craſſis & lentis excrementis in eas infarctis concitatę ſunt, poſſunt liberare: ſunt autem hæc partium ſubtiliorū, quàm priorū, & viribus valētiora, & magis ἐκκαθαρτικὰ καὶ ἐκφρακτικὰ, hoc eſt expurgantia, & deobſtruentia, in quo genere, tū nitroſa, tum amara continentur. Sed & alia inter hęc duo genera, vt ibidem teſtatur Gal. intercedit differentia, quòd ad priora, quæ ita abſolute deterſoria ſoliti ſunt priſci medici appellare, adeo nulla adiuncta nitroſæ naturæ aſtrictione egent, vt ab illa potius impediatur deterſio: & id, quia cum in extimis partibus, vt eſt cutis, & ſub ea etiam caro, meatus ſint adeo anguſti, vt ab aſtringente, cui ſtatim illi occurrunt,

tunt,prius concludantur,quam poſſint vt res expoſceret, detergi,expurgarique, præter id,quod ſordem magis inculcant, & alligunt ipſi vlceri : at in viſceribus meatus, & viæ ampliores ſunt, quales ſunt in vaſis : & proinde nihil poteſt aſtrictio moderata impedire, quo minus partes tenuiores, in quibus ſita eſt vniuerſa vis aperiendi & extergendi interius penetrare,& ſuo fungi officio poſſint : imo præterea, & non parum vtilis eſt, tum quia robur viſceribus addit,tū etiam quia in cauſa eſt, vt etiam intimius, ſicuti ſæpius in prioribus libris fuit expoſitum, ſe inſinuent, atque penetrent. Sed iam opportunum erit,vt particularim ea compoſita medicamēta deſcribamus, quæ in frequentiori vſu ſunt, vt tamen a facilioribus,& illis,quæ magis a morſu ſunt aliena,incipiamus, ſubinde vero,& ad acriorum, & vehementiorum expoſitionem accedamus, vt pro ratione multitudinis ſordis, & pro diuerſa eius natura in craſſitie, & contumacia accommodata medicus poſſit detergentia medicamenta componere,aut deligere:verum quia ſordem nonnunquam mundo linteo,interdum lotionibus detergimus : de his primū aliqua dicenda ſunt: linteum itaque accommodatius erit, ſi mundū ex lixiuio fuerit factū : nam inde vim maiorē ſiccandi, & detergendi comparat,nempe ex lixiuio. Medicamentorum autem compoſitorum detergentium, eorum nempe,quæ moderata ſunt,quæque ex illis conficiūtur,quæ non admodum acria, & mordacia ſunt,fere materia eſt mel aut crudum, aut coctum, & noſtris temporibus mel roſaceum colatum . Nam eo frequentiſſime in lotionibus vtimur,ſæpe etiam in medicamentis alijs. Ea vero differentia eſt,vt minus acre,& minus deterſorium ſit,quādo coquitur,quam quando crudum, & ipſum quidem ſecundum ſuam naturam ſimplicioris,quantum fieri poteſt,temperaturæ,& facultatis, vt ſeptimo de Facultatibus ſimplicιū medicamentorū dixit Galen.deterſoriæ eſt. Vnde accōmodata admodū abluendis vlceribus,quę detergenda ſunt,eſt mulſa : ſed & oxymel deterſorium eſt,vt decimotertio meth.ait Gale. medicamentū & citra morſum: verū eo potius vtuntur medici ad ea vlcera,quę non modo ſordida, verum & prona in putredinē ſunt: lauant etiā interdū,& vino mulſo : verū vt idē ſecundo ad Glauc.teſtatus eſt, mulſum vinū magis cōmodū præcipue in finibus abluendis eſt, cū iā eo adducti ſunt,vt incipiamus de agglutinatione eſſe ſoliciti. Mel vero roſaceū,quod a iunioribus noſtris ſæpe accipitur in confectionibus horū medicamentorū, interdū magis mordere ſolet,quam mel ſimplex,præſertim vero coctū : & id fortaſſe,quia cū acquirat vim aſtringendi ab roſis, & ex ſucco ipſarū, nonnihil etiā inſuper deterſorij addatur,magis exaſperare vlcus poteſt, pręſertim cum non multa adfuerit ſordes, vnde alij potius ſyrupo roſaceo ex ſucco roſarum confecto pro melle vtuntur, cum mel roſaceum nimis mordet: fortiora vero lauacra ſunt,aqua marina,magis etiā muria:præterea vero, & lixiuium vt iam putreſcētibus vlceribus cōmodè adhiberi poſſint. Sed de his ſatis pro ratione noſtri inſtituti egimus. De compoſitis ergo medicamentis agamus. Facile ergo,& ſatis familiare medicamētum erit,& præ alijs ſimplex,quod ex terebinthina, & melle vel crudo,vel cocto,vel roſaceo conficiunt in hunc modum, accipe terebinthinæ,mellis roſacei ſingulorum ſeſquilibram, quæ coquantur, donec ſimul cōmiſceantur, poſtea tantū farinæ hordeaceæ addatur,quantū poſſit eſſe ſatis vt fiat molle vnguentum, vt iuniores loquuntur,vel emmotū,vt antiqui: nēpe vt linamentis poſſit excipi, & plerūque ſatis erunt vnciæ quatuor, vel circiter. Sed ſi volumus aliquantiſper minus mordax efficere: præſertim ſi ſit aliquis calor in vlcere,exquiſite lauāda erit terebinthina, nam ita minus acris,

A & calida reddetur,& ſi a melle roſaceo morderi videbitur vlcus, melle ſimplici vtemur. Nā in confectione medicamēti coquitur vna cū terebinthina. Aliqui & parū croci addunt, vt aliquid præterea concoctorij medicamentū habeat. Interdū vero iuniores noſtri,vt medicamentū vires detergēdi maiores habeat, ſuccū apij,ſicuti ſemiunciā,alij pręterea addunt thuris nonnihil,vt crocū in coquendo iuuet:præterea & drachmā ſarcocollæ, vel etiā mirrhæ tantundem:alij præterea & Aloen, in qua præter vim deſiccandi, & detergendi eſt etiā vis aſtringendi,& detergendi,vnde roborare poſſit noſtram particulam, & repellere influentes ſuperuacaneos ſuccos. Alij vero irin,nonnulli præterea & ariſtolochiam, quidam enim horū plura,alij pauciora priori medicamento addunt, &
B alij plus terebinthinæ indunt, quàm mellis, alij par vtriuſque pondus. Quidam autem & oui luteū,quod quanuis & ipſum concoquat,& acrimoniam mitiget ſubindeque dolorem, & ita ſolebat vbique fere paratū ſeruari : facile tamen corrūpitur & putreſcit, Sed quæ præter illam primam confectionem a medicis adijci ſolent,exquiſite terenda ſunt,& in tenuiſſimum puluerē redigenda, & poſt colliquationem & commixtionem terebinthinæ & mellis addenda, & bene miſcenda. Hoc tamen eſt aduertendum,quod etiam paulo ſuperius monuimus : nempe quod his temporibus,& his Europæ regionibus, in quibus non multam habemus terebinthinæ copiam, noſtri medici pro illa paſſim vtuntur laricea reſina, neque hoc multum refert. Nam ſæpe Galenus in lib.de comp.medic.ſe-
C cundum gen.nos monuit lariceam reſinam, ſi ea bona & clara ſit, proximam ita eſſe ad terebinthinā, vt ſine aliqua noxa altera pro altera facile poſſimus vti, hæc eſt ergo communis, & fere vulgaris ratio medicamentorū detergentiū ſordē ſuccreſcentē in vlceribus. Ex metallicis etiam iſtius generi ſmedicamenta fieri ſolent,quæ etſi vires valentiſſimas habeant,& eas,quæ non modo ſordem, ſed & carnem detrahere poſſint,ſicut ea ſunt, quæ in poſtremum ordinem fuere relata, mixtura tamen aliorū adeo miteſcunt, vt purgandis commode etiam vlceribus, & fere citra morſum poſſint eſſe vtilia. In frequentiori vero vſu ſunt,flos æris,ærugo, ſquamma æris,& æs etiam uſtū. Sed de his quæ æruginem accipiunt in præſentia
D ſermonē habeamus,& præter id,quod hic medicamētorū formę,quorum nuper meminimus,poſſit aliqua raſę æruginis portio, ut uim maiorē detergendi ſibi comparent,addi: puta ſi unciæ confecti medicamenti inijciatur ſemidrachma æruginis,uel duo ſcrupuli, uel interdum etiam plus: Viridia tamen emplaſtra, uel medicamenta, de quibus longum Galenus 2. de cōpoſitione medica. per gen.ſermonem habuit, huic officio ſunt præſertim idonea, quorū confectio multiplex eſt:alia enim ſimpliciora ſunt, alia uero multipliciorem confectionem habent. Simpliciſſimum illud eſt : cuius ibi exempli cauſſa ille meminit, & eius compoſitio in hunc modū ſe habet. Conficitur prius ceratum ex oleo ſimplici,uel roſaceo, & cera,illis ſecundum eam ſymmetriam colliquatis, & mixtis ad
E ignem,ut emmotum, uel molle fiat medicamentum, quantum ſit futurum idoneum, & aptum noſtro uſui:poſtea illi additur tantum æruginis,quantum nobis oſtendunt indicationes, tum a multitudine & pertinacia ſordium, tum a natura ulcerati tam corporis, quam particulæ : quia ſi ulcus magnum ſit, & multam,malignamque ſordem habuerit, acriori erit medicamento opus:leniori uero, ſi paruum, & non ualde ſordidum. Item ſi corpus tenerum,& molle fuerit,aut particula,quę ulcus habet,ualidum medicamentum ſine noxa non poterit ferre. Vnde cum iſtius medicamenti uniuerſa fere uis ſit in ærugine, ab ea copioſiore, uel pauciore habebit, quod magis,

vel

vel minus acre ſit, magis, vel minus detergat. Pro ratione ergo vlceris, vel corporum Galen. variandam docuit mixturam ęruginis ex cerato. In tenerioribus enim, & acriori ſenſu præditis corporibus ſatis erit, ſi duodecima pars æruginis cerato adijciatur, vt ſi cerati libræ æruginis vncia immiſceantur: ſiccioribus autem, & robuſtioribus corporibus, medicamentũ hoc erit iuſto imbecillius. Vnde illis decima parte æruginis cerato addita, ſatis erit: nempe ſi decem vncijs cerati indatur vncia æruginis. Poterit tamen interdum in ſordidioribus vlceribus curandis, & ſiccioribus, ſolidioribusque corporibus vtiliter octaua æruginis pars cerato commiſceri. Eiuſdem vero facultatis, & rationis quatenus ad deterſionem vlcerum pertinet, ſunt emplaſtra, vel vnguenta, quæ viridia a priſcis medicis Galenoque nũcupantur. Conficiuntur autem, quæ ſimpliciora ſunt, atque illis vlceribus accommodata, quæ ἀπερίστατα, hoc eſt, aperta, vel ſine circũſtantijs vllis, quæ peculiarem aliquam indicationem habeant, præter eas, quæ vlceri cauo, & ſordido adeſſe ſolent. Quemadmodum quando dicimus vlcus, vel calloſum, vel putridum, vel eroſum. Illis ergo, quæ aperiſtata dicuntur ſimplex viride accommodatum eſt, conficitur ex reſina, cera, & ærugine: & quamuis antiqui diuerſam ſymmetriam ceræ, & reſinę ſequerentur, & in reſinis etiam fuerint diuerſi, alij enim colophoniam potius accipiebant, alij fructum, alij piceam: quia tamen terebinthina a Galeno, alijſque pfertur, & illi proxima eſt laricea: ideo has, & nos tanquam præſtantiores laudabimus: ſequemur vero rationem Galeni, qui reſinam, & ceram pari pondere accipit, & illis colliquatis addit æruginis interdum octauam, interdum decimam, interdum duodecimã partem, vt conficiatur medicamentum, quod pro diuerſa menſura, vel pondere æruginis ad alia duo, nẽpe, ad ceram, & reſinam, poſſit omnibus corporibus, & omnibus vlcerum differentijs accommodari, quæ deterſionem, & deſiccationem deſiderant. Nam ſi octaua ęruginis pars indatur, validiſſimum euadet medicamentum, idoneũ fortiſſimis, & ſolidiſſimis corporibus, & valde ſordidis vlceribus: ſin autem duodecima, tenellis, & mollibus, & non valde ſordidis vlceribus: ſi autem decima, & medium erit medicamentum, & medijs corporibus, & vlceribus aptum: ſi autem hoc cum priore conferre velimus, hoc & calidius erit, & magis ſiccans. Nam ceratum ex oleo, & reſina ſiccantius eſt, quam id quod fit ex oleo, & cera propter reſinam: propterea vero maiorem vim eadem ratione habebit attrahendi ſuperuacuos humores e pfundo, & eos etiam digerendi: nonnihil etiam, & terebinthina habebit, vt concoquere poſſit. Prius vero ſi ceratum ſit confectum ex roſaceo oleo, magis aptũ ad arcẽdas inflammationes, & refrigerandum ex roſaceo: ſin autem ex communi oleo, maiorẽ vim molliendi concoquendique, & mitigandi dolorem. Non multum ab hoc emplaſtro, quod viride appellabant antiqui, diuerſum illud eſt, quod a iunioribus quibuſdam damaſcenum appellatur, quod conficitur addita ærugine, vnguento reſinino, aut reſinato, quod ſuperius deſcripſimus: & fit ex reſina pini, terebinthina, vel laricea paribus portionibus: ipſi tamen modicam æruginem indunt compoſito illi medicamento. Vnciæ enim ſcrupulum inijciunt, quæ erit vigeſimaquarta pars. Vnde erit quantum ad deterſionem facillimum, & imbecillum medicamentum, quod tamen aucto pondere æruginis poterit fieri valentius ſeruata ratione, quam docti ſumus à Gal. vt ſi adderemus duos ſcrupulos, vel etiam interdum plus, & hoc medicamentum, & calidius prioribus, & aliquanto ſiccantius. Simili etiam modo poſſumus facilè varias conficere ſimilium medicamẽtorum compoſitiones, quæ viribus quidem quantum ad detergendi rationem, & ſiccandi ſimiles erunt, ſed aliquid præterea etiam additum habebunt, vt ſi æruginem quanta nobis videbitur expedire ſeruata doctrina, quàm Galen. nos docuit, addiderimus eo medicamento, vel vnguento, quod Baſilicon, vel Macedonicum nuncupatur, erit tunc medicamentum magis accommodatum vlceri, in quo labra, vel aliqua pars ſit calloſa effecta, quæ molliri, atque digeri, diſcutique deſideret. Nam ex vaccino ſeuo molliri poteſt; præterea ſi crudius ſit vlcus, & concoctione eget, & aliquibus, quæ pus moueãt: id enim thus, & myrrha præter ſeuum facere poſſunt. Hoc tamen officium valentius poterit præſtare medicamentum id, quod Apoſtolorum, vel Venereum appellauit Auicenna, vtpote, quod & ammoniacum, opopanacẽ, thus, & bdelium, præter alia accipiat, quæ molliunt, digerunt, & concoquunt. Vnde, quia magis mihi accommodatum videtur fiſtuloſis vlceribus, vbi labra iam occalluerunt, ideo in aliud caput eius tractationem differemus, ſicuti, & emplaſtrum, quod Iſis ab antiquis Medicis dictum eſt, cuius meminit Galenus 5. de compoſi. medicam. per gen. capite 2. & 3. vtpote, quoniã licet, & ſordidis vlceribus poſſit, & ſoleat accommodari antiquitus, & his etiam temporibus. Nam a multis iam deductũ in præſentia eſt in vſum: attamen multi vſus eſt medicamentum, quod longe etiã difficilioribus, & maioribus affectibus aptari ſolet, ideoque in alium locum huius ſermonem differemus, ſatis enim in hac re ſumus vagati, vt iam ſit opportunius ad aliud caput progredi. Nam, & ſi in hoc capite multi etiam vnguentũ, quod paſſim Aegyptiacum nuncupatur, poſuerint: nos tamen accommodatiorem locum illi futurum putamus, ſi ad ſequens caput, vbi de putridis vlceribus, & gangrenoſis agemus, transferatur.

De Medicamentis accommodatis vlceribus putridis; & gangrenoſis.

Cap. XI.

QVAECVNQVE vlcera ſunt cum alicuius putredinis complexu, ſiue iam facta ſit putredo, quæ apprehenderit non modo pus, quod in eo generatur, ſed etiam partes, & ſubſtantiam vlceratæ particulæ, ſiue partem ipſam omnino corruperit, & in ea vitam extinxerit: ſiue nondum eo malignitatis malum deuenerit, ſed adhuc ſenſus, & vita ſuperſtes eſt, quamuis in via ſit, vt extinguatur, & omnino extincto calore natiuo pars intereat, & quantum ad ipſam pertinet in cadauer deſinat, illa omnia huic capiti ſubijciemus. Nam licet in putreſcentibus particulis multæ reperiri poſſint differentiæ: illæ tamen non differunt, niſi ratione maioris, vel minoris putredinis. Vnde ordines, qui in putreſcentibus vlceribus obſeruari poſſunt, hac ràtione, vel methodo inueſtigari poſſunt, nempe, quia in vlcere conſideramus, aut pus quod ab ipſo effluit, vel carnem, ſeu ſubſtantiam vlceratæ partis, quæ vlceri ſubiacet. Si pus quidem conſideramus, illud eiſdem modis ſe habere reperiemus, ſicuti, & reliqua excrementa noſtri corporis, ſed ab illis exempla petamus, quæ magis aperta ſunt, & omnibus magis conſpicua, vt ſunt alui deiectiones, & lotia. In lotijs itaque interdum ſummam cruditatem notamus, in quibus nullum fere veſtigium apparet a calore, vel extraneo, vel naturali impreſſum, vt quando vrina alba eſt, & tenuis, colore, & ſubſtantia ſine vlla hypoſtaſi, & eam crudam omnino appellamus: interdum vero concocta apparet, vt quando ſubflaua eſt mediocri ſubſtantia, & in ea ſubſidet

hypo-

hypoſtaſis alba,lenis,& æqualis,quæque nullum fœ-dum, & præter eius naturam refert odorem. Tertia autem vrinæ differentia eſt,quæ confuſa, & turbida eſt,liuẽs,& aliquãdo ſubuiridis fœtidaque.Has quotidie differentias vrinarum in ęgrotantibus obſeruamus, quarum prior ſummam in venis cruditatem oſtendit: vtpote, quæ nullam elaborationem indicet excrementoſorum humorum, qui ſunt in venis a calore natiuo,ſed neque corruptionem ab externo, & putrefactione: altera vero exquiſitam tranſmutationem a natiuo calore,quanta poterat in ea materia deſiderari, ſed tertia demonſtrat ſummam corruptionem,& putredinem,victoriamque extranei,& putrefacientis caloris. Eodem quoque modo aluus interdum cruda deijcit, & aquoſa ſine vllo penitus fœtore,vel odore:interdum vero diluta quidem,& veluti colliquata excrementa ſine vlla naturali compage,& fœtidiſſima, vt nullus poſſit fœtorem ſine maxima moleſtia ferre. Interdum autem naturales fæces videntur mediocriter compactæ,quæ nullam redolent putredinem: Et hæc quidem ſunt veluti extremæ differentiæ horum excrementorum: nam inter has ſunt multæ intermediæ: imo fere innumeræ pro ratione, qua magis vel minus ad naturam primæ,vel alterius,vel tertiæ differentiæ accedunt. Poſſemus,& in ſputis id ipſum oſtendere, ſed ad inſtitutum noſtrum hæc poſſunt ſatis eſſe. Redeamus ergo vnde diuertimus. Hæ eædẽ differentiæ in vlceribus,ſi quis eas diligenter voluerit obſeruare,inſpici quotidie ferè poſſunt. aliquando enim effluit pus aquoſum, & fluens,quod nullam pręſe fert,neque coctionem,neque putredinem, vtpote, quod neque album,neque lene, neque mediocriter conſiſtens ſit, neque vllum putridum,& malum refert odorem. Interdum vero conſiſtens quidem eſt,albumque, & lene,vt & colore,& conſiſtentia actionem natiui caloris omnino dominantis demonſtret:interdum autem pus,quod inde effluit, craſſum quidem conſiſtentia eſt,nullam tamen lenitatem referens,ſed potius partium inæqualitatem,& aſperitatem,vt partim grumoſum ſit,partim liquidum,& fluens, colore vero liuidum eſt, vel fuſcum,interdũ ſubuiride, aut etiam viride,plurimũ autẽ fœtidũ,hoc ſane ad putredinẽ multam demonſtrat,& natiuum calorẽ extraneo, & putredinoſo ſuccumbere.Sed putredo hęc ad pus ſolũ pertinet: non-dum enim videmus carnẽ ſubiectã vlceri, atque ipſa labra arrepta eſſe a putredine, quamuis in ipſam ſint prona,& niſi illis probe fuerit, & opportune conſultũ,paulo poſt incident in putredinẽ, quia quod a putrido tangitur, neceſſe eſt vt ipſum tandẽ putreſcat. Quandoque vero putrefactio vlterius progreſſa ſubſtantiã,& labra, vel partes vlceratas corripit, quæ & ipſæ corruptæ putreſcunt extincta fere in eis vi naturalis caloris, & interdum quidẽ omnino extinctus eſt calor natiuus, vt iam deſierit computrefacta pars in cadauer,& tã calor, quam odor id iam oſtendit. Nam liueſcit, nigreſcitque locus ille, aut morticinũ, vt 7.Aphoriſ.Com.50.expoſuit Galenus, quendam calorem refert,& non ſolum carnem, & venas,arteriaſque occupat:verum,& ſubiecta oſſa, & affectum hunc ſphacelum Græci, ſiderationem Latini appellauere. Quandoque vero nõdum omnino extinctus eſt calor,neque emortua hactenus eſt pars,ſed in trãſitu eſt, & in tranſmutatione ad interitum:nam paulatim vincitur calor naturalis ab externo, aut ſtrangulatur a multa copia humorum infarcta in ipſa particula:ſenſus tamen eatenus in ea reliquus eſt,vtpote quæ doleat ſi pungatur,aut incidatur,ſed incipit iam hebetior fieri,& iam ille in parte coloris flos langueſcere,& liueſcere videtur, & hunc affectum gangręnam Gręci nuncupauere,cui aliud nomen,cuius meminerim,nullum Latini indidere. Quando autẽ pu-

A tredo, vel corruptio non ibi conſiſtit, ſed ſerpendo corripit ſubinde vicinas partes,ac eas quaſi depaſcitur νομαὶ à Græcis, depaſcentia vero vlcera a Latinis dicuntur. Quia vero initium curationis iſtarum malarum affectionum,hunc imprimis tanquam pręcipuũ ſcopum ſpectat,nimirum procurare,vt cõſiſtat putrefactio,nec vlterius ſerpens depaſcatur, deinde,vt putrilagine, quæ iam genita fuerat, detracta,detergatur,& mundum reddatur vlcus: tertio vero quemadmodum 2.de comp.medic. ſecundum genera docuit Galen.vt caro proba generetur: poſtremo,vt cicatrix adducatur, & putrefactio quidem ſiſtitur præſertim remotis eiuſ cauſis. Vnde nonnulla de cauſis ſuborientis in vlcere putredinis, antequam ad rationem medicamentorum, quæ his affectibus curandis ido-
B nea ſunt, exponendum accedamus, & quo breuiorẽ poterimus ſermonem habebimus. Tres ergo ſunt cauſę quatenus ex Galen.colligere poſſumus,tum ex multis locis,tum vel maxime ex 2. libr. comment. in 9.Epid.com.30.cur putredo vlcera corripiat. Prima quidem ſuccorum prauitas,qui vel ad vlcus confluũt vel etiam ex mala, & vitioſa illius temperatura ibi generantur. Vnde Galen.3.de cauſ.ſympt. gangrẽnam ex vitioſis ſuccis ortum habere teſtatus eſt, ex mala enim eorum natura, & qualitate interdum ſunt valde ad putreſcendum procliues. Altera eſt imbecillitas particulę,atque ſui natiui caloris,a quo nequeũt, neque ſi qui aliunde influant recte adminiſtrari, neque eius alimentum probe confici: facile autem cum incocti remanent ſucci, putreſcere ſolent, & ad im-
C becillitatem particulæ, & caloris natiui defectum poteſt tandem referri, quando ex vinculo,vel deligatione aſtrictiori in ſuperiori parte, vnde defluunt ſpiritus,facta: atque etiam quando ex importuno, & immodico vſu medicamentorum refrigerantium exterius adhibitorum,vt ſolent curantibus eryſipelata accidere. Tertia vero eſt immenſa copia ſanguinis confluens ad aliquem locum excitatura inflammationẽ. Cùm enim infarctus humor adeo inculcatur, vt diſflaretur,euentari nequeat,ſtrangulato, extinctoque natiuo calore, inflammatio primum in gangrænam, mox in ſphacelum,& ſubinde in nomen,uel depaſcẽs vlcus tranſit,& eſt id quod Arabes dicere ſolẽt,quod gangræna in aſcachilum tranſit: corrupta enim eſt
D vox ſphaceli in aſcachilum,qui etiam nomen,hoc eſt, depaſcens vlcus æſtiomenum, ſecus quam Græci appellant. Græci enim æſtiomenum herpetem vocant, quod ſummam cutem vlcerando ſerpit,quem affectũ Arabes formicam ambulantem appellauere. Sed de his ſatis. Conuertamus iam orationem ad rationem medicamentorum, quę his curandis vlceroſis affectibus poſſunt eſſe opportuna: ſed primum in conſiderationem reuocemus,quod cum affectiones hæ, quæ cum vlceribus complicatæ peculiarem præter vlcus indicationem habeant, & peculiari etiam curatione egent,& cũ ſint veluti ſoboles,vt docuit Galen.3.de ſy.npt.cau. uitioſorũ humorũ, quorũ uitiũ conſiſtit tum in multitudine,tum corrupta eorum qualitate,
E a quibus ortum,& fomentum habent, neceſſe eſt,ut qui cauſas putredinis remoturus eſt his in remouendis præcipue incumbat, a quibus illorum ortus, & fomentum pendere iudicauerit. Vnde cum omnia iſtiuſmodi ulcera in illis ſint, quibus curandis Hippocr.in libr.de ulc.& Galenus 4.methodi cap.5.ſanxere, opus eſſe, & corporis uniuerſi purgatione, & præterea etiam ſanguinis miſſione, tum ut id fomentum, quod aliunde habet ulcus, ſubtrahatur, tum etiam ut influxus uitioſorum humorum ab ulcere auertatur, & alio conuertatur. Sed in his nolumus longiores eſſe, cùm ad noſtrũ inſtitutũ, quod nobis in hoc tertio libro propoſuimus non pertineant. His autem expeditis, quæ ad procurationẽ uniuerſi cor-

poris,

poris, vel aliarum partium, ſi ab eis foueatur vlceroſa affectio, agendum erit, vt ſæpe monuere Medici quicunque iſtius artis periti ſunt, attendendum quippe erit loco ipſi affecto: & quia cum his in putrefactionem procliuis eſt, ſemper fere primum vitium in humoribus in illo contentis contractum eſt. Nam illi ratione humiditatis, quæ vt in prouerbio fere eſt, mater putrefactionis eſt, putreſcere ſolent, ideo ſecundo loco conſulere, vt & vitioſi humores, qui ibi præſentes aliquam concepere putredinem, detrahãtur: ne eorum contagio reliqua putreſcant: præterea vero, quia maxima in noſtris corporibus cauſa putreſcendi eſt prohibita difflatio, & tranſpiratio: ideſt, vt vacuato loco a vitioſo ſanguine vna cum alijs excrementoſis ſuccis, liberior, & expeditior fiat euaporatio, & tranſpiratio, inciſionibus, vel ſcarificationibus pluribus inflictis particulæ vlceratæ, permittatur ſanguis, vel etiam copioſus effluere. Mox autẽ omni ratione, & ſtudio deſiccationi danda eſt opera, quod quidem officium præſertim noſtro inſtituto attinet, quia id ope medicamentorum præſtari ſolet. Itaque poſt curam vniuerſi corporis, & per plures inciſiones euacuatum locum affectum ab infectis putredine excrementis, deſiccationi vniuerſa opera danda eſt: quia vt vincens humiditas putrefactionem inuitat, ita ſiccitas eam fugat, & reijcit: Vnde Hippocr. in li. de vlce. cui Gale. 4. metho. aſtipulatur, ait, quòd ſiccum ſano vicinius eſt: humidũ vero non ſano, primũ ergo lauanda eſt vlcerata pars, quæ ſcalpello inciſa fuit, vt putrilagines abluantur, illis autem lotionibus lauanda, quæ propter loturam, & deterſionem loci conferant, etiam arcendo putrefactionem. Et cum ſicuti Galen. ait 11. de facultatibus ſimp. med. optimum medicamentum ſit ſal, vtpote, quod & ſuperuacuam humiditatem abſumat, & ſubſtantiam, quæ ſemper diſſoluta, & laxa eſt in putreſcentibus rebus contrahat: ideo in his vti ſolent aqua ſalſa, & marina quidem, ſi ea ſit in promptu: ſin minus, adiecto ſale eam ſalſam efficiunt: muria etiam ſiue a ſalitis carnibus, ſiue ex piſcibus fuerit deſumpta, ſed ad hoc officium aceto vti poſſumus ſale immixto, aut etiam lixiuio, cui ſi & oxymel addamus, cum vtilitate id fiet, vel ſi lupini incoquerentur, aptum etiam erit medicamentum, vt tamen in his eligendis, prudens ſit Medicus, ſemperque ea conferat cum morbo primum: nempe, vt cum maior fuerit, maioremque conceperit putredinem, ea adhibeat, quæ magis deſiccent, maioremque vim habeant: minoribus vero vtatur, cum minor erit affectio. Deinde vero ad intemperaturam ipſius vlceris: nam ſi in eo inſignis videatur calor, illa ſint eligenda, quæ minus calefaciant, quia vel illa minus ex ſe calefaciant, vel illis aliquid incoquatur, quo temperetur calor: vt ſi lixiuio, vel aquæ ſalſæ incoquantur folia plantaginis, aut faba, aut addatur oxymel, vel acetoſus ſyrupus, quæ vt temperant, ita & reprimunt putrefactionem. Tertio vero reſpiciendus eſt ſenſus, qui in vlceroſa parte eſt: præſertim vero antequam corruptio ab humoribus in ſubſtantiam vlceratæ partis tranſeat, & incipiat iam gangrena ſuboriri, quia tum iam ſenſus fit obſcurior, & obtuſior. Vbi ergo ſenſus acris viget in loco affecto, mordacioribus medicamentis parcendum, ne fluxionem, & inflammationem præ dolore inuitent. Primus ergo putridi vlceris ſcopus erit procurare, ne vlceribus putredo progreſſa corrumpat labra, vel fundum vlceris, & gangrænam adducat. Et quia plerũque iſtiuſmodi vlcera ex multo calore, & multa humiditate, ſunt affecta, hæc enim putredinis proxima principia ſunt, ideo illis omni ſtudio erit occurrendum, & agendum refrigerantibus, & inſigniter deſiccantibus. Vnde ſi linamenta demerſa in oxymelite, imo & oxymel inſtilletur in vlcus, & deinde linamentis contegatur vlcus vniuerſum, erit admodum accommodatum medicamentum. Hoc tamen ſemper accepto tanquam fundamento curationis præcipuo, vt quotieſcunq; conſtiterit vlcus ab vniuerſo corpore, vel particulatim ab aliqua parte foueri, ſemper curatio illorum præcedat, & procuratio, vt ſubtrahatur fomẽtum illud. Sed ſunt etiam multa alia medicamenta, tam ſimplicia, quam compoſita huic muneri apta, nempe, quæ aſperſa, vel iniecta in vlcus, illo reſiccato repellere corruptionem poſſunt, ea tamẽ vt facultatibus ſunt diuerſa, ita pro varia affectione vlceris eligenda. Nã oxymel quidem exſiccat, & potius refrigerat quam calefacit: ſed præterea habet etiam non exiguam detergendi facultatem. Meſue vero Aloen ad arcendam putredinẽ ab vlceribus ſummopere laudat, & quamuis Gale. 5. Methodi dixerit, aloen imbecillum eſſe medicamentum ad adducendam cicatricem in vlceribus penis: præſertim ſi ea ſint humidiora, hoc tamẽ non tollit, quin a putrefactione tueri non poſſit vlcera in illam propenſa, laudat autem imprimis ſi cũ myrrha miſceatur. Omnes vero aloen præcipue vtilem eſſe in vlceribus ani, & pudendorum. Sed potẽtius ait Galenus, eſt anethum vſtũ vlceri inſperſum, & cucurbita exſiccata, & vſta itidemque inſperſa. Præſertim vero putridis vlceribus commodam eſſe ſabinam, & cupreſſi folia ait Galenus ſexto de ſimp. medicamentorum facultat. vt & maligniorem diuturnioremque putredinem ſuperare poſſit: præterea, & iſatidis, tam ſylueſtre, quam ſatiuum genus, & vtraque anagallis, & cortex radicis maniaci ſolani, hypericum aridum inſperſum, item & chamæpithys. Nono vero lib. imprimis terram lemniam commendat, ſi acerrimo aceto diſſoluatur, & illinatur vlceri, quando tetrum odorem redolet, & prætumidum eſt, ſordidumque: alioquin vero, aut vino, aut oxymelite, aut poſca, aut mulſa, aut vino dulci, aut ſapa, aut mulſo vino, & id pro vlceris maiori, vel minori prauitate. Vrinæ etiam humanæ, vt 11. eiuſdem operis libro ait idem Galen. non deſunt in hac re ſuæ laudes. Dioſcorides vero amaras amygdalas tritas, & ex melle vlceri illitas plurimum prodeſſe ait. Ex his ea eligi poterunt, quæ magis apta videbuntur, tum ratione maioris, vel minoris imminentis putredinis, tum vero maioris, vel minoris humiditatis ipſius vlceris, tum etiam ratione calidioris, aut frigidioris temperaturæ ipſius vlceratæ partis. Compoſita autem medicamenta, quæ apta, & idonea his vlceribus curandis eſſe poſſunt, alia arida ſunt, quæ in puluerem redacta ulceri inſperguntur, alia in modum cataplaſmatis conficiuntur, alia vero ab antiquis emplaſtra dici ſolita ſunt, ab Arabibus, & noſtris iunioribus vnguenta dicuntur. Agemus autem primum de cataplaſmatibus, quæ vim habent, vt affectam partem a putredine tueantur. Horum ergo materiæ, ex quibus plerumque conficiuntur, ſunt farinæ hordei, fabarum, erui. Sed & lupinorum, & lolij, priores tamen in maiori ſunt vſu: coquuntur autem in cataplaſma, aliquando ex oxymelite, aliquando ex ſyrupo acetoſo, interdum ex aqua maris, quãdoque ex poſca, nonnunquam ex lixiuio, & id pro ratione qua eſſe opus maiori, vel minori calefactione, maiori minoriue deſiccatione videtur. Nam lixiuium, & aqua ſalſa magis calefaciunt, & magis deſiccant, & omnino vim maiorem habent: oxymel vero minus calefacit, & aliquando minus ſiccat; ſed eo minus etiã ſyrupus acetoſus, minus etiam poſca. Aliqui vero lixiuio, vel aquæ marinæ acetum addũt, vt magis ſiccent, & in profundum facilius ſe inſinuent. Solent autem interdum farinæ pari pondere accipi, quandoque impari, & id pro arbitrio Medici, & eius iudicio; copia vero liquoris vnde conficien-

dum

dum eſt cataplaſma, relinquitur peritię coquentis. A Quatenus verò ad vſum horum cataplaſmatum, vel emplaſtrorum pertinet, interdum ſolis illis vtuntur Medici abſque alio vnguento, vel emplaſtro indito ipſi vlceri, vtpotè, quę poſſint quantum ſatis ſit, pręter id quod a putrefactione tuentur, deſiccare: detergunt etiam, præſertim ſi ex oxymelite, aut aqua ſalſa, vel lixiuio ſint confecta. Interdum vero, atque id quando ſordidũ eſt vlcus, illi addunt medicamentum, quod magis detergat, filamentis laceri lintei exceptum, vel linamentis: qualia ſunt multa, tum valentiora, tum leniora pro opportunitate, & indicatione vlceris. Multorum meminimus ſuperiori capite, quæ vim detergendi habent, vt ſunt viridia emplaſtra, vel vnguenta, cuiuſmodi illud eſt, quod Litem diximus a Gręcis appellari, & quod a iunioribus Damaſcenum: præterea Iſis Epigoni, & vnguentum Apoſtolorum, aut illud, quod ex charta B combuſta ab Auicenna literis traditum eſt: his vero valentiora ſunt aridum medicamentum a Galeno deſcriptum, quod & ipſum ex combuſta charta nomen habet, præſertim autem vbi vlcus iam putreſcere incipiat. In vſu ſunt ad hoc officium trochiſci Andronis, & vnguentum Aegyptiacum dictum, & alia multa, de quibus paulo poſt ſumus ſermonem habituri. Confecto ergo aliquo horum medicamentorum vlcere, ſuper id apponunt emplaſtrum ex his farinis confectum, quo non modo vlcus, verum & partes circunſtantes vlceri per aliquod ſpatium conteguntur. Sed iam opportunum erit, vt ad rationem medicamentorum tranſeamus, quibus apte vtimur C in curandis putridis vlceribus, quando non modo pus putridum eſt: verum & caro putreſcere incipit, & gangrænę particeps eſt, in quibus generales ſcopi ijdem ſunt: nempe putredinem reprimendam, & cohibendam, ne vlterius augeatur, & ſerpat: & quod putruit iam detrahendum, & detergendum, ne vicinas partes inficiat. Mox caro generanda, vt planum redditum vlcus poſtmodum ad cicatricem deducatur: ſed quia morbus maior factus eſt, & difficilior, maioribus etiam illi erit auxilijs, & remedijs opus: vnde cum agendum in primis ſit inciſionibus, & ſcalpellationibus, illis erit opus maioribus, & profundioribus, quo maior fuerit putredo, & magis in altum ſe inſinuauerit, atque vt ſanguis copioſior effluat, erit permittendum, tum vt qui iam vitium D contraxit, excernatur, & probus illi ſuccedat, tum vt inanita particula affecta, melior, & expeditior difflatio, & perſpiratio fiat. Hoc tamen ſemper animaduerſo, vt corpus vniuerſum minime ſcatens ſit uitioſo ſucco, qui malum fouere poſſit. Nam illud prius cauere oportebit reuulſionibus per ſectionem venæ, & purgationibus, vt ex Hippocrate, & Galeno ſuperius non ſemel monuimus. Sed quatenus ad topica remedia pertinet, poſt inciſiones, & congruentem ſanguinis effuſionem per ſcalpellationem, lauãdum erit vlcus, vt paulo antea dicebamus. Statimque ad valentia medicamenta erit accedendum: in his enim maioribus morbis, vbi periculum eſt imminens maioris alicuius ruinæ, non eſt, vt Galenus E 5. metho. docuit, incipiendum a leuioribus. Sed ratio etiam ſua habenda maioris, vel minoris putredinis, & magis, vel minus ſerpẽtis: ad id vero munus in primis accommodati ſunt paſtilli Andronis, quorum nuper eſt facta mentio, ita autem a Galeno 5. de Comp. mep. per genus deſcribuntur. Cytinorum accipiuntur dragmæ decem, gallæ drag. viij. myrrhæ ariſtolochiæ ſingulorum drag. iiij. atramenti ſutorij, vel vt Græci appellant, chalcanthi, aluminis ſciſſilis, myſios ſingulorum drag. ij. paſſo excipiuntur, & in paſtillos, & trochiſcos rediguntur: medicamentum eſt, vt etiam 7. metho. cap. 3. animaduertit Galenus, inſigniter aſtringens: aſtringunt enim generose galla, præſertim quæ omphacitis, hoc eſt, immatura appellatur a Medicis antiquis, & qua imprimis vtebantur, citinique, præterea, & atramentum ſutoriũ, miſy, atque alumen: ſed valide etiam deſiccant. Nihil enim accipiunt, quod non inſignem vim deſiccandi habeat paſſo excepto, vnde & roborare poſſunt particulam, & repellere, ſi qua influunt excrementa, & humiditatem, vnde ortum, & fomentum habet putredo abſumere. Optimum ergo eſt medicamentum, quod tamen neque plurimum mordet, & eius multa, & frequens mentio fit a Græcis, Arabibusque, & Latinis auctoribus, & illis poſſumus in puluerem redactis tanquam inſperſili medicamento vti. Poteſt etiam interdum ex melle exceptũ deduci B ad formam emplaſtri, uel mollis vnguenti. Si arido vtantur, vlceri erit inſpergendum, ſuper addito deinde aut emplaſtro ex farinis paulo antea deſcripto, aut ſi ſuſpecta eſſet inflammatio, aliquo altero medicamento apto ad arcendas inflammationes. Galenus ſuo vteretur phœnicinio, vel diapalma, ut nunc appellant. Poſſemus tamen & eo, quod ex ceruſſa, aut ex thutia a noſtris dicta, vel ex minio. Quod ſi videatur Medico uti illo diluto ex melle, nihilo erit imbecillius medicamentum. Nam, vt idem Galen. teſtatur ſecundo de Compoſitione medicamentorum per genera auget potius, & intendit id genus medicamenta mel, quam remittat. Longe uero fortius medicamentum eſt, quod ex charta combuſta dicitur, deſcriptum quinto de Compoſitione medi- C camentorum ſecũdum genera, quod hic referemus: quia in plurimo uſu erat antiquis, & in pręſentia eius etiam a iunioribus fit mentio, huius vero confectio ita ſe habet: Squammæ æris, gallæ, myrrhæ, ſingulorum drag. viij. ſandarachæ, non illius, quam Arabes, & iuniores ita uocant, ſed mineralis, vel metallicæ, quæ, & ipſa eſt auripigmenti ſpecies, illa quæ rubicundior eſt, arſenici, elaterij, ſingulorum drag. iiij. thuris, atramenti ſutorij, ſingul. drag. iij. chartę combuſtæ, quantum ſatis ſit ad contrahendum colorem. Fortiſſimum ſane medicamentum, & de quo dici merito poſſit, quod nomas, hoc eſt, depaſcentia vlcera refrenare, & ſiſtere poſſit, vt quod cruſtas quaſi exurens poſſit excitare, neque hoc puto fuiſſe D id, quo curare ſolitus erat Galenus ulcera in pene, vt ipſe teſtatus eſt quinto method. niſi quis forte dicat, quod eo non vtebatur ita ſolo, & arido, ſed diluto ex oleo roſaceo, ſicut etiam in vlceribus inteſtinorum ex oleo roſaceo infundebat. Nam ita poteſt ea ratione dilui, vt mite medicamentum fiat: ſed ipſe iſtius mixturæ ibi nullam mentionem facit, & fortaſſe quidem, quòd vbi ipſe in alijs libris medicamenti diacharta meminit, illud intelligit, quod primum ſub nomine diacharta ex libro Aſclepiadis deſcriptum referatur a Galeno in eodem ſeptimo de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera. Eius autem confectio in hunc modum ſe habet: Chartæ combuſtæ, plumbi combuſti, & eloti, arſenici, quammę, ſtomomatis, ſingulorum pars E vna, ſulphuris viui pars media, tritis vt oportet, ex melle vel roſaceo, vbi patet, quod licet inſigniter, & hoc ſiccet, minus tamen aſtringit, & minus acre mordenſque erit: acrius alijs eſt arſenicum, deeſt taten ſandaracha, & atramentum ſutorium: plumbum vero vſtum, vel nihil, vel parum mordet: æs etiam vſtum cum leuatur, magnam morſus, & acrimoniæ partem depromit, longè etiam minorem morſum eſſet habiturum medicamentum, ſi cætera quoque metallica, quæ lauari ſolent, lauarentur. Sed ad alia medicamenta tranſeamus minus acria, vel fortia, quæ quidem arida non conficiuntur, ſed ad emplaſtri, vel vnguenti formam deducuntur, & ad ea præ-

ſertim

ſertim vnguenta, quæ his temporibus ad curanda putrida vlcera, & reprimendam depaſcentem putredinem noſtris Medicis ſunt in frequentiori vſu: vt ſunt vnguenta Aegyptia ab Arabibus dicta, quorum conficiendorum duplex eſt modus, alter quem Meſue in ſuo appellato Antidotario retulit, cuius ſymmetria in hunc modum ſe habet: Accipe æruginis drag.v. mellis drag.xiiij. aceti drag.vij. alter vero ab Auicenna tertia fen. 4. libri, componitur in hunc modum: Vt accipiamus æruginis, mellis, aluminis, ſingulorum par pondus, coquuntur tamen hæc vnguenta donec gilua fiant: hæc eſt enim natura æruginis, vt cum cruda accipiatur in medicamentis, ea viridia efficit: ſed ſi coquatur parum, inde fiunt medicamenta lutei coloris: vlterius vero cocta, gilua, vel fulua colore reddit medicamenta. Hæc autem mineralia medicamenta, vt Galenus de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera ait, quo magis coquuntur, eo etiam magis ſiccant, non tamen magis mordent: verum forte etiam minus: differt vero hæc compoſitio a priori Meſ. quòd valentior, & fortior in deſiccando, & cruſtas excitando. Nam æruginis, quæ cæteris acrius, & valentius eſt medicamentum, tertia totius confectionis pars eſt, in priori vero, vix quinta. Præterea vero hæc magis aſtringens eſt ex alumine, vnde præter maiorem deſiccationem additam, magis etiam poteſt particulam roborare, & partes vicinas a putredine defendere, & confluentes humores repellere: & hæc mihi ſane ſatis eſſe videntur, quatenus ad ea pertinent, quæ faciunt ad curanda putrida, & depaſcentia vlcera, agamus ergo de erodentibus.

De Erodentium vlcerum, quæ exedentia Latinis phagedenæ a Græcis dicuntur, & ipſa inter maligna connumerata medicamenta.

Cap. XII.

VLCERA quæcunque ſerpentia vicinas circumſtanteſque partes corripiunt, aut id agunt ob putredinem in vitiata parte ſubortam, quę ſemper contiguas partes inficit, niſi cito illi occurramus, & id genus vlcera ad præcedens caput attinent: vtpote, quæ depaſcentia, vel νόμαι dicantur, ſed quæ citra putredinem ſerpunt erodentia, vel corroſiua: vt iuniores appellant, a Græcis vero phagedenæ dicuntur. Hæc ab acri, & ab abradente, & tandem erodente humore fiunt, qui ſi prætenuis ſit, non ad profundiores partes pertingit, ſed ſummam tantum cutem exedens vlcerat: herpeſque a Græcis dicitur, a Latinis vero præſertim à Celſo ignis ſacer videtur fuiſſe appellatus, quo tamen nomine alij eryſipelas appellant: ſin autem craſſiſſimus ſit humor, qui excedit, perinde, vt eſt exuſta, & feruens atra bilis: inde generantur cancri vlcerati, vel cancroſa vlcera. Inter hos in tenuitate, & craſſitie locum medium, vt decimoquarto metho. docet Galen. tenet phagedena: quippe quæ ex mediocriter craſſo acrique humore ortum habet, & proinde præter cutem erodit etiam ſubiectas partes. Hic vero acris, & vitioſus humor neceſſe eſt vt alibi generetur ex malo aliquo alterius partis affectu, & poſtea ad vlcus impulſum illi negotium faceſſat. Et quamuis non negemus, quòd interdum non poſſit ex aliqua in affecta parte vitioſa intemperie, nempe calida, & ſicca, gigni acris materia, quæ exulceret, & erodat: plerunque tamen, vt ibidem voluiſſe inſinuare viſus eſt Galen. aliunde generatum impellitur ad vlcus. Ex quibus in hunc

A modum conſideratis non eſt difficile, deinde indicationes depromere, quibus methodus conſtituenda eſt, qua curanda ſint iſtius generis vlcera. Nam cum ſemper indicatio a cauſa (niſi aliquod præceps aliunde periculum obſtet) alias omnes antecedat indicationes: ſi acris, & erodens humor aliunde quam in vlcerato loco ſui ortus occaſionem habeat, nitēdum erit, vt occaſio, cauſaque cur generatur prius tollatur: moxque vt id quod genitum eſt in corpore, aut per purgationem, aut per ſanguinis miſſionem detrahatur, & id vt magis expedire viſum fuerit, conſultis prius, viribus, ætate, & natura vitioſi humoris. Nam in herpete, vbi tenuis, & bilioſus, acriſque humor omnium malorum auctor eſt ſæpius magis vtilis erit

B purgatio, in alijs vbi humor craſſior erit, & vel craſſior, & exuſtus ſanguis, vel bilis cum ſanguine, vel bilis cum pituita præſertim ſalſa, vel quicunque humor non fuerit multum ſecretus a natura ſanguinis, non erit inutile venam ſecare, & ea ratione, vt cum vacuatione ſit reuulſio: ſed hæc potius a rei affinitate, & connexione ducti hoc loco expoſuimus, quam quòd præſenti inſtituto attineant, quo acturi eramus de medicamentis. Tranſeamus ergo ad aliam partem, quæ ipſum vlcus proxime ſpectat. In vlcere ergo duplex poteſt eſſe vitium, quia vel vniuerſum illi negotium faceſſit vitioſus humor aliunde eo confluens, qui præter id, quod ſua acrimonia ſubiectam carnem abradit, & exedit: corrumpit etiam & probos, [humores] qui a natura ad alendam eam particulam

C amandantur. Item poteſt, & vniuerſum vitiū eſſe in vlcerata particula, quæ ex aliqua mala contracta intemperatura corrumpit, & vitiat alimentū, vel etiam bonū, quo erat alenda. Interdū etiam vtrumque malū ſimul conſpirat: præcipue vero in diuturnis morbis, vbi ab influentibus vitioſis humoribus tranſmutatur tandem, & conuertitur vlceratus locus ſecundum propriam temperiē in vitioſam, & malā: ſed qua ratione malo huic occurrendū ſit quatenus ad fomētū illud, & occaſionē illam pertinet, quā aliunde habet: quatenus ſpectare poterat ad præſentē locum, oſtendimus. Agamus ergo de ratione medicamentorum, quibus curari poteſt particulatim locus, qui affectus eſt: cum fieri nequeat, vt nos quarto methodi

D cap.5. docuit Galen. quod vlcus ſanetur, niſi prius ſanetur particula, in qua contractum eſt vlcus. In his autem duo in primis conſideranda ſunt, nempe intēperies in quā tranſmutata eſt ea pars, & quia cum diuturnior ſit, nequit eſſe ſine vitioſa materia præſente, a quo fouetur illa intemperies: quare ſtatim duæ exoriuntur indicationes: prima vt tollatur intemperies vitioſa, reſtituaturque naturalis & proba: poſtea vt vacuentur vitioſi ſucci congeſti in parte vlcerata, aut abſumantur. Quibus peractis reliqua eſt deinde curatio vlceris caui, quam ſuperius expoſuimus: ſed quia dum præſens ibi vitioſa eſt materia abſorpta in ea parte, vel etiam in vicinis venis congeſta, nunquam omnino poterit intemperatura remoueri:

E ideo ab hoc ſcopo, vel ab hoc capite erit auſpicandum, nempe vt vitioſus humor detrahatur, quo detracto facilior erit deinde temperaturæ tranſmutatio: humor vero vitioſus bifariam vacuari poteſt. Nam aut per illam vacuationem, quæ conſpicua eſt, & ſenſibus manifeſta, aut per exſiccationem, digeſtionem, diſcuſſionemque: priorem vacuationem moliri docuit Hippocr. in libro de vlceribus, cui ſubſcripſit Galen. 4. methodi, per inciſiones multas ſcalpello inflictas: non ſolum vlceri, ſed vicinis & circumſtantibus partibus, in quibus congeſtus eſt uitiatus ſanguis, qui malignitatem ulceris fouet, ſcarificationem iuniores dicunt, e quibus illatis inciſionibus, permittendus eſt ſanguis, uel copioſus effluere. Sed & hoc ad inſtitutum de medicamento-

rum

rum ratione non pertinet, ideo ad alterum vacuationis modum, qui per medicamenta fit, accedamus. Conſideranda ergo in primis erit vlceris tam magnitudo, quàm etiam malignitas, vt apta medicamenta eligamus, componamuſque. Nimirum enim ad difficilia, & permaligna vlcera ſuperanda validis, fortiſſimiſque medicamentis opus omnino eſt, quia ex vſu leniorum & faciliorum augetur potius, & malignius euadit vlcus. Contra etiam vlcera mitiora, & minora nequeunt curari acrioribus, & fortioribus medicamentis, vt potius augeantur, & exacerbentur. Cum ergo vlcus & quantitate, & malitia mediocre fuerit, præter omnem rationem fuerit ſtatim curationem acrib. & vehementib. aggredi medicamentis: ſed mediocrib. & quantum fieri poteſt expertibus mordacitatis, ſtrenue tamen exſiccantibus, & potius refrigerantib. Cum enim eroſio fiat, vt diximus ab acri, & calido ſucco, & præſertim a calidiori, & ſicca intemperie genito, ad conſumptionem vitioſi illius ſucci neceſſaria eſt exſiccatio. Ad delendam vero calidam intemperiem, opus eſt refrigeratione, Et quamuis ſiccitas ſit quaſi lima, vt aiũt caloris, plus tamen poteſt tum refrigeratio, tum etiam abſumptio vitioſi illius ſucci, qui longe etiam magis ſiccabat, & calefaciebat, quam id genus medicamenta faciant. Medicamenta vero, quæ huic officio apta ſunt, ſunt aut arida, hoc eſt, pulueres, vel emplaſtra, vnguentaue, & arida, aut ſimplicia, aut compoſita. Simplicia multa eſſe poſſunt, in primis vero metallica, quæ ſint lota, & exquiſite trita: ſicuti præſertim pompholyx, pro qua thutia vtuntur in præſentia, quæ fortaſſe cadmiæ illa differentia eſt, quam botritim appellant, & factitia eſt. Sed & plumbum vſtum, & lotum, præterea ſtibium, bolus etiam armena, & terra lemnia ſeu ſigillata, & lapis hæmatites, & myrobalanorum puluis. Quidam & cariem lignorum laudant, cum quibus conſentire viſi ſunt Gal. & Dioſcor. Quidam & ſatis appoſite ex multis horum conficiunt aridum medicamentum, vt ex. empli cauſa, accipiunt ſpumæ argenti, quæ ſi ſit lota & trita exquiſite ex aceto in ſole, vel ex vino vt ſuperius expoſuimus, longe vtilius medicamentum erit, ſtibij, vel antimonij, lapidis hęmatitis, myrobalanorum citrinorum, boli armenæ, ſingulorũ partes duas, æris etiam vſti, & probe loti, quod ſi & ipſum eodẽ modo lauetur, melius erit, partem vnam, miſcenda ſunt omnia, & in tenuiſſimum puluerem redigenda, quo replendum erit vlcus: illique mox ſi imponantur, penicilli, vel vt Græci vocant ſplenia, quæ ſint imbuta aliquo vnguento refrigerante, & ex ſiccante, qualia ſunt quæ aut ex plumbo uſto, aut ex ſandice, quod deminio appellant, aut ex thutia, qua nunc pro pompholyge utuntur, aut id quod ex ſucco ſolani aut quod unguentum album dici ſolet, aut etiam illud, quod ex calce ſæpius elota fit, de quibus ſuo etiam loco agemus. Et his quidem maligna ulceris natura ſuperari poterit, & eroſio reprimi, præſertim ſi mediocris fuerit malignitas, quia quandoque adeo malignum erit ulcus, ut eiuſmodi medicamenta ſuperet omnino: quod duplici de cauſa euenire poteſt. Nam aut quia a prauis ſuccis, quo refertum eſt corpus, fouetur, aut quia caro ulcerata, & partium uicinarum adeo corrupta eſt, & malum uitium contraxit, ut & alimentum quemadmodum dicebamus, corrumpat in prauum & malignum ſuccum: & partes alioquin ſanæ, quæ prope ulcus ſunt, ab ulceratis, & uitiatis per quoddam ueluti contagium male afficiantur, & corrumpantur. Vnde ſi difficultas curationis occaſionem habet a fomento, quod habet aliunde: illi occurrendum erit per purgationem, aut per miſſionem ſanguinis, ut & paulo ante monuimus. Sin autem id

A ortum habeat a magno vitio in parte affecta, tunc præſtantiſſimum remedium, & aptiſſimum ad emendandum omne vitium, roborandamque particulam, & corrigendam illius partis intemperiem eſſet candenti ferro locum inurere, quod quidem remedium magis aſpectu horridum eſt, quàm re ipſa. Quod ſi quis aut propter ægrotantis timorem, aut propter ætatem, aut quia in parte aliqua ſit vlcus, quæ non facile ex toto poſſit hoc remedium ſufferre, medicamentis negotium conficiendum erit, quæ ſimilem ferè vim habeant, vtpote, quæ & cruſtam adducere ſolent, & vitiatam carnem exedere: ſicut ea quæ fiunt ex atramento ſutorio, aut ex calce viua, aut aqua vrente, aut eo vnguento, quod Aegyptiacum

B vulgo appellatur. Sed in præſentia in multo vſu eſt puluis ruber, quem præcipitatum nuncupant, & refertur in Ioannem de Vico celebrem chirurgum his pauloante actis temporibus, de quibus ſuo loco dicemus: poſtmodum vero cruſta remota, de qua etiã remouenda loco opportuno ſermonem habebimus, vlcus curandum erit, quo modo diximus curanda eſſe vlcera, quæ caua ſunt, nempe vt caro aggeneretur, donec planum & æquale fiat, mox vero ad cicatricem deducatur.

De Sinu & fiſtula, vel de medicamentis quibus hæc curanda ſunt.

C

Cap. XIII.

SInus eſt quaſi genus fiſtulam continens tanquam ſpeciem, nam fiſtula, vt Gal. in libello de tumo. præter nat. docuit, aliud non eſt, niſi ſinus oblongus & anguſtus: imò vt ille idem 2. prognoſt. teſtatus eſt, a ſua figura hoc etiam nomen ſortitum eſt: imitatur enim fiſtulam, quæ muſicum inſtrumentum eſt oblongum, anguſtum & excauatum, vnde ſimilis eſt generatio in vniuerſum ſinuum & fiſtularum: ſinus autem ſunt quaſi cuniculi in carne, vel ſimilibus corporibus excauati. Vnde ſemper in ſinu os, quod in cute eſt, minus & ſtrictius eſt, quam fundus & cõcauitas vlceris: & fiunt ſinus, vt ille idem eodem de tu-

D mo. præter nat. libr. expoſuit, quando pus tum cutẽ excoriat, tum vero in cauſa eſt, cur ſuperiores partes, & continentes a ſubiectis & contentis abſcedant, quę vbi abſceſſere, & mutuo diſtant, cum redire ad priſtinum ſtatum, & ſimul coire iterum nequeunt, ſinus iam factus eſt, qui niſi cito curatio apta adhibeatur, callum contrahit: iuniores vero dicerent fieri oſtracoſum, atque ſubinde induratur, vt mox non facile curationem admittat. Solet autem ſinus plerunque ex abſceſſibus fieri: Vnde omnes tumores præter naturam, cum in abſceſſum deſinunt, rupto & aperto abſceſſu, & excreta materia, quæ in eo continebatur, iam, vt ait Galenus 2. lib. comm. de his, quæ in medica officina comm. 27. non amplius abſceſſus eſt, ſed

E ſinus erit appellandus. Fiunt tamen ſinus interdum ob contuſiones magnas, vt nonnulli iuniores dixere, neque id inepte. Nam cum ſit neceſſe, vt monuit Hippoc. omne contuſum tãdem putreſcere & in pus verti, in magnis contuſionibus ſicuti factis ex globulis eiectis vi bellicorum tormẽtorum, quæ ſclopettos vulgo appellant: facile contuſi circumquaque, vel etiam altioribus partibus fiunt ſinus. Sinus autem aut rectus eſt, aut obliquus, qui quidem talis pro partis, in qua vlcus excitatum longitudine dicitur: quia ſi recte per longitudinem fuerit protenſus, rectus erit appellandus, ſed ſi in latus quoquomodo declinet, erit, vt ibidem teſtatur Galen. obliquus: rectus vero ſinus, aut decliuis eſt, decliuem autem appellamus, quando fundus ſuperior eſt, & os inferius: ſicut

quando contra ſe habet, & os ſuperius eſt, accliuem nuncupare poſſumus. Hæ igitur ſunt differentiæ ſinuum. Eorum uero duplex eſt curationis ratio. Nam aut integre, & vere curantur: vera autem & abſoluta curatio eſt, quando partes, quæ mutuo abſceſſere, & auulſæ ſunt, iterum conuenientes ſimul agglutinantur, & ita ad vnitatem redeunt, vt nullum inter eas ſpacium relinquatur, ſed vndique ad priſtinam continuitatem reuertuntur. Altera vero ficta quædam, vt Galenus in libro de tumoribus præter nat. inſinuauit, curatio eſt, quam palliatam iuniores appellarunt. Nam neque inter ſe diductæ, & diſpartitæ partes agglutinatæ vniuntur: immo cauitas aliqua in eis reliqua eſt: veruntamen contracta callo, ita deinde a medicamentis, & ratione victus exſiccātur, vt integra videatur curatio. Nam niſi intercidat aliquod in ratione victus peccatum, & alioquin corpus ſanum, & mundum ſit, poterit ſinus, ita contractus diutiſſime ſeruari, vt ſanus appareat. Verum ſi ex aliqua occaſione, iterum fiat aliqua inutilis, & ſuperuacaneæ materiæ congeſtio, inde, repleto loco illo imbecilliori facto, iterum fit abſceſſus, & niſi integra fiat curatio, poterit ad eundem ſtatum ſæpius redire, atque etiam ſemper facilius, & frequentius: quia ſinus, qui ſemper reliquus, eſt aptus ſane eſt, vt facillime repleatur, cum iam ſit facta facilis via fluxionibus: imo abſceſſus iſti citra dolorem excitantur propter callum ſinui obductum: ſicuti poſtea facile etiam cum colligitur materia, effluit: cum ſinus ſit apertus. Sed ſi fiat conglutinatio partium, & concretio, & mox iterum in eundem locum confluēte materia fiat abſceſſus, neceſſe eſt, vt cum diſrumpitur, dolor concitetur. Hoc vero loco præſertim agemus de ratione eorum medicamentorum, quibus vera perfici curatio poſſit. Prius tamen pro nouitijs medicis hoc videtur explanandum, cuius Galen. 3. libr. commen. in ſextum epide. comm. 37. 38. & 39. meminit, pertinens ad fiſtulas, nempe quòd nonnunquam cum fiſtulæ inueteraſcunt, quòd ſæpe in ano contingit, natura illis aſſueſcit, & illis tanquam emiſſario quodam perinde vtitur, atque mariſcis, ad corpus expurgandum, & excernenda varia, quæ quotidie in corpore gignuntur excrementa. Vnde non eſt omnino, vt ille docet tutum, curare has fiſtulas, ſicuti neque mariſcas: niſi huic periculo, & recta victus ratione occurramus, & corporis purgatione, vacuationeue, per aliqua interualla repetita, vel ſaltem exercitatione. Sed propius ad inſtitutum noſtrum accedamus, quod proxime rationem, & vſum medicamentorum reſpicit. Porro vt & Galen. ſæpius in libris de comp. med. teſtatus eſt, eadem eſt methodus, quæ nobis curationis, & quæ compoſitionis & vſus medicamentorum rationem demonſtrat: ideo nobis primum videntur aliqua ponenda fundamenta, quibus ea omnia, quæ dicenda ſunt, innitantur. Primumque aliqua in memoria reuocanda ſunt, quæ prius fuerant expoſita: nempe, quòd tam in vulnerib. quam vlceribus curandis prima, & princeps eſt natura, ad medici vero officium pertinet procurare, vt ea remoueantur, quę poſſunt naturæ eſſe impedimento, quo minus ſuo fungatur officio. Et quamuis multa huiuſmodi ſint impedimenta, vt in priorib. capitib. explanauimus, quorum aliqua morbi ſunt, aliqua cauſę, aliqua ſymptomata, & aliqua, aut ſemper, aut frequētiſſime con comitantur, & fere ex propria ſinus ratione, & alia vero raro, & quaſi externa, & aliena occaſione: de primis nos tantum ſermonem inſtituamus: hæc vero tria præſertim ſunt. Nam & duplex illud excrementum, alterum tenue, & ſeroſum, alterū vero craſſum, quod ſordem appellari diximus, quæ quidem, & ſi ſint omnibus vlcerib. communia, tamē in ſinib. ea lō-

A ge copioſiora, habita ratione magnitudinis, gignuntur, quàm in alijs vlcerib. quæ citra ſinum ſunt. Præterea vero, & callus, qui raro in fiſtulis, & ſinib. cum diuturni fiunt, non contrahitur: & quamuis alia quoque ſinibus, & fiſtulis poſſint accidere, quod poſſunt impedimento eſſe horum curationi: quia tamen hęc familiariora, & frequentiora ſunt, horum tantum meminimus, vtpote quæ præſenti huic inſtituto magis attineant. Quoniam autem omnia vlcera, vt ſæpius teſtati ſumus, curantur imprimis exſiccatione, deinde vero & deterſione, & hæc non ita facile in ſinib. præſtari poſſunt, ideo etiam longior, & difficilior eſt eorum curatio. Vnde in hoc præſertim conſiſtit ratio curandi citius, & facilius ſinus, vt procuremus B primum quo pacto ea, quæ in illis quotidie gignuntur excrementa, prompte & facile inde poſſint effluere. Nam ita promptius & facilius deſiccari & detergi poterunt: deinde cum ſit opus vti medicamentis ad eorum deſiccationē, & deterſionē, & non ſit perinde facile, vt medicamenta opportuna pertingant ad omnes partes vlceris, cum tamen omnes ope eorum egeant, vt ſiccentur, in ſinuoſis, vt in apertis vlcerib. hac etiam ex parte deſiderant induſtriam medici, qui aliquam ineat rationem, qua poſſint medicamenta ita parari, vt in vniuerſum poſſint ſe inſinuare. Maxime vero omnium callus, ſi iam fuerit obductus, impedimento eſt, quo minus conglutinari, & conſolidari ſinus poſſit. Circa hæc itaque præſertim vertitur negotiū medici in curandis iſtiuſmodi vlcerib. & quate C nus ad deſiccationem, & deterſionem pertinet, nihil ita ad facilem, & citam, tum deſiccationem tum deterſionem ſinus facere poteſt, quàm procuratio, vt non detineatur pus, quod in eo gignitur, ſed facile effluat. Nemo enim non videt quam ægre exſiccari poſſit, & mundus reddi locus, in quo nequit pus vt generatur, ita etiam effluere: facile autem in ſinibus illis effluit, qui decliues ſunt, in quibus os deorſum ſpectat, fundus vero ſuperior eſt. Vnde periti medici maxime nituntur, quando ſinus non hoc modo ſe habet, ita parare, vt in eum modum ſe habeat, nempe in eo ſitu collocata particula, ut os ulceris deorſum uergat, ſi tamen ita poteſt ſine multo incommodo collocari, quod ſi id ratione naturæ illius particulæ fie- D ri nequeat, ferro, ſi locus admittat, id facere nituntur, nimirum perforato ſinu in eius parte, quæ magis decliuis ſit, & ex qua ſit puri facilior exitus. Et quia quandoque neque hoc licet, obſtat enim compoſitio, & natura particulæ, commenti ſunt præterea medici, ligaturis, & puluillis moliri expulſionē puris, nempe faſcia, deligantes partē ulceratam, incipientes deligationem paulo ſub ipſo ſinu appoſito puluillo, quo comprimatur fundus ſinus, & facta deligatura aſtrictiori ad fundum, aſcendendo uero ſemper aliquantum remittendo aſtrictionem uerſus os ſinus, ut ſuperius ad exitum reprimatur, & quaſi elidatur pus: exireque cogatur. Quia uero ſæpe neque hæc commenta, & quaſi machinamenta ſunt ſatis, E ſed & uirib. medicamentorum ad abluendas detergendanſq; ſordes, & ad exſiccandum ſuperuacaneum humorem, idoneis opus eſt: quod præſertim ad noſtrū præſens inſtitutū ſpectat: ideo huc uniuerſum noſtrum ſermonem conuertamus, propoſitis ſemper duobus illis ſcopis, qui in curandis omnibus fere ulceribus, ut ſæpe diximus, ſpectandi ſunt, nēpe ſordiū deterſio, & ſuperuacui humoris exſiccatio: remotis enim his, quæ naturæ impedimento erant, cætera omnia natura ſponte ſua molitur. At uero cum medicamenta, quæ hæc præſtitura ſunt, non poſſint ſuo munere fungi, niſi fuerint immiſſa in ſinū, & immitti nequeūt, niſi liquida & fluida ſint: docti ab ipſa re medici, in curandis ſinib. id genus medicamētis, quæ humida, & fluentia ſint, vtpote quæ vel per æneam

fiſtulam,

ſiſtulam,vel per aliud inſtrumentum ſimile illi, quo clyſteres inijci ſolēt,immitti poſſunt, talia vero ſunt quæ aquea ſunt conſiſtentia, vt eſt aqua mulſa,vinū mulſum,lixiuium, aqua marina muria decocta multa;quæ a iunioribus lotiones appellantur, aut emplaſtra, vel vt cum iunioribus etiam loquamur, vnguenta,quæ ὑγρὰ hoc eſt humida a Græcis dicūtur, quippe quæ tenera ſint, & quæ aliquo aut oleo,aut liquore diluta, fluere poſſint: prius autem de priori medicamentorum genere ſermonem inſtituamus. Cum itaque ſinus recens eſt,ex paulo ante rupto abſceſſu excitatus, maxime Gal. ſecundo libro comm. in ea quæ, in medica officina comm. 28. probatur aqua mulſa infuſa, vtpote quæ ſatis apta ſit ad parandas omnes partes ſinus, vt facile agglutinari poſſint, detergit enim ſordes, quæ obſtare poterunt. Vbi vero iam cœperit ſinus eſſe aptus ad agglutinationem, vtilius erit vinum modo ſolum citra mel, modo mulſum itidem infuſum, quippe quod accommodatius agglutinationi ſit,quàm mulſa, præſertim ſi inter auſterum, vt ibi ait Galen. fuerit & dulce: mulſa vero vtilior eſt ad ſordes, ichoreſque abluendos,& detergendos, quæ id temperamentum habet, vt potui non ſit iniucunda. Conſueuere autem multi ex iunioribus in colluendis his ſinibus vti aqua hordeacea addito melle roſaceo, in vtroque enim deterſio cum exſiccatione eſt,præter id, quod etiam refrigerant, quod maxime opportunum eſt, quando calida adeſt in loco intemperatura, aut ſint aliquæ inflammationis reliquiæ, aliqui vero decocto iridis, aut ariſtolochiæ, aut vtriuſque ad abluendum ſinum vtuntur. Sed hæc potius idonea ſunt, quando iam carnis generationi, vt repleatur ſinus, vel agglutinationi opera danda eſt. Cum ergo recens eſt ſinus, neque hactenùs ſibi aliquam comparauit malignitatem,mundus his aut ſimilibus erit reddendus, quo reddito purgato, & mundo, agendum poſtea medicamentis, quæ tum carnem aggenerare, tum vero latera ſimul agglutinare poſſint. Quod ſi ſinus interius malignitatem conquiſierit, aut putredinem,aut eroſionem, vnde etiam diuturnus euaſerit, fortioribus & acrioribus ad ſuperandum eius malitiam erit opus: & quantum ad lotiones pertinet Galen. 2. libr. artis curat. ad Glauconem cap. octauo, præſertim laudat lixiuium, quo vtendum tam diu eſſe voluit, donec tota ſordes fuerit exſiccata. Auicen. vero, quem multi præterea alij ſequuntur, præter lixiuium probatur & aqua marina, & aqua aluminoſa, quæ præterquam quod deſiccant, & detergunt, fluxiones etiam ab affecto loco repellunt. Sed ſi quaſi putredinoſum ſit vlcus, a quo humor cruentus,& fœtidus effundatur, Aetius oxymel alijs omnibus præfert. At vero interdum,imo ſæpius non ſolis lotionibus poſſunt mundi ſinus reddi, ſimulque carne repleri,aut agglutinari,& tandem ad cicatricem duci: verum neceſſarius eſt præterea, & aliorum medicamentorum, vel aridorum, vel in formam vnguentorum, vel emplaſtrorum compoſitorum vſus: illis autem bifariam vti ſolemus in id genus vlceribus curandis. Nam aut in ipſum ſinum, vel fiſtulam inijcimus, aut linteolo paniculoue medicamentum extendentes exterius adhibemus. Priorem autem ſermonem de illis inſtituemus, quæ interius in ſinum inijcimus, hæc ergo pro vario ſtatu, & natura vlceroſi ſinus varianda ſunt. Nam ſi ſinus non contraxit aliquam malignam naturam,neque callum, neque ſordem malā & craſſam,copioſioremque, quam ratio eius requireret, quæ ſinibus ſolent accidere, aliquando ob vniuerſum corpus male affectum, vtpote quod prauis ſuccis ſcateat, interdū vero ob medici imperitiā,q nō recta ratione primum tractauerit abſceſſum, deinde

A vero & ſinum,vel ob mollitiem metumve ægrotantis,qui non permiſerit medicum opportuno tempore aperire & reſcindere abſceſſum,neque poſtea congruentia medicamenta admittere & ferre voluerit: ſi itaque eo nondum deuenerit, ſed ſimplicior ſit, ea illi medicamenta erunt apta quantum ad facultates pertinet, quæ idonea ſunt ad modice implendum ſinum carne, atque mox agglutinandum, ſed quo ad conſiſtentiam, quæ ita fluida & mollia ſint, vt aut per fiſtulam, aut per inſtrumentum, quod fit ex ſuilla veſica alligata fiſtulæ, perinde, vt illud eſt, quo pueris clyſteres ſolent imponi. At vero quia emplaſtra, vel vnguenta, quorum fit tam ab antiquis, quàm iunioribus medicis mentio, tanquam B eorum, quæ idonea ſint ad carnem in vlceribus generandam, vel ad glutinandam etiam, craſſioris ſunt conſiſtentiæ, quàm vt poſſint his inſtrumentis inijci in ſinum, vt in hos vſus venire poſſint: neceſſe eſt vt liqueſcant, & diluantur aliquo oleo vel liquore alio, dum autem commiſcentur cum his, vires remiſſiores retinent, & imbecilliores, tàm ſiccandi quàm detergendi: vnde in curandis ſinuoſis vlceribus neceſſaria ſunt longe acriora vnguenta, & emplaſtra, quàm ea quæ ſarcotica, vel agglutinatoria ſuperius fuere appellata: qualia ſunt communia emplaſtra, quæ viridia ab antiquis dicebantur,& quorum ſuperius eſt ſua etiam facta mentio. Sed ea ſunt ſumenda,quæ ſola & non commixta,& oleo diluta nullo modo ferri ab ægrotante præ aC crimonia poſſent, cuiuſmodi erat emplaſtrum Macherionis, cuius meminit Galen. ſecundo, de compo. per gen. quod in præſentia in nullo eſt vſu,& illud etiam quod priſcis temporibus maxime celebrabatur ab omnibus ferè medicis,& Iſis appellabatur. In hoc ordine etiam eſt quod ab Auicen. vnguentum Apoſtolorum dicitur: fuit autem poſterioribus in maximo vſu, & ni fallor, aliquantiſper minus acre eſt,& validum quam Iſis,parumque diuerſum ab illo, quod ceraſcos, vel craſcos appellat Meſue. Sed de his paulopoſt magis particulatim agemus. Noſtri vero iuniores medici,in ſinib. curandis,præſertim vero illis, qui ſordidiores & humidiores, atque etiam difficiliores ſunt, vtuntur eo,quod Aegy- D ptiacum appellatur, de quo ſuperius verba fecimus, diluunt autem aliquo liquore, qui & ipſe ſit ea facultate præditus, quæ apta ſit ſcopo, qui in curando,vel mundando ſinu ſit vtilis: plerumque vero decocta conficiunt ex ariſtolochia, vel iride, vel centaurio, aliquando vero mulſa, aut vino, prout magis expedire viſum fuerit, atque infundunt in ſinum,& adeo feliciter eo vtuntur,vt eo ſolo non modo vlcus a ſorde depurent, verum & agglutinent,& ad cicatricem perducant: maxime vero vbi vlcus plurimo humore ſcateat, & multa in ano vlcera hac ratione curata vidi. Sed hic vnum mihi videtur animaduerſione dignum, cuius meminit Galen. ſecundo libro artis curati. ad Glaucon. quod inter- E dum ſinus proxime ſub cute eſt, adeo vt ſæpe ſola cute, & illa admodum tenui,vt ſimilis fere videatur tritæ & laceræ veſti,vnde & à Græcis medicis ῥακώδης dicebatur: ſolet autem talis euadere,præſertim quando abſceſſus non fuerit opportuno tempore per ſectionem apertus, & id aut propter imperitiam medici curantis, aut timorem ipſius ægroti, qui inciſionem pati non audet. Vnde poſtea cutis a pure contento & erodente ſemper magis attenuatur,& non modo in abſceſſu antequàm aperiatur,pus erodit carnem, cui hæret: verum & in eo rupto, & in ſinum conuerſo, cum pus detinetur, nec facile effluit. Vnde hac etiam ratione obſtat generationi carnis, & agglutinationi. Itaque agglutinatio,& carnis aggeneratio in his ſinibus qui adeo tenui & la-

cera cuti conteguntur, per quam difficilis eſt, & peritum medicum requirit: eius autem curandi ratio, altera quidem prōptior, & facilior, breuiorque eſt, nēpe ſi forcipe aut cultello ſecundum longitudinē vlceris, tota ea cutis incidatur, atque ita operū vlcus aperiatur: nam facillime pus effluit, & vlcus accommodatis medicamentis ſiccari, & detergi poteſt, & ſubinde carne repleri, & ad cicatricem deduci. Commodius præterea medicamenta poſſunt adhiberi, quamuis malignum, & madens ſit multo humore, & quidam ignito, & candenti ferreo inſtrumento eam inciſionem ſolent moliri. Altera autem longior, & difficilior eſt, quam medicus ope medicamentorum perſicere nititur, & hanc docuit Galen. 2. libro ad Glaucon. Nam interdum ægrotantes non præſtant ſe ad hanc inciſionem faciles, & quandoque locus non poteſt niſi cum periculo ferre ſectionem, vel ſi poſſet ferre, fugimus tamen ob magnam cicatricem, quæ partem illam multum deturparet, ſicuti in facie has cicatrices quantum fieri poteſt fugimus. Cum ergo in hunc modum ſe habet vlcus, ſolebat Galen. lixiuio lauare, vt purgetur ſinus; deinde adhibebat ea, quæ humida eſſent actu ſecundum ſuam conſiſtentiam, vim tamen inſignem deſiccandi haberent. Nam ſi eis vtamur, ait Galen. quæ conſiſtentia ſint ſicca, tenuis illa cutis adeo reſiccatur, vt ſimilis fiat corio, vel pelli tritæ, præfert autem in hac re Galen. ſuum emplaſtrum, quod diachalciteos, noſtri diapalmam nuncupant, ſi conficiatur ex vetuſtiſſimo oleo, & mediocris ſit conſiſtentiæ, quod neque durum admodum, neque ita molle ſit, vt inquinet. Præterea vero & illi mel eatenus coctum probatur, vt emplaſtri compagem habeat, nempe vt neque durum ſit neque diffluens. Nam tanquam optimum medicamentum ab antiquis habitum eſt, ſi ad congruentem cocturam deueniat, quia non vnicuique facile eſt ad eum concoctionis modum vel deducere, ideo Galenus defectum concoctionis docet corrigere ſuper aſperſo puluere tenuiſſimo thuris, vel myrrhæ, & aloes, vel aliquorum, vel omnium nimirum, quando linteo inunctum liquidius videatur, quam ratio requireret: excutiatur vero puluis per cribrum, & ſemel tantum, vel ad ſummum iterum excutiatur. Sed ſi maior, & profundior fuerit ſinus conſulit, vt inter coquendum præfati pulueres inſpergantur, tamen & centuarium minus, interdū & ſymphytum, quandoque & erui farina addi poſſunt. Sed de his ſatis egimus; agamus præterea de medicamentis, quæ exterius appoſita ſinū cōprehendunt. Ea itaque huic officio apta eſſe ait Galen. quæ præterquā quod inſigniter deſiccēt etiam e profundo attrahāt, hæc tamen omnia citra morſum faciant. Hoc tamen diligenter obſeruato, vt pro diuerſa ratione, & conditione ipſius vlceris diuerſis vtamur medicamentis, atque etiam, quod tamen idem eſt pro diuerſis ſcopis, qui nobis offeruntur. Nam ſi vlcus purgatū mundumque redditum ſit, ſola agglutinatione laterum opus eſt, perinde vt in recentibus & ſanguinolentis vulneribus. Vnde & eadem vſui eſſe poterunt medicamenta, quibus vti ſolemus in eiuſmodi vlcerib. vel vulneribus, qualia antiquis ea erant, quæ appellabantur Barbara, & quæ cirrha, hoc eſt fulua, vel quæ fuſca, phæa autem a Græcis dicebantur, de quibus Galen. ſermonem in ſecundo, & ſexto de compoſitione medicam. ſecundum gen. ſatis etiam copioſum habuit: de hoc medicamentorum genere quātum videbatur poſſe eſſe ſatis, nos quoque ſuperius egimus: in hunc vſum venire poſſet emplaſtrum Galeni, cuius paulo ante meminimus, quod phœnicinum ipſe, vel chalciteos appellat, & illud præterea, quod ex lithargyro, & œnelæo, vel ex oxelæo cōficitur: ſin autem nimis humidum eſſet exſiccantio-

A ribus medicamentis agendum eſſet: ſi ſordidius, Iſis emplaſtrum ex cerato quantum ſatis eſſet ad hoc, vt non morderet accommodatum eſſet, vel aliquod iſtiuſmodi alterum: ſi calloſum eſſet vlcus, mollientibus, & digerentibus eſſet opus, vt eſſet diachylon magnum, additis etiam his lachrymis, quas vulgo gūmas vocant: item hyſſopi, ſeu nauis œſypi ceratum, quod a Meſue deſcribitur, & id genus alijs, quæ magis minuſue digerere, & mollire poſſent, pro maiori minoriue duritie. Nam dum initio res eſt, neque indurnerit callus, vel diapalma poſſet ſufficere: nam vim molliendi ex adipe ſuillo habet, digerendi autem, & deſiccandi ex chalcitide: vbi vero magis obcalluit, ea medicamenta, quæ durities digerunt, magis erunt opportuna. Sed in modo vſus horum hoc
B animaduertendum, quòd a Galeno moniti ſumus ſecundo libro ad Glauconem, quod eiuſmodi medicamenta linteo extenſa, & illita apponenda ſunt, quę comprehendant vniuerſum ſinum, vt tamen forcipe pluribus foraminibus ſint inciſa ad os ipſius, ſinus, nēpe vt pus, ichoreſque facilem habeant effluxum: imo & hoc conſuluit Galenus, quòd altero & latiori medicamento vniuerſus contegatur ſinus præter eius, altero vero os, quòd breuius ſit, & quaſi par, vel paulo maius ipſo ore, quod & ſæpius, quotidie nimirum, vel alternis diebus mutetur, cum alterum nequaquam auferendum ſit, niſi per longa interualla. Addit & tertio, quando agglutinationi ſinus damus operam, alijs medicamentis ſpongiam nouam madidam, vel vino vel mulſo ſuperaddendam. Sed
C de calloſis ſinibus, vel fiſtulis paucula quædam dicamus.

De Calloſis ſinibus, fiſtuliſque, ac alijs vlceribus, quæ oſtracoſa iuniores appellant. *Cap.* XIIII.

ET ſi vlcera omnia vel ratione male affecti corporis vitioſiſque humoribus referti, vel ex imperitia medici, vel ex pertinacia, & inobedientia ægrotantis poſſint calloſa fieri, & omni ex parte, hoc
D tamen vitium fiſtulis, & ſinibus magis familiare eſt, præſertim vero labris ipſorum interius. Quandoque tñ vt a Galeno quinto de ſimpli. medi. facultatib. haberi poteſt, & exterius circumcirca ipſum os. Indurātur autem duplici præſertim de cauſa: nempe aut ex immodica ſiccitate, aut ex infarctu materiæ, in primis vero craſſioris, qua repleta particula diſtenditur, & indureſcit: nam de tertia cauſa, qua aliquid a frigore concreſcens induratur, mihi in præſentia meminiſſe opportunum minime videtur, vtpote quoniam nunquam, aut rariſſime ea de cauſa indureſcunt labra vlceris. Plerunque enim, ni fallor, fiunt calli in vlceribus, eodem modo quo ſcirrhi: quippe qui aut ex infarcto frigido, & craſſo humore, aut ex calido quidem inter initia, craſſiori tamen, atque mox deferue-
E ſcente, digeſtiſque tenuioribus & humidioribus partibus gignuntur, ſicut quando inflammatio in ſcirrhum tranſit: fit tamen interdum ex importuno refrigerantium vſu, vt eryſipelas in ſcirrhum vertatur. Sed potius duobus prioribus modis fiunt calloſa vlcera, dum humores influentes in eas partes, nec excreti vel ſeparati, ibi diutius retinentur; maxime vero ſi craſſiores ſint, atque ibi dum a calore natiuo, magis etiam ab extraneo, quo ſemper aliqua ex parte affecta ſunt vlcera: tum vero vi exſiccantium medicamētorū; diſcuſſis paulatim tenuioribus, & humidioribus partibus, ibi quaſi durus tumor gignitur. Horum porro callorū, vt duplex pōt eſſe conditio, ita duplex

indicatur

ſin dicatur curationis ratio: in initio enim dum nondum exquiſite induruere, ſed indureſcunt, & molliri & digeri vi medicamentorum poſſunt: at vbi exacte induruerint, nequeunt hac curandi ratione vinci, attérique: ſed tantum manuali operatione: vtpote ſi nouacula, aut cultello abſcindantur, aut ſi igne vrantur, & hac ratione detrahantur. At ſi vel locus non admittat, vel ægrotus nolit, vel nequeat ferre hanc operationem, medicamentis cruſtas inducentibus, vrentibuſque perinde, vt ignis inurenda ſunt: hæc medici tum cauſtica, tum ſeptica appellant. Sed de prima curandi ratione priorem ſermonem habeamus: cæterum iſtius morbi ratio non eſt vna, & ſimplex, ſed conſtat ex complexu duorum affectuum, nempe vlceris, & calli, vel duritiei: & proinde medicamenta, quorum vſus ipſis curandis idoneus eſt, componenda ſunt, habita ſemper ratione duorum ſcoporum, quæ nobis duo illi affectus offerunt. Callus enim requirit tum mollientia, tum digerentia, vlcus vero detergentia & deſiccantia: vnde tum ea, quæ in vlcus induntur, tũ ea, quæ deſuper apponuntur comprehendentia ſinum & vlcus, oportet mixtis facultatibus eſſe prædita, vt & ſiccent, & detergant, ſed præterea & digerant, molliantque: verum quia plerunque cum indurantur, labra imprimis indureſcunt, non cauitas & profundiores partes vlceris: ideo maior deterſio & deſiccatio neceſſaria eſt medicamentis, quibus ſpatium vlceris repletur: maior vero molliendi, & digerendi facultas illis, quæ comprehendunt vniuerſum affectum locum ſuprapoſita, prioribus. Nam cum labra, vel loca circa ipſa, quæ ad cutim ſolent pertingere, ſoleant a duritie occupari, magis poterunt ea efficere externa emplaſtra, vel cerata medicamenta, ergo vlceri imponenda mihi illa maxime opportuna videntur, quorum ſuperius fuit habita mentio: nempe id quod Iſis dictum eſt ab antiquis, & relata a Galeno quinto de Compoſitione médicamentorũ per gen. cap. 3. præſertim confecta eo modo, quo videtur Galen. ſolitus conficere, itemque illud, quod Apoſtolorum appellauit Auicenna, vel alia, quæ cum his rationem ſimilem habent. Ad atterendos tamen vlcerum callos, maiorem vim, ſi recte velimus vtriuſque confectionem æſtimare, uidetur habere Auicennæ medicamentum, quod ipſe Apoſtolorum, uel Veneris appellauit, quàm Iſis: detergendi uero ſordes & deſiccandi, Iſis, quod & longe acrius eſt. Nam Apoſtolorum accipit terebinthinæ, ceræ albæ, reſinę piceæ ſingulorum drag. iiij. opopanacis, æruginis ſingulorum drag. ij. ammoniaci drag. quatuor, Ariſtolochiæ longę, thuris, ſingulorũ drag. vj. myrrhę, chalbani, ſingulorum dr. 4. bdellij drag. vj. lithargyri drag. xj. bdellium ex aceto diſſoluitur, coquitur vero medicamentum ex libris duabus olei, æſtate, tribus uero hyeme: omnia quidem plus minuſue ſiccant oleo excepto, & fere etiam lithargyro: detergunt uero præcipue ærugo, deinde myrrha, & ariſtolochia: at therebinthina, picea, opopanax, ammoniacũ, chalbanum, bdellium partim molliendi, digerendique inſignem facultatem habent: præterea uero & attrahendi ex profundo, thus autem concoquendi: plurimum ergo poterit eſſe utile medicamentum calloſis ulcerib. roborandi tamen & repellẽdi, uel nullam, uel exiguam uim retinet, cum fere aſtringentibus careat. Iſis autem in hunc modum a Gal. ex ſententia Critonis deſcribitur. Guttæ ammoniaci, ſalis ammoniaci, ſquammæ æris, æris uſti, æruginis ſingulorũ denarios viij. aluminis rotũdi denarios vj. ariſtolochiæ, thuris ſingul. denar. viij. myrrhæ, aloes, chalbani, ſingulorum denarios xij. ceræ denar. viij. colophoniæ, terebinthinæ ſing. denar. vj. olei veteris, aceti ſingulorum heminas duas,

A medicamentum magnã vim habet attrahendi è profundo. Nam ammoniacum, chalbanum, terebinthina, item & colophonia præter facultatem molliendi, & concoquendi, digerendique, non parum etiam attrahunt è profundo, & omnia ſiccant, nõ minus etiam attrahunt ærugo, ſquamma æris, & æs vſtum, ſal ammoniacum, quæ & detergendi vim obtinent inſignem: aliquam etiam habet myrrha, maiorem tamen concoquendi, tum ipſa habet, tum vel etiam thus: aſtringunt autem, & ſubinde particulas roborant, fluxioneſque repellunt a lumen, & aloe. Epigonus vero [addit] ſuccum marrubij, quod & ipſum attrahit, & non parum detergit, & ſereos, quæ calorem aliorum poteſt aliquantulum temperare: B confecto autem hoc medicamento in finibus curandis bifariam vti poſſumus, ſicut duplex poteſt eius eſſe vſus. Nam & in fiſtulas, vel ſinus inijci poteſt, & exterius apponi, inijcitur autem, vel linamentis, ſiue vt iuniores loquuntur, tentis eo inunctis, aut per inſtrumenta pauloante expoſita eliquatus: præterea vero poteſt & linteo extenſus exterius apponi. Si quidem hoc modo vtamur, cerato immiſcendum eſt, nam & moderatiora hac mixtura fiunt id genus acria medicamẽta, quę raro ferri poſſent ſola, & immixta, vtpote quia eroderent carnem, fit autem eius cum cerato miſcela ſecundum eam ſymmetriam, quæ magis videtur medico eſſe opportuna. Nã quo plus iſtius emplaſtri, & minus cerati ſimul commiſceatur, eo acrius & fortius erit medicamentum: C quo vero plus cerati, & minus emplaſtri, mitius & minus potens euadet: vnde illud laudant, quòd & recentia vulnera poſſit conglutinare, & carnem generare, & cicatricem inducere. Sed id pro varia ratione illius mixturæ: nam eo modo magis minuſque ſiccans, magis minuſque detergens, & itidem aſtringens fit. At vero ſi aut infundendum eſt medicamentum, vel etiam illiniendum linamentis, oportet vt fluens & mollius reddatur: vnde erit aliquo oleo eliquãdum, quod magis erit medici ſcopo congruens. Nam ſi in fiſtula, vel ſinu aliquæ ſint inflammationis reliquiæ, vel principio, accommodatius erit oleum roſaceum vel maturum, vel omphacinum, & id quatenus ſit opus maiori repulſione, & refrigeratione: D ſin autem humidior, & ſordidior, vt & digeſtione deſiccationeque maiori, & deterſione ſit opus, oleo veteri diſſoluetur: ita & maior copia ad oleum emplaſtri, vel minor imponenda. Vnde dicebat Galenus, quòd aliquando vna pars emplaſtri componitur cum duabus cerati, vel olei, aliquando tribus, vel pluribus: quo enim ſordidior erit ſinus, vel vlcus, eo etiam ex minori cerato diſſoluendum erit: & quo purior fuerit, eo etiam copioſiori cerato, vel oleo liquandum erit. Quando vero magis incalluerint, & induruerint labra vlceris, quàm vt ſperemus medicamentis digeri, & atteri poſſe duritiem: tunc vel abſciſſione totius illius partis fere erit agendum, qua ablata, vt vlcera recentia & cruenta, erit affectus curandus: E vel ſi id minime liceat, medicamentis, quæ cauſtica vel ſeptica, hoc eſt vrentia, vel putrefacientia dicuntur a Græcis, res eſt tractãda. Noſtri chirurgi interdum Aegyptiaco dicto vnguento vtuntur, inciſis prius, vel vt ipſi aiunt, ſcarificatis labijs, ſicuti præcipiebat Auicenna: crederem quòd & Iſis ſine alia mixtura poſſet illud præſtare: ad hoc officium non ineptus eſſet vſus illius rubri pulueris, quem præcipitatum appellant cuius auctor, fuit Ioãnes de Vigo. Fit autem ex ſublimato, hydrargyro, vel vt nunc appellamus, argento viuo: conficitur etiam medicamentum ex calce viua aſſumpta ex nigro ſapone. Aliqui etiam componunt medicamentum ex arſenico albo, quod ſublimatũ vulgo appellant: quæ omnia vrunt, & cruſtam inurunt, quæ de-

Inde aut butyro,aut alio molliente , & concoctorio
medicamento paratur , vt cadat , deinde curatio in-
ſtituenda pro ratione vlceris: vt tamen cum his cau-
ſticis vtimur , illis ſit deſuper apponendum medica-
mentum refrigerans , & aptum ad arcendas inflam-
mationes . Poſſemus autem hoc loco multa eiuſmo-
di deſcribere medicamenta cauſtica , quorum copio-
ſiſſima reperitu r ſylua apud auctores, qui hanc mate
riam tractarunt: ſed mihi in præſentia hæc ſatis ſint,
properamus enim ad finem tractationis vlcerum:aga
mus in futurum de excreſcente carne,præſertim mol
li in vlceribus.

De his , quibus curanda ſint vlcera , quibus ſuperexcreſcit caro inutilis, quem affectũ Græci ὑπερσάρκωσιν appellant .

Cap. XV.

QVIA vlceri interdum ſuperexcreſcit caro,
quem affectum ὑπερσάρκωσιν Græci appella-
uere, eſſeque morbum auctę magnitudinis Galen.3.
methodi ſenſit , qui ſui detractionem indicat , ſicuti
cum ea deficit , eſſe per aggenerationem augendam :
quamuis deinde vtriuſque officij , nempe detractio-
nis auctæ carnis,& aggenerationis, qua caua vlcera
replentur,& ad æqualitatem deducuntur, vt cicatrix
commode illis obduci poſſit, nõ ſit eadem ratio,quia
ſolius naturæ, vt & ſuperius monuimus , munus eſt
carnem aggenerare:medici vero,vt ea amoueat,quæ
naturæ poſſunt eſſe impedimento , contra verò res
in carnis detractione ſe habet , quia ad ſolum medi-
cum hoc officium pertinet , cùm natura nihil ipſa in
hoc poſſit. Vnde neque ab re fuerit,ſi de inſtrumẽtis
egerimus, quibus vti ſolent medici ad reprimendã &
amouendã ſuperexcreſcentẽ vlceri carnẽ:cùm autem
caro excreſcat in primis, vt Auicenna teſtatus eſt fen.
4. libro quarto , quando medicus procurat , vt
caro generetur in vlcere antequam purgatum a ſor-
de ſit vlcus,& probe , quantum nempe ſatis ſit deſic-
catum,videtur inde ſequi , ꝙ cauſa cur fiat hyperſar-
coſis,ſit redundans in vlcere excrementoſus,& ſuper
uacuus humor : & proinde caro , quæ hoc modo ac-
creſcit,inutilis & vitioſa caro eſt, quę propterea neq;
vnius eſt naturæ, ſed potius diuerſa,pro diuerſitate
excrementi exuberantis. Nam aliquando ſuperaccre
ſcens hæc caro mollis,madens & flaccida eſt,interdũ
vero durior, & quaſi calloſa : ideo neque eadem erit
ratio eorum inſtrumentorũ, quibus & accretio repri
menda ſit & aucta detrahenda.Ratio vero hæc diuer
ſa harum differentiarum a diuerſitate naturæ excre-
mentoſi humoris oritur,qui ad vlcus affluit. Nam ſi
tenuis , & quaſi aqueus , copioſus autem, generatur
caro mollis,vt eam Hippocr.tertio libro de Articulis
appellat,mucoſa , quã ex affluxu multæ humiditatis
procreari ait ibidem Galenus Com.65.66.ſin autem
ſit confluxus craſſiorum humorum,vt eſt craſſa pitui
ta,vel melancholicus humor , vt potius ſordidum
quam ichoroſum ſit vlcus,caro calloſa , & durior ibi
generatur , quo modo & calli alibi gignuntur , eua-
porantibus nempe partibus tenuioribus . Longe fa-
cilior autem eſt carnis detractio , quæ mollis ſit ,
quam eius , quæ calloſa , ſicut & illius , quæ non
plurima eſt , quam illius quæ plurimum excreuit :
ſed præterea quoniam , vt inter initia probauimus,
ab vſu iudicantur , & eliguntur remedia , vſus vero
pendet a primis illis indicationibus , quæ tum a na-
tura,& magnitudine affectus depromi ſolent, tum a
natura particulę:ideo ſicut horum amborum multi-

A plex eſt differentia:ita etiam neceſſe eſt,multiplicem
eſſe differentiam eorum inſtrumentorum,quibus in
remouenda hac inutili carne Medicus vtatur: quan-
doque enim medicamentis,interdũ verò ferro igne-
que,& quandoque medicamentis negocium,tranſi-
gi poſſe videtur, interdum quidem acrioribus & for
tioribus vti neceſſe eſt:nonnunquam mitioribus , &
facilioribus,atque id,tum ratione magnitudinis , &
difficultatis morbi , tum etiam ob naturã ipſius cor-
poris,quod aut mollius,aut tenerius eſt,aut durius:
itemque quod aut acriori,aut obtuſiori ſit ſenſu. Et
cũ docuerit Hippocrates ad officium Medici in pri-
mis pertinere,vt citius quidem:quàm fieri poteſt,ſed
ſuauiter , & quanta minori poteſt moleſtia morbos
B curet,atque vt iuuet,minime verò noceat , in vlceri-
bus vero curandis dolores , & morſus , præ-
ter quam quòd ægrotantes cruciant , & vlcera
etiam irritant , & fluxionum ſubindeque inflam-
mationum in cauſa ſunt : & cum ad detrahendam
ſuper excreſcentem in vlceribus carnem ſi opus his
medicamentis, quæ vt tertio method.cap.6. docuit
Gal.vehementer ſiccent adeo, vt hac ratione proxi-
ma illis ſint , quæ cicatrici idonea obducendæ ſunt,
quæque etiam vehementer detergant , & pleraque
id genus medicamenta , vt idem 5.de Compo. med.
per gen.cap.14.calida ſint , & acria,& proinde mor-
dacia : recte conſulunt, qui aiunt,vt ſi citra morſum
tranſigi hoc negotium poſſit , abſtineamus ab illis,
quæ mordent : quòd ſi neceſſe ſit acribus,& morda-
C cibus vti, ita paratis vtamur,vt quatenus fieri poteſt,
tẽperetur , & moderatior reddatur acrimonia,mor-
dacitaſque.In qua quidem re præſtanda,conſideran-
da ſane erit medicamenti natura primum, deinde ve
ro conferenda cum natura tum corporis,tum etiam
particulæ,quæ vlcus habet,æſtimata nempe duritie,
vel mollitie eius, ſenſus acrimonia,& hebetudine: p̃-
terea,& aduertendum,an in vlcere aliqua ſint initia,
vel reliquiæ inflammation s , vel etiam ſit aliqua ſu-
ſpicio eius ſuperuenturæ : quia iſtiuſmodi medica-
menta,ſi inſignem haberent deterſionem , aut deſic-
cationem,irritarent vlcus,& inflammationem auge-
rent,vnde in his fortaſſe , qui nõ poſſunt ferre acrio-
ra medicamenta , non abſque ratione eſſet dictum
D in libello de theriaca ad Piſonem , poſſe aloem ex-
ſiccare ſupercreſcentem in vlceribus carnem . Sed
magis particulatim rem hanc tractemus : in vſu ita-
que plurimo noſtris his temporibus , & præcedenti-
bus eſt alumen , quod rochæ vulgo dicitut , combu-
ſtum. Nam dum vritur,fit minus mordax,& hoc me
dicamẽtum mulieribus etiã familiare eſt , quo non-
nunquam ſolo , interdum vero ex Auicenn. conſilio
illi bolum armenam admiſcent : efficax ſane medi-
camentum , quando multa non fuerit caro, quæ ſu-
peraccreuerit, neque calloſa . In eodem fere ordine
eſt,& illud, quod vulgo alumen zuccarinum vocant:
eſt autem medicamentum non ſimplex , ſed ex mul-
tis compoſitum,& priori minus mordax: quod con-
ficitur ex non vſto alumine trito ſubactoque aqua
E roſacea , & albo oui , ex quibus acrimonia, uel mor-
dacitas aluminis non parum delinitur , quidam her-
modactylis tritis,& cum fece vini , quam tartarũ vo-
cant,mixtis vtuntur, vtilis etiam eſt vſus cineris con-
chyliorum,uel eorum piſcium , qui teſtacei ſunt , vel
teſta clauduntur,ut ſunt oſtrea , buccinæ , purpuræ,
& id genus alia,quãdo comburuntur, & in cinerem,
uel puluerem uertuntur : eius enim meminere anti-
qui fere omnes . Quidam autẽ chirurgi, ut quoquo
modo ægrotantes decipiant , præſertim pueros, &
timidas mulieres , excerpunt ex tritis , & laceris lin-
teis panniculis fila eaſque in muria , ex decocto
aluminis macerant , moxque exſiccant ad hos uſus.
His fortiora ſunt miſy , ſory , diphryges , chalcitis
atra-

atramētum ſutorium ſandaracha, de quibus ſuperius fuit habitus ſermo. In fortioribus etiā ſunt ęs vſtum, ſquamma æris, flos æris, & ærugo. Sed vt ſæpius ex Galen. ſententia monuimus, hæc ita parari poſſunt, vt & magis ac minus acria ſint: ſi enim vrantur, minus quidem acria ſunt, non tamen minus deſiccant, & ſi exquiſite præterea lauentur, adhuc minus acria, & magis mitia redduntur. Compoſita quoque medicamenta, quæ ex his conficiuntur, hoc officium poſſunt præſtare, ſicut ſunt viridia vnguenta, vel emplaſtra, vt illud quod Litem appellari diximus, & Damaſcenus, & Apoſtolorum, & Iſis, tādem & Aegyptiacum. Iā enim declarauit Galenus, quod eiſdem ſæpiſſime medicamentis vti poſſumus ad agglutinandum vlcera, & ad aggenerandam in eiſdem carnem, & ad cicatricem obducendam, & tandem etiam ad detrahendam, & conſumendam excreſcentem in vlceribus carnem. Quamuis enim diuerſos medicamentorum ordines, & rationes, vt ſuperius docuimus, hæc requirant: poſſumus tamen medicamenta hæc ita, additis, aut detractis illis, quorum mixtura aut miteſcit, & obtunditur eorum vis, & acrimonia, aut intenditur, & exacuitur, parare: vt differentibus illis muneribus poſſint pro diuerſa eorum ſymmetria accommodari. Vnde, vt diximus, vel ipſo etiam Aegyptiaco interdum carnem excreſcentem reprimimus, & carne vlcera replemus, & agglutinamus, & cicatricem inducimus. Quæ omnia a Galeno. & 3. method. in vniuerſum, & primo de compoſitione medicamentorum per genera de diachalciteos emplaſtro demonſtrata, & 2. de viridibus emplaſtris, & 4. etiam de Iſide, & de alijs. Præter autem hæc ſunt ad hos ſcopos non inutilia multa medicamēta arida, tum ſimplicia: præſertim vero illud, cuius antea meminimus, nempe, quod iuniores mercurium præcipitatum appellant, & apud omnes chirurgos in præſentia eſt in multo vſu, quoq; & ipſum ſi lauetur mitius redditur, tum paſtillorum multæ differentiæ, quæ antiquis in frequenti erant vſu, vt ſunt Andronis, Paſionis, Polyidę deſcripti a Gale. 5. de Comp. med. per gener. noſtris autem temporibus Andronis paſtilli vbique fere parati reperiuntur, de quibus etiam ſuperius nos ſermonē habuimus: præterea verò, & paſtilli ex charta combuſta. Interdum vero adeo excreuit caro, & illa adeo calloſa, & maligna, vt ſit opus cauſticis, ſepticiſque medicamentis eam auferre: vbi multi in præſentia vtuntur oleo ex atramento ſutorio, quod ex vitriolo vulgo appellāt, aut oleo vel aqua ſulphuris: ſæpe etiam ad ferrum tranſire, & ad ignem neceſſe eſt, nempe eam reſcindendo, vt de calloſo etiam vlcere paulo antea diximus, aut candenti ferro inurendo. Sed quatenus ad vſum horum medicamentorum, quę mordent, & exedunt pertinere poteſt, eſt id aduertendum, quòd cum pleraque, imo omnia calefaciant, irritentque locum in cauſa interdum eſſe poterunt concitandi fluxiones, & accreſcendi inflammationes: qua propter in primis perito, & prudenti medico attinebit, vt his periculis ſe opponat vſu eorum medicamentorum, quæ refrigerent, & repellant imminentes fluxiones: ſicuti ſi vel panniculus aliqua aqua, vel ſucco alicuius herbæ, huic rei idoneæ, prius immerſus poſt appoſitos exedentes pulueres, vel alia medicamenta, deſuper apponatur comprehendens vlcus vniuerſum: aquæ vero, vel ſucci ſint ſolani, plantaginis, polygoni, ſemperuiui, herbæ lichenę, quam hepaticam vulgo appellant, oxalidis, & id genus aliarum. Vel èmplaſtrum aliquod, vnguentumve refrigerans: nam & vires diutius ſeruabit. Ad quem vſum vtilia eſſent album vnguentum ex ceruſa cōfectum, vel ſimplex, vel quod camphoratum appellant, itemq; diapompholygos, vt nunc appellant, ex thutia: aut ex plumbo vſto, & loto: nec minùs vtile eſſet id, quod ex ſucco ſolani dicitur, de quo ſumus ſuo loco ſermonem habituri, vel quodpiam aliud iſtius naturæ, neque præter rationem eſſet, ſi circumcirca ea illinirentur, quæ a iunioribus defenſiua appellantur, de quibus ſuperius longus etiam eſt habitus ſermo. Reliquum autem eſt, vt de cauſticis, vel vrentibus agamus medicamentis, quæ ſeptica dicuntur, hoc eſt, putrefacientia medicamenta, cum eorum vſus ſit interdum illis Medicis neceſſarius, qui in vlceribus iſtiuſmodi, fiſtuloſiſque, & putridis, præterea & multis tumoribus præter naturam curandis verſantur.

De compoſitione, & vſu medicamentorum, quæ cauſtica, quæque ſeptica, hoc eſt, vrentia: & putrefacientia dicuntur.

Cap. XVI.

SVnt quidem proxima qualitatibus, & viribus medicamenta, quæ cauſtica Græce, hoc eſt, vrentia, quæque ſepta, vel ſeptica, hoc eſt, putrefacientia dicuntur, non tamen eādem omnino naturam, & rationem habent. Nam cauſtica illa proprie dicuntur, quæ carnem, vel alias ſimiles partes perinde ferè, vt ignis èxurunt, relicta cruſta [in] parte illi ſimili, quæ ab igne inuri ſolet. Vnde eſcharotica etiam medicamenta dicuntur, quaſi cruſtam inducentia, eſcharam enim cruſtam ab igne excitatam Græci appellauere, quæ vt teſtatur Galenus, nihil aliud eſt, quàm pars exuſta carnis, quæ conſumpto proprio, & natiuo eius humore, relictis tantùm terreis partibus induruit, & quaſi in carbonem, vt in combuſtis lignis fit, conuerſa eſt. Vt ergo ab igne, ita & ab igneis medicamentis exſiccatur, imò quaſi vritur, & diſſipatur natiuus carnis humor, & calor, quæ ab illis tangitur, & in cruſtam duram conuertuntur partes craſſiores, & terreſtriores. Vnde hac ratione corrumpunt partes, quas tangunt, & ad interitum deducunt, conſtāt ſiquidem ignea imprimis, terreaque natura. Septica vero medicamenta improprie ſane dicuntur putrefacientia, quia putrefactio fit a calido cum multa humiditate, quam cum natiuus calor regere nequeat, externus corrumpit, & extincto, vel potius digeſto natiuo calore, mixturam diſſoluere nititur, atque ita per putrefactionem extinguūtur, & intereunt mixta corpora: conſequitur autem putredinem, quaſi proprium eius ſymptoma fœtor. Vnde proprie putrefaciunt ea medicamenta, quæ calida, & humida ſunt. Quę autem σηπτὰ vel σηπτικὰ a Medicis Gręcis quaſi putrefacientia dici ſolent, ea calefaciunt, & deſiccant cum partium tenuitate, vnde carnes, & alias etiam partes quaſi colliquant, & natiuum calorem corrumpunt, vt quaſi cadaueris partē eas relinquāt, neque alioquin cruſtas inurunt, neque cum dolore id agunt: & id quia neque ita terreæ, neq; ita craſſæ ſubſtantiæ ſunt, ſicut cauſtica, ſeu vrentia medicamenta, quæ cruſtas excitant, hæc enim cum dolore fixo propter ſubſtantiæ craſſitudinem, ac ſi infixus loco eſſet ſtipes, cruciant. Propterea ergo, quòd citra dolorem, & citra cruſtam colliquant, & corrumpūt extinguntque partem, cui inhærent, ſicuti, & ea, quæ putrefaciunt vere, proprieque ab effectus quadam ſimilitudine putrefacientia dicta ſunt. Hoc tamen tempore chirurgi hæc confundunt, & cauteria tàm ea, quæ proprie cauſtica ſunt, quàm illa, quæ ſeptica vel putrefacientia ab antiquis dicebantur, appellant. Sed de his magis particulatim agamus, & eorū materias præſertim vero illas, quæ in maiori vſu ſunt, exponamus: ſunt autem in ordine vrentium, vel cruſtas inducentium medicamentorum ex ſimplicibus

mineralia ea,de quibus multa ſæpè facta eſt mentio,
nempè atramētum ſutorium,quod chalcanthū Græ-
ci vocant,chalcitis,miſy,ſory,ſiue illa vſta ſint ait Ga
lenus 5.meth.ſiue citra vſtionem illis vtamur: præte
rea vero calx viua,in his nonnulli vini , & aceti fecē ,
ſi crementur,poſuere;imprimis verò Dioſcorid.& in
his eiſdem æruginem eſſe ponendam arbitrarer . Se-
ptica autem,quæ à Galeno 5. de ſimpl.medicam. re-
feruntur,ſunt auripigmentum, vel vt Græci, arſeni-
cum appellant,ſandaraca,quæ ſimilis ferè generis cū
arſenico eſt , de ſandaraca autem Græcorum loqui-
mur. Præterea verò,& chryſocolla , ſed & filiculam
ex herbis Gal. dryopter a appellat , aconitum & pi-
thyocampe:niſi quod hoc eſt animaduertendum , ꝙ
ſicuti noſtri iuniores cauſtica cùm ſepticis vbique fe-
rè confundere videntur,ita & Galenus: nam quàm-
uis ea ita mutuo diſtinxerit, vt cauſtica, & cruſtā in-
ducant,& craſſiorum partium ſint, & citra dolorem
eliquant ferè carnem , & inter ſeptica medicamenta
in principe loco arſenici , vel auri pigmenti meminit
5.de fac.ſimp.med.Nono tamen libro illud cauſticæ
eſſe facultatis ait,quemadmodum,& ſandaracam.In
horum putrefacientium ordine exiſtimarem ponen-
dum oleum illud , quod ex atramento ſutorio fieri
ſolet,inuentum alchimiſtarum , item & oleum , vel
aqua ſulphuris.Nam ex modo,quo conficiuntur,te-
nuitatem partium ſuarum acquirunt : vtpotè , quia
terreæ partes ſeparantur ; & aquam etiam illā acer-
rimam,ex qua fit ſapo, & illam etiam,qua vtuntur ,
qui aurum ab argento ſeparant , & quæcunque alia
his ſimilem habent virtutem: puluerem autem, quē
præcipitatum appellant , potius in ordinem caute-
riorum redigerem.Sed hoc longè maiori conſidera-
tione dignum,quod ad vſum eorum pertinet,nem-
pè quod ſimilibus medicamentis , quæ vel cauſtica ,
vel ſeptica appellamus , multiplici de cauſa Medici
vti ſolent. Nam aliquando ad aperiendos abſceſ-
ſus,ſicut in illis,qui inciſionem , & ferrum timent ,
aut interdum nimiam ſanguinis effuſionem time-
mus propter multas , magnasque venas in loco , in
quo inciſionem moliri oportet, aut præterea,vt pu-
tredo ſerpentium,& depaſcentium vlcerum , roſio-
que,& paſtio reprimatur , & tandem ſuperetur,aut
etiam , vt ſanguinis eruptionem , ex inſigni aliqua
vena , vel arteria refrenemus , aut intercipiamus ,
præſertim ſi profundior illa ſit , vt neque medica-
mentis,quibus ſanguinem fluentém ſiſtere , & ſup-
primere ſolemus, quicquam agere potuerimus , ne-
que uinculis,neque ligaturis,& faſcijs , quod impri-
mis contingere ſolet in corroſiuis ulceribus : nam
aut candenti ferro, aut cauſticis medicamentis inu-
rimus locum:cruſta enim,quæ ex uſtione inducitur,
cooperculi uicem ſupplet , quod exitum ſanguinis
prohibeat , donec ſuperexcreſcens in ulcere caro ,
uerùm & naturale illi fiat operculum: & quia hoc,ſi
inſigne ſit ulcus , breui tempore fieri nequit, quan-
tum poſſunt procurare Medici, ut craſſior, duriorq;
excitetur cruſta,quo diutius ibi poſſit manere, alio-
quin enim ſi cito ante genitam carnem, quæ coope-
riat,& cōſolidet locum,cadat cruſta, deterius,quàm
prius,ut 5.methodi docuit Gal. ſemper res ſe habe-
ret , quia cum cruſta nihil aliud ſit , quàm illius loci
exuſta caro,cum illa cadit,foramen maius euadit,&
proinde conſuluit , ut illis cauſticis ad hoc munus
utamur , quæ proprie cauſtica , & eſcharotica ap-
pellantur , potius quàm ſepticis , quæ licet carnem
corrumpant,durā tamen cruſtam non excitant . Illa
uerò ſunt imprimis huic officio commoda,quæ præ-
ter urendi uim,inſignem etiam aſtrictionem habēt ,
ut atramentum ſutorium uſtum,uel non uſtū, chal-
citis,miſy,ſory, longè etiam magis quàm calx uiua ,
quia cruſta,quæ ab ea inuritur,citius cadit,quàm ab

A alijs,quæ præterea inſigniter quoque aſtringunt. In-
ſuper , & tertio neque omnino prætermittendum,
quod idem Galen. videtur aduertiſſe 7.de ſimpl.me-
dicament.facult.vbi de cedro , & eius oleo,quod ce-
dræam antiqui appellabant, ſermonem habet . Nēpe
quod medicamenta , quæ vim habent eliquandi car-
nem, ſiue ea ſint vrentia proprie , ſiue putrefacientia
non eaſdem vires habent . Nam alia maiores , alia
minores,quod ipſæ cedriæ, vel cedrææ exemplo do-
cuit ibidem . Ait enim,quòd vim quandam habet li-
quandi mollem carnem , duriores tamen particulas
nequaquam , vnde cadauerum carnes a putrefactio-
ne ſeruat , vtpote quæ poſſit humorem earum, vnde
eſſent putrefaciendæ exſiccare . Multa vero ſunt ſe-
B ptica, vel vrentia medicamenta , quæ etiam cadaue-
rum carnes,vbi diutius illis hæſerint,eliquare, & pu-
trefacere poſſint;vnde in his multi ordines, ſiue ſim-
plicia ſint , ſiue compoſita obſeruari poſſunt , quæ
obſeruatio non erit parum vtilis ad id, vt poſſit Me-
dicus aptare hæc medicamenta , tum affectibus ,
nempe pro ratione eorum magnitudinis , vel parui-
tatis,(cum extremis morbis extrema,vt docuit Hip-
pocr. remedia opportuna ſint) tum etiam corpori-
bus . Nam corpora molliora leuioribus,& faciliori-
bus poſſunt facile cedere , duriora vero , & ſolidiora
non vincuntur,niſi a fortioribus,& acrioribus. Præ-
terea vero aliqua perſpicaciſſimi , & acerrimi ſenſus
ſunt,quæ ferre ſine magna noxa , & cruciatu acriora
medicamenta nullo modo queunt , alia vero obtu-
C ſiora ſunt, vt hæc facile tolerent . Sed de hoc medi-
camentorum genere magis particulatim ſermonem
inſtituamus . Et quia ſimpliciora medicamenta huc
ſpectantia ; ſi non omnia , ſaltem quæ in maiori vſu
fuere,ſingulatim paulo antea fuere expoſita , & ali-
qua etiam factitia , quæ etſi vires habuerint ab alijs
pluribus,per quæ dilabuntur , vel excolata ſunt, fere
inter ſimplicia recenſuimus , quia illis quaſi ſimpli-
cibus in compoſitione vtimur.Sicut aqua prima,ex
qua ſaponem conficiunt, eam in oleum, dum coqui-
tur,infundendo . Fit autem aqua illa ex viua calce,&
cinere vel ſale , ex qua cum lapidibus rotundis e flu-
minibus detractis , ac exquiſitiſſime tritis vitra con-
ficiunt , ex cinere ergo , & aliqua etiam parte illius
D ſalis , quod alchali Arabes vocant , & ex viua calce
aqua deſuper effuſa aquam purgāt , ex qua,(vt dixi)
fit ſapo , quæ acerrima eſt , affuſa enim in has mate-
rias , ab illis vniuerſam eam igneam ſubſtantiam, vel
facultatem,quam Ariſto.vt & Galen.teſtatur,empy-
reuma vocabat , abluens fit admodum acris , vt fere
exurat,& liquefaciat carnem , quam attingit , & diu
madefacit: aliqui vero , quibus fortaſſe non eſt copia
cineris illius herbæ , vtuntur cineribus illis , quibus
tinctores vtuntur,ex quercu,vel cerro , nonnulli hāc
aquam , quam vulgo chirurgi capitellū vocant, adeo
coquunt,vt tandem craſſeſcat,& condenſetur,in quā
duam quaſi gypſeam ſubſtantiam,& illa vtuntur pro
ruptorio medicamento , vt illi loqui ſolent , tritum
E enim,vel ex ſaliua , vel ex modico ſapone,vel melle
exceptum , & incluſum calici ex cortice auellanæ,
vel cera,ne defluat , & lædat partes alias , apponunt
loco,qui inurendus eſt,uel rumpēdus , & breui tem-
pore imprimit,& opus ſuum perficit, & validum ad-
modum medicamētum eſt . Alij cum ſimilibus me-
dicamentis fuerit opus, promptū ſtatim habent hoc,
accipiunt viuam calcem tritam , & cum nigro ſapo-
ne commiſcentes emplaſtrum, & ipſum acre,& vali-
dum conficiunt,alij tantundem auripigmenti quan-
tum calcis , & ex eodem ſapone medicamentum eo-
dem modo conficere ſoliti ſunt , valentiſſima ſane
medicamenta . Sed ni fallor,fortius his omnibus , &
acrius eſt , id quod argentum ſublimatum appellant,
Alchimiſtarum inuentum , quod ex hydrargyro, vel
vt

vt nunc appellant, argento viuo, & ſale ammoniaco dicto ſimul mixtis, & ex alembico ſublimatis conficitur, pernitioſum alioquin medicamentum, vtpote quod exedat, exuratque. Illud autem alijs admiſtis, quæ aliquantiſper leniant, & reprimant acrem, & pernitioſam vim, tum ipſius, tum aliorum cauſticorum, validorumque medicamentorum componunt. Et licet variæ fiant ex his compoſitiones, ego tamen quarundam mentionem faciam, quæ poſſint tanquam exempla modum compoſitionis communi quadam ratione inſinuare. Hoc quidem inter valentiſſima habitum a multis eſt, ſicuti omnino efficax admodum eſt. Accipit autem lithargyri, hæmatitis lapidis, chalcanthi, quod vitriolum Romanum appellant, ſingulorum drag. ij. argenti iſtius ſublimati dragmas ij. ſ. quibus ſimul tritis, conficiunt aridum medicamentum inſpergendum loco, vbi ſit eo opus, ſuperaddito aliquo emplaſtro, vel vnguento panniculo extenſo, a quo contineatur, quòdque inflammationem, aut calidiorem intemperiem poſſit arcere. Alij medicamentum liquidum ad conſiſtentiam aqueam conficiunt in ſimilem modum. Accipiunt ſublimati iſtius argenti, exempli cauſa, dragmas duas, aluminis communis dragmas quinque, aquæ roſaceæ, vel plantaginis, vel alterius ſimilis, dragmas ſex, ſimul omnia ad medietatem coquantur. Alij aquam mirifice vrentem, & exedentem ex deſtillatione ad alembicum more Alchimiſtarum conficiunt, cuius materia hæc eſt: Accipiunt atramenti ſutorij partes duas, aluminis rochæ appellati partem vnam, ſalis nitri partem mediam, prius tamen atramentum, & alumen coniecta in teſtaceum vas ad ignem calefaciunt, non tamen eatenus vt rubefiant, ſed quatenus digeſtis tenuioribus partibus vi ignis exſiccentur, mox extracta in vitreum inſtrumentum, in quo ſolet fieri deſtillatio addito nitro inijciunt, & appoſito altero, quod capellum vulgo dicunt, & ſubiecto eo vaſe, quod recipiens nuncupant, oblinitis tamen ſolito luto optime commiſſuris, & ſubiecto igne mediocri, procurant, vt deſtillet inde aqua, adhibita ignis ea moderatione, quam ars illa requirit: validiſſimum euadit medicamentum perinde fere, vt oleum ex chalcantho, vel ex ſulphure. Fiunt præterea, & variæ differentiæ paſtillorum, vel trochiſcorum, & aliquorum auctores fuere priſci Græci, vt ſunt trochiſci Andronis, Muſæ, Paſionis, quorum Galenus ſæpe meminit, præſertim vero quinto de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera, ibi confectionem deſcribit aliquorum, quos Arabes alicalon appellant, & ab eiſdem eorum deſcribitur confectio. Aliqui etiam a noſtris recentioribus ſunt inuenti in quibus recenſendis noluſmus eſſe longiores, & nimium temporis conterere, ſed duntaxat illis expoſitis, qui his temporibus a multis plurimum laudantur, & in Ioannem de Vigo celebrem hac tempeſtate inter chirurgos auctorem, referuntur. Accipiunt autem panis fermentati quatuor vncias, argenti puriſſimi ſublimati ſingulorum vnciam, minij ſemiunciam, panis optime ex aqua roſacea, vel cucurbitæ, vel alia ſimili maceratur, & diluitur, ac deinde tria illa in tenuiſſimum puluerem redacta pani inſpergantur, & ſimul mixta ſubigantur, & mox fiunt paſtilli, vel trochiſci diuerſæ magnitudinis, qui ſiccentur in tepido clibano, & ad vſum ſeruentur.

De Medicamentorum ratione, quæ in curandis affectibus neruorum ad ſolutam continuitatem attinentibus, in vſum ſolent venire.

Cap. XVII.

ME non ſane præterit, conſueuiſſe iuniores, pręſertim qui iſtius artis profeſſores ſunt, ſeorſim, & proprijs capitibus agere de verminoſo ulcere: præterea uero, & de illis, quę aliqua intēperatura in ulcerato loco contracta difficilē curationē habent. Nos uero, quia in maius uolumen, quā uoluiſſemus excreſcit tractatio, longitudini parcentes, hæc omnia ſummatim percurremus: quia neque etiā longior horum explanatio uidetur eſſe neceſſaria. Nā, ut a priori incipiamus, uermes nō gignūtur, niſi ex putredine, unde illa curatio, qua nitimur putrefactioni reſiſtere, opportuna etiam erit ad prohibendam vermium generationē, ſicut deinde illos genitos interimūt amara omnia, ſicut aloe, ſuccus abſinthij, marrubij, & tādem omnia amara. Intemperatura vero, in quacunq; parte fit, contrarijs corrigēda eſt, unde fomenta, olea, cataplaſmata, emplaſtra, unguentaque, & cerata, quæ ſecundū ſuas qualitates ulcerum intēperaturis eunt aduerſaria, opportuna, & utilia erunt ad eas tollēdas. Quare longe maius operæ pretium nos facturos exiſtimauerim, ſi ſtatim de ratione curandi per medicamēta eos neruorū affectus, qui in ſoluta continuitate eſſentiā habent, ſermonem in præſentia inſtituamus: præſertim uero quādo ab externa cauſa, & procatarctica ortum, & occaſionem habent, & imprimis de illis agemus, differentijs, quæ aut a diuerſa figura inſtrumenti, aut diuerſo quo inferuntur modo nominantur. Nā uulnus, aut ab acuto telo, & punctim infligitur, & punctura nerui dici ſolet, aut ab incidēte, & cęſim, & uulnus illud appellamus neruorum, quāuis ſit generalius uocabulum: item quando hoc modo cedūtur nerui, aut per tranſuerſum uniuerſus neruus reſcinditur, aut non uniuerſi fit abſciſſio, ſed tantū ſecundū partem: ſicut & per longitudinem neruus quādoq; inciditur. Præterea uero aut ſauciatus neruus apertus, & detectus eſt, aut profundus, & occultus. Per has ergo diſtinctiones, ſi quis hęc neruorum uulnera, uel ulcera recte curaturus eſt, & curandi rationem, & medicamentorum naturam, & uſum metiri oportet. Nam punctura malum eſt, quod maius affert periculum, cum illam facilius ſoleant ſequi dolores, & conuulſiones, præſertim ſi altum ſit uulnus: poſtea illi proximum eſt uulnus, quantum ad diſcrimen pertinet, quod per tranſuerſum neruum fuit inflictum, ſi prorſus non fuerit reciſus, ſed ſecundū aliquā duntaxat partem, quia cū omnino præciſus eſt neruus, res fere periculo caret, niſi quòd pars ea, cui neruus inſeruiebat ſenſu, uel motu deſtituta remanet, nec aliam curandi rationem deſiderat, quam uulnera alia recentia, & cruenta. Sed cū nō eſt totus neruus reciſus, fibræ, quæ reciſæ non ſunt, ab illis, quæ factæ ſunt, lædūtur, utpote, quæ ſiūt, & ipſę inflammationis participes, illa ab inciſis ad integras tranſeunte, propter integras autem facile accerſitur neruorum diſtentio, & conuulſio, minoris momenti vulnus eſt, ſecundū fibrarū longitudinem illatū: maioris uero periculi ratio, quatenus ad rationem uulneris pertinet, ex duabus occaſionibus, uel fortaſſe tribus pēdet. Primū quidē ex dolore, qui & cauſa, & comes plerūque inflāmationis eſſe ſolet, quiquc facillime in neruorum læſionibus, uel maximis ſolet excitari, & illud ob inſignem eorum ſenſum, dolorem

uero,

vero, & inflammationem, imo inſignes noxas omnes fere, conuulſio ſequi ſolet, propter maximum neruorum cum cerebro nexum, & conſenſum. Alterum vero periculum, quod in neruorum plagis impendet, ex frigore occaſionem habet: frigus enim vt Hippocr. 5. aph. teſtatus eſt, ſumme neruis, & ſpinali medullæ aduerſarium eſt. Vnde Gal. 3. de compoſitione medic. ſecundum genera, hiſtoriam refert cuiuſdam, qui cum in neruo vulnus haberet, & recta curandi ratio eſſet alioquin adhibita, bene vſque ad quartam diem, & citra dolorem, & inflammationem ſe habuit. Sed cum ab vrgenti negotio coactus domo fuiſſet egreſſus, in aereque frigido diu degiſſet, domum redijt totum membrum vſque ad ceruicem conuulſum deferens non ſine vehementi dolore. Tertium vero periculum eſt putrefactio, quod periculum præſertim in chordarũ vulneribus, quas tendines antiqui appellabant, contingit, quæ & ipſa ad vulnera neruorum referri poſſunt, cum magna ex parte ex nerueis fibris contextæ ſint, facile ergo putreſcunt, atque vicinas partes putredine afficiunt. Sed agamus primum de vulnere punctim illato ab acuto aliquo inſtrumento, vt ſunt acus, vel pugiones acutiſſimi: in his enim maximum eſt periculum, quod in hoc conſiſtit, quod vbi neruus punctus profundior eſt, & anguſta admodum eſt, & quaſi cœca via, per quam effluere, aut exhalare oporteret virus, aut ſanies illa tenuis, quæ præcipue in ſauciatis neruis generari, & cõgeri ſolet, illa nequit effluere, quo fit vt dum continetur aliquo tempore, diſſlarique, & tranſpirare nequit, acrior iuxta neruum male affectũ mordens, & pungens dolores vehementes, & ſubinde inflammationem concitat: vnde ſumma curationis vniuerſa in hoc ſita eſt, vt arceamus inflammationem, quod nequit, niſi remotis illius cauſis, fieri: cauſa vero inflammationis eſt fluxio humoris ad affectum locum concitata a dolore. Obſiſtendum ergo, & prohibendum, quo minus dolor fiat, & fluxio exoriatur: fluxionem vero inhibemus euacuatione corporis reuulſionibuſque, vnde in his, quo ad tuti ab inflammationis timore ſimus, tenuis admodum victus imprimis eſt neceſſarius, & abſtinentia a vino. Nam Hippo. eſt ſententia in aphoriſmis, quod vbi morbus ſtatim extremos labores habet, ſtatim tenuiſſimus victus inſtituendus eſt: extremus autem labor eſt conuulſio, quam plurimum timemus in his affectibus. Meſue vero dixit vinum per ſe oculis, & neruis nocere. Sed & niſi aliquid magni momenti, vt ſunt vires, & ætas obſtet, ad vacuationem pariter, & reuulſionem vena erit ſecanda, ſed & purgandum erit corpus, ſi vitioſis ſcatere humoribus videatur. Nam & hæc in illis vulneribus recenſenda ſunt, in quibus vtilis eſt purgatio, ſi Hippo. in lib. de vlcerib. & Gale. 4. meth. credimus. Sed hæc ita ſummatim percurrenda ſunt, vt quæ ad primũ noſtrum inſtitutum non videantur attinere, ſed potius ad rationem, & procurationem vniuerſi corporis. De localibus ergo, & exterius adhibendis remedijs agamus. Cum ex ipſo ulcere maxima omniũ malorum occaſio ſit: quando eo quaſi obcœcato, nequit extra effluere, uel deſtillare ichor, ſanieſue, ex puncto neruo, incumbere in primis oportet, ut apertum, & liberum exitum, & exhalationem paremus, quod & opere manuum, & medicamentis erit præſtandum: nam inciſione cutis, ut 3. de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera, & ſexto methodi docuit Galenus, & aliarum etiam partium uulnus erit aperiendum dilatandumque: ſectionem uero moliri ad duos angulos rectos, ne iterum facile claudatur idem docuit. Medicamentis præterea agendum erit, quæ poſſint ex alto ſaniẽ extrahere, & in his in præſentia inſiſtamus, utpote, quæ primario ad hanc tra-

A ctationem ſpectent, de eiſq; primum agamus in uniuerſum: mox uero, & particulatim. Ea ergo medicamenta commode hanc tractationem præſtare poterunt, quæ modeſtam uim calefaciendi, & ſiccandi habent, ſine dolore tamen, & moleſtia, & huic muneri accommodatiſſima erunt illa, quæ tenuis ſubſtantiæ ſunt. Hæc enim facile poſſunt ſuis tenuibus partibus ſe in profundum indere, atque ſaniem inde extrahere citra ullam moleſtiam, quippe quæ neque etiam mordicent. Hæc ergo eſt, medicamentorum natura in uniuerſum quæ curandis neruorum ulceribus, præſertim uero puncturæ quàm maxime idonea ſint. Particulatim uero Galenus, cui poſteriores omnes ſubſcripſere, omnibus alijs medicamentis,
B quæ ad curandos punctos, uel uulneratos neruos utilia ſunt, reſinam, terebinthinam præfert: nam moderate calefacit, & deſiccat citra morſum, & eſt tenuium partium. Sed quia non ubique huius copia poteſt haberi, & ut idem Galenus ſæpe teſtatus eſt, huic proxima, & fere ſimilis eſt laricea, præſertim uero illa eius differentia, quæ terebinthinæ, & ſubſtantiæ ratione, & colore, odoreque ſimilis eſt, ita ut promiſcue pene nos altera pro altera poſſe uti confeſſus ſit: ideo cum terebinthina hanc in eodem ordine ponendam cenſemus. Deinde uero in ſecundo fere loco ab eo ponitur propolis, quæ eſt ſordes quædam in aluearibus reperta ceræ ſimilis: quam quidam uulgo ceram uirginem appellãt: hanc uero, ſi durior fuerit, pauxillo oleo molliendam eſſe ait.
C Non inutiles autem præterea futuras, & reſinam liquidam ex figulinis, & eam quæ fricta dicitur, & abietinam interdum, & ſtrobilinam cenſendum eſt: ſed præcipue hæc durioribus corporibus magis apta erit, ut quæ calidior, & ſiccior ſit. Hoc tamen aduertendum, quod tamen in corporibus tenuioribus, ut eſſent delicata corpora, præſertim puerorum, mulierum, & eunuchorum, & eorum qui umbratilem, & otioſam uitam degunt, hæc ſatis eſſe poterũt, & hoc quantum pertinet ad naturam ipſorum corporum. Quatenus ad differentias ulceris pertinet, in uulnere non cœco, ſed aperto, & ubi neruus ſit detectus, non occultus, hæc quæ nũc propoſita, ſine alterius acrioris, & ualentioris medicamenti mixtura idonea, uti-
D liaque ſola eſſe poterũt: uerum ſi corpus ſiccius, duriuſque erit, aut ſi neruus profundior, & minime detectus, uerum occultus: his aliquid erit addendum, quod ualentius ſit, ut facilius uis medicamenti eo perueniat, & ſaniem latentem in alto deſiccare, uel extrahere poſſit. Solebãt autẽ antiqui terebinthinæ, uel alijs nuper expoſitis immiſcere aliquantulum euphorbij, præſertim uero Gal. qui profitetur ubique ſe primum fuiſſe inuẽtorem, auctoremque iſtius rationis curationis in ulceribus: minorẽ autẽ uel maiorem copiam immiſcebat, pro ratione corporum, aut profunditatis ulceris, aut uigoris ipſius medicamenti: nam quo corpus durius, & ſiccius eſt, eo copioſiore euphorbij mixtura erit opus: ita quo magis in profungiori, & magis occult⁹ erit affectus ner-
E uus, eo etiam ualentius medicamentum erit magis opportunum. Nec minor medicamenti ratio conſideratioque habenda: nam quãto recentius, & magis nouũ erit euphorbiũ, eo uires in illo maiores erunt: dum enim inueteraſcit, uis eius obſoleſcit, & elangueſcit, & proinde ſi recens terebinthinæ immiſcendum eſt, minus immiſcere oportet, plus uero, ſi uetuſtius: uerum adhuc magis particulatim res eſt tractanda. Ait ergo Gal. meth. 5. non cognouiſſe medicamentum in his neruorũ affectibus, quod hoc eſſet præſtantius, cuius ipſe fuit auctor. Accipit autem terebinthinæ, picis, ſingulorũ partem unã, ceræ uero duas, interdum autẽ ex altera tantum earum, & cera medicamentum conficiebãt, præſertim uero ex terebinthina.

binthina: quamuis ſi interdum deeſſet eam habendi
facultas, fricta, aut abietina vtebatur, addamus nos,
& lariceam, quandoque vero ſtrobilinam, ſed tãtum
in durioribus corporibus. Hoc ergo erat illi præci-
puum medicamentũ, quo citra alterius mixturã vte-
retur, in mollioribus corporibus, vel in apertis vul-
neribus, & detectis neruis: in durioribus vero, & pro
fundis, præſertim in puncturis, illi addebat euphor-
bium, varia tamen, vt diximus ſymmetria, pro diuer-
ſa illorum ratione, quæ nuper eſſe conſideranda di-
cebamus. Nam ſi recens fuiſſet euphorbium, & me-
diocre medicamentũ fuiſſet cõpoſiturus, & reſinam
liquidam haberet, illud tritũ, & tenui cribro excuſ-
ſum reliquis prius eliquatis inijciebat, tantum autẽ
vt duodecimam ceræ partẽ æquaret, aut tantũ plus
hoc, quantum videbatur eſſe opus validiori medica-
mento. Tertio autem de Compoſitione med. ſecun-
dum genera, Gal. hoc modo medicamentũ cõponit
ad neruorum vulnera valde idoneum, vtileque: præ-
ſertim vero vbi timemus, ne plaga clauſa, & obcœca
ta ſit: Accipit euphorbij recentis partem vnam: tres
ceræ, duodecim olei: mollius enim, & magis fluens
erit hoc medicamentũ priori, vnde facilius poterit
fluens penetrare in intimiores vlceris partes, vel etiã
anguſtas, & inde ſaniẽ extrahere, & propterea magis
aptum pũcturis, & occultis plagis. Quamuis autem
hæc horũ ſymmetria optima ſit, & plerunq; vtilis,
nõ eſt tamen ita ſuperſtitioſe ſemper, & adamuſſim
ſeruanda, vt aliquãdo non poſſit ex ratione, imo co-
gatur etiam Medicus illã mutare. Nam ſi ſecundum
hanc menſurã videatur quãdoque hoc medicamen-
tum debile, erit addendũ euphorbium: poterit enim
accipi pars eius vna, & ſemis, quandoque vna, & alte-
ra, quandoque etiam vtiliter tantundem euphorbij
accipiemus, quantũ ceræ, & ea varietas a diuerſitate
ipſius euphorbij, quod aut recẽtius, aut vetuſtius ſit,
erit petenda, vel a diuerſitate vulneris, quod magis,
vel minus anguſtum, & profundũ, vel a diuerſitate
naturæ vulnerati corporis, quod durius, & ſolidius
ſit, vel magis tenellũ, & acriori ſenſu præditum. Sed
quoniã vniuerſa fere ratio hæc in quadã coniectura
ſita eſt, in qua nemo ſane eſt, qui non poſſit aliquãdo
falli: ideo præterea expoſuit Gal. quandã quaſi regu-
lam, qua poſſimus facile conijcere, num recte iudica-
uerimus, fecerimuſq; in commenſuranda compoſi-
tione iſtius medicamenti: nempe ex impreſſione in
vulnus, & affectu, quem obſeruãdo percipimus poſt
primam adminiſtrationem medicamẽti. Quia ſi ad-
hibito medicamento paulo poſt dolorem, & mor-
ſum perceperit ille, qui uulnus habet: præterea uero
ſi circũ circa partes calidiores ſint, atque plus quàm
par ſit pũctura intumuerit, & in ore eius ueluti quæ-
dam inflammationis initia conſpiciantur: hæc indi-
cia erunt, quod medicamentum acrius iuſto, ualen-
tiuſque fuerit. Quare exoluendum eſt, antequam ite-
rum apponatur: exoluetur autem, aut copioſiori o-
leo addito, aut accepto euphorbio uetuſtiori. Con-
tra uero agendum erit, ſi lãguidius uiſum fuerit me-
dicamentum, quod quidem inde poterit deprehen-
di, quia omnia contraria uiſa fuerint, circa uulnus
illis, quæ nuper expoſuimus: ſicuti ſi omnia mode-
rate ſe circa ulcus habuerint, nihil erit omnino im-
mutandum, quantum ad medicamenti robur, & fa-
cultates pertinet. Vnde tres rationes diuerſas ſecun-
dum ſymmetriam exponit Gale. quibus confici hoc
medicamentum poteſt, robore differentes. Nam il-
la, quam nuper deſcripſimus, nempe in qua ceræ ra-
tio ad euphorbium tripla eſt, fere potentiſſima eſt:
infirmiſſima uero, quæ quincuplã ceram ad euphor-
bium accipit: quemadmodum mediocris erit, quæ
quadruplam ceram accipiet. His tamen, & illud ad-
dendum, quòd non ſemper vna, & eadem forma, vel

A compages medicamentorum aquæ facile accommo-
dari poteſt omnibus particulis, & occaſionibus: in-
terdum enim fluido, & liquido medicamento, ſicut
in profundioribus, anguſtioribuſq; vulneribus ma-
gis indigemus: nonnunquam craſſiori, & tenaciori,
vt craſſitudinẽ emplaſtri, vel vt nunc aiunt, vnguen-
ti habeat. Quare, vt nuper expoſita ratio apta erit ad
componendum medicamentum molle, & diffluens:
ita ſi pari menſura erunt accepta oleum, & cera, eua-
det medicamentũ, quod craſſioris emplaſtri, vel vn-
guenti cõpagem habebit: ſicut ſi tantũdem terebin-
thinæ, quantum ceræ addideris, aut quãdo illa deſit,
frictam colophoniam eius loco acceperit, fiet me-
dicamentum tenaciter cuti hærens, quod non facile
B inde auelli poſſit. Non eſt autẽ putãdum artem me-
dicam ita anguſtis arctari finibus, vt ſi Medicus in
locis degat, ubi aut terebinthina, aut euphorbium
deſint, non poſſint Medici illis opem ferre, qui uul-
nus, uel puncturã in neruis acceperint: imo quãtum
ad terebinthinã pertinet, diximus iam, quod & aliæ
reſinæ ſunt, quæ in locũ terebinthinę ſuffici poſſunt.
Nam in puncturis, & profundioribus neruorum ul-
ceribus terebinthina, & cera, quibus in cõponendis
medicamentis utuntur, magis utuntur, ſicuti ibidem
teſtatur Gal. tanquam apta materia ad id officium,
ut medicamenta craſſitudinẽ, & compagẽ emplaſtri,
uel unguenti habeant, quam ut ipſa poſſint aliquid
alioquin utilitatis curationi præſtare, quod ſit ali-
cuius momenti. Sed etſi euphorbio careamus, quod
C in prædictis medicamentis principem locum habet,
multa præterea alia docet Gal. quæ ubique fere re-
periri poſſunt, & ſimilem, quatenus ad præſens ne-
gotium attinet euphorbio uim habent: nam tantun-
dem fere faceret ſtercus columbinũ reſinis, uel alijs
medicamentis immixtũ, & innumera fere alia. Quæ-
cunque enim tenui conſtant ſubſtantia, nullamque
aſtrictionem guſtui repræſentant, ut ex herbis, & ra-
dicibus, quæ ſaporis ſunt amari, & q̃ acris quoque,
modo non immodice acres ſint, & aſtrictionis ſint
expertes, quales ſunt, dictamum, amaracus, marum,
polium, argemone, chamępithys, cẽtaurium, utriuſ-
que ariſtolochię radix, dracõtijque, & pręcerea cucu-
meris agreſtis, bryoniæ, iridis, acori, meu, aſari, phu,
D gentianæ, & id genus multa alia. Hæc igitur diligen-
ter trita, & tenuiſſimo cribro excuſſa, & quaſi in pol
linem eo modo redacta, quo arida collyria confici
ſolent, aliquo cerato excipienda ſunt, accepto eo iſto
rum pondere, quod euphorbij accipiẽdum ſuperius
diximus. Et cum fuerit hoc etiam paulo ante expo-
ſitum, quod diuerſitas in euphorbij uiribus non par-
ua eſt ratione temporis: nam ſi recens eſt, quod non
exceſſerit ſecundũ annum, fortius, & acrius eſt, im-
becillius uero, ſi triũ annorum fuerit, atque ita ſub-
inde: ideo cum horum etiam enumeratorum ſimpli-
cium non eadem ſit uis, quæ guſtui dum manduntur
manifeſtum calorem repręſentant, qualem dictam-
num, meu, acorus, & id genus alia, erunt in menſura
E conferenda cum bimulo euphorbio: quæ uero po-
tius amaritudinem cũ trimulo euphorbio, talia ſunt
ariſtolochiæ, iris, dracontij, gentianæque radices,
centaurium, & alia ſimilia. Nec hæc modo hunc in
vſum uenire poſſe ait Galen. ſed & multa alia, ſicut
erui farina ex lixiuio, præterea, & propolis, aut per
ſe, aut cum fermento: atque etiam fermentum, quod
etiam quo uetuſtius fuerit, erit etiam melius, ſed &
idem cum ſucco tithymali, farinæ quoque lolij, uel
fabarum, uel lupinorum ex oleo ueteri, uel etiam ex
lixiuio exceptæ, præſertim uero durioribus corpo-
ribus, ut ruſticorum ſunt, hæc magis accommodari
poſſunt. Sed quatenus ad horum medicamentorum
uſum pertinet, quædam, ut idem Gal. monuit, ſunt
maxime aduertenda, & primum quidem, quod me-

dicamen-

A dicamenta, quibus vtuntur Medici in his neruorum affectibus curandis, omnia ſunt calida imponenda, & adminiſtranda, non frigida vllo pacto. Nam vt pronunciauit Hippo. frigidum vulneribus mordax, præſertim vero inimicum eſſe neruis; idem 5.aphor. 19.ait, neque etiam tepida, tepidum enim laxat, & ad putrefactionem facit. Præterea vero in vlceribus neruorũ prætermittendus eſt vſus aquæ, cauendumque ne illa vulnus attingat, vnde Gal. vel oleo potiꝰ, vel ſapa voluit neruorum vulnera detergi. Hæc eſt ratio curandi ſolutam in neruis continuitatem, cuius inuẽtor, & expoſitor fuit Galenus. Niſi quòd vt res abſolutior habeatur iſtis, quæ hactenus a nobis fuere explanata, hæc etiam ex Galeni doctrina ſunt addenda, nempe, quod interdum ſoluitur B nerui continuitas non ſolum per inciſionem, & puncturam, verum & cum cõtuſione, quod ille duobus modis fieri poſſe autumat. Nam quandoque contunditur vna cum neruo, & cutis, atque dilaceratur, vlceraturve: quod frequentius accidere ſolet: nonnunquã tamen contuſio ſoli neruo accidit, nequaquam cõtuſa cute: quanquam id raro fieri ſoleat, & ſemel tantum accidiſſe animaduertit Galenus. Si cum neruo vna, & cutis fuerit contuſa, curatio per exſiccantia medicamenta perinde erit inſtituenda, ait ipſe 6. method. ac in neruorum vulnere, vt tamen ea ſint, quæ poſſint contrahere, conſtringereque partes diſiunctas: eiuſmodi vero eſt cataplaſma, quod ex farina fabarum, & oxymelite paratur, cui eſſe adijciendum C aliquid picis liquidæ ait: quando præterea, & dolor fuerit infeſtus, & quia pro ratione corporum magis, vel minus deſiccantibus medicamentis eſt opus: ideo ſi ſicciori ſit opus, his, & farina erui addẽda erit & iridis illyricæ, vel myricis tritæ puluis. Dioſcorides vero in contuſis neruis dixit vtile eſſe, ſi ex cinere ſarmentorum, adipeque, & oleo fiat cataplaſma. At vero ſi neruus fuerit contuſus nullo cuti illato vlcere, calido aliquo oleo, quod vim digerentem habeat, fouẽdus erit locus. Multa autẽ prætermiſimus, quæ in vulneribus neruorum vtiliter in vſum venire poſſe tradidit Galenus 6.meth.& 3. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, vt ſunt ſagapenum, opopanax, præſertim in durioribus, ſuccuſque D cyrenaicus, ſi cum oleo & terebinthina componantur, his enim pro euphorbio vti licet. Item & ſulphur ignem non expertũ, nec lapidoſum ex oleo tritum ad ſordium craſſitudinẽ, in minus duris corporibus, ſicut in durioribus ad craſſitudinem mellis, & alia multa. Sed nimis longum eſſet omnia recenſere, quare quibuſdã præterea relatis, quæ iuniorum noſtrorum aut inuenta, aut illis in multo ſunt vſu, huic tractationi finem imponemus. In neruorum itaque vlceribus in vſu frequenti eſt vnguentũ baſilicon magnum deſcriptum a Meſue, de quo in ſuperioribus capitibus egimus: eo autem vtuntur, excepto vel extenſo panniculo, vel linteo, & alijs quæ in vlcus inſtillantur ſuperaddito, nam vim & ipſum habet attrahendi, deſiccandique, præterea & concoquendi, E aliquam præterea detergendi. His etiã præteritis temporibus erat in frequentiſſimo vſu empiricis præſertim noſtris, quòd & plurimum admirabantur tanquam pretioſum ſecretum oleum, quod ipſi zanetum vel zanetinũ appellabant, eoq; in neruorũ vulneribus, pręcipue vbi videbatur illis imminere cõuulſionis periculũ: & ſane non ignobile medicamentum cenſendum eſt, ſi compoſitionem velimus recte extimare: conficitur autem in hunc modũ, Accipiunt ſucci apij, roris marini, ſingulorum dr. vnam, ſaluiæ, rutæ, lumbricorum terreſtrium, ſingul. dr. ij. millefolij, plantaginis, herbæ quam Laurentiam vulgo appellant, calendulæ in præſentia dictæ, ſingulorum drag. iij. verbaſci, lenceolæ, quæ eſt alia plantaginis ſpecies, quæ anguſtiora folia habet, cyclaminis, ſingul. drag. ij. abſinthij drag. j. ſuccos harum herbarum additis olei veteris libris duabus, terebinthinæ, reſinæ abietinæ, ſingulorum libr. j. chalbani drachmas duas, reſinæ pini libr. ij. ſimul vero omnia bulliant ad ſuccorum conſumptionem, & illis poſtea tepefactis addendæ ſunt æruginis optime tritæ vnc. ij. ac ita ſeruandum medicamentum, quod poſtea vulneribus inſtillandum calidum, atque panniculo exceptum illis apponendum. Medicamentum vero multiplices vires habet: Nam ex multis conficitur, quæ calefaciunt, & è profundo attrahere poſſunt, vtpote quæ tenuium partium ſint, vt ſaluia, roſmarinus, apium, ruta, herba quam Laurentiam dicunt, abſinthium, omnia enim hæc attenuandi & digerendi facultatem habent, & his etiam magis cyclamen. De oleo autem veteri, reſinaque terebinthina, ſiue veram intelligamus terebinthinam, ſeu lariceam, & abietinam, pinique, non eſt cur aliquid in præſentia dicamus, cum ſatis ſuperque de illis egerimus. Sed aliqua in his ſunt, quæ & influentes humores repellere, & inflammationes arcere poſſint, faciuntque ad vlcerum conſolidationem, vt vtraque plantago. Lumbrici vero terreſtres adeo vtiles neruis vulneratis eſſe creduntur, vt mirifice poſſint, quemadmodum & Galenus de ſimplicium medicamentorum facultatibus tradidit, eos inciſos conglutinare, & conſolidare. Vnde ex eis confectis oleis: nam & chamæmelinum & roſaceum oleum ex lumbricis paſſim conficere ſolent, & illis exſiccatis & in puluerem tritis ſæpiſſime in his neruorum affectibus utuntur medici, uulneribus inſperſo puluere. Sed cuipiam fortaſſe non uidetur rationi conſentaneum, quod his medicamentis, in quibus omnino ſit cauendus omnis morſus, ærugo ſit immiſcenda, quæ eſt acerrimũ, & mordaciſſimum medicamentum. Sed ſi rem uelimus recte extimare, & conſiderare quanta ærugo, quanto medicamento, quod uim inſignem habet reprimendi, & demulcendi acrimoniam, & morſum æruginis habet. Sique præterea & id conſiderabit, quod a nobis ex Galeni ſententia, ubi de uiridibuſ emplaſtris egimus expoſitum fuit de miſcenda ærugine cum cerato, neque a ratione alienum illi uidebitur, quod ærugo huic medicamẽto fuerit iniecta. Nam ita commoderata non mordet: ſed deſiccat, detergitque citra ullum morſum, & ex alto attrahit: & de his quidem ſatis diximus.

Quibus Medicamentis ſiſtendus ſit ſanguis immodice a vulneribus vel vlceribus profluens. Cap. XVIII.

POST tractationem eorum, quæ ad curationem ulcerum, vel vulnerum pertinebant, non primario & per ſe quatenus vlcera, vel vulnera ſunt, ſed quatenus aliquid aliud illis præterea coniunctum erat quod illis erat impedimento, quo minus poſſent admittere curationem, ſiue id ſymptoma aliquod eſſet, quod cauſæ rationem ſubinduerit, ſiue cauſa, ſiue alius affectus illis adiunctus, & quæcunque tandem eſſent quæ aliquam vim haberent propriam indicandi: Iure merito etiam agendum videtur de ſanguinis profluentis immodice a vulneribus, vel vlceribus repreſſione, nimirum quibus medicamentis ſiſti poſſit. Nam quamuis res hæc potius ſymptoma cenſenda ſit, ſymptoma autem vt ſymptoma, & nullam vim indicandi habeat, ſymptomata tamen multa ſunt, quæ ita excreſcunt, vt fere ſymptomata eſſe deſinant, & cauſæ ſubinduant rationem: & proinde etiam ſibi vim aliquam indicandi uendicant, atque

inter-

interdum adeo validam, vt ſuperet, & obſcuret aliorum omnium indicationes, quemadmodum ſe habet interdum dolor, & in his eſt & ſanguinis profluuium. Nam præter id, quod curationem præcipuè affectionis prohibet, in cauſa etiam eſſe poteſt multorũ, & maximorum incommodorum, vt ſunt virium omnium debilitas, & diſſolutio, conuulſiones, ſingultus, aqua inter cutem, & alia id genus multa, vnde tum ratione impedimenti, quod curandæ ſolutæ continuati affert, & periculi, tum vero ratione difficultatis ſuæ curationis plurimum negotium faceſſere ſolet medicis, & longe etiam maius ipſis ægrotantibus. At verò quia inſtitutum noſtrum in his libris omnibus, quæcunque tractamus, illa ex methodo definire, & eadem eſt methodus, qua componimus, quaque dum curamus hos affectus, medicamentis vtimur, neceſſe eſt, vt prius methodum exponamus, quam vulnerarij medici ſequentes immodicam hanc ſanguinis profuſionem oppugnant, ac ſupprimunt. Verùm quia methodi fundamenta primaria ſunt indicationes, quæ à natura rei indicantis depromendæ ſunt: ideo de hoc ſanguinis profluuio aliquis ſermo habendus eſt, atque de eius cauſis: his enim perceptis facile nobis methodum hanc confingemus. Sanguis itaque ſi copioſus à parte quapiam profluat, exire non poteſt, niſi ex uaſis, nimirum ex arterijs, aut uenis, cum ſecundum naturam ſanguis nullibi contineatur niſi in uaſis, aut in corde: à uenis autem & arterijs effluere confertim nequit, niſi illis aliqua ratione apertis: aperiuntur uerò aliquando eorum oſcula & fines; ab ipſa natura ſponte ſua ſe exonerante, dum uel à multitudine ſanguinis aggrauatur, uel à praua aliqua eius qualitate irritatur, aut ex aliquo calore immodico laxante, & rarefaciente, ut prætermittam nunc; quod interdum accidat, quòd ſanguinis effluxio ex inimia accidat uenarum imbecillitate nequaquam illum continere ualentium, ſed exire permittẽtium: quæ imbecillitas ſit exorta ex aliqua intemperie in illis contracta, uel ex nimia diſſolutione ſpiritus & natiui caloris, cum rariſſimè hoc in uulneribus ac ulceribus accidat: quamuis non ſit etiam negandum, quin poſſit nõnunquam accidere. Interdum autem poteſt ſanguis profluere ruptis uaſis, hoc eſt ſoluta in illis unitate, quod fieri poteſt, reciſis uenis, uel arterijs in aliqua particula, uel illis diſruptis ex aliqua uiolenta diſtinctione, uel diſtortione, ut interdum in caſu è ſublimi loco, ex ſaltu uiolento, ut quandoque in thorace contingere ſolet in clamoribus ſumma ui concitatis, in ſufflationibus uiolentis, quod aliquo confracto uaſe ſanguis excreatur, & hoc etiã uenis nonnunquam euenit, quæ ſunt in membranis cerebri, & illis, quæ ad nares pertingunt. Aliquando uerò ex eroſione, quæ fit uel ab ácribus, & mordacibus excrementis, quæ uel in ulcere in dies ex proprio illius particulæ alimento corrupto gignitur propter intemperiem aliquam, qua pars illa affecta eſt, ut in erodentibus ulceribus fieri ſolet: aut ex acri aliqua fluxione, quæ aliunde eò confluxerit, ut ab acri deſtillatione eroſis uenis narium, aut oris, & faucium; interdum pulmonum & thoracis: eroduntur etiam ab acri & mordaci humore inteſtina, nonnunquam, & uentriculus, poſſunt & ad exulceratas partes mordaces, & acres ſucci confluere, & facta ad uaſa uſque abraſione, & eroſione, tandemque corroſis illis in cauſa eſſe eruptionis ſanguinis. Sed iſtis & illud addamus, quod cum fieri ferè non poſſit confertim largum profluuium ſanguinis ex apertis quoquomodo uenis, niſi ab alijs aliarum partium, cum quibus continentes ſunt uenæ, quæ apertæ ad has confluant. Vnde hoc modo refertur ratio profluuij

A immodici ſanguinis vndecunq; fiat. Et quãquã princeps cauſa ſit aperta vena, nam ab alijs ad illam confluit ſanguis quadam conſecutione, &, vt ita dicã, ratione vacui: attamen interdũ in loco affecto, ex quo fluit ſanguis, præterea eſt aliquis aliarum cauſarum conuentus. Vnde concitatur ad eam partem maior fluxio irritata nẽpe affecta parte, ſicuti ſi ſit calor aliquis alienus ab illius natura ſanguinem eo attrahẽs, itidemque & dolor, & illius partis inflammatio: quæ vtroque nomine ſanguinem promouet, ſed & ſitus particulæ, a quo ſanguis profluit non parum ad hoc facit, facilius enim, & promptius, atque magis cõfertim effluit ſanguis, ſi declinis ſit, hoc eſt, deorſum vergat pars affecta, quam ſi accliuis, quia facilius ſanguis B innata grauitate deſcendit, quàm aſcendat. Hęc quidẽ expoſui quàm potui breuius, vtpote quæ ad rationem compoſitionis, & vſus medicamentorũ non parum ſint neceſſaria, ſi id ex methodo ſit agendum, quæ ab indicationibus ſuum habet fundamentum. Quamuis autem vniuerſam methodum expoſuerimus; qua omnes cauſæ profluuij ſanguinis poſſunt inueniri, non tamen illæ omnes ad inſtitutum noſtrum attinere cenſendum eſt. Nam de his tantum in hoc libro ſermonem habere inſtituimus, quæ generali vulnerum vel vlcerum ratione accidentia, priuatam aliquam rationem indicandi retinent: nam de illis quæ certum aliquem locum, vel definitam aliquam particulam reſpiciunt, agemus in ſequenti C libro. Sicuti de fluòre ſanguinis, e naribus vel ex ore, vel de mictu ſanguinis, vel de immodico profluuio ſanguinis ex vtero, vel ex venis ſedis. Nam in præſentia, vt ſtatim ab initio monuimus, tractatio fuit inſtituta de vſu & compoſitione medicamentorum ſecund. gen. quæ apta ſunt curandis iſtiuſmodi vulneribus & vlceribus quæ occupant cõmunia & ſimplicia membra: plerumque autem in his fiunt ſanguinis eruptiones copioſę, vel reciſis, vel eroſis venis; quamuis interdum & vaſa aperiri poſſunt ex confluxu multi ſanguinis ad illam partem, ob id, quia plenũ ſit admodũ corpus, & inde fiat fluxio ad affectam partem, tanquam ad infirmiorem locum, quẽ cum aggrauet, cumque illi ſit moleſtus, facultas expultrix, ad quam pertinet expellere ea, quæ particu- D lis corporis moleſta ſunt, impellit ad eam partem ſpiritus confertim, vt facto impetu vaſa aperiantur, & grauis illi loco ſanguis effluat: vnde 7. aph. 22. dixit Hippocrates, quòd a pulſu in vlceribus expectandum eſt ſanguinis profluuium, vehementius enim pulſant arteriæ ſpiritu & ſanguine repletæ, atque ea propterea ꝙ magis calefactæ: quamuis hoc, vt ibidem expoſuit Galen. præſertim fiat ſi inflammetur locus, ob id, quia attrahitur ratione caloris, aut doloris excitati in ea parte: neque putamus negandum eſſe, quin & id fieri poſſit ex inſigni illius particulæ imbecillitate, qua venæ nequeant ſanguinem retinere: verum, quia imbecillitas hæc, vt diximus, aut ex intemperie aliqua pendet, aut ex laxita- E te, & diſſolutione ſpirituum & natiui caloris: ideo de medicamentis eligendis, atque de eorum vſu non agamus, niſi in vniuerſum, quia horum multa ex illis percipi poterunt, quæ magis particulatim ſuperius fuere explicata. Nã nemo eſſe uidetur, qui non nouerit, ꝙ ſi calida fuerit intẽperies illa indicari, occurrendum eſſe refrigerantibus medicamentis, & itidem uictus ratione. Commoda ergo erunt cataplaſmata refrigerantia, itidem embrochæ, ſeu perfuſiones, inunctiones, emplaſtra, cerata, & id genus omnia alia. Contra uero, ſi frigida fuerit intemperatura, quæ illam imbecillitatem attulerit, & quia mutatio intemperamenti non poteſt ita citò fieri, & interim ſanguis effluit, ideo vt citius ille reprimatur, ſunt illis ſimul intermiſcenda aſtringen-

tia:

tia: ita etiam ſi fuerit virium infirmitas ex laxitate, & reſolutione ſpirituum, & natiui caloris, opportunum quidem erit corpus reficere, modeſte tamen, & aſtringentibus robur illis partibus addere. Quæ vero plerunque, & ex propria fere vlcerum vel vulnerum ratione ſolent accidere ſanguinis profluuia, ea fiunt, aut vaſis refectis, vel ex re contundente dilaceratis, aut illis eroſis, quod propemodum in vlceribus erodentibus ſolummodo fieri conſueuit. Quamuis vt diximus poſſit & fomentũ aliquod habere, ex dolore, vel ex calore, & cum Galenus quarto libro methodi medendi in vniuerſum hanc protulerit ſententiam, quòd, quotieſcunque in aliquo morbo præſens eſt cauſa, quæ fouet, oportet prius, inde illam remouere: ergo ſiue dolor ſit, ſiue calor, ſiue inflammatio, ſiue ſitus decliuis, de quibus nolumus in præſentia verba facere, quia hæc non videntur proxime ſpectare ſcopum in hoc capite propoſitum, illis primum conſulendum erit. Accedamus ergo ad ea, quæ noſtro inſtituto in præſentia magis attinent. Cum itaque duæ videantur eſſe cauſæ, vt nuper meminimus, fluoris ſanguinis ex vlceratis, vel vulneratis particulis, præcipue ſi multus fuerit fluor ille, nempe apertio vaſorum vnde ſanguis effluit, & confluxus ſanguinis confertim ad locum affectum: vtræque hæ cauſæ propriam priuatamque indicationem habent. Sed prius de confluxu loquemur. Porro indicatio, quæ inde petenda eſt, nobis ſtatim oſtendit, intercipiendam eſſe eiuſmodi fluxionem: quia vero duplex eſt illam intercipiendi modus, vel ratio, ideo & hæc indicatio duos nobis ſcopos ſpectandos offert, duobus namque modis id quod indicatur, fieri poteſt, nempe vt ſanguis repellatur a loco, in quem confluere cœpit, atque vt alio inſtrumentis medicis attrahatur: & quia in aliam partem attractio vim habet maiorem, immo tantam, vt parum admodum prior ille poſſit, præſertim ſi aliqua fuerit corporis plenitudo, aut magnus confluentis ſucci impetus, niſi hoc alter præcedat: ideo de hoc priorem ſermonem inſtituemus, niſi quod fortaſſe operæpretium erit, vt paucula quædam verba dicamus de ratione vſus eorum remediorum, quæ accommodari ſolent his duobus ſcopis, vtpote quoniam ſit adeo diuerſus, vt fere aduerſarias rationes habeat. Nam repulſio quidem fit a loco affecto, & ea, quæ hac ratione adminiſtrantur, oportet vt vim habeant repellendi a loco affecto ſuccos ad illum ingruentes, & proinde aut affectæ parti, aut circumcirca ſunt apponenda. Contra vero in attractione ad locum conuertitur modus defluentis humoris, in quo ſunt illa, quæ attrahunt. Vnde is modus reuulſio ab antiquis medicis dictus eſt, & propterea reuellentia remedia accommodatum locum habent in remotioribus particulis, vel ſi in vicinis, non tamen in particula affecta, neque in illa, quæ affectæ proxime adiacet: eiuſmodi vero attractio, quæ alioquin ad vicinum locum fieri ſolet, deriuatio dici ſolet. Sed his expoſitis, horum quæ hoc officio fungi ſolent remediorum rationem exponamus: huiuſmodi ergo attractio, quæ reuulſio a medicis, vel deriuatio ſolet appellari, vel vacuatione fieri poteſt, vel citra vacuationem, quæ ſaltem ſit ſenſibus conſpicua. Cũ vacuatione fit reuulſio per ſectam venam, aut per aliam rationem, qua ſanguis detrahi ſolet, vt per cucurbitulas cum cutis præciſione, vel per hirudines: his enim inſtrumentis detracto ſanguine, & ſubinde inanitis partibus, in quibus hæc molimur, conuertitur modus, & fluxio in partem illam, in qua ſanguis detrahitur: & hoc pacto reuellitur ab vlcerata parte: de ratione autem iſtius reuulſionis eſt, vt procul fiat, & in contrariam partem. Fit etiam per euacuationem reuulſio vſu purgantium

A medicamentorum, tum per ſuperiora, vt per vomitum, tum per inferiorẽ aluum, vel deuoratis medicamentis purgantibus, vel per clyſteres, vel glandes iniectas. Sed de his particulatim hoc loco non eſt habendus ſermo, cum alibi hæc ſint diſtinctius tractata, hic enim rerum connexione, & conſecutione, hæc a nobis dicta ſunt, quibus tamen ſi & hoc addamus, non erit ab re. Nempe, quod in ſupprimendo ſanguinis profluuio, longe aptior, & tutior, efficaciorque eſt vacuatio ſanguine detracto, quàm quæ per vacuantia medicamenta fieri ſolet. Reuulſio vero, quæ fit citra conſpicuam vacuationem, tum & ipſa manuali operatione fieri poteſt, tum vero per medicamenta: opera manuum fit reuulſio fri-

B ctionibus: dum enim fricantur partes remotiores, & fiat valida frictio, duplici nomine fit reuulſio. Nam per frictiones mouetur ſanguis, & exprimitur verſus eas partes, ad quas ducitur in fricando manus. præterea vero locus etiam, quid fricatur calefit, & per calorem attrahit ad ſe alio confluentes humores. Sed & per cucurbitulas, nam & illæ citra etiam præciſionem cutis attrahunt ratione doloris concitati: & proinde ſi deuinciantur partes remotiores, & oppoſitæ, fit reuulſio. Medicamenta etiam, vt cataplaſmata, perfuſiones, & quæ rubificantia dicuntur, vel Græci ſinapiſmi, veſicantia, & huiuſmodi reliqua, quæ calefaciunt, quemadmodum balneæ aquę calidioris adminiſtratæ remotioribus partibus, reuellendi vim habent. Pro ratione autem vrgentis

C rei, & impetus fluentis ſanguinis, ea eligenda ſunt inſtrumenta ad hoc officium, quæ valẽtiora, aut imbecilliora ſunt. Venæ enim ſectio alijs vim maiorẽ habet, deinde detractio ſanguinis per cucurbitulas, aut hirudines. Vomitum vero, aut purgatio per medicamenta, non ita ſunt opportuna ad ſiſtendum ſanguinis profluuium, niſi interdum ſit in cauſa tenuitas, & acrimonia ſanguinis, vbi purgatio bilioſorum, calidorum, & tenuium humorũ mixtorum cũ ſanguine conferre poteſt. Nam per purgationem eductis partibus, quæ calidiores & tenuiores ſunt, & ſubinde magis fluxioni aptum ſanguinem reddẽtes, ſed & motus excitatus humorum vi medicamenti communi quadam vacuationis ratione reuel-

D lit. Quantum vero ad alium ſcopum pertinet, repellendi nimirum ab affecto loco confluentem in illum ſanguinem, illa eadem remedia ſunt opportuna, quibus ad arcendas inflammationes vti ſolemus, nẽpe refrigerantibus & aſtringentibus, de quibus ſuo loco erit inſtituendus ſermo: & ideo hoc loco in illis exponendis tempus non conteremus, niſi quod hoc non prætermittendum videtur, quod hæc eadem videntur, & vim habere proxime & ſua fere ratione obturandi ora vaſorum, per quæ ſanguis effluit, tum quia aſtringunt, denſant, tum verò quia horum ope ſanguis qui in extremis partibus reperitur facilè concreſcit & grumeſcit. Sed de his ſatis quantum ad noſtrum inſtitutum pertinet, neque enim hæc quæ cum multis alijs communia ſunt, quę

E alibi, aut expoſita, aut exponenda ſunt, particulatim hoc loco ſunt explicanda: hic autem à nobis in vniuerſum propoſita ſunt, ductis, vt diximus, à magna connexione, & conſecutione, quæ inter ea ſunt, & hæc de quibus ſumus acturi. Altera cauſa, immo prior & princeps, à qua pendet ſanguinis profluuium, eſt apertio vaſorum, quæ facta eſt, aut per eorum inciſionem, aut per dilacerationem, aut per corroſionem. Et hæc quamuis particulatim à diuerſis cauſis ſit facta, cum tamen vnam communem rationem habeat, quę eſt apertio, vnam etiam habet communem indicationem, nimirum claudenda eſſe ora apertorum vaſorum, ſi ſit ſupprimendus ſanguis: quæ tamen concluſio & ipſa facien-

facienda eſt per varios modos, diuerſitas vero claudendi accipitur a diuerſa ratione vulneris, vel vlceris, quatenus ad eorum magnitudinem & profunditatem pertinet, vel a modo, quo apertæ fuere venæ, aut arteriæ. Res autem hæc facilius percipi poterit, ſi particulatim tractetur. Clauduntur ergo primum aperta vaſa per coniunctionem mutuam laterum, vel vt recentiores dicunt, labiorum vulneris, vel vlceris. Adducuntur enim impellentibus manibus, donec mutuo iungantur, & hæreant. Ex mutuo namq; occurſu, & coitu clauduntur aperta vaſa, donec vulnere conſolidato omnis affectus tollatur, deinde deligatura eſt opus, vtpote, quæ & ipſa paulatim aſtringendo & impellendo facit ad adducenda latera: ſæpe etiam eorum conſutione egemus, qua illa vnita ſeruentur. Verum his vtimur, quando non admodũ vulnus, vel vlcus fuerit altum. Nam in profundis ea neque adduci manibus, neque deligari poſſunt latera in parte profundiori: & proinde ad alios modos accedendum eſt. Hi vero ſunt, vt obturentur vaſorũ ora aliquo operculo illis appoſito, opercula autem, quæ vulneribus procuranda ſunt, aut ab ipſo vlcerato, vel vulnerato loco petenda ſunt. Nã vt quinto methodi cap. tertio docuit Galenus, aliquando aliqua caruncula prominẽs in vulnere reperitur, quam procuramus vt adducatur, vel impellatur, ita vt ab ea contactũ os claudatur: in aliquibus autem vulneribus, vel vlceribus ipſa cutis nobis poteſt hoc officium præſtare; nonnunquam etiam operculum hoc a fluente ſanguine petendum eſt. Vt enim paulo ante diximus, cruor vi refrigerantium, & aſtringentium medicamentorum vulneri impoſitorum craſſeſcit, & denſatur in grumum, qui hærens in ore vaſis officio operculi fungitur. Aut operculum hoc non a ſanguine petendum eſt, ſed vniuerſa fere eius ratio in vi medicamentorum ſita eſt: horum autem diuerſus modus eſt parandi eiuſmodi operculum: ſicuti diuerſa etiam eſt eorum natura. Nam hæc aut emplaſtica ſunt, quæ craſſæ, viſcidæque ſunt materiæ, vel ſubſtantiæ: & dum locis, vnde ſanguis effluit, apponuntur, illis lentore ſuo tenaciter hærentes: præſertim vero oris vaſorum eis obturatis, prohibent, quo minus poſſit ſanguis effluere. Alia vero ſunt, quæ vrentem vim habent, Græce vero cauſtica medicamenta, vel cauteria dicuntur. Quamuis aliquando, vt vbi de putridis & erodentibus ſermo habitus eſt, diximus, ſæpe igne, vel candenti & ignito ferro fiat hæc inuſtio: ab his autem medicamentis, vel inſtrumentis fit vaſis operculum, non ex ſe, vt a prioribus, hoc eſt, non quòd ex ipſis fiat operculum ori vaſis, ſed operculum fit ex carne exuſta: dum enim vritur caro, vel partes, quæcunque vruntur, exuſta carne fit cruſta, quæ operit: & hac ratione claudit, & intercipit exitum ſanguinis donec in eo loco manet, & inde non decidit. Nam neceſſe eſt, vt tandem ſubcreſcente pure aut aliqua humiditate cadat. Expoſitis autem modis, quibus ſanguis reſtringi poteſt, eos ad vtilem uſum referamus, tum ſecundum ſe conſideratos, tum uero mutuo inter ſe collatos: Poſtremus itaque in alijs omnibus magis fallax eſt. Nam niſi cito caro ſubcreſcat, decidente cruſta, iterum ſanguis rumpit, ut repreſſio ſit poſtea difficilior: quia cum cruſta fiat exuſta particula uulnerata, neceſſe eſt, ut eatenus magis patens fiat cauitas ulceris. Sæpe autem nequit ita cito caro regenerari. Sicubi uero uidetur aptus, atque fere neceſſarius is modus, in ulceribus, quæ putrida aut erodentia ſunt, utilis uidetur. Nam exuſtio ſiue medicamentis fiat, ſiue igne, uel ignito inſtrumento, præter id, quod inducta cruſta intercipit profluuium ſanguinis, conſumpto etiam, atque reſiccato uitioſo humore, qui roſionis, aut putrefactionis e-

A rat in cauſa: ſiſtit etiam roſionem, uel putrefactionem, ut facilius deinde ulcus poſſit curari: nam licet cadente cruſta, item ſanguis quandoque erumpat, ille iterum per alios modos retineri poterit, & eo retento, facilius caro regenerari, & ulcus curari: primus uero, qui fit per reductionẽ laterum uulneris, atque per aſtrictionem, & compreſſionem, ſuturamque, & deligaturam, locum quidem habere poteſt, & ſatis facilem in uulneribus non admodum in profundum penetrantibus: in profundis tamen, præſertim ſi in alto ſint uaſa aliqua inſignia, quæ confertim ſanguinem eructent, maximeque ſi arteria, hoc modo nihil efficere poterimus. Sed erit neceſſe uti altero, aut tertio, nempe ut uulnus,

B aut aſtringentibus impleatur medicamentis, & refrigerantibus: nam hæc deſiccant, & deſiccando generationem carnis iuuant, quæ eſt exquiſitiſſima curatio iſtius rei: aut illis quæ emplaſtica ſunt, uel utriſque, nempe, ut in profundiores partes emplaſtica indamus, deſuper uero refrigerantia & aſtringentia imponamus, uel ea quæ utranque facultatem mixtam habent. Anteaquam autem de compoſitione, & uſu horum medicamentorum particulatim agamus, operæ pretium fortaſſe fecerimus: ſi cuiuſdam præcepti Hippocrat. meminerimus, circa rationem reſtringendi ſanguinis. Cui Galen. primum 4. method. cap. 6. deinde verò & Auicen. ſed & ante Auicen. antiqui fere omnes ſubſcripſere, cum id ab illis admodum vtile fuerit iudicatum. Conſulit itaque Hipp. in

C recentibus vulneribns, præſertim quæ non ſint in internum ventrem, ſed in externis partibus adacta, ſanguinem non eſſe ſtatim cum inde effluit, ſupprimendum, ſed permittendum aliquatenus defluere, & id quatenus medico viſum fuerit expedire. Vtilitas verò, quæ poteſt ægrotanti accedere, eſt, quòd facilius arcetur, quo minus inflammatio vlceri, aut circũſtantibus partibus ſuperueniat: qua autem de cauſa modeſta ſanguinis profuſio tutas ferè reddat partes vulneratas, & circunſtantes ab inflãmatione, facilè percipiemus, ſi eorum memores fuerimus, quæ ſæpius & in hoc libro, & in alijs fuere explanata. Nimirum enim oſtenſum eſt, inflammationem originem habere à fluxione humorum confluentium ad aliquem

D imbecilliorem locum: facilè autem excitantur fluxiones in corporibus plenis: vbi verò obeſt plenitudo, partes, quæ ſuperuacuo humore carent, auariores redditæ, contendunt quanta vi poſſunt, ne vtilis & fere neceſſarius ſuccus illis ſubtrahatur. Neque minoris momenti illud eſt, quod Galen. 5. methodi capitu. tertio docuit, ad ſanguinem reprimendum ex vulneribus profluentem, in quo exponendo hac methodo procedit, ſi inciſa ſit vena, & vulnus eius oculis conſpici, & digitus eò vſque peruenire poſſit, digito vulneris oſculo admoto, atque leuiter compreſſo, ita vt exitus ſanguinis intercipiatur, citra tamen dolorem, facile ſanguinem ſupprimes. Nam ſanguine in grummum interim dum digito locum premes

E conuerſo, oſculum obturabitur. Verum ſi uas in penitioribus uulneris partibus fuerit inciſum, tunc diligentius rei attendendum, & ſitus, magnitudoque illius erit exquirenda: inſuper uerò, & quodnam uas illud ſit, num uena, uel arteria. Quibus examinatis, & perſpectis, ſi unco uas apprehenſum leuiter attolles, moxque aliquanto intorqueas, hoc pacto forſan ſupprimetur ſanguis: quod ſi id ex uoto non ſucceſſerit, ſi uena illa fuerit, medicamentis erit agendum, quæ uim habent ſiſtendi ſanguinem, præ alijs autem emplaſticis. At ſi arteria fuerit, uix medicamentis hoc aſſequi poteris, ſi uas hoc fuerit alicuius magnitudinis. Quare relictis medicamentis, neceſſe erit manibus agere, & aut circunducto uinculo deliganda erit arteria, aut uniuerſa reſcindenda,

denda, & ſi vinculo vti volueris, hoc tibi obſeruandum erit, vt deligetur arteria ex ea parte, vnde illa ortum habet, nempe verſus cor, quia ſanguis inde impetum facit verſus vulnus. Vnde ſi arteria aſcendat a corde, vel ab aliquo ramo, qui ſtatim a corde defluxerit, in inferiori parte vinculo deuincienda erit. Verum ſi ex illis fuerit, quæ deorſum verſus particulas inferius feratur, in ſuperiori parte deliganda erit. Sed ſæpe medici non ſunt vinculo ſolo contenti, ſed præterea & vas vniuerſum præcidunt, quod in vulneratis venis moliri quoque interdum cogimur: præſertim vbi vena ſauciata ex valde profundo loco aſcendens per vias anguſtas fertur, aut per aliquas ex partibus, quæ aliquo pacto in præcipuis ſit. Vaſa enim hæc hanc habent naturam, vt ſi exſcindātur, aut alioquin diuellantur, vtræque partes retrahuntur, vnaquæque ad ſuum locum, circumſtantibus vero ſuperpoſitiſque corporibus quaſi conniuentibus, abſconduntur præciſę vaſorum partes ſecundum ora: atque ita intercipitur ſanguis, quo minus effluere queat. Conſulit autem Galen. 5. methodi ca. 5. vt vtrumque agamus, nempe vt primum partem vaſis, quæ ſuum initium reſpicit vinculo deligemus, alteram vero, quæ ad extremum vergit reſcindamus. Quo peracto nihil antiquius nobis ſit, quā procuratio vt carne aggenita vulnus repleatur, antequam vinculum a vaſe decidat: alioquin niſi caro cito excreſcens comprimat partem præciſi vaſis, præſertim vero quando ſit arteria, quæ vulnus acceperit, quæq; ſanguinem effundat, ſed inane aliquod ibi relinquatur, anteaquam vinculum excidat, excitabitur tumor ille, qui a Græcis ἀνεύρισμα, ab Arabibus autē mater ſanguinis appellatur: vnde ex hoc concludit ibi Galenus, quòd omnino in hoc negotio præferendus ſit vſus medicamentorum emplaſticorum, vſui eorum qui cruſtam inducunt, & id propterea quia magis & citius carnem reparant: ſed ab hac reprimendi ſanguinis ratione eximenda ſunt vaſa, quæ per cerebri mēbranas digeſta ſunt, nimirum venæ, & præterea illæ, quæ σφαγιτίδες à Græcis dicuntur, a Latinis vero iugulares appellantur, in quibus ſolo medicamento, de quo agemus, citra vinculum ſanguinis erit aſtringendus. Sed videretur forſitan opportunum accedere particulatim ad horum medicamentorum tractationē: additis ergo his paucis ad præcedentia, ea exponemus. Nam diuerſam aliquanto curationis rationem ſanguinis requirit, quando ex profundioribus partibus profunditur: quia ſiue velis vincula experiri, ſiue ligaturam, nihil omnino proficies, minus quoque ſi medicamentis cruſtam inurentibus vtaris. Sed neque ſi alijs fiſſuræ imponendis, verum ſolis reuulſionibus aut deriuationibus proficies. Præterea vero tam cibis, quàm potu, tum aſtringentibus, tum refrigerantibus, quæ non modo in his profuſionibus ex partibus quæ in alio ſunt maxime ſunt opportuna, verum in illis etiam, vbi externa remedia, vt ſunt refrigerantia, ſiue aſtringentia ſint, ſiue citra aſtrictionem ſolent cenſeri eſſe accōmodata, nihil proficere poteris, niſi prius impetus confluentis humoris per reuulſionem, aut ex ſecta vena, aut per ligaturas, aut per curcubitulas auertatur. Addamus pręterea, quod ſi affundatur interdum ſanguis quaſi exudans ex venis per διαπήδησιν Græci dicunt, quod fit uel ptopter raritatem & laxitatem ſubſtantię uaſis, aut propter tenuitatem ſubſtantiæ ſanguinis, quamuis id ad ſolutā continuitatem non pertineat: non erit tamē ab re, ut ſaltē in uniuerſum de hoc etiā paucula dicamus, nēpe quomodo ſit reprimendus. Porro nemo fere non uidet, quod id per refrigerantia, & aſtringentia ſit agendum, in quibus eſt facultas denſandi & colligendi uaſorum ſubſtantiam, & cibis quoque incraſſantibus, quando id a ſanguinis tenuitate pendet. Tandem ergo particulatim ad rationem horum medicamentorum exponendum accedamus: quorum in uniuerſum paulo antea facta eſt mentio: & cum hæc in tres ordines, uel tria genera ſint digeſta, prius ea deſcribemus, mox non quidem omnia, ſed quæ magis in promptu, & in frequentiori uſu ſunt, recenſebimus: genera vero ſunt hæc. Quædam refrigerantia, & aſtringentia ſunt, alia emplaſtica, alia cauſtica, vel inurentia. De cauſticis ſane non eſt, cur in præſentia aliquid dicamus, cum multa fuerint à nobis, dum de malignis putridis & erodentibus vlceribus ageremus, literis tradita. Emplaſtica vero ea ſunt, quæ craſſioris ſunt ſubſtantiæ cum quo dam lentore: & quamuis eorum aliqua non videantur expertia alicuius caloris, quæ tamen aliquantulum in frigus inclinant, noſtro huic ſcopo magis videntur accommodata. Ergo ex ſimplicibus in primis album oui, quod cum expers morſus, & lētoris ſit particeps, atque quoquo modo refrigerans, nonnulli præterea & vim aliquam attribuant, fuit ſemper in frequentiſſimo vſu, atque maxime vulgare medicamentum, quo tum ſolo præſertim lineis puluillis excepto, tum vero tanquā materia, qualia aſſumantur vti ſolent. Emplaſticam etiam facultatem habet araneæ tela, quæ præterea refrigerando appoſita loco, vnde ſanguis effluit, ibiq; hærens ſolet ſupprimere, vel etiam ſola: ſed ſi illa accipitur, quæ reperitur vbi triticum molunt, vel vbi a furfure excutitur farina, ſunt enim telæ illæ refertæ tenuiſſima farina, quæ euolat: inde maiorem vim emplaſticam & agglutinatoriam conſequitur: nam & pollē, hoc eſt tenuiſſima farina vim emplaſticam inſignem habet. Sed ſi alijs interdum medicamentis careremus, raro deeſſet puluis communis: ille enim ſi Galen. 8. de Facultat. ſimplicium medicament. credimus, eas omnes vires habere videtur, quæ plurimum valent ad ſanguinē ſupprimēdum, nā emplaſticus eſt, refrigerat, & repellit. Gypſum quoque, præſertim verò ſi fuerit exquiſitè locū, in hac re plurimam vim habet, vel ita aridum inſperſum, vel ex albo oui mixtum, vel alio liquore ſimilis conſiſtētiæ: nam & in emplaſticis medicamentis eſt, & refrigerandi, deſiccandique facultate præditum: reſina etiam fricta, vt ait Galen. 5. meth. ca. 3. quamuis non refrigeret; quia tamen emplaſtica & ipſa eſt, reprimere poteſt fluentem ſanguinem. Validæ etiam poteſt fluentē ſanguinem ſiſtere bolus armena, quæ & ipſa aliquid habet emplaſtici, quamuis vt Galenus nono de Facultat. ſimplicium medicamentorum teſtatus eſt, magis exſiccando id agunt, & partim etiam refrigerando. Cum his autem poſuerim lapides hæmatitem & ſchiſtum, & terram lemniam vel ſigillatim, & ſi quidpiam aliud eſt iſtius generis. Refrigerantia autem, & ea ratione ſanguinem ſupprimentia, ſunt aqua frigida, poſca, ſuccus cucurbitæ, paluſtris lenticula, lectula. Refrigerant autem cum aliqua aſtrictione portulaca, & eius ſuccus, refrigerant quoque, & aſtringunt, ſimulque aliquantulum ſiccant ſolanū, plantago, polygonum, ſemperuiuum. Vtcunque poſſumus cum his recenſere, malum cotoneum, reliquaque mala, & pira, quę alicuius auſteritatis, & aſtrictionis ſunt expertia: præterea ſorba, & meſpila, præſertim quæ mitia minimæ ſunt, & cornua, & fructus comari. Sed & omnium horum folia, ſicut & fructus rubi, atque etiam mororum, quę immatura ſunt, & rubi quoque germina. Inſigniter autem aſtringunt, & refrigerant gallæ, præſertim immaturæ, balauſtia, cytini, malicorium: ſed & myrtus, hypociſtis rhus, omphacinum: ſunt & aliqua, quæ etſi calida ſint, ratione tamen, qua aſtringunt, & ſiccāt, huic muneri poſſunt eſſe vtilia, vt aloe, thus, & eius manna, & frixa reſina. ſed & aliqua in illis emplaſtica facultas id adiuuat,

ſumat, & pini etiā cortex, vinū ꝑterea auſterū, pręſertim nigrū aſtringendo poteſt iuuare ad ſupprimendū ſanguinē. Sed & multa alia his iuniores addunt, quę, ni fallor, deſiccando potius quàm alia ratione fluentem ſanguinem intercipiunt, ſicuti fuligo, quæ a clibano, vel a lebete aeneo deraditur, ſed fortaſſe & thuris fuligo vel maſtiches vim haberet maiorem, ita & gallinaceæ plumæ combuſtæ, pilique leporis combuſti, oſſa vſta, ſpongia etiam exuſta, quanquam & alia non modo ſiccando, ſed etiam aſtringendo eſſe poſſunt vtilia, vt rhabarbari torrefacti puluis, gallæ exuſtæ, moxque aceto vel vino præſertim auſtero reſtinctæ, cinis quorumcumque lignorum, quæ aſtringentem facultatem habuerint. Poſſemus alia præterea multa aſcribere, quæ orationis prolixitati parcentes, dimittimus, & Galenum imitati, vno capite colligemus omnia, nimirū dicentes, quæ aſtringendi facultate prædita ſunt ad hunc ſcopum pertinere: vnde ſi paucula quædā de compoſitionis iſtius generis medicamentis literis tradiderimus, huic capiti finem imponemus. Cum autem omnia compoſita medicamenta ex ſimplicibus conficiantur, & ex his præſertim, quæ iam a nobis propoſita ſunt, aut ſaltem, quæ ad idem genus cum his tandem referenda ſint ea, cum omnium nō ſit vnum omnino & ſimplex genus. Nam alia magis emplaſtica ſunt, alia vero aſtringentia & refrigerantia partimque exſiccantia, nonnulla cauſtica, vel exurentia: ideo diuerſus reperitur modus, & diuerſa methodus compoſitionis id genus medicamentorum. Vnde ſi diligenter velimus ea medicamenta examinare, quæ ab auctoribus tum priſcis, tum recentioribus deſcripta reperimus (nam alij quidem omnia fere ad idem genus pertinentia, commiſcent, alij vero ex diuerſis, & ſępe etiam ex omnibus generibus: vel etiam inter ſe contrarijs medicamenta colligunt, commiſcentque, & aliqui multa, alij pauca) incipiemus ab illis, quę antiquis & maxime pręcipuis medicis fuere in vſu. Galenus itaque duo compoſita medicamenta quā maxime laudauit, alterum, quod confici poteſt ex reſina addito polline triticeæ farinæ, vel gypſo trito in tenuiſſimū puluerem, vel etiam additis vtriſque ea portione, vt fiat molle emplaſtrū vel cataplaſma. Vel etiam ſi duo hæc ſimul mixta aſſumātur ex albo oui, erit nihilominus accommodatum medicamentum: quamuis ex farina & gypſo poteſt aridū medicamentū, vel puluis, qui vulneri & ori naſis inſperſus, dum fluenti ſanguini commiſcetur, fit veluti emplaſtrum, vel cataplaſma: nam aliqui etiam ſanguinis grumo exſiccato ac trito, in pulueremque redacto vtuntur ad aſtringendum fluentem ſanguinem, quomodocunque autem medicamentum paretur, emplaſticū erit, ex emplaſticis confectum. Alterum vero, quòd a Galeno cæteris omnibus præfertur, eſt id, cuius materia eſt aloe & thus, & eius, vt recentiores loqui ſolent, baſis, quamuis non ſemper idem erat illi modus vtēdi, neque eadem menſura ſimplicium, quæ accipiebantur: ſed varia tum pro diuerſa ratione corporum, in quibus medicamento erat vſurus, tum etiam pro ratione vulneris. Nam illi interdum videbatur eſſe opus magis emplaſtica facultate, interdum magis aſtrictoria & deſiccatoria. Communis tamen eius ratio erat, vt eſſet thus duplex ad aloen: & thus illud eligeretur, quod mollius eſſet, & recentius, iuniores dicerent gummoſius, vtpote quoniam hoc magis emplaſticum eſt, atque hinc magis emplaſticum euadit medicamentum. Si tamē corpus, cui eſſet opus iſtiuſmodi medicamento ſiccius eſſe videretur, ſicciori etiam eſſet opus medicamento: par ergo portio vtriuſque eſſet aſſumenda. Interdum vero & aliquantulū plus aloes indebat, nunquam tamen aloe thuri erat ſuperius: aloe autem magis deſiccat, & magis aſtrin-

A git thure: immo nonnunquam, quando plus pręterea eſſet neceſſaria & aſtrictio & deſiccatio, pro thure cō ſulit Galenus eſſe aſſumendam mannam, quam thuris corticem iuniores ſolent appellare. Nam vt idem teſtatur, manna magis aſtringit, quam thus: hoc autē emplaſticum magis eſt, modus vero vtendi iſto medicamento frequentior, & vtilior eſt ille, quem ibidē Galen. docuit, vt aridum paretur, nempe cōtritis omnibus ſimul, & in tenuē puluerem redactis, atque ita ſeruetur: cum vero vtendi occaſio fuerit oblata, albo oui ſubigendum eſt, atque ad craſſitiem mellis deducendū, & aſſumendū molliſſimis pilis leporinis, & naſi ſanguinē effundenti imponendum, atque ſubinde vniuerſo vulneri, moxque tenui faſcia id deligandum accommodata ligatura figuræ, & ſitui ipſius particulæ deligandæ: ita, vt primum ter, quaterue, aut etiam B quinquies vulneri, locoque vnde effluebat ſanguis, circundetur: mox vero circunductio procedat verſus radicem originemue ipſius ſecti vaſis quatenus tamē id fieri poteſt: nam in ſauciatis cerebri membranis id nequit ſane fieri. Mihi vero neque ſatis compertum eſt, an hoc medicamentum membranis cerebri hoc modo ex albo oui ſubactum, & pilis leporinis exceptum membranæ commode poſſit imponi: vel potius illis ſit aridum inſpergendum, ac mox ex oui albo, & leporinis pilis vulneri exterius imponendum: noſtris autem temporibus ſæpe pro illis pilis vtūtur medici molliſſimo lino, aut etiam coto. Laudatur autem adeo medicamētum hoc, propterea quia pręter id quod agglutinando, & aſtringendo ſanguinem ſi- C ſtere poteſt, vim etiam illam habet, vt carnem aggeneret: quod non modo vtile, verum & ſumme neceſſarium ad reddendū omnino tutū hoc negotium. Auicenna vero & ipſe ſuum quoddam medicamentum reliquit conſcriptum, in quo exponendo, vel examinando non ero multus: quia idem fere in alijs eſt, niſi quòd bolum armenam, & draconis ſanguinem medicamento Galeni addidit: omnia vero accipit pari pondere, at idem eſt modus eo vtendi, & hi quidem auctores perſtitere in illis medicamentis miſcendis, quæ ad genus emplaſticum pertinent: nam & melius id eſt, & tutius. Poſteriores vero his minime contenti, alia etiam commiſcuere, quæ diuerſorum generū ſunt: nam & cauſtica, vel, cruſtifica cum emplaſticis D compoſuere, quemadmodum Brunus inter recentiores chirurgos vetuſtior, Arabes, præſertim vero Raſim & Albucaſim imitatus: is enim in hunc modum conficit medicamentum. Accipit calcis viuæ, de qua ſermonem alibi habuimus, ſanguinis draconis, gypſi, aloes, thuris, chalcanthi, ſingulorum tantundem, omniaque ſimul contuſa in tenuem puluerem redigit, & ex albo oui addita tela, araneæ, eatenus cōmiſcet, donec ad vnam compagem deuenerint, eoque vtitur, vt ſupra. In qua cōpoſitione cætera emplaſtica ſunt, chalcanthum vero cauſticum eſt, & ex ijs quæ cruſtam vrendo inducunt: at calx viua inter ſeptica vel putrefacientia recenſetur. Poſſemus longe maiorem copiam medicamentorum compoſitorum deſcribere, niſi ſuperuacaneum fore hunc laborem putare- E mus. Nam his recte perceptis, atque ſeruata memoria ſimplicium, quæ fuere paulo antea literis commiſſa, non erit difficile variare rationem medicamentorum, & ſyluam ingentem ſibi parare, vel iſtis aliquantiſper mutatis partim additis aliquibus alijs pro ratione opportunitatis, partim etiam nonnullis detractis vel diuerſis etiam ab his commixtis, prout videbitur, vel ratio corporis, vel temporis vel loci nobis eſt facile ſubminiſtrare atque expetere. Quapropter iam videtur opportunum, vt finem quatenus ad hoc caput pertinet, faciamus.

De Curandis tumoribus, qui in corpore humano, præter eius naturam excitantur per medicamenta, primumque de eorum natura in vniuerſum.

Cap. XIX.

EXPEDITIS autem illis, quæ ad curanda tã vulnera, quàm vlcera pertinere poterant, quantũ nempe ad noſtrum inſtitutum ſpectare videbantur, ad tumorum rationem, qui præter corporis laborantis naturam ſolent concitari, orationẽ conuertamus, & exponamus, quibus medicamentis, & qua ratione adminiſtrandis curandi ſunt. Verum quia vt ſæpius ex Galeno in prioribus capitibus fuit oſtenſum, aut vniuerſa, aut maior pars methodi tam componendorum, quam adhibendorum medicamentorum a natura ipſius curandi affectus depromenda eſt, ideo de tumoribus, tum vniuerſim, tum etiam particulatim agemus: ſed quantum duntaxàt poterit ad facilior ẽ eorum, quæ dicenda ſunt explanationem conferre. Attolluntur itaque in tumorem partes noſtri corporis non alioquin, niſi quia aliqua replentur materia, a qua infarcta diſtenduntur: quamuis autem poſſit illa materia, qua replentur eadem particula, quæ in tumorem attollitur paulatim ex aliquo in eo contracto vitio generari, ſæpiſſime tamen, vt Galen. in lib. de cauſ. morb. tradidit, a fluxione fiunt, expellentibus nimirum fortioribus particulis, inutiles vel ob copiam, vel ob malitiam, & excrementoſas materias naturæ inſtituto a ſe, & id miniſterio expultricis facultatis, quando natura ab illis irritata excitat hanc facultatem, atque id ſubinde, donec impulſio ad eam particulam deſinat, quæ non eas vires habeat, vt a ſe alio ingruentes humores poſſit impellere: tunc autem replentur primum plus iuſto ab hac fluxione vaſa maiora, diſtenduntnrque, mox autem & minora. Demum per vaſorum ora, & per meatus anguſtos & ſenſibus inconſpicuos humor copioſus infarctus, cum contineri amplius fere nequeat, quaſi expreſſus exudat, exciditque inter ſpatia, quæ in muſculis ſunt inter ſimilares partes, vt idem & in libr. de inæquali intemperie cap. 2. & libr. de art. medic. cap. 95. & 14. method. cap. 2. docuit; quales ſunt membranæ, nerui, ligamenta, venæ, arteriæ. Vt tandem & caro ipſa iſtiuſmodi humore ſuffundatur, eumque veluti abſorbeat. Is ergo eſt modus, & ratio generationis omnium id genus tumorum, de quibus in præſentia ſumus ſermonem inſtituturi. Et quamuis in vniuerſum eundem modũ generationis habent, differentem tamen ſpeciatim habent naturam, quæ vniuerſa diuerſitas, a differente natura influentis humoris ortum habet, nam influens humor, aut naturam ſanguinis habet, aut bilis, aut pituitæ, aut melancholici ſucci. Præterea vero quandoque non ex corpulento ſucco excitatur tumor, ſed ex flatulento potius, vt teſtatur Galenus quarto de Ratione victus in acutis morbis, cõmentario vigeſimo primo, ſpiritu, & quaſi ventoſo. Pro ratione ergo fluxionis vnde ortũ habent diuerſam quoque naturam ſortiuntur tumores hi, ſicuti fluxio aut calida, aut frigida eſt, ita alij calidi ſunt, alij frigidi, & antiquitus quidem, nẽpe tempeſtate Hippocratis, omnes calidi tumores, vno quaſi communi nomine a medicis phlegmone Græce, inflammatio vero Latine dicebantur. Poſteriores vero, vt idem Galen. tum loco a nobis nuper adducto, tum etiam ſecundo libro artis curatoriæ ad Glauconem, commune hoc nomen determinarunt ad vnam tantum horum tumorum calidorum ſpeciem, nempe ad illam, quæ excitatur a ſanguinea fluxione,

A in qua ſignificatione nunc paſſim accipitur inflammationis nomen, quem morem & nos in præſentia ſequemur. Prius autem de tumoribus calidis agemus, & primum de inflãmatione, niſi quod prius quædam adhuc in vniuerſum conſideranda ſunt anteaquam particulatim res hæc tractetur, primumque, quòd aliquando ſimplices ſunt hi tumores, vtpote qui ab vno tantum, & ſimplici humore influente ortum habeat: aliquando vero cõpoſiti, vel mixti, quando a pluribus & diuerſis humoribus mixtim confluentibus excitantur, ſicuti aliquando exquiſita eſt inflammatio, aut exquiſitum eryſipelas, aliquãdo vero inflammatio erit eryſipelatoſa, vel eryſipelas phlegmonoſum. Sed huic & illud addamus, quod

B nos idem Galenus decimo tertio methodi docuit, quòd quando dicimus purum, & exquiſitum eryſipelas fieri a ſimplici humore, itidemque exquiſitam inflammationem hoc ita accipiendum, quaſi rariſſime, aut nunquam accidat, quia ſemper fere miſti fluunt humores, & eryſipelas, aut inflammationis aliquo modo particeps eſt, aut ſcirrhi, aut œdematis: & ita etiã alij, vel huius vel alterius participes, aut hoc ad ſenſum referendum eſt, quia adeo copia, & viribus vnus humor alios ſuperat, vt illi a ſenſibus noſtris nequeant diſcerni: ſed ab illis tanquam vnus & ſimplex humor habentur.

C *De ratione medicamentorum, quibus curandæ ſunt inflammationes.*

Cap. XX.

INFLAMMATIO, quam phlegmonem, vt paulo ante monuimus, Græci poſteriores Hippocrate particulatim nuncupauere, tumor eſt, vt idem 2. libro ad Glauco. cap. 2. ait, qui a ſanguine optimo modice tñ craſſo, aut ſane a ſanguinea materia, hoc eſt in qua copia, & viribus ſanguis ſuperior eſt, influẽte in aliquam particulam excitatur. Symptomata vero communi quadam ratione inflammationes conſequẽtia ſunt, vt decimo quarto methodi docuit Ga

D lenus, calor primum, deinde rubor, mox dolor, tenſioque, & retinentia comprimenti. Et calor quidem inſignis, & quaſi flammeus, vel igneus, vnde & inflammationis, vel phlegmone nomen inditũ. Percipiunt enim ægri calorem adeo vehementẽ, vt quaſi accenſa flãma videatur, cuius multiplex eſt cauſa; primũ quidẽ, quia ſanguis ſuapte natura calidus eſt, deinde vero cũ comprehenditur conſtipatus in inflammato loco, ſeipſo longe calidior fit, quia cute obſtructa, a multa & craſſiori materia prohibetur, quo minus difflari poſſit: atque ita maior accenditur calor, cui hac etiam de cauſa putredo accedens, priori calori, & illum addit, qui a putredine accenditur. Rubor vero item in ſanguinis calorem referendus, & diſten

E ditur etiam particula, & prementi renititur, quia ſpatia, quæ inania prius erant, ſanguine inculcato, & infarcto plena ſunt. Dolor autem tum ex nimio calore feruoreque excitatur, tum vero quia partes a materia efferueſcente diſtenduntur, ac quaſi dilacerantur, tũ etiam quod ab incumbentibus partibus cõprimũtur, & aggrauantur, qui plerunque cũ pulſu eſt, ſi inflammatio inſigniter creuerit, & in loco fuerit, qui ſit ſenſus particeps, & propinquas habeat arterias. Pulſus enim is ab arterijs, vt 7. Aph. docuit Galenus, prodit, quæ & refrigeratione egent maiori, & noxiã rẽ expellere nituntur, & compreſſæ anguſtiori ſpatio, dum impetu maiori mouentur, circumſtãtes partes, percutiunt: præcipue vero is pulſus fit, cum inflammatio in ſuppurationem propenſa eſt. Sed anteaquam

quam ad eorum tractationem accedamus,quæ magis particulatim huic noſtro inſtituto attinent, aliqua in ſuper circa communem rationem inflammationum ſunt explananda, neceſſaria ad methodum componendorum medicamentorum, quæ apta ſint illis curandis,ad rationem vſus eorum:& hoc primum quidem declarauimus, quod tanquam corrolarium ex illis ſequitur,quę nuper fuere expoſita. Nempe quòd in inflammata parte duplex reperitur caloris ratio,& altera quidem natiui, ad quem principem ſpectat & morbos curare, & omnia pertinentia ad vitam & ſalutem illius partis adminiſtrare: alter extraneus,& aduentitius præſertim, vt diximus,ex putredine concitatus; qui omnino aduerſarius natiuo, corrumpit, deſtruit,& impedit omnia a natiuo adminiſtrata,qui ſicut aduerſarij mutuo ſunt, ita ſemper inter ſe pugnant,ac veluti colluctantur. Vnde ex his poſtea accidit, vt inflammationes non ſemper vno, & eodem modo terminentur, ſed vt a Galeno multis in locis fuimus docti,multipliciter,nam aut omnino natiuus calor ſuperior eſt,aut omnino externus,& aſcititius, aut res quaſi medio modo ſe habet, nempe quia neque natiuus, neque extraneus alterum ſuperat, ſed vel pares ſunt viribus, vel ſi impares,vtriuſque tamē actio in materia, quæ iam fluxit,apparet. Et ſi quidem omnino ſuperior ſit vis natiui caloris, nulla ſequitur ſuppuratio,nullus abſceſſus, ſed per attenuationem,& digeſtionem,vel, vt aiunt, reſolutionem materiæ attollentis particulam in tumorem inanitur inflammata pars, & inanita citra aliud incommodū redit ad priſtinum, & ad naturalem ſtatū,quæ quidem terminatio vel curatio optima eſt, & præcipue ſemper optanda. Sin autem externus,& aſcititius calor penitus ſuperet natiuū, pars omnino corrumpitur,& putreſcit,quo modo fiunt gangrenæ, & ſphaceli,& reliqua id genus,quæ quidem terminatio peſſima eſt, & maxime deteſtanda. Quando vero non omnino alter calor alterum vincit, tunc inflammationes in abſceſſum vertuntur, & ſuppurantur: Et quia in hac horum calorū quaſi pugna varij ſunt ordines,vel,vt aiunt,gradus,quatenus magis vel minus alter alteri ſuperior eſt: nam natiui operatio, & ſcopus eſt, quando digerere per vacuationem ſenſibus inconſpicuam humorem vitioſum nequit,ſaltem illū concoquere, & in optimum conuertere,aſcititius vero ſemper putrefacere,& corrumpere:Ideo pus quod in abſceſſibus gignitur, aliquando excernitur albūm, & leue, & æquale, nullum, aut non inſignem referens malum odorem: interdum odore, conſiſtentia, coloreque victoriam caloris extranei referens, ſicut autem diuerſæ ſunt hæ rationes, quibus terminantur inflammationes, ita etiam oportet, vt medicus, qui naturæ adiutor eſt, diuerſas medicamentorūm rationes ineat, quibus naturæ laboranti opem ferre poſſit. Quibus & illud addēdum eſt, quod cū ex morborum temporibus occaſiones mutandi rationes remediorum accipiendæ ſint, non erit etiam ab re ſi de temporibus inflammationum aliqua dixerimus:præſertim cum non vnus ſimplexque modus ſit,quo diſtinguenda ſunt eiuſmodi tempora. Ratio vero diſtinctionis a diuerſis modis accipitur, quibus terminatur inflammatio, & materia inflammatione tranſmutatur,quando per digeſtionem,vel per ſuppurationem, vel per corruptionem, & putrefactionem terminatur. Nam principium, vt in libro de temporibus vniuerſi morbi expoſuit Galen. inflammationis eſt, quando ex fluente ſanguine pars affecta impletur. Cum ergo conſiſtente fluxione iam cœpit collecta materia putreſcere, calor vehementior ex putredine excitatur, a quo ſanguis magis funditur, atque inde ſpiritum generari contingit: quo deinde fit, ut quāuis conſtiterit fluxio materiæ, pars tamē magis diſtē-

A datur quàm antea, vnde hoc tempus incrementum cenſendum eſt. Cum vero concoquitur materia, & per concoctionem paratur, aut ad digeſtionem faciliorem, aut ad ſuppurationem, maximus tunc dolor, & maior concitatur febris: dum pus enim conficitur,dolores, & febres magis moleſtæ ſunt, quàm confecto iam pure, atque tēpus id vigoris vel conſiſtentiæ exiſtimandum eſt. Poſtremo vero,vbi in pus verſus eſt ſanguis, vel coctus digeritur, decreſcit tumor, remittitur partis diſtentio, incipit inflammatio inclinare. Eſt tamen his & illud adijciendum, quòd triplex eſt ratio diſtinguendi tempora in ipſis inflammationibus, accepta a tribus, quæ neceſſario ſimul ſemper reperiuntur in omnibus morbis, qui ex materia ortū habent. Nā eſt primum ipſa morbi B natura vel eſſentia, eſt materia quam partim natura vel natiuus calor, partim calor præter naturam & extraneus, tranſmutare & vincere nititur: tertio ſunt ſymptomata, quæ tam morbum, quàm materiæ tranſmutationem ſequuntur:& horum omnium in hac arte multa ſemper ab omnibus medicis, præſertim vero rationabilibus ratio habita eſt, adeo vt ab omnibus iſtis ſuus tempora diſtinguendi modus ſit depromptus: qui quidem modi (ſi Galen. credere volumus) in vnum quandoque conſpirant, vt eadem ſint tempora, tam quo ad morbi eſſentiam, quàm quo ad ſymptomata, aut etiam quo ad materiæ tranſmutationem & concoctionē: nonnunquam adeo diſſentiunt, & diuerſa ſunt,vt vigor ſit quatenus ad ſymptomata pertinet,quando nondum ince- C pit coqui materia, quod nobis inſinuauit Galenus 1.de ratione vict. in morb. acu. com. 3. vbi Hippocrat. de pleuritide agens ait, quod vbi dolor ſit aſſiduus,qui vſu fomentorum non lenitur, ſputumque non procedit, ſed citra concoctionem,per quàm glutinoſum eſt,ſi ptiſanā ante ſectionē venæ,aut purgationem medicus dederit, ægrotantem interficiat,locū explanans Galen.ait,quòd ea,quæ ab Hippoc.exponuntur,ſigna ſunt vigentis inflammationis, vbi liquido patet, de illo vigore ipſum eo in loco ſenſiſſe, qui ex diſtinctione temporū penes ſymptomata accipitur,non autem penes rationem concoctionis. Nā ſi ſputū nondū procedit,ſed citra concoctionem ſit glutinoſum,cruditas adhuc manifeſta eſt ipſius materię, D & quatenus ad illam pertinet inflammatio, aut in initio adhuc eſt, aut parum ab illo abeſt. Sed & experientia huic atteſtatur, vbi enim incipiunt concocta expuere pleuritici incrementū eſt, ratione quidē concoctionis, ſymptomata autem inclinare incipiūt, nam & dolor remittitur, & reſpirandi difficultas,ſed clarius hoc expoſuit 3. eiuſdem de ratione vict. libr. com. 62. vbi ait interdum tempora ſymptomatū, & ipſius affectionis ſimul procedere, interdum vero nequaquam. Quibus ita expoſitis,vlterius progrediamur,& explanemus ſcopos, & indicationes,quę ſunt veluti fundamenta, quibus innititur methodus curandarum inflammationum, tum per medicamenta localia particulatim exterius adminiſtranda, tum etiam per alia communia remedia, & primum id re- E uocemus in memoriam, quod inflammationes ortū, & incrementum a fluxione habent, quare & commū ni methodo ſubiectas eſſe neceſſe eſt, cui & cæteri omnes morbi ſubiecti ſunt, qui a fluxione ortū habēt, & indicationibus, quæ a fluxione depromendæ ſunt,inter quas princeps illa eſt, q̄ nobis demonſtrat fluxionē ſupprimendam, reprimendamque eſſe. Et cum duplici ratione fluxioni occurrere poſſumus, primum remotis cauſis fluxionis, deinde procurando,ne particula, ad quam defertur defluens materia, illam admittat, recipiatque. Et quamuis fluxionis cauſa aliquando in ea ſit particula, vt in 13. meth. Galenus docuit, ad quam humor confluit, &

A hæc multiplex ſit, vna quidem communis, & eſt illius particulæ imbecillitas aliqua, vel ex ipſo ortu, vel ex aliqua externa vel interna occaſione contracta, aliæ vero magis priuatæ ſunt, aut calor, aut dolor in illa parte excitatus, nam duo hæc præcipue vim habent attrahendi ad affectam particulam ſuperuacuos humores in alijs reſidentes. Aliquando autem fluxionis cauſa non eſt in loco affecto, ſed potius in alijs circumſtantibus vicinis, vel remotis partibus, vt ſæpe etiam in vniuerſo corpore, cuius deinde vniuerſa ratio in multitudinem, aut vitioſam naturam fluentiũ humorum, qui irritant naturam earum partium, vt expultrice facultate excitata inſurgat ad eos procul expellendos: attamen omnia in hoc tandem caput re
B ſoluuntur, nempe in repletionem multi aut vitioſi ſucci. Nam niſi hæc adſit redundantia, nihil attrahẽdi prodeſt attractio, cum nihil reliquum ſit, quod attrahendum ſit. Nam aliæ partes non cedunt attrahenti, cum nihil ſuperuacui habent, quod attrahi facile permittant, neque impellentes quidpiam a ſe expellere conantur: niſi quod illis eſt, aut copia, aut mala aliqua qualitate moleſtum. In ſumma ergo primus ſcopus, & communis in omnibus defluxoriis morbis erit, tum vacuatio, tum etiam reuulſio. Vacuationes autem, quæ maiorem in hoc munere præſtando vim habent, ſunt ſanguinis miſſio, & purgatio per medicamenta, maxime vero quando euacuando etiam reuellũt. Hæc ergo erit princeps, & communior pars methodi curandarum tam inflammationum, quam
C aliarum etiam affectionum a fluxione excitatarum, quæ ita curſim a nobis tractata ſunt, quoniam particulatim non videntur ſpectare ad præſens inſtitutum, in quo de localibus remedijs, vel medicamentis agere inſtituimus. Vnde ad aliam partem accedamus, in qua agendum eſt quonam pacto procurandum eſt, primum quidem ne locus affectus influentes ingruenteſque humores recipiat, deinde vero ſi qui recipiuntur, illa vacuent. Et hoc, quia cum fluxio aliquanto tempore in aliquem locum tendit, qui eas vires non habeat, vt illam a ſe repellere poſſit, neceſſe eſt, vt tandem victus aliquid recipiat, & ſubinde ſemper plus ſit recepturus. Hæc autem nobis ſtatim indicant, procurandum quantum fieri poteſt, vt ar-
D ceamus quod adhuc fluit, vel fluxurum eſt, & elidamus, exprimamusque quod iam influxit, & receptũ eſt: vel ſi hoc fieri nequeat, ſaltem per digerentia, vel reſoluentia vacuus locus reddatur. Scopi ergo, qui præcipui in hac re ſunt ſpectandi, hi præſertim ſunt, repellendum eſſe, vel vt iuniores dicere ſolebant, repercutiendum eſſe, & digerendum, ſeu reſoluendum: qui quidem & ſi ambo ſint ſumme neceſſarij, non tamen ſemper æqualem vim habent. Nam inter initia, dum fluxio incipit, maiorem vim habet ſcopus repellendi, quam digerendi, imo digerendi, vel nullam, vel admodum exiguam habet, cum id quod influxit, & receptum eſt, parum admodum ſit; quod vero fluxurum eſt, vel fluere poteſt, plurimum.
E proinde medici omnes in hoc conſenſere, in initio ſolis eſſe opus repellentibus: in incremento cum aliquid alicuius momenti iam influxerit, atque receptum ſit, intermiſcenda eſſe digerentia repellentibus, primum quidem in minori copia, mox autem paulatim, & ſubinde in maiori copia, donec ad conſiſtentiam vel vigorem ſit peruentum, quo tempore niſi aliquid ſit adnexum, vel ob naturam particulæ, vel ob aliam rationem, quod ſecus indicet, ſolis digerentibus relinquitur locus accõmodatus. Hæc autem ſi recte extimentur ueriſſima profecto cenſenda ſunt, ſi tempora hæc ad naturam morbi referantur, quatenus a fluxione omnino habet. Nam in principio fluxionis repellere ſolum oportet, cum uero procedit fluxio, & augetur tumor, partim repellentibus, partim digerentibus egemus. Vbi vero iã conſtiterit fluxio, ſolis digerentibus. Sed ſi ſequamur partitionem temporũ, quã paulo ante ex libro de tẽporibus morbi vniuerſi expoſuimus, methodus hæc nõ omnino vera erit: nam vbi dicebat Galenus, quòd vbi conſiſtat fluxio, inciperet incrementum: eo autẽ tempore nemo dixerit, oportere mixtim vti repellentibus, & digerẽtibus: cur enim repellendũ, ſi nihil amplius fluit? Nam potius ea tunc erunt curationi idonea, quę partim concoquẽdi, partim vero digerẽdi vim habent, ſi ſperamus per digeſtionem, reſolutionemve terminandam iri inflammationem: aut ſaltem illa, quæ pus mouent ſi videatur ſuppurari, & in abſceſſum, trãſire tumor. Verum & hoc conſiderandum, quod cognitu in his neceſſarium eſt, præſertim ad aptam, & commodam medicamentorum compoſitionem, & eorundem congruentem vſum ſumme vtile eſt, nempe quòd in præſentia nuper expoſito theorematì id accidit, quod & alijs pleriſque generalibus medicorũ præceptis: illud vero eſt, quod ſi ea referamus ad eas rationes, & eas indicationes, vnde deprompta ſunt, omnino vera ſunt: quia tamẽ multæ aliæ etiam rationes & conditiones, vel circumſtantiæ cum illo affectu, ſiue inflammatio ſit, ſiue alius morbus, quæ ſuam & ipſæ rationem, propriamque indicationem, & eam non contemnendam habent: ideo nonnunquam a generalibus illis theorematibus deflectere cogitur medicus, neque tamen propterea tollitur, quin ea vera ſint. Ecce enim ſi vt parum ante dictum eſt, inflammatio primam occaſionem habeat in ipſo loco affecto a dolore concitato a ſpiritu flatuoſo, & denſitate cutis: non oportebit ſtatim ab initio aggredi curationem, per ea remedia, quæ repellant, vtpote quoniã adderent denſitati cutis, & magis concluſo ſpiritu augerent dolorem, & ſubinde etiam inflammationem, ſed potius erit agendum, vt IV. method. docet Galen. illis quæ modice calefaciunt, qualia ſunt quæ laxantia dicuntur, quæque dẽſatum corpus rarefacere poſſunt, & flatulentum ſpiritum extenuare, digerereque, & quicquid confluxit in inflammatam partem diſcutere. Itidemque ſi ex refrigeratione concitato dolore orietur inflammatio, calefacientibus frigidiori contractæ intemperaturæ, dolorique & inflammationi eſſet conſulendum. Contra vero ſi ex immodico loci calore inflammatio originem haberet, refrigerantibus & intemperaturæ calidæ, & inflammationi eſſet occurrendum. Nã intemperatura contrarijs tollitur, & per refrigerantia, & aſtringentia, pars repleta, expreſſa quaſi contenta materia & extracta, perinde inanitur fere, ac per digerentia. His præterea & id addamus, quod ſi fluxio craſſorũ admodum humorum ſit, aut materia plurimum fuerit inculcata ab affecta parte repellentibus & refrigerantibus inſiſtendum minime erit, ſed ad digerentia tranſeundũ. Vnde tãdem vniuerſam iſtius rei rationem in hanc ſummã reſoluemus: quod ſi quãdo omnino horum fluxio repreſſa conviterit, corpuſque probe mundũ, & inane fuerit, tutique ſimus ne iterũ excitetur aliqua fluxio, tunc in principio quidẽ ſola repellentia, refrigerantiaque accõmodata erunt. Inclinante vero inflãmatione, vt nobis breuiſſime expoſuit Galen. I. de comp. med. ſec. gen. ſola digerentia, vbi tamen vehemens adeſſet dolor, mutanda eſſet hæc ratio, quia lenientia, ad ſedandum dolorem neceſſaria eſſent. Intermedijs vero temporibus miſta eſſe repellentia oportet cum digerentibus, vt tamen repellentium vis inter initia ſuperet, atque quo morbus magis per incremẽtum verſus vigorem progreditur, eo magis de repellentibus detrahendum, digerentibuſque adijciendũ, adeo vt prope vigorem par ſit fere vtrorumque ratio. In vigore vero,

ro,

ro, vt idem ſexto de cõpoſitione medicamentorum ſecundũ loca,concoctorijs medicamentis ſuus eſt locus,concocto vero morbo & inclinante, e gerẽtibus. At vero vbi corpus non omnino mundũ fuerit, & fluxionis timor non deſit, ſemper oportet,vt eodem quarto de compoſitione medicamentorum per genera aperte pronunciauit Galenus,mixtã eſſe vtranque facultatem digerentem,& repellentem. Quæ,ſi fuerint ſecundũ artem & methodũ, mixtæ,non modo quamuis videantur inter ſe eſſe aduerſariæ, non ſe mutuo impediũt, at potius, vt eodem ſexto de compoſitione explanauit idem Galen. mutuo ſe iuuant. Sed tandem ad hęc ipſa particulatim tractanda accedamus. Et quia diximus duplicem eſſe modum, quo fœliciter poteſt inflammatio terminari, curarique, nam cum fiat inflammatio ex repletione ſanguinis, qui defluxit in ipſam particulam, fieri nequit, vt curetur his affectus,niſi per contrariũ,nempe per vacuationem repletæ partis. Dupliciter autem ſolet ſuperuacua illa materia,cũ inculcata eſt & abſorpta ab ipſa particula,detrahi,& vacuari: nam aut per digeſtionẽ eius in halitũ, aut per eius conuerſionem in pus, & effluxum ex facto iam abſceſſu rupto,vel inciſo. Sed de priori ratione curandi inflammationes agamus, nempe per digeſtionem. Rem vero hanc diligentiſſime Galen. ſecundo libro artis cur. ad Glauc. tractauit,in hunc modum. Inter initia inflammationũ,vel vehemens admodum cruciat dolor, vel non eſt adeo vehemens,nam vix fieri poteſt, vt ſit inflãmatio omnino doloris expers, dolor tamen non tantus eſt, vt omnem,vel maiorem curationis partem ad ſe conuertat: ſi quidem vehementior adſit dolor, neque vſus eorum,quæ refrigerant & exſiccant, qualia illa ſunt, quæ paulo poſt ſumus expoſituri,quæque ſolum repellunt, vtilis futurus eſt, neque etiam eorum,quæ laxant, & molliunt, quale eſt cataplaſma ex triticea farina,oleoque,& aqua confectum,aut aquæ calidæ, aut olei perfuſio. Nam quãuis hæc videantur ſtatim fere leuare,& lenire dolorem,in affectibus tamen ab impetu confluentis materię concitatis aliena ſunt, & noxia iſtiuſmodi medicamenta: eos enim augẽt,quia fluxiones magis prolectant. In his itaque dolor leniendus erit, quopiam ſimili medicamento, vt illud eſt,quod ex paſſo, & roſaceo fit, addita modica cera ex vtroque liquata, quæ apponenda ſunt excepta lana plurima ex œſypo ſordida. Sed & vtile præterea erit medicamentum, quod fit ex plantagine lenticulaque,præſertim coctis addito pane,& exceptis roſaceo oleo,in his enim vis refrigerandi quidem eſt, & digerendi,& roborandi particulam,vt ſe tueri ab ingruentibus humoribus poſſit. Nam in plantagine, & lenticula,præterea in roſaceo etiam vis eſt aſtrictoria, modeſta tamen, quæ poteſt robur parti affectæ præſtare,non tamen tanta, vt contrahere & exaſperare ipſam poſſit, atque ita dolorem exaſperare in pane vero itemque in roſaceo aliqua leniendi & digerendi, ſed & refrigerant hæc medicamenta:& vnde frigida ęſtate, tepida vero hyeme ſunt adhibenda. Tertio enim de temper.ait Galenus calidis affectibus æſtate medicamenta actu frigida eſſe apponenda, hyeme vero ne ex aere vehementer frigido contrahatur magis pars affecta, intendatur magis, & ita exacerbetur dolor, tepidum medicamentum imponendum erit. Ita enim dum partim corrigitur, & reprimitur calidior intemperatura inflammati loci, digeriturque pars aliqua contentæ materiæ, vnde illa minus diſtenditur, & delenitur etiam, fit dolor minor, & minus moleſtus. Verum quia iſtius rei ſumma inter initia in fluxione ſita eſt, cui imprimis incumbendũ, & quæ illam potenter reprimunt, ſi inflammatæ parti imponantur, dolorẽ exacerbant, ideo præterea idem conſulit, vt paulo ſu-

A pra male affectam partem apponatur ſpongia aſperſa prius ex vino aſtringenti, aut aqua frigida, deinde vero expreſſa, quæ item frigida ſunt apponenda, cui ſi præterea aliquid adijciatur aceti, res melius ſe habebit, hæc vero ſuperiori loco apponenda voluit,per quem puta fluxionem deſcendere, vt eam aſtringendo & contrahendo fluxionem intercipiat,prohibeatque. Et hoc quidem medicamentum eorum officio fungitur, quæ a noſtris iunioribus defenſiua dici ſolent, de quibus cum abunde ſuo loco fuerit actum, in præſentia nullum habebimus ſermonem, quamuis & illa huic loco poſſent accommodari. Sin autem vehemens dolor non cogat nos a recta curationis methodo diuertere, toti erimus inter initia in repulſione cũ refrigerantibus, & aſtrigentibus, & ſubinde deſiccantibus. B Nam vt eodem ſecundo libro ad Glauconem docuit Galenus, ea optima emplaſtra ſunt, quæ mollia ſunt, quæque reprimunt, & coercent curſum fluentis materiæ, ſed & deſiccant, præſertim ſi ſine dolore illud fiat:nam quæ multum partem intendunt,dolorem maiorem concitant,& plus noxæ, quàm vtilitatis afferunt. Præſertim vero hoc cataplaſma laudauit ibidẽ, quod conficitur ex ſemperuiuo,malicorio,ex ſapa, rhu, farina hordei: nam poteſt reprimere, repellereque fluxionem, eamque exſiccare, & circumpoſitas partes roborare, nam omnia quidem deſiccant plus, aut minus, ſemperuiuum inſigniter refrigerat, aliquantiſper deſiccat, & aſtringit, non tamen intendit ob multam aqueam humiditatem. Malicorium inſigniter deſiccat & a- C ſtringit, cum vero ex vino coquitur, mollius fit medicamentum, & aliquantiſper digerens: neque tamen minus aſtringens & ſiccans, præſertim ſi ex auſtero vino coquatur: ſed rhus etiam ſiccat, & aſtringit: hordei vero farina deſiccat quidem, aperit vero meatus, & materiam digerit & tranſpirare facit. Auicenna vero hoc cataplaſma in hunc modũ deſcripſit, vt & iuniores referunt. Accipiamus ſucci ſemperuiui librã, vini nigri auſteri dimidiã, farinæ hordaceæ tres vncias, malicorij, rhu, ſingulorum tritorum vnciã & ſemis, his ſimul coctis fiat medicamentum. Galenus tamen coqui voluiſſe videtur ex vino malicorium, reliqua vero trita & tuſa eſſe addenda ad compoſitionem cataplaſmatis. Medicamenta D vero, quæ ſemper fere poſſunt eſſe in promptu, vtiliaque ſunt, ſicut vinum nigrum, & auſterum, ſi eo perfundatur ſpõgia,vel lana ſuccida,quam appellant, hoc eſt antequam lauetur a ſuis ſordibus:item poſca, hoc eſt aqua ex aceto,quę frigida ſunt, vel ex lanę vel lere,vel ex ſpongia loco affecto,ſicut antea diximus, in ſuperioribus & ſupra ſtãtibus inflammationi apponẽda ſunt. Sũt etiã innumera fere ſimplicia,quę in hos vſus cõmode venire poſſunt,vt ſemperuiuũ, plãtago,polygonũ, ſolanũ, vitium capreoli & germina, germina rubi:hæc omnia refrigerãt & aſtringũt,atq; etiam deſiccant. Sunt præterea portulaca,cucurbita, cucumer,quorum ſuccus refrigerat quidem, non tamen aſtringit,neque deſiccat. Iſtarum tamen facultatum fieri poſſunt participes, ſi aliqua aſtringentia E cum illis miſcentur, ſicut omphaciũ, vel ſuccus vuæ acerbæ, vinum aliquod auſterum, ſucci aliarum herbarum aſtringentium,vt oxyacanthæ, ſorbi mali alicuius aut pyri,quæ ſaporem aſtringentem haberent. Album etiam oui addita aqua roſacea & aliquanto aceto huic officio eſſet aptum medicamentum. Sunt & quàmplurima alia, quæ mihi videtur ſuperuacaneum recenſere, poſteaquã nemo eſt, qui facile non poſſit ea omnia lectis libris, in quibus de medicinali materia agitur, colligere. Sed tranſeundum eſt ad ea,quæ iam increſcente inflammatione poſſunt apte adhiberi. Tertio itaque de facultat. ſimplicium medicamentorum Galenus oleum roſaceum medica-

mentum eſſe ait, quod maxime accommodatum
ſit incrementis inflammationum, ſed cum non vni-
ca ſit ratio hoc oleum conficiendi: nam & ex oleo
immaturo, quòd omphacinum Græci appellarunt,
& interdum, imo frequentius ex oleo maturo, &
quo communiter in cibis vtimur, primum illud &
frigidius eſt, & magis aſtringens, quare repulſioni
accõmodatius, vnde eius vſus in ea parte incremen-
ti, quæ principio proxima eſt, erit magis oppor-
tunus. Quod vero maturius eſt, maiorem vim di-
gerendi, & concoquendi obtinet: quamobrẽ aptius
erit, cũ incrementum vlterius progreditur, imo ver-
ſus vigorẽ, vel ſtatũ, vt aiunt, accedente inflammatio-
ne, ſi cum chamæmelino oleo commiſceatur prȩſtan-
tius erit medicamentũ. Nã & magis digerere, & prȩ-
terea magis lenire dolorem poterit. Et hæc quidem
ſunt ſimpliciora medicamẽta: nã & componi præte-
rea multa cataplaſmata poſſunt, quorũ mentio & ab
Auicenna, & alijs auctoribus fit, ſicuti defrutũ, vel ſa-
pa inter medicamenta referũtur, quæ incremento ac-
comodata ſunt. Vnde ſi acceperimus olei roſacei vn-
cias duas primũ, ſapæ vnciam vnam, croci drachmam
vnam, erit vtile medicamentum, maiorem vero di-
geſtionem habiturum, ſi ex ſuccida appellata lana
aſſumptum apponatur. Alij in hunc modum com-
ponunt aptũ cataplaſma. Accipiunt enim foliorum
maluæ manipulum, quem ex aqua coquũt, addunt-
que abſinthij, roſarum aridarum, ſingulorũ ſemun-
ciam, farinæ hordei vnciã, omnia ex aqua coquunt,
& atterunt, & addunt olei chamæmelini parũ: com-
miſcentque in molle emplaſtrum, & apponunt. Po-
teſt & ex oleo roſaceo, & chamæmelino, farinaque
hordeacea componi cataplaſma addito deinde oui
vitello, interdum & pauco croco: ſed innumera poſ-
ſent confici medicamenta, nobis tamen hæc ſatis e-
runt propoſita iuuenibus tãquam exempla, ad quo-
rum imitationem plura alia, ſi quis fuerit peritus fa-
cultatum ſimplicium medicamentorum, illa con-
ferens cum explanatis ſcopis ſponte ſua componere
pro opportunitate, & occaſione ſibi oblata poterit.
Galenus autem 2. artis ad Glauconem, & de com-
poſitione medicamentorum ſecundum genera, ma-
xime laudat emplaſtrum ſuum diachalciteos, quod
& Phœnicium appellauit. Iuniores vero Latini, &
Arabum multi diapalma, præſertim vero ſi ex ro-
ſaceo reſoluatur: digerit enim ex adipe veteri, & o-
leo, refrigerat ex roſaceo & ſpuma argenti, aſtringit
ex chalcitide & roſaceo: præſertim ſi ſit omphaci-
num oleum, & ex palmæ ſucco, deſiccat vero ſine
morſu & dolore: quãuis enim chalcitis ſit acre me-
dicamentum, & per ſe doloroſum, aſperumque, alio-
rum tamen mixtura lenitur eius aſperitas. Mihi ve-
ro præcipue probaretur eius vſus ad arcendas, re-
pellendasque, & partim digerendas in vulneribus,
& vlceribus inflammationes: nam & ad curanda vl-
cera, ea exſiccando detergendoque, & ad arcendas
inflammationes, ſiue ante inceperint, ſiue etiam nõ-
dum cœperint, ſed timeamus earum ſuperuentum.
De medicamentis autem opportunis in vigore, non
eſt cur multa dicam: cum enim eo tempore dolores
magis infeſtent, concoquentibus & dolorem ſedan-
tibus res tractãda erit, de quibus aliqua paulo ſupe-
rius diximus. Poſt vigorem vero digerentibus atte-
nuantibus præcipuus locus erit: & quia, vt Galen.
13. methodi dixit, inclinantis inflammationis ſimi-
lis, vel eadem fere curatio eſt, quæ & ſcirrhi: & Aui-
cenna non abſque ratione eo tempore laudat vn-
guentum, quod Baſilicon diximus appellari, de
quo ſicut & diachalciteos ſuperius, quantum ſatis
videbat eſſe, actum fuit: præterea vero & diachy-
lon, vtraque vero digerendi inſignem vim habent,
atque etiam molliendi, præſertim vero diachylon,

A de quo inferius, & ſermonem ſuum ſumus habituri,
præterea vero, & oleum anethinũ, chamæmelinum,
liliaceum, & id genus alia. Quòd ſi inflammatio in
maturationem potius, & ſuppurationem, & tandem
in abſceſſum, quàm in digeſtionem inclinet, alia erit
curationis ratio ineunda. Nam illis erit agendum,
quæ pus mouere poſſunt, præſertim vero in inflam-
mationibus externarum partium, quia inflamma-
tiones internorum viſcerum, cum in abſceſſum, &
ſuppurationem vertuntur, tranſeunt in aliud grauius
etiam, & difficilius genus morbi: nempe in vlcus, vn-
de pulmonum inflammationes, cum ſuppurantur, in
tabem vel phthiſim, hoc eſt in vlcus pulmonis: pleu-
ritis vero, primum in ſuppurationem, vel vt Græci
B appellant, ἐμπύημα, & tandem in phthiſim. De inflã-
mationibus vero internis capitis, ventriculi, iecinoris,
& aliorum viſcerum, cum ſuppurantur, & tandem
rumpuntur, non eſt cur multa dicamus, nemo enim
fere non nouit, quanta afferant pericula: vnde quàm
maxime in illis incumbendum eſt, quo minus ſuppu-
rentur. Illud vero fiet vacuationibus & reuul-
ſionibus fortioribus, tenuiſſimo victu, reuulſorijs me-
dicamentis, & reliquis, quorum hactenus ſatis
copioſè meminimus. In partium autem exterio-
rum inflammationibus curandis, non erit adeo re-
mittendum maturationi, & ſuppurationi, ſed
cum naturam propenſam in id viderimus, adiuuan-
da erit, vt citius, & facilius ſuppurentur. Medicamen-
ta vero, quæ huic officio idonea ſunt, nempe puri mo-
C uendo, ea ſunt, quæ vt quinto de ſimplicium medi-
camentorum facultatibus docuit Galenus, tempe-
raturam ſimilem, & conformem habent cum huma-
no corpore. Pus enim, præſertim illud, quod in
abſceſſibus exoptandum eſt, nempe quod bonum eſt
opus eſt caloris natiui in primis, & præcipue: quare
medicamentis ſuppurantibus calorem excitari opor-
tet, qui calori humano ſimilis ſit temperie, & proin-
de etiam alia medicamenta alijs corporibus ad faci-
liorem, & promptiorem ſuppurationem idonea e-
runt, & illorum pro diuerſis corporum temperatu-
ris. Simile ergo corpori in caliditate erit medicamen
tum, quod pus ſit excitaturum, quia vis, & copia na-
tiui caloris augenda eſt, non autem qualitas. Quate-
D nus autem ad rationem ſubſtantiæ pertinet, ea quæ
ἐμπλαστικά a Græcis dicuntur, huic muneri in primis
apta ſunt: hȩc enim cũ obſtruant, inconſpicuos cutis
meatus, per quos difflatur corpus, ſpiritus includũt,
vt non digerantur, qui ſuppurationi velociori auxi-
lio ſunt. Calida ergo medicamenta temperato calore
erunt apta ſuppurandis abſceſſibus, quod & Hip-
pocrates teſtatus eſt. 5. Aphoriſm. vbi ait, quod frigi-
dũ prohibet, calidũ vero ſuppurationi promouendæ
idoneũ in omnibus, præterquã in vlceribus putridis,
& illis, quæ adhuc a fluxione humorum tentantur,
fouenturque. In his enim id genus medicamenta pu
trefaciunt magis, & fluxiones maiores concitant: prȩ
ſertim vero cum id genus medicamenta calida ſint,
E verum vt Galen. 5. method. ait, & humida ſint opor-
tet. Nam cum puris generatio non ſolum a natiuo
calore, quamuis cum probum pus eſt, natiuus ſit ſu-
perior, verum & extraneus accedit, & ideo quoquo
modo putreſcit materia, quæ in pus tranſmutatur:
quare citiſſime medicamentis ſolent mouere pus,
quæ calida & humida ſunt. Sed de his tandem par
ticulatim agendũ eſt. Fotus ergo inflammatȩ & par-
tis ex aqua tepida, itẽ ex oleo tepido maturo & dul-
ci, vel etiam ex vtriuſque mixtis tanquam accom-
modata remedia ad ſuppurandas inflammationes a
Galeno tum quinto de facultatibus ſimplicium
medicamentorum, tum vero ſecundo artis cur. ad
Glaucon. & quarto method. habita ſunt, item de-
coctum hibiſci, ſeu altheæ. Compoſita vero huic
muneri

muneri accommodata ſunt, in calidioribus, & feruentioribus, cataplaſma confectum ex aqua, & oleo pari menſura coctis,atque tanta farina hordeacea inſperſa, quanta ſatis ad confectionem mollis emplaſtri:in illis autem quæ non adeo feruent,mirifice pus mouet,ſimili modo confectum cataplaſma, ſed ex triticea farina: & hoc quidem magis ſuppurationem mouet. Ex hordeacea vero farina,aliquantum etiam inflammationem repellit. Sed panis etiam, qui non ſit vehementer coctus,ſi ex aqua & oleo ſubigitur & coquatur, & modice calidus apponatur, aptum erit medicamentum. Verum hoc ex fermento,& ſale prę ter maturandi vim habet etiam non parum digerendi,ad facilem ergo ſuppurationem deligendus eſt panis non plurimum coctus,quia vt eodem 5.de facultat.ſimp. medic. Galenus teſtatur, panis quo magis coctus fuerit,maiorē vim exſiccandi habet, & proinde aptior eſt inflammationibus, quæ concoctu ſunt difficiliores,qui vero modice eſt coctus,calidioribus, & feruentioribus. Sed & quo plus olei adijcitur,eo etiam valentius ad ſuppurationem adducit cataplaſma ex pane,vel ex farina etiam:quo vero minus olei, & plus aquæ, eo feruidioribus inflammationibus vtilius erit. Ita etiam quo farina triticea purior,& furfurum magis expers, itemque & panis aptior ad pus mouendum erit. Adipes quoque ſuppurandis inflammationibus vtiles ſunt,non tamen omnes pariter: aptiſſimi enim ſunt,primum ſuilla, mox gallinacea & vitulina,reliqui vero vt ſunt tauri,capræ,leonis,pardi,& id genus alij ſylueſtrium animantium, magis digeſtioni, ſicut & oleum vetus, quàm mouendo puri ſunt apti. Picem autem,& reſinam poſſe pus mouere, eodem quinto de ſimplicium medicamentorū facultatibus tradidit Galenus,ſiquidem ex oleo liquētur: communi quidem, & recenti quando feruidiores fuerint inflammationes, ſed ſi frigidiores, aptius erit oleum cininum, vel raphaninum, vel oleum vetus. Medicamenta vero,quæ fere vulgo in vſu ſunt, ad maturandos calidiores præſertim abſceſſus,in hūc ſane modum ſolent parari. Nam manipulum foliorum maluæ ex aqua coquunt, moxque in mortario terunt, additaque axungia ſuilla recenti ſalis experti pari fere pondere, cataplaſma componunt, cui nonnulli, & parum croci addunt nempe drachmam,valētius erit,ſi acceperimus radicum hibiſci,ſeu altheæ, & foliorum maluæ coctorum ſingulorum tantundem,atque ex axungia ſuilla contritis omnibus molle confecerimus cataplaſma. Quidam etiam coctas radices liliorum alborum vnam nempe, vel alteram, prædictis addunt. In illis vero,in quibus & difficilior eſt ſuppuratio,& alia addunt. Coctis enim folijs maluarum,radicibuſque altheæ,& liliorum, illiſque tritis in mortario & adiecta axungia ex farina ſeminis lini; & tritici ſingulorum quantū videbitur ſatis eſſe pro emplaſtro conficiendo, conficiunt medicamentum, eas enim ſubigunt ex decocto prædictarū rerū, mox illis radices tritas, & axungiam commiſcent in compagem mollis emplaſtri. Nonnulli vero & caricas pingues cum alijs commiſcent coquendas,teruntque. Hæc autem ex multis collegimus, quæ etiam in maiori vſu his noſtris temporibus eſſe ſolent,quęque pro præſenti noſtro inſtituto putauimus poſſe eſſe ſatis, & tanquam exempla aliorum multorum, quæ confici poſſunt: nam in hac tractatione plus fortaſſe, quam par eſſet,videmur eſſe vagati. Suppurato autē abſceſſu, duplex deinde reliqua eſt eius curandi ratio altera quidem, qua abſceſſus aperiatur,vel ſponte,ſicuti quando pus ſibi ipſi viam facit erodens cutim ſuperpoſitam, & quaſi erumpens, quod accidere ſæpe ſolet,quando in externis, & ſummis partibus ſtatim cuti ſubiectis attollitur inflāmatio, raro autē,quando in alto ſuboritur. Nam & plerunque materia calidior, & tenuior ſolet aſcendere ad externas partes verſus cutem,craſſior vero in profundū potius decūbere. Vnde in emplaſtris maturātibus abſceſſus,quādo profundiores ſunt, ſolent medici, vt facilior fiat apertio,vel,vt diximus ſponte ſua, vel per inciſionē, vel per medicamenta, quæ ruptoria vulgo dicuntur, maturantibus emplaſtris aliqua cōmiſcere,quæ materias in abſceſſibus contentas attenuent, & e profundo verſus cutē attrahant, addunt vero plerunque fermentum, quod magis attrahet,quo fuerit vetuſtius. In hac autē curationis ratione, vt morbi ratio mutatur(nā inflāmatio in vlcus apertū tranſit)ita etiam curatio: curandus etenim poſtea nouus is affectus, quo modo vlcera ſunt curanda, de quibus copioſa etiā oratione ſuperius tractatio fuit inſtituta,& hanc curationis rationē plerunque, aut fortaſſe etiā ſemper medici,qui noſtris his tēporibus chirurgi nuncupantur,ſequi ſolent: raro enim non procurant,vt pure confecto aperiatur abſceſſus. Altera vero curandi iſtiuſmodi abſceſſus ratio magis Galeno decimotertio methodi probari videtur,nempe ne ſtatim ad abſceſſum aperiendū accurramus. Sed potius,vt quantū fieri poteſt experiamur, ſi medicamentis attenuātibus,digerentibuſque, & e profundo attrahentibus diſcuti poſſit latens pus citra inciſionem, vel aliam alioquin apertionem. Nam facilior,& minori cum moleſtia in hunc modum ſuccedet curatio. Voluit tamen & in vſu horum medicamentorum medicum eſſe prudentem, & cautum, conſiderata nempe prius diligenter natura ipſius affectus, quia ſi adhuc ſint aliquæ in eo loco inflammationis reliquiæ, a fortioribus, & acrioribus diſcutientibus omnino erit illi abſtinendū,vtpote quę ſint potius affectum irritatura, quàm pus diſcuſſura: ſin autem nihil inflammationis ſit reliquū amplius,materiaque ſubſit durior, & ineptior,tunc apta & opportuna erunt valentiora, & acriora medicamenta: ſed horum mentionē faciemus, vbi de durioribus tumoribus ſermo erit inſtituēdus. At vero cum ea eſt puris copia, vt potius vincat vim medicamentorum digerentium, quam quod ab eis vincatur, tum ad apertionem per inciſionem vel vſtionem ferro, vel medicamentis erit accedendum. Sed de his ſatis,tranſeamus nunc ad curationem aliorum tumorum per medicamenta curandorum.

De Aptis medicamentis ad ignem ſacrum recte curandum.

Cap. XXI.

TVMOR,qui eryſipelas a Græcis dicitur, ignis ſacer a Latinis præſertim à Plinio nuncupabatur,quæ nuncupatio à multo incendio, quod percipitur eſt deprompta, ſicuti Græcis à rubedine, quæ vicinas partes corripit. Eſt autem bilioſus tumor,atque a materia bilioſa, nam à ſola bile, aut a ſanguine tenuiſſimo & efferueſcenti, atque ita ad naturam flauæ bilis accedenti, aut a ſanguine cum copioſiori flaua bile mixto excitatur. Cum enim bilis ſincera copioſè fluens,ad cutim labitur (nam ſolius cutis ſunt hi affectus) & illa naturali ſit aliquantiſper craſſior,non tamen admodum acris, aut ſanguis tenuiſſimus,& feruens,fit exquiſitum eryſipelas,quod citra conſpicuum cutis tumorem ſit. Si vero bilis acrior admodum fuerit, ſummam cuticulam (epidermida vocant)ſerpendo excoriat, vlceratque,& herpes proprie affectus dicitur: ſed ſi acrior adhuc ſit, & craſſior, non modo cuticulam, ſed & profundius cutem ipſam, vſque ad ſubiectam carnem exe-

dit, herpeſque eſthyomenos, hoc eſt exedens dicitur, herpes vero quia prioribus relictis ad alias partes ſerpat. Prior vero herpetis differentia, miliaris dicitur, propterea quia efflorescant quædam veluti veſiculæ ſimiles granis milij. Fieri autem hunc affectum dixit Galenus in lib. de tumoribus præter naturam, & 14. methodi cap. decimoſexto, vel ab exquiſita & tenui bile, vel potius ex ea permixta cum tenui ichore pituitoſo: at cum fit mixta fluxio ex bile, & ſanguine præſertim tenui, & calido, eryſipelas dicetur. Nam raro contingit, vt teſtatur Galenus in libr. de differen. morb. cap. 12. quòd fluant humores in aliquam partē omnino ſinceri, & alijs impermixti. Cum vero inflammatio ex ſanguine non vitiato ortum habeat, vel ex eius parte craſſiori, ideo in maiorem tumorem particulā attollit: ita vt profundior in carne ſit tumor, qui licet cutim poſſit attingere, præſertim tamen carnem cuti ſubiectā apprehendit. Eryſipelas vero cum ex tenuiſſimo humore ſanguineo, vel bilioſo ortum habeat, in primis cuti hæret, parum autem vel nihil carnis ſubiectæ corripit, immo exquiſita dicuntur eryſipelata vel herpetes, cum non deſcendūt vltra cutim. Nam cum deſcendūt, craſſior eſt humor aliquis intermixtus. Vnde ſicut mixta eſt fluxio, ita mixta eſt natura affectus. Si enim ſanguis non ille tenuiſſimus, qui cum bile conformis eſt, ſed craſſior, ex quo fieri ſolent inflammationes, erit affectio compoſita & mixta ex eryſipelate, & inflammatione, & pro varia ratione mixturæ, ita nunc magis in inflammationem, alias in eryſipelas vergit, & ita appellabitur, aut eryſipelas phlegmonoſum, aut phlegmone eryſipelatoſa: & quo magis ad naturam eryſipelatis accedet, eo minus cutim in tumorē attollet, & quo magis ad inflammationis naturam inclinabit, longe maiorem tumorem faciet. Quia vero bilioſus eſt affectus, ideo rubet quidem, ſed rubor in flauitiem degenerat in eryſipelate: in inflammatione vero obſcurior eſt rubor, fere in puniceum vergens. Et quia eryſipelas ex tenuiſſima fluxione fit, ideo cum digitis locus affectus premitur, rubor deliteſcere videtur, & paulo poſt iterum redire: in inflammatione autem non item. Sed & illud prætermittendum minime eſt, quod in inflammatione dolor maior eſt, & maior diſtentio, & compreſſio, vt pote qui a craſſiori humore oriatur, in eryſipelate maior calor, neque ita cum pulſu eſt eryſipelas, vt inflammatio. Quemadmodum autem refert Galenus tertio libro in tertium epidemiorum commentario primo, aliquando eryſipelas ſatis facilis eſt morbus citra vllam malignitatem, & periculum: modo in ratione curandi non committatur error, aliquando vero malignus, & peſtilens affectus eſt, quæ quidem diuerſitas a ratione, & natura materiæ confluentis ad affectum locum in primis occaſionem habet. Nam etſi in tumoribus, præſertim vero calidioribus, materia, vnde illi excitantur, incluſa & inculcata in ipſo loco affecto, interdicta difflatione aliquam, vt paulo ante dicebamus, contrahat putredinem, vnde & acrior, & calidior etiam euadit. Interdum tamen, & anteaquam deflueret, & reciperetur in affecta particula, putrem aliquam qualitatem, vel naturam ſecum affert, quam etiam ob rem vt malignior, acrior atque deterior eſt, ita maligniorem reddit affectum. Hoc enim nos idem Galenus docuit nono de vſu particularum, capite primo: vbi ait, quòd cum excrementa diutius intercepta excretione retinentur, computreſcunt, & acriora deterioraque fiunt, a quibus pro diuerſa eorum natura & ratione, cum ab expultrice facultate aliquo pelluntur, diuerſos concitant prauos affectus, vt ſunt herpetes, eryſipelata, carbunculi, cancri, & id genus quam plura alia. Vnde tertio libro in tertium epide. commentario. 9. hoc longè clarius expoſuit, vbi ait, eryſipelas a bilioſa fluxione oriri, quæ ſi talis ſit, qualis naturaliter gignitur, nullum ferè damnū, ſi modo rectè tractetur, ſolet afferre. Interdum verò malignior ea bilis ex putredine, quæ erodens eſt, & putrefaciens, quod in peſtilentibus quibuſdā tempeſtatibus ſolet accidere, quando multa regnat humiditas, aeriſque tranquillitas, cum aer nullis perflatur ventis. Cui incommodo illi plerunque fiunt obnoxij, qui ſua ſponte ſolent plurimum bilem generare, aut qui eam victus rationem ſequuntur, quæ generandæ bili magis apta eſt. Malè verò cum illis agi ſolet, vt 7. aphoriſm. 52. teſtâtur Hippocr. in quibus eryſipelas prius quidem extrorſum erūpere videtur, mox verò introrſum cōuerſum deliteſcit. Cōtra verò bene res ſuccedit, ſi ab interioribus extrorſum conuertatur. Malum etiam eſt eryſipelas, vt idē 7. aporiſm. ait, quod vbi os detectum eſt ſuperuenit. Malum item ſi in putredinem, & ſuppurationē vertatur. Verum non eſt hoc primum noſtrum inſtitutum, vt de his exquiſitè diſſeramus, ſed ſolum quatenus nobis ad expoſitionem rationis eorum medicamentorum poſſit ſatisfacere, quæ idonea nobis ad curanda eryſipelata poſſint ſatis eſſe. Si quis ea recte perpenderit, quæ hactenus expoſita fuere, facile poterit percipere, non vnam ac ſimplicem indicationem, ſed plures & diuerſas illi neceſſarias, qui rectè curare voluerit eryſipelata, & illis curandis apta & accommodata eligere, componere medicamenta, illiſque appoſitè vti. Quæ tamen multiplicitas, & diuerſitas a varijs differentijs, quibus diſtincta eſt eryſipelatū ratio, vel a diuerſis ac varijs conditionibus, & circumſtantijs, quæ in eryſipelate ſunt animaduertendæ, quæ varias etiam habent indicationes, ortum habet. Nam quædam cum cæteris tumoribus communia habet, quædam cum inflammatione duntaxat. Præterea interdum ab aliqua manifeſta, vel procatarctica cauſa ortum, vel occaſionem habet. Interdum vero a nulla tali occaſionem habet, ſed vniuerſam originem ſuam ab interna, & antecedente cauſa ducit, ſponteque oritur. Item quandoque ſimplex, & exquiſitum eſt eryſipelas ſolumque fere cutim afficit: nonnnunquam vero mixtū ſecundum naturam eſt, & eſt inflammationis, aut œdematis, aut ſcirrhi particeps, quatenus non eſt ſimplex bilioſa fluxio, ſed mixta. Item aut eſt cum vlcere ſicuti herpes eſt, aut citra vlcus, vt exquiſitum eryſipelas. Præterea vero interdum cum malignitate eſt, nonnunquam, imo ſæpius, citra illam. Sicuti ergo diuerſa eſt eryſipelatum ratio, ita requirit diuerſam curationem, diuerſorumque medicamentorum vſum. Sed negotium hoc magis particulatim, & ex methodo tamen tractemus, & primum tanquā fundamentum ponamus eryſipelas ortū habere ex fluxione bilioſa, vnde quatenus ad eius curationē pertinet, ſubiectum erit communi generali methodo eorum omnium affectuum, qui a fluxione excitantur. Statim ergo examinandum erit, an eiuſmodi fluxio, vnde concitatum eſt eryſipelas deſierit iam, vt quicquid fluxurum erat iam fluxerit, an vero fluat adhuc humor, increſcatque, & adhuc foueatur affectus. Nam ſi iam conſtitit fluxio, nec alicunde foueatur: ſicuti ſæpe in illis ſolet accidere, quæ ab aliqua manifeſta, & procatarctica cauſa habuere occaſionem, non autem multa cacochymia, ſeu copia vitioſorum humorum congeſta ſit, vel in vniuerſo corpore, vel in aliquo interno viſcere, ſimplex erit, & facilior curatio, qua duntaxat affectui ipſo tollendo per indicationes illas duntaxat, quas nobis offert ratio, & natura affectus, de qua paulo poſt ſumus ſermonem habituri. Sin vero & occaſionem habuerit internam a multa bilioſi humoris copia congeſta in

vniuerſo

vniuerſo corpore,aut in aliquo interno viſcere,procedatque vlterius fluxio, a qua fouetur & augetur affectus, non erit omnino tutum curare eryſipelas: præſertim vero inter initia propria & priuata ratione curandi eryſipelata, nempe per refrigerantia,& repellentia,ne introrſum conuertatur eryſipelas,& ad aliquam præcipuam particulam recurrat: quod maxime cauendum,ſi malignitatis particeps videatur affectus, vt in peſtilentibus conſtitutionibus. Sed erit opus procurare prius,vt fomentũ illud ſubtrahatur,& vniuerſi corporis ratio habeatur,vel illius viſceris,in quo conſiſtit fluxionis & fomenti occaſio,quod nonniſi vacuatione erit agendum: & ſiquidem fluxio omnino bilioſa fuerit, ait Galen. 13. metho. 2. ad Glaucon. opus miſſione ſanguinis;ſed potius purgatione per ea medicamenta,quæ bilem detrahunt: ſi multa fuerit copia fluentis humoris, & vires, & ætas eam vacuandi rationem ferre poſſint, alioquin autem acrioribus clyſterijs res poterit tranſigi. Nam ſubtracto fomento, & remotis cauſis fluendi,poterit inſtitui curatio,quæ priuatim accommodata eſt eryſipelati, accepta a proprijs indicationibus & ſcopis, qui particulatim a propria natura & eſſentia ipſius affectus erunt depromendi. De quibus nunc agemus ſequuti antiquorũ medicorum decreta, præſertim vero Hippocratis & Galeni. Eryſipelas itaque cum in tumorum genere ſit,exciteturque a materia bilioſa,tenui quidē, quatenus ad ſubſtantiam, feruida vero & plurimum calida, quatenus ad qualitates pertinet, cruciet vero longe magis calore,& feruore,quàm corpore,vel copia: neque enim vt idem Galen. lib. 14. meth. cap. 2. & 3. ait,tanta ſit diſtentio,vel etiam compreſſio,vel grauitas in parte, ſicut in inflammatione, maius tamen incendium, & maior feruor in vtriſque eſt, & plenitudo affectæ particulæ,ex infarcta materia,quę fluxit iam,& calor vehemens. Vnde primi ſcopi inſurgunt euacuandam eſſe materiam replentem locum,quia propria eorum curatio, quæ a replente humore concitatur,eſt illius euacuatio. Præterea vero & alter ſcopus eſt,quòd ſit etiam refrigerãdum propter moleſtiam ex ardore. Et hi quidem ſcopi,tàm inflammationi,quàm eryſipelati communes ſunt,niſi quòd hæc intercedit differentia,quòd inflammatio non tantum ex inſigni calore dolorem affert,ſed adeo etiam magis,& diſtētione,& compreſſione a multa & craſſiori materia inculcata,& infarcta: eryſipelas vero nullam niſi ex calore & feruore moleſtiam affert,quia non excitatur a craſſa, ſed a tenui potius & leui,verum feruenti materia. Vnde vt 13. meth. refert Gal. in inflammatione indicatio vacuationis,ſi cum eryſipelate conferatur,vincit refrigerationis indicationem: contra vero in eryſipelate,indicatio refrigerationis vincit eam,quæ eſt vacuationis. Refrigerantibus ergo medicamentis præſertim vero inter initia curanda ſunt eryſipelata,vt extinguatur fluentis materiæ feruor,ille enim eſt,qui præſertim cruciat,& aliquantiſper incraſſetur,vt fluxioni ineptior reddatur. Refrigerandum autem eſt ad mutationem vſque coloris. Cum enim iam liuere locus affectus incœpiſſe viſus fuerit,atque adeo etiam magis ſi nigreſcere incipiat, a refrigeratione deſinendum,quia iam deſinit eſſe eryſipelas,& in alium affectum degenerat,& proinde etiam neque eo tempore exquiſiti eryſipelatis curationē requirit. Sed anteaquam hoc negotium magis particulatim tractemus,illud in memoriam reuocandum erit,quod pauloante fuit expoſitum,nempe diuerſam eſſe eryſipelatum rationē, quia & exquiſitum eſt eryſipelas,& non exquiſitum: & aliud cum vlcere eſt,quod ad naturam herpetis accedit,aliud citra vlcus: & ſiquidem exquiſitum fuerit & citra vlcus,quæcunque refrigerantia loco affe-

A cto particulatim appoſita feruorem poſſunt extinguere, ſiue actu frigida fuerint, ſiue poteſtate,apta erunt. Medicamenta iſtius generis ſunt ſòlanum, ſemperuiuum,portulaca, vmbilicus veneris, pulicaria herba, ſeu pſillium,altercus ſeu hyoſciamus, lactuca, intubus, paluſtris lenticula. Sed & acetum multa aqua mixtum actu frigidum aſperſum,vel ex madido linteo vel ſpongia appoſitum,ceratumitem ex frigida aqua, ſępius refrigeratum. Nam hoc illis omnibus commune eſt,quæ actuali frigore præſertim agunt,vt frequentius ſicuti incaleſcunt,immutentur,aut refrigerentur. Potuiſſemus autem & aliorum multorũ meminiſſe,quæ refrigerandis eryſipelatis eſſent idonea,nam & folia papaueris,man-

B dragoræ,& multa alia,verum longiores,quàm propoſuimus videremur, hæc enim tanquam exempla propoſita ſunt,reliqua vero ex Galen. Pau. Aetio & alijs,qui de materia medicinali ſcripſere,quorum monumenta omnibus in promptu ſunt,colligi poſſunt. Sin autem eryſipelas cum vlcere ſit,vtpote quod potius ad herpetis naturam accedit,immo herpes iam, eſt, refrigerantibus etiamnum erit agendum,ſed de hoc paulopoſt agemus. Erit ergo refrigerantibus tractanda curatio eryſipelatis, quod ſine vlcere eſt. Attamen vbique Galenus,vbi de hac re ſermonem habuit,videtur,ſi ſit eryſipelas a procatarctica,& manifeſta cauſa excitatum,vbi nulla ſit ſuſpicio, ꝙ fomentum habeat ab interna,& antecedente cauſa,audacter ad refrigerantia ſtatim accedere: ſed vbi ſpon-

C te,& ab interna cauſa ortum habeat, ſuſpectam omnino habere hanc curandi rationem, neque ideo vt quiſpiam temere aggrediatur, audet conſulere, ne fluxio repulſa ab his medicamentis recurrat interius ad aliquod viſcus maioris momenti. Sed potius monet,vt prior curatio atque maior illius pars conuertatur ad vacuationem vniuerſi corporis, vt detracta bile,fluxio intercipiatur, & eryſipelati ſubtrahatur fomentum. Cui ſententiæ innixus,cum ſæpius præfuerim curationi eryſipelatum,rariſſime tamen,imò nũquam,dum mihi res vniuerſa ſtetit,auſus ſum curare per hæc externa refrigerantia,quia timebam ne impediretur exitus,vel expulſio morboſæ materiæ, quam a natura intenta expurgationi & expirationi

D ſanguinis,& cuſtodiæ internorum viſcerum,ad cutem & externas partes ab internis viſceribus excrementis propulſis moliri ſolet. Neque animaduerti vnquam aliquod accidiſſe incommodum ipſis ægrotantibus,prætérquàm quòd interdum aliquantiſper longior euadebat curatio,ſed ſecurior: cum tamen ſæpe viderim multos, quibus adhibita fuit curatio per hæc refrigerantia, maxima etiam vitæ ſubijſſe pericula. Nam neque videre poſſum quid mali impendeat, quando natura valide expellit,ſi expellere ſinamus,& interim interius & victus ratione,& medicamentis,vt ſunt ſyrupi,vel decocta,iecur,ſanguinem & corpus vniuerſum refrigeremus,neque id ſolum ſeruaui,ſi exquiſitum eſſet eryſipelas,ſed etiam ſi inflammationis particeps, in quo quidem longe

E promptior,vt etiam conſuluit Galenus,in mittendo ſanguinem erã,& de his quidem hactenus. Vbi vero medicus vtitur curandi ratione per frigida medicamenta,& cœperit mutari color,& iam liuere inceperit locus,non ſolum extinctus eſt calor,ſed tranſmutatus eſt affectus in aliud genus,& materia degenerauit in frigidum humorem,vt proxime ad naturam ſcirrhi accedat: immo niſi ratio medicamentorum mutetur, iam nigreſcente & indureſcente loco, erit ſcirrhus. Quare vbi ardor inclinet,ait Ga[illegible]s, non erit amplius frigore aduentitio opus,nempe vt frigida aqua, aut niue refrigerentur medicamenta, immo & a ſuccis herbiſque valde frigidis erit temperandum, ſed moderatioribus vtendum. Quin

etiam

etiam magis adhuc inclinante affectu, ad vſum ſeminis lini, & chamæmelini tranſeundum: immo ad diachalciteos appellati emplaſtri, non ex roſaceo liquati, ſed potius ex oleo per ſe. Et præſertim hæc curandi ratio obſeruanda, quando non exquiſitum fuerit eryſipelas, ſed quod ſit inflammationis particeps, in quo ſtatim etiam a principio congruerat vſus iſtius emplaſtri diachalciteos, verum liquati ex roſaceo, & refrigerati ex alijs refrigerantibus medicamentis, vtpote ſi in mortario contundatur affuſo ſucco ſolani, aut pſyllij, aut ſucco acerbæ vuæ expreſſo, ex ea ſimul cum portulaca, aut ſemperuiuo cõtuſo. Nã vuæ acerbæ ſuccus per ſe adhibitus, non eſſet idoneum medicamentum, vt quod ſupra quàm in præſentia opus eſſet, aſtringat: ex portulaca autem ſola difficilis eſt ſucci expreſſio. At & in hoc non ſimplici affectu magis animaduertendũ, & procurandum, ne vbi inclinare cœperit, in ſcirrhum vertatur, quamuis neque in exquiſito hoc negligendum ſit: immo 14. meth. Galenus capite quarto, vt hoc incommodum effugeret, ſtatim vt ardor remittatur, opportunum fore vſum ait cataplaſmatis facti ex hordeacea farina, de quo ſuperius fuit habitus ſermo, anteaquam liuere locus incipiat. Quod ſi iã liuere cœperit, etiam prius præcidendam ſcalpello cutim eſſe conſulit, moxque cataplaſma imponendũ, atque ſæpius fouendum locum aqua calida, ne materia induretur, ſed facilius attenuari, & digeri poſſit, & interdum ad maiorem exſiccationem & digeſtionem aqua marina, vel ſalſa, & aliquando ſi cataplaſma ex aqua marina addito aceto & hordeacea farina conficeretur, optimum eſſet medicamentũ. De herpete vero nõ eſt cur multa dicamus, cũ iam in vlceribus ſit, ſicuti & eryſipelata, quando aut ſuppurantur, vel exulcerantur. Sed nobis ſatis erit, ſi tantum generales quaſdã ſummas expoſuerimus. In vniuerſum ergo eadem eſt ratio curationis iſtorum affectuum, præſertim inter initia, quæ & eryſipelatũ, cum a ſimilibus excitentur cauſis: vnde in his quoque inter initia corpus inaniendum, aut purgatione, ſi ſit exquiſitus herpes, aut miſſione ſanguinis, vt fluxio intercipiatur, vel reprimatur. Quandoque vero ſi multus ſit ſangis in vniuerſo corpore, vel ex vitioſo ſanguine aſſato ortum herpes habuerit, non erit etiam ab re ſanguinẽ mittere. Et quatenus ad externa, & localia pertinet, cum calida & quaſi feruens ſit fluxio, indicat valide eſſe refrigerandũ, & non minus quàm in eryſipelate: præterquam quod non eadem ratio medicamentorum vtriſque accommodari recte poteſt, quia aliquid in herpete eſt, quod diuerſam habet indicationem. Nam vlcus eſt, quod & ipſum a calida intemperie ſuam ſeorſum indicationem habet. Vlcera enim exſiccantibus medicamentis ſunt curanda, vnde neque portulaca, neque lactuca, neque ſolanũ, neque ſemperuiuum, neque aliud quidpiam, quod refrigeret, & humectat, aptum erit medicamentum. Nã quamuis ſolanum non ſit expers alicuius ſiccitatis, non tamen illa tanta eſt, vt poſſit eſſe ſatis, ſicut paluſtris lenticula, neque pſyllium, neque ſeris. Sed illa erunt apta his curandis, quæ refrigerant & deſiccant, quẽadmodum plantago, folia & germina rubi, aut canini rubi, aut capreoli vitis: & cum vlterius res progreditur, & lens in vſum venire poterit ait Galenus, cataplaſma ex hordeacea farina & melle: ſed hæc expoſitio & aptior eſſet illi capiti, vbi de exedentibus vlceribus erat inſtituta tractatio, vnde hic conſiſtemus, & ad aliam differentiam tumorum calidorum tranſibimus.

De Tuberculis, furunculo, bubone, phygethlo, & carbunculo.
Cap. XXII.

AD genus calidorum tumorum referendi illi ſunt, qui φύματα a Græcis dicuntur, Celſus vero tubercula nuncupauit, quique δοθιῆνας quos furunculos idem appellat, Arabes vero aldemenus: bubones quoque, item & ἄνθρακες, quæ panos latine putauit Celſus dicenda eſſe, carbunculique, quos φύγεθλα, Græci, prunam & ignem perſicum vocauit Auicenna, immo vero in commune inflammationum genus hæc deducenda ſunt, quæ omnia ſunt veluti ſoboles calidæ fluxionis, quæ occaſionem habet a vitioſis ſuccis, plerunque ex mala victus ratione in corpore congeſtis, præcipue vero a vitioſo ſanguine. Differunt autem vel ratione loci, in quo conſtitit fluxio, vel ratione naturæ fluentis humoris. Nam bubones quidem, vt Galen. tum 13. meth. tum vero lib. 2. artis ad Glauc. inflammationes illæ dicuntur, quæ in adenis, ſeu glanduloſis exoriuntur partibus, in inguinibus præcipue, ſed & ſed alis, & ſecundum aures, loca hæc iuniores noſtri emunctoria nuncupauerunt, vtpote quæ ea ſint, in quæ membra præcipua, vel interna viſcera, quaſi emungant, hoc eſt excernant, ex aliqua interna, vel externa occaſione in eis congeſta excrementa. Nam capitis quidem excrementa a cerebro plerunque ſolent poſt aures relegari, a corde vero & pulmonibus, ſub alas, naturalia autem viſcera ad inguina impellunt, quamuis ſæpe & ab vniuerſo corpore propulſa materia ad has partes, hæ glandulę in tumorem conſurgunt, vtpote quæ aptiores ſint ad admittenda id genus excrementa, cum & imbecilliores, & laxiores a natura factæ ſint. Vnde harum partium inflammationes duplicem habent generationis modum, quandoque enim ex labore, vel dolore in artubus, vt ex inſueta & laborioſa equitatione ſolent concitari bubones in inguinibus: & quandoque ſi quis ex aliquo dolore ſit factus claudus, & claudicando cogatur ambulare: præterea vero in ſcabie, dum copioſa materia expulſa ad crura, vel brachia verſus cutim, ex qua papulæ effloreſcunt, interdum ſub alis, nonnunquam in inguinibus, repletis in tranſitu glandulis illis, fiũt bubones, & in vlceribus, quibus infantes exerceri ſolent, quæ faui appellantur, ſolent hac eadem ratione partes pone aures intumeſcere. Sed in vlceribus, in manibus cruribusve: præſertim ſi fuerint prope aliquod magnum vas, nempe venam, vel arteriam, vt Galen. 13. meth. tradidit, citiſſime attollunt bubones, & ſępe vena quoque ex ea fluxione calida rubra, tenſaque apparet per totum illud membrum, quæ ſi prematur, etiam dolet: & qui ex aliqua ſimili cauſa manifeſta excitantur bubones, non admodum mali ſunt, neque aliquam malignam præ ſe ferunt naturam, & plerique ſine febre ſaltem inter initia ſolent exoriri, niſi interdum aliqua excitetur ephemera. Qui vero in febribus, aut vna cum febre putrida exoriuntur, mali ſunt, malignitatis etenim febres ſolent eſſe teſtes, quod animaduertit & Hippocr. 4. aph. 55. vbi ait, febres omnes ex bubonibus malas eſſe, exceptis ephemeris, ait vero Galen. eam ob cauſam has febres eſſe, quia a viſcerum inflammationibus fouentur. Vnde maxime in malignis & peſtilentibus febribus ſolent extuberare inflãmationes, hę, quæ vulgo dici ſolent inguinariæ, & non ſolum in inguinibus, ſed ſecundum aures & ſub alis. Et quamuis bubo proprie ex vi vocabuli ad inguina referatur, Gal. tamen omnes harum glandularum inflammationes 2. lib. artis cur. ad Glaucon. & 13. meth. bubonum

com-

communi nuncupatione comprehendiſſe viſus eſt. A Quamuis quæ poſt aures oriuntur, proprium nomen ſint ſortitæ, & parotides dicuntur: in eiſdem vero glandoſis partibus ſolet oriri, ſi Gale. credimus, phyma, quod tuberculum appellari diximus, & phygethlon, quamuis in 5. de compoſit. medicament. ſecundum loca, in facie fieri phymata dixerit, & cętera, quę adhoc genus pertinent, vt ſunt vari, quos δοθιῆνας Græci vocant, & ἴονθοι, quos furunculos appellauimus: qui quidem tumores ita differunt, quòd tuberculi cito generantur, cito creſcunt, cito etiam ſuppurantur, vt ſecundo ad Glaucon. cap. 1. & 3. aph. com. 26. expoſuit Galenus, qui phymata, vel tubercula appellantur, & id quia a ſanguine calefacto ex bilis mixtura, vt idem 2. apho. commen. 15. ait, ortum habẽt: B vnde rationem habent inflammationis erypelatoſæ, furunculus autem ex ſanguine craſſiori. Vnde non ita cito, ſed tardius creſcũt, quamuis tandem ſuppurentur, tamen & ægre id faciunt. Differunt pręterea duritie & figura. Nam duriores ſunt furũculi tuberculis, & magis in acutum attolluntur, cum tubercula ſint planiora. Quamuis in furunculorum etiam genere aliqua ſit differentia. Nam aliqui ſunt, qui ad varorum naturam magis vergunt, vtpote qui & duriores ſint, ac ad concoctionem difficiliores: alij vero, vt 5. de compoſitione medicamentorum ſecundũ locos tradidit Galenus, magis ad inflammationis naturam prope accedunt, faciliusque ad ſuppurationẽ deducuntur, atque nonnunquã non ſine febre oriuntur: phygethlon quoque cum his recenſeri poteſt, parum enim a tuberculo diuerſum eſt, in libro enim de tumo. præter naturam cap. 25. ait, quod prope ad naturam inflammationis accedit, & ipſum ea ratione, a tuberculis euarians, quod eſt illis adhuc calidius, & ortum celeriorem habet: vnde videtur ferè eryſipelatoſam eſſe inflammationem. Celſus autem ait eſſe tumorem latum non altum, in quo eſt aliquid puſtulæ ſatis ſimile, nonnullos autem putaſſe ait Gal. phygethla tãtum in inguinibus exoriri, carbo enim, vel etiam carbunculus, qui ἄνθραξ a Græcis dicitur, & ipſe in inflammationum genus poteſt referri, a ferueſcente enim ſanguine craſſiori, vt tum primo ad Glaucon. tum vero in lib. de tumor. pręter. natur. ait Galenus ortum habet: quamuis ille inter differentias D potius vlcerum, quandoque retulerit carbunculos, & poſſunt ſane in vtrumque genus referri. Nam inter initia inflammatio eſt carbunculus, quæ a feruẽti humore exuſta cuti, & ſubiecta carne cito in cruſtoſum vlcus degenerat. Eſt autem duplex, vt eodem loco expoſuit Galenus, carbunculorum modus, vel differentia: altera quidem, quæ oritur a calido ſanguine, & ſatis craſſo, qui confertim in aliquam partem decumbens, eam exurens cruſtoſum, vt pauloante dicebamus, excitat vlcus, circunſtantesque partes in inflammationem plurimum calidam cum vehementi admodum dolore attollit. Altera itidem a fluxione ſanguinis nigri, craſſi, fœculenti, feruidique ortum habet, verum cui tenuis quidam ichor commixtus eſt, a E quo bullæ quædam, vel puſtulæ ſimiles illi excitantur, quæ in ambuſtis ab igne fiunt, quibus ruptis ſuccedit cruſtoſum vlcus. Modum vero, quo oritur is carbunculus, idem decimoquarto methodi, ita deſcripſit: primum pruritu quodam locus tentatur, poſtea vero puſtula aliqua ſuccreſcit, etiam dum a pruritu ferè coactus homo locum ſcalpit, papulæ plures granis milij ſimiles ſuboriuntur, quæ deinde ſuppuratæ rumpuntur, quibus ſubinde inducitur cruſta. Vnde frequentius quidem cruſtæ in carbunculis oriuntur, non tamen ſemper. Nam in Aſia, ait ipſe, interdum geniti ſunt carbunculi peſtilentes, qui ſtatim citra aliquem puſtularum ortum cutem excoriabant: quia vero multa eſt in hoc modo exuſtio, ideo cruſta interdum cinerulentum, interdum atrum colorem refert: quia etiam potius a feruente ſanguine craſſo, & alicuius exuſtionis participe fiunt, non a bilioſo: ideo licet ſummam cutem colore vitiet, tamen non eum habet colorem, qui eryſipelas referat, ſed potius inflammationem, nempe ſubnigrum vt ſi plurimo rubro parum nigri eſſet immixtum, vt quaſi liuere videatur, cum quodam tamen ſplendore, vt & bitumen habet, aut pix. Nam bilis atra, ad cuius naturam is fere humor accedit, eum habet colorem, vnde etiam malignitatem carbunculi acceptam referunt. Nam aut ab initio ſtatim atrabilarius eſt, aut paulopoſt a nimio feruore exuſtus talis euadit ſanguis, a quo carbunculi excitantur: inde etiam fit, vt maximam & acutiſſimam, ſicuti ait Galenus 6. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera cap. 15. febrem adducant, & cum manifeſto vitæ diſcrimine: vtpote quia ortum a vitioſa, malignaque materia habuerint. Peſſimi vero & maxime pernicioſi illi ſunt, quibus natiuæ ſuæ malitiæ, alia etiam aduentitia è cœli mala qualitate accedit, quemadmodum in peſtilentijs ſolet accidere. Huic enim atteſtatur experientia, & aſtipulatur Galenus 3. commen. in 3. epid. aphor. 50.

Quod autem in alijs fecimus, in his quoque quorum hactenus meminimus faciendum putamus, nempe vt anteaquam particulatim rationem compoſitionis, & vſus medicamentorum ad hos affectus curandos exponamus, primum aliqua in vniuerſum explanemus, vnde ſint deinde indicationes depromendæ, quę nobis oſtendant ſcopos in vniuerſa curatione ſpectandos. C Hæc vero duo ſunt, alterum quod ad naturam affectus pertinet, alterum ad naturam loci affecti. Primum itaque quia omnes hi tumores, vt ſępius diximus, ortum habent a vitioſo humore fluente ad locum affectum, & illum replente, eſſent omnes curandi per illius loci vacuationem. Sed quia res non ſemper eodem modo ſe habet, nam interdum, quando curationem medicus aggreditur, vniuerſam vitioſam, ſuperuacaneamque materiam, quę poteſt negotium faceſſere, vt Galen. 2. aph. comp. 15. docuit, iam ad affectas partes natura amandauit. Interdum vero, licet pars defluxerit, ſcatet tamen adhuc corpus vniuerſum ſuperuacaneis, vitioſisque ſuccis: docuit D vero Hippocrates quanam ratione diſcerni poſſit, expurgatumne corpus, an vero ſit immundum, & refertum malis humoribus: & ait, obſeruandas eſſe deiectiones alui, quia ſi bilioſæ fuerint, oſtendunt corpus impurum eſſe: ſin autem ſimiles ſanis naturam demonſtrant, per eiuſmodi tubercula excrementa exquiſite expurgaſſe. Et quamuis de tuberculis duntaxat habere ſermonem videatur, eadem tamen eſt & reliquorum ratio. Vnde eadem erit horum tumorum curandorum methodus, quatenus ad generalem rationem pertinet, quæ & aliorum pauloante expoſitorum eſt, nempe vacuatio vitioſi, vel ſuperuacui ſucci, a quo particula in tumorem attollitur, & quia id commode nequit fieri manente fluxione, neceſſe eſt prius fluxionem reprimere & ſiſtere, & id vel E per ſectionem venæ, vel aliam vacuandi rationẽ, quæ, vt ſæpius fuit expoſitum, vim reuellendi habeat, & fluxionis cauſam de medio tollere, de quibus in præſentia non eſt cur agamus, cum ad inſtitutum pręſens non faciat, quod verſatur circa externa & localia remedia: vnde eo conuertamus noſtrum ſermonem. Et quamuis hoc ſit tanquam commune theorema, quod defluxorijs morbis ſolet accommodari, nempe quod inter initia ſit repellendum: interdum tamen in iſtiuſmodi affectibus aliquæ adiunctæ ſunt indicationes, vel a natura fluentis humoris, vel a natura loci, ad quem fluit, depromptæ, quæ vim maiorem habent, quàm communis & generalis. Indicationes vero hæ, etſi a varijs rebus occaſionem ſuam habeãt,

nos

nos tamen duarum tantum in præſentia, vt quæ magis huic loco attineant, mentionem faciemus. Prima autem eſt natura humoris, vnde tumor eſt excitatus: altera vero natura loci affecti. Nam ſi maligna fuerit natura fluentis humoris, peſtilensque & venenoſa, vt ſolet euenire in febribus, vel conſtitutionibus malignis & peſtilentibus, non modo non eſt repellendum in initio, vt potius attrahendum ſit fluens excremētum, ne repulſum interius recurrat ad interna viſcera. Altera vero eſt natura particulæ, ad quam tendit fluxio. Nam quæ adenes a Græcis dictæ ſunt, glanduloſę vero carnes a noſtris, ea de cauſa imbecilles fuere a natura creatæ, vt excrementa amandata ab internis viſceribus facile poſſent admittere, vnde in his quidem, quãdo cum febre putrida fuerint, omnes conueniunt nullo pacto eſſe repellentibus vtendum: quia, vt ex Hippocratis ſententia pauloante diximus, hæc ſolent euenire in morbis malignis a mala materia excitatis. Vnde mala materia, quam natura nititur procul ab internis, & præcipuis viſceribus exterius propellere, non eſt repellenda & reflectenda interius, ſed ſtatim ab initio digerentibus, vel etiam maturantibus res agenda eſt, & potius procurandum, vt recipiatur ibi, quàm recurrat interius fluxio. Qualia autem ſint digerentia, vel maturantia medicamenta, non eſt nunc, cur exponamus, cum priori capite fuerint expoſita. Et ab hac ratione etiã non eſſe alienos bubones illos puto, qui poſt vlcera carioſa in pene contracta ex congreſſu venereo, ſolent in inguinibus exoriri, & ſunt manifeſta ſigna contractæ illius luis, quam nos Gallicam appellamus, quos nequaquam eſſe repellendos cenſerem, ne recurrens malignus ſuccus, qui a naturalibus viſceribus eo propellebatur, illa longe magis afficiat, aut ad articulos conuerſus dolores vehementes cõcitet, aut ad aliam aliquam partem, vt fauces vel facies ſunt moleſta, turpia, ſæpiſſime etiam maligna adducat vlcera. Vnde longe melius cum illis agi in his morbis videmus quotidie, in quibus ſuppurati ſunt bubones, ac aperti diutius ſeruati: per ea etenim vlcera, ſi multa effluat vitioſa materia, per illam partem, expiatis ab iſtis malignis excrementis naturalibus viſceribus, non ita altas radices figit hæc lues. Quare in his præſtat prius probe expurgato corpore, maturantia, & pus mouentia experiri, vel ſaltem digerentibus rem aggredi, quãdo ille, qui infectus eſt, nequaquam vult ſuppurationi acquieſcere, a repellentibus autem omnino abſtinendum. At vero ſi tumores communes ſint, qui has glanduloſas partes corripiunt citra naturam aliquam malignam, & citra febrem, vt qui ſolent oriri quando vlcus aliquod fuerit prope inſigne aliquod vas, præſertim ſi doloroſum fuerit, vel ſi ex labore aliquo, vel dolore ortum habuerint, ſicuti in his, qui claudicare coguntur, aut qui non admodum aſſueti equitationi equo non ſane commodo vehuntur, vel ob ſimilem aliquam occaſionem bubones cõtrahunt: videntur priſci medici non omnino inter ſe in ratione eos curandi concordes eſſe. Galenus enim 13. meth. cap. 5. nulla repellentium facta mentione, niſi corpus plenum, aut ſcatens vitioſis fuerit ſuccis, nam ſtatim a corporis procuratione eſſent ſumenda initia curationis, conſulit primum illis eſſe agẽdum, quæ poſſunt dolorem ſedare, cum inde præſtita ſit inflammationi occaſio. Præcipit ergo vniuerſum membrum dolens calefacientibus & humectantibus medicamentis eſſe fouendum: atque adeo etiam glãdulam illam, quæ inflammatione tentari cœpit. Vnde inſtituit, vt hapſo lanæ ex oleo calido madefacto membrum vniuerſum inuoluatur, lanaque itidem prius oleo calido demerſa foueatur: poſt principium autem, cum & tumor membri cœperit ſubſidere, & dolor miteſcere, adijci aliquid ſalis voluit ad dige-

A ſtionem fluxæ materiæ. Interim vero vlcus & ipſum curandum medicamentis, quæ exſiccent quidem, ſed vim etiam concoquendi habeant, & maturandi cum leui aliqua aſtrictione, quanta ſatis ſit roborandæ particulæ. Quare laudat medicamentum id, quod Tetrapharmacum appellatur, ſi roſaceo fuerit diſſolutum, ex linamento autem appoſitum: vt illud etiam, quod Macedonicum nuncupatur, eodem modo paratum: vt tamen ſupra illud medicamentum addatur cataplaſma ex farina hordei, vel tritici, vel vtriſque commixtis, aquaque & exiguo oleo, deferueſcente autem inflammatione, ſenſim à mitigantibus medicamentis ad digerantia tranſeundum. Vnde & oleo, quo & inflammatio & vniuerſum membrum foue-
B batur aliquantulum ſal erit addendum, mitigatorio autem cataplaſmati nonnihil mellis erit immiſcendum, & triticea farina detrahenda, relicta ſola hordeacea, ſemperque plus mellis addendum, atque ſemper ad digerentia magis tranſeundum. Sed quatenus ad rationem vſus pertinet, hoc addit Galenus, quod in curandis bubonibus, præſertim ſi fuerint doloroſi, vtemur medicamentis mollibus, & teneris, qualia ſunt quæ emmota a Græcis medicis dicebantur, quibus per linamenta vti ſolemus, quia ab illis, quæ duriora ſunt, qualia quę antiqui emplaſtra nuncupabant, læduntur, irritanturque denuo inflammationes. Ex quibus ſatis apparet, Galenum alia omnino putaſſe repellẽtia a ratione curandi inflammationes glandoſarum partium. Paulus tamen ſuæ
C medicinæ libro, cui videtur ſubſcripſiſſe Auicenna cap. de altoym, qui & propterea non caruit reprehenſione, qui rationem curationis, quam Paulus ſimplici buboni, qui a manifeſta cauſa, vt ab vlcere, vel aliquo dolore habet occaſionem, accommodauit, ipſe ad bubonem peſtilentem, & malignum tranſtulit. Senſere ergo hi bubones eſſe repellentibus inter initia curandos, ſicuti & reliquas inflammationes, mihique magis ratio Galeni probatur, & videtur tutior, neque de medicamentis, quæ his tumoribus curandis accommodata ſunt, longiorem ſermonem habebimus, quia alioquin eadem ſunt, quibus & aliæ inflammationes curari ſolent per digeſtionem, aut ſuppurationem. Quare iam ſermo cõuertendus eſt ad rationem me-
D dicamentorum exponendam, quibus apte carbunculi curari poſſint, quorum generalem methodum 14. methodi capite decimo, Galenus nobis deſcriptum reliquit. Et cum non vnam & ſimplicem naturã habeat carbunculus, nam vel ſtatim a principio, vt pauloante dicebamus, & ſi inflammatio inceperit, degenerat tamen in cruſtoſum vlcus, & valde malignum, vicinæ vero & circunſtantes vlceri partes inflammatione & illa feruentiſſima tentantur, vt ferè exuratur in ſanguis. Vnde & robur, quo ſuffuſæ ſunt cum liuore eſt. Quamuis Auicenna malignitatem maiorem, vel minorem in carbunculis ex colore diſcreuerit. Ait enim, ſi ſtatim rubeat carbunculus, moxque in luteum ferè colorem degeneret, minoris malitiæ
E erit: ſin autem liueſcat & nigreſcat exquiſitus erit carbunculus, & longe malignior, nam in priori aſſatur quidem ſanguis, nondum tamen in atram bilem vertitur, ſed potius naturam adhuc flauæ bilis retinet: in altero iam vertitur in atram bilem deterrimum humorem. Cum itaque ex humore facto craſſiori per aſſationem fiant carbunculi, & eo omnino vitioſo & malo, ideo omnes in hoc conſenſere, a repellentibus abſtinendum eſſe, & id duplici de cauſa: primum quia humor præ ſua craſſitie minime repellentibus cedet, vnde nihil proficiet: præterea ſi etiam eſſes profecturus, ratione malignitatis non eſt attendenda repulſio: nam non poterit malus humor repulſus non afferre maiorem labem recurrens ad interna viſcera. Quare in primis inter initia curatio-

nis,

nis,cum ſemper ferè adiunctam habeat febrem,& eam etiam plerunque malam,neceſſaria erit primum procuratio vniuerſi corporis, etſi, in aliquo morbo opus videatur eſſe miſſione ſanguinis,ſi nihil quidem adſit,quod illi poſſit obſtare,in hoc maxime neceſſaria eſt,nec modo illa opus eſt,ſed & liberaliſſima & copioſiſſima: ita vt vſque ad animi deliquium detrahi ſanguinem Galenus conſuluerit: extremis enim morbis opportuna ſunt extrema remedia,& ſicubi locum habet ſententia Gal.1. Aphor.comp.23. deſcripta, vbi ait, nullum ſe in febre ardentiſſima,in maxima inflammatione,& in vehementiſſimo dolore reperiſſe magis præſentaneum remedium,quàm ſit ſanguinis detractio ad animi vſque deliquium. In hoc maxime affectu,ſi vires id patiantur,locum habet,cum & maxima ſit inflammatio,& maxima febris,& vehemens dolor: ſed & hæc quaſi πάρεργα dimittamus in præſentia,& particulatim de alijs loquamur remedijs,quæ topica poſſunt cõmuni quadam ratione appellari. Non modò autem Galenus deteſtatur vſum eorum,quæ repellunt,vtpote quæ præter repulſionem conſtipent aſtringendo,& refrigerando humorem craſſum in eo loco impactum,vt potius affectam partem præcidendam conſuluerit multis inciſionibus adducto ſcalpello profundius,& id propter craſſitiem humoris,vt euacuata eius parte aliqua reliquum facilius diſſletur,& poſſit melius a natura adminiſtrari. Sed quia non ſimplici natura conſtat is morbus,ſed multiplici & compoſita, ideo neque vna eſt, & ſimplex ratio medicamentorum, quæ requiruntur ad curationem. Compoſitus enim eſt affectus ex vlcere, & eo quidem maligno admodum,multam referens ex putredine malignitatem, & præterea ex circũſtantium partium inflammatione,& ea valde maligna. Vnde Galenus & ab hoc eodem affectu aliena omnino eſſe putat, ea quæ puri mouendo ſunt,aut vim concoquendi habent,vtpote quæ putredinem fouere, & augere poſſint,cum potius omnino ſit procurandum,vt arceatur,aut tollatur putredo. Et quamuis poſteriores Galeno, vt Paulus & Auicenna aliqua medicamenta ad carbunculos maturandos,& aperiendos deſcripſerint,ſicuti eſt hoc: conficitur enim cataplaſma ex ficubus,fermentoque & ſale: alij vero conficiunt cataplaſma ex vitellis ouorum & ſale: alij vero ex melle,triticea farina & ſale, & ouorum vitellis. In his tamen duo conſideranda ſunt, vnum quod ad naturam morbi pertinet,aliud vero ad naturam ipſius medicamenti. Ad naturam morbi hoc attinet, quod non eſt par in omnibus carbunculis ratio malignitatis. Nam cum ex affatione ſanguinis confluentis ad excitãdum carbunculum accidat vniuerſa malignitas in hoc affectu, exuſtus enim conuertitur in atram bilem,peſſimum ſane humorem. Affationis vero non eſt par ratio in omnibus,quod & colores oſtẽdunt,nam cruſta,quæ tandem carbunculo inducitur aliquando,aliquantulum ad flauum vergit,interdum cineritium colorem refert,interdum vero omnino atrum,& lucens perinde vt bitumen,ita & circunſtantes partes,quæ inflammatione tentantur & rubent,interdum rubedinem habent cum quadam flauitie,interdum intermixta nigritie perinde, ac ſi aliquid nigri atramenti multo rubro eſſet intermixtum. Vnde pro varia ratione & veluti menſura malignitatis, quã præ ſe fert affectus,ita varia etiam medicamentorum ratione tractandus eſt locus affectus. Nam ſi exquiſitus ſit carbunculus,& nigricans,neque ſperanda,neque tentanda eſt ſuppuratio,quia potius corruptio,& putrefactio ſequutura eſt, quã maturatio,vel ſuppuratio, quod præſertim reſpexit Galenus. Sed illis medicamentis potius erit agendum,quæ apta ſunt putredini,& depaſcentibus vulneribus curandis: ſin autem

A non tanta videatur affatio inualuiſſe,tantaque malignitas, quin maturatio ſit deſperanda, eam tentare prædictis,vel alijs iſtis ſimilibus medicamentis,poſſumus. Deinde vero,& natura medicamenti, quo ſit mus vſuri,diligenter,& ipſa eſt conſideranda. Nam cum omnino carbunculi omnes ſunt maligni,& nullus,cum ex affato ſanguine ortum habeat,malignitatis eſt expers: poſſumus quidem in prima differentia carbunculorũ maturantibus, & ſuppurantibus vti, cum in ea non ſit tanta malignitas, neque tanta pernicacia. Verum, quia neque ipſa eſt expers inſignis malignitatis, & prona, vt per corruptionem, & putredinem ad maiorem malignitatem perueniat,aliã ſuppurantium, vel maturantium medicamentorum

B rationem deſiderat. Vnde ſi primum, quod deſcripſimus medicamentum, velimus examinare, quod fit ex caricis,fermento,& ſale,non minorem vim habet digerendi, nihil enim non digerit in eo, ſed & vim ex fermento attrahendi habet,& aliquam quidẽ concoquendi,maiorem tamen digerendi, & aliquam deſiccandi ex ſale,præſertim vero humiditatem extraneam,quæ mater,vt eſt in prouerbio,putrefactionis eſt. Vnde maxime a putrefactione illæſas res ſeruare ſolet,maior autem vis concoquendi,& pus mouendi eſt in caricis: alia vero,tum digerendi cauſa vitioſos ſuperuacuos humores confluẽtes ad affectum locum: ne putrefactionem illius partis foueant: alia, vt prohibeant vlterius putredinem progredi: alia,vt malignas materias foras attrahant,apponuntur. Ea-

C dem ferè ratione,& alterum confectum eſt è triticea farina,melle,& ſale: triticea enim farina maturat,& pus mouere poteſt: mel digerit,& ſiccat, a putredine que tuetur:luteum oui maturat,& ipſum,concoquitque,& dolorem lenit: facilius eſt,& ſimplicius, eodem tamen ſpectat, quod ex vitellis ouorum ſit, & ſale. Vnde omnes tandem ſecus in curandis carbunculis,ac alijs tumoribus ſuppurationem, & maturationem eorum procurant. Cum vero multa,& exquiſita malignitas apparet, quæ ex liuido,aut nigro colore,multo feruore,& vehemẽti dolore cognoſcenda eſt,omnes in hoc Galenum ſequuntur,qui acribus, & valentiſſime exſiccantibus medicamentis curationem aggrediuntur,eiſdem nempe,quibus cu

D rari diximus vulnera putrida,& depaſcentia:ita vt ad illa fiat interdum acceſſus,quæ vrendi,& cruſtã,perinde vt ignis,inducendi vim habent. Vnde, & Andronis paſtilli, & Paſionis, & Polyidæ, ab omnibus tanquam aptiſſima huic negotio medicamenta referuntur,ſi diluti,& triti ex vino dulci,vel ſapa, ſi carea mus dulci vino,ad ſordium craſſitudinem interdum, vt ſecundo ad Glauconem monet Galenus , ſucco plantaginis,ſi vehemens admodum fuerit inflammatio,& linamentis excepta vlceri apponentur. In præſentia,vt & ſuperius diximus,Andronis paſtilli parantur paſſim a ſeplaſiarijs. Noſtri autem chirurgi in frequentiori vſu habent vnguentum,quod Aegyptiacum appellari diximus. Interdum tamen adeo ſæuit

E vis morbi,vt cogantur vrentibus vti medicamentis, quæ cauſtica,vel cauteria, dicuntur,vt quæ ex atramento ſutorio, vel ex chalcitide, vel miſy, vel id genus alijs,vel eo quod capitellum vulgo appellant:ſatis facile,& lene medicamentum,id eſt, quod præcipitatum dicitur, Quandoque vero adeo ſæuit malũ, vt candenti ferro ſit neceſſe locum inurere,& ita demoliri vniuerſam morbi malignitatem. Sunt qui ſymphytum,conſolidam maiorem noſtri appellant, miris in hac re laudibus efferant,ſi inter duos lapides teratur, & poſtea tanquam cataplaſma carbunculo apponatur,aiunt enim mirifice intra diem vnum carbunculum quaſi interfectum ſanare,vt nulla deinde alia ſit opus curatione,præter illam,quam cætera requirunt vlcera. Alij etiam mira de ſcabioſa narrant,

aiunt

aiunt enim quod commanducata, vel pota ex vino internos tumores ad exteriora protuſos diſcutit. Sed ad Galenum redeamus: ipſe quinto de Compoſitione medicamentorum ſecũdum genera capite 15. conſuluit, vt ſuperaddamus carbunculis cataplaſma factum ex erui farina, & oxymelite, quod cataplaſma omnibus putreſcentibus vlceribus perquam commodum eſt. Paulus vero, cui & Auicenna ſubſcripſit, plurimum ad carbunculos radicitus diuellendos, & dirimendos adiacentibus partibus laudauit cataplaſma factum ex malo punico: verum hic aliquantiſper conſiſtendum eſt, & nonnulla eorum ſunt in memoriam reuocanda, quæ prius fuere expoſita. Diximus autem neque ſuppurantia, neque repellentia Galeno probari, priora quidem propter putredinem, hæc autem, ne recurrens malignus humor maius negotium internis viſceribus faceſſat. Et ſicuti primum præceptum nonnulli poſteriores moderari, vt pauloantea oſtendimus, voluere: ita Galenus in hoc altero noluit rem ita ad viuum reſecari, vt putemus non eſſe aliquantiſper refrenandum impetum maligni humoris fluentis: immo moderandam eſſe fluxionem, dummodo id fiat his medicamentis, quæ modeſte quidem, non adeo valenter tamen repellant, quæque coniunctam vim diſcutiendi habeant. Nam dum non ita præceps fertur in aliquam particulam mala fluxio, dumque vi medicamenti aliqua pars diſcutitur, facilius deinde reliquum a natura adminiſtratur. Vnde tum 14. meth. tum vero 5. de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera, iniungit, vt cataplaſmata non quidem vlceratis partibus (nam diximus iam qualia vlceratæ partes requirunt) ſed circumpoſitis partibus imponantur, quæ pariter refrigerare, repellereque, ſed modeſte poſſint, non minus autem digerere. Eiuſmodi vero cataplaſmata ſunt, quæ ex plantagine, vel ex lente cocta, addita medulla panis triticei ex clybaſſo cocti, confecti ex farina non multum a furfuribus purgata, quique non multum fermenti acceperit: vt ſi accipiamus medullæ panis, foliorum plantaginis, vel lenticulæ coctorum ſingulorum tantundem, coquantur ſimul, terantur, & fiat cataplaſma. Auicenna, & gallas addidit, & medicamentum hoc paſſim appellatur emplaſtrum de arnogloſſa. Sed & monet idem Auicen. cataplaſma partibus circumſtantibus illiniendum, ſimile illis, quæ defenſiua vnguenta a iunioribus diximus appellari, quale eſſet illud, quod ab ipſo deſcribitur, & fit ex armena bolo, oleo roſaceo, myrtinoque, & aceto mixtis, quod quidem inſigniter refrigerare poteſt, & aſtringere, parum autem digerere. Nonnulli quidem credunt Auicennæ ſcopum in his eſſe, obſtare, quominus materia vitioſa, quæ defluxit ad affectum locum, recurrat intro. Sed hoc mihi videtur omnino eſſe a ratione alienum, quia ad eius repulſionem magis faciunt, quam quod obſtet. Auicenna vero ſatis aperte exponit, qui fuerit eius ſcopus: nimirum defendere vicinas, & circumiacentes partes, ne ad eas vlceris putredo ſerpat. Mihi vero ſi his eſſet vtendũ, magis Galen. cataplaſmata probarentur: nimia enim vis repellendi in hoc Auicennæ medicamento videtur: & non caret periculo in his repulſio inſignis, præter id quod modicam, & ferè nullam vim digerendi habet. Paulus vero, cui & Auicenna ſubſcripſit, plurimum ad carbunculos diuellendos, & dirimendos ab adiectis partibus laudauit cataplaſma ex malo punico acido prius minutatim conciſo, moxque ex aceto donec incaluerit excocto, deindeque triti, & leuigati, ſi linteo exceptum carbunculo apponatur, & vbi ſicceſcat aceto iterum humectetur. Idem vero Paulus, item, & Auicenna, quod tamen ex Dioſcoride deſcriptum eſt, laudant interiorem iuglandis nucleum ad maturandos, & rumpendos carbunculos, præſertim ſi ſit vetus: quamuis etiam vtilis vſus non veteris. Dioſcorides vero conſulit, vt commanducata carbunculis imponatur. Sed de his ſatis abunde [loquuti] ſumus: ad alios tumores frigidiores orationem transferamus.

De Curandis frigidis tumoribus, primumque de tumore molli, laxoque, qui œdema à Græcis dictus eſt.

Cap. XXIII.

OEdema generale nomen erat Hippocratis tempeſtate, quod ſicuti teſtatur Galen. tum alibi, tum vel maxime 4. libro Commentariorum in ſextum Epid. com. 1. ſignificabat omnes, qui præter naturam in corpore humano extuberabant humores. Poſteriores vero generale hoc vocabulum, ad vnam definitam tumorum differentiam limitarunt, qui frigidi laxique, & molles ſunt, & a pituitoſo ſucco ortum habent, non tamen a quocunque, ſed ab humido tenui, & ferè flatulento. Nam cum duplex ſit pituita, ſi eius differentias a ratione ſubſtantiæ ſpectemus: altera enim craſſa, & lenta, & ab hac duriores tumores, qui ſcirrhi dicuntur, ſolent excitari: altera vero tenuis, humidaque, & flatulenta, & hæc eſt, vnde fiunt œdemata. Poſſunt autem iſtiuſmodi laxi tumores in omnibus partibus attolli, in habitu vniuerſi corporis: præſertim vero in manibus, pedibusque, brachijs, & cruribus, vtpote quæ e fonte caloris ſint remotiora, & præterea magis exanguia. Et cum cachexiæ, vel malo corporis habitui ſit familiaris eiuſmodi tumor, plerunque ille in pedibus, & circa crura, deinde in manibus, mox & in facie ſub oculis ſolet apparere: rariſſime autem, vel etiam nunquam, ſi vera eſt Gal. ſententia, quam 4. de præſa. ex pulſ. c. 4. literis prodidit, in iecinore, vel intra thoracem oriri poteſt. Ratio vero, quam iſtius rei ipſe affert eſt, quòd thoracis ſubſtantia compactior eſt, quàm vt poſſit pituitam admittere: iecur vero præter id, quod ex denſiori ſanguine concretum eſt, habet etiam ingenitam facultatem, qua potenter poſſit pituitam tranſmutare, præſertim tenuem: nam craſſa, & lenta non ita facile tranſmutatur. Vnde non eſt iecur ita a ſcirrhis, ſicut ab œdemate tutum. Quo loco non poſſumus id præterire (licet mihi hæc obiter dicere) quod hinc poteſt depromi validum argumentum contra illos, qui naturalem pituitam in ventriculo generari aiunt, & id ex Galeni ſentẽtia. Nam ſi propterea, aut omnino, nequit œdema in iecinore oriri, quia vim habet inſitã, vt poſſit pituitam tranſmutare, & nequeat pituita in ventriculo genita digeri per venas in habitum corporis ad alendas particulas, ſicut & ſanguis, & alij humores alunt, niſi per iecur tranſeat, in quo cum ſit inſita vis ipſam tranſmutandi in ſanguinem: quomodo fieri poterit, quod in ſanguinem antequam pertranſeat, vertatur? ſed de his alias. Cognoſcitur vero hoc tumorum genus hoc præſertim argumento, quòd ſi prematur digitis, locus, qui premitur, cedit digitis relicto digiti quodam quaſi veſtigio, & fouea impreſſa in loco, qui premebatur. Solent autem, vt idem Gal. 2. lib. artis ad Glauc. cap. 3. & 14. meth. ca. 4. ait, œdemata nonnunquam ſponte, & per ſe oriri. Interdum vero alijs morbis ſuccedere: præſertim vero illis, qui laborantem ad malum corporis habitum deducere conſueuere, quẽadmodum aqua inter cutem, tabes, aſthmata, & id genus alia. In his etenim ſolent tandem pedes, manusque intumeſcere: ſed interdum in locis

vlceri-

vlceribus circumſtantibus, ſolent œdemata attolli. His ita expoſitis non eſt difficile ſcopos, & indicationes deſumere, quæ nobis rationem vſus, & confectionis medicamentorum oſtendant, quibus ſint curanda œdemata. Et primum quidem, cum (vt nuper diximus) illa interdum ſpontaneum ortum habeant: nonnunquam vero alios morbos ſequantur: quando alijs morbis ſuccedunt, non aliam curandi rationem requirunt, niſi illam, qua curãdi ſunt morbi, quos ſequuntur, aut ſaltem alioquin curari nequeunt, niſi curatis illis. Quamuis aliquantiſper interdum, ſi adeo excreſcant, vt nimis moleſta ſint, reprimi, & mitigari nonnihil poſſint. Quando vero ſpontaneum ortum habent, id imprimis conſiderandum eſt, quòd plerunque, ſi non ſemper, materia vnde excitantur, non intumeſcente loco genita eſt, ſed aliunde eo fertur, confluitque, & propterea ſtatim duplex inſurgit indicatio: altera quidem, & prior, vt fluxio iſtius aquoſæ materiȩ inhibeatur: altera vero, vt quæ iam confluxit, & in tumorem attollit particulam, deſiccetur, & digeratur. Vnde quatenus ad ea œdemata, quæ alios morbos concomitantur, præſertim vero eos deterrimos, docuit Gal. 14. meth. perfricare tumentem locum aut oxyrrhodino addito ſale, aut oleo addito ſale: in oxyrrhodino quidem maior aliquanto eſt repellendi, & refrigerandi facultas, ſed & deſiccãdi, tum ratione ſalis, tum etiam aceti, digerit vero oleum. In oleo vero, & ſale vis maior digerendi, non minor exſiccandi, & aliqua ex ſale aſtringendi, & ſubinde repellendi. At vero ſi ſit œdematis ſpontaneus ortus, vbique Galenus diſſoluere nititur, partim medicamentis, partim ope manuum, atque etiam repellere, prohibereque fluxionem: his quidem medicamentis, poſca primum, vel vt Græci loquuntur oxycrato, immixto nempe tanto aceto aquæ, quantum immiſceretur, ſi bibenda potio, quæ non integra eſſet futura, pararetur, refrigerando enim reprimere fluxionem poteſt: acetum vero deſiccat, his autem madefacta ſpongia tumenti loco apponenda, & alliganda faſcia, eo modo, quo deligari ſolent artus, cum fracta ſunt oſſa: ſumpto nempe deligationis initio ab inferiori parte, vbi & ſtrictior fit deligatio, ſemperque laxior, quo magis aſcendit. Oportet autem vt ſpongia noua ſit, quæ in alios vſus non venerit, & id quia maiorẽ ſeruat ſiccandi vim, tum ex natura ſua, tum vero ex ea, quam ſecum ex mari attulit. Quòd ſi nulla noua ſpongia adſit, oportet veteri vim exſiccandi addere, illam lauando, aut lixiuio, aut aqua marina, aut in qua nitrum, vel aphronitrum fuerit inſperſum. Medicamẽta itaque hæc imprimis vim deſiccandi habent, aliquam etiam aſtringendi: deligatio vero, dũ ſtrictior ab infernis partibus, laxior ad ſuperiora fit, repellit quidem fluxionem, & aſtringendo non parum facit ad expreſſionem, & diſcuſſionem flatulentæ partis illius pituitæ. Sed ſi valentiori medicamento videatur eſſe opus, conſulit parum quippiam aluminis addendum eſſe. Quòd ſi diuturnior euaſerit affectus, & ſubinde difficilior, valentioribus medicamentis rem aggredi oportet, dummodo mixtas habeant facultates, tam aſtringendi, cogendique, quàm digerendi. Et inter alia medicamenta huic officio apta Galenus non parum laudat ſuum illud medicamentum, quòd diachalciteos appellari diximus, a noſtris autem iunioribus diapalma, cuiuſque mentio ſuperius a nobis facta eſt. Inueteraſcentia autem, & pertinacia œdemata, vt ipſe 2. ad Glaucon. teſtatus eſt, ſolis deſiccantibus, & diſcutientibus curare ſolitus eſt, ſpongiam nouam lixiuio madentem apponens, ac ſubinde deligans, quomodo pauloante dicebamus, illito tamen prius loco oleo, quod valentius redditur, vt prius monuimus, ſale. Idem ferè præſtaret aqua marina, & thermarum aquæ, in quibus eſſet vis digerendi, attenuandi, & diſcutiendi, vt ſunt noſtræ Patauinæ ferè omnes, & Porretanæ, Viterbienſes, & quȩ Corſenȩ ſcaturiunt, Burinenſesque apud Rheticos montes, & id genus omnes aliæ ſunt, vt quæ Puteolis habentur. Sed de œdemate hæc ſatis eſſe poſſunt.

De Medicamentis aptis ad curandos tumores flatuoſos. Cap. XXIIII.

CVm œdemate, vt antea dicebamus, aliquam affinitatem habent tumores, qui a flatuoſo ſpiritu excitantur, quos Græci ἐμφυσήματα, Latini inflationes appellauere: iuniores vero, qui Auicen. & Arabes ſequuti ſunt, apoſtemata ventoſa. Ab œdemate autem differunt, quia illius cauſa eſt pituita tenuis, & aqua cum flatu permixta. Inflationes vero a craſſiori pituita, in flatum craſſum conuerſa ortum habent, qui poſtea in aliquo ſpacio concluſus, & comprehenſus locum in tumorem attollit. Vnde eiuſmodi tumor comprimentibus digitis renititur, vt illis remotis nullum ibi veſtigium, nulla foſſula, in œdemate, relinquatur. Solent autẽ eiuſmodi ventoſi tumores attolli in locis prius contuſis, & duplicem modum habent. Interdum enim flatus contentus eſt in aliquo ampliori ſpatio, quod denſiori aliqua membrana, vel cuti contegitur: niſi enim denſior ſit particula, flatum nequit continere: vnde vel ſtatim ſub cute attolluntur id genus inflationes, vel circa articulos, nempe ſub membranis, quæ perioſtia dicuntur: quibus obducta ſunt oſſa, vel illius, quæ perinde ſunt, vt tunicæ muſculorum, aut in articulorum ſpatijs. In ipſis quoque internis viſceribus, ſub eorum membranis, in ſpacio item ventriculi. Præterea vero in eo ſpacio, quo naturalia viſcera, inteſtina nempe, ventriculusque, & id genus alia concluduntur: præterea, & in ſcroto ſæpe comprehenſo flatulento ſpiritu vidi excitatas inflationes. Interdum vero diſperſus eſt flatus per anguſtos meatus, atque ſubinde per ſubſtantiam membri. Vnde aliquos nõnunquam videmus præſertim in artubus ſimiles illis excitatos tumores, qui œdemata primo aſpectu videbantur, dum tamen locus digitis premebatur, nullum ſub digitis relinquebatur veſtigium, aut in œdemate, quia ſolus ibi erat flatulẽtus ſpiritus. Quando autem in ampliori ſpacio contentus eſt ſpiritus, ſi locus percutiatur, ſonitum perinde vt tympanum, quod percutitur, reddere ſolet. Id vero clarius percipitur, cum ventriculus, aut ſpatium inferioris ventris intra abdomen, inflantur. Solet autem id genus tumoris circa artus imprimis excitari, cum ex plaga, & contuſione fuerint male affecti: præſertim autem vt Auicenna monuit, circa genua. Nam, & ſupra patelam genu, & circa ipſum articulum inſignes hos tumores flatuoſos ſæpe elatos vidi, quandoq; etiam in contuſionibus, & plagis capitis obſeruaui excitatos ſimiles tumores, qui decepere, vel eos etiam chirurgos, qui non erant obſcuri nominis. Quo loco, & id maxime eſt animaduertendum, quod & Auicenna videtur inſinuare, & eius etiam expoſitores monent. Illud autem eſt, quod tumores hi ventoſi aliquando dum vtraque manu tractantur, & premuntur, alternatim inundant, vt quaſi fluctuare interius materia proinde videatur, vt pus in ſuppuratis abſceſſionibus quando maturuere. Vnde ſæpe non aduertentes chirurgi ad naturam horum tumorum, ac putantes eſſe ſuppuratum abſceſſum, ad inciſionem deuenere cum ingenti ſuo dedecore, & non paruo incommodo ægrotantium, inciſo enim loco, nihil

præter

præter flatum exijt, & vlcus deinde ſatis moleſtum ſucceſſit. Ego dum Venetijs facerem medicinam, ſæpe id contigiſſe vidi. Quandoque enim accerſitus ad conſulendum cuidam nobili puero, qui acceperat ictum ex alliſione capitis ad parietem, dum fugeret præceptoris flagellum, cuius rei cum nulla eſſet cura habita, lotum de more eodem die illi fuit caput, & ad ſolem exſiccatum, & dum tractaretur caput, & ſecundum contuſum locum doleret, aſpicientes familiares deprehendere in tumorem inſignem elatam cutem capitis, accerſunt autem chirurgum, qui tumorem tractans, & ipſum mollem reperiens, in quo percipiebat quandam veluti inundationem, ſtatimque putauit ex cōtuſione excitatam fuiſſe fluxionem humorum, ac ſubinde tumorem præter naturam excreuiſſe, qui deinde ſuppuratus fuerit in abſceſſum conuerſus, volebatque adacto cultello locū reſcindere, vt pus excerneretur. Ego vero rem diligenter exiſtimans, cum animaduertiſſem nulla fuiſſe relata ſymptomata, quæ indicarent puris generationem ſicut par erat in inſigni eo tumore, ſi fuiſſet ſuppuratus, obſtiti quominus fieret inciſio, & vſi emplaſtris attenuantibus, & diſcutientibus flatū craſſiorem, curauimus affectum. Alias etiam accerſitus, vt viderem mulierē ſenem, & religioſam, quæ ex caſu, & contuſione vulnus in capite acceperat, cui in loco vicino vulneri in ſyncipite excreuerat ſimilis tumor, cumque chirurgus omni nixu inſtaret, vt incideretur, putabat enim inflammationem ex affluxu humorum excitatam ad ſuppurationē fuiſſe conuerſam, quem vix ab inciſione potui continere, continui tamen, & vſus emplaſtris diſcutientibus, quamuis aliquantiſper difficilem ſe ad diſcuſſionem exhibuerit primum tumor: paulopoſt tamen ceſſit ſtatimque ferè vbi aliquantulum valentioribus medicamentis fuimus vſi, euanuit tumor, moxque aptis remedijs, & vlcus fuit curatum. Hæc voluimus adſcribere, vt iuniores cautiores fierent in his; nam nos hæc non conſummatis ſcribimus. Sed iam ad rationem curationis horum tumorum orationem cōuertamus. Cum ergo hi tumores, tum ob denſitatem partis, in qua continetur flatus, excitentur: tum vero a craſſitie ipſius flatus, ab hac imprimis petendæ ſunt indicationes, ſcopos nobis oſtendentes, quos ad compoſitionem medicamentorum, quibus ſit flatus in tumore comprehenſus facile diſcutiendus, ſpectare oportet. Nam hic etiam prima indicatio eſt vacuationis indicatio, nempe, vt flatus, quo repleta particula tumet, vacuetur, neque in hoc vlterius alioquin, cū res ſit clariſſima, immorabimur: ſed ſcopos, quos ſpectare oportet particulatim in illius materiæ vacuatione, inueſtigabimus, vt ex methodo hac rem tractemus. In his autem duo ſunt conſideranda, primum, quæ ſit cauſa cur intumuerit locus præ flatu, vt ea ablata detumeſcat; deinde vero, quia (vt diximus) plerunque ſequuntur hi tumores plagam, & contuſionem acceptam in articulis, vel muſculis, vel membranis, quæ particulæ ſunt inſigni etiam ſenſu interdum præditæ: vnde quandoque his tumoribus ſolēt dolores allidere, qui poſſunt excitata humorum fluxione, eſſe in cauſa, cur ſuccedunt inflammationes: quibus, & proſpicere Medicum oportebit, qui curationi horum tumorum præfuturus eſt. Sed de cauſis primum agamus, neque tamen tempus conteremus in examinanda cōmuni cauſa generationis flatuum, quæ eſt calor factus imbecillior, quàm vt materiam poſſit omnino ſuperare, & rarefactam digerere: ſed rarefacit quidem, & in craſſam flatulentamque exhalationem conuertit. Verum de illis dicamus, quæ id præſtant, vt flatus detineatur in vno loco, ne inde effluens ad exitum permeet, harum enim cauſarum cognitio ad inſtituendam rationem iſtius curationis non parum proderit. Vnde duplex eſt huiuſce rei cauſa: altera craſſitudo exhalationis, altera denſitudo particulæ, in qua exhalatio incluſa eſt, quæ ſi quis recte animaduerterit, facile cognoſcet duos ſtatim inde ſcopos emergere, nempe, quod & attenuanda ſit ea flatuoſa materia, & quod locus in quo comprehenſa cōtinetur, ſit rarior reddendus. Hęc autem præſtare poſſunt illa, quæ calida ſunt cum tenuitate partium: calefacientia ergo medicamenta, & extenuantia huic negocio erunt accommodata, nec hoc loco in his exponendis diutius immorabimur, quæ toties fuere explanata: nempe ad ſtatum vniuerſi corporis, anteaquam particulatim hæc medicamenta localia tractentur, ſemper eſſe reſpiciendum. Nam ſi plenum ſit eorum [corpus] & multis, vel vitioſis ſcatens humoribus, qui fomentum poſſint laboranti loco ſubminiſtrare, neceſſarium erit prius aggredi vniuerſi corporis procurationem, ſi fœliciter ſit curatio ſucceſſura. Sed cum hęc non pertineant ad pręſens inſtitutū, redeamus vnde diuertimus, ſed hoc poſito, quòd ea ſint accommodata medicamenta his ſcopis, quæ calida ſunt, & partium tenuium: hæc ſiquidem, & particulam laxare, rarioremque reddere poſſunt: & præterea flatum extenuatum diſcutere. Et quia horū copioſa eſt ſylua, de aliquibus, vtpote, quæ tanquam magis præcipua, & priſcis, & his noſtris tēporibus ſemper in maiori vſu fuere, agemus. Inflationi itaq; ventris præſertim inferioris tāquam accommodata medicamenta a Paulo, Auicennaque propoſita ſunt olea, quæ ſint calida cum partium tenuitate, qualia ſunt chamæmelinum, anethinum, rutaceum, quibus ſi inferbuerint ſemina ea, quæ diſcuſſoria facultate polleant, vt ſunt ſemina apij, fœniculi, aniſi, carui, amij, cumini, & id genus multa alia, efficacius erit medicamentum: poſſet pari ratione imponi aliquid piperis, vel cinnamomi, vel alterius cuiuſcunque aromatis, & radices, vt iridis: præterea, & lacrymæ, vt opoponax, ammoniacum, caſtorium: ex herbis vero pulegium, calamentum, hyſſopum, & ſexcenta alia iſtius naturę. Meminere autem illi ijdem, & cucurbitulæ maioris ſine vlla cutis præciſione, quæ ex copioſiori igne affigatur loco. Quod remedium tanquam efficaciſſimum ab antiquis Medicis ſemper eſt habitum, ad euellendos è profundis partibus, & diſcutiendos craſſiores flatus. Eiuſmodi vero flatulentos tumores, qui circa articulos, & in membranis muſculos, & oſſa contingentibus, ſolent attolli: præſertim vero, vbi plaga, & contuſio præceſſerit, quandam curationis rationē habent ab hac nonnihil euariantem: pręcipue vero, ſi eorum ſit comes dolor. Vbi enim dolor ex contuſis muſculis ſit concitatus, mitigandus erit imprimis, ne inde excitata fluxio accerſat inflammationem: erit ergo princeps ſcopus, doloris mitigatio, quæ medicamenta requirit, in quibus ſit mixta facultas ex concoquente, digerenteq;, & modice aſtringente. Nam ſi aſtrictionis ſint omnia expertia, facile in cauſa erunt, ait Gal. cur incitentur, vel augeantur inflammationes: maxime vero ſi corpus, vel etiam bonis ſuccis ſit refertum: vnde quo maior fuerit dolor, eo magis erit mitigantibus opus. Laudat autem inter initia Galenus, ſi paretur medicamentum ex ſapa, & vino, vt exempli cauſa, ſi ſapæ, & vini ſingulorum vncias ſex acceperimus, illis autem aceti vnciam addiderimus, & olei dulcis, & maturi vncias quatuor, quæ optima mixta, & tepefacta ex lana non lota, quam vulgo ſuccidam vocant, excepta loco tumenti ſunt imponenda. Vinum vero oportet vt auſterū ſit ratione aſtrictionis, vt per ipſum fiat repulſio, & aliqua digeſtio, quibus etiam vtriſque facultatibus præditū eſt acetum. Concoquunt autem ſapa, & oleum, quamuis nonnihil digerant, & laxent. Vbi vero dolor mite-

ſcat,

ſcat, paulatim his ea cōmiſcenda ſunt, quæ maiorem vim diſcutiendi habeant: lixiuium nempe, & acetum, & quo magis receſſerit indicatio ab ipſo dolore, eo magis de concoquentibus, & mitigantibus detrahemus. Plus vero digerentibus, & diſcutientibus addemus: vt ſolo vtamur lixiuio, & aceto, cum nulla erit mitigandi doloris ratio, quamuis donec fluxio timenda eſt, nunquam a vini auſteri mixtura ſit continendum. Huc etiam ſpectare poſſunt thermæ naturales: præſertim, quæ ſulphureæ, nitroſæque ſunt, & bituminoſæ. Præterea vero, & æſtuaria illa, vel ſoueæ calidiores, quæ in his locis, vbi thermæ ſunt, reperiuntur, a quibus fumus calidus effertur, vbi maxima vis diſcutiendi, & deſiccandi, ſed & ſalſæ aquæ, vel marinæ immixto aceto inſignē in his vim diſcutiendi habere poſſunt. Hic autem conſiſtendum eſt, quatenus ad hoc tumorū genus pertinere poſſunt, & ad aliud genus tranſeundum frigidorum quidem tumorum: duriorum autem, vt pote, quia a lenta, & craſſa pituita indurata, vel ab humore melancholico ortum habent.

De Scirrhis exquiſitis, & non exquiſitis per medicamenta curandis.

Cap. XXV.

SCIRRHVM Græci durū tumorem excitatum a craſſo ſucco, ſiue illa craſſa, & lenta ſit pituita, ſiue melancholicus ſuccus, qui veluti fæx ſanguinis eſt, & naturalis melancholia a iunioribus ſolita eſt appellari, aut ex vtriuſque miſcella, eſt autem tumor is ſine rubore, caloreque, atque ſine dolore, quibus indicijs ab inflammatione diſcernitur, interdū vero & ſine vllo etiam ſenſu eſt. Nam duæ horum tumorum differentiæ reperiuntur: alteram quidem ſcirrhum exquiſitum appellauere Medici, quoniam talis dicitur, cum eo progreſſa eſt res, vt penitus ſit expers cuiuſcunque ſenſus: ille autem, qui adhuc aliquem ſenſum obtinet, licet non admodum inſignem illum habeat, non exquiſitus ſcirrhus dici ſolet. Aliqui ſcirrhum non exquiſitum appellant illum, qui ab humore melancholico ortum habet, exquiſitum vero a pituita craſſa. Galenus tamen has differentias non diſtinxit, niſi penes vim ſentiendi ſeruatam, aut ablatam. Inter ſcirrhos autem, qui a craſſiori pituita quique a melancholico humore ortum habent, hanc Galenus differentiam poſuiſſe videtur, quòd qui ab humore melancholico fiunt, affinitatem multam cū cancro habent, & in eum tantam propenſionem, vt tandem ſi diuturniores fiant, ſicut in libro de atrabile, cap. quarto, & decimoquarto methodi, capite decimonono. ait, in cancrum deſinant, vnde & cancroſum eſſe hunc ſcirrhum 5. de fac. ſim. med. cap. 9. idem autumauit. Sed de differentia inter ſcirrhum & cancrum, ſequenti capite ſermonem inſtituemus, in præſentia vero hoc in primis aduertendum, cuius idem 2. libr. ad Glauconem capite 4. & ſeptimo de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera cap. 9. meminit, quod duplex eſt ortus ſcirrhi. Nam interdum ſtatim ab initio dum incipit ſcirrhus eſt, vtpote qui fiat ex fluxione frigida, & craſſa pituitoſa, vel melancholica, & ab eadem etiam paulatim incrementum ſuſcipiat: interdum vero ſit ex alio tumore, ſicut ex inflāmatione mutata in ſcirrhum: præcipue vero ſi excitata ſit inflammatio a craſſiori, & lenta fluxione. Si enim Medicus ad eius digeſtionem nimis calefacientibus, & ſiccantibus vtatur medicamentis, tenuiores partes diſcutiuntur, craſſiores vero indurātur, ita interdum, & eryſipelata in ſcirrhos tranſeunt ex immodico vſu refrigerātium, & aſtringentium medicamentorum, incraſſantur enim, & concreſcunt, atque ſubinde indurātur. Sæpius autem in ſolidioribus particulis ſcirrhi, vt Galenus 4. de præſagitione ex pulſibus teſtatur, ſuboriri ſolent, quàm in mollibus: vnde raro cerebrum, aut pulmones occupant ſcirrhi. Exquiſiti autem ſcirrhi, qui omnino ſenſus ſunt expertes, nullam omnino curationem admittunt: qui vero non exquiſiti ſunt, curari quidē, non tamen ſi Gal. credimus, facile poſſunt. Curantur vero, qui curationis ſunt capaces ea curationis ratione, quæ communis tumoribus omnibus: imo ſi velimus exquiſitius loqui, omnibus morbis, qui ortum, aut fomentum habent ab aliqua materia. In his etenim omnibus vnus eſt communis ſcopus, quem 13. methodi, & 14. Galenus expoſuit: nempe illius materiæ vacuatio, a qua, & fomentum, & quod ſit, habet affectus. Ex plenitudine namque factos morbos vacuatio ſanat. Verum, quia multiplex eſt vacuandi ratio, alia quidem communis, quæ in primis vniuerſum corpus reſpicit, ſicut illa eſt, quam miſſione ſanguinis, aut purgantibus medicamentis moliri ſolent Medici, interdū verò ſudoribus, exercitatione, balneis, frictionibus: altera autem, quæ particulatim loco affecto ſolet accommodari, per digerentia, nempe, quę attenuant, & calefaciunt, ſubindeque diſcutiunt, & diſſipant materiam in affecta particula abſorptam, moliuntur. Et quamuis vtraque interdum vacuandi ratio curandis ſcirrhis ſit opportuna: præſertim vero inter initia, prior tamen ad præſens noſtrum inſtitutū nequaquam pertinet, vbi de externis medicamentis inſtituta eſt tractatio: Vnde de his ſolum in præſentia ſermonē ſumus habituri, quæ digerendo vacuant, quæque calefaciunt, & ſiccant. Particulatim ergo in hos ſcopos huius curationis ratio reſoluitur: niſi quòd duo præterea videntur his eſſe addenda, vnum quod initiū, alterum vero reliquum tempus omnino reſpicit. Et primum quidem accipiendum eſt a communi ratione affectuum, qui a fluxione fiunt, nempe, quod inter initia dum viget fluxio, repellentibus ea ſit inhibenda: quia tamen repellentia, tum refrigerando, tum aſtringendo ſuo fungūtur officio refrigerātia autem, & aſtringentia condenſant, impinguntque materiam, vt deinde difficilior ad digeſtionem reddatur: ideo ſi opportunus videatur horum vſus, illis vtēdum eſt, quæ modice refrigerent, vel aſtringant. Sed etiam quantum ad alterum pertinet, cautum oportet eſſe Medicum in vſu digerentium: nam calefaciunt, & deſiccant, quæ vero vehementer tum calefaciunt, tum deſiccant, non ſunt apta ad digerendos, & ſubinde curandos ſcirrhos. Nam quæ valde calefaciunt, vehementer etiam, & confertim digerunt: vnde confertim digeſtis partibus, quæ aptiores ad digeſtionem ſunt, licet videantur, qui ita agunt plurimum profeciſſe, cum tumor videatur eorum ope factus minor, reliquæ tamen partes deſtitutæ a tenuioribus, & mollioribus, adeo reſiccantur, & indureſcunt, vt deinde digeri amplius nequeant, vtpote, quæ perinde, vt lapis induruerint: ſed etiam quæ vehementer deſiccant, vt 5. de facult. ſimplicium medicamentorum docemur, nimis exſiccando, idem ſuapte ſane natura præſtare poſſunt: vnde vt idem paulo inferius docet, ea medicamenta requirunt, quæ vel in ſecundo calefacientium ordine ſint, vel ſaltem tertium non excedant, & hoc quidem rarius, reſiccent autem vltra primum: quo ad medicamentorum genus, malagmata a Græcis, vt Galenus 7. de Compoſitione medicamentorum ſecundum genus teſtatur, dici conſueuere: vel vt eodem 5. de facultatibus ſimpl. med. malactica & id a vi molliente: quæ enim calefaciunt mediocri, quidem calore, non tamen manifeſte ſiccant, aut humectant, ea proprie mollientia dici merentur:

rentur: habent enim hæc eas vires, vt quaſi elliquare induratam materiam poſſint, hæc ergo exquiſite mollientia ſunt. Sin autem in calore ſint moderata, in ſiccitatem vero, vel humiditatem aliquantiſper, ſed modice, nempe non extra primum ordinem inclinent: ea etiam in his recenſeri poſſunt, quæ malactica, vel mollientia dici poſſunt: licet enim omnino non eliquent, vt priora, fundunt tamen craſſiorem, & duram materiam, quod mediocri calori acceptū referunt. Quibus, & videtur addēdum, quod itidem ex 5. de facultatibus ſimplicium medicamentorum depromendum eſt: nimirum enim ait, quod medicamenta huius generis, quæque molliunt, præſertim apta ſunt ſcirrhis curandis, qui ex craſſa, lentaque materia ſunt geniti, quales illi ſunt, qui occupant capita muſculorum, & tendinum. Nam, qui ex atra bile ortum habent, proniique ſunt ad naturam cancri, a mollientibus medicamentis potius exacerbantur, irritanturque. Sed iam de illis particulatim agamus. In his ergo medicamentis, quę tum molliendo, tum etiam digerendo diſſoluere poſſunt ſcirrhoſos tumores, in primis recenſent auctores omnes, tam antiqui quam recentiores, præſertim vero Galenus 5. de facult. ſimplicium medicamentorum ca. nono, adipes animantium medullasque, vtpote, quæ plus calefacere, quam exſiccare poſſint. Vnde earum vſus tum digerendo, tum molliendo aptiſſimus eſt, ſed vt diuerſorum animalium ſunt, tam adipes, quam medullæ, quæ diuerſa, & differenti admodum natura, & temperatura conſtant: ita neceſſe eſt, illas differentes vires habere, quamuis vna communique ratione ſimiles ſint, nempe, quod omnes molliunt, & digerunt, & quia omnes calefaciunt, & modice exſiccant: aliæ tamen alijs magis, minuſue hæc officia præſtare poſſunt. Nam, vt a valentioribus incipiamus, leonis adeps in digerendo, calefaciendoque alios omnes ſuperat: poſtea vero pardi, & hyenæ, deinde vrſi, poſtea tauri, quam anſerina ſequitur, illam gallinacea, deinde vitulina, poſtrema ſuilla. Capræ vero, & longe etiam magis hirci adipes, vt teſtatur idem Galen. ſecundo libr. artis cur. ad Glauconem capite quarto, emolliendis durioribus tumoribus, non ita ſunt accommodati, vtpote, qui craſſiores, & ſicciores ſint. Interea vero, quæ poſſunt ſatis valide emollire, atque etiam digerere eſt cerui medulla, deinde vero vituli. Sed neque illud in præſentia prætereundum ſub ſilentio, cuius meminit Galen. primo & ſeptimo de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera, & quinto de facultatibus ſimpliciū medicament. capite nono, quòd tam adipes, quam medullæ, quo magis inueteraſcunt, eo & calidiores euadunt, & ſicciores, & proinde etiam in digerendo, & ſiccando fortiores, quo vero recentiores, eo aptiores ad molliendum, & mitigandum: pręterea vero, & adipes ſylueſtrium animalium acriores ſunt, & vim ſiccandi maiorem habent. In hoc eodem genere, eorum nempe, quæ molliendi, & digerendi vim habent, ſed maiorem quam adipes, ſunt ammoniacum, thymiama, ſtirax, chalbanum, bdellium ſcythicum, oleum ſicyonium, & ſuſinum etiam, niſi ſit vetuſtum: ſed & maluæ folia cruda vel cocta, & altheæ radix: item & radix cucumeris agreſtis cocta ex oleo, vel aqua. In his etiam poni & opoponax poteſt, plus tamen digerit, quam molliat, ſicut chalbanum plus mollit, & concoquit, quam digerat; thus etiam aliquid emollientis habet, & concoquentis, vt & ſemina fœnigræci ſi ex aqua coquantur, & magis etiam ſi cum aliquo adipe miſceantur. Multa ſunt, & alia medicamēta ſimplicia, quæ poſſunt digerere, & emollire: nam & laudanum modice mollit, digeritque, & oleum liliaceum nempe ex albis lilijs, caricæ etiam pinguiores, ſi ex farina triticea conficiantur, aut

A hordeacea, niſi quòd cum triticea magis concoquunt & molliunt, cum hordeacea vero magis digerunt, quia farina triticea maiorem molliendi, hordeacea maiorem digerendi vim habet. Sunt & alia ferè innumera, quæ ad hoc genus referri poſſent, quæque ex Galeno, & Dioſcoride, & alijs Medicis colligi poſſent. Sed hæc in præſentia nobis erunt ſatis, ne nimis in longum excurrere cogatur præſens ſermo. Sed & illud animaduertendum, quòd ſicut non omnia hæc relata medicamenta ſunt eiuſdem ordinis, ita & differens omnino eſt eorum, vt docuit Galen. ſeptimo de compoſitione medicamentorum, ſecundum genera, cap. primo. ratio, quatenus ad vſum pertinet: differentia vero omnis ex triplici capite ſu-

B menda eſt. Primum ex parte naturæ affectus, quia inter initia, dum ſcirrhus nondum valde induruit, leuioribus, & facilioribus, tum mollientibus, tum digerentibus erit opus, vt diſſoluatur: quo vero magis inueterauerit, & indurauerit, eo vehementiora, & valentiora deſiderat remedia. Deinde vero ex parte laborantis corporis, quia corpora duriora, & ſolidiora, vt ſunt ruſticorum, & qui in puluere & ſole degunt, exercenturque, fortioribus, & acrioribus tractanda ſunt medicamentis: molliora vero, & delicatiora, mitioribus, & lenioribus, qualia ſunt mulierum præſertim nobilium, & puerorum, eunuchorumque, & eorum tandem, qui in vmbra, & otio, & frequentibus balneis vitam tranſigunt. Tertio etiam ex parte ipſarum particularum,

C quæ a ſcirrho fuere correptæ. Nam illis, quæ ſolidiores, & duriores ſunt, validioribus medicamentis opus eſt: mollioribus autem, & laxioribus, faciliora, & mitiora ſatis eſſe poſſunt. Vnde decimoquarto methodi capite quinto, & ſecundo ad Glauconem capite quarto, conſulit, vt ſi quando in tendonibus, aut ligamentis fuiſſet contractus ſcirrhus, illis quæ emolliunt addenda eſſe ea, quæ habent vim incidendi, vt habent acetum, ſed vt tamen in eius vſu ſit cautus Medicus, quia neque ſæpius, & frequentius in talibus eo vti oportet, neque diutius, neque etiam inter initia ipſius tumoris, quia alioquin vis aceti, vtpote, quod tenuiores partes cito abſumat, reliquum in lapidem quaſi indurant: præterea vero

D ex immodico eius vſu nerui læduntur. Vnde tunc maxime vtilis eſt eius adminiſtratio, quādo præceſſerit emollitio. Quare vt eorum medicamētorum, quæ aceto parantur, adminiſtratio prodeſt, cum emollitio præceſſerit: ita etiam poſt eorum aliquem moderatū vſum debet iterum ſuccedere emollitio, atque ita alternatim. Atque hoc in durioribus partibus præſertim ſeruandum eſt, quia in laxioribus particulis vt eſſet lien redditus ſcirrhoſus, aut in teneris, & carnoſis partibus muſculorum, non eſſet adeo vſus aceti timendus, tum propter laxitatem earum, tum vero, quia non ita ſit, vt in neruis timendum. Præterea vero, & hoc non eſt ignorandum, quantum ad rationem vſus, & adminiſtrationis, eorum remediorum,

E quæ molliunt, & eorum etiam, quæ digerunt pertinet, quod duplex eſt eius vtendi modus: alter qui Galeno longe, vt ipſe 2. ad Glaucon. atteſtatur, fuit frequentior, & familiarior: alter vero in frequentiori vſu fuit alijs medicis. Prior ergo eſt, vt primum per aliquòd tempus ſolis laxantibus, & mollientibus vtamur, quo paratior, & promptior ad digeſtionem reddatur materia; poſtea vero digerentia ſuccedant, atque ita alternatim, & per vices fiat, donec vniuerſus abſumatur ſcirrhus; modum autem hunc idem exemplo expoſuit eodem 2. ad Glauc. pueri, quem ab inſigni ſcirrho contracto in femore ferè toto ob importunum uſum refrigerātium, & aſtringentium, ut eryſipelas curaretur, hac ratione, & methodo curauit. Cum enim cenſuiſſet, non poſſe tumorem diſ-

ſolui,

ſolui,niſi vi,& ope medicamentorum,quæ digerant, quæque calefaciant moderate cum partium tenuitate,& aliquantiſper ſiccarent: ſed cum horum vſus, niſi præceſſerit eorum, quæ ſunt digerenda emollitio, vt hactenus ſæpe diximus, poteſt longe magis interdum obeſſe indurando, quod poſt digeſtionem reliquum eſt, quàm prodeſſe aſſumptis tenuioribus partibus, decreuit crus demittere in profundius vas olei ſabini plenum, quod maiorem vim molliendi, & laxandi habet, mox vero confecto medicamento ex prædictis adipibus illud illiniuit, in quibus cum emollitione erat modeſta adiuncta digeſtio: quibus poſtea, & ea addebat, quæ mollitionem iuuabant, ſed magis etiam digeſtionem. Interdum enim illis pingue bdellium, & maſtichen Aegyptiam, ammoniacumque recens,& pingue; præterea vero,& chalbanum. Poſtea vbi parata ad valentiorem digeſtionem illi videbatur digerenda materia, obliniebat femur vniuerſum ammoniaco prius ex acerrimo aceto diſſoluto: cui paucos poſt dies,& chalbanum itidem pingue, & recens ex acerrimo aceto ſolutũ addebat, atque procurabat, vt maior alimenti pars ad alterũ femur deferretur,vt tumori ſubtraheretur fomentũ, & id diutius inſiſtendo alteri pedi, mox vero femur affectum curauit, vt & ipſum inſtauraretur vſu eorum emplaſtrorum, quæ conficiuntur ex pice. Alij autem,quos neque damnat Galenus, compoſitis, & mixtis ex vtraque facultate medicamentis vt conſueuere, quæ propterea etiam malagmata appellauere, quaſi mollientia, de quibus reliquum eſt vt paucula quædam, & quo breuius fieri poterit dicamus, & primum de illis, quæ apud Medicos in vſu erant, poſtea vero etiam de aliquibus, quæ iunioribus magis ſunt familiaria. Galenus itaque ſeptimo de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera,capite, 2. vbi emollientium medicamentorum meminit, illa in quẽdam ordinem digerit: in quibus illud tanquam infirmius, & alijs imbecillius conſtituit, quod ipſe cerelœum appellat, quia ex cera,& oleo conficitur: oportet autem ceram eſſe pinguem, & mollem,non duram & aridam: oleum vero, quod ſit cuiuſcunque aſtrictionis expers, ſimul autem pari pondere eliquata miſcenda ſunt, vel etiam aliquãtum plus ceræ imponendum, nempe ſi olei ſex,ceræ vero octo vnc.accipiantur. Aliquantiſper maiorem vim habet,quod ex butyro,reſina colophonia,& cera non veteri pari portione componitur. Præter vim enim molliendi ex ipſa cera & butyro aliquid etiam digerentis, & ſiccantis ex reſina & colophonia acquirit. His vero omnibus aliquãto valentius eſt compoſitum id,quod πάρυργον Græce dicitur: fit autem acceptis vncijs vndecim adipis ſuilli mundi, ceræ ſex,ceruſæ, argenti ſpumæ ſingulorum ſeſquiuncia. Componitur vero eliquatis primum cera, & axungia illisque inſperſis aridis medicamentis prius exquiſite tritis:magis hoc prioribus mollit, ſed & deſiccat, & digerit, nondum tamen validum eſt medicamentum. Vnde iſtius ordinis medicamenta tenerioribus corporibus, & incipientibus potius, quàm plurimum induratis ſcirrhis erunt accommodata: in durioribus autem corporibus, & induratis, inueteratisque ſcirrhis,hæc parum poſſunt efficere. Valentioribus enim mollientibus, & digerentibus eſſet opus de quibus pauca quædam dicemus. Nam quæ hactenus ſunt expoſita, indureſcentibus potius quã induratis tumoribus ſunt apta. Sicut dum inflammatio in ſcirrhum iam degenerare incipit. Valentiora ergo medicamenta, & ad molliendum & digerendum potentiora ſunt, quæ ex medullis, atque ex illis,quæ opi ſeu guttæ, vel lacrymæ a Græcis, Latinisque dicuntur, gummæ vero ab Arabibus & recẽtioribus vt ſunt ammoniacum, bdelliũ, chalbanum, opoponax, ſtyrax, & id genus reliqua. In quibus interdum aliqua item induntur, quæ vim aliquam ob tenuitatem partium incidendi habent, vt piper, propolis, præter acetum. Galenus vero ſeptimo de medicamentorum compoſitione ſecundum genus, multa iſtiuſmodi medicamenta ex libris tum Heræ, tum vero Andromachi excepta deſcribit: quæ nimis longum eſſe ſingulatim referre. Vnde primo, qui ab eo etiam examinatur, erimus contenti, cuius licet ipſe duos deſcribat compoſitionis modos, vnum tamen duntaxat nos proponemus. Conficitur autem in hunc modum. Bdellij, ſeui vitulini, ammoniaci, iridis illyricæ, ſingulorum drag. xvj. opoponacis, chalbani, cachryos, ſtyracis, thuris, ſingulorum drag. viij. piperis gran. clx. fæcis vnguenti irini quantum ſatis ſit, ceræ, reſinæ,terebinthinæ, ſingulorum ſemilibram, vini quantum ſatis ſit. Bdellium, thus vino madefiunt, ammoniacum aceto diſſoluitur, cætera contunduntur piſtello inuncto irino, & quæ liquari poſſunt liquantur, ac deinde omnia miſcentur. In hoc malagmate valide quidem molliunt ſeuum vitulinum, bdellium, ammoniacum, & chalbanum, & ſtyrax, quæ & digerunt non parum: aliquantiſper præterea, vt fere in primo ordine ſint, thus, cera, & terebinthina molliunt & concoquunt, potenter opopanax, piper chachrys. Digerit & vinum, incidunt vero in primis, acetum, piper, cachrys, quod vt idem Galenus, docet, admodum commodum eſt his ſcirrhis, qui ex pituita craſſa, & lenta ortum habuere. Vnde valentiſſimum medicamentum eſſet: in eius tamen vſu monet Galenus hoc ſeruandum eſſe, nec modo in hoc, ſed & in alijs, vt ſi cerati formam habuerit, & ſit lentum, tenaciterque hæreat parti ſcirrhoſæ, dimittatur ibi, donec ſponte decidat, neque detrahatur vi. In illis autem,quæ mutanda ſunt ablato primo, antequam alterum apponatur, oleo fouendum eſſe locum affectũ, vt materia mollis reddatur, & particula laxior. Multa alia malagmata poſſemus hoc loco deſcribere, quorum confectiones legi poſſunt apud Galen. ſeptimo de compoſitione medicamentorum ſecundum gen. & 8. de Comp. ſecundum locos, & apud Paulum,& Aetium, & Arabes, ſed nimis lõgus eſſet is ſermo: præſertim vero huic loco attineret, vt emplaſtro de meliloto, cuius ſatis frequens eſt vſus noſtris his temporibus, præcipue iuxta compoſitionem a Meſue relatam ex Philagrij ſententia: quia tamen maxime medici noſtris temporibus, cum quibus etiam Gal. octauo de comp. medicam. ſecundum locos conſentire videtur, in duris viſcerum affectibus, nempe ventriculi, iecinoris, & lienis vti ſolent: ideo ad aliam partem vbi de medicamentis particulatim certis & definitis locis accommodando agemus, illud ſeruabimus. Interim vero de cerato agemus, quod ex œſypo conficitur, tanquam de optimo medicamento ad molliendas & digerendas, vel etiam inueteratas durities vbicunque fuerint contractæ: & quamuis a diuerſis auctoribus diuerſimode conficiatur,omnes tamen in vnum ſcopum tendunt,& idem præſtant quamuis non æqualiter: aliæ enim vehementiores, aliæ aliquantiſper infirmiores ſunt. Meſue tres cerati ex œſypo confectiones deſcripſit. primam quidem in Gal. auctorem refert, quamuis nullibi apud Galenum illam reperierim, alteram in Philagrium, tertiam in Paul. ſeptimo quidem libro deſcribitur cuiuſdam liquidi medicamenti ex œſypo compoſitio, quæ tamen ab illa, quam ex ſententia Pauli retulit Meſ. & modo compoſitionis, & materia plurimum differens eſt. In vſu autem pleriſque in locis his noſtris temporibus eſt ſecunda a Meſue deſcripta,quæ Philagrio eſt inſcripta, vtpote

quæ ad molliendas, & digerendas durities alijs ha-
beat vires maiores. Accipit vero croci drag. x.bdel-
lij, maſtiches, ammoniaci, aloes ſtyracis liquidæ,
ſingulorum drag. viij. ceræ libr. j. terebinthinæ
vnc. j. ſ. medullæ cruris vaccę, adipis anſeris ſin-
gulorum drag. xv. œſypi libr. xv. olei nardini
quantum ſatis ſit: ſubiungit autem Meſue, quod
medici quidam poſt Philagrium addidere huic con-
fectioni ſucci ſcillæ vnc. iij. thuris vnc. j. ſeui vi-
tulini drag. xv. Medicamentum potens eſt, & op-
timum. Nam aliquid concoctorij habet ex croco,
thure & terebinthina: emollit autem cera, œſypus,
& adeps tam vituli quam anſeris, & medulla vaccina.
Nam adeps vituli, & vaccina medulla fere eiuſdem
ſunt facultatis. Vbi hoc conſiderandum, quod Grę-
ci medici antiquiores medulla potius vitulina, quam
vaccina vtuntur in ſuis emplaſtris, & id genus alijs
medicamentis. Nam ſi iuuenis ſit vacca, vnde fuit me-
dulla accepta, parum a vitulina differt: nam pueri &
fœmellæ parum ſaltem in humiditate differunt. Sin
autem vacca conſenuerit, magis adeps aut medulla
deſiccabit. Bdellium vero, ammoniacumque & ſty-
rax potenter molliunt, & ſtrenue digerunt, aliquan-
tiſper digerit & aloe: quando autem additur
ſuccus ſcyllæ, maiorem attenuandi, & inciden-
di vim ſibi comparat. Vnde inueteratis, & indu-
ratis ſcirrhis magis potens redditur medicamentum.
Quod ſi bdellium, & ammoniacum ex aceto dilue-
rentur, adhuc maiorem vim haberent. De alijs au-
tem compoſitionibus medicamentorum ex œſy-
po confectorum non habebimus longiorem ſermo-
nem, tum quia nũc in nullo, ſunt vſu, tum vero quia
ex earum collatione cum hac illarum ratio facile
poteſt percipi. Sed de diachylon, quod & ipſum his
temporibus in multo vſu eſt, & ad præſens inſtitu-
tum pertinet, paucula quædam dicemus: quamuis
Gal. χαλαστικὰ inter medicamenta, hoc eſt relaxan-
tia numerauit, quæ diſtentis potius vt ipſe 7. de cõp.
medic. ſecun. loc. teſtatur, curandis commoda ſunt,
quam induratis. Sed quia ſtrenue præterea etiam
mollit: ideo non erit illis ineptus is locus: prę ſertim
ſi fiat, vt vulgo dici ſolet cum gummis, hoc eſt cum
guttis ſeu lacrymis, quæ ὀποὶ a Græcis appellantur.
Nam ſi in hunc modum conficiatur, ad emollien-
das, & digerendas durities validum erit medicamen-
tum: plures enim reperiuntur, modi quibus diachy-
lon a diuerſis auctoribus confici ſolebat. Vbi pri-
mum id aduertendum, ad facilem perceptionem eo-
rum, quæ de hoc medicamento dici ſolent, ſiue il-
lud ceratum dicatur, ſiue emplaſtrum, ſiue vnguen-
tum. Nam his omnibus nuncupationibus a iuniori-
bus ſolet appellari. A ſuccis nomen habuit, χυλός e-
nim vt plures interpretantur, ſuccum ſignificat:
non tamen ex illis ſuccis componitur, qui ex con-
tuſis herbis, vel fructibus exprimuntur: ſed ſucci vn-
de fit hoc medicamentum, ſunt mucoſus humor, qui
vel maceratis illis ſeminibus fit, puta fœnigræci, li-
nique, & coctis radicibus altheæ, & pinguibus cari-
cis paſſulisque, & deinde percolatis, & expreſſis: hos
ſuccos mucillagines iuniores, & ſeplaſiarij appel-
lant. Frequens eſt eius vſus & priſcis: & noſtris e-
tiam temporibus, & eius ſæpe fit ab auctoribus
mentio, ſub diuerſis tamen nominibu s, & diuer-
ſa eius reperitur compoſitionis ratio. Apud Arabes
enim dicitur interdum vnguentum de mucillagini-
bus, interdum vero ceratum de mucillaginibus: tri-
plex vero illud componendi modus reperitur: al-
ter quidem antiquorum fere omnium, cuius me-
minit Galenus ſeptimo de compoſitione medica-
mentorũ per genera a Democrate verſibus deſcrip-
tus, quæ tamen in primum auctorem Menecratẽ re-
fert: & eadem Paul. & reliqui Græci retulere, & eſt

A ſimplicior, & facilior. Accipit enim libras quatuor
mucillaginum extractarum, vel percolatarum ex de-
cocto ſeminis lini, & fœni græci, radicum altheæ, o-
lei: æſtate addunt illi libras ſeptem, hyeme vero li-
bras nouem, quæ ſimul coquantur quoaduſque non
amplius bulliendo attolluntur bullæ: mox inſpergã-
tur ſpumæ argẽti librę ſex, & coquantur, donec non
inquinet. Quæ quidem confectio a Gal. potius in-
ter medicamenta numeratur, quæ χαλαστικὰ hoc eſt,
laxantia, quàm inter illa, quæ malagmata, vel ma-
lactica, hoc eſt, emollientia dicuntur, quæ non ma-
gis molliendi, quàm digerendi vim habent: hoc
enim laxare quidem, & mollire partes intentas po-
teſt, non autem inſignem vim habet indurata mem-
B bra emolliendi: nihil enim accipit, quod poſſit in-
ſigniter emollitas partes digerere: facilior ergo, &
minus vehemens ad ſcirrhos curandos eſt is com-
poſitionis modus. Huius etiam Meſue meminit, &
ex Hamech auctoritate ait, quòd ſi prædictis adda-
tur aliquid iridis, & mucillago meliloti, euadet me-
dicamentũ longe fortius ad tollendos tumores du-
ros. Alter vero, qui literis a Meſue traditus eſt, ad
diſſoluendas durities potentior, & vehementior eſt,
& ab eo appellatur diachylon magnum: deſcribitur
autem in hunc modum. Accipe ſpumæ argenti opti-
mæ mundæ, tritæque & cribro tenui excuſſæ vnc.
12. olei irini, chamæmelini, anethini ſingulorum vn-
cias 8. mucillaginis ſeminum lini, mucillaginis fœ-
nigræci, mucillaginis radicum altheæ, item & mu-
C cillaginis caricarum pinguium, & paſſularum quo-
que pinguium, ſucci iridis, ſucci ſcillæ, item & œſy-
pi, & glutinis piſcium (ita enim interpretantur vo-
cabulum illud arabicum alzanach) ſingulorum dra-
chmas 12. ſ. terebinthinæ vncias tres, reſinæ pini,
hoc eſt piceæ ſingulorum vncias duas, coquantur
quo modo pauloante expoſitum fuit: & fiat, vt nunc
ſolemus appellare, in modum cerati. Longe, vt di-
xi potentius malagma hoc priori eſt: nam præter
chylos, hoc eſt mucillagines, quę laxant & molliunt,
accipit œſypum, quod præter vim mollientem & la-
xantem, digerit etiam: ſed & oleum irinum, anethi-
num magis digerunt, nec chamæmelinum ea vi ca-
ret: iris quoque ſuarum partiũ tenuitate craſſos hu-
D mores ſecare, attenuare, & nõ parum digerere, & de-
tergere poteſt. Sed & ſcillæ ſuccus plurimum citra
caliditatem, aut exſiccationem inſignem attenuare,
& incidere poteſt craſſos, & induratos humores: iti-
dem & iridis ſuccus. Tertio vero modo fit præterea
diachylon hoc additis, quas vocant gummas iunio-
res, Gręci vero ὀποὺς præſcriptę compoſitioni: fuere
autem a iunioribus noſtris additi: & tres ſunt hæ la-
chrymæ, quæ adijci ab illis ſolent, nempe bdellium,
ammoniacum, & ſagapenum, ſingulorum vero addi-
tur vncia: & cum his vna etiam vis maior addi-
tur molliendi, & digerendi, & ſicut ſimplicibus fa-
E cta eſt in hac poſtrema confectione additio, ita no-
men eſt immutatum. Nam hoc diachylon cũ gum-
mis appellant, alterum vero ſine gummis. Fit etiam
Venetijs medicamentum, quod ferè ſimile viribus
eſt primæ compoſitioni diachylon, nempe Græco-
rum. Accipit enim mucillaginum altheæ, ſeminum
fœnigræci, & ſeminum lini ad vncias ſex, ſpumæ ar-
genti libras ij. medullæ cruris vaccæ, vel vituli, tere-
binthinæ ſingulorum vncias iij. ceræ vncias iiij. olei
ex ſem. lini vncias iſ, in quo pro oleo communi, vt
in prima oleum ex ſem. lini accipitur, quod maio-
rem vim laxandi, & digerendi habet: minorem ta-
men digerendi quàm anethinum & irinum: addit au-
tem iridis puluerem ſequutus, quicunque fuit au-
ctor, Arabes: non apponit tamen œſypum, ſed loco
eius medullam cruris vaccæ. Vnde medium poteſta-
te eſt inter primum Græcorum, & magnum Meſue,

& de

& de his quidem ſatis dictum putamus, in ſequentibus de Cancro curando agemus.

De ratione compoſitionis, & vſus medicamentorum, quibus curandus eſt cancer. Cap. XXVI.

CAncer eſt tumor durus ex humore melancholico excitatus, niſi quod ab altera ſcirrhi differētia ea ratione diuerſus eſt, quod a melancholico humore, qui ſanguinis comparatione eam naturam habet, quam fæcula in vino, & amurca in oleo, nōdumque aliquam expertus eſt aduſtionem, fit ſcirrhus. Cum verò vſtionem aliquam, vel ex putredine, vel ex aliqua aſſatione fuerit expertus, tunc vt in libro de atra bile, & de tumoribus præter naturam tradidit Galen. cancer verus eſt. Vnde ſcirrhus, is vt idem 14. method. voluit a cancro non niſi maioris, minorisq; ratione differt: quia ſi materia, quæ in ſcirrho comprehenſa eſt magis incaleſcat, in cancrum fit trāſitus, caleſit autem, vel è febre ardentiori, vel contracta aliqua putredine. Nam temporis progreſſu humor infarctus, & conculcatus in vaſis ſolet putreſcere, & proinde etiam cancroſus ſcirrhus is ſolitus eſt ab antiquis dici, quia facilè in cancrum tranſit. Sed neque deinde melancholici humoris, vnde fit cancer, par vbique ratio eſt: aliquando ſiquidem, etſi aliquam ſibi comparat exuſtionem, illa tamen non eſt tanta, vt iam acris etiam fiat, & erodens: & tunc fit cancer ſine vlcere, qui aliquibus cancer abſconditus, vel occultus dicitur: cum vero acrior fit, vt iam erodat, vlceratus cancer. Non eſt tamen ita efferueſcens is humor, vt in inflammatione. In ipſo etiam & circiter ipſum venæ turgidiores, & acriores ſunt, quam in inflammatione: quia craſſa & nigra eſt materia, qua venæ refertæ ſunt, & præ craſſitie nequit, adeò facilè è venis effluens, in circumpoſitam carnem effundi, & inde etiam cancri nomen illi fuit inditum, venæ enim illæ manifeſtæ apparentes circa tumorem, videntur referre ſimilitudinem cancri aquatici animalis. Videntur enim quaſi pedes cancri circa ipſum, quod præſertim conſpici ſolet in mulierum mammis: in quibus præ omnibus alijs partibus frequentius ſolent ſuboriri, & id duplici quidem ratione, primum quia ſi accidat, vt menſes ſupprimantur, ſanguis ille excrementoſus, & magna ex parte craſſus & melancholicus per venas vteri excerni ſolitus, intercepta ea via, ſæpe ad ſuperiores partes, quaſi regurgitans, ad mammas fertur propter naturalem nexum, & conſenſum: quē cum mammis uterus habet. Deinde quia mammæ, quæ carne adenoſa, laxa & quaſi ſpongia conſtant, & ea facilè admittunt, & ſuſcipiunt craſſa excrementa, & cum multarum & craſſarum uenarum à natura propter lac generandum ſint factæ participes, illæ diſtentæ, & repletæ craſſo, & atro illo ſanguine craſſeſcunt, & nigreſcunt, unde in hac maximè parte repreſentant quandam cancri effigiem. Et quamuis excrementúm hoc melancholicum in iecore primum generetur una cum ſanguine, non habet tamen cancer minorem ſuæ generationis occaſionem a liene, utpote cuius officium ſit, ut quicquid excrementoſum & non amplius naturæ utile ſupereſt iſtius melancholici humoris, attrahat, atque inde partim alatur, partim uerò quicquid ſuperuacaneum & inutile illi eſt, ut corpus ab eo expietur per uias conſuetas excernat. Quod ſi uiſcus hoc ab eo ſuo munere deficiat: uel quia ex aliqua intemperatura ſit factum imbecillius, uel quia obſtructiones impediant, uel quia tantum iſtius humoris ex uictus non proba ratione gignatùr, vt illi excernendo non ſit ſatis hæc particula: ille exuberans & ad hæmorrhoidas propulſus, illi negotium faceſſit, aut ſua grauitate ad venas in cruribus tranſlatus varices concitat, aut in habitum vniuerſi corporis digeſtum, & ad cutum propulſum, elephantiaſim, vel elephantem procreat: aut in vnum aliquem circumſcriptum locum decumbit, & inde fit cancer: quæcunque vero vel temperaturæ, vel ætates, vel victus ratio aptæ ſunt generando humori melancholico, ea omnia poſſunt generandis, & illis etiam fouendis in cauſa eſſe. Poteſt autem is morbus inter initia, quando nōdum in inſignem tumorem eſt elatus, ſicut Galen. ſexto, aphoriſ. comm. 49. & ſecundo ad Glaucon. cap. decimonono, teſtatus eſt, medicamentis ſi cognoſcatur, curari. Nam neque cognitu in principio facilis eſt, adeo enim parum, & obſcure moleſtus eſt, vt quamplures non admodum peritos medicos lateat: ſed vbi increuerit, ita ſolet eſſe moleſtus, vt neminem ferè latere poſſit. Occultos vero cancros non eſſe curandos cenſuit Hippocr. ſexto aphoriſ. nam cum curantur, & vi medicamentorum eos ſuperare nitimur, irritantur magis, & citius interimunt. Facilius autem & minori cùm afflictione degunt, qui ſine curatione tranſeunt. Occultos autem Gal. intelligit tum illos, qui nondum vlcerati ſunt, tum vel etiam illos, qui intentum, & occultum aliquem locum occuparunt, vt ſi in ore intra nares, in vtero, aut in ſede oriatur. Ego memini cuiuſdam religioſæ & ſacræ mulieris, quæ dum haberet durum ſub alis tumorem ad naturam cancri vergentem, & fuiſſet commiſſa curanda duobus præſtantiſſimis medicis, illi poſt multas purgationes aggreſſi curationem localibus medicamentis, tandem eo loco viſus eſt tumor digeſtus euanuiſſe, ſed paulopoſt ſubcreuit durus & doloroſus tumor, & inſignis in iecinore, qui poſt multos cruciatus tandem mulierem interfecit, tranſlatus ad iecur. Curandi vero cancrum duplex poterit iniri ratio: altera quidem, quæ vera & abſoluta curatio dici poſſit, vtpote qua morbus omnino tollatur, & particula ſuæ priſtinæ reſtituatur integritati: & hæc quidem ſi aliquando ſperanda ſit, ſperanda eſt initio antequam materia omnino inculcata induruerit, & aliquam ſibi comparauerit malignitatem ex vlteriori putredine, vel aſſatione: & quo tempore diximus a paucis cognoſci, plures autem fallere: cum vero iam tumor in inſignem aliquam magnitudinem elatus fuerit, non eſt amplius ſperanda hæc in eo curationis ratio, ſed altera, de qua paulopoſt ſermonem ſumus habituri. In præſentia vero de priori breuiter, & curſim agemus, cum illis medicamentis ſit abſoluenda & illis remedijs, quæ nihil ad inſtitutum præſens pertinent. Nam vacuationibus, reuulſionibusque & purgationibus tractanda erit hæc curatio: omnes ergo ſtatim rem auſpicantur, modo nihil ſit, quod vetet, a venæ ſectione, in talo vel poplite, ſi præceſſerit ſuppreſſio hæmorrhoidarum, quæ alioquin ſint ſolitæ fluere: nam ſi aperiantur, vt iterum reuocetur earum fluxio, vtilis & ſalubris erit operatio, vel ſi præterea in mulieribus ſint menſtrua ſuppreſſa, alioquin vero è ſuperioribus venis iecur, vel lienem recto itinere, & loco affectum reſpicientibus erit mittendus ſanguis: deinde vero medicamentis parantibus hos humores, & delinientibus eorum aſperitatem, ac illis deinde quibus mouentur, erit agendum: neque tamen de illis magis particulatim loquemur, cum quantum poterat ſatis eſſe, in primo & altero libro egerimus. Imprimis vero recta erit victus ratio inſtituenda, & aliena, quantum fieri poterit, ab illa, quæ ſit apta melancholico humori gignendo, quod ſi videatur corpus ſuapte natura pronū eſſe, vt illum generet, ſuccurrēdum ſaltem illi erit

repetitis per interualla euacuationibus,ſed de his ſa-
tis ſuperque. Ad eam curationis ratione accedamus,
quæ magis attinet præſenti inſtituto, nempe quę per
medicamenta exterius loco affecto adminiſtranda
abſoluitur:ea itaque ſub communi ratione,& me-
thodo comprehenditur, qua & cæteri tumores præ-
ter naturam curãtur:immo affectus omnes a fluxio-
ne humorum excitati. Ea nempe eſt,vt tum repellē-
tibus,tũ digerentibus medicamentis agamus; in quo
quidem negotio fœlicem ſucceſſum ſperare poſſu-
mus,quando materia, nondum admodum craſſa fue-
rit. Nam hæc non ægre primum medicamentis pur-
gantibus,deinde vero & repellentibus, & digeren-
tibus cedet: ſin autem craſſa fuerit, illis quidem non
facile cedet. His autem parum proficiemus,ſi facilio-
ribus quidem vti voluerimus: ſed ſi potentiora ag-
grediamur, aliquas ſane tenuiores partes ſanguinis
contenti in venis partim repellemus, partim digere-
mus. Vnde videbimur ſtatim inter initia aliquid pro
feciſſe, quod reliquum tamen erit, nempe craſſior
materia,durior & magis rebellis euadet. Dum ergo
corpus purgatur diligenter, primum repellentibus
vtendum, mox vbi mediocriter iam ſit purgatum
immiſcenda repellentibus erunt digerentia, illo au-
tem exquiſite purgato conuertenda eſt omnis cura-
tio ad digerentia, vt tamen in illis eligendis hæc ſint
imprimis ſeruanda: primum, vt his vtamur tam re-
pellentibus, quàm digerentibus, quæ vires habeant
mediocres: quia leuiora nihil fere faciunt,valentiora
irritant,exaſperantque morbum, & craſſiorem red-
dunt humorem, deinde vero ea omnia fugiēda ſunt,
quæ acrimonię,& morſus cuiuſcunque ſint expertia:
tanta enim eſt iſtius affectus prauitas, vt facillime a
mordentibus medicamentis exaſperatus irritetur.
Metallica ergo medicamenta cum & exuſta prius,
& poſtea exquiſite lota fuerint, deponunt omnem
morſum: quapropter, & illa, & compoſita medica-
menta,quæ ex his fiunt,ſi recte confecta ſint,optima
ſunt in hac curatione. Ab omnibus etiam ſolani ſuc-
cus,ſtatim etiam inter initia laudari ſolet, nam repel
lit quidem ſine vlla exaſperatione. Nam refrigerat
in ſecundo ordine, præterea & aſtringit, vel ſolus
adminiſtratur, vel etiã longiori tempore in mortario
plumbeo, piſtillo etiam plumbeo donec craſſeſcat,&
colorem plumbi contrahat ductus,& tritus. In hunc
eundem vſum apprime vtile erit oleum roſaceum
eodem modo tritum & paratum, inter initia qui-
dem illud,quod omphacinum appellant: nam magis
& aſtringit,& refrigerat: mox vero & illud,quod in
præſentia completum dicunt: nam aliquanto magis
omphacino digerit,& minus repellit. Quod ſi progre
diente curatione maiorem item digeſtionem quæ-
remus, non eſſet præter rem chamamęlinum cum
roſaceo, dum mortario tererentur,intermiſcere. Hęc
eſt ergo ſumma rationis, & vſus eorum medicamen-
torum, quæ apta eſſe poſſunt curandis cancris, qui
iſtius magis deſiderandę curationis eſſe poſſunt par-
ticipes. Qui vero iam creuere,induruereque & con-
ſenuere, ſi hoc modo curare voluerimus,nullum fa-
cturi ſumus operæpretium: nimis enim peruicax, &
rebellis eſt is morbus, ita vt leuibus & lenibus medi-
camētis ſuperari minime poſſit,a fortioribus ſemper
magis irritetur, & efferus magis euadat, potiuſque
vlceretur,quàm curetur. Vnde duplex nobis,cum eo
peruentum eſt, conſilium reliquum eſt: alterum
facilius & tutius, nempe, vt ſolum procuremus, ne
vlterius creſcat, & vlceretur, & quanto fieri poteſt
minus ſit moleſtus. Id vero fit eadem fere ratione,
quam nuper expoſuimus, nempe frequentibus,& re
petitis purgationibus, victus ſeruata ratione, quam
ſummatim paulo antea deſcripſimus, & illis etiam
medicamentis, quæ demulcent melancholicum hu-

A morem & ad expiationem ſanguinis faciunt. Alte-
rum vero conſilium ad opem chirurgicam confu-
git, nimirum vt ſit tumor is in parte aliqua, vbi
poſſit excidi, ſicut in mammilla, ac deinde inuri
pars vna cum venis apparentibus, quæ veluti radi-
ces ſunt, aut cancri pedes, ac ſubinde curetur reli-
ctum vulnus, vel potius vlcus pro natura & ratione
relicti vulneris. Verum vt & 6. aphoriſm. ait Galen.
& ſubſcribit Celſus, multi ſunt, quibus curationis
modus hic nullo pacto poteſt probari, vtpote quod
multis ſit periculis obnoxius, & fallax. Nam & ad-
modum doloroſum officium illud, & ſæpiſſime
quod maxima ſequitur ſanguinis effuſio propter
ampla vaſa & conſenſum cum internis partibus: ſed
B lubrica admodum eſt præterea hæc curatio. Quam-
uis enim recte fiat, beneque ſuccedat abſciſſio, at-
que deinde vlcus poſtea deducatur ad conſolidatio-
nem: paulo poſt tamen morbus iterum reuerſus, aut
illam eãdem particulam, aut digniorem occupat, &
tandem hominem interficit: & hoc non ſemel acci-
diſſe animaduerti, & præter alios, duas Venetijs ſa-
cras, & religioſas mulieres dum medicinam Vene-
tijs facerem,noui,& alterius quidem paulo antea hi-
ſtoriam narrauimus. Altera vera habebat cancrum
in mammilla inſignis etiam magnitudinis, qui cum
vniuerſa mammilla fuit exciſus: relictum autem ab
abſciſione vlcus quanta potuit diligentia fuit cura-
tum & neque etiam multo negotio inducta fuit ci-
C catrix. Verum non multos poſt menſes, nulla alio-
quin præſtita occaſione, iterum ſponte exulceratus
eſt locus ille idē,neq; vlcus illud vllis amplius emen-
dari,aut curari remedijs potuit,& poſtremo mulierē
necauit. Sed & quædam etiam de eo cancro dicen-
da ſunt,qui cũ vlcere eſt, cuius curandi etſi nulla re-
liqua ſit ſpes, non tamen propterea non poteſt illis,
qui ab eo affliguntur, ars medicinæ plurimum pro-
deſſe,cum poſſit eos mitiores reddere, minus mole-
ſtos,minus erodentes,minuſq; doloroſos. Nam etſi
apud plurimos adeo inualuerit hæc ſententia, vt fe-
re in prouerbium trãſierit, non eſſe cancrorũ, quan-
do iã cum vlcere ſunt,quærendã curationem,ea qui-
dē ſi hoc pacto intelligatur, quod non ſit neque quę-
renda neq; ſperanda vera curatio, veriſſima eſt ſen-
D tentia, quia medicamentis, vel alijs medicis inſtru-
mentis nequit is morbus omnino ſuperari: immo
quo magis illum ſuperare contenderit medicus, eo
magis ferus,& malignus reddetur:nō tamen propte-
rea omne curationis genus prætermittendum: nam
mitigari, & deliniri aliquantiſper ferina eius natura
poteſt,vt minus moleſta, & magis tractabilis eius na-
tura euadat. Nam cũ in his vlceribus,ſicut & in qui-
buſcunque alijs,ſemper aliquod pus,vel ſanies,gigna-
tur,acrior autem & deterior,quo fuerit vlcus peioris
naturæ,quod quidem virus pũgit, imo rodit etiam,
atque dolores auget: nam & ſemper dum diutius vl-
E ceri hæret,acrius & deterius fit: neceſſe eſt, vt Gale.
monebat, aliquibus vti medicamentis, quibus mali-
gnus ille humor abluatur,& facile,quaſi vt aiũt,blã-
diendo deliniatur praua mali iſtius natura. Iam ergo
ſatis diximus ſuperius, ꝙ ſuccus ſolani imprimis, &
præcipue huic officio commodiſſimus eſt, ſiue ita
ſimplex adhibeatur, ſiue cũ alijs cōponatur. Compo-
ni autem poteſt,vt poſt dicemus. Nã ductus in mor-
tario plumbeo donec colorem plumbi acquirat, &
vnguenti craſſitudinem,quam maxime vtile medica-
mentum erit. Sed & polygoni ſuccus,& cichorei, &
portulacæ expreſſus cum ſucco vuæ inmaturæ pari
modo ducti in plũbeo mortario, vtiles eſſe poſſunt.
quamuis non habeant tantam vim,quantã ſolanum:
Roſacea etiam olea, ſiue omphacinum, in quo ma-
ior eſt deſiccatio, roboratio, & extinctio, ſiue quod
completum appellant, in quo maior eſt digeſtio &
lenitio,

lenitio, itidem in mortario plumbeo ducta: pro quibus oleum cotoneorum, & myrtinũ poſſet interdũ ſumi. Præterea vero omnia metallica medicamenta vſta prius, & optime lota præſertim vero põpholyx, & plumbũ vſtum lotũ, deinde cadmia, quæ vel compoſita ſimul, vel cum alijs prædictis poſſunt vtiliter venire in vſum. Vnde Galenus decimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus ad maligna vlcera & cancroſa laudat lac, præſertim ſi in eo immiſcentur pompholyx, quam nunc tutiam vocant, aut plumbum, aut cadmia lota & vſta. Nos autem in exemplum duo medicamenta ex Galen. & Paul. Aetioque deprompta proponemus. Primum accipit ceruſam, & lythargirum pari pondere, eaque in plumbeo mortario eatenus in ſole ex roſaceo oleo conterunt, donec mixtum horum calorem plumbi omnino contrahat. Alterum vero quod & efficacius eſt, accipit pompholygis, plumbi vſti vtriuſque vero loti, thuris ſingulorum vncias quinque, abſinthij vnciam, olei roſacei ſex vncias, ceræ ſeſcunciam, ſucci ſolani quantum ad craſſitudinẽ ſit ſatis. Galenus autem quarto de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, laudat cinerem ex concrematis fluuialibus cancris ad reprimendã iſtius morbi malam naturã, ſi pari cũ portione cadmię vlceri inſpergatur, aut ſi idem cinis cerato exceptus imponatur, cuius & Auicenna, & alij meminere. Sunt & quædam, quę plurimum in ſedandis doloribus laudari ſolent, vt malua, & althea ex multo cocta & ſubacta, & oleum, quod ex vitelis ouorum extrahitur. Nõnulli præterea, & herbam illam, quam virgam auream multi appellant, ſummopere laudãt: quæ ignoratur quæ fuerit antiquis, alchimyſtis vero plurimum eſt familiaris, ſiue eius ſuccus, ſeu aqua per deſtillationem accipiatur. De elephantiaſi etiam, quam Arabes & illos ſecuti iuniores noſtri, immo & vulgus leprã appellant (quamuis lepra antiquis vna ſit ex ſcabiei differentijs) poſſemus aliquid dicere, quia tamen eandem fere cum cancro rationem habet: nam ex eodem humore gignitur, niſi quod decumbente illo in vnam circumſcriptam particulam, & illam in tumorem attolentem, fit cancer: illo vero digeſto per vniuerſum corpus, ac tandem ad cutem expulſo fit elephantiaſis: vnde ſicut cancer ſolum inter initia ſolet curari, inueteraſcens autẽ nullam admittit curationem: ita & elephantiaſis, quæ eandem vniuerſi corporis procurationem, quatenus ad vacuationem, requirit. In externis vero medicamentis explanandis non admodum multi fuere antiqui medici, & de his neque etiam nos multa verba faciemus; ſed de quibuſdam alijs tumoribus, qui cum iam dictis multam & ſimilitudinem, & affinitatem habent paucula quędam dicemus.

De Ratione curandi reliquos tumores, & abſceſſus frigidiores, qui ex pituitoſa materia ortum habent. Cap. XXVII.

QVia vero ſunt & aliæ tumorum differentiæ, qui varijs in locis ſuboriri ſolent: quorum frequens eſt mentio apud medicos, de his antequam primam hanc de externis medicamentis partem finiamus, aliqua dicemus: non eſt enim multis opus, quia ſicut cum multis illorum, quæ hactenus expoſita ſunt ſimilitudinem quandam habent, ſaltem ratione materiæ, a qua excitantur: ita etiam multum cum illis in ratione curandi habent ſimilitudinem. Incipiemus autem ab illis tumoribus, qui ſtrumæ a Celſo, & Latinis, chærades Græcis, ab Arabibus vero & recentioribus noſtris ſcrofulæ appellantur: voluere enim Græcum vocabulum exprimere, qui ita appellarunt, vel quia huic morborum generi propter veracitatem maxime obnoxiæ ſunt ſcrofæ, vel quia ſicut numeroſæ ſobolis ſunt ſcrofæ, ita in hoc morbi genere numeroſi generantur tumores ſibi fere mutuo hærentes vel quæcunque alia fuerit iſtius nuncupationis occaſio: Solet autem plerunque hoc tumorum genus, vt tertio aphoriſmo comment. vigeſimo ſexto, ait Galenus in partibus granduloſis oriri, vbi etiam bubones. Immo vt idem teſtatur in libro de tum. præter naturam capit. 16. inflammationes, quæ in his partibus oriuntur, cum veram ſeruant inflammationis naturam, bubones, aut phygethla dicuntur: ſin autem indurentur, in ſtrumas tranſeunt. Porro & ex vlcere interdum exurgit bubo, vt primo de locis affectis idem docuit, qui aliquando facile ſuppuratur. Nonnunquam vero induratur, & in ſtrumã deſinit. Sunt ergo, vt ibidem monet Galenus, hi & ſimiles tumores veluti ſoboles vitioſæ, non quidẽ calidæ, ſed potius frigidæ materiæ, & pituitoſæ, quibus præſertim obnoxij ſunt, qui voraces nimirũ ſunt. Vnde in pueris, ab eo tempore, quo primum dentes incipiunt emittere, vſque ad tertium decimũ annũ ſolet eſſe frequentior is affectus, vtpote qui plures congerũt cruditates. Plerũque autem tumores id genus alijs, de quibus ſtatim ſermonem ſumus habituri, ſimiles ſunt, qui generantur circundati quadam mẽbrana, quaſi veſicula, quam vulgo chirurgi chiſtim Græco vocabulo appellant. Pro diuerſitate autẽ materiæ differunt: aliquando enim ſi aliquid caloris immixtũ habeãt, maturãtur, & ſuppurãtur: aliqui vero duriores ſunt, & ad ſchirrhi naturã, vt decimoquarto methodi tradidit Galenus, proxime accedunt. Sunt vero & plures alię tumorum frigidorum differentiæ, quorũ medici meminere frequenter, ad hoc genus pertinentes, qui particulatim nullum habent nomen, differunt autem penes diuerſam materiæ rationem, qui in illis cum aperiuntur, reperiri ſolet. Nam aliquando quaſi pilos reperies incluſos, interdũ quaſi vngues, interdum res duras perinde vt oſſa, aut lapilli, aut teſta: quãdoq; calloſum corpus, ſępe quod aut cęrũ aut lutũ, aut amurca videatur: quandoque reperitur res adeo fętida, vt vix poſſit odorem perferre. Fiunt autem omnes, quando, vt diximus frigida materia in vnum locum confluens ibi concluſa diutius detinetur, ibique vario modo afficitur, quatenus aut digeſtis partibus tenuioribus, humidioribuſque magis minuſque induratur. Interdum vero maiori minorive contracta putredine vi caloris extranei, aut cœnum lutumve imitatur, aut amurca, tetruſque magis aut minus odor inde excitatur. Frequentiores tamen alijs eſſe ſolent abſceſſus illi, qui vno communi nomine ab Auicenna nodi appellantur. Commune autem nomen nullum apud Græcos habent, præter nomen tumoris & abſceſſus, quod & alios tumores continet. Horum tres ſunt præcipue differentiæ acceptæ a triplici ratione illius materiæ, quæ in illis continetur. Eorum enim aliqui liquorem quendam in quadam quaſi veſicula contentum habent, vulgus chirurgorum in foliculo diceret, qui liquor melli colore & craſſitudine ſimilis eſt, & a iunioribus nodi mellini dicuntur, a Græcis vero meliceridea. Alij vero craſſiorem ſubſtantiam collectam habent, quæ colore & craſſitudine pultem imitatur, quam altheram Græci nominant, vnde & Atheromata Græce dicũtur. Alij craſſiorem, & ſolidiorem congeſtam habent, quæ craſſitudine & colore ſeuum, vel adipem imitãtur, quod cum ſtear Græce dicatur, ſteatomata etiam ab illis nuncupantur. Id vero omnibus his, vt paulo antea diximus, commune eſt, vt materiam quadam membrana incluſam contineant, quaſi in quadam veſica.

Eſt & ſimilium tumorum quarta quædam differentia, cuius nonnunquam etiam meminit Galenus, in quibus antequam aperiantur, ſpirituoſa quædam tēſio apparet, illis autem apertis reperitur grumus ſanguinis, Et quia non modo in externis, & ſummis partibus ſolent oriri id genus tumores, ſed & in profundioribus quoq; : præſertim vero glanduloſis: immo & in ipſis viſceribus. Ego enim in cadauerū diſſectionibus ſæpe in iecinoris ſubſtantia vidi hos tumores ſubortos, maxime uero ſteatomata. Qui tamen in externis, & ſummis generantur partibus tactu, & digitis dū premuntur, ex maiori vel minori renitentia, & ceſſione, ac citiori, & faciliori ad priſtinam figuram tranſitu deprehendi a medico poterunt: qui vero in alto oriuntur, quo digitus peruenire nequit, non ita deprehendi poſſunt, ſed de his quātum ad noſtrum inſtitutum pertinet hæc ſatis ſunt. De alijs enim pluribus diſtincta capita fecere iuniores, & aliqui etiam ex antiquis, qui ſuis etiam nominibus diſtinxere: quæ tamen ſi recte conſiderentur, ad aliquod horum, quæ hactenus fuere a nobis expoſita, referenda ſunt. Nam & quæ nattæ, quæ talpæ, immo magna ex parte tumores, qui anteriori parte, & exteriore ceruicis, ſeu gutturis ſolent exoriri, & bocia a iunioribus ſolent dici, bronchochele a Græcis, quaſi dicas ramicē gutturis, ad aliquod horum tumorum referenda ſunt: ita vt & aliqui ramicoſi tumores ſint iſtius generis, & differunt aut loco, in quo oriuntur, aut magnitudine, aut figura, nō autem natura, aut eſſentia. Quatenus autem ad curationem pertinet, id in primis conſiderandum, quod nos 14. meth. capite 12. docuit Galenus, duplicem eſſe rationem curandi hos tumores, quæ in vnam omnium tumorum communem tandem reſoluitur. nempe ea eſt euacuatio materiæ in abſceſſu contentæ. Sed dupliciter illa euacuari a medico poteſt. Nā aut medicamentis, aut manuali opere. Per medicamenta autem duplex poteſt fieri curatio: quia aut per digerentia aut per putrefacientia: manuali opere curantur, quando per præciſionem partis affectæ tolluntur: horum vero aliqui vna tantum ex his curari poſſunt, alij duabus, alij tribus, quæ diuerſitas tum a ratione loci ortum habet, tum a ratione materiæ: nam qui in alto ortum habent, ſolis digerentibus, & attenuantibus poſſunt curari, nec quocunque modo adminiſtratis. Sed aut illis ſolis, aut illis maxime quæ per os ſumuntur, in quibus ſit vis attenuandi & in vapores diſſoluendi materiam concretam, qualia ſunt medicamenta, quæ ex aromatibus conficiuntur, vt antidoti illæ maiores, vt ſunt theriaca, mithridatia, ambroſia, athanaſia, diacalamentum, diaſpoliticum, diacyminum, & quod diagalanga iuniores appellant, & id genus alia multa, quę nos curſim pertranſimus, vtpote quæ quaſi πάρεργα dici poſſunt, neque primo ad præſens inſtitutum pertinentia. A natura autem materiæ petenda eſt ratio diuerſæ curationis: quia quæ tenuiori conſtant materia, vt meliccrides, poſſunt tres has curationes admittere: nam & digeri, & per putrefactionem extrahi poteſt materia, & per pręciſionem: quę vero craſſiori nō fere niſi aut præciſione, aut putrefactione: ſteatomata officio duntaxat manus, & inciſione poſſunt abſtrahi. Non erimus autem in his particulatim exponendis multi, quia quæ ſint medicamenta, quæ ſtyptica, hoc eſt putrefacientia ſunt, & qualis ſit eorū vſus, ſatis ſuperius fuit a nobis expoſitum. Quæ vero ad chirurgiam pertinent, huic non attinent negotio. De digerentium vero vſu, & compoſitione, & quomodo tractanda, ſatis ſuperque locuti ſumus ſuperius: præſertim vbi de duris tumoribus fuit inſtitutus ſermo. Nam in omnibus his & corpus prius a craſſis, & crudis humoribus purgandum, & victus

A ratio attenuantis inſtituenda: poſtea externis, & localibus agēdum: & ſi digeſtioni ceſſerint, illi incumbendum: ſin autem aliquando videantur poſſe ſuppurari, ſicut ſtrumas aliquando videmus, vel quia cum craſſis, & frigidis fluxerit aliqua calida materia, ſtatim inter initia, vel poſtea etiam dum tractatur curatio, attracta ab vſu calidorum medicamentorum, quæ poſſint pus mouere, maturationi & ſuppurationi eſſet opera danda. In digerendo autem, quæ ſint animaduertenda, ſatis ſuperque diximus ſuperius, vnde de ſcabiei & pruritus differentijs per medicamenta curandis paucis expoſitis, huic priori parti finem faciemus.

B

De ratione eorum medicamentorum, quibus curari apte poſſunt cutanei affectus, nēpe prurigo, ſcabies, atque huiuſmodi. *Cap.* XXVIII.

POſtremo loco quatenus ad iſtius tractationis partem attinet, & de cutaneis affectibus per medicamenta propria exterius adminiſtranda curandis, nonnulla dicenda ſunt, quales ſunt pruritus, pſora, lepra, quæ a Latinis tanquam ſcabiei differentiæ proponuntur, & lichene, quam impetiginem Latini ſoliti ſunt appellare. Horum enim fere omnium com-
C mune ſymptoma eſt deſiderium quoddam ſcalpendi, quod manifeſtum eſt argumentum, eos eſſe quaſi ſobolem vitioſorum humorum acriū & mordacium, qui ad cutim impulſi, ibi retinentur & manent: præterea vero, quòd aliqua conſtent craſſitie. Nā ſi omnino tenues eſſent, cutim perinde vt ſudor tranſigerent, neque illam abradere poſſent, neque tamen adeo craſſi ſunt, vt illi, a quibus phagedenæ aut cancri gignuntur: nam non modo extimam cutim abraderent, verum & ſubiectas carnes vlcerarent, exederentque: inter ſe vero differunt hi cutanei affectus craſſitie, & tenuitate materiæ, vnde concitantur. Nā a craſſiori materia ortum habet lepra: vtpote in qua ſeparētur veluti ſquammæ quædam, & quaſi ſerpen-
D tis appellatum ſenium: a pſora vero veluti furfures, quæ quidem ad abraſionem ſummæ & extimat ſolum cuticulæ referuntur, profundior vero eſt abraſio in lepra: ſicuti craſſiores ſunt ſquammulæ ab ea reſectæ, quàm furfures, his vtriſque aduc tenuior eſt materia impetiginis vel lichenes. Commune autem his omnibus eſt cutim reddere aſperiorem, ſed pruritus materia alijs tenuior. Quæ autem & qualis ſit materia, quæ omnium horum affectuum fomentum eſt, non videntur omnes conſentire: præterquam quod omnes acrem eſſe aiunt. Arabes enim, vt Auicenna, Haliabas & alij videntur quidem voluiſſe pſoræ & lepræ materiam eſſe ſanguinem vitioſum, quia aut illi ſit immixtus melancholicus humor exuſtus, aut
E quia pars aliqua quæ per putredinem, vel aſſationem ſit conuerſa in melancholicum humorem: vel etiam quia interdum ſanguini ſit immixta ſalſa pituita, vnde ſubdit, quod ſi ex humore melancholico ſit orta ſcabies, ſicca illa eſt: ſin autem ex mixtione pituitæ ſalſæ, pinguior illa videtur. Galen. vero, & cæteri Græci non in ſanguinem referunt hos affectus, ſed duntaxat in melācholicum humorem, & pituitoſum ſalſum. Nam in libro de atra bile, & de tumoribus pręter naturam, affectus hos melancholicos cenſet: vnde eos ſæpe mutuam tranſmutationem habere cum elephante viſum eſt. Si enim aliquando elephantiaſis curationem habet, prius in lepram, poſtea in pſoram mutatur, ſicuti ſæpe ſi negligatur lichene in pſoram, mox pſora in lepram, & tandem in elephantia-

ſim

ſim fit tranſitus. Paulus tamen pſoram, & lepram a melancholico ſucco fieri ſolere ait, pruritum vero a ſalſo humore. At Gal. ſecundo libro de cauſis ſymptomatum capite ſexto ait, pruritum a tenui & ſalſo humore ortũ habere: pſoram vero & lepram a multo craſſo, & ſalſo non moto, quia ſi in motu ſint, & per partes ſenſu præditas ferantur, horrorem, aut rigorem concitant: tamen ibidem exponens quid ſit pruritus, cum prius dixiſſet eſſe ſenſum excrementorum, pruritum mouentium, id magis particulatim explanare volens dicit, niſi quis ea nitroſa, ſalſa, uel amara velit nominare. Quibus videtur inſinuare, & bilem poſſe prurientes concitare affectus, amaritudo enim bili propria eſſe videtur. Sed ſi recte conſiderare rem velimus, cum frequentiſſime hi affectus, præſertim pſora, & lepra reddant cutim aſperã, & fere aridam, ſæpiſſime a ſicco, & exuſto, nempe melancholico humore videtur originem habere. Interdum vero cum in his cutaneis affectibus papulæ quædã paruæ quidem exoriuntur, e quibus tenuis quidam quaſi ichor exprimitur, acer quidem, & mordax, putarem eas a tenui, & ſalſa pituita eſſe excitatas: quandoque vero papulæ maiores, quæ tandem ſuppurantur, & inde pus ſatis craſſum affluit, quam vulgo pinguem ſcabiem vocant. Sed harum duplex eſt differentia, aliquæ enim doloroſæ ſunt, & rubræ anteaquam ſuppurationem aſſequantur, vt quaſi inflammationes imitentur: aliæ vero tandem, & ipſæ ad ſuppurationem veniunt, neque tamen ita inflammatæ ſunt, neque etiam adeo doloroſæ. Priores ego putarem omnino mixturam ſanguinis habere: alias vero potius in ſalſam, & craſſiorem pituitam eſſe referendas. Impetiginem vero ex ichore tenui cum craſſiore, & acri humore generationem habere, dixit Galenus libro quinto de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera. Eſt autem omnium communis ſententia, eos qui vitioſis vtuntur cibis, eſſe his cutaneis affectibus obnoxios: ſenectus etiam frequenter ab illis ſolet exerceri, & adeo cruciari, vt aliquando pruritus in ſene ſi inueterauerit, aut nunquam curari poſſit, aut ita ægre, vt illis ſatis eſſe poſſit, ſi leniatur, & mitigetur. Sed iam conuertamus orationem ad rationem medicamentorum, quibus ſit laborantibus hac moleſtia ſuccurrendum: huc enim ſpectant quæcunque hactenus fuere expoſita. Nempe, vt ſcopos depromeremus, qui nobis rectam rationẽ compoſitionis, & vſus medicamentorum huic curationi accommodatorum oſtenderent. Et quia omnes hos affectus in copiam vitioſorum humorum, vel ex praua victus ratione, vel ex aliquorum viſcerum intemperie congeſtorum, & tandem in cutem propulſorum ortum habere ab omnibus cõſtitutum eſt, nemo non videt primum ſtatim ſcopum in illis curandis inſurgere, qui indicat cauſam, quam Medici antecedentem appellant, tollendam: nempe ſubtrahendum eſſe hoc fomentum per vacuationem eorum malorum ſuccorum, qui in venis, vel viſceribus continentur, & factum morbum fouent, & pro ratione naturæ illius excrementitij humoris, atque pro conditione corporis, aut ſecta vena, aut medicamentis purgatorijs moliri vacuationem oportere. Verum, quia hoc extra fines præſentis inſtituti, quo agere de externis medicamentis propoſitum eſt, ideo hanc partem non magis particulatim tractabimus. Sed his ſummatim expoſitis, de ratione eorum medicamentorum agamus, quibus affecta iam cutis curanda eſt. Et cum, vt docuit Galenus ſexto de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera, cap. ſecundo, quando iam ſquammoſa, vel furfuroſa cutis facta eſt, id quod in ſquammas, vel furfures iam verſum eſt, nequit amplius in naturalem, & priſtinum ſtatum redire, vt & cruſtæ, quæ vlceribus ob-

A ducuntur. Sed neque etiam impacti ipſi cuti praui humores amplius corrigi poſſunt: ideo proprius ſcopus in his curandis eſt, hæc omnia ope Medicorum, quando alia nequeunt ratione eſſe remouenda. remoueri autem poterunt, tum per digerentia, & ſiccantia, tum vero per detergentia. His ergo facultatibus ea medicamenta, quibus curandæ ſunt hæ affectiones, prædita eſſe oportet. Sed cum pruritus ex tenuiori humore ortum habent, qui vt ait Auicenna, quaſi inter duas cutes, hoc eſt, ad cuticulam conſiſtit, quam nequit tranſire, quia aut conſtipatior ſit facta, aut obſtructi ſint eius meatus: ideo digerentibus potius, & deſiccantibus egere videtur, ſed quoquomodo etiam laxantibus. Vnde, & balneæ aquæ B communis, & tepidæ, tanquam vtiles laudantur pręſertim a Paulo, & Aetio, vt laxiore reddita cute facilior fiat vitioſæ materiæ vaporatio, & ipſius humoris fuſio, attenuatioque, & propterea eius acrimoniæ delinitio: deinde verò opportunus eſt fotus, & fricatio cum his, quæ digerunt, & exſiccatio. Fortioribus vero ad lichenas, vel impetigines eſt opus, vtpote: cuius materia conſtat ex tenui quidem, & acri ichore, ſed qui mixtam etiam craſſam materiam habeat pituitoſam, vel melancholicam. Vnde cum horum affectuum differens ſit ratio, quia alij difficiliores, & id ratione materię craſſioris, & contumacioris: alij vero facilius medicamentis cedunt, vtpote, quia ex materia minus contumaci, & craſſa ortum C habent. Præterea vero, & particulatim ille idem affectus non in omnibus æqualem rationem habet. Nam lepra a lepra, & pſora a pſora, prurituſque a pruritu non parum interdum facilitate, & difficultate, vel prauitate differt, quod tum ratione prauitatis, & malæ naturæ materiæ: vnde excitantur accidere ſolet: tum vero ratione corporis male affecti, quia alioqui adeo ſunt obnoxij his cutaneis affectionibus, vel propter prauam viſcerum intemperaturam illis perpetuo fomentum ſuum miniſtrantem, vel propter malam victus rationem, qua vtuntur, vel quia adeo eas diu pertulere, vt iam vitiata ſit temperatura, & habitus ipſius cutis, vt præter id quod iam facta imbecillior facilius excrementa vndique amandata ſuſcipit, & difficilius digerit, & expellit, D corrumpit etiam delatũ alimentum, quamuis bonum vitioſum humorem, vt vix ab eis ſe vnquam poſſint explicare. Cui accedit præterea, & natura corporum, qui enim duriori, & ſicciori, ſolidiorique habitu corporis, & cutis conſtant, maiori negotio, & fortioribus medicamentis curantur: qui laxiori, & teneriori, facilioribus. Vnde ea ratione pueri, & teneræ mulieres facilioribus, & leuioribus medicamentis cedunt, viri autem ruſtici, & id genus alij, fortioribus, & acrioribus. Senes autem præſertim in ſecundo ſenio ægerrime curari ab his poſſunt, tum quia ex imbecillitate viſcerum excrementoſiores ſunt, tum quia expultricem, & digeſtricem facultatem imbecilliorem præ alijs ætatibus habent, tum E etiam, quia cutis eorum aridior, & denſior facta. Vnde in medicamentis etiam his affectibus curãdis aptis varios oportet eſſe ordines, in quibus exponendis, ſi omnia ſingulatim, quorum Medici meminere, vellemus literis mandare, nimis in longum noſter ſermo proueheretur. Vnde nos aliqua tantum in exemplũ proponemus, quę nobis magis in prõptu eſſe poſſe videbũtur, quibus & multa alia addere poterit, qui materię medicinalis aliquã habuerit peritiã, & ſcopos a nobis, & alijs Medicis in hac re propoſitos memoriter tenuerit. Inter leuia, & ſimplicia medicamẽta eſt hominis ſaliua, pſertim ſi fuerit ieiunus, furfures farinę tritici affricati cuti, vel decocti ex aqua, maluæ tã domeſticę folia, & radices, quã ſylueſtris expſſo ex eis ſucco ſcabioſo loco affricata; itẽ & betę, & apij, lapatij,

chelido-

chelidoniæ,anemonæ,ſaluiæ, folia cucumeris ſylueſtris,præterea radices, ſuccus malorum medicorum tam citrij,quàm appellatorum, vulgo limonum, vel aranciorum, multis, & ſuccus vuæ immaturæ profuit. Vrina etiam humana, ſi ea lauetur affectus locus,non erit inutile medicamentum: neque tanquā languidum medicamentum proponitur decoctum ex eruo,ſed & recrementa glandis vnguentariæ: vnde fuit expreſſum oleum plurimum omnibus fere probantur. Inter medicamenta affectibus his apta, ſunt reſina terebinthina, & laricea, & gumma pini diſſoluta ex aceto. Efficaciora his ſunt aqua ſalſa, lixiuium, ſal,nitrum, nitri ſpuma, ſal aromaniacum, balneæ minerales nitroſæ, ſulphureæ, bituminoſæ, & ferreæ. Valida præterea ſunt vtrunque veratū,tā nigrum,quam album, radix vitis albæ, dracunculus vterque. Vtebantur antiqui in his curandis affectibus,cum difficiliores ſunt, & chalcitide, & chalcantho præſertim vſto. Vtūtur autem in pręſentia quoque in medicamentis ad ſcàbiem hydrargyro, ſeu,vt nunc appellant,argento viuo,vel vt chymici, mercurio,extincto tamen aut ſaliua, aut limonum ſucco, aut alia quapiam ſimili ratione: imo etiam ſi difficilior reddatur curatio, addunt, & quod ſublimatum appellant. Sulphur tamen coctum ex oleo, vel eo diſſolutum, ita vt eo inungi poſſit, optimum medicamentum ad ſcabiem tollendam,quamuis ſuo odore ingrato a multis ferri nequeat. Sed inter compoſita medicamenta lene quidem, & tutum, quodque pueris, mulieribus, ac mollioribus corporibus poſſit eſſe ſatis, eſt emplaſtrum ex lithargyro cocto ex hydrelæo, de quo facta eſt ſuperius mentio:ſed fortaſſe fortius eſſet quod ſit ex argenti ſpuma cocta ex aceto,& oleo. Sed longe his efficatius, & valentius eſſet emplaſtrum illud, quod a Galeno ſexto de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera,cap.4.deſcribitur, & διαβοτάνων, hoc eſt; de herbis appellatur. Cum autem omnes in his affectibus viuam calcem optime, & ſæpius lotam laudent,ſi illa ex aqua diluatur ad mellis ſpiſſitudinem, & inungatur locus ſcabioſus. Crederem ego,quod & vulgare vnguentum, quod fieri paſſim ſolet ex calce lota, poſſet eſſe plurimum vtile ad ſcabioſos affectus, præſertim vbi ſit aliqua ex ſcalptu illata cutis excoriatio. Paſſim tamen in vſu ſunt quædam medicamenta, quæ vulgo vnguenta ad ſcabiem apud Apothecarios dicuntur. Fiunt autem ex multis eorum, quæ a nobis nuper relata ſunt commixtis, quorum duplex eſt ratio. Prima quidem illis maxime apta eſt, in quibus neque admodum contumax,& difficilis eſt morbus,corpuſque mollius, & tenerius,ſubindeque delicatius eſt, vt puerorum,& fœmellarum, & eorum,qui in vmbra, & otio vitā tranſigunt. Et quamuis vario conficiatur modo, ego tamen illum referam,qui magis tritus,magiſque in vſu eſt. Accipiunt ergo terebinthinæ, vel laricinæ reſinæ, exempli cauſa,vncias duas,butyri recentis drag.j. ouorum lutea duo, ſalis communis vnciam mediam, ſucci A malorum medicorum,quæ appellantur arancia quātum ſatis eſſe poſſe videtur, olei roſacei parum ex omnibus ſimul mixtis faciunt molle medicamentum, quod ad ignem, vel ſolem deliniunt fricando ſcabioſas partes. Lenit enim, detergitque,& deſiccat modeſtè, & præterea extrahit excrementa ſubiecta,& impacta cuti ad exteriora. Solet autem lauari reſina,interdum autem,& butyrum, & pro lotionis modo additur,aut detrahitur vis medicamento. Nā ſi aqua cōmuni lauetur, mitius fit: ſi enim quidpiam acrimoniæ inſit reſinæ,lotione lenitur: ſi autem alia re lauaretur, ſicuti roſea aqua, minus calefaceret, B melius oleret medicamentum, aliquantiſper etiam roboraret cutim aſtringendo, & quoquomodo repelleret ingruentes in eam humores. Idem præſtaret,ſi ſucco roſarum, verum magis ad detergendnm adiuuaret,& digerēdum, & odoratius redderet medicamentum. Poſſent lauari,& ſuccis,& aquis earum herbarum, quæ vim habent delendi ſcabiem, quas paulo ante recenſuimus, vt eſt malua vtraque, fumaria,apium. Efficacior eſſet chelidonia, rumex etiam, vel lapathum,oxalis:præ omnibus autem alijs, ſi ex decocto vnius,vel alterius veratri. His enim lota reſina,& buthyrum,longe valentius redderetur medicamentum. Si vero voluiſſent antiqui Medici adhuc C valentius reddere, aliquod ſulphuris ignem non experti addidiſſent,interdum & oleū, quod laurinum dicitur. Delicatiores tamen horum ingratum odorem non facile admittunt. Arabes autem,& qui illos ſecuti ſunt in multo vſu habuere hydrargyrū, quod viuum argentum nuncupamus,& eſt ſane efficax admodum medicamentum in his affectibus etiam difficilibus,& inueteratis tollendis. Vnde ſi prædictæ confectioni addatur aliquid hydrargyri ex ſaliua hominis præſertim ieiuni extincti,vel ex ſucco arancij in præſentia appellati,aut limonis, erit valens, & forte medicamentum, qualia ea ſunt, quibus inungi D ſolent artus,pręſertim vero manuum,articuli,& pedum,aut etiam volæ,& plantę eorum. Fit autem magis, vel minus vehemens medicamentum, quatenus plus,vel minus additur hydrargyri:nam vel ſemiuncia, vel iij.drag. vel drag.j.ſ.indi poteſt, & id habita tum corporis ratione,tum verò affectus. Conficiuntur autem & innumera alia medicamenta ſimilis fere naturæ, quorum tamen ſunt medicamenta ſimplicia,quæ hactenus fuere expoſita:maiorem vim habent ea,quæ aut ſulphur,aut calchantum,aut chalcitem,aut hydrargyrum,aut quod ſublimatum vulgo appellant,aut veratrum vtrunque accipiunt, vtebātur tamē & alcyonijs antiqui. Sed nolumus diutius in his verſari, ſatis enim excreuit tertius hic liber, & E vltra quam putaremus:vnde iam finem illi faciemus, & interim ad quartam iſtius tractationis partem nos accingemus, in qua de Localibus medicamentis agemus,in quibus maximam vim habet indicatio, quæ accipitur à locorum definitorum natura, & à capitis ſumma cute ſumemus exordiū: interim vero gratiæ ſint,quantæ poſſunt, Deo Opt. Maximo.

VICTORIS TRINCAVELLII PHILOSOPHI, ET MEDICI VENETI,

De compoſitione ac vſu medicamentorum.

LIBER QVARTVS.

Cap. I.

A DEO Opt. Maximo, quî bonorum omniũ principium eſt, & finis, initiũ nobis nunc iuuenes ſtudioſiſſimi quarti iſti⁹ noſtri laboris libri petẽdum. Cum compendij, ac formæ huius noſtrorum de vſu & compoſitione medicamẽtorũ, quos Deo dante aliquã do edituri ſumus, cõmentariorũ iam tres libri a vobis me prælegente fuerint excepti, & rogandus Deus ipſe, vt nobis adſit, faxitque vt noſter hic labor ad ipſius præſertim honorem referatur, & in veſtram vtilitatem, & gratiam: quibus, vt morem geramus, hanc prouinciam ſuſcepimus, poſſimus & poſtremo huic noſtri compendij libro finem imponere. Nam eo abſoluto, tum omni ſtudio, ac diligentia operam dabimus, vt commentarij ipſi ad finem optatum perducantur, ac deinde in lucem edantur. Huius autem libri argumentum (ni fallor) non erit aliorum librorum argumento minus difficile, ſed longe magis varium, cum de illis medicamentis ſimus acturi, quæ propria, & particularia certis, ac definitis locis, ac particulis in humano corpore particulatim adhibere ſolent Medici in curandis affectibus, vnde etiam fere nomen accepere, & in ijs curandis diuerſam curationis methodum indicet, non ſolum diuerſa affectus ſecundum ſe natura, verum & ipſarum, quæ male affectæ ſunt particularum. Fieri enim quamuis poſſit, vt idem ſpecie ſit, quantum ad affectus naturam, & eſſentiam pertinet, in diuerſis particulis

A morbus: quia tamen ratio particularum varia admodum, & diuerſa eſt, quibus medicamenta aptanda, & accommodanda ſunt: neceſſe eſt, vt varia etiam tam vſus, quàm compoſitionis medicamentorum methodus euadat. In his autem tractandis hoc rudimentum noſtrum, ſiue quarti libri commẽtariorum noſtrum compendium partiemur pro particularum B ratione, & eum ordinem ſequemur, quem Galenus, & plerique Medicorum, celebriores ſaltem ſecuti ſunt, qui idem argumentum tractauere. Inchoabimus igitur a capite, & ab alijs particulis, quæ in capite ſunt. Nam trium primarũ, & præcipuarũ partiũ quæ in corpore ſunt, ac inſigni, & conſpicuo interſtitio diſtinguuntur: atque continent tres principes C facultates, quæ vniuerſam corporis rationem adminiſtrant, ſubinde eas particulas, quæ harum facultatum ſedes ſunt, & illas etiam, quas ipſis alioquin miniſtrant: prima quidem illa eſt, quæ caput a noſtris, a Græcis κεφαλὴ dicitur: quæ continet membra animali facultati deſeruientia altera vero, quæ θώραξ a Græcis, a noſtris vero, pectus nuncupatur, quæ ea D continet, quæ vitali miniſtrant. Tertia vero, quæ Græce κοιλία, Latine vero venter, ſeu aluus appellatur, & eſt quaſi armarium earũ particularum, quibus tanquam inſtrumentis vtitur naturalis animi vis. Poſtea vero ſunt extremæ partes, & brachia, & manus, crura, & pedes, quæ motricis facultatis præſertim ſunt inſtrumenta. Vnde a capite ad alias partes eo E ordine deſcendemus, quo ſunt a natura digeſtæ. Sed & illud addamus, quod in vnoquoque vnã tanquam primam, & præcipuam reſpiciant omnes particulæ, quæ his tribus quaſi ventribus comprehenduntur, in hoc enim iuniores noſtros ſequemur, qui in tres ventres corpus partiuntur, ſupremum caput nuncupantes, medium thoracem, infimum vero inferiorem ventrem, ſeu aluum: licet antiqui caput

ventrem

ventrē nunquam vocauerint. Sed quia res hæc circa nominat tantum verſatur, id non multi faciemus, nec in eo multum immorabimur, quia huiuſmodi quæſtiones, in quibus de nominibus eſt tantum controuerſia, Galen. ſecuti ſemper vti ineptias libenter prætermiſimus: reliquæ tamen ſuperuacuæ non ſunt. Omnes enim propter illas præcipue a ſummo illo rerum omnium Opifice ita ſunt procreatæ, vt earum miniſterium, aut plurimum vtile, aut admodum neceſſarium ſit. Aliæ enim fabrefactæ vt alimentum ſubminiſtrent, aut alioquin materiam, circa quam illa operatur: aliæ vt excrementa, quæ ex concoctione non poſſunt non generari, attrahant, & excernant, ne retenta turbent omnia aliarum munia: aliæ vero, vt has complectantur, contineant, foueant defendantque. Ac licet, oporteat Medicum qui recte, & ex methodo velit harum omnium affectus, tum per alia inſtrumenta, tum vel maxime per apta medicamenta curare, earum omnium exquiſitam cognitionem habere: non tamen ad præſens inſtitutum pertinet, particulatim omnia hic diſtinguere, ſed tantum ſummatim ea recenſere, quæ alibi diffuſe, & per diexodum a Medicis, præſertim vero a Galeno fuere expoſita, quæque a nobis hic tanquam poſita, & conſtituta ſunt accipienda: & ne ſæpius eadem repetendo tempus conteramus, orationem ad caput conuertamus, de quo primus habendus eſt ſermo. In illo ergo plures continentur partes, quarum princeps eſt cerebrum, quod quemadmodum in libr. de Hippocra. & Plat. plac. Præſerimque in 2, & 7. concludit Galen. quaſi ſacellum eſt animalis facultatis, vt in præſentia Hippocr. Plat. & Galenum ſequamur. Huic enim ſententiæ facilius, & clarius poterit accommodari methodus, quæ noſtro huic ſcopo attinet: eſt & initium omnium ſenſuum. Vnde particulæ, quæ ſunt ſenſuum exteriorum inſtrumenta, præſertim vero quatuor circa caput ſunt, nec fortaſſe aberraremus, ſi diceremus intra caput. Nam in caluaria in anteriori parte duas habent foueas oculi, a quibus maiori ex parte comprehenduntur. Immo, eorum tunicæ, quibus ſunt inuoluti, ſunt pro pagines membranarum cerebri. Inſtrumenta autem tam odoratus, quã auditus, & guſtus potius interna ſunt, quam externa, quæ item ſæpe inſeruiunt ad exercenda excrementa, quæ copioſa generantur in cerebro. Sunt præterea intra caput multi nerui, venæ, & arteriæ, quarum munus non eſt cur in pręſentia exponamus, cum horum ratio alibi ſit petenda. Partes vero capitis, quæ hæc continent, ſunt primum extima cutis, quæ hac parte ab alijs cutis partibus in humano corpore, ſi non omnibus, ſed pluribus differt, quod non vniuerſa, ſed multis, & magnis partibus naturæ inſtituto pilis obducta. Nam in ſumma parte capillata eſt, ex anteriori cilia habet, & ſupercilia, circa mentum, & vtrinque barbam in maſculis procreat. Nam ſi Galenum ſequamur in libro primo, de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap. 2. ſi in alijs partibus pili expullulant, id fit magis quaſi ex accidente ex ratione materiæ: quam propter inſignem aliquem finem, aut vtilitatem: cilia autem, & ſupercilia quaſi neceſſaria oculis ſunt: ex barba maſculis ornamentum, grauitas, venerationque accedit: capilli quidem, & ipſi caput, faciemque exornant, ſed & caput ab externis peregriniſque impreſſionibus, vt a radijs ſolaribus, frigore, atque id genus alijs defendunt. Sub cute eſt mēbrana, quæ a Græcis pericranium dicitur, ob id, quia cranio, hoc eſt, caluariæ circumquaque eſt obducta. ſub pericranio eſt caluaria, ſub caluaria duæ membranæ, quarum exterior craſſior, & durior, interior tenuior eſt, quæ cerebro quaſi eius tunica, vel cuticula hærens, illud continet. Et quia Medicus eſt artifex, qui, vt fere in prouerbio eſt, plerunque ſenſum ſolet ſequi, externæ vero, continentes partes priores ſe offerunt ſenſibus, & prima cutis: de iſtis ergo, & primum de cutis capitis affectibus per medicamenta curandis, quatenus capitis eſt, agemus: hoc eſt, de illis affectibus, qui illi attribuuntur ratione illius fere priuilegij, quod peculiariter conſecuta eſt a natura quatenus capitis eſt, nēpe, vt capillata ſit: nam quantum ad alios affectus pertinet, qui ſunt illi communes, & quaſi ijdem cum alijs partibus cutis, poſſunt ea, quæ in priori libro fuere deſcripta, eſſe ſatis, ne iuſto longior euadat præſens tractatio.

De Topicis medicamentis accommodatis ad affectus cutis capitis curandos.

Cap. II.

NON eſt autem vna, ſimplexq: ratio affectuum, qui proprij ſunt cuti capitis, ſed multiplex, & varia. Alij enim illi accidunt quatenus capillata: alij vero, vt ſecundum propriam ſuam naturam conſiderantur, vti capillatæ accidunt areæ, quæ a Græcis dicuntur ἀλωπεκίαι, vel ὀφιάσεις, caluities, quæ a Græcis φαλάκρωσις nuncupatur, & defluuium capillorum, quod nō habet proprium aliquod nomen Græcum, vel Latinum. Alij vero in ea oriuntur, aggenita aliqua illi materia præter eius naturam ex excrementitio, & vitioſo humore ad illam delata, vt in affectu, qui πιτυρίασις Græce, porrigo vero, vel vt alij furfuratio Latine dicitur, in quo ſquamulæ quaſi inſperſæ ſunt ipſi cuti, quæ furfuribus ſunt ſimiles: vnde, & nomē habuit: pityra enim furfur Gręce dicitur: itēq; in illo, qui Græce φθειρίασις, Latine vero pedicularis morb⁹, in quo multa animalia generātur, quæ φθεῖρες a Græcis, a Latinis pediculi appellantur. Alij vero proprie in ſubſtātia ipſa cutis proueniunt, ſunt enim tumores, qui præter naturam in cute excitantur, & erumpentes in vlcera deſinunt, vt ſunt qui ἀχῶρες, κηρία, ψυδράκια a Græcis nūcupantur, a Latinis vero omnia communi nuncupatione dicuntur vlcera capitis manantia, propterea, quia tenuis quidam ichor, vel ſanies emanat. De medicamentis ergo, quibus hi affectus curandi ſunt, vel a Medicis curari ſolent, ac de recto eorum vſu in præſentia agemus: primumq; de illis, quæ ad capillos pertinent: non quod vere capillorum proprij affectus, quia morbi proprij referuntur ad partes corporis, quæ animæ, vitæque ſunt participes: capilli vero, neque viuunt, neque proprie (quamuis ſint vtiles homini) partes cenſendi ſunt, ſed potius ſunt aggeniti cuti ex excrementitia materia. Sed affectus, qui ad ipſos ſpectare videntur, proprij ſunt cutis, qui in eius intemperie conſiſtunt, vel cum materia, vel citra illam: quæ vero capillis accidunt, ſunt ſymptomata hos cutis affectus conſequentia. Vnde neque curandi indicationes a capillis petuntur, ſed ab affectionibus, quæ in cute ſunt, quarum cognitionem inueſtigamus ex obſeruatione eorum, quæ capillis contingunt: duo vero vitia ſolent capillis contingere ex male affecta cute, vt 1. de cōp. med. ſec. loc. in pr. cap. docuit Gale. Nam naturalem ſuum colorem immutant in alium, alienum a ſua natura, turpem, deformem, vt in vitiliginibus, quæ a Gręcis λευκαί dicuntur, de quibus in præſentia non agemus, quia non eſt is affectus proprius cutis capitis, ſed communis vniuerſæ cuti. Mutantur etiam in areis, (vt dicemus,) ex parte capilli, vt quaſi linei videantur. Alterum vero vitium eſt, quod cadunt: & cutim nudam relinquunt, aut rari admodum relinquūtur, & deſtituitur quidem cutis capillis, vel quia ipſa

reddita

reddita eſt inepta ad eorum generationem, vel quia non eas vires habet, vt eos continere poſſit, qui, vel geniti ſunt, vel generãtur, ſed illos decidere permittit, vt in capillorum defluuio, vel quia vitioſis humoribus, qui cuti infarcti eroduntur illæ, quæ quaſi radices infixæ ſunt cuti, a quibuſque capilli pẽdent, illis autem eroſis cadunt neceſſitate quadam, quod in areis accidit, quæ a Græcis alopeciæ, & ophiaſes dicũtur, quæ re, & eſſentia ſunt vna, & eadem affectio, figura tantum differens. Nam in alopecia, cum incipiunt cadere capilli, vlterius progreditur depilatio quaſi recto tramite: aiunt autem nomen habuiſſe a vulpibus, quæ maxime ſunt huic affectui obnoxiæ. In ophiaſi autem, obliqua, & flexuoſa fit depilatio, vt imitetur anguẽ ſerpẽtem per fluxuoſum iter. Vnde etiam inditum illi eſt nomen illud. Affectus vero cutis, a quibus eueniunt, ſunt raritas, & laxitas cutis, quæ ſequitur eius conſumptionem propriæ, & vtilis ſubſtantiæ cutis, & defectum vtilis materiæ, ex qua poſſunt capilli procreari: vnde in conualeſcentibus ex magno aliquo morbo plerunque ſolent capilli defluere, multis etiam in autumno idem ſolet euenire. Caluities vero ſequitur ariditatem cutis: nam cũ nimis exſiccatur cutis fit perinde vti tellus ſqualida. in qua nullæ expullulãt plantę. Vnde qui capite ſunt ſicciori, tempeſtiuius calueſcunt: areę vero ab intemperie cutis cum materia vitioſa, & tum ad capillos generandos inepta, tum vero radices capillorũ corrumpente, vel erodente. Sed de caluitie, cum ſit quaſi naturalis affectus conſequens plerunque exſiccationem, quæ rationem ætatis ſequitur, quamuis accedente aſcititia etiam alia cauſa cur corpus, præſertim vero cutis citius, & magis areſcat, poſſit accelerare, non multa dicturi ſumus, vtpote, quia illam credimus nequaquam poſſe euitari. Etſi quidam fuerint, qui crediderint eam poſſe tardari, ſed cum proxima cauſa eius ſit cutis ariditas, & quaſi ſqualor, ſi aliqua poterit ratione fieri, vt tardius calueſcant: id ea erit, quod procuremus, vt corpus, & præterea caput, quo minus fieri poteſt, ſicceſcat, quod fieri poterit, tum victus ratione, tum vero ab his cauendo, quę vim ſiccandi habet. Vnde hoc affectu relicto de capillorum defluuio agemus, vt a ſimplicioribus incipiamus. Cùm ergo defluuium quantum ad præſens inſtitutum attinet, duas cauſas habeat, raritatem, & laxitatem cutis, quæ non poteſt firmare radices, ac ſtabiles eas ſtringendo reddere, & inopia præterea materiæ vtilis, vnde poſſit cuti ſubminiſtrari talis ſubſtantia, quæ apta ſit ad capillorum generationẽ, duæ primæ exurgunt inde indicationes; altera ab affectu cutis, quæ nobis indicat cuti eſſe addendũ robur, vt valide poſſit radicem capillorũ retinere. Altera vero corpus eſſe reficiendũ: ſed hæc nihil in præſentia ad nos pertinere videtur, cũ illa victus rationem ad hunc ſcopũ accõmodatam ſpectet, altera vero ſcopũ maxime nobis offert, cui præcipue medicamẽta, & præſertim ea, quæ exterius ſolent adhiberi accõmodãtur; quãuis & priori ſcopo poſſint medicamenta eſſe vtilia, cum nõ ſolũ ſit opus copia materiæ aptæ ad generationẽ capillorũ, verũ etiam vt illa ad cutem feratur. Vnde ad hoc poſſunt cõferre medicamenta, nẽpe ſi modeſtam aliquã vim habeant attrahendi, modeſtã, (inquam,) quia cũ attractio a calido fiat, quę valide attrahunt, poſſunt, & ſubinde attractã materiã digerere, atque ita vacuare. Duo ergo hi ſcopi ſpectandi [ſunt] in cõpoſitione, & vſu medicamẽtorũ, quibus ſuccurrendũ eſt defluẽtibus capillis: nẽpe modeſte attrahere, & modeſte aſtringere. Alioquin enim immodica aſtrictio, præter id quod nimis exſiccat conſtipans, & cogens cutim impedimẽto eſt, quominus in ipſam poſſit pertranſire fuliginoſus vapor, qui vi caloris concoquẽtis vtilẽ illã materiã attollit, ex quo cõcreſcente, & exſic-

A cato, fit capillus. Iam ergo nulli non euidens eſſe poteſt, qualia oporteat eſſe medicamenta huic inſtituto apta, nimirum, quæ tum aſtringentia, tum attrahentia ſint, ſed moderate. Addit tamen Gal. quod cauendum eſt ab aſtringentibus validis ea etiam ratione, quia hæc plerunque etiam frigida ſunt: quæ vero refrigerant, & aſtringunt, repellunt, & auertunt materiam, quam attrahunt. Quamuis autẽ ex diuerſis auctoribus antiquis Galen. multa deſcripſerit medicamenta, ipſe tamen ait duo fere nobis poſſe ſufficere; quæ & ſemper ab ipſo præ omnibus alijs ſunt habita tanquam optima, & experiẽtia cõprobata, & ea quidem ſimplicia ſunt, & facultate ſimilia, nempe ladanum, quod ſincerum, & naturale ſit, nullo ſane artifi-
B cio trãſmutatum, & oleũ lentiſcinum. Vtrunq; enim eatenus calidum eſt, vt attrahere modice poſſit, non inſigniter digerere, vtrunque etia eſt modeſte aſtringens. Quod ſi vtrunque cõmiſceatur in confectionẽ vnius medicamenti ea menſura, vt inde fiat, vt iuniores loqui ſolent, linimentum, vel molle vnguentum, quo cutis inungatur, optimum erit medicamentum. Quòd ſi lentiſcino oleo careamus, alio erit vtẽdum, quod ſit modice alicuius aſtrictionis particeps, vt erat eo tempore Hiſpanum oleum: hic autem apud nos quod affertur ex vicina regione, quæ Iſtria appellatur, poſſet eſſe aptum. Nam non eſt aliquãtulæ aſtrictionis expers, præſertim æſtiuo tẽpore: nam ſi frigidior temporis ſtatus, poſſet accipi & maſtichinum. Non erimus autẽ longiores in his exponendis, cum
C neq; affectus tanti ſit momenti, vt admodũ diligentem requirat diſquiſitionem: nam vt ait Gal. ſolent frequentius ægrotantibus, vel conualeſcentibus capilli defluere. quibus dum vtuntur proba victus ratione, qua reficiantur, ſponte, & ſine vlla, medicamentorum ope renaſcuntur. Sed vnum prædictis ex Gal. addemus. lib. 1. de med. comp. ſecundum locos, cap. 2. quatenus ad rationem medicamentorum pertinet, nempe, quod ſi nimiũ videatur hoc defluuium. oportebit pro lentiſcino alijs vti oleis magis aſtringentibus, ſicuti myrtinum eſt, aut melinum, quod ex cotoneo malo conficitur. Alterum vero, quod ad rationẽ vſus horũ medicamentorũ pertinet, eſt, quod detondendi ſunt capilli ſaltem ſecundum maiorem
D eorum partem, vel etiam omnino auferendi, & ad cutim abradendi, & hoc habito reſpectu ad ſtatum aeris, ratione frigoris, ne caput lædatur. Ratio vero detrahendi capillos eſt duplex: altera, quia ante adminiſtrationem, & inunctionem oportet vt cutis fricetur: nam, & ita cutis calefiet, & roborabitur, atque inde fiet facilior ad eam attractio vtilis materiæ, & penetratio medicamenti. Sed & medicamenti compagem non eandem, nec modum vnguinis ſemper eundem requirit ratio adminiſtrationis, quia ſi abraſi ſint omnino capilli vſque ad cutim, exigitur mollius, & liquidius medicamentum, quo ſit inungẽda cutis: ſi ad cutim vſq; non ſint detonſi, craſſius ſit cataplaſma, & hic conſiſtere volumus, vt in reliquis affectibus, qui maioris momenti ſunt ha-
E beamus ampliorem locum tractationis. Agamus ergo de areis, quæ vulgo, & a noſtris fere vulgaribus chirurgis tineæ appellantur: quarum ratio non eſt, (vt diximus,) ita ſimplex, vt eorum, quæ hactenus ſunt tractata. Nam affectus priores in ſolam intemperaturam relati ſunt, hi autẽ in temperaturam cum materia, & illa vitioſa. Sed hic pauliſper cõſiſtendum, & petito quaſi exemplo a Galen. in lib. 1. de compo. med. ſecund. loc. res hæc magis explananda, qui generationem capillorum, & pilorum reliquorum cõfert cum ortu, & incremento herbarum ex terra naſcentium, & terræ quidem ſimile officium præſtare cutim ait: naturam autẽ vtrobiq; eſſe, quæ tam herbas, quàm capillos procreat, atque illis medicamen-

tum

tum ſuggerit, ſed illi neceſſaria eſt apta materia ad harum rerum procurationem,& incremẽtum. Nam vnaquæque res creſcit ex ſimili materia illi ex qua generatur. Et quamuis pili non proprie vt herbæ incrementum habeant: illæ enim nutrimento proprie creſcunt, & ſecundum omnes dimenſiones, pili vero proprie non aluntur, neque creſcunt, qui non niſi in longitudinem creſcunt, addita ſemper noua materia radici, cum qua concreſcit, & extra illam expellit, atque ita longior fit capillus. Sed quomodocunque res hæc ſe habeat, hoc eſt, illi quaſi alimentum,& incrementum ſuo ſane modo,& quãtum ſua fert natura,& quantum noſtro inſtituto in præſentia poteſt eſſe ſatis. Vnde ſicuti duobus modis ſterilis, & nuda herbis fit terra, eiſdem, vel ſimilibus rationibus cutis glabra, & deſtituta capillis eſſe poteſt; & vtraque ratio in materiæ defectum refertur, quamuis non ſit eadem defectus ratio: nam aliquando defectus eſt ex cuiuſcunq; humoris penuria: ſicut quãdo areſcunt campi ex nimia ſiccitate, intereunt herbæ,quæ ortæ erant, ex inopia humoris, & inde neq; aliæ poſſunt oriri. Aliquando vero non ex omnimoda humoris inopia,ſed humoris,vel materiæ aptæ ad generationem,& alimentum plantarum, vt in hortis quãdo aluũtur ab aquis ſalſis, vel nitroſis inundantibus. Priori modo fit caluitium,nempe ex nimia cutis ariditate, & aliquo etiam pacto defluuium capillorũ,altero vero areæ. Dum enim affluit, vel corpus vniuerſum, vel caput malis, & vitioſis ſuccis, qui ſicuti non ſunt congruentes alendo corpori,imo ſæpe bonos, & vtiles vitiant, & ineptos naturæ reddunt; ita halitus, vel vapores ab illis attolluntur vi caloris natiui, quique materia apta erant gignendis capillis, huic muneri fiunt inepti, & inutiles, nec modo ipſi fiunt inutiles, ſed accedentes ad priores, qui erant iam in veluti radices conuerſi, a quibus pendebant capilli,eos vitiant, & corrumpunt, & interdũ corrodunt, vt cadere cogantur. Solent autem hi affectus plerunque eſſe ſoboles prauorum ciborum, & malæ victus rationis. Congeſti vero ſunt vitioſi hi ſucci, qui hos fouent affectus,nonnunquã in vniuerſo corpore, nonnunquã in ſolo capite; interdum etiam vitio ipſius cutis ex affectu, qui proprius factus ſit ipſius cutis. Nam cuti illud accidit, quod & reliquis partibus,ad quas confluit vitioſus humor. Ab illa enim tãdem vitiatur,& corrumpitur eius habitus, vel temperamentum, vt quantumuis ad eam optimum deferatur alimentum,corrumpatur tamen ab intemperie in illa contracta, & in vitioſum ſuccum degeneret,qui affectum fouet, Vnde conſuluit Galenus, vt inter initia anteaquam inuetereſcat malum,& fiat cutis primarius affectus, eius curationi incũbamus, quia alioquin difficilius fit ſemper, & maiori negotio ſuperatur. His autem in hunc modum expoſitis, facile erit methodum curandi hos affectus cõſtituere, & inire rationem componendi apta medicamenta huic curationi, atque illis vtendi. Nam cum morbus hic materiam præſentem,& fouentem habeat,& intemperiem, quæ ab illa fouetur, non erit ſimplex indicationum,& ſcoporũ ratio, ſed multiplex: nam & materia præſens ſuam habet indicationem, ſuam etiam habet intemperaturam, & harum vtraque duplicem poteſt habere rationem. Quia materia illa aut occupat vniuerſum corporis habitum, aut caput duntaxat, quæ cuti hærens proxime cutim afficit, & pro diuerſitate loci diuerſam etiam curationis methodum exigit. Ita etiam cutis intemperatura, vel iam eo deuenit, & ita impreſſa eſt, vt facta iam ſit, & independens, nempe, vt vel remota quacunque vitioſa materia,ipſa adhuc maneat,& in cauſa eſſe poſſit, cur iterum corrupto nutrimento poſſint congeri vitioſi ſucci fouentes hoc malum, vel cutis nondum proprium, & primarium contraxit vllum affectum, ſed eius vniuerſa ratio a præcedẽtibus malis humoribus pendet. Quatenus autem ad primum pertinet,ſi corpus (vt Græci aiunt) ſit cacochymum, erit omnino inchoandum ab eius purgatione,& pro ratione humorum congeſtorum erit etiam inſtituenda purgatio,& Gal. in 1.lib. de comp.med.ſec.loca, ſequamur,itidemque in libello de facile parab.med.cap.6. non enim ſemper ab eiſdem excrementis excitatur is affectus, ſed a diuerſis. Quandoque enim a vitioſa pituita,interdũ vero a bilioſo humore,craſſo tamen: nam idem Galen.in libel.de facile para.proxime citato, aut a craſſis ſuccis ortum habere [dixit] nonnunquam a melancholico: qui hæc diſtinguere eiſdem libris docuit, notato nimirum colore cutis, an ad album, vel pallidum,flauumve, vel ad atrum quoquo modo vergat, quamuis Alexander Tralianus obſeruari potius colorem capillorum voluerit: mihi tamen magis Galeni ſentẽtia probatur: quibus tamen medicamentis id ſit agendum ad præſens inſtitutum haud pertinet, ſed ad primum librum, & ideo de hoc non habebimus aliquem ſermonem in præſentia, Corpore autem purgato, & præterea, ſi ea humorum malorum copia habeat occaſionem ab aliquo interno viſcere, ex aliquo prauo affectu in illo contracto, illi etiam eſſet conſulendum. Poſteà ad caput purgandum eſſet accedendum: nam, & ipſum proprium habet modum,quo particulatim purgari poteſt per ea, quæ apophlegmatiſma dicuntur, quaſi pituitam educentia, quorum ratio varia. Nam alia per nares attracta purgant, quæ Græci errhina nuncupant, alia gargariſata, alia vero commaſticata. Sed de his, vbi de internarum partium affectibus curandis erit ſermo, magis particulatim agemus. Vnde ad præſentem locum attinere videtur, vt ea tractemus, quæ priuatim ſpectant ad morbum iam factum remouendum, nempe vt & vitioſos ſuccos cuti inſidentes detrahamus, & ſi vitium aliquod reliquum ſit poſt vacuationem, illud etiam aptis medicamentis corrigamus. Neque tamen putandum, quod oportet eiuſmodi moliri vacuationem per medicamenta, quæ ſoluentia & purgantia proprie dicuntur: quamuis ſæpe tollatur omnino etiam malum hoc per diligentem purgationem & rectam victus rationem: ſi inter initia id moliamur, anteaquàm vitiatus ſit cutis habitus. Purgato enim corpore, & ſubtracto fomento, quod illi ſubminiſtrabatur, natura ex ſe aliquas reliquias non multas digerit, abſumitque, & per rectam victus rationem genita vtili materia in copia, capilli ſine alia ope regenerantur. Verum vbi inueterauerit affectus, & vitioſi ſucci copioſi ſint cuti infarcti, non ſatis erit vniuerſi corporis, neque capitis vacuatio: ſed topicis remedijs erit opus,quibus,vt diximus,digeratur, & abſumatur copia illa excremẽtorũ,roboreturque, & cutis intemperies corrigatur:quod quidẽ officium ad præſens hoc noſtrum inſtitutũ pertinet. Agamus ergo de medicamentorum ratione, quæ apta,& opportuna huic negotio ſunt cenſenda: & quia ex methodo inſtituimus agere, primum indicationes propriæ ſunt depromendæ, quæ nobis ſcopos oſtendãt, qui in eligendls, & componendis medicamentis ſint ſpectandi: primariæ vero, ac magis præcipuæ indicationes a duobus petendæ ſunt,nempe a loco affecto, & a natura ipſius affectus. Locus affectus eſt cutis capitis, quæ reliqua cute fere durior, & craſſior eſt, atque propterea valentioribus opus eſt medicamentis, quorũ vis perueniat ad altiores eius partes, quibus capillorum radices infixæ ſunt. Affectus autem eſt intẽperatura cum materia craſſa atque impacta cuti:vt non facile poſſit diſcuti, & inde elui. Quatenus autem ad hoc poſtremum pertinet, diſcuſſorijs

egemus

egemus medicamentis: horum enim ope vacuantur, quæque abſorpta, & impacta ſunt in ſubſtantia particularum, Sed & illa non minus oportet eſſe tenuis ſubſtantiæ,& tenuiorum partium,alioquin enim nequirent in profundum, (vt opus eſt,) ſe indere, neque è profundis partibus materiam aptam ad capillorum generationem attrahere, præſertim vbi particula craſſa,& dura eſt; hoc vero ſequitur, vt ſit neceſſe id genus medicamenta non eſſe parum calida, vt tamen neque quicunq; modus caloris ſit huic negotio futurus vtilis: nam neq; is eſſe debet, vt cutim vrat, vt cuique poteſt eſſe perſpicuum, ſed neque præterea tantus, vt quamuis non vrat, nimis tamen exſiccet. Nam inter initia quidem videbitur plurimum profeciſſe: mox vero cutis euadet illis ſimilis, quæ conſpicitur in illis,qui calueſcunt. Oportet igitur ea medicamenta eligere, quæ tenues habeāt partes, & intra certos quoſdam, & præfixos terminos calefaciunt,qui tamen non in omnibus, neque vbiq; neque ſemper poſſunt eſſe ijdem. Ratio vero diuerſitatis a naturali laborantis temperatura accipienda eſt ab ætate,à ſexu,a regione, & tempore: nam corpora iuniora, & molliora lenioribus, & facilioribus egent,tā calefacientibus,quàm deſiccantibus, hyeme etiam facilius ferunt calidiora medicamenta. His in vniuerſum explanatis opportunū ſane erit, vt particulatim de medicamentis accōmodatis affectibus his curandis agamus,ac de apto eorū vſu. Prius tamen id cōſiderandum eſt, quod ex Galeno,& alijs auctoribus antiquis facile depromi poteſt: nempe quod arduum admodū eſt aliquod reperire ſimplex medicamentū, quod adamuſſim poſſit ita ſtatim aptari affectui, vt ſit quantū ſatis ſit pro ratione ipſi⁹ quatenus magis vel minus inueteratus, ſit etiam maior vel minor, & quātū etiam ratio corporis affecti requirit ex naturali eius temperatura,& ætate, & ſexu, & id genus reliquis. Vnde multa ſolent proponere,& ea diuerſorum ordinum, vt vnuſquiſque pro arbitrio ſuo ea eligat, quæ illi videntur propius accedere ad rationem ſcopi,quem ſibi mixtura certā menſura præſcripſerit: docent præterea, quo modo & ea quæ intēſiora,& acriora videntur, poſſunt remitti & mitigari,& quæ remiſſiora, intendi & acriora reddi. Gal. ergo horum meminit 1.de compo.med.ſec.loc. & in hunc ordinem redigit, vt primum & ſupremum locum tum caliditate, tum partium tenuitate retineat euphorbium: mox vero illud ſequatur thapſia, quæ plāta eſt ferulacei generis & copioſa naſcitur in Calabria,Piceno, & Apulia, acre admodum calidumq; medicamentum,quod inter rubificantia & veſicantia cutem recenſetur. Hanc vim habent folia, inſignem etiam radix & præſertim achryma vel ſuccus,qui veluti in lachrymam concreſcit. His ſuccedunt ſemina ſinapi,& naſturtij,& adarcæ,quę & lemnitis dicitur. Sed in præſentia neque in vſu eſt neque quod nouerim,noſtris eſt cognita. Eſt autem veluti ſpuma cannarum tenuiū in paludibus naſcentium, quę concreſcit,vbi marina aqua dulcibus immiſcetur. Res adeo acris,vt exurat: hæc ſequuntur illis aliquāto inferiora ſulphur,ſpuma nitri,atque ipſum nitrum, non tamen quodlibet,ſed illud quod molle ſit,non lapidoſum, nam hoc tenuioris eſt ſubſtantiæ, quòdq; prius fuerit vſtum, ex igne enim adhuc tenuius fit,ſicut & ſpuma nitri. Quæ qualis ſit non auſim ita facile affirmare, ideo neque in illa exponenda ero multus. Nec ab his admodum diſtat vtrumque veratrum, cū nigrum tum album, & erucæ ſemen, oleumque laurinum, & his etiam accedit vtrumque alcyonium: nempe quod a Dioſ.lib.6.ſecundum & quartum appellatur,& a Gal.quoq; præſertim in lib.11.de ſimp. med.fac.circa fin.c.137.vbi de Alcyonio agit,& hæc apta ſunt medicamenta ſiue prius exurātur, ſiue cir-

A ca vſtionem illis vtamur, præſtantiora tamen fiunt, ſi vtantur eadem,quam nuper expoſuimus, ratione: nempe quia fiunt tenuiorum partiū exiguæ. Recentiores Arabes ſecuti, ſpumam maris vulgo appellant. Præterea ad hunc etiam ſcopum vtiles ſunt cortices combuſtarum cannarum,ſi ſint exuſti. In illis enim, vt ſenſit Ariſ.ex igne relinquitur, vt etiā in calce,aliquid igneū, quod poteſt calefacere, & ex profundo attrahere. Ab his deinde ſequitur pix liquida, quæ vulgaribus quoque in his affectibus eſt in frequenti vſu: & cedria,& muris ſtercus,deinde vero,& ſepum vrſi recens, & hyenæ, pardique, & leonis, tandemque & anſeris, quæ eo erunt efficaciora, quò fuerint vetuſtiora. Tempore enim adipes hi & calidiores B fiunt,& tenuioris ſubſtantiæ,ſicut & oleum, & tandem cætera omnia quæ calida ſint, & tenuium partium. In quibus eſſent & amarę amygdalæ vniuerſæ cum ſuo cortice concrematæ. Ex his ergo, & id genus alijs ſimplicibus medicamentis conficiuntur compoſita omnia, quibus in his affectibus curandis vtuntur, & vſi ſunt medici. Verum anteaquam de compoſitis agamus: quædam in vniuerſum ſunt explananda, quæ erunt ſiue ſimplicibus ſiue compoſitis ſimus vſuri. Primum quod illud, quod cum ſit neceſſe in eorum vſu præſertim obſeruare quoſdam terminos in medicamentorum horum viribus, quos ſi excedamus, aut nihil noſtra proficiet curatio, aut etiam,vt diximus,plurimum poterit obeſſe. Nam ſi fuerit eorum vis languidior, parum proderunt. Sin C autē acrior & valentior, poterunt vlcerata cute, aut nimis exſiccara, plurimum lędere. Vnde ſi his ſimplicibus vti voluerimus, illud erit primum aduertendum,quod ea in prioribus ordinibus fuerunt propoſita: per ſe omnino nimis acria ſunt, & magis apta vt lædant,quàm vt iuuēt. Poſtremo vero,ſicuti pix, adeps vrſi,anſeris,& alia, quæ ſimilia ſunt, ſatis ſunt imbecilla, præſertim in durioribus corporibus, & magis antiquatis affectibus. Vnde ſæpe erit opus, vt vel in his vires addamus, vel alijs detrahamus, delinita & mitigata aliquantiſper eorum acrimonia & violentia. Vt tamen hoc præoculis habeamus, quod ſæpe monuit Galen. nimirum quod quia vix fieri poteſt, vt ſtatim prima die ſcopum, quem nobis D propoſueramus, adamuſſim attingamus: ita potius agēdum eſt, vt infra terminum ſubſiſtamus quàm vt ſupra progrediamur,& id,quia dum debilioribus aliquanto vtimur, in hoc tantum erramus, quod parum proficimus,alioquin autem neque obſumus: ſin vero vltra procedimus, poſſumus plurimū officere: proindeque longe tutius eſt, vt a leuioribus inchoātes paulatim aſcendamus ad fortiora, ſemper obſeruando quantum medicamenta in cutim imprimant quotidie. Incipiemus autem primum ab horum ſimplicium vſu. Cum itaque acriorum illorum pleraque lōge acriora ſint,quàm vt poſſit ea citra noxam ferre cutis humana,ſi tamen ars recta acceſſerit: quæ E illa moderetur, nō modo non nocent ſed potius cōmodiſſima,& aptiſſima euadunt. Moderationem vero accipiunt, ſi cum alijs immiſceantur a quibur aliquanto miteſcant, refrenata eorum acrimonia & temperata: vnde ſi oleo miſceantur, vel cerato ſimplici, vel ſi alia deſint, aqua eadem ratione dilui, & leniri poſſunt. Nam vt a cerato incipiamus, quod oleo duntaxat,& cera conficitur,molliſſimum, quatenus ad vires pertinet,medicamentum eſt, quo poteſt molleſcere, & miteſcere omnis acrimonia acriorum medicamentorū, ſi illi immiſceantur, magis vero & minus, vt plus minusve ſecundū proportionem inditur acris medicamenti, hoc nos in tertio libro in alio negotio oſtendimus. Nam vlceribus, quæ carnis generatione egēt,ærugo,chalcitis,& id genus aduerſarijſſima,medicamenta,ut quæ potius genitam erodant;

dant,quàm quod nouam generent: ſi tamen cum ſi- A
mili cerato cõponantur certa quadam temperatura,
adeo miteſcunt, vt carnem procreare poſſint. Ita in
præſenti negotio euphorbium, thapſia, ſinapis & re-
liqua,ipſa ex ſe cutem exurere, veſicareque, & exul-
cerare validè etiam poſſunt, ſed & à profundo attra-
hunt,& potenter digerunt. Nos autem attractione
imprimis,& aliqua digeſtione egemus, vt tamē illud
incommodum deuitemus, & attractio poſſit eſſe vti
lis,procuramus vt eatenus vis horum acris,& feruens
temperetur,quòd non amplius vrat, & vlceret: fer-
uent tamen attrahendi, & digerendi vim quanta no-
bis ſatis eſt. Verùm horũ moderatio non eſt in om-
nibus eadem ſeruanda, ſed mutanda variandaque,
tùm pro ratione corporum conſiderata natura, B
ætate,ſexu,regione,tempore, conſuetudine, & vitæ
inſtitutis (corpora enim quod molliora & tene-
riora,& cuiuſcunque horum ratione id eueniat, ma-
gis ab acribus afficiuntur, læduntur que) tum etiam
pro ratione horum medicamentorum, quatenus ad
eorum ætatem vel tempus attinet. Quia quo recen-
tiora,eo valentiora ſunt, viresque maiores retinent,
quo vero magis inueteraſcunt, eo etiam magis eo-
rum vires exoleſcunt. Vt autem res magis particu-
latim tractetur, imitabimur Galenum loco ſupe-
rius citato. Aliquando ſatis erit, ſi ad ceratum ſit
duodecima pars euphorbij,nonnunquam vndecima,
quandoque decima, raro vlterius, ſi euphorbij vires
non incœperint languеſcere ex ætate. Eadem mo-
do dicemus de thapſia:quamuis enim illa ſit aliquan- C
to infra euphorbium, poterimus in eius vſu aliquan-
to eſſe liberaliores,non tamen multum.Sed & ad af-
fectum reſpiciendum, nempe ſi malignior, & perti-
nacior videatur,vel ſecus.Quod vero de cerato dixi-
mus,id ipſum ad oleum referendum erit. Vt enim
cum cerato miſcentur, ita poſſunt dilui,diſſolui que
copioſo oleo,vel pauciori, vt commodius citra ce-
ram inungatur locus. Sed neque oleum quæren-
dum eſt,quod ſit aſtringens,verum id potius, quod
tenue ſit,& digerens. Galenus vero aqua diluebat
hæc medicamenta, ita illis dilutis, & remiſſioribus
factis [vtebatur.] Sed duo addamus adhuc, quæ
nos Galenus monuit,atque mox ad compoſita tran-
ſibimus, & hæc rationem vſus ſpectant. Primum, D
quia plurimum refert, vt facile medicamenta ſe in
profundum indant, & inde attrahant: ideo medici
non ſolum quærunt ea medicamenta, quæ tum ca-
lore,tum partium tenuitate facile penetrent: verum
nituntur ita affectum locum parare, vt facilius ea
dum penetrant, admittant reddito expeditiori tran-
ſitu: vnde conſulunt: vt antequam medicamen-
tum medicus adhibeat, locus fricetur: donec ru-
beſcat, & caleſcat: inde enim rarefit cutis, atque
facilius tranſit vis medicamenti. Alterum vero eſt
adhuc momenti maioris, nimirum, vt medicus
quandocunque appoſiturus eſt medicamen, prio-
ri deterſo, aut alioquin ablato, diligenter cutem
intueatur,notetque quomodo illa ſe habeat, quam- E
que mutationem acceperit, quia, ſi nihil videa-
tur mutata, ſignum erit languidum nimis eſſe me-
dicamentum, parumque eſſe profecturum, niſi ali-
quid acris medicamenti addatur. Si vero cutis vi-
deatur rubens, & quaſi feruens, peneque princi-
pia aliqua inflammationis contraxiſſe, incepiſſeque
aliquo modo excoriari, id indicabit validius, & a-
crius eſſe medicamentum:& proinde opus, vt de vi-
ribus detrahatur, vt præterea ſit etiam danda ope-
ra lenientibus, & ſedantibus inflammationem, vt
res ea miteſcat antequam medicamentum aptum
apponatur. In addendo autem, aut detrahendo de
viribus, attendendum eſt quid Galenus conſuluit,
qui rectè monet, quod ſi præ manibus acerrima ha-

beamus medicamenta, quæ ſuperent exigentiam
noſtram,vt euphorbium,thapſiam, adarcem,ſinapin,
illud erit molliendum & mitigandum oleo, vt dixi-
mus,aut cerato,aut etiam aqua. Sed ſi medicamen-
tum, quod in promptu habemus, lenius videatur,
quàm opus eſſet,illis erit diſſoluendum,quæ eius vi-
res excitare poſſunt, vt eſſet oleum laurinum. Sed
de compoſitis aliquibus agamus, non tamen de om-
nibus: quatenus autem his probè perceptis iuuenes
aliarum rationes facilius inire poſſint: hoc tamen
prius conſiderandum, quod alias præterea in prio-
ribus libris fuit a nobis expoſitum, nempe quod con
ſueuere medici in conficiendis medicamentis rariſ-
ſimè eſſe contenti vnico medicamento ad curandam
vnam morborum differentiam, ſed ſemper ſunt ne-
ceſſaria plura, quæ aut eaſdem vires in vniuerſum ha
beant, & ſecundum ſpeciem, & eundem ſcopum re-
ſpiciant,ordine tamen, vel vt iuniores loqui ſolent,
gradu differant,vel efficacia,aut interdum etiam con
trarijs. Iſtius vero rei cauſa eſt,quam paulo ante ex-
poſuimus: nempe quia differens eſt eorum corpo-
rum, quæ curanda ſunt, ratio, & natura differens
etiam eſt morborum curandorum conditio tempo-
re,magnitudine,malignitate,& pertinacia: vnde ali-
quando fortioribus opus eſt medicamentis,aliquan-
do infirmioribus, cum ſemper oporteat ſpectare,
quod medicamenta ſe habeant ut ſe habent & mor-
bi:hoc enim & Hipp. docuit in aph. cum dixit, Ex-
tremis morbis accommodantur extrema remedia:
poteſt autem medicus diuerſimode ſibi diuerſa com-
parare medicamenta ſecundum propoſitam ratio-
nem:præſertim ſi peritus, & verſatus fuerit in mate-
ria medicinali, vires que eorum ſimplicium, quæ in
promptu ſunt, perſpectas habuerit: negotium au-
tem,hoc longè clarius euadet, ſi rem hanc magis par-
ticulatim tractauerimus, & medicamenta, quæ ab
antiquis & clarioribus medicis fuere compoſita, &
multis laudibus elata: præſertim verò quæ Galenus
primo de compoſ. medicamentorum ſecundum lo-
ca,deſcripſit, explanauerimus. Ergo ibi confectio-
nem iſtius medicamenti literis mandauit, quod præ-
terquam quod ea ratione compoſitum eſt,vt poſſi-
mus inde ſperare, quòd ſit futurum optimum, illi
etiam experientia adeo fauit, vt ille teſtatus ſit: hoc
ſe nulli ſecundum vnquam reperijſſe,componitur au
tem in hunc modum. Accipit euphorbij,thapſiæ,olei
laurini ſingulorum drach. ij. ſulphuris viui, veratri
alterutrius: in hac enim re nihil refert, hoc vel illud
accipiamus, ſingulorum drach.j. ceræ dram. ſex, li-
queſit cera ex oleo laurino,vel cicino, vel communi,
ſed veteri: aut ſi his omnibus careremus, poſſemus
vti aptè oleo ex lucernis effuſo, quod ſimile ſit cici-
no & veteri: tum quaſi excoquitur in lucernis,& ad
formam cerati,mollis tamen deducitur: cui reliquis
prius intritis, & inſperſis,optimeque commixtis ab-
ſoluitur medicamentum, quod præſtantiſſimum iu-
dicatum eſt: ſed non omnibus hoc pacto confectum
congruens eſt, quia ſtrenuum admodum eſt, & va-
lentiſſimum. Vnde ad difficiles alopecias, & pluri-
mum pertinaces,& malignas erit optimum, itemque
corporibus durioribus & ſolidioribus: mediocribus
verò,aut leuioribus affectionibus,item & pueris, mu
lieribus,& tandem mollioribus minus aſperum, acer
bumq; medicamentum eſſet.Sed de ratione compo-
ſitionis, paucis tamen vt iuuenes exquiſitius inſtruan
tur, agamus. Scopum ſibi conficiendo hoc medica-
mento propoſuit,id parare,quod eſſe generoſum ad-
modum,& areas quantumlibet inueteratas,& rebel-
les ſuperaret: vnde ſtatim duo ſimplicia prima acce-
pit,quæ in primo & ſupremo ordine ſunt,vimq; ma-
ximam habent attrahendi ex profundo, vt ea eſſent
tanquam fundamentum, vel ut iuniores aiunt, baſis
uniuer-

vniuerſæ compoſitionis: ea vero ſunt euphorbium & thapſia: quia tamen adeo acria ſunt, vt humana cutis quantumlibet dura ſit, eorum vim citra noxam, & inſignem quidem, ferre nequeat, vreretur namque, & vlceraretur: neceſſe erat aliquantulum delinire, & refrenare tantum eorum vim, vt facilius ferri poſſit aliorum aliquorum mixtura, bifariam vero hoc agi poteſt: nempe vel additis illis, quæ licet eiſdem qualitatibus prædita ſint: eas tamen remiſſiores habent illis, quæ qualitatibus oppoſitis ſint prædita, vtpote quæ lenientia potius, mollientiaque ſint: & per hoc quidem maior fit repreſſio, & refrenatio acrimoniæ, quàm per priora. Vnde illis quæ quaſi robore extrema ſunt, addit ſulphur, & veratrum, quorum primum in tertio ab illis ordine eſt, alterum in quarto, in quo etiam eſt laurinum oleum, quibus omnibus ſimul commixtis remanet adhuc vis medicamenti adeo robuſta, vt ferè pauci eam poſſint commode ferre: quia autem inſtituerat medicamentum conficere, quod formam vel compagem cerati aliquo modo mollis haberet, ideo erat opus ceram illi addere, quæ emplaſticæ eſt naturæ, poteſtque plurimum eximiam illam vim remittere, quæ longe etiam remiſſior fuerit, ſi cera, quam fundi & liquari neceſſe eſt aliquo pingui humore fundatur, aliquove oleo laxante. Ideo, ne adeo retundatur vis medicamenti, voluit eam liquari aut laurino oleo, aut cicino, aut veteri, vel adipe vrſi, vel alio ſimili: vbi ſi recte conſideraueris, quæ tanquam baſis ſunt proportione alia ſuperant, nam eorum quatuor drac. accipiuntur, ſulphuris autem, quod in tertio ordine eſt, vnam duntaxat accipit, olei vero laurini, & veratri tres drach. nam quatenus ad ceram pertinet, illa tanquam materia medicamenti ſumitur è Galen. Temperatius ergo hoc pacto redditum eſt medicamentum, vt & adulti: & quibus exercitatione robuſtius & ſolidius redditum ſit corpus, facile poſſint illud tolerare, potens quod ſit ſuperare difficiles contumaces, ac malignas areas, potentius tamen quàm vt qui habitu corporis molliori ſunt, poſſint perferre citra noxam: ſed neque mediocribus affectibus eſſet accommodatum. Quod ſi quis quærat, Cum ſæpius areæ ſolent pueros, & adoleſcentes corripere, ſæpiuſque affectus hi occurrant medicis, non extremi & plurimum maligni, verum potius mediocres vt proinde in frequentiori vſu poſſint eſſe medicamenta mediocria & mitia, quàm ea, quæ potentiora ſunt: rationi magis conſonum fuiſſet, ſi Galen. quem nos voluimus imitari, a mitioribus incepiſſet, & in illis magis verſaretur? Reſpondere huic obiectioni non eſt difficile. Dicimus enim, quòd quamuis non admodum ſæpe vtamur his ita valentibus medicamentis, poſſunt tamen frequentiſſime eſſe in vſu medico perito, & prudenti. Quia hoc genus medicamenti poteſt aptari pertinacibus, maliſque affectionibus, nec minus etiam minoribus, & facilioribus, ſi artem calluerit augendi ac remittendi acrimoniam, & robur eius virium, additis illis, quæ poſſint id efficere, exempli cauſa, ſi cerati plus addatur: nam addita cera & oleo, aut alio liquore pingui, & molliente, laxanteque de viribus medicamenti detrahetur. Vnde licet fuerit hoc medicamentum tanquam vltimum deſcriptum, tamen ſuperat medicamenta multa poteſtate. Poſſunt tamen, ſi quis voluerit, componi alia medicamenta infirmiora ſi dimittamus ea acriora medicamenta, quę ad primum ordinem ferè pertinent, vt eſt euphorbium, thapſia, adarce, ſinapi, & vti illis, quę ad tertium attinēt ordinem: quod quidem quo pacto fieri poſſit, oſtendemus, petitis exemplis ab antiquis illis medicis, quorum meminit Galen. & ab ipſo etiam Galeno. Nam docet, quòd ſi accipiamus vrſi adipem, atque etiam anſeris, poſtquam nobis non ita facile eſſe poteſt in promptu leoninus adeps, vel leęnæ, vel pardi, quibus ſi duodecima pars thapſiæ, aut euphorbij, vel adarcij, vel omnium ſimul mixtorum, erit commodum, nec admodum acre medicamentum. Sed ſi aliqua exempla ex alijs antiquis auctoribus acceperimus, res hæc erit aptior. Heras huius meminit, quod conficitur ex alcyonio, quod diximus in præſentia ſpumam maris a iunioribus appellari, prius vſto, & ex oleo lęuigato, præſertim ſi ex oleo fiat ex lucernis accepto, quod tenuius eſt, vt pauloante diximus: hoc medicamentum ait Galenus, poſſe eſſe ſatis ad areas medias magnitudine, moderatius autem erit, quod fit ex amaris amygdalis vſtis integris cum cortice, vel ex cannarum radicibus, vel earum corticibus itidem vſtis, vel ex abrotano vſto, bis tritis, ex oleoque lęuigatis, & illitis, hoc autem aliquanto fortius eſt. Alterum eiuſdem Heræ, quod fit ex ſeminibus naſturcij, erucæ, nitri, ſingulorum pari accepta menſura, & liquida affuſa pice, quanta videatur ſatis ad illa aſſumenda: poterit eſſe efficax medicamentum in pueris, & mollioribus corporibus, ſi hæc, quorum nuper meminimus, vt ſolent aliqui, trita aceto excipiantur, & tantillum mellis addatur: alij hoc eodem modo vtuntur cineribus ex erinaceis marinis vſtis, exceptis vrſino adipe, alij laurino oleo. Vt tandem ad hoc munus omnia accommodari poſſint, quæ tenuis ſunt ſubſtantiæ & è profundo attrahunt, & hic volumus, quantum ad hos affectus pertinet, conſiſtere. Hoc eodem vero capite agemus de medicamentis aptis ad curandum affectum, qui porrigo, & pedicularis morbus a Latinis dicitur: Græce vero πιτυρίασις & φθειρίασις, quia neque admodum diſſimilem generationis, neque curationis rationem ab his habent, de quibus hactenus egimus. Vtrique enim ex vitioſis humoribus confluentibus ad cutem originem habent, quamuis inter ſe hac ratione differant, quod pityriaſis, quam nonnulli exprimere volentes vim Græci vocabuli, furfurationem appellauere, fit a tenuioribus & ſeroſis ſuccis, non expertibus tamen alicuius acrimoniæ, vel vt Galenus ait, ab ichoribus ipſorum humorum, qui præ tenuitate poſſunt etiam pertranſire cuticulam extimam, & ibi hærentes: concreſcunt in corpuſcula ſimilia ſquamulis, vel furfuribus, vnde etiam deductum eſt nomen illud Græcum: decidunt autem dum vel vnguibus caput, vel pectine ſcalpimus. Pediculi vero fœda admodum animalia ex craſſiori humore, ſed calido gignuntur in profundiori cute: præ craſſitie enim nequit ad cuticulam vſque pertingere, vnde in parte cutis altiori contentus, ibique putreſcens, fit materia generationis horum animantium, quæ demum è cute erumpant. Differunt ergo furfures a pediculis loco, in quo generantur, & natura materiæ, èx qua ortum habent: nam illæ ex tenuiori, hi ex craſſiori. Vt & hoc conſideremus, quod inſinuare viſus eſt Galenus, tum primo de compoſitione medicamentorum ſecundum loca, tum vero tertio libro comp. in 6. Epidem. quòd aliquando hæ affectiones ſunt proprię ipſius cutis, vtpote quæ conſiſtant in vitioſa eius temperatura, a quo proprium eius alimentum corrumpitur in huiuſmodi prauos humores. Aliquando vero ortum habent a cacochymia congeſta, vel vitio alicuius viſceris vel vniuerſi corporis, a quo cuti ſubminiſtratur materia & fomentum, vnde aut furfures, aut pediculi generantur. Ex his autem ita breuiter, & in vniuerſum explanatis, facile poſſunt indicationes, & ſcopi aſſumi, quæ nobis oſtendant rationem componendorum medicamentorum, & eorundem etiam vſum, quibus ſit occurrendum his

affectibus. Et vt primum de illis in vniuerſum dicamus, conſiderandum, quod non eſt ſemper eadem ratio curationis eorum, ſi ex proprio cutis vitio pendeant, & ſi aliunde occaſionem habeant, vt aut ab vniuerſo corpore, aut particulatim ab aliquo interno viſcere. Quia vt etiam prius diximus, cum omnis occaſio in cute eſt, ſolis externis & topicis remedijs erit opus: at ſi aliunde fomentum habent, primum procurandum erit, vt ſubtrahatur fomentum detracta cacochymia primum, quod fiet vacuato & expiato corpore a ſuperuacuis & vitioſis ſuccis. De hoc tamen non eſt cur magis particulatim verba faciamus, cum ad id præſens inſtitutum minime pertineat. Agemus ergo de illis medicamentis, quæ capiti vel cuti eius adhibita, prodeſſe poſſunt: vbi Galenus mouet quæſtionem non modici momenti, quatenus ſpectat ad præſens negocium. Ea vero eſt, quòd cum ſit iam a nobis dictum, quòd aliquando hi affectus ſunt veluti ſoboles vitioſorum humorum confluentium ad cutim, immo, ſi rem recte extimare velimus, etiam quando illi ſunt tanquã proprij, & primarij cutis affectus, vix fieri poteſt, quin prę eius imbecillitate non foueantur a ſubiectis partibus, dubium videtur, an cum alijs medicamentis reſpicientibus proprios ſcopos depromptos a natura ipſius affectus ſint aliqua intermiſcenda, quæ aſtringendo habeant vim repellendi aſcendentes humores ab alijs partibus ad cutem. Aitque Galenus, quòd ſi nos ea conſiderauerimus, quæ ab antiquioribus medicis literis tradita fuere, videntur illi ſentire poſſe eſſe vtilem eiuſmodi mixturam, præſertim quando quædam proponunt medicamenta, quæ, vt aiunt, pollicentur, non modo hos affectus curare, verum eam etiam vim habent, vt non amplius fiat in poſterum eiuſmodi affectio, & ſi ea nos perpendamus non deerit in eis aſtrictio, neque tamen rem hanc diſſoluit fortaſſe, quia alijs in locis hoc definitum erat, quia non omnino tutus eſſet vſus id genus medicamentorum, quando aut ab vniuerſo corpore, aut ab interno aliquo viſcere affectus foueretur. Nam ea propter cutis procreata eſt imbecillior alijs partibus, vt facilius excrementa admittere poſſet, ſi tamen mundum eſſet corpus, poſſent in hunc vſum venire. Præcipui tamen ſcopi, in quibus vniuerſa ratio curationis poſita eſt, non ſunt omnino ijdem in porrigine & pediculari morbo: ſicuti neque eadem eſt materia, neque idem locus, in quo illa conſiſtit. Cum enim tenuis ſit materia porriginis hærens ſummæ cuticulæ, illi ſatis erunt medicamenta, quæ modeſte digerant, & aliquantum etiam detergunt, pediculorum vero craſſior eſt materia, & interius in alto ſub cuti contenta, & proinde acrioribus eſt opus medicamentis, quæ maiorem diſcutiendi & attenuandi vim habeant, præterea vero attrahendi ex altioribus partibus. In porrigine ergo ſatis eſſe poterunt decoctum fœnigræci, nam modice digerit, diſcutitque, itidemque & betæ. Præterea vero, & amaræ amygdalæ, amari etiam lupini, & malua agreſtis, vt tandem vſque ad nitrum ſit aſcendendum, terra præterea cymolea cum felle vel bubulo, vel ſuillo. Quatenus autem ad rationem vſus pertinet, poteſt harum rerum decoctis præſertim fœnigræci, betæ, agreſtis maluæ, lupinorum caput ablui. Poſſunt etiam componi ad modum mollioris vnguenti, quo caput affricare mox oportet, vt docuit Galen. quòdque vbi exaruerit, calida abluendum. Amygdalas ergo amaras decorticatas ex aceto vel aqua, ſed ex aceto efficacius erit, contritas affricabis: maluam vero ſylueſtrem coctam ex aqua marina, donec reliqua ſit pars decima, ſi triueris, erit vtile medicamentum. Validum & fortaſſe nimis eſt medicamentum, cuius me-

A minit Gal. confectum ex ſpuma nitri, & atramento ſutorio mixtis æquis partibus, & vino aſſumptis: & erit adeo validum, vt ſi quater affricetur in menſe, non amplius gignantur hę ſquamulæ: nã in atramẽto vis eſt aſtringens etiam inſignis: laudat præterea ſerum liquidum picis illitum, aſperſo mox nitro. Ad tollendos vero pediculos maioribus auxilijs opus eſt, cum craſſior, & profundior ſit materia, vnde generantur: quare oportet, vt medicamenta a profundo attrahant & deficcent. Nam deficcantia præter id quod conſumunt humorem, ex quo generandi ſunt pediculi, obſtant etiam quo minus putreſcat, quod tamen neceſſum eſt, ſi ſint procreanda id genus animalia, quapropter multa ex illis quæ ſanandis areis B vtilia ſunt, poſſunt etiam in pediculari morbo venire in vſum, quæ tamen ait Galen. experientia comprobata ſunt, illa ſunt, quæ agriam hoc eſt ſylueſtrem ſtaphin accipiunt, vnde & nomen a latinis accepit: pedicularis enim herba vocatur. Sed & veratrum nigrum, vel album, item & nitrum: ſed & oxylapathum, vel oxalidis radicis inter medicamenta recenſentur, quę ex oleo trita accommodata ſunt huic negocio, ſi illis affricetur cutis. Noſtris autem temporibus experientia docuit, quod his animantibus hydrargyros, ſeu, vt illud in præſentia vulgo appellant, argentum viuum, quam maxime his animalibus inimicum eſt, ſicut & alia animantia, quæ eandem rationem generationis habent, vt cimices, pulices, & id genus alia, fugiant & necentur. Horum C vero medicamentorum modum ita docuit Galenus: accipe ſtaphidis ſylueſtris partes duas, ſandarachæ, nitri, ſingulorum partem vnam, terantur, ac ex aceto & oleo mixta capiti illinantur. Item veratrum album, & ſylueſtrem ſtaphidem, nitrumque pari pondere accepta, & ex aceto, aut aqua marina commixta capiti illine. Sed vbi adſit nuditas capillorum ſtaphis ſylueſtris cum aceto, & oleo illinenda. Et hac tempeſtate ad necandos pediculos mulieres ſylueſtrem ſtaphin tritam inſpergunt capiti ita aridam: hydrargyros, hoc eſt, argentum viuum vulgo dicitur, hac noſtra tempeſtate in vſum venit: extinguitur autem primum, aut ſaliua, aut ſucco arancij vulgo appellati, poſtea ſuillo larido commiſcentur, & exten-D ditur linteo ſtricto: ſicut ſunt, quæ vulgo chordellæ vocantur, & capiti ſuper capillis circundatur, hoc tamen obſeruant, vt pars ea, quæ medicamento delinita eſt, caput non tangat, ſed in exteriorem partem verſa ſit: nam odore vel vapore abigit omnes pediculos: fugiunt enim per ſtragula, vnde obſeruãdi ſunt, ne per ea diffugientes, alijs poſtea partibus, hærentes tunicis, ſint moleſti: capiendi namque & necandi: & quatenus ad hos affectus pertinet hæc eſſe ſatis poſſunt. De vlceribus manantibus agamus.

De Medicamentis aptis ad curandum manantia vlcera in capite, quæ ἀχῶρες, *&* κηρία, *&* ψυδράκια *dicuntur.* E *Cap. III.*

POſtremus affectus ad capitis cutem præſertim attinens vna communi nuncupatione vlcera manantia appellatur: quia tamen plures in eo poſſunt particulatim obſeruari differentiæ, plura etiam ſortitus eſt nomina apud Græcos. Differentia vero, quæ in hoc affectu notari poteſt eſt, aut ratione materiæ, a qua procreatur, aut ratione loci, in quo conſiſtit: nam quæ ψυδράκια dicuntur, ſunt veluti minutiſſimæ quædam papulæ, quæ ſoli extimæ cuticulæ inſident quaſi veſiculæ: & inde etiam illi nomen id inditum: ψύδραξ enim papulam vel veſicu-

lam

A lam ſignificat, & ea tenuiſſimo quodã ichore ortum habent κηρία vero, quę fauos Latine poſſumus interpretari, ab humore craſſiori conſiſtentia, & lenire ſimili mediocri ſecundum conſiſtentiam: & proinde non modo extimam cuticulam, ſed profundiorem etiam cutim afficit, eamque primum in tumorem attollit, mox quod perforas grandioribus quibuſdam foraminibus, è quibus humor quidam emanat, vt videatur hac ratione fauum mellis imitari, a cuius cellulis, vel foraminibus mel emanat, vnde ab hac ſimilitudine cerion Græce, hoc eſt fauus dictus eſt. Tertia differentia ἀχῶρες dicuntur, his prioribus ſimilis quatenus ad hoc pertinet, quod a vitioſis humoribus ortum habet, qui primum cutim in tumorem B eleuant, mox ea pertuſa ab illis foraminibus humor, vel ichor quidam effluit, tenuior quidem quàm a fauo, craſſior autem, quàm a pſydracis, & ferè medius eſt affectus. Ita & exiliora foramina in hoc ſunt, & tenuior ſuccus, qui effluit, hæc eſt horum differentia, qui tamen etiam in multis ſunt ſimilia. Nam pariter ſunt quaſi ſoboles vitioſorum humorum. In initio item ſunt in genere tumorum, qui præter naturam dicuntur, poſtea in vlcera deſinunt, & cum omnium horum comes ſit pruritus, neceſſe eſt, quod humor vnde concitantur, ſit acrimoniæ particeps. Sed quia ad rectam rationem componendi apta medicamenta non parum refert naturam materiæ, a qua ſit morbus, nouiſſe: ideo paucula quædam de ea etiam dicemus. Pſydracia itaque a tenui ichore, & C ſeroſo humore excitatur, qui ſalſæ præſertim pituitæ naturam refert: achor autem, vt ait Galen. conſtat ex humore mixto, cuius vna pars ichoroſa, & tenuis vbique: vnde achor, vt videtur idem Gal. libro primo, de compoſitione medicamentorum ſecundum locos cap. octauo inſinuaſſe, quaſi ichor, ab eo qui ab illo effluit ichore, dictus eſt: ſicut & multi alij morbi ab aliquo ſymptomate denominationem habuere: altera vero craſſior eſt, craſſior vero eſt faui materia, & hæ omnes præſertim, vt primo de compoſit. medicam. ſecundum loca capite octauo, videtur dixiſſe Gal. pituitoſæ ſunt, præcipuæ vero ſalſæ pituitæ naturam referentes: quod non credo ita accipiendum eſſe, ac ſi ille crediderit, ab alio humore D hos morbos minime fieri poſſe, quia ſecus tàm Aetius, quàm Alexan. Trallianus, prodidere: ſed quòd raro ab alio, plerunque autem a pituita ſalſa: nam & ipſe ait aliquos achores phlegmonoſos eſſe. Quibus ita conſtitutis, cum reliquum videatur eſſe, vt de ratione componendi appoſita medicamenta his affectibus curandis, & congruenti eorum vſu ſermonem habeamus, vt ex recta methodo id facere poſſimus, hoc etiam conſiderandum eſt, quòd affectus hi poſſunt quidem interdum oriri, vt de prioribus quoque diximus, ex vitio proprio ipſius cutis corrumpentis ſuum nutrimentum in prauos humores: interdum vero ex affluxu excrementitiæ materiæ ad cutem, quando ex ſola male affecta cute oriuntur, ſoli cuti E externis & localibus remedijs erit incumbendum. Quando vero ex affluxu, primum cauſæ attendendum: nempe vt tollamus fluxionem, primum remota eius cauſa, quæ vacuatione vniuerſi corporis, ac reuulſionibus, vel deriuationibus erit remouenda, atque vt etiam affluentem humorem poſt vacuationem aliquo modo repellamus: præterea vero vt ſi generatur humor ille, qui affluit ex aliquo cuiuſpiam vlceris vitioſo affectu, ille etiam proprijs & accommodatis remedijs curandus erit, quod ad præſens inſtitutum non pertinet: ſicut etiam, qua ratione, & quibus medicamentis ſit inſtituenda vacuatio, vel quod pro ratione humoris, quo refertum eſt corpus, eligenda ſint purgantia medicamenta, moderandaque pro ratione corporum, ætatiſque, & virium, & temporum. Quare agamus in præſentia de indicationibus & ſcopis, qui ſpectandi ſunt in electione, compoſitione, & vſu medicamentorum, quibus curandi ſunt hi affectus, quatenus tamen pertinet ad naturam ipſius morbi in vniuerſum prius, deinde & particulatim. Sed quia interdum ſimplices ſunt hi affectus, ſimplices, inquam, quia non habent aliquam affectus alterius complexionem, qui poſſit propriam eius rationem variare: ſicuti ſi ſint participes aliquo modo alicuius inflammationis, vt & rubicunda proinde videatur cutis, & magis quàm par ſit doloroſa: nam ſi hoc modo ſe haberet indicatio, quæ ab hoc eſſet depromenda, omnibus alijs locum præriperet, ſicut in alijs etiam omnibus vlceribus ſolet euenire, quando annexam habent inflammationem. Statim ſiquidem inchoãdum eſt ab illis remedijs, quibus dolor ſedandus eſt, & inflammatio tollenda: nam ſi hoc tempore vti vellemus medicamentis, quæ eiuſmodi requirunt, morderent locum affectum, affectionemque irritarent, & aucto dolore maior fieret attractio nocuorum humorum: medicamenta vero, quæ huic officio accommodata ſunt, quæ humida ſunt, vimque molliendi, & concoquendi habent citra vllam acrimoniam. Qualia vero ſint eiuſmodi medicamenta Galenus primo de compoſitione medicamentorũ ſecundum locos exemplo demõſtrat: ait enim iſtiuſmodi eſſe id, quod parygron Græce appellatum eſt, cuius deſcriptio tum ab Hera literis tradita eſt, tum ab alijs antiquis medicis, & eius meminit Gal. enim de ſimp. med. fac. capite de pinguedine & adipe. Paulus autem & ipſe, quando iſtius medicamenti confectionem expoſuit, in Oribaſium auctorem retulit. Nos vero tertio libro capite de ſcirrho, de compoſit. & natura, viribuſque iſtius medicamenti ſermonem habuimus, quare nolumus, ne tempus conteramus, eadem hoc loco repetere, quia nobis reſtat grandis via: niſi quod non erit ab re, de modo vſus eius aliqua referre. Nam videtur aliquantiſper diuerſus Gal. 1. de comp. med. ſecundum loca, & ſeptimo, de compoſit. ſecundum genera: hic enim componi oleo quod aſtrictionis ſit expers, vbi vero molliri hoc medicamentum voluit, & dilui, vt illiniri poſſit oleo roſaceo. Sed ſi conſiderentur ſcopi, quos hic vel ibi ſpectauit Gal. vtrunque protulit ex recta ratione. Nam in libro de compoſitione ſecundum gener. eius meminit, quatenus vim habet molliendi partes induratas, id autem magis pręſtare poterit, ſi fiat ex oleo maturo adſtrictionis experte: in primo autem de comp. ſecundum locos inſtituit occurrere inflammationi, cui officio magis aptum erit medicamentum: ſi ex oleo roſaceo emolliatur, & diluatur. Nam præter id, quod facilius refrigerat calidiorem loci intemperiẽ, atque ita dolorem lenit, aſtringendo etiam fluxionem arcet. Sed his addamus, quòd eiuſmodi medicamenta, vt eodem 7. docuit Galen. quo magis inueterantur, magis etiam indureſcunt. In his autem affectibus, de quibus in præſentia agimus, quando doloroſi & aliquid inflammationis habeat, accommodatius eſt hoc medicamentum, quanto recentius eſt. Hoc enim modo magis dolorem ſedat. Sed quo magis inueteraſcit, eo maiorem habet vim difficiliores emolliendi duricies, & proinde voluit Galen. magis adhuc emolliri roſaceo, vt linimenti compagem retineat. Sed & id aduertendum eſt, quod præterea memoriæ mandandum, nempe quanta diligentia in his vti conſueuerit Galen. qui conſulit vt quando diluere ex roſaceo medicamentum volumus id non ad ignem agamus, ſed manibus, aut ſpata commiſcendo ſubigamus: quia ab igne medicamentum ſibi extraneum quandam calorem comparat: vnde poſtea non euadit expers alicuius acrimoniæ & morſus. Quod ſi in hoc affectu tanta iſtius rei ratio haben-

da eſt, longe maior in alijs veris inflammationibus, & cæteris affectibus calidis,& doloroſis. Et cum non ægre hoc medicamentum emolliri & ſubigi poſſit, hac etiam ratione minus neceſſarius eſt ignis. Hæc vero tanquam exempla propoſita ſunt, non autem propterea, quia hoc ſolum medicamentum huic negocio ſit aptum: nam eodem capite in tertio libro, vbi de mollientibus & humidis medicamentis agit, alia etiam deſcripta ſunt,quæ poſſunt illi eſſe vtilia: præſertim ſi hoc modo parentur in modum linimenti,vt in præſentia docuimus, ſique illis vtamur,dum ſunt recentia. Galenus vero ait,præterea & illa medicamenta poſſe admitti ad hunc vſum, quibus ſolent medici vti ad ſedandos dolores in canceroſis affectibus, quando a vehementi dolore cruciantur: itemque & illa, quibus vtuntur in doloroſis, & non expertibus inflammationis vlceribus, ſciſſuriſque ani: de his autem non hic, ſed ſuo loco agemus: nam in præſentia de ratione medicamentorum ſumus ſermonem habituri, quæ apta ſunt curandis vlceribus manantibus, quando citra dolorem inflammationemve ſunt, & complexum alterius affectionis vel ſymptomatis, quod propriam priuatamque indicationem aliquam habeat. Sed prius indicationes, & ſcopos exponamus, quos intueri oportet in compoſitione,& vſu medicamentorum. Porrò affectiones hæ ſimplices minime ſunt,verum conſiſtunt in quodam complexu morborum,qui ad duo prima genera referuntur: conſtant ſiquidem ex vlcere,quod ad genus ſolutæ continuitatis pertinet, & ex intemperatura non ſimplici,ſed ea,quæ fouetur a præſente,vitioſaque materia, quæ etſi,vt diximus, plerunque ſit pituitoſa & ſalſa,poteſt tamen & ab alio vitioſo humore originem habere, qui ex loci male affecti colore maxime cognoſci poterit. Cum vero ea ſit ſemper curandi ratio,vt quando vlcus eſt cum inſigni intemperatura, prior ſemper vigeat ea indicatio, quæ ab intemperie deſumenda eſt, vtpote quæ impediat vlceris curationem. Intemperies vero,quando a pręſente materia vel affluente fouetur,tolli nequit,non detracta prius illa materia, quæ præſens eſt, & intercepto affluxu, ſi a fluxione pendeat. Et quamuis ad hæc peragenda ſit in primis neceſſaria optima victus ratio,ea nempe, quæ minime ſit excrementoſa: præterea vero corporis euacuatio, & expurgatio a vitioſis ſuccis per apta & opportuna remedia, in quibus ſit vis vacuandi, & reuellendi: de his tamen agere ad præſens inſtitutum minime pertinet, ſed de localibus remedijs, quæ particulatim loco affecto ſunt adhibenda. Scopi vero,quos natura iſtius affectus ſpectandos offert, hi ſunt principes, vt materia quæ laboranti particulæ inſidet, & ab ea eſt abſorpta, per vacuationem detrahatur, alioquin namque neque intemperatura tolli, neque vlcera curari poterunt. Non detrahuntur autem materiæ his locis abſorptę, & inculcatæ ſecta vena,aut purgantibus medicamentis, ſed localibus remedijs, in quibus facultas per digeſtionem vel diſcuſſionem prauos eos ſuccos diſſipandi. Sed cum in ichore, & fauo non deſint craſſi ſucci & lenti, quamuis & tenues ichores etiam mixtos habent,ideo altera indicatio inſurgit,quæ nobis hunc præterea ſcopum oſtendit, nempe aliqua eſſe attenuatione,& inciſione opus. Demum tertio,quia pars ea facta eſt ex morbo imbecillior, ideo non parum conducet, ſi etiam aliqua eis non deſit vis repellendi. Hi ergo ſunt ſcopi, a quibus methodus pendet vniuerſa componendorum medicam. huic negocio accommodatorum,ac eis vtendi. Sed ſi ita res ſe habuerit, poſſumus audacter profiteri, ſicut & Galenus primo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos capit. octauo. profeſſus eſt, inter ſimplicia medicamenta, quàm maxime vſum aceti vtilem

A eſſe ad curandos ichores & fauos; non quidem vt eo ſolo & ſimplici vtamur, ſed quaſi quodam condimento & apparatu aliorum medicamentorum. Nam ſolum quidem ſua acrimonia morderet,& vlcera poſſet irritare: alia vero medicamenta eo lauantur,& parantur, quòd non ſolum non ea acria & mordacia reddit, ſed potius ab illis abluit, & detrahit omnem acrimoniam & morſum, ſi in eis ſit, deſiccatque ſemper natura,quod vlceribus ſalutare eſt: repellit etiam refrigerando, Et quia acris eius ſapor eſſe nequit ſine aliquibus partibus, quæ caloris ſint participes, ideo & digerendi facultatem habet. Medicamenta vero aceto lota, vel parata apta ſunt his affectibus curandis,& diuerſos habent ordines: quæ in primo ordine ſunt & faciliores, ſunt differentiæ illæ terræ, B quarum Gal. fit mentio nono de facultatibus ſimplicium medicamentorum circa principium, præcipue vero cimolea, deinde vero ſamia terra, & Lemnia, & Cretica: hæ itaque terræ ſi tritæ aceto quaſi condiantur, & diluantur, vt illiniri poſſint, vtile erunt medicamentum, leue tamen, nec admodum validum. His valentiora erunt metallica, ſeu mineralia medicamenta itidem aceto parata,vt ſunt pompholyx, quam in præſentia vulgo tutiam appellant, item lithargyros,hoc eſt ſpuma argenti, item & cadmia,& plumbum vſtum: hæc itaque abluta & diluta aceto, efficaciora erunt medicamenta: his vero omnibus ſuperior efficacia eſt charta combuſta, vt 1. de compoſit. medicamentorum ſecundum locos tradi- C dit Galen. ſed hoc in præſentia caremus, quia & charta antiquorum caremus, vtpote quæ his temporibus non conficiatur: Fiebat enim antiquitus ex papyro, & quodam glutino confecto ex tritici ſimila, vel tritici ex aqua macerati ſucco. Ex hac ergo charta combuſta parabantur aliqua medicamenta antiquitus valde vtilia, vt in quinto de comp. med. ſecũdum genera Galen. refert, qui dum ruri eſſet, nec in promptu aliud medicamentum congruens haberet, chartam cremauit,& ea ex aceto diluta illiniuit caput ruſtici, qui deinde repetito medicamento, tandem curatus eſt, quod medicamentum non ingeneroſum eſſe inſinuat Gal. vtpote quod vim repellendi,& attenuandi, incidendique ex aceto habet, quam etiam D adauget charta: nam dum comburitur, ab igne, vt ex ſententia Ariſtotelis quandoque Galenus expoſuit, igneam quandam qualitatem contrahit, & aliquandiu ſeruat, qua digerere, attenuareque, & exſiccare poteſt. Quod vero ſenſerit eiuſmodi medicamentum validum eſſe, verba: quibus vtitur, manifeſto indicant. Ait enim ſe cognouiſſe ruſticum facile laturum id medicamentum, quia durioris & ſolidioris carnis eſſet. Fortius adhuc medicamentum eſſet, ſi ex combuſto papyro conficeretur, quàm ſi ex papyracea charta, quia papyrus, vt octauo de facultatibus ſimplicium medicamentorum docuit, charta ſiccantius eſt medicamentum: gluten namque quod additur papyro nonnihil detrahit de vi papyri. Putarem E autem, quod ſi ex noſtra charta, quæ ex laceris, & tritis linteis conficitur, itidem combuſta cõficiatur perinde, vt confecit Galenus ex ſua illa papyracea, quod non erit quidem adeo validum medicamentũ: non erit tamen inutile. Nam inter medicamenta apta achoribus curandis, quorum Galenus meminit, vnum etiam reperitur, quod fit ex panniculis linteis combuſtis, ſi tamen exemplari antiquiſſimo manuſcripto fides eſt præſtanda: immo memini, quod chirurgus quidam inſignis vtebatur vnguento ex charta combuſta, cuius Galenus primo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos capite de achoribus meminit, & illud ex noſtra charta conficiebat. Videtur autem putare eſſe valide generoſum medicamentum ad achores, quod maxime con-

gruens

gruens ſit in affectibus his, quando pertinaces, inueterati & maligni fuerint, & in durioribus corporibus. De hoc vero medicamento in tertio libro mentionem fecimus, vbi de medicamentis agebamus aptis curandis vlceribus putridis. Credimus autem hic fieri mentionem ſecundæ confectionis deſcriptæ ex quinto libro de compoſitione medicamentorum per genera, quod medicamentum aridum & inſperſile erat, vnde docuit Galenus quomodo mitius fieri poſſit, ſi interdum videatur nimis validum, & ſupra quam requirat, aut laborantis natura, aut ratio morbi, nempe addito lithargyro pari pondere cum ipſo medicamento, aut minori, aut interdum maiori. Quia quo ſimplicius fuerit medicamentum, eo & fortius erit: quo vero illi plus lithargyri fuerit additum, eo lenius & infirmius: illius enim mixtura lenitur, & miteſcit vis medicamenti. Ex multa medicamentorum farragine ſyluaque ab antiquis & iunioribus literis traditorum hæc nos delegimus, quæ putamus poſſe eſſe ſatis, ſi tāquam exempla fuerint accepta: nimij enim fuiſſemus, ſi omnia, vel pleraque perſequi voluiſſemus: nam facile collatis inter ſe ſimplicibus, vnde conficiuntur, ſicut nos ea conficere, tum in hoc, tum in alijs ſolemus: & cum his etiam, quæ nos examinamus, poterit eorum ratio percipi: vnde nonnullis expoſitis, quæ ad eorum rectum vſum pertinent, finem huic capiti imponemus. Primum ergo & iu hoc affectu perinde vt in prioribus capilli ante adhibitum medicamentum detondendi, vel abradendi ſunt, atque mox fricanda cutis, vel vnguibus, vel aſperiori linteo. Deinde conſideranda eſt natura, & habitus corporis, quatenus durum ſolidumque eſt, an vero delicatum & molle, & id, vel ratione ætatis: pueri enim præ mollitudine ægre ſe habent ad fortia, & acria medicamenta, aut ratione ſexus, mollius enim muliebre corpus eſt virili: aut ratione artis, & inſtitutorum vitæ. Quia qui exercentur, præcipue vero ſub ſole, ſicca & ſolida membra habent, vt ruſtici & nautæ: qui vero otioſam & vmbratilem vitam degunt, molles, & laxas carnes habent. Præterea & diligens habenda eſt morbi ratio, quatenus maior, vetuſtior & pertinacior videatur, vel minor & facilior: nam maior morbus valentiora deſiderat medicamenta, minor vero leuiora & mitiora. Hæc ergo mutuo conferenda ſunt, vt congruentem medicamenti modum aſſequi poſſimus: & quia difficile exquiſite illum ſtatim aſſequi, ideo ſemper quando medicamentum mutamus obſeruandum, quomodo locus ſe habuerit ſub priori, num ſit magis, quàm par ſit irritatus, & dolentior redditus, vel iuſto rubicundior, nam erit opus remittere vim medicamenti. Sin autem nulla videatur facta a medicamento impreſſio in cute, addenda erit medicamento vis: addetur autem, aut eo relicto, & altero fortiori adhibito: aut priori, alio ſimplici ueriori addito, quod poſſit illud exacuere, aut aucto pondere eorum, quæ in ea compoſitione vim habent maiorem. Vnde Galen. in lib. de facil. parab. medic. ait, quod & ſi acetum optimum ſit medicamentum, vt diximus, in teneris tamē puellis longe melius eſt, vt pro aceto vtamur vino. Vnde & nos ſeriatim in proprios ordines medicamenta ad hoc negocium pertinentia digeſſimus: & exemplo medicamentis ex charta combuſta docuimus, docti tamen prius a Galeno, quomodo remitti plus minusve poſſit, & hoc tanquam exemplo vſi, poſſumus, ſi his propoſitis forte fortuna careremus, alia accipere, quæ ad curanda alia vlcera laudantur, & ſunt in frequenti vſu his temporibus, ſuntque huic de charta non diſſimilia, hæc eadem methodo illis vti: nam & hæc vlcera ſunt. Sed & hoc addamus, quòd cum acrioribus medicamentis antiqui vtebantur, illis in balneo vtebantur, ita enim minus mordent, & irritant locos affectos, ſed & ablato medicamento, caput calida aqua liberaliter perfundebant. Accedamus autem ad alios capitis morbos.

De Ratione compoſitionis, & vſus medicamentorum congruentium curandis affectibus internarum partium capitis, primumque de illis, quæ ad plagas capiti illatas pertinet. Cap. IIII.

QVamuis in capite cuti ſuccedat membrana, quæ ab anatomicis pericraneum dicitur, & illi os, quod caluaria a Latinis, cranium vero a Græcis appellatur, de quibus videretur prius eſſe habendus ſermo: quia tamen affectus harum partium, non habent aliam quampiam priuatam, ac diuerſam curandi rationem ab illis, qui ad idem genus pertinent in alijs conſimilis naturæ particulis, nempe in alijs mēbranis, quæ alibi in corpore ſunt, vel in alijs oſſibus, niſi quatenus conficiunt internas capitis particulas, ita vt ſi ſit aliqua alia indicatio ſumenda præter illam, quæ a communi natura oſſis, vel membranæ ſumitur, illa vniuerſa petenda ſit ab internis particulis, quatenus cum externis conſentiunt. Vnde in capitis vulneribus, cum tuti & liberi ſumus a ſuſpicione alicuius noxæ, cuius ſint participes interiores partes, vulnera vel contuſiones eodem modo curamus, ſicut & alios ſimiles aliarum partium affectus, ideo neque deinde mirandum erit, ſi de his non inſtituemus ſeparatam & diſtinctam tractationem, ſed agemus ſimul de harum, & illarum partium affectibus per accommodata medicamenta curandis: primumque de opportunis medicamentis ad plagam capiti illatam. Accipimus autem in præſentia plagam & percuſſionem acceptam vel ex caſu, vel alliſione, vel percuſſione ad rem quampiam duram ſiue attulerit continui ſolutionem euidentem in oſſe, aut membrana, aut cute: ſiue ſola ſit facta contuſio, & præterea vt vulnus cum re incidente inflictum ſignificat. At vero quia diximus, hæc omnia in præſentia eatenus in conſiderationem venire, quatenus iſtorum incommodorum participes fiunt partes internæ: neque tamen vna eſt ratio, qua a plagis eiuſmodi internæ capitis partes afficiantur, & pro diuerſitate affectionum diuerſa etiam ſolemus adhibere remedia: ideo particulatim hæc etiam diſquirenda ſunt, vt particulatim vnicuique affectui congruentia medicamenta aptare poſſimus. Ex colliſione ergo, vel caſu, vel percuſſione interdum frangitur caluaria, interdum ſolum contunditur, concutiturve. Si ſolum contundatur, & concutiatur caput, hæc poſſunt in interioribus incommoda conſequi. Primum poteſt cerebrum conſentiens commoueri, & quaſi conquaſſari, quod ſi accidat, ſtatim percuſſus cadens obtumeſcit, cuius rei Hippocrat. meminit 7. aphoriſm. vbi ait, quibus cerebrum concuſſum eſt, hi ſtatim muti fiunt, nec modo muti, vt ait Galenus, verum quaſi apoplectici iacent ab omni motu, & ſenſu deſtituti: cuius cauſam eſſe ait ille, quia ex cerebri concuſſione quaſi turbata, & terrefacta a vehementi illo motu vis animalis in ſeipſam contrahitur, & propterea quieſcit. Interdum vero ex contuſione, vel concuſſione fit aliqua diuulſio, vel dilaceratio alicuius vaſis in internis partibus: nempe venula aliqua, vel arteria, potius tamen vena, vel aliqua particula ipſarum membranarum, quibus annectuntur, ipſi caluariæ, vel cum pericraneo per ſuturas connectuntur: nonnunquā, vt Galenus ibidem ait, contingere poteſt, vt concuſſo ce-

rebro, & cum eo conſentiente ſpinali medulla, & ea pariter concuſſa, ſubeat periculum, ne neruus aliquis ex illis, qui ab eo oriuntur, auulſus abrumpatur: quod longe etiam facilius, vt idem teſtatur, in ipſo quoque cerebro fieri poteſt, quia maior eſt inanitas in loco, in quo cerebrum continetur, quod ſi fiat, nempe, vt cerebrum auellatur, aut aliqua eius pars, ait Galenus, hi non reficiuntur amplius, hoc eſt, nequeunt amplius conualeſcere. Sin autem nulla ſit in cerebro ex concuſſione facta auulſio, animalis facultas aliquandiu colligens, & quieſcens, tandem reaſſumptis viribus iterum exiens ad inſtrumenta motus, & ſenſus expanditur. Quod ſi ex concuſſione ex plaga facta, diſrumpatur vas aliquod, præſertim vero exigua aliqua venula, effunditur ſanguis, qui effuſus cadit præcipue ſuper internas cerebri membranas, ibique niſi locus aperiatur, perforata terebello caluaria, prius tamen cute inciſa, ſubiectaque membrana, vt materiæ ibi contuſæ fiat perſpiratio, ac extractio, putreſcens, membranas denigrat, atque ad inflammationem tandem perducit, quandoque tamen fiunt ex his plagis, & contuſionibus citra abruptionem vaſis alicuius in internis partibus inflammationes. Nam cum ex vehementi percuſſione agitetur cerebrum, humores inordinato quodam motu commouentur: ita, vt a natura nequeant probe adminiſtrari, quare confluentes ad aliquam partem, quam fuerint nacti imbecilliorem, eam occupant, & in inflammationem attollunt, doloresque capiti afferunt, quod nos Galenus ſecundo de compoſitione medicament. ſecundum locos docuit, vbi de capitis dolore agens, a plaga concitato, ait, quod ille ab inflammatione concitatur. Sed nonnunquam ex his contuſionibus, primum quidem os ipſum infringitur non vulnerata, vel diſrupta cute, vel ſubiecta membrana, quæ cœca fractura appellatur. Interdum vero ſimul, & dilacerantur hæ particulæ: quando autem os infringitur, aut vnica tantum oblonga fit ſciſſura, vel rima, rectaque ex illis hanc iuniores capillorum rimam appellant, aut os in multa confringitur fruſta, vt multæ appareant ſciſſuræ, & quandoque vero non modo os frangitur, verum & inflectitur, & deprimitur contuſa, & fracta oſſis pars verſus internam capitis cauitatem, vt concaua eo loco fiat capitis caluaria, & aliquando vtraque oſſis lamina, vel vt iuniores loquuntur, tabula pariter incarnata interius inflectitur, aliquando vero ſola interior: interdum & fruſtum aliquid confracti oſſis eliſum, & ab alijs auulſum, cadit ſupra duram cerebri membranam, illique hærens, & pungens, plurimum lædit, vtpote quòd inflammationem accerſat, interdum reflexa oſſis pars membranam attingens illam premit, ſubindeque & cerebrum, vnde poſtea fit, vt homo a ſenſu, & motu deſtituatur, & quaſi apoplecticus iaceat, aut ex altera parte reſoluatur, aut quaſi epilepticus conuellatur, aut id genus alia praua accidant. Memini me Venetijs accerſitum vna cum chirurgo excellenti ad viſendum puerum, qui ex alto loco in caput ceciderat in impluuium lateribus ſtratum, & os fractum in multa fruſta vidi, & illa quidem acuta, quorum duo interius reflexa, vtraque membrana perforata, cerebro infixa erant: qui tamen ſumma diligentia tractatus tandem liber ab eo morbo euaſit, ſed hæc raro eueniunt. Interdum etiam tamen ſecus, immo etiam ſæpe pueris accidit, præſertim ante ſeptennium, vt ex caſu, vel alioquin ex contuſione deprimatur, & inflectatur os ad interiorem partem: neque tamen frangatur, vel ſcindatur: & id propterea, quia os in illis tenerum eſt, in adultis vero, vel nunquam id accidit, vel rariſſime. Sed & rimæ, quæ ex contuſione in adultis fiunt, ſemper vero

A in interiorem cauitatem deſinunt, & proinde niſi cito detecta cute, & ſubiecta membrana os perforetur, paulopoſt ſuperueniunt praua, & lætalia ſymptomata. Quamuis enim nulla oſſis pars, neque premat, neque pungat membranas, per eas tamen rimas, vt teſtatur Hippocrates in libro de vulneribus capitis, cui & Galenus ſubſcripſit pluribus locis, ichor aliquis ex oſſe effluit ad membranas, ibique putreſcens illas ad inflammationem aut grangrænam, aut quidpiam aliud his etiam deterius adducit. Vulnera item, quæ capiti infliguntur punctim, telo nempe acuto ſicuti ſagitta vel pugione, vel cæſim enſe, niſi teli acies obtuſa fuerit, vt aliquam vim contundendi habeat: ſimpliciora ſunt, cum ex inciſione non fiant multiplices rimæ, ſed vna tantum & ſimplex: niſi B interdum a[illegible]ctum telum aliquo modo inuertatur violenter, & oblique, in vnam vel aliam partem contorta ferientis manu: nam ita & laminæ attolluntur aliquando, & rima ſecundum caput tranſuerſa poteſt progredi: cum autem obtuſum fuerit telum non modo incidi, ſed frangi os poterit, & interius incuruari, vt in conſtitutionibus fuit expoſitum. Hoc autem imprimis in his inciſuris conſiderandum, quod interdum ſola cutis & membrana illi ſubiecta inciditur: interdum & os inciſio pertingit, & quandoque totum os diuiditur ad internam vſque cauitatem capitis, aliquando non vniuerſum in profundum vſque inciditur, ſed primam ſolum laminam ſecat, interdum ad alteram etiam pertingit: illam C tamen non ſcindit vniuerſam, quandoque non modo os, ſed & membranæ diſciſſæ ſauciantur; interdum vero & ipſa cerebri ſubſtantia. Hæ videntur omnes differentiæ ſolutæ continuitatis in hac particula, quas particulatim voluimus exponere, quia, vt ſæpiſſime dictum eſt, prima fundamenta methodi componendi medicamenta apta curandis morbis, ac illis etiam appoſite vtendi in indicationibus ſita ſunt, quæ tam a natura & ratione ipſorum morborum depromuntur, qui curandi offeruntur, quam vero a natura laborantis particulæ. Et cum plagæ, a quibus nullus fit conſenſus, nullaque noxa internarum partium, non ſint multi momenti vel diſcriminis, neque curationis rationem ab illis diffe- D rentem requirant, quæ alijs externis partibus infliguntur, neque differentia medicamenta, ideo neque alioquin de illis particulatim alium habebimus ſermonem, niſi quòd monendos iuuenes cenſemus, ne ſi quando contuſo capite non abrupta tamen cute, inter initia nullum extet ſymptoma, quod oſtendat illatum aliquid incommodum internis particulis, propterea confidant, credantque rem nullius eſſe momenti. Sæpe namq; non ſtatim, ſed poſt aliquod tempus ea apparent, nempe cum aliquid effluxit in internas partes. Nam & huc quoque ſpectare poteſt, quod Hippocrat. in Aphoriſm. libro ſecundo Aphoriſm. 3. protulit, circa initia & fines omnia imbecilliora: ſed ſumma diligentia E perpendenda, & conſideranda primum ea ſymptomata, quæ poſſunt in his obſeruari. Nam ſolet cum fractum eſt os, cœcaque ſub cute ſciſſura latet, loco, vbi accepta eſt plaga, ægrotus manum adhibere, & aut ſcalpere, aut fricare: deinde vero extimare quanta potuerit eſſe facta contuſio, & id ſi ex aliquo loco ceciderit, an magno impetu fuerit caſus; an ex prælto loco. Deinde conſiderandus locus, ad quem cadens alliſerit, an lapidibus ſtratus, & durus, vel potius mollis, an in medio deſcenſu aliquid acciderit, quod potuerit cadentem aliquantiſper detinere, & obſtare, quo minus tanto impetu deorſum ferretur. Sed ſi ab alio ictum fuſte, aut claua, aut ſaxo acceperit, conſiderandæ ſunt vires percutientis, modus, quo percuſſit: nempe an iratus, & vſus

ſuis

ſuis viribus, an potius non ſerio agens. Conſiderandum etiam inſtrumentum, quo percuſſit, an durum, an graue, & his omnibus recte perpenſis ſtudere, vt quantum fieri rationabili coniectura poteſt, aſſequamur: vel etiam anteaquam ſæua, & verenda ſymptomata accidant, iudicemus, fractum ſit nec ne os: quia ſi credamus latere ſub cute fracturam, quam primum cutis aſpicienda, locus detergendus, ac os perforandum terebello, aut deradendum ferreis inſtrumentis, quibus abradi ſolent oſſa, vulgo raſpatoria dicuntur, donec fiat foramen penetrans ad internam capitis concauitatem, vt & perſpirare poſſint, ſi qui defluxerint ichores, vel ſanguis, anteaquam correpti a putredine, male afficiant internas, & præcipuas particulas, atque facilius congruentium medicamentorum vis perueniat ad locum affectum. Et quamuis videamur eſſe a primario noſtro ſcopo digreſſi, quia tamen hæc ad rectum vſum medicamentorum pertinere poſſunt, ideo neque parerga ab aliquo ſunt cenſenda. Sed ad princeps noſtrum inſtitutum redeamus, & eandem methodum ſequentes de plagis telo aliquo cæſim, vel punctim factis agamus. Pro ratione ergo teli, aut virium illius, qui gladio hominem petit, maiora vel minora infligūtur vulnera, magisque vel minus profunda. Vt & hoc addamus, quod ſæpe ex violento ictu, præſertim ſi graue ſit telum, non modo inciditur os, vel frangitur quoque, & circa vulnus fragmenta reperiuntur vel ſegmenta, quandoque penitus ab oſſe auulſa, quandoque aliqua parte cum illis coniuncta, quæ ante curationem, quam medicamentis molituri ſumus, auferenda ſunt; quia dum ibi manent, curationem & conſolidationem impediente. Magna autem ex parte pro ratione diuerſi ſtatus ipſius vulneris, diuerſa etiam quoquo modo curatio exigitur: & quantùm ad alia, vel remedia, vel inſtrumenta, & maxime quantùm ad compoſitionem & vſum medicamentorum pertinet, ſed tandem hæc omnia particulatim tractemus. Primum tamen poſito hoc fundamento, quod capitis plaga quamuis magna non videatur, ac non multa vi illata, nunquam ſita medico contemnenda, quia anteaquam decernat quid ſit agendum, non diligenter extimetur, quia res hæc non eſt leuis momenti, ſed grauis potius. Momentum vero vniuerſum ab hoc capite pendet, an recidenda ſit cutis & ſubinde ſubiecta membrana, locusque ſit detergendus, vt perforetur os, aperiaturque: Quia ſi temere hoc fiat, & citra diligentem examinationem, vt ſæpe ignari chirurgi & imprudentes faciunt, qui ex leui quacunque occaſione ad inciſionem, & apertionem accedunt, id ſine magno incommodo atque inſigni etiam diſcrimine, vt quidam non contemnendi auctores monent, fieri nequit. Nam primum inſignis dolor in inciſione & ſeparatione particularum illarum concitari ſolet, dolor vero, ſi quid aliud, concitat fluxiones: commotis ſiquidem ſuccis, præſertim vero calidioribus, qui confluentes ad partem imbecilliorem, ſæpe gignunt inflammationem: quia non modo afficiuntur, licet primo illæ lædantur, externæ & contuſæ partes, verum & internæ. Nam ſi fuerit inſignis contuſio, illæ etiam commouentur: præterea tantus eſt internarum partium cum externis conſenſus, & connexio, vt neceſſe ſit, & illas ex ea operatione male habere & lædi. Huc accedit, quòd cum os aperiendum eſt, ſiue ſcalpris id fiat ſiue terebello, vel quocunque alio inſtrumento, vix fieri poteſt, quin concutiatur caput, quod ſine interiorum particularum incommodo fieri nequit, dum concutiuntur & ipſæ, & ſucci ex ea concuſſione concitantur. Præterea, & dum citra neceſſitatem detegitur pars illa, cere-

A brum & eius membranæ, frigidiori exponuntur aeri, quo nihil ferè nocentius eſt: quia & inflammationis, & aliorum grauium ſymptomatum in cauſa eſſe poteſt: neque tamen propter hæc ſi re diligenter perpenſa, noſtra nos coniectura ad hoc adducat, vt quamuis certi minime ſimus, potius tamen credamus, os non eſſe integrum, ita nos eſſe timidos oportet, vt non audeamus accedere ad apertionem: quia longe maius eſt periculum, & magis præceps, ſi decipiamus credentes non ſubeſſe fracturam, quæ tamen ſubſit, quàm ſi credamus ſubeſſe, quæ tamen nulla ſubſit. His ergo in hunc modum expoſitis, particulatim agamus, quomodo negocium ſit tractandum in omnibus his propoſitis differentijs. Porro

B ſi ſola ſit contuſio abſque vulnere vel vlcere, communi contuſarum partium curatione curandus locus erit, quæ curatio ſpectatis his ſcopis peragenda erit: nam ſi ibi dilaceratis venulis tenuioribus, & conſpicuis ex plaga, ſanguis in inania ſpacia ſit fuſus, ſtatim extat indicatio, quod quoniam exiens in grumum vertitur, neque iterum in venas queat redire, illum vacuatione inde eſſe extrahendū, cum ſit omnino iam factus, res præter naturam, inaniri autem locus nequit niſi per digeſtionē, nō facile digeritur, niſi facilior fiat digeſtio per ea, quæ molliunt. Alioquin enim digeſtis tenuioribus, & facilioribus partibus reliquum craſſeſceret, & indurаretur. Erit ergo localibus medicamentis mollientibus, & dige-

C rentibus res tractanda: hæc autē, quæ, & qualia ſint particulatim explanare, atque rationem compoſitionis, & vſus exponere, ad præſentem locum minime pertinet, cum abunde de illis in præcedente libro fuerit a nobis actum, ne tempus fruſtra conteramus, vlterius ergo gradatim procedamus. Si & plaga præter contuſionem ſit etiam cutis dilacerata, non erit ſimplex affectus, ſed ex duobus compoſitus, qui diuerſas habent indicationes: eſt enim contuſio, & vulnus, ſeu vlcus, Cum enim ſit neceſſe omne in vlceribus contuſum putrefieri, vt docuit Hippocrates, & tandem in pus verti, & quanto id citius ſit, eo etiam citius curatio abſolui poteſt: ideo ratione contuſionis extat indicatio accelerandam eſſe ſuppurationem, quæ accelerari poteſt medica-

D mentis illis, quæ vim habent mouendi pus, quæ maturantia & concoquentia ſunt, a chirurgorum autem vulgo digeſtiua impropria nuncupatione vocari ſolent. Vlcus vero exſiccationem, & aliquam deterſionem deſiderat: ita enim eius indicatio oſtendit. Sed longe prior eſt indicatio, quæ a contuſione petenda eſt, atque prius illi incumbendum. Hoc tamen non eſſe prætermittendum arbitror, quatenus ad rectam curandi rationem attinet, quòd ſi cum contuſio ſit vulnus illatum, diligenter illud conſiderādum eſt, quouſque nimirum pertingat, & an cum cute ſit dilaceratum etiam pericraneum, & an id ab oſſe diuulſum ſit, an vero integrum, & oſſi hærens, quia ſi membrana illa ſit lacerata, & diuulſa ab oſſe, id in-

E ditium erit ictum magnum fuiſſe, vt ſuſpicari facile poſſit medicus, os etiam fuiſſe perpeſſum inſigne incommodum, & dubitare, quod fractum etiam ſit. Vnde non erit ab re, vt locū ampliet, dilatato nempe vulnere ad os vſque, poterit tamen & prius ſpecilli cuſpide explorare, an ſubſit aliqua in oſſe rima, vel ſciſſura: dum enim os cuſpide fricabit, niſi minima ſit rima, manifeſte percipiet aſperiorem locum ex inæqualitate laterum ſciſſi oſſis: niſi fortaſſe ibi adſit aliqua caluariæ ſutura, quia in nonnullis interdum capitibus futuræ caluariæ euariant, neque in communi loco reperiuntur: a qua deinde occaſione quandoque conſummatiſſimi in hac arte viri faſſi ſunt ſe fuiſſe deceptos. Interdum vero ſi os cum fuerit detectū, & chirurgus aliquo inſtrumento fer-

reo percutiat, ſonus, qui ex ea percuſſione editur, ſignificat, an confractũ ſit; ſi enim obſcurior quidam, & quaſi raucus ſe offerat ſonus, inditio erit fractũ eſſe: ſin autem clarior ſit ſonus, ſicut in alijs etiam vaſis, tàm teſtaceis, quàm metallo confectis, ſignum eſt oſſis integri. Neque tamen facto iſtius rei periculo adeo confidendũ eſt, vt quantuncunque nulla ſit deprehenſa aſperitas, omnino putemus nos eſſe in tuto: aliquando enim adeo exilis rima eſt, vt non modo tactum, ſed viſum etiam fugiat: & proinde ſi inſignis fuerit facta percuſſio, tutius eſt vulnus dilatare, vt os aſpectui pateat, & diligenter inſpici poſſit: & ſi ſit adeo exilis rima, vt aſpectu deprehendi non poſſit, docuere medici tàm antiqui, quàm recentiores, vt hac ratione experiamur: nempe affuſo aliquo humore caloris atri, vt eſſet atramentum, quo ſcribimus, ac deinde locum detergamus, hoc enim ſæpe ſciſſurã detergit. Ibi enim apparet velut nigra linea; & ſi nihil etiam appareat factis bis periculis omnibus, aliqua tamen contigerint ſymptomata ſuſpecta: ſicut ſi ille percuſſus ceciderit, ſi poſt plagam obmutuerit, ſi bilem euomuerit, ſi ſit quaſi ſtupidus factus, ſi veriginoſus, ſi caput graue videatur, ſi inſigniter doleat, ſi deliret, ſi oculi obtenebrentur, cum hæc nequeant fieri ſine aliqua internarum partium noxa, præſtat, vt locus aut ſcalpris, aut terebellis, aut ſimili alio inſtrumento, perforata caluaria, aperiatur, vt facilius hac ratione internis periculis, & commodius poſſimus ſubuenire. Sed de hoc hactenus ſatis, ad inſtitutũ vnde diuerteramus redeundũ eſt: ſi ergo a fracturæ ſuſpicione liberi ſimus, tres in his præſertim nobis indicationes reliquæ ſunt, prima, quæ fuit a contuſione accepta, quæque dictos ſcopos ſpectandos offert: nempe molliendum, & digerendum, ſed magis etiã pus mouendum eſſe: altera ab vlcere, vel vulnere, quæ duos & ipſa ſcopos continet, detergendũ, ſiccandumq; eſſe. Quia vero ſemper in vulneribus timendũ eſt, ne confluentibus ſuperuacaneis ſuccis ad affectũ locum fiat inflãmatio, iſtius autem defluxionis extare poteſt occaſio ex illato dolore, tum ex contuſione, tum alijs, quę vt nuper diximus, moliri oportet, vt aſſequamur, & cognoſcamus quatenus noxa ex cõtuſione peruenerit; ideo inde exoritur & tertia indicatio ab hoc timore deſumpta: nempe omni ope inflammationem eſſe arcendam, quæ indicatio nobis hos ſcopos oſtendit reuellendũ, vt occurramus fluxioni, & repellendum: vt fluentes ſucci minime ab offenſis partibus admittantur. De priori ſcopo non multa dicemus, quia diuerſis remedijs illi erit ſatisfaciendum: aut enim vacuando fieri poteſt reuulſio, nempe ſecta vena, aut per medicamenta. Nam vt ait Galen. medicamenta aluum cientia in affectibus capitis inſigniter reuellunt, ſiue fuerint deuorata, ſiue per clyſteres iniecta. Conditio vero, vel ſtatus corporis hæc definiet; ſicuti ſi corpus plenum ſit, aut cacochymum; ſi febris adſit, nam vbi febris inſignis aliqua ſit, vt 2. de Rat. vict. in acutis morb. dixit Galenus, longe magis commoda eſt ſanguinis detractio. Sed ſi corpus neutro modo plenum eſt, poſſemus illud agere fricatis partibus inferioribus, aut affixis cucurbitulis præciſa cuti, aut citra inciſionem; ſed hæc aliquantulum præter inſtitutum videntur. Ad repellendum, & maxime opportunum, & in maximo vſu eſt oleum roſaceum, quod aſtringit, & leniendo dolorem ſedat; & cũ duplex ſit ratio parandi oleum, ſi vrgeret magis dolor, aptius eſſet illud, quod in præſentia completum appellant: ſin autẽ magis videretur refrigerandum, & repellendum, illud, quod Græci omphacinum nuncupant, aptius eſſet, quod ex oleo confectum eſt, quod non ſit plane maturum. Perfundendum ergo, quoad erit timenda inflammatio, oleo roſaceo tepido, atque ſuperaddendus, præterea erit linteus eodem oleo perfuſus, circumuicinas partes contegens; neque oberit, ſi in vulnus inter initia infundatur. Medicamenta vero prioribus indicationibus accommodata, vt prius fuit quoque dictum, tertio libro fuere expoſita, & propterea non hic repetenda, quia curantur hæc ſicut alia vulnera cum contuſione alijs inflicta particulis. Verum quia interdum aut a primo illato vulnere, cum cutis diducta & dilacerata eſt, aut etiam dum locus & vulnus dilatatur, inciſa cute, & membrana, excitatur copioſa ſanguinis profuſio. Cum venæ inſignes etiam in ea operatione reſcindantur, huic ſymptomati etiam occurrendum eſt, & ſanguis eſt cohibendus: ſpongia autem in aceto intincta ſanguinem nonnulli reprimebant: alij linamentis imbutis œneleo, hoc eſt vino & oleo, oleum enim dolorẽ mitigat, vinum vero præſertim auſterum aſtringit: alij oxycrato, hoc eſt poſca. Alij vero ſiccis linamentis vulnus replent, quæ præcipue loco apponunt, vnde emanat ſanguis, ſuperaddito deinde linteolo aliquanto ampliori, quàm ſit vulnus, imbuto vino, oleoque. Suppreſſo autem ſanguine, atque mundato oſſe, niſi reliquus ſit dolor aliquis in illis vulneribus, in quibus os pertuſum non ſit, aut ſaltem ad internas partes non penetret ſciſſura, ſola extat indicatio adgenerandam eſſe carnem, qua os contegatur, vulnusque repletum ad æqualitatẽ perducatur, vt deinde & conſolidetur. Sed cum carnis procreatio, vt priori libro diximus, ſit ſolius naturæ opus, quam non modo generari oportet, verum & procurare, vt poſſit oſſi hærere, dum quaſi pullulat, & in hoc præſertim, vt 6. meth. expoſuit Gal. operam medici deſiderat. Nam maxime naturæ obſtare poteſt, ſi pingue aliquod, aut ſordes quæpiam a circunſtantibus partibus ad os confluat, in his ergo ſubuenire naturæ poterit ſuis medicamentis, ſi vim habuerint inſigniter deſiccandi. Is ergo eſt ſcopus, quem in hoc ſtatu maxime, tum ab ipſius affectus, tum ab ipſius particulæ natura deprompta indicatio nobis offert: nempe deſiccandum propter affectum, vt diximus: valide vero, propter naturam affectarum particularum, primum quidem oſſis ſicciſſimæ partis, deinde pericranei, tertio & cutis capitis. Ergo ſemper vtetur medicus vſque ad curationem abſolutam deſiccantibus, quæ morſus ſint expertia, quæque cephalica, hoc eſt capitalia medicamenta appellari ſolita ſunt, tanquam huic negocio congruentia: id genus vero ſunt, quæ primum a Galeno enumerata habemus, & itidẽ ab alijs omnibus repetita: vt ſunt iridis radices, erui farina, thuris manna, radicum item cortex tàm ariſtolochiæ, quàm panacis, & tandem cætera, quæ ſimilem cum his naturam habent, nempe quæ ſine morſu deſiccant. Ex his enim tritis & commixtis conficitur aridum, & inſperſile medicamentum: nam hæc in primis huic officio aptiora ſunt. Galenus enim, ac reliqui probati medici conſuluere, declinanda eſſe medicamenta, quæ tenera, molliaque ſunt, quibusque linamẽta imbui poſſunt: quia tametſi deſiccent inſigniter, tamen pinguis aliquid, & oleaginoſi continent. Sed iam tranſeamus ad vulnera capiti inflicta cæſim, vel punctim: de illis autem, quæ ad caluariam non pertinent, non eſt quod aliquid præterea dicamus, niſi quod eadem eſt eorum curatio, quæ & aliorum vulnerum, adeo, vt antiqui dixerint ea etiam ſuenda eſſe, ſi amplitudo eorum requirere videatur. Sin autem os attingant, pro maiori vel minori noxa oſſi illata, ita vario modo res eſt tractanda: nam ſi inciſura aliqua appareat, citra tamen oſſis contritionem, ſcalpris os abradendum, donec illa deleatur. Alioquin enim cum neceſſe ſit humiditatem aliquam in ea conti-

neri,

neri,vel ichorem, is putreſcens inficere atque corrũpere os facile poterit, ac ſubinde ad internas vſque partes vitium illud ratione connexionis, quam mutuam habent,impertiri. Sæpe enim in ſimilibus capitis vulneribus, cum alijs recte adminiſtratis,per dies multos omnia recte ſucceſſiſſent, tandem cœpit os liueſcere, & ſubnigreſcere, quod deinde concomitata ſunt grauiſſima ſymptomata, vt ſunt rigores,febres, tremores,deliria,& id genus alia multa: poſtremo vero & interitus. Immo & hoc iterdũ obſeruaui,quod abraſum fuit os, vt penitus deleretur aliqua rima in eo apparens, & eo vſque abradentes ſcalpris chirurgi progreſſi ſunt,vt finita fuerit rima: adeo tamen in fundo os exile relictum eſt,vt ab aere, vel ab alijs cauſis ſe defendere nequiuerit: vnde poſtea quaſi extincto eius calore natiuo cœperit liueſcere, & denigrari:quo neglecto male deinde cum laborante actum eſt. Aliquando vero ablato tenui illo, & vitiato oſſe conſultũ eſt illius ſaluti. Quòd in inciſione arripuerit os vniuerſum vſque ad internas partes, illud aperiendum erit vel ſcalpris,vel terebello, vel alio id genus inſtrumento,ne aut reſudans,aut deſtillãs ichor, aut aliqua humiditas ad internas membranas,ibique concluſa & deſtituta a perſpiratione, putreſcat,& illas peſſime afficiat, hominemque ad extrema periculla adducat. Aperto itaque oſſe,facto in ipſo,vt diximus,foramine,id in primis conſiderandum,quid agẽdum ſit, vt hominem ab imminenti diſcrimine liberemus,id autem præſtantiſſime agere poterimus, ſi quibus periculis eſt obnoxius, probe teneamus: hoc enim percepto, rationem non ægre inibimus, qua illi conſulendum ſit. Periculum autem duplex in his affectibus extat. Primum a fluxione humorum impendet,ne ob imbecillitatem loci tum obiectum, tum etiam, internæ partes detectæ aeri frigidiori exponãtur,qui illis maxime noxius eſt, & ob dolores & con cuſſionem, capitis ex plaga, ex motu ſpirituum,& ſanguinis, qui concitantur ex animi motione, tum timore,quando vulneratur aut ira aut ſimilibus animi perturbationibus agitantur, calidi confluant ſucci,qui inflammationem inferant, & hoc commune fere eſt omnibus vulneribus, præſertim inter initia, quia facile inflammationibus patent: & proinde inter primos ſcopos is eſt inflammationem arcere. In his autẽ vulneribus, non modo partibus externis timenda eſt inflammatio, verum & interioribus, nempe membranis,& cerebro. Alterum vero,quod imminet periculum,& eſt ex humiditatibus,vel ichoribus,vel pure deſtillantibus ad internas partes, præcipue ad membranas:nam ſi ibimorentur, contrahunt putredinem,& ſubinde acrimoniam, quæ noxas illis vehementiſſimas inferunt, his ergo proſpiciendum eſt. Et quia primũ periculum magis præceps eſt, ideo maiorem in initio vim indicandi habet: quare ab hoc inchoandum eſt, & primum contra inflammationẽ eſt pugnandum. Sed & hoc aduertendũ præterea eſt, quod eadem eſt ratio oppugnandi aliquem affectũ, quando iam in initio eſt, & quando nondum quidẽ incepit,ſed ſuſpicatur quòd incipiat,vt ex Galen. accipi poteſt in libro de curandi ratione per ſect. ven. cui videtur & Hippocrates atteſtari,quibus libro cõmentariorum in epidem. ait, quòd quæ adminiſtrata curare poſſunt morbum præſentem, illa ſi prius fiant,obſtant,quo minus fiat is morbus: cui & hoc addamus, quod inflammatio membranarum, ſicuti exponit vbique Galenus, proprie phrenitis eſt: niſi quòd cum phrenitim dicimus ita abſolute, eam intelligimus, quæ ſponte ſua oritur in capite, nulla illi p̃ſtita occaſione ab aliqua plaga. Si tamen ad ipſam rei naturam reſpiciamus, idem eſt omnino affectus,& ideo eadem etiam methodo curatur, etſi in aliquo euariant, id potius euenit ratione alterius conditionis diuerſæ, quæ reperitur in particula affecta, ſed

A primum ea,quæ omnino eadẽ & communia ſunt exponemus,poſtea vero & illa, in quibus aliqua eſt varietas. Cum itaque ſcopus primus ſit, vt obſiſtamus futuræ inflammationi,iſtius vero rei vniuerſum momentum ſit in ipſa fluxione, quę poſſunt obſtare fluxioni,ea omnia huic ſcopo attinent. vnde & tenuiſſimus victus, quantus poteſt a ſauciato homine perferri maxime congruens erit, interdictis prætereà illis omnibus, quæ poſſunt ſanguinem commouere: in primis vero vino,& quæcunque calida ſolent replere caput, ſiue bibantur, vel comedantur, ſiue odorentur,ſicut aromata: & proinde etiam motiones tam corporis, quam animi noxiæ ſunt, cum ſuccos facile

B commoueant. Contra vero quies quanta eſſe poteſt, commoda eſt. Deinde vero quia vix fieri poteſt,quin huiuſcemodi plagis non commoueantur ſucci: ideo & neceſſarium eſt, vt rem noſtrã in tuto collocemus, motos humores reprimere, ac etiam a loco affecto auertere. Hoc vero, ſi vires ætas poſſit hoc remediũ admittere,fiet ſecta vena,aut interiori, aut exteriori in cubito,aut media,& id pro ratione maioris vel minoris plenitudinis corporis, ſed interdum neque ſatis fuerit ſemel venam ſecare,ſed bis. Et quamuis hoc proxime non videatur ad præſens inſtitutum pertinere:non poſſumus tamen, & illud ſub ſilentio præterire, quod legentibus aliquando poterit eſſe vtile:

C nam ſæpe & Galenus in libris de medicamentorum compoſitione,quamuis inſtituiſſet ibi de medicamẽtis agere, interdum tamen a quadam rerum connexione tractus, vel ex aliqua vtilitate, aliorum etiam inſtrumentorum medicinalium meminit. Porro cum ſemel, cum alijs etiam præſtantiſſimis medicis intereſſem cuidam curationi nobilis cuiuſdam patritij, qui vulnus prægmagnum in capite acceperat, quod nõ modo os diſceſſerat, ſed & internas membranas, gladiuſque in cerebri ſubſtantiam, quantus eſt tranſuerſus digitus fuerat adactus, vulnus autem erat parum ſupra ſuturam, quę a litera Lambda nomen habet, cumque omnibus recte peractis, res vſque ad

D tranſactam quintam fœliciſſime ſucceſſiſſet, ſtatim, nulla alioquin præſtita occaſione, cœpit a rigoribus cum aliquo dolore capitis corripi, vulnuſque ſolito pallidius, & depreſſius viſum eſt: vnde omnes cœpimus eſſe conſternato animo. Ego vero ad me ipſum conuerſus cogitabam, vnde hæc tamen ſæua cœpiſſet procella, cumque pro certo haberem,hæc eſſe ſigna ſuborientis inflammationis, putabam huic eſſe incumbendum,nec leui,ſed valido remedio. Aperui itaque conſiliũ meum, & hoc ſi vires eæ eſſent, quæ id genus remedium poſſent ferre,propoſui,vt iterum ſecaretur exterior vena in cubito, quam cephalicam appellant,conſenſere omnes. Sanguine autem detracto omnia ſedata ſunt,& vulnus etiam melius in colore viſum eſt, indeque res ſemper melius ſe habuit, & tandem facile pro ratione,vulneris conualuit. His

E autem & illud addamus, quod & addidit Galenus, ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum loca,capite primo, quòd ſi vel vires,vel ætas eiuſmodi remedium ferre minime poſſent, alia ratione eſſe reuellendum leuioribus & facilioribus inſtrumentis,nempe clyſteri. Vbi vnum videtur hic conſiderandum, quòd in his fortaſſe damnandus videretur Galenus,utpote qui eandem calumniam pati uideretur(nam hæc a Galen. deſcripſimus)cuius ipſe Apollonium inſinuauit, quia quibus clyſteribus ſit utendum,cũ in eorum uiribus & robore diuerſa admodum ſit ratio, ut primo iſtius compendij libro oſtendimus,non explicauerit. Verum ſi aliqua uolumus huc transferre quæ ille hoc eodem libro expoſuit, hæc præſertim referenda ſunt ad acriores clyſteres:quia ſcopus ille eſt, fluẽtium humorum impetum

tum reuellere. Auicenna vero in capite de dolore capitis ex caſu, aut percuſſione, rem hanc magis per appoſitas limitationes definiuiſſe viſus eſt, & quidem ex bona ſatis ratione, qui non modo laudauit clyſteriorum vſum, & illorum acrium quidem interdum: verum & catapotijs quandoque vti oportere ait, & valentioribus etiam catapotijs, qualia ſunt quæ cochiæ dicuntur: hac vero vtitur definitione, vt conſiderandum ſit, an cum dolore ſit adiuncta febris, pręterea vero & tenor, vel modus febris, quia ſi adſit febris alicuius momenti, oportet continere nos ab eiuſmodi catapotijs, alijſque id medicamentis ſoluentibus, immo & clyſteribus qui ſint valde acres, & moderatis vti oportet; ſi vero aut nulla, aut exigua adſit febris, & acribus clyſteribus vti licebit. Hæc vero definitio deſcripta eſt a Raſi, qui tamē videtur voluiſſe imitari Galen. 2. de ratione vict. in acut. mor. qui vbi explanans Hippocr. ſententiam, qua præcipit pleuriticos vacuandos eſſe, ſi dolor deſcendat peplio, vel nigro veratro, ait illud quidem fieri poſſe, ſi nulla adeſt febris, quæ acuta & inſignis ſit, quod mihi annotatu dignum videtur, id tamen a multis medicis neglectum eſt, qui ſæpe hæc catapotia illis exhibent, quibus vulneratum eſt caput, aut contuſum, quamuis credant, aut ſuſpicentur male affectas eſſe internas partes, & periculum adeſſe inflammationis. Neque enim poteſt adeſſe ſuſpicio inflammationis internæ ſine acuta febre, cum in eodem genere ſit cum phrenitide: tuto ergo illa medicamenta dari poſſunt, vbi externæ partes incommodum paſſę ſunt, non autem quando internę, quod vel ea ratione poteſt probari. Quia ſi ad naturam morbi reſpexerimus, a qua prima remediorum indicatio accipienda eſt, vt eodē capite inſinuauit Galen. is affectus idem natura, & ſpecie eſt cum phrenitide, & tandem curationem, paucis admodum mutatis deſiderat. Nullus autem in curanda phrenitide, qui legitimus medicus fuerit, laudauit horum catapotiorum vſum: ſed ſi aliquib. medicamētis aluū cientibus videatur eſſe opus, non tranſgrediuntur eorum ordinem, quæ leniunt, & refrigerant. Sed ad noſtrum inſtitutum tandem redeamus, quod eſt de externis & localibus medicamentis agere. His itaque expoſitis quæ communia ſunt phrenitidi, quæ citra vllam cauſam procatarcticam oriūtur, & inflammationem, quæ plagam in capite acceptam ſequitur, id conſiderandum, quod alia ratione res tractanda erit inter initia, ſi nulla ſit alia indicatio præter illam, quæ ab inflammatione accepta eſt. Indicatio, autem quæ ſæpius ſolet in hoc affectu vim habere, ea eſt, quæ a dolore proficiſcitur: nam ſi adſit dolor adeo inſignis, vt vim indicandi aſſumpſerit, quàm primum ab his medicamentis curatio inchoanda erit, quæ poſſunt ſedare dolorem, paregorica vero a Græcis dicuntur: ita enim inſtituit Galen. ſecundo de compoſi. medicamentorum ſecundum locos, in curatione doloris capitis ex plaga: vbi ſtatim irrigandum eſſe caput ait oleo dulci ex lana eo imbuta. In oſſe autem perforato, licet etiam inciſa ſit interior membrana, cum calamintæ ſuccum conſilio Archigenis infundendum eſſe dixiſſet, inſpergendamque farinam milij aridam: deinde eſſe infundendum medicamentum confectum ex butyro, oleo roſaceo, & adipe ſuillo ſalis experte, veteri tamen, ſimul liquatis & mixtis: in quo ſi omnia velimus recte æſtimare butyrum vim habet molliendi, aliquantulum etiam digerendi, adeps ſuillus inueteratus aliquantiſper, & ipſe mollit, quamuis longe magis dum recens eſt. Inſigniter autem ſatis digerit, cum vetus eſt, oleum roſaceum, modice quidem ex oleo habet, quod molliat & digerat: ſed potius in hoc medicamento accipitur, quia tum refrigerando, modice tamen, tum aſtringēdo poteſt influentes humores repellere, & robur

A particulæ ſeruare. Eſt autem medicamentum vniuerſum temperati caloris, atque ideo mitigando dolori aptum. Sed hæc omnia præſertim congruentia ſunt, quando morbus a plaga ortum habuit, & præcipue ex contuſione, doloremque adeo magnum habet aſſidentem, vt eius indicatio vrgeat multum. In affectibus autem capitis, vbi aliqua adeſt inflammatio, quę aut iam inceperit occupare internas particulas, aut ea pro foribus ſit, alia erit ineunda curandi ratio. Nam in vniuerſum quantum ad curationis methodum, eadem erit ratio, quæ & ceterarum inflammationum, nempe vt a repellentibus in initio inchoemus, in incremento digerentia cum repellentibus commiſceamus, vt in tertio lib. expoſuimus, mox ſolis laxantibus, & digerentibus vtamur. Particulatim B autem materiæ, quæ his ſcopis ſatisfaciunt, eligendæ ſunt, habita in primis ratione illius particulæ, quæ ab inflammatione tentatur, & inde depromptæ indicationis. Sed ne verbis nimis abundemus, rem perſtringamus. Itaque cum repellentia, tum refrigerent, tum aſtringant, & neque vehementer refrigerantia, neque nimis aſtringentia ſint admodum capiti in his affectibus, vt paulo poſt oſtendemus, accommodata, ideo ab omnibus oleum roſaceum communi conſenſu ad repellendum in inflammationibus capitis laudatur, ſiue cum vulnere ſint, ſiue citra vulnus, vt in phrenitide. Nam cum ſit eadem ratio morbi, & eadem particula, quæ inflammationi obnoxia eſt, eandem etiam requirit rationem remediorum: roſaceum vero oleum omnibus viſum eſt eatenus refrigerare, & C aſtringere poſſe, quatenus his inflammationibus ſatis ſit, & quamuis aliquam etiam vim digerendi habeat: tamen hoc tempore venit præcipue in vſum, ratione repulſionis, quæ fit ope aſtringentis facultatis. Vt tamen neque inutilis ſit digerendi, & laxandi facultas, qua præditum eſt: nam poteſt ab ea aliquantulum ſedari dolor, cuius nunquam expers eſt inflammatio, qua exercentur partes aliquo ſenſu præditæ. Eſt tamen aliqua diuerſitas in vſu ipſius roſacei, quæ non accipitur a morbi ratione, ſed ab aliqua ratione affectæ partis: nam in phrenitide, vbi nullum vulnus, neque vlla eſt in caluaria pertuſio, modicum commodum, quod natura poſſet expectare ab vſu olei roſacei. Cum enim illi ſit per tot partes tranſeundum, an D teaquam peruenire poſſit ad inflammatam, quarum pleræque denſæ, & ſolidæ ſunt: Primum enim cutis capitis, & craſſa, & dura eſt, pericraneum etiam & ſi ſatis tenuis ſit membrana, denſa tamen eſt, vt de caluaria nihil dicam, quæ os craſſum eſt, Sed & membranæ internę ita craſſę, & denſę ſunt, vt non facile poſſint admittere medicamēti trāſitum, vt teſtatur Galenus, ſemper diſſoluitur aliquid virium medicamenti, ex ea tranſmutatione quæ mutua eſt inter particulas & medicamenta. Hac itaque de cauſa inierunt rationem medici, vt oleo roſaceo aliquid adderent aceti: hæc enim additio, cum & acetum repellat refrigerando, addit aliquid roſaceo, ſed longe magis prodeſt quia cum facilius poſſit, citiuſque ſe in profundum indere ratione tenuitatis ſuarum partium, ſecū præ- E terea, & oleum ducit, anteaquam fiat aliqua inſignis virium eius diſſolutio: neque tamen timendus aliquis morſus & irritatio ex aceti acrimonia, quia illa, tum in tranſitu, tum vero mixtura olei non parum miteſcunt. In affectibus autem capitis vbi, cutis detracta, & pericranei pertuſum eſt os, non eſt hæc difficultas medicamentis in tranſitu, quæ poſſunt in mēbranas infundi & proinde non eſt alioquin opus, vt oleo addatur acetum, ſed ſatis eſt oleum roſaceum: quod quidem licet aliquid habeat digerentis, præſertim tamen repellit aſtringendo & refrigerando: ſed in incremento etiam inflammationis opportunus erit vſus olei roſacei. Niſi quis fortaſſe obijciat, quod

hæc

hæc cum prioribus non videntur conſona. Diximus enim quod ratio curandi has inflammationes continetur ſub generali methodo curandarum inflammationum, quemadmodum & hæ inflammationes, ſub communi inflammationum genere continentur. Methodus autem communis curãdarum inflammationum in his regulis fundatur, in initio ſolis repellentibus vti oportet. In incremento autem cum repellẽtibus miſcenda eſſe digerentia, donec in ipſo vigore ſolis digerentibus locus relinquatur: hæc enim in tertio libro ex omnium medicorum ſententia a nobis fuere expoſita. In his autem inflammationibus capitis curandis inter initia medici volunt medicamenta eſſe mixtæ facultatis, nimirum repellentis & digerẽtis, item & in incremento, immo & in ipſo vigore. Huic dubitationi reſpondemus, quod generalis curandarum inflammationum methodus ita requirit, vt regulæ, quæ nuper relatæ fuere præſcribunt, itidẽ in tertio fuit expoſitum. Sed hæc omnia ſolum deprompta ſunt a cõmuni natura inflammationis, quatenus inflammatio eſt, non autem, vt hanc vel illam particulam reſpicit, quia in communi & generali ratione nulla comprehenditur comparatio magis ad vnum defuturum locum, quam ad alium: indicationes vero, quæ a certis & definitis quibuſdam particulis depromendæ ſunt, vim tantam habent, vt communẽ methodum deflectere aliquatenus, & vitiare poſſint, nam particulæ illæ, quæ aliquas habent obeundas actiones, quæ nobiles admodum ſunt, vel neceſſariæ vitæ animantis, cogunt medicum eorum robori ſemper proſpicere, ne diſſoluatur. Vnde ſemper medicamentis vtuntur medici, non modo in ſanandis earũ inflammationibus, quæ habent vim aliquam aſtringendi, verum & in cæteris quoque affectibus ad illas pertinentibus. Hoc enim ſeruari ſolet in medicamentis accommodatis ventriculo, iecinori, cordi, cerebro. Sed in præſentia hæc ſatis ſint: & vt tandem finem huic capiti imponamus: aliqua quam breuius poterimus, quæ neceſſaria ſunt ad rectum horum medicamentorum vſum, expediemus. Primum ergo hoc etiam explanemus, quo modo oxyrhodino, vel ſolo roſaceo expediat in his affectibus vti: calidiſue? vel tepidis? vel potius frigidis? Alterum quando acetum immiſcendum eſt oleo roſaceo in initio, quotuplum oporteat eſſe oleum ad acetum. Nam 2. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, capite primo hoc vitio vertit Apollonio, quod illud non definierit: quod tamen & ipſe prætermiſit. Quatenus ad primum pertinet, ſi de vſu roſacei in capitis vulneribus ſit ſermo, præſertim ſi ad internas partes penetratum ſit, nulli poteſt eſſe dubium, quod oporteat, aut tepido, præſertim in æſtate, aut aliquanto calidiori, maxime in hyeme eo vti: nunquam autem actu frigido, cum frigus illis particulis nocentiſſimum ſit, cũ etiam in æſtate aer frigidus tanquam res maxime noxia fugiendus ſit. Vbi vero integrum ſit os, & externæ partes, non eſt æque res hæc clara, immo maxime in ea diſſentiunt medici, & illi ſane celeberrimi in hac arte. Arabes enim, vt Auicenna & Meſues præcipiunt, vt eo frigido & inſigniter frigido, vtpote quod ſit ex niue refrigeratum vtamur, quòd a Galeno fortaſſe deſumpſere, qui in eodem de compoſitione medicamentorum ſecundum locos in curatione doloris capitis ex cauſa calefaciente, vt a ſolis ardore, ſiue ſit ſola intemperies, ſiue ſit cum affluxu vaporum, vel humorum calidorum: atque hoc eſſe & optimum remedium in hoc affectu, vtpote quoniam repellit, tum vapores, tum humores, qui ab infernis partibus ſurſum feruntur, eoſque deorſum detrudit. Huic tamen ſententiæ aduerſantur omnes fere Græci auctores, imprimiſque Aetius ex Poſidonio apertiſſime ait, æſtate tepidum eſſe perfundendum: hyeme vero,

A aliquantiſper calidum. Sed & Apollonius, vt hic refert Galenus, idem ſenſit. Paulus quoque in eandem ſententiam conceſſit, cui & Alexand. Trallianus ſubſcripſit. Mihi autem cum his Galenus conſentire videtur: nam propoſitis medicamentis, quæ ad dolorẽ capitis deſcripſit Apollonius, ſingillatim ea in examen deducit, & vbi reprehenſione dignus ille videtur, reprehendit, exponitque illa, quæ nullo modo ipſi probantur: aliqua vero damnat, quia ſint indiſtincte deſcripta, quæ tamen diſtinctione aliqua egebãt, ſicut de immixtione aceti cum oleo roſaceo. Si itaq; putaſſet differentem eſſe rationem, oxyrhodini, cum fractum eſt caput, & cum integrum eſt, interior tamẽ aliqua pars eſt inflammata, cum hoc multum referat,

B in eo etiam damnaſſet Apollonium. Huic accedit, quod decimotertio method. cum de phrenitide, & lethargo ſermonem haberet, dixit in ratione curationis in principio ſimiles eſſe, eiſdemque egere remedijs, itidemque in fine, in medio autem omnino requirere contrariã medicamentorum rationem, vnde pariter in vtroque oxyrhodinum laudat. Poſtea vero quia inualeſcunt ſymptomata in illis omnino aduerſaria in altero immodica vigilia, in altero fere inexuperabilis ſomnus, ideo in altero neceſſaria ſunt, quæ ſomnum conciliant: in altero, quæ maxime a ſomno excitent. Si ergo ſenſiſſet in altero frigidum, in altero tepidum, aut calidum eſſe perfundendum, iſtius rei, cum non parui ſit momenti, meminiſſet, neminem

C autem puto ſentire in lethargo frigida eſſe perfundenda, vnde nobis videtur potius hærendum Græcis auctoribus, quam Arabibus in hac re. Et ſi quis dicat ad Gal. propoſitam ſententiam de curando capitis dolore ab ardore excitato, quomodo reſpondebimus? Nobis Poſidonius viam oſtendit, quando non modo ait tepidum adhibendum eſſe oxyrhodinum, verum & iſtius rationem reddit & ait, frigida actu declinanda, quia materiam in inflammatione comprehenſam, & infarctam magis inculcarent; atque ita deinde eius digeſtionem longe difficiliorem efficerent. Ecce ergo cur fugimus frigus actu. In dolore vero ex ardore ſolis excitato, licet adſit materia, quæ partim fluxit, partim fluit ad caput, non eſt tamen illa infarcta, & inculcata in ipſam affectam particu-

D lam, vt in inflammatione, ſed fluit, & ut ſecũdo libro commentariorum, in primum epidem. tradidit Galen. quaſi alluit ipſas particulas: unde propterea neque deinde timemus, ne intrudatur, inculceturque in ſubſtantiam loci affecti. Sed & alterum diſſoluamus, quod de portione aceti immiſcendi oleo roſaceo propoſitum fuerat. Dicimus ergo, quod iſtius rei nequit fieri certa, & exquiſita determinatio: nam cũ præſertim ad hoc immiſceatur, vt faciat faciliorem penetrationem medicamẽti ad internas partes pro corporis ratione: ita variãda eſt aceti mixtura. Nã alia aliis ſunt dẽſiora, duriora, & ſolidiora corpora, cũ cutim, & cum caluariam craſſiorem & duriorem habẽt: quo ſit, vt alia etiam alijs maiori egeantq; ope ad pe-

E netrandum, in his ergo erit etiam opus copioſiori aceto. Et quamuis Galen. in libro de facile parabil. medic. capite primo hoc definiuiſſe videatur, dixiſſeque, oportere, vt quadruplum ſit oleum ad acetum: hoc tamen accipiendum ita eſſe prolatum, non vt ſemper ſit hæc menſura ſeruanda, ſed tanquam hæc ſit ſatis mediocris, & quæ ſæpius poſſit eſſe congruens. Hic mihi tamen neque id prætereundum videtur, in quo alios medicos hallucinari animaduerti qui putant in oxyrhodino plus interdum aceti imponendum, quã roſacei: & id quando nimis vrget ſomnus, quia acetũ maiorem vim habet excitandi: cui rei nullum antiquorum auctorum atteſtantem, me legiſſe memini. Galenus quidem 13. methodi, capite duodecimo dixit, omnes inflammationes cerebri, ſiue ſit phrenitis,

ſiue

ſiue lethargus, ſiue ſit affectus medius inter hos, in initio egere repulſionis gratia, quando integrum eſt os caluariæ, oxyrrhodino: ſed ſi perforatum ſit os, ſatis eſſe roſaceum oleum, in ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos capite primo pronuntiauit, acetumque addi, vt facilius ad fundum vſque perueniat vis olei roſacei: ex quo facile quiſque percipere poteſt, ſatis eſſe vt tantũ aceti imponatur, quãtum ſit ſatis ad penetrationem, & proinde, quod nunquam ſit opus plus aceti indere, quàm olei. Accedit ad hoc, quod idem Galenus in libro de facile parab. med. capite 1. de dolore capitis ex ſolis ardore agens, ait, quod ſit in oxyrrhodino imponẽdum quadruplum roſacei, & ſubiungit, niſi plus refrigerare velis: tunc enim plus aliquanto aceti imponendum. Quia vero hactenus de oxyrrhodino verba fecimus quatenus pertinet ad mixturam aceti, & modum illud perfundendi nempe calidum, vel frigidum, quia etiam aliquod dubium poſſet alicui negotium faceſſere quantum ad oleum pertinet, cum duplex ſit eius conficiendi ratio, interdum enim fit ex immaturo oleo, quod omphacinum appellant, interdum ex maturo, quod in præſentia completum nuncupãt. Differunt autem eorum facultates, quia omphacinum magis aſtringit, & refrigerat, quam alterum: quod autem maturum eſt, magis mollit, & digerit. Cum ergo ita differant, videtur rationi conſonum, vt differens ſubinde ſit etiam ratio vſus eorum. Huic dubitationi ita videtur reſpondendum, quòd vbi maior viget caliditas, ibi magis accommodatum eſt omphacinum: vnde Galenus in dolore capitis ex ardore ſolis præfert oleum roſaceum omphacinum. In initio etiã inflammationum cerebri, quæ proxime accedunt ad naturam phrenitidis mihi magis probaretur omphacinum, ſiue fracta eſſet caluaria, & pertuſa, ſiue ſecus, quia maiorem refrigerationem & repulſionem requirũt. At in inflammatione hac, quæ magis maturã lethargi habet, putarem, oleum roſaceum maturum aptius fore, quia non eget tanta refrigeratione & aſtrictione cum a frigido humore ſuapte natura ortum habeat, & craſſiori: poſt principium vtrobique mihi maturum magis probaretur, immo in lethargo magis etiam chamæmelinum. Sed quia hactenus rationem curationis, quæ communis eſt omnibus incipientibus inflammationibus, expoſuimus, quatenus nimirum ad naturam & vſum medicamẽtorum pertinet, & vt ait Gale. quantum ab initio deinde recedunt, tantum magis eorum ratio euadit diuerſa, & quaſi aduerſaria fit: & id ſicuti 13. metho. c. 4. & 21. idem ait, ob diuerſam & fere ex toto oppoſitam ſymptomatum naturam, quæ oppoſitam naturam ipſorum morborum ſequuntur. Phrenitidis ſiquidem, quæ a calida ſiccaque materia ortum habet, comes eſt vigilia omnino modum excedens: lethargiam vero, inexſuperabilis ſomnus. Itaque poſtea quàm circa has cerebri inflammationes vertitur in præſentia noſtra oratio, de illis particulatim agamus, quæ ad curandas vtraſque inflammationes ſolent in vſum venire. Cum igitur quo magis increſcit inflammatio, eo etiam magis ſymptomata ſæuiãt, quæ inflammationis in ea parte ſubortæ naturam ſequuntur, & phrenitidis, cuius cauſa eſt humor calidus & ſiccus, comes eſt maxima agitatio corporis, & interdum tanta, vt vires deijciat, vigilia maxima, & plerunque continens & perpetua, deliriumque perpetuum, ac conſtans, oris & linguæ ariditas: & ſæpe denigratio, febris etiam ardens: His occurrendum erit non modo illis remedijs, quæ ſomnum conciliant, ſed interdum quia extremi morbi extrema remedia deſiderant. In illis quæ ſoporem & torporem afferunt, nec modo ſenſibus, verum & principalibus facultatibus vnde ſucco lactucæ vtuntur medici, vel eius decocto, caput

A perfundentes, aut decocto ex capitibus papauerum, & alijs id genus medicamentis, quibus & caput perfundunt, & naribus, vt odorentur, offerunt. Sed & illitiones interdum parantur, quæ temporibus, naribusque illinuntur, vt ſunt oleum violaceum, & nenupharinum, quibus interdum commiſcemus, & ſuccũ lactucæ. Aliqui accipiunt olei violacei, nenupharini, anethini ſingulorum drachmas tres, opij gran. 3. & his mixtis inungunt internis nares, & tempora. In maximo autem vſu his temporibus fuit vnguentum, quòd a Nicolao deſcriptum & paratum apud omnes fere ſeplaſiarios reperitur, & appellatur Populeon, quia germina populi arboris aliorum omnium ſimplicium rationem excedunt. Eorum enim libram accipit, ſeminis papaueris nigri, foliorum mandragoræ
B ſummitatum rubi tenerarum, foliorum hioſciami, ſolani, minoris ſemperuiui, quod vermicularem herbam in præſentia vocant, ſemperuiui maioris, perſonaceæ, quam bardanam nuncupant, violarum, vmbilici veneris, ſingulorum vncias 3. axungiæ porcinæ citra ſalem libras duas. Oculi populi ſeorſum primum tunduntur, mox iterum cum axungia, ac efformantur, vt nunc dici ſolet, in magdaleones, per biduumque ita dimittuntur: tertio vero die prædictæ omnes herbæ ſeorſum prius, deinde iterum ſimul cum prædictis magdaleonibus mixtim teruntur, iterumque confectis vt prius magdaleonibus, quieſcendum eſt per dies nouem, qui poſtea fruſtatim inciſi coquũtur ex libra vini optimi odoriferi, donec vinum abſumatur, ſemper tamen ſpata agitando. Poſtremo ſucco
C omnia impoſita exprimendo colanda ſunt, & vbi refriguerint, ſeruanda ad opportunum vſum. Omnia quidem refrigerant, aliqua ratione etiam nonnihil aſtringunt, vt rubi germina, ſolanum, plantago. Alicuius temperati caloris eſt exungia, quæ materiæ officio fungitur, calefacit & vinum aromaticum, quod tametſi poſſit contemperare multum eorum frigus, puto tamen potius fuiſſe impoſitum vt perducat, & penetrare faciat vim medicamentorum frigidorum, præſertim vero ad caput, atque ita ſomnum cõciliet. Vim ergo refrigerandi inſignem habet. Solent tamẽ medici interdum aliquid opij immiſcere, vt habeat maiorem vim ſoporem afferendi, vt ſemunciæ duo, vel tria grana, inungunt autem tempora & nares, vt
D paùlo ante diximus. In lethargo autem hoc tempore ſicut diuerſiſſima, immo omnino oppoſita accidũt ſymptomata, ita penitus oppoſita remediorum ratio inſtituenda, tam ratione materiæ, a qua morbus excitatus eſt, quam etiã quatenus pertinet ad ipſa ſymptomata, quæ illi accidere ſolent. Materia enim cum frigida, lenta, & craſſa ſit, oſtendit opus eſſe medicamentis, quæ vim habeant attenuandi, ſiccandi, ac calefaciendi. Symptomata vero, quæ illam ſequuntur, ſunt quædam ſegnities corporis, ſomnus vel ſopor, & quaſi ſtupor facultatis, tam ſenſitricis, quam motricis: Quare his etiam obſiſtendum remedijs excitantibus, euigilãtibusque, & propterea cum oxyrrhodino illa commiſcenda ſunt, quæ & coquendi, & attenuãdi, digerendique facultatem habent, vnde & oleum
E chamæmelinum erit præſtantius hoc tempore roſaceo. Interdum vero, & ſi aliquid rutacei intermiſceretur, id non eſſe alienum ab hoc inſtituto. Caſtoreuum quoque cum his contritum atque illitum ſyncipiti ſummis effertur laudibus in hoc negotio, vtpote quod concoquat, attenuet & digerat, euigeletque diſcuſſis vaporibus frigidioribus qui ſomnum fouet. Sed & odoramenta attenuantia, & euigilantia maxime vtilia ſunt, aut naribus illita, aut odoranda oblata, quemadmodum eſſet ruta ita arida, ſerpillum, ſampſucus, calamintha, pulegium, origanum, & id genus alia multa quæ, & efficaciora erunt, ſi ex aceto, & illo etiam acerrimo cocta, atque ita calida naribus

olfacien-

olfaciendo opponantur, Sed quia de his ſatis longũ ſermonem habuiſſe videbimur, opportunum erit, vt huic capiti finem imponamus. Verum cum a noſtro inſtituto alienum nequaquam ſit cenſendum: ſi paucula quædam de medicamentis illis addiderimus, quę cephalica ab antiquis medicis dicta ſunt: propterea quia in fracturis capitis æſtimarentur eſſe admodũ vtilia: nam & de his egit Galenus ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, primũ de illis in vniuerſum agemus, deinde vero particulatim, Reuocemus ergo in memoriam, quæ paulo ante fuere expoſita, nempe quod ea, quæ maximum negotium in capitis fracturis faceſſere poſſunt, aut oſſis fragmenta ſunt, quæ attingentia membranas cerebri, eas pungant, vel premunt, aut ichor aliquis, ſanguiſue, qui vel ex venis diſruptis, vel inciſis, vel alijs partibus, vt ex oſſe fracto, vel circumſtantibus partibus effluens, ſupra membranas delabitur, ibique corruptus, multa affert incommoda, & interdum extrema pericula. Quare cum princeps ſcopus medici in his malis curandis ſit vitioſum humorem extrahere, qui omnium malorum in cauſa eſt, & os, ſi quod depreſſum eſt attolere, ad hoc officium medicamenta illa erunt apta, quæ vim inſignem exſiccandi, & è profundo attrahendi habent, quod deinde tum calore, tum partium tenuitate præſtant. Iſtius ergo naturæ ea medicamenta ſunt, quæ cephalica ab antiquis medicis dicebantur, & in his affectibus erant in vſu. Gale. vero in 6. meth. capite primo, emplaſtri, quod Iſis dicitur meminit, & fuit ab eo literis traditum, & examinatum 4. de compoſitione medicamentorum ſecundum gen. cuius nos etiam meminimus, priori libr. quia hæc eadem ad alios etiam affectus, quam maxime vtilia ſunt, præſertim vero curandis vlceribus malignis & putridis. Inter cephalica etiam recen ſuit Galen. 5. de com. medic. ſecun. gen. emplaſtrum quod Heras diadictamna, hoc eſt ex dictamno, & ſacrum appellauit, & erat celebratiſſimum ſuis temporibus. Præterea & illud, quod diabotanon, hoc eſt ex herbis nuncupatum eſt, expoſitum ab eodem Galeno 4. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera: & plura item alia, quorum idem 2. eiuſdem operis meminit, quę propterea quòd noſtra hac tempeſtate in nullo, aut raro ſunt vſu, non putamus opportunum eſſe in hoc loco deſcribere, ſed de illis tantum in præſentia agemus, quibus vulnerarij medici noſtri nunc temporis vtantur. Quę tria ſunt, nempe, quod ex periclymeno conficitur, vulgo vero Vnguẽtum de Matreſilua appellatur: alterum, quod ex betonica fit, & ab ea etiam nomen ſortitum eſt, & tertiũ quod ex gummi elemi, quia gummi illud vna cum alijs medicamentis accipit: primumque de priori agemus, cum & magis vulgare, & in maiori vſu ſit. Accipit ergo periclymeni, velut nunc vulgo appellatur, matriſyluæ quantum videtur eſſe ſatis, & in optimo vino coquitur ad conſumptionem tertiæ partis, quod vbi factum ſit, percolatur, deinde vero accipiuntur ceræ citrinæ, terebinthinæ, ſingulorum autem vncię quatuor, olei roſacei drachmæ duæ, hæc ſimul colliquata commiſceantur, ac ita in vinum illud collatum injiciantur, ac in eo tam diu ſpatha ducuntur, donec frigeſcant: atque ita deinde ſeruetur medicamentũ, quod quidem vim habet deſiccandi ac ex alto materias extrahendi. Nam ſi velimus res omnes ſingillatim æſtimare, vinum primum optimum quod accipitur, non nigrum neque auſterum erit: neque enim illud videtur comprehendi ſub appellatione vini optimi, ſed illud, quod aromaticum & fuluum, eſtque tenuis ſubſtantiæ, hoc namque facile ob ſuarum partium tenuitatem poteſt profundius ſe indere. Periclymenum vero, vel matriſylua, ſi recte velimus eam expenſitare, quæ de hoc medicamento a Dioſc. in

A lib. 4. & Gale. de ſimpl. medic. facult. fuere literis tradita, manifeſte percipiemus vim habere inſignẽ attrahendi ex profundo, cum calidum ſit, & tenuioribus partibus, tenuique ſubſtantia conſtet, cum & diſſecãdi vim habeat, & extenuandi. Nam vrinam potenter cit, vt tandem longo eius vſu ad ſanguinis mictum deducat, & tam interius acceptum, quam exterius eo oleo illitum lienem extenuet, præterea & aſthmaticis opem ferat. Quòd autem & terrebinthina reſina ex profundo attrahat, nulli non notum. Quia vero præterea neceſſaria eſt in his aliqua aſtrictio, tum vt robur internarum partium ſeruetur, tum vel maxime, vt repellantur ſucci confluentes ad affectas partes, hoc oleo roſaceo referendum eſt acceptum. Eſt
B tamen hoc medicamentum ſatis moderatum in attrahendo, quod non eas habet vires, vt illi ſit fidendum, in fracturis cœcis, ſicut quidam antiqui fidebãt illis, quæ proprie ab ipſis cephalica dicebantur. Sperabant etenim vi eorum poſſe & attrahi ichores, vel humores effuſos antequam putreſcerent, ac etiam depreſſas oſſis particulas attolli. vt & 6. metho. & 2. de compoſitione medicamentorum ſecundum gen. viſus eſt Galen. inſinuaſſe. Alterum vero medicamentum, quod emplaſtrum, vel ceratum ex betonica dicitur, in modum hunc conficitur. Accipit ſucci betonicæ, ſucci plantaginis, ſucci apij, ſingulorum autem colatorum libram j. reſinæ, ceræ ſingulorum vncias iij. terebinthinæ libram vnam, cetera coquantur ad
C ſuccorum conſumptionem, vltimo addatur terebinthina, ac fiat emplaſtrum. Non admodum priori viribus diſſimile eſt hoc medicamentum, nam poteſt a profundis partibus vitioſam materiam extrahere. Betonica enim, vt tum ex ſapore, tum vero ex affectu percipere poſſumus, calidiuſcula eſt, & tenuium partium, ſaporem enim partim ſubamarum habet, vt ait Galenus partim vero acrem. Quæ vtraque partium, tum caliditatem, tum tenuitatem oſtendunt, cum præterea lapidem in renibus atterat, menſes cieat, & a pulmone pituitoſam, & purulentã materiam attenuet, & detergat: neque hæc fieri poſſunt niſi cum quodam calore, & partium tenuitate, a multis quoque in vulneribus, & alijs affectibus mirifice laudatur, vt pote quæ citiſſime, tuſa atque in modum em-
D plaſtri appoſita, illa conſolidet, vnde & deſiccat. Sed & apij ſuccus attenuat, & exterius attrahit cum calidus ſit, & tenuis ſubſtantiæ, vt lotia, menſeſque muliebres poſſit ciere, & flatus diſcutere: ſed & plantaginis ſuccum fuiſſe additum puto, vt inflammationes repellat. Reſinas vero, tam eam communem, quã terebinthinam, nemo eſt, qui non nouerit vires habere exterius attrahendi, vt 3. lib. expoſuimus. Reliquũ autem eſt, vt de eo medicamento poſtremũ agamus, quod fit ex gũmi, quod ab Arabibus Elemi dicitur, cuius authorem tradunt fuiſſe Petrũ Aponenſem, qui Conciliatoris cognomen ſibi vendicauit: cõficitur autem in hunc modũ. Accipit gũmi illud elemi ad drag. tres reſinã vero ad vncias 4. his adduntur
E ceræ vnciæ ſex, olei roſacei vnciæ iij. & ſemis, ammoniaci vnciæ duæ, terebinthinæ vnciæ tres & ſemidrachma, atque ita ex arte fit vnguentum. Alij vero in hunc modum parant. Accipiunt gũmi illius vncias itidem iij. opopanacis vncias duas, bdellij ſemiunciã, reſinæ pini [vnc. iiij.] ceræ quantũ ſit ſatis, ac vnguentũ conficiunt. Parũ admodũ differunt inter ſe duæ hæ confectiones, niſi quod prior ammoniacũ accipit, altera vero eo relicto accipit opopanacẽ, & bdelliũ, prior oleum roſaceũ, altera vero minime: vnde prior quidem aliquanto temperatior, & vim repellendi aliquando maiorem habet, vtraque tamen ſatis inſigniter deſiccat, atque ex alto attrahit, quod ex examinatione eorum, ex quibus conficiuntur, percipi poteſt, de quibus prioribus libris egimus, vnde &

alijs

alijs vlceribus poſſunt eſſe commoda medicamenta, præſertim vero capitis, de quibus fuit hoc loco inſtitutus ſermo. Nam gummi illud elemi, reſina quædã eſſe videtur alicuius peregrinę & nobis ignotæ arboris, quæ præter id, quod ratione, quę reſinaceæ naturæ eſt, & proinde vim exſiccandi, calefaciendique, & præterea ex alto attrahendi habeat, obſeruatum etiã eſt a iunioribus in capitis vulneribus, in quibus caluaria ſciſſa ſit peculiari quadam & ei naturali vi, quam maxime eſſe medicamentum vtile. Sed & tertia etiã iſtud medicamentum componendi ratio reperitur, quod in auctorem Bartolomęum referunt. Montagnanam, quodque licet materia a ſuperioribus variũ ſit, facultatibus tamen ab illis non eſt admodum diſſimile, niſi quod hæc iſtius medicamenti confectio illis vim maiorem concoquendi habet, tam ex thure, quam etiam ex ſtyrace, præſertim vero ea, quæ vera eſt, quam calamitem appellant, quia tamen facultate & liquida fortaſſe præditam eſſe credendum eſt, etiã nonnihil aſtrictionis particeps ex ladano: myrrha vero præter id quod calefacit, & deſiceat ordine ſecundo, & quod detergit neque tamen perinde vt alia multa detergentia exaſperat, & capitis vlcera, vt tum ſæpe præſertim vero in octauo de ſimplicium medicamentorum facultatibus Galenus, tum etiam libro primo Dioſcorides referunt, glutinat, & fractis oſſibus medetur, & hac fortaſſe ratione addidit auctor, quòd medicamentum adiecta myrrha erit fortius. Ladanum vero cùm è profundo attrahat, ſcopo in his medicamentis propoſito eſt accommodatum, & cum vt diximus prioribus capitibus, ſit aſtrictionis alicuius particeps, iuuare poterit, tum repellendo fluxiones, tum etiam robur addendo ſubiectis particulis. Quia vero & ſandaracæ fit mentio, non illius quæ mineralis eſt, & arſenici ſpecies, ſed illius, quæ ita ab Arabibus, & ſeplaſiaris appellatur, & eſt reſina, vel gummi iuniperi, quam etiam vernicem vulgo appellant, de ea etiam aliquid dicemus, quamuis aut nullã, aut raram eius mentionem factam ab antiquis medidicis inuenerimus. Arabes tamen, & iuniores Latini in vſu ſatis frequenti habuere, neque in hoc Plinio ſubſcripſere, quòd gummi iuniperi nulli ſit vſui: imò putarunt præter alios vſus, quod deſiccet capitis ſuperuacuam humiditatem, & proinde eius ſuffumigiũ naribus exceptum deſtillationes deſiccans, illas ſiſtit: commiſcetur etiam pulueribus, quas capitales appellant, quasque capiti inſpergunt, vbi ſutura eſt, quam coronalem dicunt, ad deſiccandum nimium capitis humorem, & illud roborandum. Nam ſi eius effectũ quem medici exponunt conſideremus, non caret aliqua aſtrictione, præſertim cum hoc medicamentum eſſe viribus ſimilem electro, vel ſuccino dicant, quod Arabes charabe dicunt, in quo antiquorum conſenſu inſignis eſt aſtringendi vis. In hoc ergo medicamẽto accipitur tum vt humiditatem, vel ichores confluentes ex ſauciatis partibus ad internas particulas deſiccet, & præterea etiam aſtringendo robur capiti addat. Poſtremo vero & pini reſina ac cerati, vel vnguenti abſolutionem accipitur, quæ & ipſa ſiccat, & ex alto attrahit, omnia vero pari pondere accipiuntur, & ad ignem excocta componuntur. Horum vero hæc eſt vtendi ratio, quod tum linamentis excepta vlceri eis repleto induntur, tum vero linteo quod alijs omnibus ſuper apponitur. Sed iam huic tractationi finem imponamus: nam ſatis ſuperque in ea ſumus vagati, & ad ea medicamenta componenda accedamus, quæ alijs internarum partium affectibus curandis accommodari poſſunt.

A

De medicamentis componendis, quæ congruentia ſunt alijs affectibus internarum partium capitis curandis.

Cap. V.

QVamuis cæteri affectus, quibus exerceri poſſunt internæ capitis partes, ſi eos particulatim per omnes eorum differentias ad vltimas vſque perſequi vellemus qui plures ſint, & ſubinde longa admodum requirerent tractationem, ſi tamen illos in quædam ſumma capita colligere voluerimus, ſicut facile & non ſine legentium vtilitate contrahi poſſunt, ſeruata congruenti in illis exponendis metho- B do, clarior & facilior euadet hæc diſquiſitio. Cum enim vniuerſa ferè ratio, qua morbi in varias & multas differentias diducuntur, aut a propria affectus natura ſit petenda, aut a natura loci vel particulæ affectæ. Vt differentiæ omnes particulatim, tum inueniantur, tum cognoſcantur, neceſſaria eſt exquiſitiſſima, & exactiſſima, & naturæ morbi inquiſitio, & particulatim exquiſitiſſima locorum omnium affectorum cognitio. In curandi tamen ratione internos capitis affectus, non eſt neceſſaria tam diligens & exquiſita internarum partium, quæ male affectæ ſunt, mentio, ſed ea ſatis eſt, quæ communis & generalis ſit, ſicut & ſola ſatis eſt indicatio communis, & generalis, quæ a quadam communi ratione om- C nium earum particularum, quæ intra caluariam ſitæ ſunt, accipienda eſt. Sed vt res hæc, quæ fortaſſe obſcurior aliquibus videbitur, clarior & apertior reddatur, magis particulatim illam tractemus, & primum in diuiſiua methodo inueniamus omnes differentias morborum, quibus obnoxiæ ſunt hæ capitis particulæ. Itaque cum partim ſimplices, & ſimilares ſint, partim vero compoſitæ & inſtrumentales, vel vt Græci appellant, organicæ, neceſſe eſt, vt & affectibus pateant qui ſimplicibus proprij ſunt, & illis qui organicis: item & illis qui vtriſque communes ſunt proprij ſimilaris ſunt intemperaturæ, tum illæ quæ citra vllum materiæ affluxum conſiſtunt, tũ vero illæ, quæ ſemper ab affluxu materiæ fiunt & fo- D uentur. Proprij autem affectus partium inſtrumentalium ſunt, quicunque ad conformationem, vel vt iuniores loqui ſolent, ad compoſitionem iſtarũ particularum pertinent, vt ſunt morbi in via, in cauitate, in figura, numero, magnitudine, & id genus reliqui. Communes autem ſunt, qui ſoluta continuitate conſtant, de quibus nihil eſt cur amplius loquamur, cum ſatis ſuperque ſit de illis ſuperiori capite ſermo habitus. In intemperaturã autem, tum cum materia, tum citra ipſam referuntur dolores præſertim, præterea vero ſopores, qui comata a Græcis, ſubeth autem ab Arabibus dicuntur: ſed & deliria, & quæ calidam, & ſiccam cerebri intemperiem ſequuntur, vt in febribus & phrenitide, quæ & frigidam & ſiccam, vt inſania, vel vt Græci loquuntur melancholia, & con- E gelatio, quæ catochus Græce dicitur, ſtoliditas quoque ex cerebri intemperie ortũ habet. Porro intemperatura, quæ ſola & citra materiam eſt, quatenus ad hoc pertinet, vnam duntaxat rationem, vnicumque modum habet, quo conſiſtere poteſt, ac ſubinde etiam particularum actiones lædere. At illam, quæ cum effluxu materiæ, non vnum & ſimplicem modum habet, ſed potius duplicem, quia vt Galen. in primo porrhet. comm. 1. tradit, materia aliquando quaſi alluit ipſas particulas, & per vaſa, hoc eſt per venas, & arterias diffluit, nondum in ſubſtantiã particularũ, hoc eſt in inanes earum meatus a vaſis quaſi pro nimia eorum repletione expreſſa abſorbetur,

&

& inculcatur adeo, vt particula in tumorem attollatur, quomodo fieri ſolent tumores omnes, qui in particulis præter earum naturam extuberare ſolent: ad quod genus pertinent, & phrenitides & lethargi, & quæ inflammationes inter has vtraſque mediæ ſunt ex vtriſque mixtæ, & quaſi confuſæ. Nam ſicuti lethargus pituitoſa inflammatio eſt, quæ calorem vt 13. method. ait Galen. contrahit ex putredine materiæ, vnde ortum habet, phrenitis vero ex bile, vel bilioſo ſanguine, media vero eſt, quæ cataphora a Grę-cis, ſubethaſſari ab Arabibus dicitur, in qua ſicut mixtus, & confuſus eſt vterque humor, nempe pituita, & bilis: ita & ſymptomata, ſomnus nimirum & vigilia confunduntur ita, vt neque omnino dormiât, neque omnino vigilent, ſed ſemper quaſi dormitent, aut alternatim modo in ſomnum, modo in vigiliam propenſi ſint: non modo autem ratione materiæ, a qua excitantur differunt hæ capitis inflammationes, verum etiam loco, quia vt itidem expoſuit Galenus, phrenitis proprie inflammatio eſt membranarum capitis, lethargus vero ſubſtantiæ cerebri. In ſolidum enim corpus, vt ſunt, membranæ, non facile admittitur craſſus & lentus humor, vt eſt pituita: facile autē tenuis, qui tamen in rara & laxa ſubſtantia, vt cerebri ſubſtantia eſt, non poteſt facile contineri, ne diffluat. Sed neque de his alioquin in præſentia ſumus acturi, cum priori item capite diffuſe fuerit actum. Cæteri vero affectus, quorum eſſentia in intemperatura tam cum materia, quam ſine materia conſiſtit, ad particulas in capite contentas quatenus ſimplices ſunt, præſertim attinent, non tamen indiſcriminatim ad earum quamlibet, affectus enim doloroſi non poſſunt attribui, niſi particulis, quæ ſunt ſenſu præditæ, nam cum dolor ſit actio ſenſus tactus læſa, nulla pars ſenſus expers, vt ſæpe docuit Galen. doloris capax eſt, in capite vero membranæ, venæ, arterięque inſignem ſenſum habent, oſſa vero nullum cerebrum, & ipſum aut nullum, vt plerique ſentiunt, aut obſcurum admodum, vt inſinuaſſe viſus eſt Galen. in lib. de vtilitate reſpirationis. Affectus vero, a quibus internæ actiones læduntur pertinentes ad principes facultates, vt eſt imaginatio, cogitatio, & memoria, cum ille non in membranas, ſed in cerebro, eiuſque ſubſtantia ſuam ſedem, & organum habeant, ſunt affectus proprie attribuendi, & primum ipſi cerebro, neque enim illæ lædi poſſunt, niſi cerebrum, aut per ſe, aut cum alijs conſentiens male habeat. Morbi vero his particulis proprij quatenus non ſimplices ſunt, ſed inſtrumentariæ, præſertim duo ſunt, epilepſia nimirū & apoplexia, vel vt latini loqui ſolēt morbus comitialis, & attonitus. Plerumque enim, cū primarij affectus cerebri ſunt, non autem per conſenſum, fiunt a craſſa aliqua, & frigida materia, & ſępius pituitoſa. Epilepſia autem nonnunquam, & a melancholico ſucco, vnde ſæpe in melancholicum affectum tranſit, ſicuti melancholia, vel inſania quandoque im morbum comitialem deſinit. Cum ergo hac materia ventres cerebri replentur, ſpiritibuſque animalibus intercipitur tranſitus, concitantur: aut apoplexia, ſi omnino repleantur, aut epilepſia: ſi non ſit exquiſita repletio. Vnde quantumlibet ſint morbi harum particularum quatenus inſtrumentariæ, cum tamen penitus a præſente materia concitentur, & foueantur, & citra frigidam intemperiem eſſe nequeant, eadem eſt tandem hos curandi ratio, ſicut & alios affectus, qui in intemperie cum ſimili materia conſiſtunt: quando vero per conſenſum aliquo affectu tentatur cerebrum, id ad præſens inſtitutum non admodum pertinet, quia non ad caput dirigenda eſt princeps curatio, ſed ad eam particulā, cum qua in affectu conſentit. Quamuis autem ita multiplex ea ratio ſit, vnde indicationes ſumendæ

A ſunt, quæ a natura, & eſſentia morbi prodeunt, ſimplex tamen admodum eſt illa, a qua petenda eſt indicatio, quæ a natura partis affectæ peti ſolet. Quia licet internæ capitis partes plures ſint, & natura, temperaturaque diuerſæ, quatenus tamen ad adminiſtrationem remediorum, perinde eſt, ac ſi vna tantum & ſimplex eſſet. Nam & vnus eſt tantum locus, cui ſunt exteriora & localia remedia adhibenda, nempe ſynciput, vbi ſutura eſt, quæ coronalis dicta eſt ab anatomicis. Quæcunque enim pars laboret interiori affectu, ſiue poſterior, ſiue anterior, ſiue media ſit, item ſiue ſuperior, ſiue inferior, & quæcunque tandem illa ſit, oportet vt 2. de compoſitione medicamentorū ſecundum loca capite primo docuit Galenus medica-

B mēta, & remedia ſyncipiti, ſi eorum vis ſit facile peruentura ad loca affecta, adminiſtrare, tum propter ſuturam, tum etiam propter raritatem & tenuitatem oſſis in ea parte: ſed quātumlibet interdum vna tantum pars primum morboſa eſſe videatur, omniū tamen parem fere in medendo rationem habere neceſſe eſt, partim ob maximam, quam mutuo habent, connexionem, partim quia quæcunque adminiſtrentur medicamenta fieri nequit, quin vis eorum tandē ad omnes non pertingat. Vnde quatenus ad vſum pertinet omnium fere idem eſt, quare diuerſitates curationis affectuum harum partium vniuerſæ fere in naturam, vel eſſentiam ipſorum affectuum, non autem in diuerſam rationem affectarum particularū

C referuntur, quæ tandem ad duo prima capita vel ſumma genera pertinent, vt pote quoniam omnes hi affectus aut in ſola conſiſtunt intemperie citra vllum ab aliqua materia fomentum, aut ſunt cum alicuius materiæ affluxu. Simplex admodum eſt curandi ratio, quando illa a ſola intemperiei indicatione ſumenda eſt abſque interuentu alicuius materiæ, cum per ſolam tranſmutationem & correctionem illius intemperaturæ abſoluenda ſit, illis nēpe medicamentis & remedijs, quæ qualitatibus illi intemperaturæ contraria ſint. Nam vt ſępe teſtatus eſt Galen. præſertim vero in commen. in lib. Hippoc. de his quæ in medica officina inſcripto, primus & communis ſcopus in partę medicinæ, quæ circa curandos morbos verſatur eſt, quòd contrarijs contraria curanda ſint: multipli-

D cior vero ea eſt, quando præter intemperiem adeſt etiam materia, quæ & ipſa ſuam habet indicationem propriam: ſed explicemus ſcopos, & indicationes, & vnde illi affectus ortum habeant, antequam vlterius progrediatur noſtra oratio, & rationem exponamus eorū medicamentorum, vſumque, quibus vti oporteat in curandis his affectibus, qui ab aliqua intemperaturarum proficiſcuntur, ſiue illa cum materia ſit, ſiue citra materiam: nam illæ eædem fere noxæ inferuntur particulis, quatenus ſimplices ab intemperatura citra materiam, quæ & ab illa cum materia. Quia materia & ipſa non lędit, niſi quia per ſuas qualitates vitiat naturale temperamentum particulæ: quòd ſi aliquando ſua ſubſtantia quatenus corpu-

E lenta eſt lædat, læſio ad illam pertinet, quatenus compoſita, & inſtrumentaria eſt, vitiata nempe eius conformatione, vt paulo ante expoſuimus. Ex intemperie itaque humida in primis, deinde & frigida ſomni fiunt longiores ab vtriuſque autem complexu ſopores, & veterni, qui a Græcis κώματα καταφοραὶ & κάροι dicuntur, ab Arabibus ſubeth, ijdem affectus ex pituitoſa materia occupante pręſertim partem anteriorem: quo loco ſedem eam facultatem habere credimus, quæ communis ſenſus a peripateticis in primis dicitur. Occupante vero hac intemperatura mediam cerebri partem verſus poſteriorem, imaginatricis, & cogitatricis facultatum actiones lęduntur: & ſi quidem fiat magna offenſa, deſtruuntur omnino actiones, vt in apoplexia ſæpe videmus: ſin autē

minor,

minor, hebetes & imminutæ ſunt, ſicut in ſtoliditate,& amentia contingere ſolet. Sed ſi cerebri poſteriorem occupet partem, ſequitur obliuio, & hæc ab intemperie tum frigida, tum humida, tam cum materia,quàm citra illam euenire poſſunt. A ſiccitate vero in primis,deinde & a calore ſequitur nimia vigilia, ſiue cũ materia fuerint hæ intemperaturæ, ſiue citra illam,præſentim autem,vt diximus,a ſiccitate. Nam frigida & ſicca iutemperatura, vt melancholicis accidit, vigiliam adfert,item & calida & ſicca,ſicut in bilioſis affectibus. Calida autem & humida,vt vbi ſanguis multus fuerit, reddit hominem pronum in longum ſomnum ſaltem, ſi non in profundum. Calida autem intemperatura ſiue cum ſiccitate, ſiue cũ humiditaꝫe fuerit, deliria commouet illis ſimilia,quę in phreniticis ſolent contingere. Frigida vero & ſicca melancholica deliria concitare ſolet. Humiditas autẽ præcipue, ſed & frigiditas memoriæ labem afferre ſolet,tam cum materia,quã ſine materia. His autem explanatis,methodum conſtituamus,qua componere apta poſſimus medicamenta, & compoſitis præterea opportune vti. Cum autem vniuerſa horum affectuũ ratio in duo præſertim capita fuerit tandem relata, nempe in ſolã intemperaturam, quæ ſit citra vllius materiæ affluxum, & illam, quæ ab affluxu materiæ fouetur: ita duplex erit ratio medicamentorũ, & remediorũ, quibus ſint tollendi hi affectus. Nam cum horũ omniũ ratio ab indicationibus ſit ſumenda,in illis,quæ citra materiã ſunt, vnica eſt tantũ indicatio, quæ ab illa intemperatura depromenda eſt, ſimplex quidem,ſi ſimplex ſit intemperatura,quæ vna tantum qualitate excedat: cõpoſita vero ſi in complexũ vtriuſque contrarietatis ſit aliquis exceſſus. Vbi vero adſit præterea & alicuius materiæ præſentia, prima quidem & princeps indicatio non eſt ab ipſa temperatura petenda, quamuis intemperatura ſit proxima ratio, qua actiones læduntur, quod eſt quaſi forma,vt ſæpe fuit expoſitum, ipſius morbi:ſed prima princepsque indicatio eſt illa, quam nobis offert materia, quia ab ipſa materia omnino pendet intemperatura, ita vt remota materie ſtatim fere deſinit intemperatura, niſi interdũ ex longa tranſmutatione in mẽbris a materia facta, mutata ſit naturalis illius partis intẽperies, vt iam duæ ibi ſint intemperaturæ,altera quæ omnino adhuc pendet ab illa materia,altera quæ iam inde pendens facta ſit. Nos autem primum agamus de intemperaturis, vel de medicamentis aptis ad tollenda intemperamenta morboſa internarum partium capitis:ſumpto nimirũ exordio a calida intẽperie,in qua nulli obſcurũ eſſe poteſt, primum ſcopũ nobis oblatũ inſinuare refrigerandum eſſe,& id medicamentis huic rei aptis. Verum hoc etiam conſiderandum, quod tamen ſummatim percurremus,cum parum ad præſens inſtitutum videatur pertinere,nempe, quòd caput ſi calidius redditum, eſt,quomodocunque id factum fuerit: vel ab aere calidiori, vel ob ſolares radios, vel propter ignẽ vel ex nimijs tegumentis, vel aliis id genus occaſionibus, licet inter initia contraxerit calidam intemperiem citra materiam: nam externæ hæ, & procatarcticæ cauſæ ex propria ſua natura non eam vim habent,vt aliquam intemperaturam cum materia imprimant, poſſunt tamen id agere ratione apparatus corporis. Nam caput calefactum facile,tum vapores tum etiam humores a ſubiectis partibus ſolet attrahere. Gal.2. de comp.med.ſec.loc.cap.1.ex Apollonij ſententia, cibi ſubtractionem laudauit per ventrem etiam inferiorem vacuationẽ ſaltem glãdibus, & clyſteribus, lenientibus, etiam interdum medicamentis,& ſummatim vt aluus leuis,& fluida ſit:præterea vero ab illis omnibus abſtinendum eſſe præcipit, quę illam intemperiem fouere, & augere poſ-

A ſunt, vt potus vini, præſertim potentioris,cum & calefaciat,& caput repleat. Sol etiam, igniſque, loca calidiora, & balnea quoque calida, excandentia,clamores vehementes,ſed & animi perturbationes, & concitationes mentis,motiones,vigilię:ſicuti contra quies,tam animi,quam corporis plurimum prodeſſe poterit:ita etiam conuerſatio in loco, qui probe perſpiretur. Et hæc quatenus ad rationẽ victus pertinẽt ſatis ſuperque, ſi præſens inſtitutum ſpectemus, ſunt, cum circa rationem medicamentorum verſemur, de quibus etiam ſolũ particulatim loquemur, quando de illis erit ſermo, quæ erunt exterius adhibenda. Nam de alijs,quæ interius ſumi ſolent, ſatis erit tantũ ſumma capita perſequi. Nam & de decoctis,& ſyrupis,qui refrigerant, & de cæteris tandẽ id genus medicamentis in 2. libro fuit ſermo habitus.
B Ad externa itaque medicamenta tranſeamus. Hæc ſolent habere formã, vel modũ fomentorũ,aut perfuſionũ,quas Græci embrochas appellant, aut illitionũ,aut emplaſtrorũ,aut ceratorũ, aut id genus aliorũ:ſed in his exponendis eandem methodũ, & ordinem ſequemur,quam in alijs ſumus ſecuti. Primum enim referemus,ſcopos,qui a nobis ſpectandi ſunt in exigendis,& compoẽndis, ſubindeque in vtendis his medicamentis, Scopos vero nobis indicationes oſtẽdunt,quæ a natura rei indicantis depromendæ ſunt. Vt tamen neque alia quædã negligantur,quæ interdum, & ipſa multam vim habent. Nam quandoque aliqua illum affectum ſequi ſolent, aut cauſam illam quæ affectum tollit, a quibus, niſi occurramus,aut
C deterior reddet affectus, aut curatio difficilior. Hęc ergo, & ipſa in conſiderationem deducenda ſunt. Cum ergo calidam intemperaturam, cuius curationem tractamus, ſtatuerimus eſſe ſine vllo alicuius materiæ fomento, habeat illam tamen ex vſu natura hoc, quod ab ipſa tolli nequit, nempe quod attrahit,quantumlibet corpus mundum ſit excrementis, a ſubiectis partibus ſaltem vapores, ſi non etiam aliquos tenues humores: præterea vero, & humiditates,quibus nunquam caput omnino vacat, fundit, & in vapores diſſoluit, quibus particulæ illæ replete, & diſtentæ magis dolent. Poſtremo autem a calore laxiores redduntur affectæ partes, & quaſi eneruantur,imbecilliores que euadunt. Cum his itaque om-
D nibus ſit proſpiciendum in hac curatione, ſtatim hi omnes ſcopi ſe Medico offerunt. Primum quidem refrigerandum, vt tollatur morboſa intemperatura, ſed & repellendum propter attractos, & genitos vapores, & digerendum vero eſſe, vt qui repelli nequeunt, per digeſtionem diſſoluantur,præterea,& concoquendum aliquanto:nam hac præſertim ratione lenitur dolor. Repellunt autem tum refrigerantia,tum aſtringentia,digerunt, & cõcoquunt ea,quæ calore moderato prædita ſint, ita vt non exacerbent primarium affectum. Quamuis autem ita ſe habeat res hæc, ſitque neceſſe omnium iſtorum rationem habere, non eſt tamen eadem, & æqualis eorum vis in indicando. Nam initio quidem ſemper repellendi ſcopus vim maiorem habet, qui cum refrigeran-
E tia ſpectet,& aſtringentia ſimul, & primario morbo conſulent, & repellent, & laxitati imbecillitatique particulæ conſulent. Sed ad exquiſitiorem iſtius rei diſquiſitionem, id non eſſe prætermittendum exiſtimo, quamuis alibi etiam fuerit a nobis expoſitum: nempe, (vt diximus) in his maxime viget refrigerationis indicatio. Refrigerantia vero medicamenta duplicia ſunt, alia enim ſunt actu frigida, vt aqua, quatenus ad ſuam naturam pertinet, nix, glacies, & alia,quæ ex his ſolent refrigerari: alia vero, præſertim ſuapte natura frigida ſunt poteſtate: nam in primis refrigerant, ſi à natiuo corporis calore ad actum deducãtur,quialia ſunt quæ ſoporifera ſunt,vt opiũ,

mandra-

mandragoræ radix, ſemen alterci, & reliqua iſtius generis, quæ inſignem habent in refrigerando facultatem. Non eſt autem harum duarum differentiarum refrigerantium par, aut eadem ratio: nam ſæpe auctores antiqui audaces ſunt in vſu eorum refrigerantium, quæ actu inſigniter frigida ſunt: nam ſæpe oleo roſaceo ex niue etiam, vel glacie refrigerato vtuntur. In vſu autem eorum, quæ poteſtate frigida ſunt, quando ſummopere frigida ſunt, qualia illa, quæ a Græcis narcotica dicuntur, priſci Medici parum audaces fuere. Nam ij. de Comp. med. ſec. loca. Gale. cap. i. monuit nos, vt quantum fieri poteſt hæc declinemus, neque illis vtamur, niſi cum aut ſæuitia doloris, aut immodica nos cogit vigilia, quoniam hæc internis facultatibus, cerebroque, & initio neruorum maximam labem ſolent afferre. Quæ autem rei iſtius ratio reddi poſſit, alias expoſuimus, non enim omnia vbique dici poſſunt: longiores enim alioqui eſſemus. Quatenus autem ad aſtringentia pertinet, hoc etiam eſt aduertendum, quod ea ſunt huic ſcopo imprimis vtilia, quæ modeſte aſtringunt, quia quæ immodice, vel inſigniter id agunt, lædere bifariam poſſunt. Primum enim conſtipatis, & conclufis meatibus, per quos corpus perſpirabile eſt, vapores detinentur, ac deinde repleto capite, morbum augent: deinde vero reddunt difficiliorem tranſitum facultatibus applicitorum medicamentorum ad interiores, & male affectas particulas. Vnde in his non probatur Galen. ſuccus ſolani, vel vuæ acerbæ, ſi ſolis his vtamur, permittit autem, ſi illis dilutis aliquo alio medicamẽto quòd refrigeret vtamur, quod ſit tamen aſtrictionis expers, vt ſunt ſuccus, tum cucurbitæ, tum portulacæ. Et hęc quidem quantum ad methodum compoſitionis, & vſus medicamentorum conſtituendam pertinet, ſatis eſſe poſſunt: in præſentia autem de medicamentis particulatim agamus. Primum medicamentum, cuius omnes Medici, cum priſci, tum iuniores meminere tanquam præcipui, & optimi ad corrigẽdam calidam capitis intemperiem eſt oleum roſaceum, quod eſt expers mixturæ alterius rei: nam refrigerat, & moderate aſtringit, & cum vt priori capite fuit expoſitum, duplex ſit ratio id conficiendi, nempe, aut ex maturo oleo fit, ſicut commune roſaceum fieri ſolet, aut cum oleo immaturo, quod Græce omphacinum appellant. Hoc quidem, & magis refrigerat, & magis reſtringit: illud vero aliquanto plus digerit, & concoquit, & lenit. Vnde ſi magna ſit intemperatura contracta, vt maioris refrigerationis ſit indicatio, omphacinum vtilius erit, præſertim in initio: nam tunc maxime vrget refrigerationis, & repulſionis indicatio, poſtea vero, vbi & aliqua digeſtione ſit opus, lenitateque ob dolorem ſedandum, commodus erit vſus olei roſacei communis, vel completi, vt nunc appellari ſolet, atque hoc præſtantius erit, cum fiat ex multiplici roſarum maceratione, vt Meſue docuit. Præterea vero, & id erit aduertendum, ne oleum id, tum primum, tum alterum excedat annum, quod in omnibus oleis refrigerantibus ſeruandum eſt, quia oleum quandoque, cum inueteraſcit, fit calidius. Solet præterea, & huic oleo addi aliquid aceti ad faciliorem tranſitum, & penetrationem, quod nos indicatio a natura, & conformatione particulæ deprompta docuit: quæ aceti additio magis omphacino oleo neceſſaria eſt pro pter maiorem aſtrictionem. In contemperanda autem calida hac intemperatura aptius eſt acetum, quod non admodum acre ſit: nam acrimonia nequit eſſe ſine aliquo calore. De modo autem, & copia immiſcendi aceti ſatis ſuperius fuit actum. Modus vero, quo medicamento vti expedit eſt, vt quis perfundatur eo frigido actu ita, vt ex altiori loco cadat: nam ita maior impreſſio, & facilior penetratio: procuretque, ne ſtatim diffluat: nam ſi aliquanto tempore moram in capite traxerit, maior fiet refrigeratio. Docuit autem Galen. qua ratione hoc fieri poſſit: ait enim, quod ſi ex lineo panniculo, aut ex intortis lanis caput quaſi corona circundetur, quæ ex anteriori parte, & ſyncipite locum occupet, vbi capilli deſinunt ad frontem in temporibus, ſupra aures: in occipite vero parum infra verticem, qua parte locus incipit eſſe decliuior: nam hac ratione oleum intra illos terminos continebitur, & ibi moratum magis eam partem afficiet, neque poterit diffluens, aut ad oculos, aut ad neruorum initium, aut frigore, aut alia ratione noxam ſubiectis particulis afferre. Hoc medicamentum, ait Galenus in ij. de Comp. medic. ſec. loca, cap. 1. ad id genus morbos curandos adeo mihi ſatisfacit, vt nunquam alia ſim expertus: quamuis multa ab alijs referantur. Verum quædam ſunt hic aduertenda: primum quatenus ad id, quod dictum eſt de actuali medicamenti frigore, quod hoc ſeruandum eſt in capitis affectibus, vbi integra ſit cutis, & ſubiectæ partes: quia ſi vulnus, vel fractura ibi eſſet accepta, nequaquam tutum eſſet perfundere oleo frigido: poſſet enim eximie lædere internas partes: ſed quando integræ ſunt externæ partes, anteaquam ad interna poſſit penetrare, longum eſt iter, in quo adeo remittitur id medicamenti frigus, vt non poſſit partes in alto ſitas immodice afficere. Deinde vero in eiuſdem vſu multa ratio habenda eſt corporum, quæ hoc oleo, vel oxyrrhodino profunduntur. Nam aliqua corpora ſunt, quæ ſine eximia labe nequeunt ferre ea, quæ inſignem habent vim refrigerandi, vt ſunt mulieres: præſertim illæ, quæ in otio, & delitijs viuunt, ſuntque albæ, & molles habent carnes, hæ enim calorem natiuum paucum, & debilem habent. Præterea, & eunuchi, dum enim caſtrantur animalia degenerant in muliebrem temperaturam, itidem & pueri: ſed hi propter mollitiem omnium partium, ita vt oſſium, non propter defectum natiui caloris, læduntur a frigore. In his ergo pro roſaceo præſtat vti chamæmelino, addito aceto itidem refrigerato. Ratio autem cur huius magis, quàm illius, quamuis ambo actu pariter frigida ſint, tutior cenſeatur vſus, eſt, quia chamæmelinum poteſtate modice calidum eſt: ideo licet inter initia ſuo illo actuali frigore frigus imprimat, dum tamen modicus ille calor a natura particularum deducitur, & ipſe ad actum, poteſt moderari frigus impreſſum, & natiuum particularum calorem fouere, & defendere, ne extinguatur ab externo frigore: quod roſaceum, vtpote quod vtroque modo frigidum eſt, facere minime poterit: cum tamen chamæmelinum oleum, ſi actu frigidum profundatur aliquanto aceto immixto, refrigeret, & ſit aſtrictionis aliquanto particeps, poteſt & ipſum repellere, quantum in his corporibus ſit ſatis, atque ita expoſitis ſcopis ſatisfacere. Quamuis autem eiuſmodi medicamenta, quantum ad eorum naturam pertinet, adeo apta, & efficacia ſint, vt alijs non ſit opus in hac affectione tollenda, ſintque plerunque, & in plerisq; locis omnibus fere in promptu. Interdum tamen, & id euenire poteſt, vt illis careamus, vt in nauigationibus, & locis remotioribus a ciuitatibus: ideo Medici, & aliorum medicamentorum meminere, quæ præſenti inſtituto poſſunt accommodari, facile enim prudens Medicus, modo medicinalis materiæ ſit peritus, ſimpliciumque medicamentorum particulatim vires memoriter teneat, poteſt ſibi medicamenta apta parare, illorum vires cum propoſitis ſcopis conferendo. Nam ſi alia deſint, poterit ſatis eſſe perfuſio aquæ frigidæ ſimplicis, vt Gal. docuit, modico illi inſtillato aceto, additoque alio quopiam medicamento, a quo aliquid aſtrictionis poſſit conſequi, ſicut eſſet ſuccus vuæ acerbæ, aut

mali punici, aut mali cotonei, aut alterius, quod nō ſit expers aſtictionis, aut mororum non plane maturorum, aut ſummitatum rubi, vel alterius id genus. Poterit etiam vti ſuccis, vel decoctis rerum refrigerantium, quæ ſatis erunt, ſi habuerint modicam aſtrictionem, vt eam habent endiuia, & herbæ cichoraceæ: ſin autem illam nullam habuerint, ſicut ea carent lactuca, portulaca, lenticula, quæ in ſtagnis, & paludibus naſcitur, item & fructus multi, ſicuti cucurbita, cucumeres, melon indus, qui a noſtris anguria dicitur, quibus commiſceri poteſt aliquid ſucci ſolani, polygoni, meſpili, ſorbarum, & aliarum multarū id genus. Eraſiſtratus autem, vt 2. de Compo. medi. ſec. loca. cap. 1. recitat Galenus, docuit, quo pacto illi, qui æſtate in locis apricis, & ſub ſole verſantur, aut iter faciunt, poſſint obſiſtere, quominus nimis excaleſiat caput a radijs ſolaribus, nempe ſi ſpongia lata, cauaque, & denſa, demergatur, & madefiat aqua frigida, quam mox diligenter exprimamus, ac capiti impoſitam deferamus donec exſiccetur, quo deinde tēpore iterum madefiat, ac ita ſubinde. Aliqui ſimili ſere vtuntur remedio, ſudarium enim madidum aqua ſub pileo geſtant, ita tamen ſummo pileo aſſutum ſit, vt capiti minime incumbat. Sed iam ad alteram intēperiem huic cōtrariam accedamus. Quamuis hæc intemperatura ſit priori omnino contraria ſecundum primas qualitates, & a contrarijs etiam cauſis ſuboriatur: nam ſicut illa a ſole calidiori, & cæteris externis, & peregrinis cauſis calefacientibus ortum habet: ita & hæc a frigidiori aere, & ventis, niue, glacie, & reliquis frigidis, & externis concitatur. Plerunque enim ab externis cauſis fiunt intemperaturę citra materiam, ab internis autem illæ, quæ ab affluxu materiæ pendent, etſi (vt ſuperius dictum eſt) aliquando ab externis, & procatarcticis cauſis aliqua fiat intemperatura cum materia, id accidit potius ratione corporis, quod plenum & excrementoſum eſt. Nam, (vt prouerbio eſt) procatarcticæ, & externæ cauſæ, mouent internas, & antecedentes, ſi earum copiā in corpore inuenerint. Habent tamen aliqua, quæ in vtriſque communia, & fere eadem ſunt, primūque, quòd vtraque dum recens eſt, non multo negotio tollitur, & quo diuturnior ſit, & magis inueteraſcit, eo ęgrius curationem admittit. Sed & quæcunque ab ea indicatione pendent, quæ a natura affectæ particulæ petenda eſt, eadem omnino in vtriſque ſunt. Vnde in vtriſque idem eſt modus remedia adhibendi, & idē eſt locus, cui ſunt adhibenda, & ſicuti in intemperie calida a natura, & ſitu particulæ affectæ deprompta erat ratio immiſcendi acetum alijs medicamētis, nēpe vt facilior fieret tranſitus: ita quamuis calida medicamenta, quæ in hac intemperie neceſſaria ſunt, facilius frigidis permeare poſſint: attamen hac de cauſa inter calida ea rurſus vtiliora cenſentur, quæ tenuioribus partibus conſtant. Natura ergo ipſius affectus indicat calefaciendum eſſe. Ratio vero partis affectę, illorum vſum eſſe accommodatum indicat, quæ partibus tenuibus, & tenui conſtant ſubſtantia. Et proinde ſicuti oleum roſaceum cum modico aceto habitum, tanquam præcipuum medicamentum, frigidū actu perfuſum, ita in dolore ex frigida intemperatura, vel quicunque ſit affectus ex frigida intemperie, oleum rutaceum actu calidum itidem perfuſum in præcipuis remedijs poſitum eſt. Quòd ſi interdum videretur hoc non eſſe ſatis, ſed eſſe opus inſigni calefactione, multorum præterea meminit, tum ſimplicium, tum compoſitorum medicamentorum, quæ hoc, vel alio calido oleo mixta, poſſunt nobis eſſe vſui, ſimplicia vero ſunt caſtoreum, euphorbium, pyrethrum, poſſemus in his ponere aniſum, ſemē naſturtij, & id genus alia multa. Ex compoſitis præſertim, quæ antiquis erant in vſu, præcipuum eſt id emplaſtrum cuius meminit Gal. 1. de comp. med. ſecund. locos, quod diatrionpipereon dicebatur. Noſtris autē temporibus poſſemus medicamenta conficere ex puiueribus illius medicamenti, quod deuorari ſolet, & itidem diatrionpipereon dicitur, vel illis oleo addito, vel addita cera, & confecto cerato vel pulueribus etiam aliarum, quas iuniores confectiones vocant vt diacoſti, diagalangę, aromatici garyophyllati. Nec modo hæc calefacientia capiti affuſa, vel illita, vel appoſita poſſunt eſſe vtilia: verum Galeno plurimum probatur, vt internæ nares eiuſmodi rebus calefacientibus illinantur: nam tum per attractos vapores poteſt cerebrum affici, tum etiam per neruum ad nares delatum ob odoratus ſenſum. Meminit autem ibidem Galenus vnguentorum illorum, quæ precioſa antiquitus erant, & in multo vſu mulieribus, qualia erāt, quæ ſpicata, vel foliata dicebantur, vel id genus alia. Idem officium nobis præſtare poſſent ea, quæ in præſentia ab iſtis vnguentarijs venduntur, tùm vnguenta, tum olea odorata, ſicut oleum quod ex Ieſemino flore conficitur, ſambacinum autem ab Arabibus dicitur, itēque id quod ex cinnamomo, vel ex reliquis aromatibus parant. Pauperibus autem poſſet eſſe vtile oleum laurinū. Item ſi ex ſampſuco, vel maiorana, item ex pulegio, calamentho, vel origano, aut ſi ſimbrio conficeretur. Sed idem etiam conſulit, vt in aures inſtillentur calefacientia olea. Præterea vero, ſicuti, in calida temperatura præcepit thermas eſſe omnino deuitandas, ita in hac dixit eas poſſe eſſe admodum vtiles. Motus præterea, exercitatio, vtpote, quæ calefaciant, conferunt, & potus aliquantuli vini, quod calidum ſit, & tenuium partium: quamuis Apollonius id indixerit, qui perinde in hac ſicut in priori cenſuit cibum ſubtrahendum, & corpus eſſe inaniendum. Galenus tamen in hac frigidiori conſtitutione vacuandi corporis expreſſam mentionem facit: præſertim vero per vomitum, & id, mea quidem ſententia, quia refrigerato capite, conſenſu cum cerebro plurimum læditur ventriculus, qui genitis ſubinde multis cruditatibus, poteſt fouere capitis affectum. Sed hæc fere præter inſtitutum noſtrum, vnde hic finem faciemus, his tamen additis, quod medicamenta ſunt ipſis affectibus aptanda, & maioribus, & vetuſtioribus ea adhibeantur, quæ fortiora ſunt, & calidiora. In recentioribus autem, & minoribus, quatenus ad eorum vim pertinet, vtamur. deinde quod compoſitionem ſpectat, ſicuti frigidiori temperaturę oleum accommodatum eſt quod recens ſit, & non omnino maturum, ita in hac, quo maturius eſt, aptius etiam eſt, imo ſi aliquam contraxiſſet vetuſtatem non eſſet inutile. Nec de hac intemperatura longius ſermonem protrahemus, ſed ad eas accedamus, quæ cum materia ſunt.

De affectibus capitis, qui a præſente materia fouentur per topica medicamenta curandis.

Cap. VI.

NON eſt, (vt diximus,) ita ſimplex oratio, vel methodus curādi capitis affectus, q a præſente materia pēdēt, ſicut illorū, qui ſola cōſtant intēperatura, cū ad illas priores indicationes, quibus attēdere oportebat in ſolis intēperaturis, & alia quędā ratione pręſentis, & affluētis materię, accedāt, quæ locū etiā prioribus illis pręripiunt. Cū enim intēperies, quam fouent materia, nequeat tolli, donec præſens illa eſt, prius omnino danda erit opera, vt materia auferat, imo ſępius nō modo pręſentis materię rationem habere

bere

ſere neceſſe eſt, verum & illius, quæ continenter affluit ad locum affectum, nec etiam ſolum iſtius, ſed præterea, & loci, vel particulæ, quæ iſtius influxus cauſa eſt, vtpote, quia illam copioſam ex aliquo eius vitio generat: & hæc omnia ſuam particulatim habent indicatiouem a medico ſpectandam, quæ tamen particulatim examinare non pertinet ad præſentem tractationem. In vniuerſum tamen de illis nonnulla verba faciemus, cum hæc ſint veluti prima fundamenta eorum, quæ a nobis poſtea particulatim ſunt definienda. Materiæ itaque, a quibus morbi hi imprimis pendent, duplices ſunt: aliæ enim ſolidiori conſiſtentia, craſſiorique conſtant ſubſtantia: hæ vero ſunt quatuor humores, qui ſunt quaſi proxima humani corporis elementa, & præterea ſeroſus humor. Aliæ vero tenuem, & vaporoſam habent conſiſtentiam, vt ſunt halitus, qui in corpore vi caloris excitantur, & flatuoſus ſpiritus. Præterea vero, & materiæ hæ duplicem poſſunt in morbis rationem habere: nam aut in loco affecto receptæ proxime ad eſſentiam morbi pertinent, a quibus etiam proxime curationis indicatio accipitur, nempe per eius vacuationem, aut digeſtæ ſunt in habitu vniuerſi corporis, in venisque contentæ, vel ſi non in vniuerſo corpore, ſaltem in aliqua, vel aliquibus particulis, à quibus amandatæ fluunt poſtea ad locum affectum, & habent rationem cauſæ antecedentis: & credo nulli eſſe dubium, indicationem, quæ ab hac materia petenda eſt, cæteris prædictis priorem ſuapte natura eſſe cenſendam. Nam dixit Galen. quod ſi quis male affecti oculi curationem aſſumere voluerit, illi prius erit conſiderandum, quonam pacto ſe habeat caput, & ſi illud ſit excrementis ſcatens, prius illius cura habenda eſt, niſi pariter & corpus ipſum ſit excrementoſum, quia in his curationis initium erit ſumendum ab vniuerſo corpore, ſi tamen prius remota ſit cauſa, cur tot in vniuerſo corpore, vel in particulis gignuntur excrementa. Sed hoc ad præſens inſtitutum non pertinet. De ratione vero corpus vniuerſum inaniendi, ac de inſtrumentis, quibus inaniri a Medicis ſolet, aliqua quidem dicemus, pauca tamen, & ea in vniuerſum, quia particulatim ea medicamenta, quæ apta ſunt huic indicationi, & ſcopo a primo libro petenda ſunt, ſicut a ſecundo illa, quæ humores crudos, & ad vacuationem ineptos parant, & cõcoquunt, atque illa etiam, quæ poſſunt vlceribus, & capiti robur addere. Et quia cuiuſcunque methodi fundamentum indicationibus innititur, indicatio vero a natura rei ſumenda ſemper eſt, vnde pro natura, & ratione humoris, vel materiæ detrahendæ, (detrahenda vero ea eſt, quæ aut facit, aut fouet morbum) ineunda eſt inaniendi ratio. Quod apertiſſime nos docuere Hippocrat. 2. Aphoriſm. & Galen. comment. 2. nam ſi materia ſuperuacanea, & excrementoſa ſit bilis, bilis quidem detrahenda, non pituita, neque ſanguis. Ita etiam ſi illa ſit pituitoſa, pituita non alius humor, niſi cum pituita ſit alius humor mixtus, atque ita etiam ſubinde de alijs dicendum. Et qui innixi ſententiæ Hippo. 4. de rat. vict. in acut. morb. & Galen. in libello de ratione curand. per venam ſectam, vbi aiunt in magnis morbis ſi vires, & ætas hæc patiantur, mittendum eſſe ſanguinem credunt magnitudinem morbi eam eſſe, quæ primum, & per ſe indicet mittendum eſſe ſanguinem, decipiũtur: neque enim magnus morbus indicant mittendũ eſſe ſanguinem, niſi ea ratione, qua ſanguis miſſus per venam ſectam inter magna remedia numeratur. Morbus vero magnus, vt idem expoſuere eodem libro primo, indicat magnis eſſe opus remedijs, vnde & victus exquiſite tenuis, vt eodem primo libro Aphoriſ. ſexto illi ijdem inſinuarunt, continetur ſub indicatione a magno morbo, & purgatio per medicamenta, vt

A Galenus ait 4. methodi, reſpicit indicationem a magno morbo. Humor itaque qui fouet, aut fouere põt morbum, aut quo corpus refertum eſt, oſtendit quidnam purgandum, aut vacuandum, & qua ratione vacuandum, aut purgandum ſit. Sed de his alibi latius diſputauimus. Hoc autem loco hæc ſatis ſint: nam quibus medicamentis, ſiue ſimplicia illa ſint, ſiue compoſita, hoc tempore Medici corpus vniuerſum purgare ſoleant, vt nuper diximus, in primo noſtro commentariolo de vſu, & comp. med. purgantium, ſatis lucide a nobis actum fuit. Longe etiam minus pertinet ad præſens negotium agere de ſanguine mittendo. Exinanito autem vniuerſo, ſi caput adhuc particulatim habeat congeſtam ſuperuacuam mate- B riam, quæ & ipſa adhuc ferat rationem antecedentis cauſæ, quæ morbum foueat, & ipſa ſtatim ſuam profert indicationem, nempe caput quoque particulatim eſſe inaniendum. Et quamuis multi credant per deuorata catapotia, vel, (vt aiunt,) pilulas caput particulatim inaniri, hi tamen non recte ſentiunt. Catapotia enim primum, & magis vniuerſum corpus inaniunt, quod ſi etiam videantur caput ſubinde vacuare, id eſt, quia cum ſolidiore, & duriori conſtent ſubſtantia, diutius anteaquam a calore ventriculi vincantur, & diſſoluantur, ibi manent, atque ita magis attrahere videntur a ſuperpoſito capite, & a longinquioribus partibus. Proprie autem illa a capite particulatim comprehenſam in eo materiam detrahunt, quæ per loca attrahunt, per quæ caput ſponte ſua C excrementa, & ſuperuacaneas materias excernere ſolet per nares, atque per palatum, & os. Quare per illa medicamenta ſolet fieri expurgatio priuatim ipſius capitis, quæ vel attracta per nares, vel manſa, vel exagitata in ore, & faucibus, humores per has partes attrahunt. Hæc autem a Græcis apophlegmatiſmi dicuntur: nam præſertim pituitam detrahunt: raro enim vel fortaſſe nunquam bilis per eiuſmodi medicamenta detrahitur. Quæ vero per nares attrahuntur, ea a Græcis errhina, quia in nares induntur, a iunioribus autem noſtris caput purgia nuncupantur. Alia vero, quæ concitata ſternutatione purgant, ab affectu ſternutatoria. At quæ in ore aſſumpta purgant, illa aut diu dentibus manſa attractam pituitam D expuendam ad os ducunt, quæ a iunioribus maſticatoria dicuntur, aut vi ſpiritus in interiori oris parte ad palatum alliſa agitantur, & hæc gargariſmata a Græcis vocantur. Et quia poſſunt iſthæc omnia inter propria, & huic loco accommodata medicamenta recenſeri, & in topicis poni, ideo de illis paucula quædam verba faciemus anteaquam ſermo inſtituatur de illis medicamentis, quæ omnino extrema ſunt & vere localia poſſunt nuncupari. Incipiemus autem ab his, quæ errhina Græce, a iunioribus caputpurgia dicuntur. Medicamenta ergo, quæ naribus induntur, triplicem habere modum, vel formam ſolent. Alia enim ſunt omnino humida, & fluida, vt ſunt ſucci, vel decocta, alia ſunt arida, & in tenuem pul- E uerem redacta: alia vero mediam quandam habent conſiſtentiam, quia neque arida, neque fiuida ſunt, ſed quandam vnguenti compagem habent. Prima quidem, quæ fluida omnino ſunt, per nares vna cum attracto ſpiritu ad ſuperiores vſque capitis partes attrahuntur, quæ cum vim attenuantem, & detergentem habeant, dum poſtea redeunt, & excernuntur, ſecum pituitã ducunt, quę locis illis hærens eſt, & infarcta. Quæ vero modum habent vnguenti, intra nares illinuntur, vbi a calore loci in vapores digeſta vna cum ſpiritu ad cerebrum attrahuntur, atque ibi inuentam pituitam attenuant, & quaſi diſſoluunt, vt illa deinde facilius defluat. Arida vero fiſtula aliqua vel penna excepta in nares vſque ad ſupremas partes inſufflantur, aut in aliquo vaſe agitata naribus

odoranda offeruntur, vt ſimul cum aere agitatus puluiſculus per nares attrahatur, ibique facultatem expultricem, ea moleſtia quam afferunt, vellicando irritant: vnde concitata ſternutatione, fit expulſio non ſine inſigni vi materiæ contentæ in cerebro. Nam ſternutatio violentior eſt motus cerebri expellentis noxia excrementa, quàm ſit tuſſis, & vomitus: vnde a Grecis medicamenta hæc πταρμικὰ dicta ſunt ſternutatoria a Latinis. Differunt autem medicamenta hæc, quòd plerunque vim maiorem habent ſternutatoria, quæ vero caputpurgia fluida, & humida ſunt, mitiora, & faciliora ſunt: viribus medium locũ ſuſtinent, quæ illinuntur. Et quamuis medicamenta omnia, quę ad hoc genus pertinent, eas vires habeat, vt præſertim pituitam detrahant, quæ ſuapte natura frigidus, & humidus humor eſt, qui videtur indicare calidioribus eiuſmodi medicamentis eſſe opus: aliquando tamen, vel propter febrem præſentem, vel caput ſuapte natura calidum, & quod facile inflammatur, vel propterea, quia humor extraneũ aliquem vel ex putredine, vel ex mixtura alterius calidioris humoris inſignem calorem contraxerit, vtimur etiam, vel frigidis, vel non admodum calidis his, quæ per nares attrahuntur: ſicut aqua hordeacea, in qua parum ſacchari, vel mellis roſacei, diſſolutum ſit. Sed & ſuccus betæ in frequenti vſu Medicis eſſe ſolet, qui ex vitioſis partibus, quibus ex natura præditus eſt attenuare, & digerere poteſt, neque tamen calefacit. Laudant præterea, & anagallidis purpureos flores ferentis ſuccum antiqui fere omnes, ſolemus autem, & ſampſuco, quam maioranam dicimus, vti. Sed hoc iam calidius eſt medicamentum, & valentius, cuius varia eſt vtendi ratio: nam alij aqua vtuntur, quæ per deſtillationem ſit extracta: alij vero ſucco ex ea expreſſo, & quia non poteſt multus ex ea ſuccus exprimi, ſi cum alio conteratur, vt cum beta, vel anagallide facilius poterit eius haberi ſuccus. Galeno autem probatur quinto de facultatibus ſimplicium medicamentorum ſuccus hederæ: his autem fortiores ſunt ſuccus iridis, & ſuccus cyclaminis. Sed & decocta non pauca poſſunt in hunc vſum deduci, vt ſampſuci, hyſſopi, pulegij, calaminthę, ſiſymbrij, & multorum aliorum id genus ſimplicium, quæ ſunt ſatis modeſta medicamenta, efficacia tamen. Eſt & alterum iſtorum medicamentorum genus, ſed longe valentius, & acrius, ex quo poteſt accipi materia non modo ad hæc conficienda medicamenta, quæ per nares ſunt attrahenda, ſed ea etiam, quæ vel illinenda, vel arida inſufflanda, vt ſternutamenta citentur: imo, & ex eiſdem confici poſſunt, quę maſticata pituitam euocant, ea vero ſunt piper, zingiber, pyrethrum, ſinapi, veratrum, ſtaphis agria, quam Latini pedicularem herbam appellant, & iſtius generis multa: nobis enim ſatis eſt ea re cenſuiſſe, quę magis in promptu eſſe ſolent. Ratio vero compoſitionis horum ea eſt, quod ſi ex eis, & aqua aliqua, vel ſucco fiat decoctum fluidum attrahi per nares poterit: ſin autem ea trita in puluerem redigantur, inſufflata in his medicamentis erunt, quę ſternutatoria appellantur, ſed ſi melle, aut oleo aliquo aſſumpta in modum vnguenti componantur, intra nares poterunt illiniri. Et quantum ad horum medicamentorum rationem ſpectat, hęc in pręſentia poſſunt eſſe ſatis. Verum poſteaquam hunc peruenimus, prędictis, & hoc addendum, quòd aliquando vtimur aliquibus ſuffumigijs, quę naribus ita calida odoranda offeruntur, ex illis, quæ attenuant, & diſſecant craſſitiem humorũ occupantium caput, vbi grauis ſopor moleſtus eſt. Nam poſſunt ſtrenue excitare, & euigilare, ſicuti in comate accidit, & in lethargo, neque in apoplexia, & grauiori epilepſia inutile eſt remedium. Fit autem hoc medicamentum, decoctis herbis illis, quarum

A nuper facta eſt mentio, vt ruta, ſerpillum, hyſſopus, calamentum, & id genus cætera: coquuntur vero ex aceto, & illo quidem acri. Quatenus vero ad vſum pertinet quædam ſunt aduertẽda, primumque, quòd quæ caputpurgia a iunioribus dicuntur, fluidaque ſunt, cum attrahuntur, ſolent frequenter ſi in attrahendo vis aliqua adhibeatur, per interiorem viam ad palatum, & fauces ferri, vbi non parum negotij partibus illis exaſperatis, & irritatis faceſſunt: cui tamen incommodo facile occurri poteſt, ſi antequam attrahatur medicamentum a naribus abſorbeamus, in oreque detinemus, aut aquam, aut alium quempiam liquorem donec medicamentum per nares fuerit excretum. Alterum, quod eſt aduertẽdum,
B eſt, cum multi ſint ordines horum omnium medicamentorum, de quibus in præſentia ſermonem habemus: quòd ſi in illis a ſcopo propoſito aberremus, ſi is error ſit commiſſus in acrioribus, & fortioribus medicamentis, poterit interdum ſequi magna noxa, quæ nequit deinde facille corrigi: ſin autem in minoribus, & remiſſioribus, imbecillioribuſque non ſequitur inde magnum aliquod damnum, præterquàm, quòd non tantum, ſicut opus eſſet, conferunt: quod poſtea additis viribus medicamento, emendari facile poteſt. Vnde ſemper fere, & in his, & alijs affectibus, niſi valde præceps ſit periculum, longe magis præſtat, & tutius eſt a leuioribus incipere, & paulatim vires augendo aſcendere, donec ſcopus attingatur. Sed de illis præterea, quæ mandi, aut gargari-
C zari ſolent, pauca quædam dicamus: hæc itaque mãſa, ac remãſa pituitam detrahunt: vnde, & apophlegmatiſmi dicuntur, & proinde obſcurum non eſt, quod neque ita mollia, & fluida oportet ea eſſe, vt diffluant ſub dentibus neque ita dura, & ſicca, vt dentibus minime cedant, ſed in puluerem ab illis conterantur, ſed media quadam conſiſtentia cum aliquo lentore, vt dentibus cedant, non tamen terantur, vel diffluant. In his autem ordo quidam eſt, inter ſimplicia quidem ſunt in leuiſſimis primum maſtiche, ſi recens, & tenera ſit: nam ſi vetuſtior, & ſiccior, in puluerem teritur: cui conſulimus, ſi quantum eſt tritici granum, ceram addamus. Similis huic eſt terebinthina, quæ cocta eſt, & conſiſtens, horum v-
D trunque manſum concitat multum pituitæ ſputum. Sed ſi hæc cum alijs commiſceantur, fortius medicamentum fit: quæ autem addi poſſunt, ſimplicia multa ſunt: quę acris ſunt ſaporis, ſubindeque tenuis ſubſtantiæ, vt ſunt piper, zingiber, pyrethrum, ſtaphis agria: in his poteſt hyſſopus poni, ſi ſymbrium, origanum, ſinapi, & id genus alia multa, quæ poſſunt miſceri cum maſtiche, aut terebinthina, addita, ſi ſit opus, cera, vel melle, vel paſſo: quibus ſi immiſceatur aliquid olei, & id Galeno probaretur. Vnde ſi accipiatur ſtaphidis agriæ tritę, exempli cauſa ſeſquidrach. illaque melle, quantum ſatis eſſe videatur ſubacta, ad eam medicamenti compagem ducatur,
E quæ mandi poſſit, erit medicamentum non parum efficax. Idem ex pyrethro fieri poteſt, quamuis multi ſola ſimplici vtantur pyrethri radice mãſa ad hoc officium: alij vero radice zingiberis: eodem modo, & alia relata poſſunt componi, quæ de induſtria, ne longior iuſto ſim prætermitto. Vnde relato ſolo illo compoſito medicamento, quod deſcripſit Archigenes de compoſitione medicamentorum ſecundum locos cap. 2. & illo propoſito, vt ſit quaſi exemplum aliorum multorum, quæ poſſent deſcribi, ad alia ſermonem noſtrum conuertemus. Nam de gargariſmatibus non eſt cur multa dicamus: eorum enim eadem fere eſt materia, quæ & horum, quæ hactenus recenſuimus, ſi ex ipſis decocta parentur, quæ deinde addito, aut roſaceo melle, aut oxymelite, aut ſyrupo ex hyſſopo, vel ſimili alio poſſunt fieri garga-

riſmata,

tiſmata, quæ valentiora, aut mitiora erunt pro ratione ſimplicium, ex quibus conficientur. Nam ſimpliciſſimum omnium eſſet, ſi ex aqua hordei, & oxymelite, vel roſaceo melle, aut etiam ex ſyrupo ex hyſſopo, aut calamento, aut quopiam ſimili fieret gargarizatio. Medicamentum Archigenis in hunc modum ſe habet. Accipit piperis, alij ſtaphidis, origani, caſſiæ, ſingulorum ſcrupul. ij. excipiunt vuarum paſſarum exſiccatarum, vel ficuum pinguium carnibus, & manduntur. Quę autem exterius in his affectibus in vſum ducuntur, illa varia, & diuerſa ſunt, quorum diuerſitas a varijs ſcopis ortum habet, quos nobis oſtendunt variæ indicationes a diuerſis affectuum naturis deſumptæ. Sed in his quoque componendis breuiſſimi erimus, cum maxima pars eorum, quæ poſſent ſpectare ad præſentem locum, iam a nobis eo capite, vbi de ratione curandi phrenitim, & lethargum egimus, fuerint tractata. Primum itaque hoc in memoriam reuocandum, quod noſtra hæc oratio verſatur circa illos affectus, vel rationem medicamentorum, quibus curandi ſunt capitis affectus, quorum eſſentia eſt in intemperatura cum materia, in quibus, prima, & princeps indicatio ſemper ferè illa eſt, quam nobis offert materia, quæ tamen duplex eſt, quia aut a materia accepta eſt, quę iam omnino fluxa eſt, & in parte iam recepta, aut ab illa, quæ nuper fluit: quandoque vero mixta eſt hæc indicatio, ſicut mixta eſt materiæ ratio, nempe, quia illa partim fluit, partim fluxa eſt: materia quatenus fluit, indicat repellendum, vt fluxio conſiſtat: illa autem, quæ iam fluxit, duplicem habere rationem poteſt. Nam aut iam in loco inueterata eſt, & aut a tempore, & natura, digeſtis tenuibus partibus, vel ex importuno vſu refrigerantium, vel immodico digerentium iam induruit, & in naturam ſcirrhi conuerſa eſt, aut adhuc recens eſt, & modeſte mollis. Quæ hoc modo ſe habet, indicat digerendum, & concoquendum, & quoquomodo molliendum eſſe. Quæ vero iam induruit, perinde vt ſcirrhus tractanda eſt. Sed & de illis affectibus, qui a calidæ materiæ affluxu originem habuere, non eſt cur multa dicamus, quatenus ad repellentium vſum pertinent: nam eadem in his ratio eſt, quæ & in phrenitide, & idem medicamentorum vſus, & ſuperuacanea videri poſſet longior eorum diſquiſitio, quæ concitatur a fluxione frigidæ, & pituitoſæ materiæ: cum ſimilem, & hæc rationem illis habeant, quæ de lethargo ſuperius expoſita fuere. Immo ſi exquiſitius rem extimauerimus, cum ſimilis deinde ſit medicamentorum ratio, quibus tractanda eſt phrenitis, & lethargus, cum febris deferueſcere inceperit. Nam cum vtrique affectus calidi ſint, quibus ſemper aſſidet inſignis febris, dum ea viget, nunquam eſt negligenda: ideo quamuis in incremento, & vigore ſit opus digerentibus, tamen illis vtendum, quæ non poſſint inſigniter calefaciendo febrem exacerbare, ea vero deferueſcente, (vt diximus,) ad valentiora erunt manus admouendæ: vnde quamuis ratio horum medicamentorum his affectibus hoc tempore communis ſit, & alijs præterea frigidioribus capitis affectibus a frigida, & craſſa materia excitatis, in his tamen plerunque nulla adeſt febris, & proinde calefacientium liberalior poteſt eſſe vſus. Sed rem hanc particulatim iam tractemus. Inanito itaque vniuerſo corpore, & ſubinde etiam priuatim ipſo capite, materia, quæ omnino fluxit, & in particulis quaſi abſorpta eſt, nequit vacuari alioquin, niſi per digeſtionem, & euaporationem. Facilior autem fit euaporatio, ſi laxior ſit ipſa particula, denſitas enim digeſtioni, & euaporationi obſtat, quare digerentia, & aliquo modo laxantia erunt maxime opportuna huic muneri: quare oleum, quod roſaceum completum diximus appellari, aliquid facere poteſt, licet non multum: chamæmelinum aliquanto plus, ſed plus etiam anethinum, valentius eſt rutaceum, & ſic deinde vſque ad oleum laurinum, quæ inungi, vel ex ipſis fieri quoque poſſunt epithemata, quemadmodum diximus, vbi de lethargo erat nobis ſermo, & interdum illis ſolis, nonnunquam multis vna mixtis, pro vt ratio morbi, aut naturæ corporis, vel conſtitutionis temporis requirere videtur. Ad hunc præterea ſcopum, & ad hanc medicamētorum rationem pertinent ea epithemata, quæ fieri ſolent ex pulmonibus calidis veruecum nuper exēteratorum, atque ita applicatis, ac replicatis capiti, deraſis prius capillis: itemque ex pullis columbarum per dorſum diſſectis, atque ita calidis capillis adhibitis: præterea, & ex catulis pauloante natis, laxant enim, & digerunt. Sed quia id agunt dum calent, non poſſunt diu retinere calorem, ideo excogitarunt Medici, vt cum refrigeſcunt, tunc demergantur in aliquod decoctum ex illis, quæ vim habeant digerendi, & attenuandi, vt tamen illis eligendis ſimplicibus, quæ ſint coquenda ad rationem morbi reſpiciamus. Nam in inflammationibus, ſicut in phrenitide, quando vtuntur Medici his exenteratis animalibus, non eſt parandum illud decoctum ex admodum calidis, quia licet videatur aliquantiſper deferbuiſſe calor, omnino adhuc ſunt reliquiæ caloris impreſſæ in ipſis particulis: Vnde non eſt vltra chamæmelum in his progrediendum. In lethargo vero, calidioribus aliquanto eſſet opus, vt anetho, & alijs, quorum paulo antea hoc, & prioribus capitibus facta eſt mentio: & in alijs, quæ citra febrem vllam ſunt, adhuc valentioribus audacter vti poſſemus, ſicuti hyſſopo, ſerpillo, menta, pulegio, calamentho, interdum & ruta, & iſtiuſmodi alijs. Et interdum fouere poſſumus caput oleis calidioribus, ita vt illis etiam antiqui Medici, & caſtoreum addiderint. Sed finis tandem huius capitis faciendus eſt, ſi tamen hoc addiderimus, quod non erit inutile præſertim ad vſum, & delectionem medicamentorum, vt & nos Galenus monuit, quòd vt diximus, reliquiæ calidorum etiam affectuum poſtquam febris deferbuerit, vacuantur per digeſtionem, quæ in primis per attenuantia ſit, & aliquam præterea concoctionem, quia ſemper vltimo remanent craſſiores partes, vnde vltima etiam inflammationis pars ad naturam ſcirrhi inclinat: longe tamen difficilior eſt, eorum digeſtio, & diſcuſſio, quæ aut ex nimio refrigerantium, vel ex importuno digerentium, & diſcutientium vſu euenerunt. Refrigerantia enim denſant, incraſſant, & impingunt: digerentia vero immodeſta, digeſta, & vacuatis tenuioribus partibus, & mollioribus quod reliquū eſt craſſius, durius reddunt. Vnde interdum, quæ laxant & digerunt non ſatis ſunt ad diſſipandas illas reliquias, ſed cogitur Medicus vti validioribus medicamētis, quę valide poſſunt craſſitiem humorū diſſecare, & præterea potēter attrahere ex profundo, confectis emplaſtris, aut ceratis, quæ caſtoreum, aut ſinapim, aut pyrethrum, aut piper accipiunt. Sed tandem ad alia tranſeamus.

De affectibus per medicamenta topica curandis, quibus exerceri ſolent particulæ, quæ habent ortum, & facultates à cerebro: primumque dæ illis, qui ad neruos, & neruoſas partes referuntur, vt ſunt reſolutio, & conuulſio.

Cap. VII.

NERVORVM affectus, qui eos exercent quatenus inſtrumenta ſunt, & viæ, per quas vis motrix, atque ſenſus ad omnes partes, quæ ſunt capaces tum ſenſus, tum motus defertur, duo imprimis ſunt: nempe reſolutio, quæ παράλυσις, & conuulſio, quæ σπασμὸς, a Græcis dicitur: quia ſi qui ſunt præterea alij, ad hos tandem referendi ſunt. Nam ſtupor eſt quaſi via quædam in reſolutionem, vel leuis, & parua, incipiensque reſolutio. Ita etiam tremor membrorum quidem refertur in imbecillitatem facultatis motricis, quæ ortum habuit ab aliqua frigidiori, vel humidiori neruorum intemperie, aut ab eorum obſtructione. Palpitatio vero fit ſpiritu flatulento incluſo in muſculis. Vnde nobis in pręſentia ſatis erit, ſi de medicamentis egerimus, quæ vtilia ſunt curandæ reſolutioni, & cõuulſioni: ſequemur autem eandem in his, quam in alijs hactenus methodi rationem ſumus ſequuti, nempe, vt ab indicationibus, quas nobis ſtatim offerunt naturę ipſorum morborum ſcopos depromamus, qui in his vniuerſam medendi rationem digerant. Et quia multæ vtriuſque horum ſunt differentiæ, non modo diuerſæ inter ſe, verum aduerſariæ: ideo neceſſe itidem eſt, vt & contrarias indicationes habeant, & contrarij ſcopi medico offerantur. Sed hæc particulatim inueſtigemus, & primum agamus de reſolutione, quę ſi integra ſit, aufert & delet omnem actionem tàm ſenſus, quàm mouentis facultatis: ſin autem non integra, vt in ſtupore actio redditur imminuta & manca: quod & aliquo modo dici de tremore poteſt, nempe quatenus ad debilitatem motricis facultatis pertinet, licet tremulus ille motus quoquomodo in vitiatam, vel corruptam actionem referri poſſit. Affectus ergo is poteſt aut in intemperiem neruorum ſine materia deduci: aut in obſtructionem, aut in ſolutam continuitatem neruis illatam. Intemperatura quidem, vnde reſolui nerui poſſunt, quatenus ad primas qualitates pertinet, duplex eſt, nempe frigida, quæ ita poteſt denſare nerui ſubſtantiam, vt nequeant ſpiritus deferentes facultates per illos tranſire: præterea vero humida, mollitis nempe, & laxatis neruis. Calida vero nequaquam, neque ſicca: nam neque reſolutio a ſiccitate fit. Si enim immodice nerui ſiccentur, conuelluntur potius quàm reſoluantur, ſicuti ex humiditate nequeunt conuelli. Hæc vero intelligenda ſunt quãtum ad qualitates ſpectat: quia ſi ſit intemperies cum materia, poteſt & ex hac reſolutio, & ex illa conuulſio oriri, ſed hoc potius ratione materiæ, quam qualitatum vel intemperaturæ accidunt. Cæteri vero affectus, a quibus efficitur reſolutio, vel paralyſis, in cauſa ſunt, cur facultates tam illa, quæ motus quàm quæ ſenſus author eſt, clauſa vel obſtructa via circa initium nerui reſoluti, non poſſint per illum liberum habere tranſitum. Nam ſi impingatur, infarciaturve craſſus aliquis ſuccus, vel etiã lentus alicui initio alicuius nerui, vel initio medullæ ſpinæ: reliqui nerui inferiores, qui ab illo initio deriuantur, intercepta via ab illo craſſiori ſucco, deſtituuntur ab omni facultate tum ſentiendi, tum mouendi. Nec modo nerui, ſeu cæterę etiam

A particulæ, ad quas diducti nerui inde deriuati, illis ſenſum, motumque ſubminiſtrabant. Et ſi obſtructio hæc fit ſtatim circa initium medullæ, quæ in ſpina eſt, omnes ſubiectæ partes reſoluuntur, ex ea ſaltem parte, nempe dextra vel ſiniſtra, ex qua fiat obſtructio: fit autem interdum obſtructio, ſuborto aliquo crudo tuberculo in neruo aliquo, vel in ipſa medulla perinde, ac de obſtructione diximus, inter dum & ex inflammatione. Ego tamen putarem, quod ſi flammatio corripuerit neruos aliquos, potius illam futuram in cauſa conuulſionis, quàm reſolutionis. Nam Galen. hoc argumento probat dolores articulares, quos ipſe in inflammationem refert, non fieri ex fluxione humorum ad neruos vel chordas, quia B nunquam hos dolores conuulſio ſequitur: innititur autem id argumentum huic fundamento, quod potius neruorum inflammationis comes ſit conuulſio, quàm reſolutio. Fit autem & hæc obſtructio, nulla impacta materia in neruo, vel laborante neruo, aliquo ſuo proprio vitio, vel affectu, ſed potius cum afficitur, cum alia parte conſentiens, ſicut interdum a vicinis partibus comprimitur, & ex ea compreſſione denſato prohibetur defluxus facultatis vel ſpiritus ad ſubiectas vel connexas partes. Premitur autem ob aliquem obortum tumorem inſignem in vicinis particulis, nempe aut inflammationum, aut crudum aliquod tuberculum, aut ſcirrhum, aut luxationem alicuius articuli, ſi luxatum os in locum exciderit vbi neruus ſit vicinus, cui caput illius impe- C gerit. Poſtremo autem fit reſolutio, ſi neruus tranſuerſus reſcindatur, Cum enim nerui a ſuo initio omnes vires habeant, nempe a cerebro, & a medulla ſpinæ, cum ab eo diuelluntur, & diſſeparantur, ab omni facultate deſtituuntur. His itaque modis fit reſolutio, præſertim quando illud non accidit ex eorum conſenſu cum cerebro prius per ſe affecto, quemadmodum in commotione, vel concuſſione cerebri, aut in apoplexia vel catocho, quem congelationem Arabes, & iuniores appellant. Niſi quis fortaſſe obijciat nobis, ſe a medicis ſæpe audiuiſſe, præſertim vero in conſultationibus, quod fit & interdum reſolutio neruorum, ipſis tenui aliquo humore emollitis, perfuſisque, cuius tamen nullam fecimus mentio- D nem. Sed iſtius differentiæ reſolutionis propterea mentionem nullam fecimus, quia putamus a tenui humiditate perfuſos, conuelli potius, quàm reſolui, nam ſicuti exemplo petito a fidibus muſicis inſtrumentis, & a loris, quæ duplici ratione abrumpuntur & retrahuntur verſus ſuum principium, nempe ſi nimis ſiccentur, & areſcant, aut humore aliquo perfundantur: ita duplicem eſſe differentiam conuulſionis, alteram, quæ fit inanitis: & areſcentibus neruis, alteram illis humore repletis: & madidis, & quemadmodum chordę in citharis in humidiori aeris ſtatu, vt nocturnus eſt, dum humectiores fiunt, niſi laxentur, ſolent abrumpi, neque tamen craſſo humore perfundũ- E tur ab aere, ſed potius tenui: ita & nerui, ſi perfundantur humore craſſeſcunt, & breuiores fiũt. Poteſt autem id eſſe argumento, falſum eſſe, quod a craſſa pituita fiat conuulſio, a tenui reſolutio, imò ꝙ ex ſola obſtructione, non autem ex perfuſione ab aliqua materia, quia in reſolutione amittitur pariter ſenſus & motus, & id quidem ſemper: in conuulſione autem ſenſus non tollitur: cum tamen conuulſio, vt hi volunt, fiat repletis neruis multo & craſſo humore. Vnde, ſi craſſus humor non prohibet tranſitum facultatis per neruos, neque etiã tenuis. In reſolutione autẽ quacunque de cauſa illa fiat, ſemper ſenſus & motus deficiunt. Cõuulſio vero ipſa, ſi ſit primarius neruorum affectus, aut ex repletione fit, aut ex inanitione, non autẽ ex obſtructione, cũ ſemper pateat tranſitus facultati deferenti ſenſum, & motũ. Aliquando vero

fit

ſit ex conſenſu neruorũ cum alio, vtpote cum cerebro, ſicut in epilepſia, & in venenatis morſibus, tum qualitas illa maligna cerebrum petens, illud cogit, vt ſe colligat, & contrahat, atque ita etiam in dolore. In punctura autem, vel vulnere, neruorum, atque etiam in inflammatione, Galen. ſenſit ex repletione fieri cõuulſionem. Conuellitur enim neruus, quando ichores, & tenue pus excerni nequit, inflammatio vero quod ſit morbus ex plenitudine concitatus nemo nõ nouit. Ex his ergo in hunc modum expoſitis, liquido patere vbique poteſt, quòd multæ harum differentiarum ad præſens inſtitutum non pertinent, tam conuulſionis, quàm etiam reſolutionis: vt illa quæ fit conſentientibus neruis cum cerebro, quemadmodũ contingit in apoplexia, & epilepſia. Quia horum curatio, eſt apoplexiæ curatio, ita etiam quæ a venenoſis morſibus, nam propriam habeat curationem pertinentem ad priuatam rationem curandi venenoſos ictus. Sed neque etiam cum puncturam nerui ſequitur, quia proprius in priori lib. ſermo eſt habitus de aptis medicamentis ad neruorũ vulnera, longe etiam minus, ſi horum affectuum ratio pendet a neruo abſciſſo, aut abrupto. Quare de illorum medicamentorum ratione ſermonem habebimus, quibus tollendus eſt proprius aliquis neruorũ affectus, ſiue conuulſio ſit, ſiue reſolutio. Primum itaque de illis agamus, qui ſimpliciores ſunt, vtpote qui in ſola intemperatura conſiſtunt, vt frigida eſt, quæ vtriſque, tam reſolutioni, quàm conuulſioni communis eſſe poteſt: ſicca vero conuulſio peculiaris eſt, a reſolutione aliena: ſicut contra humida a conuulſione aliena eſt, de illis tamen in præſentia duntaxat, agimus, quæ citra materiæ conſortium fieri ſolent. In his ergo in vniuerſum hoc tanquã conſtitutum accipiendum eſt, quòd quatenus ad eiuſmodi intemperaturas pertinet, indicatio euacuationis nullum habet locum, ſed res vniuerſa per tranſmutantia eſt trãſigenda, ſiue de illis ſit ſermo, quæ ad victus, ſiue de his quæ ad medicamentorum rationem pertinent. Sed & illud nulli non notũ, & in confeſſo eſt, quod contrarijs vitioſæ intemperaturæ ſunt tractandæ, & ſi intemperatura fuerit frigida, calidis tum cibis, tum vero potu. Præterea vero & aere, & reliquis omnibus, quæ ad victus rationem pertinent. Nec his modo, verum & medicamentis tum internis quidem, vt ſyrupis decoctis, antidotis, & illis quas vulgo confectiones vocant: de quibus copioſa libro ſecundo inſtituta fuit tractatio: tum externis vt ſunt vnguenta, illitiones, cataplaſmata, emplaſtra, balneæ, perfuſiones, ſeu, vt Græci loqui ſolent, embrochę. De illis ergo imprimis erit agendum, quæ calefaciunt, & nos materiam in pręſentia exponemus ſolum modo, vt tamen, & hoc addamus, quod ſi præterea aliquam vim digerendi habuerint, illud non ab re fuerit. Et ſi quis obijciat, quod digerentia euacuant, tu vero paulo ante dixiſti, nullam hic haberi vacuationis indicationem? Dicemus quod id quidem verum eſt, quatenus illa intemperatura ſine materia per ſe eſt. Quia tamen in frigida alicuius particulæ intemperatura calor natiuus imbecillior redditus, non poteſt aliqua crudiora excrementa non gignere, quæ eam fouent intemperiem: ideo præter calefactionẽ: vtilis eſt etiam aliqua digeſtio. Olea igitur, quæ calefaciunt negotio ſunt opportuna, ſicuti chamæmelinum, anethinum, abſinthinum, nardinum, maſtichinum, & illud, quod ex hyperico conficitur, liliaceum etiam & irinum, & coſtinum, quod etiam fit ex lini ſemine. Sed & fomenta ex decoctis confect s ex eiſdem ſimplicibus, ex quibus illa olea conficiuntur, & ex alijs etiam, quæ eiuſdem ſint facultatis. Itẽque & emplaſtra, & cataplaſmata, & reliqua id genus medicamenta fieri poſſunt, quæ particulatim,

A ob nimiam tractationis prolixitatem in præſentia non ſunt exponenda, niſi quod hoc loco, id, quod alias quoque faciendum eſt. Monendus ſane iuuenis Medicus eſt, vt ſemper a facilioribus & leuioribus cu rationis ſumat exordium, atque ita paulatim tentet, quid poſſit ferre laborantis natura. Sed in his neque thermarum, quæ tum actu, tum poteſtate calidę ſunt vſus eſt inutilis: quales Patauinæ ſunt, quæ multiplices ſunt, & Bononienſes, Porretanæ, & in Etruria etiam plures. Nec etiam diſſimilis eſſet ratio medicamentorum, quibus humida neruorum intemperies curanda eſſet: nã & thermæ omnes ſiccant, quidem, non omnes tamen calefaciunt. Sed & omnia, quæ paulo ante recenſuimus. præter id, quod calefaciunt B exſiccant etiam. In hac tamen intemperie curanda, & huius eſt habenda ratio, vt ad naturam corporis, eiuſque naturalem temperaturam: propterea vero & ad aeris & temporis conſtitutionem reſpiciamus, ne interdum, ſi vſi fuerimus ſiccantibus medicamentis, quæ præterea, & calefaciant, febrem accẽdamus. Vnde conſultius ſane erit, vt ſi calidis exſiccantibus ſimus vſuri, vbi nulla adſit præterea frigida intemperatura, aliqua intermiſceantur, quę ſiccent quidem, ſed etiam refrigerent, vt illorum calor temperetur, ſicuti ſunt roſæ aridæ, folia ſalicis, & id genus alia. Multi quidem in reſolutionibus ſi occaſionẽ ab humiditate, vel etiam frigore habuerint, vtuntur aqua ex vino diſtillata, aquã vitæ vulgo appellant, reſolutas partes illa madefacientes. C Ex ſicca autem intemperatura, vt diximus, in neruis contracta, reſolutio nequit fieri. Sed tamen conuulſio, qui quidem affectus ſi aliquam poteſt curationem admittere (nam nunquam, aut rariſſime & inter prima morbi initia medicamentis alijſue remedijs cedit) curatur humectantibus ſecundum omnem modum adminiſtrandis medicamentis, nimirum, & ratione victus humectante, non ſolum in potu & cibis, verum & alijs omnibus, vt aere, ſomno, quiete, tã corporis, quàm animi. Sed & externis remedijs, præ omnibus autem alijs balneis, non quidem quæ ſponte ſcaturiunt, & mineralem aliquam facultatem continent, quia illæ omnes ſiccant, ſed quæ arte parantur. Duplex autem balnearum genus poteſt his eſſe vtile: primum quod D fit ex aqua dulci modeſte calida, nam ſi calidior eſſet magis ſiccaret digerendo. Quòd ſi aliqua præterea incoquerentur, quæ humectarẽt, vt eſſent malua, lactuca, borago, & alia quæcunque humectant, quæ ita tamen eſſent moderanda, ne nimis aut calefacerent, aut refrigerarent. Nonnulli præterea laudant, vt in ea quoque aqua incoquantur capita & pedes agnorum, aut veruecum. Alterum vero balnei genus eſt, quod fit ex oleo communi, & dulci, quod & plane maturum ſit, & non vetus: ſitque omnino ſincerum, vtpote quod ſit expreſſum, ex ſolis oliuis citra ſalis permixtionem, & citra germina, vel folia, vel ſurculos arboris, hæc ſiquidem omnia vim exſiccandi habent. Tandem autem Galen. omnia in E vnam ſummam colligens ait, quòd curatio conuulſionis, quæ a ſiccitate accidit eadem tandem eſt, quæ & febris hecticæ: nempe vt omni, qua id fieri poteſt ratione, corpus humectetur. Vnde iam opportunum fuerit, vt ad alias differentias horum affectuum tractandas accedamus, quæ a præſente materia ortum, & fomentum habent: ſiue illa neruos repleat, vt in conuulſione, ſiue obſtruat, vt in reſolutione. Et quia, vt & Raſis in ſuo libro ad Almanſorem teſtatur, eadem eſt tandem methodus, vel ſaltẽ parum admodum differens, qua curandi ſunt duo hi affectus, nempe reſolutio, & conuulſio, quando ab abundantia materię replentis vel obſtruentis ortum habent, quamuis diuerſa & fere contraria ſymptomata habeant: ideo de ambobus etiam in vni-

uerſum agemus, expoſitis primum generalibus indicationibus, quibus præſertim curandi methodus innititur. Generales igitur indicationes ſunt illæ, quæ omnibus morbis, qui ab affluxu materiæ ortum & fomentum habent, communes ſunt, nempe quod ſtatim a principio, fluxio eſt intercipienda, per vacuationem & reuulſionem, vt occaſio fluendi tollatur: vacuetur autem corpus vniuerſum, ſi illud vitioſis & ſuperfluis humoribus ſit plenum; deinde vero & caput, ſi inde excrementoſam materiam ad neruos fluere putemus. Particulatim vero modum & rationem vacuationis oſtendet natura ipſius affectus, vel cauſæ, quæ illum concitarunt, & fouent: præterea vero, & ſtatus, vel natura ipſius corporis: nam quamuis Aetius & Archigenes, cui videntur & Paul. ſubſcribere, & Aretæus, ſemper in reſolutione & conuulſione ſenſerit a venæ ſectione eſſe incipiendum, Arabes tamen in reſolutione ne meminere quidem, quod vena, præſertim in reſolutione, ſit ſecanda: & multi iuniores etiam damnant, cum frigidus morbus ſit. Galenus vero in libr. de vena ſecanda contra Eraſiſtratum ſenſiſſe videtur vtilem eſſe venæ ſectionem, præſertim illis, in quibus ſuppreſſio ſanguinis præceſſerit, qui ſolitus ſit per menſes muliebres, aut per hæmorrhoidas fluere. Præterea vero in 1. libr. ad Glaucon. concedit in his affectibus mittendum eſſe ſanguinem, nō tamen ſemper. Sed aliquando, neque tamen particulatim: deinde quando id expediat exponit: niſi quod aliquas videtur inſinuare limitationes: ſed cum hæc ad præſens inſtitutum non videantur pertinere, in illis exponendis non erimus longiores. Cum vero plerunq; affectus hi a frigidis humoribus fiant, ſæpius quidem a pituitoſa materia, interdum tamen, & a ſucco melancholico ſicut & epilepſia: ideo plerumque humor pituitoſus purgandus eſt, nonnunquam & melancholicus, quibus autem medicamentis purgandus ſit is, vel ille humor, in 1. libr. ſatis eſt a nobis expoſitum: in ſecundo vero, quibus coqui, & parari ad vacuationem poſſit; quibuſque ſiccari & roborari nerui poſſunt, digeſto excremētitio humore, qui in illis eſt impactus. Quare reliquum eſt, vt ad illa conuertamus orationem, quæ in primis fluxum iam humorem, & factum morbum reſpiciūt, vt ſunt, externa, & topica remedia. Sed nō erit fortaſſe inutile, vt prius particulatim ea exponamus, & aliqua generalia documenta ab antiquis medicis tradita referamus. Et primum ab Alexandro Tralliano deprompſimus, hoc vero eſt, quod cum plerumque fluxionis in morbis his a capite originem primam petere oporteat quamuis aliquando viderimus dolores ventriculi, & inteſtinorum in neruorum reſolutionem deſiiſſe, ad eos nimirum translata materia: ideo non modo in illis curandis, vniuerſi corporis curam per eius vacuationem habere oportet, verum & ipſius plerumque capitis, vt ante illud ab excrementis, quibus ſcatet, expietur, quàm factum iam morbum in ipſis neruis externis remedijs aggrediamur. Superius autem, vbi de curandis affectibus capitis fuit ſermo habitus, de illis, quibus caput ſit inaniendum, particulatim plura verba fecimus. Alterum vero fuit a Galen. depromptum 3. de locis affect. &[illegible]d rationem vſus, & adminiſtrationis eorum medicamentorum pertinet, quæ exterius adhibentur: id autem eſt, quod in horum medicamentorum vſu in primis, & præcipue inquiramus, & inueniamus locum originis eorum neruorum, qui ſenſum & motum reſolutis particulis, aut cōuulſis ſubminiſtrant. Nam longe magis eo loco applicata proſunt, initium enim longe maioris momenti eſt, & id etiam eſt, quod primum laborat, a quo defluit affectus in ſubiectas partes. Vnde ſi reſolutio, vel con-

A uulſio magna ſit, in qua non modo inferiores, verum & ſuperiores partes affectæ ſint, præcipue ſpinæ dorſi, quod eſt initium omnium neruorum, præter ſeptem illas coniugationes, quæ ſtatim a cerebro deriuantur. Medicamenta affectui congruentia applicare conſueuere peritiores medici, & illis vertebris, vnde ortum habent reſoluti, vel conuulſi nerui: & proinde nos docuit Alexander, vt cùm pars aliqua faciei reſoluta, aut conuulſa fuerit, ſicut ori ſolet accidere, & oculis, cum a cerebro nerui harum partium proxime oriantur, magis capiti, quàm laborantibus particulis aptis remedijs conſulamus. Sed iam de medicamentis localibus agamus particulatim, prius tamen ſcopis propoſitis, ad
B quos digerenda eſt eorum vniuerſa ratio, quos nobis oſtendit natura ipſius affectus, & ab eo ſumptæ indicationes. Cum ergo affectus a præſentia materiæ frigidæ, & craſſæ excitatus fuerit, princeps ſcopus erit per digerentia euacuandū eſſe, & præterea frigidam intemperiem corrigendam: ſed quia craſſus, & lentus humor non facile digeritur, ideo attenuandus & concoquendus, ſed & calefaciēdum, hoc enim & res ipſa nos docet, & Galen. 2. & 4. apho. expoſuit. Erit ergo agendum medicamentis attenuantibus, calefacientibus, concoquentibuſque: & hac eadem de cauſa aliquanto febris conuulſionem, & reſolutionem ſanare potuit, Imo & ob id excogitarunt medici, vt quando difficilis eſt morbus, febris
C vſu rerum calefacientium concitetur, & Gal. 5. apho. quamuis vinum alioquin neruis ſit nocētiſſimum, interdum tamen ait, quod potus eius meraci ab his affectibus hominem, propterea quod calefaciat, attenuet, & digerat, poteſt liberare. Sed quatenus ad primum pertinet, non eſt concitanda, neque deſideranda acuta aliqua febris, ſed potius leuis, & facilis, ne liberi ab vno periculo in aliud non leuius incidamus, Quartanam vero imprimis poſſe hos affectus tollere putarunt Hippocr. & Galen, vtpote quæ calore poſſit attenuare, & coquere craſſam, & frigidam materiam, rigore vero illam exturbare, & excutere. Vinum autem poteſt his affectibus eſſe vtile, vt 7. aphoriſm. ex Aſclepiadis ſententia docuit Galen. quando corpus purgatum & inanitum fuerit: alio-
D qui enim potius oberit, & inſigniter. Verum hæc tanquam fere parerga omittenda ſunt, quamuis non omnino parerga ſint: & de medicamentis tandem particulatim ſermo inſtituendus eſt. Quæ ergo calefaciendi & attenuandi vim habent, ea huic negotio poſſunt eſſe accommodata: nos autem ex multa, & copioſa ſylua aliqua collegimus ſimplicia ab auctoribus laudata, non quòd ea ſola nobis probentur, ſed potius vt tanquam exempla proponantur. Sunt autem hæc veluti materia apta ad diuerſorum medicamentorum compoſitionem, nam & olea, medicata ex his parari poſſunt: & balneæ, perfuſioneſ-
E que, cataplaſmata, & emplaſtra. Neque alicui mirum videatur, ſi emplaſtrorum, vel cataplaſmatum meminerimus, vt pote quòd graue videantur hæc poſſe ferri, ſi conuulſio, vel reſolutio multas partes occupauerit; quia, vt ſuperius monuimus, nō eſt opus his vniuerſam comprehendere particulam, ſed ſatis plerumque eſt, ſi vel origini neruorum, qui affecti ſunt, adhibeantur. Aetius itaque & Paul. multis laudibus hæc extollunt, nempe artemiſiam, conizam, calamentum, rutam: his tamen addere poſſumus chamemelum anethum, ſaluiam, chamepitym, origanū & hypericon, & iſtius generis plurima alia, quæ poſſunt ex libris de facultatibus ſimpl. medicamentorum depromi. Ex his ex aqua coctis, fieri poſſunt balneæ, perfuſioneſque, ſed ſi hæ herbæ coctæ terantur, in cataplaſmatis, emplaſtrique formam redigi poterunt. Olea vero, quæ poſſunt vtiliter in vſum

venire, ſunt oleum commune vetus multorum annorum, oleum chamæmelinum, anethinum, ex ſemine lini, ricininum, coſtinum, rutaceum oleum, ex hypericon confectum in affectibus neruorum, vel ab ipſis etiam vulgaribus effertur multis laudibus: oleum pręterea de piperibus, oleum vulpinū, quod ex lumbricis terreſtribus paratur, ſiue ſit oleum alioquin ſimplex, ſiue vetus, quod fortius erit ſiue (vt in præſentia eſt in vſu) confectum ex oleo chamæmelino. Ad inſtitutū hoc non parū facere ſolent aquæ thermarum ſponte naſcentium, quæcunque calefaciunt, & digerunt, quales ſunt ſulphureæ, nitroſæque, & quæcunque ſalis, cineris, calciſve ſunt participes. Sed & bituminoſæ, ac aluminoſæ, quæ tamen non plurimum aluminis habeant, ne nimis aſtringant. Ratio B vero illis vtendi multiplex eſſe poteſt, nam & in potu poteſt earum vſus eſſe vtilis, & earum balneæ, perfuſioneſque, vel embrochæ. Sed multis in locis, & luta quæ ſubſident ipſis thermis, ſi illis affectę partes, pręſertim verò ad neruorum initia illiniantur, vtiliter adhibentur, ſicut hic in Patauino agro lutum thermarum ſanctæ Helenæ, itemque ſancti Petri, & montis Ortonis. Sancti verò Bartholomei, quanuis aliquibus in reſolutione non valde probetur, propterea quia non parum molliat, attamen cum inſignem pręterea vim digerendi habeat, ita vt induratos tumores poſſit primum mollire & attenuare, mox verò & validè digerere, non putarem illud in reſolutione contemnendum, in conuulſione autem plurimum C eſſe laudandum. Ego vero & aquam, quam vitæ vulgò appellamus, reſolutis particulis affuſam plurimū præſidij illis attuliſſe vidi.

De Medicamentorum compoſitione, quæ apta ſunt curandis morbis proprijs ſenſuum inſtrumentis, primumque oculis, ac de eorum vſu.

Cap. VIII.

Videretur forſitan alicui, & de medicamentis agendum eſſe, quibus ad tollendas deſtillationes me- D dici vti ſolent. Sed ſi rectè rem examinemus, deſtillationes ſequuntur, aut ſemper, aut frequentius cerebri affectum proprium, nempe eius imbecillitatem, quæ habet originem ab aliqua in eo intemperie contracta, præſertim vero frigida. Vnde Gal. 3. de cauſ. ſimp. ſimilem habere rationem in cerebro deſtillationem ait, vt in ventriculo alui profluuium, quod è ventriculi cruditate primariam occaſionem habet. Pari enim ratione ex errore concoctricis facultatis in cerebro fluxio concitatur, & deſtillatio, & quatenus ad hoc pertinet, ſuperuacaneum videtur de hac affectione particulatim agere, cum ſuperius de illis fuerit abunde ſermo habitus, quibus eiuſmodi intemperamē- E tum corrigendum ſit. De affectibus vero, qui in diuerſis alioquin partibus ad eas decumbente deſtillatione concitari poſſunt, non hic, ſed alijs magis proprijs locis erit inſtituenda tractatio. In præſentia ergo ad ſenſuum inſtrumenta conuertamus noſtram orationem, primumque ad oculos. Oculus ergo viſus eſt inſtrumentum, quod magnam cum cerebro connexionem, naturalemque affinitatem habet, maiorē fortaſſe quàm quiſquam aliorum ſenſuum: nam pręter id quod viſoriā vim vniuerſam ab eo per neruos opticos habeat, multis muſculis circumſeptus eſt, ex quibus in varias partes moueri poteſt, qui neruos ſuos à cerebro recipiunt, per quos ad illos vis mouēdi amandatur. Partes etiam, ex quibus tanquam inſtrumentaria, & compoſita pars coagmentatur, ſi nō omnes, aliquæ ſaltem originem habent, nam & deriuantur a cerebri membranis. Nā ex anteriori, & exteriori parte tribus cōſtat membranis, ſeu tunicis: prima, quæ extima eſt, & eam Græci ἐπιπεφυκότα χιτῶνα appellant, quaſi adnatam, vel adiunctam dicas: iuniores Latini coniunctiuam vocant. Altera vero, quæ ab hac continetur, ea eſt, quam corneam nuncupant: tertia eſt quam vueam. rhagoida autem Græci appellāt. Sed de internis non proferemus in longum noſtram hanc orationem, ne nimium temporis conteramus: ſatis eſt, quod omnes tam internas quàm externas, tum à cerebro, tum à capitis membranis tanquam propagines ortum habuiſſe anatomici auctores in adminiſtranda oculorum anatome oſtendunt. Ex quo tanquam corrolarium hoc deduci poteſt, quod ad rationem curationis affectuum iſtius particulæ inſtituendam non parum vtile eſſe poteſt, id nouiſſe, nimirum quòd plerique morbi, qui oculos affligere ſolent, qnando ſponte ſua oriuntur, & ab internis cauſis, à capite, & cerebro in primis occaſionem habent. Sed his pręterea addendum eſt, quòd oculi nomine propriè quidem ſignificamus eam tantùm particulam, quā circumcirca ambit, & continet tunica, quam adnatam vocari diximus: nonnūquam tamē latiori quadam ſignificatione, & externas partes, quibus oculus propriè includitur, vt ſunt palpebræ, & cilia, ſuperciliaque, inter eas recenſemns, quæ ad conformationem oculi ex propria eius natura pertineant. Nos tamen ſeorſum de illis, & de his agemus, prioremque ſermonem habebimus de curandis per medicamenta illis affectibus, qui interiori oculo proprij ſunt. Et cum duplici facultate oculus à natura ſit donatus, nempe motrice, quę per muſculos fit, & viſoria: de priori non eſt cur agamus, quia cum omnes actus, qui motrici facultati noxij ſunt, tandem in reſolutionem, & conuulſionem referantur, eos omnes fuiſſe comprehenſos ſuperiori capite affirmare meritò poſſumus. Qui vero ad alteram facultatem attinere quoquomodo poſſunt, in multiplici ſunt differentia. Nam alij proprij ſunt partib. oculi, communi tamen quadam ratione, quatenus ſimplices, & ſimilares ſunt: alij vero primū & per ſe oculum, lædunt, quatenus compoſita & inſtrumētaria eſt. Quatenus ſimplices ſunt obnoxiæ duplici morborum generi, illi, quod in intemperatura eſt, & illi, quod in ſoluta vnitate: intemperaturæ vero ſunt quatuor ſimplices, & quatuor cōpoſitæ, quę itidem ſicut in alijs partibus, vel cum materia eſſe poſſunt, vel citra illam. Ad intemperaturam cum materia referuntur inflammationes & reliquæ tumorum differentiæ. Vtraque ante genera ſolent dolores ſequi, qui ſymptomata ſunt ſenſus tactus, cuius oculus cōmuni ratione particeps eſt. Et quia genus hoc morborum, quod in intemperie ſecundum propriam naturam conſtat, primam etiam rationem ſequitur, ad earum particularum naturam pertinet: ideo de illo priorē ſermonem habebimus. Vt autem in breuiorem ſummam, methodumque, quantum per nos fieri poterit, omnia redigamus, hunc ordinem ſeruabimus, ꝙ primum circa eas intemperaturas verſabimus, quæ maioris momenti ſunt, & maiorē requirūt diligentiam, quales ſunt illæ, quæ ab affluxu materię ortum & fomentū habent. Nam in his continētur & illæ, quæ citra materiā ſunt, atq; in his, quibus curanda eſt intemperies cum materia, pleraque eorū comprehenduntur, quæ illam tollere poſſunt, quæ eſt citra materiam. Sed & id præterea annotatione dignum eſt: quod ſi non omnes, plærique ſaltem oculorum affectus, qui à præſente materia pendent, & fouentur, à fluxione originem habent, quæ à capite & cerebro ſemper ferè primam (vt ex paulò ante expoſitis facilè poſſet probari) occaſionem habent. Flu-

xiones

xiones vero, quarum initium eſt à capite, ex maiori, A immo maxima parte ſunt vel à bile, & ex ſanguine tenui, & bilioſo, aut tenui, & ſalſa pituita: vel frigidæ ex pituita frigida, & inſipida: aliquando etiam mixta eſt ex vtraſque. Nam ab humore melancholico craſſo raro hęc eueniunt, niſi interdũ aliqua huius ſucci portiuncula ſit his alijs mixta. Quia verò omnes deſluxorij morbi, ſicut vnam habent communem rationem, qua generantur, ita vni etiam generali methodo, quatenus ad eorum curationem pertinet ſubiecti ſunt, licet particulatim quatenus ad materiam medicamentorum, aliqua ſit in eis diuerſitas, & aliqua etiam ratione naturæ particulæ morboſæ. Sed non eſt in præſentia opus, vt multa de hac ratione dicamus, quia cum præſens oratio B ſolum circa oculorum affectus verſetur, eadem quantum ad hoc ſpectat, in omnibus erit ratio. Nos ergo, vt breuiores ſimus, non omnium affectuum, qui à calida fluxione pendent, curationem tractabimus: ſed de oculorum inflammatione, quæ à Græcis ophthalmia, à Latinis lippitudo dicitur, agamus, quæ erit nobis veluti exemplum quoddam curandarum omnium calidarum fluxionum: neque longi admodum erimus in exponendis illis, quæ in vniuerſum continent generalia theoremata horum curandorum affectuum, quia ſæpius & hæc priori libro fuere expoſita: nempe quod quamuis hæ fluxiones primum, & proxime occaſionem à cerebro, capiteq; habeant, fomentum tamen rarò illi deeſt à C ſuppoſitis partibus, vt ab hepate, ſæpius etiam ab vniuerſo corpore. Vnde & vniuerſi corporis vacuatione priori egent, & reuulſione, & tandem deriuatione: reuulſio præcipua illa eſt, quæ omnibus affectibus calidioribus communis eſt, nempe per ſectionem eiuſdem venæ, quæ in affectibus capitis ſecari ſolet: deriuationes fieri poſſunt affixis cucurbitulis ſcapulis, eiſdemq; inciſis, itéque, & hirudinibus poſt aures, atque permiſſo ſanguine fluere poſt earum caſum, quantum expedire viſum fuerit. Galen. vero in libro de facil. parab. medic. meminit alterius reuulſionis, vel deriuationis, nempe appoſita cucurbitula occipiti & inciſa, atque inde ſanguine detracto, perinde vt Hipp. rectam frontis venam ſecandam eſſe, quando pars poſterior capitis malè affecta eſt. Auertunt D etiam, ſine manifeſta tamen vacuatione frictiones brachiorum, crurum, & dorſi. Et quamuis hæc reuulſionis ratio frequentior ſit medicis, non tamen ea ſola in vſu eſt, nam ſæpe medicamentis purgantibus vtuntur, cuius rei meminit Galenus tum primo aphor. tum vero decimotertio meth. vbi ait, ſe curaſſe ſæpius incipientes ophthalmias illo eodem die corpore per medicamenta purgato: & ſi quis quærat, quamuis fortaſſe hæc videantur ab hoc inſtituto aliquantulum aliena, duæ reuellendi rationes ſemper, & in omnibus æqualiter, & indifferenter ſint futuræ vtiles: vel aliqua potius in illis differentia, & diſtinctio adhibenda, ita vt aliquãdo altera, aliquando autem altera ſit accommodatior cenſenda. Eſt E ſanè, & illa præſertim, quæ à natura fluxionis ſumenda eſt, vt videtur inſinuaſſe Galenus: nam ſi fluxio fuerit aut ſanguinea, aut aliorum humorum cum ſanguine, ſanguinis detractio aptior erit ad curationem. Sin autem non fuerit inſignis cum ſanguine miſtura, vtilior erit purgatio. Vnde Galenus in libello de medicam. fac. parab. ſigna expoſuit, quib. hæc diſcerni poſſint: ait enim, quod ſi venæ circa frontem tumidiores, & apparentes fuerint, ſit ſanguis mittendus: ſin autem, purgandum. Sed ad ea tandem tranſeamus, quæ particulatim ad pręſens hoc negotium magis videntur attinere, nempe ad tractationem de localibus, & externis medicamentis: vt tamen prius hoc ſit conſiderandum, quod cum methodus primariò quidem naturam, rationemque morborum ſequatur: à generalibus morborum rationibus occaſionem habent, & conſtitutionem theoremata pertinentia ad partem communiorem, & generaliorem methodi: Cum ergo ophthalmia inflammatio ſit oculi, vnde & ophthalmiæ nomen illi inditum: neceſſe eſt, vt communi methodo curandarum inflammationum ſit ſubiecta: habeat tamen aliquas particulatim definitiones, & limitationes à ſua propria, & peculiari natura. At inflãmatio à fluxione efficitur: primum ergo indicat ſiſtendam eſſe fluxionem, deinde verò, ſi quid iam fluxerit, id per digeſtionem vacuandum eſſe. Siſtitur autem fluxio per repellentia, quæ, vt ſæpe expoſitum eſt, refrigerant, & aſtringunt. Sed & quoquòmodo euacuatur particula, dum per hæc quaſi exprimitur, ſi quid admiſſum, & receptum eſt, præſertim vero vacuant, quæ vim habent digerendi, vnde inter initia repellentibus agendum eſt: morbo autem ad incrementum progrediente, miſcenda ſunt digerentia repellentibus, ac paulatim de repellentibus detrahendum, donec ſolis digerentibus, quando vigor morbi acceſſerit, vtamur. Hæc ergo eſt generalis methodus curandi affectus, qui à fluxione ortum habent. Sed illa poſtea per peculiares rationes, quæ à varia natura ipſius morbi, vel ſpecie accipiẽda eſt: in hac tamen inflammationis quaſi ſpecie, quantum ad inſtitutum noſtrum pertinet, pręcipua diuerſitatis ratio ab ipſo loco affecto depromenda eſt: nam adeò differentis naturę ab alijs particulis oculus eſt, vt diuerſiſſimam requirat medicamentorum conditionem ab alijs particulis: ita vt, quę in inflammationibus aliarum fere omnium particularum maximè commoda, & ſalutaria ſunt, in oculorum inflammationibus, alijſque eorum morbis maximè nocua ſint. Nam roſaceo oleo, vt ſuperius fuit expoſitum, in capitis & cerebri tum inflammationibus, tum etiam doloribus, & alijs calidis affectionibus omnes, vel etiam vulgares, vtuntur tanquam præcipuo, optimoque medicamento, quod tamen oculos irritare, & exacerbare poteſt, naturę enim oculi maximè eſt aduerſarium. Et proinde licet in vniuerſum eadem ſit methodus curandi oculorum lippitudines, qua & alię curantur inflammationes, particulatim tamen quatenus ad materiam pertinet, ex qua componenda ſunt medicamenta apta curandis oculorum morbis, maxima eſt diuerſitas. Id vero eſt propter dignitatem iſtius particulę, & eximium in illa ſenſum: à quo habet, quod facillimè à quocunque, in quo ſit vel quamuis modicus aliquarum qualitatum exceſſus, ſtatim lędatur, & irritetur: vt in ea ferè ſola locum non habere videatur aphoriſtica illa ſententia, quod extremis morbis extrema remedia conferre ſoleant. Nam neque in magnis oculorum morbis vti licet valentioribus, & fortioribus medicamentis, & inde fit, quod eorum curationes tum difficiles, tum etiam longę eſſe ſolent. Vnde, vt Galen. partim decimo tertio methodi, partim quinto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos docuit, neque primas neque ſecundas qualitates, neque tertias, niſi moderatiſſimę ſint oculi ferre citra noxam poſſunt: nam neque quę inſignem aliquem ſaporem habent, vt auſterum vel amarum, vel acrem: & tandem quę acrimonię expertia non ſunt, quęque exaſperant, ſicuti aſtringentia exaſperant. Omnia enim ſunt oculis inimica, niſi modeſtiſſimè id faciant: immo neque ea, quę vel modeſtè id agunt, periti medici oculis inijciunt, niſi prius illa aliquo liquore leni demulceant, & deliniant, vt omnem exaſperandi facultatem detrahant. Liquores vero, qui medicis in oculorum affectibus frequentiſſimi ſunt, tres ſunt:

primum eſt album oui dum concutitur, & aquæ
conſiſtentiam aſſumit: alterum eſt muliebre lac:
præſertim, vt docuit Rhaſis, ſi fuerit mulieris iuue-
nis, & boni habitus, quæ puellam peperit: hoc
enim illum voluiſſe puto: tertium eſt ſeminum
fœnigræci decoctum diligentiſſime paratum, nem-
pe prius diligenter abluto ſemine, vt ſi quid pul-
ueris, vel alterius rei, quæ poſſit exaſperare habeat
vel mixtum, vel hærens, detrahatur. Sed hoc præte-
rea aduertendum eſt, quòd hac eadem etiam de cau-
ſa cauti medici ad repellendas fluxiones oculorum
potius emplaſtici vtuntur medicamentis, quàm aſtrin
gentibus: quia & illa repellunt, tum quia quoquo-
modo refrigerant, tum quia meatus particulæ replēt
& obſtruunt, vt deinde nequeant facile defluentes
humores admittere. Sed iam de his medicamentis
particulatim agamus, quæ incipienti inflammationi
congruentia ſunt, ſumpto initio a facilioribus. In ho
rum autem medicamentorum vſu & delectu, conſi-
derandus eſt primum morbus, impetusque influen-
tis humoris, eius etiam copia, & acris qualitas. Præ-
terea vero & ſymptomata, præſertim vero dolor. Nā
ſi magnus ſit impetus irruentis fluxionis, vt inde ſit
timenda magna inflammatio, ſi mala ſit materia, vt
vel a multitudine facta magna particulæ diſtentione,
vel ab acrimonia, dum mordetur, & pene eroditur
oculus, ingens excictetur dolor, valentioribus res e-
rit tractanda medicamentis, ſin autem neque multa
materia impetum in oculos facere videatur, neque
adeo acris, vt ingens concitetur dolor, leuioribus, &
facilioribus, ſimplicioribusque medicamentis eric
agendum. Faciliora vero, ſimplicioraque hæc impri-
mis ſunt, oui album, quo vel ſolo ſæpe principijs
ophthalmiæ multos reſtitiſſe vidi: eo nempe prius
probe agitato, & concuſſo, vt in tenuem & fere a-
queum liquorem diſſoluatur, mox vero in oculos in-
ſtillato, nam multis nominibus poteſt eſſe vtile: pri-
mum refrigerando, non tamen ita inſigniter, vt læ-
dere poſſit: vim repellendi habet: poſtea aliquid em-
plaſtici habet, vnde, vt alias diximus repletis, & qua-
ſi obturatis illis tenuibus meatibus ipſius particulæ,
quibus admittuntur influentia excrementa, fit ali-
qua repulſio, & illa in primis, quæ magis commoda
eſt oculis, quam quæ fit per aſtringentia, cum non
ita exaſperet, vt aſtringentia: præterea vt hac qui-
dem ratione, deliniens aſperitatem, & obtundens a-
crimoniam influentium ſuccorum dolorem ſedat.
Cui accedit, quod dum lentore, cuius particeps eſt,
oblinit partes, per quas defluunt acres fluxiones, il-
las perinde munit, vt in diſenterijs pinguia, & em-
plaſtica medicamenta, quæ inteſtina ab eroſione a-
criorum excrementorum defendunt. Quòd ſi videa
tur inter initia maiori aliqua refrigeratione, & ali-
quantula item aſtrictione eſſe opus, ſæpe aquam ro
ſaceam intermiſcent, quæ cum refrigeret & ipſa, &
aliquid aſtrictionis ex roſa retineat, & id citra vllam
aſperitatem, poteſt adiuuare, & vires albo oui adde-
re. Et quamuis decoctum ex aridis roſarum folijs
poſſet pro aqua venire in vſum, putarem tamen il-
lud non ita futurum cuiuſcunque morſus expers, vt
aqua roſacea. In molliorib. itaque corporib. vt mu-
lieres & pueri ſunt, vidi repreſſas eiuſmodi inflam-
mationes hoc medicam. præſertim vero inter initia.
Si vero videatur eſſe aliqua digeſtione opus, ſurculi
plantæ fœniculi in fruſta reſecti dum concutitur, in
album oui ſolent inijci, inde enim aliquam digeren-
di facultatem ſibi medicamentum comparat. Sæpe
etiam inter initia vſus ſum rhu obſoniorum. Ara-
bes vero, & apothecarij vulgo ſumach appellant.
Vtor autem hoc modo: accipio vnam, aut alteram
eius drachmam, ac in albo & raro linteolo deligo,
in aquamque roſaceam demergo, atque ibi mace-
A rari permitto citra vllum morſum vel exaſperatio-
nem, medicamentum hoc refrigerat, & aſtringit, &
ſubinde etiam repellit. Hoc autem medicamentum
præſertim mihi in vſu eſt in dictis variolis, ad tuen-
dos oculos puerorum, ſunt hæc medicamenta fami-
liariora faciliaque paratu. Poſt hæc autem poteſt eſſe
vtile decoctū fœnugræci, ea diligentia paratum, quam
nos docuit Galenus decimo tertio methodi, nempe
vt diligenter per ablutionem ſordes & omnis puluis
detrahatur, moxque ex dulci & ſimplici coquatur a-
qua, vt ſi quid aſperitatis vel morſus habuerit, id de-
ponat. Coqui autem ſolebat ex dulci aqua paulatim
& lento igne, ne dum valentiori igne efferueſcit,
inde vim maiorem calefaciendi acquirat, & aliquam
B ſubinde acrimoniam. Inſtillatur autem medicamen-
tum in oculos, aut illo oculi obducuntur. De-
coctum hoc maiores concoquendi priori habet, &
aliquas detergendi, quamuis non multas citra ta-
men aliquem morſum, ſed cum ſit alicuius caloris
particeps, digerere etiam aliquantulum poteſt, &
repellere, perinde vt album oui, ratione nimirum
lentoris. cuius non eſt expers, & proinde etiam em-
plaſticum eſt. Cum ergo concoquat, extergat-
que, & digerat, poteſt digerendo, coquendo, & le-
niendo dolores mitigare. Quare album oui primis
initijs accommodatius erit medicamentum: circa
incrementum verò fœnugræci decoctum. Poſſu-
mus autem eius facultatibus addere, vel detrahere,
ſi vel aqua mutetur ex qua coquitur ſemen, vt ſi pro
C communi aqua, roſaceum ſumimus, minus calefa-
ciet, & aliquantum aſtringet: ſin autem aqua fœni-
culi, magis digeret. Præterea poſſunt, dum coqui-
tur, addi rhu obſoniorum, vt magis repellat, vel
germina, aut ſurculi fœniculi inijci, vel ſemina, vel
id genus aliud, nam ita magis digerere poterit. Ter-
tium verò, quod præſertim opportunum eſt, quan-
do vehementiores dolores vrgent, maximè qui ab
acri fluxione excitantur, eſt muliebre lac, ſi ſit cali-
dum ab vbere expreſſum mulieris iuuenis, & boni
habitus: nam & aliquid detergentis habet ex ſeroſo
humore, cuius ſemper eſt particeps, quo acres de-
lapſas materias abluit, nec diu permanere permi-
tit. Nam ſemper locum, in quem decumbunt,
D vellicant, & abradunt, habet etiam partem, ex qua
conficitur caſeus, quæ habet nonnihil emplaſtici,
quo præter id, quod vt ſæpe dictum eſt, poteſt repel-
lere fluxionem, obliniens etiam emplaſtica ſub-
ſtantia affectam partem, eam munit ab iniuria a-
ctium excrementornm fluentium, ſed pinguiores
etiam partes illi non deſunt, vt quales illæ ſunt, vn-
de fit butyrum, quæ concoquendi facultate prædi-
tæ ſunt, & nonnihil digerendi. Lenitate præterea,
quæ illi ex propria ſua natura peculiaris eſt, deli-
nit, & demulcet omnium acrimoniam, & aſperi-
tatem. Eſt autem tum hęc, tum vero oui album in
maiori vſu etiam apud vulgares. In acerbioribus
autem, & maioribus inflammationibus, vbi egemus
E ope fortiorum medicamentorum, compoſitis illis
ſolemus vti, quę Gręcè collyria, Arabicè autem
ſief appellantur. Et Galenus in initijs fluxionum,
quando vehementes aſſident dolores, dixit collyria
illa vim magnam habere, quæ monoemera à me-
dicis dicebantur, quia illa eadem die poſſint libera-
re ab hoc morbo, & quæ à colore τρυγώδη quaſi
fæculenta dicas: alia verò libiana ab illis, & cyg-
ni ab albo colore, & ipſe plures horum collyriorum
compoſitione deſcripſit, quarto de compoſitione
medicamentorũm ſecundum loca. Multas enim
Aetius, Paulus, & Alexander Trali. quę tamen in
prę ſentia nullibi paratę reperiuntur, neque ſunt
in vſu, & proinde in illis referendis non erimus
longiores, cum nullibi ferè in vſu in prę ſentia ſint,

eſt

eſt vero in vſu noſtris his temporibus loco eorum, quæ cygni dicuntur collyrium Raſis nono ad Almanſorem reſcriptum, quod ipſe vocabulo Arabico ſiefalbum appellat: & aliquanto illis, quæ Gal. quarto de compoſi. medicament. ſecundum loc. referuntur, ſimplicius. Fit autem ex decem partibus ceruſſæ lotæ, ſarcocollæ tribus, vna autem tragacanthæ. In relatis autem a Galeno additur cadmia, & amylum, & gummi, quod nunc Arabicum appellant: vnde illa maiorem vim deſiccandi, & repellendi habent ad vlcera conſolidanda. Hoc verò quod Raſis deſcripſit magis lenire dolores poteſt, & acrimoniam fluxionis delinire, & obtundere, ſed & fluxiones repellere, doloremque mitigare. Dupliciter autem illud in præſentia fit, aliquando enim partem mediam opij addunt, quo deinde vtuntur, vbi doloris vehementia cogit, alioquin vero citra opium in vſu eſt. Nec modo hoc medicamento vtuntur ad id genus oculorum affectus, verum & in alijs, quando ab acri excremento concitantur: ſolent enim vſque in veſicam illud inijciere, in vehementi ardore vrinæ. Aptum autem eſt hoc medicamentum præcipuè incipientibus inflammationibus. Nam cum iam videtur eſſe aliqua concoctione opus, huic aliquid illius collyrij addunt, quod ex croco conficitur, de quo poſtea ſuo loco agemus. Galenus vero docet, non ſolum collyria, quæ inſtillanda ſunt, diluta ex aliquo prædictorum liquorum: nempe aut albo oui, aut lacte, aut decocto fœnigræci: verum vtiliter poſſe oculo laboranti adhiberi emplaſtra apta his affectibus. In libro autem de facile parabilibus medicamentis, deſcribit hoc cataplaſma, quod accipit ouum nempe album, & luteum, additoque meliloto, & pane quantum ſatis ſit ad confectionem cataplaſmatis, atque oleo etiam roſaceo, fit emplaſtrum, quod oculo clauſo imponendum & deligandum eſt: exceptum tamen linteolo, vel haſpo lini, vel ſimili re: nam vim habet dolorem mitigandi ex oleo, ouo, & meliloto; ex albo, itidemque ex oleo repellendi; aliquid etiam concoquendi ex meliloto, & oui luteo, & pane digerendi. Sed iam caput hoc ad calcem deducendum eſt, ſi tamen vnum prius monuerimus, quod nos Galenus docuit, & ad rationem vſus prædictorum medicamentorum pertinet. Illud vero eſt, quod vbi dolor non ſit admodum vehemens, ſi bis, aut ter illa in oculos inſtillentur, ipſe ſatis eſſe cenſuit; in vehementioribus vero doloribus præterea etiam ſi dies longiores fuerint, vt æſtate ſunt, etiam quater, vel quinque. Vnde hoc animaduertendum, quod non erat ille ita frequens, & importunus in his, ſicut ſunt in præſentia medici.

Ad Vlcera oculorum.

Cap. IX.

VLCERA oculorum ſicuti multiplices habent occaſiones, vnde fiant, ita etiam particulatim diuerſæ curationis rationi ſubiecta ſunt. Fiunt autem vel ab interna aliqua cauſa, quia vel ex aliquo rupto abſceſſu, in quem vel inflammatio, vel alius tumor præter naturam in oculo concitatus deſierit, aut ab acri, & mordaci fluxione abradente & erodente tunicas oculorum, vel ab externa cauſa ſicuti ſi ab aliqua re pungente, incidente, vel dilacerante tunicas harum particularum ſoluatur. Non ſolum autem ad cauſas reſpiciendum eſt in curandis vlceribus oculorum, verum & longe magis ad differentias eorum, quæ inter ſe variæ & diuerſæ ſunt, ipſis vlceribus per

A ſe conſideratis. Nam aliquando ſunt vlcera ſola, aliquando vero coniunctas & alias affectiones habent, quæ & ipſæ proprias præter vlcus habent indicationes: coniunguntur autem cum vlcere ſæpe inflammatio, aut eryſipelas, aut aliqua intemperatura cum materia vel ſine ea: interdum & exitus alicuius particulæ oculi, vt in appellato myocephalo, vel ſtaphylomate. Sed & vlcus ſordidum, virulentum, putridum erodens non ſunt ſimplicia, ſed implicitas alias habent affectiones, vt & priori lib. communi quadam ratione oſtendimus, quæ omnes proprias habent indicationes. Sunt præterea & vlcera maligna, & quæ malignitatis ſunt expertia, vt prætercam in præſentia, & alias differentias, quæ vel a partib. oculi ſumi poſſunt. B Nam quandoque corneam, quandoque alteram, quæ agnata vel coniunctiua dicitur, interdum verò & palpebras corripit. Vel à ratione propria vlceris, quia vel magnum, vel paruum eſt, vel profundum, vel non deſcendit in altum. Nam ſicut in communi vlcerum genere continetur, ita poſtea rationi conſentaneum eſt, quod poſſit etiam eſſe earum differentiarum particeps, quæ ſolent communem, & generalem rationem vlcerum ſequi. Sed & illud iam poteſt eſſe manifeſtum, quod cum de oculorum vlcere ſit inſtituendus ſermo, duo imprimis ſunt ſpectanda. Primum ea, quæ nobis a ratione vlceris, & earum differentiarum, quæ vlcera ſunt, indicantur, deinde vero illa, quæ natura affectæ partis nobis indicat. Circa C illa, quæ à communi vlceris ratione nobis indicantur, non eſt in præſentia cur multum uerſemur, cum ſatis ſuperque de illis in tertio libro egerimus. Nam neque illud dubium eſt, quod ſi vlcus ſit ab aliqua cauſa illatum, ſiue illa externa ſit, ſiue interna, quæ aut omnino, aut maxima ex parte fluxio eſt, quod primum incumbendum ſit, vt cauſa de medio tollatur, & ſuperius non ſemel de remedijs fuit actum, quibus fluxio tollitur, præſertim vero priori capite. Vnde ſermonem conuertemus ad eas indicationes, quas nobis affert ratio communis, & vlceris natura, quæ quidem indicat particulam per conſolidationem eſſe ad ſuam priſtinam vnitatem reſtituendam, quod tamen ſolius eſt naturæ opus, ſicut etiam carnem generare, & ea vlcus, ſi cauum fuerit, replere. Quamuis D medicus non parum poſſit naturam adiuuare, du ſuis inſtrumentis, illi opem magnam ferre poteſt nempe quibuſdam remotis, quæ naturam impediunt quo minus illa ſuo officio fungi poſſit. Earum vero quæ naturæ ſunt impedimento, aliqua ſuapte quaſi natura ſequuntur ipſa vlcera, vt ſunt duo illa excrementa, quæ in omnib. vlcerib. ſubcreſcunt, alterum quidem tenue & ſeroſum, quod in cauſa eſt, cur omnia vlcera deſiccatione egeant, à iuniorib. autem Medicis virus, vel virulentia dicitur, quodque vbi ſupra communem vlceris rationem excreſcit, efficit eam vlceris differentiam, quæ ulcus uirulentum præſertim a iunioribus chirurgis dicitur. Alterum uerò craſſum, quod ſordem appellant, & ab hoc cum nimis in E ulcere redundauerit, fit altera differentia, nempe ulcus ſordidum. Ob iſtud autem excrementum vlcera egent aliqua deterſione, ſed de his 3. li. plenius & planius loquuti ſumus. Alia verò vlceris conſolidationi impedimento ſunt, non quia vlcus propria ferè ratione conſequitur, ſed potius ſunt a ratione propria vlceris aliena: verum, aut ſunt affectiones ſimul cum vlcere complicatæ, vt intemperaturæ, inflammationes, aut has ſequuntur, vt putredo, eroſio, & id genus alia, vel ſunt cauſæ, quæ præſentes adhuc ulcus fouent. Horum autem omnium eadem eſt methodus generalis in oculis, quæ & in alijs aliarum partium ulceribus, de qua cum in ſuperiori libro quantum ſatis eſſe poteſt, loquuti ſimus, in præſentia ſuperuacaneum uideretur in longius proferre

ſermo-

ſermonem. Particulatim autem quemadmodum in ſuperiori capite de inflammatione diximus, ita etiā in curandis his vlceribus, non parua intercedit differentia inter hæc,& alia quatenus ad rationem medicamentorum pertinet, & materiam eligendam, vnde hæc conficienda, quæ differentia perinde hic, vt in curandis inflammationibus, occaſionem habet ab indicatione, quæ accipienda eſt a natura affectæ particulæ, quæ facillime, & quocunque paruo negotio ab omni acri & exaſperante medicamento irritata incidit in dolores, & fluxionib. fit obnoxia. Cūm itaque ad curanda hæc vlcera deſiccantib. medicamentis, detergentibusque, & ſæpe concoquentibus ſit opus, de concoquentibus quidem non eſt cur multa dicamus, illa enim potius quatenus concoquunt dolores mitigant, deſiccantia autem & detergentia illa erunt aptiſſima inſtrumenta, imo & aſtringentia. Nam illis interdum partim ad repellendos influentes humores, partim ad roborandam afflictam particulam, quæ mitiora ſunt, leuioraque, & quæ opus ſuum facilius, & citra morſum, & irritationem poſſunt præſtare. De his ergo primum agemus, & prius de ſimplicibus, mox vero de compoſitis. Inter ſimplicia multa in rerum mineralium genere ſunt in vſu, quæ præſertim, ſi exquiſite fuerint lota, aut nullam habent acrimoniam, nullumque morſum, aut ſi aliquam habent, illam deponunt. Sunt etiam quædam terræ, vel lapides, ſunt demum, quæ ὀποὶ Græce, Latine vero lachrymæ, ab Arabibus & iunioribus gummæ appellantur. E plantis quoque in vſu ſunt, flores, folia ſucci, & ſemina quædam. Sed antequam magis particulatim de his agamus, quædam in vniuerſum explananda ſunt. Hæc vero ſunt, quæ a Galeno 13. metho. tum 4. de comp.med. ſecund. loc. inter initia ſumus edocti: & ſunt non modo vtilia, verum & neceſſaria ad perceptionem eorum, quæ ad rectam medicamentorum compoſitionem, & intelligentiam pertinēt. Hoc itaque conſtituto, quod paulo ante fuit explanatum: nempe ea medicamenta congruentiſſima eſſe oculis laborantibus, quæ vel omnino ſunt acrimoniæ morſuſque expertia, itemque exaſperationis, vel ſaltem quàm minimum illis prædita ſint. Talia ſunt, quæ emplaſtica ſunt. Emplaſticorum vero duplex eſt genus, hoc enim ab eodem Gal. 4. de fac. ſimp. med. fuit literis traditū. Alterum quidē eorū eſt, quæ ſubſtantia conſtant exquiſite terrea, ſiccaque, aliarum tamen qualitatum prorſus fere expertia. Alterum vero ea continet, quæ nō prorſus terreā & ſiccā habent ſubſtantiam, ſed potius mixtā ex terrea & aerea: vnde & quoquo modo glutinoſa, & vt quinto de facultatibus ſimplicium medicamentorum ille idem teſtatur, in his ſunt oleum, oui album, caſeoſa lactis pars, ſuillus adeps, cera quoque, quæ expers ſit cuiuſcūnque amaritudinis, & alia præterea multa, quæ quiſque poteſt locis citatis legere. In priori genere ſunt metallica multa: imprimis vero ponenda eſt, quæ pompholyx a Græcis dicitur, vulgo vero tutia, cum exquiſite fuerit lota, noſtris autem temporibus aqua roſacea a multis laudari ſolet: ea in oculorum morbis nulli alteri, vt idem teſtatur; ſecunda eſt: poſt hanc eſt ſpodium item lotum, non illud Arabum, ſed Græcorum, quod minerale eſt, & a Latinis multis cinerula dicitur: deinde ceruſſa, cadmia item iſta, & probe lota: præterea plumbū vſtū & lotum, ſed & cimolea, ſamius aſter, & amylum, omnia probe lota. In his tamen nonnulla ſunt, quæ non ſunt prorſus ab omni qualitate immunia, quia cadmia particeps eſt aliquantulę facultatis exterſoirę, pompholyx vero, ſpodiū, & plumbum vſtū, quāuis probe lota nullā mordacitatem retineant, retinent tamen aliquam aſtrictionem, ſed illam admodum exiguam. Quatenus

A autem ad vſum horum dupliciū generum iſtorū emplaſticorū medicamentorū, atque ad eorum munus, & hoc conſideratione dignum eſt, quod alterum quidem genus, eorum nempe, quæ glutinoſa quoquo modo ſunt, maxime vtile, congruensque illis eſt, in quibus expedit pus mouere. Primum autem illis, vt 4. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, videtur Gale. inſinuare, aptius & vtilius eſt, in quibus ſiccare ſit opus citra vllum morſum, vacuareque, quo imprimis egent doloroſa vlcera, dum curantur. Quia tamen non ſolum id genus medicamenta, quorum hactenus meminimus, ſunt vlceribus & alijs prauis oculorum affectibus neceſſaria, ſed interdum & detergentibus opus eſt, imo B quandoque & erodentibus, quamuis hæc alioquin ſint oculis inimiciſſima, abſtergunt vero atque repurgant vlcera valide ex mineralibus, quæ item in ocularibus medicamentis recipiuntur, ſquama æris, flos item æris, chalcitis vſta, miſy, ſory, ſtibiumque, quod a iunioribus dicitur antimonium: erodunt autem auripigmentum, ſandaracha, floſque aſiæ petræ: huius autem facultatis nonnihil etiam particeps eſt miſy. Præterea vero cum duplex ſit medicamentorum aſtringentium genus, nam quædam modice admodum aſtringunt, in quibus ſunt roſarum flores, folia, & ſuccus, & ericæ fructus, ſpica nardi, folium malabathri, crocus, lycium & hypociſtis: alia vero vehementem vim aſtringendi habent, vt acacia, omphacium, balauſtium, cytini, mali punici, C gallæ omphacitides. Sed his explanatis, hoc præterea eſt addendū, quod ad omnes oculorum affectus in primis vtilia atque tuta ſine vlla particulæ offenſa ſunt ea medicamenta, quæ emplaſtica ſunt, & in primo emplaſticorum genere, quæ ſicca & terrea ſunt, vt pote quæ moderate, & citra vllam noxam deſiccent, & ſubinde vacuant, atque obſiſtunt fluxioni. Et ſi hæc præterea alicuius alterius facultatis non ſint expertia, vt pompholyx, quæ aliquantū aſtringit: illam tamen adeo modicam habent, vt nequeant exaſperando dolorem aliquem ciere, neque retinere, ſiquid defluxit ad affectum locum, ne diffluat; ſed potius ea ratione vtilis eſt, quod robur particulæ ſeruat, & fluxionibus reſiſtit. Et hac ra- D tione cætera quoque, quæ modice aſtringunt, in oculorum affectibus ſunt in frequenti vſu. Quæ vero vehementius id agunt, dolorem afferunt, exaſperata parte, vnde raro etiam admittunt in ocularibus medicamentis, & quando admittuntur, ex parte id fit, & non niſi cum illis mixta, a quibus deliniatur, & mitigetur aſperitas. Vnde raro, niſi in compoſitione veniunt in vſum, immo, & ea compoſita, quæ hæc accipiunt, plerunque dum illis vtimur, cum alijs commiſcemus, quæ poſſint reprimere eorum vehementiam. Quod bifariam ſeruari ſolet, vel admiſto multo liquore, quo diluendum eſt medicamentum, vt eſt oui album, vel aqua roſacea, vel lac, vel decoctum fœnigræci, vel addito alio compoſito medicamento, in quo ſit valida vis retundendi ve- E hementiam illius medicamenti, & quod de his diximus, illis etiā commune eſt, quæ vehementer detergunt, quæque vim etiā habent erodendi. Sed quædā etiam de concoquentibus dicemus, ac ſtatim ad compoſita medicamenta particulatim explicanda accedemus. Concoquentia ergo medicamenta, ex multis quidem ſelecta, vtpote quæ præſertim congruentia ſunt, quando concoctione opus eſt, ſicut etiam ſæpe opus eſt, ſunt hæc: myrrha, crocus, thus, caſtorium, ſuccus fœnigræci, quamuis multa ex his, vt myrrha, vim etiam diſcutiendi habeant: ſed alia calidiora ſunt, alia minus calida, ſicuti diuerſa eſt etiam affectuum ratio. Medicamenta itaque compoſita reperiuntur ab antiquis deſcripta fere innumera,

quæ

quæ nolumus nos in præſentia explanare : nimis enim longa eſſet hæc oratio, ſed ea tantum proſequemur, quæ in præſentia in vſu frequentiora, & pleriſque in locis reperiuntur, nam iſtis probe perceptis, alia etiam, quorum hic non eſt facta mentio, ſi cum iſtis quæ hoc loco fuere explanata, differant, facile poterunt percipi. Primum ergo agamus de collyrio, quod diximus ſief album a Raſi fuiſſe nuncupatum, cuius ipſe meminit præſertim ad curandas inflammationes oculorum, & eius etiam facta eſt priori capite aliqua mentio. Nam in vlceribus oculorum quando ſunt cum vehementi dolore, neque omnino ſunt expertia inflammationis, ſuntque a calida, & acri fluxione excitata, præſertim vero inter initia accommodari vtiliter poteſt hoc collyrium, vtpote quod poteſt deſiccare ſine aliquo morſu, quod maxime vlceribus neceſſarium, refrigeratque, & aliquam habet aſtrictionem, & tum his facultatibus, tum vero quia emplaſticum eſt medicamentum, repellit, & reſiſtit fluentibus ſuccis acrioribus, & leuem aliquam, facilemque digeſtionem habet, vnde his fere omnibus nominibus, doloribus remedio eſſe poteſt, & longe etiam magis ex admixto opio. Hæc vero omnia facile, ſi ea, ex quibus componitur, extimare voluerimus, percipere poterimus, nam ceruſſa lota, & emplaſtica eſt, & aliquam non admodum obſcuram habet vim aſtringendi, neque tamen exaſperat, & deſiccat moleſte, refrigeratque: ſarcocolla vero & ipſa eſt in emplaſticis medicamentis, & longe magis, ſi maceretur in lacte, fit cuiuſcunque mordacitatis expers, & non deſiccat, non caret præterea digerendi facultate. Cum enim alicuius amaritudinis ſit particeps, habet aliquas partes calidas: vnde etiam aliquid concoctorij habet, tragacantha vero & ipſa aliquantiſper ſiccat, emplaſticaque eſt, & adeo citra morſum agit, vt poſſit ea, quæ exaſperata ſunt leuigare, & acrimoniam obtundere, & quamuis in impreſſis Raſis exemplaribus non adſit amylum, Meſue tamen de ophthalmia agens, referens hoc medicamentum, ac illud Raſi aſcribens, meminit & amyli: quod & ipſum emplaſticum eſt, & citra vllum morſum ſiccat. De opio autem non eſt quod multa dicam, nulli enim non eſt notum, quod ſtuporem inducit, & ad reſiſtendum dolori admittitur in medicamentis. Quo loco & illud aduertendum eſt, quòd quamuis opium facultatibus tum fere omnibus, tum vel maxime ſenſib. contrarium ſit, vtpote quod ſtuporem afferat illarum facultatum inſtrumentis, ſi tamen diligenter obſeruare voluerimus ocularia medicamenta, quæ a celebrioribus medicis deſcripta hactenus ſeruantur, videbimus in illis eſſe frequentiſſimum vſum opij. Hoc autem fuiſſe inſtitutum puto propter eximium iſtius particulæ ſenſum, & vehementes dolores, quibus, cum male afficitur, ſolet cruciari. Sed & hoc non videtur prætermittendum, quòd plurima, vt diximus reperiuntur alba collyria in libris Galen. Pauli, & Aetij, quæ ab illis cygni dicuntur, item & apud Arabes, hoc tamen aliquantulum eſt ſimplicius, & initijs primis magis accommodatum: nam multis illorum additur cadmia, & gummi, quod vulgo Arabicum appellant. Cadmia autem vſta quidem, & lota nonnihil deterſoriæ facultatis habet, & ideo potius illis congruens erit, cum iam præter erit principium, deſieritque inflammatio, atque remiſſior ſit factus dolor. Poſtea autem deſcribemus collyrium ex thure confectum, quod quidem Raſ. ſief de thure appellat, vimque & ipſum deſiccandi citra vllum morſum habet: ſed maiorem concoquendi, & aliquam præterea, leuem tamen aſtringendi, & tantillum digerendi: eius

A confectio in hunc modum ſe habet. Accipit ammoniaci, ſarcocollæ ſingu. partes v. thuris partes x. croci partes ij. omnia ex mucillagine fœnigręci aſſumpta in collyriorum formam rediguntur. Thus itaque, vt ab eo incipiamus, quod alia ſuperat copia, quòdque medicamento nomen dedit, in primis vim concoquēdi habet, aliquam etiam non tamen multam aſtringendi, aliquantulum etiam deſiccat: nonnihil præterea digerit, & detergit, ſarcocolla vero & ipſa medicamentum concoctorium, & diſcuſſorium eſt, quod præterea, & citra morſum deſiccare poſſit, & cum emplaſtica ſubſtantia conſtet, poteſt & fluxionib. obſiſtere: ammoniacum autem mollit inſigniter, & digerit, ad vlcera etiam maligna vtile eſt medicamētum. Hæc B omnia docuit Galen. crocum vero vero concoquendi facultate eſt pręditum, cum aliqua tamen aſtrictione: cōſimilis quoque facultatis eſt decoctum, vel mucillago fœnigræci. Quare omnia in vnam ſummam colligendo, medicamentum hoc imprimis quidem concoquere poteſt crudos, & ſuperuacuos humores in oculis, eoſque digerendo, & deſiccando abſumere, atque influentib. aliquantulum obſiſtere, roburque particulæ addere. Commodum ergo erit, inclinantibus dolore, & inflammatione in vlcerato oculo, magis quam inter initia. Tertium medicamentum vlcerib. cōmodū, quod & ipſum his tēporib. in vſu eſt, & multis in locis paratum reperitur, eſt ab eodem Raſi depromptū, quo etiam ſæpius & fœliciter vſus ſum, appellatur de plumbo, efficaxque medicamentum ad C ſiccanda, & detergenda vlcera etiam difficilia, & ea carne replenda, & conſolidanda. Vtile autem non ita in principio, neque incremento, dū dolor, & fluxio vrget: & in hunc modū conficitur. Accipit plūbi vſti & loti, ita enim medici vtuntur, præſertim in oculorum affectibus: nam dū vritur, ex igne aliquem contrahit calorem, vnde mordere poteſt, ſed in vniuerſum ex lotione detrahitur; ſtibij, vel vt nunc dici ſolet, antimonij, & ſi Galen. fides ſit adhibenda, & hoc medicamentum commodius erit, ſi vratur, & lauetur: nam illorum fortem, ait ille, aſtrictionem oſtendit, quæ per loturam adeo exſouitur, vt fere ad ordinem eorum accedat, quæ citra mordacitatem agunt: deſiccat tamen, & ſic etiā non eſt aſtrictionis expers. D Pompholygis vt vulgo ſolet appellari, thutiæ itidem lotæ: nam & ipſa hoc modo abſque vllo morſu ſiccat, habet præterea vim emplaſticam cum aliquantula aſtrictione; & hæc omnia vlcerib. vel etiam malignis optima ſunt: æris vſti, vehementem ait idē Galen. abſterſoriam vim habet hoc medicamentum, & mordax eſt inſigniter, quod & ipſum ſi lauetur, multum, & mordacitatis, & abſterſionis detrahitur: non tamen tollitur, quin adhuc & detergat, & aliquā tiſper mordeat. Gummi tragacanthi hæc ad deliniendā, & mitigandā mordacitatem aliorū, pręſertim vero vſti æris, adijciūtur, quæ quāuis plurimū ex lotura remittatur, adeo tamē facilis eſt oculi, ex quacunque leui occaſione, irritatio, vt nūquā ſatis eſſe factū E videaſ, ſingulorū aūt horū accipiūtur partes viij. quibus additur opij media pars, atque omnia ſimul mixta optime teruntur, tenuiſſimoque cribro excuſſa, aſperſa aqua pluuia aſſumuntur, & inde cōficitur collyriū. Medicamentū hoc reſiccat vlcera, detergitque ſatis inſigniter cum oculis collatum, aliquid etiā habet aſtringentis: vnde ad replenda vlcera, & conſolidanda, licet difficilia, & non expertia alicuius malignitatis ſint, admodū efficax eſt. Poſtremo aūt Raſ. dū docet curare vlcera oculorum, eius etiam collyrij meminit, quod ipſe eliſir vocat, & valens admodum medicamentum ad ea vlcera curanda, quæ profunda adeo ſunt, vt vel iam prociderit extra interior tunica, quam rhagoida Græci, iuniores nucā appellāt: vel ſaltē periculum eſt, ne procidat. In his aūt præter a-

lias,

lias, hæc etiam indicatio vim multã habet, vt aut reſiſtatur, ne erumpat illa tunica, aut ſi iã ex parte prociderit, procuramus, ne vlcus magis dilatetur, ſed potius aſtringatur, vt interi⁹ hoc modo reuocetur: hoc autem præſertim aſtrictione fieri poteſt, vnde fortiora in eo accipiuntur aſtringentia, quam in alijs. Componitur aũt acceptis ſtibij, ſeu antimonij loti & prius vſti, lapidis hæmatitis, ſingulorũ drag. x. acaciȩ drag. iij. aloes drag. j. ex his exquiſite tritis, & lȩuigatis fit collyriũ, perinde vt ſuperius: nullũ horũ, ex quib. cõficitur, nõ aſtringit, de ſtibio enim ſatis diximus: acaciã autẽ, & aloem aſtringere nemini nõ eſt notũ: hæmatites autẽ lapis adeo reſiccat, vt vel ſolus poſſit vlcera ad cicatricem, præſertim vero oculorũ perducere: vt hac etiã ratione cõtrahere quoquomodo laxiores partes poſſit: eſt tamẽ & ipſe non expers aſtrictionis, eã tamen non habet inſignẽ. Quare hoc medicamentum, ſi Galeni doctrinam. ſ. traditã nobis 4. de cõp. med. ſecun. loc. ſequamur, aptiſſimũ erit illis oculorũ vlcerib. in quib. interior tunica, eroſa cornea, ſolet ſe exerere, & quia de his quatenus poſſe ſatis eſſe noſtro huic inſtituto arbitror, hactenus egimus, opportunum erit, vt ad alia tranſeamus.

De Medicamentis, quibus maculæ in oculis ex arte tolluntur, ac de eorum vſu.
Cap. X.

VARIAE ſunt maculæ, quæ in oculis apparentes partim aſpectu turpes ſunt, partim vero oculo in videndo officiunt: e quarum numero eſt, quæ a Græcis λεύκωμα dicitur, albugo autem a Latinis, ab aliquib. vero nebula. Eſt autem cicatrix ex vlcere corneæ ad conſolidationẽ perducto: ſicut enim cicatrices aliorũ vlcerum in alijs locis denſiores, & duriores euadunt, & fere calloſæ: ita etiam vlcerib. corneæ accidit, & quemadmodum omnia corpora diaphana, cum denſata terminantur, alba fiunt: ita ob cicatricẽ accidit corneæ, vt ex cicatrice, veluti obducto callo condenſata, ac quaſi terminata eius perſpicuitate, locus albeſcat. Non abſimilis etiam interdum macula oculos obtenebrat: Nam & ipſa fit denſiore reddita cornea, ſed alia ratione, nam hæc nõ ex craſſitudine, & denſitate ob cicatricem ortum habet, ſed potius ex infarctu craſſiorum humorum in ipſam tunicã. Solet autem macula hæc, & veluti albugo, vel nebula ſequi fluxiones ad oculum calidiorum quidem, & tenuiorum humorum a principio, ex quib. fiunt ophthalmiæ, & oculorum conturbationes, qui affectus τάραξις Græce dicitur. Eſt autem quando rubent oculi, præcipue vero adnata, & alba eius tunica, venæque manifeſtiores, & rubicundiores apparẽt: qui affectus leuis eſt ophthalmia, vel potius initium quoddã ophthalmiæ. Solent autem in oculi inflammationib. perinde, ſicut in alijs quoque inflammationibus euenire, quæ per digeſtionem terminatur: prius enim calidiores, quæ influxerunt partes digeſtæ euaneſcunt, craſſiores vero, quæ & frigidiores, & quaſi feculentæ ſunt, remanent, vt quæ difficiliores ſint ad digeſtionem, vnde poſt digeſtas inflammationes, reliquiæ quædam remanent duræ, & ſolidiores. Et proinde omnes antiqui medici docent, quod curatio inflammationis circa finem eadem eſt, quæ & ſcirrhi: ita etiam in oculis fit ſæpe, vt ex reliquijs his cornea craſſeſcat, & albeſcat, acieſque oculi obtenebretur, & offuſcetur. Tertia vero macula, quæ in oculis oriri interdum ſolet, fit ex aliqua contuſione, perinde vt alijs partibus, dum contunduntur: nam dilaceratis præ contuſione minutis, & inconſpicuis venulis, ſan-

A guis quaſi expreſſus exit in circunſtantes partes, qui paulo poſt in grumum verſus, nigreſcit, ita enim fiũt vibices, & ſugillationes. Hæ itaque maculæ aliquando curationis ſunt capaces, interdum vero nequaquam: cicatrices enim aliquando fere delentur, vtpote quando non admodum craſſæ ſint, quales illȩ, quȩ ſequuntur curata vlcera, quæ non admodum profunda fuerint, ſed tantum in ſumma membrana, & in puerili ætate: alioquin enim in adultis, quæque craſſiores ſunt, curationis non ſunt capaces. Sed & albugines, quæ ſunt reliquiæ præcedentis inflammationis, ſi craſſæ admodum, & induratæ, inueteratæque ſint, non curantur, aut ægre admodum curationem admittunt, tertiæ vero maculæ frequentius curari ſolent. B Quatenus ergo ad indicationes pertinet, quæ nobis rationem, & methodum curationis demõſtrant: illæ eædem in vniuerſum ſunt, quæ in ſimilib. affectionibus in alijs partibus contingere ſolent: nam cicatrices, quia denſiores & craſſiores iuſto ſunt detergentibus, & quoquomodo attenuantibus quaſi atterendæ ſunt: aliæ vero maculæ, quæ ab infarcta materia, digerentibus, & attenuantibus, & illis etiã, que detergunt, quæque molliunt. In eligenda autem materia medicinali, vnde ſint componenda medicamenta, quibus hæc ſunt peragenda, ſemper eadem in memoriam reuocanda, quæ & in ſuperioribus capitibus fuere propoſita, nempe ſpectandam eſſe naturã affectæ particulæ, quæ facillime a validis medicamẽtis irritatur, & ad inflammationem perducitur. C Ideoque ſi acrioribus oporteat vti, ſicuti ſȩpe acriora ſunt neceſſaria, illis modeſte vti oportet, & miſtis cum alijs, quorum miſtura poſſit acrimonia deliniri: cæteræ vero maculæ, quȩ ex infarctis humoribus, & craſſis habuere ortum, digerentibus, & attenuantibus egent medicamentis, & quandoque, qui ex alto attrahunt. Sed magis particulatim de his agamus, primumque de illis, quæ vim habent attenuandi, & digerendi materiam tunicis oculorum impactam, aliquantulum etiam detergendi, & a facilioribus, lenioribuſque, exordium ſumemus. Facillimum quidem medicamentum, & quod in tenuioribus corporibus, vt ſunt puerorum, plurimum profuiſſe ſæpius animaduerti, eſt ſaccharum, quod candum vel candi- D dum vulgo appellant, præſertim roſaceum, tritum adeo, vt in pollinem tranſeat, oculiſque, ſpecillo, inſperſum. Hoc etiam mihi viſum eſt facile medicamentum, non parum tamen efficax, ſicut & viridia germina fœniculi, aut eius ſemen, quo ita vti ſolemus. Procuramus, vt aliquis puer, aut adoleſcens, ſiue maſculus ſit, ſeu fœmella, maſticet prius fœniculum, & ſemen ſane vires maiores habet, deinde vero per aliquos dies exufflet in oculum, vapor enim ex fœniculo cum aere ad oculum inſufflando illiſus, ipſum feriens penetrat interius, atque ita magis afficit, vim autem habet attenuandi, & diſcutiendi, deinde vero efficacius erit medicamentum, ſi poſt manſum fœniculum oculus delingatur ſumma lingua, ad quod mu- E nus aptior erit puer, vt diximus, aut adoleſcens, quã ſenex: nam præter fœniculi vires in mandendo, contrahitur aliquantula vis concoctoria, vt enim medici teſtantur, triticum maſticatum magis maturat tubercula, quam contuſum. Præterea & ſaliua, quæ inter madendum immiſcetur, vim aliquam attenuandi habet, digerendique, & detergendi: eſt enim alicuius ſalſedinis particeps. Poteſt etiam hoc idem fieri manſis alijs, quæ oculis familiaria ſunt, & digerendi, attenuandique facultatem habent, vt ruta, chelidonia, verbena, vel aliqua id genus alia, & hæc etiam vtilia ſunt ad atterendas albas cicatrices: præſertim in mollioribus corporibus, vt puerorum, nam in alijs magis detergentibus ſȩpe eſt opus. Valentius medicamentis omnibus his eſt id, quod a Ioanne Meſue

literis commiſſum eſt capite de albugine oculorum, maiorem enim vim detergendi habet, attenuādique, & digerendi, & ſi opus etiam fuerit, e profundo infarctas materias attrahendi. Cuius confectio eſt, acceptis, zaccharo, alcyonio, quod ſpumā maris ipſe appellat, ſarcocolla pari ſingulorum pondere, ex quibus optime tritis, & lęuigatis, fit puluis ſubtiliſſimus, qui ſæpius oculis inſpergendus eſt: eo ſæpe vſus ſum, & felici ſane ſucceſſu: ſi medicamentum exiſtimare voluerimus vim habet detergendi, & digerendi, & materiam impactam, vel etiam ex profundo extrahendi: nam zaccharum detergit, & nos zaccharo ſolemus vti, quod cādū vulgo appellatur, pręſertim vero roſaceo, nā roſa oculū roborat, illique familiare medicamentum eſt: alcyonium vero acre aliquantiſper eſt tenuiū partiū, vnde attenuat, digerit, detergitque præterea, & e profundo attrahit, de ſarcocolla autē non eſt cur amplius dicamus, cum ſuperius ſit de illa habitus ſermo. Sæpe vero pulueres hos ſucco fœniculi aſſumptos in collyriorum formam, & compagem deducimus, aut ex aqua ex deſtillatione mellis. poſſemus & aliorum multorum in præſentia meminiſſe, quæ pertinere huic inſtituto poſſent: quæque & valentiora eſſent, vt illa ſunt, quæ ex fellibus conficiuntur, & quæcunque alia ab auctoribus deſcribuntur ad diſcutiendas ſuffuſiones ſaltem incipientes. Nos tamen in hac re his facilioribus contenti eſſe nouimus, nam illa paſſim deſcripta reperiuntur, quæ poterit nunc quiſque methodum a nobis expoſitam in ſequens, examinare, & in ſuum ordinem redigere. Ne ergo nimis in longum noſtra prouehatur oratio, hic finem huic capiti imponamus, hoc tantum præfati, quod de medicamentis, quæ priores medici ad curandas ſuffuſiones laudarunt, nolumus magis particulatim aliquem alioquin ſermonem habere: quia vt videtur etiam Gal.iiij.de comp.medicamen.ſecūdum loca innuiſſe, ea multa quidem in inſcriptionibus pollicentur: ſed cum ad opus deinde accedimus, & ad ipſam experientiam, vel parum admodum, vel potius nihil præſtant: neque enim memini me vnquā vidiſſe aliquem, qui cum iam diſcerni in oculis cœpit, medicorum ope curari potuerit. Quare iam aliud caput aggrediamur.

De Ratione componendorum medicamentorum, quorum vſu curandæ ſunt affectiones partium circumſtantium oculis, primumque palpebrarum, & angulorum.

Cap. XI.

AFFECTVS partium, quæ oculos circundant, & continent, nempe palpebrarum cum his, quę ad ipſas pertinent, ciliſis, & ſupercilijs, atque earum angulis, quos κανθούς appellant Græci, hircos vero Latini, varij & diuerſi ſunt, pro ratione qua multipliciter harum partium actiones lædi poſſunt. Nam palpebræ primum, quæ a natura donatæ ſunt, vt arbitrario motu moueantur, vt ad animalis libitū aperiri, & claudi poſſint miniſterio neruorum, & muſculorum, & hac ratione reſolutioni, & connuulſioni poſſunt eſſe obnoxiæ, & ſi reſoluātur, cadunt, pręſertim vero ſuperior, vt neque alioquin attolli poſſit, vnde ſemper oculus clauſus eſt: ſin autem conuellatur, ea ad ſuperiora attracta, oculus nequit claudi, & is affectus λαγόφθαλμος a Græcis quaſi leporis oculus dicitur: quamuis & id contingere poſſit ex aliqua duriori, & maiori cicatrice, quæ in palpebra occaluerit.

Sed cum reſolutione, vel conuulſione palpebræ laborant, hi affectus ſub communi ratione conuulſionis & reſolutionis continentur: vnde eorum etiam curatio ſub communis reſolutionis, & conuulſionis curatione continetur, & proinde de medicamentis componendis, quæ huc ſpectant, atque ſubinde de eorum vſu, nullum alioquin ſermonem particulatim hoc loco, ne nimis longi ſimus, habituri ſumus. Sed propria quadam, & peculiari alia præterea ratione poſſunt ſe malè habere palpebræ: vnde miniſterium, quod oculis debent, vitiari poteſt: nimirum enim ex interna parte, quæ oculos reſpicit, & attingit, quæque, & lenis, & mollis eſt, interdum poſſunt fieri aſperiores, atque ita dum frequenter, & velociter mouētur, aſperitate hanc eximiam oculi tunicam ſuper qua mouentur, abradendo, & exaſperando irritant, illique non parum moleſtiæ faceſſunt, & ſæpe dolores, & inflammationes concitant. Gręce autem dicitur is affectus τράχωμα Latine aſpritudo palpebrarum, cuius tres reperiuntur differentiæ, quarum facta eſt ab antiquis mentio, quæ tamen ſolùm magnitudine videntur differre. In prima enim palpebræ inuertuntur, denſiores omnino factæ, & inæquales, & hæc δασύτης hoc eſt denſitas, vt Aetius tradit, appellari a medicis conſueuit. Aliquando verò creſcit, maiorque, & deterior fit is affectus, vt non modo inuerſa palpebra denſior, & aſperior ſit reddita, verùm, & eius planities videatur quibuſdam quaſi inciſuris interſecta: & hæc proprie τραχύτης hoc eſt aſpredo, vel aſperitas palpebrarum nuncupatur. Huius verò eſt, & alter modus, nam in interna palpebræ planitie ſub creſcunt quandoque papulæ quædam ſimiles ferè granis milij, & hę quidem omnes differentiæ ortum habent à fluxione humorum acrimoniæ expertium: alioquin enim eroderent palpebras, & oculum. Poſtrema autem aſpritudinum differentia dicitur Gręcè σύκωσις quaſi ficoſum affectum dicas: in ea enim ſuccreſcunt papulę etiam ſed apertę, & quaſi inciſæ, vt ſimiles videantur hianti ficui, è quibus inciſuris humor quidam emanat, vnde oculi ſemper ſunt humecti. Sed ſi eiuſmodi affectiones inueteraſcunt, callum contrahunt, atque τύλωσις dicitur, hoc eſt, vt ita dicam, calloſitas, vel calloſus affectus: ſed & interdū inuertuntur palpebræ ita, vt earum eatenus vitietur figura. Græce vero ἐκτρόπιον a palpebrarum inuerſione dicitur, cuius duplex poteſt eſſe cauſa, nam vel caro ſubcreſcens ex earum vlcere, vel craſſior, & durior cicatrix vlceri inducta, atque illam quaſi attrahens, eſt inuerſionis cauſa. Ex fluxione etiam acrium, & mordacium humorum vlcerantur palpebræ interdum: præſertim circa angulos intumeſcuntque, & rubent nō ſine inſigni pruritu, quā affectū ψωροφθαλμίαν dicūt. Latini vero ſcabroſas palpebras, a nitroſa ſalſaque fluxione fit hæc affectio, vnde & oculi illachrymantur. Sunt etiam palpebræ varijs obnoxiæ tumorū differentijs, & pręter cōmunia illa genera, q̄ alias particulas apprehendere ſolēt, has ēt peculiares, & proprias habent: & primus quidem tumor, qui frequēs in palpebris ſolet oriri, Græce κριθή hoc eſt, hordeum a ſimilitudine grani hordei dictus eſt, qui vulgo etiam hordeolum dicitur, dum enim ſuppuratur, imitatur colore, & figura hordeaceum granum. Eſt & alter tumor, qui in palpebris ſucceſſit, ἐμφύσημα a Græcis dicitur, quaſi inflatio, & eſt œdema proprie palpebrarum eiuſdem omnino generis cum œdematibus aliarum partium, & eodem modo cum illis curandus, & proinde neque de illo longiorem ſermonē habebimus. Tertius vero tumor eſt, qui χαλάζιον dicitur, in interiori palpebra extuberans, qui dum illa inuertitur, apparet albus, & tranſparens ad modū grani grandinis, a cuius etiam ſimilitudine nomen ſortitus eſt: χάλαζα enim grando dicitur. Fit autem

ab numero pituitoſo eo fluente, & ibi concreſcente, emanat autem ex eo, ſi incidatur, liquor quidam lentus ſimilis albo oui. Poſtremus dicitur λιθίασις a lapide, cui ſubſtantia ſimilis eſt. Oriuntur tumores quidam tophoſi in palpebra interna, qui illam aſperiorē reddunt. Sunt præterea obnoxiæ palpebræ tumorib. illis, qui meliceridés, atheromata, & ſteatomata a Græcis appellantur, ab Arabib. aūt, & noſtris iuniorib. vna communi nuncupatione omnes nodi dicuntur, quique cum & communes ſint affectus, alijs etiam partib. & eandē cū illis curationē habeant, de qua priori libro abunde loquuti ſumus, ideo ab eorū tractatione in præſentia nos continebimus. Obnoxiæ præterea peculiarib. quibuſdam affectib. ſunt palpebræ ratione ciliorū, quæ inſtituto naturæ, non ſine multa eius prouidentia in illis ortū habent. Interdū enim ab illis deſtituūtur, quod bifariā fieri poteſt, nam aut perinde, vt in areis, confluentib. vitioſis humoribus ad palpebras, ciliorū radices vitiantur, & erodūtur, atque ita decidūt, & is affectus μαδάρωσις a Græcis fuit nuncupatus. Interdū vero huic accedit calloſa in palpebris durities, & denſitas cū earum rubore, quę affectio πτίλωσις dicitur. Sed interdum aliquis ciliorum pilus, mutato ordine a naturæ inſtituto, conuertitur, vel inflectitur interius verſus oculū, atque illū laceſſens, & pungens irritat, & illi plurimū moleſtus eſt: quā affectionē τριχίασιν appellarunt Græci. Demum autē poteſt & alter exurgere in palpebris affectus, qui nunquam poteſt ex ſe ortum habere, verum ſemper ſequitur alterū affectū, nempe vlcera: plerunque autē ex incuria medici, aut miniſtrorū habet occaſionem: vlceratæ etenim palpebræ, ſi quando diutius clauſæ detineantur, vel per ſomnum, vel quia oculum diu deligatum teneamus, aut illæ mutuo inter ſe, aut cum ſubiectis particulis coaleſcunt, nempe cum oculorum membranis vel tunicis, vt non facile poſtea diduci, & ſeparari poſſint: vt neque & id prætereamus, in præſentia, quod cilia interdum perinde, vt capilli obnoxij ſunt φθειρίασει, hoc eſt, pediculari morbo, annaſcentibus illis animaculis radicibus ciliorum. Hirqui etiam, ſeu anguli oculorum, ſuos habent proprios affectus, a quibus infeſtantur. Nam cum a natura ſit genita quædam in illis caruncula propter multas commoditates, quas anatomici referunt, ab hac primum ſolent lacrymæ effluere: vnde has præſertim factas fuiſſe aiunt, vt quaſi operculum ſint illis foraminibus, qui in angulis percipiuntur, quibus etiam pertuſum eſt os nariū vſque ad internū meatū: quod a natura factū eſt, vt multorū excrementorū, quæ generātur ab oculis, fiat excretio per eas, & carūcula illa illi foramini quaſi operculū aſſidet, q̄ interdū adeo excreſcit, vt & turpitudinē oculo afferat, & nō paruā etiā incōmoditatē: creſcit vero perinde, vt in vlcerib. ſolet ſuperuacua caro, ex nimia humiditate, cōfluente enim nimio humore ad oculū, fit hęc accretio iſtius carūculę, & affectus is ἐγκανθὶς a Grecis dicitur: interdū vero & cōtra fit, vtpote quoniā decreſcit, & abſumitur hęc eadē carūcula, qua deficiente, in ea parte ex cōgeſto multo excremētoſo humore lacrymæ cōtinēter fere fluūt, quod turpe, & incōmodū nō parū eſt: atq; ῥοιὰς Græce dicitur is affectus, qui ortum habet quandoque immodico & importuno vſu medicamentorū detergentium, & digerentium, quorum tamen vſus neceſſarius eſt in curatione affectuum, aliquorū, tum aliarum partium oculis attinentium. Quandoque vero ex aliqua chirurgia incommoda, quam moliuntur incircūſpecti chirurgi, cum pterygium, quod ſolet in his partib. excreſcere, reſcindere tentant. Eſt autem pterygiū, id quod Arabes vngulā, ſecus quàm Greci conſueuerūt appellare: & eſt quædā veluti membranoſa, vel neruoſa ſubſtantia, quæ

A tunicæ, vel membranæ, qua agnata dicitur aggeneratur, accreſcitque quaſi quidam eius exceſſus. Incipit autem eius ortus ab angulis oculorum, præſertim vero, & ſæpius a maiori angulo, interdum tamē, & a minori: rarò ſub ipſis palpebris, ſæpe adeo excreſcit, vt itidem oculi occupet quandoque papillam, eo vſque, vt hominem obcœcet. At ſequitur is affectus ſcabritiem palpebrarum, quam ψωροφθαλμίαν, nuncupari Grece diximus, nonnunquam autem fluxionem continuam ad oculos. Demum ex his oculorum angulis concitatur ſanguinis immodicum profluuium, qui tamen affectus in pueris frequentior, ob nimium enim & frequentiorem fletum multa earum partium diſtentione facta, ſanguis erumpit. Hi ergo

B ſunt aut omnes, aut plerique affectus, quibus externæ oculos continentes partes obnoxiæ eſſe poſſunt, de quibus curandis per propria medicamenta ſermonem in præſentia ſumus habituri. Vt tamen in his id ipſum moneamus, quod in aliis monuimus, nempe quòd cum omnes propemodum habeant ortum ab humorum fluxione, tum hac de cauſa, tū etiam quia multorum horum curationem aggredi oportet remedijs, & medicamentis acrioribus, & ſæpe doloroſis: quæ ſi corpus & caput quoquomodo plenum reperierint, poſſunt fluxiones, & inflammationes concitare: neceſſe eſt, vt plerunque corporis vniuerſi, ac deinde capitis vacuatio purgatioue præcedat, de qua tamen re particulatim agere non pertinet ad pręſens

C inſtitutum, ſed tantum de externis, & localibus medicamentis, & de eorum compoſitione, & vſu, quib. iſtiuſmodi affectus curari a medicis ſolent, quando curationis ſunt capaces: nam aliquando tales ſunt, vt curationem admittere nequeant. Aliquando vero vniuerſum momentum, aut ſaltem maior curationis pars potius in manuali opere conſiſtit, quàm in medicamentorum vſu, de quo tamen medico inſtrumento agere in præſenti commentario ad nos non attinet. Sed vt rem hanc quatenus ad curationem horum affectuum pertinet, non excedendo tamen inſtituti noſtri fines, tandem expediamus, & id quàm breuius poterit fieri, hoc in primis erit conſiderandum, vt facile poſſimus eos ſcopos inuenire, qui maxime in medicamentorum his malis curandis accom

D modatorum compoſitione, vſuque ſunt ſpectandi, quòd horum affectuum alij ſunt, quorum vniuerſa fere ratio in additione conſiſtit, alij vero in defectu, vel detractione, vel imminutione partis alicuius, quæ ad particulæ integritatem neceſſaria vel plurimum vtilis eſt. Alijs præterea in tranſmutato naturali temperamento iſtarum particularum, & id vel cum materia, vel citra materiam, & pro horum diuerſa ratione diuerſæ etiam inſurgunt, & indicationes, & ſcopi. In additione conſiſtunt trachomata, vel aſpritudines, crithæ ſeu hordeolum, chalazia, item & lithiaſis, tophaceus nempe tumor, præterea qui ab Arabibus, iunioribuſque noſtris nodi dicuntur, & encanthis, pterygiumque, & euerſiones palpebrarum, quæ

E ectropia à Græcis dicuntur. In defectu vero ratione ſuam habent, madaroſis, & ptiloſis, & quæ à fluentibus contineṅter fere lachrymis rhoeas a Græcis dicitur: in mutatione tēperamēti conſiſtunt in flāmationes, conuulſiones, & id genus alia. Quę in additione alicuius rei præter particulę naturā conſiſtunt, nobis indicant id, quod ſuperuacaneum eſt, detrahendum eſſe: vnde ſtatim is ſcopus inſurgit abſumendum, & detrahendum, quicquid ſuperuacui additum eſt: ſed hoc fieri duplici ratione poteſt, nā aut manuum operatione, aut ope medicamentorum: & ſi hęc a nobis recte ſunt æſtimanda, hoc aduertendū, quod cum affectus hi recentiores, & molliores ſunt, poſſunt medicamentis quidem ſatis etiam moderatis non multo etiam negotio tolli. At vero cum inue-

teraſcunt, & indurantur, difficilior eſt eorum cura-tio, & interdum etiam nullam curationem admit-tunt: immo ex illis nonnulla ſunt, quæ a curatione irritentur, & adeo naturæ malignæ ſunt, vt in pra-uos affectus, & longe deteriores tranſeant: plerique vero nonniſi aut per chirurgiam, aut acrib. & exedē-tib. medicamentis. His autem & id accedit conſiderā-dum, quòd quamuis hi affectus tam ex propria eorū natura, quam ratione particularum, quæ primū affe-ctæ ſunt, non videantur multi eſſe momenti: ſi cum illis conferantur, qui primum oculis attinent cum ne que tantæ dignitatis, neque ita exquiſiti ſint ſenſus, ſicut oculi, paulo tamen minorem cautionem, & re-ſpectum requirunt, quam ipſimet oculi, ſi non pro-pter ſe, ſaltem propter oculos, vtpote quoniam vix fieri poteſt, imo fieri nequit, vt ſit opus vti acriorib. medicamentis, vt quod ſuperuacuum tollatur in his particulis, quin & oculi ab illis irritentur, cum nemo poſſit ulla ratione cauere, quin in oculum affuſa, vel adhibita medicamenta non illabantur. Et proinde medicorum multi, & illi quidem præſtantes eo de-uenere, vt varijs potius inſtrumentis chirurgicam po-tius, quam medicamentariam medicinæ partem ſpe-ctantia vterentur, vt detraherent, ſiquid his particu-lis accreſcens emineat. Nam, vt ab aſpritudinibus pal pebrarum incipiamus, antiquorum aliqui ſolebant inuerſis palpebris, quod ſummis digitis faciebant, cō-cauo ſpecilli deradere eminentes aſperitates, mox ve-ro humorem, qui inde emanabat, molli ſpongia exce ptum exſiccare, atque in hunc modum nitebantur particulam ad lęuitatem, & æqualitatem reducere. Nonnulli autem quodam marinorum piſcium corio vtuntur, ſquitinæ credo, quod aſperius eſt in ſumma cuticula perinde fere vt lima: illa enim detergunt, & fricant inuerſas palpebras, atque ita aſperitates detra hunt, & æquant. Fuere quidam ex præceptoribus Gale. qui quoddam aridum collyrium cōfecere, quo vtebantur ad palpebrarum aſpritudines, & erat com modum, & ſatis generoſum medicamentum: confi-ciebant autem ex pumice exquiſitiſſime attrita, & lę-uigata, vt omnino puluis euaderet expers cuiuſcun-que aſperitatis, & vt lenior redderetur, addebant ali-quid aut gummi, aut tragacanthæ. Sed quia hoc iam ad medicamenta pertinet, hoc eſt in primis aduertē-dum, quòd in his affectibus, qui a fluxione ortum ha bent, & ea quidem acri, primus, & princeps ſcopus, vt ſæpe diximus, eſt, fluxionem antea ſiſtere, id autē va-cuatione, reuulſioneque[ſit] vt ſuperius fuit expoſi-tum: itemque collyrijs huic officio aptis, de quibus ſatis abunde in præcedentibus fuit actum. Deinde & illud conſideranſtum, quòd cum ſimplices ſunt hi af-fectus, non admodum difficile eſt rationem inire eos curandi, quia ſimplex eſt etiam curatio: poſtquam e-nim fluxio conſtitit, incipiet medicus, vel quando e-tiam conſiſtere incipit, illis vti collyrijs, quorum talis ſit facultas, qualem nobis ſcopus demonſtrat: quare indicatio deprompta a natura illius affectus obtulit, donec integre ſit ſatis parti affectæ reſtituta. Sin au-tem ſit aliquis plurimum affectuum complexus, non eſt ita facile, cum ſæpe dum alterum volumus accom modatis curare remedijs, alterum magis irritamus, exacerbamuſque. Quod vt exemplis clarius redda-mus, ponamus, quòd ſimul ſint aſpritudo palpebra-rum, & ophthalmia: difficile admodum erit inſtitue-re eam curandi rationem, qua vtriſque præſertim inter initia inflammationis conferre poſſimus, cum diuerſa admodum & pene contraria remedia exigāt, ita etiam ſi ſit complexus aſpritudinis, & vlceris in tunicis oculorum: nam aſpritudo detergentibus, & digerentibus curanda eſſet ſtatim a principio. Quæ vero detergunt ſi vim aliquam vel etiam mediocrem habent, & vlcera augent & dolorem in ipſis concitāt,

A inflammationes etiam inter initia exacerbant, quæ repellentia potius requirunt, neque etiam quæcun-que, ſed quæ tum refrigerant, tum vero, quæ, vt ſu-perius diximus, emplaſtica ſunt, quibus detergentia aduerſaria ſunt. Sed quia nimis eſſet longum, & tę-dio afficeremus lectores, ſi omnes complexus velle-mus exponere, hi qui propoſiti ſunt tanquam exem-pla ſunt accipienda, & deſcripta communi methodo, tractandi ſunt in his complicationibus diuerſi hi affe ctus: particulatim de ratione curandi vnumquēque propoſitorum affectuum agemus. Cōmunis itaque methodus, quantū in lib. meth. Galenus in vniuer-ſum, tum vero magis particulatim, nempe quatenus ad curandos hos iſtius particulæ affectus pertinet, in

B quarto de compoſitione medicament. ſecundum lo-cos explicauit: iſta eſt, vt expēdamus, quis primum eo rum affectuum, qui in vnum conuenere, maioris ne-gotij, & momenti ſit, illique prius, & magis incum-bamus: ita tamen vt quanto minus fieri poterit, alte-ri officiamus. Vt exempli cauſa, in his iam propoſitis, longe magis vrget tā inflāmatio, quam vlcus, quam vrgeat aſperitas palpebrarum, quia ſi inflāmatio mi-noris fieret, poſſet in abſceſſum deſinere, quod dein-de rupto, ſi aliquanto eſſet inſignis, non modo efflue ret pus, ſed humores quoque proprij, ex quibus coag mentata eſt ſubſtantia oculi, & id ipſum etiam eue-nire poſſet, ſi neglectū vlcus profundius, per inſigni-ter detergentia fieret. Vnde lōge præſtaret, vt vlceris, vel inflāmationis curationem ſtatim aggrederemur,

C aut omnino poſtpoſita curatione aſpredinis, aut ma-xima ex parte, ſtatim inter initia, niſi interdum ſi in-uerſis leniter palpebris, velimus aliquo collyrio, non quidem fluido, illas fricare, ſed potius ſolidiori, vt illud eſt, quod ex tritis, lęuigatiſque pumice, oſſe-que ſepiæ, tragacantho vel gummi aqua diſſolutis conficitur, cuius paulo ſupra mentionem fecimus. Cum vero inflammatio cœperit inclinare, vel itidem vlcus, poſſunt ea, quæ vim detergendi, interdum etiā inſignem habent immiſceri collyrijs, cæteriſque me-dicamentis, quibus ad inflammationes, vel vlcera vte-retur medicus. Galen. illis vtebatur, quæ ab aliqui-bus dicuntur collyria ex vino, a nonnullis ex croco, quorumque paulo poſt inſtitutum confectionis, de-

D ſcriptioniſque exponemus. Sed tandem ad princeps noſtrum inſtitutum redeamus, & generales rationes horum omnium affectuūm illis, quæ hactenus ex-plicata ſunt, apponamus. Incipiamus autem ab illis, quæ in adiectione vel accretione alicuius ſubſtantię, præter tamen rationem naturæ conſiſtunt: hæc, vt paulo ante diximus, hunc ſcopum nobis offerunt abſumendum, aut detrahendum quod acreuit, aut adiectum eſt: id vero vel medicamentis, ſi id quidem commode, & ſine periculo poſſit, erit agendum, vel inſtrumentis ad manualis operationis rationem pertinentibus: ſed de his tanquam quæ ad præſens inſtitutum non pertineant, non agemus in præſen-tia. Medicamenta autem, quæ in his affectibus curan

E dis in vſu eſſe ſolent, & in reliquis oculorum morbis collyria ab antiquis, præſertim Græcis, dicuntur, quę varia admodum ſunt, tum natura, & facultatibus, tum vero conſiſtentia & compoſitionis ratione. Sed ſi ad propoſitum ſcopum reſpiciamus, oportet, vt ea, quæ accommodari horum curationi debent, omnia vim extergendi manifeſtam habeant, & interdum pro ratione difficultatis affectus etiam exedendi ea, quæ accreuere, plus autem minuſue pro ratione magis minuſue, & qualitate inueterati, & indu-rati morbi. Hoc namque confectio eorum collyrio-rum, quæ a celebrioribus medicis literis mandata reperiuntur, pollicetur: ea vero aſcribēmus, & po-ſtea adiecta cenſura examinabimus. Et quia ſi indi-cationes, & ſcopos in affectibus propoſitos reſpi-

cere

cere voluerimus, nemo ſit, qui non poſſit facile aſpicere, quòd vel omnia, vel pleraque illorũ, quæ priori capite literis tradita ſunt, ad tollendas oculorum maculas, poſſunt & præſentibus affectibus, de quibus in præſentia ſermonem inſtituimus, aptari, quæ cũ & leuiora ſint, erũt etiam aptiora illis curãdis, qui faciliores curatu ſunt, aut quia tenuiores, recentioreſque ſint, aut quia corpora male affecta molliora, tenerioraque ſint, vel ob ætatem, vt pueri, vel ob ſexum, vt mulieres, vel ob modũ & rationem vitę, eiuſque inſtituta, vt nobiles, otioſi, & qui vitam ſedentariam, & vmbratilem degunt. Quæ autẽ modo ſumus expoſituri, ea aliquanto ſunt valentiora, atque ita difficilioribus, & durioribus erunt accommodanda. Incipiemus autem ab eo, cuius paulo ante meminimus, quod conficitur ex pumice trita, & optime lęuigata, vt fere pollini fiat ſimilis. Præceptores Galen. hoc medicamento ita arido vtebantur, eo fricantes inuerſas palpebras, mollique ſpongia excipientes: ſi quis humor ex illis attritis exibat, deinde vero alij in formã collyrij rotũdi redegere, addita tragachanta reſoluta ex aliquo liquore, vt liquore albi oui, vel decocto fœnigræci: quod ſi mulſa etiam id ipſum fieret, magis detergeret, aut addito gummi eodem modo. Poſteriores vero, & os ſepiæ addidere itidem trito exquiſitiſſime pari pondere cũ pumice, atque ita ſiccari permittunt: moxque hoc collyrio atterunt palpebras inuerſas. Hoc enim pacto ſeruatur magis oculus citra fere noxam. Priſci vero medici fortioribus vſi ſunt medicamentis, & longe magis detergentibus, & pene erodentibus, illiſque interdum in oculum inſtillantes vtebantur: dilutis nempe ex liquore aliquo fluido præſertim, vbi erat neceſſe ſimul aliquem, ſicut diximus, oculi proprium affectum curare, vt inflammationem, vel vlcus. Vnde conſulebant omnes, præcipue vero Galen. vt horum pauxillum illis medicamentis inderemus, quæ alijs affectibus curandis, quib. maior erat diligentia adhibenda, erant accommodata, quippe vt experiremur, quantum horum citra noxam poſſet oculus ferre. In primis autem antiqui omnes, Gal. Paul. Aetius in multo vſu habuiſſe videntur collyrium ex vino, cuius tamen non eſt vnus tantum compoſitionis modus, ſed differentis efficaciæ. Iſtius modi vero collyria interdum ex vino dicuntur a medicis, diacroca, vel crocea, nos vero non omnes, ſed aliquos deſcribemus. Paulus itaque vltimo libro collyrium ex vino in hunc modum conficit: & primum ab eo deſcriptum, quod malabatrinum, & iſotheũ nũcupat. Accipit cadamiæ drag.viij.æris vſti & loti drag.vij.opij, lycij indici, folij nardini, croci, aloes ſingulorum drag.vnam, caſtorei drag.quatuor, & mirrhæ drachmas duas, acaciæ, ſtibij ſingulorum drachm.xv. miſcenda ſunt omnia trita, & vt ipſe ait aqua excipienda, vſus vero ſit ex ouo. Hoc quidem & ſi proprie ex vino dici nequeat, voluimus tamen huic loco aſcribere, quia alioquin illis admodum ſimile eſt tam viribus, quàm modo compoſitionis: ſubdit vero alterum longe his acrius, & fortius, cuius hæc eſt deſcriptio, Cadmiæ, lapidis hæmatitis, & ſchiſti ſingulorum drach. quatuor, æris vſti drach. tres, chalcitidis drachmas iij. ſ. ſeminis papaueris drac.j.ſ. coquantur ſemina papaueris ex aqua, deinde ſuccus ex illis tritis expreſſus cæteris inijciatur, ac omnia deinde vino aminæo lęuigentur. Addit & tertium, quod ita conficitur. Accipit æris vſti, cadmiæ ſingulorum drachm. iij. lapidis hæmatitis loti drachm.ij. croci, myrrhæ, aloes, ammoniaci ſingulorum drachm.j. lycij indici, ſpicæ nardi ſingulorum drachm. quatuor, piperis albi grana.50. acaciæ drach. tres, gummi drach. j. lęuigentur ex falerno, vel aminæo vino. Addemus nos & quartum, quod

A ex Alexandro Tralliano deſcripſimus, quod iſtis ſimile eſt facultatibus, attamen nec ipſum eſt alicuius acrimoniæ expers. Conficitur autem acceptis æris vſti drachm.vj.cadmiæ, drag.quatuor, opij, croci, zingiberis, gummi ſingulorum drag. duab. aſſumuntur vino, aut medeſio vnguento. Sed poſt hæc aliqua ex Galeno etiam deſumamus libro 1. de compoſitione medicamentorum ſecundũ locos. & ex Arabibus poſtremo aliquibus decerptis, ſi commoda huic negotio videbuntur, illa mutuo collata examinabimus, digeremuſque in ſuos ordines, vt hoc modo deinde, dę eorum vſu ex methodo agere valeamus. & quia vbi agit de ratione curãdi palpebrarum aſpritudines, meminit collyrij trachomatici ex vino, vel crocodis,
B ſeu crocei, quod Paccianum appellat, vtpote quod illi fuerit in frequentiori vſu (inueniemus autem inſcriptionem collyrij ita ſe habentem, collyrium Aſclepiadeum Pacis) hoc alijs ſuperius deſcriptis aſcribemus: eius ergo confectio in hunc modum ſe habet. Accipiuntur cadmiæ, æris vſti, croci, ſquammæ æris, ſing. drag. myrrhæ, ſpicæ, nardi, roſarum aridarum, opij, lapidis hæmatitis ſing.drachm. quatuor, piperis albi gr.xij.gummi drag.ſex, vini Chij quantum ſit ſatis, fiat collyrium: eius autem vſus poſtea ſit ex ouo, nẽpe eius albo. Deſcribit paulo poſt aliud crocode, vel croceum collyrium, quod Leontinum appellat, quodque minorem morſum, & acrimoniam videtur afferre, deſcribitur vero ita a Galeno. Spodij cyprij drag. ſex, croci drag.iij. myrrhæ drag.j.ſ. lapidis hæmat.
C drachm.j.opij drach.j.ſ.piperis albi gr.quatuor, gũmi drag.vj. omnia lęuigata excipienda ſunt vino ſalerno. Apud Arabes duo erant collyria in multo vſu a Rhaſi ix.ad Almanſ.deſcripta, quorum alterũ, quod rubeum ab illo a colore appellatum eſt, tanquam facilius propoſitum eſt, cuius vſus laudatur, quando non ſunt admodum induratæ, & inueteratæ, hæ affectiones: alterum vero, quod viride ab illis dicitur, tanquam acrius valde eſt, & in vſu erat in difficilioribus & magis inueteratis, vtpote quod priori ſit acrius, & fortius. Horum meminere Meſ. & Auicenn. Rubrum ergo accipit lapidis hæmatitis, atramenti ſutorii ſeu chalcanthi vſti, ſing.drag.iii.æris vſti dragm. ii. myrrhæ, croci ſing. drag. i. piperis
D longi drag. ſ.ex omnibus lęuigatis, & vino aſperſis fiat collyrium. Viride vero accipit æruginis drach. iii. atramenti ſutorii vſti drag.vi.ſandarachæ, quam arſenicum rubrum appellãt, nitri, alcyonii ſing.drag. i.ſalis ammoniaci drag.v.ammoniaci, quod thymiama græci vocant drag.ii. modus cõpoſitionis eſt, vt ammoniacum diſſoluatur ex ſucco rutæ, quod deinde inſpergatur cæteris prius lęuigatis, ac ſubinde cõficiantur collyria. Si vero hæc recte volumus in examen deducere, primũ quod ex pumice additis tragacantha, vel gummi, cum nihil acris habeat medicamenti, niſi punicem, qui ſi vratur, tenuitatem partium maiorem ſibi comparat: ſi Gal.11.de fac. med. ſimp. credere volumus, & aliquid acrimoniæ, quam tamen lotus deponit, ſemper tamen detergit, & id
E duplici ratione, tum propria ſua facultate, tum etiam ſuæ ſubſtantiæ aſperitate: Non eſt tamen adeo acre, quin eo optime lęuigato non conſueuerint vti priſci medici citra etiam miſturam alicuius alterius, quo leniatur eius aſperitas, quia aut nullum, aut exiguum morſum habeat, ſed lenius medicamentum erit, ſi tragacantho, vel gummi diſſolutis aſſumatur ad cõpagem collyrij, addito aut oſſe ſepiæ, quod & ipſum & vri poteſt, & eandem rationem cum pumice habebit, & nullo modo expertum ignem poteſt venire in vſum, cum ſit tenuium partium, vt facilius in profundum poſſit ſe indere, valentius erit medicamentum. Nam ait Galenus eodem xi. addito foſſili ſale detrahere poteſt id, quod pterygium Græci, vngu-

lam vero Arabes appellant, neque tamen adhuc col-
lyrium hoc erit inſigniter acre,& mordax. Sed Pauli
collyria, atque alia ſubſequentia longe vehementio-
ria acrioraque ſunt, vtpote quæ ea accipiunt, quæ
vehementiora ſunt, imo vehementiſſima medica-
menta,quæque non modo detrahendi, verum dera-
dendi,ac exedendi vim habent, & ea præterea quæ
potenter poſſunt attenuare, digerereque, & a pro-
fundo attrahere, & etiam quæ valenter aſtrin-
gunt. Quæ omnia non carent inſigni morſu, &
proinde habita ratione naturæ particulæ requirunt
inſignem apparatum, vt obtundatur mordacitas,
a qua vehementes excitantur dolores, qui occaſioni
deinde ſunt, vt fluxiones, & inflammationes con-
citentur. Vnde ſi omnes has iſtorum collyriorum
confectiones diligenter velimus extimare, earum
omnium fundamenta, vel, vt iuniores loquuntur,
baſes ſunt mineralia ea medicamenta, quæ acerri-
ma ſunt, & nullis alijs in detergendo ſunt ſecun-
da:atque non modo detergunt,verum deradunt,&
exedunt, & quaſi vrunt, vt atramentum ſutorium,
chalcitis, miſy, ſory, ſandaracha, quam arſenicum
citrinum vocant, vel rubeum, æs vſtum,ſquamma
æris, ærugo, & ſi quid præterea iſtiuſmodi generis
fit. Secundum vero locum tenent, quę valide atte-
nuant, & digerunt, & ſuarum partium tenuitate &
caliditate in profundum ſe poſſunt indere, atque in-
de immerſas, infarctasque materias extrahere. Sed
multis deinde opus eſt,quæ demulceant,& quoquo-
modo temperent tantum horum acrimoniam, &
fluxionem,quæ inde poſſet concitari,doloresque ar-
ceant,acrimoniam demulcent,quæ vt ſuperius expo-
ſuimus,emplaſtica appellantur, vt ſunt tragacanthū,
gummi,& ſarcocolla,cadmia lota,lapis hæmatites,&
ſchiſtus,cerusſa lota,pompholix lota,& multa alia,vt
album oui,decoctum fœnigræci. Sed quæ concocto
riā vim habent proſunt ad mitigādam acrimoniā, vt
thus,crocus,& aliquantū etiā myrrha,& multæ aliæ
arborū lachrymæ, arcent vero inflammationes,quæ
aſtringunt,in oculis autem modeſte id faciunt,& vti-
lia ſunt,ſicuti roſę,& earum flores,& fructus,maſtix,
crocusque,lycium indicū,cytini,acacia,omphacium,
& alia multa id genus. Dolor vero bifariam ſedari
poteſt, quia, aut illis, quæ proprie anodyna, quaſi
dolorem remouentia dicuntur,quæque parumper ca
lida ſunt, & modeſte molliunt, & ea de cauſa etiam
concoquunt,nam tum omnibus alijs affectibus con-
coctio eſt cōmoda tum etiam dolētibus maxime vti-
lis: præterea quæ obtundunt acrimoniam humorū,
qui dolores concitant. Alio vero modo dolorem le-
uamus,ſed non proprie, quando ſtuporem aſſerimus
dolenti particulæ, obtundimusque ſenſum,vt dolo-
rem [percipiat]: licet adſit doloris cauſa, & ingens,
non tamen ſenſus factus obtuſior, & quaſi obtene-
bratus, illum percipere poteſt. Quod præſtant,quæ
narcotica,quaſi ſtuporem,vel torporem inducentia,
a Græcis dicuntur,vt papauer, opium,mandragoræ
radix,hyoſcyami ſemen,& quodpiam aliud eſt id ge-
nus. In his ergo deſcriptis collyrijs accipiuntur
ex omnibus his generibus medicamenta, nempe
vt omnium propoſitorum ſcoporum habeatur ra-
tio: quæ deinde varia ſunt ſecundum efficaciam,&
vires.Sed de his exiſtimandum, iudicandumque eſt,
primum examinato eorum vnoquoque ſeorſum: de-
inde vero illis etiam mutuo inter ſe collatis, vt poſſi-
mus perpendere quantum de vnoquoque per eam
detrahitur, quantumque etiam interdum additur,
quantumque per apparata, aut acriora aut mitio-
ra euadunt. Paul. ergo in malabatrimo ſuo collyrio,
quod iſotheum, hoc eſt deo æquale appellari dixi,
componit cum drachm. ęris vſti,& loti octo,cadmię,
quæ aliquantiſper detergit, & ſiccat, tamen fere ci-

A tra morſum,adeo vt Galen.4.de fac.ſimp.med.ca.5.
dixerit, eam, ſi exquiſite fuerit lota, numerari poſſe
in emplaſticis medicamentis, eius miſtura poteſt non
parum leniri, & temperari mordacitas, & acrimo-
nia æris vſti, cuius operatione maxime egent hi
affectus,cum, ſicut idem dixit quarto de compoſitio
ne medicamentorum ſecundum locos.capite v.ſit ve
hementis abſterſoriæ facultatis,& mordax etiam me
dicamentum, quamuis dum poſtea lauatur,plurimū
mordacitatis deponit. Quare cum illi cadmia copio-
ſa additur, longe & magis miteſcit, vt iam ſatis
mite fiat medicamentum: folium vero, lycium,
crocus, aloes, præter myrrham,cum ære vſto aſtrin-
gendi vires habent: myrrha vero item, & cro-
B cus, lycium, indicum folium, nardus & caſtorium
concoquunt, & digerunt, vt e profundo euocare
etiam aliqua ipſorum poſſint, vt caſtorium, & at-
tenuare. Detergit ergo hoc medicamentum, dige-
rit, repellit influentes ſuccos, præterea vero con-
coquit etiam, & digerit, vt omnia ratione citra do-
lorem poſſit adminiſtrari, additum eſt opium: Eſt
ergo ſatis facile medicamentum, & tanta cautione
compoſitum propter oculum, cum quo plurimum
exteriores hæ partes conſentiunt: Alterum vero lō-
ge acrius eſt, & quod durioribus corporibus, & ve-
tuſtioribus affectionib9, magisque caute eſt admini-
ſtrandum,accipit enim duo admodum acria medica-
menta: nempe æs vſtum, & chalcitim,neque tamen
C addit quòd ſit lotum, neque quòd chalcitis vſta, ne-
que lota ſit. Vnde ſecundum vniuerſas vires,& in-
tegras voluit hæc in vſum venire, vt tamen aliquo
modo eorum acrimonia remittatur. Addūt cadmiā,
quam neque lauari præcipit, illota enim magis de-
tergit,& acrimoniæ non eſt expers: hæmatites autē,
& ſchiſtus lapis, qui omnino emplaſtici ſunt, ali-
quanto plus obtundunt vehementiam morſus, &
quoquomodo repellunt: ſed dum præterea a chal-
citide, & vſto ære in hoc munere adiuuantur, pro-
pter eorum inſignem aſtrictionem, maior ſequitur
reuulſio.His præterea addendum,quod in primo col
lyrio,medicamenta erant, aqua pluuiali aſſumenda:
nam hæc eſt in frequentiori vſu in conficiendis eiuſ-
modi collyrijs, q̃ & ipſa poteſt aliquantulū acrimo-
D niæ detrahere, in hoc altero autem vtitur vino ſaler-
no,vel amyneo,quæ calidiora, & potentiora ſunt,&
potius addunt, quam detrahunt vires medicamenti.
Quibus, & id accedit, quòd in priori accipitur opiū,
quod longe vires habet maiores, quā ſuccus ſeminū
papaueris poſt decoctionē expreſſus, quo in hoc vti-
tur,nihil autem in hoc accipitur, quod cōcoquat,vel
emolliat. Tertium vero longo minus acre, & efficax
eſt ſecundo,forſitan autem,ſi ita exquiſite cōficiatur,
vt deſcriptum reperitur,nō eſt admodū viribus & ef-
ficacia differens a primo:nā in hoc differunt duo hęc,
quòd hoc, de quo loquimur in præſentia aliquanto
primo acrius, & magis detergens: nā primū accipie-
bat æs vſtū,& lotū, in hoc vero nulla fit loturæ mē-
E tio, quod aliquantulū refert: in illo inijcitur caſto-
riū,quod digerit,attenuat,& concoquit, in hoc vero
piperis gran. quinquaginta, ſed additur ammoniacū,
quod inſignem vim habet emolliendi, & mitigandi
vt ait Galenus decimo de compoſitione medicā. ſe-
cundum loc.cui & gummi additur, ut contēperetur
aliquanto eius calor, vnde erit ſatis accommodatum
medicamentum ficoſis & cœlioſis affectibus, ubi ſit
aliqua emollitione opus. Quartum uero,quòd ex li-
bris Alexandri deſcriptum fuit,tertio ſatis ſimile uiri
bus eſſe uidetur, mihi tamen non nihil acrius illo ui-
detur. Nā cum æs uſtum pondere ſuperet ipſam cad-
miā, non poteſt ita temperari eius acris & uehemens
deterſio:deeſt pręterea in hoc lapis hæmatites,qui &
ipſe poteſt acrimoniam æris delinire: ſed neque eas

vires concoquendi, & digerendi habet, quas prius, neque etiam molliendi, neque etiam repellendi. Nã in hoc non conquit niſi crocus, non aſtringit præter æs vſtũ niſi crocus, non digerit niſi zingiber, & aliquantulũ crocus: vnde in quibus præſertim ſit deterſio neceſſaria, vtile erit medicamẽtũ. Quatenus ad Paccianũ collyriũ, quod Galeno videtur in multo fuiſſe vſu, mihi videtur medicamentum viribus quidẽ efficax, ſed adeo temperatum, vt neque poſſit plurimũ mordere, & irritare affectas particulas: nam quæ ſunt veluti baſes iſtius collyrij, ſunt æs vſtum, & æris ſquãma, quę ſi cõferã cũ reliquis, ſunt ſimul accepta, quanta totius cõpoſitionis pars. Horũ medicamentorũ vim demulcẽt cadmię drachmæ vj. & totidẽ lapidis hæmatitis, itemque & gummi, quę in pondere illa in ſeſquialtera proportione: in ſeſquitertia vero exceditur fere a tota. Sed & adiuuãtur etiam a cõcoquentib. ea, quę mitigant, nẽpe a croco, & myrrha, quę præterea ad digeſtionẽ & attenuationẽ faciũt vna cũ albo pipere, quod itẽ e profundo materiã poteſt attrahere: vnde poteſt quidem ſatis valide detergere citra tamen morſum, qui poſſit admodum irritare affectas particulas, repellet etiam modeſte, nã aſtringũt mineralia, roſæ, & crocus, nihil tamen accipit, quod poſſit mollire: vnde ad calloſas, induratasque affectiones non videtur poſſe eſſe plurimũ vtile medicamentum: quãuis autem ad componendũ collyriũ velit omnia aſſumi, vel leuigari affuſo vino: eo tamen eſſe vtendũ ex oui albo, vt ita etiã lenius, & mitius reddatur. Alterũ vero ex deſcriptis a Gal. deſumptũ, quod leontanũ fuiſſe nuncupatũ ait, mihi facillimũ videtur, in quo eſt lęuis ad modũ vis deterſoria ratione myrrhæ, quæ aliorũ cõparatione admodũ modica eſt, aliquid etiã digerentis facultatis ex pipere albo, quãuis fortaſſe potius appoſitũ eſt, vt adiuuet alia ad penetrationẽ in profundũ: crocus vero concoquit. Vnde mihi videtur, quod mite ſit medicamentũ, per quod ad aſperitudines, & cæteras affectiones, quæ detractione & deterſione inſigni egeant, ſit parũ efficax, & illud quod poſſit accõmodari recentibus, teneris, nuperque incipientibus affectibus, magisque illis aptũ ſit, quibus exſiccatione, & digeſtione cum aliqua repulſione ſit opus: vt ſunt vlcera, & quę ῥοιάδες ob continentẽ lachrymarũ copiam, exuberantemque dicantur. Et Galenus quiquidem inter hoc & prius, aliud deſcripſit, cui nomẽ Nectarij inditum erat. Cuius quidem compoſitio ſimilis eſt cum Pacciano, niſi quod aliquanto fortius eſſe videtur: nam addit æri vſto, & ſquãmæ æris miſy aſſi. Verum ſi ita conficiatur vtrumque, vt præciſe ſcriptum reperimus, non intercedit multa differentia inter illa, quia in hoc nectario accipiuntur æs, & ſquãma vſta, & lota: in Pacciano nulla loturæ ſit mentio, cum autem non lota accipiuntur, acriora, & efficaciora ſunt. In miſy vero nulla ſit lotionis mentio, & cum ex Pacciano, ſi cum nectario conferatur, poſſit facile nectariũ in examen, & iudicium reuocari, ideo parcentes tẽpori, & prolixitati, nullum præterea volumus de eo habere ſermonem. Sed tranſibimus ad collyria, quæ ab Arabibus multa facta ſunt: primumque collyrium, quod mihi omnibus alijs prioribus acrius videtur, cuique non poſſit eſſe locus congruens, niſi in pertinacibus admodum, & inueteratis affectibus. Nã accipit, aliorum comparatione, magnum atramenti ſutorij pondus, eſt enim fere quarta totius compoſitionis, quod acerrimũ eſt omnium metallicorum medicamentorum, cui ſextam fere totius medicamenti partem addit æris vſti, neque addit aliquid, quod poſſit horum morſum obtundere, & mitigare, vel emplaſtica natura, nec alia ratione niſi hæmatitem lapidem, quem pari pondere atramento commiſcet, & crocum, & myrrham, quæ niſi quatenus concoquunt, poſſunt quoquomodo dolorem lenire, & morſum, nam & opium dimittit. Vnde raro eo auderem vti, niſi in ruſticis, & liquidiſſimis, ex aliquo liquore leuiſſimo dilutis, vt lacte, vel albo oui, vel alijs id genus, de quibus facta eſt mẽtio ſuperius. Sed poſtremũ, quod viride dicitur & a colore, quo ab ærugine afficitur, nuncupationẽ ſortitum eſt, acerrimum omnium priorum mihi omnino videtur, accipit ęruginem & atramentum vſtũ quidem copioſum, vt parum, a medietate totius compoſitionis deficiat, quæ ambo ad detergendum, vel potius ad exedendũ efficaciſſima medicamenta ſunt: nam ærugo fortior eſt ære vſto, quibus paulo inferior eſt ſandaracha, de qua non multa dicemus, cum illius parum admiſceat: & hæ omnia nihil habent, quod emollire poſſit acrimoniam, & vt ita dicã, violentiam eorum, niſi duas drachmas ammoniaci, nam & nitrum, & ſal ammoniacum, & alcyonium non parum habent acrimoniæ, vt ſuperius fuit a nobis expoſitum, neque ea minus in oculorum, vel palpebrarum affectibus egent alijs, quibus leniantur, quam quæ ipſa poſſunt hæc corrigere. Et quaſi hæc minus, quam par eſſet, viderentur acria, præcipit, vt ex ſucco rutæ diſſoluatur ammoniacum, noluit etiam addere aliquid opij, aut alterius medicamenti iſtius generis: vnde affectionibus plurimum inueteratis, & induratis, in corporibus etiam durioribus poterit admitti eius vſus: in detergendo enim efficax admodum erit. Sed & digerendi vim habet ſatis inſignem propter nitrum, alcyonium, & ſal ammoniacum, & rutam: aliquam etiam emolliendi induratos affectus ex ammoniaco. Addimus tamen, oportere medicum eſſe admodum oculatum, & cautum in vſu eius, & ſi in quo alio in hoc eſſe ſeruanda antiquorum medicorum præcepta. Primum vt paulatim particulatim huic medicamento aſſuefaciamus, & ſi eo ſit affricandus locus affectus, dum incipit: breui temporis ſpatio id agat, ne nimis irritetur locus: deinde vero vt locus aliquo liquore mulcenti & emollienti foueatur, atque ita paretur, vt facilior fiat operatio pharmaci, poſtea vero, ſi qua facta ſit irritatio, & dolor excitatus, aliqua alligentur oculo, quæ dolorem ſedent, & inflammationem arceant, vt eſſent album oui exceptũ bombice aut linteo, aut lana, vel cataplaſma ex medulla panis macerata lacte præſertim muliebri, vel ſimili alia re, quorum facta eſt ſuperius copioſa mentio. Et quatenus ad eorum affectuum curationem, quæ in quadam alicuius ſubſtantiæ additione, vel incremento conſiſtunt, quantum ad præſens inſtitutũ pertinet, hæc mihi ſatis eſſe videntur. De illis vero, quæ in detractione, & defectu vniuerſam ſuam rationem habent, non eſt opus longo admodum ſermone nam vt a rhæade incipiamus, quæ nihil aliud eſt, niſi ablatio, aut abſumptio carunculæ in angulo oculi ad nares, qua ablata effluunt continenter lachrymę, quę & moleſtiam, & turpitudinem afferunt, non exiguam. Is affectus ſi penitus ablata aut delata ſit ea caruncula, nullam poteſt admittere curationem, quia illa medici arte inſtaurari nequit: ſi autem ex aliqua tantum parte ſit conſumpta, aliquod auxilium a medico ope ſuæ artis poteſt accipere, & id medicamentis multis, quorum facta eſt mentio in prioribus capitibus: nempe collyrijs, in quibus ſit vis aſtringendi, & exſiccandi, & ſubinde carnem gignendi, qualia ſunt collyria alba, quæ diacroca, & quæ diarrhoda ab antiquis fuere appellata, antiqui medicamentum ex glaucio, & aloe conficiebant. Sed aloe ſola alligata in tenui linteo, atque aqua roſacea, vel ſucco roſarum macerata, & loco affecto inſtillata vtilis erit, item & pompholyx, vel vt nũc vulgo loquuntur, tutia optime aqua roſacea parata, & lota, itidem illigata tenui linteo, & inſtillata poterit

rit plurimum prodeſſe, item & vſtum plumbum & lotum. Madaroſis verò, quæ eſt caſus ciliorum ex vitioſis humoribus eo confluentibus, ac ciliorum radices erodentibus, poſt corporis, capitiſque generalem procurationem, eiſdem medicamentis curari poterit, quibus curatur pſorophthalmia, vel ſcabrities palpebrarum, his nempe quæ poſſint digerere, diſcutereque vitioſos eos humores, tum etiam aſtringendo repellere: cui officio multa ex his, quæ paulo ante fuere deſcripta, poſſunt eſſe apta. Ptiloſis vero, prȩter ciliorum caſum adiunctum habet, quod calloſæ ſunt palpebræ, vnde compoſitus eſt morbus, & compoſitam requirit curationem, ex ea, quæ madaroſi conuenit, & præterea quæ calloſis harum partium affectibus: quæ ergo prȩter id, quod detergunt, & digerũt, item & emolliunt, poterunt illi aptari: horum autem multa ſuperius à nobis expoſita fuere. Vnde finem iā huic capiti imponamus, & ad alias faciei affectiones conuertamus noſtram orationem.

De ratione curandi alios faciei affectus per apta, & localia medicamenta, & de eorum compoſitione, & vſu.

Cap. XII.

PRoximȩ his particulis, de quibus nuper egimus, illæ ſunt, de quorum morbis per accommodata remedia curandis in præſenti capite ſumus habituri ſermonem. Nam inflammatio, quam Græci ȩgylopē appellant, Arabes algarab, iuniores lachrymalē fiſtulam dicunt, nec ab his admodum diſceſſiſſe videtur Celſus, qui & ipſa ægilopa oculi fiſtulam appellauit. Verum ſi rem hanc velimus recte extimare, & ſi ægilops frequenter in fiſtulam tandem deſinat, proprie tamen non eſt fiſtula, neque ſemper in ſiſtulam tranſit. Sed vt Galenus quinto de compoſitione medicamentorum ſecundum loca docuit, tuberculum primum eſt, quod ſuboritur iuxta angulum ad radices naſi, quod plerunque ſuppuratum in abſceſſum conuertitur, ac tandem erumpente pure in vlcus, moxque in fiſtulam tranſit, ita vt & ſubiectum os vitietur, ac deinde curationem nequeat admittere, niſi ſquamma oſſis, eo vel ferro abraſo, vel perforato terebello, aut ignito aliquo inſtrumento abeat. Quare neceſſe eſt, vt a calidiorum humorum fluxione ortum habeat, & tandem ad inflammationis genus pertineat: quamuis difficilis ab omnibus ſit habita eius curatio talis, vt non in fiſtulam abeat, non eſt tamen ita difficilis, quin aliqui interdum fuerint curati, ſi res diligenter inter initia fuerit tractata: in quibus neque in abſceſſum, neque in fiſtulam tranſierit. Cur autem facile primum in abſceſſum, mox in fiſtulam tranſeat hoc tuberculum, in cauſa eſt natura illius particulæ, quæ ex tenuibus partibus, exanguibuſque coagmentata eſt, quæ ob inopiam natiui caloris nequeunt facile adminiſtrare, ac digerere influentes ſuccos excrementitios. Sed & ſubiectum os, quod & exile eſt, molleque & rarum, facile corrumpitur ab excrementis, & pure, quæ proxime illi incumbunt. Curandi vero ratio non eſt admodum diſſimilis a curatione affectuum oculorum, qui a calida fluxione excitari ſolent, & parum minorem cautelam requirit, quam illi, quia neque fieri fere poteſt ob vicinitatem, quin & medicamenta loco affecto adhibita non confluant in oculum, & cum in abſceſſum conuertitur, ſemper in angulum, & oculum pus confluit, quod illum non probe afficit. Vnde quæ ſuperius de illis dicta, quantum ad curationem pertinet, hic in memoriam reuocāda ſunt: nimirum quòd ſtatim inter fluxionis initia illi tenuiori victu ſit occurrendū, itemque reuulſionibus, deriuationibuſque, tū per manifeſtam vacuationem, tū vero citra illam. Quatenus vero ad localia medicamēta, nemini obſcurum eſſe poteſt, accommodata eſſe inter initia illa, quæ vim habent refrigerādi, & aſtringendi, vt fiat repulſio ab affecto loco confluentium ſuccorum: dummodo ea talia ſint, vt nequeant irritare, & exaſperare oculos. Vnde illa aptari poterunt, quorum in oculorum affectibus ad repellendas fluxiones facta eſt mentio: quæ eligenda erunt pro ratione magnitudinis morbi, & impetus fluxionis. Poſtea vero increſcente tuberculo, his aliqua erunt miſcenda, quæ tum digerere, tum concoquere poſſunt: poſtremo vero validis diſcuſſorijs incumbendum: modo citra morſum id facere poſſint, ne exacerbetur oculus. Sed vt hæc exemplis exponantur, quædam, quæ mihi fuere in maiori vſu, in præſentia deſcribam accipio ergo collyrij albi, quod ſuperius fuit deſcriptum ſcrup. ſ. roſarum aridarum, aloes, thuris, corallorum rubeorum paratorū, vt paſſim parari ſolent, ſingulorū ſcrup. ſ. terantur omnia exquiſitiſſime, ac albo oui aſſumantur, atque lineo panniculo excepta apponantur: mutetur autem medicamentum mane, & ſero. At vbi res vlterius verſus vigorem progrediatur, de repellentibus detrahendū, ac digerentibus addendū, & de concoquentibus erit illis aliquid, vtpote ſcrup. collyrij, ſeu vt Arabes aiunt ſieph de thure illis addo, eius ſemper aucta copia, quanto magis ad vigorē res accedit. Vt mox vbi aut omnino, aut ex maiori parte videtur conſtitiſſe fluxio, & ſolis diſcutientibus, ac ex parte concoquentibus res eſt tractanda, parare ſolitus ſum cataplaſma ex myrrha, aloe, & thure, acceptis ſingulorū paribus portionibus, & illis aſſumptis decocto ſeminum fœnigræci. Antiquiores vero medici quemadmodū Aetius libr. 7. c. 74. ex ſententia Seueri teſtatus eſt, ad diſcutiendas induratas, & difficiles ægilopas, vtebantur magis illis emplaſtris, quæ eo tempore erant in multo honore, & nomine. vt erat emplaſtrum barbarū deſcriptum a Galen. ſecundo de cōpoſitione medicament. ſecun. gen. c. 22, cuius nos etiam in priori noſtro cōmentariolo meminimus, item & illo, quod Athena nuncupabatur, eodem item ſecundo relatū, & quod de ſalicibus, cuius confectio quinto eiuſdem operis libro capite tertio in fine exponitur, & alijs plurimis, q̃ efficaciſſima ſunt, præſertimque in eo libr. de comp. medicamedicament. ſecund. gȩn. referuntur. Inter ſimplicia autem medicamenta, quæ ſummopere laudantur, ad digeſtionem ægilopis, eſt ſuccus herbæ eiuſdem cum affectu nominis: ita dicta vel propter ſimilitudinem, quam cum eius ſemine habet is affectus, vel propterea quia vires habeat diſcutiendi ægilopas. Plerūque vero ad integram huic particulæ ſanitatem reſtituendam, neceſſaria eſt manualis operatio: nimirum vt aperto loco vſque ad os, quod ſolet ſæpius vitiari, & male affici a pure, & vitioſis ichoribus illi inſiſtentibus, adeo vt nequeat conſolidari locus, ita vt ſtabilis diu ſit conſolidatio, niſi abſcedat ab oſſe quaſi deſquamato pars male affecta. Vt autem illa abſcedat, aut ſcalpello deraditur, aut terebello perforatur, aut ferro candenti inuritur. Sed de his agere non pertinet ad præſens inſtitutū, vnde ad alia tranſeamus. Non longe ab hac parte ſolent, præſertim ex contuſione ſub oculis, ſtatimque ſub ipſa inferiori palpebra in ea molliori, & laxiori parte excitari liuor primum: deinde atra quædam macula, quam Græci, quod ſub oculis oriatur, ὑπώπιον appellauere, Latini vero ſuggillationem: quæ quia turpitudinem videatur afferre ipſi faciei, ideo per quandam tranſlationem,

lationem, ſuggillari eos dicimus, quibus aliqua ſit illata ignominia, ſicut item dicimus, illis eſſe inuſtam notam. Eſt autē hypopium, vel ſuggillatio in genere ἐκχυμώματος vel vt Latini dicunt, vibicis: niſi quod ſuggillatio tunc dicitur, cum in eo loco ſub oculis fuerit illata: alibi vero vibex vel ἐκχύμωμα fit autem cōtuſa præſertim carne a duriori aliqua re, ex qua contuſione exiles venæ per illam diſpartitæ dilacerantur ac inde ſanguis in ſpatia circumſtantia illis venis effunditur. Et ſicut ſemper accidit ſanguini, cum extra vaſa effuſus in aliquo loco comprehenditur, grumeſcit, vnde locus contuſus liuore primum, deinde nigro funditur colore, ob ſanguinis tranſmutationem. Cum ergo vniuerſa ratio ſuggillationis conſtat in plenitudine illius particulæ, plenitudine inquam concreti ſanguinis, indicatio erit primum ab ea depromenda, nempe illam eſſe euacuandam detracto ſanguine: neque alioquin alia poteſt eſſe opportuna vacuatio, niſi per ea, quæ digerunt, & diſcutiunt. Vnde cum futura ſit facilior eius digeſtio, quanto recentior fuerit ſuggillatio, & principio magis propinqua (nam quo diutius ibi inculcatus manet ſanguis, eo magis craſſeſcit, & indureſcit euaneſcētibus & quaſi expreſſis ſpiritibus, & tenuioribus partibus vt conſenſerunt Galenus & antiquiores omnes medici) digerentibus & laxantibus erit opus medicamentis: vt tamen & hoc conſiderandum ſit quòd inter initia anteaquam dilaceratæ venæ conſolidatæ ad priſtinum ſtatum redeant, apertæ adhuc ſunt, & proinde medicamenta, quæ laxant & digerunt, ſi illis ſolis vtamur ſtatim inter initia poſſunt eſſe in in cauſa, cur laxioribus illis partibus redditis, maior ſit ſanguinis effuſio. Ideo vt huic conſulatur incommodo, monuere illi idem a principio cum his eſſe commiſcenda illa, quæ aſtringendo poſſunt repellere ſanguinem, ne effluat. Sed vt particulatim res hæc exponatur, exponemus modum medicamētorum, quæ ſuper fuere in vſu Galeno in curandis ſuggillatis: ſuggillatum locum fouebat prius decocto fœnugræci, quod mollit, laxat, & concoquit, digeritque, & meliloti, quod & ipſum concoquit, & digerit, ſed præterea nonnihil aſtringit, ratione cuius poteſt aliquid facere: ad hoc poſtremum conſilium poſtea accipiebat collyrium diarrhodon, cuius omnes antiqui medici meminere, Galenus, ſcilicet, Aetius, Paulus, Celſus, Scriboniusque, habet autem mixtas facultates ex aſtringentibus repellentibusque, & ex concoquentibus, & digerentibus, & ex aqua diſſolutum illinebat loco ſuggillato, deinde ex prædicto decocto in oculari cute diſſolutum illinebat, mox ex decocto ſolius fœnigræci diluebat: poſtea ſolo fotu fœnigræci vtebatur. At ſi poſtremo viderentur aliquæ reliquiæ ſupereſſe ad digeſtionem, illas difficiliores, valentioribus aggrediebatur diſcutientibus, vt ſunt collyria ex myrrha, quæ diaſmyrna nuncupata ſunt. Solent autem mulieres ceruſſa ex oleo roſaceo illinire ſuggillata, quod tamen remedium initijs eſſet accommodatum, refrigerat enim, & aſtringit, quamuis ex roſaceo oleo, præſertim ſi id, quod completum appellant, ſit particeps alicuius digeſtionis. Saliua autem humana ſummopere a Galeno laudatur decimo de facultatibus ſimplicium medicamentorum ieiuni hominis, nam digerit, & concoquit: Itaque valentius præſtare poterit, ſi fuerit præmaſticata, radicula, & plurima eorum, quæ manduntur: vt panis, triticum, & id genus alia. Quæ ſi præterea & ipſa vim aliquam habuerint laxandi, & digerendi, vt eſſet abſinthium, vel raphanus, aut hyſſopum, ita & paſſa exacinata, quamuis in principio, quando requiritur aliquid aſtringentis, non eſſent inutiles paſſæ vuæ cum acinis. Sed de his ſatis. Nunc

A ad medicamenta aliorum affectuum accedamus, qui ſunt circa alias faciei partes, præſertim vero naſum, & mentum. Sunt vero in genere tumorum præter loci naturam, vel tuberculorum, duplici vero ratione, tam viris quam mulieribus moleſti ſunt: nam faciē quoquo mō deturpant, & præterea, vel pruritu, vel dolore aliquo importuni ſunt, neq; oēs eiuſdē naturę, ſed diuerſę, quatenus ex humorū diuerſorū cōfluxu ad externis faciei partes, vt quinto de cōpoſitione medicamentorum ſ̃m locos docuit Galenus, ortū hūt. Sed rē breuiter expediamus, ſi ad extimā faciē, atque adeo etiam ad cutē confluat humor craſſus, caloris, & acrimoniæ expers, qui multus non ſit, eum in tumorem parum attollit, durum tamen, ex humoris ſiquidem craſſitie durus euadit: paruus vero, quia B non poteſt fieri magnus niſi multus fluxerit humor: hos tumores Græci ἰόνθους appellant, noſtri varos, noſtrum vulgus coſſos nuncupat. Sed ſi non ſolus craſſus humor confluat, ſed ſit præterea particeps alicuius tenuis ſeroſi, & ichoroſi, niſi cito curatio adhibeatur, ſit vt tandem vlceretur tamen. Tenuis enim & ſeroſa illa particula infarcta, & intus intruſa, cum perſpirare nequeat, incaleſcens, aliquam contrahit acredinem, vt deinde abraſa cute, vlcus afferat, atque hi tumores a Græcis συκώδεις appellantur, a Latinis ficoſi: & hi plerunque in mento expullulant, de quibus ita ait Oribaſius. Ficus expullulationes ſub durę rotundæ, rubicundæ, vlceroſæ, quarum plerunque eſt comes dolor. Oriuntur autem plerunque circa capitis partes, quamuis interdum erumpant in aliquo C corpore. Quandoque etiam confluunt ſucci ſimiliter mixti ex craſſis, & tenuibus, ſeroſisque, acrioribus tamen, & magis mordacibus, qui occupato mento λειχηνώδεις concitant tumores, a Græcis dictos, quaſi referentes naturam lichenes, hoc, eſt, impetiginis, & pruriginoſus eſt is affectus, & qui, ſi negligatur, vt tradidit Galenus, tandem in eas ſcabiei ſpecies degenerat, quæ lepra & pſora Græce dicuntur. Effloreſcūt præterea & aliæ papulæ itidem in mento aſperæ, & vlceroſæ, pariter ex acrioribus ſeroſisque excrementis a capite defluentibus, ſpontaneum fere ortum habentes, quæ neque pruritus, neque alicuius doloris ſunt expertes. Aetius vero lib. 8. capite 16. affectum hunc menti aſperitatem vocauit, quem ſequi ſolet D πιτυρίασις, quam Latini porrigmem, iuniores furfurationem tranſtulere: nonnunquam autem ad collū ſerpit, interdum, & aurium meatus tentat. ſolet autem in eiuſmodi affectu eſſe diſtenta cutis. Reliquæ præterea ſunt etiam duæ tuberculorum differentiæ, quæ in facie ſolent extuberare, tum natura, tum nominibus differentium, quæ Græce δοθιῆνες, & φύματα dicuntur priorem differentiam Celſus furunculos, alteram proprie tubercula nuncupauit. Differunt vero inter ſe, vt ait Galen. duritie & figura, quia tuberculum eſt tumor rotundus & planus, qui cito creſcit, & cito ſuppuratur. Furunculus vero durior eſt, & acutior, qui & ipſe tandem ſuppuratus in abſceſſum tranſit, non tamen æque facile, & cito. Sed furunculi frequentius prouentus circa faciem, & E mentum, quamuis, & in reliquo corpore interdum oriantur. Eorum item duæ ſunt differentiæ, alij duriores, qui proinde magis ſunt varis ſimiles, ſicut & non ita facile maturantur, aut ſuppurantur, & id quia ſiunt ex craſſiori materia, quæ refert naturam pituitoſi, vel melancholici humoris: vnde neque doloroſi ſunt, in quo etiam varis aſſimilantur, ſunt tamen illis maiores. Altera vero horum ſpecies eorum ſunt, qui magis accedunt ad naturam inflammationis, ſuntque maiores, rubicundiores, & calidiores, ſubinde magis doloroſi, a quibus ſæpe febres accenduntur: atque vt proprium eſt calidiorum tuberculorum facilius ad ſuppurationem pro-

perant. Similis autem eſt horum omniũ generationis occaſio, vtpote qui omnes excitentur ab excrementitio, & vitioſo humore, quem natura ad cutem protrudit, vt ſanguinem, qui futurus eſt alimentum internis viſceribus expiet, & ſincerum quantum poteſt conſeruet. vnde quemadmodum horum omniũ aut eadem, aut ſimilis generationis ratio in vniuerſum: ita etiam oportet vnam eſſe communem in curandi methodo indicationem: ea vero demonſtrat materiã illam excrementoſam in primis eſſe vacuandam. Sed id aduertendum, num copioſa ad cutem horum malorum humorum, & frequens fiat propulſio, frequentesque & maiores expullulent, ita vt vno digeſto ſub inde alij, & plures ſuccedant: quia id argumento eſſe poſſet, quod multa eſſet cacochymia in corpore congeſta, aut vniuerſo, ſi ad alias etiam partes ſerperent: aut in capite, ſi tantum circa faciem orirentur, a quã mala hæc fouerentur. Nam ratio vniuerſa ſuaderet prius, aut corpus vniuerſum, aut caput expurgari oportere, vt fomentum ſubtraheretur, prout illa videretur requirere, nempe aut ſectione venæ, aut purgatione: præterea & victus probi, nullo autem modo excrementoſi eſſe inſtituẽdam rationem, quam ad præſens inſtitutum particulatim tractare non pertinet. Quare ad eos ſcopos exponendos accedamus, qui nobis poſſint oſtendere, vel aperire rationem eorum medicamentorum, quibus priuatim ſint curandi hi affectus. Sed ſi ex methodo hoc ſit agendum, oportebit eorum naturam conſiderare, quia illa nobis ſcopos indicabit, quos ſpectantes omnia reperiemus. Nam quicunque horum tumorum duriores ſunt, & citra vlcus, vt ſunt proprie vari, & prior furunculorum [ſpecies,] qui aliquatenus ad varorum naturam accedunt: hi egent digerentibus in primis remedijs, vtpote quæ plenitudinem loci poſſint vacuare: verum cum præterea adſit, & durities, egent item, & emollientibus: nam ita facilius & citius fiet digeſtio. Qui vero excitati ſunt a tenui, & ſeroſo humore, pręſtantius per exſiccantia curabuntur, quam per digerentia: quia hæc cum ſint calidiora facile ſeroſos eos, & tenues ſuccos acriores, & magis erodentes reddẽt: vnde lichenoſi, vel impetiginoſi tumores [fient,] ante quã in pſoram degenerent, & quaſi ficoſi dicti ſunt, etſi requirant aliquem digerentiũ vſum, longe tamẽ exſiccantiũ maiorem, & id propter multã mixturam ſeroſorũ humorũ, qui quo fuerint acriores, mordacioresque, eo etiã egent magis exſiccantibus. Et proinde impetiginoſi, quam ficoſi magis deſiccantia deſiderant, anteaquam in aliquã ſcabiei ſpeciem tranſeãt: quia tunc aliquib. præterea detergentib. eſſet opus. At vero eruptiones, vel effloreſcentes papulæ in mento, cum ſint vlceroſi affectus, eandẽ cum cæteris vlcerib. in vniuerſum indicant rationẽ curationis, nempe per exſiccantia. & hæc eſt generalis methodus curandorum horũ omniũ affectuum. Sed & particulatim quoque rationes horũ omniũ exponamus: quo loco & id reuocandum eſt in memoriam, quod ſępius a nobis & repetitũ, & repetendum, eſt, nempe, quod horum, vt exempli gratia, [tumorũ] non eſt omniũ eadem ratio, alij enim duriores, vt prope ad naturam calli accedant: alij vero minus duri, quod illis poteſt euenire aut ratione materiæ, vnde ortum habẽt, aut ratione temporis, cum enim inueteraſcunt, magis indureſcũt: aut ratione corporis, in quo oriũtur, quod habet aut duriorem cutem, & ſubiectam carnem, aut molliorem, vel ob ætatem vel ob ſexum, vel ob artem & modum tranſactæ vitæ. Qui duriores ſunt, vt difficiliores ſunt ad digeſtionem, ita & valentioribus egent, tum digerentibus tum emollientibus. Vnde ſicut in his affectibus durities, & mollities varia, ita & vt recte curentur neceſſarij ſunt varij, & diuerſi medicamentorum ordines: & proinde priſci medici hoc inſinuare volentes, interdum dum medicamenta deſcribunt, ea aiunt eſſe vtilia ad varos emendandos, nullo præterea addito, quaſi voluerint, ea eſſe accommoda moderatis varis, non autem calloſis, interdum vero addunt, quod valent ad varos inueteratos, vel calloſos, quia communes, & recentiores leuioribus, & facilioribus medicamentis tolluntur. Vidi ſi quidem ſæpe ſola illitione ſaliuæ, & ea repetita frequentius deletos fuiſſe varos præſertim ieiuni hominis: valentius negotium hoc expediret gallinaceus adeps, & adhuc citius anſerinus. Vim præterea maiorem haberent amygdala amara manſa, & appoſita, vel confecto cataplaſmate ex ea trita, & cum aliquo ex his adipe commixta. Inter medicamenta autem, quæ antiquis fuere in vſu admodum aptum, & vtile videtur illud, cuius meminit Galen. 5. de comp. medicament. ſecundum loca, ex ſententia Critonis, cuius hæc eſt confectio. Accipiantur lithargyri, ſeu ſpumæ argenti drachmas iiij. reſinæ terebinthinæ quantum æquet fabam Aegyptiam, puta dram. vnam, olei clari & albi parum, omnia probè miſceantur. Quantum ad vſum verò pertinet, primum facies detergenda, mox verò immerſo digito in medicamento, palmæ manus illud imponendum, & vtraque manu confricare conuertendo, illoq; illinendi ſunt vari. medicamentum lene & leue, quod poteſt eſſe aptiſſimum teneris, mollibuſque corporibus, in quo vis eſt mediocris molliendi: digerendi & nam terebinthina, vt octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos tradidit Galenus, vim habet molliendi, concoquendi, & modeſtè digerendi, quibus facultatibus & oleum clarum aliquantulum præditum eſt: lythargyrum vero mediæ materiæ eſt, aliquantulum tamen deſiccat: vnde eſt quaſi materia iſtius medicamenti. Videtur autem iſtud medicamentum eſſe mulieribus nobilibus & delicatis quam maximè accommodatum: vt potę quod pręter id, quod vtile eſt affectui huic curando, poteſt etiam conciliare medico gratiam, & fauorem apud ipſas: cum aliquid facere poſſit ad ornamentum, & decorem faciei, quia ſi diligenter ſit paratum, illuſtriorem illam reddit & planiorem, quia efficit vt cutis magis diſtenta fiat, applanatis rugis, ſi quæ adſint: & propterea in componendo hoc medicamento, procuret, vt habeat oleum clarum, itemque & terebinthinam, vt melius hoc præſtare poſſit. Addit præterea & alterum, quod acrius valentiuſque medicamentum, & proinde quod congruentius ſit varis magis inueteratis, & in corporibus ſolidioribus durioribuſque, conficitur vero in hunc modum. Amygdalę amaræ exquiſitè ſunt conterendæ, atque deinde aceto diluendæ, quibus poſtea illinire varos oportet: nullus autem non videt, quod amaræ amygdalæ attenuandi, detergendique, & digerendi vires ſatis conſpicuas habent. De aceto præterea ſæpius ſermonem habuimus: vnde in (hoc quidem robur maius eſt, quam in priori,) ſed non tantum poteſt mollire, & concoquere, quãtum prius: quamuis aliquis dicet fortaſſe, quod in amygdala ſint aliquæ partes oleaginoſæ, nam ex ipſis exprimitur oleum ſatis copioſum, hac etiam ratione mollire poterit, quantùm huic rei ſit futurum ſatis: vnde & ſi fortius ſit hoc medicamentum, non tamen adhuc illius eſt generis, vt pertinaces varos, & illos, qui eò deuenerint, vt iam calloſi dicendi ſint, poſſit diſcutere, attere reque: vt ea medicamẽta, quæ ibidem à Galeno ex eodem Critone deſcripta referuntur: quale illud eſt, quod conficitur acceptis drachmis quatuor ſaponis, ammoniaci verò, & thuris ſingulorum drachma; hæc vero omnia miſcenda, diſſoluta tamen ex aqua eatenus, vt cerati compagem habeat. Con-

fecto

ſe&ctilde;to deinde medicamento, hunc eſſe ad modum ſer
uandum : quantum ad rationem vſus pertinet,vt id
varo apponatur,ibiq́ue dimittatur per horę ſpacium,
ſtatimque detrahatur, moxq́ue facies detergatur,
abluaturq́ue aqua tepida. Quod optime conſideran-
dum,quia id non modo in his affectibus, ſed in mul-
tis præterea alijs poterit eſſe vtile, quãdo fuerit opus
acrioribus vti medicamentis: maxime vero in corpo-
ribus, vel particulis, quæ molliores, tenerioresque
ſunt,vt facile abradi, & erodi poſſint. vnde & ſubin-
de vlcera excitarentur, quæ videri deinde poſſent,
maiora & turpiora mala: cui rei conſulere docuit
Crito hac ratione: nempe, ne permittatur morari
medicamentum hærens faciei vltra horam, ne lon-
gior mora maiorem,quàm par ſit, faciat impreſſionẽ,
poſtea lauandam faciem conſulit aqua tepida, vt ſi
quid acrimoniæ ſit derelictum in loco,vel aliqua par
ticula ablati medicamenti, vel ſi morſus aliquis reli-
quus ſit, tepido illo calore, atque humiditate aquæ
morſus,& acrimonia demulceatur,& deliniatur,de-
terganturq́ue omnes reliquiæ medicamenti, quo fa-
cto locus erit inſpiciendus & conſiderandum,an ad-
huc vari maior pars ſit ſuperſtes, quæ egeat repetito
medicamento, atque reponendum erit idem medi-
camentum. Si adhuc morbus pertinax videatur, vel
ſi nimis acre videatur,aut aliud tenuius apponendũ,
aut idem quidem,ſed alio aliquo addito,& intermi-
xto,quo remitti, & deliniri poſſit eius acrimonia:
medicamentum vero hoc calidum quidem, quod ha-
bet & vim detergendi inſignem ex ſapone,vt conſen
tiunt omnes medici,& proinde partium conſtat te-
nuitate,qua laxare, & diſcutere, attenuareq́ue craſ-
ſam,& duram materiam poteſt,ex ammoniaco vero
habet vim imprimis emolliendi, concoquendiq́ue,&
digerendi: a thure vero adiuuatur vis concoquendi,
& aliquantulum molliendi,& digerendi vis: additur
autem aliqua aſtringendi,qua poſſit tantillum repel-
lere alios,qui adhuc in eum locum confluunt humo-
res. Hæc a nobis hoc loco deſcripta ſunt, non quin
& alia multa,& ea quidem vtilia deſcribi potuiſſent,
ſed nimis prorogaretur in lõgum tractatio hæc: qua-
re iſta viſa ſunt poſſe eſſe ſatis: ſi tanquam exempla
accipiantur a iuuenibus medicis,quibus in his rudi-
mentis ſcribimus. Sed vt tandem poſſimus huic ca-
piti finem imponere,de reliquis commemoratis affe-
ctibus ſermonem aliquem breuem tamẽ habeamus,
& de illis quidem, qui naturam inflammationi ſimi-
lem habent,cum eadem,aut ſimilem curationi inflã-
mationis requirant, de qua aliàs copioſè ſumus lo-
quuti, ſuperuacaneum videtur vlterius de ea agere.
Quare ad vlceroſos faciei affectus ſermonem conuer-
tamus. Hi duplici,vel complicata ratione conſtant,
cum & a præſente materia in loco ſint concitati, &
præterea adſit,& vlcus,& cum princeps curationis ra
tio a natura morbi depromenda ſit: ideo neceſſe eſt
etiam,vt curandi methodus duplici innitatur indica-
tioni, quæ duplicem quoque ſcopum ſpectandum
oſtendat,nam & materia præſens detrahenda,dige-
rendum eſſe nobis indicat,& cum omnia vlcera præ-
ſertim exſiccatione curentur,ideo & ſiccandum eſſe
nobis oſtendunt. Et proinde,ſi Galen. imò rationem
ipſam ſequamur,medicamentis opus eſt in his curan-
dis concoquentibus quidem, digerentibusq́ue, &
detergentibus,& attenuantibus ſicut in varis,ſed lon
ge etiam magis deſiccantibus, quorum exempla iti-
dem ex Critone deprompta voluit proponere, om-
nia quidem acria & valentia. Sed nos illis volumus
eſſe contenti, quæ hactenus fuere conſcripta, cum
omnia legi poſſunt apud Gal. 5. de compoſit. medic.
ſecundum locos. Et vt tandem abſoluamus hoc ca-
put, nonnulla de lichenoſis, ſeu impetiginoſis faciei
expullulationibus dicamus,qui affectus,quamuis in-

A terdum lenis, & facilis eſſe videatur, nonnunquam
præter turpitudinem, maximum ſuo pruritu nego-
cium faceſſit,& ſæpe in ſcabiem tranſit, quandoque
malam, & ferinam, & ſerpendo, pertingenſque ad
oculos. Vnde imprimis habenda ratio multa natu-
ræ,vel modi iſtius affectus, quaſi videatur ferinam
quandam,& malignam præ ſe ferre naturam,nõ de-
bet acribus admodum medicamentis irritari,exacer-
bariq́ue: quia hoc pacto malignior euadet, ſed potius
vt cætera maligniora vlcera, delinientibus & demul-
centibus eius mollire feritatem. Sed ſi malignitate
careat, tractandus eſt medicamentis ex proportione
reſpondentibus, magnitudini & facilitati. Sed &
quatenus ad indicationes communes, atque etiam
B ſcopos pertinet, qui in conſtitutione methodi, qua
curandus eſt affectus,cum ille ortum habeat a mixtu
ra variorum excrementorum, quorum alia tenuia
ſunt,ichoroſa,ſeroſaq́ue, & acria, alia vero craſſiora,
eget in primis & ipſe exſiccantibus attenuantibus, &
ſi concoquentia fuerint addita,non erunt præter rẽ,
vt tamen poſtea ſi factus fuerit tranſitus in ſcabiem,
ſint etiam neceſſaria detergentia. Et quia hi liche-
noſi affectus diuerſos habent ordines: ita etiam di-
uerſorum ordinum medicamenta reperiuntur, quæ
illis poſſunt aptari: aliqui enim adeo faciles,& lenes
ſunt,vt ſola ſaliuæ frequenti quidem illinitione ſu-
perari,& vt Galen. ait 10. de fac. ſimp. med. tolli poſ-
ſint: facillimum item remedium erit ſuccus tritici ex
eo,vt docuit Crito exceptus hoc pacto: voluit mul-
C ta eius grana incudi imponi, illisq́ue mox candentẽ
& ignitã laminam apponi, ac eo liquore,qui ignis vi
è granis elicitur, inungi lichenas. In eodem fere or-
dine erit etiam ſylueſtris maluæ fructus, ſi quando
eſt tener,mundatus teratur, & ſucco ex eo expreſſo
illinatur impetigo,dum tamen frequens & fere con-
tinens fiat illitio. Præterea perdicium herba,quæ &
parietaria dicitur,ſi illa affricetur loco impetiginoſo:
& liquor,qui vi ignis ab oliuæ lignis vel a braſicarũ
caulibus,dum comburuntur, deſtillat, huic rei vtilis
eſt,portulaca etiam ab omnibus ſummopere lauda-
tur,illo loco illinito eius ſucco,& lichene herba, quæ
a quibuſdam iunioribus hepatica ſolet nuncupari:
dicta aut lichene a Græcis, quia lichenis ſanandis ma
D xime vtilis eſt. Secundi vero ordinis ſunt aſphodeli,
vel vt Latini appellant,albuci radix ex aceto cocta,ac
deinde trita illitaq́ue, item viticis vel vt iuniores di-
cunt,agni caſti folia trita ex aceto,atq; appoſita,eo-
dem modo & capparis folia ex aceto trita,& in mo-
dum cataplaſmatis redacta: cortices etiam radicum
rumicis hortenſis lęuigati ex aceto, & eodem modo
appoſiti,ſicut chamæleontis radix parata eodem mo-
do: & hæc quidem valentiora ſunt, quæ vtilia ſunt
difficilioribus vetuſtioribusq́ue, aut alia ratione eiuſ-
modi affectibus. Sed adhuc vehementiora ſunt, quę
ſequuntur,nempe ſulphur ex aceto, item ammonia-
cum, & thus diſſoluta ex aceto, præterea & pix li-
quida, & vtrumque alcyoniorum genus, vtrumque
E etiam veratrum, & caprinum ſtercus. Longe vero
acrioribus vti conſueuere antiqui medici, cum cal-
loſi fuerint hi affectus: componunt enim medica-
mentum ex illis, quæ valde acria ſunt: nam ſæpe
iſtis addunt miſy, atramentum ſutorium, ſquamam
æris, & id genus reliqua. Sed nos iam receptui ca-
namus, ſatis enim hactenus ſumus vagati, & de ſi-
milibus medicamentis adeo copioſe, tum hic, tum
ſupra in 3. lib. horum rudimẽtorum loquuti ſumus,
vt illis perceptis facile quiſque poſſit medicamenta in
medicorum tàm antiquorum,quàm recentiorum li-
bris deſcripta recte perpenſa iudicare.

De ratione compoſitionis eorum medicamentorum, quibus apte curari poſſunt narium affectus.

Cap. XIII.

NVLLA mihi particula eſſe videtur circa caput, quæ magis propinqua ſit illis, de quorum affectib. curandis hactenus egimus, & cum illis maiori connexione coniuncta, quàm nares ſint, intra quas odoratus organum continetur: vnde merito etiam, & non abſque ratione quamuis alij alium ordinem ſeruauerint ſequentes noſtrum inſtitutum, poſſumus poſt illorum tractationem hanc de curandis narium affectib. per localia medicamenta ſubinde ſubiungere: & quia triplex officium habent, triplicemque afferunt animantib. vtilitatem: ideo triplici etiam ratione lædi poſſunt, & proinde varijs & multiplicib. morbis ſunt obnoxiæ. Sunt enim ipſæ, vel ſaltem continent odoratus propriũ inſtrumentum: vnde proficiſcuntur actiones illi ſenſui primũ attinentes. Et hoc illis eſt princeps munus, propter quod a natura ſunt fabricatæ: ſunt præterea via & quaſi canalis introeunti, & exeunti aeri, qui per inſpirationem, & reſpirationem attrahitur, & expellitur a pulmonibus, naturaliter ſiquidem fit inſpiratio, & reſpiratio per nares, quæ per os etiã fieri poteſt, ſed nonniſi quando nares obſtructæ ſunt, & id quidẽ nonniſi propter aliquod accidens præter ipſius naturæ ordinem. Tertio eſt veluti cloaca, per quam excernuntur excrementa, quæ multa in capite & cerebro congèri ſolent: & quamuis alia narium munia ſint digniora, præſertim vero quæ ad odoratus ſenſum pertinent, hæc tamen actio, qua excrementa cerebri, per hos quaſi canales expurgantur, ad ſanitatem tuendã, præſertim capitis, magis videtur neceſſaria. Sed anteaquam ea aggrediamur, quæ particulatim præſenti huic noſtro inſtituto magis attinẽt, hoc conſiderandum, quod narium, ſicut & aliorum ſenſuum inſtrumẽta duplices habent partes, ex quib. coagmentata ſunt, aliæ quidem ſunt exteriores, quæ & viſui expoſitæ, aliæ vero internæ, quæ digniores, vtiliores, & magis neceſſariæ: exterior eſt ipſa cutis & os, quæ quidem, cum nullos habeant priuatos peculiareſque morbos, præter illos, quos communes habẽt cum alijs faciei partibus, præſertim vero cum reliqua illius cute: ideo neque de illis opus erit eundem iterum ſermonem repetere. Sed & internæ etiam aliquos habent morbos alijs fere omnibus, quæ ſunt eiuſdem generis, communes, de quibus nolumus etiam alioquin agere, cum aut parum, aut nihil eorum curatio in narib. euariet, niſi fortaſſe hac ratione, quod cum ſiccior ſit natura temperaturaque narium, quàm oculorum, & eorum, qaæ tanquam inſtrumenta guſtui inſeruiunt: minus autem ſicca, quàm illa, quæ auditui: nempe quam auris, ideo ſicciora requirit medicamenta, & illa quoq; ſi acriora ſint, facilius ferre quam oculus & os: in hoc tamen vt omnes fere medici aſſerunt, ab aure ſuperatur. Quatenus autem ad eos affectus pertinet, qui familiari, & priuata quadam ratione in internis iſtius particulæ meatibus oriri ſolent, alij quidem illi magis attribui poſſunt, vt ſunt quaſi viæ vel cloacæ, per quas capitis excrementa ſolent expurgari, & per quas fit expiratio, in alijs vero, quatenus ad ſenſum odoratus pertinet. Tres autem ſunt affectus, quibus ſecundum priorem rationem nares obnoxiæ ſunt, primus in genere ſolutæ vnitatis comprehenditur: eſt enim vlcus ſatis malignum, & curatu difficile, quod ortum habet ab acribus excrementis, quæ a capite

A per hos meatus defluunt, appellantur autem id genus vlcera a Græcis ozenæ, quia præter malam naturam, vnde difficillime curationem admittunt, male etiam olent, a quo fœtore ozenæ dictæ ſunt. Et vlcera huiuſmodi ex his ſunt, qnæ ſponte oriuntur, nempe influxu humorum, non ex alia externa occaſione: vnde neceſſe ſit, vt ab acribus, vt nuper dictum eſt, humoribus, vel ichoribus, vt 3. de comp. med. ſecundum locos ſcripſit Galen. progignantur, alioquin enim non abraderent. Præterea cum male oleant, id fieri nequit, niſi putredinem contrahant: & quamuis ab hoc tetro odore nuncupationẽ habuerint, attamen non ſemper male olent: ſed ſemper cum corroſione ſunt, ægreque curantur. Al- B ter vero affectus eſt, qui polypus dicitur, ob id, quod conſtat ſubſtantia quadam ſimili carni polypi marini piſcis è genere mollium appellatorum piſciũ: eſt enim tumor quidam intra nares exoriens rotundus ab vna radice plerumque tenui pendens, & interdum adeo excreſcens, vt non modo repleat meatum, ſed & pendulus extra exeat. Vidi interdum æquantem magnitudine nucem auellanam maiorem, & carneus videtur eſſe is tumor & mollis, cuius caro cartilaginea ſimilis carni polypi, vel ſepiæ. Similem vero ortum habent communi quidem ratione hi duo affectus, ſed particulatim poſtea differunt, nam vterque excitatur a ſuccis vitioſis a cerebro primum, & proxime deſtillantibus, ſed a ſuppoſitis partibus, vt a ventriculo, iecinore, & ab vni- C uerſo corpore ſimilibus excrementis referto poteſt aliquod habere fomentum: particulatim tamen fluxiones differunt natura eorum, quæ defluunt, quia ozena ortum habet a tenuiori & acriori fluxione, & ſæpe ſapiente aliquam putredinem. Polypus autem generatur a craſſa, lentaque pituita, ex qua ibi concreſcente calleſcit mollis hæc, & inutilis caro: aliquando tamen confluit aliqua maligna materia referens naturam atræbilis: vnde polypus etiam gignitur ſapiens naturam maligni, & cancroſi tumoris. Et ſolet polypus ſicuti & aliæ ſimiles carunculę molles, & inutiles, ſequi aliqua vlcera, & ea præſertim, quæ nimio ſcatent humore, & eo plerumque inutili. Sed ſimilis huic in alijs quibuſdam meatibus alia- D rum partium, vt in meatu vrinario, tum virili, tum muliebri, in meatu etiam auris, neque alioqui n gigni poteſt niſi vlcus præceſſerit, aut abraſio, ſiue ex eroſione ſit factum vlcus, ſiue ex rupto aliquo tuberculo, vel aliqua inflammatione ibi ruptis. Eſt & tertium ſymptoma, quod huic particulæ eſt quàm maxime familiare, nempe immodica eruptio, & profuſio ſanguinis. Sed de hoc paulo poſt ſeorſim & particulatim proprio capite agemus, ne nimis hunc ſermonem confundamus. Redeam ergo ad ozenam, & polypum, vt methodum curationis inſtituere poſſimus. Hi ergo affectus ſicuti vnam in vniuerſum ſui ortus communem rationem habent, ita oportet vt in vniuerſum communem habeant cu- E rationis methodum. Vnde cum ſint affectus proprij narũ, qui tamen originẽ habent & fomentum a fluxione a capite, & interdum etiam, & ſi non proxime, ſaltem per caput, a ſubiectis partib. fouentur: ideo ſtatim duæ inſurgunt primæ, & communes indicationes, altera quidem a fluxione, quæ eſt cauſa morbi, ipſum efficiens & augens: altera vero ab ipſo morbo iam aliqua ſaltem ex parte facto, & tempore quidem prior eſt, & quæ in initio vim maiorem habet eſt ea, quæ a fluxione fuit deprompta: ſtatim ergo fluxionem reprimere, intercipereque oportet. Sed id nequit fieri, niſi remota cauſa fluxionis, quæ vel a capite in primis petenda eſt, vel ab alijs etiam, ſi quæ ſint, quæ in hoc conſpirauerint, vtpote quia vitioſis vaporibus, & tãdem humorib. caput repleãt.

Quare

Quare eo primum curatio conuertenda erit: nempe
bene conſiderando, quid in cauſa ſit, quod tanta &
adeo vitioſa materia ſit, & in dies generatur; nam
inueniemus eſſe aliquod vitium intemperaturę in eo
contractū, aut aliquā obſtructionē in vijs, quibus ce-
rebrum expiari ſolet a multis, quæ in eo continenter
generantur excrementis. Vnde his primum erit cō-
ſulendum: nam & detrahenda primum per euacua-
tionem pręſens congeſta materia, & quia prior ſit in-
ter initia hæc indicatio, ita tamen eſt eius habenda
ratio, vt non omnino, & altera negligatur. Vnde ſi
agendum eſt cum vacuatione, eam tamen vacuatio-
nem moliri oportet, quę non ducat materiam verſus
male affectas nares, ſed potius reuellat: talis vero fiat
euacuatio, qualem nobis oſtendit natura excremen-
torum, vt ea, iuxta Hippocratis decreta, & talia pur-
gentur, quæ & qualia purgari oportet, vt talis va-
cuatio conferre poſſit. Deinde corrigenda eſt intem-
peries capitis, ac ſi qua ſit obſtructio, illa erit reſeran
da, mox vero ſiccandum, roborandumque caput.
Verum cum hæc ſint communia multis, immo vero
omnibus affectibus, de quibus hactenus habitus fuit
ſermo: ideo ſuperuacaneum videri poſſit, de his par-
ticulatim magis agere velle, niſi forte voluerimus hic
quoddam cataplaſma deſcribere, excerptum ex libel-
lo de facile parabilibus, quod ibi refert tanquam id,
quod vim habeat intercipiendi iſtiuſmodi fluxiones.
Conficitur autem hoc modo: accipiuntur limaciæ
duæ integrę, nempe cum ſua teſta, thuris ſing. drach.
j. myrrhæ drach. quatuor: his omnibus tritis addatur
album duorum ouorum, & aliquid axungiæ, vt fiat
commodum cataplaſma, quod linteo exceptum ap-
ponatur. In hoc medicamento album oui, & lima-
ciarum caro ſua emplaſtica, & glutinoſa ſubſtantia
poſſunt ſiſtere fluxionem: voluit autem cum teſtis
teri limacias, vt præterea exſiccarent. Thus coquit
aliquantiſper, exſiccat, & moderate aſtringit: myrrha
vero concoquit aliquantiſper, magis autem ſiccat, &
digerit, & diſcutit. Et quamuis præterea Galenus
multorum emplaſtrorum meminit, cuius confectio-
nes deſcriptæ ſunt in libris de compoſitione medica-
mentorum ſecundum genus, nos tamen in præſen-
tia ſub ſilentio pertranſibimus, tanquam illa, quæ po
tius præter noſtrum inſtitutum eſſe videntur. Cum
vero his recte peractis, erit curatio conuertenda ad
locum affectum, & morbum, non erit amplius parti-
culatim eadem in vtriſque curationis ratio ſeruanda,
ſed varia pro ratione diuerſæ horum affectuum na-
turæ. Cum enim ozęna fiat ab acri mordaci, & ſæ-
pius putreſcente ſucco, ideo primum ſpectādi ijdem
ſcopi, qui & in alijs vlceribus ſpectari ſolent, quando
facta ſunt, & fouentur a fluxione vitioſorum humo-
rum. In his enim primus, qui nobis offertur ſcopus
ratione vlceris, eſt, exſiccandum eſſe cum communis
vlcerum ratio exſiccatione in primis cōſtet: cum ve-
ro locus hic ſit maxime, & ſi quis alius, obnoxius flu-
xioni vitioſorum humorum, cum ſubiectus ſit parti-
culæ, quę plurimum eſt excrementoſa, ſitque ex mor
bo factus imbecillior, & proinde facilis, & aptus ad
recipiendum, mox indicatur repellendum eſſe. Ter-
tio etiam quia vlcus fouetur a multa materia iam ab-
ſorpta in affecta parte, nobis oſtēdit illam eſſe vacua-
tione detrahendam: & propterea Galenus tertio, de
compoſitione medicamentorum ſecundum loca, re-
cte collegiſſe videtur, quod materia medicamento-
rum, quæ his vlceribus curandis idonea ſit, oportet
vt deſiccandi facultatem habeat: præterea vero re-
pellendi, & digerendi, & hoc quidem quatenus ad
communem eorum rationem pertinet. Sed hæc ma-
gis particulatim diſquirenda ſunt, quia quæ ſiccant,
quæque repellunt, vel digerunt, non eas facultates
æquales habent: ſed varij ſunt illorum ordines, ſicut

A & iſtius generis vlceribus omnibus non eſt par ratio,
ſed in illis ſunt varij ordines in facilitate, & difficul-
tate, cum alia recentiora ſint, alia, quæ iam inuetera-
ta ſint, vt ferè ſit iam habitus particulæ immutatus.
Vnde faciliora [vel difficiliora ſunt] curatu: pręterea
alia maligniora, quæ acriora & fortiora deſiderant
remedia, alia minus maligna, quæ poterunt faciliori-
bus, leuioribusque ſuperari. Quia ſemper remedia
debent morbis accommodari, vt in aphoriſm. docuit
Hippocrates, vt præterea nunquam ſit prætermitten
da illa indicatio, quæ a natura laborantis corporis,
quia molliora, & iuniora lenioribus, & minus vehe-
mentibus: ſolidiora vero ac ſeniora, acrioribus & va-
lidioribus ſunt tractanda. Et ſi quæ particula noſtri
B corporis deſiderat in vlceribus caute tractari, maxi-
me nares iſtud requirunt, quia facile vlcera in ipſis, ſi
nimis exaſperentur & irritentur, malignitatem con-
trahunt, & canceroſa fiunt. Sed iam hoc negocium
magis particulatim tractemus. Varios itaque ordi-
nes in hac medicamentorum claſſe reperiri diximus,
vt poſſent facile omnibus differentijs horum vlcerū
aptari: nam alia ſunt faciliora, & leuiora, alia vero ve-
hementiora, & acriora. Raſis quidem inter initia, &
anteaquàm adhuc ſit factum vlcus, ſed effloreſcunt
veſiculæ intra nares, quæ paulopoſt ruptæ in vlcus
deſinunt, ad exſiccandum tenuem illum humorem
in illis contentum, ne ſuccedat vlcus vtitur linamen-
to acri aceto immerſo, cui ſit aliquid ſalis additum:
C exſiccat enim ſatis valide, & repellit, digeritque. Ex-
citato autem vlcere plerique medici, ſi cruſtoſum fue
rit id in primis procurant, vt cruſta cadat: non qui-
dem ea vnguibus, aut alio ſimili inſtrumento vi de-
tracta, quia id ſine dolore fieri nequit, vnde & irritan
tur vlcera, & magis concitatur fluxio: ſed his medi-
camentis, quæ molliant. Aliqui enim fotu aquæ ali-
quantulum calidæ, alij vaporibus calidæ aquæ ea in
vaſe ſtricti orificij impoſita, atque naribus illo ſuppo-
ſito. Ablatis vero cruſtis tunc curanda vlcera, & ſi
aliquantiſper videantur ſordida, lauanda erunt ali-
quo liquore, in quo ſit vis detergendi, & deſiccandi,
maior vero vel minor, pro ratione qualitatis tum vl-
ceris, tum etiam, vt ſæpe diximus, corporis male affe-
cti. Sunt autem huic officio maxime apta mulſa aqua,
D vel vinum mulſum, de quibus fuit in priori libro ſer-
mo habitus. Hic autem ſatis erit dixiſſe, quòd deſic-
cat magis, itemque detergit, & aliquantiſper magis
mordax eſt: vnde accommodatum erit deterioribus
vlceribus, niſi tamen ea fuerint doloroſa, & acris ſen-
ſus, vt ægre poſſint ferre hoc medicamentum, quia
nimis mordax eſt: mulſa vero lenior eſt, & minus
mordax. Aliqui etiam dicunt vtilem in his eſſe vſum
vrinæ, & hoc Galeno attribuunt, quod voluerit vti
vrina aſinina ad vlceratas nares, præſertim in malis
vlceribus. Sed vſus in his vrinæ pueri fortaſſe tole-
rari poſſet, abhorret Gal. horum ſordidorum medi-
camentorum vſum decimo de facultat. ſimplicium
medicamentorum, eoſque medicos, qui illis vtūtur,
E ſordidos appellat: ſed itidemque neque ægroti eos
admittunt, præſertim vt affectibus capitis, facieique,
& tandem ſuperiorum partium, cum non deſint alia
medicamenta, quæ poſſint honeſtis & ciuilibus viris
adminiſtrari, & maxime cum aut ore aſſumenda aut
vehementer attrahenda per nares, laudat tamē chry-
ſocollam, quæ fit ex vrina pueri ad curanda difficilia
vlcera ſordida & putrida. Quatenus vero ad carnem
generandam in his vlceribus ſiquidem recentia ſint,
& nondum rebellia, pertinaciaque, multa commu-
nia appellata vnguenta, poſſunt eſſe ſatis, vt quod ex
ceruſſa fit: immo ceruſſa præſertim lota, ac ex oleo ro
ſaceo aſſumpta poteſt præcipue tenellis corporibus
ſatisfacere, ſi interiores nares illinantur, aut his de-
libutum linamentum imponatur, ſeu trita, & in pol-

lineam

lineam redacta inſufflctur: ita etiam pompholyx, vel tutia parata, & lota, vt in præſentia vbique parata reperitur, vel arida inſufflata, vel eius vnguentum illinatur, vel ex linamento exceptum imponatur; itemque ex plumbo vſto & loto confectum medicamentum. Quæ omnia non ſolum in his non admodum malis & difficilibus vlceribus ſunt vtilia; verum & illis, quæ adeo maligna ſunt, vt a vel modice acribus exacerbentur. Sed & diachalciteos [emplaſtrum optimum eſt] quod a multis diapalma nuncupatur. Galenus ait ſe multoties vlcera narium maligna etiã, & in tenellis corporibus, ſolis aridis roſis & tritis, & vlceri inſperſis ea curaſſe. Quòd ſi maligna, & erodentia iam vlcera euaſerint, & putredinis non experta, tunc acrioribus eſſet opus medicamentis, nempe quæ maiorem vim exſiccandi, & detergendi habent, vt eſſet vnguentum illud, quod Apoſtolicum appellant, deſcriptum ab Auicenna, & Iſis a Galeno, & Aegyptiacum ab Arabibus, de quibus priori commentario exactius egimus. Sunt & multa alia, quæ ab antiquis medicis deſcripta reperiuntur, quæque poſſunt in eorum libris legi; neque enim volumus omnium meminiſſe, ne æquo ſimus longiores. Sed de polypo ſermonem inſtituemus, & breuem quidẽ quia parum differt ratio curandi hunc & illum affectum, imò plerunque authores eiſdem medicamentis vtrumque curant, & de eiſdem eodem capite agere conſueuere, & præſertim de illis agemus medicamentis, quæ in familiari vſu fuere Galeno & multa experientia ab eo probata, hoc primum conſtituto, quòd cum polypus ſit inutilis, & mala caro, quæ præter naturam huius particulæ excreuerit, inſurgit indicatio illam detrahendi, ſi in proprium & naturalem ſtatum illa ſit reditura. Detrahi vero poteſt, aut ope manuum, & chirurgicis inſtrumentis, nempe aut abſciſſione, aut vſtione, vel vi medicamentorum valide detergentium, aut deſiccantium, & diſcutientiũ: vt tamen prius conſideremus, an id commode, & tutò fieri poſſit: quod cognoſcemus conſiderata natura affectus. Sunt enim polypi nonnulli malignæ cuiuſdam naturæ, vtpote qui fuerint geniti ex humore accedente ad naturam exuſti humoris, & melancholici, qui exaſperati facile tranſeunt in carcinoma, atq; incurabiles euadunt, & proinde neq; tractandi ſunt: niſi blandis admodũ, & lenibus medicamẽtis, in quibus ſatis fuerit, ſi cõtineant, ne ſerpant, & maligniores reddant. Cognoſci vero & diſcerni poſſunt duritie, colore, & adhæſione: nã qui maligniores ſunt naturæ, duriores ſunt iuxta naturã humoris, a quo ſunt progeniti, ſuntque colore liuido, aut ſubatro, cum alteri ſint vel albi, vel ad rubrum vergant, & molliores ſint & præterea magis ſoluti, & quaſi ab vna tenuique radice pendentes: cum alteri maligni hæreant, & quaſi affixi ſunt ipſi narium meatui, ſuntque aliquantulum doloroſi. Hi itaque cum nondum vlcerati ſunt, ita dimittendi, neque irritandi, aut vlla ratione tentandum, vt detrahantur, & ſi ad vlcus aliqua occaſione deuenerint, vt ſimilia vlcera in alijs partibus blãdiendo regenda ſunt. Qui vero curationis ſunt capaces, ſi iam, vt aiunt, ſint confirmati, medicamentis paulatim ſunt abſumendi, & diſcutiendi, quia hæc curandi ratio minus moleſta erit, quamuis longior, aut acribus & exedentib. auferendi, vel abſcindendi ferro, vel cauſticis appellatis medicamentis, aut igne, candentibusque inſtrumentis vrendi, ſed de ferro, vel igne loqui, ad præſens inſtitutum non pertinet. De medicamentis quæ vim habent exedendi, & quaſi exurendi non eſt cur multa dicamus: nam huic officio omnia illa poſſunt accommodari, quæ in alijs locis reprimere, & abſumere poſſunt ſuperexcreſcentem carnem. Vt ſemper tamen nitamur hoc illis perficere, quæ minus doloroſa ſunt, & minus exaſperantia, facilius vero id aſſequemur, ſi rationem habuerimus naturæ ipſius affectus, quia recentiores & inter initia facilius, & minori labore, minuſque acribus, & vehementib. negotium conficiemus. Cum vero inueteraſcunt, & indureſcunt, remittuntur magis & non cedunt, niſi illis remedijs, quæ vim maiorem habent. Itidem ſi ad naturam corporis reſpexerimus, nempe conſideremus an tenellum ſit corpus, vt pueri, muliercularum, & eunuchorum, ita vero eorum qui ſolidiores & duriores carnes plerunque habent, vt ruſtici, milites, & tandem qui in multis laboribus, præſertim ſub ſole, & in puluere exercentur. Nam priores fortiora, & acriora medicamenta ferre nequeunt, vt magis ab illis lędantur exacerbenturque, facilius autem leuioribus, & moderatiorib. cedunt, ita enim nos docuit Galenus exemplo cuiuſdam eunuchi, qui polypo laborabat cum defluxu multi humoris per nares, neque alia medicamenta fortiora tolerare poterat: illum tandem curauit ſolis folijs aridis roſarum tritis, & in tenuem puluiſculũ redactis, polypoq; inſperſis. Sed ni fallor, in ſimilib. vtiliter, ſalubriterque vti poſſumus myrobalanis iſtis, quibus in præſentia ad purganda corpora vti ſolemus, cuiuſcunque generis illa fuerint, ſiue citrinæ, ſiue aliæ, nam omnes aſtringunt ſatis efficaciter, & non parum ſiccant: ita & cytini malorum punicorum, & malicorium. Galenus vero eodem loco, nempe tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos capite tertio in fine docuit, conficere medicamentum, quod ſæpiſſime, & feliciſſ. expertus eſt: nam citra vllum morſum deſiccat, aſtringit, & excrementoſam humiditatem abſumit. Vnde optimum ſemper illi viſum eſt medicamentum, tam ad polypos tollendos, quam ad vlcera vel etiam mala in naribus curanda: cuius confectio in hunc modum ſe habet, vt tria accipiamus mala punica, nempe trium illarũ differentiarum, nempe dulcis, auſteri, & acetoſi: ſint autem magnitudine paria, & matura, & recentia: ſimul autem omnia in mortario probe terantur tota, vt ex illis ſuccus poſſit exprimi, qui expreſſus aliquantulum coquendus eſt, vt conſumatur ſuperuacanea, ſi qua ſit eius humiditas, vt imputris ſeruari poſſit: nam in ſtanneo vaſe illum ſeruare voluit. Quod vero craſſius ab expreſſo ſucco remanet, iterum atterendũ in mortario erit, vt læuigatum poſtea poſſit formari in collyria, quæ aptari poſſint meatui nariũ, quando erunt imponenda, cõſumit enim tandẽ polypum, quãuis non admodũ cito, ſicut acriora medicamenta: ſed citra vllum morſum, aut dolorem alicuius partis, quod non præſtant acriora medicamenta. Attamen quia plerunque accidit, vt eiuſmodi ſolidiora medicamenta nequeant intra nares contineri tum propter illorum moleſtiã, & incommodum, tum vero quia abluuntur a perpetuo fere defluxu humorum a capite, a quibus diluitur medicamentorum vis, cum auferenda ſunt collyria: ſuccus ille ſeruatus loco affecto illiniri poterit inſigni vtilitate. Hoc ita parato, vti conſueuit Galenus: alij tamen præſertim vero iuniores, & alia addere voluerunt, vt myrobalanos, gallas interdum, & alumen quæ alijs medicamentis accommodatis affectibus iſtis addidere antiqui. Galen. tamen eo ita ſimpliciori ſe eſſe vſum cum felici etiam ſucceſſu teſtatus eſt. Quod ſi adeo difficilis, & renitens videretur is morbus, vt iſtis non cederet, vel ægrotus viſus eſſet impatiens, ſe tranſire ſolitum fuiſſe ad paſtillos, ſeu trochiſcos ab antiquis deſcriptos ad ſimiles vſus, nempe ad corrigendam vlcerum malignitatem, & abſumendam carnem ſuccreſcentem in vlceribus, vt ſunt Andronis, Polyidę & Paſſionis, de quib. quãtum videbatur poſſe eſſe ſatis, in priori libro fuit habitus ſermo. In præſentia autem in quamplurimo

eſt

eſt vſu puluis ille, qui præcipitatum dicitur, & conficitur ex hydrargyro more alchimiſtarum appellato, deſtillato in vaſis vitreis, repetita deſtillatione, donec tabeſcat, infuſa tamen prius aqua, qua aurum ab argento ſeparatur, ipſi hydrargyro in ſeſquialtera proportione, de quo alias. Sicut autem fuit inuentum alchymiſtarum, ita etiam nomen habet ab illis: nam potenter detergit, deſiccat, & digerit, ſed etiam aſtringendo fluxionem repellit. Optimum quidem eſt medicamentum, & validum quoque: citra tamen dolorem vel morſum inſignem: verum longe etiam lenius redditur, ſi perinde lauetur, vt alia mineralia poſt eorum vſtionem Galenus lauare docuit. Hic autem exemplo, & conſilio Galeni moniti conſiderare debemus, quantum melius agatur B cum medico, ſi potius ſibi veram methodum comparet medendi, & rationem, qua recte componũtur medicamenta, quam ſi habeat multa compoſita medicamenta in aliquem commentarium deſcripta, aut a ſuis præceptoribus, & alijs medicis, & illud tanquã ſecretorum theſaurum ſecum ferat: neque poſtea calleat methodum illis vtendi opportune. Nam qui rationem potius didiciſſe voluerit, ille vbicunque fuerit medicamentis non carebit, & optime opportuniſſimeque vtetur tam illis, quæ fuere ab alijs inuenta, quam quæ ipſe compoſuerit, ſeque facile accommodabit non ſolum naturis, ſed morib. etiam quorumcunque hominum, vt ipſe Galen. loco. citato ſe accõmodauit cuidam diuiti, & delicato, qui non poterat C ſufferre ingratos odores aliorum medicamentorum, de quib. antea mentio facta eſt. Excogitauit vti odorato quidem medicamento, ſed in quo illæ omnes vires reperirentur, quas præſcripti ſcopi requirunt, vſus eſt autem medicamento, cuius meminere omnes, qui de conficienda Theriaca ſcripſere, quia vnum ex illis eſt, vnde antidotus illa conficiatur, appellatur autem Grece dichroos. Poſſemus præterea & cyphi vti, ſi ad ea ex quib. confectum eſt, reſpiciamus: quod medicamentum accipitur in Mithridatica antidoto. Quatenus vero ad modũ vſus pertinet, quia trochiſci iſtiuſmodi egent aliquo liquore, quo aſſumantur vbi triti fuerint, vt in collyrij formam conformari poſſint: ideo idem Galen. docuit accipiendum eſſe acetum, D vel vinum & vinum aut vetuſtius, aut minus vetus, item acetum, aut acrius, aut etiam minus, prout res videtur maiorem, aut minorem requirere deſiccationem. Nam vinum uetus nono magis deſiccat, uino acetum magis deſiccat, illud autẽ magis, quod acrius fuerit. Sed tandem ut huic capiti finem imponamus, ad aliud ſymptoma proprium huic particulæ ſermonem conuertamus, nempe de eruptione, & immodico ſanguinis profluuio ex naribus: de quo cum non admodum multa, quatenus tamen ad præſens inſtitutum pertinere poteſt, occurrant dicenda, ea hoc eodem capite comprehendamus. Hęc itaque ſanguinis multa profuſio ſymptoma eſt, quod ad excuntium excretionem pertinet, quæ præter rationem fieri ſolet (nam ut ſæpe teſtatus eſt Galen. omnis excretio E ſanguinis eſt a toto genere præter naturam, excepta muliebri mẽſtruorũ purgatione) & hac ratione quatenus ſymptomata ſunt, nullam habent uim indicandi: niſi ſi quando adeo copioſa fiat uacuatio, ut uiribus ſubeat periculum, ne labefactatæ concidant, quo caſu uim indicandi aſſumit, adeo ut ſæpe occaſionẽ alijs omnibus præripiat, ſed tunc non habet amplius rationem ſymptomatis, ſed cauſæ, alioquin enim affectus, qui iſtius ſymptomatis ſunt cauſæ, ipſi ſibi indicandi rationem uendicant. Cauſæ uero ſunt multiplices, de quibus nonnulla dicemus ſummatim hoc primum poſito, quod locus proprius, in quo naturæ inſtituto ſanguis ſeruatur, ſunt uenæ & arteriæ: unde confertim, & copioſe ſanguis effluere nequit, niſi

A aperta vena, aut arteria, quæ nequeũt aperiri, niſi aut ab externa cauſa, & procatarctica, ſi incidantur, vel frangantur, & dilacerentur, vel ſi erodantur, vlcerenturque ex aliquo acri & erodente medicamento, vel ab interna antecedente, vt ab acri & erodente excremento deſtillante præſertim a capite. Vel aperiuntur ora illarum, quæ ad nares terminantur, aperiuntur autem aut ob nimiam eorum plenitudinem aggrauãtem naturam, quæ deinde excitat expultricem facultatem, vel ex acri pungente, & mordente [qualitate] vel ex nimis calido ſanguine, vel ex infirmitate venarum, & contentricis facultatis, quæ in eis ſunt, ex mala aliqua intemperatura, a qua ſit correpta hæc particula. Quandoque ab ipſa natura ſponte ſua agente, non vi alterius morbi: quippe quæ morbum aliquem præſertim acutum hac ratione indicatura eſt, vel ex nimia ſanguinis tenuitate, vnde vel nequeunt, vel ægre queunt ipſum continere. De reſudatione autem, quæ fit tum ex tenuitate ſanguinis, tum ex raritate, vaſorum, non eſt cur multa dicamus, dum rariſſime hac de cauſa, & in multa copia poſſit ſanguis effluere. His vero poſitis, aut omnis, aut princeps indicatio eſt petenda ab ipſis cauſis, nempe, vt primum remoueantur, quia remotis illis, aut ſponte ſiſtetur ſanguinis profluuium, aut paruo negotio. Sed ſi occaſionẽ habet a nimia copia ſanguinis, vel a natura indicante aliquem morbum, nulla ratione illi occurrendum eſt, neque ſiſtendum, niſi tanto impetu concitata natura moueat, vt iam vires illud timere incipiant, alioquin enim euacuata copia ſanguinis, quam euacuari expediebat, deſinat illa profuſio ex ſe. De ſoluta autem continuitate ex vlcere vel vulnere, vel fractura in narib. paulo antea ſermo a nobis habitus eſt, De infirmitate venarum, quæ earum intemperaturam ſequitur, ſatis nobis fuerit, quod contrarijs, tam in victus ratione, quam in medicamentis ſit corrigenda illa intemperatura: quibus ita ſummatim expoſitis ac cedamus ad rationem claudendi ora venarum quocunque modo fuerint aperta. Verum ſi præceps fuerit impetus ſanguinis irruentis ad nares: niſi prius impetus ille refrenetur, aut ægre admodum claudi poterunt, aut nequaquam nullum efficacius impetum irruentium humorum refrenat, & intercipit, quam reuulſio, tum cum vacuatione, tum ſine vacuatione, quare niſi vires imbecillę, vel ętas obſtent, ſecanda eſt vena humeralis, vel cephalica, quę reſpicit narem, vnde exit ſanguis. Sed ſi hæc obſtent, illud idem agere enitendum eſt, aut inciſis cucurbitulis, vel ſine præciſione etiam, citra aliam vacuationem, affixis illis in ternis partibus, præcipue vero præcordijs, vel altero, vel vtroque, ſi ex vtriſque, vel ex altera tantum nare fiat ſanguinis excretio. Mox vero externis remedijs agendum erit, quæ refrigerando imprimis, & aſtringendo, partim repellere, & alio conuertere poſſint motum ſanguinis, pręſertim vero deorſum, vt ſi aqua frigida in faciem, frontemque irroretur, vel aſpergatur, vel etiam poſca, aqua nempe frigida immixto aceto, vel ſi linteus his itidem frigidis, vel ſimilibus alijs madefactis ceruici nudæ inuoluatur. Poſtremo nari ea inijciantur, quæ poſſunt aſtringendo id præſtare, & aliqua præterea emplaſtica facultate claudere ora, vnde exit ſanguis & quamuis ab antiquis medicis multa deſcripta ſint huic officio apta medicamenta: ait tamen Galenus ſe aliud non inueniſſe, quod præſtantius id præſtaret, quam medicamentũ id, quo, & in vulneribus, & in alijs omnibus affectibus, in quibus ſolet talis fieri ſanguinis eruptio, vti conſueuit, vt eſt illud, quod expoſitum fuit in priori libro, vbi, & de alijs puluerib. egimus, quos ab effectu conſtrictiuos medici nuncupant, & quia ſuperua cuum eſſet de illis hic iterum verba facere, ideo hic conſiſtemus. Nam & ſi poſſemus aliquem ſermonem

habere

habere de affectibus per apta medicamēta curandis, qui proprij ſunt iſtius particulæ, vt eſt inſtrumentũ ſenſus odoratus: quoniam tamē omnes vel in ipſum cerebrũ, vel deſtillationem, vel polypum, vel inflammationem, vel ſcirrhum, vel id genus alium quempiā meatus obſtruentem tandem referuntur, de quibus ſeorſum & hactenus egimus, & ſuo loco agemus: ne in longum nimis noſtra protrahatur oratio, eorum curationem conſulto hic prætermittimus, illud tantummodo monendo, quod quemadmodum omniũ aliorum ſenſuum, ita odoratus actio læditur vel imminute, cum obtuſior eſt in ea ſenſus, vel ablate, cum omnino tollitur, vel deprauate, cum vitiatur corrumpiturue, vt cum fœtorem ex interno aliquo uitio p-cipi videtur: id quod fieri non poteſt niſi ex putreſcēte aliqua interna humiditate, quæ deinde putredo præſertim intemperiem earum partium calidiorem ſequi ſolet. Quando autem imminuitur, vel tollitur, vel eſt ex defectu facultatis in ſuo principio, nēpe in cerebro, vel ex aliquo vitio cōtracto in inſtrumēto, quia ſint viæ trāſitus odorabilium ad ipſum ſenſum obſtructæ, obſtructio fieri poteſt, vel a materia craſſa deſtillante a capite, & obſtruente meatus oſſis: quod a cribri ſimilitudine ithmoides dicitur, vel ex aliquo tumore præter naturam orto in narium meatibus, vt polypus, inflammatio, ſcirrhus, vel quid ſimile. Igitur hoc tantum addito, quod ad aperiendas internas obſtructiones excitatas a craſſa materia infarcta narib. inde inſpirationi; & odoribus intercipitur tranſitus, ſolent medici vti ſuffitu decoctorum earum rerum, quæ vim imprimis habent attenuandi, & ſecandi, quorum non ſemel prius facta eſt mentio, & proinde non toties repetendi: quæ decocta ſi ex aceto, & illo etiam acri fiant, efficaciora erunt. Finem ergo huic capiti imponamus, tranſeamusque tandem ad ea, quæ auribus contingunt.

De Medicamentis, quibus vtuntur medici in aurium affectibus ex ratione curandis.

Cap. XIIII.

Sicut non admodum diſpar eſt ratio eorum affectuum, quibus aures obnoxiæ ſunt, ab illorum ratione, qui nares corripere ſolent, ita neque admodum vtrorumque diſſimilis erit ratio curationis, ſi aliqua autem ſit differentia, erit ea quæ a differenti natura eorum depromenda eſt. Nam ſi compoſitionē auris conſideramus, illamque naribus conferamus, aures ſunt aliquanto (vt omnes præſertim anatomici teſtātur) quam nares ſicciores, vnde in morbis, qui in vtraque particula ad idem genus pertinent, ſicciora medicamenta requirunt, & facilius ferunt aures quam nares. Sed exquiſitiori ſenſu a natura donatæ ſunt interiores aurium partes, quam nares: loquor autem de ſenſu tactus in præſentia, ratione cuius vehementioribus doloribus auris expoſita eſt, quam nares: Hoc autem habet, quia ad aures natura neruos inſignes, & molles ex illis coniugationibus neruorum, qui ſtatim interiori a cerebro ſunt deducti atque ea membrana, quæ interno auris meatui vndique prætenſa eſt a membranis cerebri deriuatur. Nimirum ergo ex his duobus capitibus occaſionem habet quæcunque eſt differentia, in compoſitione, & vſu medicamentorum attinentium curationi affectuum harum particularum. Sed anteaquam particulatim rem aggrediamur, hoc etiam conſideremus, quod ſicuti affectus, qui externis partibus accidere poſſunt, vt abſceſſus, tubercula, vlcera, & id genus alia, non habent diuerſam aliquam rationem ab illa, quam habent ſimiles in alijs partibus: ita eidem curandi rationi ſubiecti ſunt. Quam ob rem, ne in ſuperuacaneis laboremus, neque vbique eadem repetamus, de internis partibus ſermonem inſtituemus. Internæ vero partes duplici modo cōſiderandę ſunt, altero qui ſecundum ſe, quatenus nempe ad propriā earum naturam pertinet: altero vero quatenus ex illis compoſitum eſt integrum inſtrumentum, organũ ſenſus auditus. Quatenus ad primam rationem, obnoxia eſt auris omnibus intemperaturis tam ſimplicibus, quam compoſitis citra materiam, & cum materia, in quo genere ſunt inflammationes, & reliqua, quæ in genere tumorum præter naturam a medicis recenſeri ſolent, ſunt præterea obnoxiæ omnibus affectibus, qui in ſolutione vnitatis conſiſtunt, & eis tandem omnibus quorum comes poteſt eſſe dolor, ſed & obſtructionibus. Quatenus vero ad ſecundum rationem ſpectat, expoſitę ſunt omnibus illis affectibus, a quibus primum poteſt lædi actio iſtius ſenſus. Læditur vero tribus illis modis, quibus aliorum ſenſuum actiones lædi ſolent; quia aut omnino tollitur vt in ſurdis, aut hebetatur, vt in ſurdaſtris, aut vitiatur ita vt perperam audiant, ſeu obaudiant, ſicut in illis, qui ſibi videntur exterius ſonum audire earum rerum, quæ tamen tunc nullum ſtrepitum exterius edunt, vt ſibilos, vel campanarum ſonos, vel fluentiũ aquarum, vel ventorum, & id genus alia multa. Sed de prioribus primum agemus, primumque de doloroſis aurium affectibus, poſteaquam maximos, & vehementiſſimos maximeque moleſtos interdum dolores illas corripiunt, quorum in vniuerſum, vt omnibus medicis in confeſſo eſt duplex eſt cauſa, intemperatura, quando confertim & cito tranſmutatur, itemque ſolutio continui velox, dum ipſa etiam fit: non autem cum iam facta eſt. Prima autem ratio pertinet ad frigidam, vel calidam, ſi magnus ſit dolor, & humida niſi cum materia fuerit, non efficit dolorem, & quando efficit, non ratione qualitatis, & tranſmutationis, ſed ratione materiæ, quatenus aut aggrauādo, aut replendo & diſtendendo, & ſubinde dilacerando continuum ſoluit. Siccitas vero, vt qualitas eſt aliquem concitare dolorem poteſt, ſed non admodũ magnum. Cum ergo inſignis excitatur in aure dolor a nimio calore vel externa cauſa, vt ſolis ęſtu, quo male fuerit affecta, aut ab igne, qui vicinus nimium illā calefecerit, aut feruenti aqua in aurem iniecta. Vel interna, nempe a calida fluxione calidorum humorum, quando calore potius afficiunt, quam quod replentes diſtendant. Interdum vero vtroque, nēpe, & quia calefaciendo tranſmutant, item quia replendo & nimis extendendo diſtrahũt, & fere dilacerant affectas partes, vt fit in inflammationibus: frigore etiam vtroque modo gignitur dolor, a cauſa nempe externa, vt a frigidiori aere, præſertim cum vento frigidiori, quia ventus cum impetu ſtatim irrumpit aurem, ideo anteaquam frigus remittatur, poteſt magis particulā afficere. Solus autem aer in ingreſſu illo flexuoſo diutius moram trahens, antequam intimas partes pertingat a circumſtantibus, ſæpe fit, vt deinde nequeat, plurimum lædere internas auris partes, ſæpe ab aqua frigida ſe in meatum auris inſinuante poſſunt vehementes concitari dolores, ſicut interdum accidit natantibus, & immergentibus ſe in aquis frigidis, vel cōmunibus, vel medicatis, & mineralibus: Sed ab interna, & antecedente cauſa itidem poteſt dolor occaſionem habere, vt ab aliqua cruda pituita, vel ab humore melancholico, ſi e capite cerebroue defluxerint: præſertim vero vehementes afferunt dolores ſi rarefacti, & non diſcuſſi a calore auris non admodũ valido in flatum vertuntur, qui ibi intruſus & incluſus,

ſus, deinde exire nititur, indeque erumpere partibus præ nimia diſtentione quaſi dilaceratis, validos cit dolores. Ratio itaque inueniendorum componendorumque medicamentorum aptorum, curationi horum affectuum duobus innititur fundamentis præcipuis: nam oportet vt medico ſit optime perſpecta materia medicinalis, nempe vt noſcat naturas, & vires ſimplicium medicamentorum: nec id in vniuerſum, & confuſa cognitione, ſed particulatim, & diſtincte, quantum ad eorum ordines ſpectat. Deinde vero vt probe etiam teneat, atque reſpiciat, & in rectum ordinem redigat ſcopos quos offerunt indicationes, quæ fuere depromptæ, tum ab affectus curandi natura, tum vero a natura corporis male affecti, ac itidem particulæ laborantis, atque ab alijs, quæ tandem in hæc referuntur. Et quantum ad intemperaturas ſimplices citra materiam, illæ quidem vtpote quæ ſimplices ſint, ſimplices etiam offerunt ſcopos, nimirum illas contrarijs remedijs quantum ad qualitates attinet, in quibus a naturali temperamento factus eſt exceſſus, oppugnandas eſſe, ſelectis tamen illis, quæ naturæ illius particulæ accommodari ex ratione poſſunt. Sed ſi a materia pendeant, & foueantur, tunc multiplices exurgunt ſcopi, a pluribus indicationibus emanantes: nam indicatio a materia deſumpta, oſtendit prius illam materiam, quæ fecit & fouet illam intemperiem detrahendam eſſe, quare ſtatim exurgit ſcopus euacuandum eſſe. Inſtrumenta autem illa, quibus probe euacuari poteſt ea materia, nobis oſtendit naturam humoris fouentis, vt docuere Hippocrates & Galen. primo aph. Euacuata autē materia, quæ bifariā poteſt euacuare: nā vel vt præcipue reuellamus, quod maxime neceſſariū eſt, cum a fluxione pēdet vniuerſa fere occaſio excitandi morbum illum, & hanc vacuationem ſtatim ab initio oportet moliri cum morbi inchoant, vt procul a loco affecto conuertatur fluxio, vel vt tantummodo euacuemus, quod conuenit, cum vniuerſa iam fluxit materia, aut fere vniuerſa: Euacuatio autem neceſſaria eſt, quia fluxam, & iam receptam materiam a loco affecto proxime detrahat oportet. Loca vero, per quæ opportune poſſit ea fieri vacuatio, oſtendet ſitus ipſius male affectæ particulæ, & connexio, vel communitas cum alijs. Quæ ita ſummatim a nobis exponuntur, cum illa non pertineant proprie ad præſens inſtitutum. Hoc tamen, antea quàm magis particulatim conuertamus ad rationem medicamentorum, addendum putamus, quòd cum oris particula ſit, quæ in capite ſita eſt, & quaſi pars eius, & maximam connexionem habeat cum cerebro, a quo multa ſuſcipere poteſt excrementa, tum ſuapte natura, tum etiam ex alijs occaſionibus, quæ ſunt præter vtriuſque naturam, opus eſt, vt medicus rationē habeat vniuerſi corporis, ſi illud multis ſuperuacaneis humoribus ſcateat, a quibus aurium affectus foueri poſſit. Sed mox, & capitis, vt & ipſum proprijs, & cōſuetis inſtrumentis euacuetur: quibus recte peractis localibus remedijs res ipſa tractanda erit, quorum princeps ratio a ſupradictis indicationibus erit petēda. Quia ſi dolor, vel alius quiuis affectus pendeat ab aliqua materia fluente in eum locū, ſi res in principio fuerit, ſicuti ſi inflammationis eſſet initium, auertenda inde eſſet fluxio: auertunt autem ea, quæ refrigerant vt ſæpe alias dictum eſt. Poſtea euacuanda eſt illa, quæ iam influxit materia, quod per digeſtētia fieri poterit. Dum vero partim fluit adhuc, partim iam fluxa eſt, commixtis, & repellentibus, & digerentibus curandus erit affectus. Et quamuis communis hæc ſit ratio omnium affectuum curādorum, quando fiunt a fluxione: tamen maxime, & præ alijs tribuitur inflammationi, vtpote qui ſit morbus

A magis præceps & acutus, quique longe vehementiores affert dolores, & proinde difficilius ferri poteſt, & celeriora, maioraque remedia requirit. Si itaque vel inflammatio, vel alia alioqui affectio doloroſa, fluxione calidiori concitata erit, ſi quidem magna fuerit cum pulſu, vehementioribus erit remedijs locus. Vt tamen id imprimis conſideretur, an adeo vrgeat doloris ſæuitia, vt iam ſibi aliquam indicationem arroget, quæ etiam interdum tantam vim habeat, vt obſcuret alias indicationes, quæ ortum habuere, vel a cauſa, vel ab ipſo morbo: quia tunc opus eſſet incumbere vel omnino, vel ex maxima parte ſedando dolori, ſed ſi alijs nequiremus auxilijs, ſaltem illis, quæ vim aliquam haberent ſtuporem
B inducendi, ea narcotica a Græcis dicuntur. Verum niſi ita vrgeat dolor, & mediocris ſit inflammatio, leuioribus erit agendum repellentibus ea commiſcēdo, quæ proprie anodyna dicta ſunt, nempe quæ cum aliquo modico tamen calore aliquantulum laxant, & digerunt. Sed ſi importunior ſit dolor, & iam limites pertranſeat, quibus perferri iam & tolerari a natura poſſit, neceſſe eſſet addere etiam illa, quæ ſtuporem, vt diximus, adducerent. At magis particulatim agamus, & ea medicamenta deſcribemus, quæ magis præcipua, & in frequentiori & magis familiari vſu, & antiquitus, & noſtris temporibus eſſe ſolent. Primum ergo, & præ omnibus alijs fit vbique mentio olei roſacei: addit tamen Galenus, ſi optimum fuerit roſaceum: optimum vero
C eſt id, quod fit repetitis ſæpius, & mutatis roſarum folijs, ſique oleum optimum fuerit, & immaturum, ita enim erit, & magis refrigerans, & magis aſtringens: hoc ergo ſtatim ab initio infun ndum tepidum in auris meatum. Secundo vero loco a Galeno, & alijs laudatur oxyrrhodinum, hoc eſt oleum itidem roſaceum immixto aceto, de qua mixtura, in primis iſtius quarti commentarij capitibus, quatenus opportunum huic inſtituto eſſe videbatur, ſermo fuit habitus. Verum antiqui medici duplicis modi, quo parari hoc oxyrrhodinum poſſit meminere, primi quidem Galenus, nam cum vſurus illo erat, acetum, vt ſuperius diximus, oleo infundebat, vt exquiſita fieret mixtura, agitabat, & concutiebat ſta-
D timque auri infundebat. Meſue vero accipiebat tantundem vtriuſque, deinde ad ignem poſitum procurabat, vt ad conſumptionem aceti deferueſceret, deinde tepeſcens medicamentum infundebat, mihi vero videtur, quòd primum magis refrigerare poſſit, quia ſi Galeno credimus, quæ diutius ab igne coquuntur, ab eo etiam aliquid ignei contrahunt. Quod ſi videretur feruor adeo ingens, & fluxio, vt & maiori eſſet opus refrigeratione, huic medicamento addebant aliquam portionem alicuius ſucci, qui refrigeraret, aſtringeret, & ſubinde repelleret: antiqui glaucium addebant, aut collyrium ex eo confectum, de quo egimus, vbi de affectibus oculorum fuit inſtitutus ſermo, memite appellant hanc herbā
E vbique Arabes, quam quia ea caremus in præſentia, ſub ſilentio præteribimus. Poſſemus pro eo alio vti ſucco refrigerante, & aſtringente, vt eſſet ſuccus polygoni, capreolorum vitis, caudæ equinæ, ſolani aut germinum rubi. Quod ſi dolor aliquod præterea videtur poſtulare, quod refrigerando quidem, ſed magis deliniendo demulceret, accommodatiſſimum, vt in primis Galenus & cæteri Græci, deinde vero Meſue & Arabes conſulunt, eſſet lac muliebre ita calidum in aurem mulctum, aut album oui conquaſſatum, & tepefactum. Verum tamen quando adhuc inualeſceret magis dolor, tandem illis eſſent admouendæ manus, quæ ſtuporem ſenſui inducunt, nempe, quia aliquid opij accipiant. Vbi id conſiderandum, vt in ſuperioribus etiam capitibus ex Galeni ſenten-

ſententia monuimus,quod in dolore capitis omnino damnauit vſum rerum, quæ ſoporem afferunt. In doloribus autem aurium, præſertim vero ex inflammatione, eorum vſum admittit, & hoc propterea, quia longe deteriores,& validiores ſunt aurium dolores, & magis in eo præceps eſt periculum, propter auditorium neruum,qui ſtatim à cerebro ortũ ſuum habet,& illi etiam maxime vicinus eſt,& hac de cauſa facile cum illo cerebrum conſentire poteſt. Sed particulatim de medicamentis agamus,deque eorum vſu,quæ huic officio ſunt accomodata. Poſteaquam ergo expedita fuerint,quæ generalia dici ſolent,quęque pertinent ad euacuationem vniuerſi corporis,& capitis,pariter ad reuulſiones,atque cum adminiſtrata fuerint que vim repellendi habent,vt oleum roſaceum,vel oxyrrhodinum, vt paulo antea expoſitum eſt,ſi dolor plurimum vrgeret, tentaſſetque medicus illum,aut albo oui, aut muliebri lacte delinire, hocque parum contuliſſet, & eſſet opus vehementiori remedio, tandem ad vſum ſtupefacientium eſſet deueniẽdum. Quamuis autem multa reperiantur medicamenta ab antiquis medicis deſcripta,opium recipientia,optime ab illis compoſita, qualia ſunt multa collyria,[quę relata ſunt, vbi de curandis doloroſis oculorum affectibus egimus, ſicut erat illud, quod diaglaucium appellabant, nec non collyrium album cum opio, de quo ſuperius fuit habitus ſermo, & illa, quæ diarrhodon,& diacrocu dicta ſunt.Solebat tamen Gal.nõnullis vti,quæ illi,& apta magis,tutioraque, & faciliora paratu videbantur, duorum vero mentionem faciemus. Inſtillare ſolebat lac mulieris nuper mulctum, & in quo fuiſſet diſſolutum parum opij, vtpote ſi grana duo, vel etiam tria immiſcerentur ſemiunciæ lactis. Vel hoc aliud,quod componitur ex opio,& caſtoreo,& ſapa muſti, quippe quæ in ſedandis doloribus vim maiorem habet, aliquando autem accipiebat par vtriuſque pondus. Componebat autem hoc pacto,caſtoreum optime tritum leuigabat, itidemque opium ex ſapa, ſimulque cõmiſcebat, tantum vero ſapę aſſumebat,quantum erat ſatis ad hæc ita diluenda, vt fluere poſſent. Hoc vero cõpoſitionis modo vtebatur, ſi vehemens admodum videretur dolor: alioquin duplum accipiebat caſtorij ad opium. Quod ſi iam fluxio, aut omnino maiori ex parte fuiſſet intercepta,neque vehemens admodũ vrgeret dolor, illorũ iam eſſet opportunus vſus, quę vim haberent tum concoquendi, tum digerendi: ita tamen vt non eadem eſſe opportuna credendum ſit. Quia ſi adhuc inſignis in eo loco eſſet feruor, vel tẽpus eſſet æſtiuũ,& inſigniter calidum,accommodata eſſent oleum amygdalarum dulcium, adipes etiam qui non plurimum calefaciant,qualis eſt gallinaceus, anſerinus, anatinus, vulpinus, vt aut aliquis eorum ſeorſum imponatur,aut vt plures mixtim, illis tamẽ addatur roſaceum oleũ: ſi vel adſint adhuc reliquiæ caloris,& inflamationis,præſertim quando in incrementũ iam aduenerit, quo tempore curatione mixta ex repellẽtibus, & digerẽtibus eſſe opus dicebamus. Quod ſi omnino ceſſet fluxio,& incrementum pręteriſſet,opportunum eſſe oleum chamæmelium, vtpote quod magis laxet,& digerat. Duplex eſt autem modus adminiſtrationis, nam vel illis eliquatis, vel mixtis ita fuſa, & eliquata infundantur, vel adeps efformatus ad ſimilitudinem collyrij demergatur prius in oleum tepidum, ſubinde vero meatui auris indatur. Galenus autem, qui volebat inſtruere medicos, non ſolum qui pauperum curationi præerant, verum & eos,qui principibus, & delicatoribus, præcipue nobilioribus mulieribus mederentur,quę medicamenta illa,quæ non bene oleãt detrectare ſolẽt: ideo ait illa vnguenta pretioſa,quæ in multo vſu erant illa tempeſtate, quę foliata, vel nardina dicebantur, his quoque affectibus poſſe cõuenire,de quibus quia temporibus iſtis in nullo ſunt vſu,noluimus in pręſentia verba facere. In libro autem de medicamentis facile parabilibus ait, quod tetrapharmacum vnguentum, ſi illi addatur ſpica nardi, erit vtile medicamẽtum his doloribus ex inflammatione, verſus inclinationem, & nulli dubium eſt, quod intelligunt veram ſpicam nardi:quia tamen raro habere poſſumus eam ſpicam veram, & recẽtem, ita vt vires eius non ſint obſoletæ:ideo quamuis celtica ſpica ſit aliquanto infirmior, non erit tamẽ inutilis illius mixtura,ſed ſi colliquaretur tetrphrarmacum hoc, quod etiam Baſilicon nuncupãt, oleo nardino ſimplici quidem,tandem, in eo quidem iudicio eſſet. In hac autem ratione curandi inflammationes, & ea continetur, qua dolores tollendi ſunt ex alijs calidis cauſis excitati, ſiue ex materia ortum habuerint,ſiue citra illam moleſtæ ſint,quia illis eiſdem refrigerantibus, quorum meminimus, curantur nulla habita euacuationis ratione, quando nulla præ'eens fuerit materia. Quod ſi illa ad fuerit, eodem modo, & eiſdem inſtrumentis vacuationem moliri oportebit,quibus, & in inflammatione. Vnde vno tantum expoſito, quatenus ad vſum iſtorum medicamentorum pertinet, quod a Galeno plurimi fit,ad dolores, qui cõcitantur a cauſa, vel affectione frigida noſtrũ conuertemus ſermonem.Illud vero eſt,quando dolet inſigni, & valido dolore internus auris meatus, medicamenta ſunt liquida, & fluida infundenda,vel inſtillãda. Itaque nulla re loca circumdolentia tãgamus, vllo inſtrumento, neque etiam lana quantum licet molli,neque etiamſi aliquid videatur detergendũ. Sed ex infuſis ſæpius fluidis medicamentis eluatur: nam facillime loca illa,quæ exquiſiti ſenſus ſunt propter neruum illum auditorium quolibet,vel leni tactu exacerbantur. Poſt infuſa autem medicamenta contegatur meatus lana molliſſima ſine compreſſione aliqua. Hæc itaque ratio medicamentorum,quibus calidi affectus aurium, præſertim vero doloroſi curari ſolent,atque eorum etiam vſus. Quamuis autem non tanti momenti ſint,neque adeo inſignis periculi dolores qui à frigidiori cauſa ortum habent: attamen interdum, & hi vehementiſſimi ſunt,& ſæpe non parum curatu difficiles: Ideo rationi conſentaneum eſſe videtur, de his quoque aliquem habere ſermonem,& quãtumlibet perinde in his,vt in prioribus, & à frigore citra vllam materiam poſſit dolor concitari,& ab eodem cum materia, ne fruſtra tempus conteramus, ſumemus initium ab eorum curatione cum materia, vtpote quoniam percepta ratione eos curandi, ſtatim & ea poterit eſſe perſpecta, qua curetur, & corrigatur ſola intemperatura. Et quia ſcopus, quem nobis in hoc compendio propoſuimus,eſt quoad per nos fieri poteſt, omnia ex methodo exponere:cuius potiora principia ſunt indicationes,quas à natura affectus petendas eſſe, antiqui, & rationales medici nos docuere: ideo de cauſis, à quibus concitantur id genus dolores agere poterit. Cum autem proxima horum dolorum cauſſa ſit,aut craſſus, & lentus humor, aut ſpiritus flatuoſus intra aurem in partibus nempe internis auris intruſus, & incluſus, qui dum quærit exitum illi interceptum ex obſtructione, diſtendit, & quaſi dilacerat partes, in quibus concluſus eſt, vt exire poſſit, at que ita ſoluto continuo dolores vehementes affert. Hinc fit vt princeps, & primaria cauſa iſtius affectus ſit obſtructio, vel potius ipſemet affectus: quæ quidem licet poſſit à craſſitie oriri ipſius humoris, plerumque tamen occaſionem habet ab externo frigore ex aere, aut vẽto,aut aqua frigidiore. Ex frigore enim ſolent condenſari, conſtiparique externæ partes, ipſaque noſtri corporis ſubſtantia, atque ita eorum meatus

con-

concluditur vt nequeant per os difflari, & excerni multa,quæ alioquin excerni ſolent excrementa vaporoſa, per excretionem & effluxum ſenſibus inconſpicuum.His autem detentis,ac inflatũ conuerſis,ac replentibus, ac ſubinde diſtẽdentibus partes,in quibus includuntur,fiunt dolores. Et quamuis ad præſens inſtitutum non videtur pertinere de modis agere, quibus dignoſci poſſit, quando & a flatu,& quando a craſſa materia ſit concitatus dolor:quia tamen Galen.3. de compoſitione medicamentorum per loca capit.1. horum quoque breuiſſime meminit, nos etiam eadem exponemus. Hoc ergo tribus argumentis percipiemus,primum ex modo doloris,quia ſi dolor fuerit cum grauitate, neceſſe eſt,vt a materia lenta,& craſſa foueatur. Sin autem cum diſtentione, a flatu fomentum habebit. Deinde vero ex præcedentis victus ratione, vt ſi victus eiuſmodi fuerit, quæ plurimum flatum generare potuerit, an craſſam,lẽtamque materiam. Tertio ſi cauſæ præceſſerint, de procatarcticis, loquor,quæ conſtipare aurium partes ſoleant, vt refrigerantes ac illis conſtipatis eſſe occaſioni, vt congeſtus ſit flatulentus ſpiritus. Sed redeamus vnde diuerteramus, & rationem exponamus inueniendi, componendique id genus medicamenta, quorum vſu curare oporteat hos aurium doloroſos affectus. Verum quia ad inſtitutum præſens præſertim ſpectat, medicamenta illa,quæ topica, vel localia ſolent a medicis dici,quæque priuata ſunt examinare,& ad vſum reuocare:ſed hæc recte nequeunt adminiſtrari,niſi prius perſpecto, quonam pacto ſe habeat vniuerſum corpus, & viſcera capiti ſubiecta, & quo etiam caput, a quo ſemper aliquid ad aures ſolet facile defluere, quod auris affectum fouere poſſit. Semper vero hæc conſideratio, vtpote quæ generalior ſit, & communior, his priuatis præmittenda eſt, & ſi aliquas obtulerit indicationes, quæ vim aliquam inſignem habent: nempe quia aliqua partes illas occupauerit plenitudo, aut cacochymia: illis prius per accommodatas vacuationes purgationeſue erit inſeruiendum, prout euacuandi humoris ratio demonſtrabit. Quæ tamen omnia in præcedentibus,tum capitibus,tum libris ſunt particulatim explanata: ideo illis prætermiſſis, in præſentia ſolis indicationibus & ſcopis inſiſtemus,quæ nobis oſtendere poſſunt rationem medicamentorum, quæ tanquam topica remedia poſſunt iſti curationi apte accommodari. Cum itaque vniuerſum fere horum affectuum momentum conſiſtat proxime in obſtructione,quæ ortum habuit aut a craſſis, lentiſque humoribus,aut a conſtipatione,ſtatim oritur indicatio, eſſe aperiendum,attenuandum ,& incidendum ac detergendum tantum his, quæ id citra mordacitatem præſtare poſſint:ſecus enim loca affecta irritarent,vnde dolor magis recrudeſceret. Has autem vires ea in primis habent, quæ conſtant ex partibus ſuapte natura tenuioribus. Eius generis ſunt multa,quorum a principio iſtius commentarij fuit facta mentio, vt thapſia,euphorbium,ſinapi,adarce,alcyonum,& id genus multa,atque in vniuerſum omnia, vt tradidit Galenus, quibus ad comminuendos calculos medici vti ſolent, quorum ampla ſylua fuit a Galeno deſcripta in lib.de fac.ſimp.med.In 3.autem de comp.medicamentorum ſecundum locos, ea quæ magis præcipua ſunt recenſuit, quæ ſunt ſpuma nitri ipſumque nitrum:oleum præterea amygdalinũ,præſertim vero expreſſum ex amaris amygdalis, vtrumque veratrũ, tres ariſtolochiæ,iris illyrica,cinnamomum,caſia,radix ſylueſtris cucumeris, bryoniæque & ari, item & dracunculi,& centaureæ,poliũ,& tandẽ quæcunque amara ſunt, vtpote quæ meatus expurgent. Alij vero,vt Meſue,multorum meminere, tum oleorum vt chamæmelini,anethini,laurini,rutacei,alborum lilio

A rũ,oleũ ex matronali viola, quã cheiri Arabes nuncuparunt,maxime etiã laudat oleũ expreſſum, ex fructu,quẽ Arabes Ben appellant, Græci myrobalanũ, hoc eſt vnguentariã glandẽ, quo oleo præcipue vnguentarii vtuntur.Et tandẽ quæcunque calefaciunt, quorum ſylua ampliſſima: hæc autẽ ſint tanquã exẽpla propoſita. Iuniores vero ex ſententia tamen quorundam Arabum præferunt omnibus fere alijs in ſedandis doloribus ſimilibus,non modo auris,ſed aliarum etiã particularum oleum ex vitellis ouorum expreſſum. Ex his mixtis ſimul poſſunt varia confici medicamenta compoſita, in quibus examinandis nõ cõſumemus temporis plurimum: nemo enim eſt,qui perceptis ſimplicium naturis, vnde componuntur,ac illis mutuo collatis ſequentem normam,qua in prio-
B ribus libris vſi fuimus, non poſſit ex ſe facile ad examen reuocare. Sed neque præterea hæc ſunt prætermittenda, quorum a pleriſque fit mentio, quaſi eorum quæ plurimam vim habent inſtillata in aurem, ad tollendos hos dolores,vt oleum,in quo efferbuerint aſelli,qui & millepedæ dicuntur. Oriuntur vero ſub hydris aquarũ, itidẽque & lũbrici terreſtres, ſiue ex oleo amygdalarũ amararũ coquantur, aut chamæmelino,aut anethino,aut alio ex ſupra relatis,ſiue ex cõmuni oleo:& vt efficacius eſſet medicamentum,aliqui in cæpe excauato oleũ efferuere faciunt, quod poſtea ad hos vſus adhibẽt.Vulgare aũt fere remediũ eſt,vt vaſe eo olei,quod gutturnio ſimile eſt(habet enim anguſtũ quoddã orificiũ,quo oleũ effundũt, qñ illud nolunt confertim effundere)concalefacto,dum
C oleum non continent,atque anguſto orificio meatui auris applicato, vaporẽ calidum excipiant,quod ſi aliquod aliud ex prædictis oleis continuiſſet, validius eſſet medicamentũ. Sed de his ſatis ſuperque egimus tranſeamus in præſentia ad rationem medicamentorũ, quibus curanda eſſe aurium vlcera docuere periti medici, ſummatim tamen prius aliqua dicamus de cauſis occaſionibuſque vnde concitari ſolent vlcera in auribus,vt facilius deinde rationem inire poſſimus ea ad curationẽ adducendi.Fiunt ergo vlcera in auribus,tum ab aliqua externa, tum ab interna cauſa,ſicut de vlceribus aliarum partium diximus,de quibus hactenus ſermonẽ habuimus,& quæ ab externa cauſa occaſionem habent,vt a gladio, ſagitta,aut ab alijs
D id genus inſtrumentis, vel a liquore aliquo medicamentoſo, & erodente inſtillato in meatum auris,ea plerunque ſolent eſſe ſimpliciora, quantum ad ipſa pertinet. Nam ſi interdum aliquam contrahant malitiam,vel malignitatem,id potius illis accidit ratione male affecti corporis ob eius aliquam intemperaturã,vel alicuius alterius particulæ, cuius conſenſu male afficitur vlceratus locus.Quæ autem a cauſa interna,quã antecedentẽ vocant ortũ habent, illa neceſſe eſt,vt a confluxu vitioſorũ humorũ ad aurem & plerunq; a capite foueatur: poſſunt tñ foueri a male affecto iecinore, vel liene,vel ventriculo, vel vniuerſo corpore, quæ ſane omnia oportet eſſe cognita medico recte curaturo vlcera hæc,vtpote quæ nequeant
E recte & exquiſite vnquam curari: niſi prius remoueatur cauſa.Sed ad remouendam cauſam, a qua ſeruaẽ vlcus,& ad ſubtrahendum fomentum, qđ curationi vlceris obſiſtit,vt in alijs quoque, quæ ſuperius a nobis ſunt tractata, monuimus, vel vniuerſum corpus curandum erit prius opportunis purgationibus, vacuationibus,reuulſionibus,quorum ſuperioribus capitibus facta eſt frequens mentio,atq; corrigendum, ſi quod fuerit vitium in vniuerſo corpore, vel ſi cum aliqua alia particula ſit inſignis conſenſus, cuius ratione vlceris curatio impediatur,turbeturque,ita tractãda ea particula eſt remedijs appoſitis,vt conſenſus ille tollat.His autem recte peractis,ſimili fere modo, quo & poſſe fieri in alijs ſimilibus affectibus, priorũ parti-

particularũ, diximus, tandẽ cõuertenda erit vniuerſa curatio ad vlcus particulatim: obſeruatis omnibus tũ ſcopis, tũ indicationibus, quę a natura vlceris in vniuerſum depromẽdę ſunt, & ab illis, quę cũ vlcere coniunctę ſunt, ſi aliquis ſit aliarũ aliquarũ affectionũ cõplexus. Solẽt aũt, aut ſemper aut plerunque in vlcere duo illa excrementa reperiri, q̃ vlcus fere quatenus vlcus eſt ſequi ſolent: nẽpe tenue illud, & ſeroſũ, vel ichoroſũ, quod virus noſtri appellãt, & craſſum illud, & fœculentũ, quod ſordẽ dicunt: vnde duę ſunt vlcerũ primæ fere differẽtiæ, nẽpe virulentũ, & ſordidũ: prout vel virus, vel ſordes abundantius ſcatent in vlcere. Sunt tñ & alię differentię, quarum frequens eſt mentio, dũ de vlceribus in vniuerſum ſermo inſtituitur, nẽpe eroſiuũ, & putridũ, de quibus nõ proferemus orationẽ in lõgius, qa de illis antea ſæpius locuti fuimus. Deinde vero conuertenda erit conſideratio ad naturã particulę: nẽpe auris; vtpote cuius indicatio ſit, omnẽ medicamentorũ rationẽ moderatura. Vt aũt ſępius itidẽ diximus cõmunis curandorũ auriũ ratio, a primis illis duabus differentijs aſſumpta, duos nobis ſcopos proponit: qui ſunt, exſiccandũ, & detergendũ, quos fere reliquæ omnes differentię tãquã fundamenta ſubijciunt: omnia enim vlcera tũ ex ſiccatione, tũ deterſione curanda ſunt, non tñ eiſdẽ, aut æqualibus ſiccantibus, detergentibusque, quia alia magis ſiccãtibus vel detergẽtibus curari requirũt, alia vero minus. Huius vero diuerſitatis ratio a duobus præſertim capitibus depromenda eſt: a cõditione & modo, vel ratione vlceris, quatenus aut magis virulẽtũ, aut ſordidius eſt, aut erodens, aut putridũ eſt. Pręterea vero a naturę particula, nã inter ſenſuũ inſtrumenta nullũ aure ſiccius eſt, vtpote quod cõſtet, cute, cartilagine, mẽbranoſa ſubſtantia, neruoq; & oſſe, quæ omnia admodũ ſicca ſunt: & proinde, ſi ad naturã eiuſmodi inſtrumenti reſpiciamus, ſiccioribus prę alijs fere particulis eius vlcera curanda ſunt. Pręterea quia medicamenta accommodata curandis aurium vlceribus ſi interior meatus vlcere tentatur, inſtillari plerunque ſolent, & hac de cauſa ea fluida oportet reddere, vel ad eã compagẽ adduci, vt illiniri poſſint, quare neceſſe plerunque eſt, vt liquore aliquo diluantur: præcipiunt antiqui medici fere omnes ea atterenda eſſe in medicinali cote, lęuigandaque ex acerrimo aceto, vt maiorem deſiccandi vim ſibi compararent. Quia vero non omnino omnia vlcera eiſdem medicamentis qualiacunque ſint, & in quocunque tẽpore curentur, tractari oportet. Sed quo ſimpliciora ſunt, & minus contumacia, minusque maligna, item que quo recentiora ſunt leuioribus & minus detergentibus, minusque ſiccãtibus, & minus acribus medicamentis facile cedunt: quo vero magis inueterata, & contumaciora ſunt, eo etiam valentiora, & acriora medicamenta requirunt, de recentibus prius ſermonem inſtituamus, vtpote quæ infirmioribus auxilijs ſuperari ſoleant. Si igitur ad methodum ab antiquis traditam literis reſpiciamus, quandò vlcus ſit nuper excitatum, ſi id ab antecedente, & interna cauſa factũ fuerit, neceſſe eſt vt a fluxione acris ſucci originẽ habuerit, & proinde conuertenda erit curationis ratio, tũ ad vlcus, quod, vt ſæpius dictũ eſt, ſiccari poſtulat, tũ vero ad fluxionem, quæ fouere, & ſeruare poteſt fluxionem, vt ob id indicet repulſione eſſe opus, qua fluentes ſucci auertantur ab vlcerato loco. Duas ergo has facultates exigit a medicamento auri vlceratæ adminiſtrando ſi curandum ſit vlcus. Quare Galenus cæterique priſci medici in illis curandis glaucio vtebantur, & paſtillis ex glaucio confectis, illisque ex acri aceto lęuigatis: itemque paſtillis, quæ diarrhodõ appellantur, quorum examinationem poſuimus in ſuperioribus capitibus, vbi de medicamentis aptis oculorum affectibus curãdis egimus. Sed neque glaucium in præſentia habemus, neque paſtilli nuper nominati reperiuntur: & licet eorum aliquid poſſint parari, ſæpe tamen contingit nos facere medicinam, vbi neque apothecarij vlli ſunt, vt ruri, ſæpe in exercitu, in nauigationibus, num ergo copia medicamentorũ, quibus curari poſſint hæc vlcera, nos deficiet? nequaquam: quoniã ſi velimus rationaliũ medicorũ veſtigia ſequi, conſideratis illis facultatibus in his medicamentis, quas antiqui in illis requirebant, nempe deſiccatio, & aſtrictio, multa nobis, quę eiſdem facultatibus prædita ſunt, itidẽ trita; lęuigata ex acri aceto, illud idem nobis poterunt præſtare, vt hypociſtis, cytini mali punici, eorundẽ malicorium: ex herbis vero plantago, polygonũ, hippuris, & ſexcenta alia. Arabes vero in vlceribus & hoc tempore vtebantur mulſa, detergit ſiquidem modeſte, & deſiccat, ſed & vino mulſo, quod magis item detergit & ſiccat. Quod ſi videatur eſſe aliqua aſtrictione opus, vinum mulſum ex vino aliquantiſper auſtero confectum magis opportunũ erit, interdum vero & oxymelite vti ſoliti ſunt. Sed vbi magis exſiccandum erat, iniiciebãt medicamentũ factũ ex thure in vino diſſoluto, aut altero confecto ex ſarcocolla, & thure aſſumptis vino, & pauco melle, aut alio ex myrrha, aloe, & vino. Hoc ex aloe ſatis aſtringit, ex myrrha non parum detergit: ex omnibus vero valide deſiccat, alterum autem magis concoquit, præſertim ex thure & ſarcocolla, modeſte, ſiccat etiam modeſte citra vllum morſum. Primum vero cęteris imbecillius, modice enim aſtringit ex thure, & coquit: ſi tamen vinum ſit aliquantulum auſterum, magis aſtringet, quod ſi pro vino, vt antiqui agebant, aceto vterentur, longe efficaciora eſſent hæc medicamenta, & magis ſiccantia. Sed cum talia vlcera difficiliora non erant, laudabãt vſum collyriorum, quæ diarrhoda dicebantur, & diacroca; & illius, quod Nili collyrium dicebatur, de quibus ſatis fuit a nobis actum: quæ aliquando ex vino, interdũ ex aceto inſtillabãt. Verum vbi iam ſatis eſſent purulenta vlcera, citra tamen dolorem, quia vbi doloroſa ſint ab omnibus, quæ detergendo mordent, ne locũ exaſperent, & irritent abſtinendũ, nec validioribus detergentibus vtebantur, qualia ſunt collyria, quę antiquitus diaſmyrna vocabantur. Similẽ autem viam & Arabes ſunt ſecuti, vt ex his comprehendi poteſt, quæ nuper fuere expoſita. Poſtea vero cum peiora fiunt vlcera, & valde purulenta, vt iam non ſint expertia putredinis & malignitatis, accurrendum ſane erit ad acriora medicamenta, & quæ fortius detergant, & ſiccent, vt quaſi erodendi vim habeant, vt inter ea, quæ antiquis in vſu, eſt Iſis, dictum medicamẽtũ, & quæ ſimilem cũ eo rationem habent, vt apoſtolorum. Sed fortius eſt Aegyptiacum ab Arabibus appellatum medicamentum ab eis deſcriptum. Græci paſtillis Andronis vel Meſue vel Polyidæ frequenter vtebantur, de quibus in tertio comment. diligẽs fuit a nobis ſermo habitus. Attamen, tum Galenus, tum etiam alij priſci medici ad curanda contumacia, malignaque aurium vlcera, cæteris fere alijs medicamentis præferunt ſcoriam ferri paratam (vt parare docuere medici illi) nempe diligentiſſime tritam, & in ſole pluribus diebus ex acerrimo aceto lęuigatam: multa præterea a varijs auctoribus deſcripta, in hunc locũ poſſent transferri. Sed nimis poſtea excreſceret hoc compendium, & vltra noſtrum inſtitutum progrederemur: quare huic capiti finem imponemus: nam ſi aliqua deeſſe illi viſa fuerint, illa a tertio huius compendij, libro, vbi de vlceribus fuit inſtitutus ſermo, erunt petenda, quia & huic loco illa optime accommodari poterunt; habita ſemper, vt docuimus, aliqua ratione naturæ iſtius particulæ.

De ratione medicamentorum, quibus conſulere medici ſolent auditui laboranti, quatenus ad propriam eius rationē pertinet.

Cap. XV.

EAdem omnino methodus, quæ oſtendit modū, & rationem curandi morbos: medico etiam rationem medicamentorum accommodatorum locis affectis demonſtrat, & præterea modum etiam vſus opportuni eorum, quia omnia hæc tandem, vt ſępius alias ex antiquorum omnium ſententia oſtendimus, B ad iam ſæpius expoſitas indicationes, & expoſitos ſcopos referenda ſunt: vnde in his explicandis non erimus alioquin multi, ſicuti neque quam ſimilem habeant, immo fere eandem rationem affectus, qui ad ſenſus omnes pertinent, & a quibus actiones eorum proprie lædi poſſunt: vtpote quia illam iam ſuperius explanauerimus. Sicut ergo in alijs ſenſibus, ita & in auditu ſolet contingere, vt penitus interdum tollatur auditus, vt in ſurdis contingere ſolet; interdum grauior ſit & obtuſior, vt in ſurdaſtris; quandoque vero vitiatur, & peruertitur, vt in ſibilo, & ſtrepitu aurium. Primus affectus ex proportione cœcitati in oculis reſpondet, alter luſcis vel luſcioſis; tertius illis, quibus variæ imagines præ oculis obſeruari videntur, & ſicut cœcitas fieri poteſt, vel ob læſam C facultatem in ſuo initio, nempe in cerebro, ex aliquo eius proprio affectu; aliquando vero ex aliqua labe in inſtrumento ſenſus, ita & ſurditas. Labes autem contracta in inſtrumento, eſt aut obſtructio in neruis internis, per quos defertur audiendi facultas ad aures; aut obſtructio in meatu auris, per quem ſonorum ſpecies feruntur interius ad primum ſenſus auditus organum: aut ex aliqua intemperatura inſigni contracta in neruo auditorio. Obſtructiones vero in neruis fieri poſſunt ex confluxu alicuius humoris præſertim craſſi, & lenti, atque plerunque a cerebro, aut ex aliquo tumore præter naturam velut, auris meatu, vel in locis illis proximis, ita vt ab illis premi D poſſint. In meatu vero auris poteſt fieri obſtructio, vel exorto aliquo tumore ex illis, qui præter naturam illius partis, ibi excreſcere ſolent, ſicut inflammationes, ſcirrhi, & varia tuberculorum genera, & verrucæ; vel interdum ab excremento illo luteę ceræ ſimili, quod peculiariter in omnibus per meatum auris excerni a natura ſolet, cerebrum, aut partes huc pertinentes expurgante. grumus interdum puris ex aliquo interno vlcere congeſtus poteſt meatum obſtruere. Sed & multa bilis confluens ad organum auditus poteſt eſſe impedimento actioni ipſius ſenſus, vnde Hippocrates in Aphoriſ. dixit quod interdum diarrhœa ſurditatem ſoluit. Poteſt præterea & aliquis humor externus in aurem ingreſſus auditum lædere, vt interdum in natantibus aqua, vel E dum lauatur caput lixiuio. His autem modis imminuitur, aut omnino aufertur. Interdum vero vitiatur, corrumpiturque vt in ſibilis & ſtrepitibus, qui in aure audiri videntur, nullo tamen exterius ſonante, aut obſtrepente. Fit autem is ſtrepitus a flatulēto ſpiritu concluſo intra meatum, qui dum mouetur motu quodam inordinato percutiens, & commouens internum, & quaſi natiuum auris aerem, eos ſtrepitus concitat, poteſt autem tum in aure gigni flatulentus is ſpiritus ab illius imbecilliore reddito calore ob intemperiem in ea ſubortam cum materia, vel citra illam; vt hoc poſtea ſit referendum in proprium auris affectum. Poteſt etiam alibi genitus in aurem ſe conferre, aure ſiquidem conſentiente cum

A alia quapiam parte, vt cum cerebro ſæpius, quandoque cum vniuerſo corpore, quandoque cum ventriculo. Et ſicuti imagines, quæ ob oculos obſeruantur nunciant ſuffuſionem, & eandem cœcitatem; ita ſtrepitus illi, vel ſibili ſurditatem prædicunt: nam quamuis ſæpe hæc non ex primario auris affectu fieri contingat, quæ tamen ex conſenſu fiunt, niſi eorum ratio habeatur, cum conſenſerunt, tranſeunt in affectū proprium. Sicuti autem, vt ex his quæ hactenus fuere expoſita quiſque videre poteſt, nō vnicus, ſed multiplex eſt modus, ratioque, qua lædi poteſt auditus: ita multiplices neceſſe eſt, vt exurgant indicationes, multiplicesque ſcopi ab illis medico offerantur, qui ex methodo voluerit medicamenta ſcrutari: quibus B conſulendum ſit auditui male affecto, recteque ea componere, & eis congruenter vti. Sed de illis quidē accommodata huic affectui eſſe poſſunt, quando auditus læſus eſt, aure cum cerebro vel vniuerſo corpore conſentiente, vel cum ventriculo, non eſt cur in præſentia agamus, quia omnis curatio eſt conuertenda ad illa, cum quibus conſentit auris, de qua agere non pertinet ad præſens inſtitutum. Rationem vero medicamentorum, quæ congruere poſſunt affectibus proprijs auris tollendis, atque facultates, quæ in illis exquiruntur nobis exponet propria illorum affectuum natura. Quare nullum de illis ſermonem habituri ſumus, qui reſpiciunt auditum conſentiente aure cum cerebro, vel aliqua alia particula. Quatenus autem ſpectare poteſt ad ablatum auditum ob C aliquem tumorem præter naturam in aure, eius parte ad neruum pertingente excitatum: ſi is fuerit calidus, doloroſus admodum erit; & eiſdem remedijs curandus erit, quo tollendum dolorem ex inflammatione diximus in ſuperiori capite: ſin autem frigidus, & ſcirrhus[erit] ſi aliqua eius poteſt ſperari curatio, poſt vniuerſi corporis, ſi inde fomentum habent, pro curationem, mox & capitis, vt ſæpe prius fuit expoſitum, curari illis medicamentis ſecundum communem rationem debet, quæ depromenda ſunt a communibus indicationibus, quæ a natura ſcirrhi, & cōmuni eius ratione petendæ ſunt, de quibus in priori commentario, quantum viſum eſt poſſe eſſe ſatis, ſermo fuit habitus. Neque ab hac diſſimilis eſt curatio, D quam requirit obſtructio ipſius nerui, vel eius condenſatio. Nam ea medicamenta erunt opportuna, cum a craſſo, lento, pituitoſoque ſucco ortum habuerint, quæ attenuare, ſecare, detergere, digerereque poſſunt, ſiue de illis loquamur, quæ interius ſumenda, bibendaque, vel deuoranda ſunt, ſiue de illis, quæ inſtillanda, immittendaque in aures, de qua etiam materia ex parte in priori capite verba fecimus, vnde neque iterum in præſentia repetenda ſunt. Si vnius itaque medicamenti meminero, cuius mentio ab empiricis fieri ſolet, quaſi maximi arcani, quamuis nunc etiam multis vulgaribus ſit notum, & plurimum ab illis laudatum, ad alia conuertemus orationem. Medicamentum autem hoc eſt adeps, qui deſtillat ex anguilla cum ex veru torretur, ſi in aures E inſtilletur: poteſt autem ex ratione eſſe vtilis. Nam ex aſſatione comparat ſibi naturam ab igne attenuādi, & digerendi, perinde, vt de oleo lucernæ protulit Galenus, quod ſimile euadit oleo veteri: redditur ſiquidem calidius, & partium tenuiorum. Sed huic adipi, & id accedit, quod ex folijs lauri, quæ fere ab omnibus interfiguntur fruſtis anguillæ, dum ex veru torretur, maiorem contrahit vim attenuandi, digerendi, & calefaciendi. Quod ſi tabes in meatu auris ſit contracta, facta nempe obſtructione, exorta a multo illo excremento auri familiari ibi congeſto, & concreto, vel a grumo puris, auriſcalpio hęc haurire oportet. Vel ſi ſit opus medicamētis, ea q̄ ſecant, deterguntque accōmodata erunt, niſi ſi quando

nimis induruiſſent; nam & mollientib, aliquib. egerent. Quia vero verruca etiam ſubcreſcens in meatu auditorio poteſt auditui eſſe impedimento, quæ & ipſa ſubcreſcens detractione eſſet curãda, de eius curatione non ſum multa dicturus, ſed omnia comprehenſurus ſum in hac ſumma: nempe quod eadẽ ratione illam eſſe detrahendá dixere medici, ſicut curandum eſſe diximus polypũ, ſi in narib. ſubcreſcat. Sed & quæ ſit curatio commoda inflãmationi in hoc loco exorienti, & alijs præterea tumorib. in aure preter ipſius naturã, abunde expoſuimus. Sed neque de ſibilo, & alijs vitioſis ſonis, qui obſtrepere ſępius in auribus percipiuntur, opus eſt ſermonem longiorem habere, ſi quis eorum memor ſit, quæ de auris dolore dicta fuere, præſertim ſi ſit a flatu concitatus. Nã & ſonitus iſti habent ſimilem cum illo cauſam, nempe flatulentum ſpiritum, qui intra aurem inordinate mouetur, & mouet ſubinde aerem proprium, & internum: qui motus allidens inſtrumento auditus, excitat eiuſmodi ſtrepitus, quare & ſimilibus remedijs tollentur, quib, flatib, medẽtur: & proinde neque de iſtiuſmodi ſtrepitib, alioquin ſumus magis particulatim aliquem ſermonẽ habituri. Poſtremo ad hoc caput videntur pertinere & vermes, qui aliquando in aurium meatu ſolent viui reperiri, quod altero duorum modorum euenire poſſe videtur, aut enim exterius adueniunt. (Memini enim me quẽdam vidiſſe, in quo vermis autem ingreſſus, maximã illi, tum pungendo, tum etiã dum continenter mouebatur, moleſtiam afferebat: erat autem tinea qualis ſæpe in tritico gigni ſolet. Ceciderat vero ex fiſſuris tabulati horrei, cui lectus ſubiacebat:) aut vero ibi oriuntur ex putri aliquo excremento in aure congeſto, vel ex aliquo vlcere non experte putredinis; eius vero curatio facilis eſt quantum ad vermes pertinet, vt inde educantur. Duplex autem eſt eos extrahendi ratio, aliquando ſiquidem viui educi poſſunt aliquo forcipe, ſi in loco ſint, vbi conſpici poſſint. Sin autem in penitiores partes irrepſerint, vt nequeant conſpici, aliquis adeps infuſus, vt gallinaceus, anſerinus, vel ſuillus efformatus in collyrij, vel glandis formã, vel vt nunc loquuntur chirurgi, tentæ, indatur auri, ibique tantiſper maneat, donec animal allectum eo cibo, quo plurimum delectetur, illi affigatur, nam ſimul cum adipe, ſi commode educatur, extrahitur & vermis illi affixus. Alij qui etiam cotum bene pexum carminatum, aut lanæ vellus, auri imponunt, vt animal illud, quodcunque ſit (nam pulices & formicæ facilius hoc pacto educuntur) dum mouetur per meatus ibi inuoluatur, & quaſi irretitum extrahatur. Alij etiam coto, aut vellere inuoluunt auriſcalpium, ac aliquo glutinoſo ac tenaci liquore imbuunt, vt eſſet reſina terebinthina, vel laricea, aurique indunt, vt animal quaſi viſco captum educatur. Interdum vero prius id genus animalia necantur medicamento huic rei apto, poſtea extrahuntur: necantur vero quibuſcunque amaris, vt ſucco abſinthij, marrhubij, chamędryos, centaurij præſertim minoris, & cæteris, quæ iſtis ſimilia ſunt. Præcipuus vero, vt teſtatur Galenus ſeptimo de facultate ſimplicium medicamentorum, eſt ſuccus, vel decoctum calamenti. Sed ſæpe accidit, vt aliquid durius & ſolidius in auris meatum incidat, aut inijciatur, vt eſt lapillus aliquis, vel granum ſemenve aliquod, quod non parum illi negotij interdum faceſſit, in qua re a medicis exquiritur auxilium. Verum quia id in hoc parum expectare a medicamentis poſſumus, nam horum extractio potius ad operam manuum, & ad quædam inſtrumenta apta huic negotio pertinet, ideo in his non conteremus tẽpus, cũ ſint aliena a noſtro inſtituto. Quare iã tempus opportunũ eſſet ad oris affectus, & ad medicamenta illis curãdis accõmodata tranſire, niſi fortaſſe videantur aliqua eſſe dicenda de ratione eorũ medicamentorũ, & eorũ apto vſu, quib. parotides curãtur: vt fere cũ res hæc interdũ nõ exigui, ſed potius maximi ſit momẽti, videatur priuatim & ipſa ſeorſum propriumq; caput deſiderare. Sed quia parotides in genere ſunt, vt teſtãtur omnes, præſertim vero Galenus, inflammationũ, magna ex parte etiã eãdem cũ alijs inflammationib. expetunt curationem, eandemq; medicamentorũ rationem ſaltem quatenus ad eas indicationes ſpectare videtur, quę a natura morbi ſolent depromi. Alioquin enim medicationes iſtius loci, in quo exurgere cõſueuere parotides, cogunt medicũ deflectere aliquãtiſper a cõmuni methodo curationis inflammationis, & a cõmuni eorũ remediorum vſu, & hoc quidem in principio. Nam in alijs iſtius affectus temporib. in idẽ parotidis curatio cũ aliorũ curatione tandem conuenit, & ideo ſummatim hac tantum differentia, vel diuerſitate expoſita finem huic capiti imponemus. In hoc loco ſecundũ aures, vbi oriuntur parotides, a quo etiam hoc nomen apud Græcos habuere, ſunt a natura genitæ quædã carnes glanduloſæ vel adenoſæ, vt Græci loquuntur, quales etiam in alijs quibuſdam locis, quæ emunctoria ab Arabibus, & a noſtris iuniorib. Latinis Arabum ſequacib. vocantur, ſicuti ſub alis, & inguinibus, quæ ſunt partes ſuapte natura imbecilles, atque ita a natura dedita opera genitæ, vt poſſint ab internis & nobiliorib. particulis impulſa excrementa, quæ in illis retenta plurimum obeſſe poſſent, facilius admittere: vnde quotieſcunque aliqua ſit ſuperuacuorum humorum impulſio ad has adenas, in his locis conſiſtentes, ſtatim peculiaris quædam inſurgit indicatio, quæ variat communem eam methodum, quæ morbos ex fluxionib. factos reſpicit: quatenus ſaltem ad eorum principia pertinet. In quo genere ſunt & inflammationes reliquique tumores, qui præter naturã ipſius particulæ inſurgunt. In hoc autẽ varia ſit eorũ ratio in his locis, quod reijcienda ſunt omnino ea localia remedia, quæ vim habent repellendi influentes humores, & id ea ratione, quia non exiguum ea repulſio periculũ affert, ne retrocedentia vitioſa excrementa, & internas præcipuaſque partes occupantia, aliquod faceſſerent maximum malum: quod præterea ſeruandum eſſe præcipiunt medici in omnib. illis affectibus, in quib. natura tẽtare videtur expulſionem noxiæ materiæ ab internis partib. verſus cutem, vel a parte aliqua nobiliori, & magis præcipua ad ignobiliorem. Nam vt Galenus in libro de conſtitutione artis medicæ nos docuit, ſæpe morb. malignus, expulſa mala materia a membris nobilibus ad ignobiliora fit non malignus: ſicut contra tranſlata materia ad ignobilib. ad nobilia efficitur malignus, qui prius videbatur cuiuſcunque malignitatis expers. Præſertim vero cauenda eſt in parotide repulſio, quando illa in febribus, ſiue critice, vt aiunt, ſeu ratione ſymptomatica exoritur, & hoc quia eiuſmodi inflammationes, quæ in his partibus, quas Arabes & iuniores emunctoria ſolent, vt diximus, appellare, raro fieri ſolẽt niſi in malignis febribus, & quæ peſtilentis naturæ nõ ſunt expertes. Fiunt aũt a natura, quæ malignã materiã nititur ad has adenas expellere, vt membra magis principalia liberet, & tueatur, quæ repelli reflective interius minime poſſet ſine graui periculo. Quare nunquam quomodocunque fiant, debemus per repellentia prohibere exitum vitioſæ illius materiæ, quæ ad glanduloſas carnes propellitur, & vel nihil eo tempore, dum incipit, aut augetur tumor, agendum quatenus ad eum tumorem pertinet, & ſoli naturæ vniuerſum negotiũ relinquendum eſt; aut ſi quod agẽdum eſt, attrahen-

tibus, natura, vt facilius expellat, erit adiuuanda remedijs, quę vim habeāt malam materiam ex profundo attrahere, vt eiuſmodi medicamentis, quæ his viribus ſint prædita, vel interdum cucurbitulis. Nam ſi facilis videretur expulſio a natura facta, illi dimittendum eſſet hoc munus: ſi vero tentare expulſionē videremus, parum vero in expellendo proficeret, illi ferre opem expediret. Quod ſi multus eſſet naturæ in expellendo impetus, nihil quod ad expulſionem pertineret, eſſet agendum, ne confluentibus ad eum locum multis illis ſuperuacaneis ſuccis, calidisque ſępius, & acribus, ibi concitaretur aliquis inſignis dolor, qui laborem, inquietudinemque, & vigiliam afflicto corpori adderet, vnde facile poſſent vires diſſolui. Immo ſi ſpontaneus eſſet confluxus, & dolor vehemens inſurgeret, iuuanda quidem erit natura, ſed non in expellendo, verum mulcendo mitigandoque dolores, illis nimirum cataplaſmatibus, quæ temperata caliditate cum aliqua humiditate poſſunt id pręſtare: nam talia præter id quod non parum poſſunt ſedando, & deliniendo dolorem, adiuuāt etiam concoctionem influentium humorum, vt neque etiam in his ſit repellendum, quamuis præceps, & multus ſit impetus, vt neque contemnendus ſit, & deſerendus a medico, præcipue ſi videat naturæ vires nō eas eſſe vt poſſint tantā copiā recte adminiſtrare. Immo illi ſuccurrendum erit, alio modo refrenando impetū per inanitiones vniuerſi corporis, per ſectā venam vel per medicamenta, ſicut magis expedire illi viſum fuerit, quæ poſſint reuellendo auertere fluentes ſuccos ad affectum locum aliqua ſaltem parte. Quæ autem ſunt cataplaſmata apta ad dolores vrgentes ſedandos oſtendit Galenus tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, capite ſecundo, nempe quæ fiunt ex farina triticea, vel hordeacea, vel ſeminis lini, & mulſa, ſi ex decocto ſeminis lini, vel altheę, vel chamæmeli coquantur. Nam quocunque horum vtamur ita confecto, vt docet Galenus, vti poſſumus vtiliter, vel ſi etiam, duæ ex illis farinis ſimul miſcentur vtilis omnino erit cataplaſmatis compoſitio, quia ſi aliquam refrigerationem requirerent ob id, quia fluxio plurimum eſſet calida, farinæ triticeæ hordeaceam adderemus. Sin autem maiorem digeſtionem, & maturationem [requirerent,] farinam ſeminis lini: ſin vtriſque egeremus, omnes commiſceremus. Ita etiam quatenus pertinet ad liquores, ex quibus hæc concoquenda ſunt, dicendum videtur; nam mulſa refrigerat magis, aliquantiſper etiam attenuat, & nonnihil detergit, altheæ vero decoctum mollit magis, & maturat, aliquantiſper digerit: fœnigræci vero decoctum aliquantiſper calefacit, & proinde aliquo modo attenuat, & digerit, quamuis non nihil etiam aſtringentis habeat. Pro ratione ergo naturæ ſuccorum, qui defluunt ad parotidem hæc ſunt varianda, & vel illis ſolis vt ſimul miſtis expedit vti. Galenus autem 13. methodi ait, ſæpe oleum calidū ſatis fuiſſe ad hoc munus: horum autem vſus, non modo vtilis eſt, quia dolorem ſedent, verum etiam quia concoctionem horum humorum non parum iuuant. In alijs autem temporibus poſtea curatio parotidis a communi aliarum inflammationum curatione; aut nihil, aut parum admodum euariat. Nam agendum, vt nobis ratio affectus indicabit, interdum enim per propriam methodum inflammationum, & ſolitam res erit tractanda, nempe procurandum vt materia fluxa, & admiſſa in inflammatione digeratur aut (vt nunc vulgo loqui ſolemus) reſoluatur. Quòd ſi magis videretur in ſuppurationem vergere, illis oporteret agere, quæ maturant, & pus mouent. Illis autem ſuppuratis via aperienda, qua pus exeat: ita enim facere conſueuere noſtro tempore omnes fere medici. Aperiri autem abſceſſus poſſunt vel ferro, vel

A cauſtico medicamento: diximus autem ita conſueuiſſe medicos hac noſtra tempeſtate, quia antiqui, vt ex Galeno haberi poteſt, tentabant diſcuſſionem puris incluſi in abſceſſu ſine apertione medicamentis, quæ vim attrahendi ex profundo haberent, pręterea vero attenuandi, & digerendi. Hoc vero agebant, quando non erat abſceſſus magnus, & qui non multam copiā puris, neque plurimum craſſi contineret: nam alioquin, & ipſi aperiebant. Aperto vero abſceſſu, & vbi pus effluxerit, affectus iam tranſit in vlcus: & quia in his nulla eſt, quæ ſit alicuius momenti differentia, a ratione curandi alias inflammationes, quæ hoc, vel altero, vel tertio modo ſolent curari, & de alijs abunde in priori libr. ſermonem habuimus, quatenus ad medicamenta & eorum vſum pertinet: ideo tandem huic capiti finem imponemus.

B

De Medicamentorum compoſitione, & vſu, quæ apta poſſunt eſſe curandis affectibus oris.

Cap. XVI.

AD ea tandē accedamus, quæ ad os pertinent, & partes eius: & quia os in præſentia appellamus vniuerſum illud ſpatium, quod intra labra cōprehenditur, in quo præterea cōprehenduntur, cōtinenturque multæ partes vtiles & neceſſariæ, & non modici C momenti, eas recenſebimus, & eū ordinē ſequemur in illis exponendis, quē ſenſus pręſertim viſus, dū introſpicimus, nobis oſtendit. Primū ergo labia intuemur, de quibus non video cur multa a nobis ſint dicenda, præſertim ſi inſtitutū noſtrū in hoc cōpendio velimus ſequi. Quāuis enim vlceribus, vulneribus, & tumoribus præter naturā cuiuſcunque generis, reſolutionibus etiam & conuulſionibus, ſicuti in diſtortione oris ſolet ſæpe euenire, corripiantur: quia tamen proprius ſcopus hoc loco præſertim verſatur circa rationem compoſitionis, & vſus medicamentorū, quæ localia paſſim in præſentia dicuntur, in quibus præcipua ratio a natura læſæ particulæ ſumenda eſt, & quatenus ad iſtud pertinet, non eſt aliqua in his D priuata ratio differens a communi ratione eorundē affectuū, quando in alijs carnis particulis oriuntur: præter rē erit hoc loco, ea repetere, quæ magis apte tractata ſunt in alijs locis pręſertim vero in primo libro. Labia ſubinde ſequuntur gingiuæ, & illis impoſiti dentes, interiusque ſpatiū illud, quod linguā continet, cuius duplices ſunt partes, ſuperior eſt, quæ palatū dicitur, a Gręcis vero, vraniſcus, quaſi paruū cœlū, & inde fortaſſe acceptū eſt a vulgaribus in his locis, quod cœlū eā partē appellant: & inferior, quę ſub lingua eſt, & ab ea tegitur, quæ propriū nomē, quod ego meminerim, non habet. Mox eſt lingua, quæ guſtus pręcipuū eſt inſtrumentū, & efformandi ſermonē: præterea vero maſticationi non parū vtilis eſt; cibum enim ſub dentes impellit, vt commodius ab illis E teratur, quem etiam varie inuertit. Ad radicem linguæ duæ ſunt glanduloſæ carnes, quæ tonſillæ a Latinis, a Græcis vero παρίσθμια, in medio vero ab extremo palato pendet columella, quam Græci κίονα vel γαργαρεῶνα appellant. Interius vero ſpatium fauces a Latinis, φάρυγξ vero a Græcis dicitur. Poſtremo ad fauces intimas pertinent duo meatus illi maxime inſignes, quorum alter in partem anteriorem vergit, qua via eſt ſpiritus ad pulmonem, & aſpera arteria dicitur, cuius ſupremum caput ad fauces eſt id, quod a Græcis larynx, guttur a Latinis dicitur. Alter vero meatus poſterior via eſt ad ventriculum, per quem cibus potusque in ventriculum fertur, &

εἰσόφαγος Græce dicitur, Latine vero gula. Sed primum de his agemus, quæ ad partes oris, quæ magis extrorſum vergunt, vt ſunt gingina, dentes, palatum, lingua, & quæ pars ſub lingua tegitur: mox vero de illis, quæ ad fauces pertinent, vt ſunt tonſillę & columella, atque guttur, & gula. Sunt autē affectus quidam, qui ſunt omnibus fere particulis communes. Gingiuæ ergo ſolent a vehementibus cruciari doloribus, qui poſſunt a varijs cauſis, & affectibus concitari, nempe vel ex tranſmutatione propriæ, & naturalis ſuæ temperaturæ, cum confertim & repente fit: vel ab illis, quæ continuum ſoluunt, & hæc vel ab externis & procatarcticis cauſis effici poſſunt, vel ab internis, & antecedentibus: ab externis ſicuti ventis, cibis nimis calidis, vel acribus, aut nimis frigidis, item & potū & alijs tandem, quæcunque in os ingeri poſſunt. Præterea quæcunque exterius poſſunt tūdere, erodere, pungere & incidere. Internæ vero & antecedentes cauſæ ſunt fluxiones calidiorum, vel frigidiorum humorum, qui poſſunt ſua humiditate putrefacere gingiuas, & alias partes, & acrimonia pungere, abradere, & tandem vlcerare, & tranſmutata etiam partis temperatura dolores concitare, qui ſæpius quidem ſolent a capite & cerebro, cui ſubiectæ ſunt, deſtillare: interdum tamen & ex inferioribus, ſæpius autem a ventriculo ſolent male affici ratione vitioſorum excrementorum, qui ibi continentur, a quorum vaporibus aſcendentibus vitiantur oris partes. Sed ex eiſdem cauſis poſſunt exoriri in his oris partibus, præſertim carneis inflammationes, ſcirrhi, & alij tumores præter eorum naturam, qui quandoque ſunt malignitatis, & interdum non parum participes. Solent præter alia interdum fieri quædam carnis excreſcentiæ in intimis gingiuis ad vltimos molares dentes, quæ παρουλίδες, vel ἐπουλίδα a Græcis dicuntur: οὖλις enim gingiuam ſignificat, qui affectus doloroſus eſt, & in genere inflammationum eſt is affectus: præterea vero ex nimia laxitate, & redundantia vitioſi ſanguinis, præſertim bilioſi (vt refert Aetius) & eroſione fiunt cruentæ gingiuæ. Affectus illi, qui & alijs omnibus fere particulis communes, vnam itidem communem habent curationis rationem: quod ſi aliqua in his particulatim differentia reperiatur, illa a diuerſa particularum natura occaſionem habet, quod ſæpius a nobis prius expoſitum eſt. Vnde cum os veluti oſtium ſit, per quod ingreſſus eſt tum ad ventriculum, eorum omnium, quæ bibenda & deuoranda ſunt, tū vero ad pulmones, & ſæpe vel nobis etiam nolentibus, quæ ore aſſumuntur, illabūtur in pulmones vel ventriculum, & proinde ab illis medicamentis, quātum fieri poteſt, in affectibus harum partium curandis cauendum eſt: vel ſaltem illis caute vtendum, in quib. aliqua ſit pernicioſa qualitas, ſi in ventriculum, vel pulmones illabantur. Vnde quatenus ad generalia theoremata attinet, eadem ſunt in omnib. nēpe repellentibus in morbi principio eſſe opus, mox repellentib. admiſcenda eſſe digerentia, atque ſubinde digerentia augenda: de repellentibus vero ſemper ad finem vſque detrahendum, ſi affectus ad genus inflammationis attineat: ſin autem ad genus vlcerum exſiccantibus in primis, ſed præterea & detergentibus frequenter, Vt tamen præcedant remedia, quæ præſertim, & primum cauſam reſpiciant, habita ratione fluxionis, a qua hæc ſemper fere excitari ſolent: earumque particularum, vnde ea excrementa defluunt. Vniuerſa vero hæc ratio conſiſtit in procuratione vniuerſi corporis, earumque partiū, quæ ſuperuacuā materiā ad has amandāt, nempe vt per vacuationem ſectione venæ, vel purgatione intercipiatur, & auertatur fluxio. Sed hęc ad aliud, non ad pręſens inſtitutum pertinent, ſicut & de congruenti vi-

A ctus ratione agere. Quare conuertamus tandem ſermonē particulatim ad remedia accommodanda his morbis curandis, & primū de illis agemus, quæ referuntur ad inflammationum genus, quæ tamen non ſunt ratione loci graues morbi, vt in gingiuis, palato, lingua, & alijs, quæ his natura attinēt: nam de internis ſeorſum loquemur. Itaque cum gingiuæ, & pellicula, quæ palato prætenſa eſt, dolent, ſicuti quandoque vehementi cruciantur dolore, qui ab incipiente inflammatione habent omnem occaſionem, ſtatim conſiderandum, quod ſit inflammationi occurrendū, ea ſeruata methodo, quę communis eſt omnibus inflammationibus, nempe repellentibus primum, mox repellentibus quidem, ſed vt ſimul digerentia immi-
B ſceātur & illis ſemper magis acutis, quāto magis procedit inflāmatio. Sed poſtea cū repellentia refrigerēt & adſtringant, & illa varia diuerſaq; ſint, & diuerſorū ordinum, quatenus ad vires, & vehementiam pertinent, fit vt non ęqualiter, & indifferēter ſemper his laborantibus particulis poſſint aptari: quare horū diſcretio apprime erit medico neceſſaria. Iſtius vero rei ratio a natura ipſius particulæ erit petēda, vt a mollitie, duritieq; ab eius ſenſu, a ſitu: nā partes hæ molles ſane ſunt, & duplici ſenſu, & eo quidem acri præditæ guſtu & tactu, ſuntq; expoſitæ, vt facillime illis medicamenta occurrere poſſint: qua propter neque valida, & violenta medicamenta, quæcunque illa ſint facile ferunt: ſed melius a mediocribus ſe habent. Si enim aſtringentibus, repellentibusque ve-
C hementioribus vtamur, ſimilem, vt quinto de compoſitione medicamentorum ſecūdum loca, affectionem contuſioni imprimimus: vnde irritatur dolor, & ſubinde magis incitatur fluxio. Contra vero dentes, qui dura conſtant ſubſtantia, cum dolent, & inflammatione tentatur profundior neruus, ad eorum radices vehementiora remedia non bene ferunt, ſed etiam talia deſiderant, & præterea etiam vt illis ſint intermixta, quæ acria & tenuium ſint partium, vt facilior fiat aditus, & penetratio ad internas, & profundiores partes. Vnde conſueuere antiqui ex aceto acerrimo coquere medicamenta ad dolorem dictum, ratione vero alterius ſenſus, nempe guſtus, cuius particeps eſt internum os, inſurgit &
D alia indicatio, quatenus ad ſapores medicamentorum, quib. vti in curandis his inflammationib. pertinet. Ea vero eſt, quod cum horum medicamentorum multa ſint, quæ horribilis, & ingratiſſimi ſunt ſaporis, quo maxime cruciantur partes hæ, nec modo dum illis vtuntur, ſed poſtea etiam remanet malus ille eorum ſapor longiori tempore, vnde præterea & ſæpe ſubuertitur ventriculus, & vt diximus poſſent præterea multa illorum illapſa in interiores meatus ſubiectis particulis non parum negotij faceſſere. Propterea talia, quantum fieri poteſt, ſunt declinanda, & illis vtendum, quæ aut gratiora, aut minus ingrata ſunt, & proinde in doloribus gingiuarum, & aliarum partium oris, quorum memini-
E mus. Gal. præ omnibus fere alijs medicamentis laudat oleum lentiſcinum, vtpote quod ſit moderatum medicamentum, aſtringit enim modeſte: vnde fit, vt repellat citra vllā noxam, digerit etiā aliquanto. Calidas ſi quidē aliquas partes habet, & digerendo aliquantulū vacuat intentā particulā, atque ita aliquātiſper dolor remittitur: verum ait oportere vt oleū nouū ſit, quia olea cū inueteraſcunt, calidiora fiunt, & repulſioni ineptiora. Noluit autem, vt eo frigido vtamur, quia in his partib. actuale frigus, vt ait Gal. quarto de facul. ſimplic. medic. mordax & doloroſum eſt, ſed calefieri in duplici vaſe, quia quæ ad ignem calefiunt, calorem quendam acrem magis, & mordacem contrahunt. Sed cum tale oleum lentiſcinum non ſit in promptu vbique, neque ita para-

tum facile reperiatur, ideo proxime ad illud accedit oleum roſaceum, quod completum appellat: differunt tamen quatenus roſaceum aliquanto frigidius eſt, & proinde maiorem etiam vim repellendi habet, non tamen tantā digerendi, quanta lentiſcinum. Dioſcorid. vero ad inflammationes gingiuarum laudat vinum, in quo efferbuerint folia roſarum aridarum, ita tamen vt poſt cocturam liquor percolatus ex eis exprimatur, eoque gingiuæ bene deliniantur, neque abſque ratione laudatur hoc medicamentum, cum ex aridis roſis poſſit refrigerare, & repellere, ex vino autem aliquantulum digerere. Sed lentiſcinum oleum videtur aptius: nam oleum molliens poteſt magis dolores ſedare, nam crederem & decoctum lentiſci etiam quando eius oleo careremus, poſſe conferre, minus tamen quam oleum, quamuis poſſemus addere lentiſco ſemina fœnigræci aliqua, aut lini, aut aliquid radicum altheæ. Laudat præterea Dioſcorides, & vtrumque tribulum, ſi gingiuæ ex oxymelite illinantur: nam tribulus quidem refrigerat & repellit, vnde Galenus de facultatibus ſimplicium medicamentorum ait eſſe, contra generationem inflammationis, cui addit fortaſſe mel, vt præterea aliqua etiam adſit vis digerendi. Verum quia ſæpe etiam accidit, vt dolores hi gingiuarum ex inflammatione his repellentibus, digerentibuſque medicamentis neque tolli poſſint, neque deliniri, quia in ſuppurationem inflāmatio tendat: non eſt reſiſtendum, reluctandumue naturæ, ſed potius iuuanda eſt, atque procurandum, vt maturetur, quo citius fieri poterit. Erumpente etenim pure deſinet dolor, & cum ita affectus in vlcus tranſeat, reliquum poſtea erit vt medicamentis locus is tractetur, ſtatui & naturæ vlceris accommodatis, de quibus agemus paulo poſt. Adiuuabunt vero maturationem ſuppurationemque imprimis decocta huic officio apta, vt radicum altheæ, caricarum pinguium, paſſularum non modo iſtarum exilium, & nigrarum, quæ in multo vſu ſunt in præſentia, verum & illarum maiorum, a quibus acini, vel ſemina poſſunt eximi (vt ſæpe præcipiunt antiqui medici) vtpote quia non parum aſtringant & exſiccent, quæ coqui vel ex aqua poſſunt, vel ex iure aliquo pingui. Nam & id ad concoctionem, maturationemque adiuuat, atque dolorem lenit, tum molliendo, tum vero aliquantulum digerendo: ſed & aliquid zacchari immiſceri poterit: ex omnibus autem his, vel ex aliquibus, quæ magis in promptu erunt, fieri poteſt decoctum ad conſumptionem medietatis iuris, ſi ius ſit acceptum, quantum videatur expoſcere ratio proportionis medicamentorum, vt tamen ſine ſale ſit ius, & calido eo vtamur, aliquantulumque in ore detineamus, atque ſæpius ita agamus: ſæpe tamen ſimpliciori medicamento ſumus vſi, & felici ſucceſſu. Meminere tamen medici antiqui quarundā inflammationum, quæ in externis introrſum gingiuis aliquando oriuntur, & ἐπουλίδες dicuntur a Græcis, q̃ potius vt dixere Aetius, & Paulus ſunt quædam carnis excreſcentiæ, ab inflammatione quarum interdū comes febris eſt, & vehemens item dolor, vt ne os qdem aperiri poſſit: & quamuis ad epulidas curandas deſcripta reperiantur medicamenta plurimum acria, vtpote quæ & atramentum ſutorium admittant, & alia iſtius generis: id tamen ſano modo intelligendū eſt, vt optime diſtinxit Aetius. Quia talia medicamēta verſus finem ſæpe ſunt neceſſaria, quando ea ſola viget indicatio, quę à ſuperexcreſcētia carnis deprōpta eſt, illa enim contrahi nequit, reprimique, niſi per illa, quæ non parum deſiccant, aſtringuntque, & detergunt etiam: talia enim ſunt, quæ deſcribuntur à Paulo, Aetioque, & Gal. ex ſententia tamē Archigenis; componuntur ſiquidem ex ærugine, ſutorio atramento, ex gallis, ex alumine, & eiuſmodi

A alijs. Verum inter initia, dum febris dolorque plurimum affligit, conſulit Aetius, vt his omnibus dimiſſis laxantibus vtamur, vt ſunt mulſa tepida, vel cremor hordei, decoctum ſeminis lini, & ſimilibus, in quibus vis eſt leniendi, dolorem ſedare, atque non nihil digerere: dolor enim, qui vehemens eſt eo tempore, vim maiorem habet in indicando. Sed vbi iam deferbuerit inflammatio, & eatenus diſſoluta ſit, dolorque remiſſus, vt iam poſſit ægrotans hiare: tunc apta ſunt ea, quæ extuberantem carnem deſiccant, & reprimunt, cui officio maxime apta ſunt, ſi Aetio credimus, medicamenta arida, in quibus, ait ille, eſſet id, cuius cōfectionem ipſe deſcribit. Fit vero ex ſulphure ignem non experto pipereque, & ſciſſili alumine B exuſto omnib. pari pondere tritis, & inſperſis epulidis. Sed alumen omne vſtum, & gallæ tritæ, & tanquam aridum medicamētum inſperſæ, proſunt: quæcunque enim valide deſiccant, & aſtringunt, poſſunt huic affectui eſſe medicamenta congruentia. Mihi ſæpius ſatis fuit medicamentum id, cuius, vbi de polypo eſſet ſermo, mentionem fecimus: nam ſicut poteſt polypum abſumere, & atterere, poterit etiam epulidas, & parulidas. Et quamuis eius vis, & operatio tardior ſit, eſt tamen ſecurior: vtpote in quo nihil ſit, quod noxiam habeat qualitatem: Omnes tamen, ſi morb. is pertinax, & plurimum tam medico, quam medicamentis ſit renitens, ad acriora medicamenta accedunt, vt eſt chalcitis, ſutorium atramentum, C ęrugo, & vt ait Aetius, vſque ad ea tandem medicamenta, quæ carnem erodunt, & detrahunt: & ad ea, quorum vſus ſolet eſſe in depaſcentibus gingiuarum vlceribus de quibus paulo poſt ſermonem ſumus habituri. Gingiuarum itaque vlcera, & partium ad ipſas pertinentium, vt & diuerſas occaſiones, vnde orta ſunt, habuere: ita etiam quantum pertinet ad initium curationis, diuerſimode tractari ſolent. Nam aut ab externa cauſa excitata ſunt ex inciſione, punctura, aut ab aliquo medicamento, vel medicamentoſa re, quæ abradere & erodere potuerit, aut ex interna, & id duplici modo, quia vel ex rupto aliquo abſceſſu, vel ex acri & erodente malorum humorum fluxione. Diximus autem quantum ad initium curationis ſpectat, quia aliqua horum, quæ D accidunt a fluxione, neceſſe eſt, vt donec durat fluxio, foueatur a plenitudine, vel cacochymia, aut vniuerſi corporis, aut aliquarum particularum præſertim capitis, a quibus foueatur fluxio, a quibus prius ſurgit indicatio, procurandum eſſe, vt ſæpiſſime iam dictum eſt, quod intercipiatur, reprimaturque fluxio illis rationibus], quæ ſæpius a nobis fuere expoſitæ. At vero ſi nulla aliunde petenda ſit indicatio prępterquam ab vlcere, & ab affecta particula: tunc variatur pro ratione earum differentiarum, quibus vlcera diſcerni, ac diſtingui a medicis ſolent: ab eis nempe depromptis proprijs indicationibus, & ſcopis, de quibus non eſt in præſentia cur multa dicamus, cum hęc omnia in primo libr. ſatis diſtincte, & diligenter fue- E rint expoſita; vt nunquam tamen obliuioni tradamus eam indicationem, & conſiderationem, quæ petenda eſt a natura particulæ. Et quamuis quando ſponte, & a nulla externa cauſa vlcerantur, nequeat id plerunque fieri, niſi a fluxione acrium, & erodentium excrementorum: & proinde ſit neceſſe, vt curationis initium ſit ab hoc capite, nempe vt ſiſtamus, remoueamuſque fluxionem, tum reuulſione vacuationeque, tum temperatione, & mitigatione mordacitatis eorum excrementorum, in quo officio pręcipue ſunt balneæ aquæ dulcis, vt teſtati ſunt Galenus, & alij priſci medici, niſi aliquando fluxio acredinis ſit expers, quæ ſit in cauſa, cur nimio humore madidę gingiuę putreſcant, & ſubinde exulcerentur: nam tūc & vniuerſum corpus, & caput erūt inaniē-

da & reſecanda. Mox vbi res priuatim localibus remedijs erit tractanda, quorum adminiſtratio ad pręſens attinet inſtitutum:nam cętera alibi fuerunt tractata, & propria vlcerum curatio deſiccatione perficienda tandem erit. Cui ſi aliquid auſteri,& aſtringẽtis ſit adiunctum, præſtantius, vt ſæpius dictum eſt, erit medicamentum, vtpote quod poſſit arcere,ſi qd a circumſtantibus partibus, excrementitiæ materiæ eſſet mandandum,& ſi quidẽ vlcus ſimplex ſit, quod que nullam præterea aliam habeat differentiam,quę aliam per ſe habeat indicationem, communibus & familiaribus lotionibus, quæ ex aptis decoctis fieri ſolent,curabuntur, vt ſi arida roſarum folia ex vino nõ nihil auſtero coquantur,& colluatur os. Quòd ſi videretur eſſe opus vehementiori medicamento, his addi poſſunt cytini mali punici, vel malicorij,fortius etiam eſſet ſi gallæ adderentur. Poſſemus & ex his aridum conficere medicamẽtum illis tritis, & in puluerem redactis, vlceriq́ue inſperſis: Sed & coralius lapis ita,vt ſolet paſſim paratus, poterit inſpergi, & erit facile, neque ingratum medicamentum. Pompholyx vero, quam ſolent vulgo tutiam vocare, ita vt conſueuit lauari,teri,& parari, optimum eſſet medicamentum, niſi quod eſſet cauendum,ne quandoque cum ſaliua deglutita deuoraretur. Sed facile id caueri poterit, ſi poſt adhibitum medicamentum aliquãto temporis ſpatio interpoſito os abluatur aut vino aliquo aliquantulum auſtero, aut aliquo ex prædictis decoctis. Quando autem vlcus ſordidius videretur, & aliquam præterea deterſionem deſideraret,mel roſaceum facile,& non ingratum eſſet medicamentum: niſi interdum nimis acris ſenſus eſſet in vlcere,ita vt morderi videretur a roſaceo melle, ſicut interdum in aliquib. obſeruauimus,vt alias etiã teſtati ſumus, nempe quod roſaceum ſimplici melle mordacius eſt medicamentum: tũc aut ſimplici melle vtẽdum eſſet,aut ſyrupo roſaceo,qui conficitur ex ſucco roſarum & zaccharo, vel his ſimplicibus, vel eis immixtis prioribus aliquibus decoctionibus,quibus ſi aliquid eſſet addendum, his & aliquantulum myrrhæ addi poterit: Noui priſcos medicos, vbi res difficilior videretur, & iam eam malignitatem induiſſet,vt in ordinem referri eorum vlcerum poſſet,quæ aut depaſcentia,aut putrida appellantur, aut cacoethe dici ſolent, ad ea medicamenta confugiſſe viſos eſſe,quæ acria ſunt,& non vſquequaquę in oris affectibus tuta,niſi caute tractentur,vt ſunt ęrugo,atramentum ſutorium,chalcitis,miſy, ſandaracha,& reliqua iſtius ordinis. Sed quia iſtiuſmodi medicamentorum rationem & vſum ſupra in 3.lib.expoſuimus: ideo in illis repetendis non conteremus tempus. Sed quibuſdam explicatis, quę pertinent ad rationem remedij,cuius meminit Gal. 5.libr.de comp.medicam. per loca, quod mihi præſtantiſſimum videtur in his malignis vlceribus ad medicamenta apta ad dentium affectus curandos ſermonem conuertemus. Remedium autem hoc,quod facile, & mea ſententia,tutũ, ad cauteriorum genus referri poteſt, & eorum quæ, ni fallor,actu ignea dicuntur,& vrentia a iunioribus, non quod vrant quidem igneum & vrentem omnino calorem,vt ferrea, metallicaq́ue inſtrumenta, dũ igniuntur,referre ſolent, ſed quia calore actuali,vt ita in præſentia dicam,inurunt. Præcepit enim vt ſpecillo aliquo ex altero capite lana, aut coto inuoluto, ac in oleum ferueſcens demerſo vlcerata gingiua foueatur,aut potius inuratur,eatenus, dum earum caro a ſpecillo ita parato albeſcat:nam illud erit ſignum quod ſatis exuſtæ ſint. Hac autem potius inurendi ratione, quam ignitis metallicis inſtrumentis, aut cauſticis medicamentis vſus eſt, quia in hoc non eſt ita efficax operatio,vt poſſit denti officere, aut profundius neruum lædere,qui eſt ad dentis radicem. Præterea, cum citius in oleo deferueſcat igneus, & feruens calor,poſtea vbi ad ſuum naturalem ſtatum redierit, vel ad teporem, [vim]habet ſedandi dolorẽ, & inflammationem: deinde vero aliquo ſinegmate arido(vt Græci dicunt) hoc eſt medicamento arido inſpergendæ,& affricandæ, qualia multa ſunt, quorum paulo ante meminimus, nempe gallæ addita modica myrrha, aut corallorum bene paratorum, aut roſarum aridarum,vel malicorij, vel id genus aliorum. Mihi ſatis probaretur medicamentum ex granatis,de quo egimus, vbi de tollendo narium polypo ageremus, ſiue ſucco vtamur prius ex illis expreſſo, ſiue ea parte, quam tritam in paſtillos redigi diximus. His eiſdẽ medicamentis poterit quis vti,vel alijs ſimilibus,ad deſiccandas,contrahendasq́ue gingiuas,cum nimio humore madidæ quaſi prægnantes in tumorem tolluntur. Antiqui autem auctores laudant labruſcæ flores ex lamina aſſatos, & tritos, ſi eis gingiuæ fricentur: præterea & alumen,& multa alia,quę eodem reſpiciunt,identidem eiſdem ſuccurrere gingiuis poſſumus,ſi cruorem effundant.

De illis,quæ pertinent ad curandos male affectos dentes.

Cap. XVII.

DENTES, quãuis quatenus ad rationẽ durioris ſubſtantiæ pertinet,magis ad oſſiũ naturã accedant,alia tñ ratione ancipitis naturę vidẽtur, & mediæ inter oſſa, & alias molliores partes, vt caro, & nerui. Imo & quãdã præterea rationẽ retinẽt,qua ab vtroque horũ genere euarient: nã & ſentiũt nõ ſolũ per gingiuas, & neruos, qui a natura ſingillatim illis diſtributi, quãuis ab illis ſentiendi facultatẽ habeant, ſed per propriam etiam eorũ ſubſtantiam, cuius pręrogatiuæ expertia ſunt cætera oſſa, in qua dentes cũ carne,neruis conueniunt,in hoc vero ab vtriſque particulis diſſentiunt, quòd ſemper ad extremam vſque ætatem creſcere poſſunt, quod conſulto a natura factum eſt:quia cum munus hoc a natura habeant,vt ſolidiores cibos atterant, in quo, & ipſi non parum atteruntur, niſi huic incommodo natura prouida cõſuluiſſet, breui tempore animal ab hoc officio,& vtilitate,quæ non pauci eſt momenti deſtitueretur. Quibus ita poſitis,& expoſitis, poſſumꝰ inueſtigare quot affectibus, & cuius naturæ obnoxij ſint dentes inde: ex his enim facile deinde eſt rationem componendorum medicamentorum inuenire, ac modi præterea,quo eis oporteat vti. Cum itaque ſenſu ſint præditi, tum ratione ſuæ ſubſtantiæ, tum propriorum neruorum, dolorum capaces ſunt, & illorum quidẽ maximorum: cum præterea diu & vltra terminos aliorum oſſium, cæterarumq́ue corporis partium, ex proprio alimento creſcere poſſint, neceſſe eſt, vt etiã ex aſſumpto alimento ad eos influente facilius eorum ſubſtantia, dum fit incrementum, & quoquo modo intumeſcant. Quæ cum ita ſe habent,poſſunt interdum nimio influente alimento, vel nimis extendi,& quaſi intumeſcere, & hoc modo inflammatione corripi, vel ſi inflammationẽ appellare nolumus, erit ſaltem affectus inflammationi ſimilis. Interdum vero penuria alimenti gracileſcere, & quaſi contabeſcere: & quod vbi fiat, cum exquiſite & integre nequeunt replere alueolos maxillarum, quibus innati, & infixi ſunt,& proinde nequeunt vlterius ita firmi, & immoti ab illis contineri,quare labare,moueriq́ue in illis eſt neceſſe, quæ affectio ſenibus familiarior eſt,ac non æque omnibus, neque eodem tempore,accidit:nam alijs id accidit tẽpeſtiuius, alijs vero ſerius pro ratione diuerſæ eorum naturæ, aut diuerſarum occaſio-

occaſionum, vel ex ratione victus, vel ex externis A cauſis, quæ non ita in ætatem referenda poſtea ſunt, ſed in cauſas eas, quibus, & aliæ ætates poſſunt eſſe ſubiectæ Affectio vero ex plenitudine, quam inflammationem appellauimus, frequentior eſt in ætate iuuenili: ſed de his magis particulatim agemus. Sicuti autem hæc ex influxu alimẽti accidere poſſunt, ita non minus dentes alijs fluxionibus expoſiti ſunt, B præſertim vero deſtillationibus, quæ à capite fluunt. Nam interdum, imo ſæpe, hac humiditate perfuſa ligamenta dentium laxiora fiunt, nec ea ſolum: verum & gingiuæ, & ſubide occaſioni ſunt, vt labent & vacillent dentes. Sed non ſolum ligamenta, & gingiuæ poſſunt perfundi his defluentibus vitioſis ſuccis, ſed & dentes eos admittunt, ſicut & alimẽ- C titiam materiam, & ab ea varie affici pro varia illius materiæ ratione, quia ſi acris fuerit, poſſunt erodi, perforarique, ſi apti ad putredinem, inde & dentes computreſcũt, ſi fuliginoſa, nigreſcũt, ſiue talis fuerit ex natura, ſiue comparauerit ſibi eum colorem ex corruptione, & putredine. Quamuis & alia ratione colorem immutare poſſint atque erodi, nempe ſi reliquiæ aliquæ ciborum comeſtorum remaneant inter, vel circiter dentes interdum ibi putreſcẽtes, male eos afficiunt, qui eos vel erodunt, vel putrefaciũt, vel ibi exſiccatæ, & quaſi excoctę tophorum naturã induunt, & ſcabros turpeſque reddunt dentes. Præter hoc autem & ſimiles affectus alteri etiam ſua quadam peculiari ratione ſubiecti, quæ αἱμωδία, Græce dicitur, apud Latinos vero non habet priuatum aliquod nomen, niſi quod ſtupor dentium dicitur, qui ortum habet ab acerbo, vel auſtero aliquo ſucco, aut externo, aut interno, externo, vt ſunt ſucci acidorum, vel acerborum: interno autẽ, ſicut acidæ pituitæ, & melancholici humoris, quæ aut à capite deflexerint, aut à vẽtriculo vomitu fuerint reiecta. Quatenus ergo ad eos affectus, quibus dentes corripi ſolent, & communes fere omnibus eſſe poſſunt, hi aut omnes, aut præcipui ſunt. Pueri vero cum dentire incipiunt, multos interdum dolores, deterioraque ſymptomata, anteaquam e gingiuis illi erumpant perpeti ſolent, quamuis nõ æque omnes: alij enim alijs ſolent maiora pati ſymptomata.

Morte præuentus author vlterius in præſenti Opere progreſſus non fuit.

FINIS.

EXCEL-

VICTORIS TRINCAVELII VENETI PHYSICI IN PRIMAM PARTEM

SECVNDI LIB. PROGNOSTIC. HIPPOC. ET GAL. FAMILIARES EXERCITATIONES.

ANTEQVAM particulatim librum ſecũdum prognoſticoru explanemus, nõnulla exponenda occurrunt cũ his, quæ mox à nobis dicenda ſunt: idque in primis quiſnam fuerit Hippocratis ſcopus in hoc libro: quod vt facilius percipere poſſitis, altius rem exordiri plane neceſſe eſt. Artem medicã principio noſtrarum lectionum diximus collocatam eſſe inter factiuas diſciplinas, quæ in actione verſantur, & quarum finis eſt aliquid facere: talem tamen eſſe, vt quęcunque facit ex ratione faciat: nulla vero ratio citra cognitionem eorum de quibus agit, conſiſtere poteſt: & proinde rerum, circa quas verſatur medicus cognitionem habere poteſt. Verſatur autẽ circa ſanitatem, & morbum, atque circa cauſas, vnde altera medicinæ pars de his quæ a medico ſunt cognoſcenda, vt recte operetur, eſt. Altera vero de his quæ proxime ad actionem pertinent, ſed Partem hanc poſtremam in præſentia dimittamus, vtpote quæ magis ad lectiones noſtras publicas attineat (vt inter initia diximus) quam ad librum præſentem, & de prima agamus. Illa ſane aut circa cognitionem ſanitatis, & morbi verſatur, quantum ad eorum naturam pertinet, aut quãtum ad ſymptomata. Priorem phyſiologicam, quia naturam harum affectionum complectatur, Græci appellauere, Aliam ætiologicam, quia cauſas earundem affectionum inueſtigat. Tertiam ſimeoticam, quaſi ſignificatiuam, quia ſymptomata exponit, quæ harum duarum affectionum, vel diſpoſitionum (vt iuniores loquũtur) ſigna ſunt,

A nam ſymptomata, & ſigna idem ſunt. Galenus enim 1. Aph. com. 12. ait, nihil referre an ſignum dicas, an ſymptoma, ſed priores duas partes miſſas faciamꝰ, vt quę in pręſentia nihil ad inſtitutum noſtrum faciãt & de tertia ſermonem habeamus. Hæc iterum tripartita pro ratione diuerſarum naturarum ipſorum ſignorum. Aliqua enimpræſentia indicãt, quæ dia- B gnoſtica Gręcis dicuntur, vt ipſe Galenus 2. lib: artis medicinalis exponit, Alia futura in morbis denunciant, quæ prognoſtica, alia præterita in memoriam reuocant, & hęc anamniſtica dicuntur. Sed prima, & quæ diagnoſtica appellari diximus in triplici ſunt differentia. Alia enim ſunt pathognomonica, quę videlicet morbum ipſum indicant, alia vero aſſiden- C tia, tertia poſt apparentia: de quibus abunde actum eſt in Aphor. lib. nobis vero incumbit tantum de his agere, quæ prognoſtica differentia ſunt, de quibus quantum ad rationem vocabuli pertinet, hoc tantũ dixerim, quod hęc duo vocabula Græcis in vſu ſunt, prognoſis, & prorhiſis, ex vi quorum vocabulorum prognoſis prænotionem ſicut progignoſcere præ- D cognoſcere ſignificant. Et quamuis quidam fuerint, qui multa commentati ſint circa harum vocum expoſitionem, hi tamen a Galen. inter initia comm. in hunc librum deridentur. Quantum enim ad rem ſpectat, eadem res eſt, quæ mente primum comprehenditur, & mox voce pronunciatur. Hanc ergo partem medicinę hoc operę explicare ꝓponit Hipoc. E videlicet prognoſticã, hoc eſt, quę de ſignis prognoſticis agit, quæ ſane pars eſt ſimiotice partis medicinæ. Sed an de his omnibus ſit acturus quæ prognoſtica dici poſſunt, an de aliquibus tantum varia fuit antiquorum ſententia, vt ex Galen. tum hic tum, vel maxime ſtatim in primo lib. poteſt apparere, quidã enim de omnibus agi dixere, alij vero, cum quibns

eſt

eſt Gal.tum de his quæ ad morbos acutos referuntur, quod ipſe verbis ipſiuſmet Hippoc.probare nititur, de quo poſtea loquemur. Nunc redeamus ad inſtitutum noſtrum, ſed cur potius de acutorum morborum præſagijs (hoc enim vocabulum latinum illi Græco reſpondet) quam de diuturnorum? quia hoc difficilius eſt, & maiore induſtria, & artificio eget: morbi ſiquidem acuti prçcipites ſunt, & celeres motu, & ideo diligentiori animaduerſione egent, & difficilius obſeruari poſſunt. Diuturni vero longum tempus habent, quo medicus poſſit diligenter omnia obſeruare, vnde magis certa, & fida ſunt præſagia in diuturnis morbis, quã in acutis. In acutis etenim interdum falluntur, vt Gale. & Hippoc. 2 Aph. 19. teſtantur. Scopus ergo Hippoc. in vniuerſo hoc opere quis fuerit, iam liquido vnicuique poteſt eſſe B apertũ. Sed quia liber hic tres habet partes, nos vero vnam tantum, videlicet, mediam, nempe ſecundum lib. expoſituri ſumus, ideo non ab re fuerit quid ſit illud, de quo ſingillatim in his lib. agendum ſit exponere, vt iſtius partis ſcopus nobis fiat apertus, facilius enim perceptu erunt cætera. Eſt ergo hic conſiderãdum quid futurum, quæ præſagienda ſunt in acutis morbis, aut ſpectant grauitatem, & periculum, quod imminet ægroto, aut ſignificant futuram indicationem, vt criſim, ac eius commodum. Cum enim ſæpius morbi acuti per criſim terminentur, vt Gale. ait, hæc præ alijs omnibus, & deſiderantur, & vtilia ſcitu ſunt, & forſitan neceſſaria, de primorum ſignorum naturã ſermo ab Hippoc. eſt inſtitutus, in primo, & C ſecundo lib. de ſecundorum vero in tertio. Signa vero, quæ periculum, aut infœlicem, aut futurum fœlicẽ in morbo ſucceſſum, vt pote, quæ ad genus ſymptomaptum pertinent, aut a corporis qualitate mutata, aut ab excrementis mutatis, aut ab ipſis actionib. læſis petenda ſunt. In hoc ſecundo de his ſignis verba facturi ſumus, quæ ab excrementis in morbis acutis accipiuntur, quib. ita explicatis ad primum inſtitutum noſtrum cõuertamus nos, videlicet ad verba Hip. quæ in hunc modum ſonant.

Aqua intercutem omnis.

Aqua intercutẽ Latinis affectus eſt, qui Hydrops, vel Hydropiſis, vel Hyderos a Græcis appellatur: D quia in eo affectu plerumque aqua in inferiori vẽtre intra abdomen copioſa colligitur. Hydor enim Græce dicitur aqua, fit autẽ ſemper morb. hic ex eo quod læditur facultas illa, cuius officium eſt ſanguinem per eam concoctionem generare ex cibo prius in vẽtriculo concocto, & poſtea ad iecur trãſlato, cuiuſq; prima ſedes in iecore eſt. Huius facultatis actio ſi vitietur, & corrumpatur pro ſanguine bono generatur aut aqua, aut ventus, aut ſanguis quidam pituitoſus, & frigidus, ex quo laxa quædam cruda, & frigida gignitur caro per vniuerſum corporis habitum, vnde in tumorem quẽdam laxum, mollem, flaccidum intumeſcit vniuerſus corporis habitus. Hinc inſurgunt tres differentiæ aquæ intercutem, prima timpanitis a ſonitu, quem reddit venter percuſſus, dicta, aſcitis a E ſimilitudine vtris, quem venter refert. Tertia Hypoſarca, vel Hipoſarcidium, vel leucouphelegmatias, quæ quidẽ a colore, & humore λευκοφλεγματία dicitur, vel loco quo ſuccreſcit tumor videlicet in carne, Hypoſarca quaſi ſuccreſcens carni dicitur, quæ quidem differentiæ proximorum ortum habent ab aliquo iocinoris affectu, qui aut ipſius primarius ſit, aut per conſenſum aliarum partium, quæ prius male affectæ fuerint. Ex primario affectu, quando aut ſequitur inflammationem, aut ſcirrhum, aut obſtructionem magnam, aut aliquam calidam intemperaturam iecoris, vt in febribus, aut frigidam, vt ex potu aquæ ſrigidæ, vel ex aerę frigido, vel ex eius reli-

A quis affectibus, de quibus copioſus ſermo factus eſt vltimis exercitationibus anni prçteriti: conſenſus autem cum iocinore frequentiſſime earum partium eſt in primis, quæ aliquam connexionem cum eo habẽt, aut affiuitatem, quarum duplex ratio eſt, nam aut quia inter ſe vicina ſunt viſcera, aut quia colligata ſunt multis, aut inſignibus vaſis, nẽpe venis, arterijs, neruis, aut vtraque ratione. Viſcera vero, quæ in vẽtre inferiori, qui ab vltimis coſtis thoracis ſuperius terminatur, & oſſibus femoris inferius continetur, & quæ maxime ſunt iocinori vicina, vt quædam id etiã tãgãt, & plurimas, & magnas venas illi annexa ſunt. Locum autem hunc ventrem appellarunt, quia flaccidus, & mollis ſuapte natura eſt, & collatus cum ſuperioribus, & inferioribus partibus, quę refertę ſunt B oſſibus, quaſi inanis videtur, niſi quis forſitan ſe cibo impleuerit, vt ſæpe facere ſolẽt, qui bacchanalia viuunt. Ideo hæ ceneones quaſi inanes appellantur, & lapara, hoc eſt flaccida vniuerſa hæc pars ab Homero poeta interdũ nuncupantur. In hoc itaque vẽtre ea viſcera à natura ſunt collocata, quæ præ alijs poſſunt aquam intercutem ſi male habeãt, ꝓgignere, nimirum primum, & præcipuũ iecur eſt, citra cuius offenſam nequit neque conſiſtere is affectus. Deinde lien, quẽ præcordia vtrinque occupant: mox meſenterium, quod, vt noſtis Lactes à latinis dicitur, & mediam rationem occupat ad lumbos fere, poſtea vero gracilia inteſtina, quæ in ventris inferioris infimam fere partem digeſta ſunt, & hæc quidem pri- C mum, proxime vero ipſum, neque ex ſe, niſi iecur in conſenſum trahunt, perducere ægrotum ad Hydropem poſſunt, quia is affectus ſequitur errorem facultatis cõcoctricis, eius principium eſt iecur, ab eo enim per concoctionem ſanguis generatur, & ex errore in ſanguinis procreatione commiſſo fit aqua intercutẽ. Quemadmodum enim ait Galenns, cibus & alimentum primum in ventriculo concoquitur, ita poſtea vbi excoctus in ventriculo ſit, iterum in venis, & iocinore coquitur, & in ſanguinem vertitur, & vt ventriculus quandoque ipſe ex proprio affectu deficit ab officio, & opere ſuo, quandoque vero cum alijs conſiſtens: ita iecur interdum ex ſuo proprio vitio in concoquendo errat, interdum vero cum alijs cõſen- D tiens, & particeps factum eſt vitij aliarum partium, nominatim autem nullius viſceris meminit, niſi iocinoris, tanquam eius, quod in hoc affectu principatũ habeat, & ſine quo factum ſit nihil. Igitur quodcunque horum ſi male ſe habeat, & eius morbus magnus ſit deducto iocinore in conſenſum, poteſt eſſe in cauſa Hydropiſis, quæ quidem ſi morbum aliquem acutum harum partium ſequatur, malum omnino immo mortem indicat futuram, & magnam in eo affectu moleſtiam, quia neque a febre leuat ægrotum, & dolorem vehementem affert, ita vt lethalis ſit: quod quidem propterea ab Hippoc. additum eſt, quia quiſpiam parum artis medicæ peritus, qui audierit ſæpe morbos ſuperuenientibus alijs morbis illis cõtrarijs curatos fuiſſe, aut inde maximam conſequutã fuiſſe E vtilitatem, ſicuti conuulſionem a febre ſuperueniente curari, aut iuuari dixere Hippoc. in Aph. itẽ epilepſiam, & inſaniam interdum a quartana febre, putaret forſitan febrem acutam, quæ comes eſſe ſolet plerumque acutorum morborum, & calidiſſimus morbus eſt, iuuari, & remitti poſſe ex aqua intercutem, vtpote, quia morbus frigidus ſit. Quare addit Hipp. quod nihil exinde leuior ſit febris, ſed magis natura grauatur, & dolores, ſi qui ſint non leniũtur, ſed augentur: & hæc quantum ad contextus expoſitionem. Aſpiciamus modo ſi quid ſit notatu dignum in comm. Galen. Primo ergo notat ipſe, quod ſicut in 1. lib. vbi præcipiebat, eum, qui recte eſſet præſagiturus inſpicere primum faciem ægrotantis: an ſit

illa

illa ſimilis ſui, quum bene valebat, an ſecus, eos redarguerat, qui putabant, illud præceptum fuiſſe ab Hip. propoſitum tanquam in omnibus morbis tam diuturnis quam acutis in vniuerſum obſeruandum, & ex verbis ipſiuſmet Hipp. deſcriptis in cõtext. 36. in calce fere iſtius operis, vbi ait. Et hæc intellige de morbis acutis, & alijs, quæ ex his fiunt, quibus plane intelligendum eſſe voluit, quæ hic dicuntur, quæcũque illa ſint, ita accipienda eſſe, ac ſi de acutis eſſent dicta, aut de his, quæ morbis acutis ſuccedunt, & ab illis ſuum habent initium. Et proinde cum in Aph. dixerit acutos morbos in quatuordecim diebus terminari hic tamẽ eorum meminit, quorum terminus ad quadrageſimum vſque, & interdum ad ſexageſimum diem protrahitur, ita & in hoc libro de aqua intercutem, & de quartanis, & de ſuppurationibus, & de tabidis ſermonem habiturus, non de omnibus eius generis affectibus, id quod ipſe proponit accipiẽdum eſſe voluit, ſed de his, quæ acutos morbos ſequuntur, & propterea addidit ſi qui ex acutis morbis ortum habeant. Secundo notandum, quod aqua intercutem dico, quæ ex acutis morbis exordia habet, videtur duas differentias cõſtituere, ita enim ait: *Oriuntur quidem ex inanibus locis, & lumbis,* Intelligẽs eos, qui a meſenterio, quod lactes Latini appellant, & vacuis partibus, hoc eſt ab inteſtinis ægrotant. Hos ergo Hydopricos affectus ex vna parte collocat, quia eandem materiam, & eandem rationem habẽt, quia omnes cum primario laborante iiocinore fiunt, ſed ex harum partium conſenſu, ex altera autem parte iecur, quia primo ipſum ſequitur eius affectus, neque alioquin eget aliorum conſenſu. Tertio notat Galen. quod duæ ſunt concoctiones communes alimenti, prima fit in ventriculo, altera quę in iocinore, quæ penitus in hoc ſimiles ſunt, quod vtraque interdum integra fit, vt eius natura requirit, interdum vitiatur ex labe in viſcere contracta, talis vero in vtroque viſcere eodem modo contrahitur. Nam vt ventriculus interdum pro primo affectu laborat, interdum aliorum conſenſu, ita eſt iecur. Quarto notat, quod inanes partes ad gracilia inteſtina, & ieiunum referũtur. Meſenterium ad lumbos, poſtea nominatim iocinoris meminit, quo ad alterum dextrũ nempe pertinet, ſiniſtri vero qua parte lien conſiſtit nullam mentionem facit: quod propterea ab Hippo. factum eſſe autumat, quia lien quidem plerumque ad Hydropem perducit ob tumorem durum appellatum ſcirrhũ, qui tumor ſolet ſequi rariſſimos morbos acutos, ſed plerũque diuturnos, quare eius mentio ad noſtrum inſtitutum nihil facit. Reliquum eſt ergo, vt dubitationes, quę ex verbis vtriuſque authoris oriri poſſunt, diſſoluamus. Prima ergo eſt, quam dum contextus explanaremus, expoſuimus, videlicet cur Hydrops neque febrem remittit, neque dolorem ſedat, cum ſit fere in prouerbio, contraria cõtrarijs curari? Refert quidam Grecus expoſitor, quẽ manuſcriptum habeo, quod quidam dixere, quod ideo non poteſt leuior fieri febris, quia illa totũ corpus occupat, humor vero tãtũ in vna parte colligit, non poteſt autẽ humor collectus in vna particula intemperiem in vniuerſum corpus diſperſam remittere. In idemfere tendit, quod ait Thadęus Florent. in ſuis comment. in hunc lib. ait enim, quod fomes febris in arterijs eſt prope cor: Aqua vero Hydropicorum continetur in peritoneo, & ideo quamuis circa mẽbra ea in inferiori ventre quoquo modo ex aqua remittatur, circa cor tamen, & proximas arterias remitti nequit, ſed reuera eſt apparẽs potius quam vera reſponſio, & quæ in cortice rei potius cõſiſtit quã interius ad medullam pertingat; & ipſe cauſam reprobat, quia ſi humor hic in vna tantum parte contineatur, verſatur tamen circa fundamentum, & cauſam feb. quia vſque ad præcordia maxime humore decumbente, ſicut in acutis morbis, eſt neceſſe, vt decumbat, pertingit, vt ex ea, & arterijs partes proxime cordi poſſint refrigerari, & humectari, & ipſum etiam ſubinde cor, quo refrigerato, & extincto eius feruore, facile vel ſponte reliqua refrigerantur. Sed addamus nos efficaciorem rationem acceptam ex verbis ipſius Hippoc. nam hic de aqua intercutem agit, quæ ſequitur morbos acutos, qui circa viſcera in ventre inani reſident videlicet iecur, aut ea quorum conſenſu ipſum afficitur: vnde & febris eorum affectus conſequitur. At acuti morbi in his locis exoriẽtes, aut plerique, aut omnes, vt in ſequenti Commẽtario ait Galen. ſunt inflammationes, quas conſequitur febris, quæ fere rationem ſymptomatis habẽt, vt ipſe etiam Galen. multis in locis antiquiores medicos ſenſiſſe teſtatur, & horum membrorum conſenſu cor afficitur. Vnde cum hæc aqua circa eas partes cõſiſtat, quæ primo affectæ ſunt, & a quibus, & Hydrops, & febris primam habent occaſionem, ſequitur quod remittente cauſa, & effectũ remitti ſit neceſſe. Vnde is author aliam explicat reſponſionem, quæ mihi veriſimilior viſa eſt, nimirum quod aqua, quæ in Hydropicorum ventre colligitur, & ſi conſequẽs ad oculorum imaginationem, quæ ex colore, & ſubſtantia inſurgit, aqua videatur frigida, & humida poteſtate tantum, & ſuapte natura cum humor vitioſus ſit, & nitroſus, neque expers ſit ſalſedinis, & nitroſæ cuiuſdam qualitatis, atque alicuius particeps putredinis, non poteſt non calefacere, & exſiccare, & proinde etiam, vt in ſequentibus videbimus in hoc affectu inexhauſta quædam excitatur ſitis, & hoc eſt in cauſa, cur non extinguatur, ſed potius accendatur febris, & hæc reſponſio ex Galeno excerpta eſt paulo inferius, vbi rationem refert, quare plurimum ſitiant Hydropici. Sed aliquis iterum quęreret, at cur adeo lethalis eſt hæc aqua intercutem? Dico quod tam ratione cauſæ quam ratione ſigni res hæc grauis eſt, ratione quidem ſigni, quia cum vt ipſe dixit Hydrops ex imbecillitate iecoris, & ea inſigni ortũ habeat, quod initium eſt facultatis naturalis, qua potiſſimum egemus ad hoc, vt curentur morbi materiales, per hanc enim concoquitur morbus, per eandem iudicatur, eius enim munus excrementa ſecernere, & repellere eſt: & ſi quo in morbo egemus viriũ & facultatum robore, in acutis egemus, vt dum de affectibus iocinoris, & ventriculi ageremus, ex Gale. ſententia expoſuimus. Significat ergo aqua intercutem ſuperueniẽs defectum naturalis facultatis, quod quidem peſſimum eſt, ſed & in ratione cauſæ. Nam priori morbo graui, hic etiam grauis, & difficilis accedens non poteſt non ingentem minari ruina. Præterea cum eius intercutem aqua, vt dixit Hippoc. vehementes dolores excitet, dolor fere, & febrem augeat, vires diſſoluat. Hac etiam ratione malus, & lethalis eſtis affectus. Quod ſi interrogaueritis, quã ratione in Hydrope hi vehementes concitantur dolores, reſpondebimus in ſequenti commentario.

2. *Quibus ergo ex inani parte, & lumbis principia aquæ intercutem fiunt, his pedes intumeſcunt, & alui fluor diuturnus fit, neque exſoluens dolorem, qui ex inani parte afficitur ac lumbis, neque molliens ventrem.* Duplicem aquæ intercutem, quæ in morbis acutis ſolet euenire ortum eſſe dixit. Nam vel a lumbis, & locis inanibus, quæ fit his quidem primario laborantibus, iocinore vero cum his in affectu conſiſtente. Aut vero ipſo iocinore primum male affecto, vnde in præſentia has duas Hydropum differentias diſcernere proprijs ſignis, & ſincerioribus docet, & primo eam quæ fit laborante iocinore conſenſu aliarum partium, deinde in ſequenti nimirum particula altera, quæ ſequitur proprium affectum iocinoris, exponit itaque

ea ſymptomata, quæ aquæ intercutem ex alijs viſceribus male affectis primum ſolent aſſidere. Imprimis vero eſſe ait, tumorem pedū, qui œdemate, hoc eſt, molli, laxo, frigidoque tumore intumeſcunt, mox & fluorem alui diuturnum, ex quo fluore, neque dolores, qui in lumbis & inanibus partibus excitantur, quoquo modo leuantur, neque tumidus & tenſus venter detumeſcens ex ea euacuatione molleſcit: quibus hoc, mea quidem ſententia, voluit indicare, quod nihil boni ex eiuſmodi affectu, neque ex his quæ affectum ſequuntur, quamuis in alijs plurimum poſſunt, præcipue vero alui fluor, expectandum ſit, & ea propter etiam pernitioſus, & malus eſt is. Is itaque ſenſus eſt Hippocr. videamus quid in hac parte Galen. notat. Primum ergo Galen. notat, quod id quod in principe parte dictum eſt ab Hippocr. videtur quod his pedes intumeſcunt, non ita accipiendum eſſe, quaſi hoc ſymptoma ita peculiare ſit, & propriū iſtius affectus differentiæ, vt alijs nullomodo conueniat, vt tanquam propriū & pathognomonicum ſignum dicatur, quin imo inter aſſidentia ſigna referendum eſt, eſt enim commune cuicunque Hydropi, ſiue a ieiuno inteſtino, ſiue gracilibus, ſiue a meſenterio, ſiue a iocinore, ſiue a liene primum ortum habeat. Sed fortaſſe aliquis veſtrū cuperet percipere, cur in aqua intercutem pedes tumeant. Dicimus, vt Græcus expoſitor ait, quod pedes pluribus de cauſis intumeſcant, & prior quidem hæc eſt, quare hoc conſtituto aquam intercutem gigni naturali facultate, vel ex proprio iocinoris affectu, vel alterius, ſed cui iecur conſentit, neceſſe eſt, vt ea parte laborante, quæ initium eſt, & fons alicuius facultatis, cum ea cæteræ illius corporis particulæ conſentiant, quæ facultatis illius ſunt participes, non tamē æqualitatis, ſicut neque omnium vires & robur æquales ſunt. Nam cum calor naturalis, de quo multa anno præterito diximus, ſit fundamentum, imo vt ſenſiſſe Hippocr. Galenus teſtatur, ſit ſubſtantia omnium facultatum, vel ſaltem proximum & proprium earum inſtrumentum, partes quæ validiores & fortiores ſunt, magis & valentius reſiſtunt incommodis, atque morbificis cauſis. Sunt autem fortiores illæ, in quibus viget magis calor naturalis, qui magis viget in his, quæ viciniores ſunt initio & fonti caloris, quare hoc proprium eſt cuiuſcunque naturalis agentis, ſicut Philoſophi teſtantur, vt citius & magis agant in partem propinquam quam remotam: deinde vero cum ſubſtantia caloris ſit præcipue in ſanguine & ſemine, quæ partes ſunt magis ſanguineæ, illæ plus caloris naturalis habent, quæ vero exāgues minus. Pedes ergo vtraq; ratione parum habent caloris, coagmentantur enim ex plurimis oſſibus, multis ligamentis, multis & magnis chordis, modica autem carne præ horū comparatione: quare frigidi natura ſunt, ideo in eis primum apparet defectus naturalis caloris, præſertim quantum ad concoctricem facultatem pertinet: quare primi intumeſcunt, tumor enim ille fit propterea, quia alimentum, quod defertur, vt alantur ex imbecillitate facultatis naturalis eorum, cuius eſt munus alimentum concoquere & tranſmutare in ſubſtantiam eius, nequit exquiſite immutari & confici. Vnde eius bona pars in vapores quoſdam flatuoſos & craſſos vertitur, quibus digeſtis & diſperſis per partes teneriores, & magis carnoſas pedum, illi in tumorē attolluntur. Accedit ad hoc, quod a ſuperioribus partibus, in quibus etiam aliquod vitium contractum eſt, aliqua pars tenuis & quaſi ichoroſa defluit: hæc eſt ratio cur tumeant pedes. Sed quiſpiam quæret, cur non & manus, quæ ſimilem videntur habere rationem quantum ad partes, ex quibus conſtituuntur? Reſpondit quidam Græcus author, ſed adeo obA ſcure (ob id forſitan, quia aliquid videtur deficere) vt vix percipiatur quid velit interpretari, ſed nos dicamus, quod differens ratio eſt ex vtraque parte, & id præcipue ex ſitu ipſarum partium: nam ipſæ manus, quæ in ſuperiori parte ſunt, magis a calore naturali foueri poſſunt, quia ſpiritus & ſanguis, qui & tenuior & calidior eſt, atque ob id in quo maior vis innati caloris conſiſtit, facilius ad ſuperiores partes aſcendit, quàm ad inferiores deſcendat: vnde facies ab externo frigore minus afficitur, quàm aliæ partes. Præterea vero ſi quæ excremēta incōcocta ex errore concoctionis ſuperiorum viſcerū gignantur, ea facilius ad pedes deferuntur, quam ad manus. Notat deinde Galen. quantū ad ſecundum ſignū, quod,

B vt diximus, ſæpe morbi acuti, quos aqua intercutem ſequi ſolet, plerunque ex inflammatione eorū viſcerū ortum habēt, quorū paulo ante meminimus. In præſentia vero de his, quæ a vacuis partibus & lūbis incipiunt, hoc eſt vitio gracilium inteſtinorū & meſenterij, ſermo eſt. Per meſenteriū autē & gracilia inteſtina digeſtæ ſunt venæ meſaraicæ appellatæ, a quibus exugitur ſuccus, & per quas tranſit exuctus ad iecur, vt vertatur in ſanguinē, cui clauditur & intercipitur tranſitus, cū particulæ illę inflammatione tētantur. Vnde cum venæ nequeunt iocinori operam ſuàm præſtare in diſtributione alimenti, illud in ieiuno & reliquis gracilioribus inteſtinis manet, & ea aggrauat: quò fit, vt quāuis imbecillia ſint, a grauitate illius materiæ incitata, cogantur omnia dolere, &

C hæc eſt iſtius diuturni fluxus cauſa. Sed & huic alia accedit, nempe quod materia illa, dum in inteſtinis moratur, a calore inflammationis, qua correptæ ſunt partes illæ, corrumpitur: & ſubinde, vt rationi conſonū eſt, eam ob cauſam multa in inteſtinis bilis congeritur, quæ cum acris & mordax ſit, pūgit inteſtina, & ad excretionem irritat: & hæc eſt altera cauſa longioris fluoris alui. Tertio Gal. rationem reddit, cur ex fluore non molliatur & flacceſcat venter, cum tamen in Aph. dixerit Hippocr. quod morbi ex repletione facti vacuatione curantur, cur ergo ventris plenitudo læſa hac fluxione non tollitur,? vnde videlicet dicit Galen. quòd ſi quis reſpiciat ad ea, quæ hactenus dicta ſunt, facile percipiet quod bona ra-

D tione fit, vt non detumeſcat venter, quia vt idem Hippocr. dixit, ſi qualia oportet purgari, purgentur, & confert, & bene ferunt, alioquin autē contraria. videlicet vt venter detumeſcat, oportet humorem in eo contentum vacuari non cibū corruptum, cui non eſt aditus ad iecur. Quarto etiam Gal. notat in Hip. verbis, quod dū dicit, neque dolorē leuat, innuit excitari dolores in hoc affectu, pluresque exponit rationes, cur dolores concitentur. Prima quidem, quia dū corrupti quos diximus humores per inteſtina feruntur, mordēt, & dolores afferūt. Præterea & ichores acres exudantes ab inflammatis partibus ad inteſtina delati & ipſi mordaces addunt cauſæ dolorū, præter id quod & inflammationes earū partiū ſolent

E eſſe comites doloris, ſed addamus & hanc, quod deficiente natiuo calore, & imbecilliori reddito, multæ gignuntur cruditates, & propterea etiam multus flatuoſus ſpiritus, quo repleta inteſtina turgēt & intēduntur, atque ſubinde dolores excitantur, & venter in tumorem attollitur. Sed & ex dictis vnuſquiſque iam poteſt cauſam comprehēdere, cur in aqua intercutem hic diu fluat aluus, neque tamen ſedatur dolor, neque de ventris tumore detrahitur.

3. Quibus à iecore aqua intercutem incipit, tuſsire quidem cupiditas eſt, ſed nihil excreant computatione dignum, pedeſque intumeſcunt, os venter deijcit niſi dura, ac pro neceſsitate, atque etiam circa ventrem œdemata fiunt, partim in dextra parte, partim in ſiniſtra conſiſtentia deſinentiaque.

Ad alteram aquæ intercutem differentiam accedit, quæ a iecore per eius primarium affectum habet ſuam originem, & quæ ſymptomata eam ſequũtur exponit, quibuſque diſcerni poſſit. Primum itaque ſymptoma eſt, quod in his, qui ob iecur primario affectu laborãt, fiunt Hydropici, exurgit a principio ſtatim propenſio quædam ad tuſſiendum, leuis tamẽ eſt ea tuſſicula, & ſine aliqua vtilitate, quare & ſi tuſſiant non tamen aliquid extuſſiunt, quod alicuius ſit momenti, ita vt eo ſcreatu leuari videãtur ab ea moleſtia, quæ illos ad tuſſiendum incitabat, vnde & leuis, & breuis eſt tuſſis, quia cum tuſſiendo nihil proficere videantur, à tuſſiendi actu cito deſiſtunt. Vbi id animaduertere debetis, quod hoc ſymptoma non eſt ex his, quæ in hoc morbo ſequuntur proprium, & primarium affectum iocinoris, ſed affectum aliarum partium, quæ cum iocinore primum affecto in conſenſum veniunt, nimirum partium ſpecialium, quæ ab affecto iocinore lęduntur. Vnde cum eſt propriũ ſignum aquæ intercutem ex affecto iocinore ortũ habentis, ſed eius duntaxat, quæ ex iocinoris tumore procedit. Nam ſi alia occaſio eſt, vtpote intemperie aut calida, aut frigida citra tumorem excitatum in iocinore ortũ haberet, nõ ſuboriretur eius tuſſiẽdi deſiderium, ſed & hoc debetis intelligere; quod quæ de hac tuſſi dicta ſunt, intelligenda ſunt cum ea apparent incipiente Hydropico affectu, aut enim ſignum eſt originem habuiſſe à iocinore inflammatione affecto. Nam omnes Hydropici aucto morbo & plurimum intumeſcente corporem, tandem a tuſſi arripiuntur, quod peſſimum ſignum eſt, vt 6. Aphor. 35. habetis, & fere deſperatæ ſalutis. Iam enim adeo excreuit aqua, vt ad pulmonis arterias perueniat, q̃ notat Græcus expoſitor. Secundum ſymptoma ſignificans hanc differentiam aquę intercutẽ, eſt quod, pedes intumeſcunt ſicut in ea, cuius priori particula meminit, & propterea de his nõ alioquin loquemur, niſi cum ea examinabimus, quę a Galen. in commẽt. dicuntur. Tertium vero, quod aluus ſe habet quemadmodum in priori illius affectus differentia, in ea enim diarrœa, & fluxio diuturna plurimum illi moleſta erat, at in hac aluus aſtricta potius eſt, quæ niſi dura, & arida excrementa deijcit, atque ea vi & neceſſitate quaſi impulſa. Quartum eſt, quod non modo pedes, perinde vt in priori aquæ intercutem differentia tumidi fiunt, ſed etiam citra ventrem tumores excitantur, qui interdum attolluntur, interdum euaneſcunt: quo loco & id eſt animaduertendum, quod tumores, de quibus hic ſermo ab Hippoc. habetur, nunquam de proprio ſymptomate huius differentiæ Hydropiſis, cum ſunt totius ventris inferioris tumores ex materia inter inteſtina, & peritoneum in Hydrope collecta, quare huiuſmodi tumor communis eſt omni aquæ intercutem, quæ aut in aſcitem, aut timpanitem referenda ſit a quocunque viſcere incipiat. Sed tumores iſti, qui priuatim in hac differentia attolluntur, ſunt tumores, qui in cute, & cutaneis partibus excitantur redundantibus ſanguine pituitoſo, ex quo caro mollis, & tenera crudaque, & alba gignitur. Vnde tumores illi pedum prioris illius differentię cum digitis premuntur, non excauantur relicta fouea ad digitorũ figuram, ac paulo poſt ad priorem ſtatum. Hi vero cedũt, & excauantur, vel veluti fouea aliquando diu remanent. Præterea tumores hi inter initia non perpetuo manent in eodem loco, ſed nunc in dextra attolluntur, ac mox ibi deliteſcunt, poſtea vero in ſiniſtra: & ita ſubinde iu alijs partibus. Sed ad commentationem Galen. redeuntes accedamus, primum ergo refert rationem, & cauſam exponit, cur inſurgat quoddam tuſſiendi deſiderium, atque veluti quædam propenſio, atque quod quotieſcunque pectoris & pulmonis viæ, per quas ſpiritum attrahimus, anguſtiores fiunt, quàm natura & refrigerij neceſſitas requirit, quod fit è copioſo aere inſpirato: tunc natura tuſſim citat attracto vi prius multo aere, ac eo poſtea violento impetu expulſo, vt exturbet & reijciat id quod ingreſſum multi aeris intercipit & prohibet. Fit autem anguſtia hæc aliquando ex proprio earũ partiũ affectu, vt ex aliquo tumore exorto in pulmonibus, verbi gratia, ex eius inflammatione, quæ dum in tumorem attollitur, comprimuntur aſperæ arteriæ, & in ipſis reliqua vaſa aliquãdo ex materia in eo collecta, quæ ex capite deſtillauerit: interdum vero exprimario affectu non harum, ſed aliarũ partium, quarum conſenſu perinde ſpatia illa fiunt anguſtiora, vt ex inflammatione pulmonum, hoc autem facillime fit, cum iecur intumeſcit, nam ſedes iocinoris ſtatim ſub præcordijs eſt, vt ſepto tranſuerſo illi adeo annexum eſt, ſicut in tractanda ſæpe anatoome vidimus, vt non facile deinde poſſit diuelli: quo fit vt cum inflammatum intumeſcit, ſurſum cõprimat & impellat præcordia, & cum his pulmones. At quod anguſtia eadem fere in vijs ſequitur, quæ fit cum in illis excitatur tumor, & ſubinde eadem tuſſiendi cupiditas, ſed parum tamen tuſſiunt, vbi incœperint, ſtatim etiam deſinunt; quo fit vt deſiderium multum ſit, non tamen longa ſequitur tuſſis, ſed quædam ſolum tuſſicula, & hoc fit, dicit Gale. quia nihil fere excreant, dico quod ſit alicuius momenti, ex quo ſe aliquid leuari ſentiant, neque enim aliquid aliud per tuſſim eijcitur, niſi pauci quidam ichores tenues in iſtis arterijs reperti, ibique collecti per expreſſionẽ factam è vaſis in modũ ſudoris ab ipſa tuſſi. Percipientes igitur ægrotantes in tuſſiendo ſua ſpe & deſiderio defraudari, deſiſtunt ſtatim a tuſſi. At quiſpiam dicet, cur ergo ad tuſſiendum redeunt, quia natura ſponte & per ſe a moleſtia ex ea anguſtia percepta excitat etiam nolentes ad tuſſiendum, ita vt illis admodum difficile ſit reſiſtere, imo ſæpius vincantur. Hæc itaque ratio eſt ſymptomatis primi, quo diſcernenda eſt hæc differentia, aquæ intercutem a Galen. a priori expoſita. Alterius vero ſymptomatis ratio eſt, nẽpe quod ſicut in priori erat aſſidua alui fluxio, ita in hoc non deijciunt, niſi parum, & id aridum & durum, & hæc ab eo refertur, quia alimentum in ventriculo prius confectum, cum non cogatur inde cito deſcendere, neque enim inteſtina adeo, vt in priori laborant, neque ita incitantur ab onere alimenti grauata, vt cito id a ſe propellant: neque inflammata ſunt, vt ab eius loci igneo calore corrumpatur in vitioſa & acria excrementa, a quorũ acredine & mordacitate irritentur ad excretionem: vnde ibi aliquandiu manens aſſatur, & pars humoris, qui in eo eſt, digeritur in halitum, & abſumitur a calore inflammationis: pars altera ad concauitatem, quæ eſt inter peritoneum & inteſtina, quaſi per venarum oſcula vel meatus excolata demittitur, vt deinde communia primæ concoctionis excrementa dura & arida relinquantur. Tertij ſymptomatis ratio hæc a Galen. refertur, nempe quod in huius aquę intercutem differentia, quæ ex inflammatione iocinoris ortum habet, non modo pedes, verum & pellis totius ventris intumeſcit molli quodam tumore laxo & pituitoſo, qui a Græcis œdema dicitur, nimirum quia facta imbecilla facultate, cuius munus eſt ſanguinem generare, atque calore naturali in iocinore & venis langueſcente ſanguis pituitoſus generatur, quo deinde cutis alitur & ex ſanguine pituitoſo eius procreantur tumores ex pituitoſa materia cum flatu multo. Sed notat hic idem Galen. quod non ſtatim vbi acutus morbus in Hydropem tranſit, fiũt hi tumores circa ventrem, inter initia enim pedes intumeſcunt, vtpote qui remotiores ſint a calidiſſimis

viſceribus

viſceribus, vt eſt cor & iecur: ſed increſcente deinde
malo tota cutis ventris fit iſtius ſymptomatis parti-
ceps: & hi tumores molles, vt diximus, ita ſunt, vt ve-
ſtigiũ impreſſionis rei comprimẽtis, tanquã foſſulam
quandam aliquantum ſeruent, quę poſtea iterum re-
dit ad primum ſtatũ. Qui etiam tumores inconſtan-
tes ſunt, vtpote qui nunc vnam, nunc aliam partẽ at-
tollunt, ac mox deliteſcunt, & hoc quidem fit, donec
aliquid adhuc poteſt calor naturalis. Nam cum tu-
mores illi fiant a pituitoſa materia quoquo modo fu-
ſa, & ex parte in craſſum ſpiritum conuerſa, ſi calor
naturalis aliquid etiam roboris ſeruet, materiam illã
digerit & diſcutit, qua diſcuſſa pars detumeſcit. Sed
cũ cauſa, qua prior tumor genitus eſt nõ deuenerit;
iterum alibi redeunt tumores, & iterum diſcutiũtur,
donec calor ita fiat imbecillus, vt non amplius eam
vim habeat, vt poſſit digerere & diſcutere eos tumo-
res: tunc enim aſſidui ſunt, neque aliquando delite-
ſcunt. Addit præterea Gale. quòd quamuis pedes in-
tumeſcant in vtraq; aqua intercutem, de qua in præ-
ſentia ſermo eſt, non tamen eadem eſt tumoris ratio,
quia in hac ſecunda tumor digitis cedit, relicto veſti-
gio: in priori non ita cedit, vt veſtigiũ remaneat, quia
in hac plus eſt pituitoſæ ſubſtãtiæ, in alia plus ſpiritus
flatuoſi, pituita enim, quæ magis lenta & craſſa eſt,
diutius detinet quàm ventus, vt in vtre vento pleno
patet, ex alia alioquin materia lenta & craſſa: Hæc
erant ex Gal. notãda. Sed nobis eſt reliqua dubitatio
ſoluenda, neque admodum facilis, nam in exponẽdis
præſagijs Hippocr. non recte videtur ſe gerere, quia,
vt ſuperius diximus, præſagia vel prognoſtica ad ſi-
gnorum rationem pertinent. Aqua vero intercutem
ſignum dici nequit, quia ſignum & ſymptoma vna
& eadem res eſt, vt authoritate Galen. in Aph. oſten-
dimus. At aqua intercutem morbus eſt, non autem
ſymptoma; diuerſiſſimæ autem rationes ſunt, mor-
bi & ſymptomatis, vt ſæpe teſtatur Galen. in lib.
de morbis & de ſympt. Reſpondemus quod verum
quidem eſt, quod morbus & ſymptoma rationes
habent plurimum diuerſas, dico tamen quod ali-
quando per ſe morbus eſt, quoniam videlicet pri-
mum & per ſe lædat actiones, aliquando aliquid
poteſt accidere, quod facit illud aliquam ſympto-
matis rationem ſubire: & ſic tanquam ſignum ac-
cipi. Verbi gratia Hydrops, quando Hydrops eſt,
hoc eſt mala intemperatura, ex qua læſa facultate
concoctrice generatur aut aqua, aut ventus, quo
venter repletur, morbus ſemper dicitur: quum ve-
ro illi accidit, vt alium morbum ſequatur, videli-
cet acutum morbum, nempe inflammationem ali-
cuius viſceris, hac ſola ratione poteſt aliquam in-
ducere rationem ſymptomatis & ſigni: nam ſym-
ptomatis proprium eſt ſequi morbum, ſicut ef-
fectus cauſam ſequitur, vnde & Hippoc. non dicit,
aquam intercutem omnem malum pronuntiare, ita
abſolute & ſine alia determinatione, ſed addit, ſi ex
acuto morbo incipiat. Sed ſi quiſpiam vlterius du-
bitet. Ad quod ergo genus ſymptomatis eſt ſub hac
ratione referenda hæc affectio? Dicerem primum
quidem ad actionem læſam, cum manifeſto appa-
reat læſa actio facultatis concoctricis, quamuis &
expultricis, etiam cum aqua nequeat per renes fa-
ctos imbecilliores attracta per vrinam expelli. Sed
& in ea, vbi eſt fluor alui immodicus, eſt exiens,
vel excrementum mutatum, cum corrupta deijcian-
tur, tumor vero ventris & pedum ad mutatam cor-
poris qualitatem refertur.

4 *Si caput, manus, ac pedes frigidi ſunt, ventre coſtiſ-
que calentibus, malum eſt.* Quid verba propoſita ſigni-
ficent, ſatis vnicuique vel Grammaticæ perito perce-
ptu facile eſt, videlicet quòd cum extremæ partes in
morbo acuto frigent, calent tamen venter ac coſtæ,
A hoc eſt pectus, ſignum malum: & ideo quantum ad
huius textus, vt aiunt literalem expoſitionem, nolu-
mus tempus terere, ſed ſolum ea exponere, quæ vti-
lia poſſunt eſſe ad rationem præſagiendi ex occaſio-
ne horum ſignorum. Nam aliquibus diſſolutionibus
eget hæc ſententia, vt vis eius exquiſite percipiatur,
adeo enim eſt magni momenti, vt nulla fere repe-
riatur, cuius Gal. ſæpius meminerit, quam huius. Eſt
ergo primum conſiderandũ, quod hic ex parte Hipp.
exponit. Aphoriſticã ſentẽtiã propoſitã 7. Apho. pri-
mo, videlicet in morbis acutis frigiditas extremarum
partium malũ: & ex parte ab hac illa exponitur; nam
hic per partes extremas quid intelligendum ſit ex-
planat, cum ait, ſi caput, manus, & pedes frigidi ſũt:
B quamuis Galen. 2. de ratione victus in morbis acutis
cõm. 4. dixerit, extrema, quæ ſunt pedes & manus,
ibi autem exponit in quibus morbis intelligi debeat
hæc ſententia, quia in morbis acutis quamuis & hoc
potuerit haberi ex ſcopo, quemadmodum ſibi in hoc
li. Hipp. propoſuiſſe diximus, nẽpe quod non niſi de
acutis morbis loqui, aut de his, qui ex acutis ortum
habuere, tamen vt vtriuſque loci tã in Apho. quã hic
plenã habeamus intelligentiam, primum hoc debe-
mus intelligere, quod eſt, omnib. alijs partib. extre-
mæ facilius & citius in ægrotis & in ſanis frigeſcunt,
tũ ratione compoſitionis, tũ ratione ſitus: conſtitutę
enim ſunt ex partib. exanguibus, vt oſſa, nerui, chor-
da, & ligamenta ſunt, quæ omnia ſuapte natura fri-
gida ſunt: modiciſſimaque in eis caro eſt, & ideo fa-
C cillime refrigeſcunt. Præterea ſunt a fonte caloris
remotiſſimæ, qui quidem in viſcerib. eſt, calidiſſima
enim ſunt cor & iecur, a quib. cætera omnia per ſan-
guinem & ſpiritus caleſcunt, vnde niſi admodum &
copioſus, & fortis ſit natiuus calor, non facile eouſq;
peruenire poteſt: quapropter in ſenib. citiſſime hæ
partes refrigeſcunt, atque præterea in morbis diu-
turnis interdum, nempe reſoluta multa caloris par-
te, ſed & in initijs paroxiſmotũ vel acceſſionũ in in-
termittentib. febribus, & interdum in continenti-
bus, ita enim ait Gal. vbi eſt aduertendum, quòd duę
ſunt cauſæ in vniuerſum frigoris extremarum par-
tium: Altera defectus innati caloris, qui præ inopia
& imbecillitate expandi & referri non poteſt vſque
D ad extrẽmas corporis partes: altera vero retractio e-
iuſdem ad interna viſcera. Primum quidem in ſenib,
etiam bene valentib. contingere ſolet, maxime, vt
Gale. ait, in hyeme: ſecũdum vero in initijs acceſſio-
num, quòd ſi ſenes febre laborant in intermittente
ex vtraque ratione in inuaſionibus, quas Græci epi-
ſimaſias appellant, frigeſcunt, pedes, & hæc fri-
giditas extremorum in diuturnis morbis, & in ac-
ceſſionum principijs nõ eſt adeo malũ ſignum: nam
videmus id plerumque accidere in his febribus. Nam
& ſi imbecillitas caloris ſemper malũ ſit, atque etiam
retractio caloris non fiat niſi ex aliqua moleſtia per-
cepta ab ipſa natura, cum tamen imbecillitas illa fit
paulatim, vt in morbis diuturnis, non ita terreſit na-
E tura, quæ cibis deinde & alimentis facilius & minori
noxa refici poteſt quàm in acutis. Retractio autem
caloris, quæ fit a natura ad depellendam moleſtiam
humoris delati per ſenſibilia membra in acceſſioni-
bus, non eſt perinde mala & pernitioſa, ſicut quando
vniuerſus ſanguis attrahitur ab inflammatione in
viſceribus perinde vt a cucurbitula vt Gale. exponit.
De priori itaque refrigeratione manuum & pedum
non habeamus in præſentia ſermonem, vtpote quæ
parum faciat ad noſtrum inſtitutum, ſed de ea, quæ
fit in morbis acutis agamus, & primum paulatim
exponamus quib. de cauſis refrigeſcant extrema in
morbis acutis. Ex hoc enim facillime, & quam ha-
beat rationem huius theorema vel præceptum per-
cipiemus, & quo modo malum pronuntiat. Gal. ita-
que

que 2.Aph. commẽ.26.multiplices reddit rationes, ob quas poſſunt in morbis refrigeſcere extremę partes, primam quidem, quam hic primo etiam iſtius libr.commen.48.& 46.Aph.4.5.& ex 2.lib.com.in tertium Epid.75.&c. 2.in primum ex magna inquit viſcerum inflammatione attrahente ad ſe omnem fere ſanguinem,&c. ſpiritum id euenire:vnde extremę partes,quæ ab his viſceribus remotiores fiũt,prius & magis a calore deſtituuntur. Sed eſt aduertendum, quod & ſi ſemper neceſſe ſit, vt magna ſit ea inflammatio,non tamen ſemper eadem eſt magnitudo,vnde etiã diuerſi ſequuntur modi refrigerationis, quãdocunque enim tantum caput manus, & pedes refrigeſcunt, calidæ tamen mediæ partes manent tam externæ quam internæ,vnde ſi manib.tractentur coſtæ,& venter,vt hic teſtatur Hipp.& exponit Gal.calent.Imo laudat ipſe Gal.vt intelligamus eas, & magis calere,quam ex earum natura eis deditũ ſit,quaſi dixerit,calor acrior percipitur perinde,vt in febribus interdum vero non ſolum manus,& pedes,& caput, verum vniuerſæ partes exteriores videlicet cutis, & cutaneæ partes pectoris:& ventris,& tunc maior lõge eſt inflammatio, vt quæ poſſit nõ ſolum ab extremis partibus,ſed ad omnibus exteriorib.calorem, & ſanguinem abſtrahere: & in his nequit fieri, quin ex hac maxima inflammatione non ſit in interioribus magnũ incendium,quod deinde ſequitur, & ſitis vehemens,& ariditas lingue, atque etiam nigredo. Et huc refertur ſententia expoſita 4.Aph.48. Hipp.in febribus, non intermittentib.ſi partes exteriores frigeant,& interiores vrantur, & ſitim habeant,lethale eſt. Vnde ſi animaduerteritis ex modo loquendi, hãc diuerſitatem oſtendit Hipp.nam hic in hoc Aph.ait lethale eſt, 7.autem Aph.1.& hoc loco quem expoſimus:tãtum ait eſſe malum, vtrunque ergo malum eſt, peius vero hoc, quod 1.Aph.deſcribitur quam hic:minorem enim, & minus malignam oſtendit inflammationem. Deinde vero fiunt extrema frigida ob id, vt eodem 7.Aph.cõ.26.idem ait, quia natura in ſe ipſam ob aliquam ingentem moleſtiam perceptam colligitur,& in ſe ipſam contrahitur ad ipſa nimirum principia, quæ mox conſequitur ſanguis, derelictis,non ſolũ extremis partibus,ſed externis omnibus,ita vt vniuerſa cutis refrigeſcat, & id duab.occaſionibus contingit, videlicet cum fortis aliquis,&c. vehemẽs dolor,vt eo Apho.docet Hipp.medias partes corporis occupat, vtpote ventris.Ad quod etiam referendum puto, quod dixit Gale.4.de ratione victus in acutis morbis, nẽpe quod interdum in abraſione inteſtinorum frigeſcunt extrema,& cum anima præterea defectus accidit, qui quidem fit in corde,vel primum:vel per conſenſum male affecto. Fiũt tertio frigida extrema in morbo acuto, ob imbellicitatem caloris,videlicet quia calor naturalis extinguitur,aut a magnitudine febris, aut a malignitate materiæ, aut ex nutrimenti defectu;fiũt & quarto quãdo calor naturalis prę multitudine ſtrangulatur:&c. id facilius contingit, quando ea materia frigida, & cruda eſt, quod etiam 4.de ratione victus in morbis acut.docet com.4.& hæc omnia in eius Aph.com. item expoſita ſunt. Sed addit præterea 2.de ratione victus.com.26.in acutis morbis, quod interdum frigent extremæ partes ob id, quia male habet os ventriculi, cum videlicet mordetur ab acri aliquo ichore:quod in morbis fieri poteſt,& citra morbos, ſicuti cum ex longa inedia bilioſus ichor os ventriculi petit, ita & in bilioſarum febrium acceſſionibus ſæpe fieri ſolet,interdum vero ob cibi multitudinem,quia ab eius nimia moleſtia aggrauatur os ventriculi.Hæc vero ex conſenſu cordis cum eo contingunt. Sed addamus,quod idem poteſt contingere ex multitudine craſſorum humorum, & maxime ſi crudi ſint,vt ſępe in febribus accidit,quę a Iunioribus,& ab Arab.ſyncopales humoroſæ dicuntur. Sed ex his omnibus id colligere poſſumus,quod quamuis ſemper extremarum partium frigus ex cauſa mala ortum habeat, nõ tamen res, aut lethalis ſemper eſt,aut ingens admodum malum,&c. periculum minatur, niſi aut quando propter inſignem inflammationem, aut extinctionem, & defectum naturalis coloris, aut eius vehementem ſtrangulationem: &c. ex eiſdem poteſtis etiam percipere, quo pacto ſit hæc ſententia intelligenda, vt veritatem abſque alioquin vlla quæſtione habeat.his autem, ita expoſitis aliqua prçterea excudenda ſunt in commen.Gal.in quibus non videtur deeſſe aliqua dubitatio. Nam ait, quod interdum fiunt in acutis morbis acceſſiones cum rigore, aut frigore, quod quidem ſuis, & Hipp.decretis videtur non conſentire,quia primum morbi acuti,vel omnino,vel magna ex parte ſunt cum febre continente,vt ipſe Gal.in 1.commen. Aph.3.&4.eiuſdem 48.teſtatur:4.autem Apho.63.dixit quibus, quotidie in febribus rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur. Item Gal.in lib.de differentijs febrium ait, propriũ eſſe continentium non horrere. Ad hoc reſpondemus, quod hoc, quod dictum eſt ab Hipp.4.Aph.in lib.de differentijs feb.vt ipſe Gal.teſtatur in eodem lib.intelligendum eſt de principio feb.hoc eſt inter initia morbi acceſſiones fieri cum frigore,& horrore, vel rigore,in morbis primo ſolis intermittentibus, in quibus materia extra venas pellitur,conuenit. In rigore vero, in continentibus poſſunt fieri acceſſiones cum rigore, qui quidem rigor extremorumque frigus nullum incommodum in viſcerib.indicat, quamuis etiam eo tempore non modo extremas partes, ſed & cutis pectoris ventriſque friget, imo eſt fere ſignum futuræ ſalutis, quia ſignificat criſim, vel iudicationem morbi, vt 5.Aph.docuere Hipp.& Gale. cõ.Aph.59.a febre ardente habito, cauſo ſupueniẽte ſolutio fit.Secundum,quod ex Gal.not.eſt, quod duplicem etiam habere poteſt expoſitionem is locus, ventre,& coſtis calidis manentibus, vt videlicet partes ſint quidem calidæ,non tamen ſupra naturalem caloris menſuram: & tunc dicendum eſt id malum eſſe,quia calore inclinãte ad interiora, modicus ſanguis ad exteriora effertur. Poſſumus autem, & id intelligere,calidis manẽtibus, hoc eſt inſigniter calidis, & ſupra rationem caloris naturalis ex magnitudine febris,quod forſan melius eſt,ait Gale.vtrumque tamen malum eſt: vtroque modo vera eſt ſententia, vt & hoc addamus, quod in calce ait, quod ſub comm. 48.hæc ſententia continetur,& lypiria febris, vtpote & quæ ipſa ſit maligna,vt.7.Aph.teſtatur.

5.*Optimum vero eſt, ſi corpus æque calidum, molleque eſt:*

Oppoſitorum enim eadem eſt diſciplina. Vnde ſi percepiſtis præcedentem ſententiam, facilis perceptu erit, & hæc; nam ſi deterrimum eſt, quod inæquales, & contrariæ ſint affectiones ſimul, nempe, & mediæ partes caleant, & extremæ frigeant, ſequitur quod cum æqualiter ex omni parte calet corpus, non poſſit niſi bonum ſignificare, quia nulla eſt aliquorum viſcerum inflammatorum ſuſpicio, neque caloris naturalis deficientis, neque febris omnino malignæ: quia &c. ſi aliam conditionem addamus, quod corpus ita etiam æqualiter molleſcit, iam optimum ſtatum corporis cognoſcemus: quia præter id quod neque ſit inflamatio, neque caloris natiui defectus, neque febris erit ardens, &c. plurimum vrens: nam febris ardens, quæ vrit & partes internas, & externas, & medias, & extremas aridum corpus reddit, vt non poſſit æqualiter omni parte eſſe molle,& ideo conditionem habere,quę poſſit requiri in corpore acuto morbo laborãte, ſicut

prior ſtatus ſignificabat vndique affectus prauitatem & malignitatem.

6. Qui dolore vexatur, facile conuertatur, ſitque reſurgendo leuis oportet.

Vt nihil ſit prætermiſſum, debetis antequam vlterius procedamus hoc animaduertere quando ad verba pertinet quòd in Græco exemplari ita habetur, vt tranſtulit interpres: ait enim in 7. ἀλγέοντα hoc eſt dolentem, vel qui dolore vexatur. Verum in antiquis exemplaribus manu ſcriptis aliter legi νοσέοντα hoc eſt ægrotantem, atque ita Galen. in commen. legere videtur, ſed hoc nihil refert: nam ſi velimus legere dolentem, debemus id non proprie accipere, vt ad dolorem ſolum referatur, ſed ad omnē morbum, pręcipue vero acutum, ſicuti quandoque Hip. omnem morbum vlcus appellaſſe inuenitur: vnde & laſſitudines, quæ cum ſpontinæ ſunt, morbos futuros nunciant, quid aliud ſunt, niſi leues quidam & praui dolores? Sed vlterius procedamus, & ad ipſam rem perueniamus. Sententia, quam hic proponit Hippo. ſatis facilis, & clara eſt, neque in ea exponenda multum temporis abſumendum eſt, ait enim, quod cum ægrotus facile vertit ſe, ac in aſſurgendo non graue corpus habere videatur, ſed quod leue ſit, facileque moueatur, optimum eſt ſignum. Quia vero hic non agimus empiricum, cui ſatis fuiſſet dicere, ita fuiſſe ſępius experientia comprobatum, ſed rationalem medicum, ad quem pertineat eorum quæ in morbis obſeruantur, & apparent abditas etiam nedum manifeſtas cauſas inueſtigare: ideo horum omnium rationes & cauſas Gale. nixus eſt referre in hoc commentario. Rem altius aliquanto exordiens, accepto initio & occaſione ab Apho. 9. primi libri Apho. in quo indita prius ratione tenuis victus his, qui morbis peracutis laborant, præcipue vero cum morbus conſiſtit, monet ſemper, medico oculos habendos ad ipſas vires corporis, an videlicet ea victus ratione tales ſeruari poſſint, vt morbum perferant, & ei reſiſtāt ad vigorem vſque, vel reſolutionem. Sed dices, quorſum hæc? quia locus hic attingit fundamentum & rationem primam præcipuam omnium agendorum ab ipſo medico, ſiue ea pertineant ad victum inſtituēdum, ſiue ad vacuationem per medicamenta vel per miſſionem ſanguinis, ſiue ad præſagiendi rationem: quod quomodo intelligendum ſit, & percipere poſſitis, diligenter aduertatis: & eorum omnium, quæ dicenda ſunt, hoc pro fundamento accipiamus. In omni morbo. Naturam eam eſſe, quæ morbos ſuperat & depellit vt ipſe Hippoc. teſtatur & cum eo Gale. 5. li. 10. in 9. Epid. com. 1. Naturę enim aiunt ſunt morborum medici, medici vero naturæ miniſtri, at medicorum auxilia ſunt inſtrumenta. Vnde ſemper oportet vt animum & oculos in omnibus, quę vel agimus vel cogitamus ad ipſam naturam dirigere tanquam ad id quod primum & præcipuū eſt in omnibus. Vnde ſi victum ſumus inſtituturi qualē morb. requirit, qui victus illi futurus ſit & qualis, inuenimus ſtatim ipſum ad naturam vel vires corporis reſpicientes, nam vna, & eadem res hæc eſt, oportet referre & perpendere an natura poſſit eam victus rationem vſque ad vigorem morbi perferre, ita vt non interim deficiat: nam vbi vires deficiunt, nihil medico reliquum eſt, quia iam morbus victor eſt. Ita ſi vacuare volumus ſiue id per medicamenta ſit agendum, ſiue ſecta vena, ſtatim videndum an natura tolleratura ſit tantam vacuationem. In eundem modū ſi qualis ſit futurus ſucceſſus morbi noſſe cupimus, morb. cum natura conferendus eſt, & vtriuſque vires perpendendæ ſunt; & morbi quidem magnitudo plerumque ex ipſis ſimpt. cognoſcitur, vt in libr. de conſtit. art. docet Gal. robur vero & fortitudo virium ex operationibus earum facultatum, quæ principes ſunt, & vniuerſi corporis rectrices, & adminiſtratrices percipi poteſt. Illæ vero, vt hic exponit Galen. ſunt tres, ſicut tria ſunt præcipua membra, videlicet vitalis, cuius ſedes cor eſt, Animalis, cuius initium eſt cerebrum, & naturalis, cuius manus eſt alimentum parare, & diſtribuere in omnes partes, quæ primum in iocinore fundamentum habet. Operatione autem animalis facultatis primæ, & principes ſunt cogitatio, & motus; miniſtræ vero illæ quæ a quinque fontibus eduntur, motus vero illi ad animalem facultatem pertinent, quos per muſcolos, & neruos molimur, quinque a voluntate, vel ab appetitu perficiūtur. Operationes vero vitalis facultatis ſunt arteriarum motiones, per quas impertiuntur naturalem calorem vniuerſo corpori. Actiones vero naturalis facultatis ſunt concoctiones illæ maximæ, quibus humores generantur. Hę tres facultates ſecundum genus, atque triplicia hæc earum principia adeo ſunt naturali quodam nexu coniuncta, vt quamuis poſſit in morbis altera fortis videri, altera exiſtente debili; dum tamen res vlterius progeditur, vna inſigniter reſoluta, & facta imbecilli, quęcunque illa ſit, neceſſe eſt, vt alias etiam ſecum in ruinā trahat: & ideo quæcunque harum deficiat, & ad interitum inclinare videatur, ſignum malum eſt, quod magnam naturæ ruinam, & morbi victoriam indicat, vnde omnia, quæ tam in primo libro, ſi volueritis bene penſitare, quæque in hoc expoſita ſunt, videbitis huc ſpectare. Nam hydrops quantum ad rationem præſagiendi pertinet, malum ſignum erat; quia defectū naturalis facultatis oſtendebat. Pręterea vero manus, & caput, & pedes frigētes medijs partibus calentibus malum ſignificant, quia oſtendunt defectum naturalis caloris, cuius initium eſt cor. In propoſita vero ſectione, vel ſententia, grauitas totius corporis, & partium, quæ motu voluntario mouentur in ægrotantibus, ſignificant facultatem motricē, quam nerui deferunt ad partes, quæ mouendæ ſunt, languidam, & imbecillam eſſe, quæ vna eſt ex primarijs facultatibus animalis partis, vel facultatis. Imbecillam autem eſſe vim hanc, indicat operationum ad ipſam pertinentium infirmitas. Cum enim corpus animantis graue ſuapte natura ſit, niſi ab aliquo ipſum deferente eius pondus contineatur deorſum labitur, & cadit: ſed ſi ſit quidem aliqua facultas ipſum ſufferens, & continens, verum imbecillis, ægre moueri poteſt, in motu enim etiam ipſi ægrotantes videntur maximum perferre pondus, pedes labunt dū incedere volunt, imo ſub onere ſępę concidunt, manus tremunt, collum nequit caput perferre: & ſi decumbunt, ac velint ſurgere, vertere ſe nequeunt, niſi iuuentur. Hæc omnia magnam imbecillitatē oſtēdunt, muſculorum mouentium hos artus, & hac partes, quæ ſunt inſtrumenta motricis facnltatis. At vero dum validi ſunt, materia vires ſubminiſtrat validas ac copioſas, corpus adeo agile eſt, vt nihil oneris habere videatur. Iuuenes videmus quotidie currentes, & ſaltātes tanta agilitate vt volare videantur nō pedib. ſolum, ſed manib. & cerebro: ſenes vero tarde mouentur, & adeo graues ſunt, vt vix poſſint pedes attollere itá, vt æquare poſſint gradus ſcalarum, ſi illis opus ſit aſcendere. Concludamus ergo, quod cū ægrotus facile vertitur prompte aſſurgit, pedes & crura non admodum laborant in inceſſu, manus agiles, & promptæ ſunt ad motum, ſignum bonum eſt, quia motricem facultatem valere ſignificant.

7. Si corpus omne graue eſt: & item manus, & pedes maiori cum periculo eſt.

8. Si vero præter grauitatem vngues quoque ac digiti liuidi ſint, expectanda mors continuo eſt.

9. Si digiti ac pedes omnino nigreſcunt, minus peſtife-

ri ſunt quam ſi liueant. Sed alia ſigna conſideranda ſunt, &c.

At vero ſi res contra ſe habeat, rem non omnino citra periculum eſſe ſignificat: nimirum ſi cum aut vertere ſe vult, aut manus vel pedes per lectũ mouere nequeat, aut ægre id faciat, niſi fortaſſe ille nimis obeſus,& pinguis eſſet,ita vt a multa mole carnis, & pinguedinis grauaretur. Quod ſi præter hæc, id eſt imbecillitatem harum partium adſit etiam liuor extremorum digitorum & vnguium, deterrimũ illud fuerit,& quod præ forib.mortẽ eſſe oſtendit.Iam enim imbecillitatẽ facultatis motricis, & eius ruinã corruentẽ,& vitalem facultatem ſignificant,id.n.per extenuationem natiui caloris euenit, cuius focus eſt cor vitę fundamentum.Cum.n.ſpiritus,& ſanguinis natura interit,nigreſcit color:ammittit enim claritatem,& ſplendorem, qui fere erat eius forma: primũ ꝙ in his extremis partib.hoc apparet eſt, quia lõgiſſimæ ſunt à principijs vitæ, & natiui caloris. Quod ſi quiſpiam dicat,liuor eſt color, qui quaſi ſubniger eſt, & calorem natiuum oſtendit eſſe iam ad extinctionẽ paratum, ergo ſi præter hoc etiam vlterius res proficiſcatur,& iã nigreſcant,per locum a minori,vt Dialectici aiunt,ſequuntur,ꝙ omnino magis erit deſperata ſalus.Reſpondet ipſe Hipp.quod hoc falſum eſt, imo ſæpius minus etiã periculi indicat:quod Gal.exponens ait, quod interdum non modo periculũ non ſignificat, verum potius ſalutem,nonnunquam deterius etiam, & pernicioſius eſt,quam liuor: id,propterea quod duplicem poteſt habere cauſam, altera quidem poteſt eſſe bona, altera vero mala: quia poteſt id ſequi extinctionem, & interitum natiui caloris, & tũc deterius ſignum eſt,quia maiorẽ ſignificat extinctionem quam liuor: & tunc præcedit, deinde ad nigritiem deſinit.Aliquando vero ſequitur aliquẽ abſceſſum a natura factum critici ratione,quæ iudicationem molitur expulſo vitioſo humore, & noxio a partibus principalibus ad partes corporis externas: qui quidem humor ſit particeps putredinis, exuſtionis,& niger eſt, & loca,in quæ pellitur, nigro inficit colore:ex qua abſceſſione illius vitioſi humoris natura ſubleuatur, & reficitur. Hoc tamen non protulit Hipp.ita expreſſe, & diſtincte:nam ait, quod nigreſcentes inſigniter digiti, & pedes minus pernitioſi ſunt quam liueſcentes. Hoc tamen quod nos expoſuimus inuit Hipp.dum ſubiungit,quod vt exquiſite res percipiatur,oportet & alia conſiderare: quia ſi aliquid aliud cum hoc ſigno appareat, nunciare poſſit futuram ſalutem,tunc non erit hoc pernitioſum,ſed potius bonũ: vt pote quod indicat naturam per abſceſſum indicare morbũ. Signa vero bona ſunt,ſi videatur ægrotus leuius,& facilius morbum ferre, vel aliud aliquid ex his, quæ in primolib.expoſita ſunt. His enim apparentib.iudicabimus futuram ſalutem natura morbum iudicãte.Fit tamen ſæpiſſime,vt denigrata membra ab eo vitioſo humore corrupta intereant,& decidant, gangrena aut ſfacelo correpta. Quo loco id animaduertẽdum, quod vbi latinus interpres trãſtulit,Corporis vero nigredo caſura, Hip. Græce ait, τὰ δὲ μέλαν θέντα τοῦ σώματος ἀπόπτεσεῖο, hoc eſt,quod denigrata ſunt corporis deciſura,vt aliqui exponunt:nã de hac re nihil protulit aperte Hip. neque etiam Gal.quid ad claram iſtorum intelligentiam verborum facere poſſit,quod nigror ille excidet reſoluta illa materia,vnde exortus erat nigrior color. Ego tamẽ,& ſi ita fieri exiſtimem, puto nihilominus magis aliquid voluiſſe Hipp.quod non ſemel,ſed ſæpius dum artem hanc Venetijs exercerem, vt paulo poſt exponam,obſeruaui. Mihi enim præſtantiſſima illa via videtur, quam nos Gal.docuit, qui dubias, & obſcuras Hipp.ſententias explanaturus, eas ſemper ad ipſam experientiam referebat, & ab his, quæ ſæpius medendo obſeruabat rationem inibat explanã-

A dę ſentẽtię. Eodẽ mõ mihi faciẽdũ in pręſentia exiſtimo.Ego tres vidi,qui in acutiſſima,& malignissima febre per talẽ modum quẽ Hipp.hoc loco cõmemorat, iudicati ſunt. Duæ fuere mulieres, nobilis quædam matrona Veneta ex familia Molina, altera plebeia, tertius,vir erat ex his,qui naues conficiunt in nauali. Hi cum febre maligna,& acuta laborarẽt, & fere eorũ deſperaretur ſalus, cœperũt digiti pedis alterius, imo digitus primum pollex videlicet nigreſcere colore inter violaceum, & atrum, febris mitior fieri,cæteraq; ſymptomata miteſcere ac nigrities cœpit cito progredi, & ſerperes ad alias partes, quæ quo magis dilatabantur,eo febris magis inclinabat, vt breui tẽpore febris penitus deſierit: mala tamen, & maligna

B materia calorem natiuum pedis, & tibiæ extinxit,ita vt pes cum tibia ad interitum fuerint perducta,& in cadauer omnino mutata per ſphacelum, vt Græci aiunt: quod malum progrediebatur ſerpens ad ſuperiora, vt fuerit neceſſe ferro crus ſupra genu abſcindere, & ferra os mortuum ab integro ſeparare, & matrona illa, & vir eam operationem admiſere, atque euaſere per multos annos, deinde vixere facti monipedes. Altera mulier, quia vetula erat, nõ eſt auſa ſe committere chirurgo: vnde depaſcente, & aſcendente ſphacelo vſque ad ſummum coxendicis, & coxę partem, tãdem obijt ſuum extremum diem. Vidi deinde alios,in quib.res non adeo progreſſa eſt: nam ſtatim antequam multum ſerperet corruptio,

C ſcarificationibus conſultum eſt, & alijs fortibus medicamentis, de quibus non eſt opus in præſentia habere ſermone.n, cum id ad præſens conſtitutum nihil pertineat,& non multo negotio euaſere: hac ergo experientia ductus crediderim Hippoc.hoc ſignificare voluiſſe verbis illis nuper vobis lectis, ſed tranſeamus ad alium ſimilem textum.

10. *Si genitale teſteſque conuelluntur, dolor & mors ſignificatur.*

Adhuc ab actionibus lęſis ſigna depromit ad pſagitricem medicinę partem pertinentia, ait ergo,cum præſeuitia acuti morbi, teſtes & genitalia mẽbra retracta,& quaſi conuulſa videanť,malũ omnino ſignũ eſt, vtpote ꝙ aut imminentem mortẽ denuntiẽt,aut magnũ periculũ; huiuſce rei referens rõnem Gal.hoc

D tanq̃ fundamentum ponit,ꝙ quum vires,& facultates, quib.conſtat corpus noſtrum, coguntur recurrere interius ad viſcera, quaſi origo,& initiũ ſunt earum, vt ibi colligant ſe ſe,& fieri põt vt roborenť. Fit autẽ hoc niſi retractis ſanguine, & ſpiritu interius ad mediam corporis regionem, tunc & partes corporis, p̃ſertim vero externæ retrahunť, & ſpirituũ motũ ſequuntur;vñ ipſæ contrahunť,& quaſi conuelli vidẽtur.Duæ aũt præcipuæ cauſæ ſunt, quæ compellunt principes facultates in corpore redire ad medias regiones, & viſcera, vt ab eis foueanť:prima eſt defectus, & extinctio natiui caloris, qui cum iã deficere incipit, nõ põt expandi ad alias externas partes, vt in prioribus exercitationibus ex Gal.expoſuimus: Nã

E & ea ratione dicebat refrigeſcere externas partes.Diximus itidem, & ex vehementi dolore id ſæpiſſime fieri,cogitur enim retrahi calor,& vires. Vnde & hac ratione præ dolore refrigeſcere diximus extremas partes, & in dolore quamuis aliquando ſequatur conuulſio, non tamen de eius conuulſione loquitur Hippoc.quę fit laborante,& contrahente ſe cerebro, & ſpinali medulla,nam tunc,& cætera membra conuellerentur, ſed de retractione, quæ ſequitur motum ſanguinis, & ſpirituum interius ad primum, & ad medias corporis partes, vt hic ait Gal.ex qua tractione excrementorum omnium partium frigus ſequitur, & animi interdum defectus: quo loco ceſpitauit Thadeus Florẽtinus,mea quidẽ ſententia.Quod ſi quæratis a cuius facultatis læſa actione ſignum

hoc

hoc acceptum eſt?dico quod partim a naturali facultate,cum ſit ex extinctione caloris, & tunc eſt omnino lethale ſignum:partim vero ab animali facultate, & cum ex vehementi dolore peruenit, quæ ſecũ etiã vitalem in conſenſum præ doloris magnitudine trahit:nam dolor ad ſenſum tactus pertinet, quod quidem ſignum, & ſi ita lethale non ſit, ſicut pręcedens, vt ipſum tamen malum eſt:quia dolor adeo vehemẽs in morbo acuto fieri non poteſt, vt natura adeo deterrita cogatur ad interiora refugere. nam ſi magnum malum eſt, cum vires diſſoluat, quibus maxime egemus in validis, & magnis morbis, detrahit etiam naturam a morbo, & eius cauſa, & cogit medicum curationem morbi deſerere.

31. *De ſomno, quemadmodum ex natura in conſuetudine eſt,interdiu vigilandum,noctu dormiendum eſt,ſi contra c ommutetur peſſimum eſt. Minime vero offendit, ſi quis dormiat a prima luce ad tertiam diei partem, qui vero ab hoc tempore ſomnus, eſt deterrimus eſt.*

Quia ſigna, quæ ad præſagia pertinent, eatenus ſalutem aut interitum pronũtiant, & indicant,quomodo vires, & facultatcs ſe habent, in quibus fundatur noſtri corporis natura,quas in tria genera partiti ſumus. Ab his autem quæ ad naturales facultates attinent, primo ſigna deprompta ſunt, vt ſtatim a principio huius ſecundi declarauimus, a vitali etiã, vt & id expoſuimus, & ab animali etiam, verum cũ ea ſit duplex,altera quę ad cognitrices facultates pertinet: de his quæ ad motum, & geſtationem corporibus referenda ſunt, aliquis eſt habitus ſermo,ſed de altera etiam differẽtia ex parte quadam diximus, ex quadam etiam nonnulla dicenda ſunt. Nam ea quæ a dolore accepta ſunt, ad externos ſenſus ſpectare videntur: vnde in præſentia ne internæ facultates omnino prætermiſſæ videantur, de eis in pręſentia Hipp.nonnulla verba facturus eſt. Vbi debetis reuocare in memoriam ea quæ a philoſophis,& a me dicis: qui nunc theorici ſolent appellari didiciſtis, ꝙ & ſi in ſomno exteriores ſenſus ocientur, vna cum interioribus, ſi non omnino, magna tamen ex parte in vigilia nõ omnes tam exteriores quam interiores negociantur, ſomnus tamen primum,& ſubinde vigilia ad interiores ſenſus pertinet,nec tamen ad omnes, ſed ad vnum tantum, qui & primus eſt, ad quẽ ab exterioribus accepta ſimulachra ad interiores facultates pertingunt, & ſenſus communis appellatur a peripatecis, ſomnus enim iſtius ſenſus affectus eſt, vt conſenſu aliorum cum hoc aliæ etiam facultates quieſcunt. Ad actionem itaque iſtius facultatis ſigna attinent,quę a ſomno ſunt deſumenda,item & quę a vigilia, ſemper enim oppoſita ad idem genus pertinent. Sed hic conſiderandum eſt, quod ſomnus,& vigilia res ſunt a natura excogitatæ,& inſtitutæ propter ſalutem ipſius animalis, præcipue vero perfecti, nam de imperfectis an dormiant, nolumus nunc diſputare,cum id nouiſſe, quãtum ad medicum attinet nihil referat,ſed inquiſitio hæc naturalis philoſophię proprium eſt. Neceſſarium itaque eſt, his animalib. viciſſim interdum dormire, interdum vigilare, vnde & a natura inſtituti ſunt quidam termini his vtriſq; quos ſi exceſſerint, fieri nequit, quin & iam naturæ rationem excedentes non noceãt animali, atque ratione etiam ſigni non denuntient aliquod malum a natura animalis alienum. Termini vero in quatuor capitib.comprehenduntur, ſicut Græcus expoſitor docet,vti quantitate,qualitate,& tempore, & modo eius:quantitate quidem quia aut multus ſomnus vrget ęgrotantem,aut paucus,aut mediocris:tempore, quia vel diurnus,vel nocturnus: modo vero dormiẽdi,quia vel continuus,vel ſæpius interruptus,ſed aduertendum quod in his dimetiendis non ijdem termini,& fines ſomni,& vigilię in his quatuor capitib.

A conſtituendi ſunt. In omnibus enim hominibus variant pro ratione temperamẽti,ętatis,regionis,temporis conſuetudinis, & reliquorum eiuſmodi: maxime vero reſpiciẽdum eſt ad tempus illud, quo corpus id bene valebat, hoc enim oſtendet ſomni menſuram, naturaleſque terminos,quibus ſomni modus ſit illi naturalis,ſiue ex propria natura illi conueniat, ſiue natura aſcititia ex longa conſuetudine contracta, longa enim conſuetudo in naturam quandam aduentitiam conuertitur, quę ſæpe vim habet maiorem, quam ea quæ a primo ortu acceſſit vt hic Gal. innuit. In ægrotantibus ergo ſi aliquis cum bene valebat pauci erat ſomni, ęgrotãs autem dormiat multum, id non eſt ſignum bonum, & eo deterius,quo B magis a naturali,vel cõſueta ratione recedit,&cõtra: etiam ſi multi fuit ſomni,ac nunc parũ dormiat. Itẽ hoc malũ eſt.Ita de profundo,& tenui,multus enim & profundus caput, vel vniuerſum etiã corpus multa humiditate teneri ſignificat; paucus vero,& leuis ſiccitate,continens autem,& quietus bonus, ſignificat enim temperatam in capite eſſe hnmiditatẽ, quæ neque multitudine, neque craſſitie multa exuberat, ſed quanta poſſit pro ratione naturæ ſomnum fouere. At cum intercipitur, & interceptus eſt ſomnus, ait nimis tenuem humiditatem, & paucam, aut dolorem, vel moleſtiam aliquam eum interrũpere, aut moleſtas cogitationes:Tempus autem naturale dormiendi omnibus animantibus nocturnum eſt pręter quam eis,quę ex viſorię facultatis imbellicitate diur- C nam lucem perferre nequeunt: vnde horis veſpertinis ſibi cibum parant, nam noctutno tempore omnia ad ſomnum inclinant, obſcuritas aeris, quæ non excitat, eius frigus, & humiditas, quæ ad ſomnum inclinant, & ſpiritus natiuum calorem ad interiora conuertunt. Sed & homines,qui febre correpti ſunt, nec alioquin luxu corrupti ſunt, diuites qui maiorẽ partem noctis in comeſſationibus, ludis,tripudijſque conſumunt, ita & mulieres diuites libentius ad conuiuia,& ludos noctu accedunt quã die: quia candelarum lumine, & pulchriores videntur:fuci enim, & reliqua figmenta pulchritudinis non ita illis hominibus,ſicut ad diurnam lucem, & ad ſolem deteguntur:Hę ergo conſueuere vigilare noctu, interdiu D dormire peruerſo naturę ordine: ſecus temporibus Hipp.quib.conſuetudo cum natura conſentiebat,ſicut nunc aduerſaria eſt. Concludendo ergo,ſomnus in ægrotis,quando conformis cum eorum natura, & conſuetudini conformior, eſt bonus tam in ratione cauſæ,quia magis prodeſt,quam in ratione ſigni,omnia enim eo meliora ſunt,quo magis ad naturam hominis propriam accedunt, deteriora vero quo recedunt, vt in primo huius ſtatim a principio docuere Hippoc.& Gale.& in lib.Epid.& in li.de his,quæ in medicatrina officina agenda ſunt. Sed & hoc aduertendum eſt, quod quamuis ſomnus nocturnus melior ſit, quam diurnus, vnde & deteriores dixit Galen.eſſe nocturnas febres, quam diurnas, quia nocturnę ſomnum impediunt, hoc tamen intelligẽ- E dum eſt, niſi alia interdum ratio potentior obſtet. Nam interdum neceſſe eſt euigilare noctu ægrotantem, & die permittere dormire, quia acceſſiones morborum ad id cogunt. Vnde poſt ſomnũ nocturnum diurnus ſuccedit, & id etiam minus nocuus, & minus malus, qui ab aurora vſque ad tertiam horam diei vel circa, nam tempus id aptius poſt noctem ad dormiendum eſt, quia & frigidius, & humidius eſt reliquis partibus diei. Nam adhuc reliquiæ ſunt frigoris,& humoris nocturni,meridianus vero ſomnus ab omnibus damnatur.

32. *Deterrimum tamen eſt, quando neque nocte, neque die dormiat, dolor enim ac labor ab eo indicio ſignificantur.*

Nam id aut ex vehementi dolore aliquo fit, vel ex nimia cerebri ſiccitate: vnde ſolet hæc exquiſita, & importuna vigilia eſſe nuntia phrenitidis, ſed neque minus malum eſt, ſi ſemper dormiant die ac nocte, minat.n.aut coma, aut apoplexiã, aut eiuſmodi affectum alium; humiditatem enim, & frigus cerebrum obruere ſignificant, & hæc quidem conſequẽtia ad ſigna pertinent, quæ in læſas actiones referenda ſunt, & mutatam corporis qualitatem. Reliquum eſt ergo, vt ea exponamus, quæ ad exeuntia, vel excrementa mutata pertinent, hoc vno addito prius, quod poteſt dubitationem quandam contra ea, quæ in prima exercitatione diximus, contorqueri. Diximus enim tres libros diſtingui, quia tertius ea explicat, quæ futuram indicationem in acutis morbis demoſtrabant, in primo vero, & ſecundo quæ malignitatem, & magnitudinem morbi, vel ſecus oſtẽdebant; & cum ea tria eſſent de qualitate mutata, & actione læſa in primo, de excrementis, in ſecundo ſermo erat inſtituendus, cum tamen hactenus nihil ſit de excrementis dictum, quæ tamen bona eſt pars iſtius ſecundi libri. Reſpondemus quod Hippocrates quidem in digeſtione eorũ, quæ tractanda erant hoc modo vniuerſam tractationẽ partitus eſt, diuiſio tamen iſtius operis per hos tres libros non eſt ipſius Hip. ſicut neque liber Aph. neque multorum aliorũ operum ipſius Hip. Sed Gal. deinde ipſe fuit author partitionis in tres libros, ſicut Aphoriſmos in ſeptẽ. Nam alij, vt Stephanus retulit, alio modo partiti ſunt. Ipſe vero Gal. potius ad magnitudinem commentariorum reſpexit, quam ad argumentorum diuerſitatem, vt libros omnes prope æquales redderet, cum nullum propterea id poſſit, aut incommodum, aut obſcuritatem præſtare, ſed aggrediamur tractationem de excrementis.

DE DEIECTIONIBVS.

13. *Deiectio optima eſt, quæ mollis, & conſtans eſt, & eo tempore ſecreta, quo ſecunda valetudine aſſueuit, ſi copia ex ratione ingeſti cibi eſt, ſi enim talis excernitur in, inferior venter bene valet.*

De excrementis cum Hippo. & Gale. ſermonẽ habitnri ſint, vt methodo procedamus, quędam prius in vniuerſum de earum explanatione, & ratione declarare operæpretium eſſe duximus, quæ viam poſſent nobis ad cætera facilius peragenda patefacere: & primum memores ſententiæ Ariſto. ab eo primo libro poſt. Analyt. expoſitæ, repetitę vero a Gale. ſæpius, nempe quod artem omnem doctrinam, & diſciplinam oportet cognoſcere, quod per rationem illius rei ſignificatur, & quam ſumus diſquiſitionem, vel doctrinam inſtituturi. Nos antequam tractationẽ de excrementis explanare inchoabimus, quidnam excrementum ſit explanare propoſuimus, ſeu quidnam eius nomen ſignificat, tam philoſophis quam medicis, vt poſtea poſſimus per ipſius generis differentias deſcendere vſque ad vltimas ſpecies: cum noſtro inſtituto pertineat ſummatim doctrinam hanc, & per compendium abſoluere. Excrementum itaque, ſi Gale. ſequamur, imo & Ariſto. eſt omnis materia, quæ in animantis corpore, ex alimentis genita, & collecta tanquam ſuperuacanea, & inutilis primo naturæ inſtituto, vel ſcopo expellitur, vel expellenda, cum opportunum fuerit, ſeruatur. Vnde recte ait Gal. primo de ſanit. tuen. c. 3. priſci Græci pittonum dixere; peritton enim ſuperuacuum ſignificat. Vnde Iuniores noſtri, qui antiquarum translationum Ariſt. & Gal. authores fuere, volentes vim vocabuli Græci exprimere, ſuperfluitates appellauere. Latiniores vero ab eo, quod natura

A in eis mollitur, quæ in primis ſtudet, vt ea excernat, excrementa appellauere. Sed vt omnia recte intelligatis, animaduertendum eſt, quod multa ſunt, quæ inter excrementa numerantur, & a philoſophis, & a Medicis, quæ niſi excernantur non parum afferunt noxæ hominis ſanitati, imo vitæ, & tamen non paruam naturę vtilitatem afferunt. Verbi gratia ſemen genitale ab Ariſto. inter excrementa numeratur, nam excrementum vltimi alimenti appellat, & excrementum vitale dicitur ab eo, & reuera excrementum eſt. dum enim, & id intempeſtiue retinetur ſæpe ad ægritudines malas perducit, ſed fuliginoſi vapores, ex quibus procreantur capilli, & ſupercilia, & huius reliqua ſunt quidem excrementa
B vtilia ad varios hominis, & animantium vſus. Vngues etiã, & vngula, & roſtra in auibus, & cornua in cornigeris, ex excrementitia materia gignũtur, ipſis tamen animantibus non modo ſunt vtilia, verum & neceſſaria: & propterea diximus inutilem eſſe eam materiam, quantum ad primum naturę ſcopũ. Quęretis forſan, & quis eſt is primus ſcopus naturę? Ecce excrementum quodcunque in corpore animantis gignitur, ex alimento gignitur, & cibis, quibus corpus alendum eſt. Primus ergo naturæ ſcopus circa alimentum, & cibum eo ſpectat, nempe quia ſubſtantia animantis perpetuo digeritur, & diſſoluitur, cum ab interno, & natiuo calore, vt eodem primo de ſan. tuen. docet Gal. tum vero ab aere externo, & aliis item externis occaſionibus: huic ergo incommo
C do ſuccurrere volens natura, inſtituit vt comederet animal, nempe vt cibus per concoctionem ab inſito calore animantis tranſmutaretur, & verteretur in ſubſtantiam nutriti, quantum fieri poteſt ſimilem, quæ digeſta a corpore abiit, vt hanc in illius locum reponat, atque hac ratione corpus diutius integrũ ſeruetur. Is ergo eſt primus naturæ ſcopus: cum autem ciborum ſubſtantia nunquam ita exquiſite confici poſſit, & perfecte coqui, vt vniuerſa in corporis nutrimentum conuertatur, pars, quæ fugit abſolutam confectionem, & concoctionem, neque annaſci, neque accreſcere corpori alioquin poteſt, vt loco nuper citato, & ſexto eiuſdem operis capite primo exponit Gal. Quapropter relinquitur a natura in laxio
D ribus partibus tanquam ſuperuacaneum quoddam, deinde per vias commodiores excernẽdum. Vniuerſa itaque materia, qua alendo corpori minime vſura eſt, excrementum proprie appellatur, quamuis ea conducere poſſit naturæ ad alia officia. Vnde ſemen genitale, quod gignitur ex ſanguine, quod vltimũ alimentum dicitur ab Ariſtot. eo quidem non vitiato, quia pars ſuperuacanea eſt, quantum pertinet ad alendum corpus; quamuis eo natura ad prolis propagationem generis humani, & ita aliorum animantium, vtatur, excrementum tamen dicitur. Excrementorum vero duplex eſt differentia, alia quidẽ ſunt neceſſaria, quæ neceſſitate quadam materiæ in ipſis animantibus, ſed dicamus in ipſis hominibus, generantur qualeſcunque illæ ſint, ſiue bene valeãt,
E ſiue ægrotent, ſiue temperati ſint, ſiue intemperati, ſiue iuuenes, & pueri, ſiue ſenes; quæ citra vllam alioquin morboſam cauſam ſemper ortum habent, tam in recto victu quam incongruo, alia vero magis occaſionem habent ab aliqua cauſa interna, quæ morboſa eſt, & præter naturam rei, potiuſquam, vel ipſa natura eſt. Excrementa vero, quæ neceſſaria, & ſuo modo naruralia ſunt, multiplicia ſunt pro ratione multiplicis concoctionis, quę in humano corpore neceſſaria eſt. Neceſſe enim eſt in omni concoctione aliqua relinqui excremẽta. Sed antequam particulatim omnes excrementorum differentias per concoctiones tractemus, & hoc animaduertatis, quod aliqua poſſunt excremẽta eſſe, & non eſſe

excre-

excrementa diuerſis rationibus & compoſitionibus; ſicuti ſuccus, in quem cibus vertitur in ventriculo, cũ eam partem ventriculus exugit, quę illi ad alimoniã ſatis eſt, expellit illum per portonarium ad inteſtina tanquam ſuperuacaneus & alioquin inutilis (ad vẽtriculum enim comparatũ eſt excrementum) vniuerſo autem corpori, vel etiam iocinori nõ eſt excremẽtum, ſed ab eo attrahitur, tanquam illi vtilis materia & neceſſaria; & ita ſe habet ſanguis in iocinore poſteaquam ab eo, quod illi fuerat ad alimentum ſatis, aſſumptum eſt. Poſſemus & idem exemplis oſtendere, ſed hæc ſatis eſſe poſſunt: in præſentia tamen non de his excrementis nobis ſermo eſt, ſed de illis, quæ omnino & ſecundum omnem rationem excrementa ſunt. Si itaque velimus omnes excrementorum differentias perquirere, oportet ad concoctiones confugere. Concoctiones itaque alię generales & communes ſunt, aliæ priuatæ: communes ſunt tres, prima eſt ciborum in ventriculo, ſecunda in iocinore, per quam gignuntur humores, ad quam pertinent venæ, quarũ miniſterio vtitur, tertia vero fit in habitu corporis, hoc eſt in ipſa membrorum ſubſtantia, per quam caro & alia ſimplicia & ſimilaria membra nutriuntur. Harum vero quælibet ſua habet excrementa a concoctione derelicta. Primæ concoctionis excrementa ſunt alui deiectiones, quæ ſtercora appellantur. Eſt præterea alterum excrementum, quod in ventriculo & eius concoctione, vt Galen. teſtatur 5. de vſu part. cap. 4. neceſſariam habet generationem, videlicet pituitoſum excrementum. Alterius autem concoctionis, quæ in iocinore & in venis fit, triplex eſt, vt ait Gal. 3. de ſympto. cauſis, excrementum, videlicet bilis vtraque, & ſeroſus humor, qui a renibus attractus ꝑ vrinã excernitur. Quod ſi quis quærat, qua ratione natura ambas biles inter excrementa collocanda eſſe cenſuit? cum Hipp. & Ariſt. ex 4. humoribus coagmẽtata eſſe corpora animantium, atque ex eiſdem ali, & augeſcere dixerint? Dico quod ita tanquam excrementum in hac concoctione videtur, quod tamen tanquam ſuperuacaneum ad organa excernendis excrementis a natura delegata pellitur, ſicut ea pars eorum humorum, quæ tanquam minus apta naturæ operibus, vel a veſica fellea, vt per loca congrua expellatur; vel a liene attrahitur. Nam prior pars, quæ in venis detenta eſt, tanquam vtilis ſeruatur, rationem habere excrementi minime conſenſa eſt, & ad hanc excrementorum rationem pertinere crediderim mẽſtruũ mulieris ſanguinem, ac in multis eum, qui per mariſcas egreditur. Tertia item concoctio, quæ fit in carnis generatione in toto corpore duplex habet, vt 3. meth. cap. 3. tradidit Gal. excrementum ex tranſmutato alimento generatum. Alterum quidem tenuius quod dum perſpirat & excernitur, non videtur, ſed omnino cum res ex natura procedit, ſenſum latet, niſi aut quum calor languet, aut copioſiori quàm par ſit animal vtitur alimento, aut vehementiori & laborioſa exercitatione motioneve ſe exagitat. Alterum vero craſſius, quod in eas ſordes abit, quæ in ſummo corpore colliguntur, & vtrumque excrementum in externis viſceribus manifeſte apparet, & tenuior quidã ichor Gręce dicitur, Latini antiquitus ſaniem appellauerunt; iuniores virulentiã, quodque reddit vlcus humidius, craſſius vero ſordes dicitur, vnde cum id redundat, vlcus ſordidum medici vocant, eius ſunt excrementa, quæ generantur ex concoctionibus, quæ vniuerſo corpori communes ſunt, atq; tã in ſanis quàm in ægrotantibus neceſſariam habent generationem. Sunt & quædam priuatę concoctiones in certis quibuſdã præfinitis particulis, quæ & ipſa ſua priuata habent excremẽta, vt cerebrũ ſuã habet concoctionem, quæ ita inſtituente natura aut per nariũ meatus purgatur, vel per meatus in palato verſus fauces. Sed cor ſuã habet concoctionem, ex qua gignitur fumoſum quoddam excrementũ, quod per expirationẽ excernitur, pulmo interdũ aliqua gignit priuata excrementa, vt aures, etiã interdum oculi quemadmodum lachrimæ ſunt, lippitudo & eius reliqua. Excrementa vero, quæ nullo naturæ inſtituto gignuntur, ſed potius occaſionem habẽt a cauſis omnino a natura alienis, imo illis potius aduerſarijs, dici poteſt omnis materia vitioſa & morboſa in humano corpore. Vnde ſuccus omnis quantumcunque vtilis & alioquin neceſſarius, ſi vitietur & corrumpatur, tranſit in excrementum. Nã ſanguis ſi putreſcat, ſi aſſetur, ſi concreſcat in grummos, ſi extra venas exeat, vt tertio de cauſis ſymptomatũ ait Gal. ſtatim abit in excremẽtum, ita & quęcunque materiæ tumores præter naturam excitant, excrementa dici debent. Hæ itaque excrementorum ſunt differentiæ, quæ diligẽter conſideratæ & obſeruatæ a medico maximã & in iudicãdo, & in curando afferunt vtilitatem, quæ etiam ex toto genere præter naturã ſunt affectiones corporis oſtendunt, per quas ea generantur excrementa, quæ non naturalis facultatis, cuius propriũ munus eſt concoquere, vires & robur oſtendunt, & ad quam pertinet in membra pręcipue naturalibus a medicis appellatis morbos ipſos ſuperare, vnde ex eius excrementis facile diſcernimus an natura morbum victura ſit, an ab eo vincenda. Quinque vero in omnibus excrementorum generibus in primis a medico obſeruãtur, ſubſtantia, qualitas, quantitas, modus quo excernuntur, atque etiã tempus, quæ etiã quibus particulatim tractanda ſunt ſumpto initio ab excrementis, quæ per primam concoctionẽ, quam ventriculus molitur, primam habent originem, niſi quis occaſione earũ, quæ dicta ſunt in dubitationem inciderit, atque ab ea eximi deſideret. Non enim videtur rationi conſonum, excremẽta naturalia robur, & vires facultatis concoctricis oſtẽdere, cum ea ratione generentur, qua ab ea facultate ſuperari & exacte tranſmutari nequeunt, ſed eius actiones effugiunt. Cui dubitationi reſpondemus, quod quamuis exquiſite ad eam rationẽ produci a concoctrice facultate minime poſſint, vt alẽdo corpori ſint vtilia, ipſa tamẽ ab ea facultate, quantum eorum natura admittit tranſmutantur, & ſuo modo cõcoctionem admittunt, vt ſaltem apta ſint ad facultatem & cõmodam excretionẽ. Agamus ergo primum de excrementis primæ concoctionis, quæ alui deiectiones a latinis, vel ſtercora dicuntur, atque ea, quæ in excremẽtis obſeruãda ſũt, in eis exponamus. Vbi primum conſiderandum, quod ſemper in omni rerum genere eſt id quod optimũ eſt, & id ſecũdũ naturã eſt, atque omnium aliorum regula, & menſura, cætera enim per collationem, cum optima aut deteriora, aut meliora habentur, conſimiliter magis & minus accedunt vel recedunt, & ſimilia vel aliena ſunt a conditionibus optimi. In his vero, quæ optima ſunt, non eſt ſemper eadem ratio: nam aut abſolute, & vt philoſophi noſtri aiunt, ſimpliciter optima ſunt, aut non abſolute, ſed huic vel illi ſunt optima habita, nimirum ratione aut naturæ, aut conſuetudinis illius. Optima ergo ſunt, quæ in homine vndequaque ſano ſpectantur, & quantum ab illis magis recedunt, & peiora ſunt. Optima vero ſimpliciter ſunt quæ in homine ſano & bene temperato, vel a temperie non plurimum recedente: nam in his qui inſigniter ab optimo temperamento recedunt, ſicut etiam actiones & cætera omnia, ita & excrementa abſunt ab optimis. Sæpe enim videmus multos, qui dum ſua integra fruuntur valetudine per aluum deijciunt dura & arida, quæ ſi interdũ humidiora & tenuiora excernunt, id non faciunt niſi ob aliquã affectionem a ſua natura alienã. Alij ſemper dũ bene valent deij-

ciunt tenere, & liquida, vnde ſi ſumus de optimis alui deiectionibus facturi verba, ſemper tamen hæc duo præ oculis habenda ſunt, vt ea referuntur, primum ad ea, quæ temperatis hominibus, dum bene valent, debentur, deinde cum illius, cuius ſunt, natura & conſuetudine, eam conſiderantes, quantum ab optimo conſtituto homine abeſt. His ergo in hūc modum conſtitutis, rem ipſam aggrediamur particulatim, & verba ordinemque Hipp. ſequamur. Ipſe itaque ex quinque illis capitibus quæ conſideranda, & ſpectāda eſſe in excrementis dicimus, in deiectionibus alui, tria tātum diſtincte exponit, videlicet ſubſtantiæ modum, vel conſiſtentiæ, & quantitatē, & tempus, quo excernuntur. Alia vero ex his, quæ dicenda ſunt, de vitioſis deiectionibus ſubintelligenda, & a nobis addenda relinquit: ita enim illi in more frequentiſſime eſt, vt ex contrarijs contraria innuat. Primum ergo deiectionum optimam conſiſtentiam, & ſubſtantiam oſtendit, ea vero eſt, neque adeo dura, & denſa, vt quaſi lapidea videatur, vt ſunt multorum quadrupedum excrementa, quę ſcybaloſa a Græcis dicuntur, neque adeo liquida, & tenera eſt, vt nullo pacto conſiſtat, ſed mediam rationem habeat. nempe vt ſit mollis quidem, verum conſiſtens, & quæ poſſit ſe ſuis continere terminis. Significat enim moderatum quendam ſtatum inter aridum, & humidum: dura enim nimiam oſtendit ariditatem, defluens vero nimium humorem. Tēpus vero excretioni harum deiectionum maxime cōgruum, & opportunum eſt, quum eo tempore in morbis deijciunt, quo ſoliti ſunt, dum proſpera fruebantur valetudine. Quantitas vero excrementorum ea ſit, quæ ex proportione reſpondeat copiæ ciborum, qui concoquendi in ventriculo ingeſti ſunt, cum has conditiones habuerint ea, quæ per aluum deijciuntur, & ſubintellige neque aderunt ea, quę adeſſe, & conſpici ſolent in vitioſis deiectionibus, de quibus paulo poſt habendus ſermo: tunc libere poterimus pronuntiare, ventrem bene valere, neque aliquo teneri affectu vitioſo. Vnde primum debetis notare cum Gal. hic, quæ etiam ſententia ſæpius repetita ab ipſo eſt 3. nimirum Aph. commen. 38. & 4. de rat. vict. in morb. acut. quod corpus noſtrum ſecus partiti ſunt Hippoc. & Galen. in ſuos ventres, quàm noſtri anatomici. Hi enim in tres ventres ſuam faciunt partitionem, & ſuperiorem caput appellant, medium vero thoracem, ventrem appellant eum, qui abdomine continetur. Antiqui vero tantum duos conſtituunt ventres, & ſuperiorem thoracem appellant, inferiorem vero qui ventriculum & inteſtina continet. Vnde cum Hippoc, aliquid de inferiori ventriculo pronuntiat, ea plerunque tanquam de ventriculo & inteſtinis dicta accipienda ſunt; ita hic accipiendus eſt inferior venter: Deinde vero adnotandum eſt, quod deiectionum nimis diffluens, & liquida ſubſtantia, æque etiam nimis dura, ita etiam cum non ſuo congruo tempore deijciuntur, præterea vero quod non reſpondeāt multitudini acceptorum cibariorum, quia videlicet, aut plus quam cibariorum copia requirat deijciuntur, aut minus; Hæc omnia interdum cauſam habent in hoc ventre inferiori, videlit ventriculo, & inteſtinis, & aliis partibus attinentibus ad hæc. Interdum occaſio alui nulla eſt, ſed ab alijs partibus, quæ cum his connexionem, vel per venas habent, vel aliqua alia ratione. Nam per venas a iocinore, aut liene ad ventriculum, & inteſtina poſſunt multa excrementa defluere, quæ & conſiſtentiam, & quantitatem, & qualitates omnes, tempuſque deijciendi variare poſſunt. Sed nihilo ſecius per hęc viſcera, & toto interdum corpore ad hunc ventrem inferiorem confluunt excrementa. Addamus vero nos, quod & a capite proxime poſſunt depelli in has partes excrementa, vnde excitantur infra cerebrales appellati fluxus. Hinc ſequitur, quod dū deiectiones molles ſunt conſiſtentes, & cæteras etiā conditiones bonarū deiectionū habent cū materia, ſigna ſunt bene valentis inferioris ventris: verum & nihil prętere a vitioſi ſucci confluere inteſtina ex aliis viſceribus: & addamus. Neque in aliis viſceribus aliquem eſſe affectū, quem ſequi ſolet alui humiditas, aut nimia exſiccatio, de quib. ſermonē habuimus in noſtris exercitationibus habitis de affectibus iocinoris, & ventriculi. Sequitur ꝓterea, ꝙ moleſte eiicere, vt Gal. monet, intulit Hip. ex huiuſmodi deiectionibus nos inferre poſſe, hunc ventrē bene habere. Neque deinde contra valituram rationē, ſi quis vſus regula illa Topica, ꝙ propoſitū de ꝓpoſito, & oppoſitū de oppoſito dicat: ergo cum tales non habet deiectiones, neq; bene valet inferior venter, quia tunc eſſet (vt logici aiunt) argumentari in re habente plures varietatis cauſas, ex vna tantum cā: non enim cum non eius generis ſunt deiectiones, ſolus venter inferior cauſa eſt, ſed & totū corpus, & iecur, & lien, & vt diximus caput. Profluunt autē ex his partibus in inferiorem ventrem: quæ profluunt interdū, & ratione ſymptomatis, & indicio ſunt harum affectionū ſuperiorum partium, ex quibus hæc giguuntur. Interdum vero per abſceſſum, ita natura indicante per criſim, vt aiunt Græci, eo propellente noxios ſuccos. Sed hæc ita quaſi generatim ſatis ſint, quantum ad intelligentiam primæ ſententiæ de deiectionibus prolatæ ab Hippoc. quæ tamen explanātes, ſequentes deiectiones magis particulatim explanabimus.

14 *Deiectio madens ex vſu eſt, ſi nec ſtridet, neque crebro & paulatim excernitur, frequens enim deſidendi labor inſomniam facit. At ſi vniverſim, & ſæpe deijciatur, periculum defectionis animæ imminet.*

Si eorum, quæ hactenus dicta ſunt, ſimus memores, facile eſt hæc cum ſuperioribus connectere: Poſt conditiones enim optimarum deiectionum expoſitas, eas incipit diſquirere, quæ illis oppoſitæ ſunt, & quia ſi optimæ ſemper in ſe optimæ ſint, non tamen quæ his oppoſitæ, ſunt peſſimæ, imò nec malæ ſunt: imò interdum ſunt bonæ. Ratio vero iſtius diuerſitatis ex his pendet, quæ in fine prædictæ explationis ſentētiæ diximus. Interdum enim fiunt ex aliquo victu, vel malo affectu ventris iſtius inferioris ventriculi, videlicet aut inteſtinorū: vel ex malo affectu ſuperiorum, videlicet iocinoris, vel lienis, ſicut in illis, qui deiectiones hępaticas habēt, in illis, qui atra, vitio lienis, deiiciunt: & omnes hæ malæ ſunt. Interdum enim fiunt natura per has partes noxios humores, nocuos vero, vel ſua mala qualitate, vel nimia copia purgante, vel vacuante, vt fit in iudicationibus morborum, & tunc huiuſmodi deiectiones madidæ, & liquidæ bonum denuntiant, ſalutem nimirum laborantis corporis, & morbi reſolutionem. Sed loquamur primum de his, quæ ex cauſa mala liquidæ ſunt. Sunt ergo liquidæ, quia in iecur nequit cibus coniectus in ventriculo diſtribui, quod aliquando fit ex imbecilliori facultate attractrice iocinoris, & venarum portæ: aliquando ex earum obſtructione, vt ex exercitationibus anni elapſi habuiſtis: vel ex imbecillitate facultatis concoctricis iecoris, vt in hepaticis ſolet euenire. Interdum ex imbellicitate facultaris, aut concoctricis, aut contentricis ipſius ventriculi, & etiam inteſtinorum, quæ ſuccū digerendū per venas in iecur nō continent, tantiſper dum exugatur a meſeraicis uenis: ſemper autem malæ ſunt, qñ inde originē habēt hę deiectiones, & ſemper ſymptomatice. At uero cū a natura aut totū corpus, aut aliqua viſcera purgante, aut euacuante indicatoriæ,

ſemper

ſemper bonæ ſunt. Quod ſi tu petas, ex quibus argumentis medicus hæc diſcernet, vt futurum euentum poſſit præſagire? duobus indicijs cognoſcenda hæc dicit Hipp. primum, quod non egerantur cum ſtrepitu & ſtridore: & deinde quod non paulatim, & ſæpe, vel frequenter egerat ægrotus. Vbi hæc ſunt conſideranda, quod ſtrident excretæ deiectiones ob excitatum flatum & mixtum cum excrementis expulſum: flatus vero multus ex lãguido calore excitatur, vnde cum ſtridens flatus in deiectionibus excernitur, id aut ex concoctricis aut contentricis imbecillitate oritur. Sed etiam deiectio, qua parum deijcitur, & frequenter, malum ſignificat. Nec vero deiectiones hæ, ſed excretiones omnes, quæ frequentes ſunt, & parũ excernuntur, quæcunq; illæ ſint, malæ ſunt. Ita & deſtillatio ſanguinis pro malo ſigno ab Hip. habetur & frequẽs mictus, ſed modicus, & cętera genera excretionũ, ſignificant enim naturam excitatam & irritatam inſurgere ad expellendũ: non poſſe autem, quia aut ipſa inualida eſt, aut quia materia maligna eſt, & rebellis. Hipp. vero in aliud caput refert, accepto autem generali theoremate deſcripto. 1. Aph. Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & bene ferũt: vnde cum hæ frequentiores, & paucæ excretiones, neque bene ferantur, neque conferre poſſint, neq; etiam bene fore iudicandum. Non bene ferri primum oſtendit, quia cũ frequẽter cogantur deijcere, & aſſurgere, periculũ eſt ne præ labore vires diſſoluantur, & cum neque inſignis fiat per has frequẽtes deiectiones vacuatio, neque ea poteſt cõferre, ſed & alia ratione frequentes hæ & modicæ deiectiones noxiæ ſunt, quia non permittunt ægrum dormire, dum frequenter cogitur ad egerendum aſſurgere: quod ei maxime incommodum eſt, & maxime facit ad naturæ vires diſſoluendas, ſed ad aliam ſententiam accedamus.

15. *Sed pro copia ingeſti cibi deijciat bis, aut ter in die, noctu ſemel oportet. Plurimum vero ſubeat prima luce quemadmodum homini fuerat conſuetum.*

Quia damnauit deiectiones frequentes & paucas, quis quærere poſſet, quia frequens & rarum, ſimiliter multum & paucum ad aliud referuntur, niſi quiſpiam addiderit, confuſam relinquet ſententiam. Quoties ergo oportet, vt deijciatur? Eſt autem conſiderandum, quòd deiectiones alui, vt Græcus expoſitor hic adnotat, multipliciter excerni poſſunt: nam aut ſæpe, & plurimum, aut ſæpe & parum, aut raro & multum, aut raro & parum. Duæ quidem primæ coniugationes malæ ſunt, primam enim, vt audiſtis, damnauit Hippoc. quia laborem & vigiliam ægrotanti affert, ſecundam vero Gal. deteſtatur, vtpote quæ longe maiorem laborem afferat, & magis vires diſſoluat, & euigilet quàm prior: adeo vt ſæpe animi defectum afferat, id vero ait Galen. videmus ſæpe euenire in criticis etiam expulſionibus, quando immodicæ ſunt. Quæ vero raro quidem fit, ſed copioſe, ea non laxat multum: & hac ratione bene ferri, abunde purgat, & ita etiam conferre poteſt. Optima ergo hęc eſt in ægrotantibus, quæ vero raro & parum (ait Gręcus expoſitor) optima eſt coniugatio, quod mihi dubium eſt, quia ſi ad ipſos ſanos conferatur ratio vel ad mediocrẽ, falſum omnino eſt, quia aluum lenem eſſe commodum eſt & vtile, & in ægrotantibus, & in bene valentibus. Si autem ad immoderatas, improprie loquitur, non enim oportebat parum & raro deijcere, ſed moderatas deiectiones vtiles eſſe, vnde ægrotantes cum parũ & raro deijciunt, clyſterijs lenientibus iuuamus: alui enim excrementa cum retinentur lædunt ægrotum. Quapropter quamuis non ita deſtituenda ſit hæc coniugatio: vt duæ illæ priores, neque tamen & ea omnino deſideranda. Ait ergo Hip. quòd copia & frequentia deiectionum ea ſit, quam multitudo excrementorũ requirere videtur: quod ſi bis, vel ter in die egerat, ſemel autem noctu, vt tamen maior copia matutinis horis egeratur verſus auroram, ſemper tamen conſuetudinis ratio habeatur, conſuetudo namque in omnibus magnam vim habet: ſunt enim multi, qui ſæpius veſperi ſolent deijcere per aluum, dum ſani ſunt, alij meridianis horis poſt prandium, ſicuti nonnulli nunquam niſi noctu. Alij vero frequentius noctu deijciunt, quare id etiam in ægrotantibus melius eſt, quòd illis magis erat conſuetum. Hic autem quædam perpẽdẽda ſunt, primum cum plures mane aluũ exonerãt quã alijs horis, & melius ſit die quàm nocte excernere, mane quidem melius eſt, quia natura noctu per ſomnũ vacat cõcoctioni cibi per cœnam in ventriculũ ingeſti, & poſt concoctionẽ diſtributioni in iecur per venas, neque excernendis excremẽtis incumbit, niſi his functionibus expeditis: Ideo plerunq; matutinis horis, quibus iã hæc officia peracta ſunt, natura ad expellenda excremẽta cõuertit ſe. Melius autẽ eſt, vt die aſſurgat ad deijciendũ, primũ enim dũ ſomno ligantur & ociantur ſenſus, non ita percipitur irritatio, qua excitatur vis expultrix ad expellendũ, niſi acrior ſit excrementorũ qualitas: deinde cum impeditur & interrũpitur ſomnus, non parũ ægrotãtibus immo & ſanis incõmodi affert. Pręterea vero & hoc aduertendũ eſt, quod Gal. hoc loco Hip. taxat, tanquã ſuperuacanea quædam hoc loco ſectãtẽ, præter id quod ſui moris eſt: ſatis enim erat dixiſſe, quòd excretiones bonæ fiũt, cũ & multitudine hæ ſint & frequentia mediocres, qua vires non diſſoluãtur, id autẽ erit, ſi ſeruauerit hominis naturalẽ conſuetudinẽ. Quod autẽ determinauerit ad binam aut ternã deiectionem diurnã, vnã nocturnam illi quaſi ſuperuacuũ eſſe videtur: vbi debetis animaduertere, quòd magni viri, & ſi aliquẽ authorem ſibi colendum proponerent, & imitandũ, nunquam tamen illi adeo pertinaciter & ſuperſtitioſe hærebant, vt nefas putarent aliquando ab eo (ſi ita ratio ſuaderet) recedere, hoc enim officium eſt hominis ingenui. Quia tamen Hipp. vt primo de vſu part. cap. 8. & 9. Gal. prædicat, quamuis quædam prętermiſerit: nihil tamen ſcripſit perperam & quaſi vox Dei fuit, neque aliquid: vt 8. de vſu part. fruſtra dixit. Ideo ne mendacem hac parte faciamus Gal. nitemur omni opere Hip. defendere a condemnatione Gale. ſumpta tamen occaſione ab eiuſmet Gal. verbis. Dicimus ergo, quod ſi ita exponamus ſententiam Hip. vt eam expoſuit Gal. videlicet, vt ea referantur ad ſecundam conditionem deiectionũ optimarum. Nempe vt ea copia ſit, quæ pro ingeſtorum ciborũ copia ſatis ſit, ita vt idem fere hic repetat, forſitã addidiſſe bis aut ter, & reliqua ſuperuacaneum viſum fuiſſet: & quantum ad id ſufficiebat dixiſſe, quod bonum erat vt id eſſet pro ratione conſuetudinis. Sed ſi nos hanc particulatim ad eam adhuc referamus, quæ proxime pręceſſit, fortaſſe non erunt hæc ſuperuacanea, ſed vtilia & forte etiam neceſſaria, vt hæc videlicet accipiamus ac ſi de madidis & liquidis deiectionibus ſit ſermo: vbi eſt aduertendum, quod vt ipſemet Gale. paulo ſuperius docebat madentes deiectiones fiunt aut vitio ventriculi & inteſtinorum, & tunc malæ ſunt, vel quia declinantibus excrementis a ſupernis viſceribus, vel a toto, quorum miſtura liqueſcunt & madentes redduntur: quod interdum ſymptomatice fieri ſolet, & hæ malæ ſunt, interdũ critice: natura uidelicet hac ratione, purgãte corpus & iudicante morbos, & huiuſmodi deiectiones bonæ ſunt, niſi immodice & crebro id fiat. Oportet ergo copioſã uacuationẽ fieri, ut ſequatur radicatio ἀπάρτι hoc eſt, integre: qua ſuccedẽte nihil agendum eſſe, ſed naturæ negotiũ ſinẽdũ dicebat 1. Aph. 20. Hip. In his ergo nõ oportet con-

conſuetudinem reſpicere, neque quantum ad multitudinem & copiã pertinet,neq; ad frequentiam:nam & conſueto plus egerunt,& ſæpius(vt ipſemet Gale. fatetur.) Vnde in criſibus confertim fit vacuatio,cũ ſit velox & vehemens motus naturæ propẽſæ ad expulſionem, quæ ſi etiam fuerit nimis frequens, mala omnino erit excretio, vt paulo ante dicebamus, cum ægre id natura perferre poſſit. Vnde ſi copioſa fiat euacuatio, bis vel ter die, & ſemel noctu, vel paulo plus etiam,neque enim Hipp.ita rem ad viuum redigere voluiſſe putandus eſt: vt ſi aut paulo frequentior,aut minus fiat excretio:propterea in eo vim maximam faciendam putaret: bene autem rem habiturã putat,ſi copioſior fiat deiectio,& verſus crepuſculum; quia & ſomno reſumptæ vires magis ferre poſſunt vacuationem,& tẽpus id aptius eſt, vt diximus, vacuationi,neque ſomnus impeditur. Meridies vero calidior eſt & ſiccior pars diei, & ideo magis vacuationes vires eo tempore diſſoluũt: præterea ea hora matutina magis cõſueta eſt homini,maior enim pars paulo poſt quam ſint a ſomno excitati egerunt, & ad hoc refero id,prout homini eſt conſuetũ. Vos vero maiori otio rem perpendetis,an expoſitio arrideat.

16. *Corpulentæ reddatur deiectio morbo eunte in indicationem oportet.*

Non parum hæc ſententia fauet noſtræ opinioni, nempe vt ſermo ille fuerit de liquidis deiectionibus: has enim ait Galen. quæ inter initia ſunt liquidiores & tenuiores oportet morbo verſus integram indicationem progrediente craſſeſcere, non eas quæ aridæ ſunt, & nimis compactæ & craſſæ, nam potius illa molliores fieri melius erit.Cum enim omnis naturæ ratio in quadam mediocritate & temperamento cõſiſtat,excrementa omnia ſicut in alijs ita in excremẽtis vitioſa.Ideo ſi craſſiora ſint excrementa, per concoctionem fiunt tenuiora;ſi tenuiora per concoctionem craſſeſcunt,quamuis autem niſi vnã partem explicet Hipp.per eam tamen & aliam innuit. Nã ſemper par eſt contrariorum ratio. Notat autem Græcus expoſitor proprie loquutum Hipp. cum dixit Græce παχύνεσθαι, hoc eſt,craſſeſcere,nõ autẽ σκληρύνεσθαι, hoc eſt,indurari,quia ob intemperiem calidam deiectiones exſiccatæ indurantur.

17. *Subrufa vero,nec admodum graue olens eſto.*

Diximus conditiones bonæ deiectionis eſſe a ſubſtantia eius depromendas, a qualitate, a quantitate, a tempore, & a modo. Et quamuis ſtatim ab initio trium tantum meminerit, procedente ordine aliarum non obliuiſcitur. Ecce ergo qualitatis mentionem facit & quidem duplicis, alterius, quæ ad viſum, alterius quæ ad odoratum pertinet. Primum vero de colore deiectionum & hæc omnia ad optimam deiectionem referenda ſunt, quaſi ſupplenda, vt notat Galen. primæ ſententiæ, cum de deiectionibus protulit, quaſi dixerit præter illuſtres conditiones oportet, vt colore ſubrufa ſit, quod optime a Gal.explanatum eſt.Nam color excrementorum,quem in eis dum ſe habent ſecundũ naturam inſpicimus, cum a ventriculo contrahitur, neque ex eius concoctione, nam potius albeſceret. In ventriculo enim in ſuccum vertitur cibus, ptiſanam conſiſtentia & colore imitantẽ vnde excrementa, quantũ ad ipſa pertinet, eundem colorem retinent. Sed a fellea veſica bilis ad inteſtina propulſa atque illis commiſta a ſuo colore imbuit, qui quidem cum ſit flauus vel rufus commiſtione excrementorum, quæ albicant, redditur ſubrufus: & hoc cum bilis qualitate quidem moderata fuerit, quantitate vero pauca: quia ſi qualitate fuerit acriori, & quaſi aſſata,aut etiam ea copia,vt fere ſincera profluat in ventrem & inteſtina: deiectio rufa, vel flaua erit, ſicuti ſi ſit interceptus tranſitus bilis ad inferiorem ventrem, vt interpici ſolet in auriginoſis, deiectio albicãs erit.Quatenus autẽ ad odorem pertinet, ait Hip. non ſit male olens plurimum, & accomodate ait, non plurimum male oleat, quia optima deiectio aliquantulum in homine male olet: de quo ſi recte memini,& Ariſt.plurima protulit, cur in animalibus nõ ſint bene odorata excrementa ſicut in plantis,de quo memini me alias interrogatum a quodam amico ſcripſiſſe, ſed plurimum fœtor malum ſignum eſt, quia multam putredinem ſignificat, fœtor enim quicunque ſi inſignis ſit multam ſignificat putredinem,ſicuti concoctio, vt eſt putredini aduerſaria, ita fœtorem detrahit.

18. *Ac lumbricos quoque teretes eunte in iudicationem morbo deſcendiſſe idoneum eſt.*

Quæcunque poſſunt pertinere ad deiectiones alui ſalubres indicandas, exponẽda ſibi propoſuit in præſentia Hippo.& quia ſępe cum cæteris deiectionibus, & lumbrici teretes,vel rotundi, & longi excernũtur, qui quidem excreti bono ſunt interdum, nonnunquam vero malam habent ſignificationem: ne & hoc relinqueret intactũ, hac parte priuatim de ipſis ſermonem inſtituit; vbi id eſt notandum, quod ita & vermes ſicuti reliquæ omnes excretiones, cum primario naturæ inſtituto, & cum ſua ſponte inſurgẽte a multa excrementorum moleſtia excernuntur, ſuo tempore congruo excernuntur; per id videlicet tempus,quo indicationes morborum fieri ſolent: vtpote concoctione apparente. Quod ſi fiant quo tempore adhuc morb⁹ crudus eſt,eiuſmodi excretiones, quęcunque illæ ſint,ſymptomatis rationẽ habent,& malas ſignificant paſſiones, per quas ea generantur in corpore animantis excremẽta, vnde & lumbrici nũquam quidem generantur a cauſa, quæ omnino naturalis ſit:ex mala enim, & craſſa pituita putreſcente ſuam habẽt originem; verum ſi verſus tempus id excernantur, quo natura congrue, & vtiliter ſolet inſurgere ad corpus purgandum,& inaniendum,nempe cum iam concoctionis ſigna apparent, ſalubriter expelluntur.Si inter morbi initia, vel fiant dum omnia cruda ſunt,putredinem multam, & calorem extraneum dominari, aut multam eam adeſſe materiã quæ illius putrefactionis capax ſit ſignificat. Sed cũ iam natura per cõcoctionem vicit excrementa prius genita,cum putridus calor vigebat,quæ eatenus fuerant ab ea perlata,ſine vllo incommodo,& ſalubriter excernuntur.

19. *At vero in quouis morbo venter mollis, corporatuſque ſit, nec eſſe eſt.*

Non modo deiectionum inter iudicãdum rationẽ eſſe habendam cenſuit Hippo.ſed & eius particulæ, per quam natura excretionem molitur, vt omnia recte, & ex ratione procedant.Aluus autem, quem ventrem inferiorem ſuperius appellauit Hipp.nunc ait oportet, vt mollis,& flaccida, & ꝑterea bene corporata ſit, vt tranſtulit interpres: vbi hoc in primis notare debetis,quòd locus iſte,contextus eſt ex duabus ſententijs, quarum altera poſita eſt 2.Aph.35. Altera vero 1. progno.commen.27. primam huius ſententiæ partem exponens ait:præcordia ſaluberrima ſunt, ſi dolore vacant, & mollia ſunt, niſi quod ibi molle intenſo opponit, hic autem λαπαρὸν hoc eſt, flaccidum quod molle interpretatur Græcus expoſitor, opponit pleno,aut intento. Sed ſi nos recte velimus rem percipere,in idẽ tendunt: nã cum locus hic facile tractatur, nec cõprimenti renitiť, imo facile cedit,videť quaſi inanis: vnde κενεῶνας loca illa dixit Gal.ſupe.quaſi inania antiquitus fuiſſe adpellata, & hoc ſignificat,id quod ait Gal.oppoſitũ eſſe molle intẽto,vel pleno: neq; per plenũ intelligẽdũ eſt,ꝙ ſit plen⁹ venter ſtercore,& mollẽ,vel inanẽ,ꝙ eis vacet: ſed λαπαρὸν appellat, qñ citra inſignẽ aliquã tenſionem

nem eſt. Interdum vero venter, vt ipſemet Gal. in 1. progno. oſtendit, aut ob aliquem tumorem, vel calidum, vel frigidum occupantem interna viſcera, vel muſculos abdominis; aut ob multas obſtructiones, aut multum flatum, aut ariditatem præcordiorum, & partium ad ea pertinentium. Ex quibus iam facile poteſt vnicuique eſſe manifeſtum, quod mollem, & flaccidum eſſe inferiorem vētrē, in quocunque morbo bonum eſt, contra vero malum eſt, cum intentus eſt, & quaſi plenus. 2. Aph. 5. dixit in quouis morbo partes, quæ ad vmbilicum pertinent, πάχος ἔχειν, hoc eſt, craſſitudinem habere, melius: contabeſcentes vero, & extenuatas illas eſſe, malum: vnde quod hic dixit, ἔνογκον, hoc eſt, tumorem habere, vel corporatum eſſe, ibi craſſitudinem habere dicit, quod ſignificat ventrem non eſſe conſumptum, & extenuatum: cum autem nimis extenuatus vēter eſt, omnino malum eſt, ait Gal. ſiue id tanquam ſignum accipiamus, ſiue tanquam cauſam: tāquam ſignum quidem, quia extenuatio multa earum partium multam imbecillitatem oſtendit. Tanquam cauſa etiam malum eſt, quia calor internorum viſcerum, vt ventriculi, iocinoris plurimum fouetur a partibus in abdomine cōtentis, nempe omento, & muſculis ventriſque fomento deſtituta propter horum extenuationem nō parum deficiunt in ſuis operationibus. Sed & vnum aliud addit Hippo. quod cum huiuſcemodi venter attenuatur vehementer, periculoſa res eſt in purgationibus per aluum moliendis, id vero ait Gal. manifeſtum eſt, quia ad recte peragendas vacuationes has per aluum maxime oportet has partes robuſtas eſſe: quod non parum facit noſtro inſtituto, vbi de conditionibus bonarum, & ſalubrium deiectionum erat ſermo, & earum maxime, quæ ad iudicationes, & criſes pertinent.

20. *Si aquoſa admodum, aut candida, aut admodum crocea, aut ſpumas deijcitur: iſthæc omnia mala ſunt.*

A bonis deiectionibus ad malas, vel ad malas earum conditiones tranſitum facit. Tres autem perſequitur conditiones, primam a conſiſtentia vel modo ſubſtantiæ, alteram a coloribus, tertiam a quodam in eis ſymptomate. Primum ergo ait, quod deiectiones aquoſæ malæ ſunt: per deiectiones autem aquoſas intelligo eas, quæ & conſiſtentia, & colore videntur aquæ ſimiles: non quas madidas, & humidas, & tenues intelligere oporteret: ſed quæ ita molles ſunt, vt conſiſtere nequeant: non tamen quod veluti aqua ſine vlla craſſitie ſint, & omnino diſcoloratæ: quia hæ nequaquam vlla ratione, ſicut illę, poſſent probari, quia maximam cruditatem indicant; quod in morbo acuto peſſimum eſt. Cruditas enim ait Hipp. 2. lib. comm. in 1. epid. com. 46. difficilem indicationem indicat, doloris diuturnitatem, mortem, aut recidiuam. Secunda conditio a colore accipitur, primum quidem ab albo colore, quæ & ipſa malum ſignificat, videlicet obſtructiones in iocinore, vel ſaltem in felleo meatu: nam & ſuperiori exercitatione diximus, quod ex bile ad inteſtina per felleum meatum propulſa colorantur alui excrementa, quæ alioquin per ſe eſſent alba: deinde vero, & quæ vehementer croceæ, aut virides ſunt, vtrunque enim χλωρόν, vt ſæpius dixit Gal. Et ſi quidem croceum vel pallidum intelligamus, malum omnino eſt: multam enim generari croceā bilem ſignificat, quæ non fit niſi ob inſignem calorem. Sed ſi exponamus χλωρὸν, ideſt viridem, ſignificat multam excerni æruginoſam bilem, quæ deterrimus eſt humor. Tertia conditio, quod ſpumans mala eſt, ſignificat plurimum flatum excerni quam maxime cum deiectionibus commixtum, vt facile ab eis diſſolui nequeat, quod fieti nequit, niſi ex imbecilliori caloae, & abundantia materiæ aptæ in ventum verti. vnde 6. Aph. commen. 1. ex ſententia Dioclis dixit Gale. læuitatem inteſtinorum ſequi ſpumoſas deiectiones, vel ob ingentem calorem colliquefacientē, vt apte hic exponit Gal. qui 2. prorrith. comm. 18. dixit ſpumoſas malas eſſe naturis omnibus. Aliquando tamen fiunt ſpumoſæ deiectiones ob deſcenſum pituitæ deſtillantis a capite ad ventriculum, & excitantem alui profluuium. vt 7. Aph. tradidit Hippo. vbi multa etiam in hanc ſententiam Gal. exponit.

21. *Si qua glutinoſa candida, ſub crocea, leuiſque ſit, mala eſt.*

Duplicem hic ait Gal. ab. Hipp. formam, vel ideam malarum, & deteſtandarum deiectionum deſcribi, quarum altera eſt altera deterior: prior eſt, in qua hæc tria coniunguntur, videlicet quod pauca ſit deiectio, quodque glutinoſa, & alba: altera vero cum ſubcrocea fuerit, & leuis. Pro cuius rei intelligentia hoc conſiderandum, quod ſicut excrementa optima ſunt, cum concocta exquiſite ſunt, & ea quæ concoctionem morbi oſtendunt, ea pręſtantiſſima ſunt ſigna, ita contra, quæ contrariarum concoctioni affectionum indicia ſunt, ea mala: concoctioni vero, & cruditas aduerſatur, & putrefactio, aſſatioque. Nam concoctio a naturali, & temperato calore fit, cruditas, vt 4. meth. docuit Ariſt. a frigido dominante fit, putrefactio a calore extraneo cum humiditate, aſſatio a calore igneo vincente. Vnde cum legerimus præcedentem ſententiam, malas dicebamus deiectiones plurimum aquoſas, quia plurimum cruditatem, ſpumoſas vero, quia aut flatulentum humorem ſignificabat quod, & cruditatis ſignum erat, vel nimium calorem, quo veluti materia efferueſcens in bullas conuertebantur: Male olentes vero, quia putredinem oſtendebant. In his autem narratis excretionibus ſigna apparent caloris extranei collique facienſis, & corporis pinguedinem, & interdum carnes, vnde febris colliquatiuæ ſigna ſunt, quod particulatim exponit Gal. Alba deiectio pauca: & glutinoſa ſit a calore igneo diſſoluente pinguedinē corporis, & colliquante. Neque tamen alioquin malignam aliquam naturam demonſtrat illius caloris, ſed tantum eum inſignem eſſe, & igneum, non tamē plurimum excedentem: nam albus eſt color pinguedinis, quum putris non eſt, eſt autem pauca, quia non omnino toto confertim liqueſcit, ſed paulatim: glutinoſa vero fit, cum diutius a calore coquitur, tenuioribus videlicet, & humidioribus partibus conſumptis a calore tamen non admodum excedente, ſed aliquo modo moderatiori. Duplex enim ait Gal. eſt modus, quo poſſunt excrementa eiuſcemodi ex aluo deijci, primus, cuius nuper meminimus, ex liquefacta pingni ſubſtantia. Alter vero, qui ex natura ingeſti cibi pendet, cum videlicet edulia craſſa, & glutinoſa comeduntur, vtrunque ex liquefacta pinguedine eſt, paulatim excernitur non confertim, & copioſe, at deiectio glutinoſa ob cibos confertim fit & copioſa, vnde 3. de ſympt. cauſis cap. 2. ait Gal. quod humidiorum quoque ac magis glutinoſorum ciborum ſumptio celerem facit deiectionem: verum deiectio ſubcrocea, vel viridis, atque etiam leuis lōge deterior eſt quocunque modo intelligimus ὑπόχλωρον: nam, vt ſuperius monuit Gal. aliquando ſubrufum, vel pallidum colorem ſignificat: interdum autem viridem, vel ſubuiridem: quia ſi æruginoſum, & ſi primo ſignificatu accipiamus, præter igneum, & vehementem calorem colliquantem ſignificat inſuper, & materiæ malignitatem, quia in exteriori adipe, vel axungia, quæ diutius ſeruatur, ita vt in butyro cum veteraſcunt, & ranceſcere incipiunt, mutant colorem candidum, ad luteū, vel ſubuiridem vergere incipiunt, ranciditas autem aliud nō eſt, niſi putris qualitas, q̄ cōtrahere incipiūt. Indicat ergo huiuſmodi deiectio pinguē ſubſtantiā iā putreſcentē, li-

quari. Sed ſi ὑπόχλωρον pro viridi ſit intelligendum & æruginoſo, id erit referendum in æruginoſam bilem defluentem ad inteſtina, quod maximæ colliquationis eſt argumentum. Sed ſi leuis etiam ſit, longe deterior erit deiectio. Nam leuitas in omnibus excremẽtis fit ob æqualem omnino & ex omni parte tranſmutationem, æqualis enim quarumcunq; partiũ affectio leuitatem efficit, ſicut inæqualitas aſperitatem. Et proinde ſicut in concoctis excremẽtis leuitas optima eſt, quia ſignũ eſt calorem natiuũ æqualiter ex omni parte materiã ſuperaſſe: ita peſſimum ſignũ eſt leuitas in malis & putridis, vel colliquatis excremẽtis, vtpote quæ oſtendunt extraneũ calorẽ colliquantem & putrefacientẽ ſine vlla reſiſtentia ęqualiter colliquaſſe, aut putrefeciſſe omnem materiam. Hic tamen aduertendum, vt notat Gal. quòd quamuis dixerimus quòd cum glutinoſæ & albæ fiũt egeſtiones ex colliquatione, paulatim deijciuntur multa per aluũ ob colliquationem nimirum maximam: ſed fœtore hæ a crudis excrementis & glutinoſis diſcernũtur. Et hæc ſatis quantum ad ſententiam præſentem, ſequitur Hipp. genera deiectionum exitioſarũ.

22 *Exitioſior vero eſt, ſi nigra, aut liuida, aut opima, aut fætida eſt.*

Gradatim procedit Galen. ad narrandas formulas malarum egeſtionum: in præcedenti enim ſententia prius minus malam expoſuit, quæ erat alba & viſcida, poſtea ſubrufam, vel viridem & leuem: nũc vero his etiam deteriores explicat, videlicet, nigram, liuidã, opimã, & fœtidã, quas dicit periculoſiores eſſe quàm omnes aliæ præcedentes. Referens autẽ omnium horũ cauſas & rationes Gal. nigram quidem & liuidam eandẽ cauſam habere dixit, nimirum atram bilem, quæ ſi copioſa & ſincera miſceatur alui deiectionibus, eas nigras efficit, ſi parce & modice, liuentes reddit. Vbi hoc animaduertere potuiſtis, quod omnis fere diuerſitas eorũ colorum, quæ relata eſt, efficitur ex defluxu variorũ humorũ, qui ad inferiorem ventrẽ propulſi deiectiones inficiunt. Illæ enim quantum ad ſua rationem pertinet, eſſent (vt ſuperius diximus) albæ, & pro ratione diuerſorũ humorũ eis commixtorũ, vel per ea loca delatorum, aut deteriores, aut malę iudicandæ ſunt. Et quia nullus ſuccus deterior eſt quàm ſit atra bilis, quum ſincera dicitur, ideo maxime deteſtanda eſt nigra deiectio: mox vero liuida, quia deiectiones bilis atræ vel humoris melancholici 4. Aph. 21. 22. 23. in tribus Aph. quam maxime damnantur, tanquam lethales deiectiones, nimirum antequam concoctio conſpiciatur: nam cum iã concoctus eſt morbus, poſſunt eſſe ſalubres, & iudicationis morbi rationẽ habere. Vnde in ea ſęua peſtilentia, quæ illo tempore graſſata eſt, viſæ ſunt frequentiſſimæ deiectiones nigræ, tã in his, quibus interitus iam imminebat, quam in illis, qui euaſuri erant. Deiectio vero opima, vel pinguis fit ob colliquatam pinguedinem, vt exponit hic Galen. Quòd ſi opponas hæc formula videtur eadem cum prima, quã præcedenti deiectione propoſuit Hippo. quæ erat glutinoſa & alba, nam ea etiã pinguis erat colliqueſcente videlicet pinguedine: dicam quod prior quidẽ eſt quaſi ſola, & ſincera pinguedo liquefacta & excocta: vnde fit ſimilis pituitæ albæ glutinoſę, niſi quod ea cõfertim excernat, hæc vero, vt exponebat Gal. paulatim. Hic vero alter modus eſt, vt idem Gal. 3. lib. com. in 3. epid. com. 7. docuit, videlicet cum deiectionibus quædam pinguis ſubſtantia ſupernatat, veluti quædam tela aranea, quod autem fœtida deiectio ſit manifeſtum argumentum multæ putredinis, abunde eſt dictum ſuperius, & ideo in præſentia non protrahemus ſermonem in longius.

23 *Si vero verſicolor eſt, diuturnior quidem, ſed nihilominus exitialior eſt.*

Interdum in morbis, præcipue vero acutis non vnus eſt ſimplexque modus, vel formula deiectionum, ſed multiplex, & varia, ita vt ſimul fiant deiectiones diuerſorum modorum, & formarum, & quamuis ποικίλα hoc loco interpres vertit verſicolara, illud tamen non ſolum ſignificat colorum diuerſitatem, quorum ſupra eſt habita mentio, & ita etiam exponit Græcus expoſitor. Hæ itaque deiectiones variæ, præterquam quod æquè malæ, & exitioſæ ſunt, ac ſimplices iam expoſitæ, habent & hoc inſuper incommodum, quod ſignificant morbum magis diuturnum. Ratio autem, qua morbus is ſit futurus, prima eſt, vt hic exponit Gal. quia varia deiectio varias ſignificat affectiones, ex quibus variæ hæ deiectiones ortum habent. Vbi autem multæ concurrunt affectiones, rationi conſonum eſt in eis aliquam eſſe, quæ ſuapte natura diuturna ſit: deinde vero quia hoc omnino neceſſe eſt, nam & ſi poſſint eſſe plures, quarum ſit nulla diuturna, ſed omnes acutæ, tamen adhuc reddetur morbus diuturnus, nam cum plures morbi coquendi, & ſuperandi ſunt, maiori negotio, & longiori tempore coquuntur, & vincuntur, quam cum vnus, & ſimplex, cætera tamen ſi paria ſunt. Hic tamen aduertendum eſt, vt recte res percipiatur, quia videtur ſibi non conſẽtire Hipp. quia ſi hæc excrementorum varia forma non minus exitialis eſt quã prior, qua deijciebantur nigra. Hippoc. vero ſemper ſermo eſt de his, quæ eueniunt in morbis acutis: quonam pacto huiuſmodi deiectiones variæ poſſunt eſſe diuturnioris morbi inditia? Nos igitur, ſi quis ita opponat, dicimus, quod, vt videlicet docuit Galen. cum Hippoc. dixit aliquid eſſe exitiale ſignum, non id intelligit, quod omnino ſit neceſſe illum mori, ſed quod magnum ſit periculum mortis, non tamen tãtum, quin interdum aliqui euadant. Vnde cum, & periculo maximo ſint expoſiti, qui nigras, aut alterius mali coloris deiectiones excernunt, nec minus etiam qui diuerſarum: in quibus variæ conſpiciuntur egeſtionum malarum formæ, quarum hactenus eſt facta mentio: ab eo tamen periculo euadentes incolumes citius reſumuntur, & curantur illi, qui vnũ tãtum deiectionum modum habent, quam qui multiplicem. Vbi & hoc addendum eſt, vt ex ſupraſcriptis itidem Apho. percipere poteſtis, quod hæc omnia exitialia ſunt, cum deijciuntur inter initia, dum morbus crudus eſt: quia concoctione apparente poſſunt hæc omnia ſalubriter videri: in fine etenim morborum per ipſam iudicationem cuiuſcunque modi excretiones fieri ſæpe vidimus, ac morbo euadere ægrotum.

24. *Si flatus ſine ſonitu crepituque excernitur, optimus eſt, melior eſt vero, quoties erumpit cum ſonitu, quam ſi condatur ac reuoluatur.*

Qu ia per aluum ſæpiſſime, & flatus multus excernitur, nonnunquam vna cum ipſis deiectionibus, interdum vero per ſe, & ſeorſum, vnde poſt abſolutam fere tractationem de deiectionibus alui, ſubdit ſtatim ſermonem de flatu per inferiorem vẽtrem excreto: flatus autem, vel excernitur, vel retinetur, cum excernitur, vel cum ſonitu, & ſtrepitu, qui a præſentibus facile audiatur, vel citra ſonitum, & ſtrepitum, ſed ſenſim adeo, vt auditum fallat, de his omnibus ſermonem habet. Ait ergo, quod cum flatus cum ſtrepitu, quia craſſus eſt ſpiritus ille flatuoſus, & multus, qui impulſus ab expultrice inteſtinorũ facultate impetu quaſi per anguſtũ locũ erũpẽs cõpactione multi illis flatus crepitũ facit: vię aũt ipſę inteſtinorũ angſtuiones factę ſunt ex obſtructione, aut ab excrementis, aut a tumore aliquo facta, per quas exiẽs ꝓpulſus ſonat. Cũ vero ſine crepitu vel ſonitu

nitu excernitur, indicium eſt nec multũ eſſe,nec ad- A
modum craſſum eius ſpiritum. Et ſicuti prior origi-nem habebat vel ex imbecilliori calore, qui neque attenuandi, neque diſſoluendi & digerendi vim habuit,vel ex materia valde craſſa, & cruda: cum vero neque multus, neque craſſus calor eſt maiorem vim habere monſtrat, & latiores vias, & proinde multo melius eſt.

At vero cum ſtrepitu & crepitu excernitur, item conſiderandum,an id ſit in more illius hominis,vt ſine vllo reſpectu,vel pudore pedeat, quamuis nõ deſit præſentia virorum interdum,quorum æquũm eſſet,vt ille rationem aliquam haberet, & tunc res hęc neque multi facienda eſſet, quia nullius alterius rei eſſet ſignum, niſi quod ille inurbanus & inuerecun- B
dus ſit. Quod ſi ille verecundus quidem ſit,neque ita petulans,vt ſoleat ſine erubeſcentia pedere, ſed erubeſceret,ſi aliquid ſimile illi eueniret, & ægrotans ita faciat crepitus ventris, vt omnes percipiant, malum eſt ſignum hoc: quia aut hominem morbo delirare ſignificat, aut vehementia doloris cogitur,vt videlicet eo leuetur. Sed dicet ille,ergo continendus flatus eſt ne erumpat, imo dicit Hippoc.hoc eſt omnium deterrimum,quia ſi detineatur,poteſt deducere ad vehementiſſimos dolores, ideo non ſunt retinendi, quoquo modo ad exitum properantes flatus, ſed ſecedendum in locum, vbi id fieri commode poſſit.

25. *Dolorem, qui in illis affligat, ac tuberculum ſi recens* C
fuerit,nec cum inflatione ſoluit murmur incidens circa ilia, ſed potiſſimum, vbi cum ſtercore & vrina excernatur: ſi vero non tranſierit,iuuat,ſi ad inferas ſedes deuoluatur.

Quia Hippoc.quodam vtitur vocabulo in hac explicanda ſententia, quod poteſt aliquam legentibus difficultatem afferre, quia non admodum in hac ſignificatione in vſu eſt,ideo Galen.ab eius expoſitione initium ſumit: quod enim interpretes tuberculũ, ait Hippoc. Græce κύρτωμα dixit,quod quidem quãtum ad vim vocabuli pertinet, curuitatem ſignificat. vnde curuam iocinoris partem κύρτωμα vocant, hic vero κύρτωμα pro quocunque tumore accipit, nam dum pars aliqua præter naturæ ſuæ rationem intumeſcit,curua redditur,tumores autẽ, qui in illis ſuboriuntur plerunque aut inflammationes ſunt, quæ D
præter id, quod cum dolore cum rubro colore ſunt, & flammea caliditate,aut ſcirrhi ſunt, in quibus non percipitur,niſi pondus quoddam,non dolor inſignis, aut tumor ventoſus eſt, qui cum dolore eſt,& vehementi ſæpe, interdum tenſiuo, nonnunquam vero acuto & pungente citra flammeam caliditatem. & de hoc tumore, quem tuberculum tranſtulit interpres, intelligenda eſt Hippoc.ſententia,nimirum de flatuoſo tumore, qui excitatur ex flatu concluſo in Hypochõdrijs,hic quidem iecur, inde vero liẽ poſita ſunt. Ad hæc igitur viſcera pertinent ea, quæ in hac deiectione referuntur ab Hipp. cuius ſenſus eſt, Quòd ſi dolor inſurgat in his viſceribus, atque etiam tumeſcunt Hypochondria, ſi tumor & dolor citra inflam- E
mationem fuerint, hoc eſt ſine inſigni,& igneo calore,hoc enim Gal.ſæpiſſime teſtatus eſt, Hipp. per inflammationem non ſolum tumorem calidum ſignificare, quia a poſterioribus particulatim phlegmone vel inflammatio dicitur, ſed omnem flammeum vel igneum calorem. Omnis itaque huiuſmodi tumor cum dolore citra inflammationem,ventoſus eſt,& maxime ſi recens ſit,cum enim recens eſt, neceſſe eſt, vt ſit ventoſus, quia tumor abſque calore cum recẽs & breui tempore excitatur,non poteſt,niſi e flatu excitari: nam alij tumores, vt ſunt ſcirrhi & œdemata, paulatim Hypochondria in tumorẽ attollunt, ita vt non niſi longo tempore eo peruenire poſſunt, vt faciant tumorem aliquem inſignem ſine ſenſu,vt inflãmationes,& flatuoſi tumores. Flatuoſi igitur tumores ſoluuntur, ſi murmur exoriatur in Hypochondrijs:cuius rationem referens Galen.ait, quod id fit, quum ſpiritus, ex quo intumuerat Hypochondriũ, deſcendit per inteſtina, ac in flatum verſus exit,vel ſi deſcendens exitũ habere nequeat,ſaltem ad aliquam partium inferiorũ deferatur. Præcordium enim cum ea deferens ſpiritus flatuoſus, & deſcẽdens aliorſum fertur, ab vtroque affectu nimirum dolore & tumore liberatur. Quod autem ſpiritus ad internas partes deferatur,indicat murmur excitatus illis in partibus, fit enim huiuſmodi murmur, cum ſpiritus miſcetur, cum aliquo humore vna cũ ſolidiori aliquo corpore.

DE VRINA.

26. *Vrina optima eſt,ſi candidũ ſedimentum fuerit, leueque & æquale per omne tempus, dũ morbus iudicetur,ſecuritatem enim ac morbum fore breuem ſignificat. Si vero intermittit,atque interdum puram emittit vrinam,interdum ſubſidet,&c.*

Ad ſecundum excrementorum genus, quod quidem fit per concoctionem ſecundam, qua ſanguis & reliqui humores, ex quibus omnes fere particulæ in animantibus ſunt alendæ, generatum atque a renibus attractum in veſicam pellitur ad ea excernendũ per conſuetum meatum tanquam id quod non amplius vtile ſit futurum ad aliquam naturæ actionem. Eſt autem ſeroſus,& aqueus humor, qui interea cum ſanguine confuſe & mixtim per venas ferebatur, ſimilis ac fere idem cum ſero lactis, quod a lacte, dum caſeus conficitur,ſecerni videmus. Ita etiam dũ ſanguis ſecta vena effluit, vel alia ratione e venis exiens in aliquo vaſe collectum conſeruatur, paulo poſt aquoſus quidem humor ſequeſtratus,qui coagulatum ſanguinem circumfluit,hic humor a renibus attrahitur,ac in vrinam tandem tranſit, eius autẽ generatio itidẽ eſt ex ſucco genito per primam concoctionẽ ex cibis in ventriculo, cuius materia præcipua potus eſt: nam potus,quo ſitis tollenda eſt, oportet vt natura, & ſubſtantia ſit humidus, copioſiori ergo humore ſuccus ille conſtat, vnde & inferius dicemus, vbi de copia vrinæ erit inſtituendus ſermo:ſicut copiam deiectionum metiri oportere, dixit Hippo. ex ingeſtis cibis,ita & copia vrinæ ad potum eſt referẽda. Eguit autem natura in alimentitia materia multo humore, potiſſimum vero ratione ſecundæ concoctionis:quia tranſitus futurus illi eſt per exiles,imo, minutiſſimas venas; primum quidem per concauam iocinoris partem,mox & conuexam digeſtus & diſpartitus,& pro pterea meſaraicæ venæ ex ſucco ex ventriculo in inteſtina delapſo attrahunt tenuiores, & humidiores partes relictis terreis,& craſſis tanquam excrementitijs, nec amplius ſuo inſtituto vtilibus. Vnde cætera excrementa iſtius concoctionis vt bilis ſuperuacanea quæ a fellea veſica trahitur,& humor melancholicus ſtatim vbi ſanguificatio prima facta eſt in concauo, antequam ad conuexum fiat tranſitus, attrahuntur ab organis huic officio delegatis, nam & veſicula illa per ramos ſuos concauam parti iocinoris affixa eſt,& vena lienis a vena portæ ſuam habet originem. Non purgatur autem ſanguis a ſeroſo humore,niſi per venas,quæ habent a conuexo iocinoris originem: quapropter huic humor ſeroſus vtilis eſt ſanguini, vt eo dilutus tenuior ſit non minus in gibba,quam in ſima iocinoris parte: imo quàmuis non ita neceſſarius omnino ſit, poſtquam venas iocinoris pertranſierit, tamen nunquam ſanguis omnino in venis expers huius eſt:quod facile eo argumento percipietis,quia ex qua cunque vena mittatur ſanguis, etiam quam remotiſſima a iocinore,vt eſt vena frontis, & naſi in angulis oculorum: ſemper aliquid humoris iſtius ſeroſi ſecernitur, niſi in male ſe habentibus corporibus, vbi ex

multo

multo incendio & ardore quaſi excoctus eſt ſanguis, & is humor conſumptus. Præterea vero ſemper dū in venis eſt, aliquid iſtius humiditatis retinet, vt ad venas vſque, quas capillares appellant, poſſit peruenire, imo & penetrare in tenues meatus membrorum vt ipſa alat: verum cum copia maior generetur iſtius humoris, quam hæc vtilitas egeat, ideo magna eius pars per venas emulgētes a renibus attrahitur, priuſquam diſtribuatur per venas diſpartitas per habitum totius corporis. De hoc itaque excremento pro vt aliquid in ſe continet, quo nos tanquam ſigno vſi poſſimus corporis tam ſalubris quàm morboſi affectiones cognoſcere, hac parte agit Hip. in principe ſiquidem harum exercitationū parte, quantū ſatis eſſe nobis viſum fuit, declarauimus excremēta, omnia in corpore genita poſſe nobis eſſe indicia earū affectionum, a quibus ea ſunt procreata. Habetis enim & cōmune illud philoſophorum theorema ſemper in effectu vim propriȩ cauſæ apponere, vnde in præſentia non ſunt plurima verba facienda, ſed ad id accedendum, vt exponamus, quarum affectionum ſigna petenda ſint ab ipſa vrina: quod etiam ſi recte ea percepiſtis, quæ ſuperius de deiectionibus dicta ſunt, vt ſtatim a principio iſtius comm. docuit Gale. facile ex vobis percipietis, vt ipſe exponit ſicuti deiectiones primū, & per ſe primæ cōcoctionis ſigna ſunt certa & eorū, quæ ad eam pertinent: ſecūdario tamen & aliarum partium remotiorum ſæpe affectus demōſtrāt. Et vt ſane interdum non ſolum communia & prima excrementa deijciuntur, ſed & aliunde alia ab alijs particulis confluunt, vt ſuperius oſtendimus, ita vrina primum & per ſe rationem ſecundæ concoctionis, quæ ſanguificatio dicitur, & iocinoris deinde & venarum præterea eſt. Per vrinam ergo & plenam abſolutamque concoctionem cognoſcere poſſumus, & deficientem ac etiam cruditatem abſolutā, deinde vero & quia & per renes, & veſicam ea tranſit, eorū etiam poteſt morbos oſtendere: Item quia venæ, & arterię, a quibus attrahitur vrina nulli non membro, & omnibus particulis communes ſunt, ideo totius corporis, & omniū fere partiū morbos & omnino affectiones aliquo modo & cōſequutione quadā poſſunt indicare. Vt tamen & hoc præterea animaduertamus, quod nō quęcunque vrina hoc nobis polliceri vel etiā præſtare poteſt, nec quocūque tēpore inſpiciatur: nā primum illa vrina verax erit, quæ tempore congruo mingitur, tempeſtiue vero mingitur, quum eo tempore quo oſtendere poteſt quæ deſideramus, pe rationem ſecundæ concoctionis: ſed hoc non poterit oſtendere niſi facta iam ſecunda concoctione excernatur. Vnde & ſicut Græcus expoſitor hic ait, ſæpe cum inter initia noctis non multo a cœna mingimus, vrinæ quæ reddūtur albæ & crudæ ſunt, quæ vero matutinis horis, bonæ, coloratæ, & concoctæ, neque præterea ſpectandæ ſunt ſtatim, vbi deiectæ fuerunt, nam multa continentur in vrinis videnda, & conſideranda, quę confunduntur dū minguntur, ſed ſi quieſcere permittantur, a ui caloris natiui (quę per concoctionem in venis impreſſa eſt relicta) in ea ſecernuntur, aſpectandaque offeruntur. Neque tamē longo ſpatio relinquendæ ſunt vrinæ, quia ab externo frigore tranſmutantur, præterea vero confunduntur & turbantur. Sed & ſæpe vidi hypoſtaſim, quæ diu ſe in medio vaſe continuit, tandem poſtea longo procedente tempore ad fundum ſua grauitate deſcendiſſe, a calore, a quo eatenus ſuſpendebatur, deſtituta. Sed hoc etiam poſtremo aduęrtendum, ne ab aliqua externa cauſa, aut colorem mutauerit, aut etiam ſubſtantiam, ſunt enim multi cibi & medicamenta, quæ colorem vrinæ non parum mutant, nam & caſſia noſtra ægyptia cum accipitur, tingit vrinam, Rhabarbarū præterea vero & ſpecies illa paſtinacæ, vel vt A Græci ſtaphileni, qua cocta in acetarijs vtimur, cariottas vulgares modo appellant, cum comeditur, vrinam rubeam efficit colore, & alia præterea quædam. Porro his expoſitis & hoc animaduertendum eſt, & monēdi eſtis, nempe quot ſint inſpicienda in vrina, & conſideranda, ſunt enim ſex. Primum eſt ſubſtantia, quā intelligimus, cum de craſſa aut tenui ſermonem habemus, deinde color, vt cum dicimus, quòd eſt rufa, aut rubra, aut liuida, aut nigra, & huiuſmodi alia, tertium eſt liquor, quem Græci χυμόν vocant, quum an ſplendida & clara ſit, inſpiciamus, vel obſcura: quartum eſt quantitas vrinæ, aliquando enim multa, aliquando pauca mingitur, quintum odor eſt, qui aliquando fœtidus, aliquando ſecus eſt: ſextum vero B cōtenta, vt ſedimentum, arenulæ, furfuracea corpora, filamenta, & id genus reliqua. At vero quia primum theorema, quod proponit Hipp. hypoſtaſim reſpicit, quæ inter contenta & præcipua quidem eſt ex omnibus contentis, ideo ea etiam capita exponenda ſunt quæ in hypoſtaſi ſunt examinanda, quæ ſunt hæc. Primum ſubſtantia, quia aut craſſa erit, aut tenuis, ita aut leuis, aut aſpera, deinde color, qui aut vrinæ ſimilis eſt, aut diſſimilis, aut albus, aut ſubrufus, aut niger, aut liuidus. Tertio locus eſt etiam conſiderandus quia vel ſupremum in vrina locum occupat, & nebula appellatur, vel medium, & tunc a Gale. enęorima quaſi ſublimamentum, vel ſublibramentum, vel in fundum deſcendit, & hypoſtaſis dicitur. Dicit tñ Gale. quòd Hipp. non ſeruat ad vnguem has C appellationes, quia nebulam ipſe nuncupat ſiue in ſummo vaſe conſidat, ſiue in medio maioris tamen diſtinctionis gratia & clarioris doctrinæ ipſe ita nomina diſtinxit. Hipp. autem, vt tandem ad rem veniamus, ab his inditijs ab vrina accipiendis doctrinam auſpicatur, ſed & hoc debetis intelligere, qđ huiuſmodi ſigna ad præſagiendum in morbis præſertim acutis, plurimū conferunt: quia nobis oſtendunt quam rationem habent natiuus calor, & natura in pugna cum morbo. Apparens enim concoctio oſtēdit calorem natiuum, atque adeo etiam naturam ſuperare, immo fere ſuperaſſe morbificas cauſas, & iam aptas reddidiſſe, vt facile illæ expellantur, quæ in naturalem & commodum ſtatum reduci non potuere. Nam pars ea, quæ D non erat admodum vitiata per concoctionem in materiam vtilem acceſſionibus corporis cōuertitur. Ait ergo tandem Hippoc. quòd vrina quidem optima ea eſt, in qua ſubſidet hypoſtaſis, quæ alba ſit, leuis & æqualis. Pro quarum faciliori cognitione animaduertendum, quod harum trium particularum nō eſt vna & eadē ratio, quia aliquæ earū intelligendę ſunt, accepta vrina per ſe, & eam nullo modo cum altera conferendo: quædam vero in cōparatione ad aliam alias excretā. Et prima quidem, vt omnibus compertum eſt, ad colorem refertur, quando videlicet candicat hypoſtaſis, nec in hoc explicando alioquin immorandum. Altera vero particula eſt lęuis, lęuitas E vero vt dum de deiectionibus verba faceremus, expoſitum fuit, non ea accipienda cui grauitas aduerſatur, ſed quæ aſperitati oppoſita eſt, cum videlicet hypoſtaſis partes adeo vndique, & omni parte inter ſe ſimiles ſunt, vt altera non ſit altera craſſior, aut tenuior, maior aut minor, candidior vel minus candida: ſed quaſi exquiſite lęuigatæ vt ſimilares videantur. Sed particula tertia ad alias vrinas refertur, videlicet quotidie ſimiles minguntur: nam ſi hodie habeat lęuem & albam hypoſtaſim, cras vero rufam & aſperam: Perinde iterum alias inſuper differentias, huiuſmodi vrinæ inæquales dicuntur, quia non ſemper vnam ac ſimilem rationem ſeruant: vbi tamen & hoc animaduertendum, quod illæ vrinæ ſunt conferendæ, in quibus eædem ſint ſeruatæ conditiones. Nam ſi hodie ſit ſeruata victus congrua ratio, & illæ

com-

commode dormierit, modeſte comederit, & reliqua ex ratione fecerit, craſtina vero die a cibo abſtineat, aut minus comedat, aut per noctem minime dormierit, atque ita etiam in reliquis quæ eodem ſpectant, non erit proba facta collectio. Ita etiam ſi micta ſit prima quo tempore iam abſoluta eſt in iocinore ſecunda concoctio, & eam cõferre volueris cum ea, quę fuerit intempeſtiue eiecta, procul omni dubio hæ nõ erunt æquales: ſed illæ inter ſe ſunt comparandę, quę ſint collectæ ſeruatis paribus conditionibus, & de his ſatis. Reliquum eſt, vt rationes omnium exponamus & primum ſane eſt albedo, quæ eadem ratione ait Gale. fit in hypoſtaſi, ſicut in pure, de quo actum eſt in fine primi libri iſtorum com. Similitudinem iſtam alias ſæpe expoſuit, præcipue vero 3. de differ. feb. cap. 6. id breuiter eſt conſiderandum, quod vt ait Galenus 2. lib. com. in primum Epid. com. 45. Concoctio quidem fit a natura & calore natiuo ſolidarum partium: non autem concoctio niſi per tranſmutationẽ, vel vt aiunt alterationem materiæ, quæ cõcoquitur: Eſt autem trita philoſophorum ſententia, quod omne agens agit, vt ſibi aſſimilet paſſum. Quę ergo concoquuntur in venis & arterijs, ſi exquiſite ab eis trãſmutentur, illis eo magis ſimilia euadunt, quo fuerint ab eis magis cocta & immutata. Vnde ſi materia illa fuerit idonea, vt in eorum ſubſtantiam vertatur, vertitur in alimentum: ſin autem excrementoſa ſit, & inepta, vt in eorum vertatur ſubſtantiam, illum maiorem cultum conſequitur, quem ab eis conſequi poteſt. vnde ſi alia ratione nequit, ſaltem ſubſtantiæ æqualitatem ex omni parte & colorem aſſequitur: ſolidorum vero corporum color albus eſt, venarum nẽpe & arteriarum: vnde materiæ omnes, quæ in his vaſis ſanguis nimirum & reliqui humores cum vlterius concoquuntur, albeſcunt. Argumento eſt lac & genitale ſemen, vnde ſicut ſuccus confectus in ventriculo colorem ventriculo ſimilem adipiſcitur per concoctionem, mox vero ad iecur tranſlatum in rubicundum colorem ſubſtantiæ iecinoris ſimilem per illius tranſmutationem vertitur, ita a venis & arterijs per aliam tranſmutationem & concoctionem candorem acquirit, & ea ratione tam pus quam vrinæ hypoſtaſis cum natiuus calor viſcerum exquiſite concoquendo materias has excrementitias tranſmutando ſuperat, candida euadunt. Sed lęuitas hypoſtaſis ſignum eſt exactæ concoctionis cum albedine, quia æqualem ex omni parte caloris naturalis victoriam oſtendit, vt de deiectionibus itidem oſtendimus. Quod ſi æqualitas vrinarum addatur, conſimiliter ad hypoſtaſim pertinet, vt videlicet vrinæ eandem hypoſtaſim oſtendant, non diuerſam iam & id abſolutam penitus victoriam naturæ demonſtrat: cum nihil amplius intercidat, quod illi amplius pertinax & rebelle ſit, ſed omnia iam æqualiter facta ſunt ſubiecta naturæ: neque amplius quicquam inconcocti reliquum ſit, ſed cum inæquales fuerint, oſtendunt, quòd adhuc in vaſis aliquid eſt, quòd non eſt mictum omnino. Quare tandem rem concludendo, cum hypoſtaſis candida eſt, leuis, & æqualis optima eſt, vtpote quæ exquiſitã morbi concoctionem demonſtret. Sed ſtatim aliquis inſurgat, ſi ex ſola hypoſtaſi iudicium integrum vrinæ accipi poteſt: Aliqua ergo vt ſubſtantia, color, & quæcunque alia ſuperius enarrata ſunt, erunt ſuperuacanea. Cur ergo diutius in illis verſantur authores, & tempus conterunt, qui de illis longos ſermones? Ad hanc dubitationem dicimus, omnia alia ſuperius poſita eſſe cognitu & obſeruatione digna, vt progreſſum naturæ, & caloris innati cognoſcamus. In mutatione enim vrinæ gradus ſunt, cum a ſumma cruditate proceditur ad exquiſitam concoctionem. Crudiſſimæ enim vrinæ ſunt quæ diſcoloratæ & tenaces ſunt, quas aquoſas appellauit Hippocr. in qui-

A bus aut nulla eſt hypoſtaſis, aut exigua referens & ipſa cruditatem. Dum autem natura incipit morbum concoquere, vt 1. de criſib. docuit Gal. primum color mutatur, & fit ſuppallida, deinde pallida, poſtea ſubrufa. Deinceps ſecundo loco mutatur ſubſtantia, & quæ tenuiſſima erat, iam quoquo modo incipit craſſeſcere. Poſtremo & orta hypoſtaſis apparet, & primum non admodum bene colorata, poſtea colorata, deinde ſubſtantia eius bene affecta. Vnde cũ hypoſtaſis optima fuerit, vt & hic teſtatur Gale. erũt & reliqua iam conuerſa in bonum ſtatum, videlicet & colorem bonum habebit vrina, & ſubſtantiam mediocrem, & reliqua etiam eiuſmodi. Quare ſupremã manum in concoctione optima hypoſtaſis oſtendit.

B vbi aduertendum, quod videntur expreſſe tantum tres conditiones, ſi quis oſcitanter Hip. & Gal. legat. ſed ſi diligentiam adhibuerit, ſunt quatuor, hoc ponendo quod de hypoſtaſi ſermonem habet Hip. quæ proprie dicitur hypoſtaſis, nam quæ conſiſtit in ſuprema vrinæ parte non propriæ dicitur hypoſtaſis, vt paulo ſuperius dicebamus, ſed nebula ſecundum quã dam ſimilitudinem, quam ad veram in aere nebulam gerit. vt enim in aere nebula quandam craſſiorem ſubſtantiam refert circumfuſo aere, ita & nebula cõſiſtens in ſuperiori parte vrinæ, vt illa in aere eſt, circumfuſo liquore. Tum vero in medio humore vrinę quòd ſuſpenſum manet, ſubleuamentũ dicitur. Vnde præter colorem ſubſtantiæ vniformitatem & æquabilitatem locus etiam, in quo ſubſidet hypoſtaſis, aliquam habet indicationem.

C Dixerit forſitan aliquis, ſed nonne copia hypoſtaſis aliquid ſignificat, quemadmodum aut multa eſt, aut pauca? Indicat quidem, & ipſa, ſed non admodum quantum videlicet ad rationem concoctionis pertinet: nam multa hypoſtaſis & pauca & rationem ætatis ſequitur, & rationem temperaturæ, regionum, temporum & rationẽ victus, & multitudinem tandem humorum. Vnde ſummatim colligendo, vbi multa eſt hypoſtaſis, indicat copiam craſſorum, & crudorum humorum generari conſueuiſſe in eo corpore, quæ iam fuerit cocta: ſi copia illa hypoſtaſis ſit alba, leuis & æqualis. vnde in pueris præ aliis ætatibus fit copioſior & maior hypoſtaſis: ita in calida & humida

D vel etiam frigida temperatura multa fit hypoſtaſis: mòdica vero in calidis ſiccisque & bilioſis corporibus. Et eodem modo dixerim de regione, & tẽpore: ita etiam qui parce comedunt & bibunt, & ſatis exercentur, parum habent quod per hypoſtaſim ſubſideat; immo interdum nullam habent hypoſtaſim, quæ proprie ſit hypoſtaſis, ſed leuem aliquã nebulam vel ἐναιώρημα in medio ſuſpenſum, vel parum infra medium; & illud tenue eſt: nam cum tenuis ſit, lenior etiam eſt, vt non facile deſcendat. Qui vero pleniori victu, & copioſioribus vtuntur alimentis, quique otioſam & deſidem vitam degunt, hi & maiorem hypoſtaſim facere conſueuerunt. Vnde dicit Gal. ſi quis ex abſtinentia a cibo & potu, vel ex labore ægrotat, in eo ſæpe antea ſoluitur morbus, quam

E appareat vlla hypoſtaſis alba, læuis & æqualis; ſed in illis ſatis eſt ſi appareat ἐναιώρημα. Ratione etiam humorum, ait Gal. ſæpe apparet hæc diuerſitas: nam in febribus pendentibus a craſſis & crudis ſuccis, multa ſolet hypoſtaſis conſpici: in febribus autem a bilioſis & tenuibus aut nulla apparet, aut pauca hypoſtaſis, ſed ſatis fit ἐναιώρημα. His ergo in hunc modum explanatis procedit vlterius Galen. & ſequentem iſtius contextus partem explanat, videlicet cum talis alba, lęuis & æqualis appareat hypoſtaſis, continenter vſque quo iudicatus fuerit morbus: indubitatũ ſignũ eſt fœlicis & ſalubris terminationis morbi. Quo loco primo animaduertendũ, quòd non eſt intelligendum hoc, quòd per totum morbum appareat hypoſtaſis,

quia

quia nunquam neque in principio, neque in augmēto ea conſpici poteſt; quia non poteſt concoctio eſſe integra in his temporibus: ſed hoc voluit, quòd vbi cœpit apparere, quòd non amplius intermittatur, ſed ſemper æqualiter conſpiciatur. Quòd ſi aliquis dicat, Gal. ait in contrario, quòd interdum ipſa prima die apparet, id quidem verum eſt, quia morborum tempora non ſunt in omnibus æqualia: interdum enim vna fit die proficiſcitur primum, & vna acceſſione, atque incrementum. Sed & hoc notare expediet, ne in iudicando decipiamur, quòd interdum ſtatim in prima die videbitis optimam & vrinam & hypoſtaſim, & poſtea non talis die ſecunda apparebit, ſed potius inconcocta: & id quia ſtatim a principio nondū mingi incœperant, quæ a morbo affecta ſint: ſed ea, quæ micta primum fuit, erat tempore proſperæ valetudinis collecta. Apparens itaque hæc hypoſtaſis certum eſt ſalutis ſignum, & quod morbus in longum amplius protrahi nequeat. Cuius quidam in vniuerſum ea ratio afferri primum poteſt accepta ab eodem Hip. qui 2. lib. com. in 1. Epid. com. 45. ait, quod concoctiones citam morbi iudicationem ſignificant, certāque ſalutem: quia concoctio fit a natura ſuperante cauſas morbificas, & ſubinde ipſum morbum. Securitas autem, quam eiuſmodi vrina promittit, in his omnibus conſiſtit, videlicet quod & morbum ſoluēdum ſignificat certo citoque, nec deinde relinquit aliquem timorem recidiuæ: ſemper tamen ſubintelligendum eſt, niſi inſignis a medico, vel ægroto, vel alijs committatur error. At ſi (ait Hippo.) talis quidem appareat vrina, non tamen ſemper, ſed intermittat, ita vt quandoque cum hac hypoſtaſi interdum pura, id eſt, ſine ea; longior erit morbus, neque omnino ita ſecurus; quia quamuis ſignificet eam vim caloris naturalis, vt poſſit concoquere, ſubeſt tamen & multa materia cruda, & illi rebellis. Vnde non deerit negotium, & ſi ſuperabit natura, longiori tempore opus erit quoad ea coquantur. Poteſt etiam interdum ea eſſe adeo rebellis & maligna, vt non poſſit a natura vinci, & propterea quandoquè res non eſt ita in tuto, ſed quando eſt vrina cùm hac optima hypoſtaſi quis erit terminus pertingendus ſolutionis morbi? Gale. ait, quod ſi appareat prima die vel in nocte ſtatim ſequenti, ac eadem in altera & tertia viſa fuerit, ſoluetur morbus in prima criticorum dierum periodo, hoc eſt in quarta. Quod ſi vſque ad quartam diſtulerit eius apparitio, in ſeptima iudicabitur morbus: vt tamen hæc omnia intelligenda ſint, vt monet Gal. in febribus pendentibus ab humoribus putrefacientibus, qui in venis coquendi ſunt, vt ſoluatur morbus. Nam aliorum morborū, vt pectoris, & oculorum, capitis, & id genus aliorum, aliunde quam ex vrina ſunt petenda ſigna concoctionis, vt ex parte in ſequentibus exponemus.

27. *Si vrina fuerit ſubrubra, ac ſedimentum ſubrubrum & leue, diuturnior hic morbus quam primus, ſed admodum ſalutaris eſt.*

Optima vrina, quæ præter alias conditiones hypoſtaſim habet albam, leuem, & equalem, certam ſalutem denuntiat, & cito ſolutum iri. Quæ autem ab optima deficit pro vt magis accedit ad optimam, vel magis recedit ab ea; ita & maiorem ſecuritatem & breuiorem morbum, aut maius periculum, vel morbum fore diuturniorem prænuntiat: Proxima autem ea eſt vrina optima, cuius color tam aquoſi humoris quàm hypoſtaſis ſubruber eſt, præterea vero læuis ſit quantum ad hypoſtaſim pertinet, cui addendū puto, quod etiā ſit, id eſt æqualis, vt etiā in priori textu. Nam ſi illi, quæ alioquin optima iudicatur, omnino talis minime habeatur, niſi ſemper & continue ita ſe habeat. Longe magis hoc intelligendū eſt de illa, quæ a priori nonnihil deficit, vt certe poſſit oſtendere futuram ſalutem. Si autem opponas ex ſententia Gale. tex. 30. quòd hæc non videntur eſſe ſatis, ſed oportebat addidiſſe ſubſtantiam mediocrē, nam quoad fuerit tenuis ſignificat morbum crudum eſſe: nunquam autem poteſt ſecuritas pronuntiari, quoad vſque morbus (vt paulo poſt dicit Hippocr.) fuerit crudus. Nos huic dubitationi reſpondemus, quod non poteſt fieri talis vrina, vt ſit ſubrubra, quæ habeat ſubſidentem inferius hypoſtaſim ſubrubram, quin vt in præcedenti etiam dictione diximus, & adſit ſubſtantiæ mediocritas: quia ſi hæc ſecundum locum poſt priorem & optimam habeat neceſſe eſt vt oſtendat non quidem exactam concoctionem, ſed ſaltem inſignem, & quæ non admodum ab ea remota eſt. Vnde quando iam conſpicitur ſubrubra hypoſtaſis, & leuis, & æqualis, non multo eget negotio, vt præterea alba hypoſtaſis fiat, & ſubrubra vrina. Et vt diximus, neceſſe eſt, quod & ſubſtantia ipſa ſi oſtendebat prius & tenuitate cruditatem, quòd in aliquā craſſitiem & proportione reſpondentem ipſi hypoſtaſi, iam vergat. Gal. autem in comm. cauſam explanans, cur ſubrubra vrina cum leui, & ſubrubra hypoſtaſi morbum tutum etiam a periculo nuntiet, ſed diuturniorem, quædam ſcribit, quæ vt facilius poſſitis percipere, animaduertatis, quòd ſeroſus humor duplex eſt: nam, vt ſuperius diximus, ſeroſum excrementum, quod generatur per eam concoctionē, quā in iecinore & venis natura molitur, & ſecundam appellauimus, per quam fit ſanguificatio, ex porportione ſero reſpōdet, quod ex coagulato lacte ſeparatur: hoc inquam excrementum ſequentes Gal. expoſitionem in 2. lib. com. in ſextū Epid. com. 37. nihil aliud eſſe diximus, niſi vrinam, quæ collecta in veſica tandem per penem excernitur: hoc itidem Galenus teſtatur primo libro eorundem com. vbi ait Hipp. com. 5. nos docuiſſe vrinam ſerum eſſe humorum in venis contentorum: quo loco & huius ſententiæ Hipp. hic deſcriptæ meminit. ex quo loco etiam facile poteſtis percipere, quòd vrina eſt ſeroſus humor, qui eſt veluti excrementum commune, & ſerum commune ipſius ſanguinis accepti per collectionem omnium humorum: quo pacto & ſæpe vtimur nomine ſanguinis vt ſepiſſime teſtatur Gale. Aliud autem eſt ſerum, vt eodem 2. lib. & com. poteſtis elicere, ſi locum diligenter perpederitis. quod & viij. de decretis Hippocr. & Plat. cap. 5. innuere videtur, qui & ichor appellatur: Interpretes vero ſaniem appellant latine, & hic eſt tenuis quædam humiditas, vel tenuis & aquoſa pars particulatim ipſorum humorum. Preter enim materiam vrinalem, quam paulo antea dicebamus, vnuſquiſque humor ſuum habet ichorem, ſeu ſuam habet ſeroſam humiditatem, quæ non eſt aliud præter aquoſas quaſdam eius partes, quæ interdum ſeparantur a reliqua illius ſubſtantia, & vel commixtæ cum vrina excernuntur, vel ſi retinentur interius in venis, ab illis arefactis attractæ varios efficere morbos ſolent. Nam bilis ichores, vt 4. de rat. vic. com. 4. expoſuere Hippo. & Gal. accendunt febrem ardentē, quæ cauſus Græce dicitur. Varij enim ſunt ichores pro diuerſa humorum natura, omnium enim mitiſſimus & facillimus eſt ſanguinis ichor, acerrimus autem bilioſus, malus & melancholicus. Sed & id intelligendum eſt, quod cum tum ſanguis, tum alii humores, vt in hoc com. & etiam in eo, quem citauimus ex 1. lib. in 3. Epid. cum non integre & adamuſſim fuerint concocti in prima, vt dici conſueuit, ſanguificatione, vel ob vitium iecinoris, vel ob naturam oblatorum ciborum, huiuſmodi ſeroſo vel ichore vel humore copioſo conſtat: & is eſt ſanguis, qui dicitur ſeroſus, nempe qui multo hoc humore refertus eſt: qui itidem & crudus eſt, quod & de alijs tribus intelligēdum. Sed natura ſolita eſt iſtorum ichorum partem

ali-

aliquam ſaltem per ipſas vrinas excernere ſe exonerans. Et quia ſeroſa & ichorodes iſta humiditas vt naturam humoris ſequitur, a quo ſecreta eſt, ita & colorem imitatur: nam ſanguinis ſerum ad rubrum vergit, bilis ad flauum, & ad atrum melancholicus ichor, fit deinde vt vrinæ ichores hi commiſti eius etiam colorem mutent. Vnde ſiblioſus ichor ſimul cum vrina mixtus excernatur, illa ſubrufa vel ſubflaua reddi tur. ſi vero ſanguis ſerum copioſum ſit, & eius pars miſceatur vrinæ (natura enim vt ſanguinem ab eo expiet ſemper aliquid cum ea expellit) illam efficit ſubrubram non rubram autem, ſed ſubrubram: quia cũ diluitur multa materia aquoſa, remittitur eius ruber color, & fit ſubruber. Seroſus vero ſanguis ſemicrudus eſt, & ob id hæc vrina oſtendit multum eius ſanguinis crudum in venis contineri, atque etiam quòd febris ab eo foueatur, quem prius coqui neceſſe eſt, antequam iudicetur & ſoluatur morbus. Vnde & ſi tantum ſemicoctus ſit, omnino tamen alioquin ſanguis eſt, qui & mitiſſimus, & benigniſſimus humor eſt: & ideo hæc vrina ſalutem certam pollicetur: verũ quia ſemicrudus, eum cõcoquere etiam oportet. Sed vt idem Gal. teſtatur eodem lib. in 6. Epidem. vbi eadem hæc verba exponit, concoctio tempore fit, & tempus requirit: ideo neceſſe eſt, vt ſalus non ſtatim accedat, ſed poſt tempus aliquod, ſed de hoc ſatis.

28. *Si vrina ſedimentum ſpeciem referat farinæ craſſioris, malum eſt: deterius vero, ſi ſquamularum inſtitutione conſiſtit. Si vero candidum & tenue admodum erit, vitioſum eſt: furfureum vero deterius eſt.*

Expoſitis vrinis, quæ quatenus ad rationem hypoſtaſis pertinent, bonæ & ſalubres habentur: ad eas exponendas tranſit, quæ prauæ ſunt, & mali affectus inditia: vbi hoc eſt aduertendum, quod ſicut ſæpius diximus, & vrinæ, & reliqua excrementa primam quidem rationem eius cõcoctionis demonſtrant, per quam genita ſunt in illa. Laudantur & tanquam ſalubria habentur & meliora, quæ maiorem & magis exactam concoctionem demonſtant, quia concoctio eſt effectus caloris natiui ſuperanris morbificas cauſas, quæ vero defectum concoctionis demonſtrant, illæ quãtum ad id ſpectant, probari minime poſſunt. At vero natura & ſubſtantia caloris natiui in quodã temperamento conſiſtit, temperatus enim eſt innatus calor, vt ſæpe oſtendimus, quo fit, quod neque, cùm deficit calor, quia refrigeratur & a frigido vincitur, poſſit proba fieri concoctio, ſed ea fiunt excrementa, quæ cruditatem oſtendant: neque etiam cum calor igneus & feruens dominatur. Vnde quæ excrementa præ ſe ferunt aut cruditatem, aut aſſationem vſtionemque, aut putrefactionem multam, omnia deteſtanda ſunt: & quæ aut cruditatem maiorẽ, aut maiorem aſſationem, vel liquefactionem, vel putredinem demonſtant, ea peiora & deteriora diiudicantur: Sed de his agamus prius, quæ fiunt ab immoderato & igneo calore. Cum igitur calor igneus vincit partes corporis, quas efficit, colliquat & diſſoluit. Vt enim proprium innati caloris eſt mixtionem efficere, & mixta ad vnionem deducere, & vnita continere: Ita extranei & ignei eſt diſſoluere ipſa mixta, & fundere, & tandem partes humidas a ſiccis ſegregare: vnde in his ſeruatur eadẽ ratio, quæ & in alijs. Prius enim ea afficiuntur a calore, quę magis apta ſunt ſuapte natura vt a calore liqueſcant, ſi ea poſſunt fundi aut ſaltem torrefieri. Vnde ſanguis quidem prius a calore igneo torretur vel aſſatur: eius enim parte ſeroſa conſumpta, aut ſecreta craſſior aſſatur, & in quę dam excrementa diſſoluitur, quæ videntur ſimilia farinæ hordeaceæ, quæ probe a mala læuigari non potuit. Solent in Cypro ttiticum molere & 4. δρομίως, vt aiunt Græci, hoc eſt craſſius, & ex craſſiori farina panem candidiſſimum faciunt, cum ex tenuiori conficiant ſeruis & ancillis panem, qui niger mox euadit. Farina itaque craſſa, quæ non eſt exquiſite in pollinem confracta κρίμνα appellant. Excrementa ergo ex aſſato ſanguine confecta ſimilia conſiſtentia, vel ſubſtantia ſunt eiuſmodi farinæ hordei craſſiori, quæ mingendæ excreta vbi quieſcit vrina, ſecernuntur & ſubſident, & deorſum tanquam grauia deſcẽdentia fundũ petunt, & hæc hypoſtaſis crimynoides appellatur ab Hippoc. mox vero caloris huius vis nõ hic perſiſtit, ſed pinguedinem aggreditur, & eam liquefacit, primumque eius partes tenuiores, & quæ recenter concreuere: facilius enim illæ liquantur, vetuſtires minime, vt pote quæ duriores, & ſicciores factæ ſunt ex longiori tempore magis reſiſtunt, ſed demum & illæ aut funduntur, aut torrentur, & itidem in fruſta craſſiori farinæ ſimilia conuerſa eandem rationem hypoſtaſis efficiunt. Sed adhuc vlterius progreſſus calor inæqualiter & vario modo conſumit: Nam & in ea teneriores partes in ichoroſum quendam humorem conuertit, duriores vero exſiccatas, perinde vt fieri in ſartagine videmus, in quędam fragmenta diſſoluit, quæ item in vrina ſubſidentia talem conficiunt hypoſtaſim. Quòd vero ita res ſe habeat, neque aliam poſſit habere rationem id genus hypoſtaſis, probat Gal. quia neceſſarium ſit eius ſubſtantiã craſſarum partium aut ex cibis comeſtis proxime ſuũ habere ortum, ab ipſis ſuccis in venis, aut ab ipſis particulis corporis: a cibis id eſſe non poteſt, quia non potuiſſent craſſiores illæ particulæ non probe manſi cibi per tenuiſſimas venas concauæ & connexę iocinoris partis tranſire; quare neceſſe eſt, vt in iſtas alias partes referantur. Sed vlterius prętera intelligendũ, quòd ſæpe non ſolum calor in febribus acutis colliquat, & conſumit adipoſam & carneam ſubſtantiam, ſed etiam pertinet vſque ad ſolidiora membra: & ſicut illa & duriora & ſicciora ſunt, ita ex eorum diſſolutione & colliquatione aliquid diſſoluitur diuerſum ab eo, quod detractum erat ex colliquatis ſanguine, adipe & carne: nam hæc omnia ſubſtantia ſunt ſanguini fere concreto ſimilia. Membra vero, ex quibus conſtat habitus corporis, ſubſtantiam ſolidiorẽ, & duriorem habent: quare ſi quid ab eis detrahitur vi caloris, id ſquammulis ſimile eſt, vel furfuribus: maiorem tamen exuſtionem videtur, vt Græcus expoſitor ait, furfuraceum ſedimentum monſtrare, quam ſquammoſum, vel farinæ craſſiori ſimile: Vnde & deterius eſſe dixit Hippo. ſicuti ſecundum primo peius item eſt: quo enim maiorem vim ignei caloris oſtendit, eo deterius ſignum eſt. Et hæc quantum ad hypoſtaſim, quæ ſigna ſunt, & effectus caloris extranei, & ignei ſuperantis & colliquefacientis partes corporis: Vbi debetis eſſe memores, quòd hypoſtaſis, cuius hic meminit, videlicet quæ farinæ craſſioris partes imitatur, meminit etiam 7. Aphor. 31. atque hic quidem ait, quòd mala eſt. 7. vero Apho. quòd longitudinis morbi nuntia eſt; vbi Gale. ait quòd id intelligendum eſt, quòd longus ſit futurus morbus, ſi ille euaſurus ſit. Nam cum non poſſit euadere niſi morbus concoquatur, non poteſt autem coqui in his affectibus, vbi hæc conſpicitur hypoſtaſis niſi longiori tempore: Oportet ergo, vt omnino ſit longus morbus; nam alioquin morbi hi mali ſunt, & plerunque pernitioſi, & acuti, qui cito interficiũt: quod ipſe duobus exemplis exponit excerptis e libr. Epid. altero Sileni, qui viſa eius hypoſtaſi citiſſime, nimirum vndecima die interijt: cuius meminit 5. lib. in 1. Epid. & eſt ſecundus ægrotus in ordine. commen. 19. Altero vero ex 1. libr. in 3. Epid. commen. 14. & eſt ægrotus tertius, qui euaſit quidem, ſed in quarto die iudicatus eſt; vnde horum quam plurimi moriuntur, interdum tamen aliqui curantur: ſed non niſi poſt longũ tempus: & ego quidem poſſum teſtari me vidiſſe ſæpius

pius huiuſmodi hypoſtaſes in febribus acutis, rariſſimos autem potuiſſe ab illis euadere, & ita primo de criſib. confirmat Galen. quòd pernitioſæ ſunt omnes hæ hypoſtaſes, deteriores vero ſquammoſæ & furfuraceæ, vt pote quòd eo diſſolutionis peruentum eſſe oſtendunt, vt vaſa ipſa diſſoluantur, iam & ſummæ eorum partes recedunt. Si quæras autem, quo differant ſquammoſæ a furfuroſis: ſquammæ maiores ſunt, minores vero quæ furfuribus ſimiles ſunt: interſerit inter has hypoſtaſes, quæ malæ, & pernitioſæ propterea ſunt, quia fiunt ab igneo calore colliquante & aſſante quandam aliam materiam, quę cruditatis potius eſt argumentum & frigoris, quam inſignis caloris. Vnde & Gale. hoc animaduertens ait, Hippo. in referendis his differentijs quoquo modo ordinem peruertiſſe: ratio enim requirebat, vt poſt ſquammoſam tertio loco ſubiungeret furfuraceam, quia eandem fere rationem habent, & illis expeditis de hac ſermonem haberet. Hæc vero hypoſtaſis tenuis eſt ſubſtantia, & candida colore: tenuis vero eſt, ait Gal. quia corpulentiam vel craſſitiem non habet, ſed fere ſimilis eſt ſquammæ: fit vero huiuſmodi hypoſtaſis ex humore ſemicocto, cui commixtus eſt flatuoſus ſpiritus multus, & adeo exacte ad minimas partes mixtus, vt fere nequeat niſi admodum ægre ab eo diſſolui, & ideo quaſi æqualis & ſimilaris videtur, videlicet propter tenuitatem partium mutuo mixtarũ, ſed ſtatim & candida euadit hæc hypoſtaſis, quia cũ ita rareſcit, humor ille ſemicoctus redactus ad minimas partes, ex mixto illo ſpiritu flatuoſo facilius ſplẽdorem ex circum fuls aere admittit, ex quo fit vt candida videatur eius ſubſtantia: ita & ipſa ſpuma, quæ rara eſt, & adeo conquaſſata, vt excitatę ampullæ minimæ adeo ſint, vt vix diſcernantur, & ea ratione candidæ videntur. Nec alia etiam ratione nubis illuſtratæ a ſolari luce partes tenuiores & rariores albeſcunt, craſſiores vero nigrę videntur. Vt autem verba Gal. exquiſitius percipiatis, quia aliquantiſper obſcuriora ſunt, aduertatis, & accipiam exemplum a ſpuma, quam diximus albam eſſe. vidiſtis ſæpe ſpumantes equos circa fræna, & interdum circa clunas, & ſpuma illa læuis & æqualis, & quaſi res ſimilaris eſſe videtur, neque tamen ea eſt æqualis, & ſimilaris ſubſtantiæ, imo diuerſas habet partes: quare eſt humor & ſpiritus etiam, qui continetur in ampullis. Et ſicut craſſior ſpuma, quæ maiores habet ampullas manifeſtiſſime oſtendit partes diuerſas & inæquales, quia maiores ſunt & craſſiores, ita inæquales & diuerſas partes habet illa, quæ tenuiores & candidas habet, præ earum tamen tenuitate non percipiuntur diuerſitates a ſenſu, ſed videtur ſubſtantia vndequaque & ex omnibus partibus. Ita ait Gal. hæc hypoſtaſis non poteſt æqualis, vel ſimilaris appellari, vel lęuis, quia lęuitas vel ſimilaritas in mixto fit, cum penitus & ex toto ſuperata fuit & exculcata a calore naturali materia ipſa concoquenda, vel etiam a calore igneo, vt ſuperius de lęuibus deiectionibus cum Gal. diximus. Cum vero ea eſt ſemicocta, vel ſemicruda nõ poteſt æqualiter fuiſſe con'equuta ex omni parte æqualem culturam: & ideo neceſſe eſt adeſſe partium inæqualitatem & diuerſitatem, imo addit Gale. quòd deterior eſt hæc hypoſtaſis, quæ ita ſimilaris & æqualis vndique videtur, quam ſi videatur aſpera, & inęqualis: quia ſi videatur aſpera, id eſt, quia diuerſitas eſt, propterea quod partes diuerſæ maiores ſunt, ideo enim a ſenſibus percipiuntur: ſed cibi tranſmutatio fit per maiores partes, ſignum eſt quod agens fortius eſt, & maiores habet vires tranſmutandi, & materia minorem reſiſtentiam, nam in actione ſemper pugna eſt. Vbi vero paulatim, & non niſi minimas partes immutare poteſt, non multa proportione ſuperat reſiſtentia affectæ materiæ: vnde tenuis hæc hypoſtaſis,

A & candida hac ratione maiorem cruditatem, & minores vires naturæ demonſtrant, quod niſi craſſior eſſet, & non ita æqualis quantum ad partes pertinet, hoc eſt ergo quod Galen. voluit.

29. *Nubecula, quæ inuehitur in vrina, ſi candida eſt, bona eſt, ſi nigra vitioſa.*

Diximus contenta in vrina, quæ communi nomine nonnunquam hypoſtaſis nuncupari, ex loco, in quæ ſubſidet, nomen mutare, quia proprie cum deſcendunt ad infimam partem prope fundum dicuntur hypoſtaſes, quaſi ſubſidentes, cum vero in ſublimioribus partibus elatæ conſidunt, nebulæ, ſed ſi in medio quaſi ſuſpenſæ conſiſtunt, item & nebulæ ap-
B pellantur ab Hip. Gale. vero maioris differentiæ gratia ἐναιώρημα vocauit. Itaque in præſentia a tractatione de hypoſtaſi ad tractationem de nebula tranſit, & ait Galen. quòd modus loquendi Hippo. oſtendit hic quòd per nubem intelligit eam, quæ mediam vrinam occupat, cui ipſe eneorema nomẽ impoſuit, ait enim inuehitur. Græce autem ἐμφέρεται, hoc eſt, infertur: hæc itaque cum alba eſt, bona eſt, quamuis enim nõ ita vt hypoſtaſis, & ipſa tamen bona eſt, cum vero nigra eſt, mala & pernitioſa eſt: nam aut frigus, quo extinguitur calor naturalis ſignificat, vt inter initia iſti? libri expoſuimus. Galen. vero ſanguinis deprompto argumento hoc probat, quia cum cruor a frigore cõcretus in grumos vertitur, ſtatim nigreſcit, & ſignifi-
C cat immodicum calorem aſſantem: quod autem ex multo calore nigreſcant animatæ ſubſtantiæ, oſtendit ſol æſtiuus, qui cutim eorum, qui diutius ſub ſole verſantur, denigrat.

30. *Dum vrina tenuis fuerit ac rufa, crudam eſſe ſignificat ægrotationem.*

Expeditis his, quæ ad contenta in vrina pertinẽt, ad ea, quæ in liquore vel humore vrinali notanda ſunt, tranſit, & primum de his agit, quæ ſubſtantiam reſpiciunt, deinde colorem, & odorem. Quãtum ad primum pertinet, animaduertendum, quod vniuerſa naturę ratio ſemper in modo & mediocritate conſi-
D ſtit, a quo quæ recedunt, ea omnia a naturæ ratione aliena ſint. Vbicumque vero medium reperitur, ibi etiam neceſſe eſt reperiri extrema: in craſſitie ergo & tenuitate vrinæ duo conſtituuntur extrema, tenuiſſima quidem vrina eſt, quæ ſimilis omnino conſiſtentia aquæ eſt, craſſiſſima eſt, quæ vrinæ iumentorum ſimilis eſt, quæ extrema vitioſa omnino ſunt, & vtraque oſtendunt cruditatem. Quæ vero mediam habet ſubſtantiam, probe humorem fuiſſe a calore affectũ indicat: ita etiam de colore dicemus, quod habet ſuũ colorem naturalem vrina, qui vbi conſpicitur concoctionem ſecundam probe confectam eſſe oſtendit: cęteri vero colores, qui ab eo abſunt, quo remotiores, eo deteriores ſunt. Vnde ſecundum alterum extre-
E mum eſt vrina alba colore ſimilis aquæ: ſecundum alterum vero eſt nigra, ideo eæ in exitialibus paulo poſt ponendę ſunt media vero & naturalis eſt ea, quę in ſanis conſpicitur, & in ætate iuuenili, in temperatura media, & ſimili regione, & anni tempore, ſi rem velimus ad minimum vſque reſoluere: ea autem, vt & hic & 1. de criſi. exponit Gal. ſubrufa eſt, ſed magis ſubrufa magis enim ad luteum vergit flauus quam rufus, hic autem ait quod ὠχρὸς, hoc eſt, pallidum, qui fere idem eſt cum ſubrufo: fit autem, quia in cõctione aliquid excrementi bilioſi commiſcetur: quod aut palidum, aut flauum eſt, dum multo humore, diluitur, fit ſubrufum & ſubflauum: hę ergo tales ſunt, ſed ſi rufa omnino ſit, ſignificat aut ſinceram bilem immiſceri, quæ acris admodum & mala eſt,

aut & flaua, ſed maiori copia quam poſſit. Rufa ergo vrina,& tenuis cruditatem ſignificat, nam nō poteſt rufus color eſſe inditium concoctionis cum tenuitate vrinæ: ſemper enim fere ſubſtantia coloris in concoctione comes eſt: vnde neque rufus,neque flauus color ſine aliquo ſubſtantiæ moderato modo p̄ concoctionem ſubſiſtere poteſt, non ſunt tamen hæ vrinæ differentiæ oſtendentes extremam cruditatē, ſed mediæ ſunt vt j. de criſib. docet Gal. inter extreme crudas,& exquiſite coctas, quum adeſt aliqua vrinæ craſſities & rufus color. Sed conſtitutis in ſequenti ſerie verborum docet Hippo. quam rationem præſagiendi deberet medicus inire, cum inſpexerit crudas vrinas & ait.

31 *Vbi morbus diuturnus fuerit,& vrina talis excernitur periculum eſt,ne durare æger poſſit, quoad morbus concoquatur.*

Vbi morbus diuturnus fuerit, &c. Nam fieri nequit,vt morbus tollatur,niſi prius concoquatur: vnde vbi ſera apparet concoctio, tarda etiam ſperanda ſalus:vnde cum etiam morbus talis eſt, vt ſuapte natura futurus ſit diuturnus,& adhuc vrina excernatur quæ cruditatem oſtendat inſignem, præſagiendum eſt, rem non vacare periculo: quia in longo morbo ſæpe vires antequam coquatur morbus, fatiſcentes corruunt, vtpote quæ tandiu nequeant onus illud perferre, onus enim quod per longius ſpatium perferendum eſt,robuſtiore & valentiore eget baiulo:ſemper ergo dubitandum erit. Vnde ait Gale. ſi tu obſeruaueris quantas vires habeat ægrotus, & eas contuleris cum tempore & quantitate morbi, hac ratione poteris exquiſitius pronuntiare, an euaſurus ſit,an vero ſi ſuccumbiturus.

32. *Exitioſior vero vrina eſt,ſi aquoſa, fætida, nigra craſſaque eſt.*

Iam diximus rationem naturæ in modo quodam conſiſtere, a quo quanto ſit maior receſſus, eo deterior eſt,naturæ magis aduerſarius, Extrema vero maxime videntur a medio abeſſe, vbi vrina,quæ aquoſa eſt, & ſubſtantia tenuiſſima, & colore,quæ extrema omnino ſunt, & oſtendunt extremam cruditatem,& adeo languidas eſſe vires corporis, atque natiui caloris,vt neque aggrediatur concoctionem vllo pacto, neque aptus ſit ad eam aggrediendam, vt fere oſtendat,vt j. de criſibus ait Galen. deſperatam concoctionem: qui quidem affectus ſimilis eſt in venoſo genere extremę cruditati ventriculi. Cum ergo ſummam imbecillitatem facultatis concoctricis oſtendat, cuius pręcipue eſt morbus,ex materia ſuam habens originem,non poteſt non eſſe exitiale, & malum ſignū, pręſertim autem in morbis acutis, de quibus,vt teſtatur Hipp. & Gal. eſt in hoc libr. pręcipue ſermo inſtitutus. Fętens autem vrina oppoſitum concoctionis oſtendit,& caloris natiui imbecillitatem alia ratione. Nam aquoſa calorem a frigore craſſorum,ac frigidorum crudorumque ſuccorum vinci, fœtor vero ab externo calore ſuperari, putredinis ſiquidem ſignum eſt,quæ extranei caloris affectus eſt. nigra vero vrina ſit,vel ab immodico & igneo calore aſſante & vrente vel ab immodico frigore natiuum calorem extinguēte. vnde eius differentiæ vrinarum abſolute ſemper malæ ſunt,ſiue ſolæ & ſeorſum conſpiciantur,ſiue ſimul iunctæ & ſemper pernitioſæ. De nigra enim vrina primo de criſibus ait Galen. ſe nunquam aliquem vidiſſe,qui eam minxerit, & morbum illum euaſerit. Qua parte & hoc debetis intelligere, quod vrinis nigris apparentibus non ſemper neceſſe ægrum mori: interdum enim poteſt fieri, vt ſalubris ſit,& ſalubriter excernatur talis vrina, natura videlicet vitioſum

A humorem euacuante per vrinam ratione quadā critica, ſicuti vidimus ſæpe quartanarios, qui per excretionē vrinarum nigrarum a quartana liberi euaſere, immo & hi qui de vrinarum differentijs & inditijs ſcripſere,iſtius rei meminere: & magnificus hic adoleſcens familia Lauredanus, qui hic nobiſcum habitat, anno elapſo in his diebus cum quartana laboraret, tandem nigra eiecta vrina eum quartana deſeruit:vnde ſicut diximus ſuperius de deiectionibus nigris,ita & in his intelligatis,ſæpe ad alia præterea eſſe reſpiciendum, nempe ſi ſemper vſque a principio tales viſæ ſunt,atque num ſigna aliquando oſtendentia concoctionem apparuerint,vel non,nam exitialis erit,etſi alia adſint ſymptomata malum protendentia,nempe ſi vires videntur labare, alioquin enim in-
B dicant morbum fuiſſe melancholicum & diuturnum non acutum:modo in acutis frequentiſſime demonſtrant futurum infœlicem ſucceſſum. Si præterea ſuccesserint bonæ,& his nigris apparentibus leuior videtur factus,qui ęgrotat, potius ſalubres ſunt vrinę nigrę quam lethales. Ad has nigras reducuntur, & liuidæ,vt de deiectionibus diximus, Minus tamē malæ hæ ſunt quam nigræ, vt Gale. primo de criſibus docuit: addit tamen,quod liuida vrina a ſolo frigore ſit. Poſtremo dicit Hippoc: quod praua eſt vrina craſſa:vbi duo notat Galen. primum quod per craſſam non quamcunque intelligimus, ſed eam quæ vehemēter craſſa eſt: quia ſi ſit aliquanto craſſior naturali,non tamen multo, erit inditium quidem alicuius
C cruditatis, ſed non exitij: vnde aliquantiſper longiorem morbum ſignificat potius, quam exitialem: quę vero craſſiſſima eſt, cum ſummam ſignificet cruditatem, illa quidem deterrima eſt etiam. Alterum quod notat Galen. quod obſcure aliquantiſper hanc partem expoſuit Hippoc. cum non diſtinxerit, an ſola craſſities vrinæ poſſit eſſe ſatis ad nuntiandum interitum ęgrotantis,an potius oporteat,& nigredinem adeſſe, vt intelligamus exitioſam eſſe vrinam, quæ pariter nigra, & craſſa ſit, tandem vero ait ipſe, quod ſimilium ſententiarum nullam meliorem expoſitionem inuenit ipſe, quam ſit ipſa experientia. Conſimiliter autem ad ea, quæ ab eo ſunt obſeruata ita rem ſe habere reperit: quod & ſi nigræ vrinæ per ſe ſint exitiales longe tamen deteriores comprehen-
D dit fuiſſet eas, quæ præterea & craſſæ erant: quòd ſi tantum craſſæ erant, neque tamen aliquem colorem deteſtandum haberent, euentus in eis anceps fuit: nam aliquando interiere, qui eas ita mingebant,nōnunquam vero, & ſalubriter fuere effectæ, immo aliquando ſalus cito conſequuta eſt. Quare ea ratione natura corpus per indicationem expurgauit, per eundem modum, quem de nigris deiectionibus expoſuimus. Hic vero quia Hippo. non videtur vniuerſam rationem craſſarum vrinarum tractare, neque omnes differentias, ſed ſolum generale quoddā ſub nomine craſſitiei exponit, non autem particulatim ad differentias deſcendit, ideo antequam vlterius ad ſequentis contextus ſententiam explanādam deue-
E niamus,de his aliqua dicenda ſunt, ne aliquam partē confuſam relinquamus. Debetis autem animaduertere,quod quantum ego percipio in hac re,duæ ſunt primæ differentiæ craſſę vrinę, nam alię turbidę ſunt aliæ vero etſi craſſæ ſint, non tamen turbidæ ſunt. Quod autem ita res ſe habeat,exemplo aliorum humorum oſtendam potiſſimum in vinis. Aliqua vina craſſa quidē ſunt,neque tamen turbida,vt ſunt multa Patauina maxime nigra, quæ clara ſunt,ſed craſſa: alia vero, & craſſa turbida, vt multa antequam perfecte bullierint,ita etiam in vrinis aliquando craſſæ, ſed non turbidæ ſunt, interdum autem & craſſæ, & turbidæ:turbidas autem, & non craſſas non memini me vidiſſe, ſed quod turbidas in craſſis repoſuerit

Galenus,

A Galenus, oſtēdere poſſunt ea verba, quæ ſuperius ꝓtulit, vbi dixit quod vrina, quæ habet hypoſtaſim albam, leuē, & æqualem, neceſſe eſt, vt habeat ſubſtantiam mediam inter tenuem, & aquoſam, atque eam quæ craſſa eſt, qualis eſt iumentorum, vrinæ vero iumentorum turbidæ ſunt, vt ex ipſa re patet: & oſtendit Hipp. 4. Aph. 7. quibus vrinæ turbidæ ſunt, veluti iumentorum, his dolor capitis aut adeſt, aut aderit, hic eas turbidas, ibi vero craſſas appellat. Turbidarū autem vrinarum, vt Gal. 1. de criſi. exponit, triplex reperitur differentia, quia aut vt mingitur turbida, ita etiam poſt turbida manet, aut turbida quidem mingitur, poſtea clareſcit, aut mingitur clara, poſtea turbida fit. In vniuerſum autem primum quidem craſſa vrina quælibet cruda eſt, & cruditatem ſignificat, ſicut & tenuis aquoſaque ſimiliter ad turbidas pertinet. B Fit turbulentia in vrina, vt locis nuper citatis expoſuit Gale. videlicet 4. Aph. & 1. de Criſibus, a ſpiritu flatuoſo, qui conturbationem in ea excitat, vt in muſto fit, dum ferueſcit adhuc. Gignitur autem hic ſpiritus facile cum materia craſſa & denſa a calore cōficitur & mouetur, nec modo in corpore animantis hoc fit, ſed in externis rebus, vt eſt reſina & pix, quæ cum ab externo calore afficiuntur, flatuoſus ſpiritus multus excitatur: ita & vrina cum materia multa lēta, & craſſa in vaſis continetur, & eam tranſmutare calor nititur, concitata multo ſpiritu fit turbida, vnde omnis turbida vrina oſtendit cruditatem, aut concoctionem imperfectam, verum non eſt harum omnium differentiarum eadem & æqualis ratio, om-C nibus enim melior ea eſt, quæ turbida micta deinde clara euadit, nam oſtendit naturam & natiuum & calorem ſuperiorem eſſe: quia quamuis non exquiſite contoxerit: adhuc enim aliquid perturbationis reliquum eſt, cito tamen eam ſedabit: quod ſubſidet clareſcente vrina bonum ſit, & hypoſtaſim bonā faciat. Sed quæ permanet turbida, nec clareſcit, ſignificat calorem agere in materiam craſſam, ac niti ſuperare: conturbationem tamen adhuc in ſanguine multam vigore, nec dum ſedari cœpiſſe. vnde ſecundum locū hæc obtinet, quia videlicet nondum cœpiſſe vincere indicet, cum tamen illum valenter pugnare oſtendit, ſpem præbet quod cito ſit aliqua concoctio appari-D tura. Addit tamen Gale. 4. Aph. 7. quod hæc turbida vrina, in qua nihil ſubſidet, omnino longū morbum ſignificat: ſi tales tamen vires fuerint, vt poſſint diu illum perferre, alioquin enim vbi fuerint imbecilles, periculum mortis ſecum affert. Deterior vero prçcedētibus eſt ea, quæ vbi fuerit clara excreta, paulo poſt turbatur, quia nondum cœpiſſe calorem aggredi concoctionem ſignificat, neque materia afficere, & ideo longe deterior. Poſtquam autem huc vſque peruenimus, id etiam addendum cenſuimus, quod traditum eſt nobis a Galen. 1. de ſanitate tuenda 4. quod ſimiliter ad id pertinet, quod de ea vrina dictum eſt, quę micta conturbata clareſcit, quod diuerſa poſſunt initia fieri pro modo diuerſo, quo clareſcit: qa ſi clareſcente ea cito id fiat, & ſubſideat bona hypoſtaſis, ci-E to morbus ſoluēdus eſt: ſed ſi ægre & tarde, tandē tn̄ bona ſubſideat, ſalubris erit morbus, ſed lōgior. At ſi ſubſideat quidē, ſed deinde ſubſidēs hypoſtaſis mala ſit, ſignificat naturā imbecillē eſſe, vt q̄ agat qdē, ſed vincere nō poteſt: imo illi aliquo eſſe opus indicat auxilio opportuno, Sed ſi quieſcēs, & quo auxilio illud tibi ratio indicationū a natura morbi, a natura loci, ab illis itē coindicationibus oſtendere, in aliquibus enim poterit expedire, vt ſanguis mittatur, vel vt alterantibus procedatur, vel attenuantibus & incidentibus pro incumbente neceſſitate & opportunitate.

33. *In mulieribus & viris vrina nigra, in pueris aquoſa deterrima eſt.*

A Expoſitis illis vrinarum differentiis, quæ maxime exitiales ſunt, abſolute autem, & ſemper ſunt tum aquoſa vrina & tenuis, tum nigra, hæ enim in quacūque ætate, & quacunque ſexu exitiales ſemper ſunt: nam aquoſa extremā cruditatem demonſtrat, & ſummam natiui caloris imbecillitatem, nigra vero aut eiùs extinctionem, aut aſſationem, & quaſi incinerationem præ immodico igneo calore. Et ſi aliquis ex Hippo. quæſiuiſſet, quæ harum deterior ſit, ipſe quaſi tacitæ quæſtioni in præſentia reſpondet, quod in aliquibus corporibus magis deteſtanda eſt nigra, in aliquibus aquoſa. Nam in pueris aquoſa deterior eſt, in adultis nigra: rationem vero referens Gale. eam diſſoluit in quoddam quaſi proloquium ſtatim a principio iſtius libri prognoſticorum, propoſitum tamquā B initium & fundamentum eorum omnium, quæ in hac diſciplina erant exponenda, videlicet quod omnia quo ſunt magis conſentientia & proxima ipſi naturæ rei, eo meliora & ſalubriora; qui autem ab ea magis euariant, & aliena aut aduerſaria illi ſunt, eatenus deteriora & magis deteſtanda ſunt. Maxime autem familiare & conſentiens eſt cum natura puerorum, vt craſſas excernant vrinas, id vero eſt, quia multis crudis excrementis exuberant, vires vero in eis coquendis & expellendis validæ ſunt, copioſa vero excrementa gignuntur ex eorum ingluuie, vt ſæpe docuit Gal. vnde tenues & aquoſæ vrinæ pueri ſunt valde pernitioſæ, vtpote quæ ſint ab eorum natura maxime alienæ, & proinde ait Gal. cum vrinæ in pueris tenues diu durant, neque longiori etiam tempore C craſſeſcunt, peſſimum & exitiale ſignum eſt, nempe facultatem concoctricem aut extinctam eſſe, aut ſtrāgulatam, vt maxime poſſit reſpirare. Nam concoctrix & commutatrix facultas in pueris ſolet vigere maxime, & valida eſſe præ alijs omnibus ætatibus, quæ crudas materias incraſſat: omnia enim tenuiora per concoctricem craſſiora fiunt, nec modo vrina, ſed deiectiones alni, ſputa in pleuriticis, perineumonicis, catarrho, & deſtillatione, lippitudines in oculis, & pus in vlceribus: vel vt ait Græcus expoſitor, ſignificat quòd materia ſerpit alio, vt ad membra præcipua At in adultis non ſunt ita alienæ vrinæ tenues, & coloratæ, quia ſuapte natura mingunt tenues vrinas, & quæ exiguam habent hypoſtaſim: & hoc, vt ait Græ-D cus expoſitor, ob id, quia calorem habent acriorem, quia fortior eſt in diſſoluenda, & liquanda, attenuādaque materia. Hic autem quædam notat idem expoſitor, quæ non parum faciunt ad eorum, quæ dicta ſunt hactenus exquiſitiorem intelligentiam: Primū quod harum differentiarum vrinæ quædam ſimul componi poſſunt, & complicari, quædam vero non, nam fieri nequit, vt vrina ſimul tenuis & nigra ſit, ita etiam quod ſimul nigra & fœtida, & hoc quidem aliquam rationem habet, quia fœtida eſt propter putredinem, quæ fit a calore cum humiditate. Nigra vero vel ab immodico frigore mortificante, vel a calore igneo exſiccante & torrente, & vtrunque aduerſariū eſt putrefactioni: vnde horum vnumquodque ſeor-E ſum & per ſe ſunt exitioſa, videlicet fœtidum & nigrum, tenue vero & craſſum non omnino & ſecundum omnem rationem, & pernitioſum & lethale, proprie enim ſignificant cruditatem & caloris infirmitatem, ſubindeque facultatis concoctricis: & ideo ex neceſſitate morbum fore longum, ſi tamen corporis vires alioquin tales ſint; vt diu illum poſſint perferre, poterit interdū & calor ipſe fieri valentior, & iam recuperatis viribus aggredi cōcoctionem. In hoc tamen differunt tenuis & craſſa vrina, quòd tenuis & aquoſa nunquam ipſa ex propria natura poteſt eſſe ſalubris: craſſa vero interdum & ſalutaris eſt nimirum cum apparet circa vigorem vel inclinationem morbi, præcipue, ſi aliqua ſigna concoctionis præceſ-

ſe-

ſerint, tūc enim rationem habet iudicationis morbi, ſed ad ſequentem textum accedamus.

34. *Qui tenuem, crudamque diutius vrinam mingunt, ſi cætera vt in conualituris indicia fuerint, in his abſceſſum ad inferiora præcordiorum ſedes expectare oportet.*

Quę hic ab Hippo. referuntur, illis atteſtantur, quę nuper diximus, non ſemper interitus eſſe nuncia, aut neceſſariam mortem denunciare; ſed quantum ad eorum naturam pertinet longum fore morbum, ſequitur autem mors eos, qui inualidis ſunt uiribus. vnde ſi ſint coniuncta cum alijs ſymptomatibus, quę malum ſignificant, quæ videlicet vires eſſe languidas oſtendūt, & calorem iam diſſolui & extingui, mortis ſunt nuncia, ſin autem, longum fore morbum: quia quæ exquiſite cruda ſunt, longo egent tempore, vt cōcoctionem talem conſequantur, q̄ eſt neceſſaria ad morbi ſolutionem. Vnde recte addit Hippoc. quod ſi cruda ſit vrina, & alia ſigna, quę in eo morbo exiſtūt, eius generis ſint, vt ſalubrem morbum ſignificent, prę ſagiendū eſſe quidē morbū ſoluendū, & iudicandum tandē, ſed non per excretionem, vel affluxū materiæ morbificæ per aluū, vel vomitū, vel ſudorē, vel vrinā, vel id genus alias vacuationes: ſed eo modo, quo ſolēt diuturni morbi iudicari. Explicat tū Græcus expoſitor, quę ſint illa, quę ſolent conualituris apparere, & ait, quod ſi facile ferat ægritudinē, ſi facilē habeat reſpirationē, ſi minime ſiticuloſus ſit, his tū addenda, & alia ſalutaria ſigna, de quibus & primo & ſecundo libro egimus: vbi notatione dignum eſt, vt hic exponit Græcus expoſitor (quæ tamē omnia accepta ſunt ex Galeno, tum in libro de criſibus, tum & alibi ſępe) quod morbi acuti frequentiſſime iudicari ſolent per expurgationem, & aliquam excretionem, qualē nuper expoſuimus, calidi enim ſunt plerique a calidis, & tenuibus excitati humoribus, diuturni vero raro per huiuſmodi iudicationes terminantur, ſed potius per concoctionem eorum, vnde excitantur, humorū, & eorum digeſtionem, vel diſcuſſionē: a craſſis enim & crudis, frigidisque ſuccis conſiſtunt, qui non ita ad excretionem, & affluxū natura apti ſunt, ſed paulatim aut coquuntur, & in bonum ſanguinem per concoctionem vertuntur, aut digeruntur attenuati, & diſcutiuntur. Quod ſi iudicantur per abſceſſum iudicantur, propulſa materia a præcipuis partibus ad minus principales, aut a valētioribus ad infirmiores: quibus in locis aut in tumorem aliquem præter naturā, & vt Arabes loquuntur, in apoſtemata, aut in dolores articulorum vel eiuſmodi alios morbos, de quib⁹ alias erit inſtituendus ſermo. Quod ſi dixeris, cruda vrina, quæ tenuis & aquoſa eſt, non videtur talis eſſe, vt debeat apparere in his diuturnis morbis, qui per abſceſſum iudicandi ſunt, quia ratio requireret, quod vbi morbus pendeat ex craſſa materia, quod vrina craſſa ſit: vnde & turbidam fieri in his morbis diximus, vbi craſſa & denſa ſit materia: Reſpondemus, vt monet idem Græcus, quod imo tenuis vrina & cruda ſignificat per apoſtaſim vel abſceſſum eſſe terminandum morbum: cum ea diu perſeuerat tenuis, neque ſigna alia mala adſint, quia ſignum eſt, quòd materia retinetur, neque per vrinam excernitur ſed alio repit, & a natura pellitur vbi abſceſſus excitatus eſt, Abſceſſus tamen non ſemper in eodem loco fieri ſolent, ſed diuerſa ſunt loca, ad quæ humores abſcedunt, ſicut diuerſę ſunt naturæ morborum: nam aut diuturniſſimi ſunt morbi, & in his ſunt abſceſſus ad inferiores partes, quod referunt & Galenus, & Græcus expoſitor in materiam craſſam tendentem ad frigidum, quæ facilius deſcendit quam aſcendit, Addit autem Galenus, quod ad id facit & naturæ imbecillitas, quæ iam ex longo morbo contracta eſt. Quòd ſi morbus ad acutorum naturam propinquior ſit, ſi-

A cuti in his contingit, qui acutis morbis ſuccedunt, & in quos acuti mutantur, ad ſuperiora fit abſceſſus, & ita in febribus malignis ſæpe vidi factum fuiſſe abſceſſum ad aures, & fuiſſe excitatas parotides. Inferiores partes appello, vt Græcus ait, quæ ſunt circa vmbilicum & ilia & infra: ſunt præterea inguina vel bubones, coxendix, & tandem inferiorum partiū articuli. Superiores vero ſunt, vt locus poſt aures, item fauces, & locus ſub alas. Facilis autem eſt is abſceſſus ad ſuperiora in his, quia neque ita craſſa, & frigida materia, neque ita perfracta natura, vbi vero media ſit natura humorum, & morbi in diuturnitate mediocres ſint, anceps eſt eorum abſceſſus: interdum enim ſurſum fit, interdum deorſum: neque ait Gal. ampli⁹
B a diuturnitate erunt petendæ rationes, quibus præſagimus quo decubiturus ſit humor, qui facturus ſit abſceſſum, ſicuti a calore loci, a dolore, a tumore, ab infirmitate ipſarum particularum. Hæc ſatis ſint quātum pertinet ad explanationem præſentis partis, niſi quòd quoddam verbum exponendum eſt, quo vtitur Hippo. in præſentia, quia varia eſt eius ſignificatio apud Hippocratē varijs in locis id vero eſt ἀποστάσις quod abſceſſus interpretatur Latinus interpres, interdum enim accipitur quodam communi ſignificatu vt videlicet ſignificat motum humorum, quum ab aliquo abſcedentes ad alium propelluntur, ſiue extra corpus effluant, ſicut interdum per vrinā effluūt, vel per vomitum, vel per nares, vel ventrem & alias
C eiuſcemodi partes, quòd vero ita abſceſſum vel apoſtaſim interdum accipiat Hippo. declarat Galenus in commentario ſecundi libri in primum Epidemiorū, & 2. com. in lib. Epidem. & alibi ſæpiſſime. Interdum autem ſignificat apoſtaſis, quum materia abſcedit q̄dem vnde erat: & alio decumbit in aliquam videlicet definitam particulam corporis, atque linea continetur: vbi aut dolores, aut tumores, aut conuulſiones, vel ſtuporem, vel ſolutionem excitat: is enim eſt modus apoſtaſium ſeu abſceſſuum, per quos iudicantur diuturni morbi, non autem effluxum, vt diximus.

35. *Si pinguedo ſupernatans araneorum ſpeciem referat, damnandum eſt, indicat enim conſumptionem.*

Indicat pinguis ſubſtantia & tenuis, quæ quaſi a-
D ranea tela ſupernatat vrinæ, quod colliquationem, & febrem colliquantem ſignificet ex his, quæ ſæpius diximus tum in hac tractatione, tum vero in ea, quę de deiectionibus inſtituta eſt facile vnuſquiſque etiam percipere poteſt: & ideo neque alioquin eſt de his habēdus ſermo, ſed ad ſequentē dictionem accedamus.

36. *Conſideranda in vrina nubecula eſt, vtrum ſurſum fuerit an deorſum, & item color quem obtinet: ſi enim deorſum feratur cum colore qui dictus eſt, bona commendataque eſt: ſi ſurſum cum colore qui dictus eſt, damnanda & mala eſt.*

Cum de his loqueretur Hipp. in ipſis vrinis, vt recte procederet prę ſagitio, erunt conſideranda ea, quę diximus in contentis, atque adeo etiam in hypoſtaſi
E hæc conſideranda, color, ſubſtantia, æqualitas, & locus, in quo conſiſteret hypoſtaſis, & cætera quæ hactenus expoſita ſunt. Reliquum eſt, quod quamuis ſit, videlicet expoſitum nomine hypoſt. quum diximus, optimam eſſe vrinam, in qua hypoſtaſis ſit alba, læuis, & æqualis, nam proprie, vt ibi diximus, hypoſtaſis eſt illa, quæ in fundo reſidet, vt tamē res clarior euadat, in hoc contextu de hoc ſermonem proprium inſtituit, maxime quia interdum accipitur communi quodam ſignificatu hypoſtaſis pro omni eo, quòd in vrina colligitur, ſiue in ſumma eius parte cōſiſtat, ſeu in ima. Itaque tres loci, in quibus hypoſtaſis colligi poteſt, præcipue vt inter initia diximus, conſiderantur a medico, ſupremus, infimus, & medius: quę quidem ſecundum loca mutant nomen, de extremis autem locis ſummo nimirum, & infimo nulla eſt dubitatio,

tatio, Etenim conſtat, quòd ſi hypoſtaſis ſupremum locum occupat, dicitur ab Hyppocrate nebula: cum vero infimum locum petit, proprie dicitur hypoſtaſis: ſed de loco medio dubium eſt: nam Galenus quidē, & ſuperius, & hic, & primo de criſibus cum medium locum tenet, ſedimentum appellauit, vt tranſtulit interpres maioris diſtinctionis gratia: an autem iſta & Hippocrates appellauerit, non videtur æque conſtare: nam potius videtur pariter nebulam appellare ſiue in ſummo per ſe ſit, ſiue in medio; quamuis & interdum, vt & hic ait Galenus, videtur, & hypoſtaſim, quæ ſeminis genitalis ſimilitudinem referat, eneorima appellare, quaſi hoc veluti genus ſit, quod ſit diuidendum in nebulam eſſe hypoſtaſim, quæ ſemini genitalis ſit ſimilis: ſed hæc res a nobis non ſit plurimi facienda, quæ potius circa verba, quam circa ſententiam vertitur. Proſequamur quæ ad ipſam ſententiam pertinent. Ait ergo quod nondum ea, quæ hactenus de hypoſtaſis dicta fuere, obſeruanda & conſideranda ſunt, vt recte præſagire poſſimus, ſed etiam locus animaduertendus, in quo conſiſtit; quia ſi in ſuprema parte conſiſtat, ſignificat nondum plene coctum eſſe morbum: deterior ergo locus ſuperior eſt, magis autem laudandus eſt medius, maxime vero infimus: quo ergo magis deſcendet quantum ad locum ſpectat, eo maiorem & abſolutiorem concoctionem oſtendit. Horum vero ratio eſt, quia vt ante diximus, hypoſtaſis eſt pars craſſior, & denſior quam ſit reliqua vrinæ ſubſtantia, quæ ſuapte natura niſi alioquin impediatur, deorſum verſus fundum feratur: ſuſpenditur autem & impeditur ne deſcendat, quum, vt hic ait Galenus, in ea immixtus eſt multus flatus, qui cum aere quadam ſubſtantia ipſam ſubleuat, & ſuſpenſam detinet, ne deſcendat. Ita in aqua videmus, quòd cadauera fundum petunt, quoad vſque incipientia putreſcere excitato calore putredinali multo flatu turbida fiunt, & aſcendunt & natant. Sed quo hypoſtaſis magis expers eſt flatulenti ſpiritus, eo etiam magis deſcendit, quo autem magis eius eſt particeps, eo magis ſuſpenditur, & libratur in parte ſuperiori, cum vero per concoctionē vincatur cruda materia apta in flatum conuerti, quo magis concoctio ꝓcedit, minor ſit copia flatus, minima vbi exquiſita & abſoluta ſit concoctio facta: & ideo quæ in ſummo conſiſtit, multam ſignificat cruditatem, quæ in medio mediocrem concoctionem: vera autem hypoſtaſis cum fundum attingit, abſolutam concoctionem indicat. quapropter hæc optima, bona quæ in medio, omniũ deterrima q̄ in ſumma parte cōſiſtit.

37. *Nec te fallat, ſi ipſa veſica ægrotans aliquā talē reddiderit vrinā: non enim totius, ſed ipſius per ſe veſicæ inditium eſt.*

Poſtremo loco Hippocrates bonus ſenex, vt huic tractationi calcem accommodatum imponeret, non

A modo recte per vrinas iudicare docuit, ſed etiam voluit, quia aliquando aliquid intercidere poterit, quod fallere medicum in iudicando poſſet cautum illum facere: vnde eſt hoc animaduertendum, quod vt me dixiſſe alias memini, vrina excrementũ eſt, quòd ad concoctionem eam pertinet, quæ in iocinore & in venis fit, quæ ab ipſo ortum habent: vnde quantum ad vrinæ naturam pertinet, ſolum eſt ſignum earũ affectionum, quę ad venas & iecur pertinent, & proinde quæcunque hactenus expoſita ſunt, ea intelligenda quum vrina mutatur ex affectione venarum, & iocinoris: vnde niſi aliquid interdum in animantis corpo-

B re ſuboriatur, quod ipſum etiam per ſe poſſit mutare vrinæ affectionem ſeorſum a venarum, vel iocinoris natura, id non erit referendum in generalem aliquā rationem eorum, quæ primum & per ſe ſolent naturam & qualitatem tranſmutare: ita vt inde ſumantur argumenta ad iudicandum de facultate coctrice, & robore caloris natiui concoquētis, vt propterea ex eo pręſagire poſſimus in vniuerſum febrem fore ſalubrem, vel lęthalem, vel longam, vel breuem: ſed ſolũ erit tranſmutatio priuatim referenda in eum affectũ, qui proxime mutauit rationem vrinæ: præter autem

C venas & iecur in primis, viæ, per quas tranſit vrina, ſolent aliquid conferre vrinæ, vnde illa mutari poſſit, & fallere iudicium medici. Verbi gratia, poſtquam exempla magis mouent: interdum eſt aliquod vlcus in renibus vel veſica, a quo ſemper aliquid puris gignitur, quod permiſtũ cum vrina ipſam craſſam efficiet, reddet & fœtidam: præterea renum inflammatio colorem eius poterit mutare, & rubicundiorem facere: item in ſcabie veſicæ atque eius abraſione, & excoriatione ſæpe apparet ſedimentum ſquammo-

D ſum & furfuraceum: vidi interdum quòd cum ſanguinis grummi in veſica continerentur, & eorum aliqua pars diſſoluta cum vrina mixta excerneretur, facta eſt vrina nigra. Ita etiam ex multo renum calore dilatatis meatibus, per quos excolatur vrina, vidi eam factam & rubram & nigram: quare oportet cautum eſſe medicum, neque eſſe in iudicando præcipitem, & recte perpendere an differentiæ, quæ in vrina apparent, habeant aliquam priuatam cauſam ab aliquo loco particulatim: an ex communi affectu organorum ſeruientium ipſi naturali facultati, & commutatrici alimenti, cuius præcipuum munus eſt

E ſanguificatio. Addit autem Galenus, quod hoc eſt præceptum non modo perquam vtile, ſed neceſſariũ, quod nobis poteſt conferre non modo in ratione præſagiendi per ipſas vrinas, ſed etiam per deiectiones alui & vomitum, & reliqua excrementorum genera: quum per eam excretionem non modo illa excrementa excernuntur, quæ in ea particula generantur, ſed & aliunde poſſunt eo declinare.

FINIS.

Hæc hucuſque tibi damus, amice Lector, in 2. lib. Prognoſt. Hippo. a doctiſſimo ſeniore medico Trincauello, familiariter exarata, extractaque ex quodam exemplari ſatis perperam manuſcripto, vt vix alicubi potuerit legi, & intelligi, quid ſibi voluerit ſcriptor. Vnde rogatos omnes velim, vt ſiquid legendo aliquid offenderint, quod nō votis omnibus ſatisfaciat, poni conſulant: cum omni diligentia, qua potuimus, in his tranſcribendis & typis mādandis vſi fuerimus. Reſtat, vt rogemus, ſi qui forte fortuna ſint, qui has exercitationes emendatiores habeant, in lucem edere cum reliquis vſque ad finem libri, & alijs etiam in primum librum Progn. ac tertium quoque, vt audio eundem Trincauellium aliquando exaraſſe, ad communem omnium rei Medicæ ſtudioſiorum vtilitatem, quæ plurima quidem percipi poteſt ab eius ſcriptis, vt vnicuique in his fragmentis legendis manifeſtum fiet.

INDEX IN QVATVOR LIBROS DE VSV ET COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM,

Et in Comment. II. Lib. Prognoſt. Hippoc. & Galen.

A

ABbſceſſus ſuppurati curandi ratio 135.b,col.1
Abſceſſus ad ſuperiora quibus facilis ſit,& quibus non 243.e, col 1
Abſceſſus non ſemper eodem loco fiunt in morbis, & in quibus locis fiant ibid.
Abſtergētia partim calida partim frigida ſunt 10.b,e,col.1
in Acceſſionibus non eſt purgandum 9.d,col.1
Acceſſiones feb. in morbis acutis quomodo, & quando fiunt cum rigore aut frigore 224.b,col.1
Acetum doribus infenſum 2.b,col.2
ab Aceto vbi abſtinendum ibid.
Aceti vſus in ſcirrhis 146.c,col.2
Acetum vino magis deſiccat 205.d,col.1
Achores & Ceria quæ medicamenta requirant 163.a, col.1
in Achoribus quæ victus ratio conueniat ibid.a,col.2
Achorum curandi ratio 162.a,col.1
Achorum & reliquorum cutis capitis vitiorum curandorum ſcopi 164.d,e,col.1
Acuti morbi in quatuordecim diebus terminantur 220.a,col.1
Adeps leonis calidiſſima 146.c,col.1
Adeps vituli,& vaccina medulla eiuſdem ferè ſunt facultatis 145.a,col.1
Adeps ex anguilla aſſa deſtillans ad auditum læſum optima 211.d,col.2
Adipes & medullæ quo magis inueteraſcunt eò & calidiores euadunt & ſicciores 146.b,col.1
Adipes ſuppurādis inflammationibus vtiles 135.b, col.1
Adipum ex varijs animalibus in calefaciendo & digerēdo gradus & differentia 145.c,col.1
Aegilops oculorum qui 198.c,col.1
Aegilopis curandi ratio ibid.e,
Aegritudines ex bile,quæ 23.e,col.1
Aegrotantis natura in exhibēdis medicamentis conſideranda 8.c,col.1
Aegyptiacum vnguentum 111.b,col.1
Aegyptiaci vnguēti in curandis ſinibus vſus 115.d, col.2
Aequalitas in vrina & hypoſtaſi naturæ victoriam ſupra materiam indicat 224.d,col.1.inæqualitas contrarium ibid.& ead.col.
Aeruginis in ceratis variandi ratio pro corporum diuerſitate 107.e,col.2
Affectus & dolores per antidotos reprimi 69.a,col.2
αὐτοδιδάκτοι qui dicantur 19.d,col.2
Agaricum præparatum 33.e,col.2
Agaricum trochiſcatū, eius cōpoſitio ibid. & 34.a,col.1
Agaricum vt maceretur 37.c,col.1
Agens omne agit,vt ſibi aſſimiliet paſſum 237.b,col.1
Agglutinantia compoſita mediocria 91.c,col.1 vehementia ibid.
Agglutinantia ſimplicia mediocria 85.a,col.1.vehementiora ibid.c
Alandahal præparatio 34 a,col.1
Album oui emplaſticæ facultatis 128.b,col.2
Album oui Auicennæ aſtringit 90.b,c,col.1
Albuginis oculorum curandi ratio 191.c,d,col.1
Albugiues in oculo quid ibid.d,
Alcachengi 53.d,e,col.2
Alexipharmaca 3.a,col.2
Alicacabus 68.b,col.2
Aloes.lotæ facultas 14.b,c,col.2
Aloes vt ſumenda 12.e,col.1.eius facultas 13.a,col.1
Aloes illotæ facultas 14.c,d,col.2
Aloes pilularum materia b.c,d,col.1
Aloes priuilegium 10.c,d,col.2
Aloes vſus quando 14.a,col.2.eius incommoda ibid.b,
ab Aloe qui abſtinere debeant 12.a,b,col.1
Aloe qui vti poſſint ibid.
Aloe ſupercreſcētem in vlceribus carnem exſiccat 118.c,d,col.2
Alopetiæ & ophiaſis differentia 156.b,c,col.2
in Alopetijs cur initio valētioribus vtendū 157.a, col.1
Aluum cientia in affectibus capitis inſigniter reuellunt 168.d,col.1
Amara fere oīa aliquid deterſoriū habent 106.e,col.1
Amaritudo ſemper in tenui ſubſtantia à calore attenuata conſiſtit ibid.& a,col.2
Amylum 71.c,col.1
Andromachus theriacæ author 69.c,col.1
Andronis paſtillorum compoſitio 111.b,col.1
Aneuriſmatis cauſæ. 128.c,col.1
Animalis facultas duplex, & quæ 225.a,col.2
Antidoti ſiue electuaria qūo,& ex qbus fiat 69.b,col.2
Antidoti in quos morbos vim ſuā exerceant 69.b, col.1
Antidoti quæ affectus reſpiciunt ibid.c,
Antidotorum differentia triplex 69.c,col.1
Antidotorum ſecunda ſpecies ibid.
Antidotorum tertia ſpecies ibid.d,
Antidotorum apud veteres conficiendorum vnus modus,nunc multiplex ibid.e,& ſeq.
Antidotos ex aridis medicamentis fieri 69.b,col.2
Antimonium & eius temperatura 99.e,col.1
Aperientia poſſe quoque aſtringere 53.d,col.1
Apertionis vaſorum cauſæ 127.b,col.1
Apophlegmatiſmi 4.d,col.2
Apophlegmatiſmi 11.a,col.2
Apophlegmatiſmorum vſus 144.d,e,col.1
ἀποςάσις quid ſignificet apud Hippocr. 243.b,col.2
Aqua frigida in calidioribus remedium præſtātiſſimum 59.d,e,col.1
Aqua cocta frigidior fit,quia rarior 49.e,col.1
Aquæ deſtillatæ an odorē & alias qualitates ſeruent 36.a,b,col.1
Aquas ſtillatitias purgare ibid.b,col.1
Aquarum deſtillatarum vſus ibid.c,
Aquarum deſtillatarum vtilitates ibid.e,
Aquæ vſus neruorum vlceribus cauendus 105.b,col.2
Aquæ hordei ad ſordes & ichores in vlceribus, & ſinibus vſus 115.b,col.1
Aqua intercutem quis affectus ſit,& quomodo appelletur à Græcis 206.c, col.2. Fit læſa facultate concoctrice,& ſanguine effectrice ibid.

Aquę intercutē tres differentię & q̄ ibid. & 219.e,col.1
Ortum habent ab aliquo iecinoris affectu primario vel per conſenſum 219.e,col.1
Aqua intercutē morbus eſt,& nō ſymptoma 223.c,col.1
Aliquando verò eſt ſymptoma,& quando ibid.
Aqua in hydropicorum ventre collecta non omnino frigida & tumida eſt ſed nitroſa & ſalſa 220.c, col. 1, & ſeq.
Aranearum telæ emplaſticæ facultatis 127.b,col.2
Areæ pueros & adoleſcētes ſæpius corripiūt 163.b,col.1
Arearum vel tinearum curandi ratio 162.c,col.2.& ſeq.
Arida magis aſtringunt 51.b,c,col.2
Aromaticum roſaceum 72.c,col.2.eius materiæ ibid.
Aromatici odores quibus moleſti 50.c,col.2
Artes per vſum & exercitium abſolui 15.a,b,col.2.& 20.e,col.2
Ars medica inter factiuas collocatur 218.a,b,col.1
Ars omnis doctrina & diſciplina debet cognoſcere q̄d per rationem illius rei ſignificatur 228.e,col.1
Aſcitis tertia hydropis ſpecies quare ſic dicta 219.e,col.1
Aſplenum quid eſt,eius facultas 67.b,c,col.2
Athyrdo palpebrarum quæ propriè dicatur ibid.a, col.2
Aſſatio quid 49.c,d,col.1
Aſſatio fitá calore igneo vrente 233.b,col.1
Aſtringentia quæ ſint 71.c,d,col.2
Aſtrictionis participantia quæ 62.d,col.1
Aſtrictio craſſæ & terrenæ frigiditatis opus 106.a,col.2
Abſtrictio moderata vulneribus vtilis eſt neceſſaria 87, a,col.1 & ſeq.
Atheromata quæ 151.e,col.2
Attractionis cauſæ calor & dolor 126.a,col.1
Auditus iuſtrumenta ſicciora quā odoratus 110.b, col.1
Auditus male affecti cauſæ 211.b, col.1. curatio ibid. a
Audiendi actio quotupliciter lædatur 211.b,col.2
Auicennæ ſententia de aloe 10.d.col.2
Auicennæ aurea ſententia in exhibendis medicamentis
Auicennæ de albi temperatura ſententia 94.c,col.2
Auicennæ de repulſione bubonum error 140.c,d,col.2 & ſeq.
Aures quibus affectibus obnoxiæ ſunt 206.a,col.1
Auris vehementioribus doloribus afficitur quàm nares ibid.c,d,e,col.1
Aurium dolorum cauſæ 196.d,col.1,206,c,col.2.& 208. c,d,col.cum ſeq.
Aurium dolorum cauſæ quibus nothis diſcernendæ. ibi. per ſolum
Aurium doloroſorum affectuum curandi ratio 206.c, col.1
Aurium dolores periculoſi,& cur 208.a,col.2
Aurium partes exquiſitiori ſenſu præditæ quàm narium 206.e,col.1
Aurium vlcerum cauſæ 209.c,col.2
Aurium vulneratarum curandarum ratio ibid.d,e,
Aurium vlcera præ reliquis particulis ſiccioribus curandæ ibid.e,
Authoris intentio 3.c,d,col.2
Authoris fundamentum 1.a,b,col.2
Authoris inſtitutum 5.d,e,col.2

B

Balani ſiue glandes,ſuppoſitoria quid 42.d,col.2
Balnei in conuultione apta 183.a,col.2
Barbarum maius Gal.& eius deſcriptio 92.b, col.2
Barbari emplaſtri deſcriptiones ibid.c,
Barbari minoris & ſimplicioris deſcriptio & examen 93.c,d,col.2
Barbari emplaſtri ſcopus varius 92.b,c,col.2
Barbari emplaſtri examen 93.c,col.2
Baſilicō magnum in neruorum vlceribus commodum, & in vſu frequenti 124.d,col.1
Baſilici vnguenti compoſitiones duæ 98.a,col.1
Baſis componendorum medicamentorum vnde capienda 23.a,col.1
Benedicta medicamentum 29.a,col.1.eius doſis & facultas 30.e,col.2
Bilis quos morbos gignat, & quando, & in quibus 23.a, col.2.
Bilis flaua & atra qua ratio ne inter excrementa connumerentur 229.b,c,col,1
Boccia vel broechocelæ quid 152.b,col.1
Boli quid 4.a,col.1
Bolus armenus quid,& eius vires 69.b,c,
Boli armeni facultates 128.c,d,col.2,
Bubo tumor in inguine proprie 139.a,col.2
Bubones qui gallicæ luis ſigna ſint 140.c,col.1
Bubones qui mali & cur ibid.b, col.2
Bubonum & ſtrumarum diſcrimen 151.a,col.2
Bubonum nomine Gal. omnes glandularum inflammationes complectitur 140.e,col.1
Bugloſſum hodiernum nō eſſe antiquorum bugloſſum. 52.c,d,col.1

C

CAdauera primo fundum petunt in aqua,deinde aſcendunt,& natant,& quare 244.c,col.1
Cadmiæ vires 101.e,col.1
calamentum duplex 60.d,e,col.1
calida tēperata abſceſſibus ſuppuratis apta 141.b,c,col.2
calidum ſuppurationi promouendæ idoneum ibid.c,
callus quæ medicamenta requirat 117.e,col.1
callorum duplex curationis ratio ibid.
calor naturalis ſi coquere non poſſit iuuandus, & quomodo 46.e,col.1.& a,col.2
calor natiuus ſemper concoquit,extraneus verò corrumpit & putrefacit 131.a,b,col.1
calor duplex in parte inflammata ibid.c,
caloris natiui & extranei in inflammatione lucta ibid.
caloris natiui officia ibid.d
caloris extranei,& aduentitij affectus ibid.& ſeq.
calor naturalis eſt fundamentum & ſubſtātia omnium facultatum 221.c,col.1
caloris naturalis retractio quæ magis pernitioſa 223. c, col.2.& ſeq.
caloris natiui ſubſtantia in quodam temperamento cōſiſtit 239.c,d.col.1
caloris innati proprium eſt mixtionem efficere, & mixta ad vnionem deducere, & vnita continere ibid. & ſeq.
calor in febribus acutis quid agat 239.c,col.2
calor extraneus diſſoluit mixta, fundit, & partes humidas à ſiccis ſegregat 236.b,c,col.2.vnde in ſanguinem, pinguedinem & partes alias agens, aſſat,fundit & in minimas partes ſiccatas cum vrina educit ibid. c,d,
caluitiei cauſæ 157.b, col.1.& ſeq.
camphoræ vis 24.e,col,2
cancer quid 149.a,col.1
cancer verus quando dicendus ibid.b
cancer ſine vlcere vel occultus quis ibid.
cancer vlceratus quando dicendus ibid.c,
cancer in mulierum mammis frequentius oritur, & cur ibid.& ſeq.
cancer quomodo generetur 149.d,e,col.1
cancer initio non facilè cognoſcitur ibid.d,
cancri occulti non curandi ibid.e,
cancri occulti quinam ſint Galeno ibid.b.col.2
cancri & elephantiaſis differentia 151.d,e,col.1
cancri nomen vnde affectui ſit inditum 149.b,col.1
cancri curandi ratio ibid.c,col.2
cancri generationis initius à liene habent 149.d,e,col.1
in cancro qualia medicamenta conueniant 149. e, col.2
cancri à ſcirrho differentia 14.9.d,col.1
Cancri inueterati non aggrediendi 150.a,b,col.1

Cancro-

Cãcrorũ vlceratorũ vera curatio nõ ſperãda ibi.c,& ſe.
Canæ quid 66.d,col. 2
Capitis cutis affectum curandi ratio 156.a,col.2
Capitis affectuum enumeratio ibid.
in Capitis plaga accepta quæ conſiderãda 166.d,e, col.2
Capitis affect⁹ cũ materia curãdi ratio 174. e, col.2.et ſe.
Capitis plagæ curandæ ratio 165.b,col. 2
Capitis inflammationum curandarum ratio 171.a,col.1
Capitis partium enumeratio 156.c,d,col.1
Carbunculus quis affectus 140.d,e, col.2
Carbunculi materia qualis ibid.b,col.1
Carbũculi materia foras euacuãda &quib⁹ 140.c,d,co.2
Carbunculi generatio duplex 138.c,col.2
Carbunculi peſtilentes quales ibid.& 139.a,b,col.1
Carbunculi malignitas ſecundum Auicennam ex calore cognoſcenda 140.b,c,col.2
in Carbunculo neque repellẽtia, neque ſuppurãtia Gal. probari 142.a,col.1
in Carbunculo exquiſito maturantia,& ſuppurantia vitanda 140.d,e,col. 2
in Carbunculo à repellentibus abſtinendum ibid.e
Carbunculorum modum vel differentiam eſſe duplicẽ 137.c,col.1
Cariolæ quid 26.e, col.2
Carnis in vlceribus generatio ſolius naturæ, eſt opus. pag.57.a,col.1
Cartamum 9.c,col.2.& 17.c,col.2
Caſſia quid 3.b,col.1
Caſſia vt accipienda 12.a,col.2
Caſſia quibus noceat 6,a,col.2
Caſſia pro clyſtere 44.b,c,col.1
Caſſia quid incõmodi habeat 67. a, col.1. vt colatur ibi.
Catapotia quod genus medic. 16.d,col.2.& ſeq.
Catapotia quomodo magis à capite,& remotiorib. partibus attrahant 179.d,e,col.1. & a,b,2.
Cataphora media eſt affectio inter phrenitidem & lethargum 175.e,col.2
Cauſæ procatarcticæ mouent internas cauſas 178.e, colum.1
Cauſi quid ſint 23.e,col.1
Cæcitatis cauſæ 211.a,col.2
Cẽtaurei maioris radix,quibus morbis proſit 15.a,col.1
Cephalica medicamenta quæ dicantur 168.d,col.2
Cephalicorum medicamẽtorum cõpoſitio 173.c, col.1
Cauſtica medicamẽta quæ propriè dicant 213.b,c,col.2
Ceratum ex Oeſypo ad durities emolliẽdas 147.d, col.2
Cerati ex Oeſypo deſcriptiones ibid.e,
Cerati diachylon compoſitio ibid.e,& 148.a,col.1
Venetijs vſitata 148.a,b,& ſeq.
Cerati diachylon facultates ibid.c,d,e,
Ceratum de muſcilaginibus ibid.cum ſeq.
Cerebri affectus primarij maximè à pituitoſa materia oriuntur 175.a,col.2
Ceria vel fauus capitis quid 163.a,col.1
Ceruſæ facultates 99.a,col.2
Chalaſticorum & malacticorum differẽtia 148.c, col.1
Charta noſtra veterum infirmior 164.d,col.2
Cheiron quid ſit apud Arabes 26.e,col.2
Cibus medicamentoſus,qui dicatur 21.b,col.2
χλωρόν quid ſignificet apud Galenum 233.e,col.1
Clyſterium qualitas & natura diuerſa,& vſus 40.c.col.1 & ſeq.
Clyſterium differentiæ 4.a,col.1
Clyſterium differentię ibid.& 39.a,col.2
Clyſterium vſus 38.b,col.2
Clyſterium vſus diuerſus 39.a,b,col.2
Clyſterium acrium doſis 42.a,b,col.1
Clyſterium acrium vſus 16.c,d,col.1
Clyſterium præcipuus vſus 40.d,col.1
Clyſterium tempus ibid.c,
Clyſterium apta hora quæ ibid.d,
Craſſa materia difficilis ad euacuationem 49.b,col.1
Clyſterium doſis,quæ 40.e, col.1.& a,col.2
Clyſterium inſtrumenta varia 38.d,col.2
clyſter ex decocto maluę & betę cõmuniſſim⁹ 43.d,co.1
Clyſter ex decocto lentium orizæ & ordei 42.c,col.2
Clyſter ex caſſia, & eius compoſitis 41.d,col.1
Clyſter ex ptiſana 40.b,c.col.1
Clyſter ex lacte quibus morbis proſit ibid.c,col.2
Clyſter ex iure ibid.c,d,
Clyſter pro pueris,& cõmunes ac eorũ vſus 40.b,col.1
Clyſteris nomen multiplex 38.39.40. diffuſe
Clyſteris modus vtilis ibid.per totum
Clyſteres quomodo vtendi 4,a,b,col.1
Clyſteres vnde dicti 38.a,col.2
Clyſteres cur inuenti, & eorum differentiæ ibid. & ſeq.
Clyſteres cur inuenti,& eorum differentiæ 39.a,col.2
clyſteres vt exacuantur,quibus & quando 41.d,col.2
clyſteres quando adhibendi 39.a,col. 2
clyſteres quibus de cauſis fiant 41.e,col.2.& ſeq.
clyſteria quouſque purgent 8.b,col.2
clyſterium varia genera 40.c,d,col.1. & varijs de cauſis. ibid.& 40.d,col.2.& ex quibus fiant,& ĩ quos vſus ibi.
clyſteres acriores 39.c,d,col.1.quibus medicamentis cõſtent 41.42.& 43. latè
clyſteres ad flatus diſcutiendos 41.a,col.2
clyſterium multiplex natura, vt reliquorum medicamẽtorũ,& differentia eorũ à medicamẽtis 39.c,d,e,col.2
in clyſterium materia quæ conſideranda ibid.
cnicus,quid 17.e,col.2
coccia 29.d,col.1
cocchię pilulę:& earum compoſitio, facultas 29.d,col.1 baſis ibid.doſis ibid.a,col.2
cocchiarum pilularum vſus 35.a,col.2
coctura qua plura ſimul medicamenta coquuntur 49. a b,col.2
cocturæ duplex ratio,& quæ ſit 48.d,e,col.2
cognitio quæ medico opus eſt in ſanando corpore 48.a b,col.1.& ſeq.
collirij Pacciani ex Galeno deſcriptio 195.a,b,col.2
collirij ex vino Pauli deſcriptiones 195.d,col.1
collirij Pauli Iſothei ex vino deſcriptiones ibid.
collirij elifir Rhaſis deſcriptio 190.e,col.1
collirij crocei Leontini dicti compoſitio 195.b, c,col.2
collirij ex thure Rhaſi deſcriptio 190.e,col.1
colocinthis doſis 20.b,c,col.1
color ſolidorum corporum albus eſt 236.d.col.2
comata & cataphoræ accari vnde oriantur 175.e,col,2
compẽdium methodi Galenici 48.a, col.2.& 50.b,col.2
compoſitiones diuerſæ medicamentorum inter ſe 35.e, col.2.& ſeq.
compoſita quæ clyſteribus immiſcentur 41.c,col.2
compoſita remedia vlceribus dyſepuloticis & malignis apta 102.c,col.2
concoctio quid 46.d,col.1
concoctio abſoluta quæ ibid.& ſeq.
in concoctione duplex agens, & quod ibid.
concoquens primum eſt calor natiuus 46.a,col.1
concoquuntur magis ſimilia & familiaria ibid.b,
concoctiones cõmunes cõtinendæ ſunt,& q̃ 222.c, col.1
concoctiones aliæ generales & communes ſunt, aliæ verò priuatæ,& quæ ſint 216.a,b,col.1.concoctiones communes tres ſunt ibid.quæ ſint,& vbi fiant ibid. c,
concoctiones priuatæ quæ ſint, & earum excrementa quæ ibd.,& ſeq.
concoctio vt putredini eſt aduerſaria,ita fœtorem detrahit 232.a,col.2
concoctioni aduerſatur cruditas, putrefactio, & aſſatio 233.b,col.2. Fit à naturali & temperato calore ibid.c,
concoctio fit à natura, & calore natiuo ſolidarum partium 237.d,col.1.& 238.a,b,col.1
cõcoctiones citã morbi iudicationẽ indicãt 238.b,col.1
concoctio fit tempore, & tempus requirit 239.b, col.1
Eſt effectus caloris natiui ſuperantis morbi cauſas ibi.

Confectiones vt fiant,& quæ dicantur 22.c,col.2
Confectiones quæ dicantur 69.c,col.2
Coniectura difficilis artificioſa 19.b,col.1
Conſilium autoris pro iunioribus 22.c,col.1
Conſuetudo obſeruanda 13.a,col.1.& ſeq.
Conſuetudo in omnibus ſemper magnam vim habet 232.a,col.1
Conſuetudo longa in naturam aduentitiam cõuertitur, quæ ſæpe maiorẽ vim habet quàm natura 227.c, col.2
Contraria contrarijs curari 220.d,col.1
Contrariorum ratio ſemper par eſt 232.c,col.1
Conuulſio ex ſiccitate raro aut nunquam curatur pagina 184.a,col.1
Conuulſio in neruis vulneratis maxime timenda 121.d cól.2
Conuulſionis à ſiccitate eadem curatio quæ & hecticæ pag.187.c,col.2
Conuulſionis curandæ ratio 182.b,col.1
Conuulſionis remedia 183.b,c,col.2
Conuulſionis & reſolutionis differentia 182.a,col.1
Conuulſio à febre ſuperueniente quandoque curatur pag.219.d,col.2
Conuulſio partium externarum corporis quibus de cauſis,& quomodo fiat 226.d,e,col.2
Corde refrigerato,eiuſque feruore extincto,reliqua mẽbra facile refrigerantur 220.a,col.2
Corpus quot modis ad euacuationẽ paretur 45.b, col.1
Corpus inaniri tripliciter 4.a,col.2
in Corpore duo conſideranda,& quæ 2.b,col.1
Corpora ſana vſu medicamentorum diſſoluuntur 23.c, col.1
Corpora ad purgationem, quomodo & quibus paranda pag.45.b,col. 1.& ſeq.
Corporum purgandorum differentia 7.e,col.1
Corporum purgandorum ratio ibid.& ſeq.
in Corporibus refrigerandis quid ſpectandum pag.61.c, d,col.2
Corpora humana plurimum natura temperamento differunt 97.c,d,col.1
Corpus noſtrum aliter partiti ſunt Hippoc.& Galen. vt faciunt anatomici moderni 230.c,col.1
Cruditas excrementorum difficilem iudicationem indicat, doloris diuturnitatem, mortem, aut recidiuam 233.c,d,col.2
Cruditas fit à frigido dominante ibid.c,
Cruſtæ in vlceribus ex vſtione contractæ vſus 121.a, b, col.1
Cucurbitulæ quomodo attrahant. 126.b,col.2
Curatio inflammationis circa finem eadem eſt, quæ & Scirrhi 191.d,col.1
Cutis cur alijs partib.imbecillior procreata 165.b,col.1
Cyphoides antidotus 8.a, col. 2. laboranti bus aqua intercuti prodeſt 61.d,col.2
κυρτωμα quid ſignificet 235.c,col.1

D

DAmaſceni Emplaſtri compoſitio 108.d,col.1
Decoctum duplex,& quale 16.c,col.2
Decoctum ex epithymo ibid.b
Decoctum ſenæ ibid.
Decoctum fructuum quale ſit 16.c,col.2
Decoctum fructuum & eius compoſitio 37.a,col.1
Decoctum pro æſtate ibid.
Decoctum pro hyeme ibid.
Decoctum pro melancholia 190.a, col. 2. eius compoſitio eadem.
Decocta non ſeruari 16.a,b,col.2
Decocta quas facultates habeant 52.d,col.2
Decoctionis commoditates 49.e, col.1. & ſeq.
Defenſiuj vnguenti compoſitio 29.a,col.2
Defluuij capillorum cauſa 157.a,col.1
Defluuij capillorum curandi indicationes pag.ead.
Deiectio nimis fluens & liquida ſubſtantia,vel nimis dura, & non congruo tempore excreta plus vel minus debito vnde proueniat 230.b,c,col.1.& ſeq. & 231.e, col.2. Quid indicent ibid.
Deiectiones malæ in morborũ initijs excretæ exitiales ſunt, & cur non ſint in fine vel medio apparentibus ſignis concoctionis 234.c,col.1
Deiectio madẽs & liquida quãdo vtilis 230.c,col.2. Cur excreta ſtridet ibid.e, Pauca & frequẽs mala 231.a,col.1
Deiectiones liquidæ malæ vnde fiant pagina. 231.d,e,col.1
Deiectiones alui multipliciter excerni poſſunt,& quando bene vel male ibid.& col.ſeq.
Earum optima quę ſit,quæ peſſima ibi. & 232. b,co.1
Deiectiones madidæ interdum ſymptomaticæ ſunt, interdum criticæ 231.e,col.2
Deiectiones alui quo tempore diei meliores fieri contigit ibid.& 232.a,col.1
Deiectio optima in homine aliquantulum male olet, & plus quã in reliquis animantibus,& quare 232.a,col.2
Deiectiones diuerſorum colorum deteriores ſunt alijs, & quare 232.e,col.1
Deiectionum varietas in colore vnde ibid. Nigræ & liuidæ quando bonum indicent ibid.& ſeq.
Deiectiones aquoſæ diuerſæ à madidis,& humidis, & q̃ ſint 234.a,col.2
Deiectio ſpumans multum flatum excerni indicat, & mala eſt ibid. Quibus de cauſis fiat ibid.& d,col.2
Deiectionis deteſtandæ idæa qualis 234.c,col.1
Deiectio alba,pauca, & glutinoſa fit à calore igneo colliquante corporis pinguedinem 231.b,c,col.1.dupliciter autem talis fit ibid.& ſeq.
Deiectio celerior fit ex cibis humidioribus & glutinoſis ibid.d,
Deiectio liuida,aut nigra aut optima, aut fętida peſſima omnium eſt, & quare 234.b, col. 1. Quibus de cauſis fiat ibid. dentes non tantum per neruos & gingiuas, ſed per propriã eorum ſubſtantiam ſentire 216.d,col.2
Dentes quibus affectibus ſint expoſiti ibid.d,
Dentium dolor quæ requirat medicamẽta 214.c,d,col.1
Dentibus male affectis quæ remedia conueniant ibi.d
Dentium ſtupor quis affectus 168.c,col.2
Dentium ſtuporis cauſæ ibid.
Deriuatio attractio eſt in locum vicinum 126.d,col.1
Deriuatio fluxionum quomodo fiat 100.d,e,col.1
Deriuationis & reuulſionis differentia 29.a,col.1
Deſtillatio in cerebro eandem habet rationem,quam in ventriculo alui profluuium 185.c,d,col.1
Deturgentium ordo multiplex 196.a,col.2
Deterſoria facultas à tenuitate partium ortũ habet 124. b,col.2
Detergentium varia ratio 106.a,b,col.1
Detergentium compoſitorum enumeratio 107.b, col.1
Detergentium omnium tenuis ſubſtantia 106.e,col.2
Detergentium moderatiſſimorum ſimplicium enumeratio ibid.a,col.2
Valentiorum ibid.b,
Detergentium duplex differentia ibid.
Diachartæ deſcriptio 111.d,col.2
Diachyli magni in finibus curandis vſus 111.a,b,col.1. & 116.a,col. 2
Diachyli in ſcirrhis efficacia 149.b,col.1
Diachyli deſcriptio 148.b,col.2
Diachyli magni compoſitio ibid.
Diachyli cum gummis deſcriptio 148.c, d, col.1
Diacalamentum quibu morbis vtile 75.b,col.1
Diacatholicon quare ſic dictum 16.b,col.1
Diacyminum quo conficitur & eius facultas 73. b,col.1
Diarcordion quod genus medicamenti 4. a,col.1
Diacordion frigidius medicamentum quomodo fiat, & eius facultas ac vſus 71.b,c,col.1
Diacolocinthidos,vnde ſic dictum 35.c,col.1

Diacolocinthidos quid, eius compoſitio duplex, facultas 28.c,col.2
Diacurcuma quomodo componitur, & eius facultas 75.c,d,e,col 2.& 76.a,col.1
Diadamaſcenon 23.c,col.2
Diadamaſceni obiectio & ſolutio 24.e,col.2
Diadamaſceni componendi duplex modus 23.c,col.1
Diadamaſceni doſis 24.d,e,col.2
Diadamaſceni compoſitio altera 23.d,e,col.2
Diadamaſceni facultas 23.c,col.2
Diadamaſceni baſis 23.b,c,col.1
Diadamaſceni vſus 23.c,col.2
Diadamaſcenon non ſolutiuum vt fiat 23.c,col.1
Diagridium quid dicatur 21.d,col.2
Diagalanga quomodo conficitur, & eius facultas 73.d, col.1.& b,c,col.2
Dialacca quibus morbis confert 75.d,col.2.& ſeq.
Dialoes quid ſit 16.c,col.1 & 35.b,col.1
Diambra medicamẽtum, & eius compoſitio 73.b,col.2
facultas ibid.d,
Diapalma vnguent.ad ſinus curãdos vide 117.a,b,col.1
Διαπηδήσεως ſanguinis cauſæ 128.e,col.1
Diaprunon 16.a,col.1.& 27.c,col.1
Diaphœnicon quid 13.d,col.2
Diaphenicõ 25.a, col.1. eius cõpoſitio, & facultas. ead. b,c,& ſeq.
Doſis ibid.b,
Diarodon Abbatis, eius compoſitio, materia, & eius facultasq 26.a,col.1
Diaſena uos humores purgat ibid.b,col.1
Diaſebeſten, Montagnana eius author 15.d,e,col.2
Diatragacanthum quid 4.a,col.1
Diatragacanthum 70.c,d,col.1
Diatrion pipereon varia compoſitio 74.a,b,col.1
Diatrion ſandalon. vnde ſic dictum, eius compoſitio, & facultas 70.c,col.1
Diaturbith medicamẽti cõpoſitio, eius facultas 28.c,co.1
Doſis & vſus (Diospoliticon p 74) ibid,& ſeq.
Digerentia validiora ſimplicia quæ 147.b,col.1
Digerentia quando in fluxionibus adhibenda 132.c,d col.1
Diagnoſtica prima ſimeoticæ pars triplici differentia ſignorum continetur, & quæ ſint ea 218.c,d.col.2
Dilutorum ſiue infuſionum facultates 52.c,col.1
Diſtillatis vel decoctis aquis in quibus ſit vſus 36.a,b, col.1.cum ſeq.
Diuerſi ſyrupi eundem fere ſcopum habent 55.c,col.2
Diuiſio ad quid valeat 3.e,col.1.& ſeq.
Dolores & affectus per antidotos reprimi 66.a,b,col.2
Dolor bifariam ſedari poteſt 196.c,d,col.1
Dolor quando indicet 105.b,c,col.1
Dolores à frigida cauſa orti minus periculoſi 208.c,col.1
Dolores vehementes curandi rationem immutãt 132.c, d,col.2
Dolor ſine ſenſibili vnionis ſolutione fieri põt. 85.c,col.2
Dolores cur excitantur in hydropicis 222.b,c,col.1
Dolor ad ſenſum tactus pertinet 227.a.col.1
Doſis quid 18.a,b,col.1.
Doſis medicamentorũ ſecundi ordinis 19.a,col.1.& ſeq.
Doſis medicamentorum tertij ordinis ibid.
Doſis medicamentorum quarti ordinis ibid.b,
Doſis medicamentorum purgantium 19.b,c,col.2
Doſis medicamentorum mutanda pro ratione compoſitionis 37.c,col.2
Doſis in ſcamonio varia 20.a,col.1
Doſes vt diſcendæ 19.c, col.1. & 20.b, col.1
Doſes antiquorum medicorum erroneæ 15.e.col.1
Doſes incertæ 37.d,col.2
Doſes metiri ex arte docetur 19.b,c,col.2
in Doſibus cur facilis error 19.d,col.2
in Doſibus ſententarum diuerſitas ibid. e,& 20.a,col.1
Duplex oſtium per quod euacuare oportet 43.b,col.2

E

EClegmata quæ dicantur 23.c,col.1
Εκτροπίου palpebrarum.i.euerſionis cauſæ 192.c,d, col.2
Egetea medicamentum, quod 78.a,col.1
Electuariorum doſis 20.a,b,col.1
Electuarium roſatum, Meſues 25.& 26.diffuſe
Electuarium Montagnanæ quod, eius compoſitio, eius doſis, facultas 26.a,b,c,col.1
Electuarium vt fiat, quomodo, & quibus 23.e,col.1. & a, col.2
Electuarium lenitiuum 15.b,c,col.1
Electuarij roſati Meſue, doſis 25.b,col.2
Electuaria primi ordinis quæ 15.e,col.2. & 16.d,col.1
Eleſcop quid 41.b,col.2
Eleſiof quid 29.a,b,col.1
Elixatio quid 48.e,col.2.& 49.e,col.2
Elixatio ſimplicium medicamentorum ibid.& ſeq.
Elloboriſmus quid 43.e,col.1
Elephantiaſit cancer vniuerſalis 48.b,c,col.2
Emollientium duplex vtendi modus 146.d,col.1
Emplaſtica ad omnes oculorum affectus conueniũt 189 189.d,e,col.1
Emplaſtica medicamenta quæ dicantur 118.a,col.2
Emplaſtrum Apoſtolorum Auicennæ 108.a,b,col.2
Emplaſtrum Auicennæ ad vlcera dyſepulotica aptum examinatur 104.c,col.1
Emplaſtri diachalciteos facultates 134.c,d,col.1
Emplaſtri ex Lithargyrio deſcriptiones tres 92.b, col.1
Emplaſtri de Betonica deſcriptio 184.e,col.2
Emunctoria quæ in corpore 138.b,col.2
Epilepſia ſæpe in melancholiam tranſit 175.e, col.1
Epilepſiæ cauſæ ibid.& ſeq.
Epilepſia interdũ à quartana febre curatur 219.d, col.2
Epiſcopi medicamentum 41.b,col.2
Epiſcopi 29.b,col.1
Eroſio vnde fiat 113.d,col.1
Errhinorum vel caputpurgiorum vſus 179.c,d,col.2
Errores à medico vitandi qui 19.e,col.2
Eryſipelas morbus facilis, & citra periculũ 136.b, col.1
Eryſipelas calore & feruore longe magis quàm corpore vel copia cruciat ibid.c,d,col.2
Eryſipelas exquiſitum quid denotet 137.d,col.2
Eryſipelatis & inflammationis varię mixtiones 136.b, c,col.1
Eryſipelatis differentiæ variæ ibid.c,col.2
Eryſipelatis & inflammationis differentia 136.b, col.1
Eryſipelatis curandi ratio ibid.b,col.2
Eryſipelatis etymon 136.c,col.1
Eryſipelatis cauſæ ibid.d,
Eryſipelas in tumorum genere 136.c,col.2
Eryſipelatis curandi methodus 137.a,b,col.1
Eryſipelatis periculoſi prognoſtica 136.c,col.1
Scopi curandi eryſipelatis 137.a,col.2
Eryſipelata qũo in ſcirrhos aliqñ tranſeant 145.c,col.1
in eryſipelate vtrum venæ ſectione potius, vel purgatione vtendum 137.d,e,col.1
in Eryſipelate quouſque refrigerandum ibid.
in Eryſipelate indicatio refrigerationis vincit vacuationis indicationem ibid.e
Euacuatio difficilis quę 48.b.c,col.1
Euacuatio per vomitum quæ facilior 44.a,b,col.1
Euacuatio per anum cui humori magis conueniat ibid.
in Euacuatione corpus tranſmutandũ, & qũo 48.c,col.1
Excrementa cruda non relinquuntur 85.e,col.2
Excrementorum alui differentiæ 109.a,col.1
Excrementorũ in vlceribus copioſorũ ratio 105.b, col.2
Excrementa præ ſe ferentia aut cruditatem, aut aſſationem, aut putrefactioné, oĩa deteſtãda ſunt 239.c,col.1
Excrementa ex aſſato ſanguine ſimilia ſunt farinæ hordei craſſiori, quæ cum vrina ſecernuntur & ſubſident ibid.d,& ſeq.

Excrementa omnia tenuiora per concoctionem craſſiora fiunt 238.c,d, col.2.& ſeq.
Excrementa tranſmutari 46.a, col.1
Excrementa quomodo concoquantur ibid.b,
Excrementa coqui nequeũt vera cõcoctione 46.a,col.1
Excrementa concoctionis ſigna ſunt 46.b,c,
Excrementum duplex vlcerum omnium 95.b, c, col. 2. & 105.b,col.2
Excretiones omnes, quæ frequentes ſunt, & parum excernuntur, quæcunque illæ ſint, malæ ſunt, & quare 231.c,col.2
Excrementum quid 228.c,d, col.1. Superfluitates à latinis à ppellari ibid. e. Multa inter excrementa connumerari,& quæ ibid.a,col. 2
Excrementum quodcunque in corpore animalis gignitur ex alimento & cibis, quibus corpus alendum eſt 228.b,c,col.2
Excrementorum duplex differentia,& quæ ibid.d
Excreméta neceſſaria multiplicia ſunt pro ratione multiplicis concoctionis,& quæ ſint ibid.e,
Excrementa aliqua poſſunt eſſe & non eſſe ibid.
Excrementum duplex ex tertia concoctione procedés, quæ fit,in carnis generatione in toto 229.b,col.1
Excrementũ poteſt dici omnis materia vitioſa, & morboſa in corpore humano 228.d,col.2
Excrementa nobis indicant naturæ robur,& num morbum ſuperabit, vel ab eo ſuperabitur 229.c,col. 2. in excrementis omnium generum quinque obſeruanda ſunt à medico,& quæ ibid.d. Excrementa optima quę ſint ibid. & ſeq. Excrementa ſi qualia oportet purgari,purgentur, confert, & bene ferunt 230. e, colum.2 cum ſeq. Excrementa craſſiora per concoctionem, tenuiora fiunt,& è contra 231.b, c, columna 1. Eorum color bonus qualis,& vnde fiat ibid. d. excrementa optima ſunt cum concocta ſunt 233.b,col.2
Excrementa concoctionis in hepate, ſeu ſignificationis quomodo & a quibus attrahantur,& quæ ſint 235.c, col.2
Excrementa omnia in corpore genita inditia eſſe poſſunt earum affectionum, à quibus ea procreata ſunt ibidem.d,
Exempla ſeu hiſtoria trium ægrotantium à morbis acutiſſimis liberatorum digitis pedum nigris factis ibid. cum ſeq.
Exſiccatio omnibus tum vulneribus tum vlceribus neceſſaria 87.b,col.2
Exſiccatio in vulneribus curandis qualis eſſe debeat ibi.
Exſiccantium triplex ordo ibid.c,
Experientia melior expoſita ſententiarum ſimilium eſt. 241.c, col.2
Experientia rerum magiſtra 226.e, col.1.& a, col.2
Expulſio materiæ morbificæ à partibus nobilioribus ad ignobiliores bona,contra mala 212.c,col.2
Extremis morbis extrema remedia opportuna 120.b col.2
Extrema omnia in omnibus vitioſa ſunt 232.c,col.1

F

FAciei affectus vlceroſos curandi ratio 202.d, col.1
Faciei affectus lichenoſi ſeu impetiginoſi quomodo curandi 201.e,col.1
Facies cur ab externo frigore minus afficitur quàm aliæ partes 221.a,col.2
Facultatis naturalis eius robur in quo ſit 46. b,c,col.2
Facultates principales tres ſunt, fiunt tria, ſunt membra præcipua,& quæ 12.b,c,col.2. Qualibet earum imbecilla reddita,reliquæ cum ea,in ruinam trahuntur ibidem duabus de cauſis ad inſupra compelluntur redire 226 b,col.2
Facultas concoctrix & commutatrix maximè viget in pueris præ alijs ætatibus 242.c,col.2
Febris quid 62.c,d,col.1
Febribus autũnalibus curandis conueniens medicamentum 28.b,col.1
in Febribus ardentibus quibus medicamentis vtendum 62.b, col.1
Febris acuta plerumque ſolet eſſe comes acutorum morborum 219. d, col. 2. Eius comes eſt in arterijs prope cor ibid. e,
Febris ardens externas,internas,& medias partes extremaſque vrit 225.e,col.2.& ſeq.
Febres nocturnæ deteriores ſunt diurnis, & cur 130. e, col.1.cum.ſeq.
Fidiculæ vires 27.e,col.2
Fiſtula quid 113.c,col.2
Fiſtulas inueteratas curare nõ eſt tutum ibid.d, & 114. a,b,col.1
flatus cur cum ſtrepitu erumpit,& malum ſit ſignum,& cur è contra bonum 234.d,col.2. Non eſſe retinendũ & quare ibid.a,
flatus multus ex languido calore excitatur 233.b,c,col.2
ex qua materia fiat 233.c,col.2
flatus ſic ſpiritus flatuoſus gignitur cũ materia craſſa & denſa à calore conficitur,& mouetur 242.b,col.1
flores geniſtæ ad quid valeant 44.b,c,col. 1
fluoris ſãguinis ex vlceratis vel vulneratis particulis cauſæ 126.c,col.2
fluxio in vlceribus quomodo ſiſtenda pag.99.d,e,col.2
fluxionis cauſa imbecillitas 132.a,col. 1
in fluxione craſſorum frigidorum humorum impactorum non repellendum, ſed digerendum ibid. d, e, & col.ſeq.
fluxiones curandi Methodus 132.a,b,col.2
fluxus diuturni cauſa in hydropicis quæ 223.b,c, col.2
Fœtor putredinis comes 137.c,col. 1
Fœtor quicunque ſi inſignis ſit multam putredinem ſignificat 230.c,d,col.2
Formica ambulatiua Arabibus quæ 109.c,d,col.2
Frigiditas externarum partium in morbis acutis malũ, & quare 221.c,col.2. duæ cauſæ frigiditatis earũ.ibi.d, Aliquando lethale ſignum eſt, quandoque verò non 224.a,col. 2.& ſeq.
Frigidum vulneribus mordax 123.d,col.1
Frigidum neruis præſertim inimicum 106.e,col. 1
Fructus cur coquantur 179.d,e,col.2
Fructum decoctum,& eius compoſitio 36.a,col.2
Fumus terræ,vel fumaria 5.e,col.2.& 16.e,col.1
Furunculus ex ſanguine craſſiori oritur 139.b,col.1
Furunculi tardius creſcunt,& ſuppurantur,quam tubercula ibid.
Furunculi à phymate differentia ibid.c
Furunculorum differentiæ 160.b,col.2
Furunculorum cauſa,& generatio ibid.
Furunculorum curatio ibid.e
Furunculorum circa faciem & mentum ortus frequens 199.d,e,col.2

G

AD OFFICIVM noſtrũ hoc A
anno ex huius gymnaſij inſtitu-
to pertinet, ut de ratione curan-
di eos morbos agamus, qui par-
ticulatim certis aliquibus locis in
humano corpore attribuuntur,
a quibus etiam priuatas oportet
Cap.1. depromere indicationes: loca uero Medici antiqui
Cap.2. corporis noſtri particulas appellauere, ut libro pri-
Cap.3. mo de locis affectis docuit Galen. a quibus, & ipſi af-
fectus ſæpè nomen habuere: acceptis tamen parti- B
culis non communi ſignificatione, ut particulam ip-
ſe accepit primo Meth. nempe pro omni parte cor-
poris, ſiue ſimplex illa ſit, ſiue compoſita, ſed quo
pacto particulam idem primo libro de uſu partium
deſcripſit, ut propriè particulam accipiamus pro par
te ea, quæ propriam undique habet circunſcriptio-
nem, qua ratione licet ea non ſit omnino ab alijs di-
uiſa, & ſeparata, una tamen eſt; & ab alijs diſtincta:
has itaque particulas Medici antiqui locos appella-
uere, quæ propriè, & organica membra dicuntur, C
& compoſita. Vt enim ſæpe audiuiſtis membra no-
ſtri corporis, & aliorum etiam animantium in du-
plici ſunt differentia; alia enim ſimplicia ſunt, &
prima, qualia ſunt ea, quæ ſimilaria dicuntur a Pe-
ripateticis, ut ſunt caro, oſſa, nerui, uenæ, arterię, car
tilagines, membranæ, & id genus reliqua: alia uerò
compoſita, & poſteriora, quæ ex his ſunt coagmen-
tata, & ſunt proxima, & abſoluta inſtrumenta, qui-
bus perficiuntur actiones propriæ, quæ ex natura

A animantis corpori debentur, & ideo etiam inſtru-
mentaria dicuntur, uel Græcè organica, ut ſunt
manus, pedes, oculi, nares, pulmones, iecur, re-
nes, & reliqua iſtius generis. Et quamuis prima in
curandis morbis ſit indicatio, quam natura, & eſ-
ſentia morbi nobis offert, & primus ſit ſcopus ille,
quem hæc indicatio oſtendit, attamen huic ſtatim,
& ea ſuccedit, quæ a natura membri morboſi acci-
pitur, quæ & ipſa non eſt priore minoris momen-
ti: unde quamuis ſecundum communem rationem,
B quæ a morbi generali ratione ſumitur, omnes mor-
bi, qui ad unam pertinent differentiam morborum,
ſicuti illi, qui ad intemperiem referuntur, eundem
curationis modum requirant, & eandem genera-
lem methodum; particulatim tamen in modo, &
natura eligendorum remediorum illi generali indi-
cationi accommodandorum maiorem uim habet,
ut proſequendo oſtendemus, & nos Galen. docuit
ſæpius, ea indicatio, quæ a natura particulæ labo-
rantis ſuum habet ortum, & proinde pro diuerſa
C ratione particularum ijdem ſecundum ſpeciem mor
bi diuerſas rationes curationis particulatim requi-
runt. Varia ergo, & diuerſa erit ratio, qua curan-
di ſunt affectus membrorum primorum, uel ſim-
plicium, & compoſitorum, quæ inſtrumentaria
dicuntur, ſicut & ipſa uarias habent naturas, ra-
tioneſque diuerſas. De horum igitur morborum
curatione, & cognitione ſumus hoc anno actu-
ri, qui particulis noſtri corporis propriè acceptis
moleſti ſunt. Niſi quis fortaſſe opponat, quòd de

multis etiam agere erit opus, qui ſunt morbi potius primorum, & ſimplicium membrorum, quàm compoſitorum, & organicorum, ſicuti omnes morbi, qui in intemperie earum partium conſiſtunt, quarũ ſunt morbi, vt dolor capitis ex ardore ſolis, item ulcera oculorum, & alia eiuſdem rationis, nam temperatura propria eſt ſimplicium membrorum; continui uero ſolutio, etſi ſit utriſque communis, vlcus tamen uerbi gratia corneæ tunicæ potius ad ipſam pertinet quatenus ſimplex eſt; quam quod primum pertineat ad uniuerſum oculum. Ad hoc reſpondemus, quòd quidam ſunt morbi, qui proprij ſunt ſimplicium particularum, ita vt illę nullam aliam in curando indicationem a membro aliquo compoſito deſiderent, præter illam, quam offert nobis ſimplex illa particula ſecundum communem eius rationem, ſicut uulnera in carne communem quandam habent rationem, qua omnia quatenus talia curantur, item & in neruo, uel in membrana, & in alijs eodem modo, ita & ulcera, & quod diximus de ſoluta continuitate, itidem de intemperatura harum partium, deque inflammationibus accipiendum eſt: aliquando tamen excitantur morbi in intemperie, vel in continui ſolutione, qui & ſi primum occupent aliquam ſimplicem particulam, illa tamen eſt pars alicuius compoſiti membri, & inſtrumentarij, quod habet quandam priuatam naturam differentem ab omnibus ferè alijs, quæ propriam indicationem ualidam habet, quæque & ſi non mutat generalem ſcopum, quem nobis natura morbi demonſtrat, cogit tamen particulatim naturam, & modum uſus remediorũ mutare. Quemadmodum ad ſedandam, & reprimendam exorientem inflammationem, aut in omnibus, aut pleriſque alijs membris accommodatiſſimum remedium ſolet eſſe oleum roſaceum, quo tamen ſi in inflammationibus oculorum fuerimus uſi, non modo non ſedabimus inflammationem, ſed potius exacerbabimus, ita etiam alijs in oris inflammationibus, alijs in pulmonis, uel lateris, uel cerebri utimur. At quia hoc quotidie clarius percipietis, non ero nunc in his explicandis multus. Sed ſatis nobis ſit, quòd in hac tractatione ſermo noſter circa eos morbos uniuerſos uerſabitur, qui ita certis, & determinatis particulis proprij ſunt, ut pręter generales rationes, quæ tum a natura morbi in uniuerſum accipiuntur, tum uero a communi natura ſimplicis, & primæ particulæ, quam eiuſmodi morbi occupant, alias etiam priuatas habeant a propria natura membri illius compoſiti, & inſtrumentarij, cuius pars eſt ſimplex ea particula. Porrò autem nouum in præſentia in his tractandis ordinem ſequemur, quod ſingulatim in unaquaque particula omnes morbos per diuiſiuam methodum, quicunque in illa concitari ulla ratione poſſunt, inueſtigabimus, eos mutuò conferendo, quid ſimilitudinis inter ſe habeant, exponemus, & quo pacto differant, & quibus diſcernantur ſignis: ita enim ex mutua collatione eorum naturam facilius cognoſcetis, & ſigna percipietis, quibus cognoſci poſſunt, mox uero, & cum curationem tractabimus, oſtendemus, quòd quæ ſimilem naturam habent, ſimilem, & curationem eatenus requirunt, & qua parte differunt, ea etiam differentem curationis modum, & rationem expoſtulant. Spero autem nos hanc methodum ſequendo uobis oſtenſuros, quòd quando pollicebamur hoc anno nos eſſe uobis expoſituros rationem curandi omnes id genus morbos a ſummo capite exordientes ad imos uſque pedes, id pollicebamur, quod præſtare poteramus, & quod eramus etiam præſtituri.

Quis ordo ſit ſeruandus. Cap. I.

OMnis ars, & tandem omnes diſciplinæ ex pluribus conſtant præceptis, uel ut Græci aiunt theorematibus, quæ tum inter ſe, tum uero ad ſua principia certum quendam ordinem habent, in quibus tradendis nihil ad faciliorem, & clariorem perceptionem maiorem uim habet, nihil ad ea memoriæ mandanda maius habet momentum, quam aptus, & appoſitus dicendorum ordo. Vnde, cum inſtitutum noſtrum in præſentia ſit agere de curandis morbis omnium noſtri corporis particularum, quæ multæ ſunt, neque de omnibus ſimul poſſit haberi ſermo, neceſſe eſt a morbis alicuius certæ particulæ prius exordiri, quod ſi morbi hi, de quibus acturi ſumus, maiorem partem, uel rationem curationis, a natura particularum, quarum morbi ſunt, accipiant: rationi conſonum uidetur, vt in eis tractandis ordinem quidem particularum ſequamur, ſed non eum, quem illæ ratione naturæ, & nobilitatis ſunt conſecutæ, ſed potius illum, quo ſenſibus noſtris prius, & apertius ſe offerunt, nam ut Ariſtoteles tradidit, innata nobis uia eſt, ut a nobis manifeſtioribus exorſi, ad ea, quæ nobis minus manifeſta ſunt, inueſtiganda progrediamur. Omnes aũt ferè Medici, qui in aliquo ſunt honore, in his tractandis a capite, & ab ijs, quæ ad caput pertinent, initium tractationis ſumpſere, nam & illud ſtatim in partu, & animalis ortu primum in lucem editur, primumq́ue ſpectandum ſe offert, præterea, quaſi natura duce, primum, quod inſpicimus, cum aliquod animal nobis offertur, caput eſt, & in homine facies, Galen. tamen in libro de facilè parabilibus medicamentis, cui ſubſcribunt & alij antiqui Medici, dixit, quod id in primis a Medicis ſeruatum eſt, quia pars hæc alijs dignitate præſtat: quippe, quæ ſit ueluti arx, &, ut antiquiores dixere, templum principis facultatis, & ſenſuum, quæ præ alijs omnibus facultatibus ſunt in honore. Sequemur ergo, & nos eundem ordinem. Caput autem nunc accipimus, quemadmodum, & Galen. accepit tertio de decretis. Hippoc. & Pla. ut ſignificat uniuerſam eam corporis noſtri particulam, quæ ſupra collum, uel ceruicem eſt. Eius plures ſunt partes, nam quædam exteriores, quę a natura conſtitutæ ſunt, ut interiores contineant, & tueantur, aliæ uero interiores, quæ a prioribus continentur, & cuſtodiuntur. Internæ in primis ſunt cerebrum, & quæcunque ad ipſum pertinent, pręterea uero, & ſenſuum organa, hęc enim, ut contineantur, & cuſtodiantur, creatę ſunt a natura, omnium autem princeps, & rector cerebrum eſt, ſi Medicos ſequi uolumus, propter quod reliqua ſunt a rerum omnium opifice Deo genita. Quòd ſi quis dicat, huic aduerſatur Galen. qui uoluit caput fuiſſe propter oculos in animãtibus fabricatum, dicimus id quidem uerum eſſe; quatenus ad locum, & ſitum, cum oculorum ſitus oporteat, ut elatiſſimus, & ſuper omnes alias particulas ſit, ut ita ſpeculatoris officio commodius poſſet fungi; quatenus tamen ad alia pertinet, non negaret Gal. quin omnium, quę in capite ſunt, princeps ſit cerebrum, & id ad quod reliqua omnia referuntur, ut pote, quæ ſint tanquam illi miniſtrantia, uidetur tamen hæc diſquiſitio potius ad anatomicam diſciplinam pertinere, & ideo neque diutius in his explicandis tempus conteremus. Externæ ueroque priores continent, & ſeruant, ſunt primum quidem extima cutis, mox membrana, qua inuolutum eſt cranium, uel ut Latini aiunt caluaria, unde & a Gręcis illi in

ditum

ditum nomen eſt περικράνιον, quaſi caluariam circumiens: hanc membranam ſequitur caluaria, uel κράνιον, in cuius medio ſpatio cerebrum duplici contextum membrana ſeruatur, altera exteriore, quæ & durior, & craſſior eſt, & eam duram matrem iuniores noſtri appellauere, altera interiore, & tenuiore, quam piam matrem ijdem nuncupauere. De horum ergo affectibus primum agemus, ordinem ſequentes, quem nobis ſenſus oſtendunt: quare ab extima cute ſumemus noſtræ tractationis exordiũ. Et quamuis illa ſit ueluti commune quoddam inuolucrum uniuerſi corporis, & ſimplex particula, quæ tamen eius pars ad caput pertinet, habet priuatam quandam rationem, & naturam, quandamque utilitatem, uel uſum; per quam ab aliarum partium cute non parum diuerſa eſt. Quare quamuis ex ſua communi ratione ſit omnibus affectibus obnoxia, quibus, & reliqua cutis: ſicuti ſunt lepra, pſora, alphi, uitiligines, impetigines, & ſi qui alij ſint iſtis ſimiles, habet tamen, & quoſdam, qui tantum illi proprij ſunt, quatenus cutis capitis eſt, non amplius ex communi cutis ratione: hi autem affectus ſunt, ut ophiaſes, & alopeciæ, quæ uno communi uocabulo areæ ſunt a Latinis dictę: præterea achores, faui, & reliqui, de quibus in hoc primo libro agemus, & capillorum defluuia, & quamuis cilia, & ſupercilia ad caput, hac quam diximus capitis nuncupatione, eiuſque cutem pertinere uideantur, de affectibus tamen ad ipſam ſpectantibus inferius loco accommodatiori agemus. In hac autem prima tractatione de affectibus his agemus, uidelicet de alopecia, & ophiaſi, ad hoc etiam caput, & caluities attineret, ſi illa curationem admitteret: uerum quia illa quaſi naturale quoddam uitium eſt, & hanc tantum curandi rationem admittit, quod poteſt aliquantulum retardari, ideo de ea non habebimus longiorem ſermonem. Deinde de capillorum defluuio. Tertiò de phthiriaſi, quam furfures capitis, uel, ut alij, furfurationem Latini appellant, ita etiam de phthiriaſi, quæ morbus pedicularis Latinis dicitur. Quartò autem de achoribus, & cerijs, quæ faui dicuntur, & pſidrachijs, quæ omnia a Latinis ulcera capitis manantia appellari conſueuere, eo, quod ab eis omnibus humor quidam effluit. De his ergo omnibus hac prima tractatione agemus, quæ affectio unumquodque horum ſit exponentes, qua ratione inter ſe tum conueniant, tum differant, præterea ſi illa plures habent differentias, eas etiam requiremus, & qua ratione illæ differant, & quibus notis diſcerni, & dignoſci poſſint. Poſtremò uerò de ratione ea curandi tam in uniuerſum, quàm particulatim agemus. Dei itaque auxilio prius inuocato rem ipſam aggrediamur.

Quod vnumquodque prius expoſitorum affectuum ſit, & qua ratione mutuo differant.

Cap. II.

VT autem omnibus ſatisfaciamus, a nominum explanatione, & quaſi vulgari quadam, deſcriptione horum affectuum inchoemus. Horum itaque nonnulli idem habent ferè ſymptoma, & commune, ex quo etiam in primis cognoſcuntur, licet diuerſitas non parua ſit, quatenus ad cauſam illius ſymptomatis pertinet. Symptoma uerò illud eſt, quòd cutis nudatur, & deſtituitur capillis, quod non modò ad deformitatem totius capitis plurimum facit, ſed nocet etiam, quia pars ea non paruo commodo, & utilitate, quam conſequitur ex eo, quod capillata eſt, defraudatur, de qua non eſt opportunum in præſentia uerba face-

A re. Sunt autem hi affectus, a quibus id ſymptoma ortum habet alopecia, & ophiaſis, quos quidem, cum parum differant, immo, ut paulò poſt dicemus eandem ferè rationem, & eſſentiam habent, in ratione curationis, unde, & unum nomen a Latinis ſortiti ſunt (dicuntur enim communi appellatione, ut Celſus teſtatur, areæ,) & nos in præſentia tanquam unum affectum habebimus; alter uerò, caluities, tertius eſt capillorum defluuium, & defluuium capillorum nunc appellamus id, quod accidere plerunque ſolet conualeſcentibus, antequam uires reſumant, & inſtaurentur, in quibus, ſicut aliæ particulæ ex morbo languidæ, & laxæ remanent, ita, & cutis, B ut capillorum radices continere non poſſit, & firmare, qua de re defluunt, ſed, & multis eadem ferè ratione autumno capilli defluunt cum ex æſtate præcedenti laxiori, reddita cutis eos continere ualidè nequeat. In alopecia uero, & ophiaſi decidunt etiam capilli, qui tamen prius, ut in libello de facilè parabilibus medicamentis ait Galenus naturalem ſuum colorem mutant, & debiles tenueſque fiunt, ut quaſi linei uideantur, mox uerò cadunt, & nudam cutem relinquunt, & calore exangui, & quaſi morticinio affectam. Hæc uerò nomina aſſecutæ ſunt affectiones, alopecia quidem a uulpe, quæ Græce ἀλώπηξ dicitur, quia ſimili morbo id animal plurimum obnoxium eſt, C ophiaſis uerò dicitur, quando cum incœperit ab una capitis parte, ſerpit ad alias non recto tramite, ſed flexuoſè, ut ſerpentes repunt: ὄφις enim ſerpens Græcè dicitur. Areas Latini a ſimilitudine areæ ruſticæ nuncupant, quæ ea pars chortis ruri eſt, in qua triturantur fruges, quæque præter id, quod munda eſt, & nuda herbis omnibus, colorem etiam pallidum ſqalidumque refert, ſimilis etiam, & nuditate, & colore redditur cutis in eiuſmodi affectibus. Tertius affectus caluities eſt, quæ φαλακρῶσις Græcè dicitur, de quo, cum notiſſimus ſit omnibus, non habebo longiorem in eo explanando ſermonem. Inter ſe uerò differunt hi affectus, quibus nudatur cutis capillis, quod caluities ſequi- D tur ariditatem cutis, ex qua capilli omnino deſtituuntur ea materia, qua & gignuntur, & creſcunt, fit enim cutis ſimilis ſolo arido, in quo ex humoris inopia herbæ neque ortum neque incrementum habere poſſunt, ſolet uero plerunque ætatem grandæuam ſequi, licet pro uarietate temperaturæ, & uictus quidam citius, quidam tardius calueſcere incipiant, & alij magis, & alij minus unde, & a caluitio, uel copia capillorum ſigna petimus humiditatem, uel ſiccitatem capitis, & cerebri indicantia. Conſiſtit ergo is affectus in ſola intemperie ſicciori cutis capitis ſine materia, immo cum defectu materiæ, ſicuti defluuium capillorum in laxitate, & raritate cutis, quæ, & ipſa tandem ex intempe- E rie ſicciori, & defectu alimenti in cute ortum habet, ſed caluities naturalem ferè intemperiem, & ſiccitatem, quæ ætatem concomitatur, ſequi ſolet, defluuium autem capillorum, morboſam, & aduentitiam. Vnde ſimpliciores hi morbi ſunt, & ſimpliciorem curationem requirunt: cum non foueantur ab aliqua materia, quæ euacuationem, uel alioquin purgationem indicat. Reliqui uero affectus omnes cutis magis compoſiti ſunt: nam licet, & ipſi ab intemperie excitantur, ea tamen fomentum habet a vitioſis humoribus, qui in alopecia, & ophiaſi uitiant corrumpuntque capillorum radices, ut ea de cauſa cogantur cadere. In alijs uerò affectibus, qui unica appellatione manantia capitis ulcera a Latinis appellantur,

achores verò & ceria, & pſidrachia a Græcis, præ-
cedit quidem intemperatura cum malorum humo-
rum affluxu, qui primum cutem attollunt in tu-
morem, poſtea verò ipſam perforant, ut in ulcera
tandem deſinant, a quibus ichores quidam, uel vt
interpretantur latini, ſanies quædam effluit: vnde
& achorum fuiſſe nomen deductum putauit fortaſ-
ſe Galen. effluit autem in achoribus humor tenuior,
craſſior verò in cerijs vel fauis, ſicuti & foramini-
bus craſſioribus faui vel ceria pertuſa ſunt, tenuiori-
bus vel exilioribus achores: & ideo etiam dicta ſunt
ceria, quia maioribus foraminibus & craſſiori hu-
more ab illis manante, fauum mellis imitantur. Coa
leſcit verò viſcidus is humor circa capillos, & qui len
toris ſit particeps, & circa ulceratam cutem, ut ibi
cruſtæ cuiuſdam ſimilitudinem referat, non tamen
duræ & ſiccę, ſed potius tenuioris & humidæ. Solet
autem is affectus frequens eſſe in pueris, noſtræ mu-
lieres rupturas capitis appellant, & id propter eo-
rum voracitatem & ingluuiem: vnde multi conge-
runtur vitioſi humores, & in lactantibus tum ob vi-
tioſum lac, quod a nutricibus exugunt, vnde aliqui-
bus in locis lactumia vulgò dicuntur: tum verò ob
ſanguinem vitioſum, quo in vtero ſunt alti frequens
etiam in ijs, qui mendicando, pueris præſertim, vi-
ctum ſibi quærunt, ſicut & areæ, vel alopeciæ ob ci-
bos prauos, quibus veſcuntur, & malam in reli-
quis victus rationem. Ob multiplicem autem mor-
borum differentiam, quibus conſtant, hæc appel-
lata vlcera manantia variè in diuerſis locis de illis
Galen. loquitur: nam interdum ea ad genus mor-
borum quod intemperatura conſtat; interdum ue-
rò in ordinem tumorum præter naturam redigit,
nonnunquam inter ulcera ipſa recenſet. At tertium
horum affectuum genus, quod & πιτυρίασιν, quam
quidam furfurationem verbum Latinum græco con
forme referre volentes, tranſtulere: latini tamen an-
tiqui porriginem uocauere, & φθειρίασιν, hoc eſt pe
dicularem morbum comprehendimus, ad intempe-
riem cutis cum humore pertinet. Et porrigo qui-
dem a tenuiori humore naſcitur, vel potius, ut anti-
qui medici ferè omnes ſenſere, ab ichoribus, hoc eſt,
a tenuiori, & quaſi ſeroſa humorum uitioſorum par
te: vnde poteſt non modo cutem, ſed & cuticulam
pertranſire, ibique extimæ eius parti inhęreſcens,
& ab externo aere frigido condenſata, & exſicca-
ta, tranſit in eiuſmodi excrementum, quod dum
per ſcalprum deraditur, a cuti cadens, quaſi ſqua-
mulæ, & furfures videntur, quæ Græcè πίτυρα di-
cuntur, ex craſſiori uero materia in profundiori cu-
te gignũtur pediculi, qui & φθεῖρες a Græcis vocan-
tur, vnde prę craſſitie nequiens ad cuticulam per-
uenire, & in profundiori parte cutis, vt quæ ſubca-
lida ſit, putreſcens in eiuſmodi animalia uertitur,
quæ tandem erumpunt, quæque magis etiam pue-
ris moleſta ſunt, præſertim uerò poſtquam ablacta-
ti fuerint, & diuerſis cibis, & præpoſterè ueſci cœ-
perint. Aliquando tamen redundantibus in toto
habitu corporis eiuſmodi uitioſis humoribus, uel
ob malam uictus rationem, uel ob corruptum ha-
bitum totius corporis ex aliqua intemperie, uel ex
negligentia mundum corpus a ſordibus ſeruandi,
non modo in capite ſcatet & huiuſmodi lues, uerum
in toto corpore, ex uniuerſa cuti oriuntur pedicu-
li: unde quidam, ut dictator Sylla, & Pherecides v-
nus ex Gręcis ſapientibus morbo pediculari, & hac
veluti peſte interiere. Et noui ego ingenuum, ac
probum iuuenem, omnibus alioquin uirtutibus or-
natum, in hoc gymnaſio ſtudijs literarum operam
nauantem, qui plurimum hoc morbo cruciaba-
tur. Sunt autem affectus hi omnes quaſi ſoboles,

A ut ex his, quæ hactenus expoſita ſunt, potuiſtis per-
cipere cacochymiæ, hoc eſt, copiæ uitioſorum hu-
morum, qui ferè omnes ſunt alicuius acrimoniæ par
ticipes, quod inde colligas, quia in his ferè uniuer-
ſis affectibus aliquis eſt pruritus, & ſcalpendi appe-
titus, & proinde neceſſe eſt, ut ad naturam acce-
dant aut ſalſæ pituitæ, aut bilis, aut melancholi-
ci humoris aliquam ſapientis aduſtionem. Non ne-
gamus tamen quin aliquando ex ſanguine poſſint
ortum aliqui eorum habere, ſanguis tamen ille ui-
tiatus, uel corruptus erit, aut ob putredinem, aut
ob aſſationem, aut ob mixtionem cum alijs uitio-
ſis humoribus. Quare neceſſe etiam eſt, ut diffe-
rentes habeant naturas, & differentes curationes,
B tum alter ab altero ſecundum ſuas generales ratio-
nes cuti manantia ulcera ab areis, & hæc omnia a
porrigine, & pediculari morbo: tum uerò & par-
ticulatim in eodem genere penes proprias diffe-
rentias, ſicuti quæ ex ſalſa pituita, ab ea, quæ uel
ex bile uel ex humore melancholico aliquam ſapien
te aduſtionem, generali quidem ratione quatenus
nobis oſtendere poſſunt, quę hactenus expoſita ſunt,
differunt, partim acrimonia materiæ, unde exci-
tantur hi affectus, partim uerò craſſitie, & tenui-
tate. Acrimonia quidem, quia faui, & reliqua ap-
pellata ulcera manantia acriori, & magis morda-
ci conſtant materia, ut quæ & cuticulam perfora-
re, & ulcerare poſſit: deinde uerò areæ; nam ſo-
C lum corrumpere, uel erodere poſſunt capillorum
radices, nec ulterius progrediuntur, minus pedi-
culoſum materia, & minus etiam furfurum, craſſi-
tie uerò alijs omnibus prętare uidetur materia a-
rearum, uel alopeciæ, quia tantum ad eam partem
peruenire poteſt, cui infixę ſunt capillorum radi-
ces, aliquantiſper uerò tenuior eſſe uidetur mate-
ria, ex qua pediculi generantur, utpote qui ortum
ſuum ſub cuticula habent, hæc etiam tenuior eſt ea,
unde faui & alia manantia ulcera excitantur, quæ
poteſt etiam cutem penetrare, & cuticulam, ip-
ſasque pertundere, quamuis craſſior in fauis, in a-
choribus autem, & pſydrachijs tenuior, omnium
tenuiſſima ſit furfurum. De ſignis uerò quibus
D dignoſcendi ſunt hi affectus, non puto alium eſ-
ſe habendum ſermonem, quàm qui habitus eſt,
quia tot, & tantaque de illis dicta ſunt, ut ea ſa-
tis eſſe poſſe ad eos dignoſcendos arbitrer. Vnde
hoc uidetur reliquum, quatenus ad cognoſcen-
dam naturam horum humorum pertinet, ut po-
ſteaquam non ab vna, & eadem materia omnes
hi affectus ortum habent, ſed interdum a pitui-
ta, nonnunquam a bile, uel a ſucco melancholi-
co, uel a uitioſo ſanguine, exponamus præterea,
quibus argumentis hæc diſcerni poſſint: quia ad
curationem non parum refert, ab hoc an ab il-
lo humore morbus foueatur. Galenus quidem in-
ter initia primi de compoſitione medicamentorum
E ſecundum loc. ophiaſes, & alopecias diſtingui do-
cuit, per has uitioſorum humorum differentias,
de alijs autem affectibus agens iſtiuſmodi differen-
tiarum, ne meminit quidem. Poſteriores autem,
præſertim uero Tralianus Alexander, & Pau-
lus, graues inter Græcos authores, ad alios etiam
affectus has referunt differentias, fortaſſe autem,
quia ſimilem admodum rationem generationis ha-
bent hi affectus, ideo altero eorum, qui prior ab
ipſo expoſitus eſt, diſtincto per eas differentias, i-
dem eſſe in alijs intelligendum reliquit, ut in a-
lijs multis feciſſe oſtendemus, a calore ergo cu-
tis differentias humorum, a quibus fouentur hi
morbi, percipi poſſe autumat: nam, ut ſuperius di-
ximus, in alopecia, & ophiaſi, cadentibus capillis,

cutis nuda relinquitur, quæ ut capillos, ita, & naturalem ſuum colorem amittit, & id quia a uitioſis illis humoribus, a quibus radices capillorum corrumpuntur, malè afficitur, nihil autem ita naturam humorum redundantium in aliqua particula oſtendit: ſicut eius color, quod & Hippoc. ſtatim a principio libri de humoribus affirmat, ita pronuncians, color humorum eſt; niſi in profundum receſſerint: quod repetitum eſt a Galeno 1. Apho. & 4. de tuenda ſanitate; in his enim affectibus ad cutem, non in altum humores feruntur. Vbi ergo cutis albicat, inditium illud eſt ſubeſſe pituitam ſalſam, quæ ſi in pallidum, uel flauum vergat, flauam bilem; atram uerò, ſi obſcurior ſit color, uel in cineritium, uel atrum uergat, ſed ſi in rubrum, ſanguinem corruptum, uel ſanguinem uitiatis humoribus mixtum, & pro uario etiam modo coloris ſanguinis eius uariam degenerandi rationem ad alios humores cognoſcere poterimus: quia ut magis ad ſubalbidum, uel ad flauum, uel ad obſcurum inclinat, ita, & eorum naturam magis ſapit. Alexander uerò & ad colorem capillorum reſpicit, illa eadem capillis accommodans, quæ de cute a Galen. dicta ſunt: neque hoc præter rationem, quia cum capillis deeſt materia illis gignendis accommodata, eorum color, & ſubſtantia tranſmutatur pro ratione eorum humorum, unde habent incrementum, & ortum, quod in lib. de med. fac. paran. docuit Galenus, petito exemplo a plantis, quæ pro ratione humoris, quem ad alimoniam attrahunt, uariant & colorem, & ſubſtantiam. Cum ergo incipientibus areis, uitiari uiderimus capillorum colorem, & ſubſtantiam, inde cognoſcemus naturam uitioſi humoris ſicut ex mutata cute: quod deinde ſignum, & ad alios enarratos affectus ijdem authores Galeno poſteriores referunt: in illis enim omnibus aliquod tanquam excrementum quoddam effluit, in porrigine quidem furfuraceæ ſquamulæ, pediculi uero in pediculari morbo, a colore quorum poſſumus ſigna depromere oſtendentia nobis differentias uitioſorum humorum, a quibus fouetur affectus: ſicuti ex maiori, uel minori pruritu, maiorem, uel minorem acrimoniam eorum coniectari; neque id mirum uideri debet, in illis enim animantibus, & in ſquamulis obſeruari poteſt colorum non modica diuerſitas: ita & in manantibus appellatis ulceribus, tum colore, tum ſubſtantia, necnon & mordacitate, prurituſque, præter colorem circunſtantis cutis, & ipſorum ulcerum, ichores, uel humor emanans, humorum, unde habuere ortum, naturam poſſunt oſtendere; quo enim craſſiores, & magis lenti fuerint, magis ad naturam pituitæ accedent: & quo maior pruritus, eo etiam magis ſalſum humorem oſtendent, quo tenuiores, & quo maiorem ardorem præferre uidebuntur ſe eo magis ad naturam bilis: ſed ſi ulcera obſcuriorem, & quaſi cineris colorem oſtendunt, argumento erunt, ſubeſſe melancholicum humorem, & eum aduſtum. Non ergo difficilis admodum erit ratio cognoſcendi omnes in his affectibus differentias, quæ nobis differentem curationis modum poſſunt oſtendere. Niſi quòd unum præterea animaduertendum, quod non eſt modici momenti in hoc negocio: id uero eſt, quod eiuſmodi uitioſi humores, a quibus hi affectus, & excitantur, & fouentur, duplicem poſſunt habere generationis modum: nam aliquando alibi geniti, nempe in toto, uel in internis uiſceribus, aut ex aliqua eorum intemperatura, aut ex mala uictus ratione, & prauis cibis, natura eos propellente ad cutem feruntur in caput: aliquando uero in capite ſuum habent ortum: quod bifariam adhuc fieri poteſt, quia aut a cerebro, & ex aliquo in ipſo contracto uitio, per quod corrumpitur eius alimentum, & in prauos humores conuertitur: aut ex proprio cutis affectu; quia eius uitiata eſt temperies aliquo uitio, conuerſo eius alimento in prauos humores, morbi hi procreantur. Addamus etiam hanc differentiam, quod interdum omnia hæc in unum conueniunt: nam, & uitioſi humores a toto ſubminiſtrantur, & a capite, & ipſa etiam cutis ex proprio affectu occaſionem eorum generationi præſtat: imò cum res in longum protrahitur, quamuis aliorum uiſcerum uitio ortum habuerint hæc mala, humoribus prauis ad affectam cutim confluentibus; tandem corrumpitur eius temperies, ut deinde, quamuis totum corpus uacuetur, & mundetur, præterea, & caput; non tamen tollantur hi affectus, niſi præterea, & cutis ſuo priſtino reſtituatur temperamento, digeſtis tamen omnibus excrementoſis humoribus, qui in ea continentur. Iam ergo, poſteaquam ea, quæ prænoſcenda erant expoſita ſunt, ut pote a quibus indicationes erant accipiendę, ex quibus methodus curandi erat conſtituenda, reliquum eſt, ut & de curandi ratione agamus tā in uniuerſum, quam particulatim.

De ratione curandi propoſitos cutis affectus in vniuerſum. Cap. II.

SIcuti horum affectuum cutis alij, ut diximus, ſimpliciores ſunt, illi nimirum, qui neque ortum neque fomentum habent ab aliqua praua materia, uel, ut Græci aiunt a cacochymia, ſed in ſolam intemperiem, & defectum potius materiæ referuntur: alij uero minus ſimplices, ut illi, quos diximus eſſe ſobolem cacochymiæ, uel copiæ prauorum humorum: Ita, & ratio priores curandi ſimplicior erit, aliorum uero multiplicior, & in qua plures indicationes, pluresque ſcopos locum habere neceſſe ſit. Vnde neque horum omnium poteſt una, eademque eſſe methodus, niſi forte in fine, quando materia euacuata in illis, quæ a materia pendent, mala aliqua intemperies tollenda reliqua eſt, tunc enim fortaſſe aliqua poterit generalis ſaltem methodus accommodari. Quare operæpretiū forſitan erit de his curandis priorē ſermonem habere, qui cum materia, & prauo humore ſunt, & eorum etiam prius communes rationes communeſque indicationes perſequi, deinde proprias uniuſcuiuſque exponere. Primum autem hoc tanquam omnium dicendorum fundamentum iaciamus. Quod morbi a quapiam materia excitati tolli nequeunt, donec in affecto loco præſens ea materia fuerit, unde primum ea tollenda eſt; prima ergo indicatio inſurgit euacuandam eam eſſe, uerum quia ſæpè illa aliunde fouetur, quando aut in toto eſt humorum plenitudo, aut in ſuppoſitis partibus illa generatur, & ad cutim mandatur, ut in iecinore, uel alijs uiſceribus, aut etiam in capite; uel cerebro, niſi fomentum ſubtrahatur, & cauſa, ex qua malus is humor generatur, remota fuerit, fruſtra laborabit medicus, qui particulatim operam nauabit, ut materiam illam, quæ actu morbum facit, & eſt in loco affecto, euacuet. Quod ſi quando uideatur morbus is priuatim ſequi tantum uitium contractum in cute, ex quo alimentum, quo erat alenda, corruptum uertitur in hos prauos humores, quorum opera genitus eſt hic affectus, tunc poſtpoſita omni alia cura procurandum eſt, ut ſoli particulæ laboranti localibus remedijs ſuccurramus, neque alioquin aut totius, aut capitis multam habeamus rationem. Et quia iſtiuſmodi curationis ratio eadem

eſt cum illa, qua tractandi ſunt ijdem affectus, ſi a toto, vel a capite fomentum habeant, poſtquam toti, & capiti fuerit conſultum: ideo prius exponamus quo pacto toti, mox & capiti ſit conſulendum, ne rem confundamus, ſed recta via, & ordine eam tractemus. Si ergo corpus fuerit plenum, & his malis ſuccis ſcatens, duæ ſtatim inſurgunt præcipuę indicationes, altera, quę indicat corpus eſſe vacuandum, altera, quę indicat remouendas eſſe cauſas, ſi quę adſint, quę poſſint fouere malam hanc materiam: ſed de priori prius ſermonem habeamus. Vacuandi itaque primum ſunt redundantes humores in toto corpore: at uero, quia ſicut non eſt omnium euacuandorum vna ratio (iam enim in ſuperiori cap. oſtendimus plures particulatim eſſe horum af- B fectuum differentias a differentibus humoribus, a quibus habent originem, prodeuntes) ita & remediorum, per quę euacuandi ſunt humores illi, non poteſt unica eſſe ratio: diximus autem cum omnibus antiquis authoribus, quod in his affectibus interdum pituita, præſertim ſalſa refertum eſt corpus, interdum uero bile flaua, nonnunquam bile atra, ſępè etiam ſanguine corrupto: pro ratione uacuandi humoris inſtrumenta ad euacuationem apta eligegere oportet. Et ut a poſtremo incipiamus, ſi ſanguis multus, & uitioſus abundare uiſus ſit, ætaſque, & uires non uetent, ſecanda erit uena, aut media, quam communem, aut interior in cubito, quam iuniores baſilicam uocant. Sed ſi plenitudo hęc tan- C tum ſit in capite, humeralis ſecanda erit quam cephalicam iuniores, uel uenam capitis vulgares dicunt, quod ſi videatur aliorum prauorum humorũ copia adeſſe, medicamentis ad illum humorem, qui copioſior uidetur euacuandum aptis, purgare corpus expedit. In his autem expurgandis humoribus, unde ortum habent hi affectus, loquor uero de purgatione, quæ totum corpus reſpicit, Galen. & antiqui fere omnes duobus tantum utebantur medicamentis, primum erant catapotia, uel, ut medicorum vulgus nunc loquitur, pilulę, quas ex aloe appellat Gal. 1. de compoſ. med. ſecundum loc. & in libello de medica. facil. para. & hiera, quę Græcè διακολοκυνθίδος dicitur, in quibus medicamentis uis D eſt, & totum corpus, atque adeo etiam caput ab excrementis mundare. His tamen non ſemper eadẽ ratione utebantur, ſed uariè, prout humorum uariorum abundantia requirebat: illis enim interdum ſcãmonium addebant, ſi quando maior uidebatur neceſſitas detrahendi bilem, interdum uero epithymum, uel nigrum ueratrum, ubi morbus maiorem requirere uidebatur atrę bilis detractionem: nam quando pręſertim erat uacuanda pituita, ſola hiera διακολοκυνθίδος ſatis erat, utpotè in qua eſſet pręcipua facultas pituitam expurgandi, & eam pręſertim de capite detrahendi. Sed antequam ulterius progrediamur, hic parumper conſiſtendum, & quędam conſideranda: primum, quod quamuis, ut in ſupe- E riori capite diximus, ex uarijs humoribus ortum habeant hi affectus: hoc tamen non ita intelligendum, ut ex ſimplici, & uno tantum humore conſiſtant: rariſſimè enim fit, ut unus ſimplexque humor confluat in unum locum, ibi morbum aliquem concitaturus: ſed plerumque plures ſimul conſpirant quamuis in eorum mixtura unus ſemper ſuperior ſit. Et ideo etiam antiqui medici in his, ac alijs etiam ſimilibus morbis curandis utebantur illis medicamentis, quę mixtas, & compoſitas uires haberent, quibuſq. diuerſi, nec unus tãtum humor uacuaretur: ſicuti in his uidere poſſumus, quorum præcipuè meminit Galen. & primo de compoſitione medicamentorũ ſecundum, loc. & in libro de fac. par. med. nam catapotia ex aloe, quæ accommodatiſſima eſſe ait, & areis, & alijs cutis affectibus, de quibus præſens ſermo inſtitutus eſt, ex aloes, & ſcãmonij partibus duabus, & colocynthidis parte una confecta ſunt, quibus & ſucci abſinthij partem vnam addit: quis autẽ non videt hoc medicamentum, & pituitam & flauam bilem præſertim purgare? nam aloes & abſinthium potius ad emendationem eorum incommodorum, quæ poſſent ventriculo, & viſceribus afferre acria illa medicamenta, adduntur, nempe ſcãmonium & colocynthis: ſua enim acri, & viroſa natura, vt ſecundo de ratione vict. in morb. acut. docuit Galen. maximè tum alijs, uel tum vel maximè ventriculo aduerſaria ſunt: ſicuti aloe, & abſynthiũ maximè amica. Ita & hiera, quæ ex colocynthide nomen habuit, varios educit humores, ſi ea utimur, quam in libello Scribonij deſcriptam habemus ex Pachij ſententia, quam ille immenſis laudibus extollit: vel ea, quam Io. Me. vel quam Paul. deſcribunt: in his enim omnibus & ſcamonium accipitur, & colocynhtis & agaricum, & veratum nigrum. Mihi tamen alterius meminiſſe Galenus videtur locis ſuperius citatis, quæ his omnibus ſimplicior eſt, quam deſcriptam alias inueni in antiquiſſimo exemplari Excellentiſſimi & Illuſtriſſimi Ducis Vrbini, in libro de medic. fac. par. capite de alopecia, & eſt in voluminibus Galen. Latinis impreſſa: ea verò, neque veratrum, neque ſcãmonium accipit, ſed agaricum, & colochyntin. unde iſtius uidetur meminiſſe Galen. locis paulò ante recitatis. nam ait, quòd cum erat pituitam euacuaturus, illi nullum aliud addebat medicamentum: at ſi bilem ſcãmonium; ſi atram bilem epithymum, uel nigrum veratrum: ita autem his utebatur. Primum catapotijs purgabat quæ ex aloe ab illo appellari diximus: dabat autem vndecim magnitudine grani ciceris, quæ pendere poterant ſexquidrachmam: poſtea hac hiera ſæpius expurgabat. & ſæpe, ait, ſola hæc expurgatio ad tollendum omnino hos morbos ſatis erat; præſertim uerò cum nondum erant inueterati, & cutis habitus nõ eſſet vitiatus: ſubintellecto tamen vt prius inſtituta eſſet, atque etiam ſeruata victus congrua ratione, de qua paulò poſt ſermonem habebimus: nã cum plerunque ortum habeant iſtiuſmodi affectus ex praua victus ratione, id imprimis procurandum eſt, vt hęc auferatur occaſio. Nunc verò hæc duo conſideranda ſunt, alterum, vt poſteaquam noſtris his temporibus neutrum iſtorum medicamentorum in uſu eſt, aliquid etiam dicamus de illis medicamentis, quæ in locum horum ſucceſſere, & ſunt in præſentia in multo vſu, alterum uero quod cum Hipp. & Galen. prædicent non eſſe euacuandos niſi paratos, & concoctos humores, in his tamen curandis affectibus uacuandos eſſe morboſos humores præcipiunt, & nũquam alicuius præparationis, aut concoctionis meminere. Quatenus autem ad primum pertinet, in locum catapotiorum, quæ ex aloe a Galen. appellantur, ſucceſſere pilulæ, uel catapotia, quæ cochiæ dicuntur & ſunt inuentum Raſis deſcriptæ in 9. libro illius operis, quod Almanſori inſcripſit; & his temporibus in maximo ſunt vſu. Accipiunt autem pulueris hieræ drachmas decem, colocynthidis drachmas tres, & ſcrupulum vnum, Scãmonij drachmas duas & mediam, turbith, ſtęchados ſingulorũ drachmas quinque, in quibus pro aloe puluis hieræ correctionem ſoluentium medicamentorum iniectus eſt, & ſtęchas etiam, quod quidẽ præterea cum ſit capiti ualde commodum, & amicum, poteſt aliorũ uim ad caput dirigere, additum uerò eſt turbith, quod & ipſum pituitam educit, & ſolum non multam uim habet, ſed ſi eius uis ab alijs, quæ ipſum acuendo

iuuare

iuuare poſſint, roboretur, craſſam etiam pituitam purgabit. Vnde hæ magis pituitam reſpiciunt, quam illæ Galen. & tutiores ſunt: illę verò, & ſi a colocyntide habeant, quod pituitam vacuant, cum tamen ſcãmonij maiorem copiam aliarum rerum comparatione accipiant, quam cochiæ, magis quam hæ, bilem educent. Solemus autem harum drachmam, aut ad ſummum ſexquidrachmam dare; ſicuti & ſi illis Gal. vti vellemus, quamuis omnino illæ fortiores ſint, ſed & pilulæ, quæ aureæ paſſim a Pharmacopolis dicuntur, poſſunt huic negotio eſſe commodæ, quæ, &, ſi ipſæ etiam pituitam, & bilem purgent, maiorem tamẽ vim habent purgandi bilem, quippe quæ maiorem ſcãmonij copiam, quam cochiæ, minorem vero colocynthidis contineant, & eadem harum, vt priorũ, ſolet eſſe doſis, vt in pręſentia loquuntur iuniores noſtri. Verum neque hoc indignum eſt conſideratione, quod omnino in omni purgatione conſiderandum eſt. In hoc enim imprimis cõſiſtit peritia, & prudentia medici, nempe vt non modo reſpiciat, quod medicamentum requirat ratio, & natura morbi, verum etiam illud corpus, cuius curationem tractamus, illud ferre commodè, & tuto poſſit, in corporibus enim, vt innuiſſe viſus eſt Galen. eodem ſecundo de ratione vict. in ac. morbis plurima eſt differentia in perferenda vi medicamentorum, tam ratione ætatis, quàm temperaturæ, & naturæ, præterea temporis, regionis, & conſuetudinis: ætas enim puerilis, & ſenilis non facilè magnas, & violentas ferre poſſunt medicinas; præterea corpora mollia, & delicata temporibus etiam calidioribus, & frigidioribus moleſta ſunt medicamenta ſoluẽtia: aliqui etiam aſſueti ſunt, & ex conſuetudine contraxere facilitatem ad perferendas multas, & valentes medicinas: in alijs vero tales timemus, quia aut nunquam, aut rariſſimè, & ſi quando acceperint, non ſine multa moleſtia accepere; unde in his omnibus tutius eſſet valentioribus his medicamentis parcere: in quo ordine mea quidem ſententia eſſent & pilulæ indę ponendæ commodè, ſi quando ex humore melancholico penderent magis hi affectus. Vnde quando omnino eſſet purgatione opus, ab aliquibus leuioribus tamen, nõ eſſet abſtinendum. Et propterea ad has difficultates cum proſpexiſſent prudentes medici excogitauerunt alias medicamentorum confectiones, quas pueris etiam dare tuto poſſumus, propterea quia nihil uiolenti, & laborioſi admittunt. In his ſunt & hiera ſimplex ex aloe, de qua ne omnia in vnum cõgeramus caput, inferius plenius agemus, ea ſæpe antiqui in puluere utebantur, poſteriores vero addito melle redigunt in formam quaſi eclegmatis, vel, ut noſtris temporibus dici ſolet, electuarij: interdum eius pulueres aliquo liquore excipientes, vt roſaceo melle, catapotia formãt interdum iſtius: medicamenti amarorem temperare & præterea calorẽ & vim ſiccandi volumus, cum liquore caſſiæ Aegyptiæ miſcemus, & veluti bolum deuorandum conficimus. Ego ſæpè puluerem hieræ iſtius ex roſaceo ſyrupo ſolutiuo excipio, præſertim ſi ea ſit opus vti æſtiuo tempore, poſſumus autem ad duas drachmas, & vltra dare, habita tamen ſemper eorum ratione, quorum habendam paulo ante dicebamus. Poſtea ſunt pilulæ illæ, quas Auic. 3. can. prima fen, deſcripſit, & Aſſaieret, dicuntur, & illæ lenes ſatis ſunt, quæ fiunt ex puluere hierę, & myrobalanis citrinis, addito præterea aloe: hæ minorem calorem ex myrobalanis habent, & magis ventriculum, & caput roborant, & fluxiones reprimunt, valent autem potius ad purgandos calidos, & bilioſos humores, quam pituitoſos, ſicuti pituitam magis uacuabit hiera. verum cum illis vim maiorem ad uacuandam pituitam addere volunt, & his & illis addunt agaricũ.

Sed in hoc eodem ordine ſunt illa communia catapotia, quæ in pręſentia ex tribus, vel de tribus cum Rhabarbaro dicuntur, conficiuntur autem ex aloe, agarico, & Rhabarbaro, quæ ſunt maximè apta purgandis pituitæ, & bili. Item & Maſtichinæ, quæ pituitam potius purgando educunt, ſicut ergo priores in ſupremo ordine ſunt: ita hæ in infimo. Multa verò eiuſmodi medicamenta inter hæc media ſunt ut aggregatiuæ a Meſ. appellatæ, quæ craſſioribus humoribus commodæ ſunt uacuandis, & quæ ex fumaria ab eodem deſcriptæ, & de fumo terræ appellatæ ſunt, quæ bilioſis, & exuſtis humoribus aptiores ſunt. Neque tamen hoc prætermittendum eſt, quod in arte medica maximi eſt momenti, quod prudens medicus, ubi etiam multa eſt medicamẽtorum penuria, ſibi poteſt ingentem eorum copiam parare, modo duo, vel tria illi adſint medicamenta compoſita, eas uires, & poteſtatem habentia, quas morbus requirit, quorum alterum valentiſſimum ſit, aliud infirmiſſimum, atque id in omni medicamentorum genere ueriſſimum, & cognitu neceſſarium: nam uel horum commixtione, uel alijs additis augemus, vel detrahimus, immutamuſque eorum operationes, & uires. Et ut exemplis rem clariorem faciamus, ſi nobis adeſſent aliquę ex his appellatis pilulis, ſed eſſent leuiores, quam eſſe opus putaremus, uel ſi uellemus eas maiorem uim attrahendi aliquem alium humorem habere, quàm ex ſua prima compoſitione, & mixtura habeant, erit nobis agendum, ut in libro. de comp. medic. ſecundum loc. docti ſumus: illis enim addenda ſunt aliqua medicamenta, quæ ſint apta illi humori educendo, ſicuti pilulis ex hiera, eis enim pro exemplo utar, quibus ut docemur a Gal. paſſim, addidere medici agaricum, ut & uim maiorem pituitam purgandi haberent, & a remotioribus partibus, ſi id, quod addere ſolitum, parum uideatur, illis item aliquid amplius addemus, ut ſi drachmæ pilularum ſemidrachmam trochiſcati, ut aiunt, agarici addiderimus, uel aliquid turbith electi, uel polypodij, poſſemus etiam in fortioribus, adultis corporibus & colocynthin addere. Quantitas uerò accipienda erit a copia humoris uacuandi, habita tamen ſemper ratione ætatis, facilitatis corporis ad uacuationem, & roboris eius, quod ſi ſcopus, quem nobis præſcripſimus, requireret potius bilis eductionem, ſi ualidè id agere uoluerimus, ſcammonium ex malo cotoneo paratum apponemus plus minuſuè, ut & morbus requirere, & corporis purgandi natura uidebitur poſſe admittere, addemus enim ad pondus trium, uel quatuor, uel etiam quinque granorum diagridij: nam ita ſcãmonium paratum, ut diximus, appellant. At ſi uellemus mitius agere, & magis membra roborare, drachmæ pilularum ſcrupulum, uel ſemidrachmam Rhabarbari adijcere oportet, & ſi copioſior eſſet bilis, quam ſperaremus eam poſſe unica detrahi acceptione, eas toties repetemus, quoties eis eſſe opus indicaremus. At ſi materia unde morbus excitatus eſt, quæque educenda eſt, potius melancholica eſſet, ſi ualidius uacuare erit opus, addemus nigrum ueratrum, ut ſi drachmæ pilularum ſcrupulum corticum radicũ nigri ueratri adijciamus, ſi uerò leuius id erit agendum, epithymum, & ſi adhuc leuius, ſenę quantum nobis uiſum fuerit, addemus, & quod de his ſimplicibus medicamentis addendis diximus, idem de alijs, quorum meminere auctores, intelligendum. Is itaque primus modus eſt addendi uires medicamentis compoſitis, & eas etiam uariandi. Alterum uerò cuius meminit frequenter Galen. eſt, ſi duo nobis præſto ſint medicamenta, quorum alterum ualidum, & fortè ſit alterum uero mite & infirmum, ex eorum miſcella multa intermedia, quãtum ad robur pertinet, com-

ponere

ponere poterimus, ſicuti ſi pituita ſit vacuanda, cochiæ vero, aut aureæ, aut aliæ iſtius ordinis, fortiores nobis, quàm par ſit, videantur: & quæ ex hiera, aut aſſaieret, aut maſtichinæ nimis leues ſint: ſi eas miſceamus: vt ſi duos iſtorum ſcrupulos cum totidem cochiarum, aut aurearum, aut indarum pro ratione humoris detrahendi miſceamus, & componamus, vel ſi alterutrius ipſarum plus minuſve apponamus, reſpicientes ſemper ea, quorum paulò antea rationē eſſe habendam diximus. Verum, quia interdum immutandus eſt medicamētorum modus, vel propter diuerſam temporum vel morborum naturam: nam & Galen. alopecias curaturus prius ſuâ illa catapotia dare ſolebat, vt ille libris, toties citatis inſinuat: poſtea vero hierę, quam διακολοκυνθίδος appellat, vtebatur, vel ſola, vel additis alijs ſoluentibus medicamētis: præterea alij nequeunt medicamentum ſolidius, vt ſunt catapotia, vel quæ boli nunc dicuntur, deuorare, & non niſi bibenda aſſumere: ideo & de his, quæ alioquin deuorari, uel bibi poſſunt, aliqua a nobis ſunt dicenda, quæ poſſint nouitios inſtruere: quātum tamen patitur modus præſentis doctrinæ. Et quia horum quædam mixta ſunt, quædam ſimplicia, de ſimplicibus ſermonem habebimus, cum ſæpe illis etiam ſimplicibus vti ſoleant medici in curandis & his, & alijs etiam morboſis affectibus: & de leuioribus quidem, & facilioribus præſertim ſermonem habebimus; nam illis, quæ valentiora ſunt, & a iunioribus laborioſa medicamenta dicuntur, raro ſimplicibus vtimur; ſed potius in compoſitione. Pro varia ergo natura morborum, vel cauſarum, vnde illi excitātur, diuerſis vtimur medicamentis: nam ad bilē purgandum facillima ſunt, primum ſerum lactis, quod leuiſſimum medicamentum eſt, & niſi copioſum bibatur, parum poteſt vacuare, magis tamen vacuabit, ſi ſaccharum addatur, vel ſal, vel ſi ſuccus ſumariæ, & adeò lene & facilè medicamentum eſt, ut eo per multos ſubinde dies vti poſſimus. Deinde verò manna, quod medicamentum & ipſum adeò facilè eſt, vt ad duas vncias, & ulterius demus, in his tamen ea vis eſt, vt ea, quæ in ventriculo ſunt, & in primis venis, purgare poſſint, nec vlterius admodum progrediuntur: aliquanto valentior eſt caſſia noſtra Aegyptia, in qua exhibenda raro ſexquivnciam excedimus. Eundem ferè ordinem tamarindi occupant, & ad vnciam ſolent dari: quæ medicinæ cum qualitatibus temperatæ ſunt: aliquæ etiam refrigerant, maximèque accommodatæ ſunt calidioribus, tum corporibus, tum temporibus: quibus etiam inter initia, vel nulla præparatione, ſeu, vt loqui in præſentia ſolemus, pręcedente concoctione vti ſolemus, cum potius vim leniendi, quàm ſoluendi habeant. Leues etiam num medicinæ ſunt aloe, quia nihilominus in initio poſſumus vti: præſertim vero lota, Rhabarbarum, ſed hæc calidiora ſunt. Pituitam vero educunt agaricum, & polypodium. Præcipuè quāuis illud præterea & bilem flauam, hoc verò & atrā euacuet, & præterea & turbith. Inter ea uero, quæ facilè bilem atram vacuant, eſt primum ſena, præſertim verò ſi ſit ex exuſtione facta, leuiſſima uero medicina, & facilis, quàm ex decocto ſolemus dare, cum ſolam damus: decoquimus vero ex ſero lactis, vel ex aliquo iure leui pulli gallinacei, additis paſſulis, & liquiritia: nam paſſulæ ventriculo commodæ ſunt, quem aliquanto lædit ſena: liquiritia autem humectat, & remittit ſiccitatem, & aſperitatem ſenæ: ſolam vero ex decocto ad vnciam quandoque damus: ſed ſępe ea inter initia útimur, non expectata alioquin inſigni aliqua præparatione: eam ſequitur epithymum: ualentius enim eſt, & maiori cautione dandum. Poſtremum, quantum ad præſens nego-

A tium poſſit in præſentia eſſe ſatis, eſt nigrum veratrum: quod deinde non ita facilè eſſet dandum ab initio, cum crudus eſt morbus, & hæc omnia calidiora & ſicciora ſunt. Qua uero forma ſint hæc ducenda in vſum, non puto eſſe opus longiori ſermone exponere, quia adeo ſunt in frequenti vſu, vt uel etiam idiotis iam ſint nota hac omnia. Caſſiam enim, & mannam, quandoque aliquo liquore, vt varia ſunt decocta, diſſolutam dare ſolemus, ita & tamarindos, ſed & in forma ſolidiore, quales ſunt, quos bolos uocamus. Manna vero poteſt, vt eſt, in ſuis uidelicet granis comedi: ſæpius tamen aliquo, vt dixi, liquore diſſoluitur: aloe ſæpius utimur propter ſuam amaritudinem, confectis ex ea catapotijs. Rhabar-
B ri verò multiplex eſt uſus: nam interdum in puluerem redactum ex aliquo humore bibēdum damus: præſertim uerò cum maiorem quærimus aſtrictionem, & corroborationē: dum enim ita uniuerſum accipitur, plus aſtrictionis retinet, cum partes craſſiores, & terreſtres ſint veluti fundamentum aſtrictionis. Interdū verò, aliquo liquore puluis ea aſſumpta in catapotia redigitur, & idem ferè valet, atque ita etiam ualentius ſoluit: ut ſæpe animaduerti: quod duplici ratione puto euenire; primum, quia cum ſolidiorem formam habeat, diutius in uentriculo, antequam diſſoluatur, moram trahit, atque ita magis ſoluit: deinde cum vis ſolutiua in calidis, & tenuioribus partibus ſedem habeat, illæ quidem prius penetrant,
C & eis ſuccedentes illæ, quæ aſtringunt, aſtringendo quaſi a tergo priores impellunt, eas vlterius penetrare cogunt, & ad interiores corporis partes. Tertiò autem, quod fuit Arabum inuentum, demergimus in aliquo decocto, & ibi per quaſdam horas maceramus, vel ut loquuntur iuniores noſtri, infundimus: deinde percolamus, ac abiecta lignea ea parte, liquorem bibendum damus: & reliquis eiuſdem ferè modis utimur. Sunt & pręter hęc tria myrobalanorum genera, citrini quidem bili flauæ purgandę commodi ſunt, chebuli, pituitæ, nigri autem atræ bili: quia tamen inſigniter aſtringunt, & exaſperant, rariſſimè illis in morborum initijs utimur: quamuis ſi fricentur prius oleo amygdalino dulci, & aſperitatis, & a-
D ſtrictionis non parum deponant: quibus poſſumus totidem modis, quot Rhabarbaro, uti, & licet in infuſione, ut aiunt, minus aſtringant, ſemper tamen inſignem ſatis aſtrictionem habent. De ſimplicibus autem medicamentis ſatis, mea ſententia dictum eſt: nonnulla de compoſitis dicamus, vt ad aliud caput tranſitum facere poſſimus. Medicamenta, quæ hac noſtra tempeſtate in uſum venire ſolent, multiplicia ſunt, quibus uidelicet uti poſſumus, vel potis, uel alioquin deuoratis. leuiſſima quidem ſunt diaprunon a recentioribus electuarium appellatum, id q̄d interdum ſimplex, interdum non ſolutiuum appellant, & præterea illud, quod diaſebeſten appellatur: prius deſcribitur a Nicolao: alterum à Bartho-
E lomęo Montagnana: quod & ipſum facilè eſt, ſicut & prius, leniēdoque potius, quàm ſoluendo purgat, & bilioſis humoribus purgandis accommodatū eſt utrumque, quando citra ſcammonium in uſum veniunt, nam quando additur tantum ſcammonij, quantum auctores illi apponendum præcipiunt, ad alium ordinem medicinarum aſcendunt. Deinde vero in hoc eodem ordine ſunt, id quod Pataiuj & Venetijs, & vicinis ciuitatibus in uſu eſt, in remotioribus autem, non ita, & appellatur electuarium lenitiuū à noſtris, eius deſcriptio in libro, cui titulus eſt, luminare maius, reperiri poteſt, & in hoc etiam ordine eſt, quod diacatholicon paſſim appellatur, deſcriptum à Nicolao, & hæc ſimilem ferè facultatem habent, aptiora autem ſunt ad purgandos exuſtos humores

mores

mores melancholicos, ſed & pituitam vacuant,& bi-
lem. Facilè autem eſt,& quod appellant diaſene, Ara
bum inuẽtum deſcriptum à Nicolao : quod & ipſum
humores exuſtos,& pituitam purgat : aliquantoque
fortius, quam prædicta. Fortiora autem medicamẽ-
ta, quę bilem poſſunt detrahere, ſunt electuarium ap
pellatum ex ſucco roſarum, à Nicolao deſcriptum,
& eiuſdem diaprunon, quod ſolutiuum appellant:
vtrunque enim copioſum ſcammonium accipit, pi-
tuitam autem, & frigidiores humores educunt, id
quod diaphœnicon Gręci, videlicet Paulus,& Ioan-
nes Meſ. nominant: & ſunt ferè eædem confectio-
nes in paucis admodum variantes: item magis etiam
electuarium ab eodem Meſue dictum indum. Adu-
ſtis vero & melancholicis humoribus, quamuis &
vacuet alios, eſt aptum medicamentum, quod con-
fectionem Hamech nuncupauit Meſue. Sunt & alię
Hieræ, quæ maiores dictæ ſunt,, ut illa cuius a Galen.
facta eſt mentio, quæ præſertim pituitam ducit : aliæ
vero ut Archigenis, Rufi, & Pachij à Scribonio re-
citata, quam & ipſam diacolocynthidos appellat, quę
omnes non minus vacuant melancholicum humo-
rem, quam pituitam. Medicamentum autem, quod
electuarium roſatum nuncupauit Meſue, leuius ali-
quanto bilem purgat, quam id quod à ſucco roſarũ
ſuperius diximus nomen habuiſſe. In his autem me-
dicamentis, quæ hactenus recenſuimus, illud idem
animaduertendum eſt, quod animaduertimus dum
de catapotijs, ſeu pilulis loqueremur, quod hæc me-
dicamenta eligenda ſunt non modo pro ratione na-
turæ ipſius morbi, & humorum, a quibus excitatus
eſt, uerum etiam pro ratione naturę corporis purgã-
di, habita videlicet ratione ætatis, temperaturæ, vi-
rium, & temporis, vt pro horum natura addamus,
detrahamus,& permutemus & qualitatem, & quã-
titatem eorum, & ipſa interdum ſola accipiamus,
interdum commiſceamus. Sicuti verbi gratia, ſi no-
bis eſſet opus diuerſos humores, præſertim uero exu
ſtos vacuare, accommodatiſſimum medicamentũ
eſſet confectio appellata Hamech: verum ętas aut
anni tempus calidius, aut natura corporis, quod me-
dicamenta valentia non facilè ferat, uidentur alio-
quin obſtare, ne ea vti poſſimus ſola : quid agemus
nos? eius vim aliquantiſper minorem reddemus alio
rum miſtura, ſicuti ſi tempus eſſet calidius (ſola au-
tem ea cõfectione ſi vteremur, daremus tres drach-
mas) accipiemus drachmam vel ſexquidrachmam
iſtius, & ſi bibendum medicamentum dare volueri-
mus, accipiemus duas vel tres vncias ſyrupi roſa-
cei ſolutiui, & hæc omnia ex aliquo liquore, uel a-
lio accommodato decocto in potione parabimus.
Vel ſi in ſolidiori forma medicamentum parare vo-
luerimus, accipiemus pulpæ, ut aiunt, uel floris caſ-
ſiæ drachmas ſeptem, uel vnciam,& addita ſexqui-
drachma illius confectionis, conficiemus bolum, vel
ex aliquo decocto hęc diluta bibenda dabimus, quòd
ſi tempus frigidius eſſet, pro caſſia acciperemus uel
diacatholicon, vel lenitiuum, quorum parum antea
meminimus, quod ſi medicamentis ſimplicioribus,
aut obtundere acrimoniã, vel vires addere velimus,
ut & alios aliquos humores euacuet, medicamentũ
parabimus, aut decoctũ, vt ex tamarindis. aut ex po-
lypodio, aut epithymo, aut ſena, aut conficiemus in-
fuſionem, vt loqui conſueuere hoc tempore noſtri
medici, ex rhabarbaro, uel myrobalanis, quibus ſpiſ-
ſiora medicamenta erunt diluenda. Modum autem
eorum in ſequentibus ſermonibus magis particula-
tim aliquibus exemplis explanabimus; ſatis.n. lon-
gum de his habuimus ſermonẽ, & de his ſæpius po-
ſtea loqui erit opus. Tranſeamus iam ad aliud caput.

A *De ratione curandi hos affectus per medicamenta, quę & humores ad euacuationem parant, & intemperiem, quę cauſa fuit horum humorum, remouent: & de ratione victus.*

Cap. IIII.

NOn ſolum autem ad medici officium ſpectat
morbificos humores, & eos qui affectus con
tinenter fouent, euacuare, ſed prius opor-
tet eos parare ad facilem euacuationem, ut ſine mo-
leſtia multa educi poſſint, præterea verò & intempe
riem eam remouere, ex qua illi quotidie generan-
tur; alioquin enim nihil medico vacuaſſe proderit, ſi
reliqua ſit cauſa alios ſubinde ſimiles generandi hu-
B mores. Plerumque autem ſimilis eſt vtriuſque ra-
tio, eadem enim quæ intemperiem tollunt, vitium
etiam humorum corrigunt, quo illi naturæ aduer-
ſarij ſunt, vnde ſi vitium non ſit inſigne, dum per
contraria tranſmutatur, ad ſuum bonum ſtatum re-
uocantur, & vtiles fiunt, vel ſi fuerit inſigne, vt
nequeat amplius humor bonus omnino fieri, remit-
titur ſaltem eius malitia, vt facilius poſſit a natura
adminiſtrari & uacuari, cum opportunum fuerit.
Nam plerunque humores, qui generantur, ſequun-
tur naturam temperaturæ illius articulæ, a qua illi
generantur, orta enim ſuis atteſtantur initijs teſte
Galeno. & hoc medicamentorum genus a maiori-
bus noſtris dicitur genus medicinarum concoquen-
C tium, uel digerentium, ut ipſi aiunt concoctionem ac
cipientes pro quacunque humoris ad ęqualitatem
reductione, hęc uerò ęqualitas duplici inſtrumento
adduci poteſt, medicamentis, victuſque ratione, ab
eiſdem enim indicationibus pendet recta ratio vtriuſ
que inſtrumenti. Primum autem a medicamentis
incipiamus, utpote quæ ijs, quæ hactenus tractata
ſunt, magis ſint affinia. Indicationes, quę uigent, in
his affectibus, a natura tum morbi, tum excremen-
torum a quibus fouetur morbus, accipiendæ ſunt;
vnde pro uaria horum natura uariantur, & indica-
tiones & ſcopi. Vnde ubi a billioſis excrementis pen-
det affectus, cum & ipſa calida ſint & ſicca, & a tem
peratura conſimili ſint genita, ea, quæ refrigerant,&
D humectant, erunt eligenda. Vbi ſit a pituita, quę ca-
lefaciunt, ſiccant,& attenuant, niſi fuerit ſalſa pitui-
ta: quia cum ſalſus ſapor ſit inditium, immo effectus
caloris & ſiccitatis, & is humor aliquando tenuis,
immo plerunque, nonnunquam tamen & craſſus:
ideo temperatius, vbi ſalſus humor ſit, calefaciẽdum,
& ſiccandum,& attenuandum, pręſertim ubi tenuis
ſit, ubi autem craſſior, & magis lentus, magis atte-
nuandum, & incidendum. Sed ſi ſit melancholicus
& exuſtus humor, potius refrigerandum, & hume-
ctandum, quamuis aliqua ſint intermiſcenda, quę at-
tenuent & incidant. Sed tandem particulatim de-
ſcendamus, & omne negotium ad temporũ noſtro-
rum uſum deducamus, ut hac ratione nouitijs in hac
E arte prodeſſe magis poſſimus. Triplex ergo eſſe po-
teſt, quantum ad pręſens poteſt, negotium & hoc no
ſtrum inſtitutum eſſe ſatis, ratio medicamentorum,
quibus uti poſſumus: nam aut decoctis, aut appellatis
ſyrupis, aut illis, quas confectiones, uel confecta uoca
mus, quę uel rotulis conſtant, uel in modum eclegma
tis conficiuntur: nam ſępe & propter morbi longitu
dinem, uel delicatulam hominis naturam, uel pro-
pter ętatem oportet uariare modum medicamento-
rum, ſemper tamen eiſdem ſeruatis facultatibus, &
ſcopis. Primum autem de decoctis agamus, ut quo-
rum uſus ſit antiquior. Decocta ex ſimplicibus, pręſ-
ſertim uero herbis, uel ex earum partibus, aliquando
quidem ex pluribus, nonnunquam ex uino, & aqua
parari ſolent, & ea quidem uel communi, ſicut eſt,

quam ex fontibus, uel ex puteis quotidie haurimus, uel interdum arte per deſtillationem confecta. & de communi quidem non eſt quod quidpiam dicamus, cum illa ſit tanquam materia duntaxat, & tanquam id, in quod tranſit uis decoquendorum medicamentorum, quę uerò per deſtillationem fit, cum quidquid uirium habet id a ſimplicibus medicamentis, unde extrahitur, habeat, ideo neque de ea ſermo longior habendus, neque etiam de ratione, & tempore decoquendi, & ſimplicia, quæ coquenda ſunt, colligendi, quia hæc omnia in tractatione, de medicamentorum compoſitione eſſent tractanda, ſępe etiam ex iure pulli gallinacei fiunt, in quo eſt uis inſignis temperandi humores, pręſertim calidos, & acres. Ad cōponenda igitur apta decocta ſunt eligenda ſimplicia, quę propoſitis ſcopis uideantur poſſe ſatisfacere. Itaque ſi hi affectus fuerint iudicati pendere ab intemperie calida, cum acri & billioſa materia, ea erunt accipienda ſimplicia, quę refrigerent, & humectent, retundantque acrimoniam eorum excrementorum. Vnde ſi acceperimus ex herbis endiuia, uel cichoriū uel oxalidem, ſeu, ut iuniores aiunt, acetoſam, uel boraginem, uel quęcunque ſunt ex cichoraceorum genere, rectè res ſe habebit, quod ſi adhuc refrigerantibus magis eſſet utēdum, herba, quam lichenem Gręci appellant, a noſtris autem pharmacopolis hepatica dicitur, accommodata eſſet, ad hoc etiam genus lactuca, portulaca, & id genus alia pertinent, quorum ſiluam copioſam nobis Gal. in libris de Simplicium medicamentorum facultatibus propoſuit. Vtimur tamen interdū fructibus, ut ſunt qui ſebeſten ab Arabibus ſunt dicti, myxa a Gręcis, pręterea iuiubę uel zizipha, & pruna arida, hęc ergo ex aqua decoquenda, ut decoctionis ratio requirit, aliqua enim maiorem, alia minorem ſuſtinent decoctionem, nam flores, quibus ſępe in decoctis utimur, quales illi, qui ad ſcopum præſentem poſſent pertinere, modicam pręalijs ferunt decoctionem; digeritur enim, & diſſoluitur eorum vis, ſi diutius coquantur, qui autem vtiles poſſunt eſſe calidiori affectui, ſunt violæ, roſę, flores cichorij, endiuiæ, boraginis, & id genus alij, vnde ferè in fine decoctionis inijciendi ſunt, cum auferendum eſt ab igne vas. Herbæ verò maiorem decoctionem ferunt, maiorem fructus, maiorem adhuc radices; nam earundem herbarum radices ad decocta commoda ſunt. Confecto decocto, & colato, eius eam menſuram, quæ ęgrotanti idonea ſit, dare oportet, mane præſertim ante cibū per tot horas, vt iam potuerit ad actum deductum in vētriculo in totum corpus diſtribui. quod ſi condiatur aliquanto ſaccharo, tum vt magis gratum ſit, tum verò vt facilius & citius digeratur, melius erit; quę enim dulcia ſunt, promptius attrahuntur a membris, facile autem poſtea eſt, aliquāto copioſiori addito ſaccharo, vel melle per vlteriorē decoctionem in ſyrupos decocta redigere. De quibus iam opportunum fuerit ſermonē habere, niſi quod fortaſſe præſtiterit, & de illis prius decoctis agere, quæ alijs differentijs ab alijs humoribus acceptis ſummatim tamen cōueniunt. Vnde ſi à materia pituitoſa inſipida, aut acida cōſtiterit morbus, ea, quę ſuperioribus contraria ſunt, quę videlicet calefaciant & deſiccent, erūt magis opportuna, quęque attenuent & incidant, vt tamen & huius ratio ſit habenda, quia omnes eiuſmodi affectus, de quibus eſt inſtitutus ſermo, vt diximus, ab alicuius acrimonię participe humore & proinde etiam caloris, ortum habere conſtat, nempe vt modeſtè calefaciamus immixtis aliquibus. vnde temperetur calor calidiorum medicamentorum; vnde betonica maxime accommodata erit herba, & eupatorium, in quibus non eſt inſignis caliditas; ſed & arthemiſia, ane-

A thum, pręſertim viride, nam aridum magis calefacit, ſiccatque, calidiora ſunt ſerpyllum, mentha, pulegium, calamentum, hyſſopum, & reliqua iſtiuſmodi, quę plurima a Gal. ex eiſdem libris colligi poſſunt, nec a nobis in pręſentia omnia afferenda, ne nimis longus is ſermo euadat. Quod ſi ſalſus fuerit humor ab ijs, quæ inſigniter calefaciunt, abſtinendum: temporibus autem vtendum, atque illis aliqua addenda, quæ acrimoniam, quam ſalſugo indicat, leniant & mitigent, ut ſunt radix dulcis, quæ nunc liquiritia dicitur. præterea maluæ folia, althæę radices: item flores boraginis, endiuiæ, præterea fructus ſebeſten, iuiubæ, & quę ſunt generis eiuſdem, & facultatis. At ſi melancholicus ſit humor, præſertim verò ex aſſa-

B tione factus, borago & endiuia erunt optima, & fumaria, quam fumum terrę, & ſalictarius lupus, quem lupulum in præſentia appellant, hęc.n. mundandi ſanguinem ab exuſtis excrementis uim habent. Pręterea & ſi aliqua egeant attenuatione, non tamen calore multo, ſed lenitate quadam opus eſt, niſi craſſior uideatur factus is humor, & ad fęcalem conſiſtentiam accedens, tunc enim, & magis attenuantibus, digerentibuſque egeret. Et hęc de decoctis in pręſentia puto poſſe eſſe ſatis. Ad ſyrupos accedemus, quorum facilior, illis explanatis, poteſt eſſe expoſitio, cum ſyrupi ferè omnes, ex decoctis herbis, vel radicibus, vel ſeminibus, vel fructibus fiant, vel ex herbarum ſuccis, addito aut melle, aut ſaccha-

C ro, qui tamen in frequentiori uſu ſunt, ad humores quidem calidos & acres, ſunt ex endiuia, cichorea, oxalide, boragine, ex acido ſucco citri, qui ſunt ſimplices, & præcipuus eſt ſyrupus acetoſus; ſed ſunt & compoſiti, ut qui de endiuia compoſitus dicitur, de cichorea compoſitus, cui aliquando aliquid Rhabarbari additur, cum bilis notha, & craſſior eſt, quæ & attenuatione, apertioneque egeat, & aliquam etiam efficiunt lenem purgationem. Ad hęc etiam utilis ſyrupus roſaceus ſimplex, pręſertim ſi bilis tenuis ſit: quod ſi notha & craſſior, particeps lentoris, optimus qui ex ſucco roſarum, quem ieleniabim ex ſaccharo iuniores, qui Arabes ſequūtur, appellant, de illo autem ſimplici loquimur, qui nondum ſolutiuus

D eſt. Sed ſi pituita frigidior & craſſa lentaque ſit, tunc mel roſaceum, & oxymel ſimplex opportunum erit, & ſi mixta fuerit ex bile & pituita, ſyrupus biſantinus a Ioanne Meſue dictus, ſi ea non admodum craſſa & lenta fuerit; nam hęc magis requireret eū, cui additum ſit acetum, uel illud quod completum appellatur. Ita etiam ſi ſit ſalſa, ſimplex biſantinus, cum eo qui fit ex ſucco betonicę, & cum roſaceo, betonica enim utrique poteſt conuenire, ut præſertim, cum uiridis eſt, non calefaciat plurimum. Idem biſantinus ſyrupus ſimplex accommodatur melancholico affectui, & ſyrupus, de boragine, & qui ex ſucco dulcium pomorum cōficitur, & ex pomis ſimplex dicitur, fortior eſt qui ex pomis ſabor dicitur a

E Ioanne Meſue, fortiores his ſunt, ſyrupus de fumaria compoſitus dictus & de pomis compoſitus, qui iam uim ſoluendi habent: nam uel ueratrū nigrum uel epithimum accipiunt, ſicut & decoctum epithymi, quorum meminit Meſue a quo compoſitionis modum poteſtis habere. Confectiones quidem, ut nunc appellant, & ipſę poſſunt duplici forma componi, uel enim ut habent modum eclegmatis, ſeu, vt iuniores loquuntur, electuarij, vel ex ſaccharo in forma ſolidiori in modum eclegmatis fiunt, in calida intemperatura accipiemus ſaccharum roſaceum, uel uiolaceum, item myrobalanos qui chebuli, quique indi, & qui emblici dicuntur: ſed & chebuli pituitę magis commodi habentur, unde cum refrigerent, in ſalſa pituita admodum utiles erunt, & calidiore

temporibus. In frigidiori uerò morbo, & pituitoſo, uel melancholica materia id genus confectiones parandę erunt, quę conſeruę dicuntur, ut roris marini flores ſaccharo cōditi uel flores betonicę: ſed ēt folia betonicę ſaccharo itē condita: item & cortex mali citrij, & tādem zingiber itidem conditū; nunc uero, & nux muſcata, & garyophyli, ita appellati a nr̄is hoc modo conditi reperiūtur, quę omnia, pręter id quod ita ſola & ſimplicia mandi vtiliter poſſunt, ſępe ſimul ex his plura prius contuſa componuntur, & in eclegmatis formam rediguntur, addito aliquo ſyrupo eidem ſcopo accommodato, quo diluantur, vt tenuiora & liquidiora fiant, quæ ſępe ſummo mane ieiuno ventriculo accipiuntur, interdum tamen etiā poſt cœnam, vt cum cibi vaporibus facultas medicamentorum ad caput aſcendens illud magis corroboret, & alioquin afficiat, in his tamen affectibus qui acrimonię numquam ſunt expertes, omnino modeſte calefacere, & parcè debemus. Quod ſi modum compoſitionis inſtituendæ quiſpiam deſideret, ita, vt nūc aiunt, ordinabimus, accipe ſacchari roſacei, violacei, conſeruę florum boraginis, carnis myrobalanorum emblicorum vel chebulorum ſingulorum vnciam 5. cum ſyrupo roſaceo, vel ex oxalide, vel ex iuiubis confecto fiat mixtura. Sin autem frigida fuerit intemperies, hac potius vtemur, accipe ſacchari roſacei, conſeruę florum roris marini, betonicę, ſingulorum vnciam vnam, vel zingiberis cōditi, quod vulgo zingiber viride appellāt, vnciam mediam, miſce, & omnia contuſa & diluta ex ſyrupo ex corticibus citri cōfecto in modum eclegmatis redigito: Sed ſi his etiam chebulorum vel emblicorum myrobalanorum pulpam ad vnciam addiderimus, præter roſaceum ſaccharum ob humorum vitioſorum aliquā acrimoniam, rationi magis conſona erit confectio, dentur vt diximus. Solidiores vero confectiones, quę ſunt in frequenti vſu, refrigerantes quidē ſunt, quam diarhodon Abbatis appellant: ſed & magis etiam refrigerat, quæ diatrion ſandalon vel ſandalorum appellant, vtramque apud Nicolaum deſcriptā inuenietis. Calidiores vero ſunt, primum quem aromaticum roſaceum appellant, moderatæ cuiuſdam caliditatis: calidiores ſunt diatrion pipereon, diacyminum, diagalanga a Meſ. deſcripta, diacalamentū Galen. In hoc iſtarum cōfectionum genere poſſunt poni antidoti maiores, vt mithridata, & theriaca, & diamoſcum, & id genus reliqua. Sed his cum prioribus commixtis varias poſſumus componere differentias horum medicamentorum: puta ſi vnciæ ſacchari roſacei immiſceamus ſexquidrachmā, vel drachmam puluerum diarhodonis, vel aromatici roſacei, vel diatrion pipereon, vel aliorum, quod fieri poteſt, vel ut temperatiores fiant, vel vt gratiores. Satis circa medicamenta vagati ſumus. Reliquum eſt ergo, vt de ratione victus agamus, quæ & ipſa varia eſſet debet pro ratione ſcoporum propoſitorum: nam in calidiori affectu ex humore bilioſo, & acri refrigerans oportet ut ſit, humectansque, in pituitoſo attenuans, calefaciēs, & ſiccans ſi citra ſalſedinem ſit, ſed ſi ſalſa ſit pituita, in caliditate ſit moderatio, & potius in leuem aliquam humiditatem, quam in inſignem ſiccitatem inclinet. Humor autem melancholicus moderata eget caliditate præſertim in initijs morbi, inſigni uero humiditate, & ut omnia edulia, immo & alia ad victus rationem pertinentia, quæ ſolent gignere, vel occaſionem præſtare ut gignerētur uitioſi humores, vel ſi boni fuerint geniti, in uitioſos degenerent, præſertim vero in cibis & potu, tam quo ad qualitatem & quantitatem, quam etiam quo ad ordinem & apparatum caueantur. Vnde ea inſtituatur ratio, ut euchyma ſint edulia, id eſt quæ

A ſint bonis ſuccis gignendis idonea, neque in præſentia magis particulatim, hæc tractabimus partim ne omnia in uno capite tractare uoluiſſe videamur, partim quia de his eiſdem ſępius in ſequentibus ſermonem ſumus habituri. Hæc ergo in uniuerſum dicta ſufficere poſſe videntur, quantum ad communia remedia, quæ cauſas morboſas & internas reſpiciunt. Nunc ad ea tranſeundum eſt, quæ a Græcis topica, localia autem a Latinis dicta ſunt, quæque particulatim materiam, quæ ad affectum iam fluxit, & morbum proximè excitat, & illud intemperamentum, uel ſolutam continuitatem continenter fouet, reſpiciunt.

B *De ratione, & via tractandę curationis horum affectuum particulatim, quantum ad priuata topica vel externa remedia pertinere poteſt. Cap. V.*

REmedia, quę priuatim vnicuique horum affectuum curando ſuapte natura commoda ſunt, vt ſuperius diximus, aliquando ſola, & citra generalem totius corporis curationē poſſunt hos omnes affectus tollere, hoc autem pręſtare facilè poſſunt, quando id nulli, aut exiguę admodum plenitudini, vel cacochymię erit obnoxium; alioquin ea plus attrahendo, quàm digerere, vel diſcutere poſſint, plus officient, quàm proderunt. Poſt ergo curam totius, illius partis, quę malè affecta eſt, curam C aggredi oportet. quoniam autem, vt item diximus, hi affectus, qui in ſola intemperie conſiſtunt, ſimplicem habent curationem per ſolam qualitatum trāſmutationem perficiendam, qui verò & materiam habent, indicant prius materiam tollendam, poſtea verò temperamentum mutādum, & hoc in vniuerſum. quamuis ſępe, vt illo eodem libro ratione, & exemplis Galenus oſtendit, dum recens morbus eſt, neque quaſi in habitum iam tranſierit, ſola ſufficiat generalis curatio corporis per diligentem vacuationem, & remotionem cauſę, de quibus hactenus uerba fecimus. Ponamus ergo per eam curationem quantumlibet diligentem non potuiſſe particulatim D morbum auferri, nimirum quod, altius radices fixerit, tranſeundum ergo ad particularem, priuatamque curandi cuiuſque rationem per priuatas cuiuſque indicationes, quę pręſertim a propria cuiuſque affectus natura depromendę ſunt. Primum autē de areis, quę alopecię, uel ophiaſes Græcis, dicuntur agamus, in quibus denudatus cutis capitis ſuis capillis, & id quia a uitioſa materia in profunda cutis parte, cui fixę ſunt radices, corrumpuntur, ut ob id decidere cogantur. Vnde ſtatim indicat nobis natura iſtius morbi ita percepta, quòd ſi cutem uolumus priſtino ſtatui reſtituere, opus eſt hos ſcopos ſpectare, primum ut pręſens mala materia per uacuantia detrahatur: deinde ut bona, & idonea ad E pilorum generationem, & incrementum cuti ſubminiſtrentur. Primum quidem euacuatione perficitur, non tamen per ea remedia, quę totum primo uacuant, ut eſt purgatio, & ſanguinis detractio: neque enim plerunque purgatio, uel ſanguinis miſſio eam uacuant materiam, quę particulatim recepta, & abſorpta eſt a ſubſtantia particulę: ſed illa digerentibus, & diſcutientibus tollitur. Subminiſtrare autem poſſunt materiam utilem gignendis capillis, quę eam modeſtè attrahere poſſunt, nem pe ita ut attractam poſtea non diſcutiant, fruſtra enim ea eſſet attractio. Et ſi quis opponat, quia recta ratio horum affectuum curandorum, qui ab a fluxu vitioſorum humorum ad cutem, concitantur, requirere uidetur, vt initium curationis fieret non a digerentibus, neque

ab

ab attrahentibus, ſed potius ab ijs, quę ſunt contrariæ facultatis nempe refrigerantibus, & aſtringentibus, quæ vim repellendi habent. Ad hanc dubitationem (Cap.1.) reſpondet Galen. primo lib. de comp. med. per loc. quòd id quidem verum eſſet, quòd in principio alopeciæ, quando ſtatim inter prima initia rem tractaremus, & quādo fieret alopecia, nec dum tamen facta eſſet, ita eſſet agendum; ſed tunc neque alopecia dici poſſet, & raro in eo principio Medicus acceritur: curatio verò, quā in præſentia inſtituimus, eſt alopeciæ, quando iam eſt alopecia. Curanda itaque eſt ijs, quæ partim digerunt, partim attrahūt: ſed qualia hæc futura ſunt? nam id genus omnia calida ſunt, ſatis etiam inſigniter, neque eorum vnus tantum, ſimplexque ordo eſt: & ſi nimis calefiet, exſiccabiturque cutis, vretur, vt facilè poſtea affectus caluitio ſimilis gignatur, qui deinde neque alioquin curationem ſit admiſſurus: ſin autem parum, nūquam vim morbi ſuperabimus: ita ſi valenter diſcuſſerint, digeſſerintve hæc medicamenta, quibus vtimur, facilè & materiam vtilem, quam ad cutim ad generandos capillos attrahunt, pariter & abſument. Tota ergo peritia, & ars in hac curanda affectione eſt, vt ex multis medicamentis, quæ vim digerendi, & attrahendi habent, ea in primis eligamus, quæ, quantum opus ſit, digerant: ita vt, digeſtis vitioſis ſuccis, mox vtiles ex profundo attrahant, neque tamen eos diſcutiendo abſumant. Hoc verò nobis oſtendet diligens earum rerum conſideratio, quas nunc ſumus relaturi. (C) Primum eſt morbus, nam ſi grauis, magnuſque, & inueteratus fuerit, maioribus, & efficacioribus medicamentis erit tractandus; leuioribus, ſi leuior, & minus fuerit proteruus, recentiorque. Deinde uerò corpus affectum, quantum ſanè ad temperiem naturalem, & ad ætatem, & ad artem, vel exercitia pertinet; qui enim teneriori, molliorique ſunt habitu corporis, vt pueri, mulieres, eunuchi, quique vitam in otio, & vmbra degunt, leuioribus medicamentis egent: a valentioribus enim vritur cutis, & vlceratur, affectuſque exacerbantur potius, quàm curentur: adulti verò, & magis etiam ſenes, præterea verò qui ſicciori, & duriori ſunt corpore, quique multis laboribus, & præſertim in ſole conficiuntur, vt ruſtici, (D) acriora, & valentiora medicamenta facilius ferunt, atque iſtis etiam citius curantur. De medicamentis itaque loquamur, eaque in ſuos ordines redigamus, & primum de ſimplicibus: mox & de ratione ea cōponendi dicemus aliqua. Vt tamen hoc in vniuerſum proponamus, quòd hæc omnia præter id, quòd ſint calida ſatis inſigniter oportet, vt ſint etiam tenuiorum partium, quia neceſſe eſt, vt interius facilè penetrantia è profundo materiam attrahant: quæ, quia varios ordines habent, alia enim fortiora, acrioraque, alia minus acria ſūt: ideo vt iunior hac ēt parte eruditior euadat, hæc in eum ordinem digeremus, in quem à Galen. fuere digeſta. Primum igitur, & ſupremum gradum tum calore, tum partium tenuitate, (E) & attractione tenet euphorbium: illud ſequitur thapſia: cui ſuccedunt ſinapi, & naſturtium, atque adarca, vel adarcion, vel lemnitis: deſcendendo uerò his aliquanto leuiora ſunt ſulphur, & ſpuma nitri, p̄ſertim ſi ſit electa. nempe quę alba, lenis: laxaque eſt, & mollis: & nitrum quoque molle, & vſtum: in hoc etiam ordine vtrunque veratrum collocat, tam album, quàm nigrum, ſemenque erucæ, & laurinum oleum, item & alcyonium vtrunque, ſiue vſto uti velimus, ſiue præter uſtionem: vſta tamen præſtantiora ſunt, radices etiam cānarum, ſi vrātur, cortexque ad hunc ordinem pertinebunt. Deinde verò his ſuccedunt pix liquida, atque adeo etiam cedria: & ſtercus muris, adepſque vrſi, qui tamen, quo vetuſtior, eo

(A) & melior eſt, ſicuti & leonis, & hienę, & pardi, & anſeris, & tandem quæcunque calida cum ſint, partes & ſubſtantiā tenuem habent: vnde & amarę amygdalæ vniuerſæ cum cortice combuſtæ, & multa præterea alia uſu veniunt: ſicuti abrotanum combuſtū, cuius Galen. 6. de ſimpl. med. fac. meminit. Hæc tamen hic retulimus, vt quæ ſint alijs præſtantiora, & lōgiori experientia approbata: quāuis pro rei opoprtunitate & alijs poſſimus vti. Nam quidam, ut Raſis 5. ad Almanſorem, in iſtiuſmodi affectibus cæpa cutim fricari docet. Galen. verò interdum cum ruri alijs medicamentis careret, carta combuſta vſus, quēdam ab alopecia curauit, eam oleo lucernæ diſſoluens; vt quod ex igne calidius, & tenuiorum partiū (B) ſit factum, & ſimile euaſerit vetuſto oleo, ſed & thus acerrimo aceto ad ſolem pluribus diebus tritum plurimum efficax ad hos affectus redditur. Quibus ita expoſitis facillimum erit reliqua exponere, quæ ad compoſitionem pertinent: nam ſic ſanè maius operæpretium fecerimus, quàm ſi ſcriptis mandauerimus numeroſam compoſitorum medicamentorū farraginem, uel, ut, vulgò dici conſueuit, receptas. Primum ergo aduertendum, quòd his, quæ recenſuimus, admixtis, uel ſimul, uel cum alijs poſſumus innumera parare medicamenta, uiribus & forma differentia: & ſi valens, & fortiſſimum medicamentum, & efficaciſſimum conficere uelimus, id quod longo uſu Galen. optimum, & præ alijs præſtantiſſimum (C) ſe ſemper inueniſſe teſtatur, ita paratur. accipiuntur euphorbij, & thapſiæ utriuſque ʒ. ij. ſulfuris uiui, ueratri, quodcunque illud ſit, album, uel nigrum ſingulorum ʒ. i. ceræ prius liquatæ ex oleo ueteri, uel cino ʒ. vj. uel ſi his careamus ex oleo amygdalarū amararum: omnibus ſimul mixtis ceratum conficitur, quod quidem erat in multo uſu. Verum quia thapſia licet aliquibus in locis, ſicut in Apulia & Brutijs, & Calabria facilis ſit inuentu, ut quæ paſſim ibi naſcatur, atque in illis locis, qui his confines ſunt, in his tamen noſtris regionibus non eſt facilis; immo rariſſima inuentu, euphorbium uerò, & ſi reperiatur apud Apothecarios, plerumq. tamen adeo uetus eſt, ut maximam amiſerit uirium ſuarum partē, ideo (D) pro iſtis, quando ijs caremus, accipere poterimus, ut etiam nos docet Gal. ſemen aut naſturtij aut erucæ, aut ſinapi, aut alcyonium uſtum, aut adarcion, quæ quamuis inferiora ſint illis duobus, nō tñ ita ſunt, ut non poſſint ēt ualens conficere medicamentum, nā loco olei iam dicti poſſumus & laurinum oleū inijcere, uel liquidam picem, uerum eiuſmodi medicamentum erit ualidum admodum, quod poterit inueteratas pertinaceſque areas depellere, præſertim uerò corporibus ualidis, ſicciſque, & durioribus, in pueris autē, mulieribusque & tandem in teneris, & mollibus, nimis erit acre, & quod facilè non poſſit ferri. Ideo aliquod mitius erit cōponendum qđ duplici rōne fieri poterit, uel huius uim remittendo, remitte- (E) tur autem leniorum medicamentorum miſcella, ſicuti ſi ceram addiderimus ut, ſi pro ſex drachmis unciam uel decemdrachmas impoſuerimus, uel duodecim, addito etiam eadem ratione oleo, uel etiam aliquid præſcriptæ eorundem medicamentorum quantitatis imminuendo. Non eſt ergo ardua res medicamenta ex ratione componere, & cōpoſitis etiā uti, ſi modò quis prius ſimpliciū naturam, & ordinem rectè tenuerit, preterea uero iudicauerit ēt naturā, & qualitatem ęgrotantis corporis, & morbi ēt conditionem, uidelicet an nunc modo incœperit, & recens, faciliſque ſit; an uerò inueterauerit, & altius radices fixerit, adeoq. creuerit, ut non facile medicamētis cedat, nā ſi poterit habere medicamenta huic rei apta, illis utetur, ſin minus, facilè ipſe cōponet, neq;

utique

vtique medico perito, & prudenti deerit materia medicinalis, quæ aptè poſſit laboranti particulæ accommodari. Et vt rem hanc exemplo oſtendamus, multa ſimplicia medicamenta recenſuimus, quæ in hunc vſum venire poſſent, & vt diximus, vos quoque alia his poteſtis ex lectione Galeni & aliorum medicorum addere, ſi obſeruaueritis quæ de ipſis diximus, nempe quod calida ſint cum partium tenuitate, vt & prauos humores digerere poſſint, non adeo tamen, vt bonos quoque diſcutiant, ſed ſolum eos è profundo ad cutem attrahant: vnde cum medico hæc perſpecta fuerint, ea perquiret, quæ in eo loco, vbi verſabitur, poterunt haberi, & ſi illa tantam vim habere poſſe exiſtimabit, quantum ratio illius morbi in illo corpore requirere videtur, illis vtetur, quod ſi inter vtendum, vel antea etiam, quam illis vtatur, ea videantur leuiora, neque quantum ſatis ſit, imprimere, eis addet aliquid acrius. Verbi gratia, vt exemplis agamus, poſteaquam exempla ad introducendos nouitios plurimum valent, ſi alicubi fuerit medicus, & ipſum accerſant ad curandum aliquem puerum area laborantem, perſpecto morbo, & conſiderato, poterit quidem ſola vti liquida pice, redacta vel in modum cerati per cocturam, vel ita illiniendo, ſi cum veteri oleo, & valde antiquo, vel oleo etiam lucernæ commiſceat, hæc enim ſi leuior erit, & facillima area, interdum eſſe ſatis poterunt. Quod ſi nimis leuia hæc viſa fuerint, neque aliquid efficere, addemus aliquid, ſicuti eſt aut ſinapis ſemẽ, aut naſturij, aut pyrethrũ, & quando aliorũ copiam non haberemus, ſaltem aliquid piperis tuſi, vel zingiberis, vel ſulphuris, quod ſi alicubi eſſemus, vbi haberemus thapſiam, vel recens euphorbium, quæ valentiſſima, & acerrima medicamenta ſunt, & talia, quæ nullus ferè poſſit perferre, eis vtemur, delinita tamen prius eorum acrimonia, quantum tamen viſum opportunum fuerit, leniemus autem ſic, ſi eorum modicum diſſoluemus multo oleo, dummodo oleum aſtringens non ſit, & ſi aliud aptius non ſit oleum amygdalarum amararum, vel ex lucerna acceptum, vel anſeris adipem, vel quidpiam eiuſmodi accipiemus, & ſimul colliquatis his ad ignem, conficiemus medicamentum. Sed Galen. exemplo propoſito, finem tandem his imponemus, qui cum ruri fuiſſet illi adoleſcens oblatus laborans alopecia, & alia medicamenta deeſſent, chartam autẽ inutilem vidiſſet, eam ſtatim combuſſit, atque cinerem illum cum oleo, quod ex lucerna effudit, miſcuit, & eo vſus medicamento, adoleſcentem curauit. Ita alias diſſoluto euphorbio ex aqua communi, alias thapſia oleo diſſoluta vti poſſumus, vt tamen & hoc ſit aduertendum, quod in his, & ferè in alijs omnibus affectibus, quatenus ad vſum differentium medicamentorum pertinet, ſemper tutius fuit a leuioribus incepiſſe, & paulatim poſtea addendo aſcendere, donec eo peruentum ſit, vt videamur iam aſſequuti aptum, congruumq́ue medicamenti modum. Sed de his ſatis. vnde, quibuſdam expoſitis, de modo adminiſtrationis, & vſu horum medicamentorum ad alios morbos curandos tranſibimus. Primum ergo capilli omnes abradendi nouacula, alioquin enim impedimento eſſent in apponendis, & remouendis medicamentis, quæ tamen ſæpe & remoueri, & apponi neceſſe eſt, & id, vt exploremus, quantum medicamentum appoſitum impreſſerit, & egerit in cutem, quod ex colore, & calore eius facilè poterit percipi. Nam ſi remoto medicamento manè, quod heri appoſueris, vel manè, vel veſperi, cutim reperieris magis calorem mutaſſe, quam par ſit, vt videatur ferè inflammari cępiſſe, & eandem, dũ tractatur, maiorem prę ſe ferrę calorem, quàm ratio

A requirat, ſignum erit acrius eſſe id medicamentum, quàm natura illius hominis poſſit ferre. Vnde remittenda erit, & detrahẽda vis eius, vt leniús, & mitius reddatur medicamentum, quo modo mitius fieri facilè poſſe docuimus, longè etiam magis, ſi in flauum vergat: iam enim vri cutim ſignificat, unde non ſolum medicamenti rationem tunc mutare oportet, & id mitius, & lenius reddere, verum antequam ad aliud tranſeamus, ſedanda erit inflammatio, & dolor: alioquin enim vſta cute, morbus & deterior, & contumacior reddetur. Ad eiuſmodi autem ſedationem utile remedium erit perfuſio cutis ex oleo dulci tepido, vel cataplaſma ex trititij panis medulla: idem Gal. 1. de ſimp. med. fac. commendauit. Præte-
B rea & fomenta proſunt, & nonnunquam cutis ſcarificatio appoſitis cucurbitulis, mox medicamenta leuiora ſunt adhibenda. Contra verò agendum, vbi nihil videatur mota, vel immutata cutis: id enim indicio erit medicamentum leuius, & infirmius eſſe, quam par ſit, quare addenda erit vis medicamento. Dicet tamẽ aliquis, at ſi morbus adeo difficilis, & pertinax fuerit, vt neque validis cedat medicamentis maioribus, ait Gal. tunc erit tormentis opus. nam & ſæpius erit cutis radenda, deinde fricanda ſæpius re aliqua aſpera, deinde ſinapiſmis erit agendum, ideſt medicamentis, quæ cutim rubificant, poſt quæ cutis liquida pice, vel cedrino oleo illinienda eſt. Sed horum omnium ea ratio eſt, magna enim difficultas,
C & pertinacia affectus iſtius inde habet occaſionem: quia praui ichores, a quibus fouetur is morbus, adeo ſunt abſorpti in profunda cute, vt præter quàm quod immutauerint temperiem cutis, vitiauerintq́ue, ipſi etiam ægrè admodum abſtrahi poſſunt, & propterea antiqui medici tot tormenta excogitauerũt, quæ & cutem rarefacere, & diſcutere, & ualenter è profundo extrahere poſſint, unde ad ea tandem peruenere, quæ metaſyncritica a methodicis dicebantur: de quibus, ne nimis in longum protrahatur præſens ſermo, poſterius exq̃ſitè loquemur. Reuertamur autem ad id, vnde diuerteramus, & de modo adminiſtrandi præterea nonnullis expoſitis, huic capiti finẽ faciamus. Abraſa itaque cute, antequam medicamẽ-
D tum aliquod adhibeamus, illa fricanda eſt: nam ita rareſcens ex frictione aditum faciliorem, & penetratiorem in penitiores partes præſtat. Sed & ea frictio utilis alioquin pręterea medico eſt: quia & illi oſtendit aliqua, quæ non parum conducere poſſunt & ad præſagium, & ad medicamentorum adminiſtrandorum rationem, cum. n. cito, & facilè cutis rubeſcit ex frictione, facileq; colorem mutat, indicat facilem, & curatu leuem morbum, utpote quia cutis habitus non ſit plurimum uitiatus. vnde citius, faciliuſque curationem abſoluendam eſſe promittit, ſi rectè tractetur, ac leuioribus medicamentis, contra uerò, ubi quantumlibet perfricatur, parum admodum, & non niſi multo negotio tranſmutatur.

E *De ratione curationis furfurum, & pediculorum per remedia topica. Cap. VI.*

IN uniuerſum quidem eadem eſt curandi ratio, quantum ad corpus, caputq́ue inaniendũ, in his quæ eſt ét in affectibus pręcedentibus, ſi in his, uel in illis uitium, quod in cute eſt, a totius cacochymia pendeat, & foueatur: ſed ſi cutis tamen ſit, curari facilè poterunt hi affectus abſque ulla corporis cura, hoc ſolum animaduerſo, ne ex eis, quæ ad uictus rationẽ pertinent, eo res perducatur, ut quamuis inter initia ſit ſola affectio, & propria cutis poſtea etiam incipiat foueri a uitio totius, multiplicatis uidelicet in toto uitioſis humoribus ex erroribus

in uictus ratione. Quantum ergo attinet ad hanc curationem, quando ea, quæ erant tou accommodanda, iam rectè peracta ſunt particulatim, ad topica, & externa remedia rectè adminiſtranda accedendum eſt, petitis tamen indicationibus à natura iſtorum affectuum. unde cum in aliquibus communem habeant rationem, aliquid etiam vnumquodque eorũ proprium habeant, ita & eorum methodus partim eſt utrique communis, partim utrorumque priuata, & propria, communis quidem quatenus uterque efficitur ex uitioſis ſuccis incidentibus cuti, ſed quę a plenitudine, uel præſentia humorum efficiuntur affectiones, neceſſe eſt, ut per eorum uacuationem, uel aſſumptionem curentur. Vnde communis inſurgit ſcopus in utriſque uidelicet digerere eſſe opus, & detergere, aliqui tamen addidere, & tertium, uidelicet roborare cutem per aliqua aſtringentia, nimirum, ut non amplius eiuſmodi ichoras recipiat. Alij tamen, in quibus eſt Celſus, horum ſententiam quãtum ad hoc damnarunt, & id bona ratione, aiunt enim numquã ita eſſe roborandam cutem, quia a natura creata eſt, ut eſſet excrementorum totius corporis receptaculum, & præſtare ea potius ad cutim, quam ad alia membra maioris momenti impelli, differunt autem, tum loco hi duo affectus, tum materia, ut oſtendimus ſuperius, quia furfures in ſumma cute, quam epidermin Græci uocant, pediculi uero, in profundiori cutis parte ortum habent; præterea tenuiores ſunt ichores, unde furfures, craſſior uero materia, ex qua pediculi gignuntur. Vnde particulatim deinde diuerſa eſt ratio remediorum furfuribus accommodandorum, & pediculis, nam ad tollendos furfures utuntur medici illis quidem medicamentis, quæ habent uim tum digerendi, tum detergendi, ſed modeſtè, ut ſunt fœnum Grecum, quod moderatè diſcutit, & detergit, præterea & beta, quæ quia multas nitroſas partes habet, & ipſa diſcutit, & detergit, quod ſi hæc non faciunt, quantum ſatis uideatur, nitro utuntur, in hoc enim maior eſt utraque facultas. Sed & amygdalæ amaræ non ſunt alienæ ab hoc inſtituto, & glans unguentaria, quam bẽ Arabes appellant, quamuis alicuius aſtrictionis illa particeps ſit, præterea agreſtis malua, hæc enim, cũ non tantam habeat humiditatem, magis digerit, ſed ex aqua ſalſa coquenda eſt, quod ſi careamus aqua ſalſa, præter id, quod communi ſal additum eam ſalſam poteſt efficere, lixiuium etiam, quo ſolet caput lauari, idem facere poterit, in qua aqua poſſunt, & quæcunque diximus incoqui, ut & in lixiuio, uel ex oleo, & illiniri poteſt caput, deinde ablui, quamuis & cataplaſmata confici poſſint, ſed moleſtior eſſet horum uſus. Item linimentum ex terra cimolia, nõ quidem ſola, quia & ſi leuiter detergat, non tamen digerit, cum ſit frigida, ſed cum bubulo felle, aut ſuillo. Pediculi uero requirunt ea, quæ fortiora ſunt, & acriora in digerendo, & attrahendo ex profundo, ut eſt herba pedicularis, ſtaphis agria a Græcis dicta, & ſandaracha, & nitrum, & ueratrum, de quibus, quia ſuperius eſt ſermo habitus, ideo in longum nolumus ulterius ſermonem prorogare, ad utiliora enim properamus.

De manantium vlcerum capitis, vel cutis curationė. Cap. VII.

CVM affectus hi, perinde ut priores, ſint excitati a uitioſa materia cutem occupante, quæ primum præ acredine, cuius ſemper eſt particeps, pruritum excitat, mox eam in tumorem attollit, ac demum perforat, ideo quantum ad remedia localia, qbus curandi ſunt, ſtatim inſurgunt indicationes nobis hos ſcopos monſtrantes, abſumendã eam materiam eſſe per medicamenta digerendi, uel diſcutiendi vim habentia, at uerò, quia materia illa prętter acrimoniam lentoris quoq. particeps eſt, & inſignis alicuius craſſitiei in fauis, aliquanto minoris in achoribus, minoris adhuc in pſydracijs, ideo & his eget, q̃ incidant, & attenuent. Præterea ſolent eiuſmodi vlcera præſertim ſequi imbecilliorem factam cutem, quæ ab uniuerſo corpore facilè ſuſcipit excrementa, unde ſi aliquam habeant uim repellendi, nihil illis amplius defuerit, unde cum acetum has omnes uires habeat, uidelicet repellendi, quatenus frigidum eſt, incidendi ob partium tenuitatem, ſed quia & aliquas calidiores partes habet, quibus acrimoniã acceptam refert, ideo & digerere poteſt. hæc.n. probata ſunt a Gal. 2. de fac. ſimp. med. quanuis autẽ his dotibus omnibus ſit præditum, non tamen eo ſolò uti conſueuere medici, ſed eo affuſo alijs medicamẽtis, quæ ad hoc inſtitutum alioquin facere poſſunt, q̃ eo lauari, & teri ſolent, quales ſunt terræ quædam, & metalla, de quibus reliquum eſt, ut particulatim agamus, ſi tamen prius generalia quædam pręcepta perquam neceſſaria expoſuerimus. Eſt ergo in primis aduertendum, vt & ſuperius monuimus, quòd non eſt ſatis medico ſingillatim omnia medicamenta tam ſimplicia, quàm compoſita, quæ poſſunt curationi horum morborum accommodari, nouiſſe, niſi & eorum naturas, differentiasq. penes robur, & efficaciã probè tenuerit, eaq. in ordines proprios digerere ſciuerit, ut quę acriora, fortioraq. ſint, quæque infirmiora, & quantum fortiora debilioraq. cognoſcat, nam non oĩa omnibus corporibus cõgrua ſunt. Quædam enim corpora fortiora, quæque facilè perferunt, alia uel a mediocribus exacerbantur, neque etiam morbis omnibus omnia conueniunt, quamuis ſint eiuſdem generis, nam inter initia facilioribus curari poſſunt, cum autem inueterauerint, valentioribus omnino opus eſt, ſæpe enim qui temerè & ſine hac diſtinctione curare uel hos, uel alios affectus aggreditur, dum curare credit, morbos reddit deteriores. Quare & hoc etiam aduertere debemus, quòd cũ ſit admodum arduum ſtatum a principio recta coniectura aſſequi præcisè, quo medicamento egeamus, ut tuto & ſine moleſtia res tranſigatur, ſemper a leuioribus eſt inchoandum, vt paulatim deinde uiribus addendo, ad exactum modum, vel menſuram perueniamus. Et proinde & exponenda ſunt medicamenta, & in proprios ordines redigenda, quod & in præcedentibus capitibus fecimus. Et eiuſmodi pręcepta memoriæ mandanda ſunt, utpote quę non modò in his, ſed ferè in alijs omnibus ſcitu neceſſaria ſunt. Magis autem particulatim & hoc conſiderandum, quòd ulcera hęc, quę manãtia Latini appellarunt, non ſemper eodẽ modo ſe habent, ſed interdum ſola ſunt citra ullam alterius morbi mixturam, interdum uerò ſunt cum alijs morbis mixta, miſcentur uero plerunque cum inflammatione, & inflammati achores, uel phlegmonoſi appellantur, qui etiam dolorem inſignem adiunctum habent, & hi differentem inter initia cũrationis rationem habent, quia prius oportet inflãmationem tollere, & dolorem ſedare, quę communis eſt omnium vlcerum curandorum ratio. Sẽper enim cum annexam habent inflammationẽ, prius inflammatio dolorque ſedandus, & ſi res paria, & facilis uideatur, perfuſione olei roſati poterit ſedari, dolorem ſiquidem ſedat refrigerando, & moderatè aſtringendo repellit, quòd ſi maiori uideatur ope egere, medicamenta, ait Galen. adminiſtrandã ſunt, quæ & humida ſint, quęque molliant, & citra acrimoniam concoquant, ut ſunt ea medicamenta,

quę parygra ab antiquis Medicis ſunt dicta. Horum autem compoſitionem, alteram Gal. deſcripſit 3. de p. 1. compoſ. medic. per gen. alterã uero Oribaſius, quã Paul. 7. ſuę medicinę libro retulit. Simplicior autem eſt illa Galeni. conſtat enim ceruſſa, lithargyro, adipe ſuillo, & cera, quia uero interdum ſicceſcens durior fit, ideo molliri docet Gal. roſaceo oleo, non quidem ad ignem, ne inde acredinem, & calorem contrahat, ſed manu ſubigendo, uel ſpecillo, ſiue, ut nunc loquuntur, ſpatha, aut ſpatula, hoc ergo medicamento, uel ſimili aliquo, qualia ſunt ea, quibus in alijs vlceribus inflammationes ſedare ſolent medici, inflammationem auferemus, qua ablata, curationem aggredi oportet horum vlcerum, quibus accõmodata medicamenta ſunt exponenda, ſi non omnia, ea ſaltem, quæ antiquis in multo uſu fuere; in ſuos etiam ordines digerenda. Primum ergo ordinem, & inferiorem tenent differentiæ terræ, quæ in medicinalem vſum ſolitæ erant priſcis temporibus venire: quarum Gal. 9. de ſimp. med. fac. exquiſitè meminit: quãuis noſtris his temporibus, aut nullę, aut earum paucæ ad nos afferantur. Illæ autẽ ſunt ult. terra Samia, Cretica, Chia, & Lemnia: pręcipua tamen ad hos affectus eſt Cimolia; quæ, vt aliquã vim habeant maiorem digerendi & attenuandi, aceto, vt diximus, ſunt prius diligenter lauandæ. Secundũ verò ordinem occupant mineralia, vel metallica, vt pompholix, quam tutiam vulgò dicunt, lithargyros, vel, vt noſtri, argenti ſpuma, & cadmia, de quibus itẽ plenè locutus idem eſt, ſed & hæc aceto item paranda ſunt: qđ quãuis ſit mordax vlceribus ſolum, alioquin tamen tanquam condimentum, vt ita dicam, aliarum medicinarum non parum vtile eſt: præſertim tamen metallica longè vtiliora reddit: cum reddat ea ſiccantiora, & mordacitatem quoque detrahat. Ex his ergo parata medicamenta ſatis moderata ſunt: charta deinde combuſta his valentius eſt medicamentum: atque aceto, vel oleo diluta, & capiti illita. Vt tamen hoc ſit hic aduertendum, ꝙ charta combuſta, cuius meminere antiqui medici, alia erat ab hac, qua nos in præſentia vtimur; quia noſtra cõficitur ex linteis tritis & laceris, addito poſtea glutino, vel, vt omnes dicimus, colla: antiquorum uerò ex papyro herba in aquis naſcente, & glutino ex polline farinæ, vel pane triticeo, ſuper iniecta feruenti aqua, & expreſſa conficiebatur: vnde quãuis & noſtra hæc poſſit eſſe vtilis, cum comburitur: immo ſit etiam, vt expertus ſum: nam & lacera lintea exſiccant, magis autem combuſta antiquorum charta exſiccabat, quia & papyrus maiorem vim deſiccandi habet, quam lintea lacera. Vnde & papyrus exuſta fortius eſt medicamentum ad hos affectus, quàm charta illa, vt Gal. teſtatur: non tamen vt dixi, & noſtra inutilis, erit: immo in medicamentis deſcriptis a Gal. ad alopecias, eſt & id quod ex lineis panniculus conficitur: ſi ſequamur lectionem quorundam antiquorum exemplarium. Et inſignem Chirurgum noui Venetijs, qui conficiebat medicamentũ, quod Ϛιαὶχ άρτε appellatur ab antiquis medicis, ex noſtra charta combuſta, & erat ſatis efficax. Hoc verò medicamentum a Gal. deſcribitur 9. de compoſ. med. p loc. Eius autem vſus antiquis medicis fuit ad reprimenda vlcera depaſcentia, & corroſiua, & eſt aridum medicamentum, & quaſi puluis conficiebatur ex charta combuſta, plumbo vſto, ære etiam vſto, & loto, & ferri ſquama, nitro, & ſulphure, omnibus ſimul contuſis, & in puluerẽ redactis: huius Gal. & in curatione horum vlcerum meminit: modo acrimoniæ eſſent expertia. Vnde ſi lithargyros pari pondere immiſceretur, leniretur plurimum magis etiam, ſi copioſior: monet autem quod quamuis ſit præſtan-

A tiſſimum habitum, nimis tamen acre eſſet in his affectibus curandis, & rariſſimi eſſent, quid id perferre poſſent: debet ergo leniri eius acrimonia mixtura aliquorum, quæ acrimoniæ omnino eſſent expertia. Immo ex his cerato facto inter initia quidem ex oleo roſaceo, & cera, poſteà uero oleo communi, poſtremo & alio, in quo eſſet digerendi maior vis, ut oleum vetus, poſſet & fieri linimentum, & ceratum: & quatenus eorum puluerem plus, vel minus adderetur cerato, ita acrius, uel lenius fieret & medicamentum. Sed ut de alijs etiam dicamus, ea ſunt expoſita ſimplicia, q̃ ſolita erãt haberi in frequẽtiori vſu, de quibus hoc eſſe reliquum videtur, quod illis poſſumus vario modo uti: nam, B ubi ea ex aceto bene parata fuerint, in pulueremq; redacta, poſſunt ita arida inſpergi: nam cum ſemper humidiora ſint hæc vlcera, facilè puluis hærebit, nec diffluet: atque ita omnino valentius operabitur: magis enim exſiccabit. Poteſt præterea & ad craſſitiẽ deduci ex aliquo apto liquore ſtrigmentitiam, uel ſordium craſſitudinem corrigente, atque ita illiniri. Liquor ille poteſt inter initia vinum eſſe aliquod non craſſum album, uel rufum: quod ſi fuerit aliquantulæ aſtrictionis particeps, erit aptius; nam uim aliquam repellendi habebit. Quod ſi magis digerens, & exſiccans medicamentum voluerimus, uinum aliquod maius tenuius, & antiquius accipiemus, magis adhuc potẽs reddetur, ſi ſalſam aquam, C uel lixiuium, item ſi acetum accipiemus, quod eo potentius erit, quo acrius. Sed ex oleo etiam, & pauca cera id facere poterimus, & potentius erit adhuc, ſi ex oleo antiquo, vel amygdalarum amararum, uel lucernarum, vel cicino, uel quod de Ben. appellant, addita copioſiori cera componemus ceratum, ſi ualentius medicamentum facere uoluerimus, fortiora medicamenta ſimplicia accipiemus, & copioſiora, ex leuioribus autem minus inijciemus. ſin autem debilius, leuiora ſumemus, vel ea maiori copia, minori vero, ſi qua fortiora accipimus, ſi autem media, pari vtraque portione. Reliquum autem eſt de modo adminiſtrationis nonnulla dicere. Primum ergo capilli ſunt abradendi, & ſępius abradendi, deD inde cutis, digitis uel vnguibus moderatè fricanda, vel aliquo linteolo, ita enim, uel etiam Galen. teſtè facilius uitioſi ſucci digeruntur, niſi fortè ſint aliqua inflammationis initia, quia ante frictionem eſſet ſedanda, ut diximus, inflammatio, poſtea hæc peragenda, atque ita medicamenta adhibenda.

De medicamentis ad capillorum defluuium accõmodatis. Cap. VIII.

CApilli cum defluant, aut proprij alimenti defectu, aut laxitate, ut diximus, & imbecillitate cutis, facilè unuſquiſq; poterit intueri, in hoc E affectu nullam eſſe poſſe, quãtum ad illum ſpectat, vacuationis indicationem, niſi quia, facta cute imbecilliori, nequit fortaſſe fieri, quin aliqua excrementa ab alijs partibus cuti amandata, ac illi hærentia impediant capillorum generationem, unde hac ſaltem ratione utilis erit aliquis digerentium uſus, quo ea excrementa inde tollantur. Vnde ſcopi quidem principales erunt, ut firmitas, & robur cuti addatur, atque vt utilis materia, unde generãdi ſunt capilli, ad cutem attrahatur, dummodo tamen id modeſtè fiat, quia cum aſtringentia, quibus robur, & firmitas cuti comparanda eſt, ualida fuerint, uias occludant uaporibus, ex quibus gignuntur capilli, impedimento magis erunt, quàm auxilio. Quę item attrahunt & validè quoque digerunt, cum calida in-

ſigniter ſint, ipſa etiam impedimento erunt, digeſto videlicet capillorum fomento: moderata ergo attrahentia, & moderata aſtringentia cõmodiſſima erũt huic rei: vt tamen & hoc ſit aduertendum, quod cũ plerumq; capilli defluere ſoliti ſint conualeſcentibus a morbis: & id quoniam eorum habitus uniuerſus reſolutus eſt: non ſolum cutis laxior ob conſumptionem humiditatis naturalis factam ui morbi, ſed & imbecillior reddita eſt, unde id his fieri nunquam poterit, vt robur cutis reuocemus; niſi totum reficiatur, & inſtauratione roboretur. Præcipuum autem medicamentum ad reprimendum defluuium capillorum, eſt ladanum; porrò.n.cum moderatè calidũ ſit, vim habet digerendi, & aliquantulum adſtringẽdi; ſolent autem illud ex lentiſcino oleo diſſoluere; quod viribus ſimile eſt ladano: quòd ſi hyeme uſus fueris, diſſoluere poteris oleo nardino, vel maſtichino, æſtate uerò, præſertim autem tunc capilli copio-

A ſè defluunt, poteris myrtino oleo diſſoluere, & hoc medicamentum præſtantiſſimum repertum eſt a Gal. unde & nos eo in pręſentia erimus contenti; qui etiam monet, vt diſſoluatur in duplici uaſe. Sed tandem huic libro finem hic imponamus, hoc ſolũ prius monentes, ꝙ ad hoc caput, & hunc affectum non pertinet affectio illa gallica, qua capilli defluũt, duplici ratione; primo, quia gallica depilatio non eſt proprius affectus cutis capitis, ſed in vniuerſum partium omnium, quæ pilis contectæ ſunt, nam & cilia, & barba, & cæterarum etiam obſcęnarum partium pili cadunt. Deinde cum pili defluant, propter B vitium humorum, non autem propter defectum alimenti, vel cutis laxitatem, & imbecillitatem, ſi in aliquem horum affectuum gallica depilatio referẽda, in areas, alopeciamq́. eſſet referenda: quare de ea nõ eſt in pręſentia cur ſermonem habeamus, alibi tamẽ opportuniori loco hæc tractabimus.

VICTORIS TRINCAVELII DE RATIONE CVRANDI PARTICVLARES HVMANI CORPORIS AFFECTVS.

LIBER SECVNDVS.

De internis partibus capitis, & earum natura, deque morbis quibus illæ obnoxię ſunt in vniuerſum.

CAPVT I.

CVTEM proximè ſequitur primum membrana, qua os capitis, quod Caluaria Latinè, Græcè κράνιον dicitur, vndequaque contegitur, & inde περικράνιον Græci appellauere. cum tamen ſi aliam quampiam indicationem propriam hę particulæ habere poſſunt in curandis affectibus ad ipſas pertinentibus, præter eas, quas cum alijs partibus eiuſdem generis communes habent, nempe quatenus illa membrana, hoc uero os eſt, illam habeant ratione interiorum, & contentarum partium, quatenus uidelicet illas, dum hę afficiuntur, in conſenſum trahunt. Ideo neque neceſſe eſt illarum propriam tractationem inſtituere, ſed de illarum affectibus, qui poſſunt ad noſtrum præſens ſpectare negotium, vna cum illis, qui ſunt internarum partium, agendum eſt. Internas autem partes in præſentia appello eas, quę ab his continentur, ſicut ſunt præſertim cerebrum, & duplex membrana illud veſtiens, & undique circundans, exterior quidem & craſſior eſt, & durior, quæ cum pericranio conſentit plurimum, nam pericranium ab hac videtur per ſuturas caluariæ ſuum habere ortum per tenues fibras exeuntes una cũ tenuibus capillos imitantibus venulis, interior uero, quæ & tenuior eſt, proximè cerebri ſubſtantiæ hæret, quaſi eius, vt aiunt, tunica, uel cutis, priorem iuniores no-

C ſtri duram, alteram uero, piam matrem appellant. Conſtant autem ambæ denſa, ſolidaque ſubſtantia, per quam plurimę uenę, & arterię ſunt digeſtę, neruiq́. unde & ſenſu inſigni, & acri prędita ſunt, ſicut & pericranium, & proinde uehemẽtibus doloribus obnoxiæ ſunt, frigida tamen ſicut & reliquæ membranę, ſiccaque temperatura pręditę ſunt, quamuis forſitan ob multas arterias, uenaſque non ita frigidæ ſint, ſicuti aliæ multę. Cerebri autem ſubſtantia humida eſt, & frigida, mollis, & tenera, ut ferè diffluxura eſſet, niſi a tenui membrana contineretur, & compeſceretur, unde hac primum ratione differt a membranis, altera uero, quod membranę inſigni admodum, & acri præditę ſunt ſenſu. Cerebri autẽ D ſubſtantia, uel nullo ſenſu, vel admodum obtuſo, & modico prædita eſt, de hoc enim aliquantiſper uidentur varij fuiſſe Ariſt. 2. de partibus animalium, & Gal. in libro de plenitudine. Ille enim cerebrum Cap. 7. eſſe ſenſus expertem affirmat, & experiẽtia probat, nam in capitis vulneribus penetrantibus ad ſubſtantiam cerebri manifeſtiſſimè comprehenditur, quod dum ſuis inſtrumentis Chirurgi tractant, nullum in eo uel ſenſum, uel dolorem excitant. Gal. uero affirmat loco nuper citato, eum ſicuti uterum, & uentriculum ſentire, hoc autem nolumus in pręſentia diſquirere, ſed tanquam conſtitutum accipere, uel nullum, uel exiguum ſaltem ſenſum habere, de ſenſu autem tactus eſt in pręſentia ſermo. Eſt uero cerebrũ

omnium internorum ſenſuum, vel facultatum ſicuti eſt communis ſenſus, imaginatio, cogitatio, & memoria, ſedes, initium, & organum, aliorum verò externorum quinque ſenſuum eſt tantum initium, & fons: præterea vero & motus, qui imaginationem ſequitur, & per neruos & muſculos fit. Ex quibus tanquam corollarium hoc deducendum eſt, quod neceſſe ſit affectus omnes, qui cum inſigni aliquo capitis dolore excitantur, primum ad membranas, vel ad venas, & arterias earum pertinere: illos vero quibus læduntur actiones internarum facultatum, nempe communis ſenſus, ad quē attinent ſomnus & vigilia, imaginationis, & cogitationis, ad quas ſapere, vel deſipere: memoriæ ad quas obliuiſci, & memorari, motricis quoque facultatis, cuius læſiones, & ſymptomata ſunt conuulſiones, reſolutiones, & tremores. & id genus alia, ad ipſum cerebrum ſpectare.

De inueſtigatione, vel methodo inueſtigandi affectus omnes internarum, & contentarum capitis partium. Cap. II.

CVm autem cerebrum, quod ex omnibus partibus iam dictis coagmētatum eſt, inſtrumentaria ſit particula, quæ omnium tandem earum facultatum, quas in ſuperiori capite recenſuimus, tum initium eſt, tum verò ſedes, & inſtrumentum, & ipſum tandem in multas particulas ſuaptè natura reſolui poſſit, quæ ſimplices, & vt eas Ariſt. appellat, ſimilares ſunt, neceſſe eſt, vt etiā fateamur, nullum eſſe morborum genus, cui tandem non ſit obnoxium. Cum enim ſanitas, & morbus oppoſita ſint, oppoſita vero circa idem genus, & circa idem ſubiectum verſentur, & quot modis alterum dicitur & alterum dicatur: oppoſitorum ſiquidem ſemper eadem eſt diſciplina, quot modis aliqua particula poteſt eſſe ſana, eiſdem quoque poteſt ægrotare. Porro particularum, quæ ſimplices ſunt, propria, & prima affectio eſt temperatura, quæ ſi recta ſit, & qualem illius particulæ natura ad ſuas rectè obeundas operationes exigit, ſanitas eſt illius particulæ: ſin autem ab ea mediocritate ad hoc, vel aliud in vna, vel duabus qualitatibus extremū recedat, operationes perperam eduntur, atque intemperies illa morbus eſt, & morbus a peritis propriè dicitur. Quæ vero hanc intemperiem, tanquam effectus, ſequuntur, ſymptomata dicuntur, at quæ eam præcedunt, ipſamque efficiunt, morborum cauſæ. Organica vero ſuam rationem, & eſſentiam habent in ſtructura, & conformatione, iuniores compoſitionem appellāt, quæ in numero, magnitudine, ſitu, connexione, figura, & reliquis id genus, de quibus agi quotidie ferè ſolet in ſcholis, conſiſtit. Vnde ſicut in horum naturali ſtatu, & modo harum partium conſiſtit ſanitas: ita ex eorum vitiata ratione, & ſtatu ortum habent proprij eorum morbi, & ſicut vtrorumque natura debitam ſuarum partium unitatem, & continuitatem ad integram ſanitatem requirit, ita, cum ea ſoluitur, morbi ſequuntur. Vnde tam ſanitas, quam morbus, qui in vnitate, aut ſeruata, aut ſoluta fieri ſolent, ad genus pertinēt, quod vtrique membrorum differentiæ commune eſt, quare cū nulla in his pars ſit, quæ ſecūdum ſuam propriam rationem affici, & aliquo incommodo tentari non poſſit, ſequitur, vt cerebrū, cum vt inſtrumentarium, tum vero vt ex ſimplicibus particulis compoſitum eſt, poſſit omnibus morborum generibus corripi. Sequitur præterea; quod & ex ſitu ſuo, in ſuprema enim corporis parte a natura locatum eſt, in capite videlicet, quod eam rationem in noſtro corpore habet, quàm in tugurijs ſummum tectum, ad quod & fumi, & uapores omnes feruntur, prę terea vero, quia cum omnibus ferè corporis particulis per neruos præcipuè, quorum prima origo cerebrum eſt, ſed & per venas, & arterias cōſentire cum multis partibus in eorum affectibus caput poteſt, præſertim vero cum ventriculo: tum quia illi rectè ſuperpoſitum eſt, & per latam, & apertam uiam fieri poteſt, vt vapores in caput aſcēdant: tum vero propter neruorum copiam, per quos cum eo connexionem maximam habet: deinde etiā cum ſepto tranſuerſo conſentit ſæpe, & ſpiritalibus membris, cum vtero præterea, & cum liene, & iecinore per venas, & cum corde, per arterias. Sed hæc, quæ in uniuerſum expoſita ſunt, particulatim explanemus, vt poſſimus omnes morborum differentias, quibus tentari poteſt hæc particula, ſingulatim ſcrutari, & diſcernere, hac enim ratione fiet vt facilius deinde poſſimus, & methodos inſtituere, quibus ex ratione curandi ſint. Ab ipſis autē membranis exordium accipiamus. Membranæ itaque, quatenus ſua membranoſa ſubſtātia conſtant, membra ſunt ſimplicia, & ſimilaria, quatenus vero compoſita præterea ſunt, & ex venis, & arterijs, & neruis, habentq; propriam compoſitionis rationem determinatam per ſuam peculiarem figuram, ſitum, connexionē, & id genus reliqua, poſſunt & inter membra cōpoſita, & inſtrumentaria recenſeri: & proinde vtraq; ratione ægrotare poſſunt, & quatenus ſimplices, & primæ particulæ ſunt, & quatenus compoſitę, & inſtrumentariæ. Quatenus ſimplices ſunt, obnoxiæ ſunt morbis, qui in intemperatura conſiſtūt, & qui ex ſoluta vnitate ortum habent. Intemperaturæ vero quatuor ſunt ſimplices, & totidem compoſitę, & ſimplices ſunt calida, frigida, humida, & ſicca, cōpoſitæ vero calida & humida, calida, & ſicca, frigida, et humida, frigida & ſicca. Sed unaquęq; harum bipartita eſt: nam aut cum materia ſunt, a qua pendent, vel ſolæ & ſine vlla materia, materię uero duplicem & ipſæ habent rationem: nam aut ſunt corpulentę, vt ſunt quatuor humores ſanguis, pituita, bilis flaua, & bilis atra, aut vaporoſæ, vel flatuoſæ. Cū uero omnis morboſa qualitas lædat operationes illius particulæ, quam afficit, membrū verò ſimplex, quatenus ſimplex eſt, illas tantum habeat proprias operationes, quæ a naturali, & altrice facultate prodeunt, vt eſt attractio alimenti retentio, concoctio, & inutilis excremētoſæq; ſuperfluitatis excretio, vel expulſio, ex intemperaturis lędi facilè poſſunt hę actiones omnes. Præterea vero, cum ſenſus tactus ſequatur & ipſe, ut Ariſt. 1. de anima & 3. etiam ait, quandam temperiem, primarum qualitatum, membranæ verò hæ ex neruis, quibus ſunt præditæ, inſignem ſenſum habeant: ideo & eas offenſas pati poſſunt, quæ propriæ ſunt huic ſenſui: illę vero ſunt, aut ablatio ſenſus, aut imminutio, vt eſt ſtupor, aut eius vitiata operatio, q̄ dolor dicitur, qui excitatur vel ex temperaturę naturalis particula, quæ ſenſu prędita ſit, tranſmutatione vehementi, & repentina, vel ex eius ſoluta continuitate. Intemperaturę aūt, quę ſine materia ſunt, unā tantum rationem habent concitandi doloris, videlicet tranſmutationē, quę per qualitates fit, quæ uero cū materia, vtramque: nā & tranſmutando per ſuas qualitates poſſunt dolore particulā afficere, & replēdo. diſtendendoq; continuū ſoluere, & dilacerare: quāuis & ea intēperies quę ſine materia eſt, tandē niſi cito remoueatur, fiat cū materia. Cū. n. lędat, ut diximus, naturales facultates illius particulę, quā affecit, neceſſe eſt vt ex alimento, qđ illi à natura demandatur, multa fiant excremēta ſimilia illi intēperaturę, q̄ niſi facultas expultrix valēter expellat, retenta, & paulatim aucta, fouent eā intēperiem, ut tandē in-

intemperiem cũ materia trãſeat,& poſſit duplicem
rationem afferendi dolorem acquirere. Cauſa vero
cur expulſoria facultas non poſſit excrementoſam
materiã expellere: triplex eſt; vel craſſities, vel alio-
quin cruditas expellendę materiæ, vel imbecillitas
facultatis ab intemperie orta, aut obſtructio in mea
tibus & vijs, per quas ſolita eſt natura expellere eam
materiam, quæcunque illa ſit, ſeu flatuoſa, ſeu corpo
rata. Hi ſunt itaque affectus, qui membranis poſſunt
ex internis cauſis, vel ex externis contingere: niſi
quod poteſt ab externis occaſionibus inſignis fieri
harum partium ſolutio continuitatis, videlicet a gla
dio incidente, a re contundente, vt ex caſu, ex iactu,
& id genus alijs occaſionibus. Neque tamen hic
conſiſtendum eſt: quia nondum omnes differẽtias,
& modos intemperierum ſumus perſecuti, quoniã
duplex eſt modus, quo materia fouere poteſt intem-
periem: nam illa aut per venas tantum diſperſa, &
quaſi diffluens continetur, nõdumq; extra venas in
ſubſtantiam particulæ quaſi expreſſa, & impacta re-
cepta eſt: & ita ſola eſt intemperies cum materia. At
ſi iam ſit impacta, & abſorpta in ſubſtãtia particulę,
eamq; in tumorem attollat: ea ratione gignit tumo
res pręter naturam, qui ὄγκοι παρὰ φύσιν à Gręcis di
cuntur, & ſunt tãquam genera inflammationis ery
ſipelatis, ſcirrhi, ędematis, & id genus aliorũ. Hi au-
tem differunt pro ratione humorum, vel excremen
torum, a quibus excitantur: nã ſi a ſanguine bilioſo,
vel exquiſita bili, vt rem ad inſtitutum noſtrum re-
ſtringamus, ſint excitati; erit phrenitis, vt 2. lib. cõm.
Com. 73. in 1. Epid. docuit Gal. a qua delirium, & febris ar-
dens concitatur: ſitiſq;, & immodica uigilia: ſi uerò
ſit ſanguis naturalis, eſt etiam phrenitis, ſed non ex-
quiſita: quia in eã nõ ſunt ſymptomata, & ſigna exa
cta, quæ in phrenitide exquiſita ſunt: neque enim
dolor eſt ita acutus, ſed potius cum grauitate, neque
tanta linguę ariditas, neque plurima vigilia; imo ali-
qua in ſomnũ procliuitas. Sin autem fuerit pituita,
vel potius ſanguis pituitoſus, erit lethargus, quo ſom
nus ferè erit inſuperabilis, grauitas plurima capitis,
febris non admodum ardens. Si verò fuerit humor
melancholicus, vel ſanguis melancholicus ex exu-
ſtione genitus, erit furor ingens. nã ex humore me-
lancholico naturali uix fieri poteſt in his membris,
vel ex pituita tumor: cum enim denſa, & dura con-
ſtent ſubſtantia, nequeunt admitti craſſiores humo
res: unde uel nunquam, vel rariſſimè fiunt lethargi,
hoc eſt pituitoſa inflammatio. Quandoque fiunt
inflammationes ex non exquiſito humore, ſed mix-
tum; miſcetur enim interdum bilis & pituita, & ſi-
mul pariunt inflammationem, quæ ſicut ex duplici-
bus, & aduerſarijs inter ſe ſuccis generatur, ita anci-
pitis eſt naturæ, & mixta habet ſymptomata ex ſom
no & uigilia: & coma is morbus appellatur a Græ-
cis, & pro ratione, qua in eis magis pituita vincit, aut
bilis, ita magis in ſomnum, vel uigiliam inclinant
ægrotantes, & uel ſoporoſa uigilia, uel ſopor uigil a
Latinis dicitur, a Gręcis verò κῶμα vel καταφορά, ab
Arabibus ſubet aſſarrhi, vel aſſathi ſubeth appella-
tur. Ita interdũ fit mixta inflammatio ex phrenitide,
& melancholia, vt Galen. docuit 3. lib. com. in ter-
Com. 86. tium Epid. exemplo mulieris, quæ interdum multa
loquebatur, interdum perpetuo tacebat: aliquando
etiam fit phrenitis, quę in furorem inclinat, cum bi-
lioſus humor aſſatur a uehementi febre, ut primo
Com. 81. Prorrhet. expoſuit idem Galen. Hic tamen & hoc
conſiderandum, quòd operationes hæ, quæ lædun-
tur ex his inflãmationibus uel exquiſitis, uel nothis,
non primum læduntur ab his membranarum affe-
ctibus, quia operationes hæ ad membranas non
pertinent: ſed doloris tãtum ratio, qui eos ferè ſem-

A per concomitatur, a natura membranarum peten-
da eſt: eatenus autem accidunt deliria, uigiliæ, ſopo-
res, interdum & conuulſiones, & alia iſtius generis
ſymptomata, laborantibus membranis capitis, qua-
tenus, in earum affectionibus, ſi inſignes quoquò-
modo ſint, trahitur cerebrum in conſenſum; quo
conſenſu & cerebri operationes læduntur, nec mo-
do ab inflammationibus harum membranarum læ
duntur principales operationes cerebri, ſed ab alijs
etiam intemperaturis earum; ſi tales & tantæ fue-
rint, vt poſſint cerebrum in conſenſum trahere, ſi-
ue illæ cum materia fuerint, ſiue citra materiam, &
ſiue cum materia humoroſa, ſiue tenui, & uaporo-
ſa. nam ſæpe in febribus calidioribus, vt in tertiana-
B rum vigore primum capitis dolor concitatur, mox
& deliria, calidis nimirum uaporibus ad caput ela-
tis. Sed ꝙ & intemperies calida cum bilioſo humo-
re idem efficere poſſit, cum per uenas diffluit, docet
Gal. 2. lib. cõm. in 1. Epid. ubi ait, quod bilis per uenas Com. 73
capitis perfluens deliria efficit, qualia ea ſunt, quæ cõ
citantur in uigoribus febrium. Præſertim vero ſem-
perq; inflammationis vel phrenitidum comes eſt de
lirium, ſed non in omnibus idem, & æquale; imo
uarium, & diuerſum, pro ut uaria diuerſaque eſt bi-
lis natura, & malitia, ex qua genita eſt inflamma-
tio. Nam ſi a pallida bile ortum habeat, minora tum
alia ſymptomata ſunt, tum uero delirium, ſed ſi fla-
ua bilis fuerit præaſſata; ut in ardentibus febribus
C aſſari ſolet, grauiora omnia ſunt, iam enim ad melã-
choliæ, uel potius manię naturam, & mores ea phre
nitis accedit. ꝙ Gal. nos 3. de locis affectis docuit.
Omnium tamen deterrima ea phrenitis eſt, quã qua Cap. 7.
ſi hecticam idem 1. lib. com. in Prorrh. appellauit, cu
ius rationem, ut intelligamus debemus animaduer-
tere, ꝙ ita fieri ſolet in his inflammationibus, & alijs
etiam humorum perfuſionibus vt in lanis, uel ueſti-
bus aliquo colore tingendis, aliquando enim color
quaſi ſupremas tantum partes, non intimius penitio
rẽ ſubſtantiã ueſtis, uel lanæ affecit, ita ut non admo
dum ægrè inde elui poſſit; ita enim maculas quaſdã
ueſtium non multo negotio uarijs modis elui uide-
mus. Interdũ uero colores aliqui adeo uſq; intimas
D veſtium partes penetrando infecere, ſicut ueſtes ali-
quas uidemus, q̃ factæ ſunt ex lanis tinctis, antequã
conficerentur, ut nunquam neq; etiam tritas & la-
ceras priſtinum amiſiſſe colorẽ uideamus, ita quędã
maculæ, dum recentes ſunt, & anteq̃ ſicceſcat hu-
mor, qui eas ueſtibus intulit, facilè tolli poſſunt; ſed
cũ inueteraſcunt, uel nunquam, vel ægerrimè delẽ-
tur, in eundẽ modum in phreniticis, aliquando bilis
ita totam illius particulæ ſubſtantiã occupat, & affi-
cit ut iam in habitum tranſijſſe ſi dicas, non aliena a
ratione dicas, unde & hanc hecticã phrenitim appel
lat Gal. quæ aut nullam põt curationem admittere,
aut cum ingentiſſima difficultate. Verum, quia quæ
hactenus expoſita ſunt, ad eos affectus omnia ferè
E pertinent, quibus membranæ primario affectu labo
rare poſſunt, ut autem ſuperius diximus, ſępe non ꝓ
prio morbo laborant membranæ, atque inde caput
dolet, aut alioquin patitur, ſed alieno uitio & incõ-
modo, quatenus illæ ab alijs laborantibus particulis
in conſenſum ducuntur; ideo de hoc etiam aliquis
eſt habendus ſermo, & quia cum quibus ſanè parti-
culis poſſit conſentire, & coaffici caput, iam ſupe-
rius diximus, reliquum eſt ut quibus modis conſenti
re poſſit, exponamus. Duplex itaq; eſt conſentiendi
ratio, altera quando conſentiẽs membrũ aliquid ac-
cipit ab eo, cũ quo conſentit; altera uero, quando læ
ditur quidem membrum cõſentiens, nihil tamen ip-
ſum recipit in ſe, quo lędatur, primam conſentiendi
rationẽ abſolutam appellauit Auic. nec ineptè; ipſe
tamen

tamen non conſenſum, ſed communitatem abſolutam vocat, alteram autem non abſolutam. At fortaſſe multi, præſertim verò nouitij, & candidati in hac arte non probè hæc percipiunt, exponamus itaque. Si fiat obſtructio in medulla ſpinæ, a qua oriuntur nerui, qui facultatem motricem artubus ſubminiſtrant, ea, verbi gratia, parte, vnde oriuntur nerui, qui ad crura feruntur, ſtatim pes, vel crus ſine ſenſu, & motu redditur, ægrotatque, cum lęſas habeat ſuas proprias operationes, neque tamen proprio ſuo aliquo affectu, ſed affectu medullæ in ſpina: neque tamen aliquid accipit a ſpina, quòd illius læſionis ſit in cauſa, neque vaporem, neque humorem, neque aliquam etiam qualitatem: immo magis læditur: quia inde id accipere nequit, quod illi erat neceſſarium ad operationem, aliquando verò neque hoc etiam modo laborat: quia aliquid ſit interceptum, ſed ſolum, quia compatitur ex naturæ connexione, & affinitate. Sicuti aliquando humor aliquis acris, vellicans, & pungens os ventriculi in cauſa eſt, cur caput doleat, cur etiam interdum epileptica ſymptomata cieantur, neque aliquid aliud ad caput effertur, niſi ꝙ per neruos maximè ſentientes, quibus cõtextum eſt os vẽtriculi, citra aliam vllam materiam, vel etiam qualitatem impertitam, caput lęditur. Tertio etiam fit is conſenſus recepta aliqua, ſi non materia, ſaltem qualitate a membro, quo cum conſentit, vt in venenoſo morſu: licet venenum non perueniat ad caput, vel ad alias particulas, ſubinde tamen tranſmutando intermedias particulas, tandem caput mala ea afficit qualitate, et hi modi omnes poſſunt in eam differentiam conſenſus, quem abſolutũ cum Auicenna appellauimus, redigi. Alter verò conſenſus eſt, quando pars ea, quę conſenſu laborat, aut vapores alibi genitos, nempe in ea parte, cum qua hæc conſentit, recipit, ſicut dolores capitis in febribus ſæpè fiunt hoc conſenſu, dum aliquando a toto corpore in acceſſionibus vapores ad caput efferuntur, aliquando verò materia in eiſdẽ febribus in ventriculum effunditur, & inde elati vapores caput petentes, poſſunt ciere dolorem. Interdum vero vt ait Gal. ſecundo de comp. med. loc. ſpiritus flatuoſus alibi genitus, atque ad caput elatus, ſi in aliquo anguſto loco includatur, vehementes concitat dolores: ſed non modo vapor, & ſpiritus iſtiuſmodi ab alijs partibus ad caput ferri poſſunt: ſed & humores. Verum vix poteſt is modus referri in affectum per conſenſum: quia cum materia in aliquam particulã recepta præſens morbum, vel dolorem concitat: ibi iam præſens eſt intemperies cum materia, & poteſt dici proprius illius membri affectus: alioquin enim omnes morbi, qui ex fluxione ſuum habent ortum, eſſent morbi per conſenſum, non proprij illius partis, vt eryſipilata, inflammationes, & iſtiuſmodi reliqua. Affectus autem per conſenſum in his membranis tantum ſunt dolores: quia alia ratione nequeunt alterius conſenſu lædi earum actiones. Sed tandem omnia, quæ hactenus expoſita ſunt, in vnam ſummam, & quaſdam veluti concluſiones colligamus. Omnes ergo membranarum capitis, quas Græci μλώιγγας appellant, affectus, aut earum primarij, & proprij ſunt, aut conſenſu aliorum: qui aliorum conſenſu ſunt, doloroſi ſunt affectus, vt declarauimus, neque enim hæ particulæ ipſæ per ſe aliud incõmodum aliorum conſenſu pati poſſunt, niſi dolorem, quem interdum ab vniuerſo corpore, interdum ab aliqua certa particula, vt a ventriculo, a ſpiritualibus membris, a iecinore, a liene, ab vtero acceptum referunt. Si vero primario afficiuntur, aut ab aliqua dictarum intemperierum afficiuntur, vel ſimplici, vel compoſita, & vel cum materia, vel ſine materia, & hi ſunt plerunque & ipſi dolorifici affectus, plerunque diximus: quia non omnis intemperies dolorem concitat, & quæ concitant, non eodem modo concitant. Nam humida intemperies ſiue cum materia ſit, ſiue ſine materia, nullum, quatenus ad humiditatem ſpectat, dolorem efficit, quod ſi quæ cum materia eſt, aliquando dolorem videatur afferre, id non fit ratione intemperiei, ſed ratione materiæ, quę aut grauitate ſua, aut multitudine replendo, aut conuerſa in flatũ extẽdendo, & quaſi dilacerando eſt in cauſa doloris. Sicca autem dolorem quidem parit, ſed mediocrem, non magnum: calida vero, & frigida vehementiſſimos, & maximos concitare dolores poſſunt. Poſtremò vero ſunt inflammationes, quæ tamen & ipſę ad id morborum genus in his membranis pertinent, quod in intemperie conſiſtit, quarum pleręque ad phrenitidis genus pertinent, cuius differentias diximus eſſe: quia aliæ ſunt exquiſitæ phrenitides; quæ ex bile habẽt ortum, aliæ verò non exquiſitæ, vt quæ vel ex ſanguine, vel ex mixtis humoribus, vt ex pituita & bile, vel ex ſanguine & bile, vel ex his cum melancholico ſucco gignuntur. Quare reliquum eſſe uidetur, vt aliud caput ſubiungamus de cauſis, & ſignis horum affectuum anteaquam agamus de affectibus primũ ad cerebrum pertinentibus, ne rem nimis confundamus.

De cauſis, & ſignis affectuum hactenus expoſitorum. Cap. III.

HOrum affectuum cauſæ, quãdo primario particulę hæ affectæ non ſunt, ſed cõſenſu cum alijs, ſunt illæ, a quibus ortum habent morbi aliarum partium, cum quibus caput conſentit, de quibus tunc erit habendus ſermo, cum de illarum partium affectionibus agemus. Quando autem primum laborat caput, ſi ſola intemperatura, aut ſimplici, aut compoſita citra materiam laboret, ſunt ea omnia, quæ interius vel exterius poſſunt illud afficere calefaciendo, vel refrigerãdo, ſiccando, vel humectando exterius quidem aer, aut calidior, aut frigidior, ſiccior, vel humidior, tum ratione conſtitutionis temporum, tum ventorum, tum ſolis, tum loci calefacti aut ab igne, vt in æſtuarijs, ſeu appellatis hypocauſtis, vel vulgo ſtuffis, aut a frequentia hominũ: item capitis tegmenta, ſicut pilei, & id genus reliqua, ſupra conſuetudinem capite delata calefaciũt, ita & quæ conſueta ſunt derelicta, uel leuiora hyemis tẽpore lata, refrigerationis ſunt in cauſa, & nocturnus præterea aer, contra exercitatio, nimiuſque labor calefacit, ſicuti expoſitio capitis ad frigidum aerem poſt laborem refrigerandi poteſt eſſe cauſa, vtpote quoniam tunc facilior patet ingreſſus per apertos iam meatus a præcedente calefactione ex labore aeris frigidioris, cibi etiam excalefacientes, & vinum potens, aromata, allia, cæpe, & cætera id genus poſſunt caput calefacere, ſicut contraria refrigerare; quæ quia ſunt ſatis omnibus ferè nota, ideo nõ ero in eis exponendis longior. Animi etiã affectus, cum vehementes ſunt corpus, & caput plurimum immutant, ira enim calefacit, riſus item plurimus: timor verò & mæſtitia tandem refrigerant: vehemẽtes etiam cogitationes, reuocatis ad caput ſpiritibus, & eis vehementer, & variè motis, inſignem in capite calorem concitant: Poſſunt tamen hæc ſimpliciter, & ſine affluxu materiæ tranſmutare, & immutare temperaturam naturalem capitis, cum neque totum corpus fuerit plenum, neque ſuppoſitæ partes: alioquin enim ſi plena hæc fuerint, caput etiam replent: unde adducunt intemperaturam cum materia, variam ſanè pro ratione materiæ, quæ a calefacien-

lefacientibus fuſa effertur ad caput: pręſertim uero, quando alijs occaſionibus acceſſerit, & capitis imbecillitas, unde id facilè etiam pronum eſt ad recipienda ab inferioribus partibus amandata excrementa. Vnde maximam occaſionem omnibus ferè affectibus capitis, quorum hactenus meminimus, & poſtea etiam ſumus mentionem facturi, præſtant hæc duo: nimirum capitis infirmitas, & inferiorum partium multa, aut repletio, aut, ſicut Gręci aiunt, cacochymia: facilè enim a procatarcticis appellatis cauſis multi, uel mali humores exagitati, præſertim uerò a rebus calefacientibus fuſi, & elati in caput imbecillum feruntur, & hac ratione ſępè febres bilioſas, & ardentes ſequi ſolent capitis dolores uehementes, & phrenitides. Cauſas autem unde, multa congeratur cacochymia, uel plenitudo in toto, ad inſtitutum pręſens exponere minimè pertinet. Neque tamen putandum ſemper colligi materiam in capitis particulis, hac tantum ratione; quia illam a toto, uel ſuppoſitis partibus recipiat, poteſt enim & in capite gigni, & id duplici occaſione, primum uitio capitis, ob id, quia una, aut plures in capite particulæ aliquam habent intemperiem, quę in cauſa eſt, ut in ſuperiori lib. diximus, cur ex alimento ad illas diſtributo, quamuis etiam illud bonum ſit, per malam cōctionem multa generetur excrementoſa materia diuerſę naturæ pro ratione uarij temperamenti. Poteſt etiam generari non tantum ob particulæ intemperiem, quantum uerſa uia ex uitioſo alimento, uel ex malis cibis genito, uel ex uitiata prima, uel ſecunda concoctione, aut ex uiſcerum intemperamento, aut ex aliquo peruerſo ordine. Et non ſolum id in materia humorali, & corpulenta accidere poteſt, vt & in ſubiectis partibus prius generetur, ac mox in caput feratur, & aliquando in capite ortum habeat, uerum etiam in materiá flatuoſa, flatulentus enim ſpiritus interdum in capite, vt ſecundo de comp. medic. ſecundum loc. docuit Galen. gignitur, atque ibi aut dolores excitat, aut alia ſymptomata, de quibus poſtea ſequenti capite agemus, interdum uero in alijs partibus ortum habet, moxque inde in caput fertur. Cauſę autem generationis flatus duæ ſunt, prima quę & agens eſt, calor imbecillus, qui materiam rarefacit, nequit autem diſcutere, & materia apta ad eius generationem, quę in primis duplex eſt, pituitoſa, & melācholica. Hę itaque ſunt omnes ferè cauſę horum affectuū. De ſignis etiam agamus, & omnia in duo capita colligamus ſicut duo ſunt ſcopi, quos ſibi in ſignorum obſeruatione medicus proponit, alter quidem eſt morbi natura, alter particula affecta, ab ijs enim duobus tandem pendet omnis methodus curandi morbos. Primum itaque agamus de ſignis, quibus cognoſcamus, qui ſint affectus primarij, & qui aliarum partium, quarum cōſenſu caput afficitur, uniuerſam autem rem hanc reſoluit Galen. in tria capita tertio de locis affectis, & partim etiam primo Prorrheticorum. Primū quidē eſt ut cū caput laborat aliquo morbo, ut uerbi gratia delirio, aut alio ſymptomate, & dubitamus, an delirium illud ſit ex proprio aliquo capitis affectu, ſicuti ex phrenitide, an ſecus, oportet igitur conſiderarė, an omnia ea ſymptomata, quæ ſemper ſolent phrenitidem concomitari, & ſunt ueluti characteriſtica, ut aiunt Gręci, exacta adſint, nam ſi adfuerint, iudicandum eſt, proprium eum eſſe capitis affectū, ſi non omnia, ſed tantum aliqua, pręſertim uero ſi aliquod defuerit, quod uim plurimam habeat, tunc conſonum non eſt, eſſe primarium illum affectum, particulatim autem, quę ſint propria uniuſcuiuſque horum ſigna, paulo poſt exponemus. Alterum uero eſt, ut conſideremus, an ea ſymptomata, quę affectum illum nobis ſignificarunt, ſint perpetua, & cōtinenter moleſtent, ut ſi dolor perpetuo caput cruciet, uel delirium, uel ſopor, uel tremor, uel id genus alia, nam ita ſuſpicandum, affectum eſſe capitis primarium, ſed ſi interdum intermiſerint, conſenſu caput laborare putandum. Tertio conſiderādū eſt, an alia pars cuius conſenſu caput alias ſolitū ſit laborare, prius fuerit affecta, quia ſi nulla pręceſſerit alterius partis affectio, primario caput affici conſentaneum eſt. Aptè admodum loquutus eſt Galen. cum dixit, pręceſſerit, quoniam certius ſignum eſt, ſi pręceſſerit, quàm ſi ambo ſimul cœperint laborare. Sępe enim ut idem docet, aliqua membra ſunt tanta connexione iuncta, ut, uno laborante ſtatim & alterum conſentiat, ut uidimus in capitis plagis. in quibus lęſio ad internas particulas pertingit, ſtatim cōmunicata noxa uentriculo, excitatur uomitus, ita etiam uice uerſa nonnunquam, ſimulatque uentriculus laborat, caput condolet. Relictis autem affectibus per conſenſum, quippe quoniam quantum ad pręſens attinet inſtitutum, ſatis eſt nouiſſe, quod ſint per conſenſum, cum curentur, curatis affectibus earum partium, cum quibus conſentiunt, de ſignis ſermonem habeamus quibus eos diſcernimus, qui primarij ſunt capitis: omnes autem ad intemperaturam ſine materia ſunt relati, aut ad eam quę a materia pręſente fouetur. Quemadmodum autem Galen. ſecundo lib. de Comp. med. ſec. loc. docuit, non parum facit ad hanc diſcretionem faciendam cognitio exquiſita harum duarum rerum, pręcedentium uidelicet cauſarum, quas Gręci procatarcticas, noſtri uero iuniores Latini, primitiuas uocant, atq; corporis laborantis ſtatus, nam illę cauſę, ſicut extremum frigus, uel uentus, & externus calor, ut ardor ſolis, labor, & id genus alia quantum in eis eſt, & ſuapte natura non adducunt niſi intemperaturas ſine materia, quod ſi corpus reperierint plenum, poſſunt aut fundendo humores, aut exprimendo, aut attrahendo intemperaturas cum materia afferre, de quo ſuperius quoque nonnulla expoſuimus. Pręter hęc autem conſiderandum an cum eo affectu, ut cum dolore ſit percepta aliqua grauitas, aut diſtentio, aut morſus, aut punctura, aut pulſatio, quia ſi quidpiam horum percipiatur ab ęgrotante, proculdubio ſubeſt materia, ſed ſi citra hęc dolor cruciet, ſola eſt intemperies ſine materia. Qualis autem ea ſit intemperies, calida uel frigida, humida, uel ſicca, non eſt arduum diſcernere, nam ſenſu tactus hęc percipiuntur tum a laborante, tum etiam a Medico manū capiti admouente. Galen. tamen eodem ſecundo lib. docet, quomodo poſſit Medicus, quamuis nihil ęgrotis referat, cognoſcere pręcedentem externam cauſam, pręſertim uero ſolis ardorem, uel externum frigus; primum enim facilè demonſtrabit cutis, ſi enim manibus ſuis eam Medicus tractauerit, aridiorem factam percipiet, oculos etiam rubicundiores, pręterea ille ſe iuuari fatebitur adminiſtratis capiti illis, q̄ refrigerant. In altero uero omnia contra ſe habebunt, pręterea etiam his facies concidit, & decolor eſt neque refrigerantibus delectatur, iuuaturve, ſed potius calefacientibus. Porro quę cum materia ſunt intemperaturę, diligentiori egent animaduerſione, ſed eodem ſecundo lib. de Comp. pręterea, & primo lib. de feb. ad Glauco. nec non & tertio de loc. affect. docet generalibus notis materias omnes diſtinguere. Sed prius illud exponendum eſt, quod ad ipſas intemperaturas in uniuerſum diſcernendas, quando dolorem afferunt, plurimum conducit, & eſt doloris magnitudo, quia ſola calida qualitas, item & frigida poſſunt uehementes dolores excitare, humiditas uero nullum dolorem parit, loquimur aūt quatenus

Cap. ult. Com. 1.

Cap.

Cap.

tenus ad tranſmutationem a qualitatibus pertinet,
quia cum adeſt etiam materia, poteſt & alia ratione
dolor concitari, ſiccitas verò, ut & ſuperius quoque
expoſitum eſt, aliquem, ſed modicum, & non uehe-
mentem dolorem, efficit. Materias ergo diſtinguere
docuit Galen. generatim in eum, quem nunc expo-
nemus, modum, grauitas ſanè capitis copiam mate-
riæ demonſtrat; punctio, vel mordicatio humores,
uel uapores acres: tenſio; vbi cum grauitate ſit indi-
tium eſt, multam in membranis materiam conge-
ſtam eſſe; quod ſi pręterea adſit, & pulſatio membra
noſi corporis inflammationem ſignificat, quam ne-
ceſſe eſt febrem concomitari, & eam acutam con-
comitatur, & interdum multam materiam citra in-
flammationem febris una cum dolore capitis, & id
quando materia computreſcit, atque ita calidior eua
dit: uerum cum adeſt pulſus, inflammationis ſignũ
eſt; cum verò abeſt, nulla in membranis poteſt eſſe
inflammatio, ſed tentio citra grauitatem, & pulſum
copiam ſignificat ſpiritus tenuis, & flatuoſi. At vero
magis particulatim diſtinguentur materiæ in hunc
modum, calida ſi quidé & ex ipſo tactu, vt ſuperius
dicebamus, uel Medici tangentis, uel ægrotantis re-
ferentis ſe calorem percipere; & ex uiſu dignoſce-
n.9. tur, quod clariſſimè fuit a Gal. ſecundo libro Com.
in 6. Epid. expoſitum, habito de ira ſermone, ubi ait,
quod autem in caput feratur maior tam humoris,
quam caloris copia, demonſtrat rubor oculorum,
& faciei, quæ ſi tetigeris calidiora uidebuntur, præte
rea oculi micantes, & prominentiores facti. Vbi au
tem frigidior ſit materia nullum horum conſpici-
tur, quamuis quandoque poſſit accidere error in his
iudicandis, niſi prudens, & cautus fuerit Medicus,
poteſt enim interdum, quanquam a frigidiori humo
re ſit excitatus dolor, fieri, ut & rubicundiores ſint
oculi, & calere facies, fronſve videatur, quod a ſæ-
uitia, & magnitudine doloris poteſt accidere. Cum
enim dolor uehemens uim inſignem habeat attra-
hendi, facilè eius ui attractus aliquis humor calidior
ex toto corpore ad faciem, & oculos, poteſt eos ru-
bore ſuffundere, & calidiores reddere, calida uero
materia, quæ per ſe talis ſit, eſt ſanguis, aut flaua bi-
lis, per accidens uerò pituita ſalſa, & tandem omnis
humor, ſi putreſcat. Sed hic animaduertendum, qđ
nunquam in alijs humoribus abundantibus conſpi-
citur facies, & oculi rubicundi: niſi aut ſanguis mul-
tus ſit, aut ſi ſint alij humores, illi tamen ſanguinem
habeant admixtum, quia rubor proprius eſt ſolius
ſanguinis. Et quemadmodum color rubicundus ſan
guinis eſt nota: ita ſincerus robur ſanguinem omni
no uincere oſtendit ubi uerò alij humores ſupe-
rauerint, qui admixtum ſanguinem habeant, non
eſt ſolus etiam rubicundus color, ſed inclinans, uel
in pallidum, flauumve, vel in album, vel in atrum;
quia, ut eſt Hippocratis ſententia in principio. lib. de
humoribus, color humorum eſt indicium & proin
de pro ratione humorum cum ſanguine mixtorum
degenerat color ſanguineus ad hunc uel illum colo
rem, qui illis humoribus proprius eſt. Sed tamen &
hic oportet eſſe cautum, ne forte, ut Gal. in libello
de Plenitudine monuit, ex aliqua externa occaſio-
ne peruertente hæc ſigna, error accidat: motio-
nes enim tam animi, quam corporis poſſunt faciei,
& oculorum immutare colorem, nam ita, & rube-
ſcentia interdum ſolet rubicundiores, quatenus ad
faciem & oculos pertinet, reddere, commoto nem-
pe ſpiritu, & ſãguine ad extimas partes ita & motio
corporis concitatior, potus uini potentioris, & me-
raci liberalior, externus calor, uel a ſole, uel ab i-
gne concitatus febris, balnea, & quæcunque alia
calefaciendo ſanguinem fundunt, & ad cutem mo

A uent, ſicuti contra quæ ſanguinem, & ſpiritus poſ-
ſunt ad intima viſcera reuocare, vt ſunt timor, mæ-
ſtitia, externum frigus, initia acceſſionum febris de-
coloratam faciem efficere poſſunt: quamuis multus
etiam ſubſit ſanguis: nam color quidem corporis hu
mores demonſtrat, niſi, ut Hippocrates docuit illi in
profundas corporis partes decubuerint. Vnde ſanũ
profecto eſt Gal. conſilium, quod ſit expectandum,
donec affectus, & motiones, tum animi, tum corpo
ris ſedentur, anteaquam iudicium proferamus: nam
tunc poterit eſſe integrum, cum corpus ad propriũ
ſtatum redierit. Et quamuis hæc, quantum ad ratio-
nem ſignorum, quibus affectus membranarum di-
gnoſcũtur, pertinere poteſt, ſatis eſſe fortaſſe videan
B tur, dolor nempe, & inflammatio ſeu phrenitis: nam
de ſoluta unitate agere, & dolore, qui eam ſequitur
ab externa cauſa, ut a re incidente, aut contunden-
te, aut ex caſu, non ita ad noſtrum inſtitutum in præ
ſentia, ſed magis ad tractationem de vulneribus capi
tis pertinet. Attamen quia harum partium inflam-
mationes, affectus ſunt maximi periculi, & difficil-
limi: ideo de his magis particulatim adhuc ſi egeri-
mus, maius operæ pretium faciemus, præſertim ue-
ro cum ſuperius dixerimus, hac in primis ratione
cognoſci, & diſcerni, cum caput primario afficitur,
ſi adſint omnia ea ſymptomata ad vnguem, quæ ſe-
qui ſolent, & ſunt tanquam characteriſtica illius af-
fectus. Vnde de his ſymptomatibus vel ſignis quæ
C propria ſunt phrenitidis, antequam caput hoc finia-
mus nonnulla dicemus. Porro tria ſunt pręcipua ſi-
gna, quæ exquiſitæ phrenitidis, propria ſunt, quate-
nus exquiſita eſt, exquiſita ſiquidem phrenitis inflã-
matio eſt membranarum cerebri, excitata ex mate-
ria calida & ſicca, qualis eſt bilioſa, ex eodem enim
humore & febris ardens, & phrenitis ortũ habent,
vt ſæpe teſtatur Gal. ratione ergo, qua inflammatio
eſt internę particulę, quę adeo connexa eſt cum ce-
rebro, membro ſanè principali neceſſe eſt eam ſequi
febrem, & eam acutam, & plurimum ardentem,
utpote quæ ſit cauſo affinis. Et cum affectus calidiſ-
ſimus ſit perpetuo calefaciens, & quaſi urens non
modo membranas, ſed & cerebrum, tum propin-
D quitate, tum affinitate, & nexu, neceſſe eſt præci-
puas eius operationes lædi, & turbari; unde ſequi-
tur delirium quod quidem delirium, præter id quod
perpetuum eſt, eſt etiam cum quadam audacia, con
tra quàm ſit in melancholicis, in quibus ſemper eſt
timor, & męſtitia. eſt etiam importuna vigilia, quæ
ſiccitatem humoris cauſam habet. His ergo ab alijs
capitis affectibus differt phrenitis, febre enim a de-
lirio, uel inſania melancholicorum, per vigiliam a
lethargo, per delirium autẽ perpetuum ab alijs mor
bis capitis, in quibus ipſum non primario affectu ſed
aliorum conſenſu, præterquam cum conſenſu ſepti
tranſuerſi, inflammatione laborat. Cum enim alio-
rum conſenſu ſit delirium, uel non ſemper, uel non
E æqualiter delirant, quatenus affectus primarius ſuas
habet acceſſiones, & remiſſiones. In phrenitide au
tem eſt & perpetuum, & æquale delirium, & hac
parte ab inflammatione ſepti tranſuerſi, non differt
phrenitis, differunt tamen, & diſcerni alia ratione
poſſunt duę hæ inflammationes. primum quidem
ex illis, quę oculis accidunt: quia, ut Trallianus ex-
poſuit, rubentiores in phreniticis ſunt oculi, pręte-
rea & naribus, ſanguis enim deſtillat, nt, etiam id ad-
damus, quod delirium in phreniticis non ſtatim, &
repentè magnum ſit, ſed paulatim incipit, & ita ſi-
cut augetur inflammatio, ita & delirium increſcit,
ſemper etiam pręcedunt ea ſigna, quę futuram phre
nitin demonſtrant, de quibus paulo poſt ſermonem
habituri ſumus. Sed & expirationis modus, & in-
ſpira-

ſpirationis apertiſſimè diſcretionem horum duorũ
affectuum demonſtrare poteſt, præſertim verò ab
initio, in phreniticis enim ſpiratio magna eſt ex lon-
gis interuallis, raraque, cum in inflammatione ſepti
tranſuerſi ea ſit inęqualis, nam inter initia, antequã
delirare incipiant, frequens eſt, & parua, mox uero
delirio accedente, fit interdum magna, ſed cum an-
guſtia, præcordia etiam, cum incipit diaphragma in-
flammatione tentari, ſurſum trahi videntur, cum in
phreniticis id non fiat, niſi poſtea & iam morbo cõ
ſiſtente, caput etiam phreniticis magis calet, ſicuti
pręcordia in laborantibus inflammatione trãſuerſi
ſepti, ut addidit Trallianus, calentiora ſunt. Hæc er-
go præcipua ſigna ſunt phrenitidis exquiſitæ. Inflã-
mationes uero quatenus a natura exquiſitæ phreni
tidis degenerant, eatenus etiam ab his ſymptomati-
bus differunt. Nam ſi ſit mixtus ſanguis cum bile,
aut pituita, qualis affectus ille eſt, quem medium eſ-
ſe inter lethargum, & phrenitin dixit Gal. & κώμα-
τος una differentia eſt, erit etiam mixta uigilia cum
ſomno, quia uidentur inclinare in ſomnum, ut qua-
ſi aperire oculos, & attollere palpebras nõ poſſint,
neque tamen capere ſomnum poſſunt, uel quia in-
terdum ita dormiunt, ut uix poſſint euigilare, inter-
dum uero adeo uigiles ſunt, ut dormire nequeant,
quatenus nunc bilis pituitam, nunc pituita bilem ſu
perat. Cum vero miſcetur humor melancholicus,
cum delirio perpetuo eſt mœſtitia, & timor, cũ alio-
quin in exquiſita phrenitide audaciam, vel etiam in
Cap. 4. aſpectu oſtendant. Reliquum autem eſt, ut futuræ
Cap. 5. phrenitidis notas exponamus, quæ prius a Galen.
quinto de locis affectis, & primo Prorrh. expoſitæ
fuere, illæ uero ſunt, quę etiam, antequam dignoſci
alioquin poſſint inflammationis initia, præcedunt
aut uigiliæ præter conſuetudinem, aut ſi dormiant
conſpicua ſomnia, & ſomni maximè a moleſtis ſom
nijs ualde turbati, quidam enim dormientes uocife-
rantur, alij etiam dormientes a lecto exiliunt, quæ
in ſiccitatem ipſe refert, quod exemplo melancholi-
corum, & ieiunantium probat, qui, dum dormiunt,
& ſomniant, & clariſſima ſomnia uident, cum qui
temulenti, & cibo pleni ſunt, aut nulla, aut confuſa
& obſcura inſomnia uideant, ut neque ſciant excita
ti ea referre. Sed & obliuio quandoque futuram de-
nuntiat phrenitidem, petunt enim aliquando matu
lam, tanquam paulo poſt micturi, neque deinde obli
ti mingunt, uel ſi mingant, neque poſtea recordant
matulam reddere: alij uero neque meminere pete-
re, & mingendi neceſſitatis, niſi fuerint ab aſſiſtenti
bus moniti, obliuiſcuntur. Sed quidam interdum &
vrinam in lectum effundunt, quod & maiorem of-
fenſam internarum facultatum indicat, nam prio-
res illi ſaltem ea parte ſapiunt, quòd iudicant non eſ
ſe ſpurcandum lectum, qua hi aberrant, & illud fit,
quia alijs uitiatis cogitationibus, animum habent in
Com. 9. uolutũ. Pręterea uero ut idem Gal. ſecundo Prorrh.
inſinuare uoluiſſe uiſus eſt, quicquid præter conſue-
tos mores, & naturam ægrotantis apparet, quod nõ
habet manifeſtam, & rationabilem cauſam, poteſt
referri inter ſigna futuræ phrenitidis, cum ſint tan-
quam initium delirantis, vel delirare incipientis ho-
minis, quemadmodum ferox, & temerarium reſpõ
ſum in eo, qui alioquin ſuapte natura mitis eſt, & fa-
cilis, ita qui conſueuit taciturnus eſſe, ſi, dum ægro-
tat, ſit nimium loquax, & quæ de his diximus, de alijs
etiã id genus ſunt intelligenda, repentina enim hæc
morum, & conſuetudinis tranſmutatio ſignum eſt
corruptæ, vel imaginationis, vel iudicij. Ita quoque
ſi aliquis verecundus ſit alijs temporibus, ægrotans
uero fiat obſcœnus, & impudẽs, & quæ obſcęna sũt
citra uerecundiam dicat, faciat, aut oſtendat, magna

A etiam, & rara reſpiratio, per longa nimirum inter-
ualla, phrenitidis nuncia eſt, quod fit ex obliuione, q
enim uehementibus oppreſſi ſunt curis, & cogita-
tionibus obliuiſcuntur reſpirare, ſicut & comedere,
bibere, mingere, & egerere, & ideo raro hęc abeũt,
& non niſi excitati tandem a rei neceſſitate, & cum
coguntur ſemel, poſtea plurimum bibunt, uel min-
gunt, ita & plurimum aerẽ inſpirant, quod non mo
dò ægrotantibus, ſed non rarò, & bene ualentibus
alijs negotijs occupatis contingit. At uero cum iam
inſtat, & præ foribus, vt aiunt, eſt inflammatio, ocu-
li aridiores fiunt, ſquallidioreſq́;, & aut ex utroque:
aut ex altero ipſorum, ut octauo de locis affect. do-
cet Gal. acrior effunditur lachryma, atque poſtea lip
B pitudo ſuboritur, mox ſanguis a naribus deſtillat, ne
que amplius compoſite, & prudenter reſpondent,
floccoſq́; euellunt, & feſtucas colligũt, & iam aridio
ri febre tentantur, tunc enim uigor adeſt, aut inſtat.
Sunt prætera quædam ſigna, quæ in phreniticis ap
parentia, perniciẽ futuram indicant, utpote quæ na-
turam a morboſis cauſis ſuperari oſtendant. In qui-
bus primum eſt hoc, ſi phrenitidi ſuperueniat neruo
rum cõuulſio, adeo enim graue eſt ſymptoma hoc,
ut nullum unquam ſe audiuiſſe, aut uidiſſe Gal. 12.
meth. teſtatus ſit, qui ita affectus fuerit, & euadere
potuerit, neque id mirum, nam uel ſola cõuulſio de-
terrimus eſt affectus, quãtò ergo magis, quando duo
adeo graues affectus ſimul copulantur? Nec modo
C conuulſio, vel conuulſiuus motus, qui ſæpe in phre-
niticis fieri ſolet, verum etiam tremores pernitioſi
ſunt, in hoc morbo apparentes, accidunt enim, tum
pre ſæuitia phrenitidis, tum ob motus, & uigilias, ita
ut Gal. primo Prorrh. ait, uires languide factæ ſunt, Com.
ut regere corpus nequeant, nec non ẽt ob corporis, & 14
& neruorum in primis exſiccationem. Peſſimũ itẽ
ſignum iam eſt, ſi ſanguis guttatim a naribus deſtil-
let, præſertim uero in die, ſignificat enim naturã ten
tare quidem expellere noxiam, & ſuperuacaneã ma
teriam, non eas tamen uires habere, ut poſſit id per-
ſequi. Sed & vrina alba claraque in omnibus penè
morbis mala eſt, pręſertim uero in phreniticis, ut ter
tio Aphoriſ. monet Gal. peſſima eſt, ut pote quæ & Com.
D ſummam crud tatem oſtendat, & flauam bilem uni
uerſo ſuo impetu in caput ferri. Et alui quoque deie- Com.
ctiones albæ in hoc morbo malæ ſunt non modo,
quia bilem ad caput aſcendere indicant, uerum &
quia demonſtrant, ut idem primo Prorrh. affirmat,
tanto calore cerebrum eſſe correptum, ut cum ſan-
guine bilem ad ſe attrahat, quæ, dum a iecinore ad Com.
inteſtina effundit, coloratas deiectiones efficit. Sur-
ditas quoque etiam phreniticis ſuperueniens, nũtia
eſt mortis, ſignificat enim iam eam facultatem eſſe
extinctam. Vbi autem inſignis uirium adſit imbe-
cillitas, deſperata omnino ſalus eſt in phrenitico: ſi
enim uiribus ualentibus, ut Gal. item primo Prorrh.
ait, opus eſt in uiſcerum inflammationibus; ma-
E ximè id in phreniticis neceſſarium eſt, quia tum
a uigilia, tum etiam a multis, quibus exagitantur,
motionibus, uires plurimum diſſoluuntur. Et qua-
tenus ad affectus membranarum capitis pertinere
poſſe videtur, longum ſatis ſermonem, neceſſarium
tamen habuimus. Vnde reliquum forſitan uidere-
tur ut de eorum curatione ſubinde ageremus, ve-
rum quia earum natura cum cerebro tãtam habet
connexionem, & affinitatem, ut, uno laborãte, ſi in
ſigni aliqua affectione laboret, fieri nequeat, quin
& alterum fiat affectus, & noxæ particeps: ita etiam
methodi curationis inter ſe coniunctæ ſunt, & affi-
nes, & maxima ex parte ſimiles, & in uniuerſum ſal
tem ferè eædem. Ideo præſtabit forſitan, ut de reli-
quis capitis affectibus ad cerebrum attinẽtibus ſer-
monem

monem inſtituamus, et poſtea de curatione omniũ, qua parte ſimiles ſunt, vna agamus, mox & particulatim, qua parte differunt, quicquid priuatum in eis eſt, definiamus, & determinemus.

De affectibus proprijs cerebri. Cap. IIII.

CErebrum a natura fabricatum eſt pręcipuè, & primum vt ſit tanquam ſedes, ſi Hipp. & Galen. atque etiam magis Plat. decreta ſequi velimus, animi, & inſtrumentum proprium omnium facultatum, quæ ad animi principatum pertinent, & earum quæ his miniſtrãt, & hoc volumus in pręſentia tanquam poſitum accipi. Neque de eo diſputare intendimus, an ita re vera ſit, quod hæc particula initium ſit, & fundamentum harum facultatum, vt medici ſenſere; an verò ad cor primum hæc omnia pertineãt, quod poſtea in edendis earum operationibus cerebri vtatur miniſterio, vt Ariſt. putauit, altioris enim negotij eſt, hæc contemplatio. Nobis verò ſatis eſt, quòd in medendo, cum ex aliquo morbo læduntur actiones iſtarum facultatum, neceſſe ſit a cerebro, tanquam ab illa particula, quæ eo morbo laborat, remediorum rationẽ petere, omnes etenim in hoc conuenere, curationem cerebro eſſe accommodãdam. Facultates verò illæ, quę ad preſens inſtitutum maximè attinent, ſunt, primum ſenſus cõmunis, vt alijs apertius ſecundo de anima expoſuit Ariſtot. a quo defluunt omnes quinque ſenſus. a quo nec Gal. diſſenſiſſe vr̃ lib. de diff. ſympt. & ſeptimo de decretis Hipp. & Plat. & proinde ad hanc facultatem pertinet omnis ratio ſomni, & vigiliæ, hac enim ab humiditate quaſi ligata, ligãtur omnes ſenſus ęxteriores, neque quicquam aliud eſt ſomnus, & hac ſoluta, ſenſus ſoluũtur, & expergiſcitur animal. Deinde verò eſt imaginatio, vel phãtaſia. Tertiò eſt cogitatio, vel vt iuniores noſtri loquũtur, diſcurſus. Poſtremum & quarto eſt memoria. Cum autem, vt medici ſenſere, facultates animi vniuerſæ ſint, aut temperamenta illarum particularum, quæ earum ſunt in actionibus obeundis inſtrumẽta, aut ſaltem facultates ipſæ temperamentis his tanquam proximis vtantur inſtrumentis, temperamenta autẽ propria non ſolum ea, quæ ex mixtura elementorum, ex quibus particulæ conflatę ſunt, intelligenda eſſe cenſemus, ea enim tanquam materia ſe habent, quę ſi ad actum, vt Peripateticis verbis vtar, ſint adducenda, oportet, vt a copia ſpirituum, tanquam a forma, foueantur, qui ea qualitate, & quantitate, & claritate ſint prędití, quam ratio, & natura harum facultatũ requirit. Nemo eſt, qui non facilè poſſit percipere, quòd, ſi eiuſmodi harum particularum temperatura vitietur, neceſſe etiam ſit, operationes, quę ab eis prodeunt, imperfectas, aut corruptas, nunquam autem integras euadere, quodque pro ratione intemperiei particularum, varij etiam oriantur errores, & lęſiones earum operationum, quę ad has facultates pertinẽt. de quibus offenſis paulo poſt particulatim agemus. Prius enim vnum eſt exponendum, quod cognitu eſt neceſſarium, vt hęc exquiſitius poſſint explanari: id verò eſt, quod & ſi ita ſe res habeat, vt diximus, nempe quod proxima ratio, per quam operationes cerebri perficiuntur, eſt commoda, & apta tẽperatura, quæ propria eſt ſimplicis particulę, non autem compoſitę, & inſtrumentarię: attamen perfecta operatio non efficitur a mẽbro ſimplici: ſed a compoſito, & inſtrumentario: quia, & ſi vna ſit tantum pars in inſtrumẽtario membro, quę pręcipua eſt, & quę ſit prima ſedes facultatis illius, vnde proficiſcitur operatio, & alię tamen omnes, ex quibus coagmentatum eſt id inſtrumentum, illi mi-

ult.

A niſtrant, & non parum conducũt, & vtiles ſunt: vnde ad operationis perfectionem & debitus, vel congruens numerus partium, & quantitas, & figura, & ſitus, & colligantia, vel connexio cum alijs partibus, & quæcunque alia ad naturam compoſiti mẽbri & integram efficiendam pertinent, neceſſaria ſunt. Et proinde non ſolum vitiata temperatura earum particularum, prę́ſertim verò illius, quæ præcipua eſt: ſed etiam cęteris, quę ad integritatem organici membri pertinent, tranſmutatis, & vitiatis, lędi tur operatio, & de eius integritate detrahitur. Modi verò, quibus cerebrum lęditur, quatenus ſimplex eſt illi ijdem, & totidem ſunt, qui & quot illi, quos retulimus, dum de affectibus membranarum ageremus B videlicet quatuor intemperaturę ſimplices, & totidem compoſitę, & utræque aut cum materia, aut citra materiam. Quamuis autem affectiones eædem ſint, ſi ſecundum ſe conſiderẽtur: attamen ſi ad ſymptomata, quę eas conſequuntur, & ab eis efficiuntur, fiat eorum collatio, diuerſiſſimam habent rationem: nam cum aliæ ſint facultates, vel uires, quibus præditæ ſunt partes ipſius cerebri, ab illis, quibus membranæ, & alię operationes, quæ ab his, vel ab illis eduntur, varia etiam ex vtrarumque læſione fiunt ſymptomata, præſertim verò illa, quæ ad caput læſarum operationum ſpectant, vt vnuſquiſque facilè poteſt intueri. Sed vt magis particulatim rem tractemus, reuocemus in memoriam, quæ paulo ante C fuere expoſita, uidelicet in cerebro eſſe eam partẽ, præſertim vero in anteriori eius particula, quę eſt organum id, ad quod ſomnus, & uigilia ſuaptè natura pertinet, quod item voluit Ariſtot. eſſe organum ſenſus communis, prætere a uerò imaginatio, uel phantaſia ſuum in cerebro organum habet, at in medio, atque adeo etiam magis in poſteriori ventriculo, ſi Gal. dogmata ſequamur: longè etiam magis cogitatio, & memoria, quãuis hæ in poſteriorem partem vergant, ad quam etiam, vtpote a qua ſpinæ medulla ortum habet, attinet facultas motrix, quæ per neruos ab ea orientes ad omnes muſculos, cum opus fuerit, defertur. Cum ergo pars anterior, aut humectior, aut frigidior ex aliqua externa, internave D cauſa facta fuerit, ſiue id cum materia, ſiue ſine materia, ſomni quidem contingunt, qui ſopores Latinis, κώματα verò uel καταφοραί, uel κάροι Græcis, Arabibus autem, & alijs, qui eos ſequuntur, ſubeth dicuntur. Cõtra autem ſi ſiccitas, uel ſi calor ſuperuenerit, utraque enim intemperies uigiliam affert: ſed primum, & præcipuè ſiccitas: deinde uerò & calor. Quod ſi hæ intemperaturę ulterius progreſſę ad eam partem pertigerint, quę pręcipuarum facultatum ſedes eſt, & inſtrumentum, uitiantur actiones imaginatricis vel cogitatricis facultatis, & frigidiorem intemperiem ſequitur ea noxa, qua aut omnino deſtruitur, & aboletur earum operatio, nempe ſi magna fuerit intemperies: aut imminuitur, & he- E betatur, ſi moderata, quemadmodum fit in ſtoliditate, & amentia. Calidam autem cerebri, & partium ad id pertinentium temperiem ſequitur corruptio operationum harum facultatum: ita ut fiãt quidem, ſed peruersè, delirant enim, & mente aberrãt: dum imaginantur, uel dum cogitant, interdum uero utraque ratione, ut enim ſunt aduerſarię inter ſe hæ qualitates; ita etiam non diuerſi modo, uerum & aduerſarij effectus inde proueniunt. Frigus enim, cum dominatur, pigras, & omnino ineptas ad operationem facultates reddit, atque ita pigros, & ferè immobiles ſpiritus, quibus facultates ſua munera obeunt, & propterea obtuſa, & tarda omnia, & inepta fiũt. Calor uerò contra, ſi immodicus fuerit, nimis mouet & inordinato motu agitans, omnia confundit,

& ima-

& imagines turbat, & iudicium peruertit, quod delirare eſt, memoriam autem lędit frigiditas, ſiue ea ſit ſiccitati, ut docuit Galen. ſecundo de cauſ. ſympt. & Cap. 7. tertio de loc. affect. ſiue humiditati iuncta, Cap. 5. cum uide licet eius inſtrumentum a frigida intemperatura afficitur, lęſio uero eius obliuio eſt. Quod ſi dubites forſitan, cur eſt, quod Galen. & alij auctores non meminerint lęſionis facultatis memoratricis, quę illi infertur a calida intemperie, nam quid uetat, quominus poſſit contrahi in organo memorię calida intemperatura? quę ſi contrahatur, neceſſe eſt eius actionem corrumpi, quo poſito, nemo uidetur expoſuiſſe, qualis ſit modus iſtius corruptionis. At hoc dicimus, quod immo ex dictis Aetij poteſt depromi ratio ſoluendi hanc dubitationem, qui ex ſententia Poſid. ait, quod uitiata operatione memoratiuę facultatis, neceſſe eſt item imaginationem, & cogitationem lędi, & earum operationes corrumpi neque enim hæ rectè poſſunt operari, ſi perperam memoria illis ſpecies ſubminiſtret, quod & Galen. tertio de loc. affect. inſinuare uoluiſſe uiſus eſt, unde Cap. 5. ſequitur, quod deliria ad lęſiones etiam operationum memorię pertinebunt. Poſtremus autem affectus, qui frigiditatem cerebri ſequitur, pręſertim ſi fuerit cum ſiccitate iuncta, eſt quem Gręci κάτοχον ſeu κατοχὴν vel κατάληψιν appellant, qui quidem affectus pręſertim pertingit ad poſtremam cerebri particulam, per quam uis motrix diſtribuitur in totum corpus. Qui ita ęgrotant, ſupini, rigidi, immotique manent oculis apertis, & non conniuentibus, & nonnihil quidem interdum audiunt, & uident, loqui tamen nullatenus poſſunt, ut quaſi hi ſimiles ſint, qui frigore obriguere, & quaſi congelati ſunt, unde hos congelatos appellãt Arabes, & eos ſecuti Latini iuniores. Poſtremo autẽ alia eſt affectio, quę citra ullam materiam lædit, & peruertit operationes harum facultatum, & eſt imbecillitas harum facultatum, quę corporis conſumptionem, & ſpirituum reſolutionem, uel ex defectu alimenti, uel ex immoderata uacuatione, uel ex morbi ſęuitia, aut malignitate, ſequitur. Sicuti enim in languentibus corporibus prę imbecillitate uirium ſępe, & pedes labant, & tremunt manus, ita & interiores animi facultates, ut docuit Gal. 7. Apho. uacillant ob imbecillitatem, Cap. 9. cum mouentur, & agunt. Ex intemperaturis ergo tum ſimplicibus, tum uero compoſitis citra materiam hi, & tot affectus, atque eos ſequentia ſymptomata concitantur. At ex materia, ſicut duplicem rationem morbificæ materiæ habere poſſunt, ita duplex eſt modus, quo procreari morbi poſſunt, nam humores ſunt corpora conſiſtentia & molem aliquam habentia, ſunt pręterea ſuis qualitatibus prædita, quibus particularum temperamenta uitiare poſſunt, & hac quidem ratione particulis officiunt, quatenus illę ſimplicia membra ſunt, per priorem autem, illis obſunt, quatenus compoſita, & inſtrumentaria, & de illis ſanè, quę ad ſimplicia pertinent nulla neceſſitas eſt in longius ſermonem pro ferre, quia eiuſdem generis ſunt cum illis, qui citra alicuius materię fomentum excitantur, quatenus ad morbi proximam, & per ſe naturam pertinet. Si aliqua autem in eis eſt differentia, illa eſt, quia, ubi materia adeſt, in curandi ratione ſuam habet, & ipſa indicationem, quæ nobis uacuandi ſcopum offert qui nullus eſt, ſi in ſola ſit qualitate, uel intemperatura uitium. Antequam autem de illis, quę ab affluẽtia materiæ ortum habent, agamus, exponere oportet, quę & quot ſint materię, quę cerebro poſſunt negotium faceſcere. Sunt autem ſanguis, pituita, bilis flaua, & bilis atra, & hi quidem humores, cum, vt dicebamus, cerebrum occupant præter rationem

A naturę, dupliciter noxij eſſe poſſunt, altero quidem modo quaſi ipſum perfundendo, ac ea perfuſione temperaturam uitiando tantum, dum uidelicet per uenas delati cerebrum ſuis afficiunt qualitatibus, vt de bili dicebamus ſuperius, altero autem, cum exprimuntur extra uenas, & impinguntur in ſpatia inania, & meatus membrorum ea in tumorem attollentes, ut in eryſipelate, inflammatione, & reliquis tumoribus fieri declarauit Gal. in lib. de inęq. in temper. & de tumor. præter naturam. Et ſecundum priorem modum, ſi pituita exuberans in cerebro illud morboſum reddiderit, aut ſoporem, ueternumque, ut Latini appellant, ut Gręci, κῶμα ſeu κάρον affert, ſi illa in priori capitis parte ſedem habeat, ſed B ſi in medio, uel poſtremo cerebri uentre, ſtoliditatem, uel amentiã, ſi in poſtremo, obliuionem, memorięque noxam afferet. Sed ſi ſanguis, ille item interdum longum ſomnum conciliabit, non tamen profundum, quamuis interdum etiam profundum, vt pote ſi uis ipſius cerebri, ut Gal. primo. Prorrh. tradidit, a multa ſanguinis copia grauetur, interdum uero, ſi alios, uentres occupauerit, deliria commouebit, & ea cum riſu, & hilaritate, & aliqua in ſomnũ inclinatione. De bile autem ſatis, ſuperque ſuperius diximus, quod uigilias, & deliria cum quadam ferocitate, & iracundia procreat. Melancholia in priori parte, uigiliam, in media, deliria cum timore, & mœſtitia, in poſteriori uero, ſua ſiccitate, & frigore, κάτο- C χον uel κατάληψιν, uel, ut Arabes, congelationem inducit, interdum etiam memoriæ lęſionem, uel obliuionem. nam frigida intemperies, ſiue cum humiditate, ſiue cum ſiccitate fuerit, ut paulò ante diximus, memoriæ officit. Præter has autem rationes, quibus per qualitates cerebrum quatenus ſimplex membrum eſt, uel ex ſimplicibus partibus conſtitutum, humores malè afficiunt, alias etiam habent, quibus lędunt magis corpulenta ſua ſubſtantia, quã qualitatibus, & potius quatenus inſtrumentarium membrum, quam quatenus ſimplex. Cum enim uẽtres plures habeat, qui ſuapte natura aperti, & patentes ſunt, & ſunt quaſi receptacula, & armaria ſpirituum, qui facultates animales ad particulas in toD tum habitum corporis deferunt, habeant autem hi uentres uias, & meatus, per quos ab anterioribus ad poſteriores fit tranſitus, habeant & alios per quos fit extremorum expurgatio, ut per nares, palatũ, & ſi qui alij iſtius modi reperiuntur, uentres eos replere humores corpulenti poſſunt, & uias, meatuſque obſtruere, præterea uero multitudine ſua uenis, & arterijs ad cerebrum ipſum pertinentibus oppletis, poſſunt oppilationes concitare, unde ortum poſtea habent comitialis morbus, ſeu epilepſia, attonitus, ſeu appoplexia, incubus, qui Gręcis ἐφιάλτης, quaſi Com insultor dicitur, & cum his poſuerim uertiginem, ut paulo poſt exponemus. Et ut a ſanguine incipiamus E ſi is adeo redundet in uaſis, ſicuti ſunt uenæ, & arterię, quæ in cerebro, & partibus ad illum attinentibus ſunt, ut uirtus eius eatenus prematur, & grauetur, quod ut Gal. 4. de rat. uict. in acu. mor. ait iam in ſtet periculum, ne natiua caliditas ſtrangulata extinguatur. Inde apoplexia oriuntur, & epilepſiæ, & ſyncopæ cardiacę, ſpiritibus nimirum tranſitu intercepto, in hũc itaque modum ex ſanguine poteſt & epilepſia, & apoplexia procreari, ſæpius tamen ex frigidioribus humoribus, & craſſioribus ortum habent, ut ſunt pituita, & atra bilis, nam flaua, cum tenuis humor, & mobilis ſit, aut nunquam, aut rariſſimè ita implere, & obſtruere poteſt. Omnium uerò & facillimè, & frequentiſſimè pituita apoplexię, & epilepſię in cauſa eſſe ſolet, partim ob cerebri naturam, quod cum ſit natura frigidum, & humidum,

multis

multis pituitoſis abundat excrementis, partim uero,
quia facilè repletur, tum a uentriculo, tum crudita-
te laborat, tum ab uniuerſo, uaporibus ad id elatis.
Cum enim cerebrum humoribus his redundans, il-
los effundit in uẽtriculos, præſertim uero mediũ, &
poſtremum, illis oppletis, & obſtructis, intercepto
omnino ferè tranſitu ſpirituum, neceſſe eſt, ut ſta-
tim animal concidat, expers omnis ſenſus, & mo-
tus, apoplexia enim ablatio eſt, & ferè deſtructio o-
mnium facultatum, quarum ſedes, & initium eſt ce-
rebrum. Quãuis autem vterque affectus ab eadem
ferè cauſa ortum habeat, nempe ab obſtructione, &
plenitudine cerebri, apoplexia inquam & epilepſia,
ea tamẽ ratione mutuo differunt, quod non ita om-
nes, nec ita æqualiter replentur cerebri uentres in e-
pilepſia, ut in apoplexia, repletio enim, & obſtructio
in epilepſia, magis ad medium poſteriorem perti-
net, cum enim obſtruuntur, ipſum neruorum prin-
7. cipium, ut tertio de locis. affec. ait Gal. contrahit ſe,
& concutit, ut nocentem materiam excutiat, & in-
de ut corpus conuellatur, & concutiatur, accidit. A-
poplexia vero fit omnibus æqualiter occupatis, tam
anteriori, quam poſteriori, & medio, & adeo abſo-
luta, & integra fit obſtructio, & oppreſſio, vt omnes
eius uires pariter diſſoluantur, nec ulla illis facultas
reliqua ſit, qua ſe colligens poſſit morbo reniti, cum
in epilepſia, ut pote quæ non ſit exacta, & integra
obſtructio, cerebrum colligat ſe, contrahatque, &
concutiat, neque enim ita opprimitur facultas cere-
bri, & uires eius ita diſſoluuntur, ut in apoplexia.
Vnde & conuulſio corporis, & inordinatus motus
artuum, qui quaſi concutiuntur, ſequitur contractio
nem cerebri, quaſi colligentis ſe, ut exprimat & ex-
trudat rem illi noxiam, quam ſi expellat, omnia ſe-
dantur, donec iterum eadem de cauſa concitetur, &
ſtimuletur. Cauſa autem illa noxia interdũ ſequitur
cerebri primarium affectum, interdum uero læditur
cerebrum non ex aliqua cauſa, quæ in eo ſit, ſed cõ-
ſentiens cum alio, & ex affectu alterius particulæ,
præſertim uero conſenſu uentriculi, aliquando ta-
men conſentiens cum toto mouetur, & ſe ipſum
contrahit, concutitque: nonnunquam præterea,
& cum aliqua definita, & certa corporis particula,
ſicuti in mulieribus uteri conſenſu, quandoque lie-
nis, quandoque ab alijs particulis, ut poſſit, & pedis
conſenſione, immo & ex digito pedis, ut Galen.
tertio de loc. affect. teſtatur, excitari. Eiuſmodi au-
tem conſenſus, aut abſolutus eſt, in quo nulla ma-
teria neque corpulenta, neque uaporoſa ad caput
fertur, ut ſuperius fuit expoſitum, ſed ſola mali-
gna qualitas, quæ per continentem tranſmutatio-
nem particularum, quæ intermediæ ſunt inter cere
brum, & eam, a qua traxit originem ea qualitas,
tandem ſubinde ad caput peruenit. Aut eſt non ab-
ſolutus, ut ſequar modum loquendi Auicen. qui
neque mihi uidetur ineptus, uidelicet quando no-
xius, & malignus aliquis uapor ab illis attollitur
particulis, & ad caput fertur: ſola autem epilepſia,
quę ortum habet ex proprio, & primario affectu
cerebri, ea eſt, quæ fit ex repletione & obſtructio-
ne uentriculorum a materia, de qua nunc ageba-
mus, quam nititur cerebrum ſe colligens extrude-
re, & exprimere. In epilepſia uero per conſenſum,
uel uapor, uel qualitas, uel ſola noxa eius particulæ,
cum qua conſentit, cogit cerebrum contrahere ſe,
& concutere. Hi ergo ſunt morbi, qui ab humori-
bus, qui corpulenti ſunt, gignuntur, de illis habito
ſermone, qui ſunt proprij, & primarij affectus cere-
bri. At & a uaporibus nonnulli excitantur, hi uero
ſunt uertigo, quæ σκότωμα, δῖνος, & σκοτόδινος
Græcè dicitur, præterea uero & incubus, qui ἐφιάλ-

A της a Græcis appellatur, quaſi inſultor dixeris, prior
quidem is eſt, quando omnia in orbem ferri, & cir-
cumagi uidentur, & oculi obtenebrati, ex quibus
ſymptomatibus, & nomina illa tam Græca, quam
Latina ſortita eſt hæc affectio, uertigo quidem quia
circumuerti omnia uidentur, σκότωμα autem quia
σκότος tenebras ſignificat, δῖνος uero παρὰ τὸ δι-
νεῖσθαι, quod circum uerti ſignificat, utrumque ue-
ro exprimere uolentes, uidelicet tenebras, & cir-
cunductionem σκοτόδινον dixere. Alter autem
plerunque in ſomno ſolet euenire, uidentur autem
qui hoc morbo tentantur quaſi quodam onere pre-
mi adeo & grauari, ut ne dimoueri quidem poſſint,
clamant quandoque, confuſas tamen uoces edunt,
B ut quid dicant percipi nequeat, mulierculæ & uul-
gares putant hos a ſpiritibus premi, & aiunt eſſe
quem ipſæ, aut mazarolum, aut ſpiritum folletum
uulgo appellant. Vtraque autem hæc ſymptomata,
cum repentè concitentur, citò etiam & ferè ſpon-
tè plerumque diſſoluantur, non poſſunt, ut de epile-
pſia, & apoplexia dixit Galen. tertio de loc. affect.
in intemperaturam aliquam referri, quia intem-
peraturæ paulatim, & non repente fiunt, neque e-
tiam in craſſam, & corpulentam materiam, cum
ita citò diſcutiatur: proinde rationi conſentaneum
eſt, a uaporoſa, uel flatuoſa ſubſtantia occupante
uentriculos cerebri fiant: ſed a craſſiori incubus.
Similis enim affectus eſt epilepſiæ, & apoplexiæ, ni-
C ſi quod craſſior eſt harum materia, & magis cor-
porata: tenuior uero incubi: quamuis & hæc licet
flatuoſa ſit, ea tamen copia, & craſſitie conſtet, ut
poſſit replendo aliquo modo uentriculos obſtrue-
re. Vnde quaſi leuis quædam epilepſia eſt: immo
cum diuturnior ſit hæc affectio nuntia eſt futuræ
epilepſiæ, uel apoplexiæ, & tandem in ueram aut
apoplexiam, aut epilepſiam tranſit, a tenuiori ue-
ro & magis flatuoſo vertigo concitatur. flatulentus
ſi quidem ſpiritus incluſus in uẽtriculis, vel in venis,
arterijſve, dũ ipſe ſuapte natura in loco anguſto flu-
ctuans in orbẽ agitur, quod oſtendunt turbines, agi-
tatus autem ſpiritum contentum in ventriculis & ar
terijs cerebri ſecum rapiens, eum eodem modo exa-
D gitat, quo ipſe mouetur, ex hoc autem motu ſpirituũ
excitatur ea imaginatio, quaſi obiecta & res exterio
res moueãtur eo modo, quo ipſe mouetur. Ita enim
contigit omnibus facultatibus cogitatricibus tam in
ternis, quam externis, quod cum mouentur, aut trãſ-
mutantur eorum inſtrumenta vel ſenſoria, peruer-
tatur earum iudicium, & eam tranſmutationẽ, qua
affectum eſt ſenſorium referat ad obiecta oblata: un
de cum lingua amarulenta eſt, quæcunque offerun-
tur, amara vidẽtur. Ita tinnitus vel ſtrepitus aurium
videntur externarum rerum, & nares aliquo graui
odore affectæ putant etiam bene olentia fœtere: mo
to ergo ſenſorio imaginationis, vel phantaſię; moue
tur autem ſi ſpiritus, qui fundamentum eſt omnium
E facultatũ & ueluti actus ipſius organi, mouetur, om
nia, quæ exterius ſunt, moueri imaginamur, in uni-
uerſum enim ut Ariſt. nos docuit, qcquid in aliquo
recipitur ad modum recipientis recipitur. His uerò
& ſi aliud addiderimus, iam horum affectum, quan-
tum ad eorum eſſentiam pertinet, abſoluta erit tra-
ctatio: id uero eſt, quod uapor is, uel ſpiritus duplicẽ
poteſt originem habere, quippe quia uel in cerebro
ſuæ generationis occaſionem habet, nempe ex ali-
qua eius intemperie, unde alimentum ex quo erat
alendum, in flatum & eiuſmodi uaporem ex parte
conuertitur, uel in alia parte, quia uel in habitu to-
tius corporis genitus per uenas, & arterias in cere-
brum fertur, uel quod frequentiſſime fieri ſolet,
uitio uentriculi iſtud contingit, ſicuti & alijs capi-

tis morbi, quorum hactenus meminimus, & primario quidem affectu capitis hæc mala contingere dicuntur, quando ſuam in cerebro originem habent, quando uerò aliunde elatus caput occupat uapor, conſenſu dicuntur ea fieri. Hoc tamen aduertendũ, quòd affectiones hæ, quę conſentiente cerebro cum alijs partibus moleſtę ſunt, ſi in longum protrahantur, tandem in proprium affectum tranſeunt, & cũ factæ ſunt propriæ, facilè perducunt ad apoplexiam vel epilepſiam.

De narratorum affectuum cauſis. Cap. V.

CAuſę intemperaturarum, quæ citra materiam ſunt, illa omnia eſſe poſſunt, quæ uel exterius, vel interius poteſt quoquomodo caput & ſubinde cerebrum afficere calefaciendo, refrigerando, exiccando, & humectando, de quibus cum abundè ſuperius egerimus, in præſentia alioquin non habebimus ſermonem. Earum autem, quę cum materia ſunt, ea omnia putanda ſunt, quę tum generationis eius materię in cauſa ſunt, tum ꝙ caput repleatur, hæc uero in multiplex genus cauſæ referri poſſunt. proximè quidem hę ſunt: capitis imbecillitas, uel naturalis, contracta uidelicet ab ipſo ortu, uel aſcititia, quæ ſit, uel ex aliquo incommodo, ut ex accepto vulnere, uel ex caſu, & contuſione, uel ex erroribus in uictus ratione contractis, præterea multa congeſta copia humorum, prę ſertim uero malorum, uel in toto, vel in capite, ut eſt crudus & pituitoſus, uel melãcholicus. Imbecillitas autem ſequitur aliquam cerebri intemperiem, plenitudo uero, uel cacochymia quãdoque ex erroribus in uictus ratione cõgeritur, quandoque ex intemperatura uiſcerum, & uentriculi, aut iecinoris, aut etiam lienis, ex qua multa generantur ex alimentitia materia per prauam concoctionem excrementa, quę aliqua prę ſtita occaſione in caput ferũtur, quamuis & ex uitio cerebri, ut iam diximus, ea gignantur frequentiſſime, ſed & ex cibarijs prauis prauos ſuccos gignentibus contrahitur multa cacochymia, præterea etiam ex ſuppreſſa aliqua conſueta uacuatione, ſicut per hæmorroidas, uel menſtrua, uel aliquod ulcus, aut fiſtulam, ex qua ſolita ſit expurgari uitioſa aliqua materia, uel etiam per nares, aut aures. Vnde Hippo. in lib. de ſacro morbo dixit, quod pueri qui in infantili ætate nullis in capite, uel ſecundum aures, uel etiam per uniuerſum corpus tentati ſunt ulceribus, quemadmodum ſolent lactentes pueri tentari, uel alia ratione ſint expurgati ab excrementis ex utero contractis, plurimum ſunt comitiali morbo obnoxij. 1. autem lib. com. in 6. Epid. eos Gal. magis his affectibus, Com.4. præſertim uero epilepticis eſſe expoſitos ait, qui sũt frigidiori, & humidiori, uel ſaltem humidiori cerebro: eiuſmodi enim cerebra alijs ſunt magis excrementoſa. Sunt etiam cauſæ multę externę, quę non paruum momentum habent, ad excitandos hos affectus, nam & autumnalis conſtitutio, ut 3. Aph. ab Hippo. & Gal. docemur, ob inæqualitatem, meridie Aph.22. enim calidior, manè uero, & veſpere frigidior eſt aer quę varietas iſtarum affectionum acceſſiones plurimum irritat, & calorem innatum diſſoluit. Nimius item ſomnus, atque nimia uigilia nocua ſunt, primũ enim caput humore non parum replet, alterum uires, caloris, & ſpiritus diſſoluit, pręcipuè uero cerebri. Decubitus etiam humi, uel in loco plurimũ frigido & humido, atque diutius ibi ſomnum capere, uenus quoque immodica nocentiſſima res eſt, utpote, quę neruos naturę omnes ferè infringat, maximè uires uiſcerum omnium, pręſertim uero uentriculi, & capitis labefactet, Triſtes pręterea animi perturbationes corporis uires, ut Galen. ait in arte medicinali, extermināt, porro & exercitatio a cibo aut alioquin corpore repleto, ut idem 3. Aph. tradidit, hominem in hos morbos ſolet pręcipitem agere, nec minus nimium otium, natiuum enim calórem contabeſcere facit, & proinde cruda excrementa multiplicari. Multa pręterea alia ad hoc caput pertinentia poſſemus deſcribere, quę ne nimis longi ſimus, conſulto pręterimus, tum quia ex his facilè illa percipi poſſunt, tum quia de eiſdem ſępius erit in ſequentibus ſermo habendus, unde reliquum eſt, ut ad ſigna exponenda horum omnium, eandem methodum inſequentes, quam hactenus ſumus inſecuti, tranſeamus.

De ſignis horum omnium affectuum. Cap. VI.

AFfectus, quos in uno capite comprehendimus, ſunt hi, capitis dolor, quem partim κεφαλαλγίαν partim κεφαλαίαν, tum uero Gręci ἡμικρανίαν appellant. Somnus immodicus, quem ſoporem, uel ueternum Latini, Græci κῶμα, uel κάρος, Arabes ſubeth. Vigilia immodica, quam ſahara Arabes dicunt. Delirium ſine febre cum timore, & mœſtitia, quod inſania a Latinis, a Gręcis, deducto nomine ab humore, qui delirandi in cauſa eſt, melancholia dicitur. Delirium etiam cum febre, & audacia, quod Gręci φρενῖτιν appellant. Pręterea, & κάτοχος, ſeu κατάληψις, quam Arabes, & iuniores congelationem nuncupant. Necnon & apoplexia, & epilepſia, uertigo, uel δῖνος, & incubus, uel ἐφιάλτης. Hi autem affectus, & eorum ſymptomata adeo, uel ſenſibus ſunt aperta, ut ſuperuacaneũ uideatur, uelle multa uerba facere de eorum ſignis, quibus invniuerſum cognoſcendi ſunt. Quis enim non nouit, cũ quis nimis dormit, aut dormire nequit, eum ſopore laborare, aut immodica vigilia? Ita quis eſt, modo nouerit naturam & rationé congelationis, uel catochi, qui ſi uideat aliquem iacentem rigidum, & ſine motu, apertis & non conniuentibus oculis, non uidentem, non audientem, non dicat illũ laborare morbo qui congelatio, uel catochus ſolet a medicis appellari? Vel ſi inſanientem ſine febre, timentemq;, & mę rentem abſque legitima cauſa aliquem uideat, non dicat illum melancholicum? ſi verò cum febre φρενιτίζειν, ut Gręci aiunt, ſiue ſit uera phrenitis, ſiue falſa? Et ſi aliquem in terram cadentem, & ſe concutientem totum, ſpumamque ex ore emittentem conſpiciat. non dicat illum comitiali morbo eſſe correptum? Et ſi illum ſine ullo ſenſu, & motu iacentem, & interdum cum alui deiectione, in quo tamen pulſus facilè percipiatur, non dicat apoplecticum illum? Atque ſi audiat aliquem conqueri, quod omnia in orbem circumagi uideantur, non ſtatim fateatur uertiginoſum eſſe? Incubo uerò tentari, ſi noctu dicat quodam ueluti pondere premi, ut ſe dimouere nequeat, uoceſque confuſas edat? Maius autem negotium eſſe uidetur de ſignis agere, quibus diſtinguendæ, & diſcernendę ſunt particulatim eorum differentiæ, primum quidem, quæ proprię, & primariæ ſint cerebri affectiones, & quę conſenſu aliarum partium contingant, deinde uero, ſi ſint propriæ, & primarię, quę intemperiē ſolam ſequantur citra materiam, & quę cum materia, & ſi ſine materia, quibus inditijs diſcernédę ſint, & ſi cum materia, quęnam ſit ea materia. Vt autem a primo exordiamur, id, ne fruſtra conteramus tempus in memoriam reuocandum eſt, quod prius ex Gal. ſententia 3. de locis affectis expoſuimus, nempe tria eſſe obſeruanda, ut proprij affectus ab ijs, qui per conſenſum diſtinguātur, quæ cum clarè ſint c.3.

expla-

explanata, non putamus eſſe opus, ut repetantur A hoc loco, niſi quod ſi in aliquibus particulatim, præter generales illas rationes, aliquid reperiatur priuatum & proprium, illud hoc loco, ne aliquid huic doctrinæ deeſſe videatur, addendum cenſemus. Habét autem priuatas, & proprias quaſdam ſignorum rationes, quibus, quæ per conſenſum ſunt, ab illis, quæ per proprium affectum, diſcerni poſſunt, præſertim epilepſia, & melancholia. Sed de epilepſia primum agamus. In uniuerſum ergo hac ratione, ab ea, quæ ex primario cerebri affectu euenit, differt, ut tertio [C]ap. 7. de loc. affect. ait Galen. ea quæ ex conſenſu, quod in hac non ſolent, neque ita vehementes, neque ita frequentes, & continenter fieri membrorum conuulſiones, & concuſſiones, ſicut in ea, in qua primum B laborat cerebrum, ſed potius ſunt quaſi palpitationes quędam, quam uehementes conuulſiones, & concuſſiones, & illi palpitoſi motus neque magni admodum ſunt, neque ita continuati, ſed ex interuallis maioribus. Particulatim uero cum quo membro conſentiat cerebrum, cognoſcitur, quia ſoleat alicuius alterius particulæ præcedere aliqua læſio, per quam percipi poſſit particulam illam proprio aliquo laborare affectu, & quia frequentius cum uentriculo conſentit in hoc morbo caput, ideo de ipſo in primis ſermonem habeamus, ſolet itaque, ut teſtatur Paulus, in uentriculo palpitatio præcedere, eiuſque conturbatio, interdum faſtidium, & morſus. Præterea uero ex inedia irritatur hic affectus, cum C in longius protrahitur hora accipiendi cibum. Cum uero ex uermibus concitatur morbus comitialis (ſolet autem frequentiſſimè ex uermibus concitari in pueris) apparent prius ea ſymptomata, & ſigna, quæ uermes adeſſe ſignificant. At uitio uteri fieri, & commoueri ſuſpicandum eſt, uel alioquin genitalium partium, cum aut menſes ſuppreſſi ſunt, aut, quod uiduis cęlibem uitā ducentibus nonnunquam contingit, ſemē prolificum retinetur. Ex alijs etiam [Ca]p. 1. partibus, ut eodem 3. de locis affectis tradit Galen. poteſt noxa inferri cerebro, vnde excitetur epilepticus motus, quemadmodum & nos alias obſeruauimus, & medici antiqui, & iuniores meminere, nam & a pede aut crure, vel a pollice pedis, & ut Auic. D teſtatur ſe uidiſſe, ab humero, & a dorſo, commoueri poteſt cauſa iſtius ſymptomatis. Percipiunt autem qui inde afficiuntur, moueri aliquid, quod a parte illa quaſi diſcedēs ſerpit paulatim uerſus caput, quod ubi pertigerit, ſtatim correpti eo malo cadunt, multi enim dicunt, ſe ueluti auram quandam frigidam aſcendentem percipere, alij ueluti uaporem: quidam quaſi formicas. Referā autem quid uiderim, & ego alias. Fui accerſitus ad uiſendum puerum agentem duodecimum annum, qui uexabatur comitiali morbo, & paulò antequam ab acceſſione corriperetur, percipiebat a pede aliquid, quod tamen neſciebat, quale nam eſſet exponere, ad genu aſcendere, mox ad coxam, indeq́ue paulatim ſerpens ad caput per- E tingebat, & ſubinde ſtatim ille cadebat, neque per octauam horæ partem aliquid ſentiebat. Illud autem propterea illi euenerat, quod cum ipſe, & pater eius ſcabie laborarent abſque corporis expurgatione, inuncti erant facili, & vulgari linimento, cōfecto ex reſina laricina, ſale, ouiq́ue uitello, & ſucco limonum, & a tertia unctione puer cœpit percipere aſcenſum illius rei, pater uero palpitationem quandam in dextero brachio, & quaſi ſaltum rei cuiuſdam per muſculorum partes. Quamobrem pater ſtatim ab unctione ſe continuit, ac paulatim deſijt ea palpitatio, uir enim, & ualidior erat: puer uero & tenerior, infirmiorq́ue, ſed & ipſe tandem aliquot poſt annos uarijs remedijs, & ſeruata commoda ui-

A ctus ratione, ab eo morbo liber euaſit. His ergo in primis cognoſcere poterit diligens medicus, quando per conſenſum alterius membri cerebrum hoc malo tentetur, alioquin enim, cum nullę eiuſmodi notæ apparuerint: cenſendum erit, proprium eſſe capitis affectum. In ſignis tamen epilepſiæ, uel apoplexię poni poſſunt uertigo, & incubus, præſertim uero cum ex proprio capitis affectu fuerint excitati, nam tandem in epilepſiam, uel apoplexiam, cum inueteraſcunt, ſolent tranſire. Sicuti autem non parum refert epilepſiam cognoſcere, quę ſit proprius cerebri affectus, & quę eo cum alio conſentiente, fiat, & quas proprias, & priuatas notas habeat, quibus id diſcernatur, ita & inſaniam uel melācholiam, B cum & ipſa ſua habeat propria ſigna, quare & hæc exponere ad noſtrum hoc negotium pertinebit. Nō autem tot ſunt partes, cum quibus poteſt in melancholico affectu cerebrum conſentire, quot in epilepſia, quamuis enim Arabes plures differentias conſenſus cōmenti ſint in melancholia, ut legenti Auic. patere poteſt. Nā & a iecinore, & a liene, & ab utero, & ab alijs quibuſdam partibus fieri conſenſum putarunt, nos tamen longè pręſtantius Græcos antiquos ſenſiſſe exiſtimamus, qui in tria tantum capita omnem rationem iſtius morbi retulere, uidelicet in proprium affectum, in conſenſum a toto, & in eum, qui fit a uentriculo, & uenis pertinentibus ad meſenterium, quę differentia hypochondriaca, uel fla- C tuoſa a Græcis, myrachialis uero ab Arabibus, dicitur. Quamuis autem uideantur hi diſſentire, ſi tamen quis uelit rem diligenter examinare, utrorumq́ue eſt eadem ſententia, licet interpretationis modo differant, neq; enim Græci ſenſere non poſſe melācholicum affectum fieri uitio lienis, uel iecinoris, uel ex ſuppreſſis menſibus, uel hę morrhoidibus, vel id genus alijs, quorum meminere Arabes, id enim expreſſiſſimè Gale. fatetur particulatim de liene 5. de loc. affe. ait enim quòd ſi in aliquibus lien a proprio munere deficiat, nimirum quia uel iecur a melancholico humore, illum attrahendo, non expiet, uel ſi attrahat, illum per cōgrua loca non excernat, aut redundat in uniuerſum corpus is humor, & ſpi- D ritus inficit per uaporem inde ad caput delatum, aut in uentriculum effunditur, & uomitu ab eo eijcitur ſuperius, aut inferius per inteſtina excernitur; uel ſi eiuſmodi excretiones ſupprimantur, illi melancholica mœſtitia tentantur. Vnde ſi quod Galen. de liene particulatim expoſuit, uelimus ad alias particulas transferre, vt ad iecur, vterum, hæmorrhoidas, & cor, uidebimus, quòd & ſi prima occaſio ab his petenda ſit, attamen non trahunt cerebrum in conſenſum melācholicum, niſi quatenus is humor, aut in habitum totius corporis regurgitat, aut ad uētriculum effunditur, aut in caput fertur, ita ut cerebrum corripiēs propriè, & primario ipſum afficiat. Et ideo Græci omnes alios modos in hæc tria capita E redegere, proximas cauſas reſpiciētes iſtius affectus, non remotas, quamuis diſtinctioris doctrinæ cauſa, Arabes etiam non malè fecerint, qui omnium meminere, ſed de his ſatis. Tranſeamus modo ad ſigna exponenda, quibus capita hęc diſcernenda ſunt, pręter ea, quę prius in uniuerſum ex Gal. diximus de ratione diſcernēdorum affectuum primorum, & per ſe ab ijs, qui ſunt per conſenſum, & primum ea examinemus. quæ pertinent ad melancholiam, uel inſaniam per conſenſum, nam ſi conſtabit non eſſe per cōſenſum, facilè ſtatuere poterimus eſſe per primarium affectum. Quod ergo ex conſenſu cum toto corpore caput hoc morbo laboret, cognoſcemus, primum ſi naturam, & habitum totius corporis cōſideraucrimus, ut enim ait Gal. 1. de differ. feb. ma-

Cap. 1.

ximum momentum ad procreãdos morbos habet corporis aptitudo, & præparatio: ergo qui ſuaptè natura plurimum generant humoré melancholicum, hi facilè eo diſtributo in habitum totius corporis, ab affectu melancholico corripiuntur, hi vero ſunt, qui gracili ſunt corporis habitu, ac qui ſicciores, & duriores carnes habent, & qui venas magnas, & nigras, quiq; hirſuti ſunt, hi tandem omnes, vtpote qui calida & ſicca ſint temperie, facilè aſſato, exuſtoque ſanguine, plurimum generant melancholicũ humorem. Ita & qui nigriori ſunt colore, vſtionis enim inditium eſt color ille: deinde vero ruſi, poſt hos flaui, hi ſiquidé omnes copioſam gignunt bilem, quæ facilè, ſi illi occaſio præſtetur, cur aduratur, in humorem melancholicum vertitur. B Et ſicuti iſti ad congerendum melancholicum humorem faciliores ſunt, ita qui pingues, & albi ſunt, alieni, & remoti ex ſua natura ſunt a melancholicis morbis. Deinde vero & hoc examinandum eſt, nempe quam victus rationem ſeruare ſit ſolitus in anteactis temporibus ille, qué curandum ſuſcepimus, nempe ſi eã victus rationem qui hoc tẽtatur affectu, ſit ſequutus. quę habuerit vim exſiccandi plurimum corpus, vt ſi fuerit immodicis laboribus, ſolicitudinibus, vigilijs, inediave confectus: imo & venus immodica validè exſiccat. item cibi & potus, quibus eſt vſus, cõſiderandi ſunt, nimirum ſi illi ſint apti gignendo humori melãcholico & ſanguini craſſiori, vt legumina, braſſicæ, carnes veterum animalium, aſinorum, leporum, cuniculorum: C præterea & ſalita & eſcæ, quæ calefaciendo ſanguiné vrere poſſunt, vt ſunt, quæ vulgo acrumina dicuntur, & aromatum vſus plurimus, vinaq; potẽtia, & antiqua, ſed & nigra, craſſa, noua, & turbida, ſunt gignendæ melãcholiæ idonea. Non parũ etiam proderit ad hoc percipiendum conſiderare, an tempus anni, vel conſtitutio ea præceſſerit, quæ in cauſa eſſe potuerit, cur multus is humor fuerit genitus, ſicuti ſi aut plurimum æſtuoſa præceſſerit æſtas, vel annus inæqualis, & autumnalis fuerit. Præterea an ægritudines quæ ſolent copioſum relinquere congeſtum humorem melancholicum, præceſſerint, vt diuturnæ, & autumnales febres faciunt, item & ardentes, cum ſanguis ab eis aſſetur. D Nullum autem ſignum certius eſt, quàm id, quod experientia oſtendit, illud vero eiuſmodi eſt, vt ſi venam ſecemus, præſertim verò mediam, vel nigram, atque ſanguinem effluentem conſideremus, nam ſi craſſus, & ater effluxerit, totum eo ſanguine repletum eſſe demonſtrabit, & totius conſenſu concitatum fuiſſe eũ affectum, at ſi tenuis, & clarus, aliunde petenda eſt ratio ipſius. Nec hoc ſolum ad cognitionem proderit, verum longè etiam magis ad curandi rõnem: nã ſi ſanguis ater fuerit, & illum, vel copioſum detraxeris plurimum iuuabis, ſed ſi tenuis, & clarus, plurimum officies. Hac ergo ratione cognoſcendus erit affectus totius conſenſu excitatus. Quod aũt cõſenſu ventriculi fiat hic morbus, vt cognoſcamus, E nonnulla alia ſunt obſeruãda, & quamuis proxima quidem cauſa, cum actiones cerebri vitientur, quotieſcunque id non fit conſenſu totius, fit ex offenſa ventriculi, qui continet vitioſum humorem, attamé non ſemper, immo fere nunquam humoris in vẽtriculo generatur, ſed in aliqua alia particula, & poſtea ab ea, vel proximè, vel per alias medias particulas effunditur in ventriculum, proximè quidem à liene, & iecinore, & venis meſenterij, per has autem particulas ab vtero, præſertim vero cum menſes ſupprimuntur, aut purgationes à partu: quamuis etiam hæ partes poſſint melancholiam afferre cõſenſu totius, videlicet cùm multa generatur copia iſtius humoris, qua toties corporis venæ replentur, ob vitium ali-

A quod iſtorum viſcerum. Cognoſcemus autem primam occaſionem melancholiæ ortum habuiſſe à iecinore, vel liene, uel utero, ſi ad ea uiſcera reſpicientes, percipiamus per propria ſigna, de quib. ſuo loco, hoc eſt, cum de affectibus illarum particularum tractatio inſtituetur, aliquem morbum earum præceſſiſſe, ſicuti eſſet aliqua intemperatura, aut obſtructio, aut aliud id genus. At uero id melancholia illa, quæ ab inflãmatione, & obſtructione venarum per meſenterium diſpertitarum ortum habet, quam hypocondriacam, uel flatuoſam Græci, myrachialé uero Arabes, & iuniores noſtri appellant, ſigna propria habet, quæ Gal. 3. de locis affect. ex Dioclis ſen- Cap.
tentia expoſuit, ea uero ſunt, primũ conſpicua læſio B actionis uentriculi, concoctionis nimirum, quę tarda eſt, & difficilis, præterea multa humiditas, quę in comedendo ab ore profluit, ructus acidi, & acidus etiam interdũ uomitus, inſuper & fluctuatio, & anguſtia in uentre inferiori, flatus plurimus in eodem excitatus gurgitatio. Quod ſi præterea, & lienoſi fuerint, ſignum quidem id erit hypochõdriacæ affectionis, ſed quæ ex liene habuerit initium, à quo melancholicus ichor in ventriculum effunditur, ut 5. de lo. affect. inter initia refert Galen. Hac ergo ratione cognoſcendus eſt melancholicus affectus, quando ex conſenſu fit. Et cum medicus diligenter obſeruãs nihil horum deprehenderit, pro certo habere poterit, cerebrum proprio affectu laborare, & hæc qui- C dem ſatis (ni fallor) eſſe poſſunt, quantum pertinet ad ſigna, quibus particulatim differentiæ tum epilepſiæ, tum melancholiæ diſcernũtur. Reuertamur igitur ad generalem horum omnium rationem, poſteaquam enim de ſignis egimus, unde eliciuntur differentiæ acceptæ à natura varia diuerſorum humorũ exuberantium in corpore, à quibus quidé, aut fouentur, aut concitantur omnes ferè hi morbi, de quibus hactenus tractatum eſt, ſiue illi pendeant ab intemperatura cerebri, abſque vlla materia, ſiue ab ea, quæ cum materia eſt, præterea etiam quonam pacto materiæ diſtinguendę ſunt per ſigna propria, reliquum iam eſt, ut de ratione hos eoſdem affectus curandi ſermonem habeamus.

D

De ratione curandi affectus capitis per generalem rationem. Cap. VII.

OPportunum ergo in præſentia fuerit, ut iam cõſtituamus, vel potius exponamus methodum, qua rectè, & ex rõne curandi ſint capitis morbi, methodus uerò, ut antiquiores medici, pſertim vero Gal. ſumpto tamen iſtius rei initio, & quaſi fundamento ex decretis Hippo. docuere, ex indicationibus oẽm rõnem ſuam deducit, quę quidem & ſi uarię ſint, & à uarijs rebus deprompte, cętere tamen omnes in duas illas primas, & principes referuntur, videlicet in naturam morbi, & naturam E tum laborantis corporis, tum particulę malè affectę. Nam & ſi ętas, conſuetudo, tempus anni, & aeris conſtitutio, & locus non contemnendam, & ipſa habeant indicationem, attamen hęc omnia eatenus conſiderantur, quatenus exquiſitiorem, & exactiorem nobis afferunt notitiam naturę tam morbi, quàm corporis morboſi. Porro cum in ſuis actionibus ſemper medicus ſibi ſcopum aliquem proponat, quem & in uictus ratione conſtituenda, & in vſu medicamentorum, & aliorum tandem quorumcumque remediorum ſpectet, rationalis quidem medicus ſcopos, quos intueatur, aliunde non petit, niſi à nuper expoſitis indicationibus, pro quarum diuerſitate diuerſos etiam conſtituit ſcopos, unde ubi uaria rerum indicantium natura, ibi & uaria cõ

ſurgit methodus. Sed redeamus ad inſtitutum noſtrum primarium, & reuocemus in memoriam expoſitam iam methodum, qua ſcrutabamur tres illas differentias affectuum capitis, preſertim vero eorũ, qui intemperaturas ſequuntur, neque enim de capitis vulneribus, aut vlceribus in præſentia tractationem inſtituimus, ſed de illis duntaxat affectibus, qui ab humoribus, & intemperaturis concitantur. Diximus autem quod aut ab intemperatura cum materia pendent, aut ab ea, quæ nullam materiam adiunctam habet, quod Gal. 2. de comp. med. ſec. loc. unico exemplo docuit, uidelicet cephalalgiæ, hoc eſt doloris capitis, qui interdum ſequitur calidam intemperaturam contractam, uel ab externa, uel ab interna cauſa per ſimplicem tranſmutationem, uel alterationem, ut loquuntur iuniores, ſine illius humoris conſortio, uel affluxu, interdum uero non ſola excitatur intemperies, ſed & eſt affluxus, & preſentia materiei, uel humoris, qui continenter fouet, & ſeruat eam intemperiem. Vnde ſicuti diuerſa eſt horũ affectuum natura, ita diuerſa eorum curãdorum ratio, uel methodus, ſemper enim methodus rei naturam ſequitur. Agamus itaq; primum de ratione affectuum, qui in ſola intemperatura ſine materia cõſiſtunt, utpote quæ ſimplicior, & facilior ſit. At uerò & hoc genus tot differentias habet, quot ſunt intemperaturarum differentiæ, ſunt autem quatuor ſimplices, ut ſuperius fuit expoſitum, & quatuor compoſitæ ex ſimplicium complexu, niſi fortaſſe, ut prius diximus non tot ſint, quæ ad dolorem capitis pertineant, quia humida intemperies, quantum ad ipſam pertinet, cum citra materiam nos corripit, nullius doloris in cauſa poteſt eſſe, ſicca autem ſola aliquem poteſt efficere, ſed non inſignem: frigida uero & calida, uehementes & ualidos. Quamuis autem in uniuerſum hæ intemperaturæ, quæ ſine materia conſiſtunt, unam hanc communem rationem habeant, quod ſicuti materia carent, & in ſola mutata naturali temperatura conſiſtunt, ita etiam ad priſtinum, & naturalem modum reuocandæ ſunt ſine ulla uacuatione, quatenus uidelicet ad ipſas pertinet, nam aliquando, ſi corpus aut ſanguine, aut alijs humoribus plenum fuerit, uacuabimus, non propterea, quod uacuatio poſſit intemperaturã, quæ citra materiam ſit, tollere, ſed quia timemus, ne capite ex uitiata temperie facto imbecilliori, & ad id humoribus affluentibus, quæ ſine materia fuerat intemperatura, in eam, quæ cum materia ſit, tandem euadat. Solis uero illis remedijs curantur hæ intemperaturæ, quæ corpus tranſmutare ad contrariam qualitatem poſſunt, particulatim tamen, ſicuti illæ ſunt inter ſe diuerſę, immo & aduerſariæ, ita & uarias, & inter ſe aduerſarias habent indicationes, uarios idem ſcopos, & uariam aduerſariamque remediorum rationem.

De ratione curandi affectus ortum habentes ab intemperie calida ſine materia, ſiue cum dolore fuerint, ſiue ſecus. Cap. VIII.

SEd tandem ſingillatim de ipſis agamus, ſumpto initio a calida intemperatura, & quia illa plerumque ab externo aeris ęſtu accenſo a calore ſolarium radiorum, aut ignis, aut eiuſmodi alijs ortum habet, ideo de hac pręſertim agamus. Nemo autem eſt, licet inſulſus ſit, qui non perſpiciat, quod ſcopus, quem ſibi proponit medicus, ſit, eſſe refrigerandum, refrigerantia autem, aut exterius ſunt adminiſtranda, aut interius aſſumenda. Sed prius de illis dicemus, quæ interius ſunt ſumenda, quę partim ad rationem uictus pertinent, ſicuti præſertim ſunt cibi, A & potus, partim uero ad medicamenta, ut ſyrupi, decocta, appellatæ confectiones a iunioribus noſtris, & cætera, quæ nunc vulgo electuaria appellant, de quibus in uniuerſum tantum in præſentia ſermonẽ habebimus, quia magis particulatim poſterius agemus, quando de curatione intemperaturæ calidæ cum materia erit habendus ſermo, hoc ſolum particulatim expoſito, quod ut Gal. ex Appollon. ſententia dixit ſecundo de comp. med. ſec. loc. in his, quæ poſſunt hos lædere, qui calida intemperie laborant, eſt uſus uini in potu, maximè uero calidioris, & potentioris, deinde ſol, & loca calidiora, calida item balnea, pręterea excandeſcentia, clamores, animi etiam perturbationes, & mentis concitatiores mo- B tus. Contra uero, animi, & corporis quies, & ſomnus, & cibi etiam ſubtractio proſunt, facilè enim caput, cum calidius eſt, ex multo cibo repleri poteſt attractis nempe multis inde uaporibus præ calore. Sed & uentris uacuatio utilis erit, non tantum medicamentis, quantum procurando, ut lenis ſit aluus, & ſuas habeat conſuetas deiectiones, aut quotidie, aut de more illius, quę procuratio ſit per cibos aptos id præſtare, uel per glandes, uel per clyſteres lenientes, nam è uaporibus ab excrementis retentis, & ſuppreſſis malè habere caput ſolet, ut nullum ferè eſſe crediderim, qui in ſeipſo hoc aliquando non fuerit expertus, proderit etiam uerſari in loco, qui perſpiretur, & commodè perfletur, & hæc quãtum C ad rationem uictus, & medicamenta interius accipienda ſatis eſſe uelim, poſteaquam de his exquiſitius in ſequentibus erit inſtituenda tractatio. De illis uero remedijs, quę exterius ſunt adminiſtranda, ut ſunt perfuſiones, uel, ut Græci aiunt, embrochæ, fomenta, illitiones, emplaſtra, & cerata aliqua, in præſentia ſummatim tantum, & breuiter dicemus, ſi prius tamen ſcopos expoſuerimus, quos in compoſitione, & electione, & uſu remediorũ oporteat intueri, qui omnino ab indicationibus petẽdi ſunt, ſicut illæ a natura affectus, ita tamen, ut non ſolum ſimplicem & nudam eius naturam reſpiciamus, uerum qui affectus ipſam, ac eius cauſam ſequantur, alioquin enim aliqua interdum ſequuntur cauſam, D quæ illum affectum procreauit, quibus niſi occurramus, ea poſſunt plurimum lędere, & curationẽ difficiliorem, morbumque grauiorem reddere. Vnde in hoc propoſito negotio conſiderandum, quod in intemperie cerebri ab ardore ſolis, uel a ſimili aliqua cauſa contracta, ſoleant hæc etiam incommoda concitari, nam quamuis nobis propoſuerimus curandam intemperiem calidam internarum partium capitis, quæ ab externis cauſis ortum habuit, cum eſt citra conſortium alicuius materiæ, uis tamen caloris ea eſt, ut quamuis corpus plenum minimè ſit, cum enim plenum eſt facillimè trahuntur materiæ a toto calefacientibus cauſis, & repleto capite, non eſt amplius ſine materia impreſſa intempe- E ratura, ſed tranſit in eam, quæ eſt cum materia, ſemper tamen, quantumlibet uacuum ſit, aliqua uaporum fiat attractio a ſuppoſitis partibus. Præterea & humiditates, quæ in capite ſunt, funduntur, & in uapores diſſoluuntur, ex quibus diſtenduntur membranæ, & dolore premuntur, & non parum læduntur. His ergo omnibus conſulendum eſt, ſed & ex intemperatura calida laxiores fiunt particulæ, atque ita imbecilliores, ac quaſi eneruatæ redduntur. Erunt ergo hæc omnia conſideranda, unde erit neceſſe, ut remedia apta huic curationi aliquam uim repellendi habeant, aliquam etiam digerendi, & præterea robur particulis addendi, repellunt autem, ut ſæpius audiuiſtis, frigida, quę aliqua aſtrictione prędita ſunt, digerunt uerò, quæ aliquem habent,

ſed moderatum calorem, quæ præterea, & concoquunt, & dolorem leniunt. Hi itaque ſunt in hoc affectu communes ſcopi, uidelicet eſſe repellendum per refrigerantia cum aliqua aſtrictione, digerendum, ac aliquo modo concoquendum per ea, quæ modeſtè calefaciunt, atque roborandum per aliqua aſtringentia: Neque tamen hi ſcopi ſemper eandem vim habent: nam repellendi ratio maximè uiget in initio, digerendi uerò parum: mox autem & digerentia miſcéda ſunt, & quo vlterius res procedit, eo digerentibus magis opus eſt, minus verò repellentibus. Non minores autem, vel pauciores ſunt ſcopi, qui ab indicatione, quæ depromenda eſt ab affecta particula offerũtur: nam ſicut natura affectus nobis indicat qualitates, & facultates remediorum affectui tollendo accommodandorum: ita quantitatem earum facultatum, vel menſuram, & modum ea adminiſtrandi, & locum, cui ſunt adhibenda, nobis ea indicant, quæ ad naturam laborantis particulæ pertinent. Quod.n. modum, ſeu menſuram qualitatũ, & facultatum remediorum oſtendat natura particulę, manifeſtum eſt: quia curatio eſt reductio partis laborantis in ſuum naturalem, & priſtinum ſtatum: oportet ergo, vt remedia ſint potentia lapſam temperiem ad naturalé, & priorem reſtituere: vnde quo maior fuerit receſſus, eo potentioribus remedijs erit opus. Præterea ſi locus affectus in alto exiſtat, cum difficilior ſit aditus ad interna remedijs, quorum vires in itinere ex aliqua parte diſſoluuntur ab intermedijs particulis: ideo hac de cauſa neceſſe aliquanto fortioribus rebus & intenſioribus vti, vt cum eo quo ueiendum eſt, peruenerint, tantam vim ſeruét, quanta neceſſaria eſt ad remouendũ morbum. Vnde ſæpe in his neceſſarium eſt illis vti, quæ tenui conſtant ſubſtantia, vt tenuitate ſuarum partium citius, & facilius intermedium ſpatium penetrent, quo.n. diutius morantur in itinere, eo exoluũtur magis eorum vires. Si quæ aũt particulæ hoc egent, ſunt quæ inter caluariam continentur: nam durities, & denſitas caluariæ, eiuſq; craſſities plurimum obſtant tranſituris medicamentis, & proinde cogimur immiſcere illis, quæ neceſſaria ſunt ad curationé, ea, quę quãuis alioquin potius nocerent, ſuæ ſubſtantiæ tenuitate citius aliorum vires ſecum in profundum rapiãt, ſicuti imprimis eſt acetum, quod ſuaptè natura nullã vim habet leniendi dolorem, ſed magis irritandi, cum tamen tenuiſſima ſua ſubſtantia facillimè penetret: ideo remedijs ad dolorem capitis id immiſcemus. Tertio etiam natura, vel conſtructio particulæ affectæ locum oſtédit, cui apponenda ſint remedia. Vnde omnia localia remedia iu affectibus, tum cerebri, tum membranarum eius ſyncipiti adhibemus, ſiue perfuſiones, ſiue illitiones, ſiue cataplaſmata, vbi & rarior eſt caluaria, & peruia per coronalem appellatam ſuturam. Quibus in uniuerſum ita expoſitis agamus & particulatim de remedijs localibus appellatis, quibus vſi poſſimus ſuccurrere ægrotãtibus, qui correpti ſunt ab intemperatura calida ſine materia, ſiue cum dolore ſit, quod plerunque accidit, ſiue abſque dolore, vt tamen ſemper pręmiſſis limitationibus generalioribus eas ſubiungamus, quæ magis particulatim negotium propoſitum reſpiciant. Eſt ergo aduertendum, quatenus pertinet ad ſcopos ſuperius expoſitos, ꝙ primus & præcipuus eſt, refrigerandum eſſe: ſed is quaſdam requirit diſtinctiones & limitationes neceſſarias ad rectã curandi rationem. Primum.n. cum duplicia ſint refrigerantia medicamenta, quædam.n. frigida actu ſunt, ut aqua frigida & nix, vel glacies, alia vero poteſtate, vt papauer, lactuca, mãdragora, & id genus reliqua, poſſumus aũt vtraq; ratione in his affectibus refrigerare, uidelicet & remedijs actu frigidis, & ijs quæ poteſtate refrigerant, ad actum aũt a calore natiuo particulæ deducuntur, non eſt autem in vtrorunq; vſu par ratio: nã ſi actu frigidis utamur, & illis quantum fieri põt magis frigidis, rectè faciemus, & ex ratione, & id ex cauſis iam dictis. In trãſitu.n. exoluitur eorum qualitas ab innato partium calore, vnde præcipiunt Gal. & cæteri probati auctores ex niue, aut glacie, aut ex frigidiori aqua refrigerandas eſſe perfuſiones, & linimenta, quæ in hoc affectu ſunt capiti adminiſtrãda: non eſt autem eadé deinde ratio ſeruanda in his medicamentis, quæ poteſtate frigida ſunt, nam illa quantum fieri poteſt, fugienda ſunt, quæ adeo inſigniter refrigerant, vt ſoporem inducant, & ſtupidũ membrum reddant, hæc enim maximè cerebro, & neruorum initio, cæteriſque internis in eo facultatibus noxia ſunt, talia uerò ſunt opium, ſuccus mandragorę, alterci, vel hyoſciami. Vnde Galen. ſecundo de comp. med. ſec. loc. hæc quatenus fieri poteſt eſſe declinanda cõſuluit. Quod ſi aliquis quærat, cur magis nocua ſint, quæ poteſtate ualidam habent refrigerãdi uim, non auté ita, quæ frigidiſſima ſunt actu. Reſpondere hoc inde eſſe, quod quę actu frigida ſunt, dum ab innato calore tranſmutantur, tepeſcunt, & miteſcit eis calor, quę autem poteſtate frigida ſunt, donec omnino ſuperentur, & diſſoluantur a natiuo calore, ſemper maiorem uim refrigerãdi habent ab eo reddita actu frigida. Quod autem diximus, hęc frigida remedia requirere, ut aliquid habeant aſtringétis facultatis, intelligendum eſt, quod non inſignem aſtrictionem habeant, ſed eam dumtaxat modicam, & leuem: nam ſi ualidè aſtrinxerint, duplici ratione oberunt, primum quia conſtipatis & obſtructis meatibus, per quos difflatur corpus, & uapores perſpirare ſolent, hi retinentur, & repleto capite morbum adaugent: deinde, quia difficilior ſit tranſitus medicamentis ad internas particulas. Vnde & in ſimilibus affectibus, neq; ſuccus ſolani, neque ſuccus acerbæ vuæ, ſi illis ſimplicibus & impermixtis utamur, ſunt apta medicamenta huic negotio ob nimiam aſtrictionem. Sed ſi aliorum refrigerantium, quæ leuiter aſtringant, nobis deſit copia, acceptis refrigerantibus aſtringendi facultatis expertibus, aliquid horũ, vt aliquã aſtrictionem addamus, illis admiſcebimus ut particulatim paulo poſt exponemus. Sed tandem medicamenta aggrediamur, quæ noſtro huic negotio accommodari poſſunt, nõ tamen omnia (nimis enim prolixi eſſemus) ſed quæ præſtantiora ſunt, & paratu faciliora, magiſque ab antiquis laudata, in his autem præcipuum eſt oleum roſaceum perfuſum capiti, addito modico aceto, ſi modo id oleum roſaceum, quòd maximè ſit aptum præſenti rei, accipiamus, & quantum ſatis ſit aceti immiſceamus, & ea ratione perfundamus, quam requirit iſtius rei natura, cum.n. uarij ſint modi, quibus ſolitum ſit roſaceum confici, præſertim uerò antiquis illi téporibus, nã interdũ accipiebant oleum, cui, dũ ab oliuis exprimebatur, ſal illi addebatur: interdum uero roſis quædã addebant aromata, nullum horum nobis in hac curatione congruum eſt, ſed id tantum, quod eſt cuiuſcunque mixturæ expers, præter quam roſarum, & eſt alioquin omnino ſimplex. atque ſi ſit omphacinũ oleum ex immaturis oliuis expreſſum, magis erit cõmodum, præſertim uero inter initia, quando dicebamus repellendum in primis eſſe: etenim oleum hoc & frigidius eſt, & aſtringentius, quàm ex maturis oliuis, maturum enim alicuius caloris particeps eſt. Vnde in omphacino maior eſt repellédi uis in maturo uero maior digerédi, & leniendi, & proinde omphacinum initijs magis congruit, cum uerò morbus inueteraſcere incęperit, roſaceũ maturum,

quod

quod in præſentia iuniores roſaceum completum appellant, poterit eſſe vtile. Sed & ex copioſis roſis in eo maceratis confici debet; ita enim & magis efficax erit. Præterea vero & illud accipiendum roſaceum, quod & ipſum ſit recenter confectum, & ex nouo oleo, ita videlicet, vt non excedat primum annum, quia oleum, cum inueteraſcit, fit calidius, Sed & aliquid de aceto dicamus, quod quidem additur, vt ſuarum partium tenuitate faciliorem præſtet roſaceo tranſitum: quo auxilio magis omphacinum oleum eget, vtpote quod ratione, qua magis aſtringit, & frigidius eſt, craſſioris eſt ſubſtãtiæ, & ineptioris ad tranſitum: neque tamen acetum illud, quod addẽdum eſt, ſit plurimum acre; quia multa acrimonia non eſt ſine alicuius caliditatis participatione. Si vero quæras, quotupla pars aceti ad oleum addenda ſit, Gal. quidẽ in libello de med. para. facil. ait, communiorem, & moderatam menſuram eſſe, vt quarta pars aceti ad oleum addatur: quod ita tamen accipiendum eſt, vt non hæc menſura ſit ſemper in omnibus exquiſitè ſeruanda: nam pro diuerſitate occaſionũ, ætatum videlicet, temporum, naturarum erit varianda, vt aliquando plus, aliquando minus ſit addendum: in his enim qui teneriores ſunt, qui minus craſſum, & ſolidum corpus habent, minori etiam aceti copia opus eſt: qui vero durius, & denſius, maiori. Modus vero perfuſionis eſt, primum ut oleum cadens ex elatiori loco in caput delabatur: ita enim facilius penetrabit, &, vt diximus, actu frigidius factum, quod fieri poterit: deinde, vt quam diutius poteſt, moretur, neque ſtatim diffluat: ita enim magis imprimet. Id autem fieri facilè poſſe, oſtendit Gal. ſi fiat veluti corona ex linteo panniculo, aut ex uellere lanæ contortis, quæ capiti impoſita illud circundet ex anteriori parte, ubi definit pars capillata, ex lateribus ſupra aures, ex poſteriori uero aliquantiſper à uertice uerſus occiput declinet: per hanc ergo quaſi coronam conſequemur omnia hæc commoda, primum oleum perfuſum longiori tempore loco perfundendo hærebit: deinde reliquæ partes, quæ ea perfuſione non egent, defendentur, ne ab occurſu frigidioris medicamenti lædantur. Hoc ergo eſt medicamentum, quod alijs omnibus prælatum eſt a Gal. 2. de med. com. ſec. loc. qui teſtatur ſe, vbi eius copiam habuit, nunquam alio fuiſſe uſum, ſed hoc ſolo omnes curaſſe: præſertim in illis corporibus, in quibus nullus erat timor, ne læderentur a frigidiori medicamento: ſicuti in mulieribus præſertim illis, quæ ſunt molliori, & teneriori corpore, & quæ albæ ſunt, & in otio viuunt: timendum quãdoque eſt, quia in eis non eſt tanta uis innati caloris, vt maiori frigori poſſint reſiſtere, & facilè horum inſigniter refrigerantium uſu is affectus in contrarium, & deteriorem poſſet tranſire. Sed & eunuchi, & pueri eandem habent rationem: primo enim de comp. med. ſecundum loc. cutem eunuchorum, & puerorum ſimilem eſſe cuti fęminarum ait Gal. effeminantur. n. corpora, vt idem atteſtatur 5. Aph. cũ caſtrantur. Sed & pueri vim ingentis frigoris ſine noxa non ferunt, non ob infirmitatem & inopiam caloris, ſed ob corporis teneritudinem: in eis enim non modo alia, verum & oſſa ſunt teneriora. Cæterum roſaceo oleo ſuccedit in præſtantia chamæmelinum: quod & ſi non habeat tantam efficaciam, tutius tamen eſt in prædictis, qui non perferunt tantam refrigerantium uim. Modus tamen idem eſt, quo hoc oleo uti oportet, ſicut roſaceo; nempe ut refrigeratum ex aqua frigida, uel niue, uel nocturno aere frigido, & factum actu frigidum perfundatur. Vbi eſt conſiderandum, vt omnis tollatur in his dubitatio, quod oleum chamęmelinum poteſtate qui-

A dem calidũ eſt, eius tamen calor tẽperatus, & quaſi tepidus eſt, eiuſmodi aũt calor, vt 5. de fac. ſimp. me. docet Gal. neq; calidis multum obeſſe poteſt, neq; frigidis multum prodeſſe, unde cum actu frigidum perfunditur, actuali & aſcititia frigiditate, cum leui aſtrictione, & tollere calidam intemperiem ſtatim poteſt, & vim etiam repellendi habet; mox autem cũ ad actum deducitur a corporis calore, moderato ſuo & naturali calore poteſt vim tueri natiui caloris refrigeratæ particulæ, & illum aliquantiſper fouere. Quia verò medicina ea ars eſt, quę nullis, ut in prin. de med. para. fac. dixit Gal. addicta locis, ſed ubique poteſt vires ſuas oſtendere, ſi nullam horum oleorũ copiã haberemus; interdum enim per mare, per lo-

B ca inculta iter facimus; quomodo ergo tunc ſe gerat medicus? Si ſimplicium medicamentorum facultates, & naturam probè tenuerit, nunquam illi remedia deerunt; nã alijs deficientibus, ſola aqua frigida, immixto modico aceto uti licet, & ſi aderit, aliquid aſtringens, poterit illius portiuncula adiungi. Poſſunt etiam variæ herbę uenire in uſum, uel exuſtæ, uel decoctæ, quarum ſuccus, uel decoctum perfuſum idem præſtabit. Vnde cognitis facultatibus ſimplicium medicamentorũ, & illis cum iam dictis ſcopis collatis, uel ſimplicibus utentes, uel commiſcentes poterimus laborantibus ſuccurrere. Inter refrigerantes herbas citra quidem aſtrictionem ſunt lactuca, ſẽperuiuum; adeò autẽ leuis aſtrictionis

C ſũt endiuia, & alia cichoreacea, ut cũ his recẽſeri poſſint, item & lenticula, quę oritur in aquis, & paludibus. Inter fructus verò ſunt cucumer, cucurbita, & melo indus, quem anguriam noſtri appellant; quorum ſuccis, uel decoctis, ſi ſit aliquid aſtringens addendũ, in prõptu erunt mala, uel pyra aſperiora, vel meſpila, uel ſorba, uel cotonea mala, uel corna, uel teneræ ſummitates rubi, uel folia pyrorũ, uel malorum, uel capreoli vitis, uel folia oliuæ, & id genus ſexcenta; pręterea ſuccus mororũ, tam quæ ſycomori, quàm quę rubi dicuntur. Verùm quia ad medicũ non ſolum pertinet pręſentem curare affectum, ſed & a futuro tueri, & cauere. Ideò Gal. ex ſententia Eraſiſtrati cuiuſdam remedij ſatis facilis, & in prom-

D ptu meminit, quo poteſt quis citra capitis inſignem noxam iter facere, & diu ſub radijs ſolaribus in magnis æſtibus uerſari, quod tale eſt, pręcipit ille ut ſpõgiam latam, cauam, denſam, aqua prius demerſam, & madefactam probè, deinde expreſſam capitique impoſitam, dum ſub ſolaribus radijs uerſamur, feramus, vt tamen cum illa fuerit exſiccata, iterũ aqua ſimili perfundatur modo. Aliqui ſunt, qui dum ſub radijs ſolaribus, aut diutius ſtare, aut incedere coacti ſunt, ſub pileo ſudarium aliquod, aut linteum paniculum imponunt capiti, ita tamen pileo appenſum, ut non incumbat capiti, & hac ratione radiorum ſolarium iniuriam arcent.

E *De ratione curandi affectus capitis in frigida intemperie conſiſtentes ſine materia.*

Cap. IX.

SIcuti ex externis cauſis, vt ex ardore ſolis, ex igne, ex calidioribus ueſtibus capiti impoſitis ſolent concitari tum capitis dolor, tum uerò aliæ affectiones, quæ in ſola intemperatura calidiori conſiſtunt citra ullam materiam; nam cum materiam etiam habent, id potius ex corporis apparatu euenit, quod plenum eſt, quàm ex ratione externæ cauſę, a calore enim liquefacta, uel attracta excrementoſa materia mox eſt tanquam illius intemperiei, ita ab interna cauſa ſępius fiunt morbi ex intemperie cum materia, pari quoque ratione ab exter-

nis

nis cauſis, vt ab aere frigidiore, tum ob frigidam conſtitutionem, tũ ob tempus anni, vel ob regionem, & locum in quo verſatus eſt ægrotans detecto nec munito capite, itemque a frigidioribus vẽtis, vt ſunt boreales, a niuibus & glacie, & id genus alijs ortum ſolet habere frigida intemperatura: vnde ſicut contraria eſt intẽperies priori, & a cõtrarijs cauſis ſuã habens originem: ita & vt contrariam curandi rationem habeat, opus eſt. In vtraque tamen citò laborãti opportunis remedijs occurrẽdum, nempe anteaquam inueteraſcãt, quo enim magis inueteraſcũt, eò magis in habitum penè conuerſæ curatu difficiliores fiunt. Nec modò hac ratione hi affectus conueniunt, ſed & alia: nam & ſi natura ſint inter ſe aduerſarij, tamen in eadem particula cõſiſtunt: & proinde & ſi contrarias indicationes, & ſcopos habeãt, quæ ab affectus natura petendæ ſunt, eaſdem tamẽ habent; quæ a natura affectæ particulæ ſunt depromendæ: vnde contrarijs quidem, quantum ad eorũ qualitates pertinet, remedijs egent: eundem tamen modum ea adminiſtrandi requirunt, & eundem locum, cui ſunt adhibenda. Nimirum ergo medicamẽta, quæ inquirenda ſunt in curando hoc affectu, vim facultatemque calefaciendi habere oportet, & ut actu calida perfundantur; ſed habita deinde ratione particulę, in qua ob ſuarum partium denſitatem, & duritiem non patet facilis tranſitus medicamentis ad interiora. Vnde quamuis calida frigidis facilius penetrent, tamen hic etiam opportuniora ſunt ea medicamenta, quę tenuem ſubſtantiam, tenueſque partes habent. Quare ſicut in priori affectu opportuniſſimè oleo roſaceo, vt diximus, parato & commodiſſimè vſi ſumus, ita in hoc oleo rutaceo actu calido maxima cum vtilitate caput dolens, vel alioquin frigidiori intemperie affectum perfundemus: hoc enim docuit nos Galenus primo libro artis curandi ad Glauc. At ſi id non videatur ſuffecturum, maioriq; ope calefacientium egere; aliquid addendum eſſe, idem ſecundo lib. de comp. me. per lo. docuit, quod calefaciendi uim habeat in tenui ſubſtantia, ſicut ſunt caſtoreum, vel euphorbium, vel piper tritum ex ſimplicibus, vel compoſita, quæ ſimilem habent facultatem, ſicuti ſunt confectiones ceratorum, vel aliorum medicamentorum, quæ deſcriptæ ſunt a Gal. in lib. 2. de comp. med. per gen. quæ diapiperon, hoc eſt ex piperibus ab eo inſcribuntur. Tandem vero, quia hi neque in promptu ſunt, neq; facilè paratæ his temporibus repetiuntur: ideò poſſunt pulueres diatriompipereon immiſceri, nec hac modò ratione ſuccurrere laborantibus hoc affectu nos Galen. docuit imitatus Apollonium, & alios antiquiores Medicos; verum & alia, nimirum ut oleis, vel vnguentis odoratis nares interius illiniamus, aut eadem in aures inſtillemus. Vapores enim, in quos diſſoluuntur hæc, interius ad cerebrum elati id calefaciunt: propterea quod cum ad actum deducuntur ea medicamenta per neruos ad hæc organa pertingentes, calefaciunt cerebrum. Multa verò Galen. commemorat vnguenta pretioſiſſima, quę tunc erant in vſu, quibus nunc caremus, Poſſemus autẽ in præſentia vti, uel laurino oleo, vel illo, quod ex ieſemino paratur, vel quod ab iſtis vnguentarijs ex varijs aromatibus conficitur: item fieri poteſt ex ſampſucho, quem nunc maioranam appellant, ex menta, ex ſiſymbrio, vel pulegio, vel ſerpyllo, vel ex id genus alijs. Sed & balneæ calidæ noſtro huic negotio non eſſent inutiles, neque motus & exercitatio: immo & vinum aliquod, quod calidum ſit, & tenuium partium, cõferre poteſt, quamuis in priori intemperie calida eſſet plurimum nocuum: & Apollonius in hoc etiam uini potũ interdicit, & tandem omnia calefaciendi vim habentia. Apollonius autem, & cibum ſubtrahendum in utriſque his intemperaturis præcipiebat, & corpus eſſe inaniendum, & id, ne ſuccreſcente materia vel in uentriculo, vel in toto corpore, ab ea poſtea hi affectus foueantur, & curatu reddantur difficiliores, tranſeantque in eam, q̃ cum materia ſit, intemperiem: fit enim ex intemperatura, cũ fuerit inſignis, caput, & cerebrum imbecillum, ut facilè poſtea ab alijs partibus recipiat excrementa: immo & ea, cum præterea & dolor adſit, attrahuntur eò ui doloris. In frigidiori autem capitis intemperatura, ſolius vacuationis meminit Galen. quam per uomitum Medici ſolent moliri, & id propterea quia plurimum ventriculus conſenſu cerebri per eius neruos labefactatur, unde multæ congeruntur cruditates in ventriculo, quæ mutuo harum partium conſenſu poſſunt affectum hunc fouere. Nos hactenus de ijs medicamentis, quę ſimpliciora ſunt, & paratu faciliora egimus, quæ tanquã exẽpla propoſuimus: nam horum ratione percepta, & ea ad alia relata, ſemper tamen ſcopis iam expoſitis ante oculos habitis, aliorum etiam uſum, & opportunitatem percipiemus. Semper enim ea eligenda ſunt, quæ calefaciant, & tenui conſtent ſubſtantia; hac habita diſtinctione, ut ſi recens ſit affectus, leuioribus, & ſimplicioribus, tanquam curatu faciliorem tractemus: ualentioribus uero, cum fuerit inueteratus, & quaſi in habitum tranſierit; nam ad alia utiliora, & quę ſolent frequentius Medicis negotium faceſſere, tranſire cogitamus; hoc tantum huic ſermoni addito, quod fuerat ſuperius prętermiſſum, quod ſcilicet ſecus ſe habet res in curãda frigida hac intemperie, quàm in calida: quia in calida oleum eligebamus immaturum, vt magis refrigeraret: in hac uero, quod maximè maturum eſt, tanquam id, quod ſit calefactioni aptius. Ex quo colligitur, quomodo paranda ſint olea, vel cętera medicamenta huic affectui accommodata.

De ratione generali curandi affectus capitis, qui cum materia ſunt. Cap. X.

QVicunque affectus non in ſola, & nuda intemperatura conſiſtunt, ſed materiam eam fouentem, & a qua dependent, perpetuo habent, non ita ſimplicem, & facilem habent rationem curationis: immo ex pluribus indicationibus uarios ſcopos nobis oſtendentibus conſtitutam, ſicut & plures ſunt res, quę non paruam uim habent indicandi. Quamuis enim qualitate, & intemperatura primum multi lędant, nonnulli uero, ut iam expoſuimus, quales ſunt apoplexia, & epilepſia, quę præſertim accidit ex primario cerebri affectu, magis corpore & copia, quam qualitate materię, replendo videlicet eius uentres, officiunt: in utriſque tamen ratio eadem eſt, cum enim in utriſque & intemperies ſit, & materia, & hęc ambo ſint res pręter naturam, & nocuę, ambo indicant, quod auferendę ſint ope medici naturam iuuantis. Cumque hęc ita ſe habeant, quod intemperatura, quam fouet, & ſeruat materia, nequit tolli, niſi materia prius tollatur: oportet ergo ab ablatione materię curationem, quãtum ad hoc pertinet, auſpicari. Quãtum ad hoc pertinet, diximus; quia unum pręterea conſiderandum eſt, q̃d materia hęc quę affectũ capitis, quem curare inſtituimus, fouet, aut in ipſo capite genita eſt, aut alibi genita, & inde impulſa caput occupauit, & ſi aliũde impellitur, uel a toto, uel ab alia parte, quę ea ſit repleta. Pręterea uero & hoc inſpiciendum, an adhuc in toto, uel in alia particula ſimilis generetur, ob id quia adhuc cauſa generationis illius duret, uel

omnis

omnis cauſa eam generandi deſierit. Nam ſi multa
contineatur materia in toto, uel in aliqua alia parti-
cula, à qua hæc quæ eſt in capite, fomentum habeat,
ſi hanc detrahere voluerimus, nec vacuetur prius to
tum, aut particula, à qua fouetur materia noxia in ca
pite, & cauſa tollatur, ſi illa adhuc adſit, per quam ge
neratio fit iſtius materiei, fruſtra laborabimus, ea er-
go omnia tollenda ſunt, quibus quidem ablatis, ſi re
liqua ſit intemperatura, illi poſtremo occurrendum
eſt. Hæc itaque eſt generalis methodus curandi non
modo hos capitis morbos, de quorum curatione in
præſentia agimus, verum & oẽs alios, qui ab aliqua
mala materia ſunt excitati, in quacunque corporis
particula ſint excitati, quam ex libris cum Hippo. tũ
vel maximè Gal. depromptã vobis expoſuimus, quæ
& ſi veriſſima, & apertiſſima ſit, ſola tamen non ſuf
ficit medicum in agendo, & operando dirigere, niſi
particulatim magis illam limitemus, determinemuſ
que. Eius autem determinatio petenda eſt imprimis
quantum ad rationem eorum inſtrumentorum ſpe
ctat, quibus nos vti oportet in illis peragendis, quæ
ab hac methodo nobis fuerunt indicata, à diuerſa
natura earum materierum, quæ euacuandæ ſunt, &
à natura partis, à qua, & per quam ducenda eſt mate
ria, quam vacuare oportet. Diximus autẽ materias, à
quibus capitis, vel cerebri affectus ortum habent,
quia illæ multiplices ſunt, & variæ, aliæ enim corpo
ratæ, & craſſioris ſubſtantiæ ſunt, ut humores, qui-
bus conſtat, & alitur corpus, quique & bonæ, & ad-
uerſæ ualetudinis, ſi uel ſecundum naturã, vel præ-
ter naturam ſe habuerint, in cauſa ſunt, nempe ſan-
guis, pituita, bilis flaua, & bilis atra, & præterea ſero-
ſus humor, aliæ vero tenuem, & vaporoſam ſubſtan
tiam habẽt, ut ſunt vapores, & flatuoſus ſpiritus. Sed
prius de ijs detrahendis humoribus, qui humoris for
mam adhuc ſeruant, non de illis, qui in uaporoſam,
vel flatulentam ſubſtantiam iam ſunt conuerſi, ha-
bendus eſt ſermo, primumque de uacuanda plenitu
dine calidorum humorum, deinde uero frigidorum
agendum, calidi vero ſuapte quidem natura, & pro-
prio calore ſunt ſanguis, & flaua bilis, aſcititio, &
præter ſuam naturam, ſalſa pituita, & bilis atra ex
aſſatione, vel exuſtione ſanguinis, vel flauæ bilis ge-
nita, quæ calorem exuſtione contractum adhuc ſer-
Cap. uat, & tandem, vt diximus ex Gal. omnis humor, cũ
Com.43. putreſcit. Sed agamus primum de ſanguinis detra-
ctione, & aliorum humorum, qui eandem rationẽ
cum ſanguine ſeruant. Vobis forſitan hæc particu-
la obſcurior uidebitur, utpote quia nondum ſit ex-
poſitum, qui ſint alij humores, qui eandem rationẽ
cum ſanguine ſeruant, ſed eam explanabo. Nam ex
planatione digna eſt, vt illã Gal. 4. de tuenda ſanitate
expoſuit, partim uerò 3. li. com. in 6. Epid. Humores
illi dicuntur eandẽ cum ſanguine rationem habere,
quantum ad modũ vacuationis, qui non plurimum
à ſanguinis natura receſſere, ſed receſſus is maior, &
minor triplicem poteſt modum habere, primũ qui-
dem in generatione prima ipſorum humorũ, alterũ
in corruptione, tertium in mixtione. Quo autẽ mo-
do humores in prima ſua generatione plus minuſve
recedant 4. de ſanitate tuenda declarat Gal. qui ſan-
guinem tanquam tẽperatiſſimum humorem ĩ alio-
rum omnium medio collocat, & tanquam illum, ad
quem cęteri omnes referuntur, & eſt veluti aliorum
menſura, & finis, à quo omnes alij humores recedũt
tẽperie, & natura, bilis quidem flaua, quia nimis fer-
uida eſt, & calens, pituita, quia nimis frigida, & hu-
mida: bilis atra, quia ſiccior, & frigidior. A ſangui-
ne ergo alij omnes, tanquam ab ipſo medio, & à cen
tro lineæ, recedunt, neque tamen par eſt cuiuſcun-
que bilis receſſus à ſanguine: nam alia magis, a-
A lia minus; quò enim feruet, & quaſi ardet ma-
gis bilis genita, & acrior eſt; eo etiam magis remo-
ta eſt à natura ſanguinis: quo uerò mitior, & minus
feruens; eo magis ad naturam ſanguinis accedit: Ita
& pituita, quò frigidior eſt, & craſſior, crudiorque;
eo & remotior: remotiſſima enim ea eſt, quæ vitrea
eſt appellata, quam crudum humorem Philippus
vocauit; mox quæ acida; deinde quæ inſipida: pro-
pe ad ſanguinis naturam ea accedit, quæ dulcis eſt:
quo ergo magis humor à natura ſanguinis recedit,
eo etiam minùs ad ſanguinem attinet. Per corru-
ptionem uerò, cum ex ſanguine, vel per putredinẽ
corrupto, uel per aſſationem generantur humores,
poſſunt plus minùſve à natura ſanguinis recedere,
B quod à Gal. docti ſumus tertio lib. in 6. Epi. vbi di- Com.43
xit Hipp. quòd aliquibus ſanguis opportunè mitti-
tur; alijs uero non, quem locum explanans Gal. ait,
expedit aliquibus ſanguinem mittere, quibus ſcili-
cet is copioſus eſt, & nondum ad naturam alterius
humoris conuerſus: non conuenit autem in quibus
ſanguis ad naturam alterius humoris conuerſus eſt
inſigni mutatione. Ecce ergo, quòd cùm in alios
humores ſanguis conuerſus degenerat, aliquando
plurimum recedit à propria natura ſanguinis, ali-
quando minus: ſicut autem à ſua natura receſſit; ita
etiam ab eius ratione, & conditione in modo, &
forma uacuationis euariat. Per mixtionẽ uerò, qua-
tenus humores plus, minùſve ſunt uel ſecreti, uel
C mixti cum ſanguine, nam rationi conſonũ eſt, quòd
cum humores morboſi non ſunt omnino ſecreti à
ſanguine, ſed cum eo commixti, ſimul cum ſangui-
ne facilè vacuentur. Sed ſtatim quæres, quomodo
diſcernã has humorũ aliorũ differentias? quando à
ſanguinis natura recedunt? aut quando ſecus? Si de
horum plenitudine in uniuerſo corpore loquimur,
docuit Gal. hoc diſcernere præſertim, & præcipuè
ex virium robore quarto de ſanitate tuenda; quia
nequit fieri, vt vbi ſit multa humorum copia, qui
plurimum à natura ſanguinis receſſerint, ſeruentur
vires robuſtæ, & ualidæ: utpote quia earum uniuer-
ſum fundamentum eſt in ſanguine. Poſſumus tamẽ
& his colorẽ urinarum, & ſubſtantiam addere, ſolẽt
D enim illę qualitatem, & naturam eorum humorum
oſtendere, qui in venis continentur, cùm ſeroſa pars
humorum per vrinam excernatur. Si ergo vrina &
colore, & ſubſtantia non multum euariet ab ea, quę
craſſa & rubra eſt, ſanguinis abundantiam oſtendit,
& ſignum erit humores nõ eſſe à ſanguinis natura
plurimùm recedentes: hoc idem ex tumore venarũ,
& earũ colore; pręterea ex colore uniuerſi corporis
dignoſci poterit. Hæc ergo erunt obſeruanda, ſi de
vniuerſo corpore ſit habendus ſermo: verùm ſi de
plenitudine alicuius certæ particulæ, ſicuti capitis,
virium robur non tantùm ſignificabit, ſed potius e-
ius particulæ color, & venæ, ſicut in noſtro hoc ne-
gotio facies, & oculi ſunt obſeruandi, & eorum co-
E lor aſpiciendus; tùm etiam venæ in eis notandæ, an
plenę & tumidæ; ſi bene colorata ſit facies; ſi potius
calida, quàm frigida. Cùm ergo ex prędictis omni-
bus obſeruantibus fuerit iudicatum, materiam, quæ
ægrotanti in ſupra enumeratis morbis negotiũ fa-
ceſſit, aut ſanguinem eſſe, aut proximè ad naturam
ſanguinis accedere, ſanguinem detrahere medicus
cogitabit. Multiplex autem ratio eſt detrahẽdi ſan-
guinem ex humano corpore. Aliquando enim per
eam vacuationem, quæ ſenſibus conſpicua, & aper
ta eſt, fit eius detractio, nempe per venæ ſectionem
per inciſas cucurbitulas, per hirudines. Interdum
verò ſanguis detrahitur, ut & quarto de ſan. tuen.
docuit Gal. & quarto de ratione vict. in mor. acu. &
in lib. de curan. ratione per ven. Sect. euacuatione,
quæ

quæ ſenſum latet, ſicut per inediam, vel tenuiorem A victum, aut per corporis exercitationem, aut per frequentes, & ualidas frictiones, aut per balneas frequentes, hæc enim omnia vim habent, digeſto in aerem, & euaporante humore per hæc inſtruméta attenuato, multitudinem imminuere. Verùm in his capitis interioris affectibus alia eſt ratio, quàm fuerat in cutis affectibus, quorum tractationem in pręcedenti libro fecimus, quia ſaltem ratione præſtantiæ, & nobilitatis particularum, quæ his morbis ſunt obnoxiæ, aut ſtatim à principio ſunt magni morbi, qui eas corripiunt, quemadmodum ſunt cerebri, vel membranarum inflammationes, aut maximum imminet periculum, ne in magnum morbum tráſeát, ſicuti uehementes capitis dolores, qui facilè, facto B capite imbecilliore, & attractis vitioſis humoribus ad ipſum, præſertim ſi uniuerſum plenum fuerit, ad inflammationem terminari poſſunt, incubus verò, & vertigo ad epilepſiam, & apoplexiam. Vnde quia vacuationes, quæ ſenſus latent, multam plenitudiné nequeunt, niſi longiori tempore detrahere, ratio vero imminentis periculi non poteſt plerunque tantam pati moram, proinde, modo vires illæ ſint, eaq; ætas; quam deſcripſit Galen. paſſim, vbi de hac re ſermonem habuit, conſultius eſt, immo neceſſarium mittere ſanguinem ſecta vena, niſi tamen tales fuerint, qui ægrotant, vt non admodum tutum ſit illis ſanguinem mittere, quia corpora exanguia habeãt, vt mulieres illæ ſunt, quæ albæ ſunt, & laxas, mol- C leſque carnes habent, quibus cùm ciere menſes vellet, non eſt auſus Gale. venam tali, vel poplitis ſecare, ſed inciſionibus, vel ſcarificationibus, vt dicunt, ſcalpello in cruribus factis ſanguinem, quantum illi viſum eſt, detraxit. Ita, & qui præpingues ſunt, & nimis etiam gracili corpore, quare & nos in ſimilibus idem facere poterimus. Sed quia maiorem vim habent, & euacuandi, & reuellédi ea, quę timemus, ne in caput ferantur, ſcarificationes, aut ſupra nates, aut in ſcapulis moliamur, ac mox cucurbitulas affigamus, ideo in capitis affectibus niſi ſuppreſſio mé-ſium pręceſſerit, eis in locis inciſiones facimus, & cucurbitulas affigimus. Et Auic. quoque huic remedio, vbi de cucurbitulis agit, adſtipulatur, eas enim D vicarias phlebotomię appellat. Reliquum auté eſt, vt exponamus, & ex qua uena ſecta in omnibus affectibus capitis ſecundum communem eorum rationem ſit ſanguis mittendus. In hoc autem non parum diuerſi videntur auctores, qui in hac arte ſunt celebres. Galen. ſiquidem, & reliqui Gręci eum ſecuti pronunciare ubique videntur, ut in libro de rati. cur. per ſect. ven. & primo libro commen. in ſexto Epidi. innumeriſque alijs locis, in capitis affectibus venam humeralem ſecandam in cubito eſſe, quam cephalicam Arabes, & iuniores noſtri appellant, nec aliam, niſi cum illa nequit à chirurgo reperiri, tunc enim coacti ea neceſſitate, uel mediã, vel interiorem ſecari conſulunt. Auicen. tamen pri E ma tertij, & Mes. in capitis curandis morbis, non ita abſolutè hanc ſententiam proferunt, quòd vbi ſit opus ſanguinis miſſione in his affectionibus, ſit vena humeralis, vel cephalica ſecanda: immo maiorem uidentur diligentiam huic rei adhibuiſſe, & plures diſtinctiones cogitaſſe, ſicuti etiam animaduertere plures eſſe ſtatus, & conditiones corporum, quorum caput malè affectum eſt. aliquando enim abundantia ſanguinei, & calidi humoris, qui excitauit, aut dolorem, aut alium affectum in capite, atque ipſum iugiter fouet, caput ſolum occupauit, & partes vicinas pertinentes ad ipſum caput, aliquando ea humorum plenitudo non ſolum capiti propria eſt, ſed communis interdum cum thorace, &

A alijs particulis, quę in thorace contentę ſunt, nonnunquam etiam per vniuerſum corpus diſperſa eſt, neque huiuſcemodi diſtinctio Arabum inuentum eſt, ſed ea Galen. quoque quarto de tuend. ſanit. vtitur. Ea itaque poſita diuerſas venas ſecandas pro uaria conditione loci, in quo eſt hęc humorum plenitudo, & pro magnitudine plenitudinis, & pro temporis ratione, quo mittimus ſanguinem, affirmant, quia ſi iam ad locum affectum, aut omnino, aut maxima ex parte fluxerit humor, qui morbum fouere poteſt, neque in alijs particulis aliqua ſit humorum repletio, de qua timendum ſit, ne in caput feratur, poterit medicus tutò, & ex ratione ſectis uenis proprijs, quę in capite ſolent ſecari, ut eſt uena frontis, B uel in occipite, uel poſt aures appoſitis hirundinibus, ſanguinem mittere, & eo, quantum uideatur ſatis eſſe, detracto laboranti ſuccurrere. Sola enim uacuatio, quam particulatim ex affecto loco molimur, poteſt noſtro ſatisfacere inſtituto, ſi res ita, ut diximus, ſeſe habuerit. Quod ſi maior fuerit plenitudo, & non modò uideatur eſſe opus vacuatione pręſentis, & defluxę materię, ſed alterius, quę uel in pręſentia fluit, uel timemus ne fluat, quia & alia pars ex ijs, quę ſupra clauiculam ſunt, repleta eſt, & non ſolum ſit opus uacuatione, ſed & reuulſione, ut uidelicet impetus fluentis humoris alio conuertatur, tunc incidenda erit uena humeralis, uel cephalica, communior enim, & generalior erit hęc C uacuatio, qua partes capiti uicinę poſſunt uacuari, & deorſum reuelli ſucci, qui alioquin ſurſum ad locum affectum efferri poſſunt. At uerò ſi repletiora ſint uiſcera, & partes, quę ad inferiorem uentrem, uel etiam thoracem attinent, ut inde plus ſit timendum, uena interior, quam baſilicam uocant, erit ſecanda, hac enim ſecta, ut tradit Gal. quarto de ratione uict. in ac. morb. membra pręcipua, quæ infra collum, & clauiculam ſunt, facilius, & citius inaniuntur. Quòd ſi pariter tam ſuperiora, quàm inferiora plena eſſe uideantur: media, quę & nigra dicitur, erit ſecanda, utpote quia hęc ex coalitu utriuſque uidelicet humeralis, & axillaris ſit. Vnde ſuperiores, & inferiores partes poteſt euacuare, & pręterea à D capite ad interiores partes fluentem humorem auertere. Addit autem Auic. quòd ſi plus detrahere uolueris, ſeces uenam propè talum, uel in poplite, quam ſaphenam appellant Arabes. Mes. uerò de morbis capitis curandis ſermone inſtituto, addit his limitationibus in capite de uertigine, & in capite de phrenitide, quòd hęmorrhoidum prouocatio plurimum in omnibus utrorumque affectuum differentijs prodeſt. Et, ſi quidem uelim ingenuè, ut ſentio, rem explanare, mihi quidem uidetur methodus hęc, quę ab Arabibus nobis traditur, non eſſe abſurda, ſed plurimum etiam rationi conſona, immo quamuis Gal. paſſim, ubi iſtius rei meminit, uideatur ſtatuere in affectibus capitis, & earum partium, E quę ſupra iugulum ſunt, ſtatim ſecandam eſſe uenã humeralem, uel cephalicam, & id apertè, & lucidè: attamen ſi hoc decretum, uel pręceptum cum alijs generalioribus uarijs in locis ab eo deſcriptis conferre uelimus, eaque ſimul componere, percipiemus fortaſſe id Gal. ſententiæ non aduerſari, nec illi repugnare. Nam rectè quidem docet Gal. quòd laborante capite, ſi ad eas indicationes reſpiciamus, quas ſub hac ratione uigere uidemus in eius affectu, neque aliud pręterea adſit, quod ſua alia priuata indicatione ſubripiat, uel pręripiat illis indicationibus locum, procul omni dubio uena cedenda eſt humeralis, ratio uerò in promptu eſt, quia ratio, & natura remediorum à natura morbi petenda eſt. Morbus ergo mittendum, uel non mittendum eſſe ſanguinę

indi-

indicat:ſed vndè mittendus ſit, vel ex qua vena nobis natura particulæ affectæ præſcribit: quia, ſiue vacuare, ſiue reuellere velimus, huic operi magis idonea erit vena, quæ maiorem habet cum ea parte communionem: nulla autem eſt vena ex ijs, quæ ſecari ſolent, quæ maiorem connexionem cum capite habeat, quàm humeralis. At verò, cum nō modo capitis, verum uel totius, vel alterius particulæ, a qui bus fouetur morbus capitis, rationem maiorem, & priorem habere eſt opus: tunc conuertenda eſt eadem ratio ad totum, vel ad eam particulam, quæ obſtat, quo minus poſſimus capiti conſulere, niſi ipſi primò attendamus: pari ſiquidem ratione euacuandum indicat plenitudo, vnde uerò, aut totum, aut al tera particula: ita tamen, vt ſemper etiam caput reſpiciamus, nempe vt illi nō obſimus, ſed potius proſimus. Quare auſpicabimur euacuationem ab alicu ius venæ pertuſione, quæ & totum poſſit inanire, & à capite fluentem humorem auertere: ſicuti uerbi gratia, ſi ex ſuppreſſis menſibus, uel ſanguine ab hæmorrhoidibus ſolito fluere, aliquis capitis affectus concitetur, vt eſt, vel capitis dolor, uel uertigo, vel inſania, vel phrenitis: & res ſit in principio, dū fluit adhuc materia, & in motu eſt: quis eſt adeo ſtolidus, qui velit ſtatim humeralem venam, uel aliam ſuperiorem eſſe ſecandam? & confeſtim ad venas pedū, vel tibiarum, aut ſecandas, aut, vt aiunt, ad loca illa ſcarificanda, vt inde ſanguis detrahatur, non confugiat? alioquin enim etiam magis concitabitur motus materierum ad ſuperiora. Ita ſi fomentum à iecinore, & locis ad illud attinentibus ob eorum plenitudinem pendeat, cur non ſtatim ea vena erit per tundenda, quæ & citiſſimè poteſt fomentum illud ſubtrahere, & preterea euertere fluentem humorē, cū deorſum fiat ea tractio? & præterea aliquid ex capite detrahatur? quia, vt Gal. teſtis eſt, undecunque ſanguis detrahatur, tandem uniuerſum corpus ea pertingit euacuatio. Vnde idem etiam vna harū non reperta, alteram ſecandam conſulit. Immo ma ximè quarto de tuen. valetud. cum hac Arabum me thodo videtur conſentire. Et quod de uenis pedum Arabes aiunt, à Gal. ex li. de ratione cur. per ſec. uen. deſumptum eſſe videtur: ubi ait, quòd cum ſanguis ineunte vere mittitur alicui, qui ſit ab aliquo morbo corripi ſolitus, vt eum tueamur, antequam morbus inuadat, conſiderandum eſt, an ſit ſolitus aliqua certa particula potius affici; an verò morbus is ſoleat totum corpus capere, ſicut arthritici, qui omnibus laborant articulis, nam ſi totum pariter ſit obnoxium illi affectui, undecunque ſanguis detrahitur non multum refert, undecunque enim poteſt totum exinaniri. Sed in quibus præcipuè pars quæpiam ſolita eſt aliquo incommodo tentari, non ita expedit ex quacunque parte ſanguinem detrahere, ſed ita hi ſunt tractandi, ſicuti illi, qui laborare incipiunt. Quapropter ait Gal. podagricos ex cubito euacuato, vertiginoſos vero, & comitiali morbo obnoxios potius ex cruribus. Ecce ergo quàm apertè voluit, quod in principijs, cum nunc primum laborare incipiunt vertiginoſi, & epileptici, qui ſecundum caput omnino laborant, vacuandi ſunt ex ſis venis in cruribus, ſicut podagrici, dū dolere cœperint, cęſis illis, quæ in cubito cædi ſolēt: ſed de his ſatis. Poſtquam autem fomentū omne à toto, uel inferioribus partibus detractum fuerit, niſi morbus deſierit, procurādum deinde erit, vt ea materia, quæ iā in cerebro recepta eſt, particulatim vacuetur, cui poſtea vacuationi deſeruit & ſectio venæ frontis, & hirudines poſt aures affixæ, quibus cadentibus, aliquando ſatis inſignis ſanguinis copia effluit, ſi fricando nō permittatur circa foramen concreſcere,

A ſolebant etiā antiqui è uenis in naribus fere dilaceratis ſanguinem detrahere. Tranſeamus nunc ad aliā tractationē, & agamus quonā pacto alia ratione in capitis affectibus poſſimus uti, ſi opus ſit; propterea quia uel affectus ipſe nō requirat miſſionem ſanguinis, vt pote quia ab alio humore ſecreto à ſanguine ſit excitatus, vel quia ſanguis aut ratione ætatis aut tēporis, aut regionis, aut quia uires corporis id non uideantur poſſe perferre, mittendus non ſit. Si quidem natura morbi non indicet ſanguinē mitti oportere, per medicamenta erit uacuandum, vt in ſequenti capite oſtendemus in præſentia uero, id ſolùm tractādum, qua ratione inſtituenda ſit curatio, quando educere ſanguinem poſſumus, aut quia ui-

B res non putamus ſuffecturas miſſioni ſanguinis, aut ætas vel tempus non prohibent, aut quia ipſe ægrotus prę luxu, & animi mollitie non permittit, ut vena ſecetur. Itaque ſi viribus laborātis diffidimus alia ratione auertendus & reuellendus erit impetus humoris, qui in caput fertur, vt Gale. Romanam illam mulierem ſe tractaſſe quinto methodi teſtatus eſt; quæ ſanguinem è ſpiritualibus membris ob catarrhum è capite ſtillantem expuerat, qui quidem, cum ea per aliquot dies ieiunaſſet, haud auſus eſt illi ſanguinem mittere; uerùm alia inceſſit via, peper- Cap. 13.
cit enim alijs uacuationibus, præter quàm acrioribus clyſteribus, poſtea uinculis atque frictionibus, cum extremis partibus, tum etiam uniuerſo corpo-

C ri, excepto capite, adhibitis, ea ratione & corpus vacuauit, & reuulſionem molitus eſt. Quod ſi non ob imbecillitatē, ſed potius ob animi mollitiem à ſanguinis miſſione oportet abſtinere, agendum erit, ut Gale. quarto de tuen. ſanit. docuit aluus ſcilicet ducenda liberalius erit, ſi id fieri facilè poterit, aut me- Cap. 4.
dicamentis, aut, ut diximus, clyſteribus acrioribus; & id quidem, ſi uires liberalem alui deiectionem poſſint ferre, ſed ſi illæ imbecilliores uideantur, mediocris deiectio erit adhibenda, at his quidem indulgendum ita eſt in illis affectibus, qui neque præcipites, neque admodum acuti ſunt, ubi nullum alioquin imminet periculum, niſi longioris curationis, ſi miſſio ſanguinis prætermittatur, ſed in valdè

D acutis, in quibus præceps eſt occaſio remediorum, præceps etiam uitę periculum, quemadmodum eſt in inflammationibus partium capitis cerebri, aut eius membranarum, ut ſunt phrenitis, & lethargus, quę curari non poſſunt, niſi valentioribus, immo valentiſſimis remedijs, ſtatim illis occurrendū, quia vbi hę firmatę ſunt, & ad inſigne incrementum deuenere, fixàque iam materia, & firmata eſt in loco affecto, non amplius curationis ſunt capaces, & ſæpe in ſpatio horarum vigintiquatuor ſtabilis, & fixa ſit materia, in his itaque non eſt iocandum, ſi me mores ſumus Hippocraticę ſentētię quarto Apho. Cap. 10.
in peracutis morbis eadem ipſa die, qua incipiunt, eſſe medendum, quia in talibus malum eſt differre.

E Neque minus uera eſt ea ſententia, ſi ad ſectionem venę referatur, quàm ſi ad purgationem per medicamenta, vt eam retulit Hipp. morbi enim, ut ſunt acuti, ita ſunt uelocis motus, & proinde, niſi cito illis medicus pręſentaneis, & ualidis remedijs occurrat, fruſtra deinde laborabit, quia interim natura à morbo ſuperabitur, nam ut idem teſtatus eſt pri mo. Aph. extremi morbi non niſi extremis reme- Aph. 6.
dijs vinci poſſunt, in his ergo omni ratione conten dēdū eſt, ſecari venā permittāt. Sed dices tu, ſi uero à ſanguinis detractione abſtinendum eſt, aut quia viribus non confidamus, aut quia ętas non ferat quid erit agendum? Quantum ad primum pertinet, in his affectibus adeo acutis, ut dixit Gal. primo Com. 8.
Prorrh. ſi eſt ſpes aliqua ſalutis, cum in alijs acutis

mor-

morbis, tum uel maximè in phreniticis, & lethargicis, ea eſt in virium robore ſita; nam & à perpetuis vigilijs vrgētur, & plurimis etiam à delirio acti, motionibus exagitantur; quæ non minus de uiribus detrahunt, quam vacuationes, unde in quibus inſignis eſt virium infirmitas, deſperata fere ſalus eſt. Quod ſi ea non ſit adeo inſignis, ut non poſſit aliquod remedium perferre, conſiderandum an affigi cucurbitulas cum inciſione, an hæmorrhoidas aperiri potius expediat, hæc enim minus vires labefactant, quod ſi nec iſta moliri audeamus, agēdum eſt frictionibus, ligaturis, glandibus per ſedem iniectis, clyſteribus, & id genus reliquis, quæ minus poſſunt vires infirmas reddere. At ſi propter ætatem à miſſione ſanguinis deſiſtimus, cùm duplex ſit, ętas quæ repugnare poteſt ſanguinis miſſioni, videlicet ſenilis, non quidem prima; quia viridis, & prima ſenectus, quantum ad ætatem pertinet, & ſi non ita copioſum ſanguinem ſibi mitti poſſit perferre, ſicuti vigens & virilis; non tamē obſtat, quin extrahi poſſit copia etiam moderata; ſed ſecunda, & decrepita ſenectus omnino aliena eſt à venæ ſectione; ut pote in qua neque omnino uires poſſunt eſſe admodum fortes, vt tamen & hoc ſit addendum, quod ratio harum duarum ſenectutum non ſolum ex annorum numero ſit accipienda, uerum etiam non minus ad naturam, habitumque, & robur corporis reſpiciendum, quod & Gal. in libro de cur. rat. per ſect. ven. teſtatus eſt; qui enim habitu pleniore ſunt, & venas amplas, & tumidas habent, nam tum hoc, tū verò corporis rubicundus color, & fortis pulſus copiam ſanguinis multum in ea etiam ætate oſtendunt, facilè ad ſeptuageſimū uſque annum ſanguinis detractionem ferre poſſunt, cum alijs ne ſexagenarijs quidē illum mittendum conſulerē, ſicuti illis qui graciles, & ſicci, & alioquin exanges uidentur. Et quamuis ita hę res ſe habeant, ſemper tamen grandæuę ætatis ratio habenda eſt, ut ſi ſanguis illi omnino mittendus, parcius mittatur quā in iuuenili, & uigenti ætate. Nos tamen nouimus religioſam, & nobilem mulierem in quodam monaſterio, quæ adeo aſſueuerat ſanguinis miſſioni, ut cogeretur quotānis in uere ſanguinem detrahere, alioquin enim non poterat ſana degere, atque eam cōſuetudinem ad octogeſimum uſque annum ſeruauit, & facilè pertulit, tales tamen rari admodum reperiuntur. Quantum uerò ad puerilem ętatē attinet, Gręci quidem nulli neque eorum princeps Gal. (quod ego meminerim) auſi ſunt pueris ante quartūdecimum annum ſecare venam, quantumlibet magnus morbus urgeret, quod monet idem eodem loco nuper citato, demum poſt quartumdecimū ętatis annum, ſi magni morbi periculum immineat illis eſſe mittendum permittit, qui multo ſanguine pleni ſint, huicque nec tempus, nec regio aut alia repugnēt. Arabes uerò alioqui in hac re audaciores fuere. Auēzoar enim auſus eſt filio ſuo ſepténi ſanguinem mittere, quem deinde multi noſtrorum latinorum, qui, dum iuuenis eſſem Venetijs & Patauij medicinam exercebant, & ſenes erant, imitati ſunt, & valdè teneris infantibus venam pertundebāt. Quod tamen nunquam à me fuit probatum, uidebatur enim mihi id fieri præter omnem rationem: quod & ſi aliquando bene res ſuccederet, ſæpe enim & malus ſequebatur illius rei euentus, id potius bonæ illorum fortunæ, quam rationi attribuendum putabam. Illis ergo, ſi magna ingruat neceſſitas, aut per cucurbitulas inciſa, aut per hirudines erit aliquantus ſanguis detrahendus: præterea etiam parco victu, frictionibus, vinculis modeſtis, aut glādibus, aut clyſteribus utendum. Quia uero eò peruenit noſtra oratio, vt circa ſanguinem mittendum verſetur in grauibus affectibus capitis, quales ſunt inflammationes, nempe phrenitis, & lethargus, cū maximi hi ſint periculi: ideo hic aliquantiſper conſiſtere uolúmus, & meminiſſe pręcepti vel conſilij, quod nobis tradidere antiqui, & præſtantiſſimi medici, præſertim Aretęus, & Aetius, hi enim monent, qđ quāuis phrenitis maximus, & interdum peracutus ſit morbus, non ſimus tamen audaces admodum in multa ſanguinis copia detrahenda: immo quod cauti plurimum ſimus & vires proſpiciamus; quia facillimè & ex uigilijs, & ex labore, cum delirantes agitantur, illæ diſſipantur. Vnde non modo ad deliquium animi hi ducendi non ſunt; ſed & non ea etiam copia educenda, quam requireret alioquin iſtius morbi magnitudo: quia, vt paulo ſuperius diximus, in nulla alia re maior ſpes eſt in hoc morbo, quam in virium firmitate: addit autem Aretęus, quod hi facile in animi deliquium incidunt. Sed & hoc conſideratione dignum, quod ad lethargum pertinet; quod Galen. duodecimotertio meth. dixit, ſimilem eſſe lethargi, & phrenitidis curationem in initio, contrariam vero in fine: vnde ſtatim in lethargo venam, & eandem, quam in phrenitide, ſecandam eſſe: neque huic præcepto aliam addit limitationem. Aretęus tamen, & Aetius addunt, aiunt enim quod cum duplicem ortum lethargus habeat: aliquando enim ſtatim à principio lethargus eſt: interdum autem fit conuerſo in eum alio acuto morbo, ſępius namque phrenitis in lethargum conuertitur, & cōtra etiam lethargus in phrenitidem, vt Galen. teſtatur 6. lib. Comment. in 6. Epid. longeque facilior, vt idem ibi docet, eſt conuerſio phrenitidis in lethargum, quàm è contra; lethargus grauior, & difficilior morbus eſt phrenitide: quandoque tamen & ex ſynocho, & ex alijs morbis conuerſio hæc fit, aiunt itaque iſti, quod cum fit ſtatim a principio lethargus, quo citius fieri poteſt, uena eſt ſecanda, ut & Galen. præcipit: uerum vbi ortum habeat ex conuerſione alterius acuti morbi, non ſtatim ita temere eſſe venam ſecandam, vel ſi ſecetur, non confertim, & multum ſanguinis eſſe detrahendum, ſed potius clyſteribus acrioribus res tractanda. Neque putare debetis qđ abſq; ratione hęc à tantis uiris ſint ꝓlata, immo quam maximè ea rationi conſentanea ſunt. Nam cum ſtatim incipit lethargus, rationi congruum eſt, quod vires, quæ nullam priorem occaſionem habuere, cur diſſipatę & labefactatę fuerint, validas medicus reperiat, ita vt facile copioſam ſanguinis detractionem ferre poſſint: at cum præceſſere morbi aliqui præſertim magni, bona ratione exiſtimandum eſſe videtur, primum ſanguinem fuiſſe detractum, dum prior morbus curaretur: vnde potuere vires fieri imbecilliores: cui accedit etiam incommodum, quòd præcedens morbus potuit afferre: & cum ſit præ alijs in his grauioribus morbis ratio virium habenda: ideo mirum deinde videri minimè debet, ſi hac diſtinctione utantur probati hi auctores. Ex Poſſidonio autem & hoc addit Aetius, ꝙ lethargicis tunc ſit ſanguis mittendus, cū ſanguinis adeſt plenitudo; ſed ſi pituitæ, id quod ſæpius in lethargicis eſſe ſolere ait ipſe, ſanguini eſſe parcendum, & potius attenuantibus & incidentibus rem tractandam. Quod non parum dubitationis uidetur habere: quia ex hoc uidetur, aut nunquam, aut rariſſimè in lethargo ſanguínem eſſe mittendum; quia ut Galen. apertiſſimè, & Trallianus Alex. tradidere, ſemper ex pituita verus, & exquiſitus lethargus ortum habet. Poſſumus tamen facilè nodum hunc diſſoluere, quòd poteſt pituita caput, & cerebrum corripuiſſe, ex qua ortum, & fomentum habet le-

thargus,

thargus, cum tamen reliquum corpus ſanguine A multo refertum ſit. Poſſunt, & ſimul cum capitis uenis, & aliæ, quæ in habitum totius corporis diſperſæ ſunt, repletæ eſſe crudo, & pituitoſo humore, ſicut poteſt & phrenitis concitari in eo, cuius corpus, & uenæ, quæ in ipſo ſunt, ut teſtatur Galenus, multos continet crudos, & pituitoſos humores, in quo corporis ſtatu, cum uires eſſe admodum ualidę nequeant, non modo in lethargo, ut idem Galenus docet, neque in phrenitide tutum erit ſanguinem, confertim ſaltem, mittere. In hac quidem re uidebimur fortaſſe plus iuſto fuiſſe longiores, quia tamen res maximi eſt momenti, in qua plurimi etiam non parum exercitati Medici confunduntur: ideo omnem illi adhibere diligentiam uoluimus. Sed iam opportunum erit, ut ad aliud inſtrumentum, quo in euacuando toto in his capitis affectibus uti poſſumus, uel quando indicatio mittendi ſanguinis locum non habet, uel quando, licet habeat, ſuus tamen etiam, purgationi locus reliquus eſt, tandem accedamus.

De ratione curandi capitis affectus per euacuationem totius medicamentis molienдam.

Cap. X I.

POST tractationem de uacuationibus per ſectam uenam, ſubinde agendum eſt de uacuatione per medicamenta, quibus ſubducitur purgandus humor per aluum. Sed anteaquam particulatim negotium hoc tractemus, D quædam generalia præcepta exponenda ſunt, quod, & in præcedentibus capitibus a nobis ſeruatum fuit, ita enim, & magis diſtincta, & clariora euadet noſtra hæc doctrina. Quoniam autem in omni ratione purgandi tria in primis ſunt conſideranda, uidelicet natura, & uis medicamenti, quo ſumus uſuri ad uacuationem moliendam, natura affectus, quem purgante medicamento ſumus curaturi: & natura purgandi corporis, cum quo in præſentia coniungere uolumus ætatem, tempus, uel conſtitutionem aeris, & regionem. Incipiemus a natura ipſorum medicamentorum. Ea ergo uarias habent differentias, ut, & in priori E libro diximus, primum quantum ad modum, & rationem, quibus ea poſſunt afferri, uel adminiſtrari: deinde quantum ad eorum impetum, uel momentum in purgando: quia alia per uomitum purgant, quæ, ut per ſuperiorem partem, hoc eſt per os aſſumuntur, ita citato uomitu ſuperius per os purgant, & uomitoria appellantur medicamenta. Alia uero deorſum per aluum inferiorem uacuant, quæ duplicia ſunt quantum ad formam, & modum uſus eorum, aliquibus enim iniectis inferius per ſedem utimur, per quam etiam regionem fit purgatio, alia uero per os ingeruntur;

A ſicut & uomitoria; non tamen ad ſuperiorem purgationem habent momentum, quantum ad ipſas pertinet, ſed potius inferius ad aluum, per quam etiam purgant: non eſt tamen in materia multa diuerſitas, nam multa ſunt in his medicamenta, quibus tanquam materia utimur, tam in clyſteribus conficiendis, quam in his medicamentis, quæ ſunt deuoranda, ut ſequente ſermone demonſtrabimus. Quæ quidem per ſedem inijciuntur, aut conſiſtentiam liquidam, & dilutam habent, & clyſteres dicuntur ἀπὸ τοῦ κλύζειν, hoc eſt ab abluendo, quia quaſi abluunt inteſtina, & inferiorem aluum, aut habent conſiſtentiam duriorem, &

B ſolidiorem, & glandes a ſimilitudine glandis ob teretem, & oblongam formam, qua formata ſunt, a Latinis, βάλανοι propter eandem rationem a Græcis, ſuppoſitoria, ob id, quod ſupponantur, a noſtris iunioribus uocantur. Cap. 9.

De uomitorijs autem medicamentis ad præſens negotium agere non attinet, quia quæ uomitum cient, vt teſtatur Galenus in libro de venæ ſectione contra Eraſiſtat. euidentiſſimè caput replent, & ideo eiuſmodi ratio purgationis non eſt admodum commoda capiti affecto, niſi quando non proprio ſuo laboret affectu, ſed cum ventriculo conſentiat; tunc enim uomitu purgato ventriculo, facilè capi-

C tis curatur affectio. Ideo de ijs, quæ inferius purgant, ſermonem inſtituemus, ſummatim tamen, & quaſi per capita, cum multa eorum, quæ tractata ſunt in priore libro, præſenti etiam negotio poſſint, immo debeant accommodari, & primum de ijs, quæ deuorata, uel epota purgant, poſtea de illis, quæ ſupponenda potius ſunt, agemus. Horum ergo uariæ ſunt differentiæ, quia quædam ſimplices ſunt, & eis ferè ita ſimplicibus acceptis utimur, alia uero ſunt compoſita. Pleraque eorum, quæ ſimplicia ſunt, ueniunt in uſum, ut ſuperius diximus, quæ quidem lenia ſunt, & ferè acrimoniæ expertia, nam acria

D medicamenta, & quæ uiolenta ſunt, cum & prope veneni naturam accedant, ventriculo, uiſceribuſque ſunt plurimum nocua, ideo non eſt eorum vſus admodum tutus, niſi cum alijs componantur, quæ vim habeant corrigendi eorum malitiam, & acrimoniam. Simplicia uero, quibus licet ſolis uti, ſunt diuerſa, quorum itidem ſuperiori libro mentionem fecimus, & eorum aliqua ſecundum primas quidem qualitates frigida ſunt, ut tamarindi, myrobalani omnes, in quibus, & uiolæ, & roſæ poni poſſunt. Nam & hæ ab Arabibus inter medicinas, quæ ſaltem leniendo aluum ſoluunt, numerantur, ut præterea, & ſerum

E lactis, immo & lac ipſum, præſertim uerò aſinæ, quo cocto, & copioſè ebibito, Hippocrates pro medicina bilioſorum humorum purgatiua etiam in ardentibus febribus utebatur, ut patere poteſt legenti librum quartum de ratione uict. in acu. morbis, quæ tamen medicinæ neque prætermittendæ ſunt. Aliæ vero ad temperatum, & modicum calorem, cum quadam humiditate inclinant, ut eſt manna noſtra, quam mel aereum quidam antiquorum appellarunt, & præterea Aegyptia caſſia, quam fiſtulam caſſiam multi appellant, nulli non notum medicamentum his temporibus. Alia ſunt, quæ longè calidiora, & cum ſiccitate ſatis in-

ſigni, in quibus ſunt aloe, rhabarbarum, ſe-
na, epithymum. Quarum quędam magis bi-
lem, quamuis ex his quædam pręterea, & pi-
tuitam uacuent, vt tamarindi, citrini myro-
balani, ſerum lactis, & laç, roſæ, violæ,
manna, caſſia, aloe, rhabarbarum, aliæ a-
duſtos, & melancholicos humores, vt ſena.
epithymum, myrobalani indi, aliæ vero pitui-
tam, ut myrobalani chebuli purgant, qua-
rum vſus, aliquarum quidem eſt, cum diſſol-
uuntur ex aliquo liquore, & bibuntur, vt man-
na, caſſia, in his poſuerim & rhabarbarum,
cum, vt aiunt, infunditur, vel maceratur:
item & violæ, & roſæ, & myrobalani om-
nes: aliarum vero in decoctis, vt myrobala-
ni, tamarindi, epithymum: poſſunt cum his
& fructus numerari, vt ſunt pruna, & ſebe-
ſten, qui myxa, vel myxaria a Gręcis poſte-
rioribus dicuntur. Aliquæ etiam in bolo vſu
veniunt, vt caſſia, manna, & tamarindi, &
tandem quæcunque arida ſunt vt trita in pul-
uerem redigi poſſint, ex eis, ſi aliquo liquore
excipiantur, poſſunt boli formam recipere,
ſicuti in catapotia formari. Compoſita item
medicamenta, alia leuia, & facilia ſunt, vt ſy-
rupus roſaceus ſolutiuus nunç appellatus, con-
fectus ex multiplici roſarum maceratione, &
expreſſione, item & violaceus ſolutiuus itidem
ex uiolis paratus, & diaſebeſten & diapru-
non, non ſolutiua, hoc eſt citra ſcammonium,
& lenitiuum appellatum electuarium, & dia-
catholicon, nullum enim horum acre admo-
dum eſt, ut, quæ neque vllum acrius medi-
camentum propriè ſolutiuum, & violentum
accipiant, quorum priora vt ſyrupi illi, diaſe-
beſten, diaprunon, & frigidiora, & bili pur-
gandæ apta ſunt: lenitiuum autem & diacatho-
licon calidiora, magiſque diacatholicon, exu-
ſtos & melancholicos purgant ſuccos, quam-
uis & pituitam. Acriora verò & fortiora me-
dicamenta, quæ potius ad aliquam attinent
caliditatem, & in maiori ſunt vſu, purgandiſ-
que bilioſis excrementis conueniunt, ſunt dia-
prunon, quod ſolutiuum dicitur, quia ſcam-
monium accipit; & quod à roſarum ſucco no-
men habuit: vtrumque à Nicolao deſcriptum
habemus: aliquanto facilius eſt id, quòd ele-
ctuarium roſatum à Meſue appellatur, bilio-
ſos in primis euacuans ſuccos: Eodemque mo-
do in his ſicut, in affectibus, qui ad cutem ca-
pitis pertinebant, ad euacuationem pituitæ, qua
refertum ſit vniuerſum corpus, faciunt dia-
phænicon, electuariumque etiam indum deſcri-
ptum à Meſue. Sed & hiera ex colocynthide
ſimplex videlicet illa, quam fuiſſe in vſu apud
Galenum putamus: cum nihil aliud illi additur,
præterea, quæ in ſua prima deſcriptione repe-
riuntur, pituitam educit, nam cum aut vera-
trum nigrum, aut ſcammonium pręter ea ac-
cipit, vt primo libro monuimus, bilem vel fla-
uam, uel atram inſuper purgare poteſt. In me-
lancholicis verò excrementis expurgandis in v-
ſu eſt confectio hamech, quamuis non ea ſo-
la, ſed & pituitoſa vacuet, ſicut & reliquæ
hieræ maiores, qualis illa, quam διακολόκυνθί-
δος, Scribonius appellat, & ad Pachium re-
fert. Sed de catapotijs non proferemus ſer-
monem longius, cum de his abundè in primo
libro differuerimus. Nam ad aliud propera-
mus, quod & vtilius, & magis neceſſarium ſo-

A re putamus, id verò eſt, ut tranſitum faciamus
ad alteram conſiderationem, quam diximus
eſſe habendam ab illo, qui rectè voluerit, &
citra periculum vacuare. Ea verò eſt, vt plu-
rimam rationem & conſiderationem habeamus
affectus, ob quem vacuationem molimur, &
cum iam dixerimus in illis tantum eſſe purga-
tione opus, in quibus aliqua materia eſt, quæ fo-
uet affectum, vel ſaltem timendum, ne affluens
fouere paulò poſt incipiat, primum oportet pro-
ſpicere, qualis, & quæ ſit illa, ut illam in pri-
mis, & præſertim purgando uacuemus, quia vt
dicebat Hippocrates primo Aphoriſm, ſi qualia
oportet purgari, purgentur, & confert, & be-
B ne fertur purgatio, ſed ſi ſecus, neque confert
& male etiam toleratur, Sed purgare oportet,
ait Galenus noxios, & qui corpori moleſti ſunt,
humores. Quo percepto non erit deinde ar-
duum, illis naturam, & facultates purgan-
tium medicamentorum conferendo, congrua,
& apta remedia accommodare. Sed in his alia
ratione res eſt conſideranda, quia in his capitis
affectibus multa & plurima eſt differentia. Ali-
qui enim ſunt acuti, immo acutiſſimi morbi,
qui febrem vehementem, & acutam coniun-
ctam, præterea verò & moleſta, & mala ſym-
ptomata habent, vt ſunt cerebri, & membra-
narum inflammationes, nempę phrenitis, & le-
C thargus. Sæpe etiam his dolor capitis eſt, & fe-
bris acuta, unde in his habemus præceptum,
quod cauendum ſit a purgantibus medicamen-
tis, quia illa cum acria ſint calefacien tia & ex-
ſiccantia, febricitantibus, ſi quid aliud, aduer-
ſaria ſunt, ita ut in hoc quaſi ab Hippocrate de-
uiare Galenus viſus ſit, ubi ſecundo de ratione
vict. in acu. mor. conſulebat, in pleuritide, cum
dolor ad præcordia pertingere uidetur, medica-
mentis purgare. Quare hoc memoriæ man-
detis, præferendam eſſe in his ſectionem uenæ
ut diximus, cuicunque uſui medicamentorum
purgantium; ut tamen hoc referendum ſit, non
ad omnia medicamentorum genera, de quibus
D ſermonem ſuperius habuimus, uerum ad ea tan-
tum, quę propriè cathartica à Græcis purgan-
ti à noſtris dicuntur, ut in his non ſint ponen-
da ea, quæ ſolum leniendo cieant aluum, quæ-
que ſunt calefaciendi, ſiccandique facultatis ex-
pertia. Nam neque in his eſſet rationi con-
ſonum, inter initia vti rhabarbaro, vel ſena,
vel epithymo, immo neque aloe: Galenus e-
nim octauo de compoſit. medic. ſecundum loc.
damnat eos, qui hieram commendabant in
inflammatione iecinoris, ſtatim à principio cum
non niſi inclinante inflammatione, vtiliter da-
ri poſſit, iuxta ſententiam Hippocratis in Apho-
E riſm. concocta medicari: quę tamen hiera a-
liunde vim purgationis non habet, niſi ex a-
loe. Diximus autem inter initia; quia inclinan-
te, & iam concocto morbo, non erit præ-
ter rationem, ſi aliqua apparerent, quæ in-
dicarent purgandum eſſe, rhabarbaro, & ſe-
na, in ſimilibus etiam medicamentis purgare
nocuos humores: nam ibidem hieram, con-
cocta inflammatione iecinoris non damnat.
Medici autem poſteriores preſertim autem A-
rabes, quorum temporibus cępere in vſum ve-
nire aliæ medicinæ, vt quæ ineptos humores
ad vacuationem non agitant, ita & non mo-
do non deſiccant, & inſigniter calefaciunt;
verum potius earum aliquæ humectant, aliæ
etiam

etiam refrigerant, quarum paulò ante meminimus non conempſere, neque vſum horum medicaminum, quæ iſtius ſunt naturæ. Quamuis: hoc inuentum poſſit potius in Hippocrate & Galenus & antiquiores medicos referri; quarto enim de ratione vict. in acu. morb. tam Hippocrate in ardenti febre, quæ maximus eſt, & acutiſſimus morbus, ſi os amarum fuerit, quam etiam Galenus potu lactis aſinini copioſi, vel ſeri eius vtuntur ad redundantem bilem in ventriculo purgandam. Vnde neque ineptè mihi Raſis ſenſiſſe viſus eſt, qui nono illo ſuo libro ad Almanſorem, poſt ſanguinem miſſum, voluit dandum eſſe medicamentum, in quo eſſet vis tum ſanguinis feruorem extinguendi: inde enim præſertim fit, ut phrenitides & fiant, & augeantur; ferueſcentes ſiquidem humores facillimè ſurſum feruntur; & ideo in febribus ardentibus facilè & deliria, & phrenitides concitantur: tum vel maximè, vt tenues, & acriores, calidioresque partes ſanguinis feruentis, quæ nimirum & naturam magis ſtimulant & paratiores reddunt humores ad motum, vacuando facili tamen, & leni motione ad inferiora conuertendo reuellat: medicamentum autem id ex ſucco fructuum appellat: quale autem illud ſit, non deſcribit. Nos verò putamus illum intellexiſſe id, quod ſub nomine aquæ fructuum deſcribitur a Meſue in ſuo Antidotario, vt dicunt, Grabadin autem ab eo inſcripto: vel ſaltem aliquod aliud illi omnino ſimile.

Conficitur verò ex prunis, iuiubis, ſebeſten, tamarindis decoctis ex aqua communi; quod quidem decoctum eſt noſtris his temporibus in frequenti vſu præſertim æſtate & morbis calidioribus atque diluuntur ferè omnia medicamenta, quæ in potionis forma dantur: illo etiam diluitur, vel ut aiunt, fit infuſio rhabarbari. Quia tamen accipit hoc decoctum tamarindos, qui quidem in aliquibus, ob aciditatem videntur ventriculo nonnihil ob eſſe, interdum conficiunt ſine tamarindis: quandoque tamen cum maiorem extinctionem optant, pondus tamarindorum duplicant. Ex hoc itaque decocto ad eam quantitatem, quæ ex vſu futura viſa ſit, diluit ille, diſſoluitque mannam & caſſiam, tres quidem vncias caſſię, unam verò mannę. Sed aduertatis, quod tres vncias caſſiæ una potione diſſoluere, & accipere nimis eſſet; nam quod forſitan non putaret quis, ex ea plures fieri illum voluiſſe potiones, non eſt rationi conſonum, cum non poſſit præſertim æſtate, vltra primum diem ſeruari: quia aceſceret; immo, ſi fieri poteſt, ratio exigit, vt cum caſſia hac vſuri ſumus, vtcunque utamur, tunc illa è fiſtulis extrahatur, cum eſt accipienda: nam & minus ingrata eſt hoc modo, & vim maiorem habet. Sed voluit, ut puto, quod uel cum fiſtulis ſuis pendatur, ex tribus enim uncijs caſſiæ penſæ cum externis, ut aiunt, cannis, cum ex decocto diluetur, uix extrahetur uncia illius liquoris: vel ſubſtantiæ, uel medullæ interioris: immo neque unciam pendet, ſi quis uoluerit pendere, uel putandum, quod uelit accipiendas tres uncias materiæ illius internæ, ſed extractæ, ſicut primum extrahitur, cum ſuis illis quaſi internodijs, uel ſubſtantia illa, cui hæret niger liquor, antequam aut per cribrum extrahatur uel aliquo liquore diluatur. nam detracta illa intermedia ſubſtantia lignea, cui liquor

A hæret, è tribus uncijs, quæ prius erant, parum plus uncia reliquum eſt. Nobis uero non minus probaretur in his capitis affectibus roſaceus uel uiolaceus ſyrupi ſolutiui dicti, quippe cum & ipſi refrigerent & leniant præſertim uiolaceus, ſed roſaceus capiti magis commodus eſt. nam & Aetius, Alexanderque laudant in potu rhodomel dilutum ex aqua: roſa enim poteſt capiti robur addere, præter hoc, quod leui ſua aſtringenti facultate poteſt aliquantiſper fluxum humorum, impetumque reprimere. His ergo medicamentis cienda aluus in initijs eſt. ſed cum inueteraſcit inflammatio in phrenitide magis moderatus debet eſſe mo- B dus medicamentorum, quam in lethargo, ſi aliquid poſtea, ubi inclinauerit, reliquum eſt, quod purgandum eſſe uideatur indicare. Nam & ſi & inflammationem, & alios tumores frigidiores eadem ratione uerſus finem, & morbo inclinante, tractandos dixerit Gal. quia reliquuntur in fine inflammationis, poſtquam iam magna ex patet refugit, partes craſſiores, & ineptiores ad uacuationem, & digeſtionem, quæ attenuatione, inciſioneque egent: non ita tamen ualentiora requirunt medicamenta, & calidiora, ſi de purgantibus ſit ſermo, quia de alijs poſtea loquemur. Vnde in phrenitide, ut paulò ante diximus, hoc tempore & rhabarba- C ro, & ſena, & agarico interdum liceret uti, ſi ita exigeret purganda materia, & uires, ætasque hæc eadem pateretur: non tamen ita ſimilem eſſe puto in hoc cum lethargo phrenitidem, ut illa eadem tempore inclinationis in phrenitide eſſent tentanda, quæ in lehargo Aetius, & Paulus tentare auſi ſunt. Nam Paulus lethargicum purgari uoluit ſcammonio cum caſtoreo permixto, quod forſitan alicui uideretur mirum, cur ſcammonio uſus ſit, quod primum purgat bilem, cum tamen lethargi cauſa, ſit pituita. Sed de hoc alias, oſtendam enim quòd mixtura in medicamentis in cauſa poteſt eſſe, quòd quamuis alioquin medicamentum id ſit D purgando uni humori proprium, alterum tamen etiam efficaci attractione purget. Aetius uerò hieram diacolocynthidos ex Poſſidonij auctoritate lethargicis dat, unde reliqua medicamenta purgatoria compoſita poſſent in lethargo admitti, quæ nequaquam putarem admittenda eſſe in phrenitide. Sed de alia medicamentorum ratione iam inſtituamus ſermonem, quę per ſedem ſunt inijcienda, nam & horum utilis admodum uſus eſt in capitis affectionibus, quia & ſi purgando eorum uis ad caput uſque non perueniat, purgant tamen inferiorem uentrem, unde ſubtrahunt omnino aliquod fomentum capiti, trahendo etiam deorſum, ſucceſ- E ſione quadam reuellunt humores ad caput aſcendentes. Vnde Galeno ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum loca. ſummopere laudat Archigenem, qui clyſteres plurimum commendauit. Sed cum illi ſint multiplices, & diuerſi natura, & facultatibus, non eſt putandum, quod omnes indifferenter, & ſine ulla diſtinctione omnibus affectibus congruere poſſint, differunt enim, perinde ferè ut differre diximus medicinas, quæ per os ſumptę aluum inferiorem inaniunt, nam ex ſimili ferè materia componuntur. Sunt ergo quidam clyſteres, qui ſolum leniunt, & abluunt inteſtina, cuiuſcunque ferè acrimoniæ expertes. Quidam verò acres admodum ſunt; utpote

D 2 quia

quia medicamenta accipiunt, quæ acria ſunt, & uim
inſignem habent ciendi aluũ, atque vniuerſum cor-
pus purgandi, vt & in arte med. & 6. de comp. med.
Ca. pen. ſecundum loc. ſtatim à principio docet Galen. quia
quamuis ſubſtantia ipſa, & materia, ex qua confecti
ſunt clyſteres, parum vltra prima, & craſſiora inteſti
na peruenire poſſit: attamen cum neque hoc ſit ne-
ceſſe, vt corpus, & materia medicamenti eò perue-
niat, vnde detrahendus eſt humor, ſed ſatis ſit, vt vis
eius & facultas attractoria, cum ad actum perduci-
tur, eo vſque pertingat: ſicuti neque materia medi-
camentorum, quæ deuorata in uentriculum deſcen
dunt, ad loca vacuanda peruenit, ſed ſatis eſt illi, ut
in ipſo ſit tanta uis, quando a calore vẽtriculi actua-
tur, vt inde attrahere poſſit. ideò & magnam illi uim
habẽt reuellendi in capitis affectibus, ut paulò ante
ex Gal. ſententia diximus. Sunt vero & quidam cly
ſteres medij, vt neque omnino molles, & lenes ſint,
neque omnino acres, & plurimum ſoluentes, in qui
bus pro ratione maioris, & minoris, ſunt multæ dif-
ferentiæ, & ordines. Sed incipiamus à leuioribus, ut
& in medicamentis alijs a nobis actum eſt. Omniũ
itaque leniſſimi ſunt, qui ex ſolo oleo communi ma
Cap. 4. turo inijciuntur, qualibus vtebatur Gal. in quodam
Cõ. 104. vulnerato, vt 8. meth. legitur, & ex 4. de rat. uict. in
acu. mor. poteſt haberi. Hos ſequuntur, qui frequen-
ter ſolent his temporibus, præſertim uerò in pueris
eſſe in uſu, & a mulierculis communes clyſteres di-
cuntur, qui fiunt accepto iure alicuius carnis, uel
pulli gallinacei, uel vitulinæ, uel bubulæ, uel pinguiũ
inteſtinorum, ea portione, quæ ſatis uideatur eſſe
pro ætatis, & corporis ratione, addũtur deinde duæ,
uel tres unciæ communis olei, quamuis in pueris,
qui vermibus obnoxij ſunt, potius butyrum acci-
piatur, quàm oleum, oleum enim fugat uermes, un-
de illi ab oleo fugientes aſcendunt ſuperius uerſus
uentriculum. Sequuntur uerò butyrum lacticinia, ſi
quidem quæ ſunt dulcis ſaporis, uermes alliciendo
attrahunt, atque ita etiam reddito clyſteri educun-
tur, additur, præterea & uncia, uel ſexquiuncia ſac-
chari illius impuri, & rubri, vel ẽt excrementum il-
lud ſacchari, quod reliquum eſt, cum depuratur, vul
gares noſtri mellatium, aliqui mel cãnæ appellant.
adiũgitur & ſalis, aut drachma, aut ſexquidrachma,
aut etiam interdum plus, pro ratione uel magis, uel
minus aſtrictæ alui, ſal etenim præter id, quod inci-
dit, & detergit, ſtimulat etiam inteſtina ad excretio-
nem, ſed ſæpe in pueris eadem ratione ob uermes,
relicto ſale, addimus ſaccharum copioſius, ut ab-
ſtergendo concitet ad expulſionem. Tertius ab his
clyſter eſt, qui aut ex cremore hordei, uel ex hordei
decocto poteſt parari, addito etiam ſaccharo & o-
leo. Hunc ſequitur, qui ex mulſa, & oleo, cuius 8. &
11. meth. meminit Galen. utriuſque verò Aetius, &
Paulus. Ad hunc ordinem pertinet & ille, qui no-
ſtris his temporibus eſt in communi, & frequenti
vſu, omnibus mulieribus notus, & ita conficitur, ac-
cipiunt folia maluæ, & folia herbæ uiolariæ, item &
betæ, ſingulorum manipulum vnum, multi & furfu
rum addunt manipulum, & ex aqua decoquunt om
nia ad conſumptionem tertiæ partis aquæ, deinde
capiunt eius decocti quantum ſatis ſit, oleum ſac-
charum, vt ſal, atque ita inijciunt, interdum uerò
præter dictas herbas & mercurialem addunt, eſtq;
clyſter, ea addita, aliquanto ualẽtior; in ea enim iam
quidpiam medicamentoſum eſt, quamuis lene id ſit.
Nam 13. Meth. ea utitur etiam Gal. ſuperius data
ad ciendum aluum, præſertim in inflammationibus
viſcerum, quòd ſi aliquando aliqua etiam alia addi-
derimus, aut ſimplicia, aut compoſita medicamẽta,
quæ uim ſoluendi habeant, ualentiores fiunt clyſte-

A res, & quo medicamentum erit ualentius, eo acrio-
res erunt; nam ſi quæ lenientia dumtaxat ſunt, inij-
ciantur, licet uim efficaciamq; addant, nondum ta-
men eos de ordine lenium, & mollium clyſterium
detrahunt. Ex ſimplicibus. n. addimus ueluti caſſiã,
quæ è fiſtulis aut ſiliquis extracta tum ſit, aliquando
ad unciam, aliquando ad ſexquiunciam. Ex compo-
ſitis autem in ijs locis ubi reperitur in apothecis pa-
ratum, lenitiuum vulgò appellatum electuariũ ad-
miſcemus, alij & diaſebeſten citra ſcammonium.
Quòd ſi ad ualentiora & uere ſoluentia medicamẽ
ta aſcenderimus, iam acer erit clyſter, non mollis, &
leniens. Interdum autem medicamẽta cum alijs co-
quenda, cum decoctum paratur, adijcimus, quando
B que uerò nõ coquuntur, ſed ex decocto, uel iure, uel
mulſa diluta, uel diſſoluta inijciuntur, compoſita nũ
quam coquuntur, ſed diſſoluuntur ex aliquo liquo-
re, & ex ſimplicibus caſſia. cætera uero medicamen
ta, quæ ſimplicia ſunt, ferè omnia coquuntur. Et a-
cerrima medicamina, quæ in uſum clyſterium ue-
niunt, ſolent hęc eſſe, centaureum minus, uidelicet
coma, item artanita, vel, ut quidam Latini appellãt,
malũ terrę, hęc. n. in clyſteri uim ualidam habent at
trahendi, pręterea agarici cortices, uel etiam pars in-
terior, & colocynthis, & inter ſimplicia hęc ferè a-
cerrima ſunt, ex compoſitis uerò, quę in hunc uſum
ueniũt, eſt diaphœnicon, de quo abundè egimus ſu-
perius, hiera etiam, non illa ſimplex, quę dialoes ap-
C pellatur a Gal. cuius etiã iam ſępe meminimus, ſed
alia, qua iuniores non utuntur ferè, niſi in clyſteri-
bus, & cum dicitur, aut hierę picrę, ſine alio addito,
aut hierę pro clyſteri, hãc dant, pręter enim alia co-
locynthin accipit. Item aliquãdo indum dictum ele-
ctuarium, & quę benedicta appellatur, & deſcoph.
hęc duo poſteriora a Nicolao, duo priora a Meſue
deſcripta ſunt, in his pręterea ſunt hierę illę maio-
res, ut Hermetis, Archigenis, & ſi quę alię ſint iſtis
ſimiles. Sed digeſtis his per ſuos ordines, hoc etiam
quam maximè conſiderandum eſt, quantum ad ip-
ſorum clyſterium uſum pertinet, ꝙ cum ſint pluri-
mũ diuerſi in qualitatibus primis, alij. n. calefaciunt,
& ſiccant, ut ratio compoſitionis põt oſtendere, alij
D ex aduerſo refrigerant, & humectant, alij uerò acri-
monia & ſolutoria facultate pręditi ſunt, unde qui
acres ſunt, calefaciunt non parum, & exſiccant, præ
terquam quòd corpus mouent, & agitant, molles
uerò & lenes humectant, & aut temperati ſunt, aut
etiam refrigerant, propterea non parui momẽti eſt
hos accommodare, quibus, & quando conueniant.
Nobis aũt tria in primis eorũ commodum poſſunt
oſtendere & aptum uſum, primum quidem eſt mor
bi natura, & pręter alia, quę non ita ſunt præſenti in
ſtituto neceſſaria, ętas, & natura vacuandi corporis.
Cum. n. in his cap. affectibus, nec in his ſolum, ſed in
plurimis etiam alijs, aliqui acuti ſint, alij non acuti,
& inter acutos, quidam ſint cum inſigni, & vehemẽ
E ti febre, quemadmodũ phrenitis, & dolor nonnun-
quã capitis ut 1. lib. Gal. de feb. ad Gl. fuit explanatũ.
cũ febr. aũt non admodum feruida inter acutos ſit
lethargus, ut qui ſit excitatus uel ex pituita, uel ex ſã
guine pituitoſo (ita. n. & antiqui ferè omnes aiunt, fe
brem in lethargo eſſe puſillam, & non admodum
feruentẽ) ſine febre uero apoplexia inter eoſdẽ acu-
tos morbos numeratur, & catochus etiã, uel conge
latio, interdũ & epilepſia. Propterea in clyſteribus
ipſis adhibendis hęc erit habẽda rõ, uti ſicuti in acu-
tis morbis, q̃ comitẽ habent febrem ualidam, cõtine
re ſe debet medicus ab acribus & ſoluentibus medi-
camentis, niſi ubi materia turgeat, ita etiam quantũ
ad clyſteres pertinet, erit agendum, tũ quia inter ini-
tia (de eorum. n. uſu hoc tempore loquimur) crudus

eſt

eſt morbis, tum uerò quia cum poſſint calore ſuo, & importuna agitatione ad maiorem feruorem cōcitare humores, poterunt etiam eos magis irritare, & maiorem excitare fluxionem, quo nihil nocētius eſſe poteſt. Vnde omnes probati auctores, preſertim in his affectibus cum ualida febre, mollium tātum, & lenientium meminere, & ſi ex iunioribus nō defuerint, qui ſecus viſi ſint ſenſiſſe. Eorum autem modus, & vis tum pro modo febris, & facilis alui ad deiectiones, in his autem, qui vel ſine febre ſunt, vel cū febre non feruida, ſicuti eſt lethargus, epilepſia, apoplexia, dolor capitis à frigidiori materia, vertigo, incubus, hemicrania, & id genus reliqua, maximè vtilis eſt eorum uſus, qui acres ſunt, niſi tamen aliquid aliud obſtet, quod paulò poſt exponemus. Secundū, quòd nobis accommodatum eorum uſum pōt oſtēdere, eſt ætas, quia tenerior ætas, ut infantium, nō facilè fert vim acrium quorumcunque medicamentorum, diſſoluitur.n. tenerior ipſorum ſubſtantia ab illis, vnde 1. de rat. vic. in acu. mor. Hippo. in morbis

Com. 45. acutis, cum aluus non ſponte deijcit, præcipit clyſteri illam eſſe ciendam, vbi ætas vigeat, & vires ſint validæ, ſin aliquid horum deſit, glande. Sed hæc maximè obſeruanda ſunt in clyſteri medicamentoſo, & acri, quia lenes, & molles, præſertim verò quos poſuimus in primo ordine, & in principe parte, quotidie pueros facilè perferre experimur. Tertium verò eſt natura corporis inaniendi primū in uniuerſum, quia quidam à primo ortu, & nonnulli hæreditariū quaſi hoc habent, vt maxima incommoda à clyſteri patiantur. Noui enim familiam nobiliſſimam Venetijs, quæ ęgerrimè eos ferre poſſunt, ita, vt in ea fuerint, qui accepto clyſteri in ſede, dum deijcerent per aluum, ſuum diem obierint. Qui etiam ventrem, & inferiora inteſtina imbecillia habent, plurimū à clyſteri præſertim acriori læduntur, ſed mulieres multas, quæ delicatæ, & molles ſunt, eunuchoſq; Gal. in eundem ordinem cum pueris redigit. Dicamus etiā paucula de glandibus, vel, vt noſtri iuniores loquuntur, de ſuppoſitorijs. Eorum non eſt ita multiplex apparatus: quædam.n. ſunt faciles, & communes, quib. præſertim utimur in pueris, & aliæ magis, aliæ minus, mitiſſimæ ſunt, quæ fiunt ex ſæpo, poſtea ſunt, q̄ fiunt ex melle probè cocto, donec refrigeſcens eam duritiem conſequatur, ut in figuram longam, & teretem glandibus longioribus ſimilem, unde & habuit nomen, formari poſſit, & ſupponi. Fit & interdum ex eo ſaccharo excrémētitio, quod apothecarij multi mel cannæ ſolent ſæpe appellare, ita etiam cocto, vt mel coquendum diximus. Hæc enim duo ſunt his noſtris temporibus communis glandium medicinalium materia, ſunt autem leniſſimæ, quæ ſunt ex his ſolis confectæ, quibus in infantulis mulieres frequenter utuntur ad aluum ciendam. At cum vim maiorē addere uolunt, & acriores reddere, tantum ſalis addunt bene triti, quantum glandis magnitudo viſa ſit requirere. Interdum etiam, vt magis moueant, & vacuent, immiſcent & muris ſtercus, acre enim ſatis eſt, vt de eo diximus in priori lib. Longè verò acriores redduntur, cùm intermiſcent pulueres illius hieræ, quam diximus ſolere admitti frequenter in vſum clyſterium, præterea verò, & ſal, aut commune, aut quod ſal gēma iuniores, & Arabes appellant, quod acrius longè eſt communi: ſolent autem ita medici apothecarijs præſcribere. Accipe pulueris hieræ drachmam vnam, ſalis gēmæ drachmam mediam, mellis quantum ſatis ſit, miſce, & fiant glandes, vel ſuppoſitoria duo. Verum interdum, cum nobis nulla eſt horum copia, & res accelerare cogit, accipimus fruſtum ſaponis, quo veſtes, & manus etiam detergi quotidie ſolent, & in glandis, vel ſuppoſitorij

figuram formamus, & ſupponimus. Quod autē de vſu clyſteris diximus, illud idem putamus de glandibus eſſe intelligendum, nempe quòd eadem ſit obſeruanda cautio in eis, quæ in clyſteribus, niſi quòd non eſt ita timendus omnino eorum uſus, ut clyſterium, quia neque tantum aſcendunt, neque tantum mouent, neque tantum inflammare, & calefacere poſſunt, ut clyſteres, cum neque ea copia in glandibus immiſceri poſſint medicamenta, ut in clyſterib. Sed cum de ijs, quæ pertinent ad procurationem, & inanitionem, uel totius, uel aliarum particularum, quæ morbos capitis fouere ſolent, quantum ad inſtruendos, & erudiendos iuuenes ſatis eſſe poſſit, abundè dictum ſit, explanemus nunc, quæ particulatim, & priuatim vim habent caput ipſum exinaniendi, & materiam receptam iam in capite educendi.

De ratione exinaniendi caput per priuata medicamenta, quę ſtatim ipſum poſſunt euacuare.

Cap. XII.

PRiuatam quidem, propriamque capitis purgationem oportet per eas partes medicum, qui naturæ in curandis morbis miniſter eſt, moliri, per quas ſolita eſt, & ipſa natura purgare, cum ſpōte ſua agit. Expurgat autem, aut per vacuationem ſenſibus apertam, & conſpicuam, aut per eam, quæ ſenſus latet. Prior fit per latos, & manifeſtos meatus, qui, quantum ad præſens negotium nobis ſatis eſſe poteſt, ſunt duo: nam præter hos per aures interdum purgatur cerebrum, ſed de his in ſequentib. tractationibus copioſius agemus, ea verò duo, quæ in præſentia ad noſtrum attinent inſtitutum, ſunt nares, & palatum, ſiue os. Altera autem fit per exiguos, & inconſpicuos meatus, tum cutis, tum ſubiectarum partium, præſertim verò per eius ſuturas: hanc poſteriorem adiuuamus, & per eam naturæ miniſtrant medici medicamentis, & remedijs, quæ exterius adhibentur, & topica, vel localia appellantur, ut alias diximus, in quibus ſit vis, tum repellendi, tum digerendi, diſcutiendive, de quibus in ſeq. cap. ſumus ſermonem habituri. De priori verò in præſentia agendum, nam & hæc illam, magna ſaltē ex parte, in opere ſolet ex ratione præcedere. Incipiamus autem ab illis, quæ naribus iniecta caput expurgant, ut tamē prius moneamus, ꝙ hæc oīa communi, & generali quaſi nuncupatione ἀποφλεγματισμοὶ appellata ſunt à Græcis auctoribus, quod nomen ab officio ſortita ſunt, quia his ea ratione utuntur medici, ut ex cap. detrahant pituitam, ita.n. Gal. 2. de compo. medica. ſecundum loc. teſtatus eſt. Ex quo hoc tāquam corollarium deducere poteſtis, ꝙ uſus eorum tantum accommodatus eſt illis affectibus, qui à pituita excitantur, & ſuapte natura frigidiores ſunt, vnde in capitis dolore ex bile, uel etiam, ex feruētiori ſanguine, bilioſoque itemq; in phrenitide, & ſiqui ſunt alij affectus his ſimiles, nulla ſit iſtius generis medicaminū mentio, Quod ſi dicas, & cur? quo ergo priuata purgatione ex cap. erunt detrahendi id genus vitioſi humores? Dicimus, ꝙ id ſatis agi poterit externis, topicisq; remedijs, in quib. tum repellendi, tum digerendi vis ſit. Sed ſi vlterius quæſieris, cur in alijs frigidiorib. affectib. hæc topica non ſunt ſatis? Reſpondemus, ꝙ tenues, & calidi ſucci facilè, & repelluntur, & digeruntur, & ideo non indigent maiorib. tormentis, craſſi uerò, & lenti, frigidiq; euacuationib. digeſtionibusque, atq; repulſionib. reſiſtunt plurimum, & propterea maiorib. egent, & violētiorib. inſtrumentis, vt è penitiorib. partibus euellātur. Ad hemicraniā itaque, diuturnoſque capitis dolores ad epilepſiā, apoplexiā, vertiginē, catochū, uel con-

gelationem,& earum, vel profundum ſoporem nõ
parum faciunt. Sed & lethargo eſſe vtilia tradidere
Cap. 21. antiqui, præſertim verò Gal. 14. metho. Quæ igitur
per nares inijciuntur, triplicem habent ſubſtantiæ
modum. Alia liquida ſunt, & appoſita naribus, at-
tracto per ea ſpiritu, ſimul ſuperius attrahuntur. A-
lia ſpiſſiora ſunt, & ea ſunt conſiſtentia, ac intra na-
res illita, & attractis per earum meatus uaporibus,
in quos diſſoluuntur medicamenta, pituitam attra-
hunt. Aliqua etiam in puluerem tenuem rediguntur,
& inſufflata ſternutamenta cient; quæ ſunt mo-
tus cerebri collecti ad ſe, vt extrudat ea, quæ noxia
ſunt, a ſpiritu vi expreſſo, & expulſo, ſimiliſque mo-
tus eſt tuſſi, & vomitui, & ſingultui, ut declarauit
Gal. 2. de cauſis ſympt. eſt tamen violentior, quam
ſit tuſſis, aut vomitus. Medicamenta uerò hæc, quæ
hoc præſtant, ſternutatoria, uel πταρμικά dicuntur,
& plerunque inſufflantur in nares, & arida ſunt, tri
taq;, & in tenuem puluerem redacta. Reliquã uerò
ἔρρινα Græci, noſtri iuniores, qui Arabum doctri-
nę herent, caputpurgia appellant. Oportet autem,
ut hęc omnia uim habeant attenuatoriam & deter
ſoriam. In ijs autem, quę fluentia ſunt, leuiſſimum
quidem medicamentum eſt ſuccus betę, de qua ſa-
tis ſuperius ſermonem habuimus, & ſuccus anagal
lidis, quę habet purpureum florem: pręterea & ſuc-
cum hędere laudat Gal. 5. de facul. ſimp. med. & de-
coctum maioranę, uel hyſſopi, uel pulegij, uel cala-
C menti, uel iſtiuſmodi aliorum multorum, quę ſunt
ſatis modeſta medica. poſſunt pręterea & alia mul-
ta deſcribi ualentiora, quæ ſunt etiam apta materia,
ex qua & linimenta parari poſſint, quibus illiniendę
ſunt nares, & arida in eaſdem inſufflari ad concitan
da ſternutamenta, immo & ea confici medicamen-
ta, quę proprio uocabulo apophlegmatiſmi, a lati-
nis autem maſticatoria dicuntur, quia maſticentur.
Itaque diluta medicamenta poſſunt attrahi. Ea ue-
rò, quibus illiniendæ ſunt nares, oportet eſſe acrio-
ra, vt piper, pyrethrum, veratrum, ſynapi, & iſtius ge
neris reliqua, q̃ excepta aut melle, aut oleo, præſer-
tim veteri adminiſtrari, nares inungẽdo, poſſũt ſter-
nutamẽta & vel inſufflata, vel interdũ illita meatibus
D narium ciẽt. Apophlegmatiſmus aũt, vel vt iuniores
vocant, maſticatoriũ familiariſſimũ, & facillimũ eſt
maſtiche, quæ pinguior eſt, commaſticata: ſimilis fe-
rè illi eſt terebinthina cocta, & conſiſtens; ualentius
erit ſi commiſceatur illis aliquid, aut piperis, aut py-
rethri, aut ſtaphidis ſylueſtris, addita modica cera, vt
mollius reddatur. Archigenes verò tale maſticato-
rium deſcribit, vt capiamus ſynapin & hyſſopũ tri-
ta, eaq; paſſo cocto excipiamus, donec ad conſiſten
tiam deueniant. ſola etiam ſtaphis, quam latini pedi-
cularem herbam vocant, trita, & melle excepta ua-
lenter pituitam detrahere poteſt, poteſt & illi piper
tritum addi, & addi melli aliquid olei. Poſſent innu-
mera deſcribi medicamẽta huc pertinentia: alia mi-
E tiora; nonnulla acriora, & vehementiora: quæ, ne ę-
quo longiores videamur, prætergredi volumus, &
hoc ſolum adnotato, ad aliam materiam pertranſi-
re. Nimirum ꝙ cauti admodum ſitis in vſu medica-
mentorum valentium, & horum, & aliorum quo-
runcumque: quia ſi in illis a ſcopo aberrauerimus,
plurimum obeſſe poſſumus: in leuioribus autẽ, hoc
ſolum incommodum nos circunſtat, ꝙ parum pro-
ſunt, cui facilius occurrere poſſumus vires addendo
medicamentis, quam cum pręterea ſit morbi exacer
batio irritati a violentia medicamentorum, vnde in
his affectibus monet Gal. vt exordientes a leniori-
bus incipiamus, ac ſubinde paulatim augendo ten-
temus, quantum ferre poſſint ægrotantes, donec ſco
pum attigerimus. His itaque expoſitis, extrinſeca re-
A media, & topica exponamus, quibus uti ſolemus in
capitis relatis affectibus.

*De curatione eorundem capitis affectuum per ea reme-
dia quę topica, vel localia dicuntur, ac capiti exte-
rius adhibita vim habent, tum repellendi fluentes
humores, tum verò fluxos digerendi, uel diſcutien-
di. Cap. XIII.*

QVoniam autem affectus hi omnes ſimilem
ferè, ſaltẽ in uniuerſum, habent rationẽ ge-
nerationis, & non ſolum hi, ſed oẽs ẽt, qui
a b affluxu materię excitantur: ideo etiam eos cõi me
thodo ſubiectos eſſe opus eſt, cui oẽs defluxorij mor
B bi. Ea verò eſt, ut cũ reuellere alioquin cœperimus,
aut miſſione ſanguinis, aut alia vacuatione, uel quo
cunque reuellamus, ſtatim, quantum ad externa, &
topica remedia pertinet, ſubiungamus vſum reme-
diorũ, quæ repellant affluentẽ humorem: facilius.n.
fieri poterimus nõſtri voti cõpotes; nempe ut a loco
affecto materia morboſa auertatur: auertetur aũt, ſi
& reuellentia alio attrahant, ſimulq; repellentia in
de repellant. In omnibus ergo his affectibus inter
prima ſtatim initia ſunt ea adminiſtranda, q̃ repel-
lant; poſtea, uerò cum iam non modo fluit materia,
ſed & ex parte aliqua fluxit, & recepta eſt in loco, ſi-
cuti mixta ſit indicatio, ita mixtum oportet eſſe ſco-
pum, nempe vt partim repellatur, quæ fluit, partim
C inaniatur, quæ fluxit: inanitur vero præſertim laxan
tibus, & digerentibus. Cum autem ad vigorem per-
uenerit affectus, & iam omnino, vel maxima ex par
te fluxerit humor, relictis repellentibus, ſolis diſcu-
tientibus, laxantibus, coquentibusque eſt opus: In
hac autem inclinatione, ut 2. de comp. med. per loc.
docet Gal. reſpiciendum ad naturam affectus; quia
ſi materia, quæ reliqua eſt, induruit, ſicut ſit ſæpe, tũ
ob id, quod tenuiores partes euaporarunt, & dige-
ſtæ ſunt: tum vero, quia ex importuno frigidorum,
& aſtringentium vſu, quæ ad repellendum adhibue
re medici, cõcreuere, & induruere humores: ea tũc
erunt opportuna, quæ incidere, & attenuare talem
materiam poſſunt; alioquin.n. niſi indurucrint, di-
D gerentia, & mollientia, vel laxantia ſatis erunt. Ge-
neralis itaq; eſt methodus hęc, non aũt horum tan-
tum priuata. Repellũt aũt imprimis ea, quæ frigida
ſunt, queq; aſtringentis facultatis nõ nihil habẽt. Re
liqua verò, q̃ digerunt, laxant, molliuntve, quæq; at-
tenuant, & incidunt, calida ſunt. Sed hęc poſtrema
neceſſe eſt, vt præter calorem, tenues ẽt partes, & te
nuem ſubſtantiã habeant. Sed a repellentibus ſuma
mus exordiũ. Si omnia uellemus recenſere, quibus
poſſet medicus vti ad repellendũ, adeo protrahere-
tur ſermo noſter, vt eſſet opus multis longisq; ſer-
monibus. omnia.n. quę aſtringunt, & refrigerãt, poſ-
ſunt hic habere locũ; unde in omnium aliorum pe-
nuria ſola poſca, hoc eſt, aqua ex aceto, ita frigida af-
E fuſa hoc officiũ pręſtaret, melius etiam, ſi illi commi
ſceretur aliquid aut ſucci vuæ immaturę, aut uini
malorum punicorum, aut cotoneorum, aut moro-
rum non maturorum, aut foliorum pomorum, aut
oliuarum aut capreolorum vitis, aut id genus alte-
rius. Item ſuccus lactucæ, aut portulacæ, aut cucur-
bitæ, aut cucumeris, aut appellatæ anguriæ, cum qui
bus aliquid aceti, & aliud aliquid aſtringens, ut eſſet
ſuccus ſolani, aut polygoni, aut rhu, & alia multa
poſſemus cõmiſcere. Nos tñ in his oĩbus relictis, illi
inſiſtamus, ꝙ ab oĩbus in capitis affectibus cæteris
quibuſcunq; alijs pręfertur, & eſt oxyrhodinũ appel
latũ medicamentũ, qđ cõficitur ex roſaceo oleo, cui
portio aliqua aceti inijcitur. Nemo.n. eſt, modo id
habere poſſit, qui in repellendo hoc nõ utatur in his

morbis,

morbis,illudque capiti affundat, de quo cũ ſuperius
egerimus, ubi de capitis dolore à calida, & externa
cauſa orto,ſermonẽ habuimus, ſummatim nũc eius
rõnem explanabimus. Sit ergo oleum roſaceum ex
communi oleo,omphacino tamen,hoc eſt, non ple
nè maturo,confectum,ſit etiam recens, hoc eſt, vt
annum non exceſſerit. Acetum autem in phreniti-
de quidem,& alijs affectibus calidis, ut à bile,vel ſan
guine ortis,immo & à ſalſa pituita, niſi admodum
craſſa ſit,non oportet,ut admodum acre ſit, vel ſi ſit
acre,minor portio erit inijciẽda, quia acrimonia nõ
ſine aliquo calore eſt,præterea quantò acrius eſt, tã-
tò magis vigiliç in cauſa eſt,in biliosis autem affecti-
bus vigilia maximè importuna, & moleſta, noxiaq;
eſt. In alijs autem,qui à craſſa, & pituitoſa materia,
& acriori,& copioſiori fiunt, uti poſſumus, de eius
autem portione ad oleum abundè ſuperius diximus,
niſi quòd forſitan non erit ab re ijs, quæ dicta ſupe-
rius fuere,& hoc addere, cuius Galen. 2. de comp.
med.per loc. meminit,quòd & ſi inflammationibus
omnibus capitis uideatur hoc medicamentum effi-
cax, & utile,attamen ab hoc præcepto excipiuntur,
& inflammationes, & capitis etiam dolor, qui pla-
gam, vulnuſque ſequitur capiti inflictum, quo cere-
brum detectum eſt, abraſa, vel detracta aliqua par-
ticula caluariæ,in his enim ſolùm vtimur roſaceo o-
leo citra quamcunque aceti mixturam,tum quia ni-
mis acre,& mordax eſt, vnde mordendo maiore cõ
citato dolore,non parum lædere poſſet,tum etiam, C
quia præcipua eius vtilitas eſt, quòd faciliorem me-
dicamentis præſtat tranſitum ad internas particu-
las,ſed detectis membranis,& nudatis ab oſſe, non
requirimus tantam penetrationem, & proinde ſo-
lum roſaceum ſatis eſt ad repellendos affluentes hu
mores,& ſedandam inflammationem, ſicuti,& cũ
cutis,vel pericranium inflammatione tentatur,non
eſt opus aceto. Quatenus verò ad vſum horum me-
dicamentorum repellentium pertinet, hoc etiã con
ſiderandum,quod non modici momenti eſt, quia in
alijs quidem calidioribus affectibus, ſicuti in capitis
doloribus ab æſtu, & feruore ſolis excitatis, item
etiam à materia bilioſa affluente potius,quàm attol-
lente particulas in inflammationem conuenit inter D
omnes medicos,adhibenda eſſe medicamenta, ſiue
illiniendum,ſiue perfundendum ſit caput, actu frigi
da,& quandoque ex niue, vel glacie,vel frigidiori a-
qua refrigerata: In curanda tamen phrenitide non
omnes in hoc conſentiunt. Auic. enim prima fen.
3. can. vbi curationem phrenitidis tractat, monet
irrorandum eſſe caput oxyrrhodino actu frigido,im
mo ex niue refrigerato,eum ſequutus eſt Meſ. qui
eodem modo irrorandum eſſe ait,qui irrorantur ij,
qui capitis dolore tentantur. Aretæus verò ait, quòd
ſi vehemens ſit delirium, frigidæ ſunt adhibendç ir-
rorationes, alioquin autem non eſſe adhibendas.
Cæteri omnes, Græci verò imprimis, tepidas quidẽ
æſtate laudant:hyeme verò aliquantiſper calidas. Nã E
Apollonius antiquus admodum medicus,ſicuti Ga-
len. 2. de comp.med. per loc. teſtatur, vbi de dolore
capitis ex plaga agit, hoc præcipit,cui & ipſe videtur
aſſentiri,cum enim ipſe alioquin quæcunque repre-
henſione digna videntur,diligenti adhibito exami-
ne, reprehendat,& hoc citra reprehenſionem reli-
querit,approbare uidetur. Nec alienus ab hac eadẽ
ſententia uidetur Paulus, Alex. etiam Trall. his aſti-
pulari videtur, vtpote qui omnia epithemata capiti
in phrenitide calida eſſe apponenda dixerit. Sed a-
pertiſſimè Aetius Poſſidonium in hoc ſecutus, qui
clarè non modò exprimit hoc,quod diximus,verum
& eius rationem affert. dicit enim non eſſe omni-
no tutum ea, quæ actu frigida ſunt,capiti apponere,

A quia denſatis meatibus, conſtipatiſque intercipitur
excrementorum eorum diſcuſſio,& excretio, quæ
tum in capite generantur, tum in toto genita ad ca-
put deferuntur, præterea verò, & humor in inflam
matam partem magis inculcatur,& impingitur. Sed
ſi quis forſitan miratus rationem quçrat,cur,cum in
cephalalgia citra inflammationem omnes conſen-
tiant in actu frigidis perfuſionibus, uel irrorationi-
bus,eas hi poſtea declinandas putent in inflamma-
tionibus. Ego ita reſponderem, quod humor exci-
tans dolorem, antequam inflammationem conci-
tet, non eſt coactus,collectuſque in locum unum,
neque extra uenas excidit, ut nos docuit Gale. 2. lib.
com.in 1. Epid. ideo non ita facilè poteſt infarciri,im
B pingique in ſubſtantiam particulæ à medicamento-
rum frigore. At in inflammatione excidens è venis
abſorbetur, & recipitur in exiguis particularũ mea-
tibus. Quòd ſi ſenſere hi celebres, & probati aucto-
res ſuſpecta eſſe actu frigida in phrenitide, longè ma
gis ſuſpecta illis fuiſſent in lethargo, & alijs frigidio-
ribus capitis affectibus, cui aſtipulatur Gal. 1. li. art. Cap.1.
cur.ad Gl. Hæc itaque ſunt initijs accommodata re-
media. In incremento deinde eorum ratio immu-
tari incipit, non quidem omnino, ſed ex aliqua par-
te:nam iam opus eſt de repellentibus detrahere, &
addere de digerentibus,& laxantibus,vel concoquẽ
tibus. Vnde de aceto paulatim detrahimus,quouſ-
que inſtante uigore ſolo vtamur roſaceo. Sed neque
C à ratione alienum eſſet eo tempore omphacinum
oleum mutare in oleum roſaceum maturum,quod
apothecarij, & recentiores Medici in præſentia ro-
ſaceum completum appellant, in quo maior eſt vis
mitigandi, concoquendique, & digerendi,quam re-
pellendi. Sed hic maximè aduertendum eſt, quòd
hactenus quidem phrenitidis, & lethargi rationes in
vnam, & eandem medendi methodum conuenere,
quamuis ab aduerſarijs cauſis ſint procreati hi affe-
ctus, quia in vniuerſum unum habent generationis
modum, nempe quia ambo habent & generatio-
nem,& incrementum ex affluxu humorum. Hic au
tem iam euariant plurimum,in uigore videlicet, vt-
pote,quia à ſymptomatibus, quæ inter ſe ſunt pluri-
D mum aduerſaria,non modo diuerſa, diſtrahimur ad
diuerſas curandi rationes, adeo enim ad vigorem
morbi increſcunt ea ſymptomata, ut ſi non omnẽ,
magnam tamen curationis partem ad ſe conuerte-
re medicos cogant. Et quod de lethargo, & phre-
nitide diximus, eadem de illis intelligenda putetis,
quæ cum his affinitatem habent, ut cum phreniti-
de habet cephalalgia ex bilioſo humore, & acriori,
cum lethargo κάρος, κῶμα, epilepſia, apoplexia, &
id genus affectus alij, quicunque ex humore pitui-
toſo ſuum habent ortum. Diuerſa uerò ſymptoma-
ta, quæ concomitantur hos affectus,ſunt hæc, phre
nitin quidem vigilia ferè perpetua, & importuna,
atque agitatio, & inquietudo maxima,quæ vtraque
E vires corporis facilè ſolent diſſoluere, quibus tamen
robuſtis imprimis egemus,ut æger conualeſcere poſ
ſit, lethargum verò veternus, & inſuperabilis qui-
dam ſopor,& ſegnities omnium ferè facultatum ani
mi,immo & corporis, quæ etiã grauiſſima ſunt ſym
ptomata,& fortè habent indicationem,indicant au
tem contrariã rationem remediorum, vigilia enim
quiete eget,ut ſomnus conciliari poſſit, & ijs omni-
bus,quæ ad id facere poſſint: Vnde, & irrorationes
capiti adminiſtrandæ,quæ refrigerent, & humectẽt
ſicuti decocta ex lactuca, floribus uiolarum, nim-
phææ, quam Arabes nenuphar vocant, interdum
& corticibus,vel capitibus potius papaueris, quan-
doq; vero,& horum ſuccis illinimus caput,frõtem,
& tempora,ita aliquãdo,& oleum violaceum, & ex
nimphæa

A nymphea(nenupharinum vulgo appellãt)addimus:
nonnunquam & anethum, quod & aliquam uim
habet conciliandi ſomnum, aliquam etiam digeren
di, & laxandi, ſatis enim modeſtè calidum eſt, Sed &
odoramenta illis adhibemus, vel ſuffitus quoſdam
facultatis eiuſdem, decoctis uidelicet lactuca, uiolis,
nymphææ floribus, capitibus papaueris, roſis etiam,
ſi uirides, & recentes poſſint haberi. Neque uero
hac ratione ſola ſomnum allicere ſtudebimus, ſed
& alia preparatione, & mutatione aeris domicilij,
in quo iacent egri, ſi illę eædem herbæ uirides inſter-
nantur, ſicuti folia lactucæ, nymphææ, maluæ, uitis,
& iſtiuſmodi alia, preterea ſi paretur arte, ut, aqua ca
dens conciteт ſonitum, uel murmur fontis præterla
B bentis. In cibis etiam ad hunc ſcopum reſpicien-
dum erit, uidelicet ut ita parentur, ut ſomnum con-
ciliandi uim habeant, unde lactucæ coctę in cibis, vel
etiam comedendæ exhibeantur, lac etiam ex amyg-
dalis dulcibus expreſſum, itidem & quod ex ſemini
bus papaueris albi, quibus fercula condiantur, uel
aliquanto a cœna bibenda dentur, pedes quoque &
crura lauẽtur aqua dulci, uel ſola, uel cum ea, in qua
predicta ſimplicia ebullierint. Sopor autem, ſicut cõ
trariam habet cauſam, ita contrariam remediorum
requirit rationem, videlicet qua uigilent, & exciten-
tur, vnde & ſtrepitus, clamores, doloroſa uincula ar
tubus adhibita, vellicationes, uiolenta pilorum ex-
tractio, ſiccę cucurbitulę ex multo igne ſcapulis, vel
C coxis, vel dorſo affixę, torſiones etiam digitorũ ſunt
ad excitandum è ſomno inſtrumenta neceſſaria.
Præterea in his acrius acetum odorandum, atque
oleo roſaceo immixtũ erit utilius, & ea omnia, quæ
uim diſcutiendi, attenuandi, & incidendi habent, cõ
modam eo tempore occaſionem nobis offerent, vn
de vel oleo roſaceo incocta, uel cum eo mixtum il-
lorum decoctum capiti poſſunt adhiberi, vel acri a-
ceto decocta, odoranda, offerri, uel etiam ſi ex oleo
coquantur, & interius nares illiniantur, ut vapores,
in quibus odor fundamentum ſuum habet, ad caput
aſcendentes craſſos humores attenuent, & diſſecẽt,
& partim diſcutiant. Vt tamen in his etiam ſit aduer
tendum, quod quamuis hoc ſit preceptum commu-
D ne omnibus affectibus ab humore frigido & craſ-
ſo genitis, ſicuti ſunt apoplexia, epilepſia, ſopor,
vel κῶμα, κάτοχος, & id genus reliqua: pꝛterea uero
& lethargus, aliqua tamen intercedit in his diffe-
rentia, quia pituita, ex qua fit lethargus putreſcit, un
de & caliditatem ſibi comparat, & febrem accendit,
& quantumlibet calorem habeat externum, & ad-
uentitium duntaxat, omnino tamen calidum mor-
bum concitat, & proinde donec deferueſcat calor fe
brilis, oportet ea quidem offerre quæ diſſecent, &
attenuent, ita tamen, ut non plurimum calefaciant,
quæ tamen cautio in alijs, quæ caloris ſunt expertia
non eſt ita neceſſaria. Vnde hæc Galen. commemo
rat tanquam accommodata remedia, quæ in aceto
E incoquantur, thymum, pulegium, calamentum, ori-
ganum, poſſumus mentam, ſerpillum, maioranam
& alia multa iſtius generis addere, quę ex Galen. uos
poteſtis colligere ex libro de ſimplicibus medica. fa-
cul. Quòd quiſpiam dicat, & quid, nonne hęc ſunt ſa
tis inſigniter calida? ſunt quidem, reſpõdeo, ipſa per
ſe, verum ex aceto, in quo coquuntur, detrahitur de
caliditate, cum id frigidum ſit, non tamen de faculta
te attenuandi, & diſſecandi ob tenues partes, tenuẽ
que quam habent, ſubſtantiam. Sed & non parum
præterea proderit, ſi rebus, uel medicamentis acrio-
ribus palatum liniatur, ut eſſent diacyminum, dia-
trionpipereon, diacalamentum, vel ſi ex ſynapi, uel
naſturij, vel erucæ ſeminibus tritis, & melle exceptis
fiat medicamentum. In his ergo differt curatio iſto

A rum a curatione phrenitidis cum ad uigorem, & cre Cap. 21.
mentum ſummum deuenerit, quod Galen. 13. met.
& preterea 2. de comp. med. ſecundum loc. nos do-
cuit. Cum uero iam inclinare hi affectus inceperint,
iterum in unam, & eandem curandi rationem con-
ueniunt utræque horum morborum differentiæ: Cap. 17.
nam ut ibidem declarat, in uigore cum iam omnino
confluxit materia & iam ueluti abſorpta, & infarta
eſt in particula inflammata, ipſa diſtenditur, ac uires
eius factę ſunt adeo imbecillæ, ut non poſſint am-
plius ab ea noxium humorem expellere, qui neque
alia ratione, niſi diaphoreſi, ut Greci dicunt, ideſt di-
geſtione, & uaporatione extrahi poteſt, quæ cum fie
ri ſolum poſſint laxantibus particulam, & digerenti
B bus humorem, ideo hi maximè eo tempore ſcopi vi
gent. Itaque oleum roſatum, quod diximus comple-
tum appellari, cum anethino, & chamæmelino ſatis
commoda medicamenta erunt, ad hunc etiam locũ
pertinent pulmones ueruecum è nuper mactato a-
nimate exſecti, ut ita calidis foueatur caput, qui ſi re
frigeſcant, iterum calefaciendi ſunt ex decocto cha-
mæmeli, anethi, ſeminum lini, fęnugræci, & ſimiliũ,
quę calefaciunt, ita pulli columbarum reciſi, & exẽ
terati uel catelli parui eodem pacto appoſiti. Quia
tamen, ut in eiſdem locis teſtatus eſt Galen. inclinan
tium harum inflammationum nõ eſt idem modus,
nam aliquando, vel ex importuno refrigerantium
uſu in principio, quæ preter id, quod incraſſandi vim
C habent, impingunt etiam, & infarciunt magis eos
humores, ut poſteaquam deferbuerit febris, diffici-
lius euocari poſſint, uel ob præproperum uſum di-
ſcutientium, digeſtis uidelicet tenuioribus, & mollio
ribus partibus reliquiæ inflammationum indure-
ſcunt, & in ſcirrhum tranſeunt. Ideo ad hoc etiam
animus aduertendus, quia ſi laxantibus, & digeren-
tibus res non conficiantur, oportebit ab his ad ea, q̃
uim inſignem attenuandi, ſecandique habent, atq;
de profundo trahendi, uidelicet uſque ad caſtoreũ,
& ſynapi, confectis ex ipſis aut linimentis, aut cata-
plaſmatibus, uel etiam ceratis deuenire. Sed poſtea-
quam nimis fortaſſe in his exponendis copioſi fui-
mus, quæ ulterius de reliquis affectibus erant dicen
D da exponamus.

*De aliquibus, quę priuatim ad curationem melancho-
lię neceßaria ſunt, & ſubinde de eorum affe-
ctuum curatione, quibus afficitur ce-
rebrum aliarum partium con-
ſenſu. Cap. XIIII.*

QVamuis, ſi quis ſit uel leuiter inſtructus in ar
te medica, facilè ex pręcedẽtibus poſſit per-
cipere, quæ ſit ratio curandi inſaniam ſiue, vt
Greci loquuntur, μελανχολίαν, uel furorem, quem
μανίαν ijdem appellant, quæ diuerſæ affectiones sũt,
præſertim uerò ob diuerſam naturam humoris me
E lancholici, a quo excitantur. Nam furores a melan-
cholia aſſata, uel a ſanguine plurimum aſſato gene-
rantur, dum enim feruet is humor, & præcedentis
ignei caloris ſeruat reliquias, quaſi pungens, & ſti-
mulans partes pertinentes ad cerebrum, arterias ni-
mirum, & uenas, quæ membranis hærentes per ip-
ſum cerebrum diſtribuuntur, & membranas quoq;
ipſas, delirium cum furore concitatur. Vnde, ut Ru
fus, uel Aetius ex eius, & Poſſidonij ſententia refert,
ſæpe quamuis furibundi huiuſmodi ægrotantes in-
ter initia ſint, morbo tamen eatenus procedente, do
nec deferueſcat humor, & refrigeretur, fiunt timidi,
& mœſti, ſicut & melancholici, qui ex melancholia
naturali, uel ex ea, quæ non inſigniter ſit aſſata: fu-
ror enim effectus eſt caloris feruentis, unde nõ quę-
cunque

cunque iſtius humoris aſſatio poteſt furorem conci
tare. Et, ut declarauimus ſuperius, duplicem ha-
bet occaſionem affectus melancholicus: nam aut
capite ipſo intemperie frigida, & ſicca primario la-
borante cum materia melancholica, uel citra etiam
materiam, aut etiam per conſenſum a ſuppoſitis
partibus oritur, quæ ſunt, uel uniuerſum corpus, vel
uentriculus, uel a uenis meſeraicis, uel a liene, uel
aliunde effunditur pars aliqua, aut ichor iſtius hu-
moris, cuius tum uapor, tum etiam ſola qualitas per
neruos uitiat conſenſu, & affinitate cerebrum. Quæ
affectio hypochondriaca, uel flatuoſa melancholia
a Græcis dicitur: Arabes uero appellant myrachia-
lem. De his itaque curandis ſummatim agendum
eſt, quamuis potuerint ex prioribus præceptis, hæc
quoque addiſci, magis tamen particulatim in pręſen
tia propter iuniores de his uerba faciemus. Vbi pri-
mum hoc maximè aduertendum, quòd eſt Gal. præ
ceptum 3. de loc. affect. quod multum intereſt cura-
tionem aggredi, dum morbus in initio, & recens eſt,
7. uel quando conſenuerit, & firmatus ſit. Quia recēs
facillimè, & non multo negotio curari poteſt, ſecus
autem, quando iam inueteratus eſt: ſępiſſimè enim
ſe, ſola uictus ratione congruenti, qua ſanè probus,
tenuis, & clarus gignatur ſanguis, & pręterea hu-
mectatione corporis, & capitis, pręſertim uero bal-
neis frequentibus aquæ dulcis, reſtituiſſe melancho-
licos ſuo priſtino ſtatui ſine alio ualidiori remedio,
ibi teſtatur. At uero, ſi inueterescat, difficilis ad-
modum redditur. Hoc tamen, & recenti, & in-
ueterato commune eſt: quippe ut bonus gignatur
ſanguis. Ille enim omnem corporis malitiam, cum
bonus fuerit, & pro natura morbi accommodatus,
corrigit: bonus autem gignitur dupliciter. Primū
ut cibi, & potus eligantur, qui ſuapte natura talem
generent, ut ſunt oua nuper nata, carnes animan-
tium iuuenum, præſertim pullorum gallinaceo-
rum iuuenum, & pinguium, caporum identidem,
ueruecis, uel caſtrati, ſed & perdicum, & phaſia-
norum, & auicularum, ut quæ lucidum, & tenuē
gignant ſanguinem facilè concedi poſſunt: illæ tamē
priores ſua natiua humiditate accommodatiores
ſunt, quam hę: potus etiam uini, non quidē mu-
ſti, ſed iam perfecti, colore non nigro, neque craſ-
ſa ſubſtantia, non dulci, neque admodum auſtero
nec plurimum potente, & ueteri. Deinde uero, ut
Rufus conſuluit, procuretur, ut proba fiat conco
ctio. Alterum etiam commune utriſque id eſt, ut
balneis, ſicuti diximus, agatur, quę aut ex ſola dul
ci aqua parentur, aut ſi aliquid addendum ſit, illud
uim habeat molliendi, & humectandi, ut malua,
althea, borago: aliqui & caput & pedes ueruecis ad
dunt, aliqui etiam lacte tepido fouent, & quamuis
Galen. hæc ſola curationis ratio ſępè ſuffecerit, non
eſt tamen ab hac ratione alienum, quòd aliquando
uacuentur, facilibus tamen medicamentis. Laudant
autem Rufus, Paulus, & Aetius epithymum, &
aloe. Nos uero putamus quod ſena, & electuarium
lenitiuum, & diacatholicon utiliter, & tuto dari poſ
ſint: item caſſia ex decocto ſenæ, uel manna, uel
aliquid ſimile, neque hac quę diximus, aduerſari
Galen. arbitramur, ut pote qui, licet dixerit abſti-
nendum a ualentioribus remedijs, ea tamen, quæ
faciliora ſunt, non uideatur damnaſſe. Quod ſi in-
ueteraſcat morbus, ad ualentiora erit tranſeundū.
Sed inde arrepta occaſione, aliquis forſitan exiſti-
mare poſſet, reieciſſe Galen. omnem ſanguinis miſ
ſionem, quia in magnis remedijs ea ab omnibus po
ni ſolet. Reſpondet huic dubitationi Galen. ibidem,
quod cum cerebrum primario in hoc affectu labo-
rat, nihil opus illi eſt, quantum ad rationem ipſius

A affectus pertinet, ſanguinis detractione, quod ſi
aliquando mittendus, aliqua alia ratione mitten-
dus eſt: Videtur autem Aetius uidiſſe, quod ita poſ-
ſet quiſpiam quęrere, & quę eſt ea alia ratio? Ideo
addit, ex Poſſidonij ſentētia, ſi ſit multus in toto ſan
guis, aut fuerit aliqua conſueta excretio ſuppreſſa, vt
quæ ex hæmorrhoidibus, uel quæ per menſes fit in
mulieribus, in his enim eſſet à uenæ ſectione, propè
talum in his, in cubito uerò in prioribus inchoan-
dum. At uerò cum ſit affectio capite conſentiente
cum toto, quia totum plenum ſit copioſo melan-
cholico ſucco, uel ſanguine, tunc item ordiri cura-
tionem oportet à miſſione ſanguinis. Quòd ſi ſit
conſenſu ventriculi, dicet quiſpiam? In hoc dixe-
B rim, quod quia plerunque is affectus pendet ab alio
viſcere effundente humorem, vel ichorem in uen-
triculum, ideo primo occurrendum eſſet illi particu
læ, unde effunditur, nam ſi à liene, curandus prius
ille erit, poſtea roborandus erit uentriculus, mox &
caput. Si ab inflammatis meſeraicis venis, ſi illæ
videantur refertæ melancholico illo, & aſſato ſan-
guine, & vires, & ætas permiſerint, oportebit ue-
nam ſecare, præſertim uero interiorem in cubito,
vtpote, quæ facilius, & citius, uacuet partes pertin-
gentes ad iecur. in morbo autem inueterato, maio-
ribus erit opus tormentis, nam & totum primum
erit vacuandum, detracto inde melancholico ſucco
& præparandus quoque erit humor ante uacuatio
C nem, qui cum craſſus, & terreſtris ſit, attenuantibus
& ſecantibus medicamentis parandus erit ad uacua
tionem faciliorem, vt tamen ſemper hoc procuran
dum ſit, ne pluribus, ac nimium ſiccis, calidisq; vta-
mur, ne abſumptis confertim tenuioribus partibus,
quod reliquum eſt, & durius, & ineptius reddatur
digeſtioni, & uacuationi, immo præſtiterit, ut ſem-
per aliqua intermiſceantur, quæ molliant, & hume
ctent, opus præterea erit ad fortiora medicamenta
accedere, vt, ſunt veratrum, polypodium. Arabes,
& lapides quoſdam laudant, ut eſt cęruleus, quem
lazuli ipſi vocant, & armenus. Armenum nun-
quam vidi, lazulum verò, niſi ſit electiſſimus, & opti
mè paratus multa adhibita diligentia, quandoque vi
D di maxime agitaſſe, & plurimum ventriculo obfuiſ-
ſe, unde & rariſſime eo uſus ſum. De eis, & modo
parandi Meſue, ubi de ſimplicibus ſermonem ha-
bet, accommodatè agit. De compoſitis autem me
dicamentis apti ad iſtius humoris uacuationem ſa-
tis in præcedentibus longum habuimus ſermonē.
Quare nihil aliud in præſentia dicendum uidetur.
Niſi quòd occaſione iſtius affectus, quem diximus
ſæpius ex aliarum partium conſenſu ortum habe-
re, cuiuſque curationem perſtrinximus, utpote, quæ
ex conſenſu fiunt, non ſit admodum differens, non
erit fortaſſe ab re paucula quædam ſubiungere. Ea
uerò ſunt, quòd cum ex ſolo conſenſu cum alijs la-
borat caput, uel quodcunque etiam aliud membrū,
E non afficitur, niſi quatenus pars ea, qua cum cōſen-
tit, ipſa ſua propria affectione tentantur: nam illam
ſequitur, nec ſine illa conſiſtere poteſt: ſicut lux ſo-
lem ſequitur, à quo perpetuo dependet. Et proin-
de primus ſcopus, oportet, ut ſpectet particulā eam,
cum qua caput, uel aliud membrum conſentit. Etſi
illa uexatur ab aliquo humore in ea contento, ne-
ceſſe eſt prius illum euacuare ratione, & medicamē
tis, tum illi humori educendo aptis, tum commodis
illi particulæ, quam purgare opus eſt. Præterea ue
ro tollenda occaſio eſt, unde huiuſmodi humores
in illud feruntur: & ſi ſit imbecillitas in uentriculo,
tollenda ea eſt, & uentriculus roborandus, ſin au-
tem ab aliqua particula eò pelluntur, itidem robo
randus uentriculus, procurandumque eſt, ne illa

alia

alia particula in uentriculum hos effundat humores. Sed exquiſita horum tractatio ad alium pertinet locum, ubi de particularum affectibus ſermo habendus erit, cum quibus caput conſentire poteſt. Nunc enim iam tempus eſt, ut ad earum particu- A larum affectus tranſeamus, quæ a cerebro tanquã a proprio initio pendent, primum quidem ad eos, qui primum ad neruos pertinent: deinde uero & ad illos, qui ad ſenſus. Hic enim uolumus finem huic libro imponere.

VICTORIS TRINCAVELII DE RATIONE CVRANDI PARTICVLARES HVMANI CORPORIS AFFECTVS.

LIBER TERTIVS.

De affectibus in vniuerſum attinentibus ad particulas, quæ à cerebro ſuas habent facultates: & de neruorum reſolutione.

CAPVT I.

PARTICVLÆ humani corporis, vel etiam cæterorum animantium, quæ ſuas facultates cerebro acceptas referunt, hæ ſunt, ſpinalis medulla, nerui omnes, tũ qui ab ipſo cerebro primum oriuntur, ut ſeptem illa paria, quę ab anteriori cerebro ſtatim originem habentia, partim ſenſuum inſtrumentis ſenſum, uel motum afferunt, partim ad uentriculum, & linguã deferuntur, tum uero qui a medulla ſpinę exorti, & ad omnes ferè particulas corporis diſtributi, in cauſa ſunt, cur illæ tum ſentiant, tum moueantur. Pręterea uero, ut ex his colligi poteſt, quę nuper expoſuimus, & omnium ſenſuum exteriorum inſtrumenta, quorum aliqua inſuper ſunt veluti viæ, per quas cerebrum excernit ſua, quę in eo copioſa generantur, excrementa. De affectibus ergo, & incommodis harum particularum hunc librum tertium inſtituemus. Sed incipiamus ab ijs, quæ in diſtribuendo ſenſum, in primis uero tactum, & motum, qui uoluntarius dicitur, & proximè fit per muſculos, cerebro miniſtrant. Vaſa ergo, quę cerebro in his munijs pręſtant miniſterium, ſunt nerui, qui per uniuerſum corpus diſperiti ſunt, & medulla ſpinę, a qua plerique horum originem duxere. Cum itaque hę functiones horum vitio lęduntur, quatenus talia inſtrumenta ſunt, lęditur, aut ſenſus, aut motus, aut vterque illius particulę, cui hæ facultates erant per illos neruos a cerebro impartitę, & quamuis poſſint alia quoque ratione lædi in vniuerſum, quatenus videlicet partes ſimplices ſunt, poteſt enim uis eius attractrix, uel detentrix, uel concoctrix, uel expultrix ex aliqua intemperatura labem aliquam cõtrahere, item poſſunt in eis concitari inflammationes, poſſunt infligi vulnera, & vlcera, varijque alij affectus, illis tamen hæ eueniunt communi quadã ratione, quatenus ſimplicia membra ſunt, non autem quatenus inſtrumenta ſunt ad has duas facultates diſtribuendas cerebro miniſtrantia. Vnde de ijs A ſolum affectibus agere ad præſens negotium pertinet, quibus ſunt particulatim hac ratione expoſitæ hę particulę, non autem de illis, quibus ſunt obnoxiæ alia communiori ratione. Propterea non attinet ad nos in præſentia agere, neque de vulneribus, neque de tumoribus neruorum pręter naturam, aut ſpinæ primum, niſi quatenus aut conuulſionẽ, aut reſolutionem afferunt. In inueſtigandis autem proprijs affectibus harum partium ad præſcriptam rationem pertinentibus utemur reſolutoria methodo. Primum itaque cum conſtitutum ſit duas eſſe actiones, quę per hanc rationem lędi poſſint & illæ duntaxat ad noſtrum hoc attineãt negotium ſenſus nimirum, & motus, Porrò ſenſus, aut omnino auferri B poteſt, vt nihil prorſus particula ſentiat, aut imminui, ut ſentiat illa quidem, ſed obſcure, & obtusè, aut perperam ſentiat, & uitiata ſit penitus actio, quod duobus modis poteſt fieri, aut vt ſentiat quidẽ, ſed nõ ut res eſt, ſicuti aliquando cum ſtupeſcunt crura, vel brachia ex incommodo, ſitu, videntur ueluti formicę per id membrum decurrere, aut quamuis nullus ſit in ſentiendo error, ſit tamen adeo moleſtus ſenſus, ut cum deſtructione naturæ ſentientis particulę excitetur. Et huiuſcemodi lęſio dolor vocatur, qui fit, aut ex intemperie illius particulæ confertim, & repente tranſmutatæ, aut ex ſolutione vnitatis item repente facta. Sed de illis affectibus, a C quibus dolor primum infertur, non ſub ea ratione agemus, nam communior eſt hęc ratio, quam faciat ad inſtitutum noſtrum. Agemus ergo de ijs, per quos aut omnino, aut magna ex parte ſenſu deſtituuntur particulę corporis. Sed prius tamen conſideremus, quibus item modis lędatur motus, & ſanè illis eiſdem tribus modis læditur, ut pote quia uel omnino tollitur facultas mouendi, ita vt nullus amplius relinquatur motus, vel aliquis quidem motus relinquitur, verum languidus, & imbecillis, & ſine aliquo robore, vel prorſus vitiatur, ita ut omnino perperam moueatur, & pręter naturalem ordinem, & mouentis appetitum, & inſtitutũ, Prętereà uero conſi-

conſiderandum eſt,quod cum per eoſdem ſpiritus,
& per eoſdem neruos tam motus, quam ſenſus fe-
rantur,ſi aliquando videamus, quod aliqui ſint ner-
ui,qui ſenſum alicui parti ſubminiſtrant,nec tamen
motum ſicut qui ad ſummam cutim deueniunt, at-
que illi uim ſentiendi deferunt,non eam tamen mo
uent:illud eſt,quia pars illa non eſt apta, ut moueа-
tur:nam ſi eſſet apta,ut moueretur,facultatem etiã
mouendi illi impartirentur. Nulli tamen particulæ
motum ſubminiſtrat neruus,quin illi etiam ſensũ,
& proinde,quotieſcunque aufertur facultas mouẽ-
di vitio aliquo contracto in aliquo neruo, neceſſe
eſt tollatur etiam vis ſentiendi, quantum ad illũ ner
uum pertinet:quia alioquin nihil obſtat, quin per
alium neruum, qui ad eandem delatus eſt particu-
lam, & integer eſt, & ſine ullo uitio,poſſit ſentire, vt
ſæpe videmus,quod qui brachium habent reſolutũ,
vt minimè illud mouere poſſint, ſi tamen pupuge-
ris, vel vellicaueris,dolorem percipient, nam vitiati
ſunt nerui,qui ſunt in internis muſculis, non qui ad
cutem feruntur, per quos vim ſentiẽdi cutis habet.
Vnde quantum ad perditum, & imminutum ſen-
ſum pertinet,in eaſdẽ cauſas oportet, vt referatur,
in quas etiam referimus ablatum motum, & immi-
nutum,idem enim affectus, qui ſenſum lædit, lædit
etiam motum. Itaque cum ex parte tãtum tam mo-
tus,quam ſenſus tollitur,quod obſcurè ſentiant, &
languidè moueantur,ſtupor latinè dicitur, uel tor-
por, Græcè verò νάρκη. Cum uerò omnino particu
la quæpiam motu, & ſenſu deſtituitur, reſolutio La
tinè παράλυσις, Græcè appellatur. Sed hæc omnia
ab ipſo ſymptomate nomen habent, nec dum ratio
nem morbi aſſequuti ſumus, propriè enim morbus
eſt ea affectio, à qua læduntur hæ actiones, non ipſæ
læſiones, à qua etiã affectione indicationes ad curã-
di rationem facientes ſunt depromendæ. Vnde hoc
imprimis procurãdum à nobis eſt, ut cauſas omnes
inueniamus, quibus poteſt impediri tranſitus facul-
tatis mouendi, & ſentiendi per neruos: nam illæ no
bis poſtea oſtendent, qua uia, quaque ratione, & qui
bus inſtrumentis ſit ea cauſa, & ſubinde morbus ſol
uendus. Cauſæ autem, quæ poſſunt eſſe impedimẽ-
to, cur facultas ad particulas per neruos deferri nõ
queat, uel in ipſam facultatem referri poſſunt, vel in
ipſum inſtrumentum. In ipſam quidem facultatem,
ſi ipſa deficiat in ſuo principio, & fonte, quia adeo
imbecillis ſit, vt expandi, & in alias partes diſtribui
nequeat, ſicut ubi ſumma eſt in morbis debilitas, vel
quia læſum eſt principium, & fundamentum ipſius
facultatis, ut eſt cerebrum, ſæpe enim in vulneri-
bus, ſi peruenerint ad ventres cerebri, ut tradit Ga-
le. in ſexto de utilit. reſp. & ſeptimo. de dec. Hippo.
& Plato. tollitur omnis ſentiendi, & mouendi fa-
cultas. Interdum etiam ipſa facultas aliquo afflicta
incommodo colligit ſe uniuerſa, retractis ſpiritibus,
vt deinde viribus reſumptis, poſſit liberata à mole-
ſtia fortior expandi: ut quando ex caſu inſigni cere-
brum commotum eſt: ſicuti 7. Aphor. exponit cla-
riſſimè Gale. refertur autem in inſtrumentum, quã-
do vitium aliquod in ſpinæ medulla, aut in neruo,
uel proprio ipſius, uel alterius conſenſu contractũ
eſt, quod in cauſa ſit, ut omnino, aut ex aliqua parte
intercipiatur tranſitus ſpirituum deferentium facul
tatem ſenſitricem, & motricem. Vitium autem il-
lud, quod intercipit tranſitum facultatis ad mouen-
das particulas, ut docet Gal. primo de ſympt. cauſis,
quaſdam habet differentias, quæ quidem uario mo-
do ab eo referuntur pro uaria antiquorum ſenten-
tia de natura neruorum. Si enim ſentiamus, ut
nonnulli, quòd in uiuente animali nerui ſint perfo-
rati, ita ut per eam inanem uiam ſpiritus ferantur,

A in quibus ſita eſt uis ſentiendi, & mouendi, ſecus e-
runt accipiendæ differentiæ iſtius affectus, uel nocu
menti cõtracti in neruis. Secus autem, ſi ſentiamus,
ut quidam alij, nempe, quòd nulla ſit in neruis caui
tas, ſed quòd facultas per neruos feratur, ſicuti lumẽ
per aerem, atque per illos expandatur, ſicut ſolaris
radius per diaphana corpora, non per aliquam ca-
uam, & alioquin inanem uiam. Nam ſi horum opi
nionem ſequamur, hæc tantum erunt nocumenta
neruo illata, uidelicet eius condenſatio, & compreſ
ſio; præterquam ſi omnino reciſus ſit neruus, tunc
enim, dum facultas priuatur tranſitu, progredi non
poteſt. Condenſatio verò fit, uel ab inſigni frigore,
vel à craſſiori, & magis lento alimento, quo alitus
B eſt, ut a craſſo humore impacto præſertim circa ori
ginem, vel à frigido, & crudo tuberculo, qui in eo cõ
creuerit, uel ab inflammatione. Compreſſio autem
fieri poteſt, uel ab interna cauſa, uel ab externa, ab
externa quidem ſi à duriori aliquo corpore, aut in-
ſtrumento prematur exterius, ut ſi laqueis, & uin-
culis, aut totum membrum, uel neruus, cum dete-
gitur, intercipiatur, & aſtringatur, ab interna autẽ
cauſa, ſi proxima aliqua particula corripiatur, aut
ſcyrrho, aut inflammatione, & ea elata in tumorẽ
comprimat uicinum membrum, uel ex luxatione,
aliquando enim luxatione alicuius articuli, uel uer-
tebrarum, uel alterius artus è ſua ſede excidentis, os
eam occupat, unde ab eo neruus aliquis, uel ſpinæ
C medulla premitur, & ita læditur officium mouẽdi,
& ſentiendi. At ſi alterãm ſequamur ſententiã, dif-
ferentiæ iſtius erunt alia ratione inueſtigandæ, erũt
enim, ait Gale. aut obſtructio nerui, aut item com-
preſſio. Et de compreſſione, nõ oportet, vt dicamus
aliud aliquid. Obſtructio uerò fit, aut à craſſa, & len
ta materia neruj principio impacta, aut a tubercu-
lo, aut ab inflammatione, aut à condenſatione, uel
conſtrictione à frigore facta. Neque tamen in iudi-
candis his opinionib, magnũ ſtudiũ eſt neceſſariũ;
cum tandem omnes in idem tendant, neq; inde va-
rius ſit modus, uel methodus medendi inſtituenda,
ideo neq; Gal. plurimum laborauit in hoc. Si tamẽ
ex ijs, quæ alibi dicuntur, volumus aliquid in hac re
D conijcere uidetur potius ipſe inclinare in hanc po-
ſteriorem ſententiã; videlicet, quod hi affectus ma-
gis in obſtructionem referendi ſint, & compreſſio-
nẽ neruorum: nam comparat reſolutionem, vel pa
ralyſin apoplexiæ, ſicut poteſt legi. 2. de cauſis ſym-
pt. dixit enim apoplexiam eſſe totius corporis para
lyſin. 4. autem de loc. affec, apoplexiã, quando reſol-
uitur, deſinere in paralyſin, quod & 2. lib. comm. in
primum Epid. innuit. Apoplexiam autẽ fieri ex ob- Cap. 2.
ſtructione, & repletione uentriũ cerebri iam ſuo lo Cap. 2.
co dictum eſt, unde deſinit apoplexia in paralyſin, Com. 59.
quia materia illa, quæ ventres cerebri obſtruebat, à
natura pulſa ad ſpinam, uel ad neruos fertur, pro ra
tione autẽ, qua magis minùſve obſtruuntur, uel oc-
E cupantur origines neruorũ, ita ſit aut integra para
lyſis, aut ſtupor, vel torpor, quia cum omnino inter-
cipitur uirtutis tranſitus, omnino deſtituitur pars
motu, & ſenſu, ſin autẽ omnino, ægrè & mouetur,
& ſentit, & is affectus torpor, uel ſtupor vocatur, q.
vt eiſdem locis dixit Gal. eſt affectus medius inter
verã paralyſin & integrã ſanitatem. Differentiȩ au
tem reſolutionis, uel ſtuporis pro ratione diuerſa,
qua conſiderantur, diuerſæ ſunt. Nam vel à natura
affectus poſſunt accipi, uel à loco affecto. Ab affe-
ctus natura depromuntur, quatenus referuntur ad
cauſas intercepti tranſitus facultatis, illæ autẽ fuere
obſtructio facta in neruo, uel condenſatio, uel com
preſſio, hæ ãt fiunt, aut à frigore, aut à craſſis ſuccis,
aut à craſſo alimẽto, aut ab inflammatione, aut à tu

ber-

berculo crudo, aut ab aliqua alia re, aut interna, aut externa cõprimente, & conſtringente neruum, aut reciſione eius per trãſuerſum. Differentię verò ſumptæ ab affecto loco in hunc modum ſunt accipiendę. Sed vt rem planius exponere ualeamus, hoc imprimis aduertendum eſt, quòd nerui, ut diximus, ſunt tanquã riui, per quos facultas à cerebro, quod eſt principium omnium facultatum animalium, delata fertur ad alias particulas, qui itidem omnes à cerebro ſuum ortum habent, ſed nõ eodẽ ex loco. Nã ſunt prima ſeptẽ neruorum paria, quæ proximè, & primùm ab anteriori parte cerebri oriuntur, qui ſenſum afferunt ſenſuum organis quatuor, quæ circa caput ſedem habent. Aliqui etiam mouent eorum aliqua, ſicut oculos, & linguam. Alij præterea faciei muſculos, ſicuti ſunt temporales. Alij autem non à cerebro primum, ſed à ſpinæ medulla naſcuntur, qui per vertebrarum foramina exeũtes ad alias mouendas particulas, quæ capaces ſunt facultatis mouendi, & motum & ſenſum deferunt. Spinę uerò medulla nõ una eſt, ſed duplex, & bifida à sũma vertebra, vſque ad vltimam, eſt autem, quaſi in hoc cerebri vicaria, nam & ab illo ſuſcipit facultatem, et eam per neruos diſtribuit, non tamen promiſcuè, ſed dextra eius pars neruis in dextram partem diſtributis amandat, & ſiniſtra in ſiniſtram. Ex quibus facilè vnuſquiſque iam poterit colligere differẽtias ſtuporis, & paralyſeos, quatenus ad loca affecta pertinet. Nam ſemper affectus, ſiue ſit obſtructio, ſeu compreſſio, ſiue inciſio, vel id genus reliqua, primũ in uno conſiſtit loco, ab eo autem infra reliquæ partes eius conſenſu læduntur. Vnde uariæ ſunt reſolutiones uariarum partium. Aliquando enim fit noxa in aliquo, vel in pluribus ex illis neruis, qui ſtatim ab anteriori cerebro habent originem, & ita interdum lingua reſoluitur, uel torpida fit, vt loqui nequeat. Et cum duo ſint nerui, tam mouentes linguam, quàm qui guſtandi uim ſubminiſtrant, ſicut & lingua ſua conſtructione eſt duplex. Ideo quandoque ex una tantum parte, uel dextra, uel ſiniſtra reſoluitur, aut torpeſcit, & interdum guſtus, interdũ motus in ea læditur, quandoque ex utraque, prout vel omnes, vel qui tantum altera in parte ſunt, aliquam prædictarum offenſionum contraxere. Et quando reſoluta una pars duntaxat eſt, cum exeritũr lingua, non rectè exit, ſed diſtortè, & obliquè verſus ſanam partem: vergit enim in dexteram, ſi læſa ſit origo nerui ſiniſtræ partis, contra autem, ſi dextræ. Ita etiam interdum reſoluto neruo, qui oculos mouet, oculi, vel uterque, vel alter diſtorquentur. Ita quoque, ſi nerui mouentes muſculos temporales, vel potius buccas reſoluantur ex obſtructione, vel alijs iam dictis noxis, intercipitur motus, & ſenſus illius partis, quam pertingit, neruus ille, vel utriuſque, ſi vterque ſit læſus. Sed cum alter tantum, os diſtorquetur verſus ſanam partem, cum enim muſculus fungi nequeat ſuo officio, ſed veluti languidus cedat, trahitur ab altero illi coniugato. trahitur autem ab illo verſus illius partem, & ita os altero trahente, altero non renitente, trahentem ſequitur. At uerò cum & in ſpina poſſit eſſe obſtructio, vel aliud incommodum, aliquando quidem vtranque, tam dextram, quam ſiniſtram partem occupat: aliquando vnam tantum, ſi quidem vtranque, totum corpus tam ex dextra parte, quam ex ſiniſtra torpeſcit, vel reſoluitur, illis exceptis partibus, quæ neruos ab aliquo pari eorum neruorum, qui à medulla oriuntur, nullos accipiunt, ſed ſi altera tantum pars vitium contraxerit, pars illa corporis reſoluitur, aut ſtupeſcit, quæ inde neruos habuit. Si tamen obſtructio fiat, vel affectus ſit in ea parte ſpinæ, quæ ſtatim à cerebro oritur circa primam vertebram, quia ſi hæc integra remaneat, lædatur uerò in alijs uertebris, quæ ab integra parte neruos habent, expers eſt illius incommodi, quæ uerò ſub læſa parte ſunt, omnes cum illa conſentientes reſoluuntur, quia inferiores partes à priori ſuſcipiunt facultatem, quam alijs ſubminiſtrant, & ita ſubinde. Aliquando uero fit obſtructio, non in ſpina, ſed in aliquo neruo a ſpina deriuato, qui multas deinde propagines habet: unde idem neruo contingit, quod ſpinæ contingere dicebamus: quò enim magis propè ſuum initium fit obſtructio, eò plures propagines læduntur. Ea propter aliquando totum brachium, aliquando ſolus cubitus, aliquando tantum manus, interdum digitus reſoluitur, uel ſtupidus fit. Vnde ad reperiendam partem primariò affectam, ubi conſiſtit, aut obſtructio, aut compreſſio, aut inciſio, vel diſruptio, vel eiuſmodi aliud, vt Galen. quarto de loc. affec. ait, plurimum facit exquiſita neruorum anatomes cognitio. Sed de his ſatis. Quæ ſint autem cauſæ, quæ ſoleant afferre has noxas, ſuperuacaneum mihi videtur velle in eis recenſendis tempus conſumere, ſunt enim, quæ craſſos humores, præſertim uerò frigidos ſolent copioſos generare, & quæ craſſum generant alimentum, q̃ refrigerant, & tandem omnia illa, quæ apoplexię in cauſa ſunt: vt prætereamus, q̃ neruos incidere poſſunt, aut contundere, aut cõprimere. Signa aũt pręſentis paralyſeos, aut ſtuporis facilia ſunt, quia aut ægrotantes conqueruntur, aut medicus vellicãs, vel pungens particulam facilè poterit experiri, an ſentiat, & ſi moueri iuſſerit, an eam mouere poſſit. Gale. 4. de cauſ. pulſ. ait in his pulſum paruũ, debilem, et rarum eſſe, quamuis ſi magna fiat reſolutio fiat deinde aliquanto crebrior, & inæqualis, & quoquomodo intermittens. Signa autem futuram paralyſin ſignificãtia, ſunt interdũ alij morbi, qui ſolent ipſam antecedere, & apoplexiam, vt eſt incubus, uel uertigo, diuturnus capitis dolor, quæ poſſunt etiam, vt tradit Gal. 4. de rat. vict. in ac. mor. deducere ad apoplexiam, & epilepſiam, non modò ad paralyſin. Nec ſolum hi affectus præcedere ſolent reſolutionẽ ſed interdũ dolores uẽtris inferioris inteſtinorumque, colicos nimirum, & uentriculi ſequitur paralyſis, tranſlata, videlicet materia, q̃ dolores excitat ab illis partib. ad muſculos, quòd Auic. teſtatur. Et ego Venetijs vidi mercatorẽ quendam Piſanũ, cui poſt colicos dolores, reſoluta ſunt utraq; crura deſinentibus doloribus. Aliũ uerò, poſt ventriculi dolores itidem uidi in paralyſin incidiſſe, ſolent autẽ hęc euenire, quando dolores fiũt à frigida, & lenta materia. Sunt aũt differentiarum paralyſeos aliquę, quæ nullam admittunt curationẽ, ſicuti quæ ex neruorũ reciſione facta eſt, item quæ à frigido, & crudo tuberculo exorto in aliquo neruo, ſi indurueri, & inueteratus ſit, item quæ ex luxatione vertebrarum, cùm antiqua eſt, & iam cõfirmata. Aliæ verò poſſunt curari: non æqualiter tamẽ omnes, aliæ enim facilius: aliæ ægrius. Et ſi quis uoluerit diligenter omnia obſeruare, poterit etiam cognoſcere, quæ reſolutiones faciliores, & quæ difficiliores ſint curatu. Quãdo enim non omnino motus, & ſenſus ſunt amiſſi, affectus facilioris eſt curationis: nam id indicat non eſſe à magna cauſa concitatum. Item ſi color reſolutæ particulæ à priori, & ſuo natiuo nõ admodum ſit immutatus. Si ẽt particula non ſit plurimum extenuata, immo nihil eſt, quod maiorẽ poſſit, ut ait Auic. ſpem curationis afferre, quã hoc: non enim hæc ſeruantur, niſi quia natiuus calor, & vitales, aĩaleſq; ſpiritus adhuc adeo vigent, ut poſſint naturalẽ temperaturã, & habitũ illius particulæ ſatis commodè

ſeruare.

ſeruare. His itaque in hũc modum expoſitis, opportunum fortaſſe videretur, vt ad rationem curationis iam noſtrum ſermonem transferremus. Verum cũ paralyſis, & ſi non quantum ad affectum, & ſymptomata uideatur ſimilem cum conuulſione, vel ſpaſmo rationem habere, immo videantur ſymptomata penitus inter ſe aduerſaria (ſunt enim ambo ſymptomata, non morbi) attamen, ſi ad cauſas reſpiciamus horum ſymptomatum, in multis plurimam habent ſimilitudinem, & ita etiam in ratione curationis. Ideo ne ſępius idem repetere cogamur, prius quidem de conuulſione, ut fecimus de paralyſi, ſermonem habebimus, poſtea vero ſimul de vtriuſque curatione agemus.

De conuulſione, vel, vt Gręci aiunt, ſpaſmo. Cap. II.

SPaſmus ergo ἀπὸ τοῦ σπᾶν, quod eſt vellere, uel trahere Græcè dicitur, a Latinis verò imitãtibus deriuationẽ vocabuli appellať conuulſio. Et ad neruos, vt diximus, itidẽ vt paralyſis, pertinet, eſtque læſa actio eiuſdem facultatis, non quidẽ in vniuersũ, nam in paralyſi deficit vtrunque illius facultatis delatę per neruos officium, ſenſus nimirũ, & motus, in conuulſione aũt vitiatur dũtaxat tactus, ſenſus verò aut nihil, aut parum. Sunt autem oppoſita hęc ſymptomata hac ratione, quòd in paralyſi adeo reſoluta eſt vis particulæ mouẽdæ, vt neque volens neque nolens poſſit ab interiori aliqua vi moueri, ſed iacet tanquã pondus inutile, in conuulſione autem nimis etiam mouetur, & non modo ſecundum appetitum vel voluntatem animalis, ſed etiam contra illam, & omnino motus violentus eſt. Vnde cum triplices, vt 2. de cauſ. ſympt. docuit Gal. poſſint eſſe differentiæ motionum in particulis animantium, quæ aliqua ratione mouentur. Aliquæ enim omnino naturales ſunt, quæ quidem fiunt a natura, uel aliqua animalis facultate ſponte, & a nulla cauſa contra naturam coacta: Aliquæ omnino a morboſo affectu, nullo modo natura, uel facultate adiuuante, uel concurrente, immo contra eius propenſionem, & appetitum: Aliæ uerò mediæ ſunt inter has, quia utraque conueniunt, & natura, uel facultas, & morboſa cauſa. Quæ item duplicem habent differentiam. Nam aliquando ſola natura quidem mouet, uel facultas, verum ſtimulata, & excitata ab aliqua cauſa morboſa, quę illam cogit inſurgere, & mouere inſtrumenta ad expulſionem rei nocentis, & moleſtæ. interdum verò vtrunque pariter agit, & mouet facultas, & morbus, vel res aliqua morboſa. Primo modo mouetur animal, quando ſponte ſua deambulando incedit: Altero in conuulſione, quando nerui ui alicuius morboſi affectus contrahuntur, & contracti muſculos ad ſuum caput, & initium attrahunt. Vnde ſimilis fit muſculorum motus, ſicut quãdo ſponte, & uoluntatis inſtituto ab anima mouentur. Niſi quòd qnando ſpontaneus fit motus, muſculi trahuntur a motu ſpirituum eo accurrentium, qui moti ab appetitrice facultate motricem facultatem deuehunt. At in conuulſione fit contractio, cum neruus ab humore repletur ita, ut craſſior fiat, breuiorque, uel cum nimis exſiccatus, uel cum principium neruorum conſentiens cum aliquo neruo dolente vehementer in ſe colligitur, ut noxiam rem fugiat, uel repellat. Tertia motionis differentia fit in uomitu, ſingultu, ſternutatione, tuſſi, & huiuſmodi alijs, neque enim aliud eſt, quod eum motum cõcitat, niſi facultas expultrix, neque in mouendo aliud principium per ſe concurrit, ſed concurrit aliquid noxium, quod occaſionem præſtat, & quaſi cogit eam ad expellendum, ſunt enim hi omnes

A motus expultricis facultatis, quę nititur rem expellere, quę naturæ noxia eſt. Poſtrema differentia reperitur in tremore artuum, uel capitis, quæ ſolent motu uoluntario moueri, cum enim uis motrix facta eſt inſigniter imbecillis, liquido conſtat imbecillitatem non habere ortum, niſi a cauſa aliqua contra naturam. Dum ergo imbecillis eſt natura, & conatur mouere membrũ, quod alioquin nullo prius negotio mouebat, quia uires habebat longè ſuperiores, quam eſſet pondus membri trahens deorſum, fit veluti quædam colluctatio, dum pondus ſuapte natura deorſum trahit, facultas autem id ſuſpendit, & vlterius mouere nititur. In hoc autem nixu, & quaſi pugna ſæpe facultas vincit, & attollit membrũ
B quia uero id cum labore fit, paulo poſt defatigata oneri cedit, & ſic deſcendit membrum, iterum tamen facta ui attollit, ſed iterum cedit, atque ita fit motus tremulus. Sed hic eſt animaduertendum, quod differt motus tremulus, & conuulſiuus, & palpitatio. Tremulus, enim ab infirmitate motricis facultatis, vt dixi ortum habet, neque fit, niſi dum mouere volumus particulam, nam dum quieſcit ab omni motu, nullus poteſt tremor apparere. Conuulſiuus autem, licet nullo modo nitatur ægrotans, & quantũcunque commodè iaceat membrum, tamen videtur moueri citra vllum imperium voluntatis, & dormiente illo, & vigilante: fit enim retractis neruis, & ſignificat lędi neruos ab aliqua noxia cauſa, vel prin
C cipium neruorum, vnde hi conuulſiui motus ſolent ſignificare futurã phrenitidem in morbis, præſertim in febribus. Palpitatio vero fit a ſpiritu flatuoſo incluſo in muſculis, qui dum inordinatè mouetur, querẽs exitum, eos concutit, ſicut fit in terræ motu, unde conuulſiuus motus fit in pluribus partibus; palpitatio vero in vna. Arabes, & recentiores iectigationẽ appellant. Conuulſio itaque eſt neruorum affectus, quo abbreuiati cõtrahuntur uerſus ſuam originem, quos muſculi ſequuntur, & ita ſubinde articuli mouenť tracti a muſculis, atque ad id genus ſymptomatum refertur, quod in vitiata, corruptaq; actione cõſiſtit, nõ in deperdita, vel imminuta. At cum ſymptoma per ſe quidem nullam indicationem nobis offe-
D rat, ſed morbus ideo inueſtigandus eſt qualis vtique ſit, id vero facilè conſequemur. ſi inuenerimus, quæ ſit cauſa, vnde nerui contrahantur. Hippo. quidem, ut 6. Aph. tradidit Gal. & 3. de loc. affec. & alibi in duplicem cauſam retulit omnem iſtius affectus rationem, in neruorum repletionem, vel eorum inanitionem, ſeu ſiccitatem. Quod nititur probare deprompto argumento ab alijs omnibus corporibus, quæ neruis in ſubſtantia ſimilia ſunt, ſicuti ſunt lora, & chordę muſicalium inſtrumentorum. Hæc enim ſi tenſa ſint, & aliquo perfundanť humore, craſſeſcũt, & contrahuntur, ut, niſi remittantur, diſrumpanť: ita etiam ſi in loco ſicciori ſint, in quo ſiccentur, ut ſi in ſole, vel ad ignem detineantur, adeo contrahũ- Com. 93. Cap. 6.
E tur, vt frangantur. Quare primæ differentiæ iſtius affectus duę hę erunt, inanitio, vel exſiccatio, & repletio. Sed cum multę aliæ videantur cauſæ conuulſionis, ſi particulatim velimus rem hanc tractare, ſicut inflammatio, nimius uini potus, ſi potens, & calidum ſit, dolor item vehemens, punctura in neruo, & alia multa, quæ non ita facilè poſſunt in hęc duo capita referri. Ideo iuniores credentes ea omnia ſe accommodaturos, alia methodo diuiſiua uſi, ita huiuſmodi cauſas inueſtigarũt. Nempe quod ſpaſmus aliquando eſt proportionatus ad materiam (ſic enim ipſi loquuntur) aliquando vero nõ eſt proportionatus. Proportionatum appellant eum, qui uel a copia, materia in neruo recepta, a quo diſtenditur, occaſionem habet, ſicut qui ex repletione fieri di-

citur,uel ex defectu materiæ, ita ut non modò alie-
nam aliquam nõ abſorbuerit humiditatem,ſed po-
tius ſua propria,& naturali fuerit defraudatus, ut q̃
exinanitione fit. Non proportionatum autem eum
uocant, qui alia fit ratione, quàm quod copia, uel
penuria humoris excitetur:ſicuti quando ex aliqua
percepta læſione in aliqua particula, & ea commu
nicata principio,principium retrahit ſe, & ſubinde
neruos,veluti eſt dolor,vel venenoſa qualitas, ut in
punctura ſcorpionis, vel venenati alterius aĩantis.
Reuera clarior videtur hæc partitio,ſed ad curandi
rationem non plurimum refert, ſiue iuniores, ſiue
Hippo.& Galen. hac in parte ſequamur. Hippocr.
tamen ſententia magis conformis eſt rationi medi-
cinali,& arti,& ad eã omnia etiam referri poſſunt,
quæ iuniores dixere referenda eſſe ad ſpaſmi diffe-
rentiam,quam non ad materiam proportionatã ap
pellant. Si tamen velimus inſtituere partitioné,quo
modo,& aliorũ affectuũ inſtituimus, uidelicet, q̃d
ſpaſmus fit,aut primario affectu, aut per conſensũ:
cum primario quidẽ affectu,aut exinanitione, aut
ex repletione fiat, ad eam ſanè differentiam,quę ex
conſenſu pendent,referri facilè poſſunt,quęcunque
ferè iuniores in ſpaſmum nõ proportionatũ ad ma
teriam referunt. Nam ſi ex acri humore pungente,
vel mordẽte os ventriculi concitetur conuulſio, id
conſenſu fit,conſentiente,videlicet cerebro cum o-
re ventriculi:ita etiã ſi venenoſa aliqua qualitas, vel
ex extrinſeca cauſa,vel intrinſeca cõicetur cerebro,
& inde fiat conuulſio,ea erit per conſenſum,ſicut,
& de epilepſia diximus, quæ & ipſaq; ſpaſmus quidã
eſt. Nam ſpaſmum ex inflammatione, uel ex pun-
Com. 24 ctura, vel vulnere in neruis Gal. 3. Aph. in ſpaſmum
ex repletione refert, repletur enim neruus cum in-
flammatur, primũ quidem in inflammata parte,&
vicinis, deinde verò, niſi occurramus, ſerpit malum
vſq; ad initium. In punctura autẽ,vel vulnere in ner
uo fit conuulſio,cum virus cõtinetur,vt effluere ne
queat,ſed quando ob uehementẽ dolorẽ in aliqua
particula eximij ſenſus fit cõuulſio,ea fit cõſentien-
te principio neruorum cum ea particula. Iam ergo
vnicuique poteſt eſſe apertum, quę ſint differentiæ
iſtius morbi ab eius eſſentia acceptę. Quantum au-
tẽ ad affectos locos pertinet, eaſdem ferè habet dif-
ferentias:quas & paralyſis. Nam aliquando omnes
nerui conuelli poſſunt,& ſi ad neruos vſq; qui tho
raci,& trãſuerſo ſepto in motu iuſeruiunt, malũ p-
tingat,acutiſſimus eſt morbus:citiſſimè enim ſtran-
gulati pereunt. Aliquando autem hi quidem aliquã-
tum à natura ob magnã illius actionis neceſſitatem
ad uitam ſeruantur, & reliqui omnes manifeſtè cõ-
uelluntur. Aliquando uerò una tantum pars cõuel-
litur,ut cum omnes, qui corpus ad anteriorem par
tem mouent, læduntur,& tunc curuatur,& inflecti
tur corpus ad anteriora,fitq́; veluti arcus,interiores
enim muſculi,qui mouent ſpinam dorſi, tunc affi-
ciuntur,& eiuſmodi conuulſio ἐμπροσθότονος Grę-
cè dicitur. Aliquando uerò læduntur ij, qui iſtis ſitu
oppoſiti ſunt,& erigunt corpus, atq; retrorſum in-
flectunt,& quemadmodũ ſæpe ioculatores,uel ſal-
tatores videtis,qui adeo incuruantur retrorſum, vt
manus,pedesq́; vni circulo,uel pileo imponant,in-
flexo in orbem corpore,ſic pariter,cum hi conuul-
ſione corripiuntur,contrahuntur in poſteriorẽ par
tem,ut victi,& ſuperati à vi morbi, id quod ſpontè
faciunt ſaltatores, inuiti,& coacti faciant, & hæc
conuulſionis differentia à Grecis ὀπισθότονος dici-
tur. Interdũ utraq; ſeries muſculorum,neruorumq́;
conuellitur,& eorum qui ſpinę interius hærent, &
eorum,qui exterius illi adnati ſunt,& tunc rectũ,et
rigidum corpus manet, vt neque in hanc, vel in illã

A partem poſſit inflecti,& τέτανον affectum hunc ap-
pellauerunt, & differentia hæc alijs deterior eſt, &
magis acuta. Quod autem de ſpinæ neruis diximus,
itidem de alijs intelligendum eſt,nam & in anterio-
rem, & in poſteriorem diſtendi, & rigere, uel rectè
intenta eſſe poteſt quæcunque particula pro ratio-
ne qua, uel hi, uel illi, uel utrique nerui tenduntur.
Nam in ijs neruis, qui mouendo alicui articulo præ
ſunt, ſemper ſunt duo muſculi ſecundum ſitum ap-
poſiti, qui dum contrahuntur in oppoſitas trahunt
regiones, ut in libro de muſculorum motu demon-
ſtrauit Gal. ſed reliquum eſt, vt de cauſis, quæ ſolent
hos affectus procreare, nonnulla dicamus. Quate-
nus igitur ad eas differentias,quæ ab inanitione, vel
B ſiccitate ſuam habent conſiſtendi rationẽ, pertinet,
omnia quæ nimis exſiccant, & corporis naturalem
diſſipant humiditatem, huc referri poſſunt, vt ni-
mius labor,et nimia uigilia,nimia ſitis,itidem & om
nis immodica abſtinẽtia, vel lõga inedia,febres ardẽ
tes,immodicæ vacuationes, quæcunq; illæ ſint, ſiue
alui profluuia urinæ,ſiue ſudoris,profluuia sãguinis
copioſa nimis, ſiue per nares fiant,ſiue per os,ſiue p
menſes,ſiue per hæmorrhoidas ſiue ex inflicto vul-
nere. Quod aũt ad eas ſpectãt,quæ ex plenitudine or
tũ habent, quia plerunq; fiunt ex materia pituitoſa.
frigida, & lenta, aliquando uero & ex ſanguine, aut
ſaltem ex humore alio ſanguini permixto:ideo quæ
cunque cruditates, & pituitoſas materias generant,
C quæque faciunt ad ſanguinis multi generationẽ, in-
ter id genus cauſas poſſunt recenſeri. De ea uero, q̃
ab inflammatione excitatur, non eſt,cur multa dica
mus. Iam.n. de cauſis inflammationis, abundè dixi-
mus. De illis etiam,quæ uel ex pũctura nerui, vel ex
vulnere contingunt, uel etiam quas non eſſe ad ma
teriã proportionatã diximus,ut iuniores loquuntur
uel ex conſenſu ſatis ea eſſe putamus, quæ hactenus
habuimus. Vnde de ſignis iam reliquum eſt, ut aga-
mus,verum cum ſymptoma ſit per ſe, quando præ-
ſens eſt manifeſtum,& ſenſu ipſo pcipiatur,non p-
feremus alioquin longius ſermonẽ, ſed ſolum id p-
curabimus,ut doceamus quibus inditijs,cernant̃ dif
ferentiæ ipſæ,uel ſpecies,& quibus etiam p̃ſagire po
D ſumus ſuperuenturã conuulſionẽ. Quę quidẽ cõſen
ſu fit,cognoſcet̃ ex læſione, & incõmodo illius par-
ticulæ,cuius conſenſu facta eſt conuulſio, ſicut q̃ ex
inflãmatione,& ſignis p̃cedentibus inflãmari eã par
tem oſtendentibus. Hac aũt rõne cognoſcenda cõ-
uulſio,quæ a repletione fit, & ab ea diſcernenda eſt,
quæ ab exſiccatione, quia ſi ſequat̃ alium morbum,
& inter initia illi ſuperueniat,neceſſe eſt,ut ex reple
tione fiat, quoniã non poteſt in principio tanta eſſe Cap. 7.
facta exſiccatio,ut nerui conuellant̃,item ſi repẽte,
& ſtatim conuellant̃ nerui neceſſe eſt,ut ſit ex reple
tione,oẽs enim,ut ex Gal. 3. de loc. affec. ſuperius de
apoplexia diximus,affectus ſtatim excitati, neceſſe
eſt,ut a materia confluente in illã partem fiant, q̃a
E ſola intẽperatura, quæ citra affluxũ alicuius materię
fit,non põt,niſi paulatim fieri,& longiori tẽpore. Co
gnoſcere aũt,& præuidere futuram conuulſionem,
in pueris antequã exceſſerint annũ ſuę ætatis ſepti-
mum, hoc pacto docuit Hipp. 3. Progno. ſi ab acuta Com. 39
febre corripiantur,& ſupprimatur aluus,& ſomnus
refugiat,ſi ſine cauſa terreant̃, plorent, colorẽ p̃te-
rea ſi ſæpius mutent, ut modo liuidũ, modo uiridẽ,
modo rubicundum colorem prę ſe ferre uideantur,
timenda eſt cõuulſio, horũ uero rationẽ Gal. clarè
expoſuit in com. quã nunc ſilentio inuoluemus,ne
nimis longi ſimus. At in illis,qui prouectiori, & ui-
ridi ætate ſunt, cum præceſſerint ſigna futuræ gra-
uioris phrenitidis,timere opus eſt,ne illi ſuccedat cõ
uulſio. Item ſi partes faciei diſtorqueantur, & per-
uertentur,

uertentur, ſi dentium etiam ſtridor accidat, niſi fortaſſe illi id conſuetum, & quaſi ex natura ſit, ſi etiã frequentius oculi moueantur diſtorqueanturve, ſi 8. etiam ſpiritus in febre ſit intercidens, vt Hippoc. 4. 5. Aph. & alibi teſtatur, nuntiant hæc omnia futuram conuulſionem, iam enim muſculos particulas illas mouentes affici incipere demonſtrant: In vlceribus quoque, vt idem 5. Aph. teſtatur, ſi tumida ſint, non facilè accidit conuulſio, aliquando tamen poteſt accidere, ſi magnus admodum fiat tumor, vel ſi malignam, malamve, vel aliquam contineat materiam. At verò ſi tumor deliteſcat, plurimum timendũ eſt, ne materia ad neruoſas partes conuerſa, conuulſio excitetur. Sed antequam curandi rationem explanemus, de conuulſionis differentijs aliqua, ex quibus fiatis certiores, quæ earũ curari ope medici poſſint, & in quibus nulla ſit curationis ſpes, dicamus, & earum, quæ curationem admittũt, quę facilius, & quæ difficilius curari poſſint. Quæ ex repletione facta eſt, ſępe curatur, huius teſtis eſt Gal. 12. meth. et in lib. de trem. palp. & rig. Quæ vero a ſiccitate, vel nũquam, vel rariſſimè, & ęgerrimè curationem admittit: cau9. ſam autem huius 5. Aph. refert Gal. ea enim eſt iſtius morbi ſęuitia, & eos labores affert, ut uires cito diſſoluantur, non poteſt autem cito emendari ſiccitas neruoſarum partium, imò non niſi longiori tempore, vnde tandiu acutiſſimum morbum natura ferre nequit, quare antea pereunt. Ita lethalis eſt ét plerũque vulnus ſequens conuulſio. Quibus expoſitis, iã tempus opportunum erit, vt inſtituamus methodũ, qua curandi ſint hi neruorum affectus, quorum uidelicet curatio ſperari poteſt.

De ratione curandi expoſitos iam affectus ad neruoſas partes attinentes. Cap. III.

EArum differentiarum curationem exponere velle, quę nullius sũt curationis capaces, ſuperuacaneũ eſſe videtur, quéadmodũ ſi de paralyſi ſermo ſit, quę ſequitur reciſionem nerui per tranſuerſum, aut luxationem inueteratam, aut tuberculũ aut ſchirrum, cum iam induruere, et cõfirmati ſunt. Nam dum luxatio recés eſt, reſtituto articulo in ſuũ locum, tolletur paralyſis, niſi neruus fuerit cõtuſus, tunc enim poſt reſtitutionem opus erit & contuſio ni opportuna remedia adhibere, de quibus, ſicuti ét de reſtitutione articuli luxati, agere, non pertinet ad noſtrum inſtitutum. Tuberculi vero, vel ſcirrhi curatio, cum recens eſt, & curationẽ admittit, ſicuti & inflammationis, quam interdum paralyſis, vt ſuperius diximus, interdum cõuulſio ſequitur, ſub curatione in vniuerſum inflãmationis continentur. Sicuti cõuulſio, quę fit ex neruorum vulneribus, ad tractationem de vulneribus neruorum pertinet, quorum comes eſt tãquam eius ſymptoma, conuulſio, & a qua ortum, & fomentum habet. Reliquum eſt igitur, ut de alijs differentijs agamus, & primum de illis, quæ citra materiam ſunt, & intemperiem frigidã ſequuntur, quod vtriſq; commune eſt, ad paralyſin vero nõ attinet, ſicca, ſed potius humida, ſicuti conuulſio pſertim ab immodica ſiccitate ortum habet, non aũt ab humiditate. Et nulli dubium eſt, quod ſi a frigore fuerint excitati affectus, quod calefacientibus erunt curandi, tum cibis & potu, de quibus abundè locuti ſumus ſuperius, tũ vero fotu eorum, quæ calefaciũt, quę ſi aliquantulam uim digerendi habuerint, ut in primo libro oſtendimus, non erit præter rationem. Talia ſunt olea calida, vt chamęlinum, anethinum, abſynthinum, nardinum, ex hyperico, ſed & irinũ, coſtinum, & liliaceum, & oleum etiam ex lini ſemine, vt tamen incipientes ab imbecillioribus ad for-

A tiora paulatim tranſeamus, ita ut interdum ad oleũ rutaceum, & ad caſtoreum fiat tranſitus, quatenus uidelicet magnitudo morbi requirat. Sed & ſi fuerit exſiccatione opus, hæc eadem olea utilia erunt. Balneæ quoque ex ſimilium rerum decoctis poterunt eſſe utiles, ut eſt chamæpytis, quam iuam apothecarij uocant, hypericon, hyſſopum, pulegium, calamẽtum, origanum, & id genus alia, ut etiam naturales thermæ magis, uel minus calidæ poſſint admitti, tãquam ab hoc ſcopo non alienę. Ita ſi ex ſiccitate prodierit affectus præcipuè autem conuulſio, & in ea ſit aliqua ſperanda ſalus, tota illa ſpes in ope humectantium omnino ſita eſt, & cibis, & potu, & linimentis, & fomentis, & balneis; præſertim uero B balneę præſtantiſſimę ſunt arte paratæ, quæ duplices ſunt. Diximus autem, quę arte paratæ, quia cum omnes naturales thermę, teſte Galen. & primo ad Glau. libro, & alibi ſępiſſimè, uim habeant exſiccandi omnes etiam ab hoc noſtro inſtituto alieniſſimę ſunt. Duæ autem illæ ſunt, quæ conueniunt, vel ex dulci aqua, uel ex dulci, & maturo oleo, ex parte uidelicet ſalis, & ſarmentorum olearum. Et tandem ait Galen. eadem eſt ratio curationis eorum, qui conuulſione ex ſiccitate, uel inanitione torquentur, & hecticorum exſiccatorum; quæ quidem, quia alibi copioſè tractata eſt, ideo non erimus in præſentia circa hoc longiores. Tranſeamus ergo ad aliam differentiam, tam paralyſeos, C quam conuulſionis, quæ a materia pendet, aut replente neruos, ut in conuulſione, aut obſtruente, ut in paralyſi. Quo loco non poſſum unum præterire, in quo multos, non modo iuuenes, ſed ſeniores etiam Medicos uidi cæſpitaſſe, qui dicebant paralyſin fieri ex humore tenuiori madefaciente, & remolliente ſubſtantiam nerui, ſicuti ex craſſiori, qui replendo diſtendit neruos, conuulſionem fieri. Quòd falſum eſt, ut ſuperius oſtendimus: quia humore madefacti nerui etiam tenui fiunt tumidiores, & craſſiores, unde & diſtenduntur. Sed paralyſin fieri diximus, quando obſtruuntur nerui circa illud principium nerui, ubi incipit reſolutio, aut ab humore infarcto in ea parte, aut a condenſatio- D ne facta a frigore, uel a craſſiori alimento: nam ſi in conuulſione non amittitur ſenſus, quam ipſi fatentur a craſſioribus humoribus fieri, qui neruum replendo diſtendunt, longè etiam minus auferetur in paralyſi. Quoniam autem, ut Raſis nono libro ad Almanſorem teſtatur eadem ratione, & methodo conuulſio, & reſolutio, quę ab abundantia materiæ, & repletione pendent, curandę ſunt, ideo ne longius rem protrahamus, ſemel hanc rationem, tanquam utriſque communem tractabimus, relatis primum ſcopis generalibus, quos medicum ſtatim ab initio ſpectare oportet. Primus quidem ille eſt, qui generalis eſt, & communis cuique affectui, qui a materia pendet, illius uidelicet E materiæ euacuatio, euacuato prius quidem toto, cum a toto fomentum habet, ſin minus agendum eſt ſequentibus ſcopis: qui magis particulatim rem noſtram reſpiciunt, & a Galen. 4. Apho. exponuntur: nempe ut frigidum humorem concoquamus, Com. 17. uel calefaciamus. Nam in exemplaribus antiquis utraque habetur lectio. Deinde, ut ſuperuacuum digeramus, & diſſipemus. Sed de priori, & magis generali, priorem ſermonem habeamus. Qui quatenus ad præſentem occaſionem pertinet, in primis duo reſpicere poteſt inſtrumenta, quibus citius, & commodius ſolet totum uacuari, & ea ſunt ſanguinis detractio, & purgatio. At prius de mittendo ſanguine uerba faciamus: in qua quidem re non parum uidentur diuerſi in-

ter ſe medici. Aetius enim in curatione reſolutionis A
neruorum ex Archigenis ſententia ſummopere lau
dat, ut initium curationis à venæ ſectione fiat. Sed
& Paulus non eſt ab eo alienus, in conuulſione ve-
ro, & Areteus in hanc deuenit ſententiam, nempe
ſtatim ſanguiné mittendũ eſſe, præſertim verò, ſi ſit
ea conuulſionis differétia, quam τέτανον appellari
Græcè diximus, quæque alijs eſt ſæuior. Immo ferè
omnes Græci in ea detrahendum eſſe ſanguinem
conſulunt, Arabes autem in paralyſi ne meminere
quidem miſſionis ſanguinis. Ex iunioribus autem
ſunt, & qui damnent detractionem ſanguinis in pa
ralyſi, cum morbus frigidus ſit, & à ſuccis craſſis, &
frigidis ortum habeat, tam reſolutio, quam conuul-
ſio. At Gal. videtur inſinuare utilem quidem eſſe il- B
lis, qui conuelluntur, aut reſoluuntur ſanguinis ex-
tractionem, vt ex libro contra Eraſiſt. de venæ ſe-
ctione poteſt colligi, & primo lib. ad Glauc. non in
uniuerſum quidem, & ſemper: ſed aliquando, neq;
tamen definit, quando potius mittendus ſit, vel quã
do non, niſi quod has iſtius rei limitationes videtur
inferre, quod quãdo ex ſuppreſſione ſanguinis men
ſtrui, vel hæmorroidalis, hi, alijq́ue, vel etiam frigidi
affectus ortum habent, debemus ſumere initiũ cu-
rationis à ſectione venæ. Sed & ſi ſit cum febre ſpaſ
mus, videtur concedere ſanguinis detractionem;
dummodò modeſtè, & parcè id fiat. Hæc quidem
vniuerſaliter proferunt auctores hi, non aũt magis
particulatim rem definiunt. Poſſumus tamé nos ſe C
quentes præcepta generalia nobis à Gal. & Hip. tra
dita tanquam ſeruanda in huiuſmodi dubitationi-
bus, rem hanc commodiſſimè determinare, ut dica
mus. Quod quantum ad ipſam indicationem, quam
horum morborum natura oſtendit, non conuenit
ſanguinis detractio, quia morbi frigidi ſunt, & à cau
ſa frigida ortum habent: ſanguinis autem detractio
refrigerat. Sed ſi mittendus ſit in eis ſanguis, id fit
propter aliquam indicationem ab alia re deſumptã,
quæ cum his affectibus coniuncta eſt. Sicuti ſi occa-
ſionem hi morbi habuerint à ſuppreſſis menſibus,
vel à ſuppreſſo fluxu ſanguinis è venis ſedis conſue-
to, vel aliunde puta è naribus. Deinde ſi fuerit ma-
gna copia ſanguinis, uel in toto, vel in capite, uel ſi D
videatur: quemadmodũ ſuperius expoſitum eſt ex
ſententia Hip. & Gal. 4. de rat. vict. in acu. mor. ex ni
mia repletione venarũ factam epilepſiã, & apople-
xiam, & ſyncopas cardiacas. Item ſi materiam iudi-
cemus, quæ fouet hos affectus, eſſe cum ſanguine
mixtã, vel prope accedere ad ſanguinis naturam. In
his omnibus: niſi aut ætas, aut vires, aut reliqua, quę
ſolent obſeruari in mittendo ſanguine, obſtent, ſan-
guis detrahetur. Vt tamen hoc ſit animaduertédũ,
qđ omnes ferè veteres auctores monent, nõ opor-
tere nos nimis eſſe liberales in ſanguine in his mor-
bis detrahendo, meliuſq́; eſſe parcius agere, quàm li
beralius. In paralyſi quidem, quia cum morbus fri-
gidus ſit, & à frigida cauſa pendens: ſi nimis fueri- E
mus liberales in eo mittendo, refrigerabitur corpo
ris habitus. Vnde & difficilior erit deinde curatu
morbus, qui & calefactione, & digeſtione eget, &
humores recrudeſcent deſtituti à fomento, & tem-
peramento ſanguinis. In ſpaſmo accedit, & hoc, ꝙ
labores multos ſpaſmus, præſertim, qui aut totum
corpus, aut maiorem partem occupat, affert, & vigi
lias, quę plurimum vires labefactant. Quod, & Gal.
monuit 1. ad Glau. Vnde neque temerè ſemper mit
tendus ſanguis, neque etiam timéda eſt eius miſſio,
ſed conſultatione, & aliqua præmeditatione agen-
dum eſt, ut prius diſcernamus, quãdo mittendus ſit,
& quando non. Et Alex. Tral. ferè in his limitationi
bus fundatur. Nunc autem his expoſitis, tractemus

& aliud genus euacuationis, quod ſolet per medica
menta fieri: in utroque enim affectu concordes sũt
auctores omnes, tam Græci, quam Latini, quod ſi
ſint a materia, aut replente, & extendéte, aut ab ob
ſtruente, & affectus hi occupent, aut totum corpus,
aut eius partes plures, adeò, vt putemus multã eſſe
materiæ copiam, quæ tum excitarit, tum foueat hos
morbos, purgandum ſit corpus. Quia ſemper ferè
indicatio, quod fomentum, & cauſa auferatur, præ-
cedit alias indicationes: nam ſi alioquin eſſet unius
tantum particulæ paralyſis, uel conuulſio, atque no
bis perſpectum eſſet, in toto non eſſe multam ſimi-
lem collectam materiam, quæ, ſi moueatur, poſſit
morbum fouere, & augere ſic, vt alias partes corri-
piat: tunc non eſſet corporis vniuerſi curatio neceſ
ſaria: ſed nullo contrito tempore, particulatim loco
primùm affecto conſulentes, localibus agemus re-
medijs, de quibus paulo poſtea ſermonem habebi-
mus. Verum deinde in modo, & ratione purgandi
totius corporis, non omnes concordes ſunt, niſi in
hoc: quod eadem ratione curatur ſpaſmus, qua pa-
ralyſis. Particulatim uerò in medicamentorum ra-
tione, & ordine non ita conſentiunt. Raſis enim ſta
tim rem exorditur a valentib. medicamétis, & ſtre-
nuè inter initia purgari corpus uoluit, deſcribit e-
nim quaſdã pilulas, quas ipſe fętidas appellat, quæ,
& colocynthin accipiũt, & elaterium, & minus cé-
taurium, & multas, vt aiunt, gummas, & ſunt inſi-
gniter fortes, quas dari iubet ſtatim à principio, &
non etiam earum exiguum pondus. Alij tamé Græ
ci ferè omnes, & arabes in aliam viam diuertere, &
potius volunt, quod leuiter inter initia res hæc tra-
ctetur, & medicamentis leuibus, corpus non agitan
tibus, & crudiores humores non commouentibus
violenter. Sed forſitan dicetis, & quæ tutior uidetur
eſſe ſententia, & ſalubrior? Mihi quidem uidetur ali
quando altera, nonnunquam & ea, quam Raſis ſe-
cutus eſt: & id pro rõne, & téporis diuerſi, qua mo-
lienda uacuatio, & magnitudinis morbi. Nam cum
tam paralyſis, quàm ſpaſmus fiant ob affluxum ma
teriæ plerunque pituitoſæ ad neruos, vel ad eorum
principia, unde fit, aut obſtructio, aut repletio, ſi cu-
ram aggrediamur in principio, dũ materia fluit ad-
huc, & eſt in motu, illud mihi uideretur agendum,
quod præcipiunt omnes periti medici, præſertim
verò Hippo. & Gal. in eiuſmodi morbis, qui ex afflu
xu humorum ortum habent, ut inter initia, dũ fluit
humor, obſiſtamus fluxui, auertamuſq́; à loco affe-
cto. Id verò imprimis fit reuulſione, & ſi multa vide
tur redundare humoris copia, non quomodocunq;
fiat reuulſio, ſatis eſſe poteſt, ſed oportet, ut ualida,
& potens fiat, potens autem ea eſt, quæ fit per eua-
cuationem ſimul trahétem materiam fluentem in
aliam partem, & eam etiã vacuãtem, ita enim Gal. Cap. 19.
in lib. de cur. rat. per ſec. ven. teſtatur, ubi ait, quòd
reuulſiones cum vacuatione fluxionibus incipienti
bus adhiberi debent. Quare, adhibita diſtinctione
prius, an magis expediat per ſectam uenam, vel per
medicamentum reuellere, ſtatim à principio iſtius
reuulſionis gratia vacuandũ omnino eſt, atq; hoc
quãdo ex corporis repletione timemus, ne magna
fiat, aut paralyſis, aut cõuulſio, quæ aut totũ corpus
apprehendat, aut plures partes, aut ſaltem eas, quæ
alicui operationi in ſeruiunt, quæ vitæ ſit neceſſaria.
Sicuti ſi timeamus, ne omnino reſoluantur, aut cõ-
uellantur nerui, qui reſpirationi, vel faucibus, vel pe
ctori, & tranſuerſo ſepto, vel qui in gula ſumptioni
cibi deſeruiunt: nam immineret periculum, ne ęgro
tans citò, aut ex ſtrangulatione, aut ex inedia peri-
ret. Quia alioquin ſi res leuior eſſet, & uel conuul-
ſio in unam tãtum partem inclinaret, vel reſolutio,

& ea non ex illis eſſet, quarum nuper meminimus, vel ſi iam fluxa eſſet, aut ex magna parte, materia, tunc & tutius eſſet, & magis rationi conſonum, ut ſequeremur aliorum ſententiam: ſicut etiam ſępius medicis contingit, quod iam fluxa materia conuocā tur. Inter initia enim uix credunt ſe egrotare, & ſperant naturam ſine medici auxilio eſſe morbum ſuperaturam, cum leuis ſit, nec valdè moleſtus. Et hoc etiam maximè in paralyticis contingit, & ſæpiſſimè, quod paralyſeos ratione ſæpe non opus eſt inter initia medicamentis vacuare. Nam multoties fit paralyſis critica quādam ratione, quia apoplexia, tranſlata materia ad neruos, & ſpinam, ſæpiſſimè, niſi cito interficiat, in paralyſin deſinit, aliquando enim ita reſoluuntur dolores inferioris uentris. In conuulſione autem, præſertim vero in tetano, quādo vniuerſum corpus cōuellitur, cogimur à ſęuitia, & acutie morbi, acutiſſimus enim eſt is morbus, & qui non tranſeat diem ſeptimum, quemadmodum aſſerit Gal. 1. & 5. Aph. cogimur inquam, ut quicquid agendū eſt, cito agamus, quia ſi procraſtinemur, interim ſtrangulatus interibit eger. In eiuſmodi vero vacuatione, duo in primis ſunt inſtrumenta, quibus uti poſſumus in his affectibus curandis, immo tria, ſed duo frequentiora, quibus per inferiorem aluum fit euacuatio, uidelicet medicamenta, quæ deuorata uel bibita ſoluunt, & clyſteres acriores, uel lenes: tertium uero eſt vomitus. De medicamentis autem exhibendis, non uidetur eſſe opus longiorem habere ſermonem, cum eadem, quæ diximus in ſuperiori libro, vbi de curandis morbis capitis actum fuit, huc omnia poſſint transferri. Nam cum affectus hi, aut omnes, aut eorum plurimi ſuum habeant ortum (quando ab humore ſunt excitati) a pituitoſo, & lento humore, ut & in libro de atra bile, & quinto & ſexto Aph. Galen. teſtatur, quamuis & a melancholico interdum etiam fieri conuulſionem, epilepſiam, apoplexiam, & quæ ex ea fit paralyſin concedat eodem ſexto. Ideo humores illi omnino prius uacuandi, qui uel conuulſionem, uel paralyſin concitarunt, atque eadem ratione, qua & in apoplexia, & epilepſia expurgandos eſſe diximus, & eiſdem medicamentis. Præter quàm quod peculiari quadā ratione Arabes dixere maximè ualere pilulas, uel catapotia, quæ illi pilulas fœtidas appellauere, quarum plures confectiones deſcriptas inuenietis in arabum libris. Raſis enim unam in ſuo nono habet, quam eſſe admodum in his affectibus utilem ad extrahendos craſſos, & lentos ſuccos è neruis ait, quæ pilulę admodum fortes, ut diximus ſunt, uos earum deſcriptionem legere poteſtis: Meſue uero duas alias mitiores, & leuiores refert: illæ Raſis nullibi, quod ſciam, paratæ reperiuntur, parantur autem, quæ a Meſue deſcribuntur, tum in eius appellato antidotario, tū etiam in capite de curatione reſolutionis, priores uidelicet, & ſunt illæ, quæ maiores appellat, quarum doſis (ut aiunt) eſt ad drachmam, uel ſexquidrachmam, & ad duas etiam, ſi ille, qui accipit, non admodum uentrem facilem, ut ſoluatur, habet. Quemadmodum autem diximus paulo ante, Græci, & Auicenna & Meſue præſtantiſſimi inter Arabas ſtatuunt tutius eſſe, ut curationem a leuioribus auſpicemur, immo Auicen. probat, ut differamus uſum medicamentorum ſoluentium uſque ad quartum diem, interdum ad ſeptimum, & ultra, & interim ijs, quę leniunt, concoquunt, & attenuant, utamur, preſertim uero clyſteres interim commendat, Atque hanc methodum, & rationem a Græcis deprompſit Alexandro, Aetio, & Paulo, qui inter initia ſola hiera ſimplici corpus leniendo uacuant, quā etiam non dant, niſi parcè, poſtea uero adaugent

C .21.
C .6.
C. 5.
A 1.70.
A 1.58.

A eius copiam paulatim, poſt concoctionem uero, & attenuationem accedunt ad fortiora medicamenta, nam prius timent commouere uiolenter crudam, & renitentem uacuationi materiam, alioquin etiam in membro, uel particula denſa infarctam, facilè enim fieri poteſt, ut dum medicamentum uiolenter trahit, & humor non facilè cedit, humiditas naturalis extrahatur, & ex eo labore uires illius particulæ diſſoluantur. Sed forſitan expectatis, ut exponam quibus lenientibus uti oporteat, quibus etiam concoquentibus, necnon attenuantibus. Verùm mihi ſuperuacaneum uidetur in eiſdem ſæpius repetendis tempus terere: copioſiſſimè enim priori libro hæc tractata ſunt. Et quod de his diximus, eadem de clyſteribus dicenda, de quibus ſatis, ſuperque B ſuperius uerba fecimus. Poſt autem diligentes uacuationes, id in primis erit agendum, ut ſi qua materia ſit ibi abſorpta, infarctaq;, quę neque per medicamenta, neque tenuiori uictu potuerit finiri, attenuantibus, & digerentibus diſſipetur, tum localibus exterius adminiſtratis, tum ijs, quę comedenda, & deuoranda exhibentur. Sed prius ea, quæ interius offeruntur, breuiter ſunt recenſenda, in his ſunt multæ herbæ, in primis betonica, ſaluia, chamæpythis, uel iua, ut noſtri appellant, pulegium, & alia id genus, ex quibus, & decocta & ex aliquo ſyrupo, uel ex illis tritis eclegmata, ſiue electuaria, uel pulueres etiam ipſi ex mulſa exhibere poſſunt. Sed C & piper, immo tria pipera, zingiber, uel conditum, uel in puluerem redactum, macis etiam, & nux muſcata appellata, & gariophylli. Multę etiam, ut dicunt, conſeruæ, ſicut betonicæ, & florum roris marini uſu ueniunt. Hæc enim omnia mutata frigida, & humida neruorum temperie, roborant neruos, & aliqua etiam quę in eorum quibuſdam eſt, facili aſtrictione, pretetea attenuando, & digerendo excrementoſum humorem diſſipant. A Dioſcoride autem cardamomum plurimi fit, quatenus ad curationem horum affectuum pertinet. Antiquiores etiam medici plurimum laudant, quando pertinax, & diuturnus fit affectus, uſum caſtorei ad ſcrupulum deuoratum, factis catapotijs, aut ex mulſa da D tum, præterea opopanax, & ſagapenum. Ex antidotis uerò maioribus, conueniunt theriaca, mitridatica, diacoſtum: in his & diagalanga, & pliri ſarcoticon, & multa id genus alia, de quibus non habebo ſermonem in præſentia, quia de illis ſatis ſuperius locuti ſumus. Vnde ad exteriora, quæ localia dicuntur, exponenda accedendum iam nobis videtur. Verum anteaquā particulatim rem hāc tractemus, in uniuerſum quædam pręcepta ſunt explananda, quorum pleriq; etiam meminere, pręſertim vero Gręci quorū princeps fuit Gal. non modo vtilia, ſed & neceſſaria in curatione iſtorum affectuum. Primum ꝙ ab Aetio propoſitum eſt, quo cū & Trallia. ex parte uidetur conſentire, eſt, quod in his affectibus, pręſer- E tim uero quando ſuperiores corporis partes tenent, capitis plurima habenda eſt ratio, plerunque enim inde eſt initium, & origo horum malorum. Vnde Trallia. præſertim cum aut reſolutę ſunt, aut conuulſæ faciei partes, conſulit, ut non modò in aliorum remediorum adminiſtratione, ſed in uacuatione, & purgatione caput ſpectemus, ac præter totius purgationem, ipſum etiā apophlegmatiſmis, & eiuſmodi inſtrumentis uacuemus, quibus caput particulatim inaniri conſuetum eſſe priori lib. diximus. Alterum uero pręceptū traditum a Gal. habemus 3. de loc. affect. quod ſi aliqua pars conuellatur, aut reſoluatur, ſemper remedia eo loco adhibeamus, vnde deriuantur nerui, qui ſenſum, & motum ſubminiſtrant illi particulæ, ita ut maiorem rationem ori- Cap. 6.

ginis,quam aliarum partium habeamus, quia ple- A
rumque principium, & origo eſt id,quod primũ la-
borat,aliæ uero partes,illius affinitate, & conſenſu.
Si igitur conuulſio, & reſolutio pertineat, vſque ad
ſuperiores corporis partes,ſpinæ præſertim adhibẽ-
da ſunt exterius localia remedia, & uertebris præci
puè primis:& ita ſubinde pro ratione, qua putabi-
mus læſionem,uel ſuperius,uel inferius cępiſſe. Vn
de,& Alex.dicebat,cum facies aliquo horum malo
rum tentatur,capiti omnia potius,quàm faciei par-
ticulis applicanda ſunt: neque enim (ait ille) partes
hæ poſſunt hoc incommodum pati,non etiam ma-
lè affecto principio,hoc eſt,capite. Reliquum itaq;
eſt,ut his ita expoſitis , de illis agamus, quæ topica
uocantur,& exterius locis affectis,uel origini eorũ, B
ubi primum conſiſtit morbus,applicantur. Ea uero
maximè apta ſunt, in quibus ſeruatur ratio duorũ
Com.26. ſcoporũ,quos ſuperius ex Gal.com.in 2. & 4. Aph.
Com.57. retulimus,nempe,vt calefaciant,& concoquant fri
gidum humorem,atque vt attenuent,& digerãt. Vn
de,& his non minus febris ſæpe prodeſt,quia reſol-
uit,& reſolutionẽ,& conuulſionem,cum ex humo
rũ copia hæ fuerint excitatæ,ut teſtatur Gal.& Hip.
his eiſdẽ locis,nimirum,quia calefacit,atq; ita con-
coquit frigidos ſuccos, & eoſdẽ etiam craſſos atte-
nuat, & digerit. Quare interdum nituntur medici
febrem cõcitare,ſi pertinaces videantur,& difficiles
hi affectus,& id aut pipere,aut caſtoreo ab ægrotan
te acceptis. Compoſuere etiam quaſdam antidotos C
celebres medici,quæ multa,quæ vim inſignem ca-
lefaciendi habent,accipiunt,ut & febrem accendãt,
& hos humores alioquin calefaciant,& attenuent,
digerãtq; , qualis eſt confectio anacardina,quam 9.
ad Almanſorem deſcriptam habetis à Raſi. Eadem
quoque ratione,& uinum,nonnunquam cõuulſio
Cap.70. nẽ,itidem & reſolutionẽ, ut ait Gal. 5. Aph. ſanata:
nempe cum calefaciat,attenuet , & digerat. Sed
quantum ad primum ſpectat, febris quidem neque
deſideranda,neque excitanda,niſi quæ mitis,& mo
derata ſit: alioquin uellemus morbum unum cura
re altero non minus verendo. Vnde Hippo.præ-
ſertim quartanam ad tollendas conuulſiones aptã
itidem in Apho. putauit. Quantum autem ad ui- D
num pertinet, quando id ſanare poſſit hos affectus,
Com.46. docuit idem Galen.7.Apho.ex Aſclepiadis ſenten-
tia:ſi enim conuulſio,& reſolutio fiunt à frigido , &
craſſo humore excitatæ, atque prius corpus rectè
inanitum,purgatumq́ue fuerit,uinum poterit non
parum prodeſſe:at verò cum plenum fuerit, magis
hos morbos augebit. Sed redeamus, unde ferè di-
uerteramus. Ea ergo his affectibus curandis erunt
opportuna,quæ calefaciendi,attenuandi,& digerẽ-
di vim habẽt. Poſſemus quidem multa proponere,
& olea,& cataplaſmata,fomenta,balnea,vt ſunt o-
leum chamæmelinum,anethinũ,de coſto,rutaceũ ,
de piperibus,oleum etiam antiquum,ad componẽ-
da uero cataplaſmata, fomenta, & balneas eadem E
ſimplicia medicamenta, quæ prope innumera ſunt
proponi etiam poſſent. Nos tamen eis in præſentia
erimus contenti,quæ præſertim ab antiquis,& cele
brioribus laudantur:nam facta cum his collatione,
poterunt,& plura huic rei apta reperiri. Aetius ergo
vna cum Paulo imprimis hæc laudibus efferunt, ar
themiſiam,rutam,conyzam, calamentum: quibus
nos ſaluiam,chamæpithyn,chamæmelum,anethũ,
origanum addidimus, & iſtiuſmodi multa alia. Ex
quibus,ſi coquantur ex aqua , atque ſi vini alicuius
tenuis, & calidi pars aliqua decoctis addatur, præ-
terea uero,& aliquantulum nitri, vel ſalis , poſſunt
fieri,& fomenta, & perfuſiones,& balneæ. Sed,&
herbæ ita decoctæ,& tuſæ in cataplaſma redigi poſ-
ſunt, vel emplaſtrum: & apponi, quod efficaciam
maiorem habebit,quia cum diutius loco appoſitum
immoretur, magis imprimere poterit. Neque forſi-
tan videatur abſurdum hoc,quod de emplaſtro, vel
cataplaſmate diximus,neque res incommoda,quo-
niam,vt pauloante dicebamus, non conſulunt au-
thores,ut cataplaſmate contegantur omnes partes
aut cõuulſę,aut reſolutę,ſed ſolum , ubi eſt initium
ipſius morbi,ut paulo ſuperius ex Galen.& alijs au-
thoribus celebribus expoſuimus. Vnde unum tan-
tum ſupereſt,quod ulterius explicemus,& poſtea fi-
nem huic tractationi imponamus. Id verò eſt,quòd
ex thermis naturalibus,quæcunq; ſulphureæ,nitro-
ſę,cinereę,vel calcis,ſaliſve aliquid habent, item &
aluminoſę,niſi magnã aluminis partem cõtineant,
ex qua nimis aſtringant, pręterea, & bituminoſę
omnes utiles ſunt his morbis tollendis,ſi uel demer
gatur in eis corpus,uel ſi perfundatur, immo & ſi
bibantur,quæ ſolent bibi. Pręterea, & limus ex his
eiſdem thermis extractus, & illinitus proderit. Et
quamuis,qui eſt in villa ſancti Bartholomęi in reſo-
lutione,quia molliat,damnetur:cum tamẽ mirificẽ
etiam,vel induratos humores digerat,& diſcutiat,ſi
applicetur origini,unde cœpit obſtructio, infarctuſ-
q́ue eſt craſſior,&obſtruens humor:non uideo,cur
non poſſit inde auxilium inſigne ſperari. Ego pręte-
rea vidi aquam vitę,ſic vulgo appellatam, particu
lis reſolutis affuſam plurimum profuiſſe.

De Deſtillatione, vel vt Gręci vocant catarrho. *Cap. IIII.*

ANtequam ad tractandos affectus ad ſenſus ,
aut eorum organa pertinentes ſermonẽ cõ
uertamus,de catarrho, vel deſtillatione age
mus. Quę quidẽ tractatio propterea ad hunc librũ
tranſlata eſt:quia & ſi plures vias habeat deſtillatio,
per quas deſcendens poteſt animanti nocere,pręci-
puè tamen illę ſunt,quę & ipſę à cerebro ortum,&
deriuationem habent,& per inſtrumenta ſenſus de
ductę ſunt,quamuis partim quidem eodem, partim
autẽ alio naturę inſtituto. Nerui enim, & ſenſuum
inſtrumenta,vt cerebrum eorum miniſterio vtatur
in obeundis actionibus ad ſenſum,& motum perti-
nentibus à cerebro deducta ſunt. Vię autem per na
res,& palatum,partim quidem & ipſę ea de cauſa à
natura formatę ſunt,quemadmodum nares particu
latim,in quibus eſt via, per quam odores primum
ab olfactu percipiendi feruntur, & pręterea ſpiri-
tus ad caput,& pulmones per inſpirationem attra-
hitur,& per expirationem expellitur, partim vero,
vt cerebrum per eaſdem expurgetur, via autem ad
palatum à natura deducta eſt ea ferè ſolum ratione,
vt excrementa,quę copioſa in cerebro ſuapte natu-
ra generantur,commode poſſint excerni,& dũ ce-
rebrum bene valet,& temperatum probe eſt,ea illi
ſola ſatis eſt,vt ex Galen. primo de tuenda ſan. col- Cap. 1.
ligi poteſt,& 8. de vſu part. Verum ſi ex vitio ali-
quo,aut à primo ortu contracto,vel ex aliquo in vi-
ctu commiſſo errore magis excreuerint, & copio-
ſiora gignantur excrementa, natura,& miniſterio
narium in illis excernendis vtitur. Et hę duę vię, ut Com.24.
docuit Galen.3.Aph.præcipuę,& maximè natura-
les ſunt ipſi cerebro in expellendis excrementis. A-
liquando tamen excrementoſa cerebri materia, &
per aures expellitur, & cõmodè quidem pręſertim
verò in infantibus. At vero ſępe,& per alias vias fiunt
fluxiones iſtius excrementoſę deſtillationis, cere-
bro quippe ſe expurgante,ſicuti per neruos,per ve-
nas,per arterias:ſed illę omnes contra naturã ſunt,
& morboſę,& multorũ malorum in cauſa:inde.n.
ſępe

ſępe, & podagræ, & chiragræ, & alij articulares dolores, ſi ad articulos ferantur, ſolent excitari, ſed & ad iecur, lienem, ventriculum, inteſtina, vterum & ad omnes tandem corporis particulas, interdum patet eis aditus. Vnde in quacumque parte corporis cuiuſcunque morborum generis in cauſa eſſe poteſt huiuſmodi deſtillatio, nec ſolum alijs partibus inferioribus poteſt labem afferre, ſed etiam ipſi capiti, ſi in eo retineatur, nam inde & apoplexiæ, & comitiales morbi, & reſolutiones, & quicunque alij, quos hactenus expoſuimus, capitis affectus oriri poſſunt. Vnde ſi uellemus de omnibus ijs affectibus, qui ex catarrho, uel deſtillatione ortum habent, in pręſentia ſermonem habere, caput hoc comprehenderet quæcunque ad argumentum ſtatim a principio propoſitum pertinerent. Sed de alijs quidem ſuis locis, & capitibus agemus. In pręſentia uero, quatenus his tribus nominibus comprehenditur, definienda eſt tractatio, dicitur enim Gręce κατάῤῥος, κορύζα, & βράγχος; Latinè autem deſtillatio, grauedo, & raucitas, vel raucedo. Quo loco id aduertendum eſt, quod catarrhus, qui deſtillatio Latinè dicitur, duplex habet ſignificatum, ut & iuniores monent, & colligi
1.12. poteſt ex Galen. 3. Apho. Aliquando enim ſignificat omnem defluxum, qui ex capite ad infernas partes deſtillat, ſiue per amplas has quas diximus, & patentes vias, nempe per nares, & palatum defluat, ſiue per neruos, uenas, & arterias. Interdum vero magis coarctata, & propriori ſignificatione accipitur, ut per palatum ad fauces, & pectus deſcendit. Nam deſtillatio cũ ad nares per colatorium appellatũ deſcendens ibi conſiſtit, & viam illam obſtruit, dicitur Græcè coryza, Latinè grauedo. Si verò ad fauces per palatum defluat, & exaſperatis, extraneoque humore perfuſis faucibus raucos reddat homines, a Gręcis branchus dicitur, raucedo Latinè. Cum uero inferius per aſperam arteriam ad pulmones, & thoracem decumbit, ibique tuſſim excitat, peculiari nomine, & quaſi proprio dicitur catarrhus, uel deſtillatio. Ad alias etiam partes decumbens, & anginam, & peripeneumoniam, interdum & pleuritim, & articularem morbum, & alia multa mala excitat, de quibus cum ſuis proprijs locis ſit ſermo habendus, eorum tractationem ibi inſtituemus. Nũnc autem pręſtiterit, ut de catarrhi natura, & cauſis agamus. Vt prius tamen & hoc ſit animaduertendum, quod catarrhus, quantum ad uim nominis pertinet, ſignificat ſymptoma, quod eſt exiens, uel excrementum mutatum, in hoc tamen, ſicut in alijs multis contigit, per ſymptoma, tãquam per id, quod manifeſtius eſt, ipſum morbum ſignificamus, uel deſcribimus. Sed his addamus, & illud, quod quamuis catarrhus, ſi ad eam reſpiciamus particulam, cuius uitio generatur, & a qua expellitur, rationem ſymptomatis ſeruet, quatenus tamen humor eſt, qui a cerebro ad alias partes defluit, & ad eas decumbens varios poteſt alioquin morbos generare, ſubinduit rationem cauſę, nec ita amplius rationem ſymptomatis ſeruat. Cum itaque ita ſe res habeat, primum de eo, ut ſymptoma eſt, agamus, ut id in ſuam cauſam reſoluentes naturam morbi inueniamus, a qua ſcopos, & indicationes depromamus, quę poſſint curandi rationem, & uiam monſtrare, reſolutoria autem methodo id facilius aſſequemur. Catarrhus itaque nihil aliud eſt, niſi humor a capite deſtillans, & defluens ad ſuppoſitas partes. Accepto autem hoc tãquam conſtituto videndum poſtea, qualis eſt is humor, qui copioſius genitus in cerebro, mox expul-
C.1.12. ſus defluit. Rationem uero hoc inueniendi oſtendit
C.1.2. Galen. 3. lib. Aph. ubi ait, quod cerebrum ſuapte natura propenſionem quandam habet ad gignendam

A pituitam, cuius cauſam refert 6. Aph. cum enim ſit frigidum natura, & humidum, ſi contingat, ut aliquanto vlterius refrigeretur, facto in eo infirmiori calore natiuo, nequit probè ſuum conficere alimentum, & proinde multa cruda congerit excrementa, quæ pituitoſa omnino ſunt. Quapropter & illi accidit, ut pro ratione maioris, minoriſve cerebri refrigerationis, uarias procreet pituitæ differentias, nam ſi uehemens frigus contraxerit, pituitam acidam gignit, ſi minus, inſipidam, ſi minus adhuc, ſubdulcẽ, interdum etiam uera, & ſalſa pituita fit in cerebro, ſed ea plerunque fit, quando prius ipſum incaluit, poſtea refriguit, hoc autem adeo manifeſtum eſt, ut nemo ſit, qui modo animaduerterit, non perceperit
B hos ſapores in ea, quę expuitur, pituita. Tandem ergo omnis ratio gignendi catarrhi eſt ab intempera-
tura frigidiore cerebri, unde Galen. 3. de cauſ. ſymp. Cap. 4.
explanare uolens catarrhi generationem, confert eam cum alui profluuio, quod excitatur a cruditate uentriculi, ita enim & deſtillatio ortum ſuum habet ab errore concoctricis facultatis ob intemperaturã cerebri, plerunque frigidam, quamuis eam pręcedẽs aliquando calida catarrhos efficiat poſtea ſalſos, qui inde retinent aliquid caloris. Huic tamẽ & alia cauſa accedit, quę non modicum fomentum illi addit, cuius 9. de vſu partium meminit Gal. & eſt eius ſitus hac enim ratione undique uapores a calore ſurſum lati, ut a principio 2. lib. diximus, caput poſſunt ex-
C crementoſa materia replere. Et ex hac etiam cauſa fit, ut uarij poſtea, & diuerſæ naturę gignantur catarrhi pro uaria natura uaporum, qui in caput elati, ibi a frigore cerebri iterum condenſantur in humores, ac mox deſtillant. Colligamus ergo, quod affectus, qui curandus a Medico eſt, vbi catarrhus copioſus deſtillat, eſt cerebri frigida intemperies cum materia. Quod ſi de eius differentijs ſit agendum, facilè eas inueſtigabimus, ſi uoluerimus ea ſpectare, quæ nuper ſunt explanata, nam ſi intemperies cum materia eſt, a materię ratione erunt & eius differentiæ accipiendæ. Vnde & a qualitate ipſius deſtillantis materię, & a ratione ſubſtantiæ, alius ſiquidem eſt catarrhus ſubſtantia tenuis, alius craſſus. Pręterea
D ratione, qualitatum primarum, alius enim calidus, & acris, abradenſque, alius frigidus. Interdum etiã ratione ſaporum, ſiquidem alius acidus, alius inſipidus, alius dulcis, alius ſalſus. Sed neque difficile erit cauſas catarrhi explicare, ſi eorum, quæ nuper dicta ſunt, memores fuerimus. Omnia namque, quæ
poſſunt cerebrum refrigerare, in cauſis catarrhi po- Aph. 24.
ni poſſunt. Quod in uniuerſum nobis inſinuare uo- Aph. 23.
lens Hippoc. dixit 5. Aph. quæ frigida ſunt, ut nix, & Aph. 31.
glacies, deſtillationes mouent. Magis autem particulatim rem hanc exponens 3. Aph. ait, ex anni temporibus hiems maximè grauedinũ, & raucedinum ferax eſt; cùm (ut ait Gal.) eo tempore caput frigori ſit obnoxium. Præterea uer, quando fuerit aquiloniũ
E & ſiccum, præceſſerit autem hyems auſtralis, & pluuioſa. Sed ex ætatibus ſenilis catarrhis uexatur, iam enim cerebrum plurimum in frigidam temperiem procliue eſt, & facile à frigore læditur. Quæ item caput replere poſſunt, poſſunt inter cauſas catarrhi collocari, tam cibi, & potus, quam aeris mutationes, nam auſtralis ſtatus caput replet, & ſi boreas poſtea ſuccedat, maximè mouentur deſtillationes. Sed multa ad hoc argumentum ſpectantia in ſuperioribus tractationibus à nobis deſcripta ſunt, quæ ſuperuacaneum uidetur repetere. Magis enim operæ pretium erit, ſi ad aliud caput trãſeamus, quod & animaduerſione dignũ eſt, & utile ſcitu. Id verò eſt, quod & catarrhi, ſicuti & alij morbi multi, imò plerią; ſua hẽt tempora, ſi tamẽ Gal. voluerimus fidẽ

præſtare

prȩſtare in libello de tot.mor. tempori.& id oſtendit ſumpta eorũ diſtinctione à materiæ tranſmutatione,& cõcoctione,ait.n.cum deſtillat tenuis,& aqueus multuſq;,& acer, principiũ eſt iſtius affectus, tũc.n.ſumma eſt cruditas, ſed cum & paucior fit, & craſſior,& minus acris,tunc iã euidentes ſunt cõcoctionis notæ,& incipit incremẽtum,ſed exactior eſt cõcoctio, cùm iã mucus excernitur, & vt paucior, & craſſior,ita exquiſitior eſt iudicãda concoctio. Tãdẽ ad ſigna conuertamus ſermonem noſtrum,non nullis tamen prius expoſitis de ijs, qui magis,& minus ſunt deſtillationib.obnoxij. Itaque qui humidiori ſunt habitu vniuerſi corporis, præſertim uerò capitis,& cerebri,hi ſæpe deſtillationib. tentantur; vtpote quia cerebrum valdè habeant excrementoſũ. B Neque forſitan alia de cauſa protulit Hip. eam ſententiam 6.Aph.quòd qui nares humidiores,item & (Aph.2.) ſemen genitale humidius habent,illi magis valetudinarij ſunt,quòd Gal.tanquam propriam cauſam retulit, quòd eiuſmodi homines maximè obnoxij ſint deſtillationibus,propterea quia multis abundant excrementis,tam in uniuerſo corpore, quam in capite. Diximus autem paulò ante,quod & qui frigidiori cerebro ſunt ob imbecillam concoctionem catarrhis uexantur,attamen & qui calidiori,ob aliam tamen rationem, his ſiquidem facilè caput repletur, & ab interna uidelicet occaſione,ut à uaporibus ad caput ex toto elatis, & ab externa, ut ab odoribus C præſertim calidioribus. Vnde dixit Hipp.ſuffitus aromatum grauat caput,& ab aere,uel uentis calidioribus longè etiam magis, ſi cum caliditate adſit etiam humiditas. Signa autem oſtendentia incipientem deſtillationem,hȩc in primis ſunt,quòd referunt,qui ægrotant ſe percipere in naribus; aut faucibus quandam quaſi titillationem, vel mordicationem: nonnunquam motum cuiuſdam veluti aquæ, aut alterius rei, quam neque exprimere ſciunt, qualis ea ſit. Differentiȩ verò catarrhi, quas antea expoſuimus, ſua & ipſæ ſigna habent, quibus ſunt diſcernendæ. Nam quantum ad craſſitiem,& lẽtorem,uel tenuitatem modus ſubſtantiæ eorum quæ vel per os expuuntur, aut per nares emunguntur, oculis facilè D percipi poteſt. Præterea verò & horum excrementorum motio, & deſcenſus non parum faciet ad hanc diſcretionem: tenuis enim & diluta humiditas cito & facilè, vel nobis etiã inuitis defluit: craſſa vero,& lenta ægrè,& tardè;dummodo ex accidenti aliquid non accidat, quod iudicium hoc poſſit confundere. Interdum enim quamuis tenuis ſit,qui deſcendit humor, ſi tamen diutius in calido aliquo loco cõtineatur,ab illius loci calore quaſi coctus craſſeſcit,& lentorem contrahit,& poſtea craſſus,& lẽtus emungitur, aut excreatur: ſicuti ſi quando uia, quæ per nares ducit,obſtruatur,aut ſi ad pulmones, & thoracem defluens,ibi diutius detineatur. Diſcretiones vero earum, quæ ad primas qualitates pertinent differentiarum,videlicet,an catarrhus calidus, E an frigidus ſit,fieri poſſunt, petitis indicijs, tum a capite,tum vero ab ipſo excrementoſo humore deſtillante. A capite quidem obſeruatis illis,quæ in priori lib. diximus eſſe ſigna capitis laborantis calida, uel frigida temperatura cum materia: quæ cum ibi fuerint abundè tractata,non habebimus longiorem ſermonem. Ab humore deſtillante ſigna depromenda ſunt à multis capitibus. Primùm quidem ab eius odore: nam ſi fœtet, calidus eſt: fœtor enim ex putredine ortum habet. Deinde ex colore; quia croceus, aut ruber color, & uiridis quoque in calorem magis referũtur: albus uero frigoris potius nota eſt. Tertio ex ſapore: nam ſalſus,amarus,acriſque ſapor caloris ſigna ſunt:inſipidus,& acidus,frigoris. Quartò ab iis,quibus iuuari,& delectari videntur, qui A laborant: ſi enim frigidus ſit,leuari & delectari uidentur adminiſtratione calefacientium:contrà autem,ſi ſit calidus. Ad præſagiendi uerò rationem hoc pertinere uidetur, ꝙ qui deſtillationibus obnoxij ſunt, illi proni ſunt in multos, & uarios morbos, quales plurimos ſuperiùs expoſuimus; & id,pro ratione uariarum,& diuerſarum particularum,quȩ in diuerſis corporibus aut ſuapte natura, aut aliquibus alijs occaſionibus imbecilles eſſe reperiuntur. Sẽper enim quo imbecillior eſt particula, eò facilius recipit excrementa aliunde defluentia. Nulla tamen in corpore particula eſt, cui deſtillatio magis noxia ſit, quam pulmonibus: docet etenim Galen. 2. Progn. (Com.) B ꝙ deſtillationes pulmonibus aduerſarijſſimæ ſunt, ſiue prȩcedant,ſiue ſequantur alios eorum affectus: præcedentes namque uitioſis excrementis eos replent:at cùm ſequuntur, indicio ſunt graui pulmones morbo teneri,à quo & caput plurimùm iam læditur. Ad hoc etiam caput attinet ſententia ab Hip. 2. Apho. expoſita, nempe quòd grauedines, & raucedines in ſenioribus non facilè concoctionem admittunt; nequit enim eorum calor factus imbecillior craſſas,& frigidas materias coquere.

De ratione curandi deſtillationem. *Cap. V.*

C CVraturis catarrhum, & id ex methodo facturis, primum quidem opus eſt proprias a natura ipſius morbi indicationes depromere, illæ enim ſcopos nobis oſtendent,quos ſpectare neceſſe eſt, in inquirendis, & eligendis congruis,& aptis remedijs. Cum ergo prima origo, & fons catarrhi in cerebro ſit, eſt autem eius imbecillitas, & intemperatura,vt diximus iam,eſt præterea & materia,quæ ex hoc vitio genita,tum eam fouet intemperiem in cerebro, tum verò defluens ad infernas partes, illis aut morbum affert, aut ſaltem minatur aliquam ruinam, cum hoc inquam ita ſeſe habeat, primum quidem tollenda eſſet ea intemperies, quæ prima cauſa eſt aliorum incommodorum. Quia tamen illa a materia præſente fouetur, & ſi ſit aliqua D copia iſtius fouentis materiæ, non poterit intemperies remoueri,niſi prius materia tollatur, ſed potius irritabitur morbus, alioquin enim ſi exigua eſſet cõgeſta materia, ſicut inter initia quandoque fit, neq; eſſet ſuſpecta,aut capitis, aut uniuerſi corporis plenitudo,quæ localibus remedijs facilè poſſet agitari, dum aut a calidioribus liqueſcens,aut a frigidioribus expreſſa,maiori concitaretur motu,maiuſq; interdum vitæ etiam afferret periculum. Ideo conſilium Raſis 9.ad Alman.in cap.de curando catarrho,forſitan vtile, aut ſalubre fuerit, limitationibus tamen nunc expoſitis; diligenter ſeruatis, nempe ſi nulla ſit inſignis capitis,aut totius plenitudo. Conſulit verò ipſe,quod in initio, cum ex externa occaſione cõ E citatur catarrhus, nempe quia vel ex balneo fuerit quiſpiam,vel ex motu calefactus, & ſtatim ſe uento, vel aeri frigidiori expoſuerit, caput calidis linteis, aut ueſtibus inuoluatur, donec perceperit in intimas partes calorem penetraſſe. Verum ſi multa ſit materia, quæ defluat, quæque congeſta in capite eã foueat intemperiem, non eſt ab hoc capite incipiendum. Voluit autem Raſis corrigere vitium contractum a repentino frigore,cui calidum caput fuit expoſitum, alioquin verò ab inanitione; uel uniuerſi corporis,uel capitis, pro ut indicationes eo tempore uigentes oſtendent,erit inchoandum, mox incũbendum remotioni intemperaturæ, & roborationi capitis,præterea uerò eius exſiccationi, ut exſiccato ſuperuacuo humore,priſtino ſtatui caput reſtituatur.

tuatur. Inſt ruméta vero, quibus exinanitur corpus,
uaria & multa ſunt, ut ſuperius non ſemel dictū eſt.
Nimirum inedia, uel tenuis uictus. Sed & quæ ua-
lenter reuellunt, caput inaniunt, in quibus ſunt fri-
ctiones, acriores clyſteres, balneæ, præſertim ſi di-
gerendi vim habeant, tandem autem purgatio, &
ſanguinis detractio. Quorum aliqua leuiora ſunt, &
non niſi longiori tempore inaniunt, ut ſunt frictio-
nes, balneæ, exercitationes, uictus tenuior, & in his
quoque ſunt clyſteres. Confertim uero, citoque, ſan
guinis detractio, & purgatio. Quæſierit itaque ali-
quis, a quibus ſit incipiendum, cum uacuandum eſt
ob deſtillationem, num a fortioribus, & citioribus in
ſtrumentis, an potius a leuioribus, ut procedere ui-
ſus eſt Raſis eo loco, cuius nuper meminimus, dein
de uero, an ſtatim ab euacuatione auſpicandum, an
prius temperanda, & æquanda materia, ut facilius
vacuetur, & poſtea uacuandum, ut uiſus eſt conſul-
22. uiſſe Hipp. 1. Aph. concocta eſſe medicanda, non
cruda, neque in principio, niſi ubi turgeant. Satis
difficilis eſt hęc quæſt. & quæ longiorem requireret
tractationem, quam admittat noſtrum inſtitutum,
diſſoluemus tamen per capita, illis dumtaxat propo
ſitis, quę neceſſaria ſunt. Dicimus itaque, quod ut 1.
de rat. uict. in acu. morb. docuere Hippoc. & Galen.
nulla eſt tutior, & uerior methodus, & aptior ad
diſſoluendas quęſtiones generales, & in uniuerſum
propoſitas, cum plura habent capita, quam non
in eis abſolutè, & uno tantum modo reſponde-
re, ſed per determinatas limitationes innitendo di-
uiſiuę methodo, id quod uniuerſum, & generale eſt,
ab eo, quod particulatim uerum eſt, ſeparare, ut ibi
exemplo quęſt. propoſitę de ratione ciborum exhi-
bendorum in acutis morbis demonſtrat Gal. Huic
ergo & nos inſiſtamus methodo, & dicamus, quod
aut ex catarrho periculum aliquod pręceps immi-
net, utpote quoniam repentinam quampiam ruinā
minetur, aut nullum impendet ex deſtillante catar-
rho periculum. Si quidem non immineat, periculū,
aut ſi immineat tamen non adeo in pręcipiti ſit oc-
caſio, quin blandè, & facilè tractando non poſſit mi
tigari eius, ſi aliqua eſt ſęuitia, & tandem corrigi om-
ne ex eo contractum uitium, tunc prius paranda
erit materia, interim tamen reuellentia adminiſtrā-
do, ut ſunt clyſteres, frictiones artuum, & iſtiuſmo-
di alia, demum uacuandum, pręter quàm, ſi uiſum
ſit opportunum aliquo modo, ſanguinem mittere,
quia inſtrumentum hoc non exigit tot pręparatio-
nes. At ſi pręceps aliquod timendum ſit periculum,
ſecus agendum. Verum anteaquam particulatim
hoc caput definiamus, hoc etiam explanemus, quod
eſt cognitu neceſſariū, ut rectè diſſoluatur hęc quę-
ſtio, nimirum quibus de cauſis aliquando deſtilla-
tio periculoſa eſt, aliquando non, uel potius unde ha
bet, ut periculoſa ſit. Triplex itaque ratio eſt, qua de-
ſtillationi aſſiſtit periculum. Primum quidem ratio-
ne plenitudinis corporis, & capitis, uel copię deſtil-
lantis materię, poteſt enim aliquando ſtatim ſtran-
gulando perimere. Deinde uero ratione malę eius
qualitatis, quia ita acris ſit, & erodens, ut erodat, &
vlceret quamcūque partem pertigerit, ſicuti nares,
columellam, fauces, aſperam arteriam, pulmones,
gulam, ventriculum. Tertiò ratione membri, uel
particulæ, ad quam defluens decumbit deſtillatio: ſi-
cuti ſi ad fauces, & ſummam aſperæ arteriæ partem
delata fluxione, ibi anginam excitari timeamus, uel
ad pulmones, vel thoracem, vt inde metuenda ſit,
aut peripneumonia, aut pleuritis, aut phthiſis. Sed
his & illud addendum eſt, quod tenuis deſtillationis
præceps magis, & uelox motus eſt, & quæ proinde
eſt & ad vacuationem propior: craſſa vero, ut ſupe

A rius diximus, non ita præcipitànter mouetur, ſed lē-
tè magis, & paulatim. Quod ſi aliquando copioſa,
& cito moueatur, id ratio eſt: plerunque enim paula
tim creſcit, cum inter initia tardè moueatur: & ſæ-
pius, ut antea diximus, dum defluit, tenuis eſt, ac cō-
fertim mouetur mox craſſitiem & lentorem con-
trahit. Colligamus ergo tandem capita hæc, & has
concluſiones. Cum craſſior eſt materia, & multa, q̄
adhuc non confertim mouetur (cognoſces autem
multam eſſe in capite materiā craſſam, ex eius gra-
uitate percepta) non eſt ea repente mouēda, & exa-
gitanda, ne augeamus periculum, commota enim
a medicamento commodè purgari non poterit, q a
cruda eſt, & ſua craſſitie, & lentore renititur uacua-
B tioni: unde hominem huic periculo exponimus, ne
agitata ad ventres cerebri deferatur, & apoplexiam,
aut epilepſiam concitet, uel in faucibus conſiſtat,
& hominem ſtrāgulet, uel ad pulmones, & aſthma
afferat. Hæc ergo erit concoquenda prius, neque
alijs mouenda, niſi clyſteri aliquantiſper acri, fri-
ctionibusque ſatis ualidis, & frequentibus artubus
adminiſtratis, ut reuellamus, ne uerſus pręd ictas par
tes feratur, alioquin autem quietem ſeruantes tam
animi, quàm corporis, ut omnes occaſiones decli-
nemus, quibus illa & moueri, & augeri queat, &
cauentes ab omnibus, quibus caput repleri poſſit,
& quæ pituitæ generandæ apta ſunt, ſeruato uictu,
quantum fieri poteſt tenuiori, ut illi ſubtrahatur fo-
C mentum. Vbi autem concocta viſa fuerit, & ad ua-
cuationem facilis, tunc opportunis medicamentis
erit uacuanda. Qď ſi tenuis ſit, & præceps in motu,
copioſaque uel ſi acris, & maligna (malignàs enim
id genus deſtillationes appellat Hipp. 6. Epid. com. com. 18.
uero Gal. lib. 3. quæ tenues ſunt, & erodunt) aut ſi cap. 5.
iam inclinet, & propenſa ſit in aliquam particulam
inſignem, ubi timendus ſit magnus aliquis morbus,
tunc ſi ſententiam Gal. & Hip. ſequi uelimus, quam
5. method. explanauit, non eſt tempus terendum
in lenibus remedijs, ſed potius ſtatim ab initio adhi-
bendæ ſunt manus fortioribus, & quæ ſint hæc for-
tiora remedia, ibidem ipſe exponit, ſanguinis miſ-
ſio, & purgatio. Et huc ſpectaſſe uiſus eſt mihi Ga-
D len. ea ſententia, quam recitat Oribaſius in eo cap.
quos, & quandò purgare oportet decerptam ex
commentarijs Galen. in librum de humoribus, quę
noſtris temporibus deſiderantur. Inde enim fuiſſe
hanc ſententiam decerptam teſtatur Rabi Moyſes
in ſuis Aphoriſmis. Ita autem ea ſententia ſe habet:
tenues, & ſeroſos humores a principio uacua; in
craſſis uero expecta concoctionem. Prętermiſit au-
tem Oribaſius quædam uerba non minus relatis v-
tilia, quibus expoſuit, cur tenues uacuandi ſunt ab
initio, ne ait ipſe, ſuperueniente febre acriores fiant.
Sed dicet aliquis, & quomodo ſibi conſtabunt Gal.
& Hipp. qui concocta medicari præcipiunt, neque
ea, quæ cruda ſunt, eſſe mouenda, neque in princi-
E pio, cum non turgent? Dicimus, quod duplici no-
mine poſſunt conciliari loca Hippoc. & Galen. quæ
mutuo repugnare uidentur. Primum, quidé, quod
cum reuulſionis gratia uacuamus, in principio non
etiam expectata concoctione uacuandum eſt, reuul
ſionis autem gratia uacuamus, quotieſcunque ex
fluxione humorum una ad aliam partem cōcitatur
morbus, proprie enim, ut Gal. 5. metho. & in com.
Epid. & in 6. innumeris alijs locis expoſuit, reuulſio
eſt remedium fluxionibus accommodatum, cū illis
obſiſtere uolumus, impetuiq. humorū, qui in aliquā
particulam decumbentes morbū aliquem magnū
illi afferunt. Reuulſionibus autem tempus opportu
num eſt inter morbi initia; nā ubi iam defluxerint,
deriuatione, aut uacuatione per locum ipſum, uel

per

per vicinum opus eſt. Reuulſiones verò, cum plu- A
ribus poſſint fieri inſtrumentis fortiſſimæ, & poten
tiſſimæ ſunt illæ, quæ cum vacuatione fiunt, præſer-
tim verò per ſectam venam, aut per purgantia me-
dicamenta, vtpote, quæ confertim poſſunt uacua-
re, & citò reuellere. Vnde cùm remedia debeant
accommodari morbis tam præſentibus, quàm futu
ris, non modò ſecundùm qualitaté, ſed etiam quan-
titatem, & magnitudinem: ideo cum uidemus pręceps
aliquod ex fluxione periculum, neceſſe eſt ſta-
tim, & potenter uacuando reuellere, ut docuit Ga-
le. 5. meth. neq; expectare vlterius concoctionem.
Hic enim habemus tres illas rationes vacuãdi, quas
cogere medicum dixit Galen. 4. Apho. vacuare ea-
dem die in morbis valde acutis, nempe antequam B
à ſæuitia morbi uires reſoluantur, & febris augea-
tur, quæ præter id, quòd medicamenta ſunt poſtea
illi aduerſaria, exacuit etiam acrimoniam fluen-
tium deſtillationum, ut diximus ex ſententia recita
ta ab Oribaſio, & Rabi Moyſe ex commentarijs
Gal. in librum de humoribus, præterea antequam
decumbant in principale aliquod membrum, & ex
trema afferant pericula. Aphoriſmus autem 22. ma
ximè refertur ad eos humores, qui defluxere, &
conſiſtunt in uno loco, ut ex commentarijs in 1. &
4. Aphoriſ. elicere poſſumus, vbi & ſententiam Hip
po. in teſtimonium affert, nimirum quicunque in-
flammationes in morborum principio conantur
medicamento ſoluere, nihil de eo auferunt, quod C
intentum, & inflammatum eſt. Vnde non abſq; ra-
tione dicimus, ſi dicimus, quòd hi morbi turgen-
tium morborum ſubinduunt rationem, duabus e-
nim rationibus iſtis eiſdem iam citatis locis deſcri-
pſit Gal. morbum turgentem, primò ſi humorum
exagitatorum motus per totum corpus vagus fera-
tur, uel ſaltem in principalibus partibus, quæ con-
citentur ad excretionem noxiorum humorum, &
in hanc rationem referre poſſumus fluxum acris, et
tenuis materiæ, quæ à cerebro membro quàm ma-
ximè principali expellitur, & factura eſt inſignem
aliquem morbum in alia parte magni momenti,
& maximi periculi. Fuimus fortaſſe longiores iuſto:
ſed nos coegit res hæc, quæ maximi momenti eſt, D
& frequentiſſimè occurrit, & de qua quotidie di-
ſputant Medici, neque tamen (ni fallor) rectè in-
telligitur, neque diſſoluitur. Sed ulterius progre-
dientes inquiramus, quando magis inchoandum à
miſſione ſanguinis, & quando a medicamento, ac
purgatione, uel quando utroque ſit opus. Meſue
non omnino contemnendus medicus, & qui apud
noſtros priores medicos in maximo fuit honore,
tres poſuit conditiones, quibus ſanguis mittendus
eſſet, quas tamen, ſi diligenter perpenderimus, à
Gal. deprompſit. Et vt rem exquiſitius intelligatis,
hæc omnia ſunt in catarrho curando æſtimãda, an-
teaquam deliberemus an extrahendus ſanguis ſit, E
necne. Primum natura, & qualitas deſtillantis
materiæ, Deinde partes, in quas deſtillatio decum
bit, Tertiò ſtatus corporis illius, qui deſtillatione
tentatur: Poſtremò, ſi quis ſit alius affectus cum ca-
tarrho, qui eum exacuat, & exacerbet. Primũ enim,
ſi ſit calidus catarrhus, potius ſanguis mittendus
eſt, quàm ſi frigidus, quia frigidus miſſo ſanguine
magis refrigeratur, & recrudeſcit, cum calidus præ-
ter cõmodum reuulſionis, & uacuationis, ſangui-
nis miſſione téperetur. Deinde uerò conſiderãdum
eſt, quò deſtillantis catarrhi fluxio, & impetus fera
tur. Quia ſi ad partem aliquam inſignem, in qua gi-
gni poſſit magna aliqua noxa, ut ad oculos, aut ad
guttur, & fauces, aut ad pulmones, & arteriam a-
ſperam, aut ad alias partes, quæ multi ſint mométi,

A confluat; mittendus eſt ſanguis, cogit enim nos ma-
gnitudo morbi, aut præſens, aut futura. Tertio an fe-
brem habeat adiunctam. Febris ſiquidem dupliciter
auget noxam illatã a catarrho, primum quia mate-
ria colliquat ſuo calore, & magis eas agitat, & mo-
uet, deinde, ut ex ſententia Galen. diximus, addit il-
lis maiorem acrimoniam, & deteriores reddit: cor-
poris etiam ſtatus conſiderandus. Nam ijs, qui mul
tum ſanguinei ſunt, ut affirmat Gale. 5. meth. ſtatim
omnino extrahendus ſanguis eſt. At uerò ſi pauci Cap.14.
ſanguinis homo ſit, ita ut potius cacochymũ ſit cor
pus, quàm plethoricũ, non ita ſtatim, ait Gal. mitten
dus eſt: nã pręter id, quòd vires in his facilè miſſione
ſanguinis diſſolui poſſunt, vt pote, quæ in illis ne-
B queunt eſſe admodũ robuſtę: effrenes etiam efficiũ-
tur, praui ſucci, & intemperatiores, deſtituti à ſan-
guinis temperamento. Vnde ait ipſe, prius eorum
malitia eſt cõmoda victus ratione, & alijs medijs ap
tis ad melioré naturã deducẽda, ac poſtea, ſi res ur-
geat, ſanguis detrahendus, ſed non copioſus, dein-
de reficiendi ſunt. Et quia alioquin purgatio eſt
proprium remedium, ut ſæpe teſtatus eſt Gal. immo
Hippoc. cacochymiæ tollendæ; poſtea & medica-
mentis hi purgandi ſunt, mox ſi adhuc res reuulſio
nem expoſcat, iterum erit detrahendus ſanguis. Sed
quoniã aliqui ſunt, qui uenas plenas habent, & ſan-
guinem etiã multum uidentur habere, neque tamé
multi ſanguinis illi propriè ſunt, quia vitioſus eſt
C ſanguis, & craſſus, ut quaſi limus ſit, unde cacochy-
mos potius hos appellaueris, quàm ſanguineos, vel
plethoricos, illis quidem detrahemus ſanguiné, ſed
non confertim, nec ſemel multum, quia neque hi
poſſunt validas vires habere. Ex quibus patet, quod
interdum ſanguinem copioſum, ſtatim etiam mitti
mus: nonnunquã, detrahimus quidé, ſed detractio-
nem partimur, & quandoque poſt miſſum ſangui-
nem purgamus, aliquando uerò ſola utimur purga-
tione: & non raro etiam omnia hæc fortiora reme
dia relinquimus, nimirum quando, aut uiribus diffi
dimus, aut quid aliud impedit, clyſteribuſque, & id
genus alijs præſidijs inſiſtimus. Sed poſteaquam de
mittendi ſanguinis ratione abundè diximus, nunc
D de purgando catarrho aliqua magis particulatim
verba faciamus. Ait itaque Galen. eodem 5. metho.
quod quando calida, & acris eſt deſtillatio, corpus
illis medicamentis purgandum eſt, quæ uires ha-
beant purgandi diuerſos humores: & id non abſ-
que ratione, quia materia à capite deſtillans ſem-
per pituitoſa eſt: cum autem acris, & calida eſt, o-
portet, ut mixtos alios habeat uitioſos ſuccos, im-
mo quamuis etiam acrimonia careret, quando prę
ceps mouetur, & copioſa, neceſſe eſt, ut coniunctũ
habeat aliquem calidum humorem, cuius ope colli
quata, fluidaque magis facta vi maiori moueatur.
Deſcribit autem Gal. quaſdam pilulas, quæ parum,
E quantum ad uacuantia pertinet, differunt à deſcri-
ptis in primo & ſecundo, libro, niſi quod addit aga-
ricum, bdellio inſuper, & gummi Arabico ét adie-
ctis, quæ vim aliquã habent ſiſtendi catarrhum. In
præſentia vero cochiæ, & aureæ in uſu ſunt, & quæ
cunq; alia à nobis expoſita ſuperioribus libris fue-
re, quib. rõnem purgandi, & caput, & vniuerſũ cor
pus per congrua medicamenta, ſumpta, nimirũ in-
dicatione à natura humorũ purgandorũ, abũde ex-
planauimus. Atq; ét de illis copioſum ſermoné ha-
buimus quibus particulatim capitis plenitudo ua-
cuari ſolet, ut ſunt caputpurgia à iunioribus dicta
ἔρρινα à Græcis, maſticatoriaq; & gargariſmata, q̃
cõi nuncupatione à Græcis dicuntur ἀποφλεγματισμοί,
niſi quòd ubi timeremus, quod deſtillatio
ad pulmones, & pectus ferretur, præſertim uerò ſi

acris

actris admodum eſſet,calidaque,aut etiam ſi ex repé-
tino influxu metueremus,ne magis agitatus humor
ſuffocaret laborantem : item ſi multam putaremus
eſſe iſtiuſmodi catarrhi copiam in capite cõgeſtam,
adeo vt timor eſſet, ne gargariſmate commota, con
ſertimque præcipitata ad inferiores partes pericu-
lũ aliquod inſigne laboranti afferret; non eſſent gar
gariſmata tentanda.Sed & ſternutamenta nõ eſſent
tentãda in initijs,dum crudus eſt humor,& multus;
dum enim cõmouetur materia, concoctio,quæ po-
tius quiete eget, impeditur.Præterea violenter exa-
gitata, potius excreſcit, & vacuari nequit,plurimã-
que affert anguſtiam, & labores. Poſt concoctionẽ
autem ſecurus eſt eorum vſus: plurimum enim ca-
put expurgare poſſunt, & craſſiores, magiſque im-
pactos humores excutiendo educere.Sed de his hũc
eſſe habitum ſermonem intelligamus; quatenus ad
euacuationem pertinet, nimirum vt eis tanquã ua-
cuatorijs inſtrumentis vtimur,quia gargariſmatibus
ſæpius utimur, tanquam præparatorijs materierum
defluentium,& æquatorijs, vt facilior & cum mino
ri moleſtia a natura excernantur. Duo.n.ſunt q̃ ma
teriam deſtillantem, uel nimis præcipitem reddunt,
vel nimis difficilem ad uacuationem:nempe cum ca
lida tenuis,& acris eſt,& cum nimis craſſa, & len-
ta. Vnde interdum gargariſmate utimur,in quo ſit
vis incraſſandi, & refrigerandi, interdum eo,in quo
ſit incidendi,& attenuandi facultas.Sed de his loqui
non eſt præſentis argumenti, quod circa materiam
vacuationis uerſatur. Propterea finem etiam facie-
mus huic ſermoni. Et quamuis uideatur ſupereſſe di
cendum de alijs, quæ uim habent etiam uacuandi,
ſed magis reuellendi,qualia ſunt uincula dolorifica,
frictiones, clyſteres, glandeſq; & ipſa plurimum fa-
ciunt ad ſiſtendam, & auertendam a locis ualde ſu-
ſpectis fluxionem,ut patet illi,qui legerit 5. meth. &
alibi etiam Gal. quia tamen de his omnibus copioſè
tractauimus priori libro, ideo non puto futurum
operæpretium aliquod, ſi iterũ acta agere uelimus.
Vnde tranſeundum eſt ad alium ſcopum, qui reſpi-
cit correctionẽ & apparatum materię,ut a natura fa
cilius adminiſtrata, & minori noxa ab ea excerna-
tur, uel ſpontè vel per purgantia medicamenta. Ra
tionem autem horum remediorum nobis materia,
quæ defluit,oſtendet; Modum uerò uſus ea particu-
la, ad quam præſertim confluit, & a qua etiam de-
fluit. In uniuerſum enim,ſi calida, tenuis, acriſque
fuerit. opus erit refrigerantibus, incraſſantibus, &
acrimoniam retundentibus;ſin autem,& lenta, de-
tergentibus,attenuantibus,& incidentibus. Et quan
tum etiam ad ſyrupos, decoctaque, cibos etiam, &
potus ſatis item in præcedenti libro diximus, dum
de curandis internis affectibus capitis ſermonem fa
ceremus, & hoc quatenus ſpectat ad partem unde
fluit.Sed quatenus ad partem,ad quam confluit, cũ
cum ſoleat materia aut ad nares deflectere,& ad ap
pellatum colatorium, quando uidelicet grauedinẽ,
& coryzam facit,aut ad palatum,& fauces, aut tan-
dem per aſperam arteriam ad pulmones, diuerſas
etiam formas pro diuerſitate locorum, ac locis ſuis
accommodanda remedia Medici excogitauere, &
id bona ratione, nam non modo in corrigendo, &
emendando catarrho, rationem habere demandan
tis particulæ oportet, ſed recipientis etiã,uel ſuſcipiẽ
tis. Vnde ſi ad nares deſtillauerit materia,tunc ea
erunt commoda, quæ per nares trahuntur, non ut
uacuent, & inde trahant hoc excrementum, uerũ
vt illud præparent pro ratione rei exigentis. In cali-
do enim,& tenui ea in nares inijcientur, quæ refri-
gerent,incraſſent, & leniant,nam hæc præſtabunt,
ut non ita diſruptè, & præcipitanter eò feratur, ſed

A moderatius facililiuſque a natura regatur. Faciunt
autem ad hæc,aqua,uel decoctum,uel ſuccus uiola-
rum,uel aqua roſarum,decoctum iuiubarum, deco
ctum lactucæ,uel portulacæ,uel alia multa his ſimi-
lia.Quòd ſi ualida eſſet ibi obſtructio, & impacta in
oſſe colatorij multa materia, aut quæ ob illius loci
caliditatem quaſi excocta aliquem contraxiſſet len-
torem, aqua hordei ſola conferret, ſed magis etiam
aperiret,ſi aliquid ſacchari adderetur, uel ſyrupi ro-
ſacei recentis.Exterius uerò ſi propè radices,uel ini-
tium narium illiniretur oleum uiolaceum,uel buty-
rum. Sed & odoramenta poſſunt eſſe utilia, laudat
autem Meſ.odoratum ſemen lini infuſum in aceto,
& arefactum,ſuffitumque,uel hordeum etiã ex ace-
B to,uel furfure, eodem modo,hæc enim refrigerant,
& exſiccant catarrhalem humiditatem. At ſi frigi-
dus,& craſſus,decoctum maioranę,rutæ,item cha-
mæmeli, nigellæ,& multorum aliorum, quæ ex his
poſſunt percipi, ut tamen prius a leuioribus ſemper
ordiamur,ut eſt decoctum chamæmeli,deinde maio
ranæ,poſtremò ſeminum nigellæ.Sed his ſeminibus
potius in ſuffitu, quam quod trahantur per nares,
utendum, uel ligata linteo prius tamen torrefacta,
offerantur naribus odoranda. Linimenta etiam ſi-
milia radicibus narium adhibenda, ſicuti ex oleo a-
mygdalarum amararum,chamæmelino, anethino,
&alijs id genus. At ſi ad fauces defluat,eclegmata cõ
moda ſunt,& alia,quæ in ore tenentur,& paulatim
C colliquata deſcendunt. Vt in calida, ſyrupus uiola-
ceus ſimplex,uel compoſitus,ſed & roſaceus,quan
do nondum deſcendens ad thoracem tuſſim ciet,itẽ
ſyrupus de iuiubis,de portulaca, tandem uero om-
nibus alijs præſtantior eſt, cum ualde tenuis, & cali
dus, acriſque eſt catarrhus ſyrupus de papauere.Sed
ſolidiora ſunt diadragantum album, uel rubrum ita
appellatum ob admixtionem boli armenicæ. Va-
lentius autem omnibus eſt diacodion, cuius in 7.de
compoſi.medic.ſecundum loc.meminit Gal. Eo au cap.2.
tem tempore conficiebant in modum eclegmatis,
uel ſyrupi interdum ex melle, interdum ex defruto,
uel ſapa, in calida uerò deſtillatione id præferebãt,
quod erat ex ſapa confectum, mel enim irritat, ait
D ibi Galen. calidas fluxiones, quod autem ex melle,
in craſſa,& lento catarrho. Nunc ex ſaccharo con-
ficiunt,& in orbiculos, uel rotulas,ut alias, quas cõ-
fectiones appellant, efformant, & in calido etiam
utuntur,quia ſaccharũ quaſi temperatum eſt, omni
no enim minus & calefacit,& detergit, minuſq. at-
tenuat, quàm mel. Sed ut diximus & gargariſmati-
bus agere interdum ſolemus,ut ex aqua roſacea,cui
additum ſit paucum camphoræ, & ſi ſiſtere, uel re-
frenare fluorem magis uolumus, decocta ex rebus
aſtringentibus,ſicuti roſarum,coriandorum,lentiũ
decorticatarum, ſi incraſſare, & refrigerare, deco-
ctum lactucę,portulacæ,uel ex aqua communi, vel
roſacea, decoctum capitum papaueris, lac, uel, ut
E aiunt,emulſio ſeminum papaueris uſu ueniunt. Ad
frigidum,& craſſum oxymel,ſyrupus ex radice dul-
ci,de betonica,de hyſſopo, conſeruę, etiam ex ſac-
charo betonicę,florum roris marini, gargariſmata
quoque ex decoctis earundem herbarum,præterea
decoctum thuris, decoctum etiam reſinæ iuniperi,
uel cedri, Arabes, & Apothecarij ſandaracham ap-
pellant,plurimumque ad ſiſtendum, & ſiccandum
catharrum ualet,item decoctum ſpicæ nardi,uel cel
ticæ. Sed de his ſatis. Tranſeamus poſtremò ad illa,
quę tertiam indicationem,uel tertium ſcopum reſpi
ciunt,qui eſt exſiccatio, & corroboratio capitis,quę
& ipſa ſummè eſt neceſſaria, alioquin enim nun-
quam ſiſti poterit deſtillatio, uel ſi uideatur curatio-
nem iam admiſiſſe, paulò poſt eadem manente cau
ſa,

ſa, neceſſe eſt iterum eadem ſuperuenire incommoda, & interdum etiam maiora. Prima autem ratio roborandi caput in omni catarrho eſt, procurare, ut remoueatur cerebri intemperatura, uel ea emendetur. Et quia à contrarijs intéperaturis catarrhus generatur, ſicuti etiam catarrhi ipſi inter ſe contrarij, quatenus ad eorum naturam pertinet: ideo & diuerſa eſt etiam via, & ratio, immo aduerſaria corrigendi huiuſmodi intemperamenta. Vnde, cum materia deſtillans calida eſt inſigniter, tenuisque & plurimũ acris, dimittenda ſunt omnia exterius, & interius etiam, vt 6. de tuen. ſani. ſenſit Gal. quæ calefaciunt, vt ſunt balneæ, vel thermæ omnes, quę ſuaptè natura calidæ ſunt, in vniuerſum ſiquidem omnes calefaciunt. Præterea emplaſtra, linimenta, cataplaſmata, B cerata, perfuſiones, quæ ſunt medicamenta calefacientia, contra quàm Gal. tempeſtate multi Medici ſoliti fuerant facere, omnino declinanda. Medicamẽtum autem accommodatiſſimum prę omnibus alijs, ait ipſe, ſunt aquæ dulces, quibus in potu, & cibis vtimur, ſi illis modeſtè calefactis lauemus & caput, & totum corpus, non tamen ita, vt fricetur caput, ne attrahatur aliquid ab inferioribus partibus: artus tamen, & infernæ partes inter lauandum fricari poſſunt: uim enim reuellendi id habet. Nam harum uſu frequenti, & lenitur acrimonia catarrhi, & intemperatura temperatur, & ſi qui calidi uapores ſint in capite geniti, qui intemperaturam foueant, C digeruntur. Poſſemus & alia multa huic rei addere, ſed quia alibi ſunt hæc omnia tractata: ideo uno capite omnia comprehendam. Ea igitur omnia, quę a nobis de curãdi capitis calida intemperie in priori libro tractata ſunt, huic loco poſſunt accommodari: ſicuti frigido catarrho congruere poſſunt. Vt ſolum hæc addamus, quod quæ præter id, quod calefaciunt, & exſiccant, uim etiam habent trahendi è profundo, & caput ipſum roborant, & fluxionẽ intercipiunt, & ad hoc inſtitutum præſertim pertinẽt, quæ rubificant cutim, & veſicas excitant, ut ſunt ueſicatoria, ſynapiſmi: quemadmodum quę ex thapſia, ex iberide, lepidiove, & quæ ex naſturtio componũtur cerata. Huc quoq; ſpectat & inuſtio in ſummo, D capite ſupra ſuturam, ſiue cauſtico medicamento, ſiue ferro ignito facta. Neque in his longiores eſſe uolumus, quia cum (ut ſæpe dixi) nulla ferè ſit in corpore particula, ad quam delatus catarrhus non poſſit morbum aliquem illi afferre, erit etiam eius meminiſſe opus ſæpius in ſequentibus libris. Sed ad ſenſuum organa, quæ tertia differentia eſt earum partium, quæ a cerebro habent deriuationem, ſermonem noſtrum conuertemus. Nam præter hanc conuenientiam cum ijs, de quibus hactenus egimus eam etiam habent cum hoc poſtremo capite, quod frequenter illis deſtillatio noxia eſt, & eorum morbifica cauſa. Et quamuis quantum ad hanc rationẽ pertinet, prius de affectibus narium eſſet habendus E ſermo, utpote quoniam deſtillatio ferè inſtituto naturæ per hanc uiam fertur, & proinde etiam frequẽtius huic particulæ negotium faceſcit, huncque ordinem ſecuti ſint Galenus, & Aetius, & Græcorum multi: Quia tamen Arabes, præſertim verò Raſis, ab oculis incœpere, & hos iuniores ſequuntur, nec quantum ſpectat ad faciliorem doctrinæ rationem, multum refert ab hoc, uel ab illo capite ordiamur. Ideo in præſentia Arabum, & conſuetum his temporibus ordinem ſequemur.

De oculorum affectibus. *Cap. VI.*

Oculi inſtrumenta ſunt uiſus, & uiſiuæ facultatis. Sed primum aduertendum, quantum A ad oculi rationem pertinet, quod, ut ex Galen. tum 4. de locis affect. tum uero quarto etiam de comp. medic. ſecundum loc. uidetur colligi poſſe, oculus bifariam, ut de eo loquuntur Medici, accipi poteſt. Altero quidem modo, ut conſtat ex omnibus partibus, quæ propter commoditatem iſtius ſenſus a natura creatæ ſunt, ſiue propterea, ut commodius uideat, ſiue propter eius cuſtodiam, & defenſionem ab illis, a quibus lædi poteſt: & hoc pacto ad rationem oculi pertinent cilia, ſupercilia, & palpebræ. Altero verò modo, & magis propria ſignificatione, ut illæ dumtaxat partes, quæ actioni uidendi conferunt, ad eius integritatem attinent: atque ita id, qđ intra palpebras continetur, quod ex ſuis tunicis & B humoribus conſtat, ad qđ viſorij nerui perueniunt, ſenſum illi per uiſorios ſpiritus deferẽtes a cerebro, tanquam propriæ oculi partes accipiuntur. Et priori quidem modo accepit Galenus oculum, cum de de eo ſe locuturum quarto de compoſi. med. ſecundum loc. pollicitus in eo libro, ſtatim ab affectibus palpebrarum exorditur tractationem. De oculis ergo hoc modo nos quoque in hoc libro agemus. Et quamuis recta illius ordinis ratio, qué ſtatim a principio nos ſecuturos pollicebamur, reqreret, ut prius ab externis partibus, & cõtinentibus exordiremur, quemadmodum Gal. exorſus eſt: Quia tamen ad intelligentiam faciliorem nihil refert ab illis, uel ab iſtis inchoare, & omnes ferè iuniores Arabas ſecuti C ab interno oculo incipiunt, quos multi in præſentia legunt. Ideo ab interiori oculo, qui intra palpebras clauditur, ſumemus exordium. Vbi & hoc præterea debetis nouiſſe, quod hæc particula præ plurimis alijs particulis maiorem a medico diligentiam exigit: cum differentem habeat naturam a quacunque alia corporis particula: idque, propter eius dignitatem, ac nobilitatẽ: nobiliſſimus enim eſt uiſus omnium ſenſuum & magis dilectus, & quaſi ſpeculator eſt, uniuerſique corporis ductor. Vnde & Euangelium dixit, ſi oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tenebroſum erit. Et Ariſtot. cum inquit præ alijs omnibus diligimus, cum plures alijs rerum differentias oſtendant. Et præterea propter eximium D ſenſum, quo præditus eſt, facillimè, & à leuiſſima quaque occaſione irritatur, & læditur. Vnde quamuis conueniat quidem in curatione cum alijs particulis. quantum ad generalem methodum pertinet, communesque indicationes, & ſcopos a natura affectus depromptos: quatenus tamen ad remedia accommodanda illis ſcopis, & cui rei maximè deſeruit natura laborantis particulæ: adeo ab alijs diuerſus eſt, ut quàm plurima, quæ quantum ad ipſa ſpectat, accommodatiſſima ſunt, ſimilibuſque aliarum particulariũ affectibus familiariſſima, & maximè ſalutaria, oculis quam maximè ſint inimica. Eſt autẽ oculus iuxta hanc rationem inſtrumentaria particula, quæ ex pluribus particulis ſimplicibus eſt coagmen- E tata, ex tribus quidem tunicis ex anteriori parte ex ea alba, quæ uiſui noſtro primum ſe offert, quæ ad iridem oculi terminatur, undequaque illum continens, & circundans, hanc Gręci, ut teſtatur Galen. 4. de comp. medic. ſecun. loc. uel περιόστεον, uel περικράνιον appellauere. Quod nomen propriè eſt illius membranæ, quæ caluariam ſub cute contegit, & illi, ut ſtatim a principio iſtius commentarij diximus, circuntenſa eſt. Sed his uerbis uoluit fortaſſe inſinuare Galen. hanc extimam oculi membranam deriuari, & ſuum a pericranio ortum habere. Sępe etiã ἐπιπεφυκότα χιτῶνα quaſi alijs hærentem tunicam, & adnatam, uel adiunctam eandem uocauit, ut quę alijs ueluti hærens, & adnata, illas contineat & alliget. Ex hac autem coniunctione, qua alijs hæret,

con-

coniunctiuam iuniores appellant, quaſi exprimere volentes nomen Græcum. Sed magis expreſſiſſent, ſi coniunctam dixiſſent. Hæc autem leuis, & plana exterius eſt, & lucida, duraque,& ſolida ob aliarum internarum particularum tutelam, ab externaq́; (vt diximus) capitis membrana deriuata: cuius præterea officium eſt, vt & oculum vniuerſum, & muſculos illum mouentes comprehendens oſſibus annectat, & deuinciat,atque ipſum oculum circumcirca complectatur. Vnde, cum magna inflammatione hæc tētatur, partes etiam circunſtantes faciei omnes ad malas vſque trahi videntur. Intra verò hanc ſtatim altera continetur, quæ ſine diſſectione ſpectari nequit:niſi in circulo,ad quem priorem terminari diximus:quæ & perſpicuitate,& ſoliditate,denſitateque imitatur em tenulaminā ex ſplendido, & deterſo cornu deraſam, à qua ſimilitudine κερατοειδῆ græci, quaſi cornu ſimilitudinem referentem, Latini iuniores corneam nuncupauere. Eſt & tertia intra hanc,quam vueam Latini, Græci ῥαγοειδῆν à ſimilitudine, quam refert grani vuæ, nominarunt, in cuius anteriori parte, vbi quaſi centrum eſt iridis, foramen eſt, quod pupillam appellatam conſtituit, & aſſimilatur foramini in vua: quod reliquum eſt poſt abſtractum pediculum, à quo pendebat. Intra hanc tunicam eſt aqueus humor,poſtea vero cryſtallinus,quem primum organum viſus eſſe volunt Medici, præſertim Galen. poſt autem ex poſteriori parte eſt vitreus, deinde vero & aliæ tunicæ, vt illa,quæ verticulum,ſeu retis formam imitatur,& græcè ἀμφιβληστροειδὴς, id eſt,reticulata,& ἀραχνοειδὴς,hoc eſt araneoſa dicitur. Sed quantum ad noſtrū pertinet inſtitutum, hæc ſatis ſunt, nam diligentius hæc ſunt referēda,& explananda in anatomicis tractationibus. Ad oculos autem varia neruorum paria deueniunt, ſicuti diuerſæ ſunt oculi functiones. Nam eximio, vt diximus, quodam ſenſu præditus eſt, præterea multos habet muſculos, à quibus mouetur per appetitum, & voluntatē animantis, etenim & in dextrū,ac ſiniſtrum angulum, & ſurſum,ac deorſum mouent,pręterea verò & circumagitur,& retrahitur,ne nimis promineat. Porrò muſculi hanc facultatē a neruis habent, per quos tum ſenſus,tū motus a cerebro defertur; ideo a cerebro ſtatim utrinq; deſcendunt nerui, qui huic præſunt muneri. Cum ēt oculi ſint ſenſus viſus inſtrumentum,& omnis vis ſentiendi a cerebro per neruos deriuetur;ideo ēt fuit (neceſſe) aliud neruorū par hoc officio fungi,nempe per ſpiritus oculis ſubminiſtrare viſiuam facultatē,unde ὀπτικοὶ Græcè, quaſi viſorios dixeris,appellantur,qui quaſi perforati ſunt,viā enim ſenſibus conſpicuam hi ſoli ex omnibus neruis habent. Cum.n.exquiſitiſſimus ſit is ſenſus,maiori ſpirituum copia eget; & ob id natura latiorem ēt,& ampliorem in eis, q̃ in alijs uiam parauit. Qui & hoc peculiare & priuatum habent, ꝙ maiorem habent nexum inter ſe duo hi nerui, quàm alij inſeruientes alijs ſenſibus, quia & ſi a diuerſis cerebri partibus habent ortum,alter à dextera, alter a ſiniſtra, dum tamen deſcendunt, in medio ferè itinere coeunt inter ſe, & mutuo coaleſcunt, poſtea diducuntur, & diſpertiti alteruter ad ſuum oculum fertur. Cur autem ita factum ſit a natura,& an uerè in crucientur, ad aliud inſtitutum pertinet diſputare. Hoc tantum mihi dignum videtur eſſe animaduerſione, quod maximè ad noſtrum ſcopum pertinere uidetur; ex hac videlicet horum neruorum connexione, magnum eſſe oculorum mutuum conſenſum,vt ſæpiſſimè contingat; quòd malè affecto vno oculo,ſi longius malum protrahatur,facillimè eiuſdem incommodi fiat & alter particeps. Sed tandem

A his explanatis, quæ erant ad faciliorem captum eorum,quę dicenda ſunt neceſſaria, rem ipſam aggrediamur, quę primum ad noſtrum ſcopum attinet, nimirum inueſtigemus de more iam a nobis inſtituto omnes affectus,quibus oculus eſt obnoxius, atq; unde ſuam habent originem, ut ab illis depromptis ſuis indicationibus, methodum eos curandi inſtituere,& explanare ex ratione poſſimus. Hoc primū conſtituto, quod cum ita ſe habeat eius conformatio,& ſtructura, vt iam expoſuimus, uidelicet quod ſit inſtrumentaria particula ex pluribus ſimplicibus conflata, neceſſe eſt, ut ipſe quatenus inſtrumētum eſt,pateat omnibus affectibus,& morbis,vel ſaltem pluribus, quibus & alię inſtrumentarię partes ſunt B obnoxię, quatenus autem ex ſimplicibus conſtat, poſſit etiam ab illis affici, quę ſimplicibus ſolent contingere, verum cum & aliqui ſint utriſque communes affectus, videlicet ſimplicibus, & compoſitis, ita etiam his oculus erit expoſitus. At quia horum multi; quantum ad curandi rationem ſpectat, ad pręcedentia capita referenda ſunt, ideo eorum rationem prius & breuiter exponemus. Nam cum dixerimus oculos multos habere adnatos muſculos, a quibus mouentur varijs motionibus, horum vitio multa ſunt incommoda, quibus tentari poteſt hęc particula, ex quibus, non modo quantum ad motiones attinet, lędi poteſt; uerum etiam in operatione videndi. Nam & reſolui, vel paralyſin pati C poſſunt muſculi hi,& conuelli, atque ex huiuſmodi affectibus, pręter impeditam, uel uitiatam motionem, vitiatur & oculorum ſitus, ex quo vitiato lęduntur & ipſi oculi in videndo. Si enim omnes muſculi pariter reſoluantur, oculus fertur ad extra, & prominentior fit, quia cū omnes iuuent aliquātum ad hoc, pręſertim uero id pertinet ad muſculum, qui hęret optico neruo,hic enim oculum retinet,ne extra prolabens fiat prominentior, unde illo reſoluto,oculum neceſſe eſt prominere. Contra vero ſi conuelleretur,interius oculum trahens efficeret, ut ille intro retractus videretur. Si vero alij, ut qui ad exteriorem angulum oculum mouent, reſoluerentur,oculus ab oppoſitis,& ſanis tractus, uerſum in- D teriorem conuerteretur. Sed ſi cōuellerentur ad ſe trahentes oculum, ad ſuum angulum conuerti cogerent. Contra autem accideret,ſi oppoſiti, aut reſoluerētur,aut conuellerētur, ita enim uel ſurſum, uel deorſum conuerterētur oculi,prout uel qui ſurſum mouēt ipſos, uel qui deorſum conuertunt, aut reſoluti,aut conuulſi eſſent. Verū non eſt,ut exquiſitè & hoc,& reliqua omnia expoſuit Galen. partim primo de ſympt. cauſ. partim 4. de locis affect. non eſt,inquam,par nocumentum, quando in exteriorem, vel interiorem angulum conuertitur oculus inſigni conuerſione, & quando ſurſum, uel deorſum, quia cum ſurſum, uel deorſum inflectitur oculus, læditur quàm maximè uiſus, ut quęcunque E offeruntur viſui,duplicia videantur, cū autem dextrorſum, uel ſiniſtrorſum parum admodum læditur huius ſenſus actio. Cuius rei teſtes eſſe poſſunt, qui ſtrabones eſſe dicuntur. Sed de his ſermonem non protrahemus longius, quia cum horum omniū occaſio ſit, aut reſolutio, aut cōuulſio, poſſunt omnes horum affectuum rationes in capita de reſolutione,aut conuulſione referri. De quibus cum ſatis ſuperque ſit ſuperius dictum, in præſentia non plura faciemus verba. Niſi quod hoc nobis addendum uidetur, quod non ſolum uitio muſculorum oculus poteſt de ſua ſede dimoueri, ut videlicet prominentior fiat, vel contorqueatur, ſed ex aliquo etiam tumore præter naturam ſuccreſcente alicui parti membranarum ex parte interiori, qui quidem

cap. 2.
cap. 2.

tumor magis impellat exterius in anteriorem par- A
tem oculum, quo magis creuerit, tumor autem hic
poteſt, aut inflammatio, aut ſcyrrhus eſſe. Et equi-
dem ego cognoui nobilem quendam adoleſcētem
patritium Venetum, cui dexter oculus adeò promi
nebat, ut uniuerſam ferè faciem deturparet, id verò
contigerat ex ſcyrrhoſo tumore, qui erat in interna
parte, qua adnata membrana alba, quam coniuncti
uam diximus à iunioribus appellari, oculum oſſib.
in quibus locatus eſt, annectit, qui tamen tum æta-
tis ope, tum Medicis auxilijs tandem longo tempo
re eſt liberatus. Non minus id ex inflammatione
fieri poſſet, vt quiſque poteſt intelligere. His itaque
dimiſſis, quia quantum ad curationem pertinet, cu-
randi eſſent hi tumores, ſicut & alij tumores, pro- B
cedamus ulterius. Diximus ergo, quod oculus po-
teſt à quocunque modo intemperaturæ affici, ſiue
ſimplex, ſiue ea compoſita ſit: ſicuti, & aliæ omnes
particulæ, quæ conſtant ex ſimplicibus partibus,
& illis interdum cum materia: interdum ſine ma-
teria. Sed de ijs, primum agamus, quæ ſine materia
ſunt, prius uero de ſimplicibus: his enim cognitis,
facilis eſt compoſitarum cognitio. Sicut autem,
cum hæ ſimplices particulæ ſuum ſeruant tempera
mentum, optimè, & id, quod primum, & proximū
eſt inſtrumentum uiſus, ſiue ſit cryſtalloides, ſiue
ſit aliud: ſuo fungitur munere, facultatique uiſiuæ
optimè deſeruit, & reliquæ etiam partes optimè illi
inſeruiunt. Ita cum à ſua recta temperatura dege- C
nerant, uiſus non poteſt rectè ſe habere. Nam, vt
particulatim rem tractemus, ſi exſiccentur nimis
oculi: contrahuntur membranæ, vel tunicæ ipſorū
indurantur, rugoſæ fiunt, exaſperantur, coarctant
que ipſos humores, pupilla præterea, exſiccata v-
uea, cōtrahitur, & ſtrictior fit, vnde viſio fit imbecil-
lior, & læditur: quamuis enim, vt eodem primo de
cauſ. ſympt. docuit Galen. pupilla naturaliter aſtri-
ctior faciat ad perſpicuitatem viſus, quæ tamen ex
morbo talis eſt, viſum offendit. Ita & humores, tam
aqueus, quàm cryſtallinus ex ſiccitate nimia lędunt
plurimum uiſum, contrahuntur enim, & abſumun
tur, vt non cōmodè poſſit aqueus cryſtallino ſolitā
præſtare utilitatem, & cryſtallinus uiſiuæ facultati D
miniſtrare, præter id, quòd & ſpiritus ab intempe-
ratis particulis tranſmutati uitiantur. Si uerò oculi
partes nimis humectentur, membranæ quidem la
xantur, & quaſi defluunt, humores etiam nimia
humiditatę impediuntur, ne ſuo rectè fungantur
munere, incraſſantur enim, & mēbranæ, & humo-
res. Vnde ex nimio vueæ humore, laxior fit pupilla,
quod plurimum de perſpicuitate uiſus, & de longi-
tudine viſus detrahit. Item ſi calidiorem tempe-
raturam contrahant, læditur uiſus, calor enim a-
gitat, & conturbat ſpiritus, uapores multos cōcitat,
ut neceſſe ſit corrumpi actionem. Contra uero fri-
gida intemperatura eos ferè immobiles reddit, he-
betat etiam plurimum aciem uiſus, præter id, quod E
ut calor rariora omnia, quàm par ſit, efficit: ita fri-
gus omnia condenſat. Compoſitæ autem intempe
raturæ compoſitas, & mixtas habent læſiones: prę-
ter hæc autem temperaturæ, & hę pręſertim, calida,
ac frigida, ita in oculis, ſicut in alijs particulis inſigni
ſenſu præditis, uehementes poſſunt dolores concita
re. Quæ autem cum materia ſunt, eaſdem habent
rationes lædendi, quas illæ, quæ ſunt citra mate-
riam, & præter eas, quæ poſſunt exoriri, non ſolū
à qualitatibus: uerum, & eas, quæ materias ſecun-
dum ſe, & qua corpus habent, ſequi ſolent. De
quibus difficilior ſermo eſt, & maiorem requirens
diligentiam, ſi tamen memores ſumus eorum, quæ
in prioribus libris expoſita ſunt, facilis erit eorum,
quæ ſunt dicenda, perceptio. Primum itaque cum
de materia, ex qua poſſunt oculorum morbi excita
ri, mentio ſit facienda: operæpretium fortaſſe erit,
ut de ea in uniuerſum aliqua diſquiramus, quæ non
parum (ni fallor) poterunt lucis afferre ijs, quæ de ra
tione curandi erunt dicenda. Duo autem nunc
imprimis ſe nobis conſideranda offerunt. Primum
quidem materiæ illius ortus: Deinde uero eiuſdem
differentiæ. Nam duplicem ortum habere poteſt
ea materia, ex qua concitantur oculorum affectus:
nimirum quia poteſt, & in oculo gigni eo modo,
quo, & in capite generari ſuperius diximus uitioſos
humores, uitio, ſcilicet, ipſius capitis, quando ex
aliqua contracta intemperie, quæ læſa facultate co-
ctrice eius, in cauſa eſt, cur corrupto eius alimen
to, quo erat nutriendum, multus generatur excre-
mentoſus humor: ita ergo, & in oculo fieri poteſt.
Sed & poteſt humor uitioſus alibi eſſe genitus, &
inde ad oculum confluens morbi eſſe illi occaſio.
Et quamuis multa poſſimus imaginari, attamen ſi
rectè, & diligenter rem hanc extimare uoluerimus:
plerunque, & ferè ſemper à capite ad oculos con-
fluit ſuperuacanea materia, & id duplici nomine.
Primum, quia (ut diximus ſuperius) caput præ om-
nibus alijs particulis, tum ob ſuam innatam tem-
periem, excrementoſum eſt, tum ob ſitum, quo
facilè uapores à toto corpore ſuſcipit. Deinde uerò
ex propria oculi natura, omnia enim pene a cere-
bro habet: nam & membranæ partim à mēbranis
cerebri: partim ab ipſo cerebro ortum ducunt, &
uenæ omnes oculi, & arteriæ, & nerui à uenis, arte
rijs, & neruis cerebri proxime defluunt. Quare
undique patet aditus à cerebro ad oculos. Differen-
tiæ autem humorum, uel materierum, quæ oculis
poſſunt negotium faceſcere, ſunt totidem, quot,
& quæ materiæ morboſæ ſunt in capite. Et quaſi in
modum corollarij, hoc ex priori ſequitur, quia ſi
plerunque à capite ſuſcipit morbificas materias, ne
ceſſe uidetur eſſe, quod ab eiſdem humoribus fre-
quentiſſimè lædatur, à quibus caput. Vt hoc his
addamus, poſtquam in his in præſentia uerſamur,
quod forſitan magis pertineret ad tractationem de
ſignis: nempe quod quando affectus in oculis ex ma
teria concitantur repentè, & non pedetentim: penè
ſemper id fit ex defluente materia à capite, quia cū
fit ex congeſtione in eo ob uitiatam concoctionem,
ſicuti paulatim fit congeſtio, ita paulatim oritur
morbus. Ex his ergo ſic explanatis ſequitur, quod
materiæ morbificæ ſunt, aut humores ſuam natu-
ram, & conſiſtentiam, formamque humoris adhuc
ſeruantes, aut rarefacti, & digeſti in uapores, uel
flatuoſos ſpiritus cōuerſi. Sed primum de ijs loqua-
mur, quæ humorum adhuc conſiſtentiam ſeruant.
Hi ergo, aut calidi ſunt, aut frigidi, ſi calidi, aut te-
nues, & acres, & craſſiores, & expertes acrimonię.
Acres eſſe poſſunt bilis flaua, & ſalſa, uel nitroſa pi-
tuita. Craſſior uerò, & citra acrimoniam ſanguis eſt
& pituita. Tenues itaque, & calidi humores, ut cum
de affectibus capitis haberemus ſermonem, memi-
ni me dixiſſe, uel nunquam, uel rariſſimè conſiſtere
poſſunt, niſi in re denſiori, defluunt. n. ex tenera, &
rara ſubſtantia, unde ſolum, uel in membranis con
ſiſtunt, uel in muſculis, in eis uidelicet partibus,
quæ aut neruoſæ ſunt, aut propè muſculorum tuni-
cas: nunquam autem in humoribus oculorū, aut
ſaltem rariſſimè. Poterit quidem nonnunquam ſan
guis, expreſſis aliquibus tenuioribus partibus pene-
trare in denſam membranarum ſubſtantiam, &
ibi conſiſtere, ſed de ea conſiſtentia nunc loqui-
mur, qua humores recepti, & infarcti in uacuos, &
tenues particulæ meatus, eam in tumorem pręter
natu-

naturam attollunt: nam quando tantum perfundūt particulas, & per uenas diffluunt, alij humores etiā mixti cum ſanguine ferri poſſunt. Secūdum autem hanc rationem fiunt intemperaturæ cum materia. Secundum verò alteram, fiunt tumores præter naturam, vt ſunt inflammationes. Loquamur ergo de huiuſmodi affectibus: qui ab humoribus concitari poſſunt in membranis, & primum quādo in tumorem non attollunt: ſed duntaxat concitant intēperaturas conſequentes naturam, & qualitates humorum: atque etiam de ſymptomatibus, quæ illos conſequuntur. Et procul omni dubio ea omnia poſſunt ſequi incommoda, quæ intemperaturas citra materiam conſequi diximus, ſed pręter ea accedunt & illa, quæ ex materia corporea excitantur. Nam primum ea materia ob loci caliditatem rarefacta, in vapores digeri poteſt, qui vel ſpiritibus, vel humoribus commixti, & viſum offuſcare queunt, ſicut fumus ſæpe aerem obtenebrat: poſſunt etiam prætendere imagines facultati viſiuæ, vt videatur inſpicere muſcas, vel culices, vel lineas, vel caliginem, uel id genus alia. Si etiam ſit materia apta in flatum verti, dolores extendendo, tenſiuos, uel ſi in anguſtum aliquem meatum includatur, dolores etiam pungentes: interdum verò palpitationes, cum in loco infra cutim clauditur, concitare poteſt. At ſi acris, & tenuis ſit materia, pungendo, vel quaſi erodendo venas, & membranas, ſi uerſa in uapores eas penetret, vehementiſſimos dolores pungētes, & mordaces addit illis, qui ex intemperie ſola ortum habent: immo ſæpe oculorum membranas corrodit, & ad vlcus perducit, vnitatiſque ſolutionem. Vlcera enim, vel hoc pacto in oculos fiunt; uel ex ſuppurata & rupta inflāmatione, aut veſica in cornea aut in adnata, ſiue coniunctiua tunica: uel ex extrinſecus illato vulnere, aut punctura. Sed ſi humores ſint calidiores, & expreſſi ob multam copiam extra venas, in ſpatiaq; meatuum, vt dixi, alioquin inania excipiantur, repletis illis, in tumorem attollunt, & inflammationem gignūt, tum in coniunctiua, tum in cornea. Si verò pituitoſi ſint, & tenues, quaſi ſero ſi: ueſicas attollunt. Sed reuertamur ad inflammationes. Earū triplex eſt differentia, quantum ad noſtrum inſtitutum pertinet; accepta diſtinctione, tum à magnitudine,. tum a loco. De ijs autem in præſentia ſermonem habemus, quæ in membranis excitantur: quia poteſt & uiſorius neruus inflammatione tentari, a qua ut organicum membrum læditur: quoniam obſtruitur, & intercipitur tranſitus ſpiritus deferentis uiſum inſtrumento proprio. Sed de hac iterum, quando de ijs, quę ad illum neruum pertinent, loquemur, ſermonem habebimus. Redeamus ergo, unde diuerteramus. Tria itaque reperiuntur vocabula apud Gręcos, tres harum membranarum affectiones, partim (ut diximus) loco, partim magnitudine differentes ſignificantia, videlicet. τάραξις ὀφθαλμία, & χήμωσις, uel, ut alij dicunt, φίμωσις. Eſt autem τάραξις, ſeu conturbatio Latinè, vt tradidit Galen. 5. libr. in 6. Epid. principium ophthalmiæ, uel inflammationis, eſtque ea rubedo, quæ in parte oculi candida ſolet apparere, ſimilis illi, quæ excitatur, quando oculi fricantur, vel ex ingreſſu pulueris, uel fumi, uel alterius rei ipſum oculū irritantis, & venæ ea parte fiūt manifeſtæ, quamuis nondum dolere inſigni aliquo dolore locus incipiat. Fit etenim τάραξις ex eo, qđ ſanguis, uel alij cum ſanguine humores confluere incipiunt, & exprimi à uenis in circūſtantes partes, ut & in alijs aliarum partium inflammationibus incipientibus fieri ſolitum eſt. Quòd ſi res ulterius progrediatur, tunc copioſa affluente materia cali-

A diore, & membrana intumeſcit, incipitque dolore inſigni tentari, calefieriq;, & oculi illacrymari, & patefit planè inflāmatio, quā Græci ab affecta particula ὀφθαλμίαν appellauere, ὀφθαλμός. n. oculus dicitur; Latini vero lippitudinem ab ipſo ſymptomate nuncupant. Solet. n. cum hac corripitur inflāmatione oculus, non quidem in initio, ſed cum ad concoctionē peruenit, ſuccreſcere in angulis oculorū ſordes quædam albeſcens, non expers lentoris: qua interdum palpebræ, & cilia ita agglutinantur, ut deinde nequeant facilè diſiungi, ſordes hæc λήμη Græcè, lippitudo Latinè dicitur, a qua ēt inflammatio itidē lippitudo a Latinis vocatur. Tertio & corneam mēbranam interdum inflammatione laborare contin- B git, & vt in lib. de med. fac. para. cap. de calida deſtillatione ait Gal. membrana rubea inde fit, ut carnea facta uideatur, vel illi carnem accreuiſſe, atq; ita nō nunquam ut idem ait lib. 2. de ijs, q̄ in medica officina, intumeſcit, vt utraque peruertatur palpebra, i& oculi uidere nequeant; hanc affectionem Græci, ut eodem de fa. para. medic. ait Galenus φίμωσιν, uel χίμωσιν appellant, quamuis non ad corneam, ſed ad adnatam attinere φίμωσιν, alibi idem uideatur dixiſſe. In eiſdem autem membranis fiunt quędam maculæ. In alba quidem, & adnata gignitur macula quædam rubens, plerunque rotunda, & ex contuſione, uel plaga, diſruptis, dum locus contunditur, venulis appellatis capillaribus, ex ſanguine eli- C ſo in eas continentes particulas; ſicuti fiunt etiam in exterioribus corporis partibus contuſa carne; appellant autem αἱμάλωπας, uel ὑποσφάγματα. In cornea verò fiunt maculæ quædam albæ, quæ λευκώματα Græcè dicuntur, a Latinis albugines, uel nebulæ. Fiunt autem, ut ego ſæpius obſeruaui, duplici modo. Nam quandoque ſunt cicatrices relictæ a præcedentibus ulceribus, quæ, cum craſſiores, & denſiores ſint, & ob id etiam non amplius tranſlucentes, ſed potius opacę, & proinde albeſcunt, omnia enim diaphana, ſeu tranſlucentia, cum craſſeſcunt, euadunt opaca, atque albeſcunt, ut accidit albumini oui, cum cōcoquitur. Aliquando autem, & id frequentius, ſequuntur conturbationē, vel τάρα- D ξιν, & ὀφθαλμίαν, vel lippitudinem, hac de cauſa, nūquam enim defluunt ſynceri humores excitaturi inflammationem, quin non ſit aliqua commixta materia diuerſa. Vnde etiam ſemper inflammationes poſtremo, quando refriguit feruor, & inclinant, curamus calidis, attenuantibus, & digerentibus. Ita ergo & in oculis contingit, quòd quamuis fluxiones ſępiſſimè ſint calidiorum humorum, illi tamen, vt ad fluxiones ſunt paratiores, ita citius digerūtur, & alijs facilius diſcutiuntur, unde fit, ut rubedine, quam calidi humores attulerant, digeſtis illis, & reſolutis, deleta, remaneant reliquiæ quædam craſſiorum, & frigidiorum humorum impactæ, & concretę, quæ neque fuiſſent alioquin in membrana rece- E ptæ, niſi attenuatæ, & quaſi eliquatæ fuiſſent a mixtura calidioris fluxionis. Atque huiuſmodi maculę plus minusve lędunt actionem oculi, pro ratione diuerſorum locorum, in quibus conſtitere, & maioris, vel minoris craſſitudinis, denſitatiſque, uel raritatis. Nam ſi occupauerint partem eam, quę è directo eſt pupillę, oculum offuſcant, & omnino, aut aliqua ex parte obcęcant. Cum enim uniuerſę pupillę fuerint prętenſę, ac denſę, craſſęque ſint, omnino eorum, quę uidenda erant, tranſitum impedientes uiſum adimunt. Cum uerò rarę ſint, & non prorſus opacę, obtenebrant. Hęc ferè ſunt incommoda, quibus membranę expoſitę ſunt, cum materię in eis recipiuntur. Sed ſi ad humores ferantur fluxiones, raro quidem in eis calidi, & tenues

(ut diximus) conſiſtunt; plerunque autem frigidi: non enim habent eam vim, vt calidos poſſint continere, ne tranſeant. Quæ autem materiæ confluũt ad humores, præſertim vero aqueum, & cryſtalloiden, cryſtallinum dictũ, varios poſſunt affectus afferre: nam & ſunt in cauſa, vt imagines oculis obuerſari videantur, ſicuti diximus, ſi humor ſit in vapores digeſtus: poſſunt etiam illis his vapores copioſiores commixti perſpicuitatem eorum vitiare, ut obtutus obtuſior fiat. At ſi humiditatum alienarũ mixtione oculi humores craſſiores fiant, uel etiã tunicę, abbreuiatur viſionis interuallum, & obtuſior fit viſio. Sed ſi magis craſſeſcat humor, maximè è directo pupillæ tollitur ſæpe facultas uidendi. Vnde ſi ſoli vapores eos occupent, prę́ſertim aqueum, uidentur uidere imagines. Horum uero aucta copia, & ipſis craſſioribus factis, uidentur ueluti per caliginem, & uelum inſpicere. Sed magis deinde concreta ea materia, & denſior facta, poſtremo in ὑπόχυμα, hoc eſt, in ſuffuſionem morbus tranſit, quã Arabes aquam deſcendentem in oculum, noſtri uero iuniores cataractam vulgo appellant, a cataractis, quibus aquarum fluxus intercipiuntur. Ita materia hæc conſiſtens in uia ad organum uiſus, per quam ſenſibilium ſpecies, uel imagines feruntur, ut ſenſit Ariſto. uel radij uiſorij extra feruntur, ut Plat. & Galen. uoluere, viſum uitiat. Interdum etiam humor alienus ad oculi humores confluens, uel externa aliqua humiditas, facit, ut intumeſcẽs humor ad maiorem extenſionem, & tumorem perducat mẽbranam, præſertim vueam: quò deinde fit, ut magis extenſa, & dilatata pupilla, vel uiſus omnino pereat, uel plurimum labefactetur. Nec hoc modò ratione, ſed etiam impellendo, & hanc, & corneam efficit, ut maius interuallum, quàm rei natura exigat, inter eas, & primum uidendi inſtrumentum intercedat: unde etiam uariata proportione oculi actio læditur. Materiæ etiam ad oculum confluentes, ſi in neruis uiſorijs conſtiterint, uariarum affectionũ in cauſa eſſe poſſunt. Nam ſi calidę, uel uitiata eius temperatura poſſunt offendere, uel illum in tumorem, & inflammationem attollere: quo intumeſcẽte obſtruitur uia, qua viſui ſpiritus ad oculum ferũtur, & oculos a uidendi facultate deſtituitur. Si uerò frigida fuerit, tumorem frigidum excitarę poteſt, atque iuxta etiam obſtruere: uel impacta in meatum pariter ſine ullo tumore concitare obſtructionem. Præter has autem rationes, quibus poteſt oculus malè affici, eſt & alia (hæ enim omnes primariæ ſunt oculorum affectiones) quandoquidem & ex conſenſu aliarum partium affici poſſunt, primumq́; cerebri: cum enim omnem rationem, & ortum, & operationem habeant a cerebro, & ipſam etiam uidendi facultatem: neceſſe eſt, ut & malè affecto cerebro, oculi quoque participes ſint eiuſdem incommodi, Vnde ex intemperaturis, & alijs affectionibus cerebri, aut abſoluto conſenſu, ut cum defectu ſpirituum, uel ex eorum intemperatura, uel agitatione in cerebro facta, aut omnino uiſus tollitur, aut hebetatur, aut corrumpitur. Tollitur, quando nihil prorſus uident, hebetatur, quando parum, uitiatur, vel corrumpitur, quando perperam uident, ut in vertiginoſis fieri in ſuperioribus diximus, quibus omnia circumagi uidentur, aut tenebris, & umbra offendi. Aliquando autem & non abſoluto conſenſu, ut cum uaporibus in cerebro genitis, & per uenas, & arterias ad oculorum humores delabẽtibus, imagines muſcarum, uel id genus aliarum rerum ipſis oculis uidentur obuerſari, quæ & futuræ ſuffuſionis nuncia ſunt, quia ſæpe poſt uapores ſolent humores ſequi craſſiores. Deinde uerò & ſuppoſitarum partium conſenſu, iuxta atque capitis, poteſt turbari uiſus, præſertim conſenſu uentriculi, elatis ſurſum vaporibus a uitioſis ſuccis, præcipuè autem bilioſis in ventriculo congeſtis, & idem eſt læſionis modus, ſicut quando afficitur oculus conſenſu capitis, niſi quòd ex hoc non tantum eſt diſcrimen futuræ ſuffuſionis, ſicut ex conſenſu capitis. Quamuis, ſi res diuturna fiat, neque illi opportunè ſuccurratur, tandem poteſt & primario affici oculus. Nam in uniuerſum ſemper affectus per conſenſum, cum in lõgum protrahitur, trãſit in primarium, fit enim ſemper imbecillior particula. Reſumamus autem per capita omnia, quæ ad rationem morborum oculi pertinent hoc pacto. Morbi hi aut ſunt primi ipſorum oculorum, aut ex conſenſu cum alijs excitati. Si conſenſu, aut oculis conſentientibus cum toto (quod prætermiſeramus) ſicuti fit in febribus, quod ſignificat futuram criſim per uomitum, uel per ſanguinis profluuium ex naribus; Aut cum cerebro, Aut cum uentriculo. Cum uerò proprio laborat affectu; Aut aliqua intemperatura citra materiam, quales ſunt, de quibus ſtatim a principio ſermonem habuimus; Aut cum materia, Si cum materia, aut a bilioſa materia pendet, aut ſanguinea, aut pituitoſa, uel craſſa, uel tenui, item aut ſalſa, aut inſipida, aut ab humore ſeroſo, & nitroſo. Et hæc omnia interdũ ſine tumore præter naturam; Interdum uerò cum tumore; Et ille, aut calidus, & eſt inflammatio: Aut citra calorem, & ſunt ueſiculę. Et hi affectus omnes ferè ad rationem particularum, quatenus ſimplices, referuntur. Ad eas autem, quatenus compoſitæ, & inſtrumentariæ reducuntur affectus oculi, qui & mutatum eius ſitum ſequuntur, ut ſtrabiſmi, & oculorum diſtorſiones, & prominentiæ, præterea & obſtructiones, præſertim uiſorij nerui, ſicuti contingit in ijs affectibus, qui a quibuſdam iunioribus gutta ſerena appellantur, & eſt obſtructio ex impacto humore craſſo in meatu nerui uiſorij: Ad ſolutam continuitatem pertinent ulcera, quæ naturę communi tam ſimplicium, quàm compoſitarum attribui ſenſere ueteres Medici. (cap.2.) Horum uero multæ ſunt differentiæ. Nam cum vlceratur cornea tunica, neque ad interiora uſque tranſit ulcus ita, ut tota perforetur, morbus quidem ſimplicis naturę eſt in ſola unitate conſiſtens. Qui differentias quaſdã habet penes magnitudinem, & penes ſymptomata, quæ uaria illi accidunt: Nam ſi ulcus anguſtum, cauum, & mundum ſit, βόθριον Græcè dicitur, quaſi foſſulam dicas. Sed ſi latius ſit, minuſq́ue cauum, dicitur κοίλωμα quaſi cauitas. At ſi ulcus iridem oculi occupet, & pretérea ulterius ſerpens comprehẽdat circumcirca aliquid extra iridis circulum, ita ut medium ipſum ulcus albeſcere, id uero, quod circumcirca ambit, rubere uideatur, ἄργεμος Græcè, a quibuſdam è noſtris coronalis appellatur. Cum uero ſordidum eſt ulcus, & cruſtoſum, ἐπίκαυμα dixere, quod exuſtionem præ ſe ferat, quod ulcus malum ſanè eſt, & malignæ naturæ, ſæpe enim dum detergere, & mundũ reddere uolumus, effluit aqueus oculi humor. & reſidet tumor oculi, qui obcœcatur deinde. Quod ſi ulcus ex eroſione ob acrem, & mordacem fluxionem, uel aliqua alia de cauſa latius fiat, interdum excidit, & promihet vuea mẽbrana, & appellatur πρόπτωσις, hoc eſt prominentia, quę quidem pro uaria ratione prominentis vueę, uariã etiam repræſentat figuram, uariaque ſortitur nomina. Nam interdum non magna, ſed modica eius portio erumpens excidit, & prominens ęquat magnitudinem capitis muſcę, & ab eius ſimilitudine μυοκέφαλος nuncupari ab antiquis ſolet. Quę ſi increſcat, ita ut acinum vuę adęquet, & imitetur σταφύλωμα

φύλωμα dicunt. Quod ſi adhuc magis augeatur, ut etiam extra palpebras promineat, μῆλον, hoc eſt, malum, vel pomum vocant. Interdum vero ſub vuea colligitur aut in profundis, aut in ſumma eius parte pus, quod album eſt, & figuram vnguis retinet. Vnde, & vuea hoc modo ſuppurata ab ea ſimilitudine ὄνυξ, id eſt unguis dicitur. Oculorum ergo affectus omnes fere ad hæc capita, quæ hactenus expoſuimus, referuntur. Quare, vt rem tandem expediamus, ad cauſas, & ſigna accedendi tempus eſt.

De cauſis, & ſignis expoſitorum affectuum circa oculos conſiſtentium. Cap. VII.

CVm cauſæ affectuum horum, aliæ quidem externæ ſint, aliæ internę. Externæ poſſunt eſſe venti, calores, contuſiones, puncturæ, vulnera, exuſtiones, ex igne, & pleraque alia, in qbus ſunt pulueres, fumus, & id genus multa, in quibus recenſendis tempus terere mihi ſuperuacaneum uidetur, cum ea ſint omnibus vulgaribus nota. Sed neque de internis vlla neceſſitas cogit, longiorem habere ſermonem. Nam cum dixerimus ſuperius, quod oculorum affectus, quicunque a vitioſo aliquo humore ortum habent, ſi non ſemper, ſaltem frequentiſſimè omnem occaſionem habent à capite, inde enim facillimè, & frequentiſſimè ad oculos concitātur fluxiones: atque de his abundantiſſimè, tum in priori libro, tum vero in hoc maximè, vbi de deſtillatione ſermo eſt habitus, actum ſit. Ideo eſſet inutile, ne dicam importunum (vt in prouerbio eſt) iterum acta agere. Atqui neque de ſignis nobis longior reſtat ſermo: cum ex ijs, quæ expoſita ſunt in priori libro, facilè poſſint haberi ſigna indicantia, quando a materia fouentur hi affectus, & quando ſecus. Summatim igitur tantum rem perſequar. Nam ſi vel grauitas, vel pulſatio, uel punctio, uel palpitatio, vel mordicatio, vel tenſio percipiatur: ſi lachrymæ effluant, ſi oculi magis ęquo tumeant, proculdubio oportet, vt ſubſit materia, neque enim hæc fieri citra materiam poſſunt. Dolor itaque cum calore, & pulſatione, & tenſione, inflammationis ſunt ſigna, ſi in internis partibus ea genita ſit, vt fieri poſſe in viſorio neruo interdum diximus, vel in aliquo internarum membranarum, aut tunicarum. At ſi in externis, vt in adnata, vel cornea, accedit præterea tumor & rubor tum loci, tum etiam venarum circumcirca, cum lachrymarum etiam fluxu, præterea & ſorde, quam a Latinis lippitudinem propriè appellari diximus, λήμην vero a Græcis. Sed quoniã ophthalmia ſua & ipſa habet tempora, perinde ut reliqui materiales morbi, a quibus etiam variæ accipiuntur rationes remediorum accommodandorum. Ideo ſigna ea exponenda quoque ſunt, quibus tẽpora hæc ſunt diſtinguenda, vt ea expoſuit Gal. in libro de tot. morb. temporibus. Cum ergo principium eſt inflãmationis, fluunt ab oculo lachrymæ multæ, ſed tenues, tenuitas enim fluentis humoris ſemper cruditatis ſignum eſt: cum autem pauciores effluunt lachrymæ, & craſſiores, ad incremẽtum deuenit morbus, & ita craſſeſcente ſubinde magis humore, concoctio creſcit, donec incipit lippitudo apparere alicuius lentoris particeps, qua palpebræ agglutinãtur, dormientibus præcipuè, ſed primum tenuior, & copioſior ſuboritur, vbi verò adhuc craſſior fit, & quò craſſior, eo etiam paucior, exactam concoctionem demonſtrat. Eſt autem eiuſmodi ſordes, ut 1. Progn. docuit Galen. pituitoſum ſanè excrementum in lippientibus oculis genitum: partim ob copiam affluẽtis humoris inutilis, & ſuperuacanei: partim autem ex eo, quod alimentum proprium oculorum

A non probè concoquitur in ipſis malè affectis: accedit autem ad naturam pituitæ, quia eſt excremẽtum ex ſemicocto alimento genitum. Vbi autem grauitas percipitur cum tenſione ſine calore, copiam ſignificat materiæ caloris expertis. At ſi tenſio ſine grauitate, ſpiritum flatuoſum, magis etiam ſi palpitatio percipiatur. Sin autem punctio, uel morſus, uel pruritus adſit, materiam acrem, & mordacem ſubeſſe indicat, quæ eſt aut bilioſa, aut pituitoſa, & nitroſa. Vnde cum uehemens dolor eſt, neceſſe eſt, ut ab aliquo iſtorum humorum pendeat, aut a flatu. Sed ſi nihil horum percipiatur, intemperiem conſequetur ſine materia, aut frigidam, aut calidam: diſcerni autem poterit ferè eiſdem notis, qui-

B bus, & capitis calida, uel frigida intemperies. Nam orta ſemper ſuis, ut in arte medic. dixit Galen. atteſtantur initijs. Reliqua autem pertinentia ad affectus oculorum ex paulò antea relatis facilè, ſi quis diligentiam adhibuerit, percipi poterunt. Nam vlcera cum rariſſime occupent, niſi ſummas, & externas oculorum partes, uiſu ipſo diſcernentur: diſcernentur & eorum differentiæ, ſi memoriter tenetis, quæ a nobis explanata ſunt, dum de eis in ſuperiori capite loqueremur. Ita etiam veſicę conſpicuæ ſunt. Sed & affectus muſculorum, nempe reſolutio, & conuulſio ex inclinatione, & diſtorſione oculi magis in vnam, quam in alteram partẽ cognoſci poſſunt. Vtrum uerò potius illud fiat ob reſolu-

C tionem, vel conuulſionem ex eo dignoſcetur, quia in reſolutione præter id quod diſtortus eſt oculus, nihil aliud ſentitur, quoniam ſenſus non minus, quã motus deficit, in conuulſione autem ſaltem percipiunt ui trahi oculum in eam partem. Quin & ſuffuſio, uel cataracta vulgò, cum facta iam eſt, facilè, ſi quis intueatur, intra corneam eſſe rem quandam opacam colore interdum candido, interdum quaſi vitreo, nonnunquam ad cęruleum vergente conſpiciet, præterea neque homunculus, vel idolum rei obiectæ videri poteſt. Signa verò futuræ ſunt imagines, quę ante oculos obuerſantur continentar, & indifferenter, ſiue ante cibum, ſiue poſt cibum, item ſiue bene, ſiue malè ſe habeat ventriculus, magiſque

D etiam ſi cum aliqua grauitate capitis id fiat. Sed & facile eſt percipere, quando in neruo viſorio ſit obſtructio. Cum enim aliquis non uidet, neque aliquid conſpicimus in oculis, in quod tanquam in cauſam hoc ſymptoma referri poſſit, ſicuti inflammationem, albuginem, ſuffuſionem, pupillę dilatationem: neceſſe eſt, ut id pendeat ab obſtructione interioris alicuius particulæ, quæ eſſe non poteſt, niſi nerui illius, qui opticus, ſeu viſorius appellatur. Quæ obſtructio ſi ab inflammatione fiat, erit cum dolore & calore. Sin autem ſine his fuerit, ortum habebit vel ex frigido infareto humore, vel ex ſcirrho. Sed & ſcirrhus non erit expers grauitatis ibi perceptæ. Et quatenus ad ſigna, & cauſas pertinet, ſatis iam uagati

E ſumus. Niſi quod vnum forſitan his videtur addendum, cognitu neceſſarium ad rectam curandi rationem, quod quidem, quamuis fuerit poteſtate ſaltem comprehenſum in ijs, quæ hactenus deſcripta ſunt, non erit tamen ab re factum, ſi apertius explanauerimus. Quod itaque ſuperius diximus, oculorũ morbos, qui cum materia ſunt, quoſdam fieri genita in ipſis oculis materia, uitio alicuius intemperaturæ in ipſis aliqua occaſione contractę; alios vero, qui & frequentius fiunt, ea accepta a capite, per defluxum: ita intelligendum eſt, quod licet, quando aliunde profluit ad oculos materia, neceſſe ſit, ut proximè a capite profluat, quia omnia vaſa, per quæ fluere poteſt materia quæpiam ad oculum, a capite deriuantur; non tamen iſtius rei cauſa prima ſemper in ca-

put eſt referenda: quia nõ ſemper uitio ſuperpoſitarum partium hoc attribuendum eſt: ſed interdum vitio oculi, vel potius vaſorum oculi: ſicut ſunt uenæ & arteriæ, quæ vel ex natura factæ ſunt imbecillæ; vel ex aliqua alia externa occaſione: ut propterea aptiores ſint, ut ab alijs particulis facilius excrementoſos humores ſuſcipiant. Aliquando etiam ratione totius fit eiuſmodi confluxus, ut ſi copioſus ſanguis, & calidus in uenis, & arterijs uniuerſi corporis, vel inſignium partium contineatur, & qui uaporoſus plurimum ſit, facilè enim ob calorem, & ob quamcunque leuem occaſionem ad caput elatus, & tandẽ ad oculos, eos replet. Quæ omnia ſcriptis tradita ſunt a Gal. 13. Meth. Nõ eſt autem, quando ab inflammatione corripitur oculus, eadem ſemper ratio, & idem inflammationis modus. Aliquando enim a bilioſo; Quandoque a ſanguineo magis; Nonnunquam a pituitoſo humore excitatur. Quo autem modo fieri poſſit a pituitoſo ſucco inflammatio, ſatis ſuperius, vbi de lethargo erat ſermo, docuimus. A bilioſo quidem erit dolor acutior, cum maiori caliditate, & minori grauitate. A pituitoſo dolor magis tenſiuus, & cum maiori aliqua grauitate excitabitur. Ex ſanguineo cum inſigni calore, & tenſione erit dolor, non autem pungens, neque valde acutus; Præter id, quod rubicundior, & obſcurior in ſanguinea ophthalmia erit color oculorum; Pallidior, & ſubalbidus in pituitoſa; Ad flauius uergens in millioſa. Sed poſtea quàm omnia (quantum videre poſſum) quæ ad ipſas tam cauſarum, quàm ſignorum rationes pertinent, propoſita, & explanata ſunt, reliquum iam eſt, vt de curatione ſermonẽ habeamus.

De ratione curandi in uniuerſum eoſdem ocnlorum affectus iam expoſitos. Cap. VIII.

AFfectuum horum, de quibus abundè in duobus præcedentibus capitibus diſputatum eſt, curationes uariam rationem habent, ſicut & affectus ipſi uarij ſunt. Eorum aũt aliqui poſſunt curationem admittere, aliqui uerò nequeunt; Nam obſtructio optici nerui, quam guttam ſerenã iuniores ſolent appellare, cum firmata eſt, ac inueteraſcit, nunquam ferè curatur. Albugo etiam, quæ Græcè λέυκωμα dicitur, cum ex cicatrice eſt, aliquam in pueris curationem ſuſcipit, in adultis verò, & ſi poſſit attenuari, non tamen poteſt omnino deleri. Dilatatio autem pupillæ, cum inueteraſcit, rarò ſanatur. Sed nec conſtrictio, quãdo ex ſiccitate fit. Ita quædam ſuffuſiones curari ſaltem manuum opera; poſſunt, aliȩ nulla ratione. Sed de curatione eorum, qui curari poſſunt tandem ſermonem inſtituamus, vt tamen neque de illis uerba faciamus, quorum ratio curationis ab ijs, quæ in ſuperioribus capitibus ſunt tractata, ſumi poteſt, ſicut ſunt reſolutio muſculorum, qui motionibus oculorum ſunt præfecti, atque eorundem conuulſio, nam generatim ſuperius fuere primis iſtius tertij libri capitibus explanata, ubi de conuulſione, & reſolutione habitus fuit ſermo. Omnes itaque alij oculorum affectus, aut a ſola intemperie ſine materia ortum habent, uel a materia pendent. Nam quamuis & ulcera pertineant ad ſolutam continuitatem; quia tamen & ipſa (niſi ab externa cauſa pungente, aut incidente, aut dilacerante contingant) neceſſe eſt, ut aut ex eruptione alicuius inflammationis, uel ueſiculæ, aut ab acri, & mordaci fluxione ſint excitata; quȩ omnia tandem in materiæ fluxionem referri poſſunt, immo & debebt, ideò quatenus ad hoc ſpectat, in ratione etiam curationis communi, & generali methodo eorum morborum erunt ſubiecta, qui ab humorum fluxione originem ducunt. Ea uerò in uniuerſum, ut declarauit Gal. 13. meth. ubi de inflammationum curãdarum methodo agit, in hunc modum ſe habet, nempe vt ſtatim ab initio, fluxioni attendamus, eamque intercipiamus, poſtea uerò id, quod factum iam eſt, curemus. Et quãuis in hoc differant morbi ſolam ſequentes intemperaturam ab illis, qui fouentur è materia, quod hi ſolam requirunt temperiei mutationem; illi uerò primum quidem indicant cauſas fluentis materiæ, ſi eius fluxio morbum attulerit, eſſe remouendas, deinceps & materiam, quæ iam fluxit, & præſens intemperiẽ fouet, expurgandam, remota tamen deinde intercepta que fluxione, & uacuato materiȩ fomento, conueniunt tamen hi ſicut priores, qui citra materiam erant, in modo, ac ratione curationis, propterea, ut breuius rem expediamus, a methodo curandi eos affectus, qui defluxorij ſunt, incipiemus, quia poſtea in idem horum & aliorum curatio deſinit. Itaque Galen. loco nuper citato ait, quod communis inflammationum curatio, eſt euacuatio, nec modo inflammationum, ſed etiam omnium morborum, qui a materia excitantur, & id quidem ea ratione, quia quos morbos repletio efficit, uacuatio ſanat. Verum in ijs, qui iam facti ſunt, nec dum amplius fiunt, eorum proxima curatio eſt uacuatio. Sed in illis, qui fiunt, cum non fiant, niſi quoniam fluit adhuc humor ad affectum locum, qui fouet, & auget inflammationem, nihil uacuando proficiemus, niſi prius inhibuerimus confluxum humoris. Quid enim nobis profutura eſt affectæ particulæ inanitio, ſi paulo poſt tantundem, uel plus etiam confluens magis repleat? inhibenda eſt ergo prius fluxio. Vna autem eſt hæc, & communis methodus curandi omnes eos affectus, qui ab humorum fluxione ortum habent, & ideo plerique horum affectuum, qui fuerunt a nobis hoc libro expoſiti, ſub hac communi methodo continentur. Ab ea enim illi tantum excipiuntur, qui in intemperie ſola conſiſtunt, uel qui ab externa cauſa fuere concitati, quamuis multi etiam eorum, qui ab externa cauſa ortum habuerint, ratione corporis malè ſe habentis, quod multa, aut mala ſcateat materia, deinceps a fluxione foueantur. Quare in his quoque, ſicuti & in alijs prius inhibenda eſt fluxio, ſi rectè, & cito ſint curandi. Inhibebitur autem, ſi eius cauſam, ait Galenus inuenerimus, nam cauſa ablata fluxio ſtatim deſinet. Cauſa uero a duobus in primis locis petenda eſt, uel enim in ipſa particula affecta conſiſtit, uel in aliqua alia, aut una, aut pluribus, immo aliquando in toto. In ipſa quidem particula ſita eſt interdum fluxionis cauſa, quando illa aliunde a circunſtantibus partibus remotis, uel propinquis attrahit uitioſos humores. Cauſa uero, cur attrahat, duplex eſſe poteſt, calor, uel dolor. Calor, qui ab aliqua occaſione, uel interna, uel externa fuerit facta iuſto calidior. Dolor etiam, ut omnibus medicis in confeſſo eſt, uim inſignem attrahendi habet. Hic uero potuit, uel a cauſa externa, uel interna fuiſſe concitatus, ut ex plaga, uel igne, uel ab aliquo flatulento ſpiritu, uel id genus alijs dolorificis cauſis, de quibus alias plenè diſputandum eſt, ut ſunt frigus, uel externum, uel internum, calor, puluis, fumus, & quæcunque his ſimilia ſunt. In alijs autem partibus, uel etiam in toto conſiſtit fluxionis cauſa, quando in toto, uel in una, uel pluribus partibus ſit congeſtus ſuperuacaneus aliquis humor. Superuacaneus autẽ humor eſt, aut ob nimiam copiam, aut ob malam eius naturam, quam facultas expultrix loci illius repleti, ut ſe ea

mole-

moleſtia liberet, a ſe expellens ad locum affectum propellit: qui cũ aliqua ratione ſit imbecillior, neq; poteſt impulſum humorem repellere, neq; obſtare quin infigatur. Sed & hic conſiderandum, quod ſiue affecta pars attrahendo fluxionem excitet, ſiue aliæ ad ipſam demandent, ſemper tamẽ oportet, vt vtraque aliquid cauſæ habeant, & aliquid conferãt ad fluxionem: nam nihil prodeſſet impellentibus impulſio, ſi illæ, ad quas ſit impulſio, adeo validę eſſent, vt poſſent tantum repellere, quantum alię impellunt, quare pręter vim impellentium, oportet, ut adſit etiam aptitudo recipientium, quæ ab eius infirmitate prouenit: ſimiliter non ſolum cauſa fluxionis, ut ibidem tradidit Gale. eſt in affecta parte, quando ea attrahit: ſed neceſſe eſt, ut etiã illa, a qua attrahitur aliquid habeat, quod ſubminiſtrare poſſit attrahenti. Vnde maxima, & præcipua cauſa fluxionis, vel ſaltem occaſio eſt copia exuberantis humoris in toto, vel in quibuſdã partibus, & proinde videmus aliquos, in quibus, vel leuiſſima quaque occaſione, uel leui plaga, vel inciſione pars ſtatim rubeſcit, ac dolet, in tumoremq́ue attollitur, qui tamen aliàs maiori præſtita occaſione nullum incommodum perpeſſi ſunt, maximum ſiquidem in creãdis morbis momentum habet corporis pręparatio, ut primo de differ. feb. docuit Galen. Quare uidemus, omnes in curandis iſtiuſmodi morbis, ſi multus fuerit impetus, & inſignis copia fluentis humoris, curationem auſpicari a corporis inanitione, uel per uenam ſectam, uel purgatione per medicamenta, uel aliqua alia ratione, quæ vt eodem 13. meth. docuit Gal. tantundem ualeat. Atque hæc curatio, ſi tamen curatio dici debet, quæ vt incipienti morbo, uel eius incremento obſiſtamus, adhibetur, & non ad tuendæ ſanitatis rationem, ut ſenſit idẽ Gal. magis pertinet: hæc, inquam, curatio omnium affectuum, non modò oculorum, ſed & aliorum oĩum membrorum, quando aliunde occaſionẽ, & fomentum habent per fluxionem humorũ, cõmunis eſt, nec magis inflammationis, quàm cuiuſcunque alterius morbi, atque in generalem, communemq́ue methodum referenda eſt. Sed nos eam in pręſentia oculorum morbis accommodabimus ut cõmunis eſt, & poſtea ad priuata remedia, quibus particulatim curãdi ſunt iam relati affectus, accedemus. Primum itaque cogitandum, ac rectè perpendendum eſt, quomodo in his omnibus malis ſe corpus vniuerſum habeat, atque partes illæ, quæ facilius oculis tranſmittere ſolẽt ſuperuacaneos ſuccos, pręſertim verò caput, & pro ratione multitudinis repertę, aut in toto, aut in capite: & ita inclinare debet medicus ad uacuandum, vel miſſione ſanguinis, vel alia ratione purgato corpore, idq́ue ſiue inflammatio ſit, & ophthalmia, qua laborat oculus, ſiue dolor, ſiue acris, & copioſa lachryma, uel quicquid tandem illud ſit. Galen. ſiquidem eodem decimotertio metho. ſæpe ophthalmias ſtatim prima die curatas per purgationes ex medicamentis ait. Vnde, quando Hippo. ſexto Aph. dixit lippientes à diarrhœa corripi bonum eſt, cauſam refert ipſe in euacuationem inutilis materiæ per illud alui profluuiũ, & auerſionem impetus materiæ ab eo loco. Subiungit autem, quod & medici à natura docti, cùm viderint alui ſpontaneas deiectiones lippientibus fuiſſe utiles, eandem imitantes, cum illa non mouet, ipſi inferiorem aluum medicamentis, vel clyſterib. cient. Sed quod, & miſſione ſanguinis multi curentur, nõ eſt, cur probemus, cum id omnibus ſit perſpectum. Qua autem ratione oporteat cognoſcere, quando multo ſanguine caput, uel totum refertum ſit, ſæpius in ſuperioribus capitibus, & libris expoſitum fuit. Hoc ſolum in præſentia apponemus, & eſt Gal. præceptum deſcriptum ex lib. de facil. parab. medicamen. quòd videlicet ſi uaſa in fronte tumeant, & videatur multus in eis ſanguis contineri, ſanguis mittendus: ſecus autem, ſi ſecus ſe habuerint. Vena autem incidenda eſt ea ratione, qua in curatione affectuum capitis incidi oportere diximus. Nam ſi in capite fomentum habeat oculorum affectus, humeralis, quam iuniores cephalicam uocant, ſecãda eſt. Sed ſi primum à toto illud habeat, ſicuti diximus paulo ante, quia in uaſis multa copia calidioris ſanguinis contineatur, & uaporoſi: eo caſu crederem communem appellatam, uel mediam potius eſſe pertundendam. Quòd ſi menſes muliebres eſſent ſuppreſſi, uel conſueta ſanguinis purgatio per hæmorrhoidas, tũc aut venæ in talo eſſent perforandæ, aut hæmorrhoides prius aperiendæ. At ſi quæras, ex qua parte uena ſecanda ſit, cum unus tãtum oculus laborat, ex qua etiam, cum vterque male affectus eſt? Quantum ad primum quidem ſpectat, reſolutè dico, quod ex brachio, vel ex pede eiuſdem lateris mittendus eſt ſanguis, ſi alter tantum laboret oculus. Neque hic audiendus vllo modo eſt Raſis, qui in capite de ophth. omnino ab Hipp. & Gal. cęteriſq́ue antiquioribus medicis diſſentire uoluit, quippe qui iuſſerit ſecandam eſſe uenam contrariam, cum tamen ſæpe ex ipſis Hipp. & Gal. legerit quòd vacuationes illæ, quæ fiunt è directo ipſius affectæ particulæ, quàm primum proſunt, quæ autem ſecus, aut parum, aut ſerius iuuãt. Vnde teſtatur Gale. in li. de cur. rat. per ſect. venæ ſe in eadẽ hora vidiſſe curatos, & ſedatos uehementiſſimos oculorum dolores, contrarium autem brachium obliquè potius, quàm directè locum affectum reſpicit. Sed ſi dicas, cur nõ ita in pleuritide, qui alioquin defendis communem noſtrorum ſenum opinionem, id obſeruas? De hoc inquam, ſuo loco agemus, neq; enim omnia in omnibus conculcare oportet. Sin autem uterque oculus laboraret, utrinque etiam eadem ratione ſanguinem mittere oportebit. Et hæc quidem in præſentia ſatis eſſe poſſe arbitror, quantum ad præſens inſtitutum pertinet; nam ſi aliquid deeſſe videbitur, ea facilè unuſquiſque, qui memor ſit eorum, quæ dicta ſunt in priori lib. poterit hic ſupplere. Vnum illud mihi videtur omnino nõ eſſe pręter mittendum, quod nos monuit Gal. in li. de fac. par. med. quod, ſcilicet, in curandis oculorum morbis haud debemus eſſe nimium præcipites, & ex quacunque leui occaſione ſanguinem mittere, immo nõ niſi, vbi magnus uideatur eſſe impetus, & copioſus fluxus humorum ad oculos, unde aut magnam timeamus inflãmationẽ, aut magnum aliquẽ morbum, quia ſi neque magna eſſet fluxio, neque magnus metueretur morbus, leuioribus eſſet agẽdum remedijs: ita vt & aliquando purgatio ipſa dimittenda ſit, ac ſæpe ſolo fotu ſedando dolori, corrigendęque intemperaturæ, ac roborandis particulis accõmodato poſſit negotium tranſigi. Sed interdũ capitis affectus potius purgatione curandi ſunt, q̃ venæ ſectione, quando neq; in affecta parte, neque in capite, ne in toto aliquid perſpici poteſt, quod mittendum eſſe ſanguinem indicet, vtpote quia potius cacochymia congeſta morbum foueat, quàm humor, qui ſectione venæ detrahendus ſit. Interdum etiam utroque inſtrumento opus eſt. Non erimus autem admodum prolixi in ratione, & differentijs medicamentorum exponendis, quib. tum uniuerſum corpus ſit purgandum, tum etiã caput, cum diligenter omnia ſint ſuperiori li. explicata, tam in uniuerſum quàm particulatim. Vnde quibuſdam ſolũ additis, notatu dignis, ad tractationem horum ſingillatim

acce-

accedemus. Primum quidem eſt, quòd ſicut in affectibus capitis uomitus non eſt admodum aptũ remedium: ita nec in oculorum morbis. Hip. enim in libro de locis in homine ait, quòd ſicuti aluum in his ciere utile eſt, ita uomitum proritare inutile. Alterum verò, quòd præter catapotia, uel pilulas ſuperius propoſitas, quibus poſſumus corporis uacuationem laborante capite moliri in affectibus oculorum, & eæ quoque utiles plurimum, quas Nicolaus, ſine quibus eſſe nolo appellat, & ita apothecarij pilulas ſine quibus uocant, necnon, & illæ quas Meſue pilulas lucis nuncupat. Sed ſine quibus ad tenuiores, & calidiores fluxiones accommodatiores ſunt: lucis uerò, craſſioribus, & frigidioribus magis aptę. Quamuis, ſi ſequamur ea, quæ à Nicolao, vel à Meſue dicta ſunt, doſis earum, vt dicunt, ſit ſatis multa: Meſue ſiquidem dari poſſe a drachmis duabus, vſque ad tres ſcriptum reliquit. Nicolaus autem nouem, uel undecim pilulas ſine quib. æquantes magnitudinem ciceris exhibebat. His enim temporibus rarò excedimus ſexquidrachmã, vel ſcrupulos quinque. Tertium autem exponendum eſt, quòd quantum ad uacuationem capitis per ſua remedia propria, non eſt utendum ijs, quæ per nares detrahunt, ut quæ uel ſternutatoria, vel caputpurgia dicuntur, niſi ſimus ſatis certi, non eſſe multam in capite materiam, quia adeo ſunt vicinæ illæ partes, ut facilè poſſit, dum agitatur his remedijs humor, maior concitari defluxio ad locum affectũm, & morbus augeri. Quartũ eſt, quod antiqui auctores, quando corpus ſcatet ſanguine multo, & calido, nec per uenæ ſectioné potuit intercipi aſcenſus vaporum, qui fouent eiuſmodi affectus, conſueuerant venas, quæ per collum vtrinque aſcendunt, non eas quidé, quæ profundiores, & in alto ſitę ſunt aſcendentes ad cerebrum, & membranas, ſed exteriores ſtatim ſub cute aſcendentes incidere, immo non modo incidere, verumetiã reſcindere tranſuerſas: ſuccreſcente enim cicatrice, prohibetur aſcenſus, quin & arterias interdum incidebãt. Noſtris autem temporibus, quia nunquam uidi eas fuiſſe inciſas: ideo de illis non habebo longiorem ſermonem. Nonnunquã verò, omni prætermiſſa inciſione, medicamentis nituntur rem hanc conficere, illis ſanè, quæ aſtringendo poſſunt roborare, ne ita facilè aſcédentes ſuccos admittant: quæ vel in emplaſtra, vel cerata, uel linimenta formari poſſunt: eiuſmodi tamen curationes proſunt dũtaxat: cum id accidit in externis vaſis: quia cũ in internis contingit, non modo hæc remedia nõ proſunt, ſed & uniuerſa curatio difficillima eſt. Præterea, & hoc non eſt prætereundum, quòd aliquando ſi per cõmunes uacuationes aut uenis maioribus ſectis, aut purgatione non uideatur eſſe omnino ſatisfactum, ut ſit intercepta fluxio, ſed particulatim adhuc eſſe opus reuulſione, vel aliqua deriuatione, quod cognoſcere ea ratione poterimus, quia capitis adhuc grauitas inſignis percipiatur: præcepit. Gal. in lib. de medic. fac. para. affigi occipitio ventoſam, incidiq́; atque ita ſanguinem Aph. 68. detrahi: eadem ratione, qua Hipp. 5. Aph. incidi rectam venam in fronte conſulit, quando dolet occiput. Quãtum ergo ad uacuationes, tam generales, quàm priuatas, & proprias hęc ſatis eſſe poſſunt. At de ratione victus paucula quędam dicenda ſunt. Primum, vt eodem libello docuit. Gal. victus imprimis tenuis laborantibus oculis maximè ſalubris, & abſtinentia à vino, præſertim inter initia, & dum corpus plenum eſt: refert enim Meſ. in capite de paralyſi, uinũ eſſe neruis, & oculis inimicũ per ſe ex Gale. ſententia: Quãuis dolores oculorum meri potione interdum curari dixerit Hippo: cui aſtipulatus eſt, & A Gale. in Aph. ſed id pręcipuè, cum à frigida materia inuentum conuerſa dolor excitatur, nec plenum ſit corpus, vel caput. Pręterea, & abſtinẽtia à cibis omnibus, qui vaporoſi ſunt, vt quę facilè caput replent: licet Meſ. dixerit, quòd in affectibus frigidis, euacuato corpore, conferunt, roborando, & digerendo reliquias humorum. Motus etiam, & exercitatio poſt cibum vitãda. Somnus quoq; nimius, & nimia vigilia nocua ſunt. Sed, & reſupinum dormire, oculis nempe, & facie deorſum conuerſa, malum eſt. Calidior item aer, & ventus etiam: alter enim attrahendo, & liquefaciẽdo ſuccos: alter verò exprimendo, & conſtipando meatus, per quos ſit vaporum difflatio, obſunt. Fumus pręterea, & puluis. Necnon B vt ait Gale. in lib. dę faci. para. med. fulgor, & ſplendor, atque etiam hac ratione candidi colores oculos laborantes maximopere lædunt. Sicuti contra tenebræ, cęrulei colores, & virides reficiunt, ac recreãt. Item lædit lectione, & ſcriptis tenere occupatos oculos. Sunt etiam quædam herbæ, quæ maximè commodæ ſunt oculis, ſi eis exterius vtamur illiniẽdo, & lauando, vt fœniculus, & quam in præſentia euphragiam appellãt, uerbena, chelidonia, roſa, & ruta, ſed earũ quibuſdam utimur etiam potis, uel comeſtis, quemadmodum euphragia, & fœniculo. De ſyrupis, & decoctis, nihil habemus, quod dicamus præter ea, quæ in capitis affectibus dicta ſunt, ſimiliterque de confectionibus appellatis, quæ utiles eſſe C poſſunt, in corroborando capite, atque oculis. Tranſeundũ itaque eſt ad localia, priuataque remedia, quibus utimur exterius adminiſtratis. Prius tamen aliqua ſunt in uniuerſum dicenda de ratione eorum medicamentorum, quæ exterius adminiſtranda ſunt oculis.

De ratione, & natura earum medicinarum, quę aptę ſunt curandis oculorum affectibus. *Cap. IX.*

ET ſi una, eademque ſit cõis methodus curandi eos affectus, qui in uno, eodemq́; genere, uel una, eademq; ſpecie continentur, quãtum ad D communes indicationes, quæ ad naturam illius affectus pertinẽt: particulatim tamen, quatenus ad delectum materierum medicinalium, quibus ad id efficiendum, quod per indicationes nobis eſse opus oſtenditur, uti oportet, plurima eſt diuerſitas, quæ quidem multa eget, diligentiq; animaduerſione, & cura, propterea quòd à morbi natura non oſtenditur nobis, niſi qualis debeat eſſe remediorum natura in uniuerſum: ſicuti quod ſit, uel calefaciendum, uel refrigerandum, quod repellendum, quod digerendum, quod detergendum, quod deſiccãdum, & eodem modo de alijs. Cum uero non ſit eadé ratio omnium calefacientium, repellentium, digerentium, detergentium, & reliquorum eiuſmodi, neque E omnia itidem ab omnibus particulis, uel ita facilè, uel ita tuto admittantur. Ideo in eligendis medicamentis reſpicientibus ſcopum medico propoſitum ab indicationibus deprompiis à natura morbi, conſulere ſemper oportet particulam, cui ea ſunt offerenda. Nam progrediente ſermone uidebimus maximam eſse in ſenſuum inſtrumentis differentiam in medicamentis tolerandis. Auris enim ualentiſſima, & acria admodum medicamenta exigit, & perfert. Oculus autem, uel à mediocribus irritatur, & læditur. Lingua multa admittere nequit: propterea, quia cum ea medicamenta facilę ad uentriculum per gulam defluant, poſſent plurimũ obeſse, cum eorum multa ab ipſo ſint alieniſſima. Sed aliorum in pręſentia rationem, prętermittamus, de

oculiſque

oculiſque tractationem inſtituamus. Hi ergo cum præ omnibus externis partibus,& uniuerſi corporis cuti,eximio quodam ſenſu præditi ſint, tum hac de cauſa,tum verò ob raritatem eorum ſubſtantiæ facillimè,& afficiuntur, & læduntur:vnde nihil, qđ uehemens ſit, neque aſtringens, neque detergens, neque exſiccans,neque aliud quidpiam id genus ferre poteſt. Quamobrem non modò in horum uſu,et adminiſtratione ea oportet eligere, quæ mediocria ſint,verũ ſemper & aliqua admiſcere,vel decocta, uel ſuccos,uel aquas,quæ lenitate ſuæ ſubſtantiæ mitigent, & leniant; retundantque quicquid aſperitatis,aut acrimoniæ in ipſis eſt. Exaſperant autem, q̃ repellunt,cum aſtringentia inſigniter fuerint,mordent uerò,quæ inſigniter detergunt: vnde & quæ mediocria ſunt,quoad fieri poteſt,eligimus, & præterea tam in collyrijs, quàm in alijs medicamentis aliqua,quæ ἄδηκτα medicamenta, quaſi mordacitatis expertia à Græcis dicuntur,commiſcemus, ut ſunt pompholyx lota, & ſpodium, & amylum, & præterea ſi diluenda, diſſoluendaque medicamenta ſunt,vt fluida fiant,atq; in oculos poſſint infundi, aliquo etiam liquore id facimus, qui iſtius facultatis ſit,nimirum qui poſſit lenire,& demulcere oculos, vt ſunt album oui liquidius ex concuſſione factum, præterea, & ſuccus fœni græci, uel eius decoctum, & lac etiam muliebre. Sed de his magis particulatim paulo poſt agemus, cum ſingillatim de vnoquoque affectu curando ſermonem habebimus. Inchoabimus autem, vt plerique faciunt,ab ophthalmia.

De Ophthalmię,vel,vt Latini aiunt,lippitudinis curatione. Cap. X.

SIcuti lippitudo ſub communi genere cum alijs omnibus aliarum partium inflammationibus continetur,vtpote,quę & ipſa ſit agnatę oculi membranæ inflammatio:ita etiam communẽ cum alijs curationis rationem,& remediorũ ſubit,quanuis poſtea differentem medicamentorum materiã exigat,ut nuper diximus. Communis aũt omnium inflammationum curandi ratio eſt, vt ſtatim ab initio poſt procurationem corporis ſi plenum ſit,atq; aliarum partium,ſi quæ ſint, quæ fluxionum, vnde concitatur inflammatio,ſint in cauſa nitamur medicamentis, quæ uim repellendi habent, auertere confluentem humorem ad inflammatum locum, poſtea uerò, quam recepta iam ex parte fluxione, creſcere incipit inflammatio, repellentibus aliquid addamus,quod poſſit id digerere,& diſcutere,quod influxit,& continetur in inflammatione,atque quò magis increſcit,eò magis digerentia admiſceamus, donec conſiſtente fluxione,& inflammatione perueniente ad uigorem, ſolis digerentibus, diſcutientibuſque agamus. Hæc autem poſtea in uniuerſum ita expoſita oportet per ſuas limitationes particulatim determinare. Primum quidem ratione modi ipſius affectus,& cauſę,pro ratione enim maioris,uel minoris inflammationis, & impetus irruentis fluxionis, ita efficacioribus,tum repellentibus, tum digerentibus utendum. Deinde, & pro natura laborantis particulæ,ſicut in præſentia à natura oculorum,qui ob relatas iam cauſas facillimè afficiũtur, vt hac ratione oporteat, quam cautiſſimos eſſe medicos in delectu medicamentorum ipſis oculis accommodatorum. Tandem ergo incipiamus particulatim hæc ipſa tractare. Inter initia dum fluit humor,conſiderandum,reſpiciendumq; eſt ad copiam & impetum fluxionis,& eius acrimoniam,& ad dolorem concitatum. Nam ſi non uehemens ſit inflã-

A matio, nec uehemens dolor, neque magnus impetus, poterit aliquando ſolus oui albus liquor eſſe ſatis: tum quia refrigerando poteſt repellere, tum etiã quia cum non careat emplaſtica quadã natura ob lentorem,cuius eſt particeps, poteſt illinire,& obſtruere tunicarum meatus, ut non facilè poſtea admittant irruentem fluxionem, & eadem quoque emplaſtica natura aſperitatẽ ab acri fluxione concitatam lęuigare,& acrimoniam obtundere, pręter id quod particulam lentore ſuo oblinens, & quaſi muniens ab acribus humoribus tutiorem reddit, ut interdum in dyſenterijs fit, quando iſtiuſmodi medicamenta per clyſteres inijciuntur. Quod ſi is liquor cum roſacea aqua cõmiſceatur, adhuc magis
B aſtringet,& repellet,ſine ulla tamẽ mordacitate, & aſperitate. Nam & ſi dixerit Gal. roſam ex aſtrictione non carere leui aliquo morſu,aquam tamen ego ea omnino carere crediderim, cum ex deſtillatione aſperiores roſæ partes cum aqua non aſcendant,aliquantulum tamen aſtringit,mordacius fortaſſe eius eſſet decoctum,ita,ut ſępius his medicamentis ſolis inter initia uiderim repreſſas eiuſmodi inflammationes,præſertim uerò in mollioribus corporibus. Sæpe etiam ad repellendas has inflammationes rhu obſoniorum (Arabes ſumach appellãt)utor demerſo,& macerato ex raro,& albo linteolo aqua roſacea,illaque expreſſa ex linteolo, & inſtillata in oculos, immo ad arcendas uariolas ab oculis in pueris
C hoc medicamẽto ſum ſæpiſſimè,& fęliciſſimè uſus. At ſi iam occaſio offerri uideatur etiam digerendi ſolitus ſum ſurculos fœniculos uirides in fruſtula diſſectos inijcere in albumen oui, dum concutitur, ut in tenuem humorem reſoluatur,uim enim ex fœniculo digerẽdi contrahit. Sed hęc familiaria ſunt, & paratu facilia. Hoc autem tempore uti poſſumus,et decocto fęni græci rectè,& exquiſitè parato, quem admodum parari docuit Gal. 13. meth. & in lib. de med. faci. para. nempe, ut prius diligentiſſimè abluatur,ut ſi quid pulueris,aut ſabuli illi hæſerit, diligenti lotione detrahatur, mox paulatim ex dulci,ac ſimplici aqua decoquatur,ſic enim fiet,ut oẽm,ſi quam habeat,mordacitatem deponat,atque ita, uel inſtil-
D letur,uel eo diluatur oculus affectus,in hoc, ſiquidẽ decocto maior eſt concoquendi uis, ſed leuis etiam detergendi,& repellẽdi. Poſſumus autem,& has uires additis alijs ualidiores reddere,nam ſi uellemus magis repellere ex aqua roſacea coqueremus, uel rhus addi poſſet,uel aliqua pauca tamen, roſarum folia arida,uel eiuſmodi alia,ſi magis digerere opus eſſet, fœniculum, aut crocum adiungi, aut ex aqua euphragiæ coqui poſſet. Quod ſi uehemẽtior dolor urgeret, lacte uteremur:maiorem enim uim habet ſedandi dolorem lenitate ſuę ſubſtantię: uim etiam habet emplaſticam,qua obliniẽs particulam pingui lentore defendit ab acribus fluxionibus, ex ſeroſa quoque eius parte detergit mordaces humores o-
E culis hærentes, præter id, quod aliquantulum etiam concoquit,& digerit. Ait tamen Galen. oportere,ut lac ſit puellæ iuuenis, qui bene,& rectè alatur, ut boni ſit ſucci, nam ſeniorum humores, & ſubinde etiam lac,quod ex ipſis gignitur, participes ſunt alicuius nitroſitatis, iuuenum autem lac temperatius eſt. Addidit uero Raſis, quod mulier puellam non maſculum lactet. Puto autem eum id uoluiſse,quia crediderit, quod eam lactet, quam ipſa peperit, ſicut namque puella generatur ratione frigoris, & mas caloris, ita & ſanguis menſtruus, quo ea in utero alitur, frigidior eſt, & frigidius erit etiam lac, alioquin enim uidere nequeo, qua rõne ex lactatione maris, uel fœmellæ poſſit uaria eſſe lactis natura. Sed unum præterea aduertẽdum, quòd

non

non temerè oculis infundendum eſt lac, ſed vel ita calidum è mammis emulgendum, ſi eo ſimplici vtamur, vt docuit Gal. vel ſi eo diluamus alia medicamenta, vt ſunt collyria, dum eis vti volumus, diluenda ſunt ex lacte trita in cote, vt dum adhuc lac calet, immittantur. In leuioribus ergo inflammationibus facilioribuſque, leuiora, & faciliora in vſum trahemus. Quod ſi res maior vrgeat cum dolore uehementiore, fortioribus admouendę erunt manus, & magis compoſitis medicamentis vtendum. Qualia ſunt collyria, quæ μονοήμερα appellata ſunt, ut tradidit Galen. à priſcis medicis, quia vno ſolo dię uſi ægrotantes ſępe liberari ſolent. In hoc etiam genere ſunt, & quę τρυγῶδη Grecè nuncupantur, quaſi fæculenta, ſeu vini fæcem colore referentia. De his autem non multa verba faciemus in præſentia: nam & a Gal. multa iſtiuſmodi collyria, hac etiam nuncupatione deſcribuntur lib. 4. de comp. med. ſec. loc. & a Paulo, Aetio, Alexandro. Sed Raſis ſimilem his habet in 9. Almanſ. collyrij deſcriptionem, & illud album collyrium appellauit, quod noſtris temporibus in multo vſu eſt, non modo in inflammationibus oculorum, uerum etiam in alijs affectibus aliarum partium, cum ab acri humore ſunt excitati, vt in vehementi ardore vrinæ. Conficitur autem ex decem ceruſſę lotæ partibus, tribus ſarcocollę, una tragacanthæ, ex his fit collyrium, atque ita eo uti ſolent, niſi uehemens ingruat dolor, quia ſi vehementior dolor affligat, partem mediam opij addunt. Vnde ſæpe ſief (ita enim Arabes nominant) ſine opio ſcribunt, interdum etiam cum opio. Vim autem repellendi habet ceruſſa, cum refrigeret, aſtringatque aliquantum, & emplaſticum ſit medicamentum. Sarcocolla verò & ipſa aliquid habet emplaſtici, & cum præterea amara ſit, habet & aliquid, quo poſſit & concoquere, & digerere, vel diſcutere, circa mordacitatem etiam deſiccat, unde & lachrymas ſiſtere hac ratione poteſt. De tragacantha alias iam diximus. Hoc collyrio maximè uti ſolent, prę ſertim inter initia, ſed cum videtur iam aliqua eſſe opus concoctione, addunt aliquid collyrij de croco, de quo ſequenti capite loquemur. Laudat tamen Gal. quod inflammationes oculorum aliquo cataplaſmate exterius, clauſo oculo, liniantur, inter initia præſertim ſi leuiores ſint, deſcribit autem in lib. de fac. parab. medic. cataplaſmatis rationem, accipit enim albumen oui vna cum vitello, & addito meliloto ex pane, & oleo roſaceo cõficit cataplaſma. Poſſemus & puluerum, quos deſcribit Raſis, & eorum, quę multa accipiunt, quæ hodie non reperiuntur, mentionem facere, quia tamen fuere prius a Galen. & antiquioribus medicis deſcripti, & ſunt, quos illi ξηροκολλύρια appellant, & uos quoque hęc omnia poteſtis legere, ideo de his non habebo longiorem ſermonem. Vnde addito præcepto Galen. quantum ad vſum pertinet, quod hęc collyria diſſoluenda ſũt ex aliquo liquore, quales fuere ſupradicti, & illis pro ratione occaſionum, quas nobis ſcopi illi oſtendũt, quos expoſuimus, dum de illis eſſet ſermo, vtẽdum. Præterea, quod ſatis eſt, ſi in die bis, aut ter infundamus diſſoluta collyria, non autem frequenter, ut quidam conſueuere. Ad curationem ulcerum inſtituendam tranſitum faciemus, ne nimis in longum noſtra protrahatur oratio.

De oculorum vlceribus. Cap. XI.

VT oculorum inflammationes, quamuis priuatim diuerſas medicamentorum materias, vt rectè curentur, exigant, ab alijs aliarum par-
A ticularum inflammationibus, in vniuerſum tamen eadem omnino curantur ratione, qua & alię, cum eędem in eis ſint indicationes generales, & ijdem ſcopi, ita quoque earundem vlcera, vt eaſdem indicationes habent, eandem, inquit Galen. habent curationis rationem, particulatim tamen quatenus ad materiam medicamentorum, non parum ab aliorũ ulcerum medicamẽtis uaria, & diuerſa eſt, & id iuxta atque in inflammationibus ob differentem naturam iſtius particulę, ſed iam rem ſerio tractemus, & ea quę in vniuerſum, & per capita expoſuimus, ſingillatim accommodemus, primumque generales indicationes perſequamur, deinde illas priuatim noſtro aptemus inſtituto. Quod igitur primum ex ſua
B natura nobis indicat vlcus, quatenus vlcus eſt, nihil aliud eſt (poſtquam vitium in vnitate, vel continuitate eſt) niſi quod vlcerata particula ad ſuam priſtinã vnitatem, vel continuitatem reſtituatur, quæ ſoluta eſt, nimirum per conſolidationem, & regenerationem ſubſtantię, ſi eius ſit defectus. Scopus ergo, quẽ ſpectari oportet, ex conſolidatione [eſt carnis regeneratio, & agglutinatio:] verùm hoc non pertinet ad artem, ſed ad naturam, neque enim medicus ex ſe ipſo poteſt partem aliquam membri alicuius aggenerare, neque agglutinare, & conſolidare, ſed hęc omnia primum naturę opera ſunt. Quod ſi dicas, ſuperuacaneus eſt ergo medici omnis labor? Dico quod non, immò interdum plurimum utilis, nonnũ
C quam & neceſſarius, quia neque ſola natura id pręſtare poteſt, quod cupimus: Sępiſſimè enim & impedimenta intercidunt, quę obſtant, quo minus natura poſſit ſuo officio fungi, quæ ſi ope, & miniſterio medici auferantur, natura deinde cito agit, quicquid agendum eſt: Impediunt autem naturam aliquando illę eędem cauſę, quę morbum prius excitarunt, quia manent adhuc. Diximus autem, quod pleraque vlcera, immo quam plures horum affectuum in oculis, a fluxione excitantur, pręter illos, qui fiunt ab externis cauſis, ut inciſione, contuſione, laceratione, & id genus alijs. Nam etſi vlcera fiant quandoque a ſuppuratis, & ruptis inflammationibus, vel ueſicis, cum tamen hę a fluxione
D fiant, tandem & in fluxionem ipſa ſunt referenda. Quare oportet primum, ut fluxio tollatur, ablatis eius cauſis, pręſertim uero vacuatione, & reuulſione, repulſioneque, de quibus non ſemel, in ſuperioribus ſermo habitus eſt. Pręterea verò ſi cum vlcere ſit alia coniuncta affectio obſiſtens rectę curationi, & illa curanda prius eſt, ut intemperies aliqua illius particulę, uel inflammatio, uel dolor. Vnde hęc omnia ſimul cum vlcere curanda ſunt, ſi ſimul id fieri poteſt, ſin autem, ſaltem ante curationem vlceris, & tunc demum ſolum vlcus curandum, cum ab his omnibus impedimentis liberum fuerit. Curatio autem erit differens pro ratione differentiarum vlceris, ipſę enim nobis ſemper ſcopos oſtendunt. Nã
E ſi cauum fuerit, implendum prius erit, poſtea conſolidandum. Sin autem planum, ſola erit conſolidatione opus, quę ſunt naturę in primis opera, non autem medici. Dices fortaſſe iterum, erit ne tunc medico abſtinendum ab omni opere, cum hęc ad naturę operationem duntaxat pertineant? Nequaquam inquam, immo tunc etiam medicus habet, quod vtiliter & ſalubriter, & neceſſario agat. Cum enim omnis pars corporis morboſa imbecillior eſt, pręſertim autem in ijs facultatibus, quæ ad nutritionem pertinent, vt ſunt concoctio, & excretio, ſemper in vlcerata particula congeritur duplex excrementorum genus, alterum tenue, quod virulentiam, vel virus iuniores appellant, vnde vlcus, in quo plurimũ eiuſmodi coaceruatur tenue excrementum, vlcus virulentum

lentum dicunt, alterum vero craſſum eſt, quod ſordem appellant, ex quo & ſordidum vlcus nuncupat, cum multa huiuſmodi ſcatet ſorde. Nec modò in vlceratis partibus duplex hoc generatur excrementũ, verum etiam in integris, & bene valentibus, ſed in ſanis vt 4. meth. docuit Gal. tenuis per digeſtionem, & eam vacuationem, quæ fit per tenues meatus, & ſenſum latentem, euaneſcit: craſſus autem cuti hærens tranſit in eas ſordes, quæ in iſtis mendicis, & in ijs ẽt, qui licet diuites ſint, politiorem tamen vitam negligunt, ſuccreſcere cuti ſolent, niſi quandoque lauentur, & detergantur. At vero cum & facultas concoctrix ſit in malè affecta particula imbecillior, plura neceſſe eſt excrementa hęc congeri ex alimento illi amandato, quo nutrienda erat, non enim ita facilè poteſt in halitum per inconſpicuos meatus tenue excrementum digeri. Quare in vlceribus cumulata vtraque hæc excrementa impediunt aggenerationẽ ſubſtantiæ ipſius membri, qua vlcus, ſi cauum ſit, repleatur, atque etiam obſtant, quo minus fiat conſolidatio. Quę cum ita ſe habeant, fit, vt medici miniſterium natura in vlceribus curandis non modo deſideret, ſed etiam plerunque neceſſario requirat, nempe vt impedimenta hæc ab eo remoueantur, at tenuis quidem virulentia deſiccantibus tollitur, ſordes verò detergentibus, vel, vt iuniores noſtri chirurgi dicunt, mundificantibus. Et ſemper quidem utriuſque excrementi ratio eſt habenda, quamuis non æqualiter, aliquando enim maior vnius, nonnũquam alterius, quatenus uel hoc, uel illud magis abundare uideatur in ulcere. Ex his omnibus iam liquidò unicuique patere poteſt, hos, ſicut in omnibus, ita & in his vlceribus curandis eſſe præcipuos ſcópos, videlicet detergere, & ſiccare, in quibus conſiſtit in uniuerſum uniuerſa curandorum horum ulcerum methodus. Et ſi eadem his addiderimus, quæ ſuperiori capite, vbi de ophthalmiæ curatione ageremus expoſita fuere, adeo abſoluta erit methodus, ut ſolũ ſuperſit nobis futurum ſermonem particulatim de medicamentis vlcerum curationi accommodatis inſtituere. Hæc verò ſunt, quæ a natura particulæ peti debent, nimirum quod cum ea facilè afficiatur, vel a moderatis etiam medicamentis, fugienda ſunt quęcunque exaſperantia ſunt, vel mordicantia, ne exaſperando, uel mordendo irritent oculum, & fluxiones, inflammationemq́ue concitent. Exaſperant autem, quæ aſtringunt, mordent acria, & quæ inſigniter detergunt. Quod ſi eis interdum uti ſit opus, vel ad repellendas fluxiones, uel ad detergendam ſordẽ, ſi ea copioſa ſuccreſcat, ſemper ea commiſcẽda ſunt mitioribus, & uim leniendi habentibus, qualia fuere deſcripta ſuperius. Agamus igitur tandem de medicamentis, tam ſimplicibus, quam compoſitis, & de more noſtro ea perſequamur, quæ in maiori ſunt vſu noſtris his temporibus. Prius tamen referamus præceptum nobis a Galen. 4. de comp. med. ſec. loc. traditum, non modò utile, ſed apprimè in uſu, & adminiſtratione medicamentorum neceſſarium, hoc autem eſt, quod cum in plurimo uſu in his affectibus ſint ſucci multi, & liquores, tum ut illis aſſumantur, tum ut fundantur & diluantur collyria ocularia ut lac, liquor albus, & tenuis oui, præterea, & ſuccus roſarum, & multarum herbarum qui quidem, dum inueteraſcunt, facilè acorem contrahunt, atque inde acrimoniæ etiam fiunt participes, ideo aduertendum eſt, ne infundantur ea, uel diluantur, niſi cum ijs uti uolumus. Quibus ita notatis, & animaduerſis diligenter, quotieſcunque accerſitus medicus primum ægrotantem adit, illud in primis conſiderare debet, num ſolum ſit ulcus, & expers alterius alicuius affectionis, quę vim indicandi habeat in

A ſignem. Solent autem ſæpius vlcera concomitari, aut dolor, aut inflammatio, aut utrunque, quę ſi adfuerint, primum illis incumbendum erit, ut ſedentur, & tollantur, & præmiſſis generalibus rationibus, de quibus latè ſuperius diſſeruimus, nempe tum vniuerſi corporis, tum etiam capitis uacuatione, vel ſanguinis detractione, vel purgatione atque etiam reuulſionibus, quibus intercipi ſolent fluxiones ad oculum, tandem erit ijs medicamentis opus in oculos inijciendis, quæ facultatem habeant ſedandi dolorem, ac inflammationem, concoquendo, maturãdoque, deinde non omnino tamen ulcere neglecto. Et quia collyria ſunt propria oculorum medicamenta ideo, ut hic atteſtatur Galen. collyria, quæ διαλιβάνου B dicũtur, hoc eſt ex thure, quòd id nimirum copioſum recipiant, maximè conueniunt, ut tamẽ neque huiuſmodi collyrio utamur ſolo, quia neque omnino (ut diximus) propria ulceris ratio negligenda eſt, quæ & aliquam requirit exſiccationem, & deterſionem, ſed aliquid intermiſcendum collyriorum, quæ ex metallicis medicamentis confecta ſunt, de quibus paulò poſt agemus. Hic autem aliquantiſper conſiſtamus, quia interdum alicubi reperitur medicus, ubi hæc compoſita medicamenta non reperiuntur parata, & interdum neque materia adeſt, neque, otium ea parandi: propterea neceſſe eſt aliquando facilioribus uti. Si itaque ulcus ſit aliquantæ inflammationis, uel doloris particeps, & his careamus col- C lyrijs ſedabimus dolorem, & inflammationem affuſo muliebri lacte, quo aliqua fuerint diſſoluta, quę poſſint aliquantum ſiccare, & detergere, ut ſi poſſit haberi pompholyx, uel, ut iuniores aiunt, thutia rectè parata, & exquiſitiſſimè trita, una cum tragacantha, uel gummi Arabico diſſolutis ex aqua roſacea, uel tenui albo oui. Quòd ſi deeſſet pompholix, accipiemus lapidem coralium, item aloem lotam ex ſucco roſarum, uel ſuccum etiam roſarum, & plumbum uſtum, & lotum. Collyrij uero ex thure multæ reperiuntur confectiones a Galen. 4. de comp. med. deſcriptæ, & a Paulo, Aetio, & Alexandro. In præſentia autem in uſu eſt illa, quę a Raſi nomine ſief de thure 9. ad Almanſ. refertur. Quæ D conſtat ammoniaci, ſarcocollæ, ſingulorũ drachmis quinque, thuris drach. decem, croci drach. duabus, excipiuntur omnia mucillagine fœnigręci, atque in collyrij formam rediguntur. Sed quatenus ad eorũ uſum pertinet, mixtura ea debet eſſe, quam affectionum, quæ ſimul compoſitę ſunt, ratio oſtendit, inter initia enim dum dolor, & inflammatio uehementiores ſunt, copioſiora ſint, quæ ſedant, & concoquũt, cum uerò remitti incipiunt, ea ſunt addenda, quæ uim ſiccandi, & quoquomodo detergendi habeant, ut metallica. At ſi copioſa ſuccreſcat ex horum vſu ſordes, neceſſe eſt, & aliquid eorum intermiſcere, quę ualentius detergunt, qualia ſunt, quę ualent ad tollendas aſperitates palpebrarum, ut ea collyria, E quæ & crocodea, quaſi crocea, quia copioſo conſtant croco, & quæ διὰ οἴνου hoc eſt ex uino fuerunt appellata, de quibus ſuo loco dicemus. Cum autem ulcus ſolum eſt, nec ei aliud eſt adiunctum, quod curationem impediat, niſi duplex illud excrementum, quod commune eſt omnibus ulceribus: tunc in primis deſiccare oportet cum aliqua deterſione, quæ & maior, & minor requiritur, pro ut maior, uel minor ſordes innaſcitur. Inter ſimplicia huic negotio accommodata eſt pompholix trita, & exquiſitè lota, qua ſola uſus ſępe oculorum ulcera feliciter curaui. Vtor autem in hunc modum accipio panniculum lineum rarum, & molle, in quo drachmam vel circiter pompholygos, vel, ut iuniores aiunt thutiæ lotę, & bene paratę, ligo atque ita demergo in aqua

roſa-

roſacea, vel euphragiæ, vt mihi magis expedire videtur, deinde ex tenui, & rarò panniculo expreſſam aquam in oculum inſtillo. Eodem autem modo & lapide corallio optimè trito in cote, & loto interdum eiuſmodi vlcera curata vidi. Immo & aloem hac eadem ratione in oculos iniectam curaſſe ulcera oculorum expertus ſum, quę tamen ex ſucco roſarum erat elota, vtilior mihi viſa eſt. Inter compoſita autē ſunt plurimæ collyriorum differentiæ ex elotis metallis, quorum confectiones literis traditæ ſunt, & præſertim a Gal. 4. de med. comp. ſec. loc. ſicut, quæ cygni a candido colore dicuntur, & quæ libyana: omnia autem plurimum ualentia ad implenda caua ulcera, eaque ad cicatricem perducenda. Noſtris autem temporibus in multo vſu erat, & eſt collyrium, vel vt ipſe ait, ſief, quod de plumbo appellatum eſt a Raſi, & ab eo deſcriptum in cap. de oculorum ulceribus, quo etiam ſæpius feliciter vſus ſum. Sed ſi vlcus corroſionis non eſſe expers videatur, ita ut iā timendum ſit, ne vuea excidat, vel iam excidere inceperit, fortioribus uti oportet, & quæ valentius aſtringant, & repellant, ſemper tamen hoc obſeruato, ut, quò minus fieri poteſt, aſperitatem inducant. Multa autem talia deſcribuntur a Galen. ex plumbo vſto, & loto, ex terra ſamia, ex pompholyge, & cinere, quam ſpodon, vel ſpodium Græci appellāt, omnibus lotis, & ex ceruſſa lota, ſimilibuſq́; , vt ſunt lapis hęmatites, & lapis ſciſthus, & alijs id genꝰ. Quę omnia cum a Græcis, & alijs lucidè exponantur, nolumus in his recenſendis longius ſermonem [protrahere] Raſis vero & ipſe duo talia habet alterum ex cadmia confectum, cui nullum prætere a nomen indidit, alterum eliſir appellat ex hęmatite lapide cōpoſitum. Quod etiam ego ſæpius, & feliciter expertus ſum.

De albugine, quam vulgò nebulam oculi appellant, Gręci λευκωμα. Cap. XII.

ALbugo oculorum nullum alium habet ortū, niſi quod a nuper expoſitis affectionibus eis uidelicet curatis relinquitur, aut enim ex cicatrice ſuborta, aut ex conturbationis, & inflammationis inclinantis reliquijs, ut declarauimus, conſiſtit. Nam aut cicatrix eſt, quæ poſt ulcus ocalluit, & durior facta eſt, cicatrices enim in alijs etiam membris, ne dum in oculorum membranis, vel tunicis denſiores, & craſſiores ſunt circumuicinis partibus, aut fit ex craſſiori parte, & fæculēta humorum, quæ poſt aliorum calidiorum, & tenuiorum digeſtionē, remanet infarcta, & abſorpta in ipſius mēbranę ſubſtantia. Sæpe enim uidemus in alijs quoque externis particulis poſt inflammationem reſolutam, omniq́; calore, & dolore euaneſcente, relinqui nonnihil durioris tumoris, qui neque dum ſtringitur, dolet: noſtræ autem mulieres dicunt pedem tuberculi adhuc reliquum eſſe. Ita & in his membranis aliquando contigiſſe uidi, quod ex impactis craſſioribus inflammationis reliquijs craſſeſcunt, & albeſcunt. Quibus in hunc modum expoſitis, facilè eſt, ſcopos ſpectandos, & indicationes oſtendentes rationem curationum harum affectionum depromere. In uniuerſum enim eoſdem eos eſſe oportet, qui reperiuntur, tum in extenuandis craſſis, & duris cicatricibus, tum uero in reliquijs inflammationum diſcutiendis, & (ut ita dicam) atterendis, quando tamen, hæ affectiones curationis capaces ſunt. Quia cicatrices corneæ albicantes, quę craſſæ, & profundæ ſunt, in corporibus præſertim durioribus non recipiunt curationem, at quæ in ſumma membrana ſunt, neque admodum craſſæ, præcipuè uero in pueris, &

A tenellis corporibus curari poſſunt, quæ etiam nebulę potius, quam albugines, uel λευκωματα dicuntur. Ita etiam, quæ veluti reliquię ſunt inflammationis, cum multum craſſæ, & induratæ conſenuere, aut nunquam, aut ægrè admodum curantur. Quamuis autem detergentibus, & diſcutientibus, quæ uim ſatis inſignem deſiccandi habeant, tollendę ſint oculorum albugines, quia tamen, dum nimis exſiccantur, magis indurantur, & ad digeſtionem, & deterſionem difficiliores euadunt, ideo ut medicamenta facilius poſſint officium ſuum præſtare, operæpretium faciunt, qui mollire prius earum ſubſtantias balneis, fomentiſve, aut vapore aquæ dulcis calidæ nituntur, mox uero adminiſtrant, uel humida, uel ſicca

B collyria, ut magis uiſum fuerit opportunū, humida quidem, ſi aliquo liquore ex ijs, quæ ſuperius fuere expoſita, diluantur. Ad hoc genus autem remediorum multa ſunt, quæ pertinent, & ſimplicia, & compoſita, ut tamen id memoriter ſit retinendum; oportere ſemper corpus vniuerſum, item & caput eſſe vacuum, & mundum. Simplex, & facilè medicamentum eſt, ſi mater vel alia mulier fœniculum mandat, ac mox in oculum ſufflet, nam ſpiritus uapore fœniculi mixtus feriens oculi tunicam, facilius eam afficit, & ad interiora vſque penetrat, ualentius erit, ſi lingua, poſtquam maſticauerit fœniculum, delingat diutius albuginem. Sed & cinnamomum noſtrum, quod putamus eſſe caſſiam ligneam, idem ef-

C ficiet. Efficacius erit piper, uel etiam ruta, immo ſi uel modicum ſalis, uel nitri commaſticetur, efficax erit medicamentum. Inter compoſita uero hoc ego ſum expertus ſæpius, quod a Ioanne Meſue deſcribitur, & eſt ſatis facilè, ut accipiamus ſarcocollam, ſpumam maris (ita enim Arabes id appellant, quod halcyonium Græci uocant) & ſaccharum, quod candidum appellant, æquali pondere, ac ſimul terantur omnia exquitiſſimè, & eo poſſumus ita in puluere uti, &, ut Græci loquuntur tanquam acido collyrio, vel etiam, ſi aſſumatur tantillo mellis, uel ſucci roſarum, vel fœniculi, & conficiatur in modum collyrij, poterimus ad vſum ſeruare, ubi autem erit opus eo uti, teretur, & diluetur, atque in modum liquoris re-

D dactum inſtillabitur in oculum poterit. autem dilui, uel decocto fœni Gręci, uel aqua roſacea, uel fœniculi, uel rutæ, fortius tamen erit medicamentum, ſi arido utamur. Sunt & multa iſtius generis medicamenta deſcripta a Gal. Paulo, Aetio, Alexandro, & alijs. Sed nobis hæc in præſentia ſint ſatis, nolumus enim eorum, quæ longè acriora ſunt, meminiſſe, quia non eſt ita tutus eorum uſus, ſicut horum, quæ facilia ſunt, quamuis hęc longiori tempore egeant, ut opus ſuum perficere poſſint. Verum longè pręſtat, ait Gal. 4. de comp. med. ſec. loc. ſerius, & tutius curare, quam maiori periculo cum ſpe citioris curationis ęgrotātem exponere. Interdum enim ea, quę acriora ſunt, adeo particulam irritant, ut concitata

E fluxione humorum inflammationem excitent. interdum uero nimis detergendo vlcerant membranas, uel ibidem, vel circuncirca. Quare ne nimis longi ſimus, uno duntaxat expoſito tranſitum ad alia faciemus, nimirum quòd ſępe uidi, maxime in pueris curatas albugines ſolo ſaccharo cādido appellato roſaceo exquiſitiſſimè in pollinem trito, & cribrato, atq; aliquo ſpecillo albugini, ęgrotante ſupino iacente apertis oculis, inſperſo prius tamē inſtillato lacte muliebri in oculum, atque itidem paulo poſt ubi uellicare puluis uideatur, ut dolor, ſi quis ſit, leniatur. Quoniam autem & rubens inter initia mox uero liuens macula in oculo oritur ex eius plaga, uel contuſione, ſicut in aliarum partium ſugillatione ſolet ex plaga contingere, dilaceratis videlicet venulis, &

effuſo,

effuſo, expreſſoque ſanguine in circumpoſitas partes, qui quidem affectus non eſt diſſimilis admodum a præcedenti, vel generatione, vel curatione, ideo de eo etiam in hoc capite agemus. Quia vero inter initia concitatur ex plaga dolor, quem poſtea ſequitur & inflammatio, id circo in primis incumbendũ eſt, vt hæc arceantur, & ſi ſit opus ante venam ſecare, aut alioquin vacuare, & frictionibus, & iſtiuſmodi reliquis reuellere, id primum agendum, & uictus tenuis, abſtinentiaque uini inſtituenda. Quantum aũt ad remedia localia pertinet, prius dolor ſedandus eſt, & fluxio repellenda eo modo, quo ſuperius explanatum eſt, ne ſæpius eadem repetamus, mox illis, quę contentum, ac conglobatum ſanguinem digerant, ſimiliter utendum. Vnum illud pręter ea, quæ ſuperius propoſita ſunt ad hunc ſcopum attinentia, cuius auctores omnes meminere, ſilentio prętereũdum non eſt, nimirum quod & ſanguis columbæ, vel palumbi extractus ex vena, quæ in earum alis interius apparet, atque in oculum inſtillatus commẽdatur. Sed magis adhuc laudatur, ſi ex alis pena extrahatur, & ex ſumma eius parte, quę erat alę infixa, ſanguis expreſſus in oculum deſtillet, itidem & ſanguis turturis commendatur, ſed is harum auium ſanguis eadem ferè ratione ſolet conferte taraxi, vel conturbationi oculorum, nam & dolorem ſedat, & digerit magis etiam, quam lac muliebre. Inter initia tamen oui album, & intus infuſum, & exterius applicitum molli uellere exceptum, aut corio tanquam cataplaſma appoſitum valde vtile eſt, pręter id enim, quòd lenit, repellit etiam refrigerando. Sedato autẽ dolore, & repreſſa inflammatione, nitendum eſt diſcutere, vel digerere ſanguinem iam in grumum, vel vt, Græci aiunt, in thrombum cõuerſum cum attenuantibus, & digerentibus, & concoquentibus. Vnde & eorum multa, quæ nuper ad albugines laudauimus, poſſunt huic etiam curationi accommodari, cum ſit eadem particula, & idem ſcopi, ita ut inter initia lenioribus, poſtea inueteraſcente morbo fortioribus vtamur. Laudat autem Galen. auctore Archigene ſuffitum thuris, & bituminis, ut uidelicet fumus oculo excipiatur. Item ſi tritam hyſſopi comam, & lęuigatam in tritum, & lacerum lineum panniculum imponas, & deliges, atque demergas in feruentem aquam, mox oculo admoueas, ſanguis enim panniculum ſequetur, quemadmodum ſi expreſſeris, percipere poteris. Atque hęc pauca ſint nobis in præſentia ſatis. Iam enim inſtituimus ad ſuffuſionem, vel, ut noſtri iuniores loquuntur, cataractarum curationem nos transferre, ne nimis longa noſtra euadat tractatio.

De imaginum, quę oculis obuerſantur, atque de ſuffuſionis curatione.

Cap. XIII.

INitium ferè ſuffuſionis ſunt imagines, quæ oculis obuerſantur, niſi id conſenſu uentriculi fiat: hoc enim & ſuperius diximus. inter initia enim ſoli vapores cõcitantur: mox verò, ſi res negligatur, facto oculo imbecilliori, materia ſemper craſſeſcit, & aptior fit oculus ad ſuſcipiendas craſſas, & excrementoſas illas materias, quę coguntur in ſuffuſionem. Vnde in initio, dum noua res eſt, & imagines conſpiciuntur, vel aliquo modo incipit vſus obtenebrari, ac pupilla offuſcari, curari quidem poteſt hæc affectio, tum vniuerſi corporis curatione, tum etiã localibus remedijs, quæ poſſint materias iam in oculo cõſiſtentes digerere, & diſſipare. At vero cum concreſcere, & indurari incœpit, tunc, ut 4. de cõp. med. ſec. loc. teſtatur, Gal. quamuis multa remedia, & varia medicamenta in medicorum libris deſcripta reperiantur, quę multa polliceri videntur: attamen cum deinde ad opus, & experientiam deuenimus, aut nihil, aut omnino parum eorum, quæ ipſi polliciti ſunt pręſtare experimur. Quare ſi in his aliqua eſt curationis ſpes, ea in hoc in primis ponenda eſt, vt ſtatim inter prima initia occurramus, antequam concreſcat humor. Occurrendum autem eſt euacuationibus, frequentibus & exquiſitis, primum quidem inanito toto corpore, atque adeo etiam ventriculo, expurgata videlicet pituita. De hac autem vniuerſi corporis purgandi ratione abundè antea egimus, præterea vero & de illis, quæ humores parant ad faciliorem vacuationem, quæque caput, & ſubinde oculos roborare poſſunt. Sed in oculorum affectibus in primis fœniculum (vt antea etiam diximus) omnes, tam interius quam exterius adminiſtratum cõmodãt, præterea & herba, quam euphragiam noſtri uocant, tam in cibo, quã in medicamentis maximopere ab omnibus laudatur, itẽ ruta, uerbena, betonica, chelidonia, quorum vſus in decoctis, vel in ſyrupis eſſe poteſt. Vniuerſo autem corpore exquiſitè purgato erit & caput, quomodo ſuperius diximus, inaniendum proprijs, & priuatis vacuationibus. Pręterquam forſitan, quod uacuatio per nares non ita tuta eſt in oculorum affectibus, vt prius fuit expoſitũ, ſed magis gargariſmata, & quæ maſticata pituitam detrahunt, de quibus abundè etiam ſuperius locuti fuimus. Sed & maximè procurandum eſt, vt reuellatur, & alio conuertatur fluxio materierum, quę ad oculos confluunt, & id quidem non ſolum prædictis inſtrumentis, ſed alijs, quę etiã ſolent eſſe in uſu frequenti, ſicut ſunt frictiones ualidę & frequentes, nec ſolum manibus, verum & aſperiori linteo, extremis partibus primum, ut cruribus, deinde brachijs adminiſtratæ, mox & ſcapulis, & dorſo uſque ad clunes, ſemper deorſum trahendo. Pręterea ſi res difficilior uideatur, ualentioribus tormentis agendum erit. Sæpe ego medicamentis uſus ſum veſicatorijs appellatis, eo quod cuti applicata veſicam inducunt, ſicuti emplaſtro confecto ex cantharidarum puluere, & fermento, acetoque acerrimo, poſt autem exorta veſica ac reciſa cute, ut diutius efflueret uitioſa materia (ſolet namque effluere aqua ſeroſæ humiditati ſimilis) braſica illita copioſo butyro locum decoriatum cooperiebam, quod ſi uel inuitis his medicamentis conſolidaretur, idem emplaſtrũ repetebam, porro eiuſmodi remedium plurimis profuiſſe expertus ſæpiſſimè ſum. Sed efficacius remedium, verum moleſtius eſt, quando cutem ceruicis poſteriorem ferrea, & perforata forcipe apprehenſam, ignito & candenti acu craſſiori perforant, atque foramen acui affixum funiculum, quandoque ex ſerico crudo confectum, quandoque ex equinis è cauda ſetis trahunt, & ſeruant diutius perforata carne, ne inuſtum ulcus conſolidetur, potentes ſunt & diuturnæ iſtius generis reuulſiones. Quod ſi turbatus uideatur oculus, ut iam aliquid ſit in eo receptum, remedijs, uel collyrijs erit agendum, ut digeratur, & diſcutiatur ea materia & interim roboretur oculus, ea autem ſint medicamenta, quę uim habeant digerendi, & attenuandi, qualia etiam in ſuperiori capite expoſita: in primis uero ex fœniculo confecta, neque erit abre, ut pręterea fotus, uel ſuffitus ex aqua dulci calida pręmittatur, vel ex decocto fœni græci. Gal. fuiſſe in vſu multis hoc medicamentũ ait, accepto uidelicet ſucco fœniculi, additoque illi felle, aut capræ, aut galli, aut uiperæ, atque melle optimo. Sed ſi etiam ex myrrha fiat medicamentũ, non parum multis profuiſſe dicunt. In primis vero diligentẽ requi-

A rit is affectus rationẽ victus, nimirum abſtinentiam a vino, & victum tenuiorem, & attenuantẽ. Aſt vbi iam concretus eſt humor, & facta eſt ſuffuſio, ſola chirurgia tolli poteſt. Acu autem tunicas oculi perforant, atque illum mox concretæ materiæ infigentes, eam inferius detrahunt, & deprimunt: liberata enim & detecta pupilla: oculus, ſi reliqua adhuc in eo ſit vis viſiua, poterit uidere, quod diximus: quia interdum tanta facta eſt tranſmutatio, & lęſio in interiori oculo, vt non amplius ſpiritus viſorij ferantur ad pupillam, vnde tunc ſuperuacaneum eſt tentare depoſitionem nihil profuturam. Hoc autẽ cognoſcitur, vt Gal. 7. de decretis Hippo. & Plat. & 4. de comp. med. ſecundum loc. docuit, cum clauſo oculo integro, & aperto ſuffuſo, pupillam ipſius intuentes obſeruamus, an illa latior fiat, quemadmodum dilatari in ſanis alteram videmus altero clauſo oculo, [ſpiritus enim, qui ad alterum tendebant, eo clauſo ad apertum, vt videntem declinant, maiori-que allata ſpirituũ copia ampliatur pupilla. Sed hic conſiderandum, quod multa eſt opus diligentia, & conſideratione, antequam ſtatuamus eſſe deijciendam ſuffuſionem, quia niſi opportunè ea operatio fiat, nihil proficiemus. Nam ſi intempeſtiuè, & ante quam apta ſit ad depoſitionem, tentauerint chirurgi ipſam detrahere, nihil efficient, dum enim tenerior, & mollior eſt, acus nequit illam firmare, & detrahere, quin potius dilacerat, vt poſtea neque poſſit alioquin deponi. Si etiam ſerius id fuerit tentatũ, & poſtquam plurimũ concreta indurauerit, vel non cedet acui, neque deijcietur, vel ſi deijcietur ob ſoliditatem deiecta nõ illic iacebit, ſed iterũ ſuperius ad priſtinam ſedem ſe extendet. Quare tunc aggredi hanc operationem opus eſt, cum medio ſe habet modo; nimirum quòd adeo ſit concreta, ut & acum ferre poſſit, non tamen adeo indurauerit, vt illi reluctetur. Cognoſcitur autem hoc primum ex tempore, quo cœpit colligi ea materia, & alio quodam experimento, [vt ex ſententia Gal. docuit Paulus 6. lib. ſi enim [oculo] ſuffuſo clauſo admouentes pollicem cõprimamus palpebram ad oculum, eamque prementes moueamus hinc & inde, ac ſtatim mox aperto oculo [intueamur ſuffuſionem apparentem a directo pupillæ, & conſideremus an dilatata, & amplior facta ſit, quam prius ante frictionem eſſet, atq; etiam rarefacta, poſtea paulatim redeat ad priorem ſtatũ, & figuram, quoniam ſi ita ex eo confrictione, & agitatione palpebræ, mutata ſit figura, & conſiſtentia ſuffuſionis, nondum concreta eſt, neque apta ad chirurgiam, ſed ſi nihil mutetur, concreuiſſe ſignũ eſt: nondum tamen inde coniectari poſſumus mediocrem habere cõcretionem, vt ſi deijciatur, ſimus aliquod operæ pretium facturi, nam poteſt & nimium induruiſſe. Deinde verò & ex colore diſtinguemus, neque enim omnes ſuffuſiones eundem colorẽ referunt. nam ſi colorem, aut ferreum, aut cœleſtem, vel plumbeum præ ſe ferant, mediocrem indicãt cõſiſtentiam & aptam ad depoſitionem, ſed ſi gipſeũ, vel grandini ſimilem colorem habeant, nimis tum concreuiſſe, & induruiſſe ſignum eſt. Quo autem modo ea fiat operatio, non agemus in præſentia, quia ad chirurgos huic rei aſſuefactos hoc pertinet, nõ ad nos, ad nos tamen pertinet corpus parare, ut tuto fiat iſtiuſmodi operatio. Summa vero totius rei, & uniuerſum momentum in hoc conſiſtit, vt inflãmationem arceamus, & dolores, quæ quidem alioquin fieri nequeunt, niſi ex fluxione humorum concitata, vnde primum illi obſiſtendum eſt, [tum tenui uictu, abſtinentia vini, atque euitatione lucis, in obſcuris enim locis eos, quos compugimus, detinere oportet, quia lux imbecilles, & laborantes oculos plurimum affligit, præterea vero quiete tam corporis, quam animi, tum etiam corporis inanitione, non enim facilè fluxiones concitari poſſunt, ſi corpus inane ſit: ad hęc & reuulſionibus, quibus humores, ſi qui ſint parati ad fluxum alio conuertantur. Vnde prius probè erit uniuerſum corpus inaniendum uenæ ſectione, de uena autem ſecanda ſuperius ſatis dictum eſt, atque corpus purgandum medicamentis ſuperius expoſitis, humoresque parandi, & caput roborandum aut ſyrupis, aut decoctis, aut appellatis a iunioribus noſtris confectionibus, de quibus omnibus, cum ſit exquiſitus ſermo in prioribus capitibus habitus, non amplius verba faciemus in præſentia. Hoc tantũ addemus, quod poſt

B perfectam hanc operationem, clauſi vtrique oculi infula ſunt deligandi, nedum ſanus mouetur, & ille, qui affectus eſt integri quodam conſenſu, & affinitate moueatur, motus enim omnis illi nocuus, atque illi, qui punctus eſt, aliquod cataplaſma imponendum eſt, anteaquam deligetur, quod & dolorem ſedandi, & repellendi vim habeat, iſtiuſmodi autem eſt luteum oui cum ſucco roſaceo exceptum molli uellere, aut goſſipio, atque ita ſeruato tenuiori uictu omniq́ue, quàm poteſt, quiete, in obſcuro loco decumbat, neque prius experiatur, an uideat, immo neq; etiam dum deponitur ſuffuſio, ne dum nititur oculus aſpicere, concitentur ſpiritus, & cum ipſi alij humores confluant ad affectum locum, ſed & faci-

C lè, ait Paulus, dum intendimus obtutum in eo conatu, nuper deiecta ſuffuſio iterum ſurſum feretur. Meminere autem antiquiores auctores glaucomatis, quod eſt tranſmutatio cryſtallini humoris ad colorem glaucum, ut & Paul. 6. lib. & Gal. 10. de vſu par. docuere. fit autem vel ex confluxu, & concretione ſuperuacanei humoris, qui in eum recipitur, aut ex eius nimia ſiccitate, atq; ita obcœcatur oculus. Sed quia iſtiuſmodi affectus nullam curationem admittit, ideo hoc ſolum agemus, ut doceamus, qua ratione diſcernendus a ſuffuſione, ne medicus interdum decipiatur, & aggredi uelit curationem glaucomatis putans eſſe ſuffuſionem, & poſtea confuſus, & erubeſcens diſcedat. Cognoſcitur autem, uel diſcer-

cap. 4. — Cap. 21. — Cap. 1 — Cap. 6.

D nitur, ut idem Paulus ex Gal. ibidem teſtatur, quod in omni ſuffuſione, ſi ſpectent lucem, aliquid lucis omnino perſpiciunt, plus minuſve, pro ratione craſſioris, uel ſolidioris ſuffuſionis, qui vero glaucedine, vel glaucomate laborant, nihil prorſus lucis percipere poſſunt, quia omnino organum primarium facultate uiſoria deſtitutum eſt. Eſt & alia oculorum affectio, quam Græci ὑπώπιον, hoc eſt ſuppurationẽ appellant, in eodem genere cum ungue ab eiſdem collocata, nam Latini iuniores Arabes ſecuti ungulam vocant id, quod Græci πτερύγιον nuncuparunt, eſt uero pus collectum intra oculum, quod uel in profundiori, uel magis uerſus ſummas partes continetur, & vnguis, aut ſuppuratio dicitur. Poteſt autẽ ua-

E riam, ut Aetius tradit cauſam ſuæ collectionis habere, nam interdum a uehementia inflammationis habet ortum, multo enim confluente ſanguine venulę aliquæ aperiuntur, aut diſrumpuntur, & ſanguinẽ effundunt in interiores partes, qui ibi poſtea ſuppuratur, interdum aliquo ibi genito vlcere. [Curatur autem inter initia, præſertim uero cum ex inflammatione habet ortum, vt curandas eſſe oculorum inflammationes ſuperius docuimus, nempe vacuatione, reuulſione & repulſione, poſtea ijs, in quibus ſit uis degerendi, & maturandi, et laxandi. vndeque in ſuffuſionibus, & albuginibus curandis propoſita ſunt, ut eſt, quòd ex fœniculo faciendum diximus, & collyria quæcunque ex thure, aut ex myrrha conficiuntur, & inde nuncupationem habẽt, &

iſtius

iſtiuſmodi multa (conueniunt) quorum compoſitiones a Galeno, Paulo, Aetio, & alijs tam Græcis, quàm Latinis, & Arabibus deſcriptæ reperiuntur. Refert tamé Gal. 14. meth. medicum quendam, Iuſtum nomine multos curaſſe ſuppuratos, qui ſedentibus illis, caput vtraque manu apprehenſum vehementer, & velociter dimouendo agitabat, & concutiebat, ita enim fiebat vt exagitatum pus ea concuſſione, & agitatione deorſum delaberetur, relicta libera pupilla. Sed hæc de his affectibus ſatis.

De viſus imbecillitate, & eius cauſſis. Cap. XVIII.

QVamuis antiqui medici, vt vnicuiq; legenti patet capitibus multis, multos referant affectus, quia tamen ſi rectè, & exquiſitè conſiderauimus, poſſunt omnes ad hoc vnum caput referri, vt pote qui viſum languidum reddant, & ægrè aſpicientem. Ideo, ne tot capita multiplicemus, & eandem hanc tractationem abſoluamus, de omnibus hoc vno capite agemus: ſumemus autem initiũ prius a nominum explanatione, quibus differentiæ affectuum ad viſus imbecillitatem attinentes ſignificãtur, deinde ad methodũ eos omnes breuiſſimã, & luciſſimam deducemus. Medici ergo præſertim Græci his omnibus nominibus huc ſpectantibus utuntur quibus, & Latini, & Arabes etiam vtũtur plerunque. Primum eſt ἀτονία oculorum, quaſi oculorum, infirmitatem dicas: ea vero eſt, quando C adeo infirmi ſunt, vt ſi velint vel legere, vel lumen intueri, aut candidam rem quampiam, vel longius proſpicere, vel omnino niti, vt uideant, nequeunt id tolerare, ſed coguntur continere viſum & ſubinde lacrymę delabuntur. Secundum eſt μυωπία, quæ ea eſt affectio, qua quis vel minima quęque, ſi prope oculos admoueãtur, diſcernunt, & aſpiciunt, vnde hi cum legere volunt vel ſcribere, oportet, vt quaſi oculis tangant literas, quæ autem remotiora, etiam ſi magna ſint, non diſcernunt. Tertium eſt quam vocant νυκτάλωπα vel νυκταλωπίαν, cum interdiu ſatis commodè uident, adueſperaſcente autem, parum admodum, aut etiam nihil: hunc affectum Celſus oculorum imbecillitatem appellat. Quartum eſt D ἀμβλυωπία hoc eſt obtuſio viſus, cũ nullũ alioquin vtium in pupilla, & partibus ad illam attinentibus apparet: is auté affectus magis auctus in ἀμαύρωσιν terminatur, quæ eſt obſcuratio, uel obtenebrario, vel offuſcatio oculorum nulla apparente in oculis cauſa, quæ poſſit viſu percipi, in quam id poſſit referri, niſi quòd oculi naturalis ſplendor uidétur quaſi extinctus, ut color ipſi quaſi oculi demortui uideatur, ſicut Galen. docet. Quintum eſt ἀχλύωσις caligationem oculi appellat Celſus, & qui ita ſunt affecti quaſi per caliginem proſpicere uidetur: immo & oculus, ſi eum intueamur, uidetur turbatus, & .11. quaſi caliginoſus Galen. autem ſecundo lib. prorrhet, ait ἀμαύρωσιν eſſe quaſi genus caligationis, qa E ſi offuſcetur viſus, & oculi quaſi caligine uideantur turbati, dùm inſpiciuntur, proprie ἀμαύρωσις eſt, ſi autem nihil in eo aſpiciatur alioquin, communi rationi ἀχλύωσις dicitur. Quæ quidem omnia a quibuſdam ſymptomatibus, quæ in videndo ſuboriuntur, nuncupationes hæ ſortitę. Morbi uerò propriè ſunt cauſę illæ, a quibus hæc ſuboriuntur ſymptomata, quique nobis rationem, & methodum curationis poſſunt oſtendere, non ea ſymptomata, a quibus nomina hæc deducta fuere. De his ergo in primis eſt inſtituenda tractatio. Vt tamen hæc exquiſitius poſſint explanari, primum conſideremus, quotuplex poſſit eſſe oculi in videndo offenſa, poſtea uero a quibus cauſis illa ſuam habeat originem, hoc

A autem facilè inueſtigabimus, ſi prius conſtituerimus, quæ ſit præcipua oculi uirtus, & perfectio. Eſt itaque, quemadmodum ex Galen. 1. de ſympt. cau. colligi poteſt, uirtus, & perfectio oculi, ut quæcunque illi, offeruntur, ſiue magna, ſiue minuta, & percipiat, & exquiſitè diſcernat, & quantum fieri poteſt, ex remotiſſimo interuallo, in quocunque horum fiat in uidendo defectus, eatenus & viſio imperfecta, & deficiens eſt. Nam ſi non diſcernat, imperfectè videt, ſi diſcernat quidem exquiſitè, attamen non niſi propinqua, non eſt perfectus & integer is uiſus, ſi remota quidem uideat, ſed non exquiſitè diſcernat, neque is eſt uiſus omnino perfectus: longè minus, ſi neque cõminus rectè diſtinguat. Sicut B autem ex ratione perfecti uiſus eius inueſtigabimus differentias, qui mancus, & deficiẽs eſt, ita ſi perſcrutati fuerimus cauſas, & rationes exquiſiti, & perfecti uiſus, facillimè eas aſſequemur, quę ſunt effectrices imbecillis, & imperfectę uiſionis. Eſt ergo conſiderandum, quòd oculus, qui eſt tanquam integrum inſtrumentum facultatis uiſoriæ in duobus ſuam integritatem conſiſtentem habet, quorum alterum quaſi materia eſt, & potentiæ rationem habet, alterum vero eſt eius ueluti actus, & forma, veluti materia eſt totum illud, quod eſt coagmentatum ex tot tunicis, totque humoribus, ſecundum eorum determinatam naturam, intemperie, numero partium, quantitate, ſitu, figura, & alijs id genus: C hoc enim eſt quaſi materiale inſtrumentum facultatis uiſiuæ. Quod vero eſt tanquam forma, & actus, & principium proximum omnium oculi actionum quatenus tale eſt inſtrumentum, ipſa eſt viſiua facultas, quam non habet ingenitam, ſed eam acceptam a cerebro refert, inde enim ſuum habet ortum, nam illa aut nihil aliud eſt, quàm ſpiritus aut in ſpiritibus ſuam ſedem habet, & per ſpiritus ad oculũ defertur, defertur autem pręcipue per neruos, qui optici, hoc eſt uiſorij dicuntur. Vnde nemo eſt, qui ex his non poſſit facilè uidere, quod ad hoc ut integra, & exquiſita undequaque euadat uidendi actio, oportet, omnia hæc eſſe integra, & in ſua naturali ratione conſiſtentia. Primo quidem inſtrumentum, D quantum ad omnes ſuas partes pertinet, in magnitudine, colore, perſpicuitate, figura, ſitu, temperie, & reliquis quæ ad eorum integritatem neceſſaria ſunt. Deinde ut & uia, per quam facultas tranſit cũ ſpiritu, expedita ſit, & patens, quantum ipſius natura exigere uidetur. Præterea uero, ut & ſpiritus copioſi ad oculum ferantur, tenues clari & lucidi, ac quaſi ętherea quadam ſubſtantia conſtãtes: Cum enim hæc omnia in unũ conſpirauerint, oculus exactiſſimè omnia diſcernet, & propinqua, & etiam remotiſſima, quantum tamen oculus proſpicere poterit. Quod ſi horum aliquod a ſua natura in aliqua dictarũ actionum deſciuerit, eatenus & uiſum deficere neceſſe erit, quatenus & defectus maior ac ma E ioris momẽti, & deficiens particula magis erit ad uidẽdi rationẽ utilis, uel neceſſaria. Poteſt autem contrahi labes, tam in ijs, quæ tanquam materiale inſtrumenta eſſe diximus, quã etiam in illis, quæ quaſi forma, & actus ſunt. Sed incipiamus ab ijs, quæ tanquam forma habentur. Cum ſpiritus multus tenuis eſt, & clarus, ęthereuſque, fit optima perceptio eorum, quę uidentur & exquiſita diſcretio, & etiam procul admodum. Sed ſi multus quidem ſit, uerum turbidus, & craſſus, & quaſi nebuloſus, procul quidem proſpiciunt, non tamen exactè rem diſcernũt. Si uero clarus quidem, & tenuis, luciduſque, paucus tamen, quæ propè ſunt rectè perſpiciunt, remota auté non bene diſcernunt uel uident. At ſi & craſſus, & turbidus, inſuperque paucus neque proxima

cap. 2.

neque remota proſpicere, vel diſtinguere poſſunt.
Ex parte etiam inſtrumenti, quod tanquam mate-
ria eſt, incommoda ſolent ſuboriri. Nam quatenus
ad membranas pertinet, ſi illæ perſpicuæ, & claræ
ſint, optimè miniſtrant uiſui, ſi ſeruent ſitum ſuum,
ſi neque craſſitie, & denſitate naturalem modum
exceſſerint. Sed ſi aut craſſiores fiant, aut denſiores
aut obſcuriores, ſi etiam rugoſæ, non æquales, non
leues, viſus obtenebratur, vt, vel non procul, vel nõ
diſtincta fiat perſpectio. Ita etiam ſi ſitum propriũ
non ſeruauerint, ut uidelicet non ſeruent debitum
interuallum, & diſtantiam à cryſtalloide, quia redun
dante interno humore impellantur remotius, vel
eo deficiente, in ſeipſas contrahantur, & breuius
fiat interuallum. Item quoque, ſi figura præſertim
verò pupillæ uitietur, quoniam fiat, vel amplior, vel
ſtrictior, læditur actio videndi, & imminuitur, ma-
gis tamen ex dilatatione impeditur uiſio. Nam ſtri-
ctior pupilla, ſi illa anguſtia ſit naturalis, cùm ma-
gis ſpiritus unitos ſeruet, aptior eſt ad viſus perſpicui
Cap.2. tatem, quę verò ex morbo eſt, vt Gal. in 1. li. de ſym
pt. cau. docuit, officit, non per ſe, videlicet, quia ſit a-
ſtrictior, ſed potius ratione cauſæ morboſæ, ex qua
facta eſt anguſtior. Amplior autem, & latior, ſiue
uitium illud ſit naturale, & ex ortu contractum, ſi-
ue ex alia cauſa, ſemper cauſa eſt, aut obtuſioris vi-
ſus, aut etiam cæcitatis, ſi amplitudo magna fuerit,
quia ſpiritus contineri non poſſunt, quin diſſipẽtur:
vnde ſi hi videant, omnia illis minora, quàm ſint ap
parent. Sed, & diſſipatis ſpiritibus, color oculi (vt ait
Paulus) mutatus videtur, quia oculi ſplendor à ſpiri
tibus efficitur, hunc autem affectum Græci μυδρίασιν
appellant. Pari etiam ratione poteſt vitio hu-
morum labefactari viſus, quoniam ſi eam ſeruent
perſpicuitatem, & conſiſtentiam, quæ illis ex natu-
ra debitæ ſunt, iuuant plurimum, & proſunt per-
ſpicuitati uiſus. Contra ſi craſseſcant, ſi concre-
ſcant, ſi nimis exuberunt, ſi offuſcentur, impedi-
mento ſunt in diſcernendo, vel ſaltem in procul a-
ſpiciendo. Itidem etiam ſi nimis ſiccentur, vt ſupe
rius explanauimus. Sicuti autem uarij, & admo-
dum diuerſi ſunt hi affectus: ita à differentibus cau-
ſis ortum habent, quas eidem methodo incumben
tes breuiſſime exponemus, & ab occaſionibus im-
becillitatis viſus exordiemur, quæ ab ipſis ſpiritibus
pendent. Verum, vt hæc exquiſitius percipiantur,
eſt aduertendum, quod cum ſpiritus, in quibus ſe-
dem facultas animalis habet, ex tenuiori, & clario
ri parte ſanguinis generentur: primum quidem in
corde ſecundum ſuam priorem, & generaliorem
formam, ac rationem, mox in cerebro ultimam
ſuam, qua commodum fiunt inſtrumentum huic
animæ, & eius facultatibus perfectionem aſſequan-
tur, tertio uero uia egeant commoda, qua ad ocu-
lum ferantur; Ab his petenda eſt ratio omnis, cur
videlicet, aut pauci, aut caliginoſi, & turbidi fiant.
Fieri enim hæc poſſunt, uel materiæ, unde gignen-
di ſunt, uitio, vel agentis, & generantis defectu. Ex
materiæ vitio, quia vel paucus ſanguis eſt (ſangui-
nem autem vniuerſam naturalium humorum con
geriem appello) vel malus eſt, vnde generandi ſunt
ſpiritus. Nam, vt philoſophi docent, non quodli-
bet fit ex quolibet, ſed determinatum ex determi-
nato, cũ autem materia ſpiritus ſit ſanguis, non po
teſt multus ſpiritus ex exiguo ſanguine generari, ne
que clarus, tenuis, & lucidus ex craſſo, & fœculen-
to ſanguine. Occaſionem ergo hæc labes habet à
ratione materiæ, hoc eſt ſanguis, ex quo ſpiritus ge-
nerandus eſt, nimirum, quia laborat, aut caput, aut
vniuerſum corpus penuria ſanguinis, aut, ſi eius ad
ſit copia, malus ille eſt, & ineptus. Sed hæc referri
A poſſunt, uel in internam cauſam, uel in externã. In
internã quidẽ, vt in aliquod corporis uitiũ, propter
quod corpus non alitur: ſicut fit in eo affectu, qui
ἀτροφία Græcè dicitur, aut in multas obſtructiones
præſertim uiſcerum, per quæ fit alimenti cõcoctio;
aut ex longis morbis, & magnis, à quibus ſpiritus;
& naturæ robur diſſoluitur, aut in nimiam vigiliã,
& labores. Interdum etiam alitur quidem corpus;
ſed vitioſo ſucco, propterea, quia ſanguis vitioſus,
& malus generatur, & id propter aliquam con-
tractam intemperiem in inſtrumentis concoctio-
nis, ex qua licet boni offerantur cibi, uertuntur ta-
men in malos ſuccos. In cauſam autem externam
referri poſſunt, ut in defectum cibi quod ſæpe ex pe
B nuria, & annona accidit: aliquando ex captiuita-
te, quandoque cibi etiam copioſi ingeruntur, ſed
qui non ſunt apti bono ſucco generando, uel ſua-
pte natura, vel ex ordine, vel ex apparatu, & mo-
do condiendi. Hæ igitur in vniuerſum cauſæ, vel
ſimiles, ex quibus ex parte corporis totius poteſt vi-
ſus fieri imbecillis ratione materiæ generationis ſpi
rituum. Interdum autem id accidit potius ratio-
ne defectus, & efficientis, à cerebro autem, & eius
facultate conficitur animalis ſpiritus, & in eo, ut
paulo ante dixi, ſuam aſſequitur integritatem, &
perfectionem. Vnde ſi cerebrum ſit imbecillum,
non poteſt, neque tot procreare ſpiritus, quot ocu-
lis ad perſpicuitatem viſus ſunt neceſſarij, vel ſi eos
C copioſos generet, non tamen bene affectos, quia
non claros non lucidos, & tenues, ſed humidos, ca-
liginoſos, & craſſos gignit. Quod vt dixi ex debilita
te cerebri, & eius intemperatura ſolet prouenire;
& hac de cauſa ſæpe oculorũ infirmitas affectus ca
pitis ſequi cõſueuit, vt dolores percuſſiones, vulnera
& id genus alia. Verũ cum oculus male habet ex vi
tio aliquo cerebri, non ſolũ ipſe inde malè afficitur,
ſed plures ẽt ſenſus: immo ſemper cum plures vno
ſenſu uidentur facti imbecilliores, referenda eſt eius
omnis cã in principium illorum ſenſuum, hoc eſt in
cerebrũ. Poteſt & tertio eſſe defectus in oculo pro-
pter læſionẽ illatã uiæ, hoc eſt neruis uiſorijs, quia
ſint obſtructi, vt in ἀμαυρώσει fieri diximus, obſtru
D cti inquam ex humorum craſſiorum defluxu. Sẽper
autem cum repentè obcæcatur oculus, neque è di-
recto pupillæ aliqua labes appareat, neceſſe eſt, ut
teſtatur Paulus, id fuiſſe factum ex defluxu craſſio-
ris materiæ obſtruentis meatus viſorios. Diximus
tamen, & ex inflãmatione id fieri poſſe, interdum,
& ex nimia ſiccitate contrahente, & corrugãte ner
uos illos, verum hæc nequeunt repentè fieri. De
noxis autem, & uitijs, quæ pertinent ad partes con-
ſtituentes oculũ, ad ſaturitatem, vſque dictum eſt ſu
perius, immo & de cauſis, & ſignis, atque de cura-
tione plerunque eorum, excepta videlicet dilatatio-
ne, & conſtrictione pupillæ. Hæ quidẽ igitur, ſi ſint
naturales, & à primo ortu contractæ, nullam reci-
E piunt curationem. Sin autem ſint aduentitiæ, quæ
ex ſiccitate, & inanitione factæ ſunt, aut non cu-
rantur, aut ægrè. Eorum autem curatio corporis re
fectione, & humectatione perficiẽda eſt interius, ex
terius ẽt humectantibus, fomentis, & balneis. Sed
ſi ex copioſiori humore ortum hẽant, inchoãda erit
poſtea curatio ab inanitione, & totius corporis, &
capitis: collyrijs aridis, vel humidis fomentis atte-
nuantibus, & digerẽtib. vti oportebit: immixtis ta-
mẽ, & aſtringẽtibus in dilatatione pupillæ, vt illa cõ
trahatur, de quibus item ſuperius ſermo habitus
eſt. item nemo eſt, qui non videat, quod ſi concreue
rint, & craſſiores ſint facti, uel humores, vel mem
branæ, & id ex affluxu humiditatis, opus ſit attenua
re, digerere, & detergere, ut dicebamus, cum erat
ſermo

ſermo de albugine, de ſuffuſione, deque inuetera-
ſcente inflammatione. Neque etiam mea quidem
ſententia, difficile erit rationem inire curandi imbe
cillitatem viſus, quę ab ipſorum ſpirituum natura,
& conditione petenda eſt; quia ſemper prius cauſę
remouendæ incumbendum eſt, & cerebro ſuccur-
rendum, ſi inde habuerit occaſionem, ſuccurrendi
autem rationem expoſuimus in priori libro, cũ ha-
beretur ſermo de cerebri affectionibus. Si autem ex
penuria, & defectu ſpirituum ob inopiam alimenti
proueniat, huic inopię ſubueniendum eſt, vel pro-
bo alimẽto, vel emendatione vitij illius, quod in cau
ſa eſt; ne viſcera huic negotio a natura de legata ali-
mentum probum, & congruum ſpiritibus generan
dis ſubminiſtrent. Si verò ſubminiſtrent, ſed ineptũ,
huic occurrendum primum adminiſtratione cibo-
rum, qui optimum ſanguinem generent, & recta in
reliquis omnibus victus ratione inſtituta, deinde a vi
tioſis ſuccis congeſtis corpus expurgandum, poſtre-
mò ad oculum accedendum, atque ille tractandus
eſt medicamentis, ſiue ſint collyria, ſiue pulueres, ſi-
ue ſucci, quorum vis ſit, vt attenuando, detergendo,
& digerendo clarificent oculos, & viſum. Inter ſim
plicia quidem ſunt ſuccus fęniculi, vel euphragię, vel
rutæ, vel chelidoniæ, vel verbenæ. Inter cõpoſita ve
rò collyria ex myrrha confecta, & ex thure, & quæ
a Galen. diarhodon appellantur, & multa alia, quo-
rum ſuperius meminimus, queque & a Galeno, ab
Aetio, Paulo, Alexandro, Meſue, Raſi, & alijs aucto
ribus deſcripta vos poteſtis legere, neque enim per-
ceptu difficilia ſunt. Nos enim iam de palpebrarum
& aliarum externarum particularum oculos circũ-
dantium atque etiam de faciei proprijs affectibus
ſermonem volumus inſtituere, cum ſatis ſuperque
in his vagati ſimus.

De partium oculis circumiacentium affectibus. *Cap. XV.*

PArtes, quæ oculos circumſtant, atque tanquã
eorum partes communi quadam acceptione
oculi, vt ſuperius diximus, ſunt habitæ, eæ ſunt
quæ propter oculos factæ ſunt, ut eos ſanè cõtineãt,
& ab illis, quæ exterius occurrentia poſſunt eoſdem
lædere, defendant. Nempe palpebræ cum cilijs, ac
ſupercilis, quę interna parte qua oculos tangunt, æ-
quales, molles, & leues ſunt, ne oculis in frequenti
& vehementi motu, quo mouetur, aſperitate aliqua
moleſtiam afferant. Sunt etiam anguli, qui κανθοὶ
Græcis, Latinis hirci dicuntur, una cum carunculis
quibuſdam ibi uerſus radices narium ſubortis. De
harum itaque particularum affectionibus in pręſen
tia ſermonem habituri ſumus, quamuis enim exi-
guę, ac viles videantur, cum tamen malè affectæ sũt
maxime oculos lędunt, & perquam difficilibus mor
bis frequenter corripiuntur, ideo neque harum tra-
ctatio contemnenda eſt. Sunt autem multæ, & va-
rię affectiones, quibus ſi partes hę afficiantur, aut ſuo
miniſterio, quod ex naturæ inſtituto oculis debent,
deſtituuntur omnino, aut praue, & nõ ſine oculi no
xa miniſtrant. Sed a palpebris incipiamus quarum
munus eſt, ut & clauſos oculos tueantur, & tempo
re, quo dormiendum eſt, interdicta luce ſomnum fa
cilius alliciant, apertę vero occaſionem uidendi affe
rant, ut oculus officio ſuo fungi poſſit, unde illis e-
tiam a natura indita eſt facultas, qua & arbitrario
motu moueantur, præſertim uero ſuperior, ut ſcili-
cet poſſint & aperiri, & claudi, quotieſcunque ani-
manti opportunum uiſum fuerit, quare & proprios
muſculos habent, quibus mouentur, & neruulos, q
illis vim ſentiendi, ac mouendi impertiũtur. Et pro-

A inde ex hac parte communi quadam ratione obno-
xiæ ſunt omnibus morbis, quibus & aliæ particulæ,
quę his eiſdem præditæ ſunt facultatibus. Poſſunt.n.
obſtructis neruis eo peruenientibus reſolui, & para
lyſi, vel ſtupore cotripi. Poſſunt etiam illis nimis re-
pletis humore, aut nimis inanitis, & exſiccatis con-
uelli. Sicut autem hi contrarij ſunt affectus, ita & cõ
trarios habent effectus, vel ſymptomata. Nam reſo
luta palpebra cadens ſuper oculum claudit, nec ape
riri poteſt. Conuulſa vero ad ſuperiora attrahitur,
neque demitti ſpontè poteſt, ita ut oculus ſemper
apertus permaneat, & noctu inter dormiendum,
& interdiu, & affectus is a Græcis λαγώφθαλμος
dicitur, quaſi leporinus oculus, à ſimilitudine ocu-
B li leporis. Non ſolum autem fieri poteſt lagoph-
thalmos, conuulſo neruo palpebræ, uerum & ex
imperita vulneris ſutura a chirurgo in aliqua ea-
rum partium facta, cum uidelicet ſuendo palpe-
bram nimis ſurſum attrahit, poteſt etiam id fieri ex
cicatrice vlceri præcedenti inducta, ut in carbun-
culis interdum fieri ſolet. Neque alioquin de his
palpebrarum affectibus longum ſermonem habe-
bimus. Nam quæ ex cicatrice habuit occaſionem,
curationem non admittit, niſi iterum incidatur ci-
catrix lunari inciſione, & poſtea conſolidetur, non
tamen ualde exſiccantibus, ſed potius ijs, quæ mol-
lire poſſunt. Quę vero ex conuulſione naſcitur, vt
ſub communi ratione conuulſionis cõtenta eſt, ita
C & communem cum alijs conuulſionibus curandi
methodum habet; Similiter reſolutio ſub commu-
ni reſolutionis ratione, tam in generationis modo,
quam curationis methodo comprehenditur. Cum
autem præterea palpebræ, quæ continenter dum
mouentur, uel nictando, vel aperiendo, & clauden-
do oculum, ſuper oculi membranas, exteriores fe-
runtur ſurſum, ac deorſum; membranæ uero leues
ſunt, & æquali planitie conſtant: lęuor autem, &
ęqualitas planitiei pręterea id quod plurimum con-
ducit ad oculi claritatem, & perſpicuitatem, facit e-
tiam ad lubricitatem, & faciliorem motum palpe-
brarum, quę & ipſe eadem ratione, & ęquali, lęui-
que planitie conſtant, molleſque ſunt, cum inquam
D ad hoc, ut citra noxam, & aliquam moleſtiam fe-
rantur; & cum membranis oculorum conuerſen-
tur, oporteat, ut talis palpebræ ipſę ſint, inde eſt, ut
ſi ex alio morboſo affectu contingat lęuorem, & æ-
qualitatem earum corrumpi, fiantque propterea in
terna parte aſperiores, dum mouentur, quaſi a lima
quadam abradantur, & atterantur oculi membra-
nę, vel tunicę, ſicut interdum illis accidit illabẽte in
ipſos puluere, quæ cum alioquin acri ſint ſenſu prę-
ditę, doloreſq; ob id, fluxiones, & tandem inflam-
mationes concitentur, efficiunt inſuper affectum
illum, qui Græcè appellatur τράχωμα, Latinè aſpe-
ritas palpebræ. Habet autem hęc affectio differen-
tias tres magnitudine diſcrepantes. Prima eſt, in
E qua ſi palpebrę inuertantur, videntur quaſi denſio-
res factæ & inęqualiores, & hęc propriè, ut Aetius
ex Seuero tradit δασύτης hoc eſt denſitas palpebra
rũ a Gręcis dicitur. Si maior autem fiat affectio nõ
ſolũ denſitas, & inęqualitas in inuerſis palpebris cõ
ſpicitur, verũ diſcretiones quędã, q bus planities pal-
pebrę uidetur interſecta, ac in priori quidẽ rubet, &
dolet interior palpebra, ĩ hac vero, maior eſt inęqua
litas cũ palpebrę maiori grauitate, & τραχύτης, hęc
ꝓpriè uocatur, hoc eſt aſperitas, vel ſcabrities, & am
bę a fluxione ortũ habent, & a multo humore citra
acrimoniã, q a ſi acrimonia adeſſet, abraderet oculũ
vel palpebras. Sed et alia aſperitatis eſt differẽtia, q a
fluxione aliqua manifeſta excitat, ĩ qua ſuccreſcũt vẽ
luti papulę quędã in interna palpebra, ſimiles gra-

nis milij, uel panici, & curatu prioribus difficilior eſt. Poſtrema differentia eſt quã σύκωσιν, ideſt, ficoſam Græci nuncuparunt, quæ eiuſmodi papulas, uel eminentias habet uelut inciſas, ut ſimiles uideantur aperto, & hianti ficui. Humectus autem in his ſemper eſt oculus. Interdũ uerò, cum diuturniores fiunt hæ aſperitates, callũ quaſi contrahunt, & tunc τύλωσις, ac ſi calloſitas dicas, à Græcis nominantur. Sunt autem affectus ad membri conformationem pertinentes, uel, ut iuniores loqui ſolent, ad cõpoſitionem, ſicut & palpebrarum inuerſio, quam Græci ἐκτρόπιον dicunt. Inuertuntur autem duplici de cauſa, aut quia præcedente ulcere nimis caro excreuit, aut ex cicatrice ulceri obducta duriore, a qua tracta palpebra inuertitur, quod ſolet ſæpius in inferiori palpebra contingere. Poſſunt etiam ab acri fluxione ulcerari: nam quam Gręci ψωροφθαλμίαν, Celſus ſcabroſas palpebras appellat, eſt autem palpebrarum, præſertim uerò uerſus oculorum angulos, ulceratio cum rubore ipſarum, & pruritu inſigni, & excitatur malum hoc à nitroſo, & ſalſo humore, unde, & oculi illachrymantur, & ſalſa, nitroſaque, & acris deſtillat lachryma. Solent etiam à uarijs humoribus præter naturam, tam frigidis, quam calidis corripi. A calidis, ut ſunt carbunculi, & hordeolum κριθὴν Græci appellant, ſed & noſtri uulgares hordeolum uocant, tuberculum autem eſt in ſumma palpebra, ſuccreſcens propè cilia aliquantiſper oblongum, quod ſuppuraſcens, ſimile eſt grano hordei, unde & nomen Gręcũ, & Latinum habuit. Tumores uerò frigidi ſunt, ut ἐμφύσημα dictũ, quod nihil aliud eſt, niſi œdema palpebrarum, hoc eſt laxus, & mollis tumor à flatulenta pituita excitatus. Præterea χαλάζιον à grãdinis ſimilitudine dictum: fit auté ex concreſcente humore albo in interioribus palpebris, & eo tranſlucente: unde extuberat tumor rotundus, qui euerſa palpebra grandinis grano ſimilis uidetur: ſi excidatur autem, effluit liquor ſimilis albo oui liquori. Ad idem etiam genus pertinet affectus, qui λιθίασις dicitur, in quo accreſcunt internis palpebris eminentię quædam aſperæ, & duriores, ſimiles tophis. Sed & gignuntur ſæpe etiã in palpebris maiores tumores ex eo genere, quo Arabes, & noſtri iuniores Latini uno nomine nodorũ genus appellant: Græci uero non habent cõmune nomen, ſed diuerſa pro ratione diuerſarum dñiarũ, quę differentiarũ, & nominum diuerſitas naſcitur à diuerſitate materierum, quę in his tumoribus, cum aperiũtur, cõſpici ſolét, in genere enim abſceſſuum ſunt omnes huiuſmodi tumores. Vocantur autem μελικηρίδες quando ueſiculam continẽt plenam humoris, qui ſimilis eſt colore, & conſiſtentia melli. Στεατώματα quãdo id, quod in eis cõtinetur, eſt ueluti adeps, ſeu pinguedo. Ἀθερώματα uero, quando quaſi pultem continẽt. Eiuſdem etiam generis ſunt quæ γάγγλια dicuntur. Quamuis autem cilia, quæ palpebrarum pili ſunt, non poſſint uerè inter partes oculorum, uel palpebrarum poni, quia tamen quicquid ſit, cum ex inſtituto naturæ in hac particula creſcant ob oculorum non modicam utilitatẽ, quam quidem prętant, quando & copia, & qualitate, ordineque, & figura natura inſtituta ſe habuerint, quando autem ſecus, lędunt. Vnde cadunt aliquãdo cilia, & affectio hęc μαδάρωσις appellatur, fit autem perinde, ut alopecia, ex acri, & uitioſa fluxione radices pilorum erodente, unde illi defluere coguntur. Huic ſimilis affectus eſt quem πτίλωσιν dicunt, niſi quòd in ptiloſi palpebrę denſę, & calloſę fiunt, & rubentes, ciliaq; defluunt, in madaroſi autem ſolum eſt defluuium pilorum. Aliquãdo etiam alij pili ſub naturali ordine ciliorum ſuccreſcunt uerſus interiorem partem, ita, ut interiori oculo moleſtiam, quaſi pungentes afferant: affectum autem hunc Gręci τριχίασιν nuncuparunt, qui non parum moleſtus eſt, irritando enim fluxiones concitare ſolet. Poſtremo uerò, quantum ad ciliorum pilos poteſt pertinere, ſuboriuntur interdũ circa ſummas palpebras, & cilia pediculi: ſicuti diximus etiã eadem ratione inter capillos conſueuiſſe oriri ex uitioſis humoribus. Hæc, & tot ſunt moleſti affectus, qui particulatim palpebris oculorum ſoliti ſunt negotium faceſcere. Sed, & anguli, quos à Græcis κανθοὺς à Latinis hircos appellari diximus, ſuos, & ipſi morbos habent, quibus ſunt obnoxij. Niſi quod vnum ſupereſt exponendum ad palpebras pertinens, quod ſemper ferè ſolet ſequi ulcera, uel tunicarum oculi, uel palpebrarum, & proinde hoc poſtremum relinquimus, tanq̃ ꝙ ſequi ſoleat prius expoſitos affectus. Tale aũt eſt, quod palpebrę vel mutuo, videlicet ſuperior cum inferiori, vel etiã cum ſubiectis partibus, nimirum oculorum membranis, cum vlceratæ ſunt: ſi quando, vel ex ſomno, vel ex deligatione (vt ſuperius fuit expoſitum) faſcia, vel inſula diutius ligatum detinuerimus oculum, ob exterius appoſitum aliquod cataplaſma, conglutinantur, & coaleſcunt, conſolidanturq;, id verò accidere ſolet ex incuria, & negligentia medicorum, vel miniſtrorum. Anguli verò, & ipſi (vt diximus) ſuis tentantur affectibus: primum quia in ipſo angulo maiori uerſus narium radices natura indidit carunculas quaſdam, quæ manifeſtiſſimè, cũ aperiuntur oculi, conſpiciuntur, à quibus primum flentibus incipiunt lachrymę effluere. Hęc igitur caruncula, cum mediocrem magnitudinem ſeruauerit, non parum commoda eſt oculis; factam enim eſſe eam credidere anatomici, ut eſſet tanquam operculum quoddam foramini; quidam, quod natura propè magnum hunc angulum efficit, quo quaſi pertuſum, & perforatum eſt os narium, vſq; ad internos earum meatus, quod foramen pręter alias vtilitates habet, vt 10. de vſu par. docuit Gal. & hanc quòd per illum excrementa oculorum excernũtur, iuxta, atque foramen, quod in palatum terminatur, ſuperius auté cum narium meatibus in unum coit. Vnde etiam ſæpiſſimè fit, ut non modo excrementa, uerum medicamentorum, quæ in oculos, aut infunduntur, aut illiniuntur, non multo poſt, aut ſapor in ore percipiatur, aut etiam naribus odor, interdum, & color: nam ſi emungendo eorum fiat expulſio, per nares defluunt, ſi excreando per palatum, & os. Ne igitur ad angulum oculi fluentia hęc excrementa ibi retineãtur, & ſemper lachrymare videamur, ſed per prædicta foramina purgentur, facta fuit hæc caruncula, quæ ad foramen proprium illa impellit, vt per id ferantur. Cum hæc itaque nimis creſcit (creſcit autem, ſicut in vlceribus ſuperuacua caro ex nimio humore) non parum impedimẽto eſt huic officio, atque hic affectus ἐγκανθὶς Græce appellatur. Cum vero conſumitur, non parum nocet, omnia enim excrementa in angulũ fluunt, & in eo cõſiſtunt, quod turpe, & moleſtum ſatis eſt ῥοιάς, aũt, vel ῥυάς à Græcis medicis dicitur. Conſumitur uerò, aut ab acri, & erodente fluxione, aut à medicamẽtis nimis detergentibus, & abradentibus, quibus importunè utuntur Medici in curandis oculorum affectibus, qui requirere id genus medicamenta uidentur. Interdum verò eam reſecant circunſpecti, & prudentes in chirurgia, quam excercent, in pterygio, vel, vt Arabes dicunt ungue extirpanda, de qua iam ſermonem habebimus. Porro quandoque oritur neruoſa quædam, aut membranoſa ſubſtantia hęrens mẽbranę, quam agnatã

dixi-

diximus appellari,& eſt ueluti eius extuberantia,vel exceſſus, ſæpiſſimè autem incipit ab angulis,quamuis ſæpius ab angulo maiori, rarius à minori, rariſſimè à ſuperiori, uel inferiori palpebra, adeo uerò excreſcit res hæc, ut & ad nigrum in oculo orbem interdum pertingat,immo nonnunquam ad pupillam perueniens,viſui impedimento eſt.Sunt autem ipſius multæ (vt Aetius teſtatur) differentiæ. Nam aliæ iam conſenuere, & obcalluere, quę nequeunt medicamentis abſumi: Aliæ recentiores,& tenuiores, quæ poſſunt detergentibus medicamentis reprimi,& conſumi.Sed & color attẽdendus:Etenim quæ albicare uidentur,quæque anguſtiorem baſim habent,curatu ſunt faciliores. Quæ uerò contra ſe habent,difficilis omnino curationis ſunt,neque citra periculum,quia quæ rubeſcunt, ut quaſi carneæ uideantur,ſi abſcindãtur,poſt abſciſionem in ſphacelum tranſeunt,aut ad hemicraneos dolores deducunt:quamuis neque poſtea deſint remedia,quibus poſſunt Medici his incommodis ſuccurrere,verum non quidem citra difficultatem,& laborem:attamẽ oculus tandem liberatur. Sed hoc etiam cõnſiderãdum,quòd interdum cum pterygio coniunctum eſt principium ſuffuſionis. Quod ſi ita accidat,nõ oportet aggredi pterygij curationem,ait Aetius,quia longè citius ſuffundetur oculus. Neque etiam id curare oportet, quod craſſum, euerſum, eminenſve, & induratum,quodq́ue in conſenſum tempora deducit,quia malignæ ſunt naturę, & canceroſæ. Ortum autem hi affectus habent ſępe,aut ἐκ τῆς ψωροφθαλμίας, hoc eſt ex affectione, quam ſcabras palpebras Latini uocant,aut ex continentibus fluxionibus ad oculos. Poſtremo verò, & ex angulis oculorum ſanguinis profluuium erumpit, atque id præſertim in pueris contingere ſolet ob immodicos ploratus, & diſtentiones partium ad palpebras attinentium,inde enim fit, vt palpebrarum uaſa aperiantur. Hæc ſunt omnia ferè tum ſymptomata, tum uero morbi, qui oculis, & palpebris, priuata quadam ratione, moleſtiam afferre ſolent, quæ, & per cauſas, & per ſigna particulatim, immo ſingillatim diſtinximus. Reliquum autem eſt, ut & curandi rationem exponamus.

De ratione curandi palpebrarum affectus.
Cap. XVI.

De reſolutione, & conuulſione palpebrarũ curandis non habebimus in preſentia, ut paulo ante monuimus, ſermonẽ, cũ ſatis de his dictũ ſit,ubi in uniuerſũ de curatione reſolutionis, & cõuulſionis fuit actũ, ne fruſtra tempus conteramus. De alijs uerò harum partium affectibus, quia plures ipſorum ſuum habent ortum à materię fluxione ad affectas partes,ſicut τράχωμα, ſiue aſperitas palpebrarũ,plerunque,& ulcera, cũ non ab externa cauſa,ſed ab interna fiunt, & quoniam his ſolet euerſio palpebrarum fieri, ideo & ἐκτρόπιον, ſeu inuerſio in hunc ordinẽ redigi poteſt,item & ψωροφθαλμία, uel palpebrarum ſcabrities, & κριθὴ, uel hordeolum,et ἐμφύσημα,ſiue palpebrarum ędema: præterea μαδάρωσις,quę eſt ueluti alopecia ciliorũ, uel palpebrarum,& λιθίασις, & χαλάζιον, & quæ nodos ab Arabibus nuncupari diximus, calloſus etiam affectus, qui πτίλωσις dicitur, palpebrarum item pediculi; ἐγκανθὶς, & πτερύγιον, quod unguem dicunt Arabes, ſecus ac Græci, qui unguem ſuppuratum oculum, ut ſuperius monuimus,appellant. Multi etiam affectus ſunt, qui quidem, & ſi a materia, uel fluxione primum minime ortum habeant,quia tamen in illis,aut opera manuali,aut

A acrioribus medicamentis opus eſt,non poſſunt non aliquem excitare dolorem,ob id humores, & fluxiones tandem mouent, ſi caput, aut vniuerſum corpus multis, prauisve humoribus plenum reperierint. Ideo communi quadam ratione ſub communem etiam curationis methodum vniuerſa hæc omnia,neceſſe eſt omnino,vt cadant. Nimirum vt auferãtur omnes cauſæ & occaſiones fluxionum, aut intercipiantur,ſi iam incœperint. Hoc autem agendum eſt vacuatione,tum corporis vniuerſi, tum vel maximè capitis, reuulſioneque, uel deriuatione: p̃terea verò & repulſione. De quibus cum ſatis, ſuperque ſit in prioribus tractationibus actum, neq; in præſentia noui aliquid habeamus, quod illis ſit addendum:ſuperuacaneum mihi uideretur,ſi nunc acta iterum agere vellem. Vnde hoc tantum admonemus, quod in tractatione curationum harum affectionum, ſi ſuſpecta ſit, aut plenitudo, aut vitium humorum,non eſt prætereundum, niſi ætas, uires, & reliqua,quę in his ſeruanda ſũnt obſtiterint,quin euacuetur prius corpus,aut miſſione ſanguinis, aut purgatione:præterea verò frictionibus, accommodatiſque clyſteribus ad reuulſionem agatur: poſtea accedẽdum eſt πρὸς τὰ τοπικὰ ſiue ad localia remedia. Plerunque verò in huiuſmodi affectibus vtimur aut collyrijs, aut inunctionibus. Sunt autem duæ collyriorum formæ, uel differentiæ: nam aut ὑγροκολλύρια, aut ξηροκολλύρια, hoc eſt uel liquida, C uel arida collyria: priora enim diluuntur aliquo liquore, & fluida fiunt, moxq́ue in oculos infunduntur, arida verò in tenuiſſimum & pollini ſimilem puluerem redacta ſpecillo inijciuntur. Horum autem ratio omnis, & natura a morbi natura, & ab eius cauſis petenda eſt, vtpote quæ nobis ſcopos ſpectandos demonſtrent. Sed & id etiam aduertendũ, quòd quamuis hæ particulæ, nimirum palpebræ, & anguli,de quibus hactenus eſt ſermo habitus, neque adeò mobiles ſunt, neque tam acris & delicati ſenſus,vt oculi, tamen paulò minorem diligentiam requirunt,& cautionem quàm oculi faciunt, & id, non tantum propter ſe, quantum propter oculos, cum non minus oculos quam has particulas afficiãt D huiuſmodi medicamẽta,quoniam fieri omnino nequit,quin oculos tangant,dum infunduntur,illiniũtur,imiciuntur ve. Sed dum integer quidem prorſum oculus eſt, aliæ autem particulæ circumcirca ſint,quæ laborent,facilior omnino eſt curatio, quia nequit ita irritari oculus,ſicuti quando & membranæ eius aliquo doloroſo affectu tentantur, cuiuſmodi eſt inflammatio, uel vlcus. nam præter id, quòd mutuo ſe affligunt, preſertim quando palpebrarum affectus eſt cum aliqua aſperitate, redditur etiam maximè difficilis ea tractatio, quia medicamenta palpebris congruentia exaſperant oculos, præcipuè ſi aliquam vim vel mediocrem deterſoriam habeant, ſicuti ſępe habere neceſſe eſt. Vnde in his E difficultatibus, ſi adſit inflammatio, primò quidem inflammationi accommodatis medicamẽtis occurrendum eſt, & ſi velimus ſimul palpebrarum curam habere, aliquid poſſumus medicamentis, quæ inflammationem reprimũt,immiſcere eorum, quę aſperitates leuigant, qualia ſunt detergentia, dummodo id modicum ſit. Vbi uerò ſedata ſit inflammatio, nihil obſtat, quin liberalius illis vtamur, ſed ubi cum vlceribus oculorum ſint aſperitates palpebrarum, nulla ratione poteſt admitti medicamentum aliquod ex iſs, quę accommodata ſunt aſperitatibus ipſis, preſertim, ſi adſit mordax fluxio, quod etiam frequentius eſt, quia per hęc medicamenta cornea tunica erodetur magis, ut facilè vuea extra procidat, dolorque increſcet,fluxioq; pręterea eua-

det

det acrior, & mordacior. Et proinde in aſperis palpebris timuere omnino prudentes Medici medicamentis detergentibus, quibus inæqualitas, & ſcabrities partium tolleretur, vti: ſed potius in hac iſtius rei difficultate commenti hoc ſunt, vt 4. de comp. med. ſec. loc. refert Gal. vt citra medicamentorum vſum, inuertentes palpebras, concauo ſpecilli deradant aſperiores partes, & humidum, quod emanat, molli ſpongia exceptum exſiccent; atque ita ad æqualitatem palpebras adducere nituntur. Alij verò corijs vtuntur quorũdam marinorum animãtium, quę in ſumma parte aſperiuſcula ſunt, ad corripiendas, & detrahendas aſperitates. Non defuere alij, qui confecto collyrio ex pumice exquiſitiſſimè trita, ac lęuigata, addito gummi, uel tragacantha, inuerſis palpebris uterentur. Hoc fuit inuentum cuiuſdam ex præceptoribus Galen. Interim uerò omni ope procurabant, vt acris fluxio ſiſteretur, aut reprimeretur, tum vacuatione, tum collyrijs huic rei accommodatis: qua deinde ſedata, tunc audere Medicus poteſt, vt incipiat aliqua admiſcere detergentia, quibus tolli queat aſperitas in palpebris: ita tamen ut modica eorum portione inchoemus, & ſubinde addamus, quatenus ab ægrotante facilè perferri poſſe viderimus. Cum ergo compoſiti erunt morbi ſimili methodo erit procuranda curatio. Sed de curandi ratione quæ in his ſeruanda eſt, quando ſimplices ſunt affectus, quàm breuius poterimus, agamus: hoc primum conſtituto, quod ſemper ſit commoda victus ratio ſeruanda, & plerunque a vino abſtinendum; quia, ut ex ſententia Meſue ſuperius diximus, oculis per ſe nocet; & uictus in pleriſque & tenuis, & attenuans eſt commodior. Deinde conſiderandum, quòd horum affectuum quidam in additione, vel accretione alicuius ſubſtantiæ præter naturam ipſius particulæ conſiſtunt, Alij in detractione, & imminutione particulæ alicuius ad integritatem membri neceſſariæ. Nonnulli verò in mutatione temperamenti naturalis illius particulæ cum materia, vel citra. Et pro diuerſa natura affectionum; ita diuerſæ inſurgunt indicationes nobis diuerſos in curando ſcopos demonſtrantes. In additione conſiſtunt τραχώματα uel aſperitates, κριθὴ uel hordeolum χάλαζιον, λιθίασι, nodi omnes, ἐγκανθὶς πτερύγιον, & inuerſiones quæ ἐκτρόπια dicuntur, ut pote quę a duriori, & craſſiori cicatrice facta ſint. Hæc igitur omnia ſecundum communem eorum rationem indicant, quòd detrahendum ſit id, quod excreuit. Varij autem ſunt modi, quibus, ſi quid præter naturam excreuit, detrahi poteſt. Nam aut medicamentis id agere nituntur Medici: aut chirurgi. Medicamentorum verò duplex genus eſt, eorum dico quæ poſſunt officium præſtare. Quædam enim digerendi, attenuandi, & incidendi uim habent: Quædam detergendi, & erodendi, quæq; σηπτικὰ hoc eſt putrefacientia a Græcis appellantur. Vnde hi quidem omnes ferè affectus inter initia, dum recentes ſunt & teneriores, curari medicamentis queunt, ſi tamẽ eius ſint naturæ, vt curam tutò poſſint admittere. Iam enim diximus quoſdam eorum minimè eſſe curandos, vt pote quæ, ſi curando irritentur, in longè deteriores affectus tranſeunt. Vbi vero multum increuerint, non niſi manuum opere, & inciſione tolluntur. nam de aſperitate diximus, & hordeolum quoque, cum iam ſuppurauerit, ſpecillo aperiendũ eſt, vt pus effluat; ita & quod a grandinis ſimilitudine χάλαζιον dicitur, & à calculi λιθίασις inciſione curantur, extracta inde contenta materia, tenui aũt ſcalpro fit ea inciſio. Sed & μελικηρίδες, στεατώματα, ἀθερώματα chirurgiam requirunt, ut inciſa cute

A extrahatur cum uniuerſa ueſicula, in qua continetur, materia illa, quæ extrahenda eſt, ſi maiores ſint hi tumores, at ſi minores, aliquando medicamẽtis, quæ tum καυστικὰ, hoc eſt adurentia, tum σηπτικὰ, hoc eſt putrefacientia dicũtur; quoniã quaſi vrunt, uel corrumpunt ſuperpoſitam cutim, & alias particulas, cruſtamq́. faciunt, qua remota, procurãt Medici, ut extrahatur ueſicula, aut computreſcat, quia nunquam, non integrè remota veſicula, ad conſolidationem poterit exactè redire relictum ulcus. Pręterea uerò encanthis, & pterygium, cũ plurimũ creuere, & induruere, occalluereque nullam, niſi abſciſione curationem admittunt, quamuis deinde relictum ab his ulcus medicamentis ſit curandũ, diuerſis, **B** pro diuerſa vlceris, & affecti corporis rõne. Chirurgia etiam palpebrarum coalitus, & concretio, ſeparatur, licet poſtea conſolidandæ ſint palpebræ aridis potius medicamentis, nuuquam oculum deligando, ne motus earum impediatur, quo prohibetur concretio. Hæc tamen chirurgiæ ratio ad chirurgum potius attinet, quamuis & medico non parum etiam ad honorem conferat, ſi eam calleat, dũ operanti adeſt, ac præeſt. Curantur uerò ulcera cõmuni horum ad has particulas pertinentium ulcerum curatione, ideo in his, ne nimiũ tempus conteramus, diutius non immorabimur, ſed ad magis neceſſaria tranſibimus, & de ratione curationis horũ, antequam eò perueniant, ut illis ſit chirurgia opus **C** agamus. Calloſæ itaque, & ficoſæ affectiones, quas τυλώσεις Græci, & συκώσεις appellant, egent medicamentis detergentibus. aliquantiſper moderatis, & tandem eius ordinis, & naturæ, cuius erant ea, quibus utuntur medici in λευκώματι genito ex craſſiore cicatrice ad eã attenuandam, & quibus etiam in ſcabris palpebris, quarum affectum diximus ψωροφθαλμίαν Græcè uocari, quibus quidem uel fortioribus, uel leuioribus erit opus, pro ratione, & natura corporis affecti, quod uel delicatius, teneriuſque eſt, & acrioris ſenſus, uel robuſtius, & durius, & ſenſus obtuſioris, & tolerantius moleſtiorum medicamentorum. Fortioribus autẽ, & magis erodentibus erit opus, ut encanthus, & pterygium colliquẽtur, **D** & erodantur, in quibus aliquando uſque ad uſtum æs, & myſi, & ſandaracham, & arſenicum, & iſtius ordinis reliqua oportet deuenire, ſicut in Galeno, & Raſi, Aetioque, & Paulo poteſtis legere. Vt præterea his, quę dicta ſunt, addamus & hoc ipſius Galen. pręceptum. quòd in curandis his affectibus, qui difficiliores ſunt, maiorique egent eliquatione, ac eroſione, pręſtantius agunt medicamenta arida in modum pulueris redacta, terrea enim ſua ſubſtantia magis imprimunt, & uires magis ſeruant, quia a nullo liquore alioquin remittuntur, ſicuti fluentia collyria, & quę inunguntur, neque ita de loco affecto diffluunt, ut quę infunduntur, quę citiſſimè delabuntur ex oculis, pręterea neque ita facile a **E** lachrymis, quę excitantur ui horum medicamentorum, quę non poſſunt eſſe omnino expertia alicuius acrimonię, diluuntur. Secundum uerò locum habent, quę inunguntur. Poſtremum tenent liquida. Qui autem affectus iam induruere, & quaſi in ſcirrhum ſunt conuerſi, detergentibus, diſcutientibuſque curandi ſunt, vnde in his imponuntur ammoniacum, bdellium, cum quibus & aliqua leuiora ſunt miſcenda, quę tamen facultati horum non contra opetentur, ut ſunt myrrha, uel thus, & ea etiam, quibus digeritur pus intra oculum, atque incipiens ſuffuſio. De quibus adeo copiosè, & lucidè agunt omnes ferè auctores, pręcipuè uerò Galen. 4. de comp. medic. ſecundum loc. & Aetius lib. 7. ut quaſi uideatur ſuperuacaneum,

de

his longiorem ſermonem habere, cum nemo ſit, qui hæc facillimè non percipiat. Ad alias itaque particulas tranſeundum eſt.

De Aegilope, hypopio, vel ſuggillatione, ac reliquis proprijs faciei affectibus. Cap. XVII.

MVltis fortaſſe uidebitur nos ab inſtituto ordine digredi, qui cum in hoc tertio lib. inſtituerimus ſermonem habere de earũ particularũ affectibus, q̃ cerebro in ſenſu, & motu miniſtrant, hic tamen de ijs agere proponamus, quæ ad faciem pertinent. Sed ſi rectè rem uoluerint perpẽdere, non ſine ratione id nos feciſſe cognoſcent, neque etiam plurimum à primo inſtituto abſceſſiſſe. Nã ægilops, & ſuggillatio in his, quæ ad oculos pertinent, facilè poni poteſt. Aegilops enim, & ſi propriè oculi particulas inter initia non occupet, ſed ſpatium extra circuitum oculi, quod intercidit inter angulum maiorem oculi, & ſuperiorem partem naſi: attamen, quia plerunque ſuppuratur, atque erũpit, purgaturq́ue per angulum ipſius oculi, aliquo etiam modo ad oculum pertinet: Immo, & hac ẽt ratione, nempe quia in eius curãdi ratione, ſi ea per medicamẽta fiat, ſemper oculi curam, vt paulò poſt dicemus, habere oportet. Vnde poſteriores Galen. Medici inter affectus ad oculos attinentes eam poſuere. Sed, & ſuggillatio, cũ ad eam partẽ attineat, quæ ſtatim ſub oculo eſt, & illi confinis, adeo, vt ſępe ad palpebras vſque pertingat, in hunc ordinem collocanda eſt. Conſequutione autem, & affinitate partium poſtea ducti, uolumus ſubiũgere reliquos faciei proprios affectus, tum hac, tũ verò, & illa de cauſa, quia oculi, nares, & os, quę ad præſens inſtitutum omnino pertinent, ſunt pręcipuè faciei partes, & quæ illam maximè exornant. Verum de his ſatis: rem ipſam aggrediamur, primumq́ue de ægilope agamus: ſicuti & poſteriores Græci, & Arabes fecere: quamuis Gal. prius de ſuggillatione ſermonẽ habuerit. Sed ad negotium nihil refert: Αἰγίλωψ itaque Græce, quantum ad vocabuli vim, oculum caprinum ſignificat, & vt ſuperius affectum, quo retractis palpebris oculus ſemper apertus manet, λαγώφθαλμον, quaſi leporinum oculum appellatum fuiſſe diximus, eò quòd oculus ſimilis oculo leporis euadit: ita, quia tumet in ægilope, & rubet pars ea inter nares, & magnum oculi angulum, perinde vt in capitis: ideo hanc ſortitus eſt nuncupationem. Arabes verò algarab appellant: iuniores lachrymalem fiſtulam, à quibus etiam Celſus non admodum deuiat, qui fiſtulam oculi uocaſſe viſus eſt, ſicut, & Raſis fiſtulam appellat. Sed pręterea hoc eſt animaduertendum, quod propriè ęgilops non eſt fiſtula, neque ſemper neceſſe eſt, ut in fiſtulam tranſeat: immo multos vidi, in quibus, & ipſe fui, qui ęgilope laborarunt, neque tamẽ tumor is in fiſtulam abijt: verum multis etiã medicis dicitur fiſtula, quia adeo difficilis eſt curationis, vt ſępius terminetur in fiſtulã. Propriè uerò, & ĩ initio tumor eſt pręter naturã, qui excitatur à fluxione calida, & humida ẽt, ita, ut in genus inflãmationis referatur, quę tñ plerunque ſuppurata in apoſtema, vel abſceſſum vertit̃, è quo rupto, emanat pus, & excernitur per angulũ oculi, atq; ita crebrius in fiſtulã conuertitur: imo nó raro à cõtẽto pure eroditur, aut uitiatur os, vt ſit neceſſe ipſum candẽti ferro adurere, aut aliquid abradere. Sed de his poſtea. De natura autem, & eſſentia, nec non, & de cauſis iſtius affectus, ſatis quidem diximus, cum ex calidiorum humorum fluxione originem illũ habere diximus, atq; in inflammationum genere cõtineri, qui ſępius ſuppuratur, & in abſceſ-

A ſum tranſit, & in fiſtulam deſinit. Neque pręterea de ſignis eius multa mihi videntur dicenda. Nam cum ſit in externa parte, quæ ſenſibus patet, facilè ex tumore in eo loco, rubroq́. colore cognoſci poteſt. Cum autem dolor ac tumor non reſoluũtur, ſed pertinatius durant: immo dolor ſemper augetur, ſuppurationis futuræ argumentum eſt: cum verò in ſuprema parte molleſcit, iam in pus vertitur: pure autem genito, dolor remittitur, & tumor mollis iam, & non ita tenſus, neque ita rubicundus apparet. Difficilis porrò curationis eſt tumoris, nec ſatis eſt loci illius defenſio, ne in fiſtulam tranſeat. Difficultas autem multiplices habet occaſiones, tã ex parte ipſius particulæ affectæ, quam ex parte il-

B lius, quæ illi proxima eſt, nempe ipſius oculi: quam etiam ex non facili remediorum adminiſtratione. Ex parte quidem particulæ, quia partes illæ ibi conſiſtentes adeo tenues & exangues ſunt, vt non facilè poſſint influentes humores adminiſtrare, & digerere, prætẽrea vitioſi humores, & ante ſuppurationem, & poſt, proximè ferè ſubiecto oſſi hærent, quod & ipſum tenue eſt, facileq́ue afficit, & proinde facillimè vitiatur, ut deinde neceſſe ſit in fiſtulã terminari. Sed non minorem difficultatem affert oculi propinquitas, qui coafficitur facillimè ob vicinitatem, pręſertim ſi acribus vtamur medicamentis, uix enim fieri poteſt, quin eorum aliquid non confluat ad oculos: immo (ut ex Seuero monet Aetius) per

C foramen illud, quòd a natura propè angulum factũ eſt, plerunque puris portio aliqua effluit ad oculum, quem non parum quandoq. lædere poteſt. Pręterea his omnibus additur & modus, quo ſunt medicamẽta adminiſtranda, quoniã ſi humida, & fluentia fuerint, omnino in oculum (vt Gal. teſtatur 5. de cõp. med. ſec. loc.) illabentur: ſin autem forma cataplaſmatis utamur, cum neceſſaria ſit ligatura, vt detineantur in loco, quæ uniuerſum comprehendat oculum: ægrè poteſt illa diu tolerari, atque ea de cauſa facilius ſuppuratur, & fiſtula fit, quàm poſſit per medicamenta curari. Quamuis autem difficilis ſit; quandoque tamen, vt dixi, curari poteſt. Vnde neque in his deſperanda eſt curatio: ſicuti deſperaſſe

D (quemadmodum tradidit Gal. eodem in loco) multi antiquorum videntur: quorum aliqui pauca admodum: alij nulla medicamenta deſcripſere, quibus curanda ſit Aegilops, niſi quod ad manuum operationem, nempe ad abraſionem, uel cauterium confugiunt. Raſis quoque 9. ad Almanſ. eiuſdem deſperationis fuit particeps, qui & ipſe, licet quoddam deſcripſerit medicamentum ad ægilopem: illud tamen præter id, quòd ei non plurimum fidat, quatenus ad exactam curationem pertinet, commodum eſſe putat, non incipienti affectui, aut increſcenti, ſed poſtquam in fiſtulam migrauerit, ueram autem curationem committendam eſſe cenſet chirurgiæ. Cum tamen Gal. apertiſſimè pronunciauerit, ad partẽ me-

E dicinæ pharmaceuticem appellatam potius pertinere. Dicet fortaſſe quiſpiam in libr. Gal. diu verſatus, ecquid? cur ergo Gal. ita ſiccis ferè pedibus tranſit? qui hoc tantum protulit, curandam eſſe ægilopem medicamentis, quæ uim diſcutiendi habent, citra tamen mordacitatem? Facilis eſt reſponſio. Nam cum iam ſtatuerimus, initium ægilopis fieri ab inflammatione, quæ ſuum habet ortum a fluxione humorum, nemo eſt, qui non facilè percipiat, quòd in vniuerſum neceſſe ſit, ut eius curatio comprehẽdatur ſub communi methodo curandarum tam inflammationum, quàm cęterorum morborum, qui ex defluxione ortum habent. Dixit autem ipſe 13. metho. commune omnium inflammationum curationem eſſe uacuationem humorum, ex quibus at-

tollitur

tollitur pars inflammata in tumorem. Eà uerò ua-
cuatio, quæ proximè loco affecto conuenit, fit per
digerentia, & diſcutientia. Et quia in hoc affectu
conſentit oculus, qui nullam penè mordacitatem
ferre poteſt: præter id, quòd facillime, & ſępiſſimè
illabuntur medicamenta in oculum. Ideo abſolutã
methodum reddidit, addita ea particula, nempe,
quòd curanda ſit ijs, quæ diſcutiunt citra mordaci-
tatem. Quòd ſi adhuc quæras, vtemurne igitur ſta-
tim à principio huiuſmodi medicamentis? Nequa-
quam: nam (vt ibidem Gal. docet) ea eſt curatio in-
flammationis factæ. Inter initia autem imprimis
procurandum, ne fiat, & augeatur: fit verò, augetur
que ex fluxione humorum demandatorum loco in
flammato. Quare primum occurrendum fluxioni
reuulſione facta per euacuationem, veluti ſectione
venę, ut in oculorum inflammationibus agendum
eſſe docuimus, aut cucurbitulis cum inciſione, uel
citra, ut corporis ſtatus, ętasq; permittet, frictioni-
busque, & iſtiuſmodi reliquis medicis inſtrumentis,
prętere a vero, & purgatione per catapotia, vel alia
ad hanc eundẽ ſcopum pertinentia medicamenta;
item per clyſteres, hęc enim cõmunis ratio eſt curã-
di morbos, qui ex fluxione excitantur. Deinde agen
dum eſt particulatim topicis remedijs, quę loco af-
fecto adhibenda ſunt, in quorum adminiſtratione
ijdem reſpiciendi ſunt ſcopi, qui in curandis alia-
rum partium inflammationibus ſpectari ſolent. Ea
verò breuiſſimè perſequutus eſt Seuerus, vt teſta-
tus eſt Aetius. Nempe, vt primis ſtatim diebus nita-
mur ab inflammatione inchoante fluentẽ humo-
rem repellere, locum inflammatum ijs medicamen
tis illinientes, quę repulſoria facultate ualent, qua-
lia ſunt, quę refrigerant, & aſtringunt. Quia verò ob
loci uicinitatem oculus coafficitur, & cõſentit, ideo
prę ſertim illis vti debemus, quę oculis commoda
ſunt, vnde collyria ea ſunt his vſui futura, quibus
vti ſolent Medici ad repellendas oculorum fluxio-
nes, & inflammationes, atque ea eligere debemus,
quę magis repellunt, ita, vt ea, quę ſtuporem etiam
afferunt, adhibeamus. Vnde collyrium album, qđ
hiſce temporibus in vſu eſt, ſi etiam completum, vi-
delicet cum opio imponatur, erit accommodatum
medicamentum, uel alia quęcunque vim repellen-
di inſignem habent, quorum ſylua copioſa deſcri-
pta ab auctoribus eſt. Ego ſępe ita agere conſueui:
accipio collyrij albi (quod ſief album apothecarij ap
pellant) verbi gratia drachmam mediam, roſarum
aridarum, aloes, thuris ſingulorum ſcrupulum me-
dium, corallorum rub. prę paratorum ex aqua roſa-
cea ſcrupulum item dimidium, omnia trita, & in
puluerem exquiſitiſſimè redacta, deinde uerò albo
oui aſſumpto, lineo panniculo molli, & tenui exci-
pio, demerſo nimirum panniculo in medicamentũ
in eam conſiſtentiam redactum, ut nõ defluat, loco
inflammato appono, ac quotidie bis mane, & ſero
permuto. Dum autem res vlterius progreditur, ea
quę magis digerunt, & maturant applico, detractis
paulatim repellentibus: vnde his collyrium, vel (ut
Arabes aiunt) ſief de thure ad ſcrupulum addo,
deinde aliquanto plus. Vbi uerò uidetur fluxio, aut
omnino, aut maxima ex parte iam conſtitiſſe, tunc
ſolis diſcutientibus, uel ſaltem magna ex parte res
tractanda eſt, propterea tunc, aloes, thus, & myr-
rham ęqualibus portionibus accipere, hisque, aut
muliebri lacte, aut etiam decocto, uel ſucco fœni
gręci aſſumptis eodem modo vti conſueui. Seuerus
autem ait, ſe emplaſtris, quę eo tempore plurimo
Cap.22. in vſu erant, quęque à Galen. 2. libr. de comp. med.
ſec. gen. reperiuntur deſcripta, & plurimum lauda-
ta, quale id, quod barbarum dicitur, cuius uarię ſunt

A ibi deſcriptiones, & quod athena uocant eodem 2.
relatum, & quod de facilibus appellatum 5. eiuſdem
operis libro deſcribitur, alijsque ſimilis facultatis Cap.3.
diſcuſſiſſe ęgilopas, quamuis iam ſuppuratę, & in
abſceſſum conuerſę eſſent. Quod ſi morbus perti-
nax adeo factus ſit, vt in fiſtulam tranſierit, ita, ut
iam os vitium (ſicut facile fieri ſolet) contraxerit
tunc ſola chirurgia curari poterit, quam bifariam
moliuntur. Nam aut detecto oſſe, id terebello per-
forant, vel ſcapello, quatenus iudicatum fuerit vi-
tiatum fuiſſe, abradũt. Aut ferro candenti inurunt
vel auro. Et poſteaquã ſquammæ uitiati oſſis ſepa-
ratę à natura, arte etiam interdum adiutę, fuerint
ſeparatę, & expulſę vlcus ſiccantibus, & pro ratio-
B ne opportunitatis detergentibus carne replendum:
moxque ad cicatricem perducendum, vt alia caua
vlcera. Ac de ęgilope quidem quantum ad prę-
ſentem occaſionem pertinet, hęc ſatis ſint. De
Hypopio autem ſermonem habituri, hoc primum
exponamus, quod vniuerſum in omnibus externis
noſtri corporis partibus, cum illę à re aliqua durio-
ri percutiuntur, & contunduntur, remanent uibi-
ces quędam rubentes, quę poſtea, cum res longius
protrahitur, liqueſcunt, & mox etiam nigreſcunt.
Eiuſmodi vibices communi uocabulo omnes ἐγ-
χυμώματα ab Hippocrã. & alijs multis ſolent ap-
pellari, quaſi humorum effuſiones dicas, & ab
ipſa cauſa nomen habuere, quia color ille primum
C rubicũdus, deinde liuidus fit ex effuſione ſanguinis
facta in ſubcutaneis partibus: dum enim tunduntur
à re duriori, vt à lapide, ligno, pugno, uel alijs re-
bus ſimilibus, & minutiſſimę uenulę, quę ad illas
partes deueniunt, quaſi dilacerantur, exilitque ex
huiuſmodi venulis per illas pertuſiones ſanguis, &
effunditur, non quidem uniuerſus in una parte coa
leſcit in grumum, ſed diſpergitur per tenues parti-
culę meatus, attamen niſi cito digeratur, & hac ra-
tione vacuetur, ibi uerſus in grumum (vt dixi) liue-
ſcit, ac ſubinde nigreſcit etiam locus. Sicut autem
communi vocabulo vibices latinè ἐγχυμώματα grę
cè dicuntur: ita cum eiuſmodi vibices ſub oculis
infliguntur, peculari quodam, & proprio nomine
D nuncupantur a Gręcis ὑπώπια à loco, videlicet,
in quo excitatus affectus is maxime omnibus mani
feſtus fit, ac faciem deturpat. In quo quidẽ loco fa-
cile prę alijs partibus excitari ſolet, maxime autem
ob mollitiem, & teneritudinem huius particulę,
nimirum illius, quę ſub palpebris ſtatim oculis, ſub-
iacet, & quę tumidior in incipiente cachexia appa-
ret. Dicitur autẽ ὑπώπιον quaſi ὑπὸ τῶ ὠπός, hoc eſt
ſub oculo, à Latinis ſuggillatio nominatur: eiuſmodi
aũt affectione ſępe ſolet eorũ facies deturpari, qui
pugnis certando pugnãt: unde, quia faciem deho-
neſtat, per quandam tranſlationem ſuggillati dicũ-
tur ij, quib. aliqua ignominia illata eſt. Et mihi ſanè
hęc, q̃uis pauca, ſatis eſſe videntur, quatęnus ſpectat
E ad iſtius affectionis naturam, cauſas, & cognitio-
nem, ſeu ſigna. Quare de curatione tractatio inſti-
tuenda eſt. Sed primum id aduertendum, quod mo
net Galen. nimirum omnes medicos in hoc con-
ueniſſe, quod, quo citius curationem aggredimur,
eò facilior euadit, & ratio eſt, quia non poteſt cu-
rari, niſi vacuatione effuſi ſanguinis, qui non vacua
ri poteſt, niſi digeſtione, & diſcuſſione: ſanguis
autem, antequam in grumum cogatur, longe fa-
cilius diſcuſſioni, uel digeſtioni cedit, quam po-
ſteaquam iam tranſmutatus eſt. Primus itaque ſco-
pus medico oblatus eſt digeſtio, & ſtatim inter ini-
tia. At uerò, quia ſemper medici officium eſt procu
rare, ut quam maxime poteſt, iuuet, quam minimè
autem noceat, digerentia uero, ſi ſola adminiſtren-

tur in principio, cum nondum concreuit ſanguis & pertuſiones ſunt apertæ, magis ſanguinem è uenis attrahent calefaciendo, quam uacuare poſſint digerendo. Ideo ut huic incommodo obſiſtamus, inſtituere medici, ut aliqua aſtringentia, & repellentia digerentibus immiſceantur, quæ exituro ſanguini obſiſtant, & id, quoad uſque uenulæ ad naturalē ſuum ſtatum redierint: quò ubi uentum ſit, tunc ſolis digerentibus res erit tractanda. Quamuis autem maxima ſit copia medicamentorum, quæ ab antiquis medicis deſcripta inueniuntur. Gal. tamen dixit ſemper ſe uſum fuiſſe hac curationis ratione, ut ſuggillationem prius foueret decocto fœni græci & meliloti. poſtea uerò utebantur collyrio, quod diarhodon Nili priſcis etiam temporibus appellabāt: nam in multo illis temporibus uſu erat id collyriū, & antiqui medici omnes eius meminere, Galenus 4. de compoſi.medic. ſecundum loc. Aetius libro 7. Paulus eius deſcriptionem inter collyria diarhoda appellata refert, ſed & Celſus, & Scribonius de eo uerba fecere, utebatur autem diſſoluto ex aqua ſuggillationem illiniens, deinde idem hoc collyrium decocto eodem ex oculari cote diluebat, poſtea ex ſolo decocto fæni græci utebatur, poſtremo ſolo fotu ex decocto fęni græci. Quod ſi reliquiæ aliquæ pertinaciores relinquerentur, eas ualentioribus aggrediebatur diſcutientibus, qualia ſunt collyria ex myrrha confecta, quæ & diaſmyrna propterea ſunt dicta, atque ab eiſdem auctoribus ferè omnibus eiſdem in libris literis tradita ſunt. Mulieres autem illiniunt ceruſam ex oleo roſaceo, & hoc illis eſt familiare remedium, ſi ualet autem, maxime in principio ualet, eſt enim facultatis pauliſper aſtringentis, & refrigerantis, exſiccantisque: in oleo præterea roſaceo, maturo præſertim, quo plerunque utuntur, & ſi ſit aſtrictio, eſt tamen aliqua etiam uis digerēs, & laxans, ut in 2. lib. diſſeruimus. Neque de hac re uolumus plura uerba facere, cum non ſit plurimi momenti, ſępiſſimè.n. ſponte diſcutiuntur, ſine ulla medici ope, licet longiori tempore. Tranſeamus ergo ad alium affectum. Tertius affectus, qui in facie oriri ſolet, ac non paruum, tam uiris, quam mulieribus, tum ratione turpitudinis, tum etiam quia non caret moleſtia, negotium faceſſere, ſunt quidam tumores, qui in ipſa facie circa naſum præſertim, & mentum ſæpius exſurgunt, quamuis neque aliæ faciei partes tutæ omnino, ſint. Praui uero ſunt, neque omnes naturæ unius, immo diuerſæ admodum, & ſicuti ſunt diuerſæ naturæ, ita etiā diuerſa procreant ſymptomata. Et ne temporis maior fiat contritio, quàm res ipſa exigat, eadem methodo de his agemus, qua & de alijs in præcedentibus libris egimus, partiendo uidelicet, & eos mutuo, ut erunt reperti per hanc methodum, conferendo, lucidiorem, & breuiorem doctrinam faciemus. Sed hoc primum tanquam omnium dicendorum fundamentum iaciamus, quod omnes horum tumorum differentiæ, ut ſuperius expoſitorum, ortū ſuum habent ex fluxione humorum ad extimas faciei partes, atque adeo etiam ad ipſam cutē: & hoc eſt illis omnibus commune. Particulatim uerò omnis ferè diuerſitatis ratio, & differētię prodit a uaria, & diuerſa natura confluentium humorum, ut Gal. 5. de comp.med.ſec. loc. explanauit. Nam ſi ad ext.ernam faciem confluant craſſi humores, qui ſint caloris, & acrimoniæ expertes, cutim in tumores duros, & paruos attollunt, paruos quidem, quia nō eſt multus is humor: duros, uerò, quia craſſus, & quia citra acrimoniam eſt fluxio, & citra calorem, non ulcerantur autē, neque ſuppurantur, hos Græci ἰόνθους noſtri uaros uocant, uulgares noſtrates

A (ni fallor) goſſos. Interdum autem non ſolus craſſus humor defluit, ſed cum eo mixtæ ſunt aliquæ partes tenues, & ichoroſæ, vel ſeroſæ, quę in cauſa ſunt, quòd niſi citò curentur, vlcerantur. Tenuis enim, & ſeroſa pars, cum includitur, & infarcitur neque facile perſpirare poteſt, incaleſcens ſolet aliquam ſibi acredinem comparare, quę mox abradēdo exulcerat cutem. Eiuſmodi autem appellantur a Græcis συκώδεις ὄγκοι hoc eſt ficoſi tumores, qui plerunque in mento extuberant: de quibus Oribaſius ait ficus ſunt expullulationes vlceroſæ, rotūdæ, ſubduræ, rubicundæ, quarum comes ſolet eſſe dolor, quæ plerunque in capite, interdum & in reliquo corpore erumpunt, quod ſi confluunt mixti iti-
B dem humores, craſſi nimirum, & tenues, ſeroſique, magis tamen acres, & mordaces: tunc concitantur in mento affectus, λειχηνώδεις, hoc eſt, qui lichenis naturam ſapiunt; impetiginem noſtri appellāt, vulgo volaticam nominat, qui pruriginoſus affectus eſt, vnde ait etiam Galen. quod facilè, ſi negligatur in ψώραν, & λέπραν hoc eſt ſcabiem conuertitur. Ex mixto itidem acriore humore fiunt papulæ in mento, quæ ſpontaneum ortum habent, aſperæ, & vlceroſæ, quæ Græcè communi, & generali nuncupatione ἐξανθήματα uocantur, quaſi efloreſcētes papulæ, uel eruptiones; has Aetius (ni fallor) menti aſperitates nuncupat, & ex ichoribus, uel ſeroſis humoribus ex capite plerunque defluentibus excitan-
C tur, ſolent autem πιτυρίασιν hoc eſt porriginem, vel, ut iuniores tranſtulere, furfurationem conſequi, ſed nonnunquam ad collum deueniunt, interdum & aurium meatus tentant, neque doloris, atque pruritus, vt dixi, iſtins modi affectus expers, in quo nec non & cutis diſtenditur. Poſtremo & alij ex ſimilibus ferè humoribus excrementitijs oriuntur, qui Græcè δοθιῆνες Celſo furunculi appellantur. Sunt autem duæ ſimilium tumorum differentiæ, quæ diuerſa nomina, diuerſamque naturam habent. Nomina quidem priorum ſunt δοθιῆνες, de quibus in præſentia ſumus acturi, quos Celſum appellaſſe furunculos diximus. Reliqui autem φύματα Græci, Celſus tubercula nuncupat. Differunt
D primò, quòd δοθιὴν tumor rotundus eſt, & planus, φῦμα uero durior, & magis in acutum uergit. φῦκα uel tuberculum præterea citiſſimè creſcit, cito etiā ad ſuppurationem uenit: furunculus autem, & ipſe quidem tandem ſuppuratus in abſceſſum deſinit, uerum non ita cito, ut tuberculum. Sed dimiſſo tuberculo, ad furunculum, cuius eſt frequentior circa partes faciei, mentumque prouentus, quā tuberculorum, quamuis non ſolum in his, uerum & in toto corpore poſſint extuberare, ſermonem conuertamus. Furunculi ergo duas habent differentias. Aliqui enim eorum ſunt duriores, & ſimiliores, tum hac ratione uaris, uel ἴονθοις, tum etiam illa, quod non facilè maturantur, ſuppuranturque,
E licet uaris omnino maiores ſint, duri autem, & ad ſuppurationem difficiles, ob id, quia conſiſtunt ex humoribus craſſis referentibus pituitoſæ, uel melancholicæ materiæ naturam, & proinde neque doloroſi ſunt, & in hoc etiam uaros imitantur. Alij uero ſunt, qui proximè ad naturam inflammationis accedunt, unde maiores, rubicundiores, calidioresque, & magis doloroſi ſunt, ita ut ſæpe ex his febres accendantur, & prioribus facilius, & citius (id enim proprium eſt calidiorum humorum) ſuppurantur. Hoc autem commune in uniuerſum habent omnes hę nuper expoſitę affectiones, quod ſimiles eſt eorum omnium generationis ratio, & occaſio. Nam omnes ortum habent ab excrementitio, ac uitioſo humore, quem natura, ut ſangui-

nem

nem expiet, & mundum, ſincerumque ſeruet, cu-
ius ſuoptè inſtinctu maximè ſemper ſollicita eſt, ni-
titur ad cutim propellere, tanquam ad eam, quæ
apta nata eſt ſuſcipere aliarum internarum, & no-
biliorum particularum excrementa. Vnde in vni-
uerſum etiam communem, quatenus ad hoc ſpe-
ctat, eos habere indicationem neceſſe eſt: videli-
cet materiam eſſe vacuandam, ex qua gignuntur.
Vt tamen & hoc ſit plurimum aduertendum, an
ſimul copioſa fiat iſtorum excremẽtoſorum humo
rum ad cutem expulſio, ita ut illi multi, & frequen-
tes, maioresque extuberent, & vno reſoluto, alij
ac plures ſuccedant. Nam hoc indicaret, aut vni-
uerſum corpus, ſi & aliæ partes tentarentur his
malis: aut caput, ſi eorum prouentus eſſe dunta-
xat circa ipſum, & faciem, ab interna cacochymia
occupatum eſſe, quæ continenter mala hæc foue-
ret. Et proinde ratio requireret, primum tollen-
dam eſſe hanc excrementoſorum humorum co-
piam, à quibus fomentum habent, aut de vniuer-
ſo corpore, aut de capite, & id vel detractione ſan-
guinis, uel purgatione; pro vt ratio affectus magis
exigere videatur: deinde eam victus rationem in-
ſtituendam, qua non foueatur generatio id genus
humorum. Neque de his longior eſt habendus ſer-
mo, cum ea omnia, ſæpius ſint ſuperius, & exqui-
ſitè tractata. Sed particulatim rationem curatio-
nis per propria remedia, quę proximè factum mor-
bum, & locum affectum reſpiciunt, aggredi opor-
tet. Verùm natura ipſorum affectuum nobis de-
monſtrabit qualitatem, & naturam remediorum.
Nam qui tumores citra vlcus, & duriores ſunt, ut
vari, ac prima furunculorum differentia, curandi
ſunt digerentibus quidem in primis: hæc enim va-
cuant particulæ plenitudinem, diſſoluto uidelicet
replente humore, ſed & aliquam molliendi facul-
tatem habentibus: id namque tumoris durities in-
dicat, & facilius ac citius, cum molliuntur, dige-
runtur. Sed & hoc conſiderandum, quod pro ra-
tione maioris duritiei, ita & fortioribus diſcutien-
tibus, imò & attenuantibus eſt vtendum: ob id
videmus etiam in diuerſos ordines digeſta fuiſſe me
dicamenta his accommodata: aliqua enim ita ab-
ſolutè laudantur ad uaros, qui non ſunt admo-
dum inueterati, & indurati, alia ad uaros callo-
ſos. Nam communes quidem faciliori remedio
digeri poſſunt, vt non rarò ſola ſaliua præſertim ie-
iuni hominis, dum ſæpius illiniretur, varos fuiſſe
integrè curatos viderim: fortius medicamentum
erit, ſi adipe gallinaceo: fortius adhuc, ſi anſerino
vtamur: maiorem præterea vim haberet amygda-
la amara, ſi uel manſa, uel trita, ac lęuigata, atque
ex aliquo ex his adipe in formam cataplaſmatis re-
dacta apponerent. Aptiſſimum quoque erit me-
dicamentum, cuius meminit Galen. quinto de cõ-
poſit. medic. ſecundum loc. ex Critonis ſententia:
lithargyrij, ſeu ſpumæ argenti drachmas tres acci-
piamus, deinde addiderimus terebinthynæ, quan-
tum ęquet ægyptiam fabam, puta drachmam v-
nam, & parum quid olei albi, & clari, omniaque
ſimul probè miſceantur. Vtendi verò modus eſt;
ut facies primum detergatur, mox accepto modico
iſtius medicamenti digito, atque vtraq. manu con-
fricato illiniendi ſunt vari. At in his conſideran-
dum eſt hoc, quod ad ciuiles medicos pertinet, qui
cum nobilibus uerſantur, nempe in huiuſmodi me
dicamentis, quibus utimur in affectibus faciei, non
ſolum vtilitati, & curationi, verum & decori ſtu-
dendum eſſe, vnde hic terebinthinam claram, &
puram accipiendam ait Galen. & oleum quoque
album, & clarum, laudatque medicamentum in

A hoc, quòd præterquam quòd uaris conducit curan-
dis, ſplendidam etiam faciem, ac decoram reddit.
Vbi autem iam uarus callum duritie imitetur, ma-
gis attenuantibus, & digerentibus fortioribus erit
opus, qualia ſunt ea, quæ ibidem a Galen. deſcri-
pta reperiuntur, & præſertim illud, quod ex ſapo-
ne, ammoniaco, & thure conficitur, ut ſi quatuor
ſaponis, ammoniaci autem, & thuris ſingulorum
partem vnam accipiamus, omniaque ſimul aqua
diſſoluamus, adeo ut cerati ſpiſſitudinem conſe-
quantur, quo quidem illiniendi ſunt vari, ita tamen
vt unius horæ ſpatium non excedat, quin facies a-
qua tepida abluatur, ut ſi ex nimia medicamenti im
preſſione aliquid acrimoniæ in loco derelictum ſit,
B vel aliquis morbus adſit, tepido illo calore mulcea-
tur, ac remittatur. Illud præterea in his aduerten-
dum eſt, quòd non ſolum ſpectanda eſt durities, &
pertinacia affectuum, uerum etiam natura corpo-
ris, cui adhibentur medicamenta. Nam aliqui ita
mollem, & delicatam faciei cutem habent, ut ni-
hil acre, nihil, quod uel leuiter mordeat, tolerare
poſſint, facillimè enim cutis ipſa abraditur, vlce-
raturque, & in hoc ordine ſunt pueri, & teneræ
mulieres. Alij uerò duram adeo, & ſolidam cu-
tem habent, vt omnia ferre queant, & propterea in
his valentioribus vti licet, in alijs autem mitioribus
agendum. Et quod ſæpius monuit Galenus, hic
etiam reuocandum eſt in memoriam, nimirum
C quod, ne facilè ualida medicamenta poſſint obeſſe,
à facilioribus inchoandum. Ac de uaris quidem
& furunculis, qui propè ad uarorum naturam ac-
cedunt, hæc ſint ſatis. De alia uerò furunculorum
differentia, qui ad naturam inflammationis uer-
gunt, ut ſimiles hi ſunt inflammationibus, ita etiam
ſimilem illis curationem poſtulant, & proinde ſu-
peruacaneum uidetur in præſentia de eis ſermonẽ
longiorem habere. Reliqui autem faciei affectus,
qui ulceroſi ſunt, ſicut duplicem, & complicatam
naturam habent (fouentur enim à præſentia hu-
morum in loco contentorum, & præterea adeſt
ulcus) ita compoſitas habent indicationes, & ſco-
pos. Nam & digerere opus eſt, ut præſentes hu-
D mores auferantur, & præterea exſiccare, quia om-
nia ulcera exſiccatione egent. Et ideo dixit Gale-
nus ficoſos tumores exſiccantia magis quàm ua-
ros medicamenta requirere, quemadmodum ex
medicamentis a Critone traditis, atque ab ipſo Ga-
leno relatis, nec non alijs conijcere poſſumus. pri-
mi ergo hæc eſt compoſitio, ut accipiantur ſpumæ
argenti drachmæ quatuor, thuris drachmæ duæ, ſa-
lis foſſilis drachmæ octo, ſandarachę drachmæ duę,
terantur omnia, & lęuigentur, ac apponantur. In
his uerò tumoribus longe etiam acriora, ualentio-
raque apponunt, ut ſunt atramentum ſutorium,
miſy, ærugo, & id genus alia, ut eodem quinto de
compoſi. medic. ſecundum loc. legere poteſtis. Sed
E & faciei lichenes, uel impetigo validè exſiccantibus
eget ad curationem, quæ cum (ut diximus) facilli-
mè uertatur in ſcabiem, ubi uertitur, præter inſi-
gnem deſiccationem, poſtulat & deterſionem, cu-
ius non eſt modica cura habenda. Nam præter
turpitudinem, qua faciem afficit, multam inſuper
ſecum habet moleſtiam, & pruritum, ac circun-
ſtantium partium diſtentionem, cui accedit, quòd
continenter ſerpit, ut interdum oculos quoque per
tingat, & ſuperiores partes deturpet. Vnde non
eſt, ut dixi curatio negligenda, ſed diligenter eſt il-
li incumbendum. Et quia quaſdam ueluti acceſſio-
nes, quibus irritatur is affectus, & remiſſiones itẽ
quaſdam habet, ad hoc aduertendum eſt, & præte-
rea conſiderandum, an recens ſit impetigo, an

diuturna,

diuturna, & inueterata. Nam dum exarcerbatur, & exaſperatur, non eſt alioquin acrioribus tentanda medicamentis, ne irritata fiat malignior, ac difficilior: immo lenienda, & mitiganda eius exaſperatio: valentius autem, cum aliquam habet intermiſſionem, agere licet. Similiter recentes facilioribus, & mitioribus curari poſſunt: diuturnæ, & iam inueteratæ acrioribus, & fortioribus. Sed & ætatis, & naturæ corporis in his, ut in alijs morbis, non parua eſt habenda ratio; pueri enim & muliebria, reliquaque teneriora corpora facilè leuibus auxilijs ſanantur: item fortiora, & acriora non facilè curationem admittunt, ſæpe enim impetigines in pueris ſola ſaliua illitæ tolluntur, ut etiam Galenus decimo de ſimpl. med. fac. teſtatur. Ita ergo dum recens morbus eſt, leuioribus illum aggrediemur. Inter facilia refert Crito (teſte Galen.) ſi tritici granis in incudem, uel aliud inſtrumentum ferreum, multis impoſitis, mox lamina ærea ignita & candente illis appoſita, liquor ex eiſdem granis ui ignis eliciatur, atque illo ita calido impetigo illiniatur: quod quidem accommodatum eſt remedium. Sed & ſylueſtris etiam maluæ fructus, dum tener eſt, acceptus & mundatus, ſi contundatur, expreſſoque ex eo ſucco inungatur impetigo, facile, & aptum erit medicamentum: oportet tamen continenter illinire, ſi curare volumus. Item & herba, quæ perdicium dicitur, parietaria uero a multis noſtrorum, eo quod in parietibus antiquis naſcitur, ſi ea frequenter impetiginoſus locus fricetur, ſolet eum curare. Liquor etiam ex humidis oliuæ lignis, uel braſſicarum caulibus, dum comburuntur, effluens vtilis eſt. Sed & portulaca in his ab omnibus commendatur, ſi frequenter illiniatur locus ſucco ipſius: Lychene etiam herba ita a Græcis appellata, quia lychenas ſanat, quæ in petris humidis, & umbroſis, quaſi muſcus oritur, a quibuſdam uerò iunioribus hepatica dicta, in hunc ordinem collocanda eſt. In ſecundo autem

A ordine, utpote quæ fortiora ſunt, & aptiora, cum iam inueteraſcit hic affectus; ſunt hæc, aſphodeli, uel, (ut Latini uocant) albuci radix, ex aceto cocta, & deinde trita, atque inuncta. Præterea & viticis, vel (ut iuniores dicunt) agni caſti folia trita, addito aceto, atque appoſita valent. Item & folia capparis trita ex aceto, & in modum cataplaſmatis impoſita. Hortenſis quoque rumicis cortices radicum ex aceto leuigati, & eodem modo appliciti, Chamæleontis inſuper radix parata. Sunt deinde & alia fortiora, ut ſulphur cum aceto: item ammoniacum, & thus ex aceto diſſoluta: pix etiam inuncta: præterea & halcyoniorum genera, & utrumque veratrum, & ſtercus caprinum. At uerò cum calloſa fit impetigo, his & acriora addunt, ut miſy, atramentum ſutorium, ſquamam æris, & id genus alia, uariaque componunt medicamenta, quorum copioſa ſylua deſcripta in antiquorum libris reperitur. Quæ quidem omnia, his perceptis facilè eſt & in ſuos ordines redigere, & ea iudicare, conſideratis ſimplicium facultatibus, quod in præſentia uolumus prætermittere, ne in his ſimus plus iuſtò prolixi; ad vtiliora enim, & magis urgentia properamus. Et quia decreuimus ad inſtitutum ordinem ſtatim a principio reuerti, qui aliquantiſper rerum affinitate quadam, & conſecutione fuerat interruptus: C Propterea ad reliqua ſenſuum inſtrumenta conuertemus orationem noſtram. Verum quoniam poſt ea, quæ ad oculum ſpectant, omnes ferè medici, tam Arabes, quàm Græci, & Latini de iјs ante alios ſenſus agunt, quæ ad inſtrumentum auditus, uel ad aures pertinent, ob id fortaſſe; quia uiſui affinior eſt, tres enim reliqui minus exquiſiti, & magis materiæ immerſi ſunt auditus uerò magis proximè in hoc, ut Philoſophi 3. de anima, docent, ad uiſum accedit. Ita agemus, & nos hunc ordinem ſequentes.

VICTORIS TRINCAVELII DE RATIONE CVRANDI PARTICVLARES HVMANI CORPORIS AFFECTVS.

LIBER QVARTVS.

De affectibus reliquorum ſenſuum inſtrumentorum, quæ circa caput ſedem habent: ac primum de auribus, earumque morbis diſcernendis, & diſtinguendis.

CAPVT I.

AVRIS, quæ quidem vniuerſa membrum inſtrumentariũ eſt nequaquam ſimplex, ſed multiplex, & ex varijs diuerſæ etiam naturę partibus cõflata eſt, præterea ſua conſtans figura, & cõgrua formatione in numero, ſitu, quantitate, connexione, & figura partium, atque ſuis vijs, per quas tranſeunt ſpecies obiectorum ad auditricem facultatem. Primæ autem, & ſimplices partes, ex quibus coagmentata eſt (quantum huic noſtro inſtituto ſatis eſſe poteſt) vt ab externis, quæ prius ſe nobis cõſpiciendę offerunr, exordiamur, eſt exterior auricula, quã cutis circunquaq; tegit: membranea autem ſubſtantia pręcipuè conſtat, exterius connexa, interius concaua: non tñ habet, qua parte caua eſt, vnam ęqualem planitiẽ, ſed inęqualib. quibuſdam quaſi anfractib. diſtinctam. Interius autem conſtat oſſe duro, in quo veluti exculpta eſt via, uel meatus, per quem obiectorum ſpecies feruntur, ut diximus, ad primum organum; in quo propriè reſidet audiendi facultas: & eſt is meatus non rectus, ſed iuxta atque labyrinthus tortuoſus. Peruenit autem ad aures par vnum neruorum, vel coniugatio: vtrinque enim vnus, magnus quidẽ pro ratione particulæ, & nõ durus, & ex illis, qui in ſeptẽ cõiugationib. ſunt, quę ſtatim ab anteriori cerebro ortũ habent; & ad quintam (ut anatomici teſtantur) coniugationẽ pertinẽt. Quia uerò quò molliores ſunt nerui, eò magis ſenſui exquiſitiori ſunt accommodati: auris autem in corpore humano non mouetur, ſed exquiſito eget ſenſu: Ideo magnos, ac molles neruos natura eſt illi impertita. Magnum præterea nexum cũ cerebro habet: nam præter neruos, meatus auditorius ſuccinctus, & quaſi ſublinitus eſt membrana ipſum circumcirca tegente, quam deduxit natura a duriori, & craſſiori membrana cerebri. Et hæc quidem in præſentia ſatis ſunt, quantum attinet ad hoc negotium: hęc etenim propoſuimus, vt ex ipſis poſſimus omnes differentias morborum inueſtigare, qui in hac noſtri corporis particula conſiſtere poſſunt. Nolumus tamen omnia, uel minima quęque ſectari, quæ poſſent aliquo modo huic loco accommodari; ſed ea tantum tractabimus, quæ proprium aliquem, & priuatum habent curationis modum,

A depromptum ab indicatione, quæ prodire ſolet a propria & priuata iſtius particulæ natura. Nam quãuis multi ſint affectus, qui ſecundum generales rationes, & indicationes acceptas a natura morborũ, ut ſunt dolores, inflammationes, vlcera, obſtructiones, qui ſequuntur naturam aurium, non magis ſecundum ſuam propriam rationem, quatenus auditus inſtrumentum eſt, quam ſecundum rationem illi communem cum alijs innumeris particulis: Attamen quia particulatim, priuatimque in vſu, & materia remediorum, longẽ ab alijs eiuſdem generis in reliquis particulis diuerſam habent rationem a propria eius natura acceptã. Propterea de illis agemus in pręſenti libro vna cum affectibus illi conue- B nientibus, quatenus eſt inſtrumentum auditus. Perſcrutemur ergo has harum affectionum differẽtias, ut ipſis cognitis, methodum curandi poſſimus inſtituere. Eſt itaque conſiderandum, quòd ratione earũ particularum ſimplicium, ex quibus conſtat, auris, uel auriculæ conformatio, uariæ quidem poſſunt affectiones ortum habere, ac multiplices, de quibus omnibus non ſumus in hoc quarto libro uerba facturi: multæ enim ipſorum; utpote quę nullam habeant propriam rationem in eiſdem particulis diſtinctam admodum ab affectibus, in alijs membris repertis, non uidentur eſſe neceſſariæ, ut in hoc loco tractentur: ſicut ſunt papulę, inflammationes, ulcera, quę occupant exteriorem cutem, uel membranam, uel etiam externam auriculam, quia non ha- C bent aliquid peculiare præter id, quod eſt commune alijs id genus particulis. Sed tantum agemus de morbis, qui partes interiores auris tentant, ad ſenſum auditus proximè pertinentes, ut ſunt neruus auditorius, meatus flexuoſus auris, & membrana, quæ deriuata a duriore cerebri membrana ſubcingit, & quaſi veſtit auditorium meatum, uel uiam auditus, qui ferè pupillæ ex proportione reſpondet in oculo. Quòd ſi dicas, cur ergo dum ſermo de ijs, quæ ad oculum pertinebant, haberetur, de affectibus palpebrarum, quę fermè auriculæ reſpondent, actũ eſt? De illis (inquam) tunc egimus, quia magis cum eis conſentit oculus in earum affectibus, eorumq; curatione, quàm cum auricula auris. Sed ad primum noſtrum inſtitutum accedamus. Eſt ergo hoc aduertendum, quòd duo ſunt hic conſideranda non

pauci

pauci momenti, quatenus ad rationem eorum, quæ
ſunt exponenda, pertinet. Primum, quòd cum (ut
diximus) neruus, qui ad aurem à cerebro deſcendit
pro ratione iſtius particulæ, ſit inſignis cuiuſdã ma-
gnitudinis, & ex eorũ numero, qui molliores ſunt:
& id propterea, vt exquiſitior eſſet ſenſus auditus
(hoc enim illi præſtare poteſt & nerui amplitudo,
& eius natura, vel ſubſtãtia mollior, huic rei aptior,
quàm dura) ex his vnum præterea; tanquam corol-
larium ſequitur, nimirum, quòd quicũque nerui ad
aliquam particulam a natura amandantur, præter
omnia alia officia, vt ſuperiori libro fuit expoſitum,
illi particulæ ſenſum etiam tangendi, & qualitates
percipiendi impertiuntur. Nam omnium aliorum
ſenſuum fundamentum, & origo eſt tactus: ſicut pri
mæ qualitates, quę ſunt prima iſtius ſenſus obiecta,
ſunt tanquã principia, & elementa omnium aliarũ
qualitatum, quæ aliorum ſenſuum obiecta ſunt. Vn
de auris non ſolum vim habet exquiſitè audiendi, &
percipiendi ſonos, ſed etiam ea, quæ pertinent ad
ſenſum tactus: ab eo enim neruo audiendi, perinde
vt tangendi facultatem, accipit, ab eius verò natu-
ra, & magnitudine acrem, & perſpicacẽ hunc quo-
que ſenſum. Ex quo deinde fit, vt maximis, & vehe-
mentiſſimis auris interior poſſit tentari doloribus:
tum ſi neruus aliquo doloroſo corripiatur affectu:
tum verò, ſi interna membrana, quæ a pura cerebri
membrana defluit. Qui quidem dolor vnde poſſit
excitari, & a quotuplici cauſa, paulò inferius age-
mus. Alterum verò eſt, quòd partium ratione eſt e-
tiam auris obnoxia vlceribus, tã ab externa aliqua
cauſa concitatis, quàm ab interna, nempe ab acri ali
quo humore a capite defluente in internam ipſam
aurem, ac eam abradente, & mordicante: ſicuti &
multis alijs particulis contingere ſolet. Quæ tamen
incommoda in his auris partibus oriri potius con-
ſueuere, quatenus ſimplices ſunt. Morbi vero oriun
tur, quatenus inſtrumentarium membrum eſt, ſi ali
quid in meatum auditorium ingrediatur, ſiue id ani
mal quodpiã ſit, vt aliqñ pulices, vel culices, vel ver
mes, vel muſcæ, ſiue grana, ſeminave aliqua, aut cal-
culi, vel id genus aliquod aliud, quod aut motu, aut
grauitate, aut extenſione, aut obſtructo meatu, aut
alia ratione faceſſat negotium. Proximè autem, qua
tenus eſt auditus inſtrumentum, malè afficitur au-
ris, qñ ex aliqua in ipſa occaſione audiendi actio im-
peditur. Poteſt aũt, perinde vt omnes ferè aliæ in
corpore animãtis operationes, triplicem ſubire no-
xam. Nam aut omnino auditu deſtituitur, & affe-
ctus is, ſurditas dicitur. Aut imminuitur, & imbecil-
lior fit auditus, & grauitas auditus uocatur, & q. ſic
afficitur, ſurdaſter appellatur. Interdum verò vitia-
tur, vel corrumpitur auditus, cum obaudire, vel per
peram audire dicimur, & ſecus, quam ita ſit: quod
præcipuè fit, qñ excitantur interius in aure ſoni, vel
ſtrepitus, qui aut ſibilos, aut tintinabula, aut fluentiũ
aquarum, vel ventorũ ſtrepitus repræſentant. Quæ
omnia non interius ſonare, ſed exterius obſtrepere
nobis uidentur: ſicut affecto non rectè oculo, ei ui-
dentur variarum rerum tum imagines, tum colores
obuerſari. De his ergo omnibus in ſuum ordinem
ita digeſtis nunc agemus, ſumpto initio a dolore au-
ris, & eius cauſis: mox uero de reliquis eiuſdem affe
ctibus idem ſequentes inſtitutum agemus.

De aurium dolore, ac eius cauſis, & ſignis. *Cap. II.*

NOn habent aurium dolores, ſi in vniuerſum
rem hanc tractemus, alias cauſas ab illis, ex
quib. concitantur aliarũm particularum do
lores, Sępius aũt ſuperius ex Gal. ſententia expoſui-

A mus, primas quidẽ eiuſmodi cauſas duplices eſſe, in
quas tandem omnes alię, quę huc particulatim ſpe-
ctare poſſunt, referuntur. Et illę duę ſunt, intẽperies
aliqua, ex qua confertim, & cito tranſmutatur parti
cula, & continui ſolutio eodem modo facta. Intem-
peries autem, quæ vehementis doloris in cauſa eſt,
aut calida eſt, aut frigida. Item continui ſolutio fieri
poteſt, aut a re incidente, uel pungente, vel morden
te, aut a re implente & extendente, uel grauãte. Sed
hæc noſtro aptemus inſtituto, ne nimis uagantes
tempus præter inſtitutum conteramus. Poteſt itaq;
contrahi intemperies, quæ ſit in cauſa doloris, tam
calida, quam frigida, uel ab externa occaſione, uel
ab interna. Ab externa plerunque, ſi frigida ſit, gi-
B gnitur dolor, uel ab aqua frigida, quæ aures ingre-
diatur; præſertim ſi in huiuſmodi aquis natent, aut
etiam lauentur, & lauando aqua frigidior intret,
quæ uel ſit aqua ſimplex, quæ dulcis appellatur, ſit-
que, aut ex fonte, aut puteo valdè frigido, vel ſint e-
tiam aquæ medicamentoſæ, quales ſunt quarũdam
naturalium balnearum, quę uel ab aliqua ferrea, vel
plumbea minera, præternaturalem, aduentitiam
quoque refrigerandi vim habent, vel ex ſaxis, per
quæ præterlabuntur. Iſtius generis ſunt Veroneſes
eo tempore, quo non tepeſcunt, forſitan & Lucen-
ſes. Interdum vero a frigidiori vento, ſicut illis ſæ-
pe contingit, qui iter faciunt, per loca ventis perfla-
ta, præſertim ſpirante borea, idque facilius a uento
C fit, quàm a ſtante aere, vel etiã frigido, quia ventus
facilius, & citius ſuo impetu fertur in intimũ mea-
tum: aer uero, niſi a vento impellatur, dum in fle-
xuoſo meatu diutius verſatur, concaleſcit: vt nõ ita
deinde facilè noceat. Ita etiam quæ exterius immo-
dicè calefaciunt, & vrunt, concitare dolores poſ-
ſunt. Sed de his non oportet longiorem ſermonẽ
habere, quoniam ſatis nota omnibus ferè ſunt. Niſi
quod & hoc addendum, quod frequentius dolores
ab externa cauſa refrigerante fieri ſolent, quàm a
calefaciente. Ab interna autem frequentius a calida
oriuntur ex humoribus videlicet calidioribus aurẽ
afficientibus. Nam frigidi potius in ventum verſi, &
extendentes, quàm ſimplici tranſmutatione, uehe-
D mentes afferunt dolores: raro enim eſt, quod in ca-
pite, & aure adeo actu frigida ſint, ut ſola tranſmu-
tatione dolorem vehementem moueant, ſed aut re
plendo, aut in ventum uerſi extendendo. Calidi ve-
ro, & ſuo inſigni calore, & ſi acres fuerint, pungen-
do, & mordendo. Quòd ſi etiam abſorpti, uel in mẽ
brana interna, uel etiã profundius in neruo partes
in tumorem attollant, inflammationem efficiunt,
quæ quidem (vt ſępius diximus) multis nominibus
poteſt vehementis doloris eſſe in cauſa: nam & ca-
lefacto loco, & valdè diſtenſo ex multo humore in-
farcto dolorem ciet. Ac quemadmodum ex inflam-
matione, externa immodicè inflammata pars uehe
menti dolore angitur: Ita etiam, ſi incluſum flatuo-
E ſum ſpiritum contineat, qui exire inde nequiens di-
ſtendat, & quaſi dilaceret partes, in quibus contine-
tur, uehementes ea ſuſtinet dolores. Poteſt autem
ſpiritus hic vel in aure generari, cum materiam ca-
lor naturalis imbecillior factus tranſmutat quidem,
& rarefacit, nequit tamen digerere, & omnino ſu-
perare. Interdum uerò (ut in ſuperioribus capitis
affectibus dictũ fuit) flatus in aliqua alia parte, ut in
capite, uel in infernis partibus generatur, & mox ad
aurem fertur. De dolore ergo auris, eiuſq; differen-
tijs, ac cauſis hæc ad prę́ſens negotium ſatis ſunt. A-
gamus modo de ſignis, quibus hæ differentiæ poſ-
ſunt diſcerni, ſed breui oratione: nam hęc eadẽ iam
toties fuere ſuperioribus affectibus tractata, ut ine-
ptus ſanè videar, ſi longus in hac re fuero. Cum ita-

que ab externa cauſa concitatus eſt dolor, quænam cauſæ præceſſerint, quas dolor ipſe mox conſecutus fuerit, audiens medicus ex ægrotante, vel aſſiſtentib. referri, vel ſponte, uel interrogatis facilè poterit de eis fieri certior. Præterea ſi dolor fuerit ſine ulla mordacitate, vel punctione, aut ſine pulſatione, aut ſine grauitate, uel tenſione percepta in aure, uel in capite, item ſi ſine vlla palpitatione; iudicãdum erit dolorem originem habuiſſe ab intemperie ſine materia, calida quidem, ſi ſit cum ſenſu caloris: frigida autem, ſi ſit cum ſenſu frigoris: illa enim materiam ſignificant, vt ſecundo libro ex Galeni ſententia expoſuimus: grauitas enim cum extenſione, & pulſatione, & flamma, & rubro colore intra aurem inflammationis ſigna ſunt. Quod ſi vehementiſſimus dolor fuerit, ſi etiam cum febre ſit, atque (ſicut interdum fieri ſolet) ſi adſit delirium, neque in meatu; dum inſpicis, tumorem cum rubore percipias, ſignum eſt neruum tentari inflammatione, qui, cum ualde ſit profundus, non facilè inſpicientes tumorem intuentur: cum verò cum illo plurimum conſentiat cerebrum: ideo comites ſunt febres, & deliria. Vbi verò in meatu membrana, qua meatus quaſi indutus eſt, inflammatione corripitur, & tumor facilius conſpici poteſt, neque tam grauia ſequuntur ſymptomata: magis enim cum neruo, quam cũ membrana (quamuis & illa ortum habeat a dura membrana) conſentit cerebrum: Vbi autem grauitas cum tenſione, ſine caliditatis ſenſu fit, erit dolor pendens a frigida, & craſſa materia. Aſt vbi tenſio ſine grauitate exiſtat, a ſpiritu flatuoſo concitabitur dolor; augebitq; fidem, ſi aderit palpitatio. Mordacitas verò, & punctio, ſignum erit acris, & tenuis humoris, & calidi. Sed ad curandi rationem deueniamus.

De curandis aurium doloribus ſecundum omnes differentias. Cap. III.

SIcuti alij aliarum partium morbi differentem requirunt rationem curationis, pro ratione diuerſarum indicationum, quæ a varijs eorum morborum differentijs depromendæ ſunt: Ita & aurium dolorum, cum differentes fuerint relatæ eorũ cauſæ, differens etiam erit curatio. Incipiamus autem ea tractare, quæ ad ſimplices, hoc eſt ſine materia temperaturas pertinent, in quibus nulla, quantum ad ipſas attinet, neceſſaria eſt vacuatio, niſi aliquando corpus, vel caput plenum ad vacuandum moueret præ timore, ne quandoque vi doloris attraheretur aliquid ad morboſum locum, unde adderetur intemperiei materia. Itaque ſi frigida ſit intẽperies, uel ex uento, vel ex aqua gelida contracta, ſi quàm celerius aliqua calefacientia inieceris, quorũ maxima ſylua eſt, citiſſimè curabis. Galen. ruri ſe uidiſſe ruſticos ait, qui hoc promptiſſimo remedio facillimè curabantur, accepta nimirum cæpa, & in ea inſculpto foramine, quo oleum infundi, & cõtineri poſſet, & quod & infundebant, eaque calidis appoſita cineribus, oleum calefaciebant, mox modeſtè calefactum in aurem inſtillabant. Nonnulli & alliũ incidentes, oleoque demerſum, eodem modo calefactum, ac coctum inijciebant. Conſueuerat autem Gal. euphorbio eodem modo parato ex oleo uti; dũ tamen modicum euphorbij inijciatur. Sed & piper exquiſitiſſimè tritum, & ſynapi, & naſturtium, aliaque aromata eodem modo adminiſtrata, præterea & caſtorium huic officio idonea ſunt. Sunt etiã innumera olea, vt rutaceum, & multa alia; quorum facta eſt in præcedentib. copioſa mentio. At ſi doleat auris ex ingreſſu in eam aquæ alicuius medicamen-

A toſæ, vt dictum eſt, tunc duos oportet ſcopos habere, primũ vt eluatur, ſi quid adhuc ineſt illius aquę, deinde uero, quia ſemper hæ aquæ medicatæ, & frigidę aliquo modo pręter id, ꝙ refrigerant, ét exaſperant: ideo aliquibus quoq; lenientibus eam aſperitaté opus eſt. Vnde Gal. conſilium in his eſt, ut in aurem iugiter oleum cõe infundamus, iugiter ét abluamus, molli uellere, uel ſpongia exugentes. Sed plurimũ confert, & albus oui liquor, quali in oculis utebamur, & muliebre lac: præterea adeps anſerinus, & vulpinus, niſi ꝙ & hæc, &c. quibus in hac re utimur, oportet modeſtè calida adminiſtrare. Quãuis Paulus, vtpote qui forſitan aliã lectionem habuerit; hæc remedia refert, tanquam apta ad curandos B dolores ex intemperie calida citra materiam. Oppoſitis autem medicamentis eſſet vtendũ, ſi calida eſſet intẽperies, refrigerantibus videlicet: ſicut eſſet oleũ roſaceũ, & reliqua, quorum meminimus in dolore capitis ex calore. Vbi aũt & materia præſens fuerit, iam & plures erunt indicationes: nimirum & ab intemperie, & a materia fouente intẽperiem. Intemperies quidem eandem habet indicationem, quam nuper diximus. Materia uero & ipſa ſuam affert uacuationis indicationem: repletio ſiquidem tollitur vacuatione. Verum ita in hac particula, ſicut & in alijs cõſiderandũ eſt, an morbus, uel ab uniuerſi corporis plenitudine foueatur, uel a capite, quia & uniuerſi corporis, & capitis erit prius habẽda cura, illis C ſcilicet euacuatis, quæ uiſa fuerint uacuatione egere, aut miſſione ſanguinis, aut purgatione per catapotia, uel medicamenta; de qua re ſatis longum ſuperius ſermonẽ habuimus. At vbi fuerimus ab omni hac ſuſpicione liberi, uel quia nulla uiſa ſit copia euacuanda; uel quia fuerit prius uacuata: totam curationem ad aurem conuertemus; ut id, quod iam in morboſo loco comprehenſum eſt, digerendo, maturando, & diſcutiendo remedijs proprijs, & localibus uacuemus: quæ remedia erunt eligenda reſpiciendo (ut ſæpe docuimus) tum morbi naturã, & materiæ, tum naturam particulæ. Vt verò particulatim rem tractemus, a doloris curatione exordiamur qui inflammationem ſequitur. Cuius prima, & præ D cipua curatio eſt, curatio inflãmationis: aurium nãque inflammationes eandem habent curationis rationem, quam & reliquarum partium, quarum ſermo fuit in ſuperioribus habitus, præſertim uerò in vniuerſum, imò ferè & particulatim. Nam & reuellenda eſt fluxio, quæ eſt cauſa inflammationis, in primis ſecta uena humerali, vel cephalica ex eodem latere, perinde, vt de oculis diximus. Quòd ſi uideatur etiã eſſe opus, vt & per medicamenta fiat reuulſio, eiſdem agendum erit medicamentis, quibus uacuari expedire diximus in ophthalmia. Poſtea uerò localibus, & proprijs remedijs locus erit tractãdus, in quibus ijdem erunt ſpectandi ſcopi, qui in alijs inflammationibus ſimilibus ſpectandi ſunt: nempe E vt primum ſit repellentibus incumbendum, deinde illis commiſcenda digerentia, atq; hæc ſemper augenda, uſque quò conſiſtãt, uel inclinet inflammatio, quia eo tempore ſola digerentia accommodata ſunt. De ratione repellentium ſatis egimus in præcedentibus: hæc tantum hic in memoriam reuocemus, quòd oleum roſaceum, præſertim vero omphacinum (ut monet Gal.) conſenſu omnium accommodatiſſimum medicamentum eſt huic ſcopo, cui aliqui parum quid aceti addunt. Raſi aũt & oleum de ſalicibus cum modico aceto probatur. Sed olea omnia modicè aſtringentia, & refrigerãtia poſſunt, ubi roſaceo careremus, in hunc uſum uenire. At uero progrediente ad incrementum inflammatione (quod ſæpius diximus) aliqua laxantia, & digeren-

tia repellentibus addere erit opportunum, in quo genere ſunt adipes, quorum paulò ante meminimus: nimirum anſerinus, & vulpinus, ſed & gallinaceus, & anatis non erunt ab hoc ſcopo alieni, imo & alij: nã pręter id, quod digerendo fluxã materiam vacuant, laxando ẽt, & molliendo dolorem ſedant. Verũ ubi iam cõſiſtit fluxio, & vel omnino, vel maxima ex parte facta eſt inflãmatio, fluxaq. materia, tunc ſolis incumbendũ digerentibus, & concoquentibus. Antiqui aũt in uſu multa habebant pretioſiſſima, & odoratiſſima vnguenta, quibus nobiles matronæ, præſertim vero Romanę ad luxũ gratia ſuauis odoris vtebantur: ſicut nunc vtuntur eo odoramento, quod ambracan appellãt, itidem & muſco, quæ vnguenta relata ad vſum medicinalem vim laxandi, & digerendi habebant: tale erat quod ſpicatum dicebatur, cuius etiam mentio fit in euangelio, præterea & comagenum, & ſuccinum. Verũ quia hæc in præſentia, neque in vſu ſunt, neque reperiũtur: ideo neque vlterius de eis ſermonem habebimus: ſed de ijs, quæ nunc haberi poſſunt, agemus: ſi quis tamen vellet eorum confectionem noſſe, poteſt Dioſcoridem legere. Duorum autem in primis Galen. meminit, alterum, quod de adipibus appellari ait: alterum, quod & baſilicum, quaſi regium, & tetrapharmacum, hoc eſt ex quatuor medicamentis confectum nominatur, nempe cera, pice, reſina, & ſeuo tauri. Sed multa poſſunt præterea reperiri, & alia ad hoc inſtitutum probè facientia, quippe quæ ſint eiuſdem cum his ferè facultatis, unde & diachylon, præſertim verò paruum Meſ. probatur: maximopere vero hyſſopi, vt vt aiunt ipſi, uel potius œſypi ceratum, quæ in ſuo appellato Antidotario relata, & deſcripta reperiuntur, & his temporibus parantur, immo & tetrapharmacum paratur, & eius compoſitio multis in locis deſcribitur a Galen. ſed & a Meſ. Omnia autem hæc præſtantia ſunt, ſi aliquo oleo accommodato diſſoluta, vt fluida fiant, ac in aurem poſſint infundi. Olea verò cõgruentia, ait Galen. ſunt nardinum, vel roſaceum, vel amygdalinum. Meſ. verò chamæmelinum, vel anethinum probat. Quòd ſi quis turbetur, cum uideat olea facultate differentia promiſcuè exponi, ſi Galen. legerit in initio tertij de comp. med. ſec. loc. facilè occaſionem habebit hæc omnia diſtinguendi. Nam quod potius eligendum ſit nobis, aut aeris ſtatus, aut morbi ratio oſtendet, quia ſi æſtas fuerit, & tempus plurimum æſtuoſum, vel ſi aliud fuerit tempus, & multa tamen adſit flamma, multuſque ardor in aure, præſtantius, & tutius erit roſaceum oleum: ſi minor, chamæmelinum, poſtea anethinũ, ſi modicus admodum calor erit, nardinum erit optimũ. Poſſemus & innumera alia referre & olea, & vnguenta, & ſuffumigia, quorum medici celebres meminere, ſed longi nimium eſſemus, ſi particulatim omnia uellemus exponere, nemo enim noſtrum eſt, modo eorum, quæ hactenus explanauimus, memor ſit, qui ea legendo, & cum his conferendo, non poſſit horum omnium ferè rationẽ inire. His igitur tãdem omiſſis, quædam examinemus, quę huic tractationi non ſunt parum neceſſaria. Primum quidem reuocemus in memoriam id, quod ſtatim ab initio iſtius libri dictum eſt, nimirũ quod ob rationem nerui mollis, & magni, qui auri inſertus eſt, facilis hæc particula, & prona eſt, ut corripiatur a maximis doloribus, maximi uero præſertim inflammationibus aſſidere ſolent. Et ideo hic in primis id conſiderandum, quod & Gal. cæteriq. illum ſecuti conſiderarunt, quod hæc curatio propria eſt inflammationis curatio, non doloris. Aliquando autem adeo moleſtus eſt plurimum auctus dolor, ut & ipſe incipiat aliquid indicare, ut ſit iam opus prætere a & dolori uacare. Vnde etiam de doloris mitigandi ratione agendum. Et quia non ſunt in omnibus, & ſemper æquales dolores. Nam aliquando & ſi vehementes ſint, & difficiles, nõ tamen adeo ſunt præcipites, ut omnino cogant ſtatim ualenter ſuccurrere, quia poſſunt adhuc ferri, licet cum modeſtia: Aliquando adeo ferri amplius nequeunt, vt timeamus, ne uires deijciãt. Si ferri poſſunt ratio exigit, vt cum ijs procedamus, quę propriè anodyna dicuntur, quę vim habent leniendi dolorem, ac mitigandi, qualia eſſent oleum roſaceum tepidum continenter iniectum: ipſum enim & pingui ſubſtantia olei laxando, & quoquomodo digerendo prodeſt inflammationi, & dolorem mulcet ac lenit; & non modò hoc nomine confert, ſed & calorem remittẽdo: muliebre etiam lac, tum refrigerando, tum lenitate ſuæ ſubſtantiæ leniendo, dolorem mitigat: præterea & album oui, ut ſuperius etiã diximus. Quòd ſi adeo uehemens, & importunus dolor creſcat, ut ut longius res protrahi nequeat, tunc tanquam ad ſacram anchoram, ad ea, quę ſtuporẽ afferunt, confugimus, & aliquid opij immiſcemus alicui iſtorum medicamentorum, quæ paulo ante referebamus colliquata infundi, ut ſunt adipes, uel tetrapharmacum. Quandoque autem in uehementiſſimis doloribus (ait Gal.) accipimus partem unam opij, duas vero caſtorei, & ſimul miſcemus; tempore uero uſus hæc, uel ex muliebri lacte, & uel ex albo oui, vel, quod etiam præſtantius eſt, ex ſapa diligentiſſimè lęuigamus, & inſtillamus. Monet tamen ipſe, quod non ſtatim ubi confectum eſt medicamentũ, eo utamur, ſed quod ex multo antea tempore habeamus paratum, ut interim mitius, & leuius euadat. Hoc.n. opiatis omnibus commune eſt, quod dũ recentia ſunt, ob opium nimiam habent uim, quæ tempore protracto in mixtione cum caſtoreo, & alijs ſemper remittitur, ac miteſcit. At quædam alia, quæ pertinent ad modum hæc adminiſtrandi, exponamus, ut ad alia deinde tranſeamus. Primum autẽ eſt, quod quæ auri infunduntur, non ſunt omnino frigida actu, infundenda, ſicuti oculis frigida infunduntur, atque hoc quidem a natura particulæ acceptum eſt: auris etenim omnibus ſuis particulis frigidis, & exanguibus conſtat: unde facilè a frigore lædi poteſt: exiguus.n. ſuus natiuus calor ferè extinguitur: oculi vero multis muſculis circundantur, & pinguedine, multas etiam uenas, & arterias habent, & ob id etiam facilius, & minori noxa iniuriam frigoris ferre poſſunt. Alterum vero eſt pręceptum, quod nobis Gal. tradidit, ex multa obſeruatione, & experientia acceptum, ꝙ ſcilicet auris, cum dolet, non ſit interius in meatu tentanda, uel tangenda, neque ẽt proprijs inſtrumentis, quibus adminiſtramus medicamenta, ut ſunt ſpecilli, uel auriſcalpia, vel alia id genus, neq; etiam laneo vellere internæ partes inungendæ: quia morbus, tacto affecto loco, irritatur, & exaſperatur, ſed potius liquefactus medicamentis, vt facilè fluãt, primum inuoluto molliſſimo uellere lanæ ſpecillo auriculari circundolentes partes fouere oportet: deinde idem pharmacum ita temperatum exceptum ſpecillo auri fuſorio demerſo in medicamentũ, ad initiũ meatus inſtillandum eſt, atque ita permittendum, ut ſpontè defluat in profundum: ut tñ infuſio ſæpius repetatur, quoad defluente medicamento repleatur meatus; poſtremo molliſſimo vellere primũ orificium meatus, mox & tota auris leuiſſimè contegenda eſt, ac ita ſinẽda, quouſque opus fuerit iterum fouere, & inſtillare medicamentum, ſemper hoc obſeruato, ne in opere tangatur vel meatus, uel alia dolentis auris pars. Quod

ſi dolor in nullam inflammationem poſſit referri, ſed potius in frigidiorem aliquam materiam, ea plerunque duplex eſſe poteſt, quia aut eſt flatulentus aliquis ſpiritus, aut pituitoſa materia lenta, craſſaq́, incluſa in aliqua auris parte, quæ exitu careant. Solet autem (vt Gal. refert) præcedens aliqua refrigeratio, conſtipata externarum partium cute, prohibere, ne fiat tranſpiratio, & difflatio eorum excrementorum, quæ ſolent continenter difflari per tenues meatus: vnde congeſto interius flatuoſo vapore, & illi intercepto exitu, diſtenduntur partes, & dolore cruciantur. Ex ratione quoque victus incommoda, ex qua fiunt crudi humores multi, fit talium aggregatio, qui multitudine ſua, tam grauando, tum diſtendendo dolores cōcitant. Vnde ſi tantum ſit flatus, dolor (vt nuper diximus) ſine grauitate eſt, ſi craſſus humor, adeſt & grauitas. Rationem autē curandi iſtius doloris, qui à frigidiori materia conſtat, natura rei oſtendet, ſicut in alijs, primum conſiderandū eſt, an prima occaſio generationis huius doloris, à loco affecto prodierit, uel potius an eā aliunde habuerit, videlicet an flatus is in aure, & tantū vitio auris generatus ſit, itidem & craſſa materia dolorem excitans, vel alibi genita hæc in aurem defluxerint: item an adhuc aliquid defluat, quod præſentem affectum continenter foueat, an verò nullum aliunde fomentum habeat, ſed uniuerſum fomentū iam in aure ſit. Nam ſi aliunde, ut ab vniuerſo corpore hac excrementoſa materia ſcatente, foueretur auris affectus, vel ſi ab aliqua parte, ut à cerebro, vel ventriculo, poteſt interdum etiam id fieri uitio uteri, his omnibus conſideratis, oportet medicum in hoc prius incumbere, ut omnem aliam occaſionē, vndecunque illa ſit, auferat, ac primum recta ratione victus inſtituta, qui & tenuior ſit, & attenuans, curam deinceps habere uacuandi, aut vniuerſi corporis, aut aliarum particularum, quæ auriū affectū fouent. De qua quidem re, cum ſuperius iam ſæpius egerimus, & copioſè, ſuperuacaneum mihi videtur velle particulatim alioquin in præſentia ſermonem iterum habere. Quare ponamus iam ea omnia fuiſſe rectè peracta, ad tollendum itaque proprium, & doloroſum auris affectum accedere oportebit. Reuocemus ergo ea in memoriam, quæ paulo ante diximus, nimirum quòd ex obſtructione, & conſtipatione meatuum, atque intercepto exitu, tum flatui, tum verò craſſo, & lento humori, dolor is fuerit cōcitatus. Huic igitur rei imprimis occurrere oportebit ijs, quæ vim habent aperiendi, qualia ſunt, quæ incidere, ac detergere poſſunt, & prǽterea digerere. At hanc uim habent, quæ tenui conſtant ſubſtantia, tenuibuſq́; partibus, quòd ſi inſuper caruerint acrimonia, uel mordacitate: res optimè ſe habebit, quæ enim mordacia ſunt, dolorē deinde augēt. Omnia ergo, quę amara ſunt, accōmodata ſunt noſtro huic inſtituto, & quæcunque ueniunt in uſum in renalibus doloribus ad comminuendos calculos. Vnde oleum amygdalinum, tam dulce, ſi ei alia immiſceantur valentiora, quàm amarum, vel ſolum, vel alijs additis, fortius. n. eſt, quam dulce. Sed & molle nitrum, id namque (vt ſupra diximus) tenuioris eſt ſubſtantiæ, vel eius ſpuma, & aphronitrum, & vtrūque veratrum, nigrum, & album, & ariſtolochię ones, & iris illirica, radix etiam raphani, item cinnamomum, caſſia, piper quoque, & allium, centauriū, polium, & tandem amara omnia, quæ citra mordacitatem meatus purgant. Modus uerò adminiſtrationis eſt, ut hæc terantur, & aliquo excipiantur medicamento, ex eorum numero, quæ eſſe inſtillanda tepida ad ſedandos aurium dolores paulo ſuperius diximus, ſiue ſimplicia ſint, ſiue compoſita. Poſſumus, autem ſi à lenioribus ſit incipiendum, vti oleo expreſſo ex amygdalis amaris: quod ſi id nō profuerit, illi, aut etiam chamæmelino, aut anethino, aut antiquo oleo, aliquid eorum inſpergere, quæ hactenus expoſuimus, uel aliorum ſimilium, quorum copia immenſa reperiri poterit, ſi quis rectè uoluerit ſimplicia à Gal. in lib. de facul. ſimp. medic. examinare, & multa etiam compoſita, quæ paſſim deſcripta habētur, & cum propoſitis ſcopis conferre. Sed iam de aurium ulceribus agamus.

De vlceribus aurium. Cap. IIII.

EAdem etiam, cum de ulceribus aurium curandis acturi ſimus, memoriter tenenda ſunt, quę paulo ante, & de earundē dolorib. explanata ſunt. Ea uero ſunt, quod cum ulcera in auribus oriuntur, poſſunt habere cauſam aliquando externam, ut eſſet incidens aliquod, uel dilacerans, uel contundens inſtrumentum, uel liquor aliquis medicamentoſus, qui mordens, uel abradens, uel erodens poteſt ulcus inferre. Poſſunt ſæpe etiam iſtiuſmodi ulcera cauſam internā habere, ut eſſet tuberculum aliquod, uel inflammatio in ſuppurationem, & abſceſſum conuerſa, & erūpens, aut fluxio acriū, & mordacium humorum, uel ichorum ibi genitorum, vel aliunde, pręcipuè vero à capite amandatorum, qui perinde interdum uim ulcerandi habent, ut multa externa medicamenta. Præterea uerò, & hic aduertendum, an à toto, an à capite, an ab alio morboſo uiſcere foueatur. Quia ſi nihil aliud ſit, quod in curando poſſit aliquod medico alioquin faceſcere negotium, expeditior ac facilior erit curationis uia, utpote, quoniam particulatim ſolum erit ulceri attendendum proprijs, & accommodatis remedijs: Vbi uerò aliunde foueretur, hic etiam oporteret prius purgato corpore, capiteve, aut ſanguine detracto, ut uideretur magis opportunum, omnem aliam auferre occaſionem, antequam poſſemus ſperare exquiſitam curationem, alias enim fruſtra laboraremus. Sed quia (vt item parum antea diximus) vniuerſa hæc ratio in primo, & ſecundo libro fuit exquiſitè tractata, Ideò in pręſentia particulatim de curatione vlceris agemus per accōmodata, & propria eiuſdem remedia. Quæ quidem, quantum pertinet ad primos, & generales ſcopos, à natura vlceris, & eis indicationibus, quæ tum ab vlcere, tum ab ijs, quæ cum vlcere ſunt compoſita, depromendæ ſunt, inquirere oportet: Sicuti deinde materia medicinalis particulatim, qua ſit ſcopis ſatisfaciendum, priuatim eligenda eſt per medicamentorum comparationem ad naturam curādæ particulę. Sed primum ea tractemus, quę ad naturā vlceris pertinēt. Plures, itaque ſunt, & in hoc, & in alijs aliarum partium vlceribus ordines, vel potius differentiæ, quæ iuxta, & differentes requirunt remediorum, & medicamentorum rationes. Aliquando enim ſimplex vlcus eſt, cum quo nulla alia eſt coniuncta affectio, quę propriam aliquam habeat indicationem, quę alicuius ſit momenti, pręter eam, quę omnibus vlceribus communis eſt, & eſt exſiccationis indicatio: ratione enim humiditatis, quę (vt alias diximus) in omnibus ſuccreſcit vlceribus, omne vlcus, quatenus vlcus, exſiccatione eget, & aliqua etiam detersione, vt & à ſorde, quę itidem in vlcere oriri ſolet, mundum ſeruetur, & quando hęc non excreſcunt ſupra rationem illius vlceris, neque alia prętereà illi accidit conditio, vlcus ſimplex dicitur, & vt ſimplex curatur, qualia plerunque ſunt noua, & recentia vlcera. Interdum verò vlceri alia copulātur, quę quoquomodo variant modum, & rationem illius

ſimplicis curationis, quoniam & illa ſuas ſecum afferunt indicationes, quas ſæpiſſimè neceſſe eſt præmittere indicationibus ſimplicioris ulceris. Sicuti interdum, vel ratione corporis malè affecti, vel particulæ fit vlcus virulentum, hoc eſt in quo excremẽtum plurimum, tenue, & veluti ſeroſum, vel ichoroſum abundat, ex quo caro circumcirca vlcus mollis, & fluida, ineptaq; conſolidationi creſcit, ad cuius correctionem opus eſt alio medicamentorum ordine, quam ſimplici vlceri opus ſit. Nonnunquã verò alterum excrementum craſſius ſcatet, quod noſtri iuniores ſordem appellant, & ſordidum id vlcus nuncupatur, quod multã hãc ſordem procreat, quæ nihil aliud eſt, niſi craſſum, & fęculentum pus: ſicut alterum pus tenue, & ſeroſum, quod & ipſum propriam exigit medicamentorum rationem qua mundum vlcus reddatur. Aliquando autem eò res progreditur, vt vitioſis humoribus in vlcere ſcatentibus vlcus, vel putridum, vel corroſiuum fiat, quæ, & ipſę ſunt vlceris differentiæ, ac diuerſum ordinẽ, diuerſamque rationem remediorum, quibus curentur, requirunt. Sunt etiam quandoque cum vlcere aliæ affectuum differentiæ, quæ remouendæ prius ſunt, antequam curetur vlcus, quia curationem vlceris impediunt. Quæ autem frequentius ſolent euenire, ſunt, aut aliqua intemperatura, aut inflammatio. Sed de his quidem non agemus in præſentia, quandoquidem eæ curantur, ut inflammationes aurium curari antea diximus: item etiam ſi adſit intẽperatura curationi vlceris, obſiſtens pro ratione intemperaturæ accommodatis remedijs, hoc eſt contrarijs medicamentis, ſiue ſint vnctiones, ſiue fomenta, ſiue emplaſtra curatur. His ergo poſt habitis, de ulceribus curandis ſecundum prædictos ordines agendum eſt. Quamuis (vt docuit Gale. quarto method.) hi ordines diuerſi non oriuntur ex propria vlceris natura, ſed potius ex diuerſis affectionibus, quæ quantum ad ipſas pertinet, differentes habent rationes ab vlcere, ſunt tamen frequentius, & intimius vlcus conſequentes, quàm aliæ iam dictæ, & cæteræ, quæ cum illis eandem habent rationem. Vt ergo naturam ſimpliciorem vlcus habet, qualia plerunque ſolent eſſe, quę recentia, & adhuc cruenta ſunt, eò, & faciliori, & ſimpliciori curandũ erit medicamento, quod vim exſiccandi tantam habeat, quantum poſtulare videtur natura particulæ, nam particulæ molliores, & minus ſiccæ ſuapte natura minus exſiccantib. egent: ſicciores autem ſiccioribus medicamentis opus habent, pręterea verò & aliquam detergendi facultatem habeat. Vnde, quia auris ſicciſſima particula eſt, ut eius oſtendit compoſitio, ideo etiam valde exſiccantibus indiget. Medicamenta igitur, quæ ad curãda aurium vlcera inijciuntur, pręter id, quod exſiccant, vt ſiccantiora fiunt, diſſoluuntur, aut lęuigantur, tum vino, tũ vel etiam magis aceto. Vtebantur autem antiqui medici (vt teſtis eſt Galen.) in recentibus, & facilioribus vlceribus collyrio ex glaucio, quod ex ſucco illius herbæ Aegyptiacę, quæ cornuto papaueri ſimilis erat, conficiebatur: ea nunc, ut & eius ſucco (quod nouerim) caremus: quod & in affectibus oculorum erat in multo uſu: vim autem aſtringendi habet, qua fluxiones poteſt repellere, ſiccandi, & refrigerandi ob terream ſubſtantiam, & aliquam detergendi ex amaritudine, cuius erat particeps, hoc ergo medicamentum ex aceto inijciebat Galen. Arabes verò laudant mulſam, uel oxymel, aut vinum mulſum primò ad abſtergendum, poſtea verò exſiccabant thure ex vino diſſoluto, aut ſarcocolla, & thure ex vino, & pauco melle, aut myrrha, & aloe ex uino, Galen. tamen in his ulceribus nõ difficilibus commendat collyria, quę diarhodon, & quę de croco, vel diacroca appellata ſunt a ueteribus Medicis, ex aceto inſtillata, uel ex uino, item & Nili collyrium: de quibus ſuperius ſumus locuti. At ſi ulcus purulentum ſit, & copia puris ſcateat, nondum tamen admodum ſit multa, ſiquidem citra dolorem ſit, ualentioribus detergentibus erit opus, qualia ſunt confecta collyria ex myrrha, pręſertim illud Democrati, quod diaſmyrnum appellatur. Dixi citra dolorem ſi fuerit, quia cum doloroſa ſunt ulcera, cauendum eſt ab illis, quæ detergendo mordicant: quoniam dolorem augent, & fluxiones mouent: ſed leuioribus, donec ſędetur dolor agendum. Tertius iſtorum ulcerum ordo eſt, cum adeo putrida, & purulenta ſunt, ut iam ferè maligna, uel cacoethe dici poſſint, quæ longè acrioribus exiccantibus, & detergentibus egent, & quæ quaſi erodendi uim habent, ut ſunt trochiſci, qui Andronij dicuntur, & qui Muſæ, deſcripti autem a Gal. habentur 6. de comp. med. ſec. loc. & a Paulo lib. 7. nec non ab Auic. Meſ. alijſque Arabibus, ſed hi corrupto uocabulo appellant alindaracon. Immo Arabes in eiuſmodi vlceribus laudant uſum unguenti Aegyptiaci appellati, cuius & Meſ. & Auicen. meminere, licet non ſit vtriuſque penitus eadem deſcriptio. Nũc autem tam Andronij trochiſci, quam unguentum Aegyptiacũ parata apud apothecarios habentur, & chirurgis noſtri temporis ſunt in multo uſu. Neque tamen in illis ſimus præcipites, niſi in vlceribus contumacibus, & malignis, quia mordent, & erodunt. Quando uero tanta eſt contumacia, ut neque his etiam valentioribus medicamentis cedant, nullum poſtea efficacius, & pręſtantius eſſe medicamentum, & Galen. & alij teſtantur, quam ſit ſcoria ferri ex aceto acerrimo pluribus diebus trita, & diligentiſſimè ad ſolem lęuigata. Vbi notat Galen. unum, quod ui detur prima facie præter omnem rationem, ueriſſimum tamen eſt, & frequenti experientia probatũ, quod licet auris inflammata, & dolens neque leuem etiam contactum lenis, & mollis alicuius rei ferre poſſit, cum tamen inflammationis, & doloris eſt expers, acerrima perfert medicamenta.

De affectibus, ex quibus lęditur actio ſenſus auditus. Cap. V.

Adeo ſenſus hi exteriores, pręſertim uero quatuor, qui circa caput ſiti ſunt, eandem inter ſe ſimilitudinem, vel proportionem habent, ut ſi quis unius rationem probè teneat, facilè poſſit ſecundum illius comparationem, aliorũ rationẽ percipere. Vnde ſicuti triplicem oculus, uel uiſus habet modum, quo lędi poteſt eius actio, quia aut omnino aufertur, ut in cęcitate, aut imminuitur, ut in luſcis, & qui hebetis ſunt viſus, aut uitiatur, & corrumpitur, ut in ijs, qui hallucinantur: Ita in ſenſu audiendi, ſurditas cęcitati: grauitas auditus (ſicut in illis, qui ſurdaſtri ſunt) luſcis ex proportione reſpondet: & ſtrepitus, vel ſoni, qui percipiuntur in auribus, nulla re externa ſonante, vel obſtrepente, imaginibus ob oculos obuerſantibus, de quibus latè locuti ſumus, ſimilem habent rationem: Immo non ſolum ijdem ſunt modi lęſionum, ſed ferè idem eſt etiam modus, & ratio affectuum, uel cauſarum, à quibus fiunt hęc impedimenta in hoc ſenſu. Vnde quemadmodum uapores mixti in humoribus, uel tunicis oculorum è directo pupillę offerebant quaſi imagines uiſui, tanquam rerum obuerſantium in exteriori medio, ſic & uapores, uel flatus in aure ſpiritus agitantes, & ferientes organum auditus, ſiue ſit extrema pars nerui peruenientis ad aurem (ut

uoluit

uoluit Galen.)ſiue ſit aer in aure congenitus (ut Ariſt. 2.de anima ſenſiſſe videtur) afferunt quandam ueluti imaginationem rei ſonantis,non in aure,ſed in externo aere. Ac ſicut etiam aliquando uapores hi in oculo ſedem, & ortum habent ex eius primario affectu: interdum ex alterius conſenſu, nempe capitis, uel inferiorum partium,præcipuè uerò uentriculi,quandoque & uteri,ſæpe & corporis uniuerſi: Ita & ſtrepitus aurium penitus eodem modo concitari poſſunt. Quare,& in uomitu, ac morſu uentriculi, ſic ſtrepitus aurium, ut oculorum imagines percipi ſolent, prout uapores magis in hanc, uel in illam partem,uel in utranque feruntur. Similiter etiam in febribus acutis, & cum futuræ ſunt iudicationes, ſolent non minus ſtrepitus in auribus, quã oculorum imagines percipi. Et modo quo imagines, cum in longum tempus protrahuntur,cæcitatem,& ſuffuſionem minantur, nimirum quia tandem fiunt primarij affectus, eodem quoque tinnitus, ac ſtrepitus diuturni futuræ ſurditatis nuncij ſunt. Nec ſolum ijdem ſunt modi, & ſimiles læſionis cauſæ,cum uitiatur actio, uerum & cum aufertur,uel imminuitur. Nã quòd quis, aut ſurdaſter, aut ſurdus factus ſit(neq;.n.hæc differunt,niſi ratione maioris,uel minoris illatæ offenſę) poteſt, ſicuti & de uſu diximus,ortum habuiſſe,aut à facultate in ſuo initio,aut ab organo auditus. A facultate,aut ab ea,quę corpus regit, quę ad magnam deuenerit imbecillitatem, uel ex reſolutione,uel ex extinctione: ſicuti quando corporis totius uires languent, quod interdum ex inedia, interdum ex malignis,& uehementer acutis febribus, ac turbulentis morbis, uel in quibus à nimia copia ſtrangulatur natiuus calor, unde 4. Aph.& 1.Prorrh.pronuntiarunt Hippo.& Gal.ꝙ ſurditas in febribus malignis,& turbulentis, ubi uirium adſit infirmitas, ſignum lethale eſt. Aut ex defectu animalis facultatis, quę in cerebro eſſe habet,qui defectus,aut ſpirituum eſt, aut ob aliquẽ affectum cerebri, ut eſt intemperatura, dolor uehemens,& id genus alia. Ex defectu autem organi eſſe poteſt,uel ratione partium ſimpliciũ,ex quibus eſt conſtituta auris, qui quidem defectus eſt earum partium intemperatura aliqua cũ materia, uel ſine materia: Vel eſt eius defectus,quatenus organicum membrum. Et is defectus eſt,aut obſtructio,aut condenſatio: quibus prohibetur tranſitus ſpirituum deferentium facultatem auditricem à cerebro ad organum,aut tranſitus ſonorũ,& uocum ab externo aere ad internum organum. Conſtipatio autẽ præſertim ad neruum pertinet,de qua condẽſatione latius egimus,ubi de reſolutione neruorum fuit habitus ſermo: Obſtructio uerò, aut in neruo fieri põt: aut in meatu auris: In neruo quidem,aut à craſſo,et lento,uel multo humore: Interdum,& à bilioſa materia,ſicuti quando ſurditas (ut ait Hipp. in Apho.) ſoluit diarrhęam,& diarrhęa ſurditatem. Interdum uerò ab aliquo tumore pręter naturam, ut ſunt inflammatio,ſcirrhus,& œdema. In meatu etiam ab aliquo ſuccreſcente tumore ex nuper dictis poteſt fieri obturatio, quę ſonis audiendis ingreſſum prohibeat. Vel ex eo excremento luteę cerę ſimilis, quod per aurem expurgatur, cum multum ex negligentia congeritur,& induratur, ac meatum replet. Poteſt,& ex ingreſſu alicuius humoris, uel rei corpulentę meatum obſtruentis. Iam ergo breuiſſimè perſtrinximus,apertè tamen, omnes differẽtias lęſi auditus, & eiuſdem etiam cauſas. Reliquum eſt, ut de ſignis pauciſſima quędam dicamus. Quatenus igitur ad ſtrepitus,& ſibilos pertinet,qui aliarũ partiũ conſenſu fiunt,eodem modo diſtingui poſſunt, quo imagines in oculis diſtinguendas diximus præſertim uerò ſi obſeruauerimus, quo modo ſe, aut vniuerſum corpus habeat, aut vẽtriculus,aut vterus. Deinde ſi ſemper audiatur, aut certis quibuſdam horis,& reliqua: de quibus ſuperius diffusè loquuti ſumus. Ita etiam ſi ex capite ortum habeat ſibilus, caput,& cerebrum quo pacto ſe habeant, conſiderandum eſt: inſuper an grauitas capitis percipiatur, vel tenſio, vel titubatio,vel id genus alia. Cum verò primarius erit affectus, aliqua ibi erit, aut grauitas, aut tenſio. Cauſæ etiam pręcedentes procatarcticę, & victus ratio facilè hæc omnia vobis oſtendent. Similiter cum,aut vomitum, aut futuram criſin nunciabit, ex nauſea pręcedente, & ex ijs, quę indicant criſin futuram facilè percipi poterit. Itidem de graui auditu,ac ſurditate dicemus, cum defectu facultatis accidunt, cognoſcetur ex pręceſſione earum ęgritudinum,quę vim habent reſoluendi vires,inedię,vel immodicę alicuius euacuationis. Sin autem ex defectu facultatis animalis in cerebro ob aliquã intemperiem, aderunt ſigna eam intemperiem oſtendentia, de quibus in 2. libro copioſè actum fuit. Sed,& rariſſimè contingit,vt,cum defectus eſt in principio,hoc eſt,in cerebro, vnus tantum ſenſus malè habeat, immo hoc ſignum ſatis efficax eſt,quòd lęſi ſint ſenſus hi quatuor exteriores vitio cerebri,ſi plures ſimul ſint lęſi. Quando autem id accidat ratione inſtrumenti, ſiquidem ob aliquam earum partium intemperiem acciderit, neceſſe eſt aliquas pręceſſiſſe cauſas, pręſertim vero externas, & procatarcticas appellatas,quę euidentes ſunt, ex quarum notitia poterit, qualis ſit illa intemperies, cognoſci. Sed ſi ſit cum materia, rationem eam cognoſcendi expoſuimus, cum de aurium dolore egimus: Ita etiam ſi contingat ex inflammatione nerui: Si vero accidat ex frigidiori tumore, qui viſu percipi nequeat, aliqua ſaltem tenſio cum grauitate id demonſtrabit: At ſi hęc in meatu fuerit, oculis etiam,& affectus,& cauſa cerni poterit. Obſtructio etiam cognoſcetur, cum à craſſo humore frigido ortum habuerit,quia aderit grauitas,& tenſio,& à calefacientibus iuuari videbitur, & potius frigida ſentietur,quàm calida auris. Sin autem à bilioſo humore, minor erit grauitas,vel tenſio, maior autem calor,& aliquis aderit morſus. Verùm, & in his, & plerìſque alijs morbis anteacti victus ratio maximã occaſionem pręſtat cognoſcendi differentias, & cauſas ipſorum affectuum.

De affectuum curatione, quorum vitio lęditur auditus modo iam expoſito.
Cap. VI.

QVia de curãdi ratione ſonos, qui obſtrepere in aurib. uidentur,ſermo inſtituẽdus eſt: primũ quidẽ unum eſt exponẽdũ, quod & utile ad ea, quę dicenda ſunt, & non ingratum auditu erit, quodq; communi ferè ratione poteſt, & ad auditum, & ad uiſum pertinere. Illud igitur aduertendum eſt, quod & ſi dixerimus imagines ob oculos apparere,quando uapores aliqui obſcuriores, humoribus immixti occupant oculorum ſpatium, qđ ante pupillam eſt: Ita etiam fieri ſonos in auribus cum uapores,uel in aure geniti,uel aliunde ad aurẽ delati, motis aut ſpiritibus uiſorijs,aut externo aere feriunt organum auditus. Attamen nunquam & oculus ita liber eſt,quin aliqui ſint uapores; ſaltem qui ex actione caloris naturalis oculorũ in humores generantur: ſicut, & generantur in omnibus alijs particulis in quacunque uiuenti re: unde quãdo fit conſtipatio extimę cutis, retentis his uaporibus, ut ſępius fuit expoſitum, non raro lęduntur parti-

culæ. Sic & auris interna nunquam ita quieta, quin in ea ſint aliqui item vapores, vel flatuoſi ſpiritus, qui aliquem in aure motum cieant, quod inde maxime apparet, quia appoſita manu, aut aliqua re caua auri, percipitur murmur quoddam in ea, & ſonitus, quem incluſi aeris motus refert. Verum ea eſt ratio omnium ſenſuum, immo facultatum omnium, quod non ab omni re, in quacunque magnitudine, & menſura patiuntur, vel afficiuntur. In vniuerſum enim Philoſophi hoc probant, quod nō quodlibet a quolibet patitur, ſed determinatum a determinato. Idcirco plerunque neque oculus vapores percipit, niſi quando, & plures, & turbulentiores fuerint, quam rei natura requirat: Neque auris quemcunque motum in ea excitatum ſentit, niſi fuerit certi alicuius impulſus, ut uidelicet a vehementiore impellente allidatur ad organum, quā cum a vapore, qui ſecundum naturæ rationem generatur in aure. Sed huiuſmodi ratio ſentiendi minuta, non eſt in omnibus æqualis. Nam perſpicacitas ſenſus varia eſt in varijs hominibus. Aliqui enim vel minutiſſima quæque perſpiciunt, vel audiunt, quę alij vel integris etiam ſenſibus percipere nequaquam poſſunt. Quandoque autem in aliquibus eo res prouehitur, ut adeo fiant acris, & perſpicacis, & adeo mundi ſenſus, ut & uapores, qui etiā naturali, non extranea aliqua cauſa in oculis continenter (ut nuper expoſuimus) generantur, perſpiciant, perinde ut alij craſſos, & turbulentiores, & hac ſola ratione illas imagines obuerſari ob oculos uideant, non extranea & morboſa cauſa: Simili modo etiam nonnulli auditum habent ita acrem, perſpicacemque, & aurem emunctam, ut uel motum, quem quaſi perpetuum, & naturalem eſſe in auribus diximus, continenter, tanquam exterius aliqua ſonent, percipiant. Vnde eiuſcemodi ratio vitiatę operationis viſus, uel auditus, quę ſolet ex iſtiuſmodi cauſis ortum habere, non alia ratione curanda eſt, niſi facto obtuſiore ſenſu, id vero fieri hoc modo Galen. docuit, ſi modicum opij diſſoluatur, uel ex lacte muliebri, vel ſimili aliqua re ex illis, quę ſuperius fuere expoſitæ: atque in aurem, uel oculum inſtilletur: itidem etiam facient alia, quæ uim habent ſtuporem inducendi. Alię vero differentię aliam rationem curationis requirunt. Et quæ quidem non ex proprio aurium uitio, ſed conſenſu, uel cerebri, uel uniuerſi corporis, vel ventriculi, uel uteri excitantur, curationem requirunt illius partis, cuius conſenſu uitiatur auris operatio, uerbi gratia capitis, uniuerſi corporis, uentriculi, uteri, aut alterius particulę, cuius conſenſu uideatur auditus lędi, per uacuationem earum partium, remotionemque intemperiei, ſi aliqua in eis facta fuerit. Sed de his particulatim agere non eſt præſentis inſtituti. At ſi fuerit ex aliquo proprio auris affectu, cum plerumque illud fiat a flatu genito, vel ex frigore, uel a materia pituitoſa ibi congeſta (quāuis neque alienum a ratione ſit, ut interdum ex vapore bilioſo) in his ergo primum habita cura uniuerſi corporis, aut capitis, ſi ex horum plenitudine foueri uideatur, & cuſtodiri aurium affectus eo modo, quo tum uniuerſi corporis, tum capitis moliendam uacuationem, vel purgationem ſuperius ſępe docuimus, & eorundem etiam corroborationem, ad localia medicamenta particulatim accedendum. Verum cum (ut diximus) ſoni hi a flatu intercepto, & exitu carente excitentur, & ex craſſa, ac lenta materia plerunque, eandem curationis rationem requirunt, quam dolor auris a flatulenta, uel pituitoſa materia concitatus: uidelicet aperientibus, attenuantibus, & diſcutientibus quibus ſi vſus medicus aliquanto tempore nihil uideatur proficere, ſignum ſatis euidens erit, id pendere ex acrimonia, & perſpicacitate ſenſus, quare alia tunc erit incedendum uia. Quatenus uero ad ſurditatem, & auditum grauem curandum pertinet, ſi rectè omnia, quę hactenus in medium prolata ſunt, animaduerteritis, non egebimus, aut multo labore, aut longo ſermone. Nam ſi fuerit factus aliquis aut ſurdus, aut ſurdaſter ob defectum facultatum, vel omnium, uel animalis in cerebro, occurrendū, & conſulendum prius principijs, a quibus defluunt facultates, ſecundum propriam earum partium rationem, ut ſi ex membrorum principalium affectu languor facultatum, & uirium pendeat, illis conſulendum erit ea methodo, quę illi affectui tollendo erit accommodata, ſi ex uirium imbecillitate ob ſpirituum reſolutionem, aut alimenti defectum vires refectione inſtaurandæ erunt. At vero ſi hęc accidant ex aliquo uitio contracto in organo, ſi uitium id ſit intemperies ſine materia, corrigenda ea erit per cōtraria, ut diximus, cum de dolore ageremus. Si autem cum materia, euacuatione illa tollēda eſt, Vnde & 4. Aph. cum dixiſſet Hipp. interdum ſurdi- Com.28.
tatem ex diarrhęa curari poſſumus cum Galen. in Com.17.
6. Aph. ſubiungere, quòd hoc unum ex ijs eſt, in quibus docetur medicus naturam imitari, cum rectè operatur. Sed hac etiam ratione ſolent ſpontè curari ſurditates (ut ibidem teſtatur Galen.) quæ repente fiunt, & tanquam ſymptoma accidunt febricitantibus ſępe ante futuram morbi iudicationem: propterea ſi uiderentur ſigna futuræ iudicationis, res naturę eſſet committenda. At uerò cum nulla apparent ſigna futuræ morbi criſeos, arte moliri uacuationē oportet. Sed duplex eſt uacuandi ratio, ut ſæpius diximus, altera generalis, quę prius, & uniuerſum corpus reſpicit, & caput quam particulatim aures, quamque moliri ſolemus per purgantia medicamēta, præſertim cum ſuſpicamur affectum aurium aliunde foueri: Verum cum alio non eſt proſpiciendum, niſi particulatim ad materiam aures occupantem, localibus remedijs, quæ digerendi & laxandi uim habent, ut ſæpiſſimè dictum eſt, tentandum erit uacuare, qualia ea ſunt, quæ fuere paulo ante prioribus capitibus expoſita, & eadem omnino commoda erunt ad tollendam obſtructionem in neruo auditorio ex infarctu craſſiorum, & lentorum humorum, niſi antiquior fuerit obſtructio, ut iam induruerit, tunc enim addenda eſſent, quæ & incidendi attenuandique, & detergendi inſignem haberent uim. unde quandoque & oxymel ſcilliticum, & caſtoreum, & alia iſtiuſmodi inijciuntur. Sed ſi ſit ex condenſatione facta a frigore, eadem erit curatio inſtituenda, quæ ex dolore a frigore fuit explicata. Ex inflāmatione vero curat' curata inflāmatione, de qua abundè ſumus locuti. Ex ſcirrho autem inter initia quidē fortaſſe curabitur rebus interdum mollientibus, ut ſunt adipes, de quibus, quantum ſatis eſſe poteſt, uerba antea fecimus, deinde uero digerentibus, & attenuantibus, quæ non ſunt repetenda, cum fuerint alias explanata. Obſtructio vero, quæ fit in meatu, vel a ſorde, uel a pure in grumum coacto, poteſt curari auriſcalpio, interdum forfice, ſed poſſumus uti mollientibus medicamentis, deinde incidentibus, & attenuantibus, unde & oleum amygdalinum ad molliendum aptum, ad incidendū, & attenuandum oxymel, uel ſimplex, uel ſcilliticū, ad detergendum mel roſaceum. Si uero fuerit aliquod corpus ſolidum, quod in auris meatum inciderit, uel a quopiam iniectum fuerit, ut lapillus aliquis, aut granum, aut aliquod huiuſmodi extrahetur, quandoque inclinato capite in eam partem,

quę

quæ obſtructa eſt manu ſuffulto, quæ ex ea parte eſt, ſi mox inſiliat, altero tantum pede, qui item eſt ex parte auris affectæ, vel ſi puer eſt, pedibus arreptus, & pronus in caput concutitur: ſi autem adultus extenditur ſupra tabulam, ita ut aure affecta decumbens hæreat tabulæ: moxque attollitur tabula ex ea parte ubi caput tabulę inhæreſcit, ac permittitur deferri deorſum: facilè enim ex concuſſione eliditur id impedimentum: interdum etiam ſi aſpectus ad rem contentam pertingat, aliquo inſtrumento ab operatore extrahitur. Sed ſi ſit animaculum aliquod, quod in aurem ſit ingreſſum, inſtillabimus aliquid, quod interficiat, niſi ſaltu, & alijs ſimilibus commentis facere poterimus, ut exeat: ſicuti ſcāmonium ex aceto, uel abſinthij ſuccum, uel peucedani, aut nitrum, & ſulphur ex ſucco rafani. Sed ſatis iam de his. Quare opportunum erit, vt ad alia tranſeamus. Non tamen ab re fuerit hoc etiam medicamentum vobis proponere, quod multis in plurimo vſu eſt, & vulgaribus, & mulierculis, & pluribus ſurdis uidetur contuliſſe, neque præter rationem. Accipiunt pinguedinem anguillę, quam, dum veru torretur, deſtillantem colligunt, & in aurem ſurdaſtri inijciunt præter enim uim eam, quam ex pingui ſua ſubſtantia molliendi, laxandi, & digerendi habet, dum torretur, fiunt partes eius tenuioris ſubſtantiæ, ſicut de oleo lucernæ ſuperius diximus ut & ea ratione magis attenuet, & diſcutiat, quod ſi inter ſegmenta anguillæ interpoſita ſint cum veru affiguntur folia lauri inde etiam illis maior uis attenuandi, & digerendi accedet. Quia uero ſermo intercidit de illis, quę auris meatum ingreſſa aut obſtruunt, aut alioquin moleſta ſunt, in quibus præter alia animalia, ut pulices, culices, cimices, formicas, & id genuis alia, ſunt etiam vermes, de quibus quædam paucula verba facere inſtitui ob id in primis, quoniam in aliquibus locis præſertim uero in Germania (ut mihi relatum eſt) frequens eſt hæc moleſtia, plurimi enim ſunt, in quibus uermes innaſcuntur, atque tum morſu, & punctione, tum motu plurimam afferunt iniuriam. Ideo neque hoc uolui conniuentibus oculis prętерire. Vermes itaque qui in auribus reperiuntur, aut ex aure ſuum habent ortum: aut alibi geniti aurem ingrediuntur. Nam memini me quendam uidiſſe, qui cum in quodam cubiculo decumberet, quod horreo, in quo triticum ſeruabatur, ſubiectum erat, expergefactus aliquando manę percipit motum, & morſum intra aurem, in quam diligenter familiares inſpicientes inuenere tineam, quales ſunt, quæ in tritico gignuntur, quæ quidem non ſine labore fuit extracta. Fiūt autem in aure vermes, non niſi ex putri materia, quę duplex eſſe poteſt. Nam aliquando in ulceribus, quæ putrida ſunt, uermes gignuntur, ſic in auribus, ut in alijs particulis. Aliquando uero ex aliqua excrementi materia, quam natura per aures expurgando excernit, atque ibi in aure mora tracta, putreſcens in uermem tranſit, Duplex autem eſt iſtius affectus curatio: Altera quando iam factus eſt uermis, nempe ut extrahatur. Altera ut eos, qui obnoxij ſunt huic morbo, cuſtodiamus, ne ab eo corripiantur, & prohibeamus a uermium generatione. Sed de priori primum agamus: facile uermis ille extrahitur, uel auriculari ſpecillo, uel alio inſtrumento, cum in eo loco eſt, ut conſpici poſſit: at ſi intimius ſit, ut nequeat uideri, ſi uiuus aliqua ratione extrahi poſſit, melius erit: alioquin enim erit interficiendus. Solet autem facilius hoc modo uiuus extrahi, ſi fecerimus quaſi (ut noſtri chirurgi appellant) ex axungia, uel porcina, uel gallinacea, uel anſerina, uel alia ſimili, ſalis tamen experte, atque imponamus auri, in qua maneat per ſpatium aliquod, facilè enim eo cibo, quo maxime uermes delectantur, allecti illi affiguntur, atque ita ſimul cum axungia impliciti extrahuntur ſicut alia animantia, ut pulices, & id genus: alia educuntur interdum impoſito coto, uel molli uellere optimè carminato auri: animalcula enim hęc illi, dum mouentur, ſolent inuolui, & quaſi irretiti eo coto, uel uellere extrahuntur. Quod ſi hoc modo fieri nequeat, interficienda ſunt: ea uero occidunt amara omnia, ut ſuccus abſinthij, ueratra, peucedanum: a Tralliano autem Alex. & alijs Græcis ad necandos uermes, & id genus animalia plurimis laudibus effertur (cui & Galen. 7. de ſimp. med. fac. & Paulus conſentiūt) ſuccus, uel decoctum calaminthę iniectum in aures, quod ait Alex. plurimum ualere in omnibus etiam ſupradictis aurium affectibus, ut ſunt ſoni, ſurditates, & graues auditus: conandum deinde, ut interfecti extrahantur. Ad quod eſt quoddam commentum, quod poteſt eſſe utile ad extrahenda omnia, quæ auribus ſunt illata, ut ſcilicet auriculare ſpecillum molli lana optimè inuolutum reſina, vel alio glutinoſo medicamento imbuamus, imbutumque auri eatenus, ut rem extrahendam attingat indamus; atq; ita illam hærentem commode educemus. Altera uero curatio eſt, ut caueamus, ne generentur uermes: & illi quidem, qui ex ulcere putrido ortum habent, requirunt ulceris curationem, de qua eſt ſuus habitus ſermo. Qui uero cum excrementoſa materia ſine ulcere fiunt, cum id plerunque ex intemperante uictu, & excrementoſo contingat: primum indicant corpus, prę ſertim caput purgandum, victumque corrigendum, quantum autem ad propria remedia ſpectat, detergentibus, & deſiccantibus eſſe utendum, ſicut ſunt amara, de quibus nuper etiam verba fecimus.

De parotidibus. Cap. VII.

Sicuti oſtendimus plurimam organum auditus cum uiſus organo ſimilitudinem, & proportionem habere. Ita etiam in tractationibus iſtorū affectuum, qui ad hos ſenſus pertinent, eandem ſeruemus rationem. Poſtquam ergo abſoluimus ea, quę internis auribus euenire ſolent, agamus & de illis, quæ oriri conſueuere in externis partibus circiter aurem; pręſertim uero de inflammationibus, quibus attolluntur in tumorem partes, quæ ſunt ſecundum aures, unde & παρωτίδες à Gręcis ſunt appellatæ, quaſi iuxta, vel ſecundum aures. Volumus autem de hoc affectu ſermonem inſtituere, quia frequenter ſolet oriri, præſertim uero in febribus (vt teſtatur Galen. 4. Apho.) laborioſis, & malignis, & Com. 7
quæ non parum negotij faceſſunt. Sæpe etiam qui in febribus a parotide corripiuntur, malum ſortiuntur finem, pręcipuè ſi uires habuerint imbecilles, uel propter morbi longitudinem, uel prauitatem, uel propter ætatem: rem ergo aggrediamur. Cum in genere inflammationum ſit, & omnis inflammatio ex fluxione fiat: fluxio vero duplicem habeat occaſionem; alteram a parte amandante, & impellente alteram a ſuſcipiente impulſam fluxionem; neceſſe eſt, quòd duo hæc conueniant ad hoc, ut concitetur inflammatio, robur particulæ impellentis, & imbecillitas eius, quæ ſuſcipit, Poſt aures autem ſunt carnes adenoſæ, ſicut & in inguinibus, & ſub alis, quę ſuapte natura facillimè, cum ob raritatem ſubſtantiæ, tū ob imbecillitatē in repellendo; recipiunt excrementa ab alijs fortioribus particulis impulſa: immo ea ratione tales a natura creatæ ſunt, ut faciles ſint ad admittenda excrementa expulſa a nobilioribus

lioribus

-lioribus viſceribus, quorum natura maiorem curã habet. Fiunt autem ſæpe parotides impellentes cerebro ad eas adenas ſuperuacuos humores, vt noxias materias à ſe extrudat. Aliquando etiam fiunt impellente uniuerſo corpore, & hoc (vt ibidem docuit Gal.) accidit in febribus, maximè verò continẽtibus cum morboſæ materiæ attolluntur vi caloris febrilis in ſublime, quæ mox à natura febres iudicatura ad adenas, vel adenoſas partes impelluntur: quamuis iudicationes hæ (vt Auic. 2.4. aſſerit) difficiles eſſe ſoleant, & quæ ſæpiſſimè oſtendant febris malignam naturam. Solent autem, vt 2. Progno. ait Gal. iudicari febres per parotidas, quæ neque pendent à materia admodum calida, tenui, & acri, quonium illæ plerunque per excretionem iudicantur, neque admodum craſſa, quia tales febres potius per abſceſſum ad bubones, vel articulos iudicantur, ſed quæ à materia dependent media inter hæc duo extrema, quæ licet non ſit adeo craſſa, vt quando fit abſceſſus ad inferiores partem, eſt tamen omnino potius craſſa, & ſi interdum diſcutiantur, reſoluanturque parotides, ſicuti quandoque in robuſtis, & iuuenibus, plerunque tamen ſuppurantur, & in abſceſſum tranſeuntes inciduntur, ac ſi Hippo. præſtãda fides eſt ſexto. Epid. quarto vero libro commen. Gal. melius eſt in febribus, ut ita ſuppurentur, quia in acutis febribus, ſi parotis citra ſuppurationem euanuerit, expectare oportet recidiuam. Sed & hoc addendum quantum ad parotidum rationem pertinet, quod in acutis febribus parotis bona, & ſalutaris eſſe poteſt, cum poſt apparentem concoctionem oritur, ſicut & reliqua, quæ ad criſin ſpectant, alioquin enim, ſi in principio morbi oriatur, nunquam bene finiri poteſt, immo (ut ex Hippo. & Galen. 2. libro comm. in 1. Epid. poteritis percipere) poteſt oriri in principio parotis, quæ fœliciter videatur procedere per omnia ſua tempora, vſque ad ſuppurationem, vt effluat deinde pus rectè paratum, & coctũ: nihil tamen ad ſalutem recuperandam proſit. Futuram parotidẽ præſens vnuſquiſque, vel rudis cognoſcere poteſt ex colore, dolore, & tumore loci poſt aures. Quæ autem Galen. tum primo de Criſibus, tum vero in fine 3. libri Prorrhe. expoſuit, nimirum ſomnus grauis, dolor capitis, & ſurditas repente ſuperueniens, antequam incipiat, ſignificant futuram parotidem (nam priora ſigna ſunt iam incipientis) inditio vero hæc ſunt, quod materia, quæ prius in inferioribus uenis, & uiſceribus contenta fouebat febrem, nunc repentè elata ad caput fertur: vnde, & rectè dixit, quod parotin ſignificant, ſi repẽtè fiant. Quantum autem ad rationem curationis pertinet, ſi rectè voluerimus, quæ hactenus dicta ſunt, examinare, facilè percipiemus triplicem eſſe parotidum rationem: Aliquando enim ſine vlla febre fiunt natura purgante cerebrum ab excrementis in eo congeſtis. Interdum verò fiunt in febre, & in febre aliquãdo magis rationem ſymptomatis habent, ut quando in principio ante concoctionem extuberant: Nonnunquam autem rationem habent expulſionis criticæ, ut cum morbo concocto fiunt, & cum leuamine laborantis, ac remiſſione febris. Et ſicut differentes ſunt hæ rationes, ita etiam differenter tractandæ ſunt. Nam quæ criticæ ſunt, ſi fiat prompta, & uelox expulſio, relinquendum eſt ferè omne negotium naturæ, præterquam quod maturantibus iuuanda, vt citò ad ſuppurationem deueniat: mox aperto abſceſſu detergentibus mundum reddendum eſt vlcus, ut carne repleri poſſit: deinde exſiccantibus ceratis, uel vnguentis pro exigentia rei deducendum ad conſolidationem ſicuti & reliqua vlcera ſolent. Sed in alijs, quæ non

A ſunt propriè criticæ, quædam ſunt tanquam præcepta communia, & generalia, quæ in omnibus ferè inflammationibus locum habent, & reſpiciunt potius ad inflammationem inter initia dum fit, & eſt in generatione, quàm dum facta eſt. Et de ea, quę febres ſequitur, tanquam ſymptomata (mea quidem ſententia) & ipſa dimittenda, & ſinenda, non iuuanda, non impedienda, ſed totum negotium conuertendum ad febrem curandam. non enim impedienda ea expulſio, quamuis ſit futura inutilis, ut diximus ne malus humor impeditus ab exitu, recurrens feratur ad cerebrum, uel aliud membrũ præcipuum. Et ſi quid agendum, potius iuuanda eſt expulſio, omnino enim melius eſt, ut exeant vi- B tioſi, & mali ſucci, id tamen facili re fiat, ne natura irritata maiorem aliquem motum moliatur, qui nequaquam deinde regulari poſſit, & ne dolor aliquis concitetur, qui adiuuet ad deijciendas uires, quę plurimum in his morbis laborãt, niſi etiam uideamus, plurimum eſſe concitatum eum motum, quem nõ regulet natura. In reliquis uerò, ſi uideatur multa aut uniuerſi corporis, aut capitis plenitudo, agendũ omnino eſt, ut ea detrahatur, aut miſſo ſanguine, aut inanito corpore per medicamenta; antequam particularem inflammationis curationem tẽtemus. Sed quatenus deinde pertinet ad remedia, quæ particulatim ſolent per linimenta, & cataplaſmata adminiſtrari, vnum eſt maxime animad- C uertẽdum, quod eſt commune præceptum ſeruandum in omnibus inflammationibus adenarum, vel glandularum, quæ aut poſt aures, aut ſub alis, aut in inguinibus a natura procreatę ſunt (Arabes autem, & noſtri iuniores eos ſecuti loca emunctoria appellarunt) à quo aliarum partium inflammationes alienæ ſunt. Id uerò pręceptum eò ſpectat, ut nunquam in harum inflammationum initio, uel incremento repellentibus utamur, nam res hæc admodum periculoſa, cum ſæpe uideamus retrocedentibus, uel etiam ſponte humoribus, qui cęperant ferri ad has, vel alias adenas inflammationes in eas excitaturi; ægrotantem ad extrema pericula perduci, uitioſis nempè iiſdem humoribus, qui recurrunt interna D viſcera, & membra præcipua occupantibus. Quare ab experientia edoctus Medicus debet, quàm maximè ſibi cauere, ne ipſe pari ratione iſtius maximi incommodi auctor, & habeatur, & re vera ſit. Nam (vt docet Galenus in libro de conſti. art. medicina.) cum materia noxia in morbis ab internis, & nobilioribus partibus ad externas, & ignobiles repellitur, morbus, qui alioquin malignus erat, ſuam amittit malignitatem, & miteſcit, ſicuti contra, cum prius occuparet, vel ferri cœpiſſet extra, & ad partes minus pręcipuas, deinde recurrens intro feratur verſus magis neceſſarias, & præcipuas malignus efficitur, neque deterius, qui in morbis eſſe poteſt, quam quod iſtiuſmodi appareant expulſiones, vel E ad glanduloſas, ſiue adenoſas partes, uel ad cutem, vel ad artus, articuloſve, atque paulo poſt deliteſcãt ſponte, & euaneſcant. Quamobrem in his, ſi natura incipiat quidem expellere, & ex pulſionem mediocrem moliatur, neque repellenda eſt, neque etiam irritanda, nam repulſa vitioſa materia facilè deferetur in locum maiori periculo obnoxium, ſin autem irritetur, poterit nimis concitata fluxio dolorem, vel inflammationem augere, laborémque, vigilias, & alia multa incommoda afferre, unde, & turbata natura, impeditur concoctio, & reliqua corporis commoda adminiſtratio, facileque vires proſternentur, ideò res naturæ dimittenda. Si verò parca fiat expulſio, illa erit facili iuuanda, hoc eſt (vt docet idem Gal. 3. de comp. med. ſec. loc.) cata-

plaſma-

plaſmatibus attrahentibus, ſicuti emplaſtris ex rebus maturantibus, ut ſunt radices altheæ coctæ, & tritæ, & farina ſeminum lini, caricæ pingues, alborum liliorum radices coctæ, cum quibus fermentum commixtum teratur, nam attrahunt, & maturant, concoquuntque. At verò ſi vehemens ſit impetus fluxionis, ita, ut uideatur tolli particula in tumorem inſignem, & concitari magnam inflammationem, ac dolorem, neque repellentibus uti opus eſt: ſi quidem præter nuper redditam rationem conſtipabitur magis, & magis impingetur materia, vt præterquam quod non poterunt vincere impetum fluentis humoris, dolorem augebunt, & concoctu difficilliorem reddent tumorem. Quod ſi quæras, quid ergo agendum erit? Euacuatione primum, uel per miſſionem ſanguinis, uel medicamentis reuellendo, & alijs reuellentibus remedijs reprimendus, & mitigandus erit fluentium humorum impetus. Interim etiam localibus remedijs erit agendum, quæ leniendo dolori conueniunt, & aliqua ex parte maturant, & ſuppurationem adducunt, quemadmodum eſſet emplaſtrum confectũ ex farina tritici, aut hordei, aut ſeminis lini, quæ coquantur ex mulſa, uel decocto fœni græci, uel chamæmeli: hæ enim poſſunt digerendo diſſoluere contentam materiam, ſi ea ſit facilis ad digeſtionem: poſſunt etiam maturando ad pus deducere: poſſunt præterea concoquere. Quod ſi uideatur non poſſe digeri, ſed potius ad ſuppurationem vergere, conuertenda eſt ratio ad ſuppurantia, ut faceret emplaſtrum ex farina frumenti, caricarum decoctum, addito, uel adipe, uel oleo. Suppurata inflammatione, & in abſceſſum conuerſa, aliter antiqui agebant, quàm conſueſcant, qui nunc abſceſſus curant ſuppuratos. Antiqui enim non ſtatim aperiebant ferro, uel medicamentis, ſed ſi uidebatur non multa materia contineri, nitebantur medicamentis eam diſcutere, quæ eſſent tenuiorum partium, & uim attrahendi haberent, qualia erant fermentum cum ficubus, additis pinguedinibus, ut eſt anſerina, præſertim vetus, & ſalita, & alia eiuſmodi. Nunc autem, & in magnis, & in paruis apertionem, uel cultello, uel acri medicamento moliuntur, atque pure expurgato, ſi crudus ſit humor, procurant, ut coquatur ijs; quæ uim concoquendi habent, & leniendi, ſi adhuc dolor adſit, ſicuti luteo oui, & oleo roſaceo, ſi calidior locus uideatur: poſtea vlcus detergentibus mundum reddunt, deinde moderatè deſiccantibus id carne replere nituntur, poſtremo ſiccantibus ad conſolidationem perducere, quæ eſt communis ulcerum cura. Sed ad alia maioris momenti tranſeamus, ſatis enim hæc de illis, quæ ad aurium affectus ſpectat, quatenus ad negotium noſtrum pertinere uidetur, expoſita eſſe poſſunt.

De naribus, & curationibus affectuum, quibus ſunt expoſitę. Cap. VIII.

VT magis accommodatè poſſimus, quæcunq; ſunt cognitu neceſſaria, ut naturã affectuũ ad nares, & olfactus ſenſum pertinentium probe teneamus, exponere, atque ex ratione eorũ curationem inſtituere de ipſius naſi ſtructura, & compoſitione nonnulla, pauca tamen prefabimur. Conſtitutus itaque naſus eſt primum, tanquam ex eo, cui ueluti fundamento cæteræ partes innixa hærent, uel pendent, oſſe, non duro, ut erat os auri obiectum, ſed molliori, & magis raro, quaſique ſpongioſo, & proinde etiam minus ſicco, quàm eſſet illud aurium. Diuiditur autem interius oſſis

A ſpatium mediũ per quoddam ſeptum in duos meatus ſatis inſignes, qui ſunt ueluti duplex uia ad cerebrum, quæ & duplex præſtat officium, immo triplex. Nam per hanc, & odores ad organum odoratus afferuntur. Secundò per eam fit inſpiratio, & expiratio ſecundum propriam animantis naturam, cogitur enim per os reſpirare, quando interceptus eſt ſpiritui aditus per nares, quod quàm ſit incommodum experiuntur illi, quibus ex coryza obſtructę ſunt hæ uię, & per os coguntur reſpirare: Tertio per eandem fit excrementorum cerebri (ut ſuperius expoſuimus) expurgatio. Definit autem inferius uerſus os in teneram, & cartilagineam ſubſtantiam, & ex qua formatę ſunt, quę
B πτερυγια à Gręcis, pinnę à Latinis dicuntur. Sicuti autem communi cute exterius tegitur, ita interius membrana ſubtenſa, ut & auris meatus, cooperitur, quę iuxta atque ea, quę ſublinit interiorem aurem, à dura cerebri membrana (ut teſtis eſt Gale. 9. de utilit. part. ſuam habet originem, per anguſtos enim meatus, uel foramina oſſis illius, quod in ſuprema parte ſitum eſt, & à ſimilitudine pertuſi cribri ἠθμοειδὴς Gręce dictum eſt, fibrę quędam a dura membrana deriuatę, quaſi filamenta, tranſeuntes hanc naſi membranam contexunt, quę cum ea membrana, quę os, & fauces regit, continens eſt, quę & ipſa ortum à dura cerebri membrana ducit per foramina, quę glandulę infundibili proxima
C ſunt. Sed & hęc particula ſuum habet neruum ex tertia coniugatione neruorum ſtatim à cerebro orientium deriuatum, qui huic inſeruntur narium membranę ſicut & eorum particeps eſt palati mẽbrana. Ex quibus omnibus facilè percipere eſt, quę ſit iſtius particulę natura, uel temperatura, eſt enim frigidę, & ſiccę temperiei, non tamen adeo, ut auris, cum undique mollioribus conſtet, & rarioribus oſſibus, quàm auris, & tenuiori ſubſtantia. Quibus expeditis, neque etiam difficile erit inueſtigare, quibus generibus, uel differentijs morborum, uel affectuum expoſita eſſe poſſit hęc particula. Nã & ſi differentem ab alijs ſenſuum organis aliqua ex parte naturam habeat, ſimilitudinem tamen etiam
D non exiguam habet cum illis, & quamuis non eiſdem omnino, & undique ſit affectibus obnoxia, ſaltem ſimilibus, uel eadem ſaltem ſeruata proportione obnoxia eſt. Vnde, & poteſt eius actio omnino auferri, uel ex uitiata intemperie organi primarij, pręſertim nerui iam narrati, maximè autem mutata temperatura ad frigidum, & humidum, ſi ualida tranſmutatio. Poteſt, & hebetari, & imminui, ſi fiat non magnum uitium. Poteſt, & olfactus corrũpi, & perperã fieri, ut quando aliquis ex interna cauſa oritur fœtor in ipſis naribus, & inde uideantur omnia, quę naribus offerũtur, fœtidum odorem referre: de quo affectu paulo poſt ſermonem habituri ſumus. Sed poteſt itidem
E auferri, uel ĩminui actio olfactorij ſenſus ex obſtructione, aut nerui, aut oſſis, quod diximus cribrũ imitari, ut plerunque fit in coryza, deſtillante materia pituitoſa à cerebro. Poteſt quoque naſus, & alias affectiones ſubire, ratione particularum, ex quib. conſtitutus eſt, & interius, & exterius. Exterius enim ſicut cute eadem cum faciè tegitur, obnoxius eſt illis eiſdem tuberculis, & affectib. quibus, & faciem expoſitam eſſe diximus, & preterea uulneribus, contuſionib. ulceribus. Interius etiam ulceribus, inflammationibus, & alijs etiam tumoribus pręter naturam tentatur, pręſertim uerò, & peculiari quędam ratione, polypo. Verum ex his multi particulatim etiam tractati ſunt, ſicut cum de coryza egimus, de his quoque affectib. eadem ratione fuit actum, quę

ex obſtructione ortum habent. De intemperatura uerò non eſt opus agere in pręſentia, cum communem habeat, & eundem curationis, & generationis modum, ſicut ferè alię particulę, quę ad alios ſenſus ſpectant, niſi quòd accepta indicatione a natura particulę, neque adeò ſiccantibus eget, ſicut auris, neque ita perfert acre medicamentum, ut illa, acriora tamen, & ſiccantiora ferre poteſt, quam oculus. Ita etiam de inflammationibus dicenda eſt. Vnde tres tantum ſunt affectuum differentię, quę priuatam curationis in hac particula rationem requirũt, propriamque remediorum naturam, de quibus etiam ſeorſum, & particulatim agemus. Prima ad ſolutam continuitatem pertinet, & ad ulcerum genus, quę triplex eſſe poteſt. nam prima continet ulcera difficilia, & corroſiua: altera etiam complectitur corroſiua, & maligna ſimul ulcera, ſed tertia illis addit aliam conditionem, nempe putredinem, ex qua oritur fœdus odor, & hęc ulcera Græcè ὄζαιναι dicuntur, quaſi malè olentia: ὄζειν enim olere ſignificat. alterum genus pertinet ad tumores præter naturam: eſt enim carneus quidam tumor, ſubſtantia carnea, ſed molli conſtans, in interiori meatu accreſcens: caro verò illa imitatur carnem polypi, qui marinus piſcis eſt è genere mollium, uel cartilagineorum piſcium, a qua ſimilitudine, & is morbus πολύπους dictus eſt. Tertium genus eſt profluuium, uel larga, & immodica eruptio & effluxio ſanguinis è uenis narium. De his itaque in primis ſermonem habituri (quamuis quædam etiam de læſione odoratus dicemus) exordium ſumamus ab ulceribus. Vlcera ergo, quæ interius in meatibus narium ſuum habent ortum, & illum quidem ſpontaneum, nõ autem ab aliqua externa cauſa, ſicut ſunt inciſio, uel corroſio facta ui alicuius medicamenti: eandem habent ortus rationem, quã etiam habent ulcera, quæ ſponte excitantur in alijs corporis particulis: nempe a fluxione acrium humorum mordentium, & erodentium partes, per quas feruntur. Humores verò hi, qui defluunt, ſi acres quidem ſolum fuerint, neque acrimoniæ putredo acceſſerit, ulcera efficiunt, quæ curatu difficilia ſunt: nondum tamen ὄζαιναι appellantur: quod ſi præterea putreſcant defluentes humores acrimoniæ participes, malè olentia ulcera, & putrida fiunt. Fœtor enim ſemper in animantium corporibus ſignum eſt, & effectus putredinis. horum autem uitioſorum humorum fluxio a capite, aut ſemper, aut plerunque originem habet: nam ibi ex aliquo contracto uitio in particulis ad ipſum caput attinentibus gignuntur: quod uitium & proprium plerunque capitis eſt: quamuis & fomentum interdum habere poſſit ab alijs partibus. Sunt autem humores, cum acrimoniæ ſunt participes, calidi, aut per ſe, aut per putredinem. Ex alterius autem generis fluxione generatur affectus in nariũ meatibus, quem polypum diximus appellari, uidelicet ex craſſis, & glutinoſis humoribus confluentibus ad nares: ex eis enim concreſcit caro hæc mollis, quæ quidem plerunque a tenui radice orta deorſum pendet adeoque interdum excreſcit, & extra narium meatũ ea mole pendet, ut magnitudine ęquantem ouum columbæ viderim. Solet autem magna ex parte ſequi narium inflammationem, aut tuberculum, aut aliquid ſimile aliud extuberans, non modo enim in naribus, ſed in alijs etiam particulis, cum ſimiles carnes ſuperuacaneæ, & excrementitiæ oriuntur; ſui ortus habent initium, ubi præceſſit aliquod, aut ulcuſculum, aut excoriatio. Vnde hęc, & quantum ad naturam horum affectuum ſpectat, & ad cauſas, & ad ſigna ſatis eſſe uidentur. De ratione ergo eos curandi agamus. Porrò ſicut ſimilem habent generationis modum: ita etiam in uniuerſum ſimilem requirunt curationis rationem. Sed neque etiam particulatim admodum diſſimilem. Similem quidem omnino in uniuerſum curationem exigunt, quia cũ affectus hi omnes generationem, & crementum, & tandem fomentum a fluxione, quę a capite defluit ad nares habeant: neceſſe eſt in primis fluxioni occurrere, tum remouendo cauſas, tum congeſtum in capite humorem, & ad fluxionem paratum uacuando & reuellendo: in his enim omnes hi affectus in primis conſentiunt, unde uel ſectione uenę, uel purgantibus medicamentis, reuellendus & auertendus a naribus perpetuò fluens humor. Ea uerò uel utraque agenda uel alterum tantum, ut & uires, & ætas, & ſtatus, uel ratio corporis, uel qualitas, tum affectus, tum humoris indicabit. Atque ſi humor aliquem uidebitur apparatum, uel maturationem requirere, id erit agendum. Nam humores acres, & calidi temperandi ſunt, craſſi, & lenti ſecandi, attenuandi, & detergendi: Quibus autem ſyrupis, uel decoctis, uel cibis, uel alijs alioquin confectionibus, & medicamentis id poſſimus pręſtare, copioſe in primo & ſecundo libro actum eſt, & proinde neque tempus in his repetendis conterendum. Deinde uerò capitis roborationi incumbendum erit: cum occaſio, aut uniuerſa, aut maxima ex parte inde pendeat: roborabitur autem, aut lotionibus, aut inunctionibus aut cataplaſmatibus, quæ uim potiſſimum exſiccandi habeant, ut reliquiæ humorum abſumantur. In qualitatibus autem alijs reſpicere oportet ad capitis intemperaturam, quę eorum humorum ferax erat, ut illi contra eundo, caput firmius, & minus excrementoſum euadat, ut tamen ſemper alicuius aſtrictionis participes ſint. Modeſta enim aſtringentia uniendo & colligendo ſubſtantiam particularum, eis robur addunt. De eiuſmodi autem medicamentis particulatim quibus roborandum caput eſt, in prioribus libris abunde locuti ſumus. In libello autem de facilè para. med. exponit Galen. confectionem cuiuſdam cataplaſmatis, quod plurimum eſſe huic uſui accommodatum, ait, quod accipit thuris drach. unam, myrrhę drach. quatuor. limaces duas integras una cum ſuis teſtis: omnia autem probè tunduntur, addito albo duorum ouorum, & congrua portione axungię, atque ita linteo excepta capiti imponuntur. Quantum ad huius facultates pertinet, ex carne cochlearum, & albo oui habet, ut fluxiones glutinoſa ſua compage ſiſtat: thus aliquam uim habet aſtringendi: myrrha item coquit, & digerit, & magis thure exſiccat, & diſcutit, limacum teſta deſiccat Galen. autem quorundam cataplaſmatum meminit, quæ in hunc uſum uenire poſſunt, ut ſunt, quæ barbara dicuntur, de quibus ſuperius ſermo habitus eſt, deſcribuntur autem 2. lib. de comp. medica. per gene. & emplaſtrum de ſalice, deſcriptum 5. lib. eiuſdem operis, quæ omnia ſiccant, diſcutiunt, & ex profundo attrahunt. Quo nam autem pacto, & lixiuium, & lotiones, & pulueres, & ſapones huic uſui accummodata fieri poſſint, ſuperioribus libris docuimus, & quæcunque tamen ad hunc ſcopum facere poſſe uidentur. His autem rectè peractis, factum iam morbum proprijs medicamentis localibus appellatis curare oportet. Et quantum ad hæc deinde pertinet, non eſt eadem ulcerum curatio, & polypi; ſicut neque eadem natura. Diximus enim ulcera fieri acri, & mordaci aliquando etiam putreſcente humore, polypum uerò ex pituitoſo, craſſo, & glutinoſo. Sed de ulceribus primum agamus, in quibus ijdem ſcopi primum ſpectandi ſunt, qui & in alijs affectibus,

qui vlceroſi ſunt, & à fluxione vitioſorum humorũ A & ortum, & fomentum habent. Nam primum quidem exſiccandum eſt, cum vlcera (vt iam ſępius diximus) exſiccatione egeant; deinde uerò ratione fluxionis repellendum inter initia, pręſertim cum locus imbecillis factus eſt, & excrementoſię particulæ ſubiectus, ut nares ſunt, quæ facillimè ſuſcipiunt fluentia a cerebro excrementa, prætereа & digerendum, ut fluxa, & iam abſorpta materia diſſoluatur, & ita uacuetur. Vnde concludit 3. de comp. med. Gal. eiuſmodi medicamenta, quæ his accommodanda ſunt vlceribus, oportere, ut ſint mixtæ facultatis; ſiccantis uidelicet, repellentis, & digerentis. Et hoc quidem in vniuerſum: Quia particulatim cum ea, quæ his facultatibus prædita ſunt, non B omnia eas habeant æquales, ſed diuerſi ſint in illis ordines: in eligenda apta materia ad congrue curanda id genus vlcera ſemper reſpicere oportet ad ulcerum rationes. Quoniam (ut ſuperius diximus, cum ageremus de curandis aurium vlceribus,) quę recentiora ſunt, & minus maligna, in quibus nondum eſt multa facta tranſmutatio in habitu, & temperatura ipſius particulæ, facilioribus curanda ſunt, & mitioribus. Quæ autem inueterauere, vt iam multa facta corruptio habitus, & temperatura longè exſiccãtioribus, & acrioribus opus erit medicamẽtis. Semper enim morbis extremis extrema remedia opportuna ſunt. Sed & corporum ratio maximè habenda eſt: quia quæ tenera, & delicata ſunt fortioribus, & acri C bus medicamentis magis irritantur, quàm iuuentur. Et ſi qua eſt particula, quæ non modica egeat cautela ſunt nares, cum vlcerantur: quandoquidem irritata malignitatem contrahunt, vt facile crancroſi vlceris naturã ſubeant. Vnde quæ quidem ozænę dicuntur, in quibus, pręter roſionem, eſt & putredo, magis omnino exſiccantibus, & digerentibus indigent, quam alia vlcera, quæ ex acri humore ſine putredine excitantur. Item pueri, femellę, ennuchi leuioribus, & mitioribus tractandi ſunt. Quare Gale.

Cap. 43. eunuchum quendam, qui nullum acre medicamentum ferre poterat ſolis aridis roſis tritis, & aſperſis, vel inſufflatis curauit polypo laborantem, quo deinde medicamento, & vlcera in tenellis corporibus D curauit. Quæ ergo Raſis ad curanda narium vlcera ſcripſit, faciliora ſunt, & pręſertim recentibus vlceribus, & in tenuioribus corporibus apta, ſicut eſt vnguentum de ceruſſa. Sed ego aliquando uſus ſum unguento ex pompholyge (de tutia nunc appellant) & eo, quod fit ex plumbo: interdum uſus ſum pompholyge lęuigata, & parata, ut eam apothecarij propter oculos parant, cum qua & corallium immiſcui, & fiſtula, uel calamo puluerem in nares inſufflando inieci, & res feliciter ſucceſſit. Raſis pręterea inter initia cum effloreſcunt quaſi ueſiculę, quæ deinde ruptæ in ulcus tranſeunt, ad exſiccandum contentum humorem, ne vlcerentur, utitur licinio in acri aceto madefacto. Verum id quidem E prodeſſet, quando leuis eſſet fluxio, & iam aliqua pręceſſiſſet uacuatio, & auerſio, fluentis humoris. Remedia uero a Galen. propoſita acriora ſunt, potenterque exſiccant, neque expertia ſunt aſtrictionis, & diſcuſſionis: ſicut ſunt Andronij paſtilli, & Paſionis, & Polyidæ, & Bythini. De quibus cum ſuperius aliqua dixerimus, pręſertim de Andronij trochiſcis, nõ eſt cur in præſentia longius ſermonem protrahamus. Vnum tamen hoc non eſt prætereundum, ſcitu neceſſarium, quod ſcilicet trochiſci, quia triti in puluerem uertuntur, poſſunt & in formam compagemque collyrij redigi, uel, ut Arabes, & iuniores loqui ſolent licinij, uel tentæ. Eam uerò non conſequuntur ſine aliquo liquore. Ideo docuit Galen. aliquando ad hoc munus uti uino non ueteri: aliquando ueteri: interdum aceto acriori, uel minus acri; quatenus magis ſiccare, uel diſcutere uolumus: uetus enim uinum inſigniter ſiccat, digerit quoque: magis autem ſiccat acetum: & quò eſt acrius, eò magis ſiccat, magis etiam digerit. Et hęc, quantum ad ulcera pertinet, ſatis ſunto. Niſi fortè quod & una monitione non eſtis defraudandi, & præſertim ex uobis illi, qui multa quærunt habere deſcripta medicamenta, & in ſuos commentarios collata, quæ domum ferant. Cum tamen longè potius præſtaret methodum illis utendi ſecum ferre: docebit enim methodus, quę ſtatim reſpicienda ſint illi, qui rectè curaturus eſt, ut probè ſcopos primum teneat, quibus regenda eſt curatio, & uerſetur deinde in libris celebrium, & probatorum authorum; ita ut uires ſimplicium perſpectas habeat, & plurium etiam compoſitorum, quæ illis in locis reperiuntur confecta. Ita enim nunquam deerunt apta medicamenta, & morbis, & hominibus accommodanda. Quod facili exemplo ex Galen. deprompto poſſum oſtendere, qui cum ozænas curaturus eſſe in homine potenti, & diuite, neque ille facilè admitteret medicamenta, quę non bene olerent, illi ſtatim ſatisfecit, atque ſanitatem contulit, vſus hedychroo medicamento odorato, & grato; ob id, quia cognoſcens eius uires, & cum ſupra expoſitis ſcopis illas conferens, id ex ueteri, & odorato uino adhibuit. Eſt autem ἡδύχροος medicamentum, quod & ab eodem Galen. 1. lib. de Antidotis, & ab Aetio, Paulo, Dioſcoride, ac alijs multis, qui de componenda theriaca ſermonem habuere, literis traditum reperitur: ingreditur enim eius compoſitionem. Arabes, corrupto uocabulo, trochiſcos alindacaron appellant. Quamuis autem non omnes eorum compoſitiones eędem ſint; ſimiles tamen uires habent, nimirum digerendi, ſiccandi, & repellendi. Sed tandem ad rationem curandi polypi tranſeamus, & quales, ſint ſcopi, quos nobis oſtendit methodus hęc, inquiramus. Intueamur ergo naturam affectus. Diximus enim ex defluxu humoris craſſi, glutinoſique ortum habere: Oportet ergo ratione defluxus (ut, & in ulceribus diximus) repellere: hoc autem efficiunt aſtringentia. Præterea attenuare, & diſſecare, quod utrunque facere poſſunt, quę tenuium partium ſunt. Tertiò diſcutere, at calida diſcutiunt. Poſtremò uerò & ſiccare: humida ſi quidem eſt defluens materia. Vt tamẽ & hoc prius addamus, antequam particulatim rem tractemus, quod omnino animaduerſione dignum eſt, fuitque a Raſi animaduerſum; nempe eſſe prius conſiderandum, qualis ſit polypus. Eſt enim aliqua eius differentia, cui blanditię potius, quam curatio, conueniunt: quoniam facillimè in cancrum, ſi exaſperetur, trãſit: unde illam aut ita ſine curatione relinquere, aut leuiſſimè tractare oportet. Diſcernẽda uerò eſt ab alia, quę eſt curationis capax. Quia quę curari poteſt molli, & tenera carne (ut idem Raſis teſtatur) conſtat, & mobili. Qui autem polypus maligna natura prẹditus eſt, durior eſt, dum tangitur, ſolida quadam duritie, quę nonnunquã ad ſummas uſque nares pertingit, ſed etiam ſiccus eſt is tumor ſine ulla humiditate. Sicut contra, cum pinnę narium conſtringuntur, & caro interius nata mollis ſentitur, & humiditate madida, alienus erit polypus a cancroſa natura. Poteſtque & ferro abſcindi, & acrioribus erodi medicamentis tuto: ſi tamẽ corporis laborãtis natura ea ferre poſſit, ut de ulceribus quoque paulò ante dictum eſt. Cum alioquin qui durus, & malignus eſt, neque ferro, neque acrio-

ribus

ribus medicamentis ullo modo ſit irritandus, deſinit enim in cancrum ulceratum. Vnde (ut Hippocrat. teſtatus eſt) citius pereunt; ſed potius blandiendum eſt illi omni ratione, ut & alijs cancris, medicamentis purgantibus bilem atram, bis, uel ſæpius in anno corpus purgando, atque interim etiam in uſu habito aliquo leui medicamento, quo bis, aut ter in menſe purgetur corpus. Sed polypus, qui procul eſt ab ea malignitate, poſt corporis inanitionem, & capitis corroborationem, deſiccantibus medicamentis curandus eſt, in quibus repulſio, digeſtio, & attenuatio ſit. Vt ſemper tamen rationem corporis, ætatis, & ſexus habeamus: corpora enim delicata, quę nullum mordax medicamentum ferre queunt, citra eorum uſum curanda ſunt, ne irritatus locus maligneiur, & dolore concitato inflammationes, & fluxiones, & maligniora ulcera oriantur, ita & tenella puerorum [natura] atque femellarum, ſpadonumque. Vnde Galen. ſolo puluere foliorum roſarum aridarum ſæpius uſus polypum ſpadonis feliciter curauit: alterius uerò diuitis ozænam recuſantis malè olentes medicinas hedycroo theriacali medicamento (quemadmodum ſuperius diximus) ſanauit: cuius ſi facultates conſiderauerimus non erit & polypo medicamentum inutile. Eadem quoque ratione & cyphi, quod deſcribitur a Dioſcoride in ſuo de materia medicinali libro, quodque in Mithridatica antidoto accipitur, & a Galen. 2. de Antidotis. poſſemus uti. Sed & gallarum puluis medicamentum minimè acre eſſet. Nullum autem medicamentum præſtantius inuenit Galen. ut ipſe tertio de compoſitio. medicam. ſec. loc. aſſerit, quàm id, quod ſit ex triplici malorum punicorum differentia: aliqua enim ex his dulcia ſunt, alia acida, quædam auſtera, ſiue medij inter illa duo ſaporis, ut omnia recentia, & matura, parique numero, ac magnitudine ſint: ſimulque contunduntur diligenter, ut exquiſitius poſſit ſuccus uniuerſus exprimi, qui expreſſus colligendus eſt, & ne nimium fluens, & liquidus ſit, pauliſper eſt incoquendus; mox in ſtanneo uaſe ſeruandus: poſtea partes craſſiores, quæ reliquæ ſunt, diligentius ſunt in pila terendæ, ac deinde leuigandæ, atque in collyriorum formam componendæ ea magnitudine, quam narium meatus admittere poſſint, atque ita hac medicina utendum, quam Galen. mirificè laudat: quę licet non ita citò polypum conſumat, & ozænam exſiccet, (nam & ozænis ualde prodeſt,) ut acriora faciunt medicamenta, quæ ex ſutorio atramento, uel chalcitide, uel miſy, uel ærugine, uel id genus alijs conficiuntur, cum minore tamen dolore, immo citra ullam moleſtiam rem perficit, nullo modo irritatis partibus, quod tutius eſt, & ægrotantibus gratius, Hoc tamen huic addendum, quòd non debet medicus ita exactè eadem ſemper menſura metiri hæc mala punica, ut putet nunquam eam uariare licere immo ratione diuerſę naturæ polypi, rationem: etiam horum malorum uariare oportebit. Quia cum mollior, & humidior erit polypus, maiori erit opus deſiccatione, & aſtrictione; unde & ſi auſtera mala, aliquanto in maiori fuerint copia, non erit a ſcopo alienum. Vbi uero, & ſiccior, & durior, ut aliquam mollitionem requirat, dulcia copioſiora ſi fuerint, melius etiam erit. Quoniam uero moleſtum nimis interdum eſt perpetuo nares his collyrijs obſtructas deferre. Ideo commodus eſt etiam vſus expreſſi ſucci, quem ſeruandum eſſe diximus, ut aliquando laboranti aliqua ab ea moleſtia quies concedatur, neque interim locus affectus auxilio careat. Continéter enim A diffluens materia per nares diluit, & detergit, ſi quid reliquum eſt medicamenti: Idcirco eo tempore poſſumus ſucco illo ſpiſſiori per decoctionem facto uti, tanquam linimento, ut uel penna, uel ſpecillo lana inuoluto, atque eo ſucco delibato, & polypum illiniemus, atque etiam ore operto partes illas propè foramen narium ad palatum pertingentes. Hoc ergo medicamento uidit ſæpè Galen. citra ullam moleſtiam abſumptos polypos. Sæpe etiam hoc altero uidit, quod nunc exponemus, & eſt diaphryges aridum, in tenuem redactum puluerem in meatum inſufflatum, uel nucleo ſpecilli exceptũ, & polypo inſperſum. Quamuis & hoc pacto collyrio ex malis punicis confecto poſſimus uti (inquit B ipſe) ſi tritum in puluerem redigatur, & inſpergatur. At tandem uno animaduerſo, finem huic de hiſce affectibus ſermoni imponemus. Et id eſt, quòd aliquando, cum his aridis utemur medicamentis, niſi diligentiores fuerimus, res longius protrahetur. Habet enim hæc particula idem impedimentum, quod & affectus oculorum. Quia, ut in illis lachryma fere perpetuo effluens abluit medicamenta, ut diu nequeant manere: Ita & in naribus copioſa defluente humiditate idem contingit. Vnde procurare in primis oportet, ſi uelimus cito negotium perficere, ut ſæpius inſpergatur medicamentum, ut ea ſaltem ratione longiorem moram trahens, magis locum poſſit afficere: nam eatenus agit, quatenus C pręſens eſt.

De profluuio, vel eruptione ſanguinis è naribus. Caput VIII.

POſtea neceſſe eſt ſermonem habere de immodico profluuio ſanguinis a naribus αἱμοῤῥαγίαν Gręci appellãt, & ſymptoma quidem eſt, quod ſæpiſſimè tantum faceſſit negotium, ut cauſæ rationem ſubinduens, aut uniuerſam, aut magnam curationis partem ad ſe cõuertat. Propriè vero affectus, vel morbus eſt cauſa ea, quæ illum fluxum concitat. Quæ quadruplex eſſe ſolet. Nam primò aut uenæ inciſio, uel punctura, vel fractio: Deinde eiuſdem eroD ſio: Tertio, ſi aperiantur venarum ora: Quarto ſi rarefactis tunicis reſudet. Inciduntur autem venæ, & punguntur a re incidente, ut gladio, uel pungente, & plerunque a re externa. Franguntur autem ob nimiam tunicarum diſtentionem. Diſtentio autem fit, quando nimia eſt ſanguinis copia, qua affatim replétur, aut quando rareſcens præ calore in tumorem maiorem inſurgit: vel ſi nimio repleantur flatu. Eroduntur autem, ſi ſanguis bilioſus fuerit, uel ichoroſus, & acris, uel ex aliqua acri, & mordaci fluxione in aliquam partem decumbente, & eam cum carne ulcerante uenam, corrodenteque. Aperiuntur uero ora uenarum, uel ob ſanguinis acrimoniam ſtimulante expultricem facultatem, uel ob eiuſdem E multitudinem. Aliquando etiam hoc a natura ſpõte ſua fit, id agente, ut noxia materia excernatur, ſicut in morborum iudicationibus fieri ſolet. Quandoque ob imbecillitatem contentricis facultatis venarum: Nonnunquam ob multitudinem, aut malam naturam excrementorum. Reſudat prætereà è uenis ſanguis, ſi nimis tenuis ſit, ut a uenis nequeat retineri, uel ſi uenarum ſubſtantia ſit rarior facta ob aliquam calidiorem intemperiem contractam. Quibus ita expoſitis, nó ero longior in ſignis explanandis, quibus cauſæ hæ comprehendi poſſunt: quia ſi rectę ſint percepta, quæ ſæpius in prioribus libris fuere tractata, facillimè, & hæc poterunt haberi. Nam color faciei rubicundior, facies ipſa tumidior, uenæ pleniores, & tumidiores, grauitas tum

totius corporis, tum capitis ſanguinis copiam eſſe profluuij cauſam ſignificant; his autem accedit & id, quod uidentur hi leuiores facti, & melius habere, fluente ſanguine. Eroſionem præſtitiſſe occaſionem cur flueret ſignificat mordacitas percepta, & acrimonia ſanguinis, & quaſi ulceroſa laſſitudo. Diſtentionem uenarum oſtendit laſſitudo tenſiua, tumor uenarum cum grauitate, ſi ſit a multa ſanguinis copia, præterea color earum rubicundius, & obſcurus, ſed ſi ex flatu ſit, neque pluriinum coloratæ ſunt, neque grauitas percipitur. Sanguinem malum, & excrementoſum eſſe in cauſa, cur excitetur id profluuium, incitata uidelicet expultrice facultate, oſtendit eiuſdem ſanguinis qualitas, & color, qui uel pallidior, uel flauior, uel nigrior, uel magis albicans, uel nimis tenuis, & aquoſus, vel calidior, uel mordacior, & quaſi abradens partes, per quas tranſit, uel pungens. Quod autem iudicatorium ſit profluuium, ſignificant ſigna precedentia, indicātiaque criſin futuram, & quod febris, & reliqua ſymptomata, ſanguine profluente, leuiora fiant. Quod uero in cauſa ſit imbecillitas uirium ſanguinem non ualentium ſuſtinere, oſtendit corporis totius languor, & ſigna alicuius intemperiei prægreſſę. Raritatis autem ſubſtantiæ uenarum, unde fit reſudatio, ſignificare poſſunt, quod precesſerint, aut morbi calidiores, aut ratio victus, quę potuerit calefacere, ſanguis etiam tenuior profluens: non enim reſudant, niſi tenuiores partes: preterea neque poteſt admodum liberaliter fluere ſanguis reſudans. Accedamus ergo ad remedia, quibus ſiſtatur, uel moderetur immodicum ſanguinis profluuium. In qua quidem re id primum animaduertendum, quod cum ſanguis, licet liberaliter etiā profluat; occaſionem tamen fluendi a multitudine habet, aut a natura moliente criſin, non eſt alioquin ulla ratione ſiſtendus, niſi aliquando eo progrediatur, ut uires concidere uideantur. Nam cum ex nimia ſanguinis copia id oritur, ſponte ſolet, euacuata ſuperuacua ſanguinis multitudine, ſiſti. Ita etiam cum indicatorium eſt profluuium, nullo modo ſupprimendum, niſi quando natura uideretur adeo concitata, ut modum excedens, uirium caſum minaretur: immo & ſi uitioſus ſanguis eſſet in cauſa, permittendus eſſet fluere, donec uires fluxum commodè ferre poſſent. At uerò cum iam tempus eſſet ſupprimendi eiuſmodi fluxionem, duo ſtatim ſcopi nobis inſurgunt. Primus ut cauſę fluxionis attendamus, atque eam remoueamus, & cum cauſę uarię ſint, pro earum ratione res erit tractanda, modumque curationis natura, & differentia cauſę nobis oſtendet. Secundus ſcopus, qui & communis eſt fluxionibus omnibus, eſt ut auertamus inde, & alio conuertamus impetum concitati humoris omni reuulſionum genere, uel cum uacuatione, uel ſine ea. Cum uacuatione reuellemus, uel ſecta uena, ſi id ætas, & uires poſſint admittere, quę motum ſanguinis ad ſuperiores partes irruentis deorſum trahat. Venę autem ſolitę ſecari in profluuio ſanguinis è naribus, ſunt humerales in cubitis, ex ea parte, quę directè reſpicit narem, ex qua ſanguis fuit, & ſi ex utraque, utriuſque cubiti uena erit ſecanda. Vt & id moneamus, & eſt Galen. pręceptum, quod cum reuellendi magis, quam uacuandi cauſa ſanguinem detrahimus, magis proficimus, ſi non ſemel, & confertim copiam multam mittamus, ſed ſæpius, & parcius: ita enim facilius tandem conuertetur in contrariam partem, & procul ab affecto loco motus fluentis humoris. Vel etiam reuellemus cucurbitulis cum inciſione cutis. Sine uacuatione autem reuulſio fiet, ligatis

A nempe artubus, ſicuti brachijs, & cruribus, uel coxis uinculis ſtrictis, & dolorificis; præterea cucurbitulis ſine inciſione, frictionibus, & alijs omnibus modis reuulſionum, quę in vſu eſſe ſolent in hoc munere; balneis calidis exceptis, ſiue ſint aquę dulcis, ſeu alterius generis. Balneæ enim, ſi quid aliud, fluxionem ſanguinis excitant. Præ alijs autem id genus reuulſionibus, conſenſu Hippo. Galen. & aliorum medicorum uim maiorem habent cucurbitulæ maiores ſub coſtis affixæ præcordijs ex ea parte, ex qua ſanguis effluit, dextro quidem, ſi ex dextra nare defluit: & ſiniſtro, ſi ex ſiniſtra: atque utrique, ſi ex utraque nare. Interdum uero poſt hos omnes reuellendi modos, quiB bus nitimur procul auertere profluentem ſanguinem, ſoliti ſunt antiquiores medici, & occipiti cucurbitulam affigere: nam & id inter reuulſiones connumerant Hippocra. & Galen. ab anterioribus etenim ad poſteriora trahit. His autem rectè, & opportunè peractis, non erit ab hoc ſcopo alienum, ut reſpicientes ad proximam cauſam ſponte fluentis ſanguinis, quæ plerunque ſolet eſſe, uel acrimonia, uel caliditas, uel tenuitas ſanguinis; aliquo leuiorum medicamentorum genere partes acriores, calidiores, & ichoroſas ſanguinis, quæ illum reddunt magis ad motum procliuem, euacuaremus: quòd ſi & aſtrictionis fuerit particeps, magis conferet. Qualia eſſent hæc, ut ſi rhabarbarum C tritum ad drachmam, & immixtum unciæ ſacchari roſacei, uel unciæ pulpæ interioris caſſię, aut tribus uncijs ſyrupi roſacei, ſolutiui bibendum, uel deuorandum daremus: aut ſi drach. quatuor myrabolanorum citrinorum coquantur ex aqua plantaginis, uel polygoni, uel equinæ caudæ, uel alterius id genus medicinæ, uel in eis macerentur: moxque eo decocto diſſoluatur aliquod ex prædictis medicamentis. Sed & decoctis, uel ſyrupis aliquibus uti opportunum erit, qui tum refrigerandi, tum aſtringendi, & incraſſandi uim habeant: ſicuti & roſaceus ſyrupus, de portulaca, de ziziphis, myrtinus, & alij ſimiles: decoctum etiam fructuum cũ tamarandis, decoctum plantaginis, polygoni, cauD dæ equinæ, & quæ ſunt iſtius ordinis. Ita etiam uictus ratio hos eoſdem ſcopos ſpectet. Vnde & aer paretur, ut refrigeret, & quoquomodo aſtringat, ut quantum fieri poteſt, ſit habitaculum a radijs ſolaribus auerſum. Cibi uerò ſint ex cucurbitis, hordeo, lactuca, portulaca, conditi magis aſtringentibus, ut cotoneis, ſorbis, uua acerba, & id genus alijs. Ab omnibus animi perturbationibus cauendum eſt, quæ exterius ſanguinem mouent, ut ſunt ira, lætitia immodica, riſus: Contra uerò timor, & mœſtitia conuertendo ſanguinem ad interna uiſcera potius eius profluuium intercipiunt. Poſt horum autem rectam, & opportunam adminiſtrationem, erit ad localia remedia accedendum. Sed E prius de ſanguinis profluuio curandi paucula dicamus, quando fit ex eroſione. Quod quia nunquam ferè fit copioſum, & confertim, (ut quinto meth. tradidit Galenus) immo paulatim. Ideo rariſſimè cogit medicum, relicta cauſa, uel proprio affectu, ſymptomati incumbere: quo fit, ut raro remedijs illis, quæ ualidè aſtringunt, neceſſe ſit uti; ſed ſolum oportet procurare, ut tollatur eroſio: cuius ea eſt curandi ratio, quæ eſt etiam curandi ozœnas, & reliqua narium ulcera. De quibus quoniam ſatis ſuperque in præcedenti capite fecimus uerba, in præſentia non alioquin longius ſermonem proferemus. Quatenus uerò ad localia pertinet exterius adhibita, hoc in uniuerſum dicamus, quòd quę refrigerant, & aſtringunt, ſunt

huic

huic ſymptomati reprimendo accommodata: ſicut ſunt aqua frigida, immixto aliquanto aceto, & affuſa, ac illiſa fronti; item & linteus paruus, uel ſudariolum gelida aqua, uel lineus panniculus eadem madefactus apponuntur. Sed quæcunque aſtringunt, & refrigerant, ut ſunt ſucci plurimi herbarum, fructuum, & arborum, quorum ſuperius in prioribus libris meminimus, in hunc uſum uenire ſolent. Copioſiorem autem ſiluam deſcripſit Galen. in libro de facul. ſimpli. medicamen. Poſſunt autem multa fieri, quæ naribus impoſita uim habent ſiſtendi ſanguinem. At nullum præſtantius ſe inueniſſe ait idem Galen. quàm ſit id commune, quo & in aliarum partium uulneribus uti conſueuere Medici vulnerarij. Videlicet, ut accipiamus aloes partem unam, thuris duas, quæ trita prius atque aſperſa albo oui, miſcenda & deducenda ſunt ad compagem mellis; moxque molliſſimis leporis uillis excepta naribus indenda; atque ibi, donec ſponte cadant, dimittenda, laudatur autem aſininum ſtercus, & ſuillum odoratum, & introductum in nares. Verum de hac re ſatis iam dixiſſe putamus.

De defectu Olfactus. Cap. X.

Idem ferè ſunt modi, quibus deficit is ſenſus in ſuis obeundis actionibus, quibus & auditus, & proinde non ero admodum longior in illis, quæ ad ipſum pertinent, explanandis. Nam cum poſſit eius defectus ortum habere ex uitio in cerebro contracto, a quo omnis eius facultas initium, & originem habet, ut de auditu ſuperius diximus, & ſicut in hoc cum auditu conformitatem habet: ita eandem habeat in ratione curationis. Ob eam ſanè cauſam non erimus in eiuſdem explicatione longiores. Poteſt præterea, & proprio laborare uitio: hoc autem fit, quando nerui, qui illi uim ſentiendi afferunt, aut obſtruuntur: uel inflammantur, quòd raro fit, & ſi aliquando fiat, ferè ean-
A dem rationem habet, & curationem cum phrenitide: aut obſtruitur meatus ille oſſis, quod a ſimilitudine cribri ithmoides Græcè dicitur. Poſſunt & obturari narium meatus, ut cum polypus creſcit. A cruſtoſis etiam ulceribus poteſt obſtructio fieri. Et etiam ſi tumor aliquis in interno meatu oriatur, & creſcat. Sed quibus ſignis hæc diſcernantur, non explanabo longiori oratione. Quia cum ſit hæc labes uitio cerebri, aderunt ſigna oſtendentia cerebri proprium affectum, de quo latius ſecundo libro a nobis actum fuit. Inflammationes autem cognoſci poterunt dolore inſigni, & calore multo. Tumores quoque in meatibus poſſunt ſen-
B ſibus obſeruari. Obſtructiones præterea in oſſe ſimili cribro non fiunt niſi cum coryza, ubi præter grauedinem, intercipitur etiam inſpiratio per nares, ut cogantur aperto ore dormire, & quieſcere, ut inde reſpirent. Inflammationes uerò interiores in ſuperioribus partibus cum ratione uicinitatis, & affinitatis cum cerebro, & membranis, eas partes ſecum in conſenſum deducant, eadem etiam ratione, ut capitis inflammationes, curantur. Quę uero ſunt in inferioribus meatibus eodem ferè modo curantur, ut aurium inflammationes. Obſtructiones etiam, quæ ex cruſtoſis
C fiunt ulceribus, curantur curatis ulceribus, de quibus priori capite ſatis abundè egimus. Quæ uerò a tumoribus præter naturam ortum habent, curantur, ut polypos curandos eſſe diximus. Cum uerò ex craſſis, uel lentis humoribus gignuntur, poſt corporis uniuerſi, & capitis uacuationem, & purgationem, (vt dum de coryza, & deſtillatione egimus, latè expoſuimus) rebus attenuantibus, & aperientibus uti oportet, quæ aut ſuffienda ſunt, aut odoranda, ſicut ſunt mentha, hyſſopus, pulegium, amaracus, ſeu maiorana, calamentum, origanum, ruta, piper, nigella, & id genus alia; præſertim uerò, ſi ex acri aceto decoquantur. Sed iam receptui canentes, huic libro finem imponamus.

VICTORIS TRINCAVELLI DE RATIONE CVRANDI PARTICVLARES HVMANI CORPORIS AFFECTVS.

LIBER QVINTVS.

De cognoſcendis affectibus oris, & faucium, atq; iiſdem curādis, primumq; de oris, & partium eius conformatione, officijs, ac functionib. & de quibuſdā morbis, quib. aliquæ earū ſunt obnoxiæ.

CAPVT I.

A SAGAX natura, quæ neque in ſuperuacuis abundare, neque in neceſſarijs deficere ſolet, ſæpe eadem particula ad multa, et diuerſa munia peragenda vtitur, & tanquam apto, & appoſito inſtrumento diuerſarum facultatum. Quod, ſi in aliqua alia particula apertè, & lucidè, apertiſſimè, & lucidiſſimè in ore, & eius partibus contemplandum nobis offertur. Cum enim pluribus partibus os ſit conſtitutum, nulla ferè ipſarum eſt, quæ non pluribus fungatur officijs, pluribuſque facultatibus deſeruiat. Vt autem clarè hoc explanemus, eius partes, quibus coagmentatum eſt, exponamus. Itaque cum pluribus conſtet B particulis, earum eadem eſt diuerſitas, uel diſtinctio, quam diximus in illis reperiri, de quibus hactenus ſermonem habuimus. Quia aliæ ſunt continentes, vel ea primum ratione fabrefactæ, ut contineant: Aliæ uero potius continentur. Continēt quidem labia, buccæ, gingiuæ, palatum. Continentur autem dentes, lingua, columella, & tonſillæ, quæ tandē ad fauces terminantur. In fauces verò deſinunt duo inſignes meatus: Quorū alter gula dicitur Latinè, Græcè verò οἰσοφάγος, qui eſt ueluti uia, per quam deuoratus cibus delabitur in uentriculū: Alter autem eſt via ſpiritus ad pulmones, & à pulmonib. eius caput λάρυγξ, vel βρόγχος Græcè, Latinè guttur dicitur. Et de his in ſequentibus capitibus agemus, hoc tātum nunc expoſito, quòd λάρυγξ eſt inſtrumentum, quo C natura utitur, ut expiratum aerem in vocem efformet. Vnde nemo eſt iam, qui non poſſit contemplari, quanta ratione conformatum ſit os, ut queat mirificè conferre huic duplici muneri, cui imprimis incumbebat natura in fabricandis his particulis, nempe cibo aſſumendo, & voce accommodanda. Cibus enim, cum plerunque ſolidior ſit, quando comeditur, & durior, quàm vt commodè, & citra noxam deuorari poſſit, & deuoratus mox concoqui: Ideo naturæ inſtituto factum eſt, ut in ore prius atteretur diligenter, antequam deglutiatur. Nam ita, & tenerior, & facilior concoctu redditur: Tum quia quoquomodo afficitur in ore, cuius cum uentriculo magna eſt affinitas, propterea quòd pellicula, qua teguntur os, & fauces, eadem & continens eſt

A cum interna gulæ, & ventriculi membrana: vnde non parum tranſmutatur, & aptior fit ad vlteriorem concoctionem: Tum etiam, quia quæ tenuiſſime trita ſunt, & quaſi ad minima diſpertita, facilius afficiuntur, & coquuntur à calore. Quare, & ad id plurimum dentes faciunt. Iuuat autem, & lingua imprimis, quæ agilitate, & facilitate ſua uoluendo, & reuoluendo cibum, procurat, vt nihil intritū remaneat, uel quod dentes poſſit effugere. Nec parum etiam utilitatis, & buccæ in hoc opere afferūt, ut unicuique, modo aduertat, poteſt eſſe notum. Diligens autem cibi attritio tanti momenti eſt, ut Ariſto. in hanc cauſam reſoluerit illud problema. Cur fit, quòd qui raros habent dentes, ſint breuioris uitæ? Præterea verò cum non modo utilis, uerum, & B perquam neceſſaria ſit ciborū (electio, & attritio,) ut uidelicet animal poſſit, quæ congrua, & apta alimento ſunt, eligere, & admittere, quæ autem aliena, & inepta refellere, & detractare. Ideo, & hanc vim, & hoc officiū linguæ præſertim demandauit. Vnde neruorum coniugationem tertiam ſtatim à cerebro anteriori deriuatam ad linguam deduxit, qua guſtandi vim illi impertita eſt, inſignem quidē, & craſſam, pro ratione magnitudinis illius particulę. Quod ſolita eſt natura facere, cum pars aliqua ex ratione ſui officij exquiſitiorem requirit ſenſum. Cui etiam accedit, quod nerui hi ſunt ex eorum genere, qui molliores ſunt. Hi enim ad exactiorem perceptionem rei ſentiendę magis idonei ſunt: Sicu C ti ſicciores ad ualentius mouendum ſunt accommodatiores. At uerò quoniam, & aliud officium lingua erat habitura, immo alia officia, quę non poterant, niſi motu peragi: Primum illud eſt, de quo paulo ante nōnulla diximus, nimirum quòd ad maſticationem neceſſaria, nedum utilis eſt, dum cibū voluendo, & reuoluendo, agit, ut exquiſitius dentibus teratur: Alterum, quia uocem, quę ex percuſſione aeris à pulmonib. expreſſi ad laryngen à Gręcis appellatam excitatur, modò ad palatum mota, modò dentes feriens, adiuuantib. labijs modulatur, & inde articulatam efformat, & quoniam hęc omnia arbitrio animalis, pręſertim uerò in homine, erant agenda: Ideo & neruis eguit, illisq; duriorib. & tota ex muſculis cōfecta eſt: vnde recurrentes neruos, vel (vt iuniores loquūtur) reuerſiuos à cerebro

deduxit ad cor vſq; moxq; ad ſuperiores partes, ad laryngis videlicet, & linguæ muſculos ea de cauſa reduxit, vt in longo itinere indureſcerent. Quibus ita expoſitis, iam omnibus palam ea eſſe poſſunt, quæ ad illas oris partes attinent, quæ propriè contentæ dici poſſunt, dentibus exceptis. Quibus hæc addenda ſunt, quòd cum dura, & oſſea ſubſtantia cõſtent, duplici priuilegio præ alijs oſſibus dotati ſunt. Primum quòd ſenſus ſunt participes: vnde & neruulis quibuſdam ad radices eorum peruenientibus a natura donati ſunt, quorum munere ſenſus participes fiunt, & maximis nõnunquam doloribus obnoxij. Deinde ꝙ cum reliquæ omnes particulæ vltra ætatem incremẽti non augeantur (de illis loquor, quas ſpermaticas medici nuncuparunt) ſoli dentes ad ſenilem vſque ætatem creſcunt, & id propterea, quia dum cibum terunt, atteruntur & ipſi, conſumunturque. Et ideo natura prouida illis hanc facultatẽ condonauit, vt ſicuti teruntur in mandendo, ita ſub creſcendo reficiantur. Continentia autẽ labia ſunt, & buccæ. Labia quidem muſculoſa carne conſtant, & vario fibrarũ ordine diſtincta, intertextaque: Et buccæ etiam muſculis ſuis conſtant. De his tamen non eſt cur multa dicamus, cum nihil peculiare habeant, quod priuatam a natura iſtarum particularũ rationem curationis requirat. Nam & vlcera, & vulnera, & inflammationes, & reliquę tãdem affectiones, quæ illis accidere poſſunt, eodem modo curantur, ſicut in alijs particulis exterioribus præſertim verò muſculoſis. Et quando conuelluntur, aut reſoluuntur (ſicut conuelli, & reſolui ſolent, cum diſtorquetur os) cum hæc ſub communi cõuulſionis, uel reſolutionis ratione contineantur, communi ẽt horum affectuum ratione tractanda erunt: Pręterquã ꝙ labia interdum fiſſuras patiuntur, pręſertim verò hyeme frigida & ſicca, flantibus ſiccioribus & frigidioribus ventis, vti boreas eſt, qui exſiccant, & mordent externas partes, præcipuè labia, & quaſi (vt dixit poeta) eorum penetrabile frigus adurit: Nec modò labia, ſed & manus ex frigore ualido contrahente, & ſiccante finduntur. Quamuis ſæpe & ex acri, & mordaci fluxione fiant interdum fiſſuræ & in labijs, & alijs partibus. Verum cum nõ ſint multi momenti hi affectus, & leuibus curentur: ideo in hac re non erimus longiores. Omnes. n. uos ſcitis, quod in vſu eſt cataplaſma illud, quod ex pomis, & adipe ſuillo conficitur, vocantque vulgo pomatam, & eſt ſatis commodum medicamentum. Dioſcorides verò adipem anſerinum, vel gallinaceum: interdum & lycium laudat quamuis priora molliendi, & digerendi vim habeant: poſtremum verò ſiccandi repellendi, & conſolidandi. Quare relictis his, ad affectus gingiuarum, qui maius negotium faceſſere ſolent, ſermonem conuertamus.

De gingiuarum affectibus, quę & ipſę inter continentes partes recenſendę ſunt. Cap. II.

GIngiuæ (vt Gal. 5. de comp. med. ſec. loc. expoſuit) carnes ſunt, quę dentes, ubi è mandibularum alueolis emerſerint, comprehendunt, quæq; pręter alia commoda, conferunt ẽt ad firmos & ſtabiliores dentes reddendos, ſi ſolidiores fuerint, neq; multa humiditate perfuſæ laxiores fiãt. Vnde in Fragmentis cõmentariorum in Timæum Platonis legitur, quod, vt cutis pilorum ex ipſa exorientium radices comprehendit, & firmat, ita gingiuæ dentes. Hoc eſt ergo præcipuum earum officium, ut dentes contineant: Deinde, ut eorum radices, quæ inſigni ſunt præditæ ſenſu, quem habent à neruulis ad ipſas peruenientibus, ab externis, tum

A frigore, tum etiam alijs nocuis rebus, quæ illis poſſunt occurrere & officere, defendant, tam externis, quàm internis. Ipſæ tamen ſunt varijs affectibus vel morbis expoſitæ, tam ex internis cauſis ortum habentibus quales ſunt fluxiones variæ ex cerebro, & capite deſtillantes, quam externis, ut ſunt uenti, aer frigidior, aut calidior, cibi, uel potus qui ſuaptè natura illis aduerſentur, quia uel calidiores, vel frigidiores ſunt iuſto: vel erodunt, uel putrefaciunt, vel nimis aſperant, vel nimio madore, & humiditate, qua deinceps aut laxantur, aut putreſcunt, aſpergunt. Affectus autem, quibus ſolent eſſe obnoxiæ gingiuæ, ſunt hi. Primum dolores ſatis vehementes. Qui tametſi varias poſſint habere cauſas: ſicuti ſunt

B variæ cauſæ dolorum in alijs particulis concitatorum: quemadmodum ſunt intemperaturę ſimplices, uel compoſitæ cum materia, uel ſine materia, præſertim uerò quando ex capite materiæ acres, & erodẽtes ad has, ſicut ad alias oris partes, deſtillant: Concitantur tamen dolores vehementes in gingiuis, cum ex calida fluxione generatur inflammatio. De cuius generandi ratione non multa uerba faciemus, cum eundem modum, & eandem generationis occaſionem habeat, quam & reliquę aliarum partium inflammationes. Deinde verò ſępe gingiuę ulceribus tentantur. Ab interna quandoque cauſa, cum acris, & mordax deſtillatio a ſuperioribus capitis partibus defluit eas tentans, & erodẽs.

C Interdum verò ex putredine vlcerantur, quę ex nimia humiditate a capite defluente, & in eis abſorpta ortum habet. Nonnunquam ex reliquis ſordibus cibi inter dentes relictis uel ipſis hęrentibus. Sed aliquando ex nimia humiditate madidę & laxiores factę, non poſſunt ſuo fungi officio. Pręterea uerò & ſępe cruentę fiunt gingiuę, ſanguine ab eis emanãte. Quod uel ex earum laxitate ſolet euenire, & raritate: uel ex redundantia vitioſi ſanguinis, pręſertim verò bilioſi, ut tradit Aetius, uel ex eroſione. ſunt demum & alij gingiuarum affectus, quos παρούλιδας, & ἐπούλιδας nominauerunt Gręci: ſunt autem quędam carnis excreſcentię in gingiuis factę ex inflammatione, ex interiori parte ad extremos

D molares dentes. Sed ad genus inflammationum & hæ pertinent: Ideo neque de illis longiorem ſermonem ſumus habituri. Vnde hoc uno addito, quod cognitu neceſſarium eſt ob ea, quę paulo poſt dicenda ſunt, ad curationum rationes orationem transferemus. Id vero eſt, quamuis ſępiſſimè ex vitioſa materia a capite deſtillante concitentur hi omnes gingiuarum affectus: interdum tamen & ab inferioribus partibus occaſionem habent, maximè uero a uentriculo, cum vitioſo, & corrupto ſucco refertus eſt, cuius uapor per gulam aſcendens partes oris malè afficit. Agamus ergo & de his gingiuarum affectibus curandis, eadem ſemper methodo ſeruata.

E

De ratione curandorum affectuum gingiuarum. Cap. III.

EAdem eſt methodus harum affectionũ curandarum, quę aliarum multarũ ſuperioribus libris expoſitarum, quę fomentũ aliunde, & ex alijs partibus habere iudicandę ſunt: Nimirũ ut conſideremus, an fomentum id ſit, quia confluant ad gingiuas uitioſi ſucci ab alijs partibus. Nam tunc neceſſe erit illis primum obſiſtere, & ſi modicum fuerit fomentum illud, neq; copioſa ſit fluxio, poterimus ſatis facilè obſiſtere localib. remedijs, quę uim habeant repellendi influentes humores. de quibus paulo poſt magis particulatim loquemur. Quòd ſi

maior

maior ſit fluxio, quàm ut ſperemus eam poſſe per A hæc remedia ſuperari: tunc imprimis procurãdum erit, ut tollamus cauſas fluxionis, eo conuertentes vniuerſam ferè curationis rationem, vbi cauſæ conſiſtunt, videlicet ad caput, ſi ab eo deſtillet, morboſa materia, vel ſi à ventriculo, illi opportuna aptemus remedia, quibus detracto uitioſo ſucco in illo congeſto, omne fomentum ſubtrahamus. Initium ergo curationis erit, vt & vẽtriculum purgemus ab id genus excrementoſis ſuccis, atque ipſum roboremus, eamq́; victus rationem inſtituamus, quæ ſit aliena à generatione vitioſi ſucci: quemadmodum agendú eſſe docuimus in affectibus capitis, qui ex ventriculo occaſionem habent. Pari etiam ratione, ſi gingiuæ lædantur à deſtillatione à capite, capiti prius erit B proſpiciendum: nempe illo prius purgato, & inanito: mox etiam deſiccato, & roborato ea methodo, atque illis inſtrumentis, quæ fuere à nobis expoſita, dum de curandis capitis affectibus primarijs ſermoné habuimus. Vnde reliquum eſt, vt ea tractemus, quæ particulatim gingiuis, tanquam localia, & priuata remedia ſunt aptanda, & primum quidem de illis earum affectibus curãdis agemus, qui ad genus inflammationis pertinent. Solent ergo gingiuę, cũ ab inflammatione corripiuntur, vehementib. doloribus cruciari. Porrò autem, ſi magna fuerit inflammatio, & quæ foueatur à copioſa fluxione, illis optimè peractis, quorum nuper meminimus, & ad generalem rationem pertinent, qua fluxio intercipiẽ C da eſt: nimirum ſecta vena, aut capite purgato, ſi his eſſe opus uiſum fuerit, priuatis poſtmodũ remedijs erit agendum, illis ſanè, quæ topica appellari ſæpius diximus, quæq; vim moderatam habent repellendi aſtringendo. Nã quę valenter aſtringunt, exaſperãt Cap.9. particulã, & ut 5. de comp. med. ſec. loc. tradidit. Ga. ſimilem ferè contuſioni affectionem inferũt, & cũ illis utamur, ut repreſſo impetu fluxionis, dolorem ſedemus, potius eum augemus. Vnde, & magis irritatur fluxio, & inflãmatio, niſi fortaſſe ubi ea eſt particulæ natura, vel ſitus, vt vehemẽtiora remedia requirat, & perferat, ut de dentib. nõ multo poſt dicemus. Quare præ omnib. alijs remedijs Gale. eod. in loco laudat oleum lentiſcinum nouũ, modeſtè cale D factum in duplici uaſe, ore detentum ex parte inflãmatæ gingiuæ: repellit enim influentes humores, & id ſine vlla exaſperatione, quod optimum eſt in hoc negotio, præterea uerò modeſte etiam digerit, & vtroque nomine plurimum prodeſt, aſtringendo enim fluentes ſuccos arcet, & fluxionem ſiſtit: digerendo verò particulam intentam aliquantulum vacuat; vnde diſtentio remittitur, quò fit, ut dolor & ipſe remittatur. Laudat autẽ Gale. iſtiuſmodi oleum cum recens, & nouum fuerit: Quia & omnia alia olea, quò recentiora fuerint, ad refrigerãdum, & repellendum eò aptiora ſunt, ſicuti contra, quo magis inueteraſcũt, eo magis calefaciunt, & digerunt. Hoc eſt ergo præſtantiſſimũ remediũ, maximè uti- E le inflammationibus non modo gingiuarũ, verũ & pelliculę illius uniuerſę, quę & linguam, & palatũ, et reliquas eius partes contexit. Quod ſi hoc careremus, oleo roſaceo uti poſſemus, ſimilis enim ferè naturæ ſunt, præterquam ꝙ roſaceum aliquãto magis refrigerat, & aſtringit quidẽ moderatè & ipſũ, verum nonnihil caloris maioris habet, quam roſaceum, quo fit, vt magis etiam digerat. Dioſcorides verò laudat decoctum roſarum aridarum ex vino, quod non eſt à ratione alienum, ex roſis ſiquidem vim habet refrigerandi, & aſtringendi, ex uino digerendi, uoluit autem liquorẽ colari, & exprimi, ac illo gingiuam penna illiniri: Item, & vtrunque tribulum, ex melle ſi liniatur, conferre dixit. Poſſemus,

A & alia multa deſcribere, ſed hæc ſint ſatis, quantum ad noſtrum inſtitutum pertinet. Nam & cum de dẽtium dolore agemus, multa etiam dicemus, quę nõ parum huc quoque ſpectare poterunt. Multa præterea referuntur a Gal. deſcripta ex Archigenis, & Apollonij libris, & aliorum medicamentorum, multa inſuper ab Aetio, & Paulo, quæ acria ſunt, & nimis ualentia, & potius in affectibus dentium opportuna, quam gingiuarum, & reliquarum partiũ oris. Nam dentes quidem cum ipſi afficiuntur, aut nerui ipſis ſubiecti, tum ratione durioris ſubſtantiæ, tũ ratione profundioris ſitus (vt ibidem docuit Gal.) requirunt, & tolerant fortiſſima, & acerrima medicamenta, à quibus & gingiuæ, & aliæ oris partes irri- B tantur, & læduntur. Commoda uerò ſunt, quę moderatè uel aſtringunt, uel digerunt. In parulide autem, vel epulide, quę ſunt carnis excreſcentiæ in gingiuis ex inflammatione, fortiora adhibent medicamenta, qualia illa, quæ ex ſutorio attramento conficiuntur, & myrto, pari põdere, & modica myrrha, aliaque iſtius eiuſdem generis. Ego tamẽ, niſi eſſent malignæ naturę, vt timeremus, ne in carbunculum deſinerent, aut gangrenam, aut aliud iſtiuſmodi malum, putarem tutius eſſe, & commodius, pręſertim verò inter initia, leuioribus uti remedijs, qualia ſunt ea, quæ hactenus expoſita ſunt. Vlcera uerò gingi- Cap. uarum, ſicut diuerſas habent differentias, uel ordines, ita etiam diuerſam particulatim requirunt cura- C tionis rationem, & in uniuerſum etiam. Nam ſi habeant, foueanturq́ue ab acri aliqua fluxione, ut in alijs ſimilibus affectibus, ita in hoc primum fluxioni erit occurrendum, (vt ſæpius iam oſtẽdimus) nec ſolum uacuationibus, & repulſionibus, uerum & temperanda, demulcendaq́ue fluxionis acrimonia illis videlicet remedijs, quæ vim habent ἐπικεραστικὴν, ut Græci aiunt, hoc eſt mitigatoriam acrium, et mordacium excrementorum. In quib. præcipuum locum habent balnea dulcis aquæ, quod in omnibus fluxionibus tenuibus, & mordacibus maximopere (ut in prioribus libris expoſuimus) fuit à Gal. & antiquiorib. medicis plurimi factum. Sed ſi caruerint acrimonia, & nimia humiditas in cauſa D ſit, cur putreſcentes gingiuę exulcerãtur, corpus inaniendum, uel caput, & ſuperuacaneus humor reſiccandus eſt. Mox ad remedia priuata, & localia accedendum, q̃ quidẽ omnia in uniuerſum, oportet, vt exſiccatoria ſint. Nam vulgata eſt omnium medicorum ſententia, quæ iam in prouerbium uerſa eſt, quod cura ulcerum eſt exſiccatio. Vnde ſi ſolũ ſit ulcus, ſine ulla alia affectione, quæ particulatim ſuam et ipſa habeat indicationem, ſolis curabitur exſiccantibus cum aliqua aſtrictione, ut interim roboretur particula, & poſſit excrementa repellere, ſi quæ à circunſtantibus particulis amandatur. Quare collutio ex decocto aridarum roſarum, uel cytrinorum malicorij ex uino poterit non parum utilis eſ- E ſe. Item puluis ex tritis roſis, uel malicorij, uel puluis corallorũ rubeorũ prępARATORũ, ut aiunt, uel gallarum plurimum prodeſſe poterit. Immo, & tutia in tenuem puluerem redacta, dummodo ita adminiſtretur, ut cum ſalua haud deuoretur, maximo uſui futura eſt. Sed poſt adminiſtrationem per aliquod tẽporis ſpatium os colluatur, aliquo accõmodato decocto, & deinde expuatur. At ſi ulcus fuerit aliqua ſorde refertum, egebit præterea, & detergentibus, in quibus eſt mel roſaceum facilè, & cõmodũ medicamentum, quo uel illiniendæ ſunt gingiuæ, uel colluendæ ex iam dicto decocto. Quod ſi maiori uideatur eſſe opus deterſione, poterit, & tantillum myrrhæ addi. Nam fortiora quidem, ut ſunt multa quorum meminere antiqui medici, nõ ita tuta ſunt,

neque

neque ita facilè deducenda in vſum. Niſi vbi mala natura, & ſæuitia affectus cogit, nempe ubi putridum eſt ulcus, & plurimum erodens, & exedens ꝓximas partes. Tunc enim, cum morbis extremis remedia extrema ſint accommodanda (vt docuit Hippo.) neceſſe eſt manus his potentioribus remedijs adhibere, quæ conſtant chalcytide, uel chalcantho, uel miſy, vel ſandraca, vel ærugine, uel id genus. Galen. tamen 3. de comp. med. ſec. loc. vlcera maligna, & depaſcētia gingiuarum, nō expertia doloris, & inflammationis, uri pręcipit, non quidem ignito inſtrumento ferreo, vel aureo, (nam ita facilius inuſtio ad dentes, & dentium neruos pertingēs eos non parum lædere poſſet) ſed oleo feruenti, nimirum, vt lana inuoluta ſpecillo demergatur in oleo feruenti, qua deinde vlcerata gingiua tangatur, eatenuſque illi admoueatur, donec exuſtæ uideantur vlceratę gingiuarum partes, & circumcirca albeſcant, ſignum enim id eſt, male affectas partes, aſſatas & exuſtas iam eſſe, unde hac ratione depaſtio vlceris ſiſtitur, & mox facilius id quod exeſum eſt, integra carne alitur. At uerò, ſi id oleum roſaceum, omphacinumque eſſet mihi magis probaretur, deferueſcente ſiquidem igneo calore, ex oleo impreſſo, ad actumque deducta naturali illius olei vi, inflammatio melius ſedaretur, & corroboraretur gingiua. Hoc autem rectè peracto, gingiuæ aliquo ſmegmate, uel arido medicamento ſunt affricandæ, ſicut puluere gallæ tritæ, addita modica myrrha, aut roſarum puluere, vel malicorij: vel corallorum, uel aliorum ſimilium. Cum autem gingiuæ nimio humore madent, ac veluti prægnantes, tumidæque, & laxæ ſunt, contrahendæ, & exſiccandæ ſunt, tum pulueribus, ijs, quorum hactenus meminimus, tum alijs ſimilibus, quę poſſint aſtrigendo contrahere gingiuas, & exſiccando ſuperuacaneum humorem conſumere. Nā & alumine, & myrto ſimul tritis, & affricatis ſoliti ſunt uti, vt antiquiores medici, & labruſcæ floribus ex ferri lamina aſſatis, & tritis, & decoctis ſuperius expoſitis. Propterea in his nolumus eſſe longiores. Eadem quoque poſſunt prodeſſe, cum cruorem gingiuæ effundunt. Quare ad affectus ad dentes pertinentes tranſeamus.

De dentium affectibus, & eorum curatione.
Cap. IIII.

DEntes, & ſi oſſea conſtent ſubſtantia, præ alijs tamen oſſibus ijs (vt diximus) priuilegijs donati à natura ſunt. Sunt.n. primo neruorum participes ad eorum radices præſertim delatorum, à quibus etiam ſentiendi facultatem habēt, ut ſoli inter oſſa oīa ſentiant, non ſolum per gingiuas, & ſubiectum neruum, vt quoſdam fuiſſe opinatos retulit Galen. quinto de comp. med. ſec. loc. ſed, & in ſua ſubſtantia ſenſus ſunt participes, licet à neruis illum acceptum referant. Præter hoc autem, & alterum habent priuilegium, quòd poſt adultam ætatē perpetuo creſcunt, pręter omnium aliarum particularum rationem, vt uidelicet quantum in comedendo atteruntur, tantundem illis ſuccreſcat. Quib. rectè perpenſis, facillimum deinde eſt inuenire, quibus affectibus, vel morbis obnoxij ſint. Primum enim vehementiſſimis interdum doloribus tentantur, & id, vel ex eorum refrigeratione, uel ex calore confertim factis, cum materia, uel ſine materia, prętérea verò ex inflammatione. Nam cum incrementum ſuſcipiant, (vt diximus) alanturque, & hęc fieri nequeant ſine affluxu alimenti: affluens autem materia interdum copiam illam excedit, qua, vt rectè A alantur, egent: hac ratione poſſunt inflammatione corripi, aut affectu ex proportione inflammationi reſpondente, ſi illum inflammationem appellare nolumus. Interdum verò deficit ea copia alimenti, vt commodè ali, & inſtaurari nequeant: quò fit, ut quaſi contabeſcant, & graciliores fiant, & ſubinde cum facti graciliores, non exquiſitè repleant locellos, in quibus ortum, & ſedem habuere, non ita firmi, & immoti ab illis contineri, & ſeruari poſſint; vnde mouētur, & labant. Solent autem hoc frequētius ſenibus contingere: quamuis non æqualiter omnibus: alijs enim citius, alijs tardius: item alijs magis, alijs minus ſicuti & natura, & robore, & ratione victus commoda differunt homines. Alia aūt B affectio inflāmationi ſimilis frequentius iuuenib. contingit. Quòd tamen labent, & mobiles fiant dentes, non ſolum hac ratione, quæ ferè connaturalis eſt, contingit, nimirum ex ætate; uerum ex alijs occaſionibus tam externis, quàm internis. Externis quidē, ut ex aliqua valida contuſione, vel cum rem durā nimia violentia confringere volumus, vt nucleos perſicorum, vel oſſa animantium, quæ comedenda apponuntur. Internis autem, a nimia humiditate deſtillante, qua laxantur ligamenta, & compages eorum, nec non & gingiuę quandoq; ab acri fluxione erodente. A quo item humore a capite in primis deſtillante ſæpe aut eroduntur, & perforantur, neque enim eos ſua durities, & ſoliditas tutos reddit, C quin eroſioni, & cariei ſint obnoxij: quamuis non ita facilè, ut cutis aliæq; teneriores particulæ. Aut ēt putreſcunt, vel ex nimio humore a capite deſcendēte, vel a putridis uaporibus a uentriculo aſcendentibus. Sed his etiam de cauſis liueſcunt, & denigrantur: quod præterquam quòd id turpe aſpectu ſit, eſt etiam quaſi putredinis initium. Sed & huic noxæ expoſiti ſunt dētes, ꝙ ex reliquijs ciborū circiter ipſos poſt comeſtionem relictis, atque ibidem exſiccatis, ſcabroſæ quædam materię, & quaſi cruſtuoſę ijſdem affixę, & hęrentes ſuccreſcunt, a quibus, præter turpitudinem, computreſcunt, & eroduntur. Poſtremo verò ſolet & dētium eſſe priuatus, propriuſque affectus, non parum moleſtus, & eſt eorum ſtu D por, uel torpor, qui Græcè proprium habet nomen & αἱμωδία dicitur. ortū vero habet ab eſu rerum acidarum, uel acerbarum, vt ſunt fructus immaturi. Quāuis ſępe ex acida pituita, vel melācholia confluente ad os, & eorum radicem a capite, uel uomitu ex uentriculo reiecta obſtupeſcant interdum dentes. Noſtrę mulieres dicunt ligatos eſſe dentes, cum hoc ſtupore tentantur. Hi itaque ſunt, aut omnes, aut ſaltem magis pręcipui dentium affectus, qui medico frequentes curandi offeruntur: de quorū curatione agere nobis in pręſentia onus incūbit. In qua quidem curatione id ipſum contingit, quod in alijs omnib. methodis aliorum affectuum cęterarum particularum curandorum contigiſſe animad E uertere potuiſtis, nimirum, qđ ſunt aliqua ſemper generalia pręcepta, quę veluti fundamenta ſunt, uel initia eorum omnium, quę mox particulatim tractāda ſunt circa priuatas rationes eorū affectuum. Et ea quidem accipiuntur a quadam communi ratione, quę æqualiter ferè in omnibus illis affectibus particulatim reperitur. Et hęc communis ratio a natura affectę particulę, quę una eſt his omnibus affectionibus ſubiecta, aut a communi natura affectuum depromitur. In uniuerſum itaq;, ſi aliqui horum affectuum a ſola temperaturę trāſmutatione ſine affluxu materię ſint excitati, nimirū, qa, aut nimis fuerint excalefacti, & hac ratione doleāt, uel nimis refrigerati, vel ex aere frigidiori, uel ex uento, uel ex cibis, potubuſve nimis frigidis, uel

aliqua alia ſimili occaſione, nulla nos tunc cogit ne A
ceſſitas aggredi vacuationem, quatenus ad affectū
ipſum pertinet. Nam aliquando, ſi aut caput, aut
vniuerſum corpus plenum eſſet, timeremusq́; ne fa
ctis his imbecillioribus ex ea contracta intemperie,
confluerent humores, qui mox morbū fouerēt, hac
ratione corpus eſſet purgandum, alioqui enim ſo-
lis, aut calefacientibus, aut refrigerantibus eſſet re-
mouenda intemperies, nempe oleis tepidis in ore
detentis, ut dum de gingiuis ageremus, expoſitum
fuit: Sicut ſi ex calore dolerent dentes, oleum roſa-
ceum, uel lentiſcinum commodum eſſet. Si autem
ex frigore, chamæmelinum, aut id in quo maſtiche
fuiſſet decocta. Nam præter id, quod contrariā in-
temperiem tollunt, robur addunt particulæ, & re- B
pellunt, ſi quid paratum eſſet confluere ad ipſam.
At uero ſi materia aliqua adeſſet, tunc ulterius eſſet
conſiderandum. An ſola ea ſpectanda ſit, quæ rece-
pta iam eſt, ita ut nullum aliunde ex aliqua fluxione
fomentum habeat, ſi enim ita res ſe habuerit, nulla
erit alioquin ſollicitudine opus, ut uel caput, uel u-
niuerſum corpus inaniatur, ſed ſola digeſtio, vel diſ-
cuſſio præſentis materiæ erit ſatis medicamentis ac-
commodatis, de quibus paulo poſt loquemur. An
verò ea foueatur à fluxione, uel ex capite, vel ex vē-
triculo, vel ex plenitudine totius corporis ſuperua-
caneæ materiæ: tunc enim alia deinde ratione eſſet
agendum. Nam ſi ea non eſſet multa, copioſaq́;, ad
eam arcendā ſatis eſſent ea remedia, quę uim habēt C
repellendi, de quorum vi copioſiſſimè in ſuperiorib.
libris loquuti ſumus. Quod ſi ea copia multa eſſet,
nihil ijs repellentibus proficeremus, niſi prius, aut
capiti, aut ventriculo, aut ēt uniuerſo corpori aptis
uacuationib. ꝓſpiciemus, ut et in ſimilib. alijs eſſe a-
gendum ſuperius monſtrauimus. Hæc autem præ-
cepta communia ſunt à cōmuni natura affectus de-
prompta. Sed & a natura particulæ, quę omnib. præ
dictis affectibus tentatur, depromenda ſunt quędam
itidem præcepta communia. Verum, vt alia quædā
prętereamus, illius dumtaxat mentionem faciemus
cuius meminit Gal. 5. de comp. med. ſec. loc. & eſt,
quòd dentes ratione ſuæ ſubſtantiæ quæ oſſea eſt,
dura, & denſa medicamenta requirunt, & facilè fe- D
runt vehementiſſima, & acerrima, cum laborāt prę
ſertim verò doloribus, & id ſiue repellere, ſiue dige-
rere dolorum, vel aliorum affectuum cauſas ſit o-
pus, ſiue illæ ſint humores, ſiue ſit flatuoſus ſpiritus,
alioquin enim eorum vis non facile penetrabit in
internas dentium partes, aut ad neruū vſque, qui in
alto ſub dentium radicibus ſedem ſuam habet. Se-
cus autem ſe habet in male affectis, & dolentib. gin-
giuis, quæ potius moderata, & mediocria in vtraq́;
vi (ut ſuperiori capite expoſuimus) medicamenta
deſiderant. Et proinde dolentib. dentib. citra inflā-
mationem, uel alium ſimilem gingiuarum affectū,
medicamentis valentiſſimis, acerrimiſque vtemur,
tam digerentibus, quàm repellētibus. Vnde omnia E
ferè medicamenta huc ſpectantia ex acerrimo ace-
to parari uoluere antiquiores auctores, qui de hac
materia ſcripſere. Sed ſi ſit affectus compoſitus ex
dentium & gingiuarum inflāmatione, habita utriuſ
que ratione, quod non deſierit gingiuarum inflam-
matio, parcius, & modeſtius in horum uſu erit agen
dum, ne gingiuarum irritetur inflammatio. Qua-
re cum in principio oporteat vti repellentibus, quā-
uis dixerit Galen. dolentes dentes, præſertim ex in-
flāmmatione (nam & ex flatulento ſpiritu dolere
poſſunt, & interdum, ut diximus, ex calore, & frigo
re dolent) quod cognoſcemus, quia liueſcere, aut
quoquomodo nigreſcere uidentur: (inflammatio
enim hoc ſigno deprehendi poteſt) requirere uehe

mentiſſima remedia: Non tamen cogitandum ſem
per, & in omnibus iſtiuſmodi doloribus ſtatim ad
extrema remedia eſſe accedendum, ſiue repellendū
ſit, ſiue diſcutiendum. Etenim ſi dentes cum gingi-
uis, & alijs, vel oris, vel aliorū membrorū partib. cō
ferantur, omnino ualentiora, & acriora, & requi-
runt, & perferunt medicamenta. Veruntamen nō
ſemper, & in omnibus corporibus dentes eiſdē, &
æqualibus curandi ſunt medicamentis. Sed eadē eſt
dentium, ſicut aliarum particularum ratio, quantū
ad remediorum vſum pertinet ex parte naturæ, &
temperaturę corporum, & particularum, & ætatis,
& ſexus, & aliarum circunſtantiarum. Quia alij faci
lius, alij ægrius acrimoniam, & uiolentiam medica
mentorum ferunt, nam alij dentes ſolidiores, & du
riores habēt: alij tenuiores, & imbecilliores: Quare
pro diuerſa harum ratione, & medicamentorum
robur variandum, & mutandum eſt, ut ualentiori-
bus, in adultis: leuioribus autem, in pueris, mulie-
ribus, & tenuioribus corporibus vtamur. Ex aſtrin-
gentibus uerò, & repellentibus leuiora, & faciliora
ſunt, roſæ aridæ, mirthi folia, rami, fructus, rubi item
germina, & fructus: deinde citini, malicorium, ba-
lauſtia. Quæ omnia quidem frigida, licet eorum quę
dam non careant aliqua digerendi facultate. Maior
tamen hæc vis in maſtiche eſt, cum qua etiam eſt a-
ſtrictio: unde poſt initium hoc etiam medicamen-
tum prioribus vtiliter miſcetur. Immo maſtiche
ex oleo decocta medentium doloribus ſummo-
pere à Meſue commendatur. His autem ualentio-
ra ſunt gallæ, præſertim verò immaturæ, & alumē,
quæ ſunt poſtea ex aceto coquenda, & eo quidem
(vt dixit Gal.) acerrimo. Sed hic etiam id ipſum ob-
ſeruandum eſt, quod nuper monuimus, quod pro
diuerſa ratione corporum, diuerſi etiam ſimus in
eligendo acriori, uel nimis acri aceto, ut etiam in
alijs eligendis medicamentis eſſe agēdum diximus,
deprompta indicatione à corporis natura, ętate, &
alijs. Digerentia verò, quæ ſolent in affectibus den-
tium uenire in uſum ſunt, qualia ea, quorum memi
nit Gal. 5. de comp. med. ſec. loc. ex ſententia Archi- Cap.1
genis, nimirum cedria, propolis, nardus, hyſſopus,
capparum radices, item & agreſtis cucumeris radi-
ces, nitrum, piper, allium, chamæleontis radix, ſta-
phis agria, rutha, marrubium, & id genus reliqua,
quæ tamen diuerſos in viribus ordines habent, ſed
illi ex Galen. Paulo, Aetio, & alijs poſſunt percipi.
Præterea ad hoc genus pertinent, & cornu cerui,
capreæque vſtum, & dens canis itidem vſtus, quę &
vim exſiccandi, extergendique habent, necnon, &
aliquam digerendi ex uſtione contractam. Quāuis
dens caninus quadam ſuæ ſubſtantiæ proprietate
poſſit forſitan prodeſſe. Hęc ergo, vel ſola, vel plura
ex aceto decocta, & eo acerrimo (ut dictū ſuperius
fuit) ore ſumpta, atque capite inclinato in dolen-
tem partem, aliquo tempore detinenda, poſt ex-
puenda ſunt. Cæterū duo ſemper obſeruanda ſunt.
Primum, ut pro ratione maioris, uel minoris affe-
ctus, ualentioribus, uel lenioribus medicamentis, &
pro ratione etiam corporis, & particulæ affectę u-
tamur, nimirum, ut qui duriori, & ſolidiori corpo-
re ſunt, quique duriores, & ſolidiores ſuaptè natura
dentes habent, acrioribus, & fortioribus tracten-
tur medicamentis, leuioribus uerò, qui contra ſe
habent, & id ſiue repellendum, ſiue digerendum
ſit. Quod non modo in harum particularum affe-
ctibus, uerum etiam in uniuerſum, & aliarum om
nium morbis obſeruādum eſt. Deinde uerò, & hoc
memoriter tenendum, quod inter initia dolorum,
dum dolor creſcit, aſtringentibus, & repellentibus
magis incumbamus, cum autem conſiſtit affectus
digeren-

digerentibus magis, illis verò commixtis, intermedio tempore. Et hęc uidetur propria eſſe curatio dolentium dentium, cum inflammatione, aut affectu inflammationi ſimili tentantur. Verum dolent interdum, & nimis perfrigerati, ſiue ab interna cauſa, ſiue ab externa id illis accidat. Ab externa quidem, cum quis gelidam aquam biberit, vel fructus niue refrigeratos comederit, aut id genus alijs cibis, uel potionibus fuerit vſus; ſed de his iam paulo ante egimus. Ex interna verò, ex influxu frigidiorum humorum ad dentes. Atque cum hac ratione laborauerint dentes, plurimum proderunt ea, quę commaſticata vim habēt pituitam ex capite detrahere, vt fomentum omne fluentis materię detrahatur. Ita enim quinto de compoſ. medic. ſecund. loc. docuit Galenus. Cui nos id addamus, quod id quidem intelligendum eſt, ubi non ſit multa capitis plenitudo; nam ſi multa ſimilis materia caput occupaſſet, magis expediret prius aliquibus catapotijs, vel id genus alijs medicamētis purgare caput, & vniuerſum corpus, ne quandoque maiori copia humoris a commaſticatis medicamentis commota, quàm deinde vacuari ab eo poſſit, & ea ad affectos dentes delata, noxa augeatur. Quę autem ea ſint, quę hanc vim habent, abundè ſuperius fuit expoſitum, ubi de apophlegmatiſmis habitus eſt ſermo. Quanquam autem, vbi ex ſola refrigeratione, ſine affluxu materiei, dolent, non ſit neceſſe ijs uti, quæ pituitam detrahunt; melius tamen fore idem autumat, ſi neque hęc pretermittantur, nam factis imbecillioribus dentibus, ſi aliqua ſit materia fluxioni parata, eo facilè defluit; pręterea verò hęc item calefaciunt, & hac ratione poſſunt corrigere intemperiem à refrigerantibus illatam. Sed & alijs excalefacientibus vti licet. Nos verò ex multa medicamentorum ſilua a multis auctoribus, & antiquis, & iunioribus congeſta, duo tantū medicamenta ex Gal. ex Apollonio relata deſcribemus, vt quę ſint paratu faciliora, & non modo huic proſint affectui, ſed & dentes conſeruent, tantam autem vim habent, vt vel etiā corroſos dentes, ſi ea diligenter in foramen indantur, a dolore vindicent. Quorum alterum eſt hoc, vt gingiber tritum ex melle coquatur, atque mox indatur denti eroſo, & exterius illinatur. Alterum vero accipit aluminis ſciſſilis drachm. ſex, maſtiches drach. vnam, roſarum drach. tres, iridis drach. quatuor, terantur omnia, & in puluerem redactis utendum colluto ore ex aqua tepida. Eroduntur pręterea ſępe, & perforantur dentes, interdum & denigrantur, ut & uiſu turpes ſint, & tandem putreſcāt, carieq; contracta, & putredine rodantur, & nōnunquam doleāt. Hęc autem uitia pręſertim ex affluxu uitioſorum humorum ortū habere diximus, defluxionem uerò hanc potiſſimum ex capite fieri. Quia & ex putrido, & corrupto uapore à uitioſa in uentriculo congeſta materia elato uidimus malè affectos nōnunquā fuiſſe dentes, ut & denigrari deinde fuerint, atque mox putruerint, & fuerint eroſi. Sed & hoc inſuper his eſt addendū, qđ (ut 1. de diff. feb. docuit Gal.) maximum momentum in morbis cōtrahendis habet afficiēdę particulę pręparatio, & propenſio. Et ideò facilius, ac promptius ī hos affectus incidunt dētes, qui molliores natura, & teneriores facti ſunt. Vnde his rectè perceptis, facilè erit inire rationem, & methodum curandi hos dētium affectus. Nam ſtatim ſi quis diligenter conſiderauerit, duo ſcopi maximè neceſſarij ſunt. Alter ab indicatione à cauſa horum affectuum depromptus. Alter uerò a pręparatione, & inclinatione ipſorum dentium ex ſua natura ad hęc uitia contrahenda. Etenim ſi cauſa conſiſtit in affluxu uitioſorum humo-

A rum, tollendus ille prius erit opportunis remedijs. Et (ut in ſimilibus ſępius declarauimus) ſi fluxio fuerit multa, & copioſa, quia foueatur, aut à capite, aut à uentriculo, aut interdum ab uniuerſo corpore illis prius eſt proſpiciendum euacuationibus, & reuulſionibus, poſtea uero ubi illis fuerit conſultum, topicis erit remedijs, & accōmodatis medicamentis procurandum, ut deſiccentur dentes, ita namq; cōſumetur uitioſa materia ex qua lęduntur. Et hoc quatenus ad primum ſcopum poteſt pertinere, qui ſiccandum, & vacuādum eſſe hac ratione humorē prauum oſtendit. At vero cum dixerimus in hac re & dentium debilitatem ob teneritudinem conſpirare: Ideo & huic rei conſulendum erit: nimirum vt
B duriores, & ſolidiores redditi, non ita facilè deinde afficiantur. Conducunt aūt huic rei ea medicamenta, quæ aſtringunt. Copioſam vero horum medicamentorum ſeriem paulo ſuperius expoſuimus. In præſentia vero nonnulla ex Dioſcoride, & Galeno addemus. Ramuſculi itaque lentiſci uirides commodi, & plurimum in purgandis dentibus vtiles eſſe poſſunt. Cochlearum etiam omnium teſtæ combuſtæ, tritæque, & affricatæ dentibus. Ita & purpura vſta, & buccina ſale repleta, & vſta. Sed & lentiſci reſinam dentes nitidos facere tradidit idem Dioſcorides. Galen. verò 6. de ſimp. med. facul. affirmat rotundam ariſtolochiam id maximè præſtare. Cornua itidem vſta, & præſertim capre, & cerui, & vſte
C teſtæ, in primis autem oſtreorum, & quæ antiquitus calainæ dicebantur, non modò detergendis, dealbandiſque dentibus vtiles ſunt: verum & gingiuas præſertim madidas roborant. Smegma etiam, cuius meminit idem 5. de comp. med. ſec. loc. non modò albos dentes efficit: ſed eos a carie defendit, atque ad bonum eorum odorem nō parum prodeſt. Conficitur autem hoc modo, vt nitrum accipiatur, & teſta ſæpiæ, item & mirrha, & ſingulorum ſit par portio. Laudatur quam maximè & dentrificium illud, quod accipit cornu cerui vſti drach. duas, malabatri drach. vnam, origani drach. quatuor. Contingit autem ſæpe, vt ex vſu, & eſu rerum, quæ auſteritate, & acerbitate inſigni, aciditateque præditæ
D ſunt, cuiuſmodi ſunt fructus immaturi, & ſimilia, multis obſtupeſcant dentes: immo & non raro illis, qui aridam pituitam euomunt, aut melancholicum humorem acidum. ut inde patiantur dentium ſtuporem; nec modò ex vomitu, ſed ex vapore ab acida pituita in ventriculo congeſta, ſurſum elato, noui aliquos, quibus dentes obſtupeſcerent. Stupidum autem hunc eorum affectum Græci αἱμωδίαν appellant: qui quidem fit ob exſiccationem, & exaſperationem contractam ex contactu acidi, aut auſteri ſucci, vt docet Galenus ſexto de ſimpl. medic. fac. Vnde illi tollendo apta remedia eſſe ait, quæ vim leniendi aſperitatem habent, & lentore aliquo particulam replendi. Quare ab omnibus ferè aucto-
E ribus laudatur portulaca commanducata: vtpote quæ ſuo lentoris alicuius participe humore leniat aſperitatem, & exſiccatam particulam repleat. Galenus etiam laudat oleum calidum ore retentum. Quoniam autem alij facilius alijs hoc affectu corripiuntur: Ideò & id animaduertendum, quod affectus is frigidus eſt: & proinde illi, quorum dentes aut natura, aut ex aliquo vitio frigidiores ſunt, facilius, & frequentius hoc ſtupore corripiuntur. Poſtremo verò & de dentium commotione aliquid dicendum eſt, cum non parum incommodi & is affectus inferat: præter id enim, quod maſticationi multo eſt impedimento, quæ neceſſaria ferè eſt, ut alimenta probè conficiantur, & concoquantur, cadunt etiam, vel eos extrahi neceſſe eſt, cum plu-

rimum

rimum labant: Agendum ergo eſt, quo pacto huic A malo ſit occurrendum. Verum quia illud multas poteſt cauſas, & occaſiones habere: Idcirco & aliquo modo multiplicem oportet eſſe curandi rationem. Cauſa ergo, vel occaſio, vnde vacillãt dentes, aut interna eſt, aut externa. Externa occaſione commouentur ex ictu, vel ſimili incommodo, cum confringere dentibus durum quidpiam, aut cum mordicus aliquid dentibus apprehenſum vi detinere contra impetum alio trahentis volumus, vel alia ſimili ratione. Ex interna cauſa dentes fiunt mobiles, interdum quidem ex inopia alimenti. Nam quæcunque aluntur, alimento deficiente, imminuuntur, & gracileſcunt. Nec modo ex inopia fiunt graciliores dentes, verum & gingiuæ, quæ & ipſæ aliquid fa- B ciunt (vt antea diximus) ad firmandos dentes. Sed bifariam accidit hæc ex alimenti penuria dentium gracilitas. Primum ob ſenectutem: vt enim ex ſenio cæteræ omnes particulæ corporis languidiores, & minores fiunt: ita & dentes, & gingiuæ. Deinde ex longiori morbo, vel etiam acuto: cum ſit multa cõſumptio, & reſolutio corporis. Vnde ſæpe ijs, qui ex magno aliquo morbo emaciati, & cõſumpti ſunt, dentes quoque parum firmi, & ſtabiles. Tertio verò & ex interna cauſa dentes mobiles euadunt, quando neruis, qui radicibus inſeritur, relaxatur nimio humore perfuſus, qui plerunque ex capite deſtillat, vt quinto de compoſ. med. ſec. loc. docuit Galenus. Dentium commotioni, quæ ſenectutis comes eſt, C (licet plus, minuſve, item ſerius aut tardius ſenibus accidat, pro ratione roboris naturalis eorum, uel etiam victus rationis ab illis ſeruatæ) hoc ſolum auxilium afferri poteſt, nimirum vt gingiuæ aſtringantur, & contrahantur, quo fortius & tenacius poſſint continere, & ſtabilire dentes. Vbi autem ex morbo veluti contabuerint, prodeſt corpus reficere, & inſtaurare, atque ipſum regere, vt conualeſcẽtes regendi: ut tamen & ore aliquid detinere, quod aſtringat, non ſit inutile. Sed ſi ex perfuſione ex multo humore, & veluti reſolutione nerui radicib. dentium inſerti, contigerit dentes fieri mobiles, ſiccantibus erit tractanda curatio, quatenus ad localia remedia particulatim pertinere poteſt; qui quidem D humor, ſi aliunde, vt a capite fluat, illi erit, ut in alijs affectibus a ſimili fluxione ſuum ortum habẽtibus, occurrendum vacuatione, & reuulſione, mox uero exſiccatione, vt nuper dicebamus. Cõmotioni autem, quæ percuſſionem, vel aliam uiolentam, ſimilemque ſecuta ſit occaſionem, aſtringentibus ſuccurrendum eſt. Vnde his affectibus prodeſt vinum ore contentum, aut eo ſi os colluatur, in quo fuerit, aut vlmi cortex, aut cornu cerui decoctum, ut retulit Gal. eodem quinto. Dioſcorides uero oleum omphacinum in ore detentum eſſe huic rei commodũ remedium ait, vel oleum expreſſum ex ſylueſtri olea. Præterea foliorum lentiſci decoctum, aut cytinorum, aut malicorij, vel ex aſinino lacte, cui uim E præterea eſſe ait firmandi gingiuas; item ex ſcilliti co aceto. Sed & alumen cum aceto, vel melle ualidũ eſt medicamentum. Poſſemus autem & alia ferè innumera medicamẽta deſcribere, & a prioribus medicis tradita referre, ſed nobis hæc poſſe eſſe ſatis uidentur, tanquam exempla propoſita. Multa alia a Gal. Paulo, Aetio, Meſue, literis commiſſa ſunt, quæ vnuſquiſque poteſt legere. Nos enim ad ea properamus, quæ ſunt maioris momenti, ut ſunt morbi, qui interiores oris partes tentant, quales ſunt palatum, lingua, tonſillæ, & quæcunque aliæ ad has pertinent.

A *De oris interioris affectibus.* Cap. V.

INterioris oris partes ſunt palatum, quod ὑπερῶα Græcè dicitur, interdum οὐρανίσκος, quaſi paruum cœlum dixeris, unde & noſtri vulgares cœlum oris appellant. Deinde lingua, & pars, quæ ſub lingua eſt, & columella, quæ caruncula eſt ſuſpenſa pendens ex extremo palato ferè ſupra linguæ radicẽ; noſtrę mulieres vuulam nominare ſolent; Græci uero κίονα & γαργαρεῶνα, hoc eſt, columnam, uel gurgulionem. Vtrinque vero ſunt duæ glandulæ in faucium principio, quæ cum ex inflammatione intumeſcunt, tonſillæ a Latinis ἀντιάδες a Gręcis, dra guncelli vero a noſtris mulierculis, ab alijs gaioni di B cuntur. Quod nomen morbum non particulam ſignificat, quamuis aliqui & pro particula accipiant. Poſt has glãdulas interius eſt ſpacium illud inter os, & ſtomachum, vel gulam interiacens, quod ἰσθμὸς Græcè nuncupatur, propter ſimilitudinem, quã refert iſthmi, qui eſt anguſtus aditus inter duo maria; vnde & προσίθμια, quaſi iuxta iſthmum conſiſtentes, dicuntur iſtius loci inflãmationes. De harum itaque particularũ affectibus cum acturus ſim, nõ mihi videtur eſſe neceſſarium longiori oratione earũ actionem, & vtilitatem exponere, quando hæc magna ex parte fuerint tractata, ſtatim a prĩcipio iſtius libri; & ſi quid derelictum eſt, illud ad anatomicos potius, quàm ad noſtrum hoc negotium pertinet. C Ea propter hoc tamen innuemus quod partes hę & ſermoni inſeruiũt, & guſtui, & pręterea maſticationi, ut declarauimus ſtatim ab initio huiuſce tractationis. Obnoxiæ uero ſunt omnibus ferè morborũ differentijs, quibus & priores iam expoſitæ particulæ, videlicet & ijs, qui proprię ſunt mẽbris compoſitis, & inſtrumentarijs, & illis, qui tentare ſimplices partes ſolent. At de illis prius agamus, qui primum, & proximè ſimplicia membra infeſtant, ac ne multum tẽporis ſine inſigni conteramus utilitate, prætermittemus eorum morborum rationem, qui in ſola abſque vlla materia intemperie conſiſtunt, quoniam modum, & methodum, quam in his curandis ſequi oportet, ſæpius in uniuerſum ſuperius expla- D nauimus, & ſi quid deinde particulatim deſiderandum ſit in curatione horum affectuum, facillimè id ex ijs, quæ dicemus, cum de alijs affectionibus curandis uerba faciemus, percipi poterit. Nec etiam de illis ſermonem habebimus, quę referri poſſunt ad ea, quę in prioribus libris ſunt copioſè, & diffuſè tractata, tam quatenus ad ortum, & eſſentiam eorũ pertinet, quàm etiam ad methodum, & rationem curationis, ut ſunt reſolutio, & conuulſio lingue. Nam ex ijs, quę expoſita ſunt in capite de conuulſione, & reſolutione, hęc omnia comprehẽdi poſſunt. Sed primum de inflammationibus harum partium, & earum etiam quę intimiores ſunt, & in faucibus latent, quę angina cruciari ſolent (cum om- E nium horum ſit idem modus generationis, & curationis, ne in eiſdẽ repetendis fruſtra tempus conteratur) in vniuerſum agemus. Secundò itidem de earum vlceribus. Tertiò de tetro oris odore. Poſthac autem particulatim, ſi ſit aliquis priuatus harum partium affectus, priuatim de eo agemus. Et quia lingua inſtrumentum eſt a natura creatum, prę ſertim ob duplex officium, videlicet ut eo ſapores guſtemus, & ut vocem, ac ſermonem formemus; ideo prius de ijs affectibus tractationem inſtituemus, quibus lęditur ſermonis, & loquendi facultas, vt illis accidit, qui malè affecta lingua blęſi, uel muti fiunt. Mox uero de eiuſdem affectibus, unde guſtus lęditur. Tertio loco de tumore linguę, quo ita excreſcit, ut in ore nequeat contineri, ſed exire cogatur.

Poſtremo

Poſtremo de columellæ laxitate & elõgatione. *Sed*
iam rem ipſam aggrediamur.

De inflammationibus, ac vlceribus omnium internarum partium oris, & faucium. Cap. VI.

EOdem modo, & eiſdẽ de cauſis in uniuerſum
oriũtur inflammationes, in ore, & omnibus,
quas recenſuimus, oris partibus, quibus & a-
liarũ particularum noſtri corporis inflãmationes,
nimirũ (ut Gal. multis in locis docuit) ex calida flu-
xione irruente in aliquã definitam particulã, ea por
ro ratione, quod partes fortiores, cum aut multitu-
dine grauantur, aut praua aliqua qualitate eorum,
quæ in ipſis congeſta ſunt, excrementorum irritan-
tur, excitata expultrice facultate, nocuam materiam
ad imbecilliores partes impellunt, in quas ſi infar-
ciatur, illas replens in tumorem attollit. Si uero per
venas diffluat, neque ex eis exprimatur, uel ſi etiam
aliquid exeat, non tamen eatenus, vt repleat meatus
& inania ſpatia, ſed tantum, ut quaſi humectet, non
fit aliquis tumor in particula, uerum vitiat, & immu
tat naturalem temperaturam illius. Et hoc modo
cõſiſtunt morbi in intemperie cum materia. Quod
ſi fluxio hæc, præter id, quod calida ſit, ſit etiã adeo
acris, ut poſſit abradere, & erodere particulas, in
quibus conſiſtit, & per quas tranſit abradendo &
erodendo, ſoluta particularum continuitate, ulcus
infligit. Hoc tamen prætereà conſiderandum, quod
cum fluxio motionem ſignificet morboſę materiæ
ab uno loco ad alium impulſæ. Ideo duo medico
rectè has affectiones curaturo ſunt obſeruãda. Pri-
mum, unde defluat ea materia. Deinde, vbi fluens
conſiſtat. Nam primum reſpiciens, cauſas fluxionis
de medio tollere, alterum uero, morbum factũ cu-
rare poterit. In his autem harum partiũ affectibus
poteſt fluxionis occaſio in varijs, & diuerſis locis
conſiſtere, ſiquidem & uitio uẽtriculi interdum, &
conſenſu cum eo lædi fauces, guttur, & os poſſunt.
Sæpe enim ſi ſit cõgeſta aliqua uitioſa, & putris ma-
teria in uentriculo ab elatis uaporibus afficiuntur
hæ particulæ, & lingua, fauceſque nigreſcunt, exa-
ſperantur, & tandẽ exeduntur & vlcerantur. Vn-
de hoc pacto in lactantibus infantibus, corrupto la-
cte in uentriculo, fiunt vlcera, quæ Græcè ἄφθαι di-
cuntur. Multoties quoq; ex acri materia per uomi-
tũ reiecta abraditur, & ulceratur os. Nonnunquam
etiã conſenſu cum pulmonibus malè afficiuntur hę
particulę, itidẽ ex uaporibus elatis ad os, & fauces.
Sæpe namque id uidimus illis accidiſſe, in quibus
purulenta materia in his partibus fuerat collecta.
Vnde ſuppurati, & ſanioſi, a Latinis, ἐμπυικοὶ a Grę
cis dicuntur. Sæpius etiam in febribus acutis, ubi fo-
mentum febris, uel (ut iuniores loqui ſolent) mine-
ra in ſpiritualibus membris ſedem habet, id eueni-
re ſolet. Quare Gal. in Prognoſ. referens quæ ſym-
ptomata ſæpius ſequantur febres, cum earum fo-
mentum in membris naturalibus eſt, & quæ, cum
in ſpiritualibus, ait, quod priores ſequi ſolent alui
profluuia; has uero ſpirandi difficultas, prætereà lin
guæ, & faucium aſperitas, nigredo, & alia id genus.
Tertio autem ſolent affici hę partes conſenſu cum
toto corpore, uaporibus uidelicet a toto ad eaſdem
elatis, vt in febribus pręſertim uero malignis, & pe-
ſtilentibus nec modo vapores, ſed etiam interdum
humores confluunt ad has partes, efferueſcentibus
nimirum vitioſis humoribus tum ex putredine, tum
ex igneo, & vehementi calore febrili, atq; inde fiunt
in ore, & faucibus eryſipelata, herpetes, aphthę, in-
terdum exquiſita eryſipelata, interdũ phlegmono-
ſa, & multa alia mala his ſimilia. Poſtremo autẽ, &
frequẽtius ſolent ex ſuperioribus partibus, ut Gal.

A tum tertio tum ſexto Apho. teſtatus eſt, pręterea &
4. de tuend. ſan. & 2. de ratione uict. in acut. mor. ni- Com. 16. Com. 2.
mirũ ex capite, & cerebro fluxiones ad guttur, fau- Cap. 2.
ces, aliaſq. huc ſpectantes particulas deferri, unde in Com. 30.
flãmationes, eryſipelata, ulcera, & id genus alia ma
la ortum habent. Quamuis aũt fluxiones hę, tum a
capite, tum ab alijs locis defluentes, non ſemper in
oris, & fauciũ particulis cõſiſtãt, ſed & ad alias mul-
tas poſſint decũbere, his tum ſuperiores (ut in prio-
ribus libris fuit expoſitum) tum inferiores, ut in ſe-
quentibus dicetur, attamen ad nos in pręſentia per
tinet ea perſequi, quę ad has particulas attinent. Sed
primum de inflammationibus ſermonẽ habeamus,
vtpote, quæ habent aliquam maiorem diuerſitatem
B in acutie, moleſtia, & periculo non tantũ ratione
ſui, videlicet fluxionis, & modi, quo generantur, &
conſiſtunt, quãtum ratione locorum, in quibus exi-
ſtũt, a quibus etiam diuerſa nomina ſortiuntur. Cũ
ergo fluxio in lingua & palato conſiſtit, excitata in
flammatione, vt non admodum grauis morbus eſt,
neque inſigne aliquod periculũ annexum hẽt, ita
neque priuatum aliquod nomen conſecuta eſt. Niſi
quod interdum ſub lingua ad eius radicem, & venas
quę ſub lingua ſunt, ſuccreſcit tumor quidam, pre-
ſertim verò pueris, qui a ſimilitudine, quam refert,
Gręcè βατραχος hoc eſt, rana, vel ranunculus (ut
retulere Paulus, & Aetius) dicitur. Et quamuis fiat à
pituitoſa, humida & lenta fluxione aliquando ta-
C men ad inflammationis naturam (vt ait Paulus) ac-
cedit. Vnde & ſi plerunque ex ſiccantibus, & atte-
nuantibus ſoleat curari. Ego tamen interdum ſup-
puratũ illum vidi, atque ex eo rupto proſiluiſſe pus
copioſum. Inflammationes verò, quo magis in inte-
rioribus partibus, decumbente ad eas fluxione cõ-
citantur, eò & moleſtiores, & grauiores ſunt: quò
verò magis in illis, quæ exterius vergunt, eò minus
periculi afferunt. Vt ergo prius diximus, duarum
glandularum, quas quidem iuniores amygdalas ap-
pellant, inflãmationes, tonſillæ a Latinis dicuntur,
quamuis & particulæ illæ ab aliquibus tonſillæ nũ-
cupentur, Gręcè verò ἀντιάδες. Columellę verò, vel
gurgulionis inflãmatio, pręſertim verò, quando ad-
D eo extenuatur eius radix, vnde pẽdet, vt fiat ſimilis
pediculo, cui acinus vuę inhæret, vocatur a ſimili-
tudine, Græcè quidem σταφυλή Latinè vero, vua. Di-
ximus autem inflammationes partium, quæ inter
has glandulas, & Columellã, atque fauces, vel gut-
tur, pariſthmia nuncupari. Internæ uero, quæ in fau
cibus, & muſculis, qui ſummo capiti aſperæ arterię,
& ligulam, vel ἐπιγλωττίδα mouentes, quæ ſunt pro
xima vocis inſtrumenta, quas partes φάρυγγα Græ-
ci, vel nos fauces appellamus: Latinè angina, Græcè
συνάγχη uel κυνάγχη dicitur, eo qđ hominẽ angat,
prematque, atque quaſi laqueo ſtrangulet. Quia ve-
ro morbus acutiſſimus eſt, interdum & diſcriminis
maximi. Ideo hic aliquantiſper conſiſtamus. Vbi
E primum hoc animaduertendum, quod antiqui me-
dici, præcipuè vero Hip. communi anginę, uel κυ-
νάγχης nomine omnes affectus nũcuparunt in hoc
loco conſiſtentes, qui ſpirationem lędunt, quomo-
docunque id faciant. Habet autem angina uarias &
diuerſas differentias, quę cognitu neceſſarię medi-
co ſunt, tam ad pręſagiendi, quàm ad curandi ratio-
nem. Bifariam autem eas partiẽdi ratio iniri poteſt.
Cum enim duo in ratione anginę cõueniant (ut ex
pręd ictis percipi poteſt) nimirum inflammatio ex
fluxione excitata, & locus, in quo conſiſtit inflam-
matio, vel fluxio, tam ex diuerſitate loci, quàm flu-
xio corripit, quàm ex diuerſa fluxionis natura, po-
teſt accipi ratio diuerſarum differentiarum iſtius af-
fectus. Sed primum differentias a loco ſumptas per

ſequamur, Inflammatio ergo aut fauces corripit:
fauces vero locum appello, vel partem illam quam
φάρυγγα Greci vocant, quo pertingunt, & quaſi co-
eunt gulæ, & aſperæ arteriç fines, ac ſupremæ par-
tes, quæ ſunt quaſi oſtia, & aditus, tum cibo & po-
tui ad ventriculum, tum ſpiritui ad pulmones: ſicut
extremũ arteriç, λάρυγγα Greci, nos guttur (vt pu-
to) nuncupamus. Cum igitur in faucibus extuberat
inflammatio, aperto ore, & aliquo inſtrumento lin-
gua depreſſa, rubor, & tumor introſpicientibus cõ-
ſpicuus eſt. Quod ſi ita interius malum conſiſtat, ut
in faucibus neque tumor, neque rubor appareat, ne-
que etiam exterius ſigna inflammationis percipian-
tur; attamen in gutture ſentiat æger ſe ſtrangulari:
hæc eſt altera anginæ differentia. Tertia vero eſt, cũ
in faucibus quidem ſuboritur inflammatio, ſed uer-
ſus exteriorem partem. Quarta eſt, quando ex in-
flammatione tument externæ partes circa guttur.
Com. 32. Medici vero Hippoc. poſteriores, has omnes diffe-
Com. 16. rentias diuerſis nominibus, ut quarto Apho. & ter-
Cap. 3. tio Prognoſ. Galen. tradidit, diſtinguere volentes, pri
mam συνάγχην, alteram κυνάγχην, tertiam παρα-
συνάγχην, quartã παρακυνάγχην appellauere, quos
ferè deridet Galen. Sed & alterius etiam differentiæ
meminere Hipp. & Gal. quarto de locis affect. cuius
proxima cauſa eſt, luxatio vertebrarum, quç ceruî-
cis ſunt, nimirum quando luxatç introrſum impel-
luntur: ita enim & gulam, & ſubinde guttur ſeu ar-
teriam premunt. Periculoſiſſima autem luxatio eſt
vertebrarum ſuperiorum, ſicuti illius, quç dentem
appellatum habet, minus aũt quo inferiores ſunt. Et
huic, quæ ex luxatione fit magis obnoxij ſunt pueri
quam adulti. Nec modo hac ratione diſtinguuntur
differentiæ anginæ, verum & ratione fluxionis, vn-
de excitatur, quæ plerunque (ut diximus) ex capite
eſt, interdum tamẽ & aliunde. Fluxio vero non ſem
per eandem habet naturam, ſed differentem. Vndç
& diuerſæ etiã excitantur anginæ differentiç. Nam
aliquando ea fluxio calida eſt, tenuis, & acris, ut 4.
de rat. uict. in acut. mor. & tertio Apho. ait Gal. ait
Com. 27. tamen, ut aliquando magis inflammationis parti-
Com. 22. ceps ſit, nonnunquam vero eryſipelatis, vt idẽ quin-
Cap. 5. to de locis affectis tradidit, & in hoc quidem dolor
uehemens eſt, ſitiſque & vehemens etiam ibi calor
percipitur, adeſt etiam febris, ſed non adeo calida,
neque pro ratione ſitis. Aliquando autẽ fluxio ma-
gis pituitoſa, & lenta eſt, & ubi tumor is non mul-
tum calidus ſit, alioquin enim niſi aliquem calorem
habuerit, inflammationem, quam tanquam genus
anginæ conſtituimus, nequaquam poterit excitare,
Sed de hoc in ſecundo libro, vbi de lethargo fuit ha-
bitus ſermo, egimus. Vbi ergo nõ multum habuerit
calorem, ferè erit abſque febre. prior autem anginæ
differentia, vt idem Galen. eiſdem locis docuit ſolet
plerunq; guttur vel λάρυγγα occupare, frequentior
que eſt in æſtate, autumno, ſicut altera hyeme, &
uere, & fauces potius torquet. Vnde in ea quædam
inçqualitas in deuorando percipitur. Nam cibus re-
tineri alicubi videtur, præcipue qui craſſior, & du-
rior eſt non ſine leui aliquo dolore. At vero cum gu
lam angina corripit, quidam etiam dolor in dorſo
percipitur; ob id quia gula ſpinæ incumbit: ſicuti
cum in extrema arteriç parte, uel gutture; tantam
affert ſpirandi difficultatem, quod (ut quarto Apho.
monet Gal.) ſçpe in diſcrimen repentinç ſtrangula-
Com. 34. tionis adducit. Omni autem anginæ hæc duo aſſi-
dent incommoda. Nimirum quod & ęgrè deuorãt
ægrotantes, & non niſi cum dolore, ut ſæpe per na-
Cap. 3. res (vt quarto de loc. affect. idem ait) potum reij-
ciant, tunc autem maior difficultas, dolorque angit
cum iacens & ſupinus deuorare nititur, unde muta

A ta figura, conſidere hi coguntur, Prçterea aſſidet &
ſpirandi difficultas: non tamen cuicunque tanta, ut
ſuffocationi periculum laboranti minetur. Quate-
nus vero ad prçſagiendi rationem pertinet, hæc ex
Hip. & Gal. locis ſæpius iam citatis colligenda, & an
notanda duximus. Primũ, quod angina quæ ex luxa
tione fit, communi quidem (ut ſtatim initio capi-
tis monuimus) nuncupatione dici hoc nomine po-
teſt; quia angit, & ſtrangulat citra noxã pectoris, &
pulmonis: hac enim ratione in primis angina a pe-
ripneumonia, & pleuritide diſcernitur: quoniam
ſi propriè, & exquiſitè loqui velimus, angina par-
tium oris, & faucium inflammationem ſignificat:
luxatio verò aliud eſt ab inflammatione. Quamuis
B luxatio hæc bifariam fieri poſſit. Vel enim ictu, &
percuſſione, ex caſu, aut alia occaſione. Vel (ut ex
ſententia Hipp. in libro de articulis refert Gal. 4. de
loc. affect.) ob crudum aliquod tuberculum in cor-
poribus neruoſis, quæ vertebris incumbunt, ſuc-
creſcens, quibus ex tumore contractis torqueri uer-
tebras neceſſe eſt: & eiuſmodi quidem iſtius luxa-
tionis cauſa magis ſimilem inflammationi, & ſubin
de anginæ rationẽ habere poteſt. Sed redeamus ad
noſtrum inſtitutũ, cum ex ictu & repentè fit luxa-
tio, curationem non admittit, cum verò ex tubercu
lo, cenſuit Hip. (ut ſecundo libro Epidem. innuit)
interdum curari eſſe tamẽ periculoſas has anginas:
& eo magis præceps periculum afferunt, quod cer-
C uicis ſuperiores vertebræ fuerint luxatæ. Reliquis
autem anginæ differentijs, quæ in inflammatione
conſiſtunt in maius, minuſve periculum, ratione lo
ci, cui incumbunt, hominem adducũt. Ea enim præ
alijs acutiſſima eſt: & citiſſimè ſtrangulans, in qua
maxima eſt ſpirandi difficultas: ita vt cogatur ægro-
tus rectã ceruice reſpirare, & a dolore plurimum
cruciatur: quæque interiores gutturis partes corri-
puit, vt ore aperto, & lingua depreſſa, nullus in fau-
cibus inſpiciatur tumor, aut rubor. Vbi autem fau-
ces & tumidæ, & rubentes videntur, dolentq;, & in
ſignis etiam ſpiritus anguſtia percipitur, non tanta
tamen, vt in priori, periculum ſane & hęc adiunctũ
habet, non eſt tamen perinde acuta vt prior. Longè
D vero minus periculoſa eſt ea, in qua nec multus do-
lor, nec inſignis ſpirandi difficultas moleſtiam af-
fert, & præter fauces collum etiam tumoris, & ru-
boris eſt particeps, nam extrorſum vergit malum.
Quare ſexto & ſeptimo Aph. pronunciauit Hippo.
bonum eſſe in angina tumorem, & ruborem, tũ in Aph. 49
ceruice, tum in pectore apparere, tertio uero Pro- Tex. 25.
gnoſt. vnde hęc ferè omnia deſcripta ſunt, dixit, cam
anginam ſalubriorem eſſe, in qua tumor & rubor
extrorſum conuertitur. His autem prçterea adden-
dum eſt, quod ſi ægrotanti ſuperuenerit angina, qui
vires parum firmas habeat, deſperata eſt omnino
eius ſalus, quicquid. n. ſpei reliquum eſt in his acu-
tiſſimis morbis, id (ut decimo meth. docuit Gal.) in
E robore uirium ſitum eſt. Nec etiam præter eundem
cuius quarto Aph. idem meminit, quod pernicio-
ſiſſima eſt angina, in qua febris uehemens eſt, cum
multa ſpirandi anguſtia. Cum enim in magna febrç
multa ſit refrigerij neceſſitas, quod larga ſpiritus
attractio præſtat, exiguus uero in his attrahatur, ci-
tiſſimè ſtrangulantur, nulluſque euadere poteſt. Ea
autem angina, nec acuta admodum eſt, nec ad di-
ſcuſſionẽ difficilis, in qua ex pituitoſa fluxione fau-
ces tument. Sed nec hoc ignorandũ, quod (ut idem
quarto de Cauſis pulſ. monet) angina tranſit in pe-
ripneumoniam, trãſlato videlicet impetu fluxionis
ad pulmones. Nonnunquam vero in conuulſionẽ,
conuerſa nimirum fluxione ad neruos, & medullã
ſpinæ. Et cũ eorum pulſus, qui angina tentãtur, par-

ticeps

ticeps quidem cuiuſdam ſit tēſionis, hac ratione fit, vt quoquomodo pulſui eorum, qui conuelluntur, ſimilis euadat. Cum præterea non nihil vndoſus, & magnus ſit, ut peripneumonicorum pulſus: inde etiam fit, vt eius tranſmutatio in quam partem caſum minetur, ex pulſu præcognoſci poſſit. Nam ſi maiorem habuerit tēſionem, inditio erit vergere in conuulſionem. Sin aūt maior, & vndoſior fieri pulſus videatur, in peripneumoniam inclinare anginā oſtendet. Addit autem Gal. tertio Prognoſt. quod conuerſa angina ad pulmones delirium concitat, & ſtrangulat intra ſeptem dies, aut ſuppuratur, ut ait Hippo. quinto Aph. Sed de his ſatis. Ad curationem progrediamur.

De ratione curandi anginam, & reliquas faucium, & oris inflammationes. Cap. VII.

CVm idem ſit modus, quo omnes, qui in his partibus ſuboriuntur, inflāmationes excitantur, nimirū ex fluxione, eędemq; fluxionum differentiæ: Niſi qđ cum duplicem eſſe eam fluxionē dixerimus, quæ his partibus ſolet eſſe infeſta: alterā videlicet craſſiorem, & magis pituitoſam: alterā tenuiorem, calidiorem, & biliosiorem. Prior quidē
Com. 30. (vt teſtantur Gal. & Hip. 4. de rat. vict. in acu. mor.) magis in faucibus, & frequentius ſolet conſiſtere, ut pote quæ latiores venas habeant, capacioresq; craſſioris, & magis lentæ fluxionis. Altera uero quæ tēnuior, & biliosior, è latioribus quidem facilius effluit, ab anguſtioribus autem facilius continetur, & ſiſtitur: vnde frequentius in gutture, quod φαρυγγα Græcè appellari diximus, ſolet inflammationem excitare, nam venæ gutturis ſunt minores, & anguſtiores. Ad hæc cū natura harum omnium partiū ſimilem pene indicationum rationem habeat: hoc excepto, quod earum quędam actionem & officium obeunt vitæ, & ſaluti magis neceſſarium, ſicuti quæ ad reſpirationem ſunt magis neceſſarię, ut guttur, maius momentum, quàm fauces habet in hac actione, & fauces gurgulione; gurgulio vero, quam alię oris partes. Vnde poſtea affectus, & inflammatio gutturis acutior morbus eſt, & cui magis præceps aſſidet periculum, quàm faucium; & harum quàm gurgulionis, & ſic ſubinde. Cum igitur ea omnia ita ſe habeant, ſimilis quidem erit ratio curandi omnes harum partium inflāmationes, vt tamen medicus magis ſollicitus ſit, & in adminiſtrandis opportunis remedijs velocior, vbi maius, ac citius periculum im-
Com. 5. pendet. Nam vt 6. Aph. dixit, in his differte; hoc malum: principiū vero curationis a communi methodo accipiendum eſt, quæ affectus omnes comprehendit a fluxione concitatos. Ea vero eſt, ut primum fluxioni morbificæ occurramus, ac eam ſiſtamus. Siſti autem nequit, ubi præceps, & vehemens ſit: fluxio factura morbum aliquem magnū, niſi (ut ſæpe teſtati ſumus) euacuatione, tum corporis uniuerſi, tūm amandantium particularū. Hac enim ratione, & facile reprimitur fluxio remota, nēpe eius cauſa, cum reuellendi, & auertendi eius impetū, uacuatio opportunè adminiſtrata uim habeat, prætereaque, vt eodem loco docuit Gal. & commodiorem vtiliorem, magisq; efficacem vſum localium remediorum præſtat, quę ſubinde neceſſaria ſunt, vt & repellatur irruens humor & digeratur, qui iam influxit. Corporis autem inanitionem moliri poſſumus triplici uſi inſtrumento medico. Nimirum ope manuū, ſicuti ſecta vena, aut inciſis cucurbitulis. Deinde vſu medicamentorum purgantium, clyſteriumque; Præterea tenuiori victus ratione. De horum igitur vnoquoque particulatim, & ſeorſum ſermo-

A nem habeamus. Primumq; de ſanguinis miſſione. Nam & hoc remedij genus ſemper ferè in his acutioribus morbis ex recta methodo alia omnia, niſi quidpiam aliud vetet, pręmittendum eſt. Prohibere autem eam poſſunt hæc. Primùm quidem ſi aluus aſtricta non deiecerit prioris aſſumpti cibi excrementa non modò vnius, ſed & alterius diei, quo in caſu prius clyſteri procurandum eſſet, ut deijceret. Quamuis Hip. in ſecundo de rat. uict. in acut. mor. clyſteri utatur poſt ſectam uenā. Ego verò, niſi ualdè eſſet aſtricta aluus, putarem poſſe differri clyſterem poſt inciſam venam, ſed ſi aſtrictior eſſet, præſtare exiſtimarem clyſterem præcedere, lenem tamen. Et ſi quis diceret, nonne poſſemus & leniente
B pharmaco idem efficere, vt caſſia noſtra, quam Arabes plurimum commendant in inflammationibus faucium? Porrò & id fieri (inquam) poſſet quando in mora nullum eſſet periculum. Sed quia in angina, pręſertim quę guttur interius tentat, interdū adeo in præcipiti res eſt, vt intra ſpatium horarum vigintiquatuor hominem iugulet; Ideò longè expeditius eſſet, illa eadem hora huic periculo occurrere, ſecta vena, & præmiſſo clyſteri, aut paulo poſt impoſito, quam differre quouſque aluus per medicamentum exoneretur. Quod ſi neque adeo acutus morbus eſſet, neque eo in loco ſuborta eſſet inflammatio, ut in deuorando ſolidiori, uel liquido medicamento periculum immineret, recuſaretque clyſteres ægro-
C tans; poſſemus tunc rem hanc lenienti pharmaco tranſigere. Deinde vero obſtare poſſunt ętas, & uires malè affecti corporis, quod quidem impedimentum longè maioris momenti eſt, ut prætereamus tempus anni, cōſtitutionem, regionem, & id genus reliqua, quæ potius in magnis morbis modum euacuationi imponunt, quàm quòd omnino uetēt. Sed primum agamus de ijs, in quibus nihil eſt, quod uenam ſecare prohibeat. Statim ergo detecto principio inflammationis, ſi eo uideatur futura magna, & periculoſa, pertundenda erit uena exterior in brachio, quam humeralem Gręci, Arabes, & iuniores cephalicam appellant, & in eo brachio, quod ex ea parte eſt, in quam vergit inflammatio à directo
D uidelicet partis affectæ, copioſuſque deinde ſanguis detrahendus eſt, habita ſemper ratione tum plenitudinis corporis & impetus fluxionis irruentis ad inflammatum locum, tum uel maximè ætatis, & uirium affecti corporis. Inanito autem corpore uniuerſo, & cōſiſtente iam, aut omnino, aut magna ex parte fluxione, inueteraſcenteque morbo, cum iam indicatio, quæ eſt a fluxa materia, & facto iam morbo, uim maiorem cæperit habere, propterea quia obſiſti non potuerit, quin tumor non creuerit inſigniter, ſi uenæ quę ſub lingua ſunt, incidantur, ac pro ratione tumoris, & uirium effluat, non parum proderit, quia inflammatio, præſertim in faucibus, inde detracto ſanguine, uacuabitur. Sed interdum
E in aliquibus, aut non poſſumus ſanguinem ex ratione detrahere, uel etiam nolumus, non poſſumus uerò, quia uel habitus, & natura corporis non facilè admittit ſectionem uenæ, ſicuti mulieres, quæ molliores, & albas habent carnes, quæque non admodum coloratæ ſunt, itemque pueri, & eunuchi. In eiuſmodi itaque corporibus per ſcarificationem, & cucurbitulas ſcapulis, & dorſo, interdū verò & cruribus affixas ſanguinem mittimus, quod & Gal. conſuluiſſe, præſertim in lib. de Cucurb obſeruauimus. Com. 4.
Neque enim ex ſanguine hoc modo detracto diſſoluitur robur caloris natiui, neque ſpiritus ita exinaniuntur, ut ex liberaliore ſanguinis miſſione per uenam ſectam. Quod ſi neque hac ratione audeamus ſanguinem exhaurire, id erit agendum, quod

Com.4. conſuluit Gal. quarto de ſanit. tuen. qui in curandis A
laſſitudinibus, quæ cũ alioquin ſanguinis detractio-
nem requirerent, eam tamen ętas non cõcedit, vel
timiditas hominis, nẽpe, vt liberalius aluus deijciat
procurandum eſſe cenſuit. Quare iam ad hoc ſecũ-
dum inſtrumentum, quo medici vtentes vniuerſum
corpus inaniunt, exponendum accedamus. Com-
muni autem nuncupatione purgatio dicitur, quam
medicamentis molimur. Sed quoniam duplex eſt re
gio, qua in primis vniuerſum corpus purgatur: nem
pe ſuperior, & per os: vt quando vomitum ciemus.
De qua ratione vacuandi non eſt, cur in præſentia
agamus. Quia euacuatio, quæ inter initia molienda
eſt, ea debet eſſe (ut eodem 4. de rat. vict. in acut.
Com.3c. mor. docuit Gal.) quæ vim habeat non tantum cor- B
pus inaniendi, ſed & reuellendi ab affecto loco. Vo
mitus autem potius commouet humores ſurſum
verſus ſuperiores locos, in quibus conſiſtit inflam-
matio, quam ut inde auertat, unde altera regio infe-
rior & per ſedem accommodatior eſt huic negotio.
Per deiectiones ergo alui potius curandus eſt is af-
fectus. Et cum bifariam alui deięctiones euocari
poſſint. Vel medicamentis bibendis, aut deuorãdis:
Aut illis, quæ per clyſteres inijciuntur inferius per
ſedem. Non erit procul a noſtro inſtituto, ſi de vtriſ-
que agamus, cum utrãque rationem ciendi aluum
laudauerit Gal. ſexto de comp. med. ſec. loc. & eo-
dem quarto de rat. vict. in omnibus harum partium
inflammationibus. Sed primum de medicamẽtis aſ- C
ſumendis ore ſermonem inſtituamus: deinde de il-
lis, quæ ſupponenda ſunt, uerba faciemus. Quan-
tum ergo ad medicamenta, quæ ſumenda ſunt, vt &
vniuerſum corpus inaniatur, & impetus influentis
humoris reuellatur, atque alio conuertatur, hæc
in primis conſideranda ſunt, qualitas medicamenti,
quantitas, & forma, uel conſiſtentia. Et ut ab hoc
poſtremo incipiamus, cum triplex ſoleat eſſe forma
medicamenti, uel conſiſtentia, quod in uſum ueni-
re poteſt. Nam aut catapotijs uel pilulis utimur, aut
potionibus, aut appellatis bolis qui non ita ſolida,
& dura ſubſtantia, ut pilulæ conſtant ſed teneriori,
neque tamen fluida & liquida, ut potiones, uerum
ferè inter hæc media. De ijs enim, quæ ex ſaccharo D
parantur, in orbiculoſque confecta rediguntur, &
vulgò confectiones nominari ſolent: in quem mo-
dum, & diaturbith appellatum, & diaphœnicon in
terdum parant apothecarij, ut minus ingrata ſint,
& mandi facilius poſſint, nolumus in pręſentia loq,
quippe cum in his maioribus morbis hanc gratiam
non quærimus, ubi celeritate opus eſt. Conſulemus
ergo in electione modi, uel formæ medicamenti
exhibendi, facilitatem deuorandi, uel deglutiendi.
Nam, & ſi in omnibus aliqua ſitiſtius rei habenda
ratio, ea tamen maior eſt in hoc affectu habenda,
quia (ut paulo antea diximus) omnes harum partiũ
inflammationes ſequitur anguſtia fauciũ, unde diffi
cilis admodum redditur deuoratio, & non ſine in- E
ſigni dolore, quo deinde inflãmatus locus irritatur;
magis autem a re dura, & ſolida, quàm tenera & li-
quida. Quare & ſi ſolidius medicamentum effica-
cius, & uehementius trahat uacuãdos humores; ob
id quia diutius moratur in uentriculo, cum non ita
facilè diſſoluatur, & diffluat: Attamen ut aliqui ine-
ptiſſimi ſunt ad deuorandas pilulas, uel cataporia, &
id ſuaptè natura; Ita omnes fere in his affectibus
non citra inſignem laborem, & dolorem; eas deuo
rant. Præterea conſideranda eſt ratio morbi. Quo-
niam ſi ualida, & multa adſit febris, pilulæ nõ admo
dum conducent, ut quæ calefaciant magis, & exſic-
cent, quàm appellati boli, uel potiones. Alijs uero
omnibus minus potiones, tum ex modo ſubſtãtiæ,

A tum quia parari poſſunt, & dilui decoctis, uel alijs
liquoribus, quæ vim habent leniendi, & reprimen-
di inflammationes, refrigerandique, & humectãdi.
Cui & hoc addamus, quòd ſi ex moleſtia medica-
menti concitetur vomitus, non ita uelox imminet
ſuffocationis periculum, ſi liquidum fuerit medi-
camentum, veluti ſi ſolidum. Pilulæ enim, & boli,
dum vomitu alliduntur confertim, & valido impe-
tu ad anguſtias oppreſſi ab inflammatione trãſitus,
maius afferunt periculum. Vnde aliqui hac ratione
repente ſtrangulati ſunt. Vt accidit hic Patauij cui-
dam mulierculæ laboranti angina, quæ deuoratis
bolis aliquot caſſiæ, & vomitu excitato a moleſtia
medicamenti ſtatim ſtrangulata interijt. Qualitas
B autem medicamenti conſideranda eſt, quatenus ad
duo ea referri poteſt. Vel ad uim, qua humores re-
ſpicit, vt hunc uel alium ſuaptè naturam magis reſpi
cit: unde in electione conſulenda eſt natura fluxio-
nis à qua concitatur inflammatio. Hipp. enim hoc
docuit, vbi ait, Si qualia oportet purgari, purgentur,
& confert, & bene ferunt. Ea autem purgari opor-
tet, (ait Gal. locum explanans) quæ lædunt, & mor-
bos procreant. Nec modò inde petenda electio
medicinæ, quantum ad uim purgatoriam pertinet:
ſed etiã ad qualitates, quæ primę vocantur. Si enim
calida admodum & acris fuerit fluxio, declinanda
erunt medicamenta, quæ interdum non minus ferè
nocent calefaciẽdo, quàm proſint uacuando. Pecu-
C liari aũt proprietate in his affectibus Aegyptiæ caſ-
ſiæ liquorem laudarunt Arabes: & id duplici nomi-
ne. Primũ quia purgat. Deinde quia uim habet par-
tes illas dum per eas defluit, leniendi, ac digerendi
inflammationem, reprimendiq; & tunc præſertim,
cum diſſoluitur aqua, uel decocto, uel ſucco ſolani.
Sed & quantitas medicamenti bifariam conſiderã-
da eſt. Nam aut quantum refertur ad uires, & robur
medicamenti in uacuando. Aut quatenus proprie
reſtituit quantitatem, hoc eſt molem, & copiam me
dicamenti. In primo hęc cõſideranda uelocitas mo-
tus, & acuties morbi. Quoniam ſi videatur pręceps,
& uiolentus admodum motus fluxionis, & augmẽ-
tum inflammationis: iam ſubit rationem turgentis
D morbi. Vnde conſuluit Hip. in ualde acutis, cũ præ-
ceps eſt motus, medicandum eſſe eadem die, quod
quidem ad medicamenta valenter purgantia perti-
nere dixit Gal. Quare ſtatim caſſię, ſi caſſia videatur
vtendum, & tenuis, calidaque fuerit fluxio, erit ad-
dendum electuarium ex ſucco roſarum, deſcriptũ
a Nicolao, uel roſatum ex deſcriptione Meſue, de
quibus ſuperius fuit habitus ſermo. Sin autem pilu-
lis uideatur utendum, aureæ erunt aptæ. Sed ſi flu-
xio fuerit pituitoſa, aut diaphœnicon addemus, aut
agaricum: pilulæ uerò cochiæ erunt accommoda-
tæ. Pro caſſia autem, ſi quis eam abominetur, roſa-
ceo ſyrupo ſolutiuo utemur. At ſi morbus, et fluxio,
quę eius cauſa eſt, non adeo acuta ſit, ut cogat nos
E ita accelerare; poſſumus acrioribus medicamentis
parcere, & vti facilioribus, & lenientibus. Si autem
loquamur de quantitate, ut copiam, & molem re-
ſpicit; debemus quo poſſumus minoribus medica-
mentis uti, & minori copia, duplici de cauſa. Pri-
mum propter difficilem aſſumptionem ęgrotantis,
ægre deuorantis, ut diximus. Deinceps quia amplũ,
& copioſum medicamentum facilius promouet uo
mitum, qui non parum in his affectibus moleſtus
eſt, & noxius, & id, ſiue pilulis uideatur potius uten
dum, ſiue bolis, ſiue etiam potionibus. Poſtremum
autem medicum inſtrumentum euacuationis uni-
uerſi corporis, eſt uictus tenuioris ratio quæ debet
ex proportione reſpondere & acumini morbi. Nã
hoc docuit Hip. 1. Aph. cum ait, ubi morbus peracu- Aph. 7.
tus

tus eſt, ſtatim extremos habet labores, & tenuiſſimo
victu vtendum eſt, vbi verò non, ſed pleniorem vi-
ctum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum
eſt, quanto morbus extremis eſt mollior. Vnde (vt
ait Gal. 6. de comp. med. ſec. loc.) protinus ægrotan-
ti quies imperāda, & inedia, vel exquiſita, ſi res plu-
rimum vrgere videatur: vel tenuis admodum victus
donec ſiſtatur fluxio, & res iam in tuto ſit. Vini po-
tus omnino ægrotanti interdicendus: danda verò
aqua, aut mulſa, aut ſi pituitoſior ſit fluxio, poterit
aliquid, aut oxymelitis, aut acetoſi ſyrupi immiſceri.
His autem temporibus pro mulſa vtimur, iuleb ap-
pellato roſaceo, vel violaceo, quę magis refrigerant
& leniunt exaſperatas fauces. Sed neq; omnino fri-
gida hæc bibenda: frigus enim mordet, & aſperat
partes has; ſed potius tepida, ita enim magis ſedatur
dolor. Quibus recte inſtitutis, & ſeruatis locus affe-
ctus iam tuto tractari poterit remedijs & medica-
mentis, quæ topica, ſeu localia dicuntur, & particu-
latim affecto loco adhibentur. Quorum primum,
& in uniuerſum eadem penitus eſt methodus, quæ
& aliorum medicamentorum inflammationibus
aliarum particularum curandis adminiſtrandorū.
Exceptis illis, quę occupant adenoſas, vel glandulo-
ſas partes, vt bubones, & parotides. Harum. n. cura-
tio in principio diuerſa, & fere alijs contraria, ſed de
his ſuperius capite de parotide egimus. Methodus
ergo hæc generalis his indicationibus vel etiam ſco-
pis conſtituitur, vt ſæpius diximus. Nempe, vt primū
repellatur influēs humor ab affecta parte. Deinde,
ut quod iam influxit, per maturationem, & dige-
ſtionem diſcuſſum vacuetur. Sed de repellentibus
prius agamus. Ea autem ſæpius iam repellendi uim
habere diximus, quę refrigerant & aſtringūt, vt quæ
auſtera ſunt, atque adeo etiam magis, quæ acerba.
Porro autem cum in his affectibus non ſit eadem
ratio, quatenus ad eorum vehementiam, & magni-
tudinem pertinet: tam ratione inflammationis, quā
ratione loci, quem corripit inflammatio, & impetus
fluxionis, unde naſcitur magnitudo, & celeritas
periculi: non erit etiam idem modus, & ordo reme-
diorum, & medicamentorum. Nam vbi non mul-
tus fuerit impetus influentis humoris, neque ma-
gna videbitur excitari inflammatio, mediocria ſa-
tis erunt medicamenta repellentia, qualia ſunt au-
ſtera. Sed cum vehemens ſit irruentis fluxionis
impetus, & inflammatio in inſignem magnitudi-
nem excreſcere videatur: neceſſe erit, ſi hæc repri-
menda ſint, valentioribus ea aggredi, qualia ſunt a-
cerba. Quoniam verò (ut particulatim rem aga-
mus) uaria eſt forma medicamentorum, quibus in
his affectibus, & poſſunt, & ſolent vti medici. Nam
aut decocta parant, quibus tum colluatur os, tum
gargarizetur. Aut interdum linimenta conficiunt,
quibus affectas partes illiniunt. Aut etiam aridis il-
lis utuntur, medicamentis videlicet contuſis, & in
tenuem puluerem redactis; quia medicamentorum
ratione præſertim in columella inflammata, uel ex
nimio humore laxata, & longiori facta utimur.
Non erit ab re noſtra alienum, ut de collutionibus,
& gargariſmatibus uerba faciamus. Nam præter
id quod hæc ſunt in frequentiori uſu, commodiora
etiam ſunt in vniuerſum, in quocunque loco con-
ſtet inflammatio. Quia laborantibus intimioribus,
& penitioribus faucium partibus, non ita commo-
dè poſſunt linimenta adhiberi, uel arida inſpergi.
Mediocres ergo, & utiles erunt collutiones, ſi pa-
rentur ex palmulis, vel ex roſis aridis, uel ex pampi-
nis, uel capreolis vitium, vel ex folijs, germinibuſve
rubi, uel canini rubi, uel ex cytini mali punici, uel
mori radicibus, præterea uerò ex malis, piriſve a-
A cerbis, quæ uel ſeorſum ſingula, vel plura mixta co-
qui poſſunt. Teſtatur enim Gal. quod ſæpe obſer-
uatum eſt, horum mixturam vſu ſimplicium utilio-
rem eſſe. Quæ quidem ſi ex aqua mellis addita
modica portione, decoquantur, & illis, ad os col-
luendum, & gargariſmate utamur, non parum
conducent. In ſecundo ordine ſunt, quæ ſequuntur:
vtpote quę fortiora, & potentiora ſunt, nimirum
folia & fructus myrti, & cotonea acerba, ſalicis quo
que tenuiora germina, aut etiā arbuti, aut ſmilacis
aut fagi, item glandes, meſpila, corna. Supremū verò
ordinem gallæ occuparunt, & rhus tum obſonio-
rum, tum tinctorum, & fructus myrticę. Sed prę his
omnibus, ſummè aſtringūt omnia aluminū genera:
B in quibus cum ſciſſile tenuioribus conſtet partibus
alijs etiam eſt utilius. Verum medicamenta tria in
maximo uſu ſunt, quorum duo ubiq; parata ſeruan
tur in apothecis apud pharmacopolas: quæ ex ſuc-
cis horum fructuum parantur. Primum ex ſuccis
mororum immaturorum, uel rubi, uel eorū, quę do
meſtica ſunt, & ſycomori appellantur: ſed mora ru-
bi ualentiora ſunt in hoc negotio. Deinde uerò ex
ſucco expreſſo ex uiridibus nucibus: quod & alijs
omnibus præfert Galen. qui eiuſmodi medicamen-
ti fuit inuentor. Et quamuis horum fructuum ſucci
ita per ſe, ſine aliorum mixtura gargarizati ſtatim
inter morbi initia mirificè prodeſſe poſſint, attamē
ſi melle excipiantur, & coquantur eo modo, quo ſy
C rupi fieri ſolent his noſtris temporibus, poterit &
diutius medicamentum ſeruari integrum, (alioquin
enim & aceſcunt cito, & putreſcunt ſucci facillimè)
& præterea in uſu erit ſuauius, & moderatius. Quo
non ſolum inter initia ſtatim, ſed frequēti etiam tē-
pore, immo vſq; ad perfectam ſanationem, utiliter
uti poterimus, pręſertim uerò ſi pro ratione muta-
tionis affectus in his tēporibus uaria addiderimus;
ut ſi in principio aliquid, quod magis aſtringat, fue-
rit additum alijs autem temporibus, quę aut magis
dolorem ſedent, aut magis digerant pro uaria re-
rum opportunitate. Priſcis etiam temporibus erat
in maximo vſu medicamentum confectum ex ſuc-
co expreſſo ex triplici malorum punicorum gene-
D re, una cum putamine, quo tempore nondū plenè
maturi ſunt hi fructus, & ex melle coctum ad craſſi-
tudinem, ut fiunt ſyrupi. Verum (ut docuit Gal.) ex
multis alijs fructibus, quicunq; uel auſteri, uel acer-
bi ſunt ſimile poteſt medicamentum confici, ut ex
ſylueſtribus pyris ex cydonijs, ex meſpilis, ex cor-
nis, ex immaturis vuis, & id genus alijs. Propterea
uero iſtiuſmodi medicamenta, cum ex melle paran
tur, accommodari poſſunt, non ſoli principio mor-
bi, ſed ſequentibus etiam temporibus, quia ex melle
aliquid conſequuntur facultatis digerendi. Aliquan-
tiſper autem obtunditur uis aſtringendi. Vnde &
aliquid magis aſtringens adijci iubet Gal. cum in ini
tio eis uſuri ſumus; Sicuti ſequenti tempore, cum
E maiori opus eſt digeſtione, & aliqua maturatione
commodè poterit aliquid croci, & myrrhę addi, ſi-
cut ſi ſingulorum horum ſcrupulum librę eius me-
dicamenti addiderimus. Sed ubi conſiſtere iam mor
bus incœperit, utendum eſt illis, quę inflammatio-
nes lenire, & concoquere poſſunt. Etenim rariſſi-
mum eſt, quod ſolis repellentibus queant hi affectus
ſuperari. Quod ſi contingat ſuperari in ijs ſuperan-
tur, in quibus corpus ab excrementis mundum eſt,
neque multus eſt impetus fluxionis. Nā ubi maior
ſit affectus uel etiam a principio, vel paulo poſt, cō-
miſcenda ſunt digerentia, uſque quo conſiſtat. Quo
tempore ſi dolor ſit infeſtus (ut nuper dicebamus)
tum lenienda, tum coquenda eſt inflammatio. Hoc
autem pręſtare poterit lac nuper mulſum, atque ita

tepidum gargarizatum, & decoctum glycyrrhizæ, vel etiam caricarum pinguium, item & pinguium paſſularum, & aliorum id genus. Vbi uerò iam inclinare inflammatio cęperit, eis, quæ magis digerunt admixtis prædictis medicamentis procurandum, vt tollantur reliquiæ influxæ materiæ, & illis, aut valentioribus, aut infirmioribus, prout craſſior fuerit materia infarcta in inflãmatione, vel minus craſſa, & magis, uel minus indurueritinflammatio. Nam aliquando crocus, & myrrha erunt ſatis, ſi medicamentis illis, quæ ex prædictis ſuccis conficiuntur, ſint addita. Interdum alia, quæ efficacius diſcuſſionem adiuuare poſſint, admiſcentur. Meminit autẽ Gal. nitri, aut aphronitri, aut ſulphuris ignem non experti, pręterea thymi, mentæ, hyſſopi, pulegij, calamenti, origani & aliorum iſtiuſmodi medicamentorum, quæ non in multa copia, ſed modicè, pro ratione tamen naturæ, morbi, & materię contentę in inflammatione, aut addenda ſunt, dũ coquitur medicamentum, aut facienda decoctio ex horum vno, uel pluribus, qua deinde diluatur decoctum medicamentum: quo os colluendum, & gargarizandũ eſt. Nam ſi faucibus, & penitioribus partibus malum incubuerit, gargariſmate erit opus. Si in ore, ſatis collutio erit. Hæc autẽ ſufficere poſſunt, quatenus ad rationem curandi has inflammationes pertinet, & ad noſtrũ inſtitutum ſpectare poteſt. Niſi quod antequam finem huic capiti imponamus, nõ erit a re noſtra alienum, ſi meminerimus pręterea duorũ medicamentorum, quæ ab omnibus priſcis medicis plurimum laudantur, ita, vt multos eorum vſu ſe liberaſſe à periculo ſtrangulationis Gal. prędicet. Alterum eſt, cuius mentionem fecit ſexto de Com. med. ſec. loc. ſtercus canis cum ille poſt triduum oſſibus fuerit altus: illud enim, & album eſt, & fœdi odoris expers, hoc ergo melle ſubactum tonſillis, vel faucibus illinitur, aitque nunquam reperijſſe medicamentum, quod valentius reprimeret, & arceret imminentem ſtrangulationem. Id ipſum etiã præſtare ſtercus pueri cibis aptis nutriti decimo de Simpl. med. fal. multos aſſeueraſſe inquit, ſe tamen noluiſſe id vnquam experiri, vtpote quod nimis abominandum videatur: alterum autem medicamentum eſt id, quod conficitur ex cinere hirundinum in vaſe fictili operto, & bene obturato, accenſiſque carbonibus appoſito, donec in cinerem vertantur, quæ ſimul cum plumis, & pennis vrendæ ſunt, qui deinde cinis melle excipitur. Illi uerò Andromachus multa alia addebat, quæ magis diſcutiens medicamentum reddebãt: Alia verò Aſclepiades, qui ſylueſtribus vtebatur hirundinibus. Quę omnia à Gale. eodem ſexto de Comp. referuntur. Alij cinerem ex nido hirundinis cum ſtercore combuſta trahebant in vſum. Sed de his nimis multa diximus: quorum ſi quis diligentius examen deſideret, citatos à nobis Gale. libros adeat. Nos ad alia ſumus in præſentia tranſituri.

Com. 12.

De earundem partium vlceribus. *Cap. III.*

SIcuti autem nulla earum, quæ intra os contentæ ſunt particularum, tuta eſt ab inflammatione, ob id quia in quacunq; earum põt ingruere calida fluxio, ita etiam ab ulceribus non ſunt ſecuræ, quin aliquando, vel ex influente acri, & mordaci fluxione, uel ex uitioſis uaporibus abraſæ, & veluti exeſæ non ulcerentur, quorum vlcera ſępe non minus negotium medicis, & ægrotantibus faceſſunt, quàm et inflãmationes. Quare ſubinde poſt rationem curandi inflammationes, de oris vlcerib. curandis agemus, ſi modò prius ea expoſuerimus, quæ cognitu neceſſaria ſunt ad methodum conſtituendam, qua hæc congruè curentur. Nimirum, vt ea explanemus, quæ ad naturam, & cauſas horum vlcerum pertinent. In uniuerſum itaque oris vlcera, quando ſpontaneũ ortum habent, neq; ab externa aliqua occaſione excitantur, vt quando eſſet cibus, aut potus adeò calens, ut ueſicas, vel cruſtas excitaret, vel aliquid pungens, uel incidens. Sicuti quidem cum acum in ore tenerent, eius interdum obliti, pupugerunt os: interdum etiam, dum deglutiendus eſſet, faucibus infixus hæſit. A nulla ergo externa cauſa excitatum vlcus neceſſe eſt, ut aliquo mordaci ſucco, uel à uapore, ortũ habeat, qui elatus ab acri, & mordaci humore ad os, & eius partes abraſerit, aut exederit. Habent autem plurimas differentias iſtiuſmodi oris ulcera, à uarijs rationibus acceptas: Interdũ ab vlceris magnitudine. Aliqua enim tantum ſummas partes, & cuticulam particularũ earum, quæ intra os continentur, occupant, ut ea ſunt, quæ propriè ἄφθαι à Græcis, alchola ab Arabibus dicuntur. Quibus præſertim infantes lactentes obnoxij ſunt, conſiſtunt enim in ſummis partibus & ignei cuiuſdam caloris ſunt participes. Vnde, & aphthæ dicuntur, quod uocabulum incendiũ quodam ſignificat. Alia uerò profundiora ſunt. Aliquãdo a diuerſis ſymptomatibus, uel affectionibus, quę cum illis coniuncta ſunt. Alia enim ſimplicia ſunt. Alia verò cum eroſione. Alia cruſtoſa, quę videlicet cruſtas obductas habent illis ſimiles, quæ ab igne, vel re ignita excitantur. Alijs, & putredo adiũcta eſt, & putrida vlcera appellantur, in quib. interdum putredo non uno conſiſtit loco, ſed vlterius progreſſa vicinas partes depaſcitur, quę inde νομαι, vel νομώδη ἕλκη Græcè depaſcentia vlcera Latinè dicuntur. Quædam præterea inflammationis aliquam naturam ſapiunt. Alia potius eryſipelatis. Aliquando ẽt à moribus ulceris accipitur differentiarum ratio. Quatenus aliqua κακοήθη Græcè, Latinè mali moris, aut maligna dicuntur. Alia malignitatis expertia ſunt: Plerunque uerò corroſiua, cruſtoſa, & depaſcẽtia omnia maligna etiam ſunt. Vnde in uniuerſum Gal. protulit, quod eiuſmodi omnia ulcera, ad quæ paruus humor confluit, maligna ſunt. Quẽadmodum ſæpiſſimè ſolet accidere in peſtilentibus febribus, ut ex Hippo. & Gal. tum tertio lib. Cõm. in tertia Epid. tum etiam tertio item lib. de Præſagi. ex pul. percipi poteſt: immo euidens ferè ſignum febris malignæ, & peſtilentis eſt, cum aphthæ, uel eryſipelatis, uel inflammationis participes fauces in febricitantibus continua febre apparent. Poſtremo uero, et a cauſa, uel humore, à quo infliguntur eiuſmodi ulcera, eorum accipi poteſt differentia. Nam (ut dicebamus) neceſſe eſt, ut acrimoniam habeat humor, qui cauſa ſit ulceris, aut putredinis. Propterea quandoque humor is ſeroſus eſt. Vnde hoc præſertim in cauſa eſt, cur aphthis lactantes infantes corripiantur, cum lac, quo aluntur, ſeroſior ſit, & maioris acrimonię particeps. Quia, uel ſuaptè natura nutrix ſanguinem bilioſum, & calidum, ſeroſumque generet. Vel quia cibis utatur, qui ſint huic ſanguini gignendo, apti, ut ſunt allia, cępe, aromata, ſalita, uina potentiora, & id genus alia. Quamuis id aliquando euenire poſſit uitio infantis, potius quã nutricis, quippe, qui non probè lac conficiat, aut quia imbecillioris ſit uentriculi, aut quia natura ingluuioſior plus lactis exugit, quàm uentriculi uires ferant, unde lac corrumpitur, & acrimoniam ex eo uitio contrahit. Interdum etiam, immo ſæpe, & a bilioſo humore ad os, & fauces confluente concitantur ulcera, unde ulcera oris inter eos affectus recenſuit tertio Apho. Hippo. quæ frequentius ęſtate ſo-

lent

lent humana corpora ſolicitare. Nonnunquam etiã ex pituita fiũt vlcera, & id duplici ratione. Quia vel acrimoniæ particeps eſt, ut quæ ſalſa eſt: ſæpiſſimè autem id euenire ſolet, ut deſtillante à capite ſalſa pituita, ulcerẽtur fauces, & reliquæ oris partes. Vel etiam, quia in illis partibus putreſcit pituita. Sed, & aliquando fiunt a ſanguine, ut quæ naturam inflammationis referre diximus, quamuis non niſi a uitiato ſanguine. Interdum uerò à melancholico humore, quando per aſſationem contraxerit acrimoniã, cum iam incipit vergere ad naturam veræ bilis atræ. Omnes autem hæ iſtorum vlcerum differentię poſſunt uiſu diſcerni, ſi quis diligenter ore aperto ea fuerit intuitus, & conſiderauerit eorum omnia ſymptomata. An videlicet ſummas tantum partes abraſerint, an verò profundiores etiam partes corripuerint: An cruſtuoſum ſit ulcus: an putridum: Nam, & color, & odor id facilè indicabit. Si ſæpius etiam fuerit intuitus, percipiet, an depaſcatur vicinas partes, vel conſiſtat. Præterea, & calore percepto diſcernet has differentias, an calido ſucco, uel frigido fuerint procreatæ, & magis etiam ex colore. Nam ſi ad flauum inclinabit vlceris color, ex bile ortum habebit. Si exquiſite ruber ſit, ſanguinis, & inflammationis naturam ſapiet. Si vero ad album pituitæ. Vt liuidus, aut nigreſcens color naturam refert atræ bilis, quæ veteraſcens, & putreſcens, uel exuſta non parum ad malignam naturam accedit. Nec modo vlceris color contemplandus eſt: verum & ſordes, quæ vlcere ſuccreſcit. Sed & hoc pterea addamus, cuius meminit, & Gal. preſertim 6. de comp. med. ſec. loc. ꝙ facile oritur putredo in oris vlceribus, tũ ob harum partium naturã (calidæ.n. humidæq; ſunt natura) tum ẽt, quia medicamenta parum poſſunt in ore, & ulcerata parte cõſiſtere, & hęrere, a ſaliua.n. eluuntur, & diffluunt. Sed ad rõnem curationis inſtituendã iã accedamus.

De curandis oris vlceribus. Cap. IX.

IN his quoque vlceribus, quod ſponte, & citra vllam externã occaſionem excitantur, ſi rectè curanda ſint primum, & id ſeruandum, ꝙ ſeruatu neceſſarium eſt in omnibus affectibus, quæ fouẽtur à plenitudine humorum vitioſorum, vel in vniuerſo corpore redundantium, uel in aliqua particula, vt in capite, vel ventriculo, vel vtero ob ſuppreſſos menſes. Nimirum primo fomentũ illud ſubtrahendũ eſſe uacuatione, aut uniuerſi corporis, aut illius particulæ, ex cuius vitio id originẽ habet. Euacuatio vero ea eligẽda erit, quę magis accommodata ſit, & humori, & particulæ, quæ inanienda eſt, aut per ſectionẽ venę, aut per medicaméta purgantia, aut per clyſteres, aut per cucurbitulas: in quibus, aut ſemper, aut ſæpius ratio reuulſionis, & auerſionis eſt obſeruanda. De his autem omnibus cum exquiſitiſſimus ſit in ſuperioribus ſermo habitus, nihil eſt in præſentia, cur eundem habeamus. Vnde reliquum eſt, vt de remedijs, & medicamentis agamus, quæ particulatim loco affecto adminiſtrata proximè curant oris vlcera. Et cum (vt ſæpiſſimè à nobis ſuperius eſt repetitum) omnia ulcera proximè, & primum exſiccatione egeant, & exſiccantibus curẽtur, neceſſe erit, ut exſiccantibus curentur vlcera quoque oris, cum & ipſa ſub communi vlcerum genere contineantur. Sed cum ratio diuerſitatis remediorum, & medicamentorum in eligenda apta materia, & accommodata curandis, tum vlceribus, tum, vel etiam reliquis affectibus, à duobus capitibus ſit petenda, nimirum à natura ipſius affectus, & à natura, tam corporis vniuerſi affecti, quam etiam

A certæ illius particulæ affectæ. Ex parte quidem vniuerſi corporis, conſideratur naturalis eius temperies, & ea quę per ętates, & ſexus variatur, ut his etiam addenda ſint conſuetudo, & ars, uel ſtudia uitę. Ex partes verò affectus conſiderandus eſt, an ſimplex ſit affectus, & non omnino magnus, neque adeo inueteratus, vt habitus particulę ſit uitiatus. An magnus difficilis, inueteratus, & cum alijs affectionibus coniunctus, uel compoſitus, quę difficiliorem curationem reddant: ſicuti cum fouetur ab aliqua intemperie, per quam alimentum illius particulæ corrumpitur in malos humores augentes, aut conſeruantes diutius eum affectum. Aut ſi adſit aliquid

B inflammationis. Vel ſi ſit corroſiuum ulcus. Vel ſi adſit etiam putredo, quę uicinas partes depaſcatur, ſicut in illis, quę νομαδὴν ἑλκῶν, vel νομὰς Græcè appellari diximus. Pro ratione etenim omnium iſtarum conditionum diuerſa etiam ratio remediorum, & medicamentorum excogitanda eſt. Nam, ut ſumma tim prius rẽ percurramus, ulcera in pueris, in mulieribus, in eunuchis, & illis tandem qui corpus molle, ac tenerum habent, uel ex eius propria & innata temperatura, uel ex ętate, uel ex ſexu, uel ex arte, quam exercent, & inſtitutis, & ratione uictus, exſiccanda, quidem ſunt, ſed moderatioribus curantur exſiccantibus, maioribus autem, & fortioribus exſiccantibus, qui è contrario, quantum ad ea omnia

C pertinet, ſe habent. Ita & ſimpliciora vlcera, & magis recentia, expertiaque alterius cuiuſcunque affectionis, quæ vlcus difficilius reddat, facilioribus minoribus, & ſimplicioribus medicamentis ſanari poſſunt: ualentioribus uero, & acrioribus alia maiora, & grauiora, quibus & alię affectiones iunctæ ſunt, quę illa magis grauant. Et ut rem magis particulatim tractemus, ſimpliciora oris ulcera, quæ neque profunda admodũ ſunt, ſi in adultis fuerint, qui os colluere, & gargarizare norint, curari poterunt vſu medicamentorum, quæ ςομάτικα a Græcis dicuntur, qualia ſunt multa ex illis, quę prioribus capitibus fuere deſcripta, ut quod diamoron dicitur, uel diacaryon, quod ſit ex putaminum nucum ſucco, item quod ex ſucco malorum punicorum. Nam

D omnino aſtringentibus curanda ſunt iſtiuſmodi ulcera, quia preterquam quod exſiccant, robur quoque addunt particulę, & excrementa, quę a valentioribus, & integris particulis ad has ex morbo factas imbecilliores impelluntur, repellunt. Preterea uero, quoniam ſemper ferè à capite aliquid, & a cerebro, cui oris partes ſuppoſitę ſunt, deſtillat: in his opus eſt illis, quę ut moderatè exſiccant, modeſtè etiam aſtringant, vt ſępius diximus. Difficiliora verò vlcera, quo magis ab his ad maligniorem naturam receſſerint, eo & magis deſiccantibus, & aſtringentibus egent. Nec modo medicamentibus iſtius naturæ tractanda eſt curatio horum vlcerum, ſed cibis ẽt

E eiſdem facultatibus præditis. In quibus primum id ſeruandum eſt, ut non ſint generandis acrioribus excrementis apti, ne cauſam vlcerum foueamus. Deinde vt aſtringant, & deficcent, & ſi feruidiora fuerint, refrigerent quoque. Vnde lenticulam cum modico pane, & medulla, uel ceruina, uel uitulina eſui dandam conſulit Galen. 6. de compo. med. ſec. loc. in pane enim & medullis eſt aliqua uis digerendi, & maturandi, pręſertim manſis, lenticula uero preterea ſiccat, & aſtringit. Neque incommoda erit mixtio, ſi cibis immiſceantur fructus aſtringentes, ut ſunt mala cotonea, uel alia aſtringentia, itidem et pyra, & ſorba, & corna, & meſpila, & omphaciũ, uel vua immatura, & quęcunque alia id genus. In feruentioribus autem, portulaca utilis erit, lactucaque, ſolanum, cichoracea omnia, oxalis, & quæcun- Cap. 4.

que

que iſtius naturæ ſunt. Quoniam verò infantes, qui nondum comedere aſſueuere, non poſſunt hac uictus ratione tractari. Ideo alendæ hoc modo ſunt eorum nutrices, & in primis procurandum eſt, ut oblata alimenta, probè concoquant, & alia omnia ad ipſas nutrices transferenda ſunt, quęcunque in vniuerſum diximus à principio iſtius capitis, de procuratione totius, ſi iudicauerimus ex vitio lactis, quo alitur infans, vlcera ortum habuiſſe. Quatenus verò ad infantes pertinet, cum raro illis collutionibus, & gargariſmatibus poſſit eſſe locus vllus, illitionibus erit vtendum. Variæ autem eſſe debent pro varia vlcerum natura. Nam ſi rubicundiores fuerint aphthæ, quales quæ ſanguinis, uel inflammationis naturam referunt, ea erunt opportuna, quæ maximè moderatæ ſunt aſtrictionis, & refrigerationis, vt eſſet ſyrupus roſaceus ex roſis ſiccis, vel myrtinus, vel oleum lētiſcinum, vel roſaceum omphacinum: mox verò & illę conueniunt, quæ citra mordicationem digerant, vt inter initia ex roſis ſiccis facto ſyrupo vtamur, vel myrtino, vel confecto ex ſucco malorum punicorum acrium, vel ſucco vuæ acerbæ: deinde roſaceo ex ſucco roſarum, vel ex roſis recentibus ita primum videlicet oleo roſaceo, omphacino, poſtea lentiſcino, poſtremo eo, quod completum appellant. Sed ſi magis flauæ fuerint, ea erunt illinienda, quæ eaſdem habeant vires, ſed aliquanto magis refrigerant: ſicuti ſi prioribus ſyrupus ex portulaca addatur, vel aliquid ſucci ſolani, vel ſimile aliud. At verò cum albicant, & pituitæ copiam indicant, magis aſtringentibus eſt opus. Sicuti cum nigricant, ob humoris melancholici craſſitiem, erunt aliqua addēda, quæ valentius digerant. Sed, vt ſummatim rem percurramus, ne nimis in longum prorogetur ſermo, reuocemus in memoriam, quæ tanquam fundamenta horum omnium iacta ſunt. Nimirū quod teneriori ętati, & mollioribus corporibus leuioribus ſit, & facilioribus medicamentis, tam exſiccantibus, & aſtringentibus, quàm digerentibus: ualentioribus verò, & ſtrenuioribus, in adultioribus, & durioribus vtendum. Vnde pueris grandioribus, & iuueneſcentibus inter mediocria initijs accommodata ſunt omphacinum cum uino, aut mulſo: & rhus obſoniorum, quod Arabes ſumach vocant: præterea folia oleæ, uel myrti. Sed in minoribus pueris, ſæpe vel roſæ aridæ, vel eorum flos ſatis erit. Inter ea, autem, quæ oris vlceribus curandis maximè utilia ſunt, refert Galen. bolum armenam: itidem & lauare os lacte aſinino: nam pręter, id quod refrigerat, & aliquantiſper maturat, cum ſeroſus ſit, detergit quoque. Simpliciora ergo ulcera his curari poſſunt. Vt tamen & id aduertamus, quod multa, immo plurima eorum, quæ ad oris inflammationes curandas commoda eſſe diximus, poſſunt & ad hoc caput transferri, ut ſi ad propoſitos ſcopos reſpexerimus, facilè percipiemus. At verò cum maligniora fuerint vlcera, ſicuti interdum in morbis malignis, & peſtilentibus ſolent excitari, uehementioribus, tam aſtringentibus, quàm ſiccantibus, nec non & digerentibus tractanda ſunt, & eo vehemētioribus ac fortioribus, quò erunt maligniora: ut in ijs, in quibus eſt eroſio pręſertim in durioribus corporibus, interdum ſit neceſſe uti, & miſy, & chalcitide, & atramento ſutorio, immo & ad æruginem progredi. Miſy verò Galen. ſummopere laudat, ſi ex uino aſtringente teratur, atque vlceri illinatur. Vt tamen non par ſit omnino in omnibus mixturæ ratio, ſed pro ratione vel vlceris malignitatis, vel corporis habitu pluri, uel pauciori vino diluatur, & craſſius, vel liquidius fiat medicamentum: quò enim dilutius ex pluri uino erit, eò etiam leuius, & facilius. Et ſi ſordidius erit vlcus, melius erit ſi ex uino mulſo paretur. Sed ſi valentiori adhuc ſit opus, conficiatur ſimile medicamentum ex ærugine, & uino, uel mulſo uino. Si etiā (ait Galen.) medicamento diamoron aliquid atramenti ſutorij addideris, optimum euadet medicamentum vlceribus prauis accommodatum. Ea autem portio atramenti ſatis eſſe poterit, ut ſi ad libram mellis conficiendi medicamenti drachmam atramenti addas, atque os hoc medicamento colluas. Valentiſſimis verò, & acerrimis egemus in ulceribus putridis, & depaſcentibus curandis: nam ea medicamenta, quæ cauſtica dicuntur, quæque cruſtam ulceribus perinde inducunt, ut ferrum candens, & ignitum, interdum ſunt neceſſaria. In his autem ſunt & ea, quorum nuper meminimus, nimirum atramentum, chalcitis, & id genus reliqua: quę tamen, ut ſimpliciora ſunt, eo etiam acriora, & uehementiora: remittitur enim eorum uis miſcella aliorum, quæ mitiora & leniora ſunt: ſicuti eſt oleum, uinum, adeps, & iſtius ordinis alia. Chirurgi noſtri temporis vtuntur præcipitato (vt appellant) confecto ex hydrargyro vel (ut aiunt) mercurio in cruſtoſis, putridis, maligniſque ulceribus. Hic tamen in horum uſu ſunt quædam animaduerſione digna. Primum id, cuius magnam rationem eſſe habendam dixit Galen. quod ſcilicet in vſu horum medicamentorum acrium, quęque perniciosam naturam habent, & noſtris corporibus aduerſariam, debemus eſſe admodum cauti, quia illis uti in oris affectibus, præſertim vero intimiorum partium, non eſt citra periculum, cum ad fauces pertingant duo illi meatus, videlicet gula, & guttur, per cuius alterum tranſitus eſt ad ventriculum, per alterum ad pulmones, per quos ſi portio aliqua horum medicamētorum ad ſubiectas partes deſcendat, poteſt plurimum obeſſe, & proinde non debemus nimis eſſe audaces in vſu eorum, & quando eis vti omnino cogimur, cautè eis vtamur, & monendi ſunt ęgrotantes, ne permittant, quantum fieri poteſt, aliquid deſcendere. Vnde forſitan linimenta craſſiora non ita facilè diffluunt deorſum. Quod ſi aliquid deſcendiſſe ſenſerint, aliquid poſtea deuorādum, quod non ſit inutile vlceribus, ut uinum, uel mulſa, uel mulſum, uel ptiſſana, uel cremor hordei. Alterum verò, cuius etiam meminit Gal. eodem 6. de comp. med. eſt, quòd nō eodem modo debemus hęc vlcera oris tractare, poſt vſum acrium, & quaſi vrentiū medicamētorum, quo ea quæ in exterioribus partibus fiunt. In illis enim poſt iſtorum vſum, incumbimus (ait ipſe) remotioni inductæ cruſtæ, & hoc cum detergentibus, dimiſſis illis acrioribus, & urentibus. In vlceribus autem oris, cum partes hę maximè putredini ſuaptè natura ob humiditatem ſint obnoxiæ, cenſet idem, quod poſt uſum eorum medicamentorum, quæ quaſi vrendo cruſtas excitant, vnde ἐσχαρωτικὰ Gręcè dicuntur) quibus neceſſe eſt uti ad ſiſtendam, & tollendam putredinem, quæ, cum maligna eſt, auferri, ac reprimi nequit, niſi medicamētis ſummè exſiccantibus, & aſtringentibus, ad tollēdas inductas cruſtas, detergentibus quidem eſt vtendū; ita tamen, vt ſemper etiam aliquid priorum medicamentorū, quæ cruſtas ſolent inurere, immiſceamus, ad arcendam videlicet putredinem, quàm facillimè cōtrahunt hæ particulę. Vt tamen neq; id prętermittendū ſit, quod medicamentum, quod ex gallis conficitur, cū ad iſtiuſmodi malignos affectus, & ulceroſos curandos, tanquam ualentiſſimum habeatur, & ſit, (ut idem Galen. teſtatur) & careat ſuſpicione omni, experſque ſit omnis pernitioſæ qualitatis, cuius particeps eſt vniuerſum ferè genus illorum medicamen-

dicamentorum, quæ ἐχαρίογκα appellari diximus.
Ideo putarem hoc illis omnino præferendum eſſe.
Conficitur autem in hũc modum. Teritur galla ex
acri aceto, donec ad eam compagem, craſſitudinẽ-
que deueniat, vt illiniri poſſit. Sed & id, quod confi-
ci dixit Gal. ex duabus ſciſſilis aluminis vſti partibus
una autem fructus ericis utile eſſe poteſt, eo autem
arido utebãtur aſſumpto digitis intinctis prius oleo,
ac aphthis inducto. Mihi uerò, & illud conſideratio
ne dignum uidetur, quod Andromachus (ut refert
Gal. eodem 6. de comp. med.) ad aphthas nigras, &
prauas imprimis laudat hoc medicamentum, quod
accipit vuam paſſam mundam, & aniſum paribus
portionibus, & hæc melle excepta illinit vlcerato
loco: cuius medicamenti uis inſigniter diſcuſſoria
ex aniſo eſt, quam moderatam etiam habet paſſa v-
ua, & præter id, exſiccat quidem, & cuiuſcunq; acri
moniæ eſt expers, immo potius acrimoniam om-
nem obtundit, & lenit. Vnde commodiſſimũ erit
id medicamentum. Iam.n. ſuperius diximus, quod
nigreſcentes aphthæ referunt naturam melancho-
lici humoris. Id genus autem vlcera his egent, quæ
ualenter digerant, cum craſſus, & terreſtris hu-
mor non facile digeratur. Sed neq; acria medicamẽ
ta admodum opportuna ſunt, quia irritant vlcera.
Eiuſmodi vero melancholica vlcera irritata mali-
gniora fiunt, & canceroſam naturam contrahunt,
& lenioribus medicamentis, quæ cuiuſcunque acri-
moniæ expertia ſunt, potius cedunt. Ac de ulceri-
bus quidem longiorem nolumus ſermonem habe-
re. Sed hæc ſatis ſunto.

De pendula, & laxata columella. Cap. X.

QVos hactenus expoſuimus affectus ad has
particulas pertinentes, cões ſunt, & cõmu
ni quadam ratione eas omnes tentare poſ
ſunt, nempe inflammationes, & ulcera. Vnde rõni
uidetur conſentaneum, ut ſi qui ſint affectus ꝓprij,
qui priuata aliqua ratione ad illa attinent, nunc, &
ipſi exponantur. Et quamuis ore aperto nobis prius
lingua occurrat uidenda, & quatenus ad ordinem
propoſitum de eius proprijs affectibus eſſet inſtituẽ
dus ſermo. Quia tamẽ laxata, & elõgata columella
quandam maiorem cũ ijs, quæ nuper ſunt expoſita
affinitatem habet. Ideo de ea prius ſermonem habe
bimus. Conuenit autem magis cum prioribus af-
fectibus is, de quo ſumus acturi, q̃a duas habet cau-
ſas columella, cur longior facta adeo pendeat ali-
quando, ut ad fauces pertingat, & non paruam af-
ferat moleſtiam. Prima quidem inflammatio eſt,
cum enim inflammatione corripitur, & à calida flu
xione tentatur, augetur. Et de hoc quidem affectu
non agemus in præſentia: quoniam in præcedenti
capite, ubi de inflammationibus particularum oris
loquuti ſumus, hæc etiam affectio tractata fuit. Ali-
quando etiam ad eam affectus iſtius deuenit diffe-
rentiam (ut diximus) quæ propriè uua dicitur, nimi-
rum cum inflammata columella ſuperiori quidem
parte, qua annexa eſt palato, plurimum gracileſcit:
fit autem craſſior, & rotunda ex inferiori parte, ut
ferè ſimilis fiat acino uuæ, atque cum eo peruene-
rit, ut radix, ex qua pendet, gracilis admodum facta
ſit, & ferè exanguis, curatur chirurgia, abſcinditur
enim, uel ferro, ut Gal. 14. Meth. teſtatus eſt, uel cau
ſtico medicamento. Altera uerò cauſa, quam laxa,
& pendula fit columella, eſt ea, quam idem retulit
5. & 6. de ſani. tuen. nempe fluxio, & humiditas à ca
pite: præſertim citra inflammationem deſtillãs. Cu-
ius etiam rei meminit ſexto de comp. med. ſecun.

A loc. Pendet autem à materia potius pituitoſa, ut ibi
innuit, à qua laxata pendula fit, & adeo interdum de
ſcendit, ut ea procumbente ad fauces, uideantur illi
quaſi bolum ibi habere, quem nequeunt deglutire.
Diſcernitur uero, quæ ex nimio humore præſertim
pituitoſo, fit pendula ab ea, quæ ex inflammatione,
colore, dolore, & tumore: tumidior enim rubicun-
dior, feruentior etiam, magisque dolens eſt, cum ex
inflammatione ortum habet. Curatio autem ea pri
mum inſtituenda eſt, quæ alijs ex ſimili cauſa exci-
tatis affectibus communis eſt: ut uidelicet primum
fluenti humori occurramus, habita prius ratione il
lius, unde fluit, hoc eſt, capitis. Nimirum, ut ſi pro-
pter copiam congeſti humoris, uideatur eſſe opus
B uacuatione, tum capitis, tum uniuerſi corporis, eam
moliamur illis inſtrumentis, ac illis ſeruatis regulis,
quorum omnium ſæpius in alijs prius expoſitis af-
fectibus ſimilibus mentionem fecimus. Præterea
uero ut caput roboremus, & ſiccemus, lotionibus
ſiccantibus cum aliqua aſtrictione, uel aridis medi-
camentis capiti inſperſis, præterea, & illis, quæ con-
fectiones paſſim appellantur, quæ uim eam habẽt,
ut poſſint robur capiti addere. Poſtremò acceden-
dum ad remedia localia, & propria iſtius affectus: in
quibus eos ſcopos ſpectare oportet, ad quos etiam
aliorum ſimilium curationem eſſe digerendam in
prioribus libris oſtendimus. Nempe, ut inter initia
magis repellamus, & ſiccemus: mox uero, & diſcuſ
C ſorijs medicamentis agamus: Vnde Gal. laudat tan-
quam præſtans medicamentum, quod propoſitum
fuit ab Andromacho, accipit autem aluminis liqui-
di partem unam tantundem mellis, florum roſarũ
partem mediam, hypociſtidis quartam partem. Sic
autem conficitur, coquitur alumen ex melle, mox
cætera arida contuſa inſperguntur, & adhuc parũ
coquitur. Duplex eſt autem utendi modus: nam &
dilui poteſt aqua, aut mulſa, & ſi aliqua adſit inflam
matio, ita erit accommodatior, præſertim in initio,
melius enim is illius uſus aſperitatem, ſi aliqua con
tracta ſit, lenire poteſt, poteſt & cochleari apponi.
Poſtea uero ea erunt utilia, quæ uim habent maio
rem diſcutiendi. Quare eodem 6. de compo. medic.
D referens Gal. medi. Apollonij, cum eo deuenit, ubi
origanum, ex aceto tritum, affuſa aqua, ſeruefacien
dum eſſe memorat, ac immixto caricarum ſucco, eſ
ſe deinde eo utendum, tanquam gargariſmate, ita
& hyſſopum tritum mixtum eodem caricarum ſuc
co coquendum, & gargarizandum eſſe inquit, præ-
terea mentam, & rutam, & coriandum trita, ex aſi-
nino lacte gargarizari uoluit, quæ omnia calefa-
ciunt, & deſiccant, inſigniterq́; digerunt, atque ideo
inflammatę columellæ, niſi fortè circa finem ad fi-
niendas induratas reliquias, congruentia eſſe affir-
mat. Poſſunt autem prodeſſe non parum laxiori, &
longiori factæ ex nimio pituitoſo humore. Vbi etiã
talem eſſe ex calore iudicari poſſe innuit Idem Gal.
E Nam & albicans exanguis ferè uidetur, cũ hoc la-
borat affectu. Raſis autem nono ad Almans. mihi
eadem reprehenſione dignus uidetur, qua antiquos
medicos arguit, qui libros de medicamentis com-
poſitis ſcripſere. Plerique enim eorum uaria, & na-
turę contrarię ſcripſere ſine ulla diſtinctione, qui-
bus, ſi quis ita indiſtinctè in omnibus uſus fuerit,
non minus oberit, quam profit. Ita Raſis duo pen
dulę columellę medicamenta affert. Alterum eſt,
ſal armeniacum exquiſitè tritum, & inſperſum. Al-
terum uerò eſt, ſuccus mali punici una cum interio
re pulpa expreſſus, ac gargarizatus. Primum quidẽ
ſi ceciderit uua (ut ipſe ait) ex inflammatione, quod
Gale. & antiquioribus medicis ſignificaret nomen
uulę, ut ſuperius expoſuimus, nequaquam inter

initia magis eſſet aptum medicamentum, qnam medicamenta Apollonij, calidum enim eſt, reſiccandique, & digerendi uim inſignem habens, vnde magis aptum eſſet huic alteri differentiæ columellæ, quæ laxior fit ex pituitoſo humore. Alterum vero, & ſi & ipſum ſiccandi vim habeat, non minus tamen aſtringendi, in inflammata columella præſtãs, pręſertim inter initia, medicamentum eſſet: ſed tamen & in altera differentia non eſſet inutile. Nos vero facili medicamento, interdum & ſimplici in hac re utimur, habita tamen ratione corporis, ętatis, & ſexus. In pueris enim, & mulieribus, & mollioribus corporibus pręſertim cum non fuerit plurimum ęlongata, adhibere ſolemus roſas aridas, & tritas, moderatè enim ſiccant, & fluxionem repellunt. Quod ſi videatur, vel affectus, vel ratio patientis corporis fortiori egere remedio, putaminibus mali punici, vel malicorio trito vtor. Si adhuc fortioribus gallis tritis. Cum vero præterea maiori opus eſt diſcuſſione, ubi tamen nulla ſit in parte calidior intemperies ſicuti quando fluxio calida interdum eſt (nam in hoc a prioribus non deſiſterem) in vſu eſt piper tritum, attenuat enim pituitoſum humorem, & valenter digerit, ſtrenueque ſiccat. Interdum autem adeo extenuatur columella, præcipuè ex ſuperiori parte, vnde pendet & exanguis videtur, & in priori differentia, qtiam vnam diximus ꝓpriè appellari, & in hac poſtrema, ut innuit Gal. 6. C de comp.med. ut neceſſe ſit eam abſcindere, aut ferro, aut urente medicamento. Quia cum adeo iam exanguis facta eſt, uix regitur a calore naturali, vt periculum ſit, ne extinguatur, & in gangrænam tranſeat, in primis uero quæ inflammatur, neque poteſt alia ratione curari. Sed duo ſunt hic animaduertenda. Primum quantum ad id, quod nunc fuit a nobis expoſitum, quod neque debemus eſſe nimis pręcipites in abſcindenda columella, & non niſi, cum ualde videbitur extenuata, & gracilis, vt non ſperemus illam vllis poſſe remedijs reſtitui. Et hoc duplici de cauſa. Primo, quia aliquando inde ſequitur profluuium ſanguinis, quod ęgerrimè ſiſti poteſt. Deinde quia illi, cui abſciſſa eſt columella, partes ſpirituales D plurimum refrigerantur, & deſtillationibus deinde obnoxię ſunt, & læditur uox, ut ex aliquibus poſſumus perdiſcere, q̃bus ex morbo gallico illa fuit exeſa. Alterum vero aduertendum, eſt hoc, quòd in adminiſtratione remediorum, quę adhibentur huic affectę particulæ, ſemper dum eo inſtrumento, quo arida medicamenta accepta applicamus, columellam comprimimus, eam ad anterius trahamus, ut pẽdẽs potius linguę incumbat quàm faucibus, quia & minorem afferet moleſtiam, & medicamenta non ita in fauces, & meatus eo pertinentes defluent. Et hæc ſunt Gal. pręcepta.

De affectibus linguę particulatim.
Cap. X I.

E Affectus, qui hactenus expoſiti ſunt, ad linguã etiam in vniuerſum ſicut ad alias partes ratione partium ſimplicium, ex quibus conflatæ ſunt particulæ hæ quæ in ore continentur, attinent. Linguę verò affectus, quatenus organicũ membrũ eſt, ſunt illi, quibus principales, & p̃cipue eius actiones læduntur: quatenus organum uel guſtus, vel ſermonis eſt. Nam ſi quatenus etiam iuuat maſticationem lędatur, ex eodẽ etiam affectu lęditur ſermonis efformatio, & eiũs dearticulatio. Sed quia dignior actio eſt ſermo, præſertim verò in homine: Ideo de affectibus primum agemus, qui noxam linguæ hac rationę afferunt. Non ſecus autem hæc actio tripli-

A citer lædi poteſt, quàm & aliæ omnes, quas natura in animalis corpore moliri ſolet. Sed, ut hoc exquiſitius poſſimus exponere, hoc in primis conſiderandum, quod lingua non eſt proprie uocis inſtrumentũ. Nam abſciſa lingua, clamor multus fieri poteſt, & ea etiam reſoluta, uel ligata. Sed eſt inſtrumẽtum ſermonis, hoc eſt uocis dearticulatæ: ac per alliſionem eius, nunc ad dentes, interdum ad palatum, ſæpe ad labia & dentes fit per uocabula diſcretio, & modulatio ſermonis. Et ideo ea impedita ex aliquo affectu, aliquando nulla fit diſtinctio, & dearticulatio ſermonis, ſed ſolum rudis quędam, & confuſa uox profertur: qualis in mutis, in pueris ante certum tempus, in aliquibus citius, in aliquibus tardius, B & in ijs etiam, quibus lingua reſoluta eſt, & in illis, in quibus ligata eſt per uinculum, quod interdum reciſum loquendi facultatem reſtituit. Horum verò affectuum quidem naturales ſunt, & à natiuitate contracti, quales in pueris, & mutis, in quibus tamen nõ eſt impedimentũ in lingua, ſed in auribus. Hi enim ſunt & ſurdi, & cùm non didicerint modum formãdi ſermonem, & interpretandi, loqui neſciunt. Vt enim Ariſto. ſenſit, nomina ex inſtituto ſignificant & ab alijs loqui diſcimus. Auditus verò eſt diſciplinæ ſenſus. In pueris autem ex nimia humiditate: Vnde cum per ętatem ſicciores fieri incipiunt, conſumpta humiditate, præſertim verò cerebri, quàm ab ortu & ex materno vtero ſecum attulerũt, loqui C incipiunt. Interdum vero læſio hęc eſt ab humiditate, non, natiua, ſed aſcititia contracta ex uitioſa uictus ratione, qua perfunditur lingua. præcipuè uerò & nerui illi, a quibus muſculi linguæ habent mouendi facultatem, vt accidit quandoque ebrijs, uix enim loqui poſſunt, adeo balbutiunt. Quę quidem humiditas interdum ſolum radicem in lingua habet; interdum in cerebro ortum habet, & deinde ad linguam defluit. Quando verò ex linguę reſolutione id fit, aliquando ſola lingua reſoluta id fieri poteſt, & tunc obſtruuntur tantum illi nerui, qui proprij ſunt linguæ. Cum verò & aliarum partium, obſtructio, in ſuperioribus partibus eſt, & propius ad ipſum cerebrum. Hæc ergo vitia, cum magna ſunt, vD ſum omnẽ auferunt, quem lingua ſermoni modulãdo præſtat. At verò ſi vitia quidem, vel ab ortu contracta fuerint, vel poſtea ex alia occaſione, vel cauſa, vel interna, vel externa, nõ tamẽ magna adeo, vt vniuerſum abſtulerint vſũ linguæ in hoc, ſed aliqua ex parte impedierint, pro ratione impedimenti, aut muſculorum diuerſorum, qui ſunt malè affecti, uariæ oriri poſſunt differentiæ impediti ſermonis in prolatione. Quod ut rectius exponere poſſimus, hoc conſiderandum, quod vt quoquomodo ſuperius inſinuanimus, & id etiam Galen. docuit quarto de loc.affec. ad diſtinctam ſermonis, & vocũ, ſeu Cap. 6. nominum modulationem, conformationemq́; nõ ſola lingua ſatis eſt. Sed & nares requiruntur. Vnde E cùm nares obturatę ſunt, vel ex coryza, vel polypo, vel cruſtis, non parum impeditur ſermonis claritas, & diſtinctio. Præterea & palatum. Vnde uidimus ſæpe annis elapſis, cum lues gallica plurimũ ſęuierit multis fuiſſe eroſum palatum, atq; perforatum, quibus ex eo relicto foramine, quod nunquam impleri potuit, adeo impeditè, & perperam loquebantur, vt vix, quid dicerent, percipi poſſet. Dentes etiam non parum conferre nouimus. Vnde ſenes multos edentulos factos a diſtincta, & dearticulata ratione loquendi deficere vidimus. Sed & labia iuuant nõ parum hoc munus. Vnde aliquos vidimus non integris, ſed potius diſciſſis labijs natos, qui non parum in ſermone deficerent: idem quoque accidiſſe viſum eſt aliquibus, quibus ex vulnere labiorum aliqua

Pars diſciſſa, vel abſciſſa eſt. Verum læſiones iſtiuſmodi linguæ attribui poſſunt, quatenus cũ his conſenſu laborat: quia videlicet eorum commodo conſortio deſtituta eſt. Aliquando uerò proprio ſuo affectu læditur lingua nulla occaſione illi ab his pręſtita, nam illa eſt, cui vis eſt mottrix indita, vt dum mota aerem formatum in uocem, uel ad palatum allidit, vel ad dentes, vel ad labia, diuerſarum literarum tonos format. Quapropter in aliquib: ex diuerſo vitio in diuerſis muſculis linguæ contracto, qui magis inſeruiunt, dum lingua ad dentes à facultate motrice, vel ad palatum, vel ad labia impellitur, corrumpitur earum literarum diſtincta prolatio in loquẽdo. Aliqui enim C, quidam R, nonnulli S, atque alij alias literas nullo pacto, aut ęgrè admodum pronun-
2. ciare queunt, quod & Gal. 6. Aph. animaduertiſſe viſus eſt. Qui autem verſati ſunt in uſu, & literarum, & grammatices hebręæ, facilè hæc percipient. Ipſi enim diligenter obſeruarunt aliquas literas præſertim ope labiorum, alias ope dentium, alias palati, alias in gutture dearticulari. Vnde, & ratione partiũ diuerſarum quarum conſortio vtitur lingua in modulando ſermone, balbutientes uario modo balbutire videmus. Sed in aliquibus eſt diminuta hæc actio, qui aut ægrè, & tardè loquuntur, & plurimum laborant, dum loquuntur. Alij mutilas, & mancas voces proferunt: Alij tamen & eam corruptam habent, dum vnam pro altera literam proferunt: Alij eandem ſyllabam ſæpius repetunt, primam uidelicet anteaquam ſecundam pronunciare poſſint. Læditur præterea & lingua, non ſolum hac de cauſa, ſed & ob conuulſionem ipſius. Interdum ex eius ariditate, ut in febribus bilioſis ſæpe accidit. Non poteſt autem, vt teſtatur Gal. eodem ſexto Apho. ita is affectus ex natura contrahi, ſicut ille, quem ex nimio humore ortum habere diximus. Sed ſolum ex morbo id poteſt accidere, vel alioquin ex externa cauſa exſiccante, ſicuti æſtiuis, & æſtuoſis, & canicularibus diebus, ſi quis diu ſub radijs ſolaribus laboraret. Læditur interdum, ſi maior fuerit, uel minor iuſto, uel ab ipſo ortu, vel ab externa, & morboſa cauſa. Sicut enim viſi ſunt aliqui, in quibus natura ſtatim in primo ortu, in conformatioue alicuius alterius particulæ defecit, ita, vt uideantur geniti, vno, vel altero brachio minori, uel manu, vel crure. vel pede. Eodem modo poteſt, & lingua procreari breuior, & minor, quam vt poſſit commodè ſuo fungi officio, dum ad palatum, uel dentes, uel labia mouetur. Poteſt, & externa, & morboſa occaſione, ſicuti ſi pars eius abſcindatur, quod aliquando conuulſis accidit. Aliquando ferro reſcinditur per miniſtros publicos, ut fieri ſolet blaſphemantibus, aut falſis teſtibus. Vnde, quaſi in prouerbio eſt, vt ſemilingues eos appellemus, qui balbutiunt. Ita, & aliquando ex aliqua cicatrice, præſertim ſub lingua inducta, quæ craſſior, & durior ſit, poteſt prohiberi, quò minus poſſit extendi, & prorogari lingua, quantum ſatis ſit. Poteſt etiam illud, quod linguæ vinculum dicitur (& aliquando reſcindi neceſſe eſt, ut poſſit expeditè loqui) adeo ualidum eſſe, & intentum, ut impedimento ſit libero linguæ motui. Vnde benè ſolutam linguam eos habere dicimus, qui promptè, & expeditè loquũtur. Nec minori impedimento ſermoni eſt lingua, ſi maior ſit procreata, quàm modus naturæ requirit. Nam & aliquando vidi aliquos, qui magnam admodum linguam aliorum comparatione haberent, & obſeruaui eos tardius, & ægrius loqui, & aliquanto hęſitare. Poteſt autem illa, & ex morboſa cauſa augeri ſupra modum, videlicet ex aliquo tumore pręter naturam in eo ſuborto, ut illi accidit, quem refert Ga-

A len. decimoquarto Meth. adeo enim lingua illi intúmeſcens creuit, ut eam os capere nequiret, ſed exertam deferre cogeretur. Nos etiam duos vidimus, quibus lingua ita intumuit, ut neque loqui, neque comedere poſſent, immo duas, (fuere enim mulieres.) Quarum altera in ætate iuuenili erát, & cum Cap. 8. iudicarent medici eſſe infectam morbo gallico appellato, decreuere illã inungere, vt eo tempore inũgere ſolebant, antequam irreperet conſuetudo, vt ex decocto ligni indici curarentur, medicus uerò, cui ſe curandam commiſerat, uſus eſt ſatis imprudenter unguento, nam præter id, quod plus hydrargyri, vel (vt tunc aiunt) argenti viui addidit, quã par eſſet, inunxit etiam caput, uel potius capiti ceratum B ex eadem materia appoſuit, quo deinde factum eſt, ut humores uiolentius commoti præcipitanter ad linguam confluxerint, vnde illa adeo intumuit, & elongata eſt, vt in ore contineri nequiret, ſed exertã diutiſſimè, imo ultra menſem detulerit, deinde reſoluto tandem tumore, linguam retraxit, ſed abiecta pelle vniuerſa, quaſi uagina, & ea extra os relicta. Altera uero erat iam in primo ſenio, cui cum cępiſſent variolæ, ab Arabibus appellatæ, efloreſcere, & extuberare in uniuerſo corpore, tanta earum copia occupauit uniuerſam faciẽ, & adeo in illa intumuit; vt res monſtruoſa videretur, nec modo facies tota intumuit, ſed & lingua correpta eſt ab adeo numeroſis id genus tuberculis, ut intumuerit adeo, quod C totum os repleuerit, neque eam mouere, quoquomodo per os poterat, neque comedere, niſi quod cibus fluens per fiſtulam impoſitam, imo vi adactũ, in linguam & buccam inſtillabatur; & ita alta eſt non ſine magno diſcrimine, donec inclinante tumore lingua mutata pelle, redijt ad priſtinum ſtatũ. Prior tamen iuuenculæ tumor referebat potius modum frigidi, & pituitoſi tumoris, quamuis non ſine aliqua acrimonia. Poſtremo verò, & ex nimio labore cum quis, aut nimis loquitur, aut muſico inſtrumento laborioſo cecinerit, ut ſunt tibiæ, tubę, & cornua, lingua impeditur. Sed, & qui ex aliquo difficili, aut diuturno morbo plurimum facti ſunt imbecilles, interdum lingua hæſitãt, & ęgrè loquuntur. Hę D ergo ſunt cauſę impediti ſermonis. Vt eas prętereamus, quę ſermonem (vt noſtri philoſophi loqui ſolent) impediunt per accidens, nimirum; ſi ex lęſa memoria id fiat, quia fuerit deleta ex memoria nominum, quę illi fuerant commiſſa, pars aliqua, vt ſolet interdum illis accidere, qui apoplexia fuere correpti. Nam ſi ea de cauſa id contigerit, non pertinet ad hunc locum, quomodo tollendum ſit hoc uitium, ſed potius ad priores libros, ubi de capitis affectibus fuit actum. Sed de aliorum quoque affectuum, qui linguam in loquendo impediunt, non erit opus longiorem ſermonem habere. Qui.n. ex nimia humiditate, vel cerebri, vel neruorum, pręſertim eorum, quorum officium eſt mouere linguã, E vel corporis totius, uel linguę, & (quemadmodum expoſuit Gal. in comm. 6. Apho. explanans Aphoriſmum, cuius ſententia eſt, quod trauli ſolent a diarrhœa longa capi) nemo non uidet, quod aut uniuerſi corporis, aut capitis, aut oris exſiccatione egent. Et ſi uitium id ſit à natura cõtractum, ratio uictus exſiccans utilis erit: prętereа uſus aliquorum medicamentorum, tum eorum, quę bibuntur, & comeduntur, cum uero eorum, quę in balneis, illitionibusque accipiuntur, quę uim ſiccandi habeant: Vnde, & decocta, & ſyrupi, & confectiones appellatę, & antidoti, omnes, quę uim ſiccandi habent (ſicut habent plereque) vtiles huic negotio eſſe poſſunt. Sed ſi non fuerint ex ortu, uerum ex aliquo morbo, erit interdum neceſſe, & corpus

uniuerſum

vniuerſum purgate. De his uero cum ſępius fuerit actum, non proferemus in longius ſermonem. De linguę etiam reſolutione ſatis dictum fuiſſe arbitramur, quo loco de reſolutione egimus in uniuerſum: & pręterea de linguę nocumento, quod à conuulſione pendet, ſatis eſſe actum putamus, quo capite de communi conuulſionis ratione tractauimus. Sed, & de impedimento in ſermone, quod efficitur uitio dentium, palati, gutturis, & labiorum, ad eam huius tractationis partem loqui pertinet, in qua de affectibus earum particularum ſermonem habuimus. Neque etiam tempus alioquin conteremus in exponẽda ratione curationis linguę, cum ea minor eſt, uel ita ex primo ortu procreata, uel poſtea ex alia uiolentiori cauſa decurtata, uel etiam ſi maior à natura fuerit genita, cum nihil horum poſſit ulla medici ope curari. De eius autem incremento, quod fit ex morboſo affectu, poſterius aliqua ſeorsũ dicemus. Si uerò impotens fiat lingua ex eius laborioſa exercitatione, quiete eger, ut ad robur, & integritatẽ redeat. Quod ſi ex eius ariditate, quod tanquam ſymptoma ſolet acutas, & bilioſas febres ſequi, humectantibus os agendum eſt, ut ſi aqua os colluatur, uel ſimplici, uel hordeacea, item ſi aliqua ore contineantur, quę humectent, ut ſunt multi fructus, quales pruna, myxa, uel ſebeſtem, ziziphę, cucumeres, & quę in prę ſentia anguria dicitur: Ab Arabib. melon indus: ſi ueluti tenuis lamina ab his reſecta, & in aqua demerſa in ore contineatur, & ſępius mutetur, & id genus reliqua, de quib. abunde egimus, ubi de febrium ſymptomatib. ſermonem habuimus. At ſi ex craſſiori, & duriori cicatrice inducta id fieret, ea poſſunt adiuuare, quę tum molliendo, cum detergendo attenuare, & cicatricem molliorem reddere poſſunt, qualia ſunt multa, de quib. ſermo ſuperius fuit factus. Vinculũ uero linguę, chirurgia, hoc eſt abſciſſione ſoluitur. Vnde reliquum eſt, ut de tumore linguę dicamus, poſteaquam & alij tam Arabes, quam iuniores eius meminere, ſumpta forſan occaſione a Gal. 14. Meth. qui ſummatim, & hiſtoriã retulit, & capita curationis illius, cui intumeſcẽs lingua adeo creuerat, ut eam os capere nequiret. Sũma uero curationis, quatenus ex Gal. uerbis coniectura aſſequi poſsum, in duob. capitib. conſiſtere uidetur. Primum eſt euacuatio cum reuulſione: Alterum repulſio materię ab affecto loco. Sed prius conſiderandum, quod, & ſi tumor is linguę, quo illa ita creſcit, ut contineri in ore nequeat, unicam uideatur habere rationem, non eſt tamen is affectus unius naturę. Nam tumor ille poteſt & habere naturam inflammationis: poteſt & in pituitoſam referri naturam: poteſt et in mixtam. Qui enim à Gal. uiſus eſt, uidetur proximè acceſſiſſe ad inflãmationis naturam, ut coniectura percipere poſsumus, ex modo loquendi eius accepta. Ait enim quod iam ſexagenarius eſset uir ille, nec illi antea fuiſset unquam miſſus ſanguis, ſtatim illa eadem die, ſuis illis, de quibus ſuperius in libris priorib. egimus, pilulis illum purgauit. Ex quibus uerbis duo poſsunt notatu digna elici. Primum, quanti conſuetudo ſit ſemper ab antiquis facta, uidetur. n. Gal. propterea prętermiſiſse ſectionem uenę, & potius elegiſse uacuationem p medicamenta, quia ad ſexageſimum uſq; annũ nunquam illi fuerat uena ſecta, alioquin autem, ſi fuiſset illi miſsus ſanguis, & tunc etiam ipſe miſiſset. Sed, et hoc indicat tumorem illum calidum fuiſse, & pręterea, quia cogitabat, licet altero medico renuente, ágere frigidioribus medicamentis localib. quibus ille poſtea monitus per ſomnium utens ſanatus eſt. Itẽ & mulier illa, cui ex uariolis intumuit lingua, tumore calidiore laborauit. Quę uero fuit inuncta, tumo-

A rem quidem non omnino calidum paſsa eſt, diutius enim laborauit, neq; omnino frigidum, quia non ita excoriata fuiſset. Sed Raſim etiam, ſi diligenter naturam, & diuerſitatem medicamentorum perpendamus, multiplicem eum iſtius affectus differentiã nouiſse manifeſtum eſt. Cum enim utriuſque brachij uenam ſecat, ac repellentibus utitur remedijs, curandum ſibi proponit calidum affectum. At uero cum linguam fricandam eſse ſale, & aceto ait, frigidiorem, & pituitoſum tumorem diſcutere, & ſiccare nititur, & multam pituitam euocare. Neque tamen magis particulatim de hoc linguę affectu diſseremus, ſatis enim eſse putamus generales ſcopos expoſuiſse, cum propria eorum medicamẽtorum ma-
B teria, quę illos ſcopos, accepta indicatione, tam a natura affectus, quã ipſius particulę affectę, reſpiciunt, ſuperius fuerit ſępius expoſita. Vnde alterius meminiſse affectus reliquum eſt, qui cum hoc nuper relato multam habet affinitatem, tum ratione affecti loci, tum naturę ipſius affectus, & lęſionis illatę ipſi linguę: nam ſub lingua interdum propè eius radicẽ, ubi inſignes illę uenę, quas demum ſecandas eſse diximus in inflammationibus faucium, & gutturis, maximè conſpicuę, naſcitur: eſt uero plerunque tumor hic pituitoſus, & a ſimilitudine, quam refert, quando ore aperto, attollitur βατράχιον Gręcè dicitur, ab Arabibus autem, & iunioribus noſtris rana, uel ranula: plerunque (ut dixi) à pituitoſa fluxione
C excitatur. Quare puto mendum eſse in exemplaribus Pauli Aeginetę eo capite, quo de ranula agit lib. 3. ait enim eſse tumorem phlegmonoden. Ego uero legendum eſse exiſtimo phlegmatodem. Nam ſi reſpiciamus ad curationis rationem, & materiam medicamentorum, quibus utitur in hoc tumore curando, omnia accommodatiora inueniemus curando affectui pituitoſo, quàm illi, qui inflammationis naturam referat. Quamuis quandoque uiderim linguę ranulam ſuppuratam, a qua etiã eruperit uerum, & copioſum pus, ut neceſse etiam ſit fateri, defluxiſse humores calidiores, alioquin enim non fuiſset ſuppurata. Quibus ita expoſitis, facillimum deinde eſt unicuique, qui rectè perceperit ea,
D quę hactenus de præcedentib. affectibus dicta ſunt, rationem inire curandi iſtiuſmodi tumoris. Nã primum, ſi ille inſignis fuerit, & multa uideatur eſse fluxio, initium curationis ab euacuatione erit ſumendum, plerunque autem pituitoſi humoris: cui rei peragendæ pilulæ, & reliqua medicamenta, quæ fuere in primo, & ſecundo libro à nobis expoſita, apta erunt: ſed & ſyrupi, & decocta, quæ opportuna eſſe diximus, ubi is humor importunus fuerit. Diximus autem plerunque, quia ſi aliquando uideretur fluxio calidior, ſectione venæ etiam illi occurrendum eſſet: mox uero illis, quæ vim ſiccandi, & digerendi habent, ut inter initia tamen dum multa eſt fluxio, repellentibus quoque ſuus
E ſit locus. Sed de his adeo frequens fuit ſermo, vt ſuperuacaneum ſit toties in his tempus terere. Quare iam aliud caput aggrediamur, quod ea continet, quomodo lingua, quatenus inſtrumentum eſt guſtatus, læditur.

De lęſo ſenſu guſtus. Cap. XII.

Lingua, vt motricem facultatem à neruis illis, qui recurrentes, uel reuerſiui ab anatomicis dicuntur, ita guſtandi, & tangendi vim à neruis hẽt tertiæ coniugationis neruorum, ſtatim à cerebro orientiũ. Vnde quicquid incõmodi illi hac rõne ſolet contingere, id aut omnino, aut maxima ex parte, & proximè in vitium horum neruorum refe

rendum

tendum eſt. Læditur vero ſenſus hic eiſdem omnino modis, quibus & alios diximus lædi poſſe. Nimirum quia, aut omnino rollitur actio iſtius ſenſus, vt nullum poſſit percipere, & diſcernere ſaporem: Aut percipit quidem, ſed obſcurè, & languidè: Aut poſtremo quia perperam, & vitioſe percipit, veluti quando iudicat ea, quæ percipit, alium habere ſaporem quàm habeant: Sicut febricitantibus æſtate ſæpe accidit, quorum aliquibus omnia, quæ bibenda, vel edenda offeruntur, amara eſſe videntur; alijs omnia ſalſa, quibuſdam vero acida. Cauſæ vero harũ læſionum eædem in hoc ſenſu ſunt, quæ etiam in alijs ſenſibus ſunt relatę. Nam aliquando lingua cum ſuis neruis primario ſuo affectu laborat: Aliquando conſenſu, & conſortio aliarum partium, præſertim vero cerebri. Cum namque omnes uires ſuas (ut in alijs ſenſibus diximus) habeat a cerebro, poteſt impedimentum primum eſſe in cerebro, quando enim id malè habet, non poſſunt, quę inde tanquam riui deriuantur, eſſe expertia labis contractę in fonte.

Sed quia de omnibus affectibus, quibus tentari poteſt cerebrum, deque eorum ſignis, inſuper vero de ratione, quibus curandi ſint, copioſè in prioribus libris diſſeruimus: Ideo non amplius de illis ſermonẽ habebimus. Sed ſolum verſabimur circa ea, quę proximè, & primum reſpiciunt affectus, qui primarij ſunt linguę, & horũ neruorum, qui illi proprij ſunt. De quibus neque etiam longiori ſermone eſt opus, ſi quis ꝓbè ea teneat, quę de alijs ſenſibus dicta ſunt. Nam eiſdem de cauſis linguæ ſenſus quatenus ad ablationem, & obtuſionem facultatis pertinet, lædi poteſt, quibus & cæteri ſenſus. Nempe ex eius intemperatura aliqua, præſertim vero frigida, vel humida, vel vtraque cum materia, vel citra illã. Ex obſtructione quoque nerui guſtatorij a craſſo, & lento humore, vel a multo facta. Præterea verò ab inflammatione, ſcirrho, vel alio tumore præter naturam. Quamuis hoc fieri non poſſit, aut rariſſimè ſaltem, quòd a condenſatione facta a vehementi frigore, nerui linguæ priuentur ſenſu guſtus. Vix enim putarem in ore poſſe adeo vehemens frigus contingere. Vitiata verò actio iſtius ſenſus (ut 1. de cauſ. ſymp. doc. Gal.) fit ex aliquo vitioſo humore, abſorpto in lingua, qui inſignem, aliquem ſaporem proprium habeat: ſicut enim per eum ſapores omnes alij ſentiuntur: ita & reliqua omnia eum ſaporem referre videntur: quẽadmodum ſæpe illis, qui regio morbo laborant, quique febribus bilioſis corripiuntur, omnia amara videntur: alijs autem quibus aut in vẽtriculo continetur acidus humor, aut a capite deſtillat, acida omnia videntur: ita aliquibus ſalſa, alijs ingratus quidam ſapor, quẽ vix exprimere poſſunt, & id ꝓ ratione excrementitij ſucci, quo lingua affecta eſt. Hoc tamen lingua ab alijs aliorum ſenſuum inſtrumentis differens eſſe videtur, quod aut nunquam, aut quã rariſſimè ex nimia perſpicacia, & acrimonia ſenſus, ſuos proprios, qui natura in ea ſunt, ſapores percipiat, ut in alijs ſenſibus interdum fieri diximus. Sed & hoc notat Gal. quod prętereundũ non eſt, quãuis ijdem nerui ſint, quibus cerebrum linguæ impertitur facultatem guſtandi, & tangendi, poteſt tamen ipſa deſtitui a facultate guſtandi remanente ſenſu tactus: non tamen contra. Tactus enim aliorum omnium quaſi fundamentum eſt, vt & Ariſt. 2. & 3. de anima probauit. Ratio vero, cur poſſit tactus ſeruari, ablato guſtu, eſt, vt ibidem Gal. docuit; ꝙ craſſior eſt ſenſus tactus cęteris ſenſibus, neque ita exquiſita ſenſatione, ſicut guſtus indiget. Quamuis & hoc addi poteſt, qđ vtrumque par neruorum, & id quod mouet, & id, per quod guſtat, poteſt ſenſum tactus impartiri: guſtum vero alterum tantum. Perceptis autem his, fa-

A cillimum vnicuique erit, modo eorum ſit memor, quę de curandis alijs partiũ oris affectibus dicta sũt, rationem inire, qua hi etiam curari poſſint. Nã quis non videt, quod intemperies morboſa medicamentis contrarijs ſit tollenda, frigida calidis: humida ſiccis? quorum ſyluam expoſuimus in præcedentibus ſermonibus, in quibus & quales ſint ſcopi, qualeſq; indicationes, expoſuimus, quæ nobis in his curandis affectibus oſtendit natura harum particularum, in eligenda materia medicamẽtorum, quæ illis poſſint ſatisfacere. Sed & ſi cum materia fuerit, primum erit materia illa purganda, & vacuanda illis eiſdem inſtrumentis, ac remedijs, quæ fuere a nobis ſuperius propoſita. Declarauimus etiam, qua ratione auferri

B queant obſtructiones factę in neruis, ſi illæ in cauſa ſint ablati iſtius ſenſus: videlicet cum attenuantibus, aperientibuſque, & incidentibus, quæ efficiuntur (vt ſæpe dictum fuit) cum illis medicinis, quę tenues habent partes, ſubſtantiamque cum aliquo calore, ut tamen vniuerſi corporis prius præcedat curatio, vel euacuatio, ſi adſit eorum humorum in eo plenitudo. Itidem verò & id ſæpius expoſitum, nimirũ quo pacto inflammationes, & alij frigidiores humores curandi ſint. Quare non eſt in his diutius immorandum. Vitioſæ etiam, & perperam factę operationis cauſa, cum videlicet guſtandi omnia, aut amara, aut dulcia, aut ſalſa, aut acida videntur, tollenda eſt, ablato, & vacuato vitioſo humore, quo infecta eſt lin-

C gua, per medicamenta, quę illi humori vacuando eſſent idonea, priuſque cauſa ipſa remota, cur generati ſunt vitioſi hi humores, quæq; fouet hoc malum. Vnde non conteramus amplius in his tempus.

De putido ore. *Cap.* XIII.

DE tetro oris, & animæ odore paucula quædam præterea, ne & id intactum relinquamus, proponere decreuimus. Cum igitur eiuſmodi putidos odores in animantium corpore non poſſe oriri, omnibus ferè in confeſſo ſit, niſi ex putredine, neceſſe eſt, ut quibuſcunque putet os, illis uel in ore aliqua ſit putrilago, vel in alijs partibus ad

D ipſum os pertinentibus, vt ſunt ventriculus, & inſtrumenta reſpirationis. Quare neceſſe eſt, vt dens aliquis, vel gingiuæ putridę ſint: vel inter dentes aliquę ſint cibi reliquiæ relictę, quę ibi putreſcant, vel quod aliquid in ventriculo putridum contineatur. Et quia præſertim putreſcunt materiæ, quę non probè a vẽ- Com.26
triculo fuere concoctę: (tertio enim Aph. de fœtidis excrementis ſermone habito, ait, quod iudicant concoctionem malam) ſępe obſeruauimus, illis, qui cœnam non probè coxere, manè anhelitum aliquando non bene olere. Poteſt & putredo intra pectus, & in pulmone contineri. Vnde & phthiſicorum ſpiritus, & eorum, qui pus in pectore habent fœtet anima. Hę itaque ſunt cauſæ fœtoris, qui ex ore

E percipitur, & iſtius affectus differentię, quę etiam non erunt difficiles cognitu, & diſcretione; ſi rectè, & diligenter perpendantur, quæ hactenus dicta ſunt. Si enim proprio ipſius oris uitio fœteat os, diligenter inſpiciens facilè percipiet ore aperto, an dens aliquis, an gingiuã putredinem contraxerit: an reliquię in dentibus relictæ cibi ibi putreſcant. Quod ſi nihil horum apparuerit, neceſſe fuerit, putrida aliquã excrementa, uel in uentriculo, uel in ſpiritualibus inſtrumentis eſſe. Quod poſtea diſcernetur ex ſignis, quibus dicemus diſcerni affectus, & harum, & illarum particularum. Vnde, & quantum ad curationem pertinet, inuenta cauſa putoris, illa aut tollenda erit, aut reprimenda: fiet autem hoc, ſi & putrida

materia auferatur, atque ſi a copia congeſtæ, vel in ventriculo, vel alia in parte materiæ foueatur, illud quoque fomentum ſubtrahatur, & cauſæ etiam, vnde congeritur excrementitius is humor, occurrat. Quare ſi uitio dentium, & gingiuarum contingat, illius curam habere oportet, vt remoueamus putredinem, illis prius ab omni putredine purgatis; obſiſtamus ſubinde putredini, ne procedat, & id, cum ijs, quæ deſiccant manſis, vel decoctis eandem uim habentibus ore ſæpius loto. Quæ ſi gratum odorem hęc ſpirent, erit non ſolum affectui occurrere, ſed et ſymptoma reprimere. Quapropter Gal. 6. epid. com. quarto memini amomi, & malabatri. Dioſcorides verò agalochum, lentiſci reſinam, item myrrhã laudat, ſi mandantur. Sed & horum decocta, ſi eis os colluatur, non parum conferunt: ſicuti decoctum citrij, vel eius ſucco os colluere, vel ſcillino aceto, uel uino, in quo bromus cum aridis roſis fuerit decoctus, in ijs ponuntur, quæ fœtenti ori pręſidio ſunt, ut deinde ſeſamum vitandum cenſet, quoniam ſi inter dẽtes hæreat, ſpirat odorem non bonum. Quòd ſi dentis uitium corrigi nequit, extrahendus eſt. At verò ſi fœtidi odoris cauſa in inferioribus partibus ſedem habeat, primum quidem eo conuertenda eſt curationis ratio, ut ea prius auferatur, congrua, & accommodata purgatione illius particulæ, quæ putridum continet excrementum, & uniuerſi etiam corporis, ſi ita eſſe opus uideatur. Ita enim monebat Galen. loco nuper citato, exemplo illius medici, qui ea ratione reprimebat tetrum odorem, quem proprium os ſpirabat. Congrua autem ventriculi purgatio eſſet, ſi hiera, aut aloe, aut maſtichinis pilulis, uel alephanginis appellatis ab Arabibus, vel id genus alijs purgaretur uentriculus: mox aliqua mãderentur, uel ore continerentur, quę gratum poſſent odorem conciliare. Si uerò a pectore eſſet petenda occaſio putredini odoris, his eſſet agendum, quæ uim habent detergendi ea, quę in pulmonibus, & pectore putreſcunt, & per tuſſim, ac ſputum loca illa purgandi. Sed iam huic libro finem imponamus, & mox incipiamus de his agere, quæ pertinent ad affectus particularum, quæ in uentre ſuperiori continentur, & ſunt inſtrumenta reſpirationis, & ſedes uitalis facultatis.

VICTORIS TRINCAVELII DE RATIONE CVRANDI PARTICVLARES HVMANI CORPORIS AFFECTVS.

LIBER SEXTVS.

De affectibus ventris ſuperioris, & particularum ad ipſum pertinentium cognoſcendis, ac curandis. Primumque de harum omnium hiſtoria.

CAPVT I.

VENTRES duos prȩſertim in animantium corpore, ſuperiorem nimirum, & inferiorẽ poſuere antiqui medici. Neq; enim caput ventrẽ ipſi (vt noſtri anatomici iuniores) appellabãt. Et quamuis varia interdum nuncupatione ſuperioris, et inferioris ventris vterentur, vt Gal. 4. de rat. uict. in acu. mor. teſtatus eſt: Nos tamẽ eam appellationem in præſentia ſequemur, quæ magis trita erat, queq; ad noſtrum inſtitutum magis attinet, vt per ventrẽ ſuperiorem, thoracem, vel partẽ eam corporis uocemus, quę intra thoracis fines cõ-
Aph. 38. prehenditur. Ita enim & 7. Aph. ventrem ſuperiorẽ (ut ait Gal.) accepit Hippo. ſuperiorem autem hunc vẽtrem, iuxta atque caput, in duplicem particularũ ordinem partiri ſatis commodè poſſumus: nimirũ in eas, quarum officium eſt continere, ſeruareq; interiores, & præcipuas particulas, ac illis miniſtrare. Et interiores, quę ab alijs externis ſeruantur, & cõtinentur. Sed de continentibus prius agamus, cum illę etiam, licet dignitate poſteriores ſint, priores tamen a nobis conſpiciantur, vtpote quæ ſenſibus noſtris ſint magis expoſitæ. Harum itaque omnium extima eſt cutis. Poſtea ex anteriori parte eſt adenoſa ea ſubſtantia, qua mãmillę conſtant: Deinde muſculi, quibus mãmillæ incumbunt, ſunt autem illi, quorum officium eſt mouere brachium, prȩſertim uerò ad anteriorem partem, uidelicet ad pectus. Et ſuperiorem thoracis partem occupant: Inferiorem uerò muſculi abdominis, qui obliqui deſcendentes ab anatomicis dicuntur, occupant. Ex poſteriori deinde parte, exterius ſunt muſculi, quo retrorſum brachium mouent, quiq; ſcapulas, & qui thoracem dilatant. Intra hos ſunt, & coſtarum ordines, cum intercoſtalibus appellatis muſculis, quorum officium eſt in expiratione thoracem cõſtringere. Teguntur autem coſtæ, & intercoſtales muſculi duplici ac tenui, ſed dura & denſa membrana: altera exteriori, quę circunquaq; thoracem contegit, & quaſi veſtit:

Altera interiori, quæ & ſuccingens mēbrana a medicis ſolet appellari, cuius inflammatio ea eſt, quæ pleuritis, ac ſi coſtalem dixeris, uera, & exquiſita eſt. Nam & muſculi intercoſtales, & exterior membrana inflammatione tentari poſſunt, quæ etiam pleuritis interdum eſſe cenſetur, & dicitur. Sed non eſt uera, & exquiſita pleuritis: niſi ſuccingentis membranæ inflammatio, de qua poſterius dicemus. Habent autem hi muſculi omnes ſuos neruos, qui illis ſubminiſtrant motricem facultatem, quique omnes ortum habent à ſpina dorſi. Habent & uenas, vnde alimentum exugunt. Præterea & arterias, quæ illis ſpiritus, quibus viuant, impertiuntur. Sed de alijs quidem vaſorum generibus particulatim agere in preſentia non plurimum refert. De venis verò non parum refert, ad ea uidelicet rectius percipienda, quæ in ſequentibus erunt de ratione curandæ pleuritidis dicenda. Venæ ergo, quæ ad muſculos intercoſtales, eos alituræ deferuntur non omne ab uno, & eodem loco ſuam habent originem. Quæ enim ad quatuor ſuperiores coſtas accedunt, a ſuperiori illa vena ſuam originem habent, quę pro pè iugulum bipartita verſus humerum tendens in humeralem diuiditur, & axillarem. Vt eas nunc prętercam, quæ ab hac eadem ortæ ad ceruicem tendunt, & iugulares dicuntur: nihil enim ad præſens inſtitutum faciunt. Propè ortum axillaris, quæ & interior cubiti, a iunioribus baſilica appellatur, ortum habent, uenæ, quę alimentum afferunt muſculis, & coſtis illis quatuor ſupremis. Aliunde verò reliquæ oriuntur, quę octo inferiores, tum coſtas, tum muſculos ab illis interceptos alunt: nimirum a uena, quę coniuge caret, & in hominibus, ut tradit Gale. ſecundo de rat. vict. in acu. mor. deriuatur a vena caua propè cor, antequam auriculam cordis pertingat: Vnde mox fit, ut cum inflammatio ſuperiores partes occupat, dolor aſcendat ad humerum, uel iugulum, aut ſaltem grauitas percipiatur. Sin autem inferiores, deſcendere videtur dolor ad præcordia, ratione conſenſus illarum partium cum inflammato loco per venas. Cum his autem partibus ſeptum tranſuerſum recenſebimus, quod præter id, quòd quaſi ſeptum diſcernit, & ſeparat hos duos ventres, eſt etiam primus veluti motor, & præcipuus in reſpiratione, thoracem ſanè dilatans, & naturam muſculi habet. Cuius chorda in medio eſt: caput uerò, & carnea pars quaſi a coſtis nothis originem ſuam habet. Superior autem pars iſtius ſepti ſuccingitur & ipſa, tegiturque ab interna membrana ſuccingente coſtas. De qua membrana hoc itē dixerim, quod ea non modo particulas has ſuccingit, ſed eſt quaſi duplex, & utriuſque diſtinctio eſt ſatis manifeſta in anteriori parte, è regione oſſis thoracis, qd στέρνον, Grecè dicitur. Diductæ enim ſunt dextera, & ſiniſtra, quamuis deinde in vnum coeuntes, totum intra thoracem ſpatium in duos quaſi ventres, dextrum, & ſiniſtrum ſecant, ut ſi uel deſtillatio, vel pus, uel quidpiam aliud in alterum illorum incidat, ad alterum tranſire nequeat, quocunque modo ſe animal vertat. Nec modo ſpatium eſt in duos ventres partitum, ſed & pulmones, vt quaſi duo uideantur. Ex parte autem inferior, ſepto tranſuerſo ſubtenditur membrana, quę peritonęum dicitur, de qua agemus in ſequenti libro. Partes ergo continentes hæ ſunt: Contentæ verò ſunt duę pręcipuę. Primum cor, fons, & origo, & veluti focus (ut ſepe teſtatus eſt Galen.) caloris natiui, & uitæ: Deinde pulmones, qui a natura, tanquam flabellum cordis creati ſunt, quo refrigerari calor poſſit, & ſeruari temperamentum eius naturale. Continentur tamen in hoc eodem uentre, & arteria maior, quam aortam appellat Ariſtotel. quæque tanquam a fonte primo, a corde oritur, & eſt veluti riuus, & uia, per quam tranſeunt uitales ſpiritus, qui aliarum omnium partium natiuum calorem fouent. Præterea & uenæ magnę ramus, qui ad ſuperiores partes alimentum allaturus, per hunc uentrem tranſit: Item & aſpera arteria, quæ affert frigidum aerem ad pulmonem, & illum deinde concalefactum affert: eſtque una cum laringe, vel gutture uocis inſtrumentum, gulęque incumbit, quę via eſt, per quā cibus in ore prius tritus, potuſque in ventriculum, dum deuoratur, deſcendit. Sed de hac particula, cum ſermonem de vētriculo habebimus, agemus, vt quæ ad illum potius attineat, quam ad ea, quę in hoc uētre pręcipua sūt. De quorum affectibus in hoc ſexto libro tractationem inſtituere propoſuimus.

De affectibus particularum, quibus ſuperior venter conſtat. Cap. II.

Particulæ, quæ ad hunc ſuperiorem uentrem attinent, nulli non ſunt morborum generi obnoxiæ, ſiue de illis ſit ſermo, qui in intemperie conſiſtunt: ſiue de illis, quæ in conformatione, ſiue in unitate, uel continuitate. Cum enim plures earum inſtrumentaria membra, & ex ſimplicibus compoſita ſint; neceſſe deinde eſt, ut eorum morborum ſint capaces, quæ ſimplicibus partibus primum conueniunt, & eorum, quæ primū inſtrumentarijs membris attribuuntur, & eorum quoque, qui utriuſque communi quadam ratione accidere poſſunt. Quia uerò thoracis, vel pectoris, & totius tandem iſtius ſuperioris uentris prima, & pręcipua actio, eſt, reſpiratio. Quamuis enim ad eius quoque officium pertineat, cor tueri, & ſeruare, primum tamen munus, & maximè præcipuū eſt reſpiratio, per quam ſeruatur proprium cordis, & naturalis caloris temperamentum. Reſpirationis autem duo ſunt prima inſtrumēta, videlicet pectus, & pulmo: non tamen eadem ratione, ſed potius plurimum diuerſa. Pectus enim rationem mouentis, et efficientis reſpirationem habet. Pulmo vero, moti, & quaſi materiæ. Vt enim in folle, quo ignis accenditur per aerem, vel ſpiritum exſufflatum, duo ſunt neceſſaria, ut poſſit ea præſtare, cuius gratia factus eſt, videlicet vt follis aptus ſit, ut quantum opus ſit, dilatetur, viaſque habeat expeditas, & apertas, per quas attrahatur, & expellatur aer, vel ſpiritus, deinde verò, & artifice opus eſt, qui manibus ſuis attollens ſuperiorem follis tabellam, dilatato interno ſpatio, aerem attrahat primum, deinceps eadem deprimens expellat. Ita pectus per muſculos ſuos præſertim verò tranſuerſum ſeptum, pulmones dilatat, & quaſi aperit, quo fit aeris introductio, & eiuſdem deinde expreſſio, cōſtrictio, et veluti cōcluſo pulmone. Vnde quicunque affectus lędunt, uel impediunt reſpirationem: illi propriè ad hunc ſuperiorem ventrē pertinent, ſiue primarij ſint; ſiue conſenſu pectoris cum alijs partibus lædatur reſpiratio. Vt autem omnes differentias affectuum inueſtigare poſſimus, quibus offendi poſſit reſpiratio, hoc in primis conſiderandum eſt, quòd cum hęc omnia ſint neceſſaria, ut rectè procedat hęc operatio, ut paulò antea ſignificauimus: Primùm quòd id integrum ſit, & labe careat, ad quod diximus pertinere, quod moueat, id verò ſunt muſculi, quorum officium eſt thoracem, & pulmones mouere, & nihil ſit, quod eius elationem, & motum impediat. Præterea ſpatium a thorace comprehenſum, amplum, quantum ſatis eſſe poſſit dilatationi pulmonum, ut multi aeris ſint capaces, & vt vię ſint expeditę, & mundę, & a nulla

re occupatæ, quæ poſſit aeri ingredienti, & egredienti obſiſtere. Quare ſi ſcrutando inuenerimus, quot ea ſint, & quæ, vnde poſſint, quæ recenſuimus, uitiari, facilè percipiemus, quot, & quibus affectibus obnoxiæ, & expoſitæ ſint hæ particulæ. Incipiamus autem ab ijs, quæ ſe tenent ex parte mouentis, ut ſunt muſculi, qui thoracem mouent: præcipuum autem locum habet (vt ſæpius diximus) ſeptum tranſuerſum. Itaque ſi motus muſculorum impediatur, præſertim vero diaphragmatis; neceſſe eſt reſpirationem lædi. Impediri autem poteſt, primum ex cõmuni neruorum affectu, qui mouendi facultatem his muſculis impertiuntur: Vnde aut conuelluntur, aut reſoluuntur. Quamuis (vt diximus in prioribus libris) natura & in apoplexia, & in comitiali morbo, præterea verò in conuulſione, & reſolutione, ſemper omni ope, propter horum muſculorum ſummam neceſſitatem, de ipſis ſolicita eſt, & niſi maxima fuerit conuulſio, & maxima apoplexia, quæ hominem ſtatim necant, & ſtrangulant, eos ſeruat, quantum poteſt, illæſos. Qua ratione autem fiant hi affectus, & quot ſint eorum differentiæ, ſatis ſuperque ſuo loco ſuperius egimus. Poſſunt præterea malè affici particulæ hæ ab intemperatura aliqua citra materiam, præſertim uero à frigidiore. Vnde, flante aquilone, lædũtur partes inſpirationi inſeruientes ob intemperiem frigidam ab eo inductam, vt ait Gal. tertio Aph. Quinto etiam eiuſdem ait Hippoc. frigida perinde, ut nix, & glacies, thoracis partib. inimiciſſima ſunt. Sed & nimia ariditas earundẽ partium non parum detrimenti reſpirationi poteſt afferre. Nec modo ſimplex, & citra materiam, ſed & non parum ea intemperatura, quæ cum materia eſt, plurimum lædere poteſt actionem harum partium, & id multiplici ratione. Primũ ſi dolorẽ concitet, quia dum in expirando, uel inſpirando mouentur muſculi, dolor, illis intẽſis, & contractis, fit maior, qui deinde reſpirationem impedit. Præſertim uerò dolorem affert, ſi calida fuerit materia, aut illa, quæ in flatum vertatur. Quã maximè verò impeditur harum partium operatio, ſi ea materia illas in tumorem attollat, & magis, quo maior fuerit tumor. Nam aut replendo ſolum, & contrahendo muſculos mouentes thoracem, ineptos illos reddit ad motũ, ſi tumor is ſit frigidus, & ſcirrhoſus. Aut præter id, magnum concitat dolorem, ſi calidus ſit, ut inflammatio. Maius autem fit impedimentum, quò inflãmatus muſculus magis neceſſarius eſt ad reſpirationẽ. Si.n. aliquis eorum laboret, qui mediocri, & communi reſpirationi nihil conferunt, ſed tãtum, cum maiori ui reſpirare uolumus, vt in ſufflatione, & in maxima edenda uoce, nõ plurima inde noxa actioni iſtarũ partium affertur, niſi quãdo maiori vi conamur attrahere, uel reddere ſpiritum. Quòd ſi inflammatio, vel alius alioquin tumor corripiat intercoſtales appellatos muſculos, lõgè magis læditur reſpiratio. Maximè uerò omniũ, ſi ſeptum tranſuerſum, quia aliorum nullus tantum momentũ, ad reſpirationem hẽt, quantum ipſum: Fiunt ergo maximæ ſpiritus anguſtiæ, inflammato ſepto trãſuerſo, maximiq; dolores, præterea, & deliria quàm maxima, ob id, quòd cum parte hac cerebrum maximè conſentit, ita, vt ea inflammata, nõ modo lædatur reſpiratio; verum & cerebri actiones præcipuæ. Sunt tamen, & aliquæ thoracis particulæ, quæ (vt philoſophi loqui ſolent) per accidens lædunt reſpirationem, quando inflammantur, aut alio ſimili affectu tentantur. Sicuti eſt membrana ſuccingens coſtas, quæ dum thorax dilatatur, extenditur. Vnde quando inflammatione corripitur, ſi inſignis ſit inflammatio, adeò intenditur, vt dum attollitur thorax, eius motui cedere non poſſit, cum extendi amplius nequeat ob plenitudinem humorum, qui in ipſam confluxi, ac infarcti illam intendunt. Sed, & eadem intentio ſequetur, ſi alio tumore frigidiore ſicuti ſcirrhus eſt, afficiatur. Rariſſimè tamen ea membrana frigidos humores admittit, quia ipſi craſſiores ſunt, & membranæ ſubſtantia denſior. Sed ſi aliquando ſcirrhus eam corripiat, rariſſimè ſtatim à principio corripit, at plerũque fit ex permutatione, & induratione inflammationis, digeſtis tenuioribus partibus: craſſioribus verò, quæ veluti fæx ſunt, relictis in affecto loco. Differunt autem ſcirrhus, & inflammatio, quatenus ad læſionem reſpirationis pertinet, quod longè magis nocet reſpirationi inflammatio, quàm ſcirrhus. Quoniam duplici nomine reſpirationem impedit inflammatio. Nimirum, quia membranam intendit, & quia dolor uehemẽs, & acutus excitatur, cum pectus dilatatur. Itaque thoracis, & partium ad illum attinentium hi ſunt affectus, quibus reſpiratio læditur. Lęditur pręterea, quando eius ſpatiũ, & capacitas interna fit anguſtior, vt pulmones liberam nequeant dilatationem habere, cum à ſepto tranſuerſo moueatur. Poteſt autem anguſtius fieri ſpatium illud multiplici occaſione. Primum quidẽ ex aliquo ſuborto tumore in internis partibus, uel calido, ut inflammatione, uel frigido, ut ſcirrho, cũ inſignes fuerint. Vnde præter alias iam relatas cauſas, cur pleuritis ſpirandi difficultatem afferat, hæc etiam addenda eſt. Deinde uerò ex luxatione vertebrarum, quæ thoracis ſunt. Quare qui gibboſitate laborant, omnes ferè anguſtiã in ſpirando ſentiunt. Tertiò ex eius ſpatij plenitudine, ut cum aliquo uitioſo humore repletur, qui ſit in ſpatium illud effuſum. Vt autem varius eſt humor ille, ita & ex uarijs locis effluere poteſt. Nam interdum pituita multa à capite deſtillans in pectus effunditur: ſicuti diximus, ubi de catarrho ſermonem habebamus. Nonnunquam pus eſt, quo refertus eſt thorax: Pus uerò tripliciter poteſt in pectore congeri. Nimirum, vel ex catarrho, qui putreſcens in ſpatio thoracis, incluſus uertitur in pus: ſicuti docuit Hippo. ſeptimo Apho. (Aph.) vbi ait, quòd deſtillationes in ſuperiori uentre in uiginti diebus uertuntur in pus. Vel etiam ex rupto abſceſſu, cum inflammatio per ſuppurationem terminatur, nempe pleuritis, uel peripneumonia. Vnde qui Gręcè empyici, Latinè ſuppurati dicũtur, hoc eſt, qui pus in ſpatio pectoris gerunt, plerunque difficilem habent reſpirationem. Interdum uerò ſanguis in id ſpatium effunditur, qui aliquando à capite deſcendens perinde, ut deſtillatio, per guttur, & aſperam arteriã defluit: interdum uero ex uenis, quę, aut in thorace, aut in pulmone, aut in aſpera arteria ſunt, eroſis, tractis, & apertis. Poſtremò verò ex anguſtia, & obſtructione uiarum ſpiritus, quæ anguſtia, aut in gutture, & in ſumma parte aſperę arterię fieri poteſt, de qua, ubi de angina ſermonem habuimus, abũdè actum fuit, aut in pulmonibus, & de ea anguſtia, quæ ob uitium cõtractum in pulmone fit, agere ad præſentem locum pertinet. Vitium uerò pulmonis, ex quo fiat anguſtia in vijs ſpiritus, & difficilis reſpiratio, aut eſt in ſubſtantia pulmonis, nimirum cum tumor aliquis in ſubſtantia pulmonis ſubcreſcit, & creſcens comprimit vaſa, quæ in pulmone ſunt, præſertim verò ramos aſperæ arterię, et eorum bronchos à Gręcis medicis appellatos. Tumores autem hi ſunt, aut calidi, ut eſt inflammatio, & affectus hic propriè περιπνευμονία Græcè dicitur, ac ſi pulmonis inflammationem dicas. πνεύμων enim pulmo dicitur. Vnde quidam uim uocabuli Græci exprimere Latino nomine uolentes, pulmo-

ſiam appellauere; Quæ quidem inflammatio cum vehementi febre eſt, cum vehementi in reſpirando difficultate, immo cum orthopnœa. Differt enim aſthma ab orthopnœa, quòd aſthma ea eſt in vniuerſum ſpirationis difficultas, in qua frequens eſt anhelitus: perinde vt in ijs, qui cucurrerũt. Cum verò eo res peruenit, vt decumbere nequeant; ſed cogantur aſſurgere, & recta ceruice reſpirare (alioquin ſtrangulari videntur) orthopnœa dicitur. Dyſpnœa verò omnis ſpirandi difficultas appellatur, vndecunque ortum habeat. Hanc ergo difficultatem adiunctam plerunque habet peripneumonia, præſertim verò ſi fuerit tumor inſignis. Suboriuntur aliquando in pulmone tumores frigidiores, qui & ſi anguſtiam in ſpirando afferant: ſunt tamen ſine febre, niſi ſi quando ſuppurentur. Harum enim duplex eſt differenria; ut ſexto Aph. docuit Galen. 6. quidam enim ſunt exquiſitè duri, qui nunquam ſuppurantur, & ab his nullus reſudat humor, qui laborantem poſſit tuſſiculoſum efficere: Alij verò ſunt molliores, & teneriores; & hi tandem ſuppurantur: & cum non ita ſit infarcta, & adeò cruda, & craſſa materia: ideo reſudat aliquis ab eis ichor, qui tuſſim poſſit concitare: atque cum ſuppurantur, neceſſe eſt, vt aliquam ſaltem febriculam concitent. Sed aliquando & aſthma, ſpirandique oritur difficultas, non ex proprio uitio in ſubſtantia pulmonis excitato, ſed ex aliqua materia, quæ confluens ad aſperam arteriam, & ad uias reliquas, quæ ſunt illius rami diſperſi per pulmones, eas replet, & obſtruit, ut non poſſit eſſe expeditus, & facilis tranſitus ſpiritui. A capite autem plerunque deſtillat, quę vias ſpiritus obſtruens difficilem reſpirationem efficit, cum aut craſſa, & lenta eſt: aut ſi craſſa non ſit, eſt ſaltem multa. Licet autem plerunque a capite defluat iſtiuſmodi materia; poteſt tamen & ab alijs particulis (ut dixit Gal.) effuſa tandem attrahi ab arterijs aſperis. Hi ergo ſunt affectus omnes, quibus particulæ, ex quibus coagmentatus eſt hic ſuperior venter, obnoxiæ ſunt, quatenus inſtrumenta ſunt reſpirationes. Nam de corde ſermonem ſeorſum inſtituemus. Sed neque de affectibus illis longiorem, vel diligentiorem tractationem ſumus inſtituturi, qui lædunt reſpirationem: non quia primum ad has particulas pertineant; ſed potius quia hæ ex conſenſu cum alijs malè habent. Nam conſenſu thoracis cum cerebro poteſt per neruos impertitos muſculis, a quibus mouetur, impediri reſpiratio: ſicuti in apoplexia, epilepſia, & ſimilibus cerebri morbis: de quibus ſermo eſt habitus in prioribus libris. Item & conſenſu ventriculi, ut quando ex nimia eius plenitudine ex cibo, vel flatu in tantum tumorem effertur, vt comprimat diaphragma, & anguſtiorem reddat thoracis capacitatem. Sed & conſenſu oris ventriculi, in eius tenſione, inflammatione, dolore, & morſu ſequitur aliqua reſpirationis anguſtia (ut quotidie uidemus) quæ fit ob magnam connexionem, quam habet os ventriculi cum ſepto tranſuerſo, & corde. Præterea tumores excitatos in iecinore, vel liene, ſi illi fuerint inſignes, ſequitur anhelitus difficilior, cõpreſſo itidem tranſuerſo ſepto. Imo & uitio uteri: ſicut ſæpe mulieribus, quæ ex utero ſtrangulantur, euenire quotidie animaduertimus. Has enim differentias omnes, quæ ex conſenſu cum alijs particulis ortum habent, cum non poſſint alioquin curari, niſi ablatis prius morbis eorum membrorum, ex quorum conſenſu hę læduntur; ad ea loca relegandas eſſe cenſemus, vbi de illorum membrorum proprijs affectibus tractandum erit. In præſentia verò circa illos verſabitur ſermo noſter, qui proprij, & primarij affectus ſunt iſtarum partium.

A *De inflammatione harum particularum, ſicut ſunt pleuritis, & peripneumonia, ac preterea quęcunque alias partes occupant.*

Cap. III.

INflammationes harum partium, & ſi eundem generationis modum habeant, ex calida uidelicet fluxione, qui modus (ut pluries diximus) eſt communis omnium inflammationum: Multas tamen habent differentias, tam ratione diuerſitatis materiæ confluentis ad inflammatum locum, quam ratione periculi ex eis imminentis. Ex parte quidem materiei; quia licet omnis inflammatio quatenus inflammatio eſt, non poſſit excitari, niſi a
B calida fluxione: Attamen non eſt æqualis ratio confluentium. Nam aliquando magis talis fluxio naturam refert boni ſanguinis: Aliquando verò magis bilioſa eſt: interdum ad naturam uergit pituitæ. Iſtiuſmodi autem fluxionis differentia, & ſi in alijs forſitan alijs argumentis diſcerni poſſit; in illis tamen particulis, quę non ſunt ſolida, & craſſa cute obductę, ſed tenui pellicula, uel membrana, a qua ſemper aliqua tenuior pars, uel ichor aliquis expreſſus reſudat ex inflammatione, ut in inflammationibus internorum uiſcerum, & oris, apertiſſime ab expreſſo, & reſudante ichore percipi poteſt, qualis ſit natura fluxionis, quæ inflammationis in cauſa eſt. Nullibi tamen apertius hoc oſtenditur,
C quàm in inflammatione ſuccingentis coſtas mẽbranæ, quàm pleuritin medici Græci appellant, & inflammatione pulmonum, quam peripneumoniam, ichor enim ex eis expreſſus exugitur a pulmone, & tuſſis deinde cum ſputo reijcitur, ut notato colore, quo ſputum ab eo ichore inficitur, facilè poſſimus (ut ſecundo de differ. febr. & in libro de conſtit. art. med. docuit Galen.) percipere, cuius naturæ ſit fluxio, vnde genita fuerit pleuritis, aut peripneumonia. Nam ſi rubrum fuerit ſputum, ſanguineam magis fluxionem exiſtimabimus: Sin flauum, aut luteũ, bilioſam: Pituitoſam autem, ſi ſpumoſum: Sicuti ſi uel liuidum, vel atrum referat colorem, humorem iam accedere ad naturam atræ bilis ſignificabit; ut
D iam carbunculi naturam inflammatio referat. Vnde & lethalis eſt ferè color ille. In inflammationibus autem muſculorum pectoris ſecus eſt: niſi fortè intercoſtalium muſculorum, quibus intrinſecus hæret, & adnata eſt ſuccingens membrana. Nam ſi inſignis fuerit inflammatio, neceſſe ferè eſt, vt cũ muſculis illis membranam quoq; corripiat. In alijs verò longior eſt uia, quàm ut poſſit humor, uel ichor aliquis ad internas partes reſudare. Vnde in illis ex ſputo nulla poteſt accipi ratio diſtinctionis fluxionis irruentis ad inflammatum locum. Sed hoc in primis eſt etiam conſiderandum ad integram iſtius rei intelligentiam, quod & ſi differant fluxiones, unde id genus inflammationes ſuam habent origi-
E nem; non tamen omnes hę particulæ ad has fluxiones æqualiter, & eodem modo ſe habent: immo diuerſa admodum eſt earum ratio. Nam plerunque pleuritis fit a bilioſo ſucco; peripneumonia uerò a pituitoſo. Cuius ratione retulit Gal. quarto de cauſis pulſ. & eadem eſt illi, ob quam in ſecundo libro dicebamus, phrenitin nunquam in cerebri ſubſtantia, aut rariſſimè poſſe conſiſtere, neque lethargum in membranis cerebri. Duriores enim & ſolidiores particulę, quales ſunt membranę, non facilè craſſiores ſuccos recipiunt, ut ſunt pituitoſus, & melancholicus, & ſi quandoq; fiant frigidi, & duri tumores in eis, raro tales ſunt inter initia, ſed ſæpius ex aliorum calidiorum tumorum tranſmutatione fiũt, digeſtis nimirum tenuioribus partibus. Contra au-

Cap. 8.
Cap. 8. & 12.

tem, partes, quę molli, aut rara ſubſtantia conſtāt, rarò calidas, & tenues fluxiones receptas poſſunt continere, ut illis refertæ in tumorem attollantur, ſed potius diffluunt: facilius verò, craſſiores, & lentas, quæ prę craſſitie, & lentore facilè ingreſſę meatus illis hærent. Vnde poſtea, quantum ad ſymptomata pertinet, febris in pleuritide ſolet ardentior, & acutior eſſe, quàm in peripneumonia. Dolor etiam pungens, & acutus, cum in peripneumonia ſit grauis, ut potius grauitas, quàm dolor percipiatur. Præterea pulſus in pleuritide durus eſt, & frequentior cum inæqualitate, ut eodem quarto de cauſ. pulſ. expoſuit Galen. præter id enim, quòd durior particula eſt membrana, quæ inflammatione laborat, ſiccus etiam eſt humor, vnde facta eſt inflammatio, a quo arterię cum membrana conſentientes ſiccatę indureſcunt. In peripneumonia, ſubſtantia pulmonis mollis, & laxa eſt, & humor, qui illam in tumorem attollit, humidus eſt. Quare arteriarum tunicę humore perfuſæ molliores fiunt, & inde poſtea inæqualis etiam pulſus, ob affectum pulmonem, euadit mollis tamen, & vndoſus. Sed ex multa affinitate, & conſenſu, quem habent hæ partes cum capite, fit, ut lędatur non parum cerebrum, ut quarto itidem de cauſ. pulſ. retulit Galen. Vnde in earum inflammationibus ſi illæ inſignes fuerint, varia emergunt ſymptomata, caput affici indicantia. Nam vel deliria fiunt, vel ſopores, interdum verò, & nerui læduntur. Hæc autem fiunt pro ratione diuerſi humoris contenti, & putreſcentis in inflammatione, & roboris expultricis facultatis in cerebro. Quia ſi billoſa fuerit materia, putris quidem, & acris ueluti fumus petens cerebrum, illud mordens, & irritans particulas ad illud attinentes, delirium concitat. Sed ſi pituitoſa ſit materia, uapor non fumidus, & acris, ſed craſſus, & turbidus, nebuloſuſque ad caput delatum, cerebrum humectat, & grauat, ut in ſoporem pronum hominem efficiat, niſi adeo uires cerebri validæ ſint, ut poſſint vaporem alio, hoc eſt ad partes, quas ab illo natura deriuauit, ſicuti ad neruos impellere. Nam ita aliqua labes neruis, ſeruato cerebro integro, afferetur. Nullius autem partis inflammatio frequentiora, & magis perpetua deliria (de illis loquor, quarum conſenſu læditur caput) concitat, quàm ſepti tranſuerſi, ita ut non facilè ſit diſcernere hanc inflammationem a phrenitide, inflammationes autem membranæ ſuccingentis [coſtas] & pulmones (ut ait Galen. 2. de loc. affect.) tunc afferunt deliria, cum morbus ad vigorem peruenit. Vnde neque ſolum differentię conſiderandæ ſunt harum inflammationum, quæ ſunt a differentibus fluxionibus, ſed & illę, quæ a ſymptomatibus, quę illas ſequūtur, quæque non modò naturas diuerſas oſtendunt inflammationum, verum etiam earum magnitudinem, ac periculum, quod ęgrotanti ex illas impendet. Nam & hoc pręcepit Hipp. 6. Aph. qui conſulit dolores lateris, & pectoris eſſe diligenter conſiderādos. Quem locum explanans Galen. ait, eiuſmodi diligentem conſiderationem poſſe nos perducere ad cognitionem, & loci affecti, & pręſagium oſtendere eorum, quæ futura ſunt, & rationem curationis. Ex differentia enim dolorum, in magnitudine, & qualitate, & perpetuitate, ſubinde multa poteſt medicus circa morbum percipere. Etenim ſi dolor magnus, acutuſque, & pungens, perpetuuſque, & magna cum febre, & qui aut ad iugulum, uel humerum pertingat, aut ad pręcordia deſcendat, fieri nequit, quin ſit pleuritis, & ſubinde quin periculum adiunctum non habeat, magnus enim eſt, & acutus morbus. At ſi non vehemens, neque pungens fuerit, neque tamen ſine febre, ſed ea non acuta, neque dolor ad iugulum, humerumve, neque ad hypochondria pertingat, erit quidem inflammatio, ſed in muſculis: vnde neque aderit multa timendi ratio, neque tantam diligentiam requiret in curatione, neque adeo ualidis opus erit remedijs. Sin autem dolor ſit quidem magnus, & pungens, ei tamē febris non reſpōdeat: ſi etiam non ſit perpetuus, ſed cum aliqua intermiſſione, aut remiſſione inſigni; ſi præterea mobilis fuerit, erit flatuoſa materia, non inflammatio, & non multo negotio diſcutientibus flatum deleri poterit. Sed ſi, quamuis dolor non ita ſit pungens, maior tamen fuerit ſpirandi difficultas, multaq; in anhelitu frequentia, & febris maior, quàm pro ratione doloris, & delirium citum, et magnum, perpetuumq;, erit inflammatio orta in tranſuerſo ſepto, difficiliſq;, imo difficillimus, & maximus morbus, maximoq; periculo obnoxius. Si verò potius grauitas, quàm dolor percipiatur, multaq; ſit anguſtia, aut cogatur, dum decumbit ægrotus, aſſurgere, quia alioquin ſtrangulari videatur, peripneumoniam ſignificat, quę & acutiſſimus, & grauiſſimus morbus, & quàm maximè periculoſus. Sed & alia ſymptomata, quę ad aliud ſymptomatum genus pertinent, diligenter conſideranda, nimirum ad genus mutatorum excremētorum. Et quamuis, quatenus ad hanc conſiderationem ſpectat, & vrina in omnibus his affectibus, qui cum febre hominem affligūt (vt primo de Criſ. teſtatus eſt Galen.) minimè ſit cōtemnenda: immo nec alui excrementa. Nihil tamē eſt, quod maiorem vim, & maius habeat momentū, quàm ſputa. Proximè enim tranſmutationem, quæ in horum morborum genere fit, & materię contentæ naturam in inflammatione oſtendit, ex qua deinde, & tempora inflammationis, & eius naturam, terminationem ſalubrem, uel pernicioſum rei ſucceſſum, morbiq; grauitatem demonſtrat. Sed magis particulatim rem tractemus. In his internarum partium inflammationibus, vt eſt interior membrana, ſeptum tranſuerſum, & pulmones, nihil deterius, & grauius eſt (ut primo libr. Comm. in tertium Epid. ait Galen.) quàm non expuere. Vt tamen id intelligamus, cum tempus iam eſſet, ut expuere inciperet pleuriticus. Nam multi inter initia, dum crudus eſt morbus, non expuunt, qui poſtea expuere incipiunt, cum coqui incipit. Summa enim cruditas in his eſt (ut traditum eſt primo libro de Criſi.) cum nihil expuunt. Contra uerò, nihil ſalubrius, & melius eſſe in his morbis poteſt, ut idem in libro de conſtit. art. med. docuit, quam facilè ſputum, & ſine moleſtia reiectum. Sed & colores, & ſubſtantia in ſputis conſideranda. Quia cum naturam fluxionis, vnde fuit excitata inflammatio, color ſputi oſtēdat, neceſſe eſt, ut acutiem, grauitatemq; morbi, & malignam naturam indicent, uel contra lenitatem, facilitatemque, ac benignitatem. Rubrum enim, & cruentum ſputum ſanguinem cōfluxiſſe ſignificat, qui cum mitiſſimus humor ſit, & naturę familiariſſimus, morbi etiam, & inflammationes, quæ inde fiunt, minus moleſtæ; ac minimè malignæ ſunt; ut quę neque ardentem admodum febrem procreent, neque dolorem plurimum afferant; citiſſimè etiam iudicantur, & concoquuntur. Vnde & facili etiam curationi cedunt; ita ut ſępe ſine miſſione ſanguinis (ut apertiſſimè expoſuit Galen. tertio lib. com. in ſextum epidem.) ad ſanitatem, & ſine ullo fortiori remedio facilè perducantur. Nigrum verò, uel liuidum ſputum pernicioſum plerunque eſt. Cū enim humoris melancholici naturam ſapere inflammationem demonſtret, & cum nunquam (ut obſeruatum fuiſſe ait Gal.) talia ſputa ſtatim a morbi initijs

Aph. 5.

Com.

Com.

A feijciantur,ſed ſemper,aut rubra,aut flaua, neceſſe eſt,vt per aſſationem,aut ſanguinis, aut flauæ bilis ſit facta tranſmutatio in humorem atrum,qui malignißimæ naturæ eſt. Nam inflammatio illa, aut ad naturã carbunculi accedit,aut cancri. Flaua autem, alba,& ſpumoſa in medio ſunt, quatenus ad prauitatem, vel bonam naturam pertinet. Et flaua quidem uehementiorem febrem oſtendunt, & acutiorem dolorem,morbum tamen breuiorem,& concoctu faciliorem. Alba verò, & ſpumoſa, remiſſiorem febrem, minorem dolorem (niſi aliquando pituita rarefacta digeratur in flatum) concoctu tamen difficilior erit morbus,& diuturnior. Subſtantia prę-terea ſputi ſuam habet ſignificationem. Quò enim tenuius eſt ſputum,eò & crudior morbus eſt. Craſ- B ſum verò,& plurimum glutinoſum ſputum,ut ea de cauſa difficilè expuatur, iam non modò cruditatis ſignum eſt, uerum & malignitatis, (ut idem Gale. l.33. primo Rar.vict.in acu.mor.ait) eſt argumẽtũ. Quò verò ad mediocrem ſubſtantiæ rationẽ magis accedit,eo etiam magis concoctum eſt,& ſalubrius, ac ucclociorem morbi reſolutionem oſtendet. Vnde l.12. plerunque,ut primo Aphoriſ.expoſuit Galen.cum expuere incipiunt ante diem tertium, in ſeptimo iudicantur,uel in nono,uel ſaltem in undecimo. Sed cum nondum in die tertium ſputum apparet,neceſſe eſt protogari morbum ultra decimumquartum. Et quo ſerius ſputum apparet,eo etiam longior erit morbi reſolutio. Quare Anaxion Abderita non eſt C liberatus ante trigeſimumquartum diem, qui cœpit tantum in vndecimo expuere. Cum autem nullum procedit ſputum,exitiale eſt, quoniam id alia ratione contingere nequit,niſi quia humor, qui in tumorem locum inflãmatum attollit, adeo infarctus, & impactus eſt (ut teſtis eſt Gal.in lib.de Conſtitu.art. med.)vt eum natura nequeat inde explicare, unde poſtea ſit neceſſe totum eum ibi putreſcere. Quando autem incipiũt expuere,dolor,& grauitas remitti incipiunt,immo & febris. Vnde & malum ſignũ eſt, cum expuere incipiunt, & procedit ſputum: neque tamen febris,& dolor, uel grauitas remittitur,ſignificat enim inflammationem ſuppuraturã. Præterea uerò & ſputa,ſiue excreationes ſynceræ, D exceptis cruentis,malæ ſunt:ob mitem enim ſanguinis naturam, illæ malitiam nullam præ ſe ferunt: Syncerę tamen bilioſæ, aut ſyncerę ſpumoſæ, uel atræ,uel uirides,ſicuti & omnes alię excretiones,vndecunque fuerint,damnantur à medicis, præcipuè Hippocr.vtpote, quæ ab igneo calore habeant ortum. Nam bilioſæ quidem cum ſyncerę ſunt (quæ Co.46. & omnia ab Hippoc.& Gal.ſecundo lib.Prognoſ. habemus) oſtendunt ſeorſum humorem exuſtum eſſe,ut ea ratione à pallido in flauum fuerit facta mutatio. Quæ aſſatio ſi ulterius progrediat,æruginеæ, & virides fiunt, mox nigræ. Neque enim virides mox, & nigrę fieri poſſunt, niſi, aut a calore aſſante,aut frigore mortificante. Plurimum autẽ E ſpumoſæ,& ipſę demonſtrant calorem feruentem, & igneum,qui materiam eliquat, & in flatuoſum ſpiritum conuertit. Alba uerò,& glutinoſa, rotundaque ſputa ex pituitoſæ materię exuſtione originẽ Co.44. habent. Docuit autem Gal.primo de Criſi,non modo eſſe utilem conſiderationem ſputi, quantum ad colorem,& conſiſtentiam, ſed nibilo etiam ſecius, quãtum pertinet ad modum, quo excernitur. Quia ſi facilis ſit excretio, & cita, neque cum admodum difficili tuſſi,leuis morbi ſignum eſt,grauioris uerò, cum difficilis eſt excreatio. Si uerò prętеr id, quod facilis eſt,expuatur etiam id,quod album eſt,leue,et æquale,iam res in tuto eſt. concoctionem enim exquiſitam indicat. Concoctiones autem, ut dixit

A Hippo.primo Epid. Com.vero Gal.lib.ſecundo,celeritatem iudicij indicant,certamque ſalutem. Quoniam uero diximus,neque excrementa alui, neque vrinas eſſe omnino contemnendas, ideo non erit alienum à noſtro inſtituto, immo quàm maximè opportunum, ſi ea adſcripſerimus, quæ retulit de hoc Gal.ſecundo lib. Com.in tertium Epid. Ait ergo in alijs morbis,ab ijs, qui conſiſtunt ex uitio in iecinore, aut in uenoſo membrorum genere ita perſpiciendas eſſe urinas, ut tamen non putemus illas, cum bonæ uiſæ fuerint, habere uim aliquam inſignem nuntiandi futuram ſalutem, quia cum morbus non habeat ſuam ſedem in his uiſceribus, quæ poſſint primum rationem urinæ mutare,ſi illæ bo- B næ fuerint,oſtendunt nullum eſſe periculum,quatenus pertinet ad ea uiſcera, ſed nihil obſtat deinde, quin periculum, & magnum non impendeat ex morbo alterius cuiuſpiam particulę, ut in inſtrumẽtis reſpirationis. Verùm ſi in eiuſmodi affectibus vrinę appareant prauę,ſicuti igneæ, aut liuidæ, aut conturbatę, uel ſimiles differentias habentes, quæ probari à medicis non ſolent,maximi mali argumẽtum ſunt. Significant enim conſenſu horum mẽbrorum, iam & naturalia membra eſſe malè affecta, unde iam malum duplicari. Et ex hoc loco Auic.tranſtulit hanc ſententiam, quòd in his affectibus urina bona non eſt admodum ſignũ bonũ, mala uerò peſſimum. Sed quod de vrina diximus, C idem ad alui excrementa transferendũ. Vnde Hip. ſexto Aph.graue eſſe inquit in pleuritide, & pulmonum inflammatione,ſi alui ſuperueniat profluuiũ. Aph. 16. Cuius cauſam Galen.exponens ait,id eſſe indicium adeo prauos eſſe hos affectus, magnoſque, ut iam adeo per conſenſum malè afficiatur iecur,quod neque alimentum trahere poſſit,neque ſanguinem generare;immo interdum, & cibos corrumpit. Neq; tamen ita abſolutè,& in uniuerſum res accipienda, quia aliquando in his affectibus aluus fluens non poſſit bono eſſe: ſæpe enim declinante materia ad inteſtina,ac per ea uacuata, poteſt ſequi ſalus laborantis. Quare neque abſurda fuit ſententia prolata ab Auic.quod aſſelatio bis, aut ter in die excuſat à D phlebotomia; quia natura habente momentum in aliquam partem, & illam quidem congruam, non eſt alijs remedijs utendum,illã à primo inſtituto diſtrahentibus. Sed iunior fortaſſe dubitabit, ſi ergo alui profluuium interdum prodeſt, quandoq; vero maximè timẽdum,quomodo cauere potero, ne decipiar? Primum ſi alia ſigna reſpexeris,& illa oſtendant magnum, & prauum eſſe morbum, facilè ſuſpicari poteris,profluuium ex mala cauſa ortum habere. Quod ſi alioquin morbus fuerit mediocris, profluuium non erit timendum,pręſertim vero vbi prius ſigna concoctionis in ſputo apparuerint,neq; enim fieri poteſt,ut adeo prauus ſit affectus,qui iam cõcoquitur,ut ea incommoda afferat. Vnde, & A- E uice.rectè loquutus eſt, cum dixit, quod interdum bina,aut terna alui deiectio à phlebotomia excuſat. Neque in vniuerſum id protulit. In uniuerſum autẽ eſt,& hoc conſiderandum, quod hęc ſymptomata, quæ conſideranda ſunt in his affectibus, ſiue ad excrementa pertineant,ſiue ad læſam actionem, ſiue ad mutatam qualitatem,eam nimirum,quæ vi morbi excitantur,quo maiora ſunt, eo & maiorem, ac difficiliorem morbum oſtendunt. Nam cum pulſus in pleuritide ſit durus, & inæqualis, in peripneumonia mollis,& vndoſus,quo durior, & inęqualior & magis ſerrinus, quod idem eſt, eo maior erit,& grauior pleuritis,quo undoſior autem, grauior peripneumonia. Quod ſi fuerit præterea interſectus, longè etiam deterior. In utriſque uero, quo maior

erit

erit in reſpiratione anguſtia, eo maior erit mor-
bus. Atque quæ in his diximus, de alijs intelligenda
cenſemus, quæ magis particulatim perſequi nolu-
mus, ne fruſtra tempus conteramus. Sicuti contra
ſymptomata, quæ ortum habent à natura morbũ
ſuperante, cum euidentius apparent, meliora ſunt,
& maiorem oſtendunt ſecuritatem. Sed ad aliud ca
put tranſeamus, & agamus de ijs modis, quibus in-
flammationes hæ finiri poſſint. Poſſunt ergo hæ in-
flammationes pluribus modis terminationem ha-
bere; de ijs loquar, quæ ſæpius terminantur. Hæ igi-
tur inflammationes interdum per digeſtionem, uel
reſolutionem, & id aut ſponte, & a ſola natura, nõ-
nunquam enim hoc videmus, quòd quidam cum
cępiſſent febricitare, tuſſire, & dolere ſecundũ co-
ſtas, ſeruata ratione victus tenuis, & cauentes ab er
roribus, paulatim ſine vlla medici ope reſtituti ſunt.
Aut etiam quando accedentibus medicis auxilijs,
quod ex Hippoc. perdiſcere poſſumus qui ſecundo
de rat. vict. in acut. morb. pleuriticos primum ten-
tat curare calidis fomentis, vim digerendi habenti-
bus, cum enim illa non poſſint plurimum nocere, ſi
non multam reperierint repletionẽ, aut in vniuer-
ſo corpore, aut in vicinis partibus; neque poſſunt
ad inflammationem aliquid, quod aliquod momen-
tum habeat, attrahere vi caloris; ſed digerunt, diſcu-
tiuntve id, quod iam influxit; & ita integrè curant
affectum. Quòd ſi non modò ſedetur dolor, verum
potius augeatur, id fit, quia vicinæ partes plenæ
ſunt, & ab eis fit attractio: quare ſepoſitis his fomen
tis rem reuulſionibus & vacuationibus aggreditur.
Vnde alio deinde modo diſſoluitur inflammatio;
nimirum per concoctionem paulatim, & excretio-
nem, quæ fit per ſputum. Interdũ verò terminatur
per excretionem repẽtè factam, & per iudicationẽ
naturæ, vt quando aut per fluorem ſanguinis è na-
ribus: quod ſæpius in pleuritide, vt tertio de Criſ.
tradit Gal. contingit, quàm in peripneumonia; nam
feruentior (ut paulò antea diximus) & calidior flu-
xio, vnde excitatur pleuritis. Interdum verò per ſu-
dorem. Quandoque per alui profluuium, ut dixi-
mus antea. Quandoque verò per permutationem
eius in alium morbum; & hoc duobus modis. Quia
vel in eodem loco: vel mutata ſede. In eodem quidẽ
loco, ſi ſuppurata inflammatio in abſceſſum tran-
ſeat: vnde poſtea rupto abſceſſu, in vlcus primũ affe
ctus conuertatur: mox verò effluente pure in ſpatiũ
pectoris; ſequitur etiam ἐμπύημα Grecè appellatũ,
ſuppuratio Latinè. Vbi niſi in quadraginta dies pus
expurgetur, inde ſequitur phthiſis. Sed de his poſte-
rius. Nonnunquam verò hę inflammationes indu-
ratæ in ſcirrhum tranſeunt. Vt prætereamus eas mu
tationes, quando, vel in lapidem, vel in gangrenam
abeunt, ut pote quæ rariſſimè fiant. Suſpicãdum au-
tem eſt, cum in longum protrahitur, & poſt quartũ
Text. 52. decimum diem (ut docuit Hipp. ſecundo Progn.)
neque ſecta vena, neque purgatione, neque victus
tenuis ratione, neque alia alioquin medicina, neque
expurgatione per ſputa finitur dolor, ne in uomi-
cam, vel abſceſſum deſinat. Porrò & pulſus, ſi rectè
obſeruetur, in abſceſſum abituram inflammationẽ
oſtẽdet. Si enim pulſus plurimum durus, & ſerrinus
fuerit, vires autem validę, neceſſe eſt (quemadmodũ
doeuit Galen. quarto de cauſ. pul.) ut ſi per conco-
ctionem ſit terminanda pleuritis, non niſi tardè, &
longiori tempore id fiat; quia crudam, & admodum
difficilem pleuritim ſignificat; aut quod in ſuppu-
rationem tranſeat, aut in tabem. Sed ſi inualidæ
ſint uires, nulla ferè reliqua eſt ſalutis ſpes, in his
enim inflammationibus (ſicuti & de phrenitide di-
ximus) ſi aliqua eſt ſpes, quando magnæ ſunt, ea o-
A mnis in viriũ firmitate ſita eſt. Nec modò hoc oſten
dit pulſus, ſed etiam, in quam terminationis ratio-
nem propenſa ſit inflammatio. Quia ſi conco-
quatur, paulatim remittitur pulſus ſerrinitas, quò
magis coquitur. Si verò in peripneumoniam, pulſus
paulatim degenerat in pulſum peripneumonicorũ.
Ita ſi in phthiſin, paulatim fit pulſus, qualis eſt
phthiſicis, de quo poſtea ſuo loco. Tranſmutantur
verò ſępe & inter ſe hę inflãmationes, mutato loco
affecto, & cum alijs. Nam & pleuritis in peripneu-
moniam, quæ mala admodum permutatio, longè
enim maior morbus eſt, & grauior peripneumo-
nia, vt Hip. & Gal. ſeptimo Aph. teſtati ſunt. Cõtra
vero (eodem Gal. teſte ſexto lib. Com. in ſextum Aph. 2.
B Epid.) ſi peripneumonia tranſeat in pleuritin, ſalu- Com. 8.
taris eſt mutatio. Hãc vero in phrenitim etiam mu
tari contingit; præſertim cum billoſæ fuerint in-
flammationes, & primo flauum pręceſſerit ſputum,
quod mox repentè, ſine vlla occaſione, ſupprima-
tur, incipiantq. delirare, & furere. Quod ſi pituito-
ſæ fuerint, uel in ſoporem, uel in aliquem neruo-
rum affectuum fiet tranſitus, quod & pulſus muta-
tio indicabit, a propria natura harum inflammatio
num degenerans in eam, quæ phrenitricis propria
eſt. Sed mala eſt etiam, & pernicioſa hæc tranſmu-
tatio. Cæterum hęc ſatis ſuperq. eſſe poſſunt, quan-
tum ad has harum inflammationũ differentias, cau
ſaſq. & ſigna pertinet. Quibus autem ætatibus, tem
C poribus, regionibus, temperaturis, conſtitutionibus,
vel tempeſtatibus frequentiores fiant iſtiuſmodi in-
flammationes, non exponemus in præſentia, cum
omnia tertio Aph. fuerint ab Hippocrate apertè ex
planata.

De curatione curandi inflammationes inſtrumentorũ reſpirationis. Cap. IIII.

QVemadmodum ſuperius, cum de ſuperiorũ
partium inflammationibus curãdis ageba-
mus, ſępe monuimus, inflammationum cu
randarum ratio in uniuerſum, immo non ſolum in
flammationum ſed & cęterorũ affectuũ omnium,
D qui eundem cum inflammatione generationis mo-
dum habent, nimirum quia ex fluxione excitantur,
duplex eſt, ſicuti duobus modis ſe inflammationes
habent, quando earum curationem aggredimur, &
ſicuti duplex eſt ſtatus corporum, quæ inflammatio
nibus tentantur. Nam cum neceſſe ſit ex calidiori
fluxione inflammationem initium, & originem ha
bere, nec modo ortum, & initium, verum etiam &
fomentum, cum curaturi ſumus inflammationem,
uel omnino iam conſtitit fluxio, uel ſi non omnino,
ſaltem maxima ex parte, uel fluit adhuc copioſa ma
teria ad inflammatum locum. Et hoc quidem eſt in
primis aduertendum, quatenus ad ipſam inflamma-
tionem ſpectat. Quatenus autem ad corpus, quod Cap. 6.
E inflammatione laborat, conſiderandum eſt, an ple-
num ſit, & multis refertũ humoribus, an uero mun
dum, ita ut neque cacochymum, neque plethoricũ
exiſtat, vt Græcis vocabulis, tritis tamen hoc tem-
pore utar. Sicuti autem diuerſa hęc ſunt, quæ in
conſiderationem propoſita ſunt. Ita & diuerſa cu-
rationum in his initia requirunt, & quatenus ad me
dicamenta, & quatenus ad victus rationem, & tan-
dem quatenus ad omnia inſtrumenta medica perti-
net. Quia ſi iam maxima ſaltem ex parte fluxio con
ſiſtit, neque ea ſit humorum plenitudo in corpore,
ut timendum ſit, ne noua concitetur fluxio, uel ex
propinquis, uel ex remotioribus partibus. Facillimè
enim & ex leui quacunque occaſione incitantur
fluxiones, ubi ſit abundantia humorum ſuperuaca-
neorum,

neorum,vel in vniuerſo corpore, vel in aliquib.par
ticulis: præſertim verò in præcipuis: promptiſſima,
& expedita erit curatio harum inflammationum
ea methodo,& via,qua curat e pleuritin docuit Hip.
primo & ſecundo de rat. vict.in acu. mor. Pauciſſi-
mis autem verbis eam complexus eſt Gal.13.Meth,
vbi de curanda inflammatione agit: ait enim, quod
curatio propria inflammationis, quatenus inflam-
matio, eſt euacuatio, & id quidem iure merito,
cum ſit morbus ex plenitudine illius partis factus,
quæ in tumorem eſt elata. Neque euacuatio hic
eſt accipienda, vt corpus vniuerſum, vel amandan-
tes particulas reſpicit, quemadmodum vacuatio,q̄
per purgationem, aut per miſſionem ſanguinis mo
limur, ſed priuata illius particulæ, & cuius plenitu-
dine, & infarctu exorta eſt inflammatio. Quam va-
cuationem moliri oportet per ea remedia (ut tradit
1. Gal. in Comp. in ſecundo lib. de rat. vict. in acut.
mor.) quæ cutem laxant, quò materia facilius per-
ſpirare per eam poſſit; quæque ſanguinem in inflā-
matione concluſum attenuare,& diſcutere queunt.
Nam primum id præſtant, vt per ea ſanguinis parte
aliqua vacuata à reliquo affectu pars minus diſten-
datur,& ſubinde minus doleat; deinde verò & pau
latim reliquæ etiam illę tandem finiantur, & inte-
grè curetur morbus. Remedia verò,quæ id efficere
poſſunt, ſunt fomenta ea, quorum meminere Gal.
& Hippo. eodem ſecundo lib. nimirum fomentum
aquæ calidæ ex ſpongia, uel ex utre, uel veſica, uel
vaſe æneo, vel teſtaceo, vt tamen his durioribus in-
ſtrumentis ſupponatur res aliqua mollis, vt lana, vel
replicata linea veſtis, vel id genus aliud, ne a durio-
ri uaſe prematur, & male afficiatur doloroſus locus
ſpongia etiam, quando ea voluerimus uti, linteo
erit inuoluenda, prius tamen exprimenda, inuoluta
enim diutius calorem ſeruabit, neque ita poterit
halitus ab aqua elatus ferri ad inſtrumenta reſpira-
tionis, & illa offendere, pręter quàm, vbi ſicca eſ-
ſet pleuritis, quia humida illa exhalatio conducere
poſſet ad faciendam ſputi reiectionem faciliorem,
alioquin autem moleſtiam afferret, aucta ſpirandi
difficultate,caloreque, & pulmonis anguſtia. Alte-
rum verò genus fomenti, quo vti iubet Hippo. eſt,
vt hordeum, vel eruum, vel furfures tundantur, ac
deinde macerentur ex diluto eatenus aceto, ut bibi
poſſit, eoque coquantur, & ſacculo mox excepta,
modice calida dolenti loco adhibeantur. Tertium
fomenti genus eſt, vt rebus aridis ſacculo itidem ex-
ceptis, & calidis appoſitis vtamur; quorum mate-
ria eſt frictum milium,& ſal, deſiccat autem vtrum-
que, verum milium omnis mordacitatis expers eſt,
cuius ſal aliquantiſper eſt particeps. Cum autem
eiuſmodi fomenta ex varia ferè ſecundum genus,
& formam materia conſtent, ita & facultate, viri-
buſque non modo varia, ſed quaſi aduerſaria, & ra-
tio deinde requirat, ne ita temerè, & indiſcrimina-
tim eis utamur. Sed potius antea diſtinctionem ali-
quam adhibeamus. Nam præſertim ad abſolutum
ac peritum medicum pertinet, ut primo lib. eorun-
dem Commentariorum docuit Gal. immo Hipp.
nihil ſine definitione & congrua diſtinctione moli-
ri. Vnde primum id in uniuerſum eſt aduertēdum,
quòd horum omnium fomenti generum id, quod
humidum eſt, tutiſſimum quoque eſt, ut pote in quo
ſi aliquando non ita cautus ſis, quin aliquātò aber-
res, non poteſt tamen lædere, niſi modicè admodū,
poteſt uerò, ſi opportunè vtaris, quàm plurimū pro
deſſe. Alia verò poſſunt plurimum officere, ſi ex er-
rore importunè eis utaris. Deinde uero quatenus
ad diſtinctionem eorum pertinet, & id conſideran-
dum, quod ratio diſtinctionis, ut congruè illis uta-

A ris, a natura inflammationis petenda eſt. Nam ſi ex
bilioſo,& acri humore conſtet inflammatio, prima
fomentorum forma,& modus ex aqua calida para-
torum maximè erit accommodatus. uim enim ha-
bet, ἐπικεραστικὴν hoc eſt temperatoriam acrimo-
niæ, & etiam digeſtoriam. Quod ſi craſſa,& len-
ta fuerit materia, unde fuit inflammatio excitata,
nihil hoc fomenti genus proderit: quanuis ſemper
ſit ab illo, tanquam à mitiori inchoandum: nā craſ-
ſa, & lenta materia rarefacta, & in vapores flatuo-
ſûmque ſpiritum digeſta, qui cōcluſus, nec tranſpira
re valens, locùmque diſtendens, dolorem auget:
Vnde alterum ex hordeo, eruo,& furfuribus coctis
ex aceto diluto factum erit accommodatius, in
B quo maior vis erit incidendi, concoquendîque, &
flatum diſcutiendi. Vbi verò tenuis,& aquoſus ſan-
guis in inflammatione ſit cōtentus, cùm deſiccatio
ne maximè opus habeat, quę tertio loco fuere ex-
poſita, arida fomenta erunt maximè accommoda-
ta. Hęc ergo ratio curandi has inflammationes,
cùm nihil aliud incumbit medico aduertendum, ni-
ſi quod ad factam iam inflammationem pertinet: ſi-
cuti quando nulla eſt in corpore plenitudo, quam
timeat. Et is fuit ſcopus Hip. eo ſecundo libro, & in
illum tendunt omnes eius ſententię. Non autem,
ut plerique iuniorum credidere: nempe Hip. vti fo-
mentis, non ut inflammationem curet; ſed ut expe-
riatur, an dolor ſit flatuoſus: an uero in inflamma-
C tionem ſit referendus, vt ſtatim in principio illius
libri explanat Gal. Sed aduertendum hic eſt, quod
cùm ars medicinę maxima ex parte coniecturalis
ars ſit, ut omnes ferè teſtantur. In coniecturali au-
tem arte, nemo eſt qui interdum non decipiatur, &
erret. Ille autem artifex perfectior eſt, non qui nun
quam in iudicando errat, ſed qui rarius, & qui mi-
nores committit errores. Ideo Hip. & antiquiores
medici, non modo nobis pręcepta rectè operandi
tradidere, ut quo ad fieri poteſt, ab erroribus cauea-
mus, ſed & viam,& rationem demonſtrarunt, qua
ſi aliquando à propoſito aberremus, ſaltem non
committamus errores inſignes. Vnde methodus,
quā hactenus expoſuimus, ea eſt, quę neq; vtilis ne-
D que tuta eſſe poteſt, niſi quando inflamatio eo mo-
dò ſe habet, vt neq; amplius fomentū habeat alium
de per fluxionem, corpúſque atq; eius particulę ita
bene affectę ſunt, ut non timeamus, quod alioquin
aliqua excitetur fluxio, quę fouere, & augere poſſit
inflāmationem. Quia alioquin longè magis nocere,
quàm prodeſſe poſſit. Nā non minus concitant flu-
xiones fomenta: quando corpus, uel vicinas partes
plenas reperierint, quam euacuēt fluxā materiam,
cùm nulla eſt plenitudinis ſuſpicio. Et proinde con-
ſulit Hipp. vt ea fomēta expetiamur, quę, ſi aberre-
mus, minus poſſint officere, qualia ſunt humida ex
aqua. Vt tamen pręterea ſitis moniti, quòd non mo
dò hęc, quorū meminere Hip.& Gal. poſſunt eſſe
E vtilia, ſed & alia multa ad hoc genus pertinent. Nā
& oleū ſimplex maturum, ſi eo locus, aut foueatur,
aut inungatur, oleum quoque amygdalarum dulciū,
adeps gallinaceus, recens butyrū, & ſi flatulenta eſ-
ſet materia, oleum chamęmelinū, uel anethinum,
& multa alia iſtius generis. Hęc namque in pręſen-
tia in maiori vſu, & magis vulgarib. grata ſunt quā
aut ſpongię, aut veſicę. Sed huic pręterea admo-
nitioni & hoc addamus, quod ex Cōmentarijs Gal. Com.3 I.
in ſextum Aph. deprōptum eſt, quod ſi quando cre-
diderimus, corpus ita paratum eſſe, ut fomentis
poſſimus tuto uti, ſimus uero decepti, ſi benè eri-
mus cauti, hac ſaltem ratione uſus fomentorum po
terit eſſe utilis, quod nobis deteget errorem, & fa-
ciet nos certiores alia uia eſſe incedendum, & alia
vtendum

vtendum methodo, hoc uidelicet pacto, quia ſi diligens fuerit medicus, obſeruabit, an ex vſu fomenti dolor ſedetur, vel ſecus. Nam ſi ſedatur, certus erit, ꝙ eum ſua non fefellerit coniectura: vnde facilè fomentis inſiſtens integrè curabit ſine vllo uiolentiori tormento. Quòd ſi dolor minimè remittat, neq; tamen augeatur ad aliud genus fomenti ualentius tranſeundum, quia materia magis rebellis eſt, & fortius inſtrumentum requirit. At verò ſi non modo cedat his remedijs dolor, uerùm potius augeatur, ſtatim deſiſtendum eſt ab vſu fomentorum, id.n. manifeſtum eſt argumentum, coniecturam falſam fuiſſe, & aliquam eſſe in vicinis inflammato loco partibus copiam ſuperuacuorum humorum, qui eliquati quaſi, & attracti caloris vi ad inflammationem, magis eam augeant, quàm digeſtio per fomenta poſſit detrahere. Vnde niſi deſtiterit medicus, iam plurimum oberit, præter enim id incommodum, quòd inde creſcet inflammatio, hæc etiam accedent, quod importunus fomentorum vſus exſiccabit (ut eodem ſecundo de Rat. vict. in acut. morb. Tex. 9. Com. 31. tradit Hip.) pulmonem, & ad ſuppurationem facilè inflammationem perducet. Vt tamé, neque hoc ſit prætermittendum, quod monet Gal. in Com. ſexti Aph. nempe, quòd & ſi ſtatim, ubi fuerit admotum fomentum, uideatur nonnihil ſedari dolor, non propterea ſtatim, ita illi fidendum, ſed attendendum, an paulò poſt iterum ingraueſcat. Sæpe enim inter initia calor aliquanto facta laxiori particula, licèt fluat adhuc materia, aliquantiſper uidetur dolorem leuare, uerum paulo poſt, concitata maiori fluxione, illum auget. Cap. 6. Quare derelicta hac curationis ratione, cum iam conſtiterit in corpore eſſe redundantiam ſuperuacaneorum humorũ, qui poſſunt fouere, & augere inflammationem, ad aliam tranſeundum eſt, quam itidem ſummatim expreſſit eodem 13. Meth. Galen. vbi ait. Quæ vero in generatione adhuc ſunt, in his inhibitio ſanguinis confluentis ad affectum locum prior eſt euacuatione. Neque hic conſiſtit, ſed vlterius progreſſus, modum exponit, quod inhibenda ſit fluxio ſanguinis ad locum fluentis: id autem commodè fiet, ait ipſe, ſi cauſas reperierimus, unde concitatus fuit impetus confluentis ſanguinis. Et quamuis cauſæ illæ duplicem poſſint habere ſedem: aut in illis particulis, à quibus fluit, aut in illis, ad quas fluit. In illis, à quibus defluit, cauſæ conſiſtunt, quando in illis vis, vel à multitudine excrementitiæ materiæ grauata, uel à praua aliqua, & moleſta qualitate contentæ materiæ excitata à ſe propellit noxiam materiam ad imbecilliores partes. In ea uero particula, quæ recipit fluentem ſanguinem, cauſa fluxionis eſt, quando illa à uicinis partibus trahit aliorum excrementa, & ſuperuacuos humores. Ratio uero, cur attrahat ſemper pendet ab aliquo vitio contracto in ea particula. Vitia uero, quæ hoc preſtare poſſunt, duo imprimis ſunt, quantum poteſt ad negotium noſtrum attinere, calidior videlicet intemperatura, & dolor. Attamen (vt ibi exponit ipſe) omnia tandem reſoluuntur in plenitudinem aliarum partiũ, multorum, aut prauorum humorum. Nihil enim proderit attrahere, niſi id adſit in eo, vnde attrahitur, quod attrahi poſſit. Particulæ enim cùm carẽt ſuperuacuo humore, & ſolum id continent, quod illis neceſſarium eſt, trahenti minimè cedunt. Vnde hic etiam ſumendum eſt curationis exordium, vt inhibeamus fluentem humorem, à uacuatione earũ particularum, à quib. effluit is humor, qui excitat, fouet, augetque inflammationem. Et id, aut per excretionem, & eductionem eius extra corpus, ut cũ ſanguinem detrahimus, ſecta uena, uel cucurbitulis

A cum inciſione cutis, aut purgatorijs medicamentis, vel alijs id genus inſtrumentis. Aut per tranſlationem, & attractionem fluxionis in aliam partem, & eius auerſione à laborante, & malè affecta, quod efficere ſolent medici illis remedij, quę uim reuellendi habent, de quibus non ſemel in prioribus libris fuit habitus ſermo. Sed hęc quidem ita in vniuerſum prolata ad generalem methodi iſtius rationem pertinent, quę & ſi neceſſaria ſit, immo tanquam fundamentum reliquorum omnium, ſola tamen, niſi accommodetur, & limitetur particulatim alijs proprijs, & priuatis pręceptis, nihil omnino facere poſſumus. Quare vlterius progrediendum eſt, & hoc imprimis conſiderandum, quod cum curan-B dam aſſumimus aliquam iſtarum partium inflammationem, quę in hoc ſtatu ſit, hoc eſt, quę adhuc in generatione ſit, nõ vnum tantùm, & ſimplex negotium tractandum ſumimus, ſed compoſitum, & multiplex, & nõ una tantum ratione compoſitum, ſed multiplici. Nam compoſitio prima eſt ratione ſcopi. Cùm enim omne, quod in generatione eſt, (vt conſenſere omnes, & philoſophi, & medici, qui ex ratione uerſantur in hac arte) duplici conſtent parte, Altera, quę facta iam eſt, Altera vero, quæ nondum facta eſt, ſed tantum eſt futura. In hac quidem ſcopus, & officium medici eſt, prohibere, quo minus fiat, quod non ad curatricem, ſed tutricem, vel (vt iuniores loquuntur) pręſeruatricem C methodum, quæ maximè uerſatur circa cauſas remouendas, ſi uelimus exquiſitè loqui, potius pertinet. In altera uero officium, & ſcopus eſt, curare quod factum eſt, & hoc ad curatricem methodum attinet. Altera uero compoſitio eſt, ratione diuerſarum affectionum, quæ in diuerſis conſiſtunt particulis, quarum altera alterum fouet. Nam paulò ante diximus, quod tandem præcipua fluxionis cauſa eſt in partibus vicinis. Ea uero eſt earum plenitudo, uel cacochymia. Quamuis enim initium interdum ſit a recipiente, quæ attrahit, niſi tamen permittant aliæ partes a quibus fit attractio, nihil attrahetur. Ergo præter affectum partis inflammatæ oportet, ut aliqua ſit affectio in parte, unde fit fluxus D humorum, quæ niſi remoueatur, morbus inflãmatæ particulæ, aut non poterit [remoueri,] aut ægrè admodum tolletur. Et quamuis (ut ſuperius ſæpe teſtati ſumus) interdum uel ſolis repellentibus fomentum hoc arceri poſſit, attamen cum impetus fluentis materiæ inſignis eſt, & inſignis etiam eſt plenitudo, tum corporis uniuerſi, tum vicinarum partium, nihil repellentia faciunt, quin etiam potius lędunt, cum impetum auertere nequeant, & potius fluxos, & receptos humores magis impingant. Vnde cũ fomentũ, quod habeat affectus locus, non cõtemnendum ſit, alio conuertenda eſt uniuerſa ferè curationis ratio, nimirum ad remouẽdas cauſas fluxionis a partibus amandantibus. Et quia omnes inE dicationes, quę nobis aliquid remouendum demonſtrant, contrarium tanquam ſcopum ſpectant. Ideo nõ niſi per vacuationem, ſicut quiſq. poteſt intueri, poterunt fluxionis cauſę auferri. At uero cum eiuſmodi vacuatio nequaquam fieri poſſit, niſi motis humoribus, qui dum mouentur, neceſſe eſt, ut aliquorſum ferantur in primis hoc procurandum eſt, ut dũ mouentur, nõ trahantur uerſus locũ inflãmatum, ſed potius inde auertantur, & procul, ac in locum contrariũ conuertantur. Vt enim Gal. in lib. de curat. per ſect. uen. docuit, in principijs inflammationũ uacuare, & reuellere oportet, quia, ut idé in lib. de cucurb. reuul. &c. teſtatur, reuulſiones cohibent vehementes fluxionum impetus. Reuellendum autem eſſe ſemper, ut ille idem ex Hip. ſententia tradi- Cap. 1. Cap. 2. Cap. 6. Cap. 11.

dit,

dit,tum 4.tum 13. Meth. quàm longiſſimè fieri poteſt ab affecto loco,& ad illa, quæ illi contraria ſint. His ita in uniuerſum explanatis,ut rem magis particulatim tractemus, hoc etiam prætermittendum non eſt,ꝙ non unum,ſed plurima ſunt inſtrumenta,quibus poſſumus commodè moliri reuulſiones, quæ & ſi non omnia ita vacuent, ut extra corpus materiam,quæ poteſt fouere inflammationem educant,uacuant tamen affectum locum,& uicinas illi partes,tranſlatis ſuccis ab illis ad alia loca:Ex his autem inſtrumentis, quorum multam mentionem fecimus in ſuperioribus libris,alia maiorem vim, alia minorem habent. Maximam quidem vim habent, primum uenæ ſectio quam procul, & in contraria parte moliamur.Deinde uerò purgatio per medicamenta aluum ſolentia.Tertio acriores clyſteres,quādo in ſuperioribus partibus conſiſtit affectio. Minorem autem vim habent cucurbitulæ, & in his, quæ cum præciſione cutis affiguntur, cum uacuando reuellant,maiorem vim habent, quàm quæ ſine inciſione ponuntur.Deinceps verò vincula doloroſa artubus adminiſtrata. Poſt hæc balneæ aquæ calidioris. Mox & frictiones validiores. Vt prætermittam nunc veſiccantia medicamenta, & cauteria, tanquam ea,quæ rarius in his affectibus in vſum venire ſolent.

17. At vero quia(vt 1.de Rat. vict. in acu. mor. monuit Galen.) abſolutio, & perfectio artificis in hoc præcipuè conſiſtit, ut generalia præcepta artis per proprias, & accommodatas limitationes nouerit particulatim determinare,alijs omiſſis,ea duntaxat tractemus,eam quæ proximè ad inſtitutum noſtrum pertinent.In hac itaq; horum inſtrumentorum copioſa ſylua nemo dixerit,illa ex ratione in uſum eſſe deducēda,ita indiſcretè,ut nihil referre putemus, hoc, an illo utamur,omnibus,an aliquibus,& an ab hoc vel illo incipiamus. Vt enim natura,robore, & forma differunt:ita neceſſe eſt,ea in vſu, & adminiſtratione differentes habere rationes, quibus determinentur. Huiuſmodi autem determinatio eſt, quę cōtinet vniuerſum iſtius rei momentum, neque cuiuſcunque hominis eſt,vel etiam medici,ſed periti, & exercitati.Quod inde patet,quod qui in maximo honore habiti ſunt, & magni medici nomen ſibi comparauere, vix ab hac iſtius rei difficultate potuere ſe explicare. Vnde hac noſtra tempeſtate multæ turbæ concitatæ ſunt, & medici etiam inſignes in uarias,& aduerſarias opiniones abiere, quas omnes in præſentia dimittemus,& eam ſolā exponemus, quæ nobis,& verior, & magis conſentiens videtur cum medicinæ rationalis fundamētis,& principijs, ac decretis antiquorum auctorum,quos pleriq; medicorum ſequuntur,& colunt,nempe Hip. & Gal.

Sed noſtri iſtius inſtituti hoc primum tanquam fundamentum iaciamus,quòd in horum inſtrumētorum,quibus molienda ſit reuulſio, electione, & determinatione trium imprimis eſt habenda ratio, quæ ſi rectè fuerint perpenſa,cetera omnia ad hanc rem attinentia nobis oſtendunt. Ea verò ſunt morbus,& quæcunque ad ipſum pertinent. Deinde fluxio,quæ inflammationis in cauſa eſt. Demū uires, & quæ cum illis ſe tenent.Morbus quidem conſiderandus eſt,an magnus,& difficilis ſit, cum moleſtis ſymptomatibus: ita,vt non parum habeat periculi, niſi citò,& ualentibus remedijs occurramus,an verò facilis,& mitis.Magnitudo autem,&magna ſymptomata,aut magnitudinem ſequuntur inflammationis,quæ ob multam materiā eo confertim confluentem magnum habet incrementū,aut propter acrimoniā,& malitiam eius.Si magnus, & periculi plenus aliquo iſtorum modorum morbus fuerit, agendum,ut præcepit Hip.1. Aph.qui extremis morbis magna,& extrema remedia eſſe opportuna tradidit.Quò verò morbus leuior, ac mitior fuerit, eò etiam reſpiciens Hip.de Rat.vic.in acu.mor.dixit in acutis ſi magnus fuerit morbus,ſanguinem eſſe mittendum. Vnde cum ex ſanguine fuerit excitata inflammatio in his partibus,quod(vt diximus)ex ſputo facilè poteſt percipi,necnon ex dolore,qui neque magnus,neque admodum acutus ſit,leuibus remedijs, & inſtrumentis reuellentibus rem tranſfigere poſſumus, relictis maioribus,& fortioribus, qualia ſunt uenæ ſectio, & per ualidiora medicamēta purgatio.Per ualidiora autem dico,quia in his non poſuerim,ſi caſſia Aegyptia,uel manna aluus lenitur. Aph.6.

Nam ſæpe uidimus eiuſmodi mites,& faciles pleuritidas tenuiori uictus ratione,frictionibus, lenitione alui per hæc faciliora medicamenta,& ſubinde illis, quæ facilè ſputum faciunt,leui negotio fuiſſe ſeparatas.Quod & Gal.ex Hip.ſententia 3.lib. Com.in 6. Epi.exemplo claro,& facili oſtendit, qui exponens obſcuram quandam Hipp. ſententiam,qua uidetur dicere pleuritidem prohibere, quò minus ſanguis mittatur,eam declarat,petita occaſione à caſu cuiuſdam pleuritici,ad quem curandum eo tempore fuerat accerſitus,qui cum ſanguinem expueret, & crederet ſe eſſe,vt(Græci aiūt)æmophrhoicum, indicauit ex dolore illum eſſe pleuriticum, & cum (vt ille teſtatur)nihil in eo eſſet,quod aduerſaretur,quo minus rectè poſſet in eo mitti ſanguis,noluit tamen illum mittere,ſed alijs vſus facilioribus, quibus ſolent medici in pleuriticis uti,cum facile ſanitati reſtituit. Cuius eam rationē reddit,quia mitiſſimę ſunt pleuritides, ficuti, & alij morbi à ſanguine excitati. Ex qua ſententia id tanquam corollarium deduci poteſt,quod magis neceſſaria eſt ſanguinis detractio in his inflammationibus,quando illæ excitantur ab alijs uitioſis humoribus,quam cū ex ſanguine.Pręterea uerò,ſi ea ratione in ſanguinea pleuritide prætermitti tuto poteſt uenæ ſectio, quoniam ea mitis eſt,neque admodum acuta,poſſumus,& hoc addere,quod in uniuerſum,ubi morbus non ſit plurimū acutus,ſed potius mitis,mitioribus ſit agendum remedijs,poſt habitis ualentioribus,qualia ſunt purgatio,& venæ ſectio. Dum tamen non decipiamur. Quia interdum inter initia mitis,& facilis videri poteſt,qui deinde increſcit,ac plurimum inualeſcit.Vnde hoc proſpiciens Hip.2.Apho. protulit eam ſentētiam.Circa principia,& fines omnia ſunt imbecilliora, circa uigorem autem omnia fiunt fortiora. Aph.30.

Et omnino,quia ſanguis,&pituita quoque non admodum morbos acutos afferunt, niſi ſi aliquando ratione magnitudinis inflammationis id contingat. Ideo non ita fortiora requirunt remedia. Sed reuertamur,unde fueramus digreſſi. In inflammationib. ergo,cum neque magnę ſunt, neque etiam rationabili coniectura adducti timemus,ne in magnum,ac difficilem morbum euadant, nulla nos neceſſitas cogit,aut uenam ſecare,aut ualentioribus medicamentis corpus uniuerſum purgare. Alterum uero, quod conſiderandum eſt uirium robur eſt, quia reuulſiones validę,quę cum liberaliore fiunt corporis inanitione,preſertim uero per venam ſectā, & purgatorium medicamentum,vt & ratio demonſtrat, & teſtantur ſæpe Hip.& Gal.firmas vires requirūt. Quare cum aut ex dolore nimio,aut multo labore, aut longiori inedia,aut alia ſimili occaſione, labefactatæ ſunt uires,aut rationabilem ſuſpicionem habemus, ne cadant, ab his fortioribus inſtrumentis erit abſtinendum,moniti ratione imprimis, deinde verò & Gal.exemplo, qui accerſitus ad mulierem, quæ(vt ipſe quinto Meth. narrat)ſanguinem ex ſalſa de-

ſa deſtillatione expuerat: quoniam illa per aliquos dies a cibo plurimum ſe abſtinuiſſet; quamuis affectus ille ſanguinis miſſionem, ſi quis alius requirat, illa tamen prętermiſſa, clyſteribus reuellere aggreſſus eſt. Timemus autem vires, ne cadant, multiplici de cauſa. Nã vel externis occaſionibus, quas nuper retulimus, videlicet ex cibi abſtinentia, importuno labore, nimio continentis aeris calore. Aliquando ex internis, uel naturalibus cauſis. Aliquando eis, quę pręter naturam accidunt. Naturalibus quidem, vt ętatem: Senes enim non eas habent vires plerunque, vt hæc valentiora remedia ferre poſſint, vt 4. de rat. vict. in acu. mor. & in lib. de rat. curan. per uen. ſect. docti ſumus. Pueri verò & ſi robore virium pol B leant: illis tamen non fidimus, quia facillimè ſub pondere horum valentium inſtrumentorũ cadere poſſunt, ſiquidem internam habent copioſam, & perpetuam vacuationem ab actione ſui caloris innati excitatam, qui ſubſtantiam humidiorem facilè digerit, & abſumit, vnde plurimum timendum ſit, ne huic liberali vacuationi altera item liberalis addita, vires proſternat. Ex quibus patet, quàm grauiter peccent, qui pueris pleuriticis in ætate tenella venam ſecare audent, ſequentes exemplum Auenzoar, qui filio ſuo ſeptenni, acuto morbo laboranti auſus eſt venam aperire. Hoc enim a ratione artis alienum omnino eſt. Neque exemplum ſingulare debeat eam vim habere, vt theorematibus multis C rationibus iam diu conſtitutis, & longa experientia firmatis præiudicare poſſit. Quæ enim præter rationem in artibus fiunt, & ſi interdum ex voto ſuccedant, plerunque tamen malè accedunt. Sed ex eis etiam cauſis, quæ accidunt præter naturam, ut ſi a longiori morbo præcedente, vel ab acuto, qui uires reſoluere potuerit, labefactata ſit natura. Tertio uerò conſideranda ſunt ea, quę ad fluxionẽ pertinent, quæ ſunt, primum impetus irruentis fluxionis, deinde fomentum, quod habet fluxio, aut a corpore vniuerſo, aut ab alijs partibus, tum vicinis, tum remotis ab affecta parte. Quia ſi magnus fuerit impetus & conſertim confluant humores, quod facilè percipi poteſt, ex ueloci, & magno cremento ſymptomatũ, D citò, & validis remedijs illi obſiſtendum, neque uenæ ſectio prætermittenda, vel purgatio: niſi ex ætate, vel viribus ea interdicatur. Quod ſi neque impetus vehemens fuerit, neque multa materia, quæ cõfluat, nullum horum erit neceſſarium. Præterea verò multi momenti eſt, conſiderare fomentũ, quod habet fluxio, cum enim id non poſſit pendere, niſi a plenitudine, aut vniuerſi corporis, aut amandantiũ partium in primis reſpiciendum eſt ad partes, quæ hanc fluxionem fouent, quia vel tantum a circunſtantibus, & vicinis partibus fouetur ea fluxio, uel etiam a remotioribus; quia plenitudo remotiores quoque partes occupat, a quibus, aut iam cõfluunt, vel facilè confluere poſſunt humores. Cũ ergo mul E ta fuerit in vniuerſo corpore plenitudo, uel non ſolum in vicinis partibus, ſed & remotioribus, præſertim verò præcipuis, non eſt trahenda mora, ſed quã primum ea plenitudo detrahenda eſt, & (ut ſæpe diximus) niſi aliquid maioris momenti obſtet, aut ſanguinis miſſione, aut liberaliori purgatione id agẽdum eſt. Quod ſi neque vniuerſum corpus, neque præcipuas partes multa occupauerit plenitudo, ſed fomentum fluxionis, & inflãmationis a circunſtantibus dumtaxat, & vicinis partibus pendeat; mihi nequaquam videtur contemnendum conſilium Ale- Cap. I. xandri Tralliani, qui 6. libro ſuæ medicinæ quaſi deridet eos medicos, qui præcipites adeo ſunt in his fortioribus remedijs, vt nulla adhibita diſtinctione ſemper pleuriticis ſecandam uenã pręcipiãt. Immo

A ait, ſe ſæpiſſimè vidiſſe facillimè, ac feliciſſimè curatos fuiſſe pleuriticos, cum nulla conſpiciebantur ſigna plenitudinis in uniuerſo corpore, præter illa, quæ demonſtrant uenæ plenę, & tumidę, inciſa cuti in loco affecto, & cucurbitula affixa, quę attraheret ſanguinem, cæteroſq; humores ex alto ad ſummã cutim. Hoc verò tanquam ſolenne remedium in eo affectu habitum eſſe, nõ ſolum a medicis, ſed a vulgaribus ab ipſa experientia doctis in uniuerſa Armenia. Sed & (ut paulò ante diximus) ſæpe facili, ac leui medicamento lenita aluo, idem factum eſſe animaduertimus. Porro quæ hactenus in hac re tractata ſunt, ſi rectè, & diligenter fuerint perpẽſa, & cum illis collata, quæ ab antiquis medicis, præſertim ue- B ro Hip. & Gal. clare conſtituta, ſatis aperta ſunt, & circa vllam cõtrouerſiam accepta. Sed quę reliqua ſunt, licet ſint per quam neceſſaria cognitu, fuere tamen in quæſtionem, & maximam contentionem a medicis iunioribus reuocata, qui neque ſibi mutuo conſentiunt, & dum unuſquiſque in propriã, & ab alijs diuerſam ſententiam abijt, plerique a pręceptis Hip. & Gal. quos tamen ſibi ſequendos omni opere propoſuere, plurimum aberrant. Nos uerò, quibus hoc anno ſcopus is propoſitus eſt, ut non diſputemus, & quęcunque argumenta, uel etiam ſophiſtica ſectemur, vt ueritatem in hac re exponamus, & ꝗd in ea ſenſerint Hip. & Gal. eorum methodũ ſequentes clariſſima oratione explanemus. Illis enim rectè C perceptis, facile erit diſcernere, quid ueri, quidvę falſi in eis contineatur. Vnde reliquum nobis eſt, ut q̃ in uniuerſum hactenus a nobis expoſita ſunt, particulatim definiamus, determinemuſq;. Diximus enim quod interdum ſatis eſſe poſſunt leuiora inſtrumenta ad reuulſionẽ, qua fluxui humorum reſiſtamus. Interdum verò neceſſarium eſt, fortiorib. uti; qualia ſunt venæ ſectio, & vacuatio per medicamenta purgatoria. Nõdum tamen diſtinximus, quando ſit magis opportuna huic negotio uenæ ſectio: quãdo uerò purgatio. Item ſi venæ ſectio fuerit opportunior iudicata, quæ deinde uena potius ſit ſecanda. Neque enim aliud, quod alicuius ſit momenti, exponendum ſupererit, ſaltem quod poſſit amplius in D controuerſiam reuocari. Quatenus ergo ad primũ pertinet, equidem exiſtimo, omnes antiquiores medicos, de (Gręcis loquor) qui rationalem medicinam profeſſi ſunt, in hoc conſenſiſſe: in primis conſiderandum eſſe fluxionis momentum. Quia cum duplex ſit thoracis pars, (quatenus ad noſtrum pertinet inſtitutum) videlicet ſuperior, quæ quatuor vtrinque coſtas comprehendit, & inferior, quæ reliquas omnes. Ratio vero iſtius partitionis inde præſertim accipitur: quoniam venę, quę ſuperioribus cõſtis alimentum deferunt, ortum habent ſuperius a uena aſcendente ad iugulum, venę autem alentes reliquas utrinque coſtas, ortum habent a uena ſine coniuge, quę originem ſuam habet a caua uena, an- E teaquam a iecinore progreſſa, cor ingrediatur. Itaq; ſi fluxio ſurſum lata decũbat ad locum ſuperiorum coſtarum pleuritim ibi concitans, magis expediens erit, vt uena ſecetur, & ea quæ illi propinquior eſt, unde ſuperiorum coſtarum uenę deriuantur, illi autem (ſi originẽ ſpectemus) propinquior eſt interior uena, quam iuniores baſilicam ſolent appellare, nã ſecta aliqua uena inſigni, a qua copioſus ſanguis fluat, licet tandem uacuatio ad uniuerſum corpus purgat, ſemper tamen, quo illi ſectę uicinior eſt eos prius, & magis uacuatur, & cum vicinior uenis coſtarum nulla ſit, quam interior brachij, ſeu baſilica: ideò in pleuritidis curatione omnes meminere uenę interioris ſecandę, ſi inflammatio tenet ſuperiores thoracis partes. Quod autem ea corripiat

ripiat ſuperiores partes, demonſtrat dolor, qui maximè crucians ſupremam thoracis partem pertingit uſque ad iugulum, uel humerum, ita ut uideatur clauicula deorſum quaſi pondere quodam trahi. Nam ex nexu, quem mutuo omnes illę coſtę per uenas ad humerum uſque habent, conſentiunt mutuo omnes, & pariter ferè omnes a fluxione replentur. Sed ſi fluxio ad inferiores partes thoracis declinauerit, dolor quidem eadem ratione affliget inferiorem thoracem, ſecundum eam partem, in qua conſiſtet inflammatio, & pertinget ad præcordia, vnde cum nullam habeamus venam, quæ ſecari poſſit, ita vicinam uenis, a quibus alitur inferior thorax, ſicut eſt uena ĩterior brachij venis ſuperioris thoracis. (Nam inter uenam illam ſine coniuge, uel ſine pari, & uenam brachij intercidunt, præter longum interuallum, cor, ſeptum tranſuerſum pulmones: quæ omnia prius, magis inaniri neceſſe eſt, quàm vacuatio, uel utilitas ex vacuatione pertingere poſſit ad inflammatas particulas) ſi uenæ illæ ſecentur, quæ in brachio ſecari ſolent, inde neque citum, neque magnum poſſumus auxilium expectare. Quare antiquiores medici præcepta Hipp. ſecuti, illi ſanè, qui celebriores fuere, ſicuti Galenus, Paulus, Aetius, Alexander Trallianus, Oribaſius in libro ad Euſtathium filium in hanc ſententiam deſcendere, vt potius aluus cienda ſit, & medicamentis purgatorijs uniuerſum corpus inaniendum. Et quamuis Paulus dixerit, quod poſteriores medici pleuriticis ferè omnibus, licet dolor ad præcordia deſcendat, potius ſanguinem mittant, quàm medicamentis aggrediantur timentes (ait ipſe) turbationem medicamentorum: Eos tamen Alexander & damnat ignorantiæ, & deridet. Noui pleroſque recentiores ſcripſiſſe Galen. in hoc theoremate ab Hippo. diſſenſiſſe, atque eius ſententiam damnaſſe, cum potius prædicet, & conſulat, quod quando dolor ad pręcordia etiam deſcenderit, ſit uena ſecanda, poſtpoſito medicamento, quodque illum ſuamet ſententia, tanquam ſibi non conſentientem, damnet: quippe qui dixerit primo Aph. quòd in morbis peracutis rarò purgare expediat:
Ap. 24. preſertim uerò (addidit Galen.) ubi adſit etiam febris uehemens. Sed mihi uidentur hi, aut non uidiſſe Galen. aut oſcitantes, & dormitabundos legiſſe. Si quis enim diligenter legat Galeni uerba ſecundo
Co. 11. de Ratio. vict. in acu. morb. facillimè percipiet illum, non modò non diſſentire, uerum quàm maximè conſentire cum Hippoc. neque illi aduerſari, ſed eius ſententiam exquiſitius explanare, ne quis perperam illam intelligens, poſtea aberret in opere medico. Nam cùm pręceptum hoc Hippoc. quo pręcipit vacuationes moliendas eſſe ſecundum propenſionem humoris educendi, ueriſſimum ſit, & certiſſimum, cui nullus unquam refragare fuerit auſus. Cum enim medicus naturę miniſter ſit, tunc maximè feliciter in curandis ęgrotis operatur, cum naturam pręcedentem ſequitur. Cui tanquam fundamento uniuerſa iſtius propoſitę ſententię ratio innititur, uel ipſo Galeno teſte locupletiſſimo.

Non uideo, quo pacto, reprehendere potuerit Hippocr. Niſi ſimul & deſtruat fundamentum, cui tanquam firmiſſimo ille innixus eſt. Contra uerò uidemus ſępiſſimè eundem Galen. & fundamentum illud, & hanc ſententiam, quę illi innititur, appro-
A. 5. baſſe. Sexto enim libro Aphoriſ. cum Hippocrates conſuleret, quòd ſint diligenter conſiderandi, & examinandi dolores, qui lateribus, ac pectori inſident, locum explanans, & rationem referens, cur ſint id genus dolores conſiderandi, ait, quia conferunt ad curationem plurimum, & ad cognitioné loci affecti, & ad pręſagiendi, curandique rationẽ. Deinde exponens, quamnam vtilitatem rationi curandi afferat, hac Hippocratis ſententia propopoſita declarat, quia conſiderata doloris inclinatione, decernimus, quodnam potius pręſtet, uenam ſecare, uel medicamentis purgare. Idem affirmat octauo de Compoſition. medic. ſecundum loc. Quid autem dicam de ijs, quę Galenus contra Eraſiſtratum contorquet libro illo inſcripto contra Eraſiſtratum? Nonne conferens Hippocratẽ cum Eraſiſtrato, inter alia argumenta, quibus probare conatur peritiorem, & diligentiorem medicum fuiſſe Hippocratẽ huic maximè innititur: quia ſequebatur motum, ac propenſionem naturę in uacuando, & reuellendo? In cuius rei corroborationem recitat hanc Hippocratis ſecundo de Ratione vict. in acut. morb. deſcriptam ſententiam. Quam ſi iudicaret falſam eſſe, ipſe omnino ridiculus eſſet cenſendus, qui omni ope contendens cum Eraſiſtrato, illis uteretur rationibus, quę lubrico, & falſo niterentur fundamento. Vt prętermittam, repetitam fuiſſe hanc eandem ſententiam, quarto eiuſdem operis libro. Sed ut exponamus rem hanc, & aperiamus, quid Galenus uoluerit, & ſenſerit in Com. in eum ſecundum de Ratione uictus in acut. morb. quędam explanabimus, quę uniuerſę iſtius rei ſummam mihi continere uidentur. Eſt ergo hic rectè conſiderandum, quod cum Hippocr. ex Aphoriſmo uigeſimoprimo primi Aphor. libri, tanquam corollarium, vel illi conſequens, illam deprompſerit ſententiam, de qua in præſentia hic inſtitutus eſt ſermo: quemadmodum teſtatum reliquit Galenus tum illam explanans eodem loco, tum verò contra Eraſiſtratum, & illi deinde alium Aphoriſmum opponat: videlicet, in acutis affectibus raro, & in principio medicamentis purgantibus vti neceſſe eſt. Si huiuſmodi aphoriſtica ſententia illi oppoſita ſit, quæ ſecundo de Rat. uict. prolata eſt, alteram earum, aut vtramque falſam eſſe neceſſe eſt. Quia nemo unquam dixit uerum uero eſſe oppoſitum. Sed nullus eſt, qui dixerit vtramque falſam eſſe. Erit ergo altera uera. At ponamus primum, quod uerus ſit Aphoriſmus: falſa autem ſit ſententia: Quod dolore deſcendente, præſtet aluum medicamentis ciere. Ex hoc deinde ſequitur, quod & Aphoriſmus ille, cui Sententia hæc conſequens eſt, falſus ſit: videlicet, Quæ ducere oportet, quò maximè natura uergit, & cętera. Hæc enim regula, quaſi fundamentum receptum eſt a dialecticis, quando aliquam alicuius conſecutionis rationem probare uolunt. Neque enim fieri poteſt, quod ex uero antecedente falſum aliquod ſequatur, integra ſeruata ratiocinationis forma. Verum cum hæc omnia, nemo ſit, qui non abſurda putet, neceſſe eſt, dicamus, quod & duo hi Aphoriſmi, & Sententia Hippocratis ex ſecundo de Ratione victus, deſcripta, pariter veritatem contineant, nec alterum alteri, modò recte intelligantur, oppugnet. Vnde inire oportet rationem, qua hoc oſtendamus: nimirum quomodo hęc ſint intelligenda. Dicimus ergo, quod authores periti in hac arte, qui eam ex methodo didicere: & deinde tractauere, dum eam explanant, interdum indicationes, quæ ad ipſam pertinent, exponunt ſeorſum, ea dumtaxat perſequẽtes, quę ad illas attinent: alia omnia pretermittentes, quę aliud quidpiam ſpectant: & illa exponẽtes, quę frequentiſſimè ſolent euenire. Quia ſi ſecus interdũ contingat, & quaſi (ut aiunt philoſophi) per accidens, raroq; nihil tamen illud de veritate illius pręcepti detrahere exiſtimandum eſt. Nonnunquam

A verò plures indicationes, quæ ſimul in aliquo morbo conſpirant, & aliquando oppoſitas, vel ſaltem diuerſas rationes habentes mutuò conferunt, & tractant. Et ſicuti hæ ſunt diuerſæ tractationes, ita de illis diuerſimodè varijs in locis adeò loquuntur, vt pugnantia ferè videantur protuliſſe, quæ tamen rectè percepta omni controuerſia carent.

Sed rem ad pręſens inſtitutum referamus. Hoc quidem igitur perpetuum eſt, & ſemꝑ tanquam verum à medicis omnibus acceptum, vt quando aliqd ducendum eſt, aut vi medicamenti, aut alterius inſtruméti, quo moliri oporteat vacuationé, vel reuulſioné, ſemper, quo fieri poſſit, modo aliud, quod ſit maioris momenti, non ꝓhibeat, per eam regionem B ducatur, in quam natura momentum, & ꝓpenſionem habet. Vnde hac ratione adducti pleriq; medicos conſulunt, ꝙ cum dolor ꝑtingit in pleuriticis ſuperiores partes, ſecetur vena in cubito, cum verò deſcendit ad p̃cordia, aluus ſit medicamentis mollienda. Quę quidem ſententia omnino in vniuerſum vera eſt, ita accepta, vt ſit ſeruanda. Niſi aliquid ſit, qđ vetet: quia maius habeat momentum. Vetant verò, quæ aliam habeant indicationem ab hac ꝓpoſita, q̃ accipitur a ꝓpenſione humoris, diuerſam. Quemadmodum ſi ꝓpenſus humor indicaret ꝑ aluum deducendum ſe eſſe. Eſſet autem in inteſtinis aliqua affectio, cuius cauſa periculoſum, & incommodũ eſſet eo ducere. Quod innuere velle viſus eſt Hip. cum dixit, ꝑ loca conferentia. C Ita etiam, ſi ſtatim inter initia, & quando eſſemus vacuaturi, accenſa eſſe vehemens, & acuta febris, hoc etiam obſtaret. Quia vim adeo magnã haberet indicatio à valida febre, vt non parum obſcuraret illam, quæ a ꝓpenſione humoris fuerat accepta. Raro tamen hæc eueniunt, quæ impedire poſſunt. Quoniam rarò inter initia quando nos ſumus molituri vacuationem ꝑ medicamenta, febris adeò excreuit, vt impediat vſum medicamenti. Quod ex Hip. verbis primum, deinde ex Gal. oſtendemus. Nã cur raro, & in principio vtimur medicamentis in acutis affectibus exponés, ait: Raro q dem, quia raro turgent morbi, vel ita paratũ eſt corpus, vt aptũ ſit ad vacuationes in initio. In initio autem morbi, quia circa initia, & fines omnia ſunt im D becilliora, nimirum (vt Gal. exponit) febriũ acceſſiones, & reliqua ſymptomata. Vnde quid aliud voluit eo cõmentario 2. de rat. victus? Niſi quod approbare voluit, & laudare ſententiam Hippo. (Com. 11.) Etenim qd aliud cogitet quiſpiam, cum audit ſuadentem, vt eã diligenter conſideremus, & memorię mandemus? Verùm tanquam doctor optimus, quia videbat aliquos reperiri, qui audito aliquo generali p̃cepto, adeo tenaciter illi hærent ut putent piaculum ſe commiſuros, ſi a ſimplici eorum verborum intelligentia ulla ratione ſe diuelli permittant, quamuis alia ſuboriantur, quæ diuerſam omnino, & validiorem indicationem oſtendant, obliti quod ſemper illis indicationibus magis ſit attendendum, E quę habent vim maiorem, quandoquidem neque propterea ita alijs præceptis ſit prędiudicium. Ideò monuit eſſe cauendum ab hoc errore, & quando aliunde inſurgit aliquid, quod maioris ſit mométi, & diuerſam habeat indicationem, hac, quæ eſt a momento, & propenſione humoris poſtpoſita, illi incumbemus. Quę autem ſæpius declinare medicum ab vſu medicamentorum facere poſſunt, inter alia febris vehemens. Nam magis nocerent medicamenta, febri aucta, quàm prodeſſet vacuatio facta ſecundum procliuitatem humoris. Sectio verò venæ, licet deſcendente dolore, non ita citum, & magnũ afferat remedium: inſigniter tamen & ipſa confert, neque alioquin nocet, quia augeat febrem. Vnde ait Gal. quod non de-

A bemus deinde tanti facere ipſum priorem Aphoriſmum: quin & alterius non multum habeamus rationem, & talem, vt aliquando huic magis adhæreamus: ſæpius tamen ſequemur motum humorũ. Quare hoc tantum monet, vt non perpetuo, ac ſemper illum ſequamur, ſed interdum alia etiam memoriter detenta ſectemur. Et quòd hoc ſenſerit Gal. quod. ſ. interea prætermiſſa purgatione, venam potius ſecemus, licet rarò; oſtendit modus loquendi, quo ait, qđ non perpetuò, ac ſemper deſcendéte dolore purgemus. Ipſe verò οὐ διαπαντὸς dixit Græcè, ꝙ quàm habeat id ſignificatũ, qđ nos expoſuimus indicat eius explanatio Aph. 19. 2. Aph. & vlt. 5. lib. & 1. de Nat. hum. (Com.) Sed eod. Com. in 2. de rat. vict. ſententiã ſuã apertiſſi B mè exponit, & noſtræ huic explanationi adſtipulatur, cum ait: Cum igitur febris nõ fuerit vehemens, & natura hominis tibi fuerit explorata, ad exhibendum medicamétum te conferre poteris, nec modò ijs vti medicamentis, quorum meminit Hip. verum & alijs eiuſmodi naturæ, vt eſt id, quod hieradiacolocynthis appellatur, quando confectum eſt citra ſcãmonium. Quibus ſi addamus, quod noſtris his temporibus, quibus introducta ſunt in vſum medicaméta non pauca, cum ſimplicia, tum compoſita, quæ non ita calida, neque ita ſicca ſunt, vt poſſimus timere, ne accendant, & exaſperent febres, vt timendum erat, cum erat neceſſe illis vti, quę ab Hipp. & Galen. cæteriſque antiquis medicis in hac curatione C fuere propoſita. Ideò & frequétius in curanda pleuritide poſſumus corpora purgare. Sed de his ſatis. Aggrediamur & alterã partem iſtius theorematis, q̃ ad ſecãdam venam attinet: ea enim his nuꝑ elapſis temporibus, magna contentione in controuerſiam reuocata eſt. Contendunt ergo medici in pleuritide, cum dolor aſcendit, poſtquàm ita ſtatutum eſt, quod aſcendente dolore, ſemper mittendus ſit ſanguis, neceſſe autem ſit inflammationem, ſi una tãtum ſit, vnum tm̃ latus occupare, vel dextrum, uel ſiniſtrũ: atque itidem ſecari poſſit vena vel in dextro vel in ſiniſtro brachio, poſſitq; ſecari uel in brachio ſecundum latus affectum, uel ex brachio oppoſito ſecundum latitudinem lateri affecto: hoc (inquam) D à recentioribus medicis in quęſtionem iterum deductum eſt. Dum alij ex eadem parte ſanguinem mittendũ eſſe contendunt. Alij ex oppoſita. Habent autem vtrique & rationes, & maximorum virorũ auctoritates, quibus innituntur. Quod rem quàm maximè ambiguam reddit. Et ut auctoritates primũ tractemus, Gal. & 2. & 4. de rat. vict. & in lib. de rat. cur. per ſec. uen. & pluribus in locis uenam eſſe ſecandam cenſet in brachio, quod quidem eſt ex parte lateris affecti. Sed & Hipp. eiſdem 2. & quarto de rat. vict. idem volunt. Aetius tamen ex ſententia Archigenis, Aretęus quoque apertiſſimè inter Gręcos: inter Arabas verò Auicenna in primis, & alij multi potius in eam ſententiam videntur ire, ut ue- E na in oppoſito brachio pertundatur. Nos autem nolumus multum temporis conterere in his contentionibus, ſed tantum, quid ſentiamus, & cur ita ſentiamus, exponere, vt tamen ab Hippocraticis, & Galenicis decretis nunquam recedamus. Credimus enim hos celebres auctores, ſi voluerimus magis rationes, quibus adducti ita ſenſerint, ſpectare, quàm ſimplicem verborũ ſonum ſequi, cum omnes hanc artem ex ratione tractauerint, mutuò nõ diſſentire ſed potius in eandem ſententiam conſpiraſſe. Hoc tamen primum ponemus fundamentum, cuius ité paulò ante meminimus: quod ſecus loqui & interpretari ſua præcepta conſueuere medici, & alij perinde artifices, cum de re aliqua una ſimplici ſermonem inſtituunt, nullo habito reſpectu ad aliquid

aliud, quodcũnq; illud ſit, qđ aliquando cum ea re
iunctum, poſſit rõnem illius aliquo modo diuerſam
reddere. Et ne longius ab inſtituto præſenti digredia
mur, exemplũ petamus ab ijs, quæ multam ſimilitu-
dinẽ cum hoc habẽt, de quo in præſentia loquimur.
Porrò eadem rõne adducti ſunt Hip. & Gal. (vt le-
gentibus ea, quę de hac re literis illi tradidere, aper-
tiſſimum eſſe põt) cum conſuluere in affectibus late
rũ, pulmonum, & reliquarum partiũ, quę infra gut-
tur, & fauces hoc ventre cõtinentur, venas interio-
res directe ex eodem latere locum affectum, vel do-
lentem reſpicientes ſecandas, qua inferioribus parti
bus laborãtibus, nimirum renibus, vtero, veſica, co-
xendicibus, & iſtiuſmodi reliquis, venas, vel ſub ge-
11. nu, vel in poplite cædendas, in 13. Metho. item in li.
18. de rat. cur. per ſect. ven. & 1. lib. Com. in 6. Epid. &
4. 6. Aph. & alijs ẽt locis cenſuere, & cum in pleuritide
36 venam interiorem ex eodem latere in brachio tun-
4. di voluit. Ratio verò ea eſt, quàm tum alibi, tum in
lib. de Trem. Palp. Conuulſ. &c. aperte retulit: vide-
licet, quia ſemper, ſi uenæ ſectio ſit profutura, opor-
tet, eas venas ſecare, quę cum affecta, & dolente par
ticula communicant, nam ait ipſe ibi: Si quæ nihil
affectę parti communicat, incideris: affectæ quidem
parti nõ medeberis & ſanam ſem per offendes. Ve-
næ vero brachij ſuperioribus partibus magis cõmu-
nicant, quæ verò ſecari in cruribus ſolent, inferiori-
bus. Sed hic pauliſper cõſiſtamus, & nos ẽt huic fun
damẽto innitamur. Huic tamen, & aliud addamus
depromptum ex eod. 13. Meth. nempe quod in in-
3. flammationibus, quæ fiunt, & (vt ipſe ait) in genera-
tione adhuc ſunt, primum antequam particularim
curationem earũ aggrediamur, neceſſe eſt cauſas,
a quibus generantur remouere. Cauſæ autem ſunt
humorum fluxiones, quæ duplicem tandem (vt dixi
mus ſæpe) habent occaſionem: Altera eſt in ea par-
ticula, vel illis particulis, a quibus defluunt ſuperua-
canei humores, quæ nulla alia eſt, niſi abundantia
multorum, vel vitioſorum humorum in illis: Altera
eſt infirmitas particulæ ſuſcipientis fluentes eos ſuc-
cos. Vnde ſi quis rectè examinare voluerit metho-
dum ac rationem, qua curanda eſt in initio, & dum
generatur inflammatio, clariſſimè percipiet, quod
quatenus ad particulam, quę cœpit inflammatione
tentari, pertinet, illi occurrẽdum ſit illis remedijs, q̃
addito illi robore, adiuuant ad materiam a ſe repel-
lendam. Quatenus verò pertinet ad alias partes, a q
bus defluit materia, nemo eſt, qui non videre poſſit,
quod occurrendum ſit ea rõne, qua illæ aut non
impellant verſus affectam particulam redundantes
in ſe ſuccos, aut non facilè cedant, ſi illa ab ipſo affe-
ctu coacta attrahat. Sed & illud euidentiſſimũ, mo-
dò legerimus probatorum auctorum monimenta:
qđ id ferè alia ratione minimè medicus præſtare po-
terit, niſi vacuatione earũ partium, unde defluunt
humores, ſiue vna illa fuerit, ſiue plures, ſiue vniuer
Cap. 6. ſum corpus. Nam hoc lucidiſſimè eod. 13. Meth. ex-
poſuit Gal. & ita deinde moliri oportet vacuatio-
nem, ſicuti eodem loco ipſe teſtatur, vt dum vacua-
mus amandantem particulam, non ad affectã par-
tem trahatur fluens humor, ſed potius in cõtrariũ,
& ad partes, quæ maximè longinquæ ſunt. Addit au
tem Gal. ſemper extimata, tum inflammationis ma-
gnitudine, tum corporis ſtatu: quæ verba paulò poſt
examinabimus, vtpote quoniam nõ parum momẽ-
ti habeãt. Sed redeamus, vnde ſumus digreſſi, & col-
ligamus ſparſa ſemina. Vacuandæ ergo ſunt plenio
res partes, ex quarum plenitudine occaſio fuit præ-
ſtita fluxioni. Quo poſito, libenter ab ijs quærerem,
qui pertinaciter contendunt ſemper pleuriticis ve-
nam interiorem in brachio ſecandam ex eodem la-

A tere, ſiue in toto ſit plenitudo, ſiue in pluribus, ſiue
in una parte, ſiue in ſuperioribus, ſiue in inferiorib.
Verbi gratia ſi in muliere ſupprimantur ſolitæ pur-
gationes, quæ illis per ſingulos menſes ſolent efflue
re: uel quæ a partu tempore puerperij, & ex ea occa
ſione illi ſuperuenerit pleuritis: itẽ ſi ex retento ſan-
guine, q alias ſolitus ſit ab hæmorrhoidibus fluere,
de quo fluore dixit Hip. 6. Epid. & in lib. de Humo. Lib. 3. Tex. 37.
Quòd quibus ſanguis ex hæmorrhoidibus fluere ſo-
let, illi neq; pleuritide, neq; peripneumonia capiun-
tur, a quibus tamen morbis facilè corripiuntur; ſi p
importunam medelam fuerit fluor ſuppreſſus. Ab
his ergo quæſierim, quę uena ſecanda ſit: illa ne, quę
coſtis affectis magis communicat? aut aliqua alia, q
B magis cum partibus, quę fluentes humores ad inflã-
matam amandat? Si velint quidem Galen. dogmata
tueri, non poſſunt hoc aſſerere, eam eſſe ſecandam,
quę magis communicat loco inflammato. Quia &
in libro Trem. Palp. Rig. &c. & in decimotertio
Meth. & in libro de rat. cur. per uen. ſect. & tandem
ubique docet, quod affectus nobis remediorum
qualitatem oſtendit. Sicuti quod vacuandum ſit, o-
ſtendit, vel indicat plenitudo: Verum vnde euacuan
dum, & quomodo indicat particula, quæ vacuanda
eſt, quia præſtantiſſime ea vacuatur per venas, quæ
illi communicant. Vnde illi, qui opportune, & vtili-
ter vacuare uoluerit, oportet, ut primum perſcru-
tetur, quę pars ſit illa, quam euacuare opportunum
C ſit, & deinde inueniat, quæ vena citius, & commo-
dius citra aliarum noxam, poſſit illam vacuare. Ad
inhibendas autem fluxiones, & cauſas tollendas in-
flammationum, impellentes particulæ primum, nõ
ea, quæ fluxionem recipit, vacuandæ: & ideò, ſi in
vniuerſo corpore, vel in remotioribus particulis
fuerit occaſio, cur concitata fuerit fluxio, non eam
venam ſecabimus, quæ magis propinqua eſt, quæ-
que magis communicet loco tentato ab inflamma-
tione: quia non ſeruabimus eas leges, & conditio-
nes, quibus ratio reuulſionis eſt aſtricta; nempe
quod impetus fluentis humoris ad remotiores par-
tes, quantum fieri poteſt, conuertatur, & in con-
trariam partẽ. Quare ſi in omnibus uenis thoracis
D fuerit plenitudo, a qua tandem foueatur fluxus ad
partem, qua cœpit corripi ab inflammatione, quam
uis ſecta vena brachij ex parte affecta, poſſit latus
illud uacuari; humores tamen inſidentes alteri late
ri non conuertuntur procul, & in contrariam par-
tem, ſed potius ad particulam affectam trahuntur.
Longè etiam magis, ſi uenæ partium inferiorum;
videlicet renum, vteri, ueſicæ, & quæ per coxas, &
femora diſpertitę ſunt, fuerint refertæ multa ſangui-
nis copia, ſectis uenis in brachio, ſurſum motus hu-
mor in infernis partibus trahetur uerſus laboran-
tem particulam, quod omnino contra præcepta me
dicinæ eſſe nemo non uidet. Vt ergo rem hanc tan-
dem abſoluamus, ſi quod ab initio poſuimus, ue-
E rum eſt, nimirum quod eandem rationem uenę bra
chij habent in affectibus partium, quę ſupra iecur,
& pręcordia ſunt, quam (ut pronunciauit Galenus
locis illis paulò antè a nobis citatis) habent uenæ,
quę ſolent in cruribus, uel propè pedes ſecari, ad
partes, quæ infra iecur ſunt, facilè (cum ſimilium
ſimile debeat eſſe iudicium) ſi methodum rectè te-
nuerimus, qua uolunt medici eſſe ſecãdas uenas in
affectib. partiũ inferiorũ, illa nobis ẽt explanabit rõ-
nẽ, qua ſecandę itidem ſunt in affectibus thoracis, &
ſuperiorũ partium. Incipiamus aũt a coxendico do-
lore, nẽpe cum ex copia ſanguinis ſuã hẽt generatio
nem; de quo curãdo in tot iam citatis locis dixit Gal. Cap. 2.
qđ propria eius curatio perficitur ſecta uena ſub po-
plite, uel propè malleolũ; imò vbi particulatim ma-

gis, & ex proprio inſtituto rem hanc pertractat: 10. A ſcilicet de comp.med.ſec.loc.idem repetit, & ait,qđ rarò ex copia ſanguinis, fit coxendicus dolor: citiſſimè verò ſecta vena poplitis, vel prope malleolum curatur. Et tñ paulò poſt aliqua ſubdit, q̄ niſi rectè intelligantur, non videbitur ſibi ipſi conſtare: illa verò ſunt. Cum ergo ad coxendicis curationem vim magnam habeat vniuerſi corporis inanitio, ab ea quidem inchoandum, nec ſolum cruribus detracto ſanguine, ſed è cubito etiam. Cuius loci fungens explanatoris officio Aetius lib. 12. ita ait. Itaq; cum coxendicis dolor ex plenitudine ortum hēt, citiſſimè curatur miſſo ſanguine: primum ex vena in cubito: deinde verò propè talum, aut poplitem. Nam inter initia inflammationum omnium vena ſecanda B eſt, q̄ vim reuellendi habeat: ſicuti pede tentato inflammatione, in initio ſanguis è brachio detrahendus eſt. Quibus verbis Aetius videtur hoc inſinuare, quod ſi multa ſit corporis plenitudo, ſectio venę poplitis, in dolore coxendico ferè vim non habet reuellendi, ſed potius deriuandi. Idem ferè ſentit 3. libro

Cap.77. ſuæ medicinæ Paulus. Quod quia in idem tendit, tempori parcentes nō aſcribemus. Sed tranſeamus ad inflammationes uteri, & uidebimus eius curationem, ſi uelimus, quæ ab auctoribus literis ſunt mandata, diligenter legere, eaſdem pati difficultates. Eiſdem enim & alijs etiam locis Galen. in inflammationibus, atque adeo etiam in cæteris eis affectibus, in quibus opus eſt uenam ſecare, uenas in C cruribus ſecari conſulit. At ubi de cura inflammationum libro ſecundo ad Glauco. agit, & de uenis

Cap.2. ſecandis ex propoſito, ait, quòd uenæ in brachio ſectæ in affectibus uteri reuellunt: quæ autem ſecantur in cruribus, deriuandi uim habent. Vnde cum ſemper dixerint, tum ipſe, tum Hip. reuellendum eſſe in primis inflammationum initijs: ueteraſcente autem morbo, potius deriuandum: quis non uidet inde ſequi, curationem inflammationum vteri a ſectione uenarum manuum eſſe inchoandum? non autem ab ijs quę in cruribus ſunt? cū inſignis adeſt corporis uniuerſi plenitudo, quam curationem nemo Medicus nō ſequitur. Nam Paulus, Aetius, Oribaſius apertiſſimè id aſſerunt. Cui accedit & id, qđ D ſectio uenarum in cruribus, ipſomet teſte, menſes ciendi uim habet: at ciere menſes minimè utile, immo maximè nouum in initio inflammationis uteri,

Cap.18. uel eodemmet Gal. decimotertio Metho. teſtante. Sed & in renum inflammationibus, in initio quidem, & cum eſt multa ſanguinis copia, reuulſionis nempe gratia in lib. de rat. cur. per ſect. uen. ſecari venam in cubito uoluit. Cū tamen in inueteratis, & diuturnis renum affectibus qualis qui nephritis appellatur, uenas in poplite ſecādas cenſuerit. Sed ne diutius, quàm par ſit, uagemur: hęc omnia tandē in unam breuem ſummam colligentes dicamus, quod hęc eſt tandem abſoluta ſententia Galen. item & Hippoc. quod in omnibus uacuationibus molien- E dis, præſertim uero in ſanguine mittendo habenda eſt ratio, atque in diligentem conſiderationem deducenda eſt affectio, & ſtatus ipſius corporis, uel partium: quæ in eo magis pręcipuę ſunt, & pro earū uaria ratione uario etiam modo agendū. Quid

Cap.6. enim aliud uoluit Gal. decimotertio Meth. loco ſuperius citato, ubi ait, quod ſemper ſit rectè extimanda tum magnitudo inflammationis, tum uero corporis διαθέσει, hoc eſt ſtatus, uel affectio, niſi quia & hęc ſępe proprias habent indicationes, quę tantam uim habent, ut poſſint uariare, & diuerſam facere rationem operandi in curatione? Nam ſi fuerit in aliqua particula inflammatio concitata, quę non admodum magna ſit, neque timeamus, quòd plurimum increſcat: propterea quia non ea ſit corporis plenitudo, vel aliquarum inſignium partium, vt poſſit fluxio plurimum inde habere fomentum; tunc quidem ſimplex erit curandi ratio, quia cum non ſit proſpiciendum ad aliud aliquid, niſi ad affectum locū, & ad vicinas partes, à quibus duntaxat fouetur inflammatio, propterea quia neque vniuerſum corpus, neque remotiores partes, poſſunt fouere, & augere inflammationem, ab affectis ſolùm, atque vicinis, quæ eandem cum affecta habent rationem, petenda eſt uacuandi indicatio. Quare cum eadem vena omnibus illis pariter communicet, eadem vena poterit & ſimul eas uacuare, & reuellere fluentem humorem ad eam partem, in qua ſit ſectio venæ, quia neq; maiori egemus reuulſione, neque ad remotiores partes. Vnde & Gal. ſequens Hipp. decreta exponens Apho. illum, quo ait Hip. quod vena recta in fronte ſecta curat dolores occipitis, dicit meritò id fieri poſſe, quia ea venæ ſectio, vt euacuat, ita etiam reuellit: verum ea reuulſio non poteſt eſſe ſatis, ſi uehementior eſſet morbus, & corpus eſſet plenum. Nam ſi compareretur alijs partibus, quæ in pleniori corpore poſſent præbere materiā, & fomentum fluori ipſorum humorum confluentium ad locum dolentem, non modò nō reuellendi vim haberet, at potius ab inferioribus particulis ſurſum ad inflammationē eos traheret. Vnde & lib. de Ra. Cap.19. cur. per ſect. ven. & quinto Aphor. & ſecundo libr. Com.9. C Com. in ſextum Epid. ait, eam illius venæ ſectionē Com.6. ſi ſit futura vtilis, requirere, ut corpus nequaquam plenum ſit. Eodem modo in curanda coxendice, ſi ex copia ſanguinis fuerit concitatus dolor, poteſt venæ in poplite, uel prope malleolos in ciſione ſæpe eadem die, & ſtatim inter initia leuari dolor. Verùm vbi multa ſit copia ſanguinis, vel in vniuerſo corpore, uel in præcipuis, & ſuperioribus partibus per ſectionem illius venæ, non modò non tolletur, immo conuerſo impetu humorum in ſuperioribus partibus congeſtorum, cùm ſemper ſanguis ad eum locum moueatur, in quo vena ſecta fuit, ad laborantem articulum facile poterit augeri. Secta verò in cubito vena (vt ſecandam eſſet D cenſuit Galen.) auertetur, & reuelletur à coxendice impetus fluxionis, attracto ſanguine ad ſuperiores partes. Ita incipiente uterò tentari inflammatione, ſi inſigni reuulſione ſit opus, tum ob inflammationis magnitudinem, tum uerò ob corporis plenitudinem, eam ſuperiores uenæ, quæ in cubito ſecantur, præſtare poſſunt, nō inferiores in cruribus, quamuis quæ in cruribus ſunt, magis cum affecta particula communicent. Vnde nemo eſt, qui nō incipiat eam rationem ab inciſione uenarum ſuperiorum in brachio, poſtea inanitis ſuperioribus partibus illis uenis ſectis, ſi alia ſit ob inferiorum partium reliquam plenitudinem, ſecant deinde & uenas in cruribus, quæ ſectio poſtea habet uim magis deri- E uatoriam, quàm reuulſoriam, ut Gal. met. teſtatur. Poſſemus & multa alia exempla ad iſtius rei explanationem afferre. Sed ſatis ſuperq; hæc mihi videntur eſſe. Quare redeamus ad noſtrum inſtitutum. Cùm nobis ſimplex curanda pleuritis offertur, cui nulla ſit alia coniuncta affectio aliud quidpiam indicans ſeorſum ab eo, quod indicatur ab affectu, & è loco particulatim affecto, nulli dubium eſt, quòd ſimplex quoque erit curandi ratio. Quia quamuis omnino fomentum habeat (vt ſæpe diximus) ipſa inflammatio à circunſtantibus partibus (id enim demonſtrat: quia à fomentis non ſedatur dolor) uicinæ tamen partes, uel eandem habent, uel parū differētem indicandi rationem ab ea, quæ iam laborat & ideo eadem uena ſecta, ille euacuari, ſubtrahique

fomen-

fomentum poterit:vena videlicet,quæ maximè illis omnibus communicat. Sed ſi ponamus eſſe ortam inflammationem in corpore, in quo vel vniuerſo, vel in alijs non modò vicinis, ſed etiam remotioribus partibus, quæ poſſunt ſubminiſtrare materiam vicinis proximè impellentibus, & amandantibus fluentes humores: tunc non amplius erit ſimplex, neque indicationis,neque curationis ratio. Quoniā vt vnuſquiſque poteſt inſpicere, & ab uniuerſi corporis plenitudine, & ab alijs ſubminiſtrantibus particulis ſuæ prodeunt indicationes, tanquam a morbificis cauſis,aut actu,aut poteſtate. Vnde tunc non erit ita ſimpliciter,& inconſiderate procedendum: ſed potius diligenter examinandum, collatis mutuo omnibus indicationibus, quęnam earũ vim habeāt maiorem:ita tamen vt vtriuſque, quantum fieri poteſt,aliqua ratio habeatur. Quare cum in hoc conſenſerint omnes medici, quod quando in aliquo ægrotante eſt corporis aut plethora, aut cacochymia oĩs medendi ratio requirat, vt prius tollatur ſuperuacaneorum humorum redundantia,quæ dum pręſens eſt,ſemper ſeruat, & fouet præſentem morbũ, vt ſuperari nequeat, nequeat auferri,niſi prius ea ſuperuacuorum humorũ copia tollatur. Scopus medico primus proponitur,vt vel per ſectionem uenæ, vel per purgationem corpus plenum vacuetur: uel ſaltem partes illæ,quæ pleniores ſuppeditant materiam fluxionis inflammatis; & vicinis. Vt tamen neque contemnenda ſit ea indicatio, quam offert particula affecta, & illæ,quæ huic proximę ſunt:nimirum ne moueamus, qui euacuādi ſunt humores, trahamusq; verſus loca, in quibus cœpit conſiſtere inflammatio,ſed potius ea fiat vacuatio, quæ reuulſoria ſit. Reuulſio verò(ut ex ſententia Hip. & Gal. ſuperius expoſitum fuit) duas in primis conditiones requirit. Nempe vt procul & ad contrarias partes fiat motus. Vnde eam venam ſecabimus, quæ commodiſſimè,& citiſſimè poſſit quidem totum vacuare, ſi totũ vacuationem expoſtulet: aut partes illas: quarum ratione vacuandum eſſe cēſemus. Pręterea & qua ſecta procul à læſa, & in contrariam conuertatur impetus tracti humoris:quæ quidem vacuatio congrua eſt,commodaque incipientibus (ut Galen. teſtatur 13. Meth. & in lib. de rat. cur. per ſect. uen.) morbis,atque magis ſpectat eam medicinæ partem, quæ tuendæ ſanitati præeſt, quàm methodo curatrici: cum primum cauſis morbificis remouendis incumbat. Sed cum venas ſecamus,quæ communicant laborantibus particulis, & per quas cum inflāmata, tum aliæ vicinę particulæ commodè, & cito vacuantur,curatio dici debet. Hanc autem differentiam oſtendere uolens in li. de rat. cur. per ſect. ven. ait,quod cum uenam ſecare proponimus alicui, qui ſolitus ſit corripi inflammatione, vel alio quopiam affectu ſecundum aliquam definitā particulam,antequam eo morbo corripiatur, vt videlicet eum ab eo affectu tueamur,uenas debemus eligere,nō quæ propinquæ ſint,& quæ communicent cum illa particula: quia illæ ſunt petendæ,quando volumus cōgeſtos humores in illa, vel alijs illi vicinis vacuare: ſed illas, quæ remotiores ſunt, & contrarię illi particulæ, quæ laborare alias ſolita eſt: quoniam hę prohibent, quo minus colligantur humores in locis, in quibus collecti morbos afferre ſoliti ſunt, quia illos ad contrariam partem conuertentes, in cauſa ſunt,ut deſueſcant eo ferri, quo prius aſſueuerant. Et addit Galenus quod hac eadem methodo in his etiam vtimur,qui iam cœpere laborare:nimirum inter initia ſtatim inflammationis,uel aliorum affectuum, qui eundem modum generationis habent, & quia pręſtantiſſimè (ut ſępe idem teſtatus eſt)ille docet, qui primum rem in uniuerſum exponit, poſtea uero eam particulatim aliquibus exemplis explanat; ideo quamuis vbique pronunciauerit venam humeralem,quam cephalicam Arabes & iuniores appellant,ſecandam eſſe in omnibus affectibus capitis: Attamen quando hi affectus a corporis plenitudine, vel aliarum remotiorum partiũ fiunt, & ea ratione uenam ſecamus, ut defendamus, ne fiant,vel ſi iam cęperint,ne creſcant, non humeralem ſecandam eſſe voluit, ſed eas, quę ſub poplite, uel prope malleolum ſecari ſolent. Hac enim ratione uertiginoſos, & eos qui morbo comitiali obnoxij ſunt, tum inter morbi initia: tum uero antequā ab illis corripiantur, tractandos cenſuit. Ita contra podagram, quę pedum inflammatio eſt, cum quis aut curaturus inter initia eſt, aut etiam inhibiturus, antequam incipiat, curat, aut tuetur ab ea hominē ſectis uenis in cubito: cum tamen ſecundo libro ad Glauc. in vniuerſum protulerit, quod membris extremis laborantibus, quę cola Gręce dicuntur, a coniugatis eſſe ſanguinem mittendum. Vnde vt tandem ex longo circumductu ſermonis uniuerſam iſtius rei methodum in unā ſummam colligamus: nobis quidem uidetur, quod Galen. vniuerſum ipſius quęſtionis ſtatum paucis illis uerbis ſuperius a nobis citatis comprehenderit: uidelicet quod antequàm eligamus uenam, quę aut in pleuriticis, aut in alijs aliarum partium, cum internarum, tũ externarum inflammationibus ſecanda primũ ſit, benè extimāda, & examinanda ſint hęc: nimirũ totius corporis ſtatus,vel plenitudo: & inflammationis magnitudo. Quę quidem examinatio omninò ſuperuacanea eſſet, ſi ſemper eadem in his inflammationibus uena eſſet ſecanda: nimirum ſi ſemper illa vena eſſet petenda, quę magis affectæ particulę communicaret. Verum quia pro diuerſa ratione ſtatus corporis in plenitudine,aut ſuarum partium, atque etiam magnitudinis inflammationis, quam inde timemus, varię ac diuerſę uenę inciſę magis, & citius prodeſſe ſolent. Ideo iſta conſideratio prodeſſe cōſueuit: Quoniam ſi nulla,aut exigua ſit corporis uniuerſi plenitudo, ex qua neque timemus, quòd inflammatio ſit euaſura in magnam: quia tantum fomentum habeat a vicinis partibus: ſatis erit ſecare uenam in cubito eiuſdem lateris, nam ſatis illa poterit uacuare inflammatam ſimul particulam, & circunſtantes alias illi vicinas. Et quod hoc maximè & ſolum ſpectauerit Hip. oſtendunt uerba eius, qui uoluit initium curationis fieri a fomentis, quibus digeratur, & diſcutiatur inflāmatio. Nemo autem adeo rudis eſt in hac arte, qui non nouerit, quod fomenta loco affecto applicata, ubi corpus plenum fuerit,non modo non tollunt morbum,verum maximè augent. Vbi verò ea non conferunt, ſtatim quaſi ea ratione monitus, aliquam eſſe in uicinis partibus (vt ibidem exponit Gal.) plenitudinem, ratione cuius plus per fomenta attrahitur, quàm digeratur, ad venam ſecandam accedit. At ſi multa eſſet vniuerſi corporis, vel pręcipuarum partium plenitudo, illa facilis cognitu eſſet alijs argumentis, longè prius quàm illā fomētis exploremus. Deinde etiam id apertiſſimè oſtendit quod ait, permittendum ſanguinem fluere,quouſq; mutetur, & fiat aut ex nigro ruber, aut ex rubicũdiori in minus rubicundum,vel pallidum mutetur. Vbi ſatis apparet, non ſibi tanquam ſcopum propoſuiſſe uniuerſum corpus,vel pręcipuas,& remotiores partes uacuare; ſed(ut idem Gal. explanat)affectam,& vicinam. Vnde neque huic mutationi coloris eſſe attendendum ait, ſi ſunt partes remotiores inaniendę, vel uniuerſum corpus. Sed ſi maior fuerit,vel in uni

uerſo corpore, uel in partibus magis præcipuis humorum plenitudo, ex qua timeamus, ne confertim ad inflammationem concitata fluxione, nimis illa excreſcat, non ea magis erit incidenda, quàm quæ in fronte recta eſt, in dolore capitis, cùm occiput dolore tentatur. Nam tametſi, illa vim magnam habeat reuellendo, & uacuando, dolorem occipitis leuandi, plurimumq; prodeſſe poſſit, incipientibus illis, & increſcentibus, vt in lib. de Rat. cur. per ven.
Cap. 19. ſect. autumat Gal. niſi tamen uacuū fuerit corpus, non modò non proderit, uerum potius lædet, conuertendo impetum humorum, quem cōcitat venę ſectio, ad ſuperiores partes, & verſus locū affectum, ac dolentem. Iuxta ergo, & venæ ſectio in brachio ex eadem parte, cum corpus vndique plenum eſt, vim habet, & copiam ſanguinis, quo refertum eſt latus oppoſitum, conuertere ad affectam partem, & eam, quæ occupat inferiores particulas, quæ infra iecur ſitæ ſunt, ſurſum itidem uerſus affectum latus trahere. Quare ſi decreta Galen. ſequi velimus, & theoremata ab Hippocr. inuenta, a Galen. verò exculta, & explanata rectè percipere, neceſſe eſt, ut dicamus, quod ubi multa eſt repletio, & copia humorum redundans, & diſperſa in habitum vniuerſi corporis, & ſubinde ubi magnam timemus futuram inflammationem, cum illi non poſſimus niſi reuulſione imprimis obſiſtere, & morbis extremis extrema duntaxat remedia ſint opportuna, maxima reuulſione ſit opus. Cum autem reuulſio ſit, quando procul, & in contrariā partem auertimus confluentem humorem, quo remotius, & magis in contrariam partem impetū conuertimus, eò etiam maior erit reuulſio. Vnde ſi mediocris erit, aut totius, aut plurimum, & maximè præcipuarum partium plenitudo, poterit eſſe ſatis, ſi ſecetur in his inflammationibus harum partium vena in cubito oppoſito, nimirum, ſi inflammatio incipiat tentare latus ſiniſtrum, ſecanda erit vena in cubito dextro. Sed ſi maior plenitudo fuerit, longè tutius erit, & citius per reuulſionem refrenabitur fluxio, ſi uenæ pedis ex parte eadem pertundantur, ſicuti ſi laborauerit ſiniſtrum latus, uena incidatur in crure ſiniſtro. Et hoc theorema ab Arabibus, ut Raſi, Auicenna, & Meſue, quàm à recentioribus fuit exquiſitius tractatum, & perceptum. Vnde Auicenna huc ſpectaſſe uidetur, cum dixit, quod ſaphenæ phlebotomia in pleuritide curanda magis feſtinum affert remedium. Sed unum uidetur ſupereſſe, non prætereundum conniuentibus oculis, ut iſthæc ratio, & methodus uniuerſa abſoluatur, quia aliquorum fortaſſe animum dubitatio occupabit, qui putabunt nos aduerſari Galeno, qui venam κατ' ἴξιν, hoc eſt, directè reſpicientem locum affectum, eſſe ſecandam cenſuerit, quæ vero in oppoſito brachio eſt, minimè recto aſpectu referri poteſt ad affectum locum. At illi debent, & id animaduertere, quòd Galenus cum Hippoc. reuulſionem eam duntaxat probauere, quæ κατ' ἴξιν, hoc eſt, per directum fit. Vnde cum reuulſionem factam laudat, quando in dolore occipitis ſecanda eſt uena frontis, & quando in inflammatione brachij dextri ſecatur uena in brachio ſiniſtro, & quando bubone occupante inguen dextrum, tunditur uena in brachio dextro, & quando à coniugatis (vt diximus pauloante) reuellendi cauſa ſanguinem mittimus: neceſſe eſt, vt brachium dextrum, & brachium ſiniſtrum, & crus dextrum ſecundum rectitudinem accipiat, & occiput ſinciput. Non ergo ſecundum rectum ſolum ſuperiora inferioribus, ut per brachium dextrum cruri dextro, ſed & dextra ſiniſtris, & ante-

A riora poſterioribus oppoſita ſunt, dummodo per lineam rectam, non autem per obliquam ſe reſpiciant. Vel (vt Auicenna loquitur, qui optimè rem hanc percepiſſe uiſus) per unam tantum diametrum. Vnde brachium dextrum non eſt per directum cruri ſiniſtro oppoſitum, ſed oblique, & per duas diametros: quia partim per longitudinem, & partim per latitudinem. Ita dolore deſcendente ad hypochondria, ſectio uenæ brachij, neque ex eodem latere, neque ex oppoſito eſt κατ' ἴξιν, ſed ſed magis ſecundum rectum eſſet, ſi ſecarentur venæ cruris eiuſdem lateris. In qua conſideratione uidetur fuiſſe Raſis in ſuo continente, qui dixit, quod ſi ſecanda eſt uena, cum dolor in pleuritide
B de pertingit ad hypochondria, potius ſecanda eſt uena in crure eiuſdem lateris, quàm in brachio. Vt eo addito, huic tandem diſquiſitioni finem imponamus, quod quando aſcendente dolore venam in cubito ex eadem parte incidimus, rectitudo ea eſt non ſecundum longitudinem, ſed ſecundum latitudinem corporis, quæ eſt inter dextrū, & ſiniſtrum: non quidem ſecundum extrema iſtius dimenſionis conſiderata hac oppoſitione, ſed ſecundum eam rationem, qua media opponuntur extremis: pars enim dextra thoracis cum brachio dextro collata rationem ſubit ſiniſtri. In his uolumus eſſe aliquanto, & forſitan etiam iuſto longiores: quia præter id, quod quotidie de hac re diſputatur;
C continet etiam hæc tractatio præcipuam partem methodi, qua curandæ ſunt, non modò hæc, ſed cęterarum earum partium inflammationes, pręſertim uerò, quæ corripiunt interna viſcera. Tamē antequam tranſeamus ad alia pertinentia ad hanc cu rationem ijs, quæ dicta ſunt hactenus, & hoc addamus, quòd præſertim id obſeruandum eſt, ut curationem incipiamus harum, de quibus agimus, inflammationum à venæ ſectione in cruribus: quādo præceſſerit ſuppreſſio ſanguinis, qui ſolitus fuerat, aut p hemorrhoidas, aut per mēſtruas purgationes fluere. Nam inde tunc fuit occaſio generandæ inflammationi præſtita, ut in lib. de Rat. curand. per ſect. ven. inſinuaſſe viſus eſt Gal. Quamuis autem in Cap. 1[illegible]
D reuellendo, & ſanguinis miſſio, & purgatio per medicamenta longè alijs vim habeat maiorem: non ſunt tamen, & alia inſtrumenta, vt frictiones, vincula, ſed præcipuè clyſteres aliquantiſper acriores, contemnenda, imo frequenter ſi opportunè tamē illis vtamur, non parum proderunt. Sed tandem ad victus rationem præſcribendam ſermonem cōuertamus, quæ ut non ita controuerſa, quatenus ſanè ad cibum, & potum, quæ in præcipuis ſunt pertinētibus ad hanc rationem, attinet, neque etiam difficilis æquè eſt. Nam cum uniuerſa ferè eorum ratio in tribus conſiſtat: nimirum in quantitate exhibendorum, in qualitate, & tempore, uel opportunitate. Quantitatem metiri oportet per relationem, tū ad
E morbi magnitudinem, vel acutiem, tum uerò ad uirium robur. Vires autem expenduntur, tū ipſas per ſe conſiderando, tum uerò illas conferendo cum morbi uigore. Vnde ſi ualde acutus morbus, & magnus fuerit, tenuiſſimo uictu opus eſt. Acumē uero à duobus accipitur, uel potius à tribus, à morbi uidelicet magnitudine, quantum ad eſſentiam eius ſpectat: nam maior inflammatio, morbus maior eſt, minor uerò, minor. Vel ratione ſymptomatum: unde quando dolor maior, atque adeo etiam magis, quando maior eſt anguſtia, & ſpirandi difficultas, acutior etiam morbus, item quando illum maior concomitatur febris. Ratione uero particulæ affectæ. Quia minoris acuminis, & minus malum eſt, cum muſculi, quàm cum membranæ tentantur in-

flamma-

flammatione, præterquam cum inflammatio corri
pit ſeptum tranſuerſum, & cum ſuperior & inter-
na, quàm cum exterior ſuccingens appellata. Peſſi-
mum vero omnium, cum pulmones. Primum er-
go conſiderandum quantus ſit morbus, & quàm a-
cutus omnibus his inter ſe collatis, & pro ratione
magnitudinis, & acuminis ita tenuis eſt inſtituen-
dus victus ſtatim ab initio. Quo vero mitior, eo &
7. pleniori (ut primo Apho. docuit Hipp.) victu vti poſ
ſumus. Lōgè autem tenuiori antiqui in morbis per-
acutis vtebantur, quàm conſueuerimus, vel poſſi-
mus his noſtris vti, vt pote quoniam affines, & fami
liares omnes reclamant: illi enim ſæpiſſimè ægro-
tantes continebant, ſi valdè acutus morbus eſſet, vſ-
que ad vigorem ſine vllo cibo, ſed ſolo potu, aut mul
ſæ, aut aceti mulſi, aut apomelites: noſtris autem tē-
poribus, vix contenti ſunt hordei cremore. Sed vbi
ex acutie, & magnitudine morbi coniectura artifi-
cioſa inuenerimus rationem cibi, & potus, oportet
deinde bene vires extimare, & cum modum cibi ad
eas referre conſiderareque, vt idem etiam ibi nobis
monſtrauit, an vires illæ ſint, quæ poſſint ſeruari cū
hac tenui victus ratione, vſque ad morbi vigorem,
ne cadant. Nam ſi illæ validæ fuerint. poterunt qui-
10. dem, ſin minus, nequaquam. Vnde licet morbus
videretur victum tenuiſſimum, quantum ad ipſum
pertinet requirere: tamen cum natura ſit, quę vitā
cuſtodit, & morbos depellit: Ideo ſemper ad eius vi
res reſpiciendum, ita tamen, vt tantum reficiamus,
quantum illę duntaxat ſeruentur, ne cadant: non au
tem, vt augeantur: neque enim vires augeri poſsūt,
quin morbus augeatur. Et hoc quantum ad quanti-
tatem. Qualitatis autem illius ſit cibus, ſitque po-
tus, vt præter id quod vires inſtauret, vel foueat, ha-
beat etiam uim aliquam medicamenti; quatenus
concoctionem inflammationis adiuuet; adiuuet
præterea excretionem eius, quod concoctum a na-
tura expellitur. Excernitur autem tandem per tuſ-
ſim & ſputum id, quod a natura expellitur. Conco-
ctionem autem adiuuant, quę innatum calorem iu-
uant, & excitant: eius enim opus eſt cōcoctio. Inter-
dum vero & quæ materiam parant, vt facilior ſit cō
coctu. Nam aliquando, aut craſſior illa eſt, lentaq;,
& tenax, interdum vero tenuior, & acris. Vtrique
autem rei remedio eſt primum ptiſſana, mox & cre
mor hordei, tandem & aqua hordei: qua ratione e-
nim vim habent detergendi, & quoquomodo atte-
nuandi, utilia hæc ſunt, cum tenax, & craſſus eſt hu-
mor: quatenus vero refrigerandi, & leniendi facul-
tate prędita ſunt, conferunt, cum calidiores, & acrio
res ſunt ſucci, eadem vero ratione facilè ſputum, &
excreationem faciunt. Mulſa vero & ipſa longe mi-
nus alit, detergit tamen, & ob multam aquam hu-
mectat, & lenit. Oxymel autem minus omnibus
alit, incidit tamen generoſe & detergit: interdum ta
men ex aceto ſitim excitat. Ex ſiti autem nonnun-
quam lentorem conſequitur id, quod expuendum
eſt, quod poſtea efficit ſputum difficilius. Vnde in-
gruente ſiti, & ſi in his affectibus calida actu proſint
ad facile ſputum, cum tamen æſtus eſt, frigidum ali-
quanto potum dabimus: interdum autem modiciſ-
ſimum quid aceti mulſę indemus, quantum videli-
cet obſtare poſſit, ne ea bileſcat, & modice frigidam
ait Galen. offeremus. Noſtra autem hac ętate uti-
mur violaceo appellato Arabice iuleb: quod refrige
rat, lenit, humectat, ſitim arcet, & guſtui magis gra
tum eſt, id vero diluimus, aut aqua ſimplici, aut hor-
deacea. Voluit autem Galen. cum Hippoc. quod hye
me calidis, & cibis, & potionibus utamur, æſtate ve-
ro modice frigidis, pręſertim potionibus. Nam hye-
me concoctio magis iuuanda, neque enim ſitis eo
A tempore plurimum poteſt eſſe importuna, ęſtate ve
ro magis ſiti conſulendum eſt. Quoniam vero inter
dum reperiuntur, qui aut propter deſuetudinem,
aut delicatos mores, aut ſuapte etiam natura ferre
nequeunt hordeacea fercula, in his oportet alijs uti
ferculis, ſicuti pane loto ex aqua. Lauatur vero,
vt omnis vis fermenti, & ſalis auferatur, cum hęc &
caliditate, & aliqua acrimonia prędita ſint, & deſic-
cent etiam. Sed & ideo panis lauandus eſt, vt minus
nutriat: nam panis citra lotionem plenius nutrit,
quàm poſſit congruere acutis morbis. Interdum ve
ro, vt gratiam huic cibo addamus, cum ſaccharo cō-
dimus, quod illi etiam uim aliquam detergendi adij-
cit, & ſputum facilius reddendi, interdum vero ſuc-
B cum, vel (vt nunc aiunt,) lac dulcium amygdalarum
addimus, ſequentes conſilium Hippoc. qui dixit, ꝙ
cibus parum deterior, gratior autem, & ſuauior a-
lijs pręferendus, qui & ſi alioquin noſtro negotio a-
ptiores eſſent, minus tamē ęgrotantibus grati ſunt.
Poſſemus interdum & farre vti cocto, ut ptiſſana,
quia tamen nimium habet lentorem alimentum,
quod pręſtat, huic incommodo occurrere poſſumus
inſtillato, dum coquitur, aceto modico, & addito iti-
dem ſaccharo. Tempus verò offerendi cibi dupli-
cem habere poteſt rationem in morbis, aliquando
quidem particulatim, ut reſpicit horas diei, nonnun
quam vero in uniuerſum, ut refertur ad tempora
morbi. Quatenus ad primum pertinet, cum ſunt ma Com. 12.
C niſeſtę aliquę acceſſiones in his morbis, ut eas eſſe
uoluit Galenus primo Apho. (ait enim pleuritim ter
tianarias plerunque habere acceſſiones, & cum pe-
ripneumonia à pituitoſo ſanguine, ut illa a bilioſo
ortum habeat, quotidianas quoque habebit acceſſio
nes) ſemper quoad fieri poterit, deuitanda erunt ac-
ceſſionum tempora, cum cibum ſumus oblaturi, eli
gendum uerò tempus remiſſionis ſymptomatum,
ut & Hippoc. eodem primo Apho. monuit. Quod
ſi ſit neceſſe & tempore acceſſionis alere ęgrotan-
tem, parciſſimè illud erit agendum. Quo verò ad
tempus generatim ipſius, dum morbus crudus eſt,
& antequam hi expuere incipiant, (nam cum ex-
puunt, iam incipit coqui morbus) quantum fieri
D poteſt, tenuior uictus ratio præſcribatur, quo au-
tem citius incipiunt expuere, eò & citius plenio-
ris uictus ratio concedenda. Vnde cum non expue
bant antiqui, uel nihil dabant, uel ſolo utebantur
potu, a ſorbitionibus autem abſtinebant, ſi uires
illę erant, quæ poſſent hanc inediam tuto ferre,
cum erat tranſeundum ad hanc pleniorem uictus
rationem, paulatim ad eam deueniebant. Nam pri
mum ſuccum, vel cremorem hordei dabant: mox
ptiſſanam, demum panem, & oua, præſertim ue-
ro vitella eorum. Verum his nō ſunt manus admo-
uendę, niſi ubi aut uirium infirmitas id requirat,
aut iam concocta expuant. Vbi tamen ſputis poteſt
morbus indicari, quia in inflammationibus, aut
E muſculorum, aut exterioris membranę non poteſt
per ſputum aliquid pertinens ad inflammationem
expurgari, ſed hæ inflammationes, cum neque peri-
culum inſigne habeant, neque etiam in admodum
acutis morbis ſint, non exigunt tam exquiſitam ui-
ctus rationem, alijs autem peripneumonia exquiſi-
tiorem. At neque vnum prætermittendum eſt, quia
ſępè committitur error imprudenter ab ijs, qui aſſi-
ſtunt ęgrotantibus, interdum verò & a medicis non
animaduertentibus, quoniam cum maximè incum
bunt, ut ſputum euocetur, & citius, promptiuſque
procedat, uarijs eclegmatibus utuntur paratis ex
ſaccharo candido, & appellatis penidijs, & diadra-
gacantho, aſſumptis omnibus ex ſyrupo, aut uio-
lato, aut ſimilio alio, interdum uerò & eo eclegma-
te,

te,quod ſaponeam iuniores a quadam cum ſapone A
ſimilitudine,appellant,conficiunt autem ex ſaccha
ro albo,amilo ſimul coctis ex aqua uiolacea ad con
ſiſtentiam echlegmatis, cui mox addunt & oleum
modicum dulcium amygdalarum, quæ omnia uim
habent alendi fortaſſe maiorem, quàm cremor hor
dei. Ita ſæpe eam rem, tanquam medicamentum ac
cipiunt, ut dum credunt uti tenuiori uictu, eo lon-
gè pleniori utantur,quàm putent:quod non parum
animaduertẽdum eſt.Ego uerò nunquam inter ini-
tia, dum crudus eſt morbus, illis utor, ſed potius
aut uiolaceo, aut ex ziziphis ſyrupo, aut utroque,
& illis plurimum dilutis,uel ex aqua hordeacea,vel
ex aqua uiolacea,uel ſimplici,ut mihi magis expedi
re uiſum fuerit. Sed ſi craſſior uideatur, & tena- B
cius,id quod expuitur, & proinde etiam difficilius
expuatur, aliquid, aut oxymelitis, aut ſyrupi, qui
quia ex dulci radice nomen, & compoſitionis ra-
tionem habet, appellatur ſyrupus de glycyrrhiza:
in quo eſt moderata uis deterſoria. Si uerò ſit opus
illis uti, quo compactiorem formam, & conſiſten
tiam habent,quæque liberalius nutrire poſſunt, eis
utor: cum iam præterea opportunum uidetur, ob
id, quia coctior eſt morbus, plenius ægrotantem
alere. Et hæc mihi quidem ſatis uidentur, quantum
ad eum ſcopum, qui in præcipuis eſt in his affecti-
bus harum partium, uidelicet facilem facere excre-
tionem per ſputum, ſi de ijs ſit ſermo, quę abſor-
pta,uel delincta ad hoc negotium attinent.Nam,& C
alia ratione huic ſcopo attendimus, uidelicet loca-
libus, & externis medicamentis: nempe balneis,
fomentis, illitionibus, & iſtiuſmodi reliquis, de
quibus ſummatim agemus. Et primum de balneis
communibus ex dulci, & communi aqua paratis,
non de mineralibus, utpote, quæ uires maximas
habent ea ferè omnia præſtandi:quę poſſunt his in-
flammationibus utilia, & commoda eſſe.Quia (ut
Com.60. teſtes ſunt Hippo.& Galen.tertio de Ratio. uict. in
acut.) dolorem lateris, & dorſi leniunt, ſputum
concoquunt,& educunt, reſpirationem faciliorem
reddunt, leuant laſſitudinem, molliunt articulos,
cient vrinam, capitis grauitatem diſcutiunt, nares
etiam humidas efficiunt. Quãuis autem adeo ſit u- D
ſus eorum utilis, non oportet tamen temerè, &
prępoſtere uti, nam ſi eis utamur ante corporis ua
cuationem, cum liquefaciant, & fluidos humores
faciant, augent etiam, eò confluentibus humori-
bus, affectum:euacuato uero corpore, iuuant cõ-
coctionem, & cum coctus eſt, cum humores mo-
ueant,qui neque alioquin ante concoctionem ſunt
mouendi,faciunt ad excretionem. Sed, & id adda-
mus, quod plurima in his conſuetudinis ſit ratio
habenda, quę uidelicet quaſi in naturam tranſierit.
Vnde in locis illis,in quibus multo uſu ſunt balneę,
poſſemus tutius, citius, & frequentius illis uti, ut
apud Turcas,Aſſyrios, Aegyptioſque, ſed & Ger-
manos:non ita autem in Italia. Illitiones autem, & E
fomenta, quorum inter initia utilis eſt uſus in in-
flammationibus, pręſertim cum excretionem iu-
uare uolumus, talia ſint,ut humectando pectus,&
internas partes leniant: pręcipuè quando ſiccus
admodum morbus uidetur, ſicuti ex decocto mal-
uę, cui interdum,& lini ſemen, & caricę,nonnun-
quam etiam radices altheę ſunt addenda. Lini-
menta uerò communia ex eo oleo amygdalino dul
ci, butyro recenti, recenti etiam adipe gallinaceo,
quibus interdum aliqui mucilagines addunt extra-
ctas ex ſemine pſillij,lini, radicibus althee, ſemini-
bus cydoniorum. Sed ſi uideatur poſtea eſſe opus ua
lentioribus, ad ea erit tranſeundum, de quibus in
ſequentibus ſumus ſermonem habituri,ubi de aſth-
mate,& ſuppuratis curandis agemus. Iam enim uo
lumus finem huic tractationi facere,in qua & rei dif
ficultas,& opinionum diuerſitas nos longiores eſſe
coegit,quàm forſitan par eſſet. Sed iã alios affectus
adeamus:qui & ſi non ita acuti ſint, vt hi, non ſunt
tamen minus graues,& difficiles.

De Tuſſi, & aſthmate. Cap. V.

QVia tuſſis ſymptoma eſt,q̃d aſſidet, & conco
mitatur,non ſolum eas harum partium in-
flammationes, de quib. longum admodum
hactenus ſermonẽ habuimus, ſed oẽs ferè earundẽ
partium affectus. Ideo nos etiam operæpretium fa-
cturos exiſtimamus, ſi antea quàm ulterius progre-
diamur, de ea quoque alia dixerimus, non propte-
rea, quia in morbis propriè ſit recenſenda, à qui-
bus ſcopos, & indicationes aliquas, ad curandi
rationem pertinẽtes depromere oporteat, ſed quia
ex ea arrepta occaſione, cauſas deinde, unde illa
excitatur, inquirimus, quæ propriè morbi ratio-
nem habent, quæque etiam rationem curationis
nobis indicant. Eſt itaque tuſſis motus, & veluti
concuſſio pulmonis facta à muſculis mouentibus
pectus, & pulmonem,ut confertim,& maiori vi ex
preſſo, & expulſo aere, ſpirituve prius attracto,
expurgentur, & expientur viæ ſpiritus,& elidatur
quicquid impedit liberum, ac facilem tranſitum
ſpiritus per aſperas arterias. Cum enim nulla in ani
mãte operatio reſpiratione ſit magis neceſſaria, na
tura hoc commentum excogitauit, quod quicquid
in illis reperitur, quod aliqua ratione poſſit obſtare
libero,& expedito trãſitui ſpiritus,id collecto prius
copioſo aere, ac mox expreſſo per contractionem
muſculorum pectoris,& compreſſionẽ pulmonis,
elidat, extrudatque. Nam nihil aliud eſt tuſſis, niſi
(vt Gal.tradidit 2. de ſympt. cauſ.) vehementiſſima Com.4
efflatio, quam natura molitur,ut plurimus ſpiritus
confertim,& celerrimè erumpens,exturbet ea,quę
inſident eius itineribus. Porrò natura ſagax, præter
id,quod aſperam arteriam, & eius ueluti ramos,ex
ſubſtantia carthilaginea compoſuit, ueluti quibuſ-
dam annulis interſtinctam,vt patentior ſemper ſer
uaretur meatus, leui etiam illum quaſi ſubliniuit
membrana,& planiſſima,ut facillimè præterlabere
tur ſpiritus,neque vlla inæqualitate, aſperitateve ex
alliſione impediretur. Vnde,vt idem 2.de fac.ſimp. Cap.11.
med.teſtatus eſt,cum aliquid accidit, ſiue ab exter-
na,ſiue ab interna occaſione id euenerit, quod ali-
quam aſperitatem,& inæqualitatem meatibus arte
riarum aſperarum inducere poſſit, ſpiritus eminen
tes partes oſtendens, illiſque illidens, concutit, &
quaſi contundit eas,ſiue in faucibus, & gutture, ſi-
ue in aſperis arterijs ſit inducta aſperitas. Quare ab
ea læſione irritata natura harum particularum, in-
ſurgit,ut expellat,& tuſſim concitat. Vnde quęcun
que poſſunt meatus ſpiritus exaſperare,in cauſis tuſ
ſis poni poſſunt. Exaſperant autem interdum, quæ
deſiccant mẽbranam interiorem contegentẽ aſpe-
ram arteriam;& fauces. Cum.n. confertim areſcit,
item & exaſperatur. Exaſperat etiam frigus. Vnde
borealibus temporibus,uel conſtitutionibus facilli-
mè concitantur tuſſes. Dixit etiam Hip.5. Aph. q̃d
frigida,vt nix, & glacies, tuſſim mouent, & pecto-
ri noxia ſunt. Hæ ergo intemperaturæ citra etiam
materiam poſſunt eſſe in cauſa tuſſis. Humida ue-
ro,cum potius leniat,niſi adſit humor,qui mole ſua
inęqualem reddat planitiem, non excitabit tuſſim.
Quodlibet ergo corpulentũ,quod illabitur in fau-
ces,mox aſperam arteriam,ſiue durũ ſit, ſiue mol-

le & fluidum, poteſt tuſſim irritare. Niſi quod inter
dum defluit aliquid humoris in aſperam arteriam:
qui tamen, ut non exaſperat, ita neq; tuſſim mouet:
hoc verò fit, quando exiguus admodum eſt is hu-
mor, qui quaſi percolatur, & æqualiter, faciliterque
diductus per omnes partes nullibi conſiſtit ſecun-
dum ſe totum, aut ſecundum aliquam ſui partem,
quæ tumore maiori alias ſuperat. Nam alioquin,
dum bibimus, ſemper aliquid humoris prẹterlabi-
tur per aſperam arteriam, illud tamen modicum,
& quod humectando potius applanet, quàm exa-
ſperet. Cum verò materia aliqua illapſa in hos mea
tus, tuſſim concitat, multas potuit habere occaſio-
nes, cur illaberetur, ſicut multiplex & ipſa eſſe po-
teſt. Nam & ex externa occaſione, & ab interna.
Ex externa quidem ſicuti ſi quis, dum comedit, uel
bibit, loqui uelit, aut ad riſum inuitetur, & cum id fie
ri nequeat, niſi elata ligula, aperiatur meatus aſpe-
rę arteriæ, & guttur illabitur, aut mica aliqua cibi,
vel portio potus: vnde concitata tuſſi non quieſcit,
donec id extrudatur ui tuſſis. Immo ea ratione
ſtrãgulatos quoſdam fuiſſe memoriæ proditum eſt.
Noui alios, qui dum aperto ore reſpirarent, ſicuti in
ter loquendum ſolet contingere, præteruolantem
muſcilionem per inſpirationem in guttur, & inti-
miores partes attraxere, vnde fuit poſtea excitata
tuſſis. Ab interna occaſione humorem ad vias ſpi-
ritus delabi intelligimus, cum ab aliqua particula
noſtri corporis exudans, vel deſtillans, ad arterias a-
ſperas delatus, aſperitatem affert. Exudat autem ple
runque ex inflammationibus internarum, in pecto
re partium aliquis ichor, vel tenuis ab initio humor.
Quare pleuritim, & peripneumoniam ſemper tuſſis
ſequitur: ſequitur & inflammationem tranſuerſi ſe-
pti, prẹterea verò & iecinoris, quando ſuperiorem,
& connexam eius partem, quæ pertinet ad ſeptum
tranſuerſum, tentat inflammatio. Ab his quidem ſæ
pius reſudat humor, vel ichor, qui tuſſim ſolet exci-
tare. Quamuis ab omnibus partibus confluere etiã
materia poteſt, cum iuxta Hippocraticum theore-
ma, omnia ſint confluxibilia, conſpirabiliaque. De-
ſtillat autem frequentiſſime a capite humor, ut quã-
do de deſtillatione, uel catarrho fuit habitus ſermo,
expoſuimus. Cum vero triplex poſſit eſſe differen-
tia humoris à capite ad pulmones, & pectus deſtil-
lantis. Quia aut tenuis eſt, fluida, & aquoſa, aut craſ
ſa & lenta, aut medię cuiuſdam conſiſtentiæ. Diffi-
cilem, & laborioſam admodum tuſſim gignunt v-
trẹque extremę differentiæ, nimirum craſſior, &
glutinoſior, & tenuis & aquoſa, ſed non eadem ra-
tione. Nam propterea difficilis eſt tuſſis, & qua, aut
nihil expuitur, aut parum admodum, cum tenuis &
aquoſus eſt humor, qui deſtillat, quia potius finditur,
& diſpergitur educendus humor, ſubterfugitque im
pulſum aeris, & delabitur iterum deorſum, quàm
quod educi poſſit: at verò craſſus, & glutinoſus, a-
deo annulis, & parietibus meatuum aſperæ arteriæ
hæret, ut uix poſſit, niſi magno, & repetito impul-
2. de m. pt. ca. Cap. 3. de at. uic. Con. 1. p. n. Con. 9.
ſu, inde euelli. Vnde ſpiritus (ut Galenus multis in
locis teſtatus eſt) contendens, & quaſi certans cum
pertinaci humore, ſæpius, & euidenter in eum ut in
de eijciat, irruit: donec ſuperauerit; & id in cauſa eſt,
cur fiat frequens, & uehementiſſima tuſſis. Facilè
verò expuunt, & extuſſiunt quando mediocris fue-
rit ſubſtantiæ. Non modo autem tuſſis, ſed & ſpirã-
di difficultas (ut ſuperius demonſtrauimus) fiat, quã-
do multa eiuſmodi deſtillatio prẹſertim verò craſ
ſa, & uiſcida, ingruit in pulmones, & pectus, quæ
uias, & ſpatia membrorum ſpiritualium opplendo
anguſtiores reddat, ut aliquando propterea cogan-
tur frequentiſſimè ſpirando anhelare, perinde ut q

A ex velociori curſu cõcaluere. Et is affectus aſthma
dicitur, quaſi anhelatio ἀσθμαίνειν. ſiquidem Grẹcè
anhelare ſignificat, & Virgil. vim iſtius uocabuli ex
primere uolens dixit, ſenib. medicatur anhelis. Sed
ſi ad eam anguſtiam ſpiritus deuentum ſit, ut non
poſſint decumbere, ſed cogantur recti ſtare, uel ſe-
dere, alioquin ſtrangulantur ὀρθόπνοια Græcè dici-
tur, ob id, quia recto pectore, rectaq; ceruice reſpira
re coguntur. Hoc uerò illis ex anguſtia quadam nõ
naturali ſuborta in illis partibus contingit, quã ma-
nifeſtè etiam ægrotantes percipiunt. Quæ anguſtia
poteſt multas habere cauſas: Nam aut à multa, craſ
ſa, & lenta pituita, quæ ex capite plerunque deſtilla-
uerit, & pulmonis meatibus, hoc eſt annulis, quibus
B conſtat aſpera arteria interius hærens, & replẽs an-
guſtiores eos reddit. Interdum uerò ex tumore in
pulmonibus ſuborto fit ea anguſtia: quemadmodũ
in peripneumonia fieri ſolet, & quando crudum, et
frigidum tuberculum in eo ſuccreſcit. Differunt ta-
men, propterea quia pulmonis inflammatio non
poteſt ſine febre eſse, ut ſuperius probauimus, cru-
dum uerò tuberculum nulla ſequitur febris. Eſt au-
tem hic morbus (vt tertio Aphor. teſtatur Galen.)
nempe aſthma ſenibus familiaris, tum quia hęc ętas
deſtillationibus non parum obnoxia eſt, tum quia
in ea capitis parte facilè frigent, & multa gignitur
pituita, cerebro facto frigidiori, tum uero, quia fri-
gus reſpirationis inſtrumenta facilè, & ſæpe tentat.
C Quamuis in pueris poſt ætatem, qua dentire ſolẽt,
vſque ad annum tertiumdecimum ſoleat habere lo
cum, ex curſu nimirum humoris multi à capite. Sed
& autumno ſolent aſthmata frequenter homines
corripere: tum (vt ibi docet Gal.) propter retrogreſ
ſum humorem ad interiora, tum propter ſuperue- Aph. 31.
niens frigus, quibus, & id accidere poteſt, temporis
nimirum inęqualitas. Cum autem hos affectus tuſ-
ſis plerunquẽ ſequatur, uel ſaltem ab eadem cauſa,
& tuſſis, & hi affectus ortum habeant, ideo quæ ſu-
perſunt, de tuſſi dicenda, perſequamur. Cõfluit prę-
terea in pulmonẽ, uel pectus ſanguis, qui & tuſſim,
& ſpirandi difficultatem affert. Sed de hoc ſeorſum
poſtea loquemur, quia priuatam habet, & ab his
D magna ex parte diſtinctam curationis rationem. Eſt
autem duplex, quantum ad præſens inſtitutum per
tinet, tuſſis differentia. Nam aliqua ſicca tuſſis eſt,
in qua licet laborantes plurimum tuſſiant, nihil ta-
men extuſſiunt. Alia verò eſt, ex qua non ſolum tuſ
ſiunt, ſed aliquid etiam materiei, quæ tuſſim conci-
tat, extuſſiunt. Cur uerò tuſſis aliqua ſit, qua nihil
tuſſiendo excernitur cum tamẽ ſemper propterea
tuſſis excitetur, ut quod noxium eſt, & lædit inſtru
menta reſpirationis, excernatur; duplex in uniuer-
ſum cauſa eſt. Altera ex parte humoris per tuſſim
excernendi: Altera uerò ex parte facultatis expul-
tricis, quæ pectus, & pulmonem ad excernendum
mouet. Tuſſis enim uehemens eſt motus, qui uali-
E das vires requirit. Vnde in affectibus harum partiũ
illi prẹſertim facilius liberantur, qui facilius expuũt,
atque dum promptè expuunt, nũquam moriũtur,
tunc uerò tandem interimũtur, cum nequeunt am
plius expuere. Ratione autem humoris nihil expui-
tur, aut quia nullus eſt in illis partibus humor, qui
expuendus ſit, ut quando ex intemperie citra ma-
teriam ſit excitata tuſſis. Aut eſt quidem, ſed ine-
ptus, rebelliſq; expulſioni; quod triplicem particu-
latim cauſam poteſt habere. Nam aut propter craſ-
ſitiem, & lentorẽ adeo pertinaciter hæret internis
aſperæ arteriæ ramis, ut nulla deinde vi tuſſis poſſit
inde diuelli. Aut quia nimis defluens, & tenuis. Aut
quia adeo infarctus eſt in particula, ut quaſi deuin-
ctus ibi detineatur: quod aut in crudis, aut in ma-

ſignis inflammationibus ſolet euenire. Vnde & quaſi exitiale ſignum eſt in inflammationibus internis pectoris. Sicut bonum ſignum eſt in his harum partium affectibus liberaliter, & facilę expuere. Optimum verò, cum præterea & concocta fuerint ſputa, nimirum alba, lenia, & æqualia. In referendis autem ſignis, quibus relatæ omnes tuſſis differentiæ diſcerni poſſint, non admodum longi erimus. Nam quæ inflammationes ſequitur, ſignis etiam, quibus inflammationes adeſſe in viſceribus, vt in membrana coſtas ſuccingente, pulmone, iecinore innoteſcunt, cognoſcendæ ſunt de quibus agere non pertinet ad præſens inſtitutum. Sed horum vnumquodque propria habet capita, in quibus omnia, uel tractata ſunt, uel tractabuntur ad illud negotium attinentia. Sed & de ſignis indicantibus ex deſtillatione, à capite fuiſſe tuſſim concitatam, & quibus qualis fuerit deſtillatio cognoſcitur, quo loco ſeorſum de deſtillatione fuit habitus ſermo, ſatis abundè egimus. Quod verò difficultas extuſſiendi pendeat magis a craſſa, & lenta materia: uel potius tenui, & aquoſa: indicat ratio eorum, quæ expuuntur. At vero intemperiem citra materiam indicat; quia licet tuſſiant, nihil tamen expuunt: nulla percipitur in pectore grauitas. Sed & cauſæ ſi præceſſerint, quę vel ſiccitatem, vel frigiditatem inducere potuerint in reſpirationis inſtrumentis. Quia verò ſæpe & cõſenſu aliunde concitari tuſſis poteſt, ſicut a toto (vt in febribus) aut elatis acrioribus vaporibus ad pulmonem, vel quando lienis, vel ventriculi conſenſu, ſicut in eorum inflammationibus, vel tumoribus, quibus interdum compreſſo diaphragmate, reſpiratio impeditur. Cum ore autem uentriculi in primis tranſuerſum ſeptum, & aliæ in hoc uentre contentæ particulæ conſentiunt, & ab eorum affectibus irritantur. Id verò cognoſcitur, quia præcedunt affectus horum uiſcerum, & eos ſequitur tuſſis, quæ aucta febre, uel illis aliorum uiſcerum affectibus augetur, & illis decreſcentibus, declinat. Adeſſe uerò crudum tuberculum in pulmone oſtendet, & ſpirandi difficultas cum quadam in eo percepta grauitate; quæ tamen non repentè ſuborta eſt, ſed paulatim creuerit; ſicuti & tuberculum incrementum habuit, & tuſſis præterea, quæ inde excitatur ſicca, ſed his tandem hactenus expoſitis, rationem hos affectus curandi inſtituamus. Cum tuſſis ſequitur alios aliarum partium affectus; ea tollitur adhibita curatione illis particulis, quæ his affectibus tentantur. Vnde & in ijs locis hoc erat tractandum, ubi de illis affectibus curandis ſermo inſtituebatur. Quapropter neque in pręſentia illa repetemus, quæ pertinet ad tollendam tuſſim ſequentem inflammationes partium contentarum in pectore, vel iecinoris, vel ſequentem febrem: ſed eam ſolum, quæ ſequitur, aut intemperaturas horum inſtrumentorum citra materiam, aut præſentiam materiæ in pectore, uel pulmonibus. Neque etiam in ea curanda tuſſi, uel potius tollenda intemperie cum ſine materia eſt, multum laborabimus, quia ut ſimplex eſt morbus; ita & ſimplex erit curandi ratio. Vnde ſi ex refrigeratione inſtrumentorum reſpirationis occaſionem tuſſis habeat, vt illa non uehemens eſſe poteſt, ita & facilè, uel ſola ſpiritus retentione tolli poterit, atque cohiberi, & uinci. Vehemens enim tuſſis nequit retentione ſpiritus ſuperari, cohiberive. Porro dum ſpiritum, ut ſecundo de ſympt. cauſ. docuit Galenus. continemus, primum augetur calor, in illis partibus, quo frigidior intemperies primum tolli poteſt deinde ſpiritus compreſſus a thorace permeat per omnes, uel anguſtos etiam meatus, & proinde ea

A explanantur, & ad æqualem temperaturam redeũt, quæ & exaſperata, & inęquali temperie a frigore fuerant affecta. At ſi ſpiritus inſtrumenta ex ſiccitate ſint reddita aſperiora, ea præſidio erunt, quæ humectare, lenireque, & applanare poſſunt eas particulas: quale medicamentum illud eſt, cuius Galenus meminit ſexto de ſimplic. medicam. facul. fit autem decocto bugloſſo ex aqua mulſa. His autem temporibus multa ſunt in vſu, quæ maximè huic rei ſunt accommodata, vt ſyrupus violaceus, tam ſimplex appellatus, quam compoſitus; præſertim verò vbi etiam cum ſiccitate aliquis fuerit calor: ſyrupus etiam de ziziphis, quorum confectiones a Meſue deſcriptæ habentur. Sed & diadragaganthum, B ſaccharum candidum appellatum, violaceum, & quæ penidiæ a iunioribus dicuntur; pręterea verò, ſi mucillagines ex ſeminibus cotoneorum malorum, vel pſyllij extrahantur, & commiſceantur cum pari portione ſyrupi violacei, vel iuleb, non parum proderunt. Radix quoque dulcis, vel glycyrrhiza, vt noſtri aiunt, commaſticata, atque eius ſucco deuorato accommodatiſſimum erit medicamentum; eius etiam ſuccus ore detentus, præterea compoſitio illa cuius meminimus, ubi de cura inflammationum harum partium agebamus, & ſaponeam a noſtris nuncupari diximus: ziziphæ etiam, vel (ut noſtri loquntur (iuiubæ, præſertim quę ſaccharo, uel melle conditę ſunt, ore detentę, & quaſi delinctę non C parum poſſunt, necnon & ſebeſten ab Arabibus, myxa verò vel myxaria a Gręcis poſterioribus, fructus appellati maſticati. Sed & ex decocto eorum, ſicuti & zizipharum, & dulcis radicis, poterit vtile cõfici medicamentum, quæ omnia & ad raucedinem vocis ſunt valde vtilia ſicuti & reliquę compoſitiones, quæ a Græcis medicis arteriacę dicuntur; quarũ ſyluam magnam ſcriptis mandarunt Gale. Paulus, Aetius Alexander, & reliqui, in quibus referendis nolumus tempus conterere. Nam ad eius tuſſis curationem properamus, quæ a materia extuſſienda pendet, & quæ etiam difficilior curatu eſt. At quoniam hæc tuſſis differentia magna ex parte ex defluxu materiei, quę plerunq; a capite deſtillat, ortum D habere ſolet, & ab eo etiam defluxu ſæpe diutius fouetur, qui verò a fluxione concitantur affectus, dũ fluxio manet, perinde ſe habent ſicut cæteri, qui in generatione ſunt, in quibus duę ſunt partes, altera quę iam facta eſt, altera, quę futura eſt. Ita igitur & in hoc negotio, dum manet deſtillatio, neceſſe eſt ſemper aliquid defluxiſſe, aliquid etiam eſſe, quod fluxurum ſit, niſi obſiſtatur. Similiter & in curatione duplicem eſſe ſcopum oportet, & duplices vigere indicationes. Nam & cauſæ prius deſtillationis, & defluxionis inhibendę ſunt. Poſtea verò fluxa materia ad pulmones, & pectus expurganda. De ratione verò, qua non modò inhibendę, ſed etiam tollendę ſunt deſtillationes, & defluxio- E nis cauſæ copioſè, & ſępe in exponendis affectibus de quorum curatione in prioribus libris egimus, diſſeruimus. Vnde reliquum eſt, ut de ijs, quæ ad præſens negotiũ pertinent, agamus, habita ratione iam defluxę materiæ, & morbi facti, qui ꝓprius eſt harum partiũ affectus, neq; ab alio cum alijs conſenſu fouetur. Hoc tamen (vt nuper diximus) prius animaduertendum, quòd cum conſiſtit quidem omnino fluxio, ſimplex ferè eſt curationis ratio; vt pote quæ ſolum materiam reſpiciat, quæ reliqua eſt in pectore, & pulmonibus repreſſa iã deſtillatione: dũ verò nondum omnino cohibita eſt fluxio; ſed materia adhuc fluit, non ita ſimplex erit curatio; quia partim fluxit, partim adhuc fluit: & proinde neque ſimplicem curationem requirit; quia quatenus adhuc

huc fluxit,ijs eget,quæ fluxionem inhibent, quatenus uerò ad id,quòd iam receptum eſt, pertinet, eget,vt paretur ad excretionem,natura enim eſt,quę mouet inſtrumenta hæc ad excretionem,concitata tuſſi. Materia autem ita vi medicamentorum parãda eſt,vt ſit apta per impulſum aerẽ facilè elidi. Vnde cum duplex ſit materia,quæ defluere ſolet: nam aut tenuis,& admodum aquoſa,& fluida, aut glutinoſior,& craſſior ubi tenuis,& aquoſa defluat, eiſdem medicamentis uſi, vtrique muneri poſſumus ſatisfacere,nempe & fluxionem quoquomodo inhibere,& fluxuram reddere aptiorem ad excretionẽ. Etenim,quia ob tenuitatem fluidior facta magis prę cipitanter deſtillat,ſi craſſior fiat, non ita facilis ad fluxum erit,ſed cum propterea, ut paulo ante diximus ægrè excutiatur, & excernatur, quoniam ab impulſu aeris diſpergitur,& ita ſubterfugit eius plagam,ut iterum deorſum delabatur, ſi conſiſtentia craſſior reddatur,facilius elidet,& excutietur. Quæ ergo incraſſant defluentem humorem, illa & ad ſiſtendam fluxionem faciunt,& ad facilè ſputum, ea uerò ſunt,ſicut ziziphæ, ſeu iuiubę,uel ita ſimplices vel ſaccharo conditę, propterea & protulaca,vel & ipſa condita,vel ita cruda manſa, uel in ferculis cocta. Sed & ſuccus ſeminis papaueris albi (lac vulgares appellant)ſiue ſorbeatur paulatim,ſiue eo os abluatur,& gargarizetur,ſiue illo fercula parẽtur, prę ſertim uero prodeſt,quando calida,& ſalſa fuerit deſtillatio. Præ his autem omnibus vim maiorem habet medicamentum id,quod ex capitibus papaueris conficitur,à quibus etiam nomen habuit: Græcè.n. διὰ κωδειῶν dicitur, quod his temporibus in rotulis ex ſaccharo,vel in orbiculis conficitur, perinde, vt cætera medicamenta, quæ quia quaſi dulciaria quædam uidentur,paſſim in pręſentia confectiones nominantur. Priſcis autem temporibus interdum ex ſapa,interdum uerò ex melle conficiebatur,redactum uidelicet ad conſiſtentiam eclegmatis, quo ẽt delingendo utebantur,ex ſapa quidem, cum tenuis, & calidior erat deſtillatio, quia minorem vim attenuandi,detergendique habet ſapa:in craſſiori verò & lenta,ut tenuior fieret, & per deterſionem facilior ad ſcreatum,ex melle parabant. Vt tamen, & his illud addamus,quòd,dum inſignis, & copioſus defluxus eſt, non poteſt eſſe valde craſſa materia defluens,unde ad ſiſtendam deſtillationem ſemper illis vtimur,quæ aliquam vim incraſſandi habẽt. Quare in his etiam utimur medicamento diacodion,nõ ex ſapa, ſed ex melle confecto, præſertim uerò in principijs deſtillationum ijs utimur,quæ uim habẽt materiam craſſiorem reddendi,quia poſtea dum aliquanto tempore ibi morantur, nimirum in pectore,& pulmone, à calore loci quaſi excocta craſſitiẽ, & lentorem contrahunt,perinde, vt reliqui ſucci, dum coquuntur. Præterea uerò,& illud conſiderãdum,quod nos monuit Gal. ſeptimo de Comp. medic. ſec. loc. nempe quod hæc quidem remedia, & medicamenta leuia,& facilia ſunt,familiariaque:aliquando uero adeo præceps eſt impetus deſtillantis humoris, ut neque his familiaribus medicamentis vinci, & inhiberi poſſit,nec deſit tamen timor, ne irruens ad pulmones,& partes ad illos pertinentes, aliquam illis labem inſignem afferat, præſertim ſi acris fuerit deſtillatio. Vnde poſtea cogimur ualentiora aggredi remedia, qualia ſunt,quæ opium accipiunt,uel corticem radicis mandragoræ,vel alterci, vel hyoſcyami ſemen,cui addunt & aromata, & alia ſimplicia ſeminaque,& herbas, quæ calefaciunt, & exſiccant inſigniter,atque tenuibus partibus cõſtant,ut uidelicet ratione opij,& aliorum refrigerãtium fluxio cohibeatur,ab alijs autem calefacienti-

A bus,& ſiccantibus exſiccata fluxio conſumatur,cui & hoc accedit,quod pars illius ab his attenuantibus ad vias vrinæ deducitur. In hoc ordine eſt medicamentum Philonis Tharſenſis medici, quod philonium ab eo nomen habuit,& theriaca,uel mithridatica antidotus, dum recentes ſunt, & alia id genus multa, quæ tum apud alios tum in libris de Comp. med. ſec. loc. reperiuntur ſeptimo uidelicet libro, in quibus referendis nolumus conſumere tempus. Sed tranſeamus ad rationem curandæ tuſſis ex craſſa,et lenta materia, quæ iam in inſtrumenta reſpirationis decubuerit,& ſubinde aſthmatis,uel orthopneę. At uerò,quia non ſimplex eſt iſtius affectus ratio; ſed quæ duplicem habeat cauſam, ideo & duplices

B habet differentias,quamuis utraque cauſa in unam conueniat rationem, in uniuerſum ſiquidem utriuſque differentiæ cauſa eſt cruda, & craſſa materia. [Nam de ea ſpirandi difficultate, quæ comes eſt inflammationis pulmonum, in pręſentia non loquimur, vtpote quoniam ſatis ſuperque de ea prius egerimus] cruda verò materia, uel contenta eſt in ſpatijs pectoris,& meatibus pulmonis eos anguſtiores reddens,& pene obſtruens,vel abſorpta in ſubſtantia eius illum,excitato tuberculo crudo, & duro,in tumorem attollit. Vt ergo harum differentiarum ortus partim idem eſt,partim diuerſus: Ita, & earum curatio partim una eſt,partim diuerſa. Nam unus communis utriuſque ſcopus eſt,vt materia ex

C trahatur,& uacuetur, quæ in his affectibus tantum negotij faceſſit. Quoniam uerò lentor, & craſſities vacuationi obſiſtit,ideo attenuantibus imprimis opus eſt,vt aptior,ac promptior ad vacuationem reddatur. Ergo,& victus attenuantis ratione opus erit, cuius tanta vis eſt in iſtius generis morbis, ut ea ſola (quemadmodum in lib. de Atten. vic. teſtatur Gal.)plurimi adeo profecerint,vt vel penitus liberati fuerint, uel longè rarius, & leuius fuerint cruciati. Opus præterea erit, & extenuantibus medicamẽtis. In eo tamen differunt curationes hæ,quod particulatim quidem craſſa materia, & lẽta,quæ ſpatiũ pectoris occupat, & uias in pulmonibus per aliam rationem uacuari poteſt,per aliam ea,quæ in tuber

D culo infarcta eſt,prior.n.nõ niſi per tuſſim,& ſcreatum excerni poteſt,altera uero per digeſtionem,vel diſcuſſionem. Quare curatio difficultatis reſpirandi quam affert tuberculum crudum in pulmonib. extuberans, perficienda eſt medicamentis, quæ vim habeant attenuandi, digerendique, & deſiccandi; qualia ſunt ea, quæ calida ſunt, & tenuiorũ partiũ, qua ratione, & reliqui id genus tumores curantur, qui profundiores in corpore particulas occupant. Vnde in his medicamentis utilis imprimis eſt aromatum mixtura,quæ prętereа, & vim calefaciendi habent, per hęc enim facilius materia tuberculi digeſta uacuatur. At cum a glutinoſa materia hęrente vijs ſpiritus fit aſthma cum ea ſit pręſertim tuſſi e-

E ducenda,educi autem facilè nequeat:niſi prius incidatur,& abſtergatur à ſummis partibus, quibus tenaciter quaſi glutinum hęret, poſtea impetu, & vi tusſis impulſa educatur,medicamentis attenuantibus quidem opus eſt, ſed quę pręterea deterſoria vi prędita ſint,& inciſoria,ut tamen neque plurimum calefaciant,neq; inſigniter deſiccent. Calida.n. (vt eodem ſeptimo de Comp. med. ſec. loc. docuit Gal.) craſſam materiam, & lentam diſſolutis tenuiorib. partibus,ſi inſigniter calefaciant,craſſiorem,& uiſcidiorem reddunt,& proinde magis lędunt, quàm profint. Quemadmodum neque ea etiã utilia ſunt, quæ inſigniter refrigerant, ut quę uel opium accipiunt,uel mandragorę radicem,uel alterci ſemen, aut cicutam,uel id genus alia ſoporifera. Sed neque

aſtrin-

aſtringentia. Deſiccantia etiam ualentiora propterea declinanda ſunt, quia & ſi materia (quantum ad ipſam pertinet) abſterſa, & ueluti abſciſa à parte, cui hærebat non amplius renitatur expellenti, uel impellenti ſpiritui, ut tamen a ſpiritus inſtrumentis facilius euocetur, eget aliqua humectatione. Vnde medicamenta, quæ humoris ſunt ualdè expertia, ab hoc negotio ſunt aliena. Et proinde neque uinum in hoc morbi genere eſſe interdicendum ibidem cẽſuit Gal. vt tamen neque hoc ſit concedendum inter initia, dum copioſè deſtillat materia, ſed poſtquã fluxio, aut omnino, aut maxima ex parte conſtiterit. Verum neque deinde par ratio illud adminiſtrãdi eſt utrobique. In ea enim difficultate ſpirandi, quę à tuberculo in pulmone excitatur, non eſt opus multo potu, cum deſiccatione egeat: liberalior uerò utilis illis, in quibus craſſa, & lenta materia inſidet vijs ſpiritus, cum humectatio faciat faciliorem excreationem. Sed particulatim agamus de ijs medicamẽtis, quæ magis his temporibus ſunt medicis familiaria, maiorique in vſu, ab illis incipientes, quæ faciliora, ac leuiora ſunt. Nam, & ita ratio requirere uidetur; vt niſi præceps, aliquod periculum cogat, ut in acutiſſimis morbis interdum cogit neceſſitas, ſtatim aggredi ualentiſſima medicamenta, alioquin à lenioribus ſemper incipiamus. In medicamentis ergo faciliobus, quæ incidendi vim habent, eſt oxymel: quod & modeſtè etiam detergit, atque ut acidum magis, uel minus erit, quia plus minuſve aceti acceperit, uel acetum fuerit acrius, ita & ualentius erit medicamentum in incidendo, & hoc habet commodi, quòd licet adſit febris, ea tamen non accenditur magis. Sed, & mulſa confert excreationi, ut quæ humectet, & detergat, cùm qua ſi aliquid, aut fœniculi radicis, uel ſeminis aniſi, vel cinnamomi incoquatur vim maiorem attenuandi habebit. Sed, & mel uiolaceum mihi ſæpe fuit in vſu, & profuit præſertim uerò calentioribus temporibus, & in febricitantibus, ac plurimum ſitientibus ſed, & qui ex dulci radice, vel vulgo ex liquiritia appellatur ſyrupus utilis eſt plurimum. His autem valentiora ſunt ſyrupus ex hyſſopo confectus, præterea uerò, & ille etiam magis, qui ex praſſio, hoc eſt, ex marrubio conficitur, vterque uero a Meſue deſcribitur: his autem ualentioribus ſolemus vti, quando inueteratus iam morbus eſt, & hi quidem attenuant, & detergunt. Vim verò eximiam in incidẽdo has craſſiores, & glutinoſiores materias habent acetum ſcylliticum, oxymel ſcylliticum, & ſcylla aſſata (vt aſſari eam docent medici) ac deinde trita, & ex melle aſſumpta, & redacta in formam (vt dicunt nunc) electuarij. Medicamenta ſiquidem omnia ex ſcylla parata vim maximè in his affectibus habent, vtpote quoniam mirificè extenuant, & diſſecant craſſos, & lentos humores, neq; tamen plurimum calefaciunt. Modus uerò uſus eorum eſſe põt duplex. Primus, vt diluta hæc medicamenta ex aliqua aqua huic negotio accommodata, vel ex aliquo decocto congruo his morbis mane, vt aliæ ſimiles potiones dari ſolent, ieiunis per tres, vel quatuor horas antę cibum exhibeantur. Alter uero, ut ea in modum eclegmatis delingantur, ſi craſſioris fuerint conſiſtentiæ, aut pitiſſando paulatim abſorbeantur. Prior autem modus magis aptus eſſet, quando vellemus non modo parare eam materiam, quæ in thorace eſſet, uerum multa eiuſmodi eſſent excrementa cruda digeſta per uenas in habitu totius corporis. Alter uero particulatim accõmodatior eſſet parandæ materiæ, quę particulatim inſidet uijs ſpiritus contenta intra thoracem, in trãſitu.n. qui ſit paulatim per gulam, dum delingitur, ab ea reſudant, & exuguntur eius tenuiores partes ab aſpera arteria, quæ gulæ hęret. Nam cum iam in uentriculum deſcenderit, parum amplius prodeſſe poteſt, adeò.n. longa eſt uia, ut antequam eius vis pertingere ad pulmones poſſit, omnino ferè euanuerit. Sunt uerò plurima, cum ſimplicia, tum etiã compoſita medicamenta, quę plurimum in his morbis ualent, præcipuè verò cum inueterauerint. Inter ſimplicia radix iridis, & optima eſt, & plurimum à præſtantisſimis medicis commendatur: galbanum quoque, & naſturtij ſemen, & ariſtolochia rotunda, hyſſopum, marrubium, calamenthum: vrticę etiam ſemen vim magnam in his habet, & myrrha, & hęc quidem calidiora ſunt. Temperatiora verò adianthum, capillus veneris: tusſillago, quam ſuffitu etiam ſuo, ore nimirum hianti excepto fumo prodeſſe tradit Gal. ſexto de Simpl. med. fac. pulmo etiã uulpis, ut ars requirit, paratus, exſiccatusque, & in puluerem redactus: cuius drachmas duas dari iubet ex aqua, vel decocto aliquo, amygdalæ etiam dulces, & magis amaræ, nuclei pinearum cũ ſaccharo, aut melle, optimi ſunt ad purgandum pectus: caricę etiam pingues, & paſſulæ pingues, ac dulces fructus quidem ipſi comedi poſſunt, poſſunt, & triti, & aliquo ſyrupo accommodato aſſumpti deduci ad modum, & formam eclegmatis, poſſunt & cibi ſuccis eorum condiri, præſertim uero pinearum, & amygdalarum, alijs uero, uel aridis ex aqua, aut ſyrupo aliquo uti poſſumus, uel in decoctis. Compoſita verò vtilia huic negotio ſunt, ut theriaca, mithridatũque, & aliæ maiores antidoti, cyphi etiam, quod ingreditur mithridatiam antidotum, nec minus ét vtilis eſſe poſſet confectio, quæ cyphoides à Gal. 8. de Com. med. ſec. loc. dicitur, & deſcribitur. Simplicius autẽ, & paratu facilius (quod tamen aſthmaticis non parum prodeſſe poteſt) eſt id cuius meminit primo de Alimen. facul. conficitur autẽ hoc modo, palmulæ pingues, & fœni græci ſemina pari ferè põdere coquenda ſunt ex aqua, quibus coctis humor eſt exprimendus, at illi immiſcendum eſt copioſum mel, quantum uidelicet indendũ eſſet, ut fieret ſyrupus: rurſumq; ad craſſitudinem mellis coquenda ſunt omnia, quod medicamentum ſummo mane ieiuno ſtomacho, vt reliqui ſyrupi, dandum ita ſeorſum, uel dilutum aliquo decocto. Simile medicamentum deſcribit Meſue capite de aſthmate, ſed pro palmulis paſſulas accipit errore forſitan, uel librariorum, uel tranſlatoris, at mea quidem ſententia utroque modo utiliter parari poteſt. In hoc autem aſthmatico affectu duo ſunt medicamenta, quę & maximopere cõferunt, & ſummis ab omnib. efferuntur laudibus, quando corpus expurgandum eſt, ſicut omnino interdum illud purgare opus eſt. Primum eſt agaricum, quod præter uim purgatoriam, quam habet, particeps quoq; eſt facultatis abſterſoriæ, & attenuatoriæ, ſolitus autem ſum ego hoc modo uti, accipio agarici trochiſcati, uel (vt aiunt) præparati drachmas duas, & illas ex oxymelitis ſexquiuncia, uel paulo plus diſſoluo, deinde per uices do, quantum caperent duo noſtra cõia cochlearia, ne confertim agitetur materia craſſior, ſed paulatim uacuetur, & interim detergatur, & attenuetur. Alterum uero medicamentum eſt ius galli decrepiti paratum ex arte, docuere autem tum Dioſcorides; tum Meſue illud parare, in quo à uarijs diuerſa ſimplicia imponuntur, prout ſcopi accepti a ratione morbi oſtendunt eſſe agendum. Alij.n. ſemen cnici, carthamũ Arabes appellant. Alij polypodiũ. Alij marinã braſſicam. Sed de his ſatis. Vnum tamẽ nõ eſt prætermittendum, qđ Meſue monet, prius tamẽ Gal. citata auctoritate; quod cum aſthma plerunq;

periodi-

periodicus ſit morbus,quia aliquando per certas periodos adoritur; interdum uerò per incertas, & uagas:quæ hactenus inſtituta curatio eſt, maximè ſeruanda eſt, quando non vrgent acceſſiones quia acceſſionum tempore leuius tractanda eſt curatio, & (vt vtar Meſ.vocabulo) illis potius blandiendum,neque valentioribus remedijs agendum,ne vehementius commota materia maius ſtrãgulationis afferat periculum, ſed illis agendum tam exterius adminiſtratis,quam interius aſſumptis, quæ maturant materiam,leniunt pectus,& moderate aperiunt,& detergunt:tempore verò intermiſſionis, vel remiſſionis,valentius tractanda ſunt omnia.Quę vero exterius adhibita conferunt,alia leniunt,& molliunt,vt butyrum,adipes prȩſertim gallinaceus, & anatis,& oleum amygdalinum,violaceum, mucillagines,maximè verò altheç. Alia verò digerunt magis,vt oleũ amygdalarum amararum, oleum ex uiola citrina confectum, cheirinum Arabes appellant, & quod ex albis lilijs, item & yrinum, & id genus alia olea, & adipes etiam, qui cum his conueniunt. Quędam autem deſiccant, vt ſi his adderetur puluis iridis, & alia id genus.

De ſanguinis ſputo. *Cap. VI.*

SAnguis, qui interdum per ſputum reiectatur, ſymptoma quidem eſt,quod aut in genus excremétorũ,quæ a naturali ratione mutata ſunt, referendũ eſt, vel in vitiatam actioné. (Neq; enim de hoc alioquin in præſentia volumus diſputare, cum neque plurimi referat,quantum ad primũ noſtrum inſtitutũ pertinet.)Et quamuis proximè ab ore prodeat;quia tamen quando vitio oris, vel partium oris expuitur, res non eſt multi momenti:maximi verò quando ab infernis partibus præſertim ab hoc, qué ventrem ſuperiorem appellauimus, occaſionem habet.Ideo,de hac in hoc libro, & in morbis pertinentibus ad has particulas ſermonem habere voluimus. Et vt recta uia incedamus, neque rem confundamus, ſequemur hunc ordinem. Primùm exponemus partes omnes, a quibus ſanguis effuſus poſſit ſputo reijci, ac quibus argumentis id diſcerni, & cognoſci queat. Deinde verò, quæ & quot poſſint eſſe cauſæ,cur ſanguis è uenis effundatur, cum enim nullo ferè alio loco ſanguis ſecundum rei naturam contineri,& ſeruari poſſit (vt omnes medici teſtantur)niſi in venis, & corde: neceſſe eſt, vt a uenis earum particularum, vnde effluit, effundatur:& cum omnis ſanguinis effuſio, ea excepta,quę fit per menſes ab vtero, vt docet Gal. tertio de ſym. cauſ. fit ex toto genere prȩter naturam, neceſſe item eſt,intercedere affectionem aliquam præter rationem naturę illius particulæ, a qua ſanguis effunditur,& illa affectio propriè morbus erit, qui primam rationem curationis nobis indicat. Vnde ſecundo loco ad noſtrum officium pertinebit,has cauſas omnes ſcrutari,& ſigna inueſtigare, quibus illæ cognoſci poſſint. Demum rationem inibimus, & methodum conſtituemus, qua valeamus unicuique earum propriam accommodare curationem. Primum itaque hoc tãquam fundamentum iaciamus,quòd ſanguis,qui ab ore expuendus eſt, oportet, ut uel ex aliqua earum particularũ effluat,quæ in ore, & faucibus ſunt:vel, ſi aliunde prodeat, neceſſe eſt,vt ab ijs feratur, quæ viam aliquam, vel meatum aliquem habent pertingentem ad os, vel fauces. Tres autem ſunt meatus, qui ad fauces tendunt. Primus quidem ſuperior,qui à capite, & cerebro ad interius palatum intra columellam terminatur, ſuperius verò in vnum coit cũ illo,qui ad nares pertinet. Duo verò alij ab inferio-

A ribus ventribus aſcendentes ad intimas fauces pertinent.Quorum alter a ſuperiori ventre,ab ipſis nimirum pulmonibus aſcendit, & eſt aſpera arteria. Alter verò ab inferiori, nempe a vétriculo,& eſt gula,quæ Græcè tum œſophagus,tum ſtomachus propriè appellatur. Vnde ſi aliunde non poteſt effundi ſanguis, qui ob nullam oris partem malè affectam expuitur, neceſſe eſt, vt vel ab his meatibus, uel per hos meatus in os feratur. Quare vel a membris capitis; vel ab illis, quæ in pectore ſunt; uel ab illis, quę aliqua ratione ad uentriculum pertinet. A capite quidem ſanguis defluit, eadem penitus ratione; qua & fieri profluuium ſanguinis ex naribus, & ab eiſdem ferè venis, præter quam quando è uenis in B meatibus narium effertur: ab ore verò, quando vel eroduntur, vel inciduntur, vel aperiuntur venæ in ore, vt de venis narium diximus. Quòd ſi aliquãdo a ventriculo per gulam, vel a pulmonibus per guttur,& aſperam arteriam,effertur,duplicé poteſt rationem habere. Nam vel poteſt (vt quarto de locis affectis Gal.docuit,& nos etiam monuimus in principio iſtius libri,a capite per palatum deſcendens,& quaſi deſtillans verſus guttur, gulamq; delatus, per aſperam arteriam ad ſpiritus inſtruméta ferri, ac inde mox concitata tuſſi, ad os repulſus ſputo reijci, vel per gulam ad uentriculum, atque inde vomitu poſtea reiectari : poteſt & ex venis aut uentriculi effundi in eius ſpatium,& vomitu ad os expelli, uel C ex venis pulmonis aliqua ratione(vt dicemus)apertis,tuſſi ad os impelli, & mox ab eo expui. Sed ſputum ſanguinis, quod occaſionem habuit ab aliquo capitis, vel ventriculi affectu, eatenus duntaxat ad præſens hoc inſtitutum pertinet, quatenus qua ratione diſcernendum ſit ab eo, quod occaſionem habet a vitio aliquo primario harum partium, de quibus præſens ſermo in hoc libro fuit inſtitutus, exponamus. Conuenere itaque omnes, tam antiqui medici,quàm recentiores,quòd modus,quo ſanguis reijcitur,locum primariò affectum in ſputo ſanguinis ſatis apertè oſtendere poteſt. Quia ſanguis è capite defluẽs excreatione facili expuitur ab ore, ſine alio alterius interioris particulę labore, uel motu: D A uentriculo, non niſi uomitu: A thorace uerò, uel pulmonibus,tuſſi. Sed modus tuſſis locum,unde effunditur,oſtendit. Nam ſi ex aſpera arteria,ex parte quidem propinqua gutturi eruperit, prȩter id, quòd non poſſit eſſe copioſus ſanguis; quia illius loci uenæ exiguę,& anguſtæ ſunt:modica, & leui tuſſi excernitur. Quo verò ex profundioribus partibus, maiori ui tuſſis,& difficilius excernitur. Diſcernitur autem ſanguis, qui defluxit a capite ad guttur, & pulmones, atque poſt tuſſi reijcitur, quándo quidem is magis ater eſt,& grumoſus:clarior,& rubicũdior, qui ex pulmonibus. Præterea præceſſere ſigna,quæ capitis plenitudinem oſtenderent, ſicuti eius grauitas,venarũ in eo tumor, & plenitudo, faciei rubor, E calorque, adhęc ſi copioſo ſanguine reiecto factus ſit ille leuior,demum plerunque, cum ex capite deſcendit, aliquid etiam ſanguinis per nares emungitur, & id propter connexionem, & coalitum meatuum narium cum meatu, qui palatum pertingit. Sed ad ea, quę ſpectant ad prȩſens inſtitutum, reuertamur. Cum itaque conſtiterit reiectum ſanguinem effundi ex inſtrumentis reſpirationis, neceſſe deinde eſt,& illud inueſtigare, ex qua particula. Nã poteſt ex venis,quæ in thorace ſunt,fuiſſe effuſus:de quibus egimus, vbi tractabamus ea,quę attinent ad inflammationes earũ partium: Aut ex venis in pulmone: Aut ex venis aſperæ arteriæ,& gutturis. Præterea,aut per eroſioné: Aut per fracturam: Aut per apertionem oſculorum venarum: Aut per reſudatio-

Cap. 5.

nem: cuius cauſa eſt, vel raritas tunicę venarum, vel tenuitas ſanguinis. Cauſę verò horum omnium in initio iſtius libri ſunt expoſitę, & ideo non repetendę. Sed ſolum id explanandum eſt, quibus uidelicet ſignis hęc omnia cognoſci poſſint, quę tamen aliqua ex parte expoſita ſunt. Cognoſcuntur enim hęc omnia, & ex ratione tuſſis; & ex colore ſanguinis, & ex copia ſanguinis. Ex tuſſi quidem: Quia quæ ex thorace excernuntur, non poſſunt niſi valida, & lõga tuſſi excerni. Quę ex pulmone, aliquanto minori. Minima uero, quæ ex ſuperiori parte aſperę arteriæ propè guttur. Ex colore uero ſanguinis, & eius qualitate: Quoniam ſanguis è venis thoracis craſſior eſt, & magis ater. Tenuior autem & rubicundior, qui ex venis pulmonis: Qui verò ex ſubſtantia pulmonis, præterea & ſpumoſus eſt. Sed neque neceſſarium eſt ſanguinem, qui è venis in pulmone effunditur, eſſe ſpumoſum (quemadmodum Galen. 5. Aph. docet) vt tamen multi nõ aduertentes credũt:
Cõm. 13. Rubicundus quidẽ eſt. Sed is demum ſpumoſus eſt, qui exeſa ſubſtãtia pulmonis effunditur. Cui & hoc addendum, quod cum in tuſſiendo percipitur in pectore dolor manifeſtus, ſignum eſt, aut eroſam, aut fractam fuiſſe venam in pectore. In pulmone enim exiguus admodum, & obſcurus ſenſus eſt, & ideo neque dolori obnoxius eſt. Ex copia ſanguinis excreta poteſt item depromi euidens argumentum. Quando quidem non poteſt effundi confertim, & copiosè ſanguis, niſi ex venis maioribus, quales ſũt quæ in pulmone, uel in intercoſtalibus appellatis muſculis. Maior etiam copia ex pulmone, quam ex thorace ſolet effundi. Ex gutture uero, & venis in aſpera arteria nõ poteſt, niſi exiguus, expui ſanguis. Quia vero multiplex (ut diximus) eſſe poteſt cauſa eruptionis ſanguinis, ita in his, ſicut in alijs partibus videlicet eroſio, fractura, apertio oſculorum, & reſudatio ob tenuitatem ſanguinis, & raritatem venarum. Cum ſanguis multus eſt, non poteſt id ex reſudatione fieri, item ſi craſſior fuerit. Si verò ſit facta effuſio, ob eroſionem uenæ, non ſtatim a principio expuitur copioſus ſanguis, & confertim, ſicut quãdo frangitur, ſed primum modicus, mox uero catenus copioſior, quatenus progrediente eroſione magis dilatatur foramen. At cum eroſio fieri nequeat, niſi ab acri, & abradente fluxione, ideo ſolet ſalſa, uel amara, acriſque præcedere deſtillatio, vel ſanguis, qui expuitur ipſe uitioſus, & acris, quod oſtendit eius ſapor ſalſus, amarus, uel acris. Si confracta uero eſt, id non poteſt accidiſſe, niſi aut per diſtentionem uenarum, aut alliſu duræ alicuius rei. Nam ex plaga, ſi inanes ſint venæ, tunduntur, ſin autem plenę, franguntur. Diſtenduntur autem a nimia plenitudine, vel ſanguinis, uel flatus, uel ex multo ſpiritu in ipſis per compreſſionem clauſo, ut in magno conatu, & nixu corporis, in magna uoce ui emiſſa, in nimio labore, & id genus reliquis. Ea uero omnia indicantur, uel ex corporis grauitate, cum venarum plenitudine, & colore rubicundo corporis, uel ex tumore uenarum, ſiue grauitate, quæ multa ſit, & ſine inſigni rubore. Contentio uero, labor, & retentio ſpiritus, & eius expreſſio uiolenta, ipſa ſe indicant. Venarum autem apertio, aut ex facultatis contentricis imbecillitate, quæ continere nequeat ſeruatum eatenus ſanguinem, aut ex irritata facultate expultrice a multitudine, uel a uitioſa humorum qualitate, quæ ipſa ſuis ſignis diſcerni poſſunt, quibus cacochymia diſcernitur a plethora. Si uero imbecillitas ſit in cauſa, ex corporis infirmitate id percipietur, & præcedentibus cauſis, quę uim habent corpus imbecillum reddendi. Reſudationem denique & ſanguis (ut diximus) ſubſtantia tenuior, & modicus oſtendet, &

A calidæ intemperaturæ ſigna, a calore enim & ſanguis attenuatur, & colliquatur, & rareſiunt uenarũ tunicæ. His autem ita examinatis, & perpenſis, & cognito, unde occaſionem ſputum ſanguinis habuerit, accommodatis remedijs illi cito occurrendum eſt, alioquin enim ad eos morbos deducit, in quibus nulla amplius relinquitur ſpes curationis. In hunc autem modum illi occurrendum eſt.

Quomodo curandus ſit affectus, ex quo quis ex labe ſpiritualium membrorum ſanguinem expuit. Cap. VII.

B SAnguinis ſputum, licet ſymptoma ſecundum ſe unum ſit, nõ tamen unicus ita deinde affectus, quem id ſequitur, ſed plures, ut ex illis, quę ſuperiori capite fuere expoſita iam ſatis cõſtat, cenſendi ſunt, nec modo plures ſunt ratione affectionis, quæ in cauſa eſt, cur ſanguis in os effundatur, atque inde expuatur; uerum & ratione loci illius, qui primum affectus: immo maior ferè diuerſitatis ratio a diuerſitate affecti loci, quantum ad curandi rationem attinet petenda uidetur, ſaltem quatenus ad medicamẽtorum materiam, & modum ea adminiſtrandi. Nam cùm eædem ſoleãt eſſe cauſæ, ob quas ſanguis è corpore excernitur, undecunque excernatur, nimirum aut eroſio, aut fractura, aut apertio, aut rarefactio uenarum, aut tenuitas ſanguinis. Ita & eędem
C ſunt indicationes in uniuerſum ab his depromẽdæ, & ſcopi, qui ab eis eliciuntur, nempe & qui contraria affectioni nobis oſtendunt, & qui pręterea, ſi qd ſit, quod obſtet, quo minus poſſint per accommodata remedia ea præſtari, quæ ab ipſis ſcopis indicãtur, ea omnia prius remouenda, & arcenda eſſe demonſtrant. Materiam tamẽ remediorũ, hoc ipſum, quod ſcopi oſtendunt, præſtiturã particulatim locus ipſe, qui affectus eſt, indicat: identidemq; & modum, & locum eorum adhibendorum affecta particula demonſtrat. Quia tamen præſentis inſtituti eſt, ea particulatim tractare, quæ ad ſanguinis reiectionem attinẽt, quę ex uitio contracto in hoc ſuperiori uentre fit. Ideo & eius curatio etiam, tam in uniuerſum,
D quàm particulatim exponenda. Sed quoniam cum a fractura uenę, aut ab eroſione habet primũ ortũ, res & difficilior eſt, & maioris periculi, idcirco ab his noſtri ſermonis exordium ſumamus. Nemo autem non uidet, quod cum hoc uitij genus in ſoluta unitate, uel continuitate conſiſtat, curatio etiã proxima conſiſtit in unione, & conſolidatione partium diuiſarum, & ſeiunctarum. Hoc autem percepto, & conſtituto, reliquũ ſecundo loco eſt (ne fruſtra medicus & imprudenter prouinciam curandi ſumpſiſſe uideatur) ut conſideret, an fieri poſſit, ut ſcopũ illum attingat, nec ne, & ſi uideatur id fieri non poſſe ulterius illi conſiderandum eſt, an reuera ea difficultas pendeat ex ipſo morbo, quia ille curationem
E nulla ratione admittere poſſit, ſicut uulnus cordi illatum, aut particula aliqua omnino reciſa: uel quantum ad morbi rationem pertinet, ille non ſit quidẽ curationis expers, uerum aliqua in præſentia adſint, quæ impediant medicum, quo minus poſſit ijs uti remedijs, quæ poſſent reſtituere particulę affectæ ſuam integritatem, quia ſi illis utatur, longè magis ſit lęſurus, quàm profuturus, aut ſaltem quia timemus, ne interim, dũ uerſamur circa eam curationẽ, nulla alicuius alterius habita ratione, alius morbus, in quem procliuis eſt ea particula, ſuperueniat, longè difficilior & maioris momenti. Vnde uanum quidem erit uelle curationem eorum aggredi, quæ curationem nullam admittunt. Eorum uero, quę curari nequeant propter impedimentum aliquod to-

ta,vel ſaltem prior curandi ratio conſiſtet in remotione eius impedimenti,quod obſiſtit curaturo me dico. At vero,quatenus ad ſolutã continuitatem ſpectat,quæ in venis contigit,quando eroſæ,aut fractæ in pulmonibus,vel thorace fuere, multa ſunt, quæ eius poſſunt impedire conſolidationem. Primũ qui dem,ſi cauſa,vnde fuit ea facta ſolutio,præſens maneat, ſicuti ſi à multitudine ſanguinis,aut à multo ſpiritu ab eius feruore excitato,uel à copia flatulenti humoris fuit fracta vena, uel ſi ab acri deſtillatione fuerit eroſa, vel à vitioſo ſanguine in uenis contento:quæ nondum deſierint,ſed præſentia affectũ foueant,& augeant. Deinde uero motus harũ partiũ, quæ in hoc morbo,tum in loquendo, tum in reſpirando perpetuo mouentur, ſed longè etiam magis in tuſſiendo,quę tuſſis plerunque neque caueri,neque omnino ſupprimi poteſt. Tertio, quod maximi momenti eſt,ſemper ferè, niſi inter initia medicus oculatus, & cito imminenti inflammationis periculo occurrat,illa ſuperueniens ſolutæ continuitati, omnem auferet curationis ſpem. Hæc igitur imprimis proſpicienda ſunt, antequam medicus conſolidationem,& vnionem continuitatis ſolutæ aggrediatur. Cauſæ autem differentem habent rationem, qua remouendæ ſunt,ſicut & ipſæ differentis ſunt naturæ. Nam ſi multa fuerit copia ſanguinis in cauſa,cur effracta fuerit uena, uacuatione erit tollenda, præſertim uerò ſecta uena, ubi neque uires imbecillæ obſtent,neque ætas,aut aliud. Quod ſi id acciderit ex feruore ſanguinis,qui rarefactus, & in ſpiritum conuerſus ſit,&in tumorem maiorem elatus venas nimis diſtenderit, ut in nimia, & uiolentiori motione, uel exercitatione, tum uniuerſi corporis,tum aliquarum partium, præſertim uero thoracis ſicuti in uociferatione,& cantu interdum fit, & vſu muſicalium inſtrumentorum,quæ uehemẽti inſufflatione egẽt, aut alia alioquin concalefactione,uel ex ſole,uel ex loco calidiori, primum cauſa procatarctica à Græcis dicta erit remouenda: deinde ſanguinis feruor refrigerantibus,tam ratione victus,quàm alijs inſtrumentis reſtinguendus, præcipuè verò,ſi commodum fuerit, ſanguinis detractione. Ita etiam,ſi id flatus copia per uenas digeſti euenerit, digeſtione, & diſcuſſione flatus erit opus, & vacuatione flatulenti humoris, qui generãdo flatui fomentum præſtat, & id per medicamenta accõmodata,& victus item ratione congrua. Sed ſi eroſio cauſa fuerit,quæ ex acri, & mordaci deſtillatione fuerit facta,neceſſe eſt, deſtillationem quàm celerius fieri poteſt(quia præceps periculum eſt)remouere citis & copioſis uacuationibus per ſectam uenam,aut per opportuna medicamenta:deinde exiccatione,& corroboratione capitis, ut interdũ ſit neceſſe ſinapiſmis,& rubificantibus medicamentis vti,quæ præter id, quod exiccant, è profundo etiam valenter ad cutim materiã attrahunt,preterea & victu tenuiori,& qui contemperet acrimoniã deſtillãtis humoris,quæ omnia ſunt plenè tractata, ubi de deſtillatione fuit ſermo habitus. At ſi à vitioſo ſanguine,illi erit itidem occurrendũ uacuatione p ſanguinis detractionem,& purgationem,vt & vires,et corporis ſtatus magis,& requirere,& ferre vidẽtur. Quamuis autem nequeat harum particularum motus omnino interdici, poteſt tamen aliquantiſper moderari,& remitti,ut uidelicet illi, quantum fieri poteſt,& animo quieſcant, quàm minimè loquantur,& à riſu,fletuq; quantũ fieri poteſt, ſe cõtineãt, tuſſim reprimãt,& cohibeãt interim,dum ſanguis, clauſo loco vulnerato,intercipi poſſit. Sed nihil tanti momenti eſt in iſtius affectus curatione, quãtum cito ſuccurrere,& obſiſtere,quo minus ſuperueniat

A vulneri inflammatio, quàm ex febre exorta facile percipies ſuperueniſſe. Quotquot enim excitata iã inflammatione febricitare animaduerti(ait Gale. 5. Meth.)eorum nullum uidi plenè fuiſſe perſanatum. Cap. 14.
Vnde plurimum refert,ut egrotus prima ſtatim die medicũ accerſat,vel ſaltẽ altera, aut ad ſummũ tertia. Nam plerunq; poſt hanc corripiuntur ab inflãmatione,ſubinde a febre. Quam citius ergo fieri poteſt, ſuccurrendum eſt. Et hac deinde rõne (vt idem eodem loco teſtatur) qui ex eroſione uaſis facta ab acri, & ſalſo humore ſanguinẽ expuunt, pręſertim cũ iam confertim illum excernunt, & ſalſuginẽ in ſputis percipiunt, rariſſimi,uel nulli ſanari poſſunt, quia longiori tempore opus eſt, ut uitium defluen-
B tis humoris corrigatur,vnde interim ſuborta inflãmatione,& ſerpente eroſione ad pulmonem vlcus fit putridũ,& corrodens, & curationis minimè amplius capax. Innitendum ergo quãprimum, & omni ope,ut inflãmationẽ arceamus. Eam aũt accendi eſt communis methodus oĩum inflammationum , imo oĩum affectuum, qui ex defluxu humorum cõcitantur,quę in hoc conſiſtit,'ut cauſas fluxionis tollamus. Tolluntur vero(vt ſepius fuit expoſitum)vacuatione,& reuulſione. Ad uacuationẽ aũt confert tenuior uictus. Quare vel omnino continendus eſt à cibo,qui ſanguinem expuit primis ſaltẽ diebus donec,aut omnino, aut magna ex parte intercipiatur vel ſi id vires perferre poſſe nõ videantur, ſorbitio-
C ne modica alatur facta,vel ex cremore hordei, uel ex farre,uel ex pane loto,& ex aqua cocto. Euacuat autem,& reuellit validè ſecta uena, & cũ vehemẽs videtur impetus ſanguinis,incumbendum maximè eſt reuulſioni. Reuellit aũt magis miſſio ſanguinis repetita,ita enim magis fit, ut ſanguis aſſueſcat, & procliuior fiat ad aliam partem remotiorem,& cõtrariam loco affecto. Vnde vena interior in cubito, ſecanda ſtatim, neque permittendus ſemel fluere, quantum uideretur morbi magnitudo,& ſtatus corporis expoſcere,ſed partiri melius eſt, & eadem die bis ſanguinem detrahere,vel mane,& ſero, uel aliquibus interpoſitis horis,ita ut ſi ualidus ſit, qui decumbit, operæpretium ſis facturus, ſi altera quo-
D que die tertio ſanguinem miſeris. Præterea uero,& artus fricandi, & deuincendi doloroſis vinculis ad reuulſionem. Sed quia non modo reuellentibus,& uacuantibus fluxiones auertuntur, uerumetiam repellentibus. Ideo neque ab re hac fuerit (ait Gal.) ſi miſſo ſanguine,aliquo oleo, uel vnguento deliniatur pectus,ſicut oleo roſaceo, uel ex cotoneis confecto in æſtate quidem,in hyeme uerò,cum ex frigore actuali lædantur plurimum hæ partes, idcirco alia tentanda,quæ moderatè aſtringant,minus autẽ refrigerent,quale eſt [ait Gale.] vnguentum nardinum. Sed cum hac noſtra tempeſtate eo careamus, pro eo poſſumus uti oleo maſtichino . Nam,& aduertere animum oportet ad id pręceptum,quod no
E bis tradidit Gal.in libro de Conſtit. art. med. quod ſi importuni fuerimus in uſu eorum,quæ refrigerãt exterius pectori adminiſtratorum, plurimum eos, qui ſanguinem excreant,lędemus,quia compellitur introrſum ſanguis,& internas venas replet. His deinde peractis proſpicere oportet,ut ſi qua ſanguinis portio effuſa, & retenta ſit in locis illis,ibique concreuerit, reſoluatur,vt facilè excerni per ſputũ poſſit,alioquin enim ibi putreſcens ille febrem accendere in pus verſus poterit,& alia incommoda afferre. Hoc autem,nempe,vt diſſoluatur grumoſus ſanguis,poſca præſtare poterit,cui ſint aliqua immixta, quæ vim habeant tũ emplaſticã, tum aſtringentem. Nã ex poſca poterit diſſolui ſanguis in grumũ concretus,aſtringentia uero,& emplaſtica poterunt in

tercipere effuſionem ſanguinis è vena. Quæ vero ea ſint, quæ has vires habeant, paulo poſt exponemus. Poſt aũt diſſolutionem grumoſi ſanguinis incũbendum eſt, vt vena claudatr, & conſolidetr: ſiue illa fracta ſit; ſiue eroſa; ſiue apertum ſit aliquod alicuius venæ oſculum, quod ſanguinem effundat. Si enim apertum ſit venæ os aliquod, medicamentis conſtringentibus claudendum erit, ſi fracta ſit uena, eget quidem aſtringentibus, ſed non ſolis, quia præterea conglutinandę ſunt, diuiſæ partes: quare quæ citra mordicationem deſiccent, & alicuius lentoris non ſint expertia, immiſcenda ſunt: ſicuti erant lemnia terra, & ſamia, bolus etiam Armena, & quicquid ſit, quod in præſentia ad nos ſub hoc nomine delatum venditur, mihi quidem non improbandum videtur: nam citra vllam mordacitatem deſiccat, & lentoris eſt particeps; ſed & lapis qui hæmatites dicitur. At de his poſtea. Exeſa vero vena requirit vt reficiantur partes, quę exeſæ ſunt, ſi reſtituenda ſit vena ad integritatem. Reficiũtur vero ſanguine bono ex cibis boni ſucci genito a natura adiuta ab his medicamẽtis, quę ſarcotica, hoc eſt, carnem generantia dicuntur. Sed & illud his addendũ

Cap. 4.

eſt, quod Gal. monet ſeptimo de comp. med. ſec. loc. quod ſitus, vel poſitio harum partium, cum ſanguis ex illis expuitur, quæ intra thoracem ſunt, propriã habet indicationem, quę cogit vt quędam his medicamentis immiſceamus, quę alioquin rationi ipſius affectus videntur eſſe aduerſaria. Cum enim in alto ſitæ ſint, & longum ſit iter peragendum medicamẽtis, anteaquam ad affectum locum perueniant, inde fit, vt eorum viribus, dum per tot partes medias trãſeunt, reſolutis magna ex parte, parum deinde prodeſſe poſſint. Vnde neceſſe eſt aliqua calida tenuioris ſubſtantiæ immiſcere, quę citò deducant vim medicamentorum ad locum affectum. Hęc autem quã tum ad rationem affectus pertinet, potius obſunt, quia aperiunt, proſunt tamen, quia in cauſa ſunt, cur citò, & antequam diſſoluantur, pertingere poſſint ad affectam particulam oportunorum medicamentorum vires. Interdum verò in eo ſputo, quod ex vena aliqua harum partium, quę intra thoracem ſunt, ortum habet, & eis vti neceſſe eſt, quę ſtuporẽ, & ſoporem afferunt, qualia quæ ex opio, alterci ſemine, aut corticibus radicis mandragoræ conficiuntur, ex his enim ſępe duplex habemus commodum, quia & tuſſim conciliato ſomno reprimunt, quę violento motu quaſi dilacerat fractas, vel apertas partes venæ: præterea frigore cogunt ſanguinem, effluẽtem, reprimuntque. In vniuerſum ergo aſtringẽtia omnia, & in cibo, & in potu, & in eclegmatibus, & in ſyrupis, & quocunque alio modo adminiſtrata, huic rei ſunt opportuna, vnde & lapis coralius, & margaritæ, & bolus (vt dixi armena) terra etiã lemnia, & ſamia: lapis præterea hæmatites ſuper cote tritus, magis etiam ſi ex aliquo ſucco, vel decocto, vel aliqua aquã ex his facta, quæ & ipſa conferre in hac re poſſint: & qui ſanguis draconis dicitur, cornu etiam cerui vſtum, & lotum: præſertim verò ſi lauetur ex aliquo accõmodato humore, & aſtringẽte, ut eſſet ſuccus, vel aqua portulacæ, vel plantaginis, hęc inquam omnia cõmoda ſunt. Dioſcorides autem & tragacanthum addi conſuluit, portulaca verò maximam vim habet, quomodocunque ea vtamur, ſiue expreſſo ſucco; ſiue ea manſa; ſiue cocta in ferculis, præcipuè verò conducit, vbi è pulmonibus ſanguis effluit; myrti pręterea baccæ, & rubi tam flores, quàm fructus, cauda etiam equina, & polygonum, plantago, & multa alia ſimplicia, quæ nimis longum eſſe referre ad id faciunt, quibus uel tuſis, & ex aliquo potu exhibitis uti poſſumus, uel decoctis, uel ex ſaccharo paratis, & in eclegmatis modum datis. Sunt pręterea & ſyrupi multi, qui ad hanc curationem attinere poſſunt, vt roſaceus ſyrupus confectus ex aridis roſis: optimus verò eſt, & myrtinus; ſed & ex portulaca, ex iuiubis ea ratione confert, quia refrigerat, & incraſſat, quod etiam rob ab Arabibus myrti dicitur, & eſt ſuccus ſpiſſior factus ex decoctione, ſed & illa, quam myuam vocant Arabes, ex cotoneorum malorum ſucco confectà utilis eſt: præterea uerò & roſaceum ſaccharum antiquum, quod annum exceſſerit. Poſſunt autẽ & ſyrupi exhiberi, ut in prę́ſentia mos eſt, ſummo mane diluti ex decoctis factis ex ſimplicibus nuper relatis, uel ex aquis per deſtillationem confectis. Poſſunt etiam non diluti, ſed ita cochleari accepti, & quaſi delincti. Poſſumus etiam prædictis ſimplicia contuſa cum his miſcere, & quaſi eclegmata parare, ſicuti ſi pararemus, quam dicunt ſaponeam, ut fieri ſolet, eam uerò conficeremus ex aqua roſacea, vel ex cauda equina, uel portulaca, uel plantagine, cui tandem in pollinem redactum coralium lapidem, uel armenã bolum, uel alium aliquem puluerem aſtringentę́ ex prædictis rebus confectũ addere poſſumus, quantum uidelicet poteſt admittere eiuſmodi confectio, puta ſi ſemilibræ ſacchari drachmas duas pulueris addideris poſt coctam confectionẽ, ſed & ſi ex ſaccharo roſaceo conficias medicamentũ in hunc modum, ut accipiamus ſacchari roſacei antiqui uncias duas lapidis coralij triti, & parati, ut parari ſolet, boli armenæ ſingulorum drachmam, ſeminum plãtaginis contuſorum ſemidrachmam, ſyrupi myrtini quantum ſatis ſit, vt ad modum eclegmatis accipi, & delingi poſſit. Quia uerò duo diximus, primũ, quod interdum neceſſe eſt, ut ijs, quæ ſoporem inducunt utamur, ut ſanguinis ſputum intercipiatur, tum repreſſa tuſſi, tum uerò quia refrigerando ſanguinem craſſiorem reddunt, & quaſi cogunt, ut non facilè deinde fluat, & quamuis multæ referantur iſtius modi medicamentorum compoſitiones; ſemper tamẽ qui magis uſitatis, ac illis, quæ longior experientia probauerit, uſus fuerit magis tuto egerit, præſertim uerò in ijs, quorum uſus maximi eſt momenti. Vnde quia theriaca, & mytridatia antidoti ſolent maiori plerunque diligentia componi, & quando recẽtes ſunt, hoc eſt antequam excedant primum annũ (ut tamen tales ſint, quòd ad ſex mẽſes acceſſerint) ſatis uim inſignem habent. Ideo alijs multis eiuſmodi antidotis præferendæ uidentur. Ita & philonium perſicum, cuius ab omnibus tam Græcis, quàm Arabibus multa cum laude ſit mentio, mihi non uidetur cuipiam alteri poſtponendum.

Alterum uerò eſt, quòd in affectibus partium, quæ intra thoracem ſunt, quibus ſanguis expuitur, medicamentis, quibus in his curandis opus eſt, aliqua immiſcenda ſunt, quæ quamuis uideantur eſſe contraria, quia calefaciunt, et aperiunt, attenuantq; conferunt tamen ea ratione, quod facilè ad intimas partes pertinentia, & penetrantia, ſecum uires opportuniorum medicamentorum, quæ refrigerãt, & incraſſant, ducunt, antequam in tardiori, & difficili tranſitu reſoluantur. Sed hoc intelligendum de ijs, quæ bibuntur, aut deuorantur & ad uentriculum deſcendentia egent, ut in eo prius ad actum deducãtur, illis etenim neceſſarium eſt hoc auxilium, quia futurum eſt longum iter, antea quàm eò ſit perueniendum eſt. Verùm illa, quibus tan quam eclegmatibus, & quaſi per delinctum utimur, cum beneficium ſolum pręſtent, dum per gulam tranſeunt (interim enim pars exudans, & quaſi per colata tranſit in aſperam arteriam) non egent hac mixtura, ſed illis opus eſt eorum miſcella, quæ ſuap-

te natura facilè reſudant,& colantur.Eiuſmodi ve-
rò ſunt dulcia, vt ſaccharum, mel,ſapa,vinum dul-
ce,& id genus reliqua: vnde his aſſumuntur,& cō-
ponuntur omnia. Sed opportunum iam fuerit, ut
tranſeamus ad aliud caput, & de empyemate, hoc
eſt de ſuppuratione agamus.

De Empyemate, hoc eſt ſuppuratione. *Cap. VIII.*

ETſi ἐμπύημα Græcè,quod noſtri ſuppurationē
appellant,interdum communi quadam ſignifi
catione ab Hippo. prolatum ſit, vt refertur ad
tubercula,vel inflāmationes,cùm ſuppurantur,nec
modo in pectore,verùm & in quauis alia etiam cor
poris particula: ſępius tamen (vt teſtis eſt Gal.ſexto,
Co.27. & ſeptimo Aph. & alibi etiam) magis particulatim
eos ſuppuratos tum Hipp.tum alij medici ſoliti ſunt
Co.44. nuncupare,qui pus in ſpatio, & capacitate thoracis
collectum gerunt, nimirum inter pulmones,& tho
racem: ſiue id fuerit ex rupta vomica, in quam fue-
rit cōuerſa pleuritis, vel peripneumonia effuſum:ſi
ue ex deſtillatione per putredinem fuerit genitum:
ſiue ex ſanguine,qui ex aliqua vena aperta,aut ero-
ſa,aut fracta defluxerit,ſiue ex alio quopiam humo-
rę,qui eò cōfluxerit, & putreſcēs in pus abierit. Sed
de his cum ſatis lucidè ſermonem ſuperius habueri-
mus,non eſt,cur in præſentia idem repetamus. Ve-
rùm his eo duntaxat addito, cuius & aliquantiſper
meminimus ſuperius, ad ſigna iſtius affectus expo-
nenda orationem cōuertamus,illud verò eſt, quod
cum(vt antea retulimus)per membranam,quā ſuc-
cingentem appellauimus, in duas partes,ac quaſi in
duos ventres dextrum nempe, & ſiniſtrum,ſit parti
tum ſpatium iſtius ſuperioris ventris: interdum pus
in alteram tm̄ partem, dextram,vel ſiniſtram effu-
ſum continet:interdum in vtranque:plerumq;(vt 2.
li.Prognoſ.doc.Gal.)ex pulmonis vomica in vtrum
que latus pus effundit, ex pleuritide verò in alterum
duntaxat. Cognoſcit autem congeſtum eſſe pus in
Co.29. hoc ventre, p̄ſertim verò cum p̄cedente pleuritide,
aut peripneumonia id contigerit,ſi poſt remiſſam fe
brem,quam excitabat inflāmatio, percipiat(vt quar
to de loc.affec. docemur) quędam inſignis grauitas
in profundo thorace: præterea verò, ſi dum ſitū,&
Ca.7. decubitum repente ægrotus mutat ab altero in alte
rum latus ſe vertens,percipiatur tranfluxus alicuius
veluti humoris,ſatis euidens iſtius rei ſignum eſt:in-
terdum etiam veluti fluctuatio percipitur, quod fi-
dem adhuc magis confirmat. Addunt autem Hipp.
& Gal.2. Prognoſ. quod ſequitur a contracto pure
Te&. in hoc ventre difficilior, quàm antea ſpiratio, quia
redditur ſpatium(vt ſuperius fuit expoſitum) angu-
Co.61. ſtius,plenius extranea re factum. Tandem verò cer-
62. tiſſimum ſignum eſt, dum ex tuſſiēdo pus reijcitur,
& verum pus illud eſt. Nam aliquando in tuſſi ex de
ſtillatione excitata fit excreatio pituitæ, quæ per cō-
coctionem maturuit,& videtur ferè puri ſimilis.Sed
quibus argumentis cognoſcatur eſſe verum pus, in-
ferius agemus. Pulſus vero etiam poterit argumen-
ta præſtare cognoſcendi ſuppuratos. Vbi enim iam
pus effusū eſt, pulſus rarior fit,debiliorq; & tardior
Ap.12. quàm prius eſſet,ait etiam primo Aph.quod ſuppu-
rati,ſi aliquas habeant febrium acceſſiones, eas no-
cturnas habent. Si quis tamen & id noſſe cuperet,
quæ pars, num dextera, vel ſiniſtra pus habeat eodē
Te.59. ſecundo Prognoſt. id explanauit Hippoc. Oportet
obſeruare, quæ pars magis caleat, ea enim eſt, quæ
pus continet. Cui & hoc addendum eſt,quod faci-
lior decubitus eſt in eam partem, in qua congeſtum
eſt, quàm in eam, quæ integra eſt & pure caret; vt

A pote quoniam quando decumbit innitens parti,
quæ puris eſt expers,percipitur ab ægrotante, quaſi,
onere quodam grauari, quod veluti ex ſublimi loco
pendens premere videtur; pus enim pulmoni incū-
bens illum premit & grauat. Quandoque autem tā
ta copia, quę effunditur, vt prę ſpirandi difficultate,
quam affert,immineat præceps periculum: nam &
interius fit anhelitus, vt Gal. primo de Spir. diffi. & Cap. 17.
2. lib. in tertium Epide. docet, tam in attractione,
quàm in reditu ſpiritus,& in reſpirando narium pin
nę mouentur,quod non fit niſi in vehementi ſpirā-
di difficultate, quæ proxima ferè eſt ſtrangulationi.
Alioquin autem,vt idem quinto de loc.affect.teſta- Com.4.
tur,morbus diuturnus is eſt, & in quo multi malum
B habent, tandem & infelicem exitum, multi tamen
etiam euadunt. Nam ſi quis copiam puris quam ho
rum aliqui expuunt, diligēter voluerit extimare (ait
ipſe)videbit aliquando exceſſiſſe decem heminas:ne
que alia via poteſt excerni tanta materia. niſi p̄ tuſ-
ſim,tanta autem tuſſis requirit vires validas:nam in
firmiores ſufficere huic labori nequeūt. Propterea,
qui infirmiores vires habent, labori ſuccumbentes
deficiunt, euadunt autem qui validiores ſunt citius:
præterea interimuntur, qui ſuppurati fiunt ex pul-
monum vomica, ſtrangulantur enim tum propter
multā materiæ copiam, tum ob virium infirmita-
tem,quę multam (vt 7.Aph. dixit Gal.) ſequitur ſpi-
ritus vitalis effuſionē. Vnde ſenes hac ratione, hoc Com.8.
C eſt ex ſuppurata, & rupta vomica in pulmone, &
his partibus pereunt magis; ex alijs autem iuuenes,
vt tamen hoc non referat ad vltimam, & decrepitā
ſenectutem; quia hæc ętas iuuenibus, qualiſcunque
fuerit ſuppuratio, minus tuta eſt:Sed in alijs ſuppu-
rationibus aliarū partium ſæpius pereunt iuuenes.
Nam vehementiores febres, & dolores concitant,
vt in aurium inflammationibus, & id genus alijs,vt
ſæpe ex horum ſæuitia, anteaquam fiat ſuppuratio
necentur. Quod ſi eatenus ſufferre poſſint, donec
ſuppuratio facta ſit ſupereſſe deinde poſſunt ob na-
turale robur virium.Senes verò eatenus quidem de
ueniunt, quia neque ita a vehementibus corripiun-
tur febribus,& doloribus:ſed vires poſtea eorum ad
D tantam puris copiam excernendam non ſufficiunt.
Eos autem euaſuros eſſe ſperandum, ait Hippoc.in 2.Progn.
quibus ſtatim ab erupta vomica, & effuſione puris Tex. 63.
febris conquieuerit, ceteraque ſymptomata mala
quieuerint; quippe quod redierit cibi appetentia,ſi-
tis ſedetur: ſi aluus pauca quidem, ſed concocta deij
ciat: ſi pus album lene, & ęquale, & pituitæ permix
tum reijciatur, & id ſine difficili tuſſi fiat, & abſque
dolore. Sicuti contra malum admodum eſt,& infe-
licis ſucceſſus ſigna ſunt, ſi uel febris hominem nō
dimiſerit, uel ſi ubi dimiſiſſe uideatur, rurſum re-
deat, ac referueſcat; ſi ſitis inualeſcat; cibi verò fa-
ſtidium ſuperueniat; ſi etiam aluus non conco-
cta, ſed liquida deijciat, præterea ſputum ſi liuidū,
E vel pallidum, uel ſpumoſum excreetur. Cum au- Com.60.
tem diuturnior ſit is morbus, in tabem tandem de- Cōm.15.
ſinit:nam putreſcit & eroditur pulmo a pure,quem Com.38.
admodum eodem ſecundo Progno. docuit Galen.
Hippoc.vero 5.& 7.Aph.ait, quod niſi pus per ſpu
tum intra quadraginta dies excernatur, & fuerit ex
purgatum,in tabem tranſeunt. Signa verò,quòd in
tabem ſuppuratio tranſeat, hæc ab Hipp.eodem ſe-
cundo Progno. referuntur, nimirum ſi febris non
dimittat,leuiorque interdiu uideatur,& noctu incre
ſcat, ab accepto uidelicet cibo, & potu: quod per-
petuum eſt in omnibus febribus hecticis: ſi etiam
multus ſudor emanet: ex uirium enim infirmita-
te id(ut Galen.exponit) fieri ſolet,digeſto nimirum
alimento, quod in omnes corporis partes fuerat di

ſtributum. Sed tuſſis, & tuſſiendi cupiditas multa (A) hos premit, cum tamen aut nihil, aut parum admodum extuſſiant, obſtat enim (vt idem teſtatur) viriũ infirmitas, lentor, & craſſities puris, membranę quoque denſitas, qua indutus eſt pulmo, ſed & malarũ rubor, qui offunditur, tum ob tuſſim, tum verò ob calorem pulmonem obſidentem. Vnde & facies, atque adeo etiam vniuerſum caput concaleſcit, elatis quippe multis vaporibus a purulenta materia pulmoni incumbente.

De ratione curandi ſuppuratos.
Cap. VIII.

VNiuerſa ferè ratio curationis iſtius affectus in (B) hoc ſita eſt, vt quanto citius poteſt, pus educatur, mundumque, & expurgatum reddatur ſpatium internum thoracis. Hęc verò expurgatio per tuſſim, aut omnino, aut maxima ex parte fieri poteſt, vbi videlicet vulnus non ſit in thorace, interna penetrans, quia per vulnus ſępe & eluitur, & educitur pus. Nihil autem adeo faciliorem puris excreationem facit, quàm concoctio, vnde Hippo. tertio de morbis libro conſuluit, Com. 18. vt nihil moueamus per dies aliquos, poſtquàm fuerit ex rupta vomica effuſum pus, vt interim materia expurganda coquatur. Nam (ait ipſe) poſtquam fuerit effuſa in locum illum ampliorem, quoquomodo ipſa refrigeſcit, & eo confluunt aliæ humiditates, quę in pectore conti- (C) nebantur, quæ etiam computreſcunt, vnde moranda eſt concoctio, poſt aliquos dies. Ipſe verò numerum quindecim dierum præſcripſit, à quibus ſi rectè expuere cœperit bene quidem erit, ſin minus, iuuanda eſt excretio medicamentis, antequam corpus plurimũ extenuetur. Solis enim ſputis vniuerſum hoc negotium perficiendum eſt. Vnde ea maximè opportuna medicamenta cenſenda ſunt, quę faciunt, vt facile pus expuatur, & tuſſi educatur. Eam autẽ Cap. 13. vim habent (vt decimotertio Meth. docet Galen.) ea, quę attenuant. Nam hæc vias aperiunt, atque ea incidunt, quæ per ipſas tranſitura ſunt, ſed in his poſita eſt hęc facultas, quæ calida quidem ſunt, tenuem verò ſubſtantiam, vel tenues partes habent. Neque (D) tamen id genus omnia ſunt huic negotio idonea. Etenim quæ inſigniter calefaciunt, & deſiccant, quęque acria ſunt, non ſunt huic rei opportuna. Vnde quę diuretica a Græcis dicuntur, videlicet quæ propriè vim habent ciendi vrinas, illa excreationibus facilè educendis haud congrua ſunt. Cum enim nimis calefaciant, & ſiccent, cogunt & denſant. At verò quod denſatum exaruit, non poteſt facilè ſputo reijci. Quare ſemper ea, quæ dantur, vt facile fiat ſputum, cum ijs (vt ſuperius, vbi de aſthmate fuit habitus ſermo, diximus) danda ſunt, quæ humectent, vt ſunt mulſa, ptiſana, oxymel, & noſtri his temporibus ſyrupi, & iuleb multi ad hoc officium a medicis excogitati. Itaque ea maximè accommodata ſunt (E) puri educendo, & pectori purgando, quę corporis meatus detergendo repurgant, viaſque aperiunt. Quam vim habent nitroſa omnia & amara. In hoc genere ſunt eruum, lupini, amarę amygdalę, ſemen vrticæ, ſcilla, iris. marrubiũ, abrotanum, & id genus reliqua, quæ tamen (vt nuper monuimus) danda sũt ex cibis vel potionibus, quę vim aliquam habeant humectandi. Sed quia ea ſunt diſtincta viribus, vel robore, non oportet autem illis indiſtinctè vti, quæ diſtincta, & diſcreta ſunt, vel viribus, vel facultate: Ideo & hoc conſiderandum, quod in expurgando pectore, quando adeſt adhuc aliqua in eo inflamma- Cap. 81. tio, vel febris inſignis, vt decimotertio item Meth. teſtatus eſt Galen. ea in primis ſunt deligenda, quæ (A) moderata, & mediocria ſunt, vt ptiſana, & eius ſuccus, & mulſa, & ſyrupi illi, qui cum his poſſunt poni, vt violaceus, & de liquiritia appellatus. Inclinante autem inflammatione, aliquanto valentiora ſunt adhibenda, vt ſi quid eorum cum his miſcueris, quæ vim maiorem habent, vt eſt hyſſopus, marrubium, & id genus alia, & quo plus horum fuerit inditum, eò fortius erit medicamentum, qui ſi ex oxymelite dentur, vim maiorem incidendi habebunt, neque tamen magis, ſed potius minus calefaciant, valentius adhuc erit, ſi oxymel ſcilliticum fuerit. Porro neque id pręterea omittendũ eſt, quod tertio libro de morbis monuit Hippoc. per quam neceſſarium cognitu nimirum, quod interim, dum curamus, vt pectus a (B) pure purgetur, ad caput etiam reſpiciendum eſt, & diligentia adhibenda, vt illud mundum ſeruetur, ne humor ab eo ad pectus deſtillans morbum foueat. Antiquiores præterea medici, cum tanta videbatur puris copia collecta in thorace, vt minimè per tuſſim, & ſputum ſperarent id tempeſtiuè poſſe educi: (Copia autem cognoſcitur ex anguſtia reſpirationis: videntur enim ſtrangulari, & hac de cauſa etiã interdum fit, vt quamuis repentè decubitum mutẽt, aut etiam concutiantur vi, non tamen percipiatur ſonus, ſtrepituſve, id nanque accidit aut ob craſſitiẽ, aut ob nimiam eius copiam) conſueuere ſcalpello thoracem perforare, & per foramen id educere, & eluere pus congeſtum. Multaque de hac re conſcri- (C) pta reperiuntur ab antiquis medicis: Verum quia noſtra hac tempeſtate, vel nullus eſt, vel admodum rari reperiuntur, qui aut audeant aut norint hanc operationem molliri, præterea potius ad chirurgũ: vulneratioſque medicos hoc pertinere videtur: ideo neque de eo longiorem ſum habiturus ſermonem, Sed tractationem eorum, quæ de tabe reliqua nobis ſunt, aggrediemur.

De tabe, quam φθίσιν vel φθόην Gręci appellant.
Cap. IX.

TAbes quoque vocabulum ab antiquis, præſertim verò Hippocrate, dupliciter fuit vſurpa- Aph. 22. (D) tum. Interdum enim generaliore, & communiore nuncupatione, vt quãcunque corporis extenuationem, vel emaciationem ſignificat, vndecunque illa habeat ortum, & ſiue cum febre ſit, ſiue ſine febre. Nonnunquam verò, vt ſignificat corporis vniuerſi conſumptionem, et extenuationem, quæ ex vitio pulmonum ortum, et fomentum habet. Vitium verò id vlcus eſt: cuius affectus ſemper comes eſt hectica febris. De tabe ergo hoc modo accepta ſermo in præſentia a nobis inſtituitur, nimirum quę vlcus pulmonis ſequitur. Suboritur autem in pulmonibus vlcus, aliquando ex aliquo alio præcedente affectu proprio ipſius pulmonis, vt ſi vas aliquod aut frangatur, aut erodatur, vt fuit ſuperius expoſi- (E) tum aut ex peripneumonia, quę ſuppurata in uomicam, tranſierit. Aliquando etiam non ex aliquo proprio pulmonum affectu, ſed potius ex aliquo humore aliunde effuſo, qui abradendi, et erodendi vim habeat ſicuti ſępiſſimè ex deſtillationibus a capite defluentibus fieri ſolet. Nam qui ſuppurati a pleuritide fiunt vel alia de cauſa, niſi intra ſpatium quadraginta dierum expurgent, putrefacto, aut exeſo pulmone, vlcus contrahunt. Vnde cum humores effuſi in aſperam arteriam ex aliqua occaſione putreſcunt, ſiue ex capite deſtillauerint, ſiue ex ſuppurata angina defluxerint putreſcentes ibi pulmonem vitiant, Cauſa autem, cur facilè putreſcunt, eſt calor loci, et eorum humiditas. Facilè autem ſuppreſſam vacuationem, quæ per fluxum ſanguinis ab hemor-

rhoidibus fieri ſolita eſt, ut quãdo curantur hemor
1.22. rhoides nec una(vt conſuluit Hip. 6. lib. Aph.) re-
linquitur aperta,qua uitioſus ſanguis expurgari poſ
ſit,qui multus in his corporibus gigni ſolet, item &
ſuppreſſos menſes mulierum tabes ſequi ſolet, re-
gurgitãtibus ſanguine,& alijs uitioſis humorib. qui
ſoliti erant per eas venas expurgari,ad partes ſupe-
riores,quæ hoc uentre continentur. Diuturnus au
tem eſt is morbus,paulatim.n.corpus,& eius humo
rem conſumit. Sed & hoc incommodum habet, ꝙ
contagioſus eſt neq; periculo vacat,cum ijs,qui tabi
di ſunt familiariter verſati imo nõ cum his ſolũ, ſed
cum illis omnibus(vt primo de Differ. feb. monuit
C.4. Gale.) qui purulenta, & putrida expuunt,quod uel
etiam vulgaribus notum eſt,à ſpiritu.n.infecto à pu
tri halitu per expirationem reddito,inficitur,& aer,
& locus,in quo habitant, vnde qui in eo uerſantur,
labem facilè contrahunt. Quia uerò ſæpiſſimè ta-
bes eos corripit, qui ſanguinem (vt diximus) expu-
unt. Ab ętate ãt annorum decem & octo ad trigeſi
mumquintum vſq;(vt 5. Apho. docet Hippoc.) fre-
quentius ſolet excitari ſanguinis ſputum, tum quia
multus illis ætatibus, & calidus ſanguis abun-
dat, tum uerò, quia plus hi ea ætate in victus ra-
C.1.18. tione(vt tertio Apho. exponit Gal.) aberrant, præ-
C.18. ſertim autem laborioſis, & uehementibus exercita
tionibus, illis præcipuè,ex quorum importuno vſu
ſolent uaſa frangi. Vnde & frequentius his ætatibus
ſolent homines a tabè corripi, & quia vt primo de
Differ. feb. teſtatum reliquit Gal.)maxima, & po-
tiſſima ratio prouentus ægritudinum in humano
corpore pendet ab aptitudine, & apparatu corporis
ægrotaturi,ideo,qui eam naturam habet, quæ faci-
lis ſit,& procliuis ad eos affectus, quos tabes ſolet
ſequi, ſæpius, & facilius ab his cauſis ſolent affici,
quas ſputum ſanguinis afferre ſæpius diximus. Vn-
de conformatio corporis à primo ortu contracta
ſecundum thoracem,& pectus, ſi uitioſa fuerit,plu-
rimum habet ad tabem momentum,ut teſtatum re
liquere Hipp.& Gal.4.Aph. & primo lib. Com. in
primum Epid.qui pectus auguſtum habent,& adeo
compreſſum,ut ſcapulæ,quaſi alię promineant. Vn
de,& naturæ hę alatę appellantur, habent enim hi
partes has imbecilliores, ſi enim natiuus calor ha-
rum partium fuiſſet in prima harum conformatio-
ne fortior,elatum pectus, & ampliorem pulmonẽ
creaſſet. Sed quia importunas quoque deſtillationes
ſolet ſequi tabes,qui deſtillationibus obnoxij ſunt,
hi facilius tabem incurrunt. In hoc uerò incommo
dum propenſi ſunt, quorum caput facilè repletur,
ſicut qui caput habent imbecillum. Quod ſi vtraque
hæc conuenerint,quippe capitis infirmitas, & tho-
racis uitioſa conformatio,qui ita ſe habent, maxi-
Ca. 8. mè omnium proni in tabem ſunt. Ad quod etiam
plurimum faciunt,& tempora anni, & conſtitutio-
nes,præſertim uerò inæquales,ut autumnales. Nã
& facilius. Autumnus affert hoc vitium, & ſi præ-
cedens occultum fuerit,ab autumno detegitur. Ta-
bem autem occupaſſe hominem primum cognoſci
mus,ſi cauſæ præceſſerint,quęcunque ad tabem ſo-
lent hominem perducere,ſicuti ſi præcedat deſtilla
tio ſalſæ, & putris pituitæ ex capite tuſſim conci-
tans: mox uero leuis febricula hominem occupet,
dolorque circa pectus, & dorſum excitetur,tuſſis
interdum acuta ſuboriatur,copioſum ſit etiam ſpu-
tum tenuis,& ſalſæ ſaliuæ. Progrediente uero mor-
bo membra extenuentur,cruraque, & pedes intu
meſcant, deinde guttur promineat gracile,& infir-
mum,& æger quaſi per fiſtulam, dum loquitur, ſi-
bilet. Hæc ſigna ſunt, quæ ab Hippoc. in libro de
internis affectibus deſcribuntur. Confirmat autem
A eam opinionem, ſi is (vt quarto de Loc. affect. ait
Gale.)pus expuat. Immo interdum pars aliqua pul- Apho.2.
monis ſputo reijcitur. Præterea uero interdũ aliqua
venæ pars, vel annulorũ ex quib. aſpera arteria, &
eius rami cõtexti ſunt per ſputum, & excreationem
expellitur. Sed adeo magnam putredinem, & exul-
cerationem hæc indicant,ut iam rem ad extremum
oſtendant deueniſſe. Ita etiam, ſi ſanguinis ſputum
præceſſerit,mox uero febris,& puris ſputum,& re-
liqua,quę hactenus retulimus ſequãtur, tabis certũ
ferè ſignum eſt. Sed quoniam diximus,quandoque Ca.8.11.
coctam pituitam expui, quæ tamen purulenta non
eſt,ideo ſi quis uoluerit certior de hac re fieri,primũ
illud obſeruandum, quod ægroti ſæpe,dũ expuunt,
B odorem quendam, quaſi ſit in ore putridum quid,
percipiunt. Sed & Hippoc. quinto Aphor. docuit Cap.5.
facere de hac re periculum, proiecto enim ſputo in
ignitos carbones,ſi fœtidus, & putridus odor per-
cipiatur, pus id uerum eſt. In his uero (vt quarto
de Cauſ. pulſ. exponitur pulſus paruus eſt, & im- Aph.14.
becillis, mollisque, & modice uelox, & qualis he- Aph.12.
cticus appellatur; nam & hecticam febrem habet
coniunctam,ſed & periodos aliquas, uel acceſſio- Apho.&
nes habet,& eas(vt idem primo Aph.teſtatur)quo- Com.16.
tidie,plerunque uero nocturnas: Cum autem iam
vlcus factum eſt,nullam amplius curationem reci-
pit,id enim & experientia docuit, & Galen. quinto
Meth.teſtatus eſt. Nam quamuis hi uideantur me-
C lius habere, & eſſe curari inducto quodam ueluti
calloſo, & fiſtuloſo affectu vlceri, id tamen progreſ
ſu temporis (vt refert idem quarto de Loc. affect.)
vel leui etiam negotio deraditur,& ad priſtinum ſta
tum morbus redit. Mortem uero inſtare nunciat
alui profluuium (vt quinto Aphor. ait Hippoc.) ta-
bidis ſuperueniens. Caſus etiam capillorum, vt
paulo ſuperius idem affirmat. Nam cadunt capilli
aut ob ſummam inopiam alimenti: aut ob multam
humorum corruptionem. Sed cum non amplius ex
puunt mors eſt præ foribus. Quoniam eatenus viue
re poſſunt,quatenus per ſputum(vt ſeptimo Aph.)
habemus,pulmo expurgari poteſt, verum ubi ſpu-
tum non amplius procedit, interclusis itineribus
D ſpiritus à retenta materia ſtrangulantur. Curationis
uero cum minimè capax ſit is affectus,quando iam
vlcus, quod alicuius magnitudinis ſit, fuerit con-
tractum: Ideo neque de eius curatione longum ſer
monem ſumus habituri. Sed tantum duo tractabi Cap. 10.
mus capita. Primum quanam ratione ſe gerere de
beant illi, docebimus, qui natura propenſi ſunt in
hunc morbum, ut hoc periculum effugere posſint,
deinde quo pacto agendum ſit cum illis, quos iam
tabes corripuit,ut diutius,& minori posſint incom
modo uiuere. Quoniam autem illos diximus eſſe in
hunc affectum procliues,qui thoracem à natiuitate
anguſtum ſortiti ſunt,& qui deſtillationibus multis
& frequentibus tentantur, de his quidem in præ-
E ſentia non agemus,qa res hæc, ubi de deſtillationi-
bus ſermo eſt habitus, tractata fuit. De alijs uero
duo ſunt imprimis cõſideranda. Primum, vt docuit
Gal. quinto de Sanit.tuen.ut quantum poteſt fieri,
corrigatur vitioſa conformatio thoracis, uidelicet
vt pectus latius,& eleuatius aliqua ratione fiat, &
aucto calore natiuo particulis illis robur addamus.
Id uero maximè poſſe fieri putat,ſi exerceãtur par-
tes illæ propria, & illis congruenti exercitatione.
Harum vero partium potens exercitatio fit per ma
gnas, & elatas uoces, uehementesque uociferatio-
nes, dum etiam attracto multo, & compreſſo ſpi-
ritu, brachia dimouent, & exercent. Quia tamen
violentiores hi motus, ubi imbecilles ſunt hę par-
tes, poſſent aliquod incommodum illis afferre, ut
eſſet

eſſet venæ fractura: Ideò vt hoc etiam proſpice-
ret, docuit Galen. faſcia deligandas eſſe partes om-
nes, quæ ſub thorace ſunt vſque ad femora; quæ fa-
ſcia modice lata ſit: vt tamen ligatura adeo ſit mo-
derāda, vt neque partem aliquam laxam relinquat,
neque tamen ita comprimat, vt moleſtè feratur:
nam ita & tutiores partes erunt, ne labem aliquam
contrahant, & ſpiritum facilius continebunt, &
comprimeni: & hac ratione calor earum partium
augebitur, & pectus amplius, & elatius fiet. Sed
hæc nequaquā quacunque ętate ſunt molienda, ſed
tantum in ijs, qui adoleſcunt: in alijs autem, in qui-
bus non facile membra extendi poſſunt, prodeſſe
aliquantum poterit; Sed ratio hæc ne tentanda qui-
dem in ſenibus eſt. Illis enim, cum partes has im-
becilliores habeant, potius quieti, quam eiuſmodi
exercitationibus eſt indulgendum. His verò ita con-
formatis, ſi aliquando aliqua purgatione eſſe opus
videatur à vomitu eſt abſtinēdum: nocuus. n. eſt plu
rimum illis, qui iam in tabem inciderunt, nec non
& illis, qui ſuaptè natura propter harum partiū in-
firmitatem, procliues ſunt in eam. Sed iam agamus,
quomodo ſint hi tractandi, cum iam extenuari, &
contabeſcere incipiunt. His itaque præſertim la-
ctis potus opportunus admodum eſt; ut pote quo-
niam corpus optimè alat, reficiatque, & obſiſtat quo
minus extenuetur, & ſiccetur: pręterea verò acrimo
niam, & vitium ferè omnes vitioſorum humorum
corrigit. Vnde neque vllum magis opportunum, &
præſentaneum auxilium eſſe poteſt illis, de quibus
timemus, ne ſanguinem eroſa vena ob copiam vitio
ſorum humorum expuant, adeo, ut qui vſu lactis
ab hoc diſcrimine, præſertim poſt corporis accom-
modatam purgationem non euaſerint, fruſtra (ut
teſtis eſt Gal. quinto Meth.) alia ſint tentaturi & (ut
idem lib. de Cib. bon. & mal. ſuc. ait.) quidam euſ-
que prouecti ſunt, ut affirmauerint illos, qui iam
vlcus in pulmonibus contraxerint, poſſe exquiſitè
curari ſolo vſu lactis; modò nondum factum ſit ma
gnum: quia & ſanguinem bonum generat: præter-
ea vim habet modicam detergendi, aliquam etiam
agglutinandi, & conſolidandi interna vlcera. Ve-
rum in vſu lactis ſunt quędā obſeruanda. Primum
ut ab eo illi caueant, quibus id ſententia Hippo. de-
ſcripta quinto libro Aph. fuit interdictum. Nam &
caput dolentibus, & febricitantibus febre putrida,
plurimum etiam ſitientibus, & qui viſcera obſtru-
cta, & flatulenta habent, lac noxium eſt. Præterea
verò cum lac ſumendum eſt, uel ex uberibus exu-
gendum, ſtatim vbi mulctum fuerit, antequam re-
frigeſcat: citò enim tranſmutatur, vbi mulctum diu
ſeruatur. Procurandumque eſt, vt lac, optimum ſit,
erit autem optimum, ſi & animalis fuerit, quod ma
xime homini alendo ſit accommodatum. Vnde ce-
lebriores ex antiquis in primis muliebre lac lauda-
runt, tanquam id, quod nobis ſit familiarius, ac cū
noſtra natura conformius: cuius ſententiæ & ſe eſ-
ſe confeſſus eſt Galenus poſt humanum ſunt uacci-
num; aſininumque, & caprinum; niſi quod his om-
nibus craſſius vaccinum, tenuius uerò aſininum, at
caprinum inter hæc medium. Quare pro ratione
exigentiæ ipſius naturæ laborantis, corporis, & eius
affectionis, interdum vnum, interdum alterum, vel
tertium eligendum. Sed non modo hoc in eligendo
lacte conſiderandum eſt, verum etiam eius natura:
Quoniam ex cibis, paſcuiſque, quibus animantia
aluntur, plurimum lactis natura mutatur: expedit
autem, vt ratione roboris addendi particulis affe-
ctis lac particeps ſit alicuius aſtrictionis; unde quia
exſiccatione (ut ſæpius fuit expoſitum) ulcera cu-
rātur, erit etiam operępretium, ſi & vtantur paſcuis

A hæc animantia in locis, in quibus & herbarum &
fructuum aſtringentium exoriatur copia, ut rubus,
cytiſum, lentiſcus, arbutus, meliſſophyllum, polygo
num, & id genus alia; ſique in loco edito, ut in col-
le aliquo non in plano, quò multis è cauis locis hu-
midiores vapores ferri poſſunt, qui etiam non om-
nino a Sole auerſus ſit, paſcantur, ſicuti loca ſunt,
quæ in ſeptentrionem ſpectant. Talis natura erat
collis, qui Tabie dicebatur, quo Romani medici ta-
bidos mittebant inter Neapolim & Surrentū. At
verò ſi iam tabes facta ſit & firmata, ut amplius ex-
quiſitæ curationis nulla ſit reliqua ſpes, hoc ſaltem
procurandum eſt, vt obſiſtamus, quo minus ſerpat,
quatenus tamen id fieri poterit. Vt nihil in præſen-
B tia dicamus de ea curandi ratione, cuius Arabes me
minere, præſertim uerò Auic. quæ fit ſaccharo ro-
ſaceo recenti, hoc eſt, quod annum non exceſſe-
rit, ut tamen multā eius copiam tabidus comedat,
neque ſit facilè creditu, quàm multam comediſſe
dicantur quidam, qui liberi ex eius eſu euaſere. Nā
nullum unquam noui, qui uel nobis inſtituentibus,
vel præceptoribus noſtris potuerit hac ratione cura
ri. In hoc verò conſenſere omnes medici, præcipuè
verò Gal. quinto Meth. & ſeptimo de Comp. med.
ſec. loc. quod fiet maximè voti compos, quatenus
ad hanc partem attinere poteſt, ſi omni ope con-
tenderit, vt vlcus ſiccetur, & perinde callum obdu-
cat, quemadmodum callum ſolent frequenter indu
C cere fiſtuloſa vlcera, quę medicamentis uehemen-
ter deſiccantibus contrahuntur adeo, ut claudantur
& conſolidata, & curata videātur. Ita ergo & in vl-
ceribus pulmonū procurandum, ut per exſiccantia,
tum medicamenta, tum etiam pleraque alia, quæ
ad uictus rationem pertinent, occaleſcant, id uerò
non admodum multo negotio fieri poterit, quando
non multum excreuerit vlcus. Quod ubi in aliqui-
bus (ait Gal.) factum fuit, ita per aliquod tempus
bene ſe habere uiſi ſunt, ut integram ſanitatem re-
cuperaſſe uiderentur. Nam ſæpe inde fit, ut neq; de-
inde tuſſiant amplius, niſi aut erronea uictus ratio,
aut aeris intemperies repentina officiat. In hoc au-
tem peragendo confert plurimum aeris, & regio-
D nis mutatio, ut degere poſſit in aere ſicciori. Vnde
Gal. tempore in Aegyptum, vel in Lybiam nauigan
tes migrabant. In reliquis præterea omnibus ſicca-
tioni attendendum in cibo, & potu, & alijs ad ui-
ctus rationem pertinentibus, dummodo non ſit
corpus ad extremam maciem deductum, uel ſi ali-
quando interciperetur ſputum, ita ut pus expurga-
ri minimè poſſet, Nam ſi ſputum retineri contige- Cap. 8.
rit intermiſceri aliquid interim, dum ſputum fiat fa-
cilè, erit neceſſe, quod humectat. Cum etiam omni
no corpus contabuit, & ematiatum eſt, humectan-
tibus cibis, & potibus, inunctionibusque, & balneis
opus eſt. Quamuis autem medicamentorum, quæ
exſiccando poſſunt id præſtare, quod diximus, mul-
E tiplex ſit uſus, præſertim uero, & maximè accom-
modatus is eſt, qui (ut Gal. quasto de Loc. affect.
teſtatur) fit per odoramenta, & id quidem bona ra-
tione, quia uapores ex odoratis rebus digeſti, ac
cum aere permixti per inſpirationem attracti plu-
rimum poſſunt pulmonem ulceratum efficere. Vn
de poma ea odorata, quæ ſolent, qui peſtilentem
conſtitutioné timent ſecum ferre, & olfacere, fiunt
autem ex ladano, moſcho, ambra, ligno, quod aloen
uocant, ſandalis, cinnamomo, roſis aridis, & alijs
iſtius generis bene olentibus rebus, erunt his utilia.
Sed Gal. laudat confectionem eam, quæ accipitur
in theriaca, eam hedychroum appellant. Sed & ci-
phi, quod in mythridatica antidoto accipitur, pari
ratione poterit conferre, & quæ galiæ & ab Arabi-

bus

bus & Nicolao dicuntur, nec modo eſſe hæc inter- A
diu, & à vigilantibus odoranda conſulit; uerum e-
tiam a dormientibus, vt continens horum odora-
mentorum oblatio magis pulmones afficiat. Vnde
paranda ſunt vnguenta bene olentia, quibus inter-
næ inungātur nares veſperi;cum is ſe ſommo tradi-
turus eſt,qualia erant, quę antiquitus in pretio mul-
to erant,vt foliata,& ſpicata. Antidoti quoq; maio-
res ex aliquo humore huic etiam officio accommo-
dato ebibitæ vim magnam habent, vt ſunt mythri-
datia, theriaca,athanaſia, ambroſia, & innumeræ
aliæ,quæ a Gal.in ſecundo de Antidotis literis tradi-
tæ ſunt: quæq; ſeptimo de medi. comp. ſec.loc.fuere
deſcriptæ. In quibus referendis non erimus longio-
res,ne tempus conteramus:ſicuti neque ea aſcribe- B
mus,quorum meminere Aetius,& Oribaſius.Sunt
vero & quædam ſimplicia,quæ in vſum deducta nō
parum conferent: præ alijs verò mirificè Gal. nono
de Simpl.medic. facul. laudat bolum armenū. Dio-
ſcorides verò & ipſe multa refert huic rei congrua,
in quibus ſunt reſinæ omnes, ſi uel per ſe, vel cum
melle delingantur: hæc enim exſiccant, ſed non
adeo, vt ſputum reddant excreationibus ineptum.
Sed de affectibus ad cor attinentibus, antea quàm
ad alium ventrem tranſeamus,ſermonem inſtitua-
mus. Cor enim veluti dominus eſt,cui reliqua om-
nia in hoc ventre contenta miniſtrant, atque ad id
referuntur.

De cordis affectibus. *Cap. XI.*

Cordis nomen antiqui non de hac tantum par- C
ticula, cuius nuper meminimus, quæq; ſub
pulmonibus ſita eſt, & ab eis quaſi fouetur
protulere:verum etiam (quemadmodum refert Ga
len. 1. de Cauſ. ſympt. & 3. de Loc. affect. & alibi
ſæpius) os ventriculi cor ſoliti appellare. Vnde &
quos cardiacos vocant,ſunt affectus, qui ad os ven-
triculi potius attinent. Huiuſmodi vero nuncupatio
inde forſitan habuit occaſionē, quod tantus eſt ne-
xus, & affinitas inter has duas particulas,vt læſo o-
re ventriculi, perinde afficiatur cor & eadem etiam
excitentur ſymptomata, ac ſi cor ipſum afficeretur. D
Sed tractationem eorum,quæ pertinent ad os uen-
triculi,transferemus ad ſequentem librum. In præ-
ſentia verò,ea ſolū exponemus, quæ propria cordi
ſunt. Eſt itaq; cor natiui caloris ueluti fons, focusq;
quod Galenus quinto de Loc. affect. teſtatus eſt: 1.
vnde & quacunque alia particula noſtri corporis ca
lidius eſt, teſte eodem ſecundo de temper.libro,eſt- 3.
que vitæ in animantibus fundamentum, ut neque
animal alioquin interire poſſit, niſi cor afficiatur.
Affici verò duplici ea ratione poteſt, qua & alias
quoque particulas ſuperius diximus, nimirum pro-
prio ſuo, primarioque affectu: præterea uero & cū
conſentit cum alijs particulis, queipſe primariò af-
ficiuntur. Sed de proprijs cordis affectibus priorem E
ſermonem habeamus: poſtea verò & de alijs age-
mus,cum quibus cor conſentit. Laborat plerunque
cor ex intemperatura ab eo contracta, atque cui-
cunque tum compoſitarum, tum ſimplicium diffe-
rentiæ obnoxium eſt, cum materia, & citra illam.
ſed ab ea nequaquam corripi poteſt, quæ ſequitur
tumorem aliquam præter naturam,ut ſunt inflam-
mationes,& ſcirrhi, & id genus reliqua. Nam (vt
idem 2. & tertio de Præſag. ex pul.retulit)cum eiuſ-
modi tumores in corde oriuntur, concitantur ad-
eo vehementia animi deliquia ſtatim inter initia,ut
hominem omnino interimant. Quod quidem pu-
to eſſe intelligendum, quando in internis partibus,
& penitioribus oritur is tumor; alioquin enim me-

mini, quod Venetijs dum cadauer quoddam ſeca-
remus, quod fuerat hominis,qui ex diuturno mor-
bo tandem in quodam hoſpitali mortuus eſt, inue-
nimus paruū ſub altera cordis auricula vlcus, quod
uidebatur antiquū aliquantulum profundum, puru
lentum,& ſordidum, quodcunque autem illud fue-
rit vlcus, ſiue aliqua vomica fuerit, ſiue ex eroſio-
ne, ſiue ex putredine, uideretur rationi conſonū,
quòd,ſi hæc pertulerit diu, poſſit etiam ſcirrhum
aliquandiu ferre. Sed externę, immo extimæ par-
tes non ſunt tanti momenti, ſicut interior eius ſub-
ſtanta,& ventres. Et hi quidem, qui in intempera-
turis his conſiſtunt,cordi ſunt proprij, & primarij
affectus. Læditur autem ſæpius cor ex aliarum par-
ticularum affectibus,cum quibus naturalem cōne-
xionem,aut per arterias,aut per venas,aut alia qua- Cap.2.
piam ratione habet. Sæpiſſimè vero (vt quinto de
Loc. affec. legimus) conſentire ſolet cor cum ore
uentriculi quādo id malè afficitur. Impertitur autē
os ventriculi facilè ſuos affectus cordi, partim per Cap.7.
magnam arteriā,vt primo de Sympt. cauſ. ait Gal.
partim loci vicinitate. Sed & cum thorace,& cum
iecinore conſentit plurimum; magiſque cum ieci- Cap.4.
nore quàm cum thorace: & id quia (vt docet Gal.
quarto de Præſag.ex pul.)quamuis iecur à corde re-
motius thorace ſit; maiorem tamen communionē
cum iecinore propter cauam venam habet: immo
(vt ille idem teſtis eſt) maiorem cum ſepto tranſ- Cap.5.
uerſo connexionem habet, quàm cum aliqua alia
ferè particula in thorace habeat,propter eas venas,
quas id ſortitum eſt, deductas à caua vena propè
cor: Pręterea & cum cerebro plurimum conſentit.
Nam (vt idem ſecundo de Cauſ. pul. oſtendit) ex
corde ad cerebrum inſignes pertingunt arterię & à
cerebro ad cor neruì:pręter id,quod ad arterias om Cap.12.
nes aliquæ neruorum fibræ pertingunt, quæ illas
ſenſus reddunt participes. Sed tādem & cum vtero
in mulieribus inſignis ſit cordis conſenſus: cui rei
argumento ſunt ſtrāgulationes ex vtero, in quibus
& pulſus,& reſpiratio ita nonnūquam obſcuratur,
vt omnino ſine pulſu, & reſpiratione (vt ſexto de Cap.5.
Loc. affect. ſcripſit Gal. & primo libro in ſextum Comm.1
Epide.) eſſe videantur. Sed nullum viſcus eſt, cum
quo maiorem nexum,& cōſenſum cor habea, quā
cum pulmonibus.Nam(vt idem teſtatur quarto de Cap.2.
Præſag.ex pul.)connectuntur duo hæc viſcera ma-
gnis admodum vaſis,quæ in utrūque ventrem cor-
dis ſunt peruia,id,quod nulla alia particula cordi vi
cinior eſt.Sed quia diximus, mortis proximam, &
primam cauſam,ſicuti & vitę,à corde eſſe petendā,
proindèque fieri minimè poſſe,vt quis moriatur;ni
ſi prius cor lædatur: hoc præterea conſiderandum
eſt,quod non pariter, & ex æquo omnes cordis affe
ctus mortem afferunt.Nam cùm aliqui illi attribuē
di ſint,quatenus pars ſimilaris eſt, ut ſunt intēpera
turæ:alij vero,vt diſſimilari,& organico,vt inflam-
mationes,eryſipelata,& reliquis tumores preter na
turam.Porro intemperaturæ, vt teſtis eſt Galen. 5. Cap.2.
de Loc.affect.repētinę mortis nō ita in cauſa ſunt,
ſicut affectus,qui illi,quatenus inſtrumentariū mē-
brum,accidunt.Etenim inflammationes, eriſypela
ta,& cæteri tumores ſtatim exorientes hominē in-
terficiunt.Vetūm & dolor vehemēs,& magnus ti-
mor,ſumma etiam & repentina lętitia ſtatim vires
diſſoluunt,& mortem inferunt: quæ illis pręſertim
aduenit,qui infirmam habent animalem facultatē,
cuius ſedes eſt cor,quiq; non aſſueuere vehementi
bus exerceri perturbationibus. Quemadmodum Cap.5.
enim idem docuit ſecundo de Symptoma. cauſ.ani
mus ſuapte natura in primo ſuo fundamento imbe
cillis à valido affectu oppreſſus, repentè extingui-
tur

tur in vehementi dolore, timorève: in repentina A autem lætitia interdum ſtatim diſſoluitur; quia in hoc affectu, quando vehemẽs eſt, & repentinus, ſanguis & ſpiritus confertim quaſi erumpit è corde ipſo: contra vero ob mœrorẽ & triſtitiam nemo repẽtè moritur, quia ſanguis, & ſpiritus non ita confertim vniuerſim, etiam repentè reuocantur, ſed paulatim & propterea neque ita facilè extinguuntur. Sed neque ex ira quis repente mortuus eſt; quia iracundia non extinguit calorem, neque eius robur diſſoluit; cum potius illum accendat. At verò cum arteriæ omnes communi omniũ conſenſu ortum a corde habeant, & pulſandi facultatem, nihil in animantis corpore eſt, à quo certiora ſigna oſtendentia cordis affectus depromi poſſinit, quã à pulſu & reſpiratio B ne, nã quamuis reſpiratio primũ à motu muſculorum pẽdeat, qui facultatẽ mouẽdi à cerebro ſortiũtur: quia tamen illa propter tẽperiem natiui caloris à natura inſtituta eſt, ideo & ipſa pro diuerſa ratione exigentiæ cordis variatur. Quare indiciũ calidio Cap.2. ris intẽperaturæ cordis, vt & quinto de Loc. affect. & tertio de Preſag. expulſ. expoſuit Galen. eſt magna velox, & frequens ſpiratio; modo nullum ex parte inſtrumentorum reſpirationis obſtet impedimentum, itidemque magnus, creber, & celer pulſus: quò autem magis excreuerit cordis calor, eo quoque maior erit pulſus. Sed neque pari ratione & uelocitas, uel frequentia creſcet. Nam cum non eſt immodicum incrementum, natura auctę neceſ- C ſitati magnitudine ſatisfacit. At cum immodicè calor creuerit magnitudini accedit & celeritas. Poſtremo uerò cum & hac ratione non fit ſatis, neceſſaria eſt & frequentia. Hæc tamen intelligenda ſunt quando vires adhuc validæ ſunt: quia ubi languent, Cap.4. nulla (ut docuit Galen. ſecundo de Pręſag. ex pulſu) poteſt eſſe in pulſu magnitudo, ſed natura tunc frequentia, & celeritate utitur in hac rei neceſſitate. Sed in temperie calida, quæ pendet a materia calida in corde, eatenus uires poſſunt ualidæ ſeruari, quatenus cor calefacit adhuc. At ubi adeo iam calefactum eſt, ut æquet calorem materiæ, a qua calefiebat, nequeunt amplius uires eſſe integræ, neceſſe enim eas diſſolui. Contra autem in frigidiori in- D temperie & ſpiratio rara, & tarda eſt, & pulſus quoque paruus, tardus & rarus eſt, ita ut prius refrigeſcente corde, frequentia remittatur, mox celeritas, demum magnitudo, niſi tamen uires affectę ordinem interdũ uarient. At verò ſiccior cordis intemperatura pulſum durum efficit; mollem autem humida. Neque eſt nunc, cur cauſas omnes referamus, quę cordis poſſunt mutare naturalem temperiem calefaciendo, uel refrigerando, uel ſiccando, quia & ratio uictus diuerſa, animi perturbationes, artes, uitę inſtituta, medicamentorum vſus multus, quę calefaciant, refrigerent, humectent, uel exſiccent, diuturniores morbi, uel uniuerſum corpus occupantes, vel partes illas, quę cum corde magis E conſentiunt, inedia, labor, & id genus reliqua immutare queunt. Poſſemus nunc & illud referre, qđ Cap. 2. Galenus expoſuit tertio de Præſag. ex pulſu. nempe quòd interdum contrarię reperiuntur intemperaturę in corde, non tamen eiuſdem rei ratione, quia uidelicet uarij reperiantur humores in corde uel in uenis cordi uicinis contrarię naturę illi intemperaturę, quę ſubſtãntiam cordis corripuerat, ſicuti ſi cor quatenus ad eius ſubſtantiam pertinet, caleat, frigidi uerò ſucci confluxerint in eius uentres, uel uenas illi proximas, quod quidem in febribus peſtilentibus interdum ſolet euenire, idque in cauſa eſt, cur non uideatur pulſus fuiſſe a naturali ſtatu mutatus. Interdum & contra fit, ut calidis humo-

A ribus referti ſint uentres, ipſum tamen detineat frigida intemperies. Verum in his nolumus plurimũ temporis conterere, quia non eſt noſtri inſtituti vniuerſam pulſus rationem exponere, ſed quantum ad affectus cordis explanandos ſatis eſſe poteſt. Vnum tamen non videtur prætereundum; quia de repentinæ mortis cauſa intercidit paulò ſuperius mentio, quòd ex pulſu ſæpe cognoſci illi interdum poſſunt, qui apti ſunt, immo procliues, ut in mortem incidant repentinam. Nam in quibus pulſus præter id, quòd rari, & inæquales ſunt, intermittunt etiam, hi plerunque, vt Galen. ſecundo de Præſag. ex pulſ. Cap. 4. tradidit, tandem repentè intereunt. Intermittere autem pulſus dicitur, quando, quo tempore motus eſ- B ſet expectandus, quieſcit arteria: & in aliquibus frequentior, in alijs rarior eſt hęc intermiſſio, fit enim in aliquibus poſt ternas, in alijs poſt quaternas, uel quinas, vel ſenas pulſationes, vel etiam per longiora interualla. Sequitur autem hæc inæqualitas, & intermiſſio pulſus vehementem refrigerationem corporis cordis, vel ſanguinis, & ſpiritus contenti in eius uentriculis, vel alicuius partis cordi vicinæ. Sed cum ad cor pertinet primum refrigeratio, minores, tardiores, & imbecilliores pulſus fiunt. Quod ſi ratione particulæ alicuius vicinæ id fiat, maior in raritate fit mutatio, quàm in alijs differentijs. Vt autem maioris momenti eſt, ipſum cor affectum eſſe, quã vicinas partes, magis præceps & ineuitabilis inſtat C interitus, friget cor. Et hi quidem in ſomno potius moriuntur, a quo nunquam amplius excitãtur. Qui verò uitio proximarum partium hanc habent intermiſſionẽ, in his in raritate maior, quàm in alijs differentijs, fit à naturali ſtatu pulſus mutatio, attamen iſti, quamuis non ſint admodũ minores, tardiores, atque imbecilliores pulſus, quàm eorum natura expoſcere uideatur, ſunt tamen perinde, ut priores, acutæ morti obnoxij, uerum eorum aliqui loquentes moriuntur, & cum nihil mali habere vulgaribus videntur, interdum uerò alij cum ſudore, alij uerò citra ipſum. Hoc verò nonnullis accidit, cum febricitant, & eos repentè citra vllam rationem dimittit febris, ſed quibuſdam etiam, qui ſani eſſe uiden- D tur, quod tamen ſenibus præſertim ſolet contingere. Adeo uerò mala eſt huiuſmodi intermiſſio in pulſu, vt quę inſignis eſt, & longiori temporis ſpatio intermittit, perinde ut apoplexia fortis, curari minimè poſſit. Breuis, nec inſignis, & ſi poſſit curari, non facilè tamen curationem admittit. Inſignẽ uerò & longam intermiſſionem cum Galen. eam appellamus, quæ duarum pulſationum tempus excedit, breuem, quæ citra illud ſpatium eſt, ſicuti breuiſſimã, quando vnius pulſationis terminos nõ tranſgreditur. Et hæc quidem facilius curatur in puerili, & ſenili ætate. Sed iuuenes uel nulli, uel pauciſſimi, in hac etiam euadunt, & id, quia uis, & facultas pulſatrix maximè in iuuenili ætate uiget, unde non niſi ex uehementiſſima, & ualentiſſima E cauſa fiunt intermittentes in ea pulſus, quæ deinde aut nullo modo, aut uix, & ægrè admodum ſuperari poteſt. Senes uerò, & pueri leuiori de cauſa hęc perpeti poſſunt, unde & facilius ſuperatur. Accedit, quòd in pueris plurimum uiget concoctoria facultas, mollem etiam ſubſtantiam præterea habent, & proinde facilis fit in eis excrementorum digeſtio, cum ergo & facilè concoquant, facilèque digerant, & inæquales intemperaturas, craſſitiem, copiamque ſuperuacaneorum humorum, poſſunt etiam ſubterfugere periculum, quod eis imminet. Iuuenes itaque minimè omnium euadunt; pueri minus periclitantur, ſed minus adhuc ſenes. Sed cauendum, ne aliquis ex ignoratione intercidat

error,

error, nimirum ne longa pulſus raritas nobis im-
ponat, credamus, eam eſſe intermiſſionem, & pu-
temus aliquos fuiſſe liberatos, qui pulſus habeant
intermittentes: cùm tamen rari potius, quàm inter
mittentes eſſent. Diſcerni autem duo hęc poſſunt,
tum prolixitate temporis; tùm uero pulſus inæqua
litate. Poteſt enim pulſus ęqualis eſſe, & rarus: inter
mittés vero, & æqualis nequaquam. Præterea vero
ſi rarus admodũ pulſus fuerit, nequit deinde fieri,
quin & tardus ſit. Præter autem hanc pulſus diffe-
rentiam, duo ſunt alia ſymptomata, quę ſubitę mor
tis indicia ſunt. Alterum, cuius meminit Hippo. ſe-
41. 2. cundo Aph. nempe frequens, & vehemés animi de
liquium abſque vlla manifeſta cauſa. Alterum, cu-
ius quinto de Loc. affect. à Galen. fit mentio; & eſt
cordis palpitatio: ſiue illa fit ſine ſenſu aliquo alte-
rius rei à natura alienæ: ſiue uideatur illis cor ĩ mul
to fluitare humore. Nàm interdum membrana ea,
quæ pericardium ab anatomicis dicitur, adeo plena
eſt humore, vt cor dilatari commodè nequeat. In
qua membrana & alij cuiuſcunque generis morbi
poſſunt ſuboriri, quorum fit cor particeps. Nullos
tamen graues morbos cor ferre poteſt. Nam ſuper
ueniens animi deliquiũ antea hominem rapit, quã
creſcat morbus. Sed & vulnera vſq; ad cor adacta,
ſi in ſinus vſque pertingant, multo ſanguine effuſo,
ſtatim hominem interimũt, præſertim uero in ſini
ſtrum ventrem penetrantia, ſin autem eatenus nõ
penetrét, per diem, ac noctem protrahi poteſt. Nã
ſuperueniens inflammatio, quæ neceſſario ſuperue
nit, vlterius progredi non permittit. cum ſtatim pe-
rimat.

*De Syncope, & lipothymia, quam animi deli-
quium Latini vocant; ac cordis pal-
pitatione. Cap. XII.*

CVm vires vitales (hę enim tanquam aliarum
omnium fundamentum ſunt) repentè ali-
qua de cauſa cadunt, cum his concidunt &
aliæ omnes facultates: atque is præceps caſus (vt
5. Ga. 12. Meth. ait) ſyncope, quaſi uirium omnium
conciſio dicitur, lipothymia vero, uel lipopſychia,
eſt quidem & ipſa uirium defectus, non tamen in-
tegra conciſio: ſed eſt ueluti uia ad ſyncopem: & is
affectus animi deliquium, vel defectus à Latinis di-
& 2 citur. Cordi autem pręſertim attribuitur, propterea
quia vndecùnque fiat, ſemper (ut Gal. 5. de Loc. af-
fect. docet) neceſſe eſt, ut ſequatur læſionem aliquã
cordi illatam: uel quia primario ipſum afficiatur:
vel quia conſentiens cũ alijs particulis ab earum lę
ditur affectionibus, quomodo expoſuimus in præ-
cedenti cap. Interdum autem tanquam affectus;
nonnunquam ſymptoma cenſetur ſyncope. Nã re
uera per ſe quidẽ ſymptoma eſt, ſicut & cordis pal-
pitatio, & inter ſymptomata febrium hoc etiam nu
meratur, quando de febrib. cum ſymptomatib. me-
dici ſermonem habent: Immo ut omniũ ferè deter
rimum, induit tamen rationẽ affectus, quando præ
ſens eſt, quia lædit oẽs operationes animantis. Vnde
& propriam requirit curationem, ita ut cũ præſens
eſt, uel inſtat, illi duntaxat attẽdamus, cùm vero de-
ſijt, vel intermittit, curamus deinde affectum, quẽ
animi defectus ſequitur, ſiue ſit proprius cordis: ſiue
aliorum, cum quib. conſentit cor. Cum aũt in ſyn-
cope repentè uires, præcipuè uero vitales, cõcidãt,
quas deinde & aliæ conſequuntur, neceſſe eſt, ut id
accidat ex labe aliqua illata principi parti, quæ &
ſedes & inſtrumentum eſt iſtius facultatis. Id autem
omnium conſenſu cor eſt. At uero cum cõſtet cor-
dis integritas ex ſubſtantia primùm, vel corpore ip-
ſius, nimirum quãdo id bene ſe habet, quatenus ad
innatum eius temperamentum pertinet: deinde ve
ro ex ſpiritib. & ſanguine, qui in ipſo ſunt, optimè
affectis & ipſis, tum quantitate, tum uero tempera-
mento, & reliquis, quæ temperamentũ ſequuntur,
ut eſt tenuitas, uel craſſities, claritas, uel turbulẽtia
ſi hęc malè ex aliqua affectione ſe habeant, ſequun
tur ſyncopæ, quæ cardiacæ dicuntur, quia uitium
proprium cordis ſequuntur. Ratione quidem cor-
poris cordis, ſi contrahat inſignem aliquam intem
peraturam, ut frigidam imprimis, uel etiam calidã,
ſed & ſiccam, ſi præterea inflammationem, vel ſcir-
rhum, uel id genus alios tumores. Ratione uero ſan
guinis, & ſpiritus, ſi & ipſi non ſeruent ſuam natu-
ralem temperiem, quia refrixerint, uel nimis inca-
luerint, & accenſi fuerint, aut uenenoſa aliqua qua-
litate, uel ab aliquo uenenoſo cibo, potuve, aut me-
dicamento exterius accepto, aut uenenoſo humore
interius genito fuerint affecti. Item ſi pauciores fiãt
aliqua ratione facti: ſicuti, vel ex inedia, vel alioquin
ex defectu alimenti, vt in illis, qui uel atrophia, vel
bulimo laborant, uel ex nimio labore, uel uigilia,
uel æſtu, uel corporis nimia raritate, ut propterea
humores ſpirituſq; facilè digerantur, uel propter eo-
rum nimiam tenuitatem, ſanguinis inquam, & ſpi-
rituum. Vnde eorum multa, & facilis fit digeſtio, vel
propter inordinatum eorum motum, qui ex aliquo
vel corporis vehementi affectu concitatur, vt in do
lore magno, uel animi, in quo vel confertim, & re-
pentè exterius erumpentes digeruntur, & ferè eua-
neſcunt, ut in ſummo gaudio, uel interius reuocan-
tur, & quaſi ſtrangulantur, ut in timore ualido, &
multa triſtitia, quod his ſolet accidere, qui cordis
imbecillis ſunt, quales ſunt puſillanimes appellati,
quiq; non aſſueuere his perturbationib. agitari. Sed
& nimia uacuatio, uel ex ſanguinis detractione, vel
purgatione, uel ſudore, uel per ea, quæ cient lotia,
ſpiritus inopiam affert. Ex aliorum autem mẽbro-
rum affectibus etiam ſyncope ortum habet, quan-
do illa cordi ſua mala impertiuntur, præſertim verò
impertiuntur membra præcipua, vt cerebrum, &
iecur: deinde pulmo, & uẽtriculus, & uterus, ut pau
lo ante dicebamus. Conſenſu autem uentriculi fre
quentiſſimè concitatur ſyncope in febribus, quan-
do in eo congeritur aliquis uitioſus ſuccus ori præ-
ſertim ipſius impactus, aut tenuis, calidus, & acris,
pungens, & irritans, pręſertim os eius, quòd eximio
quodam ſenſu eſt præditum, vel frigidus, & crudus,
id quaſi ſtrangulans, & opprimens, refrigeranſque.
Occurrendi autem rationem, & modum huic affe
ctui, vel ſymptomati ſatis diffusè expoſuimus alias,
quãdo ſermonem de curãdis febribus habebamus,
quæ cum ſymptomatibus ſunt, primò videlicet lib.
Art. cur. ad Gl. Vnde neque in præſentia multum
temporis in hac re exponenda conteremus, ſed bre
uiter, & ſummatim eam perſtringemus. Duplicem
itaque hic affectus curationem expoſtulat. Alteram
quidem, quæ repentinum virium caſum ſpectat, dũ
ſymptoma hoc hominem peremit. Alteram uerò,
vt procuremus, & defendamus, ne ſuperueniat. V-
traque uero curatio his perficitur, quæ opponũtur
affectioni curandę. Nam & a pręſenti ſyncope ſi ex
citandus eſt, qui ea tentatur, illis remedijs eſt excitã-
dus, quæ oppoſita ſunt affectioni, quę tunc cordi cõ
tigit, pręcauemus etiam, ne ſuperueniat, remotis,
aut refrenatis ijs cauſis, quę ſyncopen inducant. In
omni itaque ſyncope cor afficitur, uel ſuo, uel alio-
rum affectu, vnde reuocantur confertim, & repen
tè, ut illi opẽ ferãt ſpũs, & ſanguis, ſubindeq; alij hu-
mores interius uerſus cor: & hac de cã pallidę fiunt,
frigidęq; externę partes, vnde fit, vt addatur malum
malo,

malo; conculcati enim opprimuntur, & quaſi ſtran A
gulati extinguuntur. Duplici autem ratione huic in
commodo ſuccurrimus. Primum obſiſtendo, ne re-
pentino motu, & inordinato recurrant: nimirũ eos
ad exteriora reuocando. Pręterea verò illos etiam,
quam fieri eo tempore poteſt, citius inſtaurando.
Priori autem ſcopo ſatisfaciendum eſt reuulſionib.
ijs, quæ ſpiritus ad intèriora propenſos, exterius re-
uocent. Id autem præſtare poſſunt frictiones partiũ
extremarum, vt manuum, & crurum: quidam etiã
vinculis aſtringunt: alij vero naſum apprehenſum
vellunt: alij clamoribus, & maioribus vocibus uo-
cant, & quaſi excitare nituntur: nonnulli manu fri-
gidam aquam excipientes repentè in faciem conij-
ciunt, vt ſubito impulſu excitentur, & dũ excitàtur, B
extrorſum ſpiritus euocentur: idem præſtat acris a-
ceti odor, qui quaſi pungens odoratus organum ſpi
ritus excitat, & reuocat. Digeſti aũt, & quaſi diſſolu-
ti ſpiritus recreantur primũ, & reficiuntur gratis, &
ſuauibus odoribus: qui quidem aptiores erunt, ſi ra-
tio præcedentis cauſæ habeatur. Nam ſi ex calidio-
ri aliqua intemperie pependerit animi deliquium,
aqua roſacea immixto aceto, & ſymptomati, &
cauſæ utilis erit: uel ſi aquæ roſaceæ aliquid aroma-
tici vini fuerit inſtillatum. Si uerò frigidior intem-
peries, liberalior odor uini aromatici meraci, uel
immixto modico aceto, ut inde aliqua maior fiat
excitatio, maior etiam penetratio. Conferunt etiam
ſuaues odores earum rerum, quæ alere præterea C
poſſunt: ſicut odor aſſatæ carnis, præſertim ubi ex
defectu alimenti ſuperuenerit ſyncope, ut in buli-
mo fieri ſolet. Reficiendi præterea ſunt alimento
ſpiritus, ut tamen ea offerantur, quæ citiſſimè con-
cocta, velox etiam poſſunt auxilium afferre. Nihil
autem poſt odores vino citius poteſt hoc præſtare,
diuerſimodè tamen illud offerendum eſt pro ra-
tione diuerſæ cauſæ. Nam ſi a nimio calore conci-
tata ſit ſyncope, ex aqua frigida dandum erit, ex ca-
lida verò, ſi ex frigore. Vt tamẽ & id proſpiciamus,
ne aliqua adſit inflammatio in aliquo viſcere, uel in
cerebro. Nam his vinum eſt quàm maximè aduer-
ſarium. Nec modò præſenti deliquio animi hęc ſuc-
currunt, uerum etiam id arcent, cum propè inſtat. D
Curatio uerò, quæ ipſum affectum reſpicit, cui co-
mes fuit animi deliquium, accipienda eſt a natura
ipſius affectus. Quia ſi conſenſu aliarum partium
vires cordis lędantur, illis primum ſuccurrendum,
& primarij affectus earum partium accõmodatis,
& congruis remedijs erunt curandi, interim tamen
& cor ipſum erit confirmandum gratis odoribus, li
nimentis, epithematibus, & id genus alijs, ut ſemper
tamen ad id reſpiciamus, in quo cõſentit, quia ſi cũ
calidiori affectu conſentit, refrigerantibus ſit po-
tius agendum, contra uerò, ſi frigidiori. Cum ue-
rò primũ cor laborat, cum id ſit uel ex inanitione
ſanguinis, & ſpiritus in eo, uel ex nimia repletione.
(in nimia.n. repletione quaſi ſtrangulantur, & op- E
primuntur uires, & ſpiritus præ multitudine, ut pri-
Com. 3. mo Aph. & 4. de Rat. vict. in acu. mor. Galen. tradit)
Com. 23. vel ex intemperie calidiori, uel frigidiori. Ex tumori-
bus autem præter naturam ſi fiat, ſtatim ab initio
hominem interimit. Pro ratione ergo intemperiei
agendum eſt. Calidæ enim refrigerantibus occur-
rendum cibis, potibus, medicamentis, tam interius,
quàm exterius adminiſtratis. Cognoſcitur autẽ ca-
lidus cordis affectus pulſu magno, frequenti, & cele
ri, itidem etiam reſpiratione, præterea uerò & ſpi-
ritus calidior expiratur. Contra uerò in frigidiori o-
mnia contrario modo ſe habent, & contrarijs itidẽ
curandus erit is affectus. Vnde roſa, uiola oxalis, uel
(ut nunc appellatur) acetoſa, cichorium, endiuia,

A borago, uel ex ipſis parato decocto, uel ex eis confe-
ctis ſyrupis, ſicut & ſuccus citrij, limonum, & eorũ
malorum, quę vulgò narancia dicuntur, & id genus
alia in calido cordis affectu, opportuna erunt, prę-
terea ſandali, coralli, myrobalanorum genera, prę-
ſertim quę ſaccharo cõdiuntur, margaritę, & ſi quę
id genus alia reperiantur. In lib. Auic. de uirib. cor-
dis inſcripto, multa referuntur. In frigido uerò ca-
lida opportuna ſunt, vt cinnamomũ, caſſia, macer,
lignum aloe, vel (ut multi putant) agalochum, mo-
ſcũ, ambra, meliſſophylon, vel meliſſa, crocus, cor-
tex citri, cyperus, ſpica nardi, folium, & quęcunque
alia his ſimilia, atque hęc in puluerem redacta, ali-
qua etiam decocta ex iuribus, uel in ferculis, uel in-
B ſperſa cibis, uel factis ex ipſis ſyrupis, quemadmodũ
conficitur è corticibus citri, in uſum ueniunt, poſ-
ſunt & epithemata fieri, & emplaſtra, & linimenta;
ea mutuò componendo, & miſcendo, & temperan
do. Sed de his ſatis. Nõnulla præterea de cordis pal-
pitatione dicamus, & finem his faciemus. Eſt autem
cordis palpitatio, vel tremor, motus eius inęqualis,
& inordinatus, cum quaſi tremere interdum, & ſal
tare uidetur, & in aliquibus motus is adeo uehemẽs
eſt, vt manus quaſi repellatur, ſi exterius adhibeat,
immo oculis etiam id percipiatur. Repentinam au-
tem mortem futuram (ut ait Gal. 5. de Loc. affect.) Cap. 2.
perinde ut ſyncope, minatur. Commouetur autem
cordis palpitatio interdum ex primario cordis affe-
C ctu, Interdum uerò conſenſu aliarum partium, prę-
ſertim uerò illius membranę, quàm pericardium di
ximus nuncupari, eo quòd cor circuncirca cõtinet.
Affectus uerò is eſt, quando nimio humore referta
eſt membrana hęc, in qua continetur cor, ut ęgrè
poſſit cor dilatari, a quo veluti opprimitur, ſed & ex
aliquo tumore uel duriori vel calidiori, ut eſt inflã-
matio, contracto in illa, & ſicuti animi deliquium ſę
pe contingit aliarũ partium conſenſu, in primis ue-
rò oris uentriculi, ita etiam, mea quidem ſententia,
põt & palpitatio, cum ſępe in cordis ſyncopen deſi-
nat. Ego uerò iam uidi ſacram, & religioſam iuue-
nem, quę cum uehementem, & magnam pateretur
cordis palpitationem interdum in ſyncopen, inter-
D dum uerò conſentiente cerebro cum corde in mor
bum comitialem, uehementem quidem cadebat, a
qua palpitatione nunquam integrè curari potuit,
& in ętate iuuenili tandem mortua eſt, quemadmo
dum de alijs iuuenibus retulit Gale. Quando autem
ex primario affectu cordis fit, prę́ſertim ab eius in-
temperie fit, uel cum materia, uel ſine materia, ſi ta-
men reſpiciamus ad modũ curationis, quo ſe melius
habuere illi, quorum hiſtoriam refert Gal. 5. de loc.
affect. potius uidentur fieri palpitationes ex intem-
perie cum materia feruenti, & calida, quam frigida.
Narrat enim quòd quicunque aliquid profecere, ſe-
cta uena, id conſecuti ſunt, quod indicat neque ſine
materia fuiſſe eum affectum, neque ex frigida pepẽ-
E diſſe materia. Cui accedit & eiuſdem Gal. ſententia
4. Aph. qui ait, quòd creber, & uelox motus cordis, Com. 64
maximè uero ſi & palpitoſus fuerit, magnũ admo-
dum malum eſt, utpote quod magnum oſtendat in-
cendium eſſe accenſum in corde. Quamuis Raſis,
& eum ſecutus Auic. uoluerint & ab intemperia fri
gida fieri palpitationem. Gręci tamen alieni ab hac
ſententia fuiſſe uidentur, quod etiam mihi ſatis con-
ſonum eſſe uidetur. Cum. n. palpitans cor quaſi ca-
lere uideatur, & inordinatus quidem, ſed frequens
& uelox uidetur is motus, uidetur omnino in calo-
rem [magis] quàm frigus referendus. Licèt autẽ ita
ſe habere res hæc uideatur, a craſſo tamen humore
ortũ habere uidetur, cum illis, teſte eod. Gal. victus
attenuans utilis ſit, curatio autem ſępe morbi natu-

ram

rã oſtendat. Ego verò, quatenus obſeruare in medẽdo potui, ferè ſemper animaduerti cordis hanc palpitationem à vapore a melancholico humore ex aſſatione, vel exuſtione ſanguinis elato, & conſenſu oris ventriculi, ſæpe & lienis fieri conſueuiſſe: non tamen negauerim poſſe habere ortum ex obſtructionibus, præſertim verò in pulmonum vaſis: ſicut & interſectum pulſum voluit Gal. Vnde neq; mirũ deinde videri debet, ſi & uena ſecta curandus ſit is affectus: præcipuè verò in cubito ſiniſtro. Vidi etiam aliquos percepiſſe ſe plurimũ leuari apertis hęmorrhoidibus: ſicut apud nos appoſitis hirudinibus ſæpe ſolent aperiri. Deinde verò ijs medicamentis uti ſolitus ſum, quæ remittere, & lenire ſolent aſperitatem humoris melancholici, leniter tamen, & facilè: ut in compoſitis facit appellatum lenitiuum, & diacatholicon: interdum verò immiſcebam vnam, vel alteram drachmam confectionis nuncupatæ hamech. Sed & decoctum ſenę, & epithymi mihi ſemper fuit vtile medicamentum: immixto pręterea ſyrupo roſaceo ſolutiuo. Et hęc quidem, quantum ad internarum in hoc ventre partium affectus pertinet, ſatis ſunto.

De affectibus partium externarum pectoris, primũque de affectibus mammillarum. Cap. XIII.

INter exteriores partes, quamuis intra cutem cõtineantur, mammas recenſendas putamus, ut pote quia extrorſum extimis (ut ab initio iſtius libri diximus) muſculis incumbunt: quæ (vt item diximus) glanduloſa quadam ſubſtantia, vel adenoſa (ut Græci aiunt) conſtant. Hæ & ſi hac ratione iuuant, quòd ea parte fouent, & tuentur interiores particulas: primum tamen naturæ inſtitutum in illis creandis fuit, vt lac, quo, infans, vbi natus eſt alatur, continerent. Intertextas.n. habent venas in illis glanduloſis carnibus, quæ albæ ſuapte natura ſunt, in quas eo tempore, nimirum quo gerit in utero, ac puerperij copioſus ſanguis effertur, qui ibi a calore harum partium excoctus albeſcit, & in lac vertitur: unde et eo tempore intumeſcunt plurimum, quia plurimũ replentur. Cùm verò mammarum ſubſtantia rara, & quaſi ſpongioſa ſit, inde fit, vt confluentes humores etiam craſſiores facillimè ſuſcipiant. Quare & varijs ac diuerſis generibus morborum ſunt obnoxiæ, tum proprijs, tum verò communibus. Nam & a quacunque differentia intemperiei, & ſimplici, & compoſita corripi poſſunt: a tumoribus etiam cuiuſcunq; generis: pręſertim vero ab ijs, qui à craſſioribus humoribus excitantur, corripi ſolent, vt ſunt inflammationes, ſcirrhi, & cancri: immo ferè propria ſedes cancri ſunt mammæ in mulieribus, ut nulla pars in humano corpore ſit, in qua frequentius, & facilius oriatur cancer, & id ob raritatem, & mollitiem harum glandularum, & copiam, amplitudinemque uenarum, quas ob copioſum lac generandum illis natura eſt impertita, & communionem, quam cum utero habent, a quo ſuppreſſis ſæpe mẽſibus, craſſus, & melancholicus ſanguis regurgitãs ad mammas delatus, in uenas, ac glanduloſam ſubſtantiam facilè infarcitur, ac in durum tumorem attollitur. Sed hæc cum alijs pleriſque partibus, præſertim vero carnoſis, communes habet affectiones. Proprias vero reſpicientes illud naturæ inſtitutũ, propter quod tales a natura ſunt procreatæ, eas habent, quæ a lacte rationem ſuam habent. Illæ uero ſunt, quia uel id non generant, uel non ea copia generant, ut alendo infanti ſatis ſint. Huic præterea addendum, quod etiam a medicis requiritur, eoſque mulieres conſulunt: qua ratione reſtringendum, & exſiccandum ſit lac, cum amplius lactare nolunt. Sed & affectus præterea, qui frequentiſſimè moleſtus eſt lactantibus mulieribus, is eſt, quod interdum lac in mulierum vberibus (ita enim à Latinis appellantur, cum lac habent, ut a Græcis quemadmodũ in lib. de cibis boni uel mali ſucci ait Galen. οὔθατα) concreſcit in caſeum. Vnde indureſcunt, & dolẽt, ut poſtea ſæpe in inflammationes tranſeant. Medicis tamen præterea, quia turpitudinem mulieribus afferre videtur, cum mammæ nimis creſcunt, faceſcunt interdum negotium, præſertim vero dites, & nobiles, ut doceãt, qua ratione, quibuſque remedijs reprimi poſſint, ne nimis creſcant, & pendulæ fiãt. Verum quia harum affectionum pars maior, uel ad decorationem ad communem potius, quàm ad curatricem methodum pertinet, ſicut is, cuius poſtremo meminimus, uel tumores præter naturam curandi methodum, ut ſunt inflammationes, & cancri, uel ad eam partem medicinæ, in qua agitur de regendis infantibus, & nutrice: ſicut quæ faciunt ad lactis parandam ubertatem, quæque ad reſtinguendum, & exſiccandum lac. Ideo ſuperuacaneum mihi uidetur longiorem de his habere ſermonem in præſentia. Nam neque Gal. in lib. de Comp. medic. ſec. loc. de hac inſtituit aliquam curationem particulatim, uerum & in 14. Method. & 2. lib. ad Glauc. quatenus ad eorum curationem pertinet, quæ in genus tumorum præter naturam referri poſſunt. Rationem uero ſuccurrendi nutricibus alibi, Vnde & nos de his non alioquin hoc loco agemus. Sed in his finem, huic libro imponemus.

VICTORIS TRINCAVELII DE RATIONE CVRANDI PARTICVLARES HVMANI CORPORIS AFFECTVS.

LIBER SETPIMVS.

De Affectibus earum particularum, quæ ad ventrem inferiorem pertinent. Primumque de hiſtoria, & ratione eorum, quibus conſtat venter inferior.

CAPVT I.

TRIA ſunt initia, treſque principes facultates, quę corpus vniuerſum animantis, eius preſertim, quod abſolutum, & perfeſectum eſt, quodque ſanguinis eſt particeps, adminiſtrant (ſi medicorum tamen, & Platonicorum ſententiam ſequi uelimus) quę ut officio actionibuſque diſtinctæ ſunt, ita & diuerſa inſtrumenta, diuerſaſque ſedes locorum interuallis diſtinctas ſunt ſortitę. Hęc enim ſententia illis, quę a medicis ſunt tractanda, omnino accõmodatior eſt. An uero, ſicuti unum animal eſt, ita & hęc in unum tandem principium primum referenda ſint, quod omnia alia ſpectent, & a quo tandem habeant, quicquid habent, ut ſenſere Peripatetici, necne, altior, & difficilior eſt queſtio, quàm ad pręſens inſtitutum pertinere cenſenda ſit. Satis enim nobis hoc ſit, ꝙ in curandis affectibus pertinentibus ad has facultates, & in earum integritate ſeruanda, ad tria pręcipua, & prima membra omnia primum referenda ſunt, tanquam ad ſedes harum facultatum, ſed an pręterea in his ſit unum antiquius, & prius, a quo cętera tanquam a primo fonte fluant (ut putauit Ariſt.) quotidie medici, & philoſophi contendunt, & adhuc lis eſt ſub iudice. Hoc tamen, quatenus ad noſtrum ſpectat negotium, non multum refert. Sequamur ergo medicos, quia facilius ea uia incedentes, quęcunque opportuna, uel neceſſaria ſunt, exponemus. Tria itaque officia neceſſaria ſunt animãtibus, ut uiuant, & bene, quantum ſua fert natura, uiuant. Primum eſt uita, quę eſt nihil aliud (ut docuit Ariſt. in libris de morte & uita) niſi participatio animę in natiuo calore, atque ipſius in eo permanſio. Vniuerſa ergo ratio uiuendi in ratione natiui caloris eſt ſita. Caloris uero natiui ratio in temperamento conſiſtit. Vnde cum initium, & fons caloris natiui (ut in priori libro dictum eſt) ſit cor, nam ex eius motu, & eorum, quę illis miniſtrãt, ſeruatur temperamẽtum hoc, & in habitum uniuerſi corporis diffunditur, rectè initium uiuendi cordi tributum eſt. Alterum uero officium eſt, ut alatur, & creſcat. Etenim cum in primo ortu animal non habeat integrã eam magnitudinem, qua abſolutum dici, & eas actiones, quę illi ex natura debitę ſunt, abſolutas ef-

A ficere poſſit, pręterea vero cum ſemper ab externis, & internis occaſionibus diſſoluatur, & digeratur, diffluatque eius ſubſtantia, quæ in calido, & humido fundatur, neceſſe eſt, ut continẽter reficiatur, & inſtauretur, ſicuti diffluit, & pręterea ut creſcat, quouſque corpus ad iuſtam ſuam magnitudinem perueniat, quod fieri alia ratione nequit, niſi cibis & alimento. Et cum cibi, quicunque illi ſint, diuerſam omnino naturam ab ea habeant, quæ animantis eſt, ideo etiam opus fuit, ut per uarias eorum tranſmutationes paulatim viciniores & ſimiliores fierẽt ſubſtantiæ membrorũ, atque tandem in eam verterentur medijs ijs tranſmutationibus, & ita inſtaurarentur, & augerentur. Vnde & alio genęre membrorum, vel viſcerum fuit opus, quæ præeſſent huic of- B ficio, nempe ut eorum opera concocti cibi, & alere & augere corpus poſſent. Vltima uerò concoctio alimenti eſt ea, qua vertitur in ſanguinem. Nam & Ariſtot. ſanguinem appellat vltimum alimentum, ſiue accipiamus modò ſanguinem, ut eſt quartus humor ab alijs tribus natura diſtinctus, ſiue illum accipiamus, vt cõtinet vniuerſos quatuor humores. Neque enim volumus in præſentia diſputationem inſtituere an ſanguis ſolus nutriat, an verò humores, de qua re litigarunt peripatetici cum medicis. Noſtra etenim, nihil in præſentia refert hæc diſputatio. Et cũ in vnoquoq; genere vnum ſit primum, & præcipuũ, a quo alia dependent: ſanguis aũt præcipuè, & primũ fiat in iecinore: Ideo merito medici hũc prin- C cipatum iecinori tribuere, reliqua uerò omnia illi miniſtrant, quædam enim illi materiam parant, ut facilius, & exquiſitius ſanguis ex ea generari poſſit: alia verò ad ſanguinem expiandum, & purgandum procreata ſunt, ut eo ſinceriori uſa natura melius et alat, & augeat. Sed nec hoc ſatis animanti eſt, animal enim dixit Ariſtot. eſt animal per ſenſum, unde cognitio quoque, & ſenſus animalibus neceſſarij ſunt ad tuendam uitam. Cum enim multa habeat, a quibus poſſit lædi, nec modo lędi, verum & deſtrui, ut illa ergo declinare, & effugere poſſet, data eſt cognitio, dati ſunt ſenſus, neque enim fugere, & euitare poterit, niſi quæ aduerſaria illi ſunt, nouerit, neq; illa eligere, quæ ſint utilia futura, ſiue ad cibos ſpęctemus, ſiue ad alia, quę exterius occurrunt, niſi nouerit, qualia ſunt. Præterea cum perfectiora animã-

tia, non perinde vt plantæ, & alia, quæ zoophyta à Græcis dicuntur, quæ terræ, vel lapidibus ſunt affixa, prę̨ſentem ſemper humorem habeant, quem attrahant ad alimentum: ſed oportet, vt cibos quærãt congruentes, & petant, vbi illi ſunt. Ideo tum hac ratione, tũ verò, vt quæ nocua ſunt, effugiant, illis neceſſaria fuit facultas, qua locum mutare poſſint, & progredi, quo illis magis viſum fuerit opportunum. Sed experientia iam compertum eſt, quòd anima vtitur miniſterio neruorum in actionibus prouenientibus ab hac facultate, qui omnes tandem à cerebro ortum habẽt. Idcirco etiam iure principatum, & ſedem propriam iſtius facultatis, qua ſentit, & mouetur animal, à natura collocatum eſſe in capite, & cerebro medici ſenſere. Non modò autẽ natura animantia his tribus donauit facultatibus, illiſque conceſſit tria præcipua inſtrumenta, quibus & diuerſa miniſteria eſt impertita: verum & ea inſigni locorum intercapedine ſeparauit, & cuicunque pro ſua dignitate, & commoditate congruentem aſſignauit locum. Cerebrum enim in capite locauit, q̃ locus dignior eſt, & quaſi ſpecula, & præterea procul alijs, ne eius actiones offenderentur, & confunderentur à multa euaporatione, quam neceſſe eſt excitari, dum cibi coquuntur per primam, & ſecundam concoctionem: præterea verò a fumoſo etiam habitu, qui à corde conuertente eximio ſuo calore ſanguinem in ſpiritus gignuntur. Secundum locum cordi attribuit, in medio ferè animanti, quod veluti focus eſt noſtri natiui ignis, vel caloris, vt pariter oẽs partes, quantum earum natura requirebat, calefacere poſſet. In ſuperiori itaque ventre, de quo hactenus in præcedenti libro egimus illud collocauit. Iecur autem, in hoc inferiori cum cæteris ferè omnibus viſceribus, quæ illi miniſtrant, poſuit. Cum enim multa ſint ex his concoctionibus excrementa expurganda, huic officio nullus alius locus, vt anatomici docuere, accommodatior eſſe poterat. Vnde cũ omnia, quæ ad particulas prioribus facultatib. inſeruientes, in his hactenus deſcriptis libris fuerimus perſecuti: Reliquum tandem eſt, vt de affectib. harum etiam particularum agamus; quæ hoc inferiori vẽtre collocatę ſunt, & verſantur circa alimentum vniuerſo corpori parandũ, quæ quidem particulæ naturales a Galen. & eius ſequacibus dici conſueuere: qui quidem vires animantis, quemadmodũ & animas, partiti ſunt, & hanc, quę alimento & cremento prę̨eſt, naturalem animam Platonis decreta ſequẽtes appellauere: quemadmodum & has facultates, ſicuti quæ vitę, vitalẽ, cuius ſedes cor eſt. Ratio enim vitæ in ſpiritu, & natiuo calore uniuerſa poſita eſt, cuius initium, & fons eſt cor. Ariſtot. tamen has ambas ad vnam facultatem, vel animę partem, quam vegetatricem appellauit, pertinere, eaſq; omnes primum a corde defluere ſenſit. Animã uerò, & animales facultates eas propriè, & abſoluta appellatione nuncupandas eſſe cenſuere Plato & Gal. per quas animal propriè habet, ut ſit animal, hoc eſt, quæ illi initium eſt mouendi, & ſentiendi. Nam & ſi quædam animalia hoc motu, quo locum mutare ex interno principio poſſint, omnino careant: illa tamen imperfecta habentur, & quaſi media inter animalia, & plantas. Sed redeamus eò, unde diuerteramus. Partes itaque, quarum officium eſt parare, & excolere alimentum, expiareq́; ab excrementis ſuperuacaneis, in hoc uentre inferiori collocatæ a natura fuere. At eas primum partiamur, ſicuti a natura locis, & officijs fuere diſpertitæ: ſequamurq́. eam partiendi rationem, quam in prioribus partibus, vel uentribus ſumus ſecuti. Venter igitur inferior ex ſuperiori parte coſtis terminatur inſi-

A mis, quæ nothę, vel ſpuriæ dicuntur: ex inferiori uero, oſſe pubis, & inguinibus. Primaque partitione in continentes, & contentas diuidi poteſt. Continentes primum uno uocabulo tam Gręcè quàm Latinè ſunt nuncupatę: Gręci enim ἐπιγάστριον dixere, quaſi ἐπὶ τῆς γαστέρος, hoc eſt ſupra uentrem: Latini vero abdomen appellauere. Quę pats non unica, & ſimplex eſt, ſed multiplex, & ex pluribus ſimplicib. particulis coagmentata. Primum quidem eſt cutis omnium extima, cuius pars exterior, & denſior, quę aliquando nimis exſiccata, ab alia interiori parte ſeparatur, epidermis à Gręcis, a Latinis cuticula dicitur. Intra cutem eſt membrana, quę, ut cutis, vniuerſum corpus ambit, & eam Gal. quaſi totius corpo-
B ris inuolucrum eſſe ait, eius officium eſt, uenulas, & arterias, neruoſque firmare, qui cũti ſenſum, vitam, & alimentum afferunt: qua parte autem huic uẽtri prætenditur, craſſior eſt, eiq́; in obæſis plurima adnaſcitur pinguedo, unde quia craſſior eſt, ideo carnoſum paniculum iuniores appellauere. Huic ſubditæ ſunt quatuor muſculorum coniugationes, duo obliqui, qui deſcendentes dicuntur: duo item obliqui, qui aſcendentes, tertio duo recti, uel longi, qui anteriorem partem occupant, & mediam, duo poſtremi, qui tranſuerſi dicuntur, qui à dorſo & eius ſpina per quędam ligamenta primum ortum habentes, & inde ad anteriores partes aſcendentes, in medio uentre per cordas mutuo ſibi occurrentes, in v-
C num coaleſcunt. Omnibus autem in his tandem poſtrema ſubtenditur, vel pręetenditur membrana, quã ob id peritoneum Gręci uocauere, quia circuntendatur uniuerſo huic inferiori uentri, ſicut ſuccingens ſuperiori. Continentes ergo partes hæ ſunt. Continentur uero viſcera interna, quorum hæc eſt partitio, & natura. Sed prius reuocemus in memoriam, quod paulo ante diximus, & tanquam dicendorum fundamentum iaciamus, quod ultimum alimentum noſtri corporis eſt ſanguis, ſi Hipp. & Gal. quidem ſequamur, ut ſanguis in ſe quatuor naturales humores continet. Ipſi enim hæc quatuor tanquã animati corporis elemẽta eſſe ſtatuere, a quib. non ſolum generationem, ſed & alimentum ſuum
D habent, quamuis Ariſt. hęc omnia in ſanguinem referat, qui natura ab alijs tribus ſecretus eſt. Sed de his in præſentia non eſt opportunum diſputare. Sanguis autem, quomodocunque accipiatur, generationem ſuam ex cibis habet, qui quidam cibi (ut ſecundo de Anima & de alimento dixit Ariſt.) & ſi in fine per tranſmutationem factam a natiuo corporis calore fiant ſimiles ſanguini, in principio tamen ab eo ſunt diſſimiles, immo (ut ipſe affirmat) contrarij, & proinde non una, ſed multiplici tranſmutatione egent antea quàm fiant exquiſitus ſanguis, unde prętér id, quod manduntur primum, & diuiſi ad partes minimas interim aliquãtiſper tranſmutantur a ſuis naturalibus qualitatib. naturæ inſtituto cautum eſt,
E ut antequã ad iecur, quod eſt ueluti officina generãdi ſanguinis, ferantur, coquantur, & parentur, quo paratu in aliam ſubſtantiam tranſeunt, quæ ueluti media ſit inter cibos, & ſanguinem, reliquoſq́; ſuccos. Vnde uentriculum fabre fecit, qui eſſet ueluti ahenum, uel olla, in qua fieret hæc prima cõcoctio. Neque enim eam, quę in ore fit, propriè cõcoctionem appellauerim, niſi lata quadam ſignificatione. Sed quia nequit fieri, ut in cibis, qui (ut dixi) antequam aſſimilentur, contrarij ſunt, & quatenus per eos fieri poteſt, reluctantur concoquenti calori, ſit ęqualis facilitas in omnibus partibus, ut ęqualiter, & eodem modo uinci a natiuo calore poſſint, ſed aliquę ſemper huic negotio ineptę ſunt, quas in excrementa tranſire neceſſe eſt, quę ab alimonię na-

O 2 tura

tura omnino aliena ſunt:vnde tanquam inutilia,& potius nocua,ſi retineantur,excernenda ſunt. Qua re iſtius rei non oblita natura inteſtina procreauit, quæ eſſent ueluti receptacula, & cloaca, per quam purgarentur excrementa, quę ex prima concoctione generantur;quamuis ſuis inuolutionibus, & longitudine plurimum ad diſtributioné cocti ſucci per venas in iecur vtilia ſint. Sed de his poſtea: Secunda autem cōcoctio in iecinore fit,vnde fuit neceſſe, vt ſuccus vtilis, qui fuerat in uentriculo genitus, ad iecur attraheretur,& proinde ab eo uenam portæ appellatam ex concaua eius parte deduxit, diſpertitam prius in plurimos ramos,ad ventriculum, & inteſtina,per quas attractus is ſuccus quaſi ab hirudinibus, in iecur veheretur. Sed & in hac quoque cōcoctione multiplicia gignuntur excrementa. Nam cũ multo ſit humore opus, vt alimétitia materia poſſit penetrare in anguſtiſſimas iecinoris uenas, quo, poſt Cōm. 13. confectos humores,non eſt amplius opus;nã aquoſior eſſet ſanguis:Ideo renes facti a natura ſunt, qui ſuperuacuum humorem attraherent,utrinq; unus, quibus ſuppoſita ueſica, in qua collectus is ſeroſus humor ſeruaretur,quoadusq; opportunum eſſet illum expellere, factiq; ſunt vrinarij meatus, p quos ferretur vrina in veſicam. Sed quia plus bilis tã flauę, quàm atrę generatur, quàm ſit animanti neceſſarium; Ideo & veſicula fellea ſub iecore creata eſt, quæ flauam bilem ſuperuacaneam attraheret, & ita ſanguinem expiaret, & attractam tãdem ad inteſtina excerneret, tanquam ad cōem corporis cloacã. Lienem autem in ſiniſtra parte, qui atram bilem, quę ſuperuacua ſit,& ipſe attraheret, effecit,ſicut in dextro ſitum eſt iecur. Vt autem & ualido nexu tũ hæc viſcera omnia dorſo necterentur, quod uelut totius iſtius fabricę fundamentum, & ſubſtentaculum eſt; ideo meſenterium ex multiplici,& replicato peritoneo intertexuit,tum verò & venę,quarum hactenus meminimus, quæque ad ventriculum, & inteſtina a portis iecinoris deductę ſunt, fulcirétur, firmioresque,& tutiores eſſent. At quia & ſemé veluti excrementum vltimi alimenti eſt, quod & ſi utile naturæ ſit ad propagandam ſobolem, & conſeruationem ſpeciei,ad integritaté tñ corporis,& tuendam valetudinem non parum prodeſt modeſta eius excretio. Idcirco in hoc etiam uentre tanquam huc pertinentia inſtrumenta generationis fuere collocata,ut ſunt teſtes,& vterus in mulieribus,& teſtes & ſcrotum,uaſaq; ſeminaria in viris,quæ & ſi exteriora videantur in viris,inter contentas tamen partes recenſeri poſſunt,cum ab eadem cuti,& eodem peritoneo contineantur; nam ſcrotũ ex cute & peritoneo conſtat. Cum autem de his omnibus ſit ſermo habendus;prius de contentis loquemur, in quibus maius eſt momentum, quamuis continentia aſpectibus noſtris primum ſe offerant. Primum aũt de ventriculo agemus. Nam ſecto medio uentre,ut in anatome humani corporis plerunq; primum ſecari ſolet, primus ſe nobis uentriculus offert, ſed & eius etiam officium,& operatio,tempore ſalté, alia cæterarum particularum, quę hoc uentre continentur,officia præcedit.

De ventriculo, & eius affectibus. Cap. II.

QVia faciliora perceptu ſunt futura, quæ de affectibus uentriculi dicemus, ſi aliquis de eius ſubſtantia,natura,& ſtructura ſermo p̄ceſſerit; Ideo & de his aliqua,pauca tamen, uerba faciamus. Ventriculus itaque neruoſa conſtat ſubſtantia. At verò, eorum corporũ,quæ neruoſa dici ſolét, nõ una ſimplexq; eſt ratio ſubſtantiæ, ſed potius(ut

A ex Gal. 1. lib. Com. ſexto in Epid. colligi facilè poteſt)duplex ſaltem. Nam interdum neruoſa corpora ea dicũtur, quę ex pluribus neruis, uel neruorum fibris ſunt contexta, ſicut muſculorum chordæ hoc pacto neruoſa corpora, & neruoſæ propagines dicuntur. Nonnunquam verò nõ hac ratione,ſed potius ex quadam ſimilitudine, quam cum neruis habent neruoſa dicuntur, nempe quia alba ſunt,exanguiaque, & præterea quia plurimũ, ſeruata tamen partium integritate, diſtendi poſſunt. Qua ratione vterus, & veſica interdum (ut ibidem teſtatur Gal.) neruoſa corpora dici ſolent. Porrò utraque ratione ventriculus neruoſa ſubſtantia cõſtare dici poterit. Etenim multorum neruorũ particeps eſt, & ex eis Com.2.

B quaſi intertexitur,qui à recurrentibus neruis,qui reuerſiui a iunioribus dicuntur, ortum habent,a quibus eximium quendam ſenſum,prę alijs ferè omnibus particulis conſecutá eſt, pręſertim uerò os eius hac ipſa ratione neruoſum dici meretur. Nec minus etiam ratione altera,nam alba, exanguiq; ſubſtantia conſtat,& ea, quę plurimum extendi poteſt, quæ quamuis ſibi ſimilis undequaque, & quaſi ſimplex uideatur, diuerſis tamé partibus conſtat differentibus officijs, facultatibus, & locis. Nam primũ duabus quaſi tunicis, & duobus (ut alij quidam loquuntur) ueluti tergoribus coagmentatus eſt uentriculus, quæ in anatomicis adminiſtrationibus ſeparari poſſunt,& ſolent,quæq. proprietate ſubſtan-

C tiæ differentes ſunt. Si quidé interior magis ad nerueam naturam accedit,exterior aliquantò vergit ad carneam,aiuntq. anatomici in interiori magis ſentiendi uim uigere,in exteriori uerò cõcoctricem, & cibi tranſmutatricem facultatem præſertim ſedem habere,quamuis neutra neutrius ſit expers. Sũt autem compoſitæ hæ duæ tunicæ fibris quibuſdam, & quaſi ſtaminibus intertextæ,diſtinctis ſitu, & ordine. Nam aliæ rectæ ſecundum longitudinem uiſceris protrahuntur, aliæ quaſi tranſuerſæ in orbem circumeunt illum vniuerſum, aliquæ uerò obliquo ferè itinere feruntur. Quarum officia diſtincta ſunt. Nam longæ quaſi inſtrumenta ſunt attractricis facultatis, unde in gula, cuius munus eſt cibum acce-

D ptũ ad uentriculum attrahere, lõgè plurimæ ſunt. Orbiculares uerò,uel tranſuerſę primũ inſtrumentum ſunt expultricis facultatis, dum enim ex ſuperiori parte cõtrahuntur, & anguſtiorem uentriculũ reddunt,exprimunt,& detrudunt,quod inferius cõtinetur ad fundum,& inferiorem uentriculum. Obliquæ autem cõtentrici facultati miniſtrant. Quamuis(ut anatomici teſtantur) mutuò ſe iuuent in huiuſmodi officijs. His ergo fibris intextextę ſunt hæ duę quaſi tunicę, non tamen æqualiter, & pariter. Nam in interiori, multę quidem rectæ, aliquæ etiã obliquę ſunt, uerum illæ non multæ. In extima uerò multæ orbiculares, & tranſuerſæ. Sed de his exquiſitius agere ad anatomicam potius diſciplinam

E ſpectat, nobis interea hæc ſatis ſint. At præterea partes uẽtriculi alia quoque ratione diſtinguuntur. Etenim eſt ſuperior, quam ſtomachum, uel uentriculi os appellauere medici antiquiores, licet apud poſteriores, (vt ait Gal.8.de Comp.medi.per loc.) cõſuetudo inualuerit, ut hoc nomine & uentriculũ Cap.2. appellent. Propriè autẽ ſtomachus eſt meatus ille, per quẽ cibus manſus in uentriculum defertur, qui alio uocabulo a Gręcis œſophagus dicitur, a Latinis gula. Eſt pręterea pars inferior, quam fundũ uocant. In ſuperiori, quę eximio quodam ſenſu prædita eſt,ob multam neruorum copiam,quorum fibris intertexta eſt hæc uentriculi pars, præſertim uiget facultas appetitrix, quę ex percepta noxa ob defectũ ſubſtantię, & proprij humoris, qui tempore fa-

A nis exſugitur à venis eò pertinentibus excitatur ad deſiderium cibi, & potus, vt reficiatur id, quod per eam ſuctionem fuerat deperditum, quę vt & Philoſ. in 2. de Anima expoſuere, appetentia tum fames, tũ ſitis dicitur. In inferiori aũt parte, quę & fundus dicitur, præſertim viget ea facultas, quæ cibum concoquit. Vnde cum ex aliquo craſſiori flatu in ventriculo excitato ſuſpenditur cibus, quò minus poſſit ad fundum deſcendere, ægrè admodum concoquitur. Habet aũt vtraq; pars multos neruos, arteriaſque, & venas, quibus maximam habet affinitatem, conſenſum & connexionem cum cerebro, corde, & iecinore: plures tamen pars ſuperior neruos habet, quorum rõne, & cum ea magis conſentit cerebrũ: B ratione ẽt vicinitatis, præter connexionem per arterias, adeo ingentem conſenſum cum ore ventriculi cor habet, vt & ipſum cordis nomine ſit ab antiquis medicis donatum, qui & affectus primum attinentes ad os ventriculi, cardiacos nuncupauere. Plurimum præterea in conſenſum, cum malè afficitur ventriculus, ſecum iecur trahit: Vnde ex conſenſu iecinoris cum ventriculo ſæpe fiunt hydropes. Sed & quia propria actio uentriculi corpori uniuerſo non modò vtilis eſt, ſed etiam perquam neceſſaria: Ideo uentriculi uitio, & cõſenſu vniuerſum corpus læditur. Vnde quamuis inter præcipuas particulas, atque principalia membra non fuerit a medicis connumeratus attamen non minori diligentia, & cuſtodia in curationibus dignus habitus eſt, quàm præ- C cipuæ particulę: vtpote qui ſenſerint ſemper habendum eſſe oculum, vt eius robur ſeruetur, quo factũ deinde eſt, vt nulla medicamenta illi congruentia cenſuerint, quæ eſſent cuiuſcunque aſtrictionis expertia. Sed & viciſſim non minus ventriculus in affectibus capitis offenditur, quàm caput in affectib. ventriculi. Itidemque & cordis & iecinoris, ſed & vteri, ut indicant mulieres, quæ vterinis affectib. tẽtantur. Vt autem faciliorem rationẽ inueniendi particulatim affectus omnes ad hanc particulam attinentes inire poſſimus, aliquãto, altius exordiamur. Itaque cum ſanitas, & morbus ex propria vtriuſque natura operationes reſpiciant. (Nam ſanitas eſt D corporis affectio, ex qua operationes integrę fiunt: morbus verò, ex qua læditur operatio) ab ipſis operationibus ſumpto initio, facilè morborum, quibus obnoxius eſt ſuapte natura ventriculus, differentias aſſequemur. Prima igitur actio ventriculi, ob quam a natura fuit fabricatus, eſt cibi, vel primi alimenti prima concoctio. Et quamuis duplicem ventriculus habeat concoctionem: alteram, quam poſſumus communem appellare, qua cibus confectus in ſuccum ptiſanæ ſimilem conuertitur, qui eſt ueluti propria materia, ex qua ſanguis gignitur: alteram verò, quæ ipſi propria & peculiaris, per quam ipſe particulatim ex alimento proprio, ſiue illud ſit ſuccus, qui primum in eo per priorem concoctio- E nem gignitur, ſiue ſit ſanguis, (de hoc enim in præſentia nolumus diſputare) nutritur. Et licet etiam ventriculus, quatenus ad ipſum pertinet, ea ratione (ut tradidit Galen.) in primis coquat, ut ipſe ex eo alatur: naturæ tamen inſtituto præcipuè creatus eſt, propter communem, & toti corpori neceſſariã alimenti primi concoctionem, & in hanc, tanquam in finem, reliquę omnes, tam facultates, quibus a natura donatus eſt, quàm etiam actiones, & reliqua tandem omnia referuntur. Nam & propterea cibum prius in ore confectum per gulam attrahit, & attractum amplexatur, & continet, ut probè illum conficere poſſit. Sed & eo confecto excrementoſas, & ſuperuacaneas partes excernit, ne turbent, & vitient id, quod iam probè confectum eſt. Vnde

A & eadem de cauſa illi natura eam figuram largitã eſt, qua erat præſtantius ſubminiſtraturus primum alimentum, duoque ueluti oſtia data, quibus & coquenda cibum admitteret, & quod illi ſuperuacaneum erat futurum, in inteſtina dimitteret. Intexexuit etiam eius ſubſtantiam diuerſis fibrarum ordinibus, quibus & ſe colligere poſſet, & uel attrahere, uel continere, & amplecti, uel etiam expellere comprehenſam materiam. Sed cum præterea aliquando oporteat ipſum attolli in amplum tumorem, dũ repletur multo cibo, aliquando contrahi in anguſtum: Ideo & illi ſubſtantiam dedit nerueam, & ferè exanguem. At poſtea, quia eiuſmodi ſubſtantia concoctioni non erat admodum apta, utpote quæ B non multum haberet natiui caloris: illum ita collocauit, ut foueri, & iuuari in concoquendo poſſit à calidioribus uiſceribus, ex parte enim dextra iecur illi incumbit, ex ſiniſtra lien, ſupra ſeptum tranſuerſum, ſub ipſo ferũtur magna uena, atque arteria, ex anteriori parte omẽtum, & muſculi abdominis. Vnde ſicut ab omnibus his iuuatur uentriculus in conquendo, quæ propria eſt eius actio: ita & læditur in eorundem affectibus. Et ſicuti multiplicem habet naturam, ita eſt multiplicibus morbis obnoxius: imò cuiuſcunque generis. Nam cum partim inſtrumentarium ſit membrum conſtitutum, ex diuerſis uidelicet partibus diſtinctis, figura, ſitu, numero, connexione, ordine, & id genus reliquis: partim C etiam ſimplex, ratione primarum ſuarum partium, morbis etiam cuiuſcunque generis ſit expoſitus, tam illis, qui proprij ſunt ſimilaribus partibus, ut illi ſunt, qui in intemperie conſiſtunt: quàm etiam illis, qui compoſitis & inſtrumentarijs, de quibus ſuo loco dicemus: nec minus etiam illis, qui utriſque communes ſunt, ut eſt unitatis ſolutio. Sed quia prima iſtius viſceris ſecundum duas partes facta eſt partitio, quæ magis inſignes ſunt, ſuntq; diſtinctæ non ſolum loco, ſed etiam facultatibus, nempe in ſuperiorẽ, quę ventriculi os dicitur, cuius præcipua facultas eſt (ut paulò ante diximus) appetentia, uel deſiderium cibi: & inferiorem, qui fundus uentriculi appellatur, in qua magis uis concoctrix viget. Ideo D ne methodum confundamus, primum de ſuperiori parte agamus, & de illis affectibus, qui ad eã pertinent, & primas, præcipuasque actiones pertinentes ad eius primam & præcipuam facultatem, quã diximus eſſe appetitricem. Mox uero de illis, quibus læduntur facultates, quæ propriæ ſunt partis inferioris, nempe ad concoctricem, & alias, quæ huic inſeruiunt attinentes; Poſtremo uero de illis agemus, quæ utriſque, tam ſuperiori, quàm inferiori communes ſunt. Cum itaque ad os uentriculi præſertim pertineat cibum appetere, cum illi cibo eſt opus, pariterq; & potum, & prior quidem appetitio fames dicitur, altera uero ſitis, de illis affectibus primum agamus; quibus læditur prior actio appetitri- E cis facultatis, quæ fames dicitur; poſt autem de illis, qui ſitim reſpiciunt. Quoniam autem cibi appetitio tripliciter, ut & aliæ actiones quarumcunque facultatum, lædi poteſt. Nam uel omnino tollitur, uel imminuitur, vel uitiatur, & peruertitur. At uero duplex eſt appetentię ablatio, interdum. n. qui cibum nullo modo appetunt, hoc ſolum habent incommodum, quòd fame carent, interdũ uero nõ modo non fameſcunt, verum & cibum faſtidiunt, & abominantur, ita ut ne illum quidem ſine faſtidio poſſint aſpicere, imo oblatum auerſantur, & refugiunt. Hos Hipp. (ut Gal. refert. primo libro Com. in primum Epid.) ἀποσίτους, priores ἀσίτους appellare conſueuit. Imminuitur autem appetentia, quando non omnino non appetunt, ſed parum. At uitiatus cibi

A appetitus, vel peruerſus duas item habet differẽtias: Nam aut nimia fames, & inexplebilis hominẽ cruciat, quæ canina fames appellatur, aut ea petit, quæ ſunt præter rationem, & naturam, ſicuti carbones quidam comedunt: alij e muris calcem detrahunt comedendam, alij terram, & iſtiuſmodi alia, quæ nullam habent humani cibi rationem, & hunc affectum picam antiqui medici appellarunt, qui frequẽs ſolet eſſe in prægnantibus, primis illis prægnationis menſibus. Sunt vero hæc omnia ſymptomata, quæ affectus ſequuntur proprios, de quibus in præſentia primum agendum eſt, tanquam de illis, quæ nobis methodũ curationis per proprias indicationes, & ſcopos demõſtrare poſſunt. Sed quia (vt philoſophi atteſtantur) rectum iudex ſui eſt, pariter, & obliqui, B & priuatio per oppoſitum habitum cognoſcenda eſt: Ideo de fame primum, quæ naturalis eſt cibi appetentia, & eius naturalibus cauſis ſermo inſtituendus eſt. Ita enim facilius quæcunq; poſſunt illi præter rei naturã accidere, inueniemus. In uniuerſum itaque, cum omnis appetitio (vt tum Ariſtotel. primo phyſices Auſcul. docuit: tum Galen. primo de

Tex. 10. Com. 81. Cap. 7. ſympto. cauſ.) ſequatur, & ortum habeat ex defectu, & penuria alicuius rei: eis enim quib. abundamus, fruimur, at ea, quibus caremus, appetimus, deſideramusque. Fames uero, & ſitis cum ſint appetitiones quædam, quę primum ad os ventriculi pertinent, neceſſe eſt, vt ſequantur defectum aliquem, uel penuriam, qua laboret ventriculus. Quoniam verò facul C tates in animantibus per actus (vt Ariſtot. ſecundo de anima teſtatus eſt) cognoſcuntur, actiones uero per obiecta, naturam appetituum horum ſi facilius cognoſcere uelimus, obiecta, quæ deſiderantur, in fame, & ſiti, conſideranda ſunt, quæ omnium conſenſu ſunt cibus, & potus, quatenus cibus, & potus ſunt, & per eorum rationem, quam formalẽ noſtri iuniores appellant. Nam licet fames ſedetur eſu panis, uel carnis, vel id genus aliorum (de fame enim primum habebimus ſermonem) non tamen deſiderantur, quatenus panis, vel caro ſunt, ſed quatenus facultatem habent, qua poſſint in ſubſtantiam eius corporis conuerti, cuius comparatione cibi dicuntur. D Vnde in fame non eadem ab omnibus appetuntur, quia non eandem naturalem aptitudinem habent, vt pariter in ſubſtantiam animalis fameſcẽtis conuerti poſſint, quo fit, vt neceſſe ſit conſiſtere, quod fames ſequatur defectum, & penuriam ſubſtantiæ illius particulæ, ad quam fameſcere primum pertinet, hoc eſt ventriculi. Duplicem autem iſtius penuriæ, uel defectus occaſionem habet uentriculus, alteram quidem communem cum alijs omnibus particulis, aliam uero propriam. Communis cauſa defectus in uentriculo eſt, quæ fit perpetuo à calido eius innato, qui humidum ipſius particulæ, a quo fouetur, & quaſi alitur, digerit, conſumitque, at hoc commune omnibus particulis. Propria verò E cauſa defectus in uentriculo eſt, quia in animalis corpore cætera membra tandem ab ipſo uentriculo, tanquam à communi promptuario, & cõmuni coquina materiam, vnde alantur, attrahunt, id tamen ordinę quodam. Nam cæteræ particulæ à uenis ſuum alimentum exugunt: venæ verò, cum inaniuntur, a iecinore, vnde ortum habent, id petunt. Iecur per meſaraicas, tãquam per manus proprias, à ventriculo, & inteſtinis quærit alimentum, & ſi aptum ſuccum in eo confectum repererit, illum exſugens in ſanguinem conuertit, ex quo tum ipſum, tum reliquæ particulæ alendæ ſunt. Sin autem deſit aptus ſuccus communis in ventriculo, propriũ humorem, & naturalẽ, quo conſtat ſubſtantia, & natura uentriculi, attrahens exſugit, quo fit, ut in eo

A inſignis penuria ſequatur, & defectus humiditatis, imo propriæ ſubſtantię ipſius uentriculi, quam percipiens, cum ſit inſigni præditus ſenſu, cogitur appetere alimentum, quo defectus is reficiatur, qui quidem appetitus tum fames, tum ſitis dicitur, & id ratione ſubſtantiæ duplicis, quæ deficit, ut paulo poſt exponemus. Sed primum unum uidetur exponendum, quod ſicut & reliqua, quæ hactenus expoſita ſunt, a Galen. primo de ſympto. cauſ. deprompſimus, illud uero eſt, quod & ſi omnis particula, cum inanitur, ſuapte natura alimentum, quo reficiatur, appetat: alioquin enim nõ illud attraheret: non eſt tamen eiuſdem rationis is appetitus in omnibus. Etenim cum duplex ſit appetitus (vt primò B Phyſices Auſcul. declarauit Auer. & Galen. ſexto de Loc. affect. clarius autem loco nuper citato.) Alter quidem naturalis, qui ſine vllo ſenſu eſt, qui nihil aliud eſt, niſi naturalis quędam illius particulę propẽſio ad attrahendum cibum, cum alimento eget, quemadmodum graue, quãuis omni careat ſenſu, appetit, & procliue eſt, ut deorſum feratur: leue autem ſurſum, & magnes, ut ferrũ attrahat. Alius autem appetitus animalis eſt, qui ſequitur, & quaſi cõcitatur à cognitione defectus. Triſtatur enim natura percipiens ſenſu, vel ratione ſibi aliquid deficere, vel alicuius rei vtilis, uel neceſſarię penuria tentari. Vnde animal incitatur ad illud quęrendum, & cęterę omnes partes naturali quodam inſtinctu appe C tunt alimentum perinde, ut plantę. Quamuis de plantis aliquando ſenſiſſe ex ſententia Platonis Ga. viſus ſit, quòd aliquo ſint ſenſu prędite. Ventriculus uerò, pręter naturale cibi deſiderium, donatus eſt eo etiam, qui ſenſus, & cognitionis comes eſt. Nam eam vim habet ratione eximij ſenſus, ut defectum ſuum percipere, ſentireque poſſit, & eo triſtari, ita enim facilius fore natura nouit, ut incitaretur animal ad procurandũ cibum, quo refici, & ſeruari diu poſſit, idque non ſine magna ratione factum eſt, quia alię particulę ſemper pręſens habent illud, unde illis petendus eſt cibus, perinde, ut plantę, quę non eguere hoc appetitu, quoniam ſemper affixę ſunt terrę, à qua ſola alimentum petunt, ne- D que illis aliunde quęrendum: Ita & membra uenis, & venę iecinori, & iecur per meſaraicas uentriculo natura affixum eſt. Ventriculo verò exterius quęrendum alimentum, quod ſępius procul eſt, vt neceſſe ſit animali illud etiam per remotiora loca quęrere. Et proinde oportuit, ut ſagax natura illi aliquem ſtimulum inderet, qui ad quęrendum cibum & potum concitaret: ille verò eſt triſtis quidã ſenſus, quẽ ex ſua uacuitate illo exſiccato animal in ore vẽtriculi tẽpore famis, uel ſitis percipit, nec alia ferè de cauſa natura inſtituit, ut maximo & exquiſitiſſimo ſenſu prędita ſit hęc particula. Porrò cum ſubſtãtia noſtri corporis duplici pręſertim parte coagmentata ſit, ſicuti ferè omnia mixta, & ſimilaria E corpora humida quippe, & ſicca. Nã ex ſicco mixta habent ſoliditatẽ, & quòd proprijs terminentur finibus, ex humido uerò, continuitatẽ, & cum ea omnia per concoctionẽ generentur, concoctio (vt Ariſto. 4. Meteorum. doc.) fit ex apta mixtura ſicci cũ humido. Vnde ex defectu ſicci oritur fames, quę propriè, & primum eſt appetitus ſiccioris ſubſtantię. Ex defectu, & penuria humoris fit ſitis, quę deſiderium eſt rei humidę. Verum quia ex defectu alimenti corpus refrigeſcit contabeſcens, ut ignis deficiente fomento, & lignorum materia paulatim extinguitur. Vnde qui diutius ieiunant, uix caleſieri poſſunt: Ideo in fame utrunque coniungitur: nimirum quòd ſit calidi, & ſicci appetentia, ut idem Ariſt. ſecundo de anima declarauit. Ex defectu au-

Cap. 7.
Com. 81. Cap. 3.

tem humoris calor fit actior, eſt enim in prouerbio, A quod ſiccitas eſt lima caloris. Vnde qui ſicciori temperatura ſunt, calorem acriorem habent. Quare deficiente humore, natiuus calor ad igneam naturam uertitur, & proinde non ſolum in ſiti excitatur appetitus humidi, ſed etiam frigidi. Ex his autem in hunc modum expoſitis, iam liquido poteſt patere, quod & ſi ſitis, & fames ſint appetitus animales, qui proximè, & primum attinent ad ventriculũ, præſertim uero ad os illius: hos tamen motus quidã præcedunt, qui ſequuntur naturalem appetitionem aliarum partium priorum, ſicuti tractatio reliquarum particularum a uenis, & uenarum a iecinore, & iecoris per uenas meſaraicas a uentriculo, per quam attractionem, & exſuctionem inanitur uẽtriculus, B ex qua inanitate triſtatur. Et hæc quidem ſunt internæ, & naturales cauſæ famis, uel ſitis. His tamen accedunt & aliæ externæ, quę illas quoquomodo adiuuant. Nam frigus externum ad tunicas uentriculi pertingens condenſando, & exprimendo eas inanit, & hac ratione famem excitat, ſicuti calor contra, ſolidarum partium ſubſtantiam colliquans, & diſſoluens, ad attractionem eas imbecilliores reddit, & hac ratione in cauſa eſt, cur non fiat fames. Vnde cum hęc, quatenus ad rei naturam pertinet, neceſſaria ſint ad huiuſmodi appetitus excitandos, nimirum famem, & ſitim, ubi omnes hæ partes ſuũ naturalem modum ſeruauerint, animantia fameſcunt, & cibum appetunt, quando congruens illis C eſt, & quantum, atque ea deſiderant, quę illis ad alimoniam congruunt. At verò ſi hæ particulæ ab aliqua extranea, & præter earum naturam affectione corripiantur, tunc confunditur ratio appetentiæ, magis minuſve, pro ratione maioris minoriſve contracti uitij, indeque fit, ut interdum omnino deſtituantur ab appetitu cibi, aut minus appetant, uel tardius, quam ratio naturalis requirat, interdum uerò plus appetant quàm oporteat, & fame quadã canina crucientur, interdum verò quædam appetunt, quæ præter omnem rationem ſunt, ſicuti calcem, carbones, terram & id genus alia, quę omnino ſunt aliena a natura, & naturali appetitu animalis. Sed rem magis particulatim agamus, & om- D nium harum differentiarum cauſas inquiramus.

De defectu, vel ablatione, imminutioneve famis, vel appetentię cibi. *Cap. III.*

CVm vero (ut probauimus) omnes illi motus ad excitandam famem ſint neceſſarij, ſequitur, ut quocunque eorum deficiente, deficiat & fames, quo deinde præterea fit, ut duplici ratione animal poſſit a fame deſtitui, nempe aut ex proprio uentriculi, & primario eius affectu, uel ex affectu aliarum partium, a quibus fit exſuctio, & attractio a uentriculo. Nam ſi impediatur exſuctio, E & attractio ea, quam ſemper diximus naturalem famem præcedere, fames nunquam poterit concitari. Impeditur autem attractio aliarum partium, quando deeſt cauſa attrahendi. Et attrahendi cauſa eſt inanitio earum, quę fit, ſicuti paulò ante declarauimus, ab interna cauſa, a proprio nempe, & innato calore digerente continenter naturalem humorem earum partium per cutis anguſtos meatus. Cui accedit & externa cauſa, ut circunfluus aer corpora ſemper exſiccans. Pręterea motus tam animi, quam corporis hanc exſiccationem, & digeſtionem adiuuat, & auget. Vnde ſi impediatur iſtiuſmodi digeſtio, & euaporatio per cutem, ſeu effluxus, non inanientur partes, quæ primę attrahere conſueuere, aut parua erit inanitio, & itidem, aut nulla, aut modica admodum fiet attractio, & ſubinde fames. Intercipi autem, & impediri poteſt eiuſmodi effluxus per digeſtionem factus, ex proprio cutis affectu, ſi conſtipetur adeo, & denſetur, ut non pateat exitus euaporanti ſubſtantiæ. Quod fit interdum ex externo frigore, uel ex vſu externo earum rerum, quę aſtringendo denſant: ſicuti eſſent balneæ aquarum, quæ aluminoſæ eſſent, aut vim atramẽti ſutorij haberent, vel ex nimia cutis ariditate ab exſiccantibus rebus inducta: vel ab obſtructione à materia craſſa meatib. cutis impacta. Aliquando verò licet fiat digeſtio, & liber ſit effluxus, non tamen particulę attrahunt ex ipſarum affectu proprio, qui eas attrahe- B re prohibet: talis autem affectus eſt intẽperatura calida contracta præter naturæ rationem earum partium, aliquando citra materiã, aliquando cum materia. Nã & ſi inaniantur particulæ ex expoſitis cauſis, à calida tamen intemperatura, ſi ea magna ſit, liquefiunt humiditates particularum, quæ fluidę factæ, inanitates relictas ab ea digeſtione poſt effluxũ implent: vnde facta ea plenitudine, non amplius attrahunt. Sed huic, & altera ratio accedit, quia non modò intemperatura calidor diſſoluit, & liquefacit naturalem humorem particulæ, ſed & naturales eius vires diſſoluit, præſertim attractricem. Quamuis enim à calido fiat attractio, tamen quæcunque vehemens intemperies vires naturę diſſoluit. Vnde C tamen ſi fiat inanitio, non poſſunt tamen particulæ attrahere alimentum, quo inſtauretur defectus, quia deſunt vires. Tertiò uerò partes à uenis nõ attrahunt, neque venæ à iecinore, & ſic ſubinde, propter nimiam affluentiam alimenti redundantis in uniuerſo corpore, neque .n. particulę ſubeunt onus, trahendi, niſi cum egent. Cum uerò multa eſt affluẽtia boni ſanguinis in uniuerſo corpore diſtributi, partes eo fruuntur, neque fieri poteſt indigentia in tanta copia alimenti congeſti tum in iecinore, tum verò in reliquis uenis. Vnde (quemadmodum Gal. Cap. 1. tertio de natur. facul. expoſuit) quando multa eſt copia boni alimenti in iecinore, & uenis, non modo iecur, & uenę à uentriculo nõ attrahunt, ſed potius D ventriculus, ſi exinanitur ex digeſtione natiui caloris, non appetit alioquin cibum, imo per eaſdem venas, quibus iecur ſuccum à uentriculo attrahebat, ipſe ſanguinem, quo alatur vice verſa repetit, neque iecur renititur, cum eo affluat, & ita non exſurgit fames, & externi alimenti deſiderium, cum interno affluenter fruatur. Quod Gal. exemplo demonſtrat cuiuſdam viri opulenti, qui illum conſuluerat, quo pacto reuocaret deperditam cibi appetentiam: animaduertit autem habitũ plenioré, & quod ille lautè admodum viuere ſolitus erat: vnde iudicauit illũ ex nimia abundantia carere fame: quare inſtituit, vt contineret ſe per biduum à cibo, tertia aũt die cępit fameſcere. Quando enim iecur, & ipſum incipit la- E borare inopia, ſi uentriculus attrahit, illum attrahere nõ permittit id, quod utile eſt, ſed ſi quid permittit attrahere permittit, ſi quid mali, & vitioſi humoris in eo eſt: nimirũ aut pituitoſi, aut bilioſi, aut ſeroſi. Vnde dixit Auicẽna, quod ieiunare replet uentriculum uitioſis humoribus. Et hoc in cã deinde eſt, quod fameſcentib. cum abſtinent à cibo vltra horas ſolitas, uaria accidunt ſymptomata, & quaſi aduerſaria. Nã multis cùm diutius abſtinuerint, tollitur fames omnis, vt cùm prius fameſcerent, poſtea ne comedere quidé poſſint, alij cõtinẽter quaſi expuunt, alij morderi uentriculũ aiunt, quib. & os fit amarulentum interdũ, & in animi deliquium incidunt: alij fiunt ſomnolenti, immò muti, & uertiginoſi in fame fiunt, aliqui epileptici, ſicut nonnullis imagi-

nes

nes ob oculos obuerſantur, conſentientibus cerebro, & oculis cum uentriculo. Verum appetitus cibi, uel fames cum deijcitur illis de cauſis, quæ hactenus fuere expoſitæ, nempe propterea quia aut nulla, aut modica fiat attractio a iecinore, uel a uenis uel a ſolidioribus particulis, non laborat uentriculus ſuo aliquo, proprioque affectu, ſed cum affectis illis partibus conſentit. Proprio verò affectu dupliciter laborare poteſt, ſicut duo neceſſaria in eo ſunt ad veram concitandam famem. Primum eſt inanitas eius, & penuria facta in eo, tum actione, & digeſtione proprij, & innati caloris; tamen ex attractione, & ſuctione, de qua tot uerba fecimus. Alterum uero ſenſus, & perceptio iſtius inanitatis, & penuriæ, quæ deinde excitat appetitum, uel deſiderium ci- B bi; & in eo duæ rationes appetentiæ coniunguntur, naturalis, & animalis, & quæcunque iſtarum tollatur ex proprio aliquo ventriculi affectu, tollitur aut omnino, aut aliqua ex parte fames pro ratione maioris, uel minoris læſionis, prouenientis ab eo affectu, quia aut nullus fit ſenſus illius penuriæ, vel vacuitatis, vel exiguus admodum. Quod duplici de cauſa fieri poteſt, uel propterea, quia licet & exſuctio fiat, & inaniatur uentriculus; ex altera tamen parte, calida intemperatura aliqua contracta in ventriculo cum materia, uel ſine materia colliquat humiditatem vẽtriculi, & eã fundit, ita vt fuſa diffluat, & repleat partes inaniores in ſubſtantia ventriculi, & inde fit ut, non ſentiat inopiam, & inanitatem C ſuam, neque ſubinde fames, hoc eſt, appetentia cibi excitetur. Materia verò, quæ plerunque tollit appetitum ventriculi, eſt humor, qui aliqua ratione calidus ſit, confluens ad os præſertim uentriculi: ſiue ſuapte natura calidus ſit, ut bilis flaua: ſiue ex aliquo accidente, ut pituita ſalſa, uel ratione putredinis, uel ratione mixtionis alicuius ſeroſi humoris. Sed aliquando licèt exſuctio fiat, & inanitas uentriculi; ea tamen non percipitur, non tantũ, quia fuſus humor a calida intemperatura impleat inanitatem partium uentriculi, quantum quia malè habet facultas ea, qua percipit, & ſentit inanitionem, & moleſtiam, quæ ſuctionis comes eſt; & ob id cum deperdita, vel labefactata ſit ſentiendi facultas in uentri- D culo, a qua excitatur appetitus, non poteſt fames fieri. Poteſt uerò uis ſentiendi in ore uentriculi, vel ipſa primum eſſe malè affecta ex malignitate, & ſæuitia ipſius morbi; ut ferè extincta, & emortua ſit; uel ex conſenſu cum principio ſentiendi, quod eſt cerebrum, ſicuti in delirantibus ſolet accidere, vel in ſtupidis, & paralyticis, vel apoplecticis. Vnde cum nulla eſt manifeſta alioquin cauſa, cur non fameſcat aliquis, cur etiam non ſitiat, immo multa uideatur eſſe corporis conſumptio & diſſolutio, & præterea videatur os, & lingua valde arida; neque tamen ægrotus potum, uel cibum petat, immo dicat, ſe non ſitire, uel fameſcere, in morbis præſertim acutis, & malignis, ſignum peſſimum eſt, ſignificat enim vel E extinctionem facultatis animalis, uel delirium.

Com. 11. Quod expoſuit Gale. primo, & ſecundo libro com. in tertium epide. & ſecundo Prorrh. Nam cum ſi- Com. 3. & 75. tis, & fames ſequantur (ut diximus) triſtem quendam ſenſum concitatum ob indigentiam in ore uẽ- Com. 8. triculi, quicunque autem dolentes aliqua parte cor- Aph. 6. poris, omnino dolorem non ſentiunt, his (ut ſecũdo Aph. dixit Hippo.) mens ægrotat. Sed hic aliquantiſper conſiſtendum, quia duplex eſt ablatæ famis differentia: altera quidem eſt, quam nuper expoſuimus, quæ in hoc duntaxat conſiſtit, quod cibi appetitu carent, & ἀσίτους diximus eos, qui hoc affectu tentantur, ab Hippoc. appellari, & iſtius cauſas hactenus perſecuti ſumus, & expoſuimus. Altera diffe- A rentia eſt, in qua non modò nulla appetentia tentantur; verum & horrent cibos omnes, abominanturque, & omnia ciborum genera auerſantur, ut uel etiam uiſa faſtidium, & abominationem afferant, diximus & hos ἀποσίτους, quaſi cibos auerſantes appellatos. Sed hæc poſterior differentia non poteſt a ſola intemperatura fieri, ſed ſemper fit a præſentia uitioſorum humorum occupantium uentriculum, præſertim uerò os eius. Eiuſmodi autem humores ſunt, non quicunque, ſed (ut teſtatur Galen. primo libro com. in primum epide.) aut pituita craſſa, & cruda, quæ ſit acoris, uel ſalſedinis expers. Nam (ut idem docet in libro de pleni) acida Com. 27. pituita potius ingentem famem concitat, ſalſa ue- 28. B rò ſitim, & quamuis famem tollat ratione caloris; non tamen faſtidium cibi affert, aut melancholicus etiam humor, ut Galen. tradit ſexto de loc. af- Cap. 11. fect. & ipſe perinde, ut pituita, non fuerit particeps ſaporis acidi. Præterea uerò fit & ex tenui, & acri deſtillatione a capite ad os uentriculi defluente, ut primo libro commen. in primum epide. teſtatus eſt Galen. eiuſmodi faſtidium, & auerſio a cibo, ut la- Cap. 81. borantes ἀποσίτους reddat. Quia vero hactenus circa eos affectus ſumus uerſati, qui aut omnino Com. 18. auferunt cibi appetentiam, aut de ea plurimum detrahunt, reliquum eſſet, ut de illis etiam ſubinde ſermonem haberemus, qui eam uitiant, & peruertunt: ita ut uel nimia, & inexhauſta fames ſequa- C tur, uel ea appetantur, quæ omnino aliena ſunt a natura humana, ne tamen doctrinam confundamus, differemus hanc tractationem, quoadusque de ſignis, quibus diſcerni poſſint iſtorum affectuum differentiæ, qui hactenus expoſiti fuere, egerimus, ac de ratione eos curandi. Et in explicandis ſignis ſequamur inſtitutam methodũ, quę a diuiſione eſt deprompta. Affectus enim illi, a quibus tollitur appetentia, aut proprij ſunt ipſius uentriculi, aut ſunt partium aliarum, cum quibus uentriculus cõſentit. Per conſenſum (ut diximus) laborat uentriculus, quando aliæ particulę ab eo per uenas non attrahunt, quod inde fieri diximus, quia intercepta fuit digeſtio, & euaporatio, quę per cutim fie- D ri ſolet, ut ex eius denſitate, & conſtipatione facta incuti ab externo frigore, pręſertim ſi illi occurrerit poſt calefactionem corporis inductam, uel ab exercitationibus, uel a loco calidiore, interdum a multa illius eiuſdem ſiccitate confertim eam contrahente, & meatus conſtringente tenues, nonnunquam ex balneis ualde aſtringentibus, interdum uerò ex obſtructione, quæ fit a craſſa, & lenta materia impacta in eos tenues cutis meatus. Hæc uerò omnia cognoſci, & diſcerni poſſunt, tum ex relatione ægrotantium, uel aſſiſtentium, tum uerò ex obſeruatione diligentis medici. Nam ægrotus, uel aſſiſtentes referent, an poſteaquam incaluerit, aeri frigidiori ſe expoſuerit, unde conſtipari, & con- E denſari cutis potuerit; an etiam lauerit ſe balneis, quę aut ſuapte natura, aut arte uim inſignem aſtringendi habeat, an diu ęſtuoſis, & ſiccis temporibus ſe plurimum exercuerit, ut inde potuerit plurimũ corpus, in primis uerò eius cutis exſiccari. Sed & medicus ſi diligentius animaduertat, multa ſe illi offerent, quæ conſtipatam cutim indicare poterũt. Etenim ſi nudetur ægrotantis corpus (ut ait Galen. tertio de tuen. ſan.) cutem inſpiciens, & tractans, Cap. 10. eam albidiorem ſolito uidebit, percipietque duriorem, & denſiorem eſſe factam, quodque dum exercetur homo, ęgrè incaleſcit; neque ita, ut prius erat aſſuetus, facile ſudat, neque facilè, ut ſolebat, effloreſcit bonus in ſumma cute color, & ſi præcipias, ut uehementius ſe exerceat, ut uel ea ſaltem

ratione ſudor edatur, ſudor qui elicietur, paucior, & frigidior erit. Sed ſi ex obſtructione meatuum in cutefuerit digeſtio, & euaporatio ſuppreſſa, reſpiciéda item cutis, & tractanda, quia neque arida, neque ita denſa, & dura erit, imo mollis, & tractabilis, atque ſubtumida, neq; facilis, & multus ſudor emanabit, præter id, quod & ſigna aderunt oſtendentia, aut plenitudinem, aut copiam pituitoſorum excrementorum, ſi præceſſerit etiam potens occaſio, cur eiuſmodi multa, aut craſſa materia fuerit digeſta, & diſtributa ad extremas uenas, eiſque impacta obſtruxerit. Occaſiones uero, quæ id præſtare poſſunt, ſunt importuna motio, uel exercitatio, qua corpus calefit, dum plenum eſt, uel antequam ſit alimẽtum probe confectum, uel alioquin quæcunque alia corporis immodica concalefactio. Altera uerò horum affectuum differentia, qui in temperie calidiori conſiſtunt cum materia, aut citra eam, quæ aut deſtrués facultatem attractricé, in cauſa eſt, cur priores partes à uentriculo non attrahant, aut fundendo, & diſſoluendo teplet id quod fuerat, uel attrahendo, vel digerendo inanitum cognoſcitur ſignis illis, quæ intemperiem calidam, oſtendunt acceptis, ab vrinis, à pulſibus ab acri calore percepto, tum ab ægrotante tum etiam à medico tangente, verum aut ſemper, aut plerunque hæc febres ſequi ſolent, preſertim uerò malignas, & colliquantes, imo (vt ſæpe teſtatus eſt. Gal. præcipuè in Epide.) eſt veluti ſymptoma peculiare id genus febrium: Ideo hanc tractationem ad eum locum transferendam putamus vbi de febribus malignis agemus. In præſentia uero ad aliam differentiam, quæ ortum habeat à nimia affluẽtia optimi alimenti in habitu totius corporis, maximè autem in iecinore accedemus. Quæ & ipſa ſua habet ſigna, quibus cognoſcatur. Solet enim ratio lautioris victus præcedere, & in maiori otio, nulla adſunt ſigna alicuius affectionis, præter naturã corporis, ſed ea, quæ plenitudinem oſtendunt, ſicuti habitus uniuerſi corporis plenior, venæ tumidiores, & pleniores, color corporis bonus, aliqua præterea percipietur interdum grauitas, dum ſe mouent. Cũ autem ex proprio uentriculi affectu cibi appetentia tollitur, id aut ob intemperiem calidam ipſius fit cũ materia, uel citra materiam, quæ fundens humiditates uentriculi in cauſa eſt, cur inanitionem non percipiat: vel ob id, quia vitiata eſt facultas ſenſitrix. Prioris quidem affectus, hoc eſt, calidæ intemperatnræ, cum citra materiam eſt, ſigna hęc eſſe poſſunt, primum ſitis, ſemper enim aſſidere ſolet calidiori intemperaturæ uentriculi, præterea fumoſa, & interdum nidoroſa eructatio, ſi autem aliquid appetit, frigida appetit, frigidiſque delectatur, ac eorũ uſu melius habere uidetur, cibi uerò, qui tenues, & concoctu faciles ſunt, uertuntur in nidoroſam quãdam qualitatem, craſſiores uerò, & qui alioquin cõcoctu difficiliores ſunt, facilius ab his coquuntur, & minus moleſtè feruntur. At ubi præter intemperiem ſit etiam fomentum alicuius vitioſæ materiæ, cum duplex poſſit ea eſſe materia, bilioſa, & pituitoſa ſalſa bilem flauam oſtendunt, & ea, quæ antea expoſuimus, & præterea oris ſiccitas, amaritudoque, & calor, tum oris, tum linguæ flauus, aut ſubluteus, mordicatio oris uentriculi, ſæpe uero & nauſea, vel faſtidium, interdum, & bilioſus vomitus, præſertim ſi bilis fuerit copioſa, quia ſi ea modica fuerit, aut ſi in tunicis uentriculis abſorpta, & infixa, nõ ſequetur vomitus, ſed ſi multa fuerit, ſequitur perpetua ferè nauſea: ſi pauca, non niſi à cibo concitatur faſtidium, uel nauſea, quoniam commixta cum cibo, illum corrumpit: vnde & euomendi deſiderium inſurgit. Quod ſi pituita ſalſa ablati appetitus fuerit in cauſa, ſemper ferè os ſalſum erit. At uerò, ſi quando accidat, ut ex læſione ſenſitricis, vel appetitricis facultatis, quæ in uentriculo eſt, tollatur cibi appetentia, cum illa, aut in principe parte lædi poſſit, à qua deriuatur (quemadmodum quidam in delirio affici ſolent) ſigna ea erunt, quæ delirantẽ hominem, & morbos, quos ſequitur delirium, demõſtrant. Et cum duplex ſit delirij differentia, ut in ſecundo lib. expoſuimus: Alterum enim phreniticum delirium à medicis dicitur, quia inflammationis capitis comes eſt. Alterum melancholicum, quod inſania Latinè dicitur. De his cum copioſè eodem ſecundo, ubi de his affectibus fuit habitus ſermo, egerimus, non uidetur neceſſe eadem hic repetere, neque quæ ad ſigna, neque etiam quę ad curandi rationem pertinent. Sed, & ſi non in principe facultate fuerit facta læſio, ſed tantum in ipſa appetitrice, & ſenſitrice, quæ particulatim in uentriculo ſita eſt, cũ id contingere ferè non poſſit, niſi quando illa, aut omnino, aut magna ex parte extincta eſt, nec ſolet extingui, niſi vi malignæ, & peſtilentis febris, immo inter ſymptomata malignarum, & peſtilentium febrium recenſetur, ut tertio lib. Comment. in tertiũ Epid. expoſuere Hippoc. & Galen. Quapropter de hac etiam re agere ad febrium tractationem magis ſpectare uidetur, quàm ad pręſentem locũ. At uero cum eorum etiam ſint plures differentiæ, qui non modò appetitu carent, uerum, & cibum faſtidiunt, ac auerſantur, quoſq; ἀποσίτυς ab Hippocrate appellare dixit Galen. earum quoque ſigna ſunt exponẽda. Triplicem uerò cauſam eſſe diximus iſtius ſymptomatis, quia id aut ſequitur copiam frigidi, & crudi, craſſique humoris occupantem vẽtriculum, & os eius, qui acidus tamen non ſit, aut humoris melancholici illius, qui ſaporem aceti minimè refert, aut ſequitur tenuem, & acrem materiam a capite ad uentriculum deſtillantem. Crudam pituitã indicant, nauſea, vomituſque, quo interdum iſtius naturę humor reijcitur, frigus etiam in uentriculo perceptum, flatus craſſus, & difficilis ad diſcuſſionem, nulla ſitis propenſio in ſonum, oris humiditas, & ſputum frequens. Nec minus etiam affectum hunc demonſtrabit ratio victus pręcedens, nimirum ſi ea fuerit, unde ſoleant multę congeri cruditates, uel ratione multi cibi ingeſti, & ſupra quam conficere ille poſſet, ſicuti ſi ille nimium fuerit ingluuioſus, aut ratione qualitatis, quia illis cibis ueſci aſſueuerit, qui craſſis, & crudis humoribus gignendis idonei ſunt, ut rapę, cucumeres, cucurbitę, poma, pyra, caſeus, carnes non probè coctę, piſces cetacei, & id genus alia, aut tertio ratione ordinis, vtpote ſi ante concoctum priorem cibum, ſicuti prandium, alium cibum ingeſſerit, ſicut ſolent, qui frequenter comedunt, vt pueri: ſi dum cõficiendus eſt in uentriculo cibus ſtudio operam dederit, uel corpus, animumve laborioſo aliquo motu exercuerit, qui impedimento concoctioni fuerit, item ſi à cibo veneri, vel balneis indulſerit: ad hoc etiam facit otium plurimum, ſenilis ętas, conſtitutio temporis frigidior. Ex his tamen quędam ſunt, quę poſſunt etiam reperiri in affectu pendente à melancholico humore, qui cum frigidus ſit, concoctioné lędit, quo fit, vt & plurima gignatur pituita. Sed ſi diligens in obſeruando fuerit medicus, percipiet, quòd ſi fuerit melancholicus ille humor, genitus ex aſſatione, non poterit fieri quin aliqua excitetur ſitis, minuſque in ſomnum, quàm in uigiliam erunt propenſi, & pręterea ſymptomata reliqua, quę docuit Gal. tum primo de ſymptom. cauſ. tum tertio, & quinto de loc. affect. frequenter apparere in hypochondriacis affectibus. Quod ſi aliquando du-

Com. 58.

bitatio

bitatio ſuborlatur, in quennam humorem ſint eiuſmodi ſymptomata referenda, in pituitoſum, an in melancholicum, non parum faciet ad hoc diſcernendum, ætas, temperatura, tempus anni, anteacti victus ratio, an ille is fuerit, qui humori pituitoſo, uel potius melancholico gignendo aptior, ut in cibis carnes ſalitæ, & ueterum animalium, ſtem & ſiluestrium, aut leporum, cuniculorum, paluſtrium auium, legumina, braſſicæ, & iſtiuſmodi reliqua, præterea triſtes animi affectus. Signum uerò inſuper humoris melãcholici in uẽtriculo collecti eſt, ſi ab accepto cibo uentriculus angatur, & dolore vexetur: ieiunus autem, & vacuus melius ſe habere videatur. Signa uero tenuis, & acris deſtillationis è capite deſluentis ſunt ea, quæ, dum de catarrho ſermonem haberemus, fuere expoſita, quemadmodũ caput calidum, lucentes oculi, ac rubentes, è quibus interdum acres lachrymæ effluunt fauces rubentes aſperæ, & ſiticuloſæ, tuſſicula moleſta, parum & tenue expuunt, & quod ſit, aut acrimoniæ, aut ſalſedinis, aut amaroris particeps, ſed quandoque nares etiam rubent, & abraduntur, & pruriunt. Cognitis itaq; ratione, & differentijs horum affectuum, quibus læditur facultas, quà cibum appetimus, quia aut tollitur, aut imminuitur appetentia, nihil præterea ſupereſt, niſi ut methodum reſtituamus, qua ablatis noxijs affectibus, appetitum reſtituamus ad naturalem ſuum ſtatum.

De ratione curandi affectus, quibus tollitur fames, non ex primario affectu ventriculi, ſed ex conſenſu. Cap. IIII.

NOn poteſt ſimplex eſſe ratio curãdi, vbi adeo multiplex, & diuerſa eſt ratio affectus, & læſionis, vt multiplex eſt læſionis iſtius appetitus ratio, & differentia. Nam, vt ſupra ſæpius diximus, à natura ipſorum affectuum accipitur primũ methodi curatricis initium. Vnde cum ſuperius cõſtituerimus interdũ deſtrui appetitionẽ ex proprio ventriculi affectu: interdũ ex uitio aliarũ partium, quæ attrahendo ab ipſo uentriculo, ſunt in cauſa, cur ipſo per eam attractionem inanito, inſurgat fames. Quæ quidem ventriculo contingunt cõſenſu, & uitio aliarum partium, non tolluntur, niſi ablato eo affectu, qui eas partes corripuit: vnde cum aliquã do ex denſata, & conſtipata cute prohibeatur, quò minus fiat attractio à ventriculo, intercepta ſiquidẽ digeſtione, & euaporatione. Aufertur aũt is affectus ſicut, & omnes alij per ea, quæ cõtraria ſunt. At cũ conſtipatio, & condenſatio facta ſit, vel ab externo frigore indurante, & colligente cutem, vel à nimia ariditate, vel à rebus aſtringentibus, eis erit ad curationem opus, quando ex ſiccitate inaruerit cutis quæ mollire, & laxare cutem poſſunt. Hoc autem præſtare imprimis poſſunt balneæ, non illæ naturales, & ſpontè naſcentes, quæ omnes deſiccant, multæ etiam calefaciunt, & aſtringunt, ſed quæ omnibus familiares ſunt, & ex aqua dulci, & communi calefacta parantur: modeſte tamen aqua calefiat, quia quæ iuſto calidior eſt, digerendo, & diſcutiendo poteſt nimis deſiccare, ſed quæ temperatior eſt, mollit quantum quidpiam aliud, laxatque mirificè. Vnde ſi quis ſit balneis aſſuetus, poterit etiam in aere balnei diutius manens ſudare, dummodo neque ille immodice calefiat, perinde, vt de aqua diximus. Confert his etiam modicè exerceri, utpote quoniã vehemens, & multa exercitatio vim habet denſandi, exſiccandique, conferunt etiam frictiones illę, quæ cutem poſſunt mollire, & laxare, quales ſunt leues, faciles, & longiores, quas non linteis molliri oportet, quia exaſperant, ſed manibus mollibus delibutis oleo dulci, & maturo, ſalis, & aſtrictionis experte, aut oleo amygdalino dulci, vel violaceo. Cauendum his pręterea ſummopere eſt, ne in aqua frigida, uel aluminoſa (ut paulo ante diximus) lauentur, itemque ne cibis utantur, qui ſunt mali ſucci, ne genito uitioſo ſucco, ubi corpus ex condenſatione cutis nequit tranſpirare, febris putrida excitetur, ſed illis utantur eſcis, quæ uim molliendi habeant, & tandem ea omnia in uniuerſum fugienda ſunt, quæ inſigniter deſiccãt, ut ſunt uigiliæ, æſtus ſolis, animi ſolicitudines, iracundia uehemẽs, & ſi quid aliud id genus eſt. Indenſata autem, & ſtipata cute ex frigore curatio ex calefacientibus (ut B tradidit Galen. tertio de Sanit. tuend.) inſtituenda eſt. Quare his vehementiores corporis exercitationes prodeſſe poſſunt, vtpote, quæ calefaciant, & balneæ quoque, ſed nunc calidiores utiles ſunt, nõ amplius autem, quæ modicè calidæ, & inunctiones poſt exitum balnei, quæ modeſtè calefaciant, ut ex oleo dulci, & tenui, ſicuti eſt antiquum, aut ex amygdalino amaro, aut ex anethino confecto ex viridi anetho: Gal. verò & cicinum commendat, & raphaninum, & alia quæcunque iſtiuſmodi ſunt. Et tandem eadem iſtius affectus curatio eſt, quæ & febris ephemerę, quę ſecuta eſt cutis conſtipationem. Vnde hic etiã ſicut ibi uehementes exercitationes, & balneę calidiores uſandę ſunt, ubi multa fuerit C plenitudo in uniuerſo corpore, aut cacochimia. Dũ enim euentatio prohibita eſt, & plenum fuerit corpus, exercitatio uehemens, & balneę facilè ad putridam febrem perducunt. Sed & quatenus ad victus rationem pertinet, non ſunt cibi excrementoſi admittendi, neque qui plurimum alant, neque ſic cent multum, neque craſſum, & lentum ſuccum generent. At uerò ſi ex obſtructionibus excitatis ab impactis humoribus craſſis, & lentis eidem cuti ſit facta denſatio, & conſtipatio, atque digeſtionis interceptio, ſi quidẽ non uehemens, ſed modica fuerit obſtructio, neque multa fuerit corporis uniuerſi plenitudo, uel cacochymia, uſus abſtergẽtium eam poterit tollere. Quia ſi plenum, aut excremẽtoſum D eſſet corpus, p̃terea euacuatione eſſet opus p uenę ſectionem, vel purgationem. Vix enim alia ratione qui ita affecti ſunt, tueri poſſunt, quin in febres incidant. Quando autem deiectus eſt appetitus ex alimenti affluentia congeſti in iecinore, & uenis, reſtituendus eſt vſu eorum, quę de plenitudine detrahũt vt ſunt inedia, exercitatio, frictiones ualidę, & multę, frequens, & multus balnearum uſus, & hęc quidem familiariora ſunt. Nam ſi alioquin maiori eſſet opus acceleratione, miſſione ſanguinis, uel liberaliore deiectione alui eſſet agendum, quod & Gal. multis locis docuit. Verùm forſitan hęc tractatio potius ad alia loca magis pertineret, cum ex cõſenſu ſolum laboret uentriculus, & propterea no- E luimus in eis explicãdis eſſe longiores. Quando uerò ab intemperie calidiori, curanda erit cum ijs, quę calidam intemperiem remouent, nempe cum infrigidantibus, tam interius, quam exterius, & ſi cum materia fuerit ea intemperatura, pręter refrigerationem, erit etiã vacuatione, & purgatione opus. Sed quia fieri ferè nequit, ut citra febrem poſſit ea ſuboriri intemperatura, ut colliquet, & fundat particularum humiditatem, & febrem ſanè ingentem, acutamque, quam tãquam ſymptoma ſequatur hęc differentia abolitę appetentię: Ideo ad febrium tractationem potius pertinet, & de hoc etiam tanquã de ſymptomatibus in febribus apparere ſolentibus agunt, qui de curandis febribus ſermonem habent. Sed opportunum iam fuerit, ut ad primariũ noſtrũ

inſtitu-

inſtitutum orationem conuertamus, & de ijs: quæ proprie attinent ad ventriculum, agamus. Iam autem conſtitutum eſt, quod ea appetentia in uentriculo, quę animalis eſt, non tollitur, niſi perceptio, & ſenſus tollatur, quæ tollitur quandoque non uitio uentriculi, ſed ob lęſionem pręcipuarum facultatū in capite, & cerebro, & defectum earum, ſicuti delirantibus contingit; ſiue per proprium cerebri affectum delirent, vt phenitrici, & melancholici delirant, ſiue conſenſu aliarum partium, ut ſæpe in febribus, & illis, qui hypochōdriaco laborant affectu, euenit. Sępe enim uidi, quòd quidam cum ab alijs difficilibus morbis præcipuè verò febribus euaſiſſent, aſſatis humoribus, & in melancholicum conuerſis, peruerſo quodam iudicio obſtinati nunquam comedere voluere, cum tamen nullam aliam rationem recuſandi cibum haberent, niſi quod comedere nolebant; donec tandem obierint, hac detenti inſania, ſuum extremum diem. Sed quoniam alios morbos hæc appetitus, vel famis deperditio ſequitur, & curari alia ratione nō poteſt, niſi curatis affectibus, quos ſequitur; de eorum affectuum autem curatione ſatis ſuperque a nobis in ſecundo iſtius tractationis libro fuit actum: ideo non eſt opus eadem in præſentia repetere. Sed de extinctione appetitricis facultatis, quę fit a maligna, & peſtilenti qualitate febris, aut alterius morbi maligni, cum illius morbi, maligni ſymptoma ſit, ut docuit Gal. tertio lib. com. in tertium epide. procurandum, & illis ſuadendum quidem eſt, ut ipſi ſe ipſos cogant ad comedendum, vel a familiaribus compellendi ſunt: ſicuti conſulebat, & Auicen. prima quarti, vbi de peſtilentibus febribus agit, ut comedant, dum morbo, & malignæ, peſtilentique febri opportunis remedijs fuerit conſultum. Nam illi euadunt, ait Gal. qui uiriliores ſunt, & ſibi ipſis vim faciunt, vt comedant. De ratione autem curandi malignas febres non pertinet ad præſens inſtitutum ſermonem habere. Agemus itaque de illis affectibus, qui pendent ex intemperatura calida ventriculi, quæ aut fouetur a materia, aut citra materiam eſt, niſi interdum adeo augeatur etiam intemperatura frigida, ut quaſi emortuum reddat, & extinctum natiuum calorem ventriculi. Simplex autem eſt curatio intemperiei ſine materia, quæ in duobus pręſertim conſiſtit, nempe primum, ut intemperies illa morboſa per contrarium remoueatur; deinde quia hæc intemperies (ut ſæpius dictum eſt) diſſoluit, & laxat ſubſtantiam ventriculi, qui deinceps hac ratione imbecillus fit, ut roboretur illis medicamentis, quæ aſtringendo colligunt partes laxiores redditas, illiſque robur addunt. Non ita tamen ſimplex eſt affectus, qui a materia fouetur, cū ibi ſit & intemperatura, & materia. Quorum vtrūque propriam habet indicationem, & proprios ſcopos. Preter ſcopos enim, quos nobis offert intemperies, eſt & hic nimirum, quod ſit vacuādum, vt materia morbum fouens tollatur. Qui quidé, licet vnus ſit in uniuerſum, particulatim tamen multiplex eſt, pro ratione diuerſæ materiæ, vnde excitatur affectus, qui lędit appetitū. Quamuis autem ſimplicior ſit affectus is, qui in ſola intemperie abſque ulla materia conſiſtit, atque hac ratione requirere videatur, vt prior de ipſo inſtituatur ſermo: attamen quia in curatione eorum affectuum, qui a materia fomentum habent hæc etiam continetur: ideo ne ſæpius idé repetamus, prius ea exponemus, q̄ pertinent ad rationem tollendę materiæ, quę præſens ventriculo faceſſit negotium, mox ea, quæ remouent intemperaturam. Duplicem vero eſſe materiam, quæ appetitui aduerſaria ſit, iam fuit conſtitutum, nempe flauam bilem, & ſalſam pituitam, quia uterque humor

Com. 8.

A calidus eſt: quamuis alter ſuapte natura, alter uerò (ut philoſophi loqui ſolent) per accidens. Sed priorem ſermonem habeamus de bilioſo affectu. Bilis ergo cum ſuapte natura in ventriculo non gignatur, ſed in iecinore, niſi ex aſſatione, uel putredine interdum gignatur in uenis, vel in alijs locis: neceſſe eſt, ut aliunde in uentriculum effundatur, & plerunque ex iecinore, interdum verò ex alijs partibus, & ex uniuerſo corpore per uenas pertingentes ad ipſum. Vnde bilis occupans uentriculum, eſt illi moleſta, aut iam confluxit in eum, aut adhuc fluit, & uel continenter, uel p periodos ordinarias: vt in periodicis febribus, uel ſine ordine, præterea uerò, aut magis os uentriculi occupat, aut fundum magis
B petit, item aut alluit, & quaſi natat, ſeu fluitat in ſpatio interno uentriculi, aut abſorpta eſt in tunicis, & meatibus eius. Pro ratione ergo harum omnium diuerſitatum, diuerſimodè tractanda eſt curatio iſtius affectus, quia ſi aliunde fertur, nec conſtitit adhuc fluxio, immo affectus fomentum aliunde habeat, nempe, vel a iecinore, uel ab uniuerſo corpore, præcipuè & primum procurandum eſt, vt ſubtrahatur fomentum, & intercipiatur fluxio bilis ad uentriculum, quandò quidem fieri poterit propoſitis duobus ſcopis, qui reſpiciunt duplicem occaſionem fluxionis. Quarū altera in ea eſt particula, ut ſępius expoſitum eſt, a qua defluit is humor: Altera in ea, quæ recipit fluentem humorem. Plenitudo au-
C tem illius, unde fluit & acris natura humoris cauſa defluxus eſt: imbecillitas uero, in accipiente. Duo ergo ſcopi regulantes hanc curationem ſunt, ut uacuetur primum pars unde fluit, mox & pars quę recipit, ſi aliquid ſit receptum, deinde uerò ut robur addatur recipienti. Vt tamen & hęc ſit addenda conſideratio, quid in cauſa fuerit, cur ea bilis copia fuerit congeſta in ea particula, unde effluxit. Nam ſi ea adhuc præſens eſſet, procurandum præterea eſſet, ut illa etiam remoueretur, alioquin enim fruſtra eſſet omnis laboratio. Sed huius potionis primum eam partem perſequamur, quæ ſimplicior eſt, nimirum ſi infectus ſit uentriculus bile, quę vniuerſa iam confluxerit, neque aliunde habeat fomē-
D tum. Curatio ergo in his duobus conſiſtet, primū, ut bilis educatur, & mox uentriculus roboretur. In euacuatione autem uarie ſe medicus geret, pro uaria ratione motus ipſius humoris, & modi, quo conſiſtit in uentriculo, quia ſi illa magis petat os uentriculi, nec in tunicis ſit abſorpta, & infixa, vomitu facilius reijcietur. Facilis autem omnino, & ſatis ſimplex erit hęc curatio, & leuibus etiam remedijs tentanda. Nam ſi uomitus citandus erit, ſatis erit digitus in fauces introductus, qui irritando partes illas facile promouebit in uomitum, uel penna gallinacea in interiores fauces adacta, atque eas motu concitās, facilius etiam ſuccedet res, ſi digitus, pennave ſint prius oleo communi imbuta. Quod ſi
E aliquid exhibendum ſit ad faciliorem uomitum ſatis erit bibere copioſam aquam hordeaceam tepidam ex ſyrupo acetoſo, uel aquam tepidam cum modico aceto aut oxymelite, uel hydrelæum, hoc eſt aquam tepidam immixto oleo communi, uel ſimili alio leui medicamento uomitorio utetur. Quibus peractis, & inanito uentriculo, quantum uiſum fuerit eſſe ſatis; reliquum erit, ut roboretur uentriculus, ne facilè recipiat amplius defluentem bilem. Sed ſi magis ad fundum procubuerit bilis facilius ſimul cum cibo eijcietur: cibus uerò huic rei accōmodatior eſſet hordeacea ptiſana, concitato enim uomitu bilis, ptiſanæ commixta cum ea una eijcietur: poſt cuius reiectionem uentriculus erit roborandus. Facilior ergo curatio hęc erit iſtius affectus,

A affectus, niſi contingat, ut ille, qui curandus eſt, ex ijs ſit, qui ad vomitum difficiles,& inepti ſint, quoniam his non eſt uis facienda, ut euomant, ſed nitendum erit potius, ut bilis per aluum leuibus deijciatur medicamentis, quale eſt decoctum, vel (vt iuniores loquuntur) infuſio abſinthij, ut exempli cauſa, pugillũ abſinthij ex aqua, vel macro iure coquatur, vel in eiſdem maceretur, moxque eius decocti, vel liquoris, in quo fuerit maceratum, accipiantur vnciæ octo: quod ſi illis addantur ſyrupi roſacei, quẽ ſolutiuum in prę̨ſentia appellant, tres vel quatuor vncię, pręſertim in ijs, qui ſunt alui aſtrictioris, facilior erit uacuatio: neque etiam ineptum erit medicamentum, ſi in eo decocto macerentur myrobalani, pręſertim uerò citrini ad duas, uel tres drachmas; B anteaquam illi immiſceatur ſyrupus roſaceus ſolutiuus: nam aſtringendo roborãt uentriculum, vt poſtea ineptior ſit ad ſuſcipienda bilioſa excrementa, ſed ſi ſimpliciori vellemus vti medicamento, & minoris ſumptus, ut ſępe neceſſe eſt in curandis pauperibus, aloe lota, ſi maiori ſit opus robore, quam vacuatione uentriculi, ubi aliqua adeſſet febricula, illota autem, cum nulla adeſſet febris, & liberaliorẽ cuperemus uacuationem, eſſet accõmodatum medicamentum, ita ergo negotium hoc tractandum, vbi bilis nondum ſit in tunicis uentriculi recepta. Nã ſi iam abſorpta, & infixa ſit in eis, maiori negotio erit opus, vt inde euellatur, & his, quę hactenus relata ſunt, aut nihl proficiemus, aut etiam rem diffi- C ciliorem reddemus, quia pręter id, quod in his non eſt ea vis, vt poſſint imbutam, & abſorptam bilem à ventriculi tunicis euellere, cum aſtringunt magis, & intimius eam infarciũt, & impingunt, pręſertim vero myrobalani. Gal. autem octauo de Compoſ. medic. ſec. loc. & ſecundo etiam eiuſdem operis, vbi de dolore capitis ex conſenſu uẽtriculi agit, in iſtiuſmodi affectu ad euellendam bilioſam materiam tunicis uentriculi immerſam, ait, nullum reperiri pręſtantius medicamentum, quam ſit hiera, quę dialoes dicitur, eam in pręſentia hieram ſimplicem appellant: Hac autẽ multiplicius in pręſentia utimur, quàm antiqui. Nam aut pulueres aſſumebant melle cocto, vt ſolemus cętera medicamẽta, quę à iunio- D ribus electuaria nunc dicuntur: aut arido eo medicamento utebantur, hoc eſt pulueres ex aliquo liquore bibendas dabãt. Nunc uero hos pulueres aliquo leui medicamento immiſcemus, ſicuti caſſię Aegyptię: accepto. n. liquore caſſię ad vnciam, & illi additis pulnerib. hierę ad ſexquidrachmã, vel ad drachmas duas, conficimus (vt aiunt) bolum, uel accipimus duas, vel tres drachmas pulnerum, & ex ſyrupo roſaceo ſolutiuo dicto bolum cõponimus. Euacuato autem uentriculo, reliquum eſt, vt tum victus apta ratione, tum uero medicamentis roboretur. Quod ſi his peractis appetitus reſtituatur, & procedat, nullo pręterea alio erit opus, niſi ut recta victus ſeruata ratione acquiſita ſanitas cuſtodiatur. Sed ſi E nondum per hanc purgationem ſit reſtitutus appetitus, id ſignificabit, quod aut nondum ſit exquiſitè purgatus ventriculus, egeatque vlteriori purgatione: aut quod foueatur à fluxione bilis aliunde confluentis. Pręſertim autem ſignum erit, quod aliunde bilis confluit, ſi poſt purgationem videatur quidẽ aut omnino, aut magna ex parte redijſſe appetẽtia: ſed paulo poſt iterũ cadat. Nam per periodos quaſdam confluens bilis in cauſa ſit, quod poſt inanitionem iterũ appetitus deſtruatur. Vnde ſi res in hunc modum ſe habeat, non amplius circa uentriculum pręſertim laborandum, ſed principalis curationis ratio conuertenda eſt ad locum, unde confluit humor; nimirum, vt auferatur occaſio, cur defluat. Et

A quia bilis frequentiſſimè à iecinore confluit in uentriculum, aliquando tamen, & ab uniuerſo corpore; rariſſimè uero à capite, ſicut pituita acris, & amara, vel ſalſa frequentius, ut teſtatur Galen. ſexto de Sanitat. tuend. à capite defluens in uentriculum decumbit: Quare partita tunc erit curatio, primùm enim inhibenda erit fluxio: deinde id, quod influxit, citiſſimè quantum fieri poterit, erit euacuandũ. Sed quo pacto illud uacuare oporteat, iam expoſuimus. Inhibebitur uerò, habita ratione membri, uel particulæ, à qua impulſus humor is, fertur in uentriculũ. Et quoniam proxima ratio iſtius impulſionis (vt ſæpius antea oſtendimus) eſt copia materiæ redundantis in particula a mãdante, quæ congeritur, aut B ratione calidioris temperaturæ auctæ in iecinore; vel vniuerſo corpore, aut ex obſtructione ſuborta in meatibus, per quos bilis purgari ſolet, quemadmodum ſæpius contingit illis, qui à noſtris auriginoſi, à Græcis autem icterici dicuntur. Vt rectè ergo inſtituatur curatio, procurandum primum erit, vt vel calidior intemperatura remoueatur, uel obſtructio tollatur. Verum res hæc non amplius ad pręſentem tractationem pertinet, ſed ad eam, in qua de tollendis affectibus iecinoris agemus. At ſi multa in vniuerſo corpore eſſet collecta bilis, quam per vices effunderet in uentriculum, prius oporteret totius corporis purgationem aggredi, poſtea uerò, & conuertenda eſſet curatio ad uentriculum ſuſcipiẽ- C tem influxum bilis, vt ſanè robuſtior factus, non facilè illam admitteret. Docuit autem Galen. quinto de Loc. affect. quamuis non in hoc præciſè negotio, ſed in ſimili omnino caſu, exemplo illius Grammatici, qui ex bile, tempore quo famẽ diutius tolerabat, confluente ad os ventriculi, morbo comitiali corripiebatur. Pari ferè paſſu multis contingit, ut cum fameſcere incipiunt, ſi aliquantò tolerent famem, amiſſo appetitu, uix deinde comedere poſſint: Docuit inquam Gal. huic incommodo ſuccurrere tempeſtiuè, aliquo cibo bono exhibito, ante cõ- fluxum humoris ad ventriculum, qualis eſſet panis rectè confectus, ut ſolus, uel ſi præterea ſitiret, ex aliquo vino diluto albo, & leui: Nam uina poten- D tia, ut in Grammatico damnauit, quia caput tentant, ita, & in hoc noſtro inſtituto fugienda, quia calidiora, & ſi etiam ea, quæ offeruntur, non eſſent alicuius aſtrictionis expertia, non parum id noſtro negotio conducerent. Sed & id tradidit Galen. ſexto de tuen. ſanit. quòd neque ſolis his cibis exhibitis in roborando ventriculo ſimus contenti, verum & aliquibus purgantibus medicamentis interdum ex longis vtamur interuallis, quę tamen facilia, læuiaq; ſint, & in ventriculo commoda, qualia ea, quorum nuper memineramus: nempe coma abſynthij, aloe, hiera. Quòd ſi exterius etiam aliquibus fomentis, vel linimentis firmetur ventriculus, nõ erit ab hoc inſtituto alienum. Ea uerò ſint, quę moderatè aſtrin- E gant: varia autem pro ratione diuerſa temporis. Nam æſtate utilius erit oleum melinum, hoc eſt, ex cotoneo malo paratum, hyeme verò nardinum, aut maſtichinum. Victus autem ratio in his maximam, vt in pleriſque alijs, vim habet. Etenim nihil maioris momenti eſſe uidetur, quàm procuratio, vt proba fiat concoctio tam prima, quam ſecunda: in vniuerſum verò inclinet in frigidum. Quare ea offerenda, quæ concoctu ſint facilia, ut ſunt carnes iuuenum animaliũ, nempe gallinaceæ, perdicum, auicularum, quæ ab omnibus commendantur, carnes item hædinæ, vitulinæ, & aliæ his ſimiles. Vinũ verò leue, non crudum, & iniquum ventriculo, parum aſtringens. Fercula uero congruunt, quæ ex farre confecta ſint, ſiue chondro, & ea ſimplicia, ſi-

ne alio

Cap. 8.
Cap. 9.
Cap. 10.

ne alio condimento; niſi fortè pro condimento ali-
cui grati ſint acini mali punici iniecti, qui (vt docuit
3. Gal. decimo Meth.) & ipſi non inutiles ſunt in hoc
affectu, ſicuti neque parum prodeſſe poterit, ſi iuri-
bus, ex quibus coquuntur, vel carnes, vel fercula, in-
coquantur, & vuæ acerbæ grana aliqua, ſed & fercu
lum factum ex oui luteo ex iure cocto; addito modi
co ſucco vuę acerbæ, omnibus ſimul conquaſſatis,
& mixtis. Fructus præterea, qui refrigerent erunt vti
les, quique aliquantum aſtringant, vt ſunt mala do-
meſtica, pyraque, præterea perſica ſicca, & cotonea
mala. Ad hęc olera incocta iuribus, ut endiuia, cæte-
raque cichoracea, oxaliſque, quam acetoſam noſtri
appellant. Compoſita etiam ab apothecarijs paran-
tur huic rei idonea: ſicut diacytoniten illud ſimplex,
quod ſine aromatum mixtura conficitur: ſimili mo-
do & roſaceum ſaccharum, diarhodon, quod Abba-
tis appellant, & id genus multa alia, & diatrionſanda
lon. Poſtremò uero loco id reuocandum in memo-
riam eſt, quod nos monuit Gal. octauo de comp. me-
di. ſec. loc. nimirum, quod omnia, quæ bonum, gratū
que odorem ſpirant, ventriculum firmant, & exci-
tant appetentiam, ſicuti quę malè olent eundem tur
bant, & ſubuertunt, quamuis poſtea non omnia om
nibus pariter grata, aut ingrata ſint. Qui verò affe-
ctus (vt antea oſtendimus) a pituita, vel ab humore
melancholico ventriculum occupante occaſionem
habent, varij, & ferè inter ſe aduerſarij ſunt, pro di-
uerſa nempe natura horum humorum. Nam illi,
qui acido ſapore pręditi ſunt, famem & magnam qui
dem concitant, qui vero ſunt ſalſi, famem tollunt, at
qui illius, & huius ſaporis expertes, famem tollunt, &
potius cibi faſtidium, & auerſionem, vel abomina-
tionem incutiunt. Sed prius agamus de affectu ven-
triculi, qui excitatur a pituita cruda, & craſſa, & nul-
lius acoris participe: hoc tamen primum conſideran
dum eſt, quod affectus is, de quo modo agimus, ali-
quando cum febre eſt; aliquando citra eam: cum eſt
cum febre, aut febrem tanquam eius ſymptoma ſe-
quitur, ea videlicet ratione, quia venæ refertę ſunt i-
ſtiuſmodi excrementis congeſtis ex præcedenti mala
victus ratione: accenſa vero febre, ab eius calore col
liqueſcunt, ac ad ventriculum confluunt natura illa
propellente, vt viſcera, & venas expurget, vel etiam
interdum, quia ea ventriculus infirmior ex aliqua in
temperie factus, quotidie gignit: Aut affectus hic po-
tius auctor, & cauſa febris. Poteſt autem duplicis fe-
bris in cauſa eſſe, quia ſi crudi humores in ventricu
lo aceruati, ex aliqua occaſione fundantur, ac fuſi in
habitum totius corporis digerantur, diſpergantur-
que, obſtructis meatibus anguſtis, per quos fuligino-
ſi vapores digeſti excernuntur, façilè (ut primo de
differ. febr. & octauo Meth. docuit Galen.) accendi-
tur primum ephemera febris: atq; mox, niſi cito ſuc-
curratur, accenſa in humoribus putredine, putrida
ſuccedit, ſicuti autem diuerſæ ſunt hæ conditiones
iſtius affectus, ita & diuerſimodè tractandus eſt. Ve-
rum quia cum affectus is cum febre coniunctus eſt,
& ſubit rationem ſymptomatis, pendeatque a caco-
chymia, quæ corpus vniuerſum occuparit, caput, &
initium totius curationis erit (ut in hoc conſentit me
dicorum ſchola) accipiendum a curatione uniuerſi
corporis, nimirum in primis procurandum erit, ut
cruda pituita, quoad fieri poteſt, coquatur, & in bo-
num humorem, natureque vtilem vertatur, quod ve
ro huic concoctioni ineptum eſt, alia ratione pare-
tur, nempe vt rebus moderatè calefacientibus atte-
nuetur, & detergatur, qui quidem apparatus & ipſe
quo quomodo concoctio ſæpe appellatur, qua appa-
rente, & per accommodata ſigna ſe oſtendente, me-
dici poſtea tutò ſolent aggredi uacuationem, tum cly

A ſteribus, purgantibuſque medicamentis; tum e-
tiam illis, quę uim habent urinam ciendi, & præte-
rea alijs medicis inſtrumentis. Sed quia exquiſita ho
rum tractatio magis ad doctrinam curandarum fe-
brium pertinet, ideo magis operæpretium nos factu-
ros exiſtimamus ſi in illum locum hęc omnia tran-
ſtulerimus, & in preſentia ea tantum expoſuerimus,
quæ proprium affectum uentriculi reſpiciunt, quan-
do ipſe crudis humoribus refertus eſt, nec aliunde de
latos ſuſcipit. Vnde ſi eas in præſentia indicationes
ſequi uelimus, quas nobis ipſius rei natura offert, pri
mus ſcopus nobis ſpectandus erit, ut remoueamus
præſentem materiam, quæ iſtius ſymptomatis in
cauſa eſt, alioquin enim fruſtra erit omnis labor. At
B verò quia humor lentus, & crudus, & frigidus eua-
cuationi non parum renititur, & rebellis eſt, ut de-
trahi nequeat ſine magna ui naturæ illata, qua faci-
lè ventriculi robur diſſoluitur, niſi paretur materia,
& habilis reddatur, ut facilè educi poſſit: alter ſco-
pus erit is, nempe ut paretur materia. Qualis au-
tem requiratur apparatus, ipſa natura humoris in-
dicat. Semper enim ea ſunt adminiſtranda in curan
dis affectibus, quæ contraria ſint illis qualitatibus,
quibus aut humor lædit, aut naturę reluctatur.
Cum ergo is humor frigidus inſigniter ſit, lētus quo-
que & crudus, ut paretur neceſſe eſt, ut modeſtè
calefiat. Nam quamuis ſi ſpectaremus multum fri-
gus materiæ coquendæ, uideatur inſignis calor in
C medicamentis expoſci, attamen ſi quis confertim, &
ualenter uoluerit calefacere, ut prius etiam dixi-
mus, liquefient crudi hu mores, & in habitum uni-
uerſi corporis digeſti, obſtructis meatibus, erunt
in cauſa, ut febres accendantur, uel ephemeræ, vel
putridę: pręterea uerò neceſſe eſt, ut attenuetur, &
detergatur. Omnia tamen prudenter, & cautè tra-
ctanda ſunt: quia in his, qui iſtiuſmodi cruditatibus
ſcatent, ſi medicus (ut Galen. primo de diff. feb. teſta- Cap. 3.
tur.) hęc procurauerit, primum, ut eorum corpora
probè tranſpirent; deinde, ut quieti vacent; tertio, ut
foueantur uentriculus, & iecur, moderatis tamen fo
mentis; atque in cibo, & potu rectè ſe habeant: pau-
latim materia illa cruda, in illis uiſceribus reſidens
D concoquetur, & in utilem humorem uertetur.
Sed hæc particulatim perſequamur. Primum qui-
dem, quantum ad uictus rationem pertinet, his
confert, ſi parcè comederint, & biberint, quoniam
ita facilius poterit uentriculus concoctioni crudo-
rum humorum uacare. Ea uerò illis ſunt offeren-
da, quæ concoctu ſint facilia, & pertineant ad ra-
tionem uictus attenuantis, in quibus ſunt carnes
ſylueſtrium auium, ut perdicum, faſianorum iuue-
num, turdorum, aliarum præterea auicularum mō
tanarum, & pullorum gallinaceorum, oua etiam,
quæ tremula a medicis dicuntur, abiecto albumine.
Sed & aliquis uſus eorum, quæ ſalita ſunt, in prima
tamen menſa, ab hoc inſtituto non erit alienus.
E Quia ſal uim habet attenuandi, incidendique craſ-
ſos humores. Eadem uerò ratione cappares ace-
to, & melle, uel ſaccharo conditi; præterea & o-
liuæ ſalitę non erunt incommodæ huic negotio.
Et hæc uictus ratio in cibis offerendis ſeruata, tanti
momenti eſt, ut ſæpe uiderim aliquos, in quibus om
nino deiectus erat appetitus, & uentriculus omni-
no faſtiditus, uſu huiuſmodi rerum ſalitarum in pri-
ma menſa, ſicuti ſardæ ſunt, & quæ a iunioribus
Græcis oataricha dicuntur, & id genus aliorum ſal-
ſamentorum, quibus ſuccedebant ea, quæ deter-
gendi uim haberent, ſicut primum ius braſſicę non
exquiſitiſſimè coctę, liberos ſine alijs medicamen-
tis euaſiſſe, cum etiam omne medicamentorum ge-
nus alioquin faſtidirent. Ferculum autem huic ne-

gotio accommodatiſſimum eſt ptiſana hordeacea,
& ea parata,vt parari docuit Gal. primo Art. cur.ad
Glau.in tertianis nothis,in quibus etiam non parum
pituitæ bili immiſcetur: nempe vt condiatur modico
pipere,aut cinnamomo, aut id genus alio condimen
to, ex quo maiorem attenuandi, & aliquam calefa-
ciendi vim conſequatur:ius etiam rubeorum cicerũ
non erit ineptum. Vinum verò,quod illi concedi po
teſt,ſit maturum,in principio, non potens,albũ po-
tius,quàm nigrum, modicè aſtringens, quantum ſa-
nè poſſit ventriculo robur afferre. Somnus autem,
vtpote qui concoctionem tam cibi, quàm crudorum
humorum iuuet,non parum vtilis erit,opportuno ta
men tempore. Quietem etiam exercitationi eſſe præ
ferendam diximus, non quòd putauerimus omnino
eſſe in otio degendum,ſed ab ea exercitatione cauen
dum,quæ propriè exercitatio dici meretur,quęque ca
lefaciendo poteſt crudos humores fundere,& quę in
concitata,& laborioſa motione conſiſtit.Nam leuis,
& facilis motus, vt eſt inambulatio, non modo non
erit nocua, ſed potius proderit,vnde in capitis dolo-
re, vel etiam a cibo ſecundo de comp. medic. ſec.loc.
Galen.probatur. Reliqua verò, quæ ad victus ratio-
nem pertinent, cùm his collata poterunt facilè perci
pi.Quare ad pharmaceuticen medicinæ partem con
uertamus orationem.Et quia vniuerſam huius cura-
tionis rationem ad duos ſcopos referendam eſſe di-
ximus, quorum alter apparatum materię craſſę, &
crudę ad euacuationem reſpicit:alter vero,rationem
eam vacuandi. Primum ea exponamus,quę eam vim
habent, vt materiam commodè parent. Sed ut ho-
rum vſus rectè adhiberi poſſit, præoculis habendum
eſt conſilium Galen.8. Meth. deſcriptum, nempe vt
prius vniuerſo ventre diligenter tractato, medicus
animaduertat, qua parte ęgrotus affirmet ſe maioré
grauitatem, vel dolorem, dum comprimitur, & tra-
ctatur,percipere, vel ipſe maiorem tenſionem depre
hendat, id enim indicabit ibi conſiſtere crudum hu-
morem:in hoc tamen affectu,de quo verba fecimus
in principio,ſæpius ſuperiorem partem occupat,quæ
ad os ventriculi pertinet, vtpote in qua præcipuè ſe-
dem habeat facultas appetendi:quamuis vtriuſq; par
tis tanta ſit connexio,conſenſuſque,vt facillimè utra
que alterius vitio poſſit lędi. Vnde licèt inſignis lęſio
appetentiæ ſequatur affectum ſuperioris partis, hæc
tamen animaduerſio vtilis erit, vt percipiatur, an illa
primario ſit affecta,vel conſentiat cum inferiori.Ita-
que cum conſtiterit primario eſſe affectam ſuperio-
rem partem, præſtantiſſimum medicamentum erit
id,quod ab antiquis diatrionpipereon appellatur,cõ-
ficitur autem ex triplici piperum genere, quod cùm
habeat duplicem(vt docet idem Galen. quarto de ſa-
ni.tuen.)confectionis modum,alterum ſimpliciore,
alterum magis medicamentoſum, in quo præter pi-
perum genera alia plura medicamenta immiſcétur:
ipſe, tum ibi, tum verò primo ad Glau.vbi de febrib.
Cap. 14. cum ſymptomatibus agit,& octauo Meth. in his cru
Cap. 5. ditatib.id præfert,quod ſimplicius,& minus medica-
Cap. 5. mentoſum eſt:quæ,quia quarto de tuen.ſan.planè ex
poſita ſunt, in pręſentia, ne tempus conteramus di-
mittere inſtituimus. Sed eorum, quę paulo ſuperius
dicta ſunt, occaſione forſitan quiſpiam dubitauerit.
Quia pręter rationem videtur vſus diatrionpipereon
in hoc affectu; cum ſuperius ſit ſtatutum modicè ca-
lefacientibus eſſe negotium hoc tractandum, ne dũ
nimis calefacere nitimur, materia cruda attenuata vi
calefacientium, & in flatum conuerſa,penetret tuni
cas ventriculi, & eas diſtendens vehementes conci-
tet dolores. Piper autẽ inſigniter calefacit, vt ad quar-
tum ferè calefacientium ordinem accedat. Nos tamé
hanc dubitationem facilè diſſolui poſſe putamus, ſi
conſiderauerimus, quòd licet piper ſit in his calefa-
cientibus,quæ ad ordinem quartum accedunt, atta-
męn adeo tenuis ſubſtantię, & tenuium partium eſt,
vt non poſſit plurimum caloris imprimere,nam citò
euaporant partes, quæ uim maiorem alioquin cale-
faciendi haberét,citoq; digeruntur, pręearum tenui
tate, & proinde etiam earũ caliditas(ut ait Gal.) non
pertingit iecur. Et huic rationi innixus in febribus e-
phemeris ex cruditate, & in illis, quæ ſyncopales ap-
pellantur,in quibus ex crudioribus humorib. excitã-
tur animi deliquia,cenſuit dandum eſſe diatrionpipe
reon, & potius illud,quod ſimplicius eſt;quia alia me
dicamenta,quæ immiſcentur illi,quod magis medica
mentoſum appellauit,cum non ita facilè euaporent,
diutius permanentia maiorem poſſunt calorem im-
primere:immo primo ad Glau. ſimplex piper in cru-
diori ventriculo laudat,pręſertim verò longum, ſed
& album, cinnamomum quoque octauo de comp.
med. ſec.loc.Nam quę tenuiora ſunt,licet citius accẽ
dantur,et edant maiorem,clarioremque flammam;
minus tamen calefaciunt, & vrunt, quàm quę craſ-
ſiora,& ſolidiora. Accõmodatiſſimus ergo erit vſus
diatrionpipereon,vel piperis.Si tamen rectè velimus Cap.
ea examinare,quę nobis tradita ſunt a Gal.quarto de
tuen.ſani. ex ratione oxymel,oportet,ut præcedat v-
ſum diatrionpipereon, quia uim inſignem habet ſe-
candi, detergendique a uentriculo craſſam, & len-
tam pituitam: diatrionpipereon verò (ut primo de
loc.affect.idem docuit) maiorem excutiendi humo- Cap.
rem contentum in tunicis uentriculi. Sed ſi aliquid
roſacei mellis oxymeliti fuerit additum,non erit inu-
tilis additio,nam deterſionem iuuabit, & ventriculũ
magis roborabit. Sicuti exempli cauſa, ſi oxymelitis
uncię ſemiunciam addiderimus rhodomelitis. Quo
loco neque hoc prętereundum, maximè propter no
uitios medicos videtur, quatenus ſanè ad horum uſũ
pertinet,quod oxymelite,& melle roſaceo interdum
vtimur propter proprios affectus uentriculi. Interdũ
uerò potius propter affectus,vel humores, qui in ue-
nis remotioribus congeſti ſunt. Si propter eos, qui
uentriculum occuparunt, præſtabit,ut hæc nullo a-
lio decocto, vel liquore diluãtur, nam ita non diluta,
non facilè diffluunt, ſed diutius hęrentia uentriculo
efficacius agere poſſunt,ut enim liquidiora, & diluto
ria ſunt,ita facilius, & citius dilabuntur. Sin auté ma-
gis ſpectandos remotiores humores putemus, dilu-
tiora hæc facta ex aliquo decocto & alio accommo-
dato liquore, facilius penetrabunt ad remotiores, &
anguſtiores venas. Parata ergo per hęc materia obſer
uandum præterea erit, an illa aliquam inclinationé,
vel propenſionem uideatur habere ad aluum inferio
rem;quod indicabit gurgulatio,& ſtrepitus inteſtino
rum,& flatus per inferiora excuſſus. Nam tũc is mo-
tus iuuandus clyſteribus,aut glandibus,ut tamé neq;
acres admodum ſint clyſteres, ſed in quibus ſit uis di
ſcutiendi flatus, ut ſi in eis ſint incocta chamæmelũ,
anethum, ſemen fœniculi, aniſi, & reliqua, quæ mo-
deratè calefaciant, & diſcutiant, ita ut ſi aliquando
multa uideretur in inteſtinis adeſſe flatus copia, inco
quatur aliquid rutę, ut & flatus diſcutiatur,& mate-
ria eodem inſtrumento deorſum trahatur: alijs dein
de additis, quæ ſolét componendis clyſterib. addi ficu
ti mel,aut rhodomel, aut ſaccharum rubrũ,pręterea
ſal,& oleum,quòd ſi oleum fuerit chamæmelinum,
aut anethinum,aut amygdalinum dulce, uel amarũ,
non erit inutile. Verùm ſi humor is crudus nullã ui-
deretur inclinationé habere ad inferiorem aluũ, ua-
cuandum tamen putaremus nihil eſſe præſtantius, ſi
præcepta Gal.8.de comp.med.ſec.loc. ſequamur, hie
ra ſimplici nũcupata. Quia verò multi ſunt,q potius,
& facilius accipiunt catapotia, ideo de his aliqua etiã
dicemus.

dicemus.Vt hoc primum tanquam conſtitutum ha- A
beamus,non eſſe huic affectui congrua medicamen
ta valentia, quæ ſcāmonium ,vel colocynthin, vel id
genus alia recipiunt,ſiue catapotia illa ſint,ſiue aliud
medicamentorum genus. Vnde pilulę ex hiera ſim-
plici confectæ,& quæ maſtichinę dicuntur,& quæ ét
ex tribus cum rhabarbaro appellantur,ſed quæ ex a-
loe lota,& ſimplici fiunt,eam vim (ſi Galen. eodem
octauo de compoſ.medica.credimus)non habent,vt
craſſam pituitā vacuare poſſint. Sed & alephanginæ
ab Arabibus appellatæ, non erunt inutiles.Galen.ve
rò in ſimilibus affectibus medicamentum id laudat,
quod ab antiquis diaſpoliticon fuiſſe nuncupatum
ait,de ratione autem confectionis ipſius, vſuque ſa-
tis abundè ab eo quarto de tuen. ſan. actum eſt. At B
neque prætermittenda ſunt interea fomenta exte-
rius adminiſtrāta ex oleo abſinthino, chamęmelino
que. Quibus ita peractis, præſertim verò expurgato
ventriculo ab his excrementis, incumbendum robo
rationi ventriculi imbecillioris facti. Cum vero duo
in primis ſint,vnde plerunque fit imbecillior, præſer
tim verò in hoc affectu,intēperies videlicet frigidior,
quæ comes fuit frigidi, & crudi humoris, & laxitas,
quæ ab illius humiditate derelicta eſt: Quare ijs erit
opus remedijs, quę modeſtè calefaciant, & modeſtè
aſtringant.Et cum vtraque hæc in abſinthio reperiā-
tur, optimum, & huic inſtituto accōmodatiſſimum
erit id medicamentum, quomodocunq; eo fuerimus
vſi,ſiue decoquamus ex aqua, ſiue ex vino patemus; C
vt apud Germanos in vſu eſt, ad tollendam crudita-
tem,ſiue coquatur ex iure aliquo macro,ſiue ſyrupo
ex eo confecto.Sed & confectio illa, quam aromati-
cum roſaceū Meſue appellat, delicatioribus qui ama
ritudinem abſinthij faſtidirent, vtilis eſſe poſſet. Ab-
ſinthium tamen præter alias vtilitates,hanc habet in
hac re maximā, quòd vim habet, vel etiam emortuū
appetitum excitādi. Sed de his ſatis ſuperq; diximus.
Quare iam opportunum erit,vt ad aliā iſtius affectus
differentiam tranſeamus,quę pendet ab humore me
lancholico,non tamen acido,qui ventriculum occu-
pauerit. Qui quidem & ſi in paſſiuis ab Ariſtotele ap
pellatis qualitatibus, a priori diuerſa ſit: attamen nō
eſt admodum vtriuſque differens curationis ratio,qa D
vterque humor frigidus,craſſuſque eſt. Vt præterea,
& hoc addamus,quòd & iin hoc etiam affectu, mul-
ta congeritur cruda pituita ratione ventriculi malè
conficientis cibos, perinde vt in hypochondriaco af-
fectu ſuo loco fieri diximus. Sed nec deeſt in hoc quo
que plurimus flatus, & craſſus.Quo deīde fit,vt mul-
ta remedia vtriuſque communia ſint, ſicuti & primę
quæ inſurgunt indicationes,in vniuerſum eędem fe-
rè ſunt,& ijdem primi ſcopi: Nempe humorem, qui
ventriculum premit, fouetq; eius intemperiem, ua-
cuandum eſſe. Antequam tamen vacuetur, cum &
ipſe craſſus,frigiduſque ſit,atque adeo etiam difficilis
ad vacuationem, rebelliſque, neceſſe eſt, vt paretur.
Parandus vero eſt per ea,quæ calefaciunt moderatè, E
quęque attenuent, & diſſecent, nec non & flatus di-
ſcutiant.Inſtrumenta vero,q bus hęc peragenda sūt,
in primis duo ſunt,nimirum ratio victus,& medica-
mentorum:tertio vero, aut nunquam, aut rariſſimè
vtimur, cum commune id theorema habeamus, nō
eſſe ſecandam venam faſtiditis. Ratio ergo victus ea
ſit,quę maximè congruens ſit morbis, qui ex humo-
ribus craſſis ortum habent,nēpe ut uictus attenuans
quidem ſit, & in quo aliqua ſit uis flatus diſcutiendi,
uerum parcius aliquanto,propter ſiccitatem humo-
ris exſiccet. Vnde quātum ad ciborum rationem ea-
dem ferè dicenda,quæ ſuperius diximus,quatenus ad
carnes,oua,& fercula pertinet.Niſi quod & hoc illis
addendum videtur, quod ſicuti Gal.primo ad Glau.

libro,vbi de curanda quartana agit, probatur aliquis
ſalſamentorum vſus, præſertim in prima menſa: Ita
& in hoc affectu pari ferè ratione mihi nequaquam
videretur improbandus,& id tam propter pituitoſū,
quàm etiam melancholicum humorem. Nam ſalſa
attenuant,ſecant,& detergunt. Sed & condimenta
ex pipere, aut cinnamomo, aut radicibus fœniculi,
vel petroſelino, vel alijs id genus, cappares quoque
non eſſent inutiles,quippe qui & attenuent, obſtru-
ctioneſque,præcipue vero lienis aperiant, a quo ple-
runque is affectus fouetur.His autem omnino a cru
ditatibus cauendum eſt, perinde ut & hypochondria
cis cauendum eſſe cenſuit.De exercitatione,& ſom-
no, ac vigilia, idem ſentiendum eſſe putamus in hac,
quod & in priori huius affectus differentia.Aer vero
in vtriſque potius ad calidum, quàm ad frigidum in-
clinet,verum vt in illo aliquanto ad ſiccum magis,ita
in hoc magis ad humidum. Quantum vero ad reli-
qua, quę agenda a medico ſunt, hoc primum conſi-
derandum,num humor qui ventriculo inſidet,videa
tur aliquem habere motum ad ſuperiora,& facilis ſit
ad vomitum, qui ægrotat, quia melius erit, ut uomi-
tus cieatur, leui tamen vomitorio, & eo, in quo ſit
aliqua uis attenuatoria: ſicut ſi decocto comę anethi
ex oxymelite vtamur. Si qua enim ſit materia, quæ
natet,uel fluctuet in uentriculo, illa facilè & leniter
hoc pacto educetur,quo facto attenuantia, & deter-
gentia erunt adminiſtranda,qualia ea, quorum pau-
lo antea meminimus, nempe oxymel, & rhodomel,
& reliqua,quę attenuant,& flatus diſcutiunt, hac e-
nim ratione fiet,ut materia, quæ veluti fomētum eſt
iſtius morbi,paratior reddatur, tum victu, tum vero
medicamentis,vt vel a natura digeratur,& excerna-
tur,vel poſtea accedente auxilio ab arte per medica-
menta educatur. Neque etiam hic contemnendū pu
tamus illud ſimplicius diatrionpipereon, de quo pau
lo antea fuit habitus ſermo,cum eo item utatur Gal.
quartanam curaturus. Nam robur addit ventriculo
refrigerato,quo maximè opus eſt, flatus diſcutit,ma-
teriam attenuat.Sed & hoc addamus,quod(ut paulo
antea dicebamus)in hoc affectu multa quoque gigni
tur pituita a frigidiori ventriculo, atque ut in priori
non timebamus multum piperis calorem,ita in hoc
affectu non timebimus, quòd nimis exſiccet, ob eā-
dem partium tenuitatem. Mox autem,in hoc quoq;
affectu, ſi propenſus videatur noxius humor in aluū
inferiorem,eiſdem clyſteribus procurādum, vt detra
hatur,vt tamen primum leuioribus agamus; mox ve
ro,ſi res requirere uideatur,& acrioribus,vt ſi preter
lenitiuum appellatum a noſtris electuarium, clyſteri
bus adderemus,& diaphoenicon,uel hieram,utrum
que enim & calefacit,& flatus diſcutit,ut tamen ſem
per acerrimis,& nimis ualidis abſtineamus,quia uen
triculum imbecillum efficiunt, neque reſpiciendum
ad id,quod illis Gal.utatur in quartana,quia in hoc af
fectu primum laborat uentriculus. Poſtremo aūt ni-
ſi hac ratione potuerit uentriculus omnino mūdior
factus ab hoc incommodo eximi, medicamentis erit
purgandus,& ubi pertinax uideatur humor, tenaci-
terq; hęrens,aut infixus uentriculo, mihi quidem ad
huc hiera dialoes maximè probaretur,quoniam & ſi
bilioſis, & pituitoſis excrementis purgandis ſit accō
modatior, tamen (ut diximus)quia eam uim habet,
ut poſſit humores pertinaciter uentriculo inhęren-
tes extrahere, tum uel maximè, quia neceſſe eſt co-
pioſam pituitam in hoc affectu ſemper cum humo-
re melācholico mixtā eſſe, non poteſt non eſſe plu-
rimum utilis. Sed ſicut conſueuimus in priori affe-
ctu illam dare mixtam cum liquore extracto ex ſili-
quis caſſiæ; ita in hoc immiſcemus alicui medica-
mento, quod magis ſit melancholico humori ac-

commodatum: ſicuti eſſet id, quod hi lenitiuum electuariũ appellant, aut illud, quod Meſue diacatholicon, ſicut etiam eſſet epithymi decoctum, quod deſcripſit idem Meſ. præſertim uerò, quando citra nigrum veratrum conficitur. quia veratrum non parũ ventriculo inimicum eſt. Poſſunt autem pulueres hieræ dari bibendæ, ex hoc decocto, vel ſi ob amarorem videretur potus nimis moleſtus, eas modico hoc decocto aſſumptas in bolum redigerem. Mihi tamen hoc loco non uidetur contemnendum conſiliũ Rufi à Paulo, & Aetio literis traditum in capite de Hyppochondriaca melancholia, quod omnibus melancholicis affectibus cõe eſt, illud uero eſt, ꝙ cum in his affectibus omnia fuerint ex ratione facta, ſi morbus adhuc peruicax reluctetur aliquandiu, & medicũ ab omni medicamentorum vſu ſe continere melius eſſe, & quietem ægrotanti interim concedere, quia (aiebat ille) non minus natura, quàm morbus ex multiplicium remediorum vſu frequenti, dum ab eis diſtrahitur, defatigatur, quæ ſi interim quieſcere permittatur, uictus tamen congruens interea ſeruetur: reſumens ſe, & ſuas vires, tandem reliquias morbi uincit, profligatque, quod ſi id non ſequatur, ad eadem remedia iterum redeũdum erit. Porro in iſtius affectus curatione non modo ea utilia ad abſolutionem, quæ interius ſumenda ſunt, ſed & quæ exterius adminiſtrantur, ut ſunt fomẽta, & illitiones: quoniam, & hæc ventriculo conducunt: maximè vero, vt flatus, qui ex his frigidioribus humoribus ſolet plurimus excitari, digeratur, diſcutiaturque. Sed eo tempore præſerim vtilis erit fotus, quo ventriculus, aut vomitu, aut alia quapiam ratione fuerit aliquantiſper vacuatus. Accommodatum vero ad fouendum erit decoctum anethi, chamæmeli, abſinthij, abrotani, marrubij, ſeminum aniſorum, fœniculi, lini, vel aliorum eandem cum his vim habentium ex aqua, cui aliquantula aceti portio addatur, acetum namque immixtum fomentis in melancholicis affectibus plurimum prodeſt ad penetrationem, diſcuſſionem flatuum, vaporumque exſiccationem. Vnde Galè. octauo de Comp. med. ſecun. loc. ex ſententia Aſclepiadis maximopere commendat fomentum ex ſpongijs demerſis aceto acerrimo calido, ventriculo adhibitis, quando diſtenditur à flatu ab humore melancholico excitato. Poſtremo vero ad robur uentriculo addendum, finiendaſque reliquias, cum humorum, tum flatuum, vtiles erunt appellatæ à noſtris cõfectiones, tum illæ, quarum paulò ante meminimus, tum etiam, quæ diacyminum, & quæ diagalanga ab Arabibus dicuntur, & vbique ferè paratæ reperiuntur. Sed & zingiber conditum ſaccharo, & tandem, ſi adhuc pertinacior fuerit morbus, antidoti maiores, vt theriaca, & mitridatia, & id genus aliæ maximoperè iuuare poterunt. Sed de his ſatis in præſentia. Vnde reliquum tandem eſt, ut & de tertia differentia curanda agamus, quę quidem tractatio aliquanto iſtis erit difficilior, cum non ſit perinde, ut illæ, ſimplex, ſed potius compoſitas, complicataſque habeat indicationes. Cum enim deſtillatio tenuis, acriſque, tum biliofa, tum ſeroſa ad uentriculum defluens cibi faſtidium illi afferat, neceſſe eſt, vt duo duarum particularum affectus mutuo ſe fouentes coniuncti ſint. Nã & caput malè habere opus eſt, in quo prius congeſta deſtillatio mox defluit, uentriculumque, præſertim uerò os eius, vtpote cuius temperies ab influente humore vitiatur. Methodus ea ergo curationis in his duobus conſiſtit, nimirum, vt capiti ſuccurramus primum, deinde ventriculo. Sed quia quæ ad caput pertinent continentur in ratione curandi morbos capitis, de quibus, & in uniuerſum, & particulatim de catarrho in ſuperioribus libris copioſè fuit actum, ut

A tempori, & longitudini parcamus, rem eam in præſentia ſilentio inuoluemus. Hoc tantum deſcribemus non inutile cognitu, cuius meminit Galen. ſexto de tuend. ſanitat. quod interdum in unum conſpirant intemperies deſtillantis materiæ, & intemperies ventriculi, quia deſtillatio calida ſit, calidior etiam vẽtriculus, interdum verò hæc diſſentiunt, & calida erit deſtillatio, frigidior uero uentriculus, atque poſterior hæc complicatio curatu difficilior eſt. Verum quomodocunque res ſe habeat, neceſſe primum deſtillationi tollendæ, vel reprimendæ incumbere, uacuando, & rebus, quæ acrimoniam, & malitiam deſtillationis retundant, materiam defluentem parando, ac tandem fluxionem ſiſtendo, caput vero imprimis

B roborando, de quibus ſatis exquiſitè, vbi de catarrho agebamus ſermo fuit habitus. Cui, & hoc addendum, quod in his agendis ſemper ratio habeatur, & illa magna, ipſius uentriculi, nempe, vt his in euacuando medicamentis utamur, quæ ventriculo familiariora ſint, accommodatioraque, quod de alijs quoque intelligendum cenſemus. Repreſſa autem deſtillatione, ſi quid præterea receptum in uentriculo, qđ adhuc illi negotium faceſſat, illud (quomodo ſæpius expoſuimus) erit detrahendum, ac mox roborandus: qua de re ſatis diximus. Ideo ad alium affectum properemus, quo item læditur facultas appetitrix, quæ cibũ reſpicit, quamuis alius ſit lęſionis modus, quoniam in priori erat ablata, aut imminuta cibi appetẽtia, in hoc

C autem vitiatus, & peruerſus eſt appetitus.

De Fame, quę canina dicitur: item, & de appetitu rerum, quę à natura humana alienę ſunt, qui affectus pica dicitur. Cap. V.

PEruerſus, vel corruptus appetitus bifariam eſſe poteſt, vel ratione modi, quo appetunt, uel ratione earum rerum, quæ appetuntur. Primus canina fames dicitur, quæ ſymptoma eſt: nã ad actionum læſarũ genus pertinet, oĩno ferè priori contrarium: in affectu enim priori, aut nulla, aut per quam exigua fames eſt, in hoc verò, nimia atque inſatiabilis hominem cruciat. De hoc ergo affectu, quem ſequi-

D tur fames immodica, loquamur: poſtea uero, & de pica ſermonem inſtituemus. Sed eſt & tertius quidam affectus ad hanc eandem tractationem pertinens, de quo, & tertio loco agemus. Dicitur autem Græcè βούλιμος: vis autem vocabuli iſtius Græcis ſignificat vehemẽtem, & magnam famem: nam λιμός famem ſignificat: βους autem particula à boue deducta eſt, & cum alicui uocabulo apponitur, magnitudinem quãdam addit ſignificato ipſius uocabuli. Sed inter initia hunc affectum fames ſequitur. poſtea uerò fames eũ deſtituit. Primum ergo de canina, uel immodica cibi appetentia agamus, uel potius de eo affectu uentriculi, cuius comes eſt inexplebilis hęc fames, tanquã proprium eius ſymptoma, illa.n. nobis rõnem curationis

E indicabit. Quemadmodum autem diximus defectum appetentię non unã habere rõnem, & cãm, vnde ortum habeat, ſed multiplicẽ: Ita pari paſſu, ſi corũ fuerimus memores, quæ de cauſis neceſſarijs ad famẽ naturalem concitandam dicta fuere, neceſſe erit fateri, multiplici de cauſa fieri poſſe hanc caninam appetentiam, ut interdum occaſionem habeat ex aliquo proprio uentriculi affectu, nõnunq̃ verò, quia in affectu aliarũ partiũ cõſentiat. Nã q̃uis (vt diximus) fames, & cibi appetentia ſit actio primum pertinens ad uentriculum, & ad eas facultates, quæ propriæ uentriculi ſunt, ueruntamen & naturalem famem, naturæ inſtituto, præcedunt alij motus neceſſarij aliarum partium, qui ſi peruertantur, neceſſe eſt, & rationem famis uitiari. Sed primum de immodica fame agamus,

mus;quæ fit conſentiente ventriculo cum alijs parti-
bus quæ ab eo exſugentes, & attrahétes alimentum
ſolent eſſe in cauſa, cur inſurgat fames; nam & earũ
motus(ut diximus)natura præcedunt motum ipſius
ventriculi. Vnde cum digeſtio (vt expoſitum ex Gal.
fuit)earũ partium,quæ ſub cute ſunt, & eorum ina-
nitio facta per digeſtionem ſubſtãtiæ earundem, quę
per anguſtos cutis meatus fit, ſit in cauſa, cur illę per
venas attrahant, & quaſi exſugãt humorem natura
lem ventriculi,cum ea attractio deficit,appetentia(vt
ſuperius probauimus) non excitatur. Contra etiam
ſi digeſtio fiat immodica, & ſupra id,quod ex natura
fieri ſolet, atque continenter, ſequitur magna attra-
ctio, & exſuctio a ventriculo:vnde neceſſe eſt magnã
excitari famem,& indeſinentem. At verò cum dige-
ſtio hæc per anguſtos, & inconſpicuos meatus, qua
fit inanitio ſubſtantiæ particularum, non fiat, niſi ui
caloris,ideo prima cauſa iſtius caninę famis erit cali-
dior intemperatura, totius habitus corporis, & cutis
raritas,laxitaſq;. Quod ſi quis fortaſſe opponat huic
determinationi, quia non videatur rationi conſonũ;
quod poſſit calida corporis intemperatura eſſe cauſa
immodicæ famis,cum in eandem fuerit relatum pau
lò ſuperius,cur aliquando deſtruatur omnino cibi ap
petentia,dicebamus enim,quod calor diſſoluens hu-
mores,vel humiditates in particulis corporis, fundẽſ
quein eis ſanguinem, vnde & inanitas earum reple-
batur,erat in cauſa,vt deinde non incitarentur ad at-
trahendum: preterea cum laxa, & languida a nimio
calore fiant membra,attrahere nequeunt;& ſubinde
neque appetitus excitari. Diximus non eſſe rationi in
conſonum quod ab vna,& eadem cauſa in vniuerſũ
diuerſi, & quandoque aduerſarij ſequantur effectus;
dummodo non eadem ratione id eueniat. Nã calor;
ſi is fuerit, vt poſſit humorem diſſoluere, fundereq;,
erit cauſa deijciendi appetitum. Quòd ſi eo proueha
tur calor, vt non modo fundat, & diſſoluat, verũ &
digerat, diſcutiatque ſubſtantiam particularum, illis
inanitis immodicè, in cauſa erit caninæ famis. Ratio
.20. nem iſtius reſponſionis deprompſimus ex Galen. 4.
lib. com. in ſextũ epid. Hæc ergo erit prima affectuũ
differentia,quos ſequitur nimia,et inexhauſta fames.
Altera verò in imbecillitate facultatis contentricis
ſita eſt. Cum enim corpus nequeat refici,& inſtaura
ri pro ratione eius, quod per digeſtionem proprij ca-
loris deperditur: niſi contineatur eatenus alimentũ,
quatenus membra refici ex eo poſſint, facta auté im
becilliori facultate contentrice, diffluit alimentum
anteaquam membra ali poſſint. Ideo continenter at
trahentia in cauſa ſunt inexplebilis famis. Cauſa ue-
16. rò præcipua,cur fiat hæc facultas imbecillior (vt Gal.
tum in libro de facul. natur. tum verò ſecundo Aph.
.29. tradidit) eſt humiditas. Ex humiditate ergo in primis
pendet hæc altera differentia, ſiue ex humida intem-
peratura. Tertiæ etiam differentiæ fit mentio in lib.
qui de Theriaca ad Piſonem inſcribitur, quæ in uer-
mes refertur. Quo etiam loco id conſiderandum,
quòd ſicut de calida intemperie diximus; quod pe-
nes diuerſas rationes, interdum tollit omnem cibi
appetentiam,interdum vero affert caninam famem:
Ita & vermes non modo tollunt appetitum, ſed &
pueros ἀποσίτυς reddunt, hoc eſt ab omni cibo ab-
horrentes. Interdum tamen adeo voraces,& fame-
ſcentes,vt ſatiari nequeant. Nam cum vermes ex pu
treſcente humore gignantur,fit nonnunquam,ut va
por a maligna illa putredine elatus,ita afficiat uentri-
culum, ut nullum cibum poſſit aliquo modo admit-
tere. Etenim ſæpe vidimus pueros uermibus laboran
tes ad ſeptimum uſque diem nihil vnquam comediſ-
ſe,ſed cum eſſent ſitibundi, ſolo potu vim in quo pa-
nis toſtus fuerat maceratus, & expreſſus vixiſſe. Ali-

A quando verò,præſertim cum multi fuerint,alimentũ
confectum in vẽtriculo,quod erit per venas attrahẽ-
dum a iecinore,antea abſumunt, & comedũt. V nde
iecur & reliqua membra alimento deſtituta, & quaſi
famelica attrahunt,& exugunt humorem ventriculi
continenter:indeq; fiunt pueri voraces,vt nequeant
ſatiari. Hæ tamen tres differentiæ non ſunt eorũ affe
ctuum,qui ſint proprij ventriculi,ſed in quibus afficit
aliarum partium conſenſu. Affectus autem proprius
ventriculi in eo concitans importunam hanc famẽ
(ut tum primo de ſymp. cauſ. tum etiam ſecũdo aph. Com.21.
expoſuit Galen.) eſt frigidior intemperies,præſertim
verò oris eius:ſiue cum materia fuerit, ſiue citra. Vn
de Hippo. ſexto epid. com. vero Galen. lib. quarto di- Com.20.
B xit,aqua edax:frigus enim aquę(teſte eodem Galen.)
cogens, & denſans os ventriculi, exprimit humorẽ
ipſius, & exprimendo inanit tunicas ipſius ventricu-
li,vt inde ſimilis ſequatur affectus illi,qui ex ſuctione
venarum fit; unde & idem ſequitur effectus, nimirũ
replendi deſiderium, & ita fames excitatur. Contra
quam calor faciat; qui potius laxat, & diſſoluit. Fri-
gus itaque, vel etiam citra conſortium alicuius mate
rię,hoc pacto famem concitat,Cum materia autem,
quia materia,frigida non eſt,niſi pituitoſa,& melan-
cholica. Sed à varijs horum humorũ differentijs,præ
ſertim vero a ſaporibus acceptis,varij etiam, & quaſi
aduerſarij,ut diximus,effectus ortum habent,quia vt
etiam hoc Gal. tum in lib. de pleni. tum ſexto de loc.
C affect. tradidit, acida pituita, melancholicuſque hu- Com. 1.
mor acidus famem excitant. Alię verò differentię ho Cap. 11.
rum humorum (ut ſuperius oſtendimus) potius tol-
lunt cibi appetentiam, vel etiam cibi faſtidium affe-
runt,quàm quod famem augeant. Solus auté humor
acidus,ſi ſit abſorptus in tunicis vẽtriculi, excitat im
modicam iſtam famem. Docuit autem,nos Gal. eo-
dem primo de ſymp. cauſ. cur eſt,quod quę acida sũt,
famem excitant:ait enim,quod hæc ſuarum partium
tenuitate vellicant os ventriculi,& quaſi mordicãdo
eundem ferè ſenſum excitant in ore ventriculi, quẽ
ſuctio ex venis,& proinde quaſi euigilatur cibi appeti
tus. Sed & ad alios modos vitiati appetitus acceda-
mus,quod uitium in hoc conſiſtit, quod ea appetun-
D tur, quæ omnino aliena ſunt ab eorum natura, quæ
apta ſunt alere corpus noſtrum, ſicuti quidam carbo
nes extinctos, alij terram, nonnulli etiam quędã ob-
ſcœniora, quidam carnes crudas comedunt. Mater
mea cambaros fluuiatiles,cum in vtero haberet, cru
dos comedit. Memini me uiſitaſſe nobilem puellam,
quę fila ex ueſtibus,qui erant conſutę, extrahebat,ac
comedebat. Noui aliam, quæ calcem a parietibus de
radebat,& comedebat. Quemadmodum autem con
ſenſere medici omnes, eiuſmodi affectus uentricu-
li primarius quidem eſt, & ortum ſuum habet a ui-
tioſis, corruptiſque excrementis obſidentibus os
uentriculi, qui pro ratione ſuæ diuerſæ in eis cor-
ruptæ,& putrilaginoſę qualitatis diuerſarum rerum,
E a quarum uſu ferè abhorret humana natura, con-
citant deſiderium. Nec ſane hoc mirum uideatur:
quia cum per putredinem, & corruptionem humo-
rum gignantur variæ, & quaſi ineffabiles formæ in
ipſis ſuccis,ut de puris generatione,atque humorum
corruptione in uenis, teſtatus eſt Galen. ſecundo de
diff. feb. ita non eſt a ratione abhorrens; quod ab
eiſdem humoribus per eas formas in eis ex corru-
ptione procreatis, ineffabiles quidam effectus pro-
deant in uentriculo, & alijs particulis, quas uel ibi
geniti obſceſſerint: uel alibi exorti ad eas fuerint im-
pulſi. Et quia naturali quodam inſtinctu particulæ
omnes malè affectæ ſemper ea deſiderant, per quæ
poſſit affectus tolli; tollitur verò per contraria illi
affectui: Ideo uariarum rerum excitatur appetitio

vt varia eſt natura humorum,a quibus moleſtari per A
cipiunt. Et ſicuti nemo eſt qui particulatim,& diſtin-
cta oratione poſſit exponere naturam illius qualita-
tis, formęve in humoribus ex eorum corruptione p-
genitę: Ita etiam nemo erit, qui particulatim, & di-
ſtincta rationē afferat diuerſorum, & vitiatorum ap
petituum,qui ab eis excitantur. Sed quod affectus is,
& irrationalis hæc appetentia corrupta, & plurimũ
uitiata excrementa in ventriculo congeſta ſequatur,
eo arguméto facile colligimus, quo facilius ac ſępius
is appetitus eos corripere ſolet, qui deteriori, & ma-
gis corrupta cacochymia ſunt referti. Vnde ſolet præ
ſertim in prægnantibus corruptus is fieri appetitus,
circa (ut primo de ſympto. cauſa Galen. & 6. de loc.
affec. tradidit.) primos menſes,quia ſuppreſſis men- B
ſtruis purgationibus,per illud tempus multa congeri
tur excrementoſa materia, quoniam interim fœtus
paruus non poteſt multum eam, dum alitur,conſu-
mere, cum non egeat multo alimento ſicut auctus
deinde; verum poſt tertium fermè mēſem, vt creſcit,
ita plus attrahit, vt eo alatur; ac ita etiam paulatim is
vitiatus appetitus corrigitur, nã ex ea parte, quę me-
lior eſt,nutritur fętus, reliquas verò ineptas ad alimo
niam,in eas tunicas, quas natura circa fœtũ procrea
uit ad ſuſcipienda excrementa excernit. Vnde fit ut
pro ratione,qua magis, vel minus excrementoſa sũt
pręgnantium corpora, vel ratione pręcedētis victus,
vel etiam quando cœpere in utero habere,magis mi
nuſve a pica (ita enim a medicis appellatis affectus) C
vexentur, atque citius, aut tardius ab eo liberentur.
Deinde verò ſolet illis præſertim eſſe familiaris, qui
plurimum voraces,ingluuioſiq; ſunt,hic uitioſus ap-
petitus; vnde pueri magis, quàm adulti obnoxij ſunt
huic malo,vt pote qui plurimum ſoleant errare in vi
ctus ratione, ſiue ad copiam cibi,& frequentiam co-
medendi reſpiciamus, ſiue ad ordinem,& motiones
abſque vlla ratione, nullo habito reſpectu, ſiue poſt
cibum & potum illud fiat; ſiue ante. Sed & adultis in
terdum, cum mala omnino victus ratione vtuntur,
idem accidit: cum enim concoctio perperam fit, mul
ta congeruntur excreméta interdum corrupta, quæ
inſidentia ori ventriculo incitant ad ea incongruen
tia humanę naturæ appetenda. De tertio autem affe- D
ctu inter antiquos, & celebres medicos non modica
extitit differētia, immo diſcordia; de eo (inquam) quē
bulimum appellari a Gręcis diximus: quod vocabulũ
ingentem famen ſignificat. Nam Alexander Trallia
nus libro ſeptimo ſuæ medicinę ita ait, Bulimos ma-
Cap. 9. gna (vt eius vocabulum indicat) fames eſt, quæ ab im
modico calore & oris ventriculi imbecillitate, vt ra-
tioni conſonum eſſe uidetur ortum habet, & proin-
de niſi ſtatim alimentum offeratur, omnino animo
Cap. 2. delinquunt. Galen. vero primo de ſympt. cauſ. ſecun-
Cap. 2. do item aphor. & quinto de ſimpl. med. facul. pręte-
Cõm. 12. rea primo ad Glauc. & in libro de uſu reſp. frigidum
Cap. 5. eſſe inquit qui ortum habeat a frigore externo, ut in
Cap. 14. aphoriſmis ait: addit tamen quinto de ſimpl. med. fa. E
Cap. 3. frigori præterea eſſe coniunctam ſiccitatem. Tria au
tem conſpirare in vnum in hoc affectu ait primo de
Cap. 7. cauſis ſympt. nimirum penuriam, & defectum ſub-
ſtantię, uel alimenti, uiſceris, & tandem corporis im-
becillitatem, & frigus. Auicenna ſe inter hos mediũ
conſtituens eos ſe conciliaturum credit, ſi duas dicat
bulimi differentias, alteram, quæ in frigore, alteram
quę in uehementi calore ventriculi conſiſtat, ut ex
una parte cũ Galeno, ex altera cum Alexandro con-
ſentiat. Nobis autem videtur ſolum Gal. veritatem
attigiſſe: reliquos vero res, & morborum differentias
confundere, quod & Aetius perſpexit, qui in hac re
omnino Galen. ſequitur. Nam ea differentia, cuius
Alexander, & Auicen. meminere, inter differentias
caninæ famis poſita eſt: hi enim ad uim potius uoca
buli, quod ingentem famem ſignificat, reſpexere, quã
ad ipſius rei naturam, non ita autem nos Galeni, &
Aetij ſequaces. Diximus namque caninam famem
excitari ex immodico calore, nimis digerendo, ina-
niente corporis particulas, & ſubinde os ventriculi,
qui quidem calor ſi adhuc eò perueniat, ut facultatē
appetitricem deijciat, ſicut quęlibet intéperies adeo
creſcere poteſt, ut quamcunque facultatem deijciat:
tunc erit affectus hic referendus ad caput deperditi
appetitus, vt dupliciter poſſit tolli appetitus, a calore
primum, ſi calor tantus ſit, vt diſſoluat, & fundat hu-
morem particularum, & ita fundendo repleat, quod
per digeſtionem fuerat inanitum, deinde ſi adeo ex-
creſcat, vt vim appetitricem deijciat, quod ſi tantus
fuerit, vt non modò fundat, ſed fuſum prætereà dige-
rat, neque tamē ille ſit, qui uim adhuc appetendi poſ-
ſit deſtruere, erit in cauſa caninę famis. Quare exqui-
ſitior eſt Galen. ſententia, quam lucidè expoſuit Ae-
tius; nempe quòd in ϐȣλίμῳ ex externo frigore pri-
mum vehemens excitatur fames, ſed mox eo magis
inualeſcente, ſimul & uis appetitrix, & fames extin-
guuntur; ſequiturque inde ea uirium imbecillitas, ut
ad animi vſque deliquium deducatur ægrotus. Qua-
tenus ergo ad hos affectus, & eorum cauſas pertinę
re poſſe uidetur, hęc ſatis erũt. Reliquum autem eſt,
vt de ſignis etiam ſermonem habeamus; & quidem
ſigna, quæ affectus hos oſtendunt, ſunt ea ſymptoma
ta, quæ illis propria ſunt. Nam ex relatione eorum, q̄
ab ipſis ęgrotantibus percipiuntur, & referuntur, fa-
cilè poteſt medicus cognoſcere, an fame canina, an
pica laboret. Etenim ſi nunquam ſatiari uiderimus,
aut ea comedere, quæ abſurda ſunt, canina fame, vel
pica laborare facilè poterimus iudicare. Quòd ſi pri⁹
quidem fameſcebat, poſtea uerò amplius non fame-
ſcat, ſed imbecillis factus uideatur animo deficere, bu
limos erit affectus; pręſertim uerò ſi frigus ſit perpeſ-
ſus, & illud inſigne Pulſus verò in his (ut in Iſagog. li-
bro de pulſ. tradidit Galen.) ſunt rari, tardi, & parui,
imbecilleſque. Verum quia tam canina fames, quàm
pica varias habent differentias, ſi ad cauſas reſpicia-
mus, vnde hæc excitantur ſymptomata, ideo & ſigna
exponenda ſunt, quibus illæ diſcerni poſſint. Quo-
niam vero (ut diximus) fames canina ſequitur intem-
periem, & cum materia, & citra materiam, ſed quæ
pica dicitur, cum a uitioſis ſemper humoribus pen-
deat, ſemper cum materia eſt, loquamur prius de af-
fectu, qui citra materiam eſt, & de calida intemperie
prius agamus. Cum itaque poſſit ea eſſe, quæ occu-
pauerit uniuerſum corporis habitum, eiuſque ſub-
ſtantiam non modo fundat, & diſſoluat, ſicut cum
tollitur appetitus, ſed etiam digerat; ita ut conſenſu
afficiatur uentriculus, eadem erunt ſigna, quæ expo-
ſuimus, quando de ſignis ablatę appetentiæ ex calo-
re loquebamur. Niſi quod ſicut maior uidetur calor,
qui fundat, & digerat, quam qui diſſoluit & fundit ſo
lum: Ideo apertiora ea ſigna erunt in canina fame,
quàm appetitu ablato, niſi quãdo ita increſcit calor,
vt deſtruat uim appetendi, tunc autem & reliquæ vi-
res ſubinde erunt imbecilles, & pulſus frequens qui-
dem, & celer, ſed languidus, & paruus. Vt prætereà
& hoc addamus, quod neceſſe eſt pręceſſiſſe interio-
res, uel exteriores cauſas uim habentes calefaciendi
exteriores, ut calor externi Aeris uehemens, interio
res, ut febris ualida, & ardens, & alia morborum ge-
nera, qui calidiores ſunt, pręter reliqua, quę calidam
intemperiem in uniuerſo corpore ſolent ſequi, ſi-
cuti calor, qui manu adhibita percipitur, urinæ
flauæ, ſitis, & quæ ſunt iſtius generis. Sed ſi ex fri-
gore fiat ingens fames, potius ea (ut diximus pau-
lo ante) ſequitur proprium uentriculi affectum, quã

quod conſenſu fieri poſſit. Vnde his argumentis deprehendetur, quia & ſi promptè comedant, grauatur tamen mox ventriculus, tardè, & ægrè concoquit, frigus in uentriculo percipitur, dum concoquit, plurimos gignit flatus, quibus inflatur, ructus interdum fiunt, nulla ferè adeſt ſitis. Eius autem, quę cũ materia eſt, quia non poteſt niſi à materia melancholica, vel pituitoſa (fieri,) quæ acidi ſaporis fuerint participes, ſigna hæc poterunt obſeruari. Primum cognoſcetur materiam adeſſe, præſertim ſi ea fuerit copioſa, quia ægrotus grauitatem in uentriculo percipiet, præter alia ſigna indicantia frigidiorem intemperiem. Sapor etiam interdum perceptus, vel in ſputo, vel in ructu, vel ex vomitu, an pituitoſus, indicare facile poterit, an melancholicus humor is ſit, qui hoc faceſcit negotium. Quia melancholicus ſaporem habet ferè aceti. Pituita uerò acida potius ſapore imitatur ſuccum limonis, aut acerbæ vuæ, vel aliorum ſuccorum, qui corrupti aceſcunt. Non erimus autem longiores in exponendis ſignis eius affectus, quem picam diximus appellari, quia enormis ipſa appetentia, & res præter omnem rationem in cibum deſideratæ ſatis apertè id demonſtrabunt. Qui ſint autem humores corrupti, eum appetitum incitantes, cognoſcetur ex his, quæ hactenus fuere expoſita. Bulimus quoque facilis cognitu erit, & ex ijs, quæ præceſſere, quia fames præceſſerit, externumq; frigus, deinde uerò deſinente, uel ablata fame, ſi ſucceſſerit multa corporis imbecillitas, & refrigeratio, præſertim verò uentriculi, & uel ad animi deliquiũ abſolutum, uel propriè id ſaltem accedat, ut animo delinquat, cum pulſu, raro, tardo paruo, & imbecilli.

De ratione curandi hos tres affectus.
Cap. VI.

DE ſignis importunæ famis, quæ à multitudine vermium concitatur, ut nihil diximus, ita neque de eius curatione quicquam dicemus, propterea, quia propria curatio ex vermium curatione pendet: ſicuti eiuſdem ſigna ex ſignis uermium, de quibus inferius ſuo loco agemus. Primũ ergo de ea fame curanda, quæ ſequitur uacuationem, ſicuti longam inediam, uel alui profluuium, uel ſanguinis effuſionem largam, uel alias uacuationes factas in febribus alijſve morbis, ſicuti ſolet conualeſcentibus accidere. Quæ quidem differentia immodicæ famis, cum prima differentia expoſita, quæ ſequitur calidam intemperiem digerentem, & abſumentem ſubſtantiã particularum, in idem ferè genus referenda eſt, quia vtraque uacuationem immodicam ſequitur, differũt tamen, quia non eſt in utriſque eadem uacuationis ratio, & cauſa. Quamuis hæc immodica fames interdũ occaſionem habeat in conualeſcentibus, non ita ex inanitionibus, ſicut ex uictus incongrua ratione. Nã ſæpe, vel ipſi ſua ſpontè, uel ex importunitate aſſiſtentium coacti, nimirum, vt citius uires aſſumant, & inſtaurentur, plus cibi, quàm poſſit ferre uentriculus factus imbecillior ex præcedenti morbo, ingerunt: vnde cum non poſſit probè confici, in crudum humoré ex mala concoctione uertitur, qui deinde ſi aceſcat, vehementiorem excitat famem, ſin autem acoris ſit expers, tollit appetentiam. Quare eiuſmodi fames, quæ inde ortum habet, in uacuationem referri nequit, ſed potius in redundantiam pituitæ acidæ in ventriculo, de quo affectu curando loquemur paulo poſt. Cum autem ab inanitione fuerit concitata hęc fames, illa curanda erit, uel reprimenda uictus potius ratione congrua, quàm medicamentis multis. Victus verò ratio ea ſit, ut cibi offerantur, qui faciles ſint concoctu, & boni ſucci, ut tamen cuiuſcunque ſint ponticitatis, acerbitatis, & aſtringentis facultatis expertes (hæc enim potius famem incitant) ſed magis ſint pingues, & unctuoſi, qui tamen vim aliquam habeant mundandi os uentriculi, ut hoc loco addit Auicenna. Vt enim auſtera, acerbaque famem excitant: ita pingua eam obtundunt. Vnde illi probatur oleum amygdalarum dulcium, cui tantum ſacchari mixtum ſit, ut ad mediocrem ſpiſſitudinem deueniat, ſi comedatur in prima menſa: hoc enim ex ſaccharo habet, vt famem obtundat. Sed nos eadem ratione ducti putaremus pingues gallinas, capoſque, & eorum pinguia iura ex ſaccharo accepta, poſſe eſſe vtilia. Vinum non admodum vtile uidetur, neque tutus ipſius uſus illis, qui hac fame poſt inediam, vel vacuationem tentantur, immo (vt eodem ſecundo Aphor. lib. ait Galen.) adeo illis eſt aduerſarium, ut ſi ieiuni meracum aliquod uinum biberint, quod etiam calefaciat, ſtatim à neruorum diſtentione, uel delirio corripiantur. Com. 21. Attamen poſt pingues, & vnctuoſos cibos permittit, ut aliquid uini accipiãt, quod acerbum auſterumve minimè ſit, & quamuis minimè ſitiant, illis tamen dandum eſt. Si ergo hęc ſeruetur ratio victus, lenietur primum hęc importuna fames, deinde uerò, & tolletur. Ea uerò, quę habuit occaſionem ex digeſtione multa ab inſigni calore facta, partim ſimilem cum hac curationis rationem habet, partim verò diuerſam. Quatenus enim ad vinum calefaciens, & potens pertinet; perinde huic, ſicut illi, inimiciſſimum eſt, nec modò uinum, uerũ, & cętera omnia calefacientia, ut aromata, acria, & ſalita, cum ea ergo hac parte conuenit. Conuenit pręterea, quod pinguia, modeſtè tamen, huic etiam vtilia ſunt. Differunt autem, quatenus in hac fame, quę ortum ex calore habet, conueniunt refrigerantia, & quę non admodum facilè, & cito coquuntur, quęque viſcida ſunt, ut pedes, & capita, ventreſque, & inteſtina vitulorum. Et hęc eſt Alexandri, & ſubinde Auicennę ſententia, immò Auicenna carnes laudat congelatas, vel (vt vulgares aiunt) in gelatina. Pręcipuus ſiquidem ſcopus in hoc affectu eſt, cibos offerre, qui alimentum pręſtent, quod non poſſit facilè a calore diſſolui, ſed illi reſiſtat. Vnde qui cibi ſunt craſſi ſucci, aptiores huic curationi, inepti verò, qui ad rationem victus attenuantis pertinent. Pręterea autem Auicenna ſenſit plurimum ad hanc curationem pertinere, ſi exterius ea illiniantur, & adminiſtrentur, quę cutim cogunt, & denſant, nempe, vt inhibeatur multa, & facilis digeſtio per cutem. Hęc vero ſunt oleum roſaceum, pręſertim omphacinum appellatum, & melinum eſt hoc, ex cotoneo malo: item & myrtinum, ita, vt & vſum frigidę aquę laudet. Cum autem ex contentricis facultatis imbecillitate fames immodica habuerit ortum, non habet unam, ſimplicemque curationis rationem, ſicuti neque unam affectus rationem habet; Quia tametſi pręcipua ſit humiditas, quę laxando uires contentricis facultatis diſſoluat, ut Galen. docuit in lib. de facul. natur. cum tamen omnis immoderata intemperantia poſſit uires facultatum deijcere: Ideo, & ex frigore interdum poteſt vis contentrix fieri imbecillior, tam in uentriculo, quam in alijs particulis. Vnde ſępe uidiſtis aliquos, quibus, ſi diutius ſint frigus perpeſſi, venter in alui ferè profluuium laxatur. Sed & à calore laxiorem reddente ſubſtantiam viſcerum, lęditur facultas contentrix, ut tamen ſępius ab humiditate, poſtea ab immodico frigore, mox à calore, rariſſimè à ſiccitate. Pro ratione ergo intemperiei, à qua hęc facultas lęditur, inſtituenda erit curatio. Nã ſi calida ea fuerit, eius eadem erit curatio: ſicut, & quando a nimio calore corpus nimis digeritur, de

qua

qua re nuper egimus; nimirum vt refrigerantibus, & modicè aſtringentibus res tractetur. Sed ſi ex nimia humiditate, deſiccantibus quidem, atque etiam aſtringentibus: aſtringentia enim ſiccandi vim habent. Verùm quando ex frigore deijcitur ea facultas, calefacientibus ſanè illi ſuccurrendum eſt, ab aſtringentibus autem omnino abſtinendum: vtpote quæ nō parum lædere poſſint: cum ea ferè omnia refrigerent: vnde erit eius curatio ſimilis curationi famis caninæ, quę primum a frigidiori intemperie ventriculi fuit excitata, de qua iam opportunum erit ſermonem habere. Hæc igitur intemperies, cum ſine materia fuerit, ſimplicem requiret curationem, qualem [Coı m.2i.] Galenus ſecundo Aphor. deſcripſit, cuius ſcopi ſunt hi, vt calefacientibus intemperiem tollere nitamur, & pinguibus, vnctuoſiſque famem obtundamus, deliniamusque eodem modo, ſicuti paulò ante exponebamus: quibus ſuper bibendum eſſe præcipit Galen. vinum meracum potens, qualia ſunt vina gilua; dummodo (vt paulò ante dicebamus) ſint acerbitatis, aſtrictionis, aſperitatisque expertia: ac liberaliter bibendum. Addit Autem Auicen. id eſſe bibendum calidum, & in ieiunio. Quòd ſi dicas, ſuperius dixiſti vinum liberale, & ieiuno famelico nocere plurimū. Dicimus illud quidem verum eſſe, quando ex inedia, vel alia alioquin vacuatione ſit factus famelicus: non autem, ſi ex frigidiori intemperie. In hoc etiam affectu theriaca Antidotus in libro ad Piſon. plurimū laudatur. At verò ſi intemperies à frigidiori humore foueatur, primum quidem materiæ erit attendendum, vt ſanè paretur prius medicamentis, quæ tum pꝛ̃mis qualitatibus, tum etiam ſecundis materiæ illi ſint oppoſita. Vnde calefacientibus, attenuantibus, & detergentibus erit agendum, vt tamen ea declinemus, quæ vim habent cōciliandi famem, vt ſunt acida, acerbaque. Condiendi ergo erunt cibi allijs, cæpis, pipere, origano, ſerpyllo, menta, ſynapi, & alijs iſtius naturæ. Quare pigmentum illud, quod Venetijs moſtardam, alibi autem ſenauriam a ſynapi, ex quo conficitur, appellant, non erit inutile. Optimum verò erit diatrionpipereon. Auicenna uero laudat & mel. Quòd ſi materia ſit multa, vt hæc non ſint ſatis ad eam attenuandam, & mox coquendam, digerendamve, neque adeò ſit factus uentriculus imbecillis, quin poſſit aliquam ferre vacuationem ſententia Auicennæ eſt, vt vacuetur, facili tamē medicamento, & quod ventriculo ſit amicum, cuiuſmodi hiera ex aloe eſt. Et hęc quidem curandi ratio præſertim affectum reſpicit, a quo fames pendet. Quia tamen & ſymptomatis eſt aliqua habenda ratio: ideo poſt ventriculi vacuationem, dare operam oportet, vt ſymptoma, hoc eſt fames, leniatur, & obtundatur, id vero ſit cum pinguibus, & vnctuoſis, vt diximus, nam hæc aciditatem pituitoſi humoris temperant, & conſtrictionem, & denſitatem a frigore inductam laxant, & molliunt. Sed exterius adminiſtrata medicamenta & ipſa proſunt; qualia ſunt linimenta, fomenta, emplaſtra, & id genus reliqua, quę vim habeant calefaciendi. Non eſt autem admodum diſſimilis ratio curandi famem excitatam ab humore melancholico acetoſo. Nam quatenus ad rationem victus pertinet, vnctuoſa, & pinguia poſſunt humoris melancholici ſiccitatem, aſperitatemque, præterea & acorem lenire, quæ ſi eiſdem condiantur, quæ paulo ante dicebamus, melius res ſe habebit, nimirum illis, quæ attenuent, & flatus diſcutiant, quāuis enim ea & deſiccent, quod affectui melancholico videtur aduerſarium, tamen pinguia obſiſtent, quo minus lædantur ab iſtorum ſiccitate. Sed quoniam interdum hæc non erunt ſatis, præſertim vero cum aut multa fuerit congeſta materia in uentriculo, aut aliunde, ſicuti ex liene, fomentum habeat; ideo ea erit eodem modo vacuanda, quo vacuandum docuimus ſuperius in illis, qui cibum ob humorem melancholicum faſtidiunt, quando multa iam ventriculum occupauerit. Sed vbi affectus à liene foueatur, ratio quidem requirit, vt curatio ad lienem conuertatur; de curandis autem lienis affectibus ſuo deinde loco agemus. De pica uero curanda ita mihi quidem ſentiendum videtur, nimirum quod cum a uitioſis humoribus, uel uaporibus ab illis elatis, & occupantibus os uentriculi omnem occaſionem habeat, in prægnantibus ſane, in quibus ſolet eſſe frequens, nulla mihi uidetur curatio ſalubrior, & ſecurior, quàm ea, quæ in congruente uictus ratione conſiſtit, cum prægnantes purgare primis menſibus (ut Hippoc. libro quarto Aphor. pronunciauit) non ſit vſquequaque tutum, cum neque aliquod forte remedium tolerare poſſint, vt 5. Aphor. ait Galen. vnde ſi recta uictus [Aph. Com. 5] ratione res tractetur, idque præſertim procuretur, ut proba fiat alimenti concoctio, ne illa vitiata fomentum affectui præſtemus, nam rectè concocto alimento, boni generantur humores, qui omne vitium corrigere poſſunt, dum interim fœtus augetur, & ſemper plus ſuppreſſi ſanguinis menſtrui abſumit, ſymptoma illud remittetur. Neque tamen putamus, nihil omnino præterea eſſe agendum, cum aliqua ſint, quæ tuto & utiliter moliri poſſit medicus. Nam ſi faciles, & pronæ, in uomitum ſint, ſicut earum pleræque ſolent procliues eſſe, citatus in eis uomitus, facilis tamen, neque multa ui coactus, non parum prodeſſe poterit, inanito enim uentriculo, melius proculdubio habebunt. Porrò & aliqua, quæ detergendi, & digerendi uim moderatam habeant, adminiſtrata proderunt, ſicut mel roſaceum, ſyrupus ex betonica confectus, ut ſingulorum detur menſura cochlearis, præſertim uero ieiuno uentriculo. Sed & quæ modeſtè poſſint uentriculum calefacere, non erunt inutilia, ut aromaticum roſaceum, uel diagalanga appellatum ab Arabibus, ſed & piperis aliqd, aut diatrionpipereon, dummodo his modeſtè, & parce utamur, quantum nempe poſſint uentriculum calefacere, & corroborare, non autem menſes ciere, item & cinnamomum. Poteſt præterea & utiliter exterius uentriculus nardino oleo, uel abſinthino, uel alio quopiam ſimili inungi; nam magna ex parte ex corruptis quidem, ſed frigidis excrementis ortum habet is affectus. Sed in pueris, qui ad eam ętatem peruenerint, ut iam poſſint aliquantiſper purgari, itemque in adultis, ſi dicta curatio non uideatur tantum profeciſſe, ut bene habeant, tentanda erit purgatio, optimè uerò purgabuntur aloe, uel hiera; uel ſimili alio medicamento, ut eſſent pilulæ maſtichinæ. Sed tandem & de Bulimo curando agamus, ut huic capiti finem imponamus, Galen. itaque ſequentes, cum in hoc tria hæc ſint, penuria, uel defectus alimoniæ, frigida intemperatura uentriculi ab externo frigore impreſſa, & animi defectus, uel ſaltem propenſio in animi defectum. Animi uero deliquium & ſi quaſi ſymptoma aliud ſequatur, ipſum tamen tanti momenti eſt, ut dum præſens eſt, aut uniuerſam medici curam, aut maiorem partem ad ſe cōuertere cogat. Duas partes habet iſtius affectus curatio. Alteram quidem, quando aut iam animo deliquit, aut prope eſt, ut delinquat. Alteram uero, quando ab animi deliquio iam reuocatus eſt. Quando iam defecit, uel defecturus eſt paulo poſt, uniuerſum medici negotium, reliquis omnibus poſtpoſitis, circa id debet uerſari, ut reuocetur animus, & ad ſe redeat. Adibit uerò (ſi quemadmodum in primo libro ad Glauc Gal. docuit) ad ignem, ut calefiat, fricetur, & (ut idem. 8. de Comp. medic. ſec. loc. ex Archigene monuit) ſi [Cap. 8.]

vinculis artus conſtringantur, piliq́ue euellantur, ac aures, & aliæ partes vellicentur, donec ſentiant: ſiq́; odores earum rerum, quæ bene oleant, naribus offerantur, ſicut pulegij calamenthi, origani, amaraci, ſed & pyrorum, malorumq́ue, tum coroneorum, & communium, tum quæ mala citria dicuntur: præterea verò & ciborum omnium, qui olfacienti grati ſunt: quemadmodum carnes aſſatæ, præcipue verò porcinæ, nec minus gallinaceæ: ſed & vini aromatici odor, aut ſolius, aut diluti ex aqua roſacea. Hi tamen odores ex cibis optimis, non modò ſuccurrunt ſymptomati, ſed & cibi humidi. Nam Galen.
m.11. 2. Aph. citata Hippocratis auctoritate in lib. de Ali. ait, quòd ſi quis ad vires recuperandas cito eget auxilio, humidus cibus, veluti ſunt, quæ bibuntur, vel ſorbentur: aptiſſimus, ſin citiſſimo odore inſtaurandus eſt. At vbi e deliquio animi aſſumptus homo eſt, tunc affectui incumbendum eſt, a quo ſunt indicationes depromendæ, nempe, vt calefiat, & alatur: quia (ut diximus) duo conſtituunt hunc affectum frigidum, intemperamentum, & penutia, vel defectus ſubſtantiæ. Vnde ratio curationis requirit, vt alimenta exhibeantur, quæ facilè, & citiſſimè inſtaurare poſſint: qualia ſunt panis ex vino diluto aqua calida, oua etiã, quæ tremula, vel ſorbilia dicuntur: præterea in præſentia in vſu eſt ferculum ex ſucco contuſarum carnium, & diſſolutarum ex iure gallinaceo, atque per cribrum percolatarum, cui interdum ratione conciliandi grati odoris, inſtillant tantillum aquæ roſaceę; quod ſi aliquid præterea cinnamomi addatur, non erit inutile condimentum. Et hęc ſatis de his.

De ſiti immodica. *Cap. VII.*

PRoxime poſt eas affectiones, à quibus læditur appetentia cibi in ventriculo, illæ ſuccedere debent, quæ potus appetitum lædunt, qui quidẽ appetitus ſitis dicitur, ſicuti prior fames. Et quemadmodum natura cibus potum (ut ex Hippoc. docuit
2. Galen. ſecundo de tuen. ſan.) præcedere debet, ita bona ratione de fame prius, mox de ſiti erat agendum. Et quia non omnis ſitis ſe habet, tanquam ſymptoma morboſum, ſed ea tantum, quæ limites ſitis eius excedit, quæ naturali quadam ratione animanti ſolet accidere. De ratione autem tam famis, quàm ſitis naturalis ſatis, quantum poterat noſtro inſtituto eſſe ſatis, egimus. Cum verò creſcit, ſuprà quàm par ſit, incipitq́ue eſſe moleſta in aliquo morbo, iam in ſymptomatibus morboſis ponenda erit, quæ quidem affectum aliquem pręter naturam corporis ex neceſſitate ſequetur. Inquirendæ ergo ſunt affectiones illæ, quæ immodicæ iſtius ſitis in cauſa ſunt, quoniam nobis rationem curationis oſtendunt. Facilè uerò eas aſſequemur, ſi naturam, & rationem ſitis fuerimus contemplati. Cum igitur ille omnium conſenſu aliud omnino non ſit, niſi deſiderium, vel appetitus frigidi, & humidi, quamuis (vt diximus) prius humidi, deinde & frigidi. Naturaliter autem ſemper ea deſideramus, quę illis aduerſaria ſunt, a quibus lędimur. Neceſſe eſt, quod uel ab altera duarum cauſarum, uel ab utraque exciretur ſitis, nimirum uel
cap. ab humoris defectu, uel ab exceſſu caloris, quod probauit Galen. primo, de ſimpl. medic. fac. quò fit, ut qui multo referti ſunt humore, quique frigidiores
cap. ſunt, non ſint plurimum ſiticuloſi. Vnde neceſſe eſt, vt ſequentes Galen. doctrinam, nobis tum 1. de ſympt. cau. tum octauo de loc. affect. traditam, dicamus ſitim omnem eſſe referendam, aut in calidam intemperiem, aut in ſiccam, aut in eam, quę ex complexu vtriuſque qualitatis conſtat; quę quidem intemperaturę poſſunt & citra materiam eſſe, & cum materia. Humores uerò, qui ex ſua natura ſitim progignunt, ſunt bilis flaua, & ſalſa pituita, & feroſus humor, qualis in hydrope plurimus colligitur. Bilis quidem, quia calida, & ſicca eſt. Salſa verò pituita, ob calorem vincentem, quamuis ſit humori iunctus. Per accidens verò omnes humores poſſunt ſitim ingentem excitare, uel putredine, uel alia quapiam ratione in eis multus calor accendatur, unde in febribus, quę ſynochę dicuntur, quamuis ex ſanguine ſint, ſolet eſſe infeſta ſitis ualida, ea etiam ratione omnia, quę inſigniter calefaciunt, aut deſiccant, ſitim afferre poſſunt, ſiue ſint cibi, ſiue potus, ſiue medicamẽta, ſiue alia, quę alioquin ad uictus rationem pertinent. Nam & labor multus calefaciendo, & ſiccando ſitim concitat. Sed & vacuationes omnes, ſi fuerint copioſę, cum corpus exſiccent, ſitim procreant. Vnde 4. Aphor. conſulit Hippoc. ut qui purgantur per medicamenta, non quieſcant a purgatione, donec ſitiant; tametſi non omnes pariter, dum purgantur, ſtatim ſitiunt, alij uero tardius, & id pro ratione, uel temperamenti uentriculi, aut naturę medicamẽti purgantis, & humoris, qui purgatur. Nam ſi calidus, ſiccuſve ſit uentriculus, ſiue talis natura ſit, ſiue aſcititia ſit ea intemperies, citius a ſiti corripitur. Itẽ ſi acre, calidum, & mordax fuerit medicamentum. Si pręterea bilis ſit, aut ſalſa pituita, quę per medicamentum detrahitur; cito, & facilè concitatur ſitis. Sicuti è contrario tardè ſitis accenditur, cum uentriculus fuerit frigidus, humiduſve, ſique non admodum acre, & mordax medicamentum, & humor, qui detrahitur, pituitoſus, aquoſuſve fuerit. Cum tamen nunquam medicamẽtum purgatorium non habeat aliquam acrimoniam, ſi non apertam, ſaltem occultam, & neceſſe ſit, ut omnem liberalem inanitionem ſequatur ſiccitas, neceſſarium item eſt, ut procedente uacuatione, ſitis tandem accedat. Somnus quóque interdum ſitim excitat, & quoniam (ut Galenus com. 23.
quarto lib. Com. in ſextum Epid. docuit) partes, per quas cibus in uentriculum delabitur, quę uno uocabulo gula dicuntur, in ſomno caleſcunt. Etenim dum concoquitur in uentriculo cibus, intenditur partium earum calor, a quibus calidę attolluntur exhalationes, & id pręſertim fit poſt potum vini meracioris, aut cibos alioquin calidos. Colligamus ergo, quod bilis quidem, & ſalſus humor pręſertim per ſe ſunt cauſa ſitis, alij uero ratione putredinis, uel alterius caloris aduentitij, & ęgritudines, quę ab his humoribus progignuntur, maximè ſiticuloſę ſunt, ut pleuritis, phrenitis, tertiana febris, & febris ardens, quę duas habet differentias, ut docuere Hippoc. & Galen. quarto libro de ratione uict. in acu. mor. Deinde uero ea omnia, quę facilè in bilem vertuntur, ut dulce uinum, in illis tamen, qui calidam, & ſiccam temperiem habent, & tandem quęcunque calefaciunt, ſiccantq́ue inſigniter, ut in cibis ſeſamus, eryſimum, ruta, cępe, & acria tandem omnia, quamuis aliqui allium dixerint non eſſe ſiticuloſum, item ſalſa omnia ſitim accendunt. Nec tamen omnis ſitis referenda eſt in proprium uentriculi affectum, licet nõ niſi uentriculo affecto poſſit conſiſtere. Quia ſępe ſiticuloſi fiunt ęgroti laborante uentriculo non proprio, ſed alieno affectu, nempe alterius particulę trahentis ſecũ uentriculum in conſenſum. Trahit át illũ cap.7.
in hunc conſenſum iecur ſi (ut quinto de Loc. affect. teſtatur Galen.) calida, & ſicca intemperie fuerit correptum, ut quaſi is affectus naturam referat eryſipelatoſam, magis uero cum concaua eius parte conſentit uentriculus, ut 6. eiuſdem operis libro idem ſenſit. Non modò autem uentriculus afficitur conſenſu cap.7.
illius, ſed & meſenterij, & ieiuni inteſtini, & ſtomachi,

chi,ut res ad pulmones uſque perueniat. Cum corde A quoque ſępe in hac re conſentit uentriculus, & cum pulmonibus intemperie calida, ſiccaque affectis, qđ a Galen. habemus in arte medi. Tertio uerò ſitit uentriculus,conſentiens cum toto corpore,ſi id corripiatur a calidiori,& ſicciori intemperie. Non parum autem refert ad rationem curationis diſcernere, an ex primario affectu uentriculi oriatur ſitis, an uerò eo cum alijs conſentiente. Quare & de ſignis, quibus hęc diſcerni poſſint, agamus, & ordine quidem prępoſtero. Primumque de illis ſermonem habeamus, quibus dignoſcamus, an conſenſu cum uniuerſo corpore ſit concitata ſitis. Et cum ſitis ex uitio uniuerſi corporis ortum habet, poſſit id uel ex febre eſſe, uel citra febrem, ſiquidem ſitis febrem ſit ſecuta,alioſve B morbos, quorum paulo ante meminimus, non eſt, cur de ſignis, uel de ratione eos curandi in pręſentia uerba faciamus, cum hęc omnia ad eum locum magis pertineant, in quo de illis morbis curandis eſt habendus ſermo. Quòd ſi ex calore, ſiccitateque contracta in uniuerſo corpore ſitis ortum habuerit, conſiderandum in primis, an cauſę pręceſſerint, quę corpus potuerint calefacere plurimum, ſiccareque, atque illę cum externę eſſe potuerint, ut ęſtus plurimus, ſicuti ęſtate canicularibus diebus, uehemens & multa exercitatio,aut internæ, ut animi perturbationes calefacientes, uſus ciborum, uel potionum, quæ inſignem uim calefaciendi habent,quorum meminimus antea, & id genus reliqua, primum hæc C conſideranda ſunt. Deinde reſpiciendum ad corpus, & illud manibus tractando aduertendum, an maiorem referat calorem, ariditatemque, quàm par ſit, preterea uerò, an ex leui quacunque cauſa ſupra id, quod ſolitum erat, incaleſcat, item ſi rubicundius ſolito ſit effectum. At uerò quòd uentriculus conſenſu iecinoris ſit affectus, ea oſtendent ſigna, quibus cognoſcitur calida iecoris intemperatura. Sicuti ex urinæ colore, quia colorem habeat aut rubrum, aut flauum, aut igneum; Item ex eiuſdem calore, quoniam, dum mingitur, calidior percipiatur,quàm ſit ſolitum. Sed & color faciei uergens ad auriginoſum, uel croceum idem indicabit, hepaticis enim uel hoc argumento (teſte Galeno) deprehenditur, D & calidiora, quàm thoracis partes,percipiantur.Reliqua uerò ſigna, quæ iecur calidius demonſtrant in ea tractatione exponemus, ubi de iecinoris affectib. erit habendus ſermo. Quod uero occaſione cordis, & pulmonum ſitis ſit excitata, oſtendunt ea, quę in Arte medic.a Galen. fuere literis tradita,nempe quia ſpiritus multus attrahitur, & redditur, æſtus percipitur intrinſecè in pectore. Et ſicuti hypochondria, cum tanguntur, thorace calidiora ſentiuntur,quando ex calore iecinoris immodico eſt accenſa ſitis; Ita partes ad thoracem attinentes calidiores ſunt pręcordijs,cum ex pulmone,uel corde, recreatur uero ſitiẽs magis aere multo, & frigido attracto, quàm potu. Sitis vero, quę a calidiori, ſicciorique temperie ſtoma- E chi, hoc eſt gulæ, non eſt admodum multa, neque pertingit ad penitiores, uel profundiores partes, ſi Galen. quarto libro in ſextum Epid. credimus. Cum verò ex proprio affectu ventriculi ſitis concitatur, ſi quidem ex calidiori, primum in uentriculi regione calor percipitur, appetitus cibi deijcitur, & ſi temperamentum hoc citra materiam fuerit, nullus in uentriculo morſus percipitur, nullus in ore ſapor amarus,uel ſalſus, hic enim pituitam ſalſam,ille uero flauam bilem demonſtrat,ſed neque faſtidium,uel nauſea;nam hę materię cum aut hęrẽt, aut infarctę ſunt in tunicis uentriculi,præter ſitim ſolent & appetentiam cibi tollere, & uentriculum in uomitum procliuem reddere. Hic tamen quędam utilia cognitu non ſunt ſiccis(vt aiunt)pedibus prætereunda. Primum, quod & ſi ſoleat ſitis vehementiſſima comes eſſe ardentium febrium, aliquando tamen,cum tuſſis ſuboritur, lenitur quoquomodo ſitis,quamuis non omnino tollatur. Interdum autem intenditur potius, & exaſperatur à tuſſi. Quod quidem euenit à diuerſa ratione tuſſis, quia ſi tuſſis fuerit modica, & non laborioſa,ſitim lenit: ſin autem valida, & multa, ſitim adauget. Leuior enim tuſſis ortum habere ſolet (vt quarto lib. Aph. docuit Galen.) aut ab intemperie partium reſpirationi deſeruientium, aut ex faucium aſperitate,aut quia humor tenuis, & paucus deſtillat. A quacunque autem cauſa, excitata fuerit tuſſis, inde poteſt nonnihil mitigari moleſtia ſitis. Cum enim ex eo motu in tuſſi attrahatur aliquis humor ex partibus uicinis, eo madeſcunt loca arteriarum; & proinde mitior euadit ſitis, præter id, quod & intemperies remittitur, & aſperitas lenitur. Sed ſi uehemẽs, & multa fuerit tuſſis ex ualida, & uehementi earum partium motione, incaleſcunt magis loca illa, unde (vt idem ſecundo lib. Com. in ſextum Epid. docuit,) & febris,ſubindeque ſitis augetur. At uerò ſi aliquando contingat, quod tum ex ratione febris, tum uero ex alijs,quæ oſtendunt ægrotantem plurimum ſitire, vtpote quia linguam aridam, nigramque inſigniter habeat, ille tamen, vel ſe ſiti carere affirmet, vel non quantum à febre eſſet expectandum, & ſiccitas oris, & linguæ demonſtrat:id(vt ſcribunt Hippoc. & Gal. primo lib. in tertium Epid.) in ſignis peſſimis eſſe cenſendum eſt, quia ſignificat, quod aut extinguitur vis naturalis ventriculi, aut quod mens ægrotat, delirat-que, qui laborat. Quod ſi aliquando accidat, ut primum quis, dum morbo affligitur, plurimum ſitiat, paulo poſt autem non amplius ſit vlla de ſiti querela, mox vero iterum à ſiti torqueatur, atque ſi ita ſæpius fiat, id quoque malum eſſe, ait Galenus ſecundo Prorrh. vtpote,quod pendeat a magnitudine eius affectus, à quo ſitis excitatur, & infirmitate facultatis eius,per quam ſentimus. Nam quod ſitis non percipiatur,aut ex infirmitate, & languore ſentientis facultatis,aut ex eo, quod affectus: vnde ſitis erat excitanda,non eſt magnus. Quare cum prius ſitis valida eſt, mox uero ſtatim uidetur extincta,cum tamẽ idem affectus maneat, rationi minimè conſonum, ita ſtatim potuiſſe partes illas humectari, vt ſitis deſierit,quæ adeo prius aridæ erant. Quocirca neceſſe eſt, id eueniſſe ob languorem ſenſus,qui quidem,ſi mente ad ſe redeunte,& uires colligente, iterum excitetur,ſitis iterum ſentitur. In uniuerſum ergo pronunciare poſſumus,vt Gal. ſecundo Prorrh. pronunciauit, quòd ſi ſitis in morbis acutis abſque vlla ratione deſinat, id malum omnino eſt. Deſinere autem abſque ratione dicimus, cum nihil præceſſerit, quod potuerit morbum ſoluere, ſicuti ſudor, alui profluuium, vomitus, aut eiuſmodi alia, quibus iudicari ſolent acuti morbi, aut cum nihil præterea per medicum ſit actum, quo potuerit ſitis mitigari. Et deterius quoque eſt, ſi æger deſierit ſitire, & tamen adhuc lingua arida plurimum fuerit. Nam cum ſitis tanquam ſymptoma affectum ſequatur, non poteſt ex ratione deſinere,niſi affectus tollatur, vnde cum eo manente,ſitis deſinit,aut mentem læſam ſignificat, aut ſenſum interijſſe. Et hæc quidem ad prognoſtici rationem pertinere uidentur. Quibus expeditis opportunum iam eſt, ut ad rationem curationis tranſeamus. Eſt autem unum hic conſiderandum antequam particulatim rem perſequamur, quod ſitis (vt diximus) propriè morbus non eſt, ſed ſymptoma. Symptomata vero propriè non curantur primum, & per ſe, niſi quando adeo creuerint, vt ſubinduant rationem cauſæ. Sed affectus eſt, qui

primum

Com.
Com.
Com.
Com.
Com.
Com.

A primum curandus eſt: nam eo recedente deſinit, &
ſitis. Vnde qui curaturus eſt ſitim, præſtantiſſimè
curabit, ſi cauſam remouerit, hoc eſt affectum,
quem ſitis conſequitur. Alioquin enim, ſi ſympto-
mati tollendo primum operam dederit, cum ſitis
ſoleat potione ſedari, non poterit multa ſitis ſupe-
rari, niſi multo potu. Ex multo autem potu, quę
p.3. incommoda ſuperueniant, audi Gal. ſexto de Loc.
affect.primum vomitus, mox cita per aluum excre-
tio, qualis in fluore alui, & in lęuitate inteſtinorum:
prętere a longa mora potionis in ventriculo, ſæpe
etiam morbus, quem Gręci diabetem appellant.
Quod ſi dicas, nonne curatur ſitis moleſtiſſima in
febre ardente potione larga aquæ frigidę? Dicimus
B quod id quidem verum eſt, ſed ea curandi ratio non
tantum ſymptoma, hoc eſt ſitim, reſpicit, uerum
magis etiam cauſam, uel affectum: quia aqua libera-
liter ebibita pariter & febrem, & ſitim extinguit.
Integra ergo curatio fit per remotionem affectus, à
quo ſitis originem habet. Quia tamen interdum af-
fectus nequit breui tempore curari, interim tamen
ſitis nimis moleſta eſt, quę continenter hominem
cruciat, ideo & hoc exponendum, qua ratione deli-
niri, & aliquantum mitigari poſſit, ut facilius ferri
poſſit, pręſertim uerò, quando ex conſenſu cum vni-
uerſo corpore fuerit excitata, & eo quidem calida,
& ſicca intemperatura laborante, ut in ardentibus
febribus, & ęſtuoſo ęſtatis tempore. Cum autem re
C medijs refrigerantibus, & humectantibus illi ſit oc-
.30. currendum. Gale. primo de Fac. ſimpl. med. laudat
oxycraton, Latini poſcam dicunt, eſt autem potio
confecta ex aceto multa aqua diluto. Ratio uerò,
quam exponit, cur vtilis ſit is potus, hæc eſt, quia
quamuis neque ſola aqua poſſit ſitim hanc mitiga-
re, vtpote quę non facilè poſſit in vniuerſas corpo-
ris partes permeare, tardi enim tranſitus eſt, neque
acetum ſolum ſitim extinguet, cum nullam hume-
ctandi vim habeat, dum verò ſimul miſcentur, mo-
dicum illud acetum, vt non poteſt detrahere de ui
humectandi aquę, cum modicum ſit aquę compa-
ratione, ſuę tamē ſubſtantię tenuitate in cauſa eſt, ut
ad extremas vſque partes aqua deducatur; quæ cum
D frigida ſit, & aliorum omnium humidiſſima, refrige-
rando, & humectando ſitientibus remedio eſt, ace-
tum verò præcipuè utile eſt ſitientibus uitio humo-
ris, cui iunctus ſit calor, qualis in hydropicis copio-
ſus reperitur. Sed prætereà ijs, qui ex temperie uni-
uerſi corporis calida, & ſicca, ſiue illa febris ſit, ſiue
à calidiori aere foueatur, vtile erit remedium illud,
cuius Gal. tertio lib. Com. in ſextum Epid. meminit,
l.33. nimirum, vt ſitiens ſileat, loquendo enim, & fabulan
do os exſiccatur. Nec minus etiam proderit os clau-
ſum continere, nam crebra per os reſpiratio, ſi quid
aliud, exſiccat os, faucèſque. Procurandum præterea
& id eſt, ne calidior ſit aer, in quo ſitiens degit, aer
enim frigidus reſpiratus non parum ad hoc condu-
E cit. Sunt etiam quædam tum ſimplicia, tum com-
poſita medicamenta, quorum meminere celebres
medici, tanquam eorum, quæ uim habeant ſitim
mitigandi, in quibus Dioſcorides ponit ſuccum
glycyrrhizæ, ſi eatenus, donec liqueſcat, ore con-
tineatur, item & decoctum radicis eius. Præterea
verò lactucam, & cucurbitam manducatas laudat
Galenus ſexto, & ſeptimo de Facul. ſimpl. medi-
cam. Compoſitum uerò, quod à Galen. octauo de
C 3. Compoſ.men.per loc. plurimis laudibus extollitur,
C 4. & ab Aetio Serm. nono ſuæ medicinæ, ita conficitur
vt accipiantur ſeminis cucumeris ſatiui detracto cor
tice, ſeminis item portulacæ ſingulorum drachmæ
quatuor, tragacanthi drachmæ duę, ſed diſſolua-
tur tragacanthum ex albo oui crudi, & recenter nati

A diligenter concuſſi: mòxque ſeminibus affundatur,
ac omnia diligenter trita in catapotia formentur,
quæ in vmbra ſiccata ſeruentur, atque cum eis erit
vtendum, unum in ore contineatur, donec lique-
ſcat, & humor ab eo diſſolutus deuoretur. Neque
tamen minus vtile erit & hoc, quod mihi ſolet in
frequenti vſu eſſe, quod hoc modo conficitur: acci-
pimus ſemina, vel herbæ pulicariæ, quam pſil-
lium Græci appellent, vel malorum cotoneorum,
vel utrorumque, & eis maceratis aqua, & mox con-
cuſſis, mucillaginoſum liquorem extrahimus, &
ſi aqua lactucæ fuerit, uel florum uiolarum, præ-
ſtantius erit: cui mucillagini tantundem addimus
ſyrupi, uel iuleb uiolacei: & eis mixtis quaſi ecle-
B gmate vtimur. Sed ſi uelimus illi maiorem ſpiſſitu-
dinem addere, ſaccharum candidum pro ſyrupo ad-
dendum eſt; tritum tamen. Nec remedium, quod
Auicenna docuit, eſt alienum ab hoc negotio, im-
mo non parum utile: nimirum ut exertæ linguæ a-
qua ex aliquo vaſe ſtrictioris orificij affundatur.
Hæc ergo ſunt, quibus medicus uti poteſt ad ſitim
ſedandam: interim dum cauſa ſitis, hoc eſt affectus
remoueatur, cuius remotio uera eſt curatio: de qua
agere non pertinet ad locum præſentem, ſed ad eum
potius, vbi de illis affectibus tollendis agitur, quæ
ocaſioni ſunt uentriculo ſitiendi. Vnde quæ hacte-
nus diximus, illa eadem poſſunt accommodari ſiti,
quæ à iecinore calidiori ortum habet: de cuius affe-
C ctibus primarijs curandis ſequenti tractatione age-
mus. Sitis uerò, quæ à corde, uel pulmonibus ob
horum uiſcerum immodicum æſtum ortum habet,
non tantum potu ſedatur, ut in Arte medic. docuit
Gal. quantum aere frigidiori per inſpirationem at-
tracto, potus tamen, licet non illico ſedet hanc ſi-
tim, aliquid tamen & ipſe facit, ſi frigidus ſit. At quæ
ex calefactione, & exſiccatione gulæ, & faucium
oritur, lenitur tum collutione oris, & gargariſmate
ex aqua frigida, tum etiam eius potu, quia non ha-
bet cauſam ex profundioribus, & penitioribus par-
tibus. Siti autem, quę proprium uentriculi affectum
ſequitur, calidum, vel ſiccum, uel eum, qui ex ca-
lido, & ſicco conſtat, cum citra materiam fuerit,
D occurrendum eſt refrigerantibus, humectantibùſ-
que, & exterius adhibitis, & interius adminiſtratis,
nimirum & cibis, quales ſunt lactuca, cucurbita,
portulaca, endiuia, & id genus reliqua: & potubus,
vt eſt aqua, vel poſca, uel vinum probè dilutum, uel
iuleb uiolaceum ex multa aqua: quæ omnia ſunt ad-
miniſtranda, habita ratione temporis, temperaturę,
ætatis, & aliorum. Sed ſi materia pręſens fuerit, illa
erit uacuanda primùm eo modo, quo ſępe expoſui-
mus, pro ratione uidelicet materię: ſuperuacaneum
enim uidetur in eiſdem repetendis, ſępius immora-
ri. Sed quędam prętere a illis addimus, quę non pa- Com.27
rum ad noſtrum inſtitutum pertinent, & ſunt à Gal.
literis tradita quinto Apho. Interdum enim quoſ-
E dam ſitis plurima nocturno tempore vexat, uel ob
parſimoniam potus: uel ob potum uini meracioris:
quibus niſi conſultum fuerit, à ſiti agitati, ne ſom-
num quidem capere poſſunt. Sed potus aquę frigi-
dę utrique prodeſt: vtpote quę & defectui potus
ſatisfacere poſſit, & calorem à uino meraco accen-
ſum extinguere: alioquin enim ſi ſitis non ita uehe-
mens, & multa fuerit, vt ſomnum impediat, ſomnus
eam ſedabit: nam in ſomno omnis cauſa ſitis tum
concoquetur, tum deorſum delabetur. Poſſumus hic
& id referre, quod ad Hipp. & Galen. quarto Apho.
ſcriptum eſt: nimirum, quod ut ſomnus facilem ſi-
tim, quæ ex uigilia occaſionem habuerit, ſolet ſeda-
re: ita eam, quę ex ſomno, uigilia; cuius cauſam, cùm Com.23.
Gale. clarè in commentarijs expoſuerit, nos eam in
pręſen-

A præſentia ſilentio innoluemus. Neque tamen illud prætereundum cēſemus, cum plurimum ad preſens, inſtitutum faciat, quod ſcriptum reliquit idem Gale-
cap. 7. nus in libello de Tabe. nempe quod balneæ optimæ ſitim ſedant illis, qui ſitiendi occaſionem habuere ex longo itinere, laboreque, vel ex plurimo æſtu, nam eos, qui incaluere, uel exaruere refrigerant, & humectos reddunt: dummodò non ſint frequentes, & immodici in eorum vſu: quia frequentes, & multæ potius ſitim concitant. Poſtremò vero hoc etiam
com. 28. expoſito, quod ex tertio libro Comment. in ſextum Epide. deſumptum eſt, finem imponemus huic capiti: illud autem eſt, quòd ex abſtinentia a cibo interdum ſedatur ſitis, aliquando augetur, augetur enim
B in illis, qui bilioſi ſunt, aut parum ſanguinis habent: ſedatur verò, in quibus multa eſt pituita, aut multus ſanguis, & bonus. Aggrediamur ſubinde caput de dolore ventriculi.

De affectu uentriculi, quem Stomachi anxietatem iuniores, Gręci cordis dolorem, vel morſum appellant. Cap. VIII.

CVm duæ præcipuæ ſint facultates, quarū ſuaptè natura particeps eſt uentriculus: & altera earum ad partem animalem pertinet, quæ a cerebro ſuam habet originem. Altera verò ad naturalem, cuius initium eſt iecur. Et prior quidem in ſu-
C periori parte ventriculi, quàm propriè ſtomachum antiquiores Medici appellabant: Reliqua verò (ut ſuperius etiam diximus) maiorem vim in inferiori habet, quæ ad fundum attinet, quamuis neutra alterius omnino expers ſit. Priorem verò particulatim in duas partiuntur tam Philoſophi, quàm Medici, nempe in appetitricem, & ſenſitricem. De eo autem appetitu, ſermo eſt, qui ſenſum, & cognitionem ſequitur. Nam & Ariſt. ſecundo de Anima probauit, quòd vbi ſenſus eſt, ibi imaginatio, & proſequutio, & fuga, & ſubinde appetentia. Vnde cum affectus, qui uitiant appetitionem, quæ ad os uentriculi primum attinet, hactenus fuerimus perſecuti, reliquum iure optimo uidetur, ut ſermonem conuertamus ad
D illos, a quibus læditur uis ſentiendi in eadem particula. Moleſtiſſimus verò affectus eſt ille, quem καρδιαλγίαν Græci dicunt. ea ratione adducti: quoniam apud antiquos Medicos inualuerat conſuetudo, ut os uentriculi cor appellarent: & id propterea forſitan, quia tantum conſenſum cum corde habet, ut ore ventriculi malè affecto, cor etiam inſigniter lædatur. Hoc teſtatur Galen. pluribus locis, præſertim vero 1. de ſympt. cauſ. & tertio Prognoſt. & tertio de Criſi, & quarto Aphor. Dicitur etiam καρδιωγμὸς, primum autem vocabulum dolorem, hoc morſum cordis ſignificat. Aliquando vero ἀλύκην, uel ἀλυσμὸν ijdem Gręci nuncuparunt, quę nomina anxietatem, uel anxietudinem ſignificant. Hoc idem
E cap. 7. enim Gal. refert 1. Prognoſt. & ſeptimo Aph. Vnde
com. 30. forſitan accepere iuniores, qui hanc ſtomachicam
cap. ult. anxietatem dixere, reuera enim hunc affectum tan-
com. 65. tus ſequitur angor, & anxietudo præter dolorem, ut
com. 16. (quemadmodum 2. Prorrh. & 5. de Vſu part. narrat
com. 56. Galenus) nequeant ſe uno loco continere. immo
com. 44. frequenter cogantur mutare locum, & figuram, cū
cap. 4. omnem ægrè ferant, ſed quaſi quibuſdam furijs agi-
com. 58. tati, huc & illuc ſe uertunt. Ita autem hi per quandam tranſlationem (vt idem ſeptimo Aph. teſtatur) ab illis, qui ſuis negotijs adeo anxij, & moroſi ſunt, vt ea, quæ præ manibus habent, ſemper quaſi faſtidiant, atque illis relictis, mox ad alia tractanda ſe transferant, dicti ſunt. Concitatur autem ſymptoma hoc (nam ſymptoma & ipſum eſt, ſiue morſum

A & dolorem reſpiciamus, ſiue agitationem corporis) a bile, vel alio vitioſo humore inſidente ori ventriculi, ac ipſum irritante proprietate quadam malæ alicuius qualitatis. Vnde ſolet præterea uentriculus in nauſeam, uel uomitum proritari; reijcitur uero ſæpius bilis, vel uitioſus alius humor, ut eodem ſecundo Prorrhe. ait Galenus. Sed neque copioſus is hu- com.
mor eſt, neque uentriculi inanitatem replet, ſed in tunicis oris uentriculi receptus, eas mordet, & pungit, & vehemens ibi ardor (ut eodem ſeptimo Aph. tradidit Galenus) percipitur in illis tunicis, efferueſcente nimirum in eis bile. Sed eo anguſtiæ res interdum procedit, ut & ad animi deliquium perducat, & ad frigidos ſudores, formicanteſque pulſus,
B ut quotidie animaduertimus, & Galenus tum 1. ad Glauc. tum vero in libro de Pulſ. ad Tirones monuit. Sequitur autem eiuſmodi anguſtia plerunque febres bilioſas concitatas æſtuoſis temporibus; nam bilis a multo calore exuſta fit acrior, & feruentior, & poſt mœrores, & ieiunia longa, præſertim poſt uehementem exercitationem, ut ſecundo de Decre. Hippoc. & Plat. tradidit idem Galen. hæc enim & bilem accendunt, occaſionique ſunt, quod ipſa ad os uentri- cap. 8.
culi feratur. Interdum autem, ſi fortè bona contingat, ut infeſtus humor deorſum feratur ad inferiorē aluum, bilioſæ plurimum erunt deiectiones. Quatenus autem ad curandi rationem pertinet, id primum animaduertendum eſt, quod quamuis morſus is cor-
C dis, uel anxietas ſoleat contingere plerunque in febribus bilioſis, ſicuti nuper retulimus, tanquam eius ſymptoma; in acceſſionibus enim bilis efferueſcens, dum omnino, aut aliqua è uenis expellitur, ad os uētriculi delata, & in eius tunicis abſorpta, illud mordet; Quamuis etiam propriè curandus ſit affectus primum, non autem ſymptoma; Attamen quia ſępiſſimè adeo ſymptoma moleſtum eſt, quod uires ſolet deijcere, & deliquium animi afferre; Ideo eam uim habet, ut conuertat, aut omnem aut maiorem curationis partem ad ſe. Methodus autem illud curandi tribus conſtituit ſcopis, quorum duos expoſuit Ga-
lenus ſecundo de Simplic. medic. facult. tertij uero cap. 12.
meminit primo libro ad Glauc. & octauo Meth. Ac- cap. 14.
D cipiuntur autem hi ſcopi, partim a natura ipſius ſym- cap. 5.
promatis, uel potius a natura materiæ ipſum excitantis, partim uero a natura affectæ particulæ. Nam cum dixerimus ortū habere ab acri, & mordaci materia, duæ ſtatim uidentur ſurgere indicationes, altera a materia deprompta, altera ab eius acrimonia, quia neque acrimonia ſine aliqua materia, neque materia citra acrimoniam mordere poterit. Indicat autem acrimonia ſe eſſe mitigandam, & deliniendam, ut morſus tollatur. Materia uero ſe eſſe vacuandam. Os uentriculi, quod recepta ea uitioſa materia angitur, ſe eſſe roborandum, ut humores irruentes a ſe repellere poſſit, & receptos excutere. Sunt ergo tres hi ſcopi reſpiciendi in conſtituenda hac metho-
E do, nimirum ut uel temperentur, temperata nempe eorum acrimonia, uel uacuentur noxij humores, poſtremo uero, ut robur per aſtringentia addatur uentriculo, quo aut irruentem materiam repellat, uel receptam a ſe excutiat. Quamuis autem hi uideantur adeo diuerſi ſcopi, & diuerſam ſpectare naturam, & rationem remediorum, ſæpe tamen unicum remedium pluribus ſcopis accommodamus, & id duplici ratione. Primum, quia uni quidem per ſe (ut Philoſophi loquuntur) ſatisfacit, alteri uero per accidens. Deinde uero, quia utrique per ſe, ſed diſtinctis rationibus. Nam quæ uim habent humores acres detrahendi de uentriculo, ſiue per uomitum id faciant, ſiue per inferiorem aluum, item ſiue leniendo, ſiue detergendo, ſiue purgando, pri-

mum

mum quidem, & per ſe uacuant: ex conſequenti uerò, & per accidens morſum ſedant, & mitigant. Alia verò per ſe quidem mitigant, & retundunt acrimoniam, ſæpe tamen, aut abluendo, aut detergẽdo, aut lenitate ſua, qua humores mitigant, lubricam aluum reddunt, unde ſequitur euacuatio moleſti humoris. Sępe etiam quę aſtringunt, primum roborant os uentriculi, deinde uerò in cauſa ſunt, quod id factum ualentius ad fundũ detrudat noxios humores, qui prius ſolebant ſurſum ferri, quibus inferius delabentibus ac ſtimulantibus inferiorem uentriculi meatum, tandem fit eorum expulſio per inteſtina. Sed rem hanc magis particulatim tractemus. Quę uim habent temperandi, & mitigandi acrimoniam, & morſum acriũ humorum vel cibi ſunt, uel medicamenta, & hęc a Grecis ἐπικεραστικά, quaſi mitigatoria, vel temperantia dicuntur. In cibis quidem, qui hanc naturam habent, ſunt chondrus, uel noſtrum far, fercula ex hordeo, ut ſunt ptiſana, & cremor, uel ſuccus hordei, panis coctus, prȩſertim uero lotus, lac etiam. Et quamuis lac non eſſe dandum febricitantibus in Aphor.
...om.7. cenſuerit Hippoc. quarto tamen de ratione uict. in acu. mor. cum os amarum eſt in ardente febre, conſulit dari lac aſinę coctum liberaliter. Sed & ius pulli gallinacei iuuenis in ijs eſt, quę habent uim epicerasticam, ut refert Gal. undecimo de Facul. ſimpl. med. Quamuis mendvm ſit in Græcis exemplaribus, ubi ἐπικρατητικῆς legitur, & tandem quicunque cibi bobum, & dulcem ſuccum generant, & εὔχυμα, uel γλυκύχυμα a Grȩcis dicuntur, atq; adeo talia ſunt, ut etiam tanquam medicamenta per clyſteres in aluum iniecta ſeruent naturam ſuam, hoc eſt mitigent & tẽperent acres ſuccos. In medicamentis autem eſt oleũ dulce, oleum amygdalinum, præſertim dulce, adeps gallinæ hirci, & id genus multa. Sed quia (ut paulo antea dicebamus) ſolet plerunque febres, prȩſertim bilioſas ſequi hęc anxietudo, & ad animi defectum deducere ęgrotantem. Ideo circa hoc particulatim uerſemur, qua ratione ſit illi occurrendum, quam rem
...12. Galen. primo libro ad Glauco. lucidiſſimè expoſitam reliquit in hunc modum; ait enim primum tentandum, ut ęgrotus, cum ea moleſtia cruciari incipit, euomat, quod ut facilius fieri poſſit, exhibenda eſt aqua tepida, uel ſola, uel ex oleo, ac ſi ſponte non excitetur uomitus, quia ęgrotus ad uomitum ſit difficilis, parandus eſt ad faciliorem uomitum, fotis partibus ad uentriculum pertinentibus, eique adiacentibus: prȩterea niſi his uomitus cieatur, irritandus eſt uentriculus pennis, aut digitis in os demiſſis. Quod ſi neque horum ope euomat, conſulit Galenus oleum optimum calidum dari bibendum, aut oleum amygdalinum dulce, quòd quidem noſtris his temporibus in multo uſu eſt, quo epoto, non modo ad uomitum excitabitur uentriculus, verum & aluus cietur lubrica effecta, fluidaque a lenitate olei; prȩter id, quod poteſt non parum demulcere, & reprimere acrimoniam. Fluida autem aluus adeo utilis eſt in morſu ſtomachi, ut niſi ſponte fluat: eam ijs, quę per clyſteres inijciuntur, proritate oporteat, nimirum vt fluida fiat; nec modo eo genere clyſterium vtemur, quo cieatur aluus, ſed illo etiam, in quo ſit vis mitigandi acrimoniam, ſicuti ſunt clyſteres facti ex oleo dulci, vt octauo Method. docuit Galenus vel ex adipibus anſeris, uel gallinę, vel hirci. Addit vero
...5. ro Galenus, quod ſi his aluus ſit reddita ſatis lubrica. aut ſperemus poſſe facili, & leui medicamento ſubduci, vt conuertatur humor ad inferiora, deſerto ſtomacho, vtile erit dare mulſam, in qua maduerit coma abſinthij; quod medicamentum duas poterit prȩſtare vtilitates, primum enim mulſa detergendo, deducet deorſum bilem hȩrentem ventriculo, abſin-

A thium vero vim habet bilem ducendi, ex utriſque autem ſequetur vacuatio bilis; præterea vero abſinthiũ addet ventriculo robur, vt ille facilius extrudere a ſe bilem poſſit, cum ſit aſtrictionis particeps. Sed hoc ad tertium iam ſcopum omnino attinet, ad quem eſſet tranſeundum, niſi quædam occurrerent non prȩtermittenda. In primis autem hoc, quod in præſentia quædam medicamenta habemus apta ad proritandam aluum leniendo tamen; in quibus licet, non ſit aſtrictio; ut in abſinthio, eſt tamen in eis lenitas, qua obtundi poteſt acrimonia, unde & eis tutius vti poſſumus inter initia ad ducendam aluum, quam ſi aſtrictionis non eſſent expertia, vt paulo poſt dicemus. Ea vero ſunt manna, caſſia, & tamarindi,
B quamuis in his modica quædam ſit aſtrictio, cum quibus, ſi hoc videatur neceſſarium, commiſcemus aliquid puluerum hieræ appellatæ ſimplicis, præſertim ſi inter tunicas ſtomachi ſit abſorpta bilis, uel vitioſus humor, & tametſi febris adeſſet, eam tamen non timeremus, niſi plurimum eſſet ardens, & acuta. Nam cum miſcetur cum caſſia, uel manna, præſertim additis tamarindis, caliditas & ſiccitas horum puluerum his alijs medicamentis temperatur; ſicuti ſi acciperemus liquoris caſſiæ drachmas ſeptem, tamarindorum drachmas duas, puluerum hierȩ drachmam unam. Sed & ſyrupus roſaceus ſolutiuus in præſentia appellatus ad tres, uel quatuor vncias acceptus, interdum & id quod lenitiuum electuarium
C hic appellant, & id quod diacatholicon, poſſunt vtiliter dari. Sed iam ad tertium ſcopum conuertamus orationem noſtram. Non minus itaque neceſſarium eſt affectæ particulæ attendere, vt ſanè illa roboretur. Nam particulæ noſtri corporis cum robuſtæ ſunt, omnia nocua excrementa non modò non admittunt, verum & à ſe expellunt. Roborantur verò tum per ea, quę inſtaurando augent innatum calorem, tum vero ijs, quę colligendo, & uniendo partes laxiores factas, eas firmiores reddunt, & ineptiores ad ſuſcipienda excrementa, talia uero ſunt, quę vim habent aſtringendi. Verum hic quȩdam ſunt diligenter aduertenda, nempe, quod his uti non debemus, niſi vacuatio prȩceſſerit. Vnde & Galenus
D primo libro Artis ad Glauco. primum eorum meminit, quę vim inaniendi habent, mox uero roborantium. Etenim aſtringentia cum vitioſum humorem inuenerint in uentriculo, illum magis impingunt, & intimius impellunt in ſubſtantiam, & tunicas. Ait ergo ibi Galenus quod deinde, hoc eſt, poſt purgatum ventriculum, non erit alienum ab hoc negotio dare aliquid vini, eo enim calor natiuus fouetur, & uires reſumuntur, quę in malo prȩſertim reſumendę ſunt, cum uſque ad animi defectum perducatur in eo ęgrotus, quod ſi uinum aliquid aſtrictionis habuerit, fueritque clarum, & non potens, vt ibidem Galenus conſulit, ea etiam ratione robur ori ventriculi addet. Sed & alijs eiuſmodi ro-
E borantibus os ventriculi erit agendum, tam interius aſſumptis, quàm exterius adminiſtratis. Interius quidem, tum vino (vt nuper diximus) quod in primis commodum, quando uires labare videntur, & animi deliquium ſit timendum, alioquin enim, vbi aliquid videatur adeſſe, cui poſſit vini vſus eſſe aduerſarius, ut eſſet magna febris, tumor inflammationis alicuius viſceris, aut dolor vehemens capitis, offam panis prius immerſi & infuſi in ſucco, vel (vt dicere ſolemus) in uino malorum cotoneorum, uel malorum punicorum comedendam dare ſolemus, & poſtea bibendum aliquid illius ſucci, vel vini, uel quidpiam aliud, quod aſtringat, & refrigeret. Sed exterius etiam illis vti medici ſolent, quę eaſdem uires habent, vnde adhiberi ſolent, tum fomenta,

tum etiam illitiones,& emplaſtra: quamuis & cerata poſſent commodè apponi. Fomenta quidem cōfecta ex rebus partim aſtringentibus, partim refrigerantibus, vt diximus, quamuis inutile fuerit, ſi aliquā vim digerendi habeant, vnde abſinthij coma, chamæmeli flores, roſarum folia, coriandorum ſemina, & flores labruſcæ, ſi ſingulorum pugillus accipiatur, omniaque ex aqua coquantur, ac mox tertia uini ad aquam addatur, vini autem parum aſtringentis, hoc decocto fouendus eſt ventriculus, vel ſimili etiam: nam & intybi folia, vel rubi, vel capreoli vitis cum abſinthij coma, vel floribus chamæmeli, addita modica ſpica, vel ſquinantho, vel pulegio conferunt. Olea vero, quibus tanquam linimentis uti poſſumus, ſunt oleum roſaceum, quod completum appellant, chamæmelinum, melinum, quod ex cotoneis eſt: poteſt & myrtinum in vſum venire, roſaceum vero omphacinum dictum, magis refrigerat, & aſtringit, his tamen interdum & abſinthinum, & maſtichinum addita plurimum proſunt. Conſiderandum ſiquidem eſt, quod ita in hoc, ſicut in alijs affectibus pendentibus a fluxione alicuius vitioſæ materiæ ad aliquam partem, pro ratione diuerſorum temporum varianda eſt medicamentorum materia. Vnde inter initia fluxionis, vel paulo ante, quam fluere incipiat, ea utiliora ſunt, quæ maiorem vim refrigerandi, & aſtringendi, quæque vim repellendi habent; unde & omphacinum roſaceum, & melinum oleum, & myrtinum laudantur. Cum autem magna ex parte fluxit, & immodicum morſum excitat, tum calore, tum acrimonia, oleum roſaceum, quod completum vocant, vel ſolum, vel immixto aliquanto oleo chamæmelino conuenit; nam hæc vim habent demulcendi, & mitigandi acrimoniam, & digerendi diſcutiendique, quibus & abſinthinum addi poteſt, & maſtichinum, hæc enim omnia partim roborant, partim digerunt. Et quod de his diximus, de illis quoque intelligendū, quę ad fomenta, vel emplaſtra pertinent. Nam roſæ, rubi folia, intybi, labruſcæ flores, polygonum (vt & octauo Metho. & in lib. de ſimpl. med. facul. teſtatur Gal.) poſſunt in hunc vſum venire, ſicut & ſandali, Arabum inuentum, omnia refrigerant, & aſtringunt, & portulaca quoque refrigerat, & acrimoniam temperat, & proinde ſunt accommodata materia conficiendis fomentis, & emplaſtris, accommodatiora autem inter initia, vel anteaquam irruat nocuus humor, ad digeſtionem vero cum opus fuerit, additur abſinthij coma, vel chamęmelini flores, interdum vero & paſſulæ dulces, quæ digerunt, & mitigant, ita & palmulæ, ut ſecundo de alimen. fac. docuit Galen. nonnunquam etiam ſemina aniſi, vel fœniculi, præſertim ubi ſit diſcutiendus flatus, quamuis & lini ſemen, & fœni Gręci poſſint leniendi acrimoniam gratia admitti. Sed de emplaſtris particulatim dicamus, tam de illis, quæ deſcripta in vſu habentur, quàm de illis, quę multis Medicis ſunt in vſu, in primis vero eſt emplaſtrum diaphœnicon, hoc eſt ex palmulis, quod Ioannes Meſ. deſcriptum reliquit, & illud in auctorem Alexandrum retulit, quamuis non omnino idem ſit cum eo, quod deſcriptum reperitur apud Alex. ſeptimo lib. ſuę Medicinę, habet tamen vires parum differentes. Roborant autem ventriculum, & repellunt irruentem materiam in illum multa enim recipiunt, quæ refrigerant, & aſtringunt, aliqua etiam, quę digerūt, Digerunt enim ſtyrax, maſtix, ladanum, myrrha, xyloaloes, & uinum, quę & ſi calida ſint, unde digerunt, aſtrictionis tamen non ſunt experta, unde & roborant. Refrigerant uero, & aſtringunt reliqua omnia. Nec modo emplaſtrum hoc commodum eſt anxietati ſtomachicę, uerum & vomitu immodico, quą ratione, ut teſtatur Alexander, & cholerę utiliſſima ſunt, & fluxui tam dyſenterico, quam hepatico. Reliqua uero ſunt palmulę nō exquiſitè maturę, cotonea mala, acacia, ſuccus vuę acerbę, flores labruſcæ, ſandali. Modū uero & rōnem componendi deſcripſit Meſue, unde illi relinquamus. Alterum uero emplaſtrum eſt id, quod multis eſt in plurimo vſu, a Bartholomęo Montagnana in ſuo appellato Antidotario deſcriptum reperitur, & dicitur ex cruſta, vel mica panis: cuius cōfectio in hunc modū ſe habet, accipiunt maſtichis, mentæ, ſpodij, corallorū rubeorum, ſandalorum rubeorum, & alborum, ſingulorum aūt drachmam, cruſtę panis aſſi, macerati prius ex aceto per horā mediā, uncias duas, olei maſtichini, cydoniorum ſingulorū unciā, farinæ hordei quantū ſit ſatis, omnibus mixtis fiat emplaſtrum. Ego uero aliquando eo uſus ſum fęliciter: interdum vero, immo frequenter ſolitus eram vti in huiuſmodi febribus, quorum comes erat hæc anxietudo ſimili emplaſtro: Accipe farinæ hordei uncias duas, pulpæ cydoniorum vnciam vnam, & mediam, florum labruſcæ, roſarum, comæ abſinthij, florum chamæmeli ſingulorum drachmam vnam, ſandalorum rubeorum drachmas tres, miſce, & ex aqua roſacea, & ſucco cotoneorum malorum, & uino malorum punicorum, accepta omnium æquali portione, fiat emplaſtrum, cui poſtremò addenda ſunt duo, vel tria ouorum lutea, quæ præter id, quod mitigant dolores, & deliniunt acrimoniam, addunt emplaſtro lētorem quendam, ne facilè exſiccatum a calore corporis, & in puluerem conuerſum delabatur. Quatenus vero ad rationem vſus iſtorum remediorum pertinet, hæc obſeruanda ſunt, quod (ut diximus) primū opus eſt, vt præcedat euacuatio: & ſi adeo urgeat ſæuitia iſtius ſymptomatis, illi erit occurrendum ijs, quę retundant acrimoniam vitioſorum humorum, quibus etiam vomitus cieatur, interim dum inclinante acceſſione, miteſcat moleſtia iſtius ſymptomatis: poſtea arripienda occaſio vacuandi: & ſi inepta uideatur materia illa ad vacuationem, quæ in penitioribus venis eſt, ea ſaltem, quæ in uicinis, educenda eſt: utpote quæ facillimè mota in æſtuatione acceſſionis ſolet ad os uentriculi confluere. Poterit autem illa (ut diximus) facili negotio lenientibus medicamentis, quorum meminimus, purgari; mox verò per horam ante tempus, quo expectanda eſt acceſſio, foueatur, aut illiniatur ventriculus, aut emplaſtra apponantur. Verum ſi contigerit, ut omnibus his nequeat Medicus obſiſtere, quò minus irruens humor excitet hoc moleſtum ſymptoma, abiectis his, erit procurādum partim vt euomant, partim verò vt ad inferiorem aluum attrahatur materia, ſicuti glandibus communibus, quę ex melle cocto, & ſale parantur, ſiue illis, quibus inſuper & puluis hierę picrę additur, interdum & ſal gemma, quidam & ſimplices ex ſapone conficiunt. Tertiò uerò fomentis agendum, ut tum demulceatur acrimonia, tum etiam aliqua ex parte digeratur receptus, & obnoxius humor. Animaduertendum tamen, quod nonnunquam, vt monuit Galen. ſecundo de Facul. ſimpl. medicam. nullis his, vel ſimilibus remedijs poteſt ſęuitia iſtius ſymptomatis ſuperari, adeo ut potius irritari ab illis, exacerbariq; videatur, quàm miteſcere. Vnde oportet Medicum ſcire, quod tam medicamenta, quàm cibi, quibus vtimur ad ſuccurrendum laboranti, non eas uires habent, ut poſſint ſuperare humores vitioſos, ſed potius ab illis ſuperantur, & corrumpuntur in uitioſa excrementa. Id uero naſcitur, quia uel magna eſt humoris malitia, adeò ut medicamenta, & cibos uincant, uel quia tanta eſt horum malorum copia, ut dum multo humori parum boni cibi, uel apti medicamenti immiſcetur, ſuperior euadat humor malus.

Cap. 5.

Cap. 17.

Quare

Quare tunc conuertenda eſt ratio curationis ad uacuationem, mox ad robur ventriculi, vt & ſi qua ſit intemperies, a qua alimentum corrumpatur, illa téperetur: cibi verò offerantur, qui non facilè poſſint corrumpi. De his verò ſatis abundè ſermonem habuimus. Quamobrem ad alia tranſeamus.

De dolore ventriculi. *Cap. IX.*

AD eandem in ventriculo facultatem & dolor ventriculi pertinet, ad quam & angor, vel anxietudo: immo antiqui, qui nomen cardialgię commenti ſunt, putarunt & illam eſſe differentiam doloris, vt anxietas ſit eius veluti dolor. Cum vero dolor & ipſe in uniuerſum ſymptoma ſit, quod velúti effectus ſit, aut intemperaturæ confertim mutatæ, aut ſolutæ particularũ vnitatis, aut vtriuſque, neceſſe eſt, vt ventriculi dolor ortum habeat, vt 7. Aph. tradidit Gal. aut a frigore, aliaue inæquali intemperie, aut a flatuoſo ſpiritu, quo recepto in tunicis uentriculi, &
l. 28. eas diſtendente, ac quaſi dilacerante, ſi acutus, & uehemens ſit, alioquin enim & flatu repleto ſpatio interno uentriculus dolere quandoque ſolet, non tamen dolore acuto, ſed potius cum diſtentione, prætera uero & a materia mordaci, & acri vellicante, & mordente pręſertim os uentriculi, fiunt & uehementes, & acuti dolores: poſtremo & ex inflãmatione, in qua conſpirant ambæ doloris cauſæ, nempe & inæqualis intemperies calida cum materia, & unitatis ſolutio a materia diſtendente particulam inflammatã. Sed de inflammatione ſeorſum inferius ſermonem inſtituemus. In præſentia vero de alijs dolorum differentijs, qui ab alijs cauſis ortum habent, agemus. Nec alienum a noſtro inſtituto erit, ut ea exponamus, quæ hoc loco ab Auicen. literis tradita ſunt, non indigna cognitu: nimirum quod dolores in ventriculo, qui præſertim a materia pendeant, non ſemper uno, & eodem modo affligunt, & cruciant, ſicuti etiam non eandem, ſed plurimum diuerſam habent occaſionem. Nam interdum continenter affligunt, neque vllam habent intermiſſionem. Aliquando uero intermittunt, & quaſi periodos quoſdam habent, & ieiunos in primis uexant, qui mox cibo accepto quieſcunt: alij uero contra ſe habent, quia ab aſſumpto cibo potius cruciantur: vbi autem è uentriculo deſcenderit, dumque is inanis fuerit, non eſt illis moleſtus dolor: quidam nunquam quieſcunt, niſi per vomitum reiecerint humorem quendam ſapore acetum referentem, quó in terram effuſo attolluntur ampullæ, perinde ut effuſo acerrimo aceto: in alijs vero ſolo deſcenſu cibi, abſque hoc, ut quicquam euomant, dolor remittit. Omnia uero hæc a diuerſa natura humoris proueniunt, & a diuerſo loco, in quem effuſus continetur. Nam ſi a iecinore effundatur bilis ad ſuperiorem uentriculi partem, nempe ad os eius, ſicuti ſolet interdum fieri in illis, qui ægrè famem ferunt, cum ſe ultra ſolitas horas a cibo continuerint, accepto cibo ſtatim ferè bene habent, qa ab aſſumpto cibo, & potu tum reprimitur bilis morſus, tum etiam detergitur, & deducitur ad fundum ventriculi, ubi non eſt adeo exquiſitus ſenſus, & mixta cum cibo non poteſt ita pungere. Sed cum bilis flaua a iecinore effunditur, aut atra a liene, uel a venis meſenterij in hypochondriacis affectibus, qui humores non ſerpunt ad os uentriculi, ſed in fundum deſcendunt, dum ibi quieti manent, minus moleſti ſunt: quoniam illius partis obtuſior eſt ſenſus, ubi uero cibus ingeritur, exagitatus humor uitioſus commiſcetur cum cibo: quo fit, ut aſcendens ad ſuperiores partes in amplexu, & conſtrictione aſtringat os uentriculi, & ipſum mordeat. Solet autem ad fundũ effundi ſtatim ab initio, aut melancholicus ſuccus, aut craſſior bilis. Quæ uero tenuior eſt, facilius, ut

A quæ leuior ſit, ſurſum ad os uentriculi fertur. Quæ vero deſcendunt ad imum ventrem, aut vomitu reijciuntur, ſicut ſæpe in hypochondriaco affectu, ut 3. de Loc. affec. teſtatur Gal. accidit, euomunt enim acetoſum humorem, quo reiecto deſinit dolor, alij uero, bile reiecta, quieſcunt, qui uerò ſine uomitu dolere deſinunt, id habent, quia aut ſimul cum cibo bilis de uentriculo deſcendit, aut quia ſi remanet in fundo, quieta manens non ita torquet, ut cum a cibo mouetur. Fieri tamen poteſt, & a materia pituitoſa acida mordente, & quaſi erodente uentriculum ſua aciditate, & partium tenuitate, pręterea & a ſalſa pituita, quæ & ipſa corrodit; ſed & tum ab ea, tum uerò a melancholico humore fieri dolor uentoſus, & di- Cap. 7.
B ſtendens poteſt; nam hi humores ab imbecilli calore uentriculi rarefacti facilè in flatum digeruntur, quod plerunque ſolet hypochondriacis euenire. Vidi quandoque dolorem ventriculi deſijſſe in reſolutioné crurum, tranſlata ſanè morboſa materia ad neruos. Sed & quòd quãdoque dolorem uentriculi ſequatur, (vt teſtatur Auicenna) mors repentina, nos etiam uidimus, & id propter magnum cum corde conſenſum. Nam vt Galen. 5. de Loc. affect. ait, non poteſt quis repentè mori, niſi affecto corde. De ſignis, quibus ſint cognoſcendæ hæ dolorum differentiæ, non faciemus in præſentia uerba multa, cum ex ijs, quæ in prioribus capitibus ſunt tractata, multa etiam ad pręſens negotium faciant, unde ſola capita eorum per-
C ſequemur. Igitur cum in uentriculo percipitur, aut grauitas, aut pulſatio, aut tenſio, aut morſus, neceſſe eſt, ut aliqua ibi ſit materia, a qua foueatur dolor, & intemperies, quòd ſi nulla ſit materia, hæc omnia abeſſe neceſſe eſt. Calidam autem intemperiem ſignificat æſtus, uel calor perceptus, ſitis, deiectus appetitus, quòd facilius coquantur, quæ craſſiora, & difficiliora concoctu ſunt, ea uerò quæ facilis concoctionis ſunt, in nidoroſam qualitatem vertantur; quod a frigidis bene habere uideantur. Frigidioris vero temperamenti ſigna ſunt fames, nùlla ſitis, frigus in uentriculo perceptum, tarda, & difficilis concoctio, eorum etiam, quæ facilè coqui ſolent, flatus multi, & eructationes, dum cibus coquitur,
D acidum ſaporem referens eructatio. Bilioſam uerò materiam, præter ſigna nuper relata calidæ intemperaturæ hæc ſignificant, os amarulentum, ardor, uel morſus, uel punctio in uentriculo, uomitus bilioſus, deiectionesque alui item bilioſæ, quod ieiuno magis moleſtus ſit dolor. Pituitoſæ uero materiæ, multa oris humiditas, grauitas, tenſio, pituitoſus uomitus, & deiectiones pituitoſæ. Siquidem ſalſa fuerit pituita, ſalſum os percipietur, acidum uero, ſi acida. Si uero putridus, & corruptus humor, ea, quę de pica, uel corrupto appetitu diximus, apparebunt. Si autem fuerit humor melancholicus dolorem excitans, ex uomitu cognoſcetur, ut paulo ante diximus, pręſertim ſi dolor fuerit, qui ſe-
E quatur hypochondriacam melancholiam, tanquam eius ſymptoma, & reliqua quoque ſymptomata, quę huic affectui ſolent eſſe peculiaria, illi atteſtabuntur. Sicuti ſi a liene fuerit is humor in uentriculum effuſus, aliqua erunt ſigna demonſtrantia, male affectum eſſe lienem, ut durities, uel tenſio, uel dolor aliquis in pręcordio ſiniſtro, aliquando & icteritia nigra. Quemadmodum ſi in dextro hęc appareant, & icteritia flaua, ſigna potius erunt bilis effuſę a iecinore. Sed tandem ad exponendam methodum curandi doloris huius accedamus. Vt tamen id prius in memoriam reuocemus, quod ſępius a nobis ſuperius fuit repetitum, nempe quod cum dolor ſymptoma ſit, quod morbum ſequitur, non ęſt primum curatio dirigenda in dolorem, ſed in

eum affectum, qui doloris cauſa eſt, niſi aliquando adeo creſcat eius vehementia, vt dubitemus, ne natura eum ferre nequeat, ſed ſub eo, quaſi ſub onere, fatiſcat. Nam cogimur tunc primum incumbere dolori ſedando, quod (ut 5. de facul. ſimpl. med. docet Galen.) duobus modis fieri poteſt. Aut enim ijs medica-

Cap. 19. mentis, quæ verè, & propriè anodyna dicuntur Græcè, quaſi dolorem tollentia, vel leuantia: & ea ſunt, quæ moderatæ cuiuſdam caliditatis ſunt, qualia quæ non excedunt primum ordinem calefacientium, & ſunt expertia aſtringētis facultatis ſaltem inſignis, quæ omnino laxant citra vllam aſtrictionem iniqua ſunt ventriculo. Itaque hæc calefaciendo molliunt, & quoquomodo digerunt: huius generis ſunt oleum anethinum: amygdalinum, chamæmelinum, præterea & adipes, vt ſunt gallinaceus, anſerinus, & anatinus, & id genus alia, ex quibus & emplaſtra & fomenta, & illinitiones fieri poſſunt: vt tamen illis ſemper intermiſceatur aliquid aſtringens, ut abſinthium, maſtiche, & id genus alia. Aut medicamentis illis, quæ ſtuporem ſenſibus adducunt, ut deinde particula, quaſi ligato ſenſu, dolorem non percipiat. Neque hæc vera eſt curandi ratio. Prior tamen, quæ per anodyna fit, ſecundum primum dolorem ſedantium rationem aliquam maiorem curationis rationem habet, quia digerendo ſimul dolorem ſedant, & cauſam etiam tollunt. Vera autem curatio illa eſt, qua primum tollitur affectus, a quo dolor excitatur, & hoc ergo agamus, quam uariam eſſe oportet pro uaria affectus natura a qua dolor habuit ſuam originem. Itaque ſi cauſa doloris fuerit intemperies calida citra materiam, illa erit refrigerantibus tractanda, tam cibis, quàm potionibus: præterea & medicamentis, & exterius adhibitis, & interius aſſumptis. Hic enim cum poſitum ſit ſolam eſſe calidam intemperiem citra materiam, nihil eſt, cur cogitemus de aliqua purgatione, quantum ad ipſam pertinet: ſed ſolum danda eſt opera, ut intemperies morboſa ad naturale temperamentum reducatur: quod contrarijs erit agendum. Vnde cibi commodi erunt fercula ex hordeo facta, ut ptiſana, cremor hordei, præterea far rectè coctum, ex oleribus lactuca, portulaca, oxylapathum, quod acetoſam vocamus, cichorium: è fructibus cucurbita, cucumer, melon indus, nos anguriam appellamus, pruna, aliquando pyra, mala, piſces quoque & carnes coctæ, & paratæ, ut refrigerent, uſus aceti: a uino autem abſtinendum omnino, aut illo dilutiſſimo utendum. Sed & medicamenta refrigerantia, vt ſyrupus uiolaceus, roſaceus, acetoſus ſimplex, & quem oxyſacchara Arabes appellant: item ex endiuia, cichorio, acetoſa, ſucco citri, ex malis punicis. Auicenna vero laudat lac acidum, quod eſt apud Dalmatas Turcas, & Aſſyrios in multo uſu: ſaccharum etiam roſaceum, & violaceum. Exterius uero ſunt adhibenda oleum uiolaceum, roſaceum, vel integrum, & completum, uel omphacinum, quod magis refrigerat: ſimiliter melinum ex cotoneis confectum, & myrtinum, & id genus alia: ſed & aqua frigida epota illi poteſt conferre. Contrarijs uero curare oportet contrariam intemperiem tam cibis, & potubus, quàm medicamentis calefacientibus, ut cibi ſunt, qui aromatibus condiuntur, uel petroſelino, uel menta, uel ſaluia, uel origano, uel pulegio, uel alijs id genus: item huiuſmodi eſt allium, & reliqui acres cibi, & quæ ex ſynapi conficiuntur. Potus uero ſit vinum meracius, aliquando uero & aliquid uini antiqui, uel potentioris. In medicamentis uero congruis, ſunt ſyrupi ex abſinthio, ex menta, & id genus alij, ſicut ex confectionibus appellatis aromaticum roſaceum, diacyminum, diagalanga, & alia id genus.

A Olea, quibus exterius ſunt illiniendæ partes ad uentriculum attinentes, ſunt oleum maſtichinum, abſinthinum, nardinum, ex menta, & iſtiuſmodi reliqua. Dolores uerò, qui ab aliqua materia fouentur, non ita ſimplicem habent curationis rationem, cum materia præter intemperaturā, & ipſa ſuas habeat indicationes, & ſcopos: nam vacuatione aut per purgantia medicamenta per inferiorem aluum, uel per uomitum, aut per digerentia, aut per ea, quæ diuertunt materiam fluentem ad ventriculum opus eſt. Quæ quidem auxilia varia eſſe oportet pro diuerſa natura, tu humoris confluentis ad ventriculum, tum loci, unde fluit, atque loci, in quem confluit. Quia tamen nulli maiores, & difficiliores dolores excitantur, quàm ex

B inflammatione, inflammatio verò morbus tanti momenti eſt, ut meritò requirat ſuam priuatam, peculiaremque curationem: ideò de ea ſeorſum in ſequenti capite commodius agemus, in hoc autem de reliquis dolorum differentijs agemus. In dolore itaque per periodos excitato, qui foueatur a confluente humore, ſiue a iecinore, ut ſolet bilis, confluat, ſiue a liene, ſiue a uenis meſenterij, a quibus (ut dictum eſt) ſolet confluere melancholicus humor, in primis procurãdum, ut amplius ab illis non profluat id genus excrementorum, mox ſi aliquid iam receptum eſt, illud uacuetur, aut purgantibus, aut digerentibus medicamentis: tertiò ut uentriculus roboretur. Non defluet autem ab illis particulis, ſi cauſa fluxionis tolletur.

C Cauſa uerò præcipua eſt congeſtio multorum excrementorum in illis, quæ fit aut propter aliquam intēperiem contractam in his uiſceribus, ex qua plurimus generatur is humor: aut propter obſtructiones, quæ impedimento ſunt, quo minus, qui generatur, non expellatur per congruentes meatus, uel ꝑpter imbecillitatem earum particularum, quarum officiū eſt ſanguinem in iecinore genitum a ſuperuacaneis excrementis expiare, ut ſunt lien, & fellea ueſica, & renes, unde hos horum uiſcerum affectus, qui ſunt tanquam fons, & origo horum malorum, remouere oportet, ſed eorum remotio non pertinet ad præſentem tractationem, ſed ad eam, in qua de curandis earum affectibus erit habendus ſermo. Interim ta-

D men, dum hæc agentur, danda erit opera, ut qui continenter, uel per periodos humor confluit ad uentriculum, inde reuulſione, uel deriuatione alio conuertatur, & id, uel ijs auxilijs, quæ uacuando id agunt, uel quæ citra uacuationem. Euacuant clyſteres, & glandes, quæ irritando inferiorem aluum, fluxum humoris ad aluum, & inteſtina conuertentes, illū mox etiam educunt. Reuellunt autem, & deriuant, citra vacuationem manifeſtam, frictiones extremorum artuum, uincula dolorifica, frictio etiam ventris inferioris, quæ deorſum trahit, hæc enim ad inferiorem uentrem conuertit fluentem humorem: illæ uero in habitum uniuerſi corporis retrahunt. Vitioſus autem humor, quem iam uentriculus admiſit, uacuatione

E ducendus eſt de uentriculo, & ea ratione ducendus, quam nobis oſtendet propenſio, & facilitas humoris. Nam ſi ad os uentriculi potius ſit eius motus, quod oſtendet aliqua in uomitum inclinatio, uomitu facilius educetur. Sin autem in imo uentriculi potius reſideat, facilius deijcietur. Quamuis ſæpe in ijs, qui a cibo dolere incipiunt, una cum cibo, ſi cieatur uomitus, reijciatur, & uitioſus humor ſatis facilè. Cum uero non uidetur aptus, ut per uomitum eijciatur, & ſi quidem binoſus fuerit humor natans, uel alluens, leuibus quidem poterit medicamentis educi, ut eſt aloe lota, uel pilulæ ex ea confectæ. Auicenna dicit poſſe purgari hunc humorem ſyrupo acetoſo, in quo maduerit coma abſinthij, & multis alijs, de quibus mentio in ſuperiori capite habita

ta eſt. Sed ſi melancholicus fuerit humor dolorem A excitans, iis medicamentis, quę ſenam, quæque polypodium accipiunt, & quæ epithymum, euacuabitur, dummodo leuia ſint, nam fortia uires uentriculi labefactant. Leuia uero ſunt, ut quod lenitiuum electuarium appellant, & quod diacatholicon. Auicenna uero laudat epithymi decoctum, & quia quandoque ſine ueratro nigro eo utimur, ſi tamen de eo ſit ſermo, quod reperitur deſcriptum a Meſue: interdum verò addito etiam veratro: tutius eſt, licet aliquanto infirmius, ſit id, quod ſine veratro in uſum venit: in inueteratis tamen morbis, & contumacibus etiam cum veratro vtimur: eiuſmodi enim purgatoria medicamenta non ſunt ventriculo cōmoda. Sed multa, quæ huic capiti accommodari poſſunt, in prio B ri tractata ſunt, quantum poterat noſtro inſtituto eſſe ſatis. Materia verò pituitoſa, cum tenax ſit, & pertinaciter hæreat ventriculo, paranda prius ſecantib. erit, & detergentibus, quemadmodum eſt acetum mulſum, vel (vt Græci uocant) oxymel, & mel roſaceum: non parum etiam proderit piper, vel diatrionpipereon: poſtea vero vacuanda, cui officio, & hiera ex aloe idonea erit, & pilulæ ex ea confectæ, vel ſimplices, vel cum agarico, item & maſtichinæ, & quas Meſue elephanginas appellauit. Sed mihi in frequentiſſimo vſu eſt caſſia, ſicuti ſi eius vnciæ, vna, uel altera drachma puluerum hieræ ſit immixta. Sed ſi dolor à materia flatulenta excitetur, cōſiderandum, an flatus habeat fomentum a multa materia pituitoſa, C vel melancholica, quia eius curatio prior erit, ut ſubtrahatur illud fomentum, purgata ſuperuacanea materia, ut nuper expoſuimus. Mox vero illis agamus, quæ flatum digerunt diſcutiuntque, tam interius acceptis, quàm exterius adhibitis. Interius quidem, ubi aliqua febris non obſtet, vinum tenue, & potens, vetusq. quando haberi poſſet, piper, diatrionpipereon, aromaticum roſaceum, diacyminum, diagalāga. Nobis quandoque profuit decoctum, vel puluis florum chamæmeli ex iure, vel vino, item & anethum. Exterius uero fouere locum dolentem oportet rebus digerentibus, quæ tamen robur afferant ventriculo, ut eſt abſinthium, ſpica vtraque, menta, maſtiche, lignū aloe, cinnamomum, gariophyli, macer, & id genus D reliqua, ſimiliter & olea omnia, quorum paulo antea meminimus. Galen. uero octauo de comp. med. ſec. loc. ex Archigenis ſententia, cum dolor flatuoſus cōcitatur, qui a melancholico humore habet fomentū, laudauit fomentum ex aceto acerrimo calido. Fomētum autem facile ad diſcutiendos dolores eſt ex milio & ſale in ſacculo calefactis, aliqui & furfures addunt. Galen. vero pro maximo remedio, cui & experientia atteſtatur, habet cucurbitulam magnam ex multo igne loco doloroſo appoſitam; ita enim cito dolorem tollit, vt miraculum videatur; præſertim uero ubi non foueatur a materia multa. Et quatenus ad hos dolores curandos pertinere poteſt, hæc in prę- E ſentia ſatis eſſe poſſe putamus. Ad alia ergo tranſeamus.

De inflammatione ventriculi. Cap. X.

QVod paulo ante diximus nullus affectus ventriculi in eo poteſt deteriores, uehementioresq; cōcitare dolores, & qui magis continē ter, & ſine vlla intermiſſione affligant, quam eius inflammatio, ideo nobis viſum etiam eſt eam in affectibus uentriculi ponere, quibus præcipuè læditur animalis, atq; adeo etiam ſentiendi facultas, qui quidem plerunq; acutus admodum morbus eſt, & quem ſæuiſſima deterrimaq; ſequi ſymptomata ſolent, unde tractandus ſi quis alius morbus ſumma diligentia.

Sed in primis, ne nominum ambiguitas aliquam pariat confuſionem, id quidem reuocādum in memoriam eſt, quod & ſuperius expoſuimus, præſertim ubi de pleuritide, & phrenitide, & lethargo fuit habitus ſermo, nimirum quod inflammationis nomen tripliciter apud antiquos Medicos teſte Gal. 2. lib. Art. cur. cap. 1. ad Glau. ſolitum eſt vſurpari. Quandoq; quidem pro omni affectu calido, & feruente. Interdum, ut ſub hoc nomine omnes calidiores tumores è quocunq; humore fiant, ſiue ſit ex propria natura calidus, ſiue ex accidenti comprehendantur. Tertio uerò magis particulatim, ut accommodatur ſolo tumori excitato ex ſanguine, quæ quidem iſtius nominis acceptio fuit peculiaris iunioribus Medicis, qui poſt Hipp. viguere. Quam item ſententiam ſecutus eſt 4. Aphor. com. 43. quo loco tumores in triplex genus partitus eſt, nempe in doloroſos, quos iuniores Medici inflammationes appellare ait, præterea uerò in duros, quos ſcirrhos, & molles, quos œdemata dicunt. Quemadmodum autem eodem 2. ad Glauc. docet, harum inflammationum ita ſecundum communiorem ſignificationem acceptarum plures ſunt differētię, pro ratione differentis naturæ eorum humorum, a quibus excitatur inflammatio, nam uel ab humore, qui magis naturæ bilis particeps eſt, vt inflammatio prope accedat ad naturam eryſipelatis, uel a ſanguineo humore, ut ad naturam eius inflammationis accedat, quæ propriè phlegmone, vel inflammatio dicitur, interdū verò a materia pituitoſa ſalſa, vel putrida, ut dum de lethargo ageremus, diximus. Vnde cum Gal. 1. Aph. cap. 12. dixit, quod ut inflammatio lateris, pleuritis nimirum ſuas habet acceſſiones alternis diebus, ita uentriculi quotidianas, & ad noctem magis, ſignificare uoluiſſe uiſus eſt, uentriculi inflammationes ab humore ortū habere, qui ſapit naturam pituitoſi humoris, cū quotidiana periodus ſoleat familiaris eſſe pituitoſo humori. Solet uero uentriculi inflammationes perpe- com. 21. tuo ſequi febris ob uiciniam, & conſenſum cordis cū eo, neque tamen ſemper eiuſdem modi, quia ſæpe (vt ſecundo Prorrh. refert Galen.) & acuta & maligna, interdum tamen acuta quidem, nō tamen maligna, quandoque autem nec etiam acuta, quæ quidem diuerſitas poteſt partim referri (ut ibi retulit Galen.) in magnitudinem inflammationis, quia ut non eſt neceſſe ſemper magnam in hoc uiſcere concitari inflāmationem, ſed aliquando maiorem, aliquando minorem, ita & febrem, uel magis, uel minus acutam, partim uero & in naturam humoris, unde excitatur, nam alij acutiores, alij minus acutas febres pariunt, alij malignas ſecus. Sequuntur præterea has inflammationes, & ſpirandi difficultas (ut 2. de Diffici. ſpira. tradit Gal. & ut idem ait 1. ad Glauc.) cap. 7. animi deliquia, præſertim uerò inter initia acceſſionum. Pulſus uero in hoc affectu durus quidem eſt, ut de eo retulit Gal. 4. tam de cauſ. quam de Præſag. ex cap. 7. pulſu, durus propterea, quia neruoſa particula inflā- cap. 6. mationem patitur, & inęqualis, & qui magis ad rationem ſerrini pulſus accedat, quam in inflammatione iecinoris, eſt præterea magnus, uelox, & frequens ratione multæ neceſſitatis. Durior uero pulſus eſt, cū os uentriculi inflammatione tentatur, quam cū eius inferior pars, ſicuti etiam facilè cum os uentriculi inflammatione tentatur cōſentiente cerebro (ut 1. Progn. docuit Gal.) ſolent accidere deliria) quo os magis ac neruεam naturam accedit, ut neque tamen adeo durus eſt, ut æquet duritiem pulſus pleuriticorum, aut eorum, qui habent inflammationem in ſepto tranſuerſo. At uero fiunt pulſus horum, de quibus in præſentia agimus, facilè & breui tempore parui, crebri, inęquales, & imbecilli, & id, quia prę eximio ſen- cap. 5. ſu a dolore facilè uires defatigatæ fiunt debiles. So- cap. 6.

Jet autem morbus is eſſe plerunque pernicioſus,quia A
victum requirit tenuiſſimum: vires verò, quæ facilè
in hoc morbo fatiſcunt, non facilè illum ferunt, & ſi
qui(vt decimo,& duodecimo Meth. ait Galen.) eua-
dunt, illi ſunt,qui vires validas habent. Vnde qui ca-
lido, & ſicco ſunt temperamento, magis periclitan-
tur, vt qui vires non admodum firmas habeant. Ter
minatur hæc inflammatio per ſuppurationem, ſæc
pius tamen aut reſoluitur, aut interimit. Signa au-
tem inflammationem ventriculi oſtendentia, eſt do-
lor continuus, nunquam intermittens, cum tenſio-
ne, & renitentia ad tactum in regione è directo ven-
triculi: prçterea verò cum his, & reliqua, quæ retuli-
mus pertinentia ad pulſus, & reſpirationem, & fe-
brem. De cauſis autem harum inflammationum B
nihil hactenus diximus, quia ſæpius antea in uniuer-
ſum tractata eſt res hæc. Eadem enim cauſa harum
eſt, quæ & aliarum, nempe fluxio humorum ad par-
ticulam, quæ inflammatur: fluxio uero concitatur,
& recipitur, aut propter imbecillitatem particulæ,
ad quam decumbunt excrementa à fortioribus pro-
pulſa, aut propter aliquem calorem contractum in
illa, per quem à vicinis, & circumiacentibus partib.
excrementoſos humores attrahit. At de hac re alias
copioſius diſſeruimus, & ideo rem per capita referi-
mus. Vnde ad rationem curationis accedamus, quç
quidem in recto vſu propriorum inſtrumentorum
artis Medicæ conſiſtit: nimirum victus ratione, ma-
nuum opera, & congruentium medicamentorum C
recta adminiſtratione. Sed vt rem hanc, quæ tanti
momenti eſt, ex methodo tractemus, breuiter referé
da eſt altius in ſua initia. Quare cum duæ ſint primç
indicationes: altera à natura morbi, altera uero à na
tura particulæ: primum de illis agemus, quæ perti-
nent ad naturam affectus. Itaque cum omnis affe-
ctus (vt probauit Gale. in lib. de morbo. tempo.) ſua
habeat tempora, quorum vniuerſa ratio accipienda
eſt à mutatione facta in ipſo morbo in diuerſis tem-
poribus. Temporis enim ratio eſt, vt ſit menſura
motionis, uel tranſmutationis factæ in rebus, quç té-
pori ſunt ſubiectæ, quæ menſura conſiſtit in relatio-
ne prioris ad poſterius, ab hac autem, quæ per diuer-
ſa tempora in morbis mutatio contingere ſolet, uaria D
tur maxima ex parte horum inſtrumentorum admi-
niſtratio. In principio igitur inflammationum, vt
aliarum, ita etiam uentriculi, neceſſe eſt, ut iam ali-
quid ſit receptum (alioquin enim nondum cœpiſſet)
aliquid etiam recipiendum eſſe, ſi inflammatio ſit ac-
ceptura incrementum. Ex his autem duo ſtatim in-
ſurgunt ſcopi. Primus, ut id, quod iam receptum eſt,
detrahatur. Alter vero, ut inhibeatur id, quod reci-
piendum eſt, quo minus recipiatur, ne augeatur in-
flammatio. Et ſi hæc mutuo comparentur, maioris
momenti eſt ſecundus primo. Quia inter initia non
poteſt eſſe multum, quod receptum eſt, neque ma-
Aph.21. gna inflammatio: Nam & Hipp. ſecundo Apho. di-
xit, circa initia, & fines omnia ſunt imbecilliora. Vn E
de niſi augeatur inflammatio, nullum imminet inſi-
gne periculum, & totum ferè negotium videtur in
initio circa hoc uerti; nempe ne inflammatio augea-
tur, augetur autem per fluxionem, quare prima in-
dicatio eſt, obſiſtendum fluxioni. Tribus uerò ſco-
pis intendendo, ei obſiſtimus, primum remouendo
fluxionis cauſas, deinde concitatum iam humorem
reuellendo, & deriuando à loco inflammato, tertiò
adhibendo illi medicamenta, quæ particulam illam
iuuent ad repellendam fluxionem humorum ad lo-
cum affectum decumbentium, ſicuti poſtea digeren-
tibus detrahimus id, quod iam receptum eſt. Sed ſeria
tim ac particulatim omnia perſequamur. Itaque (vt
fuit in ſuperioribus libris ex ſententia Gale. decimo-

A tertio Meth. expoſitum) tandem omnium fluxionũ
proxima cauſa eſt ſuperuacanea materia congeſta in
amandante particula cũ infirmitate recipientis. Ideo
ſi uires ferre poſſint, ſemper ferè incipimus à uacua-
tione, cum uniuerſi corporis, tum earum partium, à
quibus fluxio habuit occaſionem. Vacuãt autem v-
niuerſum corpus, alia quidem per ſe, vt venæ ſectio,
purgatio: per accidens uerò alia multa, in quibus prç
ſertim eſt tenuis victus. Ab hoc ergo; tanquam ab
eo, quod magis neceſſarium, maiorisque momenti
eſt, quàm quidquam aliorum, imo ſine quo cçtera ni-
hil ferè proſunt, incipiamus. Victus huic curationi
accommodatiſſimus eſt, qui tenuiſſimus eſt: ita vt te-
nuioris victus ratio huic inflammationi (ſicut vndeci
B mo Meth. Gal. probauit) ſit neceſſaria, quàm pleuri- Cap. 1
tidi, & peripneumoniæ, & hoc duplici ratione. Prima
quidem in vniuerſum accipitur a natura morbi, quo-
niam plerunque hæ inflammationes morbi acutiſſi-
mi ſunt, & cum febre ſæpe, non modo acuta, ſed (vt
diximus) etiam maligna. Altera verò à natura affe-
ctæ particulæ, cum enim ea, vt inſtrumentum, quo
commune uniuerſo corpori alimentum eſt coquen-
dum, & lædatur vis concoctrix in eo ob inflamma-
tionem, ſi ventriculus liberalius impleatur, nõ deeſt
periculum, ne cum minimè poſſit probè concoqui,
in vitioſum humorem degeneret, ne ita in augmen-
tum inflammationi cédat: deinde quia alimentum, ꝙ
ad alias particulas alendas fertur, oportet, ut prius
C confectum ſit in uentriculo, deinceps, & in iecinore:
ſed affecto uentriculo nçquit rectè coqui in eo, & cũ
neque poſtea defectus ille emendari in iecinore poſ-
ſit, neceſſe eſt, illud tranſire in uitioſum humorem,
& malè afficere uniuerſum corpus. Tenuitas autem
uictus ea eſſe oportet, quàm (ut docuit Hippoc. pri-
mo Aphor.) uires uideantur poſſe ferre. A carnibus Aph. 9.
ergo abſtinendum eſt, ouiſque, & reliquis, quç aut
multum alant, aut concoctu facilia minimè ſint, aut
craſſum ſuccum generent. Quare, & cremor, hor-
dei anteaquam concoctio appareat, deinde uerò pti-
ſana hordeacea ex aqua poterit uenire in uſum, niſi
is ſit, qui nolit, aut nequeat eiuſmodi comedere hor-
deacea fercula: tunc enim poſſumus parare ferculũ
D ex pane prius loto, mox cocto ex aqua; cum modico
quidem ſale condimenti gratia, uel modico ſaccha-
ro. A uino autem omnino abſtinendum eſſe cenſet
Gal. quarto Meth. nam humores concitat, & fluxio- Cap. 7.
nes, ſed potius ſit ſyrupus roſaceus ſimplex, uel iuleb
ex aqua. Quatenus uerò ad ea pertinet, quç per ſe
corpus uacuant, ut ſanguinis detractio, & purgatio
per medicamenta, hçc conſideranda ſunt, quòd & ſi
in uniuerſum, quantum ad indicationem euacuatio
nis attinet, utrunque inſtrumentum uideretur poſſe
accommodari: particulatim tamen, ſi ad indicatio-
nem reſpexerimus acceptam à natura particulç, alie-
niſſimum (ut Gal. nos decimotertio Metho. docuit) Cap. 24.
remedium eſt, & inſtrumentum in inflammationis
E initio purgatio per medicamenta, quia contra omnẽ
rationem eſt, cum impetus fluxionis fertur in aliquã
particulam inflammatam, uerſus eam uacuando hu-
mores trahere, cum potius quàm longiſſimè ab ea re
uellere oporteat. Vnde adeò ab omni ſoluentium
medicamentorum genere abſtinendum eſt, ut etiam
aloes uſum hoc tempore repudiauerit, quamuis ſit fa
cillimum medicamentum, & uentriculo commodiſ-
ſimum, quare neque manna, neque caſſia, neque id
genus alia, quantumlibet lenia medicamenta, ſi de-
creta Hippoc. & Gale. ſequi uelimus, inter initia in-
flammationis uentriculi ſunt admittenda, cum inde
timendum ſit, ne augeatur inflammatio, & ſi aluus
ſit aſtricta, clyſteribus, & illis quidem lenibus cienda
eſt; utpote, qui potius auertunt, quam conuertunt

humores ad uentriculum. Itaque cum eiuſmodi inflammationes ſint in magnis morbis, & magnis (vt 1. Aphor. ait Hippoc.) citisque egeant remedijs, & reuulſionibus, magna vero remedia, quatenus ad hunc
h.6. locum pertinet, ſunt (vt Galen. 2. Aphor. ait) venæ ſectio, & purgatio, neque vllus ſit locus purgantib. medicamentis: inſtituta tenuiſſimi, quantum laborantis uires ferre poſſunt, victus ratione, ſtatim ſanguis mittendus eſt, & ex ea uena mittendus, quæ huic rei opportunior uiſa fuerit, conſiderata occaſione inflammationis gignendæ. Quia ſi occaſionem habuiſſet à ſuppreſſis mẽſtruis purgationibus in mulieribus, aut ſanguine hæmorrhoidali, alioquin fluere conſueto, ſtatim à venis, aut poplitis, aut pedum prope talum eſſet ſanguis mittendus, ut ſenſiſſe viſus eſt Gal. in lib.
a.26. de Rat. cur. per ſec. ven. Sed ſi nulla hinc fuerit præ-
.24. ſtita inflammationi occaſio, præſtabit ſequi conſilium Hippoc. itidem, & Galen. quarto de Rat. vict. in acu. mor. nempe, vt ſecetur vena interior in cubito in acutiſſimis morbis, vtpote quoniam ea ſecta, citiſſimè inaniuntur partes principales, & ſubinde vniuerſum corpus, & potius ea, quæ in dextro brachio, quàm in ſiniſtro, quia magis iecori affinis ſit, quod eſt ueluti fons ſanguinis, & à quo facilius poteſt fieri humorũ confluxus ad uentriculum, copioſusque inde ſanguis mittendus eſt, extimatis tamen viribus laborantis, & habita ratione ætatis. Neque tamen, & alijs reuulſionum differentijs parcendum erit: nam niſi aluus ſponte fluxerit, clyſteribus erit ſolicitanda, non quidem illis acribus, cum illi uentriculum debilitent, ſed lenibus, qui præter decoctum commune ex malua, beta, & id genus alijs, accipit mel roſaceum, & liquorem interdum caſſiæ Aegyptiæ, vel quod appellamus electuarium lenitiuum. Sed interim ſæpius crura, brachiaque fricanda: quandoque verò, ſi uehemens eſſet dolor, qui magnum impetum inflammationis oſtenderet, & liganda eſſent hæc membra dolorificis vinculis ad reuulſionem maiorem. Præterea, & cucurbitulæ in fine dorſi affigendæ, vel citra inciſionem cutis, vel ea inciſa: prout videatur maiori, vel minori eſſe opus vacuatione, reuulſioneve. Quibus peractis, & interim dum hæc aguntur, medicamentis quoque tractanda res hæc erit, nondum quidem euacuantibus, ſed illis, quæ partim repellendi vim habeant, partim roborandi, tandem uero, & digerendi, tam interius aſſumptis, quàm exterius applicitis. Sed de illis primum agamus, quæ interius aſſumenda ſunt, quemadmodum ſyrupi, & decocta ſumuntur. Hæc itaque, & propter febrem, & ut repellant, oportet, ut inter inter initia refrigerent, quia tamen uentriculus ſuapte natura conſtat ſubſtãtia neruea, & exangui, tum hac ratione, tum etiam, ut aliqua inſit digeſtio, non ita frigidis opus eſt vti, quin & aliqua modeſtè calida addamus ad fouẽdum calidum natiuum uentriculi. Vnde accipiemus inter initia cichorium, endiuiamque, & abſinthium, ut tamen plus priorum quàm abſinthij, atque hæc vel ex cõmuni aqua, uel ex ſtillatitijs ſunt coquenda, uel ex leuiſſimo iure, ſi qui ſint, qui aquam timeant, & addito modico ſaccharo offerendum, vel ſi ſyrupis vtendum ſit, addamus tribus vncijs illius decocti, vel quatuor vnciam ſyrupi roſacei recentis appellati, & ſemiunciam ſyrupi ex cichorea ſimplicis, niſi interdum uideretur inflammatio non admodum feruens, ſed potius tepida, vt quæ particeps eſſet multæ pituitæ, in qua neque febris acuta eſſet, tunc enim mel roſaceum eſſet accommodatius, interdũ uerò non eſſet ab re, & oxymel addere, vt craſſior pituita incideretur, & melius detergeretur. Sed ſi quis interrogat, num omnino interdicendus eſt uſus medicamentorum purgãtium? Videntur quidem iuniores Medici noſtri, cũ meminerint in hac curatione horũ

A medicamentorum, ſenſiſſe utilem eſſe, & admittendum eorum uſum, de quibus hoc ſtatuendum eſſe cẽſeo, quòd ſi illi putant in principio, & ante inclinationem morbi utilem poſſe eſſe eorum uſum, plurimum & a medicinæ principijs aberrant, & a Galen. atque Hippo. decretis. A principijs quidem, quia hoc tanquam ferè ex ſe notum eſt in medicina, fluxionẽ morboſam eſſe procul inter initia trahendam: cum augmentum morbi ſumus inhibituri, nunquam verò verſus locum affectum. A decretis autem Galen. quia apertiſſimè decimotertio Meth. & octauo de comp. med. iſtius ſententiæ fuiſſe conſtat, omne medicamentum aluum ciens alieniſſimum eſſe a ratione curandi has inflammationes, donec inclinare in-
B ceperint. Sin autem eos excuſare uoluerimus, quòd idem & ipſe ſenſerint, hoc etiam conſiderandum, quòd ſi ſequamur Galen. quòd etiam inclinante inflammatione, non debemus eſſe faciles, & prompti ad eorum uſum; ſed parcè, & non admodum liberaliter eis utamur: quod modus loquendi oſtendit; ait enim, quòd ſi quis inclinante inflammatione parum quid aloes dederit, non utique nocebit. Vbi animaduertendum, quòd non ait dandam eſſe aloen; ſed quòd ſi dederis, non nocebis, deinde uerò, quòd etiã ſi dare inſtitueris, non multum eius, ſed parum admodum: ac ſi dicat quamuis omnium aliorum medicamentorum comparatione utilior, & accommodatior ſit uentriculo, tamen & illa cautè, & non niſi
C ubi magna urgeat neceſſitas, utendum, & parcè admodum. Et ſi iterum quæras quidnam in aloe ſit, cur illam alijs præferat medicamentis? Reſpondendum putarem, duo præcipua illi ineſſe, nempe quòd amara ſit, & quod aſtringens: a primo, quia amara omnia tenues partes habent, ut digerat, & aperiat, uim habet: ab altero, quod roboret, & firmet uentriculum laxiorem, & imbecilliorem factum ratione inflammationis. Quæ ſi vera ſunt, ut ea uera puto, nõ mihi probatur eorum ſententia, qui laudarunt vſum caſſiæ, uel mannæ, uel tamarindorum in hac inflammatione. Quia tamarindi uentriculo nõ admodum commodi ſunt, manna verò, & caſſia laxant potius, & leniunt ventriculi ſubſtantiam ſine ulla robora-
D tione: præter id, quod caſſia ſolet multis tormina, & dolorem in uentriculo, & inteſtinis concitare: vnde & Meſue dixit illam obeſſe habentibus uiſcera leuia, & debilia. Quare magis laudarem ſyrupum roſaceum ſolutiuum, utpote qui a roſa participe amaritudinis, & aſtrictionis habet, ut aperire poſſit, digerere, & roborare, & quamuis minus & aſtrictionis, & amaritudinis habeat, quàm aloe; minus etiam calefacit, unde & liberaliores in eius uſu eſſe poſſumus. Laudarem & diacatholicon appellatum medicamentum. Neque tamen ita pertinax eſſe uelim, ut omnino putarem non poſſe admitti caſſiam, uel mannam, ſi illa pararentur, & quaſi condirentur aliquo alio medicamento, quo corrigeretur id, quod
E in eis eſt, de quo timeamus; utilia autem eſſent aloe, rhabarbarum, uel hiera illi addita, ut ſi unciæ caſſiæ drachmam aloes, uel puluerum hierę, uel rhabarbari, uel ſi abſinthium, uel maſtiche, uel ſpica illis addantur, uel ex his decocta. Tractemus uerò, his expeditis, & ea tandem, quę exterius adminiſtrantur loco affecto, unde & localia medicamenta dicuntur, quæ quidem poſſunt multiplicem formam conſiſtentiãque habere, poſſunt enim & fomenta fieri ex multorum medicamentorum decoctis, poſſunt & illitiones ex varijs oleis, poſſunt tandem emplaſtra, cerataque componi. Verum de his, atque de illorum ſelectu primum dicamus in uniuerſum, & rationes generales eorum exponamus, remque aliquanto altius repetamus, ut eam integram explanare poſſimus.

In

A In horum itaque medicamentorum compoſitione, & vſu ea ſunt ſpectanda, quæ ſunt tanquam initia, fundamentaque uniuerſæ methodi, qua hæc rectè tractantur, nempe duæ primę indicationes, altera depromenda eſt a natura ipſius affectus, altera uerò à natura affectæ particulę. Et quantum ad primũ quidem pertinet, cum affectus comprehendatur ſub cõmuni, & generali inflammationum genere, neceſſe eſt etiam, ut ratio eum curandi à communi, & generali ratione curandarum inflammationum non recedat, & ſi aliqua intercedit differentia, ea nullo modo prodit à natura, & à regula curandarum inflammationum, immo & reliquorum omnium affectuum à fluxione excitatorum. Ea verò eſt, vt inter initia ſiſtamus, vel obſiſtamus fluxioni, vnde & ortum, & incre B mentum habet iſtiuſmodi affectus. Ad quod peragẽdum opportuna ſunt ea medicamenta, quæ vim hẽnt repellendi ingruentem humorem, qualia ſunt, quę refrigerant, & aſtringunt, deinde uerò, cum augeri incipit affectus, cum nõ augeatur, niſi ex humore iam recepto, & occupãte particulam, ideo oportet, ut ſicut iam nou amplius ſimplex eſt indicatio, ſed cõpoſita, quatenus partem reſpicit influentem adhuc humorem, partim verò illum, qui iam influxit, ita & medicamenta oportet habere facultatem, qua partim influẽtem repellant, partim digerant, & diſſoluant, quod iã receptum eſt, & quò magis itur uerſus cõſiſtentiam, vel ſtatum, eo magis digerant, & minus repellant, incliuante uerò inflammatione reiectis repellentibus, C omnino digerentibus ſit incumbendum. In his ergo in uniuerſum conſiſtit methodus curandi inflammationes, cui tamen addendum eſt id, quod indicatur à natura affectæ particulæ. Duo uero ſunt, quæ à natura uentriculi accepta indicant, alterum eſt dignitas, & ſumma neceſſitas actionis, ſeu operationis eius, alterum verò ſitus. Quatenus ad primum ſpectat, eius officium, uel miniſterium, ſicut, & iecinoris, adeo neceſſarium eſt, non modo in ſanis corporibus, verũ & morboſis, ut omnes particulæ egeant, alimento prius ab his duobus viſceribus ſubinde confecto, &

Cap. 15. parato. Vnde (vt probat vndecimo Meth. Gale.) niſi curam habemus iſtius rei, facilè corrupto cibo, dũ nõ poteſt probè coqui præ imbecillitate ægrotantis uen D triculi, à vitioſo, & corrupto humore irritatus uentriculus cibum expellit, quod ſi rectè fuiſſet concoctus, tum ipſe aleretur, tum ẽt particulę alię ſubinde, nec modò cibus tunc aſſumptus, expellitur, ſed aliquid ẽt prius confecti, præter id etiam, ꝙ ex cibo perperã cõcocto in uentriculo, necnon & in iecinore, febres augentur, & exacerbantur ob uitium in humorib. contractum. Ob hanc itaque rationem euariat aliquantò methodus curandarum harum inflammationũ, particulatim autem à communi ea, quam nuper expoſuimus, in hoc, ꝙ conſulentes infirmitati horum viſcerum, ſemper ea miſcemus medicamentis, quæ robur ſeruare uiſceris ęgrotantis poſſint, & augere, ut ualẽtius ſit in coquẽdo, eiuſmodi uerò ſunt, quę aſtringũt. E Et proinde poſt principium in vigóre, & inclinatione ſemper aſtringentia digerentibus, & laxantib. miſcemus: nec vnquam (quod tamen facimus in alijs pleriſque inflammationibus) ſolis utimur laxantibus, & digerentibus. Et qui iſtius pręcepti nullam habuere rationem, ut nullam habuere methodici, illi ſępe cũ ſuo magno dedecore fuere ęgrotanti cauſa interitus, ut exemplo Theagenis probauit Gal. decimotertio eiuſdem Metho. Non tamen id ita audiendum eſt, ut ſit propterea interdictus vſus laxantium, & digerentiũ in curandis his inflammationibus, quia immo neceſſarius eſt, ſed ſola, & ſimplicia laxantia, & digerentia incongruentia ſunt, niſi cum his immixtum ſit aliquid, quod aliquantę aſtrictionis ſit particeps. Quatenus uero ad alterum pertinet, nempe ad ſitum huius particulæ, aliquid etiam inde depromendum eſt, quod & ipſum cõem rationem curandarum inflammationum immutare poſſit. Sed ut prius theorema potius reſpicit, poſtrema tempora à conſiſtentia, uel vigore ultra, in illis enim temporibus pręcipuè viget indicatio digerentium, & laxantium: Ita hoc, ꝙ nunc exponemus, magis reſpicit priora tempora, ut ſunt initium, & incrementum, in his ſiquidem pręſertim ſolemus vti refrigerantibus. Hac autem ratione curatio harum inflammationum ab alijs diuerſa eſt, quod neque in initijs harum inflammationum, ſicut aliarum, ſolis repellentibus utiliter vti poſſumus. Quia repellentia, quę frigida, & aſtringentia ſunt plerunque B terrea ſubſtantia conſtant, & craſſioribus partibus, quę autem ſunt iſtius generis, ęgrè in profundum deſcendunt, niſi cum illis aliquid miſceatur, quod poſſit horum uires eo ducere. Nam uentriculus abdomini ſubiectus eſt, peritoneo, & omento, per quas particulas oportet, ut uis medicamentorum tranſeat. Facilẽ autem, & citum tranſitum efficiunt, quę caliditatem aliquam cum partium tenuitate habent, cuiuſmodi ſunt, quę amara ſunt. Inter initia ergo, quando maximè opus eſt repellẽtibus, nihil, aut parum illa prodeſſe poterunt, niſi aliquid illis addamus, quod ſuaptè quidem natura aduerſarium eſt, per accidens tamẽ prodeſt, quatenus eorum uires in profundum deducit. Et ſi in principio repellendum ſit, in incremento miſcẽ C da repellentibus laxantia, & digerentia; à ſtatu, uel cõſiſtentia digerentibus incumbendum. In inflammationibus tamen uentriculi, & iecinoris aliquo ſemper calidi, & tenuiorum partium immiſcenda ſunt repellentibus, & in fine nunquam eſſe expertia alicuius aſtringentis facultatis medicamenta debent. Addit tamen Gal. octauo de comp. med. ſec. loc. maiori Cap. 7. eſſe opus aſtrictione in inflammationib. uentriculi, quàm iecinoris, neque tamẽ huius rei aliquam, quod meminerim, rationem affert. Nos putamus huius duplicem poſſe eſſe cauſam, primam, quia uentriculus cibum omnino rudem, & concoctu difficiliorem cõficit, cum tamen ipſe ſit ſubſtantię frigidioris, & exanguis, ideo requirit ea, quę magis roborent, alteram ue D ro, quia inſignis aſtrictio facilè poteſt obſtructiones in iecinore parere, propter uenarum anguſtiam, & tenuitatem, à quo periculo exemptus eſt uentriculus. Quę autem a Galen. & reliquis antiquioribus Medicis ſolita ſunt his medicamentis addi, ſunt imprimis abſinthium, item, & aloe, & quę cum his aliquam habent ſimilitudinem in facultatibus. Eſt tamen unum aduertendum, quod monuit Gal. undecimo Metho. Cap. 16. quòd & ſi in affectibus uentriculi calidioribus, ut ſunt, qui ab inflammatione pendent, abſinthium mirificè ab omnibus laudetur: cum tamen duę ſint eius differentię: alterum, quod Ponticum appellatur à regione, in qua naſcitur, quodque flores, & folia minora habet, & magis odoratum eſt, quàm noſtrum hoc E uulgare, quod paſſim naſcitur, ſpirat enim quaſi aromaticum quendam odorem, non autem uiroſum, ut noſtrum, & eſt minoris amaritudinis, maioris uero aſtrictionis particeps: noſtrum uero hoc magis amarum, & minus aſtringens, unde quantum aſtrictione à Pontico uincitur, tantum amaritudine illud ſuperat, ſed & magis noſtrum calefacit, minus uerò põticum: Et proinde antiquis auctoribus noſtrum hoc uulgare in uſu non erat, ſed pontico utebantur, cum longè utilius in his ſit, & accommodatius, id enim ex oleo communi coquebant, & illinebant in inflammationibus. Noſtris uero temporibus, quibus nos eo caremus, ſi noſtro uti uellem inter morbi initia, non utique oleo communi incoquerem, ſed alio, in quo eſſet maior aſtrictio, & refrigeratio, ut eodem loco ui

detur

detur docuiſſe Gal. videlicet aut oleo melino, quod oleum cotoneorũ nũc appellãt, vel roſaceo; aut eo, quod completum appellant, aut illo, quod omphacinum; pro ut maiori, uel minori eſſet opus aſtrictione, refrigerationeve. Nam omphacinum (vt ſecundo lib. diximus) magis refrigerat, aſtringitque: cum maior eſt impetus fluentis humoris, & calentior eſt humor, maiori egemus aſtrictione, & refrigeratione. Laudat autem idem Galen. & oleum lentiſcinum, ſi cuti illi myrtinum nõ probatur ob ſuarum partium craſſitiem. Vnde ſi commodum oleum parare voluerimus, accipiemus oleum roſaceum, & in illo coquemus comam abſinthij, & aliquid mali cotonei, ut tamen in initio maior ſit portio cotonei, minor vero abſinthij: mox paulatim plus abſinthij addatur, & ubi res ad uigorem accedat, pro roſaceo chamæmelino utemur, cui & parum maſtichis addemus: ut res ita conficiatur, acceptis drachmis quatuor comæ abſinthij, carnis mali cotonei tribus, olei roſacei uncijs quatuor, quibus ex arte coctis addatur maſtiches electæ drachma. Eadem autem ratio ſeruanda erit, ſi cataplaſma voluerimus, in hunc modum; accipe farinæ hordei unciam unam, carnis, vel pulpæ mali cotonei, unciam mediam, florum chamæmeli, comæ abſinthij ſingulorum drachmã unã & mediam, olei roſacei uncias tres, maſtichini unciam unam, ac mediam: miſce, & fiat cataplaſma, cui facto immiſce uitellos ouorum duos. At vero inclinante inflammatione, cum iam digeſtæ ſunt calidiores partes, & tenuiores, magis laxantia, digerentiaque, & attenuantia erunt opportuna, quale eſt Alexandri ceratum, quod ſummopere ab eo, & alijs laudatur, & hoc modo componitur: accipiuntur ceræ unciæ quatuor, maſtiches vncia una, aloes vncia media: miſce, addito oleo chamæmelino, uel maſtichino, uel lentiſcino. Fortioribus adhuc eſſet opus, inueteraſcente inflammatione, & ea iam uergente in naturam ſcirrhi, ut docuit Galen. octauo de comp. medic. ſec. loc. ubi & multa antiquorum medicamenta ſecundum hanc rationem deſcribit, de quibus nolumus longiorem ſermonem habere, ne longiores iuſto ſimus. Hic ergo huic rei finem imponamus.

De vlceribus ventriculi. Cap. XI.

CVm inflammationes non reſoluuntur, perſeuerante dolore, tandem ſuppurantur, & demum rupto abſceſſu in ulcera deſinunt. Vnde & Auicenna dixit, quod vlcera generantur, aut à vulneribus, aut a ruptis exituris. Signum autem, quod inflammatio ſit tranſitura per ſupputationem in abſceſſum eſt (ut ait Gal. ſeptimo Aph.) dolor, qui congruis adminiſtratis remedijs non remittitur, ſed ſit diuturnus, addemus nos atque etiam febris. Hac igitur de cauſa ſubnectemus capiti de inflammationibus, caput de vlceribus, pręterea uero & ob id, quia dolor ſolet et vlcerum eſſe comes. Accipimus autem hic vlcus pro eo, quod Græci ἕλκος appellant: apud Gal. autem tertio Metho. & cæteros Græcos auctores ſignificat omnem in genere carnoſo ſolutam cõtinuitatem à quacunque re ortum habeat: vulnus vero, quod ipſi τραῦμα dicunt, ſignificat ſolutam continuitatem in carne, cum (ut idem teſtatur) a re vulnerante fit. Vnde tanquam commune nomen eſt vlcus; uulnus uerò dicitur particulatim, cum ab externa cauſa incidente, aut pungente infligitur. Quamuis cum Arabibus iuniores noſtri vulnus appellent, dum recens eſt, & ſanguineum, & antequam inde pus oriatur, cum autem iam pus in eo oritur, ulcus nuncupant. Non modo autem de uentriculi vlceribus in hoc capite agemus, ſed gulę etiam, quam œſophagum, vel ſtomachum Gręci ſolent uocare, & hoc, ob rei affinitatem, & curationis ſimilitudinem. Sed tamen aduertendum, quod non ſolum ea ratione, quam nuper retulimus oriuntur in his particulis vlcera ſed multis præterea alijs de cauſis: Nam & ab externis cauſis, vt a gladio, ſagitta, & id genus reliquis contundentibus, incidentibus, pungentibus & quaſſantibus, quando eorum læſio ad interiores uſque partes pertingit, ſiue exterius occurrãt, ſiue interius aſſumantur, ortum habent: ſicuti interdum his euenire ſolent, qui aut acum, aut ſpinam piſcis, aut fruſtrum oſſis, vel vitri deuorant. Ita interdũ poſſunt ulcerari hę particulæ ex epoto, aut comeſto aliquo, in quo ſit plurima acrimonia, vel quod uim medicamẽtoſam & (ut Gręci dicere ſolent) σηπτικὴν, hoc eſt, putrefacientem, & exedentem habeat. Ex interna autẽ cauſa ulcera in his particulis excitari poſſunt ex acri aliqua fluxione abradente, & erodente, ut enim ſępe uidemus ex deſtillatione acri erodi nares, fauces, quandoque etiam pulmones, ita etiam nihil uetat, quin & gula, & uentriculus a deſtillatione acri uitiari, & lædi poſſint. Nec modo hac de cauſa, ſed & a putridis, & malignis vaporibus a toto, uel a locis putredinis elatis affici gula, & uentriculus ſolent, ſicut in putridis, & malignis febribus euenire poteſt, in quibus non modo ad fauces, ſed & gulam uſque ferè ad uentriculum pertingunt a ſimili cauſa excitata ulcera, quę ἄφθαι a Gręcis, alchola ab Arabibus dicuntur. Poſtremo ſicut in pulmonibus fit aliquando vlcus ob fracturam venę alicuius, ita & ex fracta uena in his partibus, nihil repugnat, quin vlcus oriri poſſit. Si quis autem dubitet, quod hæc non uidentur vlcera poſſe proprie dici, ſi ulcus ad carnẽ (ut diximus) proprie pertinet, caro verò proprie in ſolis muſculis ſit, hoc enim videtur aſſerere Galen. decimo Metho. Dicimus hoc loco communiori quadam ſignificatione carnem accipi, ut etiam uiſceribus poteſt accommodari, pro ea nempe natura, quæ ſi in eis deperdatur, iterum reſtitui poteſt. Nam membranoſa, & fibroſa ſubſtantia nequit ita reſtaurari; & hac ſignificatione accipiunt Medici, cum de vlceribus uentriculi, inteſtinorum, renum, ueſicæ, & aliorum uiſcerum agunt. His itaque de cauſis fiunt in his particulis ulcera. Signa autem, quibus deprehenditur adeſſe ulcus in his uiſceribus, multa ſunt, præcipua uerò hęc. Primum dolor, dum cibus deuoratur, præſertim uerò, ſi ſolidior & craſſior ſit, aut ſi acris alicuius qualitatis ſit particeps; & ſignum hoc non ſolum adeſſe ulcus poteſt indicare, uerum & qua parte conſtiterit, nam ęgrotus qua parte doleat referens, ibi ſedem ulcus habere demonſtrabit. Certius autem ſignum erit, ſi nulla pręterea obſeruari poterunt indicia pręſentis inflammationis, vel eryſipelatis, in quibus præcipue febris eſt, neque enim fieri poteſt, ut inflammatio in his ſit, aut eryſipelas citra febrem. Neque etiam cognitu difficile, a quanam cauſa ortum habeat ulcus. Nam ſi ab externa cauſa, illa ſenſu ipſo percipitur. Si verò ab interna, ut ab inflammatione, eryſipelate, tuberculove, quæ ſuppurata ſint, neceſſe eſt præceſſiſſe ſigna inflammationis uel tuberculi, ut ſunt dolores, & febres, de quibus copioſe ſuperius locuti ſumus. Sed ſi ab acri humore ex capite deſtillante, pręceſſiſſe oportet ſigna eiuſmodi deſtillationis, ut ſi præceſſerit faucium uellicatio, uel abraſio, eroſioque, præterea & titillatio quædam in faucibus, uel perceptio cuiuſdam materiæ per fauces delatę. Sed ſi uel a fluxione, uel uapore acri, & putrido elato ab uniuerſo corpore, aut a iecinore, uel liene, uel a quopiam alio uiſcere, cognoſci poterit ex ſignis pręcedentibus, oſtendẽtibuſque affectus earum particularum. Quod ſi ſit factum ulcus uel ex eroſione,

Cap. 11.

uel

vel fractura alicuius venæ, eſt neceſſarium, vt præceſſerit uomitus, vel deiectio cruenta. Quibus expeditis, rationem curationis explanãdam aggrediamur: in qua primus ſcopus, primaque indicatio omnibus nota eſt, vt vnitas, vel continuitas ſoluta per cicatricem iterum ad integram vnitatem reducatur, ſi id quidem fieri poſſit. Quod ſi id nequeat, conſiderandum, quid id ſit, quod obſtet, & impediat, quo minus id fiat, & illud quod impedimento eſt, remouere oportet. Prohibere autem horum ulcerum conſolidationem poſſunt, primum cauſæ, quæ ea attulere, ſi adhuc præſentes ulcus foueant, ſicuti ſi adhuc aut ſpina deuorata, uel acus, uel id genus aliud infixum permaneat. vel ſi ab acri, & erodente fluxione ortum habuerint, quæ a capite adhuc deſtillet, vel quæ ab uniuerſo corpore, vel ab alio viſcere fomentum habeat, ratione tum plenitudinis, tum cacochymię. Quo animaduerſo, incipiendum eſt a remotione præſentis cauſę, ut nimirum, aut acus, aut ſpina, aut id genus aliud detrahatur, ſi uero deſtillatio, aut plenitudo, aut cacochymia foueant morbum, illi occurrendum eſt uacuationibus, corroborationeque & tandem curatione affectuum eorum membrorum, a quibus hæc pendent, per eam methodum, qua curari ſolent affectus eiuſmodi. Semper enim prius (ut docuit Galen. in arte medic.) cauſa tollenda eſt: mox factus morbus curandus. Niſi quòd ſemper ratio ventriculi interim habenda eſt eatenus ut illa, quibus vtimur ad eos tollendos affectus ventriculo noxia minimè ſint, neque ulcus exaſperent. Nam in vlceribus, iuxta atque in inflammationibus uentriculi, medicamenta, quę aut uentrem ſoluunt, aut vomitum prouocant, maximè noxia ſunt: utilia uerò & venæ ſectio, ſi eius ſit aliqua indicatio & clyſteres, uel lenes, uel acriores pro ut res maioribus, uel minoribus uidetur egere inſtrumentis: præterea & quæ vrinam cient, & quę ſudorem, quia ut in ſuperiori capite dicebamus, excrementa procul ducenda ſunt non per locum affectum. Poſſunt pręterea impedimento eſſe conſolidationi ulceris varij affectus, qui cum eo coniuncti, uel complicati ſunt. Nam (ut quarto Meth. Galen. nobis tradidit) ſi cum ulcere ſit aliqua inſignis intemperatura, uel inflammatio, vel quicquid tandem aliorum id genus fuerit, id prius remouere oportet, ac eo remoto, mox ulceris curationem aggredi. Remouentur autem ea methodo, quæ ſuo loco, aut expoſita aut exponenda eſt. Neque enim de curatione eorum omnium, quę iuncta cum vlcere impediunt, quo minus illud poſſit curari, agere pertinet ad præſens inſtitutum, nimis enim longa eſſet eiuſmodi tractatio. Sed quia natura ipſa eſt, cuius officium eſt conſolidari, carnem procreare, & reliqua id genus agere: ad medicum uerò pertinet eam iuuare omni ratione, ut id facilius, & citius poſſit præſtare, ea remouendo, quæ aut tardant, aut difficiliorem reddunt curationem: duo autem in primis in omni ulcere ſunt, quæ id agunt, quæque rationem ferè ulceris, quatenus ulcus conſequuntur; reliqua.n. raro, & quaſi per accidens ſolent cum ulcere reperiri: hæc verò ex eo oriuntur, ob imbecillitatem ſiquidem ulceratæ particulę, quæ illi ob ulcus euenit, læditur eius concoctio, qua ſuum conficit alimentum, unde (ut alibi expoſuimus, & nos Gal. docuit) duplex generatur in quocunque vlcere excrementum, alterum craſſum, quod Arabes, & noſtri iuniores ſordem appellant, alterum tenue, & humidum, & quaſi ſeroſum, uirus, vel uirulentiam illud nuncupant, quæ excrementa niſi tollantur, ęgre admodum deduci poteſt ulcus ad conſolidationem. Et ab his duobus excrementis duæ indicationes ortum habẽt: tenue enim & humidum eſſe exſiccandum demonſtrant, craſſum uerò, ſe eſſe per deterſionem detrahendum. Duo ergo ſunt ſcopi ſpectandi in curandis tum alijs vlceribus, tum uel maximè uentriculi. Neque tamen hoc nouiſſe Medico ſatis eſt; quia non eſt eadem ratio omnium deſiccantium, vel detergẽtiũ, ſed diuerſa omnino; ita ut quędam, quę interdum in aliquibus ulceribus ſummè utilia, & fere neceſſaria ſunt, in alijs erunt quàm maxime noxia, & ſæpe perniciosa. Ideo non ſolum ſpectanda eſt affectus natura in ſelectione eorum remediorum, quibus vlcera, in ſelectione eorum remediorum, quibus vlcera deſiccanda, vel detergenda ſunt, verùm non minus natura particulæ laborãtis, ut pote quæ nos docere poſſit, quibus deſiccantibus, & quibus detergentibus uti oporteat, multa enim quæ alię particulæ externæ facilè ferunt, ſi in uentriculum ingerantur, tanquã venena hominem necarent, ut eſſet ærugo, atramentum ſutorium, chalcytis, miſy, ſory, ſandaracha, & id genus multa. Vnde ea duntaxat poſſunt tutò venire in vſum in curandis his vlceribus ſiue ſiccare, ſiue detergere voluerimus, quæ poſſunt tutò bibi, vel deuorari. Neque iſtius ſolùm ratio habenda eſt, ſed & illud reſpiciendum, quando deterſione opus, quod aliqua quidem, quamuis nullam qualitatem alienã habeant a natura humana; quia tamen vehemẽtius detergunt, mordent, & propter eximium ſenſum iſtius particulę noxia in vlceribus ſunt; quoniam mordẽdo dolorem concitant, rem inimiciſſimã vlceribus, ideo duntaxat mediocria detergentia opportuniora ſunt; neq; enim alijs curari vlcera hæc queunt, niſi illis quę eduntur, & bibuntur, quod Gal. quinto Meth. expoſuit. Quare, ut ille idem quarto etiã eiuſdem libri docuit, cum deterſione opus eſt, cibi adhibendi ſunt, qui moderatè detergant, cum autem conſolidatione, agglutinationeque, cibis oportet uti, potuque, qui auſteritatis ſint participes. Sed particulatim rem hanc tractemus. Ad detergendum itaque aptiſſima eſt ptiſana in cibis, præterea mel crudum, mel roſaceũ, & ſyrupus roſaceus, præſertim qui conficitur ex ſucco roſarum, ab ijs autem, qui Arabum doctrinam ſequuntur, geleniabin ex ſaccharo uocatur, tandẽ uerra, & ſaccharum ipſum. Vt tamen horum familiarium detergentium is ſit ordo, quod ſupremum locũ obtinet mel roſaceũ; à roſis enim habet, quod tenues partes, ad quas primum abſterſio pertinet magis in profundum adigantur, ipſarum nanque vis, quæ in tenuitate conſiſtit, & ab aſtrictione, quæ in roſa eſt, & in craſſiori ſubſtantia fundatur, & illã priorem ſequitur, impellitur intimius: vnde roſaceum mel in illis particulis, quę multo ſenſu ſunt præditæ mordicãdo ſolet dolorem concitare. Secundum locum occupat mel crudum, quod & ipſum ſatis modeſtè detergit, non adeo tamen, ut ita mordeat, vt roſaceũ. Moderatior adhuc eſt ſyrupus roſaceus dictus, ex ſaccharo enim conficitur, in quo neq; tanta deterſio eſt, neque mordacitas: poſtea uerò & ſaccharũ ipſum leuiſſime detergit. Vñ his & tanquã medicamentis uti poſſumus, ſi vel ieiuni ea ſimplicia quaſi eclegmata deuoremus. Mihi.n. horum vſus magis in hunc modum probatur, quam ſi aquis, aut decoctis aliquibus diſſoluantur, ita enim minus ab affecta parte diffluunt. Poſſumus & eis tãquam cibis vti, vel ſaltem vt aliorũ condimentis, quibus cibi medicinales redduntur: quemadmodũ ſi ptiſſana condiatur melle, vel ſaccharo. Quę verò & cõſolidare poſſunt poſt redditum mundũ vlcus, ſunt quæ (ut diximus) auſtera ſunt, ut cotonea mala, ſorba, meſpila, quæ nondum mitia ſint, pyra, & poma acerba, corna, vua immatura, & prunorũ aliqua, omphacinũ, & id genus reliqua, q̃ cibis incocta, illis auſteritatẽ poſſunt impartiri, itẽ mala punica, quæ p̃ſertim auſtera ſunt, vnde ſi ptiſana, vel far parẽtur ex granis, vel

acinis

A acinis mali punici(ut Galen. docuit 1. libro ad Glau. & decimo Meth.)erit ſatis congruus cibus,vel ſi iuribus vuam immaturam incoquamus, vel id genus alia. Potus uerò & ipſe eo ſpectet, unde uinum auſterum concedi poteſt,modo tamen nulla adſit inflammatio:ſi enim vlcus eſſet inflammationis particeps, nocentiſſimum eſſet vinum. Quæ uero vim magis medicamenti habent, & modeſtè ſine noxia aſtringunt,ſunt hypocyſtis,citini malorũ punicorum, malicorium,gallæ,rhu, eiusque ſuccus, & roſarum ſuccus, acacia,& id genus: quæ offerenda ſunt ex decocto aliquo aſtringente facto ex cotoneo,uel lentiſco, vel ex ſummis ramuſculis myrti,uel vitis, ſed hæc, & ex vino auſtero dari poſſunt. Nec tamen anteaquam finem huic capiti imponamus, id prætermittendum B eſt, quod nos Galen. eodem quinto Meth. monuit, quod ſi aliquando ſit opus aliqua uacuandi ratione, ſicut aliquando opus eſt, vel propter pus copioſum congeſtum, vel quia copioſa pituita hæreat uentriculo,quamuis,& uomitus,& purgantium medicamentorum vſus noxius ſit vlcerato uentriculo, attamen minus noxium eſt aluum medicamentis ciere,quàm uomitum proritare, maius enim in uomitu periculum eſt, quia uiolentior eſt motus, quo dilacerari facilè poſſunt partes vlceratæ. Reperiri enim poſſunt medicamenta,quæ leuia, faciliaque ſunt, neque ualde uentriculo incommoda,ut aloe,hiera,myrobalani,rhabarbarum,& ſyrupus roſaceus, qui vulgo ſolutiuus dicitur. C

De affectibus ventriculi, quibus naturalium facultatum actiones leduntur, primumque de cruditate,vel defectu primę concoctionis.

Cap. XI.

QVI hactenus expoſiti ſunt affectus ad eã partem, uel ad eas facultates animi pertinent(vt diximus)quæ a Galen. ſectatoribus animales dici conſueuere,quęque præcipue ad ſuperiorem partem,vel os ventriculi attinent. Qui verò reliqui ſunt naturalibus à Galen. appellatis facultatibus proprij ſunt,quarum præcipua ſedes in inferiori parte, quam fundum eius nuncupauimus, ſita eſt. Nam cum hæ D non una,ſed plures ſint,primaria,& magis præcipua eſt concoctrix, quam tanquam principem, & tanquam finem aliæ ſpectant, quæ tres ſunt, attractrix, cuius officium eſt cibum, & potum deuoratum in uentriculum deducere, contentrix, quæ deductum continet,quoad concoquatur,& expultrix, ad quam pertinet id quod, ventriculo iam ſuperuacuum eſt, nec illi amplius eo opus eſt, per portonarium pellere ad inteſtina. Differunt autem hæ facultates, non modo officijs, ſed (vt ex Galen. ſententia ſtatim ab initio iſtius libri oſtendimus) & inſtrumentis:nam propterea triplici ordine fibrarum intertextæ ſunt uentriculi tunicæ. Primum itaque de vitijs, vel erroribus primæ facultatis agemus, ſicut & ipſa aliarum E princeps eſt,uel quod tamen in idem tendit de affectibus, qui illorum errorum in cauſa ſunt. Quia verò facultates (vt ſecundo de Anima docent peripatetici) per ſuos actus diſtinguuntur, & cognoſcuntur, ideo de concoctione primum quędam dicemus:mox verò de erroribus, ac vitijs agemus, & unde ortum habeant. Concoctio ergo,quomodo nunc eam accipimus, nam neque de concoctione,quæ ad uitioſos, & excrementoſos humores in morbis pertinet, in præſentia uolumus ſermonem habere, quia hoc ad aliud negotium ſpectat,neque etiam de concoctione in uniuerſum, quæ eſt generatio mixti, de qua quarto Meteo. diffusè egit Ariſtote. ſed de ea, qua fit alimenti (ut tertio de ſympto. cau.ait Galenus) aſſimi-

A latio ad id, quod alitur: huiuſmodi igitur concoctio, ut idem ait ibidem, & tertio de nat. fac. item quarto de rat. uict. in acu. mor. nihil aliud eſt,niſi tranſmutatio alimenti ad qualitatem illi,quod alendum eſt cõuenientem. Cum autem non unica fiat in animante concoctio, ſed plures. Prima quidem eſt, quæ fit in uentriculo,per quam cibus conuertitur in humorem album ſimilem ferè ſucco, uel cremori hordei, altera uerò in iecinore, ubi is ſuccus attractus vertitur in ſanguinem: Tertia in ipſis membris: Loquimur autem de illis concoctionibus,quę ueræ concoctiones,per quas fit inſignis,& conſpicua tranſmutatio qualitatis, & ſubſtantiæ,rei,quæ concoquitur. Nã ſi aliarum quarundam meminere auctores, illæ ſunt B potius præparationes ad veram concoctioné, quàm concoctiones. Vnde cum Galen. eodem tertio de natur.facul. nititur probare, in ore etiam,dum manditur cibus,fieri aliquam concoctionem, propria,ueraque concoctio illa minimè eſſe poteſt, ſed (ut ipſemet fatetur) potius initium quoddam, & veluti præludium concoctionis, quæ & ipſa fit ratione uentriculi, propterea quòd oris pellicula cum ſtomacho,& uentriculo continens eſt. In gracilioribus etiam inteſtinis eſſe quandam uim concoquendi uoluit Gal. quarto de uſu part. qua, ſi quid concoctionem prius in uentriculo effugerit, exquiſitius ibi coquatur, ſed & ipſa hanc a uentriculo, ratione connexionis, quæ eſt inter ea, acceptam referunt. Cauſa uerò proxi- C ma iſtius concoctionis primę (ut ſecundo de rat. uicto.in acu.morb.idem tradidit) eſt calor, non omnis, ſed humidus, & uaporoſus non ſiccus, & ſqualidus, qualis eſt febrilis, unde hanc concoctionem Ariſtot. quarto Meteor. elixationi eſſe ſimilem dixit. Primum autem, & proximum efficiens concoctionis eſt calor natiuus uentriculi, qui primum tranſmutat cibariam materiam, ſed quia is non eſt admodum validus[conſtat enim uentriculus neruea ſubſtantia,& parum calida] ideo natura multa uiſcera calidiora, quę uentriculum fouerent, & eius iuuarent concoctionem, circumpoſuit tanquam(ut tertio de natur. fac.dixit Galen.)multos focos magno lebeti, ex dextera parte iecur,ex ſiniſtra lienem illi incumbentem, D ſuperius cor,& tranſuerſum ſeptum, anterius omentum,& muſculos abdominis,poſterius muſculos ſpinæ,& magnas tum uenam,tum arteriam, illi pręten ſas. Nam caloris innati materia, & ſedes (ut quarto libro in ſextum Epide.ait Galen.) eſt ſanguis,& uiſcera ſanguine prædita. Subſtantia autem naturalis caloris(ut alibi ex Galen. expoſuimus) bene temperata eſt, ſicuti calor extraneus intemperatus eſt,& modum excedens. Quo fit, ut neceſſe ſit, quòd uentriculus,qui ſuaptè natura temperatus eſt, quantum ad ipſum pertinet,optimè concoquat, qui uerò ab optima recedit temperie, quò magis recedit, eo deterius concoquit. Hæc ſi quis diligenter animaduertat, facilè inueniat,qua rationę poſſit in concoquendo de- E ficere uentriculus,& quibus de cauſis,& ſubinde,qui ſint affectus, a quibus lædi concoctio poſſit. Quia ſi calor natiuus uentriculi non eas uires habeat,vt concoquendam materiam ſuperare poſſit, ipſam aut nõ tranſmutabit, aut non ea erit tranſmutatio, qua illa exquiſitè, & quantum ſatis ſit,particulæ concoquenti aſſimiletur, & hic quidem defectus, tum cruditas, tum uero diminuta concoctio,uel imperfecta appellari poteſt. Quòd autem aut nulla, aut imperfecta fiat concoctio, & tranſmutatio ingeſti cibi, in cauſa poteſt eſſe ipſa facultas concoctrix ratione imbecillitatis natiui caloris ob intemperaturam frigidam ipſius uentriculi,ut enim cõcoctio caloris opus eſt, ita (ut docuit Ariſtotel.) quarto Mete.)cruditas frigoris poteſt eſſe & cibus,qui ſit ineptus, ut concoquatur a

ventri-

cap.3. Com.40

cap.7.

Cap.7.

Com.33.

Com.23.

ventriculo, aut propter quantitatem nimiam, aut na A
turam, & qualitatem, ſicut multa ſunt, quæ ſuapte na
tura ſuperari à natiuo calore nequeunt, vt vuarum a-
cini, vel ſemina, nuclei etiam fructuum, vnde parua-
rum paſſularum grana, niſi bene mandantur, ſæpe in
tegra per aluum deijciuntur: ita & amygdalæ, quan-
do non ſunt probe ſub dentibus tritæ, non coquun-
tur à uentriculo, poteſt & apparatus cibum conco-
ctu difficilem reddere. Sed exterius poſſunt multa
oceurrere, quæ concoctionem impediant, vt copio-
ſus aquæ potus, præſertim poſt ſumptum cibum, in-
ordinatus motus, & id genus alia multa. Sed hæc om-
nia ex accidenti lædunt concoctricem facultatem, fri-
gus uerò, ut frigidior intemperies, per ſe. Vt tamen
huic & illud addamus, quod & ſi proprie frigus con- B
coctioni ſit aduerſarium, quælibet tamen intempera-
tura poteſt adeo excreſcere (quemadmodum eodem
tertio de ſympto. cau. Galen. tradidit) vt poſſit vires, vt
omnium aliarum ita concoctricis facultatis deijcere,
quamuis non ita citò, calida enim, & frigida intempe
raturæ auctæ cito poſſunt ventriculi functiones extin
guere, cum ſicca, & humida non poſſint id, non niſi
longiori tempore, efficere, aliquando tranſmutatur
quidem cibus à ventriculo, non tamen rectè, ſed per-
peram, quia non in qualitatem, & naturam aptam,
vt ea alantur particulæ corporis animantis, ſed in vi-
tioſam quandam, & alienam à natura alimenti con-
uertitur, quod quidem fit, non ratione natiui caloris,
quatenus natiuus eſt, ſed potius quatenus degenera- C
uit à ratione natiui caloris, ad naturam caloris extra
nei, ſicuti enim natiuus calor concoquit, & perficit,
ita extraneus corrumpit, & turbat. Duobus autem
modis fit hæc cibi corruptio in ventriculo, vel ad ni-
doroſam quandam qualitatem, aut ad acidam, ſæpe
enim aceſcit cibus in uentriculo. Nam ſi calor tranſ-
mutet quidem cibum, non tamen exactè, & omnino
illum ſuperet, corrumpitur cibus in acidum ſaporem:
fit enim acidum ſemper ab imbecilliori calore. Sin au
tem calor non natiuus, ſed ſqualidus, & igneus om-
nino ſuperet, corrumpitur in nidoroſam qualitatem.
Nidoroſus ergo factus cibus, immodici, non autem
temperati caloris ſignum eſt, ſicuti acidus frigoris.
Quæ omnia tertio de ſympto. cauſ. à Galen. fuere ex- D
poſita, & ſexto Aphor. Sed tandem omnia in unum
caput redigamus. Cruditas igitur ad ablatam actio-
nem concoctricis facultatis pertinet. Cum uerò ace-
ſcunt in ventriculo cibi, ad deficientem, & imminu-
tam, nam aggreditur quidem calor, nec tamen perfi-
cit cibi tranſmutationem. Cum uerò fit proba con-
coctio à calore vaporoſo, humido temperatoque
exquiſitè tranſmutatur, & uincitur in uentriculo. Sed
ſi ibi ſit aliquis extraneus calor, qui natiuum ſuperet,
cibos omnino tranſmutat, non eos concoquens, ne-
que perficiens, ſed corrumpens in alienam qualita-
tem, & naturam. Vnde, & cruditas, & cibus acidus
factus effectus ſunt frigidioris temperaturæ, maioris
uerò frigoris cruditas ſignum eſt, quam aciditas cibi, E
& proinde in quibus primum aceſcunt, mox uerò ſi-
ne ullo ſapore ſunt, & ita crudi egeruntur, quod ma-
ximè ex ructu percipitur, ſignum malum eſt: nam in-
de id prouenit, quia augetur frigida uentriculi intem
peries. Sin autem crudus primum ſit uentriculus,
neque fiant ructus acidi: mox uerò aceſcere inci-
piant, in bonis ſignis id poſuere Hippocra. & Galen.
loco nuper citato. Cum uerò cibus conficiendus in
uentriculo degenerat in quendam nidorem, uel ni-
doroſam qualitatem, ut ructus referat quendam odo
rem, uel ſaporem putridorum ouorum, uel alicuius
rei putreſcentis, ueluti piſcium putridorum, id qui-
dem à calore extraneo factum eſſe ſignificat, qui ui-
cerit natiuum calorem, cuius maior, uel minor ſi-
gnificatur uictoria, quatenus horribiliorem refert
odorem ſaporemque: unde in ſignis intemperaturæ
calidę, & ſiccę, extraneique caloris hoc erit ponen-
dum. Cum autem errores hi omnes relati ſunt tan-
dem in intemperaturam ventriculi, illud idem hic a- Cap
nimaduertendum, quod in alijs fuit animaduerſum,
nempe quod non eſt in his affectibus ſemper eadem
ratio in uniuerſum, quia poteſt ventriculus in his ſuo
proprio affectu laborare, poteſt & non proprio, ſed
alieno, quatenus conſentit cum alijs partibus in ea-
rum affectibus. Etenim ſicuti exquiſitius concoquit
uentriculus, quia fouetur (ut diximus) ab alijs parti-
culis circumcirca ipſum calefacientibus fouentibuſ-
que: ita ſi ab horum ope deſtituatur, læditur eius a-
ctio, concoctioque. Vnde quarto de Vſu part. ait
Galen. quod ſi cui ex vulnere excidens omentum re-
ſcinditur, ille niſi multiplicibus indumentis tectum
ventrem ferat percipit in ventriculo frigiditatem inſi
gnem, ſicut accidit gladiatori, cui cum curandus eſ-
ſet, & è vulnere totum ferè omentum excidiſſet, illud
reciſum abſtulit. Sed, & iecur factum frigidius, &
lien, & cęteræ particulæ, quæ ventriculum circunſtāt,
cum inſigni aliqua corripiuntur intemperatura, tra-
hunt ſecum uentriculum in conſenſum. Vnde ſæpe
vidimus, quod iecore, uel liene laborantibus ſcyrrho,
aliquo inſigni, uentriculus ægrè concoquit. Immo,
& muſculis abdominis occupatis ingenti aliquo ſcyr-
rho, plurimum labefactatur vis concoctrix ventri-
culi. In hypochondriaco autem affectu, nulla alia
de cauſa, & ructus acidi fiunt, & cruditates, & fla-
tus plurimi, niſi quia conſenſu quodam læditur ven-
triculus. Sed conſenſu etiam cum uero læditur in præ
gnantibus uentriculus, ſuppreſſis nimirum mēſtruis.
Poſſunt præterea intemperamenta hæc ſiue calida
ſunt, ſiue frigida, aut cum materia eſſe, aut ſine mate-
ria. Calida uerò materia, quæ intemperamentum
calidum ſolet fouere, eſt bilis imprimis, quandoque,
& ſalſa pituita, frigida uerò, acida, uel inſipida pitui-
ta, vel bilis atra ſicuti in hypochondriaco affectu. Quā
uis autem ita ſe habeant res hæ: attamen fieri etiam
interdum poteſt (vt paulo ante ex parte diximus) qđ
praua fiat concoctio, nullo tamen affectu, neque pri-
mario, neque per conſenſum laborante ventriculo,
ſed ſolum ratione comeſti cibi, qui facilè poſſit, aut cō
coctionem fugere, uel propter naturam, & qualita-
tem propriam, qua rebellis, & renitens concoctioni
efficitur, uel propter apparatum, ſicuti multa cocta
probe conficiuntur à uentriculo, quæ aut cruda, aut
parum cocta confici nequeunt, uel propter nimiam
quantitatem. Ita etiam corrumpuntur, & uitiantur
cibi non ſolum ob calidum ventriculi intemperamen
tum, ſed & propter naturam eorum, uel propter ap-
paratum, uel ordinem, uel ciborum diuerſitatem,
uel uitium aliquod tempore contractum. Multa e-
nim cum nimis inueteraſcunt, contrahunt quædam
ſemina putredinis, à quibus fit, ut facilè deinde cor-
rumpantur in uentriculo, alioquin etiam ſano, aliqua
enim contrahunt quandam ueluti rubiginem, alia ſi-
tum à loco, in quo repoſita, & ſeruata ſunt. Inter-
dum uerò corrumpuntur propter motiones inordi-
natas poſt acceptum uarium, & copioſum ipſum ci-
bum. Nonnunquam, quia antequam prior cibus cō Tex. 20.
fectus fuerit, alter ingeritur: quo fit, ut neuter con-
coquatur, ſed uterque corrumpatur: Aliquando ve-
rò, quia ſomnus congruo tempore plurimum con- Cap. 8.
ducit ad concoctionem, ut & in Aphoriſ. & quinto
lib. in ſextum Epid. docuit Hippo. & Galen. primo de Cap. 15.
ſympto. cauſ. ideo qui malè dormiunt, malè coquunt,
& eos, vel cruditas, vel cibi interdum corruptio ſe-
quitur. Sed, & aer vitioſus, itemque aqua vitiata
poſſunt in cauſa eſſe, cur uitietur concoctio. Poſtre-
mo

mo verò & materia aliqua vitioſa & putrida in uen-
triculo collecta pōt eſſe occaſioni, cur corrupta ſuc-
cedat concoctio, aut etiam imminuta, quæ quidem
poteſt duplicem habere ortum, nam aut in uentricu
lo primum fuit genita, aut aliunde ad uentriculum
fuit tranſlata. Solet enim in aliquibus pituita de capi-
te defluere; in alijs (ut ait Gal. ſecundo de temper.) a
iecinore in uentriculum bilis confluit: uerum illud
quidem frequentius fit pręſertim verò in locis humi-
dioribus, hoc autem nō ita in multis, quamuis aliqui
etiam ſint, qui ex peruerſo quodam (ut idem ait) natu
rę ordine, habent meatum fellis, qui ad imum ventri-
culum pertingit, ampliorem eo, qui ad inteſtina, &
hi ab ipſo ortu infelices dicuntur, in his enim quoti-
die effunditur copioſa bilis in uentriculum, quam ni-
ſi antequam comedant, euomuerint, plurimum læ-
duntur, nonnullis etiam vel a liene, vel a uenis in me
ſenterio bilis atra, uel aliquis ſaltem ichor eius, vt in
ijs, qui hypochondriaci appellantur, contingere ſolet.
Sed quæ longo circunductu hactenus expoſuimus,
3. in vnum caput colligamus, ut primo de loc. affect.
collegit Galen. concoctio læditur, uel uitio uentricu-
li concoquentis, uel ratione materiæ concoquendæ.
Ratione materię, qui aut qualitate ſua, aut quantita-
te cibi nequeant ſuperari a naturali uentriculi calo-
re. Qualitas uerò ea, aut illi naturalis eſt, aut aſcititia
ratione cocturę, vel cōdituræ & apparatus, his enim
de cauſis fit cruditas, uel imbecillis concoctio. Ita &
interdum corrumpitur cibus in uentriculo, non tan
tum uitio uentriculi, quantum ratione materiæ ap-
tæ ad corruptionem, uel ſua natura, uel ex aliquo cō-
tracto uitio, uel a loco, uel a tempore, uel ab anni cō-
ſtitutione, interdum a malo ordine, quia quæ erant
præponenda, fuere poſterius ingeſta, uel quia, antea-
quam prior fuerit concoctus, alter cibus fuit inge-
ſtus, uel quia pleno uentriculo corpus prępoſtere agi
tatum eſt multis motionibus. Si uerò errores conco-
ctionis uitio uentriculi contigerint, aut ex aliqua eius
propria intemperie potuit accidiſſe, & ea, aut cum
materia, aut ſine materia, aut quia conſentiens cum
alijs expoſitis particulis fuit offenſus. Et huiuſmo-
di conſenſus fit aut per ſolas qualitates ſine aliqua a-
licuius materię communicatione, aut quia etiam ali-
qua in illum aliunde effunditur materia, quomodo
nuper expoſuimus. Ac pro diuerſitate & temperatu
ræ, & materiæ diuerſi contingunt errores. A frigida
enim intemperatura, & a materia frigida pituitoſa,
& melancholica fiunt cruditates, & non integræ
concoctiones. A calidiori uerò intemperie, & a fla-
ua bile corruptiones ciborum in alienam qualitatē,
uariam, & diuerſam pro ratione diuerſitatis putre-
dinis, uel corruptionis cōtractæ a cibis, alia enim re-
ferunt odorem putridorum ouorum, alia piſcium
putreſcentium, alia uirus quoddam, uel aliam quan-
dam qualitatem. Sed tandem de cauſis quoque ho-
rum affectuum eſſet habendus ſermo, uerùm in il-
lis non erit plurimum temporis conterendum, maxi
ma enim ex parte ex pręcedenti ſermone fuere ex-
poſitæ. Nam quæcunque poſſunt refrigerare uentri-
culum, poſſunt eſſe cauſæ frigidioris eius intempera-
turæ, ut ſunt frigidus potus, tam actu, quam pote-
ſtate, frigidæ ſed, negligentia in cuſtodiendo uen-
triculo ab externo frigore accommodatis ueſtibus,
uel alijs, quibus contegi uentriculus ſolet, item ni-
mia uigilia, præterea mala ratio uictus in ijs, quo-
rum nuper meminimus, & natura eorum ciborum,
qui inepti ſint ad concoctionem. Contraria uero
his ſunt, quę calidam intemperaturam in uentricu-
lo gignunt. De illis uerò, quorum conſenſu inter-
dum afficitur uentriculus, nihil eſt, cur in pręſentia
uerba faciamus, pertinet ſiquidem is ſermo ad illam

A tractationem, in qua agendum eſt de affectibus ea-
rum partium, cum quibus uentriculus poteſt con-
ſentire. Vnde iam opportunum fuerit, ut de ſignis,
quibus ea omnia, quę hactenus expoſita fuere, diſcer
nantur, ſermonem habeamus. Primum agamus,
qua ratione diſtingui poſſit, num uitio uentriculi con
coquentis, aut coquendorum ciborum potius con-
tigerit error in concoquendo, ſiue cruditas acciderit,
ſiue ciborum corruptio. Conſiderandum igitur,
qualis fuerit ratio pręcedentis uictus, primum quate-
nus ad qualitatem, & naturam ciborum, nempe an
cibi comeſti tales eſſent, qui cōcoctu difficiles eſſent,
uel eorum præparatio num ea fuerit, qua ſolent faci
lè coqui, ut exempli cauſa carnes quidem ueterum
B animalium non facilè a uentriculo ſuperantur, iuue
num autem facilè, ſi quantum ſatis ſit, fuerint coctę
per elixationem, aut aſſationem, nam ſi non probè
fuerint coctę, neque etiam in uentriculo facilè con-
coqui poſſunt: Item an cibi illi ſint, qui facilè in ni-
dorem, dum coquuntur, uerti ſolent, ut oua frixa, &
carnes etiam in ſartagine frixæ, mel quoque in uen-
triculo calidiori & in ętate iuuenili. Deinde reſpicien
dum ad quantitatem, ut ſi ea fuerit, quę ſuperet ui-
res uentriculi. Tertiò ad tempus, ut ſi nimis tempe-
ſtiuè, ſicuti ante tempus conſuetum comedendi, uel
anteaquam fuerit prior cibus confectus, comederit.
Poſtea ad ordinem, ut ſi uarios, diuerſoſque cibos in
geſſerit, quorum alij concoctu ſint faciliores, alij diffi
C ciliores, prius autem difficiles, qui etiam tardè è uen-
triculo ſoleant deſcendere, poſtremò faciliores &
qui facilè putreſcunt. Si poſt cibum multam aquam
biberit, ſolet enim ea quaſi abluere, & facere, ut ci-
bus, incoctus de uentriculo deſcendant, ſi de more
non dormierit. Conſiderandum prætetea, an fuerit
in ijs peccatum quæ concoctionē ſolent turbare, vel
impedire, ut motio corporis, & exercitatio uehemēs
a cibo, item & ſtudium, & uenus pleno uentriculo,
& uehementes animi motus, præſertim uerò triſtes.
Quibus optimè penſis, ſi nihil horum accidiſſe com-
pertum fuerit, culpa omnis in uentriculum erit refe-
renda. Sin autem horū aliqua, vel plura, vel quæ uim
habēt maiorem acciderint, poterit quidem culpa va-
D care uentriculus, & ſola uictus ratione congrua inſti
tuta poterunt errores emendari, adhibita diligentia,
ita etiam teſtatur Gal. eodem tertio de ſympt. cauſ. Vt
tamen & hoc addatur, quòd aliquando errores adeo
magni committuntur, uel adeo frequentes, ut & uē-
triculus ita labefactetur, ꝙ poſtea non proba fiat con
coctio non minus uitio uentriculi, quàm ciborum.
Quòd ſi iam iudicatum ſit, errores concoctricis fa-
cultatis, neque ab incongrua uictus ratione, neque
ab externa occaſione ortum habuiſſe, neceſſe erit ui-
tio uentriculi id accidiſſe laborantis uel proprio ali-
quo affectu, uel cum alio uiſcere conſentientis. Qđ
quidem diſcerni poterit, ſi ad alia uiſcera reſpexeri-
mus, cùm quibus conſentire ſolet, & per propria ſi-
E gna examinauerimus, bene illa ſe habeāt, necne: quo
rum expoſitio ad eum locum pertinet, in quo de illo-
rum affectibus, cognoſcendis ſermo habendus eſt, in
præſentia uerò ſatis fuerit, ſi de illis egerimus, quæ ex
proprio uentriculi affectu habent ortum. Cum itaq;
affectus hi referantur in temperiem, præſertim uerò
calidam, aut frigidam, & eas cum materia uel citra,
primū quidem frigidam a calida diſcernamus, mox
uerò & de materia agemus. Diſcernuntur autem pri
mum ex ſapore, vel odore ex ructibus, uel alia ratio-
ne percepto in ore. Nam ſi acorem perceperit, frigo-
ris erit argumentum, ſi uerò fumoſum quid, uel ni-
doroſum, uel tanquam putridorum ouorum, uel
tanquam cœni, uel tanquam crudorum piſcium, vel
eiuſcemodi alia, quæ abominabilem, & ineffabilem

ferè qualitatem referũt, cum hæc omnia à putredine fiant, uel putredinem ſequantur, neque fieri putredo poſſit, niſi ab externo calore, neceſſe eſt, ut ſignificent calidam intemperiem præter uentriculi naturã fuiſſe contractam. Sed nõ modo hæc, uerum & alia ſymptomata obſeruanda ſunt: nam ſitis ſi adfuerit, indicium erit calidæ intemperaturæ, frigida enim eius ſolet eſſe expers, præterea uero calidam intemperiem ſæpe (vt eodem tertio de ſympt.cau. teſtatur Galen.) ſolent conſequi febres quædam paruæ, & lentę, & quaſi hecticę: cũ in frigida nullã excitet febrem. Frigidioris verò intẽperaturę ordines diſcernentur ex illis, quę excernuntur per os vomitu, vel ructu: quia ſi magnus fuerit exceſſus, in ructibus, & vomitu, percipietur integra ferè qualitas eorum, quę fuere comeſta, tam ſapore, quàm odore; vt pote quoniã nihil ferè à ventriculo fuerint commutata. Secundum ordinem oſtendit, quãdo in acidum quendam ſaporem mutatus fuerit cibus: aliquem enim calorem ſignificat, qui (ut diximus) fuerit trãſmutationem aggreſſus, uerum vincere materiam non omnino potuerit. Quod ſi neque acidus ſit ructus, verum facilè ventriculus flatuoſo ſpiritu repleatur, minoris adhuc frigoris erit indiciũ. Ita & calidioris intemperaturę ordines diſcerni poterũt ex illis, quę maiorem, vel minoré corruptionem oſtendunt: quo enim fœdus magis percipitur odor, vel ſapor, eo maior eſt in ventriculo intemperatura; cum à maiori putredine id fieri ſit neceſſe. His autem examinatis vlterius progredi erit opus, & inueſtigare, an adſit materia pręſens, quę intemperiem foueat: an ſola ſit intemperies citra materiam. Hoc vero diſcernere ibidem Galen. docuit: primum hoc experimento, nimirum vt illis, qui his affectibus laborant, cibus aliquis offeratur, qui quantum fieri poſſit, ſuapte natura repugnet corruptioni, quam fieri in ventriculo obſeruauimus: exempli cauſa, ſi acida eructet, mel dabimus comedendum: ſit autem nidoroſa, panem, vel far: ac deinde inſpectis excrementis, quę uomitu, uel per inferiorem aluum excernuntur, diligenter obſeruandum, an intermixta aliquo humore, citra ullam mixturam excernantur: quia ſi citra vllam alterius humoris mixturã excernantur: erit intemperies ſine materia: nam ſi pręſens ſit humor in uentriculo, fieri nequit, quin aliquid eius non immiſceatur excrementis, è quorum mixtura res diſcernitur: vt pręterea & id ſit addendum quod ſi à materia pręſente pendeat is error, aliquanto uidebitur maior facta cibi tranſmutatio. Vt tamen & hoc conſiderandum ſit, quod cùm duplex poſſit eſſe ratio humoris congeſti in ventriculo: interdum enim in ſpatio inani quaſi fluitat: nonnunquam verò receptus, & quaſi abſorptus eſt in tunicis eius, vel illis tenaciter hęret cùm hoc modo ſe habeat, experimentum hoc nihil certi demonſtrabit: nam ita ęgrè admodum à uentriculo diuulſus poteſt cibis immiſceri. Vnde in his aliò animus conuertendus eſt, & conſiderandum, quid cum ita ſe habet humor: pronus quidem eſt in vomitum, & nauſeabundus uentriculus: nihil tamen reijcitur, nihilque euomunt; & ſi biliosus calidusve alioquin fuerit humor, is ſitim concitabit: ſin frigidus famem. Verùm ſi adhuc certiores fieri uoluerimus, poſſumus (vt ibidem ait Gal.) facto periculo, & à iuuantibus, & lędentibus deprompto argumento, ſimul & rei cognitionem aſſequi, & aliquid agere, quod ad curationem faciat. Etenim ſi habenti acidum ructum diatrionpiperon dederis: nidoroſum verò eructandi aut abſinthium, aut hieram ex aloe, & contulerint; ea ratione & affectum, qui talis ſit, deprehenderis, & ex parte ſaltem curaueris. Hoc autem percepto ſupereſt inueſtigandum, an in uentriculo is vitioſus humor genitus ſit: an aliunde in uentriculum defluxerit. Quatenus autem ad flauam bilem attinet. docuit Galen. ſecundo de Temper. & id quidem multis argumentis quando illa à iecinore effunditur. Primum tum ex excrementis tum uerò ex natura corporis: quia ſi uomitu multa excernatur bilis, per aluum autem pauca deiciatur, & corporis habitus bilioſus ſit: uel ſi pituitoſus, vt pote albus mollis, & glaber pinguis, exileſque uenas habeat, muſculis exangues, neque à tangente calidus eſſe uideatur, procul omni dubio bilis, quę in eo generatur, maxima ex parte effunditur in ventriculum, exigua verò per aluum inferius. Deinde vero ex colore bilis. Nam ſi generationem in uentriculo habet, porraceum, hoc eſt viridé colorem habet, quę gignitur ex praua concoctione, uel ex cibis calidioribus, & mali ſucci: non autem ex pane, farre, vel porcina carne: Quę auté in iecinore ortum habuit, moxque in uentriculum defertur, ea ſemper aut flaua, aut pallida euometur; & ſi cibi boni aſſumantur, & quãtumlibet rectè coquantur: quo quis diutius à cibo abſtinuerit, eo flauiorem bilem euomet, & copioſiorem. Tertio ex pręcedenti victus ratione: Qui enim curis multis, ſolicitudinibùſque, aut ira vel mœrore, doloribus, laboribus, vigilijs vel inedia conficiuntur, illis copioſior in iecore bilis generatur. At uerò cum ex vitio ventriculi bilis ortum habet, illi melius ſe habent ex eſu eorum, quæ non ſunt coctu facilia, vt eſt bubula caro, porcinàq; & eorum, quæ corruptioni renituntur, vt panis, & chondrus; quam eorum, quę cito, & facillimè coquuntur, ut piſces qui inter ſaxa degunt. Nulla autem ex hac ciborum diuerſitate, & mutatione fit in concoctione diuerſitas, quando bilis vitio iecinoris multa congeritur. Quibus autem ſignis cognoſcendum ſit, ſi aliunde, quàm à iecinore, defluat in ventriculum vitioſus humor; in ſequentibus capitibus exponemus, vbi de hac re iterum ſermo incidet, ne uideamur omnia velle vnico capite complecti: ſatis enim longi hactenus fuimus, tempuſque iam opportunum uidetur, vt ad rationem curandi hos affectus exponendam tandem accedadamus. Non poteſt auté vnica, & ſimplex eſſe ratio ſuccurrendi laboranti concoctioni, & obſiſtendi, quo minus fiant iam expoſiti errores, poſteaquam tot, & adeo diuerſæ ſunt occaſiones aberrandi. Vnde ſi recte hæc methodus ſit inſtituenda, oportet, vt vnicuiq; occaſioni particulatim ſuam accõmodemus curationé. Sumemus aũt initiũ ab ea quæ à cibis prodit; vt pote quę facilior, & ſimplicior ſit. Et hoc primũ tanquã fundamẽtũ cõſtituamus, qđ à Gal. tum 3. Artis med. iactum eſt, tum etiam alibi ſæpe: nimirũ quod cũ aliqué affectũ curaturi ſumus, qui pręſenté habeat cauſam, vnde ortum habuit, & à qua foueatur; neceſſe eſt primum cauſam illam auferre: mox autem, ſi quid etiam illius affectus impreſſum reliquum fuerit, aggredi oportet eius curationem: & proinde quę cunque fuere in cauſa ex parte aſſumpti cibi, cur non rectè concoctio proceſſerit, ea omnia corrigenda ſunt. Et ſi in qualitatem id relatum ſit, mutandi ſunt cibi, & qui poſſint facilè à uentriculo ſuperari, offerendi. Si in quantitatem, parcius erit comedẽdum, Si ad apparatum, recte & ex ratione coquendi: & parandi. In his ponam etiam maſticationem, quæ in ore fit quam ad concoctionem plurimam uim habere credidit Gal. tertio de Natur. facul. tantum uerò illi attribuit Ariſt. vt pronunciauerit, eos qui raros dentes à natura habuere, breuioris vitæ eſſe. Item ſi in ordine peccatum ſit, redeant ad congruentem ordinem, & cum comedunt, poſtquam comederint. Et ſi etiam putauerimus in cauſa fuiſſe uitioſum aerem, uel uitioſam aquam, qua vſus fuerit aer,

ſi corri-

ſi corrigi eius vitium nequeat,mutandus eſt,itemque & aqua. Actandem redigendi ſunt ad uictus rationē congruentem in cibo,& potu,ſomnoque, & vigilia, in corporis,&animi motionibus,in uſu uenereorum, & ſi quid aliud ſit,quod ad hoc genus poſſit pertinere. Ablata verò cauſa,& peccatis emendatis, conſiderandum poſtea, ſi ex erroribus concoctionis poſt ablatam omnem præcedentem occaſionem fuerit aliqua labes relicta, vel ne. Nam ſi nihil relictum ſit non egemus alia curatione,niſi fortaſſe, ſi interdum ſit opus, aliqua uentriculi confirmatione, ſin autem aliqua ſit relicta, illam oportebit curare,vt curandos eſſe uentriculi affectus proprios docebimus. Cum autem non à cibis, ſed ab aliqua uentriculi affectione errores occaſionem habuerint, ſi conſenſu cum alijs partibus laboret uentriculus in concoquendo,ſicut ſępe conſentit cum iecinore cum ab inflammatione tētatur,vnde & in ſingultum, & in vomitum bilioſum concitatur,ut ſuo loco dicemus, conſentit etiam,cum duro,& ſcyrrhoſo tumore corripitur,in validis etiam eius obſtructionibus,cum ex frigida materia viſceri infarcta oppreſſum eſt,itidem verò,& in affectib. lienis conſentiens læditur, præſertim in ſcyrrho: immo interdum,& ob affectum omentum, & gracilitatem muſculorum abdominis ſit tarda, & infirma concoctio. In his itaque omnibus,& ſi quid aliud præterea ſit,quod in hoc eandem cum his rationem habeat,cō uertenda eſt omnis ferè curationis ratio ad eas particulas, quæ primario laborant, & quarum conſenſu uentriculus malè afficitur, quæ ratio exponēda eſt eo loco, quo agendum eſt de affectibus earum particularum:illi enim primum tollendi ſunt,ſi tolli quidem, & curari poſſunt, quia interdum curationem nullā admittunt. Diximus enim ſuperius,quod omentum abſciſſum,ſicuti abſcindi interdum neceſſe eſt in uulneribus ventris inferioris, plurimum lædit concoctionem uentriculi, neque tamen cum abſciſsum eſt, vlla ratione poteſt inſtaurari, & refici. Quocirca hi alia ratione coguntur huic defectui ſuccurrere, & plurib. indumentis fouere languentem ventriculum. Vnde aliqui pannum coccineum, interdum etiam duplicē, alij pelles vulturis,uel leporis coguntur perpetuo ferre. Reliquum itaque eſt, vt aggrediamur explanationem rationis curandorum affectuum eorum,qui primarij,& proprij ſunt ventriculi, à quibuſque primum concoctio lęditur, & cum illi omnes in aliquam intemperiem referendi ſint, quæ aut cum materia ſit, aut citra materiam, de frigida prius agamus, quę à nulla materia fouetur, eius enim curatio ſimplicior, cum nulla hic, quantum ad propriam eius rationem pertinet, ſit admixta uacuationis indicatio. Sed ſolum indicatio ſit tranſmutandi intemperiē medicamentis contrarijs ſecundum qualitates, tam interius exhibitis, quàm exterius adhibitis. Quare ſi frigida fuerit intemperies, calefacientibus erit agendum, ſicuti decoctis, uel ſyrupis, uel pulueribus,vel maioribus antidotis, uel appellatis confectionibus, quæ ex ſaccharo conficiuntur in placentulis, vel rotulis, uel etiam aromatibus ſaccharo conditis, ſicuti zingiberis radicibus. Vt tamen nunquam obliuiſcamur præcepti, cuius cum Gale.tum etiam reliqui, qui ex arte, & ratione medentur, meminere, nempe quod in calefacientium uſu ab illis imprimis caueamus, quæ calefaciendo laxant, & molliunt, cum hęc vires uentriculi facilè diſſoluant. Quare ſemper oportet intermixta eſſe aliqua, quæ aſtringente quapiam facultate ſint prædita, ad cuſtodiendum robur iſtius viſceris. Frigida ergo uentriculi intemperies his præſertim curari poterit,abſinthio,betonica,menta, ſpica nardi, item, & celtica,radice,quam galanga in præſentia appellāt, cæteris quoque aromatibus,præſertim cinnamomo, garyophyllis,nuce myricā, vel moſcata appellata, macere,vel macis dicto, pipere quoque & zingibere, & in uniuerſum præterea, quæcunq; amara cum aliqua aſtrictione ſunt,ea omnia(vt ait Gal.)ventriculo commoda ſunt.Quibus & interius aſſumptis, & exterius adhibitis uti poſſumus. Interius quidem, factis ex eis decoctis,uel per contuſionem, attritionemque redactis in pulueres, quæ uel ex uino, uel ex aliquo accommodato decocto poſſunt bibenda dari.Sed ex ſaccharo,variè componi poſſunt,& redigi ad conſiſtentiam earum medicinarum, efformatis circulis,vel(vt nunc aiunt)rotulis, quæ confectiones vulgò dicuntur. Ex melle uero,donec ad craſſitudinem ecclegmatis perueniant, coquuntur: quemadmodum fiunt,quæ mixturæ à ſepplaſiarijs dicuntur. Syrupi vero accommodati erunt, ſyrupus ex abſinthio, ex menta, ex betonica,& quicunque eandem cum his naturam habent. Sed & antidoti illæ maiores in his vim magnam habent,ut mythridatia, theriaca,diacoſtū,diamoſchum. Præterea,quæ confectiones dicuntur, ex aromatibus præſertim confectæ,ut eſt compoſitum id, quod aromaticum roſaceum Meſue appellauit,& quod garyophyllatum,& alia id genus, præterea zingiber, quod ſaccharo conditum eſt, & citrij mali cortex eodem modo conditus,& folia,floreſque betonicæ eodē modo ex ſaccharo confecti,in præſentia conſeruam betonicæ appellant,itidem & roris marini flores.Exterius vero,& fomentis, & illitionibus uentriculum fouere non erit inutile,emplaſtraque accommodata calefactioni ipſius uentriculi,iuxta et cerata apponere,nam ex ijs ſimplicibus,quæ a nobis primum relata ſunt, coctis ex aqua,vel vino aliquo calefaciente, cum aliqua auſteritate,uel ex utriſque poſſunt fomenta parari,illitiones uero ex oleis,qualia ſunt maſtichinum,abſinthinum, confectum ex menta,nardinum, & alia id genus,quibus poſſumus ventriculum linire, & ex eiſdem addita cera,& alijs opportunis conficere cerata, vt tamen pro ratione maioris, uel minoris exceſſus à naturali menſura temperamenti illius corporis magis,vel minus calida eligamus medicamenta.Ego quādo mihi res breuiter eſt expedienda,ita ago,accipio aliqua olea ex illis, quæ nuper relata ſunt, ſicuti olei abſinthini, & maſtichini, ſi minus calefacere oporteat, nardini verò, & illius, quod ex menta confectum eſt, cum magis ſit calefaciendum, ſingulorum vnciam, pulucrum autem aromatici roſacei drachmas duas,interdum etiam plus, ceræ quantum ſatis ſit, & pro maiori,uel minori ceræ copia poteſt, quaſi linimentum fieri,poteſt & ceratum. Multa etiam ab antiquis,& iunioribus ſcripta reperiuntur medicamēta facientia ad hoc negotium,& ſimplicia, & compoſita,nos tamen aliqua quidem,non autem omnia exponemus,nimis enim longa euaderet hæc tractatio. Itaque Galen.octauo de comp.med.ſec.loc.ex Archigenis ſententia dicit, illis, qui acidum eructant, utiliter dari ante cibum ſemina coriandorum menſura cochlearij, ut tamen mox ſit ſuperbibendum uinum meracum,& bonum. In libro autem de facilè parab. medicam. compoſitum hoc ab eo laudatur, quod accipit piperis,ſeminis anethi ſingulorum drachmam vnam, cumini drachmas quatuor, omnia terantur, iſtius uerò medicamenti dandum ieiuno,quantum capit cauitas cochlearij ex vino diluto. Sed idem piper ex vino utiliter his dari conſulit in libro, qui de præcognitione inſcribitur. Trallianus autem Alexander ad refrigeratum uentriculum mirifice commendat medicamentum, quod accipit baccarum iuniperi, piperis ſingulorum drachmas duas, zingiberis drachmas quatuor, ſeminum petroſelini drachmam vnam, mellis quod ſit ſatis: mox omnia ex arte coquantur: diatrionpipæreon ab antiquis tanquam

nulli ſecundum ſemper habitum eſt, & diacalamenthum, & diaſpoliticon, nec minus etiam diacyminũ; & hæc quantum ad medicamenta pertinent. De ratione autem uictus hæc nobis præcepta ab antiquioribus, & probatis medicis tradita ſunt, primum autẽ ideſt, quod ex Archigenis libris in octauum de compo. medic. tranſtulit Galen. habet autem hoc fundamentum, quod fieri nequit, quod in hac frigidiori ventriculi intemperie non gignantur cruditates, quæ ſi in habitum corporis digerãtur, obſtructis tum venis uiſcerum, tum verò & earum tenuibus oſculis pertinentibus ad cutem extimam, per quæ corpus diffluatur, ſæpe & febres putridas, & ſcirrhos, & alia mala afferre poſſunt: ſed quando nulla iſtius digeſtionis fuerit occaſio præſtita (ut Galen. & primo ad Glau. libro tradidit, & in ſecundo de differ. febr.) nullum inde ſequitur incommodum, quia vbi uentriculo fuerit conſultum, illarum cruditatum partes alias paulatim coquit, alias digerit, diſcutitque, alias tandem per inteſtina excernit. Et quia quæcunque inſigniter, & confertim calefaciunt, ea poſſunt cruditates liquidas in uenas digerere, calefaciunt, autem concitati motus corporis, & animi, ut iracundia, geſtiens lætitia, & uehementes riſus, & id genus reliqua, item labores, Venus intempeſtiua, ſolis ardor, & quę cum his eandem rationem habent, Ideo rectè hi conſulunt, vt ij, in quibus cruditates fiunt, conquieſcant longiori tempore in lecto, ſi ab illis facile præſtari poſſit, quod ſi negotia urgentia obſtiterint, ſaltem fugiant concitatas motiones, & quę nuper exponebamus. Præterea illi, qui ſoliti ſunt frequentibus, & quotidianis balneis vti, ſicuti priſcis illis temporibus utebantur, ad id tardius ſolito veniant, & in ea domo, quæ balneo eſt præpoſita, nitantur epota tepida aqua euomere quicquid pituitæ reſederat in uentriculo, ac cibum modicum aſſumant, modicum & potum, niſi interdum cruda ea materia, contracta iam aliqua putredine, morderet uentriculum, ita vt ad vomitũ cieretur: tunc enim uel maximè uomitus, ut uitioſa illa materia reijceretur, eſſet concitandus, præcordiaq́; & ventriculus mollibus linteolis fouenda, extremaq́ue molliter linteolis fricanda, & ſequenti die ab omni cibo abſtinendum eſt, niſi uires, vel natura hominis inepti ad tolerandam inediam prohibuerint, ſin autem prohibeant, modeſtè reficiendi ſunt. Quãuis autem hæc iam ad intemperiem cum materia uideãtur pertinere; raro tamen fieri poteſt, quin tãdem & materia aggregetur, ſi aliquantiſper in longius protrahatur affectus. Immo & quòd poſtremo expoſitum eſt, uidetur & ad alterum affectum attinere, in quo corrumpitur cibus, dum concoquẽdus eſt: aqua enim tepida epota, poteſt primum corruptæ materiæ morſus lenire, deinde aut abluendo eam ad inteſtina deducere, vel citato vomitu eſſe in cauſa, vt educatur. Hic autem circa id, quod dictum eſt, quod poſtera die omnino abſtinendum ſit a cibo, conſiderandum eſt, quod noſtris his temporibus, & regionibus difficile admodum eſſet ſeruare exquiſitè pręceptum illud, quoniam rari ſunt, qui poſſint per integram diem omnino inediam ſeruare; quia qui intemperatiores ſunt, ſaltem bis in dię comedunt ferę ad ſaturitatem, ut qui ieiunant, plerique cogantur ientaculum etiam ueſpere accipere: alioquin nequeunt quietum ſomnum capere: cum tamen qui Syriam, & Græciæ maiorem partem habitant, aſſueuerint, quãdo ęgrotant, uictui tenuiſſimo. Sed iam ad alias differentias affectuum iſtorum, a quibus lęditur concoctio, exponendas tranſeamus, in quibus intemperies uentriculi pendet a materia aliquã præſente, quæ interdum (ut diximus) ſuum habet ortum in uentriculo, interdum alibi genita confluxit in uentriculum.

A In ventriculo gignitur tum bilis, tum pituita. Bilis nequit niſi ex praua cõcoctione per putredinem gigni, & omnino ex cibis calidis, & mali ſucci. Vnde ea iã congeſta, & collecta in uentriculo, ab hoc capite inchoanda eſt curatio, nempe procurandum, vt eijciatur è uentriculo, & uomitu quidem, ſi id fieri facilè poſſit, ſicuti paulo ante expoſuimus. Sed ſi aliquid obſtet, quò minus uomitu ciere poſſimus, illa inferius per aluum deducenda eſt, incitata per glandes, vel clyſteres, aut per medicamenta, facilia tamen, & lenia. Mundo autem reddito uentriculo, danda eſt opera, ut mox fiat proba concoctio, cibis nimirum comeſtis optimis, & mediocri copia, nec multiplicibus, & uarijs, ſed quò menſa erit ſimplicior, eo erit & utilior.
B Potu uero modico, & uini non auſteri omnino, ſed neque etiam dulcis, neque craſſi, diluti verò modeſtè pro ratione roboris utendum. A cibo uerò, ſomno, & quieti uacandum, poſtea & modeſta utendum eſt exercitatione, poſtremò fugere oportet calidos cibos, præſertim eos, qui mali ſucci ſunt, & facilè uertuntur in hos uitioſos humores, ut ſunt porri, bulbi, cæpæ, & id genus alia, pręterea condimenta ex multiplici, & uaria materia, multis aromatibus condita. Poſt ea uẽtriculus roborandus eſt fomentis parum calefacientibus cum aliqua aſtrictione, & aliquibus appellatis confectionibus, ut eſt diarhodon abbatis dictum, vel aliquantiſper frigidis, qualis eſt, quæ diatrionſandalon dicitur, prærerea ſaccharum roſa-
C ceum, & myrobalani, qui emblici dicuntur ſaccharo conditi, & diacytoniten dictum, præſertim quod ſine aromatibus, aut ſaltem paucis conficitur. At uerò cũ bilis aliunde in uentriculum confluit, oportet, ut ſi quid iam confluxit, educatur: primùm, uel per uomitum, & id, niſi aut bilis ſit affixa, & quaſi abſorpta in tunicis uentriculi: (nam ea per uomitum nequit educi) aut ille ad uomitum ineptus ſit, in his enim pręſtat ut inferius per aluum ducatur, uel abſinthij decocto, ſi fluitet in ſpatio uentriculi, uel hiera ex aloe, ſi bilis tunicis infixa hæreat. Inanito autem uentriculo, huic incumbendum eſt, ut non amplius confluat: ablata nempe occaſione, cur confluat. Vnde duæ ſtatim inſurgunt indicationes illæ eædem, quæ & in alijs af-
D fectibus a fluxione excitatis, Altera a loco accepta, unde defluit: Altera verò a uentriculo deprompta, quò confluit. Priori ſatisfit duplici ratione, primum ſi particulę ſuccurramus, a qua ea copioſa materia gignitur, ablata uidelicet cauſa, nimirum ſi ea ſit intemperies illius particulæ, aut obſtructio, aut quidpiam aliud, ea per rectam curationem, quam requirit illa particula, auferatur, mox uerò, ſi id non ita citò, uel exquiſitè fieri poteſt, deriuanda eſt bilis ad inteſtina, tum clyſteribus, tum glandibus, poſtremò autem uentriculus roborandus eſt fomentis, aut illitionibus, aut cataplaſmatibus, quorum frequens hactenus facta eſt mentio, pręterea & appellatis confectionibus iam ſæpius expoſitis. Sed & de materia frigi-
E da lædente uentriculum aliqua dicamus: ubi id in memoriam reuocandum, quod inter initia diximus, quod cum ea duplex eſſe poſſit, pituitoſa, & melancholica, melancholicaque plerunque aliunde impellitur, nam uel a liene, uel a uenis in meſenterio, de his non eſt, cur multa dicamus, cum & in ſuperioribus capitibus ubi ea, quę ad cibi appetentiam pertinebant, tractaremus, multa ſint tradita, quę non minus huc pertinebãt, & ubi de melancholia hypocondriaca fuit habitus ſermo. In uniuerſum enim eadem eſt methodus hic, ſicuti ea, qua bilis eget, cum effunditur, prius enim purgandus uentriculus, poſtea curandi affectus earum partium, unde humor melancholicus confluit, poſtremò roborandus uentriculus. Pituita uero a capite (ut diximus) præſertim in uentri-

culum deſtillat, quando aliunde defluit, & hac eadẽ ratione in vniuerſum curandus eſt hic affectus: quia detrahenda primum eſt, quæ fluxit pituita, quemadmodum paulo poſt dicemus eam detrahendam eſſe, quę fuerat in ventriculo genita, poſtea cauſæ occurrendum, hoc eſt catarrho, eo modo, quo in prioribus libris curationẽ catarrhi inſtituimus, ſed & aliquid ad hoc inſtitutum faciens parũ ſuperius expoſuimus eo capite, quo egimus de eo affectu, quo ſtomachus cibum faſtidit, & quaſi abhorret, poſtremo ad ventriculi roborationem omne ſtudium conuertemus, remiſſa nempe frigida eius intemperie, ſi ea ſit contracta. Ita cum læditur concoctio a præſente pituita, quę ibi genita fuerit, tentãdum, ut illa detrahatur, vel vomitu, ſi fluitet in ventriculo, vel per inferiorem aluũ, vomitu quidem aut ex oxymelite, vel ex radicula, per inteſtina vero incidentibus, attenuantibus, & detergentibus, vt eſt oxymel, mel roſaceũ, piper, diatrionpereon, interdum ſcyllinum oxymel: his enim ſæpe ad inteſtina deducitur, ac mox unà cum alijs excrementis deijcitur quandoque ſponte, quandoque clyſteribus adiuuantibus, & illis magis, vel minus acribus pro ratione craſſioris, & magis lentæ pituitæ, & ſi illi non ſint ſatis, adhibenda erit hiera dialoes: Expurgato autem ventriculo, procurãdum, vt tollatur frigidá illius intemperatura, tolletur autem eadẽ ratione, qua curandam eſſe intemperiem citra materiam diximus, mox vero roborandus eſt vẽtriculus, & præter alia, quorum ſuperius facta eſt mentio, medicamentum Gal. 6. de tuen.ſan. libro maximè probatur; quod, quia ex malo cotoneo conficitur, diacytoniten Gręci appellant, commodiſſimum autẽ eſt & bilioſo, & pituitoſo ventriculo diuerſimodè paratum, nam & cum aromatibus, præſertim verò zingibere, & pipere, pituitoſo ventriculo utile eſt, maximè ſi inſignis copia ſit aromatum, ſi verò ſit aromatum expers, vtilius erit bilioſo, quod ſi aromata modica acceperit, ventriculum, qui neque bilioſus ſit, neque pituitoſus, aptius roborabit. Duplex autem eius poteſt eſſe vſus, nam & poſt cœnam duabus, aut tribus horis, & ante cibum illius menſura, ait Galen. ſit myſtrum mediocre, quod pendit.

De affectibus ventriculi reſpicientibus expultricem facultatem. Cap. XIII.

VT quę de ventriculi affectibus in pręſentia a nobis tractãda ſunt, rectius, & ordinatius poſſint exponi, hoc primũ reuocandũ in memoriã, quod ab initio iſtius libri literis traditum eſt. Nempe quod duos meatus habet ventriculus, alterũ ſuperiorem, vbi ea pars eſt, quã ab antiquis ſtomachũ ſolitum appellari alias teſtati ſumus, à noſtris os ventriculi, alterũ inferiorẽ, vbi pars ea eſt, quæ cum primo inteſtino continens eſt, & pyloron, quaſi dicas portonarium, appellatur. Et quamuis prior meatus primo, præcipuoq; naturę inſtituto factus fuerit, ut cibum accipiat poſtea cõcoquendum, alter verò inferior vt eſſet via expultrici facultati, per quam, quę iam ſuperuacanea ventriculo eſſe cœpere, in inteſtina expellãtur, aliquando tamen contra fit, & illis natura ſecus abutitur, nam interdum per ſuperiorem fit expulſio, ſicuti citato uomitu, interdũ materiæ in inteſtinis regurgitantes præpoſtero quodam motu ad ventriculũ remeãt, vt fit in voluulo, in quo corruptæ materiæ, & ſtercora ad ventriculum delata, vomitu reijciuntur. Duplex ergo poteſt eſſe impetus expultricis facultatis ad expellendum id, quod ventriculo moleſtum eſt, nimirum vel ad ſuperiorem meatum, uel ad inferiorem. Et qui ad ſuperiora eſt, ſuapte quidem natura ſemper eſt eius uitioſus motus, cũ ſemper fiat, a na-

A tura coacta, & irritata á re noxia, & præter rationẽ naturę. Qui uero eſt ad inferiorem partem, ſuapte natura uitioſus non eſt, cum primo a natura ſit inſtitutum, ut per eum meatum fiat excrementitiæ materię expulſio. Aliquando tamen & eiuſmodi expulſio in uitioſis motibus ponenda eſt, & id, quando nimia, & immoderata ſit per eam partem expulſio, quia illud fieri nequit, niſi natura coacta, & irritata, uel a multitudine, uel a materię qualitate, uel ab imbecillitate, & laxitate illius partis. Contrarius autem motus, qualis in uoluulo ſit, ſemper uitioſus, & corruptus. Sed agamus prius de affectibus, qui pertinent ad ſuperiorem partem uentriculi, & os eius: deinde uero de illis, qui magis ad inferiorem partem attinent, quæ inteſtinis confinis eſt. B Ad ſuperiorem partem pertinent hæc ſymptomata, nempe nauſea, uel faſtidium dicamus, uel ſubuerſionem uentriculi, præterea uomitus, tertiò ſingultus, quarto nimia, & importuna ſaliuę, & humoris copia, qua homo perpetuo ferè expuere cogitur: Græci hunc affectum ſialiſmum uocant. Sed de tribus prioribus primum ſermonem habeamus, utpote quæ ſimilem habeant rationem, & cauſam. At non deerunt forſitan, quibus non omnino uideatur uerum eſſe, quod nuper diximus, hos affectus, a quibus uel nauſea, uel uomitus, uel ſingultus concitatur, eſſe magis ori uẽtriculi proprios, quã uniuerſo uentriculo; cum natura eos excitet, ut ab uniuerſo uentriculo noxia expellantur. Huic dubitaC tioni reſpondet Gal. tertio de natur. facul. & ſecundo de facul. alimen. & quinto de uſu. part. & octauo de compoſ. medic. ſec. loc. quòd ut uomitus ſequatur, ſẽper neceſſe eſt os, uentriculi alijs ſubiectis partibus eſſe imbecillius. Cap. 1. Cap. 20. Cap. 4. Cap. 3. Vnde qui uentriculi ſuperiorem partem imbecilliorem habẽt, fortiorem uerò inferiorẽ, hi promptiſſimi, & facillimi ſunt in uomitum, ubi uerò cõtra res ſe habuerit, maior erit propenſio in profluuium alui. Ita etiam pro ratione, qua res noxia ſurſum magis, uel deorſum habet inclinationem, ſic uel uomitu reijcitur, uel per aluũ deijcitur. Collegimus autem ſimul hæc tria ſymptomata, nauſeam, uomitum, & ſingultum, atque eodem capite de his omnibus in uniuerſum ſumus habituri ſermonem, quia & D ipſa item unam, eademque habent generalem rationem, nam omnia hæc ſunt (ut ſexto aphor. tradidit Gal.) Com. 39. motiones uentriculi, quibus ille nititur noxiũ quidpiam a ſe expellere, excernereve. expulſurus enim ea, quibus læditur, uel colligit ſe uerſus os ſuperius, ut per illud expellat, & quaſi elidat, exprimatque rem noxiam, & alienam, uel uerſus meatum inferiorem, contractis fibris ſe concutit, ut excutiat, ſi quid intimius in eo influxum, & abſorptum eſt. Particulatim autem differunt motus iſti tum uehemẽtia, & ui, tum uerò loco, in quo continetur materia, quã electurus eſt uentriculus. Nam uomitu natura utitur plerunque cum expulſura aliquid eſt, quod contentum in inani ſpatio uentriculi illi moleſtiam affert, E & proinde ſi illud intimis tunicis infixum ſit, fruſtra tentatur uomitus, neque enim quicquam eijcitur, ſingultu uerò, utitur, cum aliquid eſt excutiendum, quòd in tunicis ſit abſorptum, aut in ore uentriculi, aut in uniuerſo uentriculo, ad os enim primum pertinet ſingultus, ea uero, quæ ita abſorpta ſunt, difficilius expelluntur. Vnde & hac altera ratione differũt hi motus, Aph. 5. quod ſingultus uehementior, & uiolentior motus eſt, quàm uomitus: eſt enim motus ſimilis conuulſioni, nam contrahitur per ſuas fibras uiolenter, & multo impetu, ut excutiat rem moleſtam, ac in ſe concutit, ut in conuulſione concutiantur muſculi, contractis neruorum fibris. Vnde hac ratione quinto Apho. Hippo. ſingultum in eodem ordine cum conuulſione poſuit, quod ſi ad ſimilitu-

dinem referatur, vera quidem res erit, quia eodem ſe A
rè modo ſingultus fit in uentriuclo, quo conuulſio in
muſculis, quare & ſingultum in eaſdem cauſas, &
differentias retulit Hippo. in quas & conuulſionem,
nimirum in repletionem, & inanitionem. Sed (ut
Gal. docuit) ſi exquiſitè res ſit conſideranda, non po-
teſt ſingultus dici conuulſio; quia conuulſio ad moti
uam facultatem pertinet: eſt enim uitiatus motus (ut
tertio libro expoſuimus) earum partium, quæ inſtru-
menta ſunt facultatis motricis, hoc eſt muſculorum;
os uerò uentriculi neque muſculus eſt, neque moue-
tur ab ea facultate, ſed a naturali. Eſt ergo ſingultus
cap. 2. (ut ait idem Gal. 3. de ſymp. cauſ.) non quidem uera,
& integra conuulſio, ſed motus quidam uentriculi,
aut potius oris eius, quaſi conuulſiuus. In quo motu B
duæ facultates afficiuntur. Primum quidem expul-
com. 30. trix, nam cum motum natura præcipuè molitur (ſi-
cuti idem teſtatur 5. libro in ſextum epide.) vt excre-
menta noxia expellat. Leditur tamen & facultas, quę
continet, neque enim ſingultiens ventriculus probè
poteſt amplecti, & continere aſſumptum cibum.
Quod uero natura ſingultu vtatur ad ea præſertim
excutienda, quæ abſorpta ſunt in tunicis, quæq; diffi
culter extrudi poſſunt, eo argumento 6. Aph. oſten-
com. 39. dit Gal. quod ſi quis piper, uel per ſe, uel cum melle
deuoret, cui uinum aqua calida dilutum ſuperbibat,
ſtatim ſingultiet. Nauſea autem differt, quia minor
omnino motus, & minori ui concitatus, & eſt quaſi
præludium, vel initium vomitus: nam ſemper nau- C
ſea, vel faſtidium hoc (ut ſecundo de ſympt. cauſ. do-
cet Gal.) præcedit vomitum, quamuis non ſit neceſ-
cap. 14. ſe, ut ſemper nauſeam ſequatur uomitus, ſicuti ſcrea
tio tuſſim præcedit; licèt non ſemper tuſſis ſequatur
ſcreatiouem. Vnde nauſea (ut quinto de loc. affect.
cap. 6. ait idem Gale.) motus eſt vitioſus oris ventriculi, uel
expultricis facultatis in eo, quo nititur quàm citiſſi-
mè per gulam expellere, quæ ipſum malè afficiunt.
Propterea verò non ſemper vomitus conſequitur
nauſeam, vt item ſecundò de cauſ. ſympt. ait Galen.
quia aut cauſa parua eſt, ita ut quamuis nauſeam poſ
ſit, nequit tamen vomitum cōcitare, propterea quia
vomitus maior motus eſt, & maiorem, quàm nau-
cap. 2. ſea, cauſam exquirit, aut quoniam (ut idem ait primo D
de loc. affe.) humor abſorptus eſt in tunicis, qui inci-
tare, & faſtidium afferre poteſt, reijci verò vomitu ne
quaquam. Sed quæ hactenus expoſita fuere, quate-
nus ad rationem eorum, mihi ſatis eſſe uidentur.
Nunc ergo de eorum cauſis in vniuerſum, & parti-
culatim agamus, nam illę nobis omnem ferè curan-
di rationem oſtendent. Cauſæ enim ſymptomatum
ſunt ipſi affectus, a quorum natura petendę ſunt pri
mæ indicationes. In hoc autem videtur ſingultus ab
his alijs prędictis motibus differre, quòd nauſea, vel
vomitus non ſicuti ſingultus, habet duplicem cau-
ſam, a qua primum pendere poſſint, ut ex Hippo. ex-
poſuit Gal. inanitionem nempe, & repletionem. Fit
autem ex inanitione ſingultus poſt immodicam va- E
cuationem, ſiue illa propter ſanguinis copioſam effu
ſionem facta fuerit, ſiue ob nimium alui profluuium,
vel ſpontaneum, vel per purgantia medicamenta, ſi-
ue propter inediam nimiam, rarò tamen ex inanitio
ne fit ſingultus, & cum fit, ſignum ferè lethale eſt, ſi-
cuti & conuulſio lethalis eſt, cùm ex ſiccitate, & ina-
nitione prouenit. Sæpius verò fit ob repletionē. Hic
tamen vnum etiam conſideratione dignum eſt, pro-
pter id, quod retulit Gale. octauo de comp. med. ſec.
loc. nimirum quòd in conuulſione nemo præter has
duas cauſas, inanitionem ſcilicet, & repletionem, a-
liam tertiam inueniet, ſicuti poteſt eſſe tertia cauſa
ſingultus prȩter has duas, utpote qui poteſt ab acri
aliquo humore concitari, aut iecore, aut medicamen

A to acri, quę pungendo, & vellicando potius excita-
bunt ſingultum, quàm replendo multitudine ſua, ſi
quis tamen proteruire vellet, poſſet hoc idem repe-
rire in conuulſione, poſſunt enim ab acri humore
vellicari, & puncti nerui concitari, vt conuellantur.
Sed hæc diſputatio ad alium locum magis pertinet.
Nunc vero tantum exponamus, quantum poteſt no
bis in p̄ſenti hoc negotio ſatis eſſe. Dico ergo, quòd
ſi ſpaſmum, vel ſingultum ex repletione fieri intelli
gamus, quando a materia quantitate ſua grauante,
vel replente & diſtendente fiunt, mihi ſane videtur,
quod præter has duas cauſas ſit neceſſe & tertiam
addere, quæ ſit quidem ab humore, ſed qui non mul
titudine, & copia lædit, verum acri & mordaci quali
B tate. At ſi plenitudinem referamus ad omnem ſin-
gultum, qui fit à ſuperuacuo humore, ſiue illi p qua-
litatem malam, & acrem officiat, & irritet ventricu-
lum, ſine copia, & multitudine: erit omnis ſingultus,
vel ex inanitione, vel ex repletione: nam omnino
noxius humor item & ſuperuacuus eſt. Vnde (vt idē
Gal. ibi ait) & hæc differentia ſingultus facta vacua-
ione illius humoris per vomitum ſtatim curatur, fa-
ctas autem ex plenitudine ægritudines euacuatio ſa-
nat. Quamuis autem ea parte, quod ex ea inanitione
poteſt ſingultus concitari, à vomitu, & nauſea diffe-
rat: ex ea tamen parte, quæ fit ex repletione, aut ſimi-
lem habet, aut eandem cum illis rationem. Et primū
quidem, quantum ad id, quod hæc omnia, nimirum
C ſingultus, vomitus, & nauſea quandoque ſequuntur
proprios, & primarios ventriculi, & oris eius affe-
ctus, interdum verò fiunt conſentiente ventriculo
cum alijs particulis: nam ſingultus, vomituſque, &
eadem ratione nauſea, conſentiente ventriculo cum
capite in affectibus eius, prȩſertim verò in inflamma
tionibus cerebri, & membranarum, in fracturis, &
vulneribus capitis ad interiores partes pertingenti-
bus fieri poſſunt, per plurimos enim neruos, quorū
particeps eſt ventriculus: præcipuè uerò os eius plu-
rimum conſentit cum capite. Vnde malum eſt in his
capitis affectibus aliquod horum ſuperuenire, ut in
aphoriſmis teſtis eſt Hippocrates. Conſenſu etiā uen
triculi cum iecore poſſunt hęc eadem concitari ſym-
D ptomata, & id duplici ratione. Nam aut eo conſenſu,
quem abſolutum appellauit Auicenna, cum fit lęſio
ſine communicatione alicuius materię, id uerò fieri
poteſt per communes neruos iecoris, & uentriculi Com. 58.
(ut quinto aph. docuit Gal.) nec id fit niſi magna fue Com. 17.
rit inflammatio, quod repertum eſt ſeptimo aph. In
terdum uerò per conſenſum non abſolutum, com-
municata nempe materia biliosa ipſi ori uentriculi,
quę pungens irritat ipſum uentriculum, facilè uerò
hoc fit, quia multa in iecinoris inflammationibus bi-
lis generatur, q̄ inſigniter calida eſt, & facilè in prin-
cipium inteſtinorum, & uentriculum recurrit, quæ
& poteſt deinde ciere nauſeam, & uomitum, & ſin-
gultum. Sequitur autem ſępe ex hoc conſenſu, qui tū
E cum capite eſt, tum uerò cum iecinore, ut propter ca
lorem ex inflammatione (quemadmodum primo
Prorrh. expoſuit Galen. & tertio de loc. affect.) bilio- Com. 10.
ſa fiat excretio, interdum uerò & æruginoſa uel ſupe cap. 7.
rius per uomitum, uel inferius per aluum. Sed & cō-
ſenſu cum ilio inteſtino fit ſæpe uomitus, ſingultuſ-
que: hoc enim indicat (ut Gal. tum octauo de comp. cap. 3.
medic. ſec. loc. ait, tum ſexto aph.) affectus, qui iliacus Com. 15.
dicitur, à noſtris autem uoluulus, & ſingultus, uomi-
tuſque is exitialis eſt, nam ſtercus, ut ſeptimo aph. ait Com. 10.
Gal. uomitu reijcitur. Sed & conſenſu cum liene hęc
etiam (teſte eodem Gal. ſexto de loc. affect.) fiunt, ef-
fuſo ſanguine, uel ſucco melancholico inde in uen-
triculum. Sed (ut ille idem in lib. contra Eraſiſtratum
de uena ſecanda teſtatur) & ex hæmorroidibus, ſup-

preſſio

A preſſo nimirum ſanguine, qui ſolitus erat per eas periodos excerni. Aliquando etiam conſentiente vétriculo cum utero, (Com. 51.) ſuppreſſis (ut ait Galen. quinto Aphor.) menſibus excitatur vomitus, reijciturque interdum cruore. Quamuis, & uomitus aliorum uitioſorum humorum, atque adeo etiam ſingultus, & vomitus, qui prægnantibus in primis menſibus frequenter ſolent eſſe moleſti, poſſunt in conſenſum (ni fallor) uentriculi cum utero referri. Tandem uerò, & ex longa abſtinentia à cibo poſſunt, & biliosi uomitus, & ſingultus concitari, & ex ingentibus mœroribus, & ex dolore ingenti, in his enim omnibus rapitur bilis ad uentriculum, præſertim uerò ſi prius (ut (Com. 50.) eodem quinto Aph. Galen. ſcriptum reliquit) uentriculus ſit imbecillus, & malè affectus. B Quia uerò affectus primarij uentriculi longè maiorem rationẽ habent, cur in hoc loco tractandi ſint, quam illi, qui per conſenſum, ideo his expeditis, de illis quoque agamus, quibus primario afficitur uentriculus. Eſt autem hic animaduertendum quod quatenus ad effectus uentriculi primarios pertinet, quos hæc ſymptomata ſequũtur, non eſt amplius eorum omnino ſimilis, & par ratio, ſicut in illis erat, quando conſenſu fiebant. Nam cum primi affectus, & qui uentriculo proprij ſunt, ſint illi, qui in intemperatura conſiſtunt, eaque duplicem habeat rationem, quia aut cum materia moleſta eſt, aut citra eam. In illis, quæ ſine materia lædunt, ſolus ſingultus eſſe poteſt, qui quaſi eandem, uel ſimilem cum conuulſione habet rationem, ideo poteſt ex C inanitione, & immodica deſiccatione, & à ſola ſicciori intemperie ſine materia ortum habere. Nauſea uerò, uomituſque, & ſi (vt Galen. octauo de (Cap.) compo. med. ſec. loc. teſtatur) ratione, qua nõ fit ſine imbecillitate uentriculi, præſertim uero oris eius. (Omnis autem intemperies, ſiue cum materia ſit, ſiue citra eam, cum eximia eſt, imbecillam reddit hanc particulam) poterit quælibet intemperies inclinare, & facilem reddere ad nauſeam ipſam, uel uomitum. Quia tamen facilitas, & imbecillitas ipſa per ſe mouere, & incitare neque uentriculum poteſt, neque aliam particulam ad motum aliquem, niſi aliquid accedat, quod moueat, & agat, nam Galen. primo lib. de diffe. D feb. ait, quod quantumlibet corpus ex ſe ſit aptiſſimum ad ægritudinem, nunquam tamen ab ea corripietur, niſi pręter aptitudinem aliqua aliunde accedat occaſio, pronum hominem præcipitem in uomitum agens. Ideo neceſſe eſt aliquid eſſe præterea, quod in aliqua re moleſtet, & excitet eam particulam ad eijciendum, & propulſandum id, quod moleſtiam affert, nam omnia hæc ſymptomata ſunt motus expultricis facultatis, quæ nititur ea expellere, quæ illi moleſtiam afferunt. Sed uomitus quidem nunquam fieri poteſt ſine materia aliqua contenta in interno ventriculi ſpatio, etenim cum ſotus conatus eſt, qui inanis ſit, & ſine effectu, non eſt uomitus, ſed ſolum nauſea eſt. Vomitus uero eſt, cum aliquid reijcitur, E quicquid illud ſit, quod ſatis lucidè expoſuit Galen. 2. de ſymptom. cau. & 1. de loc. affect. (Cap. 4.) in ſingultu uero, quando ex inanitione fit, percipitur læſio quædam in ventriculo nimium exſiccato, quia ex ſiccitate fit ueluti quidam morſus, ſequitur enim inde continui diſſolutio, contractis, & exſiccatis confertim, & inęqualiter uentriculi partibus. Sed & ex frigore importuno fit ſingultus, quem cum in ſingultum ex repletione retulerit Galen. ſexto Aphor. (Com. & 4.) ſi exquiſitè loqui uelimus, non poteſt in intemperiem ſine materia referri, ut enim ille ait, neruoſæ partes, cum refrigerantur, denſantur, & confringuntur, unde prohibita diſflatione, tranſpirationeve replentur. Sed tandem vniuerſam hanc rationem horum motuum colligamus in unam ſummam. Itaque cum in omni motu

A ſit id, quod uim habet, ut moueat, & eſt illud, quod mouetur: mouetur quidem uentriculus, mouet autem (vt ſæpius diximus) facultas expultrix. Quia tamen neque facultas mouet, niſi prouocetur ab aliqua re aliena, neceſſe eſt, ut aliquid præterea ſit, quod extranea ſua natura facultatem uentriculi ad mouendum concitet: concitat uerò materia, quæ aut multitudine illi oneri eſt, & illum quaſi opprimit, aut aliqua mordaci, & acri qualitate pungens, & mordens. grauatur autem ſępe uentriculus à multo cibo, mordetur autem, & malè afficitur ab illius qualitate, uel a qualitate excrementorum, quam prę moleſtia ferre nequit, ſicuti contingit, quando cibus corrumpitur, & aut calidus, aut nidoroſus, aut amarus, aut acris fit: pręB terea ſi bilioſis, vel pituitoſis, uel ſeroſis excrementis ſit refertus, ſiue in uentriculo illa fuerint genita, ſiue ex uniuerſo corpore, uel ex aliqua alia particula eò cõfluxerint. Summatim autem (ſicuti teſtatur Gale. 3. (Cap. 20.) de ſymptom. cauſ.) quidquid contra naturam in uentriculo continetur, poteſt expultricem facultatem cõcitarę ad expellendum, & tandem pręter naturã contineri in uentriculo cenſendum eſt, quidquid ibi concoqui, & ſubinde alere non poteſt, qua ratione non modo acida, & ſalſa pituita, ſed & dulcis, & ſanguis etiam in uentriculum effuſus concitant vomitum. Vniuerſa itaque ratio horum ſymptomatum in duo capita referri poteſt, in imbecillitatem ventriculi, pręcipuè verò oris eius, quę ab aliqua temperatura ortũ C habet, & in pręſentia materię, quę extranea ſua natura a uentriculo ferri nequit. Peculiari autem ratione in hoc differt vomitus à ſingultu, & nauſea, quod vt tertio Prognoſt. & etiam de criſibus monet Gale. (Com. 3.) interdum potius vi morbi excitatur, interdum uerò naturę inſtituto, vi quidem morbi, quando ſolum habet rationem ſymptomatis, quod fit, aut ratione multę copię ſuperuacanei humoris, aut ratione malę qualitatis eorum, a quibus concitata natura omni ope cõgitur eos expellere, aliquando vero natura facta ſuperior, & quaſi domina per vomitum iudicat. Hoc autem de alijs duobus non ita pronunciare poſſumus. Illi verò facilius uomitu, & ſingultu tentantur, nauſeaque, atque frequentius, qui ingluuioſi ſunt, ut pueD ri ſunt, hi enim dum nimis ſe replent, facilè a uomitu, & ſingultu corripiuntur, quia uel multitudine grauatur uentriculus, vel a corrupto ex mala concoctione cibo mordetur. Qui etiam frigidum uentriculum habent, facilè ex potu aquę frigidę, vel uſu refrigerantiũ ab his ſymptomatibus corripiuntur. Sed & hoc non indignum ſcitu eſt, quod interdum poſt ſingultum ſequitur uomitus, nonnunquam poſt uomitum ſuccedit ſingultus. Vt autem Hippoc. & Galen. ſeptimo (Com. 3.) Aphor. teſtati ſunt, melius longè eſt, quando uomitus ſequitur ſingultum, quàm contra, quia ſępe euacuato per vomitum ventriculo, educitur materia, à qua irritabatur ventriculus, & ſedatur ſingultus; cum uero uomitum ſingultus ſequitur, malum eſt ſignum, E quę enim iuuare ſolent, ſi appareant, nec iuuent, malum portendunt, ſignificant enim, vel cerebrum, vel ventriculum magna tentari inflammatione, ſicuti etiam rubor oculorum in vomitu, & ſingultu ſignum non bonum ſunt, quia oculi rubicundi fiunt, quando uentriculus, uel cerebrum inflammatione tentantur, magis autem quando cerebrum. Sed hoc pręter ea omnia, quę hactenus expoſita ſunt de his ſymptomatibus, aduertendum, quod interdum concitatur vomitus duntaxat occaſione accepti cibi, nec id, quia aut multus fuerit, vel particeps extraneę alicuius naturę, ſed propter ingratum aliquem ſaporem, uel colorem, uel odorem, vnde multis accidit, ꝙ cum aliquem comediſſent, & gratus fuiſſet is cibus, et ſapidus, memoria alicuius rei fœdę, cuius aliqui fortè

interim

interim meminere, ſola imaginatione, & memoria illius rei vomere incepere: vel ſi illis fuerit ingeſta opinio, vel etiam falſa, quod fuerit illis cibis aliquid immixtum, quod ipſis abominabile ſit. Non erimus autem prolixi in explanandis ſignis, quibus diſcernendæ ſint cauſæ horum ſymptomatum, antequam earum curationem aggrediamur: quia quæ faciunt ad cognoſcendas intemperaturas ventriculi, præſertim verò oris eius, a quibus factum imbecillum facilè redditur, & procliue in vomitum, & ſingultum, abundè ſatis ſuperius fuere expoſita, de cognoſcendis enim his intemperaturis ſæpius in prioribus capitibus a nobis fuit actum, ſiue illæ cum materia eſſent, ſiue citra. Sed cauſæ, quæ a cibis petendę ſunt, cognoſci poſſunt ex anteacta ratione victus, conſiderantibus, quibus ille cibis fuerit vſus, qua copia, qua cōditura, quo apparatu: præterea an grauitas, an ardor, an morſus, an punctura fuerit percepta, quales ructus exeant. Signa vero, quibus diſcernenda ſint hæc, quando conſenſu ventriculi, vel quando ipſo primario affectu pronus in hæc eſt, debent inde præſertim peti: nempe conſiderando, an ſigna ſint inſignis alicuius, & mali affectus, vel capitis, vel iecinoris, vel lienis, uel inteſtinorum, & an fuerit importunè ſuppreſſum ꝓfluuium ſanguinis hæmorrhoidalis, vel menſtrui, vel mulier ſit prægnans, uel ſine malo aliquo harum particularum affectu ventriculus malè ſe habere videatur.

De ratione curandi hos affectus in vniuerſum, & particulatim. Cap. XV.

CVm iam conſtitutum ſit, ſicut præcedenti capite conſtituimus: hæc tria, ſingultum, vomitū, & nauſeam ſymptomata propriè, non morbos eſſe, quia ſunt vitioſi motus expultricis facultatis in ventriculo, liquido ſanè conſtat, ea neque indicare, neque requirere curationem primum, omnemq́; eorum curationem verſari in remotione cauſarum, vnde ipſa ortum, & occaſionem habent, niſi interdum hæc ita creuerint, vt iam cauſæ rationem induant. Nam immodicus vomitus vires deijcere poteſt, ſubtracto corpori alimento. Singultus quoque frequentior, & diuturnus lædit non parum concoctionem: motus enim concoctioni aduerſarius eſt: præterea læditur etiam contentrix facultas, ut non poſſit exquiſitè cibum (quemadmodum diximus) amplecti. Quare duplex erit iſtius curationis ratio in vniuerſum. Altera, quæ cauſam tollendam iſtorum ſymptomatum, Altera vero, quæ eadem ſymptomata reprimenda reſpicit. Primum ergo exponamus eā iſtius methodi partem, quæ verſatur circa remotionem cauſarum iſtorum ſympromatum: & cum hæc iterum duo contineat capita, quatenus in his interdum primario afficitur ventriculus: nonnunquam verò conſentiens cum alijs particulis, quæ primò laborant: in ijs quidem, quæ ſequuntur affectus aliorū viſcerum, cum quibus conſentit ventriculus, primū curationis ratio conſiſtit in remotione affectuum aliarum particularum neque ventriculus alia ratione tractandus eſt, præterquam ſi aliqua egeat roboratione: remotio autem illorum affectuum non pertinet ad præſens noſtrum inſtitutum, ſed ad eum locum, in quo agendum eſt de affectibus aliarum particularum, quæ ventriculum ſecum in conſenſum trahunt. Reliquum ergo eſt, ut de proprijs ventriculi affectibus, quos hæc ſymptomata ſequūtur, agamus. Cum itaque (vt expoſuimus) duas habeant occaſiones ſymptomata hęc, unam a ventriculo, aliam a materia extranea, quæ facultatem ventriculi ad expulſionem irritat, à ventriculo occaſionem habent, quate-

A nus os eius imbecillum eſt adeo, ut nō facilè ferat moleſtiam, quæ illi grauia eorum aut mordacia ſunt, aut aliena qualitate prædita. Hæc verò imbecillitas ortum habet ab intemperatura aliqua in ventriculo cōtracta: unde ea tollenda eſt per remotionem illius intemperaturę, & ad nauſeam pręſertim humida intēperies ad vomitumq́ue inclinat, vtpote quę laxiorem reddat ventriculi ſubſtantiam: deinde uerò frigida. Sępius autem in prioribus capitibus, quomodo imbecillitati ex intemperatura occurrendum ſit, expoſuimus, ſiue illa cum materia ſit, ſiue citra materiam: nam in vniuerſum contrarijs intemperaturę uitioſę occurrendum eſt, particulatim verò, quę ea ſint, deſcripſimus, cum ſimplicia, tum verò compoſita, ſed

B & vbi eſſet materia fouens eam intemperaturam docuimus, quanam ratione illa detrahenda ſit, & quibus medicamentis. Sed ſi occaſio horum ſymptomatum fuerit a materia excrementitia, ſiue ſit nimius cibus opprimens ventriculum, ſiue corruptus, ſiue alia quępiam materia, quę aut aliunde in uentriculum cōfluxerit, vel ibi etiam genita ſit, modo extraneam habeat qualitatem, ut expoſuimus, initium curationis accipiendum eſt ab euacuatione illius materię: nam nulla amplius erit reliqua moleſtia. Et quia facillimè vomitu vacuus ab excrementis redditur, quęcunque illa ſint, ſiue in ventriculo fuerint genita, ſiue ab uniuerſo corpore, ſiue ab aliqua particula in eum confluxerint: Ideo ſępe per vomitum tolluntur, & vomi-

C tus, & ſingultus, & nauſea, nec id quidem per ſe, quia curatio per contrarium fit, non per ſimile, ſed per accidens, quatenus per vomitum excernitur materia, quę erat in cauſa horum ſymptomatum. Vnde ferè in prouerbium deductum eſt, quod vomitus vomitu curatur, quod ab Auicenna acceptum eſt, ſicut etiam fluxus fluxu: & contra etiam profluuium alui vomitu, & uomitus alui profluuio. Sed in prioribus quando vomitus vomitu, vel profluuium profluuio curatur, ratione euacuationis excrementorum, quę erāt in cauſa vomitus, vel profluuij, fit curatio, in his autem pręter euacuationem eſt etiam reuulſio. Quotieſcunque ergo a materia extranea moleſtante ventriculum excitatur aliquod ex iſtis tribus ſymptoma-

D tibus, euacuatio illius materię in cauſa eſt, cur illud tollatur: euacuationi verò huic accommodatus eſt vomitus: Niſi tamen aliquid adſit, quod obeſt, quo vomitus ſit tentandus. Obſtant autem hęc, primum corporis vomentis, vel vomituri natura, vel affectio, ſicuti ſi ille ad vomitum difficilis ſit, & non niſi multo labore uomere poſſit. Inepti vero ad vomitum (vt ſecundo Aph. docemur) ſunt, qui gracilem, & macrum ventrem habent, quique thoracem habent angustum, in his enim non ſine periculo alicuius maioris incommodi vomitus tentari poteſt. Sed neque vomitus in his eſt prouocandus, qui vlcus, aut inflammationem in ventriculo habent. Deinde & ex parte humoris vacuandi aliquid interdum eſt, quod inuti- com. 31.

E lem vomitum facit; nam lentor, & viſciditas humoris reddit eum ineptum, vt per vomitum reijciatur. Quare vel alia ratione tentanda eſt vacuatio, vel humor ſecantibus, & detergentibus prius parandus eſt, ſicut oxymelite, rebus ſalſis, & id genus alijs, poſtea vomitus ciendus. Pręterea etiam cum humor abſorptus, & receptus eſt in tunicis ventriculi, non facilè vomitu eijci poteſt, vnde alia ratione experiendum, vt educatur, vel per aluum, cui rei (vt ſuperius diximus) aptiſſimum medicamentum erit hiera dialoes dicta, præterea & quę vim digerendi, & abſtergendi habent humorem laceſſentem ventriculum vacuāt, aut finiunt, pręſertim cum non habet fomentum a multa materia, tunc enim neceſſe eſt, vt inſignis vacuatio pręcedat. Vt autem particulatim rem hanc

tractemus,

tractemus; quę hactenus in uniuerſum, & communi quadam ratione fuit expoſita, incipiemus a ſingultu, qui cùm vel ex repletione occaſionem habeat; interdum vero, licet rarius, ex inanitione, quando ex inanitione fit, ſicut cum poſt ingentes, quęcunque illę fuerint, uacuationes ortum habuerit, uel nunquã, vel rariſſimè curari poteſt; & niſi quandoque in pue-
.41. ris, vel adoleſcentibus, in ſenibus autem (ut 7. Aph. inſinuaſſe videtur Hipp.) nequaquam, & ſi aliqua cu rationis ſpes reliqua eſt, ea uniuerſa conſiſtit in humectatione, & inſtauratione corporis. Qui vero ex plenitudine ortum habuit, vacuatione curatur, quę interdum per uomitum fiat, neque tamen ſemper eadem ratione vomitus, quatenus ad ea pertinet, per quę ciendus eſt, cuicunque ſingultui vtilis eſſe poteſt. Nam ſi ex acri, & mordaci humore ortum habeat, ea erunt accommodatiora, quę acrimoniam, & ardorem uitioſi humoris temperare, & obtundere poſſunt, duobus enim capitibus vtilia ſunt; & ratione, qua noxiam materiam per uomitum detrahunt, & quia temperant acrimoniam eius, ſi quid poſt vomitum reliquum ſit. Vnde hydrelęum optimum erit, decoctum ex hordeo, cremor etiam, vel ptiſana hordei, ut teſtis eſt Gal. 7. & 8. Method. Sed ſi ex craſſa, & viſcida pituita ortum habeat, erunt aptiora oxymel, & mulſa, detergunt enim, deinde & ſyrupus acetoſus & aqua tepida, nam pręter deterſionem, habet vim diſſecandi craſſos humores, valentius tamen eſt oxymel, in melle enim uis maior eſt attenuandi, & digerendi, detergendique quàm in ſaccharo, dandum vero vel ex tepida aqua, vel ex decocto radiculę, &
Co. 65. fortius erit. Sępe enim vidimus, ait Gal. 4. de Ratione vict. in acut. morb. in febricitantibus per vomitũ fuiſſe integrè curatum moleſtum ſingultum, reiecto humore mordaci, & acerrimo. Curatur tamen interdum ſingultus, cum non habet occaſionem a multa repletione, ſpiritum continendo diutius. Nam (ut 3. de Cauſ. reſpi. docuit Gal.) vim habet digerendi, & euacuandi, contento enim, & compreſſo ſpiritu interiora calefiunt, materiaque attenuatur, ſpiritus autem concluſus, vt egrediatur, impetu fertur per meatus particularum, atque ita exturbat inde materiam, quo fit deinde, ut ea ratione replete partes inanian-
Co. 13. tur. Sed & ſternutatio ſępe (ut tum Hipp. tùm Gal.
Co. 1. 6. Aph. & ſecundo de Sympt. cauſ. literis tradidere, & experientia comprobat) ſingultum tollit, nam eo violento, & repentino motu materia, vel etiam infixa excutitur. Sed ſi materia craſſa, vel lenta hęrente, vel infarcta tunicis ventriculi ſit excitatus ſingultus, eget attenuantibus, & diſcutientibus, vnde in lib. de facile parab. med. voluit oxymel ſorbendum eſſe, vel ſimplex, vel ſi ea pertinacior eſſet, etiam ſcillynũ, ait vtile fore: aliquando verò decoctum ex rebus valenter attenuantibus, & diſcutientibus: ſicuti ex menta, pulegio, origano, & id genus alijs. Octauo autem de Facul. ſimp. med. mirificè extollit radicem ſiſymbrij: itẽ & vſum caſtorei, & rutæ, aliquando verò cum ſingultus valdè pertinax eſt, & alijs remedijs, quæ vel uacuant, vel alia, quæ hactenus retulimus, præſtant, nõ cedit: cogitur medicus vti ualentioribus medicamentis, in quibus præter illa, quæ vacuant, digerunt, aliquo etiam modo roborant ventriculum; accipiuntur etiam, quæ ſoporem, vel ſtuporem particulis afferũt, ſicuti apparet in medicamento Aſclepiadis deſcripto a Galen. 8. de Compoſ. med. ſec. loc. accipit autem coſti, nardi ſpicæ, nucis vnguentariæ, quam myrobalanum appellant Græci, croci, roſarum viridium, maſtiches ſingulorum drachmas quatuor, aloes, aſſari ſingulorum drachmas duas opij drachmam unam; omnia ſucco pſyllij excepta in paſtillos rediganturac cedente autem opportunitate trium obolorum pondus dari ille voluit, quæ tamen eſſet fortaſſe magna doſis. Particulatim autem Galenus per omnia ſimplicia probat vtilitates medicamenti huius, quas in præſentia nolumus referre, ne nimis longi ſimus. Hoc tamen mihi non videtur prætermittendum, quod & mulieribus etiam videtur familiare, relatum autẽ in libro de facile parab. med. ad Solonem, ſpurio quidem: id vero eſt, quòd aliquando ex timore repentè, & inopinatè incuſſo ſedatur ſingultus: vnde mulierculæ pueris ſingultientibus, aliqua in memoriam reuocant ex ijs, quæ ab illis timeri ſolent. Vomitus autem quamuis (vt diximus) ſecundum propriam naturam ſit actio expultricis facultatis, uel motus eius vitioſus: interdum tamen, immo ſæpe etiam vtilis eſt, vt ex ijs, quæ ſuperius fuere expoſita, poſſet probari Vnde & in principijs acceſſionum intermittentium febrium, vomitus ſolet eſſet vtilis, vt in tertianis, & quotidianis: vnde ait Auicen. vomitus ante paroxyſmum aut eradicat, aut alleuiat, & in multis alijs affectibus, tum ratione reuulſionis, ut in podagra, fluxu, & iſchiadico, & renum dolore; tum uero ratione vacuationis, vt in morbis ventriculi, præſertim verò vtilis eſt, quando rationem habet criticæ vacuationis per quam (vt tertio de Criſib. docuit Gal. morbi Com. 32.
iudicari ſolent. Aliquando verò rationem habet ſymptomatis, & nocuus eſt, non poteſt autem unquam in principio, antequam appareat concoctio, habere rationem iudicatoriam, interdum etiam (ut in ſecundo in ſextum Epidem. & ſecundo Aphor. ait Galen.) Com. 28.
nocet, corpuſque extenuat, & vires deijcit, præſertim verò ubi modum exceſſerit. Ex quibus, ſi rectè quis animaduertat, facilè ſequitur, quòd uomitus aliquando dimittendus naturæ eſt, neque inhibendus, neque incitandus, aliquando iuuandus, & irritandus, aliquã do uero reprimendus, & ſiſtendus. Vbi enim criticus eſſe videatur, & natura pro ratione virium, & multitudinis materiæ commodè vacuaret, illi ſinendum uniuerſum negotium; nam ita & Hipp. primo Aph. 20.
Apho. conſulit, cum ait, quæ iudicantur, aut iudicata ſunt integrè, non mouere, neque irritare. Sed ſi difficilis ſit uomitus, & conatus plurimus, non ea tamen ſequatur euacuatio, quæ ſatis eſſe videatur, iuuãdus eſt aliquo facili, & leui medicamento, vt integrè morbus iudicetur; ſæpe etiam reprimendus, aut ſaltem moderandus, & id, quando aut nimis frequens, aut nimis moleſtus, adeoque copioſus, vt uires non modò uentriculi, verum & vniuerſi corporis interdum deijciat. Et quando uniuerſa eius ratio naturæ dimittenda eſt, ſicut in iudicatorio, non habemus, quod ijs, quæ dicta ſunt hactenus, ſit addendum, niſi fortaſſe hoc, quod aliquãdo, dum morbus iudicatur, vacuationes quidem inter initia videntur pro ratione procedere, attamen vel natura facta a præcedenti morbo imbecilla, vel aliquo errore ſuperueniente, vel ex nimia copia materiæ uacuandæ, quæ nimis copioſo & frequenti uomitu naturã laſſat, ſit, ut uẽtres non facilè laborem eum ferre poſſint, quare & in his erit opus aliqua repreſſione. Quemadmodum etiam uerſa uice, ſi inter initia quidem liberalis fieret uacuatio, mox tamen aut ex ineptitudine humoris, aut ex laſſitudine naturę, parcior ſequerentur uacuatio, quàm nobis ratio plenitudinis uideretur requirere, iuuandus omnino, ſed modeſtè, eſſet uomitus. Quibus autem iuuandus ſit, quatenus ad ea uomitoria, quæ modeſta, & temperata ſunt, ſatis abũdè paulò ante expoſuimus. De ualẽtibus autem uomitorijs, ſicut priſcis temporibus erat album ueratrum, & id genus alia, ut noſtris temporibus de uſu cecidere: ita neque ad noſtrum inſtitutum agere pertineret; cum potius in pręſentia agamus, ut uomitui, occurramus, quàm quòd ipſum ciere uelimus. Sed (ut di-

ximus

ximus) ſemper in vomitu moleſto, & frequentiori hæc duo conueniunt, nimirum imbecillitas ventriculi, & aut multa, aut extraneæ naturæ materia, quę ventriculo moleſta eſt, quæque aut in uentriculo ortum habuit, aut aliunde confluxit; aliquando ex viſu, vel memoria, vel imaginatione alicuius cibi, quem abominatur ventriculus, cietur vomitus. Quantum ad primum pertinet: nempe ventriculi imbecillitatem remouendam, & ventriculum firmandum, multa hactenus dicta ſunt, & quantum iam poteſt eſſe ſatis. In procuranda enim ventriculi firmitate conueniunt omnes rationes curãdorum affectuum ipſius: quatenus autem ad materiam pertinet, quando aliũde confluit, iam diximus, quod præter robur uentriculo addendum, in primis occurrendum ſit illi particulæ, cuius vitio fit ea defluxio ad ventriculum. Et Trallianus quidem Alexander vnum traditum literis reliquit non omnino ſpernendum, ad diſcernendũ, quãdo aliunde defluit materia ventriculum ad vomitũ prouocans: & quando vitio ventriculi generatur, quãcum aliunde profluit, per longiora interualla fiunt, & defluxus, & uomitus: neceſſe ſiquidem, vt in illa particula prius paulatim generetur, & congeratur: mox verò ad uentriculum impellatur, in uentriculo verò quaſi cõtinenter ex cibo generatur, uel per corruptionem, uel per cruditatem. At verò cum iam reprimendus eſt vomitus, nec vlla aliunde, præterquã à ventriculo, petenda eſt occaſio: remota prius cauſa, hoc eſt educta materia, quæ uentriculum in uomitum reddebat pronum, primum ratione victus congrui obſiſtendum huic ſymptomati: & quatenus ad cibum ſpectat, ea omnia declinare debemus, quæ ventriculum ſupinum reddere poſſunt: in quibus primum quidem eſt nimius cibus, qui grauare ventriculum poſſit: nimius item potus, vt ſupra menſuram, quam expoſcere videretur cibus aſſumptus. Nam præterea quòd nimius humor laxat ventriculum, fluctuat etiam in eo: & eſt in cauſa, cur complecti congruè cibum non poſſit, præterea ſermones fugiendi, in quibus eorum fit mentio, quæ ſolent faſtidire audientem. Particulatim vero vitandi ſunt cibi, qui ſuaptè natura ſolent ventriculum ſubuertere, ſicut cerebra animantium præſertim ſi pingui aliquo liquore condiantur, & poſt alias epulas comedantur, & pinguium eduliorum multus eſus. Solẽt etiam facilè ciere (ut ſecundo de Alim. facult. dixit Galen.) uomitum melopepones, & adhuc longe magis pepones: [com. 22.] oua etiam ſorbilia ſtomachum ſupinum reddere ait Galen. Neque obliuioni tradendum pręceptum nobis ab eodem in Commentarijs in librum de ſalubri victus ratione, nempe quod ſimplici veſci cibo, & vnico vti uino, ſemelque, aut ad ſummum bis in die comedere, neque varijs, & multiplicib. uti ferculis, multisque vinis in eadem pręſertim menſa plurimum cõducit ad cibum, tum continendum, tum concoquendum in uentriculo. Sed & motus omnis ferè a cibo cauendus eſt illi, qui in uomitum pronus, ſi memores ſumus Hippocraticæ ſententię deſcriptæ quarto Aphor. docentis ad faciliorem vacuationem per uomitum accommodatam eſſe corporis motionem, ſicuti ad uomitum ſiſtendum magnam uim quies habet, maiorem autem ſomnus, vtpote in quo omnes animales facultates ociantur, tam ſenſitrices, quàm motrices. [Aph. 14. & 15.] Deinde verò ea quam maximè opportuna erunt, quę uim reuellendi, aut deriuandi habent, ſicuti eſſent, quę urinam ciere poſſunt, quęque ad inteſtina, & inferiorem uentrem deriuare defluentes humores ad ventriculum, ſicuti ſunt clyſteres, & glãdes, aut acriores, aut minus acres, aut lenes, pro ut aut pertinacia vomitus, aut difficultas humoris ratione craſſitiei, uel lentoris, aut naturę curandi corporis magis uidetur requirere. Primo etiam ad Glauconem docuit in pertinaci uomitu uincire crura dolorificis vinculis utilem eſſe, & accommodatam auerſionem, & in eodem genere poſuerim frictiones ualentes, pręſertim vero illas, quę non manibus mollibus, ſed rebus aſperis fiunt. [Cap. 14.] Tertiò uero rebus moderatè aſtringentibus firmandum os ventriculi, unde Gal. ſecundo de Alim. facult. dixit, quòd utile eſt in hac re poma acerba ſub cineribus mediocriter aſſa, aut ad uaporem feruentis aquæ elixa, uel polenta inuoluta, comedere à cibo, uel etiam cum pane, in eodem ego poſuerim & cotonea mala exquiſitè matura, & ſuccum vuæ acerbæ, præſertim ſi uomitus occaſionem haberet ab acri humore, & rhu obſoniorum & orizam probè coctam, ſed & lentes decorticatas, & multa alia id genus poſſemus referre, nec modo hęc, ſed poſſemus meminiſſe multorum ſyruporum, qualis eſt roſaceus, præcipuè vero qui ex roſis aridis confectus eſt, & qui ex granis, uel ſucco potius mali punici, & qui ex cotoneis malis, quorum ſi ſemunciam ante acceptum cibum, uel etiam a cibo deuoret, vel diacytoniten, uel alia multa, quæ cum his ſimilem rationem habent, uomitus continebitur. Fomentaque magis, uel minus aſtringentia ante cibum adminiſtrata, non eſſent præter hoc inſtitutum, & cetera. Verum quia de his multa ſuperius uerba & fecimus, & inferius etiam nonnulla facturi ſumus, vbi de cholera ſumus ſermonem habituri, in qua eſt impetus uentriculi ſimul ad ſuperiorem, & ad inferiorem meatum, unde ſimul in eo affectu fit per uomitum, & profluuium alui euacuatio; Ideo decreuimus in hac re non eſſe longiores, ſed hic conſiſtere, & finẽ facere.

De cholera, vel (ut iuniores noſtri loquuntur) de cholirica paſſione. Cap. XVI.

ET affectus, quem Gręci choleram nuncupãt, iuniores verò Arabum ſequaces cholericam, primum quidem ad expultricem uentriculi facultatem pertinet, & in eo non ſolum læditur os uentriculi, ut in ſingultu, & vomitu, verum & inferior particula, ad quam pertinet os inferius, quod pyloron Græcè dicitur, nam ſimul ad uomitum, & alui profluuium mouetur uentriculus. Nomen autem habuit apud Gręcos, vt teſtatur Gal. ſecundo Metho. ab eo humore, quem ipſi credidere eſſe in cauſa iſtius affectus, bilis enim χολὴ dicitur. a qua deinde χολέρη, uel cholera dicta eſt Gręcè. Et quamuis aliorum plerique de cholera agant, tanquam uno ſimplici affectu, Quarto tamen de Rat. vict. ſiue lib. Hippocr. legitimus fuerit, ſiue ſpurius, duas nouit iſtius affectus differentias auctor ille, alteram quam aridam choleram appellauit, alteram uero humidam, utramque autem vno communi nomine immo ferè communi genere comprehendit, ob id præſertim (ut expoſuit ibi Galen.) quod utriuſque unus, & communis eſt generationis modus, ex corruptione ſiquidem [Cap. 2.] in uentriculo utraque differentia generationis occaſionem habet, differunt autem humore, quam enim humidam appellauit, ea occaſionem habet ab acribus humoribus genitis uitio ingeſtorum ciborum, illa autem, quam aridam nuncupauit, ſuum habet ortum ab acri, & flatulento ſpiritu eadẽ ratione & ipſo genito. Hanc ſententiam pręſertim ſecutus eſt auctor ille, cuius eſt libellus ſane elegans, cui titulus eſt Medicus, uel introductio. Fit itaque cholera, quam humidam hi appellarunt ſæpius, quando concoquendus cibus corrumpitur in humorem uitioſum acris, & mordacis naturę, qui facultatem expultricem uẽtriculi, acrimonia pungens & mordens uiolenter ad

excernen-

excernendum concitat, & quaſi furorem præ mole-
ſtia adigit : quam contentrix facultas nequit amplius
perferre. Poteſt tamen & a nimia multuditudine idẽ
incommodum ſequi, ſed non ad alterum tantum vẽ-
triculi oſtiolum excernendam materiam impellit, ve
rum ad vtrunque, vt ſimul tam per ſuperiorem quã
per inferiora euacuetur. Et ſi quis quærat, unde fiat
tanta excretio, quantam quandoque vidimus in his
fieri, qui hoc affectu erãt correpti: ſæpe enim vix cre-
didiſſet quiſpiam duo corpora potuiſſe tantam ex-
crementorum copiam, nedum vnum ventriculum
capere. Reſpondebimus quod ſicuti duplex eſt cauſa
eius generationis: ita & duplex eſt cauſa, cur adeo co
pioſa multitudo excernatur, interdum enim ex vni-
uerſo corpore confluunt vitioſi humores in ventri-
culum, qui ipſum irritant, vt ſæpius in prioribus capi
tibus fuit expoſitum: ita vt initium quidem, & ortus
iſtius perturbationis ab alijs particulis potius fuerit,
quàm ab aliquo vitio contracto in ventriculo, conge
ſtis enim pluribus vitioſis humoribus, qui vel ſuapte
natura ſint acres, vt eſt bilis, vel aſcititiam acrimoniã
ratione alicuius corruptionis contraxerint, cum inci
piunt eſſe moleſti naturæ, & contentrici facultati ea-
rum particularum fit eorum impulſio, ut ea mole-
ſtia illæ liberentur. Ad eam autem partem impellũt,
quæ illis magis commoda eſt: ſæpe ad uentriculum,
& hac ratione interdum cholera excitatur. Vnde (ut
cap. 3. idem Gal. 3. de Natur. facul. & tertio item de Sympt.
cap. cauſ. ſed clarius quoque ſeptimo Meth. ait) fit interdũ
cap. 1. vt aliqui per quoſdam veluti periodos correpti a cho
lera, copioſeque expurgati ab eiuſmodi vitioſis ex-
crementis: quamuis fieri nequeat quin in adeo libe-
rali, & copioſa vacuatione aliquid utilis excernatur;
paulo poſt tamen reſumptis viribus, longe melius ſe
habeãt, & ſani interea degant. Quandoque verò ini-
tium totius mali in uentriculo eſt, ob cibos in uitio-
ſos humores, & nidoroſos conuerſos, uel etiam quã-
uis primum a calore uentriculi crudiores ſint relicti,
cum eos natiuus calor ſuperare nequiuerit, mox ue-
rò in uentriculo putreſcunt, & acrem ex putredine,
ac noxiam qualitatem contrahunt, a qua con-
citantur facultates uentriculi ad eos extrudendos,
quanto poſſunt maiori conatu, & ſæpius aliquæ par-
ticulę iſtius corrupti humoris hærentes oſculis uena-
rum pertingentium ad uentriculum, ea mordent cõ
tinenter & irritant, adeò ut ſubinde communicata
ad alias illis continentes uenas moleſtia, tandem in
uniuerſo corpore concitentur fluxiones ad uentricu
lum, ita ut facultas expultrix quaſi furore uideatur
percita, nam nõ noxia modò, uerũ & utiles ſuccos cũ
illis expellit, & quemadmodum teſtantur Græci om
nes, in hunc affectum ſolent ea ſymptomata ferè om
nia, de quibus hactenus in hoc libro ſermo habitus
eſt, ſimul conſpirare. Etenim & nauſea, & uomitus,
interdum & ſingultus, præterea anguſtia ſtomachi,
uel (ut Græci) cardialgia, æſtuatio, inflatio, dolores
uentriculi, & inteſtinorum, & id genus reliqua inſu-
per, & alui profluuia interdum immodica ſimul con
ſpirant, & horum ratione ſubinde & deteriora, ſicu
ti ſunt animi deliquia, tũ ob uacuationẽ immodicã,
tum ob morſum excitatum in ore uẽtriculi ab acrib.
c. 14. humoribus qđ docuit Gal. 1. lib. ad Glauc. immo ſępe
c. 3. & uires eiſdẽ de cauſis adeo affliguntur, deijciuntur,
c. 17. vt pulſus quemadmodũ in Iſagog. libel. de pulſ. ille do
c. 9. cuit, itẽ 3. de Cauſ. pulſ. & 2. de Præſag. expulſ.) ſæpe
c. 1. fiant formicantes, aut uermicantes, ſæpe etiam (ut idẽ
c. 1. 12. 5. Aphor. teſtatur) accidunt in hoc affectu conuul-
c. 3. ſiones, quibus præſertim cruris muſculi contrahun-
tur. Vnde Gal. primo Aphor. non præter rationem
hunc affectum in morbis peracutis poſuit, cui & Ale
xander, & Auicenna aſtipulantur, familiaris in pri-

A mis (vt tertio Aphor. idem teſtatur) iuuenibus, ea
ratione, qua hæc ætas bilioſiſſima eſt, poſtea verò
inclinantibus, & id quatenus ad naturam, & ratio-
nem ætatis pertinet. Nam ſi ad malam rationem
uictus, qua pueri utuntur ſpectemus, cum alioquin
ingluuioſiſſimi ſint, & utantur peruerſa ratione
tam in copia, quàm qualitate, & ordine, atque præ-
alijs ſint fructuum, qui facilè putreſcunt cupidi; illi
frequenter, mox & adoleſcentes non raròab hoc
malo corripiuntur: neque enim mala ratio victus,
ratione putrefactionis, corruptionique ciborum
in ventriculo, minorem uim habet gignendi ſimiles
affectus. Vnde quæcumque facilè corrumpuntur,
dum coquuntur, ea facilè poſſunt choleram afferre:
B ſicuti lac in aliquibus facilè (vt ait Galen. ſecundo Cap. 13.
de Facul. ſimpli. medica. & quinto Aphor.) putre- Com. 64.
ſcit, in illis nimirùm, in quibus calor uentriculi ig-
neus eſt: ſed & fructus omnes humidiores, vt cera-
ſa, armeniaca mala, & perſica, & mora, atque id ge
nus alia, præ cæteris autem pepones, & melopepo
nes damnauit Gale. ſecundo de Aliment. facul. ſed
idem quarto de Rat. vict. in acut. mor. porcellorum
tenellorum carnes ob multam humiditatem excre-
mentoſam improbauit, quæ ſi ſint in coquendo am-
buſtæ, ad choleram pariendam aptiores ſunt: ex exu-
ſtione enim acrimoniam comparant. Solent autem
facilè eſſe occaſioni gignendo huic affectui cibi, è
quibus ſolent multa, & acria excrementa gigni, nam
C primùm ventriculum mordentes, & affligentes illum
excitant ad euomendum, & deiiciendum, ut no-
centem materiam extrudas, deinde uerò aliquæ iſto-
rum exrrementorum (ut paulò antea dicebamus,
reliquiæ oſculis uenarum pertinentium ad ipſum
ventriculum hærentes concitant. Et affectus is cho-
lera à Græcis omnibus (vt dicebamus) dicitur; à
noſtris iunioribus uerò, qui Arabum veſtigia ſe-
quuntur, cholirica paſſio, vel affectio vocatur: & ita
abſolute prolata hanc primam differentiam, quam
humidam appellauit Hippo. intelligunt. Altera ve-
ro, quam ſiccam, uel aridam uocant, reliqua omnia
ſymptomata ferè eadem habet: præterquàm quod
nihil in ea humoris neque uomitu, neque per aluum
D excernitur; ſed tantùm flatus, proinde dixit Gale.
quod duæ hæ differentiæ non differunt, niſi humo-
re: qui quidem acris excernitur tum per uomitum,
tum inferiùs per aluum, in arida uero inflatur qui-
dem venter, & diſtenditur: vnde latera, & lumbi do
lent, aluus potius ſupprimitur: & ſicuti prior ab acri
humore, præſertim ex corruptione genito ortum
habuit; ita hæc ab acri, & flatulento ſpiritu eadem
de cauſa genito. Sed de his ſatis iam diximus. Ex
quibus facilè percipi poſſunt, quæ, & quales ſint
cauſæ, à quibus ſuam habet originem iſtiuſmodi af-
fectio, ſed & ſigna, quibus diſcernendæ ſint duæ hæ-
quarum meminimus, differentię, præterea uero
qualitas eorum, quæ uel euomuntur, uel per aluum
E deijciuntur, indicare poterunt, num uitio ciborum
ingeſtorum, ac mox corruptorum; an uero ex acri-
bus humoribus aliunde confluentibus ad uentricu-
lum; & huic capiti multa, quæ in ſuperioribus fuere
expoſita, accommodari poterunt; & proinde non
eſt amplius in his conterendum tempus, ſed ad cu-
randi rationem tranſeundum, ut tandem huic libro
finem imponamus. Et quia frequentior, & notior
omnibus eſt cholera humida; ideo de ea priorem
inſtituemus ſermonem. Inter initia itaque iſtius af-
fectionis primus ſcopus ab omnibus proponitur, vt
antequam quicquam aliud moliamur, quicquid ui-
tioſi aut corrupti in uentriculo continetur, id vni-
uerſum detrahatur, ne ſi fuerit, ſicut omnino erit,
opus aſtringentibus remedijs firmare, & roborare
ventri-

ventriculum, magis impingantur, & hærentia ventriculo, & venis reddantur excrementa, quæ agitant, & mordent uentriculum, uel interdum etiã vitioſa materia in venas digeratur. Detrahendus autem malus hic humor, quemadmodum conſuluit Paulus, ſecundum eius propenſionem, aut per vomitum, aut per aluum inferius: vomitu quidẽm excitato (vt idẽ Paulus, & Raſis ſenſere) digito, aut penna ori ad fauces iniecta, ſed prius epota copioſa aqua dulci tepida, nã tepore, & humiditate laxando os uentriculi, ſupinum reddit, abluit etiam corruptos, & uentriculo hęrentes humores, præter id, quod reprimit, & obtundit eorum acrimoniam, abluendo autem interdum ea ad inteſtina deducit. Ego uerò ſæpe pro aqua tepida vtor iure leui, & macro pulli gallinacei cõfecto ex multa aqua, in qua etiam paruus ſit concoctus pullus: nã non minorem uim habet abluendi, & temperandi acriora excrementa (ut tradidit Galen. ſecundo de facul. alimen.) atque ſi uomitu reijciatur, perinde erit, ſicuti, & aqua tepida, poteſt vero frequenter bibitum, & excrementa diluere uerſus inteſtina, quod ſi contineatur, ſicut ſolet, poſtquam iam uentriculus ſit redditus mundus, tum grato odore, tum uerò familiari quadam qualitate, uentriculum aliquantiſper firmat: Sed ſi ad inferiorem aluum magis prona videantur hæc excrementa, eorum excretionem iuuandam eſſe ait Paulus, nam excretio per eam partem minus deterret, & turbat corpus, quàm per vomitum, iuuanda verò eſt, non ſoluentibus medicamentis, ne natura concitata iam, præceps in ruinam agatur, ſed facilibus, & delinientibus potius, quàm irritantibus clyſteribus, quemadmodum eſſent, qui parantur ex iure aliquo, aut pulli gallinacei, aut vituli, aut hædi. Mihi aliquando vtile viſum eſt ius coctorum inteſtinorum: quæ ab iſtis, qui farcimina vendunt, parari, & cocta vendi ſolent, eorum iure pingui ſæpe declinante acri materia ad inteſtina, vſus ſum, atque ex eo paratis clyſteribus, addito uno, uel altero vitello oui, & oleo, vel dulci communi, uel amygdalarum dulcium, interdũ verò, ſi ingens fuerit dolor, oleo roſaceo, quod completum appellant. Quandoque fęliciter medici vtuntur clyſteri ex ſimplici oleo dulci, nullo alio ferè addito. Mundato autem ab his excrementis ventriculo, conſiderandum ſubinde eſt, num occaſio affectionis prima fuerit concoctio infęlix uentriculi, uel ratione ipſius, uel ratione ciborum, quomodo ſuperius expoſuimus, aut occaſio prima fuerit non tantum ex uentriculo, quantum effuſio bilis, vel bilioſi alicuius excrementi ex iecinore, uel aliunde. Quia ſi occaſio ſit vniuerſa in ventriculo, illi poſtea ſoli proſpiciendum, & conſulendum, nimirum, vt firmetur, & roboretur, & in hoc etiam conſenſere omnes, interius, & exterius agendum eſſe, ut robur ei addamus. Interius quidem; medicamentis modeſtè aſtringentibus, unde ſi æſtuatio, & ardor perciperetur in uentriculo, ſaccharum roſaceum, uel recentius, vel antiquius, vt maioris aſtrictionis, uel minoris uidebitur eſſe opus, accommodatum eſt. Venetijs in frequenti vſu in curanda hac affectione erat medicamentum illud ferè vulgare, quod diarhodon Abbatis paſſim vocatur, deſcribitur uerò a Nicolao, quamuis plerique ex ſaccharo conficiunt, & redigunt in duriores placentulas, ſimilia uerò medicamenta vulgo confectiones appellant, ſemperque in his mihi viſus eſt utilis eius eſus. His ergo ſolemus utiliter vti, ac ſimilibus, nam interdum ſi his careremus, ſaccharum addito modico cinnamomo, uel macere, uel ſimili aromate aptum eſſet, quod ſi uideretur calidius iuſto, temperari poſſet puluere corallorum rubeorum, uel margaritarum ex arte paratarum, ut ſi acciperemus ſacchari roſacei vnciam, cinnamomi vero triti drachmam, drachmam item coralij lapidis, uel margaritarum, ac huius compoſiti tertia pars daretur ieiuno, & ſi durius uideretur medicamentum, poſſet aliquo iuleb, uel ſyrupo addito, reddi tenerius, ut roſaceo, uel ex cotoneorum ſucco. Quandoque cum alijs careremus, maſtichem ex decocto mali alicuius aſtringentis in puluerem redactam obtulimus. Hæc autem cauſa exempli ſint, deſcripta: nam particulatim perceptis ſcopis, & natura ſimplicium medicamentorum facilè deinde ubique eſt aptã materiam reperire. Exterius etiam ſuccurrendum vẽtriculo illis auxilijs, quibus confirmari poſſit, conferũt autem (vt & in hoc omnes conſenſere) fotus, qui modeſtè calefaciãt, modeſtus enim calor excitat, et iuuat natiuum ventriculi calorem ferè diſſolutum ex labore, & inquietudine, unde ſi foueatur ventriculus calidis linteis nõ parum aridis his fomentis, ſed & aliquo etiam oleo, quod ventriculo commodum ſit, fouendus, quemadmodum eſſent oleum maſtichinum, abſinthinumque, vt tamen ſemper & affectionis, & tẽporis ratio habeatur, quia ſi febrem adiunctam habet, uel ſi æſtum plurimum in uentriculo ęgrotans percipit, vel ſi æſtas ſit, & æſtuoſum tempus, illis eſſet aliquid intermiſcendum, quo temperatior fieret horum calor, ſicuti eſſet roſaceum oleum, uel melinũ, hoc eſt ex malo cotoneo paratum, poſſent, & fomenta fieri ex uarijs decoctis, vt ſi roſarum folia, & flores chamæmeli ex aqua, & uino modicè aſtringente coquerentur, uel alia his ſimilia, de quibus ſermonem habuimus in capite de morſu cordis, uel uentriculi. Quatenus autem ad uictus rationem pertinet, nihil his utilius quiete, & ſomno, nam motione turbatur corpus, & humores agitantur, quiete uerò ſedatur omnis agitatio, ac melior fit coctio, ſomnus etiam omnes vacuationes ſedat. Vnde Hippocr. Galenus, ac cęteri omnes conſulunt ſomno eſſe indulgendum: cibus uero inanito uentriculo, & expurgato à putri materia, dandus eſt, qui boni ſucci ſit, & facilè coquatur, neque tamen facilè poſſit putreſcere, quique ventriculum laſſum non grauet, ſicut eſſet panis ex iure pulli gallinacei iuuenis coctus, uel ex eodem iure vitellus oui cum modico ſucco vuæ immaturæ, vel ſucco mali punici, vel ſucco malorum cotoneorum, poteſt & modicum vini aliquantiſper aſtringentis, & commodi uentriculo dari cum pane, ad addendum robur uentriculo modo modicum illud ſit, & corpus febris ſit expers. Sin autem eo res procedat, ut iam ex immodica uacuatione uires fatiſcant ſiue per uomitum, ſiue per alui profluuium, ſiue per vtrumque id fiat, rebus aſtringentioribus ſuccurrendum, tam interius exhibitis, quàm exterius adminiſtratis. Interius quidem ſaccharo roſaceo antiquo admixtis coralis, aut ſyrupo roſaceo ex roſis ſiccis, & ſucco cydoniorum, pane aſſo ex aſtringenti vino, & ſi vehemens fuerit calor, ſyrupo, quem ex ſucco vuæ immaturæ conficiunt, (appellant autem de agreſta) aut ex ſucco malorum punicorum, quæ granata vocant, aut id genus alijs. Exterius uero fomentis confectis ex aſtringentibus item, ſicuti ſunt roſarum aridarum folia, labruſcæ flores, rhus etiam quod obſoniorum antiqui, Arabes uero ſumach uocare ſolebant, capreoli uitium, germina rubi, folia, & fructus myrti, citini malorum punicorum, malicorium, & id genus alia, quibus ex aqua, & uino auſtero coctis foueri poteſt uenter inferior, ex eiſdem tritis, & contuſis ex aliquo ſucco, ut eſt cotoneorum, uel malorum punicorum, additis deinde oleo maſtichino, & cotoneorũ fieri poteſt cataplaſma, uel ſi ea coquantur ex aqua, & uino (vt nuper diximus) ac colata tundantur in mortario, poterit fieri emplaſtrum, addito aliquo oleo amico uentriculo, poteſt etiam deliniri venter inferior oleis aſtringentibus, ut eſt maſtichinum,

num,abſinthinum,ex cotoneis,vel roſaceum,præſertim omphacinum: vt tamen ſemper reſpiciamus naturam affectus,& magnitudinem, nimirum vt quanto profuſior,& contumacior vomitus,ac magis præceps alui profluuium, eo magis aſtringẽtia eligamus, ac quo humor calidior,& acrior, maiorque ardor in ventriculo,eo etiam minus calidis vtamur, & magis ad refrigerantia declinemus. Sed inter omnia, quæ ad hunc ſcopum attinent medicamenta ab auctoribus deſcripta ego ſæpiſſime quàm maxime, utile longa experientia reperi emplaſtrum id,cuius in hoc capite meminit Paulus, & diaphœnicon nuncupat,q̃a ex palmulis cõſtet,Meſue etiam in ſuo appellato Antidotario eius compoſitionem expoſuit: & quamuis forſitan aliqua ſit in his differentia, ea tamen adeo modica eſt,vt eorum vires variare non poſſit. Optimum quidem eſt medicamentum, & quod uentri inferiori extenſum, plurimam vim habet reprimendi immodicos vomitus, immodicaque alui profluuia, atque in dyſenteria plurimum fuiſſe vtile ſæpiſſimè ſum expertus. Si autem choleræ occaſio non tantum ſit in ventriculo,quantum in fluxione acrium excrementorum,qui a iecinore,vel alijs partibus effundũtur in ventriculum, tunc oportet bipartitam eſſe rationem curationis,nimirum,vt & ratio habeatur particulæ,vnde fit effuſio,atque ut cauſas remoueamus, cur fiat effuſio, correctis ſcilicet vitijs, ſi qua ſunt in ea particula, ea quidem methodo, qua eorum affectus curandi ſunt, & altera habeatur ratio ventriculi recipientis influentia excrementa. In quo peragendo multiplex ſcopus offertur;quamuis in vniuerſum vnicus videatur,ille verò eſt, ut auertantur irruentes ſucci ad ventriculum. Id autem partim reuulſione, partim deriuatione agendum. Reuellunt quidem frictiones extremarum partium, earundem vincula, dolorifica,cucurbitulæ affixæ præcordijs, vim autem magnam habent, ſi particulæ impellenti affigantur, ſicut iecinori,aut lieni,item & balnea aquæ dulcis,vt & Gal.docuit;uẽtriculus demum roborandus aſtringentibus tam externis, quam internis, quorum hactenus ſepe meminimus. Quia verò Paulus, Alexander, Dioſcorides mentam ſummoperè laudauerunt, de ea paucis quibuſdam relatis, tranſibimus ad alteram differentiam huius affectionis. Nulli itaque dubium eſt,mentam in roborando ventriculo inter precipua medicamenta eſſe,niſi quòd calidior aliquanto eſt. Vnde cum is affectus calidus item ſit, nimis interdum calefacit, quare ſæpe ea ſimplici, & ſola tutò uti minimè poſſumus, ſed cogimur alia etiam illi immiſcere, quæ refrigerent, ſint tamen uentriculo commoda; quandoque autem ſyrupo ex ea confecto utimur, nonnunquam decocto; ſed in præſentia frequentior eſt ſyruporum vſus introductus ab Arabibus, ac eorum ſequacibus; ideo ſyrupus ex menta qui deſcribitur a Meſue conficitur additis ſucco cydoniorum & malorum punicorum. Commodiſſimus ergo ſyrupus in his affectibus eſſe poteſt, & ſatis temperatus,ſed ſi magis refrigerantem adhuc propter perceptum in uentriculo inſignem calorem,redderé vellemus, poſſemus vnciæ illius addere ſemunciam ſyrupi roſacei, vel ſimilem alium, quo tamen raro erit opus. Decoctum etiam parare poſſumus in hunc modum accepta menta viridi, (nam in uiridi minor eſt uis calefaciendi) ac cichorio, endiuia, & oxalide, & his uel ex aqua, uel ex iure macro coctis, decoctum vero bibendum dare ex modico ſaccharo, uel ex ſyrupo roſaceo poſſumus, nam temperatum, & utile medicamentum id erit. Sed & de ſicca, uel arida cholera quædam dicamus, ut tandem negotiũ hoc abſoluamus. Rationem autem curandi expoſuere in primis Hippo.& Galen. quarto de Rat. uict.in acu.morb.ſicuti & eius primi meminere,quam ut explanemus, id primum in memoriam reuocandum, cuius ſæpius eſt facta mentio,quod præcipua pars methodi morbos curandi pendet a natura eorum morborum,quos ſumus curaturi. Quantum autem ad generationem harum duarum differentiarum pertinet,idem eſt utriuſque modus, nam ex materia corrupta in ventriculo, aut ab acri materia confluente ad ventriculum, ortum habet cholera humida, at quæ ſicca dicitur,ex acri,& flatulento ſpiritu, eodem modo genito. Vnde iam patet omnes hos ſcopos ſpectãdos in hac curatione primum, ut ab ore uentriculi auertamus flatum,& materiam, ex qua flatus generatur, & fomentum habet. Neque enim flatus fieri poteſt,niſi a calore rarefaciente quidem,ſed nequeũte materiam diſſoluere, & diſcutere. Hanc ergo quæ quaſi acris flatus fomentum ſit, præſtat deorſum ad inteſtina detrahere, quàm ad os uentriculi,particulã eximio ſenſu præditam,adducere. Alter uerò ſcopus ut acrimoniæ, quæ uniuerſę ferè moleſtię eſt in cauſa rationem habeamus, nimirum illis uſi remedijs, quę uim habent epiceraſticam, ut Græci aiunt, hoc eſt mitigatoriam, & temperatoriam mordacium humorum. Tertius,vt & flatus diſcutiatur. Poſtremus, vt uentriculus roboretur. Quatenus autem ad primum pertinet,conſuluit Hippocr. & Galen. ut procuremus, ne euomant, eos nempe non incitando, & omnes occaſiones uomitus fugiendo, ſed uniuerſum motum, & propenſionem naturæ declinemus ad inteſtina remedijs huic rei accommodatis, in quibus pręcipui ſunt clyſteres, non tamen omnes, quia acres,& ualidi acrimonia addita acrimonię,magis exacerbarent affectum, ſed & leniſſimis, & mitiſſimis, quales ſunt,qui ex ſolo oleo dulci,& communi conficiuntur, ut ſi accipiamus ſeſquilibram olei communis tepefacti,& clyſteri inijciamus, uel etiam tantundem olei amygdalarum dulciũ, uel ſi accipiamus ius aliquod pingue,in quo etiam tres, uel quatuor uncię adipis gallinacei,uel butyri recentis, uel ſępi hyrcini, uel aliud iſtiuſmodi addatur, poſſemus etiam ex iure coquere maluam,altheam,myxa a Gręcis iunioribus appellata,ab Arabibus ſebeſten,ſemina fœni Gręci, liquiritiam, & ex eo decocto additis duobus ouorum luteis,& adipe aliquo ex dictis, uel oleo, parare clyſterem, in his omnibus erit uis deriuandi materiam ad inferiorem aluum mitigandi, & deliniendi mordacium excrementorum,& flatuum acrimoniã, aſtrictamque aluum aperiendi,& ſiccitatem affectus corrigendi. Neque tamen pretermittendum, & id in pręſentia eſt, quod Galen. conſulit, ut interea ęgrotus in balneum aquę dulcis calidę, & pinguis,commixto nimirum dulci oleo, aut adipe aliquo liquefacto, ducatur, ita ut ille paulatim eiuſmodi aqua perfundatur, ſępe enim (ait ipſe) hoc modo fit, ut facilè aluus ſoluatur, ac mox morbus etiam hoc pacto tollatur,quòd ſi fuerimus conſecuti, nihil pręterea ſupereſt, niſi ut uentriculus roboretur, & uires reficiantur. Optimè uerò id pręſtare poterit potus uini alicuius optimi,& tenuis, hoc enim facilius, & citius diſtribuitur, nec longam in uentriculo moram trahit,ſed & ſi uetus fuerit meracum, melius etiam erit, nam pręſtantius flatum poterit diſcutere, uireſque reficere,& calefactum uentriculum roborare. Sed & ſomnus non parum erit utilis. Et quandoque ad abſolutam curationem hęc ſatis ſunt. Interdum uerò morbus hic pertinacior eſt,quam quod his ſolis cedat & ad alia fortiora cogimur accedere Hipp.ergo his non tollentibus moleſtiam, ait potui dandum eſſe oleum dulce commune, quod optimum ſit,poſſunt autem dari a quinque uſque ad octo, uncię, ſit uerò calidum. Rationem autẽ remedij exponens Gal. tres

eius dotes, & eas magnas refert: primum lenit, & reprimit omnem acriorum humorum mordacitatem: ſiccitatem deinde omnem ferè emendat: tertio verò & aluum modeſtè ſubducit, quibus ferè nihil vtilius eſſe poteſt. Noſtra vero hac tempeſtate, in frequentiori vſu eſt oleum ex dulcibus amygdalis expreſſum, aliquando etiam ex amaris, quando maior eſt craſſities quàm acrimonia, vel calor in flatulento hoc ſpiritu: & videntur ægroti libentius amygdalinum oleum admittere, quod neque inutilius eſt oleo communi oliuarum, quia tamen nonnunquam neque hoc poteſt pertinacia affectus, & moleſtia ſuperari (cur autem id contingat, quod non ſuperetur, refert Gal. in maiorem copiam iſtiuſmodi materiæ in ventriculo congeſtam) ideo Hipp. ad ea confugit tandem, quæ uim purgandi habent, nempe vt fomentum morbo ſubtrahatur, cauet tamen, ne acribus medicamentibus res tractetur, eadem, quam nuper expoſuimus, ratione. Vnde quia multis ea tempeſtate carebant facilibus, & lenientibus medicamentis, quæ facillimè noſtris his têporibus habentur: idcirco ad aſininum lac potui dandum confugit: propterea uerò id eligit: quoniam præ omni alio lacte maiorem vim purgandi habet, vtpote quod quocunque alio lacte plus ſeroſi humoris habet: ſerum autem in lacte vim purgatoriam habet, nõ aliæ partes: præterea verò & eſt alijs omnibus medicamentis mitius, lenius & tranquillius. Puto verò hîc etiam intelligendum eam conditionem, quam ſeruãdam eſſe eodem quarto de Rat. vict. cenſuit; nempe vt lac coctum ſit, ſequitur autem (ut ibidem docuit Galen.) propter flatum. Quare cum in hoc affectu moleſtior ſit flatus, quàm in cauſo, de quo ibi agit, magis etiam hic quam ibi, vtile erit coctum. Quæ quidẽ ſi vera ſunt, non uideo, cur nos pro lacte non poſſimus vti noſtris his medicamentis, quæ lenientia, & benedicta iuniores vocant, ut manna, caſſia, (poteſt enim corrigi eius flatus) ſyrupus etiam roſaceus ſolutiuus, & reliqua quæ ſunt iſtius generis, ut quod electuarium lenitiuum, & quod diacatholicon in præſentia appellant, quæ quidem in hoc ſaltem lacti aſinino præſtabunt, quod non facilè in malè affecto in uẽtriculo, perinde ut lac putreſcent. His ergo ad exitum productis ad alios affectus tractandos accedamus.

Com. 7.

De affectu ventriculi, quo præ nimio humore, uel multa ſaliuę copia quidam coguntur continenter expuere: aliſmum Grçci dicunt. *Cap. XVII.*

IN aliquibus tanta in ore redundat, ſcatetque humoris copia, vt continenter cogantur expuere; adeo ut præterquam quod res ſit admodum moleſta ijs, qui hoc incommodo tentantur, propterea quia & inter loquendum plurimum, & inter legendum incommodi percipiunt, præſentibus etiam, & ſpectantibus ferè faſtidium afferat. Quoniam verò hoc plerunque primam occaſionem ab humida intemperie interdum, & frigida uentriculi habet, ideo & ſi non parum etiam actiones oris, & linguæ impediat, inter affectus tamen primarios uentriculi voluimus recenſere, & illis ſubnectere, quos ad expultricẽ ventriculi facultatem pertinere diximus. Vt autem ex ratione, & methodo hæc tractemus, primum cõſiderandum, qđ & ſi conſenſu omnium medicorum in faucibus vtrinque ad radicem linguæ ſint creatæ quædam adenoſæ carunculæ, in quibus gignitur humoris, quem ſaliuam appellamus, inſtituto nimirum naturæ, vt os humectum ſeruetur, nec facilè exſiccetur, & præſertim lingua propter ſermonem, & guſtum, non poſſunt tamen illæ tantam copiam humoris, quantam ab his continenter expui videmus, cum paruæ admodum ſint, ſubminiſtrare, quare neceſſe

A eſt ut aliunde copioſus is humor effundatur. Inueniẽdæ ergo partes illæ ſunt, unde poteſt hæc humoris copia in os effundi, ſi uniuerſam iſtius rationem aſſequi velimus. Et cum nulla particula in faucibus, uel ore ſit, quæ adeo copioſi humoris ferax eſſe poſſit, aliunde petenda eſt iſtius rei occaſio. Anatomica uero ratio (mea quidem ſententia) præſtantiſſimè nobis id, qđ quærimus, poterit monſtrare. Cum.n. (ut & alias diximus) tres meatus ad fauces pertineant, nimirum gula, quæ in os uentriculi deſinit, & guttur, qđ eſt ſuprema pars aſperæ arteriç, quç deſinit in pulmones; tertius circa finem palati, qui eſt ueluti uia, per quam excrementa cerebri, præſertim craſſiora excernuntur, ſicuti & per alium meatum, qui ad nares pertin-
B git, unde Gal. 6. de Tuenda ſanit. ait, quod cerebri excrementa ſolent ſæpe impetum facere ad os, & nares. Præterea uerò & id conſiderandum, quod pellicula, quæ palatum quaſi eius cutis contegit, cum ea, quæ interiorem tunicam gulæ, & ſubinde uentriculi ſuccingit, eadem & continens eſt. Vnde fit, ut ipſa interdum affectus ventriculi demonſtret. Nam cum labium ante uomitum incipit concuti, & quaſi tremere, id ob hanc pelliculam fit, quç conſors ſit agitationis, qua incipit concuti uentriculus. Ratione etiam magnæ cognationis palati, & oris & fauciũ cum uẽtriculo per hanc pelliculam fit, ut ante uomitum humore os repleatur, & qui uomiturus eſt, prius plurimum expuere incipiat, atque adeò etiam, cum ali-
C quem comedentem cibum quendam, qui nobis ſapidus uideatur, aſpiciamus, ſtatim in ore quidam redundat humor, quem, ut lateat noſtrum deſiderium, ſæpius nitimur deglutire, & guloſis ſçpiſſimè hoc accidit. Patet ex his itaque, quòd copioſa hçc humiditas, quç importuni huius ſputi in cauſa eſt, aut in cerebro prius orta in os per infundibulum effunditur, & id frequẽtiſſimè in deſtillationibus ſolet euenire, & qui catarrhis ſunt obnoxij, ijdem facile a nimio ſputo cruciantur. Vnde in cerebrum, & in eius intemperiem, & tandem in eas cauſas, a quibus catarrhi gignũtur, referenda eſt uniuerſa ratio iſtius affectus, quantum ad hanc differẽtiam pertinet. Ex ijs etiam quç nuper expoſita ſunt, nemo eſt, qui non perceperit, quod ex
D uentriculo humidiori, in quo multa pituita, prçſertim tenuis gignitur, poteſt occaſionem habere plurimum hoc & importunum ſputum, madefacta ſubinde interna illa pellicula, quç ad os, & palatum a uentriculo, & gula eodem modo, quo diximus repleri humore os in illis, qui nauſeabundi ſunt, & procliues in uomitum, & in illis, qui fameſcentes cibos gratos intuentur. Et cum multa hçc pituitoſa humiditas ortum habeat ab humida, & frigida uentriculi intemperie, has duas duntaxat Galenus differentias, uel occaſiones nouiſſe immodici ſputi uidetur, & alterius quidem meminit primo Prorrh. alterius verò octauo de Compoſi. medic. ſecundum loc. Quamuis autem ſit & tertius meatus, qui guttur
E dicitur, per illum tamen non effunditur in os multus humor, niſi tuſſi, ſed de tuſſi ſatis ſuperius diſſeruimus. Vnde iam ad officium noſtrum pertinere uidetur, ut agamus etiam, quibus ſignis diſcernendum ſit, quando a capite primariam occaſionem ſputum hoc habeat, & quando ex uitio uentriculi. Cum autem primam differentiam ſuam originẽ habere a deſtillatione dixerimus, inde poteſt quiſque conſiderare, quòd reuocanda ſunt ea in memoriam, quç de deſtillatione diximus, atque prçterea ſigna illa, quibus cognoſci docuimus frigidam, humidamque cerebri intemperiem, prçter alia enim iſti multis excrementis ſcatent, quç non ſolum ad os, uerum & ad nares impetum faciunt, nonnunquam ad oculos in lachrymarum modum, quandoque etiam ali-

Cap. 9.

Com. 6. Cap. 1.

qua

quā adeſt capitis grauitas: ſomni quoque longiores ſunt: niſi humor aliquem habeat falſum ſaporem, hi etiam a frigidiori aete, item & ab humidiori plurimū læduntur & reliquis, quæ caput refrigerant, humectántque. At verò qui vitio uētriculi nimis expuunt, cognoſcentur ſignis frigidæ, humidæq; intemperaturæ uentriculi, ſiti ſiquidem carent, neque multum fameſcunt, niſi acida pituita os uentriculi occuparit: tardè cibum conficiunt, neque bene continent, immo facilè uentriculus ſubuertitur, qui laxior a nimio humore redditur, ab humidis cibis malè habent, a ſiccis verò, aſtringentibuſque, & aliquantulum calefacientibus iuuari percipiunt. Et hæ quidem ſatis, quantum ad hoc inſtitutum pertinet. Agamus ergo de ratione hoc incommodum tollendi, ut tamen de priori differentia nihil dicamus, quia eius curatio eſt curatio deſtillationis, de qua copioſum ſermonem habuimus in præcedentibus libris. Sed de ea tantum differentia tractationem inſtituamus, quæ a vitio uentriculi pendet. Sed quoniam iſtius etiam alterius differentiæ non eſt idem, ſimplexque modus. Nam ſputū hoc copioſum aliquando illis moleſtum eſt, qui alioquin integri ſunt, & proſpera fruuntur ſanitate, aliquando uerò ſequitur febres, & eas quidem malas. Etenim Galen. tertio Prorrh. ait, quòd ſputa præter modum fluentia in febribus cum ſudoribus non iudicatorijs fiunt, aut propter uirium imbecillitatem, quā etſi & ad uires vniuerſi corporis retulerit Gale. ego tamen & ad uires ventriculi poſſe referri putarem. De hoc autem modo immodici ſputi ſtatuimus ne uerbum alioquin facere, cum ad febrium tractationem, tanquam earum ſymptoma, pertineat. Poſſumus tamen Galen. ſententiam nuper citatam ad inſtitutum noſtrum conſtare, ac identidem dicere, quod ſputum immodicum, cuius occaſio eſt aliquod ventriculi uitium, referendum eſt aut in nimiam uentriculi humiditatem, aut in eiuſdem imbecillitatem. Imbecillitatem verò eius refero ad primam, & præcipuam eius facultatem, quam diximus antea eſſe concoctricem, quæ præcipuam ſedē habet in fundo uētriculi. Nam & Galen. octauo de comp. medic. ſec. loc. vbi Archigenis medicamenta expoſuit, teſtatur omnes ferè morbos, qui in uentriculo oriuntur, ex cruditate, ac inconcoctione fieri, cuius cauſa eſt concoctricis facultatis infirmitas, quæ (ut omnes fatentur) ab intemperie, aut frigida, aut humida, aut vtraque ſemper pendet; quæ quidem intemperamenta, licet poſſint eſſe ſine materia, poſſint & præſentē materiam habere: plerunque tamen, cum in longius aliquanto res profertur, vix fieri poteſt, quin copia frigidorum humorum in vētriculo infirmo congeratur. Quòd ſi quiſpiam deſideret & cauſas noſſe, a quibus contrahitur is uentriculi affectus; nos quidem rem breuiter, & per capita exponemus, quia hoc argumentum ſæpe hactenus tractatum eſt. Quæcunque igitur habent uim refrigerandi, & humectandi ventriculum, vel ſuaptè natura, vel (ut Philoſophi loquūtur) per accidens, ea omnia, ſiue exterius occurrant, vt aer frigidior, balnea refrigerantia, & humectantia, ventus, nuditas ventriculi, vel defectus eorum fomentorum, quibus homo ventriculum ſolitus ſit munire: ſiue interius aſſumantur, ut cibi, potuſque frigidiores, & humidiores, vt aqua frigida copioſa, vinum etiam nimis frigefactum, vel nimis aqua dilutum (laxat enim plurimum vētriculum) fructuum humidiorum copia multa, & id genus alia: præterea quæcunque cruditatis, aut non probæ concoctionis in cauſa ſunt, huiuſmodi affectum pariunt. Hic tamen, ne iunior confundatur, pauliſper conſiſtendū eſt; quia humor nimius in ventriculo genitus diuerſorum affectuum in cauſa eſſe poteſt, ratione tamen

A maioris, vel minoris copiæ. Quoniam ſi magna, & ſuperexcedens copia iſtius pituitæ, inſipidæ præſertim in ventriculo excreuerit, ad eum affectum hominem adducit, quo dicebamus eos omnino cibum auerſari, & faſtidire, qui eo tentantur, appellarique Græcè ἀποσίτους ab Hippocr. diximus. Quod ſi aliquantò fuerit minor humoris copia, homines nauſeabundos reddit, fluctuante videlicet humore in laxiori ventriculo. Moderatior uerò humoris copia in cauſa eſt iſtius affectus, quo de ſermo nunc eſt inſtitutus. Quibus in hunc modum expoſitis facilè poteſt vnuſquiſque, vel leuiter in hac diſciplina inſtitutus, percipere, quò ſpectare oporteat eum, qui methodū curandi hunc affectum ſit conſtituturus. Cum enim B ratio iſtius rei in frigida humidaque intemperie laxāte os, & vniuerſum interdum ventriculum conſiſtat, neceſſe eſt, ut per contraria affectus curetur. Scopi ergo erunt exſiccare: calefacereque, ac aſtringendo laxatum ventriculum confirmare: præterea uerò ſi hæc a præſente foueatur materia, quæ ſit momenti alicuius, inaniendus erit ventriculus, antequam reliqua moliamur, alioquin enim ſi rem exſiccantibus, & aſtringentibus aggrediamur potius nocebimus (vt octauo de Compoſ. medic. ſec. loc. docuit Gal.) quàm profimus: magis enim infarcietur tunicis uentriculo hærens materia. Ab hoc ergo capite inchoandum eſt, cum materia præſens eſt, ut illa detrahatur, & niſi multa, vel craſſior fuerit, ſine purgatione, remedijs C ſiccantibus, & modeſtè calefacientibus digeri, & cōſumi poterit: ſed ſi fuerit copioſior, quàm ab his omnino ſuperari poſſit, aliquibus medicamentis, facilioribus tamen purganda erit. At horum medicamentorum materiam, non eſt cur in præſentia exponamus. De his enim ſatis ſuperque actum eſt in ſuperioribus capitibus, ubi de affectibus agebamus, qui cum hoc eiuſdem ferè naturæ ſunt. Vbi autē nulla aderit materiæ præſentia, aut ſi aderat, iam omnino finita, vel magna ſaltem ex parte ſit, roborandus uentriculus illis, quæ partim ſiccare, partim modeſtè fouere ipſum, calefacereque poſſunt, ac aſtringendo moderate eundem firmare, & id tum victus ratione ſpectāte propoſitos iam ſcopos, nimirum ut ea declinentur, D quæ nimis poſſunt uel refrigerare, uel humectando ventriculum laxare, vt ſunt fructus humidi, & frigidiores, & olera etiam humectantia, & refrigerantia: potus autem ſit uini boni, non aquoſi, ſed quod ventriculum modeſte poſſit calefacere, & ſit alicuius auſteritatis particeps: ut tamen modicus ſit: & cætera etiam pertinētia ad victus rationem hos ſcopos ſemper ſpectare oportet. Nec minus etiam illa, quæ ad vſum medicamentorum attinent, ad hos ſcopos dirigenda ſunt: ſiue interius ſint ſumenda, ſiue exterius adminiſtrāda. Nos autem in prioribus capitibus multa, & fomenta, & olea, cataplaſmataque, & cerata expoſuimus, quæ huic affectui tollendo ſunt accommodatiſſima, ſicut ea, quæ conficiuntur ex abſinthio, ro- E ſis, chamæmelo, menta, ex cinnamomo, galanga dicta ab Arabibus, macere, ligno aloe, & reliquis, quæ fuere a nobis ſuperius expoſita, nunc uerò non amplius repetenda. Ita enim abundè egimus de ſyrupis, eclegmatibus, appellatis confectionibus, pulueribuſque, & alijs tam ſimplicibus quam compoſitis medicamentis, quibus ſiccari, calefieri magis, minuſve uētriculus poteſt, pro ratione maioris, minoriſve rei exigentis, cum enim ſimilem ferè rationem habet affectus is cum eo, vnde læditur, & imminuitur concoctio, & cum alijs, quos a ſimili pendere intemperamento diximus, ſimilem etiam neceſſe eſt habeat curationis rationem. Quare nec in longius hunc ſermonem protrahemus.

De fluctuatione, & inflatione ventriculi. Cap. XVIII.

POſtremo verò loco & de illis affectibus agamus,
qui ad contentricem ventriculi facultatem per-
tinent cuius officium eſt, vt collectus in ſe uen-
triculus cibum ingeſtum amplectatur, ac illi hærens
foueat tantiſper, contineatque, donec fuerit exquiſitè
concoctus. Huius vero facultatis actio in uentricu-
lo, ſicuti & aliarum omnium, triplex poteſt eſſe no-
xa. Nam aut omnino aboleri, deſtruive poteſt, nimi-
rum ut cibum tempore nullo continere poſſit, ſed ſi-
cut comeditur, ita ne tranſmutatum quidem effluere
permittat. Aut imminui, vt aliquantum quidem con
tineat, non autem couſque, vt exquiſitè ſit confectus.
Tertio vero corrumpi, & vitiari poteſt, vnde uentri-
culus non bene contineat, & amplectatur, neque vt
eius natura exigit, ſed perperam. Quod vt exquiſitius
explanemus, vnum conſiderandum, quod (ut nuper
dicebamus) cum probe contentrix facultas ſuo offi-
cio fungitur, ventriculus ab accepto cibo ſiue modi-
cus fuerit ingeſtus, ſiue multus, per ſuas fibras ſe con
trahit, & colligit, ac ita undique & ex omni parte illũ
amplexatur, ac illi hærens immotum ſeruat, & con-
tinet, quod non parum ad concoctionem facit, tum
Com.44. quia concoctio quiete perficitur vt 4. de Rat. vict. in
& 48. acu. mor. docuit Gal. motione vero impeditur, cum
autem imbecilliore facta hac facultate, nequit ventri-
culus undique colligi, & contrahi, adeo ut cibo ex om
ni parte hęrens, eum amplexetur ac ſtabilem quietũ-
que ſeruare poſſit, laxior (ut idem Gal. in lib. de differ.
Cap.9. ſympt. ſcriptum reliquit) manet, & cibus in eo quaſi
fluitat, & ad omnem corporis motionem ſitum mu-
tat, ex quo præter moleſtiam, quæ percipitur ex hac
motione, difficilior fit concoctio, quia præter motio-
nem, quam diximus eſſe concoctioni aduerſariã, hoc
etiam accedit, quod omne, quod aliquid tranſmutatu
rum eſt, eo facilius id immutat (ut Philoſophi teſtan-
tur) quo magis illi applicatur, actio enim per conta-
ctum fit. Hoc tamen etiam ex eodem Gal. addendũ,
quod praua hæc actio in amplexando cibum nõ ſem
per eandem habet rationem, immò duplicem modũ
habet, unde duplex ſymptomatum horum differen-
tia prodit, aliquando enim nihil aliud impedit con-
ſtrictionem, & collectionem uentriculi niſi conten-
tricis facultatis infirmitas, quæ ſequitur aliquam eius
intemperiem, præſertim uero fibrarum, quarum con
tractione uentriculus ſe, & ſuas partes in ſpatium an
guſtius colligit, neque aliud quodpiam in ventriculo
contentum alioquin prohibet, & huiuſmodi ſympto
ma propriè a Gal. fluctuatio uentriculi appellatur a
motu inordinato cibi in eo. Aliquando uero præter
imbecillitatem huius facultatis eſt & aliquid aliud, qđ
contentum, & comprehenſum in uentriculo illum
diſtendit, ac uetat, quo minus poſſit ſe in anguſtius cõ
trahere, id uero eſt copia flatus, qui extendens uentri
culum, illius parietes, & latera in diuerſas, & contra-
rias partes deducit, ita ut nequeant ſe contrahere, &
hoc ſymptoma inflatio propriè uẽtriculi dicitur. Dif-
ferunt autem duæ hæ harum differentiarum ratio-
nes, quod (vt ex 2. de ſympt. cauſ. a Gal. deduci poteſt)
Cap. 3. vtriuſque quidem cauſa primaria eadem eſt, quandò
hæc ex aliquo proprio ventriculi affectu ortum ha-
bent, uerum diuerſitas contingit ex maiori, vel mino
ri intemperie ventriculi, nam ſicut ipſe ibidem teſta-
tur, flatus ab imbecilli calore generationis occaſionẽ
habet; vnde calor, qui flatum excitat, uim aliquam
habet, poteſt enim ſaltem rarefacere materiam, quia
ſi fiat languidior, aucto, ſanè frigore, ne flatus quidẽ
generatur ab imbecilliore facto uentriculo, ſicuti n.
in temporum conſtitutionibus nimis frigidis, vel ni-
A mis calidis (ut teſtãtur Philoſophi) non multi flare ſo-
lent uẽti, ſed plures in medijs temporibus, quia in fri-
gidioribus non attolluntur exhalationes, quæ ui om-
nino caloris excitantur, in calidioribus autem ſicut
attolluntur, ita etiam a calore multo diſcutiuntur,
vnde & ſi vtręque differentię, nimirum fluctuatio, &
inflatio frigidiorem intemperiem uentriculi cauſam
habeant, maior tamen, & deterior affectus eſt is, quẽ
fluctuatio ſequitur, quàm ille, quem inflatio. Quo-
niam autem paulo ante diximus, hæc ita ſe habere,
quando ex proprio uentriculi vitio, & primario affe-
ctu pendent, vt res hæc exquiſitius intelligatur, eſt id
aduertendum, quod aliquando fluctuat, uel inflatur
uentriculus non ſua de cauſa, ſed aliena potius, quæ
B duplex eſſe poteſt, nam aut uitio cibi in uentriculum
congeſti, aut uitio alicuius alterius particulæ, cũ qua
uentriculus conſentit, uitio quidem cibi, quia (ut eo-
dem loco docuit Galenus) fluctuatio cum ſonitu, & Com.[illegible]
ſtrepitu uentriculi ſine potu nequit fieri, interdum Cap. [illegible]
verò præ nimio potu, nempe qui cibi rationem, &
menſuram excedat, fit, vt ineptus fiat complexus, &
comprehenſio cibi a uentriculo, qui prę nimio hu-
more diffluit, dum conſtringendus eſt. Sed & 2. Aph. Com.[illegible]
aliam cauſam addit, cur poſſit uitio cibi fluctuatio, &
inflatio in uentriculo excitari, ait enim quod quæ gra
ta ventriculo ſunt, & cum voluptate aſſumuntur, ea
uentriculus facilè amplexatur & continet, faciliuſq;
ſine moleſtia concoquit, at quæ ingrata ſunt, refugit,
C vnde ſi comedantur, inde ſequuntur, poſtea nauſeę,
flatus, & fluctuationes. Tertio vero vitio cibi accepti
excitantur, quando cibus is aſſumitur qui ſuapte na-
tura flatulentus eſt, ut fructus, ſicuti mala, pyra, caſta
neę, & reliqui humidiores, pręterea rapæ, & napi, &
legumina, hęc enim uentriculum facilè flatu replent,
ac diſtendunt. Conſenſu uero cum alijs particulis a-
lienum a ratione non eſt, quin inflari poſſit uentricu
lus, pręſertim uero cum inteſtinis, regurgitante fla-
tu ab inteſtinis in uentriculum, item cum liene ex
humore melancholico, fortaſſe etiam cum utero in
mulieribus, mulieres enim ſępe uidemus, quæ uteri-
nis affectibus, ſtrangulationibuſque obnoxię ſunt
leuiores fieri frequentibus ructibus, quod non eſſet,
D niſi flatus ex utero in uentriculum impetum faceret.
Cum autem affectus, vel ſymptomata, quæ ciborum
cauſa concitantur, ſiue ex natura, & qualitate cibi id
fiat, ſiue ex apparatu, ſiue ex malo ordine, ſiue quia
eos uentriculus abominetur tollẽda ſint emendatio-
ne, ſeu correctione errorum, qui in aſſumendis cibis
committi ſolent, nempe moderando quantitatem,
& rationem potus ad aſſumptum cibum procuran-
do, vt rectè parentur, abſtinendo ab illis, qui ſtoma-
cho ingrati ſunt, faſtidiunturque, niſi interdum a
cibis ſit aliqua noxa in ventriculo, quia tunc non
iam a cibis amplius erit ratio curationis petenda;
ſed ab affectu in uentriculo relicto, qui & proprius
iam eſt, ideo de his non proferam ſermonem in lon-
E gius, ſed neque de illo affectu, qui non eſt alioquin
ventriculi, niſi quatenus conſentit cum alijs parti-
culis, quia horum curatio vniuerſa ferè conſiſtit in
tollendis affectibus earum partium, cum quibus
ventriculus conſentit, de qua re non pertinet ad prę
ſens inſtitutum agere. Vnde de fluctuatione, infla-
tioneque, quę uitio proprio ventriculi ortum ha-
bent ſolum, aut pręcipuè agemus. Sed cum vniuerſa
ferè ratio iſtius affectus in frigida intemperie tum
ventriculi (ut in libro de Differ. ſymptom. & in ſe-
cundo de eorundem cauſis teſtatus eſt Galenus) Cõ. ult.
tum uero partium pertinentium ad ipſum uentri-
culum, vt item quinto Aphor. expoſuit ratione cuius
intemperaturę fiunt, vt facultates alię, ita conten-
trix (ut explanauimus) imbecillis, cuius imbecillita-

tis cauſa ſymptomata, de quibus in pſentia agemus, excitãtur Gal. autem eodem loco inflationis, de qua ſermonem habemus, facta mentione, duo nobis inſinuat: primum, quod ij, quibus venter inflatur, ventoſi ab antiquis, præſertim verò ab Hipp. dicuntur, quorum duas ipſe quidem differentias eſſe ait: alterã quidem, quæ ortum habet a ſola imbecillitate, quæ intemperaturam ventriculi ſequitur ſine vlla materia præſente: alteram verò in qua intemperies pendet a præſentia frigidæ materiæ: & ipſe quænam ea ſit materia indicans: eam ait eſſe pituitam, quam plurimam ventriculus congeſtam habet. Et ſi quis dicat, cur & melancholicæ materiæ non meminit, cum & ex melancholico humore poſſit inflari ventriculus? cuius rei teſtis locupletiſſimus eſt affectus, quem Græci hypochondriacum, vel flatuoſum appellant, Arabes verò myrachialem, in quo ſemper ferè ventriculus, & aluus flatu diſtenduntur & reſonant. Dicimus non eſſe eundum inficias, quin à melancholico humore poſſit ventriculus flatu diſtendi; cum omnes id aſſerant, & experientia atteſtetur, verum hæc intercedit differentia, quod pituita in ventriculo generatur, & plerunque eius vitio, humor aũt melancholicus non poteſt in ventriculo gigni, ſed alibi genitus, vel ab vniuerſo corpore, vel a liene, vel a uenis meſenterij in ventriculum effunditur, vnde potius habet rationem affectus aliarum partium, cum quibus ventriculus conſentit, quàm proprij affectus ventriculi, quare neque tolli poteſt, niſi prius tollatur cauſa, cur copioſus in alijs partibus gignatur melancholicus humor. Qui autem ventoſi ob multam pituitã ſunt, non egent, vt alio, quam ad ipſum ventriculum ratio curationis conuertatur. His ergo in hunc modum explanatis non eſt alioquin opus, vt tempus cõteramus in exponendis aut cauſis, vnde poſſit eiuſmodi affectus ortum habere, (nam in ſuperioribus capitibus, quæ poſſunt ventriculum refrigerare, aperuimus, & quæ ad congerendam multam pituitam plurimum faciant) aut de ſignis, quibus cognoſci poſſit fluctuatio, vel inflatio vẽtriculi, nam ipſi, qui laborant, referunt ſe in ventre percipere cibum defluere, & fluitare, ſicuti fluitat liquor in ſemipleno utre, cum mouetur, præterea & ab ipſo, & aſtantibus percipitur ſonitus, & veluti gurgulatio, ita & uentrem inflari percipit non modo ægrotus, verum & medicus, ſi manu illum tractauerit. Tot autem expoſita ſunt in prioribus capitibus, quibus ſi quis animum aduerterit, diſcerni poteſt, ſolane ſit intemperies ſine vlla materia, & an adſit materia, & quæ materia, ut ſuperuacaneum videatur iterum ea repetẽdo tempus terere. Sed ſi ẽt rationem victus anteacti, nempe quibus cibis aſſuetus ſit veſci, quantum bibere, quem ordinem in comedendo ſeruauerit, voluerit medicus diligenter obſeruare, facilè diſcernere poterit, vitione ciborum, & potuum, an potius ventriculi fluctuatio vel inflatio ventriculi contigerit. Quare ſupereſt, ut de rõne curandi hos affectus paucula quædam proponamus, paucula aũt diximus, quia cum fundamentum iſtiuſmodi affectuum aut idem ſit, aut ſimile cũ eo, in quo vniuerſa ferè ratio multorum affectuum, de quibus longiorẽ etiam ſermonem habuimus, conſiſtit, neceſſe eſt, ut & ſimilis ſit curationis ratio horum, ſicut & illorum. Vnde ſi materia pituitoſa uel ẽt melancholica fuerit cõgeſta, illam neceſſe eſt prius tollere, ſed qua ratione purgandus ſit, & quibus medicamentis, ſatis abundè in præcedentibus capitibus fuit demonſtratum. Si tamen melancholicus adeſſet humor, non ſolum oporteret uentriculi rationem habere, ſed & aliarum partium, a quibus gignitur, & effunditur hic humor, mox vero ad remouendam intemperiem ventriculi, & ipſum firmandum accedere oporteret, nec ſermonem proferemus in eis explicandis, quæ ſæpius fuere expoſita. Quod ſi pituita adſit fouens intemperiem, detergentibus, attenuantibusque paranda eſt, de uentriculo detrahenda atque deinde vacuanda, vel digerentibus, ſi ea modica fuerit, uel ſi multa purgantibus, & ſoluẽtibus medicamentis, aut catapotijs, vt ſunt pilulæ, quæ ex hiera ſimplici dicuntur, vel ex hiera addito agarico, maſtichinæ, vel quę alephanginæ ab Arabibus dicuntur, conficiuntur autem ex aloe parata ex aromatibus, nam ventriculus leuiora requirit medicamenta. Solemus autem interdum pulueres hierę, ut cauſa exẽpli, puluerum duas drachmas addere unciæ caſſiæ, præſertim calidioribus temporibus, & tandem ſimilibus medicamentis, quęcunque ventriculo non ſint incongrua. At verò ſi melancholicus ſit humor, ijs educendus erit, quorum meminimus in curatione hypochondriacæ affectionis. His autem expeditis, quantum ad alia pertinet, cum fundamentum illius affectus in intemperie frigidiori ſitum ſit, nemo non videt, agendum eſſe, vt Galen. docuit decimoquinto Metho. calefaciendum ſcilicet eſſe, & præterea cum in hoc affectu venter flatu repleatur (neque enim, niſi rariſſimè, calor ita extinctus eſt, ut materiam ſaltem non rarefaciat, & craſſioribus inde uaporibus elatis flatus concitetur) ideo addidit Galenus attenuandum etiam, & diſcutiendum, quod agendum eſt medicamentis, tam interius aſſumendis, quàm exterius ventri applicandis, & quam inferius per ſedẽ eijciendis. Exterius quidem ſimili a Galeno laudantur, vt ſi foueatur uenter oleo tenui aliquo tali, quale eſt oleum amygdalarum amararum, aut uetus oleum, in quo fuerit incocta ruta, vel cyminum, uel ſemen apij, uel fœniculi, uel petroſelini, uel ſimile aliud medicamentum ſimplex, in quo vis ſit calefaciendi, & attenuandi, quale eſt aniſorum ſemen, dauci, ſeſelis, & id genus alia. Sed magna etiam cucurbitula affixa citra cutis inciſionem medio uentri cum inſigni igne, ſæpiusque repetita a Galen. octauo Metho. tãnquam ſingulare remedium uentri inflato habetur. Nec modo fomenta hæc exterius adminiſtrata conferunt, ſed (ut eodem octauo ait Galen.) & facti ex decoctis eorundem medicamentorum clyſteres, iniectique qui calefaciant, attenuent, & diſcutiãt, non parum utiles eſſe poſſunt. Multa ſunt etiam, quæ comeſta, uel bibita non parum ad hoc inſtitutum faciunt, in quibus præcipuum ferè habetur (ſi Galenus undecimo de Simpl. medic. facult. credimus) caſtoreum ex poſca cochlearis menſura bibendum datum, quod & exterius delinitum ex aliquo prædictorum oleorum non parum conferre poterit. Poſſemus multa ſimplicia utilia referre, ut eſt aniſorum ſemen, nardus celtica ex abſinthij decocto a Dioſcoride multis effertur laudibus, aromatum genera, ut zingiber, & cinnamomum, ſed cæteris præſtant tria piperum genera, præcipuè autem album, poſtea longum, ſed & nigrum vim plurimam habent, unde & compoſitum, quod diatrionpipereon diximus appellari, optimum eſt, & diaſpoliticon, cuius quarto de Tuen. ſanit. meminit Gal. antidotique maioris, nam Galenus octauo de Compoſ. medicament. ex Archigene laudat theriacam exhibitam ad magnitudinem Aegyptiæ fabæ. Poſſem & aromatici roſacei meminiſſe, & diacymini, & dia galangæ, quæ Arabum ſunt inuenta, quæ omnia mirificè poſſunt eſſe utilia. Quia tamen de his ſæpius in ſimilibus affectibus ſuperius facta eſt mentio; Ideo nolumus de eis longiorem ſermonem habere. Sed fine impoſito huic libro ad alium tranſibimus.

cap. 7.

cap. 5.

VICTORIS TRINCAVELII DE RATIONE CVRANDI PARTICVLARES HVMANI CORPORIS AFFECTVS.

LIBER OCTAVVS.

De Affectibus iecinoris, lieniſq; cognoſcendis, & curandis in vniuerſum: ac primum de natura ipſius hepatis, atque eiuſdem facultatibus, functionibus, necnon & de alijs particulis, quę ſunt tanquam organa iecinori miniſtrantia.

CAPVT I.

IN hoc octauo libro de iecinoris affectibus ſermonem inſtituturis non erit forſitan ab re, aliqua in memoriam reuocare, quæ libris etiam prioribus fuere expoſita, vtpote quæ non parum lucis illis allatura ſint, quæ in hoc libro sũt explanãda: nempe quod iecur viſcus illud eſt, in quo tanquam in fornace, ſanguis, hoc eſt vniuerſi corporis alimentum, vel materia, qua tandem vniuerſę particulæ ſunt alendæ, ſedem ſuam habet. Vnde hac præſertim ratione ductus Hipp. quem deinde Plato, & Galen. eiuſque ſectatores ſecuti ſunt (ut ipſe tum alibi, tum vel maximè in lib. de Decretis Hipp. & Plat. ait) cenſuit iecur eſſe initium, & ſedem altricis, quã ipſi naturalem appellauere, facultatis, ſicuti omnium communi conſenſu cor vitæ, & facultatis vitalis initium eſt, & ſedes, nec id ferè alia ratione, niſi quia veluti focus eſt natiui caloris, qui vitæ auctor, & fundamentum eſt. Quod vero iecur ſolum id ſit, quod alimentum particulis ſubminiſtret naturæ inſtituto, vel ſenſus ipſe oſtendit: Peripatetici tamen huic ſententiæ ſubſcribere noluere, immo principium, & ſedem altricis facultatis primam, & præcipuam, ſicuti & vitalis, eſſe cor ſtatuerunt: quin vtraſque has altricem, & vitalem, aut vnam, & eandem eſſe facultatẽ ſtatuere, aut eiuſdem ſaltem animæ facultates, ut uidelicet ſubiecto una ſint facultas, ratione verò, plures. Animæ enim vegetatricis has eſſe vires ſenſit Ariſtot. neque abſque valida ratione id ſenſit, quia ſi natiuus calor eſt (ut & Gal. 8. de Decretis Hippo. & Plat. affirmat: quod & quinto libro Com. in ſextum Epidem. repetit ex Hippocratis ſententia) auctor omnium naturalium operationum exiſtit: ſatis conſonum eſt, vt id, quod initium, & fons eſt natiui caloris ſit primum inſtrumẽtum, & ſedes eius facultatis, a qua primum prodeunt illæ operationes, quarum auctor eſt natiuus calor. Non eſt autem noſtrum in pręſentia tantorum virorum ſententias iudicare, diffinireque, cum nihil ad inſtitutum præſens referat, ſiue cum his, ſiue cum illis ſentiamus, ſatis enim nobis hoc eſt, quod cum laborant, & læſæ ſunt actiones naturales quæ ad ſecundam concoctionem, & A ad ipſam (liceat mihi ita dicere) ſanguificationem pertinent, petenda ſit occaſio, & ratio læſionis a iecinore, neque quantum ſpectat ad curationẽ, vlla eſt differentia, ſiue ſentiamus iecur, tãquam primum & præcipuum eſſe in hac re, ſiue agat tanquam cordis miniſter, ſuſcepta ab eo facultate, & ui concoctrice, ſicuti neque in præſentia refert, an ſanguis integer, & abſolutus omnino generetur in iecinore, vel potius vltimam abſolutionem a corde conſequatur. Sed quia & breuior, & facilior futura eſt eorum, quæ dicenda ſunt, expoſitio ſi hac diſputatione poſtpoſita, poſteaquam neque multi momenti eſt, quantum ad curandi rationem pertinet, loquemur, ut medici in præſentia loqui conſueuere, & de iecinore loquemur, tanquam de eo uiſcere, B in quo ſedem habet facultas, qua vltimum alimentum corporis per ſecundam concoctionem generatur. De eius enim affectibus, tam cũrãdis, quàm cognoſcendis tractationem in hoc libro ſumus inſtituturi. Sed quoniam hæc omnia percipi exquiſitè nequeunt niſi cognita natura ipſius, quod afficitur, viſceris, cognita etiam natura affectionum, quibus obnoxium poteſt eſſe: primum de eius conformatione, deinde de temperatura, tertiò de eius functionibus, poſtremò de connexione & conſenſu, quẽ cum alijs particulis & miniſterio, quod ab illis habet, agemus. Iecur itaque, quod ſub dextro præcordio ſitum eſt, coagmentatum eſt ex triplici ſubſtantia, ſeu C ex triplici genere ſimplicium membrorum, nam ipſum membrum compoſitum eſt, & inſtrumentarium. Et primum quidem duas habet partes, loco, & officijs, & figura differentes: Altera ſuperior eſt, quæ pertinet ad ſeptum tranſuerſum, ac illi alligata eſt, a qua ortum habet uena magna, quam cauam Ariſto. appellauit, & figura conuexa eſt, intertexta autem eſt plurimis venulis minutiſſimis pars hæc, quæ paulatim in maiores coaleſcunt, & illæ in alias maiores, donec tandem omnes in uenas quinque deſinant, pro ratione muneri fibrarum, quibus conſtat iecur, & illæ quinque etiam tandem unam maximam conſtituunt, quæ veluti caudex, aut ſtipes eſt, a quo deductæ ſunt tanquam rami ſubinde uenæ omnes, quæ per uniuerſum corpus diſtributæ reliquis ferè omnibus particulis ſuggerunt alimentum, replentur au-

tem

A tem ſpatia intermedia inter plexus earum venarũ carne quadam molli,& laxa, quæ colore, & ſubſtantiæ modo ſimilis eſt ſanguini coagulato. Et quia in omni inſtrumento,& compoſita particula vna eius pars eſt,quæ præcipua eſt,in cuius gratiam,& commoditatem(vt Galen. de ſympt.cauſ, docuit) reliquæ à natura ſunt procreatæ,in iecinore caro hęc pręcipua pars eſt,in qua præſertim vis eſt tranſmutandi aptam materiam in ſanguinem,reliquæ uero,ut ſunt uenæ,ſunt tanquam uaſa continentia materiam tranſmutandã, donec in ſanguinem vertatur,ac eam mox,cum iecur quantum ſatis ſit,ad ipſum,& partes ſuas alendas,aſſumpſerit, in alias uenas diſtribuat,accedunt & arteriæ, quæ ſpiritum à corde deducunt, qui foueat natiuum iecinoris calorem. B Contegitur uerò iecur tenui membrana,quaſi tunica, quæ à peritoneo naturæ inſtituto deducta eſt, ut cuſtodiat iecur,ne propter mollitiem, & ſuæ ſubſtantiæ diffluat,ſed formam ſuã ſeruet,præterea uerò,& ut eadem ſuſpendatur,& adnectatur præſertim ſepto tranſuerſo. Sed & à cerebro, uel ſpinæ medulla neruulum exiguum ſuſcipit, qui tamen in profundiores partes non penetrat, ſed tantũ per extimam membranam diſperſus eſt, unde & ipſa eſt ſenſus particeps. Internę uero partes niſi quę uicinę ſunt membranę,ſenſus ſunt expertes. Altera uerò pars,quæ uentriculo incumbit, caua eſt, quantum uerò ad rationem compoſitionis, alteri ſimilis eſt,niſi quod intertexta quidem,& ipſa eſt uenulis, quę C occurrunt uerſus ſuperiorem partem ramulis ſuperioris partis ſecundum oſcula, an uerò illis attiguę ſint, uel continuę,prę exilitate percipi nequit. Sed huiuſmodi iſtius partis ramuli,& ipſi ſemper in maiores coaleſcunt,uerſus partem tamen inferiorem,donec deſinant in uenam portę, cuius tanquam caudicis ramos eſſe anatomici aiunt] uenas meſeraicas, & quę per meſenterium diſpertitę ſunt. His tamen & aliud genus uaſorum accedunt, ſunt enim alia minuta uaſa uenulis ſimilia ex eadem ſubſtantia fabricata, qua conſtàt fellea ueſica,quę & ipſa paulatim colliguntur in magnum meatum,à quo pendet fellis uaſculum, uel ueſica à natura fabricata, ut quod ſuperuacaneũ bilis in iecinore gignitur,id attrahat,&in inteſtina ad D excretionem effundat. Natura uerò,uel temperatura iſtius uiſceris eſt calida,& humida. Functio eius eſt, ſanguinem,qui vt commune alimentum eſt uniuerſo corpori,gignere. Vtitur autem particulatim quatuor facultatibus in materia,quę in ſanguinem tranſmutanda eſt, conficienda, quarum princeps eſt concoctrix,quę natiuo calore tanquam inſtrumento uſa, ſuccum prius in uentriculo elaboratum in ſanguinẽ commutat. Quia vero neceſſe eſt, eiuſmodi proximam materiam ſanguinis generationi in iecur deferri, ſi tranſmutanda eſt, ideo neceſſaria eſt, & attractoria facultas, quę uena portę, & eius ramis tanquã inſtrumentis utens;in hoc concoctrici miniſtret: uenę enim illę ex inteſtinis, & uentriculo, quaſi hirudi- E nes quędam ſuccum, qui ſuperfuerat uentriculo, exſugentes, eum ad iecur deducunt, deinde uerò contentrix facultas fungens ſuo officio, tantiſper cõtinet, dum coquitur materia,qua cõcocta,id aſſumit iecur, quod ſatis illi eſt ad alimoniam, reliquum uero tãquã ſuperuacaneum expellit in magnam, & cauam uenam, quæ à ſuprema, & connexa eius parte ortum habere diximus, quę deinde illum in uniuerſum corpus diſtribuit. Sed,& hic pauliſper conſiſtendum eſt, quia ſanguinis tantum hactenus meminimus,de alijs autem humoribus nullam mentionem fecimus,quaſi ſolius ſanguinis procreator ſit iecur, nõ autem aliorum humorum,quod tamen & Gal.aduerſatur,& cęteris medicis. Vnde & hoc reuocãdum in memoriã, quòd ſanguis bifariam à medicis accipi ſolet, immo & a Philoſophis. Nam aliquando latiori quodam ſignificato (quemadmodum ſæpius teſtatur Gal. apertius autem ſecũdo libro com.in ſextum epid. & quarto eorundem) pro collectione quatuor humorum, qui mixti in uenis continentur,deducta nimirum appellatione ab eo humore, qui alios copia ſuperat. Interdum uerò propriori ſignificato, ut ſanguinẽ ſignificat,qui humor eſt ab alijs natura ſecretus, eiſque dignior,& naturæ familiarior. In priori autem ſignificatione utimur nomine ſanguinis, quando ſimul cũ alijs medicis dicimus in iecinore eſſe uim ſanguificã, iecurque ex ſucco prius in uentriculo elaborato gignere ſanguinem. Quamuis nouerim multos ex recentioribus medicis, qui ſe magnos ſequaces dogmatum Gal. profitentur, non eſſe hoc omnino conceſſuros,neque aſſenſuros huic noſtræ definitioni, ſed tantum particulatim,utpote quia pituitam eam, quæ uerè humor eſt,& naturalis, in uentriculo potius, q̃ in iecinore generari contendant. In quam ſententiã deducti ſunt a duabus Gal.auctoritatibus. Prima quidem accepta ex commentarijs in primum librum de natura humana,ubi ait,quod pituita ex prima humorum immutatione per neceſſitatem generatur, & in libro de atrabile ait,demonſtratum eſſe humorem pituitoſum ex pituitoſis cibis in prima uentriculi concoctione fieri. Nos tamen putamus hanc horũ ſententiam omnino fundamentis, ac decretis Hipp. & Gal. ut alibi nos probaſſe meminimus, aduerſari, qui iecur ſolũ principium, & fontẽ altricis facultatis conſtituere,& mẽbra ex quatuor humoribus pariter nutriri. Sed in præſentia in hac quæſtione nolumus tempus terere, nimis enim grandis reſtat uia, nam alias maiori otio diligentius ea, quæ ad ipſam pertinent,diſquiremus. Nunc autem referamus eas particulas, quæ conſortium aliquod, uel conſenſum habent cum iecore, quæq; illi aliqua ratione miniſtrãt. Et quidem uentriculi miniſterium iam expoſuimus: præparat enim materiam in iecore iterum coquendam,conſortium uerò,& connexionem multam cũ eo habet,tam ratione uicinitatis,utpote quoniam uẽtriculo incumbit ex parte dextra,id perpetuò fouens: ſed & per uenas tam illam, quam portam iecinoris anatomici appellant, (nam venę omnes ad uentriculum pertingentes ſunt huius rami) quam etiam per venam cauam,iuxta quam ſitum eſt os uentriculi,& gula, illi prætereа etiam miniſtrant tria alia uiſcera, quorum miniſterium uertitur circa expiationem, & emundationem ſanguinis ab excrementoſo, & ſuperuacaneo humore, qui non eſt amplius utilis ad alendum uniuerſum corpus. Quod ut exquiſitius percipiatur,hoc conſiderandum, quod ut omnes actiones particulatim,rectè procedant,ſanitaſque integra ſeruetur, nihil præſtantius, nihilque antiquius excogitari poteſt,quàm vt ſanguis bonus gignatur,& ſeruetur. Sanguinem uerò in præſentia accipio, ut & reliquos continet humores. Cum ergo omnes humores generantur tales quales natura requirit, ſeruata eorum inter ſe congrua comparatione, uel proportione, non poteſt animal non uti proſpera ualetudine,ſicuti cum illi exceſſerint ſuis naturis,qualitatibuſve,aut quantitate, & copia, neceſſe eſt, ut uel morbi oriantur,uel fallax ſaltem ſit ſanitas. Sed cum per abſolutam, & perfectam concoctionem humor perfectiſſimus generetur, & naturæ familiariſſimus, qualis is,qui propriè ſanguis dicitur,quique tanquam cẽtrum eſt in ratione humorum,ad quod alij omnes referuntur, ſicut lineæ omnes a circunferentia ductę, ſolus enim ſanguis medium reſpectu aliorum occupat, qui & temperatiſſimus, & perfectiſſime coctus, reliqui uerò(ut Gal. quarto de tuen. ſani. declarauit) aut nimis cocti ſunt,aut minus cocti, & ſicut centrũ

unum

Com.37.
Com.29.
Com.3.
Cap.8.

vnum eſt, & vndique ſui ſimile: lineę verò ab eo recedente multę, quę quò magis a centro remotæ ſũt, eo & ab unitate; nam in plures lineas ſecari poſſunt: ita ſanguis, qui perfectus eſt vnus, & ſui undequaque in perfectione ſimilis, & quò maior fit ab hoc receſſus, eo maior fit abſceſſus a vera ſanguinis natura, & acceſſus ad naturam aliorum humorum. Et quia ordines recedentium varij ſunt, inde fit, ut ſanguis aliquando bilioſior dicatur, aliquãdo pituitoſior, quandoque vero magis accedens ad naturam atrę bilis, & id, uel quia ſanguis talis ſit genitus a primo ortu ſecũdum ſuam naturam, uel quia talem humorem immixtum habet ſupra eam menſuram, quam requirit animantis integri natura. Vnde cum (ut ſæpe teſtantur medici) & alij humores neceſſariam habeant generationem in animante. Hippoc. enim & Galen. quatuor humores, tanquam animantis corporis quatuor elementa, ſtatuere: atque cum reliqui humores non ſemper generentur omnino ęqualiter boni, neque ſecundum naturalem menſuram. Ideo natura prouida, quæ ſemper omni diligentia ſtudet, ut ſanguis quantum fieri poteſt, purior, & defæcatior fiat, & ſeruetur, circuncirca ipſum iecur inter uiſcera quaſdam genuit particulas, quarum officium eſſet, quicquid excrementoſi, uel ſuperuacanei in iecinore generaretur, ad ſe attraherent, ac ſi quid utilitatis ex attracto humore in animantis vſum conſequi poſſet, conſequerentur, reliquum uerò, quod omnino inutile eſt, excernerent per meatus, & uias ad hoc munus a natura delegatas. Vnde in ſiniſtro præcordio lien conſtitutus eſt è regione ferè iecinoris, cuius munus eſt, ut quicquid limoſi, & fęculenti in ſanguine eſt, & quaſi atræ bilis excrementum ad ſe attrahat per eam uenã, quæ eius ramus eſt, quæ porta dicitur, ac ſiquid in eo eſt, quod per eius elaborationem factam a calore huius uiſceris natiuo adiuto a calore inſignis arteriæ, cuius facta particeps eſt hæc particula, & utitur, tanquam proprio alimento, quod autem omnino excrementoſum eſt, ad ventriculum impulſum excernit. Habet autem uiſcus hoc & ipſum uim attractricem, qua melancholicum excrementum attrahit a iecinore, & detentricem, qua continet eum humorem, donec id, quod elaborari poteſt, ut in alimẽtum lienis cedat, concoquatur, & concoctricem, qua concoquit, & elaborat eas partes, quæ utiles eſſe poſſuut, poſtremo uerò & expultricem, qua id quod omnino excrementitium eſt, ad expulſionis vias, & inſtrumẽta expellit. Subſtantia autem iſtius uiſceris, laxa eſt, & (ut quarto de uſu partium refert Gal.) rarior, quàm ſit caro iecinoris, nigrior tamen, & acida ſapore in his naturam referens humoris, quo alitur. In concaua uerò iecinoris parte, quo loco ortum habuit uena portæ, appenſa eſt ueſicula fellea, quæ eandem rationem habet ad bilioſum humorem, ad iecur collata, quam lien ad melancholicum, a natura enim creata eſt, ut bilioſum excrementum [exciperet,] alendum uniuerſum corpus. Quod ut exquiſitius percipiatur, hoc ac ſuperuacuum, quod non erat amplius futurũ utile, ad alimentum particularum, attrahendo ſanguinem, & ipſa depuraret. Attrahit autem per tenuiſſimos ramulos deriuatos a maiori meatu, cuius antea meminimus, qui per concauam iecinoris partem, ſicuti & uenulæ tenuiores, quæ quaſi eius radices diſpertitæ ſunt. Expellit autem ad inteſtina ſupra ieiunum inteſtinum per alterum meatum. Quem Gal. habere plures ramos dixit, quorum unus tenuis admodum uerſus uentriculum tendit ſupra pyloron ad fundum uentriculi, alter longè maior ad duodenum inteſtinum, & ait Galen. quòd ſi in aliquo a natura fuit peruerſus hic ordo, ut qui ad uentriculum fertur maior ſit, ille infelix a generatione dicitur, utpote

A quia in uentriculum quotidie copioſa bilis effunditur, quam niſi ante acceptum cibum euomuerit, læditur plurimum. Neque tamen hoc perpetuum eſt, neque frequens, ui bipartitus ſit is meatus, ramuſque alter ad uentriculum pertineat. Ego enim cum ſępius interfuerim ſectionibus cadauerum, non memini vnquam uidiſſe exilem illum ramum, qui ad uentriculi fundum concedit. Infra iecinoris regionem ſiti ſunt renes utrinque alter a lateribus uertebrarum, ut tamẽ ſiniſter regionem ſublimiorẽ occupet, ut lieni ex parte ſubtẽſus ſit, depreſſiorẽ uerò dexter, quaſi iecinori ex parte cedens, hi a caua vena venã, ſicut a magna arteria arteriã habent deductã, per quas ſeroſus humor pertranſit, qui ex multo potu naturæ inſtituto

B generatur, ut per eum humor attenuatus exiles, & tenuiſſimas uenas permeare poſſit, quo perfunctus munere, ſi non omnino, magna tamen ex parte in excrementum tranſit, & ſuperuacuus eſt, neque amplius utilis, vnde renes procreati ſunt ex ſubſtantia quidem carnea, ſed ſolida, & denſa, qui ſinum in medio habent in quo receptus, & percolatus is humor ab aliqua ſanguinis portiuncula, quæ ſimul cum humore attrahitur a renibus, ut ipſi eo alantur per ureteras hoc eſt urinarios meatus in ueſicam demittitur, qui humor poſtea urina, uel lotium appellatur. Quamuis autem, & multa gignatur pituita cum alijs humoribus, & ſæpe etiam ſuperuacua, in hoc tamen ab alijs iam relatis humoribus differt, quod illa ſupe-

C rata a natiuo colore poteſt ulterius concocta in ſanguinem uerti in uenis a natiuo earum calore, cum ſit ueluti ſanguis non exquiſitè coctus, ideo natura nullum membrum genuit, a quo ea attracta, expurgaretur ſanguis, cum duo alij nulla unquam ratione poſſint in ſanguinem amplius tranſire. Sed hæc quidem hactenus expoſita ſatis eſſe poſſunt ad inſtitutũ noſtrum, ut oſtendamus, quorum conſenſu, & affinitate malè affici poſſit iecur; quamuis nullo proprio uitio teneatur, ſed ab affectibus aliarum partium, cũ quibus naturali quadam affinitate cõnexus eſt. Quis eſt enim, qui non percipiat, & facilè, quod ſi officia, & munia harum, quas nuper recenſuimus, particularum, ita neceſſaria ſunt, quod cum illę adeo malè affe-

D ctę ſunt, ut nequeant ſuo fungi munere, ſit opus & ipſum iecur plurimum lædi? Sed & cum alijs multis connexionem habet, tum propter uaſa, quæ ab ipſo ad alia procedant, uel ab alijs ipſum ſuſcipit, tum uerò propter uicinitatem. Et licet nulla ferè particula ſit, cum qua iecur aliquam connexionem ſaltem per uenas, non habeat, maximam tamen habet cum corde, & ſpiritalibus membris, nimirum per uenam illã magnam, quæ ad cor pertingens in uentriculum dextrum penetrat, & per arteriam, cuius particeps eſt iecur, tum etiam per uenam cauam aſcendentem. Sed & cum cerebro inſignem ob multitudinem uenarũ, quæ per cerebrũ, & eius membranas diſpertitæ ſunt. Aliquid etiam facit neruus, quamuis non magnus,

E qui ſenſum eius tunicæ impertitur. Sed & cum utero, unde ſuppreſſis menſibus in mulieribus ſæpe in hydropes ſuperueniunt. Vt prætermittam uentriculum, qui duplicem habet rationem conſenſus, & ex uenis multis, & ratione uicinitatis. Vt & id addatur ratione miniſterij, quo fungit' in paranda materia apta concoctioni eius. Inteſtina etiam eadem ferè ratione cũ iecinore connexa ſunt. Maximum ẽt habet ſeptum tranſuerſum cũ hoc uiſcere nexum, tum propter uicinitatem, quia illi ſemper incũbit, & hęret, immo illi etiam per quædam ueluti ligamenta iecur cõnexum eſt. Sed & uenę, quas ſuſcipit tranſuerſum ſeptum, a uena caua prope iecur deducuntur. His aũt ita expoſitis, iam de affectionum natura, quibus obnoxium eſſe iecur poteſt, ſermonem habeamus.

De iecinoris affectibus, qui proprij eius ſunt, quique ex conſenſu eius cum alijs malè affectis particulis ortum habent. Cap. II.

EX ijs autem, quę hactenus tractata ſunt, longo etiam orationis circumductu, facilè eſt rationẽ (modo quis animum adhibuerit) inire omniũ morborum, quibus iecur ex varijs occaſionibus poteſt eſſe obnoxium, & a quibus lædi eius operationes poſſunt. Nam ſi primum ita res ſe habet quod iecur quæcunque rectè agit per natiuum calorem, tanquã per primum, & proximum inſtrumentum agat: in hoc enim Gal. Hippo. & Ariſtot. conſentiunt, quod natiuus calor auctor eſt omnium naturalium operationum: calor autem is temperatus calor eſt, qui conſiſtit in apta, & congruenti temperatura, atque accõmodata naturæ rei, cuius natiuus dicitur. Etenim in relatione, & comparatione ad aliud dicitur natiuus, vel naturalis; huius vero temperaturæ, & menſuræ iſtius caloris ſunt certi quidam limites, quos vbi excesſerit, tantum a ratione natiui caloris fit receſſus, quantum fit exceſſus extra eos limites, ſecundũ quẽ exceſſum fiunt morbi intemperatura: nam ratio tẽperaturæ particularum in proportione natiui caloris conſiſtit. Et cum quadruplex fieri poſſit hic exceſſus, pro ratione quatuor terminorum, quibus circunſcribitur ratio caloris natiui: alter enim ex parte caloris, alter uerſus frigus, tertius verſus ſiccum; poſtremus verſus humidum: ſequitur, quod ex quatuor differentijs intemperaturæ ſimplicis poteſt iecur malè affici, & totidem compoſitæ, quatenus fit ab uno tãtum limite exceſſus, vel a duobus. Ab vno quidem, ſi vel in calido tantum fiat tranſitus extra definitos limites, vel in frigore, vel in humiditate, vel ſiccitate, a duobus autem in compoſitis temperaturis exceditur, vt in calido, & humido, vel frigido, & ſicco, uel calido, & ſicco, uel frigido, & humido. Et quia ita in his, ſicut in ſimilibus aliarum particularum affectibus, poſſunt huiuſmodi differentiæ duplicem habere modum: quoniam aliquando intemperies pendet, & fouetur a materia ſimili ſecundum naturam, & proprias qualitates: interdum verò ſola eſt citra ullã materiam intemperies, actiones uiſceris lædẽs, ſicuti horum eſt diuerſus modus, ita & diuerſa erit curationis ratio. Materiæ verò omnes in quatuor tandem humores referuntur: nempe in ſanguinem, pituitam, & vtramque bilem. Sed neque hic etiam conſiſtendũ, verum magis particulatim res tractanda, duobus ſiquidem modis humor, vel materia, quæ aliquam fouet intẽperiem in aliqua particula ſe habere poteſt.
co. 73. Nam interdum (vt de phrenitide Galen. tum ſecundo libro Comment. in primum Epid. tum etiam alibi expoſuit) humor is in uenis continetur, & quaſi alluit ipſas particulas, & tunc appellatur a medicis intemperies cum materia. Interdum vero non modò venas replet, & illis infarctus eſt, ſed ex eis expreſſus excidens in ſubſtãtiam, vel anguſtos, & in inanes particularum meatus illabitur, eos replens, illiſque impactus extendit partem illam, quam occupat, & in tumorem attollit. Solet autem hoc euenire, cum concitatur fluxio aliqua particula impellente humorem ſuperuacaneum, qui illi aut qualitate, aut copia erat moleſtus, aut illa attrahente, quæ in tumorem attollitur, ratione uel caloris in ea aliqua de cauſa accenſi, uel doloris ibi excitati. Et hunc in modum fiunt tumores omnes præter naturam, qui deinde differentes habent naturas pro ratione differentis humoris, a quo excitantur. A calida enim fluxione inflammationes, et eryſipelata fiunt. Ex frigida verò œdemata, & ſcirrhi, & alij, qui ad hoc genus referuntur: Inflãmationes enim particulatim ex ſanguinea fluxione ortum habent quamuis generali quadam ſignificatione antiqui medici inflammationem (ut ſuperioribus libris oſtendimus) omnem tumorem calidum, in quo multus ſit feruor, nuncupauerint. A bilioſa autem fluxione fiunt eryſipelata: œdema uerò tumor frigidus eſt, ſed mollis & laxus ex tenui pituita ortum habens, ſed Galen. quarto de Præſag. ex pulſu œdema non poſſe in iecinore conſiſtere credidit, ab eius enim calore pituita tenuis facilè tum concoquitur, tum digeritur: at ſcirrhus durus tumor, & frigidus eſt, qui a lenta & craſſa pituita, aut concreta ortum habet, vel à melancholico humore uſtionis experte: nam qui aſſatus, & vſtus eſt cancros procreat. Hi autem morbi, quorum eſſentia conſiſtit in intemperatura, proprij ſunt ipſis particulis, non quatenus compoſita ſunt, & inſtrumẽtaria primum & per ſe, ſed ratione ſimplicium partium, ex quibus coagmentata ſunt. Quamuis tumores, quos pręter naturã appellauimus, duplici ratione particulas lędant, nimirũ & ratione qua ſimplicia membra ſunt, & ratione, qua compoſita, & inſtrumentaria. Cum enim partẽ, quam occupãt, extra fines ſuę naturalis intemperiei ducunt, in morbis ſunt, qui intemperatura cum materia conſtant: Quatenus uerò claudunt uias & meatus viſcerum, qui ad eorũ functiones neceſſarij ſunt, morbi ſunt in uia uitiantes naturalem conformationem, & ſtructuram particulę. Verum vt hoc expeditius intelligi poſſit, id etiam conſiderandum, quod (ut paulo ante expoſuimus) primaria functio iecinoris eſt ſanguificatio (ita enim loquar) ad quam perficiendam neceſſaria eſt materia; nam ex nihilo nihil fit: eam autem oportet attrahi uentriculo, & inteſtinis per uenas, atque attractam in eiſdem, donec coquatur, detineri: mox uerò à iecinore itidem per uenas diſtribui in uniuerſum corpus. Sed vt hoc promptè fiat, oportet uias eſſe expeditas, & apertas, & quãtum natura uiſceris requirit, patentes, & latas: quod ſi illæ vel coarctentur aliqua occaſione, & ea ratione claudantur, aut alioquin repleantur, ita ut tranſitus occludatur, & impediatur, confunditur omnino, & impeditur prima, & pręcipua actio ipſius iecinoris, & id genus morbi obſtructio, uel oppilatio a medicis appellatur. Quæ multiplicẽ in hoc uiſcere poteſt occaſionem habere. Nam aut ab aliquo tumore in eo uiſcere excitato, pars enim, quæ intumuit, alias urget & impellit, & ita aſtringit, ut uenæ non poſſint ſanguinem, uel alium humorem admittere, & quod de uenis diximus, illud idem de arterijs intelligendũ, ac de ramulis meatus fellei. Aut a multitudine humoris occupante uenulas, uel alia vaſcula, de quibus nũc ſermonẽ habebamus, & illis ita infarcta, ut tranſitus alijs non permittatur. Quandoque uero craſſius aliquis humor aut lentus uaſa illa occupat, ut alteri humori nullum relinquat aditum. Sed & uenæ interdum arefactæ contrahuntur, & clauduntur. His ferè continentur omnes differentiæ affectuum, quibus lędi poteſt hoc uiſcus, niſi quod & ſolui poteſt interdũ eius unitas, uel ab externa cauſa nempe per illatum vulnus aliquo inſtrumento, aut incidente, aut per cõtuſionem dilacerante, uel ab interna, ſicut ab aliquo acri, & erodente humore, aut ex aliquo tumore præter naturam, qui in abſceſſum deſierit, uel ſuppurationem, uel alia ratione.

De affectibus iecinoris, quibus qui laborant à Gręcis medicis hepatici dicebantur. Cap. III.

COntingit ſępè, ut quamuis iecur nullo alioquin morbo conſpicuo detentum ſit (morbos autem manifeſtos appello, quales ſunt inflammatio,

matio, uel ſcirrhus, uel alius quiſpiam tumor uel etiam obſtructio) infirmum tamen ſit, & in obeundis Cap.2. Cap.7. ſuis actionib. ad nodū imbecillum, hos qui ita affecti ſunt Græci (ut teſtis eſt Gal. tertio de ſympt. cauſ. & octauo de comp. med. ſec. loc.) hepaticos, quaſi Latinè iecinoroſos dicas, appellarunt. Sed hoc eſt in memoriam reuocandum, quod nos docuit ſępe Galen. nempe quod quando infirmitatem, uel imbecillitatem alicuius uiſceris, uel alterius alioquin affectus in humano corpore, non morbum aliquem, uel affectum aliquē diſtinctum, & definitum nominamus, ſed confuſam quandam rem, niſi aliquid aliud addamus, quo definiatur, & diſtinguatur, immo imbecillitas potius morbum conſequitur, quàm quòd ſit morbus, vel affectus. Cap. 7. Quod ut rectè percipiatur, animaduertendum eſt, quod (vt quinto de loc. affect. Galen. tradidit) omnium facultatum, quibus particulę in animantium corporibus prædite ſunt, eſſentia in earum temperaturis proprijs priuatiſque uniuerſa cōſiſtit, ut ex parte ſuperiori capite probauimus, huc enim ſpectat, quod omnium actionum particularum auctor eſt natiuus calor, qui in eis eſt. Vnde cum integra ſeruatur temperies naturalis alicuius particulæ, neceſſe eſt uires eſſe validas, ac robuſtas omnes, actiones à facultate editas, quę ſuam eſſentiam ab ea temperatura habuit, uitiata autem & immutata temperie neceſſe eſt, ut pro ratione illius uitij, uel immutationis, maior, uel minor lęſio inde contingat & facultas reddatur imbecillior, actioneſque ſequantur imperfectiores, & languidiores. Quo fit, ut quamuis vnum ſit commune nomen, quòd ad vnam etiam communem rem referatur, id quo dicuntur hepatici, qui iecinoris vitio laborant, refertur enim hæc appellatio ad eos, qui iecur infirmum habent, attamen particulatim plures dlfferentias, imo interdum & inter ſe aduerſarias ſignificat. Nam cùm quælibet intēperatura poſſit imbecillum iecur reddere, quatuor autem dixerimus eſſe ſimplices intemperaturas, & totidem compoſitas, & illas, aut ſine materia, aut cū materia, ſatis conſtat calidam intemperiem frigidę, & humidam ſiccæ eſſe contrariam, & eodem modo compoſitas materias etiam inter ſe ſuapte natura eſſe cōtrarias. Nec modo hac ratione variantur eiuſmodi imbecillitatum differentię, ſed ratione etiam lęſę facultatis. Cum enim in iecinore ſit facultas attractrix, deinde detentrix, tertiò contentrix, quarto expultrix, non ſemper omnes per tranſmutationem tēperamenti ęqualiter afficiuntur; niſi tantus fiat receſſus à naturali ſtatu, ut omnis proportio ſit amiſſa, & deſtructa, alioquin autem pro diuerſa tranſmutatione ſecundum modum, & comparationem qualitatum, aliquando magis læditur attrahendi uis, aliquando detinendi, nonnunquam concoctrix, interdum expultrix, & pro ratione, qua tam hęc, quam illa, facultas magis læſa eſt; ita varij effectus, & diuerſa ſymptomata ſequuntur, vt paulò poſt docebimus. Vnde (quemadmodum Galen. octauo de comp. medic. ſec. loc. lucidè expoſuit) ſi attractrix in iecore facultas fiat imbecillior, vel alimentum ex ventriculo, ac inteſtinis aut nequeat attrahere, aut ægrè, & parum attrahat, aluus liquida, & non conſiſtentia deijcit, & ſi vna & ventriculus cum iecore ſit factus imbecillior, quatenus ad officium concoquendi pertinet, aluus cibos ſemicoctos excernet. Sed ſi validus ſit ventriculus, probeque cibos conficit, deiectiones coctæ quidem quantum ad munus ventriculi ſpectat, verùm omnino liquidę erunt: ſuccus enim in ventriculo cōfectus liquidus eſt, perinde vt cremor hordei, cuius, aut nihil, aut parum admodum attrahitur ad iecur. Sed ſi iecoris imbecillitas non ea ſit vt nequeat attrahere, immo commode attrahat, uerum nequeat potius id

A quod ſemel attraxit, in ſanguinem probè conuertere, variæ tunc fiunt corruptiones, & peruerſę commutationes materię quę erat concoquenda, perinde in iecore, ſicuti & in ventriculo, cum prauè cibos cōcoquit. Nam ſi imminuta fiat concoctio, ita vt incipiat quidem & aliquatenus procedat concoctio, non tamen abſoluatur, fit ſane veluti ſemicoctus ſanguis, qui deinde tanquam inutilis, & naturæ operibus ineptus repellitur, atque per aluum deijcitur, deiectiones verò hæ tales videntur eſſe, qualis eſſet ſanguis, qui multa eſſet aqua dilutus, vel (vt alij exponunt) qualis aqua eſſet, qua carnes nuper iugulati animalis lauarentur, cruenta enim videretur quidem ea aqua, quę tamen conſiſtentiam ſanguinis non haberet, & B hę quidem, ſunt deiectiones quæ à medicis propriè appellantur hępaticę deiectiones. At dum talia deijciuntur, res adhuc in initio eſt, nondum enim multum eſt progreſſum, quia ſi augeatur, non fiunt amplius iſtiuſmodi deiectiones, ſed aliæ deiectionum formæ, & qualitates adeo varię, & diuerſę, vt quemadmodum Gal. eodem loco teſtatur, vix aliquis eas diſcernere poſſit, vel ſermone exponere, & id vel propter calorem aſſantem, vel propter putreſcentem, & corruptum ſanguinem in iecinore. Nam ſi calida iecur intemperatura tentetur, deiectiones colliquationem primum quidem humorum præ ſe ferunt, deinde vero colliquatur & caro iecinoris, deijciturque bilis quædam craſſa, ſinceraque referens fœdum quē C dam odorem. In frigida verò intemperatura non ſunt aſſiduæ, vt in calida, deiectiones, multęque ſed p interualla citatur aluus, & cum ſuppreſſa uideretur, repente deinde copioſa profundit, deiectiones non ita fœtidę ſunt, vt quę ex colliquatione fiunt à quibus non fœtore modo differunt, ſed calore & ſubſtantia: nam hæ ferè putris ſanguinis ſpeciem referunt. Sæpe vero, qui hepatici dicuntur, deijciunt excremēta, quæ ferè prope accedunt, vt ſint atra bilis: nam videtur eſſe ſanguis ater primo aſpectu, verum vbi fueris diligentius intuitus, neque ſanguinem eſſe, neque ſanguinis grumum percipies, ſed veluti quandam ſanguinis craſſi fecem. At cum calidæ, vel frigidæ intemperaturæ addita fuerit & humida intemperies, alui de D iectiones erunt liquidiores, cum vero ſicca, erunt aridiores. Quamuis autem & alijs argumentis diſcerni poſſint hæ affectiones hepaticæ, ſicut febre, nam frigida intemperatura plerunque ſolet ſine febre eſſe inter initia, quamuis re vlterius progrediente, ſanguine corrupto in iecore, excitetur febris, cum plerunque calidum (vt docuit Gal. quinto de loc. affect.) feb. Cap.7. inſignis ſequatur preterea ex frigida intemperie raro amittitur cibi appetentia, ſed ſæpe & creſcit, cùm calidam cibi potius faſtidium, & ſitis ſequatur, qua carent, qui frigida laborant, nec modo prauæ ſunt deiectiones in calido, ſed & vomitus interdum prauæ materiæ. Nullum tamen eſt firmius certiuſque inditiū, quo affectus hepatici cognoſci poſſunt (ut ibidem E Gal. teſtatur) atque eorum differentię, quam, id quod a deiectionibus depromunt medici. Vnde ſi rectè res conſideretur, alui profluuia, quę hepatica à medicis dicuntur, huc omnia referenda ſunt. Et cum in ſequentibus de omnibus differentijs fluxionum alui vna tractatione agere ſtatuerimus, ideo de hac re nō protrahemus ſermonem in longius, ſed ad eum locū omnia quę ad hanc rem attinere poſſunt, reſeruabimus. Sed ex parte etiam aliqua pertinentia ad præſens negotium exponemus in hoc libro, vbi de aqua inter cutem habebimus ſermonem, nam & affectus ille ſi non omnino, maxima ſaltem ex parte occaſionem habet à iecinoris imbecillitate, quę ſequitur eius intemperiem. Vnde ne cogamur eandem ſępius repetendo tempus conſumere, de his nolumus longio

rem

rem in præſentia ſermonem inſtituere, ſed ad alios A affectus exponendos accedere. Et quia & aqua inter cutem, quàm hydropen, vel hydropiſin, vel hyderon Græci appellant, intemperaturam iecinoris, aut ſcirrhum, aut obſtructiones conſequi ſolet: icterus aũt, vel morbus regius obſtructiones iecinoris, inflammationeſque, & ſcirrhos item plerunque conſequitur: ideo de his prius agemus, poſtea de illis, primum autem de obſtructionibus verba facturi ſumus: quoniam ſimplicior eſt morbus, quatenus ad rationem lædendi iecur pertinet: nam quamuis obſtructiones, quæ a multis, aut lentis, aut craſſis humoribus excitantur, non poſſint eſſe ſine aliqua labe intemperiei illius particulæ, in quam incumbunt humores illi: ea tamen non eſt, à qua primum & maximè læduntur B actiones obſtructæ particulæ, ſed potius præcipua, & maxima læſio eſt, quia uia per quam tranſit alimentum, clauſa eſt. Vnde numeratur 11. Meth. inter morbos, quibus membrum quatenus inſtrumentarium, & compoſitum eſt, afficitur: uitiat ſiquidem conformationem, vel (ut iuniores loquuntur) compoſitionem particulę: eſt enim morbus in uia: Inflãmationes verò, & ſcirrhi æquali ferè ratione lędunt ſimplices uiſceris partes, quatenus ſimplices ſunt, cũ temperiem earum inſigniter tranſmutent, & uitiẽt, ut ſuperius inſinuauimus, & uiſcus ipſum quatenus organicum, obſtructa nempe via, quamuis tumores hi potius comprimendo & aſtringendo vaſa concludant, non autem propter materiam infarctam in C inanitionem vaſorum, ſicuti in veris obſtructionibus fit.

De obſtructione iecinoris. Cap. IIII.

OBſtructiones in iecinore concitari à craſſis, vel à lentis ſuccis probare non eſt opus, præſertim verò illis q probè calluerint ſtructuram, & conformationem iecinoris, cum (ut paulò ante diximus) ſit intertextum exilibus, & anguſtiſſimis venulis, in quibus facilè infarcta craſſior materia, uel lenta hæret, & eas claudit. Sed quod à multis quoque, quamuis neque craſſi, neque lenti fuerint, humoribus fiat obſtructio, probat Galen. octauo Me- D tho. exemplo petito ab hominum turba, qui confertim, & certatim contendunt tranſire per viarũ meatus, præſertim cum anguſti fuerint, ſæpe enim ibi hærent, & nemo poteſt tranſire cum alter alterum impediat. Vnde cum anguſtiſſimæ ſint venæ in iecinore, præſertim uero, ut teſtatur Galen. in libro de conſtit. ar. medic.) vbi venæ, quę deductę ſunt à vena, quę porta dicitur, committuntur cum ramulis venæ, quã cauam Ariſt. appellat. Quo fit deinde, vt maximè mirandum non ſit cur hoc uiſcus ſit maximè obſtructionibus obnoxium, ab eiſque frequentiſſimè tentetur, ut pote quia ipſum vias anguſtiſſimas habet, & copioſa per eas materia ſubinde feratur. Vnde & E qui ſuapte natura uenas anguſtiores habẽt per quas alimentum à parte concaua iecinoris, [vt] tertio de alimen. facul. ait Galen. ad conuexam tranſit, & qui congerunt multos crudos & craſſos ſuccos præ imbecillitate caloris natiui, & ſenes etiam facilè (ut quinto de tuen. ſani. idem tradidit) obſtructionibus capiuntur. Sed neque præterea, ſi quis animum his, quæ hactenus expoſuimus, aduerterit, difficilè erit inuenire, quæ poſſunt eſſe cauſæ obſtructionum. Proximæ enim ſunt ſucci craſſi, lenti, & multi. Remotiores verò duæ ſunt, quædam internæ, quædam vero externæ. Interna eſt corporis naturalis propenſio propter uel iecinoris conformationem, vel ætatem, vel ventriculum imbecillum. Externæ verò sũt quęcunque vim habent gignendi humores tales, quales diximus eſſe proximam cauſam obſtructionum, atque ea etiam, quę poſſunt illos mouere, & digerere in anguſtos iſtius viſceris meatus. Vt tandem hæc omnia in uictus rationem referantur. Nam aut ea, quę comedũtur talia ſunt, vt ſuapte natura ſint craſſi (Cap. 6.) ſucci, qualia ſunt amylum, ſimilago, oryza, far, tragũ, lac, quod craſſius eſt, horum enim meminit Galen. 3. de alim. facul. Addit autem quinto de ſani. tuen. caſeum, cochleas, bulbos, lenticulam, præſertim quando ex ſapa comeditur, ſed & placentę ex lacte, vel caſeo paratæ, ait ipſe in lib. de boni, vel mali ſucci cibis, aut quæ ex ſimila, & lacte, & tandem quæcunque ex tritico citra fermentum fiunt, ut lagana, & id genus alia. Item oſtrea, anguillæ, & quicunque piſces carnem duram habent, uix enim in ventriculo coqui poſſunt, & qui dura teguntur teſta, ſed & piſces magni, & cetacei. Aues etiam, quæ in ſtagnis, & paludibus degunt, atque adeo etiam in aquis. Carnes quoque ceruorum, caprarum, boum, ouium, agnorum & ſuum, & cibi omnes ferè dulces, exceptis melle paſſulis, & ſaccharo: uinum etiam dulce, quamuis (ut in libro de cibis boni & mali ſucci ait Galenus) obſtructiones ex uino dulci excitatę moderatiores (Cap. 4.) ſint, quàm quæ ab alijs cibis qui craſſi ſucci ſunt. Otium uerò tam animi quam corporis longum, & immodicum obſtruendi (iecur teſte Galen. ſecundo de tuend. ſan.) in cauſa eſt ea ratione, qua inde corpus (Cap. 8.) frigidum, & pituitoſum euadit: vnde & obſtructiones, & alij frigidi morbi ortum habent. Sed & quæ cibum nondum plenè coctum, aut crudos alios, & craſſos humores colliquatos prius in uenas digerere poſſunt: ſicuti balnei vſus à cibo: aut cum refertum corpus eſt pręſertim verò uentriculus, & uię communes crudo humore & exercitatio vehemens, & motus, quo corpus incaleſcit. Item venus poſt cibũ, & vehemens ſtudium. Horum omnium meminit (Cap. 6.) Galen. ſæpe pręſertim uerò quinto, & ſexto de tuen. (Cap. 3.) ſani. tum & ſecundo etiam, & in libro de cibis boni, (Cap. 8.) & mali ſucci. Reliquum autem eſt, ut & tractemus, (Cap. 3.) quę pertinent ad ſigna, quibus poſſint diſcerni obſtructiones, quando iecur occupant. His itaque notis docuit Gal. tum ſexto de tuen. ſan. & in lib. de ci- (Cap. 2.) bis boni, vel mali ſucci, tũ verò quinto de loc. affect. (Cap. 7.) dignoſci poſſe iecur eſſe obſtructum, primùm quia percipitur ueluti ponderis cuiuſdam ſenſus in dextro præcordio, pręſertim uerò cum ſpiritu uehemẽs fit attractio, quod forſitan ea de cauſa accidit; quia in uehementi, & ualida inſpiratione tranſuerſum ſeptum ſurſum aſcendens ſecum iecur, quod illi annexum eſt, trahit, quare ſuſpenſum iecur magis graue uidetur: grauitatis uerò cauſa eſt materia craſſa, uel multa infarcta, quod ſi pręterea incluſus ſit in iecore flatuoſus aliquis ſpiritus, qui ob obſeſſas uias ne queat erumpere, tenſio percipitur in eodem præcordio, ex quo poſtea præter ſenſum ponderis, dolor, & aliquando acutus poteſt concitari, alioquin enim obſtructiones non habent inſignem dolorem adiunctum, & ſi aliquis adſit, eſt potius dolor grauans, quã acutus. Præterea quantum ad obſtructiones pertinet in iecore, illæ ſæpe conſiſtunt ſine ulla febre. Nã niſi ob obſtructiones putreſcant humores, qui alioquin diſflari nequeant, febris non accenditur: quia obſtructio frigidus morbus eſt, qui & à frigida plerũque materia ortum habet. Quòd ſi ſtatim ab initio febris adeſt, iam potius inflammationis. (ut ſecundo de loc. affect. & ſeptimo apho. docuit Gal.) quàm obſtructionis rationem habet, maximè ſi dolor etiam inſignis adſit. (Cap. 9. Cõm. 52) At verò cum (ut ſæpe diximus) duplex ſit eius pars: altera conuexa, quæ extrorſum magis uergit, alia uerò caua, quæ introrſum potius conuerſa uentriculo incumbit, & aliquando altera tãtum obſtructa.

ſtructa ſit, aliquando utraque, cum ſola conuexa oppreſſa eſt obſtructionibus, ſi illæ aliquantiſper ſint inſignes, dum tractatur dextrum precordium, & comprimitur plenius illud percipitur, propterea quia turgentius eſt iecur infarctis multis humoribus, ac tenſius, magis renitens comprimenti manui: nam ſemper aliquem flatum incluſum continet. At verò cum obſtructio occupat concauam, & penitiorem partẽ, non ita tactu à manu percipi poterit, quia pars illa profundior eſt, niſi interdum illa obſtructio adeo inſignis ſit, ut & conuexa pars conſentiat. Addunt autẽ iuniores, & alia ſigna obſtructionum, quæ cum non ſint earum propria, ſed communia inflammationi, ſcirrhoque, ideo de illis progrediente ſermone verba faciemus. Et ne quis forſitan arbitretur obſtructiones non eſſe rem multi momenti, antequam curandi rationem aggrediamur, referamus incommoda, quæ retulit Gal. in lib. de cib. bon. & mali ſucci, & pericula, quæ eum ſequi ſolent, qui neglexerit curare iecoris oppilationes. Primũ enim prohibet, quo minus alimentum ſpargi poſſit in vniuerſum corpus, quo deinde fit, ut neque ali poſſit: ſubinde vero ſunt in cauſa, cur multa congeratur materia in venis meſenterij, vel in concauo iecinoris: nempe intercepto ei tranſitu ad ſuperiorem partem, & ad eas uenas, ad quas pertinet alimentum diſtribuere in vniuersũ corpus: vnde periculum imminet, ne aut inflammatio conciterur, aut ibi putreſcente materia, febres accendantur. Sed & id addendum putauerim, quod inde occaſio oriri poteſt, vt tandem affectus hypochõdriacus exoriatur. Ex his autem, quę nuper à nobis ſunt expoſita, facilè poteſt vnuſquiſque percipere, quantum operæpretium facturus ſit medicus, ſi in tollendis cito obſtructionibus diligens, & ſolicitus fuerit, quamque bene cum illo agatur, qui cito ſe bono medico, & cum primùm animaduerterit ſe correptum ab obſtructionibus, cõmiſerit. Facilior enim longè eſt earum curatio, cùm mediocres, nec adhuc ſunt factæ validiores, difficilior vero, cum vehementes ſunt: nam præterquam quod ſunt curatu eo difficiliores, quo ſunt validiores, & maiores: febris, quæ plerunque ſolet eſſe comes magnarum obſtructionum, addit etiam maiorem difficultatem, & periculum. Vnde (ut Gal. in lib. de Conſti. artis med. ait) obſtructiones antequam multum inualeſcant, ſola uictus attenuantis ratione, ac attenuantibus medicamentis tolli poſſunt: cùm vero plus inualuerint, & vehementiores fuerint factæ, iam non modo, id verum & vacuationem, vt curentur, requirunt. Nam ſi morbi natura nobis rationem curationis primum indicat, morbique remedijs contrarijs tolluntur, neceſſe eſt, vt craſſi humores attenuantibus corrigantur; lenti autem detergentibus, at multitudinem uacuatio curare ſolet. Vbi ergo leues ſint obſtructiones, & citra febrem, non multi negotij erit earum curatio, ferè enim ſola uictus ratione tolli poterunt, vel ſi etiam interdum fuerit aliquibus opus medicamentis, attenuantibus duntaxat erit opus, & illis ſatis mediocribus, quia non poſſunt eſſe multi humores, qui leuem excitarint obſtructionem, & proinde neque manifeſtam requirunt euacuationem, neque etiam validè attenuantibus, & aperientibus: vt enim extremi morbi extrema remedia, ut ait Hipp. primo aph. expoſcunt; ita mediocres mediocria. Quod ſi quis opponat, quod interdum, licet obſtructiones leues ſint, quia modica ſit materia infarcta, poteſt tamen vniuerſum corpus eſſe refertum multis aut uitioſis humoribus, quare res non expers eſt periculi, ne augeantur obſtructiones, & maior fiat morbus Galen. vero & ex Hipp. ſententia 4. de rat. vict. in mor. acu. & in lib. de Sec. ven. videtur velle, quod eadem reme-

A dia opportuna ſunt ſiue magnus ſit morbus, ſiue futurus magnus. Reſpondemus, quod id quidem uerũ eſt, quando res eſt in præcipiti, & in mora periculum eſt, ſed idem etiam docuit, quod ſæpe & plenitudo corporis, & reduntantia malorum humorum, præſertim verò crudorum, tolli, & corrigi poteſt ſola ratione uictus illis accommodata, aliquando tenui aliquando attenuante, dummodo nullam præſtemus occaſionem, cur confertim moueantur, & digerantur in anguſtiores, & exiliores uenas, quales ſunt illæ, quas ex ſententia Galen. octauo de tuend. ſan. & alibi ſępius retulimus. Attenuant autem ea omnia, quæ tenues gignunt humores, & quę partium tenuiorum λεπτομερῆ Greci appellant, qualia ſunt, quæ ni-
B troſitatis non ſunt expertia, quęque amara, & quæ acria ſunt: hę enim attenuando, & diſſecando craſſos lentoſque humores, eos parant, ut facilè in habitus conuerſi, partim à natiuo calore, partim autem à calore etiam eorum, quę attenuant (neque enim aliquo carent calore, quę retulimus) per tenues, & inconſpicuos meatus euacuentur. At verò ſi maiores ſint obſtructiones, & quę à multa foueantur materia, neceſſaria etiam erit vacuatio, quę per vias latiores, conſpicuaſque fieri ſolet, ſicuti per aluum, vel per vrinam, hac tamen adhibita diſtinctione, quam nos tum alibi, tum verò tertio artis medic. docuit Gal, ut cap. 9
ſi obſtructa ſit pars conuexa, & ſuperior iecinoris, accommodatior ſit euacuatio, quæ fit per ea medica-
C menta, quæ lotium cient: ſumpta nimirum indicatione à natura loci affecti, qui ratione uenæ cauæ maiorem habet connexionem, & vicinam cum inſtrumentis urinarijs, At in obſtructionibus concauę partis utilior, & commodior erit uacuatio, quam medicamenta molliuntur quę per aluum ducunt, ſimili ratione, quia vena, quę porta dicitur, quæque ſedem, & ortum habet à concaua iecinoris parte, inteſtinis magis eſt annexa, & affinis. Sed cum ad obſtructiones febris etiam accedit ijs, quæ hactenus expoſita ſunt (ita ut diximus) uti, non uſquequaque tum, niſi cap. 4.
prius (ut octauo, & undecimo Metho. tradidit Gal.) cap. 4.
corpus ſecta uena uacuauerimus, pręſertim uero ſi cap. 10.
plenum ſit, quamuis ille cõſuluerit ibidem ſanguinẽ
D etiam ubi per uires, & ætatem licuerit, detrahendum eſſe, etſi non ſit in corpore inſignis aliqua plenitudo: alioquin enim facilè (ait ille) poterunt & febris magis accendi, & putredo augeri & obſtructiones fieri maiores, nam quæ attenuant, & aperiunt, plerunque calefaciunt, qua ratione poſſunt febrem, & putredinem augere, mouent etiam materias, & eas in anguſtiores venas digerunt, & proinde obſtructiones maiores faciunt. Hoc autem rectè, & ritè peracto, conuertenda deinde curatio ad ea, quæ attenuare, & ſecare humores poſſunt, qui in cauſa ſunt obſtructionum, ac eas fouent, & ſeruant. Sed iam hic duos morbos curandos habemus, nempe febrem, & obſtructiones qui ut ſunt aduerſariæ, & oppoſitę inter-
E ſe naturę (alter enim calidus; alter frigidus, ut diximus) ita & oppoſitas habent indicationes. Quare recurrendum erit ad rationem communem eiuſmodi complicationum, vt vel id in primis ſpectemus, quod magis urget, & maius periculum habet, aut id, ſine quo alterum nequit curari, aut id, quod eſt alterius cauſa. Quamuis autem quandoque accidat, ut febris adeo uehemens, & ualida ſit, ut cogat medicum illi in primis attendere, cęteris omnibus poſtpoſitis, ſæpius tamen (ut Galenus, vndecimo Metho. docuit) curatio ab obſtructionum reſeratione inchoãda eſt; ut pote quoniam obſtructiones in cauſa febris ſunt, atque eam ita fouent, ut uix curari ea poſſit, niſi obſtructionibus remotis. Neque tamen ita ratio obſtructionum habenda eſt, ut omnino febrem negligamus:

mus:

mus: immo ſemper & febrem, quantum fieri poteſt, reſpiciamus alioquin enim poterit adeo exaſperari, & accendi febris, vt cogatur deinde medicus, poſthabita ratione obſtructionum febri remittendæ incũbere. Vnde cùm ſint auferendæ oppilationes rebus attenuantibus, & detergẽtibus, quorum pleraque calefaciunt, & exſiccant, inſigniter etiam, ratio expoſcit, vt aliqua ſint, quæ hæc poſſint præſtare, neque tamen calefaciant, vel etiam refrigerent, illa alijs pręferamus: aliquando enim ita accidit, vt medicamenta, uel cibi propter diuerſam partium naturam, quibus conſtant poſſint ex parte attenuare, ex parte verò refrigerare: ſunt enim in ipſis partes quædam tenui ſubſtantia conſtantes, in quibus aliqua quidem uis calorifica eſt, & ab his habẽt, quod aperiant, & attenuẽt, ex alijs uerò, quæ plures ſunt, quod refrigerent. Quia tamen hæc, quæ uel non inſigniter calefaciunt, uel etiam refrigerant, in attenuando, & aperiendo non admodum valida ſunt, & ſi obſtructiones ſint uehementes, ab his tolli nequeunt, vel ægre admodum, & tarde quo fit deinde, ut neceſſe ſit ab his ad calidiora tranſgredi, quæ & efficaciora ſunt in aperiendo: ſemper tamen ita agendum eſt, ut febri aliquam partem demus: nempe, ut quò fieri poteſt minus calidis utamur, aut ſaltem ea temperemus illis quæ aperiũt quidem, ſed refrigerẽt, aut ſaltem calorem aliqua ex parte remittant. Sed iam magis particulatim agamus, & quæ medicamenta frigida ſint aperientia, quæque calida, exponamus, non tamen omnia, ſed aliqua, quæ in maiori ſunt uſu. Nam cum horum ſit immẽſa quædam ſylua, nimis prolixi eſſemus, ſi omnia recenſeremus: frigida quidem aperientia ſunt plantago, endiuia, intybus, & cichoraceorum vniuerſum genus. In calore uero & frigore medium fere locum tenet adiãthum, attenuandi tamen, & aperiendi non omnino leuem uim habet: aſplenum quoque, quod & ſcolopendrium appellant, Arabes uero citrach, citra caliditatem aperit, & extenuat, idque partium, & ſubſtantiæ tenuitate. Calida uero ſunt innumera, quorũ aliqua minus, aliqua magis calefaciũt: nam fumaria, quę vulgo fumus terræ dicitur, abſinthium amaræ amygdalæ, radices, folia & ſemina, apij, & petroſelini noſtri hortenſis, & longè magis, quod in petris naſcitur, & Macedonicum in primis, item & fœniculi, & ſemina aniſi, lupini, vel eorum decoctum, eupatoriũ, betonica, polium, ſerpyllum, marrubiũ, pulegiũ, chamædrys, chamæpythys, iris, ſcordium, cortex, & fructus capparum, tamariſcique, cẽtaurium minus, pęonia, allium, piper, & id genus multa, & tandem quæ vel nitroſa ſunt, uel amara, uel acria, ſunt tamen horum alia magis, alia minus calida, quæ nolumus in præſentia temporis longitudini parcentes, in ſuos ordines referre, poterit enim unuſquiſque ex Gal. Aetio, & Paulo, modo eorũ libros legat id præſtare. Sed & compoſitorum medicamentorum, quæ tum a iunioribus, tum ab antiquioribus deſcripta, & literis commiſſa ſunt, copia adeo magna reperitur, ut ne menſis quidem hic ſit nobis ſuffecturus, ſi omnia uelimus afferre, & examinare, ſunt enim decocta, ſyrupi, antidoti, uel (ut iuniores loquuntur) electuaria, ſunt trochiſci aliquorum tamẽ mẽtionem faciemus, ut horum collatione alia quoq; indicari poſſint. Prius tamen aliqua exponere operæpretium fore uidetur, quę uidentur eſſe cognitu neceſſaria ad horum rationem, & uſum recte percipienda, in uniuerſum tñ. Primum quidem acceptum undecimo Meth. et quinto de ſimpl. med. fac. necnon & ſexto in hunc modũ ſe habet, medicamenta, quę ſunt aperiendis obſtructionibus opportuna, ut ex abſtergentiũ genere ſint; ita oportet, ut non ſolum facultatibus, ſed & ſubſtantię modo, conſiſtentiaq; illis opponantur, quæ à Grę

ca[...]. & 10
ca[...] 2.
ca[...] de
p[...]ia.

cis emplaſtica dicuntur: nam hæc uiſcida ſunt, quatenus ad rationem ſubſtantiæ pertinet, omninoq; mordacitatis expertia; cum illa, quibus ſunt reſerandę obſtructiones oporteat omni carere lentore, & non eſſe mordacitatis expertia, cum ea aut nitroſa ſint, aut amara, aut acria, & tandem, quæ tenuis ſint ſubſtantiæ, uel tenuium partium, quod ſi aliquid pręterea aſtringentis facultatis habuerint, lõgè tutiora, ut quinto de ſimpl. med. facul. docuit Gal.) & præſtantiora. cap. 12.

Tempus vero opportunum ad ea exhibenda medicamenta, quæ uim aperiendi obſtructiones habent, ideſt, in quo iam confectum eſt alimentum, quod ex ventriculo in iecur digeritur, & pręterea quo aliqđ ſpatium medium, ante cibum deinde aſſumendum, relinquatur, quo hęc etiam medicamenta aperientia poſſint ſuo fungi officio. Quod autem tẽpus ſit hoc, ſi requiras, reſpondet Gal. ſexto de ſanitate tuenda; cap. 3. illud præſcribens per collationem ad conſuetudinẽ ſuorum temporum, quod eſt tempus id matutinum, quod incipit, quando iam eſt à ſomno excitatus ille, qui medicamenta aſſumpturus, & terminatur ad illud, quo ſoliti erant ad balneum accedere; nunc autẽ dicemus, quod mane ſunt accipienda per tres, aut quatuor horas ante ſumendum prãdium. Sed aggrediamur tractationem medicamentorum compoſitorum, quæ accommodata ſunt aperiundis oppilationibus, & primo ea, quę ſimpliciora ſunt, deinde q̃ magis compoſita, ac in his primum frigida, mox calida. Sed quia diximus in hoc genere, eſſe & decocta, & ſyrupos, antidotos, uel electuaria, pulueresque, & trochiſcos: putamus decocta ſyrupis eſſe ualentiora, cęteris (ut aiunt iuniores) paribus, antidoti uero, uel electuaria fortiora ſunt decoctis; his aũt efficaciores putamus trochiſcos, uel pulueres, nã & trochiſcos ſæpe in pulueres redactos exhibemus, & pulueres addito aliquo liquore, quo aſſumantur, redigũtur in pilulas, uel etiam in electuaria. De decoctis autem non eſt, cur pręterea aliquid magis particulatim dicam, cum raro reperiantur apud apothecarios parata, ſed dietim ex medici inſtituto conficiuntur, eorum uerò uniuerſa ferè ratio à ſimplicibus, quę incoquuntur, uim omnem habent: unde cognitis ſimplicibus, facilia perceptu erunt & decocta. Syrupi autem frigidi ſimpliciores ſunt p̃cipue ſyrupus ex endiuia ſimplex appellatus ob id, quod nihil aliud accipit, præter ſaccharum, & endiuię ſuccum, mox & ſyrupus ex cichoreo ſimplex eadem ferè ratione dictus, qui ut minus refrigerat, ita magis aperit; ob id, quia magis amarũ cichoreum, uel (ut Latini loquuntur) intybus, quam endiuia eum ingreditur. Seruantur pręterea, & parati reperiũtur compoſiti utrique. Ex endiuia quidem, qui à Gentili fuit deſcriptus, & magis refrigerat, magiſque aperit, nam ſucco endiuię additur & ſuccus lichenes, quã iuniores hepaticam appellant, prætereà nymphæa, quàm Arabes nenuphar nuncuparunt, inſuper polytrichum, & capillum veneris, hordeum, & ſemina, qeæ frigida, & maiora dicuntur. Syrupum uerò ex cichorea, quem compoſitum iuniores uocãt, deſcripſit Nicolaus Florentinus, accipit autem omnes ferè cichoraceorum differentias, pręterea fumariam, lupinos, ueſicariamque, quam Arabes alchechengi dicunt, & hordeum, & liquiritiam, capillum ueneris, polytrichum, aſplenon, uel ſcolopendrium, quę ab Arabibus citrach, uocatur, ſed & cuſcutæ dictum ab eiſdem, quibus adduntur radices apij, fœniculi: ſparagique, poſtremò & rhabarbarum inijcitur, dum coquitur ſyrupus, unde hic magis aperit, minuſque refrigerat, & aliquam uim purgatoriam habet. Ratò autem his compoſitis, præſertim uerò ex cichorea in initio utimur, ſed potius in difficilibus, & inueteratis iam febribus, quales ſunt Autumnales, et

diuturnis obſtructionibus, quæ febres inſignes habent comites. Sed in horum ordine poſuerim ſyrupum acetoſum ſimplicem, qui ex aceto habet, ut attenuet, & diſſecet, ex ſaccharo autem, ut detergat: hoc uerò minus frigidum, ſed magis detergens, & aperiens eſt oxymel ſimplex, quātum mel calidus eſt, & magis detergens, attenuanſque ſaccharo. His aliquantiper calidior, & in aperiendo efficacior eſt ſyrupus, quem bizantinum, uel de biſantijs appellant: & cum illum Meſue tripliciter componere docuerit, primum quidem ſimpliciorem, vtpote qui ſuccos endiuiæ, apij, boraginis, lupi ſaliceti, uel lupuli, & ex ſaccharo fit, & ſatis temperatus eſt, quantum ad primas qualitates pertinet: aperit autem ſatis inſigniter, & biſantinus ſimplex communi nuncupatione dicitur, interdum uerò ſemiſſem aceti ad ſuccos addunt, & licet non magis propterea calefaciat, magis tamē aperit, cum ex aceto habeat uim maiorem attenuandi, & diſſecandi craſſos, & lentos humores, ualentior eſt, quando adduntur roſarum folia, liquiritia, ſemina aniſi, fœniculi, apij, item & ſpica: nam & calidior fit additione ſpicæ, & ſeminum, & inde maiorem etiam aperiendi uim aſſequitur, neque obſtat, quod roſæ, & ſpica participes ſint aſtringentis facultatis, quia immo (ut in lib. de ſimpl. med. facul. docuit Galen.) aſtrictio modica aperientibus accedens, magis penetrare facit, & efficacius aperire, ut ex oleo roſaceo, & melle itidem roſaceo facilè poſſumus probare. Sed & paulò ſuperius ex Galen. expoſuimus, quòd præſtantiora ad aperiendas iecinoris obſtructiones ſunt ea medicamenta, quæ cum apertione aliquam uim aſtringendi iunctam habent. Hunc autem ſequitur ſyrupus acetoſus, qui & compoſitus, & ex radicibus appellatur, quò fortius eſt oxymel item compoſitum uel de radicibus. Adhuc autem fortior, præſertim verò ad difficiles obſtructiones, & diuturnas febres, in quibus imminet, ob imbecillitatem uiſcerum, iam periculum mali habitus, quem Græci καχεξίαν vocāt, qui acetoſus diarhodon à Meſue nuncupatur. Valentior adhuc eſt ſyrupus ex eupatorio ab eodem Meſue deſcriptus, præſertim uerò in febribus, quas timemus, ne ad hydropen perducant. Oxymel autem ſcyllinum his omnibus fortius eſt, & maiorem uim attenuandi, & ſecandi habet, vehemētiuſque obſtructiones aperit. Vnde & pro ratione affectuum his utendum erit, nam in febribus maioribus, temperatioribus, aut etiam refrigerantibus utemur, ita ut inter initia leuioribus, & facilioribus, poſtea uerò paulatim ad fortiores aſcendamus. Trochiſci uero & ipſi magis, quàm ſyrupi, imprimunt: medicamenta enim uniuerſa accipiunt integra, neque per cocturam facta remiſſiora, uerum uel nunquam, uel rariſſimè illis inter initia utuntur medici, ſed potius cum iam inueteraſcunt obſtructiones. Qui autem ſunt in uſu frequētiori, ſunt trochiſci ex roſis, qui ferè faciliores ſunt, maiorē uerò uim habēt trochiſci, quos diarhodon Meſue uocat, maiorem adhuc qui ex roſis, & eupatorio ab eo dicuntur, qui uero ex rhabarbaro, et q ex abſinthio ferè ſimiles. Quia uero arida ſunt hæc medicamenta, poſſumus illis tritis, & in puluerē redactis ex aliquo decocto bibenda dare, poſſumus ēt addito liquore aliquo, modico tamen formare pilulas, uel catapotia, copioſiori autem, facere (ut aiunt) bolum. Liquores uero ſint & ipſi huic negotio accōmodati, ut eſſet aliquis ex prædictis ſyrupis, uel aliquis ſuccus, uel id genus alia. Laudat uero Galen. 6. de ſan. tuen. præterea diacalamentum, & diatrionpipereon, quæ & ibidem ab eo exponuntur, uerum cum ualida fuerit febris, ab illis eſſet temperandum, neque in naturis bilioſis frequens horum uſus eſſet omnino tutus. Quoniam uero ex Galeno ſuperius

cap. 5. & 7.

diximus, in difficilioribus obſtructionibus nō ſolum attenuantibus, & aperientibus eſſe opus, ſed uacuationibus, non modo per inconſpicuas corporis uias, ſed etiam per uias latiores, & patentiores, de medicamentis præterea aliquatenus agēdum eſt, quibus einſmodi uacuationem moliri oporteat, nam de uacuatione per ſanguinis miſſionem ſatis eſſe poſſunt, quę paulo antea diximus. Et ut mihi quidem uidetur, duplici ratione poſſumus aggredi vacuationem per medicamenta, quia aut ut uniuerſum corpus prius uacuemus, quam infarctam in iecinore, uel alijs uiſceribus materiam educere tentemus, & iam ea obſtruētem, & id agimus, ne dum uniuerſum corpus, & præſertim communes uiæ refertæ ſunt excrementis, ſi uelimus ſtatim ea attenuantibus aggredi medicamētis, & aperientibus, ea commota ui horum medicamentorum, & digeſta in exiliores uenas, obſtructiones augeant, quod & ſuperius ex octauo, & undecimo Metho. monuimus, & ad hanc rationem eſt Gal. ſententia deſcripta in lib. Artis medic. referenda, cuius ſuperius meminimus, qua monebat, quod obſtructa conuexa iecinoris parte, per ea, quæ cient urinā, ſit uacuandum, humores uero occupantes concauā eius partem, potius per aluum eſſe purgandos, nam ubi corpus, & præſertim communes uiæ plenæ ſunt excrementis, non eſt tutum, neque ex ratione factū, ut ſtatim ab initio rebus urinam cientibus utamur, ſed prius communes hæ partes ſunt inaniendæ. Quatenus uero ad eam uacuationem pertinet, qua particulatim iecur purgandum, inaniendumque eſt, obſeruandum eſt Galen. præceptum, ut lotia medicamentis proritemus, quando purganda eſt ſuperior, & conuexa iecinoris pars, illis autem, quæ aluū cient cum inferior, & concaua. De illis autem, quæ diuretica ſunt, nolumus in præſentia longiorem ſermonem habere: nam eorum rationem Gal. quinto de facult. ſimpl. medicam. copioſè, & lucidè perſecutus eſt. De purgatorijs autem hoc mihi monendum uidetur, qđ cum purganda eſt hæc iecinoris pars, non eſt opus ualidis, & uiolentis medicamentis, cum eorum uires ultra concauam eām partem non ſit neceſſe progredi, quia ſi ab uniuerſo corpore, & à remotioribus partibus attraherent, maiores concitarēt obſtructiones. Leuioribus ergo uti erit operæ pretium: unde ut dicemus, cum de ictericia erit inſtituendus ſermo, cum illa ex oppilatione ortum habuerit, maximè laudatur tanquam remedium optimum, aloe, ſi quis frequēter ea utatur, uel lota, uel illota, niſi quod lota quidē, minorem uim habet ſoluendi, ſed magis uiſcera roborat, non lota autem magis ſoluit, & aperit. Senam etiam ſepe ſum expertus contuliſſe in diuturnis febribus cum multis obſtructionibus, & interdū ueniunt in uſum ex aliquo decocto macerata, interdum alijs modis, de quibus alibi ſermo habendus. Sed & cōpoſita multa, uel ſola exhibita, uel diſſoluta ex decoctis, in quibus fuerint illa ſimplicia ex arte macerata, vel (ut aiunt infuſa) non parum ſunt utilia, in quibus ſūt lenitiuum appellatum electuarium, & diacatholicō, & lenia quidem hæc ſunt, fortiora uero ſunt diaphœnicon, & confectio dicta hamech; reliquis uero, quæ his maiorem uim habent, non utimur, niſi in ualde difficilibus, & inueteratis, quæ ferè in ſcirrhum tranſiere, ſicut quæ colocynthin, uel ueratrum accipiunt. Poſtremo autem aliqua pertinentia ad uictus rationem exponamus, ut tandem huic capiti finem faciamus, poſſemus rem hanc ſummatim abſoluere, & unico uerbo omnia comprehendere, diceremque, quod uictus attenuantis ratio omnino ſit ſeruanda, poſteaquam librum de ea Galenum editum habemus, non tamen erit præter inſtitutum, ſi aliqua particulatim exponamus. Omnia, quæ craſſum, & lentum

tum ſuecum uim generandi habent,ſi comedantur,
vel bibantur,fugienda ſunt, quorum magnam partẽ
in prioribus tractationibus ſumus perſecuti.Quicun
que uero cibi, uel potus ſanguinem, & alios humo-
res tenues, & bonos generant,illi ſunt huic affectui
remouendo accommodatiſſimi,ut ſunt pulli gallina
cei iuuenes,perdices,attagenę,turdi, merulæ,faſiani,
auiculæ,quæ in ſenticetis degunt,hœdi etiam,& vitu
li lactentes,oua recentia, & ſorbilia,ſed & piſces, qui
ſaxatiles à Gal. & reliquis antiquioribus medicis di-
cuntur,qui ſi cocti fuerint ex iure albo,vel ſimili alio
condimento,ſicut ex petroſelino,aceto,& ſimilibus
rebus,uel etiam aromatibus, magis erunt attenuan-
tes:uinum etiam non dulce, non auſterum,tenue au
tem,fercula vero ex hordeo facta,ut ptiſſana,& cre-
mor hordei ad hoc caput pertinent, far uero,ſi aliqd
aceti inſtilletur, vel piperis inſpergatur,& fuerit pro
bè coctum,non erit ab hoc inſtituto alienum,beta ĕt
teſte Gal. 2.de ali.fac.attenuat, & oppilationem,ape-
rit,ſola,aut ſi condiatur aceto,aut ſinapi.Ego uero ſę
pe uiridia fœniculi folia,vel petroſelini ſimul coquẽ-
da addo. Iura etiam rubeorum præſertim cicerum,
nec non & braſſicæ non parum ad hoc faciunt, quã
uis eorum deinde ſubſtantiæ omnino ab hoc ſcopo
ſunt alienæ. Sed multa,quibus acetarijs vtimur, poſ-
ſunt in hunc ordinem redigi,ut ſunt cappares para-
ti ex oleo & aceto,ut nunc ſolemus.Gal.verò ex oxy
melite condiebat:nos ſaccharum addimus, ut propè
ad oxymelitis uires accedant,item aſparagi,aliquid et
caules foliorum betæ coctos in acetarijs comedunt,
coctæ item radices noſtri petroſelini ſimiliter paran
tur,ſed & vuæ paſſæ,non ſolum quæ exiles ſunt, ſed
& quę maiores. Dulciaria enim,quę ditioribus in vſu
ſunt in bellarijs,ut quæ a piſtachijs piſtacheæ dicũtur
à noſtris,vel placentæ, quas panes marcios appellãt,
conficiuntur autem ex piſtachijs, amygdalis, & ſac-
charo, tritis, ac mox ſimul coctis,maiorem uim etiã
habent,ſi cinnamomum,vel quid aliud iſtius generis
addatur. Sed in his, quæ uim attenuandi habent,de-
bet(ut Gal.ſexto de tuend.ſan.monet)eſſe modeſtus
medicus,nam ſi immodicè, & diutius, quàm par ſit,
illis fuerit vſus, plurimum corpora malè affecta læ-
det,quia(ut idem in lib.de diſſol.contin.docuit) quæ
ad hanc uictus rationem attinent, ut quæ acria ſunt,
& incidendi uim habent, ſanguinem exurunt,& at-
tenuant, unde emaciatur corpus, vireſq; eius diſſol-
uuntur,in eis etiam ſanguis excalefactus tranſit in bi
lem,ſed mox craſſior factus digeſtis partibus tenuio-
ribus,in bilem atram uertitur, pręſertim uerò uictus
attenuãs poteſt eſſe noxius illis, q̃ ſuapte natura ſunt
graciles. Vnde eatenus eiuſmodi uictus rationem eſ
ſe ſeruandam uoluit, donec dolor pceptus in iecore
remiſerit, & dextrum præcordium leuius ſit factum.

De inflammatione iecinoris. *Cap. V.*

OMnium inflammationum una eſt communis
& generalis ratio,idemque generationis mo
dus & eædem cauſæ,quantum ad ipſas,quate
nus inflammationes ſunt, pertinet: quòd ſi aliqua in
eis interſit differentia, quantum ad ſymptomata,uel
periculum, id illis potius ratione loci affecti accidit,
quàm communis inflammationis naturæ. Nam in-
flammationes partium pręcipuarum maius afferũt
periculum,quàm aliarum.Earum etiam,quæ maiori
ſunt præditæ ſenſu,magis dolorificæ ſunt. Quòd etiã
febrim concitent,uel ex earum eximia magnitudine
habent, uel ex affecta particula, quæ uel cordi,uici-
nior eſt, uel quia affinitate, & conſenſu cum corde
plurimum cõcitata eſt. Cum autem in his prioribus
libris inflammationis natura, & generatio fuerint

A expoſitæ,quo loco de phrenitide, ophthalmia,pleuri
tide,peripneumonia,item de uentriculi inflammatio
ne egimus. Ideo in præſentia de iecinoris inflamma-
tione inſtituturi tractationem, breuem dũtaxat Gal. cap.11.
ſententiam ex ſecundo de diff.feb.de promptam pro
feremus,ſummatim omnia ferè comprehendentem
quæ ad generationem inflammationis in hoc uiſcere
attinere poſſunt: vbi ait, hoc morbi genus originem
habere à calida fluxione, cum pars quępiam ex uici-
nioribus,aut diſtantioribus,aut etiam plures ſuperua
cuam,& inutilem materiam ad iecur amandat, quæ
infarcta in tumorẽ id attollit, moxq; ad explicandas
eius differentias accedemus,quæ duplicem diſtinctio
nis rationem poſſunt habere. Nam uel à partibus,
B quas occupant, vel à natura diuerſi humoris, ex quo
ortum habent. Ex parte quidem,in qua conſiſtit in-
flammatio, quia aliquando conuexa, & ſuperior ab
inflammatione corripitur,aliquando inferior,& cõ-
caua.Sed & hoc conſiderandum eſt, cuius meminit
Gal.quinto de loc.affect.quòd quamuis inflammatio cap.7.
primum alterum earum partium tantum tentet, &
interdum in eam molem poſſit excreſcere,ut utran-
que comprehendat, nunquam tamen adeo uni incũ
bit,ut altera integra,& eius expers omnino relinqua
tur, quoniam cùm ſibi mutuo continentes ſint, ne-
ceſſe etiã eſt,eas mutuò in affectibus conſentire. Im-
mo & id addit Gal.decimotertio Meth.ꝙ inflamma cap.14.
ta inferiori,& concaua iecinoris parte, & vena por-
C tæ particeps inflammationis fit, & ſubinde illæ, quæ
ab illa deriuantur, quæque per meſenterium ſunt di-
ſtributæ.Pręterea verò(ut innuere Gal.uidetur ſexto
aphor.)aliquando carnem,quę eſt ipſa uiſceris ſubſtã com. 5.
tia apprehendit: aliquando verò magis membranã,
qua ueluti tunica obductum eſt iecur. Ex parte uerò
materiæ, ex qua concitata eſt inflammatio triplex,
quantum & ex eodem loco poſſe accipi uidetur,par-
tim uerò ex quinto de loc.affect. exurgit differentia,
quia aut à ſanguine fit, aut à bile,aut a pituita.Hęc q
dem in præſentia ſatis illi eſſe poſſunt ad cauſas,eſſen
tiamque, & differentias inflammationis percipien-
das,qui non immemor eorum fuerit, quæ à nobis in
priori libro,ubi de uentriculi inflammatione ageba-
D mus, expoſita fuere. Vnde reliquum eſt, ut de ſignis,
quibus cognoſci iecinoris inflammatio poteſt,quibuſ
que diſcerni eius differentiæ, ſermonem habeamus.
Primum ergo ſignũ, vnde cognoſci poteſt inflãma-
tionẽ iecur tentare, eſt, quòd (ut docuit item quinto
de loc.affec.)percipitur grauitas in dextro pręcordio, cap.7.
plerumque uerò & dolor,qui quandoque retrahens
totum id præcordium pertingit ad iugulum uſque:
quod non modo adeſſe inflammationem ſignificat,
uerum & eam eſſe magnam. Iſtius uero ſymptoma-
tis rationem redditurus ſecundo de loc. affect. ait, ꝙ cap.8.
id potius accidit propter uenam cauam,quæ intendi
tur,quàm propter membranam. Verùm in hoc affe
ctu dolor pertinet ad ſpurias coſtas, quibus in nõnul
E lis iecur uinculis quibuſdam alligatus eſt, quæ ex in-
flammatione diſtenduntur: neque tamen hoc in om
nibus reperiri ait Gal. non modo hominibus,ſed ne com. 12.
que in ſimijs,animalibuſve alijs,vt in anatome appa
ret.Sed & tumor, renitentiaque tractanti, & cõpri-
menti manui inſignis eſt, quæ indicant iecinoris in-
flammationem,quamuis id manifeſtius percipiatur,
cum inflammatio conuexam,quàm cùm concauam
partem occupat. Sed & febris inſignis,continenſque
has inflammationes concomitatur, licet aliquas ha-
beat (ut primo Aphoriſ. tradit Galen.) acceſſiones,
plerunque uerò quotidie, & noctu potius, quàm
diu: neque tamen ſemper eandem rationem febris
hęc habere ſolet,quandoque enim(ut ſecundo Pror- com. 21.
rh.ſcribit Galen.)maligna eſt,nonnunquam acuta ci

tra malignitatem:aliquãdo verò neque acuta, & hoc ſequitur diuerſam inflammationis conditionem, & magnitudinem eius: ſicuti enim neque neceſſarium eſt,vt ſemper magna oriatur in hac principe particula inflammatio:ita(vt idem ſecundo de Loc. affect. teſtatur)neque acutam fieri febrem neceſſe eſt: ſed aliqua ſpirandi difficultas (Cap. 4. vt in lib. de Vtil. reſpir. ait Gal.)ſolet aſſidere inflammationi iſtius viſceris, quæ cogit crebram,paruamque fieri reſpirationem. (Cap. 7.) Tuſſiculam præterea quandam aridam, qua nihil expuitur,conſequi hunc affectum,teſtatur. Gal. quinto de Loc.affec.Pulſus verò durus, & inæqualis eſt,& qualis eſt,qui ſerrinus dicitur:minus tamen, quàm qui in pleuritide, durus, & ſerrinus eſt, ſi Galen. quarto de Cauſ.pul. (Cap. 7.) credimus:præterea vero; magnus, velox,& creber; vt tamen & id addendum ſit, quod primo de Præſag.ex pulſu ipſe addidit, nempè quod manifeſtè durus eſt pulſus,ſi magna fuerit inflammatio. Sed & hæc conſpiciuntur ſymptomata, cùm iecur inflammatum eſt,ſi quis diligenter inſpiciat,quæ à Gal.item quinto de loc.affect. referuntur: nimirum color linguę in initio rubicundior,poſtea vero niger,præterea cibi faſtidium,ſitis perpetua,vomitus quoque bilis ſyncerę vitellinæ,& malo progrediente,interdum æruginoſę. Aluus interdum aſtringitur; interdum fluida eſt:nam ſi iecoris imbecillitas iuncta ſit inflammationi,fluida erit aluus,deijcietq; liquidiora,immo quę aquæ cruentæ ſimilia erunt;alioquin uero (vt quarto de Rat.vict.in acu.mor.refert) ſi deijcit, arida deijcit, & quę ſchrbalis ſint ſimilia.Quia vero alij quidã morbi ſunt,qui ſimilia habent ſymptomata illis, quæ hactenus recenſuimus, non videtur alienum à noſtro inſtituto,& aliqua deſcribere,quibus diſcerni hæc inflammatio ab alijs affectibus poſſit. Incipiemus autem à ſcirrho,cuius itidem comes eſt grauitas percepta in dextro præcordio,renitentia tractanti,& comprimenti manui:diſtinguuntur vero dolore,& febre: quæ ſemper cum inflammatione coniuncta ſunt, nõ autem in ſcirrho.Ex pulſu etiam docuit Galen.primo de Præſag.ex pulſu duos hos affectus diſtinguere:durior enim pulſus,magiſque percipitur manifeſtè durities eius in ſcirrho,quàm in inflammatione. Muſculi etiam ventris,quipræten ſi ſunt dextro præcordio, quandoque ab inflammatione tentantur, & medicis aliquibus imponunt, qui decepti rei ſimilitudine putant inflammationem pertinere ad iecur. Vt autem ab eiuſmodi errore caueamus, exponere oportet, quibus indicijs diſcerni hi morbi poſſint. Diſcernentur autem primo ex inflammationis ſitu:dum enim manu partes illas tractamus, profundior percipitur tumor, & renitentia, ſi iecoris ſit inflammatio, adeo ut ſæpe cùm venter non obeſus, ſed gracilis fuerit, ſi manu apprehenſos muſculos attollamus,ſuſpendamuſque,percipimus tumorem remanere in profundo: at ſi occuparit muſculos, ſtatim ſine preſſione, manus, quaſi in ſumma parte percipitur. Febris etiam ad hos diſcernendos affectus non parum facit, utpote quæ longè maior accendatur in iecinoris,quàm muſculorum inflammatione. Ex figura etiam,quam refert inflammatio, dum tractatur, & tangitur, docuit Galen.}cognoſcere iecoriſne, an muſculorum ſit inflammatio quinto de Loc.affec.Nam cùm inflammatio ſequatur rationem particulæ,in qua conſiſtit iecinoris inflammationis moles,dum manu tentatur,uidetur quaſi tota ſimul collecta,& circunſcripta, cùm muſculorum inflammationes ſenſim imminui uideantur. Interdum etiam non eſt facilè pleuritin ab inflammatione iecinoris diſtinguere,adeo enim ſimilia ſymptomata vtrique affectus habent,vt ſæpe alter pro altero uel à medicis fuerit acceptus:eos tamẽ dignoſcere docuit Gal.ſecũdo de Loc.affec. præſertim

A pulſu,& alui deiectionibus.Pulſu quidem,quia(vt diximus)& ſi in vtroque morbo ſit durus, & ſerrinus, minorem tamen duritiem habet, minuſque ſerrinus eſt pulſus in iecinoris Inflammatione, quàm in pleuritide.Deiectionibus vero,quia in pleuritide nõ ſolẽt hepaticæ deiectiones cõſpici,ſicut in iecinoris inflammatione:quamuis neq; hoc ſemper accidat, ſed non niſi quãdo iuncta eſt uiſceris imbecillitas cũ inflãmatione,& plerũque cũ caua iecoris pars inflammatione tẽratur. Vnde nec ex his poterit certũ haberi iſtius rei iudiciũ. Quare & dextrũ pręcordiũ tractandũ eſt diligentia adhibita,ac explorandum,an vllus ſit ibi tumor & ſi nullus percipiatur, neque huic ſigno fidendum,quia interdũ vel ob ventrẽ, qui obeſus eſt, non
B percipitur latẽs tumor:vel ob id, quia in caua viſceris parte reſidet. Quocirca ægroto imperandum eſt, ut quàm maximè poteſt,ſpiritum attrahat,ac mox interrogandum,an percipiat aliquid tanquam ſuperioribus partibus ſuſpenſum:vel aſſidens vicinis. Vt tamẽ nullum ſit certius inditiũ ad hæc inter initia diſcernẽda,quàm ſit illud,quod à pulſu petendum eſt: nã cùm morbus vlterius procedit,& alia fidẽ inſignẽ faciunt, quæ hos affectus ſolent ſequi: quia inflammato iecinore magis color cùm linguę, tum corporis vniuerſi mutatur:in pleuritide vero tuſſis ſit maior, & aliquid expui incipit. Sed iam & de his agamus,quibus differentiæ inflammationum, quę huic viſceri moleſtæ ſunt,diſcernendæ ſint. Cùm autem omnis in eis di-
C uerſitas,aut à parte,in qua conſiſtit inflammatio, oriatur,aut à fluxionis natura,quæ inflammationis in cauſa eſt,à parte quidẽ,quia vel occupat mẽbranam, ſeu tunicam iecinoris,uel carneam eius ſubſtantiam: ſi quidẽ in ſubſtantia carnea conſtiterit inflammatio, dolor obtuſus,& quaſi grauans,immo ueluti pondus percipitur,at ſi in vaſis,hoc eſt venis, vel arterijs, itẽque in mẽbrana,potius(ut ſexto Aph. exponit Gal.) (Com. 5.) dolor acutus erit.Itẽ aliquando ſimam, aliquando uero cauam uiſceris partẽ apprehendit.Cum ſimam occupat,primùm à tractante, & premente manu faciliùs percipitur,præſertim ſi fuerit inſignis inflammatio:præterea & maior eſt dolor,qui ſpirando percipitur,magiſque ad dextrum iugulum pertinet,ut ſi ma-
D gna fuerit inflammatio,id detrahi uideatur. At quę in caua eſt,raro manu deprehendi poteſt, immo uix & quę in cõuexa percipitur, niſi magna ſit, & graciles ſint muſculi abdominis,quos & morbus is ſatis attenuat.Magis vero hęc alijs ſymptomatibus ſequẽtibus hunc affectum cognoſcitur,vtpote quia illa plus concitat nauſeam, vomitum, cibi faſtidium: nam ab ea magis coafficitur ventriculus, tum ob venam, quæ portę dicitur:tum etiam quia magis illi aſſidet, quàm quæ in ſima. Differentias uero, quę ab humorum natura accipiendę ſunt,ita diſcreuit Gal. nimirum & ex febre;quia quę ex bile concitatur,naturam ſapit eryſipelatis:vnde & febris(ut quinto de loc.affec.Galen. tradidit) inde uehementiſſima accenditur: qualis ea
E eſt,quę Gręcè cauſus dicitur,nos uero febrem ardentem cum maxima ſiti, vocamus, quæ autem ex ſanguine fit,mitiorem febrem habet, quàm vero pituita gignit, tepidiorem adhuc, & minus acutam febrem affert.Pręterea & ex dolore,nam ſi uehemens, & acutus dolor ægrotum angat,neceſſe eſt(quemadmodum ſexto Apho.refert Gal.)illum uel ab acri, & calida (Com. 5.) fluxione excitari, uel a ſpiritu flatuoſo, qui exitum non habeat, hæc uero febris diſtinguit, quę uehementior calidam fluxionem ſequitur pituitoſus uero, & frigidus alioquin humor facit potius ad remiſſionem doloris. Eſt autem iſtius particulę inflammatio in morbis grauiſſimis (ſi Galen. decimo Method. credimus) & exitialibus, immo in qui- (cap. 5.) bus, ſi qua eſt ſpes ſalutis, ea uniuerſa in uirium ro-

bore

bore ſita eſt; & proinde illi magis in ea periclitatur, qui infirmas vires habent, quales, qui natura admodum calidi ſunt: & longè periculoſiores (ut idem 2.
14. lib. comm. in 6. epid. teſtatur) ſunt inflammationes conuexæ, quàm cauæ partis; quia dignior illa eſt. Cũ autem ſingultus iecinoris inflammationi ſuperue-
17. nit, malum omnino (ut ſeptimo aph. tradit Hip.) ſignum eſt, ut pote quia indicat (ut exponit Gal.) inflãmationem ingentem; ita ut ſecum trahat uentriculũ in conſenſum: cuius duplex eſt cauſa: altera ratione eorum neruorum, quos Hip. ſecundo epidem. ait iecur cum uentriculo communes habere: unde quatenus ad hanc rationem pertinet, cum nerui illi exigui ſint, non poteſt is conſenſus eſſe inſignis; niſi magna ſit inflammatio: altera vero quia in huius viſceris inflammatione neceſſe eſt multam bilem gigni, & eã admodum feruidam, quam rationi conſonum eſt cõfluere ad initium inteſtinorum, moxque ad ventriculum regurgitare, cuius os mordendo ſingultum prouitat. Quando autem ſoluuntur, indicanturque inflammationes, in iecinore, plerunque aut ſanguine copioſè è dextra nare (ut tertio de criſib. exponit Galen.) profluente, ſi conuexa pars laborat, aut per optimos ſoluitur ſudores, aut per fluxum abundantis urinæ. At cũ laborat concaua, plerũque alui profluuio, interdum uomitu, nonnunquam & per ſudores. Sed iam opportunũ fuerit, ut de eius curatione agamus.

De curanda iecinoris inflammatione.
Cap. VI.

SI Raſin imitari uellemus, poſſemus uniuerſam iſtius curationis rationem unico capite, & verbis pauciſſimis expedire, ſicut ipſe nono ad Almanſorem de hoc morbo uerba facturus, breui oratione rem expedit. ait enim eandem eſſe curationẽ, quæ & inflammationis uentriculi. Sed quia hæc tractamus, ut iuniores medicos erudiamus: ideo magis particulatim rem explicabimus. Inter initia itaque, dum ſit adhuc inflammatio, fluxio ſiſtenda eſt, ut cauſa tollatur, vnde ortum, & fomentum habet: ſemper enim (ut 3. artis med. tradidit Gal.) cauſa prius de medio tollenda eſt, poſtea accedendum eſt ad id quod iã factum eſt, diſſipandum: quod & 13. Metho. confirmauit. Vnde hoc in primis conſiderandum eſt, num aliqua inſurgat indicatio, quę ſuadeat uniuerſum corpus eſſe inaniendum citò, & confertim. Duo autem poſſunt eſſe, quæ nobis hoc ſuadeant: alterum, quod
[Ap 1.] corpus reſpicit: alterum, quod ipſum affectũ. Ex parte quidẽ corporis, plenitudo. Ex parte verò affectus, eius magnitudo: quamuis ſi rectè extimare uerba Galen. velimus quarto de rat. uict. in acu. mor. & in lib. de rat. curan. per ſect. uen. ambo tandem in unum coeunt: nam non primum propter plenitudinẽ confertim, & citò uacuamus, ſed quia timemus, ne magnus fiat morbus: alioquin enim paulatim, uel per tenuiorem uictũ, uel per frictiones uel per balnea, uel per exercitationes, quæ euacuant, ſed ſenſim. Præcipuę uerò euacuandi rationes, quibus in morbis acutis utimur, ſunt, aut per uenæ ſectionem, aut per purgationem per aluum inferiorem, quam ſolemus medicamentis moliri. At verò ſi memores eorũ ſumus, quæ paulo antea expoſueramus, nempe iecoris inflãmationes plerumq; in maximis, & acutiſſimis morbis eſſe, neceſſe eſt, vt fateamur, eas rariſſimè uacuatione, modo uires illæ ſint, quę uacuationem confertim factam perferre poſſint, non egere. Et cum, (ut Galen. decimotertio Meth. & octauo de comp. med. ſec. loc. prædicat.) incipientibus inflammationibus in iecinore aduerſiſſima ſit ea uacuatio, quam purgans medicamentum molitur, reliquum eſt, vt quam ne-

[A] ceſſaria ſit ſanguinis miſſio ex uena ſecta, modo (ut diximus, & definiunt Hipp. quarto de rat. uict.) uires [cap. 11.] ualeant, & ætas uiridis, florenſque ſit, & cum morbus is magnus ſit, copioſus etiam ſanguis detrahen- [cap. 3.] dus eſt, nam per hunc modum, ait Gal. decimotertio [Com. 24.] Meth. euacuabitur, & auertetur ſanguis, qui ad iecur confluit, detrahẽdus vero ſecta interiori vena in dextro cubito, ea enim (ut idem Gal. quarto de rat. uict. expoſuit) citiſſimè, & maximè principales particulas exinanit. Quia tamen illa in quibuſdam à miniſtris nequit reperiri, ideo loco illius media erit ſecanda: nã cum hęc fiat ex coalitu duorum ramorum, quorũ alter à priori, alter ab humerali deriuatur, proxima utilitas ex ſecta hac media uena ſequetur illi, quę ex [B] axillari erat expectanda. Non reperta autem & hac, ſecare oportet humeralem, quam cephalicã uocant, ſicut interiorem, baſilicam: vtriuſq; enim ortus ſatis mutuo ſibi uicini ſunt, vnde & vicina eſt etiam utilitas, quæ ſolet ſequi, cùm illæ ſecantur. Non uidentur autem mihi prętermittendæ hic duæ dubitatiunculę, quæ habent occaſionem, cùm ex ijs, quæ nuper à nobis fuere expoſita: tum uerò ex illis, quę in ſuperiori capite, & prius hãc explanemus. Nuper diximus maximè eſſe opus uenæ ſectione in iecinoris inflammatione, propterea quia morbus acutus, & magnus eſt: at ſuperiori capite ex ſententia Gal. ſecundo prorrh. [Com. 21.] diximus, non ſemper inflammationem eſſe acutum morbum, & acutam febrem conſequentem habere: [C] unde neque etiam ſemper erit opus ſectione uenæ. Ad hanc reſpondemus, quod uerum quidem eſt, qđ non ſemper inflammatio iecinoris morbus acutus [eſt] nam poteſt ita exigua eſſe, vel (ut Gal. tertio lib. com. in ſextum epide. de pleuritide ſermone habito [Comen. ult.] ait) interdum ob humoris bonam naturam, & mitẽ, morbi, qui alioquin acuti ſunt, mites adeo fiunt, ut neque ualentioribus, & maioribus egeant remedijs, qualis eſt ſanguinis miſſio, ſed minoribus curari poſſint, ut ipſe pleuriticum cruenta expuentem citra ſectionem uenæ, ibi ſe curaſſe ait, ut tamen prius diligentes ſimus in examinando, an quamuis inter initia inflammatio non uideatur magna, poſſit tamen poſtea maior fieri ob id, quia inſignis ſit corporis ple- [D] nitudo, nam ſi hoc dubitaremus, non eſſet prętermittenda uenæ ſectio, quoniam nõ ſolum præſeus morbi magnitudo, ſed & futura indicat eſſe ſanguinẽ mittendum, ut & id addamus, quod raro eſt, quin inflammatio hæc magnus ſit morbus, plerunqne enim & acutus eſt, & magnus, ſicut & de pleuritide aliàs diximus. Altera uero dubitatio eſt, quia cum auctores de uena ſecanda in his acutis, & magnis morbis uerba faciunt, eas cõditiones, uel limitationes addunt, ſi vires ſint ualidæ, & [ætas] floreat, ſed ubi per uirium infirmitatem, uel per ætatem non liceret ſanguinẽ mittere, quid eſſet agendum? Vbi uirium non eſſet id robur, ut ſuperaremus poſſe perferre ſanguinis miſſionem, primum iam diximus ex Gal. ſentẽtia, quod vbi [E] uires ſint inualidę, vel nulla, vel modica ſpes ſalutis reliqua eſt, ſed tamen quia uidemus aliquos è magnis etiam morbis, præter ſpem, & opinionem medicorũ euadere, ideo nunquã curatio deſtituenda eſt, & alijs reuulſionum differentijs, quę non ita uires deijciũt, utendum eſt, quia ſi uacuant, non ita confertim uacuant, ut ſi artus doloroſis uinculis deligentur, cucurbitulæ aut ſine, aut cum inciſione, cruribus, interdũ uero & ſcapulis affigantur, ſi clyſteres, uel lenes, uel etiam aliquando acriores pro rei magnitudine, & neceſſitate inijciantur; uel Glandes, ut & frictiones etiam in uſum ueniant, quibus ab affecto loco morboſa materia detrahatur. At vero vbi ætas obſtiterit, ſi illa ſenilis eſt, cùm ea ſit miſſioni ſanguinis ꝓpter uirium infirmitatem inepta, ad ea, quæ nuper

diximus, refugiendum eſt: puerilis vero (vt docuit
Gal.) vacuationes maiores non fert; quia innatam,
& internam vacuationem habet, qua digeritur ſub-
ſtantia propria ab actione caloris natiui, & hęc con-
tinens: vnde victus tenuis illi perinde eſt, ac detractio
ſanguinis: diſſoluuntur enim puerorum uires cito ab
inedia. Vnde tum hac ratione, tum vero frictionibus
& clyſteribus, vel glandibus, facilius etiam illis, in his,
& ſimilibus affectibus ſuccurrimus. Quia uero in
magnis his, & peracutis morbis uictus rationem ac-
commodatam exquiſitè inſtituere vel ſtatim ab ini-
tio, quàm plurimū refert: Ideo poſt ea, quę ad reuul-
ſionem, & inhibitionem fientis inflammationis cū
euacuatione conſpicua pertinent, de ratione uictus
agamus, inſtrumento non minus opportuno, & ne-
ceſſario, quàm ſit uenæ ſectio. Et cum in omnibus
ualde acutis, magniſque morbis tenuiſſimus uictus
Aph. 6. accommodatus ſit: huc enim ſpectat Hippo. ſenten-
Cap. 16. tia primo aphor. extremis morbis extrema remedia
cap. 3. ad ſalutem opportuna ſunt, vt teſtis ibi Gal. eſt: longè
tamen tenuiorem, ait idem Galen. vndecimo, & de-
cimotertio Method. uictum requirunt iecinoris, ven
triculique inflammationes alijs, vel etiam illis, qui in
thorace conſiſtunt; & id ea ratione, quia ad officium
horum duorum viſcerum alimentum vniuerſo cor-
pori concoquere, & ſubminiſtrare pertinet, cum au-
tem inflammatione laborant, periculum eſt, ne ali-
mento non probè concocto fomentum, unde illa
augeatur, inflammationi ſubminiſtretur: cùm ad tho
racem duntaxat id defertur concoquendum, quod il
li alendo poſſit eſſe ſatis. Huc accedit, quòd cum ie-
cur, vel ventriculus ex morbo non probè alimentū
conficiant, non modica in ſanguine labes contrahi-
tur, ex qua vniuerſum corpus malè affici poteſt. Ne-
que tamen quis propterea putet uictum eadem ratio
ne tenuem eſſe omnibus inſtituendū: ſemper enim
aliqua eſt uirium ęgrotantis habenda ratio, pręterea
cap. 3. & naturæ eius, & ętatis, & conſuetudinis. Vnde de-
cimo Meth. in hunc modum hæc tractat, ſi uires (ait
ipſe) ualide fuerint, ante diem ſeptimam nihil, pręter
mulſam, exhibeto: ſed ſi illæ parum ualidæ ſint, ple-
nius aliquanto alendum, & ad pręſcriptam diem dan
dus eſt ſuccus, vel cremor hordei. Quatenus uero ad
naturam ęgrotantis pertinet, quidam ſunt, quibus os
uentriculi imbecillum eſt, quod ex inedia malè affici
tur, ut inde animo delinquant: alijs vero id eximio
quodam præ alijs ſuapte natura ſenſu præditum eſt,
qui & hac ratione non facilè inediam ferre poſſunt:
nonnullis, cum à cibo abſtinent, irritato ore uentri-
culi à bile ad id confluente plurimum malè habent:
his omnibus cremorem hordei dandum eſſe ait. Ad-
damus nos & ætatem, quia pueri diſſoluūtur à uictu
tenui, ſenes uero ad uires imbecillas habentes perti-
nent. Addamus & conſuetudinem: qui enim conſue
uere ſæpius & plurimum in die comedere, tenuiſſi-
mum omnino uictum nō poſſunt ferre, ſicut noſtra
hac tempeſtate plerique conſueuere, vnde cum his
omnibus plenius aliquantiſper agere oportet. Quate
nus uero ad qualitatem ciborum, & potum attinet,
cap. de ſi-cu. ita monuit Galen. ſecundo de alimen. facul. neque in
iecinoris, neque in lienis inflammationibus potus,
vel cibi dulces citra noxam dari poſſunt; quia dulcib.
ſuapte natura hæc uiſcera intumeſcunt. Et ſi quis di-
cat, cur ergo decimo Meth. mulſam ad ſeptimum da
ri uoluit? Dicimus, quod quia reſerat, & detergit, ne-
quit ea iecur intumeſcere. Noſtris autem his tempo-
ribus utimur ſæpe iuleb, uel uiolaceo, uel roſaceo, qđ
fit ex ſaccharo, & aqua roſacea, vel violacea: magis
enim refrigerant, præſertim ſi diluantur multa aqua
& aliquantiſper uiſcera roborant, maximè roſaceū.
Sed & quę ſunt uiſcida, & craſſioris ſucci, quæque

A aſtringentia, & pontica ſunt, omnia ab hac curatio-
ne ſunt aliena, ut decimoquarto Meth. habemus à
Galen. ea enim hærent in itinere, per quod bilis ad
inteſtinum deſcendit: hærent etiam in uaſis ipſius ie-
cinoris, quo fit ut & bilem excerni, & alimentum in
corpus uniuerſum digeri uetent. Et longe magis id
genus cibariorum obſunt, cum inferior, & concaua
iecinoris pars inflammatione tentatur, quàm cùm ſu
perior, & ſima, quia dum per concauam tranſeunt,
coquuntur, vt mox, cùm ad conuexum peruenerint,
neque ita aſtringentia, neque adeo viſcida amplius eſ
ſe poſſint, interim nō parum tranſmutata, cui & hoc
accedit, quòd cùm in uiſcere commiſceantur cū ſan
guine, temperantur ab eo, ſi quæ noxia ſunt. Quę ue
B rò aliquantulum aperiunt, ſi tamen fuerint acrimo-
niæ, & mordicationis expertia maximè ſunt huic af-
fectui accommodata. Quibus in hunc modum expo
ſitis, ſi eum ordinē in his exponendis ſequi uelimus,
quem in opere, & actione ſeruamus, rectè inſtituto
uictu, ac uniuerſo corpore per ſectionem uenę inani
to, repreſſaque fluxione per reuulſionem, de ijs auxi
lijs eſt habendus ſermo, quibus exterius adminiſtra-
tis utimur in initio inflammationis uſque ad morbi
conſiſtentiam, & localia remedia à medicis nominā
tur. Quibuſque inclinante ea iam donec penitus di-
geſta, & diſcuſſa ſit materia, quæ infarcta in tumorē
particulam attollebat, in quibus exponendis non ad
modum longi erimus, cùm eadem ſit uel ſaltem pa-
C rum differens ratio has inflammationes curandi, &
eas, quæ uentriculi ſunt tum in uniuerſum, tum par-
ticulatim quantum ad eas indicationes, quę naturā
particulæ reſpiciunt. In uniuerſum quidem, quia om
nes inflammationes, præter eas, quę in locis ſuboriū
tur, quæ à iunioribus emunctoria appellantur, initio
curantur per repellentia, repellunt uerò, quę refrige-
rant, & aſtringunt, cum autem incipit incrementū,
quę digerunt, & laxant, diſcutiuntque, intermiſcen-
da ſunt, atq; quo res magis conſiſtentię propior ſit
eo magis de repellentibus detrahendum, ac digeren-
tibus addendum: inclinante verò morbo, vel ſolis di-
gerentibus inſiſtendum, uel ſaltem quàm maximè.
At particulatim ex indicatione deprompta à natura,
D & facultatibus harum particularum, ac earum offi-
cio, in hoc à communi regula curandarum inflam-
mationum deuiandum eſt, quod nunquam medica-
menta, quibus in his inflammationibus curandis uti-
mur, oportet omnino aſtrictionis eſſe expertia: im-
mo (ut undecimo Meth. docet Galen.) ab initio uſq; cap. 15.
ad extremam inflāmationis diſſolutionem ſemper & 16.
neceſſe eſt aliquid aſtringentis facultatis habeant, &
id propterea quia præter eas utilitates, quas repellen
tia præſtant in alijs inflammationibus, quę duę ſunt,
inſuper & tertia neceſſaria eſt: repellentia enim cō-
muni quadam ratione aſtringendo exprimant ab af-
fecto loco aliquam particulam recepti iam in ea hu-
moris, & hoc modo eam euacuant, pręterea uerò re
E pellunt affluentem cauſam inflammationis. Et his of
ficijs eatenus opus eſt, donec humor fluit. Conſiſten
te verò fluxione, ſola opus eſt diſcuſſione. Tertia ue-
rò utilitas aſtringentium eſt, quia colligendo ſubſtan
tiam particularum, illis robur addunt, cum ea quæ
digerunt, laxando, & diſſoluendo robur detrahant.
Vnde cum pręſertim in his duobus uiſceribus requi-
rimus propter actionem eam, qua alimētum uniuer-
ſo corpori concoquunt, ideo quàm maximè proſpi-
ciendū, ne eorum uires diſſoluantur, & proinde ſem
per ſunt aliqua aſtringentia commiſcenda digerenti
bus, ut nullo tempore his deſtituātur. Et ſicuti à prin
cipio uſque ad finem uſus aſtringentium, utilis eſt; ita
etiā nunquam opus eſt ita ſolis repellentibus uti, ut
expertia omnia ſint alicuius amaræ, aut acris naturę:
nam

nam quamuis ea videantur hac ratione aduerſari, quia concitare, & irritare fluxiones poſſunt: habẽt tamen & aliquid, quo iuuare poſſunt: quoniam cum tenuium partium, tenuiſque ſubſtantiæ ſint, facilè ad intimas, & profundas partes penetrare poſſunt, ad quas non eſt facilis aditus repellentibus, & aſtringentibus: quare illa iſtis mixta ea ſecum ducentia facilem ipſi penetrationem præſtant. Sed nec adeo lædunt, quin magis proſint: paulatim enim in itinere ea qualitas, quæ noxia eſſe poteſt, diſſoluitur, cum neq; multum ſit, quod illis commiſcetur. His autem, quæ hactenus expoſita ſunt, præſertim quãtum ad vſum aſtringentium pertinet, & hoc addit Galenus octauo de Compo. medic. ſecundum loc. primum, quòd magis aſtringentia requirit ventriculus, quàm iecur. Cuius rationem duplicem eſſe putamus. Nam uel quia cibus, qui coquendus eſt in ventriculo, rudis quædam materia eſt, concoctu difficilior, quàm ſuccus, qui in iecinore per concoctionem in ſanguinem vertendus eſt: prior enim in ventriculo concoctio præceſſit. Cũ ergo maior ſit uentriculi labor, maiori etiam roboratione eget. Sed iecur etiam facilius a ualide aſtringentibus lædi poteſt, quàm ventriculus, & id ob exilitatem venarum, in quibus fit concoctio, quæ facillimè obſtrui a conſtipantibus poſſunt, cum huic periculo vẽtriculus minimè ſit expoſitus. Deinde verò & hoc conſiderandum ait, quòd copia, & vis aſtringentium non poteſt vna definiri menſura, quia eius neceſſitas variari poteſt ex varijs occaſionibus, quas nobis offerunt ea, quæ in affecto corpore reperiuntur, quoniã quò maior fuerit impetus fluentis materiæ, & quo particula, quæ fluxione tentari cœpit, fuerit imbecillior, & quo corpus plenius, eo maiori eſt opus aſtrictione, & quo minor fluxio, minorque recipientis particulæ infirmitas, & corpus minus plenum fuerit, minus etiam egemus aſtringentibus. Particulatim vero non exponemus olea, quibus fouenda ſunt loca, quibus ſubeſt inflammatio, ſicut eſt oleum, in quo ferbuerit abſinthium, & quo abſinthio vterentur antiqui, & quo oleo eſſet incoquendum, quando magis minuſve volumus refrigerare, vel aſtringere, quia de his, ubi de inflammatione ventriculi curanda agebamus, ſatis diximus, non longiorem protrahemus ſermonem. Sed cuiuſdam cataplaſmatis duntaxat meminerimus, quod in his inflammationibus Galen. erat in vſu, vt ipſe vndecimo Metho. teſtis eſt, & nobis erit propoſitum in exemplum, vt eadem ratione nos ſimilia componere diſcamus, & pro uaria opportunitate ea variare, ait ergo ipſe, interdum igitur, vbi ſanè febris inſignem inclinationem habuerit, abſinthium, & cotoneum accipio, & vtrunque coquo, abſinthium quidem ex oleo, cotoneum ex aqua, quibus coctis, quanta videatur ſatis eſſe, aquæ illius, oleique portionem in aliquod vas immitto iterum coquendam, quæ ubi modicè cocta fuerit, aliquid unguẽtariæ nucis, ex qua fuerit expreſſum oleum, hãc Græci myrobalanum, Arabes ben appellant, idque optique optimè tritum & cribatum, & iridis radicis tritę, & cribratæ, tantundem addo una cum cera modica, & ita conficio cataplaſma, quod quidem opportunũ potius eſt inclinanti inflammationi, quam incipienti, vel creſcenti, nam eo uis laxans, & digerens omnino ſuperant vim aſtringentem, & refrigerantem, q̃a iris, & pieſma myrobalani laxandi, & digerendi inſignem vim habent nec eius expers eſt abſinthium, & oleum, aſtringens uero uis in abſinthio non eſt magna, maior quidem in cotoneo, ſed & illa etiam, dum coquitur ex aqua fit remiſſior, unde interdum ait Galen. ſe uino auſtero cotoneum incoxiſſe, id autẽ agebat, quando requirebat res aſtrictionem maiorem. Poſſumus tamen eiuſmodi cataplaſma conficere, qđ eſſet accommodatum incipientibus, vel creſcentibus inflammationibus, ſi coqueremus abſinthium ex oleo omphacino ſimplici, uel omphacino roſaceo, cotoneum vero ex aqua pluuiali, ut aiunt, uel ſi cotoneo aliqua aſtringentia coquenda adderentur, ſicuti ſunt folia rubi vel uitis capreoli, ac mox myrobalano, & iride, ſandalos ab Arabibus appellatos inijceremus, & roſas aridas floreſque labruſcæ, uel cotoneũ tritum ita coctum ex oleo, in quo fuiſſet abſinthium incoctum, dilueremus, & ijs, quorum nuper meminimus additis, conficeremus emplaſtrum, quo inter initia uteremur, & proceedente inflammatione, & pro omphacino vteremur roſaceo appellato a noſtris completo, mox vero chamæmelino oleo, & tandem ad maſtichinum accederemus, & ita ſubinde ſemper de aſtringentibus detrahendo, ac digerentibus addendo. Sed de his plura non dicemus, cũ iſtarum inflammationum eadem, quę inflammationum uentriculi, uel ſaltem admodum ſimilis ſit curatio. Vnde uno tantum expoſito, quod nobis tanquam commune præceptum a Galen. decimotertio Meth. traditum eſt, ad aliud caput ad hoc negotium pertinens [cap. 12.] tranſibimus. monet autem ibi Gal. circa vſum horum localium medicamentorum, quod illis nunquam actu frigidis utamur, ne labem aliquam naturalis facultas contrahat extincto, uel refrigerato eius natiuo calore. Quamuis autem, quæ uim digerendi habent, exterius adminiſtrata uim habeant uacuandi materiam in hoc uiſcus defluxam, & infarctam, non eſt tamen propterea inutilis, immo quam maximè neceſſarius uſus eorum, quæ uel epota, uel deuorata faciunt ad uacuationem illius, quam rem neque prætermiſit Galen. immo doctus ab indicatione deprompta a natura, & conformatione iſtius uiſceris pro ratione diuerſarum partium, quæ ab inflammatione occupantur, uariam eſſe ait medicamentorum rationem aptam, & congruentem, quia (ut diximus ſuperius) pars iecinoris ſima facilius, & commodius per ea quæ urinam cient, uacuatur, caua uero per ea, quæ aluum mouent, & proinde medici iecinoris parte conuexa laborante magis his utuntur, quæ urinã proritant, purgantibus uero medicamentis, cum caua eius pars inflammatione tentatur. Sed tamen (ut ex Galen. decimotertio Meth. & ſecundo ad Glauc. docemur) neque his, neque illis oportet temere uti, [cap. 15.] ſed cum multa (ut loqui ſolet Hippoc.) præmeditatione, [cap. 12.] quia inter initia, & antequam concocta ſit inflammatio, noxius omnino & horum, & illorum eſt uſus, nam concocta medicari oportet, quæ cruda autem ſunt ex Hippoc. præcepto primo Aphor. mouenda minimè ſunt. Quare, uel tunc ab eis abſtinẽdum, uel ſi eis uti oporteat, quàm leuiſſima tutiora ſunt, quæ uim nullum naturæ, uel humori crudo inferũt. Vnde ſi urina inter initia cienda eſt, cienda erit illis, quæ modiciſſimè uel calefaciunt, uel urinam mouẽt, ut eſſent ſemina melonum, cucurbitæ, & id genus alia, & ſi ad aliquod valentius, & aliquantiſper calidius accedendum, illud eſſet apium, & hunc ordinẽ non excedamus. Sed ubi iam cocta fuerit inflammatio, ad fortiora erit tranſeundum, ut ad petroſelinũ, aſſarum, nardum celticã, pheu, meu, & reliqua iſtius in hac re ordinis. Itidem uero, ſi laboret caua, quantum fieri poterit, ab his medicamentis abſtinendum eſt, quæ inſigniter per aluum purgare poſſunt, circa inflammationis initia, & antea quàm ſigna appareãt concoctionis, quòd ſi illis aliquando uideatur eſſe opus, modeſtis admodum erit utendum, & quàm leuioribus fieri poterit. Inclinante uero morbo, poſt cõcoctam inflammationem, ad educendas materias iam, digeſtis tenuioribus partibus, induratas, & poſt quàm calor deferbuit, ualentioribus uti medicamentis

tis (oportet) & his, quæ vim maiorem attrahendi habeant: ſicuti humor renititur magis attrahētibus medicamentis. Sed quæ ſint leuiora medicamenta, quibus tutius vti poſſumus ante morbum concoctum, ibidem expoſuit Galen. ait enim aut cnici ſemen, quod chartamum Arabes appellant, incoquendum cibis eſſe, vel vrticam, vel mercurialem, vel epithymum, vel polypodium, quod filiculam Latini uocāt, & quæcunque (ait Galen.) alia, quæ mediocriter aluum ducunt. Verum vbi maturuerit morbus, non ab re fuerit (inquit ipſe) & fortiora aggredi medicamenta: ſicuti ueratrum nigrum, & id genus alia. Qua parte paramper conſiſtendum arbitror, & quædam adnotanda, quę facilè ex Galen. verbis poſſunt depromi: primum quidem, quòd omnino in his affectibus, quando inflammatio inferiorem, & concauā partem occupauit, licet per purgationem per aluum facilior ſit eius inanitio poſt factas reuulſiones per ſectionem uenę, tamen niſi medicum cogat aliquid, ſi cut aluus aſtricta, uel quòd non potuerit, quoniam aliquid obſtiterit, quantum res requirebat, ſanguis mitti, uel quidpiam aliud id genus, uel quia natura videatur mouere deorſum ſuperuacuam materiā: melius eſt vſum uel etiam leuium medicamentorum tantiſper differre, donec iam appareant manifeſta concoctionis ſigna, quod etiam animaduertiſſe viſus prę terea eſt Galen. 8. Compo. medic. ſecundum loc. vbi ſtomachica medicamenta exponit ab Aſclepiade deſcripta, & de hiera diaaloes ſermone propoſito, quā ille ad internorum viſcerum inflammationes utilem eſſe aiebat, eius ſententiam damnat, niſi quādo morbus iam coctus uideatur. Alterum uerò, quòd mihi uidetur adnotandum eſt, quòd ſi Galen. temporibus nota, uel in uſu ea fuiſſent medicamenta, quę nobis in præſentia familiariſſima ſunt, quando opus erat leuioribus, & ijs, quæ modeſtè aluum ducunt, prætuliſſet in his inflammationibus caſſiam Aegyptiam, & noſtram hanc mannam, tamarindosq́;, vel oxyphænicas, vt eos Græci poſteriores appellauere, quaſi acidas palmulas: in quibus ſi forſitan videretur id deeſſe, quod prædicant omnes medici, eſſe neceſſarium in iecinoris affectibus, præſertim verò Galen. nempe aliquid aſtringentis (quod tamen & deeſt in his, quorū ipſe hoc loco meminit) poteſt & hoc illi addi, addito ſyrupo roſaceo, aut ſimplici, aut ſolutiuo appellato, aut aliquanto Rhabarbari diluto in aliquo decocto macerati huic affectui accommodato: ſed & ipſe roſaceus ſolutiuus dictus in ea portione, qua aluum ducere poſſit, optimum iudicaſſet medicamentum, nā non ita calefacerent, & ex[illegible]carent, vt ea, quorum a Gal. fit mentio, & modeſtè aluum ducūt. Sed & multa ſunt compoſita huic rei non incongrua, vt quod vulgò lenitiuum electuarium vocatur, & quod diacatholicon, quodq́ue diaprunon citra ſcammonium: item & quod diaſebeſten abſque ſcammonij additione. Quod autem circa vſum medicamentorum horum docuit Gal. idem etiam ſeruandum eſt in uſu clyſterium, quæ ex inferiori parte in aluum inijciuntur, nam & horum vſum in his affectibus eſſe utilem cenſuit: id verò eſt, quod inter initia, ante concoctum morbum, ijs tantum clyſteribus vtamur, quę lenia, & leuia ſunt, qualia ſunt illa, quæ familiaria erant medicis eo tempore; confecta autem erant ex mulſa, addito modico ſale, uel nitro, vel nitri ſpuma: in mulſa.n. eſt vis detergendi, abluendiq́ue inteſtina: additur vero ſal, vel nitrum, in quibus vis eſt attenuandi, detergendiq́ue & ſtimulandi expultricem inteſtinorum facultatem: poſſemus autem itidem & hordei decocto vti addito ſale ad drachmam, & ſaccharo rubro, uel altero ad vnciam: nam non calefacit, detergit tamen & efficacius etiam rubrum appellatum, quodq́ue impurum eſt, quàm quod purgatum album factum eſt. In communi autem vſu eſt, vt in omnibus clyſteribus addantur duę, vel tres olei vnciæ: quamuis in pueris, vbi vermes timēdi ſunt, potius butyro, quàm oleo vtamur, quia illi ab oleo refugiunt, ſequuntur autem butyrum, ac ita frequenter educuntur: quandoq; verò decoctum maluæ, & betæ in maximo noſtris his temporibus vſu eſt, vt clyſteres communes appellentur compoſiti, additis huic decocto ſale, oleoque & ſaccharo: lenit enim malua, nitroſas uerò partes habet, a quibus habet, vt detergat: magis autem uacuat, ſi illi decocto ſit addita mercurialis: alij uero & tritici furfures incoquunt. Concocta verò inflammatione, immò & inclinante, præſertim autem ſi reliquiæ inflammationis (ut ſæpe fieri ſolet) videantur induruiſſe, non ſunt futuri inutiles acriores, & fortiores clyſteres, quales illi ſunt, qui fiunt ex decocto hyſſopi, origani, calamenthi, colocynthidis, centaurij minoris, & ex alijs id genus, quia reliquiæ hæ difficilius trahuntur, & fortiora requirunt inſtrumenta. De his autem ſatis, iam tranſeamus ad affectus alios.

De duro in iecinore tumore, quem Gręci ſcirrhum appellant. *Cap. VII.*

IEcur, lienq́ue præ alijs omnibus uiſceribus duro tumore, frigidoque facilius, ac vt teſtis eſt Galen. decimotertio Meth. frequentius capi ſolent, nec tamen una, eademq́ue ratione, nam ob id hoc accidit iecinori; quia ex ſanguinis parte craſſa, & quaſi lutoſa concretum eſt, atque ex eadem quoque alitur; lien verò, quamuis laxiori ſubſtantia, & rariori conſtat, craſſiori tamen alimento nutritur, melancholico nimirum ſanguine. Durities uero huic tumori inde accedit, quia (ut idem Galen. 8. de Comp. med. ſecundum loc. teſtatur) cum frigida, craſſaque, vel etiā lenta materia abſorpta, infarctaque eſt, digeſtis, & diſcuſſis partibus, ſi quæ ſunt, tenuioribus, & humidioribus, facilè in exquiſitam duritiem tranſit. Huius verò tumoris duæ in uniuerſum differentiæ ſunt, nā aut exquiſitus ſcirrhus eſt, aut non exquiſitus. Qui exquiſitus dicitur, is eſt, in quo nullus eſt dolor, nulluſque ſenſus, uel etiam ſi lapide, uel fuſte percutiatur; at is qui quamuis doloroſus nequaquam ex ſe ſit, non eſt tamen ſenſus omnino expers, non exquiſitus eſt: unde hac ratione ab inflammatione, & cancro differt, quod in inflammatione calor vehemens eſt, dolorque ualidus, & febris, ſi in uiſceribus ſit, & locis cum corde communionem alicuius momenti habētibus ſcirrhus uerò ſuapte natura doloris expers eſt, aliquando etiam ſenſus, at cancer doloroſus quidem eſt, nō tamen eam flammam in ſe habet, quam inflammatio, neque ita perpetuam, neque etiam uehementem adeo dolorem, perpetuumque affert, inflammatio. Duplex verò modus eſt, quo gigni, tum in viſceribus, tum etiam in alijs particulis, poteſt ſcirrhus. Aliquando ita, vt fluentibus craſſis, & pituitoſis humoribus uel melancholicis, ſtatim inter initia oriatur ſcirrhus, atque perdurante ea fluxione augeatur. Nonnunquam fit ex mutatione, & tranſitu aliorum tumorum calidorum, & frigidorum in naturā ſcirrhoſam. Nam in lib. de Tumor. præt. natur. ſcirrhum fieri ait Galen. ex lapſu inflammationis, uel eriſypelatis, uel œdematis in durum tumorem. Vnde ſicuti horum diuerſa eſt ortus ratio, ita & diuerſas ſæpius occaſiones habent, nam cum ſtatim a principio ſcirrhus eſt, internam cauſam ſui ortus habet, nimirum copiam craſſorum, vel glutinoſorum excrementorum, qualia ſunt, quæ paulò ante retulimus, nempe pituita, & humor melancholicus: quæ tandē referenda ſunt in uictus malam rationem, pręſertim

Cap. 16. Cap. 8. Cap. 9.

uero

uero in uſu eorum eduliorum, quæ craſſi, aut lenti
ſucci ſunt, quorum ciborum occaſione, prę omnibus
alijs particulis, iecur, & lien facilius, & ſæpius ſcirrhis
capiuntur. Quando uero ex alijs tumoribus fit in ſcir
rhum tranſitus, ex externa occaſione id accidit, hoc
eſt, ex importuno, & nimio eorum medicamentorũ
vſu, quæ ob repulſionem adminiſtrantur, quæque ni-
mis & refrigerant, & aſtringunt, quamuis aliquando
vtranque occaſionem habeat ſcirrhus, quando ſequi
tur alios tumores, præſertimque inflammationes, ut
ſi quis præter immodeſtum medicamentorum refri
gerantium, & aſtringentium uſum, cibis, etiam gluti
noſis utatur, ſicut utebatur Attalus methodicus, dum
curaret Theagenem cynicum. Porro ſcyrrhus in his
morbis eſt, qui non facile curantur, in quacunq; par-
te (vt ſecundo ad Glauc. teſtatur Gal.) ille conſtiterit.
Nam qui exquiſitus iam eſt, exquiſitèque iam indu-
ruit, vt quaſi in lapidem tranſierit, ſenſusque omni-
no expers factus eſt, nullam curationem admittit, qui
uerò non exquiſitè induruit, curari quidem poteſt;
non tamen facilè: difficilior autem longè eſt, qui cor-
ripuit interna uiſcera, & omnium maximè iecinoris,
mox uero lienis ſcirrhus curatu difficilis eſt. unde ibi-
dem Galen. fatetur ſcirrhum iecinoris, cum inuetera
ſcit, nullam admittere curationem, neque ſe ullum
vnquam curare potuiſſe, neque uidiſſe quenquam,
qui firmatum iam & inueteratum ſcirrhum curaue
rit. Sed ex ijs, quę hactenus fuere expoſita, & hoc de-
promi facilè poteſt, quod & ſi deterior, & nocentior
ſit ſcirrhus in ſuperiori, & ſima iecinoris parte exci-
tatus, ſicut & inflammatio, utpote quia pars ea di-
gnior eſt, attamen rarius, & difficilius curationem ad
mittit, qui in concaua ſuboritur, ob id, quia citius, &
facilius deprehenditur, cum eſt in ſuperiori, & con-
uexa parte, cum illa magis exterius uergat, & a com
primente manu, dum tractatur dextrum præcordiũ,
profundior uero, & introrſum magis pronus eſt, cũ
occupat cauam partem, licet facilius deprendatur
ſcirrhus, quàm inflammatio iecinoris, præſertim an-
tequam morbus inueteraſcat, & id tum ob maiorem
ſcirrhi duritiem, tum uero, quia extenuantur magis
(ut docuit Galen. 5. de Loc. affect. & in lib. de totius
morb. temp.) muſculi abdominis in ſcirrho, quam in
inflammatione, qui ubi craſſiores, & benè nutriti
ſunt, obſtant, quo minus manus comprimens malũ
deprehendere poſſit, quamuis proceſſu temporis ſub
orta hydrope in eum tumorem attollantur præcor-
dia, tendaturque abdomen, ut amplius deprehendi
nequeat, ut autem citius deprehenditur, ita & faci-
lior eſt curatio, quia quo magis inueteraſcit, eo ęgrius
curationem admittit. Deinde uero, & hoc mihi uide-
tur ex eiſdem poſſe tanquam corollarium deduci,
quod ſcirrhus frequentius, & facilius fit in concauo
iecinoris, qui ſtatim a principio ſcirrhus eſt, in conue-
xo vero per tranſitum aliorum tumorum in ſcirrhũ.
Ratio uero, quæ mihi hoc ſuadet, hæc eſt, quia ortus
primus ſcirrhi eſt ex craſſis, lentiſque ſuccis, quorum
materia ſunt cibi, qui in his facilè uertuntur, iniuriæ
uero, quæ iecori accidere poteſt ex eiuſmodi alimen-
tis, magis patet, & expoſita concaua pars iecinoris eſt,
quàm conuexa, hoc enim probauit Galen. 13. Me-
teor. ubi ait, quod tam ciborum, quàm medicamento
rum qualitates, ſicut ſunt acrimonia, aſtringens uis,
lentor etiam, & craſſitudo eorum, non ita poſſunt
conuexam partem, ſicut concauam lædere, quoniam
immutantur in concaua antequam ad cõuexam per
ueniant, & dum coquuntur remittitur ſemper eorũ
uis, cui etiam accedit, quod ſanguis illis immixtus in
uiſcere temperat, & reprimit omnem eorum exceſ-
ſum, ſuperior uero pars, & conuexa, utpote quæ ex-
terior, magis expoſita eſt iniuriæ repellentium, ſi im-
A modicè refrigerent, & aſtringant: vice enim verſa
& hæc refrenantur mitigata, & remiſſa eorum
vi in tranſitu, anteaquam ad concauum perue-
nire poſſint. Scirrhi in alijs ſanè particulis, quæ exte-
riùs ſunt oculis expoſiti, poſſunt & oculis diſcerni, &
eius differentiæ diſtingui. Nam tumor is cùm exqui-
ſitus non eſt, non mutat colorem externæ cutis, &
vel oculis videtur eius rigiditas: qui verò exquiſitus
eſt, cutem albiorem, vel pallentem habet, & pili ere-
cti, & quaſi rigidi in ea ſunt, præter id, quod manu fa-
cilè diſcernimus, quod durus, quòd coloris expers, prę
terea an particeps, an expers ſit ſenſus. In internis au
tem partibus horum quædam cognoſci omnino ne-
queunt: aliqua verò parum, & ægrè: nam neque co-
B lorem percipimus; ægrè verò an ſenſus reliquus, an
ablatus: quia cùm comprimimus, interſunt muſculi,
membranæque ventris, ſubſunt etiam inteſtina, &
ventriculus: quæ cùm ſenſu inſigni prędita ſint, dum
valida ſit compreſſio, dolent, & videtur perinde, ac ſi
ſcirrhoſa pars doleret. Sunt tamen etiam in his ſigna
aliqua obſeruanda: primum quidem, & ferè certius
alijs, ſi quis pulſus aliquam habet peritiam, eſt, quod à
pulſu petendum eſt. Nam in iecinoris ſcirrho pulſus
(ut quarto de Pręſag. expulſ. teſtatur Galen.) eſt inſi-
gniter durus: vnde licet in inflammatione quoque du
rus ſit pulſus: in ſcirrho maior eſt durities. Sed & fe-
bris, quæ inflammationum comes eſt, hæc diſcernere
poteſt: vnde percepta in pulſu duritie citra febrem,
C imperandum vt ſpiritum validè ducat, trahatque, &
interrogandum, num pondus percipiat in dextro prę
cordio: ſicut & in inflammatione diximus, nam facilè
ſcirrhum adeſſe pronuntiare poterimus: deinde uerò
tractanda etiam ſunt pręcordia, & tentandum, ſi du-
rities deprehendi poteſt. Diuturnus uerò morbus eſt
is, & qui tandem ad aquam inter cutem deducat ho-
minem: aliqui autem (vt ſecundo ad Glauc. docet Ga-
len.) diutius quaſi contabeſcentes eum ferunt. Alij ve
rò maturius, intereunt, illi nimirum, quibus fit aluus
liquida, fluidaque: id enim illis contingit; quia ualidè
conſtipata, & clauſa ſunt eorũ vaſorum ora, per quæ
fit alimenti tranſitus à concauo ad cõuexum. Sed iam
rationem, & methodum curandi eos iſtius viſceris
D ſcirrhos, qui curationis capaces ſunt, quique nonoum
in ijs ſunt, qui diuturni haberi poſſunt, aggrediamur.
In qua hoc primum conſiderandum, & examinan-
dum quomodo vniuerſum corpus ſe habeat: num ex
crementoſum ſit, & craſſis, lentiſve ſcateat excremen
tis, nimirum pituitoſis, & melancholicis, uel ſecus.
Quia ſi iecur ſolum impurum ſit, illi ſolùm incumbẽ-
dum. Si autem uniuerſum ſit impurum, conſideran-
dum item erit: an cauſa inſignis illius impuritatis fue-
rit peruerſa uictus ratio, aut alicuius uiſceris infirmi-
tas, quę ex aliquo uitio in temperatura originem ha-
buerit. Quoniam ſi à praua uictus ratione occaſio-
nem habuerit congeſtio eorum excrementorum, mu
tanda, & corrigenda erit, ut in reliquum victus inſti-
E tuatur, qui attenuandi uim habeat, ſi tamen aptus ad
gignendum bonum, & tenuem ſanguinem. Sed ſi fa-
ctum fuerit corpus excrementoſum ex aliquo alicu-
ius alterius viſceris vitio, illi primùm conſulere opor-
bit. Duo autem præcipuè ſunt viſcera, quę poſſunt co-
piam eorum excrementorum gignere, uentriculus,
& lien. Ventriculus enim crudior, & frigidior in
cauſa eſt, cur crudus, pituitoſusque humor in uni-
uerſo gignatur corpore, cùm parum probè cibum
conficit. Lien uerò, ſi a ſuo officio, quia uel obſtru-
ctus ſit, uel factus imbecillior, deficiat, quod eſt (ut
prius diximus) ſanguinem in iecinore genitum à
melancholia ſuperuacua expiare, atque eam attra-
here, & eius eam partem, quæ inutilis eſt, per con-
ſueta loca excernere: quandoque illa in iecinore con-

tenta

tenta poteſt ſcirrhum excitare: interdum verò diſtributa per uenas corpus vniuerſum reddit excrementoſum. Quare cum uitio ventriculi id acciderit, primum ventriculum purgare oportebit, eductis cruditatibus, quæ dum præſentes ſunt, fouent, & ſeruant eius intemperiem, & ſi illæ uomitu reijci poſſent, id magis ex ratione eſſet, quia eſſet vacuatio cum reuulſione, quæ appoſitiſſimum incipienti affectui remedium eſſet, ſin minus, per aluum eſſent excrementa ducenda, quomodocunque autem id ageretur, quia cruda, & lēta materia renititur vacuationi; ideo prius attenuantibus, & detergentibus eſſet paranda ad eductionem, de quo ſatis abundè, vbi de uentriculi affectibus ſermo habebatur, fuit actum, poſtea etiam vniuerſi corporis cura habenda erit, vt tum attenuantis victus ratione; tum verò medicamentis item detergētibus craſſa excrementa diſtributa paſſim per venas, à quibus fouetur, & augetur ſcirrhus, apta ad vacuationem facilem prius reddita, mox vacuarentur, poſtremò particulatim ad curationem ſcirrhi rationem omnem conuertéremus, quæ omnia, quia exquiſitè prius fuere tractata, nunc ſummatim exponimus. Eadem autem, vel ſimilis methodus curandi eſſet, ſi lienis uitio factum fuiſſet, vt excrementoſum corpus vniuerſum euaſiſſet, lieni enim prius attendendum eſſet, ac remouendæ eſſent, tum obſtructio, ſi illa adeſſet, tum etiam intemperies, qua viſcus eſſet factum imbecillum, ſicuti paulò poſt, cum de curandis lienis affectibus agemus, docturi ſumus, mox uerò ad uniuerſum corpus purgandum accedere oportet, quamuis & corporis expurgatio, & excrementorum apparatus ipſi etiam lieni commodus, & vtilis erit, immo hæc etiam tractanda ſunt, anteaquam particulatim remedijs proximè lienem reſpicientibus rem tractemus, quia fieri nequit, ut cum corpus malè habet, quæpiam particula rectè curari poſſit, niſi corpus vniuerſum prius curatum fuerit. Sed accedamus tandē ad rationem particulatim curandi ſcirrhum. Ad eius itaque curationem tria inſtrumenta medico ſunt neceſſaria. Primum quidem, quod quaſi omnium aliorum eſt fundamentum, conſiſtit in recta, & accommodata victus ratione, victus uerò accommodatus eſt, qui victus dicitur attenuans, in quo tanta uis eſt in his morbis, ut Galen. in libel. de Atten. uict. profiteatur, ſe quoſdam uidiſſe, qui hoc ſolo ſeruato uictu, a iecinoris ſcirrho liberi euaſerint, de quo quidem uictu, quia ſæpius in prioribus libris ſermonem habuimus, nolumus in longius ſermonem in præſentia proferre, niſi quòd hoc non eſt prætermittendum, quod inter initia in victus ratione, & in medicamentis (nā utriſque habentibus vim attenuandi egemus) non ſit eis utendum, quæ inſigniter calefaciunt, quamuis quę attenuant, vim etiam habeant calefaciendi, ſed de his paulo poſt, vnde præter alia veſci capparibus ex oxy-

cap.17. melite conditis (ut ait Galen. decimotertio Metho.) ſcirrhis iecinoris, & lienis ſummopere prodeſt, quamuis eius vſus lieni, quàm iecinori opportunior ſit, præterea vero idem ſecundo de Alimen. facult. ait, quod edere caricas multo ante cibum utile admodum eſt; ſi tamen illæ aliquo medicamento attenuante condiantur, qualia ſunt thymum, aut zingiber, aut piper, item pulegium, calamenthum, origanum, hyſſopum, & id genus alia, quæ uim extenuandi habent, quam caricæ facilè ad iecur perducunt. Nec, ꝗa ſiūt veluti cibus quidam medicinalis, rationi uictus addidimus. Poſt rationem autem uictus, ſequitur, ut cōſideremus, an ſanguis mittendus ſit, & quatenus quidem ad craſſum humorem infarctum in ipſum viſcus pertinet, non eſt putandum, quod poſſit per miſſionem ſanguinis inde euelli, ſolis enim digerentibus poteſt diſſipari, neque alia ulla uacuatione, ſolemus

A tamen in hoc affectu uenam ſecare, ſed potius, ut fæculentum ſanguinem per uenas diſtributum, qui poteſt fomẽtum ſcirrho ſubminiſtrare, vacuemus, auertamuſque a loco affecto. At ſi multa eſſet cruditas digeſta in uenas, ſuperſedendum a miſſione ſanguinis tantiſper eſt, donec ea tollatur, poſtea poterit & mitti ſanguis, ſi uires ſint ualidæ, nam robur uirium eſſe nequit, niſi copioſus ſit ſanguis. Sed ſi ex melancholico excremento iecur induruiſſet, ægrotus uero haberet innatas hęmorrhoidas, & ſolitas fluere, eſſetque ea uacuatio ſuppreſſa, earum apertio, ut fęculentus humor, qui fluere ſolebat, iterum inuitaretur, ſingulare remedium eſſet. Poſtremum vero inſtrumentũ, quo demoliri durum hunc tumorem oportet, ſunt

B medicamenta, quorum duplex eſt differentia, quædam enim purgando uacuant, alia uero digerendo, & diſcutiendo, partim etiam urinā ciendo. De prioribus priorem ſermonem habeamus, & cum eorum adminiſtrationis duplex ſit ratio (nam aut clyſterib. aluum ciemus, aut medicamentis per os aſſumptis) de utroque uſu medicamentorum uerba faciemus. Verum anteaquam rem particulatim tractemus, in memoriam reuocare oportet id, quod in ſuperiori capite fuit expoſitum, nempe quòd ad detrahendum humorem noxium, qui in ſima iecinoris parte continetur, aptiora ſunt ea medicamenta, quæ vrinam ciēdo vacuant, per aluum uero facilius uacuatur pars cōcaua. Neque in hoc rationem diſſimilem ſcirrhus

C ab inflammatione habere cenſendus eſt, nam & Gal. dixit ſimili modo, & arte curari inflammationem, cū iam deferbuit, & inclinare incepit, ſicut & ſcirrhus curatur. Vnde id etiam in ſcirrho ſeruandum, quod in inflammatione monuit Gal. ut inter initia anteaquam aliquis præceſſerit materiæ apparatus, a ualentioribus medicamentis nos abſtineamus, ſiue purgare, ſiue urinam prouocare uelimus, nempe ne tenuiorem, molliorem que partem, utpote quæ facilior eſt, & attractioni magis cedit, detrahamus, craſſiore, quę renititur, relicta, atque ita magis indureſcat tumor, & curatu difficilior reddatur, ſed a facilioribus ſumpto initio, paulatim, & gradatim ad fortiora erit aſcendēdum. Vt tamen dubitationi tacitæ occurramus, quæ

D facilè poſſet ſuboriri, quædam prælerea ſunt adnotāda, pauca tamen, non eſt putandum, quòd materia, quæ infarcta induruit in ſubſtantia uiſceris, & in medio tumore, poſſit aut per ea, quæ urinam proritant, aut per purgantia medicamenta detrahi, ſed illa alia ratione vacuari nequit, niſi quod per mollientia paulatim aptior ad attenuationem, & digeſtionem redditur, poſtea per digerentia, ſecantiaque & attenuantia in habitum conuerſa euaporāt. Purgantibus uero medicamentis, vel urinam cientibus materiam nitimur educere, quæ adhuc in uenis uicinis loco affecto continetur, & paulo poſt acceſſura & coniungenda cum ea, quę iam recepta eſt, ſcirrhum eſt auctura, aut ſi quid eſt in viſcere, quod nondum omnino concre-

E uerit. Sed particulatim rem tractemus, & quantum ad clyſterium quidem rationem, non oportet longiorem habere ſermonem, quia quantum ſatis erat, diximus in præcedenti capite, niſi quod inter initia morbi ea, quæ calefaciunt, cum inflammationem curamus, reijcienda ſunt propter calorem affectionis. In ſcirrho vero clyſteres, ſi calefacient modeſtè, non erūt inutiles, vnde malua, beta in utroque affectu ad decoctum vtiles erunt, folia vero herbæ uiolarum nō ita, ſed aptior erit mercurialis ad eductionem craſſioris materiæ, malua enim lenit, & mollit, beta detergit, & aperit, unde illi erunt potius addenda anethum, chamæmelinum, ſemen fœni Gręci, item & lini, aliaque id genus, item oleum amygdalarum amararum, chamæmelinum, anethinum, & ſimilia. Incli

nante

nante autem aliquantiſper morbo acriores, de quibus ſuperiùs fuit habitus ſermo, vtiles erunt. Quatenus uerò ad ea, quæ per os ſumenda ſunt, inter initia faciliora ſunt illa, quorum in cura inflammationis meminit Galen. ut cnici ſemen, epithymum, filicula huic, quàm inflammationi, cibis incocta vtiliora, & màgis tuta etjam in ſcirrho, quàm in inflammatione erunt ob uim calefactoriam; ſed & ſene a noſtris iunioribus, & Arabib. appellatum medicamentum vti le eſſet coctum ex iure. Caſſia etiam noſtra, quæ non refrigerat, humectat autem, laxat, & mollit, non eſſet inutilis, quæ verò refrigerant, ut tamarindi, & myrobalani, non ita. Medicamenta etiam compoſita, ut quod diximus vulgò lenitiuum electuarium appellari, quodque diacatholicon, & diaſene. Poſtea verò inclinante tumore, & parata materia, valentioribus oportet vti, ſicuti nigro veratro, vel cibis incocto, vel ex aliquo decocto: vnde decoctum epithymi deſcriptum à Meſ. efficax eſſet medicamentum, ſine veratro primùm, deinde verò & illo addito. Præterea & medicamentum, quod confectionem hamech appellant: & hiera illa diacolocynthidos: ſed & catapotia, quæ pilulæ indæ vulgò dicuntur, & aggregatiuæ. De illis autem, quibus vrina prouocanda eſt, ſatis ſuperque in priori capite diximus. Vnde ad localia remedia, quæ exterius adminiſtranda ſunt, accedamus: in quibus exponendis non erimus admodum longi: ea enim quæ magis præcipua videbuntur, referemus, ne temporis nimiũ diſpendium faciamus. Nã quòd medicamenta iecinori adminiſtranda, neque actu frigida apponenda ſint, ſi aliquam in inflammatione rationem habet, longè maiorem in ſcirrho habet, qui frigidus eſt affectus: & ſi ſemper vſque ad digeſtam, & reſolutam, inflammationem utilis eſt admixtio eorum, quæ uim habent aſtringendi, vt ſeruetur robur viſceris: inclinantis uerò inflammationis, & ſcirrhi ſimilis eſt curatio: neceſſe eſt, ut fateamur, hęc eadem in eius curatione eſſe neceſſaria. His prætereà addendum eſt, quòd quæ neceſſaria ſunt omni ſcirrho curando in vniuerſum, eadem etiam in ſcirrho iecinoris ſeruanda ſunt: niſi quòd particulatim poſtea propter eam indicationem, quę à natura iſtius particulæ petenda eſt, in vſu eorum medicamentorum, quę communi, generalique quadam ratione ſcirrhis accommodata ſunt, aliqua omnino maiori cautione, & limitatione opus eſt. Nam (quemadmodum teſtatur Galen. octauo de Compoſit. medica. ſec. loc.) [p. 8.] propriè curatur ſcirrhus per ea medicamenta, quæ vim habent calefaciendi, & attenuandi: hæc enim nobis oſtendit ea indicatio, quę accipitur à frigida, craſſáque, & plerunque lenta materia: Quia tamen eiuſmodi medicamenta non parum deſiccant, & uaporare faciunt tenuiores partes, & teneriores, vt reliquę deinde ob id induratæ ineptæ reddantur diſſolutioni, & extenuationi: Ideo neceſſe eſt, vt huic medicamentorum generi & mollientia addantur, quæ efficiant, nę nimis reliquiæ indurentur: hoc verò præceptũ commune eſt omnibus ſcirrhis curandis. Iecur verò, utpote quod generatur ex humida ſubſtantia à calore concreta, à mollientibus, niſi cautè agat, qui illis vtitur, facilè leditur: laxatur enim & quaſi diſſoluitur eius, & ſubſtantia, & robur: vnde præ cęteris ferè partibus mediocria mollientia expoſtulat: immo propterea & aſtringentia immiſcentur. Quocirca olea, & fomenta eadem quidem, quibus vtendum eſſe dicunt auctores in digerenda, & diſſoluẽda iecinoris inflamtione, utilia ſunt ad digerendam, diſcutiendamq; concretam materiam in iecinoris ſcirrho; ea uerò (ut refert Gal. ſecundo ad Glauc.) [Cap. 5.] ſunt cataplaſmata, aut olea, uel vnguenta, quæ ex abſinthij coma fieri conſuevere à medicis, ex myrobalano quoque, & illa aut trita, aut eius oleo, aut ex reliquijs, vel eius excrementis poſt expreſſum oleum remanentibus: item quæ ex nardo, tam celtica, quam indica, & ex maſtiche, hæc eadem ad digerendam, & attenuandam ſcirrhi materiam faciunt; calida ſiquidem ea omnia, & digerentia ſunt: in quibus tamen aliquid aſtringentis eſt, quo robur particulæ ſeruari poteſt. His tamen pręterea ea addenda ſunt, quę molliant, ut ſunt ammoniacum, bdelliumve, item & pinguedines, quemadmodum gallinæ, aut ànatis, aut anſeris, aut vituli. Nos autem ſequentes Galen. pręceptum ſępe induratum iecur, antequam inueteraſceret, curauimus, poſt habitam diligentem curam vniuerſi corporis, hoc cataplaſmate: Accipiebam oleum amygdalarum: interdum dulciũ, preſertim inter initia; interdum verò amarum, progrediente tempore, nam prius magis lenit, & mollit; hoc magis aperit, digerit, & attenuat, accipio autem exempli cauſa ad vncias tres, & tantundem uini addo, poſtea his inijcio comę abſinthij minutim inciſi, quantum uidetur coqui in eo liquore poſſe, viride autem potius, quam aridum accipio, quia hoc minus calefacit, & deſiccat, cum pontico careamus, quod hoc noſtro minus calefacit, his etiam & eupatorium Græcorum, quod nunc agrimoniam paſſim Apothecarij appellant, pari portione cum abſinthio adiungo, & his coctis ſimul ad compunctionem uini utor, poſt expreſſionem olei, illiniendo, poſtea uero illis, re progrediente, aliquam pinguedinem, dum decoquitur, addo: ſicuti ad põdus ſemũciæ, uel uncię, & drachmã maſtiches, primum quidem gallinaceum adipem, poſtea anatis, vel anſeris, poſtremò autem & ammoniaci, uel bdelij, vel utriuſque, prius tamen in aceto, ſed acerrimo diſſoluti, duas drachmas, poſſet & ab vnguentarijs, qui his vtuntur, haberi reliqua excrementa nucis unguentariæ, & ea diluta, diſſolutaque ex eo oleo incoqui. Sed poſtea quàm in hoc affectu explanando ſatis diu uerſati ſumus, iam aliorum expoſitionem aggrediamur.

De Regio morbo, vel (ut Gręci) de ictericia. Cap. VIII.

OFfunditur interdum in homine extima cutis, & ea vniuerſa, nec modò illa, ſed & tunica adnata, & alba oculorum fœdo quodam, & luteo colore, qui faciem, & reliquas partes plurimum turpes aſpicientibus reddit, nimirum naturali, & florido colore in turpem hunc mutato. Vnde & huic affectioni tam à Græcis, quàm a Latinis nomẽ inditũ eſt à ſimilitudine quarundam rerum, quarum colorẽ imitatur is turpis humanæ cutis color, Icterus enim, uel ictericia ab ictero nuncupationem habet, quæ auis eſt, & à Latinis (ut Plinius uoluit) galbula dicitur, cuius plumæ, & pennæ hunc colorem referunt. Latini uerò regium morbum eadem ferè de cauſa dicũt ab aue, quæ regulus Latinè dicitur; interdũ verò ab auri colore auriginoſum, quandoque & ab arcu cœleſti morbũ arquatũ uocãt. Quia verò (ut teſtis eſt Hippoc. ſtatim à principio libri de Humoribus) color humorũ eſt [indiciũ] niſi in altũ decubuerint, flauus autẽ, & luteus color bilis omnino eſt: inde propulſa, & diſtributa bile ad extimas partes, cutemque, fit icterus. Sed neque propriè, ſi ad vim vocabuli attenderimus, icterus morbus eſt, uerùm ſymptoma, quod ad mutatam corporis qualitatem, vel colorẽ referẽdum eſt. Sequitur verò ſemper morbum aliquem, aut incipientem, aut deſinẽtem: nam (ut docuit Galen. quinto de Loc. affec.) per ictericiam morbi ſoluuntur, translata nimi- [Cap. 7.] rum bilioſa materia, quæ morbum excitabat, ab internis viſceribus ad cutẽ, natura morbum indicatura eã propellente, & ſanguinẽ expiante. Vnde quæ hac ratione

ratione oritur icterícia, quǽque morbum inclinanté A ſequitur, bona ſemper eſt: alioquin autem bona eſſe non poteſt, quod inſinuare uoluit Hippoc. quarto Aphor. (vt ibidem explanat Galen.) cum ait, malum eſſe ſi ęgrotanti regius morbus ante diem ſeptimam appareat, vtpote, quia ſequatur potius internum aliqué affectum, quàm quòd poſſit ratione critica apparuiſſe, cum non poſſit ante ſeptimam diem in his affectibus, de quibus nunc uerba faciemus, concoctio ea apparere, ut ſalubriter, & integrè morbus iudicari poſſit. Quando ergo non à natura victrice morbi, & cauſarum eius fit hęc ad cutem propulſio, neceſſe eſt, vt fiat, vel vi morbi alicuius, à quo irritatur natura, & cogitur intempeſtiuè materiam noxiam extra pellere, quamuis parum utiliter, uel ex corruptione ma- B gna in ſanguine, & humoribus contracta, vnde in bilis naturam ſanguis corrumpitur. Sed ut hęc apertius percipiantur, rem hanc magis particulatim tractemus. Icterícia, quando non habet criſeos rationem, ſed meri ſymptomatis, & omnino pręter rei naturam eſt, ſępe ſequitur aliquod internum uitium; vel vniuerſi corporis, uel particulatim alicuius certi viſceris. Vniuerſi quidem corporis uitium ſequitur, quando ex aliqua uenenoſa qualitate diſtributa per omnes uenas corrumpitur ſanguis in alienam omnino corruptionem, ita ut eius color in porraceum, & quaſi viridem colorem degeneret, quo aſperſa cutis, oculique lutei, viridesque apparent, quod ſępe ſolet illis euenire, qui à vipera morſi ſunt. Et cum (vt tertio C de loc. affect. ſenſit Gal.) non ſit alienum à ratione, ꝙ reperiantur medicamenta quoque exitialia, & uenenoſa, quę eam vim habeant, ut ſimilem corruptioné ſuccis in uenis afferre poſſint illi, quę à viperę veneno ortum habet, inde etiam icterícia poterit originem habere. Immo ſi, & id quoque uerum eſt, quòd ex humorum putredine in aliqua particula putreſcentium generari poſſit (vt videtur Galen. quinto de loc. affec. ex ſententia Pelopis pręceptoris ſenſiſſe) venenum eiuſdem malitię, cuius ſunt, uel medicamenta uenenoſa, uel ferarum uenena, ex hac etiam cauſa poterit interdum ortum habere auriginoſa hęc affectio cutis. Particulatim autem, cum ex certo quodam uiſcere ea prodit, aut & uitij in iecinore contracti D comes eſt, aut eius, quod in fellea ueſica, cuius officiũ eſſe diximus ſanguinem expiare ab excrementoſa, & ſuperuacanea bile. Quę iecoris affectum ſequitur, aut inflammationem iecinoris ſequitur, aut eius ſcyrrhum, aut eiuſdem obſtructiones. Quę uerò affectus fellę ueſiculę, aut ratione meatus illius, qui in iecur penetrans, ac in minutiſſimos ramos diſpertitus ſimul cum uena porta diſtribuitur per concauam, & inferiorem iecinoris partem, quibus tanquam inſtrumentis bilem inutilem attrahit, duo autem uitia ſunt, quę iſtius rei in cauſa eſſe poſſunt, quia uel obſtructio ſub orta in hoc meatu, & eius ramis ex aliquo craſſo, ſeu multo humore impacto meatui, ramisq; eius, uel imbecillitas facultatis attractricis in eo, quę ex intempe- E rie aliqua malè affecta eſt. Aut uerò ratione alterius meatus, qui pertingens ad inteſtina, ac in ea penetrans officium habet, ut eam in inteſtina excernat. Vnde cum ſuo officio fungi nequit, neceſſe eſt, ut illa, quaſi regurgitans per uenas ad cutem uſque digeratur, nequit autem hoc officio fungi, quando aut tranſitus bili ex obſtructione facta in meatu interceptus eſt, aut uis expultrix facta eſt imbecillior, quam ut collectam bilem excernere poſſit, quę item imbecillitas aliquam ſequitur intemperaturam. Porro ea icterícia, ſeu regius morbus hāc habet ſui ortus rationem, quę propriè icterícia, uel regius morbus dici meretur. Nam aliquando cutis fœdo quodam colore offuſcatur, non luteo, uel auriginoſo, qui ſit colori gal-

A bulę, uel reguli ſimilis, ſed qui ad obſcurum, & atrum vergit. Fit autem eiuſmodi tranſmutatio coloris, non amplius uitio iecinoris, vel felleæ veſiculæ, ſed potius lienis, cuius itidem munus eſt melancholicum excrementum, ut ſanguis purior euadat, à iecinore attrahere, unde cum ab hoc munere deſtituitur fęculentus is humor, cum ſanguine mixtus per uenas fertur, ac ita inde eo colore inficitur cutis. Deſiſtit autem ab hoc munere, vel ob obſtructionem, vel ab eo imbecillitatem facultatis, uel attractricis, uel expultricis: quamuis poſſit, & id referri (vt tertio de cauſ. ſympto. teſtatur) in nimiam copiam horum excrementorum, quibus vires harum particularum ſufficere nequeũt. Miſcentur tamen duo hi colores, ut item 5. de loc. afB fect. docet Gale. atque id quando ſimul iecur, & lien fuerint malè affecta, quod deinde fit, ut ſicut morbi complicati ſunt, ita & color ſit mixtus, atque nigrior tandem ſit, quam eſſe ſoleat in regio morbo ex malè affecto iecinore, ut uideatur bili, qua ſuffuſa cutis eſt, fuiſſe immixtam quandam fuliginem. Tandem ergo omnis ratio iſtius coloris referenda eſt in bilem flauã, quãdo auriginoſus eſt, uel atram, ſi nigrior fuerit, quæ detentæ in corpore ſunt, nec pro naturali conſuetudine excretæ: Retinentur autem hæc excrementa, ſicut & alia (quemadmodum Gal. 1. de ſanit. tuend. tradidit) aut ob defectum facultatis, aut ob uitium inſtrumenti proprij illius facultatis. Ex inſtrumento quidem propter earum uiarum anguſtiam, & obſtructio C nem, per quas fit tum attractio tum verò expulſio eorum excrementorum. Propter defectum verò facultatis fit, quando vis attractrix, vel expultrix, quæ propriè facultates ſunt illius inſtrumenti, adeo imbecillæ factæ ſunt ex aliquo affectu, ut hæc attrahere, uel illa expellere pro ratione exigentiæ non poſſint, uel propter copiam geniti, excrementi, cui facultates illę nõ ſufficiunt. Vnde etiam ſequitur, quod hæ duæ affectiones, quarum altera proprie icterícia Græce, morbus regius Latinè dicitur, altera uero, qua nigro calore inficitur cutis, nec proprium nomen habet apud Græcos, iuniores tamen ictericiam quidem & hanc, ſed nigram nuncupant, ad eam facultatem tandem (vt tertio de ſymptom. cauſ. Gale. exponit) refertur; D cuius munus eſt ſanguinem ab excrementis expurgare, ſeparareque. Cauſas autem iſtius affectionis magna ex parte expoſuimus, nam anguſtia itinerum, aut ab inflammatione iſtorum iam expoſitorum uiſcerum, aut à ſcyrrho, aut ab obſtructionibus à multa, aut craſſa materia impacta excitatis, aut à nimia uaſorum ſiccitate, quæ duplicem poteſt habere occaſioné, vel enim ab his, quæ uehementer aſtringunt, id fit, vel ab illis, quæ ſimul calefaciunt, & ſiccant, interdum verò fit anguſtia ex compreſſione inſtrumẽtorum, quæ à vicinis partibus fit, vel propter multam eorum repletionem, uel inflammationem, uel ſcyrrhum. Imbecillitatem uerò facultatum faciunt horum inſtrumentorum intemperaturæ. Sed de ſignis iam agaE mus, quibus hæc omnia, quæ hactenus expoſita ſunt, diſcernantur, primumque quib. notis cognoſcamus ictericiam, quando iudicationis rationem habet. Gal. ergo 5. de loc. affec. dicit in his reſpiciendum præſertim eſſe ad præcedentem febrem, ad alui deiectiones, ad vrinas, & ad ſudores. Cum enim hac ratione morbus iudicatur, ſolet febris hominem dimittere. Iudicantur uerò hoc modo febres, quæ bilioſæ, & acutæ ſunt. Sed poſtquam febris dimiſerit, uidendum, ſi auriginoſus color, qui à bile ad cutim propulſa excitatus eſt, poſteris diebus perduret, atque ſi duret, ſpectandæ ſunt alui deiectiones, ac vrinæ. Quia ſi illæ naturaliter ſe habere uiſæ fuerint, ita vt inde nullum malum affectum in iecore reliquum eſſe iudicemus, ſignum id nobis erit, bilem ad cutem propulſam craſſiorem

eſſe

Cap.

Cap.

Cap.

Cap. 7

eſſe:quę enim tenuior eſt citius, & facilius euaneſcit. Quod ſi ſudor aquoſus videatur,nec bilis colorem referens,id magis adhuc hanc confirmabit opinionem. In aliquibus autem dejectiones etiam ſunt bile flaua infectę. In alijs uerò urinę,quod,fit, quia multa in his bilis generatur in habitu totius, quę non potuit uniuerſa ad aluum,uel urinam excerni, ſed pars ad cuté translata eſt. At quoniam de bile ratione critica ad cutem propulſa ſermonem habemus,aduertendum, quod cum in febribus(ut diximus)icteritia ante ſeptimam apparet bona eſſe non poteſt,neque critica ratione apparere, poteſt autem ſalubris eſſe apparitio cum ſeptima, uel nona,vel decimoquarto,(ut quarto Aphoriſm. docent Hippocrates & Galenus) com. 62. apparuit: modo tractanti medico dextrum præcordium, id tenſum, durumve non appareat; nam tunc comes eſſet vitij alicuius in iecinore contracti potius, quam qđ a natura febrem indicante fuerit bilis ad cutem propulſa. Icteritiam uerò fieri ex copioſa bile genita in uniuerſo corpore oſtendunt ſudores cũ multa bile excreti: nam cum cuidam ſtrigili ſudor detergeretur: multaque in ſtrigili fuiſſet reperta bilis,in opinionem eam deductus eſt quod in uniuerſo corpore illi copioſa bilis generaretur. Quod uerò regius is affectus ex obſtructione ortum habeat, demonſtrant primum ſigna obſtructionis in iecinore, in quib. hoc pręcipuum,eſt grauitas ſenſu percepta in dextro pręcordio,pręſertim, verò, ſi citra febrem fuerit:ac pręterea dejectiones,ſi albę fuerint,referentes nullam eſſe immixtam,bilé,id ipſum indicant, nempe obſtructionem,aut conſtipationem aliquã eſſe ſubortã in meatu,per quẽ bili iter eſt ad inteſtina. Febris uerò,pręſertim uehemens & acuta, cum dextri pręcordij grauitate, & dolore diſcernit icteritiam ex inflammatione ab ea,quę fit ex obſtructione:ſicuti ſigna p̃ſentis ſcirrhi in arquatis oſtendunt colorem cutis occaſionem a ſcirrho habuiſſe. Quibus & hoc addendum eſt,qđ cum icteritia fit ob ſcirrhum, ſemper paulatim,nunquã repente fit; ex inflammatione uerò (ut ibidẽ docet Gal.) atque ex obſtructione repente fieri poteſt. In auriginoſis (ut 4. de Cauſ. pul. docet Gal.) pulſus durior,& ſpiſſior eſt, & cum febris abeſt neque debilis neque celer; ubi aũt & febris adeſt, cólera ob auctam neceſſitatem illi accedit. Sed de his ſatis. Curationem modo aggrediamur:nam & ſi nihil de his dixerimus,quę pertinent ad auriginoſum morbũ,quando a ueneno viperę,uel alicuius alterius medicamenti,uel humoris in corpore geniti ſimilem habẽtis malitiam uiperinis uenenis ortum habuerit, id a nobis ea rõne factum eſt, quia ea cognoſcuntur per ſigna ueneni,uel morſi a uipera, quorũ expoſitio requirit particulatim propriam tractationem,quę non pertinet ad noſtrũ inſtitutum pręſens. In hac aũt curatione tractanda erimus admodũ breues: quoniã in ſuperioribus capitibus maxima ex parte ea expoſita ſunt, q̃ ad iſtius rei curationem pertinent. Nam cũ hęc affectio interdum rõnem habeat motus, & expulſionis, per quam febris iudicanda eſt,ſi integrè iudicetur,hęrendum erit præcepto Hipp. qui dixit, quę iudicãtur, aut iudicata ſunt integrè,interdicunt omnem motũ, & munus medici,niſi ut procuret,ne naturę aliquod impedimentum afferatur. Sed ſi minimè fiat integra iudicatio, iuuanda erit natura illis medicamentis, & cibis,quę uim habent mouendi humores ad exteriores partes, ſicut ſunt illa,quę ſudorem cient. Interdũ uerò rõnem habent ſymptomatis ſequẽtis alios morbos,de quibus hactenus ſermonem habuimus, cum ſymptomata per ſe quidẽ ut ſymptomata ſunt, nullã indicationem habeant pertinentem ad rationem curationis,ſed propria,primaque eorum curatio eſt, ut affectus tollatur, cureturq́, unde ſymptomata deflu-

A xere: niſi qđ aliquando ſymptomata, quæ ad qualitatẽ corporis mutatam referuntur; ab alijs differunt, qđ poſt remotum affectum ſæpe remanent, ſicuti interdũ remota febre,vel inflammatione,uel alijs,quorum meminimus,adhuc cutis,propulſa materia bilioſa,vel ratione iudicatoria, vel ſymptomatica,crocea, & auriginoſa remanet; quo deinde fit,ut cogatur medicus operam nauare, ut bilis digeratur, & diſſoluatur,ac inde hac ratione detrahatur, colorq́ue mutetur. Sed de hoc poſterius ſermonem habebimus. In præſentia aũt breui ratione expediamus, quæ conſideranda ſunt in auferendis affectibus qui icteritiæ in cauſa fuere. Vbi primum id memoriæ mandandum, quod ex Gal. retulit Oribaſius in libello, uel capite, B Quos & quando, & quibus med. &c. nam caput uigeſimumtertium illud eſt libri primi Oribaſij de medicina,nimirum quòd in icteritia, quãtum ad eius rationem per ſe pertinet, bilis, quocunque modo fieri commodè poteſt, ſit detrahenda, ſiue per aluum id fiat, ſiue p uomitum ſiue p ſudorem, ſiue per urinæ prouocationem ſiue p palatum, ſiue per nares,& id quidem rõne bona,cum referri in alium humorẽ nequeat,niſi in bilẽ cuti aſperſam. Semper tamen reſpiciendus quam maximè affectus primarius,cuius occaſione aut genitã, aut expulſa eſt ad cutem bilis, ſicuti ſi aut cũ febre ſit icteritia,quæ inſignis ſit aut cum inflammatione,aut cum calidiori intemperie,in habitu uniuerſi corporis, quę cauſa ſit, cur plurima bilis ge- C neretur,ſiue aperiendum ſit,ut in obſtructionibus, ſiue euacuandum,ſiue quidpiam aliud ſit agendum, a medicamentis & uictus ratione inſigniter calefacientibus caueamus,ſed ijs utamur,quæ poſſunt citra calefactionem attenuare, & detergere, ſicuti eſſent (ut docuit Galenus nono de Compoſi,medicamen. ſecundum locis,) oxymel non admodum acidum. cap. 1. Addamus nos & ſyrupum acetoſum. Sed magis particulatim rem tractemus cum ex ueneno, uel morſu uenenoſo contigerit aliquem auriginoſum eſſe factum, illi cito occurrendum his antidotis, uel alijs alioquin medicamentis,quæ & uenenis reſiſtũt, & quaſi alexipharmaca ſunt, de quibus omnibus ſi loqui vellemus,nimis longa eſſet hæc tractatio. Par- D ticulatim verò Gal.4. de Loc. affec. potum theriacæ cap. 7. huic affectui remedio eſſe ait. Sed ſi ab obſtructione originem habuerit,illis ſuccurrendum remedijs,quæ vim habent tollendi obſtructiones nimirum cibis potibus,medicamẽtiſque, in quibus facultas ſit attenuãdi,& detergendi,atque corpus pręterea purgandum medicamẽtis,quę bilem uacuent,& primũ moderatioribus,poſtea uerò niſi his morbus ceſſerit,ualẽtioribus, tum aperientibus res tractanda erit,tum uerò aluum cientibus: nec de his magis particulatim agemus,quia de curandis obſtructionibus, quantum ſatis poterat eſſe, ſuo capite ſuperius ſermo fuit habitus,ſicuti & de rõne curandi,tum inflammationẽ, tũ etiam ſcirrhum,unde neque de his alioquin in pręſen- E tia uerba facienda ſunt. Quando uerò id acciderit ex compreſſione uaſorũ facta a circunſtantibus partib. comprimentibus ramos,vel meatus ueſicę felleę,per quos ſit bilis expurgatio, ſi id factũ a craſſa materia partes eas replente, attenuantibus occurrendũ erit; ſin aũt a multitudine materiæ affluentis in ea parte, cõgrua rõne illi⁹ plenitudinis uacuatione opus eſt. Si uero occęcata ſint uaſorũ oſcula,& id factũ ſit ab auſteris cibis,uel medicamentis acerbis, & aſtringentibus, curabunt pinguia(ut 1. de ſan.tuen. tradidit Gal.) & dulcia. Sed ſi a calefacientibus, & ſiccantibus fuerint oſcula denſata,& ſtipata, refrigerantibus quacũque ratione, & humectantibus erit illi obſiſtendum. cap. 14. Hæc autem omnia, quæ tanquam facientia ad tollendam icteritiam hactenus literis mandata ſunt,

V ipſi

ipſi quidem proſunt, quatenus affectum & cauſam, A vnde orta eſt icteritia, tollunt, non quod vim habeāt fœdum colorem, qui à bile, qua cutis imbuta eſt fouetur, remouendi, quæ aliquando, poſtquam affectus deſijt, diu præterea permanet. Vnde paucula quædam de hoc delendo dicenda ſunt, hoc prius poſito, quod vniuerſa illius coloris ratio in præſentem bilem referenda eſt, & ſubinde, quod detracta bile, delebitur & fœdus is color: bilis verò in cute abſorpta per medicamenta purgatoria ægrè tolli poteſt: longa enim uia com. 29. nimis eſt, ſi ea, quæ cuti inſident (ut Hippo. & Gal. 2. lib. in 6. Epid. ait) aut ad eam procumbunt, ad interna corporis reuellere volumus, aluum ciendo, aut excitato vomitu, ſed potius per cutim ſunt uacuanda, vacuantur autem ijs medicamentis, quæ vim habent cu B tem laxandi, & impactos humores digerendi, unde nono de Comp. med. ſec. loc. idem Gal. ait, utiles eſſe balneas aquarum dulcium, frictionesque ex aliquo oleo digerente, & alia omnia, quæ cutem laxant, cuiuſmodi ſunt oleum chamæmelinum, anethinum, cicinum: addamus nos antiquum, & amygdalinum ex amaris amygdalis: item & id, quod ex floribus ieſmini ab Arabibus dictis: fit autem ab vnguentarijs; & alia id genus olea, vel vnguenta 5. autem de Loc. affec. thermarum aquas laudat, quæ calidæ ſunt digerendi uim habent, vt ſulphureæ, nitroſæ, bituminoſæque. Sed vt tractationi huic finē imponamus, aggrediamur ſermonem, & expoſitionem eorum, quæ ad aquam intercutem pertinent, quæ ſæpiſſimè hos C iecinoris, & aliquos etiam uentriculi affectus ſequi ſolet.

De aqua intercute, vel de hydrope, aut hydero vt Græci vocant. Cap. IX.

HYdropem, vel hyderon Græci affectum illum nuncuparunt, quem aquam intercutem Latini dicunt, vtrique vero ab aqua nomen ſuū deduxere: ſemper enim in hoc affectu, aut in ſpatio, quod viſcera ea continet, quæ inſtrumenta ſunt facultatis nutricis, quæ naturalis a medicis dicta eſt, aqua colligitur, aut quaſi abſorpta a particulis, quæ uniuerſi corporis habitum conſtituunt, continetur. Quamuis enim in ſecūda eius differentia, quam tympaniā, D vel tympaniten vocant, flatu turgeat venter; nunquā tamē alicuius aquæ (ut exponemus) expers eſt. Quòd ſi exquiſitè rem hanc examinare velimus, hydrops quidem, uel aqua intercutem, quantum ad uim uocabuli attinet, propriè ſymptoma eſt, quod ad genus ſymptomatum referendum eſt, quod excrementa, vel exeuntia mutata continet. Ortum autem habet ex læſa, uel uitiata actione concoctricis facultatis, cuius uitio ſuccus, quo alendæ ſunt particulæ, degenerat in materiam alienam, ineptamque alimoniæ particularum. Cum enim naturæ nos regentis inſtitutum ſit ſanguinem probum generare, generatur in affectu, aut flatus, aut ſeroſus quidem humor, aut E ſanguis quidem, ſed adeo humidus, vt diffluens per ſubſtantiam & meatus carnis, & ſolidarum particularum, illis neque hærere poſſit, neque ita ſubinde illis aſſimilari, ſicut nutritionis ratio requirit, requirit autem vt alimentum (quemadmodum 1. de Natur. cap. 11. facul. docuit Galen. ſed & prius Ariſtot. ſecundo de Anima) rei alendæ exacte aſſimiletur. Vnde cum tres ſint in animante concoctiones, & tria loca, per quæ cibum tranſire opus eſt, anteaquam fiat uerum, & exactum alimentum, cumque (ut Gal. probat ſecundo de Natur. facul.) harum concoctionum unaquæque uarijs, de quibus paulo poſt loquemur, occaſionibus uitiari poſſit; præſertim tamen læduntur ex vitio aliquo ſuorum inſtrumentorum, aut eo-

A rum proprio, aut illis cum alijs particulis conſentientibus, contracto, ac ab harum concoctionum defectu, ortum habuere tres formæ, uel differētiæ hydropis. Ex errore enim commiſſo in prima cōcoctione, cuius opifex eſt uentriculus occaſionem (ut tertio de ſym. cauſ. ait Galen.) habet ea hydropis ſpecies, quæ Cap. 1. tympania, uel tympanites à Græcis dicitur, in hac enim dum cibus concoquitur, magna eius portio, quæ alioquin eſſet tandem in bonum ſanguinem cōuertenda, ibi in flatuoſum ſpiritum uertitur, qui ad ſpatium inferioris uentris propulſus illum in tumorem elatum diſtendit perinde vt veſicam pueri inflant, fiſtula inſufflantes, vnde cum digitis percutitur, ſonat quaſi tympanium percuſſum: & inde etiam illi no- B men tympaniæ inditum eſt: attamen hanc Hipp. (ut Com. 22. 4. Aph. refert Gal.) aridam hydropem appellauit. Altera uerò concoctio in iecore fit, ubi ſuccus à uentriculo prius coctus, per hanc concoctionem in ſanguinem uertitur, in qua ſi fiat error, refrigerato nimirū iecinore, uel ipſo primum, uel illo cū alio uiſcere conſentiente, ſanguis bonus generari minimè poteſt, ſed fit ſeroſus ſanguis, & multa aqua refertus, & cum natura primum ope iecinoris ſanguinem generet, non poteſt proxime error, qui in ſanguinis generatione contingit (ut docuit Gal. quinto de loc. affec.) referri Cap. 7. niſi in uitium iecinoris. Fertur autem ſeroſus is humor, qui per hunc errorem in ſanguine generationem ſuam habuit, in idem uentris inferioris ſpatiū, C ut illæ multo hoc humore repletus, utris ſimilitudinem referat, cum aqua, aut uino impletur, ſiue illū moueas (percipitur enim humor is quaſi fluitans in uentre) ſiue percutias: (ſonat ſiquidem perinde, ac ſi utrem percuteres) à qua ſimilitudine aſciten Græci hanc hydropis ſpeciem nuncupauere: ἀσκὸς enim utrem ſignificat. At uerò hac de cauſa in inferiorem Cap. 8. ventrem is humor defluit: recipitur ſi quidem primū ex iecore exiens (ut tum eodem loco, tum uerò 3. de ſymp. cauſ. expoſuit Gal.) in caua uena, indeq; in vniuerſas corporis partes per reliquas uenas diſtribuit, atque ibi quaſi colliquatus in ſeroſum, & tenuem aquoſus is humor uertitur, reſoluiturque: & cū renes cum iecinore conſentientes ſint imbecilliores facti, D eam humoris copiam attrahere nequeunt, quo fit, ut ſit neceſſarium uenas deſtitutas a renum miniſterio & ope illum transfundere in ſpatium uentris inferioris. Vt ergo præcipuam occaſionem à uentriculo habet prior hydropis differentia, ita hęc à iecinore. Tertiam autem Græci ἀνὰ σάρκα, vel ὑπὸ σάρκα, vel ὑποσαρκίδιον, vel λευκοφλεγματίαν appellauere, ea ſanè fit ex errore concoctionis tertiæ, quæ in ipſis particulis fit, & per quam tandem omnino agglutinatur, & tādem aſſimilatur, in earumq; ſubſtātiam uertitur alimentum. Quod ſi harum particularū uis concoctrix deficiēs a munere proprio aberret, aut agglutinatio, aut aſſimilatio nequit fieri, quare carnes, & reliquæ partes quaſi madidę nimio humore, crudoq; tumēt: E unde & hypoſarca dicitur, quaſi ſub carne lateat nimius, & pituitoſus humor. Quare (ut teſtatur Gal. 3. Cap. 2. de ſymp. cau.) cum pituitoſum excrementum molē uniuerſi corporis occupauerit, ea fit hydropis ſpecies quæ λευκοφλεγματία nomen habuit: ſicuti ſi in unā tātum particulam deferatur, reſideatque, œdema vocant. Ita cum multo ſeroſo humore tumet corpus, ea ſpecies inſurgit, quæ aſcitis dicitur. Et cum flatu, tympania, uel tympanitis. Sed & id addamus quod non parum facit ad eorum cognitionem, quę de his differentijs dicuntur, nempe quod morbus is primum quidem, & proximè frigidus eſt, & ab affectu earum particularum frigidiori ortum habet. Has tn̄ duas differentias, quarum poſterius meminimus mutuo conferens Galen. quarto Apho. aſciten à maiori Com. 1

frigore

frigore ortum habere ait,quàm tympaniam: cuius ra- A
tionem eam affert quod flatus a calore, licet imbecil-
liori, neceſſe eſt generari. Quid autem de anaſarca,ſi
cum his duabus differentijs conferatur, ſenſerit, non
pronunciauit, quod me legiſſe meminerim. Ratione
tamen ſumpta ab illis,quæ de his ipſe protulit, potius
inſinuare viſus eſt ex maiori frigore anaſarcam origi
nem trahere,quàm tympaniã. Nam tertio de Symp.
cauſ.(vt paulo etiam ante retulimus)ait, quod fit aſci
tis,cum materiæ, quæ in venis concluſa eſt, fit quaſi
colliquatio, & in tenuem ſeroſumq; humorem reſo-
lutio. Sed ſine calore adiuuante hæc fieri nequeunt.
Præterea cum omnis ſpecies hydropis originem a fri
gida intemperie habeat: anaſarcam verò quaſi curã
non admittere cenſuerit Hipp. quarto de Rat.uict.& B
quamuis forſitan ea ſententia (ut ibi Galenus innue-
re videtur) non ſit Hippoc, cum tamen in alijs illam
damnet, in hoc autem irreprehenſam relinquat,illi
aſſentiri uidetur, maior ergo in hac ſpecie uidetur
eſſe lapſus. His omnibus & illud addendum eſt,quod
cap.1. Galen.licet tertio de Sympt.cauſ.(vt paulo ante cita-
uimus) primam generationem tympaniæ in uitium,
hoc eſt, in frigidam ventriculi intemperiem retule-
rit:aſcitis autem in imbecillitatem ex frigidiori intem
periecontractam in iecinore: anaſarcæ verò in infir
tatem facultatis concoctricis in carne, & reliquis par
cap.8. tibus:tamen 2.de Natur. facul. poſtea dicit,quod pri-
ma hydropis cauſa eſt fruſtratio ſanguificationis,quæ
contingit ex frigida iecinoris intemperie. Quæ tamẽ C
vix ſimul conſentire poſſunt, niſi dixerimus, quod
quatenus ad aſciten pertinet, res ſatis clara eſt,quod
primum vitio frigidioris iecinoris fit,ea enim de cau-
ſa ſuccus,qui in ſanguinem erat vertendus,in aquam
tranſit. Sed neque hoc etiam arduum eſt perceptu,
quo pacto & anaſarca tandem rationem ſui ortus a
iecore trahat:nam ſi res ſic ſe habet,vt ex eodem Ga-
cap.11. len.primo item de Natur. facul.paulo ante expoſui-
cap.2. mus, nempe quod ideo fit anaſarca, quia alimentũ,
quod per uenas defertur,vt particulas alias alat,aquo
ſius eſt, & (ut idem tertio de Sympt.cau.ait) pituito-
ſum; fit enim is affectus (ait) cum pituita refertum
eſt corpus vniuerſum,quod verò aquoſius & pituito-
ſum ſit alimentum illud, non poteſt acceptum refer- D
ri,niſi iecinori, quod malè illud confecerit. Verum
de tympania maiorem difficultatem res habet præ-
ſertim ſi cum ijs nobis ſit agendum, qui ſentiunt uen
triculum ex ſucco ab eo genito nutriri, unde non ui-
detur vitio frigidioris iecinoris cibus uerti in flatum,
ſed potius vitio uentriculi,cum tympania (ut eodem
loco dicit Galen.) habeat ſuum ortum ex magna im-
becillitate concoctricis facultatis uentriculi. Niſi dica
mus, quod ſemper ſimul conſpirant in his duabus
differentijs imbecillitas iecoris uentriculique neque
altera poteſt ſine altera conſiſtere, & proinde ſem-
per mixtæ ſimul ſint hæ duæ differentiæ, quod quidẽ
acceptum eſt ex eo libello, qui erat Galen. aſcriptus,
cui titulus eſt medicus, vel Iſagoge. Ibi enim ſcriptũ E
reperimus, quod in utriſque his differentijs ſimul
aqua,& uentus generatur,& in uentrem effunditur,
quamuis ab eo, quod ſuperat nomen habent, tym-
pania ſiquidem dicitur, in qua plus eſt uenti, aſcites
verò in qua plus aquæ. Niſi fortaſſe quis dicat, quod
uerba relata a Gal. ſecundo de Natur. facul. referen-
da ſint duntaxat ad aſciten, quod proprie quidem,
& primum nomen hyderos,vel hydrops, uel hydro-
piſis apud Græcos, & aqua intercus, uel intercutem
apud Latinos utrinque ab aqua deductum eſt, Nam
Græcè ὕδωρ dicitur aqua, & ad alias nomen tranſ-
latum eſt ratione cuiuſdam ſimilitudinis, quam mu-
tuo ex tumore abdominis referunt, & hæc quidem
reſponſio uideretur fortaſſe apparens, niſi habere-

A mus in contrarium ſententiam acceptam ex fragmẽ
to libri, cui titulus eſt de Facultatibus noſtrum cor-
pus adminiſtrantibus,qui quidem liber proculdubio
fuit Galen.ibi enim apertè, ait omnes hydropas fieri
vitio iecinoris. Sed neque in hoc amplius immore-
mur, & accipiamus hoc, tanquam conſtitutum, ſi-
cuti ab omnibus ferè accipitur, quod omnis hydrops
referenda ſit in iecur labefactatum, & refrigeratum.
At neque propterea tamen putandum eſt,hydropem
fieri ab affectu primario ipſius iecinoris, ſæpe enim
aliarum etiam particularum affectibus conſentiens
iecur hydropem procreat.per uenas etenim, quæ ab
ipſa ortum habentes in uniuerſum corpus diſtri-
buuntur,Poteſt & cum uniuerſo corpore conſentiẽs
B iecur refrigerari, & auctor eſſe hydropis, poteſt &
cum multarum particularum conſenſu eadem ratio
ne particulatim lædi, nam contracta intemperie frigi
diori in uentriculo,aut liene,aut inteſtinis,præſertim cap.7.
verò ieiuno,eam(ut Galenus quinto, de Loc. affect.
teſtatum reliquit) hæ particulæ uenis impartiuntur,
quæ ſunt digeſtæ per meſenterium, a quibus ſerpit ea
temperies, & tãdem corripit uniuerſam inferiorem,
concauamque iecinoris partem,a qua tandem & ſu-
perior, conuexaque idem uitium contrahit. Sed &
conſenſu ſuperiorum partium nempe renum, ſepti
tranſuerſi,pulmonumque,ſi inſigniter perfrigeren-
tur, poteſt affectum iecur hydropis in cauſa eſſe, &
id per uenas quæ a ſuperiore parte,& conuexa exor-
C tę in reliquas partes a natura diſpertitæ ſunt,& p haſ
dem uniuerſi corporis conſenſu iecur hominem ad
hydropem poteſt ducere,cuius rei teſtis eſt Galen.ſe- cap.8.
cundo de Natural.facul. Cauſæ uerò hydropis ex pro
prio affectu primum eſt imbecillitas iecinoris ex frigi
da intemperatura, de qua ſtatim ab initio iſtius libri
ſermonem habuimus. Interdum uerò ex duro iſtius
uiſceris tumore, qui ſcyrrhus Grecę appellatur,or-
tum hydrops habet,& neceſſarium ſanè ortum,quia
(ut quarto de Præſag.ex pul. refert item Galen.) fieri
omnino nequit,quin tãdem,ſi inueteraſcat ſcirrhus,
non ſequatur hydrops. Sępe etiam primam occaſio-
nem iecur ab hęmorrhoidibus habet,item uerò a mẽ
ſtruis purgationib.uel ſuppreſſis, uel immodicè fluen
D tibus,a ſuppreſſis quidem,quia(ut idem ſexto Apho-
riſ. & quarto de Rat. in acu. mor. præterea & quin- com. 12.
to de Loc.affec, & quarto de præſag.ex pul,& ſecun cap.7.
do de Facult. natu. ait) ſi multus illę & plerunque cap.9.
craſſus ſanguis, qui fluere per hęmorrhoidas,quique
per uterum ſolet, ſuppreſſus recedens ſępe ad iecur
delatus, aut in durum tumorem illud attollit aut co-
pia, & craſſitudine onerans, eius natiuum calorem
perinde extinguit, ut multa lignorum ſtrues ignem,
ſi confertim illi inijciatur. Menſibus autem, item-
que & hęmorrhoidali ſanguine immodicè fluen-
te refrigerato non modo iecinore, ſed uniuerſo
corpore,quemadmodum ea ex omni immodica ua-
cuatione refrigerantur,& langueſcunt. Lienis quo-
E que ſcirrhus in eum conſenſum iecur deducit, ut hy-
dropem adducat non tamen hoc ſemper eſt neceſ-
ſarium, ut neceſſario ſemper conſequitur ſcirrhum
iecinoris hydrops, nonnunquam enim (ut idem te-
ſtatur Galenus eodem quarto de Pręſag. ex pul. &
nos etiam obſeruauimus) uidimus, ait ille, prędu-
rum lienem nũquam adduxiſſe intercutem aquam.
Longam quoque inteſtinorum difficultatem, quam
Gręci dyſenteriam uocant, uoluit Hippoc. ſexto Aph.32.
Aphoriſm, adducere hydropem, quando ſuperuenit
lienis ſcirrho. Quamuis enim (ut ibidem exponit
Galenus,) interdum proſit eiuſmodi dyſenteria,
translata nimirum materia a liene ad inteſtina ab
ipſa natura, ut eam per illa excernat, quandoque ta-
men eiuſmodi uacuatio non poteſt ita moderari,

temperaríque, quin immodica fiat; vnde poſtea lien A iecuróque, præterea omne venoſum genus per læſa, & refrigerata inteſtina afficiuntur. Aliquando etiam cap. 2. à potu importuno aquæ gelidæ (vt expoſuit Gal. tertio de Symp.cauſ.) originem habuiſſe poteſt aqua intercus.ab ea nempe iecinore refrigerato: alioquin enim (ut idem docet ſexto de Loc.affec.) excitari nequit hydrops, niſi iecinore refrigerato, quamuis ſemper refrigeratio non ab eadem particula initium habeat. Nam quandoque iecur eſt id, quod primum refrigeratur: aliquando aliæ particulæ primùm; ſicut uētriculus, & præſertim os eius, vel lien, & ab his mox frigidior intemperies ſerpens ad iecur pertingit; & id pro ratione, qua hæc, vel illa viſcera aptiora ſunt, ut inde magis lædantur, fiunt autem aptiora, quæ imbecilliora. In ſenibus verò quandoque (vt 4. de loc. B cap. 5. affec. affirmat idem Gal.) fit aqua intercus. cum aſſidue utuntur cibis & vino, quæ, ſint craſſi ſucci: nam ex hac uictus ratione fiunt obſtructiones cùm in iecore, tum in liene, quæ & ipſæ poſſunt aquę intercutis in cauſa eſſe. Porro neque propter hęc quæ hactenus fuere propoſita, putandum eſt fieri hydropen, ſemper ex affectu proprio frigido iecinoris, vel eo cōſentiente cum alijs particulis frigido aliquo morbo laborantibus: immo quandoque ex iecinoris inflammatione; ut ſecundo de Præſag. ex pul. tradidit Galenus. & ex inflammationibus aliorum viſcerum, præſertim meſenterij, gracilium inteſtinorum: immo, ſi Hip cap. 9. pocrati credendum eſt, ſtatim ab initio ſecundi libri C Prognoſt. ægritudines acutas ſolet ſequi aqua intercus: cui & Galenus aſtipulatur ſexto de Loc.affec. & id quia ex caliditate inſigni adeo afficitur, & imbecillum redditur iecur, digeſto, ac diſſoluto eius calore natiuo, à calore externo, & igneo ex illis morbis accenſo, vt excoctum alimentum nequeat in ſanguinē vertere; ſed id in aquam, vel flatum corrumpit, & inde etiam multæ gignuntur cruditates: nam à natiuo, & temperato calore fit concoctio, non ab externo & igneo. Immo eodem Hippoc. ibidem teſte, aqua intercus, quæ ſequitur hos acutos morbos, deterior alijs eſt, & certius mortis diſcrimen adducit. Comparans autem Hippocr. has tres hydropis differentias quarto de Rat. vict. in acu.mor. cenſet omnium deterri- D mam eſſe anaſarcam; poſt hanc ſequitur tympania, quæ & ipſa admodum curatu difficilis eſt; quamuis interdum aliqui, ſi cum illis bene agatur, euadunt. Sed de ſignis præcedentibus, & concomitantibus aquam tex.& cō. 3.& 4. intercutem iam agamus. Communem ergo notam cuiuſcunque aquæ intercutem eſſe ait Hippocrat. ſecundo Prognoſt. quòd pedes quidem primùm laxo, & molli tumore, frigidoque qui à Græcis appellatur œdema, intumeſcant: qui quidem tumor, ſi digitis prematur, cedit, ac foueam impreſſam aliquandiu retinet, quæ deinde depreſſis partibus paulatim ſe attollentibus, euaneſcit. Cur verò primi pedes frigido hoc tumore intumeſcant, quàm aliæ partes, hanc cauſam refert ibi Galen. nempe quia illi remotiores ſunt à E corde, & alijs calidis viſceribus, à quibus calor aliarum partium fomentum habet: mox & femora, tandem verò & venter intumeſcunt. Addit autem Hippo. in lib. de morbis, quod vt inferiores partes in hoc affectu tumidiores fiunt; ita ſuperiores, ut iugulum, ceruix, pectuſque gracileſcunt, & quaſi contabeſcūt: quamuis facies & ipſa tumida fiat: immo inde ſumitur ſignum inſtātis mali habitus, quem καχεξίαν Græci appellant, quæ eſt initium ferè aquæ intercutem: pellucet autem, addit ibi & ſcrotum: vtpote quia impletur tum humore, tum flatu, quę pellem ſcroti reddunt perſpicuam. Referunt præterea quidam inter ſymptomata, uel ſigna communia aquæ inter cutem ſitim continenter affligentem: hoc tamen ſi confer-

re cū cauſa uelimus, quam Gal. exponit iſtius rei 1. de cap. 30. facul. ſimpl. med. præſertim ſymptoma aſciti accōmodatum eſt; nam dixit ſitim hanc ortum habere a feroſo, ſalſoque humore in uentre collecto, ſed collectio hæc aſciti propria eſt. Quatenus autem ad rationē ꝓpriā hydropis pertinere poteſt, quędam eſt ratio pulſus, quę his omnibus cōmunis eſt. ſunt enim undoſi, ac inclinantibus viribus fiunt mox (ut Galen. ſecun cap. 9. do de Pręſag. ex pulſ. ait.) vermiculares, & id propter humiditatem in hoc affectu abundantem: præcipuè verò, ac manifeſtius hoc apparet in anaſarca, ſed longè etiam manifeſtius, quando ea fit ex ſuppreſſis mariſcis, uel fluxu menſtruo. Cauſam verò iſtius rei referens ibi Galen. ait, quòd hoc inde prouenit, quia in anaſarca plerunque omnes ferè corporis particulę præſertim internę expertes ſcirrhi ſunt. Particulatim autem idem quarto de Cauſ. pulſ. ait, in aſcite pulſum cap. 1. quidem paruum eſſe, ſpiſſumque, ac quoquomodo ſubdurum cum quadam tentione. In tympania uerò paruus quidem, immo minor, nèque tamen imbecillis, ſed crebrior, celeriorque, itidemque ſubdurus cū aliqua tenſione, quod fortaſſe inde eſt, quia uenter plenus aqua, ventove diſtenditur. At in anaſarca, in qua uniuerſus corporis habitus una cum uenis refertus eſt pituita, pulſus mollis eſt, undoſus, & latior. Sed mutuò diſcernuntur tres hæ differentię, quòd in tympania uenter percuſſus ſonat perinde, ut quādo tympanum, cumque ſupinus decumbit ægrotus, uenter non ad latera cadit, ſed in medium attollitur, nam flatus non ita deorſum fluit. In tympania, ſi ſupinus iaceat, ad latera uidetur tumor uentris defluere, ſicuti in utre aqua ſemipleno ſolet fieri: immo ſi in latus unum vertatur, mox ad aliud redeat, percipitur veluti quædam fluitatio ex defluxu humoris in uentre cōtenti. Porrò non puto eſſe opus multa afferre, quibus hi affectus dignoſci poſſint, ſi ex proprio iecinoris affectu ſuborti ſint, vel eo cum alijs particulis conſentiente, quia hactenus maior pars eorum, quæ huc ſpectare poſſunt, præcedentibus capitibus explanata eſt. Nam cum affectus ſequatur, qui priores occuparunt iecur, quales ſunt iecinoris imbecillitas, quæ ex eius intemperatura ortum habuit calida, vel frigida, ſicuti quādo ſequitur febres, alioſque acutos morbos, ut eſt inflammatio, aut pituitoſas, diuturnaſque ægritudines, ut eſt ſcirrhus, & obſtructiones, & id genus alia, præterea & nimiam refrigerationem contractam ex cibo, potuve frigidis, aut actu, aut poteſtate, uel externo frigore, & quia præcedentium affectuum natura, qualitatem, & naturam, uel cauſas ꝓſentis hydropis indicat, de illis autem, eorumque cauſis, ac ſignis abundè diſſeruimus capitibus ſuperioribus: Ideo nihil uideo, cur in præſentia eadem ſint repetenda. Niſi quòd quædam his uidentur addenda, quæ a Galeno referuntur ſecundo Prognoſt. qua- com. 5. tenus ad aquam intercutem pertinet, quæ comes eſt inflammationis iecinoris, eius enim notas peculiares eſſe ait, primum aridam tuſſim, propterea quia comprimitur pulmo a iecinore, quod ex inflāmatione in maiorem molem intumuit, ac præcordijs inſidet, deinde uerò deiectiones alui paucas, & aridiores, tum quia extorrentur ab inflammatione, tum etiam quia omnis ferè humor fluit in ſpatium internum abdominis. Sed hęc tamen, ſi cum ijs conferantur, quæ de inflammatione ſuperius literis tradita ſunt, referenda ſunt potius ad inflammationem, quę conuexam, quàm quę concauam eius partem occupat, nam ex ea & maior fit compreſſio, & maior ariditas, ſæpe enim inflammatam concauam iecoris partem ſequitur aliquod alui profluuium, ut ex Gal. ſuperius diximus. Sed & quinto de Loc. affec. ſignum quoddam exponit, quod priuatim ſolet cap. 7. appa-

apparere, cum ex frigidioris aquæ importuno potu
hydrops originem habuit:id verò eſt,quòd cibi appe-
tentia vehementer,refrigeratio quippe ore ventricu-
li,intenditur. Cum autem conſentiente eo cum viſce
ribus alijs fit hydrops, ex ſignis indicantibus eos affe-
ctus præceſſiſſe cognoſcendum eſt,de quibus nõ per-
tinet ad præſens inſtitutum agere. Niſi quòd neque
Com. 2. id prætereundum eſt, quod a Galen. ſecundo Progn.
literis proditum eſt, nempe quòd ſi laborantibus in-
flammatione ieiuno inteſtino, uel meſereo a Græcis
dicto, ſuboriatur hydrops, hoc habet ſymptoma ſe-
quens, nempe alui profluuium: quod duplicem po-
teſt occaſionem habere, primam quia venę meſente-
rij ex inflammatione imbecillæ redditæ,alimento gra
uantur, vt cogantur illud ſtatim deijcere, deinde q̃a
alimentum corrumpitur à calore inflammationis,
vnde multa bilis generatur,quæ ad inteſtina defluens
illa mordet,& ad excretionem concitat. Multa ex a-
phoriſmis eſſent depromenda, quæ ad præſagij ratio-
nem facere poſſunt,quemadmodum ſententia quar-
Aph. 11. to Aphoriſ.deſcripta,quòd ſi doloribus inteſtina tor-
quentur,& partes quæ ad lumbos,& vmbilicum per
tinent,quos nulla medici ratio, nullaque medicamẽ-
ta ſoluunt; is affectus tandem in aridam hydropen,
hoc eſt in tympaniam tranſit. Itemque ea ex ſepti-
mo,quod cum plurima pituita venę refertę ſunt, iti-
demque vniuerſus corporis habitus, tumẽda ea aqua
intercutis differentia, quæ anaſarca dicitur. Sicut &
alia eodem libro,quod hæc interdum a longo, & ue-
hementi profluuio alui diſſoluitur. Sed & tertio A-
phor.dixit Hippo. quod præſertim hydropes autum-
no fiunt, maximè verò lienis vitio. Quod etiam pro-
Aph. 72. nunciauit Hippocr. ſecundo Progn. non eſt alienum
Aph. 26. ab hoc negotio, malam eſſe aquam intercutem, quæ
acutorum morborum comes eſt. Sed & malum, im-
mo lethale ſignum eſt, quando tuſſis (ut ſexto item
Aph. 35. Aphor. ſcriptum eſt) ſuperuenit hydropico: modo ea
aliunde non habeat occaſionem, ſicut ex deſtillatio-
ne, nam ſignificat tantam eſſe iam aquæ copiam, ut
aſperam arteriam perfundat. Vlcera præterea in hy-
dropicis propter exuperantem humoris copiam æ-
grè ad cicatricem ducuntur; quia curatio ulcerum eſt
exſiccatio.

De ratione curandi hydropicos. Cap. X.

CVraturus aquam intercutem, cum is affectus
(ut paulò ante explanatum eſt) ſemper ferè a-
lios affectus ſequatur, tum iecinoris, tum uero
aliarum particularum, oportet primum animaduer-
tere, num adhuc etiam idem affectus, eademque cau
ſa præſens illam foueat, ſicuti intemperatura calida,
uel frigida iecinoris, aut obſtructio, aut ſcirrhus, aut
inflammatio, aut affectus alterius uiſceris, nempe lie
nis, membrorum ſpiritualium, ieiuni inteſtini, uel me
ſenterij, uel ſuppreſſæ fuerint hæmorrhoides, mulie-
breſq; purgationes menſtruæ, præterea uero febris,
& quæcunque alia in priori capite expoſita ſunt. Nã
ſi res ita ſe habuerit, longè difficilior, & multiplicior
erit illius curationis ratio, qua & facta iam hydrops
ſuas peculiares habebit indicationes, & ſuas item alij
affectus, qui hydropen effecerunt, & adhuc fouent.
Quod ſi priores iam deſierint, ſola autem reliqua ſit
ſit aqua inter cutem, illi ſoli erit incumbendum. Ve-
rum licet, quando fouetur ab alijs iam relatis affectio
nibus hydrops, mixta quidem ſit curatio ex ea, quæ a-
lios affectus reſpicit, & ex propria factæ iam hydro-
pis, tamen ſemper prior, & maior ratio aliorum affe-
ctuum eſt habenda, quàm hydropis, utpote quia illi ra
tionem habent cauſæ efficientis, & conſeruantis, mi
nor uero, & poſterior hydropis. Nos autem de affe-
A ctibus quidem proprijs curandis egimus in præcedẽti
bus capitibus de aliorum autem [affectibus,] quibus
cum conſentit iecur, agere non pertinet ad præſens
inſtitutum, ideo quatenus ad eos ſpectat, hoc dunta-
xat exponemus in præſentia, quod obſtructiones, uel
ſcirrhus, vel inflammationes, tam iecinoris, quàm a-
liarum particularũ tollendæ ſunt, imbecillitaſq; ieci-
noris remouenda, remotis nimirum eius cauſis, quas
diximus eſſe intemperaturam iecoris calidam, uel fri-
gidam, niſi quod de his curandis nihil diximus, quia
diſtulimus eius curationem ad locum de alui proflu-
uio, quod hepaticum Græci appellant, & uniuerſum
fere defluit ab intemperatura, & imbecillitate eam ſe
quente. Quare ad factam hydropen curandam acce-
B dendum eſt, ſi ea mox reliqua ſit, & curari poſſit. nã
ſicuti ſcirrhum iam factum in iecinore Galen. nul-
lum curari uidit; ita neque hydrops, quæ illum ſit ſe-
cuta, curabitur. Iam uero audiuimus eundem Gale-
num, immo & Hipp. dicentes, hydropen, quæ ab acu
tis morbis ortum habuit, malam eſſe adeo, ut homi-
nem interficiat. Sæpe uero, ſi a principio medicus cau
tus fuerit, & præcedẽtes morbos, a quibus is affectus
originem ducit, diligẽter curauerit, uel ſimul, uel pau
lo poſt & hydrops euaneſcet. Primi autem ſcopi in
vniuerſum in curanda aqua intercutem, quæcunque
illa ſit, ſunt calefactio, & exſiccatio, deinde uerò, quia
cum materia eſt, ſuccedit his & uacuationis indica-
tio; nam & hoc Galen decimoquarto Meth. teſtatur, cap. 13.
C ubi ait, ex huius morbi natura ea ſtatim curandi ratio
indicatur, quę humorem eſſe auferendum admonet,
& hanc indicationem primum proſequamur, mox
uero & de prioribus uerba faciemus. Et quia uacua-
tio in hoc genere affectuum, ſicuti in alijs quàm plu-
ribus (quem id modum ſæpius in præcedẽtibus libris,
& capitibus ſuit expoſitum) fieri poteſt & per dige-
ſtionem, euaporationemque per anguſtos, & incon-
ſpicuos corporis meatus, & per uias patentes, & con
ſpicuas, ut per uias urinæ, per uomitum, per aluum,
& tandem etiam per uenam ſectam, uel alioquin ſan
guinis detractionem. De his omnibus, ut rem abſolu com. 111
tam referamus in præſentia agemus, ab hoc poſtre-
mo initium ſumentes, de quo ait Gal. 4. de Rat. uict.
D in ac. mor. quod nemo unquam auſus eſt duas aquæ
intercutem priores differentias, nempe aſciten, aut
tympaniam curare ſanguine detracto. Sed anaſarca
inter initia requirere interdum uidetur, ut uena ſece-
tur, inter initia autem, propterea quia dum fit, ſi ſta-
tim opem feras, curare quidem ipſam poteris, & dũ
incipit, ſed ubi iam facta ſit, nequaquam, immo homi
nem necat. Neque tamẽ ſemper, & in uniuerſum ue
næ ſectio eſt congruens remedium curandæ anaſar-
cę incipientis, ſed duntaxat, quando ea ex ſuppreſſo
ſanguine, qui ſolitus ſit fluere a mariſcis, aut ex men-
ſtruis purgationib. ortum habuerit, aut ex alia occa-
ſione ait Gal. unde fuerit contracta multa plenitudo
ſanguinis, pręſertim uero frigidioris, ut periculum im
E mineat, ne natiuus calor perinde ab eo extinguatur,
ſicut ignis interdum multis iniectis viridibus lignis
extinguitur. His ergo conditionibus, & limitationib.
additis, licet ſanguinẽ mittere in anaſarca, alioquin
aũt, nequaquam. In alijs autem hydropis differentijs
(& id non modo Gal. affirmante, ſed omnibus alijs
et medicis, quos ego legerim, aſtipulantibus) nunquã.
Ex quo loco facile eſt eos coarguere, qui ſentiunt in
uniuerſum id theorema uerum, & ſeruandum eſſe,
quod ſi uires, & ętas conſenſerint, in magno morbo
ſit mittendus ſanguis; quodque ſola morbi magnitu-
do indicet mittendum eſſe ſanguinem. Nam (ut alias
differentias hydropis primum ſub ſilentio præterea-
mus) hypoſarca, quę una eſt differentia, & habet or-
tũ, ut ſuperius ex Gal. diximus, ab imbecillitate con-

coctionis tertiæ in particulis conſtituentibus habitum vniuerſi corporis, ſemper magnus, & difficilis morbus eſt, qui vbi iam factus eſt, vt eodem Commẽtario teſtatur Galen. non admittit curationẽ, immo protinus hominem necat, & id vndecunque ortum habeat. Attamen ſi ex plethora, vel mẽſium ſuppreſſione originem deduxerit, venam ſecat, ſin autem, pituitam potius purgandam cenſet. Neque tamen illis poteſt valere, ſi tanquam ad aſylum confugerint, dicentes, id eſſe; quia cum ex ſuppreſſo ſanguine fit, vires valent, vt ferre poſſint ſanguinis detractionem: alioquin vires adeo languent, vt eam tolerare nequeant; quoniam (vt ex verbis Galen. patet) ſermo habetur de hydrope quando fit, & adhuc vires illæ ſunt, vt poſſint valentia etiam, & magna remedia admittere; quod inde patet, quod inter prima remedia, quæ omnibus differentijs, communia ſunt, ut ipſe explanat, connumerat, & labores, crebraſque exercitationes, & cibi abſtinentiam, quæ omnia validas uires requirunt. Sed quid dicemus deinde de aſcite, quæ & ipſa magnus eſt morbus? nam ſi quarto de Rat. vict. in acu. mor. tympaniam adeo magnum morbum eſſe cenſuerit vt bona fortuna egeat, qui ab ea ſit euaſurus, aſcites vero a maiori frigore concitatur, vt ait Galen. quarto Aphor. maior ergo morbus eſt, neque tamen illi eſſe ſanguinem mittendum medici vlli exiſtimarunt: ſed neque propter hoc, quod crediderint nunquam poſſe illas in hoc affectu eſſe vires, ſaltem antequam factus ſit, vt poſſit ferre venæ ſectionem, cum poſtquam factus eſt, putent adhuc eas eſſe ita valentes, vt poſſint ferre ſectionem, & perforationem ventris, vt aqua inde vacuari poſſit: quod magnum remedium eſt (cuius perforationis meminere Hipp.

Com. 27. & Galen. ſeptimo Apho.) rationem ullam ualidam habent. Vnde hi videntur oſcitanter legiſſe, & parũ intellexiſſe Hippo. & Galen. ubi agunt de ratione indicationum, qui & in uniuerſum dicunt qualitatem, & naturam remediorum indicari, non a tempore, non a magnitudine, non ab alia quapiam re, præterquam a natura, & qualitate morbi curandi: reliqua vero, quæ generalem hanc indicationem limitant, ab alijs ſunt depromenda. Nam ſi morbus uacuandum indicat, pars affecta, unde, & per quam uiam ſit uacuandum, demonſtrat: magnitudo uero morbi, nõ qualitatem, & naturam, ſed magnitudinem remediorum. Quod clariſſime explanauit Hippoc. ſimul,

Cõ. 111. ac breuiſſime, cum dixit primo Aphor. extremis morbis extrema remedia opportuna ſunt: nam (ut facilè intuere poteſtis) non ſubiungit extremis morbis uenæ ſectio opportuna eſt, ſed magna remedia. Magis autem particulatim & etiam in his affectibus quarto de Rat. uict. in acu. morb. examinans, quæ de curanda hydrope ibi ſcripta ſunt, aut, quod auctor recte quidem conieçtaſſe videtur, cum dixit uenam ſecandam, ſi ægrotus difficilem ſpiritum habeat; non tamen recte expoſuiſſe ſenſum ſuum illis uerbis, ſi difficulter ſpirauerit, quia non inde accipienda indicatio mittendi ſanguinis, quoniam difficilem reſpirationem habeat; ſed quia hydrops illa ortum habet a multitudine ſanguinis, ex qua imminet periculum, ne calor natiuus extinguatur; & tamen, ſi quis recte rem hanc uoluerit extimare, difficilis reſpiratio ſymptoma eſt, quod in aqua intercutem magnum malũ ſignificat, non tamen propterea eſſe detrahendum ſanguinem voluit, ſed quia plethoricus erat affectus; nam ſi alterius rationis fuerit aqua intercus, licet magnus ſit morbus, noluit ſanguinem eſſe detrahendũ, hoc idem confirmat paucis uerbis, conſiderans id, quod ait, & hora æſtiua, modum ſiquidem illum interpretationis damnat: ait enim, quod tempus plus minuſve eſſe uacuandum indicat; ipſum uero remedium, nempe ſanguis, ne an alter humor uacuandus ſit, ſcopus eſt, qui a natura affectus eſt deſumendus.

Sed & 14. Meth. idem ſimili exemplo apertiſſime explanat, de ratione curandi aſciten agens: ait enim, nã ex morbi natura ea ſtatim curandi ratio indicatur, quæ humorem eſſe auferendum monet, proinde ſi hoc perficere cataplaſmata nequierunt, ad chirurgicam medicinæ partem confugere oportebit. Sed de his ſatis. Redeamus, unde digreſſi ſumus. Sumpta ergo indicatione a natura affectus, ſi anaſarca ortum habuerit ex ſuppreſſis, uel mẽſibus, uel profluuio ſanguinis ex mariſcis fluere ſolentis, uel ex alia ratione, quæ nobis ſuadere poſſit congeſtam eſſe ſanguinis copiam, vnde calor natiuus iecinoris cœperit extingui, initium curationis ſumendum eſt a ſanguinis miſſione. Et ſi dicas, quænam alia poteſt eſſe occaſio iſtius multitudinis congeſtæ. Ea non una eſt, nam aliqui interdum conſueuere ſepius, & ferè per periodos quaſdam a ſanguinis profluuio è naribus tentari. Quod ſi interdum ſupprimatur, incidere poſſunt, ut in alios morbos, ita & in aquam intercutem: alij per os ſanguinem uomere ſolent, ut quoſdam me vidiſſe memini, alij ſolent ſolicitari, quaſi per periodos, fluxionibus frequentibus, uel ad faciem, uel ad crura, uel ad alias particulas, quæ mox in tumores deſinunt referentes naturam, aut inflammationis, aut eryſipelatis phlegmonodis, expellente nimirum natura ſuperuacaneum humorem ad exteriores partes, ut interna viſcera ab aliquo malo vindicet, quibus aliquando interceptis, morbi excitantur ex multitudine. At uero ſi aliam occaſionem habuerit ortus anaſarca, cum pendeat a multa pituita, in habitum uniuerſi corporis, tam in uenis, quàm in carne diſperſa, poſtpoſita omni ſanguinis detractione, incumbendum erit uacuationi pituitæ, & id (ut in eo Oribaſij capite, quod inſcribitur quos, & quando purgare, & cæt. ex ſententia Gal. docemur) quacunque ratione commode poſſumus, per aluum inferius, per uomitum ſuperius, ut etiam per apophlegmatiſmos, quibus uel maſticando, uel gargarizando, uel per nares attrahendo, de capite pituita detrahi ſolet. Niſi fortaſſe quiſpiam opponat: quid? ſi in anaſarca, uel aſcite, uel tympania, quamuis non præceſſerint occaſiones nuper dictæ nimirum ſuppreſſio conſuetæ alicuius uacuationis, tamen vrina uideatur aliquam rationem oſtendere, cur mittendus ſit ſanguis, utpote quoniam ferè ſit ea ſententia Auic. prima quarti: cum urina fuerit rubra, & craſſa illico uenam ſecato? Idem Auic. capite quo hanc curationem explanat, huic dubitationi reſpondet, & ait, minimè eſſe ſecandam, cum in hoc affectu regula præſertim fallat, quia non ex abundantia ſanguinis multis ichoribus illi immixtis, eo rubro colore afficitur vrina, ſed alia potius de cauſa, quæ multiplex eſſe poteſt: nam vel quia in his affectibus pauca urina redditur, & ideo magis coloratur, icores enim bilis, & ſanguinis, a quibus color urinæ prodit, modico humori immixti magis tingunt: cui & altera accedit, quòd ex imbecillitate facultatis excretricis, quæ ſeparat ſeorſum excrementum, ferè fit color ille: eijcitur enim mixtus cum àliqua ſanguinis particula, quæ in renibus non potuit probe ex eorum infirmitate percolari. Sed redeamus ad primum inſtitutum. In anaſarca igitur pituita detrahenda, ſumpta ratione indicationis a natura morbi. Sub ſilentio tamen non eſt prætereundum, quod a medicis fit, & alterius affectionis mentio, quæ καχεξία dicitur, hoc eſt prauus uel malus habitus, nam qui eo tenentur, primum diſcolores uidentur, neque viuidus calor apparet, ſed pallidus, & quaſi cinericius, facies autem ſubtumida uidetur, præſertim uerò circa oculos, ſed & pedes ipſi œdemate tument. Huius uero affectionis non alio-

quin

A quin meminimus, quia iudicauimus ad idem caput: & eandem cum hydrope rationem pertinere: neq; enim quidpiam aliud eſt, niſi hydropis initium, vel hydrops incipiens: nam tunc primum apparet, cum concoquens facultas, ad quam ſpectat ſanguinē procreare languere uidetur, & incipere fieri imbecillis. Itaque cum malus is habitus cœperit apparere, procurandum, ut tollatur, & cum ex cruditatibus ortū habuerit, apertius uerò, cum ſecutura eſt anaſarca, apparet. Vnde poſtquam de ratione hos etiam curandi agendum eſt, hoc cōſiderandum, quòd cùm morbus nondum magnus eſt, ſed inter initia, & cum res non urget multum, nec dum multus, uel in uentre aceruatus humor eſt, uel in habitu, uenisque uniuer- B ſi corporis, poſſumus leuioribus, ac tutioribus medicamentis rem perſequi, atque ijs præſertim, quæ uiſceribus laborātibus magis commoda ſunt, & ea minus labefactantia, & proinde, Trallianus Alexan. quem Auic. ſecutus eſt hoc capite, præcipuè hieram laudat, quam ſimplicem in pręſentia appellari ſępius diximus, ab antiquis autem picram dialoes. Hanc Auicenna ait hoc habere priuilegium, ut humores uitiatos purget, illis relictis, qui naturales ſunt, & quamuis Arabes coquant, uel componant ex melle, antiqui tamen eo medicamento utebantur arido, de cuius ratione & uſu non eſt, cur multa dicamus, cum ſæpius de eo antea egerimus. Nos etiam præter auctoritatem Arabum experientia ſuffulti cenſemus, C rhabarbarum appellatum incipienti aquę intercutē plurimū poſſe prodeſſe, cùm calefaciat, & attenuet: ita ut etiam tumidum poſſit extenuare, purgat etiam non ſolum bilem, ſed & pituitā, uel etiam craſſam. Nec agaricum in hoc morbo alteri medicamento ſecundum putarem, præſertim ex melle roſaceo, & oxymelite paratum, atque adeo etiam magis ſi pararetur ex liquore, in quo rhabarbarum fuiſſet maceratum. Galenus uerò (ut ſuperius expoſuimus) ſemen cnici, hoc eſt quod chartamum Arabes appellant, decoqui ex hordeacea ptiſſana ad purgādam pituitam etiam in inflammationibus iecinoris, quo & in affectu uti poſſemus, nam non eſt admodum uiolentū, neque ualidum medicamentum, imò (ut Dioſcori- D des, & idē Gal. tradidere) modeſtè purgat, niſi quod non admodum eſſe uentriculo commodum aiunt, quapropter ſi eo oporteat uti, aliqua indenda, & miſcenda ſunt, quæ & eius operationem accelerent, ac occurrant noxę, quam poteſt uentriculo afferre, unde aliquid zingiberis poterit operationem accelerare, tarda enim ea eſt: cinnamomum uerò, uel maſtiche, uel (ut Meſue auctor eſt) radix, quam galanga appellant Arabes, quidam putant unam eſſe ex ſpeciebus coſti: item ſemen aniſi, uel quidpiam iſtiuſmodi ad hoc etiam plurimum facient. Quòd ſi ad compoſita ſit tranſeundum, medicamentum id, quod diaturbith in præſentia appellant, modeſtum ſatis erit medicamentum, quod fuit inuentum, & deſcriptum à E Bartholomæo Montagnana, præſertim uero ſi fuerit cum rhabarbaro. Sed & id, quod Meſ. Diaphœnicon nuncupat, cui ſimile aliud reperitur apud Paulū & alia his ſimilia. Clyſteres quoque ex his confecti, q̄ uim habent detrahendi pituitam, dummodo non adeo acres & ualidi ſint, ut noceant internis uiſceribus, & p̄ſertim iecinori, in quorum oīum uſu ſemp tum uiriū corporis, tum uero ętatis, & temporis, & aliorum, quorum ſæpe meminimus, ratio eſt habenda, atque etiam non minus roboris uiſcerum, præſertim uero iecinoris, & uentriculi. Quemadmodū autem morbi natura pituitam eſſe purgandam in anaſarca docet, ita in aſcite ſeroſum, aquoſumque humorem, qui intra abdomen collectus eſt (ut paulo ante diximus) uacuandum eſſe indicat, & id medicamentis huic officio accommodatis, in his autem eſt ſquamma æris, quæ antiquioribus medicis (ut teſtatur Gal. 9. de comp. med. ſec. loc.) erat in uſu, & à Paulo, Alexandroque plurimis laudibus elata eſt. Modus vero ea vtendi, quem ibi Gal. deſcribit, is eſt, ut accipiatur ſquammæ drachma, quæ deinde probè trita excipiatur medulla panis, quanta ſatis ſit, ac inde catapotia fiant, quæ dentur deuoranda eximie enim aquam uacuabunt. (cap. 3.) Alexander vero, cui & Paulus ſubſcribit, & in hunc modum parandum ait hoc medicamentum, ut ſumantur ſquammę ęris, foliorum chameleæ, & ſeminum aniſorum ſingulorum tantundem, qui trita miſcenda ſunt, & huius compoſiti primam drachmam eſſe dandam, poſtea uires eſſe reficiendas cenſent ab euacuatione, quibus reſtitutis, repetendum eſſe medicamentum in maiori copia, ita, vt & id ad alteram drachmam aliquando poſſit accedere, ſemper tamen habita virium ratione. Alexan. autem nobis præceptum hoc reliquit, quod multi faciendum eſt, nempe quod poſteaquam ſemel uacuauerimus, mox paremus ægrotantem ad alteram vacuationem, quo ea felicius poſſit ſuccedere, apparatus vero talis exigitur, nimirum, vt obſtructiones aperiātur, nam & Hippo. 2. Aphor. conſuluit, vt corpora, cum purganda ſunt, fluida reddātur prius, (Aph. 10.) ſed de hoc paulo poſt aliqua dicemus. Ego tamen hoc ingenuè fatear, me nunquam ſquamma æris pro ſoluente medicamento fuiſſe uſum, ſed ſemper eam tenuiſſe, nam Galen. 13. Meth. æris ſquammā in ijs medicamentis ponit, quę deuorata noxia ſunt, & vim corruptricem habent. Alexander vero, Pauluſque dixere radicum ſambuci ſuccum (ex condito ait Alexan.) habere vim aquam detrahendi in hydropicis. Paulus tamen ſeptimo lib. ſucci huius uncias duas è vino bibendas eſſe voluit. Sed & ebuli, quam chamæacten Græci uocant, germina cocta ex iure, & comeſta ſoluiſſe, & aquam eduxiſſe quandoque uidi, & uulgaribus quibuſdam tanquam peculiare remedium habitum, quod, & liberaliter purgat, cuius & capite de ſambuco meminit Dioſcorides, & hanc eandem vim, & flores, & fructus, immo & radicem habere ait. Sed & grana lathiridis, ſi à viginti uſque ad triginta accipiantur, pro ratione nimirum ægrotantis, uirium, atque ætatis, teſte eodem Paulo, poſſunt aquam detrahere, præterea uero, & cnici ſemen, de quo ſatis iam locuti ſumus. Habent & noſtri iuniores quædam propria medicamenta præter ea communia, quorum hactenus meminimus, & ea Arabibus accepta referunt, ſicuti eſt ſuccus expreſſus ex viridi radice iridis, cuius bibendas præbent à duabus drachmis, vſque ad ſex, pro ratione vtique uirium accipientis. Sed quia non parum turbant uentriculum, ideo ex melle roſaceo, uel mulſa pari ferè portione exhibent, omneſque ferè mirificè medicamentum laudant. Ego tamen eo quandoque uſus ſum, ſemper tamen parum profuiſſe animaduerti, fortaſſe, quia noſter iris, qui his in locis oritur, modicam vim habet. In frequenti etiam vſu in præſentia eſt, & ea herba, quam iuniores, & apothecarij ſoldanellam nuncupant, eam autem eſſe putamus, quam Dioſco. & Græci alij braſſicam marinam vocant, & in eis herbis eſt, quæ lac habent, ſaporis autem partim ſalſi eſt, partim ſubamari, & plurima Venetijs in littoribus naſcitur, quidam uerò floribus, alij folijs utuntur: folia tamen ualentiora, & efficaciora in ſoluendo ſunt: flores enim ex iure cocti facilè, & ferè ſine moleſtia purgant. Neque mihi eorum probatur ſententia, qui putauerunt hanc eam herbā eſſe, quam Serapio cachile appellat, ac multorum auctoritate innixus ait, eam habere facultatem, ut aquā hydropicorum detrahat, hæc enim ſi cum deſcriptione Serap. conferatur, nihil habet, quod cum ea conueniat.

A ueniat. Sed in loco, qui Lucia Fuſina dicitur, ubi cymbas, quæ Venetias petunt à flumine in Venetas paludes transferunt, alia quædam herba naſcitur, quæ à quadam ex ſpeciebus cachilæ deſcriptis à Serap. non multum euariare uidetur, nam folia habet ſemperuiuo minori, uel vermiculari herbæ ſimilia, aliquanto tamen maiora, ſubſtrutex autem eſt non expers alicuius ſalſedinis. Soluit & ipſa ſatis copioſè. At prę omnibus iſtis fortius, & uiolentius medicamentum eſt cucumis ſylueſtris, nunc ab apothecarijs cucumer aſininus appellatus. Porrò in hac planta fructus ſunt, quibus ad purganda corpora vtiliter poſſumus uti, & quamuis in præſentia altero tantum modò ſint in vſu, (nam in præſentia medici ſolo ferè vtuntur ſucco, & fructu expreſſo, ac mox concreto, atque nomine B proprio hoc medicamento elaterium appellant) antiquitus tamen, & alio modo utebantur, nam ipſum ter uino aminæo demergebant, ac primò cyathum illius vini, mox uerò, & duos, & quandoque ad tres etiam dabant. Dioſcorides uerò conſulit, ut ſemilibra radicis in hemina uini libyci maceretur. Sed de elaterio loquamur, quod medicamentum admodum validum, & uiolentum eſt. Ego eo modo utor, accipio ſcrupulos duos ex aliquibus pilulis, quę faciles ſint, ut ſunt, quę fiunt ex aloe, agarico, & rhabarbaro (dicuntur autem vulgò de tribus cum rhabarbaro) addo grana decem elaterij, & hoc pondere ſępe uidi feliciter, & neque cum multa moleſtia purgaſſe, quandoque tamen, ſed raro ad ſcrupulum integrum acceſſi: nun C quam autem eam copiam exceſſi: quamuis norim priſcos medicos longè maiorem iſtius medicamenti (vt aiunt) doſin conceſſiſſe. Omnes prętereà antiquiores medici meminere granorum, uel ſeminum thimeleę, & chameleę, & earum vſum laudarunt, ſed magis etiam thimeleę, prę ſertim uerò eius, quam cneoron particulatim Dioſcorides appellari dixit: cuius ſemina coccos gnidios antiqui nuncupauere. Vtramque tamē herbam Arabes uno ſub nomine mezereon, vno & eodem capite confundunt, & fortaſſe vocabulum illud cneoron corruptum eſt, ſicut & in alijs multis contigiſſe poſſumus animaduertere. Sed ex his etiam reperiuntur medicamenta compoſita ab antiquis confecta, præſertim uerò catapotia, quemad D modum apud Meſue, & alios pilulæ ex mezereon dictæ, & ex elaterio. Sed in his cautum eſſe oportet medicum, quæ uiolentiora ſunt medicamenta, & eorū rationem habere, quibus ea prębenda ſint, & quaſnam vires habeant, quamque robuſti ſint, atque explorare, quàm ea poſſint perferre, incipiendo à minori eorum doſi (vt nunc aiunt) & deinde illi paulatim addendo, ne robur viſcerum, & uniuerſi corporis magis à medicamento deijciatur, quàm a morbo fuerit deiectum. Porrò ſi ea ſpectemus, quæ de aſcite, & tympanite ab auctoribus antiquioribus literis tradita ſunt, eadem ferè vtriuſque eſt curandi ratio, & eam ob rem forſitan, quia (ut ſuperius relatum eſt) nunquam adeo ſeparatæ ſunt hæ duæ differen E tiæ, vt omnino altera ſit alterius expers, ſemper enim in ventre, & aqua, & uentus eſt. Non modò autem purgantibus medicamentis, quæ per os præbentur, incumbendum eſt, ut tum aqua venter inaniatur, tum flatus diſcutiatur, ſed & ijs, quæ urinam cient, ac illis, quę in modum cataplaſmatis uentri adhibita, ea diſcutiunt, digeruntque, & vim habent obſtructiones reſerandi, & uiſcera roborandi. Habent autem vim vrinam euocandi ſimplicia multa, quæ nulli non nota ſunt, & alia quidem maiorem, alia minorem, nam & apium uniuerſum, folia nimirum, radices, & ſemen. Item & fœniculi, identidem & petroſelini; ſed & aniſum, aſparagi, gramen, cappares, capillus ueneris, ſcolopendriū, quod & aſplenon Gręci, cittach

A vero Arabes appellarunt, prætereà & eupatorium, tam Græcorum, quod (vt omnes ferè in præſentia ſentiunt) agrimoniam uocant, quàm id etiam, cuius meminit Meſue, quæ uel in cibis incocta, ea præſertim, quæ non admodum ingratum habent odorem, vel ſaporem, vel ex decoctis ſummo mane, aut ſola hoc modo accipienda, aut addito aliquo ſyrupo. Syrupi uero huic curationi accommodati ſunt, pręter oxymel, & mel roſaceum, ſyrupus, qui biſantinus, vel de biſantijs dicitur, præſertim ubi ſit hydropi aliqua adiuncta febris, ualentior autem erit, ſi completus, & omnino abſolutus erit, vtpote, quia omnia ſint adiecta, quorum Meſue illum deſcribens meminit, neque enim multa eſt in eo calefactio, ſed maximè inter ini B tia, dum adhuc cachexia potius, quàm hydrops dici meretur is affectus, quo tempore, & ſyrupus de cichorea ex rhabarbaro paſſim notus congruet, ſed & oxymel, tum ex duabus, tum ex quinque radicibus, neq; his minorem vim habet, qui acetoſus diarhodon ab eodem Meſ. dictus eſt, & qui ex ſuo eupatorio. Sed vbi multi eſſent obſtructiones in uiſceribus, quę à multa craſſa, & frigida materia fouerētur, ſcilliticum oxymel plurimam vim haberet. Dioſcorides humanam vrinam potui datam inter initia antequam omnino in hydropen malus habitus tranſeat, multis laudibus effert, quod medicamentum etiam vulgaribus, & muliercul is notum eſt, ſed eam accipiunt, quam puer nō dum venerem expertus mingat. Archigenes, cui aſti C pulantur Aetius, & Paulus, non parum (laudat) vrinā capræ ad cochlearij menſuram cum drachma nardi: Arabes vero cameli urinam, ſi bibatur, laudant. Laudatur & ſcilla aſſata, & tuſa, ac ex melle ad eclegmatis conſiſtentiam redacta, uel etiam ex aqua communi elixata. Maiores etiam antidoti, ut theriaca, & mithridatia, ſed & dialacca, & diacurcuma, talia ſunt medicamenta, ut in eis, ea de cauſa, quod valenter urinā cient, Arabes, & alij quoque maximam ſpem poſuerint. Ad corroborationem autem uiſcerum, & multa horum faciunt, & prætereà id, quod cyphoides à Galeno, & Andromacho dictum eſt, ab Arabibus aūt electuarium, tum de uino, tum de paſſulis, præſertim uero illud mirificè extollit octauo de compoſ. medic. D per loc. eius compoſitionem examinans. Sed & trochiſci multi ſunt huic rei accōmodati, maxime uero dum adhuc in initijs eſt affectus, vt qui diarhodon dicuntur, quique de abſinthio, & qui ex eupatorio, quique ex rhabarbaro nuncupationem habuere. Sed de his ſatis. Neque tamen prætereundum eſt pręceptū Aſclepiadis relatum à Gale. nono de comp. med. ſec. loc. vtpote quod non parum ſalubre ſit, id uero eſt, quod cum operam damus, ut aquam in hydropicis, uel pituitam detrahamus, ſiue id per ea, quę per aluum purgant, ſiue per illa, quæ per urinam, ne nimis importuni, uel ſolliciti ſimus in ea educenda, ita ut nullam requiem ægrotantibus demus: quinimo operæpretium faciemus, ſi ſpatium aliquod, & non paruum interpo E nemus, quo uacantes ab euacuationibus interim vires reſumere poſſint, quæ tum à morbo, tum a frequētibus uacuationibus ſæpe nō parum fatiſcunt quamuis longiori requie ſit opus in purgandis corporibus, quam cum urinam cientibus utimur. His autem expeditis, eorum expoſitionem aggrediamur, quæ exterius applicita digerere, ac conſumere tumorem, & humorem in uentre congeſtum poſſunt, quorum duplex eſt ratio. Nam aliqua id, quod uacuandum eſt, ea vacuatione id uacuant, quæ ſenſum latet, nempe materiam per inconſpicuos corporis meatus exhalare facientia. Alia verò per eam uacuationem, quæ ſenſibus etiam aperta eſt, ut per deiectiones alui, uel per lotia, uel per ſudores, uel per id genus aliam vacuationem. Interdum enim excitatis ueſicis, uel

Cap. 7.

vlceri-

ulceribus aquam excreatam fuiſſe uidimus aliquibus per umbilicum, ſed de his poſterioribus priorem ſermonem habeamus, neque omnia perſequamur, quæ à medicis, & antiquioribus, & iunioribus ſcripta ſunt (in immenſum enim ferè creſceret hæc tractatio,) ſed tantum quædam, quæ pluribus etiam magis probantur Gal. itaque ex Archigenis ſententia laudat hoc tanquam præſtans remedium ad educendam aquam ex uentre hydropicorum, citata nimirum aluo, cui & poſteriores aſſenſere, ut accepto ſtercore caprino, & eo ex urina pueri, qui nondum polluatur, uel etiam ex capræ urina diſſoluto, moxq́; cocto ad ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem uenter hydropici inungatur, uim habet hoc medicamentum liberaliter eos purgandi. Vnde & ad illud quoque præceptum Aſclepiadis referendum eſt, cuius nuper meminimus, nempe ne interdum, ſi nimis frequenter, aut diu eo fuerimus uſi, ſupra uires laborantis fiat euacuatio. Similem etiam uim habet, & hoc alterum ab eodem ibidem expoſitum ut accipiatur nigrum ueratrum in puluerem redactũ, præterea & fel tauri, nitrumq́ue, ſingulorum autem tantundem, melleq́ue excipiantur, ac uentri illiniantur, ut tamen non maneant niſi per horam, ne liberalior, quam par ſit, ſequatur euacuatio. Hæc autem in præſentia ſatis nobis ſint, quantum ad priorem medicamentorum rationem pertinere poteſt. Quædam præterea de illis dicamus, quę ad digeſtionem, & diſſolutionem, exſiccationemq́ue humoris faciunt. Primùm ergo ſatis familiare eſt, ac mulierculis etiam notum, nempe ut urina humana calida ex ſpongia foueatur uenter. Alterũ, ut ſuccus ex folijs ſambuci expreſſus coquatur ad mediocrem ſpiſſitudinem, ac eo uenter illinatur, quo remedio aliquãdo felici ſucceſſu ſumus uſi. Hoc etiam ſatis familiare eſt, quod & ab antiquis, & iunioribus medicis, ſummopere commendatur, ut accipiamus ſtercus armentariæ, & indomitæ bouis, & probè exſiccatum teratur, moxq́ue ex poſca, uel mulſa coquatur, ac addita quarta eius parte ſulphuris ignem non experti, facto cataplaſmate, uentri imponatur, eo autem proceſſere priſci auctores in laudando fimum bouinum, ut & laudauerint, ſi tritum ad tria cochlearia bibendum daretur. Quamuis autem plurima poſſem medicamenta ex antiquis, ac iunioribus medicis huc ſpectantia referre, uno tamen relato, cuius Galenus in libro de Fac. parab. medic. meminit, ad balneas conuertemus orationem, eius autem confectio in hunc modum ſe habet, ut accipiamus fœni Græci unciam unam, fimi columbini uncias quatuor, farinæ hordei uncias tres, reſinæ frictæ, picis, ſingulorum libram unam, axungiæ ueteris libras duas, ceræ libram unam, quæ liqueſcere poſsũt, colliquentur, cętera ex aceto trita addantur, fiatq́ue uentri cataplaſma, uel ceratum. De balneis mihi hoc tantum dicendum uidetur, quòd (ut Gal. retulit 1. de Facul. ſimpl. med.) uſus communis, uel dulcis aquæ, ſiue ea in potu utamur, ſiue in balneis, huic affectui eſt aduerſiſſimus, thermarum uerò, & earum, quæ medicatæ ſuaptè natura ſunt, quales ſunt ſalſæ, ſulphureæ, nitroſę, bituminoſæ, atque alię id genus maximè congruæ ſunt, ſi in eis lauẽtur, unde & hę Aponenſes, & quæ Sanctæ Helenę dicuntur, & illæ etiã Sancti Petri, ſed & Porretanæ, & Aquarianæ, & Puteolanæ poſſunt eſſe utiles. Si quis uerò cupiat præterea noſſe, quid de earum potu ſentiamus. Dicimus, quòd aliquibus eas profuiſſe animaduertimus, multis etiam non parum obfuiſſe. Nam & ſi eorum propria natura, & qualitate uideantur conducere poſſe, ſępe tamen copia, qua bibi ſolent, nocere non parũ poſſunt, & proinde ſi timeamus, ne eorum tranſitus ad uias urinę, aut ob aliquas obſtructiones, aut ob facultatis excretricis infirmitatem ſit futurus difficilis, conſultius fortaſſe erit ab eis abſtinere. Neque id ẽt prætereundum uidetur, quod nos Gal. 14. Metho. docuit, nempe quòd ſi alicubi medicinam faceremus, ubi nulla eſſet facultas has aquas habendi, huic defectui ars poſſet ſupplere, poſſent enim parari incoctis in ipſis ſimilibus medicamentis, ut ſunt flos ſalis, nitrum, ſulphur, & alia iſtiuſmodi. Quia uerò morbus interdum adeo eſt pertinax, ut his, maioribuſq́ue, & ualentioribus medicamentis nequaquam cedat, ideò medici rationem iniere, ut manuum opera aqua extraheretur, puncto nempe, & perforato inferiore uẽtre, in qua docuere medici, & quo loco moliri oporteat hanc ſectionem, & quo modo, & quàm cautum eſſe oporteat chirurgum in educenda aqua, nimirũ ne eam confertim detrahat, ſed paulatim, ne uires ſub copioſa uacuatione fatiſcant. Verùm tum quòd hęc operatio chirurgis plerique medicorum reliquere, tum uerò quia tẽtata rarò proſperę ſuccedit, ideo de ea paucis dictis, ad affectus lienis ſermonem mox conuertemus. Ea uerò ſunt, quòd aliquos uidi, in quibus exorto abſceſſu in inferiori uentre, cum ad ſuppurationem perueniſſet, & erupiſſet pus ex eo, qui ad interiora etiam eruperat, & ex eo aqua paulatim exijt, atque eo modo tandem à morbo liberi euaſere. Raros autem memini me uidiſſe, qui inciſi chirurgi opera potuerint ſoſpites euadere. Aliquos etiam uidi, quibus exortis ueſicis in cruribus plurima inde aqua manauit, adeò ut uenter detumuerit, ut uiderentur integrè curati: cùm tamen maneret adhuc in uiſceribus idem uitium, aliquãto poſt congeſta iterũ aqua intumuit, & tandem hac de cauſa interiere.

De liene, & eius affectibus. *Cap. XI.*

DE natura, & officio lienis non eſt, cur multa in pręſenti tractatione dicamus, cùm ſtatim ab initio iſtius libri, cum de iecinore verba faceremus, rei continentia multa expoſuerimus, quę ad pręſens inſtitutum pertinebant. Vnde ea dũtaxat in memoriam reuocabimus, quę magis neceſſaria uidebuntur ad faciliorem perceptionem eorum, quę de huius viſceris affectibus ſumus explanaturi: & hoc imprimis, quod iecur, & etiamnum ſanguis ope & officio iſtius viſceris defęcatur ab ea humoris melancholici parte, quę ſuperuacanea, & excrementitia uideri poteſt; nam per venam quandam ex earum numero quę meſaraicę à medicis dici ſolẽt, quęq́ue à vena portę deriuantur, eum humorem attrahit; & id quidem pręſertim propter ſuum commodum, utpote qui eo etiam alatur: ex illo enim, ubi receptus eſt in uiſcere, attrahit eas partes, quę ad id alendum aptiores ſunt, quas vi natiui ſui caloris, accedente tamen arteriarum auxilio, quę ſatis inſignes hanc particulam ingrediuntur, concoquit, & illis eius ſubſtantia alitur: ſed quicquid reliquum poſtea eſt, tanquam inutile, per aliam venam in ventriculum effunditur, quod poſtea una cũ cibo in inteſtina fertur, ac mox cum alijs excremẽtis excernitur. Laxa autem, & uel laxiori etiã; quàm iecur (ut prius diximus) ſubſtantia conſtat: neque id tamen obſtat, quin (ut 13. Meth. tradit Gal.) non facilius, & crebrius ſcirrhis tentetur: cuius rationem adduximus, ubi de ſcirrho iecinoris agebamus, ex eiuſdem 9. de Com. me. ſec. lo. ſententia: nempe quia ſanguine illo craſſo cùm alatur, ſępe iſtius uiſceris uenis ille infarctus, nequit pręcraſſitudine digeri, neque facilè excerni: ibi etiam ex eodem 13. Meth. diximus ſcirrhos pręſertim in his concitari, qui illis ueſcantur, quę gignunt craſſos, & lentos ſuccos, ex quibus & obſtructiones fiunt, ſicut ex dulcibus cibarijs. Eius autem ſedes eſt in parte ſiniſtra ſub ſiniſtro pręcordio ferè è regione

Cap. 16.
Cap. 2.

gione iecinoris,vt quaſi ſiniſtrum iecur Ariſt.appellauerit. Quemadmodum autem valente liene, ac ſuo officio probè fungente,cum uniuerſo corpore,quantum ad bonam ualetudinem pertinet, optimè agitur: ita ſi malè habuerit, & ab officio ſuo defuerit, multa homini incommoda afferre poteſt, redundante quidem melancholico excremento in vniuerſum corpus. Nam cum imprimis non excreto hoc ſuperuacaneo ſucco,lien intumeſcat,eius tumorem hęc(ut in libro de Humoribus Hip.tradidit)mala ſequũtur: nẽpe natura,& color corporis malè afficitur, corpus itẽ emaciatur,ſanguis è naribus nonnunquam profluit, interdum & gingiuas uitiat,quandoque oris odorem fœtidum reddit. Sed & uarices inde ortum habent, nimirum uitioſo humore ad crura propenſionem ha-

B bente,in quibus & vlcera, quę curationem ęgre admittunt,ſolent excitari: prẹterea & uitio lienis fiunt

Cap. 12. (ut 1. Aph.ait Galen.)quartanę febres. Vndę & 2. de

Cap. 9. Nat.facul.hęc protulit, quibus corpus floreſcit, his liẽ decreſcit,ac uice uerſa quibus lien creſcit, illis corpus contabeſcit, & uitioſis repletur humoribus. Cauſas autem uniuerſas fere, cur ab opere illi à natura de-

Cap. 13. mandato lien interdum deficiat, 1.de tuen.ſan.breui & lucida ratione Gal.retulit, inquit enim quod id accidit propter imbecillitatem naturalium facultatũ, ſicut eſt ea,quę attrahit, & quæ expellit in primis. Addit tamen Paulus, & eam quæ continet. Ego uerò cõctricem potius his adijcerem, nam niſi probe craſ-

C ſum ſanguinem,unde alendus eſt, confecerit, & obſtructiones,& ſcirrhi,& alia poterunt mala ſuboriri. Porrò autem imbecillitas omnis (ut ſæpe diximus) harum facultatũ ab intemperatura aliqua naturali, uel aduentitia, ſimplici, uel compoſita oritur. Itẽ ob anguſtiam eorum uaſorum,per quę ſolet,dum attrahitur, uel expellitur, is humor tranſire. Fit autẽ hæc anguſtia,aut ab inflãmatione,aut à ſcirrho, aut(quẽadmodum idem 2.lib. Artis curatricis ad Glauc.addidit)à flatulento etiam tumore,quem,mea quidẽ ſententia, Aetius lienis inflammationem appellauit, aut ab obſtructionibus,aut à compreſſione,quam circũſtantes partes moliuntur:ob id uerò circũſtantes partes comprimunt, quia nimis ſuperuacaneis humori-

D bus refertę ſunt,aut in tumorem ex inflammatione, uel ſcirrho ſunt elatæ. Sed & ob clauſionem oſculorum,cuius in cauſa ſunt,& hæc,quę nunc retulimus: & prẹterea nimia ſiccitas,& ea,quę inſigniter aſtringunt,& quę ſimul calefaciunt, & deſiccant. Vnde ſi omnibus his de cauſis cogitur lien à ſuo opere deficere, ſequitur, ꝙ hæc omnia inter affectus, uel morbos lienis ſint cenſenda: cum morbus proprie ſit affectio illa, à qua primum læditur operatio particulæ. Quamuis in his non parua ſit differentia: horum enim quędam in lienem referenda ſunt, tanquã proprij eius affectus, ſicuti quæ à nulla ſeorſum particula ortum habent,ut ſunt intemperaturæ, uel tumores,uel obſtructiones,uel anguſtia,quę non concita-

E tæ ſunt ex aliquo uitio,quod in circunſtantibus particulis primam ſedem habeat, à quibus uicinitate lien lędítur. Cùm autem hæc, quæ hactenus expoſuimus adeo(ut equidem ſentio) apertą ſint, ut alia ulteriori explanationę minimè egeant, non abs re fuerit ad tractationem de cauſis progredi. Et quidem quibus de cauſis contracta ſit intemperies in liene, cum aduentitia eſt,nam de ea,quę in primo ortu ſecum attulit ægrotus, nihil eſt, cur nunc uerba faciamus, quia ab eiſdem cauſis occaſionem habere poteſt,à quibus præcedentium uiſcerum intemperaturæ uitioſæ: ab aere namque calidiore,à nimia exercitatione,à cibis, à potionibus calefacientibus immodice,item à medicamentorum calefacientium tam interius, quam exterius immoderato uſu calidior intemperatura oriri

A poteſt,ſicuti frigidior ab illis eadem fere ratione,quæ refrigerant, ac ita etiam de alijs tam ſimplicibus quã compoſitis dicendum erit. Sed & inflammationes, obſtructiones,anguſtiæ, compreſſioque in hoc uiſcere eodem cõcitantur modo, & eadem de cauſa, qua & in iecinore, & proinde cõſultius uidetur, ut in his non conteramus longius tempus. Quare hoc ſolo his addito,cuius auctor eſt Aetius, & illi quotidie experientia atteſtatur ad ſigna horum affectuum orationem conuertemus. Illud uero eſt,quod potus frigidioris aquæ lieni plurimum nocuus eſt,nam & frigidiorem intemperaturam illi affert,imò humidam, præſertim uero ſi ſtantes,paluſtres,craſſæ, lutoſęque fuerint,quæ & obſtructiones in eo gignunt,& in tu-

B morem illum eleuant. De ſignis ergo agamus,ac primum de illis quibus poſſit diſcerni,quænam facultas, ex illis inquam,quarum meminimus,labem contraxerit. Hoc uero mihi alijs apertius Paulus uidetur expoſuiſſe, ait enim, ꝙ plerunque, cum attractoria lienis facultas facta eſt imbecillior, quam ut poſſit limoſum,& melancholicum ſanguinem attrahere,ille retentus plerunque ſolet à natura, quę ſemper,quantũ poteſt,ſatagit,ut uiſcera,& ſanguinem ab excrementijs humoribus defœcet, in habitum uniuerſi corporis propulſus, ad cutim uſque(ut in prioribus cap.diximus) perueniens, eam atro inficit colore,& occaſioni eſt,cur nigra ictericia,de qua ibi ſermo habitus eſt,gignatur. Vt tamen & hoc ſit conſiderandum,

C quod hoc nõ modo ex infirmitate iſtius facultatis ortum habere poteſt, uerum & ex uenæ iſtius uiſceris obſtructione,ſed hęc ea ratione diſcerni poſſunt,nẽpe ſi ſiniſtrum tractetur præcordium, ac prematur, ibique aut tẽſio,aut tumor,aut dolor percipiatur,uel qui laborat grauitate, & ueluti pondus quoddam pſentiat, putandum ex obſtructione id contigiſſe, ſed ſi nihil horum ſubeſſe uideatur, in imbecillitatem ex aliqua intemperatura ortam referenda erit iſtiuſmodi infectionis occaſio. Cõtentricis uerò facultatis imbecillitatem cognoſci ait idem Paulus, ex uomitu frequenti bilis atræ, atque id, ſi citra ullam febrem fiat, neque aliqua ſymptomata apparuerint,quę indicent aliquem alterius particulę affectum. Excretoriæ au-

D tem facultatis offenſam oſtendit defectus appetentiæ cibi, cùm eo nequeat melancholicus humor confluere, qui famem cõcitare ſoleat, itemque quod lien incipit intumeſcere. Quia uerò nec iſta cognouiſſe ſatis eſt, ſed præterea oportet & intemperaturas cognoſcere, quæ imbecillitatis illius in cauſa fuere: Ideò & de hoc agendum eſt. Sed id facilius cognoſcemus,ſi diligenter ea indagauerimus, & conſiderauerimus, quæ præceſſerunt pertinentia in primis ad rationem uictus, nempe num aliquos commiſerit errores,qui uim inſigniter calefaciendi, uel potius refrigerandi,aut humectandi,uel exſiccandi habeant,nimirum in cibis,in potu, in balnearum uſu,in exercitationibus,in animi motionibus,in aere,in indumẽ-

E tis,atque in id genus alijs,quę poſſunt humanum corpus, eiuſque naturalem temperaturam uitiare. His autem rectè obſeruatis, probeque rationabili adhibita coniectura examinatis, facilius in cognitionem iſtius rei deuenire poterimus. Quibus ſi & aliam addiderimus obſeruationem, nempe quænam ab ægrotante facilius,& leuius feratur, aut ſaltem minus lædatur,& à quibus magis malum exacerbetur, certiorem ſententiã de morbi natura proferre poterimus. Nam ſi calida fuerit intemperatura, à calidioribus cibis,potibus, medicamentis tam internis,quàm externis, ueſtibus, motionibus, & alijs iſtiuſmodi generis affectus irritabit, cõtra uerò ſi frigidus fuerit is morbus,ab his quidem iuuari,& recreari uidebitur,à cõtrarijs uerò exaſperari,& augeri. Interdum uerò ſi-

tis,

ris, & oris ariditas ad hanc diſcretionem nonnihil faciet: nam hæc ſolent ex calidiori, & ſicciori affectu oriri. His etiam addendum eſt id, quod Aetius ex Philagrij ſententia ſcriptum reliquit, nimirum quod lien, cũ humidiori intemperatura tenetur, cito, & facilè intumeſcens creſcit, at cum ſicciori, decreſcit, potiuſque detumeſcit. Vaſorum uero, quæ ad lienem pertinent, nempe per quæ attractio, uel excretio fit melancholici humoris, cognoſci poterit ex anguſtia, quam duplici ratione excitari diximus, nimirum uel ob aliquod uitium huic uiſceri proprium, uel ob aliquem circunſtãtium partium affectum, ſi aliarum circunſtantiũ partium occaſione fiat, ad caput hoc minimè ſpectare cẽſenda eſt, nam ea, & cognoſcetur ſignis male affectas potius fuiſſe eas partes ſignificantibus, dummodo tamen talis ſit affectus ille, ut lien inde poſſit comprimi, & illis etiam curatis, curabitur. Aſt uero, ſi ſit orta ex uitio, quod in liene præſertim ſuam ſedem habeat, cũ id in eius obſtructiones referendum ſit, aut in inflammationem, aut in ſcirrhum, aut in clauſionem, quam attulit ea, quæ immodicè calefaciant, ſiccantve, aut aſtringunt, de hoc quidem, quod poſtremo recenſuimus, ſuperuacaneum eſſet alioquin meminiſſe, cũ ad ea ſit referendum, quæ ſuperius de differentijs intemperamentorum, quibus affectus lien ſit imbecillus, dicta ſunt. Vnde reliquus nobis is ſermo duntaxat erit, qui de his alijs erit habendus. At quoniam de inflammationibus ſuperioribus ſanè libris multa diximus, quæ poſſunt, & lienis inflammationibus in vniuersũ accommodari, ideo nec de his longiorem habebimus ſermonem, præſertim uerò quantum ad earum generationem ſpectare poſſe videtur, ſi qua autem ſunt, quæ particulatim ad lienem attineant, ea etiam breuiori, quantum poterimus, oratione explanabimus: nam quædam hic tum à Paulo, tum ab Aetio referuntur, quæ cognitu indigna minimè ſunt. Hoc itaq; poſito, quod omnis inflammatio ex calida fluxione ortũ habeat, addit Aetius, quod multiplex, & uaria eſſe poteſt eius fluxionis natura, à qua poteſt in liene inflammatio excitari, interdum enim ex biliosa materia, nõnunquam ex ſanguinea, quandoque uero ex melancholica, cui ſententiæ uidetur, & Gal. aſtipulari, qui libro tertio Com. in 6. Epidem. ait, aliquando ardentes febres comites eſſe inflammationum in liene exorientium, febris autem ardens, aut ex ſanguineo, aut ex bilioſo humore accenditur: veruntamen ſæpiſſimè ex melancholico ſanguine concitatur, vtpote quoniam illum imprimis ad ſe lien attrahit, & eodem quoque alitur. Vnde (vt teſtatus eſt Paulus) ſi melancholicus, & excrementoſus is ſanguis huic viſceri infarciatur, ac infarctus efferueſcat, inde oritur primum inflãmatio, ac mox calor deferueſcente, doloreque lenito, in ſcirrhum degenerat. Hæ igitur ſunt præcipuæ, & proximæ inflammationis cauſæ. Remotiores uero illę, quæ fluxionibus occaſioni ſunt. Sed & de ratione ea, qua poſſit deprehendi, paucula quædam dicamus, quę res non admodum ardua eſt, nam in ſiniſtris præcordijs percipitur tenſio, tumor, & renitentia comprimẽti manui, dolent etiam, & quandam ibi grauitatẽ ſentiunt, qui ea laborant, ſemper autem & febris aſſidet, interdum etiam acuta, hæc uero quandoque maiora deprehenduntur, alias minora, pro ratione magnitudinis inflãmationis. Sed & pulſus aliquid nobis afferre poteſt, quod ad earum cognitionem non parum faciat; quippe qui nõ parum ſimilis ſit (vt quarto de cau. pulſ. docuit Gale.) pulſui pleuriticorum, durus etenim, & inæqualis, tandemque ſerrinus, quamuis aliquanto minus, quam in illis, ſed & magnus, celerque, frequens quoque ſi aliqua de cauſa neceſſitas augeatur, eo autem durior erit, quo maior erit inflammatio, quamuis [vt idem quarto de Præſag. ex pul. dixit] id genus pulſus non modo deprehendi in inflammatione, ſed & in ſcirrho poteſt, in eo ſiquidem pulſus durus perpetuo eſt. Præterea ex utroque hoc affectu, quando caput lienis intumuerit, fit (vt legimus ſecundo libro de differ. reſp.) in reſpiratione ſpiritus paruus, & creber: ſi modo tumor grandis ſit, alioquin enim non inſignis ſit in reſpiratione mutatio, & id quia lien ſeptum tranſuerſum non iuxta, ac iecur, & uentriculus comprimit. De obſtructionum quoque cauſis non eſt cur in præſentia multa dicamus, cũ ab eiſdem cauſis in liene, à quibus & in iecore ortum habeant: nam ab ijs, quæ craſſum ſuccum generant, & quę cruditatũ in cauſa ſunt. Quia vero ſigna, quibus diſcernuntur obſtructiones, ſimilia his ferè ſunt, quibus & ſcirrhi cognoſcuntur, ideo prius de ſcirrho agemus, mox uerò utriuſque affectus ſigna ſimul exponemus, ſed neque huius rei explanatio longã admodum rationem deſiderat: nam multa, quæ de iecinoris ſcirrho diximus, facilè lieni aptari poſſunt, niſi quod frequentius, faciliuſque à ſcirrhis corripitur lien, quam iecur, quod quidẽ (vt 13. Meth. teſtatur Gal.) non euenit ratione ſubſtantiæ, uel naturæ viſcerum, quia quantum ad id ſpectat, videretur ſecus eſſe: rarior enim eſt caro lienis, quam iecinoris, uerum ratione alimenti fæculenti, & craſſioris, quo lien alitur, nam cum craſſus is humor in eo copioſior congeritur, quoniam uel multus à iecinore generetur, uel nequeat præ imbecillitate expultricis facultatis, aut ex obſtructionibus excerni, & ob craſſitiem pręterea digeri ab eius natiuo calore, ibi infarctus in durum tumorem viſcus id attollit, diximus & paulo ante, quòd & eius inflammationes ſæpenumero in ſcirrhum tranſeunt, imò & obſtructiones, cum inueteraſcunt, & indurantur, vertuntur in ſcirrhum. Vnde eædem ſæpe ſunt tam obſtructionum, quàm ſcirrhi cauſæ, nam cibi, qui craſſum, ac lentum ſuccum gignẽdi uim ſuaptè natura habent, quique apti ſunt, ut plurimus ex eis gignatur melancholicus ſuccus, ſcirrhos excitandi occaſionem præſtant. Vnde Gal. 3. de natu. facul. ſe quendam nouiſſe dixit, qui ex vſu bubulæ carnis in lienis tumorem incidit. Signa autem horum affectuum hæc ſunt, quod dum manu tractatur ſiniſtrum præcordium: percipitur tenſio, renitentiaque, & id ſine febre, ſaltem ſi ſpectemus eorum naturam: nam ex alia occaſione, uel ex alia affectione poteſt aliqua ſubeſſe febris, quæ tamen inflammationis eſt aſſiduus comes. Vidi tamen aliquos, qui ex ſcirrho aſſiduè febricitabant, ſed leuis quędam, & lenta erat febricula, non vehemens, ut in inflammatione. Sed & aliqua durities, quę ſanè omnia maiora, & euidentiora in ſcirrho ſunt, quàm in obſtructionibus, ſicuti et maior grauitas ab ægrotãte percipitur ex ſcirrho, quàm ex obſtructionibus. Pulſus quoque in ſcirrho, quàm in inflammatione, durior eſt. Poſtremò uerò, & de eo tumore, qui flatuoſus eſt, & ab Aetio lienis inflatio dicitur, agendum eſt, cuius ortus eſt à flatuoſo ſpiritu in liene concluſo, qui ſuæ generationis (vt ibi refert Aetius) occaſionem habet ex ipſo liene, interdum vero alibi, nempe vel in ventriculo, & inteſtinis, alijsve viſceribus genitus, tandem ad lienem fertur. Eſt autem plerunque is flatus ob particularum refrigerationem: ab imbecillo enim calore ſemper (vt teſtis eſt Ariſt.) flatus concitatur, ſed & flatulenti cibi, ut ſunt legumina, non leuem occaſionem præſtant. In hac autem lienis inflatione tenſio magis, quàm durities, uel grauitas percipitur, ſed dolor maior, & acutior, quàm in obſtructionibus, uel ſcirrho, nam ubi dolor uehemens, & acutus fuerit, neceſſe eſt, ut uel à ſpiritu in anguſto loco intercepto fuerit excitatus, uel ab inflammatione, febris uero duo hæc diſcernit.

Cap. 7. Cap. 4. Cap. 2. Cap. 16.

De ratione curandorum horum affectuum. Cap. XII.

IN explananda autem methodo, qua curandi ſint hi affectus lienis, de quibus hactenus ſermo habitus eſt, nullam eorum mentionem faciemus, qui nō eius uitio proprio excitati ſunt, ſed ex conſenſu aliarũ particularum: ſicuti quando à uicinis, & circunſtantibus partibus comprimitur, & id quia uniuerſa curatio ad eas particulas conuertenda eſt, quæ premunt, & par erit ratio, ſi alio quopiam modo lien lædatur conſentiens omnino cum aliqua quadam particula. Vnde de illis duntaxat agemus, quorum curandorum ratio primum à liene petenda eſt, atque priorem ſermonẽ de illis habebimus, qui inter alios ſimpliciores ſunt, quamuis nec de his opus ſit multa uerba facere, cum idem ferè ſit modus, quo hi curantur cum eo, quo iecinoris affectus, qui cum his ad idem genus ſpectant, curandi ſunt. In curanda igitur intemperatura lienis, quæ citra materiam eſt, ſola viget indicatio, quę oſtendit eam intemperaturam eſſe amouendam, quæ morboſa eſt; & id agendum per ea, quæ contraria ſunt illi intemperaturæ, ſiue ad rationem victus pertineant, ſiue ad congruentem medicamentorum uſum, non tamen eorum, quæ purgant, quia quantum ad affectũ pertinet, nulla opus eſt uacuatione, cum nulla adeſt materia, quæ intemperiem foueat. Quod ſi interdum medici purgare uideantur, id fit ratione alicuius alterius mali; aut copioſi humoris abundantis in alijs quibuſdam particulis, uel in uniuerſo corpore, qui prę lienis imbecillitate facilè poſſit ad ipſum rapi, quique deinde, cum prius ſimplex, & ſine ullo materiæ conſortio eſſet, in compoſitum, & materialem affectum trãſire, & quandoque ad obſtructiones, uel ſcirrhos, uel inflammationem deſinere tandem poſſet; qua deinceps ratione medicus interdum, ut hæc deuitet incommoda, licet nulla ſit a morbo deprompta uacuationis indicatio, ratione tamen plenitudinis, uel cacochymię aliarum partium adducitur, vt vacuet. Alioquin verò refrigerantibus agendum erit, ubi fuerit calida intemperies, tam cibis, quam reliquis omnibus, quæ ad rationem victus ſpectare uidentur, calefacientibus, ſi frigida, ac pari ratione de alijs dicendum intemperaturis, tum ſimplicibus, tum compoſitis; quæ, quoniam in curandis ſimilib. iecinoris affectibus copioſius ſunt tractanda, ſummatim tantummodo in præſentia ea percurremus. Sed hoc tamen non eſt prætermittendum, quod animi motiones concitati, vbi lien calidiori intemperatura fuerit affectus, non parum obſunt, ut ſunt ira, & męſtitia: imo Aetius inter ea, quę faciũt ad cognoſcendum calidum huius viſceris affectum, et hoc retulit, ſi hæ animi cõcitationes pręceſſerint. Sed & hoc etiam monuit non indignum cognitu, nempe quod in remouendis intemperamentis calidioribus iſtius viſceris omnia, quę exterius adminiſtranda ſunt, ſiue decocta ea fuerint, ſeu epithemata, ſiue emplaſtra ſiue perfuſiones, uel (vt Græci aiunt) embrochę, omnia ex poſca valde diluta conficienda ſunt, vel (vt loquuntur Gręci) ex oxycrato, hoc eſt ex aceto multa aqua diluto, quod quidem non parum Galen. quoque probatur: nam acetum eſt medicamentum, quod maximè iſtius viſceris affectibus congruens eſt, & id propter ſucci craſſitiem, qui ab eo attrahitur, & quo pręterea alitur, Pari quoque ratione humida eiuſdem intemperies per deſiccantia tam medicamenta, ſiue interius, ſiue exterius ſint adminiſtrãda, quàm ea etiam quę ad victus rationem pertinent, & ſicca per humectantia corrigenda eſt. Vnde balnea aquę communis, & dulcis, congruerent non parum, ſicuti thermarũ: quarum aliquę calefaciunt, quędam alię vero refrigerant; omnes tamen exſiccant, humidę intemperatu-

A ræ eſſent commodæ. Sed quia de his, ubi agendum erit de curanda intemperatura iecoris, eadem erunt repetenda, ideo (vt paulo antea diximus) ne tempus ſine vlla vtilitate conteratur, hæc ſummatim, & per capita uoluimus recenſere. Igitur vlterius progrediamur, & de curanda lienis inflammatione, quæ longè acutior morbus eſt, in præſentia ſermonẽ habeamus. Cum ergo ſemper prior, & generalior indicatio ea ſit, quæ à natura affectus ſumenda eſt, vel ab eius cauſa; natura uero inflammationis ſit calida intemperatura à materia calida, quæ influens in particulam in tumorem illam attollit, & eius cauſa fluxio eſt calentis humoris, ſtatim duæ oriuntur indicationes nobis duos itidem ſcopos demonſtrantes. Nam primum indica- B tur fluxioni obſiſtendum, nequit autem commode obſiſti, niſi tum euacuatione, tum vero reuulſione, pręterea uerò, & repulſione, hæc enim ſunt, quæ præſertim fluxioni opponimus. Primus ergo ſcopus erit, uacuatione eſſe reuellendũ; & hoc quidem quatenus ad primam inflammationis cauſam pertinet. Sed quantum ad inflammationem, & eam materiam, quæ recepta iam eſt, & à qua attollitur particula in tumorẽ, ea etiam, cum impleat locum morboſum, indicat uacuandum eſſe, nam uacuatio ſanat morbos ex plenitudine excitatos; uerum materia, quæ iam recepta, & infarcta eſt, non poteſt facilè uacuari per medicamenta purgantia, neque etiam per ſectam venam, ſed uacuatur per ea, quæ vim habent particulatim rarefa- C ciendi, digerendique, & diſcutiendi. Verùm cum hi duo ſcopi diuerſam inſtrumentorum rationem ſpectent, præcipuè verò ſpectant, quantum ad ea attinet, quæ repellunt, quæque digerunt, & rarefaciunt, nam digeſtio, & euaporatio fit calidis, & laxantibus: repulſio verò reſtigerantibus, & aſtringentibus. Sed primũ de illis agamus, quæ ſunt citra hanc difficultatem, & cætera ferè præcedere ſolent, nempe de miſſione ſanguinis per ſectam venam, nam & ſi aliquando reuellamus, & uacuemus per medicamenta purgantia, in inflammationibus tamen uiſcerum internorum in inferiori ventre contentorum, nunquam, vt dum de iecinore, & ventriculo ageretur, diximus: cõmodus eſt ſoluentium medicamentorum vſus. Statim ergo ab D initio, & quàm primùm poterit, ſi tamen uires, uel ætas non aduerſentur, mittendus eſt ſanguis ex interiore uena in cubito, & eſt ea, quam (ut ſæpe diximus) baſilicam in præſentia iuniores uocant, non tamen ea ſecanda, quæ in dextro brachio ſolet ſecari, ſicut in affectibus iecinoris, ſed potius, ut conuenere omnes ferè celebres medici, in cubito ſiniſtro nam hoc longiſſima obſeruatione deprehenſum eſt, quod euacuationes, & reuulſiones, quæ fiunt per loca directe reſpicientia locum affectum, citius, atque ualentius, opem ferunt, quam ſi alibi fiant. Quamuis ſi ad rationem anatomicam reſpiciamus, & ortum, inceſſumque venarũ, quę vel ad dextrum, uel ad ſiniſtrum diſtribuuntur, nihil eſt, in quod poſſit referri, cur potius uena in dextro cu- E bito plus iecinori conferat, quam lieni, uel potius contra. Nam quod quidam imaginantur, nempe id eſſe ob fibrarum rectum inceſſum, fabula inanis eſt. At ſi ea non apparuerit, id erit agendum, quod Gal. in li. de (Cap. 16.) rat. cur. per ven. ſect. docet, ſecanda erit ea, quę ab hac deriuatur, quę in flexu iuncturæ ſecari ſolet, eam communem appellant, uel ea ſaltem, quæ infra iuncturã in vlna apparet. Quidam autem (vt tertio de admini. (Cap. 5.) anatom. refert Gal.) & eam venam in lienis affectibus incidunt, quæ in manu ſiniſtra inter digitum mediũ, & annularẽ ſita eſt, verum neq; inde, ait ipſe ſanguis multus detrahi poteſt, vel etiam ſi permittatur fluere quantum ſponte fluere poteſt. Vnde neque nunc, niſi inueteraſcente morbo, ea uena ſecari ſolet, inter initia .n. qñ magnus eſt fluxionis impetus, & opus eſt multũ

con-

& confertim vacuare, potius ad ſuperiores, & maio
res uenas accedendum eſt, vnde & ſanguis copioſior
mitti poteſt. Nam(ut idem Gal.in eod.lib. de rat.cur.
per ſect.uen.ait) experientia comprehenſum eſt, qđ
ſanguis detractus ad libram uſque non parum con-
tulerit.ut tamen ſemper & uirium, & ætatis ratio ha
beatur. Corpore autem exinanito, ut ratio expoſcit,
atque uictu tenui inſtituto, cum morbus acutus ſit, in
terdicto omni carnium, ac uini uſu, necnon & alio-
rum, quæ confertim alunt, quæque craſſum alimen-
tum generãt, preterea & alijs inſtrumentis agendũ,
quibus reuellere ſolemus, uti ſunt clyſteres lenes in-
ter initia, frictiones cruribus, & brachijs adminiſtra-
tæ, & tãdem reliqua omnia id genus remedia aggre-
di opus eſt, quæ topica, hoc eſt localia dicuntur, & q̃
exterius ſunt adhibenda, ut ſunt fomenta, perfuſio-
nes, cataplaſmata, & quæ cum his ſimilem rationẽ
habent: in quorum uſu, aut fluentem materiam, ut
paulo antè dicebamus, ſpectare oportet, aut eã, quæ
iam influxit. Et cum prior ſit is ſcopus, qui ad fluen-
tem, uel fluxuram attinet, (ut diximus) atque maiorẽ
uim habeat inter initia, cum parum ſit illud, quod in
principio fluxit, multũ uero, quod fluere poteſt: Ideo
prius repellentibus erit incumbendum, quæ refrige-
rent cum aliqua aſtrictione: paulo poſt uero, cum per
ſeuerante fluxione, ſemper maior fiat ea indicatio, q̃
a fluxa materia, rationem ſuam habet, aliqua digeren
tia repellentibus ſunt commiſcenda, atque eatenus
hæc magis addenda, &, ea quę repellunt paulatim de
trahenda, quatenus magis ſiſtitur, & intercipitur flu
xio. Qua mox conſiſtente, detrahuntur omnia repel
lentia, niſi quãtum ſemper leui aliqua aſtrictione ad
iuuendas uires uiſceris opus eſt omnino. Poſtquam au
tem fluxio conſtiterit, & feruor inflammationis de-
ferbuerit, ſolis alioquin erit opus laxantibus, attenuã
tibus, & digerentibus, & tandem eius inclinantis ra
tio eſt curatio ſcirrhi, de qua ſuo loco dicemus. Ma-
gis autem particulatim de his in pręſentia agere ſu-
peruacuum uidetur, cum ſimilem eſſe eam rationẽ,
quia curandæ ſint iſtius uiſceris inflammationes, ſicu
ti & iecinoris, uel uentriculi, diximus: niſi quod ut
cap.5. Gal.14. Meth. tradidit lien fortiora medicamenta p-
fert; & requirit quam iecur. Sed & ratio uictus eadẽ
ferè commoda eſt in his inflãmationibus, quæ & in-
flammationibus iecinoris: nam & hæ in morbis acu
tis ſunt, quãuis non penitus ita tenuis in his, ſicuti in
inflammationibus iecinoris, & ventriculi, quia uiſce-
ra illa digniora ſunt & operationem magis neceſſa-
riam habent, quàm lien. Poſteaquam autem ſimilis,
ac eadem, aut omnino, aut maxima ſaltem ex parte
eſt ratio curandi inflammationem inclinantem lie-
nis, & ſcirrhum, ſtatim curationi inflammationis an
nectamus curationem ſcirrhi, ut tamen ne medicus
interdum decipiatur id moneamus, anteaquàm rem
Cap.5. aggrediamur cuius Gal.2.lib.ad Glauco.meminit: nẽ
pe quod interdum intumeſcit lien, & tangenti, com-
primentique renititur, neque tamen dolet, & citra
omnem febrem eſt, ut ſępe uideatur ſcirrhus eſſe: ve
rumtamen ſcirrhus non eſt, ſed potius [ut & ex Ae-
tio ſuperius diximus] flatuoſus tumor, qui à flatu craſ
ſiori in uiſcere intercluſo, ac illud diſtendente excita
tus eſt. Vnde tumor is facilius curatur aſtringẽtibus,
& diſcutientibus, & exſiccantibus, pręſertim uero ſi
in naturam œdematis uergat is tumor. Mixtæ itaque
facultatis medicamenta eſſe oportet ex aſtringente,
& digerente, ſicuti ſi abſinthio prius utamur, mox
uerò cataplaſma addat ex alumine, & ſulphure. Sed
vbi ſcirrhoſus ſit tumor, ea quidem uis, quę aſtringit,
oportet, ut minor ſit, & ſolum, quanta poteſt robur
addere particulæ: illa uerò, quæ laxat, & digerit, atte-
nuatque, oportet, ut plurimum excellat. Sed magis

A particulatim rem tractemus. Si ergo curaturi ſumus
ſcirrhum, & ſtatim ab initio ſcirrhus fuerit, quia à fœ
culento, & craſſo humore, uel à lento etiam ortum
habuerit, cùm ferè nequeat fieri quin fomentum ali-
quod habeat, uel ab uniuerſo corpore, uel à iecinore,
operæprecium faciemus, ſi ſtatim ab initio uniuerſi
corporis, aut iecinoris curam habuerimus, nẽpe va-
cuatione melãcholici ſucci in uenis contenti, & ſi ali
qua fuerit occaſio, cur is ſuccus multus generetur ex
iecinoris, uel meſaraicarum uenarum uitio aliquo, il
li quoque antea proſpiciendum erit, ea quidẽ ratio-
ne, qua curandas eſſe affectiones harum particularũ
ſuperius oſtendimus. Vacuabitur autem facilius hu-
moris craſſior, ſi prius attenuabitur, quę attenuatio
B erit molienda tum ratione uictus attenuantis: tum
uerò per medicamenta, quæ incidendi, & attenuãdi
uim habent, ut tamen neque ijs utamur, quæ uehe-
mentius calefaciant, nam quę inſigniter calefaciunt,
craſſiorem alioquin craſſum humorem, digerendo
tenuiores, humidioreſq; eius partes (ut Gal.9. de cõ- cap.2.
po.medica.teſtis eſt) reddere ſolent. Quę autem ad ra
tionem uictus attenuantis pertinẽt, ea non eſt opus
in præſentia exponere, cùm ſæpius de hac re fuerit
ſuperius ſermo habitus. Medicamẽta autem, quę hu
morem in uenis contentum ad uacuationem parare
poſſunt, aut ſyrupi ſunt, aut decocta, aut alia, quorũ
ſæpius meminimus. Syrupi quidẽ, ut oxymel ſimplex
quidem inter initia; mox uerò & compoſitum: item
C ſyrupus, quem biſantinum Meſue nuncupauit, & ip
ſe quidem ſimplex primum: deinde uerò addito ace-
to, demum & compoſitus: præterea & qui de fuma-
ria, uel fumo terræ dicitur, ſimplex ipſe etiam prius,
poſtremum & cõpoſitus. Sed & qui à pomis nomen
habuere, ut qui de pomis ſimplex dicitur, poſtea & q
Sabor regis appellatur, poſtremò q dicitur uulgò ex
pomis compoſitus, ut tamen qui ex fumaria eſt, qui-
que biſantinus tam ſimplices, quàm compoſiti accõ-
modatiores ſint exuſto humori, alij uerò alijs differẽ
tijs humoris melancholici. Decocta uerò parari poſ
ſunt ex cichorio, fumaria, boragine, radicibus apij, fę
niculi, betonicæ, & id genus alijs, quorum ſæpius an
tea mentionem fecimus. Parata uero materia, ad eã
D uacuandam accommodata medicamenta in ſimpli-
cibus erunt ſena, polypodium, epithymum, & rha-
barbarum, ut quod uim habeat lienem extenuandi,
interdum uſque ad nigrum ueratrum. In compoſitis
uerò faciliora, & leuiora ſunt, quod diacatholicõ ab
Arabibus dicitur, item & quod à iunioribus noſtris le
nitiuum, & diaſene quoq; aptum huic rei medicamẽ
tum eſt, in fortioribus uerò recenſendum eſt id, quod
confectio hamech nunc paſſim dicitur, & hieræ, quę
maiores dicuntur, ut eſt quæ Scribonio largo Pachij
dicitur, & iam cœpit Venetijs eſſe in uſu, item quæ
diacolocynthidos appellatur, & quę Archigenis Pur
gato autem uniuerſo corpore, accedendum eſt ad cu
randum particulatim lienem, quo tempore eadem
E eſt inflammationis inclinantis curatio, & ſcirrhi,
quando ſcirrhus ſolus curãdus eſt, nulla uel uniuerſi
corporis, uel alterius præterquàm lienis habita ratio
ne: curatur uerò partim attenuantibus, incidẽtibus,
partim digerentibus, & uacuantibus, uel reſoluenti-
bus medicamentis. Nam quantum ad rationem mit-
tendi ſanguinis pertinet, non eſt, cur de ea longiorẽ
ſermonem habeamus, quia ſi ei locus aliquis eſt, ille
eſt inter initia, anteaquam omnino indureſcat [ma-
teria] & infarcta ſit, & quando pręſertim reuulſione
eſt opus. Sed hęc particulatim tractemus, & primum
de ijs, quæ attenuant, & digerunt, in quibus hoc pri-
mum conſiderandum eſt, quod hæc intercidit diffe-
rentia inter affectus, tumoreſve duriores, qui in lie-
ne excitantur, & eos, qui in iecore, quod in liene

X (ut

cap.17. 18. (ut 13.Metho.docet Gal.) congruentia ſunt medica A
menta uehementiorem uim habentia aperiendi &
incidēdi, quàm in iecinore; & id, quia lien alitur craſ
ſa, & lutulēta materia, nempe ſanguine (ut diximus)
melancholico, & proinde ait ille, quem locū habent
in curandis iecoris affectibus abſynthium, & eupato
rium: eundem in curandis affectibus lienis habēt cor
tex capparum, & aſplenum, uel ſcolopendrium. At-
quę non modò id in illis, quę exterius adminiſtranda
ſunt in lienis affectibus, id ſeruandū eſt, ut ualentiora
ſint in attenuando, & incidendo; uerū & in illis, quæ
interius aſſumpta bibuntur, uel deuorantur, hoc.n.
cap.5. docuit idem Gal.2.lib.ad Glau. Vnde & germina ta-
mariſci, aut eius cortex ex aceto, uel oxymelite deco-
cta, tanquam optimum medicamentū ab eo ibidem B
laudantur, quo lien foueatur. Sēd locum hunc magis
particulatim tractemus. Itaque in ualidis obſtructio-
nibus lienis, atque adeo etiam in eius indurato tumo
re, ſyrupi accommodati erunt, præter oxymel ſim-
plex, compoſitum etiam, nempe cùm inueteraſcit af
fectus, compoſitum inquam, quod radicibus aperien
tibus additis confectum eſt: itemq; qui biſantinus cō
poſitus, & cum aceto dicitur: ſed & his omnibus va-
lentius erit oxymel ſcilliticum, præterea uerò & ſyru
pi, qui ex hyſſopo, quiq; ex calamētho, & qui ex praſ
ſio conficiunt, præſertim verò, vbi inſignis febris nō
obſtet, qui deinde dilui poterunt ex decocto confe-
cto ex corticibus radicis capparum, ex ſcolopendrio,
quod vulgò citrah appellāt, itemq; ex corticibus, vel C
germinibus tamariſci: ciceris quoq; rubri pręcipuè,
decoctum (ut docuit Gal.7.de ſimpl.med.facul.) utile
eſt huic curationi, ſicut & lupinorum, pſertim uerò
ſi cum pipere, (ut ille ibidem teſtatur) & ruta ſumat.
Sed & in liene indurato plurimum ab eodem libro
6.ſemen agni caſti laudatur, atque in hoc ſemini ru-
tæ præfertur, utpote quod ſit alicuius aſtrictionis par
ticeps, unde poteſt uiſcus roborare, cuius expers eſt
rutę ſemen: ſed & marrubium, & ſcordium, & ſtœ-
chas poſſunt utiliter in curandis id genus affectibus
accipi, & ut quæ uim manifeſtam habeant uiſcerum
obſtructiones aperiendi, & horum multa non modò
ex decoctis proſunt, uerùm & arida, & cōtuſa utilia
ſunt, maximè uerò ex caricis data; quemadmodum D
ſecundo de alim.fac.docemur, ubi ait Gal. q lienoſis
affectibus prodeſt plurimum, ſi caricę cum thymo,
aut pipere, aut zingibere, aut pulegio, aut ſatureia,
aut origano, aut calamentho, aut etiam (ut addit 6.de
ſimplic.medic.facul.) cum radice bryonię multò an-
te cibum comedātur. Sed & quædam, quę in cibis ac
cipi ſolēt, utilia ſunt his affectibus curandis, ſicuti be-
ta cum ſynapi, aut aceto comeſta, item & amygdalæ,
præſertim uerò amaræ, & piſtachia, & tandem oīa, q̄
uim attenuandi habent citra inſignem calorem, &
condimenta ex aceto, nam incidit, & attenuat, neq;
tamen calefacit, uinum etiam album, & tenue utile
erit. Sed tandem ad ea accedamus, quę exterius admi
niſtrata poſſunt lienem extenuare tumentem, & in- E
duratum, uel obſtructum, in quibus eligendis is ſco-
pus ſemper ſpectandus, qui & in illis, quæ interius ſu
menda ſunt, nempe (ut 9.de comp.med.ſec.loc.tradi
Cap.2. dit Gal.) quòd ea attenuare poſſint, & id potius ſuarū
partium tenuitate, quàm inſigni calore, quoniam (vt
paulò antea dicebamus) quę inſigniter calefaciunt,
conculcatam & infarctam materiam craſſiorē red-
dunt, quare quę inſigni ſunt amaritudine pdita, huic
rei accōmodatiſſima ſunt, ſi modò aliquid immiſcea-
mus auſterę qualitatis, ut alicuius aſtrictionis nō ſint
expertia, ſed etiam ſi acetum, uel oxymel illis addat,
utiliter eadem ratione addetur, ſicut & illis, quę inte
rius ſumenda ſunt, & pręterea alia, quę eam formā
dare poſſunt, quam nos in eis cupimus, nimirum qa

A quandoque illinire uolumus, interdum ex decoctis
ex aqua fouere, aliquando emplaſtra, nonnunquam
cerata conficere. Illitiones fiunt ex oleo, & ſemper
paratum in Apothecis ad hos uſus reperitur oleum
ex radicibus capparum confectum, & oleum ex cap
paribus vulgò dicitur, quòd ſi ualentius efficere uelle
mus, acciperemus oleum amygdalarum amararū, et
illi adderemus radices capparum contuſas illi inco-
quendas, & acetum. Docuit autem Gal.6.de ſimpl.
med.facult. quòd ſi his medicaminibus confectis ad
curandas obſtructiones, uel ſcirrhos lienis inijciatur
particula carnis unguentariæ glādis, quàm ben Ara-
bes appellant, expreſſo ſanè prius oleo, plurimū uti-
le fuerit, imò ait ibi, quòd ſi ex ea addita farina lolij,
B uel erui, & aceto fiat emplaſtrum, erit admodum effi
cax. Nos uerò ſæpe conficimus emplaſtrum, uel (ut
nunc loquuntur) unguentum ad hunc modum: acci
pimus oleum amygdalinum ex amaris amygdalis,
exempli cauſa, ad uncias tres, pinguedinis gallinę, vel
quandoque anſeris (gallinæ quidem, ſi cupiamus ma
gis emollire, anatis uerò, ſi maiorem uolumus dige-
ſtionem) unciam unam, aceti uncias duas, uini albi
ſubdulcis unciam unam, trochiſcorum, qui ex cappa
ribus dicuntur, tritorum drachmas duas: coquantur
prius oleum, & pinguedo ad conſumptionem aceti,
& uini, mox addantur trochiſci, & omnia commi-
ſceantur: ita enim fiet medicamentum ſatis molle,
quo locus poterit illiniri, quod ſi ceram, uel picem,
C uel reſinam, uel aliud id genus quidpiam adijciemus,
ceratum durius vel mollius hoc, pro ut plus minuſve
horū addetur. Ego fere ſum frequentiſſime, & fecili-
ciſſimè uſus, ſi tamen uī affectus pertinacior, quā
huic cederet medicamento, diſſoluebam ex aceto
ammoniacum, & bdellium, ſingulorum uero ſeſqui-
drachmam atque illi addebam: poſſunt tamē, & mul
ta addi: nam ſatis copioſam materiā paulò ante ex-
poſuimus; in illis tamen trochiſcis omnia ferè ſunt q̄
ſunt magis præcipua; in lib. autem de Medic. facile.
parab. Gal. ad lienoſos hoc cataplaſma laudauit, &
facillimè parari poteſt, qđ accipit fœni Græci uncias
duas farinæ hordei; ſeminis naſturtij ſingulorū ſeſ-
quiunciam: hęc omnia excipienda ſunt carne carica-
D rum in mortario contuſa, quę tamē prius ex acri ace
to fuerint maceratæ. Sed tandem huic tractationi fi-
nem imponamus, & ad eam quæ ad affectus inteſti-
norum pertinet exponendā accedamus. Quamuis
enim ſi ad ea, quæ ſuperius explanata ſunt ſpecta-
re uellemus, & ordinem, quē inſinuauimus, ſequi, ui
deretur prius eſſe agendum de affectibus renum: qa
cum tres ſint particulæ, quæ à natura creatæ ſunt, ut
ſanguinem in iecore genitum expiārent, attractis ni
mirum ſuperuacaneis excrementis, quæ cum ſangui
ne gignuntur, nempe ueſicula fellea, lien, et renes, ac
ſubinde poſt ea, q̄ ad iecur attinent, expoſita, de prio
ribus duabus ſermonem inſtituerimus, ideo uideret
rationi conſonum, ut nunc ageremus de tertia. Ve-
E rum quia ad horum intelligentiam parū uidetur re
ferre, ſiue hunc, ſiue aliū ſeruemus ordinē, & Gal. ui-
demus prius de inteſtinis, quàm de renibus agere, quē
& alij multi ſequuntur, ideo nos quoq; eius ordinem
ſequemur: neq; id abſq; ratione, quia excrementa, q̄
à prioribus attrahuntur, per inteſtina tandē naturæ
inſtituto excernenda ſunt, excrementū uero, qđ at-
trahit à renibus, p ueſicam, idcirco cùm abſoluta ex-
cretio excremētorū priorū fiat ab attrahentibus lie-
ne, & felle, & expellentibus inteſtinis, excretio uero
ſeroſi humoris, attrahentibus renibus, & expellente
ueſica, ideo poſt priorū duorū tractationē ſubnecte-
re eā [uoluimus] q̄ inteſtina ſpectat, & differre eam,
quæ pertinet ad renes, ut ſubinde de ueſicę affecti-
bus agere poſſimus.

VICTO-

VICTORIS TRINCAVELII DE RATIONE CVRANDI PARTICVLARES HVMANI CORPORIS AFFECTVS.

LIBER NONVS.

De inteſtinorum affectibus, aliarumque particularum quæ ad ea pertinent: ac prius de eorundem natura, & officijs.

CAPVT I.

QVod inteſtinorum officium, munuſque duplex ſit, neminem, qui uel auctores eos non oſcitanter legerit, qui de uſu particularum noſtri corporis egere, uel ſectionibus humani corporis interfuere, latere puto. Nempe, ut & diſtributioni ſucci in uentriculo iam prius confecti, ideſt iecur per meſaraicas uenas, quæ plurimæ ad ea pertingunt, commodè ſe pręſtent. Et ut ſuperuacanea, & inutilia excrementa, quę ex prima in uētriculo facta concoctione reliqua ſunt; immo ut, & quę in uniuerſo etiam corpore generantur, & ad ea per uenas portę dimiſſa ſunt, ab illis extra corpus per ſedem expulſa excernantur. Et quamuis, & tertium quoddam munus ab eis natura deſideret, nimirum quod ob affinitatem, & ſubſtantię multam ſimilitudinem, quam cum uentriculo habent, à quo quaſi ortum habent, illis natura aliquam concoquendi facultatem elargita eſt, à uentriculo quaſi defluentem, ut ſi quid cibi effugerit priorem uentriculi concoctionem, uel ſaltem non fuerit plenè concoctum, id in inteſtinis concoctionem aſſequatur. Pręcipua tamen officia ſunt duo illa priora: unde natura ſagax, quę omnia tanquam in finem, & commodum animantium diſponit, inteſtina, ea ſubſtantia, ea figura, & magnitudine, & illis partibus conſtruxit, quę actionibus, ac officijs, ob quę fuere genita, magis opportunę, & commodæ eſſent, & pro ratione diuerſi obeundi muneris, diuerſimode ea efformauit. Nam quia ſuccus in uentriculo confectus cùm ad inteſtina profluit, humidus, & fluidus eſt: unde neque magnam capacitatem requirit, & amplitudinem, in quam recipiatur, cùm diffluat facilè ad alias partes: ideo non fuit opus priora inteſtina, aut craſſiora, aut ampliora creari: ſed maius operę pretium erat, ut & graciliora, & longiora eſſent, & plurimum reuoluta: ita enim, ut anatomici ſenſibus atteſtantibus, demonſtrant, in uenas, & iecur diſtribuendus ſuccus citius, & facilius attrahitur. Nam ratione longitudinis capacia ſunt plurium uenarum: plures autem plus, & citius exugere poſſunt: & cum non attrahant; niſi quod proximum eſt, ut plus attrahant, facit anguſtia eorum. Reuolutiones uerò id agunt, ut dum uariè, & multifariam per tot inuolutiones tranſmutatur, & inuertitur, nulla pars utilis effugere poſſit, quin aliquando uenarum oſculis, per quæ fit attractio, occurrens attrahatur. Sed quia exucto omni utili humore, reliquæ ſunt excrementoſæ, & terreſtriores, & quę & ſicciores, & duriores euadunt, immo interdum admodum duræ, quę magis diſtendere, & quaſi dilacerare poſſent inteſtina: Ideo poſteriora longè craſſiora facta ſunt, ſi ſubſtantiam ſpectes: ſed & ampliora, quæ illis non ſolum opus eſt tranſitum facilem craſſioribus factis excrementis præbere, ſed ea aliquando diutius continere, donec opportunum fuerit ea excernere: ne uidelicet cogatur animal ſtatim, & aſſiduè egerere; præſertim uerò homo ad uaria negotia natus, & ſępiſſimè, ut moleſtiæ non paruæ, ita & impedimento eſſet hæc frequens, & aſſidua deiectio. Conflata uerò ſunt, ſi de propria eius ſubſtantia loquamur, ex duplici tergore, uel (ut aiunt) tunica, ut melius ſeruari poſſent, & eſſent tuta à uarijs occaſionibus, unde lædi facilè poſſunt. Cùm enim ſint communia inſtrumenta cuiuſcunque ferè excretionis, quæ ad inferiorem aluum pertinet, per ea ſæpe uitioſi, & acres feruntur ſucci extra pellendi, qui ſæpe tranſeuntes erodunt, interdum & putrefaciunt inteſtina; ita ut ſæpe uniuerſa interna fuerint eroſa, & tamen qui ita erant affecti euaſere; quia natura innixa exteriori, quę integra adhuc erat, potuit alteri opem ferre, & ad integritatem perducere. Sunt autem tunicæ hæ intertextę fibris tranſuerſis ferè omnibus, pręter paucas longas, quia illæ impulſioni inſeruiunt: non habent autem ita attractione, uel retentione opus, quoniam ſuccus à uentriculo pulſus in inteſtina decumbit, cui, ut digeratur in uenas, motu potius & latione opus eſt, quam quiete: & ideo natura fibris illis has tunicas compoſuit, quę pellendo in cauſa ſint, ut continenter ferè moueatur. Eſt tamen & tertia tunica omnium extima, quæ ſimplicis, & membranoſæ eſt naturæ; ut pote quæ ſit pars peritonei, uel ab eo ortum habeat, nullis intertexta fibris: ſicuti neque peritoneum. Tenuiora autem inteſtina magis ad nerueam, quomodo priori libro expoſuimus, accedit: craſſiora uerò ad carneam: & ſenſu admodum manifeſto prædita ſunt, ut excitentur ad excernendum, quando homini opus fuerit.

Quibus affectibus inteſtina obnoxia eſſe poſſint.
Cap. II.

FAcile, ſi diligenter quis animum aduertat ad ea,
quæ nuper expoſuimus, & eorum fuerit me-
mor, quæ in prioribus libris fuerunt explanata,
referre poterit, quot in uniuerſum morbi ſint, qui-
bus inteſtina tentari poſſunt ex uarijs, & diuerſis oc-
caſionibus. Nam & his, qui proprij ſunt ſimplicibus
particulis, & illis, qui compoſitis, & inſtrumentarijs:
nec etiam ab illis ſunt tuta, qui utriſque communes
ſunt. Priores præſertim fiunt ex tranſmutata natu-
rali temperatura, quæ ueluti proximum, & primum
naturæ inſtrumentum eſt, quo in omnibus actioni- B
bus preſtandis utitur: nam & ab intemperatura cu-
juſcunque generis corripi poſsunt, tam ſimplici, &
per unius tantùm qualitatis exceſsum, quam com-
poſita, in qua ſit exceſsus in utraque primarum qua-
litatum contrarietate, atque illis interdum citra ul-
lam materiam, à qua intemperies foueatur: quando-
que vero cum materia, quæ fouet, & ſeruat eam in-
temperiem, & quæ quandoque alluit & defluit per
particulas: interdum uero infarcitur in ſubſtantiam
particulæ, eamque in tumorem attollit. Vnde uariæ
excitantur tumorum differentię pro diuerſa natura
confluentis humoris: nam uel inflammationes, uel
eryſipelata, uel edemata, uel tumores duri, ut sũt ſcir
rhi, uel cancri, uel etiam flatuoſi, qui ſolent inflatio- C
nes dici. Vitiatur autem interdum & conformatio,
ſicuti quando obſtruuntur, uel anguſtatur tranſitus,
& via, vel intumeſcente ſubſtantia inteſtini, vel ipſa e-
jus via ab aliqua excrementoſa materia repleta, uel ſi
à proximis partibus comprimatur, interdum & de lo
co ſuo decedunt, ſicuti quando in ſcrotum cadunt,
aut quando fracto peritoneo circa vmbilicum inteſti
na exeunt, & in tumorem partes circueuntes vmbili
cum impellunt, quod præſertim mulieribus in diffici
libus partubus, laborioſiſque conatibus contingere
ſolitum eſt, ſicuti maſculis, ad ſcrotum dilatatis fora-
minibus, per quæ deſcēdunt uaſa ſeminaria ad teſtes.
Ego uero uidi, & mulieres, & maſculos, in quibus ap-
paret ex cauſa ſimili parum ſupra inguina inſignis tu D
mor. Sed, & vnitas etiam ipſorum ſæpe, vel ex exter-
na cauſa diſſoluitur, vt ex vulneribus in inferiori ven
tre acceptis, vel ex interna, vt in dyſenteria. Quia ue-
ro morbus eatenus morbus dicitur, atque etiam eſt,
quatenus aliquam illius particulæ, in qua eſt, operatio
nem lædit, ideo hæc, quæ in vniuerſum in præſentia
explanauimus, particulatim ad operationes, quæ ab
his morbis lædi ſolent, referemus. Porrò duplices ſe-
cundum genus ſunt illæ operationes, quæ imprimis
in his uiſceribus lædi poſſunt, quædam etenim, quæ à
facultate animali proficiſcuntur, nam per neruos il-
lis à cerebro, & ſpinæ medulla impertitos, ſenſus (vt
paulo antea dicebamus) participes ſunt particulæ, &
mouentur etiam, dum materiam per illas tranſeuntē E
impellunt ope fibrarum, quibus intertexta eſt earum
ſubſtantia, uerum motus ille non eſt effectus anima-
lis appellatæ facultatis, quia non fit per muſculos, ſed
potius expultricis, quæ vna eſt ex naturalibus facul-
tatibus. Ratione igitur ea, qua ſenſus expertia nō ſunt
inteſtina, vehementiſſimis interdum doloribus uexā
tur, tam gracilia, quam etiam craſſiora. Dolor autē,
qui interdum gracilia cruciat, is eſt, quem Græci ileon
appellauere, Latini verò voluulum, utrique ea ratio-
ne, quia continenter, qui eo morbo laborant, voluũt,
ac reuoluunt ſe à ſæuitia doloris agitati, ita, vt unum
locum, neq; eundem ſitum, vel minimo tempore poſ
ſint ſeruare. Dolor uero, quo craſſiora inteſtina ſæpe
ſollicitantur, colicus dicitur, nomine à colo inteſtino,
A quod ſæpius ſolet eo exerceri, à medicis deducto, pre-
terea vero, & qui punctio, vel punctura dicitur. Hi er
go ſunt affectus, quibus inteſtina exerceri ſolent, ſum-
pta ratione diſtinctionis ab actionibus, quæ illis attri-
buendæ ratione naturæ, quam communem habent
cum alijs particulis ſenſu præditis. Sed & alijs præte-
rea proprijs morbis ſæpiſſimè afficiuntur, quibus pro
priæ actiones, quæ illis attributæ ſunt, qua ratione na
turalis facultatis ſunt inſtrumenta in diſtribuendo ali
mento in venas meſaraicas, ac in excernendo excre-
menta, quæ in eis conſiſtunt, uel ibi confecta, uel aliũ-
de impulſa. Vt autē hæc facilius explanare poſſimus,
hoc primum aduertendum, quantum ad primam eo
rum actionem, cui graciliora præcipuè præſunt, quod
B inteſtina diſtributioni miniſtrant, nō quia illa ea ſint,
quæ in uenas diſtribuant, impellantve, ſed ſolum per
inteſtina defertur impulſum ab eorum facultate ex-
pultrice alimentum à prioribus ad poſteriores ſubin-
de partes, venæ uero ſunt, quæ ſugunt ſuccum, qui in
eis continetur. Vnde quod ſuccus non diſtribuatur,
poteſt id, vel vitio venarum ſugentium contingere,
quia nimirum illæ non bene ualent, ita vt poſſint at-
trahere, quod frequentius fit. Et ſi id in inteſtina ſit re
ferendum, hoc propterea accidet, quia inteſtina ma-
teriam contentam in eis immaturè, & antequam poſ
ſint uenæ ſuo fungi officio, impellunt ad excretionē.
Vnde reddetur aluus profluens, & liquida, & ad ra-
tionem demum profluuij alui referetur, & ad ea, quæ
C pertinent ad læſionem actionum, uel operationum
propriarum alui inferioris. His itaque in hunc mo-
dum expoſitis, colligamus omnes hos affectus ad o-
perationes læſas iſtius particulæ in quandam breuem
methodum, ut res magis ordini hęreat, & facilior eua
dat. Operationes itaque iſtius particulæ, quam Lati-
ni aluum, Græci uero (ni fallor) κοιλίαν vocauere,
triplici eo modo lædi, vel impediri poſſunt, quo & re-
liquarum particularum, nempe, quia, aut omnino
tolluntur, & adeo fit aſtricta aluus, ut omnino nege-
tur excretio ſtercorum, uel aliorum excrementorũ,
aut non omnino quidem ſupprimatur, ſed ægrè, uel
parum, uel tardè excrementa reddat. Interdum uerò
corrumpitur, uel uitiatur einſmodi operatio ad infe-
D riorem aluum pertinens, uitiata autem eſt, quia vel
immodica eſt excretio, tum quantitatis eorum, quæ
egeruntur ratione, tum etiam ratione frequentiæ de
iectionum, uel moleſta eſt ratione modi, quo fit ex-
cretio, quia vel cum dolore, & torminibus, vel cum
multa expresſione, & cupiditate deſidendi, quam
τηνεσμὸν Græci vocant, quamuis non multa tamen
fiat deiectio, ſicuti contingit in dyſenteria à Græcis
dicta, & teneſmo, uel ea deijciuntur, quæ non eſſent
deijcienda, ſicuti fit in ea, quæ ab antiquis medicis dici
tur, hepatica dyſenteria. Vnde cum de ijs omnibus
ſit particulatim agendum, & eorum cauſæ inueſtigā-
dæ, ita enim fiet, vt in cognitionem morborum fa-
cile perueniamus, qui nobis prima initia methodo-
E rum indicabunt, quibus illi curandi, de ijs, quæ perti-
nent ad rationem alui aſtrictæ, uel ſuppreſſæ, poſtea
de illis, quæ ad alia vitia referuntur, ſermonem inſti-
tuemus.

De Aluo nimis aſtricta, & eius cauſis, vel affectibus curandis. Cap. III.

ALuus itaque multiplices occaſiones habere po
teſt, cur aſtricta ſupprimatur, uel ſaltem pi-
grior reddatur. Nam aut ex ſuo proprio ui-
tio, affectuve, aut ratione cibi, uel potus, qui aſſumun
tur, aut ratione excrementorum excernendorũ, aut
ex imbecillitate earum particularum, quæ inteſti-

na in

na in expellendo iuuant, ut ſunt abdomen, compri-
mẽtes muſculi, qui inteſtinis opem non exiguam fe-
runt, præſertim cum duriora, & aridiora fuerint ſter
cora. Nam cum propterea difficilis fit excretio non
cap.2. modo (ut tertio, de ſymp. cau. docet Gal.) muſculi hi
plurimum iuuant, ſed & muſculi thoracis compreſ-
ſionem adiuuant, unde reſolutis muſculis illis abdo-
minis, non facilis fit egeſtio. Ex uitio quidem proprio
inteſtinorum fit aſtrictior, & pigrior aluus, vel ex eo
naturali, ſicut in illis fieri ſolet, qui ab ipſo ortu ma-
lum, & uitioſum corporis habitum ſortiti ſunt, uel ex
aduentitia aliqua affectione, non ex natura contra-
cta, ſed potius ex erroribus, præſertim in uictus ratio
ne commiſſis. Affectio uerò ea tandem referẽda eſt
in aliquam intemperaturam ex illis octo, nempe qua
tuor ſimplicibus, & totidem compoſitis, atque his oĩ
bus, uel cum materia, uel citra, ut tamen & hoc ſi-
Aph.13. mus moniti, cuius Gal. primo de ſani. tuen. meminit,
quod has intemperaturas, ut hoc quod dicebamus,
efficiant, oportet adeo uehementes eſſe, ut deijciant
uim ex pultricem uentriculi, uel gracilium, uel craſ-
ſiorum inteſtinorũ, nempe quia aut hæc omnia, aut
eorum plura, uel aliqua ſaltem affecerint. Sed quia
in eundem ferè modum alia ſolent affici quo & uen
triculus, ideo in cauſis iſtarum intemperierum expo
nendis non erimus longiores, cum de his ſit abundè
dictũ, ubi de affectibus uentriculi ſermo habitus fuit.
Ratione aũt cibi fit aſtrictior aluus, uel propter eius
qualitatem, uel quantitatem, uel ordinem, uel rarita-
tem, uel tempus, & hoc propterea quia tardius ſoli-
to accipitur. Qualitatis cibi cauſa aſtringitur aluus,
quando uel auſterus, uel acerbus uel aridus fuerit.
Quantitatis, quando minus cibi, quàm par eſſet, &
quàm comedere ſoliti ſimus, aſſumimus. Ordinis ue
rò ratione pigrior in egerendo fit aluus, ſi primum
arida, & aſtringentia comedantur, quibus deinde ſuc
cedunt, quæ humida pinguia, & dulcia ſunt. Rarius
autem, qui ſolito comedit, ut ſi bis in die comedere
prius aſſueuerit, nunc autem ſemel tantũ comedat,
ut faciunt, qui ieiunant, ſępe enim illis aſtrictior fit al-
uus. Stercora etiam ipſa (ut diximus) cauſa ſunt diffi-
cilioris, & tardioris excretionis, quando adeo are-
ſcunt & indurantur, ut facta rotunda caprarum ſqui
bala imitentur: talia autem fiunt quando diutius (ut
2. Prorrhetic. docuit Gal.) detinentur, & ab igneo, &
com. 6. excedente calore ſiccantur, & quaſi uruntur. Inter-
dum autem, quando rarius comeditur, aluus aſtrin-
gitur, quia pauciora gignuntur ſtercora, & quando
minus cibi accipitur, & maior fit attractio a particu-
lis propter egeſtatem. Nam & Galen. 3. de ſymp. cau.
cap.2. cauſas referens aſtrictæ alui, ait, quod interdum id fit,
quia maior fit cibi in uniuerſum corpus digeſtio, &
propterea pauciores fiunt deiectiones, quam ſit pro
ratione aſſumpti cibi. Non erimus autem longi ad-
modum in referendis ſignis harum affectionum, à
quibus pigrior, & aſtrictior fit aluus, quoniam ea-
rum magna pars, nempe quæ à mala, uel mutata ra-
tione uictus pendet examinata, & bene perpenſa
præcedentis uictus ratione, facile deprehendi pote-
rit, ac ſubinde cognoſci, quid cauſæ fuerit cur aluus
aſtrictior reddita fuerit, ita & ſi pauciores ſint, quam
pro ratione ingeſti cibi, uel ſi aridiores, & duriores
deiectiones ex ſpontaneis, uel illis quę arte medica
euocantur, excrementis iudicandum erit. Reliquum
ergo eſt, ut ſermonem conuertamus ad eas differen
tias, quæ pendent ex uiſcerum imbecillitate. Itaque
quando ex imbecillitate uentriculi hoc incommo-
dum ortum habet, cum illa aliquam eius inſignem
intemperaturam ſequatur, per ea indicia hoc cogno
ſcendum erit, quibus uentriculi intemperamenta co
gnoſci ſuperius, ubi de uentriculi affectibus ageba-

A tur, à nobis fuit expoſitum. Sed ſi ex inteſtinorum in
temperatura hoc acciderit, id etiam, tum quibuſdam
ſignis illis ſimilibus quæ in male affecto uentriculo
ſolent obſeruari erit dignoſcendum, tum & his nem
pe quia ſi ex nimio calore id ortum habuerit, plerũ-
que ſtercora arida, & dura reddẽtur, qualia ſuperius
deſcripſeramus, percipietur præterea in uentre infe-
riori æſtus, & calor inſignis: ſitis etiam aliqua ade-
rit, conſentiente ſiquidem uentriculo cum inteſtinis.
Quod ſi frigidior erit intemperatura, cum non poſſit
eſſe cauſa ſuppreſſæ alui, niſi plurimum exceſſerit
naturales terminos, alioquin enim ſæpius ex perpeſ-
ſo frigore potius alui profuſiones ſolent concitari:
Flatus ergo plurimi, refrigeratis inteſtinis, ac flatulẽ-
B ti dolores ſæpe excitabuntur. Ita etiam humidior in-
temperatura potius ad lenitatem alui facit, quàm ad
ſuppreſſionem, uerùm cum excedit adeo, ut omni-
no deijciat uires expultrices, mollia erunt & ſterco-
ra, ſi quando ope medica euocabuntur, & humida:
reſoluta etiam quaſi uidebũntur inteſtina, ut & re-
ctum inteſtinum ſæpe procidat. At cum uitio muſcu
lorũ abdominis id contingit, non modo difficilis fiet
per aluum excretio, ſed aliæ etiam excretiones, quæ
auxilium ab illis muſculis requirunt, ſicuti redditus
urinę, p̃terea ſi manu abdomini appoſita, uel potius
utriſque manibus comprimendo iuuerimus, facilior
ſequetur excretio: aderunt & alia ſigna reſolutionẽ
earum partium, & uicinarum, quæ cum his commu
C nionem habent, oſtendentia. Sed neque de cauſis lõ-
giori oratione agendum eſſe puto, nam quantum ad
uitia intemperaturæ pertinet, eędem omnino cauſę
uitiare naturalem temperaturam poſſunt, quæ & uẽ
triculi, de quibus abunde ſuperius actum eſt. Præte-
rea uerò neque admodum difficile fuerit rationem
inire, qua huic incommodo, quod ex aſtricta aluo no
bis moleſtum eſt, occurramus, ſi tamen rectè his, quę
hactenus expoſita ſunt attẽderimus: nam perceptis
cauſis unde aſtrictior aluus ſit facta, contrarijs adhi-
bitis remedijs erit illi, occurrendum. Vnde ſi in præ-
cedentis uictus rationem hoc referendum uideatur, cap.14.
uictus ratio corrigenda erit, & in contrarium infle-
ctenda. Quare ſi cibi paucitas, ariditaſve fuerit cau-
D ſa, cur ſupprimatur aluus procurandum eſt, ut cibo li
beraliori, & humidiori utantur. Sed ſi potius ex ari-
ditate, quàm ex paucitate, utilis erit (ut 1. de tuen. ſa-
ni. hęc omnia Galen. docuit) humidior quidem cibus
non tamen liberalior. Si auſteris, aut acerbis cibis fue
rit uſus cui aſtricta aluus eſt, commiſſus error uſu dul
cium, & pinguium erit corrigendus. Sin in ordine
ſit aberratum, ad recti ordinis rationem reuocatur.
At uero ubi ſemel tantum fuerit cibus acceptus,
cum bis eſſet aſſumendus, non modo bis, ſed ſæpius
cibus, donec laxior fiat aluus, dare utile erit. Quan-
tum autem ad potum pertinet, eum liberaliorem
concedendum illis 4. aph. ſenſuit Galen. qui durioris Com.vl.
ſunt alui. Sed ſi alui ſuppreſſio occaſionem ab ali-
E qua ſupradictorum uiſcerum intemperatura habue
rit, eius curatio, & reuocatio ad ſtatum naturalem
erit inſtituenda per ea, quæ poſſunt noxium intem-
peramentum remouere, nempe per ea, quę illi con-
traria ſunt tam medicamenta, quam cibi, ea ratio-
ne, qua ſuperius docuimus intemperaturas uentri-
culi curandas eſſe, ſiue cum materia fuerint, ſiue ci-
tra eam, nimirum & per ea, quę interius ſumuntur
ut ſunt ſyrupi, decocta, & quæ confectiones appel-
lantur, ut tamen uacuantibus medicamentis rariſſi-
me utamur, niſi quandoque lenibus, & quę lenien-
do potius quam ſoluendo purgãt, nam uſus frequẽs
purgantium medicamentorum aluum reddit aſtri-
ctiorem, ſaltem exſiccando. Præterea uero fométa,
illitiones, perfuſiones, cataplaſmata, & cerata; de

quibus cum abunde egerimus, quo loco de curandis uentriculi intemperaturis ſermo habitus fuit, in præſentia particulatim ea non explanabimus. Sed potius ſermonem conuertemus ad quædam præcepta, quæ non parum conferre poſſunt ad lenem fluidamque aluum reddendam, pertinet autem uniuerſa ad uictus rationem. Primum uero eſt depromptum ex
cap. 40. 2. Alimen. facul. nempe, quod loquendo in uniuerſum, aluus a ſalſis, acribuſque præterea uero ab illis, quæ uim aliquam detergendi habent, citari ſolet: ſicuti contra quæ auſtera, & acerba ſunt, eam ſiſtunt: quamuis aliquando hæc alia ratione (ut eodem libro idem affirmat) deiectiones iuuent, nam ſi præceſſerint in prima menſa ea, quæ uim habent aluum leniendi, qualia eſſent ea, quę Galen. 7. de tuen. ſan. pręcepit, nempe olera oleo, & garo, uel ſale condita, aut aliud quidpiam id genus, quod uentrem mollire poſſit, biberintque uinum dulce, poſtea uero in ſecunda menſa aliquid aut mali cotonei comederint, uel pyri, uel mali punici, uel alterius auſteri, aſtringentiſquę cibi faciliores ſuccedent deiectiones alui, præſertim uero in illis, in quibus os uentriculi fuerit imbecillũ, atque in illis in quibus uentriculus bile ſit refertus. Horum uero ratio ea eſt, quod ab illis, quæ in prima menſa præceſſere, incitatur uẽter, ex aſtringentibus uero poſt acceptis roboratur os uentriculi, unde facilius mox reſoluitur aluus, nam os uentriculi factũ eſt aſtringentibus robuſtius, quæ fluitant, ſupernatantque facilius uerſus inferiorem partem impellit, quàm impulſionem excipiunt inteſtina uſque ad extremum, ſed id quidem per accidens ex auſteris cibis euenit, alioquin enim per ſe uim aſtringendi, & ſupprimendi habent. Porro & cibi qui lentoris ſunt participes quique pręhumidi ſunt faciunt ad molliendã aluum ut pote, qui facilius defluunt deſcenduntque, eiuſmodi ſunt ex oleribus atriplex, beta malua, ex fructibus mora, ceraſa, quę dulcia ſunt non quę acerba, cucurbitę, pepones, & melopepones, qui & alia ratione iuuant alui deiectiones, nempe quia uim aliquam detergendi habent. in his etiam recenſenda eſſe putat Gal. 1. de alim. fac. perſica, & pręcocia. Vt tamen res facilius ſuccedat, poſt hæc aſſumpta eſſe leuiter de ambulandum conſuluit Gal. Quemadmodũ autem idem 2. lib. tradidit, & quotidie experimur maxime huic negotio pruna apta ſunt, pręſertim uero quę probe matura ſint, alijs uero illę Hiſpana quidẽ prætulit, mox Damaſcena, in illis tamen ea præcipue eligenda putat, quę maiora, & molliora, nam parua, dura, & acerba inepta huic rei ſunt. Modum uero, quo in hunc uſum deducenda ſunt, docuit 5. de ſani. tuen. ait enim ea ex aqua mulſa, uel elixanda eſſe uel maceranda, atque poſtea aſſumpta ſi quidpiam mulſæ abſorbeatur, res facilius (ut ipſe ait) ſuccedet, mulſa autem quia uim detergendi habet, ideo & ipſa ad aluum molliendam confert. Noſtris autem his temporibus illis elixis ex iure modico utimur addito ſatis copioſo ſaccharo, eadem (ut patet) de cauſa. Addit pręterea Gal. his omnibus, quod oportet aliquid poſtremo dulcis uini ebibi, quia & ipſum (ut diximus) uim habet molliendi aluum. Præterea nec ſtatim ab his aſſumptis prandendum, ſed nonnihilo temporis interpoſito. In hoc eodem ordine poſuit ibidem & ficus tam recentes, quam aridas, quæ caricæ dicuntur, modo illæ eligantur, quæ pinguiores ſunt, cortex autem, uel pellis exterior detrahatur. Item & dulcẽ uuam, muſtumque & paſſas etiam uuas, quæ dulces, pingueſque ſint, & exacinatæ. Sed & braſſicas, quæ leuiter coctę ſint, & ex oleo, & ſale paratæ. Senibus uerò conſilium dedit, ut oleum ante cibum abſorbeant, aut olera ex oleo, & ſale, & oliuas interdum ſale conditas, æſtate quidem ficus, & pruna: hyeme uero caricas, & arida pruna quomodo diximus. Noluimus autem in præſentia ad ea exponenda accedere, quæ medicamenta omnino ſunt, quæque in ferculis incoqui ſolebant, & in præſentia coqui poſſunt, quia de his alias plenius diſſeruimus.

(Margin: cap. 22. cap. 7. & 10. — cap. 1. — cap. 9.)

De aluo humida, & nimis fluida. Cap. IIII.

ET ſi aluus profluens ex aduerſo aſtrictę dicatur & à cauſis etiam ortum habeat, quę illis ſunt aduerſariæ, unde aſtrictior fit, multiplicior tamen, & magis uaria futura eſt hæc tractatio, atque etiam tum longior, tum difficilior, & quæ maiorem & diligentiam, & attentionem requirat. Vt autem methodo procedamus ad inueſtigandas differentes cauſas, uel differentes affectiones, quæ cauſæ ſunt, cur aluus iuſto fluidior, & ad deiectiones profuſior fiat (nam ita facilior, & apertior omnibus erit attractio atque etiam num exquiſitior) ponamus primũ hoc tanquam generale fundamentum eorum omnium, quæ ſubinde de alui profluuio dicenda ſunt, nempe quod prima, atque proxima omnium profluuiorum occaſio, aut à robore expultricis facultatis, aut ab imbecillitate detentricis petenda eſt. Cur autem profluuia ſequantur imbecilliorem factam hãc facultatem, non eſt, cur in præſentia à nobis ſit probandum, cum res ea ſit aperta. Quia cùm ad hanc facultatem continere, tam excrementum pertineat, quàm etiam quidquid utile futurum eſt ad naturę beneficia: quis eſt, qui non percipiat, quòd cum iſthæc facultas non eas uires habet, ut continere poſſit, neceſſe eſt, id quod continendum erat effluere? Vt autem profluuia fiant ratione expultricis facultatis, quãuis neceſſe ſit eam adeo robuſtam eſſe, ut poſſit expellere, illud tamen non omnino ſatis eſt, quia facultas hæc (ut tertio lib. de natur. facul. probatum eſt) nũquam ex ſe moueri, & concitari ad expellendum poteſt, ſed ſemper opus eſt aliquo, quod eam incitet, & quaſi euigilet, adigatque ad expellendum. Quæcunque uerò illam excitant, uel incitant, ea (ut ſæpius in ſuperioribus libris fuit à nobis expoſitum) triplici nomine hoc agunt, nam aut quia multitudine diſtendunt, aut re naturam aggrauant, aut quia praua quadam qualitate, uel mordaci, uel alioquin naturę aduerſaria, & moleſta prędita ſunt. Huic autem fundamento & alterum non minus etiam cognitu neceſſarium addendum eſt, nempe quod excretionis inſtrumenta ſint inteſtina, per quæ, ut prius etiam expoſuimus, non ſolum primę concoctionis excremẽta expellenda ſunt, ſed præterea ſunt ueluti communis quędam cloaca, & uia, per quam natura quicquid ferè in uniuerſo corpore ſuperuacaneæ, & excremẽtoſę materiæ eſt, uel tanquam excrementum concoctionum, de quibus antea fuit habitus ſermo, uel ẽt ex aliqua uitioſa temperatura contracta in aliqua particula, uel in aliquo uiſcere genitum, poteſt, & ſępe etiam ſolet expellere, & id propter commoditatẽ, & connexionem, quam habent ea cum uiſceribus omnibus. Nam primum qua connexione cum uentriculo coniuncta ſint, & q̃ ea, quæ de uentriculo defluunt, commode ſuſcipiant, abundè ſuperius oſtendimus. Sed nihilo ẽt minus explanauimus, ꝙ facillimè à iecinore poſſunt uarias materias per uenas plurimas, excipere, quæ deriuatę quaſi rami quidam à vena portę eo pertingunt per quas ẽt cum liene nõ paruam, eadem ratione, coniunctionẽ habent. Vena uerò portę cum caua vena in medio iecinore per ramuſculos committitur, ut facile excipere poſſit quęcunque per eas feruntur, materias, & cum a caua uena deducti rami diſtributi ſint per uniuerſum corpus, ad omnes tandem partes perueniunt. Quare per ue-

(Margin: Cap. 12.)

nas patet ad inteſtina aditus ab omni corporis noſtri particula. A capite verò, & eius particulis profluere poſſunt ſuperuacaneę materię multiplici uia, nam per venas primum, ſicut & ab alijs particulis diximus, deinde verò, & per aliam laciorem viam, cuius antea pluries meminimus, quæque ad fauces fertur, & per eas poteſt deſtillans materia per gulam ad vētriculum delata, tandem ad inteſtina impelli. Vnde cum nimis ad deiectiones, & profluuia prona ſunt inteſtina, & ſi proximè id prouenire poſſit, aut occaſione facultatis expultricis, aut contentricis, quæ in illis ſunt, non tamen ſemper prima occaſio ab eis petenda, aliquando quidem enim ea ſola continent in ſe omnem rationē, & cauſam, cur profuſior ſit aluus, & id quando facta eſt adeo in eis, præſertim uerò in craſſioribus imbecillis facultas, quæ continet, ut quidquid ad illa confluit, ſtatim cogantur egerere. Hæc uero in eo duplex eſt, vna naturalis, quæ proprie inteſtinis inſita eſt, altera verò, quæ ad animalem facultatem attinet, data a natura, ut naturalem in continendis alui excrementis, vſque ad opportunum tempus iuuet, & ea nō eſt propriè communis uniuerſis inteſtinis, ſed ſolum poſtremo, quod rectum anatomici appellant, nec ei etiam in uniuerſo, ſed extremæ eius parti, quæ ad ſedem pertingit, quæ muſculo donata eſt à natura, qui eam conſtringens interdicit ſtercoribus exitum, donec opportunum animanti uiſum fuerit, qui quidem muſculus ſi reſoluatur, impotens animal fit ad fœces continendas, vſque ad id tempus, quo inſtituerit eas deijcere, ſed effluunt, ſicuti colliguntur, præter inſtitutum, & omnem egerentis imaginationem, & deliberationē. Sed de hac cauſa citatioris, & frequentioris deiectionis non dicemus plura, quia ad tractationem de reſolutione neruorum potius ſpectat. Ea uero, quæ naturalis in inteſtinis eſt, cum ex eius infirmitate aluus fluida fit ſemper ex aliquo proprio eorum vitio in cauſa eſt profluuij, ea enim imbecillam non afficit, niſi intemperies humida cum materia, aut citra, quam neceſſe eſt eſſe proprium affectum illius particulæ, in qua eſt, niſi forte hac ratione dixerimus eam poſſe eſſe per conſenſum cum altera particula, quia aliunde poteſt defluere materia, quæ eorum temperamentum uitiat. Quando autem à robore facultatis expultricis occaſionem habuerit, cum robur alicuius facultatis non poſſit eſſe ipſum per ſe alicuius morboſi ſymptomatis, uel affectionis cauſa, quoniam uires ſemper validę per ſe ſunt ratione temperamenti, quod naturale, & bonum ſit: vnde quo ualidiores ſunt quantum ad ipſas pertinet, perfectiores etiam operationes efficiunt. Quare ratio à qua copioſa, & profuſa fit alui excretio, oportet, vt prętetea à re alia petatur, nempe aut à re, quæ excernenda eſt, aut ab aliquo affectu illius particulæ, in qua eſt vis expultrix, quia (vt diximus) nunquam ex ſe mouetur hęc facultas, niſi ab alia quapiam re exciterur, & quaſi inuitetur. Excitatur autem, & inuitatur ab eo, quod excernendum, & expellendū, nempe, quia moleſtum naturæ eſſe incipit, quam moleſtiam affert, vel qui multitudine diſtendit, aut onere illi graue eſt, uel quia mordet, atqui quod mordeat, vel eſt cauſa excrementi delati per particulam, uel ipſius particulæ, ipſius quidem, quia aut aliquod in ea vlcus eſt, cuius ratione laceſſitur particula, vel quia illa alioquin acriori ſenſu prædita eſt; vnde minima quęque percipit. Itemque quod grauet, uel ratione particulæ, uel ratione materiæ, grauat enim, quia ſuperat vires id continentis, & ſuperat, aut quia materia ipſa quidem multa eſt, aut quia vires particulæ factæ ſunt imbecillæ. Excrementa autem hęc, quę vel morſu, vel onere, & grauitate, aut diſtentione laceſſunt expulſoriam vim inteſtinorū, aut genita ſunt in ipſis inteſtinis, aut aliunde eo cōfluunt, quāuis raro in eis ma-

A teria generetur, quę ipſa laceſſere poſſit, niſi interdum in vlcerib. inteſtinorum magnis, aut malignis, ſi pus copioſum, & acre generetur, quod mordere poſſit, vel in abſceſſu, cum rumpitur, & pus effunditur. Non negauerim tamen, quod ex intemperie inteſtinorum, vitiato, & corrupto eorum alimento non poſſit interdū generari uitioſa materia. Frequentisſimè uero alui profluuia concitantur ex materia alibi genita, & congeſta, quæ tandem effunditur, uel confluit ratione, quam paulo ante expoſuimus, ad inteſtina. Poteſt uero primum frequentisſime quidem à uētriculo effundi; ſed aliquando illa prius non modo congeſta, ſed & genita fuit in uentriculo, id quando, uel crudior eſt ventriculus, vel quando imbecillior eſt quam, ut poſ-

B ſit continere cibum, donec concoquatur, & primum ſequitur concoctricis, alterū uero contentricis facultatis defectum; nam ſi crudior, repletur interdū multa materia cruda, quæ cum illis grauis eſt, natura ut particula exoneretur, & ab ea moleſtia liberetur, illam uel ſuperius ad os impellit, ac ita uomitus concitatur, vel inferius, & ita ab inteſtinis accepta, ab illis etiam tanquam inutilis, & quæ potius oneri ſit, quàm utilitati, expellitur. Interdum verò & cibus inconcoctus omnino expellitur, & profluuij hanc differentiam, qua cibus crudus, & ferè minimè tranſmutatus, qui ſeruat adhuc odorem, & colorem ſuum priorem, egeritur, lienteriam Græci nuncupauere, quaſi leui- Com. 1.
tatem inteſtinorum dicas, ex errore ſane eorum an-

C tiquorum, qui primi huic affectui nomen illud indidere, putabāt etenim (ſicuti tradidit Gal. ſexto Aph.) intempeſtiuum hunc aſſumpti cibi exitum, & excretionem cauſam habere interioris partis inteſtinorū leuitatem & lubricitatem, ob quam facilè dilaberentur quæ alioquin in eis continenda eſſent, ſi aſperiora eſſent; quod tamen falſum eſt; quia cibi dum coquuntur, in uentriculo continentur, quoniam eos complectitur colligens ſe (ut prius memini me dixiſſe) per ſuam cōtentricem facultatem, & ſuas fibras; Quocirca cum eos continere nequit, tanquam importunum onus deorſum ad inteſtina detrudit, quæ tanquam rem potius inutilem, & illis grauē, quemadmodum a uentriculo excepere, ita etiam expellūt

D extra. Vnde quamuis tandem ad inteſtina pertingat hoc ſymptoma, ſequitur tamen affectum proprium ipſius uentriculi, a quo læditur concoctio, uel quia omnino aufertur, ut in ſumma cruditate, aut quia imminuitur, nempe cum ſemicoctum alimentum excernitur. Vnde Gal. eodem loco 6. uidelicet Aph. diffinitione expoſiturus, quid eſſet lienteria, ait, quod eſt uelox exitus eorum, quę comedimus, bibimusq; additque quod breuior erit definitio, ſi dicamus lienteriam eſſe concoctionis priuationem, uel defectū, quę quidem definitiones differunt, quia prior eſt ſimilis definitioni iræ, quando dicimus, quod eſt appetitus uindictæ, quæ formam rei indicat, altera uerò cauſam exponit perinde, ut illa, quod eſt accenſio, uel

E feruor ſanguinis circa præcordia. Sed de hac profluij differētia particulatim deinde, & quibus de cauſis fiat dicemus, & quibus ſignis diſcernatur, & hunc modum fluxus quidam ex iunioribus ſtomachicum, vel ſtomachalem appellant. Sed eſt, & alia differentia alui profuſionis, quæ primam habet occaſionem à ventriculo per errorem concoctionis, quando cib. ab ipſo cōficiendus corrumpitur correptus ab extraneo, & igneo calore, ac degenerat in quandam putrem, & nidoroſam, aut alioquin fętidam materiam, quæ naturam laceſcens, & irritans cogit facultatem expultricē tam vomitu, quam alui deiectionibus quaſi furibundām expellere affectum in tractatione de morbis uentriculi diximus choleram à Græcis appellari, à iunioribus autem, & Arabibus cholericā paſſionem, de qua

etiam

etiam copioſe ibi egimus. Deinde verò poteſt fieri al- A ui profuſio occaſione ipſius quidem iecinoris, quandoque proxime & primum, interdum uerò proxime quidem, ſed non ita, quin prius aliunde ſit illi præſtita occaſio, uel ab uniuerſo corpore, uel particulatim ab aliquo membro. Sed de illis primum agamus, quæ priorem occaſionem aliunde, quàm a iecinore habent. Fiunt itaque ſanguinis profuſiones per aluum, qui in eam a iecinore per uenas a portis deriuatas, uel in uentriculum primum effunditur vel inteſtina, vel etiam per eas venas, quæ ſedi proxi-
cap.2. mæ ſunt, vt tertio de Sympt.cauſ. docet Galen. Prima
com. 40. verò iſtius cruenti profluuij differentia nullam aliam cauſam morboſam habet niſi multam copiam ſanguinis: uel etiam boni, vt quarto libro de Artic. prodi- B dit Galen. qui cum ſit oneri naturæ, quæ alioquin vires ſuas validas habet, vt ab eo eo onere leuetur, apertis oſculis venarum, quæ vel ad ventriculum, vel ad inteſtinorum ſinus, vel ad finem recti inteſtini pertingunt, illum effundit. Plurimus autem ſanguis generatur (vt tertio de Cauſ. Sympt. docemur) tum propter liberaliorem victum, dum cibis optimis, & plurimũ nutrientibus veſcimur, tum propter ocium, & abſtinentiam a ſolitis laboribus, & exercitationibus. Interdum verò ſanguis hic multus congeritur, quando abſciſum eſt inſigne aliquod membrum, nec tamen parcius, quam antea comedimus. Has cruẽtas excretiones cruentam dyſenteriam appellaſſe Hippocra-
com. 40. tem teſtis eſt Gal. quarto de Artic. quæ excretiones C ex interuallis quibuſdam fiunt, & per periodos. Quãdo vero fit alui profluuium vitio iecinoris, vel eius occaſione, non autem ex alia alterius particulæ cauſa, vel id fit ob errorem concoctricis in eo, dum ſanguinem ex prius in uentriculo concocto alimento generat, vel retentricis, vel attractricis, quod in ſuperiori libro capite de hepaticis expoſuimus. Ex errore cõcoctricis vitium contingit, quando ſanguinem inutilẽ, & ineptum alendo iecinori, vel vniuerſo etiam corpori procreat: quod quidem multifariam fieri poteſt, vt eo lib. oſtendimus. Nã aut omnino ſine ulla tranſmutatione exire permittit, ſicuti ad ipſum allatus fuerat ſuccus concoquendus, quemadmodum in ſumma etiam vẽtriculi infirmitate, & cruditate diximus: D ac ita ſequitur profluuium ſucci, ſeu chyli dicti, nullo pacto concocti: Aut leuiter in uenis meſaraicis, dum per eas deferretur, aliquantiſper ſecundum colorem mutatur: ibi enim incipit ruborem contrahere quod etiam fieri poteſt, ſi eius vis, cuius officium eſt continere, uel illa, cuius officium eſt ſuccum ex uentriculo, & inteſtinis, qui erat in ſanguinem cõuertendus, attrahere, ita ſit infirma, vt eum minime attrahat, uel ſi ab obſtructionibus impediatur, deiectiones excretæ per aluum, liquidæ, incompactæ fiunt, niſi (vt octauo de Compoſi. med. ſecundum loc. prodidit Galen.)
cap.7. accidat, quod etiam una & ventriculus ſit imbecillus, quia tunc ſemicoctus cibus deijcietur, aut crudus. Interdum tamen, ſi ibi diutius moretur, a calore extra- E neo correptus corrumpitur in varios colores & formas, pro ratione diuerſæ corruptionis, & putredinis. Sed ſi facultas concoctricis non ita deiecta eſt, ut omnino impotens ſit ſed tantum imbecillior facta, adeo vt aggredi quidem poſſit, nequeat tamen concoctionem abſoluere, fiunt egeſtiones illæ, ut ſuperius quoque diximus, quæ proprie hepaticæ dicuntur: nã materia illa calore quidem ſanguinem imitatur, ſed eum qui dilutus fuerit ex multa aqua, & qui ſimilis aquæ, in qua fuerint lotæ carnes animalis nuper mactati, & potius ichor quidam ſanguinis eſt, quàm ſanguis. Eam uerò materiam, quam nequit ſuperare, & utilem reddere, per eaſdem uenas, per quas fuit ad ipſum attracta, expellit, & quaſi euomit ad inteſtina, &

A inde ſequitur profluuij genus, quod hepaticum proprie appellant, in quo continenter aluus fluida eſt, ſed per periodos, aliquando enim uidetur omnino eſſe ſuppreſſa, ac mox magis profuſe ad excernendum inſurgit. Hæc ergo eſt ſecunda differentia cruentarum excretionum. Sed cum ex imbecilliori concoctrice facultate id ſit, & ſi uniuerſum uideatur eſſe unum genus morbi, attamen particulatim illud aduerſarias, non modo diuerſas continet ſub ſe differentias, cum & ex frigida, & ex calida intemperatura ortum habere poſſit, & illis tum cum humiditate tum uero cum ſiccitate. His tamen & hoc addendum eſt, quod eiuſmodi cruentæ excretiones, & hepaticæ ſolent fieri inter initia horum affectuum nempe dum non ualde B adhuc imbecillis eſt facta concoctrix facultas; unde omnes fere iecoris affectus, ex quibus fit hæc imbecillitas, ſolent ab his excretionibus inchoare, nam aucto ſubinde malo, mutatur hæc excretionum ratio, ac uarij deinde earum & color, & odor & forma, vt paulo poſt dicemus, in eis apparent, & id pro uaria ratione corruptionis, qua corrumpitur materia, quæ erat coquenda, ſicuti etiam uentriculo accidere diximus, quando minus probe cibos conficit, ſed de his paulo poſt. Tertia uerò differentia inde etiam fit, q̃d a iecinore itidem ſanguis, ſed alia de cauſa, per inteſtina effunditur. Verum vt hæc exquiſitius intelligantur, eſt aduertendum, quod ubi ſanguis fuerit rectè coctus, & confectus a iecinore, eo iecur fruitur, qua- C tenus, inde alitur, reliquum uerò uenæ, quę a magna, & caua uena deriuantur, exugunt, atque in uniuerſum corpus deferunt. Quod ſi aliquando accidat, ut id, quod in iecinore reliquum eſt, ibi retineatur ex aliqua cauſa, quæcunque illa ſit, ſiue ſit uenarum uis attractrix facta imbecillior, ſiue aliqua in uiſcere obſtructio, ſiue extima cutis, & illi ſubditæ partes ex aliqua interna, uel externa occaſione fuerint conſtipatæ, vt digeſtio ſit intercepta, ſicuti expoſuimus, quando de cauſis cur ſine fame ſit interdum homo, agebamus, iecur ubi illum aliquantiſper detinuerit, tanquam illi iam inutile pondus repellit per uenas meſaraicas ad inteſtina, & ita fit cruenta excretio, Sed eiuſmodi excretio, cum ab hac cauſa ortum habet, ni- D grior excernitur, & (ut eodem 3. de Sympt. cauſ. ait Galen.) aliquantiſper magis lucens, quam ſanguis cap.2. omnino naturalis, iam enim ulterius quaſi excoctus incipiebat uergere ad naturam melancholici humoris, immo uidetur quaſi ſanguis (ut ibidem tradidit Gal.) mixtus cum bile atra. Nam ſanguis quãdoque ex frigore nigreſcit, & in grumum concreſcit, uerum nullum neque acquirit, neque retinet ſplendorem, ſicut fit ſplendidior, quando aſſatur, & incipit prope accedere ad naturam atræ bilis. Eſt demum & quarta differentia cruentarum excretionum, poſtquam in harum excretionum mẽtionem incidimus, ſed quæ non ita adhunc locum attinet, cum nequeat eius ratio in iecinoris uitium referri, ſed potius in pro- E prium inteſtinorum affectum, cum ex abraſis, & eroſis, uel ulceratis inteſtinis ſanguis effiuens excernitur cum inteſtinorum ramentis, ac doloribus, & torminibus, qui quidem affectus δυσεντερία, hoc eſt difficultas inteſtinorum, a Græcis dicta eſt, & ea ſane proprie dyſenteria dici meretur. Nam ſi aliæ etiam ſanguinis excretiones dyſenteriæ dictæ ſunt, id fuit uel a quadam ſimilitudine, quia in illis etiam ſanguis excernitur, uel quia illi, qui ita illas etiã appellauere putarunt in uitium aliquod inteſtinorum eſſe referendas. Sed de hac proprie dicta dyſenteria paulò poſt ubi de proprijs inteſtinorum uitio excitatis alui profluuijs agemus ſermonem habebimus. In pręſentia uero redeamus ad reliqua profluuia uitio iecinoris excitata. Quoniam autem diximus paulò ante, hepaticas

ticas illas excretiones, quæ propriè hępaticæ a medi-
cis ſolent vocari, ex imbecillitate concoctricis facul-
tatis iecinoris originem habere, atque pleriſque id ge
nus iecinoris affectus ab illis inchoare, quæ tamen
poſtea ſi malum augeatur, formam, colorem & reli-
qua accidentia mutant; de his etiam agamus vt uni-
uerſum negotium abſoluamus. Vnde cum ea imbe-
cillitas a varijs immo aduerſarijs intemperamentis
ortum habeat: quia (ut & alias diximus) concoctio
fit a natiuo calore particulæ concoquentis: natiuus
verò calor, teſte Gal. multis in locis, temperatus ca-
lor eſt, & quo temperatior eſt, eo exquiſitius & per-
fectius concoquit; & eatenus vitiatur concoctio, qua
tenus natiuus calor a ſuo temperamento longius re-
cedit: & proinde etiam ſanguis, qui per concoctioné
gignendus eſt in iecore, magis a natura ſanguinis re-
cedit, & in alienam naturam degenerat. Vnde quan-
do non multus eſt receſſus, fit quidem ſanguis, qui co
lore ſaltem naturam ſanguinis imitatur, conſiſtentia
vero minime: nam tenuis eſt, & aquoſus, uel ichoro-
ſus. Sed ſi longior a temperamento fiat receſſus, ita
& humor genitus procul eſt a natura ſanguinis: nam
ſi ad calidum intemperamentum inclinet pro uaria
caloris ignei, & extranei vitium ratione varia fiet in
ea materia tranſmutatio, quia tum putreſcit, tum aſ-
ſatur ab eximio illo calore. Vnde ſæpe fiunt fluxus,
qui colliquatiui dicuntur, quoniam quæ excernũtur,
veluti colliquationes uidentur: nam calor ille igneus
primum humores, mox & carnem iecinoris eliquat:
eliquatæ uero in bilem craſſam, quæ ſyncera ab Hip-
pocrat. & Galen. dicitur, digeſta nimirum tenuio-
ri, & ichoroſa eius parte, tranſeunt, atque talis deij-
citur, quæ fœdum quendam, & fere horribilem refert
odorem extranei caloris partim aſſantis, partim pu-
trefacientis ſignum manifeſtum. Interdum vęrò (ut
Cap. 7. 5. de Loc. affect. docuit Galen.) inter initia iñ idem
quaſi ichor cruentus eadem, qua diximus ratione ex-
cernitur: ſed aucto morbo, & inualeſcente deinde ca
lore aſſante, atque vrente, excretio fit ſanguinis craſ-
ſi, & atri nempe ex aſſatione accedentis ad naturam
humoris melancholici: poſtremo uero & atræ bilis.
At uerò ſi iecur a temperamento proprio ad frigidũ
receſſerit, atque ita ſit redditum imbecillius, excretio
nes redduntur pari modo inter initia tenues, & qua-
ſi ichor ſanguinis, ſed neque ita aſſidue, neque multę:
nam quaſi per periodos, & per interualla; quando
iam ſuppreſſa uidetur aluus, repente citatur, atq; po-
ſtea profluuium protrahitur, & per aliquot dies flui-
da facta magis confertim deijcit: & (ut prius diximus)
cum morbus in longius protrahitur, non eadem for
ma colorque & ſubſtantia deinde ſeruatur. Vnde &
hic inter initia, cum adhuc non admodum deiectum
eſt robur facultatis concoctricis, fit quidem aliqua
tranſmutatio alimenti ad naturam ſanguinis, ea ta-
men ſolum inchoata, & minimè abſoluta: mox uero
increſcente iam affectu, materia illa, quæ coqui non
poteſt, neque uinci a natiuo calore, corrumpitur tan
dem & perinde (ut Galenus octauo de Comp. med.
ſecundum loc. ait) in uarias formas, & modos uitia-
torum excrementorum degenerat: quemadmodum
in uentriculo fieri ſolet, quando crudior eſt, neque
cõcoquit ea, quæ ingeſta fuere: quandoque enim cor-
rumpuntur in uarias formas. Sed inter hæc (ut idem
docet) differentia ea eſt, quod hæc uitia, & corru-
ptiones, quæ in uentriculo fiunt ſatis aperte appa-
rent, in iecinore uero confunduntur ob id, quia cum
alimentum, quod prius coctum fuerat in uentricu-
lo in iecur diſtribuitur, ſanguini commiſcetur, qui
in eo uiſcere præerat, ac ibi corrumpitur, tandem-
que & ſanguinem ſecum in eandem corruptionem
trahit, quo fit deinde, ut uariæ gignantur in hac

A etiam intemperie excretionum formę colore, odore-
que differentes: ut tamen non omnino ſint ita illis ſi-
miles, quę ex intemperie calida ortum habent, ut faci
le diſcerni non poſſint, ſi quis diligentiam adhibue-
rit, utpote quoniam in frigida intemperatura primũ,
neque ita graue olent, quę excernuntur, ſicuti, quę in
calida ex colliquatione fiunt, neque formam, & conſi
ſtentiam habent, ac ſi eliquata caro eſſet, ſed po-
tius, ut ſanguis, qui putruerit. Interdum etiam fit ex-
cretio quędam in hoc frigido iecinoris affectu, quę
ſanguis quidam uidetur ater, ut ibidem ait Galen. qui
tamen, ſi diligenter inſpicias, neque ſanguis eſt ater,
neque grummus ſanguinis concreti, ſed eſt proprie
ea humoris melancholici ſpecies, quę eſt ueluti fex
B ſanguinis, unde non eſt ſimilis exquiſitę illi atrę bili,
quę lucet, ut bitumen Iudaicum, & ex aſſatione fit
qualis ea erat, quę poſtremo excernebatur ex intem-
peratura calidiori, quęque ex uſto, & aſſato ſangui-
ne ortum habuerat, quia hęc ex putreſcente potius
ſanguine fit, quàm ex eo aſſato. Hi ergo, & tales ſunt
fluxus, qui hepatici, quia ex imbecillitate, & intempe
ratura iecinoris ortum habent, dici conſueuere, in
quos etiam referendus eſt fluxus, qui inflammationé
iſtius uiſceris ſequitur, nam & hic ex calida intempe-
ratura originem habet. Quod uerò alui profluuia
& uitio lienis poſſint euenire, pręter id, quod rationi
conſentaneum id eſſe uidetur, cum & lien ſua excre
menta naturę inſtituto in uentriculum propellat, quę
C ſi multa congerantur, tum in uniuerſo corpore tum
etiam in iecinore, nec lien ipſe infirmus ſit, uerum, &
attractrice, & expultrice facultate ualeat, neq; obſtru
ctiones obſtent, attrahet copioſum eum melancho-
licum ſuccum, ac ſubinde per ventriculum ad inteſti-
na excretum tandem cum alui deiectionibus expelle Aph. 21.
tur, experientia huic etiam rei atteſtatur, Hippocra- 22.23.
teſque, & Gal. 4. Aphor. & 6. de loc. affe. aſtipulantur. Cap. 1.
6. enim de loc. affe. ait, iecur, lienemque, vt multa ha-
bent communia ſymptomata, ita in hoc etiam non eſ
ſe diſſimilem eorum rationem, quod vt in ventricu-
lum cruentis propulſis excrementis iecur cruenti vo
mitus in cauſa eſſe poteſt, & illis ad inferiorem etiam
aluum propenſionem habentibus fiunt (vt paulo an-
D tea expoſuimus) cruentæ, & hepaticæ deiectiones, ita
etiam, & ex liene tum vomitus, & nauſea poteſt con
citari: tum vel maxime etiam deiectiones nigræ, &
melancholicæ, ſed hæ interdum [vt ille ait 4. Aphor.]
rationem habẽt motus iudicatorij, nempe puta mor
bi, vel lienis, vel etiam, qui ex iecinore, vel qui ex vni-
uerſo corpore ortum habent, per eas reſoluuntur: in
terdum verò ſymptomatis, quando & multus gene-
ratur ſuccus melãcholicus, & lien factus imbecillior,
illum, aut nequit attrahere, aut nequit expellere, qua
re iecur, & ipſum ea occaſione redditur imbecillius,
vt deinde effluere permittat ſcatens hoc excremen-
tum, quod & ex obſtructione lieni euenire pręterea
poterit. Sed nihilo etiam minus vitio, vel ratione v-
E niuerſi corporis poteſt concitari copioſum alui pro-
fluuium, & aliquando quidem natura excernente ſu
peruacaneum, & inutile excrementum, vſu ſanè (vt
in lib. de differ. ſymp. ait Galen.) ea prouidentia, qua
morbis, qui poſſunt ex retentis his excrementis exci- Cap. vlt.
tari, cauere ſolet. Vnde ſexto de ſanit. tuend. ait alui Cap. 6.
deiectiones eſſe commune auxilium illis omnibus, in
quibus congeſta eſt uitioſorum humorum copia, &
huiuſmodi alui profluuia multis, vel etiam dum bene
ualent, ſalubriter accidere ſolent, qui per certa quę-
dam interualla perinde, ut mulieres per mẽſtrua, pur
gantur. Fiunt, & aliquando in morbis, quando natu
ra facta fortior ſuperatis morboſis excrementis, mor
boſq; iudicatura, facto impetu, eo cõfertim excernit,
eiuſmodi tamen excreto nunquam in morborum ini

tijs,

tijs, neque anteaquam concoquantur, apparere poteſt, ſed poſteaquam ſigna concoctionis viſa fuerint. Fiunt & profluuia alui ſtatim ab initio morbi, vel parum poſt initia, per quæ excernuntur alias aliæ vitioſæ materiæ: id quod accidere pōt, uel ob id qa facultas excretoria ſolicitať a nimia malorū humorū copia, quam natura nequit ferre vel a multa malitia, & acri malignave eorum qualitate: aut ex imbecillitate facultatis contentricis, quæ facta languida nequit amplius in uaſis continere ſuccos, ſed eos permittit, ut ſponte effluant. Multa autem ſuccorum copia multis poteſt de cauſis generari, vt a prima partitionis huius parte explananda exordiamur. Primum quidem ex ſuppreſſa aliqua euacuatione, qua ſolita eſt natura, expurgatis ſuperuacuis excrementis aut continēter, aut per quædam interualla, corpus uniuerſum mundum ſeruare: Continenter quidem per cutem fit digeſtio eorum præſertim excrementorum, quæ per tertiam in ipſis particulis factam concoctionem generantur, quam excretionem motiones corporis, quibus exercetur, adiuuant, frictionesque & balneæ. vnde cum hæc vacuatio intercepta ſupprimitur, paulo poſt copia uitioſorum ſuccorum congeritur, præſertim uerò in calidis & ſiccis corporibus (ut Galen. cap.4. & alibi & decimo Metho. docuit) cap.13. in quibus fuliginoſa, uel fumoſa excrementa multa generantur. Quare ut idem tertio de Natur. facul. lib. ratiocinatur.) cum ſtipata, & obſtructa cute intercipitur uaporoſorum excremētorum digeſtio, & exitus, partes, quæ ad eam pertingunt, eorum copia quaſi onere quodā grauatæ a ſe repellere ea nituntur, atque cum exitus per cutem vti prius ſolebant, illis ſit ademptus, intro conuerſæ ad vicinas illis partes impellant, ſed hæ accepta repellunt ad alias, donec tandem poſtremo ad venas, & ſubinde ad viſcera confluant, atque in hunc modum poteſt tandem alui profluuium concitari. Sed & per lotia interdum fit excrementorum expurgatio, & nonnunquam per inteſtina, cum aut fellea ueſica, aut lien, aut renes ſuo funguntur officio, uerum ſi uel ex eorum obſtructione, uel alia alioquin mala affectione deſtituantur a ſuo munere, uel non integre obeant; retentis excrementis, ac illis in vniuerſum corpus diſtributis, tandem multa congeritur cacochymia. Sæpe etiam illud in malam uictus rationem referendum eſt, præſertim uerò in illis quæ ad cibum, & potum pertinent. Nam cum primum aberratur in uentriculo, aut ratione pluris ingeſti cibi quam ille ſuperare poſſit, aut eius qui ſuapte natura facile corrumpitur uel in nidorem, vel aliam incongruentem qualitatem & naturam; aut in apparatu, uel in ordine, uel in alijs quæ in libro præcedenti fuere expoſita, male confectis illis in uentriculo, neceſſe eſt in uniuerſo corpore congeri copiam uitioſorum ſuccorum quia (ut quarto cap.ult. de Sanit. tuenda ait Galen.) neque ſecunda concoctio, quæ fit in uenis, poteſt bona fieri, neque tertia vt neceſſe tandem ſit, copiam excrementorum in vniuerſo corpore contrahi, & hac ratione & choleræ fiuñt, & alui profluuia. Sed & hoc prouenire poteſt ex aſſatione ſanguinis, & cæterorum ſuccorum, dum pars eius in bilem flauam, pars in atram uertitur, quod in acutis febribus fieri ſolet, uel etiam propter ingentem putredinem, ut item in febribus putridis, præſertim uero malignis, uel tertio per colliquationem, quod item & in febribus ardentibus, & in eis in primis, quæ peſtilentes dicuntur, euenit, in quibus partes externæ uix tepidæ ſunt, internæ uero uruntur, in his eliquantur primum humores, præſertim ſanguis, mox membra teneriora; prius quidem adeps, deinde uěro & caro. Ratione uero imbecillitatis contentricis fiunt profluuia a to-

A to in morbis omnino pernitioſis, cum deiectæ ſunt vires, quæ omnino corpus noſtrum regunt, ſicuti ſæpe in acutis, & malignis febribus contingere ſolet, & in diuturnis, quando iam ad extremum deuentum, ut de tabidis dixere Hippocrate & Galen. ſeptimo Aphoriſ. Poſſemus & de alui profluuijs particulatim ſermonem habere, cap.16. quando ſuppreſſam euacuationem per hæmorrhoidas fieri ſolitam, uel per muliebres menſes ſequuntur. Verum quoniam alui profluuia his de cauſis excitata inde habent ortum, quia uniuerſum corpus, ſuppreſſis his ſolitis purgationibus, repletur uitioſa materia, ac multis excrementis. Ideo horum non putauimus particulatim alioquin faciendam eſſe mentionem, ſed hæc B ad ea referenda eſſe; quæ ab uniuerſo corpore occaſionem habent. Vnde & ad alui profluuia, quæ vitio inteſtinorum fieri ſolent, exponenda tandem accedamus. Vitio ergo inteſtinorum poteſt alui profluuium concitari, ac multa, frequenſque deiectio, aut propter leuitatem nimiam eorum, & (ut ita dicam) eorum lubricitatem, qua nequeunt ea contineri, quæ in ipſa a uentriculo amandantur, donec a uenis exugantur, ſed ſtatim defluunt, uel ob eorum imbecillitatem, ex qua grauata a re contenta nituntur illam expellere. Hæc autem incommoda (ut ſecundo Aphoriſ. tradidit Galen.) com. 20 ob exceſſum humiditatis, & ſæpe ob præſentiam materiæ lentæ, vel viſcidæ, uel ibi genitæ, uel a capite deſtillantis, C eueniunt, quandoque uero accidunt propter morſum inteſtinorum, unde excitantur, & coguntur expellere id, quod mordet, & uellicat. Morſus uero duas poteſt occaſiones habere, nempe alteram, quæ a præſentia, uel tranſitu rei acris pungentis, uel erodentis ortum habeat, alteram ex propria affectione inteſtinorum, quæ item duplex eſſe poteſt, interdum ex multo, & acri inteſtinorum ſenſu, nonnunquam ex ulcere contracto, uel quandoque ex inflammatione, uel in ſuperioribus gracilibuſque, uel inferioribus, & craſſis, uel in extremo, quod rectum eſt. Sed ſi ex præſentia rei contentæ pungentis, & acris, uel ea genita in ipſis eſt, generari uero nonnunquam poteſt, quia materia, quę ad illa defertur D ibi ex aliqua in illis ſuborta intemperatura, pręſertim uero calida, corrumpitur, uel eius etiam alimentum ex ſimili intemperatura conuerti in uitioſos humores poteſt, a quibus & morderi poſſunt inteſtina, & in eis uehementes concitari dolores, ut duodecimo Metho. expoſuit Galen. Sed & pus ex ulcere inteſtinorum genitum, & per ipſa excretum, ſi acre, cap.7. & uirulentum ſit, poteſt abradere, & vellicare inteſtina, uirus quoque exſudans ex inflammatione in ipſis ſuborta, itemque ex eadem pus effuſum in inteſtina, ſi ſuppuretur, & interius aperiatur, uel mordax materia ad ipſa aliunde confluit, quę poteſt eſſe itidem pus ex aliquo interni alicuius uiſceris abſceſſu rupto uel bilis flaua ex iecinore, uel ex corpore uni- E uerſo defluens, uel ſalſa pituita ex capite, aut aliunde impulſa, uel humor melancholicus exuſtus, item ex iecinore, uel qui ueluti fęx eſt ex liene, ut nunc excretiones cruentas, de quibus ſatis antea differuimus, prętereamus, niſi quantum ad pręſens inſtitutū facere poteſt, facit autem præſertim, ut de cruentis deiectionibus aliquid dicamus, quę ſolent tanquam cauſam habere ulcus in inteſtinis. Affectus ergo is, ſiue profluuium alui, quod cruentum eſt, & occaſionē habet ab inteſtinorum ulcere, dyſenteriam Gręci appellant, Latini, uero aut inteſtinorum difficultatem, aut tormina, propterea quia torqueri uidentur inteſtina, dixere. Sed hic pauliſper conſiſtendum, quia affectus hic perquàm difficilis interdum eſt, & non minus quandoque animum medicorum, quàm uen-

trem

trem ægrotantium torquet. Eſt ergo (vt 6. Aphor. ait
Com. 9. Gal.)propriè inteſtinorum exulceratio, quæ à re abra
Cap. 10. dente, uel mordente, vel etiam(vt idem 5. de vſu par.
Cap. 2. ait)putrefaciente contrahitur. Sed tamen conſiderã
Cap. 2. dum etiam id eſt, cuius fit mentio 6. de loc. affect. ac e-
tiam primo, quod dyſenteria duplicem poteſt ratio-
nem, conſiderationemque habere, quia nunquam fe
rè morbus is ſubito fieri poteſt, ſed tantum paulatim:
vnde aliquandiu fit, poſtea uero facta eſſe merito dici
poteſt. Quare dum fit, necdum integrè factum eſt
vlcus, abſolutè, & propriè dici non meretur dyſente-
ria, niſi cum hac adiectione fiens dyſenteria, ut eam
in generatione eſſe intelligamus. Initia ergo hæc ha
bet dyſenteria, quod primum incipiunt deiectiones
acres, quæ inteſtinis demorſis, & abraſis dolores ex-
citant, deijcitur autem bilis mordax, & flaua, qualis
eſt, quæ ſyncera dicitur, vel atra etiam, & exuſta, vt ea
eſt, de qua paulo antê multa uerba fecimus, quando-
Cap. 17. que vero(vt tertio Apho. tradidit Gal.)& ſalſa pituita
à capite in uentriculum defluens. Quod ſi malũ pro-
grediatur, corpora quædam pinguia, & quaſi muco-
ſa, quæ interius inteſtinis hærebant, deraduntur, de-
tractaque excernuntur. Tertio niſi res conſiſtat, ex
cernuntur ramenta quædam cartilaginoſa, & craſ-
ſiuſcula ex interna interiore tunica, quaſi cuticula de
raſa, quæ ſimilis eſt extimæ cutis parti, quam Græci e-
pidermida uocant, noſtri cuticulam vertunt. Et ha-
ctenus quidem fit dyſenteria. Poſtremo vero perſe-
uerante fluxione acris humoris, & iam ad ſubſtãtiam
inteſtini peruenit deraſio, & ſanguinis nonnihil effun
ditur, ſed tunc iam facta eſt vlceratio, & iure merito
dyſenteria dici debet. Quamuis autem iam facta eſ-
ſe dicatur, & conſiſtens, non tamen ita facta eſt, vt &
ea diuerſos ordines, & (vt aiunt) gradus non habeat,
quatenus, aut profundius vlcus excitatum eſt, aut ma
gis ſummam eius partem occupat, nam interdũ ſum
ma tantum quaſi eius interior pars deraſa eſt, inter-
dum magis in aluum res profecta eſt, ut abſumpta
quandoque fuerit interior tunica, & tamen (ut teſta-
Cap. 10. tur Gal. 5. de uſu partium) ille, qui ita male affectus e-
rat, curatus eſt. Poteſt quidem, & ſecunda exterior tu
nica erodi, ſed cum eo peruentum eſt, non eſt memo
riæ proditum aliquem unquam euaſiſſe. Preterea ue
ro poteſt eſſe ulcus ſimplex, poteſt & corroſiuum eſ-
ſe, quod deterius eſt, poteſt & putridum, computre-
ſcunt enim(ut ibidem prodidit Gal.) inteſtina à ſynce-
ræ bilis tranſitu, quod adhuc peius eſt. Vltimo poſ-
ſunt eiuſmodi ulcera canceroſa eſſe, nimirum quan-
do ortum habent ex tranſitu bilis atræ per inteſtina,
quod deterrimum, immo (ut 4. Aphor. conſentiunt
Hippo. & Gal.) pernitioſus, & lethalis omnino eſt af-
fectus. Si quis autem rectè ad ea, quæ hactenus expo
ſita ſunt animum aduerterit, hęc omnia percepiſſe po
tuit, primum quidem, quod plerunq; (ut ſcripſit Hip.
Apho. 1. 7. Apho.) dyſenteria ſequitur alui profluuia, uitioſis
ſi quidem humoribus diutius in inteſtinis commorã-
tibus. Quod ſi alicui ſuccurret dubitandi occaſio ex
ijs, quę de natura, & officijs inteſtinorum dicta ſunt:
(quemadmodum Gal. uiſus eſt 5. de uſu partium du-
bitaſſe) qui fieri poſſit, ut acri humore ulcerari inteſti-
na poſſint, cum & ſint eximio quodam ſenſu prędi-
ta, & ſtatim excitata, quę nocent, ferre nequeuntia ea
depellunt, & deijciunt. Ille ex eodem Gale. reſpon-
dendi rationem depromat, qui omnem iſtius rei ra-
tionem in ſinus multos, & flexus, quibus implicita
ſunt retulit, in quibus moram trahens excrementum
mordax poteſt non ſolum ea abradere, ſed mox etiã
excidere. Deinde uero, & hoc, quod ſępe dyſenteria
Aph. 71. ſequitur lienteriam, hoc eſt, inteſtinorum lęuitatem,
quod Hipp. docuit 6. Apho. nam cum ſępe lęuitas hęc
ortum habeat(ut ſuperius in hoc pręſenti capite rela

A tum eſt) ex redundantia acrium, & malignorum hu-
morum mordentium uentriculum, & inteſtina, hi ſi
in illis diutius perſtiterint, tandem (ut ibi Gale. docet)
in dyſenteriam res tranſit, pręterea uerò, & diarrhęa
ſępe dyſenteria ſequitur, pręſertim uerò(ut 7. Aph. ait Aph. 23.
Hippo.) ſi ſyncerę fuerint deiectiones. Cum autem
huius affectionis origo ſit ab acribus humoribus, &
abradentibus, facile eſt iudicare, quod autumno(ut 3.
Apho. ait Hipp.) frequentius quam alijs temporibus, Aph. 25.
deſynterię concitantur: nam pręter fructuum eſum,
quibus abundet autumnus, multa in eo copia diuerſo
rum humorum uitioſę naturę gignuntur. Autum-
nus enim(ut Gal. 1. Apho. ait) comparatur morbis ex Com. 7.
corruptione humorum excitatis, ac inęqualitas eius
B uiſcerum uiribus aduerſaria non parum eſt. Vnde &
tempeſtates, quę plurimum ſiccę ſunt, in calore uero,
& frigore inęquales (ut eodem 3. Apho. docuit Gal.) com. 6.
obnoxia reddunt corpora dyſentericis affectibus. Ita
& ętates, in quibus plurima congeritur bilis his affe-
ctibus ſunt non parum expoſitę, ſicuti conſiſtẽs ętas,
& quę iam(ut 3. item Apho. ipſe ſcripſit) inclinare in-
cipit. Sed neque hoc pręter mittendum eſt, quod tamẽ
& ex ante explanatis ſequitur, nempe quod pręter a- Com. 30.
lias differentias, quarum ſuperius fuit facta mentio, il
lę etiam cognitu neceſſarię ſunt ad rectam curandi
rationem inſtituendam, quę a loco affecto accipiun-
tur. Nam uel graciliora inteſtina ab ulceribus corrę
pta ſunt, uel craſſa, longè autẽ difficilior curatu mor-
C bus eſt, & magis doloribus torquet, cum laborant
gracilia, quam craſſa, & deterior eſt, quãdo ieiunum,
quam quando alia malum occupat. In craſſioribus
uerò quandoque id, quod colon dicitur, interdum ue
rò poſtremum, rectum uidelicet laborat, atque faci-
lior eius erit curatio. Docuit autem Gal. tum 1. tum Ca. 1. & 4
ſexto de loc. affe. qua ratione diſtinguendum ſit, quã- Cap. 2.
do gracilia, & quando craſſa inteſtina malè habent,
& id quidem tum ex natura eorum, quę deijciuntur,
tum pręterea ex modo deijciendi. Sed de his adijcia-
mus, & rationem doloris. Ex ijs, quę deijciuntur, quia
cum ulcus tenet craſſiora inteſtina, ramenta quę ex-
cernuntur, craſſiora, & maiora ſunt, & cum illis una
& pinguedinis quidpiam excernitur, & aliquid ſangui
D nis, at uero cum graciliora ulcera tentantur, ramen-
ta, quę deijciuntur, minora & latitudine, & craſſitie,
ſed ſanguis etiam cum excrementis excernitur, & cũ
illis prorſus, & exquiſitè permixtus, ſecus atque in ul
ceribus craſſiorum, in quibus ſanguis non prorſus ui
detur mixtus, ſed fere ſupernatare, pręterea neq; pin-
gue quidpiam à gracilioribus deraſum deijcitur. Sed
ex modo deijciendi ad ipſum cognoſci poteſt, quippe
quoniam, ut ſemper deiectiones pręcedunt eroſio, &
tormina in inferiori uentre ait, laborantibus craſſio-
ribus, citiſſimè poſt perceptum dolorem ſequuntur
deiectiones cruentę, & ſtrigmentoſę. Cum uero ul-
cus gracilia occupat, longiori interuallo temporis à
percepto dolore ſequuntur deiectiones. Huc acce-
E dit, quod ſi quis, dum ſecantur corpora, ſitum ob-
ſeruauerit inteſtinorum, facilè ex loco doloris, quem
ſignificat ęgrotus, conijcere poſſumus gracilia, an
craſſa inteſtina ſint male affecta. Sed quia iſtiuſmo-
di affectus, nempe inteſtinorum ulceratio particula-
tim quoddam habet incommodum, cum poſtremũ,
& rectum inteſtinum occupat, uel ab illis diuerſum,
quę dyſentericos cruciant, uel ſi non omnino diuer-
ſum, ſaltem tamen longè maius, ac magis moleſtum,
ideo, & is affectus in hoc inteſtino peculiare quodam
nomẽ ab eo moleſto ſymptomate aſſequutus eſt. Sed
tandem rationem iſtius ſymptomatis exponamus: nã
facile etiam percipietur, cur illi nomen fuerit inditũ.
Symptoma uero illud eſt inexplebile quoddam deij-
ciendi deſiderium, concitatur enim ab ea acri matę-

ria.

ria, quæ pungit, & rodit hoc inteſti num cupiditas quę
dam deſidendi, quaſi per aluum maxima quæpiam
res ſit exoneranda, minimum tamen eſt, id quod ege
ritur, quo præterea egeſto, neque tollitur id deſideriũ.
Excernitur uerò viſcidæ pituitæ admodum parum ve
rum ea putris, alioquin enim non irritaret, neque vl-
cus poſſet excitare, quod exponit Galę. 3. lib. com. in
com. 47. 3. Epidem. Sed tantus labor, & in deijciendo, conatus
& expreſſio (vt ibidem ait) fit, propterea quia craſſa,
& viſcida eſt ea pituita, & proinde nequit niſi ægrè in
de auelli. Sed huius morbi comites ſunt (vt eodem lib.
monet) dolor, & his propter diſtenſionem, conatum
que plurimum, atque tædium, quod ex aſſiduis deie-
ctionibus ortum habet. Vnde (vt 5. de vſu partium
Galen. cenſuit) recenſendum eſt hic inter grauiſſimos
ventris affectus, & ab hac moleſta tenſione nomen
id teſte Gal. 7. Apho. aſſequutus eſt, teneſmus. n. Græ-
cè dicitur παρὰ τὸ τείνεσθαι, quod tendi ſignificat, qđ
adeo noxium eſt ſymptoma, ut mulieribus, quæ ge-
runt in utero ſæpe abortum afferat, à moleſta enim
tenſione cum omnes corporis partes defatigantur,
tum uel maxime uterus, qui hæret & annexus eſt re-
com. 53. cto inteſtino, ob eam igitur tenſionem, qua aſſidue
cruciantur, & propterea quod frequenter coguntur
aſſurgere ad egerendum, iuxta atque in alijs magnis
motionibus doloribusque, obnoxiæ quam maximè
abortibus fiunt. Sed redeamus, & de unaquaq; ha-
rum differentiarum ſeorſum ſermonem habeamus,
atque addamus, ſi quid ſit prætermiſſum, & qua ratio
ne diſcerni poſſint.

De alui profluuijs à uitio ventriculi ortum habenti-
bus, ac de eorum differentijs particulatim.
Cap. V.

TRium differentiarum alui profluuiorum factã
mentionem inuenio, quando ex uentriculi vi
tioſo affectu fit id profluuium, quæ apud anti-
quos medicos, Græcos præſertim, ſunt proprijs nomi
nibus diſtinctæ: Vtinam itidem eorum rationes, qui
bus illæ diſtinguendæ eſſent, fuiſſent explanatæ, nam
de illis, quaſi de rebus notis loquuntur, cum tamen,
quantum ad me pertinet, non ſit medici negotij eas
diſtinguere. Sunt vero tria illa nomina, quibus tres
illæ differentiæ ſignificantur, hæc, lienteria, diarrhęa,
& cęliaca. Primum lęuitatem inteſtinorum ſignifi-
cat: Secundum vero, quantum ad vim vocabuli ſpe-
ctat, ſignificat profluuium ex διὰ præpoſitione, &
ῥέω, quod fluo ſignificat: Tertium à loco affecto de-
promptum eſt: κοιλία enim ventrem, vel aluum ſigni
ficat. Ortum verò omnes hi affectus habent ex ven-
triculi imbecillitate, quæ eius intemperiem ſequitur, à
qua ſequitur error, tum in concoctrice, tum uero in
contẽtrice facultate. Aliquando etiam ex aliquo mor
ſu, qui uel ab acri materia vellicante cõcitatur, vel ex
aliquo vlcere ſuborto in inferiori aluo, nempe uentri
cap. 22. culo, & inteſtinis. Quemadmodum. n. Gal. 3. Aph. do
cuit, in aliquib. perinde ſubcreſcunt vlcera in his par
tibus, & eadem ferè occaſione, ſicut aphthæ in ore, et
faucibus. Sed hac deinde ratione differunt hi affectus
quod (vt ſuperius diximus) in lienteria excernitur cib.
citra vllam ferè eius mutationem in uentriculo factã:
vnde (ſicuti ibidem expoſuimus) Gal. 6. Apho. defini-
Com. 1. nitione oſtenſurus, quod lienteria eſſet, ait, quod bre
uiſſima erit definitio, ſi dicamus lienteriam eſſe con-
coctionis defectum, priuationemve, & 6. de loc. affe.
cap. 2. ait, quod eadem ratione in uẽtriculo fit lienteria, qua
in ueſica affectus, qui diabetes Græcè dicitur, quo po
tus, vt bibitur, ita mingitur ſine ulla immutatione, &
utrobique duę facultates deficiunt, & quaſi abolẽtur,
quæ continet, & quæ concoquit. In diarrhęa uero, &
A cęliaca affectione non omnino deijcitur cibus citrá
ullam tranſmutationem, ſed mutatus quidem, nõ ta-
men coctus, & non omnino cruda materia, uerum
non rectè confecta, unde diluta fiunt excrementa te-
nuia, & fluida, tales. n. deiectiones (ut 2. Progno. do-
cuere Hipp. ac Gal.) omnes cruditatem ſignificant, et com. 2.
errorem concoctricis facultatis. Differunt autẽ quan
tum ex Gal. & antiquis conijcere poſſum, cœliaca, &
diarrhęa, quod cum intempeſtiua alimenti excretio
fieri poſſit, uel uentriculo irritato, ab acrimonia, uel
morſu, nimirum cum aliqui mordaces humores uel-
licando ſtimulant, aut cibus in tranſitu, quamuis ſit
acrimonię expers, tamen propter abraſionem, uel ul
cus ſubortum in inteſtinis, pungit, & uellicat, item
B quia cibus ſua multitudine facultati contentrici mole
ſtus nimis eſt, aut tertio, quia facultates naturales lan
guidæ in uentriculo, & inteſtinis imbecilles ſunt, ut ef
fluere permittant alimentum, añ tequam probè con-
coquatur, & poſt ea diſtribuatur. Cum ſit aluus hume
cta, & fluens immodicè, deiecto intempeſtiuè alimen
to ob acrimoniam, & morſum excitatum, uel quia ci
bus corruptus acrimoniam ſibi cõparauerit, uel pro-
pterea quòd bilis, uel alius acris humor in uentriculũ
defluat, uel etiam ob nimiam copiam, & pondus in-
geſti cibi, diarrhęa propriè dicitur, hoc enim inſinua-
re uiſus eſt Gal. 3. de natur. fac. ubi ait, quod diarrhœa cap. 5.
ſæpius fit demorſo uentriculo ab acri aliqua materia, cap. 20.
uel à multitudine grauato. Vnde 2. de alimen. facult.
C ait, praui ſucci ex uniuerſo corpore in inferiorem uẽ- cap. 3.
triculi partem defluentes diarrhęam pariunt, & 3. de
cauſ. ſympt. ſtranguriam, quæ ab acri humore ortum
trahit, urinæ diarrhęam appellat. Niſi tamen mẽdum
aliquod ibi inoleuerit, ut uoluerit potius dicere Gale.
ut ſtranguria, & diarrhęa. Sed quomodocunque di-
catur, uidetur uoluiſſe conferre diarrhęam cum ſtran
guria ea ratione, quod ambæ ab acri humore concitã
tur. At uero cum fluunt liquida, leniaque, neq; aliun
de occaſionem aluus habuit, niſi facultatis imbecilli-
tatem, quæ intemperiem, præſertim uerò frigidam ſe
quitur, non autem acrimoniam, uel morſum cęliaca
propriè eſt. Vnde 8. de compo. med. ſec. loc. in eodem cap. 7.
ordine collocat cęliacos, & ſtomachicos, nam hi affe-
D ctus in ſola citra alium morbum imbecillitate uiſcerũ
propter intemperaturam, ut ubi de iecinoris affectib.
in priori libro habitus ſermo fuit, explanauimus, con
ſiſtit. Sexto autem de loc. affec. res hæc ſatis apertè ex
poſita eſt, cum dixit inteſtinis, & uentriculo affectis cap. 2.
euenire creduntur lienteriæ, & cęliacæ, cum materiæ
nequaquam ſunt mordaces, nã ut mordaces omnia
inteſtina ad excretionem excitant, ita non mordaces
inteſtinorum imbecillitatem ſequi conſueuere. Sed et
5. lib. in 6. Epid. ait, exteriorum partium refrigeratio Com. 27
uentrem exſiccat: interiorum uero cõtra humectat,
atque lenit, quæ cęliacos affectus interdum concitãt.
Archigenes uero (ut Aetius ſermone 9. retulit) in húc cap. 37.
modum cœliacos affectus deſcripſit, nempe non om
E ne uentris profluuium propriè cęliaca affectio appel
latur, neque enim ſi crudi, & omnino incocti inferne
prodeunt, neque ſi corrupti, & in peregrinum habi-
tum mutati ſunt, cęliaca dicitur uerum tunc ſolum,
cum lenia, & humecta excrementa egeruntur, uen-
tre præ imbecillitate digerere nequeũte. Sequitur au-
tem ipſos aſſidua egeſtio, aliquando fętida cum animi
deliquij ſenſu, aliquando autem cum ijs, quæ egerun-
tur, ſanguis flauus, & tenuis deſtillat. Vnde & cibum
auerſantur, & decolores, & uehementer graciles fi-
unt. Sed nec Paulus ab hac ſententia alienus uidetur.
Quibus explanatis, poteſt & ratio harum affectionũ
ſatis eſſe unicuique aperta, immo & earum quoque
cauſæ, & ſigna, ſi quis rectè animaduerterit. Vnde op
portunũ erit, ut jam de illis curandis uerba faciamus.

Imprimis itaque hoc in memoriam reuocandum eſt, cuius etiã ſuperius meminimus, nimirum quod hęc omnia, de quibus in præſentia agimus, ſymptomata, quæ a diuerſis (ut hactenus a nobis expoſitum eſt) affectionibus ortum habent, & ſæpe etiam aduerſarijs, quamuis ſymptomata ipſa, quantum ad ea ſpectat, in curationis ratione nullam habent indicationem; interdum tamen adeo pręualent, ac ſæuiunt, ut ſit neceſſe, aut omnino aut maiori ex parte relictis affectionibus, contendere cum ipſis, & ea niti refrenare, cõpeſcereq́ue, quo tempore (ut ſæpe diximus) ſubeunt rationem cauſæ, ſæpe enim uel ex nimia uacuatione, uel ex frequenti motione, dum aſſiduè aſſurgere ad deijciendum coguntur, uires fatiſcunt, uel præterea quia corpus non alitur, cum plerunque in his & concoctio, & diſtributio deſiderentur, interdum & ad aquam intercutem, quandoque ad tabem perducunt, ut innumeris locis ex Hippoc. & Gal. citatis ꝓbare poſſemus, niſi res hæc uideretur ſatis aperta.

Quod ſi res ſic ſe habet, nemo eſt, qui non percipiat bipartitam oportere eſſe conſiderationem in curandis his morborum generibus, nempe ut altera ipſum ſymptoma ſpectet, altera uero affectionem, unde fit ipſum ſymptoma, atque his inter ſe collatis, quodnã ipſorum magis urgeat conſideremus. Nam recta quidem curandi ratio exigit, ut ſemper alioquin, quę ſymptomatum cauſa eſt, tollendæ incumbamus, niſi quãdo ſymptoma adeo moleſtum redditum eſt, ut præceps aliquod periculum minetur. Igitur & nos primum de ea curatione agamus, quæ affectionem reſpicit, poſtea uero & de ratione compeſcendi ſymptomatum ſermonem inſtituemus. Vt autem differentes ſunt affectiones, ita etiam neceſſe eſt methodum eſſe diuerſam, quamuis enim omnes hæ affectiones lædant, tum concoctricis, tum uero contentricis facultatis operationes, ut oſtendimus, non tamen in his omnibus eſt idem lædendi modus, ratioq́ue. Nam interdum per ſe, & primum lęduntur, interdum uero (ut philoſophi loquuntur) per accidens. Per ſe quidem hę operationes lęduntur, quando ab aliqua intemperatura contracta in uentriculo, & inteſtinis imbecilles fiunt uires harum facultatum, & quamuis omnis intemperatura cum immodica ſit (ut & 1. Apho. & ſępius teſtatur Galen.) poſſit cuiuſque facultatis robur deijcere, his tamen pręſertim nocua eſt frigida, humidaue intemperatura cum materia, & citra materiã; Inter materias uero maxime maximè pituita, & pręſertim (ut quarto Aphor. tradidit Galen.) com. 12. quę acida eſt. Per accidens uero lędunt, quę irritando has facultates, non quidem ob uirium imbecillitatẽ, ſed ob moleſtiam, cogunt expellere intempeſtiuè cibum; Cogunt autem, aut nimium pondus accepti cibi ob nimiam eius ingeſtam copiam, aut eius mordens aliqua qualitas, uel quę alioquin uentriculo, & alijs partibus plurimum ſit ingrata, aut humores acres, mordacesq́ue, qui uel in uentriculo geniti ſint, uel aliunde in eum defluant, aut in ipſo eſt cauſa, cur uellicetur, & concitetur ad expulſionem, cauſa uero eſt vlcus contractum in uentriculo, uel inteſtinis. Sed de his curandis primũ agamus, quę per accidens ſunt horum ſymptomatum in cauſa. Quod ſi nihil diximus de ſignis, quibus hę tam uarię differentię diſcernendę ſint, non eſt, cur quis miretur, cum hęc adeo perceptu facilia ſint, ut ſuperuacaneum cenſuerimus in his tempus conterere, nam de ratione cognoſcendi has intemperaturas pręſertim in uentriculo abundantiſſimè ſuperius actum a nobis eſt. Cum uero a cibo fiunt, conſiderata natura, & copia accepti cibi facilè iſtius rei cognitionem aſſequemur. Quod uero a morſu, ſenſus illius, qui ęgrotat, demonſtrabit. De ulceribus autem tam uentriculi, quàm inte-

A ſtinorum diſcernendis iam etiam, quantum ſatis eſſe poteſt, ſermo habitus eſt. Itaque quando ciborum vitio hæc contingunt incommoda, hoc ſolum procurandum, vt cibus deſcendat, atque ventriculus inanis reddatur: interea autem inedia ſeruanda, ac poſtea conſiderandum, an ventriculus ex eo errore uitium aliquod, ſicuti aliquam intemperiem, imbecillitatemve contraxerit, nam id corrigendum, ut rei opportunitas, & ratio contracti uitij exigere videbitur: nempe moderando, & emendando contractum in intemperie uitium, ac ſubinde robore ventriculo addito, ut vbi de cholera ſermo habitus eſt, exponebamus. Quod ſi alui fluxio adhuc moleſtaret, cenſendũ eſſet reliquias corrupti cibi hærentes extremis uenarum oſculis mordendo ea irritare, & huic deinde rei B occurrendum eſſet, quo modo in tractatione de curanda cholera docuimus. Si etiam aliqua ſuborta in inteſtinis, & uentriculo ulcera in cauſa eſſent, cur intempeſtiuè ex morſu excitata hæ uiſcera onus, & moleſtam rem depellere niterentur, præſertim qualia ſunt ea, quæ ſummam inteſtinorum planitiem occupant, ſimilia illis ulceribus, quæ in puerorum ore ſuccreſcere interdum ſolent, & (ut 3. Aphor. ait Galen.) aphthæ a Græcis dicuntur, curanda ea affectio erit, primum vomitu, vt eodem loco docuere Hippo. & Galen. quia ſolent eiuſmodi vlcera a tenui, & acri com. 22. humore concitari, qui facilius per ſuperiora uacuatur: nam eius generis humores potius ad ſuperius, C quam ad inferius motum habent, dummodo & ille, qui ægrotat, aptus, & tempus anni ad uomitum commodum fuerit, nam uomitui magis opportuna eſt ęſtas, deiectionibus uero per inferiorẽ aluum hyems. Inanito autem uentre, & ſubtracto fomento ulceribus iam factus morbus erit curandus, quo modo ſuo loco docuimus curanda eſſe uentriculi ulcera, nempe medicamentis, ſiccantibus, & (ut ſexto Aph. ait com. 1. Galen.) aſtringentibus. Sed ſi morſus non ab ulceribus habeat occaſionem, ſed ab acri humore, ſi quidẽ in uentriculo ille ſit genitus, procurandum, ut de uẽtriculo prius detrahatur, uel ſuperius per uomitum, ſi ſurſum propenſionem habeat, (& hoc modo duplici nomine prodeſſe poterit, & ratione uidelicet D euacuationis, remota nimirum cauſa fluxionis, & ratione reuulſionis) uel inferius, præſertim uero per clyſteres, & interdum etiam acriores; nam & hoc Gal. docuit ſecundo lib. Commen. in 6. Epid. ubi oſtendit, quod cum acri clyſtere profluuium alui ex mordaci humore curatur, curatio fit per contrariũ, ſicuti quando uomitus etiam uomitu curatur. Quo humore detracto, uentriculus roborandus eſt, quemadmodum & 8. Method. docuit idem Galen. ubi de com. 9. ratione curandi febres ephemeras a cruditatibus cõcitatas egit. Sed ſi aliunde confluant mordaces humores in uentriculum, primum quidem (nam non ſimplicem, ſed multiplicem, & compoſitam rationem curandi exquirit) conſiderandum, num ex E uniuerſo corpore, uel ex capite, uel ex iecinore defluant ad uentriculum, uel ex utero, atque illi particulæ (ut ſæpiſſimè fuit ſuperius expoſitum) proſpiciendum, procurandumq́ue, ut cauſa ab illis tollatur, cur congeſtio in illis, & mox impulſio facta ſit. Deinde uero incumbendum eſt, ut fluxio ad uentriculum inhibeatur, & ſiſtatur, ad quam ſiſtendam ea itidem erunt non modo opportuna, uerum & neceſſaria, quibus cohiberi fluxiones uniuerſas ſæpius antea docuimus, nempe reuulſiones, & repulſio. Reuulſiones uero, aut cum euacuatione fiunt, aut citra eam. Præcipua uero iſtiuſmodi cum euacuatione reuulſio (ut tum alibi, tum 6. Aphor. affirmat Gale.) eſt uomitus, quem eſſe ſalutare remedium in alui profluuio, præſertim diuturno propterea ait, com. 15.

quia curſum materiæ ab inferiori aluo auertit. Poſtea
vero & quæ apta ſunt ad vrinam ciendam, (vt quar-
com. 87. to Aphoriſ. idem ait) moliri ſolemus; quamuis Hipp.
com. 7. & Galen. 2. lib. Comm. in 6. Epid. deriuationem hãc
potius eſſe, quàm reuulſionem cenſuerit: ſicut etiam
contra, cum vrina immodicè fluit: ſi aluus cieatur, de
riuationem etiam eſſe ait: reuulſionis uero in utriſ-
que rationem habere vomitum: a qua ſententia 5.
etiam Metho. non videtur fuiſſe diuerſus. Tertia ue-
cap. 3. ro reuellendi ratio cum vacuatione, eſt ſudor, ſi ciea-
tur, fluentem enim humorem ad ventriculum extor
ſum ad cutim conuertit: qua ratione & balneũ fluen
tem aluum (ut 3. de Ratione uict. in acu. morb. teſta-
com. 59. tur idem Galen.) ſiſtit. Abſque vacuatione autem re-
uellunt frictiones (ut idem quarto de Tuen. ſani. ſcri-
pſit) & uincula, & id genus alia. Electio uero horum
inſtrumentorum rei opportunitati congruens erit, ſi
rationem habuerimus impetus, & multitudinis ho-
rum fluentium, quia ſi magnus fuerit impetus, & co
pia multa, accommodatior erit reuulſio cum vacua-
tione, præcipuè autem vomitus, niſi aliquid obſtet, nẽ
pe aut imbecillæ vires, aut corporis ineptitudo ad uo
mitum, alioquin alijs leuioribus uti ſatis eſſe poterit.
Repulſio autem fluentis materiæ fieri ſolet aſtringen
tibus comeſtis, bibitisve: præterea & exterius admini-
ſtratis, vt ſunt fotus, illitiones, cataplaſmata, & id ge-
nus alia, de quibus alibi ſermo eſt habitus. Quoniam
com. 9. verò (ut eodem ſecundo lib. Comm. in ſextum Epid.
ait) duplici ratione eiuſmodi affectiones curari poſ-
ſunt, nimirum primum euacuatione, & reuulſione,
deinde concoquentibus acres humores, atque eos in
optimam qualitatem mutantibus, aut temperanti-
bus; atque hæc vel ex eorum numero ſunt, quæ co-
medenda, bibendave ſunt, aut eorum, quæ exterius
adminiſtranda, uel inferius ſubijcienda. In primis ue-
ro præter ea, quæ ad uſum ciborum pertinent, de qui-
bus in explanatione eorum quæ ad victus rationem
pertinent, agemus, ſunt ſyrupi, ut roſaceus, uel recẽs,
uel ex roſis ſiccis, pro ut maiori, uel minori aſtrictio-
ne viſum fuerit opus eſſe, ſyrupis etiam ex cichorio,
endiuia, oxalide, neque tamen & qui ex ziziphis con
fectus eſt, alienus cenſendus ab hoc negotio, vtpote
qui refrigerandi, incraſſandique uim habet, necnon
& omnem acrimoniam obtundendi, demulcendi-
que. Sed & decocta quoque ex his rebus, præterea
ex plantagine, ſed & decoctum radicis altheæ, tan-
quam admodum diarrhœis, atque dyſenterijs accom
modatum laudauit Galen. ſexto de Facul. ſimpl. me-
dic. præterea uero pomorum decoctorum, uel po-
ma cocta cum pane, & multa id genus. Exterius uerò
ſunt linimenta ex oleo roſaceo, melino, & ſimilibus.
Inferius inijciendi ſunt clyſteres, quales erunt illi, de
quibus, vbi erit ſermo de dyſenteria curanda, erit agẽ
dum, qui fieri ſolent ex decoctis hanc uim habentib.
ſicut quę ex malua, althea, violarũ herba, quibus ad-
duntur olea cõgruentia, vt ſunt roſaceum, uiolaceũ,
amygdalinum, prę ſertim dulce, prętereа & adipes, ut
ſunt anſerinus, gallinaceus, veruecis, vel (ut aiunt) ca-
ſtrati, item & capræ, uel hirci, & ſimiles. Mihi ſæpe in
uſu eſt ius inteſtinorũ pingue, quod farctores paſſim
uendunt, prę ſertim quod pingue eſt. Sed & clyſteres
ex lacte ſimplici, uel addito butyro optimi ſunt, & ma
ximè huic rei apti. At uero ubi hæc mala ab aliqua
uẽtriculi, & omnino alui inferioris imbecillitate per-
tinente ad concoctricem, uel contentricem faculta-
tes ortum habent, licet poſſint hæc mala, ut ubi de
cholera egimus, expoſitum fuit, ſequi quamcunque
intemperaturam, ſiue cum materia illa ſit, ſiue citra
materiam, quãdo magnus fuerit exceſſus, præſertim
uero frigidæ, & cum materia, & abſque ea comites
ſunt hæ affectiones, materia uero, quæ frequentior

A ſolet in his eſſe moleſta, eſt pituita, maximè uerò aci-
da, vt iam ſuperius diximus, quarum diſcretio nõ eſt
difficilis. Nam ſi quidem ex alio genere intempera-
menti prodeat, harum facultatum imbecillitas, cum
multus eſt exceſſus, facile à quocunque, vel leuiſſimè
exercitato, percipietur. Cum autem à frigido, aliquã-
tiſper maioris negotij erit dignoſcere, adſit materia,
necne. Et quamuis de ſignis abundè in tractatione
de affectibus uentriculi ſermonem habuerimus; ope
rępretiũ tamen fore cenſemus, ſi quędam referamus
huc ſpectantia, quę à Gal. 6. Apho. literis tradita sũt, Com. 1.
nimirum quòd ſi congeſta ſit acida pituita, quę fuerit
iſtius morbi cauſa, perpetuo, tanquam eius ſympto-
ma proprium, excitabuntur acidi ructus. Sed ſi ſola
B fuerit intemperies ſine ulla alioquin materia, inter
initia morbi fient acidi ructus: uerùm ulterius re pro
grediente, & aucta intemperatura, non amplius per
cipitur ulla in ructibus aciditas, nam (ut ſuperius re-
latum eſt) hi affectus, qui ab intemperatura ortũ ha-
bent, nequeunt repente fieri, ſed paulatim, unde in
initio nõ ſtatim, ut ingeſtus eſt, ita egeritur cibus, ſed
eatenus ſaltem detinetur, quatenus aliquod conco-
ctionis initium conſequatur: quo fit, ut acidus oriat
ſapor. Creſcente uero morbo, nec illud quidem fieri
poteſt; ac proinde in crudiori uentriculo, & læuitate
inteſtinorum appellata, ſi eo deuentum ſit, ut acida
primum eructet ęgrotus, mox ructus ſint acidi ſapo
ris expertes, creſcentis intemperiei ſine materia ſi-
C gnum eſt, quod ſi iterum incipiat acidus ructus erũ-
pere in ſignis bonis id ponendum eo Apho. cenſuit
Hippoc. Sed paucula quędam de curatione iſtius dif
ferentię dicamus, nam ſuperius, cum fuiſſet ſermo
de uentriculi affectibus, copioſe hęc tractata ſunt,
nempe quod contrarijs, & cibis, & potionibus, me-
dicamentiſque tam externis, quam internis, ſit opus,
quia uniuerſa ratio huius curationis hunc habet ſco
pum, ut corrigatur intemperẽamti morboſus exceſ-
ſus. Quod ſi materia adſit, ea prętereа ducenda eſt:
in qua re & momentum humoris conſiderandum,
num ad inferiorem uentrem propenſus ſit, uel ad ſu
periorem & per eam uiam erit ducendum, ſed ut fa-
cilius educi poſſit parandus rebus incidentibus, & de
D tergentibus, ſicut ſunt ea, quę tenuiorum partium
ſunt, ut genera piperis, prę ſertim uerò album, & dia-
trionpipereon, pręcipuè uero ubi abſit febris, dein-
de clyſteribus deorſum: quandoque etiam (ut paulò
ante diximus ex Galen.) acrioribus procurandum
eſt, ut ea materia detrahatur, uel uomitu [per] ſu-
perius. Quod ſi præterea interdum neceſſe ſit, &
purgantibus medicamentis ad hunc uſum uti: non
ſunt admittenda niſi leniora, & quę pręter uim pur
gandi, uim aliquam roborandi, & aſtringendi ha-
beant. Nam (ut Auicen. ait) uentrem ſoluere ſu-
per uentris ſolutione timoroſum eſt. Poſtremo au-
tem loco & de uictus ratione congruente his affecti
bus curandis nonnulla dicemus. Primum ergo, vbi
E ſupprimenda eſt fluens aluus, quieti, ſomnoque in-
dulgẽdum eſt: nam ſomnus quidem utilis, ſi qua alia
res eſt, & id duplici de cauſa. Primum quia plurimũ
ad detinendum cibum confert, utpote qui omnes pꝛ-
ter ſudorem euacuationes contineat. Prętereа (ut
Galen.) primo quarto, & quinto Apho. & alijs mul- com. 1
tis in locis docuit) mirifice concoctionem iuuat, qua Com. 67
maxime in hoc affectu opus eſt. Quies uero ſedat hu com. 27
morum, & corporis conturbationem, quam (ut Hip Aph. 14
pocrat. quarto Aphor. ait) commouet motio, & exer Cõm. 2
citatio: unde moueri corpora noluit, quę purganda
ſunt. Sed in primis à motu, & exercitatione abſti-
nendum illis eſt, qui his affectibus laborant, poſt
cibum acceptum, quod in lib. de ſalub. uict. rat. mo-
nuit Galen. nam citius eum deſcendere facit. Quan-

tum autem ad cibum, & potũ ſpectat, nemo eſt,qui non percipere poſſit ex ſe etiam cibum illum commodum futurum eſſe, qui concoctu ſit facilis: cum præſertim concoctrix facultas ſit malè affecta: præterea qui non ſit ad corruptionem facilis,& tunc maximè,cum ab acrioribus, & mordacibus humoribus citata eſt aluus, de quibus ſatis à nobis ſuperius fuit habitus ſermo. Sed & hoc ex eodem libro addendũ videtur, quod vim inſignem habet, nempe quàm maximè cauendum, ne frequens ſit cibi aſſumptio: ſed ſemel tantum ait ipſe, reſpiciens ſanè ad illorum temporum conſuetudinem:nunc autem ſatis erit bis comediſſe: nam natura auarior fit, & magis continet in penuria:liberalius vero in affluẽtia profundit. Sed & quo ſimplicior fuerit cibus,eo familiarior erit uentriculo,& minus turbabit, faciliuſque continebitur, & cõcoquetur: ſicuti contra multiplex, & uarius cibus in eadem menſa turbat uentriculum, ut & ægre continere, & non facilè poſſit concoqui. Quod non in cibo ſolum eſſe ſeruandum conſulit, verum & in potu: varia enim & multiplicia vina ventriculum confundunt; nec modo varietas vinorum fugienda eſt, ſed copioſus potus: nam & hoc eſt Galeni præceptum quarto Aphoriſ. ſed & ſi auſteritatis fuerit particeps (ut idem in libro de cibis boni, & mali ſucci ait) utilius erit: nam & fluentem aluum inhibere poteſt, & ventriculum firmare. Sed hoc in uniuerſum adhuc de ciborum ratione expoſito finem faciemus huic tractationi, quod ad ſiſtendum profluentem aluum congruentes ſunt cibi, qui ſaporis acerbi, auſterive ſunt acres, ſalſi, amari, dulceſque tam cibi, quàm potus. De ea autem ratione, qua ſit curandum immodicum alui profluuium, quando eo peruenit, ut iam aut vniuerſam, aut magna ex parte curationem ad ſe conuertere cogat,poſterius agemus, vbi abſoluerimus omnes differentias profluuij, quarum in priori capite meminimus.Conuertamus ergo ſermonem ad alui profluuium, quod hepaticũ dicitur.

com.22. com. vlt.

De alui profluuio ex vitio iecinoris concitato, quod hepaticum appellant, tam cruento, quàm diuerſorum colorum. Cap. VI.

NOn omne alui profluuium vitio iecinoris concitatum antiqui, & celebres medici hepaticum (ut ſuperius inſinuauimus) appellare conſueuere,ſed illud duntaxat, quod ex ſola imbecillitate contracta ex aliqua intemperatura citra aliud genus morbi, vt eſſent tumores, vel obſtructiones, occaſionem habuit, præſertim uero quando excernitur cruenta quidem, ſed diluta deiectio,de quo paulò poſt loquemur: in præſentia enim de eo agemus, quod contingit ratione obſtructionum occupantiũ venas, uel in ſuperiori, & conuexa, uel in inferiori, & concaua eius parte, impedita ſanè attractione,non ex proprio facultatis defectu, uerum ob uiarum, per quas alimentum trahendum eſt, impedimentum quod profluuium per periodos fieri ſolere Auicenna,Serapioque ſcripſere, Ac licet hoc ſit huic differentiæ profluuij proprium, Galenus tamen ſexto de Loc.affect. id attribuit profluuio, in quo deijciuntur hepaticæ, hoc eſt cruentæ excretiones: ſed in his non facimus multam uim,quia neque eſſet mirum ſi hoc eſſet utriuſque commune, longiores tamen periodos intercidere in eo profluuio, quod oppilatiuum illi appellant,dixere Auicen.& Serap.quã in hepatico Galen. de huiuſmodi ergo profluuio curando primum agamus: neque alioquin in ſignis,quibus cognoſcendum ſit, exponendis erimus multi, quia præter id, quod liquidæ, & (ut iuniores aiunt)

ip.2.

A chyloſæ ſunt deiectiones, uel ſubcruentæ,ut ſuperius diximus, ſunt etiam obſeruanda ſigna, quibus ſuperiori libro vbi de iecinoris affectibus ſermo fuit inſtitutus, diximus deprehendi poſſe iecoris obſtructiones. Sed neque in exponenda eius curatione longiori oratione opus erit, cum uniuerſæ iſtius rei, ita dicam, ſtatus conſiſtat in remotione cauſæ profluuij, nempe illius vitij,a quo omnis ratio fluendi prodit: nimirum ut obſtructiones aperiantur. Vnde in hac curatione, licet quantum ad indicationem a ſymptomate depromendam pertinet, ſi ulla tamen inde eſſet depromenda, uideretur aſtringentia eſſe opportuna, cum ea præſertim ſint fluxioni contraria; quia tamen augent, & difficiliores reddunt obſtru- B ctiones; ideo rectè Auicen. tanquam maximum errorem damnat, ſi quis fluentem aluo ex obſtructionibus, aſtringentibus eam cohibere nitatur, cum potius apertioni omnino incumbendum ſit; & non ſolum aperientibus, ſed & euacuantibus, nempe ut ea, quæ obſtruunt, poſtquam parata fuerint, euacuentur, erit opus. Ait autem idem Auicenna citato Hippocr. uomitum ſalutarem admodum in hoc affectu eſſe, ſi ſua ſponte excitetur, & tandem eadẽ ratione tractanda eſt res hæc, qua curari obſtructiones diximus.Quatenus uero ad uictus rationem pertinet,laudat,& rectè quidem Auicen. ut cibus ſit partiendus, ac ſemper aliquid dandum, quod adiuuet penetrationem cibi in iecur, & ad aperiendas obſtru- C ctiones utile ſit, quemadmodum eſt medicamẽtum, quod a Galeno diacalamentum nuncupatur, cuius ille quarto de Sanit. tuend. meminit, & alijs omnibus id in hoc officio præfert. Reliquæ uero differentiæ profluuiorum, quæ in uitium iecinoris propriè referendæ ſunt ab imbecillitate iecinoris originem habent,ad quancunque illa facultatem attineat,concoctricem nempe, aut contentricem, aut attractricem, neque enim quantum ad curandi rationem pertinet, illud admodum refert, quia cum hæ facultates omnes ex aliqua in viſcere intemperatura contracta lædantur, rationem curandæ intemperaturæ illius natura indicat primum,deinde uero natura particulæ malè affectæ, pro ratione ergo intemperamẽ- D ti,quo iecur eſt affectum,erit curandi inſtituenda methodus, quę huic particulę ſit congruens. Et cum intemperamentum quodcunque, cum fuerit inſigne, vires deijciat iecinoris, primus & præcipuus ſcopus erit intemperiem corrigere, & ad naturale temperamentum viſcus reuocare. Intemperaturę autem omnes(ut ſępius dictum eſt) cum modum plurimum exceſſerint, particulas reddunt infirmas, pręſertim uero frigidior, & calidior, humidior tamen cap.7. interdum (ut octauo de Compoſi. medic. ſecundum locos tradidit Galenus) debile iecur efficit, ſubſtantiam ipſius laxando, ſicuti & articuli laxantur, nec modo ſimplices, ſed & compoſitę temperaturę lędunt uiſcera. Agamus ergo de curando affectu iecinoris cum ex calida intemperatura factum eſt imbe- E cillum, nam de ſignis harum intemperium ſuperuacaneum uidetur in pręſentia agere, cum in tractatione de iecinoris affectibus res hæc latè fuerit expoſita. Sed tamen hoc quoque non prętermittendum cenſemus, quòd in pręſenti ſermone de curandis, tam alui profluuijs, quàm alijs hepaticis affectibus, qui propriè hepatici dici ab antiquis medicis conſueuere, nempe quando in uiſcere contracta eſt imbecillitas ex ſola intemperatura citra aliud morborum genus, (nam ſi ibi inerit inflammatio, aut aliquis alius morboſus tumor, profluuium alui, & alia incommoda conſequi poſſunt, ſed id neque hepaticus affectus, neque profluuium appellari dixit Galenus ut ſuperius adduximus, neque ſub hanc cura-

tionem redigendum eſt, de qua ſermo nunc inſti- A tuendus eſt: ſed referenda erunt illa omnia ad caput de inflammationibus, vel alijs iecinoris tumoribus) in primis inquam hoc in hepaticis affectibus animaduertendum eſt, quòd quamuis in imbecillitate facultatum iſtius viſceris vniuerſa horum affectuum ratio conſiſtat: robur verò præcipuè illi afferunt, quæ aſtringunt, cauendum tamen, ne plurimum aſtringamus, & id quia viſcus hoc quàm maximè aptum eſt, vt in eo fiant obſtructiones, præſertim uero quando imbecillum factum eſt: obſtructiones verò maximè ſunt illi, & eius operationibus aduerſariæ. Vnde illæ medicinæ maximè (ut nuper dicebamus) laudari ſolẽt in his affectibus quæ ſi aſtringant, modeſtè quidem id faciunt, & tantum, quantum ſatis eſſe poteſt ad B roborandum viſcus, & præterea aliquid habẽt, quod vim detergendi, & aperiendi habeat, ad cauendas obſtructiones: ſicuti contra etiam neque illa opportuna ſunt, quæ uel calefaciunt, uel refrigerant, uel humectant citra illam aſtrictionem, quia ea omnia uires iecinoris deijciunt. Agamus igitur tandem de curanda iecinoris intemperie calidiore, ponamusq́ue commune fundamentum prius, quod ſicuti omnis affectus ſuo eſt contrario curandus: ita etiam intemperies quæcunque remedijs corrigenda eſt, quæ qualitatibus, & uiribus illi aduerſentur. Vnde quæ refrigerant quidem, non ſunt autem alicuius amaritudinis expertia, & aſtrictionis, ea (ut eodem octauo de Compoſi. medic. ſecundum loc. docet Galen.) om- C nes eas conditiones habent, quas ratio iſtius uiſceris requirit, utpote quoniam neque immodicè poſſint refrigerare, quod plurimum eſt aduertendum, quia non ſine ingenti periculo eſt uehemens iecinoris refrigeratio, ne ſimul cum extraneo extinguatur eius natiuus calor. Quare in emendanda iecoris calidiori intemperatura præ omnibus alijs laudantur genera cichoracearum herbarum, ut ſunt endiuia, & intubus, cucurbita, ſonchus, & id genus reliqua, quæ quidem ſecundum omnem adminiſtrationis modum (ut ibi docuit Galen.) plurimum conferre poſſunt, ſiue (quemadmodum docuit Aſclepiades) bibenda exhibeantur, nempe ut cyathus ſucci endiuię, uel cichorij ex tribus cyathis aquæ calidæ, addito cochleari D mellis Attici, uel ex totidem cyathis mulſæ detur, ſiue ut hac tempeſtate, in qua ubique reperiuntur ſyrupi (ut aiunt) tum ex ſucco cichorij, tum ex ſucco endiuiæ, & melle uel ſaccharo parati, qui poſtea aliqua aqua diluti eandem rationem habebunt, quam medicamenta ab Aſclepiade deſcripta, & hi ſimplices quidem appellantur, quia fiunt ex ſolis harum ſuccis, & qui compoſiti dicuntur, de quibus paulo poſt loquemur. Sed non modo in hunc modum exhibitæ herbæ hæ conferre mirificè poſſunt. Sed & decocta earum, & aridæ quoque, tuſæq́ue, & in puluerem redactæ, & inſperſæ alicui accommodato potui: præterea & earum ſuccus, tam recens, quàm arefactus, & tandem quocunque modo utiliter in E hoc affectu dari poſſunt. Et ad remouendam quidem intemperaturam calidiorem hæc in primis erunt accommodata. Quod ſi quis alicubi ſit, ubi deſint hæ herbæ, reſpiciendũ erit ad eas facultates, quas diximus laudatas fuiſſe, & ex pluribus unum conficiendum medicamentum huic rei idoneum, ſicuti ſi oxalydem acceperimus, & quid abſinthij addiderimus, aut eupatorij, aut ſpicæ, uel ſi lactucam addita cinnamomi particula, ita tamen ut potius aliarum frigus ſuperet ſpicæ, uel cinnamomi calorem, hæ tamen uim roborandi aperiendique illis impartiantur, uel eiuſmodi aliæ fiant compoſitiones. Sed quis fortaſſe interrogauerit, atqui ſi intemperies fuerit cum aliqua materiá, nempe bilioſa, ſicuti in iecinoris intemperatura calida bilis copioſior generatur, quid mihi erit agendum? Galenus id, ſi memores ſumus, docuit; euacuanda illa erit, & in profluuio alui vtilis præcipue erit uomitus, ut qui ſimul vacuet, & reuellat: alioquin enim conſideranda eſſet naturæ propenſio, & pars, quæ maiori tenetur affectu. Nam ſi ad vias vrinæ maius videatur habere momentum; utpote quia conuexa viſceris pars magis affecta ſit, iuuanda erit natura, additis aliquibus (ut ibidem viſus eſt Galenus inſinuare) quæ vim habeant lotium ciendi, quæ tamen non calefacient: de quibus alibi ſermo erit inſtituendus: Sed ſi per aluum magis per inferiorem aluum ducendus erit ſuperuacaneus humor: ſed modeſte in alui profluuio id erit agendum, neque aliquod præſtantius medicamentum rhabarbaro in hac euacuatione molienda reperiri poteſt, niſi quod calidius eſt, ſi tamen ex aliquo refrigerante decocto maceretur, uel illi inſperſum dederimus neque etiam nocere poterit. Vnde cum alui profluuium iecinoris imbecillitatem ex calida intemperatura ortum habentem ſequitur: ſyrupi, qui in frequenti uſu nunc ſunt, eſſent quàm maxime congruentes, appellantur autem ex cichorio, & ex endiuia compoſiti, qui, dum conficiuntur, modicam quandam rhabarbari portionem accipiũt. Sed neque maiori copia opus eſſe videtur, cum aluus liberaliter, & ſponte fluit; ſi tamen uideretur eſſe copioſiori purgatione opus, poſſet ſcrupulus rhabarbari unciæ, uel ſeſquiunciæ addi. Sed & diluendi præterea eſſent ſyrupi aliquo accommodato decocto refrigerante, & roborante, nec tamen (ut diximus) obſtruente. Horum uero ſyruporum auctores fuere, illius quidem ex cichorio Nicolaus Florentinus, eius uero ex endiuia Gentilis. Sed non modo interius acceptis medicamentis agere oportet uerum & illis, quæ exterius adhibentur, quæ & & ipſa eandem rationem qualitatum requirunt, quã & quę interius aſſumuntur, nempe primum, ne actu frigida adminiſtrentur, ne natiuum calorem extinguant; pręterea ut ſemper uim aliquam aſtringentem, & roborantem habeant, neque tamen eam, quę poſſit obſtructiones concitare, immo ſi aliquid illis addatur, quod leuiter calefaciat, & aperiat, dummodo uires refrigerantium non ſuperet, ut ſunt ea, quę tenuiorum partium ſunt, non parum proderit, inſuper ſi his & aliquid aceti indatur, utiliter iudetur ad penetrationem. Itaque illa eadem, quę in medicamentis interius aſſumendis laudauimus, exterius adminiſtrata proderunt. Nam ſi accipiamus exempli cauſa cichorij, endiuię ſingulorum pugillum, abſinthij comę dimidium pugillum, quę ex aqua addito modico aceto coquantur, eo quidem decocto foueri poteſt dextrum pręcordium. Ex contuſis uero herbis, addito oleo roſaceo, & drachma cinnamomi, atque ſemuncia unguenti appellati ſandalini, confici emplaſtrum poteſt. Sed ſi accipiamus ſuccos endiuię, ac cichorij, quibus addamus olei roſacei, & abſinthini, quantum ſatis ſit, ſicuti ſi ſuccorum ſingulorum uncias tres accipiamus, roſacei olei uncias duas unam uerò abſinthini, & ſemũciam aceti, quę tepefiant conquaſſata ſimul, excipianturque linteo, ac apponantur. At fotus ex ſolo roſaceo poteſt eſſe utilis. Poſſemus quidem multa ſimilia deſcribere, ſed nimis longa euaderet hęc tractatio, nam ſi hęc tanquam exempla accipiantur ad horum imitationem innumera ferè componi poterunt, etenim & unguentum roſaceum deſcriptum a Meſ. & ceratum roſaceum a Gal. deſcriptum, quod in pręſentia infrigidans Galeni nuncupant, & multa alia, quorum in libris medicorum facta eſt copioſa mentio, poſſent huc afferri, quę nos prętermittimus in

pręſen-

præſentia: nam commodus eorum vſus facilè, ſi cum his conferatur, percipi poterit. His autem illis, quæ hactenus deſcripta ſunt, additis, ad explanationem eorum quæ ad intemperiem frigidam pertinent, tranſibimus. Ea verò ſunt, quod multa, ac fere omnia localia medicamenta, quæ deſcripſimus, tanquam utilia curandis inflammationibus iecinoris, non inutilia erunt ad curandam calidam eius intemperiem. Deinde, quod in ratione victus ea ſunt declinanda, quæ calefacere poſſunt tam in cibo, quàm in potu, & ea, quę non facile concoquuntur, ſiue ob multitudinem, ſiue ob propriam naturam non facile a calore ſuperari poſſint. Vnde in calidiori intemperie a Galen. 8. de Comp. med. ſec. loc. cum quo alij conſentiunt potus vini nulla ratione probatur: ſed & motus laborioſus noxius eſt; nimia vigilia, animi uehementes & cōcitati motus, præſertim verò ira. Sed ad frigidam tandem intemperaturam curandam orationem cōuertamus: in qua nemo non videt calefacientibus eſſe opus, non eis tamen, quæ eius uiſceris robur diſſoluere poſſint, ſed quæ & ipſa alicuius aſtrictionis nō ſint expertia: quia ſemper ad robur uiſceris animus eſt intendendus. Calefacientia itaque ſimplicia, quæ in primis iecinori refrigerato, & imbecilliori commoda ſunt, & ſi plurima ſint, nos tamen aliqua tantum, & quæ magis præcipua ſunt, referemus. Igitur abſinthium optimum eſt, & eupatorium, quod agrimoniā nunc vulgo appellant, & fumaria, quàm fumum terræ, betonicam etiam Dioſcorides commendat: ſed & ſpicæ omnia genera, & quæ nardi dicitur, & quæ celtica: ex fructibus vero in primis piſtachia utilia sūt, & amygdalæ, maxime quæ amaræ ſunt: ex aromatibus cinnamomum in primis, ſed & alia iſtius generis aromata, ut macer, gariophyllum, zingiber, nux moſcata appellata, vinum etiam aromaticum. Ex his autem, & pulueres, & decocta, & (ut aiunt) confectiones confici poſſunt, uel electuaria a noſtris medicis dicta. Compoſita uero medicamenta ſunt, ut ſyrupi ab Arabibus dicti, in quibus eſt is, qui ex abſinthio & qui ex betonica tam ſimplex, quàm compoſitus, ex fumaria, ex corticibus citri. Longo autem vſu, & experientia cognitum eſt, ſyrupum quem ex eupatorio Meſue appellat, in his iecinoris affectibus, (quamuis id, quo ipſe vtitur, non ſit eupatorium, cuius meminere Galen. & Dioſcor. & cæteri Græci) plurimum eſſe utilem. Confectiones uero (ut nunc appellare conſueuere) accommodatæ ſunt, aromaticum roſaceū, aromaticum gariophyllatum, diagalanga. Sed & quę electuaria dici conſueuere, in quibus præcipue laudatur medicamentum id, quod Galen. in Andromachum 8. de Comp. med. ſec. loc. auctorem retulit, &

Cap.7. & cyphoide appellauit, ab Arabibus uerò, & noſtris iunioribus tum electuarium de paſſulis, tum de uino dicitur, & fere omnibus alijs medicamentis ad imbecillitatem iecinoris tollendam a frigida cauſa excitatam omnino præfertur. Sed cum inueteraſcit morbus, vim magnam habent antidoti illæ maiores, ut theriaca, & mythridatia, & id genus reliqua. Hæc igitur omnia intēperaturæ frigidiori congruentia ſunt, præſertim vero ubi ea a materia nō foueatur? Quod ſi cum materia fuerit, opus præterea erit aliquibus medicamentis, quibus materia illa frigida ſit detrahenda, niſi ea adeo eſſet interdum modica, ut ſperaremus ſolis digerentibus, & attenuantibus poſſe diſcuti: alioquin enim ea educenda eſſet eo uacuationis genere, quæ ſenſibus eſſet aperta, & cum illa, quantum ad pręſens negotium ſpectat multiplex eſſe poſſit, per uomitum, per urinam, per ſudores, per aluum inferiorem: priores quidem euacuationes duplicem (vt ſæpe diximus) in euacuando rationem ſeruant nam præterquam quod uacuant, etiam reuellunt,

A quæ quidem ratio potens admodum eſt ad fluxionē citra ullam noxam inhibendam. Sed in eis hoc eſt cōſiderandum, quod uomitus quidem eam præſertim uacuandi uim habet, quæ in uentriculo cōgeſta ſunt: a remotioribus tamen, niſi ualentioribus medicamentis cieatur, nequit euacuandos humores attrahere. Per ſudorem uero ij præcipue educuntur, qui in habitum corporis uniuerſi & in uenas per eum diſperſas digeſti ſunt, ut non facile, qui continentur in iecinore, præſertim ſi frigidi, & craſſiores ſint, per ſudorem vacuari poſſint. At per vrinam facilius uacuātur ſuperuacanei humores, (ut ex ſententia Gal. ubi de iecinoris affectibus curandis agebamus, fuit expoſitum) qui in ſuperiori, & conuexa iecinoris parte cō

B geruntur, ſicut per aluum inferiorem, quæ in concaua. Verum quia (ut monebat Auic.) uentrem ſoluere ſuper uentris ſolutione timoroſum, ideo quando per medicamenta purgare fore utile iudicamus, ſi aluus copioſe fluat, quamuis ſperemus, quod ſemel uacuata copia humorum, quos eſſe occaſioni fluxionis iudicamus, ſit etiam alui profluuium ſiſtendum, caute tamen & non ſine aliquo timore agendum eſt, & illis duntaxat medicamentis adhibitis, in quibus præter ſoluendi vim ſit non obſcura aſtringendi facultas. Vnde in alui profluuijs myrobalani in maximo vſu ſolent eſſe, chebuli quidem, ſi pituita citrini uero, ſi bilis. In hoc autem affectu, ubi uitio iecinoris laborantis frigidiore intemperatura uideatur eſſe o-

C pus purgatione, rhabarbarum eſſe optimum medicamentum: nam & ſi bilem magis purget, uim tamen & pituitam uacuandi habet, præterea uero intemperaturam frigidam contemperare poteſt, qua ratione etiā uiſceris imbecillitatem poteſt remouere, nec minus aſtrictione, qua ſatis inſigni præditum eſt. Dioſcorides uero in hepaticis affectibus non minus agaricum laudat. Quod ſi compoſitis medicamentis eſſet utendum, hæc duo nobis uiderentur præcipua eſſe cenſenda, hiera nimirum ſimplex dialoes dicta, & medicamentum id, quod diacatholicon appellauit Meſue. His ergo uel ſimilibus medicamentis, ſi interdum eorum uſus ſit neceſſarius, ob id quia multa uideatur redundans materia fouere iecinoris intem-

D periem uti opportunum erit. Sed iam tempus opportunum eſt, ut quantum ad hanc profluuij differētiam pertinet, receptui canamus, & ad alias exponendas tranſeamus. At uero in illis explanandis, quæ in uitium lienis ſunt referendæ, cum (ut ſępiſſimè diximus (profluuium alui ſymptoma ſit, quod, cum uitio lienis accidit morboſos lienis affectus ſequitur, nempe aut obſtructiones, aut tumores præter naturam in eo uiſcere ſubortos, aut imbecillitatem, quę comes ſit alicuius intemperamenti, in propatulo omnibus eſſe poteſt, eiuſmodi alui profluuia curari nulla alia ratione poſſe, niſi curatis proprijs lienis affectibus, perinde ut de hepaticis profluuijs diximus. Similes autem, atque ferè eædem ſunt utrobi-

E que curationes, quare ſuperuacaneum omnino eſſet de his longiorem ſermonem habere, cum ex illis, quæ de iecinore ſunt a nobis tractata, hæc etiam facillimè percipi poſſint. Imò ſi recte rem perpendere uoluerimus, ab his, quæ hactenus de his differentijs expoſuimus, ſi ea conferantur, quæ dicta ſunt de ratione curandi affectus earum particularum, quarum uitio concitatum eſt alui profluuium, facile quiuis quantumlibet teuiter in hac arte eruditus poterit inire rationem, qua ſint & hæ differentiæ, quæ ortum habent a conſenſu uentriculi, & inteſtinorum cum illis particulis [communes.] Nam ſi a capite habeat ſuam originem, cum id non accidat, niſi ex deſtillatione a cerebro ad uentriculum, & inteſtina, oportet primum procurare, ut tollatur de-

ſtillatio:de qua tollenda ſatis, ſuperq́ue egimus in ſuperioribus libris. Niſi quod ſi aliquando ſit neceſſe, vt ſæpe neceſſe eſt, in curando catarrho purgare per aluum inferiorem, cum aliqua cautela id agamus, hoc eſt, vt id modeſtè agamus, & medicamentis, in quibus ſit aliqua immixta vis aſtringens, quæ immodicum profluuium refrenet. Atque in his eadem ſeruanda eſt regula, quam in alijs ſeruandam diximus; nempe quod ſi materia poſſet ſimul vacuari,& auerti a ventriculo, & inteſtinis, ut per ea, quæ vim habent ciendi lotia, aut ſudorem, res tutior eſſet. Ego tamen non ſemel vidi in alui fluxione ex deſtillatione, acceptis tribus pilulis cochijs appellatis, atque facta liberaliori euacuatione, deſijſſe profluuium, atque eos fuiſſe integrè curatos, præſertim poſtea roborato uentriculo. Sed & alui profluuium, quod ab vniuerſo corpore occaſionem ſuam habet, rationem curationis non admodum ab hac diuerſam requirit:præter enim illam differentiam, quæ ſequitur maximam infirmitatem omnium facultatum,præcipue vero contentricis,ſicuti in malignis febribus, & phthiſicis etiam, qui iam ad extremum deuenerint, ſolet contingere, nam de his non videtur loquendum,cum deſperata ſit eorum ſalus. Sed cum uel ex nimia humorum copia, vel ex acri, & mala humorum in habitu vniuerſi corporis contentorum natura illud accidat: multa uero copia vel ob conſtipationem cutis, quæ diſflationem, & digeſtionem impedit, uel ex liberaliori uictu citra exercitationem congeritur, aut ex ſuppreſſa aliqua conſueta vacuatione: Mala autem humorum natura vel ab aliqua intemperie, aut in vniuerſo corpore contracta, per quam particulæ corporis vitiant alimentum, quo erant alendæ, aut in iecinore: vel ob improbam uictus rationem, quicquid fuerit, ſemper prius remouenda eſt prima occaſio. Vnde, ſi victus fuerit liberalior, aſtringendus erit, & parco illo erit utendum, ſi vitioſus fuerit corrigendus, ſi conſtipatio præceſſerit,cutis molliend a prius,& rarefacienda. Mox vero aut multitudo tollenda, aut mali humores purgãdi, Multitudo uero uictu tenui primum poterit imminui, mox frictionibus, & balneis,niſi putrida febris obſtet, præterea uero illis,quæ cient urinam,uomitumq́ue,& ſudorem prouocant, Id autem præeligendum erit, quod facilius & minori moleſtia poterit illud præſtare, quòd quærimus, perſpecta natura, & facilitate corporis vacuandi,naturaq́ue & propenſione humoris, quem ſumus detracturi, nam in his non modo inaniendi corpus uis eſt, ſed etiam materiam,quæ ad aluum præceps fertur,reuellendi,aut deriuandi. Quod ſi ea eſſet, aut plenitudo in uniuerſo corpore, aut vitioſorum humorum copia, ut his inſtrumentis non putaremus poſſe opportunitati ſatisfieri, cogeremurq́ue rationem curationis alio modo inchoare, raro quidem a miſſione ſanguinis eſſet ſumendum eius initium, Quamuis quidam iuniorũ tanquam arcanum habeant in alui profluuio, præſertim cruento & in dyſenteria ſanguinem mittere. Habemus tamen Galeni apertam ſentẽtiam & Hippoc. qui quarto de Rat.vict.in acu.morb. decernunt, [com. 94.] quod aluo fluente non ſit uena ſecanda, quo loco ait Galen.quod ſi opportunum videatur uenam ſecare, prius aluus fluida ſiſtenda.Quando vero potius purgandum videretur,nõ eſt,cur multa de hoc dicamus, nam huc etiam ſpectare poſſunt, quæcunque de hac re diximus, cum de ratione curandi fluxus hepaticos ageremus. Vnde non abs re fuerit, ut iam ad inteſtinorum affectus conuertamus orationem, qui inteſtinorum proprij ſunt: primumq́ue de dyſenteria agamus.

De dyſenterię inteſtinalis curatione. Cap. VII.

QVoniam ſuperius diximus, quod dyſenteria duos diuerſos affectus ſignificat,qui quidem licet in nomine conueniant,quantum ad cõmunem vſum iſtius uocabuli pertinet, ex parte tamẽ rei non aliam habent ſimilitudinem, niſi quod in utriſque cruenta deijciuntur, ſed diuerſiſſimis de cauſis. Nam in hoc, de quo in præſentia ſermonem habemus, ſanguis, qui per ſedem deijcitur ex inteſtinis, & eorum ſubſtantia,uel uenulis exit, abraſa,& exulcerata eorum tunica, unde hoc fieri nequit, niſi eroſis,& male affectis inteſtinis, & proindè propriè, & rectè dyſenteria, quaſi difficultas, & affectus inteſtinorum eſt. In altera uero dyſenteriæ differentia ſanguis ſine ulla abraſione, & ulcere a iecinore,uel uenis ad ipſum attinentibus effunditur, & aliquando etiam copioſus, cuius nuncupatio impropria eſt, & fortaſſe ex errore priorum,qui ad eam tranſtulerunt dyſenteriæ nomen,quamuis poſteriores,ad diſtinctionem, ne ex uocabuli ambiguitate aliquando error poſſit contingere, priorem inteſtinalem, hanc uero hepaticam dyſenteriam appellauere. Quod ſi quis dubitet,quanam ratione,& quibus indicijs ab illa poſſit diſcerni, non erit difficilis diſcretio,ſi quis ad copiam excreti ſanguinis, & modum excernendi reſpexerit, Quia in propria dyſenteria non excernitur ſanguis multus, neque confertim, ſed paulatim, & crebro, modicusq́ue,& aliquando (ut 3 de Sympt. cauſ. docet Galen.) grumoſus; In hepatica uero confertim, & copioſus. Præterea (ut idem 6. de Loc. affect.) in [cap.2.] priori, & propria dyſenteria cum ſanguine abraſio conſpicitur, & quædam quaſi ramenta ab inteſtinis [cap.2.] abraſa, adhæc & cum torminibus, doloribusq́, fiunt deiectiones frequentes, neque per interualla longiora. Contra vero in cruenta,& hepatica dyſenteria, neque aliquid,quod abraſionem referat,conſpicitur, neque cum dolore deiectio fit, ſæpe etiam per periodos, & longiora interualla. Sed de hac abunde priori capite uerba fecimus. De curanda ergo dyſenteria, quæ propriè ad inteſtina pertinet, in præſentia agamus, & quamuis in hac curanda non ſit omnino eadem ſeruanda curationis ratio, quando in gracilioribus,& quando in craſſioribus inteſtinis vlcus conſtiterit, ex parte tamen eadem eſt. Nam quantum ad eas pertinet indicationes, quæ a natura ipſius morbi depromuntur, illæ eædem ſunt,ſiue in gracilibus, ſiue in craſſis contractum ſit vlcus. Diuerſitas uerò ſola eſt ratione indicationum aſſumendarum a natura particularum affectarum, pręſertim uerò a ratione ſitus, & colligantię, a qua præcipuè deſumenda eſt ratio,quæ ad modum uſus & locum,per quem adminiſtranda ſunt remedia,attinet.Nam(ut quarto Method.Galen. tradidit) in affectibus uentriculi curan- [cap.7.] dis remedia, quę per os adminiſtrantur, efficaciora ſunt, quam quæ inferius per ſedem inijciuntur. At verò in craſſiorum inteſtinorum tollendis morbis, quę inferius per ſedem ſed gracilia inteſtina, utraque ratione iuuari poſſunt. Attamen(ut ſexto de Loc.affect. ait.) magis opportuna ſunt auxilia,quę per po- [cap.2.] tiones aſſumuntur, cum ſuperiora inteſtina laborãt, ſicut cum inferiora, proſunt magis quę inferius per clyſteres infunduntur. His uero & hoc addendum, quod in dyſenteria hac, de qua præſens eſt inſtitutus ſermo,prę alijs omnibus moleſtis ſymptomatibus negotium maius ſępe prębent dolores, & deſiderium deſidendi, quod frequentiſſimè laborantem aſſurgere cogit,ab his enim adeo turbatur, & laſſatur ęgrotus,vt uires interdum fatiſcant,unde aliquando ſym-

ptoma hoc ſubinduit rationem cauſę, vt & ipſum ét ſuas habeat ea de cauſa indicationes, quę ſępè cum alijs indicationibus, quas morbus affert, pugnare uidentur. Quare non ſemper in curanda dyſenteria eodem modo agendum eſt, ſed aliquando ratio doloris curationem ad ſe trahit, poſtpoſita ratione propria curandorum ulcerum, & id quando dolor adeo, & continens, & vehemens eſt, ut ęgrotantem quieſcere minimè ſinat. Nõnunquam autem, nempe ſi dolor non multum urgeat, ſtatim inchoanda eſt curatio ab ijs, quibus ulcera curari ſolent. Tertio autem & hoc conſiderandum eſt, quod licet vlcus ſit proprius inteſtinorum affectus ipſum tamen ſępius aliũde originem habet ab acribus quidem humoribus, qui quidem raro (ut ſuperius fuit expoſitum) in inteſtinis gignuntur, ſępius uero aliunde defluunt quippe aut à iecinore, aut à liene, aut à capite, aut à corpore uniuerſo. Vnde cum aliunde defluunt primum (vt ſępiſſimè fuit explanatum) inhibenda eſt fluxio, ablata ratione fluendi de quo non ſemel fuit ſuperius ſermo habitus. Nimirum enim cum fluxiones fiant in primis ratione particulę illius, unde fluit: ratio uero hęc eſt, aut multitudo, aut mala qualitas eorum, quæ ibi congeſta ſunt. Quare multitudo, cacochymiaque uacuatione tollenda eſt, & occurrendum eſt cauſę, cur congeratur ea copia, quæ cauſa eſt defluxionis. In euacuando vero, quantum fieri poteſt, cauẽdum eſt, ne uerſus inteſtina ulcerata ducatur acris materia. Vnde quam maximè congruens ea erit uacuatio, quę uim etiam deriuandi, uel reuellendi habet, ſicuti uomitus, ſudoriſque, & urinę prouocatio, ut ſuperius diximus: uerum hi quidem uacuandi modi, præſertim commodi erunt, quando ſuperuacuus humor digeſtus eſt in habitum totius corporis, nempe per ſudorem, ut in capite, uel in conuexa iecinoris parte, per ea quę urinam cient, ſed cum in concaua, uel in meſaraicis uenis, itemque in liene, non poteſt niſi multo negotio per aliam regionem purgari, ſed commoda ſolum ea eſt euacuatio, quę per inteſtina fit, hoc enim ſæpius in his, quæ in hoc, & in prioribus libris tractata ſunt ex Gal. ſententia teſtati ſumus: neque nobis obſtare putamus uulgatam Galen. & aliorum medicorum auctoritatem, quod noxius humor non ſit ducendus per affectum locum, uel verſus illum, quia id intelligendum eſt de illis humoribus, qui ſunt in locis remotis, atque adeo etiam in illis particulis, à quibus defluunt, uerùm qui vel in loco affecto, vel vicinis locis, illi per loca ipſa affecta, vel per ea, quę illis vicina, aut annexa ſunt, duci poſſunt, qđ poſſumus multis exemplis ex Gal. depromptis demonſtrare, ſed in præſentia nobis id ſit ſatis, cuius ſuperius meminimus, ex 2. lib. Com. in 6. Epid. deprõptum, ubi ait Gale. quod uomitus interdum vomitu curatur, nempe per vomitum educta noxia materia, quæ ventriculum irritabat: & acri clyſteri curari interdum mordaces deiectiones, euacuata videlicet materia mordaci, & irritante inteſtina. Vnde qui omne genus vacuationum damnant in dyſenteria, ſi per aluum inferiorem fiant, illi communem medicorum conſenſum deſtruere nituntur: oẽs enim tã antiqui, quam iuniores vſum rhabarbari in dyſenteria laudarunt. Nam Dioſc. Gal. Aui. & Arabes omnes communi conſenſu id laudarunt, ſicut & myrobalanos omnes, quibus noti fuere, laudauerunt. Manifeſtiſſime vero hoc etiam ex Gal. eodẽ loco in 2. lib. Com. in ſextum Epide. poteſt haberi, vbi contra eos diſputat, qui affirmabant non ſemper contrarios affectus remedijs contrarijs curari, quia interdum ſimilibus remedijs, ſicuti ſæpe vomitus vomitu curať, & mordaces deiectiones acri curantur clyſteri. Oſtendit vero, quod ſemper hę curationes per contraria fiunt,

Com. 9.

A cùm duplex ſit ratio, qua curantur. Altera, dum vacuantur humores, à quibus inteſtina mordentur, & ſtimulantur: Altera vero, dum illi temperantur, ac demulcẽtur, uacuari autem per inteſtina neceſſe eſt, quando id acri clyſteri fit, atque per contraria fieri eam curationem demonſtrat. Colligamus ergo, qđ quando vlcera inteſtinorum à fluxione acrium humorum fouentur, tollenda eſt, & reprimẽda fluxio, pręſertim vero inter initia: quæ quidem fluxio, ſi à multa materia occaſionem habeat, rarò ſine euacuatione poteſt inhiberi, & quanto citius fiet euacuatio, eo etiam citius poterit affectus curari, qui à fluxione fouetur. Locus vero, & via, per quam vacuationem moliri expediat, indicat ratio, & natura, & con- B formatio particulæ, quæ inanienda eſt. Quæ vero in concaua iecinoris parte continentur, citiſſimè, & cõmodiſſimè per inteſtina detrahuntur: & quamuis in tranſitu non poſſint non vellicare, & abradere inteſtina: longè tamen minus lędunt, & abradunt, quando ſemel, & confertim vacuantur, quam quãdo paulatim, & frequentiſſimè deijciuntur: & longè etiam maior ſequitur vtilitas repreſſa fluxione noxia, quã læſio ex ea ſemel facta abraſione, quia facilè deinde eſt corrigere modicam offenſam, vbi fluxio humorum, aut non amplius, aut ſaltem minus importuna eſt, pręſertim vero cum fit vacuatio per ea medicamenta, quæ remotiores humores non commouent verſus inteſtina; & pręterea non minus aſtringunt, C quàm vacuent. Nam tum vacuando redundantem materiam, tum vel maximè ſua non modica aſtrictione ſubſtantiam inteſtinorum colligendo, & roborando, in cauſa ſunt, cur facilius irruentes humores à ſe repellant: pręter id, quod exſiccando (exſiccant enim ſatis inſigniter rhabarbarum, & myrobalani) faciunt ad conſolidationem vlcerum. Sed agamus iam particulatim de propria dyſenteriæ curatione: nam vacuatio hæc, de qua hactenus ſermo habitus eſt, potius reſpicit cauſam dyſenteriæ, quàm ipsũ affectum. Et quia diximus, quod aliquando dolor eſt adeo moleſtus, vt curationis priorem, & præcipuam partem ad ſe conuertat: ideò primo hanc partem tractemus: non quando fortis eſt indicatio à dolore ſu- D menda, illa etiam ſemper pręponenda eſt illis, quæ ab ipſo affectu prodeunt. Dolor autem, quoniam eſt actio corrupta ſenſus tactus, in qua neceſſe eſt, hęc omnia conſpirare; primum ſentiens facultas, vt in primo de Elementis ſecundum Hipp. & 1. de Natura humana docuit Gal. quę enim ſenſus expertia sũt dolere nequeunt: deinde vero obiectum, quod in organum ſenſus peruersè agat, & contra eius naturã, tertium verò eſt ipſum organum. Vnde cum humores acres rationem obiecti habeant, vtpote qui acrimonia pungentem inteſtina dolorem excitant: organum verò ſint membra facultate ſentiendi prędita, nempe inteſtinorum ſubſtantia, quàm illi pungunt, & abradunt, quæ quidem noxam ſibi illatam per fa- E cultatem ipſi per neruos impertitam ſentiunt; inde fit, vt triplex itidem ſit, ratio, qua dolenti particulæ ſuccurerre poſſumus. Prima quidem, qua procuramus, ne particula dolorem illatum à dolorifica cauſa percipiat, & hoc obtundendo eius ſenſum, & ſtuporem illi offundendo ijs remedijs, quę vim narcoticam, vel (vt Latini aiunt) ſoporiferã habent vt ſunt ea, quæ opium accipiunt, aut mandragoram, aut alterci ſemen, aut id genus alia, quę quidem ratio ad veram, & propriam curationem non pertinet, quia nõ dolorem, nõ cauſam doloris, nõ læſionem, hoc eſt, abraſionem, & punctionem tollit, ſed ſenſum, ne lęſio percipiatur, aufert: & hac quidem curandi ratione non vtimur, niſi maxima cogamur neceſſitate, neque ſperamus alia via prius ſedari poſſe dolores,

quàm

quam uires concidant. Nam ſæpe modus is curandi membra relinquit plurimum labefactata, quantum ferè ad omnes operationes pertinet. Sed de his medicamentis, quæ hanc curandi rationem reſpiciunt, vbi de colicis doloribus erit agendum, magis particulatim agemus. Altera ratio occurrendi doloribus reſpicit humorem mordacem, qui eſt proxima cauſa doloris, nempe, vt ijs agamus, quæ acrimoniam, & mordacitatem noxij humoris deliniunt, & tẽperant, & eos minus acres reddere poſſunt, quod nos Gal.
com. 9. loco nuper adducto ſecundo videlicet libro in 6. Epi. docuit cum dixit, bifariam curari poſſe mordaces egeſtiones, nimirum aut uacuatione mordacis humoris, aut concoctione, & temperatione, & mutatione nocentis humoris in optimam qualitatem. B Tertia autem ratio reſpicit particulam, quæ pungitur, & mordetur, in hunc nempe modum, ut inteſtina aliquo pacto muniamus, & tueamur, quod mordaces humores per ea fluentes pungere, & mordere nequeant quamuis mordaces ſint, quod efficimus iniectis inferius per clyſteres illis medicamentis, quæ interius quaſi concreſcentia, agglutinataque, & hærentia inteſtinis obſtant, quo minus ad inteſtinorum ſubſtantiam, vſque poſſit mordacitas pertingere, ut ſolet ſepum capræ, vel hirci præſtare. Sed magis particulatim rem tractemus, & primum, quomodo acres humores coqui, & temperari poſſint. Oportet ergo, quod omnia, & quæ ad victum pertinent, & quæ ad medicamenta, hoc tanquam ſcopum ſpectent. C Sed primum de victus ratione agamus. Is, ſi Galen. quarto de arti.
com. 41. credimus, oportet, vt tenuiſſimus ſit, atque (ut idem in libro de Medic. fac. para. docuit) ea in cibum offerantur, quę leuia, & concoctu facilia ſunt, nam quãuis inteſtina ſint, quæ laborant, cum his tamen (vt ait Galenus quarto de artic.) non parum conſentit uentriculus, immo & iecur. Et inter initia quidem uino cauendum eſt, quia præter id, quod calefaciendo poteſt humores exacuere, mouet etiam fluxiones. Qđ ſi aliquando cogatur medicus, uel propter uentriculum, uel propter inſtaurationem virium imbecilliũ, vinum concedere illud, ut idem ſexto de facul. ſimp. medic. ait, concedendum eſt, quod auſteritatis ſit
cap. de gnaphalio. Cap. 11. D particeps. Ab aquis autem omnino cauendum, ut itidem ille docuit ſeptimo de compoſ. medica. ſecundum loc. quæ per plumbeos canales feruntur, à ſole præterea, & ſalitis rebus, vtpote, quæ erodant inteſtina, omnino (vt ſecundo de ſimpli. medicam. facul. docemur) abſtinendum, & (vt monuit Hippo. tertio de rat. vict. in acut. morb.) ab oxymelite, ſyrupo aceto-
com. 32. & 36. ſo, & id genus alijs. Cibi uerò utiles ſunt panis lotus, & coctus ex leui iure gallinaceo, eiuſmodi enim ius (vt alias diximus) vim habet temperatoriam, panis vero, cum lauatur, omnem acrimoniam deponit, & emplaſticam potius vim acquirit. Sed & far non eſt ineptus cibus, & oryza. Primo uero de alim. facul. laudat Galenus in hoc affectu biſcoctam lenticulam: E vtpote, quæ exſiccet, & aſtringendo uentriculum vniuerſum, & inteſtina roboret, uerum eius uſus vtilior eſt, cum curationem conuertimus ad affectum: nam exſiccantia potius utilia ſunt in ulceribus curandis, quàm in lenienda, & temperanda acrimonia ſuccorum mordacium, ex oleribus uero, quæ in cibum ueniunt, idem Galenus portulacam laudat ſexto de facult. ſimpl. med. quæ ad ſcopum, quem in pręſentia tractamus non parum prodeſt, ait etiam, quod eius ſuccus uim maiorem habet, qui tamẽ rationem potius medicamenti habet, quàm cibi, ſed & oua ſorbilia modeſtè cocta huc pertinere poſſunt, & lac, in quo fuerint lapides fluuiatiles extincti. At uero, & de medicamẽtis huic ſcopo accommodatis agamus, tam de ijs, quæ ore aſſumi ſolent, quàm de illis, quæ

A exterius adminiſtranda ſunt, aut inferius per ſedem inijcienda. Per os aſſumuntur decocta, ſyrupi, ſucci, & id genus alia. Syrupi uero, qui huic rei accommodati ſunt, è multis hos exponemus, ut ſunt qui ex endiuia ſimplex dicitur, & qui ex cichorea, quique ex oxalide, ſeu acetoſa, præterea, & roſaceus, præſertim uero ex roſis ſiccis, necnon, & ex portulaca, neque qui ziziphis fit, uel ut iuniores appellant ex iuiubis alienus eſt ab hoc inſtituto, ſed ex eiſdem herbis decocta non minus prodeſſe poſſunt. Niſi forte quis opponat, ac dicat, hæc non cum his conſentire, quæ ſuperius fuere expoſita. Diximus ſiquidem laborantibus inteſtinis eſſe utendum illis, quę inferius per clyſteres ſubijciuntur, ſicuti uentriculum af-
B fectum præſtantius illis curari, quæ ſuperius per os aſſumuntur. Sed reſpondemus, ꝙ quę per os deuorantur, minorem omnino uim habent curandi inteſtinorum affectus, quia eorum uires diſſoluuntur antequam eo perueniant, unde aptius curantur ulcera, uel alij inteſtinorum affectus medicamentis, quæ per ſedem inijcimus. Sed præſens, de quo nunc agimus, ſcopus non id reſpicit, ſed ut acres humores, qui propenſionem habent ad inteſtina, propulſi à iecinore, & alijs uicinis partibus miteſcant, & temperatiores reddantur, antequam eo ferantur. Sed & linimenta plura ſunt, quæ huc pertinere poſſunt, pręſertim uerò oleum roſaceum completum, & longe magis omphacinum appellatum, cui interdum, &
C chamæmelinum non inutiliter miſcetur. Ego interdum his, & adipem caprinum, uel hircinum addo, ſicuti ſi acceperimus olei roſacei unciam, chamæmelini, & adipis hircini ſingulorum ſemunciam, omentum uero ueruecis, uel (ut nunc aiunt) caſtrati quaſi frictum in ſartagine ex oleo roſaceo, uel chamæmelino, uentri inferiori prætenſum, utile medicamentum eſt, & adeo commune, ut ferè uulgare ſit, equidem appellatum unguentum roſaceum Meſue, putarem utiliter poſſe illiniri, præſertim quando acris, & ſyncera bilis deijcitur. In pertinacibus autem doloribus efficax admodum medicamentum eſt emplaſtrũ ex palmulis, quod tum Alexand. Trallianus, tum e-
D tiam Meſue diaphœnicon nuncupauere. Inferius etiam per clyſteres iniecta medicamenta mirificè id, quod ſcopus is expoſcit, poſſunt præſtare. Nam duplex eſt genus clyſterium, quibus in curanda dyſenteria ſolent uti medici, alia enim ad hunc ſcopum pręcipuè attinent, alia uerò ad alterum, qui facti affectus curationem reſpicit. Sed de prioribus priorem habeamus ſermonem, Ea ergo, quæ emplaſticam uim habent, huic ſcopo accommodata ſunt, per clyſteres iniecta, ut ſunt oui album, immo ouum uniuerſum, decoctum altheæ, mucillagines ferę omnes, & portulacæ ſuccus, & olea quædam præſertim uerò roſaceum, nec modo roſaceum oleum, ſed & ceratum roſaceum, quod in præſentia infrigidans Galen. uocat, nec minus utile eſſet unguentum roſaceum Me- cap. 1.
E ſue nuncupatum, ſi aliquo decocto, aut accommodato iure diſſoluta [ut Galen. duodecimo Method. ſenſit] clyſteribus indantur. Iura uerò accommodatisſima huic rei ſunt, in quibus cocta ſint capita animantium, & imprimis ueruecis, uel pedes, uel inteſtina, ſicut eſt coctorum inteſtinorum ius, quale id, quod pasſim farctores uendunt, & eo utilius eſt, quò pinguius, pinguedines quoque omnes ferè, ut adeps ſuilla, gallinacea, anatina, anſerina, & ueruecis, omnibus tamen præferenda caprina, hircinaque, utpote, quæ facilius concreſcunt, & inteſtinis hærent. Vnde hæc omnia non ſolum temperant, & mitigant acrimoniam, & mordacitatem humorum, uerum muniunt, & tuentur inteſtina, lac quoque à quo butyrum non fuerit extractum, & bu-

tyrum

tyrum diſſolutum, & iniectum conueniunt, ſuccus
verò arnogloſſi, vel plantaginis multiplici nomine
utilis eſt, nam & acrimoniam obtundit, & ſanguinẽ
ex abraſis inteſtinis effluentem ſiſtit, & vlcera conſo
lidat, ſiccandoque curat: idem etiam facit armena bo
lus & terra lemnia, & lapis hæmatites, & id genus
multa, Clyſteres verò, qui vlceribus curandis idonei
ſunt, nec ipſi quidem vnam communem rationem
habent, ſiue ad indicationes & ſcopos reſpiciamus,
qui uarij occurrunt pro varia natura vlcerum curã-
dorum, ſiue ad materiam medicamentorum, quibus
ſcopis vigentibus ſatisfaciendum eſt. Nam ſi leuis ſit
affectio, & ſola in ſumma quaſi cuticula facta abra-
ſio, vt nondum ulcus dici mereatur, vbi conſtiterit,
aut vacuatione, aut auerſione, acrium humorum de
fluxio, vel ſaltem eorum acrimonia, & morſus ad tẽ-
peramentum deducta miteſcant, ſine alio alioquin
medicamento, natura, ut nos Gal. docuit, ſponte cõ-
ſolidat, & curationem modicæ illius abraſionis ab-
ſoluit. Quod ſi vlcus ſit iã factum, & profundiores
partes occupauerit, non ſola natura, ſed accommo-
datis etiam remedijs erit opus, varijs tamen, pro va-
ria natura vlceris, & aliarum affectionum, quę inter
dum cum vlcere coniunctæ ſunt. Quia ſi ſimplex ſit
vlcus, exſiccantibus medicamentis curandum erit
(vlcerum enim curatio per exſiccationem abſoluit)
præſertim autem illis, quæ non ſint alicuius aſtrictio
nis expertia, nam hæc ſubſtantiam, & vires particu-
læ roborant, & quo maius, & profundius fuerit ul-
cus: eo magis exſiccantia expoſcit: quoniam & ma-
ior copia extraneæ humiditatis ſubcreſcit. At ſi ſordi
dum fiat, craſſiuſque excrementum in eo ſuboriens
curationem impediat, detergẽtia illi neceſſaria erũt.
Nonnunquam vero & putridum, corroſiuumque
vlcus euadit, & id vel propter multam in corpore ca
cochymiam, vel malam curationem inter initia in-
ſtitutam, & tunc fortioribus, & acrioribus exſiccanti
bus, & detergentibus uti oportet. Cognoſcuntur au
tem differentię hæ, tum ex doloribus maioribus, mi-
noribuſve; tum vero ex ijs excrementis, quæ inferius
ſponte, vel per clyſteres deijciuntur; ex cruore, viru-
lentia, ſordeque intermixta: preterea vero & odor
excrementorum (vt docuit Paulus) putridum ulcus
indicat. Sed quamuis proxima curationis ratio iſtorũ
vlcerum ſiccantibus abſoluatur, quia tamen detergẽ
tia, ſi aliqua ſuccreſcat ſordes in his ulceribus, priorẽ
locum & vſum requirunt, ideo prius de clyſteribus
agemus, quæ uim deterſoriam habent, vel dẽ mate-
ria, ex qua hi clyſteres conficiendi ſunt, agemus, à le-
uioribus exordientes. Itaque ſuccus hordei, uel cola-
ta ptiſana, per clyſteres iniecta utilis eſt, & hoc no-
mine, quod modeſtè, & ſine aliquo morſu detergit:
preterea uero & ea ratione, qua acrimoniã, & mor-
dacitatem humorum inteſtina abradentium lenire,
& demulcere poteſt: mulſa etiam detergit aliquanti-
ſper magis, citra morſum & ipſa, ſed & ſaccharum,
præſertim vero, quod non planè defœcatum eſt. Ego
interdum ſaccharo roſaceo utor, quod & ipſum du-
pliciter poteſt prodeſſe, nam & detergit, & exſiccat,
roboratque uiſcera aſtringendo: & recens quidem
uim detergendi, maiorem habet, antiquum uero ſic
candi, & aſtringendi: ſyrupus uero ex roſarum ſucco
confectus facilem & ipſe abſterſionem habet, maio-
rem uero mel crudum, & maiorem adhuc mel roſã
ceum quod nonnihil interdum mordet, ſi ulcus ſit
eximio aliquo ſenſu præditum. Et hæc quidem me-
diocria ulcera, & citra putredinem, & malignam ali
quam qualitatem detergere poſſunt: nam ſi aut pu-
trida, aut etiam depaſcentia ſint, ualentioribus erit
opus, & acrioribus exſiccantibus, detergentibuſque,
qualis eſſet aqua marina, uel ſalſa, præterea ab anti-

A quis auctoribus fere omnibus ſummopere laudatur
(ut garum prætercam, quod nullibi, quod ego noue-
rim, in uſu eſt) muria ex piſcibus ſalitis, uel etiam, ut te
ſtatur Gal. 11. de facult. ſimpl. med. ex ſalitis carnibus,
eluit enim, inquit ipſe, putrida ulcera, & exſiccat. Dio
ſcorides uero, & lixiuium ex cinere cauliculorum fi-
ci, tam agreſtis, quàm ſatiuæ commendat. Compoſi-
torum uero medicamentorum ſatis acrium memine
re antiqui, quæ ex auri pigmento, ſandaracha, calce ui
ua, ære uſto, & id genus alijs conficiuntur, quorum
uſus non eſt citra periculum, præſertim in corporib.
mollioribus, & eximij ſenſus, nam ſolidiora, & durio
ra facilius ea ferre poſſent, illis tamen priſci (ut Gal. 9.
de comp. med. docet) utebantur. Ab illis autem quàm
B maximè abſtinendum (ut recte monuit auctor ille,
quicunque fuerit, qui edidit librum inſcriptum Medi-
cus, uel Iſagoge) quando ulcera ſunt in ſuperioribus,
gracilioribuſque inteſtinis, nam prodeſſe parum, aut
nihil poſſunt, nocere uerò plurimum, cum ea natura
hæc conſtent, quæ hominibus lethifera eſt. Sed ſi cui
uideatur omnino eſſe opus his ualentioribus, ſunt tro
chiſci Andronis, uel Muſæ, qui tutiores, & mitiores
ſunt, ex his ergo conficiendi ſunt iſtius rationis clyſte
res. At quoniam his cõpoſitis, ut ſunt trochiſci, ſolis
non poſſumus uti (nam neque ſoli fluere poſſunt, ne-
que multa copia indi poteſt, ſed ad duas, uel tres drach
mas, uel paulo plus) ideo erunt ex aliquo accommo-
dato decocto acriori, uel minus acri diluendi, ut & a-
C crimonia medicamenti, & malignitas ulceris requi-
rere uideretur, ſicut ſunt aqua ſalſa, uel lixiuium, uel
ſi mitioribus uideatur agendum, mulſa, uel uino mul
ſo, uel ſimilibus. Mundis autem redditis ulceribus,
aſtringentibus, & ſiccantibus iam erit agendum, de
quibus pauca dicenda ſunt. Plurimum proſunt inie-
cta, bolus armena, & terra lemnia, quæ nec iniecta
modò, uerum & deuorata ex aliquo decocto aſtrin-
gente, & accommodato conferunt, & hæmatites la-
pis. Sed & plantago, & polygonum, ſanguinariã ap-
pellant, ſiue eius decocto utamur, ſiue ſucco earum,
tam inferius iniecto, quam ſuperius accepto, item hyp
puris, quam caudam equinam appellant: rubi etiam
germina, & fructus, præſertim immaturi, & citini ma
D li punici, & malicorium, rhus etiam, quod ſumach A-
rabes uocant, & gallæ. Sed ego quandoque iure braſ
ſicarum, quæ bis coctæ fuerint, abiecto nempe prio-
ris decoctionis iure, & earundem eſu dyſenterias, cũ
eſſemus, ubi aliarum rerum accommodatarum co-
pia careremus, curauimus, & facile. Vnde ſi uelle-
mus omnia perſequi, quæ facerent ad hunc ſcopum
in immẽſum ferè ſermo procurreret. Quare ſumma
tim dicemus, quod omnia, quæ deſiccant, & aſtrin-
gunt, utilia ſunt huic inſtituto. Atque hoc illis, quæ
hactenus expoſita, ſunt addito finem huic capiti facie
mus: nimirum quod quamuis diſtinxerimus remedia
dyſenteriæ per ſcopos, eorum uires diſtinguendo, nõ
tamen ita diſcretis ſemper utimur, & diſtinctis, ſed ali
E quando ſimul commiſcemus in eodem clyſteri, & ea,
quæ detergunt, interdum & illa, quæ ſiccant, & con-
ſolidant, & id quando affectus non eſt admodum ma
lignus, nec magni ſunt dolores. Nam ſi uehemens
dolor urgeat, primum hoc duntaxat procuramus, ut
dolor ſedetur, poſtea ad alia tranſimus. Sin autem
magis putrilago, & eroſio inſtet, & ſordes multa de-
tergentibus, & depaſtionem ulceris inhibentibus in-
cumbendum erit, mox uero conſolidantibus. Quam
uis autem ad hoc idem caput magna ſaltem ex parte
pertinere poſſit, & ratio curandi affectum, quẽ Grę
ci τήνεσμον uocant, quia tamen habet præterea pri-
uatas quaſdam rationes, ideo ſeorſum de eo paucu-
la quædam dicemus.

De

De teneſmo. Cap. VIII. **A**

DIffert teneſmus à dyſenteria tum ratione loci affecti, tum materia, quamuis quantum ad rationem affectus ſpectat, aut nihil, aut parum admodum differunt. Nam & teneſmus ulcus in inteſtinis ſignificat, uerum dyſenteria ad aliorum inteſtinorum ulcera refertur: teneſmus uero in inteſtino recto: & proinde, licet in eo, ſicut in dyſenteria hęc pręſertim moleſta ſint, nempe dolor, & frequens, & quaſi continua deſidendi cupiditas: in teneſmo tamen (ut 3. de ſympt. cauſ. exponit Galen.) **cap.2.** longè magis moleſta eſt ea cupiditas, & cum quadam diſtentione, & uiolenta expreſſione, quàm in dyſenteria: ſicuti in ea ſępius maior eſt dolor. Vnde **B** **com. 27.** & nomen habuiſſe teſtatur Galen. 7. Aph. nempe ab ea tenſione, & expreſſione recti inteſtini: quę inter dum adeo moleſta eſt, ut prægnantibus aborſum afferat: adeo enim iniqua eſt; ut defatiget tum reliquas omnes corporis particulas, tum uel maximè uterū, ut qui recto inteſtino annexus hęreat. Ad hoc autem inteſtinum pertinet excrementorum alui excretio, nec modò excretio, ſed & deſidendi appetentia, ubi & muſculus, quaſi cuſtos eſt exitus eorum excrementorum: & ideo hoc inteſtino demorſo, & irritato fit & frequens ea cupiditas, & conatus ad egerendum. Differunt pręterea hi duo affectus materia, quę eorum in cauſa eſt. Nam dyſenteria plerunque fit à bilioſa, & acri materia: quamuis interdum **C** & ab humore melancholico, & à ſalſa pituita. Teneſmus verò à materia pituitoſa, & putri, & propterea non eſt ita importuna, & diuturna in dyſenteria incitatio ad egerendum: quia (ut docuit Gal. 3. lib. com. **com. 70.** in 3. Epide.) bilis facilius deſcendit: utpote quæ tenuis ſit, & facile defluat, cum expers ſit lentoris: pituita uerò, quę lenta, glutinoſa, & craſſa eſt, ęgrius excerni, & quaſi exprimi poteſt. Ex quo deinde neque difficile eſt rationem inueſtigare, cur pueri frequentius **com. 53.** à teneſmo, ſicuti eodem lib. Gale. inueſtigauit: nam & ex ætatis humiditate, & propterea quia ſępe in eis cibus uitiatur, cum ſæpius pluſquam eis expediat comedant, unde in pituitoſis naturis in uniuerſum ſolet teneſmus excitari: non tamen in omni ætate, ſed **D** in iuuentute. Nam putris, acriſque pituita in calidiori ætate congeritur, quę cum excernenda eſt, in tranſitu hęrens recto inteſtino, illud mordens ulcerat & **cap.4.** irritat, atque (ut ait Galen. 5. de Viu part.) propter magnam, quam affert moleſtiam, inter graues uentris affectus recenſeri poteſt. Non erimus autem longiores in illis, quę ad rationem curandi hunc affectū pertinent; exponendis: cum ea parum differens ſit à ratione curandi dyſenteriam. Vnde illa in memoriam reuocanda ſunt, quæ in ſuperiori capite fuere expoſita, quantum ad euacuationem pertinet, ſi uacuatione ob copiam eorum humorum, qui in cauſa teneſmi ſunt, opus eſſe uiſum fuerit. Particulatim uero remedia, quæ factum morbum curatura ſunt, **E** quęque inteſtinum defenſura (de localibus autem appellatis loquimur) aut inferius per ſedem clyſteribus ſunt inijcienda, aut exterius fouendo ſedem ipſam, uel inferiorem uentris partem, prope pubem, uel infimam in dorſo ſpinæ partem. Ratio uero eorum, quę per clyſteres ſunt infundenda, eoſdem ſcopos, quos in dyſenteria, ſpectare debet, nempe ut dolor ſedetur, ſi ille urgeat, & eiſdem penè rebus, mox uero lenta pituita ab inteſtino detergatur, aut mulſa, aut ptiſana hordeacea, aut aqua etiam hordeacea, quę nunc eſt in multo uſu, aut ius aliquod, in quo hordeum fuerit incoctum, addito aut melle roſaceo, aut ſaccharo, aut quapiam alia re ſimilis facultatis, quæ maiorem, uel minorem uim habeat pro ratione **A** morbi, & materiæ maioris, uel minoris pertinaciæ. Poſtremò uerò aſtringentibus vtendum erit, ut particula labore, & moleſtia illa exagitata roboretur, & firmetur, & illis quidem tum per clyſteres adhibitis, tum uerò exterius per fomenta, aut linimenta, aut emplaſtra, tam ſedi, quàm infimo uentri, dorſoque adminiſtrandis. Sed tandem ad alios inteſtinorum affectus ſermonem conuertamus.

De doloribus inteſtinorum. Cap. IX.

AFfectus inteſtinorum, de quibus hactenus ſermonem habuimus, ad eas operationes pręſertim pertinent, quæ propria ratione, qua **B** conſtituta ſunt à natura, illis conueniunt: nempe ut ſunt diſtributionis, & excretionis inſtrumenta. Nūc uero de illis agemus, quæ illis attribuuntur communi quadam ratione, & ut ſunt membra, quæ ſenſus in primis tactus non ſunt expertia. De doloribus ergo inteſtinorum in pręſentia agemus, qui interdum grauiſſimi, & moleſtiſſimi ſunt. Vt autem ratione, & clare rem hanc exponamus, quædam prius in vniuerſum tractemus. Nam dolor ſymptoma eſt, quod plures differentias habet, atque ut plures differentias, ita etiam diuerſas occaſiones: quod quidem nouiſſe non parum ad rationem curationis inquirendam, & explanandam conferre poteſt, cùm curatio primum reſpiciat cauſam, **C** & occaſionem doloris, non aūt dolorem, niſi quando adeo creſcit, ut uires deijciat. Primum ergo inueſtigemus, quot ſint horum dolorum, quibus ſolēt inteſtina torqueri, differentię, ut illis in proprias cauſas relatis, naturam affectus percipiamus. Non eſt autē una, & ſimplex ratio, qua differentiæ horum dolorū diſtingui poſſunt. Quoniam uel à diuerſis modis, & formis dolorum accipitur, ſicuti aliquādo uehemēs, & acutus eſt dolor inteſtina affligens, interdum non acutus, neque admodum uehemens, acutus vero aliquando ſimilis eſt, ac ſi palus (vt 2. de locat. affect. ait **cap.5.** Gal.) ea parte eſſet infixus, nonnunquā videtur quaſi terebello forari locus dolens. Vel item à diuerſis cauſis, à quibus eiuſmodi dolores concitari ſolent, ſumi **D** poteſt ratio diuerſarum differētiarum dolorum iſtorum. Quandoque enim à materia corpulenta ſuam habet occaſionem: interdum uerò à flatuoſo ſpiritu: A corpulenta uero materia, aut à frigida, craſſa, & lenta pituita, qualis eſt, quam uitream medici appellant, & quam acidam, aut à calido & acri humore, item aut materia in tumorem particulam, in qua abſorpta eſt, attollit; aut in eius inani ſpatio continetur, aut inter inteſtinorum tunicas recepta eas cruciat, q̄ in tumorem attollit, aut calidum tumorem nempe inflammationem excitat, aut frigidum cuiuſmodi eſt ſcirrhus, prætereà aut humor, qui dolorem infert, à uentriculo & inteſtinis generationis habuit occaſionem, aut ab uniuerſo corpore ad uentrē, & inteſtina **E** concitata & humorum fluxio, ſicuti in eo concitata fuit, quem refert Gal. 12. Meth. poſt aſſumptū ſcamonium, qui fuit liberaliter purgatus, ſępe per quædam interualla à colicis doloribus tentatum fuiſſe ob defluxum excrementoſi humoris ad inferiorem aluū redditam imbecilliorē à ui medicamēti. **cap.7.** Poteſt & tertio differentię horum dolorum ratio à loco affecto accipi, cum autem inteſtina aut gracilia ſint, & ſuperiora, aut craſſiora, et utraq; ſint obnoxia doloribus, ut ea natura diuerſa ſunt, ita et dolores, qui in ipſis oriuntur diuerſi ſunt, et diuerſa nomina habent. Nā dolorem qui ad gracilia inteſtina pertinet, εἰλεὸν Græci medici nuncupauere: Latini uim Græci uocabuli referre uolentes, uolulū dixere: εἰλεῖσθαι enim uolui ſignificat, à ſymptomate fortaſſis deducta

nuncupa-

nuncupatione,in hoc ſiquidem affectu, præſertim ſi
ex inflammatione ortum habeat, videntur (vt 6. de
loc.affect.tradidit Gale.) ac ſi chorda contorqueren-
tur inteſtina,unde & quidam medici chordapſum ap
pellare uoluerunt. Dolorem uero,quo craſſa inteſti-
na tentãtur κωλικὸν à craſſo inteſtino,quod alijs craſ-
ſis maius,& longius eſt, deſumpto nomine nuncupa
runt,nec Latini nomen aliquod particulatim indide
re,quod legerim. Sed primum de hoc agamus,mox
vero de ileo his prædictas omnes differentias accom
modantes. In craſſis itaque inteſtinis dolor plerun-
cap. 5. que(vt 12.Meth.teſtatum reliquit Gal. aut ex frigida,
cap. 8. craſſa,& lenta materia originem habet,aut ex flatuo
ſo ſpiritu,aut ex tenui,acrique humore mordente,&
vellicante. Maior autem minorve dolor euadit (vt
idem 2.de loc.affect. tradidit) pro ratione, aut multi-
tudinis, aut craſſitiei, aut motus, aut qualitatis eius
rei,à qua dolor efficitur, quæcunque illa fuerit, nam
paucior, tenuior,quieſcens,& minus frigida, aut mi-
nus acris minorem concitat dolorem,quàm quę mul
ta, craſſa,quæque mouetur, & quæ frigidior, aut a-
crior eſt,& proinde uitrea pituita, quę frigidiſſima eſt,
dolores acerbiſſimos affert,craſſa tamen,& lenta ma
teria,cum ſola fuerit, neque alia ſit illi adiuncta cau-
cap. 8. ſa dolorem ciendi,nequit(vt 12.Method.docuit Gal.)
vehementes excitare dolores. Sed ſi accedat etiam
ſpiritus flatuoſus,qui in aliqua inteſtinorum parte cõ-
cluſus inde erumpere nequeat,tunc vehementiſſimo
rum dolorum cauſa eſt. Vnde hoc ipſum in duplicé
cauſam tandem reſolui poteſt, nempe in obſtructio-
nem,& calorem loci. Obſtructio namque,interce-
pto tranſitu, vetat, quo minus poſſit flatus erumpe-
re:Calor uero,dum in craſſam,& lentam materiam
eam rarefaciens agit, flatum gignit. Obſtructiones
vero,quæ intercludunt exitum flatuoſo ſpiritui, fieri
in inteſtinis ſolent,uel à multa copia materiæ pituito
ſæ,& craſſæ,uel à ſtercoribus multis, & durioribus,
vel à tumore aliquo ſuborto in inteſtinis calido,ut eſt
inflammatio,vel frigido,& ſcyrrhoſo, interdũ tamé,
ſi inter duas, quibus inteſtina conſtant, tunicas con-
geratur humor aliquis, qui aptus ſit,ut in flatum con
uertatur, qualis eſt frigidus, & pituitoſus, uehemen-
tiſſimi inſurgunt dolores: tum quia ſpiritus ille di-
ſtendit,& quaſi dilacerat tunicas,tum uero, quia ma
teria illa frigida in eis congeſta, eas tangens, plurimũ
refrigerat. Sed & hoc præterea his addendum,cuius
cap. 5. idem Gal.2.de loc. affect. meminit,nempe quod ue-
hementiſſimi dolores inteſtinorum,ſicut illi ſunt, qui
ſimiles ſunt,ac ſi locus terebello perforaretur, aut ſi
palus eſſet infixus, & alij uehementisſimi, pręſertim
ad craſſa inteſtina pertinent:nam cauſa,quæ dolores
parit (ait ipſe) per crasſius corpus quaſi ex profundo
fertur, uehementiores, & longiores eos parit, quàm
ſi per tenuius,ut eſt graciliorum tunica, unde uehe-
mentisſimi dolores,aut in crasſiora inteſtina referen
di ſunt,aut in cauſam,quæ maior ſit. Cognoſcitur au
tem colicus multiplici inditiorum genere, nam (vt
cap. 5. 2.& 6.loc.affect.Gal.ſcriptum reliquit)& ex illis,quę
cap. 2. ſæpius inuaſionem doloris ſolent præcedere,& ex il-
lis,quæ ſimul inuadunt,& ex ijs etiam, quæ dolorem
ſequuntur. Antecedere enim ſolent cruditas,inflatio,
vomitus,nauſea,quæ longo tempore inanis,hoc eſt,
nullo ſequente uomitu durat,pręcordiorum morſus,
vehemens anguſtia,poſtea uerò dolor incipit, perin-
de,ac ſi terebello uenter perforaretur, interdumque
(vt diximus)videtur quaſi palo uenter tranſfigi. Dum
præſens autem dolor eſt,hæc inditia ſunt obſeruãda,
quia aliquando vno tantum loco conſiſtit,ſæpius mo
uetur,& ad plures partes extenditur, & quaſi reuol-
uitur. Dolorem uero,ubi inuaſerit, conſequuntur in

A flatio quædam,extenſioque,& copioſus flatus,pręſer
tim in longius protracto dolore,& alui deiectio flatu
lenta,quæ in humore ſupernatat, & fluitat perinde,
vt bubula deiectio, ſed hos dolores ſequitur uomitus
bilioſæ,pituitoſæ,corruptæque,& uitiatæ materię,cui
aliquid comeſti cibi eſt immixtum,& hoc propterea,
quia uentriculus cum inteſtinis, quibus annexus eſt,
in hoc affectu conſentit,& proinde,& ante excitatũ
dolorem, & eo excitato,& poſtea etiam uitiatur tum
cibi appetentia,tum concoctio. At uero non parum
ſimiles ſunt dolores hi doloribus renalibus, & in illis
diſcernendis nonnunquam peritisſimi medici hallu
cinantur,ut hallucinatus eſt Galen.in ſeipſo,qui cum
colico uexaretur dolore, illum renalem iudicauit, cap. 5.
B quod ipſe ſecundo de loc.affect.teſtatus eſt. Quare nõ
erit ab hoc inſtituto alienum,ſi ea retulerimus, quæ
tum Galen.tum alij probati auctores ſcripſere,facien
tia ad hanc diſcretionem. In colico itaque dolore
maior,ac frequentior concitatur vomitus, quam in
renali dolore,& aluus fit aſtrictior adeo, ut ne flatus
quidem,aut ructus erumpat. Sed ex loco etiam do-
lente poſſunt argumenta depromi non parum ad
hanc diſcretionem facientia,nam in renali affectu do
lor unum definitum locum occupat,nec eum, niſi ra
risſimè, mutat: in colico uerò ſæpius, ut paulo ante
diximus,locum mutat. Sed locus, in quo dolor con-
ſiſtit,nobis,an renes, aut inteſtina doleant, indicare
poteſt. Colici etenim doloris ſedes eſt plerunque ſu-
C pra renum regionem:renalis uero in ipſa renum re-
gione quaſi fixus eſt. Vrinæ uero, & ipſæ nonnihil
ad hanc cognitionem faciunt, quia renibus laboran-
tibus primum vrinæ purę dilutæque fiunt,poſtea craſ
ſum quid ſubſidet,poſtremo uero, & arenoſæ reddũ
tur. Præterea,& ex eorum ratione,quibus leniri, vel
exaſperari dolor ſolet poteſt fieri horum dolorum di-
ſtinctio. Nam colicus dolor magis,quam renalis vo
mitu lenitur,lanitur etiam magis clyſteribus, qui le-
niendi,& mitigandi vim habent,adeo ut iniectis per
ſedem illis medicamentis, quæ laxant, & leniunt ſæ-
pe colicus dolor tollatur, quia per hos clyſteres fit a-
licuius frigidi humoris excretio, quæ non modo æ-
grotantem leuat, ſed & medicum de morbi genere
D certiorem reddit, perinde ac in dolore renali excreto
ſimul cum vrina calculo. Poſtremò vero,& illud me
moriæ mandandum eſt, de quo nos monet ibidem
Galen.quod quamuis inter initia fallatur medicus in
his diſcernendis doloribus,ad rationem curationis id
parum refert,quia eadem eo tempore curatio eſt in-
ſtituenda,nam illis tantum incumbendum eſt, quę le
nire,& ſedare dolorem poſſunt,tam extrinſecus,quã
intrinſecus. Sed dolore ſedato, ſi procurandum eſt,
quo minus in poſterum,qui ægrotat, ſit iſtis dolorib.
obnoxius,tunc oportet diſtinctè cognoſcere,an rena
lis,an cholicus fuerit dolor, quia non eſt amplius ea-
dem ratio hoc procurandi, ſi dolor colicus fuerit,
quæ ſi renalis. At uero cum iam diximus,quod do
E lor colicus non ſemper eandem, tum cauſam, tum
rationem habere poteſt, vtpote quoniam interdum
à bilioſo,& acri humore excitatur, interdum uerò a
frigido,& pituitoſo,& ſicut cauſa diuerſa, & contra-
ria;ita & curandi ratio non poteſt eadem eſſe. Quare
& hoc uidetur exponendum,antequam curationem
aggrediamur,quonam pacto diuerſa hęc genera ſint
dignoſcenda. Itaque dolor colicus, qui ab acri, & bi-
lioſo excitatur humore,hac præſertim ratione digno
ſcitur,quod à cibis medicamentisque calidis (ut pri-
mo de loc. affect. teſtatus eſt Galen.)& tandem in u- cap. 4.
niuerſum à calefacientis uictus ratione exaſperatur,
exaſperatur etiam ab inedia, ſicuti contra à cibis acre
dinem humoris mitigantibus ſedatur. Sed & modus

dolo-

doloris id ipſum demonſtrare poterit, nam dolentes
conqueruntur, quaſi mordeantur, & erodantur. Præ
terea uero, ſi hiera ex aloe detur, ex euacuatione per
eam facta affectus curabitur, & certior medicus de
eo fieri ſimul poterit. Sæpe autem articulares mor-
bi per colicos ſuperuenientes leuari ſolent, quod du-
Cap. 5. plicem (vt 4. lib. Com. in ſextum Epid. expoſuit Gale.)
poteſt rationem habere, alteram, quam Hippoc. ſe-
Aph. 39. cundo Apho. tradidit, cum ait, quod ſi dolores duo
eodem quidem tempore, ſed non eodem loco con-
iungantur, maior minorem obſcurat, alteram uerò,
quia materia, quæ prius ad articulos deferebatur, nũc
tranſlata ad inteſtina dolores in illis concitat. Nos
verò poſt ventris dolores, ſæpe vidimus per ſimilis hu
moris tranſmutationem ſubortos fuiſſe interdum ar
ticulares dolores, interdum uero reſolutionem mem
brorum, præſertim vero crurum, & inferiorum par-
tium. Affectus etiam inteſtinorum ille eſt, quem Græ
ci (vt diximus) ileum, Latini vero voluulum appellãt,
pertinet autem maximè ad gracilia inteſtina, quãuis
poſſit, & in craſſioribus (vt idem ſecundo lib. Com. in
Com. 6. 3. Epid. affirmat) conſiſtere. Vniuerſa autem iſtius
Com. 44. morbi ratio in hoc conſiſtit, quod (vt 6. Apho. & 6. de
Cap. 2. loc. affect. oſtendit idem Gal.) intercluditur uia inte-
ſtinorum per quam alui excrementa deorſum feruñ-
tur, atque eorum tranſitus intercipitur, quæ quidem
clauſio fit, aut ab aliquo tumore ſuborto in inteſtinis
calido, vt eſt inflammatio, uel frigido, vt ſcirrhus, aut
à multo, & indurato ſtercore, aut ab aliquo abſceſſu.
Quidam uero, & à craſſa, & viſcida pituita hanc ob-
ſtructionem fieri poſſe arbitrati ſunt. Galeno tamen
non admodum probatur, eam ab iſtiuſmodi humo-
re infarcto fieri poſſe obſtructionem, ut nihil penitus
deorſum deijci poſſit, neque etiam per iniectos acres
clyſteres, quod hunc affectum (vt ſeptimo Apho. tra-
didit Galen.) quaſi proprium eius ſymptoma conco-
Com. 10. mitatur, quamuis (vt ſecundo in tertium Epid. doce-
Com. 6. mur) deinde vomitus multi ſequantur, & potus reie-
ctio, doloresq́ue circa præcordia, & in ventre cum
tortionibus: nec modo aliorum excrementorum vo
mitus concitatur, ſed malo facto maiori, & deteriori
Galen. 7. Aphoriſ. ſtercus quoque vomendo reijciũt,
Com. 10. immo (vt idem tertio de cauſ. ſympto. ait) & nos cum
Cap. 2. medicinam Venetijs faceremus, aliquando uidimus,
quod clyſteres per ſedem iniecti, per os fuere redditi.
Et quia conſentiunt uentriculus, & caput, ideo ſæpe
ſingultus, & deliria ſequuntur interdum, & conuul-
ſio. Ratio autem horum omnium ſymptomatũ, par
tim ex ijs, quæ expoſita ſunt hactenus, poteſt eſſe eui-
dens, partim uero ex illis, quæ a Galen. tum ſeptimo
Cap. 13. Apho. tum tertio de facul. natur. literis tradita ſunt.
Nam vomitus multus, ſingultuſq́ue fiunt, quia con-
ſentit uentriculus cum inteſtinis, & quia maiorem, et
propinquiorem connexum cum gracilioribus hẽt;
ideo moleſtior vomitus, ſingultusq́ue accidit gracili-
bus inteſtinis malè affectis, quàm craſſiori. Conuul-
ſio uero, & deliria pendẽt à conſenſu cerebri. Sed ꝙ
inualeſcente magis affectu, ſtercora reijciantur, eſt,
quia præcluſo itinere excrementis per inteſtina ob ob
ſtructionem, illa quæ ſtercus deijcere deſiderant, &
quia malè affecta ſunt, nequeunt eam moleſtiam fer
re, neque deorſum impellere poſſunt, peruerſa qua-
dam motione, & contra quam inteſtino naturæ ſo-
leant, ſurſum exprimunt, nam cum ex inferiori par-
te inteſtinum conſtringere ſe cœperit, quæ ſuperiori
parte continentur, ea (vt tertio de ſympt. cauſ. & 3. de
Cap. 2. rat. vict. in acut. morb. ait idem Gale.) ſurſum impel-
Com. 33. lit, quem motum proximè quæcunque partes proſe-
quentes, denique in uentriculum vſque propellunt,
qui tandem vomitu, atque per os expellit. Quod neq;
mirum, neque præter rationem videri debet, cum

A nemo ferè ſit, qui interdum non ſit expertus, quòd
cum egerendi deſiderium moleſtat, ſi uim uelimus il
li inferre, aſtringentes inferiorem anum, & ab ege-
rendo diutius nos continentes, ſæpe excrementoſus,
& acris humor, qui irritabat excretricem inteſtinorũ
facultatem, ſurſum hoc eodem modo conuerſus inci
pit uentriculum pungere, atque interdum nauſeam
incitat, quandoque etiam quaſi animi deliquium, in-
terdum uerò capite vaporibus repleto, fiunt dolores,
& quandoque vertigenes, nec modo humores eiuſ-
modi, uerum & flatus, dum illi tranſitus ad inferiora
conſtricto ani muſculo intercipitur, ad ſuperiora re-
currit, & qui per internas partes exire non potuit ſur
ſum ad uentriculum delatus, ructu per os expellitur,
B non quidem propterea, quia à uentriculo attrahatur,
ſed potius quia impulſus, & expreſſus ab inteſtinis, vi
quadam recipitur, cum uerò ad id deuentum eſt, ut
ſtercus per os reijciatur, grauiſſimus morbus, à quo ra
riſſimè euadunt, qui eo laborant, quamuis nos tres vi
derimus ex hoc affectu liberos euaſiſſe, uirum vnum
& mulieres duas. Longè uero deterius eſt, ſi os malè
oleat, & adhuc peius ſi anima fœteat, nam & hoc tã-
dem accidit immo & ructus. Poſtremò uero oĩum
peſſimum eſt, ſi corpus ipſum fœdum odorem ſpiret,
quod quandoque ijs, qui voluulo laborant, ſolet acci-
dere, ut tertio Prorrh. teſtatur. Galen. Anteaquam au
tem curationem horum dolorum tractare incipia-
mus, aliqua deſcribamus, quibus dignoſci posſit, quan
C do voluulus ex inflammatione ortum habeat. Hipp. Com. 66.
itaque 3. lib. de victus ratione, vel de Diętà ait, quod
inter initia alui deiectiones aridæ, & quaſi exuſtæ red
duntur, vt quę à calore inteſtinorum ſiccentur, aſſen
turq́ue, paulo poſt autem aluus omnino, pręterea, &
vrina ſupprimitur, & id propterea quod inteſtina cõ-
primũt ueſicę collum, uel quia ueſica conſentit cum
inteſtinis, poſtea cibus, potuſq́ue vomitu reijciuntur,
poſtremò ſtercus, ſed & os primum exſiccatur, febris
ſiquidem ſemper his inflammationibus asſidet, quæ
exſiccare poteſt, & præterea, quia ventriculus cum
inteſtinis in eo malo conſentit tandem, & os amare-
ſcit. Febris vero (ut 6. Apho. ait Galen.) maior, vel mi Aph. 22
nor fit pro ratione incrementi inflammationis. Ait
D autem Hippo. 3. Apho. autumno ſæpius, quantum ad
rationem temporis pertinet, voluulos concitari, id e-
nim tempus frigidum, & inæquale eſt, & maximè a-
ptum congerendis prauis ſuccis, facileq́ue ea de cau-
ſa læduntur partes ad uentriculum pertinentes, unde
facilius deinde (vt in Commentario exponit Gal.) ſu-
ſcipiunt calidos, & tenues humores per æſtatem col-
lectos, atque ab autumno frigido, & inæquali in pro-
fundum adductos, à quibus poſtea facilè inflammatio
ortum habet, quæ ſæpius eſt in cauſa voluuli.

De curandis doloribus inteſtinorum.
Cap. X.

E CVm hi dolores aliquando (vt diximus) à calidis
humoribus in inteſtinis contentis ortum ha-
beant: nonnunquam uero à frigidis, primum
de illis agemus, qui cauſam calidam habent, poſtea
de reliquis. Sed quoniam bifariam humor calidior
poteſt eſſe cauſa excitati doloris, quia vel in inteſtinis
contentus pungit, & mordet, præſertim cũ acris eſt,
vt bilis, præcipuè verò, quæ ſyncera eſt, aut quia qua-
ſi abſorbetur, & penetrat in inteſtinorum ſubſtan-
tiam, eamq́ue in inflammationem attollit: de priori
differentia priorem inſtituemus ſermonem. Itaquę
cum ab acri, & calido humore dolor ortum habet,
præcipuus, & primus ſcopus, qui ſe medico offert,
eſt, euacuandum eum humorem eſſe, qui eſt dolo-
ris cauſa, ſi id quidem facilè fieri poteſt, deinde ve-

ro ut ea omnia (quemadmodum duodecimo Meth. cap.8. docuit Galen.) declinemus, quæ aut calefaciunt, aut attenuant. Si uideatur, quod uacuari commodè nequeat, agendum, ut acris, & calidus humor, quo magis poteſt, temperetur. Quòd ſi coactus fortaſſe medicus à ſæuitia doloris, eatenus morari non poteſt, donec temperetur, ad ea confugiendum eſt, quæ ſtuporem inducant, horum enim vſus non eſt adeo in hac dolorum differentia noxius, vt in alia, quæ à frigidiori affectu ortum habet: nam cum hęc medicamenta refrigerandi, ac deſiccandi uim habeant, non ea duntaxat ratione prodeſſe poſſunt, quod ſtuporem afferant, uerum & quoniam cogendo per refrigerationem, et deſiccationem tenues humores craſſiores reddunt, tum etiam calorem immodicum remittunt, & temperant. Euacuationem uero, ſi ea magis ſit opus, moliri oportet pro ratione loci, in quo is humor congeſtus eſt, quia ſi in uentriculo, facilius, niſi aliud obſtet, uomitu educetur: ſin autem in inteſtinis, facilius clyſteribus, non quidem acribus, ſed illis, quæ detergere ſine morſu poſſunt: ſicuti eſt ptiſana, ſuccus, aut aqua hordeacea: Dioſcorides tamen decoctum ſeminis lini, & decoctum maluæ laudat, præſertim uero clyſteres utiles ſunt, ubi in craſſioribus inteſtinis contineatur uacuandus humor. Quod ſi clyſteribus non cedat pertinax humor, cap.7. optimum medicamentum (ait ibidem Galen.) erit hiera, quam amaram, uel dialoes appellant. Quantum autem ad uictus rationem attinet, cibi maximè congruentes ſunt, quicunque ſunt boni ſucci, nec facilè corrumpuntur. At uero ſi colicus dolor occaſionem habeat ex fluxione humorum, qui ex uniuerſo corpore ad inteſtina imbecilliora ex aliqua cauſa reddita per aliqua interualla confluunt, uel per aliquas periodos feruntur, atque ita dolores concitant: ſicuti illi accidit, qui ab accepto ſcāmonio, ut bilis purgaretur, ex interuallis quibuſdam factus eſt obnoxius colicis doloribus, cuius hiſtoriam eod. loco retulit Galen. talis curatio inſtituenda erit, ut habita prius ratione uniuerſi corporis, ſic nimirum, ut auferatur iſtius fluxionis cauſa, quemadmodum ſępe docuimus, poſteà uerò & uictus congruenti ratione rē hanc tractemus, accommodatis medicamentis, in quibus hi ſint propoſiti ſcopi: nempe ut inteſtina roborentur, quo poſſint facilius ingruentes, & præcipî tes humores à ſe repellere, & uias, per quas confluūt ab uniuerſo corpore humores ita præparare, ut non poſſint æquè facilem per eas tranſitum habere. Robur uerò addunt particulis ea, quæ remouent intemperaturam, quæ fuit imbecillitatis cauſa, intemperies uero derelicta à ſcāmonio fuit calida, quę inteſtina laxiora reddit, & languidiora: unde tam in uictus ratione, quàm in medicamentorum decoctione, huc pręſertim ſpectandum eſt, ut refrigeremus cum aliqua aſtrictione, & ea in cibum offerantur, quę non facilè corrumpantur, quare alica præſertim commodus erit cibus, cui tamen aliqua mali punici grana ſint iniecta: præterea uerò nec inutile erit auſteros fructus eſſe, ut pyra, mala cotonea, mala etiam aliquantiſper auſtera, item & punica, ſed & ptiſanæ cremor, & piſces probari conueniunt: Dioſcorides uero & portulacam laudat. Potus uero aptus erit, ſi uinum, quod auſteritatis particeps ſit exhibeatur; immo & aquę potus aliquando, præſertim uerò, cum multa ſitis moleſta eſt, Galeno probatur, hæc enim cum refrigerent, & aſtringant, non modò laxitati, & intemperaturæ inteſtinorum ſuccurrunt, ſed & non ita facilem tranſitum ad inteſtina relinquunt. Cum uero horum dolorum ratio ab inteſtinorum inflammatione pendet, ad inflammationem oportet uniuerſam curationem conuertere, quæ ſimilis ferè il-

A li eſt, qua inflammationes aliorum uiſcerum, maximè uero uentriculi, curantur. Ergo & uictus tenuiſſimus erit inſtituendus, & ſanguis copioſus, pro ratione tamen uirium, & ætatis, mittendus eſt, & ſimilibus etiam cataplaſmatibus, ut in inflammationibus uentriculi, nimirum in quibus ſtatim inter initia uis ſit repellendi, ut incremento inflammationis obſiſtamus, poſtea ad uacuationē defluxi iam humoris immiſceantur aliqua digerentia, & quo magis res ulterius progreditur, eo ea magis addantur, quę uim habent digerendi, in quibus explicandis non erimus lōgiores, quia ſatis copioſe ſuperius de his uerba fecimus. Sed ad alias horum dolorum differentias, quæ à cauſis frigidioribus ortum habent, tandem oratio-

B nem conuertamus, ſicuti quando à craſſa, & lenta pituita excitantur. In his ergo curatio ab illis in primis inchoanda eſt, quæ incidendi, & concoquendi uim habent. Nam ſemper ratio curationis præcipuè a natura ipſius affectus accipienda eſt, unde cum affectus ex craſſa, & uiſcida materia originem habeat, ſtatim indicat materiam illam attenuandam eſſe, incidendamque, & concoquendam, cum crudus ſit is humor: & quamuis dolor ille ſit, qui præſertim cruciet, quia tamen (ut ſuperius diximus) quando doloris cauſa eſt cruda, & craſſa pituita, niſi præterea multus adſit flatus, non eſt ita admodum uehemens dolor, neque adeo moleſtus, ut ſit primum ſedando dolori incumbendum, immo remouendæ cauſę danda

C eſt opera, nempe ut ea materia per inciſionem, & attenuationem, & concoctionem, partim uero ad euacuationem prępparetur. Et hæcquidem eſt communis ratio eorum, quę ad hanc curationem commoda, & opportuna ſunt. Sed quia non eſt eorum, quæ tenuant, & incidunt idem modus, & eadem natura, & ordo (nam alia calidiora, alia uero minus calida) ea præſertim utilia ſunt, quę non admodum calefaciūt. Cum enim frigida, et craſſa, crudaque pituita non ſit ad digeſtionem, & concoctionem facilis, ſi illis tractetur, quę uehementer calefaciunt, colliquatur, & tareſit, neque digeri omnino poteſt, ſed in flatum cōuerſa, dolorem longè magis auget, & irritat, quàm leniat, & mitiget. Quare ab ijs in primis temperādum

D eſt, quę calefaciendo colliquant, & in flatum cōuertere eam materiam poſſunt, neque tamen colliquatā poſſunt ualenter digerere. Nam ſępiſſimè uidemus, quòd vulgares homines, & illi, qui animo ſunt firmiori, & ualentiori, docti ab ipſa experientia (ut 12. Met. ait Gal.) citius ſanantur, ſeruata mediocri, & commoda uictus ratione per aliquod tempus, quàm qui uſi ſunt cataplaſmatibus, uel oleis, aut clyſteribus calefacientibus. Laudat tamen in his Gal. allium comedere, cap.8. utpote quod & attenuet, et flatum diſcutiat: pręterea & theriacam, & vſum fomentorum, quæ flatū quidem diſcutiant & potius ſiccent, quàm ualidè calefaciant. Et illis, qui colicis eiuſmodi doloribus laborāt, cum aliquo prętere flatu, neque ſunt a febre im-

E munes, utile admodum eſt, ſi milio uenter foueatur, ut ibidem docuit Gal. Quod ſi his fomentis dolor nō miteſcat, clyſteribus ex oleo utendum eſſe ait, in quo ſint incocta ea ſemina, quæ flatum diſcutiant, addito adipe anſerino, non ſalito, neque ueteri. Vbi uero multus flatus dolorem concitat, cibis, potibuſque attenuantibus, atque adeo etiam clyſteribus, & cataplaſmatibus, tum ſiccis, tum humidis uti oportet, unde 2. ad Glauc. docet in oleo incoquenda eſſe ſemina fœniculi, apij, aniſi, ſeſeleos, dauci; immo ſi frigidus admodum uideatur affectus, non erit inutile & rutam addere, & baccas lauri, & laurinum oleum. Hic tamen unum non eſt prætermittendum, quod ſi ex ſolo flatu, qui amplius à materia non habeat fomentum, ſit dolor concitatus, nullum ma-

gis prçſentaneum remedium reperitur(ut eiſdem in A locis teſtatur Galen.)quam ſit cucurbitula citra cutis incisionem,quæ magna ſit, & ex copioſo igne, uêtri àffixa,comprehêdens vmbilicum:ſçpiſſimè enim viſa eſt ſtatim dolorem ſedaſſe, vt quaſi uideatur ſimile incantationi. Verum vbi ſit materia flatum fouens, dolor quidem ſedatur, ſed non multo poſt iterum cô citatur, vnde ſi res ita ſe habuerit, primum quidê per cucurbitulam dolorem ſedare oportet, mox vero ꝓcurandum, ut materia illa educatur, præſertim uero aliquo clyſteri ex oleo rutaceo, vel eiuſmodi alio, modo (ut diximus) febris abſit: nam ſi ea adſit, minus calefacientibus eſſet agendum, ut itidem docuimus. His autem temporibus aliquid præterea adderemus, ꝙ tum detergendo, tum uero aliquantiſper, non tamê B à remotioribus partibus, attrahendo, poſſet adiuuare excretionem materiæ, quæ quaſi fomentum eſt flatus, vt eſſet mel roſaceum, et electuarium lenitiuum: ſicuti ſi in hunc modum clyſterem pararemus, nempe facto decocto ex illis, quæ tenui ſua ſubſtantia attenuant, & ſecant, calore vero non admodum vehementi digerendi, diſcutiendique uim habent, ut ſunt chamæmelum, melilotum, ſemina aniſorum, fœniculi, lini, fœni Græci, & id genus aliorum, & ex eo decocto rectè, et ex arte parato dilueremus roſacei mellis tres uncias, electuarij appellati lenitiui ſexquiunciam, uel tantundem hieræ ſimplicis, addito deinde rutaceo oleo, uel ſi eius uſum febris prohiberet, chamæmelino, uel anethino, vel expreſſo ex amaris a- C mygdalis, vel quopiam alio iſtius generis, ſicuti eſſet liliaceum. Poſtremo uero & de colico dolore agamus, qui occaſionem habuit, ab obſtructione facta ex multo, & indurato ſtercore. Eius autem indicationes, & ſcopos ſummatim nobis Galen. in arte medicinali expoſuit, ſumptos quidem à natura affectus. Alter enim eſt, vt congeries duri ſtercoris primùm molliatur, poſtmodum vero inaniatur. Particulatim vero omnia pinguia, & oleaginea, ſiue per clyſteres ſupponantur, ſiue ſuperius aſſumantur, utilia alioquin eſſe poſſunt, unde & iura pinguia, & quçcunq; tandem mollire, & aluum lubricam reddere, laxareque poſſunt, ſiue cibi & fercula ſint, ut atriplices, & quç ſpinachia in præſentia dicuntur, & malua, & D hæc ex dulci oleo condita, ſiue potus ſiue rationem medicamenti habeant quç uel ſupponantur inferius per clyſteres, ſiue per os accipiantur, omnia accommodata ſunt huic curationi, quantum ad primû ſcopum pertinet, unde & oleum dulce ebibitum ad ſeptem, uel octo uncias, ut medicamenta bibi ſolent, nimirum modeſte calidum, poſt quod nihil bibitû, aut comeſtum fuerit ad ſeptem, uel octo horas, ne commotum inde oleum vomitu eijciatur, multos ab hoc incommodo liberauit, ſed oleum amygdalarum etiam dulcium, ut facilius accipitur, & detinetur, ita et in maiori eſt uſu, nam præter uim, quam habet molliendi, aliquantulum etiam detergit, & digerit. Longe autem efficacius eſt id quod ex amaris amygda- E lis exprimitur, quia & ipſum oleaginea ſua ſubſtantia mollit, longe magis autem his alijs detergit, attenuat, & flatus diſcutit, quo fit ut præter id quod mollit detergendo etiam quoquo modo ad excretionem adiuuet. Sed hæc non modo ebibita proſunt, verum & per clyſteres iniecta, faciunt autem ad fœcem educendam, & acriores clyſteres, qui ex decocto mercurialis, betç, furfuris, ſeminum cnici uel (ut Arabes loquuntur) chartami, radicum altheæ addito ſale, melle roſaceo, oleis chamæmelino, liliaceo, hiera, qua nunc prçcipuè utuntur in clyſteribus aut diaphoenicon, aut alio quopiam medicamento, quod uim habeat ciendi aluum, ita ut mollientes prçcedant, ſequantur autem eiuſmodi acriores. Sed & per os acceptа medicamenta poſſunt huic ſcopo ſatisfacere, & inter alia tradunt aloem habere hanc prçrogatiuam, ut ſtercus educat, unde & ſtercoraria medicina à quibuſdam appellatur. Sed hoc animaduertendum, quod ſi fœces eſſent in ſuperioribus gracilioribuſque inteſtinis congeſtç, facilius ſuo fungerentur officio medicamenta per os ſumpta, per anum uero, & clyſteres iniecta cum in craſſis facta eſt obſtructio. Neque etiam hoc prçtereundum eſt, quod ſiue clyſteribus utamur, ſiue per ſuperius exhibeamus, aliquando ſeorſum utimur illis, quæ molliunt, & ſeorſum illis quç euacuant, nonnunquam ſimul & mixtim. Nam ut ab illis, quæ per os aſſumuntur, incipiamus, interdum medici prius oleum bibendum præbent, & ſequenti die, aut aloem, aut diaphoenicon, aut aliqua catapotia fortiora, uel leuiora, pro ut uideretur aluus aſtricta magis uel minus difficilis, ut ſoluatur: interdum uero hçc ſimul miſcent, nam poſt acceptas pilulas, uel ex aloe, uel alephanginas, in quibus maior uis flatus diſcutiendi uel alias fortiores, paulò poſt oleum bibendum exhibent, nam ſi oleû præbiberetur, facilius dum eſſent deuorandæ pilulæ, oleum uomitu reijceretur. Alij uero medicamentum dyaphoenicô confectum ex ſaccharo in placentulas comedendum prius exhibent, mox oleum bibendum. prçbent autem circiter ſemunciam. Sed & id medicamentum, quod in colico dolore ab omnibus ferè & Græcis & Arabibus medicis laudatur, mixtum ex utraque facultate eſt, nimirum ius galli decrepiti ex arte poſt dimicationem, & laſſitudinem occiſi, & decocti, nam ratione iuris mollit, per nitroſas autem partes, quibus præditum eſt decrepitum animal, uim habet ciendi aluum, ſed maiorem etiam uim habebit ciendi aluum, & uacuandi, ſi in eo ſal, polypodiumq; (ut inſtituit Auicenna) incoqueretur, uel cû cnico, uel chartamo, ut Meſue meminit. Eiuſmodi autem curatio, quæ fit per olea, quorum in prçſentia mentionem fecimus, & pilulas, aut alia purgâtia medicamenta, itemque per clyſteres, non ita propria eſt‚ doloribus colicis, q̃ à congeſto multo, & indurato ſtercore occaſionem habent, ſed & cæteris differentijs communis, prçterquam quod in illis, qui a calido, & acri, mordacique excremento excitati ſunt, ab acrioribus, & calidioribus, tam oleis, quàm medicamentis, ſiue in clyſteribus eis utamur, ſiue ſuperius fuerint accepta ea, quæ magis calefaciunt, temperandum eſt. Vnde oleum amygdalinum dulce iniectum per clyſteres, perinde ac epotum, in hoc affectu, cum à mordaci ſucco ortum habuerit, utile eſſe poterit, ſiue ſolo eo utamur, ſiue illi aliquod medicamentum, quod lene, & facile ſit, & potius inteſtina roboret, quàm exoluat, ſicuti ſi pilulæ ex aloe, præſertim uerò lota prius, ad drachmam, uel paulò plus deuorentur, & oleum ſuperbibatur, nam oleum, prçter id, quod leniendo poteſt uacuare noxium humorem, & longè etiam magis, ſi ab aloe adiuuetur, reprimit etiam, et temperat acrimoniam noxij humoris, aloe uerò præter uacuationem, roborat inteſtina aſtrictione, qua prædita eſt. Sed quia ratio hæc, quam hactenus expoſuimus, curationis horum affectuum non uertitur circa dolores primum, et per ſe, ſed circa affectus, et cauſas dolorum amouendas, aliquando autem dolor ipſe adeo urget, ut neceſſe ſit omnino illi primum occurrere (nam ſæpe hominem ad deſperationem adducit) ideo de hoc etiam paucula quædam dicenda ſunt. Et (ut alias ſæpe diximus) cum duplex ſit modus ſedandi doloris, aut uidelicet per ea, quæ propriè anodyna dici poſſunt, quæ nimirum temperatum quendam calorem habent, quo fouentur particulæ, & quoquo modo laxiores fiunt, aut per ea, quæ ſtuporem ſenſibus inducunt,

&

& quaſi vim ſentiendi illis adimunt, anodynaq́; & ipſa à medicis dicuntur: horum quidem vſus, & ſi nõ ita tutus ſit in his doloribus, qui ex cauſa frigida ortum habent, ſicuti in illis, qui ex calido, & acri humore excitantur; quia licet conferant, qua ratione interim, dum obſtupeſcit ſenſus, nec acerbitate doloris torquentur, & vires, quæ alioquin ex vigilia, doloreque periclitantur, ne concidant, paulisper reficiuntur; ipſam tamen affectionem (vt duodecimo Meth. ait Galen.) deteriorem reddunt, aucta nempe per hęc frigida intemperatura; neceſſarius tamen eſt (vt ſeptimo de Comp. med. ſec. loc. docet idem Gale.) [cap. 1. cap. 5.] propter doloris magnitudinem: præoptandum etenim eſt affectum fieri deteriorem, quàm ęgrum à ſæuitia doloris necari. Nam ſi vitium ab his medicamentis inductum modicum erit, facilè deinde per apta auxilia corrigi poterit: ſin autem magnum, difficilius quidem corrigetur: attamen adhuc melius eſt ita habere ægrotantem, quàm omnino perire: Ex quo hoc facilè colligi poteſt, quod & ſatis apertè eo loco in duodecimo Metho. exponit Gal. nimirum raro oportere nos his vti, & non niſi quando videmus imminere manifeſtum diſcrimen, ne vires ſimul cum vita deficiant. Medicamenta verò, quæ ſecundum hanc rationem anodyna dicuntur, ea ſunt, quæ opium, aut mandragoram, aut ſemen alterci, vel (vt Græci nuncupant) hyoſcyami accipiunt: horum verò numerus magnus in medicorum libris reperitur: ſed hæc in maiori vſu ſunt, theriaca, & mythridatia antidotus, quando nouæ, vel recenter confectæ ſunt, item requies dicta à Nicolao, quæ ſatis mitis eſt, & ſazanea ab eodem deſcripta: in his tamen affectibus colicis antidotus, quæ philonium Tharſenſe, vel Perſicum appellari conſueuit, alijs, fere omnibus præfertur: eſt autem in vſu tam per clyſteres iniectum, quam etiam deuoratum: deuorandum autem dare conſueuere à ſcrupulo vſque ad drachmam, vel etiam paulo plus: in clyſteri vero aliquando & vltra ſexquidrachmam; & vbi dolor in inferioribus inteſtinis conſiſtat, per clyſteres magis proderit: ſicuti ore aſſumptum, cum ſuperiora inteſtina cruciantur. Sunt quædam præterea, quæ ab omnibus tanquam vim maximam habentia, ad tollendos dolores hos communi medicorum ferè conſenſu laudantur, quod quidem potius proprietate quadam ſubſtantiæ faciunt quam manifeſta quapiam qualitate: in his autem eſt ſtercus lupi, vt Galen. decimo de Fac. ſimpl. med. autumat, præſertim vero ſi album fuerit: tale enim euadit, quando oſſibus fuerit altus; immo ſi etiam in eo aliquid oſſis fracti reperiatur, id etiam plurimam vim habet: neque modo comeſtum iuuat eiuſmodi ſtercus (quo interdum ſolo, & ſimplici in puluerem redacto vtuntur: interdum verò addunt ſal, & piper, aut alia aromata: dabant autem ex mulſa, vel alioquin ex melle) ſed etiam appenſum ex corio cerui aut ex lana eius arietis, qui ab eo captus tandem effugerit. Auicenna autem lupi inteſtinum exſiccatum, & mox tritum, & in puluerem redactum maiorem etiam vim ſtercore habere in dolore colico ait, & nunc in vſu frequenti eſt, cui atteſtatur experientia Gal. præterea auem, quam Latini Galeritam κορυδαλὸν vel κορυδαλίδα Græci appellant, mirifice laudauit, ſi edatur. Raſis autem plurimum commendat cornu cerui vſtum, & tritum, & ſubinde epotum. Quantum igitur ad horum curandorum rationem pertinet, hæc ſatis ſunto. Poſtremum vero de lumbricis, & reliquis, qui in ventriculo, & inteſtinis reperiuntur, vermibus tandem agamus.

A *De vermibus, ſeu lumbricis, qui inteſtinis generantur, ac eorum curatione.* Cap. XI.

Vermes quoſcunque ſobolem eſſe putredinis aut putreſcentis materiæ adeo apud omnes in comperto eſt vt nemo vnquam de hoc dubitauerit. Et quia (vt in prouerbio fere eſt) putredinis mater eſt humiditas: ideo ex humida materia, & in humidis corporibus (ut Gal. quarto de Facul. ſimp. medic. ait) [cap. 20. com. 10.] immo & in locis humidis uermes generari frequentius ſolent: nam & locus ad eorum generationem, quæ ex putredine ortum habent (ut idẽ primo lib. Comm. in primum Epi. autumat) [com. 26.] non nihil confert. Pręterea uero cum humiditas ſola nihil poſ- B ſit, niſi accedat & calor, præſertim uero in generandis uermibus, cum ſit neceſſe, ut calor omnino materiam ſuperet, præcipuè ſi ſit (ut tertio Aphoriſ. idẽ docuit) procreandum animal: eo fit, ut calor fortior ſit neceſſarius ad gignendos uermes ex putri materia quàm ad aliam putreſcendi rationem. Et proinde, & ſi in alijs partibus in animantium corporibus uermes gigni poſſint, ut in ulceratis auribus, ſicut cũ de illis ſermo haberetur, à nobis explanatum fuit, & in alijs quoque ulceribus, ſi putredinem contrahant: & ego quidem Venetijs nobiliſſimum Venetum patricium uidi, qui dum febre laboraret, & quotidiano præſertim noctu dolore tentaretur; tandem per naſum uermen eiecit obſcurioris coloris, longitudinis C quatuor ferè digitorum, qui utrinque ſecundum longitudinem quoſdam tenues, & breues pedes habebat, & exceptus uitreo cyatho uelociter ferebatur, eiectus autem fuit inuolutus mucis, craſſoque, & nigro ſanguine, ex qua etiam putreſcente materia ortum habuerat: Nullibi tamen, aut plures, aut frequentiores, ut tandem ad noſtrum præſens inſtitutũ orationem conuertamus, quàm in inteſtinis uermes in humano corpore gignuntur; & id quidem, quia in illis ea omnia ferè reperiuntur, quæ ad eorum procreationem conducere poſſunt. Nam nullus in corpore locus eſt, in quem tanta copia humorum, qui ad corruptionem, & putredinem apti ſint, confluat, ut inteſtina: à uentriculo enim humores crudi plu- D rimi, humidique, & interdum ſemiputridi defluunt, immo & ab uniuerſo ferè corpore: qui item locus & calidus eſt, & humidus, actuali præſertim (ut aiunt) caliditate. In pueris autem, & adoleſcentibus plurimum, & ſæpe ſolent eſſe moleſti: rarius in adultis, & ſenibus; in infantibus uerò nunquam, aut rariſſimè. Cuius rationem eodem loco referens Galen. ait, quod quamuis ſæpe in uentre in infantibus corrumpantur excrementa, putreſcantque, & præcipuè in inferiori (nam & eorum deiectiones id oſtendunt, quæ ſatis malè olent) nondum tamen eorum calor ita emicuit, ut poſſit omnino materiam ſuperare; vtpote qui nimia humiditate quaſi ligatus eſt: unde quamuis ſatis eſſe E poſſit ad putrefaciendum, nequit tamen ſatisfacere ad procreandum animal. Pueris uerò, & illis, qui adoleſcunt, neque materia deeſt, neque ea caloris uis, quæ ad generandum animal ſit efficax. At in ſenibus non deeſt quidem materia ad putredinem apta, deeſt tamen calor. Tres autem ſunt horum uermium, qui ortum in inteſtinis habent, differentiæ, quarum eodem etiam loco Gal. meminit. Prima in pueris frequentiſſima eſt; ſæpisſimè enim in pueris aliquando etiam bene ualentibus una cum ſtercoribus deijciuntur, qui longi quidem, ac teretes ſunt, & longitudine palmum quandoque æquant, uel paulo plus longiores ſunt: ſæpius minores. Altera uero differentia eorum eſt, qui lati à medicis dicuntur; utpote qui lati, & plani ſunt lon-

gitudine autem tres interdum cubitos excedunt,quã
nis,ſi rectè inſpiciantur,non eſt unus uermis,ſed cō-
geries plurium uermium,qui figura ſimiles ſunt ſemi
nibus cucurbitæ,nempe lati, & plani,breueſque, &
coniuncti ſimul, ſibique mutuo cohærentes, corpus
quoddam longum conſtituunt latitudine digitali, ſi-
mile illis,quaſi ligulis ex filo lineo factis, quas cordel
las noſtræ mulieres,nuncupant, & hæ duæ differen
tiæ tum à Græcis,tum à Latinis unum commune no
men habẽt:Græcè enim ἕλμινθες, lumbrici uero La
tinè dicuntur. Tertia differentia, licet interdum ab
aliquibus auctoribus ſub communi nomine lumbri
corum comprehendatur,habet tamen priuatum, &
propriũ:aſcarides enim appellantur, qui minuti sũt,
ſimiles blactis,vel minores,quales illi, quibus iumen
ta interdum uexantur,atque una cum ſtercoribus ex
cernunt,vulgo vero tarmæ uocantur,& ſimiles ſunt
illis uermiculis,qui in putrido caſeo ſæpe ſolent con-
ſpici. Differunt autem tres hę lumbricorum ſpecies
multifariam, Nam & frequentia; frequentiſſimè e-
nim teretes,uel rotundi fiunt,rarius aſcarides, rariſſi
mè lati. Deinde & loco,quia rotundi plerunque in ſu
perioribus gracilibuſque inteſtinis gignuntur, & pro
inde ſæpe aſcendentes in uentriculum, & quandoq;
ad os uſque per gulam ſerpunt, ut pueri interdũ ma-
nibus apprehendentes extrahant ſed ſi in ſuperiori-
bus,in eo longiori, quod ileon iuniores appellant gi-
gni ſolent, quia in ieiuno uix credam eos progigni
poſſe,cum ſemper ferè inane ſit, & id (ut anatomici
aiunt) quia bilis à meatu felleo in inteſtina effuſa de
eo omnem ferè materiam detergit,quę (ſicuti Gal.4.
de ſimp, med.fac.tradidit) ob amaritudinem uermi-
bus ſecundum omnem rationem eſt aduerſiſſima,
Vnde Auic.decima ſexta tertij,ait putandum fortaſ-
ſe eſſe in colo aut monoculo uermes potius genera
ri,quam in gracilioribus, qui poſſunt & ſuperius ver
ſus ventriculum,& inferius uerſus rectum inteſtinũ,
& anum repere;ob hanc fortaſſe rationem. Qui ue-
ro lati ſunt,mutuo ſibi hęrentes eam congeriem cō-
ſtituunt,& adeo longam, vt occupent ſæpe uniuersã
ferè longitudinem inteſtinorum. Aſcarides autem et
minuti ſunt,& locum generationis habent in poſtre
mo inteſtino nempe in recto. Differunt & 3. (ut te-
ſtatur Auic.)materia,ex qua ortum habent. Nam la-
ti ex materia, in qua copioſa eſt humiditas oriuntur;
propterea quia antea putreſcens in uermes conuerti
tur,quam quantum à iecinore exugendum erat exu
gatur,& anteaquam eo putredo progreditur in ma-
teria,ut ui eius diuidantur,& ſeparentur partes eius,
& ob id quaſi vnum corpus continens à principio vſ
que ad finẽ. Aſcarides uero ſecreti, paruique,& mul-
ti generantur, quoniam materia,ex qua fiunt antea-
quam ad rectum inteſtinum feratur,plurima eius hu
miditas exucta à iecinore eſt,quę cōtinuitatis poterat
eſſe in cauſa, præterea putrefactio magis inualuit, q̄
eius partes diuidere, & ſegregare potuit,unde plures,
& minores geniti fuere;cui accedit & ſtercorum fre
quens per eum locum tranſitus, quæ cum pleruncq;
duriora ſint, diſcerpunt, & diuidunt in plures partes
materiam, ex qua generantur, cui adde quod fœces
excretæ per eum locum illos ſecum attrahunt,antea
quam creſcere admodum poſſint. Rotundi uero, ut
mediam rationem inter hæc ſeruant, ita & medij in
magnitudine ſunt. Addit autem idem Auic.ſecutus
Serap. quod cum ſit quædam pituitoſa, mucoſaque
ſubſtantia, quæ quaſi tunica quædam ſuccingit inte-
rius inteſtina,& ea eſt quæ dyſenteria primum abra-
ditur,quando mucoſa quędam non ſine torminibus
excernuntur,ideo quaſi tunicę ſemper humores qui
dam crudiores affixi hærent,qui putreſcentes in uer-
mes uertuntur in ea fere tunica, immo Paulus ait,

A quod lati fiunt ex huiuſcemodi mucoſa tunica,quę v-
niuerſa fere putreſcens conuertitur in animantium
corpus,ut aliquando tota excernatur, & miræ longi
tudinis ſpeciem referat, interdum tamẽ non uniuer
ſa,ſed per partes excernitur. Differunt etiam maligni
tate,quia omnium deterrimi ſunt lati,ut qui maiores
ſint,& ex deteriori putredine geniti:minus uero ma-
li aſcarides, ut idem Auic. ait, ut qui minores ſint, nã
(ut ex Herodoto teſtatur Aetius)ſemper maiores mi
noribus ſunt deteriores:pręterea qui remotiores sũt
à præcipuis membris, tertio etiam quia cum, prope
exitum ſint,facilius uel etiam cum fæcibus expellun-
tur. Sed addit Auicen. quod ſi ex aliqua occaſione hi
tantiſper ibi morentur donec creſcãt, alijs fiunt dete
B riores, quia ex deteriori materia geniti ſunt. Neque
tamen & id prætereundum eſt, quod Aetius ibidem
retulit,quod ex differenti colore interea apparet eo-
rum natura peior. Nam qui albi ſunt minus mali:eo
rum enim materia fuit pituita. Qui uero rubicundio
res ſunt,deteriores exiſtunt(quod & nos obſeruaui-
mus ſæpe) aut uidelicet ex deteriori materia,ut pote
cum qua fuerit putridus aliquis, & uitioſus ſanguis
commixtus, aut deteriori modo, & ratione putredi-
nis. Anteaquam autem multa ea mala, quę laboran-
tibus uermes afferunt exponamus, operæpretium
fortaſſe faciemus, ſi ad quod morborum genus refe-
rendi ſint uermes, cum in corporibus animantium
orti illis negotium afferunt explanauerimus, nam
C Galen.tum in libro de different. morb. tum uero in cap.8.
tertio Medicinalis artis inter ea recenſet,quæ in cor cap.87.
poribus humanis progenita ſunt ex toto genere præ
ter naturam, quę ſi in morbis ponenda ſunt in illo-
rum genus ſunt referenda, quæ particulis ſunt attri-
buenda,quatenus inſtrumentariæ,nõ quatenus ſim-
plices,quæque conformationem particulę uitiant,&
ad illam horum ſpeciem,quæ ad uitiatum numerum
pertinet. Sed hic unum examinandum eſt, quod ne-
glectum poteſt eſſe multorum errorum in cauſa, nã
ſi ſequamur doctrinam Galen.in eo de differen.mor
bi.libro hęc, quæ ex uniuerſo ſuo genere ſunt pręter
naturam,aliquando ne morbus quidem ſunt,neque
morbi cauſa, ſed rationem tantum ſymptómatis ha-
D bent;interdum uero ſunt tantum morborum cauſa,
non morbus, quandoque autem morbus, nonnun-
quam & morbus, & cauſa. Cum enim nulla opera-
tio alicuius particulę adeo læditur,ut ſenſibus conſpi
cua ſit lęſio, neque morbũ dici poſſe putandum eſt.
Quod ſi aliqua fiat conſpicua læſio, id morbum eſſe
dicendum eſt,cum id morbus ſit,a quo ſtatim,& pro
ximè non autem per aliquod aliud lęditur operatio,
nam id,quod per aliud officit,cauſa morbi,non mor
bus eſt,niſi ſi quando reſpectu non unius,ſed diuerſo
rum & morbus & cauſa morbi eſſe poſſit. Cum e-
nim morbus per cōparationem ad alterum morbus
item & cauſa dicatur, utq; diuerſam habent compa
rationis rationem,ita ea mutata, mutatur etiam no-
E mẽ eam comparationem uel relationem ſignificãs;
nam ut cum diuerſis collatus aliquis poteſt pater, &
filius, ſeruus, & dominus dici, eiuſdem autem com-
paratione nequaquam (nullus enim poteſt eiuſdem
eſſe filius, & pater) ita neque idem eſſe eiuſdem com
paratione cauſa & morbus, ſicut neque cauſa & ef-
fectus; Sed præterea & id conſiderandum, quod ſi-
cuti ex eodem Gal. depromere poſſumus, licet una,
& eadem ſpecie res ſit, quæ rationem morbi induit,
nempe quia operationes aliquas lędat, non tamen
ſemper in idem morborum genus referenda eſt, im-
mo quandoque in unum,quandoque in alterũ,quã-
doque in utrunque ſimul, utrunq; autem dico tã il-
lud quod ſimplicibus mẽbris primum attribuendum
eſt,quam illud,quod compoſitis,& inſtrumentarijs;

quod

quod inflammationum & reliquorum tumorũ exẽplo, qui præter naturæ rationem ex uitioſis humoribus creſcunt, oſtendemus: hos enim & Galen. in libro de Inæqu. intemper. in illis morbis recenſet, qui (cap. 1.) in intemperatura conſiſtunt, & in fine libri de diffe. (cap. ult.) morb. redigit in genus morborum, quod proprie, & primum debetur ſimplicibus, ac primis particulis: cum tamen alibi ſæpe eos redigat in eorum ordinẽ, qui conformationem uitiant, ut oſtendimus ſępe in prioribus lib. nam & obſtruũt interdum, obſtructio uero morb. in uia eſt, pro rationę enim lęſionis actionis, ad quam refertur uniuerſa fere morbi eſſentia, uariatur ratio, & genus, vel differentia morbi. Quibus ita conſtitutis, redeamus tandem, unde diuerteramus. Lumbrici in inteſtinis geniti omnino præter [B] inſtitutum, & ullã naturæ utilitatem geniti ſunt naturæ inquam, quæ animal regit, non autem uniuerſalis, & per accidens neceſſitate materię putreſcentis ſunt, hoc enim prudenter probauit Auic. loco ſuperius adducto, qui tamen interdum adeo quieti ſunt, ut nullum negotiũ faciant illi, in quo geniti ſunt, neque conſpicuam aliquam læſionem afferant. Sępiſſimè enim uidemus pueros continentes in inteſtinis lumbricos, qui proſpera fruuntur ſanitate ſine ulla moleſtia, interdum enim eos per ſedem cum alui excrementis, & citra illa etiã uermes deijcere uidemus: interdum etiã per os ſine ulla morbi ſuſpicione, vel ulla læſione inſigni. præterea vero aliquando pueros uidemus bene ſe omnino habẽres, qui paulo poſt [C] aut dulciarijs aliquibus comeſtis, aut quia timore aliquo concitati fuerint, ſtatim commotis vermibus, incipiunt malè habere, & ſigna ea apparere, quæ indicare ſolent eos uermibus uexari, unde prius aderant quidem vermes (neque enim potuiſſent ita repentè fuiſſe geniti) attamen nihil mali, quod poſſet comprehendi, excitabant, ut ægrotare puerũ illum quis poſſet affirmare. Interdum uero lædunt quidem, & plurimum, ſed non primum, ſed per aliud quodpiã quaſi medium: ſicuti quando febres, & eas interdum magnas accendunt, malignaſq;, ut & experientia docet quotidie, & omnes auctores, qui de hac re loquũtur, teſtes ſunt, eas uero non accendunt niſi ex malis, & putridis uaporibus, qui ab illis attolluntur, & referũt [D] naturam putredinis, à qua fuerunt geniti, atque cor p venas petunt, & arterias, uel ad os uentriculi aſcendentes ſua mala qualitate conſenſu quodam cor afficiunt, atque ſecundum hanc rationem potius cauſa morbi ſunt, quam morbus. nam febris morbus ipſe eſt, qui cum in intemperie ſuam habeat rationẽ, pertinet ad eorum morborum genus, qui propriè ſimplicibus particulis, primumque attribuuntur. Sed & alia præterea mala ſequuntur uermes, quæ morbi dici poſſunt, quorum comparatione uermes potius rationẽ cauſæ, quàm morbi habent, ſicuti quando mordentur ab eis tum uentriculus tum uero inteſtina: morſus quidem ſymptoma eſt, quia dolor, cauſa uero doloris eſt continui ſolutio, quæ repente fit à uermi- [E] bus mordẽtibus eas particulas, ſolutio uero morbus eſt, cuius uermes in cauſa ſunt, & læduntur, uẽtriculus & inteſtina, dum mordentur, ut ſimplicis particulæ rationem in ſe continent, non ut compoſitę, quia dolor ſequitur affectum partium, qua ratione ſenſus participes ſunt. Ita etiam ſi interdum cibum rapiant, quo eſſent alendi pueri, famem quaſi caninam concitant, quæ inanitionem ſequitur: ſicuti accidit quãdoque conualeſcentibus. Nonnunquam vero refrigerato corpore, & ferè extinctis ſpiritibus & calore natiuo ſequitur quaſi bulimos. Interdum uero aſcendentes ad uentriculum ſuo fœtore putredinem referente, prętерea & uitioſa qualitate ſuę naturæ illum afficiẽtes in pueris appetitum adeo tollunt, corrũpũtve,

vt eos (ſicuti in priori lib. diximus) apoſitos faciant: imò cum ventriculo ex hac mala natura conſentiente corde, fit eius palpitatio, & tremor, ut interdum ẽt pulſus langueſcat, & cum à uitioſa temperatura, & qualitate hęc accidãt, à vaporibuſq; ab illis elatis, ſemper potius cauſæ, quàm morbi rationem habent. Itẽ cauſæ rationẽ habent, cum ab eis operationes ad animalẽ facultatẽ, & cerebrum pertinentes læduntur: nã conſentiente cerebro cum uentriculo, quando illi ſurſum ſerpentes ori uentriculi, aut motu eorũ inordinato, aut mala qualitate ex putrida natura comparata, aut mordentes, & pungentes negotium faceſſunt, vel per putrilaginoſos uapores à uentriculo ad caput elatos læditur cerebrũ, ex qua lęſione, vel hoc, vel priori modo illata, & epilepſia interdum ſequit, & totius corporis contorſio conuulſioque. Vidi .n. pueros, qui à uermibus adeo male affecti ſunt interdum, ut opiſtotono à Græcis dicto correpti, retrorſũ adeo conuellerent, ut penè calcaneis caput cõtingerent: leuiores uero affectus ſunt, vertigo, ſtridor dentium, quæ quidem ſimilis affectus eſt conuulſioni in muſculis, qui maſticationi p̃ſunt, cui ẽt ſimilis in muſculis oculorum affectus, quando conniuent oculis eos nõ exactè claudentes. Sed & rationem cauſæ habent, quando læſo ab eis uentriculo, & eius conſenſũ inflat inferior uenter, perinde ac ſi hydropici eſſent, ſed cum torminibus, & inteſtinorum doloribus cruciant hominem, quod multiplici ratione contingere poteſt: nam ob flatum comprehenſum, & concitatũ in uentre inferiori ea ratione, quę nuper fuit expoſita, aut ipſum mordentibus, & pungentibus interdũ adeo acerbe, & pertinaciter (ut quemadmodũ & ab antiquis medicis narratur, & nos etiã noſtris oculis uidimus) uẽtrem, & inteſtina perforauerint. Ego etenim uidi puerum quinquennẽ, in quo uermes hi rotundi pforato uentre p umbilicum exiere. Paulus uero & p bubones, uel inguina. Aliquando uero ẽt uidi poſt dolores colicos uehemẽtes multos excretos fuiſſe uermes, quaſi in globum glomeratos, quos credimus concitaſſe colicos dolores ex obſtructione, ac tunc poterant quidem dici, ꝙ eſſent morbus, nõ cauſa, qui quidem malè affecerant inteſtina, ut compoſita, & inſtrumẽtaria membra ſunt, atque ita morbus dici poterant, aut in uia, aut in numero, erat enim aliquid, quod ortum erat in ea particula, quod erat ex toto genere præter rationẽ illius particulæ, & diſtributionem cibi in uenas impediebant, quia illum præripiebant deuorantes, anteaquam ab illis exugeret. Aliquando etiam neque morbi, neq; cauſa ſunt, ſed ſymptomatis, qđ quidem morbum ſequit, rationem habẽt. Vnde in febribus cum excernat, aliquãdo malum, aliquando bonũ ſignificant. Nã in initijs febriũ excreti, multũ humorẽ excrementitiũ, & crudũ ad putredinẽ aptũ indicant, Circa uigorẽ aũt morbi excreti lũbrici item ſignũ malum ſunt, nã non niſi ratione ſymptomatis poſſunt eo tempore expelli, & vt Aetius & Paulus, & Aui. teſtantur demonſtrant malignitatem morbi, id uerò propterea (ut ait Stephan. Athenienſis Gręcus auctor) quia ingentem putredinem ſignificat, neque enim ſine ingenti putredine (ut ſuperius diximus) queunt lumbrici procreari, & ſi morbus acutus fuerit longè deterius ſignum eſt. Nam acutus morbus originem habet ab acribus tenuibuſque humoribus, lumbrici uerò ex craſſis, & crudis, unde multam cacochymiam, & diuerſorum contrariorumque humorum congeriem collectam eſſe ſignificat: deteriores uerò ſunt morbi, qui a multiplicibus, & differentibus ſecundum naturam humoribus (ut Gal. 3. lib. in 1. Epid. ait) concitantur. Com. 21.
At uero cum inclinante iam morbo, cum reliquis excrementis lumbrici excernuntur (ut 2. Prognoſ.

præſagire docuit)ſignum bonum eſt,utpote quòd de A monſtrat naturam ſuperaſſe uniuerſam noxiam materiam, ac ita eam expellere, ut etiam uermes expellat, qui magis expulſioni reluctantur. Sed poſteaquã huc deuenimus, & cum tres horum uermium differentias eſſe teſtentur auctores ferè omnes (quamuis
com. 18. Auicen. uideatur eas quatuor cenſuiſſe; nos ſiquidé percipere nequimus, quæ ſit illa quarta,cuius ille meminit) quæ tres differentiæ licet rationem aliquam communem curationis habeant, particulatim tamé & una quæque earum ſuam propriã expoſcit: Ideo non ab re fuerit,quod & alij ferè omnes fecere,prius de ſignis agere, quibus ſingillatim diſcerni poſſint. Paulus ergo,& Aetius,quos Auicen. & Arabes ſecuti ſunt, præter ea ſymptomata, ſeu potius morbos, B quos hactenus recenſuimus, hæc etiam referunt:Sępe tuſſicula quadam ſicca irritantur, conſentientibus nimirum partibus ſpiritualibus cum uentriculo, aut uaporibus illis prauis ad ſpiritualia delatis. Quãdoque ſingultiunt,& id ob morſum uermium: dum dormiunt,concutiuntur,& quaſi tremunt:Sępe dormientes turbato quodam motu exurgunt:interdum verò clamantes exurgunt,ac mox in ſomnum feruntur,& hoc, quia uel à motis uermibus, uel ab eorum morſu,uel à malis uaporibus, tum ad uentriculum, tum ad caput aſcendétibus eorum ſomnus, & quies turbatur. Sed & febres,quæ hos ſequuntur, inordinatum habent motum, nunc increſcentes; paulò poſt remittétes citra vllum ordinem, atque interdum bis, C ſæpe & quater eadem die, & nocte à frigore, quaſi adſit acceſſionis principium, corripi uidentur, ac id ſine ullo ordine. Infantibus uerò grandioribus accidit, ut mandere uideantur, ac linguam exerunt, atq; ita,ut qui lactant,os efformant, ac ſi lac exugere, uel cibum uellent aſſumere, hoc uerò illis fortaſſe accidit, quia alimento defraudantur,id uermibus exugentibus, & deuorantibus. Silentium etiam diligunt, & ægrè ferunt, ſi uocentur, & excitentur: moroſos enim eos reddit moleſtia interna, quam animantia hac motione, tum uero malis uaporibus ad caput, & cor, ac membra ſpiritualia elatis afferunt: Genæ uero & oculi rubore ſuffunduntur,ac paulo poſt ad pallorem, & coloris obſcurationem conuertuntur. D Sæpe etiam, ſi in ipſum uentriculum conſcendant, eo irritato, nauſeabundi fiunt, omni appetentia cibi deſtituuntur, adeo ut illum nequeant deuorare, atq; ſi cogantur comedere in faſtidium, & nauſeam conuerſi ſepè euomunt, & id ob fœtorem, & putrilaginem, quam referunt. Sed & deliria interdum, facto participe & cerebro,contingunt, ut paulò ante dicebamus, & hæc quidem ſigna ſunt, quę teretes lumbricos ſignificant. Nam & præter hæc ſunt & quædam, quę alijs quoque(ut Auic. tradidit) communia ſunt: ſicuti quòd noctu labia habét humecta, & ſaliua madentia; interdiu uero exſiccata, cuius cauſam ille refert, quòd noctu calor ad interna recurrens ab externo aeris frigore repulſos, ſecum humorem ducit, E quo fit, ut uermes non carentes humore, quo ueſcãtur, à uentriculo ſuccum non attrahant, ſicuti interdum coguntur attrahere, quando expanſum ad exteriora caloré humor ſequitur, à quo deſtituti uermes à uentriculo alimentum petunt, atque ita exſiccato vẽtriculo exſiccatur oris, labiorumque pellicula, quæ continens eſt cum interna pellicula, qua contenta ſunt gula, fauces, & uentriculus, cui accedit & exterior aer die calidior, & proinde exſiccationem adiuuãs: quo fit, ut exerta lingua labium frequenter exſiccet. Sed & ſępe ij, qui uermibus agitantur, moroſi, & iracundi, rixoſique fiunt præter eorum mores, & cõſuetudinem & hoc ob magnam moleſtiam, quã interius ſentiunt. Verum hoc etiam conſiderandum, qđ

A Paulus prudenter uiſus eſt monuiſſe, non eſſe omnia hæc in omnibus, qui à uermibus tentantur, ſigna expectanda, quia alia in alijs ſolent apparere, nõ omnia autem in omnibus, atque diuerſitas poteſt aliquãdo ratione motus, & progreſſus uermium contingere: nam interdum non modo non deijciunt cibi appetitum, ſed famem importunam afferunt, ſi enim ad uentriculum, & os eius concedant, non modò appetentiam adimunt, uerum & faſtidium cibi inducunt: ſi uerò in inteſtinis conſtiterint, deuorato cibo, quo alendum alioquin corpus eſſet, famem inexplebilem concitant, cùm mouentur maiorem moleſtiã, & inquietudinem commouent, dum quieſcunt, minus turbant. Præterea uerò nunc unam, nunc aliam B particulam magis affligunt, nam ſi caput erit imbecillius, plura apparebunt ſymptomata indicantia offenſam capitis: præterea & alterius conſenſus ratione, nam & per multos uapores, tum ad caput, tum ad cor elatos uaria concitabuntur ſymptomata ad hoc, uel illud pertinentia. Interdum ratione loci cõtingit, in quo ſunt, nam ſi in uentriculo pręſertim circa eius os ſedem habuerint, cum eo conſentiens cerebrum, aut eo uariè afficiuntur, unde interdum epilepſię accidunt, interdum ſyncopes, pulſus etiam inæquales, praui, debileſque fiunt. Latorum autem ſigna hæc ferè ab antiquis referunt, fames nimirum, cum enim hi ita ad uentriculum nequeunt ſerpere, in inteſtinis autem longa illa congeries multo alimé C to egeat, alimentum corpori ſubtrahit, unde famem ingentem, & importunam ſolent excitare, quód(ut diximus) interdum & commune rotundis eſt, cum non petunt uentriculum, cum uerò cibi penuria hi laborant, mordent, ac motu moleſto mouentur, ꝙ adeo naturam turbat & exagitat, ut uires nõ parum fatiſcant. Aſcarides uerò tanquam proprium, & qđ ab illis ſeparari non poteſt, eſt partium, quæ ad ſedé, & extremam recti inteſtini partem pertinent, pruritus continens, & moleſtiſſimus, nec modò in hominibus, ſed etiam in iumentis. Vnde qui equorum curam gerunt, cum eos extremam clunium partem parietibus, aut lignis affricare frequẽter uident, uermes iſtius generis continere aiunt. At ſi quis diligenter D obſeruet, eos unà cum ſtercoribus excerni uidebit, ſicut latos uermes in inteſtinis genitos eſſe, certum ſignum eſt, ſi aliquando excernantur alba quædã corpora, & mollia, quæ figura ſemina cucurbitæ imitantur. Sed ad aſcaridas redeamus, adeo interdum moleſtus eſt is pruritus, quem aſcarides concitant, ut reddens inquietos eos, qui illis cruciantur, ad deliquium uſque animi deducat, ut Aetius, & Auicenna teſtati ſunt, refert tamen in eorum ſigna Auicenna, ꝙ grauitatem hi tum in Hypochondrijs, tum in dorſo percipiunt, Aetius præter hæc & ſtercora graue olentia excerni; neq; id quidem præter rationem eſt, quia(ut idem ait, & atteſtatur Paulus) generationis horum uermium in cauſa ſunt, & refrigeratio, utpote q̃ cru- E ditatum cauſa eſt, & prauæ eſcæ, tandemq; ciborum corruptio. Aliorum uerò generũ, cum illi fiant ex pituitoſo in primis ſucco in inteſtinis congeſto, in uniuerſum ea omnia, quæ ad congeſtionem iſtius pituitoſi humoris faciunt, ut ſunt cruditates, & cibi craſſi ſucci, & qui ſunt apta materia ad procreationem pituitoſi excrementi, de quibus non ſemel ſuperius fuit ſermo habitus, in cauſa eſſe poſſunt.

De ea curandi ratione, quę ad vermes pertinet. *Cap. XII.*

SIue morbus ſint uermes, ſiue propria morborũ cauſa, omnino cum ſint ex uniuerſo ſuo ge-

nere

nere præter naturæ inſtitutum indicant primum (quemadmodum Gal.3.Artis medicin.lib.docet)ſe eſſe tollendos. Sed antequam tollantur,duo alia conſideranda ſunt: Alterum,quòd non eſt facilè eos tollere,dum viuunt,quia contendunt, & renituntur attractioni, & eductioni, immo ſæpe dum eos,antequam interimantur, detrahere nitimur,illi magis attractioni reluctantes inteſtinis,affiguntur,& ſubinde maiorem moleſtiam afferunt. Vnde altera inſurgit indicatio prior quidem, quantum ad opus pertinet,quãuis dignitate, & ſcopo ſit poſterior, nempe, vt facilius vi medicamentorum educi poſſint,eos necandos eſſe. Sed quoniam interdum non ita facilè, citoque poſſunt interimi, ut eſſet opus, præ multa moleſtia, quam concitant,præſertim cum ipſi exagitati, aut à febre, quæ,tanquam illis plurimum aduerſaria,eos exaſperat, aut alia de cauſa, ſurſum verſus os uentriculi delati ſerpunt: Ideo interdum neceſſe eſt eos paulisper reprimere,donec opportunè poſſint necari, & educi. Vnde procul omni dubio, cum tres hi ſcopi neceſſarij eſſe iudicati à medico fuerint, is tertius alijs præferendus erit. Auicenna ergo hoc tanquam commune,& præſentaneum remedium protulit, quod & nos tanquam optimum ſumus experti: id uerò eſt, ut tempore ſomni aliquid aceti ſorbendũ demus,acredinem enim aceti refugientes deſcẽdunt. Mox uerò,quia ratio curandi citò,& expeditè aliquẽ affectum expoſcere uidetur,ut omne fomentum,cuius ope tum ſeruari, tum uero augeri ille poſsit,quantum fieri poteſt, ſubtrahatur: nihil autem vermes magis fouere poteſt,quam congeſtio materiæ aptæ ad eorum procreationem, nam cum iam ibi ſint ſemina putredinis conceptæ, unde priores fuere geniti,noua ſuccreſcente materia facilè putreſcens in uermes vertetur. Quapropter Auicenna prudenter monuiſſe videtur,nimirum, quod ille, qui vermium moleſtiam cauere uoluerit,& ex recta ratione id faciat,oportet, vt prius eam uictus rationem inſtituat, qua materia, & fomentum generandis vermibus ſubtrahatur,ſubtrahetur uerò,ſi illis eſcis pepercerit,qui lumbricis ob noxius eſt, quæ faciles ſunt, ut conuertantur in crudum,& pituitoſum ſuccum, nec modo ab eiuſmodi eſcis, ſed ab alijs etiam,quæcunque poſſunt eſſe occaſioni,cur eiuſmodi generentur excrementa,ex quib. facilis eſt vermium procreatio, neque enim ſola ciborum natura, & qualitas id facere poteſt,ſed & quantitas,& ordo,& apparatus, & alia quæcunque à nobis in prioribus libris tractata ſunt,ubi cruditatum,et craſſorum, pituitoſorumque humorum cauſas perſequebamur. Præterea uerò,nec minus ſubinde procurandum,ut quæ iam genita,& congeſta eſt in inteſtinis materia,inde detergatur,detrahaturque,tum cibis uim attenuandi, detergendiq; habentibus, tum verò illis,quæ inteſtina ab eiuſmodi excrementis mũda reddere poſſunt,quemadmodum imprimis ſe habent clyſteres. Quibus procuratis reliqui ſunt duo illi ſcopi, quos nobis offerunt, quas ſtatim ab initio expoſuimus, indicationes, nempe, ut hos lumbricos necemus,& id quàm primum fieri poterit. Nam (vt Paulus,& Aetius literis tradidere)ſæpe uiſum eſt, q̃d qui negligentiores in interimendis uermibus fuere,in cauſa fuere,quod ægroti exeſis, & perforatis uiſceribus,& ventre conuulſi interiere. Et ego duos uidi(vt dixi) in quibus perforato vmbilico vermes exiere; quorum alter obijt, alter euaſit. Sed neque minori diligentia eſſe opus illi idem monuere, vt poſtquam enecati ſunt,educantur:nam vapor elatus ab eis iam interfectis,ſi ibi diu remanſerint,prauæ,& uenenoſę naturæ eſt,& qui plurimum poſsit obeſſe. Hi ergo ſunt ſcopi præcipuè ſpectandi in hac re. Eſt tamen,& alius,qui nonnunquam neceſſarius eſt, ut ſi qua ſunt

A ſymptomata praua, quæ præceps,aliquod periculum minentur, illa corrigamus,ſicuti aliquando deſtructa omnino cibi appetentia pueri periclitantur, ne fame, uel inedia pereant,interdum adeo profuſa aluus eſt, lenia,& corrupta deijciens,ut timendum ſit,ne ex nimia inanitione vires concidant, interdum animo delinquunt. Sed agamus primum,qua ratione necari poſsint, & quibus itidem remedijs, uel medicamẽtis. Enecant itaque lumbricos ea,quæ eorum naturę aduerſaria ſunt,& quia oppoſitorum eadem eſt diſciplina, quæramus primum,quæ ipſis familiaria, & grata ſint,& ea nobis oſtendent, quęnam ſint eis ingrata, & inimica. Illis ergo dulcia, & unctuoſa amica admodum ſunt:illis enim ueſcuntur,& delectantur,il-

B la ſequuntur,quæ præter eum ſaporem, æqualitatem quandam in temperie,& calore habent. Vnde ab illis tanquam naturæ eorum aduerſarijs interficiũtur, quæ præſertim amara ſunt, & quæ calorem inſignẽ, qui ad tertium vſque ordinem accedant, quatenus ad qualitates manifeſtas pertinet. Nam & aliqua potius naturæ quadam proprietate occulta eos interficiunt, licet frigida interdum ſint. Quòd autem calor inſignis cum ſiccitate,& acrimonia illos infeſtet, inditio eſt, quod cum febris ſuperuenerit, exaſperantur,agitanturque,& magis moleſti ſunt. In illis itaque interficiendis id præſertim attendendum eſſe illi ijdem auctores docuere,num inſignis aliqua ſit adiũcta febris:nam ſi febris adſit,ea, quæ vehementiora,

C & calidiora,niſi magna cogat neceſsitas, quantum fieri poteſt,ſunt declinanda, & temperatioribus, ne febris exacerbetur,vtendum,ſicuti abſente febre, calidioribus,& vehementioribus. Vt tamen, & hoc his ſit addendum,quòd ubi uermes in febricitantibus oriantur,inter initia,dum anceps eſt iudicium,& ſuſpicio potius,quàm certa cognitio,cautè agendum eſt in remedijs pertinentibus ad vermes pernecandos, ne interea,ut docuere Paulus,& Aetius,ſi fallat nos vermium opinio, ſine ulla vtilitate plurimum lædamus irritata febre. Quare temperatoribus agendum erit, præſertim quoaduſque certior fiat ſententia. Vbi autem iam liquidò conſtet uermes ſubeſſe, pro ratione temporum in his, ſicut in alijs coniunctis cum febre

D affectibus, uarius erit horum uſus. Nam inter initia ipſius febris,ſi oriantur lumbrici,aliquanto ualentioribus uti medicamentis poſſumus: quod quidem præceptum commune omnino eſt,acceptum ex Hippo. 2.Apho.ubi ait.cum morbi inchoant, ſi quid mouendum eſt,moue: quia circa initia, & fines omnia ſunt imbecilliora. Vnde eadem ratione inclinante etiam febre valentioribus licet nobis tuto vti, præſertim illis, quæ accepta per os vim habent educendi vermes: nam inclinante febre concoctio ad vacuationem ſuadet. Dum verò febris in vigore eſt, longè cautius agendum eſt: nam eo tempore & febris, & omnia alia ſymptomata fortiora fiunt, & tormina in uentre, & tenſiones, & id genus reliqua. Aph. 29. & 70.

E Sed rem hanc aliquantò magis particulatim tractemus, vt tandem hanc tractationem ad finem perducamus. Eorum itaque medicamentorum, quæ ad hanc curationem pertinent, alia uim habent necandi vermes, alia vero eos educendi: ſed quæ necare poſſunt, ea deorſum etiam reprimunt, ut de aceto diximus. Propriè uero ea tum necant, tum fugant vermes, quæ aliqua prædita ſunt amaritudine, uel conſpicua, uel obſcura, aut acrimonia: alia uero utroque modo vtilia ſunt; utpote quia præter amaritudinem, vel acrimoniam, vim etiam habent aluũ ciendi, ut aloe, agaricum, centaurium, & id genus alia. Quæ verò educunt vermes, bifariam id præſtare poſſunt: nam aut vi purgatoria, qua aluum cient: cum alijs enim excrementis; quæ vi medicamenti

deijciun-

deijciuntur, & vermes excernuntur: aut facultate leniente, dum enim inteſtina leniunt, & lubrica reddunt, faciliorem exitum lumbricis parant, in quo genere ſunt myxa, vel myxaria: ita enim fructus illos Paulus & Aetius nuncupant, quos Arabes ſebeſten dicunt: horum enim decoctum illis ad educẽdos vermes probatur. Serapio etiam ait, quod fructus hi uermes educunt ſua dulcedine. Sed & Auicenna quaſi hoc confirmans ait, quod ſæpe ab vnctuoſis, & dulcibus educuntur vermes; quia tanquam rem amicam, & familiarem ea ſequuntur, ac cum eis exeunt. Sed huic officio aptiora erunt ea, quæ vim aluum leniendi habent, vt & myxa, & caſſia, & manna, vtpote quę citius exeunt, atque ita vermes, vel viuos etiam ſecũ trahunt. Illud præterea, quantum ad horum uſum, eſt etiam conſiderandum, quod illis tripliciter poſſumus, & ſolemus vti: nam aut per os aſſumptis, aut inferius per clyſteres, vel glandes iniectis: tertio uero exterius illiniendo, aut fouendo, aut per cataplaſmata. Non autem pariter, & ſine ullo diſcrimine probandi ſunt diuerſi hi iſtorum remediorum vſus, imò pro diuerſa ratione ſcoporum, quos ſibi ſpectando proponit medicus, diuerſi hi uſus probandi magis, uel minus ſunt. Etenim ad illos interficiendos ea, quæ ſuperius per os exhibentur, accommodatiora, & magis ſecura; quippe quia non modo interficiunt, ſed etiam deorſum repellunt, cum ab illis, medicamentis, tanquam a re noxia, & aduerſaria refugiant, ac accommodatior eſt horum vſus, ſi in ſuperioribus inteſtinis ſedem ſuam habeant. Per clyſteres uero, & glandes non ita facilis, & tuta eſt eorum adminiſtratio, quia ubi non modo ſaporem horum medicamentorum inferius iniectorum ſentiunt, ſed vim etiam, ab illis refugientes, ſurſumque repentes maiorem inferunt moleſtiam, niſi in infimis inteſtinis reſiderint, ut clyſter iniectus, prius eos deprehendat, quàm effugiant. Clyſteres autem ad eos educendos, ſiue viui ſint, ſiue mortui, præſertim vero viuos, aptiores, vtiliores, & tutiores ſunt, qui lenitate, dulcedine, ac pingui ſubſtãtia conſtant: hæc enim ſequuntur tanquam familiaria, & amica, unde illis inuoluti, cũ reijcitur humor, qui clyſteri fuit iniectus, ſimul & uermes extrahuntur; & ad hunc vſum interdum clyſteres ex ſolo lacte tantum addito ſaccharo conficimus: interdum uero ex butyro, pingui iure, & ſaccharo, citra ſal, & oleũ: nam & oleum, & ſal uermibus inimica, & moleſta ſunt, a quibus aufugiunt. Antiqui ex decocto fructuũ, quos ſebeſten ab Arabibus nuncupari diximus, clyſteres parabant. Educunt autem quæcunque vim habent purgatoriam, cum interfecti ſunt, ut aloe, agaricum, rhabarbarum, cnicus, vel chartamum, & id genus reliqua: quanquam ea in his etiam recenſeri poſſunt, quæ vtraque facultate prædita ſunt interficiendi, & educendi, cum acrimoniæ, aut amaritudinis minimè ſint expertia: Sed quæ leniunt cum quadam dulcedine, & lubricitate, ut ſunt ſebeſten, vel eorum decoctum, vel ſuccus, item caſſia, & ſi qua ſunt ſimilia: ſiquidem non morentur diu in uentriculo, ſed cito deſcendant, vtiliora ſunt: nam illi ea, dum deſcendũt, ſequentes minus moleſti ſunt, delati ad inferiorem aluum: ſed ſi diutius in uentriculo morentur, ad uentriculum illos alliciunt, Vnde uidi quandoque pueros, qui ebibito lacte, multo malè a uermibus habuere, & comeſto itidem pauco ſaccharo, alios uero, qui his liberaliter epotis, aut deuoratis, non modo nullam noxam conſecuti ſunt, ſed potius melius habuere: nam lac copioſum facilius deſcendit, & ciet aluum, quam modicum, quia non multam uim habet deijciendi, unde & Hippoc. 4. de Rat. uict. in mor. acut. ad ciendam aluum dari voluit lac copioſum. Ita ſaccharum, tum lenitate, tum deterſione poteſt prolectare deie-

A ctiones alui. Sed de his ſatis dictum eſt. Quare hoc prius expoſito, quod aſcarides per clyſteres, & glandes, vtpote quia uerſantur circa rectum inteſtinum propè ſedem, facile educuntur, quæ ambo ſint confecta ex rebus necantibus uermes, atque de cura adhibenda ijs ſymptomatibus, quæ periculum aliquod afferre poſſunt, ſermone habito, finem huic capiti faciemus. Sed quia diximus, quod ſi cum uermibus ſit febris adiuncta, cautiorem medicum eſſe oportet in uſu eorum medicamentorum, quæ abigunt, & interficiunt ipſos, ne febris nimis exaſperetur. nam cum eiuſmodi medicinas neceſſe fere ſit eſſe alicuius nitroſæ, aut acris ſubſtãtiæ, participes: itidem etiam neceſſe eſt, ut aliquarum partium calidarum non ſint

B expertes: earum tamen adeo non eſt eadem, ut potius ſit differens ratio: In quibuſdam enim copia earum partium, quæ calidæ ſunt, longo interuallo frigidas ſuperat, quæ & plerunque maiorem in necandis uermibus uim habent, aliæ uero, & ſi per calidas partes uim habeant contra uermes, cum illis tamen sũt tot etiam frigidæ mixtæ, ut quamuis poſſint uermes oppugnare, potius tamen aut refrigerent, aut parum ſaltem calefaciant: Ideo hęc medicamenta ſunt febrientibus accommodatiora. Calidiora ergo (ut diximus) ſunt in ſimplicibus abſinthij omnes ſpecies, ſicut cõmune, ſantonicum, & ſeryphium, marrubiũ, lupini, chamædrys, centaurium, radices enulæ exſiccatæ, abrotanum, ſemen nigellæ, & quæcunque inſi-

C gnem habent amarorem, ſicuti & ſemen braſſicæ vermes interficiendi uim habet ob id, quia amaritudinis eſt particeps. Sed & quæ acri ſapore ſunt prædita, ut cardamomum, caſſia, & reliqua aromata: pręterea allium maximam im hac re uim habet, & porri, cœpe, & quæ aſcaloniæ dicuntur, quibus noſtræ mulieres ſæpe utuntur in pueris, qui obnoxij ſunt lumbricis: item calamenthum, cyminum, aniſum, ſemen apij, naſturtium, menta, pulegium, & id genus multa. Quæ uero aut refrigerant, aut parum calefaciunt, ſunt intybus, uel cichorium, portulaca, ut teſtatur Dioſcorides, atque eius ſemen, pili ichneumonis, qđ animal murem Pharaonis in præſentia vulgo appellant: decocto etiam radicis arboris, quæ mala pu-

D nica fert acida, aut medij (ut nunc aiunt) ſaporis, ſemenque coriandri, & eius decoctum. Sed & oxymel, & aceto ſus ſyrupus, præſertim ſi ex ea multo fuerint aceto ſaltem fugant uermes. Oleum quoque quodcũque uermibus & omni fere animanti uenenoſo aduerſarium eſt, uermes uero in uentre etiam lubricitate, & lenitate ſua educere poteſt, præ alijs autem accommodatius eſt immaturum, quod omphacinum appellant, utpote quod ſit alicuius amaritudinis particeps, ex qua præſertim habet quod interficiat, ſicuti oleagina ſua natura leniendo etiam educit. Aetius uero, & Paulus mirifice extollunt uim terrenorum vermium exſiccatorum, & in puluerem redactorum, & ex ſapa exhibitorum quos tuto & febricitan-

E tibus dari poſſe cenſuit, & infantibus, uel etiam trimeſtribus. Plantaginis etiam cum ſuccum, tum folia arida tuſa commoda eſſe ad interficiendos lumbricos, imo utile admodum remedium eſſe tam Paulus quam Aetius tradidere, quando cum lumbricis aluus profuſe, & immodice deijcit, ut paulo poſt dicemus. Noſtræ vero mulieres habent in frequenti vſu malorum medicorum genus id quod vulgo vocant naranzium: nam non modo ſuccus eius utilis uidetur, ſi pars illa interior a pueris mandatur, ſed & cortex, & ex oxymelite in cataplaſma redactus, ac umbilico, uel ſtomacho appoſitus plurimum confert. Sed & citrij, atque arancij ſemina decorticata, & comeſta utilia ſunt. Solent autem mulieres noſtræ malum arancium perforare, ac illi crocum indere, mox cine-

ri calido coquendum apponere, ac pueris interiorẽ medullam comedendam præbere, & utiliter ſane. Eſt etiam herba illa qua noſtri medici veteres pro dictamno vtebantur, anteaquam Creteuſe dictamnũ ex Creta ad nos aſportari his temporibus cœpiſſet, & dictamnum album appellarunt; cuius radix in primis erat in uſu, eius uim ad necandos vermes imò ad omnia venena multi experti ſunt, nec modo ad alia, ſed ad peſtilentes etiam morbos: ſed eſt aliquantiſper calida non tamen multum: inſigniter autem calidũ eſt Creticum, & verum dictamnum quod nulli forſitan alteri in hac re ſecundum eſt, ſicuti eſt ſcordium, quæ inter calida inſigniter eſſent referenda. Et his autem confici poſſunt medicamenta pluribus eorum ſimul compoſitis: poſſumus etiam illis ſingulatim vti nec modo ore aſſumendis, verum vmbilico, & ori ventriculi in cataplaſmatis modum apponendis: poteſt enim fieri cataplaſma ex abſinthio & aloe aut ſimul tuſis, ſi viride ſit abſinthium, aut ſi aridum, illis tritis, & aſſumptis, vel taurino vel aliquo alio felle, vel ſucco abſinthij, vel aceto acri, ſi minus calefacere uelimus, vel ſucco arancij. Ego interdum accipio abſinthij ſuccum, acetum, ſuccum item arancij, aut & pannum lineum, vel laneum eo liquore demerſum aliquanto calidum ventriculi ori, aut umbilico apponi iubeo. Mulieres folia arboris Perſicorum tuſas his locis alligant, interdum uero aceto ex calido lapide macerata. Poſſemus innumera deſcribere medicamenta: ſed hæc ſatis eſſe poſſunt, propoſita tanquam exempla. Biſariam autem occurrunt ſymptomatibus moleſtis. quæ a lumbricis afferuntur, ſicuti duplex eſt ratio qua illa excitantur: nam aut uaporibus elatis, aut ipſis etiam ſurſum repentibus præſertim ad os uentriculi, & eo male affecto, tum uero capite, uel corde cum his conſentiente: ea ſunt adminiſtranda, quæ ut docuimus, illos partim depellere poſſunt, partim roborare uẽtriculum, qualia ſunt aſtringentia & præſtantiora in hoc erunt, quæ & uim eos interficiendi habent: præſertim uero ablatæ appetentiæ cum ſuccurrendum eſt, abſinthium commodum quidem erit, quia enecat, & repellit vermes, roborat uentriculum, & appetitum. Sed prudens mihi eſſe conſilium Auicen. hac in re uidetur, qui præcipit, qđ ſi quando interimere uermes uelimus iniectis medicamentis hoc facientibus per clyſteres, uentriculi ſimul habeamus rationem, eo nempe per aſtringentia roborato, in quibus rhus laudat, & acatiam, & id genus reliqua quæ præter aſtrictionem, uermes quoque necant. Poſtremo autem, quia interdum uermes, nimirum ratione corruptionis alimenti, immodicum profluuium alui concitant, illi ſuccurrendum omnino erit. Laudant autem, cum ita res ſe habet, ea etiã, quæ aſtringunt, & uermibus aduerſantur, ut ſi ſuccus plantaginis, uel etiam folia trita bibenda exhibeãtur, & eſt commune Pauli, Aetijque, & Auicennę remedium: ait etiam idem Auicen. quod rhus aqua ſi diſſoluatur, & bibatur, optimum erit medicamentũ: item & ſphragis lemnia, hoc eſt terra, quæ ſigillata dicitur, necnon & bolus Armena. Sed tandem finem huic capiti imponamus, & ad alia conuertamus orationem, ſatis enim in hac re verſati ſumus.

De ani, & earum particularum, quę ad illum pertinent affectibus. Cap. XIII.

CVm anus, quem Gręci, ἕδραν, hoc eſt ſedem appellant, vt Gal. & Anatomici omnes aiunt, ſit extrema pars, & quaſi finis recti inteſtini, cui hęrent illi quaſi adnati tres muſculi, ac quędam pręterea uenę, quę mariſcę quidem a Latinis, ut quidam ſentiunt, a Gręcis uero quia aliquando multis uenis, a quibus interdum earum ferè uitio ſanguis multus effluit, ut illis, quę in utero, uel in naribus ſunt, nonnunquam accidit, ab Arabibus enim hæmorrhoides narium, & uteri appellantur, particulatim tamen hę quaſi quadam propria nuncupatione dicuntur hęmorrhoides. Iure autem merito uidetur liber hic ſibi hanc harum particularum tractationẽ vendicare poſſe, & proinde anteaquam coronidem illi imponamus, de iſtius particulę affectibus agamus, ſed de eius natura prius ſermonem habeamus. Sedis ergo ſubſtantia coagmentata, & conſtituta eſt, primum ex ea inteſtini recti parte, quę ultima eſt, & quaſi oſtium, per quod excrementa per aluum deijcienda effluunt, & exeunt, deinde uero ex triplici muſculo, quorum duo (utrinque enim alter) per longitudinem inteſtini protenduntur, quorum munus eſt, anum, quando extra ferè in eo conatu, quo excrementa nitimur extrudere, impellitur, ſurſum, & in propriam ſedem reuocare, & tertius, qui σφιγκτῆρα quaſi conſtrictor, a Gręcis nuncupatur, & eius officiũ eſt aſtringendo claudere exitum inteſtini, & clauſum ſeruare eatenus, quatenus opportunum animanti uiſum fuerit. Et cum actio hęc propriè ad motricẽ uim, quę animalis a Galen. appellatę partis facultas eſt, pertineat; ideo per hunc muſculum, qui inſtrumentum eſt in hac parte iſtius facultatis, animal non niſi quando illi libuerit, egerit. In extrema autem ani parte inteſtinum, & hic muſculus una cum extima cute in unum coeunt, & coaleſcunt, ut mutuo diuelli, & ſeparari nequeant, ut labijs quoque euenit. Venę uero, quę ad hoc inteſtinum hac in parte pertingunt, ſuapte quidem natura ſatis exiles ſunt, in aliquibus tamen influente multo ſanguine craſſo, & excrementitio, ad inſignem amplitudinem extrema ſui parte dilatantur, & quamuis obſeruatum ſit a recentiorib. anatomicis iſtius inteſtini uenas ex parte eſſe cauę uenę propagines, non minus tamen & alias plures a uenę ramis, quę porta appellatur, deductas eſſe, quarum munere ueriſimilius eſt per hęmorrhoidas purgari fęculentum ſanguinem, cum hę cum liene maiorem habeant connexionem. Quemadmodum autẽ cap. 12. anus multis partibus quę natura, & officijs differũt compoſitus eſt, ita & uarijs incommodis, ac diuerſis affectibus eſt expoſitus. Nam cum partes omnes, ex quibus conſtructus eſt ſenſu prędite ſint, doloribus, & illis interdum uehementibus, eſt obnoxius; Cum uerò per muſculos, & neruos ſit factus inſtrumentũ motus illius, quem moliri ſolet facultas motrix animalis particulatim, dum per alteros muſculos attollitur, & reuocatur in ſuam naturalem ſedem, per alterum uero conſtringitur, ut exitus excrementorum redigatur ad imperium & arbitrium animantis quãdo egerere libuerit, Ideo lęſis, & male affectis his muſculis, deſtituitur anus ab hac actione, pręſertim uerò male affecto orbiculari, & conſtrictorio muſculo, quę actio prima, & pręcipua eſt iſtius particulę, & quaſi finis uniuerſę illius ſtructurę. Affectus uero, quibus poſſunt hi muſculi apprehendi, ſunt, qui muſculis omnibus communes ſunt, reſolutio nimirum, & conuulſio. Conuelluntur raro, & fere niſi quando uniuerſum corpus conuellitur; Sępius autẽ reſoluuntur. Cum reuelluntur, uitiatur, corrumpiturque eorum actio & ſi conuellantur duo illi, qui anum retrahunt adeo pertinaciter retrahunt, ut remittere nequeant, neque vlla vi anus poſſit exterius impelli. Sin autem reſoluantur, deſtituitur omnino anus a retractione, & reuocatione, unde anus exterius, procidens interius, & ſuperius reuocari minime poſſit, immo inuertitur adeo, ut inuerſo inteſtino ſecundum eam partem, conſpiciatur interdum muſculus conſtrictior, atque a multis affectus is procidé-

uia

tia ani, ab Arabibus vero, & noſtris iunioribus exitus
ani dicitur. Is autem affectus in infantibus ob eorum
fortaſſe humiditatem, uel ob id etiam, quod ſedendo
non cauent a locis frigidis, frequens eſt. Cum vero con
ſtrictorius muſculus conuellitur, excretioni fęcum, et
excrementorum alui fit impedimentum, cum enim
laxari conuulſus muſculus nequeat, conſtricto, &
clauſo ani exitu, nullus alioquin patet tranſitus ſter-
coribus, perinde atque oocluſo oſtio, nullus patet exi-
tus, & hoc ſymptoma ad vitiatam, & corruptam ope
rationem refertur. At uero ſi reſoluatur is muſculus,
omnino actio eius deperditur, & ſuo fine ipſe deſtitui
tur. Nam cum nullam amplius conſtrictionem moli
ri ualeat, neque fęces contineri, quoad animanti libue
rit eas excernere, poſſint importunè, & pręter omne
arbitrium quacunque hora effluunt, vigilante pariter
atque dormiente animali: hunc affectum Arabes, &
qui eos ſectantur, mollificationem ani nuncuparunt.
Ratione autem venarum, quarum particeps eſt anus,
difficilibus, & moleſtis affectibus obnoxius eſt. Nam
& doloribus vehementiſſimis ſæpe uitio hæmorrhoi
dum tentatur, dum aut inflammantur, aut replete ſu
pra modum diſtenduntur, aut ab acrioribus excremē
tis eò confluentibus punguntur, & eroduntur, tan-
demque vlcerantur. Nonnunquam autem proflu-
uia ſanguinis ex eis immodica concitantur apertis ni
mirum earum oſculis, vnde & vires vniuerſi corpo-
ris eneruantur, præſertim uero uentriculi, & iecino-
ris, & malus color, & malus habitus poſtremo vero,
& aqua inter cutem conſequitur. Quia verò illis na-
tura in aliquibus vtitur, tanquam inſtrumentis, & lo-
cis, ex quibus expurgat per quaſdam periodos, expiat
que corpus a uitio, & ſanguine alijſque excrementis,
iuxta atque in mulieribus per menſtrua, inde eſt, ut ſi
interdum ſupprimatur iſthæc expurgatio, non mino
ra nonnunquam pericula, incommodaque ſuperue-
niant, quàm in mulieribus ob menſium ſuppreſſio-
nem. Sed communi deinde ratione cum reliquis par
ticulis expoſitus eſt anus inflāmationibus, vlceribus,
rimis, quas Græci ῥάγαδας Arabes autem rhagadeas
vocant, & eryſipelatibus, varijs præterea generib. tu-
morum, & tuberculorum, præſertim vero illis, quæ
thymi, & ficus appellantur. Porrò hæmorrhoides
plus uidentur negotij faceſſere cæteris nunc expoſi-
tis morbis: vnde, & de illis priorem inſtituemus ſer-
monem.

De Hęmorrhoidibus, atque earum noxis.
Cap. XIIII.

NOn erimus admodum in præſentia longi, aut
plurimum occupati in diſputando, vnde ve-
nę hę, quę ad anum deſcendunt, originem ha
buerint, nam nuper, quantum noſtro inſtituto poteſt
eſſe ſatis, id expoſuimus. Satis autem in præſentia no
bis ſit, quod natura ſæpe his venis vtitur tanquam lo
cis, per quæ fit facilior excretio, & expurgatio ſangui
nis excrementoſi, qui in melancholicum humorem
degenerat. Et quamuis ſanguinis profluuium per has
venas abſolute quidem, perinde atque quodcunque
ferè aliud ſanguinis profluuium in his ſymptomatib.
quæ ſecundum vniuerſum ſuum genus præter natu-
cap.ult. ram ſunt, vt in lib. de ſympt. diffe. Galen. teſtatur) re-
cenſendum ſit: in multis tamen ac ſępe non modo ra
tionem aliquam morboſam non ſequitur, ſed potius
vtilis, & ſalubris eſt, vtpote quoniam interdum per id
multi curentur morbi: interdum vero, ſi opportunè
ſuperueniat, ſanitatem conſeruet, & à futuris, & im-
minentibus morbis tueatur. Vnde Gal. in lib. de ve-
cap. 5. næ ſect. con. Eraſiſtr. ait, quod in illis, in quibus ſolent
per has uenas excrementij humores uacuari, vita ſa-
na, & à morbis ſeruantur immunes. Opportunè au-
tem tunc per has uenas ſanguinis profluuium impri-
mis eſt quando fit à natura ſponte ſua expurgante ie-
cur, & ſubinde etiam uniuerſum corpus à melanchò
lico, & excrementoſo ſanguine, vt innumeris locis
docuere, tum Hippo. tum Galen. nempe cum ſequi-
tur vacuatio pro ratione excrementorum. Vnde in
his, qui ſoliti ſunt per hanc viam purgari, cum ſuppri-
mitur eiuſmodi purgatio ſuis temporibus, aut parcè,
& non pro ratione conſuetudinis, & copiæ excremē
torum uacuatio procedit, niſi illis ſuccurratur, non
minorib. ferè morbis obnoxij fiunt, quàm mulieres,
quibus ſupprimuntur menſes. Euacuatio ergo hæc
cum à natura ſponte fit, & mediocris eſt, accipien-
da eſt hilari etiam vultu, atque tanquam amica, &
ſalubris habenda. Sed ſi parcior, quàm pro ratione
opportunitatis, uideatur, iuuanda perinde eſt ſicu-
ti alias uacuationes, quas natura ſponte molitur iuua
mus, quando non quantum oportebat, inaniunt.
At contra etiam, quando immodica iam uidetur
copia ſanguinis effluere, reprimendum, ac mox e-
tiam intercipiendum eſt profluuium, alioquin e-
nim vires iecinoris, uentriculique, ac tandem cor-
poris uniuerſi diſſoluuntur, vtpote, quia excremen-
toſus iam, & ſuperuacuus humor non amplius va-
cuetur, ſed vtilis ſanguis, qui vitæ fundamentum eſt,
& fomentum natiui caloris, vnde primo floridus, &
naturalis color, tum faciei, tum vniuerſi corporis de-
perditur: mox vero pedibus ac faciei intumeſcenti-
bus, malus ſuccedit: poſtremum, (vt in lib. de Curan.
Rat. per. ſec. uen. exponit Gal.) in aquam intercutem cap.14.
fit tranſitus: imo eo interdum res progreditur, ut & cap.ult.
animi deliquium (ut Gal. 1. ad Glauc. teſtatur) adducat, cap.8.
quādo immodice fluat. Sed (ut idem etiam 3. de Criſ.
expoſuit) per iſtiuſmodi ſanguinis profluuium morbi
interdum iudicantur. & ſecundo de Natur. facul. ait,
quod & ex ipſis etiam importune ſuppreſſis, aut non
pro ratione fluentibus refrigerato corpore eadem,
ſequi ſolent incommoda. Porro immodici profluuij
ſanguinis ab hæmorrhoidibus cauſæ eædem ſunt, quę
& aliorum in alijs partibus. Nam aut id in rationem,
qualitatemve ſanguinis profluentis referendum eſt,
uel in inſtrumenti aliquod uitium, uel in facultatem.
In ſanguinis rationem refertur, quando ſanguis co-
pioſior in corpore fuerit, quàm poſſit natura pon-
dus perferre: unde concitatur ad eius expulſionem, aut
qa malus, & inutilis aut nimis tenuis, vt uel inuita na
tura effluat. Tenuis autem eſt, aut quia bilioſus eſt, aut
quia ſeroſus, & aquoſus, interdum uero & acris, &
pungens eſt, ac ob id expultricem facultatem ſtimu-
lat. Ratione autem alicuius vitij in inſtrumento con-
tracti eſt quando ora uenarum laxiora fiunt, ut con-
tinere nequeant, vel quia eroduntur, eroduntur au-
tem ab aliquo vlcere corroſiuo in ano exorto: uel
quia vulnere illato inciduntur, uel quia contundun-
tur ex percuſſione, vel caſu. In facultatis autem ui-
tium refertur, pręſertim ſi ſit facultas contentrix fa-
cta imbecillior, ut ſanguinem continere nequeat, ex
aliqua in illis uenis intemperie contracta. Quoniam
verò & cum ſupprimitur eiuſmodi profluuium non
oportune, paulo minora affert incommoda, quam
quando immodice fluit: ideo dicendum eſt, unde e-
tiam accidat, ut præter naturæ conſuetudinem ſup-
primatur hoc profluuium, aut modicè fluat. Suppreſſio
itidem etiam fiat, aut ratione facultatis, aut ratione
ſanguinis, aut ratione inſtrumenti, hoc eſt uenarum.
Porro ratione facultatis hoc euenit, quando uis ex-
cretrix fit ex aliqua intemperie imbecillior. Ratione
ſanguinis, ſi ſit craſſior. Ratione inſtrumenti, ſi ora
uenarum facta ſint anguſtiora: hoc uero fieri poteſt,
aut ex uſu & occaſione rerum, quæ exſiccando, uel
aſtrin-

aſtringendo,uel calefaciendo,& ſiccando, aliquando
uero & refrigerando conſtipant & ſubinde anguſtio
res tum uenas,tum ora illarum reddunt, aliquando
enim uidi ex frigore, præſertim uero pedum faculta-
te detentrice facta imbecilliori,concitatum fuiſſe pro
fluuium iſtiuſmodi ſanguinis,nonnunquam uero cō
ſtipatis illis partibus fuiſſe ſuppreſſum. Differentias
uerò hæmorrhoidum duas uidentur nouiſſe Græci
medici, quod uiderim eos meminiſſe, nempe cœcas,
& apertas. Cœcas uero appellant eas quę tument
quidem & ſæpe etiam dolent, nequetamen ſangui-
nem ullum effundunt. At apertas eas,è quibus ſan-
guis effluit. Arabes autem & alias differentias com-
menti ſunt a differenti natura humorum, quos con-
tinent. Nam quamuis eorum ortus primum, & prę-
cipue a melancholico ſit humore, aliquando tamen
& a pituitoſo ſanguine, nonnunquam uero a ſangui
ne,ſuam ſeruante naturam naſcitur. Quando pitui-
tuoſum humorem continent, ait Auicen. qui in hoc
Raſim ſecutus eſt ſimiles ſunt ueſicis, quę è piſcium
ventre interdum extrahuntur, dum exenterantur,
& his non indidere proprium aliquod nomen, quę
uero magis continent melancholicum ſuccum cum,
duriores,& aſperiores ſint,& ob id neruis uideantur
ſimiliores, verrucales ea appellauere. Cum uero ſan
guine repletę ſunt quia mora uidentur imitari, qui
fructus molliores,& humidiores ſunt, cum maturā-
tur, morales appellauere. Sed & quarta harum diffe-
rentia eſt, quæ inter has duas media eſt, fortaſſe quia
mixtus in eis continetur humor, & has quia qua-
ſi vuæ ſimilitudinem referant, vualem dixere. Sed de
com. 40. his expeditis, hoc etiam propter iuniores aduerten-
dum,quod hæmorrhois proprie ſignificat potius ſan
guinis profluuium,quam venas,aliquando tamen &
pro uenis accipitur, ſicuti quando de cæcis fit men-
tio: propriè vero hæmorrhoidas habere is dicitur, qui
tumidas, & ampliatas (vt docuit Aetius) venas ſedis
habet,quæ tandem indureſcunt. Sed de ratione cura-
tionis iam agamus: ſatis enim in his uagati ſumus. At
primum id in memoriam reuocandum, quod paulo
ante a nobis fuit expoſitum, quod interdum ſalubre
eſt hoc profluuium, & vtile tum ad cuſtodiendam ſa
nitatem, tum vero ad præſentes morbos curandos:
cap.vlt. nam & iudicatorie nonnunquam (ut Galen. 3. de
Criſ. docuit) ſuperuenit,natura noxios,& excremē-
titios humores expurgante, vt in Commentarijs A-
phor. ſæpe idem Galen. teſtatus eſt. Salubre uero præ
ſertim eſt,quando excrementitius ſanguis effluit, &
opportune effluit,& quantum vires ferre poſſunt. In
terdum uero noxium,& malum,utpote quod ſit mul
tarum prauarum affectionum in cauſa, noxium ve-
rò, & inſalubre eſt quando aut immodicum, & im-
portunum eſt, & non craſſus, & fæculentus,ſed te-
nuis,& clarus excernitur,bonusque & tandem quā-
do potius rationem ſymptomatis habet quàm quod
a natura ſponte ſua vitioſum ſanguinem effundente
excernatur. Aut etiam malum eſt quando tempore
non opportuno ſuperuenit. Opportunum tempus
in ſanis in primis eſt,quando ſeruatur ratio conſuetu
dini,uel ſi parcior minimè ſit euacuatio,quam copia
excrementorum,& conſuetudo requireret. In ægro-
tantibus uero opportuniſſimum tempus huic eua-
cuationi illud eſt, in quo & id genus aliæ utiles eſſe ſo
lent: nempe quando concoctus eſt morbus,aut quan
do illi conſuetum fuerat expurgari. Item malū quan-
do incipit quidem fluere,parce autem fluit: nimirum
quia vel nimis paulatim, ut inde non ſit expectanda
congruens plenitudini uacuatio: uel quia anteaquā
opus erat, conſiſtit effluxio. Vnde ex his facile quiſ-
que percipere poteſt, eiuſmodi profluuium non eſſe
ſemper eodem modo tractandū: ſed interdum iuuan

A dum, vt ſanguis copioſus fluat: interdum ciendum,
vel prouocandum,quando non fluit: quandoque re-
primendum,& moderandum: nonnunquam omni-
no ſupprimendum: ſæpe naturæ omne negotium re-
linquendum,neque alioquin reprimendum,neque ir
ritandum: Nihil ſane agendum, cum illo morbi iudi-
cantur, ſicuti plerunque iudicari ſolent eiuſmodi ua-
cuatione morbi melancholici. nam Hippoc. in Aph.
non uno in loco ait hæmorrhoidas ſuperuenientes
curare affectus melancholicos: Vel cum illis,qui eiuſ
modi uacuationi aſſueti ſunt, & bene ab ea habent
ſuperueniunt hæmorrhoides ſuis, quibus aſſueuere,
periodis, cumque non immodica fuerit uacuatio.
Quod ſi quis quærat,quanam deinde ratione cogno-
B ſcere poſſit utiliter ne,& modeſte fluat ſanguis,an ve
ro ſuperuacanea fiat ea effuſio,& noxia: Duo imò
tria ſunt, quæ hoc nobis poſſunt oſtendere: Primum
id quod nos docuit Aphoriſ. præſertim uero 1. Aph. Aph. 21.
& eſt commune inditium omnium vacuationum,
quæ recte, & ex ratione procedunt, illud uero eſt ſi
conferat ea uacuatio,& bene a natura feratur: unde
donec uidetur leuius fieri corpus ab illis incommo-
dis,quibus tentabatur, ſperamus utilem eam uacua-
tionem fore: deinde ſi uires labefactari inſigniter nō
uidentur,quia fieri nequit, quin ex copioſa uacuatio-
ne non fiant uires aliquanto imbecilliores: ſemper e-
nim aliquantiſper ſpiritus, & calor diſſoluitur: uerū
in utili vacuatione non ſequitur multa uirium labe-
C factatio, & huc ſpectaſſe Raſim & Auicennam pu
to,cum dixere ſanguinem hæmorrhoidalem nō eſſe
ſupprimēdum donec peruentum ſit ad debilitatem,
& mollificationem genuum. Deinde uerò ad id re-
ſpiciendum, quod in ſimili re nos Hippo. ſecundo de com. 8.
Ratione uict. in acut. mor. docuit, ubi ait,quod ſecta & 10.
uena in pleuriticis ſanguis effluere permittendus eſt,
donec color mutetur,quo loco Galen. ait,coloris mu
tationem oſtendere detractum eſſe ſanguinem uitio
ſum,ita hic,cum ea ſit utilitas, quæ expectanda eſt ex
hac uacuatione,ut ſanguis craſſus,& melancholicus
detrahatur,donec talis excernitur, utilis futura eſt ua
cuatio: quia quæ uacuanda ſunt uacuantur, uerum
ubi color mutatur,alius ſanguis, non qui eſſet vacuā-
D dus, educitur. Tertio oportet, ut non ita præcipi-
tanter,& confertim fiat iſtiuſmodi vacuatio, ut natu
ra inde deterreatur, eiuſmodi enim uacuationes na-
tura non facile fert: longe autem facilius,cum mode-
ſte fiat uacuatio. Fluentibus itaque in hunc modum
hæmorrhoidibus ita agendum eſt, hoc eſt naturæ cō
mittenda eſt, & ſinenda uacuatio; nam & ita con-
ſulit Hippoc. primo Aphoriſ. ubi ait, quæ iudican- Aph. 20.
tur, aut iudicata ſunt integre, non mouere, ſed ſine-
re. Sed in eundem modum uacuationis equidem po-
ſuerim omnem uacuationem, quæ a natura fit ſpon-
te ſuperuacuas materias expurgante, & excernente,
quando ea uacuatio non fit ab ea irritata, & coacta,
neque rationem ſymptomaticam habet. Cum uero
E ſanguis hæmorrhoidalis, qui alioquin ſolitus ſit flue-
re per aliquas ordinatas, aut inordinatas periodos
omnino ſupprimitur, aut parcius, quam ſit ſolitus
fluere excernitur, neque tamen ſit alioquin in illo
mutata uictus ratio, neque alia præceſſerit uacuatio,
quam per aliam regionem ſit ſolita natura, ſicut ali
quando in mulieribus (ut Galen. quinto Aphor. ait) com. 33.
fluentes hęmorrhoides præſidio ſunt ſuppreſſis men
ſibus, ita cōtra menſtrua ſuperuenientia poſſunt cau
ſa eſſe,cur hęmorrhoidum ſuppreſſio nullam afferat
noxam, & identidem etiam ſanguinis è naribus pro-
fluuium bono eſt ſi ſuperueniat mulieri ex ſuppreſ-
ſione menſtruorum laboranti, ita etiam ſuccurrere
poteſt defectui euacuationis,per hęmorrhoidas, hoc
autem commodum conſequitur,tam ratione vacua-

tionis

tionis quam auerſionis materiæ ad aliam partẽ. Sed
& alui profluuia, & id genus aliæ uacuationes præ-
terea uictus moderatioris, & parcioris ratio addita
exercitatione,(ut in libello de Conſuetudine docuit
Galen.)prę︡ſtant occaſionem, cur citra noxam poſsit
intercipi hęmorrhoidalis fluxus. Cum uero in nullũ
iſtorum referri poteſt conſueta hæc hæmorrhoidum
fluxionis ſuppreſsio, procurandum eſt omni arte,ut
apertis illis reuocetur ſolitum profluuium. Poſſunt
tamen diuerſis inſtrumentis prouocari, tum fortiori
bus, tum leuioribus: nam ſæpe aliqui eas aperuere,
prę︡ſertim uero niſi illę ſint interius in intimiori ſe-
dis parte ſola frictione ex aliqua re aſpera, vt aſperio
ri linteo: alij uero folio ficus, in quo duplex eſt,ape-
riendi ratio: primum aſperitas deinde aliqua acrimo
nia lactei ſucci, quo foliũ præditum eſt: omnia enim
acria vim habent eas prouocandi, ita vt & acres hu-
mores,qui vel per medicamenta(ut ſexto Aphoriſ.di
xit Galen.)detrahuntur,uel ſponte deijciuntur, eaſ-
dem prouocent. Aetius vero ad idem opportunam
eſſe perdicium herbam ait,quam parietariam appel-
lant,ſi eius folijs uiridibus fricetur locus:item ſi ex fo
lijs mercurialis tritis parumper fiat glans, & ſuppo-
natur. His nos ſæpe uſi iuuimus mulieres cum parce
à partu purgarentur,uel per ſuos menſes, in prouo-
cando autem ſanguine ab hæmorrhoidibus nunquã
ſumus vſi,rationi tamen conſonum eſt,quod & per-
inde hoc,ſicut & illud poſſit præſtare.Laudat præte-
rea fel taurinum ex tomento exceptum, & inditum:
eſt autem acre medicamentum: ſed & cæpam tan-
quam cataplaſma appoſitum vel ex aceto illitum.
Prius autem medicamentum etiam Galen. 7. de Fa-
cult.ſimpl.medic. laudat: alterum vero decimo eiuſ-
dem operis. Sed quia interdum interius latent,& eas
attrahere oportet:Galen.& Aetius cyclamini quam
etiam artanitam appellant, hanc facultatem inſi-
gnem attribuunt:extrahit tamen ac aperit ſuæ natu-
ræ propria facultate aloes deuorata: in hoc enim A-
rabes præſertim vero Serapio,& Auicenna conſen-
tiunt. Aliquando uero medici manuali opere, & ſe-
cta uena nituntur aperire hęmorrhoidas; nam ſæpe
affrictio,quæ fit rebus aſperis præterea & acria medi
camenta appoſita irritant loca illa, quæ (ut Galen.
cap.6. nono de composi. medic. ſecundum loc.tradidit) in-
ſignis ſenſus ſunt unde & dolores, & inflammatio-
nes,& quæ hæc ſequi ſolent,concitantur, ſicuti & rę
tentis menſtruis hac ratione ſuccurrunt. Venas ue-
ro poplitis, aut iuxta malleolos ſecãdas omnes med.
prę︡ſertim vero Galen.in lib.de Ratione cur.per ſect.
cap.19. ven. cenſuere, ſicuti contra uenam interiorem in
brachio quando fluens ſanguis ſupprimendus eſt. In
cap.vlt. libello tamen de Reuulſione, Cucurbitulis & c. ali-
quando tutius eſſe ait ſcarificare tibias, quia nõ adeo
de uiribus detrahit, vt uenam ſecare præſertim uero
in illis,in quibus cogimur ob periodos hæmorrhoida
les ſuppreſſas ſæpius ſanguinem detrahere.Qua par-
te vnum mihi animaduerſione dignum eſſe uidetur,
nempe quod ea conſuetudo, quæ frequens in præ-
ſentia eſt tam Patauij, & Venetijs, quàm in reliquis
fere Italiæ ciuitatibus nouum eſt iuniorum medico-
rum inuentum, nimirum quod ad aperiendas prouo
candaſve hæmorrhoidas utamur hirudinibus. Non
enim eius eſſe mentionem factam ab aliquo Græco-
rum,aut Arabum medicorum, imo ſi eorum inſtitu
ta ſequamur, putarem potius illis non fuiſſe proba-
tam eam rationem eas aperiendi. Quarto enim A-
phor.Galen.apertiſſimè conſuluit non eſſe aſſueſcẽ-
com. 25. dum uacuationi, quæ fit per hæmorrhoidas, utpote
quoniam periculo ea conſuetudo nõ vacat, nam vti-
lis quidem ea eſt excretio quando a natura fit exone-
rante copiam. Sed ſi alioquin clarior, & tenuior

A excernatur, vtilis non eſt amplius ea uacuatio. Vn-
de & Hippoc.dixit ſanguinem fluentem per inferio-
ra bono eſſe, addit tamen, nigra ſi fluant. Nos uero
obſeruauimus, quod ſanguis per hirundines detra-
ctus, præſertim quando hæmorrhoides prius ſponte
non intumuerint,aut doluerint,effluit clarus, & nõ
admodum craſſus, nam ſi ſponte intumeſcant, aut
doleant, indicio id eſt, naturam incepiſſe iam vitio-
ſum ſanguinem in eas venas propellere, unde tunc
medicus naturæ opem ferens poterit magis prodeſ-
ſe. Sed de his ſatis, conuertamus orationem ad aliam
partem,nempe qñ ſanguis immodicus effluit, & re-
preſſione,ſuppreſſioneve opus eſt. Suppreſſione au-
tem opus eſt, quando vires iam fatiſcere incipiunt.
B Cognoſcitur vero is virium defectus per relationem
ad tres præcipuas facultates, quibus corpus vniuer-
ſum adminiſtratur. Nam & pulſus fit imbecillus,
qui ad vitalem ſpectat, cum nimia fit euacuatio, &
corpus fit grauius,ut genua(ſicut Auic. inſinuare vi-
detur)labare incipiant,quod ad animalem, & motri
cem pertinet,& facies(vt Galen. teſtatur) pallida, &
decolor euadit,quod altricis facultatis languorem ſi-
gnificat. Supprimi autem poteſt immodicum huius
ſanguinis profluuium,vt & fluxiones reliquæ aut re-
uulſione,& auerſione,deriuationeque, aut clauſio-
ne oſculorum earum uenarum,aut ſiſtendo motum
ſanguinis. Reuulſio quidem fit aut cum euacuatio-
ne ſenſibus conſpicua, aut citra eam: Reuulſio cum
C euacuatione fieri poteſt per ſectionem venæ, ſectis
præcipuę venis, quæ in cubito (vt paulò ante dixi-
mus) ſecari ſolent, præſertim vero interiorib. quæ ba
ſilicæ a iunioribus dicuntur. Et ſicuti Galen. in lib.
de Reuulſione, Cucurbitulis, & reliq. ad aperiendas
hæmorrhoidas, atque ſanguinem ad eas reuocandũ
interdum cenſuit potius tibias ſcarificandas, impri-
mis vero in corporibus natura imbecillioribus, &
frigidioribus,vt ſunt quæ carnes albas,& laxas,mol-
leſque habent: Ita putarem ego, quod ſi cucurbitulæ
ſcapulis affigerentur, atq; illis auulſis, locoque ſcari-
ficato ſanguis detraheretur, eſſet remedium reuul-
ſioni accommodatum: Reliquæ autem vacuationes
non ita præſentaneæ eſſent. Nam vomitus quidem
D reuulſorium eſſet remedium; verum niſi ille, qui la-
borat, ſponte eſſet pronus ad vomitum, ac natura ad
uentriculum aliquam haberet propenſionem, vt fa-
cilè poſſet excitari,ſperaremus,non auderem ui eum
ciere,quia a violento vomitu vniuerſum corpus mo-
uetur,& humores in eo agitati,& maiori vt concita-
ti magis præcipites mouerentur verſus locum, in
quem prius magnum momentum habuere. Quę au-
tem loria proritant,deriuant potius,quàm reuellant,
præter id,quod attenuando,& fundendo ſanguinem
poterunt occaſioni eſſe, cur maior concitetur mo-
tus. Illis autem,quæ aluum ad deiectionem mouent,
quandoque in hac re vtimur deriuationis potius,quã
reuulſionis cauſa. Præterea vero, & ſi quæ ſint in
E ſanguine acriores,& calidiores partes,quę cauſę ſint,
vt fluidior ſit ſanguis,detrahantur, ſemper tamen il-
lis leuibus vtendum cenſerem,eiſque immiſcenda ali
qua, quæ præter purgationem aſtringerent, unde
caſſia addita rhabarbaro, aut diacatholicon additis
myrobalanis citrinis, aut Indis, aut chebulis mihi
ſummopere probaretur:ea vero medicamenta decli
narem,quę vim inſignem mouendi habent, quæque
acria ſunt, Citra vacuationem reuellendi vim non
exiguam habent vincula doloroſa ſuperioribus par-
tibus (vt Galen. primo ad Glauc.lib.docuit)ſicut bra
chijs, cucurbitulęque ſcapulis affixę. Sanguinis uero
motum ſedant refrigerantia, aut comeſta, aut bibi- cap.14.
ta,ſed & inſperſa, ſicuti quando aqua frigida in faciẽ
illiditur: quamuis duplicem habet cauſam, cur ſan-

gui-

guinem fluentem aqua illiſa reprimat, primum ob
eius frigus; vtpote quod omnia ferè immota reddit; ſi
cut calor motionem concitat: deinde, ſi illidatur, quã
do non aduertit, concitatur quaſi quidam pauor ſu-
bitus: unde fit retractio ſpirituum, ac etiam ſanguinis
verſus cor, vt deinceps vim reuulſionis quoque ha-
beat. Clauduntur autem ora venarum, per quæ ſan-
guis profluit, præſertim aſtringentibus, nec non &
refrigerantibus, tam interius acceptis, quam exterius
ſedi tanquam localibus appellatis remedijs adhibitis.
Prӕterea vero ſi quando exortæ ſunt, aut abſcindan-
tur, aut vrantur, vel igne, vel medicamentis, quę uim
habent vrendi, vel putrefaciendi. De aſtringentibus
quidem, quæ interius accipi ſolent, non uideo, cur
B multa dicenda ſunt, cum ſæpius antea ſit habitus ſer
mo: dicemus tamen paucula quædam. Plantago ita-
que, & polygonum tam in cibis, quàm exterius adhi-
ta, ſiue earum herbarum decoctis, ſiue pulueribus ea
rum aridarum, ſiue folijs, ſiue ſeminibus vtamur, bo-
lus etiam armena, & terra lemnia, lapis hæmatites,
coralli, & id genus reliqua mirificè proſunt: item citi-
ni, mali punici, malicorium, myrti folia, rhus, quod ſu
mach appellant, gallæ, præſertim immaturæ, & tan-
dem quæcunque vim aſtringendi habent, exterius e-
tiam hæc appoſita. Iuuant autem, & quæcunque vti
lia ſunt ad ſupprimendum ſanguinem ex vulneribus
fluentem: ſicut tela aranea ex albo oui, vel pili lepo-
ris, quibus item ſit exceptum idem album: ſed & pul-
ueres, qui conſtrictiui dicuntur, quorumque memi- C
cap.4. nit Galen. quinto Method. huic officio accommoda-
ti ſunt: conſtant autem thuris parte vna, aloes autẽ
duabus, quæ ex albo oui ad ſpiſſitudinem mellis com
ponuntur, ac pilis leporis excepta apponuntur frigi-
da, ac ligantur ligatura (vt ait Auicenna) forti. Multa
præterea addi poſſent: ſed hæc nobis ſatis ſunt, quæ
etiam tãquam exempla fuere propoſita: nimis enim
longum eſſet, ſi omnia vellemus deſcribere. Quo-
niam uero aliquando profluuium hoc adeo pertinax
eſt, ut his vel valentioribus etiam remedijs cedere no
lit, vel, ſi cedat, paulo poſt frequenter redeat, eam-
que moleſtiam afferat, vt vita hominis infelix ferè
com. 25. reddatur, multiſque periculis (ut Galenus quarto
Aphor. ait) obnoxia, cui incommodo vt occurre- D
rent medici, excogitarunt manuali opere ægrotanti-
bus conſulere, atque aut ferro prius ligatas, aut vren
te medicamento eas abſcindere, ac mox, quemadmo
dum & reliqua vlcera curantur, eas curare, & conſo
lidare. Sed vt, quæ dicenda ſunt, planius percipian-
tur: primum hoc eſt aduertendum, quod in his, qui
hæmorrhoidibus vexari ſolent, ſunt quædam uena-
rum veluti capita aliquantiſper tumidiora, quæ Ga-
len. in libello de uteri diſſectione eſſe ſimilia, ex Pra-
cap.ult. xagoræ, & Hippocratis ſententia, illis aſſerit, quæ
acetabula ab eiſdem appellantur in utero: nolo autẽ
diſputare, an in muliebri utero ita conſpicua ſint
hæc acetabula, ad anatomicos ſiquidem hæc perti-
nent, quæ (ait ibi Galen.) ſunt ora uenarum ad ute- E
rum pertingentium, & tempora imprӕgnationis ſan
guine copioſiore in ea influente, fiunt tumidiora. Ita
etiam in extremo inteſtino recto ora ac capita ue-
narum, quæ eo terminantur, cum natura ſanguinẽ
melancholicum, & craſſum in eas uenas deponit,
intumeſcunt, & interdum non parum etiam am-
pliantur, & (ut Aetius ait) aperiuntur quandoque,
unde ſanguis profluit, aliquando uero non aperiun-
tur, & tunc cœcæ hæmorrhoides appellantur, ut di-
ximus. In ijs ergo, quæ aperiuntur, cum ſanguinis p-
fluuium frequens & diuturnum eſt, neque ita facilè
alijs remedijs ſiſti poteſt, antiqui opera manuum ute
bantur eas extractas prius, mox uero quibuſdam
inſtrumentis apprehenſas deligabant, ac cauſticis, pu

A trefacientibuſque medicamentis, aut igne vſtas pro-
curabant, ut caderent, ac deinde vlcera illis medica-
mentis curabant, quæ apta eſſent curandis ulceri-
bus in ſede, ut tamen prius dolorem, ſi aliquis excita-
tus fuiſſet, ſedarent. Vtebantur autem prius repeti-
tis clyſteribus, tum ut inteſtina a durioribus excre-
mentis purgarentur: Nam interim neque hoc obli-
uioni tradendum, quod in his affectibus maximè uti-
le eſt: nimirum omni induſtria agendum eſſe, ut ſter-
cora non indureſcant: duriora enim maximè hęmor
rhoidas irritant. Sed quædam illis, quæ hactenus ex-
poſita fuere, ſunt addenda: primum quod quædam
reperiuntur, quæ ſuæ ſubſtantiæ proprietate particu-
latim uim habent ſiſtendi ſanguinem ab hæmorrhoi
B dibus profluentem. Galen. nono de Simpl. medica-
men. facult. uim hanc heracliti, & Indico lapidi attri-
buit, ut uel appenſus collo poſſit ſupprimere fluen-
tem ſanguinem: ſed & iaſpis a pluribus commenda-
tur, tanquam quæ ſanguinem vndecunque manan-
tem reprimat. Ego uerò huic opinioni experientiam
atteſtari uidi. Deinde uero quantum ad id pertinet,
de quo nuper, uerba fecimus, & illud aduertendum,
quod non modicum diſſidium uidetur eſſe inter Græ
cos celebres medicos de ligandis, & auferendis hæ- Aph.12.
morrhoidibus, ut nuper diximus. Quia Hippocrat.
ſexto Aphoriſ. conſulere uidetur, ut cum ligando &
abſcindendo hæmorrhoidas, curationem aggredi uo
luerimus, nunquam omnes ſimul ligando, ac uren-
C do claudamus, curemuſque alioquin maximo peri-
lo obnoxium relinquemus eum, quem curaturi ſu-
mus, ne tum in alios morbos difficiles, tum uero in
hydropem inducamus, recurrente ſanè melancholi-
co ſanguine, qui erat ſolitus per eas excerni uenas, ad
particulas nobiliores, ac earum natiuum calorem ex
tinguente. Et huic ſententiæ cęteri poſteriores ſub-
ſcripſere, tam Galenus & Paulus, quam etiam Ara-
bes. Aetius tamen in diuerſum abit, aitque omnes
omnino claudendas eſſe, & nititur in ſuam ſenten-
tiam Hippocratem trahere, accepta occaſione ab
eo uerbo aphoriſmi illius, ubi ait Hippoc. a diuturnis
hæmorrhoidibus ſanato: inquit enim quod ſanatum
cum dicat, intelligendum eſt curationem abſolutam,
D & integram fuiſſe factam: quod intelligi nequaquam
poſſet, ſi uena aperta fuiſſet relicta. Et ſi quis obij-
ciat, quod ſubiungit Hippocrat. niſi una ſeruetur, pe-
riculum imminet, ne in aquam intercutem ille inci-
dat: uidetur Aetius ijs, quę ab ipſo relata ſunt, ſcriptis
uoluiſſe ferè huic tacitæ obiectioni occurrere, & pro
poſito periculo monere, aut unam eſſe relinquen-
dam. quod non erit integrè curare, uel ſi integram
curationem deſideramus, illam quidem nos tuto
etiam moliri poſſe, modo (ut idem Hippocra. pro-
ponit. & Galen. quarto lib. in ſextum Epid. exponit) com. 38.
non importunè eam curationem tractemur, impor
tunè uero tractari dixit Galen. quando ſuppreſſis, &
clauſis omnibus, negligentiores deinde fuerimus,
E neque illis, quæ euenire poſſent, proſpexerimus,
nempe uenæ ſectione, purgationibus, exercitatione,
atque congruente uictus ratione. Cæteri tamen
omnes ſenſere (ſicuti ibidem & Galen. ſenſit) tutius
eſſe unam apertam ſeruare: quia primum homini,
pręſertim negotijs implicito, non eſt ita facilè omnia
hęc exquiſitè, q̃ pręcipiuntur, ſeruare, q̃ ſi ét ſeruata
fuerint, longa tamen naturę cõſuetudo, & propenſio
ad eas uenas non facilè per aliquod ſaltem tẽpus tolli
põt. Tertio pręterea & hoc nõ indignum conſidera-
tione eſt, quod & ſi tutius ſit, qñ inueterata iã eſt con
ſuetudo, ut frequenter profluuium per has uenas, &
aliquando immodicum hominem adoriatur, ſerua-
re aliquã apertam venam, neque unquã illud omni-
no intercipere: longè magis tamen tutum, & utile

eſſet inter initia, anteaquam inueteraſceret res, ac A natura aſſueſceret ſanguinem hunc excremétoſum adeo præceps ad has uenas tanto cum incommodo, & interdum etiam cum periculo impellere, his malis(ut Galen.in libro de Conſuetudine inſinuare uidetur) conſulere. Conſulere autem poterit medicus inſtituta victus ratione commoda;nam cum præſertim horum omnium cauſa ſit multa iſtius melancholici ſucci ſanguini intermixti congeſtio,ſi ab omni occaſione caueri mus generandę iſtius materiæ, ſique per aliqua interualla, quando ob corporis naturam euitari non poterit,quin generentur, corpus inaniatur,purgeturque,anteaquam concitetur impetus depulſi illius excrementoſi ſanguinis; nihil cauſæ relinquetur, cur hæmorrhoidum moleſtia ſuperueniat. B Quia vero ſæpe uehementes dolores ſolent affligere eos, quibus hæmorrhoides ſunt moleſtæ, ideo & de hoc paucula quædam exponenda ſunt. Solent auté frequentiores dolores cœcas hæmorrhoidas ſequi, quam apertas, & fluidas. Nam cum cœcæ ſunt, ſanguis excrementitius contentus, & concluſus tũ multitudine diſtendens dolorem ſolet concitare,tum vero ſua qualitate,quia aut calidus & feruens ſit, aut acris, & mordens, erodenſque: interdum uero ad inflammationé perducens eas partes. Cum vero fluũt, rarius dolent, tamen interdum,quia maior confluat ad extremas eas venas copia excremétoſi ſanguinis, quam effluat: vnde ſæpe uidemus, quod non obſtante,quod copioſus etiam ſanguis effluat,tamen tumidæ non parum ſunt, aliquando uero licet inter C initia, antequam aperiantur, doleant,cum tamen aperiuntur,dolor remittitur. Dolor itaque ſedandus eſt, ſemper habita ratione illius cauſæ,quam eſſe occaſioni putamus,cur doleant. Et ſi quidem cœcę ſint,aperiendæ ſunt,ut paulo antea docuimus. Sed ſi effluente adhuc ſanguine doleant,conſiderandũ eſt,an dolor fiat ex nimia copia diſtendente eas partes,quia optimum huic dolori remedium erit, uenam ſecare, niſi aliquid aliud obſtet,ut ab eo loco impetus auertatur, ſecentur uero uenę ſuperiores in cubito. Poſtea vero locus foueatur, aut oleis,aut cataplaſmatibus, quę partim digerere,partim uero aſtringere poſſint, præſertim ſi copioſum ſit profluuium,ut eſſet oleum D chamæmelinum cũ oleo roſaceo, & uitello oui. Sin autem uideatur ibi eſſe calidior intemperies, aut inflammatio,refrigerantia utiliora erunt,& familiaria quidem medicamenta refrigerantia, quæ utilia poſſunt eſſe, ſunt unguentum roſaceum deſcriptum à Meſue,& ceratum roſaceum, quod infrigidans Galen.in pręſentia dicitur:prætęrea uero & illud, quod unguentum ſandalinum appellant, in quo maior uis aſtringens eſt. Interdum uero eo procedit ſæuitia doloris, ut oporteat & illis uti, quæ uim habent ſtuporem inducendi, ſicut ſunt opium, ſemina hyoſquiami; unde Auicenna docuit componere medicaméntum accepto emplaſtro, quod diachylon appellant, ac illi additis croco, & modico opio,& alia ſimilia. E Sed nobis ſatis ſit hoc. Si vero dolor ab acrimonia,et mordacitate ortum habeat, temperãtibus opus erit, & aliquantiſper digerentibus ut tum leniatur,demulceaturque acris, & mordens qualitas humoris,tum uero euacuetur humor et ſi adhuc inſignis ſit fluxio, ſi aliqua aſtringentia fuerint addita, utilius erit medicamentum,unde cataplaſma, quod Auicenna deſcripſit ad ſedandum dolorem hæmorrhoidum, non eſſet inutile, accipit autem lentium decorticatarũ, & meliloti ſingulorum partem unam, quibus addito uitello oui, & oleo roſaceo,conficit cataplaſma. Niſi autem multus fuerit fluxionis impetus, folia altheæ, uel maluæ, & melilotum cocta, & confecta ex oleo roſaceo & oui uitello proderunt, ſed & hyſſopus humida, uel œſypus, ut antiqui loquuntur atque adeps renum caprarum ex cera alba. At ſi ex inflammatione originem habeat dolor, curanda erat inflammatio communi curatione, qua ſedis curantur inflammationes.

De inflammatione, & alijs tumoribus excitatis in ſede, rimiſque, quas rhagadas Gręci appellant, & vlceribus ac reliquis ani affectibus. Cap. XV.

SEd quia inflammatio non tantum harum uenarum proprius eſt, ſed affectus communis partiũ ani, ideo hoc capite reliquos omnes ani morbos complectemur. Primumque de inflammatione agendum de qua quantum ad communem eius rationem pertinet, non eſt cur multa dicamus,cum de hac re ſæpius ſit à nobis habitus ſermo in prioribus tractationibus. Sed ſatis ſit,quod & hæc perinde à fluxione calida ortum habet ſicut & aliæ aliarum partium, hoc autem Auicenna illi quaſi peculiare attribuit,quod raro ſtatim à principio,ſed plerũque alios ſedis affectus ſequitur, quemadmodum rimas,aut ulcera doloroſa,aut pruritum, aut clauſas hæmorrhoidas, aut modum curationis quando auferuntur hæmorrhoides,ut reprimatur ſanguinis profluuium auferuntur autem per reciſionem ferro aut acri,& erodente medicamento. Omnia autem ferè hæc fluxiones calidas concitant ratione doloris, qui ſolet(ſicuti dixit Galen.in lib.de cur.rat.per ſect.uen.)iuxta atque uentoſa, attrahere humores ad locum dolẽtem, quamuis pruritus ſcalptu humores moueat,clauſio autem hæmorrhoidalis ſanguinis eo procumbẽtem ſanguinem detinet, quo minus effluat, vnde ille detentus, & extra uenas in ſpatia inania particularum excidens, & infarctus inflammationem eas attollit. Iſtarum autem partium inflammationes procurare oportet, ut digerantur, & per reſolutionem terminentur, alioquin enim ſi in ſuppurationem uertantur,in abſceſſum facile, & in fiſtulas, (ut tradidere Paulus & Auicenna, & experientia quotidie atteſtatur) uertitur, quibus perforatur rectum inteſtinum. Vnde & locus is unus ex illis, eſt in quibus, cũ inflammationes ad ſuppurationem tendunt, nõ eſt (ut ijdem docuere)expectanda exquiſita maturatio, ſed crudiuſculus abſceſſus incidendus, & aperiendus eſt, ne dum,ut maturetur,moramur,fiat per inteſtinum eruptio, & ita in fiſtulam tranſeat, quæ poſtea non facilè curatur, niſi inteſtinum ab ea parte, ad quam fiſtulam pertingit, uſque ad exitum inteſtini reſcindatur. Inflammationes igitur, hæ quæ in partibus ad ſedem pertinentibus excitantur,ſicuti communi genere inflammationum continentur, ita & communi primum earum curatione curanda ſunt. Inter initia itaque fluxioni occurrendum,& cum nihil ſit, quod præſtantius fluxiones intercipiat, quam reuulſio, euacuatioque,& nulla reuellendi,uacuandique uia huic rei ſit accommodatior miſſione ſanguinis,ea propter niſi aliquid præterea adſit, qđ obſiſtere huic uacuationi poſſit, ſtatim ab initio mittendus erit ſanguis à ſuperioribus uenis in brachio,ſæpe enim (ut rectè huic monuit Auic.) ſola uenæ ſectio, fluxione intercepta,& tranſlato impetu confluentis humoris in alium locum,dolor ſedatur, poſtea uero localibus medicamẽtis incumbendum, in quibus ſint uis quædam refrigerandi, & repellendi,neque tamẽ & digerẽtis facultatis ſint expertia. Vnde præter ea, quæ diximus eſſe opporuna ad remouendos dolores ex calidiori intemperatura, ut ſunt id quod Gal. infrigidans appellat, uel roſaceum unguentum,

Meſ.

Meſ.multa alia ſimilis facultatis confici poſſunt, vt ſi fieret emplaſtrum ex pane trito,& cocto, ex lacte,cui poſtremo adderetur oleum roſaceum, vel commune,vel inter initia,ſi maiori eſſet refrigeratione,& repulſione opus, omphacinum appellatum, & vitellum oui: nam ſimile medicamentum præterquam quod panem ex aqua coquunt, deſcripſere Paulus, & Auicenna, & Aetius, vt etiam & hoc laudant, quod fit ex albo oui, & oleo roſaceo tritis in plumbeo mortario, donec contrahant colorem plumbi. Multa alia deſcribi poſſent, ſed hæc mihi quantum ad noſtrum inſtitutum pertinet, videntur poſſe eſſe ſatis: ſi tamen hoc prius monuerimus, quod & cæteri antiqui medici, preſertim vero Gal. nono de Com- (cap.6.) poſi. medic. monuit: nimirum affectus ſedis tum alijs de cauſis, quas paulo poſt exponemus, tum vero propter acrem ſenſum, quo præditus eſt, curatu difficiles eſſe: irritantur enim maxime ab ijs, quæ exaſperant, & mordent. nam (ut idem nono de Simplic. medic. facult. ait) anus, & os, vt ſimiles ferè naturæ ſunt, ita etiam ſimilibus medicamentorum naturis gaudent. Siue ergo exſiccantibus ſit opus, ſiue detergentibus, ſiue aſtringentibus, ſemper ea, quæ mordent, & aſperant, declinanda ſunt. Vnde metallica, quæcunque neque acria ſunt, neque acerba, maximè his affectibus ſunt accommodata: fiunt autem talia, cum exquiſitè pro rei opportunitate lauantur, vt lauari docuere medici. Præter autem inflammationes & alij tumores in ano expululant, vt ſunt qui thymi, quique condylomata, & qui ficus, quique verucæ, & myrmeciæ, quaſi formicales dicas, itemque qui claui appellantur. Condyloma itaque eſt tumor rugarum ani, rugoſus enim cum ſit anus, ſicut lib. decimoquarto ait Aetius, aliquando ruga eius quæpiam intumeſcit, confluentibus vitioſis humoribus, ac ſi quidem ſine duritie ſit tumor, ait Paulus, appellatur ἐξοχάς hoc eſt eminentia, uel extuberantia. At uero ſi ſit cũ duritie (durities uero fiat ab inflammatione) κονδύλωμα vocatur, ſumpta nuncupatione ab eminẽtijs, quæ apparent in articulis digitorum, cum manus clauditur: nam κόνδυλος Græce dicitur. Thymus vero dicitur tuberculum, quod non ſolum in ano extuberat, ſed & inter coxas interdum & in ſcroto, & in muliebri, virilique pudendo: nomen autẽ habuit a ſummitate, uel cacumine herbæ, quæ thymus proprie dicitur: eſt autem tumor aſper, ſubruber, & oblongus, ex quo, ſi abſcindatur, maior effunditur ſanguinis copia, quam pro magnitudine tuberculi: fiunt uero ex craſſo ſanguine, cui ichor tenuis, & acris eſt intermixtus. Is autem aliquando non admodum creſcit: aliquando increſcit non parum: dum minor eſt thymus dicitur, cũ vero maior fit (vt docet & Aetius) (cap.19.) συκώσεις, hoc eſt ficoſas eminentias appellant: Latini ficus uocant: vulgo vero porrifighi dicuntur, in hoc enim quaſi Auicennam videntur ſequi, retulit ſiquidem hęc omnia in genus verrucarum quas vulgares porra nuncupant. Sunt autem horum tuberculorũ differentiæ duę. Eorum nanque aliqua maligna ſunt: alia vero manſueta, malignitatiſque expertia. Hæc quidem minora ſunt & inæqualia quidem, ſed eminentiæ, a quibus fiunt aſpera, non ſunt admodum conſpicuæ, colore ſunt aut albicante, aut ſubrubro, doloris ſunt expertia. Maligna uero ſunt maiora, duriora, aſperioraque, fæculentique, & liuidi coloris: præterea uero & doloroſa ſunt, & pungentem dolorem afferunt; ſed dum aut manibus, aut medicamentis tractantur, non parum irritantur & exacerbantur. Hæc ſane, quæ iſtius malignæ naturæ ſunt, & vt Auicenna inſinuare videtur, proxime ad naturam cancri accedunt, immo propterea exacerbantur, cum vel manibus tractantur, uel curari medica-

A mentis incipiunt, quia cancri naturam ſeruant, & cũ curare ea uolumus, veri ac vlcerati cancri fiunt, vnde cognoſcenda quidem ſunt, ſed ut ea deuitemus, neque curare tentemus, quoniam (ut de cancris dixit Hipp.) cum curantur citius pereunt. At verò cum malignitatis ſunt expertia, curari neque admodum ægrè poſſunt. Curantur verò primum per abſciſſionem, aut ferro, aut medicamentis ea conſumentibus, poſtea verò eandem curationem, quam & reliqua ſedis vlcera requirunt. Niſi quòd hoc eſt a iuuenibus aduertendum, quod quæ non ſunt inflammationis expertia, ſicuti condylomata, nõ ſunt neq; reſcindenda, neque acrioribus medicamentis tẽtanda, niſi prius ſedetur inflammatio. Sed & rimæ, quas rhaga-
B das Græci appellant, ad differentias ſolutæ vnitatis pertinent; quapropter ſub capite vlcerum & ipſæ iure merito continentur. Fiunt autem aliquando interius in muſculo conſtringente, aliquando in ano. Finduntur uero partes aliquando propter acrimoniam ichorum ad eum locum confluentium, & erodentiũ, & nonnunquam autem propter cõdylomata duriora ex inflammatione facta diſtentis nimirum illis partibus, uel ob excrementorum expulſionem, vel aliũ alioquin conatum cum extendi partes, quia induruerint, uel exſiccatæ, fuerint, nequeant, neque cedere dilationi. Cum autem differtur harum curatio, calloſæ fiunt, ut poſtea difficiliores curatu euadant, quia nequeunt partes hærere ſimul, niſi abradantur, uel
C ferro, vel medicamentis. Vlcera uero ſedis communi quidem ratione eandem curationis methodum, quam & alia vlcera, requirunt, neque aliam diuerſam rationem habent niſi eam, quam oſtendit iſtius particulæ natura cuius morbi omnes difficilem curationem habent, & id propter eas cauſas, quas Gal. 9. de Comp. med. per loc. expoſuit, locus.n.is ueluti cloaca eſt per quam multa excrementa ab uniuerſo corpore defluentia tranſeunt, & aliqua quidem ſeroſa, & acria, quæ partim exacerbant eas partes, partim erodunt alia vero humida, & putrefacientia: præterea verò in excretione neceſſe eſt, vt moueantur, & vi quadam expellant, in quo conatu præter id, quod motus partim impedit, & remoratur curationem, quaſi
D dilacerat eas partes, quibus & hoc accedit, quod medicamenta, quæ lo. affe. adhibenda ſunt non poſſunt, quantum morbi ratio requireret, hærere, exitus ſiquidem excrementorũ cogit ea remouere; præterea locus, qui ſuapte natura calidus, & humidus eſt, ad putredinẽ ſubinde aptiſſimus eſt. Sed & cũ ſit inſignis ſenſus (vt & prius diximus) ſi ſit opus remouere, aut carnes excreſcentes, aut putredines aut tumores calloſos, aut quidpiam aliud id genus. Propria autẽ medicamenta ad curanda iſtarum partium vlcera ſunt, quæ detergunt, quando detergendũ eſt, aut deſiccãt, & aſtringunt, qn vel carnis generatione, vel conſolidatione eſt opus, dummodo citra exaſperationem & morſum id agant. Quæ.n. aſperant, excitato dolore
E fluxiones concitant. Vnde (vt paulo ante dicebamus) mineralia, ſicut pompholyx, ceruſſa, plumbũ vſtum, ſpuma argenti, ſpodium, & id genus alia quãdo ſunt exquiſitè, & ſecundum artem lota, maxime congruẽtia ſunt, ſed de his magis particulatim agere potius ad tractationem de vlceribus pertinet, ideo fine iſtis impoſito ad alios affectus, qui potius ꝓprij ſunt muſculorum ſedis, exponendos progrediamur.

De prolabente podice, ac de ani reſolutione, vnde nequeunt contineri alui excrementa. Cap. XVI.

SI muſculi ſuperius retrahentes prolabentẽ anũ, vel qui aſtringit, reſoluantur, aut alioquin fiant imbecilliores, anus extra naturalem, & conſuetum locũ procidens remanet, ut ſuperius in ſuum lo-

cum nequeat reuocari, vel fæces nobis inuitis profluunt: cauſæ vero iſtiuſmodi ſymptomatis ſunt interdum affectus proprij iſtius particulę, interdum uero aliarum, cum quibus conſentit & connexa hæc eſt. Conſenſu quidem, ſi male affecti ſint nerui ſuperiores, unde illi deriuantur, qui his muſculis uim mouendi impartiuntur ob eorum obſtructionem, uel compreſſionem, uel ob alias cauſas, quibus reſolui ſolent inſtrumenta motus. Sed vt Auicenna monet ex caſu in dorſum, aut ob aliā alioquin contuſionem, earum partium ex qua nerui illi male habeant, uel etiā diſrumpantur. Ex proprio vero affectu fit hoc incōmodum quando aut nimia humiditate madidi muſculi laxi & reſoluti fiunt, quę quidem humiditas ſi cum aliqua fuerit caliditate, facilius penetrat in eorū ſubſtantiam, & interdum propterea, quia refrigerantur muſculi, vnde ſępe ſedentes ſuper lapides, aut nudam terram hoc incommodum patiuntur, pręſertim uero pueri qui & humidiori ſunt temperie, & incautiores in cauendo ſe a frigore, ſed & lęduntur interdum hi muſculi, dum curantur affectus, quorum mētio facta eſt, per chirurgiam, ſicuti interdum in incidendis fiſtulis lęditur actrictorius muſculus. Lęduntur pręterea aliquando cum fęces duriores multa vi, & plurimo conatu expellendę ſunt ex nimia nimirū diſtentione. Diſcernuntur autem occaſiones harum lęſionum: nam quando hęc propter caſum uel contuſionem accidunt, repente fiunt, quando vero ob mollificationem, ob intemperaturam & humiditatem, potius paulatim, ſi uero cum humore tenui ſit calor coniunctus, ſenſu id percipitur, interdum uero partes hæ, non modo a propria ſua actione qua mouent, vel reſtringendo, vel retrahendo inteſtinū; ſed & a ſenſu deſtituuntur, quando ſenſus remanet, curatur facilius, ſi Auicen. credimus. Facile autem eſt perſpicere, qua ratione curandi ſint hi affectus, ſi ra-

[A] tiones eorum reſpexerimus, quando ſane curationem admittere poſſunt, quia ſi ex aliqua intemperatura ſine materia, ſicut diximus, fiunt interdum ex refrigeratione, calidis fouendus erit locus, ut tamen alicuius aſtrictionis non ſint expertia, ut locus roboretur, ſi uerò ex humiditate emolliente, & laxante muſculos, accommodata eſſent medicamenta, quæ exſiccarent, & aſtringerent, ut & particulam roborarent, & humorem conſumerent. Vnde ego his ſoleo in hunc modum ſuccurrere, ſi anus procidit: & inuertitur, paro decoctum ex uino nigro auſtero, & roſis aridis, & aliquibus alijs aſtringentibus, ut eſt malicorium, uel citini, quandoque & parum aluminis addo, ut uidetur valentioribus egere, [B] quo decocto podicem foueri inſtituo, & lauari, mox puluerem ex deſiccantibus, & aſtringentibus paratum habeo, nempe ex roſis aridis, flore chamæmeli, malicorio, gallis, quem procidenti ano inſpergo, ac illum interius adactum repono; deinceps autem pāniculum aliquem, aut lini partem aliquam, uel triplex linteum, eo decocto madefactum, & aliquantiſper calidum appono. Quia verò in profluuijs alui, ut ſunt diarrhœa, vel dyſenteria, ex frequentibus deiectionibus, & teneſmo continuo frequenter inuertitur anus, quoties ab aſcella ſurrexerint, lauo, foueo, ac reliqua (ut dixi) facienda iubeo. At ſi non procidat anus, ſed potius cōſtringens muſculus a ſuo [C] munere deficiat, ut deiectiones præter uoluntatem exeant, ſimilibus quidem omnino remedijs erit opus, ut tamen balneæ, uel inſeſſiones in decoctis efficaciores ſint, vtriſque vero thermæ ſulphureę, nitroſæ, & aluminoſæ utiles non parum cenſendæ ſunt. Sed iam alium librum aggrediamur, in quo de illis particulis tractationem inſtituemus, quę urinę præſunt.

VICTORIS TRINCAVELII DE RATIONE CVRANDI PARTICVLARES HVMANI CORPORIS AFFECTVS.

LIBER DECIMVS.

De affectibus renum & veſicæ, atque aliarum partium ad hæc pertinentium, ac prius de natura, & officijs renum, & veſicę.

CAPVT I.

QVIA animali alimento imprimis (vt in prioribus lib. expoſuimus) opus eſt; alioquin neq; diu viuere, neque etiam creſcere poſſet, alimentum verò vbi fuerit definitis locis, primum quidem in ventriculo, mox vero in iecore concoctum diſtribui per venas, & arterias in uniuerſum corpus neceſſe eſt: deinde quia in multis locis venæ, per quas tranſeundum eſt, exiles, & anguſtiſſimæ ſunt, ſicuti in medio iecinore, præſertim vbi rami venæ portæ cum ramis venæ cauæ committuntur: præterea verò & tales ſunt vltimi rami venarum, & arteriarum, qui per habitum uniuerſi corporis diſperſi, propter exilitatem capillares appellantur: Ideo fuit opus multo, ac tenui humore intermixto, quo quaſi liqueſcens, vel dilutum alimentum fieret fluidius, atque ita facilius per anguſta quæque diffluere poſſet: quo deinde factum etiam eſt, ut animali fuerit neceſſarius potus, nempe ut dum prima fit concoctio in ventriculo, cibus alioquin ſolidior, & aridior, in multo humore coctus quaſi funderetur, & liqueſceret: & proinde Ariſtot. 4. Meteor. concoctionem in uentriculo factam elixationi comparat. Is ergo copioſus humor opportunus eſt, ut alimentum per uenas iecinoris anguſtiſſimas tranſeat: uerum vbi iam ad ampliores ramos, & tandem ad venam cauam peruentum eſt, non eſt amplius naturæ operibus utilis is adeò copioſus humor, quia nõ poſſet ſanguis tanto humore tenui, & aqueo madidus particulis alendis hærere, & adiungi; nimis enim fluidus eſſet: cui rei argumento eſt hydropis ea ſpecies, quæ anaſarca dicitur: ea enim à ſanguine propter nimium pituitoſum humorem facto fluidiori (ut ſuperius expoſuimus) ortum habet: unde inſtituto naturæ creati ſunt renes, utrinque à ſpina dorſi alter, quibus & hoc officium, & ea vis data eſt, ut ſuperuacaneum hunc humorem ſeroſum à venis attraherent, ac ita ſanguis aptior ad alendum corpus euaderet, quibus etiam natura impartita eſt uenas duas, & totidem arterias, utrique vnam deductas a caua quidem vena ſupra iecur, paulò poſt quàm iecur vena eſt egreſſa, & eodem ferè loco & arteriæ ab arteria magna ſpinæ dorſi prætenſa deriuantur, quæ quidem vaſa magna admodum ſunt, immo (ut Galen. ſecundo de Natur. facult. ſcribit) maiora, quàm aliud quodpiam uiſcus habeat, & id non quia hæ par-

A ticulæ egeant maiori copia ſanguinis, uel ſpirituum, quàm multæ aliæ, uerum ut commodius poſſint copioſo huic humori a renibus attrahendo inſeruire. Quo loco & hoc animaduertendum eſt, quòd non (cap. 2.) ſolum pertinet ad renes excrementa in venis cũ ſanguine contenta attrahere, ſed etiam in arterijs. Sunt verò in animantibus renes bini, quorum dexter ſupe (com. 6.) riorem locum ſibi vendicauit: ſiniſter verò humiliorem: quamuis aliquando reperiatur variatus is ſitus, rarò tamen. Conſtant autem carne (vt 2. ad Glauc. ait Galen.) denſiſſima, quę membranea tunica obducta perinde eſt, ac uiſcera cætera hoc ventre contenta à peritoneo deriuata, per quam, ſeu per peritonei partem nectitur dorſo, ac cum craſſiore inteſtino (ut 1. lib. in 6. Epid. Gal. ſcriptum reliquit) mutuò conne- B xi ſunt. Sed per eandem tunicam fiunt ſenſus participes, quia neruuli, qui ad eos feruntur, per eam duntaxat diſperguntur, vt etiam de iecinore ſuperius diximus: nam & renũ caro perinde eſt ſenſus expers, ſicut & lienis, & iecinoris. Continent autem renes vẽtrem in medio eorum excauatum, qui ſubcinctus eſt, & quaſi (vt Galen. in lib. Anatom. admin. ait) ſub illitus vndequaque ſolido quodam, & membranoſo corpore: à quo uentre originem habent urinaria uaſa, quæ vreteras Græci uocant: conſtant autem (ut idem Galen. affirmat) ſubſtantia ferè eadem, immo eadem, qua & veſica: ſi eorum ſubſtantiam inſpiciamus diligenter detracta exteriori, qua inuoluta ſunt quaſi tunica identidem à peritoneo deriuata, quę deorſum delata, cum ueſica coniunguntur, illíque in- C ſeruntur. Sunt autem vaſa hæc, per quæ urina a ſanguine ſecreta in renibus, ac in eorum ventre recepta ad veſicam defluit, non omnino ita ſenſus expertia, ſicut nec interior illa membranea pars uentriculis renum obducta, vt expertem eſſe eorum carnem diximus; immo vehementiſſimi, & acutiſſimi in his excitantur dolores, quales illi experiuntur, qui doloribus renalibus interdum cruciantur. Renum autem officium præcipuum eſt a venis, & a iecinore, præſertim uero ab eius conuexa, & ſuperiori parte, utpote cum qua maiorem habeat nexum, & viciniam ſeroſum, aquoſumq́ue humorem, qui iam ſuperuacaneus eſt, quantum ad naturæ inſtitutum pertinet, attrahere, vt per urinaria vaſa depellatur ad ueſicam. Neque tamen ſolam attrahit ſeroſam hanc humiditatem, ſed & ſanguinem cum ea commixtum: minimè enim fieri poſſet, ut a ſanguine adeo ſecretus

traheretur per vias tam amplas iſ humor, vt 5.de Vſu par. ait Gal. quin & ſanguinis aliqua portio ſequeretur. Neque hoc præter naturæ inſtitutum ſit; cùm enim ipſi quoque ſanguine ad alimentum egeāt hoc demum aluntur, quod ſimul cum vrina ad eos defertur, qui mox in renibus ſecernitur, vt ſyncera deinde vrina per meatus vrinarios deferatur. Quamuis (ut Gal. eodem loco teſtatur) non parum etiam bilis à renibus attrahitur; vnde fortaſſe flauus vrinę color occaſionem habet: immo (ut idem ait ſexto de Loc. affect.) per renes non ſolùm cōuexa iecinoris pars, ſed etiam corpus uniuerſum purgatur, ut ſæpe conſpici in his morbis poteſt, qui per urinæ profluuium iudicantur. Quemadmodum autem inſtrumenta excretionis, quæ ad excrementa primæ concoctionis pertinent, ſunt inteſtina craſſiora, in quibus colliguntur, & continentur: ita & urinam paulatim à renibus per urinarios meatus tranſmiſſam ueſica excipit, & continet, donec animanti eam excernere fuerit opportunum. Vnde ut commodior eſſet excretio, natura ueſicam in infimo uentre ad os pubis ſupra rectum inteſtinum collocauit, ac eam interius ſpatium amplū continere uoluit, ut multæ humoris copiæ eſſet capax. Ex ſolida verò denſa, duraque ſubſtantia, exangui tamen; & quaſi neruea ipſam confecit, tum ut diſtendi, cùm repletur, facilius, poſſit, tum uero ut ab acribus, & mordacibus excrementis, quæ frequenter ad eam confluunt, non erodatur. Intertexta uero eſt triplici fibrarum genere, ut & undique contrahi, & exquiſitè complecti urinam poſſit, ne, dum mouetur animal, fluitans humor in laxiori ueſica moleſtus nimis ſit: præterea ut per has fibras & attrahere, & continere, atque expellere urinam poſſit. In una autem, & eadem tunica triplex hoc fibrarum genus continetur, ex qua etiam propriè ſubſtantia ueſicæ conſtituta eſt: nam exterior illa, quæ ſimplicior & fibrarū expers eſt, pars eſt peritonei, qua perinde inuoluta eſt ueſica, ut & alia omnia uiſcera hoc uentre contenta. Duas vero partes habet veſica: nimirum primum corpus ſuum, in cuius interiori amplo ſpatio colligitur urina, & ceruicem: & veſicæ quidem munus eſt collectam urinam continere: ceruix uero meatum continet, per quem excernenda eſt urina, atque ad ueſicā quidem pertinet urinæ expulſio, quæ fit per tranſuerſas fibras: quæ operatio eſt naturalis facultatis, quæ ſine cognitione, ac deliberatione agit: ad collum autē, uel ceruicem ueſicę pertinet aditum aperire, uel claudere urinæ exituræ, ut 6. de Loc. affect. docet Gal. qd quidem officium non amplius ad facultatem naturalem, ſed potius ad animalē, & motricē attinet. Nam extremæ parti ipſius inſertus eſt muſculus in orbem, illud comprehendens, ſimilis muſculo, à quo anum claudi, & conſtringi ſuperiori libro diximus, qui quidem & idem munus habet, nempe claudendi os ueſicę, ne illa illabatur, niſi quando animanti libitum fuerit. Ad arbitrium ergo animalis per hunc muſculum redacta eſt excretio urinæ: ſicut per alterum excretio ſtercorum: unde cùm hi reſoluuntur, ſponte, & præter uoluntatem effluunt hæc excrementa. Flexuoſus autem eſt meatus is colli ueſicæ, ac flexus plures in maſculis ſunt, quàm in fœminis: ſicuti & maius collum eſt: nam duplici flexu diſtortus eſt uirilis meatus; ſimplici uerò muliebris. Occupat autem interius ueſicæ ceruix totum peritoneum, quo loco etiam illi in ciduntur, à quibus lapis in ueſica concretus extrahendus eſt, ſed carnoſior eſt ceruix ueſicæ, quàm reliquū ueſicæ corpus, & magis ad naturam muſculi accedit: quo fit, ut uulnera huic parti illata conſolidari poſſint; cùm alioqui (ut Hippo. in Aphoriſ. teſtatur) inciſa ueſica amplius ſimul coaleſcere, & conſolidari nequeat, cùm exanguis, & neruea ſit. In continenda

cap. 6. cap. 4.

A autē urina, ne effluat, ſuo primo officio fungitur ceruix per muſculum: cùm autem effluit, hoc tantùm agit muſculus, quod nihil agit, & officium ſuum deſerit. Sed & ceruix quidem inſigni prędita eſt ſenſu: alioqui enim non perciperet ſtimulum excrementorū excitantium facultatem expultricem: cùm tamen ueſica ipſa obtuſiorem ſenſum habeat: nerui uerò, atq; etiam uaſa cætera, quæ ueſicæ inſeruntur, ab ea parte deriuata ortum habent, qua (ut 5. de Vſu. par. ait Gal.) ſitum eſt os ſacrum. Et hæc quidem de natura, conformatione, ac officio harum particularum deſcripſimus, tanquam cognitu neceſſaria ad ea exquiſitius intelligenda, quæ ſubinde exponentur.

B *De affectibus renum, primumque de inflammatione. Cap. II.*

IAm ſatis ergo poteſt ex ijs, quæ hactenus à nobis explanata ſunt, apertū eſſe, quod renes, ut ab eis hanc tractationē inchoemus, cum propria conſtent temperatura, quæ proximum, ac proprium eſt naturæ inſtrumentum in omnibus actionibus obeūdis, & ea quidem calida, & humida, ut uoluit Gal. lib. 2. de Temperamentis conſtent etiam cæteris, quę ad conformationem, uel (ut iuniores loquuntur) ad cōpoſitionem ſpectant; ab omnibus morborum generibus poſſunt eorum operationes, aut impediri, aut lędi: nempe ab intemperaturis ſecundum omnes mo- C dos, tam ſimplicibus, quam compoſitis, tam cum materia, quam citra illam, ab inflammationibus & reliquis præterea tumoribus præter naturam, ab obſtructionibus, quæ uel à craſſis humoribus impactis in meatibus, uel in eorum uentre, & à calculo in eis concreto; pręterea uero & ex ſoluta continuitate, uel inſigni, & manifeſta, quę ulcera, uel uulnera, uel abſceſſus ſequitur, uel inconſpicua, & quę ſenſus latet, ſicuti quę fit ab humore acri, & pungente citra manifeſtum ulcus, unde dolor acutus ſolet concitari, uel à flatuoſo ſpiritu diſtendente. In uniuerſum ergo hęc ſunt omnia affectuum genera, quibus poſſunt renes exerceri: & hoc quidem, quantum poteſt ſpectare ad renes, quando ex proprio laborant affectu. Nam ſi D aliquando ex conſenſu cum alijs malè afficiantur, ſuis etiam locis exponemus. Sed anteaquam ulterius progrediamur, ut in aliquem ordinem ea, quę hoc libro explananda ſunt, digeramus quo deinde tractatio magis perſpicua ſit, hoc imprimis conſideremus, quod licet renes multiplicis generis habeant operationes, uidelicet & eas, quę cum omnibus alijs ferè particulis communes ſunt, nimirum ſicut, quod attrahunt ſuum alimētum, quod id attractum contineāt, quod etiam contentum concoquant, quod demum & quod excrementoſum eſt, expellant: pręterea quod ſint alicuius ſenſus participes, unde fit etiam, ut doleant: pręcipua tamen, primaque ratio, quam ab eis requirit natura in commodum uniuerſi cor- E poris, eſt, quod ſeroſum humorem, qui commixtus eſt, cum ſanguine, quando à caua uena attrahitur, attrahat, atque ab eo excremento illum depuret. Lęditur uero hęc actio, ut cętere omnes aliarum particularum operationes, tripliciter. Quia interdum omnino deſtruitur, ut nihil prorſus urinę attrahant, ac ita omnino ſupprimitur urina. Quandoque parum, & ęgrè attrahūt; unde parum etiam admodum mingunt, ſicut ſemper hydropicis ferè accidit, pręſertim antequam inclinare morbus incipiat. Interdum uero uitiata, uel corrupta eſt eius actio: quod pluribus modis fieri poteſt. Primùm quia immodica fit urinę attractio, atque ſubinde effuſio, ſicuti in diabete à Gręcis appellato contingit, qui quaſi ex proportione reſpondet profluuio alui, quod lienteriam

cap. 3.

lienteriam appellari diximus, ut enim in hoc cibus vt aſſumitur, ita egeritur: eodem modo in illo potus ut bibitur, ita mingitur. Deinde uero quia non talis mingitur urina, qualis ratione naturę ſeruata mingi deberet, ſicuti quãdo aut cruenta, aut purulenta mingitur aut craſſa, & turbida. Et quia multa horum nõ facilè percipi poſſunt, niſi redditur, aut poſtquam fuit reddita urina, ideo cum omnia uitia, quæ circa aluũ in egerendo contingunt, quamuis ſequantur affectũ ſuperiorum uiſcerum, ut uentriculi, & iecinoris, & lienis interdum, ad inteſtina uero multa ipſorum nõ attinent, niſi ut cum alijs conſentiunt, tamen breuioris, & clarioris doctrinæ cauſa in tractatione de alui profluuio de his omnibus egimus, ita etiam licet hæc uitia, quæ ad excretionem urinæ pertinent, bona ex parte in renum affectus tandem ſint referenda, quia tamen ex ueſicæ excretione tandem nobis manifeſta fiunt, ea omnia, cum de ueſicæ affectibus ſermonem habebimus, ſumus examinaturi. Cum autem affectus, qui doloroſi ſunt in renibus, poſſint citra ferè reſpectum aliquem veſicæ percipi, ideo de illis ſolis in pręſentia agemus, nempe de inflammatione renum, de eorundem calculo, de doloreque, vel ex craſſo humore impacto, vel ex flatu excitato, primumq́ue de inflammatione agemus, in cuius natura, & cauſis explicandis non erimus longiores, quia eandem naturam, eaſdemq́ue cauſas habet, quas & cæteræ inflammationes, de quibus abundè ſuperius locuti ſumus. Eſt enim tumor calidus præter naturam, excitatus ab humoribus calidioribus in ſubſtantia, uel anguſtis meatib. uiſceris abſorptus, cuius cauſa eſt fluxio eiuſmodi humorum, pręſertim uerò ſanguinis craſſi, & calidi, aut tenuis, & bilioſi. Fluxionis uerò multæ poſſunt eſſe cauſæ, nimirũ aut copia uitioſorum humorum, ut Aetius ex Raſis ſententia teſtatur, quæ aut in toto corpore ſit, aut in iecinore, aut in locis circunſtantibus cum aliqua tamen renum imbecillitate, vel alia alioquin occaſione, quæ potuerit hos humores præcipites ad renes agere, ut eſſent plagæ dorſo, uel locis pertinentibus ad renes inflictæ, quę tum dolore excitato, tum vero calore poſſunt eſſe cauſæ, cur eo fluxio trahatur, attritiones præterea eorundem locorum, ſed & medicamenta, quæ humores commotos uerſus renes impellere poſſunt, ut quæ uehementer urinam cient, præſertim verò pleno alioquin corpore, labores etiam, & exercitationes earum partium, quæ ad lumbos pertinent, ſicut ſunt uehementes, & continuæ equitationes. Differentiæ uero harũ inflãmationum, quibus tentari poſſunt renes, interdum à diuerſis partibus, quæ in renibus afficiuntur accipiendæ ſunt: nam (ut ſexto Apho. Galen. docuit, à quo

com. 5. Auicen. deſcripſiſſe videtur) aut inflammatio exteriorem eorum tunicam, et partes ad illam attinentes apprehendit, aut uenas, & arterias, quæ ad renes pertinent, quæque per ipſos ſunt diſtributæ, aut ſubſtantiã carnemq́ue, aut membraneum illud corpus, quod interiori uentri prætenſum eſt. Sed & à diuerſitate humorum, ex quibus conſtat fluxio, poſſunt accipi differentiæ harum inflammationum, quia aut à craſſiori ſanguine, aut à bilioſo, & tenui pendent. Harum autem inflammationum nõn una, ſed multiplex eſt terminationis ratio, aut enim per exactam curationem, nempe ut digerantur, diſſoluanturq́;, aut per indurationẽ, ita ut in ſcirrhũ tranſeant, quemadmodum. n. ſæpe terminantur iecinoris, & lienis inflãmationes, ait Gal. 13. Meth. ita & renũ. Tertius autẽ modus eſt,

cap.16. quando p ſuppurationem in abſceſſum deſinunt, & tandẽ per eruptionem pus effluit. Et quia renes & interiorem uentrem habent, & præterea externũ ſpatiũ, in quod effundi pus poteſt, ideo quãdoq; abſceſſus in renibus ad interiorem uentrem rumpũtur, ac

A ita fit facilis per vrinarios meatus, & ueſicam puris excretio. Quandoque vero vergente magis abſceſſu ad exteriores partes, fit (vt ſeptimo Aphor. ait Galen.) ad ventris ſpatium eruptio, quamuis (vt ait Auicenna) poſſit & ad inteſtina id fieri, quam terminationẽ malam admodum eſſe ait. Quandoque uero (ait Gale. ibid.) abſceſſus ad dorſi muſculos, quibus renes hęrẽt conuertitur, ut ſit neceſſe fieri in dorſo inciſionem, vt extrahatur pus, ſicuti etiam quando in interius ſpatium uentris fiat eruptio. Interdum tamen, ſi valida ſit facultas expultrix, pus repellitur à rene ad iecur, & inde per venas meſaraicas ad inteſtina, perinde enim vt in pleuritide, & abſceſſibus membrorum ſpiritualium, ita in illis etiam, quæ ſub ſepto tranſuerſo ſunt

B (vt ſexto de loc. affect. exponit Gal.) fit puris excretio cap.4. per aluum, aut per vrinam, & veſicam. Hęc uerò omnia ex obſeruatione eorum, quæ in ægrotantibus apparent, ſymptomatum cognoſcuntur. Nam inflammationem continens febris comitatur, quæ maior, minorve eſt pro ratione maioris, uel minoris inflammationis, aut calidioris, uel minus calidi humoris, a quo progenita fuit. Sæpe verò (vt ex Rufo ait Aetius) frigent partes extremæ, vt manus, ſuræq́ue, & pedes, quod imprimis exiſtimauerim euenire, quando maior fuerit inflammatio. Sed & dolor, aut grauitas in regione, qua renes ſiti ſunt, aut acutus, cum tenſione quadam comes eſt harum inflammationum, qui interdum adeò vrget, ut nequeant recti ſtare, vel (vt

C idem Aetius ſcriptum reliquit) incedere, præſertim verò hoc illis contingit (addidit Auicenna) in quibus inflammatio pertinet ad membranam, qua tanquam tunica inuoluti ſunt renes: aut qua nexi, & ſuſpenſi ſunt, nam magis diſtenduntur, cum rectus quis ſtat, quàm quando incuruatur. Tuſſis autem, vel ſternutatio eos uehementer affligit, concutitur enim corpus uniuerſum. Præterea uerò minus affliguntur, quando ſupini, & in dorſum, quàm quando in latus, vel proni in uentrem decumbunt, eo quòd inflammatus locus, uel ren non ſuſpenſus, neque pendulus eſt, ſicuti quando in latus, uel in uentrem eſt decubitus, atque ſi alter tantum ren laboret, facilior eſt decubitus in latus renis affecti, quàm in oppoſitum ratione eadem. Sæpe, & aluus, ſi inſignis fuerit inflam-

D matio, ſupprimitur, quia ren intumeſcens inteſtina craſſiora premit. Sed etiam propter connexionem, quam habent renes cum laxiori inteſtino, cum illis conſentiente, inteſtinum ſecum trahit in conſenſum, & ventriculum, & per iecur ventriculus cum renib. com.6. (vt hic aſſerit Auicenna) conſentit. Galen. tamen primo libro comp. in ſextum Epid. videtur in communem nexum, quam renes habent cum laxiore inteſtino, referre conſenſum uentriculi. Ex quo fit deinde, ut primum vomitus pituitę, laborantibus renibus, concitetur, quia ſemper in ventriculo congeſtus eſt pituitoſus humor, mox uerò euomitur bilis, aliquando & æruginoſa cuius cauſam eſſe ait, quia dolore in

E longius protracto, tum eius vi, tum etiam vigiliarum ſanguis corrumpitur, ſed in inflammatione, ſi ea vehemens ſit, fieri nequit, quin & iecur conſentiens ingenti calore non afficiatur, unde & id quoque cauſæ eſt, cur vitietur ſanguis, atque effuſa bile in uentriculum, & ipſo conſenſu eodẽ afflicto, fit (vt ſcripſit Rufus) morſus uentriculi, vomitus bilis, faſtidiũ, & interdum animi deliquium, quæ ſolent ſequi magnas imprimis inflammationes, immo euſque (ſi Auicennæ credimus) malum procedit, ut quandoque in his inflãmationibus delitia concitentur, quod (vt ipſe ait) non niſi in maxima inflammatione apparere ſolet, cum qua conſentit, & ſeptum tranſuerſum, unde & illud in peſſimis ſignis poſitum eſt. Quæ autem inflammatio à materia bilioſa excitata eſt, & dolores acutiores

fert.

fert,& valentiores febres, & omnia ſymptomata a- A criora. Quæ uero à ſanguine craſſiori, non ita acutam febrem,& dolorem potius cum grauitate, quàm quòd ſit pungẽs, affert. Sed cum carnem renis ſolam occupat inflammatio,dolor non eſt acutus,ſed potius quaſi pondus percipitur,& quaſi tenſio, nam intumeſcente ſubſtantia carnoſa, diſtenditur eius membrana,quę illi,quaſi tunica eſt,& grauans diſtendit membranas,quibus dorſo ſunt annexi. At verò ſi inflammatio corripiat membranã,dolor eſt acutus,& quaſi pungens, is enim dolor ſolet eſſe proprius membraneis corporibus,ut multis locis Gal.docuit,pręſertim verò ſecundo de Rat.vict. in acut. morb. & de loc. affect.acutus etiam dolor,ſi imprimis uaſa, quæ in renibus ſunt, & membrana in interiori uentre, inflam- B matione tententur. Si autem conferre hęc,quæ in renibus apparent, cum ijs voluerimus,quæ de alijs particulis ſuperius diximus, ex Galeni, & antiquiorum auctorum ſententia,dicemus,quod inflammatio frequentius corripit carneam renum ſubſtantiam,quando ab humore craſſiori ortum habet,membranas uerò,& uaſa ſępius appręhendunt tenuiores, & calidiores humores,quia illi non ita facilè in ſolidas,& membraneas particulas penetrant,ſicuti calidi, & tenues. Vnde duplex eſt cauſa, cur acutior ſit dolor inflammatis membranis,quam inflammata carne,primum ratione naturę partis inflammatę,deinde ratione naturę humoris, & vice verſa vtraque ratione dolor obtuſior,& potius grauitas percipitur malè affecta par- C te carnoſa,tum ex ſua natura,quia caret ſenſu, & dolor,qui excitatur,fit potius ratione membranarum, quę tenduntur,tum ex natura humoris, qui craſſior, & grauior eſt,& in maiorem tumorem attollit,magiſque diſtendit. Quod uero dexter,aut ſiniſter,uel vterque inflammatione cruciẽtur,cognoſcitur ex loco doloris,ſi vel in dextrum,vel ſiniſtrum latus incubuerit,ad utrunque pariter doleat: Pręterea uerò, & ex decubitu: nam ſi facilior decubitus fuerit in dextrũ latus,dextrum laborat: contra uero ſi in ſiniſtrum,ſicuti ſi eodem incommodo obnoxius ſit,ſiue in hoc, ſiue in illud decumbat,par eſt in utroque vitium,adde quod ſi dexter ren ſit inflammatus, dolor ad ſuperiora magis ad iecur,vſque pertingit,at ſi ſiniſter,deſcen- D dit magis uerſus veſicam,& pudenda, atque (vt Aetius,& Auic.docuere)ad os pectinis, ad lumboſque, & coxendicem,quamuis Gal.primo lib.in 6.Epid.tanquam commune ſymptoma vna cum Hipp. laborantium renum retulit, quòd dolor in coxa grauis percipiatur, & ueluti ſtupor,ita tamen,vt in ea parte percipiatur hęc grauitas, uel ſtupor, quę rectè reſpicit renem affectum,& eſt in eodem latere. Quia uero diximus,has inflammationes, cum non diſſoluuntur, neceſſe eſſe, vt vel in abſceſſum per ſuppurationem tranſeant,vel in ſcirrhum,ideo & hęc, quibus argumentis ſint cognoſcenda,exponenda ſunt. Primum quidem vrina diligenter(vt Rufus docuit, a quo Aui. multa deſcripſit)notanda eſt. Nam inter initia morbi E vt ijdem retulere,vrina alba potius videtur, & id eadem ratione,qua in pleuritide nihil expuitur, pręſertim coloratum,dum cruda eſt inflãmatio,in qua omnia continentur,& nihil ex inflãmatione effluit: mox vero,cum incipit aliquantulum coqui, & à natura ſuperari inflammatio,vt in pleuritide ſputum fit, aut flauum,aut ſubrubrum,ita vrina laborantibus renibus fit flaua; mox etiam rubra. Vnde ſi interim progrediẽte morbo poſt primas dies vrina incipiat mutari ĩ melius colore,& ſubſtantia,& tandem ſubſidentia,ſignificat rem bene cedere,naturamq́; morbo pręualere, ac inflammationem in digeſtionem, reſolutionemq́; tendere. Sin autem vrina cruda perduret, alba nimirum,tenuiſque,in qua nihil reſideat,ſignũ erit naturam morbum non poſſe uincere. Vnde expectandus eſt,aut abſceſſus,aut ſcirrhus. Et ſcirrhus quidem, ſi omnino alba,& tenuis perduret, uel ſi fiat craſſa, & multa pituita intermixta, At ſi ad abſceſſum vertatur tenuis,ſed rubicundior tandem fiet. Sed & alia ratione hęc diſcerni poterunt,quia pręter id,quod oſtendit vrina,hoc etiam erit ſignum pene infallax, quod ubi in abſceſſum, & ſuppurationem vergere inflammatio incipiet,dolores,& febres, & grauitas in locis renum augẽtur. Vbi uero iam ſuppuratus eſt abſceſſus, & febris,& dolor remittuntur. Sed ubi iam erupturũ eſt pus,fiunt rigores inæquales. At ſi in ſcirrhum vertatur,grauitas quidem non imminuitur, febris uerò, & acutus dolor paulatim remittuntur. Sed & ex pulſu aliqua poſſunt ſumi indicia. Nam in hac etiam inflammatione,ſicut in ea,quæ in iecinore, in uentriculo,in liene,& inteſtinis eſt,pulſus durior eſt,& ad naturam ferrini pulſus accedens, plerunq; ſatis magnus & celer,frequenſque,magis autem, minuſve pro magnitudine inflammationis. Sed quando ad ſcirrhum vergit,creſcit quidem durities, ut in libro de pulſi. ad tyrones ait Gal.& fit gracilior. cap.11.

De ratione curandi inflammationes renum. Cap. III.

CVM in morbis omnibus, qui præſentem cauſam habent,tum uel maximè in inflammationib. hæc eſt cõis curandi methodus, ut quamuis & morbus, & cauſa ſuas hẽat indicationes proprias,ſemper tamen inter initia priorem locũ habeat indicatio,quæ à cauſa deſumẽda eſt,quia dum pręſens eſt,& fouet,& auget morbum,nequit curari morbus niſi cauſa prius tollatur. Vnde cum inflammatio non ſit aliud,niſi plenitudo particulæ inflammatæ ex calidioribus humoribus,qui in eam confluxere, eius quidem curatio, quam eius natura indicat (vt rectè 13. Metho.expoſuit Gal.)eſt uacuatio contenti humoris. Sed quia inflammationes primam ſuam originem habent à fluxione calidiorum humorum ad particulam quæ inflammari cœpit, ideo (vt idem docuit) anteaquam aggrediamur euacuationem illius particulę neceſſe eſt illi hoc fomentum ſubtrahere nimirum fluxioni, & eius cauſis occurrendo, quibus (vt ſępe diximus) vacuatione,& reuulſione occurrimus. In magnis enim, & acutis morbis illæ imprimis reuulſiones opportunæ,immo neceſſariæ ſunt,quæ vacuatione ea fiunt,qua confertim, & cito corpus euacuatur, hę verò pręcipuę ſunt venę ſectio,& purgatio: Interdum,& per vrinam fit copioſa vacuatio. In curatione tamen inflammationum ferè in uniuerſum, pręſertim vero,quando cum febre ualida ſunt,quod Gal. ſecundo de Ratio.vict. in acu. morb. inſinuaſſe viſus eſt, tutior,& opportunior eſt ſectio uenę,maximè autem in ijs renum inflammationibus, quibus à principio, & ciere vrinam, & purgare per medicamenta, quam maximè aduerſarium eſt. Quia quę vrinam cient,humores ad affectam particulam conuertendo (vt decimotertio Method. teſtatus eſt Galen.) plurimum inflammationem augent,purgantia uerò cum acres humores per inteſtina ducant, quę proxima, & connexa cum renibus ſunt, plurimum (vt Aetius ex Rufo, & Auicenna docuere) inflammationem irritant,pręter id, quod deorſum trahunt humores verſus affectum locum. Vnde omnes in hoc conſenſiſſe viſi ſunt, vt inchoanda ſit hęc curatio à ſanguinis miſſione. Sed magna deinde in hac re videtur difficultas in ea uena eligenda, ex qua ſecta, ſperandum ſit opportunius, & citius remedium. Nam omnes ferè medici, tam Græci, quam Arabes, Aretęus, Aetius, Rufum ſecutus Auicenna, & alij ſtatim ad venam interiorem in brachio ex latere

latere renis laborantis ſecandam accedunt. Cum ta A
cap.11. men Galen. decimotertio Metho.in affectibus renũ
incidendam uenam in cruribus, præſertim uero ſub
com.36. poplite cenſuerit,quod item ſexto Apho.aſſerere ui-
detur,quando ait,in affectibus particularum,quæ ſu
praiecur ſunt, incidendas eſſe venas in brachijs: in
cruribus verò, in affectibus inferiorum partium, qd
poſtea repetit primo libro in ſextum epid.Quare ma
gna uidetur diſſenſio. Mihi tamen uidetur Galen. in
com. 6. lib.de Ratio.cur.per ſect.ven. uoluiſſe hanc quæſtio-
cap.18. nem diſſoluere, quam diſſolutionem ſi rectè, & dili-
genter uoluerimus animaduertere, nobis uia aperie
tur,qua & alias ſimiles poſſimus difficultates,& diſſi
dia dirimere. Ait enim ibi,quod cũ uenæ,quæ in bra-
chio ſunt,partibus ſuperioribus cùm ſecantur,opem B
ferant,ut ſunt iecur, uentriculus, & lien, prętertim
interior,ſicut exterior,& humeralis appellata,collo,
faucibus, & illis, quæ ad caput pertinent, venæ uero,
quę in cruribus inciduntur,nimirum ſub poplite,vel
propè talos, proſint in affectibus inferiorum partiũ,
ut ſunt ueſica, uterus, coxendix. Renes (ait ipſe) pe-
nè ambigunt, nam comparatæ ad priores, uidentur
inferiorem ſortiti locum,inferioribus autem,ſuperio
rem. Vt quaſi uideatur, quod indifferens ferè, & par
ratio,ſiue uenæ in brachio ſunt, illis affectis tundan-
tur, ſiue quæ in cruribus,cum ambigere,& utraſque
ſimili ratione ſpectare uideantur. unde & addit, qd
aliquando iuuantur renes miſſo ſanguine è uenis in
brachio. Si quis tamen rectè uelit rem perpendere, C
& rationem,qua innixus ſimiles dubitationes diſſol-
uerit, prętertim quãdo ratione anatomica innititur,
ſicut ſecundo de Rat.uict.in acut.mor. quando cau-
ſam referre noluit, cur dolore in pleuritide ad iugu-
lum aſcendente Hippoc. præceperit è uenis brachij
ſanguinem eſſe mittendum, deſcendente uero, aluũ
medicamentis ciendam, ſi igitur rem hanc exactè
conſideremus,ſimilemque rationem à uenarũ ana-
tome ſequamur, apertiſſimè uidebimus, non ita re-
nes in hac re ambigere, quin longè maiorem affini-
tatem, & propenſionem ad uenas inferiores, quàm
ad ſuperiores habeant, quia uenæ,quæ ad renes per-
tingunt, & emulgentes a noſtris appellantur, ab eo
ramo uenę cauæ oriuntur,quæ deſcendens fertur ad D
inferiores partes, quæ infra iecur ſunt, nimirum ad
ueſicam,uterum, tandemque ad femora, & crura.
com. 6. Vnde(ut & ſuperius ex ſententia Hipp.& Galen.pri
mo in ſextum epid.diximus)in affectibus renum con
ſentiunt multum coxæ, & femora, & tãdem,ſi rem
hanc rectè fuerimus examina, eandem ferè compa-
rationem uenæ inferiores in cruribus cum renibus
habent,quam ſeptum tranſuerſum, coſtæ,& quæ ad
eas pertinent,cum uenis ſuperioribus in brachio: qd
ſpectans Galen.decimotertio Metho. in uniuerſum,
& abſolutè dixit,quod indicatio,quæ à laborante par
ticula accipitur, nobis oſtendit,quod renibus laborã
tibus,ſint ſecandę uenæ,quæ ſub poplite ſunt,uel pro
pè malleolos.In libello autem de curan.Ra.per uen. E
ſec.non dixit abſolute, & in uniuerſum cædendas ve
nas in brachio,ſed multas addit limitationes. Primũ
enim ait,quod aliquando hi renum affectus,ſi illæ ſu
periores ſecentur,obediunt,& cedunt. Sed & quan-
do proſint,paucis uerbis exponit, quæ (mea quidem
ſententia)ſunt plurimum conſideranda,ſicut alij au
ctores conſideraſſe uiſi ſunt. Ait enim, In principio
inflammationis, & quando multa eſt ſanguinis co-
pia in ægrotante corpore. Ex his autem uerbis mul-
ta tanquam corollaria deducere poſſumus, quæ ſi ꝑ
be fuerint animaduerſa,per quam utilia erunt ad ex-
quiſitam intelligentiam multorum theorematum,
quæ maximam uim in arte medica habent. Primum
quidem hoc eſt, quod & locus hic, & alij quidã huic

A ſimiles apertiſſime oſtẽdunt, quam grauiter errent,
& hallucinentur, illi qui ſententias probatorum au-
ctorum,præſertim vero antiquorum abſolute, & ſi-
ne determinatione ab illis prolatas, ita ut proferun-
tur, abſolute, & in uniuerſum accipiunt,nec illas a-
ptis limitationibus determinare uolunt, immo tan-
quam ſcopulo, adeo illis hærent, ut nulla ratione a-
uelli inde queant: ſicut in internis uiſcerum inflam-
mationibus,ubi ſemel audierint, aut legerint mitten
dum eſſe ex aliqua definita uena ſanguinem, nun-
quam illa relicta ad aliam uolunt accedere, ſiue res
inter initia ſit, dum concitatus eſt fluxionis impetus,
ſiue morbus per aliquos dies ulterius proceſſerit: ſi-
ue multa fuerit deprehenſa in corpore plenitudo,ſi-
B ue exigua, & nulla ſit: cum tamen contra docuerit
Galen.tum exemplis, tum pręceptis. Exemplis qui-
dem, nam in locis innumeris uidemus, quod expo-
nens uaria theoremata ab Hippo.literis tradita,tam
in Aphor. quàm in alijs libris, ſemper ea uera eſſe o-
ſtendit, non niſi quibuſdam additis limitationibus,
quamuis ab Hipp. fuerint abſolutè, & in uniuerſum
prolata: immo hæc eſt illa methodus, quam tantis
laudibus ipſe 1.de Rat.uict.in acu.mor.effert. cuius
fuiſſe inuentorem ait Hipp. Ea(ait ipſe)uſi rectè om-
nes quæſtiones citra ullam dubitationem diſſolui-
mus,& ſententias antiquorum auctorum, quæ alio-
quin diuerſæ,& contrariæ ſunt conciliamus. Sed nõ
modo in explanandis Hippocraticis ſententijs Gal.
C hac utitur methodo, uerum & ſuis proprijs,& ut ab
hoc theoremate,de quo nunc eſt inſtitutus ſermo in
cipiamus,in quo quidem prima facie à ſeipſo uidetur
diuerſus,& quaſi contrarius, tamen ſi rectè eius ver
ba extimare uelimus,quædam protulit,quibus nobis
anſam dare uoluiſſe uiſus eſt,per hanc ipſam metho
dum tollendi omnem difficultatem: Inquit enim
quod in inflammationibus renum quando in princi
pio ſunt,& corpus fuerit plenum copia ſanguinis,re
ctè mittitur ſanguis è uenis in flexu cubiti. Verum in
eo affectu, quem proprie nephritin appellant, ma-
gis eas ſecare expedit,quę ſub poplite sũt, uel ad mal
leolos. Qui locus ut recte percipiatur, aduertẽdum,
quod cum phlegmone (ut ſæpius iam ex Galen.dixi-
D mus) initium, & incrementum habet a fluxione ꝑ-
prium remedium, & efficaciſſimum ſicuti in omni-
bus morbis ex concitata fluxione humorum excita-
tis, eſt reuulſio cum uacuatione, quod præſertim a-
ptum,& accommodatum eſt (ut Hippoc. & Galen.
docuere)morbis, & fluxionibus incipientibus. Re-
uulſionis uero conditiones ſunt,ut procul ab affecto
loco trahantur humores,fluentes,& in contrarium
locum (ut ijdem auctores expoſuere) conuertantur.
Cum uerò inueteraſcunt morbi, deriuatio accom-
modatior eſt. Sed & hoc pręterea aduertendum, ꝙ
& ſi ita in uniuerſum hæc proferantur, non tamen
ita ſunt ſine aliqua diſtinctione accipienda, quia non
omnia, quæ etiam eidem particulæ comparata uim
E reuulſoriam habent, æqualiter morbis incipiẽtibus
opportuna ſunt, ſed ſemper habenda eſt ratio pleni-
tudinis corporis laborantis, & magnitudinis inflam
mationis, quia ubi maior eſt plenitudo, & ſubinde
maior timendus eſt morbus,illis uti oportet,quę ma
iorem reuulſionis rationem poſſunt habere, extre-
mis enim morbis extrema adhibere remedia docuit
idem Hippo.quod facilè exemplis,& pręceptis ex eiſ
dem auctoribus petitis explanare poſſumus, Lauda-
uere amborum quinto Apho.tum uerò tertio in ſex
tum epid. & pręterea in libello de rat. cur. per ſect.
uen.& decimotertio Metho.ut incidatur uena recta
in frõte,ſi occiput doleat, rationem uero eam refert
Gal.cur conferat illius uenæ ſectio, & ait,quia reuel
lit,& euacuat. Quamuis autem illud theorema ita
abſolutè,

abſolutè,& in uniuerſum fuerit ab Hippo.vbique ꝓlatum, noluit tamen Gal.ita abſolutè, & ſine limitatione intelligi, & obſeruari, immo dixit illud idem, quod de renum inflammatione hic nunc dicebat, nimirum quod quando fuerit plenitudo in corpore, non erit expediens ſectio uenæ rectę in fronte; niſi prius ſecta humerali corpus inaniatur. Ex quibus deinde locis & hoc poſſumus depromere, quod quando plenum corpus eſt, non omnis reuulſio etiam cũ euacuatione facta idonea eſt, ſed illa erit accommodatior, & magis opportuna, quæ procul ab affecto loco fit, atque habita ratione, & cõparatione ad partes, in quibus plenitudo continetur, in diuerſum, immo in contrarium conuertit impetum confluentis humoris. Sed & hoc etiam cæteris addamus, qđ non parum faciet ad exquiſitam iſtius rei intelligentiam, nempe quod aliqua uacuatio reſpectu eiuſdem particulæ pro diuerſa tamen præſentis ſtatus, & conditionis corporis ratione, interdum reuulſionis, interdum deriuationis naturam retinebit, nã hoc & exẽplum propoſitum oſtendet, quia quando corpus à plenitudine vacuum eſt, & detractio ſanguinis à vena frõtis in occipitis dolore reuulſorium remedium & opportunum erit, ſed vbi plenitudo adſuerit, tanquam deriuatio, & tãquam remedium locale, & particulare eſt, quod principijs non conuenit, ſed manifeſtiori exemplo agamus, ut res apertior fiat. De affectibus itaque uteri, præſertim uero de eius inflammationibus ſermone habito, & 13. Meth. & in libro de rat.cur. per uen. ſect. locis paulo ante adductis, præterea & in lib. de Palp. trem. conuul. & c. uenam in pedibus eſſe tundendam cenſet, attamen libro ſecundo artis ad Glauc. vbi de ratione curandarum inflammationum agit, poſito hoc tanquam fundamento, quod ex Hippoc. fuiſſe decerptum ait, nempe quod in morbis ex fluxione humorum excitatis, cuiuſmodi eſt inflammatio, propria medela, dũ fluunt adhuc, eſt reuulſio: at uero ubi iam membrum obſedere, deriuatio. Paulo poſt uero hæc particulatim accommodans ad affectus uteri, quos ad huius rei exemplum accipit, ait ueluti in uteri affectu reuulſiones facies, ſi uenas ſecueris, quę in brachio ſunt: deriuationes uero, ſi eas, quæ ſub poplite ſunt, aut in talis. Inter initia ergo, cum fluit humor in uteri inflammatione, ſecanda eſt uena in cubito ad maiorem reuulſionem, & ut obſiſtamus, ne augeatur, ſed ſi mox deriuatione ſit opus, ut uidelicet detrahamus humorem, qui iam obſedit particulas affectas, nempe quæ uicinæ circunſtantes ſunt inflammationi, & eam fouent per uicinas illis uenas, alteram moliemur uacuationẽ ſectis uenis ſub poplite, aut in talo. Vnde quotquot de hac re ſcripſere, ſtatim à principio uoluere uenam eſſe ſecandam in cubito, mox uerò, ſi uideatur res id exigere, item à uenis pedum. Sed hoc exquiſitius explanabimus, quo loco de affectibus uteri agemus. Poſſemus autem idem & in coxẽdice oſtendere, ſed ne nimis longus ſit is ſermo, in alium locum trãsferemus hanc tractationem. In præſentia uerò ad noſtrum inſtitutum reuertamur, & dicamus, quòd in morbis à fluxione concitatis, ſi uehemens, & inſignis ſit fluxio à uenis remotioribus, rectè tamen reſpicientibus locum affectum, mittendus eſt ſanguis. Sed ubi non eſt fluxio multa, neque eam futuram timemus propter multitudinem ſanguinis, à uenis uicinioribus, & affinioribus. Vnde non ſine cauſa in alijs affectibus renum Galen. in libello de cur. rat. per ſect. uen. ab ea generali ratione, & ſententia de curandis renum affectibus, per ſectionem uenarum inferiorum in cruribus, uel pedibus, prolata, eximendam inflammationem cenſuit, in qua expedire ait, ut uenæ, quæ in cubitis ſunt, pertundantur, neque tamen ſemper, ſed

cap.5.
cap.2.

A duę adfuerint conditiones: primum, quòd renes ſit inflammatio, hoc eſt inter initia, quando fluxio urget: deinde, quòd multa ſit copia ſanguinis, nam ſi iã inueterauerit, & iam (ut ſecundo ad Glauc. docet auctore etiam Hippoc.) deriuatione erit opus, quæ rectè fiet per uenas inferiores in pedibus perinde in renum affectibus, ut in uteri inflammationibus, item quando non fuerit multa ſanguinis copia, ex uenis etiam propinquis, & affinibus ſanguis detractus poterit eſſe ſatis, quia tunc non eſt multa reuulſione opus, cum non ſit timenda uehemens humorum fluxio, quæ preſertim indicat neceſſarias eſſe (ut in libello de hirudini. reuulſ. & c. docet Gal.) magnas reuulſiones. Huic autem definitioni uiſus eſt omnino ſubſcripſiſſe Auicenna, ſed forſitan in hac re longiores iuſto fuimus, ut animaduertatis, quãta diligentia ſint intelligenda, & in examẽ ducenda, quæ nobis ab antiquis auctoribus literis commiſſa relicta ſunt: neq; ſolum ſatis eſſe ea legiſſe, quę ſemel, aut iterum ſcripta ſunt de aliqua re particulatim, neque aliud conſideraſſe pręter ſimplicem uerberum ſonum, ſed ea conferre, quæ ijdem in generalioribus theorematibus docere nos uoluerunt, & quo nam pacto illi ea explanauere, quæ ſimilem, & ſæpe eandem rationẽ cum his habent, quæ à nobis ſunt in quæſtionẽ reuocata, quia is fuit mos antiquioribus, ut cũ multa ſunt, quæ unam, aut ſimilem rationem habent uno, uel altero eorum expoſito, relinquãt poſtea, ut nos illa eadẽ alijs aptemus, per ſimiles nimirum limitationes. Quod ſi illi animaduertiſſent qui ſeducti à ſolo uerborum ſono, neque aliquid aliud pręterea conſiderãtes, reliquos omnes medicos tam Græcos, ut Aetiũ, Aretæum, Alexandrum, quàm etiam Arabes, & noſtros quoque Latinos, non ita acerbè, tãquam aduerſantes, & aberrantes à decretis Hippoc. & Galen. in uena pleuriticis ſecanda fuiſſent inſectati. Nam & ſi forſitan dicant Arabes à malis tranſlatoribus fuiſſe deceptos, de Gręcis tamen nõ poterunt hoc affirmare, qui non minori diligentia Galeni libros legere, & plures, atque emendatiores, quàm nos, habuere. Redeamus unde digreſſi tandiu ſumus. Miſſo itaque ſanguine ſecundum antiquorum pręſcriptum, reliqua agẽda ſunt, quæ communis inflammationum ratio, & indicatio exigit, nempe repellẽdum primo eſt, poſtea repellendum ſimul, & digerendum, ut tamen quanto res propior eſt principio, minus laxemus, & digeramus, quàm repellamus, quò uerò ab illo magis, recedit, & ad uigorẽ accedit, magis digerentibus, & laxantibus utamur: Huius uerò rationem adeo ſæpe in ſuperioribus tractationibus expoſuimus, ut ſuperuacuum ſit idem in præſentia repetere, ſicuti neque medicamentorum particulatim, cum eorum idem ferè ſit modus, & eadem ratio, quę & in reliquis uiſcerum inflammationibus, de quibus ſermo habitus eſt, niſi quod in fine tractationis huius paucula quædam de his dicemus, interim enim de aliquibus alijs agemus, quę ad communem uniuerſi corporis procurationem pertinent, quęque, tum ea, quæ eius uacuationem reſpiciunt, tum uero & ea, quæ accommodatam uictus rationem ſpectant. Sed de hoc poſteriori priorem ſermonem inſtituamus, iacto primum hoc fundamento, quòd cum morbus is ſit acutus, ratio requirit, ut tenuem uictum imprimis pręcipiamus. Aetius uerò, ut prima quidem die à cibo eſſe abſtinendum conſuluit, ita non probat longiorem inediam, & id bona ratione: longior enim abſtinentia acriorem urinam reddit, quæ poſtea dolentem locum irritat. De potu uerò magna uidetur eſſe inter antiquos auctores diſſenſio. Aetius enim ait inter initia bibendam aquam calidam. Auicenna uero omnem uſum aquæ in po-

cap.8.
cap.2.

B C D E

tu,

tu, propterea quia auget vrinæ copiam interdicere videtur,quæ tum motu, tum vero quoniam acres humores mixtos ad inflammatum locum deducit,lædere poteſt, quia tamen omnino bibendum eſt, aquam potius frigidam, quàm calidam bibendam cenſet, fortaſſe quia timet ne calida renes laxiores efficiat, frigidam autem non eſſe confertim bibendam vult, ſed paulatim ſugendo. Vnde quantum ad hoc pertinet, putarem hoc primum conſtituto, quod parum ſit bibendum, niſi quando non eſſet multa materia, neq; craſſa, quæ inflammationem foueret, ſed modica, & admodum acris, & feruens, tunc enim liberalior potus (vt rectè mihi uidetur Alexander Tralli. monuiſſe) concedendus eſſet, & aquæ temperati, & æqualis caloris, nam is potus poterit utilior eſſe temperando acrimoniam, & feruorem, quàm noxius aucta vrina. Vnde & facilè putarem eiuſmodi calorem in aqua voluiſſe Aetium, non illum, qui eſſet inſignis, nam quæ in hunc modum calida ſunt, vim maiorem contemperandi habent. Sed & Auicenna non uidetur ab hoc ſcopo remotus, qui & aquam valdè frigidam dãnat, & eam, quæ frigida eſt paulatim ſorbendam uoluit, hoc enim pacto in tranſitu, dum bibitur, omne frigus adijcit. Cum uero vlterius, nempe vltra principium progreditur inflammatio, potus ex mulſa, valde tamen diluta (vt omnes ferè conſentire videntur) congruens eſt, inanito iam corpore, vbi dilutam plurimum eſſe volunt, tum vt minor ſit in ea deterſio, tum vero, quia quæ meracior eſt, facilius in bilem ver-
p.19. ſa (vt ait Galen. vndecimo Metho.) viſcerum inflammationes auget. Mihi uero magis etiam probarentur ſyrupus violaceus, uel roſaceus optimè diluti, uel etiam, quæ iuleb ab Arabibus dicuntur. Quatenus autem ad ciborum naturam pertinet, nihil eſt præſtantius, antequam inflammatio incipiat inclinare, quàm ptiſana, uel cremor hordei, uel (ſi is cibus ingratus eſſet) panis lotus, & ex aqua coctus cum modico ſacchari condimento. Quies uero tam animi, quam corporis, cum cęteris, tum uel maximè renum inflammationibus utilis, & neceſſaria eſt, præter id enim, quod communi quadam ratione ægrotantes particulæ (ut ſexto Aphor. ait Galen.) quiete, ut ſanentur, egent;
om.6. præſertim uero renes corporis motiones lędunt, pręterquam enim, quòd motus (ut teſtatur Hippoc.) corpora conturbat, hoc etiam accedit, quod dum corpus mouetur, præſertim ſecundum dorſum, mouentur partes pertinentes ad lumbos, & ad loca, quibus pendent annexi renes, immo eo uſque progreſſus eſt Aetius, ut conſuluerit lectum, quam molliſſimum, quo ægrotus decumbat, eſſe parandum, & id quoniam, ſi durior fuerit, non modo externę partes quaſi tunduntur, uerum & earum conſenſu læduntur interiores. De uictus autem ratione hæc ſatis eſſe poſſunt. Ad partem pharmaceuticem ſermonem noſtrum conuertamus. Et quia medicamentorum, quæ uſui ueniunt in hac curanda inflammatione, duplicem habent rationem. Alia enim uim habent euacuandi, ut ſunt ea, quæ purgant per inferiorem aluum, aut per urinas. Alia uero, quæ tranſmutant materias effectrices inflammationis, ne prioribus quidem priorẽ ſermonem habeamus. Omnes itaque, quantum ad hoc medicaminum genus ſpectat, in hoc conſentiũt, quòd medicamenta omnia, quæ hanc inaniendi uim habent, inflammationibus, tum aliorum uiſcerum, tum etiam renum, dum morbus circa initia eſt, & antequam concoquatur, iniqua, & noxia ſunt, nam &
ph.22. in uniuerſum hoc pronunciauit Hippo. primo Aph. concocta medicari, particulatim uerò Gal. multis in locis. Sed quoniam & inferioris alui lenitas, non modo utilis, uerum & neceſſaria eſt: nam ſtercoribus præſertim durioribus referta inteſtina renes premũt, & inflammatam partem affligunt: Ideo ut huic incommodo occurrerent antiquiores medici, Græci inquam, uniuerſum hoc negotium clyſteribus commiſere, neque tamen omnes eſſe admittendos cenſuere, ſed tantum eos, qui leniunt & molliunt, ut ſunt, qui uel ex ptiſana dilutiori addito oleo, & melle, uel ſaccharo, aut ex decocto maluæ, & foliorum herbæ uiolarum, eiſdem præterea additis, quibus ſi inſuper luteum oui addideris, utile quoque id erit: nam & dolorem ſedat, & adiuuat concoctionem inflammationis. Auicenna autem plurimum laudat uſum caſię in his clyſteribus, utpote, quæ ſine labore, & moleſtia uacuet, atque ad maturationem inflammationis conducat. Omnes uerò acriores reijciunt, ne propter conſenſum, & nexum renum cum inteſtinis, irritentur renes ex agitatione, & motu humorum. Euacuationem uerò per aluum inferius omnes Græci damnãt: Auicenna tamen duo medicamenta concedit, immo laudat, nempe caſiam primum, ab omnibus enim laudatur, tanquam medicina renibus, ac eorum inflammationibus familiaris, quippe quæ leniens ſine ullo labore uacuat, & maturationem adiuuat, deinde uerò, & ſerum lactis. Quòd ſi hæc admitti poſſunt putarem neque mannam poſſe reijci. Quantum uerò ad ea medicamenta pertinet, quæ ciendo lotio ſunt, omnes item conſenſere, quòd incipiente inflãmatione, & antequam ſint cocti humores, quanquã renum commodiſſima ſit uacuatio per urinam, tamẽ aduerſarijſſimus eſt eorum uſus: nam cum urina deferuntur, & alij humores, & ſæpe acres, qui obſeſſis meatibus ab inflammatione nequeuntes pertranſire retinentur, ut ait Alexander Trallianus, & augent inflammationem, exaſperantque: atque adeo hoc cauẽdum eſt, ut & multus potus, uel etiam aquæ propterea noxius ſit. Immo & hoc addit Alexander, & rectè, quòd cum non ſit una, & eadem omnium humorum, qui confluentes ad renes inflammationes concitant, ratio: nam aut craſſi ſunt, aut tenues, acres, & feruentes; præterea uel multi, uel pauci, ſi ſint quidẽ acres, & feruentes, illis potius opus eſt, quæ refrigerent, & temperent acrimoniam, quando præſertim non fuerint multi, ſi enim fuerint multi neceſſe eſt uacuationis rationem aliquam quoquomodo (ut diximus) habere. Sin autem multa fuerit, & craſſa materia acrimoniæ expers, omnino aliqua ait Alexander attenuatione erit opus, ſed ſemper hoc præſertim obſeruandum (ait ipſe) quod ea penitus eligenda ſunt attenuantia, quę quacunque acrimonia carent, in quibus nullum ferè eſt, quòd magis acrimoniæ ſit expers mulſa, quando multum diluta eſt, cui ſententiæ, & Galen. decimotertio Method. ſubſcribit. Sicuti autem ante materiæ concoctionem iniquisſima ſunt medicamenta, quæ uim habent ciendi urinas: ita ubi morbus ſit concoctus, quòd urina imprimis oſtendet, nullum amplius opportunum remedium eſſe poteſt, niſi quod aptum eſt ad ciendũ lotium, paulò antea enim diximus, quod nulla eſt commodior uia ad purgãdos renes, quam ſit ea, per quam urinæ excernuntur. Vnde Aetius ait renum affectus plerunque iudicari excretis copioſis, & craſſis urinis. Vt tamen primo rẽ tentemus cum illis, quæ non plurimum calefaciant, & moueant: paulatim enim natura aſſuefacienda eſt. Qualia autem, & quæ ſint, quæ modeſtè, & quæ ualenter urinam proritant, non exponemus in præſentia, quia multa ſunt ſuperius non ſemel à nobis dicta, & in ſequentibus erunt dicenda. Tandem uerò, & de rebus, quæ exterius ſunt adminiſtrãda, aliqua paucula dicamus, ut caput hoc ad calcem perducamus, quas uarias oportet eſſe pro natura diuerſarum indicationum, quæ emergunt inter initia inflammationis & poſt eius conſiſtentiam, & maturationem, quem-

admodum

admodum & in reliquis omnibus inflammationibus A
quia toties à nobis dictum eſt, quòd una eſt generalis
curandarum inflammationum methodus. Nempe,
ut dum in generatione eſt inflammatio, repellatur in
fluens humor per refrigerantia, & aſtringentia. Vbi
uero morbus concoctus eſt, per laxantia, & digeren
tia. Intermedijs autem temporibus mixta ſint, & ex
utriſque qualitatibus compoſita medicamenta. Vt
tamen & multam rationem habeamus, & naturę hu
moris, à quo ortum habuit inflãmatio. Nam, ſi acris,
tenuis, & calidus fuerit humor, magis refrigerantib.
erit opus. Vnde in hoc genere inflammationum in-
ter initia laudauit Alexander oleum roſaceum addi-
to modico aceto, quamuis & ſucci polygoni, uel por
tulacæ etiam meminerit. In incrementi autem tem- B
pore illi chamæmelinum oleum eſſe addendum cen-
ſet. At uero ſi craſſus humor, neque ualde feruens
fuerit, qui eam excitauit, aliquibus attenuantibus po-
tius eſſe opus ait, atque id cum ratione, quia poſt ua-
cuationem, & reuulſionem timendum non eſt, quod
craſſus humor facilè ad locum trahatur, quoniam
craſsiores ſucci non ita ad motum proni ſunt, ut te-
nues, unde magis dubitandum, nedum refrigeramus,
& aſtringimus, craſſeſcat magis humor, & indureſcat
inflammatio, difficiliorque ad digeſtionem mox red-
datur. Vnde uel à principio etiam utitur oleo chamę
melino. Neque hoc cuipiam mirum uideatur, nam
idem Gal. 2. de comp. medic. ſec. loc. in affectibus ca
pitis in illis, in quibus timenda ſunt, quæ refrigerant, C
utitur chamæmelino oleo ſtatim ab initio: Ego tamé
non timerem roſaceum addere, præſertim uerò, qđ
in pręſentia completum appellant. Alexander ue-
ro utitur, & emplaſtro confecto ex hordeacea, & ſe-
minis lini farina, ex decocto chamęmeli, & meliloti,
abſinthij, altheæ, addita modica ſapa: Ego tamen
hoc emplaſtro magis uterer, ubi iam manifeſta ap
pareret morbi concoctio, quo tempore, & ad fortio-
ra alij accedunt, ut Aetius. Ita enim illum intelligo,
cum laudat fomentum ex oleo, cui incocta ſint ane-
thum, ruta, althea, arthemiſia, atq; cum poſtea triſa
gine, chamępity, polio, abrotano, & id genus alijs,
cumque præterea in ſeſsionibus utendum cenſet. Sed
iam tempus eſt, ut receptui canamus, ſatis enim, ſuper D
que ſumus uagati. Niſi quod unum adhuc non eſt
pretermittendum, quod hic ab Alexãdro monemur:
ſed ſimile pręceptum nobis à Gale. traditum eſt, pre-
ſertim in curanda iecinoris inflammatione, nempe,
quod ſemper à duobus extremis cauendum eſt: nimi-
rum & ab importuno uſu refrigerantium, ne cauſa
ſimus, quod inflammatio indurata in ſcirrhum tran-
ſeat, item ab aſsiduo quoque uſu fomentorum cale-
facientium, ne ſuppurata inflammatione, in abſceſ-
ſum, & tandem in ulcus tranſeat.

De Scirrho renum, & ratione illum curandi. Cap. IIII.

RENum inflammationes, quando non reſoluun
tur, neceſſe ferè eſt, ut uel in abſceſſum, ut nu-
per inſinuabamus, uel induratę deſinant in
ſcirrhum, ſed primum de ſcirrho agamus, quia bre-
uior futura eſt hęc tractatio. Nam quęcunque de ſcir-
rho in alijs particulis contracto dicta ſunt, eadem &
huc transferri poſſunt, interdum enim ipſe incipere,
interdum uerò ex conuerſione inflammationis occa
com. 46. ſionem poteſt habere, quod Gal. diuerſis locis nos do
cuit. Nam 2. Progn. ait, quod ſicuti tumores alij ex
fluxione ſuum ortum habent, ita & ſcirrhi: idem e-
nim eſt modus generationis tumorum omnium, ne-
que ulla quantum ad hoc pertinet, in eis eſt differen-
tia, ſed omnis eorum differentia à diuerſa natura hu
morum defluentium pendet, ſeptimo autem de com
poſ. medic. ſec. gen. rationem generationis, quando cap. 9.
ex inflammatione fit, exponens ait, quod ſi inflamma
tio, quæ à fluxione humorum, qui & craſſiores, & len
toris participes ſint, ortum habeat, tractetur validè
exſiccantibus, & calefacientibus: citò & uiolenter di-
ſcuſſo, quod in ea tenue, & molle eſt, perinde, vt quæ
ab igne aſſantur, indureſcunt. Quod ſi fluxio fuerit
conſiſtentia tenuis, per exſiccantia, & calefacientia
nequit in ſcirrhum verti, ſed potius indureſcet ex im-
modico rerum aſtringentium, & refrigerãtium vſu,
per quem modum, & eryſipelata tranſeunt in ſcir-
rhum. Scirrhis verò, ſi Gal. 13. Meth. credere uolueri- cap. 16.
mus, renes, iuxta atque iecur, & lien, obnoxij ſunt, ne
B que illis minus ſunt curatu difficiles, propter carnis ſo
liditatem. Sed eadem cauſa eſt ſcirrhorum in reni-
bus, quæ & in alijs particulis, præcipua uero vſus eo-
rum ciborum, qui craſſi, & lenti ſucci ſunt. Signa ve
rò ſcirrhum in renibus ſignificantia, ſunt ea, quę Pau
lus 3. lib. deſcripſit, cui & Auice. ſubſcripſit: nimirum,
quod grauitas inſignis percipitur, & veluti pondus
quoddam appenſum lumbis pendere, citra tamen do
lorem, niſi quando (vt addit Auic.) præceſſit inflam- cap. 46.
matio: nam aliquæ prioris inflammationis reliquiæ
poſſunt dolorem aliquem concitare. Sed & ueluti ſtu
por coxarum cum crurũ imbecillitate in ſignis iſtius
affectus ponendus eſt. Præterea verò hi, & parum
mingunt, vrinaque tenuis eſt, quod retulit Auic. tum
C in imbecillitatem facultatum attractricis, & expultri
cis: tum vero in cruditatem, & obſtructionem. Vnde
quandoque retenta vrina inflantur particulæ, vt in
malo habitu, immo interdum, & hydrops ſuccedit.
De curatione autem non faciemus multa uerba, cũ
ſimilis ferè ſit ratio curationis, ſicut & ſcirrhi lienis,
& iecinoris, imo eadem, quæ inclinantis iam inflam
mationis, niſi quod quando fit ex fluxione, non auté
ex conuerſione inflammationis, inter initia (vt in a-
lijs quoque diximus) curatio ſpectare fluxionem de-
bet, & ſi videatur abundantia ſanguinis craſſi, & me-
lancholici, ſanguis omnino, niſi quidpiam adſit, quod
obſtet, detrahendus, & poſtea leuioribus medicamen
tis expurgare non erit inutile, vt caſiá, lenitiuo appel
D lato, diacatholicon, decocto ſenæ, & id genus alijs.
Sed & clyſteres maximè utiles ſunt. Quantum verò
ad alia pertinet, in uniuerſum Gal. 7. de compo. med. cap
ſec. gen. cõferens mutuo curationes inflammationis,
& ſcirrhi ait, ꝙ quamuis ſimilem generationis, ratio-
nem habeant, differentem tamen curationem requi-
runt in principio, quia inflammationi occurrimus re
pellentibus, quibus tamen & digerentia ſint immix-
ta, in curãdis uero ſcirrhis ſemper repellentia declina
mus, niſi aliquando aliqua aſtrictione ſit opus ad dan
dum particulæ robur. Semper autem ab exordio ad
finem ſolis digerentibus, attenuantibusque vtimur,
quibus tamen & modeſtè vtendum eſt, ne nimis indu
reſcat, & ſicceſcat locus, cum craſſa ſit materia, & ad
E duriciem prona, ea indurata autem exquiſitè amplius
diſſolui nequit, frigida uero, & aſtringentia denſant,
cogunt, & conſtipant, ideo non ſunt admodum op-
portuna, unde reuulſione, & uictus commoda ratio
ne fluxioni obſiſtimus, præſertim cum raro horum
craſſiorum humorum ſit præceps, & repentina deflu
xio. At uero cum diximus eandem eſſe rationem cu
randæ inflammationis inclinantis, & ſcirrhi, mihi ſu
peruacaneum videtur, cum ſatis ſuperque de ijs, quæ
ad curandam inflammationem renum pertinent, di
xerimus, eadem etiam in hoc capite repetere.

De abſceſſu, & vlceribus renum. Cap. V.

CVm renum inflammatio ſuppuratur, primum in abſceſſum tranſit, mox vero rupto abſceſſu, & pure effluente, fit vlcus. Quamuis & alia ratione poſſint vlcerari, nam & ex rupto aliquo in renibus vaſe, ſicuti interdum fit, vel ex ſaltu ex altiori loco, vel ex caſu ad rem duram, vel ex contuſione, & percuſſione, fieri interdũ quoque vlcus poteſt & ab abraſione, & eroſione concitata ab acri, & mordaci aliquo humore per renes delato bilioſo nimirũ, vel ſalſo, aut ab aſpero aliquo calculo in renibus genito. Sed primum agamus de ſignis, quibus cognoſci poſſit, quando inflammatio renum ſuppuratur, mox vero de alijs tractationem inſtituemus. Itaque cum ad ſuppurationem inclinat inflammatio, his pręſertim argumentis in primis deprehendi poteſt. Primum ſi ægrotans ſe in latus ſanum vertat, atque quaſi grauius pondus, quam prius ſuſpenſum lateri affecto (ut docet Alex.) percipiatur. Deinde verò, ſi videatur dolor cum febre increſcere, ſine vlla alioquin alia cauſa, demonſtrat iam ſuppurari incepiſſe, nam & id in vniuerſum 2. Apho. docuit Hipp. quando ait, cũ pus conficitur, dolores, & febres accidunt, magis quàm confecto iã pure. Præterea ſolent & rigores, vel horrores, & illi ſine vllo ordine, magis tamen ad veſperas (ait Rufus apud Aetium) concitari. Sed confecto pure febris remittitur, horroreſque: grauitas tamen non modò non ſit minor, ut potius augeatur: Sed vbi pus erupturum eſt, acceſſiones iterum exacerbãtur. Horrores autem non ſeruantes ordinem, atque etiã cum febre, præter aliam rationem, quam ſuppurationem, in uniuerſum tum ſuppurationum, tum etiam vlceris ſigna ſunt, vt docet Gal. & 1. & 6. de loc. affec. & 3. lib. in ſextum Epid. cui ſubſcribunt Aetius, Alexander, & Paulus, addit autem Alexander, quod hęc certiora ſunt, quàm mictus puris: quia pus, quod mingitur, poteſt & à renibus, & à veſica, & ab vrinarijs meatibus prodire, immo interdum & à iecinore, & à pectore, & à pulmone; licet rarò ſanè, uiſa tamẽ quãdoque hæc omnia ſunt à medicis. Quomodo verò poſſint hęc diſcerni, vbi de puris mictu agemus, erit explanandum. Signa verò vlceris alia de cauſa excitati ſunt hęc: ſiquidem ab acri humore erodente, ut tamen in uniuerſum hoc ſit ſignum vlceris in renibus, dolor nimirum quandoque in renibus (ut 6. de loc. affect. tradidit Gal.) percipitur: quia verò is humor acris non poteſt niſi cum vrina trahi, ideo erit & vrina illius acrimoniæ particeps, & pungens, ſiue bilis is humor ſit, ſiue ſalſa pituita. Auicenna tamen ait, quòd interdum à pituita lenta abraduntur renes etiam citra acrimoniam, dum hærens tenaciter illis, ui euulſa, ſimul euellit cutem illius partis, cui hærebat. Quod vero vlcus ex rupta vena ſit contractum, ſignificant primum cauſæ pręcedentes, in quas referri poteſt fractura, ſicut caſus, ſaltus, contuſio, nimia uenarum plenitudo, poſtea uero mictus copioſi ſanguinis. Atque ſi ex calculo duro, & aſpero ſint abraſi, excretus calculus poterit eſſe inditio. Vlcus vero renum & vrinę ſignificant, ſi pụrulentę fuerint, ſi immixtos quoſdam veluti pilos habeant, ſi in eis ſint excretæ carunculæ quædam rubræ, & hæc quidem duo ſunt propria ulcerum renum. purulenta uero urina (ut paulò ante diximus) niſi per alia ſigna pus illud diſcernatur, num è renibus prodeat, an à ueſica, uel aliunde, non eſt certum ulceris in renibus ſignum, ſed de his poſtea. Aggrediamur rationem curationis. Vbi id in primis animaduertendum, quod Galen. 6. de loc. affect. quaſi aliud agens nos monet in curandis ulceribus, quod maximè oportet medicum, qui onus aſſumit curandi ueſicæ, uel renum ulcera, eſſe

cap. 5. Cap. 8. com. 19. — cap. 3. — cap. 3.

A inter initia ſollicitum, ut citò ea ad conſolidationem perducat, alioquin enim cum inueteraſcunt, ægrè deinde curantur. Sed & præceptum alterum item in uniuerſum decimo de Comp. med. ſec. loc. exponit, nihil mordax utile eſſe, ſiue detergere ſit opus, ſiue deſiccare, ſed opus eſſe mitigatorijs omnibus: niſi quod mixtura aliquorum egent, quæ uim ciendi urinam habent, non quidem primo inſtituto, cum ea ſuaptè natura ſint potius aduerſaria, ſed quia ſatis longa eſt uia ad renes, ijs egent, quibus citius, & facilius illorum uis deducatur ad affectum locum. Tertium autem pręceptum, quod tamen à primo derinari uidetur, illud eſt, ut declinanda, & fugienda ſint, quæcunque alioquin in calculoſis eſſent opportuna, **B** nempe quæ aliquo modo mordacia ſunt, ut ſalſa, amara, acria, acida: nimis enim attenuando, et detergendo mordent, & augent vlcus. Sed & vacuationes, quæ commodè adminiſtrari poſſunt, illę ſunt, quæ per miſſionem ſanguinis fiunt, ſi id tamen expedire uideatur. Purgatio autem omnino aliena ab hac re eſt, præſertim uero quæ copioſè, & confertim mouet humores, & maximè (ut uoluit Auicen.) bilioſos, nam dum ui agitantur, confluunt etiam facilè ad locum debiliorem. Quod ſi aliquando tentanda uideatur purgatio, agendum dumtaxat eſt cum lenibus, & lenientibus medicamentis, ut eſt caſia, manna, ſyrupus roſaceus ſolutiuus dictus, ex compoſitis vero quod diaſebeſten citra ſcammonium dicitur, & **C** quod diadamaſcenon, uel diaprunon appellant, itẽ citra ſcammonium. Nulla tamen uacuandi ratio utilior, accommodatiorque eſt curandis vlceribus renum, quàm uomitus. Nam (ut Aetius ex Rufo ait, cui & Auicen. ſubſcripſit) tantam uim habet vomitus in vlceribus renum, ſi quis audacius bis in mẽſe eum ciere uoluerit, ut non modo copiam ſuperuacuorum, & excrementitiorum humorum poſſit purgare, uerum & vlcera curare, & quidquid mali inde poteſt accidere, diſſoluere. Neque id præter rationem eſt, quia cum natura illa ſit, quæ ulcera carne repleat, & ad conſolidationem perducat: medicamenta quidem, & medicus hoc tantum agunt, quod remouent ea, quæ naturæ ſunt impedimento; **D** uomitus autem, tum uacuando, tum uero reuellendo, & auertendo alio, quæcumque noxia ſunt, & ad renes delata poſſunt negotium faceſſere poteſt id pręſtare, ut natura libera remaneat, ac ſubinde ſuo ſine impedimento fungatur officio. Sed magis particulatim de ulcerum curatione tandem agamus, & proxima quidem non modo hæc, ſed quæcumque etiam alia ulcera curandi ratio eſt, ut exſiccentur, ſicut ſæpius diximus, & hoc quando aliud non ſit cũ eis coniunctum, quod aliã præterea indicationem priuatam habeat. Priuata uero indicatio, quæ poteſt cum ulcere coniungi, eſt ſordes maior, quàm pro ratione ulceris, aliqua etiam intemperies illius particulæ, putredo, inflammatio, & alia id genus. Sed quæ ple**E**runque & ſæpius conſolidationem ulceris ſolet impedire, eſt ſordes. Vnde maiori ex parte eiuſmodi ulcera, præſertim uero ſi ortum ab eruptione abſceſſus habuerint, egẽt, ut per detergentia munda reddantur: uerum renum ulcera, præſertim ab illis, quæ morſus non ſint expertia, irritantur & læduntur. Vnde in hoc conſentiunt omnes, maximè opportuna curandis his ulceribus ea eſſe, quæ detergunt ſine ullo morſu, & hæc præcipuè laudantur: mulſa, quæ magis diluta ſit, & ptiſana hordeacea; Ego autem poſteaquam noſtris his temporibus, in frequenti uſu eſt aqua hordeacea, putarem illam ex ſaccharo poſſe non parum eſſe utilem, uel ex ſyrupo roſaceo, qui & ipſe ferè ſine morſu detergit, ſed & minus etiam mordax erit, ſi ex aqua hordeacea fuerit dilutus.

cap. 1.

lutus. Lac vero in primis & tanquam medicamētū, & tanquam cibus his vlceribus omnium communi conſenſu accommodatiſſimum eſt: nam ut eſt ex diuerſis partibus compoſitum ita & varias, diuerſaſq́; uires habent, ſeroſa enim pars detergit, caſeoſa vero & conſolidat, præſertim recentia vlcera, vt docuit Gale. 10. de Facult. ſimp. medic. in uniuerſum uero morſus, & dolores lenit, ac mitigat, præter id, qđ vires reficit, & ſi rectè concoquatur, bonum ſanguinē generat. Neque tamen in his vlceribus iudiſcretè vti lacte quocunq; expedire cenſuerunt probati auctores, ſed pro ratione diuerſorum temporum diuerſo lacte eſſe vtēdum. Vnde inter initia quidem, vbi maiori opus eſt deterſione, accommodatius (ut ait Aetius) erit aſininum: ei ſuccedit caprinū. Sed vbi vlcus fuerit mundum citius conſolidabit bubulum. Sed & hoc præterea conſulunt omnes, lac, quod his dandū eſt, calidum eſſe dandum, & vt ex vbere mulctū fuerit, animalq́; domum ægrotantis eſſe ducendū. Nec id prætermittendum, quod nos Aetius monuit, ad victus rationem in primis pertinens, ꝙ poſt bibitum, & confectum ēt lac ferculum optimum eſt ptiſana, aut ex amylo factum, prçterea uero melle lac eſſe cōdiendum ſenſere omnes, à quibus neç Gal. diſſenſit. Sed ex oleribus ſerin commendat Aetius, portulacā, cucumerem, lactucam, maluam, dummodo omnia cocta, & nihil crudum comedant. Ex iuribus pinguis gallinæ ius illi probatur. Dicet fortaſſe iunior, quādo ſordidum fuerit vlcus, hoc quidem lacte vtendū, alio verò, quando iam factum fuerit mundum, ſed vnde cognoſcam ſordidum, vel mūdum iam eſſe id vlcus. Ex pure, quod cum vrina excernitur, nam quando ſordidum vlcus erit, pus copioſius erit, & colore, ſubſtantia, atque ēt dolore minus probatum. Si aūt mundum iam ſit, pus colore album erit, leneq́ue conſiſtētia, mediocre, odore non fœdo, atque copia longè minori. Multa præterea poſſemus in hunc locum tranſferre, quæ de induſtria omittimus, quia de illis īferius agemus, cum de ueſicæ vlceribus erit ſermo, ſunt.n. & illi communia, ideo ad alia tranſitum faciemus. Niſi quod in his vlceribus ſanandis aliqua ſunt ſimplicia medicamenta, quæ ſummopere ab auctoribus antiquis probantur, vt ſunt capillus Veneris (ut ait Auic.) exhibitus ex mulſa, & radix dulcis, vel (vt nūc appellant) liquiritia, quod & Dioſcorides affirmare viſus eſt, ſed & bolus Armena, ut in çeteris tum externarum particularum vlceribus, tum vero internorū viſcerum, ita in his renū mirificè poteſt prodeſſe. At ſi rationē eorū, quç de illis à Galeno, & Dioſcoride, & alijs antiquis dicuntur habere voluerimus, & terra lēnia, & lapis hçmatites poterūt nō parū in renū ulceribus eſſe utiles. Sed hic tandem finem faciamus.

De Nephritide, hoc eſt de calculo renali. Cap. VI.

CAlculos in quibuſdam noſtri corporis particulis gigni, qui tophoſa, vel lapidea ſubſtātia, utinam non ita clarum eſſet, & quotidiana experientia probatum. Sed non ita deindè liquet, quot ſint particulæ illç, in quibus poteſt eiuſmodi lapis cōcreſcere. Nam quod & in renibus, & in veſica ſæpe fiat illius tophi concretio, omnibus iam liquidò conſtat, & nimis frequenti experientia cōfirmatum eſt. In inteſtinis quoque, præſertim uerò in colo interdū

cap. 5. fuiſſe genitos lapides memoriæ proditum eſt. Quāuis de hoc Gal. dubitare viſus ſit, nam 1. de loc. affect. ait in renibus, & in veſica lapis cōcreſcit, atque ut nō nullis placet, ēt in colo. Ex quibus uerbis ſatis poteſt eſſe manifeſtum, ꝙ eiuſmodi lapidē ipſe nunquā uiderit. Ego tamen memini, quod Venetijs ingenuus

A quidam uir, dum iuuenis eſſem, poſt multos uentris inferioris dolores, & cruciatus, cū ad deijciendum aſſurrexiſſet, excreto lapide inſignis etiam magnitudinis, ab omni dolore liber euaſit. Sed illi, qui cum excellenti Frizimelica verſati ſunt familiariter, norunt ab eo ſuperioribus annis, poſt uehementes dolores in inferiori uentre, lapillum fuiſſe cum reliquis excrementis excretum per inferiorem aluum. Teſtatur tamen Gal. & in lib. de Tumoribus præter naturam, & 2. ad Glauc. reperiri in abſceſſibus concretā quandam materiam ſimilem lapidibus, quod & 14. Meth. confirmat, vbi ait lapidum fragmenta reperta fuiſſe in abſceſſibus. Sed nos etiam accerſiti, cum eſſemus præſentes, dum nobili cuidam matronæ Venetç reſcinderentur abſceſſus, vidimus chirurgum extraxiſſe duram quandam materiam ex eo abſceſſu, quā diſcernere non poteramus, num lapis potius eſſet, uel os. Fuit & quidam Venetijs, vt retulere Medici, qui interfuere, qui vehementi tuſſi lapillos ex pulmonibus eiecit. Nos autem, cum aliquādo ſectionibus corporum Venetijs operam daremus, in quibuſdā cadaueribus, quæ in illis hoſpitalibus ſecuimus, reperiebamus interdum lapideas quaſdā durities in iecinoris ſubſtantia concretas. Sed hçc rarius accidūt. Frequētiſſime autem in renibus, & veſica fiunt hæ concretiones, atque ideo de his dūtaxat à pleriſque medicorum fit mentio. In articulis quoque eorum, qui podagris, uel chiragris frequentius tentari ſolent, lapideſcunt materiç, quç eò confluunt. Horū vero omniū, ſiue lapilli, ſiue tophi dicantur, eadem uel ſimilis eſt materia, idemq́ue generationis modus, cum enim q̄ concreta indureſcunt, aut vi frigoris concreſcant, ut lapides multi, aut ui caloris aſſantis, & conſumentis, uel diſcutientis partes tenuiores, ut lateres fiunt, præter omnem rationem eſſe putare, in corpore animātis, dum uiuit, poſſe adeo uigere uim frigoris, ut in lapidem poſſit materiam aliquam concretam conuertere: vnde neceſſe eſt lapidum concretionem fieri potius à calore, & eo quidem non miti, & temperato, ſed potius acri, & igneo. Nam & exterius lateres, & id genus alia acri, & igneo egent calore aſſante, qui diſcuſſa, & abſumpta tenuiori ſubſtātia, & humidiori, craſſiorem, & magis terreſtrem indurat. Materia verò apta ad generationē horum tophorum, uel calculorū craſſus humor cum aliquo lentore, quia ſi oīno careat lentore, nunquam in lapidem concreſcit, nam neque omnis terra eſt materia idonea generandis lateribus, ſed quæ argilloſa eſt, & tenacitatis particeps, quç uero omnino friabilis, quantum ad ipſum pertinet, ineptiſſima eſt. Humor ergo, ex quo fiunt omnes hæ tophoſç concretiones (ut 1. & 3. & 6. Epi. libro literis prodidit Galen. & tertio etiam Aphor.) præſertim, & præcipuè eſt pituita, quç craſſior, & lenta ſit, aliquando tamen cum ea aliquid ſanguinis cōmiſcetur, atque inde fit, ut calculi, qui poſt renales dolores excernuntur, non eundem habent colorem, ſicut neque arenulæ. Nam aliquando albicant, uel ad cineritium colorem accedunt, perinde atque tophi, qui in canalibus concreſcunt, per quos feruntur aquæ, quç calidæ ſponte ſcaturiunt, & hunc quidem colorem referunt, quando pituitoſa eſt materia ſine ſanguinis mixtura, ex qua calculus genitus eſt. Interdum uero ad flauum, uel ruſum colorem uergunt, & id quando ſanguis eſt commixtus; qui quidem color, ſicut ex ſanguine, & pituita concreuit lapillus, ita uarius eſt: nam aut magis ad pallidum, aut magis ad flauum, aut magis ad ruſum inclinat, & hoc quo magis, uel minus uincit is, uel ille humor, & quantum etiam ſanguis, qui immiſcetur, aut flauior eſt, aut rubicundior, aut nigrior. Et huius diuerſitatis colorum non ſolum calculi in reni-

Margin notes (right): Cap. 4. / cap. 7. / Cap. 17. — com. 6. / Com. 14. / com. 26. / & 31.

Margin letters: B (beside "ſcinderentur abſceſſus"), C (beside "ſcunt materiç"), D (beside "ri, craſſiorem"), E (beside "rem, ſicut neque arenulæ").

bus concreſcentes ſunt participes, ſed & arenulæ, q̃
cum vrinis excernuntur, nam eadem vtriuſque eſt
materia, et idem efficiens, & præterea idem et locus,
in quo gignuntur. Quemadmodum enim docuit idẽ
Com. 6. Gal. 1. lib. Com. in 6. Epid. cum renes ſeroſum ad ſe
humorem attrahunt, fieri nequit, quin ſimul cum eo
attrahatur aliquid ſanguinis, & aliquid craſſæ, & len
tæ pituitę, quæ ſi ipſa attenuata, dum quaſi fuſa miſce
tur cum ſeroſo humore, feratur per meatus, & vaſa
in renibus ad meatus, per quos in ventrẽ renum fit
percolatio, & ita latos reperiat meatus, vt pars illius
lentæ materiæ in uentrẽ penetret, ibi concreſcit, ubi
ſi ualida ſit expultrix facultas, ut citò concretionẽ il-
lam expellat, excernitur quaſi arena, verũ ſi nequit
excerni ita cito, quia ſimilis alia materia prius in eun
dem locum confluens priorem reperiat, quæ prius lẽ
tore ſuo hæſerat uentri renis, illi hęc quoque accedẽs
hæret, ac in maiorem molem attollit, ſed poſtea ter-
tia in eũdem modum prioribus accedens, maiorem
adhuc concretionem, & molem facit: & ſic ſubinde,
donec natura à facto iam lapillo, & eius pondere ex-
citata, nititur illum expellere, ac in expellendo uehe
mentes cruciatus, & dolores concitat. Ex quo poſſu-
mus percipere, quantum illi errẽt, qui credunt ex co
lore arenularũ diſcerni poſſe, an in renibus, an in ve
ſica ſit genitus lapis. Aiunt enim, quod arenæ, quæ al
bicant, aut cineritio colore affectę ſunt, præſertim in
lapidem ueſicæ ſunt referendę: rufæ uero, in calculũ
renum. Hos vero puto fuiſſe deceptos, quia putabãt
arenulas imitaturas eſſe colorẽ illius particulæ, ĩ qua
genitæ ſunt, quod falſiſſimum eſt, & contra experien
tiam, quia uidi lapides è renibus excretos albicantes,
& eos interdum, qui per inciſionem è veſica fuerunt
à chirurgis extracti, rufos, ut ferè coralium lapidem
imitarentur. Vnde qui redarguere voluerunt Gal.
Aph. 30. ac ita Hip. defendere, qui 4. Aph. dixit, quod vrina are
noſa ſignificat lapidẽ in ueſica, hac ratione uoluere
defendere, quaſi ille per arenas voluerit illas, quę om
nino ſimiles ſunt marinis arenis, quæ albæ, aut cine-
riciæ ſunt, has vero propriè ad veſicam attinere aiũt.
Ipſi quidem potius redarguendi ſunt, quia & Gal. &
experientia docuere, quod cum calculi tam renum,
quàm veſicæ diuerſos colores habeant à diuerſa na-
Cap. 3. tura, & colore materiæ, ex qua ortũ habuere, & ex
eadem materia ortum ducant calculi ueſicæ, & re-
num, ut paulo poſt oſtendemus: ideo nulla calumnia
dignus uidetur Gal. ex his autem, quæ hactenus ſunt
expoſita, multa poſſunt tanquam corollaria deduci,
non indigna cognitu, & non parum utilia illis, quę di
cenda ſunt. Primum quidẽ facilè cognitu eſt, quę ſint
illa, quæ occaſioni in primis ſunt, cur aliqui adeo fre-
quenter ſint obnoxij calculo, et renalibus doloribus.
Nam cum duo ſint, in quæ omnis iſtius ratio pene re
ferenda ſit: alterum, quod tanquam cauſa effectrix
eſt, nempe calor renum acrior, Alterum verò, quod
uicem gerit propriæ, & proximę materiæ, & eſt craſ
ſus, & lentus humor, quæ renes calefaciunt non par
uam uim ad hanc rem habent, vt ſunt indumenta ca
lefacientia, labor, quo dorſum calefieri ſolet, vt cur-
ſus, equitatio, pręſertim dorſo conuerſo ad ſolem, ci-
bi etiam, & potus calefacientes, & id genus alia mul-
ta, quę longum eſſet narrare: ſed & quæcunque ad ge
nerationem humorum craſſorum, & uiſcidorum i-
donea ſunt, nempe cruditates, & quæ cruditatũ cau
ſa ſunt, de quibus ſępius longiorem ſermonem antea
habuimus: pręterea & cibi, potuſve quicunque ſunt
craſſi, & lenti ſucci, ſicut vſus multus lactis, in quo
Cap. 15. multus eſt caſeus (ſicuti Gal. 3. de facult. alim. ait) ut
14. & 17. lac bubulum, & caſeus, præſertimq; recens, & quæ-
cunq; fercula ex lacte coquuntur: inſuper & oryza,
amylum, tragum, lagana, & quæcunq; ex tritica fari-

A na conficiuntur, rhyemata à Græcis dicta, panis etiã
non probè in clybano coctus, vt eſt ſubcinericius, vel
azymus, vel alioquin non rectè, & ex arte ſubactus,
ſed neq; alica (ut 1. itẽ de ali. facul. uoluit Gal.) illis cõ- cap. 6.
gruẽs eſt, qui calculis renum obnoxij ſunt, longe etiã
minus triticum, cum ex eo iure cocto fit ferculum,
ut ſolent aliqui his temporibus coquere, pręterea car
nes magnorum, & veterum animalium, & aquatica
rum auium, piſces etiam magni, & qui lento humo-
re pleni ſunt, ut anguillæ, quiq; carnes friabiles non
habent, pręterea teſtacei omnes, ut oſtrea, & conchy
lium genera, & qui cruſta integuntur, ut cancri, cha-
mari, aſtachi, & qui cartilaginei, ut ſæpiæ, loligines,
& polypi: fructus etiam qui craſſum hunc humorem
B procreát, ut pyra, mala, cucurbitæ: & reliqui fructus;
quos oleraceos appellauit Gal. multæ pręterea radi- cap. 16.
ces, ut rapę, & napi, vinum etiam, quod nigrum, &
craſſum, dulceq; eſt. Sed & hoc animaduertendum,
quod & corporis conſtitutio non parum facit ad cal
culorum generationem. Nam in illis, qui calidiores
ſunt, & meatus latiores pro ratione caloris habent,
non ita quamuis in uictus ratione aberrent (ut eodẽ
3. de alim. facul. docuit Gal.) facilè & frequenter con
creſcunt in renibus lapilli, ſicut in illis, qui licet calidi
aut ſuaptè natura ſint, quia nimirum inæqualem in
uiſceribus intemperaturam habent, aut aſcititio ca-
lore, non habent tamen meatus amplos. Nec admo
dũ obſcura eſt iſtius rei cauſa, quia cum lati ſint mea
C tus, facilius effluit craſſus & lentus humor, nec ſic do
nec ſicceſcens concreſcat, retinetur. Deinde uero ex
his eiſdem problema id ſoluitur, cuius Gal. nõ ſemel
meminit & ſolutu difficile eſt; nimirum cur pueri fa-
cilius, & frequentius cõtrahunt calculum in ueſica? Aph. 26.
hoc enim Gal. & Hip. teſtantur, imò & affectum p- Com. 11.
prium puerorum appellant, quod confirmant 2. de Com. 15.
natura hum. & 3. lib. Com. in 6. Epid. & alibi etiam.
Senibus uero frequentiór, & facilior eſt calculi con-
cretio in renibus. Vnde 5. de Tuen. ſanit. refert calcu
lum renum inter morbos ſenibus familiares & idẽ
affirmat Hipp. 3. Aph. ſoluit autem Gal. locis illis om Cap. 8.
nibus, quod in pueris quidẽ & renũ meatus amplio- Aph. 31.
res ſunt ob calorem eius ætatis, & expultrix facultas
D fortis; pręterea uero calor natiuus in eis multus eſt.
Vnde quamuis multa in eis congeratur ex mala ui-
ctus ratione, & uoracitate pituita, urinęq; ea de cau-
ſa craſſiores, & turbulẽtiores ſint, quia tamẽ & mea
tus latiores ſunt in renibus, & facultas expultrix for-
tior, et calor talis, vt fundẽdo hos craſſiores humores
fluidos magis reddere poſſit, ideo illis effluentibus, et
non retẽtis, nõ poſſunt facilè in lapillos concreſcere
in renibus, qui vbi in ueſicã cum urina deferũtur, ibi
cum ueſica membrũ ſit exangue, & longè minus ca
lidum, quã renes, coguntur iterum, et ad priſtinã craſ
ſitiem, & lentorem, cũ ueſicę non ſit is calor, ut eos
ulterius fundere poſſit, redeunt; atq; ſi ibi diutius mo
rentur, tamen à calore illius loci, licet fundi nequeãt,
E poſſunt tamen, dum reſolutis tenuioribus partibus
paulatim exſiccantur, condenſeſcere in lapidẽ, quia
ad fundendum opus eſt forti calore ad exſiccandam
autem, & condenſandam materiam aptã ad genera-
tionem lapillorum ſatis etiam eſt (ut 3. lib, Com. in
ſextum epid. docet Gal.) calor mediocris. In ſenibus com. 14.
autem contra accidit, quoniam in eis neque natura-
les facultates ualidę ſunt, neque calor is eſt, ut multã
pituitoſam materiam, quę cum urina ad renes de-
fertur, poſſit fundere, et colliquare, unde facilè in
renibus retenta, ibi facile etiam in calculum concre-
ſcit, et ſubinde quia ſuperius retinetur, non poteſt
eſſe occaſioni, cur frequenter ſenibus lapides in ue-
ſica generentur. Cui accedit, quod adeo etiam in eo
loco languet uis caloris, ſuaptè natura alioquin

A exangui; & parum calido, vt nequeat materiam exſiccatam in lapidem cõuertere. Tertiò & hoc etiam problema, cuius 1. lib. Com. in ſextum Epid. meminit Galen. non eſt difficilis diſſolutionis; nempe cur interdũ in ijs, quibus concreuit lapis in renibus, percipitur dolor quidam grauis, hoc eſt non acutus, ſed potius in quo veluti quoddam pondus percipitur in regione renum: interdum verò vehemens, & acutus. Nam hæc tum in propriam renum naturam, tum verò in partium diuerſitatem referendum eſt. Cum enim renes quantum ad eorum partem carneam pertinet, ſint modici, & obtuſi ſenſus, non poteſt in ea concitari vehemens, & acutus dolor: ad renes namque, ſicut & ad iecur (vt ibi de illo agebamus diximus) B exigui admodum nerui feruntur, qui tantum per exteriorem, & membraneam tunicam diſpertiti ſunt: ſed percipitur veluti pondus, quia diſtendũtur, & grauantur vincula, quibus ſunt dorſo annexi. In membrana autem, qua obductus eſt eorum venter, & in vreteribus vel vrinarijs meatibus ſenſus inſignis eſt, deò cum & in carne renum poſſit hæc materia recepta conuerti in calculum, quod Gal. eodem loco ductus potius a natura illius particulæ poſſe fieri concedit, quàm quod ſenſu, & experientia viderit: Nos autem ſæpius in ſectionibus cadauerum reperijmus calculos, & tofos multos etiam in carne renum: Immo cum quidam ex nobiliſſima familia ſuppreſſa vrina fato ſuo functus eſſet Venetijs, voluimus uentrem ſe- C care, vt renes inſpicere poſſemus, & inuenimus duos lapides inſignis magnitudinis, & duritiei in ventribus renum, qui erant impulſi a natura uerſus ortum meatuum vrinariorum, a quibus pepẽderat ſuppreſſio vrinæ; In alterius verò renis ſubſtantiam ad tertiam ferè partem in tofos conuerſam inuenimus. Dũ ergo quietus eſt lapillus, pondus tantum percipitur: dum verò a natura, & expultrice facultate pulſus in ventrem penetrat, ac illi neceſſe eſt per internam mẽbranam ſibi aditum parare, dolores vehementiſſimi concitantur: in uentrem verò cum delapſus eſt, miteſcunt dolores: quod illis contingit, qui in ſubſtantia renum geniti ſunt. Sed qui in uentre continentur nõ admodum moleſti ſunt, niſi quando ab expultrice fa- D cultate ad vrinarios meatus impulſi (ut 1. de Facult. cap. 13. nat. ait Gal.) feruntur per eos, & quò aut craſſiores, aut aſperiores ſunt, eò etiam maiores concitant dolores. Fiunt autem urinæ cruentæ, quando vel lapillus in ſubſtantia renum genitus propulſus ad uentriculum renum penetrat per membranam eius interiorem, dilatata enim via, ſanguis una cum vrina effluit: vel ſi aſper ſit calculus, dum per urinarios meatus tranſit, eos abradit, & interdum vlcerat, ſed non poteſt multus ſanguis ab eis effundi, quia exiles, & anguſtas uenas habent. Sed ſi quis ſitum renum & connexionem, quam habent cũ uena caua deſcendente, conſideret, facilè rõnem percipiet, (ut idem 1. lib. in 6. com. 6. Epid. exponit) cur in calculoſis renum affectibus, co- E xæ obſtupeſcant, & crura doleant, nempe ex cõſenſu harũ partium cum renibus per uenas duas, quæ ex caua uena bipartita deductę ad coxas, & femora deſcendunt. Quibus in hunc modũ expoſitis, non ſunt nobis reliqua multa dicenda de cognoſcenda nephritide, & ea ab alijs affectibus diſcernenda. Nã pleraq; faciẽtia ad hoc ſunt expoſita partim in præſentia, partim verò, ubi docuimus colicum dolorem a renali diſtinguere, qui tamen plurimũ ſimiles ſunt. Diximus enim in renali, dolorẽ ſemper fixum eſſe in lumbis, niſi qñ lapis mouetur per vrinarios meatus, quia dolor ſequitur motum lapidis. Vnde anteaquã incipiat moueri, primũ in loco lumborum percipitur grauitas, mox dolor, cum vel ad uentrem impellitur, uel recipitur in ortu meatuum vrinariorum, ſed cum mouetur per meatus, dolor ita ẽt mutat locum, per ſpatiũ tamen, qđ eſt inter lumbos, & pectinem. Dolor vero colicus ſolet ſępius ab uno in alterum latus moueri. In vtroq; aũt dolore fiunt vomitus primũ pituitoſi, mox & bilioſi & interdum æruginoſi, ſed magis in colico, nam in renali conſentit quidem ventriculus, ſed per inteſtina, & licet in utroq; cum inteſtina inaniora ſunt a cibo & alijs excrementis, dolor uideatur mitior, ingraueſcere vero, cum plenior eſt uentriculus, & inteſtina, id magis in colico fit, quam renali dolore, quia in eo primario ſunt affecta inteſtina, in renali autem, dolor increſcit, quia inteſtina plena premunt renes. Sed ne tempus conteramus, ad rationẽ curationis conuertamus ſermonem noſtrum, ſatis ſuperque enim de his egimus.

De ratione curandi nephritim, hoc eſt calculum renalem. Cap. VII.

QVoniam tria in primis in nephritide ſunt conſideranda, quę tres ẽt ſcopos nobis oſtendũt, primum eſt dolor, deinde cauſa doloris, quæ eſt lapis in rene concretus, tertio, quia ſunt aliqui, qui frequenter, & quaſi p periodos uexantur ab iſtiuſmodi doloribus, ideo ars requirit, ut & rõnem exponamus, qua tueri ſe poſſint, qui his doloribus ſuut obnoxij, quo minus ab illis corripiantur, vel ſaltem rarius, & minus, ſed primum priorem ſcopum tractemus. Cum ergo dolores inuadũt aliquem, aut ieiunum inuadunt, aut ab accepto cibo, cum nondũ plenè confectus eſt, pręterea uero aut corpus plenum eſt multo ſanguine, uel vitioſis ſuccis, aut neq; multam habet plenitudinem, neq; cacochymia refertum eſt, pro harum. n. conditionum diuerſitate diuerſum ẽt initium curationis ſtatuendum eſt. Si igitur venter plenus adhuc ſit cibo ſemicocto, excrementis verò inteſtina, cum (ut paulo ante ex ſententia Hipp. diximus) compreſſis renibus ab inteſtinis, & uentriculo plenis, dolor magis exciterur, niſi aliquid obſtet, imprimis procurandum eſt, ut inaniantur uentriculus, & inteſtina, & cõmunes viæ, atque id duplici de cauſa, prima quidem eſt, quam nuper dicebamus, ne partes hæ plenæ premant renes, altera, ne dum laxantibus, & calefacientibus utimur, ſicuti ad ſedandum dolorem eis uti neceſſe eſt, rarefactæ hæ materię, & in flatum etiã aliqua ex parte diſſolutæ magis repleant, & extendant, & ſubinde magis premant, & dolorẽ augeant, deinde ne fuſę, & quaſi colliquatæ ab his medicamẽtis digerãtur tum in uenas iecinoris, tum ẽt in renes, atq; illis magis repletis maiores concitentur dolores. Ratio vero inaniendi partes has duplex eſt, quia aut per ſuperiorẽ ventrem uomitu, & id quidem qñ uentriculus vacuandus eſt, facilius. n. vomitu purgatur, modo nihil ſit qđ obſtet ſicuti eſſet quãdo ille qui uomiturus eſt, ad uomitũ difficilis ſit, aut illius ſit habitus & naturę corporis, vt non vomat ſine aliquo periculo, de quib. alias plenius locuti ſumus. Inteſtina verò pręſertim craſſiora, facilius per clyſteres inaniuntur, clyſteres aũt huic negotio maximè apti ſunt, qui lenes ſunt, ut illi quorũ meminimus in capite de dolore colico. Aetius aũt ex ſentẽtia Archigenis, & Philagrij probatur clyſter confectus ex decocto furfurũ, fęni Gręci, caricarũ, & ariſtolochię, quib. cenſet utendum, non modo ſemel, verum iterum, & tertio id tñ pro rõne uacuationis, nam ſi ſatis ſit uenter per priorẽ uacuatus, ille ſatis erit, ſin minus, repetendi erunt, donec exquiſita ſit facta uacuatio, poſtea uerò ad ea accedendum eſt, quę laxando dolorem mitigant, & demulcent, de quibus paulo poſt ſermonem ſumus habituri. Nunc enim redeundũ eſt ad aliã partẽ, nimirũ ſi corpus ſit aut plenum ualde, aut cacochymum, ut Græci appellant, euacuandum erit præſertim ſan-

guinis

guinis detractione,cum ſanguis multus fuerit: nã & nephriticis mittendum eſſe ſanguinem cenſuit Aetius,cui ſententiæ ſubſcripſiſſe uiſus eſt Gal.tum alibi ſæpe,tum verò in libello de Rat.cur.per ſect.ven.vbi [haber] quod in ijs,qui affectu laborant,qui nephriticus dicitur,vena ſub poplite ſecanda eſt, vel ſaltẽ,quę in malleolis. Rationem uerò referunt,quia dum plena,& diſtenta ſunt uaſa, locus doloroſus magis affligitur,& eis inanitis, dolor remittitur. Cui tamen & hoc addi poteſt,quod cum dolor attrahat,& imbecilliorem reddat dolentem locum defluentibus ad renes humoribus commotis ui doloris & malum augeri poteſt,& inflammatio ſuboriri. Vnde tum vacuandi,tum reuellendi ratione poteſt ſanguis mitti, quamuis non uidentur deinde conſentire ſimul in uena, q̃ ſecãda ſit. Nam Gal. venas in cruribus eſſe ſecandas ait: Aetius uerò in brachijs. Quamuis in eo lib.qui impreſſus eſt inter Gal.lib.de dignotione,& cur.affe.tenum uiſus eſt auctor ille qui maiorem partem eorũ, quæ refert, deſcripſiſſe ex Aetio vel Oribaſio uidetur, quaſi uoluiſſe hos conciliare,& dixit,quod ſi uires validæ ſunt ſecãda eſt vena poplitis,ſin autem infirmiores,brachij tantum, vt reuellamus. Credo quod uoluerit, quod cum vires validę ſunt & copioſe poſſumus vacuare vena in cruribus ſecãda eſt: vt plena vaſa inaniamus,verum ſi vires non eę ſint vt ferre poſſint copioſam vacuationem, vena in brachio ſecãda, vt potè quæ maiorem vim reuellendi habet,licet minus uacuetur, cum magis alio conuertere poſſit humores ad renes defluxuros. Ego tñ & ſi omnino uirium magnam eſſe rationem habendam exiſtimem, præſertim iſtius rei determinationẽ à plenitudine peterem. Quia ſi ſanguinẽ mitimus propter plenitudinem,vbi aũt ſit multa copia ſanguinis nõ poſſunt uires eſſe infirmę, itaq; ubi multa eſſet ſanguinis plenitudo, ita ut facilè ſperarem poſſe ſæpius ſanguinem mitti prius à uenis in brachijs, ex latere renis affecti ſanguinẽ mitterem, mox autem & ab eis,quæ in cruribus ſunt, nam ſi mutuo conferantur in affectibus renum,miſſio ſanguinis è ſuperioribus venis maiorẽ ſeruat reuulſionis rationem, ex inferioribus uerò deriuationis, at ſemper reuulſio debet deriuationẽ præcedere,ſi Gal.& Hipp. decreta ſequi uelimus. Quòd ſi non adſit plenitudo ſanguinis,ſed aliorũ potius humorum, purgatione res hæc tractanda erit. Corpus uerò purgandum erit per medicamenta humoribus exuberantibus educendis apriora: nam hoc & Gal.

Cap. 13. docuit 7.Meth.quòd ſi multi ſint purgandi humores in renum affectibus,facilius & melius inferius p medicamenta aluum cientia id fit, ſin autem pauci,p ea, quæ urinã protitant,ut tamen,ſi res ſoluentibus medicamentis ſit committenda, inter initia lenientibus agatur. Nam quæ fortiora ſunt, ea, dum ui humores agitant,lapidem ante opportunum tempus commouent nempe antequàm uiæ latiores ſint factæ, & laxantibus,lenientibuſque paratę ad faciliorẽ tranſitũ, atque ita dolorẽ exacerbant. Mihi ergo magis expedire uiderẽtur medicamenta faciliora, & leniora, ut ſunt caſia, ſena: diaſcebeſten appellatũ electuariũ, hiera ẽt, quę ſimplex dicitur, cum caſia, uel his alijs mixta. Solemus aũt nos inter initia poſt vſum priorum clyſteriũ, vt in colicis doloribus(nam & Gal. docuit principia curationis colici,& renalis dolori non eſſe diſſimilia)uti oleo amygdalino, vel dulci,vel amaro, uel illis mixtis ad pondus ſeptem,vel octo vnciarum, poſt accepta tamen alia medicamenta paulò antè, vt ſuperius docuimus,ſicut ſi accipiantur tres pilulæ cõfectæ ex aloe, additis duobus granis diagridij uel aliqua illius electuarij portione, quod diaphœnicum, hoc eſt ex palmulis appellat Meſue,conficitur autem quandoque in ſolidiori compage ex ſaccharo factis

A ex eo placentulis, quas prius comedendas præbent, uel placentulas illas tuſas ex oleo miſcent,atque ſubinde bibenda omnia dant: injiciunt autem ad drachmas quatuor,& efficitur medicamentum compoſitę facultatis,utpote quod leniat;laxet, & purget,tum leniendo, tum uerò ſoluendo, tanta autem lenitas eſt in ſubſtantia olei,ut medicamenti omnis acrimonia, & uiolentia demulceri poſſit. His autem expeditis,ad eam curandi rationem accedendum eſt,quæ propria eſt his doloribus,nimirum cum ijs,quæ laxant,& omnino leniunt partes illas,ut laxiores redditæ, facilius cedere poſſint calculo,atque ita minus doleant, quæ tum exterius fomentis adminiſtranda ſunt, tum interius per clyſteres. Clyſteres verò,qui plurimum antiquis

B probabantur, ſunt, qui fiunt ex oleo anethino; nam hoc magis laxat,quàm chamæmelinũ, quia nõ eſt alicuius aſtrictionis particeps: cõmiſcent autẽ anſerinum adipem,in quo uis molliendi inſignis eſt, & aliqua etiam digerendi non obſcura, quidam ẽt oleo communi dulci utuntur, alij iure pingui inteſtinorũ, quod paſſim uendunt, addito copioſo butyro. Neq; tñ uno uel altero uti clyſteri oportet,ſed pluribus ut dolor ſedetur,qui ſi interdum adeo excreſceret, vt nequiret amplius perferri,cõſentiunt omnes ut poſtremò tandẽ et ad medicamenta manus admoueamus, quæ ſtuporem inducunt. Sed neque ſolis his clyſteribus eſſe inſiſtendum putant,ut dolor ſedetur,& facilior tranſitus paretur lapillo, uerum etiam externis

C fomentis,& illitionibus,& cataplaſmatibus,& inſeſſionibus agendum. Sed incipiamus à linimentis. Poſſunt ergo parari in hunc modum,ut accipiamus adipem anſeris;anatis, & gallinæ: antiqui,ut Aetius,laudant ſummopere faſiani adipem: quibus addi poteſt & oleum anethinum,& omnibus mixtis inungẽdus eſt locus dolens, ut tamen, dum inungitur, deorſum trahamus, poteſt etiã impleri ueſica oleo anethino, oleo ex ſemine lini, & oleo amygdalino dulci, vel amaro,quibus calidis mox fouendus locus. Prætereà uerò ſi accipiamus perdicium herbam, ſeu parietariã, & ea in ſartagine ex butyro, vel amygdalino,vel anethino oleo frixa locum dolentẽ foueamus, remediũ eſt Venetijs in multo vſu his temporibus. Si etiã

D accipiamus ſemina fœni Gręci,lini,aniſorum, fęniculi,apij,flores anethi,chamæmeli,folia maluæ,radices altheæ,caricas pingues,ſingulorum pugillum, & his decoctis ex aqua utamur. Variè autem uti poſſumus nam & ſpongia eo decocto demerſa, ac expreſſa fouere locum poſſumus, & ueſicam eo decocto replẽtes eas fouere, poſſumus etiam accipere ea omnia,q̃ fuerant decocta aliquantiſper contuſa, & linteo excipere,ac pro cataplaſmate uſi locum fouere. Fieri et inſeſſiones ex his eiſdẽ poſſunt,ſed ſi coquantur malua,radices altheæ,caricæ pingues,parietaria, folia apij,uel petroſelini, & tuſa ex butyro, uel oleo amygdalino in emplaſtrum redigantur,non erit ineptum medicamentum. Sed neque id prętermittendum eſt

E quod monent antiqui, præſertim verò Aetius, quod caueamus,ne in uſu horum laxantium ſimus quandoque nimij,quia ſępe poterit euenire, ut cũ per hæc renum ſubſtantia laxior reddatur, reddatur ſubinde & imbecillior, unde fit, ut deinde magis expoſiti, & obnoxij fiant in poſterum his doloribus,monent ergo ut & in horũ uſu ſicut & in alijs, ſimus modeſtiores. Tertium uerò, quod in hac curatione reliquum eſt,id ſpectat, ut lapis excernatur, uel ut naturam in excernendo iuuemus, quod duplici ratione moliri oportet,primum ut lapidem, ſi id fieri poteſt,comminuamus, poteſt autem quando friabilior ſuapte natura eſt: deinde uerò, ut moueamus ipſum excitando nimirum naturam, & expultricem facultatem ad expellẽdum: uel naturam, quando ipſa prior mo-

net,adiuuemus. Vt tamen prius præcepta quædam exponamus,cognitu ferè neceſſaria,nempe quod cú ea,quę hoc auxilium præſtitura ſunt,neceſſe ſit,ut aliqua caliditate ſint prædita,uel tenui ſubſtantia conſtent,ea pręcipuè huic rei commoda ſunt,quę amara ſunt, amarus enim ſapor in terreſtri quidem ſubſtãtia conſiſtit, ſed quę ui caloris fuerit attenuata. Verũ magis etiam deinde innitendum illis eſt,quę ratione potius tenuitatis hoc agũt,uel etiam proprietate ſubſtantiæ,quàm caliditate: imò omnes in hoc conſentiunt, quòd ea, quæ inſigniter calefaciunt,ſint quantum fieri poteſt, declinanda, quia excalefacti renes facilius deinde craſſiorem materiam,quę iterum defertur ad ipſos,excoquunt & condenſant in calculũ. B Accommodata uerò medicamenta huic negotio, vt à leuioribus incipiam ſunt amygdalę amaræ,perſicorum nuclei,& ceraſorum, & eorundem (vt ſeptimo de Fac.ſymp. medic.ait Gal.) gummi,ſemina altheę, maluæ, betonica. Laudat etiam Gal. ſecundo de alimen.facul. ſemina peponum: 6.autem de Facultatibus med.hoc attribuit radici rubi,ut renum calculos comminuat,ſed & radix lauri, ſemen, radixque hippomaratri,radix cyperi,cotyledõ,ſuccus paliuri, ſcolopendrium, decoctio cicerum rubeorum,bdelium Arabicum,pulegium, chamæpitys, & tandem quæcunque urinam cient,quorum copia ampliſſima eſt, & ſi omnia uellemus deſcribere, nimium excreſceret hęc tractatio. Sed ſunt aliqua,quæ id agere credũtur proprietate potius ſuæ ſubſtantiæ,quam manifeſtis aliquibus qualitatibus,ut ſunt lapilli,qui in capitibus gambarorum fluuialium menſe pręſertim Maio reperiuntur,lapis qui in ſpongijs, ſed & cinis putaminum,uel corticum ouorum gallinaceorum,quæ reliqua ſunt poſt pullos in lucem editos, & cinis uitri. Sed inter potentiora medicamenta habita ſunt ſanguis hirci alti occiſi,& parati,exſiccatique ex arte,& ut antiqui omnes parare docuerunt, de cuius apparatu nolumus nunc longiorem habere ſermonem, quia res hæc ab omnibus ferè deſcribitur,pręterea et cinis ſcorpionum in camino exſiccatorum ut itidem medici docent. Sed horum omnium efficaciſſimum puluerem cenſuere,qui fit ex cineribus auiculæ, quæ troglodytis à Græcis appellatur,quæque hyemis dun taxat tempore apparet,circa ſæpes autem, & muros verſatur, aſſatur autem in uitreato uaſe in clybano non ualde calido, ne omnino comburatur,ſed & comeſta ſecundum quęcunque modum, hoc eſt, aut elixa aut toſta, ita ut ſi ét cruda comedatur, uim ferè maiorem habeat,ait Auicenna, ſed & ſi ſaliatur ſeruari poteſt. Præterea & leporis decollati cinis, atque ita aſſati in uaſe uitreato in clybano tanquam pręſtãtiſſimum remedium habetur à multis non modo iunioribus medicis,ſed antiquioribus etiam,oleum uerò ſcorpionum & ſimplex, & compoſitum,ſi eo renes inungantur,non parum poſſe prodeſſe creditur. Non modò autem hęc quæ uim habent lapidem cóminuendi,& conducendi inferius, utilia ſunt, ſed,ſæpe & ea, quæ aluum cient, ut Aetius teſtatur, quia quamuis purgantia medicamenta per ſe quidem calculum minimè trahere poſſint,dúm tamen facultas expultrix a pharmaco excitatur, & inuitatur ad excretionem,non modo inſurgit ad ea expellenda,quę à medicamento commouẽtur, uerum & alia, ſi qua moleſta ſunt. Ita ut ne dum per hunc modum iuuanda ſit natura,uerum & uentoſis lumbis,& dorſo adhibitis,& affixis uoluerint priſci poſſe fieri uelociorẽ & expeditiorem eius deſcenſum,ita tamen ut ſub dolente loco affigantur, & priori remota alia inferius affigatur,atque ſic ſemper deſcendendo paulatim ad inferiora detrahatur lapis,donec in veſicam delabatur. Reliquum aũt eſſet,ut de ratione victus aliqua di

A ceremus: ſed & ea facile ex iam dictis percipi ab omnibus ferre poteſt. Nam cum ea omnia fuerint expoſita,quę occaſioni eſſe poſſunt, cur gignatur lapis in renibus,quæque illum fouere poſſunt, nulli non poteſt eſſe apertum ea omnia deuitanda eſſe. Vt tamẽ & id addamus, quod maximè vtile eſt,aluum lenem, & modeſte fluidam eſſe: quod ſi aliquibus ſit aſtrictior,illa excitetur, & procuretur omni ingenio, vt lenis reddatur,fluidaque immo ſi aſſueſcat,qui his renum doloribus ſæpe obnoxius eſt aliquo facili, & leni medicamento per aliqua interualla, non tamen longa,illam ciere, & inuitare,non parum inde vtilitatis aſſequetur: nam præter id quod per facilem hãc vacuationem ſubtrahatur fomentum generando la- B pillo, aſſueſcet etiam noxius humor declinare ad aluum,& inteſtina, Summatim autem,vt comprehendamus,victus ſit attenuãs,ut tamen ſit ex media materia, non autem inſigniter calefaciens. Sed hoc non videtur prætermittendum, quantum ad panem ſpectat,quod panis his vtilior eſt, qui non ſit omnino expers furfuris; ſicut qui albiſſimi ſunt & ſimilaginei ab aliquibus appellantur,minime probandi ſunt,immo & furfuraceus panis comeſtus in prima menſa detergendo adiuuat deiectiones alui.

De veſicę affectibus. *Cap. VIII.*

C SIcuti hæ particulæ ſunt inter ſe connexæ, nec altera ſine alterius ope poteſt ſuum officium exacte abſoluere: nam oportet primum renes ſeroſum excrementum à iecinore attrahere, mox verò ad veſicæ officium pertinet attractum continere, ac tandem excernere: ita poſt tractationem affectuum renum videtur iure merito de veſicæ affectibus eſſe agendum. Et quia quidem ſunt affectus,qui ad ueſicã pertinent ſecundum quandam rationem, quam illa cum alijs ferè omnibus particulis communem habet: alij verò ſunt priuati, proprijque ſoli ueſicæ, de his poſterioribus priorẽ ſermonem habituri ſumus; quia ſicuti iſti ſunt priuatim ſecundum propriam ueſicæ,& eius officij rationem illi attributi: ita & priuatas curationis methodos requirunt: contra uero,ut il- D li cum alijs communem rationem habent, ſic etiam ſimilem expoſcunt curationem. Priuatos vero,& proprios morbos veſicæ eos in præſentia appellamus, qui reſpiciunt proprium munus, & proprium officium,quod illi a natura delegatum fuit. Quod vt clarius explanare poſſimus, conſiderandum eſt, vt ſtatim ab initio iſtius libri diximus. Officium veſicæ eſt admittere,& recipere ſeroſum excrementum, quod à renibus attrahitur, attractum ſubinde, vt attrahitur,atque in ſubſtantia renum percolatum eſt,depellitur per meatus vrinarios in ueſicam: receptum ergo continet, vt ventriculum diximus cibum continere. Nam colligit ſe veſica per multiplices ſuas fibras, ac vndique vrinam comprehẽdit, vt nullum interius E in veſica ſpatium inane relinquatur; id quod in non exiguam commoditatem animali cedit: nam ſi locus aliquis inanis relinqueretur in ueſica, dum moueretur animal, fluitaret vrina, vt fluitat humor in vtre nõ exquiſitè pleno, quod plurimum eſſet moleſtum. Et quamuis munus hoc,quo colligit ſe veſica, vndequaque ad omnia fibrarum genera ſpectet,prę ſertim tamen obliquarum,quæ proprium facultatis contentricis ſunt inſtrumentum,munus hoc eſt. Quoniam autem homo cum ſtat,& ambulat, fundum ueſicę ſuperius,ceruix vero eſt inferior,in qua eſt meatus ſatis amplus,per quem effluit vrina,cum excernitur, fruſtra eſſet labor ueſicæ in continendo, niſi aliquid eſſet commenta, quo conſtrictus meatus clauderetur, ut reciperetur in ueſica urina, ita namque efflueret;

quod quanto impedimento,& moleſtiæ, cum cęteris A
animantibus,tum uel maximè homini eſſet, illi poſ-
ſunt aperte exponere, qui urinam nequeunt detine-
re. Sagax ergo,& prudens natura,quæ nullius com-
moditatis unquam obliuiſcitur,muſculum ceruici ue
ſicæ eam in orbem comprehendentem perinde indi-
dit,vt & extremo inteſtino recto,ano inquam,qui, vt
ſimilis eſt muſculo ani:ita & ſimile officium habet,cō
tractis enim ſuis fibris conſtringit veſicæ ceruicem,ac
ſubinde meatum claudens intercipit exitum vrinæ,
atque hoc etiam commento redegit excretionem vri
næ ad arbitrium animantis. Nam cum muſculi ſint
inſtrumenta motricis facultatis, quæ inter animales
facultates eſt,quæque ab appetitu, & cognitione regi
tur,ut animal ambulat,ut illi lubet ſic, & excernit cō B
tentam vrinam, niſi ab aliquo morbo impediatur,
quando voluerit. Vnde prior contentio ad naturalē
facultatem pertinet,hæc autem ad animalem. At ue-
ro cum excernitur urina,conſpirant iterum in vnum
cap.1. (vt partim 1. partim 6.de loc.affect. tradidit Gal.) na-
cap.4. turalis,& animalis facultas, nam uis naturalis expul-
trix uſa miniſterio fibrarum ſuarum, maximè uerò
tranſuerſalium conſtringens, & contrahens ueſicā,
ſicuti ſi manu conſtringeremus, ex parte fundi vrinā
exprimit, & expellit eam,adiuuant præterea & mu-
ſculi,non ille quidem ceruicis veſicæ, niſi quod laxat
ſuas fibras,hoc eſt eas non amplius cōtrahit,ſed otio-
ſas interim ab omni opere relinquit,ſed muſculi abdo
minis,qui comprimendo,dum contrahunt ſe viſcera, C
quę intra ventrem inferiorem, illa omnia, præſertim
vero inteſtina, veſicam, & vterum ad expulſionem
adiuuant. Sed quia nunquam vix expultrix expellit
quidpiam,niſi excitetur,& ſtimuletur, unde niſi ueſi
ca aliquam moleſtiam ex collecta, & contenta urina
perciperet,ex qua concitaretur expultrix facultas,illa
ad expellendum non incitaretur,ideo ad iſtius mole-
ſtiæ ſenſum,neruorum particeps facta eſt veſica. Sed
cum corpori quidem veſicæ exigui admodum nerui
ſint impertiti: idcirco ueſica quatenus ad eius ſubſtan
tiam,vltra ceruicem exiguum habet ſenſum,ceruicis
vero nerui inſigniores ſunt, vnde & illa exquiſitioris
ſenſus eſt. In his exponendis aliquanto longiores fui
mus,vtpote quoniam nequit unquam fieri, ut quæ à D
nobis dicenda ſunt,exquiſite poſſint intelligi,non co-
gnitis prius his,quæ nunc expoſuimus. Sed tandem
inueſtigamus particulatim omnes differentias mor-
borum,quibus ueſica,vt eiuſmodi actionis, qua com-
mode excernit urinam,inſtrumentum eſt. Sed quia
morbus eſt,qui particulæ actiones lædit, & nobis ma
niſeſtiores ſunt actiones,ideo facilius erit differentias,
& naturas morborum inueſtigare,ſi modos,& ratio-
nes contemplati fuerimus,quib. propriæ alicuius par
ticulę operationes aliquando lędi ſolent. Et quia ge-
neratim,& in vniuerſum tres ſunt omnino modi hi;
quoniam aut penitus aboletur, & deperditur opera-
tio,aut fit languida,& imminuta,aut (vt ſępe in ſupe
rioribus libris diximus) uariatur,& corrumpitur, faci E
le,& omnes hos modos, ſi animaduertere uolueri-
mus in actione veſicę cum lęditur,inueniemus. Nam
in aliquibus videmus interdum ita urinam ſupprimi,
vt nihil eius omnino reddi poſſit. Aliqui uero mingūt
quidem,ſed parum,& longè minus,quam conſuetu-
do,& ratio requireret. Corrumpitur uero, uel uitia-
tur actio,quando vel guttatim, & cum magna diffi-
cultate,& nimis frequenter cogimur mingere,vel cū
ardore,& cruciatu. Item quando nimium, & immo
dicum eſt vrinę profluuium. Sequamur ergo in his
modis explicandis propoſitum ordinem, atque inci-
piamus a ſuppreſſione vrinę, & ſic de alijs ſubinde
agemus.

De Suppreſſione vrinę,& eo veſicę affectu,quem ἰσχουρίαν Gręci appellant.
Cap. IX.

NEmo ferè eſt, qui modo his, quæ paulo ante ex
poſita ſunt, animū aduerterit, nō facilè poſſit
percipere, non unam eſſe rationem, qua po-
teſt urina ſupprimi,ſed ſaltem duplicem, alteram qui
dem,quę ex proprio uitio ueſicę occaſionem habet: al
teram uero, quę ex aliquo ſuperiorum partium affe-
ctu,pręſertim vero renum. Nam cum ad ueſicam per
tineat vrinam illi à renibus amandatam recte admi-
niſtrare,neceſſe ſanè eſt,ut renum operatio pręcedat,
B quia niſi renes ſeroſum excrementum à uenis prius
attrahant,& in ueſicam depellant, veſica nihil agere
vnquam poterit. Quare deficientibus renibus à pro
prio officio,opus eſt,vt & veſica quoque deficiat,non
ex ſuo ipſius affectu, ſed eorum,à quibus vrinam re-
cipit. Deficiunt autem renes, aut propter defectum
alicuius naturalis facultatis in ipſis: nempe quia attra-
ctoria facultas ſit adeo facta imbecillis, vt nequeat ſe-
roſum excrementum à vena caua attrahere,uel quia
expultrix,ita,vt quamuis hęc attrahat,ipſa tamen nō
poſſit illud in ueſicam depellere,& quia harum facul
tatum infirmitates ſequuntur aliquam inſignem re-
num intemperaturam,ideo ad renes attinent,quate
nus ex ſimplicibus partibus coagmentati ſunt. Aut de
C ficiunt ex aliquo vitio contracto in vijs, per quas vri-
nę tranſeundum eſt ad veſicam. Vitium autem,id eſt,
quia vię illę clauduntur. Vię uero ſunt,primum uenę,
quę emulgentes à noſtris dicuntur,quę quidem adeo
amplę,& latę ſunt,vt vix credam poſſe fieri,ut illę ob
ſtruantur,claudanturve. Deinde verò meatus, per
quos percolata vrina in renibus tranſit ad uentrem
renum. Poteſt,& in ventre fieri repletio, uel obſtru-
ctio,aut anguſtia. Poteſt poſtremo fieri obſtructio,vel
anguſtia in vrinarijs meatibus, quos οὐρητῆρας Gręci
appellant. Anguſtiores autem poſſunt fieri hę vię, aut
ex nimia earum ariditate,qua in anguſtum contrahū
tur, aut ex aliquo tumore pręter naturam nimirum
inflammatione,vel ſcirrho, uel id genus alio, aut ex
D craſſo aliquo humore in eis impacto,qui uel in calcu-
lum concreuit, uel nondum concreuerit, ſed craſſi-
tie,& lentore etiam obſtruat, ſicuti poteſt, & renes
obſtruere,& eorum uentrem,vrinarioſque meatus,
ſi in eis, uel ob magnitudinem, uel aſperitatem lapis
hęſerit. Memini enim tres in uarijs temporibus Ve-
netijs uidiſſe, viros ſanè non obſcuros, ſed nobiles,
duos Venetos,tertium peregrinū, qui cum obijſſent
ex ſuppreſſo lotio, quod nullis vnquam remedijs po-
tuit euocari,poſt obitum ſecti fuere, & reperti ſunt
duo pręgrandes lapides in renibus, qui impulſi fuerāt
verſus originem vreterum, & erant duri admodum
colore mixto ex nigro, & uiridi, pręceſſerant autem
renalęs dolores. Alium etiam vidi,qui diu ęgrotaue-
E rat in quodam hoſpitali,in cuius cadauere, cum illud
ſecaremus,inueni pręgrandem lapidem triangularē
ſimilē fructui quē tribulū appellant, qui à natura im-
pulſus fuerat uerſus vrateras,illoſq; pforauerat, imo
dilacerauerat. Sed de his renum affectibus, qui uel
in calculum, uel in tumorem aliquem alium pręter
naturam in eis exortum referendi ſunt, ac de eorum
cauſis, uel ſignis nihil in pręſentia dicemus, cum ad
tractationem priorem,quę de renum affectibus inſti
tuta eſt, hęc omnia ſpectent,ſicuti etiam ſpectat ratio
illos curandi. De intemperaturis uerò renum non
egimus quidem particulatim,ne tempus cōteramus,
quia de illis agemus,ubi de diabete ſermonem ſumus
habituri. Vnde reliquum eſt,vt de ſuppreſſione vrinę
in pręſentia verba faciamus, quę omnem cauſam, &

occaſio-

occaſionem ab aliquo proprio uitio in ueſica contracto habuit, ſicuti fit quando vrina ſine illo impedimẽto in ueſicam vſque defertur, neque tamen à ueſica excerni poteſt, ſed uel inuita natura continetur, & tũc propriè retentio hæc ἰσχούρια à Græcis dicitur. Nam quamuis etiam ob ſuperiorum partium aliquod (vt diximus) vitium vrina non emittatur, ea tamen affectio, uel hoc ſymptoma (vt 2. de cau. ſympto. teſtatur cap.5. Gal.) non propriè iſchuria dici conſueuit. Sed ut de renibus dictum à nobis eſt, ita & de veſica dicẽdum eſt, nempe quod multæ ſunt cauſæ, quæ veſicam impediunt, quo minus poſſit vrinam effundere, uidelicet, aut quia vires, quibus utitur ueſica in expellẽdo, adeo imbecilles factæ ſunt, & quaſi emortuæ, vt nõ poſſint vrinam exprimere, aut quia in uia eſt aliquid, ꝙ eius tranſitum impedit. Sed prior ratio ad ueſicam attinet ratione, qua ex ſimplicibus partib. conſtituta eſt, & vitiari poteſt eius conformatio, nam affectus is, qui hoc pacto exitum vrinæ impedit, morbus propriè eſt in via. Sed quia quæ ſimplicibus particulis attribuuntur, priora ſecundum naturam, & ſimpliciora ſunt, ideo de illis prius agemus. Reuocandum tamen in memoria eſt, quod diximus in priori capite, quod tria neceſſaria ſunt ad hoc, ut commoda, & opportuna fiat urinæ excretio, primum ſenſu per quem percipiatur ſtimulus urinæ irritantis expultricem facultatem, vt inſurgat appetẽtia excretionis, deinde robur vtriuſque facultatis mouentis ueſicam ad expreſſionem, nẽpe & animalis, quæ muſculis abdominis ad hoc opus tanquam inſtrumento utitur, atque naturalis, quę (vt diximus) vtitur fibris, præſertim tranſuerſis. Vnde quæcunque harum facultatum lædatur, fit impedimẽtum excretioni urinæ, & ſenſus quidem ueſicæ auſertur ex aliquo uitio in neruis, qui ſenſum veſicæ impertiuntur, ſicuti in paralyſi, & ſtupore, aut totius corporis, aut particularum pertinentium ad ueſicam, ita etiam, ſi deficiant muſculi uentris, qui & ipſi præſertim ob paralyſin, ſtuporem, uel apoplexiã ſolent deſtituti à ſua functione. Memini enim me uidiſſe Venetijs nobiliſſimum quendam patritium Venetum, cui poſt reſolutionem utriuſque cruris immo totius inferioris partis corporis ferè a lumbis infra, ſuppreſſa eſt vrina & veſica adeo vrina repleta intumuit, ut putarent nonnulli medici eum inflammatione, vel ſcirrho fuiſſe arreptum, ob paralyſin vero nullum percipere dolorem. Sed tandem ego accedens, & comprimens vtriſque manibus, & illis cancellatis uentrem inferiorẽ, expreſsi urinam, donec fuit inanita ueſica, ac deinde per plures dies non poterat niſi in hoc modo extrahi vrina, quę (vt tunc exiſtimaui) habebat retentionis duplicem cauſam ex vna, eademq́ue occaſione procedẽtem, ſtuporem neruorum, qui ſenſum veſicæ auferebat, & reſolutionem muſculorum abdominis. Non minus etiam interdum intercipitur exitus urinæ ex imbecillitate, & languore expultricis facultatis naturalis in ueſica, cuius inſtrumenta ſunt fibræ præſertim tranſuerſæ, ex quibus intertexta eſt eius tunica propria. Fit autem imbecillis hæc facultas, aut ex aliqua intemperie, præcipuè verò frigida, uel humida, interdum tamen, & ex nimia eius repletione, & diſtenſione, ſicuti quando diutius vrinam detinemus, uel quia alijs negotijs intenti, neque ſtimulum, qui nos ad mingendum incitat, ſentimus, & mingere obliuiſcimur, vel etiam ſponte, & ex deliberatione vrinam retinemus, uel ob verecundiam pręſentium, uel ob rationẽ quampiam aliam, laxiores enim fibræ fiunt, tum ex diſtentione à nimia ueſicæ plenitudine, tum uero ex nimia continentia, ac ita languidiores, unde difficilior deinde fit vrinæ expulſio. Retinetur etiam vrina interdum ex aliquo vitio in vijs per quas fit expulſio vrinæ, vt in meatu, qui eſt in ceruice ipſius ueſicæ, & per

A tingit ad meatum penis, vſque ad extremam glãdem, quod quidem vitium corrumpit naturalem illius particulæ ſtructuram, & conformationem. Vitium autẽ illud eſt, uel conſtrictio, & anguſtia meatus, uel eius obſtructio, & obturatio. Fieri autem poteſt aſtrictio, & anguſtia, aut ex ariditate, quod maximè fieri poteſt in ardentisſimis febribus, quemadmodum enim ſæpe videmus, quod ex nimia oris ariditate, non poſſunt (vt 3. de ſympt. cau. teſtatur Gal.) neque loqui, neque cap.2. etiam expuere, niſi prius os humectetur, ita exſiccata nimis veſica, uel eius meatu fit mictus difficilis, nam & propterea creatæ adenoſæ quædam glandulę vtrinque adhærentes, vt 14. de vſu part. ait Gal. quæ hume cap.2. ctant, & quaſi deliniunt eas particulas, quæ cum ex B ſiccitate areſcunt, fit difficilis mictus. Aut fit anguſtia ex aliquo tumore pręter naturam ſuborto in meatu, vel in locis ad illum pertinentibus, ut eſt inflammatio, uel alius alioquin tumor frigidus, aut caro ſuper excreſcens ex aliquo ulcere in veſicæ meatu, aut ex verucca, aut callo, vel cicatrice aliqua crasſiori. Obſtructio verò fieri poteſt à crasſis, & lentis ſuccis congeſtis, tum in collo veſicæ, tum in canali, per quem effertur vrina, item à grumo cõcreti ſanguinis, vel craſſioris puris, item à calculo in ueſica genito, quando incumbit ceruici, & origini meatus, per quem vrina excernitur, & facilius, frequentiusq́ue intercipitur vrinæ exitus, cum paruus eſt lapis, quam cum maior. Hę itaque ſunt affectiones, à quibus lædi poteſt vrinæ ex- C cretio, quæ ſi magnæ fuerint (vt eodem tertio de ſympto. cauſ. docuit Gale.) omnino urinam retinent, ſi autem leuiores eius exitum difficiliorem, & languidiorẽ reddunt. Quarum cauſas facilè quiſque ex præcedentibus percipere poterit, neque in illis explicandis videtur conterendum tempus, vnde ad ſigna earum exponenda ſermonem conuertemus, poſtea uerò ad curationis rationem. Primùm ergo inquirendum, & diſcernendum eſt, an ſuppreſſa ſit vrina ob vitium in veſica contractum, vel ob defectum ſuperiorum partiũ, nempe renum, & meatuum, & hęc diſcretio quidem recte fieri poterit, ſi conſiderauerimus primum, an aliquid præceſſerit, quod aliquod uitium in renib. fuiſſe contractum ſignificauerit, quia ſi renes uitio carue- D rint, neceſſe eſt à veſica pendere uniuerſam læſionẽ. Deinde conſiderandum eſt, an veſica vrina repleatur, uel inanis remaneat, quia ſi defectus ſit in ſuperioribus partibus, vrina ſuperius retinetur, nec ad veſicam deſcendit, vnde aliquãdo in renibus pondus ſentietur, & id ſi eſſet in eis, aut calculus, aut alia craſſa materia obſtruens, aut in loco infra renes, ſi meatus vrinarij eſſent obſtructi, quoniam ſi vrina eſſet ſuppreſſa ob imbecillitatem attractricis facultatis in renibus, non perciperetur aliquid, cum nulla, aut exigua fieret ad renes attractio. Sed ſi integra ſit omnis renũ actio, neque in eis ſit obſtructio, urina defertur quidẽ ad ueſicam, quæ cum deinde excerni nequeat, repletur, & intumeſcit veſica, vnde ſi tractetur pars infe- E rior ventris ſupra pectinem percipitur tumor manifeſtus, & tenſio interius veſicæ plenæ humoris. Quod ſi quis æneam fiſtulam intromittat, ac per eam effluat vrina, iam certior erit vitium omne in veſica eſſe, nõ in ſuperioribus partibus: vnde mox reliquum erit inquirere, quodnam vitium illud ſit. Primo autem de loc. affect. docuit Gal. hoc periculo facto cognoſcere, cap.1. an ex imbecillitate expultricis facultatis veſicę ſit ſuppreſſa vrina, nempe collocato ita homine, vt ceruix veſicæ decliuis ſit manu appoſita tumori in uentre inferiori excitato ex veſicę plenitudine, vel altera, vel vtriſque cancellatis, locus prematur, nam per compreſſionem expreſſa vrina excernetur. Sin autem ex ſtupore veſicæ ob aliquod vitium in neruis veſicę nullus ſtimulus erit nullum deſiderium mingendi. At ſi ob

ſtupo-

ſtuporem muſculorum abdominis,cum muſculi non A
ſolum iuuent ad excernendum lotium, uerum & ad
reliqua etiam (vt ſuperius fuit expoſitum) alui excre-
menta,non modo illis affectis difficilis,& impedita e-
rit urinę eiectio,ſed & alui excrementorum, & alia
pręterea officia omnia, quę ad muſculos pertinent.
Quod ſi ex uehemẽti ariditate, prẹſertim canalis,per
per quem urinam veſica excernit,ſpectandus primũ
corporis habitus,quia hoc non ſolet accidere, niſi il-
lis,qui maximè graciles emaciati ſunt, maximè uero
ſecundum partes uentris,deinde uerò conſiderandũ,
an cauſę pręceſſerint,quę potuerint plurimum partes
illas exſiccare,ſicut nimius labor,prẹſertim vt eſſet la
borioſa nimis equitatio, febres ardentes, vel longę.
Sed nihil magis poteſt abſumere humorem harũ par B
cap.11. tium, quàm vt 14. de vſu par.ait Gal.frequentior, &
nimia uenus, quia una cum ſemine lentus humor,
qui in adenoſis carunculis generatur, in venere ex-
hauritur. Tertio & hoc aduertendum, quod cum ex
ariditate meatus,quaſi collapſus ſit anguſtior,ut non
poſſit tranſituram vrinam admittere, illi, qui ita affe-
cti ſunt,nequeunt mingere,niſi multa collecta vrina:
nam multa deſuper cõfluens urina facilius canalem
aperit. At vero ſi ex aliquo tumore præter naturam
fiat ſuppreſſio,ſi quidem tumor ſit inflammatio, pri-
mum ſępius ſolent pręcedere cauſę aliquę manifeſtę
inflammationis,in quibus hę ſunt pręcipuę,plaga ali-
qua inſignis,contuſiove partium circunſtantium ve-
ſicę,& pręcipue eius ceruicis,ut ſunt fœmora,& alię C
inter ea partes: Ego ſępius vidi ſubortam eſſe ibi inflã
mationem ex importuna, & uiolenta intromiſſione
fiſtulę ęneę,concitato nimirum dolore,& ſubinde flu
xionẽ calidiorum humorum ad dolentem locum.
Sed & adſunt inflammationis ſigna,ſicuti dolor non
exiguus,continuus quidẽ,verum vehementior, quan
do locus comprimitur,percipiturq́; tumor in ea par-
te renitens comprimenti,pręterea uero & febris,ſi ta
men inſignis fuerit inflammatio,ſed ſi tumor frigidus
fuerit,vt ſcirrhus,fiet paulatim anguſtia vię,& diffici-
lis mictus, ſicuti hi tumores paulatim creſcunt,cũ ue-
ro aliquantiſper creuerit,percipietur aliqua grauitas,
introducta etiam ęnea fiſtula percipietur anguſtia, &
durities,quę efficient,ut difficilis fiat introductio fiſtu D
lę. Eodem modo etiam deprehendetur verruca,ſi in-
creuerit in eodẽ canali, adacta nempe fiſtula. Quòd
ſi vlcere pręcedente excreuerit caro, quę uiam urinę
claudat, primum neceſſe eſt pręceſſiſſe ſigna, quę in-
dicauerint vlcus fuiſſe contractum, ſicuti eſt dolor in
loco exulcerato,prẹſertim vero inter mingendũ, ſed
& puris aliqua excretio, uel ante excretam vrinam,
vel cum ea,pręterea uerò, & facto periculo ex ęnea
fiſtula certiores fieri de hac re poſſumus: nam primũ
dum fiſtula adigitur, dolor locum vlceratum indica-
bit, poſtea vero ex impulſu fiſtulę confracta ea carun
cula exibit quidem vrina, mox uero nonnihil etiam
ſanguis ſequetur, ſed & fruſtula aliqua confractę car-
nis conſequentur. Quando autem vrinę exitus ex E
obſtructione à materia congeſta, uel in canali vrina-
rio, vel ad eius initium intercipitur, ſi quidem ea fue
rit pituitoſa, craſſa, & lenta, cognoſcendum illud e-
rit reſpiciendo (vt 1. de loc.affect. docet idem Gal.)
ad anteactam victus rationem, nempe ſi & apta fue-
rit ad gignendam talem pituitam, deinde uero ſpectã
da eſt, & vrina ſi qua mingitur ſi ea alba, & cruda
fuerit, ſi reſideat in fundo huiuſmodi materia, ſi in
ea innatent quędam quaſi filamenta alba,aut fruſtu-
la iſtius generis materię. Sed ſępe impoſita fiſtula,
& educta ſecum talem materiam educet. Verùm ſi
ex concreto, & grumoſo ſanguine in ueſica fuerit ob
ſtructus meatus, cum ſanguis ille ſoleat, aut e reni-
bus effundi, aut ex ulcerata ueſica, rationi quidem

A videtur conſentaneum, quod fuerit,antequam con-
creſceret ſanguis aliquis cum vrina reiectus: quam-
uis(vt ibidem teſtatur Gal.)neque hoc ſit neceſſe:po-
teſt enim ex vlcere ueſica paulatim ſanguis,vt exit,
ita concreſcere, atque ita etiam cum è renibus in ue-
ſicam effunditur. Verum ait ille 6. de Loc.affe. quòd cap.4.
ſi ea ſymptomata obſeruauerimus, quæ ſanguinem
in veſica concretum ſolent conſequi, nunquam deci
piemur: nam ea & magna, & verenda ſunt:quin &
ad animi deliquium perducunt, facieique, & corpo-
ris pallorem, pulſusque paruus imbecillis, & creber
fit, conflictaturque ægrotus,& exoluitur. Sed & alio
experimento poteſt(ait ipse)res hæc explorari, nem-
pe exhibito aliquo medicamento in potu, quod cal-
B culos comminuendi vim habeat, & illo ex oxymeli-
te,aut etiam ſolo oxymelite. Sępe enim his ſanguis in
veſica concretus diſſoluitur, & cum vrina mingitur.
Præterea & fiſtulæ introductio nos de hoc poterit
certiores facere: nam neque fieri poterit, quin dum
extrahitur fiſtula, aliquid in extremitate appareat,
quod ſanguinem grumoſum ineſſe demonſtret. Vbi
autem non ſanguis, ſed pus concretum obſtruat, cũ
plerumque pus id aut è renibus defluat, ſi uel abſceſ-
ſus fuerit in eis ruptus, vel inſigne aliquod vlcus fue-
rit exortum,aut etiam itidem in veſica: neceſſe eſt ea
præceſſiſſe, quæ hæc vitia in eis fuiſſe contracta oſten
derint,nempe ſi anteaquam ſupprimi urina cœperit,
dorſum è regione renum indoluerit, poſtea uerò hor
C rores,rigoresque parui nõ ſine febre ſuperuenerint:
ſicuti aliquando(vt 6.de Loc. affect. ait Galen.) acci- cap.4.
dit, ut cum ſecundum veſicam aliqui doleant, mox
horroribus correpti,& febre ſint: alij in ſepto tranſ-
uerſo,thoraceque nõnulli in dextro præcordio, quæ
quidem ſuperueniſſe conſentaneum rationi eſt,quia
factus fuerit abſceſſus in loco dolente, quo deinde
rupto, pus fuerit inſtituto naturæ per renes expur-
gatum. Sed præter hæc, ſi quis obſeruauerit præ-
terea modum, quo pus excernitur, non parum illi
proderit ad cognoſcendum,unde effluxerit pus, quo
niam ſi pus ſolum interdum nulla intermixta urina
exeat,manifeſtum ſignum erit ſuppurationem fuiſſe
factam in ueſica, uel partibus ad eam pertinentibus.
D Sed ſi cum urina ſemper erit mixtum pus, pro ratio-
ne mixturæ poterit diſcerni locus, unde profluit, qa
ſi vrina fuerit turbata, & æqualiter cum pure mixta,
oſtendet a partibus ſupra renes conſiſtentibus pro-
dijſſe,in longa enim uia exquiſita illa mixtura fieri ſo
let. Cum verò inæqualiter mixtum eſt pus, & quaſi
per urinam innatans, in renibus pus id fuiſſe genitũ
oſtendit. Quamuis & inducta fiſtula poſſit,ut ſan-
guinem, ita etiam pus contineri in ueſica oſtendere,
non tamen oſtendit locum unde effluxerit. Sæpe e-
tiam cũ ex ulcere pus excernitur,cum urina effluunt
quædam ueluti ramenta,quæ quadam ſubſtantię pro
prietate oſtendunt locum affectum, nam quæ a ue-
ſica abraduntur, quaſi ſquamulæ quædam uidentur,
E a renibus autem quaſi carunculæ. Reliquum autem
eſt,ut & de calculo aliqua dicamus, qui & ipſe inter-
dum obſtruens meatum, urinæ exitum impedit. Si-
gna itaque calculi contracti in ueſica hæc ſunt, quæ
primo de Loc.affect. refert Galen. nempe urina cru-
da, & aquæ ſimilis, in qua ſabuloſa ſubſidere ſolent
pudendi prurigo, tum intenti, tum laxi,ut hic etiam
addamus, quod ſi inſignis fuerit lapis aliqua perci-
pitur grauitas in ueſica, & ſi aſper fuerit, ardor in
urinando, & interdum ueluti furfures ex abraſione
veſicę, in deſcenſu graduum, præſertim ſi per inſul-
tus fiat,dolor percipitur, & veluti contuſio in cerui-
ce ueſicæ. Verum cum ex calculo ſupprimit ortum ſi
ſuſpendatur ægrotus,vel attollatur cruribus, ac con-
cutiatur, cognoſcere ex eo licebit, quod ita facilè
fieri

fieri poterit, ut excuſſo lapide ex veſicæ ceruice, qui A meatum eius obſtruebat, vrina excernatur. Quod ſi neque hoc periculo ſemel, aut iterum facto reddatur vrina, poſtremo demiſſa fiſtula ænea in ueſicam poteris de hac re fieri certior, ac ſimul etiam opem laboranti afferre, quia & lapidem reperies, & repertum ea fiſtula à ceruice repellere poteris, ut mox vrina eijci poſſit. Sed ad rationem curationis horum affectuum, poſteaquam in illis ſatis ſumus vagati accedamus.

De ratione curandi, & ſuccurrendi illis, quibus ſupprimitur ruina. Cap. VIII.

PRo diuerſa ratione affectuum, à quibus pendet B vrinę ſuppreſſio, varia etiam eſt inſtituenda curatio, cum ſemper natura affectus modum curationis demonſtret. Vnde quando ob veſicę imbecillitatem, quæ facultati eius expultrici accidit, retentio vrinæ fit, cauſa imbecillitatis remouenda eſt (vt in præſentia de ea affectione ſermonem nõ habeamus, qua ſtupor, vel reſolutio muſculis mouentibus abdomen ſolet accidere, quia de his in uniuerſum ubi de ſtupore, & reſolutione neruorum fuit inſtituta tractatio ſatis egimus) & eadem eſt huius ratio, ſicut & reſpectu expulſionis inteſtinorum, & præterea is non eſt proprius veſicæ affectus, ſed conſenſu laborat. Idẽ etiam dicemus, quando veſica ex uitio neruorum ad eam pertinentium à ſenſu deſtituitur, proinde de pro C prijs veſicæ vitijs agendum erit. Remouenda itaque imbecillitas veſicæ erit quæ (vt ſæpius diximus) remouetur remota intemperatura, quæ illam imbecillitatem induxit. Et cum illa, & cum materia poſſit eſſe, & ſine ea, ſi fuerit cum materia, prius materia erit uacuanda, mox intemperies tranſmutanda. Materiam vero quomodo diuerſis medicamentis pro diuerſa eius natura oportet uacuare, ſatis ſuperque fuit ſuperius expoſitum. Cum autem iam citra materiam fuerit, ad immutandam impreſſam intemperiem erit accedendum, idq; contrarijs tam fomentis, quam cataplaſmatibus, interdum & inſeſſionibus. Et quia ab humiditate laxante, & molliente ſubſtantiam veſicæ id fieri ſolet, quæ aliquando cum frigore coniuncta eſt, D aliquando cum calore exſiccantib. agendum erit, tũ calefacientibus, tum refrigerantibus, prout res magis exigere uidebitur, tam ex herbis, & radicibus paratis medicamentis, quam oleis, & id genus alijs rebus: ſemper tamen aliquid aſtringens erit addendum, vt ſubſtãtiam veſicæ colligens illi robur addat. Particulatim verò harum rerum materiam non exponemus, earum ſiquidem ſylua magna deſcripta in libris medicamentorum reperitur, de qua, & nos ſuperius non ſemel egimus. Quod ſi ex ſicciori intemperatura, & ex ſqualore præſertim meatus ceruicis veſicæ ſit interceptus vrinæ tranſitus illi occurrere oportebit contraria ratione, nempe humectantibus, primũ quidem ijs, quæ victus rationem ſpectant, nimirum (vt quemadmodũ E docuit Gal. 14. Meth. victus inſtituatur,) quo refici, & plenius ali poſſit corpus, & ea exhibeantur, quæ boni ſunt ſucci, & humidum alimentum præſtant, quantũ verò ſpectat ad medicamentorum uſum, ea omnino erunt huic negotio apta, quæ humectant, & molliũt, quæq; ſunt ſubſtantiæ oleagineæ, & unctuoſæ, ut tamen, & balnea aquæ dulcis, in quibus maluæ folia, & radices altheæ pedesque, & capita veruecum incoquantur, non ſint alienæ, imo aptisſimæ ad hanc curationem. Quando autem vrina retinetur ob ſubortum aliquem tumorem in meatu, vel canali, per quẽ vrina tranſiens excernitur, duplex exurgit ſcopus, nã cum tumores, quicunq; illi ſint non posſint plerunq; tolli, diſcutiq; breui tempore, interim verò vrina con

cap.11.

tenta ſtimulans veſicam, & replens diſtendensq; tam tam afferat moleſtiam ſymptomataq; adeo moleſta concitet, ut tandiu eorum incommodum, donec curetur tumor ferri nequeat, ideo interim aliquid moliri oportet, quo dum curationem tumori adhibemus, extrahi posſit vrina, deinde & curationem tumoris aggredi. Commune autem ingenium, & remediũ ad extrahendam vrinam ſuppreſſam, quacunque de cauſa facta fuerit ſuppresſio, eſt fiſtula ęnea quam iuniores ſyringam Græco vocabulo appellant, qua per penem in ueſicam introducta, uniuerſa aqua educitur. Non multo autem negotio à peritis, & aſſuetis introducitur, quamuis ab illis, qui aſſueti minimè ſunt, dũ vi impellere uolunt, non exiguos errores fuiſſe commiſſos quandoq; vidimus; diſruptis. n. illis vijs, & ex dolore irritatis, concitata humorum fluxione, ingentes excitatæ fuere inflammationes, præſertim uero vſum fiſtulæ cauendum eſſe cenſuit Gal. 1. & 6. de loc. affec. in inflammatione, quia cum affectus is ſit doloroſus, plurimum exacerbaretur locus, & inflammationi cauſa eſſet incrementi. Cum ergo inflammatio intercipit exitum vrinæ, duo nobis ſunt imprimis conſideranda, primum quonam pacto procurandus ſit exitus vrinę, ne pręter alia incõmoda, quæ vrina diu retenta poteſt afferre, hoc ẽt accedat, quod diſtenſa veſica, dum à multitudine congeſtæ vrinæ repletur, maiores concitet dolores, & ſubinde inflammationẽ augeat: deinde uerò, vt curatio inflammationi adhibeatur. Primum itaq; procurare docuit Gal. 1. de loc. affe. fomentis ex aqua calida, & oleo: nam his ſolet ſubſidere tumor, & leniri dolor, vt facilius deinde vrina procedat. Ergo imperandum eſt ægrotanti, adhibitis fomentis, vt mingere nitatur, cui & miniſter opẽ hac in re ferre poterit ſi tumorem veſicę ſenſim deorſum verſus comprimat. Veruntamen tutius erit, antequã his manus admoueamus, ut reuellamus humorẽ confluentem ad veſicam, præſertim ſi corpus fuerit plenum, ea. n. quę laxant in initio, cum corpus plenũ eſt, occaſioni ſunt (ut tum alibi ſępe, tum uero in medicinali arte tradidit Gal.) cur maior ad locum fluxio cõcitetur. Vnde de propria curatione inflammationis ueſicæ ſermonem in pręſentia habeamus, quę eadem in uniuerſum eſt cum reliquarum inflammationum curatione: nempe ut ſtatim à principio reuellendo reprimamus fluxionem humorum ad ueſicam, reuulſio autem commodisſimè, & citisſimè fieri poteſt, ſi uena ſecetur, modo aut ętas, aut uires, aut aliud quidpiam eorum, de quib. non ſemel ſuperius egimus, nõ obſtet, non ſemper autem eadem ſecanda eſt, ſed pro ratione diuerſi corporis ſtatus, ſuperior, uel inferior erit ſecanda. Quamuis. n. Gal. ubiq; ferè uenas, quę ſub poplite ſunt, uel propè malleolos in affectib. uteri, ueſicę, & coxendice cędendas eſſe cenſuiſſe uiſus ſit, ſicut tamen in coxendice, & utero cum multa eſt copia ſanguinis in corpore, ad reuulſionem inſignem uenas à principio ſecandas eſſe uoluit ſuperiores in cubito, ut ſenſere etiam Paulus, Aetiuſque & alij ferè omnes antiqui, cum nulla posſit pręterea excogitari ratio diuerſa in affectibus ueſicę, ita putarem in his etiam uenam in cubito primum inter initia ſecandã, mox uero ſi opus pręterea, & deriuatione fuerit, eam quę in cruribus ſub poplite, uel ad malleolos eſt, pertundendam. Quibus peractis, particulatim localibus appellatis medicamentis erit agendum, ijſdem ſeruatis ſcopis, indicationibuſve, quę in alijs inflammationibus ſolent ſeruari; nimirum vt primum refrigerantibus, & aſtringentibus repellamus: deinde uerò digerentia repellentibus immiſceamus, poſtea inclinante inflammatione ſolis digerentibus utamur, tum fomentis, & illitionibus, tum etiam cataplaſmatibus, & his diuerſimode, pro ratione impetus,

cap.1.
cap.4.
cap.1.

& mul-

& multitudinis,caliditatiſque confluentis ad locum, A vt tamen & hic agamus,ſicut in aliorum viſcerum inflammationibus agendum eſſe docuere antiquiores medici, nempe ne medicamentis actu frigidis vtamur: nam veſicæ,& eius ceruicis ſubſtantia, quæ neruoſa ſatis eſt,& exanguis,a frigore actu lædi plurimũ poteſt: vnde calida potius ſunt adminiſtranda. Vt tamen & hoc addamus,quod ſi ſequamur antiquos(vt Auicen. ſecutus eſt Fen. decimanona) vſus eorum, quę refrigerant,& repellunt, non eſt vtilis,ſi longus fuerit,& multus,tum quia(vt idem teſtatur)facile induratur : propterea quod mẽbrum hoc (vt diximus) neruoſum eſt & frigidum:tum vero, quia morbus is (vt Aetius ex ſententia Rufi ſcriptum reliquit)acutiſſimus eſt,& ſæpe lethalis, nam cum augetur, ſym- B ptomata excitantur grauiſſima,& moleſtiſſima, præter acutam enim febrem, & ſitim vehementem, & vomitum bilioſum,& quandoque extremarum partium refrigerationem,linguæ nigredinem,& deliriũ, quæ ſunt & alijs multis interiorum viſcerum inflammationibus cõmunia,particulatim ſequitur (ut paulo ante diximus) urinæ exquiſita ſuppreſſio,nec modo vrinæ,verum etiam (vt Hippoc.2.Prognoſt.necnon & Galen. teſtantur) deiectionum alui,& dolor uehemens,qui præſertim dum non ſinit dormire,neque alioquin quieſcere,hominem interficit. Supprimitur vero aluus,tum quia tumor increſcens urinæ, & deiectionum tranſitum intercipit : vrinæ quidem, propterea quod replet meatum eius,deiectionum ve C ro,quoniam comprimit inteſtinum rectum: tum etiã quia hæc excrementa (ut ibidem Gal. exponit) dum tranſeunt per locum affectum,prę ſertim deiectiones alui,ſi aut duriores,aut bilioſæ ſint, dolorem non exiguum concitant ; vnde homo cum ſibi deijciendum eſt,a dolore deterritus non audet illam actionem aggredi,quo fit deinde, ut ſit neceſſe rem cito tractare cum ijs,quæ molliendo,& digerendo dolorem ſedare poſſunt, & præterea faciliorem exitum horum excrementorum parare ; ut ſunt ea, quæ nuper retulimus, nempe inſeſſiones, fomenta,præterea & clyſteres confecti ex materia eiuſdem rationis, ut aliquando (ſicut Rufus teſtatus eſt) cogamur & ſtuporem inducentibus, uti, quæ tamen per anum potius inij- D ciuntur. Auicenna uero Raſim ſecutus ait, quod ſi in veſicam per fiſtulã poſſet inter initia ſine multo dolore inijci mucillago pſyllij mixta ex lacte aſinę ; uel lac aſinæ cum aqua hordeacea : vtiliter inijceretur, hæc enim leniunt,& molliunt,refrigerãtque,& ſubinde dolorem ſedant. Cum vero res uenerit ad incrementum, lac aſinæ ex aliquo adipe, ſicuti eſt gallinaceus,ita ut in lacte aſinæ,uel muliebri calido indatur liquefacti adipis quantum uideatur poſse eſse ſatis, hæc enim maiorem uim digerendi habent. Laudant præterea ijdem caſiam Aegyptiam , hoc eſt ſi liquor niger ex ſiliquis extractus ex lacte muliebri diluatur, & inijciatur:quod quidem medicamentum Arabum inuentum eſt; cum Græcis : veteribus incognita fue- E rit id genus caſia, atque forſitan ad uſum eius in his affectibus fuere adducti a tranſitu, ut conſueuere empirici,à ſimili. Nam (ut teſtantur Arabes omnes) caſia uim habet reſoluendi calidas oris & pectoris inflammationes : immo uſus eius laudatur eadem de cauſa in podagris , & chyragris,calidis,ſi loca affecta liniantur hoc liquore:& cum (ut diximus) hæ partes inferiores, nempe anus , & quæ ad ipſum pertinent, naturæ multam habeant cum ore, & partibus ad illud attinentibus ſimilitudinem,ſimilem ferè medicamentorum rationem requirunt : quare neque mirũ deinde eſt, ſi caſia poteſt in his quoque inflammationibus eſſe utilis . Verum & id conſiderandum, quod quia fiſtulæ uſus(ut ſuperius diximus) non eſt admodum commodus ; quoniam propter anguſtiã,& obliquitatem uiarum poteſt affectas partes aſperare, & præſertim in uirili corpore,in quo (ut docuit Rufus) longior eſt ceruix ueſicæ,& meatus tortuoſior, nam in mulieribus ob breuitatem ceruicis facilior eſt, & minori cum moleſtia fiſtulæ introductio, propterea. Auicenna ait quod ſi dolor uetet, quo minus poſſimus hæc in ueſicam fiſtula inijcere, clyſteribus in aluum inijciantur,adeo enim coniunctę ſimul ſunt,& affines duæ hæ particulæ, ut per inteſtina poſſit uis medicamentorum ad ueſicam laborantem pertingere,ex hac autem connexione ſæpe contingit ut cũ inflammatur ueſica,conſequatur & teneſmus, conſentiente recto inteſtino cum ueſica. De uictus autẽ ratione non eſt,cur multa dicam,nam cum ueſicæ inflammatio eſſe ſoleat in morbis ualdè acutis , uictus ratio congruentis morbis acutis erit accommodatior , nempe quia tenuis ſit, imprimiſque abſtinendũ erit a uino,ſicut in pleriſque alijs acutis morbis. Et de hoc quidem affectu ſatis hæc in præſentia eſſe poteſt, cum multa ex ijs , quæ de inflammatione renum dicta ſunt,huc transferri poſſint, cum ferè ſimilis ſit huius , & illius curatio: niſi quod aliquantiſper fortiora medicamenta ueſica requirit. Verum quoniam inflammatio hæc,ſicut & aliæ ſæpe digeri & diſcuti nequit,quamuis omnia ex arte, & ratione fiant,ſed interdum ſuppurantur,& in abſceſſum tranſeunt , fiũt etiam tubercula interdum in ueſicę meatu,uel in ceruice eius, quę ſemper ferè ſuppurantur ; Ideo de his aliqua etiam ſunt dicenda, ut rem abſolutam habeamus. Id genus autem tubercula, cum ſuppurantur, aut cum uidetur inflammatio uergere ad ſuppurationem,procurandum,ut maturentur cito, & ſupputẽtur,ut deinde rupto abſceſſu effluat pus , ac mox expurgato pure ulcus detergatur , & mundum reddatur,& tandem (ut Auicenna teſtis eſt) ſimilis eſt horum curatio curationi tuberculorum extuberantiũ in renibus niſi quod medicamentis opus eſt ualentioribus in ueſicæ quàm renum tuberculis , ſi de illis loquamur, quæ bibuntur , aut deuorantur, nam alias etiam fuit expoſitum, quod quo longior uia eſt medicamentis,qua perueniendum eſt ad affectum locum, eo oportet illa ualentiora eſſe, quia ſemper in itinere aliquid uirium diſſoluitur. At uero cum urina ex duro aliquo , frigidoque tumore in ueſica ſupprimitur,ſicut ſimilia habet ſymptomata, & ſigna duro renum tumori , ita & ſimilis erit utriuſque curatio, nã utroque(ſi tamen inſignis fuerit) urina & interdum alui deiectiones retinentur , non eſt autem febris ſaltem uehemens , ut in inflammatione, neque dolor, ſed potius perceptio cuiuſdam quaſi ponderis ad pectinem, atque quaſi ſtuporis crurum perinde ut & in renum affectibus,niſi quod locus, quo pondus percipitur , diſtinguit, an in renibus an in ueſica ſit tumor. Ita & eadem ferè ratione curantur exterius quidem illitionibus,inſeſſionibus,cataplaſmatibus,mollientibus, & digerentibus,qualia ſunt , quorum & in hoc capite, & ubi de renum affectibus actum fuit, meminimus, præterquam quod in ueſicam poſſunt aliquando per fiſtulam medicamenta ad hunc ſcopũ attinentia inijci , non autem in renes. Interius uero medicamentis attenuantibus digerentibuſque , & urinam cientibus , ſicut ſunt ſemina nulli non nota . Quod ſi ex grumo concreti ſanguinis facta fuerit ſuppreſſio urinæ , ea erunt utilia, quæ uim habent diſſoluendi ſanguinem coagulatum , tam interius, quàm exterius , id autem præſtare poſſunt, quæcunque uim inſignẽ habent ciendi lotia & ſubinde quæ ualent ad comminuendos lapides . Vnde incipiendũ quidem ab oxymelite,utpote quod deſiccandi, & attenuandi uim habeat nec modo ſimplex oxymel,ue-

rum

rum,& ſcylitium,quod(vt & Auic.teſtatur) valétius, & fortius eſt ſimplici,ſed & quæ attenuant, & vrinã cient,iniecta per fiſtulam in veſicam poſſunt ſanguinem concretum diſſoluere. Coagulum autem leporis ab omnibus probatur,ſiue potui detur,ſiue inijciatur, ſiue foueatur locus eo diſſoluto ex aliqua aqua, vel aliquo decocto huic rei accommodato. Raſis vero laudat hepar aſini, & fel teſtudinis. Sed, & inſeſſiones paratæ ex decoctis, in quibus fuerint decocta ea medicamenta, quæ vim habent lapidem frangendi, & validè vrinam ciendi, de quibus habitus eſt ſæpius ſermo, ualde utiles ſunt. Eadem ferè curandi ratio eſt, quando vrina ſupprimitur ex puris craſſioris grumo,uel ex lenta, & craſſa materia obſtruentibus meatum,nam attenuantibus, & deſiccantibus, atq; adeo etiam cientibus lotia poteſt ea obſtructio aperiri,perinde, vt in eo concreto ſanguine. Sed illud eſt animaduertendum, quod ſi in ſuperioribus partibus fuerit cõgeſta multa craſſa, & lenta materia,vel craſſum pus copioſum, uehemens prouocatio urinæ poſſet non minus lædere, quàm iuuare dum multa deſfluente id genus materia, maiorem concitare obſtructionem, quam præſentem attenuando poſſet aperire, ideo tunc modeſtius eſſet agendum in cienda vrina,& interim,aut ad inteſtina per clyſteres, aut per moderatam purgationem deriuare, & attenuantis victus ratione eam paratioré, & tractabiliorem reddere expediret. Auicenna præterea in hoc affectu mirificè laudat uſum radiculæ,vel(vt Græci,& vulgares noſtri appellant)raphani,ſi vel eius decoctum demus bibendum, uel cum pane tanquam condimentum aliorum ciborum comedamus. Laudatur,& rubeorum cicerum ius, & tandem quæcunque, vel ſimplicia, vel compoſita medicamenta inſignem vim ciendi vrinam habent. Cum autem ex excreſcente molli aliqua carne, uel verruca obſtruitur,diximus iã poſſe extrahi vrinam adacta ænea fiſtula, qua & caro ſæpe frangitur, ut deinde pateat exitus urinæ ſaltem, quoad vſque iterum excreſcat caruncula, vnde expedit,vt mox per exſiccantia, & detergẽtia iniecta,mollior caro deſiccetur, & contrahatur, & aliquando conſumatur,ſicuti eiuſmodi excreſcẽtiæ intra nares, & alijs partibus ſolent conſumi,verrucæ verò,& ipſæ partim mollientibus, partim uerò attenuantibus, & detergentibus curari poſſunt. Reperitur tñ Petrus ſiuos Chirurgus natione Gallus Venetijs, qui candelis cereis, & meatum aperit ſine multa moleſtia, uel noxa,atque per eas candelas intromittit quodam medicamentum confectum ad formam mollis cuiuſdã vnguenti, quo conſumit excreſcentes has carnes, & in multis res illi feliciter ſucceſſit. Poſtremò cum vrina excerni nequit ob calculum obſtruentem meatum, huius curatio duplex eſſe poteſt,altera, qua tollitur prima,& præcipua cauſa, quæ lapis eſt, & eſt propriè curatio lapidis, nempe per quam, aut comminutus lapis cum urina excernitur, aut per ſectionem extrahitur,alius eſt modus curationis, quo id ſolum procuramus, ut vrina poſſit detrahi: quamuis id, quod cauſa erat, cur ſupprimeretur vrina, non omnino tollatur, uerum de eo loco dimoueatur, in quo meatum obſtruere poteſt, & aliò impellatur. At de hoc ſatis ſuperius egimus: docuimus enim, quod collocato homine ſupino, ipſum pedibus in ſublime attollimus, & pronum in caput commouemus, & quaſi concutimus; nam dum concutitur, & agitatur corpus calculus exturbatur ex priori loco, & uerſus fundum veſicæ defertur, Sed aliquando impoſita ænea fiſtula lapidem impellentes uerſus fundum adducunt. De uera autem curatione,quæ fit, aut comminuto lapide, aut per inciſionem extracto, non multa dicam,nam omnes in hoc conſentiunt, quod eadem

A eſt curatio, cum calculus in ueſica concreuit, ſicut etiam quando in renibus,niſi quòd fortiora, & ualentiora urinam prouocantia, attenuantiaque, & detergentia opportuna ſunt ad ueſicæ calculum atterrendum,quam ad eum, qui in renibus concreſcit,etenim quæ poſſunt ueſicæ lapidem infringere, eadem renalem infringent,non tamen omnia,quæ lapidem in renibus conterunt,poſſunt etiam eum, qui gignitur in veſica, comminuere. Ego vero (ſi velim ingenuè verum fateri) per quadraginta annos artem medicinæ exercui in numeroſiſſima ciuitate, nunquam tamen aut vidi,aut ab intelligente, & probatæ fidei uiro audiui fuiſſe vnquam lapidem in ueſica vi medicamentorum attritum, aut comminutum, quando iam in-
B duruit, & ad aliquam alicuius momenti magnitudinem deuenerit. Legi quidem in lib. medicorum tum antiquorum, tum recentiorum multa deſcripta medicamenta, tam ſimplicia, quam compoſita, quę tanquam potentia lapidem veſicæ frangere laudantur, ſed de eis illud dici poſſe mihi videtur, quod à Gal. 4 de comp. med. ſec. loc. de medic. quæ ad ſuffuſiones oculorum ab antiquis deſcripta reperiuntur, literis traditum legimus, nempe quod medicamenta illa ſi illis attenderimus, quæ de ipſis prodidere auctores, multa, & magna pollicentur, ſed ſi ad effectus reſpiciamus, vel nihil eorum, quæ promiſerunt, uel exiguum admodum præſtant: Immo ego hoc obſeruaui, quod illi ſæpe, qui putarunt ſe curaturos hunc affectum me- cap. 4.
C dicamentis, & vſi ſunt illis, quę ualenter lotia ciere poſſunt, tum calefaciendo, tum etiam omnia excrementa, præſertim quæ acriora ſunt ſicut ſeroſa, & ichoroſa conuertendo ad uias urinæ, eam adeo acrẽ, & mordacem reddidere, ut tantum ardorem, & eos concitauerit dolores, quos deinde febris conſecuta eſt, vt hominem interemerint, & proinde neque de his longiorem ſermonem habere inſtitui. Nam ſi quis quænam ea medicamenta ſint percipere uoluerit, poterit & apud Gal. 9. de comp. med. ſec. loc. & apud Auic. Fen. 19. alioſque omnes medicos nõ modo priſcos, uerum & recentiores legere, quia in hac re nolumus tempus vlterius conterere. De curatione vero, quę per inciſionem, & extractionem lapidis fit, cũ
D ea fiat per quoſdam priuatos chirurgos, qui huic ferè rei operam particulatim nauare ſolent, ideo neque in ea exponenda ero multus. Sed hoc duntaxat dixero, quod ea operatio magna eſt, difficilis, & non ſine maximo periculo, non modo propterea, quia ardua, & maximè, ita dicam, crudelis ſit, uerum etiam, quia ab hominibus duris, & alioquin rudibus, & ignaris exercetur, qui omnes uno eodemque modo tractant, & tandem ſine vlla methodo agunt, vnde bene actũ cum illis putandum eſt, qui liberi ab eorum manibus euadunt. Sed de his ſatis, ad alios affectus ad hanc tractationem pertinentes ſermonem conuertamus.

E *De affectibus pertinentibus ad corruptam, ſeu uitiatam actionem veſicę, primumque de difficultate mingendi quam, δυσουρίαν, & ſtillicidio, quod στραγγουρίαν Grę- ci vocant. Cap. X.*

DVpliciter poteſt in vniuerſum corrumpi, vel vitiari excretio vrinę, ut & ſuperius innuimus: nimirum, vel ratione immodicę quantitatis effluentis urinę, quę contineri à ueſica minimè poteſt, ſicut & immodicum alui profluuium eſt uitiata (vt diximus) vel corrupta inteſtinorum actio, & hũc affectum, à quo in hunc modum uitiatur actio Grę- ci διαβήτην (vt Galen. ſexto de loc. affect. tradidit) cap. 3.
vel hydropem matellę (vt idem primo de Criſi te- cap. 1.

ſtatus

ſtatus eſt) appellarunt, vel vitium eſt ratione modi, A
quo vrina excernitur, quia vel guttatim mingitur, vel
cum dolore, ardoreve, vel cum difficultate, & labo-
re, multaque expreſſione, & conatu. Priorem affe-
ctum (vt 5. Aphor. ait Gal.) Græci ςραγγυρίαν, alte-
com. 35. rum δυσυρίαν Latini verò ſtillicidium priorem, diffi-
cultatem vrinæ alterum appellauere. Sed ne rem cō-
fundamus, primum de his duobus poſterioribus aga-
mus: deinde & de incontinentia vrinæ agemus. Quo
niam autem hæc omnia, ſi ad vim vocabuli reſpiciā-
mus ſymptomata ſunt; actiones ſiquidem læſæ: affe-
ctus autem ſunt cauſæ, cur illæ lædantur: neceſſe er-
go eſt hos effectus in proprias cauſas referre, quia af-
fectus ille eſt, qui curationis rationem nobis poteſt
cap. 4. demonſtrare. Fit ergo (vt idem 6. de loc. affect. do- B
cuit) vrinæ ſtillicidium vel propter acrem, & morda
cem vrinæ naluram quæ veſicam ſtimulat, & irritat
ad expellendum, & illam cogit excernere paulatim,
ſicut recipitur, neque permittit illam tandiu morari
donec inſignis copia colligatur: vel propter infirmi-
tatem facultatis contentricis in veſica, quæ adeo lan-
guet, vt nequeat, vel exiguum quodpiam onus ferre,
ſed ſtatim id deponere cogatur. Vnde ſecundū prio-
rem affectum veſica laborat, non ex proprio eius vi-
tio, ſed ex alieno, vt nunc dicemus: alterum vero pro
prium eſt eius vitium. Sed fit quoque, cum ſtillicidiū,
tum etiam vrinæ difficultas ex alijs veſicæ affectibus,
partim proprijs, partim vero veſica cum alijs labo-
rantibus particulis conſentiente. Proprijs quidem, C
com. 16. quia (vt 3. Aphor. ait Galen.) & ex vlcere in ueſica cō
tracto poteſt ſtranguria, & dyſuria excitari, ratione
vrinæ ulceratas partes pungentis: preterea & ex ery-
ſipelate, inflammationeque & abſceſſu in veſica con
citatis, dum vrina loca affecta ad excernendum adi-
git, inſuper ſi ea recte perpenderimus, quæ 3. Aphor.
tradidit Galen. & ex refrigerata veſica poteſt ſtillici-
dium vrinæ concitari: immo & experientia huic atte-
ſtatur, quia frequentiſſimè mingimus, cum frigus per
peſſi ſumus: quod etiam 7. Aphor. confirmat Gale.
com. 22. vbi ait fieri ſtillicidium ob imbecillitatem facultatis
contentricis, quæ præſertim intemperaturam frigi-
dam ſequitur. Sed & vitijs aliarum partium, cum
quibus conſentit veſica, poteſt (vt tum Hippoc. tum D
Galen. 5. Apho. tradidere) fieri & ſtillicidium, & uri-
com. 48. næ difficultas, præſertim vero ex inflammatione ute
ri, & inteſtinorum, & hoc quidem duplicem habet
cauſam: nam affinitate, & uicinia ueſica fit inflam-
mationis particeps, & præterea intumeſcentibus his
duabus particulis, comprimitur veſica, ſicut & præ-
gnantibus accidit, quando fœtus grandior fit, parum
enim, & ſæpe mingunt, ſolent autem tam dyſuria,
quàm ſtranguria facilius autumno, quàm alijs tempe
ſtatibus concitari, ut eodem tertio Apho. Hippoc. &
Galen. docuere, & ætati ſenili, & flantibus aquilona-
ribus ventis. Nam cum ex refrigeratione veſicæ, qua
imbecillior redditur expultrix in ea facultas, quando,
aut inflammatione, aut ex abſceſſu, vel ulcere occa- E
ſionem non habet, vel ex acrimonia vrinæ, ut paulò
ante dicebamus, fiunt plerūque hi affectus, ſenectus
quidem ſuapte natura frigida eſt, in qua & particulę,
quæ exangues ſunt, & alioquin natura frigidæ frigi-
diores alijs euadunt, ſed & eædem facile a uentis ue-
hementer refrigerantibus, quales ſunt boreales, qui
facile uſque ad intima penetrant, male afficiuntur.
Autumnale uero tempus duplici nomine propenſa
reddit corpora ad hos affectus, primum, quia inęqua
lis iſtius temporis conſtitutio, ut uniuerſum corpus
imbecillum reddit, ita longe magis frigidas, & exan-
gues particulas: plurimū.n. eas male habet uaria hęc,
& repentina mutatio, tum ad colorē, tum ad frigus,
preterea uero & ob id, quia Autumno multa conge-

A ritur copia acrium, & vitioſorum humorum, unde
6. Aph. ait, Autumnum ex proportione reſpondere com. 55.
morbis ex vitioſis, & corruptis humoribus excitatis, aph. 9.
& 3. eiuſdem operis Hipp. ait, in Autumno fieri mor
bos grauiſſimos & acutiſſimos, nam bilis, & exuſtus
humor, cæterique uitioſi humores in æſtate geniti vi
caloris, ad cutem ab eodem calore euocantur, & per
eam rariorem itidem a calore factam (ut eiſdem in lo
cis docuit Galen.) facilius digeruntur, & difflantur,
atque ita vacuantur. At Autumno præter id, quod ex
inæqualitate, & inconſtantia temporis huius uires
omnes fiunt imbecillę, humores, qui ęſtate euocati
ad cutem facilius difflati vacuabantur, a ſuperueniē-
te frigore in Autumno repelluntur in interiora ui-
B ſcera, cui & id accedit, quod cutis ab eodem frigore
denſata, & conſtipata ineptior ad difflationes reddi-
tur. Congeſti itaque uitioſi humores, ſi per urinam
à natura impellantur, illam efficiunt acriorem, atque
hac de cauſa Autumnus ſolet hos affectus progigne-
re. Nullum autem ſermonem de horum affectuum
cauſis habebimus; nam & ex his, quę hactenus expo-
ſuimus, & illis quę ſępius ſuperioribus libris tractata
ſunt, facilè quiſque uel leuiter eruditus percipere po-
teſt quę ſint cauſę acrimonię urinę, imbecillitatis ex-
pultricis facultatis, ulceris, inflammationum eryſi-
pelatis, reliquorumque tumorum, atque itidem de
ſignis dicemus. Vnde hoc duntaxat expoſito, quod a
Galen. 7. Apho. acceptum eſt, nempe, quòd ſi cum ea com. 48.
C rum partium dolore ſit urinę difficultas, neceſſe eſt,
ut occaſionem habeat uel ex inflammatione, uel ex
abſceſſu, uel ex ulcere, uel ex inęquali aliqua intempe
ratura uel ex ſpiritu aliquo flatuoſo in illis partibus
incluſo, ſed citra dolorem, ſed ſi laborioſo, & multo
conatu fiat excretio urinę, occaſionem habet uel ex
facultatis excretricis infirmitate, uel ex aliquo ſubor-
to tumore pręter naturam in meatu ceruicis ueſicę,
conuertemus ſermonem ad rationem hos affectus
curandi. Sicuti difficultatis urinę, & ſtillicidij multi-
plex cauſa eſt, ita multiplicem oportet eſſe curatio-
nis rationem, & primum quidem hoc eſt animaduer
tendum, quod & antea ſępe monuimus, nimirum
quod quando hoc non ex proprio ueſicę vitio contin
D git, ſed ea cum alijs conſentiente, ratio curationis nō
a ueſica petenda eſt, neque illi alioquin curatio eſt ad
hibenda, ſed illi particulę, cum qua conſentiens ue-
ſica lęditur, & proinde de his agere non pertinet ad
pręſens inſtitutum. Cum uerò uitium proprium ue-
ſicę eſt, ſi quidem eius uel inflammatio, uel eryſipe-
las, uel abſceſſus, uel alius aliquis eius tumor, eadem
erit adhibenda curandi ratio, quam ſuperiori capite
expoſuimus, nam in eo de omnibus abundè egimus
itidem etiam ſi ab intemperatura frigidiori contra-
cta in ueſica illis enim tractāda curatio erit, quę uim
calefaciendi habent, tam cibis, & potu, quam alia
medicamentorum ratione. Vnde eodem loco Ga-
lenus ſententiam Hippocratis exponens, quòd me-
E raci uini potio poteſt urinę ſtillicidium curare, ait hoc
imprimis uerum eſſe, cum ab intemperatura frigi-
diori fuerit lęſa ueſica, nam ſi ex inflammatione, uel
ex alia ratione, pręcipuè uero ſi cum plenitudine
corporis fuerit potius uenę ſectio illi pręſidio eſſe
poterit. Sed de eius curatione, quę uel ex vlcere,
uel ex calidiori tumore pręter naturam ortum ha-
bet nihil eſt, cur in pręſentia uerba faciamus, cum
priori capite ſit actum. In remouenda ergo frigida
ueſicę intemperatura erit calidis inunctionibus u-
tendum, calidis item fomentis, & calidis catapla-
ſmatibus, necnon & calidis inſeſſionibus, de quibus
etiam neque multa dicemus; cum antea, & ſępe de
his ſit copioſus ſermo habitus. Vnde reliquum eſt,
ut de his tractationem inſtituamus, quando occa-

ſionem habent ex acritudine vrinę. Vbi & hoc conſiderandum, quod ſemper vrina alicuius acrimonię particeps eſt, nã vrina ex humore ſuperuacaneo eorum, quę bibuntur excreto eo à parte utili, qua alendum eſt corpus, ut 10. de facul. ſim. med. docuit Gal. tanquam ex materia propria ſuum habet ortum, cui tamen aliquis ichor bilioſus admixtus eſt, qua ratione & ſudor generatur; ſeorſum enim humor, qui reliquus eſt ex ſecunda concoctione, partim attractus à renibus in ueſicam, mox excernendus depellitur, partim uerò cum ſanguine, & reliquis humoribus per uenas in uniuerſum corpus digeſtus, per ſudorẽ uacuatur. Vnde vterque is humor & ſalſedinis particeps eſt, & leuiter ſubamarus, nec ſolum ſapore acritudinem oſtendit, ſed etiam odore, acris enim odor ab urina, ut & à ſudore ſpirat, unde ſi urina aſpergamus ulceratam aliquam partem, mordere nonnihil eam uidetur. Magna tamen eſt in urinis diuerſitas, ut ibi expoſuit idem Gal. & id prò diuerſitate temperaturę, & ętatis, nam ſenum urina acrior eſt, utpote quia ſalſus, & ichoroſus humor copioſior in ętate gignitur, item in bilioſis naturis, dum tamen corpus bene habet, urina ſine ulla moleſtia excernitur, quia & urina ita eſt in his qualitatibus mediocris, ut non modò non ſit moleſta eius excretio, immo dum leuem ueluti quendam modica ſua acritudine pruritum excitat, quaſi delectamur eius exitu, dum mingimus. Prętẹrea uero & uię, per quas fertur, non lædũtur, tum quia integræ ſunt, tum uerò quia pręuidens natura aliquando id commodum poſſe ſequi, ſi iuſto fiat acrior urina, appoſuit quaſdam glanduloſas carnes ad ceruicem veſicę, quę lentum, ſed non admodum craſſum gignunt humorem, quo aliquantò demulcetur acris is humor, præter id, quòd etiam eo illitę uię, per quos tranſit urina, facilius ferunt citra morſum eius tranſitum. Cum ergo vrina plurimum mordet, id ab aliquo horum occaſionem habet: nempe quia aut vrina acrior facta eſt, vel propter malam uictus rationem in cibis, & potu, qui plurimum iecur, & renes calefaciunt, aut quia cibi, uel potus ingeruntur, qui poſſunt acres humores generare, & genitos reddere acriores, ut ſunt cibi ſalſi, uel acres, & tandem quæ ſanguinem urere, et attenuare poſſunt. Similiter autem, & motiones corporis, & exercitationes, quibus cum uniuerſum corpus, tum uel maxmè iecur, & renes excalfiunt: Aliquando uerò non tantum id ab urina, quia ſe ipſa ſit facta ex ſe acrior, petendum eſt, ſed ab aliquo humore alioquin acriori, qui cum ipſa fuerit mixtus; ſicut eſt aut pituita ſalſa, aut bilis, aut pus aliquod effuſum à renibus, uel ueſica. Tertio uero fit is morſus, quem iuniores Arabes ſequentes ardorem urinæ nuncupant, quando uię urinæ exſiccatę ab eo humore deſtituuntur, quem gigni in adenoſis illis carunculis diximus, quæ ceruici ueſicę aſſident. Exſiccantur autem uel ex nimia, & frequenti uenere, ex uenereo enim congreſſu plurimum illius humoris excernitur, uel ex nimia ariditate, & macie corporis. Vnde pro ratione cauſarum inſtituenda eſt curatio, nam primum auferendę ſunt cauſæ acritudinis urinę, ſi illa ſit ſe ipſa acrior facta, quia ſi id ortum habuerit ex erroribus in uictus ratione commiſſis, corrigendi erunt errores illi, & victus ratio mutanda eſt tam in cibis, quàm in potu, & in motionibus, ad eam, qua deliniri poſſit urinæ acrimonia, ita ut ſalſa, & acria omnia, & quę calida, & nitroſa ſunt, uitentur: ea uero, quę humectant, adhibeantur, & quæ lenitate quadam prædita ſunt, quęque ſanguinem bonum, & temperatum generant, ut ſunt oua recentia, carnes pullorum gallinaceorũ, hœdorũ, uitulorũ, piſces etiam, qui laudantur, dũmodo aut frixi nõ ſint, aut multo ſale, aromatibuſve aut rebus validè vrinam cientibus non condiantur. Olera vero congruentia ſunt lactuca, portulaca, endiuia, oxalis, a triplices, & id genus alia. Aceto careãt, vel modicè vtantur. Fructus verò ſint pruna, perſica ceraſa etiam, ziziphę in primis, myxa a Græcis dicta, ab Arabibus ſebeſten, mala dulcia, cucurbitæ, cucumeres, ſed neque malus eſt modeſtus vſus peponum, & melopeponum, quamuis enim habeant vim ciendi lotia, nullam tamen acrimoniam habent, prętẹrea in ferculis far, & hordeum. Vinum autem ſit neque potens, & calidum, neque auſterum, ſed leue, & ſubdulce. Quòd ſi prætẹrea corpus videatur redundans vitioſis, & acribus humoribus, purgandum illud erit, ſed prudenter id agendum, vt a valentiorib. medicamentis, & acrioribus abſtineamus, utamur autem leuibus, & lenientibus, vt præcipuè caſia Aegyptia eſt, deinde & manna, ſerum etiam lactis, præſertim caprini, uel aſinini, immo & ipſum copioſè bibitum. Sed in compoſitis, quæ huic negotio poſſunt utilia eſſe, eſt medicamentum, quod iuniores noſtri diaſebeſten appellant, item & quod diaprunon, quod non ſolutiuum vocant, nempe cui nondum additum ſit ſcammonium. Syrupi uero, qui vtiles eſſe poſſunt in hoc affectu, ſunt violaceus, & qui ex ziziphis, uel iuiubis conficitur, & qui ex endiuia, ex oxalide, ſed & qui ex papauere quandoque utilis eſt, & qui ex portulaca conficitur, & decocta ex eiſdem ſimplicibus additis liquiritia, & ſebeſten, flores etiam, & folia maluæ, & radices altheæ ad hunc eundem ſcopum pertinent. Aliquando uero ſæuitia doloris, vel ardoris cogit medicum localibus uti remedijs, quæ inijcienda ſunt fiſtula ænea, ad deliniendam aſperitatem & acritudinem, & abraſionem excitatam a mordaci urina. Accommodata autem huic rei ſunt primum album oui conquaſſatum ex aqua roſacea illi addita, lac etiã uel muliebre, maximè verò ſi ex partu fuerit edita fęmella, aut aſininum, aut caprinum, ſed & ſuccus portulacæ, vel plantaginis. Ex compoſitis vero, optimum illud collyrium eſt, quod ſief album Arabes, & noſtri iuniores vocant, iniectum ſine opio, quamuis interdum & cum opio vti cogat nimia acris humoris, & doloroſa modeſtia. Quod ſi ex exſiccatione, & defectu illius humoris fuerit eiuſmodi noxa contracta, ratione præſertim victus reficiente, & humectante erit negotium tractandum, ab alijs verò medicamentis abſtinendum præter ea, quæ humectationem adiuuant, tam interius, quã exterius adminiſtrata, ut ſunt illitiones ex oleo violaceo, amygdalino, adipe gallinaceo, butyro recenti, mucillaginibus nuncupatis, ac id genus reliquis, itidemque & cataplaſmatibus eandem uim habentibus, partibus pectinis, ac perineo adhibitis; Sed & iniectis illis, quorum nuper meminimus, per fiſtulam æneam poterunt iuuare. Præterea uero & clyſteres ex ſimili materia confecti poſſunt eſſe utiles.

De incontinentia vrinę, & de affectu, qui διαβήτης dicitur. *Cap. XI.*

POſtremo & de importuno vrinæ profluuio ſermonem habeamus, ſiue id ad multam copiã excretæ vrinæ ſit referendum, ſiue ad incongruens tempus mingendi, nempe quia nequeat retineri vrina vſque ad tempus congruens, & inſtitutũ: ſicut illis accidit, qui vrinam continere nequeunt, ſed vel inuitis, uel non aduertentibus urina effluit: interdum dormientibus, vt illis euenit, qui in lecto mingunt, nonnunquam vero & vigilantibus. Porro autem, quia ad excrementum ſeroſum, quod vrinæ materia eſt, excernendum duo viſcera (vt aliàs diximus) inſeruiunt renes, & veſica, importuna hæc vrinæ effuſio, tum in renum, tum in veſicæ uitia referri

ferri poteſt: ſed de veſica prius verba faciamus. Cum
ergo duplici veſica vtatur facultate ad continendam
vrinam, altera naturali, cuius inſtrumentum ſunt fi-
bræ, quibus intertexta eſt ipſa veſica: altera vero, quã
medici animalem appellant, cuius inſtrumentum eſt
muſculus circumcirca complectens ceruicem veſi-
cæ; ſi quidem lædantur hæ facultates, vrina detineri
de more nequit, ſed nobis etiam nolentibus neceſſe
eſt, vt effluat; vel ſi aliquid etiam in vrina ſit, quod ni-
mirum irritet facultatem expultricem, fit vrinæ ex-
pulſio præter noſtrum inſtitutum. Lædunt autem fa
cultates inſtrumentorum affectus, nempe cum ſub-
ſtantia veſicę, aut muſculus aliquam intemperiem cõ
trahunt, præſertim vero frigidam, item & humidam;
nam immodicum frigus ferè extinguit natiuum calo
rem ipſius veſicæ, quæ alioquin frigida, neruoſæque
ſubſtantiæ, & exanguis eſt: humiditas etiam laxat, &
emollit fibras, quibus in continendo vtitur, atque hoc
modo læditur facultas naturalis, quæ detinet. Anima
lis quoque, cuius inſtrumentum eſt muſculus, ex fri-
gore conſtipante, & denſante fibras neruorum, ex
quibus compoſitus eſt muſculus, læditur; vt ſpiritus,
qui quaſi vehiculum ſunt facultatis motricis, per eas
deferri nequeant, & humore aut laxiores, & mollio-
res aliquando redditę, vel etiam repletæ fiunt ineptũ,
& inutile inſtrumentum. Sed & alia ratione poteſt
huiuſmodi muſculus malè affici, nempe obſtructis
neruis, ſicut fieri ſolet in paralyſi, vt ſubinde virtuti
præcludatur tranſitus ad mouentes muſculos: & ali-
quando reſolui poteſt ſolus is neruus, qui huic muſcu
lo proprius: ſæpius verò ſequitur obſtructionem, &
paralyſim priorum neruorum, a quibus hic deriua-
tur, & ortum habet. Interdum verò reſoluitur is mu-
cap.4. ſculus, ſi id accidat, quod Galen. ſexto de Loc. affect.
accidiſſe cuidam narrat, cui ex luxatis vertebris ſpi-
næ inferioribus è regione veſicę comprimebatur ner
uus proprius ad hunc muſculum pertingens, aut ſi
alioquin ſit malè affectus. Sed nos & alia interdum
ratione obſeruauimus vitio iſtius muſculi factam eſ-
ſe vrinæ incontinentiam, & id, quando muſculus is
tranſuerſus, aut reciſus, aut dilaceratus eſt: quod ali-
quando in ijs fit, quibus lapis veſicæ extrahitur, cum
prægnandis eſt, vel operator imprudens: fit enim in-
ciſio in perineo inter teſtes, & anum: nam ceruix ue-
ſicę inciditur, & ſi qui incidit, magnam fecerit inciſio
nem, vt uniuerſus reſcindatur muſculus, uel ſi aliquã
do inciſio quidem non fuerit iuſto maior, fuerit au-
tem lapis inſignis magnitudinis, dum vi ab operato-
re euellitur, & extrahitur, propter vulnus dilacera-
tur, quo deinde fit, vt quamuis vulnus curetur, &
ad conſolidationem ducatur, ſemper tamen illi hoc
incommodum patiantur, vt continere vrinam ne-
queant, ſed effluat ipſis nolentibus. Præterea verò in-
terdum fit hæc vrinæ incontinentia, nõ quidem ſem-
per, ſed tantum in ſomno, quod vitium ad pueros ſæ-
pius pertinet, duplici ratione, nam cauſa iſtius ſym-
ptomatis eſt, quia muſculus is mollior ex multa hu-
miditate fit, non eſt autem affectus adeo magnus, ut
dum vigiles ſunt, & aduertunt, non poſſint vrinam
cõtinere, ſed in ſomno ubi ſopita eſt vis animalis mo-
trix, & ſentiens facillimè elabitur urina, cui accedit,
quòd in pueris ſomnus profundior eſt, ſed & acrior
vrina pungens, & ſtimulans interdum cogit hominẽ
vel nolentem mingere. Eos, qui in ſomno vrinam ne
queunt continere, ἐνουροῦντας Græci iuniores ſecuti
Arabas mingentes in lecto dicunt. Aliquando etiam
copia vrinæ, quam renes a uenis attrahunt, ac in veſi
cam impellunt, occaſioni eſt, cur nolentes cogantur
mingere, ſtimulata facultate a multa vrinæ copia ag-
grauante veſicam. Eſt & aliud vitium in excretio-
ne vrinæ, quod non amplius in aliquem veſicæ affe-
A ctum referri poteſt, ſed in renum intemperiẽ. In h^c
autem morbo ęgrotantes ſitiunt, ac bibunt plurimũ,
potus verò ita excernitur per veſicam, vt fuerat ebibi
tus, aut nihil, aut parum admodum immutatus, ple-
runque enim eundem odorem, & ſaporem ſeruat, ſi
cut quando bibitur. Vnde affectus is ſimilis eſt, qua-
tenus ad potum pertinet, illi differentiæ profluuiorũ
alui (vt Galen. primo de Criſi. & 6. de loc. affect. ex- cap.12.
poſuit) quæ lienteria, vel lęuitas inteſtinorum dicitur. cap.4.
Nam ſicuti in hac cibus vt comeditur, ita citra vllam
tranſmutationem excernitur, eodem modo etiam in
diabete, ſic enim hunc affectum nuncupatunt Græ
ci medici, quamuis, vt ibidem ait Galen. & matellę hy
dropem, & dipſacum quidam eorum appellarint, tũ
B ab vrinæ, & humoris excreti copia, tum verò a ſiti,
quæ ægrotantes ſolet urgere, ea tamen inter hos af-
fectus (vt eodem ſexto de loc. affect. inquit Galen.) in-
tercedit differentia, quòd lienteria, quę ſolet ſæpe cõ-
mes eſſe caninæ famis, paulatim videtur contrahi, nã
manifeſtè diſcerni poteſt, quando incipit, ac itẽ quan
do increſcit, & quando iam in uigore morbus eſt, in
diabete vero, nõ item, immo uidetur repente ferè ori
ri, & conſiſtere. Cuius rei rationem reddens Galen.
ait, quia cibi appetitus, cuius (ut alias fuit expoſitum)
ſedes eſt in ore uentriculi, animalis eſt appetentia,
quæ ſine ſenſu, & cognitione eſſe nequit, renum ue-
ro, ad quos pertinet humorem ſeroſum attrahere,
appetitio naturalis eſt, & citra ſenſus aliquam perce
C ptionem, ideo principium, & incrementum affectus
iſtiuſmodi, quo immodicè appetit, ac ſubinde attra-
hit, non ita animaduertimus, quia ſenſum latet, ut
vix, quando conſiſtit, percipiatur, propterea repen-
tè fieri videtur, quamuis & ipſe ſua habeat tempo-
ra. Eſt autem affectus huius vniuerſa ratio renum
imbecillitas, cum deſiderio tamen attrahendi aquo-
ſum humorum a uenis, & iecinore. Nam ſicut in-
terdum accidit in ijs, qui lienteria laborant, quod cõ-
tinenter ferè canina fame tenentur, atque ſemper fe-
rè comederent, uerum vt comedunt, quia uentri-
culus imbecillior nequit grauitatem cibi perferre, ita
etiam abſque ulla ferè tranſmutatione cibum deij-
cit ad inteſtina. Non alio quoque modo renes in-
D terdum vehementi appetitione attrahendi vrinam
tenentur, ſed mox attractam præ imbecillitate con-
tinere nequeunt, at ſtatim ad ueſicam per vrinarios
meatus delabi ſinunt, quàm poſtea & veſica eius
pondere excitata excernit. Sed vbi iam de renibus
deceſſit vrina in veſicam, iterum non ſatiati trahunt
è proximis uenis ſeroſum humorem, qui ſanguini
immixtus erat, quo vbi ſanguis fuerit deſtitutus, ua-
ſa eum continentia exſiccara a iecinore attrahunt,
iecur vero & ipſum humoris indigum a uentricu-
lo, & inteſtinis attrahit, unde exſiccantur uenæ
ventriculi, præſertim quæ ad os ventriculi attinent,
quo fit, ut potus deſiderium in uentriculo excite-
tur, quod ſolum ad animalem facultatem pertinet,
E reliquæ vero aliarum partium rationes omnes ad
naturalem ſpectant. Sed mox fit quaſi repetitus
circulus, quia ſtatim ex uentriculo iecur rapit epo-
tum humorem, & a iecore uenæ, a uenis renes, &
hę iterum a ventriculo, unde fit, vt aſſiduè ſitiant,
neque potu ſatiari poſſint, & plurimam etiam v-
rinę copiam excernant, quę tamen videatur om-
nino idem humor, quem biberant, ac ſi per fiſtu-
lam tranſiſſet, unde & diabetis nomen deductum
eſt, διαβαίνειν enim Gręcè ſignificat permeare, uel
tranſire, propterea Paulus ait, quod diabetes eſt ue-
lox tranſitus eorum, quæ bibuntur, ſicuti & alia
nomina, quibus uſi ſunt in hoc affectu exponen-
do, & ipſa a uarijs ſymptomatibus, quę in eo ſolent
contingere, deſumpta ſunt, nam & dipſacus a ſiti

dictus eſt, & ſcyphon, & multa alia iſtiuſmodi. Quoniam verò (vt diximus) in eiuſmodi affectu omnes cõſentiunt eſſe ſummam ferè renum imbecillitatem, in renibus autem ſunt illæ eædem quatuor naturales facultates, quæ & in alijs omnibus particulis, attrahendi nimirum, continendi, tranſmutandi: ac demum expellendi: duæ imprimis in hoc affectu omnino imbecillæ videntur, & (vt Gal. primo de Criſ. ait) [cap. 12.] quaſi emortuæ; illæ verò ſunt contentrix, & commutatrix, cum ne minimo quidem tempore continere humorem renes poſſint, vt non mutatus omnino efferatur: attractrix tamen (vt ait Paulus) vigere adhuc videtur, cum multa, & vehemens fiat attractio; quamuis Galen. non tantum in robur attractricis facultatis referat ſexto de loc. affect. multam hanc attractionem, quantum in ſummum deſiderium humoris, ſicuti in fame canina ob immodicum cibi deſiderium multus aſſumitur cibus, potius quàm ratione aliarũ virium robuſtarum: neque alia intercedit differentia, niſi quòd in canina fame appetitio ea ad animalem facultatem pertinet ventriculi, in diabete ad naturalem, cum citra cognitionem, vel ſenſum fiat illud deſiderium. Neque tamen Paulus præter rationem locutus eſt; quia ſi vis attractrix non id roboris haberet, vt poſſet attrahere, nihil faceret deſiderium, præterea verò neque expultrix facultas videtur deiecta, cum confertim vrinam ad veſicam impellat. At verò quamuis (vt ſæpius in prioribus libris diximus, & hæc etiam eſt Galen. ſententia) imbecillitas particularum, in quam ſolent interdũ medici rationes affectuum referre, generalis quædam res eſt, & ueluti cõfuſa, quæ nihil prodeſt ad curationis rationem, niſi determinetur, & definiatur per rationes, & cauſas, a quibus pendet ea imbecillitas, ſolet etenim ſemper ab aliqua intemperatura, aut ſimplici, aut compoſita ſuam originem trahere, nihilominus in explicanda hac imbecillitate antiqui quidem medici ſatis uidẽtur obſcuri, & perplexi, præſertim uerò Græci. Galen. enim non uidetur retuliſſe, quòd me legiſſe meminerim, a qua intemperatura fiat hæc tanta renum imbecillitas; Paulus verò diabeten ſequi immodicũ calorem ſenſiſſe videtur, unde vniuerſam curandi rationem per refrigerantia inſtituit, quem & Aetius, ſi & ſymptomata examinauerimus, quæ ab ipſo, maximè verò ex Areteı ſententia referuntur, & curationi ab ipſo inſtitutæ attenderimus, ſequi uiſus eſt. Sed [cap. 2.] Alexander Trallianus apertè huic ſententiæ adhæſit. Aretæus tamen aut confuſè locutus eſt, aut ſibi ipſi non conſtare videtur; nam ſtatim a principio eius tractationis libro ſecundo hunc affectum ex cauſa frigida, & humida ortum habere ait, mox uerò referens ſymptomata illum concomitantia, in illis recenſet hypochondriorum æſtum, & ardorem, & multa id genus alia, quæ in calorem potius, quàm in frigus ſunt referenda. Sed ſi uelim eorum rationem habere, quæ a me obſeruata ſunt, dum Venetijs facerem medicinam, non poſſum, non niſi aſſentiri Arabibus medicis in hac affectione, Auicennæ inquam, & alijs, quos ipſe in hoc ſecutus eſt, nempe quòd ſæpius diabetes ſequitur intemperaturam calidiorem renum vel cum materia, uel citra, quæ cauſa eſt, quòd renes immodicè attrahant a uenis, & iecinore, & ſic ſubinde, aliquando tamen etiam a frigidiori, præſertim verò poſt potum immodicè frigidum, aut alioquin ex nimia internarum partium refrigeratione præcipuè verò renũ ortum habet. Ego enim tres uidi eo tempore, quo Venetijs verſatus ſum, qui hoc affectu cruciati ſunt, ſed ſatis erit, ſi duorum meminero. Prior fuit mulier nobilis, & Abbatiſſa cuiuſdam monaſterij Muriani, quæ ex uehementibus animi perturbationibus afflicta ob ingentes perſecutiones, quas paſſa erat, incidit in hũc morbum, affligebatur autem ſiti inextinguibili, neque etiam per potum leuabatur, linguam enim ſtatim etiã a potu aridiſſimam habebat, æſtum ingentem in uiſceribus percipiebat, continenter febre detinebatur, inquieta plurimum erat, & tandem, cum iam, antequam medico curandam ſe traderet, morbus plurimum inualuiſſet, & ipſa admodum eſſet emacerata, ex eo obijt, & procul omni dubio calidus affectus fuit. Alter verò vir erat, & ille quidem nobiliſſimus frater Reuerendiſſimi Cardinalis Piſani, hic cum febre laboraret, & ea ſatis maligna, atque ſitis, quæ neque etiam multa erat, eſſet impatiens, bibere nolebat, niſi gelida ferè eſſet aqua, & reliqua, quibus in potu vtebatur, quæ quidem iubebat in puteis demiſſa urceis perpetuò ſeruari, unde ad eam imbecillitatem renes deuenere, ut potus omnino immutatus mingeretur, ſeruans eundem colorem, conſiſtentiam, ſaporemque, & odorem. Vtebatur autem primum propter febrem iuleb roſaceo diluto ex aqua, & vrina, quæ paulò poſt a potu mingebatur, eadem omnino videbatur, quæ prius erat in cyatho, antequam biberetur, eundemque referebat colorem aſpicientibus, & odorem olfacientibus, ſed & quidam, qui illi miniſtrabant, guſtare voluere, qui affirmarunt, neque in ſapore vllam factam immutationem, neque hic vehementiſſima ſiti vrgebatur, quamuis & ipſe ſitiret, neque oris tanta ariditate, ſicuti Abbatiſſa, neque in præcordijs vllum æſtum percipiebat, qui tamen & ipſe ex eo morbo interijt, & proculdubio omnis iſtius morbi ratio ex nimia inſtrumentorum vrinæ, refrigeratione ortum habuit. Sed de his ſatis ſuperque diximus, vnde iam opportunum erit orationem ad curationis rationem conuertere.

Quemadmodum verò duplicia ſunt vrinę inſtrumẽta; ita duplicem occaſionem poteſt habere vrinę incontinentia, ſed prius de ea loquamur, quæ uitio ueſicæ fieri ſolet. Quod item duplex eſſe poteſt, nam vel ad naturalem ueſicæ facultatem, nempe cum naturalis facultas expultrix facta eſt imbecillior ex humida, vel frigida intemperie, aut ad animalem, quando aliqua labes in muſculo hærente ceruici veſicæ contracta eſt, pertinet, & cum hæc aut eius muſculi paralyſin ſequi ſoleat, ad locum, vbi de reſolutione neruorum fuit ſermo habitus, magis attinet eiuſmodi curatio. Sed ſi reciſus fuiſſet muſculus tranſuerſus, ſicuti aliquando accidit illis, quibus per inciſionem extrahitur lapis, maximè verò mulieribus, quę breuiorem habent veſicæ ceruicem, curationem nullam admittere poſſet. At ſi ex intemperie frigida, & humida fuiſſet ſubortus is affectus, ſi quidem cum materia eſſet, & ab vniuerſo corpore, vel particulatim ab aliquo alio membro foueretur ea intemperatura, neceſſe eſſet prius fomentum id ſubtrahere per euacuationem humoris frigidi, vel humidi, vt ſæpius in prioribus libris docuimus, mox verò locus affectus localibus remedijs curandus eſſet. At ſi aliunde non haberet fomentum, medicamentis digerentibus, & diſcutientibus eſſet tollendus præſens humor, & præterea calefacientibus, & ſiccantibus remouenda intemperies morboſa, tum fomentis, tum etiam illitionibus, emplaſtriſque & balneis, uel inſeſſionibus, de quibus cum ſuperius non ſemel fuerit habitus ſermo, in præſentia alioquin non habebimus. Ita etiam refrigerantibus agendum erit, ſi fuerit laxitas interdum contracta ex nimio dolore, quod tamen rarò contingit, ut tamen omnia eiuſmodi remedia non ſint alicuius aſtrictionis expertia. Sed quia eadem ferè & horum affectuum curatio, ſicut & diabetis, ideo de diabete curando iam agamus. In quo negotio duo nobis ſcopi in vniuer-

vniuerſum conſtituendi ſunt. Alter quidem commu- A
nis eſt omnibus morbis, in quibus humores ad ali-
quam particulam importunè, & ratione morboſæ
alicuius cauſæ præcipites feruntur, is uerò eſt, ut ab
ea auertatur impetus eius humoris, & alio conuer-
tatur per reuulſionem, aut deriuationem. Alter aũt,
qui morbis omnibus ex humorum intemperie exci-
tatis communis eſt, nempe ut ea intemperies contra
rijs quidem, & accommodatis remedijs temperetur,
& corrigatur, ſed de priore priorem habeamus ſer-
monem. Quoniam autem venæ ſectio ſemper habi-
ta eſt præ omnibus ferè alijs remedijs in reuellendo
efficax, quãdo opportunè fuerit adminiſtrata, Aetius
cui aſſentitur & Paulus, uenã ſecari ſtatim inter prin
cipia laudant, & antequam inualeſcat, & antiquetur B
morbus, nam & refrigerare quoquomodo poteſt ie-
cur, & vniuerſum corpus, atque reuellere, auertere-
que impetum humoris ad renes. Hoc tamen monet,
quòd tantum inter initia videtur eius uſus eſſe tutus,
quia cum morbus firmatus eſt, vires facilè concidere
poſſunt. Verum in hoc hæc ſola videtur difficultas,
quòd principia iſtius affectus non ſunt cognitu faci-
cap.3. lia, vt Gal. quoque 6. de loc. affect. viſus eſt inſinuare
uoluiſſe, cùm ait, quod quamuis ex proportione re-
ſpondeat his affectus caninæ fami, in hoc tamen diffe
runt, quòd canina fames paulatim fit, & increſcit, dia
betes verò repente. Et huius rationem refert, quia
appetitio canina cum ſenſu eſt, ideo non ita facilè la-
tere poteſt, ſed renum appetentia immodica ſenſum C
latet, & licet eam ſequatur mictus ſolito copioſior, id
tamen non aduertitur, & ideò decipit. Si tamen dili-
gens ſit medicus, qui præterea & tempeſtiuè ſit accer
ſitus, percipiet rem vel etiam inter initia, dum conſi-
derabit, ægrotantem maiori aliqua tentari ſiti, quàm
ſit ſolitus, & ſubinde citius etiam, & plus, atque fre-
quentius ſolito mingere, atque interrogauerit, an ali-
quam occaſionem habuerit præcedentem, cur potue
rint renes plus iuſto calefieri, iecurque & tandem vni
uerſum corpus, ſicuti incommoda equitatio, indumẽ
torum calidiorum & dorſo hærentium vſus, præte-
rea uerò ſi cibis, & potibus calidioribus vſus fuerit, &
aliã multa, quæ ad eandem rõnem in potu pertinẽt.
Deijs autem præſertim, quæ calefaciunt, in præſentia D
loquimur, quia de affectu eo nunc eſt inſtitutus ſer-
mo, qui intemperiem calidiorem ſequitur. Nam cum
comes eſt frigidioris, nullum reperio, qui detrahendi
ſanguinis meminerit. Vbi autem ſit vena ſecanda, in
primis ea ſecanda, quæ in cubito ſolet ſecari, interior
nimirum, quam baſilicam vocant, & potius dextra,
cum proximè magis, & rectè iecur reſpiciat. Sed om-
nibus alijs rationibus, quibus auerſio poteſt, procurã
dum eſt, ut auertatur humoris motus a renibus, in
primis verò eo pacto, quem Hippo. indicaſſe uidetur
Aph.vlt. 4. Aphor. & ibidem Gal. expoſuiſſe, cum ait, quòd vri
na multa noctu reddita paruam ſignificat deiectionẽ
alui. Quo theoremate videtur ſignificaſſe, quòd in al
ui profluuijs, ſi humoris ab aluo ad veſicam fiat auer E
ſio, alui profluuium minus fit, & tandem ſiſtitur, at-
que etiam vice verſa, ſi immodica fiat vrinę excretio,
illi facilè ſuccurrimus facta aluo citatiori, & fluidiori.
Vnde libello de Hirudinibus, reuulſio. cucurb. &c.
ait Gal. vrinæ profluuia ad alui deiectiones, & ſudo-
cap.2. res eſſe reuellenda: præterea verò & in mulieribus
ad vterum, ut idem ſecundo lib. in ſextum Epid. ad-
didit. Quare interdum clyſteribus agendum aliquan-
do verò & medicamentis, non tamen acrioribus, ſed
cap.7. facilioribus, & potius refrigerantibus, vt eſſent man-
na, tamarindi, caſia, ſyrupus roſaceus ſolutiuus appel
latus, diaſebeſten dictum electuarium, & diaprunon,
vtraque verò citra ſcammonium, & frequentius qui
dem, minori verò copia data, quantum nempe ſatis
eſſe poteſt ad lenem aluum reddendam, vt ſæpius re- A
petita cauſa ſint, cur natura aſſueſcat ad aluum con-
uertere motum humorum, qui præcipites ad uias vri
næ ferebantur: ſed potentior erit reuulſio, atque ve-
ræ reuulſionis rationem habens, ſi vomitus cieatur:
vnde Aetius ſenſit, quod dum plurimum ſitiunt, co-
pioſus ſit illis potus dandus, frigidusque, atque a po-
tu vt cieatur vomitus: hoc enim ſperat ſimul & cali-
dam intemperiem temperare, & profluuium urinæ
reuellere, auertereq; & ſiti poſſe opem ferre. Præte-
rea verò & commodum remedium, atque opportu-
num ad ſudorem ciendum putauit Aetius, ex ſenten-
tia tamen Aretęi, ſi paretur balneum in dolij appoſi-
ta aqua dulci, & calida, dolioque, ita linteo cooperto,
vt caput extra exertum ſit, atque ita poſſit inſpiratio B
aere frigidiori, atque odoribus ad nares oblatis, frigi-
dis tamen, vt ſunt roſarum, violarum, & id genus a-
lijs recreari; nam & reuulſionis hoc rationem habet,
conuerſo ſanè humoris impetu, qui intro ferebatur
ad renes, alio, hoc eſt, extra, & ad cutem. Præterea &
ſi aqua actu calida ſit, vnde excitatur ſudor, vapor ta-
men eius poteſtate frigidus poteſt intemperiem cali-
dam remittere, atque ita utraque ratione prodeſſe.
Præter reuulſoria autem remedia, & illis ſuus eſt lo-
cus, quę refrigerent, & quoquomodo partes roborẽt,
tam exterius adminiſtratis, quàm interius aſſumptis.
Vnde olera refrigerantia omnia tanquam vtilia non
parum ab antiquis laudantur, vt ſunt lactuca, inty-
bus, vel cichorium, endiuia, & cichoreacea omnia, C
pręterea & oxalis, & quæcunque iſtius ſunt generis,
in quibus tamen non ſit multa vis vrinam ciendi. Ex
ſyrupis verò illi, qui ex ſuccis vel decoctis harum iti-
dem herbarum conficiuntur, commodi ſunt, præte-
rea & q. ex ziziphis, vel iniubis, quiq; ex portulaca, ex
uiolis, roſaceus quoque recens, interdum & qui ex pa
pauere conficitur, non erit inutilis, cum & refrigeret,
& ſomnum cõciliet. Cibi etiam refrigerantes, & qui
non facilè corrumpi poſſunt, ut ferrucula ex fare, vel
ex hordeo, & alijs id genus, quæ tamen ad lenitatem
alui potius ſint opportuna, vt ex cucurbita, & id ge-
nus alijs conueniunt. Græci & pepones laudant, dũ-
modò citra ſemina, & interiorem partem comedan-
tur. Potus verò & refrigerans, & actu frigidus offerẽ
dus eſt: vnde neque uina potentia vtilia erunt, neque D
ea, quæ vim ciendi lotia habent, ſicuti illa ſunt, quæ te
nuiora ſunt, ſed potius aliquantiſper craſſiora, neque
tamen auſtera, & quæ vim ſiſtendi aluum habent:
nam alui lenitas ſummopere prodeſt in hoc affectu.
Exterius quoque medicamenta, quæ refrigerent, &
roborent, opportuna ſunt, ſicut ceratum refrigerãs,
quod refrigerans Gal. nunc appellat, & roſaceum vn
guentum Meſue, & id quod ſandalinum appellant, ſi
dorſum, & lumbi, immo & hypochondria delinian-
tur. Aetius verò, & Paulus laudant cataplaſma ex flo
re polentæ ſubactæ, ex oxyrhodino præcordijs appo-
nendum. Poſſunt innumera eius generis medicamẽ-
ta componi, tum ex ſuccis, vel folijs earum herbarũ,
quarum ſupra meminimus, tum etiam ex decoctis, E
quorum tempori parcentes non meminimus. Cum
uero ex frigore factis renibus imbecillioribus ortum
habuerit diabetes, contraria ratione uti oportebit,
quatenus ad medicamenta pertinet. Nam reuulſo-
ria remedia huic etiam differentiæ erunt opportu-
na, quia & vomitus commodus erit præſertim verò
a cibo, vomitorio uerò ex raphano. Præterea & quæ
ſudorem ciere poſſunt, vt tamen balneæ vim potius
calefaciendi habeant, vnde ſudare in locis balnea-
rum mineralium & ſuapte natura calidarum utile
erit. Pręterea etiam plurimum præſtabit ſi aluus le-
nis fiat, ait Auicenna, lenibus clyſteribus, qui tamen
calefaciant, ſicuti impoſito oleo chamæmelino, ane-

thi no, ex amaris amygdalis, & alijs id genus, parato etiam decocto cum ijs, quæ calefaciant, non tamen aſtringant, vt ſunt ea ſimplicta, ex quibus olea confecta prodeſſe poſſunt: decocta cum malua, beta, mercuriali, & ſimilibus. Tandem etiam aliqua purgatio per medicamenta vtilis eſſe poteſt, præſertim verò ex aloe. Auicenna enim conſulit, vt per interualla aluus ex aloe cieatur exhibitis 11. pilulis ciceris granum magnitudine æquantibus. Sed & vſus rhabarbari mihi videretur non inutilis. Quantum verò ad rationem potus pertinet, atque ad reliquam victus rationem, potu vtatur potius calido, & odorato, cibis A etiam calidioribus balneis, præſertim poſt corporis expurgationem, & ſuffumigijs, & euaporationibus vt de balneis paulò antea dicebamus, immo & cucurbitularum vſus citra tamen inciſionem, tum vt calefaciant, tum vt exterius humorem attrahant, commẽdatur; ſicut & frictiones præſertim extremarum partium, & exercitatio modeſta. Sed hic finem his, quę de affectibus ad inſtrumenta vrinaria pertinentib. erant dicenda, imponamus & orationem conuertamus ad inſtrumenta, quæ ad generationem, & propagationem ſobolis attinent, & ad librum vndecimum progrediamur.

VICTORIS TRINCAVELII DE RATIONE CVRANDI PARTICVLARES HVMANI CORPORIS AFFECTVS.

LIBER VNDECIMVS.

De affectibus earum particularum, quæ generationis, & generis propagationi inſeruiunt: primumq; de inſtrumentis, quibus natura vtitur ad conſeruandas animalium ſpecies.

CAPVT I.

NATVRA, quæ res has adminiſtrat, quibus mundus hic inferior conſtat, illis ac eorum ſaluti, & perpetuitati, utpote quæ ad mundi abſolutionem perfectionemque pertineant, omni ope proſpicit, & quid naturam dico, & nõ potius Deum: qui naturæ auctor eſt, & cuncta (vt ſacræ literæ teſtantur) leniter, & ſuauiter diſponit, cuiuſque inſtituto natura agit, quæcũque agit, cum hoc ſit omnia ſuauiter, & leniter diſponere, adminiſtrareque res videlicet ipſas, vt earum fert natura, regere, & gubernare. Quare cum inferiora omnia, quippe quæ ex forma, & materia conſtant, ortum habeant & interitum neque perpetua ſingulatim eſſe queant, (hoc enim eorum naturæ, proprijsque legibus, quibus particulatim regitur mundus hic inferior, repugnat) ſatis illi eſſe poteſt, ſi ſeruentur perpetua communi quadam ratione, & ſecundum ſpeciem. Seruari autem perpetua facilè per ſucceſſionem quandam poſſunt philoſophicè loquendo, nimirum quia ſicuti, qua ortum ſemel habuere, ea lege orta ſunt, vt tandem occidant, & aucta ſeneſcant, ita coguntur tandẽ deſinere. vnde antea quam priora occidant, oportet, vt alia ſubinde oriantur, quæ in eorum, quæ iam occidũt, locũ ſuffecta, ſuccedant. Et ſicut uaria eſt horum omniũ naturę conditio, ſi eorũ perfectionẽ, impfectionemve reſpicere voluerimus ita quoq; nõ eſt idẽ modus in oĩbus, quo fit eiuſmodi ſucceſſio, & ſuffectio. Nam prima elementa, quæ & ſimpliciſſima ſunt inter corpora, perpetua quidem ſecundum eo- A rum vniuerſitatem ſeruantur, per partes verò generantur, & intereunt, & ex mutuis inter ea tranſmutationibus, generatione inquam, & interitu ſecundum partes, fit tum perpetuitas, tum verò ſucceſſio, & cõſeruatio. In mixtis verò pro eorum uaria natura diuerſa eſt etiam conſeruatio nam omnis ferè ſucceſſio, & perpetuitas in aliquibus, q̃ imperfectiora ſunt, pendet a perpetuitate, & ſucceſſione ſuarum cauſarum, ſicut ſunt tonitrua, grandines, fulgura, fulmina, & id genus reliqua, quæ varias affectiones in ſublimi loco concitatas ab elatione uaporoſæ materiæ a terra elata vi caloris ſolis, & ſtellarum ſequuntur, a quibus pro ratione, qua motu ſuo diuerſimodè inferiora hæc afficiunt, & diuerſis aſpectibus reſpiciunt, uaria etiam diuerſis temporibus eiuſmodi genera affe- B ctionum ſubinde excitata ſuccedunt. Ita etiam quædam, quæ quaſi ſpontaneam ex putredine generationem habent, cum nunquam deſint in hoc inferiori mundo occaſiones putredinis, nullum etiam periculum eſt, quòd hæc deſinant, ita ut vel hic, vel alibi non repetiantur, quæ & ipſa diuerſam naturã uariamque ſpeciem conſequuntur pro ratione diuerſæ putreſcentis materiæ, & diuerſi putredinis modi. Atque hæc quidem cum alioquin imperfectiora omnino ſint, vt imperfecta ſunt, ita neque tantam curam requirunt, neque inſtrumenta tam diuerſa, quibus & generari poſſint, atque etiam poſtquam genita ſint, regi, & adminiſtrari, ut commodè & eſſe, & agere poſſint, ideo & magis confuſa initia habent, vnde tũ fiant, tum uero adminiſtrentur. Sunt præterea & alia, quibus non modo externo auctore, & initio, ut gene-

generentur,& per ſucceſſionē fiant perpetua, egent; verùm & interna cauſa, nempe quia in ipſis initium aliquod diſtinctum continent, quo poſſint genus propagare,& alia in locum intereūtium ſubſtituere, vim enim à natura habent,qua in ſeipſis posſint aliquam ſubſtantiam gignere,quę poſtea tum a cœleſti, & Solis calore,tum à proprio illius, in quo genita eſt, uel ab alio illis ex proportione reſpondente fora,ex congruente materia,& apta,quam partim ſecum affert, partim aliunde attrahit, per multas tranſmutationes medias tandem tale alterum efficit, quale illud erat, ex quo,& à quo primum genita fuerat, & huiuſmodi ſubſtantia ea eſt,quàm Greci ſperma, noſtri ſemen appellare conſueuerunt. Ea autem vis ſolis viuentibus à natura tradita eſt, quę cum diuerſa ſint natura, & perfectione,ita etiam magis, & minus dearticulatam,& determinatam rationem,tam ſeminum, quā earum rerum,in quas iacta ſemina coaleſcere,& pullulare poſſunt,requirant,neceſſe eſt. Nam plantarū ſeminibus terra apta, & fœcunda ſatis eſt, quę adiuta à ſuperiorum corporum calore ipſa foueat,ut germinare posſint,& in plantam,uel arborem tandē creſcere, ab ea enim materiam generationi, & incremēto congruentem attractam ſuſcipiunt, & per natiuū calorem,quem à ſuo auctore conſecuta ſunt, paulatim eum tranſmutando concoquunt, & tandem ad abſolutionem perducunt. Animantia uero longe ſtirpib. perfectiora, ad omnes ſuas actiones, pluribus,diſtinctioribus,& exquiſitioribus egent inſtrumentis, & materiam,ex qua generentur, magis elaboratam, & locum etiam in quem effuſum ſemen diligentius posſit cuſtodiri,& foueri,atque iuuari, ut exquiſitiores posſint ab eo ſuę actiones prodire, requirunt. Nā animantia teneriora ſunt,& humidiora plantis:hę.n. terreſtri,& duriori ſubſtantia conſtant, & generantur,& ſemina duriora,ſolidioráque generant,quę ob ſolidam,& duram ſubſtantiam non ita facile disſipari,infringique,& omnino lędi poſſunt, ideo neque etiam tanta egent cuſtodia,ſed ſufficit illis,ut ſint proiecta in terram, quę illis posſit ſubminiſtrare humorē naturę ſuę congruentem, ex quo & planta inter initia gigni, & mox etiam commodè ali posſit, accedente tamen auxilio, & fotu à calore ſolis, & ſtellarum, quę in actum deducant facultatem à planta ſemini ingenitam,quę niſi à ſuperiori natura ad actum deducatur,ipſa per ſe nihil poteſt. Semen uerò animantium,quæ pręſertim in humida, calidaque ſubſtantia omnem,& generationis rationem habent,& pręterea incrementi,& alimenti,quęque mollia, & tenera membra antequam per ętatem ſicceſcant, aut pleraque habent,aut omnia,quęque ex fluido,liquidoq; humore aluntur,neceſſe eſt, vt & ipſum humidum, & fluidum ſit,cum(vt Ariſtot.docuit) ſit veluti excremētum vltimi alimenti,utile tamen,vnde neceſſe itidem eſt,vt ſimile ſit illi,orta enim(vt docuit Gal.)ſolent initijs ſuis atteſtari.Et proinde cum ipſum per ſe, niſi ab aliquo contineatur,nequeat conſiſtere, neceſſe eſt illud primum ab aliquo comprehenſum contineri, ne diffluat,& dilabatur,deinde,vt pullulare poſſit, quod pręter communem ſolis calorem accedat,& calor illi ſimilis, vnde genitus eſt, hoc eſt natiuus animantis calor,quia exactiori, & magis dearticulata motione eget idcirco pręter vim, & calorem ſemini inſitum alio opus eſt, à quo iuuetur, & quaſi in actum ducatur, neque ſatis illi eſt uniuerſalis, & cœleſtis, neque proprius,& inſitus ſemini, ſed eius etiam opem deſiderat, à quo ortum habuit. Vnde Dei, & naturę inſtituto factum eſt, ut aliquod in animante crearetur membrum, in quod proiectum ſemen facilè excipi; contineri,comprehēdique, ac foueri posſit,quod quidem vterus,vel vulua Latinè dictum eſt,ὑστέρα à Grę-

A cis, quod & figura ea efformatum eſt, & ea ratione ſubſtantię conditum, vt facilè ſemen, cum alioquin proijcitur ſuſcipere, & ſuſceptum continere poſſit, & ſeipſum colligens, & quaſi conſtringens vndique illud comprehendere,complectique: ita enim fit, ut comprehenſum ſemen,cum neque alioquin diffluere,neque fluitare queat melius foueri, & quaſi coqui poſſit. Cum verò, vbi genitus iam fœtus uiuere incipit,& nutriri, illum oporteat & augeri, & pręterea quāuis in ſemine,ſi medicos,Gal.pręſertim & Hipp. ſequamur,pręter uim procreatricem,& efformatricem fœtus, ſit aliquid, quod materię, unde generanda ſunt aliqua membra in animante,ea inquam,quę ab illis ſpermatica nuncupantur, neceſſe tamen eſt

B & aliam ſuppeditari materiam, ex qua poſteaquam genita ſunt,alantur,itemque & alia, quę carneā ſubſtantiam habent, generentur:ſed cum in animante ſit uterus,immo intra ipſum animal, non erat omnino rationi conſentiens, quòd extrinſecus huiuſmodi materia ad hęc omnia apta eſſet petenda, ſed potius intrinſecus & in ipſo animante, & cum eam uterus ipſe,quanta eſſet ſatisfactura, ſubminiſtrare minimè poſſit,vtpote quoniam non poterat conſtitui niſi ex ſubſtantia,quę ſuapte natura exanguis eſt,quali conſtant membranę,vel nerui,quę facilè diſtendi,& per diſtenſionem ampliari,& extendi poſſunt,vt cū creſcit fœtus, augeturq; itidem ampliari poſſit uterus,et increſcenti fœtui cedere:Ideo fuit neceſſe, vt aliunde

C materia deflueret, & ſubminiſtraretur, & proinde prouida natura uenas multas, & amplas ad uterum deduxit,per quas,tanquam per quoſdam riuos,materia ad vterum deflueret à ſuperioribus partibus apta ad generationem,& alimoniam fœtus:ſed alia nō poterat eſſe:niſi ſanguis,quo & animal ipſum alitur,cū oporteat eandem eſſe generationis,& nutricationis materiam. At ſi ſanguis, quo erat fœtus alendus, ſeu qui erat futurus materia alimenti fętui,talis eſſet,qualis is eſt, quo particulę matris continenter aluntur, nempe utilis & exquiſitè elaboratus, confectuſque; primum difficile fuiſſet fœtui illum attrahere,pręſertim inter initia,dum uires habet non adhuc admodū ualidas,quia particulę ſuum alimentum,quod illis a-

D ptum, & congruens eſt,continēt quoad fieri poteſt, nec ſibi ſubtrahi permittūt, facilè verò remittunt id, quod aut ſuperuacaneum, uel excrementoſum eſt: pręterea verò,ſi etiam eam uim haberet fœtus,vt vel reluctantibus particulis bonum ſanguinem poſſet attrahere, quo aleretur, ſubtracto alimento contabeſcerent particulæ, & corpus ſubinde gerentis in utero conſumeretur, quod non omnino pertinere videretur ad rationem prouidentię naturę, contra uerò ſi alendus,& generandus eſſet fœtus ex materia non ita probè elaborata,& confecta, ſed potius quoquomodo excrementitia, & ſuperuacanea corpori, in quo futura erat fœtus conceptio, illa deinde non uidebatur operi naturę idonea,quia ſi inepta erat alen-

E dis particulis matris, quę uires habent ualidiores, ineptior etiam erit fœtui, in quo non eſt vis adhuc firma. Vnde natura utrique incommodo ſuccurrit: nā inſtituit,ut excrementitio quidem,& crudiori ſanguine conciperetur, & aleretur fœtus,qui corpori alendo non erat utilis,ne proprio alimēto ſubtracto corpus contabeſceret, ut tamen materia illa fieret fœtui utilis, & idonea, illam deduxit per uiam longam, & per multiplicem uenarum,& arteriarum plexū quibus contextę ſunt membranæ, quibus inuoluitur cōceptus fœtus, in quibus dum diutius uerſatur materia crudior,& excrementoſa,magis coquitur, & conficitur à natiuo calore, tum eorum uaſorum, tū etiā circunſtantium partium, pręſertim uerò uteri, unde cum in ea materia diuerſę partes ſint,illis natura utitur,

tus, quas potuit natiuus calor ſuperatas in utilem materiam conuertere, reliquas uerò reijcit tanquam inutiles, præter id, quod etiam per vmbilicales venas (trãſeuntes utiliores partes, & in iecur fœtus delatæ, ibi tandem exquiſitè) in ſanguinem optimum conuerſę, cadunt in alimentum optimum fœtui. Quod quidem ſummam naturæ, uel eius auctoris prouidentiam, & ſapientiam oſtendit, qui omnia ſuauiter diſponens, procurauit, quo pacto ali fœtus poſſit utili, & copioſo alimento, ſine incommodo tamen matris. Et cum ad generationem non ſit opus ſolum materia, ſed ét agente, nihil enim per ſe poteſt agere materia, agentis autem ratio in ſemine eſt, quod quidem ſpiritum copioſum continet, & natiuum calorem non modicũ, his enim natura tanquam proprijs utitur inſtrumentis: propterea nequit ſemen ex crudiori, & ea ratione excrementoſa materia fieri, ſed requirit eius naturæ ratio, ut ex optima, & exquiſitè concocta generetur. Et quamuis ab Ariſtot. hoc quoque tanquam excrementum habeatur, non tamen id excrementum eſt, quod ratione imperfectæ concoctionis, uel cruditatis generetur, & quod tanquam ex ea materia ortum habeat, quæ alioquin inutilis ſit, quantum pertinet ad propria munia corporis in quo hoc excrementum generatur, ſed gignitur ex optimo ſanguine, & optimè concocto, & ipſum eſt quaſi excoctum, hoc eſt exactius, & ulterius coctum excrementum, quod & ultimi, & proximi alimenti particularum excrementum dicitur, & potius quaſi ſuperuacanea quędam pars optimi, & vltimi alimenti, quo alendæ erant particulę, neque tamen tãquam inutile excernitur; haud enim aliquod uitium habet, unde inutile factum eſt, ſed utile eſt, & quod (vt Ariſt. 1. de gener. anim. probauit) omnes partes animalis, cuius ſemen eſt, facultate, & poteſtate contineat, tãquam materia propria, & propriũ, vltimumq; earum alimentum, eadem enim eſt alimẽti, (vt diximus) & generationis cauſa. Et quamuis ſemen à medicis fœminis etiam tribuatur, ſecus, quàm peripatetici ſenſerint, & ipſi tamen concedunt maiorem longè vim eſſe in maſculino, quàm in fœminino ſemine, vt reſpectu muliebris, rationem ferè actus, & formæ ſeruet maſculinum, quando cum fœmineo miſcetur, vtpote quod exquiſitius concoctum ſit, unde ad eius generationem, & confectionem neceſſaria eſt maior vis, & copia natiui caloris, & materia perfectior, & magis concocta. Et quia vix hæc ita diuerſa in eodem corpore reperiri poſſunt: Ideo natura animantium perfectiorum ſpecies per ſexus diſtinxit, & partem eorum unam uoluit minus calidam eſſe, in qua plus eſſet illius excrementoſi, & crudi humoris, quod in alimentum fętus, cum fuerit facta conceptio, cedere poſſet, in qua ſi aliqua pręterea eſſet futura vis etiam ſeminis gignendi ex parte aliqua illius alimenti, crudius tamen, & imperfectius ratione frigidioris temperamenti fœminei ſexus illud eſſet, cum id, niſi ſemen maſculi, quod magis elaboratum eſt, quodque illius vim perficiat, & augeat, illi immiſceatur, nihil ex ſe poſſit: Alterã uero calidiorem eſſe inſtituit, in qua efficacior eſſet vis ſemen prolificũ generãdi. Et prior quidem ſexus muliebris in humano genere à mollitie (vt nonnulli uolunt) nuncupata eſt: Altera uero virilis à robore, & vi. Atque natura inſtituit, ut generatio fieret in fœmineo corpore, tanquam in eo, quod fœtui commodius, & citra damnum aliquod poſſet alimentum, quo & alatur, & creſcat ſubminiſtrare. Vnde Ariſtotel. primo item de gener. anim. & primo etiam de hiſtor. quaſi definiens marem, ait, quod eſt animal, quod vim habet generandi in alio, fœminam uero, quæ in ſeipſa generat. Quare, & natura ea membra, quæ erant futura iſtius generationis inſtrumenta, ſic diſtinxit, ut quæ ad maſculinum

cap. 19.

cap. 2.
cap. 3.

A ſexum attinerent, ita eſſent efformata, & in eum locum digeſta, ut poſſent penetrantia in muliebres partes, in illis facta ſemente, animal generare, non autẽ in ſe. Contra uero in fœmina ita conformata, & eo loco collocata ſunt, ut ab alio commodè recipere, & receptum intra ſe continere, & fouere, donec tempus pariendi accedat, & eo inſtante commodè poſſint fœtum in lucem edere. Vnde cum omnia, quæ corpulentiora ſunt, facilius deorſum, quàm ſurſum ferantur, cumque ea, & grauiora ſint, & grauitas ad deſcenſum iuuet: Ideo naturæ ſapientis inſtituto factum eſt, quod ferè omnes particulæ, quæ ſunt ueluti inſtrumenta excretionum earum materiarum, quæ ſubſtantia craſſiori conſtant, in inferiori corporis loco collocatę ſunt, quod pręſertim videmus in illis, quibus fiunt excretiones eorum excrementorum, quæ ad primam, uel ſecundam concoctionem pertinent, vt ſunt rectum inteſtinum, & ueſica, quorum ſitus eſt in imo ventre: nam ita commodior fit excretio. Quocirca ibidem; & uterus in mulieribus cõſtitutus eſt, in quo, & fœtus contentus hora partus facilius extrudi, & exprimi poteſt. Præterea uero, cum illi ſit demandatum munus, vt excrementoſum ſanguinẽ, & ſuperuacuum, qui in muliebri corpore quotidie ex frigidiori temperatura, qua præditus eſt is ſexus, congeritur, ſuis certis periodis primum ſuſcipiat, deinde excernat, cum ille non ſit muliebri corpori alioquin vtilis, niſi quando in utero gerit, ut illó fętus alatur, & ſi retineatur, innumera ferè incommoda mulieri poſſit afferre. Ideo primum plurimas uenas ad uterum, & eas amplas, deduxit, item & arterias (quãuis non ita magnas) quæ eſſent ueluti commodi riui, per quos confluere eiuſmodi excrementa facile poſſent, & ibi collecta ſeruari, aut ad excretionem, cũ illis non eſt opus propter fętum, aut ad alimoniã ipſius fętus. Collocauit autem inter rectum inteſtinum, & ueſicam, ut inteſtinum illi ſit ueluti ſtragulum, quod illum defendat, cum increſcente fętu tumidior ſit uterus, ne alliſu, & occurſu ſpinæ, quæ dura eſt lædatur. Veſica vero, quæ & ſi tenui tunica conſtat, ea tamen denſa, & fortis eſt, poteſt illum ex anteriori parte prætẽſa defendere, neq; tamen pondere premere. Subſtantia vero vteri ea eſt, quæ diſtendi quidem, & ampliari citra noxam poteſt, & uarijs fibrarum generib. intertexta eſt, ſicuti & alia viſcera, in quibus actiones naturalium facultatum, nempe attractricis, contentricis, & expultricis, & diuturniores, & ualidiores eſſe oportet: quibus fibris vtitur illius viſceris natura in attrahendo, continendoque, & mox in expellendo ea, quæ expellenda ſunt, petito etiam auxilio à muſculis abdominis, & à tranſuerſo ſepto. Quia uerò in conceptione opus eſt maris ſemine, qđ extrinſecus aduenire opus eſt: ideo vterus duab. partib. coagmentatus eſt, altera, quæ apta eſt ad ſuſcipiendum, & attrahendum ſemẽ, quamq; ceruicem appellant, ea longitudine, & amplitudine conſtante, vt poſſit virilem penem, per quem in maſculo fit ſeminis eiaculatio, commodè admittere, huius uerò ceruicis extremum, & extimum orificium eſt, quod Latini cunnũ appellauere, ad quod in mulieribus, & meatus pertingit, per quem vrina excernitur, ſicut in maſculis meatus penis vtrique excremento excernendo deſeruit, lotio inquam, & ſemini: ceruix autem vteri lõgior eſſe uidetur. Alia uero pars vteri eſt eius appellatum corpus, cuius primarium officium eſt ſemen ſuſcipere, continereque, & ſuper eum vndique ſe colligens, contrahenſque fouere: quę pars ad rotundum vergit, vt ſit capacior, habet autem, & teſtes illi annexos utrinque, ad quos, & ſua adueniunt ſeminaria uaſa, quæ tandem, & vterum quaſi perforant, ubi & ſuum effundunt ſemen, teſtes verò, & uaſa ſeminaria non fuerunt exterius deducta, ut

ćta, vt in maſculis, quia non erat illi ſemen exterius,
ſed interius intra mulieris corpus effundendum. Eſt
autem uterus ſenſu aliquo pręditus, cuius particeps
eſt per néruulos aliquos, quibus à natura donatus.
Et hęc quidem, quantum ad noſtrum inſtitutum per
tinet, ſatis eſſe poſſunt, nam particulatim omnia, quę
circa conformationem eius, ac partes, & vaſa, & eo-
rum munia conſiderari poſſunt, velle perſequi, eius
maximè eſſet, qui profiteretur ſe in pręſentia expoſi-
tionem abſolutam anatomicę diſciplinę traditurum.
Nobis verò, qui affectuum his particulis appropria-
torum curationem exponere profitemur, hęc ſatis
eſſe putamus. Prius autem de particulis, quibus diſtin
guitur fœmineus ſexus, agemus: poſterius uerò de il-
lis, quibus uirilis. Porrò cum his inſtrumentis natura
ad duplex officium in fœminis utatur, & ad genera-
tionem ſobolis, & ad muliebre corpus expurgãdum
ab excrementorum copia, quæ copioſa in muliebri
corpore ratione imbecillioris caloris in eo per quan
dam cruditatem continenter congeruntur: ideo bi-
partita quoque erit hæc tractatio, nam prius de illis
affectibus agemus, quę ad hoc ſecundum officium
pertinent, quod dum rectè, & ſecundum naturæ in-
ſtitutum procedit, mulieres plerunque ſanæ degunt:
deinde verò de illis, unde lęduntur uterus, & alię par
ticulæ inſeruientes, & miniſtrantes conceptioni, &
prolis propagationi. Prior namque ratio attinet ad
cuſtodiam, uel conſeruationem eius corporis, cuius
ſunt hæ particulę priuatim: altera verò ad cuſtodiam,
& conſeruationem humani generis, cum per eam
procuretur, ut ſpecies humana non deficiat.

De vteri affectibus ad menſtruas mulierum purgatio nes pertinentibus. Cap. I I.

NAtura in rebus omnibus prouida, & ſagax, ſi-
cuti quaſi auctor fuit, vt in muliebri corpore,
tum ſuapte ferè natura excrementoſa hęc ma
teria generaretur, quam menſtrua appellamus, pro-
pterea quia per certas periodos ſingulis menſibus ſo
let effluere, tum uero & eius ratione uictus: nam ſe-
xus muliebris, neque vehementibus laboribus, ſicut
uirilis conficitur, neq; uitam ſub dio, & ſole agit, ſed
cap. 5. magis (ut Galen. in lib. cõtra Eraſiſtratum expoſuit)
in otio, & umbra, quæ occaſioni ſunt, ut & excremẽ
torum, & ſanguinis maior congeratur copia. Ne igi-
tur ex congeſtione horum ſuperuacaneorum excre-
mentorum, quę illi omnino inutilia ſunt niſi quo tẽ-
pore in utero gerit, multa ſuperueniant incommo-
da, multique difficiles morbi gignantur, qui ſolent,
tum à multitudine, tum ab humorum vitio concita-
ri, procurauit, vt impetu ipſius facultatis naturalis in
hoc ſexu per quaſdam periodos, quę plerumque ſe-
quuntur motum Lunę, quę humores omnes ferè ad
miniſtrat, ſingulis menſibus fiat horum collectorum
excrementorum expurgatio, & proinde, cum om-
nis ferè alia ſanguinis excretio, vndecunque fiat, con
tra rationem naturę fiat, hęc ſola (vt idem Galen. in
lib. de ſympt. differ. & 3. de Cau. eorundem docuit)
inſtituto naturę fit, atque naturalis, niſi ſi quando
modum exceſſerit, cenſenda eſt. Vnde neque mirũ
deinde eſt, ſi commodè, & modeſtè per ſuos circui-
tus menſibus fluentibus, mulier quaſi tuta fit à quam
pluribus maximis, moleſtiſque morbis, quales (ut eo.
lib. contra Eraſi. & 2. ad Gla. idem aſſerit) ſunt poda-
græ, articulares dolores, pleuritides, peripneumonię,
inſaniæ, apoplexiæ, morbi comitiales, lethargi, cõuul
ſiones, neruorum diſtenſiones, inſaniæ, furores, ſan-
guinis ſputa, uel vomitus, capitis dolores, anginæ, ſed
& inflammationes (ut idem ſexto de loc. affect. teſta-
tur) eryſipelata, cancri; quibus alioquin facilè corri-
A piuntur, cum ſupprimitur hęc illis euacuatio familia-
ris, naturaliſque. Sed quoniam omnia, quæ natura
conſtant, ſuam habent rationem, & modum, à qui- Cap. 5.
bus ſi fiat receſſus, vel in defectu, vel in exceſſu, pari-
ter quies, & ſanitas corporis turbatur: ideo ſicuti de-
ficiente menſtrua purgatione, pręterquam ratione
conceptionis, mulier fit pluribus, & difficilibus mor-
bis obnoxia, ita ſi illa immodicè fluant, non minora
ſequi ſolent mala; quorum idem Gal. 6. de loc. affect.
meminit, nempe decoloratio corporis, pedum œde-
mata, corporis vniuerſi inflatio, mala concoctio, cibi
faſtidium, & tandem cętera omnia incommoda, quę
ſequi ſolent immodicam ſanguinis profuſionem: nã
hæc omnia ſequuntur communem rationem nimię
B euacuationis ſanguinis, quam & ſpirituum inanitio
ſequitur, & ſubinde diſſolutio caloris natiui, quo vni
uerſum corpus adminiſtratur. Morbi verò, qui à mẽ-
ſtruorum retenta vacuatione occaſionem habent,
quadam priuata ratione (ut Hipp. 5. Aph. innuiſſe, & com. 57.
eius explanator Gal. expoſuiſſe uiſi ſunt) referuntur
in vterum, quaſi illius proprij affectus. Nam fieri om
nino nequit, quin interim, dum in vtero retinetur hu
iuſmodi excrementitia materia, ſi aliquo temporis
ſpatio detineatur, in eo non contrahatur vitium ali-
quod, quod aut ſcirrhi, aut inflammationis, aut eriſy
pelatis, aut cancri, aut vlceris, aut alterius id genus
morbi naturam referat; & proinde eod. loco Hipp.
ait, quòd menſibus non fluentibus fiunt morbi ex
C utero, illis vero nimis fluentibus, morbos quidem ori
ri dixit, non tamen dixit ex vtero. Et licet menſium
ſuppreſſio omnis, quæ fit ex aliqua cauſa, quę præter
naturæ rationem ſit, mala omnino ſit, ea tamen de-
terior eſt, quæ fit ex aliqua cauſa (vt idem Gale. tertio
lib. Com. in tertium epid. ait) in puerperis à partu; & com. 73.
id tum multitudinis retentę illius materiæ ratione: tũ
verò vitij, & prauitatis: quia in menſtruis periodis ne
que poteſt tanta congeri materia, neque pari tempo-
ris ſpatio plerunque detinetur, ſicut quando mulier
in vtero gerit. Præterea uero (ut idem in lib. de Atra
bile meminit) ſi quid boni in menſtruo ſanguine eſt, cap. 8.
id vniuerſum (vt ſuperius diximus) abſumitur in ali-
mentum fœtus: quicquid autem vitioſi, & mali, in ve
D nis retinetur ad tempus uſque partus, in quo deinde
excernitur per multos dies à partu. Vnde plerunque
atræ bilis colorem, & naturam refert iſtiuſmodi vi-
tioſus ſanguis, immo (vt idem eodem tertio epid. ait)
& vrinę tunc hoc idem indicant, vtpote quæ uiden-
tur, quaſi eſſent quadam infectæ fuligine. Aliquan-
do tamen (ut idem 3. lib. in 1. epid. ait) magis bilioſus
eſt, interdum virulentus, quandoque pituitoſus, nun- Com. 21.
quam autem omnino alicuius vitij expers, & proin-
de etiam ſequitur, quòd puerperæ, in quibus purga-
tiones à partu fuerint ſuppreſſę raro (ut eodem 3. lib.
in 3. epi. teſtis eſt) leuibus, ſed ſemper ferè grauiſſimis
morbis corripiuntur, qui ad extrema etiam uitæ pe-
ricula mulierem adducunt. Nam ſi in utero cõſiſtat
E uitioſus ille ſanguis, ibi inflammationes, & alios id
genus tumores ſolet excitare, ſin autem (ut idẽ Gal.
2. Prorrh. teſtatus eſt) alio feratur is vitioſus ſuccus, cap. 84.
varios morbos, & pericula affert, pro uaria natura
partium, in quibus fuerit receptus. Hippoc. autem in
lib. de morbis mulierum videtur dixiſſe, menſtruam
purgationem moderatam eſſe quando per biduum,
aut triduum excernuntur ſanguinis ferè duę hemi-
næ Atticæ. Verùm hoc fuerat illis temporibus ab
Hippocrate obſeruatum, quando & uictus ratio tẽ-
peratior ſeruabatur, neque ita otio erant deditę mu-
lieres. Noſtris autem temporibus, plurima in illis re-
peritur diuerſitas: nam aliquæ ad quinque, ex ſex uſ-
que dies purgantur, aliquę ad octo etiam & aliæ co-
pioſiſſimè, aliæ parcius purgantur. Quatenus autem

ad purgationes à partu pertinet, idem Hippoc. in lib. de natura infantis ait, quod quæ fęmellam peperere, ad quadrageſimum ſecundum diem purgantur, quæ verò maſculos, ad trigeſimum ad ſummum, quibus, & menſuram purgationis præſcribit, vt inter initia puerperij exeat ſanguis circiter ad menſuram Atticæ heminæ, ſequentibus autem diebus paulatim imminuatur, donec ſupprimatur.

De Muliebrum menſium ſuppreſſione, ac de ratione eos euocandi. Cap. III.

CVM itaque ſupprimuntur menſes, pręterquã quando ob imprægnationem fit ea ſuppreſſio multorum morborum periculis mulieres exponuntur, nec minoribus etiam, quando immodicè fluunt, de vtroque autem incommodo ſermonem in præſentia habere inſtituimus: prius tamen de eorum ſuppreſſione, poſtea verò de eorum immodico profluuio. Sed vt exquiſitius, & magis ex methodo hæc omnia tractemus, a communi quodam capite (ſicut fecimus in multis alijs) exordiamur, hoc primũ accepto, tanquam manifeſto, quod menſtrua purgatio, & ſi proximè quidem ad ipſum uterum, tanquam ad proprium, & ultimum in hoc naturæ inſtrumentum pertineat, tamen ea eſt non modò vteri, verum, & totius muliebris corporis purgatio, & proinde dictum eſt ab Hippoc. & Gal. quod mulieres, dum commodè purgãtur à multis, tum uniuerſi corporis, tum etiam multarum particularum vitijs tutæ ſunt. Cum itaque hæc expurgatio ſit vteri propria actio, poteſt ipſa eiſdem omnino modis vitiari, & lædi, quibus, & reliquarum particularum actiones, nempe, quia aut penitus tolli, ſicut quando omnino mulieres à ſuis deſtituuntur menſibus: aut imminui poteſt, vt ſi purgentur quidem, ſed parcius, quàm vel ſolitæ ſint mulieres vel copia eorum excrementorum exigeret. Tertio vero ſi vitiata, & corrupta fiat eiuſmodi purgatio. Corrumpitur autem, uel vitiatur eiuſmodi purgatio multifariam, vel ſcilicet, ratione copiæ, & (vt dicunt) quantitatis eorum, quæ uacuantur, uel ratione qualitatis, & vitioſæ naturæ eorum, quæ purgantur, uel temporis, vel modi, quò fit eiuſmodi uacuatio. Ratione quidem copiæ, quando immodica fit per menſes ſanguinis profluxio, nec modo illius excrementitij, verum & boni, vtilisque: vnde poſtea, & imbecillæ, & decoloratæ fiunt mulieres. Ratione uerò modi excretionis duplex fieri vitium poteſt: nam aliquæ non immodicè quidem vacuantur, ſi ad quãtitatem eorum, quæ exeunt, reſpiciamus, ſed paulatim, & longiori quidẽ tempore facta vacuatio perquam moleſta eſt, cum ſuas non ſeruet periodos, immo ſæpe nunquam penitus mundæ euadunt. Altero autem modo fit in modo huius purgationis vitium, non ratione quantitatis, aut moleſtiæ ex tempore longiori purgationis, ſed ratione doloris, aliquæ enim mulieres uehementiſſimis tempore ſuorum menſtruorum doloribus vexãtur. Poſtremum autem vitium, quod ſolet in hac purgatione contingere, conſiſtit in uitioſa qualitate, & natura eorum, quæ purgantur, quandoque enim alba, & pituitoſa excernuntur, nonnunquam nigra, interdum quaſi purulẽta, aliquando ichoroſa, ſæpe viridia, aliquando ſimilia loturæ carnis nuper occiſi animalis. De his quidem omnibus ſermonem habituri ſumus, primum tamen de menſtruis, aut omnino ſuppreſſis, aut parcè, & modicè fluentibus, nam utriuſq; defectus eadem ratio eſt, alioquin non differens, niſi magnitudine. Primum autem inueſtigare oportet, quibus de cauſis poſſit fieri menſium in muliere ſuppreſſio. Nam ſuppreſſio quidem ſymptoma eſt, ad genus læſæ actionis pertinens, cuius cauſa morbus eſt, à

A quo deinde curationis ratio eſt petenda. Sed ut commodius hæc tractare poſſimus, in memoriam reuocemus ea, quæ fuere paulo antea à nobis expoſita, ꝙ in menſtrua purgatione per uterum fit excrementoſæ iſtius materiæ excretio, quę tamen ab vniuerſo corpore ad vterum impellitur, quo fit, vt menſium ſuppreſſio poſſit triplicem habere occaſionem, nempe, vel ab uniuerſo corpore, unde profluit hæc materia, vel ab ipſo utero, per quem fit euacuatio, uel ab ipſa materia, quæ euacuanda eſt, ſed incipiamus ab ipſo vtero, nam huic loco magis accommodata uidetur ea tractatio. Cum ergo vitio vteri fit menſium retẽtio, cap.4. aut illud eſt in propria uteri ſubſtantia, uel in eius temperatura, com. 28. vel in vaſis ipſius vteri, per quæ purganda & 57. B materia defluit. In ſubſtantia quidem vteri, quia (vt tertio de ſymptom. cau. & quinto Aphor. docet Gal.) facilè in mulieribus, quæ vteros duros, & denſos habent, fit, vt menſes retineantur, & id vitium aut à natura contractum eſt, & à primo ortu, aut aſcititium eſt, ut perpetuum eſt, ita & ſuppreſſio menſtruorum erit perpetua, niſi interdum accidat, vt & tempore lõgiore, & ope accommodatorum medicamentorum, & medici diligentia in melius commutetur. Sin autẽ (ait Gal.) vitium illud fuerit aduentitium, non erit ſuppreſſio perpetua, ſed eo uſq; donec uitium illud remoueatur. Item uero ratione intemperaturæ ipſius vteri poſſunt fieri menſtruorum retentiones propter eius imbecillitatem, quæ intemperaturam ſequitur. Intem C peraturæ uerò ſimplices, ſi Auic. attendamus, quę imprimis iſtius imbecillitatis, vnde menſes retinentur, cauſa ſunt, frigida, & ſicca, compoſitæ uero calida, & ſicca, & frigida, & ſicca. Gal. tamen hæc non ita diſtinxit: fortaſſe quia frigus, & ſiccitas, ſiuè ex natura fuerint contracta, ſiue ex alia aduentitia ratione uterum duriorem, & denſiorem reddunt. Vnde Hipp. in lib. de aere, aqua, & regio. cui aſtipulatur, Auice. ait, quod ex multo aquæ frigidioris potu mulieres à ſuis menſtruis deſtituuntur, & ſteriles fiunt. Tertio uerò, & vaſorum uteri per quę effluunt menſtrua, vitio intercipi poteſt naturalis hæc in mulieribus purgationis ratio, nempe quia ſunt venæ anguſtiores, & fluxioni minus aptæ, quod item uitium (vt eiſdem in locis docuit Ga- D len.) aut naturale eſt, nempe quia in primo ortu ita vitioſè efformatus ex aliqua occaſione fuerit vterus, aut uerò ex aliqua morboſa cauſa, uel alia alioquin ratione ortum habuit, quia vel aruerint uenæ, & exſiccatæ in anguſtum, uel ex frigore fuerint contractæ, vel quia præpinguis facta mulier fuerit, & à circunſtãtibus partib. eæ comprimantur, uel quia fuerint obſtructæ. Quarto ratione materiæ euacuandæ poteſt menſium ſuppreſſio fieri, & id aut propter quantitatem, aut modum ſubſtantiæ, aut motum ipſus materiæ. Ex quantitate quidem, quia defecit, & pauca eſt vacuanda, pauca uero eſt, uel propter naturam, & temperaturam mulieris, nempe quia, vt Aetius (ex ſententia Rufi ſermone 16. cui & Auic. ſubſcribit) ait mulie- E res quædam ſunt, quæ prope ad uirilem naturam, & cap. 51. corporis habitum virilem, & morib. ſimiles viris sũt, & viragines appellantur, & menſtruis carent, aut mòdica admodum citra vllũ incommodum habent, qm̃ calor in eis perinde ferè, vt in viris, fortis eſt, vt & probè coquat materiã alimentitiã, atque, ſi quid ſuperuacanei in eis relinquitur, id per vacuationẽ ſenſus latẽtem digerit, qualẽ vnam noui, quæ robuſtiſſima erat mulier Illirica, & habitu figuraq; corporis ſimillima viro agili, & expedito, colore ſubobſcuro, quæ nũquã per menſes purgabatur, ac ſemel tantum, cum tamẽ ad ſenectutem vſq; cum viro vixerit, in utero habuit, reliquo autem tempore fuit infœcunda. Præterea uero cur, aut nihil, aut parum purgetur mulier ex defectu purgandæ materiæ, referri in victus rationem, tan

quam

quam in cauſam, poteſt: nam propter abſtinentiam à cibis, & victum tandem tenuiorem poſſunt deeſſe menſtrua, & id duplici ratione primum quia ex inedia ſubtrahitur menſtruis materia, aut quia(ut Gale. in lib.contra Eraſiſtrateos,qui Romæ degebant,docuit)ex inedia ſanguis creſcit, & fit craſſior, atque adeo etiam minus fluxilis. Sed & vita in multis exercitationibus, & laboribus (ut idem locis ſuperius citatis tradidit)occaſioni ſæpe eſt, vt menſes aut parcius, aut minimè fluant:nam labores exſiccant, & ſuperuacuam materiam abſumunt. Sed & multæ vacuationes,vel ſpōtaneæ,vel à medico excitatæ, per aluū vel ſudores, vel lotia ſubtrahunt menſtrualem materiam, Quidam & in nimiam copiam ſanguinis rationem ſuppreſſionis referunt, quibus Aetius fauere videtur; ſi tamen ſanguis craſſitie, aut lentore careat, non facilè poterit facere ad ſuppreſſionem. In modū vero ſubſtantiæ excrementorum referri poteſt, cur menſes ſupprimantur,ſi ea materia,quæ erat purgāda,ſit craſſior:vt ſi ſanguis ſit craſſus,& melancholicus,ita factus vel ratione ciborum,qui facilè poſſunt in eum humoré verti, vel ratione aſſationis,& vſtionis,vel etiam frigoris: ſi etiam viſcida, & lenta nimis ſit,ut eſt pituitoſus ſuccus, & ob craſſitiem & lentorem non facilè poſſit per venas fluere; & hoc,aut ratione ciborum, aut otij, aut ſimilis alterius cauſæ. In motum quoque materię referenda eſt interdum,nēpe quia materia, quæ per menſes erat vacuanda, in aliam partem conuerſa,per illam vacuatur,ut interdum per profluuium ſanguinis è naribus aut per hæmorrhoidas,aut per vomitum,aut per aliqua vlcera, aut alioquin(ut Gal, 5. Apho. teſtatus eſt,) per aliam Com. 57. rationem.Fit autem conuerſio materiæ ad aliam partem interdum propter uitium aliquod in ea parte: interdum (ut eodem 5. Aphor. inſinuat) id fit ratione vteri,ſi quando vteri vaſa facta fortiora excrementitium ſanguinem ad ea confluentem non admittant, ſed potius repellant: quare natura cogitur illum in aliam partem conuertere. Sed præterea poteſt ſuppreſſio menſium fieri ratione multorum morborū, vel particulatim ipſius uteri, vel eius conſenſu cum corpore vniuerſo, vel cum aliqua particula ſeorſum. Morbi verò vteri,quos ſolet ſequi menſium ſuppreſſio ſunt inflammatio,ſcirrhus,alijq́ue tumores in vtero exorti, cicatrices etiam ex prioribus vlceribus in Com. 28. utero,&(ut 5.Apho. expoſuit Gal.) incommodus ſitus vteri,ſicuti in conuerſione,& declinatione vteri in aliam partem,vel quando impeditur exitus menſtruorum, & cōgreſſus cum viro agglutinato & clauſo genitali muliebri mēbro; de quibus omnibus ſuo loco magis particulatim agemus. Conſenſu autem aliarum partium,ex quarum affectibus poteſt intercipi huiuſmodi muliebris purgatio, in primis(ut teſtatur Paulus 3. lib.) uitio iecinoris facti imbecillioris, aut propter eius inſignes obſtructiones, aut propter obſtructiones in uniuerſo corpore,quæ impedimento ſunt,quare fluere nequeat ſanguis. Vt autem mēſtrua purgatio mulieri ſaluberrima eſt, ſi moderatè, & quantum ratio illius mulieris requirere uidetur, & quo etiam tempore à natura inſtitutum eſt, fluat: ita contra, cum ea mulieres omnino, aut magna ex parte deſtituuntur, nulliferè morbi generi non fiunt obnoxiæ:plurimis etiam ſi modicè fluant. Verum de illis ſummatim, & breuiter agamus, quæ ſolent eſſe quaſi ſoboles ſuppreſſorum menſtruorum: ſed prius hoc eſt aduertendum, quod ab eadem interdum cauſa ſecundum genus plures, & diuerſiſſimi,immo aduerſi affectus poſſunt occaſionem habere, & id tum ob diuerſam materiæ naturam,tum verò ratione diuerſitatis corporis uel uniuerſi, uel partium, quibus conſtat corpus illud: nam & ſi materia menſtrua, q̄

A ſuis certis periodis in mulieribus purgatur, quando purgatur, & excernitur, ea ratione excernatur quæ ſuperuacua,& inutilis,vitioſave eſt;non tamen ſemper ęquale, & ſimile in omnibus vitium eſt:nam aliquando ſanguis non plurimus à propria natura recedens purgatur: interdum verò uniuerſus ferè ichoroſusve, vel ſeroſus: quandoque craſſus,ater, & plurimum ad naturam atræ bilis accedens, ſæpe decoloratus,& quaſi loturæ carnis ſimilis, aliquando pituitoſus,& lentus,quandoque bilioſus, & flauus. Vnde ſicut diuerſa eſt eius natura, ita ex hoc retento excremento varij poſſunt morbi concitari, tam in utero, quam in uniuerſo corpore,& præterea in omnibus eius partibus inflammationes videlicet vteri, & eryſi B pelata,herpetes,œdemata,hoc eſt molles & pituitoſi tumores,& ſcirrhi,& cancri, vlceraq́ue. Verū quia licet fiat huiuſmodi purgatio naturæ inſtituto per vterum, vniuerſum tamen corpus muliebre inde purgatur: proinde non ſolum utero ſuppreſſa menſtrua multorum malorū occaſioni ſunt,ſed & multis alijs particulis, & tandem uniuerſo etiam corpori, & id pro ratione tum particulæ, in quam decubuerit retētum hoc excrementum:tum vero,naturæ diuerſæ illius excrementoſi humoris. Nam ſi ad caput aſcenderit, poteſt & morbum comitialem afferre,ut Hip. com. 13. in lib.de Natura fœminarum teſtatus eſt,ait enim,retenta in virginibus menſtrua comitialem morbum dementiamq́; afferre,& phrenitin ut Gal.3.lib.Pror C rh.& inſaniam, furoremq́ue, interdum lethargum, atque ſoporem, interdum uerò affectum mixtum ex vigilia ſoporeq́ue,quandoque apoplexiam. Sed & ad fauces delatum anginam, ad thoracem pleuritin, ad pulmones peripneumoniam,ſanguinis ſputum,tandemque tabem,ad neruos, tremores,conuulſiones, & neruorum rigores,ad iecur inflammationes, ſcirrhos,obſtructiones;& denique vitiato eius temperamento,aquam intercutem, itidemque ad lienem generare poteſt. Quanta autem, & quot mala uentriculo afferat,indicant prægnantes:poteſt enim & appetitionem cibi deijcere, & famem caninam excitare,& picam,& vomitum, & nauſeam, & ventriculi varios dolores,tumoreſq́ue. Quod ſi ad pedes, ma- D nus,vel ad articulos decubuerit,podagram,chiragrā, articulorumque dolores inducet. Varię quoque febrium putridarum differentiæ, quæ ab hac materia putreſcente, uel in uenis,vel extra venas ortum habent nimirum & ardentes, & intermittentes cuiuſcunque generis, pro uaria ratione naturæ iſtius excrementi ſolent concitari. A quibus quidem, atque alijs morbis tutæ ſunt mulieres (ut in 2. ad Glauc. & in lib.de uena.ſecan.contra Era. docet Gal.) quando oppportunè,& moderatè hac ratione purgantur. Sed quamuis ex multis cauſis dixerimus poſſe fieri hanc ſuppreſſionem, atque adeo etiam diuerſis, & interdum contrarijs, non erimus tamen admodum prolixi in exponendis ſignis,quibus cauſę illæ poſſint E diſcerni, tum quia ſæpius ſequantur multos uteri affectus, de quibus particulatim poſtea eſt habendus ſermo:tum verò, quia non ſunt admodum difficilia cognitu. Nam (ut prius diximus) quando ſequuntur uitium uteri à primo ortu contractum, perpetua, & uſque à primis annis,quando ſolent incipere purgari,carent ea purgatione. Si uero ex aduentitio uitio, & quod aliunde habuerit occaſionem, errores præcedentes in ratione uictus poterunt id indicare, ut ſi frigus fuerit paſſa, uel ex exteriori aere uel ex uſu ciborum,tum cibis, & potibus, tum ſole, tum laboribus,uel ſi illis ſit uſa,quæ craſſos humores generent, unde potuerint fieri obſtructiones: ſi grauitas corporis percipiatur, neque tamen bene colorata ſit mulier: item ſi corpus ſit extenuatum,ſiccitatem ſignificat,

ficat,

ficat, ueneque, ſi quaſi uacuę uideantur. Sed & urinę A uim non exiguam in hac re habent, nam ſi aquoſæ, diſcoloratęque, & copioſę reddantur, frigus indicant: ſi albę, & craſſę copioſos humores pituitoſos, ſi flauę, & igneę, corporis caliditatẽ, & ſiccitatem. Sed & quę per aluum deijciũtur, aliquam fidem facere poſſunt, ſi uel pituitoſa, uel melancholica. Color pręterea corporis, ſi alba, & decolorata, uel pallida ſit mulier, uel ſi obſcurioris coloris, & multa alia, quę in pręſentia ſuperuacaneum eſſet particulatim recenſere.

De ratione curandi ſuppreſſionem menſium.
Cap. IIII.

HIppo. in lib. de morbis mulierum ſenſiſſe uidetur, B quod ſi mulieribus menſium ſuppreſſio vltra ſex menſes protrahatur, nullo amplius ingenio poſſit euocari. Quod ſanè ita eſſe intelligendum credimus, nempe quod raro, & non facile id fieri poſſit, non autem, quod omnino nequeat. Nam 4. Epi. ſcriptum reperimus fuiſſe ancillam, cui per ſeptẽnium fuerant retenta menſtrua quæque poſt multa incommoda, & uentrem tumidum factum, decolor facta eſt, & dyſenteria correpta, tandemque redeuntibus ſuis menſtruis purgationibus ad priſtinum habitum, ſtatumque, & colorem reſtituta eſt. Vnde conſultius eſt, vt cum ſupprimuntur, & id non propterea, quia grauida facta ſit mulier, cito procuretur, vt reuocentur. Cum uerò multæ fuerint cauſæ relatæ, vnde C poſſint ſupprimi, varia etiam ratione illi incommodo ſuccurrendum. Sed hoc imprimis conſiderandum, ꝙ affectuum, quos ſequitur menſtruorum ſuppreſſio, alij quidem omnino ad uterum pertinẽt, alij autẽ nullum vteri vitium primarium ſequũtur, ſed à ſolo eius conſenſu cum alijs partibus pendent, alij vero utranque rationem habent, nam & non ſine aliquo uitio proprio vteri contingunt, & fouentur etiam ab alijs partibus. Ad proprium autem affectum uteri ſpectãt ſuppreſſi menſes, quando retẽti ſint, aut propter eius duritiem, & ſoliditatem, aut propter eius imbecillitatem ex intemperatura aliqua, aut ex clauſione, & obſtructione venarum in eo facta à craſſo, vel à lento, vel à multo humore, uel ex cicatrice poſt vlcus, uel ex D coalitu partium pudendarum, uel ex mẽbrana prætenſa meatui, per quam exitus intercipitur: ſiue hæc à natura habuerint, & à primo ortu occaſionem, ſeu aliunde. Præterea uero quando ſequuntur nimiam pinguedinem, vel internos ipſius vteri morbos, aut inflammationem reliquoſve tumores, aut diſtorſionem, & ſitum uteri mutatum, & reliqua id genus omnia. Ex conſenſu vero cum uniuerſo corpore omnino retinetur menſtrua purgatio, non ex uitio primario ipſius uteri, quando ex defectu materiæ, quæ per menſes ſolet uacuari, undecunq; occaſionem habeat defectus, ille itemque cum ex motu, & conuerſione materiæ in aliam partem id contigerit, pręterquam ſi id fuiſſet factum ex robore uenarum non admitten- E tium influxum materiæ menſtrualis, quam cogatur natura ad alias partes conuertere. Sed ſi euenerit, aut ob copiam, aut ob craſſitiem, aut ab lentorem humoris purgandi, unde fit in utero obſtructio, poteſt & id accidere ex uitio ſolius uteri, poteſt pręterea ſępius tũ ex utero, tum uero ex fomento à ſuperioribus partib. occaſionem habere, pręſertim uerò, quando à craſſitie, & lentore fiat obſtructio, quia poteſt congeri craſſus, uel lentus humor in utero abſque alio fomento a ſuperioribus partibus cum aut à natura expurgante alias partes fuerit, quicquid iſtiuſmodi excrementoſi humoris erat in illis, tanquam ad communem totius corporis ſentinam, ad uterum excretum, poteſt etiã ob imbecillitatem coloris natiui colligi excremẽtum

A pituitoſum, & lentum ex eius alimento proprio per cruditatem, uel debilem concoctionem, vel ex calido intemperamento aſſatus ſanguis fieri craſſior in utero, vt tamen in alijs partibus ſit ſanguis mediocris. Quod autem ob multam humorum copiam intercipiantur menſes niſi in uniuerſum corpus redundet iſthęc copia ſanguinis, & aliorum humorum, non facile putauerim, vnde ſi fieri poteſt, ut ex multa humorum copia retineantur menſes, ſemper quidem illud non ſolum in uterum eſt referendum, uerum in uniuerſum corpus, & reliqua uiſcera, quæ fouent, & ſubminiſtrant illi hanc copiam: nec minus etiam quãdo vniuerſa ratio ſuppreſſionis eſt craſſities, & lentor humorum, immo ſępius uitium, & obſtructio excitata B in utero fomentum, & occaſionem habet aliunde, nẽpe uel à iecinore, uel à uentriculo, uel tandem à corpore uniuerſo. Vnde pro ratione diuerſę conditionis iſtius rei diuerſimode tractanda eſt hęc curatio. Particulatim uerò, ne confundamus hanc tractationem, primum id aduertendum eſt, quod cum medicus imprimis conſiderare debeat, an fieri posſit, vt id aſſequatur, quod ſcopus, quem ſibi in curando propoſuerat, agendum eſſe oſtendebat, uel ſecus, nam & ipſe ineptus eſſet, & omnis labor irritus, ſi ea perficere tentaret, quę fieri minimè, vel ſperare posſit, ſi igitur, cũ ſuppresſio ſit à coalitu meatus, & clauſione, itemq; à conſolidatis vlceribus mẽſtrua medici, uel artis nulla ope reuocari posſint, neque tentare reuocationem C hanc ullo modo debet medicus, ſed naturę defectui alia ratione ſuccurrendum eſt, nempe ut excrementitia ea materia, quę per vterum erat excernenda, aliũde & alia ratione detrahatur, nimirum aut multa exercitatione, frictionibus, & balneis, aut alijs uacuationibus, ut ſunt ſanguinis misſio per ſectam venam, per cucurbitulas inciſas, per hęmorrhoidas apertas, tandemque purgato corpore per apta medicamẽta. Sed neque in viraginibus, quę aut nihil, aut parũ per menſes purgantur, niti oportet, vt copioſè purgẽtur. Cur enim hoc fiat, cum natura hoc habeant, ut careant menſtruis, perinde vt mares, quibus habitu, & tẽperatura ſimiles ſunt, cum medicus ſit naturę imitator, & miniſter. At neque de laborioſis mulieribus, D in quibus deſunt, uel modicę ſunt hę purgationes, propterea quia ex labore abſumitur excrementitia hęc materia, oportet medicum eſſe plurimum ſolicitum, niſi ſi ratio uictus interdum mutetur, & ad otium cõuerteretur, atque inde viderẽtur malè habere. De his ergo alioquin ſermonem longiorem nõ habebimus. Sed neque de ea menſium ſuppresſione in pręſentia agemus, quę propriorum affectuum, & manifeſtorũ comes eſt, ut quando inflammationem, aut alios uteri tumores ſequitur, aut clauſionem, quę ex ſupercreſcente, aut carne, aut membrana genitalibus particulis ſit, neque etiam de illa, quę ob conuerſionem, & mutatum ſitum ipſius vteri, cum de his omnibus ſuo loco, & tempore particulatim, proprijs inquam capi E tibus ſimus tractationem inſtituturi. De ea ergo agemus, quę nullam aliam adiunctam manifeſtam affectionem, vel morbum habent, quę particulatim propriam requirat curationem. Primum itaque hoc, tanquam fundamentum iaciendum eſt, quod ſi ex uitio contracto in ipſo inſtrumento ſit intercepta eiuſmodi purgatio, ſicuti ex eius imbecillitate ab intemperatura aliqua contracta, aut à denſitate, & duritie eius, aut à ſimili alia occaſione, oportet prius intemperaturam remouere, carnem, & ſubſtantiam vteri rarefacere, & mollirę medicamentis, & auxilijs accommodatis his vitijs, obſtructioneſque aperire: deinde uero materiam aptam ad fluxionem reddere, ac poſtremo ſanguinem ad uterum, & eius uenas conuertere. Sed hoc negotium magis particulatim tractemus;

mus: diuerſa enim ratio curationis eſt,quando ex vi- A
tio duntaxat vteri fit menſium interceptio, ac quan-
do aliunde habet occaſionem: quandoquidem ſi vni
uerſum vitium in vtero ſit, ſimplicior erit curationis
ratio, cum illi ſolū ſit attendendum: at ſi aliunde aut
occaſionem habeat,aut fomentum, non ita ſimplex
poterit eſſe curatio, cum indicationes non ſolum ab
vtero ſint petendæ, verùm & ab illis, vnde præſtita
eſt occaſio, vel fomentum. Porrò quia,ſi aliunde ha-
beat occaſionem,& fomentum,prius ea occaſio au-
ferenda eſt,atque fomentum eſt ſubtrahendum:dein
de verò curationem conuertere oportet ad propriū
vteri vitium,ſed ſi vitium omne in vtero ſit,illi ſolum
eſt incumbendum: ne idem ſæpius repetere coga-
mur, agamus primò de ea ratione, qua fomentum, B
& occaſio,quæ aliunde manat,ſit tollenda,Itaque ſi
occaſio vniuerſa pendeat ex materiæ menſtrualis de
fectu, & penuria, cuius cauſa fuerit victus tenuis, &
parcus,à quo & ſubtracta ſit materia,& ſanguis ſit fa
ctus craſſior; mutanda eſt victus ratio, & mulier ple-
niori victu, & humidiori reficienda eſt.Sin autem ex
multis laboribus id contigerit, ſi quidem illis adhuc
laboribus conficiatur, neque aliquod incommodum
ex hac ſuppreſſione percipiat, nihil etiam agendum
erit, donec eo vſa fuerit uictu: quia nihil refert an
hoc, vel illo modo ſuperuacua hæc materia abſuma-
tur, dummodo non lædat. Sed ſi hoc pendeat ex mo
tu, & conuerſione iſtius materiæ ad alium locum,
conſiderandum erit, qua de cauſa id acciderit, quòd C
materia in alium locum conuerſa declinauerit,an ra
tione vteri, quia venæ eius ſint obſtructæ, aut quia
clauſæ, aut quia fortiores adeo, vt nolint ſuperuaca-
neam materiam admittere, vel potius ratione alicu-
ius alterius affectus, vel corporis vniuerſi, vel alicu-
ius particulæ: ſicuti exempli cauſa,ſi ex nimio totius
corporis, vel iecoris calore ſanguis efferueſcens ſur-
ſum ad caput ferretur, & apertis venis naſi per eas
profunderetur,vel ſi ratione imbecillitatis,vel alicu-
ius morbi alterius particulæ ad illam conflueret ex-
crementitia hæc materia, ſicuti ſæpe fit in aliquibus,vt
hac ratione ſanguis euomatur, aut tuſſi ex pectore,
vel pulmone per periodos eijciatur,in omnibus ergo
his ratio requirit, vt illi occaſioni ſuccurramus: mox D
verò, vt omni ingenio materias has ad vteros con-
uerſas trahamus,ſicuti paulò poſt dicturi ſumus. Oc
caſioni autem primæ ſuccurrendum eſt per remo-
tionem vitij,aut vniuerſi corporis, aut illius particu-
læ, vnde pendet hæc occaſio,quomodo remoueri di-
ximus, cum de curatione affectuum illorum ageba-
mus. At vero ſi ex nimia ſanguinis copia, vel ex craſ-
ſitie, lentoreuè humorum ortum habuerit ea ſup-
preſſio, ſi quidem humor is, quicumque ille ſit, ſan-
guis, vel alius, occupat vniuerſum corporis habitū,
duplex erit curationis ratio,nam primum remouen-
dum erit corporis vniuerſi vitium nempe multitu-
do: mox tentādum erit, ut menſes cieamus: alioquin
enim, ſi ſtatim euocare menſes voluerimus, pericu- E
lum eſt, ne ſimul, & confertim ruente multitudine
ſanguinis,aut craſſæ & vitioſæ materiæ,magis ſuppri
mamus, & rem longè difficiliorem reddamus. Aga-
mus vero primum,quonam pacto ſit huic ſuppreſſæ
vacuationi ſuccurrendum, quando multa eſt in vni-
uerſo corpore, vel in principalioribus partibus pleni
tudo. Sed res ſatis clara eſt,quod per ſectionem venæ
tollenda erit hæc ſanguinis multitudo. Verum quæ
vena ſtatim à principio ſit ſecanda, non ita clarū de-
Cap. 57. inde videtur. Imò celebres medici in varias abire ſen-
tentias viſi ſunt. Aetius enim lib. 16. primum ſecādā
venam interiorē in brachio ait, deinde verò inferio-
Cap. 18. & 19. rem in cruribus ſub poplite, vel propè malleolos. At
verò Gal. in lib. de Cur. rat. per ven. ſect. huic ſenten-

tiæ, vel etiam contenta voce reclamare videtur, vt q
velit non exiguum eos committere errorem, qui è ſu
perioribus venis, quæ ſunt in brachio, ſanguinē mit-
tunt, quia ſanguinem ad ſuperiores corporis partes
retrahentes, menſtruas purgationes cohibent, cui &
Auic. ſubſcripſiſſe viſus eſt. Aretæus tamen non vide
tur in his vim multam facere, vt qui dicat venas qui-
dem inferiores in cruribus, vel pedibus eſſe ſecādas,
quando illæ facilè à chirurgo inueniri poſſunt: alio-
quin enim ſi illæ difficiles inuentu ſint, ſecari quidem
poſſe eas, quę in brachijs ſunt, vt tamē poſtea eas quo
que ſecari procuremus, quæ inferiores ſunt. Mihi ve-
ro non videtur res hæc ita ardua, quin poſſint facilè
dirimi hæ lites, ſi morem probatorum auctorum &
rationes, quibus adducti ſunt ad hæc præcepta ſtatuē
da, rectè expendere velimus. Nam cum de ratione cu
randorum aliquorum affectuum agunt, aliquando il
lum ſimplicem affectum ſolūmodo ſpectant, de quo
illis inſtituta eſt tractatio, nulla alioquin habita ratio
ne alicuius alterius, aut affectionis, aut circunſtātiæ,
quę poſſunt, cum eo affectu aliquando eſſe coniūctę:
quia alibi de illis ſeorſum ſermo habitus eſt, nimirum
quonam pacto oporteat ſe medicum gerere, quando
ea ſimul in aliquo morbo conſpirauerint, quæ diuer-
ſas habent indicationes, & aliquando etiam contra-
rias, vnde Gal. vbi de illis venis ſecandis agit quæ ma-
xime certam aliquam, & determinatam particulam
male affectam particulatim reſpiciunt, ſolam eam ra
tionem reſpicit, quæ proximè accommodatur affecti
bus illius particulæ. Quando autem non ſolum pro-
prium affectum illius particulæ, verum illum quoq;
conſideramus, vt illi aliud quidpiam coniunctum eſt;
quod & ipſum non contemnendum eſt, vt potè quo
niam non exiguam vim in indicando habeat, immo
interdum etiam maiorem, quam primus illius parti-
culæ affectus, vt quod vel rationem cauſæ fouentis ip
ſum affectum habeat, vel maius periculum poſſit af-
ferre, vel quia affectus curari nequeat, niſi hoc prius
ablato, tunc nō oportet ita ſimplicem tractationem
inſtituere, ſed eam compoſitam & mixtam, vt mixtę
& compoſitæ ſunt indicationes. Et vt magis particu-
latim rē exponamus cōſideremus primum rationē,
quam perſecutus eſt Gal. loco nuper citato, ipſe ergo
cui hoc erat notiſſimum, quod menſtrua purgatio ni
hil erat aliud, niſi euacuatio ſanguinis ad vterū con-
fluentis ex vniuerſo ferè corpore, natura illum eo im
pellente, vt per eum locum excerneretur, inde eam
inibat rationem, quod ſi aliquando erat opus, ut mē-
ſibus ſuppreſſis eorū fieret reuocatio, oportebat na-
turam in hoc imitari: nimirum mouere ſanguinē ex
vniuerſo corpore ad vterum, atq; illum interdū con-
fertim, ſicuti confertim per ſectionem venæ ſolet mo
ueri, nam ita, ſi in venis ſit aliquid obſtruēs, vehemē-
ti motu id exturbat. Hęc vero ita ſe habitura ſunt ſi
venæ inferiores ſecentur, quia deorſum conuertitur
fluxio ſanguinis, ſed ſuperiores vt ſunt q̄ in brachijs
ſecari ſolent, ſanguis potius ſurſum, & contra noſtrū
traheretur inſtitutum, atq; non modo menſtrua eo
pacto ciebimus, verum potius magis ſupprimemus.
Hanc ergo rationem ſecutus Gal. optimè ſenſit. iti-
demq; docuit, ut tamen hæc ita tractanda cenſuerit,
quando nulla alia præter hanc habeatur ratio, quæ
vim hac maiorem habeat, quia alias etiā nos docuit,
quonam pacto agendum ſit, quando multiplices in
vnum rationes conſpirāt. Aetius verò eo Capite, qđ
inſcripſit de ijs curandis, quæ ob plenitudinem non
purgantur, non vnam, & ſimplicem rem tractat, ſed
complexam, & compoſitam, ſuppreſſionem videli-
cet menſium, quæ cauſam habuit corporis plenitu-
dinem pręſentem adhuc, & a qua nunc etiam foue-
tur, & hæc, ſi ad rationem curandi per ſectam venā

conferantur, non eandem indicationem habent, immo diuerſam. Nam quantum ad menſium euacuationem ſpectat, oportet venas inferiores ſecare, quia illę præſertim faciunt ad ciendos menſes, ut nuper oſtendimus: cum tamen iam ſtatutum ſit ex plenitudine, & multa copia ſanguinis eſſe ſuppreſſos menſes, niſi alia via de ea plenitudine detraxerimus, velimus autẽ per inferiores venas hæc moliri, conſertim moto ſanguine ad vterum, maiores, & difficiliores concitabimus obſtructiones. Vnde cum omnino ſit multitudo, quæ cauſa eſt obſtructionis, prius tollẽda, & in ea auferenda, auertenda potius ab vtero copia eſt, quam ad illum conuertenda, id autem venæ potius ſuperiores poſſunt quando ſecantur, quàm inferiores pręſtare: & proinde illæ prius ſecandæ ſunt, nẽpe ad plenitudinem tollendam: nondum autem, ut menſtrua euocentur: neque ex eis venis ſanguinis detractio id incommodum iunctum habebit, vt magis menſes ſupprimat, mox verò vbi nulla amplius obſtabit, plenitudo, quæ poſſit maiorem ciere obſtructionem, ſi ad vterum conuertamus eius impetum, tunc nitemur menſes ciere eo ſanguine detracto, qui præterea copia ſua venas vteri obſtructas detinebat. Hęc qui recte conſiderauerit, multa poterit iuxta methodum à Galen. expoſitam ab Hipp. autem inuentam, & 1. de Rat. vict. in acu. mot. literis commiſſam, diſſidia tum Galen. in diuerſis locis, tum vero aliorum antiquorum, & probatiſſimorum auctorum conciliare: quibus interdum ſibi ipſis, interdum vero inter ſe uidentur mutuo repugnare, ſicuti in ſecanda vena in pleuritide, in renum inflammatione, in curando coxendico dolore, de quibus partim ſuperius partim verò in ſequentibus ſumus habituri ſermonem. Sed hic & vnum prętermittendum non eſt, cuius Gal. in

cap. 11. lib. de Cur. Rat. per ſect. ven. meminit, quod aliquæ ſunt mulieres, quibus parum ſectio venę prodeſt ad euocanda menſtrua, illę verò ſunt, quę candidę colore, & habitu corporis pingues ſunt, hę enim venas plerunque exiles habent, & ſanguinem tenuem congerunt. Vnde quamuis vena ſecetur inferior in cruribus, præ exilitate tamen venarum, non tantus effluit ſanguis, quanto eſſet opus. Magis autem illis proderit ſcarificare, vel pręcidere ſcalpello cutim iuxta malleolos, tenuis ſiquidem ſanguis ex inciſis locis facile effluit. Vena verò cum hac ratione incidenda eſt, uel cum cutis propè malleolos, incidenda per triduum, aut quatriduum ante definitum tempus, quo mulier expurgari ſolita eſt, vt de tempore inciſionis pręterea aliquid dicamus, quia cum iam tempus aduentat naturę conſuetum, facilius conſequemur, quod deſideramus, natura nimirum nos iuuante, ac utriuſque ſubinde pedis venas ſecandas eſſe, nõ tamen eadem die conſulit Galenus. Quo tamen tempore hęc agenda ſunt, interim uictus attenuantis ratio inſtituenda, vt sãguis attenuatus facilius fluere poſſit. Sed poſt vacuationes Galen. neque otium probatur in lib. cõtra Sectatores Eraſiſtrati Romæ, longè etiam minus inedia, nam otium quidem hebetat omnes corporis vires, lentiſque humoribus fomentum ſubminiſtrat, inedia verò ſanguinem ſiccat, & craſſiorem, minuſque fluidum reddit, vnde is victus probãdus eſt, quo corpus plenior. Præterea neque balnea eſſe interdicenda cenſuit ibi Gal. pręſertim vero vbi ſunt in frequenti vſu, ſicuti erant priſcis illis temporibus. Neq; etiam congreſſus, vel concubitus cum viro (ut tum Hippoc. in lib. de Natura ſeminis, tum Galen. primo de Tuend. ſani. teſtati ſunt) interdicendus, quia in eo uis quædam eſt ciendi menſes, unde uiduis facile ſupprimuntur. Quantum vero ad Pauliaria remedia pertinet, ad medicamenta, quibus menſes, cum hæc generaliora non conficiunt hoc negotium, particulatim adminiſtratis euocari poſſint, paulo poſt loquemur. Cùm autem ſanguinis craſſities obſtat, quo minus menſes effluant, qui ſanguis non modo vterum obſtruat, verum & talis ſit in corpore vniuerſo, occurrendum erit illis, tum pertinentibus ad victus rationem, tum vero ad medicamentorũ vſum, quę vim habent attenuandi, nam ſi ſanguis fiat tenuior, ita ẽt erit fluxibilior, quæ ſi etiam erunt citra inſignem calorem, præſtantiora erunt, ne quaſi excoctus, & exſiccatus ſanguis fiat craſſior. Quę autem ſit victus attenuantis ratio, & à Galen. ſeorſum vno huic rei libro dicato expoſitum eſt, & ſuperius à nobis res hæc plenius fuit tractata: vbi & id diximus, quod medicamenta omnia, quę ex partibus cõpoſita ſunt, quæ tenui ſubſtãtia conſtant, huic negotio ſunt opportuna, ſed ſi à multa copia craſſę, & pituitoſæ, lenteque materię fiat menſium ſuppreſſio, itidem opus eſt victu attenuante, ſed præterea & illis medicamentis, quę vim incidendi, vel diſſecandi, & detergendi habent, ut eſſent ſimplex oxymel, ſyrupus biſantinus cum aceto, & magis etiam biſantinus compoſitus & oxymel compoſitum, & longè etiam magis oxymel ſcilliticum, præterea vero & ſyrupus ex hyſſopo, ex calamento, ex praſſio, & id genus alij: vel etiam decocta confecta ex ijs, quæ attenuandi vim habent, vt apium, fœniculi ſemina, & radices, item & petroſelini, aniſique, pulegij, calamenthi, & id genus aliorũ. Medicamentum autem compoſitum huic negotio accommodatiſſimum (vt Galen. 5. Apho. voluit) eſt diacalamenthum, de quo in 4. de Sani. tuen. egit. Ne- com. 36.
que minus opportuna erit purgatio per aluum, vel etiam per vomitum horum excrementorum, præſertim ſi in ventriculo eſſet eorum congeſta multa copia, ſed in primis agamus de ratione eorũ, quibus per aluum inferiorem commode poteſt fieri purgatio. Ea igitur, quæ pituitam educunt, accommodata ſunt & inter alia Gal. probatur hiera dialoes à Græcis dicta, quamuis enim facilè, & leue medicamentũ ſit ſæpius tamen repetitum poterit vniuerſum etiam corpus inanire. Paulus tamen & hieram diacolocynthidos tanquam optimum medicamentum laudat, quod & valentius eſt, ſatis tamẽ opportunum, ſed & diaphoenicum in hoc ordine non eſſet ineptum medicamentum, & id, quod lenitiuum vocant in illis medicamentis, quę faciliora ſunt, & hęc erunt miſcẽda, & moderanda pro ratione naturæ corporum. Non erimus autem multi in illis omnibus exponẽdis, quæ poſſent ad hunc locum pertinere. ſępius enim ſuperius in prioribus libris de purgandi corporis ratione per medicamenta craſſos humores vacuatio fuit habitus ſermo. Vnde iam ea tractemus, quę particulatim faciunt ad euocandos ſuppreſſos menſes, quãdo nulla alia indicatio ab vniuerſo corpore, vel etiam ab aliqua alia particula cogit amplius medicum conuertere alio rationem curationis, ſed ſolum huic incumbendum eſt, vt trahatur materia menſtrualis ad vterum, atque vt viæ, per quas excernenda ea eſt, ſint apertæ. Cuius vniuerſam methodũ breuiſſimè, & lucidiſſimè in pauca capita redactã expreſſit Gale. in lib. cap. 18.
de Rat. curan. per ſect. uen. ait autem, quòd ante tempus conſuetum, quo ſolita fuerat purgari mulier, per quatuor nempe, vel quinque dies ratio victus attenuantis ſit inſtituenda: præterea verò ex vtroq; crure ſit mittendus ſanguis, ut primùm ex altero non multus tamen detrahatur ſanguis, mox verò die ſequenti ex altero, atque ſubinde ea dari voluit bibenda, quæ uim habent ciendi muliebres menſes, ſicuti ſunt pulegium, & calamenthum optimè trita, & cribrata, & quaſi in pollinem redacta, quæ ex mulſa eſſe offerenda ait, atque reliquis mox vtendum, in quibus ſit uis menſes ciendi; de quibus quædam magis

giſ particulatim agemus. Menſtruis itaque educendis ea medicamenta in primis idonea ſunt (ut quinto cap.22. de ſimp.fac. docuit Galen.) quæ venas vteri aperiũt, atque ſanguinem reddunt fluxibiliorem. Et quamuis (ut ſuo loco dicemus) eadem ſit materia, ex qua ſanguis in mammillis confectus in lac vertitur, & mẽſes ortum habent, qui ex utero fluunt: & ſubinde ſimilis ſit medicamentorum, & uictus ratio, quæ & lactis copiam afferre, & menſes ſuppreſſos reuocare poſſunt: Aliqua tamen in eis eſt differentia. Nam valentioribus opus eſt ad conuertendum ſanguinem ad vterum, vt menſes cieantur, quàm ut ad mammillas attrahatur, ut lac copioſius ſuppeditetur, & id (ut ibidem ille teſtatur) quia vterus non attrahit excrementitiam, & menſtrualem materiam, ſed tantum ſuſcipit eam, quando ui ſuperiorum partium impellitur. Mammillæ uerò non modò ſanguinem ſuſcipiunt, verùm & inſtituto naturæ attrahunt, ſed ad utrunque minus iis opus eſt, quæ attenuent, & proinde calefaciant, & ſiccent: ſed calidioribus, & magis exſiccantibus opus eſt ad prouocanda menſtrua, quàm lac: ſicuti calidioribus etiam, & ſiccioribus, & ſubinde fortioribus, quàm hæc ſint, opus eſt, Vt vrina cieatur. Nam modicè quidem ſiccantibus, & temperatè calefacientibus utimur ad lac ciẽdum: ad cienda autem menſtrua illis, quæ magis calefaciant, ſiccant etiam, ſed non admodum inſigniter: quæ verò inſignem uim habent calefaciendi, & exſiccandi, ea accommodatiora ſunt proritando lotio: porrò & quę lac etiam generant copioſum, vim aliquam habent menſes ciendi, non tamen validam: unde poſſunt eſſe utilia, quando illi non ſunt omnino ſuppreſſi, ſed parcè fluunt; quia cum omnis purgatio menſtrua ſuppreſſa eſt, ualentioribus eſt opus, ita quoque ea, quæ menſes euocant, poſſunt & urinam ciere, ſed non ualenter, ſicuti quæ propriè diuretica appellantur: nam diuretica, hoc eſt urinam cientia, ea propriè dicuntur, quę ita urinam cient, vt non & menſes prouocent: illa uerò propriè dicuntur menſes ciere, quæ ita ea cient, ut non lac. Sed magis particulatim de his agamus. Menſtrua ciere poſſunt apium, petroſelini ſemen, cicer, ſcordium, cappares, tam fructus, quàm cortex radicis eius, erythrodanum, porrum capitatum, enulæ radicis decoctum, agaricum, ſerpyllum, chamædris, betonica, pęoniæ etiam radix data ad auellanæ magnitudinẽ, quæ etiam retentas purgationes à partu (ut ait Dioſco.) euocare poteſt; item & radix ſylueſtris rumicis, & oxylapathi, uel oxalidis, & aſari quoque radix Hippoc. uero in libro de Natura fœminarum ait, quod baccæ ferè numero decem fraxini menſes ciere poſſunt, atque utiles eſſe in omni ferè uteri dolore, atque non parum eſſe utiles ad vrinam proritandam. Sed (ut idem ait, & Dioſco. ſcribit) mercurialis tam ſemen, quàm folia, necnon & radix ad idem plurimum ualet. Inter fortia autem medicamenta ad attrahenda menſtrua recenſentur (ut quinto de ſimpl. med. fac.) ſabina, meu, iris, aſarum, coſtus, amomum, ariſtolochia, calamenthum, pulegium, & magis hoc etiam dictamnum, cinammomum etiam, & caſia: præterea uero caſtoreum efficax admodum medicamentum eſt, præſertim datum cum pulegio, uel calamentho ex mulſa bibendum poſt ſectam uenam in talo, ſed & innumera ferè alia: nimis longum autem eſſet particulatim uelle omnia deſcribere, quæ de hac re à Galen. in lib. de Facul. ſimpl. me- Cap. 22. dica. & à Dioſco. literis tradita ſunt, cum ea pateant omnibus, qui eorum libros legere uoluerint. Verum quia non una eſt medicamentorum ratio, quibus in menſibus ciendis uti poſſumus: nam non ſolum ea deuoranda, aut bibenda damus, uerum &

A ſuppoſitis in genitale membrum utimur, & linimentum conficimus, cataplaſmataque & balneas, inſeſſiones, quas iuniores noſtri ſemicupia appellant, de his quoque nonnulla dicenda ſunt, ut capiti huic finem imponamus, primumque de illis, quæ ſuppoſita poſſunt menſes ciere non quidem de omnibus (nam nimis longus eſſet is ſermo) ſed de iis, quę familiariora ſunt. Familiare ergo medicamentum, quod citra ullam moleſtiam ſupponi & teneri poteſt, eſt mercurialis ſiue folijs, ſiue radice utamur: folijs autem utor integris, ſi tamen prius aliquantulum fricentur, donec flaccęſcant: deinde tot accipiantur, quot poſſint quaſi glandem ſupponendam conſtituere, & ſericeo filo ligata ſupponantur, B ſed ſi prius oleo liliorum alborum inuoluantur, aut ex lutea uiola, quam Arabes cheiri appellant, Latini matronalem uiolam, res melius ſe habebit. Sed & eius radix utilis erit ſuppoſita: uel (ut docuit Hippocra. in libro de Natura feminia.) ſi folia trita, & ex linteolo excepta ſubijciantur. Ego interdum ſucco ex folijs; vel radice expreſſo, additis eiſdem oleis utor, his nimirum coto exceptis, & ſuppoſitis. Ex ſemine etiam eiuſdem uiolæ luteæ trito, & melle excepto, & ſuppoſito idem fieri poteſt: neque huic eidem uſui (ut teſtatur Dioſcor.) flores inutiles ſunt. Sed & chamædrys, chamæpytis, pulegium calamentum, dictamnum, cinammomumque, & ſuccus centaurij minoris, & multa alia medicamenta acria C ut ſcammonium, colocynthis, ueratrum, tam album, quàm nigrum, myrrhaque, & lupinus. Vnde ſexto de ſimp. med. faculta. Galen. ait, ſi componatur medicamentum ex mirrha, lupino, & melle, atque mox ſupponatur, menſtrua muliebria euocabit. Fomenta uero, & alimenta fieri poſſunt aut ex albis lilijs, uel ex uiolis luteis confectum, & oleum rutaceum, oleum irinum: aut ex decoctis ex prædictis medicamentis, ut ex mercuriali, malua pulegio calamentho, radice iridis, floribus uiolarum lutearum, & liliorum alborum, thymo, pulegio & id genus alijs, in quibus etiam imponi poſſunt cinammomum, caſia, galanga ab Arabibus appellata, & zedoaria, quam aliqui uolunt eſſe Græco- D rum coſtum. his enim coctis ex aqua, & foueri circa pectinis partes muliebres poſſunt, & ex eiſdem etiam fieri inſeſſiones Medicamenta uero, quę efficacia ad euocanda menſtrua & ſtrangulationi proſunt, parataque vbique ferè apud apothecarios reperiuntur, ſunt trochiſci de myrrha, quorum auctor eſt Raſis nono libro ad Almanſorem, uoluit autem dari mane ex decocto ex baccis iuniperi ad drachmas duas: mihi tamen & drachma una ſuffecit, eiſque uſus ſum factis ex ipſis pilulis. Sed & pilulæ, quæ de croco dicuntur, & paſſim ferè paratæ repeDriuntur, huic negotio ſunt ualde accommodatæ. Ego uero has in ſtrangulatione uteri, ac in ſuppreſſione menſtruorum optimas inueni, quæ ita ſe ha- E bent: accipiunt aſſæ fœtidæ drachmam unam, galbani ſcrupulum unum, croci, ſeminis pęoniæ, caſtorei ſingulorum medium, omnia ex aqua ſabinæ accipiantur, & conficiantur pilulæ ſeptem. Hæc quidem, quantum ad medicamenta compoſita, quæ deuoranda ſunt pertinet, in præſentia ſatis ſint. Sed quædam etiam, quæ ſuppoſita plurimum profuiſſe ſæpius uidi exponam: primum hoc, quod facilè ſatis eſt, ut accipiamus ladani partes duas, bdellij, myrrhæ ſingulorum partem unam omnibus ſimul mixtis fiant glandes ad formam parui digiti. Quæ autem ſequuntur, ualentiora ſunt: quemadmodum eſt hoc: Accipe triferæ magnæ unciam unam zedoariæ, cyclaminis ſingulorum drachmas duas, ſcammonij drach. vnam, muſchi optimi grana quattuor,

Olei nardini quantum ſufficit, ex omnibus mixtis fiat quaſi maſſa, & ex ea glandes ſupponendæ. Simile eſt & hoc: Accipe triteræ magnæ vnciam mediam, ſcamonij, ciclaminis ſingulorum drach. vnam, galiæ moſcatæ Meſ. drac. duas, zedoariæ drac. mediam, oxymelitis ſcyllitici, ſucci mercurialis vtriuſq; quantum ſufficit, ut omnia aſſumantur, moxque fiant glandes, vel ſuppoſitoria, vt aiunt, & ſupponantur. Nec parũ etiam ſuffitus confert, ſicuti ex myrrha bdellio, caſia pulegio, dictamo, atque alijs iſtius generis.

De immodico menſtruorum profluuio. Cap. V.

QVia ad idem genus oppoſita (vt docuere philoſophi) pertinent, menſium autem ſuppreſſioni ex aduerſo opponitur eorundem immodica profuſio: ideo quamuis uarias, & interdum ferè aduerſarias hæc ſymptomata differentias habeant, in capita tamen eadem, tam huius, quam illius differentię (vt a Gal. in lib. de ſympt. differ. colligere poſſumus) tandem referuntur. Nam uitium id cuius ratione fit menſium profluuium, aut proprius eſt vteri affectus, vel alterius, cum quo conſentit uterus, hanc enim partitionem viſus eſt inſinuaſſe 6. de loc. affect. Alterius autem vitio fit huiuſmodi profluuium, quando id ab uniuerſo corpore habet occaſionem, quam nimirum habet aut a uitio naturalium facultatum, aut à
C vitio ſanguinis, vitio quidem facultatum id contingit imprimis eius, quæ continet, quia ſit facta imbecillis, vt probe continere nequeat, deinde uerò, & eius, quę expellit, vtpote, quæ immodicè moueat, uel etiã vtraque conſpirent, nempe quia, & illa minus contineat, & hæc nimis expellat. Vitium autem ſanguinis, quod cauſæ eſt, cur profluant menſes nimia copia, aut in eius abundantiam referendum eſt, aut in ſubſtantiam, aut in qualitatem, quia (vt 5. Aphor. ait Gale.) ille clarior ſit, & ea ratione fluxilior, & mobilior, aut quia acri qualitate præditus, in ſubſtãtiam, quia tenuior ſit: in abundantiam, quia nimia ſit congeſta eius copia in corpore, unde grauatæ uires illum, ut fiant leuiores, expellunt. Calidior autem fit ſanguis à victus ratione calefaciente, ut a calidiorib. cibis, à potu calidiori, à corporea motione, a balneis calidioribus, uel naturalibus, uel arte paratis, interdum ab obſtructionibus, & denſitate cutis. Tenuior uero fieri ſanguis poteſt, aut ratione eius facultatis, ad quam pertinet ſanguinem generare, quia uel nimis aquoſum, & tenué illum generat, uel nimis bilioſum, aut ratione facultatis ad quam pertinet excernere, & attrahere ſeroſum excrementum, nempe aut quia, quæ attrahit, ſit facta imbecillior, aut quæ illud expellit, aut quia quæ continet, nimis ſuo fungatur officio, aut quia cutis denſata
cap. 5. ſit, aut quia renes ſint occluſi, aut etiam quia (vt eodé ſexto de loc. affect. innuit Gal.) excrementoſus quidã humor ratione non admodum boni uictus ſeruati, vel alicuius mali habitus contracti in uniuerſo corpore congeratur, quem natura per uterum nititur expurgare, ſicut mulieribus ſæpe contingit, quæ otioſæ ſunt, & molli corporis habitu conſtant, multamq; pituitam congerunt, hinc enim ortum ferè habet vitiũ id, quod Græci [illegible] appellant, quaſi muliebrem fluxum dicas, qui quidem fluxus uarius eſt pro ratione naturæ congeſti humoris: aut enim alba quędam materia excernitur, cum pituita multa gignitur, aut bilioſa, aut nigra. Copioſus autem congeſtus ſanguis
com. 48. cauſa eſt immodici profluuij duplici ratione, nã interdum ſanguis, quantum ad ipſum pertinet, non eſt quidem (vt Galen. quarto Aphor. expoſuit) tanta copia, vt excedat modum congruentem, ſed ratione
A alterius mali habitus in uniuerſo corpore contracti vires ab ea ſanguinis copia grauantur. Interdum vero ſanguis etiam ſecundum ſe nimius cauſa eſt huius profluuij, natura nitente per locum illi familiarem in exonerando ſuperuacaneas materias præſertim in mulieribus excernere nimiam ſanguinis ſarcinã, qua premitur. Copia autem maior ſanguinis, quam naturæ uſui ſit, congeritur, aut ex diuturno otio, aut ex liberaliori victu. Quando autem ex proprio uteri affectu fit eiuſmodi profluuium, id propter apertioné venarum, quæ ad uterum pertinent, fieri poteſt, vel ratione calidæ alicuius intemperiei, uel ex uteri, & carũ venarum imbecillitate, ex intemperie, aut frigida, aut humida, cum materia, uel ſine materia, uel ex aliquo
B pondere magno perlato, aut ex aliqua continui ſolutione facta in vtero, uel ex illato vulnere, quia fuerint inciſæ uenæ ex aliqua occaſione, vt à re incidente, aut ex percusſione ex aliqua re contundente, uel ex caſu, item ex difficultate, & incommodis partus, aut ab interna cauſa, vt ex vlcere illato ab aliqua acri, & erodente materia, aut ex hæmorrhoidibus. Solent auté ſequi immodicam ſanguinis profuſionem quæcunq; incommoda, quæ alijs nimias vacuationes præſertim vero ſanguinis ſolent concomitari, ſicuti decolorationes, œdemata non modo pedum, verum & totius corporis, cibi faſtidium, & id genus multa. Sed & de ſignis agamus, quibus diſcerni posſint hæ horum affectuum differentię, à quibus ortum habet moleſtum
C hoc ſymptoma in mulieribus. Si ergo cauſa profluuij menſtrualis fuerit imbecillitas facultatis contentricis in uniuerſo corpore, non autem in ſolo utero, cum id nequeat fieri ſine cauſis potentibus, quæ corpus reddiderint imbecillum, ſicut ſint ægritudines, quæ præceſſerint, mala victus ratio præcedens, quæ vel refrigerando, uel nimis calefaciendo vires potuerit deijcere: ab huiuſmodi omnibus poterimus manifeſta indicia depromere, ſed ſi ex vi, & robore facultatis expultricis id acciderit, cum hæc facultas nunquam ex ſe aliquid agat niſi excitetur, uel irritetur ab alio, mouent autem (vt ſæpe diximus) hanc facultatem moleſtiæ, quas affert res expellenda, quia aut multitudine grauis eſt naturæ, aut praua aliqua qualitate moleſta, ut
D in ratione materiæ res hæc tandem referenda ſit. Ideo de hoc etiam ſermonem habeamus. Itaque ſi ex nimia copia, & plenitudine ſanguinis fiat hæc profuſio menſium, erunt primò ſigna plenitudinis in uniuerſo corpore, ut tumor faciei, & vniuerſi corporis cum rubore, uenæ plenæ, & tumidę, aliqua corporis grauitas, ex eo profluuio nullum percipitur incommodum, immo magis mulier fieri leuior ea purgatione uidetur, niſi quod aliquando cum dolore fit ea excretio, & id quando natura ad uenas uteri confertim ſanguinem impellit, à quo diſtenduntur, & hac ratione dolor excitatur, interdum uerò, cum non ita confertim impellitur, nullus concitatur dolor. Sed ad hoc non parum facit cognitio pręcedentis victus, nempe
E ſi liberaliori fuerit uſa uictus ratione, ſi multo otio. Sin autem non adeo in copiam ſanguinis (referatur,) ſicut in naturam, & qualitatem eius, nimirum, quia calidior, pręter id, quod & natura corporis, ſi naturaliter fuerit calidius, & victus ratio, & cauſę pręcedentes poſſunt hoc oſtendere, ſanguis etiam exiens percipitur à muliere calidior ſolito. Sed ſi ſit ex acrimonia, mulieri dolores affert, dum exit, quia percipit, quaſi pungatur, aut deradatur uterus, pręterea uero (vt Auicen. tradidit) eius excretio velox fit, & ferè ſine intermisſione. At ſi ex tenuitate ſanguinis, quia ſit nimis aquoſus, inditio eſt ipſius tum color tum ſubſtantia, nam ſanguis nõ admodum ruber, qui excernitur, ſed potius pallet, in linteis autem, quibus ad excipiendũ hunc ſanguiné utũtur mulieres, ſi obſeruaueris, ui

debis

debis rubram in medio maculam, circum quam erit veluti circulus aquoſæ, & tenuis materiæ. Interdum autem ſi retineantur hæ materiæ, intumeſcit vēter, vt opinionē excitet quaſi in vtero habeat mulier, & membra fiunt laxa, & mollia: læduntur rebus aſtringentibus. Sin autem ſanguis tenuior ſit, quia biliouſus calidior erit non ſine aliqua acrimonia: color etiam cum linteis fuerit exceptus, & exſiccatus, ad flauum verget. Quod ſi alioquin fiat profluuium natura cū ſanguine expurgante, & excernente varia excremēta ex vniuerſo corpore, color eorum quæ cum ſanguine exeunt, ac ſubſtantiæ ratio poterit hoc ſignificare, nam in eiſdem linteis modo aquoſa modò alba, & viſcida, interdum flaua, & crocea, quandoque viridia, nonnunquam atra, vel obſcura, aliquando quaſi aqua in qua fuerit lota caro nuper interfecti animalis apparebunt. Agamus modo de ſignis, quando ex vteri affectu primario ortum habuerit ſanguinis hęc excretio. Ergo ſi ex venarum vteri apertione occaſionem habuerit, & ex imbecillitate venarum, ſanguis, qui exit, purus eſt, qui ſine vllo dolore exit. Si vero ab aliqua acrimonia in ſanguine excitētur iam diximus quomodo cognoſcendus. Sin autem occaſionem habeat ex vulnere, vel vlcere contracto in vtero, ſi quidem externam aliquam cauſam habuerit, illa hoc indicabit: at ſi ab interna aliqua erodente, primum cū dolore eſt: præterea primo paulatim fit eius excretio, & ſanguis excretus potius niger exit, niſi arteria aperiatur: ex corroſione tamen in ceruice uteri ſanguis minus ater, quàm ex utero excernitur. Cum autem ſit ex hæmorrhoidibus profluuium ſanguinis ex vtero, niger ſanguis exit, habetq́ue (ut ait Auicen.) periodos plerunque diuerſas ab illis, quibus menſes ex natura ſoliti ſunt fluere; quamuis interdum id fit ſine vllis periodis, præſertim ſi quando hoc ex nimia fiat repletione, verum tunc manifeſto apparent ſigna hæmorrhoidum, de quibus poſtea agemus. Nunc hæc ſatis ſint, quantum ad præſens inſtitutum pertinet.

De ratione occurrendi immodico menſtruorum profluuio. Cap. VI.

HVic ergo incommodo occurrendi duplex eſt ratio. Nam aut ſtatim nitimur profluuium ſiſtere: & id, quando præceps ſit, & magna uacuatio, ut manifeſtum immineat periculum, ne vires concidant. Aut primum attendimus, vt cauſam profluuij tollamus, ea enim ablata ſpōte profluuium deſinet, vel modico negotio ſupprimetur. Recta vero curationis ratio, & (vt iuniores loqui ſolent) regularis eſt, ut primum nitamur cauſam remouere, præſertim cum non timemus, ne dum incumbimus cauſæ, nimia fluxio vires proſternat. Nos ergo primnm de ratione occurrendi huic profluuio agemus, conuerſa curatione ad ipſam cauſam, hoc eſt ad effectum, neque in illis exponendis, quæ ſæpius fuere tractata, longiores erimus. Nam ſi ortum duxerit ex imbecillitate uniuerſi corporis, quæ morbos aut diuturnos, aut acutos, maloſq́ue fuerit conſecuta, raro curari poteſt cum ad tantam imbecillitatem deuentum eſt, ſed ſi aliqua curatio eſt, ea eſt, ut curemus cauſam imbecillitatis, & uires reficiamus, aut ſi intemperaturam aliquam contractam ex aliqua, quæcunque illa fuerit, ratione ſecuta ſit, procurandum omnino, ut ea interim intemperies corrigatur, ſiue in uniuerſo corpore fuerit, ſiue in aliquo uiſcere præcipuo, ut in iecore, contrarijs verò, tam victu quàm medicamentis corrigatur, ſicuti ſæpe corrigendam docuimus: mox ad reprimendum profluuium deueniendum erit. At vero, ſi occaſio profluuij ſit à ſanguine petenda, ratione potius multitudinis cōgeſtæ ex iam expoſitis cauſis ſcopus curationis erit illius ſuperuacuæ multitudinis detractio, quæ fieri uacuatione debet. Et quia uacuatio fieri poteſt bifariam, uel per uias latas, & ſenſui manifeſtas, ut quando ſecta uena confertim ſanguis detrahitur, aut quando per accidens, uel per uias ſenſum latentes: per accidens quidem fit (ut philoſophorum uocabulis utamur) uacuatio per uictum tenuiorem, uel inediam: per uias autem ſenſui inconſpicuas, quando multitudo exercitatione: laboribus, frictionibus, balneis, & id genus alijs quorum Galen. quinto Metho. meminit, latenter abſumitur. Quatenus autem ad præſens negotium attinet, ſi quidem magnum ſit profluuium, & præceps, eaque plenitudo ut inde timeamus aliquod repentinum, & citum, ſi procraſtinemus, periculum: ſi præſentaneum, & citum remedium requiramus, nihil erit opportunius, uel præſtantius, quam uenam ſecare: At uero quia nulla opportunior, & expeditior, uacuandi ratio, cum fluxiones importunaſq́ue uacuationes curare uolumus, quam ea in qua ſit reuulſio: ideo rectiſſime monuit Galen. tum alibi, tum uel maxime in lib. de Rat. cur. per. ſect. ven. (Cap. 18.) quod cum ſupprimendum eſt menſtruorum profluuium, alia uena ſecanda non eſt, quàm ſuperior in brachijs, nempe interior in flexu cubiti, quia ea ſectio præ alijs uim maiorem habet ſiſtendi menſes fluentes. Nec in hoc monebo, quod id agendum ſit, quando uires eam uacuationem perferre poſſunt, & ætas non aduerſetur; quia uix crederem poſſe fieri, ut uires ſint inualidæ, ubi maxima ſit ſanguinis copia: ſicuti etiam quod neque eiuſmodi profluuia mēſium, uel in ſenili ætate ob copiam tantum ſanguinis, aut in puerili contingant, & ſi contingerent, puto, quod etiam illis poſſet ſanguis mitti minori tamen copia, habita ætatis ratione. Quod ſi non adeo copioſum eſſet profluuium, ut timeremus, ne malum aliquod afferret dum moramur, aut ex timore mulieris ſanguinem mittere non daretur, alia ratione eſſet copia detrahenda, præſertim uictu tenuiori, & vſu eorum ciborum, qui non plurimum nutriūt, exercitationeq́ue, frictionibus, & balneis, in ijs maximè, quæ balneis aſſueuere: hoc enim priſci auctores, præcipue uero Galen. docuere. Balneæ tamen; licet fortaſſe uacuando uim habeant tollendi multitudinem; quia (ut ſæpius Hippoc. & Galenus teſtati ſunt) ſanguinis fluores excitare ſolent, mihi quidem uiderentur eſſe alijs expoſitis magis ſuſpectæ. Sed ſi non tantùm ex multa copia acciderit hoc profluuium, quantum ex ſanguinis nimio calore, modo uires id permittant, omnino ſanguis eſſet mittendus quamuis non ita copioſus, ut illis, in quibus ratio profluuij à multa copia erat petenda: nam miſſio hæc fluxionem ſanguinis ab vtero auertet, & nō parum etiam habitum uniuerſi corporis refrigerare poteſt, atque refrigerantibus præterea incumbendum erit tam victu eo ſpectante, quàm medicamentis non modo refrigerantibus, ſed interdum & uacuantibus nam cum ſanguis immodice excalfit, non poteſt alioquin eſſe, quin multæ ſint bilioſæ partes, quæ & calidiores ſint, unde ſi leui, & facili purgatione illæ detrahentur, ſanguis non parum refrigereſcet, quæ præterea expurgatio fieret per ea, quæ eſſent alicuius aſtrictionis non expertia, & uim potius refrigerandi haberent ſicut ſyrupus roſaceus ſolutiuus nunc appellatus, myrobalani, præſertim citrini, item & tamarindi, quod ſi rhabarbaro uellemus uti, ex aliquo refrigerante decocto, ut eſt decoctum fructuum, eſſet exhibendum, aut eo macerandum, medicamenta uero, quæ opportuna eſſent, ut refrigerent ſanguinem, & profluuium ſiſtere poſſent, paulo poſt exponemus. Cū uerò à nimia ſangui-

nis tenuitate occaſionem habet menſtruorum profluuium, ſi id eueniat ex errore eius facultatis, cuius officium eſt ſanguinem generare, cum hoc non poſſit referri, niſi in intemperiem iecinoris, aut calidiorem, aut frigidiorem, ut ſæpius antea fuit expoſitum, non eſt opus, ut de hoc in præſentia longiorem habeamus ſermonem, quia ubi de affectibus iecinoris egimus, & ſigna, quibus hæ differentiæ eſſent diſcernendæ tractauimus, ac ſubinde, quanam ratione curandæ eſſent. Item ſi cauſa tenuitatis ſanguinis ſit permixtio multæ ſeroſæ humiditatis, quę erat per renes, & veſicam excernenda, ſi quidem ea humoris ſeroſi copia occaſionem habeat ex eo, quod facultas, ad quam pertinet excernere eum humorem ſit facta imbecillior, quàm vt poſſit ſuo fungi officio, aut ex eo, quod ea, ad quam attrahere pertinet, ſit imbecilla, quomodocunque res ſe habuerit, oportebit, ut iam congeſtus humor purgato corpore aut per purgantia medicamenta, aut per ea, quæ urinam cient, aut per ea, quæ ſudorem prouocant, de quibus cum alias ſermonem habuerimus, non agemus, in præſentia. Robur uero addetur illis facultatibus, ſi uitiũ illud remouerimus, quod illas lædit, & prohibet, quo minus ſuo poſſint fungi munere, ſiue ſit obſtructio in renibus ſiue in iecinore, ſiue ſit cutis denſitas, & conſtipatio, ſiue etiam ſit aliqua iecinoris, uel renum intemperatura, quæ uires horum viſcerum reddat infirmas his autem omnibus qua ratione ſit occurrendum, ſatis ſuperque in prioribus libris fuit diſputatũ. At verò ſi profluuium hoc pendeat ex copia excremẽtorum, aut pituitoſorum, aut bilioſorum aut melancholicorum, quæ aut ratione mali victus generãtur, nempe aut nimij ocij, aut malorum ciborũ, aut ob uitioſum aliquem habitum, temperiemve contractam, uel in vniuerſo corpore (ut 6. de loc. affe. exponebat Gal.) aut in iecinore, vel in ventriculo, quæ deinde excrementa natura ad vterum, quaſi ad conſuetam vniuerſi corporis cloacam detrudit, ut per illũ excernantur, quo deinde fit, ut menſtrua decolorata fiant, atque varijs intermixta coloribus, immo in his neque certa ſeruari ſolet periodorum ratio, quia aliquando (vt 5. Aph. ait Hipp.) celerius, quam conſueuerint & menſes ſuperueniunt, aliquando verò tardius, & id pro ratione craſſioris, vt ibi exponit Gal. aut tenuioris materię, atque hoc modo (ut diximus) fit profluuium, quod medici γυ ε ει ν ῥοῦν appellãt. Curatur autem (ut ibidem Hipp. ait) purgatione, purgandi uero ſunt humores illi, qui mixti menſibus uidebuntur: nam ſi multa excernitur cum menſtruis, aut intermedio etiam tempore inter conſuetas periodos pituita, corpus purgandum eſt, quomodo purgari ſolet in pituitoſis affectibus, ac pręterea à nimio ocio erit cauendum, & is victus inſtituendus, quem alias diximus eſſe accommodatum affectibus a pituitoſo excremento excitatis, eodemque modo ſi bilioſa ea fuerint excrementa, aut melancholica, quod eorum color flauus, vel niger oſtendet, medicamentis erit agendum detrahentibus aut flauam, aut atrã bilem, ac ſubinde tollenda erit omnis occaſio eiuſmodi excrementa generandi. Hęc omnia ita curſim tractauimus, quia ad vterum pertinent non proprio laborantem affectu, ſed potius conſentientem cum affectibus, aut vniuerſi corporis, aut alicuius ſuperioris viſceris. Vnde iam opportunum fuerit ſermonẽ conuertere ad exponendam rationem curationis, quando fit profluuium ex proprio vteri affectu, in qua etiã curatione primum conſiderandum, an maiorem, & fortiorem indicationem profluuium habeat, propterea quia adeo immodicum ſit, ut timeamus ne dum circa remouendas profluuij cauſas verſamur, uires interea concidant, an vero vim maiorem habeat in-

A dicatio, quæ ab ipſo affectu accipienda eſt, nempe qã ſperemus naturam poſſe ſatis commode perferre eiuſmodi vacuationem, dum affectum curamus: nã ablato affectu ſtatim & profluuium quod ſymptoma eſt deſinet, Et ſi quidem ſperamus naturam poſſe vacuationem ſine multo detrimento ferre, ſemper initium curationis ſtatim à remotiore affectus, qui fluendi cauſa eſt, accipere oportet, quia nũquam (ut Auicenna monuit) menſtrua in mulieribus ſupprimenda ſunt niſi eo peruentum ſit, ut de debilitate iam oporteat medicum eſſe ſollicitum. Primum ergo agemus de profluuij curatione, qua primario nitimur affectum tollere, qui cauſam profluuij attulit: deinde uero de ijs, agemus, quibus poſſunt proxime

B fluentes menſes ſupprimi. Cum igitur menſes immodice fluunt, ſemper non modo, ut ſanguis his effluat, neceſſe eſt, qui prius in uenis uteri continebatur; nam eis inanitis ſponte profluuium conſiſteret: verum & ſucceſſione quadam à locis etiam uicinis ad uterum confluit, & tandem etiam à remotoribus partibus, alioquin enim neque tandem ſequeretur vniuerſi corporis infirmitas, cum menſes nimij fluũt unde quantumlibet cauſa pręcipua fluxionis in vtero conſiſtat, attamen ratio, & methodus rectè curãdi requirere uidetur, ut præter eam rationem, quę proximè uterum particulatim reſpicit, nitamur prohibere defluxum ſanguinis, & aliorum humorum ad ipſum: quod fit reuellendo, & alio conuertendo pro

C penſionem fluentis ſanguinis. Vnde quamuis profluuium id non haberet occaſionem à multa ſanguinis copia in uniuerſo, ſi tamen per uires, & alia, quę in mittendo ſanguine ſunt examinanda, liceret, in affectu etiam proprio reuellendi gratia, & auertendi ab utero fluentem ſanguinem, quicunque eſſet affectus ille, ſanguis mittendus erit, mittendus vero reuellendi, & auertendi cauſa ex ſuperiori uena in brachio, nempe ex interiori in eius flexu; nam & hoc docuit Galen. quarto Metho. & in libro de Rat. cur. per ſect. ven. & quarto de Rat. vict. in acu. mor. quod ſæpe ſanguinem mittimus, non tantum, vt vacuemus, quantum vt reuellamus, & auertamus neque fortior eſt reuulſio, quàm ea que fit per ſectionem uenę, ſunt

D tamen & aliæ reuellendi rationes, ut eſſent frictiones brachiorum, eorundem doloroſa uincula, cucurbitulæ affixę partibus ſupernis, præſertim uero ſub mãmillis, & id genus alia, de quibus ſæpius eſt habitus ſermo, mox uero particulatim remedijs proprijs, & localibus res tractanda eſt, variæ tamen pro ratione diuerſæ naturæ ipſius affectus: nam ſi ſit ex imbecillitate matricis contracta ex aliqua intemperatura calida, aut frigida, aut humida; conandum erit contrarijs remedijs eas remouere, hoc propoſito ſcopo, ſiue ad rationem uictus reſpiciamus, ſiue ad medicamentorum rationem, ut tamen præterea ſemper uim roborandi, & firmandi habeat, tum aſtringendo, tum etiam odoribus gratis, & aromaticis. Cibi ergo aſtringentibus erunt condiendi, ut

E & aſtringendo aut refrigerent, aut calefaciant, aut deſiccent, pro ut ratio intemperaturę requirere uidebitur, de quibus ſæpius egimus, nec modo cibi huc reſpiciant, potuſque, uerum & medicamenta, unde in calida quidem intemperie ſyrupus roſaceus, pręſertim ex roſis ſiccis, erit cõmodus, ſyrupus myrtinus, ex ſucco cydoniorum, in intemperie uero frigida, ſyrupus ex abſinthio, ex fumaria, ex menta, & betonica, & id genus alij: ex inunctionibus autem calefacit, & aſtringit oleum maſtichinum, nardinum, ex menta, refrigerat uero roſaceum, melinum, quod ex cotoneis conficitur, myrtinum, poſſemus & multorum cataplaſmatum, inſeſſionum, balneorum meminiſſe, ſed habita notitia, & ratione ſimplicium

medica-

medicamentorum, quæ facilè ex lectione lib. Gale. de facul. ſimp. med. & Dioſcoridis haberi poteſt, & illis cum ſcopis propoſitis collatis, non deerit materia copioſa componendorum medicamentorum, quæ poſſunt in uſum uenire ad ſupprimenda ſanguinis profluuia ex utero, tam interius, quam exterius, adminiſtrata. Verum vbi cum materia eſſet ea intemperatura, ea etiam materia, antequam temperaturam tranſmutare aggrederemur, eſſet uacuanda, & corpus uniuerſum purgandum, ſi uideretur vteri affectus fomentum habere ab vniuerſo corpore, aut à iecinore, aut à ventriculo, & hoc aut uomitu, aut per ſeceſſum, prout magis ratio affectus, & uacuandi corporis requirere uidebitur, ſed res hæc in præſentia non eſt repetenda, cum ſatis iam ea ſint, quæ hactenus fuere expoſita, ne nimis in longum noſtra protrahatur oratio. Quod ſi cauſa, cur immodicum ſit profluuium, pendeat ex vlcere, vel eroſione in utero, uel omnino ex continui aliqua ſolutione, quæcunque illa fuerit, ſtatim duo offeruntur ſcopi, primus, vt quantum fieri poteſt, ſiſtatur profluuium rebus aſtringentibus, tum ebibitis, uel comeſtis, tum inunctis, tum etiam per inceſſus, uel balnea, alter uero eſt, ut ulcus curetur. Sed de cura vlcerum in utero, ac ſolutionis continuitatis ſuo loco longiorem habebimus ſermonem. In pręſentia uero hoc referamus, quod plantaginis ſuccus, tanquam præcipuum medicamentum à Dioſcor. laudatur ad ſiſtẽdum ſanguinis profluuium ab utero factũ ex eroſione quocunque modo adminiſtretur, ſiue potui detur, ſiue ex lana ſupponatur, cui & Gale. 5. Metho. & Aetius ſubſcripſere. Addit tamen Auicenna, quòd ubi ex ſanguine acuto, & calido fiat fluxio, plantago par non habet, neque id extra rationem eſt, quia aſtringit, & refrigerat, ſed ſimilem vim habet polygonum, eiuſq; ſuccus eodem modo adminiſtratus, multa etiam alia, & ferè innumera reperiuntur, quę vim corrigendi habẽt, quorum utilis eſt uſus, tam radices, quam germina, vel fructus, uel flores, vel cortices, de quibus fit mentio ab omnibus medicis, qui de medicinali materia ſermonem habuere. Ego uero eorũ exẽpli loco duntaxat meminero, quæ quinto Meth. à Galen. literis prodita fuere, quorum aliqua vim maiorẽ habent, alia minorem quæque ſunt aptanda maioribus, minoribuſve morbis: nam ait ille, ſi vas aliquod in vtero, uel alio interno viſcere, ut in ueſica, uel inteſtinis, præruptum, aut apertum ſit, quod grande ſit, illis ſuccis aliquod ualentius aſtringens erit addẽdum, qualia ſunt balauſtium, hypociſtis, rhus, omphacium, acacia, gallæ immaturæ, malicorium, citini. Quod ſi aut non grande ſit uas, vel non multa fuerit apertio, faciliora (ait ipſe) ſatis erunt, ſicuti aloe, manna, cortex pini, terra, uel ſigillum lemnium, fructus Aegyptię ſpinæ, crocus, lapis hæmatites, & id genus alia, ſicut bolus Armena, lapis ſciſthus, & quęcunque ad hoc genus pertinent, ex nigro, & auſtero vino adminiſtrata: ſed de his ſatis hactenus diximus. Accedamus autem ad alios affectus huc pertinentes, & cum de hoc ſymptomate, quod in immodico, & præcipiti profluuio conſiſtit, egerimus, perſequamur & alia uitia, quę nõ à quantitate eorum, quæ excernuntur, pendent, ſed à modo excernendi, & qualitate eorum, quę excernuntur.

Cap. 5.

Cap. 5.

De ſtillicidio menſtruo ſanguinis. Cap. VIII.

MEminit Aetius cuiuſdam affectus, quem ſtillicidium appellat nomine a ſymptomatibus deſumpto. Nam ſicuti vrinę ſtillicidium, quem affectum ſtranguriam Gręci uocant, appellamus, quando vrina non confertim, ſed guttatim, & cum dolore, & labore emittitur, cum plerunque ex acri humore ſtimulante expulſtricẽ facultatem ortũ habeat: Ita etiam aliquando in mulieribus contingit, vt menſes perperam hac eadem ratione uacuentur: nempe, quia non libere, & expeditè effluant, ſed paulatim, & quaſi guttatim, cum multa mulieris moleſtia, quia longiori tempore eam occupat hęc purgatio, & cum multo (vt ait idem Aetius) dolore: nam (ait ille) ſymptomata, quę utero accidunt, illis ferè ex proportione reſpondent, quę ueſicam ſolent moleſtare. Vt enim aliquando omnino ſupprimitur vrina, aliquando guttatim excernitur, & aliquãdo cum multo dolore, & difficultate, ita, & menſes interdum omnino intercipiuntur, interdum paulatim, nonnũquam difficilis, & cum dolore fit eorum excretio. Huius tamen rei, quod meminerim, non legi ab alio antiquo medico factam mentionem, præterquam ab Aetio, neque tamen abſque ratione ab eo factam exiſtimo, nam ita fieri, ſicut ipſe dixit, obſeruando percipere poſſumus. Refert autem ipſe cauſas quoque, cur fiat menſtrui ſtillicidium, quæ tamen poſſunt in tria alia communia capita referri, quorum meminimus in capite de menſtruorum retentione, nempe in facultatis, in ſanguinis, in inſtrumentorum rationem: In facultatis quidem rationem, quia illa in expellendo ſit facta imbecillior, vt nequeat niſi paulatim materiam menſtruam mouere: In ſanguinem, quia ille craſſior ſi factus, & hoc quia, aut nimis pituitoſus ſit, aut quia fęculentus, item etiam, quia copioſior, vt ſua multitudine ita exitum impediat obſtruendo, ut non poſſit, niſi paulatim, exire. Mihi uero unam rationem prætermiſiſſe videtur Aetius, ea verò eſt acrimonia, nam ſicuti ſimilia ſunt ſymptomata, ita videtur, quod aliqua ſaltem ex parte ſit rationi conſonum, ut ſimiles cauſas habeant, & ſicut acrimonia in vrinis cauſa eſt, vt ſtillatim vrina excernatur, nempe cum ex ſtimulo nequeat natura tãtiſper differre excretionem, donec multa colligatur urina, ita etiam ex acrimonia menſtrui ſanguinis poteſt fieri, vt paulatim ſicut ad vterum defertur, ita ab eo expellatur. Non eſt autem, cur de cauſis, vel ſignis differentiarum iſtius affectus multa loquamur, cum ſatis poſſint hæc ex illis, quę hactenus fuere expoſita, facile percipi, quædam tamen de ratione ſymptomatum, quæ mulieres in illis ſolent opprimere, dicemus. Ait ergo idem Aetius, quod dolores uehementes ſolent excitari, uaria autem cauſa eſt doloris pro uaria etiam ratione affectus: nã quando ratione acrimoniæ fit hoc ſtillicidium, in promptu eſt ratio, cur doleant, acrimonia enim doloris cauſa eſt. In alijs uerò differentijs cauſa doloris eſt diſtentio venarum, & partium vteri ob repletionem à multa materia, quæ ad vterum ab vniuerſo corpore detruſa inde non poteſt expelli, cui, & id accedit, quòd ex loci caliditate poſſunt multi excitari flatus, præſertim ſi ſanguis fuerit pituitoſus, aut melancholicus, à quibus magis diſtenſus vterus maioribus doloribus fit obnoxius. At uero cum hoc ſtillicidio vteri plerunque mẽſium, ſi non omnino, magna ſaltem ex parte fit ſuppreſſio, ideo & reliqua ſymptomata, quæ ſolent accidere quibus, aut menſes ſupprimuntur, aut ſaltẽ modice fluunt, in hoc quoque affectu ſolent mulieres interdum cruciare. Sed, & ſicut ſimilis eſt ratio, qua hic affectus fit, ita etiam ſimilis curandi ratio, nam ab eiſdem omnino cauſis fit, à quibus, & ſuppreſſio menſtruorum, & eodem etiam modo ſubinde eſt inſtituẽda curatio, quare neque iterum ea repetemus. Poſſemus ſanè uerba facere, exponereque, quo pacto dolores, qui comites eſſe ſolent huius affectus, eſſent ſedandi, uerum cum ſimus particulatim in ſequentibus capitib. acturi de dolorib. uteri, ideo in eum locũ hãc tractationem differremus, in præſentia verò aliqua de muliebri fluxu, & eorum menſtruis albis agamus.

De

De muliebri fluxu ab antiquis appellato, vel de albis menſtruis. Cap. VIII.

QVamuis paulò antea, vbi de immodico menſtruorum profluuio fuerat ſermo habitus, quædã & de appellato muliebri fluxu dixerimus, atque id curandi, per capita ſaltem, rationem expoſuerimus: tamen quia his temporibus ex mala victus ratione tum in cibo, & potu, tum verò ex otio ſolet malum hoc eſſe in mulieribus frequẽtiſſimum, maximeque moleſtum: Ideo particulatim de eò hoc capite quædam tractabimus. Non eſt autem vnius modi hæc mulierum excretio: nam aliquando effluit
Cap.4. (vt Galen. 3. de Cauſ. Sympt. & Oribaſius in ſuo Medicinali compendio expoſuit, quem & Aetius ſequitur & Paulus) rubra quædam materia, quæ eſt veluti ichor ſanguinis, vel ſeroſus ſanguis, & aquoſus, interdum alba ſimilis ptiſanæ hordeaceæ, vel (ut alij aiunt) lacti uel albo oui, aliquando vero pallida, vel flaua: Nos vero vidimus fuiſſe excreta nigra & quaſi fuliginoſa excrementa: interdum & viridia, quandoq; diuerſorum colorum, ſicut lutea, & viridia. Sed plerunque quæ in his viridia videntur, ita fiunt poſtquã excreta ſunt, & linteis excepta: nam quaſi ibi ab aere affecta, & putreſcentia viridem colorem contrahũt; aliquando tamen & ita viridia excernuntur. Omnẽ autem horum excrementorum varietatem referunt in uariam rationem eorum humorum, qui excernũtur, ichor enim vel tenuior pars ſanguinis rubrum colorem refert, albus vero color pituitæ atteſtatur, flauus flauæ bili, ſicut ater, & fuliginoſus bili atræ, cũ autem effluit veluti aquoſus quidem ſanguis, copiam ſeroſi humoris ſignificat, colores uero varij, vt uiridis, & qui alio modo diuerſi apparent plerunque exuſtionem, aut corruptionem humorum ſequuntur, vel in uenis, vel utero factam. Sed & id etiam aduertendum, quod & ſi fluxus his poſſit ex vitio primario ipſius vteri ortum habere propter aliquem malum affectum in eo, quo boni etiam humores corrumpũtur, & poſtea excernuntur, plerunque tamen (ut Oribaſius, Pauluſque, immo & Galen. tertio de Sympto. cauſ. docuere) fiunt huiuſmodi muliebres fluxus, natura expurgante corpus vniuerſum per vterum, tanquam per partem a natura in mulieribus huic officio deſtinatam. Hippoc. autem in lib. de Natura fœminarum ait, quod imprimis aduertendum in hoc fluxu eſt, an excrementa vlcerent, mordeantve loca, per quæ feruntur, vel ſi citra ullum morſum excernantur, quia imprimis, quæ citra morſum feruntur, a capite defluunt, vel a uentriculo. Cum tamen a capite ſæpe ſalſa, & acris pituita deſtillet, non video quo pacto hæc diſcretio omnino & in vniuerſum poſſit vera eſſe. Addit autem idem Hippoc. in lib. de Morbis mulierum, quod aliquando effluit mulieribus humor quidam albus ſimilis vrinæ aſini, quem fluorem ſequuntur omnia, quæ ſolent in malo habitu, quem καχεξίαν, Græci uocant, videri, nempe feciei tumor, præſertim ſub oculis, decolor facies, & reliquum etiã corpus, uentris præterea inferioris tumor, pedũ, crurumque œdemata, os ſemper ſaliua plenum, vomitus rei aquoſæ, cordis morſus, præſertim cum ieiuna mulier eſt, ſtrangulatur facile ex vtero, vterus præter modum hiat, & eius ori pondus percipitur quaſi plũbum inſidens, dolor per coxas percurrit, omnes inferiores partes ab imo uentre algent, torpentque ut ſurſum aſcẽdere nequeat. Sed de his ſatis, utpote quæ nobis & proximas cauſas huius profluuij indicare poſſint & ſigna etiam, quibus illæ ſunt diſcernendæ. Niſi quod docuit Aetius, quod ſi interdum videatur obſcurior color, qui refertur ex linteaminibus quam vt poſſit exquiſitè diſcerni, lintea ex aqua lauentur,
A nam inſpecta macula in linteis derelicta facilius diſcernetur excrementorum natura. Paulus vero tanquam commune iſtius profluuij ſignum hoc exponit, nempe quòd perpetuò membrum mulieris genitale humectum reperitur. Neque etiam difficile erit rationem indicare, quo tandem modo curandus ſit eiuſmodi affectus, nam cum plerunque fiat eiuſmodi muliebre profluuium, natura expurgante per illud corpus vniuerſum, propulſis nimirum vitioſis humoribus congeſtis in habitu uniuerſi corporis ad uterũ per uenas eò pertinentes, vel etiam (vt ex Hippocratis ſententia in libro de Natura feminarum paulo ante diximus) ex cerebro, uel ex ventriculo ad uterum eodem modo defluentibus, quamuis nihilominus pu
B tarem & vitio iecinoris, & lienis id poſſe contingere, facile poterit quicunque, uel parum medicinali arte imbutus, percipere tripartitum oportere eſſe ſcopum in hac curatione propoſitum; Primum quidẽ, ut expurgato, uel inanito uniuerſo corpore, tollamus occaſionem, cur confluant uitioſa hæc excrementa ad uterum; Deinde ut conſideremus, quænam fuerit cauſa, cur ea in uniuerſo corpore fuerint congeſta, atque ſi ea adhuc præſens ſit, & fomentum affectui præſtat, & illam ſubinde remoueamus; Tertio ut tam utero, quàm, alijs viſceribus quorum vitio hic confluxus ad vterum factus eſt, robur addamus. Quatenus vero ad primum pertinet, cum dixerimus non unius generis, verum diuerſorum eſſe materias, quæ
C defluunt, pro ratione & natura materiæ, quę conſueuit defluere, erit inſtituenda vniuerſi corporis uacuatio, quia ſi ſanguineus fuerit fluxus, exordium durationis erit ſumendum a miſſione ſanguinis, pręſertim vero a venis interioribus in flexu cubiti, quemadmodum & in capite de immodico profluuio ſanguinis menſtrui expoſuimus. Quòd ſi bilioſa fuerit proflués materia, bilis erit purganda medicamentis eiuſmodi purgationi accommodatis, erunt autem accommodata, tum quæ humorem bilioſum parant ad faciliorem vacuationem, partim eorum humorum calorem temperando, partim acrrimoniam retundendo, quod ſi erunt etiã aſtrictionis non expertia, erunt meliora, tum etiam quæ illum paratum poſſunt va-
D cuare. Commode parare poſſunt ſyrupus roſaceus recens primum, mox vero cum maiori aſtrictione opus eſt, & ille, qui ex roſis conficitur, cichoraceus etiam, qui ſimplex eſt inter initia, deinde ſi inueteraſcat affectus, & qui compoſitus dicitur, in quo & uis parandi eſt, & aliqua etiam uacuandi ex Rhabarbaro, quod accipit, item & ſyrupus ex endiuia, & ex oxalide, uel acetoſa, vt nunc aiunt. Sed & decocta ex eiſdem herbis, præterea ex polygono, plantagine, cauda equina, & ex ceteris cichoraceis herbis. Ad vacuationem verò apta erunt ſimplicia medicamenta hęc imprimis, Rhabarbarum, quocunque modo ſiue eo trito vtamur, ſeu macerato, item & myrobalani, pręſertim qui citrini a iunioribus dicuntur, ſed & man-
E na, caſiam uero multis mulieribus ex utero laborantibus nocuam fuiſſe ſæpe animaduerti. Inter cõpoſita mihi ſatis opportunus ſemper uiſus eſt ſyrupus roſaceus ſolutiuus, item ſenæ decoctum, præſertim, ſi bilis aliquantiſper ſit aſſata, diacatholicon appellatũ diaſene, uel ſi quod aliud his ſimile ſit. Sin autem pituitoſa ſit, & craſſior purganda materia, erit paranda quidem attenuantibus, & detergentibus, in quibus ſunt mel roſaceum ſimplex, mox & compoſitus, itẽ & ſyrupus ex betonica, ex hyſſopo, & alijs ſimilibus, ſed & decocta ex rebus vim eandem habentibus, ut herba eſt quæ meliſſa dicitur, betonica, ſpica utraque, cinnamomum, & reliqua aromata, & id genus multa. Purgabitur autem commodè agarico, turbith appellato, chebulis myrobalanis, cnico etiam, quod ſe-

men chartami appellant:modum autem vſus eorum ſuperius ſæpe expoſuimus. Compoſita vero huic purgationi accommodata ſunt imprimis hiera ſimplex, immo quando res inueterata eſſet, & propterea difficilior reddita, & hiera, quæ diacolocynthidos dicitur, optimum eſſet medicamentum:ſed & diaphœnicon, & diaturbith etiam cum Rhabarbaro; nam vim maiorem roborandi haberet:electuarium quoque Indũ appellatum, & multa id genus, pilulæ etiam maſtichinæ, & quæ ex hiera addito agarico fiunt, & tandem etiam cocchiæ dictę. Sed ſi ſeroſus is humor, aquoſuſque ſit, accommodata erunt ea, quæ vim exſiccandi habent, vt conſumatur eiuſmodi humor, & ea tandem omnia, quæ deſcripta ſunt, dum tractaremus eã aquæ intercutis differentiam, quæ aſcitis dicitur, immo B ſimilis omnino curatio eſt, & quantum ad exſiccationem pertinet, & quantum ad purgationem, nam illa, quæ aquam vacuant, huic etiam curationi ſunt maximè opportuna. In quo etiam affectu præter purgationem per ea, quæ aluum cient, quàm maximè vtilis & ea vacuatio eſt, quam per urinam prolectantia molimur, de quibus, cum alias abundè egerimus, non faciemus longiorem ſermonem. Si quis autem velit ordinem intueri, quo vſus Galen. mulierem, quæ hoc profluij genere affli̇ctabatur, ſe curaſſe ait, legat libellum, qui de Præſagitione inſcriptus eſt. Cum vero humores effluentes colorem referunt melancholicum ſuccum, ijs parantibus, quæ illum humorem reſpiciunt, erit opus, ut eſt ſyrupus ex fumaria, tam ſimplex, quam compoſitus, & qui ex pomis C ſimplex dicitur, & qui regi Sabor attribuitur & qui compoſitus ex pomis appellatur. Rectè uero purgari corpus poterit his medicamentis, ſimplicibus quidem, ſena, polypodio, epithymo, nigro veratro, quibus aut maceratis, aut ex decoctis uti poſſumus, item & nigris myrobalanis, compoſitis uero, lenitiuo, uel diacatholicon, uel diaſene, quæ leuia, & faciliora ſũt, decoctum epithymi Meſue cum veratro, aut citra, ualentiora uerò ſunt confectio hamech dicta, pilulę Indę. Expeditis autem his, quę ad uniuerſi corporis expurgationem pertinent, multa pręterea ſunt, quę exterius adminiſtrata, & interius etiam aſſumpta duplici nomine prodeſſe poſſunt, nam & quia uacuant, & quia roborant, ea uero ſunt thermarum D aquę, ut ſunt Porretanę, Bononienſes, Aquarianę, Mutinenſes, Patauinę, Aponenſes, & id genus alię, hę enim deſiccandi quidem uim habent, detergendique & attenuandi, cum earum plęręque ſint nitroſę aut ſalſę, ſulphureęque, & earum plurimę etiam aluminis, uel gypſi ſint participes, unde & uim aſtringendi habent. Quare quę in eis lauantur uel demerguntur, poſſunt conſequi, ut deſiccatis excrementis & humiditatibus, cõmodè inaniantur, deinde etiam uterus, & uniuerſum corpus ab eorum moderata aſtrictione roboretur, ſed eporę etiam detergendo uim purgandi, tum pituitoſa, tum etiam melancholica excrementa habent, interdũ & bilioſa, & ſubinde E uiſcera roborãdi. Calidioribus autem humoribus accommodatiores eſſent Lucenſes, quę uillę ſcaturiũt, Veronenſeſque, Calderianę, uel Gauderianę dictę, uel ſi quę alię eſſent, quę tum deſiccãdi uim haberẽt, tum uerò refrigerandi, & quoquomodo aſtringendi. Antiqui aũt ad exſiccationem corporis, pręcipuè uero ſi muliebre hoc profluuium originem habuiſſet a multo aquoſo humore, & eo frigidiore, utebãtur arena maris, immergebant.n.corpus uniuerſum in arena calida maris, ut ex Gal. in libello, cuius nuper meminimus, percipere poſſumus, mox uerò & corpus uniuerſum poſt eius fricationẽ aliqua re deſiccante inungebant ipſe melle plurimũ cocto utebatur, ſed & urinam ciebant. Meminit autem ipſe decocti apij,

A & aſſati, ſubinde etiam aluum medicamentis aquam vacuantibus ducebant. Neque tamen erit prætterea inutile poſt corporis inanitionem his modis omnibus peractam, ea aggredi, quæ vim habeant corroborandi interna viſcera, vt eſſent antidoti, & quæ vulgo cõfectiones, uel electuaria dicuntur, ſed hæc quoque, varianda eſſent pro uarietate, & diuerſitate affectus, nã ſi frigidus, & humidus eſſet, theriaca, & mithridatica antidotus diamoſchum, diambra, diamargariton, diagalanga, aromaticum roſaceum, garyophyllatũ, dianthos, conſerua (vt aiunt) betonicę. Sin autem calidus, ſaccharum roſaceum, mirobalani conditi, diatrionſandalum, diarhodon abbatis, & reliqua id genus. Nec etiam deſerenda eſt cura particulatim ipſius vteri, vt & ipſe aliquibus, uel unguentis, uel oleis, vel peſſis, vel inſesſibus roboraretur, & ſi aliquid ex fluentibus materijs uitium contraxiſſet à uitioſis his humoribus per ipſum defluentibus, id corrigeretur, roboratur quidem aſtringentibus, uitium uerò illud contractum, ſi quidẽ fuerit, ſicut ſæpe fieri ſolet, abraſio, vel exulceratio, & id quando, vel ſuapte natura acria sũt excrementa defluentia, vel ex aliqua concepta putredine, curabitur ea ratione, quam inferius, vbi de vteri vlceribus habebitur ſermo exponemus, poteſt etiam ex nimio humore laxitas, & mollities contrahi, cui exſiccantibus, & aſtringentibus erit occurrendum. Poteſt alioquin mutari ab eiſdem humoribus defluẽtibus temperatura uteri, quæ deinde vitia, & ipſa contrarijs remedijs tollenda erunt, vt balneis inunctionibus, glandibus, & reliquis id genus medicamentorũ formis, de quibus partim habitus, partim habebitur ſermo, nam hæc ad proprium iam uteri affectum pertinent potius quàm ad conſenſum. Sed poſtquam diu in hac re uerſati ſumus, iam conuertamus ſermonẽ ad mulieres, quæ ex utero ſtrangulantur.

De Hyſtericis mulieribus, hoc eſt de illis, quę ex utero ſtrangulantur. Cap. IX.

QVamuis Græcis hyſtera vterum ſignificet, atq; ab eo hyſterica mulier, & hyſtericus affectus dictus ſit, non tamen quocunque modo afficiatur vterus, aut hyſterica (vt 6. de loc. affect. & tertio Protrh. & 5. Apho. teſtatur Gale.) dicitur mulier, aut affectus hyſtericus, ſed ſolum de illis, quæ uitio uteri ſtrangulari uidentur. In huiuſmodi uero ſtrangulatu, non eſt vna ſymptomatum forma, ſed (vt eodem 6. de loc. affect. expoſuit Gal.) multiplex, & uaria. Nam aliæ ſine vllo motu, ſenſuve iacent, ac omni ferè pulſu deſtitutæ, uel omnino illum imbecillum, & paruum habent, immo interdum ſine vlla, quæ poſſit ratione aliqua percipi, reſpiratione. Aliæ uero, neque ſenſu, neque motu omnino carent, immo neque etiam mẽte laborant, ſed animo delinquere videntur, & ægre ſpiritum trahere. Nonnullæ artuum nempe manuũ, brachiorumque, præterea pedum, & crurum contractionem, & quaſi conuulſionem pati videntur, ac ſimiles illis interdum euadunt, qui (vt ait Auic.) morbo comitiali laborant. Quæ quidem ſymptomata, & ſi ex vtero primam habeant occaſionem, cum tamen quem plurima eorum ad actiones læſas principum facultatum pertineant, quę in cerebro, cordeq; necnon etiam in iecinore ſedẽ habent, fieri alioquin omnino nequit, vt ea contingant, niſi ea ratione, qua vterus ſecum, dum male afficitur, poteſt præcipua hæc membra in conſenſum trahere, uarijs autem modis trahit pro varia ratione, uel magnitudinis, vel paruitatis cauſæ, a qua (vt 6. de loc. affe. ait Gal.) afficitur vterus, uel pro uaria, & diuerſa illius cauſæ natura, & ſpecie. Quæ autem, & quales ſint iſtiuſmodi cauſę à quibus uterus afficitur in hoc affectu, uarie admodum

cap. 5.
com. 27.
com. 35.

modum ſenſere antiqui auctores. Aliqui enim (vt A
eodem loco refert Galenus) ſenſere motum vteri, cũ
importunè mouetur veneris cupidus, cauſam eſſe
omnium horum ſymptomatum, dum enim, vel ſupe
rius verſum tranſuerſum ſeptum mouetur, eo com-
preſſo, reſpirationem lædit: vnde poſtea & cerebrum
cum eo conſentiens male afficitur. Sin autem ad la-
tera diſtorqueatur, uel inferius deſcendat nunc iecur
male afficit, aliàs varios dolores, diuerſaque concitat
cap. 11. ſymptomata, dum negotium uarijs faceſſit particulis.
cap. 5. Huius uerò opinionis (vt teſtis eſt Gal.) imprimis vide
tur fuiſſe Plato, & Aretęus quoque antiquus medicus
in primo de morbis acutis libro ſatis apertè fauere
huic opinioni videtur, immo & Paulus ſtatim à prin-
cipio capitis iſtius hoc idem videtur innuere uoluiſſe, B
qui tamen, ſi recte examinentur ſequẽtia uerba, aliud
ſenſiſſe viſus eſt. Hanc autem horum auctorum opi
nionem Gal. omnino conuellit validiſſimis rationib.
eodem ſexto de loc. affect. innixus præſertim anato-
micis, quæ cum ibi apertiſſimè, & lucidiſſimè exponã
tur, tempori parcentes noluimus huc transferre. Ita-
que ſi medicam, immo & naturalem rationem ſequi
velimus, hæc omnia ſymptomata morbum vteri ſe-
quuntur, qui eſt eius intemperatura cum materia, &
plerunq; materia illa frigida eſt, vnde pro ratione co-
piæ maioris, vel minoris, & deterioris, uel minus ma-
læ naturæ, ita maiora, ſæuioraque oriuntur ſympto-
mata, minorave, & mitiora. Cum enim experientia,
& obſeruatione (vt omnes teſtantur) hoc compertũ C
ſit, quod mulieribus quibuſdam ſuppreſſi ſunt mẽſes
præter naturæ rationem nempe, quando in utero nõ
habent, præterea uerò, & illis, quæ cum alias eſſent aſ
ſuetæ vti complexu venereo nunc abſtinent, ſicut ac-
cidere ſolet uiduis, continentibusque coniugatis, cum
diu maritus abeſt iam ſatis manifeſtum eſſe poteſt,
omnem iſtius affectus, atque ſymptomatum conco-
mitantium rationem è materia ſeminali, aut mẽſtrua
petendam eſſe, quæ materiæ contentæ, neque de mo
re excretæ utero officiunt. Afferunt verò maiora, vel
minora mala, uel rõne maioris, uel minoris retẽtio-
nis, vel ppea, quia, aut ſuaptè natura deterior eſt mate
ria, quę retinetur, pp maiorem, vel minorem contra-
ctam corruptionem: ſuaptè quidem natura, quia cor- D
pus id ex ſua natura deteriores humores ſit aptum ge
nerare, ſicut ſunt aliquæ mulieres, quę ex uitioſa ſui
corporis natura, ita alię ex mala victus rõne malos hu
mores, & malę naturę generant, ex corruptione aũt,
qui quò plus minuſve detinentur magis, vel minus
corrumpuntur humores. Vnde quamuis, quę ſin-
gulis menſibus purgatur in mulieribus materia cum
ea, quę purgatur poſt partum, eadem ſit, longe tamen
magis uitiata eſt, & deterioris naturę, ac proinde ſym
com. 21. ptomata, & pericula deteriora affert (vt teſtatus eſt
com. 37. Gal. lib. primo in tertium, & 3. in tertium Epid.) ſup-
preſſio purgationum, quæ poſt partum fieri ſolent
quam eorum quæ ſingulis menſibus. Ita etiam cum
ſemen, quod alioquin ſolitum erat per venereum cõ E
greſſum excerni, per abſtinentiam ſupprimitur, ſo-
let (vt idem teſtis eſt) corruptum in malignam, & ue-
nenoſam qualitatem degenerare, ita in mulieribus,
vt interdum & in viris. Vnde male affecta membra
præcipua, immo corpus vniuerſum peſſimis crucia-
tur ſymptomatibus; nam & ſtrangulatur & ſenſu
motuque deſtituuntur; & pulſus aut omnino deper-
ditur, aut ita langueſcit, vt fiat inconſpicuus: ſed non-
nunquam & reſpiratio ferè intercipitur, quandoque
& melancholica accidunt ſymptomata: præter id qđ
& ventriculus, & os eius malè afficitur. Oſtendit au-
tem Gal. ſigno efficaciſſimo, quod ex retento ſemine
omnia hæc ſymptomata ortum habere poſſint, quia
viduis, quæ continentes ſunt, licet non careant men-

A ſtruis purgationibus, ſæpe hæc ſolent contingere: im-
mo longe deteriora ſunt mala, quæ habent occaſio-
nem a detento genitali ſemine, quàm ex ſuppreſſis
menſibus, & id quia in deteriorem qualitatem uerti-
tur ſeminis, quàm ſanguinis menſtrui natura, utraq;
tamen mala ſunt, quamuis par ſemper non ſit illo-
rum malitia, ſicut neque ſemper æqualis corruptio.
Vnde pro ratione malitiæ, ita diuerſa ſunt etiam in-
commoda, & mala, quæ inde oriuntur: nam ſi nocẽs
cauſa uim eam habet, vt poſſit vniuerſum corpus re-
frigerare, tanto ſæpe frigore ſpiritus, & calor natiuus
opprimuntur, vt in conſpicua (ſicut primo, & tertio
de Difficul. reſp. docet Galen.) relinquatur languida-
que reſpiratio, atque adeo etiam tum ipſa, tum pul-
B ſus interceptus videatur, ut eo ſæpe deueniant, ut &
medici, & aſſiſtentes, num illa penitus extincta ſit,
aut aliquid adhuc vitæ ſit ſuperſtes, dubitent, cogan-
turq; varijs periculis experiri, viuatne adhuc mulier,
aut iam obierit, nempe appoſitis floccis lanę carptę
ori, vel naribus, ac explorato ſi ab expirato aere mo-
ueantur, uel cyatho aquę pleno pectori impoſito. Hęc
uero extrema pericula ſequi magis ſolent ſemen re-
tentum, quàm ſuppreſſa menſtrua, quia frigidior, &
humidior eſt ſeminis genitalis, quam ſanguinis men-
ſtrui natura. Vnde adeo refrigeratur calor natiuus,
ut neque reſpiratio ad eius refrigerationem ſit admo
dum neceſſaria, neque pulſus, neque etiam (ut nono
de comp. medic. ſec. locos teſtatur Galen.) in conſpi
C cui hi motus poſſint eſſe ſatis vnà cum ea diſflatione,
quę ſit per tenues cutis meatus, hęc autem ſequuntur
potius qualitatem materię, & frigidam naturã, quia
ſi aut craſſitie fuerit prędita, quę poſſit replere, aut
acri, & mordaci qualitate, & conuulſiones, & ner-
uorum diſtentionem concitabit, ſin autem naturam
atrę bilis referat, triſtes, & timidas efficit mulieres, eiſ-
dem etiam de cauſis, & animo ſępe deficiunt, nempe
ob uehementes contractiones, & refrigerationem,
uel etiam propterea, quia os uentriculi in his malè af
ficitur. Differunt autem, quę ex ſuppreſſis menſibus
fiunt ſtrangulationes, & eiuſmodi reliqua ſympto-
mata ab illis, quę ex ſemine non de more excreto
accidunt, pręter uehementiam, quod cum ex ſup-
D preſſis menſibus fiunt, plerunque una fit, & uteri
peruerſio, uel diſtorſio, & hoc, quia uenę replentur,
quib. repletis, uel pariter omnibus, ac ita ſurſum cõtra
hi uterus uidetur, aut tantum ex una parte, & tunc
in eã torquetur uterus, facta in eam partẽ contractio-
ne ex earum repletione. Ex quo uidetur deinde ſequi,
quod ſemen qualitate magis lędat, menſtrua uero re-
tenta nõ modo qualitate, ſed & copia, quantitateque.
Vnde, & ſigna manifeſtiora, quę demonſtrant corpo
ris plenitudinem apparent cum ea retenta ſunt, ſicu
ti corporis grauitas, dolores oculorum, lac interdum
in mammillis, ſępe & febris. Semen autem in deterio
rem (ut diximus) naturam, quam menſtrua degene-
rant. Pręterea uerò cum in mulieribus, quę uſę ſunt
E congreſſu uenereo, fit hęc ſtrangulatio, neque ulla u-
teri de ſuo ſitu fit mutatio, cenſendum ex retento ſe-
mine id factum fuiſſe. Quemadmodum autem quar
to de cauſ. pul. ait Galen. pulſus in hoc affectu pro-
tenſus eſt, cum quadam ueluti diſtentione, rarusque,
qui deinde, cum res exitium minatur, exolutis uiribus
creber, inordinatusque, & ferè deficiens efficitur, at-
que hęc magis ſequuntur, cum ſit ex retento ſemine,
ſicut maior ſpirandi difficultas. Credo autem, quan-
tum ad huius mali curationem, pertinere poteſt, ne-
minem, qui in hac arte fuerit, uel modice eruditus la-
tere poſſe, duo eſſe ſpectanda, tum ipſum ſymptoma,
nempe ſtrangulationem, & reliqua incommoda, quę
illam concomitantur: tum cauſam, uel affectionem,
quę à retentione, uel ſeminis, uel menſtruorum oc-
caſio-

caſionem habuit: illique primum occurrendum eſ-
ſe, a quo maius imminet periculum. Nam ſi uehemẽs
ſit inſultus, & ſtrangulatio, primum oportet eam
reuocare ab ipſo ſymptomate, & quaſi euigilare:
mox vero cauſam tollere. De cauſæ autem remo-
tione, non eſt cur multa dicam: ſi enim ſit omnis
occaſio a menſtruis retentis petenda, procurandum
imprimis, ut menſes, quàm citius fieri poſſit, euo-
centur, primum ſanguinis miſſione ex uenis in cru-
ribus, uel propè malleolos, & id quidem, cum nihil
obſtat: nam Auic. ait, quod ſi retentio cauſam ha-
beat multam copiam lenti, & craſſi humoris, aut al-
bedo multa poteſt hoc prohibere. Puto autem per al-
bedinem multam voluiſſe id, quod & Gale. monuit:
nempe quod mulieres, quæ albæ ſunt, & molles po-
tius ſcarificatione crurum, quàm ſectione venę in re-
tentis menſibus iuuantur. Cum verò a multa pitui-
ta craſſa obſtruente fit mẽſium ſuppreſſio, niſi prius
attenuantibus, & detergentibus occurramus huic
incommodo, ſed ſtatim velimus uenam ſecare, præ-
ter id quod poterit magis recrudeſcere crudus hic hu
mor ſanguine detracto, pręſertim cum multa redun-
dat in uenis cruditas, eo etiam confertim cum ſangui
ne ad uterum attracto, maior fiet infarctus, & maior
obſtructio: poſtea tranſigendum erit negotium cum
illis, quę & per os aſſumpta, uel inferius ſuppoſita, vel
exterius adminiſtrata, poſſunt menſes ciere, de qui-
bus, cum ſuperius abunde fuerit ſermo habitus, non
amplius uerba faciemus. Quę verò ex ſemine nõ de
more excreto ſtrangulantur, eo excreto vel per ue-
nereum congreſſum, vel (quemadmodum docuit Ga
len. 6. de Loc. affect.) ſi obſtetrix, uel digitis inunctis
ex aliquo unguento utero, & euocandis etiam men-
ſtruis commodo partes genitales tractet, uel glande
ſuppoſita ex medicamentis confecta, quæ apta huic
negotio ſint quia calefaciant, bonum odorem ſpi-
rent, & aperiant, trahantque deorſum, fit ſæpe, ut cũ
quadam delectatione, & titillatione, ſemine effuſo,
liberentur ab hoc ſymptomate, & ab affectu. Atque
in hac iſtius ſymptomatis ratione fugiũt medici miſ-
ſionem ſanguinis, & id ex bona ratione, quia cum iã
dixerimus omnia incommoda ſequi nimiam corpo-
ris refrigerationem, miſſo ſanguine, magis ad huc re-
frigeraretur corpus, & magis afficeretur. Ratio autẽ
in ipſo inſultu requirit, vt vterum deorſum conuerta
mus a membris pręcipuis, atque ſubinde calefacia-
mus, niſi tamen febris ualida eſſet, quę hac ex parte
nobis obſtaret, ita enim fit, ut reuellatur uaporoſus
humor, qui delatus ad ſuperiora membra illa male
afficit, atque ut pręterea etiam digeratur, ſi quis iam
ſit receptus ac mala qualitas remoueatur. Deorſum
verò uterum trahere poſſunt, atque uapores detra-
here primum frictiones ualidę coxis, & cruribus ad-
miniſtratę, uincula itidem doloroſa eiſdem in parti-
bus, necnon & cucurbitulę, immo eo vſque progreſ-
ſi ſunt Paulus, & Aetius, ut dropacibus, & ſynapiſmis
eſſe vtendum cẽſuerint. Mox autem ... pręſtare poſ-
ſunt tam ea, quę naribus offeruntur odoranda, quã
quę inferius uel imponuntur, uel ſuffiuntur, non ta-
men eadem, ſed potius diuerſa, & ferè aduerſaria ra-
tione, nam quę gratum, & aromaticum odorem ſpi-
rant, ſi naribus odoranda offerantur aduerſiſſima
ſunt, contra verò ſi inferius imponantur, uel ſuffian
tur, mirificè proſunt, ſicuti etiam fœtida naribus odo
randa appoſita ſtatim ferè releuant. Eſt autem pro-
blema hoc, quod multis non parum negotij faceſſit,
nempe cur vterus ſequatur bene olentia, refugiat ve
rò, & quaſi abhorreat ea quę fœtida ſunt. Quidam di
xere, quod ideo hoc fit, quia uterus delectatur bonis
& gratis odoribus, triſtatur uerò tetris. Quę quidem
reſponſio admitti ab illis facilè poſſet quorum ſupe-

A rius meminimus, nam illi ſentiunt uterum eſſe ani-
mal quoddam in animante creatum, quod ſpõte ſua,
mouetur, & facile quęrit, ac proſequitur ea quę gra-
ta ſunt, & illi familiaria, refugit autem illa, quę ingra-
ta & aliena ſunt, ita enim poſſet odores percipere &
diſcernere. Verum cum hęc ſit tanquam mera fabu-
la, ideo in ea non diutius immorabimur. Alij uero ſe
hanc quęſtionem diſſoluiſſe putant, ſi dicant, quod
quę bene olent cum calefaciant, digerant, & ſint par
tium tenuiorum, facile penetrãt, atque ita facilius vte-
rum calefaciunt, & hac ratione roborant, cum ſuffiũ
tur, aut ſupponuntur: at fętida, vt pote quæ ſunt craſ-
ſiorum partium, non ita facile penetrare poſſunt. At
verò ſi quæratur, ſed cur refugit a fœtidis, ſequitur au-
B tem odorata? aiunt, quod malam qualitatem fugiũt,
non autem malum odorem. Sed hi cæciunt, quia nõ
minus tenuis ſubſtantiæ, & tenuium partium ſunt,
quæ fœtido ſunt odore, quàm quæ bene olent, & ne
longius cogamur exempla petere, ea accipiamus, quę
tanquam huic rei accommodata referuntur a Gal.
nono de Comp. medic. ſecundum loc. ut ſunt caſto- cap. 19.
reum, ruta, allium, cæpe, ſulphur, ſynapi quæ omnia
tenuium partium omnino ſunt. Deinde uero quam
ineptè ſoluat, cur ſuffita inferius quaſi vterum refu-
gere cogant, non eſt, cur exponam, cum id poſſit fa-
cile ab omnibus percipi. Aiunt enim quod fugit vte-
rus malam qualitatem, non malum odorem, neque
tamen exponunt, quænam ſit ea mala qualitas. Qua-
C re dicamus nos, vt alias diximus 1. libro Artis curan- cap. 14.
di ad Glauc. vbi de ſyncope agit, quæ uteri conſenſu
excitatur, ibi enim cum explauaremus locum illum,
ſententiam noſtram in ea re expoſuimus, ſed & nũc
de ea aliqua breuiter dicemus. Nos quoque in ea ſen-
tentia ſumus, hęc non ideo euenire, quia vterus uim
habeat olfaciendi, odoreſque bonos maloſve perci-
piendi, ſed quod quaſi per accidens (ut philoſophi a-
iunt) hęc omnia ab odoribus utero accidant, acci-
dunt autem hac ratione: In omni ſenſu (ut docuere
tum Ariſtot. ſecundo de Anima, tum Galen. primo
de Sympt. cauſ.) particulatim quędam uoluptas, cum
mouentur ab obiectis accommodatis, & conformi-
bus naturę illius ſenſus, concitatur, & quędam dele-
D ctatio, ſin autẽ ab illis moueantur, quę ingrata ſunt,
quęque ab illis quaſi abhorrentur, excitatur in eo ſen
ſu triſtitia, & quidam quaſi dolor, & quamuis hęc
pręſertim, & maximè accidant in ſenſu tactus, tamẽ
nullus ſenſus eſt, qui huius rei expers ſit, omnes enim
delectantur ex perceptione obiecti, quod gratum ſit,
triſtantur verò, & quaſi dolent ex percepto obiecto
ingrato. Et hęc quidem pręcipue ſolent contingere,
cum ea ſenſibus offeruntur, quę uehementes habent
qualitates, quibus ſenſum poſſunt ualide mouere,
quęque confertim eum tranſmutare poſſunt, quo-
niam quę non habent magnam uim excitandi ſen-
ſum, ea neque delectationem, neque uoluptatem af-
ferunt, nam tranſmutationes, quę ſenſim fiunt, fere
E ſenſus latent. Sed quia affectiones hę quę aut uolupta
tem, aut dolorem afferunt, ut fieri nequeunt ſine in-
ſtrumenti tranſmutatione inſigni, ita etiam neceſſe
eſt, ut una moueantur calor natiuus, ſpirituſque cum
ſanguine, qui exterius expandantur, aut interius refu
giant. Interius quidem in omni triſtitia refugiunt, &
reuocantur uerſus ſuum initium, ut ibi confortati, &
maioribus viribus recuperatis, poſſint mox adorti
tanquam hoſtem, rem triſtem illam propulſare. Ex-
terius verò feruntur, & expanduntur, dum percipi-
tur id, quod naturę amicum, & gratum eſt, atque id,
quod ſenſibus uoluptati eſt, illi enim quaſi occurrũt,
vt excipiant, & fruantur, quo fit vt refrigeratis inter-
nis viſceribus interim dum ſanguis, & ſpiritus extra
feruntur ab eorum fomento deſtitutis, maior fiat eo-

rum

rum læſio à vaporibus, & à mala qualitate materiæ menſtruæ, vel ſeminalis in uaſis pertinentibus ad vterum corruptæ, qui item uapores cum ſpiritibus commixti feruntur, & diſtribuuntur per uniuerſum corpus, ipſum perfrigerant. At uero cum moleſtiam ex malo, & ingrato odore refugientes natiuus calor, ſpiritusque, & ſanguis intima uiſcera confertim mouentur, eo motu primum deorſum uterum detrudunt, & cum locus interior his refertus calefiat, ſubinde, & frigidior intemperies à vitioſa materia impreſſa remouetur, uitioſique uapores diſcutiuntur à natiuo calore collecto, & facto fortiori ĩ intimis partibus. Hãc putamus rationem eſſe, cur odorata naribus admota lædant: fœtida uerò proſint. Sed de illis, q̃ inferius ſupponuntur, vel ſuffiri ſolent, alia mihi ratio referenda videtur, quoniam effectus is non amplius referri omnino poteſt in aliquam uoluptatem, uel triſtitiam, quã partes inferiores ex malo, uel bono odore percipiãt, & quod proinde fiat motus ſpirituum, & caloris natiui intro, uel extra, ſed alio confugiendum, quia partes illæ cum ſenſu olfactus careant, neque poſſunt, aut delectationem, aut triſtitiam ex eis percipere, ſed quęcũque à rebus odoratis fiunt in hoc affectu, dum ſuffiuntur, vel ſupponuntur, per accidens quidem (vt loquuntur noſtri philoſophi) fiunt, nam aromata, & quæcunque odorem calidum, & uehementem ſpirant, calida ſunt, inſigniterque calefacere poſſunt, conſtãt etiam tenui admodum ſubſtantia, vt 4. de ſymp. med. facul. probat Gal. & quæ proinde poteſt laxare, attenuareque, & digerere, ſecareq; lentas, & craſſas materias, qua ratione proſunt, non autem grato, vel ingrato odore. Vnde 1. lib. ad Glauc. loc. pauloante citato nõ protulit ita abſolutè odorata eſſe ſupponenda, ſed addidit, & quæ laxare, & calefacere poſſunt, quaſi inſinuans, quod ratio, & cauſa, cur hæc iuuent, eſt, quia laxant, aperiunt, & calefaciunt, non autem, quia bene olent. Sed apertius 5. Aphor. hoc expoſuit, ubi rationem referens, cur aromatum ſuffitus menſes euocent, ait, quod ſua vi aperiunt extrema vaſorum obſerata, extenuant humorum craſſitudinem, obſtructiones quoque tum calefaciendo, tum incidendo reſerant. Hac ergo ratione bene olentia ſuppoſita, aut ſuffita utilia ſunt non ratione odoris boni, uel mali, vnde galbanum extenſum corio, uel linteo mulieres ventri inferiori affigunt, maximeque, quando vterinis incommodis uexantur, plurimumque ſe iuuari percipiunt, quæ quidem & naribus adhibita graui ſuo odore prodeſt, ſed cum ventri interiori affigitur ſub ueſtibus, facilius eius odor pertingit ad inferiores, & genitales partes, quam ad nares, dum veſtibus contegitur. Hæc itaque, ut mihi viſa ſunt, ita, ut eorum uos etiam facerem participes, literis mandare uoluimus, quæ ſi placuerint mihi, quod placeant, gratum erit, ſin autẽ, meliora aliunde quæratis. Sed poſteaquam in his ſatis vagati ſumus, ad inſtitutum noſtrum redeamus. Ea ergo omnia, quæ grauem, & moleſtum odorem ſpirant, oblata odoranda conferunt, præterea enim, quæ paulo ante relata ſunt, horum etiam meminere antiqui, præſertim uerò Gal. & Dioſcor. pix liquida, capilli vſti, nunc & corium comburitur, & trita calciamenta, ſed & cornu cerui uritur, & eius ſuffitus offertur naribus, & lapis gagates, & tritum ſinapi naribus oblatum, nam & ſternutamentum concitabit. Dioſc. vero, & odorem, vel ſuffitum cubiculariorum cimicum laudat. Hipp. autem linamentum lucernæ extinctum, uel lychnium naribus appoſitum poſſe prodeſſe ait. At uerò, ſi his exterius adminiſtratis nequeat omnino mulier ab hoc malo eximi, aliqua etiã deuoranda dare expediet, præſertim verò laudant, imprimis autem Hippoc. & Dioſco. ut detur caſtoreum ad pondus drachmæ ex uino, conizam itidem, ſed &

A iuniperi baccæ Dioſcoridi maximè probantur, & ſcylliticum acetum, & uinum in quo, fuerit chamædrys macerata, itẽ & betonicę folia trita, & põdere drachmæ data ex mulſa. Gal. vero nono de comp. med. ſec. loc. ait agaricum pondere drachmæ datum potui mirificè poſſe conferre. Poſtremo uerò, neque id prætereundum eſt cuius meminit Hippo. quinto Aphor. quod ſternutamentum concitatum in mulieribus, dũ ſtrangulatæ ex utero iacent, ſæpe eas ſubleuat, ſicut etiam eas, quæ cum labore, & difficultate pariunt, ad facilius pariendum iuuat. Galen. uerò ait, quod ſternutatio duplici nomine in ſtrangulatione poteſt eſſe vtilis, quia & ſignum bonum eſt, & remedium optimũ, ſignificat etenim naturam, quæ iam erat ferè emor- Aph. 35
B tua, excitari, & reuiuiſcere, reminiſcique ſuarum motionũ, quæ ea quę moleſta ſunt, ſolet expellere, iuuat etiam, quia naturam uehementi concuſſione, & magno impetu facto excitat, excutitque, & excernit ea, quæ partibus corporis tenaciter hærent.

De vteri commotione, & peruerſione.
Cap. X.

COmmouetur interdum uterus, diſtorqueturq; in diuerſas partes, quia quandoque ſurſum retrahitur, quandoque in latus contorquetur, nunc in dextrum, alias in ſiniſtrum, aliquando etiam
C deorſum defertur, unde & mulieres ſæpe conqueruntur coxæ illum incumbere, interdum oſſi pubis, nonnunquam percipiunt illum hærere, & quaſi infixum eſſe extremo oſſi ſacro, latoque aliquãdo audiui quaſdam conquerentes vterum ſecundum longitudinem inferioris uentris diſtenſum, quaſi palum, eas cruciare, ut neque ſtare, neque decumbere facile poſſint, & ſecundum omnem ſitum male habent. Sed & obſtetrices, dum genitalia loca digitis impoſitis tentant, affirmant ſe reperire vterum modo ſuperius aſcendiſſe, interdum deorſum, ſæpe in dextrum, aut ſiniſtrum latus inclinaſſe. Et ferè hac ratione ducti nonnulli, quibus aſſenſiſſe (vt ex ſententia Gal. 6. de loc. affect. & 3. de Articul. ſuperius diximus) viſus eſt Plato, cre-
D didere uterum quaſi animal moueri, ac per inferiorẽ ventrem vagari. Quam tamen opinionem eſſe omnino abſurdam oſtendit ratio anatomica, alligatur enim vterus adeo validis vinculis dorſo, & alijs partibus, vt ne cogitare quidem poſſit aliquis, qui uiderit hanc particulam, alioquin de ſuo loco moueri poſſe, ut ibidem teſtatur Galen. Fiunt autem eiuſmodi dimotiones ratione plenitudinis uaſorum, & partiũ pertinentium ad ipſum uterum, quæ humore perfunduntur, perinde, ut in diſtentionibus, uel conuulſionibus, neruorum, qui dum implentur, diſtenduntur quidem ſecundum latum, & profundum, craſſioresque fiunt contrahuntur tamen, & abbreuiantur, ita cum vaſa, quæ in utero ſunt replentur,
E replentur ſubinde, & ipſæ vteri partes, diſtenſus verò vterus contrahitur, & abbreuiatur, & ſi ęqualiter id acciderit, ſurſum contrahitur, ut uideatur mulieribus eum tentantibus ſurſum aſcendiſſe, ſin autem non fiat æqualis utrinque repletio, ſed maior in una, quàm in altera partę, quę magis repleta eſt, illa magis intenditur, contrahiturque, & mox partem aliam, quę mollior eſt, quia inanior fit ad ſe rapit, trahitque, atque, ita diſtorquetur uterus in hanc, uel illam partem: Replentur autem uaſa, & uterus immodicè præſertim ex menſium ſuppreſſione, quamuis (vt idem 2. de cauſ. pul. docet) alijs quoque de cauſis poſ- cap. 11.
ſit diſtortio, & contractio, quàm ex ſuppreſſis menſibus fieri nimirum ex inflammatione, ex ſcirrhoſo tumore, ex aliquo exorto abſceſſu in utero, ex aliquo alio

alio genere tuberculorum, ſed & ex ſpiritu flatulento incluſo in aliqua eius parte, atque in tumorem illã attollente: cum enim omnia hæc fiant ex confluxu humorum replentium partes, quas corripiunt, non erit deinde mirum, ſi pleniores partes, in tumoremque elatæ contrahant ad ſe alias, quæ non æquè plenæ ſunt. Prætereà verò & vehemens ſiccitas, & frigus etiam eximium quaſi cogens, & denſas eius ſubſtantiam poteſt quaſi conuulſiuam affectionem adducere, vnde diſtorqueatur vterus. Hi itaque ſunt affectus, à quibus poteſt vterus commoueri, & diſtorqueri, atque his de cauſis, quę hactenus fuere expoſitæ. Sed neque ſigna ſunt perceptu difficilia, quibus diſtortio a medico poſſit cognoſci, nam inducto digito in genitale membrum ab obſtetrice, & eo uſque ad os vteri adducto, ipſe tentans facile deprehendet, num vterus ſuam ſedem habeat, vel ab ea receſſerit, & in quam etiam diſceſſerit. Sed ſunt prætereà ſymptomata multa superuenientia, quæ id ipſum, ſi animaduertamus inſinuare poſſunt. Nam ſi ſurſum retrahatur apparent, quæ ſuperiora viſcera offendunt, ut ſunt ucntriculus, & inſtrumenta reſpirationis, præter id quod obſtetrix digito impoſito, os vteri minimè poterit attingere. At ſi inferius declinauerit (ut Hip. in lib. de natura fœminarum ait) dolor imũ ventrem affliget, & fœmora, coxendicesque ex ea parte, in quam declinauerit vterus (ut refert Aetius ex ſententia Aſpaſiæ) diſtendi uidebuntur, doloreque, & quaſi torpore, uel ſtupore tentabuntur, ut fere incedere nequeant; frigeſcet etiam, & nonnunquam arefieri videbitur. Quod ſi poſterius, retróque conuerſus verſus dorſum contrahatur, tunc vtraque coxa, eodem Aetio teſte, cruſque dolet, ſtupet, & impeditur, quo minus poſſit, niſi ægrè, incedere: ſed & aluus ſupprimitur, ut neque etiã clyſteres poſſint admitti, niſi genibus innitantur, neque alioquin flatus expelli, & id quia vterus rectum inteſtinum eo tempore premit, quandoque etiam dum ſedere uolunt, dolores exacerbãtur magis, præſertim uerò, ſi uerſus anũ magis inclinauerit. Quando autem magis ad anteriora, nempe ad pubem cõuerſus fuerit dolor pectinem & imum uentrẽ exercebit, ibiq; quaſi extenſio percipietur ſæpe & vrina ſupprimetur, cõpreſſa ſiquidem ceruice ueſicæ. Quatenus autem ad rationem curationis pertinet, mihi non uidetur, quod ſit opus longa admodum oratione; quia (ut idem Aetius ait) in vniuerſum cum duo ſint tempora iſtius mali, nimirum tempus, quo exacerbantur hæc ſymptomata, & id, quo remittunt, aut intermittunt, quando exacerbationes vrgent, eadem eſt curatio inſtituenda, quæ adhibetur, vteri inflammationibus: cùm uerò remittũt, rebus mollientibus (ait ille) eſt opus, quantum ad medicamenta pertinere poteſt: nam & utilis eſt manum peritæ mulieris opera, quæ digitis adactis, de loco, in quem declinauerit, uterum depellat, & in ſuam ſedẽ deducat, intinctis prius, uel inunctis digitis aliquo oleo huic rei accommodato, ut eſt oleum anethinum, aut liliaceum, aut id quod ex uiolis luteis, quas latini matronales appellant, Arabes cheiri, conficitur, uel nardino, uel ſimili alio, neque ſolum digitos intendere ante in genitalia opus eſt, ſed aliquando, præſertim cũ retro ad dorſum, uel anũ facta eſt cõuerſio, in anũ intromittere oportet, ut inde repellatur incũbens vterus. Sed aliquãto magis particulatim rẽ hãc tractẽmus. Cũ ergo dixerit Aetius eandẽ eſſe in his curãdi ratiqnẽ, quę & in inflãmationibus; de inflãmationib. aũt ſit inſtituẽda oratio in ſequentibus tractationibus, Ideo rẽ hanc in eũ locũ differemus. Nũc uerò eſt cõſiderãdum, quod cum (ut diximus) multiplices ſint cauſæ, cur diſtorqueatur uterus, ratio recta curãdi hoc uidetur requirere, ut quãdo ſymptomata nõ

A adeo ingraueſcunt, vt iam perferri facilè nõ amplius poſſint cauſæ remouendæ præſertim operam medicus aut omnino, aut maiori ex parte nauet. Cauſæ verò ſunt aut inflammatio, aut ſcirrhus, aut crudum aliquod tuberculum, plerunque tamen retenta purgatio menſtrua, quemadmodum raro admodum tãta ſiccitas, aut adeo vehemens frigiditas, vnde quicquid horum fuerit, illud prius curandum erit, ſed cũ de his omnibus partim ſuperius egerimus, partim verò ſuis capitibus paulò poſt ſimus ſermonem habituri: ideo in præſentia ſuperuacaneum videretur de eiſdem ſermonem habere velle. Quare hoc tantũ monemus, quod ſi vterus ſurſum retractus plurimũ moleſtus ſit, ea quę odorata ſunt, inferius ſuffita, vel ſu-
B biecta, fœtida vero naribus oblata, poſſunt illũ deorſum auertere; nec parum etiam (ut Aetius docuit) ſternutamenta concitata iuuabunt: contra autem, cum nimis deorſum, vel ad dorſum, vel ad pubem procũbet, odorata olfacta, fœtida verò inferius ſubiecta vtilia erunt, longè tamen magis moleſta eſt retractio vteri ad ſuperiora, quàm declinatio inferius. Cum verò in alterum latus propenſus eſt, frictionibus, aut cucurbitulis lateri oppoſito adminiſtratis reduci interdum poteſt: ſicut affixa maiori cucurbitula umbilico ſurſum retrahitur, illa eadem imò uentri ad pubem detrahi poteſt. Aetius verò docuit, quãdo ad dorſum conuerſus vterus rectum inteſtinum premit, parari glandem ex galbano, & cera, & ano indi, ut tamen al-
C teri extremo ſit prius filum extractionis gratia annexum, aut caſtorium aqua dilutum, aut bitumen aridum, aut picem liquidam lana excipiendam eſſe, ac ſimiliter ano imponendam, ac vterum mox fouendum rebus illi commodis, ſicut ſunt decocta aromatum, vel conizæ, vel marrubij, vel pulegij, vel rebus ſimilibus. Oleorum quoque vſus, ſi uenter inferior illis inungatur, vel ſi clyſteri in uterum, & inteſtina infundantur vtilis eſt. Laudat verò Dioſco. oleum cicinum nucumque, & amygdalarum amararũ: Aetius verò irinum, & fuſium: Mihi non minus probaretur liliaceum, atque id, quod ex lutea uiola cõficitur. Sed & multa eorum, quæ ad vteri ſtrangulatum opportuna ſunt, poſſunt huic loco accommodari, & quæ etiã
D ad dolorem, & inflationem uteri utilia ſunt, de quibus paulò pòſt eſt ſermo habendus.

De procidentia, ſeu prolapſu vteri. Cap. XI.

NOn modò diſtorquetur interdum, & commouetur uterus, uerum prolabitur adeò, ut excidat extra mulieris genitale membrum, & quaſi uirile ſcrotum (ut ait Hippoc. in lib. de Natura fœminarum) promineat, laxatis nimirum, & quaſi reſolutis uinculis, quibus ſpinæ, dorſoque annexus eſt. Duplicem autem occaſionem poteſt habere hoc mali genus, ut conſenſere omnes, tum Græci, quàm Arabes, & Latini; alteram quidem externam, alte-
E ram verò internam: externa occaſio vel ab ipſa muliere pendet, uel ab illis, quę illi extrinſecus fortè accidunt: ex ipſa muliere, ſi ea utatur uehementi impetu in aliquo negotio peragendo, utpote ſi tempore pariendi coacta a uiolentioribus doloribus uehementius nitatur, vt fœtum expellat, quandoque enim in his perinde contingit, ſicuti illis, qui alios in terram deijcere omni opę nituntur, interdum enim, dum nimis alterum conantur proſternere, unà & ipſi (ut tertio de Natural. faculta. ait Galen.) in terram ruunt, atque illis mulieribus hoc incommodum facilius ſolet accidere, in quibus uincula ſpinæ adnata laxiora ſunt, nec dum ex hac nimia ui in eijciendo partu, ſed ex quacunque alia motione laborioſa, & uiolenta quaſi ſupra ipſius uires, ſicut ſi uelit

aliquod prægrande pondus extollere, aut nimium contentè currat, & diu; vel ſi ligna findere conetur, vel ſi ſaltet præſertim è ſublimi loco:ſed & ex vſu venereo, ſi paulò pòſt partum viros admittat, mulier poteſt (vt idem Hippoc. teſtatur) ſubire hoc incommodum:ita ex vociferationibus magnis, ex ſternutatione. Ex illis autem, quæ externam habent occaſioné, poteſt prolabi vterus, vt ex caſu ex altiori loco, præſertim ſi vel in pedes cadat, vel in dorſum: præterea ex vehementi, & repentino aliquo timore: interdum verò ex incommoda obſtetricis tractatione in partu, in extrahendo fœtu, vel etiam ſecundis, dum id nimia vi agit, & violenter trahit. Verùm omnia hęc in cauſas, quæ procatarcticæ à Græcis dictę ſunt, referenda sũt, Veruntamen & à cauſis, quæ antecedentes dici à medicis ſolent, fieri poteſt vteri procidentia, nẽpe ex nimia humiditate remolliente vteri vincula, quibus dorſo eſt annexus; quod aliquando illis accidiſſe vidi, quæ diu ab humiditatibus profluentibus ex vtero, & menſtruis albis vexabantur. Addit verò Auicenna, quòd & ex putrefactione ligamentorum vteri hoc interdum fieri poſſit. His etiam accedit, quòd aliquando reſolutis eiſdem ligamentis hæc fieri poſſe contendunt omnes. Solent autem, cùm procidit uterus, hæc accidere, primùm quòd prominet ex genitali membro mollis, & rotundus tumor, qui ſcrotum uirile imitatur, & eſt tumor maior, uel minor, ut eius ſit maior uel minor procidentia; dolor etiam, item (ut Hippoc. ait, & alij aſſentiuntur) & calor pudenda, & uentrem imum tentat, vrina paulatim deſtillat, & mordet pudenda, erũpit interdum copioſus ſanguis (ut teſtatur Aetius) qui præterea addit, quòd inter initia, dum prolabitur, periculum imminet, ne vterus refrigeratus conuulſionem interdum afferat: verùm vbi inueteraſcit affectus, calloſus fit uterus, neq; amplius conuulſionis periculum eſt, neque dolor infeſtat. In hoc autem conſentiunt omnes, quod in illis ſolum, cùm vterus prolabitur, curatio ſperari poteſt, quæ iuuenes ſunt, quia quando ætate prouectioribus hoc malum acciderit, curationi contumax eſt; præterea verò, & ſi dum recens malum eſt, rectè & ex ratione tractetur alioquin enim cùm inueteraſcit, curationem non admittit, aut ſaltem ægrè admittit. Curatur verò per eius introductionem, ut tamen antequam introducatur, alui excrementa, ſi qua in inteſtinis contineantur, clyſteri abluantur, educãturque, ut in inanitis inteſtinis inferioribus, faciliùs in ſuam ſedem adducatur vterus; ac præterea, ne poſtquam adductus fuerit, in deijciendo, tum in exprimendo, dum fæces excernuntur, tum etiam in tranſitu dimoueatur vterus, & hoc tam Paulus, quàm Aetius conſulunt, quibus & Auicenna ſubſcripſit, Addunt præterea, ut itidem & urina, ſi ea ſit collecta in ueſica, antequam curationem aggrediamur, excernatur, eadem (mea quidem ſententia) de cauſa: Quamuis mihi quidem uideatur Auicennam illos ſequi uoluiſſe, non fuiſſe tamen eorum ſenſum aſſecutum, & id quia forſitan à malis translationibus fuit deceptus; ait enim ipſe ciendam eſſe urinam cum rebus diureticis: Quod mihi non uidetur rationi conſonum, quia ea potius ſunt tentanda, quæ ſurſum mouent, & retrahunt, quàm quę deorſum deriuant, pręſertim in prrincipio, cum non ſint uerſus locum affectum mouendi humores, ſed potius inde auertendi. Vnde Hippoc. in lib. de Morbis mulierum potius vomitum cieri iubet, Aetius verò, & Paulus noluere diureticis eſſeciendum lotium, verum potius fiſtula ænea huic officio accomodata. Deinde uerò uterus prolapſus, rebus aliquibus aſtringentibus abluendus eſt, ut decocto ex lenticula, roſis aridis, loti ramentis mixtis. Hipp. uerò & pudenda, & prolapſum

A vterum nigro vino elui voluit, in quo prius efferbuerit malicorium, mox introducendum eſſe ait. Ratio verò introducendi hęc ſit, vt ſupina mulier collocetur accliui potius, quàm decliui corpore, coxis nimirum elatioribus, & reflexis, deductiſq; poplitibus, primumq; prolapſus vterus fouendus eſt, (ut Aetius, & Paulus quibus Auic. aſſentitur, docuere) aliquo medicamento molliente, & digerente, vt eſſent oleum tepidum, vel butyrum, vel decoctum ex beta, malua, althea, fœno Græco, ſemine lini, & id genus alijs: deinde accipiatur lana mollis (Hippo. ſpongia molli vtebatur) & conuoluta ad figuram, & magnitudinem eam, vt poſſit muliebri membro genitali aptari, & inuoluta linteolo tenui, imbutaq; uino nigro, in quo
B vel diſſoluta fuerint, vel efferbuerint aſtringentia aliqua, vt hypociſtis, acacia, balauſtium, rhus, malicoriũ, & quæcunque id genus alia, adhibeatur procidenti vtero, ac paulatim citra violentiam intro reprimatur, donec non modo quod prolapſum eſt, vniuersũ ſit intro inditum, ſed & conuoluta lana, quibus peractis addemus & alium hapſum lanæ aſtringenti uino imbutum priori conuolutæ lanæ, & pudendo ſuper addemus, ac procurabimus, vt productis coxis, & cruribus, ac aſtrictis, & ſibi mutuò hærentibus, faſcia à lumbis ad coxas vniuerſas, addita tamen ſpongia, deligetur, ut ita diutius ſeruentur. Volunt pręterea & magnam cucurbitulam imò uentri, aliqui & lumbis affigi, vt ad retractionem vteri adiuuent, ac
C vt quæ fœtent, inferius apponantur, odorata, & bene olentia olfacienda ratione eadem offerantur. Quantum autem ad victus rationem attinet, Hipp. victum valde tenuem laudauit, ſilentiumque & maximum; omnem autem occaſionem ſternutandi, aut tuſſiendi, ſed & vehementer ridendi fugiendam, neque etiã inambulandum eſſe præcipiunt.

De doloribus & inflammatione vteri. *Cap. XII.*

VTerus varias cauſas habere poteſt, cur vehementibus doloribus corripiatur, præcipuè tñ ſunt eius inflatio, repletioque, repletur enim interdum flatuoſo ſpiritu, à quo diſtentus quaſi dilaceratur; interdum verò multa craſſa, & frigida mate
D ria, aliquando tenui, & acri; quæ omnia vel ſequunt ſuppreſſas expurgationes menſtruas, vel etiã (ut Hip. de Morbis mulierum tradidit) retentum genitale ſemen, Inflammationes quoque, eriſypelataq; & id genus alij tumores, vel abſceſſus calidiores, ſed de alijs quidem affectibus doloroſis ſuo loco propria inſtituetur tractatio. In præſentia verò de uteri inflatione, & doloribus inde excitatis ſermonem habere inſtituimus, & de illis etiam qui à tenui, & acri, mordacique humore ortum habent. Flatu ergo impletur vterus, præſertim cum perfrigeratur; ſemper enim flatus fit ex imbecilliori reddito calore. maximè autem refrigerari poteſt uterus, niſi cautè mulier agat, quando ſuas menſtruas purgationes habet, aut cum cap. 3.
E purgatur a partu: nam his temporibus (ut 14. de vſu. par. teſtatur Gal.) vteri ceruix recta, & adaperta eſt: cum alijs temporibus rugas habeat, & flexus quoſdam, qui non parum faciunt ad arcendum frigoris cap. 8. ingreſſum, tunc etiam (ut idem 3. de Fac. natu. tradidit) os uteri laxius eſt, & aperitur, & propterea frigori facilior patet aditus. Interdum verò frigida, & flatulenta materia ad vterum declinante repletur ipſe, unde in aborſibus, & partubus difficilioribus, & laborioſis ſæpius refrigeratus vterus flatu impletur: nonnunquam uerò (ut Paulus & Aetius docent) ex grumo aliquo ſanguinis infarcto in ipſo utero accidit, ut infletur, Non ſemper autem eandem ſedem in utero flatus habet: nam interdum in uteri cauitate concluſus continetur; aliquando autem in anguſtis

meatibus per ſubſtantiam, & corpus vteri diſperſis comprehenſus eſt. Solet autem (vt Hippoc. ſecundò lib. de Morbis mulierum docet, cui Paulus, & Aetius aſtipulantur) cum ex flatu in tumorem vterus attollitur, inflari imus venter ad pubem, perinde ac in tympanite hydrope, vt venter digitis percuſſus ſonitum reddat: dolores verò pungentes excitantur pertinentes ſæpe vſque ad tranſuerſum ſeptum, & ſtomachũ, qui etiam vel vtrinque ad ilia, vel ad alterum latus extẽduntur. Sed & vmbilicum, lumboſque, & pectinẽ moleſtant, & immo & caput in his quandoque conſentit. Interdum verò flatus per muliebre pudendum erumpit, vt crepitus etiam cum earum moleſtia, & pudore percipiatur. Addit autem Hippo. quòd ſæpe œdemate intumeſcunt, facieſque ſubtumida fit, atq; decolorata. Semen quoque acceptum nõ retinetur, ſed elabitur: fit etiam reſpiratio interdum difficilis, ut cum a ſomno excitatur, nequeat niſi recta ceruice ſpiritum trahere. Sed & a cibo, & potu quocunque lædi videtur, vt a cibo magis ſuſpiret, & triſtetur, quã antea, ſtranguleturque & conuelli videatur. Interdum adeo ſecundum veſicam, & vterum dolent, ut nequeant ferre admotam manum: quandoque verò & vrina in hoc affectu ſupprimitur. Diſcernitur autem hac ratione, vt tradidit Aetius, num flatus in ſpatio, & vteri cauitate comprehenſus ſit, an in anguſtis meatibus: quia ſi in ſpatio latiori incluſus ſit, ſtrepitus in imo ventre, & ſonitus perinde percipitur, dũ flectitur corpus, vt in inteſtinis contingit, quando torminibus anguntur, magiſque ad pulſationem digitorum ſonum quaſi tympani refert. At verò cum in anguſtis, & inconſpicuis meatibus impactus continetur, dolores vehementiores infeſti ſunt, qui etiam cõtumaciores curationibus ſunt. Curare hunc affectũ docuere antiqui purgatione, ſanguinis detractione, & præterea localibus appellatis remedijs; quæ vim molliendi, laxandi, & digerendi habeant. Et quamuis Paulus abſolutè protulerit venam ſecandam eſſe eſſe, quando nihil eorum, quæ ſolent venæ ſectioni obſtare impediat: intelligendum tamen id eſt, quod ſæpius ita agendum ſit, cum plerunque in his affectibus (vt ait Hippocrat.) menſes ſupprimantur, ex qua cauſa cogimur ſanguinem mittere: aliquando tamẽ neque ita temerè mittendus eſſet: nam ſi flatus is a multa materia frigida, & cruda digeſta in venas foueretur, non ita ſtatim (vt etiam dicebamus, cum de ſuppreſſis menſibus ageremus) ad venam ſecandam eſſet accedendum. Præterea verò ſi ex retento genitali ſemine affectus is eſſet ortus, vt quandoque eum oriri voluit Hippoc. non magis eſſet in eo, quàm in ſtrangulatione ex vtero ob retentum ſemen mittendus ſanguis. Sed quia flatus citra materiam nequit concitari, ideo plerunque corpus eſſe purgandum conſulunt Paulus, Aetiuſque iuxtà atque Hippo. ſed & Aetius etiam meminit medicamentorum, quæ vtilia ſunt ad purgationem in vteri inflationibus, ait enim hieris purgandum eſſe Rufi & Archigenis, & quæ colocynthin accipiunt. Nos autem aliquando quidem vtimur hiera, quam diacolocynthidos appellant, aliquando tamen & alijs, vt eſt id medicamentum, quod diaphœnicon appellari diximus, aliquando illo, quod Indum electuarium vulgo iuniores appellant, neque id etiam, quod cõfectionem hamech Meſue nuncupat, ineptum eſſet medicamentum. Nicolaus benedictam plurimum in hoc affectu laudat. Sed ſi mitius, & leuioribus medicamentis agendum eſſet, hiera ſimplex, quæ in præſentia Gal. dicitur, optimum eſſet medicamentum, uel id, quod in præſentia lenitiuum electuarium vocant, medicamẽtum in his ciuitatibus vicinis maximè familiare. Nos autem Venetijs in his flatuoſis, & doloroſis affectib. habemus in multo uſu, ut prius exhibitis aliquibus pilulis, ut eſſent quæ ex hiera ſimplici fiunt, uel ex ea addita agarico, uel illis, quas Auicenna aleſangiñas, hoc eſt ex aromatibus appellauit, uel aliquibus alijs etiam ualentioribus, ut ſunt aureę, quę prętet alia poſſunt & flatus non parum diſcutere, mox oleũ amygdalarum præſertim uerò amararum bibendũ damus ad ſeptem, vel octo uncias, ut diximus, ubi de curãdis colicis doloribus ſermonem habebamus. Dioſcoridi uero & uſus agarici plurimum probatur. Sed & clyſteres illi, qui confecti ſunt ex rebus laxantibus, & flatus diſcutientibus ferè non modò utiles ſunt, uerum & neceſſarij, ſicuti qui conficiuntur ex oleo, in quo ruta efferbuerit, uel anethum, uel chamæmelum, uel ſemina aniſorum, uel fœniculi, uel id genus alia, quorum ſæpius in prioribus libris fuit facta mentio. Quibus ſi ea quoque, quę uim purgandi habent, addantur, ut ſunt medicamenta, quę nuper recenſebamus, eodem uno inſtrumento duo utilia poterimus pręſtare, nec modo per anum iniectis utiliter uti poſſumus ad diſcutiendos hos flatus, ſed antiqui & per eos, quos mitrenchytas appellabant, infundebant, quę idem efficere poterant, ut eſſent olea ſicut anethinum, liliaceum, uiolaceum, ex uiolis luteis, item decocta ex cypero, ruta, pulegio, calamintha, artemiſia, althea, caricis, & ſimilibus quorũ magna ſylua ab ijs deſcribitur, qui de materia medicinali agunt. Pręterea uerò & inſeſſus in decoctis ex ſimilibus medicamentis. Sed & balneę quoque minerales, quę & thermę appellantur, ut ſunt ſulphureę, nitroſę, ſalſę, bituminoſę utiles eſſe poterunt, ſi in eis lauetur, immo & bibitę, ut his temporibus bibi ſolent. Laudat etiam pręterea Aetius irrigationem olei calidi anethini. Quatenus uero ad rationem uictus pertinet Hippoc. & Aetius laudant inter initia, uictum tenuem, & famem, addamus nos & uictum attenuantem, ſed ſi & illis parentur cibi, in quibus ſit uis attenuandi, res etiam melius ſe habebit. Dioſcorides uero uinum pręſertim picatũ laudat, qualia multa fiunt in Gręcia. Sed noſtris mulieribus in multo uſu uinum illud eſt, quod Romaniam appellant ex Peloponeſo, pręſertim uero ex Zacyntho, quod picem, uel reſinam redolet, & inde iuuantur plurimum. Sunt pręterea in uſu, & alia medicamenta mulieribus illius generis, quod confectiones appellant, pręcipuè uero quod diagalanga appellatur, non inutilis etiam eſſet uſus aromatici roſacei, efficacius autem, & ualentius eſt, quod diacyminum dicunt, optimum quoque eſt diacalamenthum appellatum a Galen. in lib. de Tuenda ualetudine, & diaſpoliticon, & diatriompipereon, uerum & maiores illę antidoti, ut mithrydatia, & theriaca, & id genus alię efficaciſſimę eſſent, ſed de his ſatis. Quoniam uero diximus ex Hippoc. ſententia in lib. 2. de Morbis mulierum cõcitari interdum dolores, & inflationem in utero ex retento ſemine referamus etiam, quę ab eo de horum affectuum differentia dicuntur. Ex retento itaque ſemine (ait ille) ſpiritus generatur, acris, mordaxque flatus per uterum diſcurrit, qui ardorem æſtui ſimilem excitat, uteruſque inde intumeſcit, & extenditur, ut mulier neque erigere ſe, neque regere poſſit, ac uirum, eiuſque amplexus faſtidiat, & aduerſetur. Docet autem curari malum hoc laxãtibus, & digerentibus, moleſteque calefacientibus, & aliquantulum detergentibus. Particulatim autem Hippoc. ibidem hoc utitur medicamento, quod hęc omnia accipit, mel, ceram, lini folia trita, adipem gallinaceum, & ea tepefacta ex uino odorato uoluit in uterum eſſe inijcienda, pręterea uero laudat & lini folia potui data, uel eius ſemen, ſi tritum ex lana aſſumatur, & ori uteri apponatur. Ego tamen eadem curãdi

ratione in hoc affectu uteret, qua curandam eſſe ſtrãgulationem ex vtero diximus, quando occaſionem habet ex retento genitali ſemine. Meminit autẽ Hippo. eodem lib. & dolorum uteri, quando ex calida & acri materia ad illum confluente ortum habet, quem hęc incommoda (ut ipſe teſtatur) ſequi plerunque ſolent: ſępe enim febris, & ardor mulierem apprehendit, dolor uero adeo uehemens eſt, ut eam faciat exilire, & interdum neque ſe poſſit erigere, caput dolet, plurimum conflictata obmuteſcit, & aliquando, nępe cum exereſcit dolor, clamat, dolet ferè ſecundum omnes partes, nimirum imum ventrem, coxendicẽ, lumbos, ſed & vrina, aluiq; deiectiones ſupprimuntur, ſtomachus mordetur, os amarulentum eſt, acida & ſyncera euomit, præcordia tenduntur, ſtrangulatur, ſępe ructat, neque tamen inde quicquam leuatur, demum vero & inflatur, & venter tangenti renititur, horroreſque ſępe ſuperueniunt, concubitum odit. Quod ſi deinde ad rationem eorum, quæ ille facientia ad curationem deſcribit, ſpectemus, hos ſcopos reſpicere uidetur, primum vt vacuet, cum a copia humorum videatur affectus excitari, deinde ut demulceat acrimoniam materiæ noxiæ, obtundatque præterea, ut defluxum etiam humorum partim detergat, partim digerat, Quantum uero ad uacuationem pertinet, ipſe quidem ſectionis uenę non uidetur meminiſſe, neque tamen id ab eo factum eſſe puto, quia ipſe exiſtimauerit omnino ſanguinis miſſionem eſſe fugiendam in maximo & calido morbo, ſed quia hæc ſunt quaſi communia, & generalia auxilia, de quibus aliàs in communibus pręceptis fuerit habita mentio: ideo hæc omnia ad eum locum uidetur retuliſſe, nam ſi ętas, & uires, & alia, quę miſſioni [ſanguinis] alioquin obſtare ſolent, non aduerſarentur. ſique vitioſus humor ille minimè eſſet omnino ſecretus a natura ſanguinis, putarem eſſe neceſſe ſanguinem mittere a uenis, aut ſuperioribus in brachio, ſi magis uideretur eſſe opus reuulſione, aut inferioribus in cruribus, ſi deriuatione, uel ſi menſtrua eſſent cienda, quia malum hoc habuiſſet occaſionem ex eorum ſuppreſſione, neque in hoc puto poſſe eſſe aliquam dubitationẽ. Præterea uero quantum ad alterã vacuationem, quæ purgatio dici ſolet, hoc eſt etiam animaduertendum, quod ipſe videtur, quantum poteſt, declinare vſum medicamentorum, quę propriè ſoluentia ſunt, immo confugit ad clyſteres, & eos nõ omnes, ſed tantum ad lenes, & molles clyſteres, huius vero ratio eſt, quia tum loci affecti cauſa, tum vero ipſius morbi alienus eſt ſoluentium, & acrium medicamentorum vſus, tum vero ipſorum medicamentorum ratione, alienus quidem eſt ratione loci affecti, quia in vacuando non debemus ad locum affectum, neque ad vicinas partes ab vniuerſo corpore conuertere motum noxiarum materierum, ſed potius procul auertere, ratione etiam ipſius morbi, quoniam cum ſit excitatus a calido, & acri humore, illi quàm maximè aduerſaria ſunt medicamenta purgãtia, cum acria omnia ferè ſint & calida, & ideo hac etiam ratione ſolum lenes clyſteres laudat, ſi quidẽ ab acrioribus ob viciniam, & conſenſum irritaretur affectus uterus, Et hæc quidem quantum ad uniuerſalem procurationem vniuerſi corporis pertinent, quibus id addamus, quod ſi aliquod adſit, quid impediat vſum clyſterium, nõ ita oportet fugere uſum purgantium medicamentorum, non quidem eorũ, quæ verè purgantia ſunt, & acria, quin nos aliquibus, quę facilia, & lenia ſint, poſſimus uti, ut eſt manna, caſia, ſena, quamuis enim ſena calidum, & ſiccum medicamentum ſit, facilè tamen, & ſine agitatione mouet, cuius etiam calori, & ſiccitati occurri facilè poteſt, ſi cum aliquibus rebus refrigerantibus, & humectantibus coquatur; ſicuti cum decocto communi, quod iuniores aquam fructuum appellant; item & ſerum lactis, in compoſitis autem diaſcebeſten, diadamaſcenum citra mixturam ſcammonij. Particulatim uero de localibus appellatis remedijs agens, hos ſcopos ſpectaſſe videtur Hippoc. nempe ut refrigerent, quoquo modo detergant, ac acrimoniam obtundant, unde miſcet mulſam, oxymel, & oleum, oleum poteſt delinire, & demulcere acrimoniam, mulſa, & oxymel refrigerant, & detergunt, hęc vero in vterum infundi voluit, poſtea vero accipit cuminum, vel aniſum tritum, lini folia, item trita, & adipem gallinaceum, ouaque, & omnia ex aqua tepida mixta infundit itẽ in vterum, hoc vero medicamentum voluit flatus ex cumino vel aniſo digerere, & lenire ex adipe gallinaceo, ex ouo, ex vitello quidem dolores ſedare, & lenire, ex albo refrigerare, & retundere acrimoniã, ex lini item folijs refrigerare, vnde prius medicamentum initijs magis eſſet aptum, alterum vero incremento. Hęc autem nos examinauimus, non quod his ſemper ſit utendum, ſed ut ſint tanquam exempla ad alia componenda, ſeruatis his eiſdem ſcopis, Poſtremo autem monet Hippoc. ut deſideat mulier in oleo, quod habeat aromata, nam oleum (vt diximus) dolores omnes ferè lenit, laxando, & demulcẽdo acrimoniam vitioſorum humorum, ex aromatibus autem & flatus diſcuſſionem habet, & mẽſium euocationem, & vteri quoquomodo robur, neque modica aromata in multo oleo poſſunt calefacere, Idem autem Hippoc. in lib. de Natura mulierum laudat decoctum radicum altheę potui datum in hoc affectu. Sed iam poſtremo & ad aliam differentiam inflationis, & dolorum vteri tranſeamus, quando ex ſanguinis grumo in vteri ceruice impacto ortum habent, qui obſtructus os vteri (vt ait Aetius & affirmat Paulus) incluſum flatum in ſpatio vteri ſeruat, Imprimis ergo, quando compertum habemus grumum adeſſe, agendum, vt deſideat mulier in decoctis, quę attenuandi, & laxandi vim habeant, qualia ea ſunt, quorum ſupra meminimus, & diutius deſideat, mox vero obſtetrix digitum aliquo oleo, qualia ſunt, quę ſuperius relata illitum in ſinum pudendi indat, ac grumum ſenſim diſſoluat, & educat, quod ſi adhuc dolor maneat, & exacerbetur, tum irrigationibus, tum inſeſſibus, & fomentis attenuantibus, & flatus diſcutientibus, pręterea vero & infuſionibus in vterum agendum erit, de quibus, quia multa verba hactenus facta ſunt, nolumus in eiſdem recenſendis tempus fruſtra terere. Vnde hoc tantum pręcedentibus addito, finem huic capiti imponemus, nempe quòd in inflatione ex comprehenſo, & incluſo flatu in vtero cucurbitulas maiores imo ventri ex multo igne affixas, citra tamen cutis præciſionem, quamuis & Aetius eas laudauerit, tanquam optimum remedium perinde in hoc affectu, ſicuti in colicis doloribus ex flatu, Galen. vt ſuperius expoſuimus mirificè extulit, vbi dixit adeo citum, & magnum afferre remedium, ut res videretur ſimilis magię cuidã. Aetius tamen addit, quod cucurbitulę, vbi affixę ſunt, vi deinde ſunt mox detrahendę, vt maior fiat ſubinde flatus extractio.

De vteri hydrope. Cap. XIII.

QVemadmodum vterus interdum vento inflatus in tumorem attollitur, & eiuſmodi affectus tympanitice hydropi ferè ſimilis eſt, ita & aqua perinde, vt venter in aſcite, impletus intumeſcit. Quem affectum Gręci, pręcipuè uero Aetius, vteri hydropem appellant. Aliqui tamen & hunc, & pręcedentem, affectum ſub ratione & appellatione

molę

molæ comprehendunt, & diſtinguunt in molam carnoſam, aquoſam, & ventoſam. Propriè tamen mola ea appellatur, quam carnoſam nuncupant, quæ impragnationi ſimilis eſt, generatur enim informe quoddam, & rude fruſtum carnis, animæ & vitæ expers, de quo ſuo loco dicemus. De eiuſmodi igitur affectu ſermonem habuit ſatis copioſum Aetius. Auicenna verò rem breuiſſimè perſtringit, quem uocat aquam in matrice. Videtur autem Aetius eius vniuerſam rationem referre in ſuppreſſionem purgationis menſtruæ, & præterea illius, quæ ſolet fieri in his, quæ in utero gerere ſolent, & fœcundæ ſunt cum poſtea à conceptione deſiſtere incipiunt, cõfluente enim multa humoris copia ad vterum, & ea in illo contenta, ac concluſa (vt ait Auicenna) vterus, & ſubinde inferior venter intumeſcit. Addit vero Aetius in utero ueſiculas quaſdam aliquando generari ſimiles veſiculæ felleæ, in quibus humor quidam continetur viſcidus, & aquoſus. Solent autem hanc affectionem, tanquam propria ſymptomata & ſigna, ſequi menſium ſuppreſſio, q potius ipſam antecedit, & tumor amplus, laxus, & flatuoſus imi ventris, murmurque, & veluti rugitus in inferiori ventre, ſicut ex flatu ſolet percipi in inteſtinis, præſertim vero (ait Auic.) is ſtrepitus percipitur, quando mouetur, & ambulat, in inceſſu grauitas corporis perſentitur, ſed & difficilis fit ſpiratio, quæ per aluum deijciuntur, graueolentia ſunt, ſi quando menſes prodeunt, id parum & ſine ordine fit: interdum vero ſi cogantur vi fluere, accidit, vt ruptis illis veſiculis affluat viſcidus ille, & aquoſus humor. Hæc Aetius. Hippo. vero 2. de morbis mulierum ſimilis cuiuſdam affectus meminit, quem tamẽ in aliam cauſam refert, & aliud vteri vitiũ, ait enim, quòd cum inflammatio uteri inueteraſcit, & poſt decimum menſem remanet, venter aqua completur, umbilicus aſſurgit, & ſi digitum imponas, inuenies os uteri gracile, & colapſum, iugulum, & ceruix tabeſcunt, pedes vero torpeſcunt. Curatio autem uteri hydropis ferè ſimilis eſt curationi aſcytis, unde ſiquidem ortum a ſuppreſſione menſium habuerit, ſi cætera conſenſerint, uena erit ſecanda in cruribus, ac corpus etiam purgandum erit, præſertim uero uomitu, clyſteribus quoque purgandum erit, & illis medicamentis, quæ vim habeant aquam educendi, mox vero corpore probè purgato, voluit Aetius commodum fore vſum lotionum, nempe ut paratis aliquibus medicamentis, in quibus ſit uis (ut ait ipſe) attrahendi mucoſos, & lentos humores, & illis per clyſteres huic rei accommodatos in uterum infuſis detrahantur vitioſi id genus ſucci. Medicamenta vero, quorum meminit, ſunt hæc, grana cnidia numero decem trita, & accepta ex irino oleo, & pauco melle, item nigri ueratri drach. duæ cum irino, uel cyprino, uel narciſſino oleo, & modico melle, poſtea uero eluendum eſſe inquit uterum lotionibus, quę tum deſiccare, tum etiam detergere poſſint, unde ad hos uſus primum laudat aquam marinam, cui poſtea coquenda aliqua ſint, quæ menſes ciendi uim habeant, deſiccandi, aperiendi, vt eſſent pulegium, calamenthum, thymum, & id genus alia, cui decocto mox & acetum addi uoluit, ſed & peſſos ſubijci uoluit, in quibus eſſet uis ſanguinem attrahendi. Et quamuis ille plurimorum mentionem faciat, ego tamen tantum poſtremi omnium meminero, qui tãquam mitiſſimus, & tutiſſimus deſcribitur, qui in hunc modum ſe habet, ut accipiamus ſemina mercurialis maſculæ, illiſque modicum myrrhę, & ſalis, melliſque, addamus, & omnia mixta, & trita excipiantur lana, & ſupponantur. In reliquis vero uictus exſiccans ſeruandus eſt, nempe exercitatione multa, ualidiſque frictionibus & ſudoris prouocatione, & uictu in uniuerſum

A attenuante. Exiſtimo verò hoc genus morbi rarò cõſpici: nam eius non inuenio vſquam mentionem eſſe factam a Græcis, neque a Galen. neque a Paulo, neque ab Alexandro, niſi ab Aetio, quem mox Arabes ſecuti ſunt. Quare aggrediamur ea, quæ frequentiora ſunt.

De vteri inflammatione. *Cap. XIIII.*

TOties de modo, & ratione, qua ſolent excitari inflammationes, tum in alijs particulis in humano corpore, tum uel maximè in internis viſceribus ſermonem in præcedentibus libris habuimus, vt in præſentia ſuperuacaneum omnino videatur idipſum denuo velle exponere: unde hoc duntaxat B repetam, nempe quòd perinde ex fluxione calidiorum ſuccorum vteri inflammationes ortum habent, ſicut & aliæ aliarum partium inflammationes omnes, immo ferè etiam eaſdem habẽt, tum cauſas, tum occaſiones. nam vel internam occaſionem, uel externam. Interna quidem, quæ ferè proxima eſt, partim a loco, qui inflammatione corripitur, accipienda eſt, quæ vniuerſa tandem in illius imbecillitatem refertur, inde enim redditur facilis ad ſuſcipienda excrementa illi aliunde amandata: partim verò a locis a quibus defluit calidus ſuccus, illum enim impellunt, quando aut copia aggrauantur particulæ, aut mala, acrique qualitate irritantur, unde vniuerſa hæc ratio tandem in copiam, vel malam naturam congeſti hu- C moris ſtimulantis facultatem expultricem membrorum referẽda eſt. Externæ verò occaſiones ſunt, quæcunque ſunt cauſæ congeſtionis vitioſorum, & ſuperuacuorum excrementorum, ſicut errores in ratione victus, de quibus antea copioſum, & frequentem ſermonem habuimus: in mulieribus vero præſertim ſi aliqua de cauſa menſes ſupprimantur, ſiue externa, ſiue interna ea ſit, præterea vero quæcunque poſſunt eſſe cauſæ, cur aut dolor, aut imbecillitas in eo uiſcere contrahatur, vt contuſio, plaga, vlcus, laborioſus, & difficilis partus, vel aborſus, nimius coitus, inſeſſus ſellæ durioris, vteri perfrigeratio, nimia & intenta laborioſaque inambulatio, flatus comprehenſus in vtero. Non eſt autem una, & eadem inflammatio- D num ratio, immo non parum differens, & pro earũ diuerſitate diuerſa etiam eſt ratio ſymptomatũ, quæ inflammationem ſequuntur: ſed hæc diuerſitas aut referenda eſt in partium vteri, quæ ab inflammatione corripiuntur, diuerſitatem, aut in diuerſam naturam humoris confluentis ad inflammationem. Ex parte quidem inflammata ſumitur diuerſitatis ratio, quia aut plures partes inflammatione tentantur, aut vna tantum, ſi vna, aut illa eſt eius ceruix aut os, aut ſpatium, & concauitas ipſius, item aut latus eius dextrum, aut ſiniſtrum, aut pars poſterior, quæ recto inteſtino incumbit, aut anterior, quę ad veſicam uergit, aut ſuperior, quę ventriculi fundum reſpicit. Ex diuerſa autem natura materię confluentis ad inflamma- E tionem ſumitur huius diuerſitatis ratio, quia quo materia calidior, & acrior eſt, eo & febris vehementior, & acutior eſt, quę inflammationem conſequitur, dolorque maior, & moleſtior, inquietudo magis importuna: præterea uero quo etiam inflãmatio maior fuerit, eo etiam omnia ſymptomata, & periculum maius. Vnde deterior longè ea eſt (vt Auic. docuit) quæ plures partes occupat, quàm quę unam tantum. Symptomata uero, quę concomitari ſolent has uteri inflãmationes, quæq; in eius ſignis receſeri poſſunt, imprimis ſunt febris, & ea quidem acuta, immo ardens, quæ cauſus dicitur a Grecis, hoc enim teſtatur Gal. tũ 3. Prorrh. tum vero 5. lib. in 6. Epid. & primo etiam com. 17.
in eundem, in hoc enim primo ait, quod uenas vte- com. 14.
rus pro ratione ſuæ magnitudinis maximas habet, com. 1.

quæ cum aut menſes, aut purgationes à partu ſuppri
muntur, aut inflammatio ſuboritur ſanguine implē-
tur: quo deinde putreſcente, ſi febris accēdatur, eam
neceſſe eſt ad ſynocharum genus pertinere: deinde
verò linguæ nigredo, vt eodem 5. in ſextum Epid. Ga-
len. teſtatur: nam ſanguine inflammato, fit exhalatio,
quæ inde aſcendit fuligini potius, quàm vapori ſimi-
lis: ſæpe & conuulſiones, cerebro (vt 3. Prorrh. docet
Galen.) cum vtero conſentiente menſes etiam aut
ſupprimuntur, aut (ſicut Hippoc. 2. lib. de Morbis mu
lierum docet) pauci, & vitioſi ſtillant: imum autem
ventrem ad pubem, lumboſque & coxendices (vt &
Hipp. ibidem, & Aetius exponunt) dolores ardentes
exercent, ceruix ipſius contrahitur, & indureſcit, in-
dureſcit & vteri os, præſertim ſi inflammatio ad has
B partes primum pertineant. Vnde ſi digitus imponā-
tur, os retractum, durumque ad contactum & fer-
uens occurrit; ſed venter inferior nec foris quidem
contactum præ dolore ferre poteſt: ſæpe alui deiectio
nes, interdum vrina ſupprimitur. Cum hoc affectu
non raro ventriculus conſentit, quo deinde fit, ut vo
mitus tam ante cibum, quàm poſt laborantem exer-
ceat, animique deliquium contingat, ſingultusque in
terdum, & concoctionis vitium, appetitusque. Con-
ſentit & cerebrum, caputque, nam & dolor capitis ſæ
pe ſolet aſſidere, præſertim verò (vt Galen. Hippocra
teſque ſtatim à principio ſexti Epid. docuere) in ſynci-
pite: cujus cauſam ibi expoſuit Galen. Sed & ad collū
C quandoque, radicemque oculorum dolor pertinet,
immo & omnes ferè articulos, vt ſunt digiti, manus,
brachia, dorſum, & crura, & coxæ; pedum quoque
torpor, & refrigeratio ſequitur. His tamen & hoc ad
dendum eſt, quòd quamuis tot, tantaque ſymptoma-
ta ab auctoribus priſcis recenſeantur, tanquàm aſſi-
dentia, & concomitantia grauem hunc affectum, nō
ſemper ea omnia, quomodocunque ſe habuerit in-
flammatio, & quemcunque locum occupauerit, pari
ter laborantem mulierem exercent; immo pro diuer
ſa ratione magnitudinis inflammationis, & diuerſa
natura eius, vel materiæ, vnde excitatur, & pro diuer
ſis vteri partibus, quæ corripuit inflammatio, varia
etiam eſt ſymptomatum ratio. Ecce enim diximus in
D flammationes vteri ſolere ſequi vehementiſſimas fe
bres, & conuulſiones, ſed (ut Galen. in tertio libro in
Prorrh. ait) hæc ſunt ſymptomata non omnium in-
flammationum in utero orientium, ſed magnarum:
præterea verò cum horum ſymptomatum quidam
proprium conſequantur affectum ipſius vteri, alia
verò conſenſum aliarum partium, quæ conſentiunt
cum vtero in eius affectibus, pro ratione partis uteri,
quę inflammationi obnoxia, itemq; pro rōne magni
tudinis inflāmationis, ac ꝓ ratione diuerſitatis natu-
ræ corporis patientis diuerſa fit ratio ſuborientium
ſymptomatum, quia cum maior, & deterior eſt in-
flammatio, maiora & plura fiunt ſymptomata tam,
ea, quæ proprium ſequuntur affectum vteri, quàm
E quæ conſenſum aliarum partium, quia & plures par-
tes maior affectus in conſenſum trahere poteſt, &
magis afficere. Præterea in alio corpore magis con-
ſentit caput, in alio magis uentriculus, in alio cor, quo
enim pars aliqua fortior eſt, minus conſentit in affe-
ctibus aliarum partium, quæ uero infirmior, magis
& facilius. Sed & ſi inferiores partes vteri inflamma
tione tententur, magis dolor inferioribus partibus
communicatur, vt coxis, & femoribus, & oſſi pubis,
& illi parti magis, in quam magis inflammatio incli-
nauerit, nam ſi in dextram partem, femur dextrum
dolebit magis, ita vt claudicare ea parte cogatur mu-
lier, contra uero ſi ſiniſtra, ſin autem in anteriorem
partem vergat compreſſa ceruice veſicæ, aut omni-
no ſupprimetur, aut ęgrè excernetur vrina, dolorque

A magis ad os pubis pertinget, ſed ſi in poſteriorem ver
ſus dorſum, vt magis ſecundum dorſum dolebit, &
os latum, ita etiam alui deiectiones magis impedien-
tur. Sed de his ſatis, unde additis paucis quibuſdam
quę de ratione pul. a Gal. 4. de cauſ. pul. literis tradi-
ta ſunt, ad rationem curationis accedamus. Ait er-
go, quod in uteri inflammationibus pulſus ad ſerran-
tes, vibrāteſque pulſus accedit, neque id mirum, cum
inflammatio ad particulam neruoſam pertineat, nā
fit ea ratione arteria durior, & tenſior, tum ratione
naturæ membri inflammati, tum ratione plenitudi-
nis uenarum & arteriarū vteri, quæ (ut diximus) ma-
gnæ ſunt, & repletæ, cum quibus aliæ, conſentiunt,
ſed & magni, celereſque & crebri, neque hoc etiam
B prętcr rationem, cum in magnis his inflammationi-
bus febris accendatur, quæ ad ſynocharum naturam
pertinet, cum tamen iam inflammatio conſiſtit, ex-
ſiccatis magis ipſis arterijs, minores fiunt pulſus, quā
uis non debiliores, niſi morbus iam uires, & facul-
tatem victam deijciat, ſed ubi contingat, ut inuetera-
ſcat inflammatio, & iam indureſcens in ſcirrhum
uergat, manifeſtè fiūt pulſus duri, & graciles. De hoc
autem affectu tandem ita Hippocrates in lib. de Mor
bis mulierum ſecundo pronunciauit, nempe quod
pernitioſus morbus eſt quodq; uix ab eo aliqua libera
ri ſolet. Cum verò verba hæc difficultatem maximā
curationis inſinuare uideantur, non tamen quod om
nino fieri nequeat, quin aliquando aliquæ curentur,
C ideo neque ab re fuerit de ratione curandi in pręſen-
tia ſermonem, habere. In qua curatione neminem
auctorem, qui methodo hanc artem tractauerit, le-
gere eſt qui non etiam conſuluerit ſanguinem ſtatim
à principio eſſe mittendum, nam ſi ea, quæ paulo an-
te ex ſententia Galenus ſtatim a principio Commen
tariorum in ſextum Epidem. recenſuimus, bene exa-
minauerimus, apertum nobis fiet, quod indicatio,
quam nobis natura iſtius morbi oſtendit, hoc maxi-
me requirit, ait enim quod cum uterus inter omnes
fere corporis particulas plurimas, & maximas uenas
habeat, quas cum aliqua inflammatione utcunque
orta tentatur, ſanguinem impleri neceſſe eſt, unde
& febres, quæ eo putrefacto accenduntur, ad ſyno-
D charum genus neceſſarium eſt pertinere. Sed quę de-
inde uena ſit ſecanda, non modo dubium eſt, ſi eo-
rum, quæ ab antiquis, Græcis uerò præcipuè aucto-
ribus literis commiſſa ſunt, aliquam rationem habe-
re voluerimus, uerum admodum perplexum, & ob-
ſcurum. Nam Paulus Aetiuſque, & ante hos Oriba- cap. 10.
ſius in ſuo Medicinali compendio ſtatim a principio,
cum neque ætas neque uires, neque alia, quæ cum
his indicant, aduerſentur, uolunt uenam ſuperio-
rem in cubito interiori eſſe ſecandam. Aretęus uerò cap. 11.
ſecundo libro de Ratione curandi morbos acutos
ait, primum quidem in tibijs ſecandam uenam, quæ
tamen ſi reperiri nequeat, ut inde, quantum ſatis ſit,
ſanguis fluere poſſit, accedendum ad cubitum, &
E ibi uenam primum ſecandam, mox uero iterum re-
deundum ad eam ſecandam, quę in tibijs ſolet ſeca-
ri. Galen. tamen tum decimotertio Method. tum ve- cap. 18.
ro in libro de Ratione cur. per ſect. uen. eos omni-
no damnat, qui in uteri inflammationibus uenas,
quę in cubito ſunt, ſtatim ab initio ſecandas putant,
ait enim, quod ſectio uenę in cubito, pręter alia in-
commoda, hoc quoque, adiunctum malum habet,
quod menſes retinet, & ſanguinē ad ſuperiores par-
tes retrahit, contra quàm faciat ſectio uenarum in
cruribus, nam ea potius menſes promouet. Sed non
minor mihi quidem uidetur oriri dubitatio, ſi negle-
ctis aliorum omnium decretis ſolum uelimus Gale. cap. 19.
ſequi, quia ille non uidetur ſibi ipſi conſtare, ſed po-
tius pugnantia proferre, eodem enim lib. de Cur. rat.
per,

per.ſect.ven.paulo poſt ait in inflammationib. in vni- A uerſum,ſi uacuandum eſt per reuulſionem,inter initia uacuandum eſt,ipſis autem inueteraſcentibus, vel ex affecto loco,vel ex aliquo illi uicino eſſe moliendā uacuationem,cuius rationē,quaſi referre uolens ſubiungit,quia in principio oportet auertere influentem humorem,in inueteratis autem id,quod affectæ parti infixum eſt uacuare, optime uero per eas uenas uacuari poteſt, quę ſunt coniunctę cum illis, quę ſunt in cap.2. affecta parte,quibus ſi addiderimus eiuſdem Gal. ſententiam, quam 2. ad Glauc.literis mandauit,eandem ferè materiam tractans,ubi ait, quod in uteri affectibus reuelles,ſi uenas in cubito ſecueris, deinde uerò, ſi eas cędas,quę ſub poplite, uel ad talos cędi ſolent, cum quibus, & conſentire uidentur, quę paulo ante B cap.18. retulit Gal. cum dixit,quod ſectę uenę in cubito ſanguinem ad ſuperiores partes reuellunt. Vnde ſi vim reuellendi habent uenę in brachio ſectę maxime videntur accommodatę curandis inflammationibus; inueteraſcentibus uerò,quę in tibijs,uel ad malleolos ſecari ſolent. Accedit ad hoc,quod neque ea parte ſibi cap.11. conſtare Gal. uidetur,quia ea ratione uidetur uoluiſſe damnare ſectionem uenarum in brachio,quia retinet menſes, quaſi errorem eſſe putauerit eis remedijs agere in curanda inflammatione inter initia,quę menſes reprimunt,cum tamen 13. Metho,ea protulerit, quę potius poſſint ea damnare auxilia, quę uim habeant ciendi menſes,erroremque maximum committi,cum incipiēte uteri inflammatione ijs agimus, C quę menſtrua promouent,cuius etiam rationem addit,ait enim,quod longisſime ab ea parte, quę fluxione tentari cœpit reuellere oportet redundantem humorem,non autem ad eam illum attrahere. Auicen. verò difficultatem hanc uidiſſe uiſus eſt, & uerā quidem ſententiam profert cum recitat primum, quod commodum,& quod incommodum ſequatur utriuſque uenę ſectionem,mox uerò quid agendum ſit ex recta ratione,ait ergo,quod primo ratione reuulſionis uena interior in cubito ſecanda ſit,ut fluxio ſiſtatur,poſtea item ea,quę in tibijs ad id uacuandum, qđ iam influxit,& pręterea,ut ſi quid erroris fuerit commiſſum ex ſuppresſione menſtruorum, illis ſectis venis in cruribus ſuccurratur. Sed dicet quiſpiam, num D ergo ita Galenum relinquemus,quaſi damnatum inſcitię, uel inconſtantię, neque aliquam rationem inibimus,qua ipſe defendi posſit? Ego uerò puto facile Gal.ſi rectè percipiantur,quę ab ipſo his locis expoſita ſunt, defendi poſſe,rectè uero percipientur, ſi ea conferantur cum alijs, quę ab ipſo in ſimilibus pręceptis alibi deſcripta fuere,iaciamus verò hoc tanquam fundamentum,ab ipſomet etiam prius iactum, cum de Hippocrate ſermonem haberem 1. de element. vbi ait hunc fuiſſe Hippo.morem, ut cum ſermo illi eſſet de aliqua ratione, quę multis eſſet communis, ſi illam vni eorum accommodauiſſet, & expoſuiſſet, illi hoc ſatis eſſet, nam reliqua nobis accommodanda,& eodem modo exponenda relinquebat,qui mos E non modo Hipp.ſed alijs etiam antiquis auctorib. ſolitus eſt eſſe familiaris: Vnde etiam tertio lib. de articulis ait,quod tamen in id ipſum tendit, conſueuiſſe Hipp.ſemel particulatim uno expoſito, in eo id quod cap.3. commune eſt, comprehendere,quod repetere uoluiſſe uiſus eſt 6. Aphoriſ. Nos autem tum hic,tum alibi hunc morem Galen. ſeruaſſe putamus, nam cum com. 80. renes,veſicam,vterum,& coxendices communi qua com. 25. dam ratione uenas,quę in tibijs, uel prope malleolos ſecari ſolent,ita reſpicere promulgaſſet, ut affectibus harum partium,ſi ſecentur, plurimum conferant interiores verò in brachio, affectis iecinore, pectore, pulmonibus, & corde, ſicuti externam,cum fauces lingua,os & palatum,& tandem,quę ad caput pertinent, affectu aliquo laborant, alibi tamen expoſuit particulatim quibuſdam, exemplis eiuſmodi ſententias in vniuerſum ita prolatas, non eſſe omnino, & ita abſolute intelligendas, ſed cum quibuſdam limitationibus,& determinationibus. Quę tamen communia theoremata nō falſitatis arguunt,ſed potius quomodo ſint intelligenda, & quis ſit exquiſitus eorum ſenſus explanant, hæc enim quidem tunc præſertim vera ſunt,quando nihil aliud emergit præter naturā ipſius affectus,& particulæ affectæ,quæ priuatam aliquam habeat indicationem,quæ & ipſa ſuam habeat vim in ratione curādi. Nam exempli cauſa,ſi hæ particulæ inflammatione tententur, quid agendum ſit oſtendit morbus,nempe inflammatio:cum enim ortum habeat ex ſanguine infarcto in inflammatā particulam, indicat ſanguinem illum, vt decimotertio Meth.ait,eſſe detrahendum,inquit enim quod inflāmatio duplici ratione à natura receſſit, quod pars illa multo ſanguine ſit referta, & quod calidior, quod cito,& commodè fieri poteſt ſecta vena, & cum citiſſime,& commodiſſime præſtent venæ illę quando, ſecantur,quæ(ut tradit idem Gal.in lib, de Rat.cur.per cap.2. ſect.ven.)coniunctæ,& vicinum particulis laboranti & 8. bus ortum habent, exterior verò in cubito hac ratione partes reſpicit ſuperiores, quę ſupra collum ſunt: interior verò eas, quæ infra id ſitę ſunt uſq; ad iecur: tibiarum verò venę inferiores particulas: Ideo etiam ita officium in illis ſecandis partitus eſt, vt ſuperioribus laborantibus ſecetur exterior in brachio,medijs interior,inferioribus verò illæ quæ ſunt in tibijs. Verùm ſi cum inflammatione ſit coniuncta cauſa, quæ ipſum adhuc fouet,& auget, tunc vanus eſt omnis labor,ſi curare inflammationem tētauerimus,poſtpoſita cauſa, cùm debeat præcedere cauſæ procuratio: vnde eodem 13. ait,quamuis prima indicatio ab inflāmatione deſumpta ſit,euacuandum eſſe, eius tamen locum in inflammatione dum fit,alia indicatio à cauſa inflammationis,quæ quidem eſt fluxio humoris,p̄cipit: cap.6. indicatio verò hæc requirit,& oſtēdit nobis inhibendam eſſe fluxionem,quæ præcipuè & in primis inhibetur per reuulſionem,vnde paulò poſt ſubiungit,omnium autem reuulſionis in contrarium commune præceptum eſt, atque ad partes, quæ maximè longinquę ſunt ſemper moliendam eſſe reuulſionē; ſemper tamen exiſtimatis inflammationis magnitudine,& corporis ſtatu: quod quidē aliam ſnīam habere nequit, niſi ꝙ maior inflammatio maiori eget reuulſione, & ad partes magis longinquas: minor verò,minori,& ad minus remotas partes. Itē ſi corpus plenius ſit, maior neceſſaria eſt reuulſio, vt inhibeatur fluxio humorum ad locum; vbi minor ſit humorum copia,vel in vniuerſo corpore, vel in partibus præcipuis,minori etiam opus eſt reuulſione, ſiue ad copiā vacuādi humoris reſpiciamus,ſiue ad loca,adq̄ reuellere oportet. Hoc verò poſſumus & hoc loco, ſicut & ſuperiori libro,exemplis,non vnico,ſed pluribus, particulatim explanare: Hipp.6. Apho. ait,quòd do- Aph.68. lente occipite curatur affectus,ſi ſecetur vena recta, quę in fronte eſt: huius rationem referens in Comment.Gal,ait, quòd non modò ſatis eſſe cenſuit Hippo.ad curationem horum affectuum vacuare,ſed ſtudet,ut uacuando reuellamus, & proinde non ſolum poteſt uena cęſa in fronte dolores occipitis ſanare, ſed ſæpe etiam diuturni oculorum affectus detracto ſanguine ex occipitio curati ſunt. Quamuis autem hoc theorema ita fuerit ab Hippoc.in uniuerſum,& abſolutè non modò hic,ſed etiam ſecundo lib.in ſex- Com.27. tum epid. probatum, ibidem tamen & ſuperius etiā, Com.9. ait, quòd licet reuellendi, & uacuandi uim habeat, cap.19. tanquam localę tamen remedium cēſendum eſſe iudicauit, præſertim ubi ſit aliqua in uniuerſo corpore

pleni-

plenitudo. Vnde in lib. de cur. rat. per ſect. ven. ait, ꝙ
dolores quidem oculorum incipientes, & uigentes
poteſt ſanare cucurbitula, aut ſola, cum cutis præci-
ſione, & eadem ratione inciſio uenæ rectæ, quæ in
fronte eſt, dolores occipitis incipientes poteſt curare,
uerum oportet (ait ibi Galen.) corpus eſſe præuacua-
tum. Sed etiam laborantibus renibus inflammatio-
ne (vt ſuperiori lib. oſtendimus) ſi multa fuerit in vni
cap. 18. uerſo corpore ſanguinis copia, eodem libro uenam
cap. 11. in cubito ſecari iubet: quamuis & in libro eodem, &
decimotertio Metho. venas in cruribus deſignauerit
curandis renum affectibus: ſed de hoc ſuperiori libro
copioſè loquuti ſumus. Item, & quæ de curanda co-
xendice ab eo uarijs in locis deſcripta ſunt, nequeunt
cap. 2. alioquin conciliari niſi hac una (ratione,) nam in de-
cimo de compo. medi. ſec. loc. quo loco primum qui-
dem eandem ſententiam pronuntiat, quam decimo-
tertio Method. & in lib. de conſtit. art. med. & in libel
lo de cur. rat. per ſect. ven. & alibi ſæpius aſſerit citisſi-
mè coxendicum dolorem, qui à fluxione ſanguinea
fuerit excitatus, facillimeque curari ſectis uenis circa
poplitem. Paulopoſt autem, & tanquam rem hanc ex
quiſitius definiturus, poſito primum tanquam funda
mento, quod uim maximam habeat in articularibus,
præſertim uerò coxendicis doloribus uacuatio pleni-
tudinis, ait ab ea eſſe curationem incipiendam, nec
modo ſectis uenis in cruribus, ſed etiam prius in cubi
to. Quibus omnibus ita rectè animaduerſis, & exa-
minatis, nemo eſt, qui non facilè posſit perſpicere eo
dem modo ea eſſe exponenda, & concilianda. Cum
enim bipartita ſit ratio curandæ inflammationis, ſi-
cut bipartita eſt etiam conditio, uel ſtatus inflamma-
tionis, aut enim aſſumimus curandam inflammatio-
nem inter initia, dum fit inflammatio, & adhuc vi-
get proxima inflammationis cauſa, quæ eſt fluxio hu
morum ad locum, qui inflammatione corripitur, aut
cum facta eſt, & non fouetur amplius ab vlla fluxio-
ne, cum nullum amplius fomentum habet ab aliqua
plenitudine, aut aliarum aliquarum partium, aut uni
uerſi corporis: tunc ſimplex eſt eius curatio, quia nul
li alteri rei attendendum eſt, niſi ſoli inflammationi,
cuius ratio eſt euacuatio humoris, qui in tumoré par-
ticulam attollit, nam hoc nobis oſtendit prima indica
tio, quæ à natura affectus accipitur à plenitudine ex-
citati. Locum uerò, & modum, unde euacuandum
ſit, indicat particula uacuanda: citius enim, & facilius
vacuatur pars quæcunque, quando per eas uenas fit
vacuatio, quæ proximæ ſunt, & familiaritatem, coniũ
ctionemque habent cum loco uacuando. Et cũ hanc
curationis rationem tractamus, tunc ea theoremata
accommodanda ſunt, quibus pręcipitur in affectibus
renum, veſicæ, vteri, genitalium partium, coxendicis
curandis, uenas præcipuè inferiores in cruribus eſſe
ſecandas, atque hoc propriè curatio dicitur, quæ factũ
ſanè morbum reſpicit. Sed ſi inter initia ſumamus
curandam inflammationem, dum fit, & adhuc à flu-
xione fouetur, & incrementum habet, tunc ait Gal.
cap. 6. 13. Method. non eſſe ſtatim accedendum ad uenas ſe
candas, quæ proximè poſſunt locum inflammatum
uacuare, ſed ante uacuationem (ait ipſe) oportet inhi-
bere fluentes humores ad affectum locum, quæ inhi-
bitio maximè fiet, ſi fluendi cauſam remouerimus,
quæ maximè eſt plenitudo, vel vniuerſi corporis, vel
aliquarum partium amandantium. Et quia (vt dixi-
mus) ipſa pars uacuanda nobis indicat, unde, & per
quam uenam ſit uacuandum, ita tamen, vt quamuis
in uacuando uenam accommodatam uacuandæ ple
nitudini amandantium partium quæramus, procu-
rãdum tamen, ut uacuando præterea auertamus flu
xionem ab inflammato loco, ideo dixit Gal. & in eo-
dem 13. Metho. & in lib. de rat. curan. per ſect. ven. ꝙ

A initijs inflammationis occurrimus reuulſione, cuius
hæ ſunt conditiones, ut procul, & in contrarium con
uertant impetum confluentis humoris, quæ quidem
ratio non ad curandi rationem, ut ibidem Gale. inſi-
nuat, ſed potius ad rationem præſeruandi (vt loquun-
tur iuniores) pertinet, unde de ea ſe habuiſſe ſermoné
ait in libris de ſanitate tuenda, atque ad eos recurren-
dum eſſe, quibus facile eſt noſſe, quid ſpectauerint illi,
qui ſecandas uenas in cubito dixere, quidque illi, qui
ad eas accedendum, quæ in tibijs, & propè malleolos
ſecari ſolent, quodque neque illi à Galeno, neque à ſe
Gal. disſideat. Ac de his ſatis dictum ſit, immo pluſ-
quam ſatis. Redeamus modò ad reliqua ad hanc cura
tionem pertinentia. Cum itaque uniuerſa ferè cura-
B tionis ratio inter initia tum in reuulſione conſiſtat, tũ
in repulſione, ac pręterea in inſtitutione rectæ uictus
rationis, ideo pręter uenę ſectionem, reliqua, quę vim
reuulſoriam habent, non erunt inutilia, unde ſi facilis
eſſet uomitus, neque ille eſſet inutilis, quia ſi difficilis,
multa illi agitatio magis poſſet humores commoue-
re, & ſubinde maiorem concitare fluxionem, ſed &
frictiones, & uincula artubus, præſertim uerò mani-
bus, & brachijs adminiſtrata conferre poſſunt, quam
uis leues etiam frictiones, quib. demulceantur, & ma
nus, & pedes pręſertim poſt miſſum ſanguinem ali-
quid faciunt ad doloré, qui maximus interdum exci-
tatur, ſedandum. Quoniam uerò interdum (vt nuper
diximus) vehemens dolor in his inflammationib. cõ-
C citari ſolet, qui aut omnem, aut maiorem curationis
partem ad ſe conuertit, ideo poſt reuulſionem, & eua
cuationem molitam, vario modo curationis metho-
dum inſtituere antiqui medici. Aliqui enim ſequentes
communem curandarum inflammationum, cum re
frigerantibus, & aſtringentibus inter initia inflamma
tioni occurrunt, vtpote, quæ vim repellendi habeant,
quemadmodum Hipp. in lib. de morbis mulierum, &
de mulierum natura, vtitur enim ſucco ſolani, aut be
tæ, aut cucurbitæ, quæ uoluit in uterum infundi. Alij
verò à laxantibus, & mollientibus incipiunt, quippe,
quæ dolorem ſedare poſſunt, quemadmodum Pau-
lus, & Aetius, qui fouendum imum uentrem conſu-
luit ſuccida lana imbuta vino, & oleo. Aliqui uerò
D medicamentis mixtis, & utraque facultate præditis,
quemadmodum aliquando uolunt foueri eadem la-
na ex aceto, & oleo roſaceo. Quæ quidem, & ſi uidea
tur confuſè ab his auctoribus exponi, facilè tamen, ſi
quis indicationes diſtinguere, & earum vim probè
nouerit, facilè ea omnia ſuis locis, & temporibus ac-
commodabit: nam ſi uehemens fuerit dolor, qué cre
damus non poſſe eatenus ferri, donec repellentib. flu
xioni humorum occurramus, oportet dolori prius in
cumbere, ut interdum ſit neceſſe etiã ſoporificis vti,
ſin autem dolor ſit vehemens, neq; tamen tantus, ut
oẽm rõnem curationis alijs ſurripiat, utemur fomẽtis
vel (vt Gręci aiunt) embrochis ex oleo roſaceo, ꝙ ſi vi
deatur maiorem etiam repulſionem poſſe admitti, o-
E leo roſaceo acetum addemus, quod ſi adhuc maiori
ſit opus oleo roſaceo omphacino, aut melino, hoc eſt
ex cotoneis, uel etiam poſſumus addere ſuccum ſo-
lani, uel plantaginis, præſertim quando præceſſiſſet
abortus, & maximum ſanguinis profluuium, vnde
vires langueſcerent. Hic tamen monet, nec ineptè,
Auicen. ſicuti etiam idipſum monent medici, ut ſupe
riori libro expoſuimus, in ueſicę inflammationibus
nempe ne nimij ſimus in uſu aſtringentium inter ini-
tia, cum enim quaſi neruea ſubſtantia, conſtet ute-
rus, ſicut & de veſica dicebamus, facilè indureſce-
ret, & in ſcirrhum tranſiret ex refrigerantium mul-
to uſu: unde citò ad ea etiam accedendum, quę poſ-
ſint digerere, mixtis tamen, & illis, quę aſtringunt,
& Auicennæ probatur, vt paretur decoctum radicũ

altheę

altheæ,ſeminis lini,fœni Græci, addita plantagine,&
beta, quibus lana prius infuſa ſubijciatur in uterum.
Paulus tamen, & Aetius aiunt,aliquando inflamma
tionem feruentem eſſe, vt quæ ad eryſipelatis natu-
ram accedat,ac tũc calefacientibus irritari, vnde fiat
cataplaſma in hunc modum, vt ex paſſo coquantur
meliloti ſemina,ac mox terantur,illiſque ouorum aſ
ſorum lutea injjciantur ea copia, vt commodè ſimul
componi poſſint,ac addito oleo roſaceo, vel melino
ex his fiat cataplaſma,atque apponatur,vel palmulæ
coquantur ex uino diluto,& facto ex his cataplaſma
te apponantur. Vbi verò iam inflammatio ad uigo-
rem accedat,ad digerentia erit accedẽdum,tam ſup-
ponenda, & infundenda, quàm etiam exterius appo
nenda. Vnde Paulus,item & Aetius, quibus & Aui-
cen. ſubſcribit,laudat frequentes inſeſſiones in deco
cto hyſſopi,fœni Græci, ſeminis lini, maluæ, artemi-
ſiæ,addito communi oleo,vel vt ait Paulus,ſi calefa-
cientia non facile ferantur, quia naturam eryſipela-
tis inflammatio ſapiat,pro oleo communi roſaceum
addatur:infuſiones verò,uel peſſi in uterum infundẽ
di,uel ſubijciendi fiant ex hyſſopo, butyro, adipe an-
ſerino, medulla ceruina, & ſimilibus. Verùm ubi iã
inclinare cœperit, eadem(ut ſæpius diximus)erit tan
dem curatio, quę & ſcirrhi,de quo paulò poſt ſermo
nem ſumus habituri. Sed prius eſt animaduertendũ,
quantum pertinet ad rationem,& modum vſus me-
dicamentorum, quibus in his inflammationibus ex-
terius utimur,quod cerata, uel cataplaſmata nõ ſunt
alliganda immo ventri, ne videlicet comprimendo,
dolorem concitent, & inflammationem irritent,ui-
ctus uerò ratio præſertim inter initia ſit tenuis, ſicut
& in alijs acutis morbis, pręſertim uero inflamma-
tionibus, ut a uino, & id genus alijs abſtineant. Sed
hic etiam unum non eſt prætermittendum,quod po
teſt aliquam dubitationem afferre ex lectione Aui-
cennæ acceptum, qui ait, Et quandoque eſt neceſſa-
rium, vt adminiſtres ſolutiouem faciens, educẽs hu-
mores:Quibus uerbis inſinuat Auicen.interdum eſ-
ſe neceſſarium uſum medicamentorum ſoluẽtium,
quod tamen aduerſatur ſententiæ Galen. decimoter
tio Metho. Vnde puto Auicen. hoc ex Aetio accepiſ
cap. 11. ſe, ſed fortaſſe a malis interpretationibus deceptum,
nam ait, quod aluus ſit eluenda, & molli infuſo ua-
cuanda,quod quidem ad clyſteres molles referendũ,
non autem ad medicamenta aluum cientia.

De ſcirrho vteri, & canceroſo tumore.
Cap. X V.

SCirrhi ita in vtero,ſicut in alijs uiſceribus,de qui
bus ſuperioribus libris fuit ſermo ſæpius inſtitu
tus, duplicem habent generationis rationem.
Nam aut ſtatim à principio ſapit naturam ſcirrhi,
vtpote quoniam, ortum primum habeat ex defluxu
craſſorum humorum pituitoſorum, uel melancholi
corum. Aut uerò fit ex tranſitu inflammationis in
ſcirrhum,ut enim in alijs inflammatis partibus,ita in
vtero tribus modis terminatur,ut aliàs diximus, inflã
matio,quia aut digeritur,diſſoluiturque: aut ſuppura
ta in abſceſſum deſinit, quo poſtea rupto ſuccedit vl-
cus. Tertiò uerò induratur, & in ſcirrhum, aut duri-
tiem,uel in cãcrum deſinit, & id vel ob naturam ma
teriæ,quę ad digeſtionem ob craſſitiem inepta eſt,vel
ob nimium, & importunum uſum medicamento-
rum,quæ refrigerant, & aſtringũt,ut paulò ſuperius
exponebamus. Differunt autem eiuſmodi duri tu-
mores præter modum,quem nuper expoſuimus,né
pe quia uel ab initio ſtatim naturam ſcirrhi referunt,
uel ex mutata,& indurata inflammatione ortum ha
bent, etiam ratione loci, quo in utero conſiſtunt, &

A ratione materiæ,ex qua gignuntur. Loci quidem, in
quo gignuntur,nam aliquando (ut Paulus & Aetius
teſtantur) indureſcit ceruix uteri, intumeſcitque tu-
more non adeo duro, neque adeo tactui renitente,
ut uerus ſcirrhus, ſed aliquando molliori, qui neque
omnino citra dolorem eſt,neque tamen illum uehe-
mentem habet,& (ut Paulus ait)potius ſcleroma dici
tur,quaſi duritiem dicas,quàm uerus ſcirrhus. Quan
doque uero uterus ipſe in uerum ſcirrhum intume-
ſcit,præſertim eius fundus, qui tactui renititur omni
no, cum quo potius pondus, & grauitas percipitur,
quam dolor: difficilis verò eſt motus crurum, ſed &
totius corporis, & ſegnities quædam ad omnes actio
nes. Hunc autem ſcirrhum uteri concomitatur, quã
B do non rectè tractatur, uentris tumor, ſimilis aquæ
intercutem, & malus corporis habitus quem (ut ait
Auicenna)tandem & hydrops ſequitur. Differunt
poſtremò & ratione materiæ, ex qua conſurgit tu-
mor,ſicuti differunt ſcirrhus, & cancer in alijs parti
culis:nam ex materia,quę vel putredinis ratione,vel
aſſationis, caloris, & acrimoniæ particeps ſit cancer
ortum ſuum habet: ex craſſa uerò, quæ caloris,& a-
crimonię ſit expers,fit ſcirrhus,qui aut exquiſitus eſt,
cum ſenſu omni eſt deſtitutus,aut ſenſus non omni-
no expers,quando nondum exquiſitus eſt. Et ſclero-
ma quidem, quod ceruicem uteri occupat, facilè in-
troducto digito percipitur,neque etiam curatu diffici
le admodum eſt. Scirrhus uerò in utero non ita faci-
C lè impoſitis digitis deprehendi poteſt. Alijs autem ſi-
gnis poteſt cognoſci: nã ſi alicuius magnitudinis ſit,
deprehenditur ex tractatione,& compreſſione uen-
tris inferioris,ex pondere in eo percepto,ex ſegnitie,
& difficultate mouendi:ſępe aluus,aut urina ſuppri-
muntur, ſuppreſſio etiam menſium ſolet plerunque
concomitari,uel ſi aliquando fluant, modice fluunt,
neque ſubſtantia, & colore ſuam referunt naturam,
ſed peiora, & (ut ſecundo de Morbis mulierum dixit
Hippoc.)aſpera,& quaſi arenoſa,quod ſi immiſſo di
gito eo uſque perueneris,uideberis quaſi lapidẽ quen
dam tangere. Cancer uerò ſi in utero oriatur, ſicut
ſæpe oriri ſolet,duritiem quidem eandem ferè,quam
& ſcirrhus,habet,& pondus, niſi quod aliquando cũ
D ulcere eſt, interdum uero ſine ulcere, qui citra ulcus
eſt,non leue uerò,ſed aſperum, & inæquale uteri os
euadit,quaſi (ut eodem lib. ait Hippoc.)habeat mul-
tas radices: dolor uerò illius eſt ꝑpetuus ferè comes,
qui utero,& ad imum uentrem, iliaque,lumbos, &
coxendices pertinet, in obſcenis autem partibus ar-
dor percipitur, color uerò (ut ex Archigenis ſenten-
tia retulere Paulus,& Aetius)eſt, qui fœculentus,ru-
berque,& ſubliuidus uidetur,& ex uario medicami-
num uſu irritatur, exacerbaturque. Cum uero cum
ulcere eſt,præter ea omnia, quæ hactenus relata ſũt,
ulcera accedunt doloroſa,corrodentia, inæqualiaq;,
ſæpius ſordida,eminentia,albicantia:quæ uerò purio
ra habentur,fœculenta ſunt,liuida,rubicundaque,et
E cruẽta,à quibus ſolet effluere ſanies quædam tenuis;
aquoſa,nigra, aut fulua, uiridiſque, ut addit Auicen-
na. Sed & ex eroſione quandoque ſanguis effluit, ut
opinionem afferat, quaſi menſtrua (ut idem ait) ef-
fluant. Ex his autem omnibus affectibus curatu faci-
lior ille eſt, quem ſcleroma appellari diximus: nam
neque adeo durus eſt, et facilius medicamẽta poſſunt
illi ratione loci adhiberi. Verus autem ſchirrus, quan
do nondum exquiſitus ſcirrhus factus eſt, & ſi nõ ſit
facilis curatio,curari tamen poteſt,ſi rectè, & leuiter
tractetur. Ego enim Venetijs circiter tres mulieres
uidi ope medicamentorum curatas optimè fuiſſe a
ſcirrhoſo tumore. Diximus autem,ſi rectè tractẽtur,
& leniter,quia ſi irritentur, facilè (ut tradidit Gal. in
lib. de Atra bile)in cancrum deſinunt,accedente nẽ-

pe,

pe,vel putredine, vel aliqua de cauſa feruore. Cancri A
verò,vt in alijs viſceribus, ita in vtero nullam veram
curationem admittere poſſunt, in hoc autem opem
medici deſiderant,vt non augeantur,præterea ne vl-
cerentur,nam quando vlcerantur,maiores dolores,
omnemque difficultatem maiorem afferunt, & quò
magis tractantur,eo magis affligunt,& citius (vt ſex-
Aph. 38. to Aphor.teſtatus eſt Hippoc.) interimunt. Qui ue-
rò vlcerantur, nullum auxilium expectare à medico
poſſunt,niſi ut leniatur aliquo pacto dolor. Agamus
tandem de ratione curandi ſcirrhum in utero, & ſi-
cut duplex ratio generationis ſcirrhi, cum aliquando
fiat ex frigida,& craſſa fluxione pituitoſa, uel melan-
cholica,interdum verò ex tranſitu inflammationis,
vel eryſipelatis, vel aliorum id genus tumorum, qui B
nimio,& importuno refrigerantium, & aſtringen-
tium,vel digerentium vſu degenerarunt in ſcirrho-
ſam,& duram naturam:ita etiam duplex eſt inſtituē-
da curādi ratio:nam ſi ex fluxione ſic ortum habeat,
vt ſtatim etiam à principio incipiat eſſe ſcirrhus,cum
fluxio fieri, aut excitari non poſſit,niſi fomentum, &
occaſionem habeat à congeſtis humoribus iſtius ge-
neris,vel in uniuerſo corpore, uel in alijs ſuperiacen-
tib. particulis,neceſſe ſanè erit, vt ſi rectè voluerimus
curationem inſtituere, antequam particulatim ſcir-
rhum opportunis remedijs aggrediamur,fomētum,
inanito prius corpore,ut magis expedire viſum fuerit,
vel vena ſecta,vel per purgationem,ſubtrahamus,qd̄
tamen non eſt omnino neceſſarium,cum fit ſcirrhus C
ex tranſitu aliorum tumorum in ſcirrhum,quia ratio
ni uidetur conſentaneum, quòd id, dum curabatur
inflammatio,fuerit prius inanitum. Vnde de purga-
tione,uel communi inanitione non habebimus alio-
quin ſermonem,cum res hæc fuerit non ſemel ſupe-
rius tractata. Cum ergo nulla amplius reliqua eſt in-
dicatio vacuationis communis,particulatim incum-
bendum eſt vacuationi illius humoris, qui iam rece-
ptus in anguſtis meatibus uteri, ac in eius uaſis,in du
rum tumorem illum attollit, qui tamen neque alia fe
rè ratione poteſt uacuari, niſi per eam uacuationem,
quæ per digeſtionem humoris prius attenuati, ac in
vaporem paulatim conuerſi fieri ſolet,ſenſumque fu
cap.4. git. Sed in horum vſu(vt docuit Gal.& 14.Meth.& D
cap.4. 2.ad Glauc.& 7.de comp.medi.per genera)quæ hanc
cap.9. digeſtionem molitura ſunt, imprimis medicos eſſe
cautos oportet,ne ſtatim ea medicamenta aggredian
tur,quę eximiè digerendi vim habēt, attenuandique,
vtpote,quæ inſigniter calefaciant,& deſiccent, quo-
niam,& ſi hæc videantur ſtatim ab initio aliquid effi-
cere, & de tumore detrahere,mox tamen nimis illo
exſiccato, quod reliquum eſt ineptum omnino ad cu
rationem relinquunt. Vnde tum illis,quæ molliendi
partes induratas,tum illis etiam quæ modeſtè,& pau
latim, non autem confertim digerendi facultatē ha-
bent,utendum eſt. His autem in digerendo ſcirrho
vteri vti poſſumus ſecundum uariam,& diuerſam for
mam,rationemque utendi; nam & inſeſſiones accō E
modatæ poſſunt eſſe vtiles,& infuſiones in uterum,
peſſi,atque illitiones imo ventri adminiſtratæ, præte-
rea cerata,& cataplaſmata. Inſeſſiones autem fiant
ex folijs maluæ, radice altheæ,ſeminibus lini,fœni gręci,
pinguib. caricis,anetho, chamęmelo,pulegio,mer
curiali, radice liliorum, & id genus alijs. Illiniendus
præterea imus venter illis,quæ eiuſdem ſint facultatis
ſicuti oleo amygdalino dulci,uel amaro,oleo ex albis
lilijs, ex viola lutea,quod & cheiri Arabes appellant,
ex adipe gallinaceo,ſuillo anſerino,ex cerui medulla,
vitulique,quibus & ammoniacum, & bdellium in-
terdum,& chalbanum addimus,quæ ex aceto ſint diſ
ſoluta, quæque addita modica cera in formam mollis
vnguenti formari poſſunt,quo liniatur inferior uen-
A ter:poſſunt & oleo copioſiori diſſoluta infundi, poſ-
ſunt & in duriorem compagem,addita cera, vel the-
rebinthina,fieri peſſi,& cerata.Gal. verò laudauit, ſi
cæpa,vel radix liliorum alborum toſta, & ex roſaceo
trita ſupponatur. Sunt præterea, & multa medica-
menta,quæ in communi uſu ſunt, & poſſunt uenire
vtiliter in hunc uſum,ſicut diachylon ſimplex primū,
deinde id,quod magnum appellatur, additis ijs, quæ
gummæ nunc paſſim dicuntur, præterea œſypi cera
tum,quòd à Meſue ex Philagrio in ſuo Grabadin de-
ſcribitur, & emplaſtrum ex meliloto, & innumera
alia medicamenta deſcripta,& à priſcis,& à recentio-
ribus medicis, ut tamen ſemper hoc ſit ſeruandum,
vt à lenioribus incipiamus,ne affectus,vel curationis
B expers reddatur, uel exaſperatus in deteriorem mor-
bum tranſeat. Cum uerò iam canceroſus tumor fa-
ctus eſt, non eſt amplius ſperandum,ut poſſit curari,
ſed ſolum hoc illi auxilium præſtare poſſumus, ne au
geatur,vel exaſperetur,neve exulceretur,quando ad-
huc vlceris expers eſt. Id autem fieri poterit primum
accommodata victus ratione,qua bonus, quoad fieri
poteſt, ſanguis generetur,& potius frigidiores, quàm
calidi humores, ut etiam frequentibus vacuationibus
ſubtrahatur illi fomentum,tum ſanguinis miſſione,
tum purgatione per ea medicamenta, quæ atros, &
exuſtos humores poſſint uacuare, exterius verò ijs,
quæ mitigare poſſunt,& refrigerare, ſicut ſi oleo ro-
ſaceo trito in plumbeo mortario,donec unguenti cō-
C pagem fuerit cōſecutum, item & ſolani ſucco itidem
trito illiniatur exterius uenter, aut interius infunda-
tur. Sed & lac infuſum, vel inſeſſiones ex lacte vtiles
ſunt ad dolores ſedandos.

De vlceribus vteri. *Cap. XVI.*

VLcera quoque fiunt interdum in utero, neque
vna ſemper, eademque de cauſa, ſed potius
multiplici,& uaria. Nam cum inflammatio-
nes,neq; digeſtæ reſoluuntur,quæ eſt earum propria,
& uera curatio, neq; induratæ uertuntur in ſcirrhū,
neceſſe eſt,ut ſuppuratæ primū in abſceſſum,mox eo
rupto in vlcus deſinant. Quandoque etiam ex diffici-
D li,& laborioſo partu, uel aborſu, dum fętus extrahi-
tur,& dilaceratur uterus. Suppreſſis quoq; menſibus
oriuntur nonnunquam (vt primo de morb. mul. ait
Hip.)vlcera,præſertim ſi materiæ illæ excrementoſæ
putredinem aliquam contrahant.Sed & fętus in ute-
ro mortuus,ſi non excretus ibi computreſcat,pōt pu
trefacto,vel eroſo vtero,vlcera excitare.Muliebre prę
terea profluuium,ſi uitioſum fuerit,quod effluit,nēpe
quia ſalſum,vel bilioſum,acreq́s ſit.Poteſt autē tale vi
tio proprio vteri eſſe, poteſt & ratione uniuerſi cor-
ris,vtpote qm̄ à toto excernitur,natura per eam par-
tem purgante uniuerſi corporis uitioſa excrementa.
Sed ad primam vlcerum rationem redeamus,nempe
quando abſceſſus ex inflammatione ſequuntur. Quo
E niam igitur,& à loco,in quo abſceſſus conſiſtit, & ab
eo,in quem conuertitur eius eruptio,uaria etiam ra-
tio curationis ſi Aetio,Paulo,& Oribaſio credimus,
ſumenda eſt,ideò de his etiam paucula quædam non
inutilia cognitu dicenda ſunt.Non ſemper autem in
flammatio, & ſubinde neque abſceſſus eundem locū
occupat:nam interdum ceruicem uteri, interdum uē
ro locum,qui ad os eius pertinet, quandoque etiā in-
timiorem partem,quæ eius ſinum, & ſpatium conti-
net,ubi neque longiores erimus in exponendis indi-
cijs, quibus cognoſci facilè poſſit,quem locum abſceſ
ſus corripuerit, cum ex ijs, quæ de inflammatione
paulo ante à nobis fuere expoſita, hæc etiam perci-
pi poſſint. Sed hoc præterea eſt aduertendum, quòd
cum in abſceſſum conuerſa inflammatio ſuppura-
tur,

tur,poteſt ſuppuratio,& abſceſſus in varia loca conuerſa rumpi. Nam aliquando,cum vterus ſuam ſedē habeat,inter rectum inteſtinum,& veſicā,facta participe veſica ipſius abſceſſus, fieri poteſt eius eruptio in veſicam, ita vt per veſicam exeat deinde effluens pus, quod ego in quadam nobili matrona ex patritia familia Venetijs ſemel uidi; Quandoque verò ad inteſtinum conuerſus abſceſſus in eius ſpatium ruptus eſt; Nonnunquam etiam & ſæpius conuerſo abſceſſu,& ſuppurato ad internum ſinum, vel ſpatium ipſius vteri, per pudendum, vt menſtruorum, fit puris expurgatio: fit etiam quandoque eruptio in nullam harum partium(vt ijdem auctores teſtantur)ſed exterius quidem, quantum ad vterum pertinet, interius autem,quia inter inteſtina, & membranam,quæ peritoneum ab anatomicis dicta eſt, ſedem habeat,ita vt in ventre inferiori tumor appareat, qui teſtis eſt abſceſſum in eam partem, dum ſuppuratur,inclinare. Vnde & auctores antiqui conſuluere,vt attrahentibus ad ſuperficiem mixtis cum maturantibus,& illis quoque, quę vim habent attenuandi ſuperiectam cutem,vtamur,quam poſtea ſcalpello incidi uolunt, quo loco fiet commodior puris effluxus. Signa autē, quòd inflammatio ſuppuretur, & in abſceſſum tranſeat,paulò antè expoſita ſunt,& ferè ſimilia illis ſūt, quæ oſtendunt ſuppurationem inflammationum veſicæ,& renum. Quòd verò iam vlcus ſit factum in vtero,præter pus, quod effluit, vel deſtillat per genitalia loca,etiam hoc ſatis euidens eſt indicium,quòd dū purgatur vterus, (vt in eodem primo de Morb. mulier. docet Hippo.)vellicatur,pungiturq́; vterus, perinde atque ſi per eum locum ferretur ſpina;ſæpe etiā calor quaſi exurens, præſertim verò in imo uentre percipitur: dolor quoque ſub vmbilico ſentitur, & ſi pars ea tractetur, dolor inde iuxta excitatur, ac ſi vlcus neruoſum aliquod,& purum tangeres:paulatim enim increſcit,vehemenſq́ue tandem fit,vt & imum ventrem,iliaque, & coxas apprehendat, & quandoque ad iugulum pertingat: ſequitur interdum febris, non tamen acuta,ſed lenta potius,cui crebri aſſident rigores: ſi fluunt menſtrua illa vitioſa, prauaque, & purulenta,ſunt malè olentia; interdum etiam cruor, ſanieſque emanat,cum ibi eroſio eſt;infeſtantur quoque nonnunquam capitis dolore vehementi,delirioque, & animi deliquio: corpus tum vniuerſum, tum vel maximè crura intumeſcunt: hæc quidem Hippo. His ſymptomatibus cognoſcitur vlcus,& eius qualitas, naturaque, præſertim dum occupat interiorem partem, ad quam viſus peruenire nequit, tunc enim tum ex ratione doloris, tum ex colore, ſubſtātiaque, & odore eorum,quæ effluunt,iudicandum eſt. Sed ſi in loco uiciniori ceruici, & inferiori parti, per dioptram(ut Græci aiunt) vel per ſpeculum (ut loquuntur noſtri iuniores) dilatato meatu genitalis membri ad lucem claram, præſertim ſolis, ex intuitu medici deprehendi poteſt magnitudo, & natura ulceris, Vt tamen hoc memoria ſemper habeamus, quòd inter initia non ſint celanda,neque negligenda uteri ulcera, quia tunc facilius curationem admittunt, alioquin enim cum inueteraſcunt ampliantur, & computreſcunt,erodentiaque fiunt, tandemq́ue ad mortis pericula adducunt; vel ſi ſanentur, ſteriles poſtea, ſi Hippocrati credimus, euadunt. Sanantur autem, quę iuniores ſunt ſępius,prouectiores autem ętate rariſſimè. Quatenus verò ad curandi rationem pertinere poteſt, pro ratione diuerſæ occaſionis, quam habuere vlcera,diuerſa quoque ſunt initia curationis inſtituenda. Nam ſi ex rupto abſceſſu ortum habuere, primum quidem ut citò curari poſſint, poſteà quàm in ſuppurationem omnino vergere videris inflammationem, adiuuanda eſt illis, quæ pus mouent, ut

A citò ſuppuretur,ac mox eruptio acceleretur,ſiue medicamenta illa ſint,inſeſſiones,ut ſi decoquātur maluæ folia, radices altheæ, ſemina lini, fœni Græci, & caricæ, atque in eorum decocto inſideat mulier, uel eodem decocto foueatur uenter inferior: aut ſi emplaſtris,uel cataplaſmatibus ſit utendum,eadem ſimplicia ita decocta terantur,addito deinde adipe gallinaceo,uel ſuillo,& tritici farina fiat cataplaſma, aliquando uerò, ut ruptio acceleretur, addunt columbinum ſtercus,in quo vis eſt cutim attenuare, & extra attrahere ad ſummam cutim pus. Poſtquam autem pus eo rupto effluxerit, pro ratione loci,in quem facta fuerit eruptio,erit res tractanda. Nā ſi effuſum ſit pus inter inteſtina & pe-
B ritoneum, Aetius, & Paulus Oribaſium ſequentes conſulunt, vt per inciſionem ſcalpello factam in abdomine eo loco, qui vel magis intumuit, ubi etiam tenuior apparet ſuperiacens cutis,educatur pus,magis tamen laudant, ut candenti, & ignito ferro aperiatur locus,præcipuè verò ſi timeamus nimium ſanguinis profluuium. Loco autem aperto,et ſedato prius dolore, repreſſaq́ue ſanguinis effuſione, ſicuti ſolet appoſito lino imbuto ouo concuſſo, & conquaſſato toto,nempe albo & luteo, additoque modico roſaceo oleo, nam hęc ſanguinem ſiſtunt, & dolorem mitigant,poſtea vlcus eluatur,et mundum reddatur, infuſa mulſa calida, atque eo ſitu decumbat mulier, quò facilè poſſit pus effluere,& quàm minus fieri po-
C teſt,retineatur,& ſi dolor is reliquus ſit,ut indicet ſedatione opus eſſe, conſulit Aetius, vt venter foueatur ſpongia infuſa decoctis accommodatis, quorum ſuperius meminimus, & preterea ut oleum aliquod utero infundamus, quod vtero commodum ſit: Aetius laudat cyprinum, in quo eſt aliqua calefaciendi uis cum modica aſtrictione,cui ſimile eſt(ut ſecundo de Comp.med.per genera.teſtatur Gal.)oleum len- cap.2.
tiſcinum. In reliquis verò vlcus poſtea, ut alia vlcera, curandum eſt. Quòd ſi eruptio abſceſſus fiat in ueſicam, curatio ſimilis adhibenda quæ & veſicæ vlceribus, unde & Aetius, & Paulus potum lactis laudant, quod & optimum remedium eſt in veſicæ vlceribus, cum ex diuerſis eius partibus poſſit & de-
D tergere vlcus, & ſiccare,conſolidareq́ue,preterea verò et vſus ſeminum cucumeris. At verò ſi ad rectum inteſtinum conuerſo abſceſſu in id fiat eruptio,atque puris effuſio, ablui inteſtinum uolunt decocto ex rebus aſtringentibus, ſicuti ſunt lentes, malicorium, uel citini (quod puto eſſe intelligendum inter initia) tum vt roborentur partes,ne facilè humores,qui ſuperioribus partibus defluere poſſent, recipiant, cum etiam vt ſanguis,ſi inde fluat,ſiſtatur. Alioquin enim poſtea rem tractandam puto, ſicut in inteſtinorum ulceribus,præcipuè verò recti inteſtini. Quòd ſi in ſinum vteri,vel in meatum ceruicis fiat eruptio, & puris excretio, ſi quidem in circunſtantibus vlceri parti bus maneant adhuc aliquę inflammationis reliquiæ
E quas ſigna,& ſymptomata inflāmationis adhuc perſeuerantia oſtendent,immanendum etiam erit (aiūt Paulus, & Aetius) in eiſdem inſeſſionibus,quę apta, & cōmoda ſunt tollendis inflammationibus, donec reliquię omnes delete ſint. Sed ſi nulla amplius uideatur inflammatio reliqua,reſpiciendū eſt ad pus exiēs, quia ſi illud purum fuerit,roſaceum oleum infundēdum eſſe precipiunt,ut remittatur dolor, ſi quis reliquus adhuc ſit poſt eruptionem, & tollatur etiam, ſi aliqua ſit relicta calidior intemperatura ex ferueſcētibus humoribus,dū pus conficiebatur,aut etiā medicamentum id,quod tetrapharmacum appellant,ut ſi quid crudius adhuc in partibus ulceris eſſet, mature- cap. de
tur,nam hæc eſt illius medicamenti uis,ut 2.de ſimp. adipe.
med.facul.teſtatur Galen.& 3.de Comp. medic. ſec. cap.1.
loc.

loc.& præterea, vt citra inflammationem vlcus ſerue-
tur, vterus præterea eluatur ijs(vt ait Aetius)quæ tum
aſtringendi,& ſiccandi facultatem habent, ſicut eſſet
decoctum roſarum aridarum,& lentium, tum uerò
detergant citra morſum, ut eſt ſuccus ptiſanæ. Sed ſi
ſordidum vlcus fuerit, craſſumque, & fœculentū pus
exeat, curari oportet illis, quæ vim detergendi habēt,
ut teſtatur Auic.& ſine morſu, ut eſt mulſa, & ſi ua-
lentiori ſit opus medicamento, in ea coquatur radix
iridis, uel alia adhibeantur medicamenta detergētia;
qualia ſunt, quæ à iunioribus chirurgis unguenta mū
dificantia appellantur. At ſi effluat ichoroſum pus,
quale id, quod uirulentum iuniores nuncupant, quod
& graue oleat, quale ſolet in ulceribus putridis, & de
paſcentibus, uel corroſiuis excerni, illis item medica-
mentis agendum erit, quæ depaſcendi, & putredinis
occaſionem auferunt, vnde eluendus eſt uterus deco
ctis, in quibus maior ſit aſtrictio, nam magis etiam ex
ſiccant, & exſiccantia putredini occurrunt, & eroſio
ni, ſicuti quæ fiunt ex myrti fructibus, lentibus, mali-
corio, palmulis, & id genus alijs, ut deinde ea adhibeā
tur medicamenta, quæ in corroſiuis vlceribus laudari
ſolent. Addit autem Aetius, ſi inæqualis ſit humor,
qui ex vlcere effluit, fomenta eſſe adhibenda pariter,
& inſeſſiones ex mulſa, in qua ſint incocta eiuſmodi
ſimplicia, ut ſunt abſinthium, marrubium, eruum, cē
taurium, & lentes, nam mixta eſt etiam, & uaria ho-
rum facultas, quædam enim detergunt, & exſiccant
ſtrenuè, ut abſinthium, marubium, centauriumque,
& putredini arcendæ plurimum ualent, aliqua etiam
aſtringunt, ut abſinthium, & lentes. Hæc itaque eſt
ratio curandi ulcera, cum abſceſſibus, & inflammatio
nibus ſuccedunt. Quòd ſi fluxionem humorū acriū,
& abradentium, uel putrefacientium ſequantur, alia
ratione(vt videtur inſinuaſſe Hippoc.in lib. 1. de mu-
lier.) tractanda ſunt. Ait enim, quòd ubi iam conſti-
terit ulcus fuiſſe in utero contractum, & ſponte ſua
fuiſſe contractum, vtpote, quod nullam habuerit ex-
ternam occaſionem, ortumve à cauſarum aliqua, quę
procatarcticæ à medicis dicuntur, tunc conſideran-
dum eſt, num originem, & cauſam habeat ab uniuer
ſo corpore, an particulatim uniuerſa eius ratio ſit ab
vtero petenda. Diſcerni autem id facilè poſſe arbitra
tus eſt, notata, & obſeruata natura, & qualitate puris
ab vlcere manantis, quia ſi craſſum fuerit, originē pro
priam habuiſſe ab utero cenſendum arbitratur, ſin
autem tenuis effluat materia, eius origo ab uniuerſo
corpore erit petenda. Vnde ſi ita ſe hæc res habuerit,
ut ab uniuerſo corpore occaſionem, & fomentum
habere credamus, primum uniuerſi corporis curam
habere oportebit, & quia hæc ſolent à uitioſis humo-
ribus potius, quam à multa ſanguinis copia, fieri, ideo
Hipp. nulla mentione habita mittendi ſanguinis, ſta-
tim omnem rationem ad uniuerſi corporis purgatio
nem conuertit, primumque conſulit uomitum eſſe
ciendum, mox uerò, & aluum inferiorem. Quo au-
tem ſpectans ita cenſuerit, non eſt cognitu difficile,
nam in hoc affectu vomitus vim habet, ut & uacua-
re, & reuellere poſſit, ſemper autem reuulſio aliā eua
cuationis rationem (vt idem ſæpius teſtatus eſt) præ-
cedere debet, neque tamen particulatim, deinde ex-
poſuit, quibus medicamentis ſit, aut uomitus, aut al-
uus cienda, quia eorum electio à natura humoris pur
gandi, & corporis, quod purgare uolumus, ætateque,
& uiribus pendet, de quibus omnibus cum ſæpe ſer-
monem abundè habuerimus, non eſt, cur iterum ea-
dem in præſentia ſint repetenda. Videtur tamen idē
Hipp. non admodum in his laudare uehementes, &
exquiſitas uacuationes, cum ait, quod molita uacua-
tione, iterum reſpiciendum ad defluentem humorē,
qui ſi fluat adhuc, parcius tamen, & facilius, hoc eſt,
A cum minori moleſtia, materiam aliquantò craſſiorē
eſſe redditam, & magis concoctam neceſſe erit, iterū
ergo eſſet etiam corpus uacuandum. Sed dices, ſin
contra ſuccederet, ut per hanc euacuationem, neque
facilius, & parcius flueret, & cum maiori moleſtia,
quidnam agendum eſſet? Dicimus, quòd id eſſet ne-
ceſſe cauſam habere, tum malam naturam humoris,
qui rebellis, & malignus eſt, & præterea aliquod vitiū
in habitu vniuerſi corporis, quod materiam hanc co-
pioſam generans, & congerens fomentum ſubmini-
ſtrat huic malo, vnde eo eſſet conuertenda omnis cu Aph.64.
rationis ratio, de qua paulopoſt ipſum ſequentes ſer-
monem habebimus. ſed redeamus unde diuertimus.
Præter uſum medicamentorum, quibus corpus pur-
B gandum eſt, ratio etiam ea uictus ſeruanda, inſtituen-
daque eſt, qua mulieris corpus exſiccari poſſit. Nam
exſiccatio, & vlceri vtilis eſſe poterit, & quia faciet ad
abſumendam uitioſam materiam ad uterum confluē
tem. Exſiccari autem uoluit per ea ſuffumigia, quæ
vim ſiccandi habent alternis diebus, uel per longiora
interualla mulieri adminiſtrata, ac iterum, ſi opus eſ-
ſe uideatur, uomitus repetatur. Interim uerò ab om-
nibus, quæ humectare poſſunt, abſtinendum, ut ſunt
balneæ, & olera in cibis, præterquam, quando vomi-
tus ciendus eſt, nam tunc, & olera multa, & acria, &
cibus copioſus, & quæcunq; obſonia offerri poſſunt,
& uinum liberaliter dandum, ſed dilutum, ita namq;
pronior, & facilior in vomitum uentriculus erit, cum
C plenior eſt, & uarijs cibis refertus, multoque humo-
re, præſertim ſi acria, quæ attenuent, & ſecent, ſint in
termixta. Alioquin enim(ait Hipp.) in omnibus uteri
vlceribus, ſiue à confluentibus humoribus ab uniuer
ſo corpore fomentum habeant, ſiue uniuerſa eorum
ratio proximè ab utero ſit, corpus purgandum, & uo
mitus ciendus, ſurſumq; reuellendum, & exſiccante
victu vtendum. In vlcere verò vteri, quod quidem ex
proprio affectu eius ortum habet, ſi dolores ſint vehe
mentes, curationis initium ſumendum erit à ſedatio-
ne doloris: ſedat autem & fotus ex aqua calida, & ad-
miniſtratio medicamentorum, quę vim ſedandi dolo
rem habēt, nam plerunque doloris vehemens ex a-
cri humore ſolet occaſionem habere, cuius acrimo-
D nia his lenitur, & obtunditur. Vbi autem dolor, vſq;
ad ſuperiores partes pertingat, cenſendum multum
habere à copioſa materia fomentum, vnde tunc non
ſolum uterus fouendus erit, uerum, & uniuerſum cor
pus, & uniuerſa mulier his fomentis demergenda, ac
præterea purganda, modo vires, aut quidpiam aliud
non obſtet, non tamen acri, & valido medicamento,
ſed quale eſſet lactis ſerum, aut lac capræ coctum, qđ
etiam pluribus ſubinde diebus eſſet dandum, nempe
per triduum, aut quatriduum. Præterea verò, & ra-
tio uictus à priori mutanda erit, atque id pro ratione
maioris, vel minoris acrimoniæ vlcerantis, ac eius co
pia, & uehementia doloris, quia ſi vehemens excite-
tur dolor, vlcuſque non modò internas partes corri-
E piat, verum & ad externas ſerpat, bilioſaque, aut ſalſa
ſit fluens, & abradens materia, in contrariam omni-
no rationem victus conuertendus erit, nempe ab ex-
ſiccante ad eum, qui humectet, donec acrimonia, &
calor, omnino retuſa ſit, & delinita, vt iam effluens
materia aquea videatur, ac morſus omnino expers, vt
& aquæ calidæ balneis frequenter vtamur, cibis uerò
refrigerantibus, & humectantibus, vt ſunt cucurbita,
beta, & alia id genus olera cocta, & quæcunque pin-
guia, & piſces, qui non ſunt ſquamoſi, plurimum co-
cti(ait Hippoc.)ex cæpis, & coriandro, carnes autem
elixæ, præſertim agnorum, veruecum, pullorum galli
naceorum, vt à ſalſis, & acribus ſit omnino cauendū,
vino verò cæſio probè diluto ſit vtendum, & lacte li-
beraliter, modò abſit capitis dolor, & delirium, quia
his

his ineptus, immo iniquus eſt vſus factis, ut 5. Apho. idem monuit. Emendato autem acrium humorum uitio, vlceri erit attendendum, ac curandum, ut pro ratione affectionis remedia adhibeantur, nam ſi ſordidum, putridumve fuerit, ea, quæ exſiccant, quãtum videbitur eſſe opus, inijcienda ſunt, ut ſunt fex uini meracioris, & aqua, in qua ſaluia, & myrtus ſint cocta: deinde uinum album tepidum infundendum, donec morderi ab his vlcus cœperit: tunc enim munda eſſe incipiunt, & mitiora inijcienda, ut eſſet fœx Aph. 64. uini dilutior. Sed hęc ab Hippoc. tanquam exempla ſunt accipienda, quibus facilius percipiamus ſcopos propoſitos in curandis ulceribus, nam illis probè perceptis, facilè erit, ut ſæpius expoſuit Galen. reperire materiam aptam ad compoſitionem aptorum medicamentorum.

De affectibus ad vterum ea ratione pertinentibus, qua eſt generationis inſtrumentum. Cap. XVII.

ALtera pars iſtius tractationis, quam hoc libro deſcribendam propoſuimus, eos affectus cõplectetur, qui utero accidere poſſunt, ut illo natura utitur, tanquam inſtrumento ad conceptionem, & ſobolis propagationem. Et quia duę ſunt partes, quibus opus eſt ad hoc officium peragendũ, quæ in mulieribus adeo connexę, & iunctæ ſunt, ut ferè pro una haberi poſſint: Altera quidem, quę eſt quaſi locus, & conceptaculum, in quo iniectum ſemen ſeruatur, & fouetur, & terrę ex proportione reſpondet, in qua ſementem facere agricolæ ſolent: Altera verò, in qua genitale ſemen conficitur, & confectũ per ſeminarios meatus, in priorem effunditur. Prior quidem eſt vterus, qui ſpatium aptum, & commodũ ad ſuſceptionem habet, & ad eiuſdem etiam continentiam: Altera verò, teſtes, & ſeminaria vaſa, quæ vſq; ad uteri ſpatium, in quo ſemen effundendum eſt, pertinent. Et quia etiam ad conceptionem vtraque particula, præſertim ſi Hippocratis, Galeni, atque ſubinde etiam Platonis decreta, ſub quorum auſpicijs in præſentia militamus, ſequamur, omnino opus eſt: Ideo de vtraque etiam ſermonem habere oportebit. Verum quoniam uterus mulieribus tantum proprius eſt: teſtes verò illis cum maſculis communes ſunt: idcirco de affectibus, qui muliebres ſunt, prius agemus: de communibus uerò cum maſculis, vbi de teſticulorum morbis communi ratione tractabimus, verba faciemus. Quoniam autem omnis iſtius officij ratio, de quo modo ſumus tractationem inſtituturi, tribus omnino operationibus quaſi coagmentatur: nam ad vterum pertinet primum ſemen commodè, & facilè ſuſcipere, mox ſuſceptum rectè continere, fouereque, vſque ad id tempus, quo fœtus ſit abſolutus: tertiò, ut poſt abſolutionem præſcripto à natura tempore, quanto facilius fieri poteſt, in lucem edatur: ut hęc rectè, & commodè fieri poſſint, hęc in primis neceſſaria ſunt: Primum uteri apta, & concinna conformatio, tam magnitudine, quàm figura, & alijs ad conformationem attinentibus: Deinde verò uiribus præſertim naturalibus ualidis, & robuſtis: quæ & ſi omnes neceſſariæ ſint, non tamen ſemper omnes pariter agunt, quia ad ſuſcipiendum genitale ſemen uis ea, quæ attractrix eſt, maiorem uim habet: ad continendum autem uis contentrix: ubi uero edendus in lucem fœtus eſt, ualentiori expultrice erit opus: ſicuti ad illum fouendum, & abſoluendum concoctrice, & tranſmutatrice. Sicuti autem ad generationem, & fœcunditatem omnium ope egemus ita etiam horum defectu facilè natura ſuo fine fruſtrari poteſt. Quamuis neque hæc ſola ſatis ſint, cum præterea ſit neceſſaria duplex materia: nimirum ſemen genitale, quod quidem licet duplex habeat principium, alterum ex mare, alterum ex fœmina, quia tamen alterum ſine altero nihil poteſt, ſed neceſſe eſt, ut quamuis è duplici principio particulatim, ut prolificum ſit ſemen, prodeat; in unum tamen coit, & tanquam unum abſolutum ſemen ex utriſque principijs, perinde quaſi ex materia, & forma, ut philoſophi loqui ſolent, efficitur: ſicuti in mixtione ex pluribus elementis ſimul mixtis ſit unum compoſitum, in quo ignis, & aer formæ rationem ſeruant, terra uerò, & aqua materiæ. Vnde non modò ex affectu aliquo alieno à natura uteri poteſt natura fruſtrari ſuo fine propaganda ſobole, verùm ex aliquo uitio in ſemine, quod multiplices poteſt habere occaſiones, de quibus mox, quando de eius generatione, quo loco de teſtium morbis loquemur, ſermonem inſtituemus, agere propoſuimus: transferamus autem tractationem in eum locum. Altera uerò materia, quę huic officio omnino eſt neceſſaria, ſanguis eſt menſtruus, qui duplicem in hac re neceſſitatem habet: primum, quia eſt tanquam materia, ex qua aut omnia, ſi Peripatetici eſſe uolumus, aut quędam membra, ſicuti caro, adeps, & quę iſtius generis ſunt, generantur, ſi Hippoc. & Galen. decreta ſequamur. Neceſſaria pręterea eſt hæc materia ad alimoniam fœtus, poſtquàm iam uiuere, & nutriri cœperit. Sicut autem hęc omnia neceſſaria ſunt ita & horum omnium defectu poteſt genitricis facultatis officium, & operatio in animante lędi. Cuius, iuxta ac aliarum facultatum, triplex eſt lęſionis ratio. Quia aut omnino a ſua actione deſtituitur, quæ læſio ſterilitas propriè appellatur: Aut generat quidem, ſed aut tardè, aut rarò, ſicuti quidam ſemel tantum filios procreauere, & uix etiam, uſi ſiquidem multis auxilijs, multiſque medicamentis, quę quidem affectio parum à ſterilitate deficit. Sed & tertiò lęditur, quia corrupta, uel uitiata ſit generatio. Quod quidem uitium multiplex, ſicut & in alijs operationibus, eſſe poteſt. Nam uel ratione quantitatis, uel ratione modi, uel temporis, uel ratione materię, vel fœtus, qui mox conceptus geritur, editurque in lucem. Quantitas uerò ad duo referri poteſt, nempe ad magnitudinem geniti fœtus, & ad numerum. Nam aliquę adeo magnos fœtus procreant, ut deinde difficilis: & laborioſa ſit eorum geſtatio, & difficilior deinde partus. Ad numerum uerò: nam aliquæ adeo fœcundæ ſunt, ut non modò geminos uno conceptu generent, ſed & tergeminos, & plures etiam. Equidem enim aliquas noui genuiſſe tres: Vnam uerò Bononię, quæ uxor erat ferrarij fabri, quæque primum geminos, altero partu tres, tertiò uero quatuor peperit, ex quatuor nullus uitalis fuit, è tribus unus. Vnde quando ita numeroſa ſoboles uno conceptu gignitur, aut nulli, aut rariſſimi ſuperuiuunt partui: ideo ea procreatio potius corrupta, & uitioſa cenſenda eſt, quàm recta, & naturalis. Ita etiam, quando ita ingens fœtus procreatur, ut uires in utero geſtantis excedat, non poteſt id, tanquam rectum, & naturale haberi, ſed potius tanquam uitioſus fœtus: Ita etiam adeo exigui, & exiles, adeoque emaciati, ut & ea ratione uix reſumi poſſint, plerunque intereunt. Vitiatur & genitricis facultatis actio ratione temporis geſtationis, quia in lucem editur fœtus ante opportunum, & naturale tempus partus, & ad hunc modum pertinet abortus, præſertim uerò cum a nulla externa cauſa habuerit occaſionẽ, quia ſi ab externa cauſa, ſicuti caſus, repentinus timor, & vſus medicamentorum aborſum concitantium, pręcipuè ut facere ſolent, quæ uolunt commiſſos errores latere, cum ex his externis cauſis habent occaſionem:

nem: meritò in facultatis errorem, vel naturæ vitia A referri nequeunt, niſi per accidens. Ratione autem modi uitiatur hæc iſtius facultatis operatio, quando difficillimè pręgnatio perfertur, alię enim tantam grauitatem ventris percipiunt, ut illum uideantur non poſſe ferre: aliæ neque cõmedere poſſunt, omnia faſtidiunt, quicquid comedunt, euomunt: aliæ vehementibus, frequentibuſque doloribus cruciantur: alię ſtrãgulantur, nonnullæ ſemper dum grauidę ſunt, ægrotant, quædam menſtruis etiam copioſis, & varijs moleſtantur. Poſtremò verò vitium in hac iſtius facultatis actione ad qualitatem fœtus referendum eſt. Cum enim naturæ inſtitutum id ſit, vt procreetur fœtus abſolutus ex omni parte, integerque, & perfectus, & ſubinde quatenus ad eius ſpeciem formoſus: quicunque ab his conditionibus deficiunt, eatenus ab inſti- B tuto naturæ abſunt, quatenus degenerant ab integritate, & perfectione, & pulchritudine. Vnde quòd aliqui, vel deformes valdè naſcuntur, vel claudi, vel aliquo modo mutili, & qui ſuperuacaneas partes aliquas habent, uel maiores, uel minores iuſto, vel gibboſi, vel ſtrabones, vel diſtortis aliquibus particulis, vel illis imbecillibus ab ipſo ortu, non niſi in uitiata initia ſuæ generationis, & errorem generatricis facultatis ob defectum, aut ſeminis, aut mẽſtrualis materiæ, aut loci & vteri, in quo facta eſt conceptio, referri poſſunt. Quare & quaſi monſtruoſi partus, vel fœtus habendi ſunt, ex errore in generatione commiſſo, quemadmodum & morboſi fœtus: ſicuti ali- C quando pariunt mulieres vlceribus ſcatentes, tuberculiſque fœtus: aliæ ſemiputridos, alięque interdum & putridos. Noui enim, dum Patauij iunior artium ſtudijs nauarem operam, quòd uxor cuiuſdam iuris conſulti, qui morbo gallico affligebatur, cum ipſa nũquam ſignum aliquod contractæ illius labis haberet, ſed ſemper omnino integra fuiſſet, fœtum tamen edidit cruſtoſis ulceribus undique ſcatentem. Vnde quẽ-

cap.4. admodum Ariſtotel. quarto de Generatione animalium monſtruoſam naturam referre omnes partus, qui præter commune inſtitutum naturæ fiunt, quiq; rarò ſolent contingere, iudicauit: ita & nos, quæ à naturæ ſcopo degenerant, quæque non niſi ex defectu generatricis facultatis ſolent euenire, corruptos, & D uitiatos fętus cenſendos arbitramur. Quia verò & integrum opus generatricis facultatis in animantibus tribus omnino officijs abſoluitur, nempe conceptu, geſtatione, & partu, ut nos etiam tractationem hanc undique abſolutam inſtituamus, particulatim, & ſeorſum, ſumpto initio à conceptu, qui alijs etiam prior eſt, de unoquoque agemus. Conceptum itaque Græci duplici nomine ſignificarunt; nam & σύλληψιν appellauere ἀπὸ τοῦ συλλαμβάνειν, quod

cap.2. comprehendere ſignificat: inde enim putauit Gale. in libro de Semine deductam appellationem, quòd mulieres, dum concumbunt, ſi concipiant, percipiunt, ac ſentiunt uterum in ſe contrahi, & comprehendere ſemen effuſum, quem non comprehen- E dit, cum non concipiunt: ſed paulò pòſt coitum id effluere animaduertunt, unde eandem rationem ſecuti uidentur noſtri in nomine conceptus, nam ex con & capio, concipio & conceptus deducuntur. Aliud uerò nomen Græcum eſt κύημα, quod exponens Ariſtote. primo de genera. animal. ait conceptum, uel κύημα appello primam maris cum fœmina mixturam, quod quidem ad mixturam ſeminum utriuſque in utero factam referendum eſſe puto, nõ ad mixturam corporum. Neque in hoc refert, quòd Ariſtot. putauerit fœminam non habere aliud ſemen, quod pertineat ad conceptum, præter mẽſtruũ ſanguinem, Gal. verò illi & ſemen proprium tribuerit ad conceptum neceſſarium, nam quomodocun-

A que res ſe habuerit, tandem ſemper in hoc erit eadẽ ſententia, quod conceptus appellandus prima utriuſque ſeminis mixtura, quia Ariſtoteles ſentit mẽſtruũ ſanguinem eſſe tanquam ſemen mulieris. Huic aũt, ni fallor, reſpondet uocabulum noſtrum, fœtus propriè, unde & fęcundę mulieres a noſtris dicuntur, q̃ ad conciprendum faciles, & pronæ ſunt. Sed de his ſatis. Conuertamus autem nunc orationem noſtrã ad ea, quæ magis ad præſens inſtitutum pertinent, & de ſterilitate, ac fœcunditate mulierum agamus, nam illę propriè ſteriles dicuntur, quæ ad concipiendum ſuapte natura faciles, & pronæ non ſunt, fœcundæ uerò, quæ facilè concipiunt, ſed de cauſis horum duorum naturalium effectuum, primum nobis differen- B dum eſt, & an ope medici poſſint immutari. Vbi id primum in memoriam reuocandum eſt, quod paulò ſuperius expoſitum a nobis eſt ex Ariſtotele excerptum, quòd conceptus eſt prima mixtura maris cum fœmina, hoc eſt maſculini ſeminis cum fœminco. Pręterea uerò, quòd ad conceptum neceſſaria collectio uteri, & comprehenſio ſeminis facta ab utero colligente ſe, & id comprehendente, ut ex Gal. ſententia oſtendimus. Ex his deinde tanquam corollarium ſequi uidetur, quod ſicuti duo ad conceptum neceſſaria ſunt, primum mixtura maſculi cum fœmina, quæ miſcella ex proportione reſpondet ſemini plantarum, in quibus nulla eſt per ſexus diſtinctio, & uterus mulieris, qui ſimili proportione aruo reſpon- C det, in quem iacto ſemine ſolemus ſementem facere, ita tam huius, quàm illius vitio tolli poteſt fœcunditatis ratio, & ſterileſcere animal, nempe ſeminis, & uteri, nam & ſemine integro, & nullo prædito uitio ad fertilitatem opus eſt. In arboribus ſiquidem, & frugibus, ſi carie, rubigine, uel uetuſtate obſitum, ſi immaturum ſit ſemen, ſi nimio humore quaſi diffluat, ſi nimia ariditate contabuerit, fructiferũ, & fœcundum eſſe minimè poteſt, quamuis optimo aruo fuerit commiſſum, ita & arua, neque quę arenoſa, & ſquallida ſunt fertilia eſſe poſſunt, neque quæ paluſtria, & nimio madent, ſcatentque humore, nam in alteris humoris, & alimenti inopia ſemina adoleſcere nequeunt, in alteris ſtrangulantur, & obruun- D tur a nimio humore: Iuxta etiam in animantibus, ſemine ad fœcunditatem opus eſt integro ſine uitio, ſuam naturam ſeruante, & aptam temperaturam, & utero apto, & accommodato, qui undecumque naturam aptam conceptioni, & temperiem, & conformationem fuerit conſecutus, quam ſemper ſequenti tempore integram ſeruauerit, nullo deinde, uel ex uictus ratione, uel ex alijs externis, interniſq; occaſionibus contracto uitio. Cum ergo hæc omnia ad fœcunditatem ſint omnino neceſſaria, non omnium conuentus itidem ad ſterilitatem neceſſarius erit, verum quodcumque eorum defuerit, ſiue ſemẽ ineptum ſit, ſiue uterus malè habuerit, ſi tamen eorum defectus fuerit inſignis, & qui facilè corrigi ne- E queat, neceſſaria ſequitur ſterilitas. Quia ad deſtruẽdum (ut Logici dicere ſolebant) unum ſatis eſt, ad conſtruẽdum uerò omnia ſunt neceſſaria, nam ſemper in rebus naturalibus id, quod optimum eſt, tanquam medium eſt, quod unum ſemper eſt, à medio uerò recedentium ratio multiplex eſt. Sed quatenus ad particulam, quam cuiuſdam determinationis cauſa addimus, pertinet, nempe ſi defectus is ſit, qui corrigi nequeat, eſt hic animaduertendum, quòd errores tam ſeminis, quàm uteri, a quibus ſterilitas occaſionem habere poteſt, dupliciter ita corrigi poſſunt, ut quæ alioquin infœcundę ſunt, fœcundæ fiant. Primũ quidem opę medici, uel artis, uel temporis, & conſtitutionis, uel regionis, uel mutationis ætatis: nam ab his omnibus poteſt mutari ratio, & temperies

mat

tam vniuerſi corporis,quàm etiam determinatarum A particularũ,quia horum mutatione aut humeſcunt, aut ſicceſcunt,aut incaleſcunt, aut refrigeſcunt corpora,ita & laxantur,& denſeſcunt, & alias mutationes patiuntur,vt ſępe mutata natura corporum,mutetur & aliorum ratio, quæ ab ipſa natura ortum habent. Deinde poteſt hęc correctio non ita ab his fieri, vt ab illis duobus quaſi initijs neceſſarijs ad conceptum,nempe à ſemine, & vtero: poteſt enim, immo ſæpe etiam ita contingit, ut & uterus, quantum ad ipſum pertinet, non careat vitio, quia aut calidior ſit aut frigidior, aut humidior, aut denſior, aut leuior, quàm conceptioni ſit idoneum, ſemen quoque non ſit & ipſum admodum aptum ad fœcunditatem eadem ferè ratione, quia aut frigidius, B aut calidius, aut ſiccius, aut humidius, aut craſſius, & magis lentum, aut tenuius, & nimis fluidum, & tamen dum conueniunt, adeo mutuò aptentur, & accommodentur,vt inde ſequatur fœcunditas, & id, ſi vtrunque non eidem, aut ſimili vitio ſit obnoxiũ, ſed potius cõtrarijs; ut cauſa exempli, ſi vterus fuerit calidior, ſemẽ verò frigidius, vel contra,item ſi ſemẽ nimia ſcateat humiditate, vterus autem ſit ſiccior, ac ita etiam in alijs exceſſibus: vnde in his tanta fit in vtriſque mutua correctio, & ea temperies,vt ea tandẽ fœcunditas ſequatur. Et ex hac deinde ratione fit, ut quędam mulieres cum vno nunquam;quamuis fuerit omnis in hac re adhibita diligentia,concipere,aut fieri fœcundę poterint, cum alio verò faciſſimè,& ſæ C piſſimè: ita & viri ex vna muliere nullos vnquam liberos habere potuerunt, ex alia autem multos procreauere.Sed ex priori ratione accidit,ut quandoque mulier,quę nunquam filios habuerat,mutatata habitatione,regioneque,& aere,facta ſit fœcunda:ita alię mutata ratione uictus, aliæ in adoleſcentia fœcundæ fuere, prouecta deinde ætate factæ ſunt ſteriles, aliæ verò contra prouectiori ętate aptiores, ad procreandos liberos euaſere,quàm quando teneriores eſſent. His autem & id præterea addendum eſſe cenſeo, quòd plerumque hęc referuntur in defectum maris, & fœminæ,interdum verò vteri,& ſeminis:neque tamen magna in his eſt diuerſitas, quia ſiue ſemen mu D lieris ſit verum ſemen, perinde vt in maſculis, ſiue ſanguis menſtruus (ut ſenſit Ariſto.) in eis ſit pro ſemine,omnino ſequuntur naturam, & qualitatẽ vteri. Nam & teſtes in mulieribus,& ſeminaria uaſa adeo ſunt vtero annexa, & affinia, ut ferè neceſſe ſit vtraſque has particulas in eandem conſpirare naturam,ideoque uitia,quæ mulieribus attribuuntur,vtero attribui ſolent.Sed & hoc addendum, quòd quæcunque à ſemine occaſionem habent, ea præſertim in teſtes ſunt referenda, ideo & ad eam in primis tractationem pertinent, quæ erit de teſtibus inſtituenda. In præſentia verò de illis tantum vitijs agemus, quæ in vterum ſunt referenda, quamuis vix fieri poſſit,quin interdum & ad uiros, & ad genitale ſemen ſermonem conuertamus, Quemadmodum ergo E Com.62. quinto Apho.expoſuit Galen.prima, & pręcipua ſertilitatis, vel fœcunditatis cauſa eſt temperatura apta, perinde in fœminis præſertim ſecundum uterum, ac in viris, quantum ad eam particulam, in qua uis eſt ſeminis genitrix. Vnde fœmina,quę optimum habet uteri temperamentum, ſuapte quidem natura idonea,& apta eſt ad ſobolis procreationem, cum quocunque viro conſuetudinem habeat, niſi adeo uitiata ſit eius natura,ut optimam uteri temperiem inſigniter corrũpere,ſuperareque poſſit. Quę verò mulieres prauam, vel ex ipſo ortu, vel ex alia aliqua interna, vel externa cauſa temperaturam aſſecutę sũt, ſi ea plurimum receſſum a bona,& apta ad procreationem habeat,omnino ſteriles,nunquamque erunt fœcundę, niſi aliquo pacto fuerit temperamenti ratio mutata:quia grande illud vitium corrigi à ſemine quantumlibet in contrariam temperiem inclinet,& emendari minimè poterit. At ſi is exceſſus non ita fuerit inſignis,quin corrigi poſſit,poterit,ſi coierit cũ uiro, non eo quidem, qui eidem uitio, eidemque intemperaturæ obnoxius ſit, ſed potius cum illo,qui in contrarium affectum inclinet. Vt autem magis particulatim hanc rem tractemus, dicimus, ut expoſuit eodem commentario Galen. quòd mulieres,quę ita frigidę ſunt ſua naturali temperie,ut habeant uteros frigidos,& ſubinde denſos,& ſtipatos(ſolet enim vterus cum corpore uniuerſo mulieris in eandem ſæpius conſpirare temperiem, prę[s]ertim cum inſignis eſt lapſus)ſunt omnino ſteriles, quia & vaſorum ora in eiuſmodi utero adeo anguſta ſunt, ut non poſſint in illis fœtus ſecundè adnaſci, uel ſi adnaſcuntur,fœtus tamen nequit ab illis probè ali, quippe quòd aut omnino mulieres hę menſtruis purgationibus careant,aut ſaltem exiguas,& uitioſas habeant, cum is tantum ſanguis effluere poſſit,qui tenuis, & aquoſus ſit. Cui & hoc accedit, quòd tum ob vaſorum anguſtiam,tum quia mulieres hæ pituitoſo humore ſcatere ſolent, ſunt obſtructionibus plurimum obnoxiæ. Quibus etiam hoc addamus, quòd uis genitalis ſeminis, niſi calidiſſimum fuerit in hoc frigidiori vtero perfrigeſcens euaneſcit. Præterea uerò & quæ vtero ſunt eximiè humido, ſunt infœcundę, utpotè qui ſit paluſtri aruo,quàm ſimilis,in quo ſemen à nimio humore quaſi ſtrangulatum extinguitur. Sicuti etiam quæ ſicciorem, uel calidiorem uterum habẽt, ſteriles ſunt, hæ enim ferè ex proportione reſpondẽt ęſtuanti terrę, & ferè ardenti, ut canicularibus temporibus,in qua ſemina ferè toſta adoleſcere nequeũt: illæ uerò terræ arenoſæ, & ſaxoſę, in quibus deeſt humor aptus frugibus alendis. Sed quę de utero dicta, & expoſita hactenus a nobis ſunt, facilè ad uirilem naturam transferri poſſunt. Nam qui frigidiores teſtes habent, illi ſemen non probè coquunt, & proinde fit infœcundum, uel omnino, ſi eximiè frigida ſit intemperies, uel parum fœcundum, ſi modica eius intemperatura. Si enim in calidiorem uterum fuerit effuſum,corrigi poterit eius uitium. Ita in quibus humidius ſemen procreatur, ſi omnino immodicè ſit humidum, infœcundum omnino erit. Sed vbi non ſit immodicus exceſſus, ille per calidiorem, & ſicciorem uterum poterit fœcunditatem aſſequi.Sed & nimius calor ſemen torridum reddit. Ita etiam nimis ſiccum ſemen conceptioni ineptum eſt, utpote quod extendi facilè nequeat: quod tamen(ut in libro de Semine docuit Galen.) ad conceptum perquàm neceſſarium eſt. Illud præterea hac in re conſideratione dignum eſt,quòd genitalia membra tam in uiris, quàm in mulieribus ſunt inſtrumentariæ particulę, in quibus non modò neceſſaria eſt apta temperatura,quę tamen quaſi primarium,& præcipuum eſt naturæ inſtrumentum, ſed & earum recta, & appoſita conformatio, in ſitu, figura, magnitudine, numero partium, connexione, & ſi qua alia ſunt ad hoc caput pertinentia: quæ quidem eam pręſtant utilitatem ad fœcunditatem, uel ſterilitatem ut multoties ex horum defectu poſſit facilè impediri conceptio. Quod ut exquiſitius explanemus illis, quæ nuper expoſuimus, hæc addamus, quod ſemen genitale ea conſtat ſubſtantia, quæ facilè tranſmutari poſſit, tum ab alijs, tum uerò à circumfluo aere. Quod quidem poſſumus exemplo lactis exponere, nam ferè ſimilem habent generationis modum, ambo enim ex ſanguine percocto fiunt, alterum quidem in teſtibus, alterum uerò in mammillis. Magni autem refert, ut conſentiunt omnes me-

dici, cum vti lacte in affectibus curādis tanquam medicamento uolumus, an ex vbere ſugatur, an uerò mulctum bibatur, quia ab aere facillimè tranſmutatur, ita etiam genitale ſemen ab aere tranſmutatur, & eius vis vitiatur illius occurſu. Vnde ſi ſtatim effundatur, & facilè in uterum attrahatur per eius os, facilius ſequitur conceptio, contra uerò, ſi ægrius id fiat. Quare ſicut in alijs quæcunque natura conſtant, quędam ratio menſurę aptæ, & accommodatæ reperitur ſecundum magnitudinem, & paruitatem, qua actiones rectè procedunt, congruenterque, ita & quàmaximè in generatione, & propagatione animantium, quantum ad ipſa inſtrumenta pertinet. Cum enim conceptio fiat, niſi recepto ſemine in utero, quod fieri nequit, niſi à maſculo emittatur, & quaſi eijciatur in uterum, ab utero autē attrahatur, recipiaturque, & eiuſmodi attractio, eiaculatioque commodè, & aptè fieri nequeat, niſi penis virilis excipiatur à ceruice vteri. Et quando duæ hæ particulæ ita mutuò coaptātur, ut magnitudinis penis ceruicis vteri amplitudo optimè coaptetur, optimè fiet ſeminis emiſſio, attractioque cum inſigni etiam voluptate vtriuſq; partis, ad quam uoluptatem excitandam quodam naturæ inſtinctu fricatio inſtituta eſt. Commodiſſima autē, & maximè congruens huic voluptati excitandæ frictio erit, quando hæ particulæ recipiens quippe, & recepta aptam ſeruabunt mutuam proportionem, ſed ſi penis craſſior iuxto pro ratione amplitudinis ceruicis uteri fuerit, nimium illam diſtendens, neque commodam, & facilem fricationem excitare poterit, neque ſine moleſtia, & dolore recipientis, vt virginibus, ſolet accidere, ſin autem amplior ſit ceruix, gracilior verò penis, vix fiet cum delectatione fricatio, cum alter alteram vix in introitu attingat. Voluptas uerò facit, vt & mas facilius, promptiuſque ſemen emittat, auidiuſque vterus attrahat. Præter id, quòd facilius aer ingreditur, & poteſt ſemen immutare. Ita ſi breuior ſit penis, quàm vt prope os vteri pertingat, non facilè ſemen per os vteri poterit impellere, vt etiam in ſpatio medio neceſſe ſit aerem intercipi, à quo uitiari poteſt ſemen. Si autem longior, dum interius adieritur, allidens ad os uteri, dolorem, & moleſtiam affert. Vt prætereà, & figura non parum faciat, nam ſi meatus ceruicis uteri flexuoſus, & tortus, non autem rectus ſit, aut ſuaptè natura, aut ex aliquo morbo, ſicuti fieri ſolet in diſtortione uteri, nimirum, vt os vteri non poſſit rectè excipere emiſſum ſemen, non facilè reddi prægnans mulier poterit. Sed horum multa ſtatim à primo ortu, & quaſi natura contingunt, alia verò ſunt aduentitia, quæ ab externa, uel interna cau-

Aph. 46. ſa rationem ſui ortus habuere. Nam Hippoc. 5. Aph. propterea protulit eam ſententiam, quòd quæ nimis obæſæ, & pingues ſunt, non concipiunt, quia (ait ipſe) os uteri ab omento in his comptrimitur, & (vt Gale. ibi ait) coanguſtatur ob nimiam pinguedinem. Sed & tuberculum aliquod, uel aliquis alioquin tumor idem præſtare poterit. Ad conformationem præterea attinent aſperitas, leuitasque particularum præſertim earum, in quibus viæ, vel meatus conſpicui ſunt, uel ſpatia, & conceptacula, unde & in utero hęc quoque fęcunditatis cauſa eſſe poſſunt. Nam cum oporteat receptum ſemen, ut retineatur, & conceptio ſequatur, contineri, & hęrere vtero, & oſculis venarum, vt ſecundæ in ortum habeant, ſi nimis lenis ſit uterus, facilè diffluit, & delabitur ſemen, ut contineri nequeat. Lęuitas autem, vel ab initio vſque ortus interdum cōtrahitur, uel ab alia aduentitia occaſione, quemadmodum ex magnis cicatricibus, quę conſolidatis ulcerib. ſucceſſerint. Poteſt etiam (ſi Hipp. tum in lib. de ſterilibus, tum uerò in illo, qui de mulierum morbis inſcritur, credere velimus) impediri conceptio ex aliquo

A impedimento in meatu, uel ore uteri, aut paulo interius oborto, nam & claudi poteſt os vteri, aut ab aliquo tumore in eo, uel propè ſuborto, uel partibus ipſius ex aliquo ulcere coaleſcentibus, vel ex ſanguinis grumo aliquo, qui poſt menſium eruptionem concreuerit ad os uteri, uel paulò interius. Interdum autem membrana innaſcitur meatui, aut ori itidem uteri, quę ueluti obex quidam eſt, quò minus ſemen admitti poſſit quamuis menſtrua naturaliter procedant,) & plerunque digito immiſſo deprehendi facilè poteſt. Ex ijs etiam, quæ ſuperius fuere expoſita facilè præterea unicuique poteſt innoteſcere, quòd & menſibus omninò ſuppreſſis, aut parce fluentibus præter mulieris naturam, & illis etiam immodice, & præter rationē

B profluentibus raro admodum, & ægre conceptio fieri poteſt. Et tandem omnes vteri affectus poſſunt ſterilitatem afferre, ſicuti procidentia vteri, quamuis uiderim mulierem, cui uterus plurimum prociderat gerentem in utero, quæ ex abortu mox obijt. Sunt tamen, & quædam, quæ in emittendo ſemine contingunt, quæ conceptui ſolent eſſe impedimento. Præterea ſi uterus, & eius ceruix fiant ex aliquo affectu imbecilliores, quàm vt ſemen poſſint attrahere, nequit (vt 1. lib. de ſemine docuit Gal.) fieri conceptio, nā (vt ex ſententia Ariſto. ſuperius diximus) conceptus eſt prima maris, & fęminæ mixtura, & ideo hoc etiam obſeruatum, quòd facilis ſit conceptio, quando mas, & fęmina conueniunt in emittendo ſemine, & ſimul

C vterque reſoluitur. vnde qui uolunt in congreſſu venereo impedire, quò minus prægnans fiat mulier, caueant ne ſimul conueniant in ſemine emittendo, ſed vel prius, uel poſtea. Et equidem multos noui, qui procurare liberos minime cum vxoribus ſuis poterāt hac præſertim ratione, quia non poterant tantiſper in effundendo ſemine morari, donec & mulier moueretur, & reſolueretur, vt coitus utriuſque ſeminis fieret. Sed non deſunt errores, qui poſſunt impedire conceptionem, nam cum ſit non minus neceſſaria ad conceptum retentio, & comprehenſio ſeminis, quàm attractio, & eius admiſſio, ad retentionem autem, & comprehenſionem plurimum utilis ſit quies, præſertim mulieris: proinde multi monēt, ne vir poſt

D emiſſum ſemen ſtatim deſcēdat, ſed pauliſper ita quieſcat ſine vllo motu, neve mulier poſt viri ſeparationē ſtatim aſſurgat, ſed ita ſupina adductis coxis, & cruribus iaceat: nam ita ſit, vt non facile effluat ſemen, facile uero elabitur, ſi ſtatim aſſurgat, facilius ſi inambulet, longe etiam magis, ſi currat, aut ſi infulcet. Sed de his ſatis abunde locuti ſumus. Vnde iam erit opportunum, ut receptui canamus, & alio orationem conuertamus.

De ſignis ſterilitatis. Cap. XVIII.

QVia uerò naturaliſſimum opus viuentium (vt 2. de anima Ariſt. docuit) eſt generare tale alterum, quale ipſum eſt, ſi tamen perſectū, &

E non orbatum ſit, & nihil fere in rebus humanis deſiderabilius eſt, quàm prolis propagatio; Aliquando verò id aſſequi nō poſſumus, uel alterius, vel vtriuſq; vitio, nempe viri mulieriſque. Sed & id iam compertū eſt, ꝙ aliqui ita ſuapte natura ſteriles fuere, vt nulla ratione fęcunditatem aſſequi potuerint. Alij verò cum prius fuerint infęcundi, poſtea progenuere. Alij fęcundi prius ſunt, poſtmodū ſteriliſcunt. Quamobrem ab hoc inſtituto nō eſſe alienum putaui, aliqua præterea de his exponere, nempe qua ratione deprehendi in muliere ſterilitas, ac mox, qua rōne illi occurri poſſit, quando ex aliquo vitio illa contigerit, quod poſſit aliqua arte corrigi, vt deinde fęcunditas cōparetur. Hip. itaque tum 5. Apho. tum etiam in libro de ſterili- Aph. 50.

bus,

bus,quibuſdam factis periculis, docuit mulierem ſterilem cognoſcere. Primùm ſi vndique ita tecto corpore veſtibus, vt nequeat exterius vapor ſuffitorum aromatũ ad nares pertingere, ex inferiori parte ſub veſtibus ſuffitu myrrhæ, exẽpli cauſa,aut ſtyracis,aut thuris, aut id genus alterius aromatis vſus fueris, obſeruaueriſque, num eorũ aromatum odor ab ea ſentiatur naribus,& ore,nam ſi referat ſe, & ore,& naribus odorem perſentiſcere, ſignum euidens erit, eã, quantum ad ipſam pertinet,eſſe fœcundam: ſin auté nullus horum aromatum odor corpus permeans ad os, & nares pertingat, ad ipſam ratio ſterilitatis attinet:nam id indicat,denſum, durumque habere vterum,qui ob id(ut ſuperius diximus) generationi ineptus eſt. Gal.autem inferius eodem quinto Apho. ré hanc exquiſitius pertractans, ait hoc ſigno omnino inſignem ſignificari intemperaturam vteri, vnde ortum in primis ſterilitas habere ſolet. Quoniam frigida, ſiccaque intemperies denſum, & durum reddit vterum,vt non facilè hac de cauſa odor, exhalatioq; aromatum queat peruadens ad os,& nares ferri.Humida verò aromatum qualitatem extinguit.At calor uehementior,ſiquidem in mulieribus reperiatur,eorum facultatem vitiat adeo,immutatque, vt ſyncera

Com.62. non poſſit ad nares deferri: Vnde (ait Gal.) hoc ſalté affirmandum eſt,non poſſe adeo vehementem reperiri calorem in muliere,vel rarò admodum,vtpote q̃ ſit maſculo natura frigidior, qui tamen ſi aliquando reperiatur, verum etiam erit, quod diximus, nempe hoc eodem periculo id deprehédi, aut ſi hoc minimè videatur, id alijs poſſe argumentis deprehendi eximium earum calorem demonſtrantibus. Nam quæ natura calidiores ſunt,graciles,nigræque, & hirſutæ ſunt.In lib.verò de ſterilibus hoc alio quidem periculo,ſed quod tamen idem ſpectare videtur,illud ipſum docet, nempe vt allium detracto cortice ſubijciatur: ſi enim poſtridie odorem allij mulier ſenſerit, id ſignum erit eam minimè eſſe ſterilem : ſecus autem, ſi nihil ſentiat. Sed & hoc experimento idem deprehendi poſſe aliquos autumare tradidit,nimirum ſi butyrum, lacque mulieris puerum lactantis illi bibendum detur, de qua dubium ſit, num ſterilis ſit, ac ab eius potu mox eructauerit, iudicandum erit illam fœcundam eſſe:ſin autem,quòd ſit ſterilis.At verò præter hęc, cum multa fuerint in præcedenti capite deſcripta,quę cauſæ eſſe poſſunt ſterilitatis, & fœcunditatis,ea omnia, [quę] affectionũ illarum ſigna ſunt, poſſunt etiam tanquam, aut ſterilitatis, aut fœcunditatis ſigna haberi. Cui & hoc iure addendum cenſuerim, quòd omnia ferè, quæ hactenus relata ſunt, ab ijs ferè deſumpta fuere, quæ ad proxima inſtruméta generationis tam in muliebri,quàm uirili ſexu pertinent:ſæpe uerò occaſio,& cauſa infœcunditatis longè altius petenda eſt, quia aut ab vniuerſo corpore, aut à membris magis pręcipuis pendet:nam cum materia generationis, vnde aut prolificum ſemen, aut menſtruus ſanguis gignitur, à ſuperioribus partibus defluat ad vterum, & teſtes, non minus inde poteſt occaſionem ſuam habere ſterilitas. Vnde, vt Ariſt.in lib. de generatione animalium tradidit. ſemen eorũ, qui ſani non ſunt,plerumque infœcundum eſſe ſolet. Sed de his ſatis, ad alia tranſeamus.

De ratione comparandę fęcunditatis. *Cap. XIX.*

QVamuis maxima pars eorum, quę ad hoc caput attinere poſſunt, fuerit ferè in prioribus expoſita, ut tamen res hęc exquiſitius tractetur,non erit alienum à noſtro inſtituto,ſi aliqua ſummatum,& breuiter nunc etiam explanemus,quę maiorem uim habere uiſa fuerint.Sed primum hoc tanquam fundamentum iaciamus, quòd proprium naturę inſtitutum eſt,vt omnes tam maſculi, quàm fœmellę ſint fęcũdæ, quod uel eo argumento poteſt colligi, quòd omnes, niſi quaſi monſtra ſint, naſcuntur pręditi inſtrumentis generationi accommodatis: natura verò nihil vnquam,quantum ad ipſam pertinet, incaſſum agit. Quòd ſi aliqui ſteriles euadunt, id quidem per accidens,hoc eſt,pręter naturæ inſtitutum illis accidit, nempe ex aliquo uitio, uel defectu, uel errore in ipſa generatione commiſſo,aut poſtea ex aliquo morbo,vel ex mala uictus ratione, vel alia interna,externave occaſione contracto, pertinéte aut ad temperiem, aut ad conformationem,aut ad unitaté, & continuitatem, aut ad modum, & ordinem congreſſus mulieris cum uiro. Quę ſanè uitia, & qui errores ſi corrigi,& emendari poſſunt,ſtatim & fœcunditas reſtituitur,ſin autem nullam correctionem, emendationemve admittant, ſterilitas omnino tolli nequit.Et quidem diximus iam,quòd quę ad intemperiem pertinent, aliqua quidem corrigi, & emendari ratione poſſunt,quando nimirum exceſſus non fuerit nimis immodicus. Modici verò exceſſus aut arte, & medica ratione poſſunt emendari, (aut ſicuti diximus ſuperius) ex copulatione mulieris cum uiro, cũ non fuerint ijdem utrorumque exceſſus, ſed potius contrarij, ita ut alter alterius exceſſum corrigens, illum ad quandam mediocritatem deducat,permixtis ſimul ſeminibus inter ſe ferè contrarijs ſecundũ propriam eorum temperiem. Vnde & Plato cenſuit eligédas eſſe peritas obſtetrices, quibus hoc officium ſit committendum,ut eos uiros cum illis mulieribus copulent,qui ſimul coniuncti poſſint eſſe fœcundi,collatis quippe illis mutuò ſecundum propriam temperiem. Poteſt etiam ſæpe & ratione medica reſtitui fœcunditas emendatis uitijs intemperaturę, tam uiri, quã mulieris, ſed de muliere in pręſentia loquamur. Cum ergo notum fuerit mulierem ſterilé eſſe ex aliqua uitioſa intemperatura, illa reſtituta ad æqualem temperiem, reſtituetur & fœcunditas,& quia intemperatura illa interdum cũ materia aliqua uitioſa eſt, ita ut ex multa copia uitioſorum humorum mixtorũ cum ſanguine in uenis,aut uniuerſi corporis,aut mébrorum ad generationem facientium, & uterus infœcundus ſit factus, & ſemen minimè prolificũ, aut ſola eſt intemperatura præſertim uteri,huic affectioni erit occurrendum, primum quidem per corporis purgationem aptam & commodam ad eam (ut aiũt Gręci)cacochymiam tollendam. Docuere verò Hip. & Gal.& reliqui pręterea medici poſſe rationem humorum exuberantium cognoſci in mulieribus, tum alijs argumentis,tum maximè ex menſtruis purgationibus,nempe obſeruatis eorum coloribus,ſubſtantiaque, de quibus non habebimus in pręſentia longiorem ſermonem, cum de hac re ſatis fuerit actum: ſicut & de ratione eas aptè purgandi, quicunque redũdent in eis uitioſi ſucci. Quibus præterea & hoc addendum puto,quòd ſępe non modò uniuerſi corporis purgandi ratio ſit habenda, uerum & particulatim uteri, quãdo & in eo multa ſit congeſta materia, atque maximè ſi aliqua ſit in eius uenis contracta obſtructio, ſed neque in his erimus longiores, cum copioſè materia hæc præſertim, ubi de menſium ſuppreſſione agebamus, fuerit expoſita. Purgato itaque corpore, & ſubinde utero,danda erit opera, ut intemperies in contrarium mutetur,ad quam mutationem facit ratio uictus, faciunt & medicamenta, quę & interius aſſumuntur, ſicut ſyrupi, decoctá,& quę a noſtris electuaria, & confectiones dicuntur, & id genus reliqua, faciunt & quę exterius adminiſtrari ſolent,ut balneę, inſeſſiones, fomenta, illitio-

nes, peſſi, infuſiones, & id genus alia, de quibus etiam A ſuperius abundè egimus: faciunt præterea & aeris, regionisque mutationes: ſæpè enim vidimus mulieres, cum alioquin non concepiſſent, alio migrantes cum coniugibus ſuis ſobolem procreaſſe: mutatio et ætatis, multæ enim in adoleſcentia infœcundæ fuere, quæ prouectiori ætate fœcundæ euaſere: aliæ verò contra, prouectiori enim ætate ſiccãtur corpora, vnde neq; mirum deinde eſt, ſi quæ humidiores ſuapte natura erant, per ætatem temperatiores factæ, aptiores redditæ ſint ad procurandam ſobolem: ſicciores verò ineptiores. Sed & vitia, quæ ad conformationẽ vteri ſpectant, oportet corrigere, vt accedat fœcunditas, nam ſi præ craſſitie, & pinguedine compreſſum ſit os vteri, atque hac ratione ſit impedita in muliere B conceptio, procurandum, vt macreſcant, vſu præſertim attenuantis victus rationis. Quòd ſi aliquando os vteri claudatur, aſtringaturque, vt ne digitum quidẽ admittat, atque propterea menſes ſupprimantur, ſemenque ſuſcipi nequeat, immo (ut Hippoc. in lib. de Natura mulierum & in lib. de earundem Morbis docuit) dolor lumbos, iliaque tentet: & aluum ciendam eſſe, idem cenſuit, dato medicamento ad id idoneo, calidaque mulierem frequenter aqua lauandam, ac ea ſubijcienda, quæ aperiant, ita ut ſpecillo impoſito aperiendum eſſe ipſum os conſuluerit, plumbeo quidem uel ex tæda, hæc tamen noſtris his temporibus neque in uſu ſunt, neque facilè admitterentur. Interdum uerò os uteri hians, nimiumque patens conceptioni obſtat: C unde neque ſemen contineri poteſt: quod quidem, ſi ea rectè perpendamus, quæ ab eodẽ eiſdem in locis ſunt literis prodita, cauſam habet nimium humorem. Nam huc ſpectare uidentur ſymptomata, quę narrantur in hoc affectu apparere: quoniam menſtrua his plura, peioraque, & humidiora, ac longiori tempore fluere ait, additque a partu plerunque habere occaſionem, curandumque affectũ hunc, primum corporis purgatione, nõ quidem per aluum, ſed potius uomitu, & hoc reuellendi gratia, neq; enim hoc poteſt eſſe ſine uniuerſi corporis aliqua plenitudine uitioſorum humorũ, qui potius ab utero auertendi ſunt, quàm in illum, uel loca illi uicina trahẽdi: mox uerò ſuffitu rerum malè olentium, D ſiccantium tamen: nam & ſi hæc aperiant, non obſunt tamen per uacuationem, ſed iuuant, ut uitioſa materia, quę iam defluxit, facilius poſſit excerni, deficcando uerò remouent humidiorem intemperaturã contractam in utero, uerum & fouenda etiam exterius loca ſub umbilico rebus mollientibus, & purgãtibus, non illis quidem quę aluum cieant, ſed localib. potius, quę purgationem per uterum iuuant, quippe ut partim digeratur, partim uacuetur uitioſus humor in utero comprehenſus: poſtremò autem, tum ut roboretur uterus, & partes ad illum attinentes, conſulit fouenda ea loca rebus modeſtè aſtringentibus, ut ex decocto foliorum myrti, rubi, roſarum, labruſcę, uitis, oleæ, lentiſci: neq; inutile pręterea fuerit in eiſ- E dem inſidere, niſi quando dolor aliquis fortaſſe urgeret, quia his relictis incumbendum eſſet dolori ſedando mitigatorijs remedijs, & mulier lauanda eſſet calida aqua: ſed de his copioſiorem in prioribus capitibus ſermonem habuimus. Quia uerò & uteri dimotio de ſua ſede, ut cum in unam, uel in aliam partem diſtorquetur, aut procidit, poteſt conceptioni eſſe impedimento, cum obſtet, quò minus probè poſſit ſemen excipi, & huiuſmodi etiam impedimenta, ſi fortè contingerent remouenda eſſent, quomodo ſuperius proprio loco expoſitum fuit. Pręterea uerò ſi membrana interius in utero innata, increſcensque, & obiecta cauſa ſit, cur ſemen ſuſcipi nequeat, docuit Hippo. illam aut medicamentis erodi, abſumique, aut ferro incidi à chirurgo. Medicamentum uerò ab illo propoſitum ad hoc peragẽdum conſtat ex reſina, flore æris, & melle, quod linteo inuolui, & lino alligari noluit, in uterumque indi, deinde uerò ubi opportunum uiſum fuerit extrahi, quo extracto, partes roborandę fotu uini, in quo myrti folia prius efferbuerint. Vt inſuper & id prædictis in vniuerſum ſit addendum, quòd cum omnes morbi, qui vtero accidere ſolent, poſſint obſiſtere, impedireque imprægnationem, ut mulier fœcunda reddatur, oportet, vt ab his, cum adſunt, illa eximatur, rationem verò illos tollendi in ſuperioribus capitibus ſatis explanauimus. Vnde ad tertiam partem conuertenda iam oratio erit, quæ pertinet ad modum, & ordinem congreſſus mulieris cum uiro, hoc autem primum intelligẽdum, quòd cùm ferè vniuerſum iſtius rei momentum conſiſtat in hoc, ut facilè, & commodè attrahatur ſemen in uterum, probeque detineat; quod optimè fit, quãdo uterus ſe colligit circa ſemẽ, & quaſi illud amplexatur, iſtorum uerò omniũ præcipua ferè cauſa ſit uoluptas, & delectatio in complexu uenereo. Ideo vbi maior concitatur delectatio, & uoluptas, facilior fit conceptio. Quare plurimum facit amor, unde facilius concipiunt mulieres, quando uirum amore proſequuntur, quam ſi eum faſtidiant, uel odiant. Præterea verò, ſi eodem tempore uterq; ſemen emittat, quo aliquando fit, ut cum uir, & mulier non ſimul ſemen effundant, non ſit facilis conceptio, quia non ita ſemina miſceri poſſunt, neque ita auidè uterus illa attrahit. Vnde rarò concipiunt mulieres, quando non ſunt concordes cum uiro in ſemine mittendo, & proinde luſus ante coitum, tractationes partium, quæ mulieres commouere poſſunt, & reliquæ circunſtantiæ, quarum, cum natura ferè magiſtra ſit, non oportet hic alioquin meminiſſe, plurimum ad conceptionem faciunt, ſicuti contra mœrores, timor, aduerſarij ſunt conceptioni, ita etiam importunus motus, ut ſi ſtatim mulier à recepto ſemine non aliquantiſper quieſcat, ſed ſtatim exſurgens ambulet, uel currat, uel ſaltet, uel repentè animo, vel corpore commoueatur. Sed de his iam ſatis egimus: in poſterum uerò exponendum erit, quibus ſignis cognoſci poſſit mulierem in utero habere.

Quibus notis grauidę deprehendantur. Cap. XX.

SI prudens, & cauta ſit mulier, in ipſo quaſi uenereo congreſſu facilè cognoſcere poterit, conceperit, necne. Nam cum ſit neceſſe (ut ſupra expoſuimus) ut ſemen ab utero attrahatur, ac comprehendatur, colligente ſe, & contrahente utero, ad hoc ut mulier concipiat, neceſſe item eſt, ut hæc contingant mulieri, quæ facilè ab ipſa percipientur, ſi animaduerterit, nempè quòd motum uteri quaſi ſe ſuper ſemen contrahentis, ut ait Galen. 1. de Semine, ſentiat. Deinde uerò, quia ſemper cum non concipiunt, neceſſe eſt ſemen, aut ſtatim, aut non multo poſt coitum extra uterum effluere, ſi non effluat, ſed membrum genitale potius ſiccum, quàm humectum remaneat, ſignum conceptionis eſt, nec modo muliebre membrum ſine humore remaneat poſt coitum, uerum & glans ſummi penis exugatur, ut minimè humecta uideatur remanere. Sed & obſtetrix partes genitales mulieris pertractans concepiſſe mulierem facilè deprehendere poterit, ſi iſtius rei perita ſit; cum enim (ut ſæpius dictum eſt) uterus, cum concipit colligat, & contrahat ſe, in ea contractione anguſtum ſit ita, atque adeo clauditur os vteri, vt neque tenue ſpecillum ſit admiſſurum, quod facilè poterit obſtetrix im-

poſito

poſito digito tentans cognoſcere. Huius meminit
Aph. 51. Hipp. 5. Aph. Contractum ergo deprehendens os vte
ri citra tamen vllam duritiem, iudicare poterit mulie-
rem pręgnantem eſſe. Poſtea uerò, & aliqua ſunt, quę
primis ferè menſibus ſolent contingere, quæ prægnā
tem prodere poſſunt. In quib. primum hoc eſt, quod
Aph. 61. 5. Aph. ab Hippo. deſcriptum eſt: nempe quod menſes
nulla alia morboſa præcedente cauſa ſupprimuntur,
aut omnino, quod frequentius fit, aut maxima ex par
te: nam aliquibus fluunt quidem primo, vel altero mē
ſe, ſed parciſſimè, & quaſi aliquod menſtruorum veſti
gium. Et quidem aliquas noui, quæ uſque ad tertium,
interdum uerò, & quartum menſem ſolitas habue-
rint purgationes, parcius tamen omnes ſolito. Plerun
que verò ſi prægnantibus menſes procedant, ſignum
eſt (vt tradit idem Hipp. in lib. de natura pueri) fœtum
ſanum minimè fore. Poſt ſuppreſſos autem menſes
ſolent quædam incommoda circunſtare prægnantes:
ſicuti cibi faſtidium, vomitus, vitioſa, ac corrupta appe
tentia, nam aliæ calcem comedere ſolent, aliæ terrā,
aliæ carbones, aliæ alia, quæ alioquin abhorruiſſent: il
lis enim familiaris eſt affectus ille, quem lib. 7. diximus
picam à Latinis à Græcis κίτταν appellari. Poſt pri-
mos tamen menſes, ut ibidem expoſuimus, quando
grandior fit fœtus, & copioſiori eget alimento, plus
abſumit materiæ menſtrualis retentæ, à qua concitē-
tur hi affectus: vnde paulatim deſinunt (vt 1. de ſymp.
com. 32. cauſis docuit Gale.) eiuſmodi ſymptomata. Cui acce-
dit, quòd interim pars etiam uomitu inter primos mē
ſes eijcitur; pars paulatim concoquitur. Ex uarijs quo
que particulis externis ſumi poſſunt agumēta pręgnā
tem oſtendentia, nam & oculi (vt in lib. de Superfęta
tione declarauit Hipp.) in prægnantibus retrahuntur
& caui fiunt, reſoluuntur enim primi, tum ex eo, ꝙ à
cibo abſtinent, tum quia fœtus ſubtrahit: præterea ue-
rò liuent, ſubtracto (vt idem in lib. de mulierum mor
bis ait) bono ſanguine à fœtu. Ex mammis quoque
idem poſſe percipi, ait Galen. quinto Apho. nam ſoli-
diores eas grauidæ habent, non tamen admodum te-
nues, diſtentas, plenaſve, modo ſanus ſit fœtus. Noſtrę
verò mulieres papillas obſeruant, cum enim concepe
re, circa papillas fit circulus quidā obſcurior, liuidior-
que, aut rubicundior apparet. Sed ex uniuerſo cor-
pore præterea depromi aliqua ſigna poſſunt huic rei
atteſtantia, nam plerunque cum in utero habent, ſe-
quitur pigrities, & grauitas uniuerſi corporis. In o-
perationibus etiam vitali facultati inſeruientibus ali-
qua notari poteſt immutatio in prægnantibus facta,
quæ ſi obſeruetur diligenter, atteſtari conceptioni po
terit, primum enim creſcente utero fit impulſio, &
coarctatio ſepti tranſuerſi, unde reſpiratio fit parua
(vt in lib. de vſu reſpi. & 6. de loc. affect. tradidit Gal.)
cap. 4. & ſubinde frequentior tum etiam, quia prægnans nō
ſolum ſibi, uerum & fętui reſpirat, ſicut & pulſus nō
ſolum matri (vt tertio de cauſ. pulſ. docemur) ſed &
cap. 5. fœtui inſeruit, ideo & pulſus crebriores, celerioresq;,
nulla inde in alijs differentijs facta mutatione, euadūt
neque enim facultatem, neque inſtrumentum fœtus,
quantum ad ipſum pertinet, ſolet mutare. Hipp. uerò
Aph. 42. tum 5. Apho. tum uerò in lib. de ſterilibus docuit qui-
buſdam factis periculis deprehendere, num pręgnās
ſit mulier, nam ſi dormitura mulſam biberit, aluique
tormina inde concitantur, eam eſſe grauidam ſigni-
ficat. Hoc idem illi circa vmbilicum eueniet, ſi rubri-
ca anyſumque in tenuiſſimum puluerem trita, & ex
aqua diſſoluta dormituræ mulieri dentur bibenda.
Quidam uerò, & eodem experimento hoc idem pro-
di credant, quo deprehendi poteſt mulierem ſterilem
eſſe, nempe ex ſuffitu aromatum, uel ex ſuppoſito al-
lio, aiunt enim, ſi odorem allij, vel aromatum in ore
perceperit prægnans eſſe nequit, poteſt autem, ſi mi-

A nimè perceperit, neque fortaſſe id præter rationem,
quia cum prægnans eſt, clauditur aſtrictus vterus, ut
halitus aromatum permeare nequeat. Nec minus
etiam priſci auctores nixi ſunt docere, quonam pacto
cognoſci poſſit, maremne, an fœmellam mulier in v-
tero geſtet. Aiunt ergo Hippoc. & Galen. quinto A-
pho. primum mulieris grauidæ colorem conſideran-
dum eſſe, quia quæ maſculum gerit, melius colorata
eſt, decoloratior autem, quæ fœmellam: nam calidior
eſt maſculus, & proinde naturales actiones omnes à
calore adiutæ meliores fiunt. Conſiderandæ præte-
rea, & mammæ, quia ſi maſculum concepere, prius,
& magis dextra mamma turget: ſi uerò fœminam, ſi-
niſtra: nam cum utero mammæ plurimum conſen-
B tiunt. Vnde ſicut plerunq; in dextro uteri latere pro-
creantur maſculi, & ſiniſtro fœminæ, ita & mammę
in hoc conſentiunt. Immo (vt docet Galen. 6. de loc. ca. 1. & 5.
affect.) & venter turgens magis in dextra parte ma-
rem, in ſiniſtra uerò fœminam ſignificabit. Eouſque
autem progreſſi ſunt quidam, ut refert Auice. vigeſi- cap. 13.
maprima tertij, vt & pulſum etiam dextrum affirma
uerint pleniorem, & crebriorem ſiniſtro percipi, &
quòd quando mulier motura ſe eſt, ac ambulatura,
dextrum pedem priorem mouet, & cum ſurrectura
eſt, frequentius dextro, quàm ſiniſtro innititur bra-
chio, immo quòd, & dexter oculus uelocius moue-
tur, quam ſiniſter. Sed, & uenarum color (idem ait)
nonnihil ad hanc diſcretionem facere poteſt, atque
C etiam pupillarum, nam in conceptu maſculi, tam pu-
pillarum, quàm uenarum rubicūdior apparet color,
nigrior uerò in fęmellis. Lac etiam fęminam gerentis
dilutius eſt, & fluidius, vtpote quod minus ſit conco-
ctum, gerentis uerò maſculum, magis craſſum, nec
ita diluens, & magis lucens, unde cum mulctum eſt
ſuper ſpeculo, conſiſtunt guttæ eius, & quaſi orbem
faciunt, qui quaſi margaritam imitatur, uel granum
hydrargiri, quod argentum viuum nuncupant. Sed,
& cum moueri fętus in utero incipit, ab eius motu
poſſunt ad hoc inſtitutum non parum facientia argu
menta depromi: nam plerunque ualidior ſolet maſcu
lus moueri in utero, & ſępius, quàm fęmella. Pręter-
quam quod aliquando poteſt [vt 5. Aphor.] monuit com. 42.
D Gal. ſecus cōtingere, quia quamuis maſculus calidior
ſuaptè natura, & fortior, quàm fęmina: Aliquando
tamen ex aliqua alia occaſione à primo ſtatim ortu
maſculus fit imbecillis, & fęmina ualida, ut & plus, &
fortius fœmina, minus uerò, & languidius mas mo-
ueat. Sed, & ex loco motus id aliquo modo poterit co
gnoſci, quia ſicuti plerunq; in dextro uteri latere pro-
creantur maſculi, ita & cum fętus mouetur ſecūdum
dextrum latus, ſperandum eſt eum fore maſculum,
fęmina uerò timenda, ſi in ſiniſtro.

De Abortu, eiusque indicijs, & cauſis. Cap. XXI.

E POST ſterilitatem abortus naturæ inſtitutum in
liberorum procreatione, ſubſtitutioneue impe-
dit: nihil enim magis mulier in hac re proficit, ſi
ferre conceptum factum nequeat, quàm quę ſteri-
lis eſt, pręter id quòd non parua incommoda, peri-
culaque in aborſu ſubit, immo maiora etiam quàm
in recto, & naturali partu: & proinde non minus
pertinet ad medicum grauidis mulieribus opem fer-
re, ſi timeant, ne abortiantur, quàm procurare, ut
reiecta ſterilitate fiant fœcundę. Quare noſtri e-
tiam muneris in pręſentia fuerit de abortu aliquem
habere ſermonem, vt aliquam ineamus rationem il-
lum deuitandi, cauendique. Quia itaque abortus eſt
intempeſtiuus, importunusque partus, nempe cum
editur in lucem fętus ante id tempus, quo poſſit eſſe
vitalis, hunc verò (vt Galen. primo libro in ſextum com. 1.
Epid.

com. 1. Epid.ait) præſertim Attici ἀμβλωσιν Hipp. verò ἀποφθορὰν appellauere. Nunquam autem ſequitur abortus, niſi aliqua cauſa accidat, quæ cogat vterum eijcere contentum fœtum. Cauſæ verò hæ aut internæ ſunt aut externæ. Internæ aut ab vtero occaſionem habuere: aut ab alijs partibus, cum quibus conſentit vterus: aut ab ipſo fœtu. Externæ cauſæ ſunt medicamenta aſſumpta, quæ vim habeant ciendi abortum, aut fœtum necandi, corrumpendique: præterea uehementes motus, tam animi, quàm corporis poſſunt (vt Aph. 45. com. 8. quarto Apho. tradidit Galen.) occaſioni eſſe, cur mulier abortiatur, vt ſaltus præſertim inter initia conceptionis concitatus, & contentus curſus, ſublatioque alicuius magni oneris eius viribus imparis, & quęcunque eandem cum his rationem habent: motus uerò B concitati animi eandem ferè vim habent, ſicut mœror vehemens, timorque magnus præſertim repentinus, vt quinto Aphor. docemur. Vnde quædam ex intuitu repentino (vt ſecundo libro in tertio Epid. monet Galen.) rerum horribilium deterritæ fœtum excuſſerũt, aut perdiderunt. Sed & dolor, & nimia cruditas, item & nimia inedia ſubtracto alimento fœtui, immo & victus immodicè plenior (vt ſenſit Hipp. in lib. de Morbis mulie.) poſſunt eſſe cauſa, cur fiat abortus: cibus enim, & potus nimius ſæpè, ſi frequentius in his aberretur, abortum afferunt. Item ſi vapulent immodeſtè grauidæ, abortiri facilè poſſunt. Status quoque, vel tempeſtates ad hoc non exiguũ poſſunt. Aph. 12. Vnde Hippoc. tertio Aphor. eam ſententiam protu- C lit, quòd ſi hyemem auſtrinam, & pluuioſam ver ſiccum, aquilonareque exceperit, quæ verno tempore pariturae ſunt, ex leui quaque cauſa abortiunt, vel ſi fœtum geſſerint, imbecillum, & vix vitalem partum edunt. Ab ipſo utero verò cauſa abortus petenda eſt, quando ex aliquo eius defectu naturali, vel ex eiuſdẽ aliquo affectu præter naturam id euenit. Naturalis quidem defectus eſt, quando vterus natura aut iuſto maior creatus eſt, aut minor, aut denſiori, ſpiſſiorique ſubſtantia. Ex affectu autem morboſo in utero contracto accidit (vt tertio de Naturalibus facul. ſcri- cap. 12. bit Galenus) abortus quãdo inde fit, vt aut fœtus corrumpatur, aut aliqua membranarum, quibus fœtus includitur, diſrumpatur, aut vterus nimium diſten- D datur; & id genus affectus tanquam commune ſymptoma dolor ſequitur, qui triplici de cauſa concitatur, nempe aut ob nimium tumorem, aut nimiam grauitatem, aut morſum. Nam cum vterus diſtenditur, vt amplius nequeat ſuſtinere, dolor concitatur. Ita etiam cum illud pondus, quod ab eo geritur, vires eius ſuperat. Morſus etiam dolet, ſi quando mordax humor in membranis contentus, illis abruptis in vterum effundatur, ac illum mordeat, aut fœtus interemptus putreſcens reſolnatur in malos, & vitioſos humores, qui vteri tunicam pungant, & mordeant. Solet autem flatus in vtero interceptus, & retentus eum plurimum diſtendere. Interdum etiam ſanguinem ex ceruice vteri profluentem eſſe abor- E tus cauſam dixit Galen. 2. lib. in 3. Epid. & præterea com. 8. eryſipelas. An verò & inflammatio fœtum in vtero aph. 43. ſoleat perdere, Hippoc. 5. Aphor. tanquam dubium vna cum Galen. reliquit. Sed ſi acetabula, vel uaſorum uteri ora plena ſint mucoris (vt ibidem Hippo. aph. 40. & Galen. tradidere) ſolet ſecundo, aut tertio menſę fœtus eijci, quia præ pondere non poſſunt continere, ſed diſrumpuntur; nam humor is pituitoſus cauſa eſt, cur ora venarum, & arteriarum ſecundæ nõ poſſint cum oſculis uenarum vteri (ut ſexto de Loc. affect. ait Galen.) probè coaleſcere, & proinde facilius diſrumpuntur. Ex conſenſu verò uteri cum alijs particulis poteſt abortus accidere, multiplici de cauſa, nã aut vi morbi fœtus interficitur, aut alimentum illi ex

A euacuatione ſubtrahitur, aut ex laboribus, & corporis agitationibus, ad quas adigit morbi moleſtia, fœtus excutitur: & febris uehemens (ut 4. Aph. ait Hippoc.) & quicunque acutus morbus ſine periculo abortus (vt & Galen. 3. lib. Comment. in 1. Epid. con- aph. 55. firmauit) & etiam uitæ eius, prægnanti ſuperuenire com. 30. nequit, quoniam ſæpius fœtus interficitur, tum quia morbo nequeant vires tenerioris fętus reſiſtere, tum verò, quia morbus expoſceret tenuiſſimum victum, ſi mater ſit euaſura, qui victus ſubtracto alimento, fœtum facilè necabit. Profluuia etiam omnia tam ſanguinis copioſa, quàm alui abortum afferunt, cum alimento inde defraudetur fœtus, vt tandem uel intereat, uel id quaſi poſtulans calcitret, & vincula diſrũ- B pat, quibus utero annexus eſt, ſiue modo profluat ſanguis ex vulneribus, ulceribuſue (ſicuti 2. lib. in 3. com. 20. Epid. teſtatus eſt Galen.) ſiue ex hæmorrhoidibus, ſi- aph. 34. ue per menſtrua, ſiue per nares, ſiue ex ceruice uteri, vel ex quocunque alio loco, modo immodica fiat ꝓfuſio. Ita etiam ſi alui fiat uehemens profluuium (ut 5. Apho. docuit Hipp.) mulier abortit, tum ex labore, dum ſępius cogitur grauis mulier aſſurgere, tum uel maximè communi uacuationis ratione. Sed & teneſmus grauidam mulierem excrutians cauſę ſępe eſt, ut fœtus excutiatur, nam (vt 7. Aphor. expoſuere com. 27. Hippoc. & Galen. in eo conatu, & contentione recti inteſtini in egerendo tum uniuerſum corpus, tum uel maximè vterus, qui inteſtino annexus inſidet, plurimum laborat, nec modo teneſmus, ſed omnis ue- C hemęns labor (ut ibidem ait Galen.) poteſt eſſe abortus occaſio, nec non & dolor, & tandem omnis affectus, qui grauidas exagitans, eas reddit inquietas. His uerò omnibus addit Hippo. 4. Apho. quòd aph. 44. quæ pręter naturalem rationem macræ, & attenuatæ ſunt, neceſſe eſt abortiri, antequam reficiantur. Quod quidem (ut Gal. expoſuit) duplici modo fieri poteſt. Vel ut de illis ſit intelligendus Aphoriſmus, quę cum ex aliqua ratione præter naturam eſſent emaciatæ, & antequam reficerentur, grauidæ factæ ſunt, nam ſi ſint reficiendæ neceſſe eſt ſanguine matrem refici, quo fœtus alendus eſt, unde poſtea rationi conſentaneum eſt, ut fœtus alimento deſtitutus D corrumpatur. Alij uerò, ut ijdẽ teſtantur, aiunt Hippoc. uoluiſſe ſignificare eas, quæ ualde ſunt extenuatæ, hoc enim aiunt, ſibi uelle id pręter naturam extenuatæ, quia illæ, quę pręter modum extenuatę ſunt, præſertim patiuntur aborſum. Non autem æquale periculum omnibus menſibus, quibus utero mulieres gerunt, abortiendi, nam a primo uſque ad quartum, & a ſeptimo uſque ad nonum facilior eſt aborſus, non ęquè autem facilis intermedijs menſibus. Quemadmodum enim fructus inter initia, dum debilibus continentur capulis, facilius decidunt, ſi a uehementiori uento agitentur, ubi autem creuerint, ualentius arbori annexi magis reſiſtunt, quando uerò maturi, & abſoluti ſunt, adeo facilè cadunt, ut quan- E doque ſponte ſua ſine ulla externa occaſione deferãtur; Ita fœtus & inter generationis initia, & ubi iam abſolutus eſt, facilè eijcitur, quod tum Hippo. quarto com. 1. Aphor. tum Galen. tertio in primum Epidem. expo- com. 30. ſuere, quia inter initia, & ligamenta, quibus annexus eſt, imbecillia ſunt, & uniuerſum corpus molle, cum uerò trimeſtris, aut quadrimeſtris eſt, minus affici poteſt, & magis ſeruatur, ac ita ſubinde ſequentibus mẽſibus, poſtremus tamen quaſi iam maturus fructus, facilè cadit. Signa uero futuri abortus hæc referuntur ab antiquis medicis, pręſertim uerò ab Hippoc. quinto Apho. & primum, ſi pręgnanti menſes fluãt, pręcipuè uerò ultra primum, & ſecundum menſem (ait Hippoc.) fieri nequit, ut fœtus ſanus, & fortis ſit, aph. 60. unde aut ſeqtur abortus, aut editur partus infirmus, aph. 52.

&

& malè valens:eodem quinto idem ait, ſi lac è mam-
millis grauidis profluat, indicio eſt infirmum eſſe fœ
tum: nam vtrobique, nempe & quòd menſes pro-
fluant,& quod lac,id euenit ex imbecillitate fętus mo
dicè attrahentis,& conſumentis alimentum:vnde &
ſententiæ hæ intelligendæ ſunt cum copioſum fit mé
ſium, & lactis profluuium, quando adeo copioſum
lac ad mammillas confluit, vt ſponte ex eis profluat,
& menſes adeo copioſi fluunt, ſicuti quando in vte-
Aph.37. 38.& 53. ro non habebat mulier. Ad hoc etiam caput pertine-
re videntur, quæ ab eodem Hippoc. eodem lib. refe-
runtur quòd ſi mammæ prægnanti ſtatim demacrue
rint, manifeſtum ſubeſt periculum abortus: nam aut
defectum ſanguinis, quo erat alendus fœtus ſignifi-
cat, aut quod natura ſpiritum, & ſanguinem deor-
ſum mittit, vt fœtum, quem vterus non poteſt am-
plius ſuſtinere, excutiat. Addit autem Hippoc.quòd ſi
grauida geminos in utero habeat, ſi altera mamma
demacreſcat, fœtus illius partis, ex qua mamma ema
cruit, excutietur: maſculus quidé, ſi dextra mamma,
fœmina verò, ſi ſiniſtra: vterque, ſi ambæ. Sed & qui-
bus inditijs deprehendi poſſit fœtum eſſe mortuum
in lib. de Superfœtatione expoſuit Hipp. nam ſi dum
mulier modò in dextrum, modo in ſiniſtrum latus ſe
vertit, percipiat pondus quoddam quaſi lapidé quen
dam delatum lateri, in quod ſe vertit incumbens, ſi-
gnum eſt mortuum eſſe fœtum, qui fertur quocun-
que ſe mulier conuerterit. Sed & fæmora emortuó
fœtu frigent. Venter etiam, qui prius cum vniuerſo
corpore erat diſtenſus, concidit. Si etiam inſtante par
tu mulier concauos oculos habeat, faciem verò, &
pedes tumidos, ſicuti habent, qui hypoſarca laborāt.
Si etiam (ait idem) auriculæ, & ſummæ nares albicét,
& labra liueant, aut extinctus eſt fœtus, aut exanguis,
& morboſus.

De ratione cuſtodiendi grauidas ab abortu.
Cap. XXII.

QVoniam vero imminente abortus periculo
confùgere ad medicos, qui mulieris grauidæ
curam habent, & ab eis opem implorare ſo
lent, ideo & hoc ad inſtitutum noſtrum non parum
pertinere videtur, vt eis conſulamus. Neque tamen
res hæc longiori eget ſermone: nam in duobus capi-
tibus videtur vniuerſa ratio conſulendi conſiſtere.
Nempe primum, vt antequam fiat abortus, cauſas
vnde timendus ſit, cognoſcamus; atque illis occur-
ramus; quatenus fieri poteſt. Et quantum ad exter-
nas cauſas pertinet, cum earum aliquæ in nobis ſint,
& a propoſito noſtro pendeant, illas quidem modo
velimus, facile declinare poſſumus, ſicut curſus, ſal-
tus, clamores, & id genus alia. Quædam verò fortui-
to ſolent accidere, vt caſus, percuſſio, alliſio dorſi, vel
ventris ad aliquam rem duriorem, ſubiti timores, ira-
cundiæ, lætitiæ, męrores, & quęcunque ad hoc genus
pertinent, quæ quidem cum in nobis minimè ſint, in
his hoc ſolum procurādum, vt occaſiones fugiamus.
At verò internæ cauſæ cum omnes in aliquam tan-
dem corporis affectionem reſoluantur, aut propriā
& primariam ipſius vteri, aut ex eius cum affectibus
vel vniuerſi corporis, uel certæ alicuius particulæ cō
ſenſu, neceſſe erit eam affectionem curare, quæ abor
tiēdi cauſa eſſe poteſt. Plures autem, & variæ (ut prio
ri capite fuit expoſitum) ſunt affectiones, quę abor-
tum poſſunt afferre, vnde & pro earum diuerſi-
tate diuerſa etiam curandi ratio eſt inſtituenda. Vt
tamen & hoc ſit addendum, quod cauſæ quidem in-
ternæ, quæ in affectiones uteri vel eius proprias, uel
ex aliarum partium conſenſu referendæ ſunt, ante
quàm mulier concipiat, tollendæ ſunt, quia cum mu-
A lier in vtero habet, difficilis eſt earum curatio. Qua
autem ratione curandæ ſint, nos proprijs capitibus
expoſuimus, vnde ſuperuacaneum eſſet in præſentia
de eiſdem ſermonem repetere: de illis autem dunta-
xat agemus, quæ a laxitate, & mollitie acetabulorū,
vinculorumve, quibus annectitur fœtus vtero aut ab
anguſtia, & paruitate ortum habent. Hippoc. itaque
in lib. de Natur. mulierum, ac de earundem Morbis,
vbi vterus ineptus ad geſtationem propterea ſit, quia
acetabula ſint pituita plena, & ille madeſcat, ac ex eo
mucores effluant mordacitatis conſpicuæ omnino
expertes, eo pręſertim tempore, quo iam per biduū,
aut triduum menſtrua purgatio deſierit, nam in hoc
vteri affectu & menſes fluunt, & nihil obſtat, quo mi
B nus mulier concipiat, quamuis poſtea diu fœtus ferri
nequeat, quia cum grandior, & grauior fit, nexus diſ-
rumpuntur remolliti a nimio illo humore, tunc (ait
ipſe) occurrendum eſt huic incommodo antequam
mulier cōcipiat, primum ſane corporis vniuerſi pur-
gatione, vt ſuperuacaneus humor qui habitum eius,
quique venas & ventriculum occupat, detrahatur:
mox verò utero incumbendum, & prius quidem, ut
ille ſolitus erat cum ficuum decocto, poſtea uerò ea-
rum rerum decocto, quę vim aſtringendi habent, (ea
enim & roborant, & deſiccant) bis terve oportet
colluere, tertio ea ſubijcere, quę pituitam detrahere
poſſunt, atque iterum eiſdem addito modico aceto
abluere, atque poſtremo ubi menſes fluxerint, uti
C ſuffitu aliquorum aromatum, ad extremum uero vo
lebat ita paratam mulierem cum uiro comcumbere.
In qua quidem curatione hos ſcopos ſpectaſſe uide-
tur: nempe vt materia pituitoſa ſubtrahatur ab uni-
uerſo corpore, quę ad uterum quotidie confluens, il-
lum laxiorem, & humidiorem reddit, deinde vt &
vterus a defluxo humore mundior redderetur, po-
ſtremo ut exſiccaretur, & roboraretur. Sed non mo
do, quę ſubijciuntur, & inijciuntur, poſſunt his ſco-
pis particulatim eſſe opportuna, his pręſertim tépo-
ribus, quibus non ita facile mulieres admittunt eas
ablutiones, & quæ etiam ſupponuntur: verum & quę
exterius dorſo, & uentri adminiſtrantur, quę & deſic
candi, & aſtringendi vim habent, ut olea, cerata, fo-
D menta, uel decocta, & emplaſtra, vel vnguenta, quo-
rum ingens ſylua eſt. Simpliciora ſunt, ut olea aſtrin-
gentia, quemadmodum oleum maſtichinum, nardi-
num, myrtinum, roſaceum, pręſertim omphacinum
dictum, melinum, vel ex cotoneis. Compoſita verò,
quę in pręſentia in multo uſu ſunt: pręcipuè ſunt hęc
vnguentum, quod deſcripſit Bartholomęus Monta-
gnana, & a corticibus caſtanearum nomen habuit.
pręterea, quod & ualentius eſt, unguentum, quod
Comitiſſę appellant a Gulielmo Varignana deſcri-
ptum. Sed & cerata fieri poſſunt ex prędictis oleis
aſtringentibus, additis pulueribus, quę itidem aſtrin-
gant, ſicuti maſtiche, ſpica, roſis malicorio, thu, cyti-
nis, corallis, & id genus alijs pręterea uerò cera, &
E reſina, pręſertim terebinthina. Obſtetrices uero etiā
in uſus hos vtuntur coccis, uel granis tinctorum, fa-
cto ex eis puluere, cui & coralli, & margaritę utiliter
commiſceri poſſunt, atque ex ouo ſorbili deuoranda
exhibent. Et hęc quidem quantum ad hanc iſtius af-
fectionis curationem pertinent putamus poſſe eſſe
ſatis. Niſi quod de uictus ratione hęc paucula ex-
ponenda videntur, quod quę timent abortum, illis
balneę cauendæ ſunt, poſtquam ſe concepiſſe cre-
diderint, & primis diebus cibo etiam parce uеſci de-
bent ut ſenſerit Hipp. illis ſatis fore, iſi ad ſeptimam
uſque diem, bis tantum, terve illis detur polenta ex a-
qua citra ſal, qui & etiam illis indulgendum eſſe ait,
ut ſi uoluerint inambulare, id loco plano, non accliuj
neque decliui agendum ſit. Inter carnes, palumba-
rum,

rum, uel ſimilium maximè Hipp. probantur, & potius aſſæ, quàm elixæ: vinum nigrum aptius illis eſt, & tandem quæcunque aluum aſtringunt potius quàm laxant, ſed & olera, præſertim acria, illis aduerſaria ſunt. Alia uerò, & huic omnino oppoſita ratio occurrendi illis eſſet, quæ non ob nimium humorem pituitoſum abortiri ſolitæ ſunt, ſed potius ob anguſtiã, & ſoliditatem, denſitatemque ſubſtantiæ uteri, nam in his mollientibus, laxantibus, & lenientibus agendum eſt, quæ in uuluam ſubijcienda ſunt. Hip. autem in libris de ſuperfœtatione, & de ſterilibus mulierib. conſulebat, ut præterea illis uteremur ſuppoſitis, & in vterum inditis, quæ flatum plurimum excitare poſſent, vt inde inflatus uterus diſtẽderetur, ac laxior redderetur, vnde ſimile medicamentum ibi ipſe propoſuit, ut accepta ſylueſtris cucumeris medulla, contundatur, addito modico laſeris, ac mox melle optimè cocto excipiatur, quod medicamentum uoluit eſſe utero, quantum intimius poteſt, indendum ſpecillo craſſo, quantum os uteri admittere poſſit, quod impoſitum eatenus intus detinendum, donec medicamentum liqueſcat; moxque extrahendum eſt. Verum & idem facit medicamentum eodem modo confectum ex elaterio, & ſilueſtri cucurbitula. Laudat etiam liberalem allij vſum, & aliorum pertinentium ad uictus rationem, quæcunque flatum generant. Sed in his non erimus longiores, rariſſimè enim his temporibus hæc admittere mulieres uolunt, aut hac de cauſa medicum adeunt.

Qua ratione ſuccurrendum ſit mulieribus poſt abortum, ac quomodo poſſit mortuus fœtus excuti.
Cap. XXIII.

QVia abortus eſt quidem partus intempeſtiuus, & minimè naturalis, quo fœtus ante tempus à natura ſtatutum in lucem editur, aut viuus, aut mortuus, ſemper tamen ſaltem, qui non ſit ſuperſtes futurus: Inde fit vt eiuſdem omnino incommodis, ac periculis expoſita ſit mulier ex abortu, quib. eſt etiam à partu, uel longe etiam maioribus quoniã (vt Hipp. in lib. de morb. mulier. teſtatus eſt) abortus multo grauior eſt partu. Cui ſententiæ & ratio conſona eſt, cum partus naturalis quidem ſit, abortus verò fieri nequeat ſine aliqua vi, aut ab interna, aut ab externa cauſa naturæ illata. Quamuis autem multa, & quaſi innumera ſint mala, quæ poſſunt tam parientibus, quàm illis, quæ faciunt abortum, accidere, ſi particulatim omnia perſequi velimus, quia tamen ea omnia in tria tandem capita referri poſſunt, quæ tanquam cauſas, & initia reliqua omnia ſequuntur, ideo breuitati ſtudentes de his tribus præſertim verba faciamus, vtpote ad quæ ſemper medicum oporteat reſpicere, quãdo illi opus eſt alijs occurrere. Tria uero capita ſunt, quoniam ita in partu, ſicut in abortu, oportet primũ fętum excuti cum reliquis, quæ ad fœtum pertinent, ſicuti membranæ, quibus erat fętus inuolutus, quæ à noſtris ſecundæ, vel ſecundina dicuntur Græcè verò χορια, vel ὕστερα: Deinde vero excernendus etiam eſt uitioſus, & excrementoſus humor, qui per plures dies ſolet in puerperis excerni, à quibus expurgatæ mulieres ſicuti ſanæ mox degere ſolent, ita quando detineatur, grauiſſimis morbis (vt alibi diximus) ſolent eſſe expoſitæ, & à noſtris puerperia, à Græcis autem λοχεῖα dicuntur. Aliquando uerò tantum ſequitur ſanguinis profluuium, ut ad extrema pericula mulierem adducat, cum non modo, quod uitioſum ſit, profluat, ſed & ſanguis, & ſpiritus, quæ ſunt fundamenta caloris natiui, & uitæ quo fit, vt aut retineãtur, quando partus infęliciter ſuccedit, quæ eſſent excernenda, aut ea excernantur, quæ non eſſent ex-

A cernenda. Retinentur autem aut fętus, ſi mortuus ſit, & ſecundæ, aut puerperia: Excernuntur autem non excernenda, quando ſequitur nimia ſanguinis profuſio, ut ſæpe ad uirium caſum res perueniat. Vnde iſtius quidem incommodi comes eſt ſymptoma, quod commune eſt cuicunque immodicæ uacuationi, præſertim uerò ſanguinis. Sed retentionem tam purgationum puerperiorum, quam ſecũdæ, & emortui fętus varia, & plurimum verenda ſequuntur ſymptomata, ut ſtrangulatio, ſyncope, dolor capitis, deliria, poſſunt, & epilepſiæ, & interdum ſopores, & quę cunque præterea mala poſſunt ſequi conſentiente capite, vel corde, vel ventriculo cum utero, præſertim ex uitioſis exhalationibus ab his retentis rebus elatis B ad alia uiſcera, ut prætereamdolores, & multa alia id genus mala. Nam eadem, quæ & ſuppreſſa mẽſtrua ſequi ſolent, ſuppreſſas poſt partum purgationes, ſecundamque, & fętum emortuum ſequi conſueuere, ſed longe grauiora, & deteriora ſicut, & longe peior eſt natura horum excrementorum quàm illorum, vt in capite de menſium ſuppreſſione ex Gal. ſententia expoſuimus, imprimis uerò, quando corrupta putreſcere incipiunt. Sed de alijs quidem, nempe de ſuppreſſis purgationibus poſt abortum, uel partum non eſt, cur in præſentia longiorem habeamus ſermonẽ, itemque, & de nimia ſanguinis profuſione, cum eadem ſit ratio his occurrendi, quæ & ſuppreſſis menſibus, ac menſtruorum immodico profluuio: At de ra C tione ea duntaxat agemus, qua fętus mortuus ſit excutiendus, hoc enim in abortientibus, quàm in pariẽtibus, frequentius ſolet euenire, vnde hoc loco de hoc imprimis agemus, de eductione uerò, ubi de ijs, quæ parientibus ſolent contingere, uerba faciemus. Multa itaque ſunt ingenia, quæ ad excutiendum fœtum mortuum medici, tum ab experientia, tum à ratione docti commenti ſunt, nam quia adhoc plurimum corporis concuſſio, & agitatio conducere deprehenſa eſt, ideo aliquando, ſi tales ſint uires, ut hæc ſufferre poſſint, faciunt medici, & obſtetrices, ut currant, ſaltem mulieres ex aliquo ſublimiori loco, ſicuti ex ſcamnis, ex ſcalis: alij ſub alis ipſas apprehenſas ſuſpendunt, & concutiunt. Priſcis temporibus (vt Hipp. in D lib. de morbis mulierum literis proditum reliquit) mulierem ſuper lectulo ſupinam collocatam faſcia valida, vel molli loro ligabant ſecundum pectus, & manus, reductis tamen cruribus, ſed illam pedib. continebant, deinde ſubiectis ſarmentis lectum ita parabant, vt ad caput ſublimis quidem eſſet, decliuis uerò ad pedes, ac duos viros paratos habebant, qui pedes lecti, qui ad caput ſunt apprehenſos, æquabiliterque ſuſpenſos concuterent, cauebant tamen, nedum concuterent, pedes lecti inferiores ad terrã prolabentes tangerent. Conſueuerant tamẽ illi mulieres prius (vt ibidem docuit Hip.) multa aqua calida lauare, & id non citra rationem, vtpote, quia prodeſſe nõ parum huic negotio poſſit cum laxet, & molliat partes illas, vt fa- E cile poſtea aperiantur, & fętus deſcendere, ac tranſire poſſit, quamuis his temporibus adeo balneæ in mulieribus noſtris parum in uſu ſint, ut quàm maxime in puerperis timeant vſum aquæ, etiam calidæ. Sed (vt ille tum loco nuper citato, tum vero 5. Aph. docet) ſternutationes quoque vi excitatæ ad excutiendum, & fętum, & ſecundas maximam vim habent, quæ dum concitantur, docuit Hip. nares eſſe apprehendẽs, ac una cum ore eſſe comprehendendas, ut maior fiat in ſternutando concuſſio, & uiolentior ſpiritus expulſio. Nec ſolum his tanquam inſtrumentis oportet vti ad excutiendum fętum mortuum, & ſecundas, uerũ, & medicamentis, quæ & ipſa nõ parũ poſſunt ad hęc poſt abortum educenda. Galen. itaque 6. de fac. ſimp. med. imprimis laudat ſabinam, ſeptima uerò eiuſ-

com. 35.

dem

dem operis radicem maioris centaurij potui datam,
præterea verò matronalis à Latinis violæ appellatæ,
a Græcis λευκοῖον decoctum, itemque earundem ſe-
men duarum drachmarum pondere acceptum, itidē
& calamenthum: ſed octauo eiuſdem radicem filicis
tritam ac pondere quatuor drach. datam ex mulſa bi
bendam, præterea & mirrham commendauit. Horū
autem quæcunque, vel ſaltem pleraque non ſolum
comeſta, vel bibita conferunt, ſed inferius ſi ſubijcian
tur, aut ſuffiantur, plurimum facere poſſunt. Nam ſi
lupini, & mirrha commiſceantur, ac melle excepta
ſubijciantur, efficax remedium erit: thymi etiam vſus,
& (vt Dioſcorides teſtatur) dictami Cretenſis magnā
in his vim habent, ſiue potui dentur, ſiue ſubijciātur,
ſiue ſuffiantur. Idem etiam affirmat, chalbanum roſa
ceo, & mirrha mixtum, ſi bibendum dederis, pluri-
mum eſſe efficax remedium, ſicuti etiam eſt radix
tuſſilaginis potui ex mulſa data, Refert præterea idē,
quoſdam affirmare, quod lac canis primiparæ, ſi biba
tur, vim habeat mortuos fœtus excutiendi. Hippoc.
vero in lib. de Natur. muliebri ait vim inſignem habe
re in hunc vſum chalbanum ad oleę magnitudinem,
ſi teratur, ac oleo cedrino ſubijciatur, ſi etiam accipia
tur dyctami, quantum capi poteſt, illique addantur
dauci crotici ſeminis, & nigellæ ſingulorum drach-
mę duę, quę omnia terenda ſunt, ac iſtius medicamē-
ti ex vino albo bibendum dari voluit, quantum mor-
bi uis expoſcere viſum fuerit. Qui prętерea & hoc
addit, quod ſi fœtus vi frigoris fuerit pernecatus, ut
quandoque ex flatu uenti gelidi ſolet euenire, pluri-
mum confert, ſi accipiamus croci triti drachmę, eam
que adipe anſeris exceptam in vterum ſubijciamus,
cui & hoc medicamentum percommodum eſſe di-
xit, quod fit ex conyza, menta, melle, & reſina ſimul
tritis, ſi ex odorato vino aut paſſo bibatur. Addit etiā,
quod ſi fœtus mortuus iam putreſcens intumuerit,
poterit mulieri laboranti opem ferre hoc medicamē
tum, ut accipiantur ſucci marrubij, & apij, & lintheo
lo percolentur, roſaceique hemina illis addatur, adi-
piſque anſerinę quarta pars, atque oboli tres reſinę
ex oleo liquefactę, ac omnia ſimul miſcenda infun-
dendaque inferius, ſuſpenſa muliere in pedes, ut ta-
men diutius, poſt quam fuerit demiſſa, iaceat & quie
ſcat. Sunt & multa alia, quę tanquam in hunc vſum
valentia narrantur, in quibus eſt parietaria vino tri-
ta, refertur & hoc medicamentum tanquam potens,
& efficax, ſi inferius ſubijciatur, quod accipit ſciſſilis
aluminis drach. unam, veratri nigri obolos tres, at-
que hęc trita uino nigro ſunt excipienda, ut glans in-
de confici poſſit, quę intro propellenda eſt, donec fę-
tus putridus totus exeat. Fit etiam cataplaſma, acce-
ptis calamo odorato, & interiori parte cucumeris ſyl
ueſtris, ac illis ex anſerino adipe tritis fit medicamen-
tum vmbilico, & pectini imponendum, cuius etiam
portiuncula ex lana poteſt utiliter ſubijci. Quàm plu
rima etiam a Dioſcoride referuntur, quę in hunc v-
ſum utiliter poſſunt deduci, ut iridis radix excepta, &
in glandis modum ſuppoſita, cinnamomum & epo-
tum, & ex mirrha ſuppoſitum, mirrha cum abſin-
thio, & lupinorum cremore, vel ſucco rutę admota,
bdellium, & œſypus ex uellere impoſita, caſtoreū ad
drachmas duas cum pulegio epotum, item pediculus
foliorum hederę nigrę melle illitus, & impoſitus, prę
terea radix gentianę, ariſtolochia longa, ſi bibatur,
præſertim uerò cum pipere, & mirrha, itidem & tū
ipſa, tum rotunda ſuppoſita non parum virium ha-
bent, quemadmodum & ramenta radicum maioris
centaurij, eiuſque ſuccus, cum ſubijciuntur, ſemen
etiam uiolæ luteæ, quam matronalem Latini nuncu-
pauere, ſi pondere duarum drachmarūm ex uino bi-
batur, aut ex melle ſubijciatur, nō parum efficax me

A dicamentum eſt, ita & ſeſeleos ſemen radixque po-
tui data, chalbanum uero & appoſitum, & ſuffitum:
ammoniacum etiam potum, chamædryſque & mar
rubium, artemiſiæ quoq; decoctum, ſi in eo, deſideat
mulier, pini etiam cortex ſuffitus, pulegium, dictamū
que, tum appoſita, tum ſuffita, ſicut ſabinæ folia, ualēt
etiam decocta thymi, ſaturei, chamæmeli quoque ra-
dicibus, folijs, floribuſque, & in potu, & inſeſſionib.
vtiliter poſſumus uti, paſtinacæ etiam ſylueſtris radix
appoſita non parum prodeſt, ſed & radix erythroda-
ni impoſita, ſicuti & heliotropij folia trita, & in uni-
uerſum quęcunque faciunt ad menſes prouocandos,
præſertim uerò, quæ fortiora ſunt, poſſunt in hunc v-
ſum venire. Auic. theriacam diateſſarō laudat: Iunio-
B res verò medicamentum id laudant, quod deſcripſit
Nicolaus, & appellauit antidotum hæmagogum, qua
ſi dicas ſanguinem educens, & in euocandis mēſtruis
potens eſt, cum potui datur, uel deuoratur. Multorū
verò compoſitorum medicamētorum auctores me-
minere, ſed quia omnia ferè ex prædictis ſimplicibus
conficiuntur, ideo ne nimium temporis cōteramus,
non ea particulatim recenſebimus. Verum ad aliud
tranſibimus, cuius omnes ferè mentionem fecere: il-
lud autem eſt, quod interdum nullis auxilijs, quæ ad
materiam medicinalem pertineant fieri poſſumus
voti compotes, nēpe vt mortuus fętus educatur, qua-
re ſit neceſſe ad tertium medicum inſtrumentum trā
ſire, & manuum ope fœtum extrahere, cuius ratio v-
C niuerſa conſiſtit in prudenti, & diſcreta, faciliq; obſte
tricis, aut chirurgi opera, de cuius ratione, & modo li
cet multa à diuerſis medicis, tum Latinis, & Arabib.
tum uerò Græcis dicantur, nos tamen ea pręſertim
in pręſentia exponemus, quę ab Hip. in lib. de mulie-
rūm morbis fuere literis prodita. Cum itaque facilior
partus, tum a pariente occaſionem habeat, tum uero
à partu, hoc eſt à fœtu edendo in lucem, poſſunt qui-
dem ea, quę in pariente debent deſiderari, eſſe in edē-
do fętu viuo, vel etiam mortuo, quorum pręcipuum
ſunt vires eius ualentes, non poſſunt tamen ea, quę
in fętu requiruntur. Nam quoniam nihil minus uti-
le eſt robur ipſius edendi fętus, quod quidem in mor-
tuo nullum eſt, ideo de hoc nulla facienda mentio.
D Multi tamen momenti eſt eius ſitus, uel figura, tam
in naturali, & uiuo partu, quàm in mortuo. Figuram
autem, vel ſitum voco, quādo aut rectus offertur ori
ipſius uteri, uel tranſuerſus, ut quando quaſi duplex,
vel in latus: nam aliquando nates primę offeruntur,
vt ferè neceſſe ſit, ut duplicetur inflexus fętus, inter-
dum manus, & brachium exeunt, nonnunquam pe-
des, exitus verò facilior, & naturalis magis eſt, quan-
do in caput exit. Quo deinde fit, ut ad obſtetricem,
vel chirurgum pertineat procurare, vt cōuerſus mor
tuus iam fœtus in caput educatur: vnde cum aliter fer
tur, quam in caput difficilis fit eius excuſſio. Quare do
cuit Hippoc. mulierem ſupinam eſſe conſtituēdam,
clunibuſque molle aliquod ſubijciendum eſſe, ut illę
E ſimul cum pedibus, & cruribus ſint capite ſublimio-
res, quo poſſit fętus repelli facilius, & in caput con-
uerti, quod ſi fiat, mox ſubtracto eo, quod clunibus
ſubiectum fuerat, capiti ceruicalia ſunt ſupponenda,
vt corpus decliue ſit: nam ita muliere collocata faci-
lius fętus excidit. Verum ſi partus nequeat dirigi, ma
nus autem, aut pes, extra procidat, totum id, quod ex-
tra prominet, quam maximè ſupra fieri poteſt, abſcin
dendum eſt. Vt tamen prius & memores ſimus prę-
cepti Hippo. in lib. de extractione fętus mortui, nem
pe caput mulieris linteo contegendum eſſe, ne tam
horrendo ſpectaculo deterreatur. Pręciſa autē pro-
minenti particula, iterum tentandum eſt, ut repul-
ſus ſenſim fętus in caput dirigatur, pręciſis tamen vn
guibus, ne lędatur eis vterus intromiſſa manu, quę
tamen

tamen ubi prius, aut ex aqua madida, aut lubriciſſimo aliquo cerato, vel oleo illita fuerit apprehenſum partum leniter attrahat, ſi ille quidẽ facilè ſequatur: ſin autem, procurandum erit, vt caput ſaltem extrahatur: ita enim in lib. de Superfœtatione conſulebat Hippoc. Et quamuis quidam fuerint, vt idem teſtatur in lib. de mulierum Morbis, qui caput tunc findere ſcalpro, & confringere conſueuerint, tenaculæ vſum declinantes, atq; mox oſſa paulatim extrahere. Hipp. tamen non admodum hoc probatur, ſed magis, ut caput extrahatur integrum, ſi id fieri poſſit: alioquin enim cum integrum nequit, & ipſe infringi conſulit. Ita autem educendum eſſe ait in lib. de Superfœtatione, nempe vt inter caput fœtus, & os vteri manus immittatur, ac digito mentum perforetur, itaque paulatim caput extrahatur, vel pollice caput abſcindatur, extrahaturque: verum vt hoc fiat, oportet vnguẽ pollicis talem eſſe, vt longior, & ſolidior & eo modo formatus ſit, vt id poſſit præſtare, poteſt tamen & vnco apprehenſum extrahi, quo extracto eodem modo & cætera poſſunt extrahi. Sed antequam reſcindatur caput, vel alia pars, ſi in caput ſit fœtus conuerſus, experiri oportet, poſtquam in iugulum inſertus vncus fuerit, ſi paulatim, & leniter primum attrahendo, deinde fortius poſſit uniuerſus educi, ſi ſequatur tractus: ſin verò caput primum abſciſſum educendum, deinde à ſcapulis manus reſcindendendæ, & extrahendæ, poſtea coſtæ confringendæ, & cum ſcapulis extrahendæ: ſed cauendum, ne incidatur venter, ne effluens ventriculus cum inteſtinis, & ſtercore, operationi ſit impedimento, eam reddens difficiliorem: niſi ſi quando adeo prę flatu intumuerit, ut ęgrè elabi poſſit, tunc enim erit perforandus, vt effuſo ſpiritu, factus gracilior facilius poſſit educi. Monuit præterea idem Hippo. in lib. de Morbis mulierum, ſi aliquando operator ſit ſcalpro vſurus ad fœtum intus concidendum, præſtare, ut eo potius adunco, quàm recto vtatur, & dum intromittit, vt id faciat tecta cuſpide digito, atque ita tentet, ne uterus a cuſpide lædatur, ſaucieturque. Neque illud etiam præterea omittendum eſt, cuius idem in lib. de Extractione fœtus mortui ſcripſit: nimirum ubi fuerit fœtus extractus, locos multa calida fouendos eſſe, & liniendos oleo, & id quidem ad dolorem, & moleſtiam illatam ex ea operatione leuandam, quodque mulier iaceat & leuiter pedes moueat, ne irritentur particulæ ex importuno motu. Mox uerò & id conſulit, ut mulier vinum album, calidum, dilutum tamen, bibat: nam & dolorem lenire poteſt, laxareque, & aperire. Laudat preterea potum confectũ ex vino reſina, & melle dilutis. Sed in his nõ immoremur amplius.

De ratione opem ferendi illis, quę difficilem partum habent. Cap. XXIIII.

SI quis rectè, & ex ratione ſuccurrere uoluerit mulieribus, quæ difficulter pariunt, illi prius opus eſt nouiſſe, quibus de cauſis facilis & quibus difficilis fiat partus, vt unicuique earum, pro ut earum ratio expoſcit, occurrat, unde & de his priorem quidem ſermonem habebimus, hoc tamen primum tanquam fundamento conſtituto, quod a Galen. 3. de Facult. natur. fuit expoſitum, nempe quòd partus eſt opus naturalis facultatis expultricis, quæ tunc demum nititur fœtum expellere, quando illum amplius ferre nequit, quia nimirũ ab eo offenditur. Multiplex verò ratio eſt, cur iam offendatur, primũ quidem propter molem: iam enim adeo creuit, ut amplius extendi vterus minimè toleret, deinde uerò ob pondus, quia iam adeo illi grauis eſt, ut uires eius ſuperet, tertio mordacitate, nam multi uitioſi humo-

A res, dum in utero gerit mulier, in membranis recluſi congeruntur, qui, dum in illis continentur, nullam afferunt moleſtiam, uerum illis diſruptis, ac in uterum effuſis mordetur, & uellicatvr uterus, quo fit, ut ad expellendum moueatur. Hippocratem etiam laudat Galenus, qui dixerit, quòd vehementiſſimis motionibus fœtus ſuccedit partus naturalis: quia cum vehementer quaſi calcitrans mouetur, & ſe agitat, membranæ dictæ diſrumpuntur, vt ille in lib. de pueri Natura literis prodidit: ſe autem tunc præſertim mouet, agitatque, cum alimenti indigus eſt, cũ enim quò maior fœtus, eo & pluri egeat alimento, quando adeo creuit, vt mater nequeat amplius tantum ſanguinis illi ſubminiſtrare, quanto eget ad alimentum
B ſui corporis, moleſtia affectus, incipit ſe dimouere, ex quo fit, vt, licet rariſſimè, decimum menſem mulier prægnans poſſit excedere, aliquæ tamen ſerius, aliæ tempeſtiuius naturali partu fœtum in lucem edunt, & hoc inde occaſionẽ habet, quòd aliquæ aut ſuapte natura, aut alia de cauſa ſanguinem, quantus illi ſatis ſit fœtui facilè ſubminiſtrare poſſunt, aliæ ſecus, maturius enim pariunt, quæ in vtero minus, tardius verò, quæ plus ſanguinis continent. Vnde & primiparæ, vtpote in quibus minus ſanguinis ad uterum confluat, tempeſtiuius pariunt: & hac etiam de cauſa, qui bus menſtrua fluunt, illæ pauciſſimum lac habent. Huic tamen fundamento & illud addendum eſt, qđ
C quamuis partus ſit proprium facultatis expultricis opus, fœtum tanquam rem lædentem expellentis, nõ parua tamen intercedit differentia inter expulſionẽ vteri, cum cætera, quę verè excrementa ſunt expellit, vt eſſent mẽſtrua, molæ, & id genus reliqua, & eam, quæ in uero, & naturali partu ſit, quia cum cætera excrementa excernuntur, quæ in anima ſunt, vniuerſa ferè uis eſt in utero, & in expultrice eius facultate, ea verò, quæ expelluntur, nihil in hoc agunt, niſi quod mouentur, niſi quis iuuare contendat quatenus grauia, vel fluida ſunt, ſed hoc nihil ad noſtrum inſtitututum, nam ea generalis quædam & nimis communis ratio: fœtus verò, qui viuit, & facultatem eam a natura, & ab anima, qua præditus eſt, habet, ut ſe etiã
D mouere poſſit, diſruptis (ut ait idem Hipp.) membranis quaſi è vinculis erumpens, dimouet ſe, & ſuum exitum accelerat, quaſi adiuuans uteri facultatem ad expellendum, vnde & viuus fœtus, & qui fortis eſt, facilius plerunque, quàm mortuus, & imbecillis in lucem editur, & rectè dictum eſt a Gal. 5. Apho. quod ad bonum, & facilem partum opus ſit fortitudine vtriuſque, nempe grauidæ mulieris, & fœtus, quodque mulieres, quæ, dum in utero gerunt, ſæpius detinentur febribus, ſolent grauem partum, & non ſine periculo aut matris, aut infantis, edere, & quandoque vtriuſque, cum enim ambo lõgiori laborauerint tempore, non poſſunt vires admodum robuſtas habere. Sed & prudenter etiam videtur Gal. 1. de Sympt. cauſis grauidas monuiſſe, ne ita, ut pleræque, con
E ſueuere ſe cibis his expleant, qui prauum ſuccum generant: nam preter id, quòd inde magis ſunt morbis expoſitæ, hoc etiam illis ſolet accidere, quòd vbi fœtus ſit grandior, & quartum menſem excedit, cum pluri egeat alimento, nec bonus qui multus in ijs eſſe non poteſt, quæ malis ueſcuntur cibis, iam ſatis eſſe queat, cogitur malo uti alimento, unde fit, ut deinde vitioſioribus ſuccis redundans, maiorem contrahat intemperiem, imbecilliorque tandem euadat. Et hac fortaſſe etiam de cauſa grauidæ, quæ tempore, quo habent in utero, ueneri indulgent, difficiliorem (ut teſtatur Hippoc. in libro de Superfœt.) partum ſolent habere. Quamuis autem ad facilitatem partus duo hæc maximam uim habeant, tamen & alia quædam his accedunt, quæ non exiguum & ipſa mo-

mentum

mentum in hac re habent, quorum aliqua ex parte matris ſe tenent, alia ex parte infantis. Ex parte quidem matris ea ſunt, quæ ad vterum pertinent, quæque ad dolores, qui parientibus ſolent accidere. Ad vterum quidem pertinet eius anguſtia, pręſertim oris eius, uel ceruicis nam difficilior eſt partus, ubi maior eſt iſtius particulæ anguſtia, difficiliorque eius diſtentio. Poteſt autem occaſionem habere hæc anguſtia, aut ex propria uteri ratione, aut ex ratione aliarum partium, quæ illi vicinæ ſunt, Ex propria quidem vteri ratione hoc fit, quandoque ex ipſa natura, ut ſi a principio ſui ortus ita anguſtus, & paruus ſit genitus vterus, & hac de cauſa ſolét primiparæ difficiliorem partum habere, nam in illis plerunque anguſtior eſt vterus: poſtea enim ſemper magis ampliatur: quandoque uero ex aliquo affectu, ſicuti ex nimia eius ariditate contrahente, aut ex importuno frigore denſante, aut ex conſolidatis vlceribus inducta nimirũ duriori cicatrice, aut ex aliquo tumore præter naturam ſuborto in vtero, uel ceruice eius, aut fiſſura, aut venis hæmorrhoidalibus, aut quia fuerit nata mulier clauſo meatu uteri, & adhibito chirurgo inciſa membrana, quæ erat inducta, neque tamen, quantum excedebat, fuerat reciſa, aut quia mulier nimis obæſa, & pinguis ſit. Sed & dolorum vehementia difficilem ſolet facere partum, quia mulier impatiens eorum eſt, vnde hac etiam de cauſa primi partus difficiliores ſunt, magis enim mulieres, quæ non ſunt uehementibus his aſſuetæ eos timent, atq; minus eos ferre poſſunt, ſicut & illæ, quæ non admodum fecundæ ſunt, rariuſque (ut ait Hip. in lib. de Nat. pueri) parere ſolét. Ratione verò vicinantium partium fit pariendi difficultas, ſi ab illis uterus, aut eius ceruix comprimatur, ſicuti ſi ueſica, aut copia urinæ intumuerit, aut ex cõtracto aliquo tumore præter naturam aut inteſtina ſint duro referta ſtercore, aut præter naturam, ex aliquo tumore, aut ex hæmorrhoidibus intumeſcerent, (ut ait Auicen.) ſi mulier ſuaptè natura ſtricta ilia habuerit. Ex parte autem fœtus fit facilitas, aut difficultas partus, aut ratione eius propria, aut propter ea, quæ ad ipſum natura pertinent, ſicut eſt ſecundina, quæ propter fœtum genita eſt, & dum in utero continetur, illi adeo connexa eſt, ut quaſi pars eius cum eo creſcat, & alatur. Ex fœtus ergo ratione fit facilis, difficiliſve partus, uel ratione ſexus: quia (ut teſtatur Auicen.) facilior eſt maſculi quàm fœmellæ partus, & hoc vel quia fortior, vel quia calidior eſt tam uterus, quàm fœtus: Vel ratione magnitudinis, quia cũ uel prægrandis eſt fœtus præſertim uero caput, uel nimis etiam gracilis eſt fętus, difficilior eſt eius exitus, facilius autem cum mediocris: nam quæ moderata ſunt omnia magis familiaria, & amica naturæ, grandior difficilem quidem exitum habet propter anguſtiam meatus, minimus uero quia male altus eſt, & ideo infirmior, præterea uero quia in exprimendo non ita illi uterus accommodari poteſt propter paruitatem, ita namque & in alijs uidemus, uentriculus enim difficilis eſt ad uomitum, cum uel immodice plenus eſt, uel minimum quidpiam eijciendum eſt, ita & inferior aluus. Vel ratione etiam figuræ uitiatæ, ſicut ſi biceps eſſet fœtus, uel ſimilem aliam uitioſam haberet conformationem difficilem ad excretionem: Vel ratione numeroſi fœtus, cum enim plures in utero continentur fœtus, aliquando difficilior fit eorũ partus aliquando enim non ſolum gemini uel tergemini, ſed plures etiam continentur. Vel ratione modi aut ſitus, aut figurę, ſecundum quam in partu ad exitum mouetur fœtus: naturalis enim facilisque partus eſt, ut in caput conuerſus feratur partus, alioquin, ſi aut in pedes, aut in manus, ſi non rectus ſed tranſuerſus quocũque verſus feratur, adeo grauior, & difficilior fit partus, vt plerunque (ſicut teſtatur Hip. in lib. de Nat. pueri, & de Morbis mulierum) aut mater aut puer, aut uterque ſimul pereant. Fit uero ratione ſecundinæ partus difficilior, quando illa adeo dura, & craſſa eſt, ut a fœtu tempore partus nequeat diſrũpi, ut inde quaſi vinculis quibuſdam explicatus liberius moueri poſſit, interdum tamen ante pariendi tempus abrumpitur, ac humiditates inde effluunt, vt poſtea quo tempore eſſet edendus partus, ex ariditate fiat partus difficilior. Sed non deſunt interdũ & cauſę externę ex earum numero, quę procatarcticę a Gręcis, primitiuę uerò a noſtris iunioribus dictę ſunt, non exiguam vim habentes ad difficiliorem partum reddendum. Nam temporibus frigidioribus, frigidioribusque regionibus fit aliquando difficilis partus, in illis enim ſolet quandoque uenter inferior inflari, quo deinde additur parienti difficultas, niſi mulier ante pręſcriptum tempus pariendi ſe rectè ab incommodis frigoris cuſtodiat. Ab ęſtuoſis quoque, & nimis calidis temporibus, lociſque fit difficilior partus, quia uires facile diſſoluuntur a nimio calore, & grauida infirmior redditur, & ineptior ad ferendos labores partus. Addit pręterea Auicen. quod aliquãdo ex imprudenti vſu rerum bene olentium, ſicut ſunt ea quę aromaticum odorem ſpirant, dum ea olfacientia, vel reſtaurandorum ſpirituum & recuperandarum virium cauſa, offeruntur, fit partus difficilior: nam hęc uterum ſurſum attrahendo, addunt difficultatem parientibus. Vnde idem monet, ut grauidę ſi aliqua neceſſitate compulſę ſicuti propter ſyncopen his uti uoluerint, parcè illis hac ipſa de cauſa vtantur. Sed & importunus rerum aſtringentium vſus, quando illis aut ob euitandum abortũ, aut alia de cauſa immodicè utimur poteſt incommodum, & difficilem partum efficere. Partus autem difficultatẽ pręter uitę periculum, quod tum infanti, tum matri imminet, alia quoq; non nunquam ſolent incommoda ſequi; nam ex multo conatu, & multa expreſſione diſtenſum peritoneũ diſrumpitur, pręſertim uerò ꝓpè vmbiculum, ubi a cordis tranſuerſorum muſculorum uentris ſolutum eſt, interdum uerò & ad inguina, unde exeuntibus inteſtinis, ac ea parte abdomen impellentibus, fit ibi quaſi ramex. Addit autem Auic. quod interdum rumpuntur nerui ex ea multa diſtentione, lacertique, vt inde poſſit ſequi conuulſio, hoc tamen raro fit neq; memini id quo tempore feci medicinam, alicui eueniſſe. Quibus in hunc modum expoſitis, non erit admodum difficilè eorũm rationem inire, quæ commoda futura ſunt, vt facilior ſit partus: nam ſicut quęcunq; poſſunt imbecillas vires aut mulieris, aut fœtus reddere difficiliorẽ poſſunt partum efficere: ita & ea omnia declinanda ſunt vt eſus earũ rerum, quæ malos cibos procreant, nimia abſtinẽtia a cibo, vſus venereus, ægritudines præſertim longiores, quæ vſque ad tempus pariendi pertinent, & id genus reliqua omnia, quorum paulo ante fuit facta mẽtio. Præterea uerò multa ſunt quę adminiſtrata, & molita tum a medico, tum vel maximè ab obſtetrice peritis & prudentibus non parum prodeſſe poſſunt ad facilem partum procurandum. Nam obſeruatis diligenter ſignis, quibus facilè poſſit tempus cognoſci inſtantis iam partus, oportet ſe accingere ad opem parturienti mulieri diligenter ferendam. Signa uero partum pręcedentia aut omnino, aut ſępiſſime ſunt ea quę ab Hipp. referuntur in lib. de mulierum Morbis, nimirum grauida crebrius ſpirat, dolet ſecundũ lumbos, & id quia a fœtu percutitur ibi mulier: interdum verò & cordis dolore excruciatur, uentre uidelicet maximeq; utero compreſſo ab ipſo fœtu, neque tamen ſtatim his ſignis apparentibus, ac dolorib. incipientibus, in ſella collocanda eſt parturiens mulier,

immo (ut monuit Gal. 3. de natur. facul.) prius tractã ctum eſt os uteri a perita obſtetrice, ac obſeruãdum, quando ſe illud paulatim aperit, nam primum quidem hians deprehendetur, ut digitum parum obſtetricis poſſit admittere, mox uero etiam plus, neque poſt multi temporis interuallum magis adhuc apertum hiſcit. Vbi ergo eo patet, ut commodè uideatur fœtus poſſe egredi, tunc demum ſurgendum eſt ac in ſella collocanda mulier eſt, atque preſto ſit obſtetrix, quæ ſedentem mulierem, & parturientem adhortetur, ut paret ſe ad ſtrenue expellendum fœtum: interim vero illa continenda eſt, & hortanda ut dolores ferat patienter, ne aliquando eorum impatiẽs, & importune ſe exagitans, ſit in cauſa, ut fœtus conuertatur, aut in pedes aut in alium ſitum quo deinde fiat **B** difficilior eius, & incommodior partus, in naturali enim partu (ut docuit Hip. in lib. de natura pueri) initium pariendi fit quidem ex dolore, in parturiente ſi quidem ſanguis turbatur, atque ob ualidũ partus motum uehementer incaleſcit: vnde turbatus mox exit, quem ſequitur & cum naturalis fit partus, primum caput ſubinde reliquæ exeunt partes, poſtea umbilicus, hunc ſecunda ſequitur, ſecũdam uero aqualicus cruentus, hic ui, labore ac calore, a capite & ſubinde à reliquo corpore excutitur, uiamque purgationibus facit, poſt excuſſum ſi quidem fœtum craſſus quidã, & cruentus humor prodit, ſanguiſque in ſingulos dies quibus ſolet puerpera purgari prodit, qui ſi bene mulier ualeat, ſitque in poſterum ualitura, ſimilis **C** eſt ſanguini mactatæ uictime, & cito concreſcit: cum autem aut parce purgatur, aut aſpectu deteriores ſũt purgationes, neque excretus ſanguis coit cito, neque ualituram poſtea, neque in preſentia bene ualere ſignum eſt. Solét autem per triginta dies purgari, quæ marem peperere, per quadraginta, uel paulo plus q̃ fœmellam. Sed quamuis ita res ſe habeat plerumque attamen (ait idem Hippo. in lib. de natu. pueri) quod ſi puerpera, quę maſculum in lucem edidit, ad uigeſimum uſque, quę uero fęminam ad uigeſimum quintum diem purgetur, non propterea periculo alicui ſunt obnoxię. Addit autem, quod diuerſitas hęc, quę accidit circa numerum dierum purgationum, quandoque ab ipſa ætate occaſionem poteſt habere, quia **D** iuuenculę per pauciores, ętate uero prouectiores per plures dies ſolent purgari: quod fortaſſe eam cauſam habet, quod plus ſanguinis excrementoſi in ſenioribus congeritur, quàm in iunioribus cum maior ſit in his uis caloris natiui, concoctioque & digeſtio fortior; nam propterea neceſſaria eſt hęc purgatio, quia circa primos menſes conceptus minus ſanguinis menſtrui, qui tunc temporis detinetur, abſumi poteſt in alimentum, & incrementum fœtus. Ita ergo res procedit, cum ea, quæ ad partum pertinent, rectè & feliciter cedunt. Quod ſi contra fœtus, aut rectus quidem, ſed in pedes prodit, aut tranſuerſus, ita ut uel manus exerat, aut quaſi duplex nates uerſus exitum offerat, longe difficilior, & laborioſior fit partus, & **E** non ſine periculo, & quomodocunque fœtus à naturali & recta uia conuerſus feratur, ſiue in pedes, ſiue manum exertam, ſiue aliam quampiam partẽ primum habeat; in vniuerſum diligentiam eam obſtetricis deſiderat, quę omni facilitate & dexteritate nitatur fœtum, manibus intra repellere, ac illum, ut expedit, paulatim dirigere, & in caput conuertere, moxque partum iuuare, quã ratione ſolent obſtetrices iuuare. Sed ſi adeo crura prodijſſent, vt repelli obſtetricis ope nequirent, tunc eo etiam modo procurandũ eſſet ut quo pacto facilius poſſet educeretur, quãuis id factu ſatis difficilius ſit: unde à partu difficili, qui ita in pedes naſcebantur, agrippę antiquitus dicebantur. Facilior autem res erit, ſi uterus ita paretur, ut

A magis, & facilius diſtendi, & ampliari poſſit, ac exitus pateat magis naſcenti fœtui: id autem aſſequetur obſtetrix, ſi ſolicita erit, vt ille quam maximè humectus ſit, & mollis, & id aut ſuffumigijs ex calida, reliquiſq; rebus mollientibus, & humectantibus, præterea uero illinitionibus, aut oleo communi, & dulci, aut alijs mollientibus. Eadem uero ratio erit, ſi aliquando caput iam extra exiſſet, neque tamen ſcapulæ, & aliæ ſubinde partes ſequerentur, molliendæ enim & ſuffumigandæ eſſent genitales partes. Addit præterea ibidem Hippoc. quod ſi illinieris aliquo medicamento os vteri, in quo ſit vis dolores concitandi, non parum profueris: nam dolores non parum ad edendum fœtum vtiles ſunt: laudat autem ipſe medicamentum **B** factum ex elaterio craſſiori aqua diſſoluto: nec ſolum ciendos dolores conſuluit illitis medicamentis, uerũ etiam epotis, & tandem per os aſſumptis, & ſuppoſitis peſſis. Quamuis autem nullum fere prętantius remedium, quodque minori noxa poſſit adhiberi, quã id ſit, quod Hipp. 5. Aph. docuit, nempe vt ſternutatio excitetur, plurimam etenim ad excutiendum partũ vim habet; medicamenta tamen & ipſa non parum iuuant. *Aph. 58. Hippo. itaque, vt ipſe in lib. de Morbis mulierum tradidit, dabat ad partũ faciliorem procurandũ, radicem lauri eraſam, uel eiuſdem baccas tritas ex aqua calida, aut obolos duos Cretenſes dyctami triti itidem ex aqua calida: quandoque etiam accipiebat abrotani drachmam, illique addebat baccas cedri, & **C** aniſum, omniaque ex cyatho muſti dulcis terebat, atque illis alterum vini veteris cyathum ſuperinfundebat, potuique ante inuaſionem dolorum dabat. Huius etiam tanquam non contemnendi medicamenti meminit, quod accipit myrrhæ dyctami ſingulorum obolum, aniſorum duos obolos tantumdemque nitri, quæ omnia ex cyatho muſti dulcis ſunt terenda, ac additis duobus aquæ calidæ cyathis potui danda, ſi tamen prius grauida ſit calida aqua lota. Dixit autem præterea & hoc eſſe utile, ut accipiatur mellis, & reſinæ terebinthinæ æqualis portio, addito duplo oleo, ac uino odorifero, & ſuauiſſimo. Ego uerò cum difficilis ſit partus, ſolitus ſum (quemadmodũ etiam dixi, ubi de ratione educendi mortuum fętum **D** agebatur) dare bibendum oleum amygdalarum dulcium, aut etiam amararum, ductus quidem ab ipſa ratione, quia vim inſignem molliendi, aperiendique habet, cui & experientia ſæpiſſimè atteſtata eſt Dioſcor. vero in hac re & ipſe multa laudauit, ſicut dyctamum Cretenſe: vt & Hippoc. peucedani etiam ſuccum mirifice prodeſſe ait, folia marrubij, periclymeni ſemen, radicę lauri Alexãdrinę, ſi pondere ſex drachmarum ex uino bibatur. Immo & aliqua eſſe ait, quę plurimum appenſa conferunt, vt cyclaminis radix, anagyris etiam, quam tamen ſtatim a partu abijciendam ait, pręterea & iapſis fœmori alligatur, item & ſamius lapis, qui & geſtatus uim habet conceptum ſeruandi: ait & lapidem aetitem fœmori alligatum poſſe **E** præſtare, ut ſine dolore mulier pariat. Multa etiã ſuffita parienti mulieri poſſunt eſſe vtilia, in quibus hæc ſunt, quorum Hipp. in lib. de Morbis mulie. meminit, nempe ut reſina, vel cumino, uel pini cortici vulua ſuffiatur. Poſtremo uero Hipp. eodem libro, ubi omnino difficilis eſt partus atque per plures dies mulier parturiens doloribus torquetur, confugit ad ſanguinis miſſionẽ, cenſet autem venas in talo eſſe cædendas, ac pro ratione uirium ſanguinem eſſe detrahendum, ſi tamen iuuenis mulier ſit, & multo ſanguine abundans, & eo detracto, mox eam calida aqua, in qua cortices lauri efferbuerint, eſſe lauãdam, deinde uero dari bibenda dyctamum creticum, & ſemen viticis pari portione ex uino albo, uel aqua, ſubijci uero, chalbanum, lauri baccas roſaceo excepta ex lana,

Addit

A Addit autem præterea idem Hip. in lib. de Superfœt. qđ dum adeo difficilis eſt partus, vt medici ope egeat, puer editus in lucem, nõ põt eſſe admodum validus, & viuax: vnde cõſulit, vt neq; vmbilicus præcidatur, donec mingat, ſternutetve, aut vagiat, vtq; mater illi, quàm magis poteſt, proxima ſit, ac mulſam dari ſitiẽti puero, & tunc demum pręcidendum vmbilicum, cum intumeſcit, ac mouetur puer, ſternutetque, aut vocem ediderit: alioquin enim, cum non intumeſcit; neque mouetur opportuno tempore, non fore vitalem, vel ſuperſtitem eum exiſtimandum eſt. Edito aũtem in lucem partu aliquando ſecunda non prodit, ſed interius retinetur, quæ non parum negotij interdum faceſſit puerperis, periculumque illis inſigne affert: B vnde & ad medicum præterea pertinet procurare, vt illa & citius & facilius, quam fieri poteſt, excutiatur. In cuius eductione primum Hipp. præceptum in eodem lib. de morbis traditum eſt hoc, vt illa cum trahentem obſtetricem non facile ſequitur, vi non attrahatur, ſed leuiter, & facile, alioquin enim poterit ſequi inflammatio, ſed paulatim educenda: nec in pręſentia in his recenſendis ero longior, quæ idem Hip. ibidem refert, quibus docet quo pacto poſſit ſecundina paulatim, & ſine vi aliqua trahi. Primũ enim ait, quod ſi lanæ mollis, & magnus cumulus ſubijciatur parienti mulieri, quo partus, cum editur, excipiatur, ſi cuti lana paulatim ſubſidet, & depreſſa cedit, ita & paulatim ſecũda ab eius põdere trahitur: Vel ſi vtres C duo ſimul deligati ſupponantur, quo loco partus deſcendens recipiendus eſt, ſubiecta eis lana, qui mox ſpecillo perforandi ſunt, vt paulatim his conſidentibus, dum aqua effluit, deſcendẽs partus vmbilico paulatim detrahat ſecũdam. Quibus & alia multa addit: verum hoc tempore amplius hæc nullibi ſunt in vſu. Nam obſtetrices cõmodæ apprehenſo vmbilico manu, qua poſſunt facilitate attrahentes nituntur ſecundam educere: quod ſi illis non ſuccedat, vſæ conſilio Pauli vmbilicum præciſum coxæ alligant, donec natura ſoluto nexu, quo ſecunda hærens utero non ſequebatur fœtum, tandem excernatur, aut (ſicuti & Aetius monet) paulatim putreſcens in ſaniem diſſoluta effluat, neq; inde turbari debemus. Procurandũque eſt, D ut occurramus ſymptomatibus, ſi qua ſunt, quæ moleſtiam faceſſant: nam ab elatis uaporibus ſolent tunc caput, tum ventriculus male affici, quibus occurrendum eſſe ait ſuffumigijs aromatum, præcipuum verò eſſe ait cardamomum. Monent præterea ijdem, quod dum obſtetrix rem hanc tractat, non trahat vmbilicum, aut ſecundam ſecundum rectum, ne occaſioni ſit cur procidat vterus, ſed adacta manu in vterum oblique modo in vnam modo in aliam partem diſtrahat. Neque tamen his duntaxat agendum erit, ſed & alijs præterea remedijs auxilium afferre nitemur, primumq; ſternutamentis, quæ, ſi ualentior fuerit mulier, quanto maiori vi concitabuntur, eo etiam magis prodeſſe poterunt, & medicamentis, E quorum immenſa eſt ſylua. Gal. enim 11. de Simpl. medi. fac. caſtoreum eſſe optimum ait, ſi quantum eſt cochleare cum pulegio, & calamẽtho ex mulſa exhibeatur. Dioſ. laudat mergi iecur, ſi eius duæ drachmę potui ex mulſa dentur, item pulegium, calamenthũ, dyctamum, thymum, ſatureiam, ęnanthes etiam ſemen, caulem & folia cum mulſo, & ſemina luteę violæ ad drachmas duas, quę & cum melle ſuppoſita nõ parum proſunt, & multa alia, quæ a nobis, & dum de ſuppreſſis menſibus fuit habitus ſermo, & dum de excutiendo fœtu mortuo, & hic, de reddendo faciliori partu expoſita ſunt. Quare iam ad alia, quæ ad hanc tractationem nõ minus pertinere cenſuimus ſermonem cõuertamus, & finem huic capiti imponamus.

De mola, & alijs vitioſis, monſtruoſisque conceptionibus, & partubus. Cap. XXV.

CVm hactenus egerimus de vitijs, & morbis, quæ circa ablatam, vel imminutam fœcunditatem verſantur, quatenus ad conceptionem pertinet, & ad geſtationem, & partum, & ex parte ẽt quantum ad uitiata horum officia: In præſentia modo de illis ſermonem habebimus, quæ attinere videntur ad vitiata, & corrupta officio generationis facultatis, quantum poteſt pertinere ad rationem rei quæ concipitur, generaturque & tandem in lucem editur, nempe quando aut molæ generantur, aut monſtra, & tandem alia, quæcunq; ſunt præter proprium naturæ inſtitutum, quæ quidem differunt pro ea rõne, qua ab ordine, & ſtatu naturæ maior fit in conceptione abſceſſus, & maior facultatis genitricis, & formatricis error. Nam cum ſemper is ſit naturæ ſcopus, ut id generet, quod in eã ſpecie abſolutiſſimum, ac perfectiſſimum, & pulcherrimum eſt (ſemper. n. eo tendit omnis naturæ induſtria) ſi inde aberret, nõ eſt id naturę culpa factum, ſed potius aut materię, aut inſtrumentorum, aut loci, in quo fit conceptus, & generatio, defectu, & uitio. Cum enim fętus generatio, fiat a facultate formatrice, quæ natiuo calore, & ſpiritui, qui in ſemine eſt tanquam proprio proximo vtitur inſtrumento, tranſmutare poteſt materiam, quæ tum ſemen prolificum eſt, tum vero ſanguis menſtruus. Neque enim in præſentia uolumus eã quæſtionem in examen ducere, quæ inter Peripateticos, & medicos vertitur: nempe an ſemen ſolum efficientis rationem habeat, ſanguis verò menſtruus ſolum materiæ, vt Ariſt. ſenſit, an ſemen & materiæ, ex qua mẽbra, quę ſpermatica ab eis dicuntur, ortum ducunt, rationem habeat, & agentis, efficientisque, quemadmodum plerique medicorum, præſertim uero Gal. vbique contendit: nam nihil quantum ad conſiderationem præſentem pertinet, referre uidetur, hoc ne illo modo ſentiamus: ſatis enim liquido id conſtat, qđ calor natiuus, qui in ſemine eſt, una cum ſpiritu ſunt tãquam proximum, & proprium formationis, & generationis principium efficiens, quod aptam materiam, ſiue illa ſanguis menſtruus ſit, ſiue ſemen, ſiue vtrunque afficiens, & tranſmutans tandem fœtũ generat, & conformat, cum ergo facultas formatrix, quæ in ſemine eſt, vſa (vt diximus) ſpiritu, & natiuo calore tanquam inſtrumento, eas vires habet, ut materiam ſubiectam poſſit exquiſitè tranſmutare, materia uero, & copia, & qualitate ea fuerit, ut facilè uinci & regi ab eo poſſit, quantum ratio generationis expoſcit: fit fœtus undique abſolutus, & formoſus, modo uterus, in quo futura eſt generatio non obſtet, quia aliquod in eo ſit uitium contractum, aut in temperie, aut in conformatione, aut in denſitate, uel duritie, uel alia id genus re, neque alia aliqua externa occaſio accidit, quæ ſit impedimento ſicut ex ueſtibus, quæ uentrem comprimant, & aſtringant, & hac ratione extenſionem intumeſcentis uentris prohibeant, aut caſus mulieris, uel aliqua contuſio, uel quodcunque aliud fuerit, quod eandem cum his rationem habeat. Cum autem alicunde aliquis accidit defectus, nempe quia aut ſemen quantitate deficiat ab eo, quod natura requirit, neceſſe eſt & fętus generationem eatenus mancam, aut uitioſam eſſe, quatenus defectus maior eſt, nam inde fit ut deformis ſit, qui generatur fœtus, nimirum ſi aut propter imbecillitatem aliquam, uel uitium aut in ſemine, aut in menſtrua materia nequeat calor natiuus, & ſpiritus recte, & exquiſite materiam conformare, uel aliquãdo deficiunt partes aliquæ propter defectum materiæ, aliquando etiam ſu-

peruacaneæ aliquæ generantur, ſicut aliqui generantur ſedigiti; aliquando numerus maior aliquarum aliarum partium gignitur, vt quando fit fœtus biceps, vel plures habens pedes, vel interdum aliqua membra iuſto maiora fiunt, aut minora. Vnde quando tũ genitale ſemen, tum vero menſtruus ſanguis copia maiori cõfluunt, vel cõijciuntur in vterum, quam ſatis ſit ad vnum fœtum concipiendum, ſiquidem ea copia ſint, vt poſſit duplex fieri fœtus, aut etiam interdũ plures duobus, qui quidem diſpertiti ſint in duas, uel tres partes loco ſecretas, & vna quæque pars vndique; & ex omni parte propria ſuper inducta membrana ab alia ſit ſeparata, & diſcreta, gemelli, vel nõnunquam tergemini, uel etiam plures gignuntur: ſed ſi proximi ſint, neque vndique intercidant diſcernentes membranæ, ſimul coaleſcunt, vt ſimul deinde aut dorſo, aut ventre iuncti, & connexi oriantur, ut vidimus aliquando monſtruoſos partus, quorum aliqui vitales ſunt, aliqui vero parum poſt ortum moriũtur. Comparat autem hos partus Ariſtoteles fructibus arborum, quorum interdum duo ſimul in unum coaleſcunt, ex eodem fere pendiculo pendentes, in quibus facile poſſumus duorum coalitum percipere. Quæ omnia cum raro fiant præter naturæ etiam rationem fiunt, & mõſtri rationem omnino habent. Interdum vero aliqua accidunt, quæ & ipſa non minus monſtrua cenſenda ſunt, cum aliena ſint a naturæ primario ſcopo: neque tamen in copiam, & defectum materiæ poſſunt referri, ſed potius in vitium aut ſeminis, aut materiæ generationis: nempe quia vis ſeminis imbecillis ſit, & inualida, quæ licet omni ſua ope materiam tranſmutare, & ſuperare nitatur, nequit tamen illam exquiſitè ſuperare; immo (vt Ari-
cap. 3. ſtot. quarto de Gener. anim. expoſuit) aliquando magis a materia vincitur, quam illam poſſit vincere: aut id ex ipſa materia contingit, vtpote quia illa ſit vitioſa, ineptaque, & rebellis ſpiritui, & calori, qui in ſemine ſunt, adeo ut a ſeminis vi nequaquam poſſit aptè vinci, quamuis illud, quantum ad ſe pertinet, omni careat vitio. Ex his ergo fit, quòd cum exquiſitè ſuperatur materia a ſemine, præſertim verò virili, in quo maior omnino vis eſt, quàm in muliebri, (ſi mulier, & ipſa proprium ſemen habeat, ut cenſere medici, qui Hippoc. & Galen. ſectati ſunt) fœtus patri ſimilis fit. Si verò non poſſit obtinere, ſed eius ratio (vt docuit) diſſoluatur, ratio verò matris fiat fortior, fit fœtus ſimilis matri. Sed ſi minus etiam utraque uis diſſoluatur, aliquando ſeruata ratione alia, quæ in principijs generationis ſeruabatur (vt ibi ait Ariſto.) poteſtate, fiunt ſimiles auis, aut abauis, aut auiæ. Quod ſi magis adhuc ſuperetur ſeminum ratio, & vis, generantur, qui nulli agnatorum ſimiles ſint: nam ſola remanet ratio communis hominem referens. Interdum autem adeo languet, vt vix etiam figurã humanam referre videatur. Sicuti quandoque ita inualida eſt facultas, quæ in ſemine eſt, ut neque ad formam hominis, & ſpeciem perducere poſſit, neque ad animantis alicuius, immo neque vitam illi poſſit impartiri, ſed quoddam veluti fruſtum carnis rude, & informe generatur in vtero, (ut idem Ariſtot. 4. de Gener.
cap. 7. anima. & Galen. 14. de Vſu part. atque ſeptimo Me-
cap. 23. thod. docuere) quem molam ſolent appellare, ita etiã
cap. 5. mulierculæ, & vulgares nũcupãt. De qua re tum Ariſtot. quarto de Generat. animal. tum verò Hippoc. in lib. de Morbis mulierum, & de ſterilibus aliquanto exquiſitius ſermonem habuere. Nam & Galen. de ea aliquem habuit ſermonem, ſed eum admodum breuem in locis nuper citatis, hoc enim dumtaxat de hac re protulit, quòd eſt veluti caro informis, & rudis, qđque ouis, quæ ſubuentanea dicuntur, ὑπηνέμια uero a Græcis, non ex proportione reſpondet, quia mola

A nequit ſine virili ſemine gigni, ſicuti ſubuẽtanea oua citra cõgreſſum maſculi in auium genere, preſertim verò in gallinis fieri conſueuere. Hipp. tamen, & Ariſtot. videntur, quamuis & ipſi rem breuiter tractent, exquiſitius exponere: nam Hipp. molam generari inquit, cum exiguum, vitioſumve ſemen plurima menſtrua arripiunt, tunc enim (ait ipſe) non poteſt uerus fieri conceptus, fœtuſve: quamuis poſtea multa ſequãtur eadem ferè, quæ & prægnantibus, nam & uenter, mammæque intumeſcunt, non tamen ita percipitur in ventre motus, quo tempore ſolet fœtus iam incipere moueri. Incipit autem ſi mas conceptus fuerit, tertio menſe, ſi fœmella quarto, nam fœtus quidẽ, vtpote qui viuus, & iã animal ſit, poteſt moueri, mo-
B la uerò, quæ animæ, & uitę eſt expers, nequit ex ſe vlla ratione moueri. Interdum tamen in hoc poteſt aliquis error accidere, ſæpe enim mulieres, quæ in utero alioquin non habent, dicunt ſe in uteri regione motum aliquem quaſi in utero gerant, perſentiſcere, qđ quidem aliud eſſe minimè poteſt, niſi flatus aliquis, vel in utero concitatus, vel aliunde in uterum delatus. Ita etiam in ueris prægnantibus intumeſcunt mammæ, præterea uerò & lac gignitur, in illis uerò, quæ molam habent (ait Hip.) lac non apparet. Quanquam res hæc mihi non parum dubia videtur, cum in mola multa ſit ſimilitudo cum prægnantibus, tum in alijs, tum in hoc, quòd plerunq; menſes ſupprimũtur. Poteſt autem (vt & 5. Aph. Hip. teſtatus eſt) ſup-
C preſſis menſibus lac in mammis procreari, licet mulier nõ habeat in utero, unde neque ſignum hoc omnino certum eſſe poteſt. Quamuis autem inter initia difficilis ſit horum diſcretio, progrediente tamen tempore facilior fit, quia neque motus eſt ita frequens, & apertus in mola, ſicut in habente in utero, & præterea, dum ea quę molam habet, decumbens ſe in latera uertit, uidetur percipere quaſi pondus quoddam, quod uertitur, & mouetur in illud latus, in quod ſe mulier uertit. Ariſt. autem naturam molæ expoſiturus, licet alia interpretationis forma utatur, in eandẽ tamen ſententiam tendit, ait enim 4. de Gene. anim. cap. 7.
molam gigni eo modo, quo ea, quæ elixata fiunt ex inquinatione, quàm Græci μόλυνσιν appellant, quæ
D imminuta, & imperfecta eſt concoctio. Quarto autẽ Meteor. affectus, qui quidem ſunt effectus caloris cõcoquentis, ſubiectum humidum, uel materiam appellant. Et cum concoctionis alia ſit differentia, quæ ὀπτήσει, hoc eſt aſſationi ſimilis eſt, alia, quæ elixationi, cum a materia ſuperatur, ſequitur cruditas, quæ Græce ὠμότης dicitur, cum uero neque omnino ſuperior eſt, neque etiã penitus uincitur, ſed aliquo modo eam tranſmutat, uerum languidè, & imperfectè, prę imbecillitate caloris, tunc fit inquinatio, vel (ut Græci aiunt) molynſis, quæ eſt debilis, & imperfecta concoctio, mediaque inter concoctionem, & cruditatem. Cum ergo natiuus calor, & ſpiritus in ſemine adoritur materiam menſtrualem in utero, ut eam cõ-
E coquat, tranſmuterque ad naturam fœtus, tandemq; ad uitam perducat, neque eam omnino, ut par eſt, ſuperare, & perficere poteſt inito ueluti certamine (ut ipſe ait) de uita, cum non poſſit quidem id conſequi, vt uitam illi impertiatur, quia imbecillior eſt, quàm vt id conſequi ualeat, quaſi crudam quandam, & rudẽ carnem procreat, uitæ, animique expertem. Ex quibus omnibus patere poteſt quàm ſibi mutuo conſentiant Hipp. & Ariſt. quantum ad cauſas, & naturam, & differentias molæ, uterque enim unam eius differentiam nouit, uterque eandem cauſam generationis molę eſſe putauit, nã ambo molam fieri non poſſe exiſtimarunt ſine uirili ſemine, quibus decimoquarto de uſu partium ſubſcripſit Gal. Ariſt. namque molam à vero conceptu differre ait, quod propter defe-

ctum

ctum caloris fit mola, quia non poteſt facultas formatrix vſa tanquam inſtrumento calore natiuo, ſuperata materia ad perfectionem, & ad vitam eam perducere. Hip. verò fieri voluit molam, cum plurima eſt menſtrua materia, exiguum verò vitioſum ve ſemen, & proinde quod nequeat materiam illam vincere, ſed ab ea potius uincatur, vnde neque efformare, neque vitam impartiri poteſt. Vnde ſatis patere poteſt hos omnes ſenſiſſe, ſemen uirile neceſſarium eſſe imbecillum tamen, & impotens, effectumq; cruditatis, uel infirmioris caloris eſſe molam. Quare non poſſum non plurimum admirari, quo pacto poſteriores medici, uiri alioquin omni ferè exceptione maiores, tam Græci, quàm Arabes, rem adeò apertè confundant, vt vix quid de ea ſenſerint, quis poſſit deprehendere. Nam Paulus iij. ſuæ medicinæ libro uoluiſſe uidetur, molam eſſe tumorem ſcirrhoſum in utero excitatum, qui interdum os uteri, interdum illum uniuerſum occupat, ac deorſum detrahere ſuperpoſitas partes videtur, qui dum tangitur, quaſi lapideus uidetur, quem corporis ſequitur extenuatio, eiuſdemque malus color, ac appetentiæ cibi defectus, menſium ſuppreſſio, mammarumque tumor, adeo ut grauiditatis opinionem afferat. Cui ſententię ſubſcripſit libro decimoſexto ſuæ medicinæ Aetius, qui apertius etiam hanc ſententiam interpretatur, cum dixerit ſcirrhoſum hunc tumorem interdum inflammationi ſuccedere, quemadmodum ſępe, & aliarum partiũ ſcirrhi fieri ſolent, tranſeunte inflammatione in ſcirrhum, aliquando verò ab ulcere, cui caro ſupercreuerit, ortum habere, reliqua uerò omnia fere ex Paulo deſcripſiſſe uiſus eſt, niſi quod addit nomen habuiſſe molam hanc à grauitate, & difficultate ad motum, q̃ habet mulier, quæ hoc affectu laborat. Quamuis, & cuiuſdam philoſophi ſententia uidetur hoc etiam aſſeuerare, molam præterea aliquando conſiſtere retentis menſibus, ac multo eo ſanguine in utero cõgeſto, ut uxori illius philoſophi eueniſſe ait, quæ cum primũ concepiſſe putaretur, mox magis aucto ventris tumore, ac œdemate pedes occupante, eam aqua intercuté laborare cenſuerunt: vnde illa accepto decocto rerũ attenuantium, & aperientium ex uino odorato, excreta multa cruoris copia, ſtatim ferè libera euaſit. Auice. vero uigeſimaprima Fen ſui Canonis omnes has horum auctorum ſententias, tam priorum, quã poſteriorum in unum caput collegit, & quaſi eos cõciliaturus, uidetur ſentire multas eſſe differentias molæ: nam & aliam eſſe, qua flatu venter inflatur, ait: aliam, in qua uenter tumet ex multo congeſto ſanguine in utero, una cum alijs excremẽtoſis humoribus, quam ex Aetio deſumpſit: Tertiam uerò molę differentiam cenſuit eſſe illam, cuius Hippocrat. Ariſto. & Galen. meminere, qua gignitur in utero caro illa rudis, & informis, adeoque dura, ut neque ferro ſecari queat. Addit tamen huic horum ſententię, quod duplex eſt iſtius carnis generatio in utero; nam interdũ ortum habet (vt ipſe ait) ex ſanguine in utero congeſto, qui ibi vi immodici vteri caloris concreſcens induratur: interdum verò fit ex coitu, in quo tamen vis ſeminis maſculi non comprehenditur à materia menſtruali, & ſola ea vis recipitur, quæ ad mulieré pertinet. Quamuis autem viri hi in maximo ſemper honore habiti ſint, nec immerito quidem mihi tamen hi hallucinari videntur, fuiſſeque oblitos eorum, quæ apud ſuos præceptores, & Ariſto. legere, & eorum, quæ ipſi etiam literis tradidere. Nam cum de hydrope uteri, deque eius inflatione, ac præterea de illius ſcirrho, & ſcirrhomate egerit, uidere non poſſum, cur de his eiſdem in capite de mola eſſet neceſſe agere, cum hæc quorum in hoc capite meminit, nihil ab illis differant. Quod autem Auicen. de mola ait, quæ à ſanguine vi caloris concreſcente indureſcenteque ſcripta ſunt, ea ab Ariſto. quarto de gener. animal. reprobata ſunt. Refert enim fuiſſe quoſdam, qui crediderint molam vi caloris fieri, eoſq; fuiſſe deceptos ait, & merito quidem, quia ſi vi caloris fieret mola, non quidem natiui, quoniam per concoctionem fieret, neq; eſſet præter naturæ inſtitutum, ſed naturalem formam, & conſiſtentiam haberet, neque etiam vi caloris extranei, & ignei, quia ſanguis, cum uenas exit, non in carnem, uel carni rem ſimilem conuertitur, ſed (vt ſexto Aphoriſ. dixit Hippoc.) in grumos, & tandem putreſcit, uel alio modo corrumpitur, præſertim vi caloris extranei: vnde ſi ſanguis in ueſicam effuſus, & ibi in grumos concreſcens peſſima, & ſæuiſſima ſymptomata, non ſine certo ferè mortis periculo affert, longè magis id in utero contingeret. Concludamus ergo tandem ſolos priores, nempe Hippocratem, Ariſto. & Galen. rectè, & ſenſiſſe, & expoſuiſſe, quid eſſet mola, quæque eſſet eius origo, & generatio. Quibus deinde ita expoſitis, & ſubinde conſtitutis, cum omnia, quæ in hoc lib. tractantur, ad rationem curationis ſint referenda, de monſtris quidem nihil dicemus, niſi quod uitium, q̃d in eis in ortu, vel conceptu contractum eſt, interdũ corrigi poteſt quamuis rarò, interdum uerò minimè. Nam ſi in defectu conſiſtat uitium, nimirum, quia mancus, & mutilus ſit genitus, vt ſi quando deſit aliqua particula, ut digitus, aut pes, aut manus, aut alter teſticulus, ſicut uidi canem, qui cum uno tãtum teſte fuerat genitus, ita & ſine oculis, hæc quidem vitia nulla ratione emendari poſſunt, quia hæc ſunt naturæ opera in conceptione, non alicuius artis, ſi enim poſſet ars reficere has partes, cum in generatione deſunt, longe magis poſſet, quando abſcinduntur, eas reficere. Si uerò abundarint, & aliqua ſuperuacanea fuerint genita, poterit quidem interdum abſcindi non tamen ſemper: nam & digitus poſſet in ſedigitis, qui ſuperuacuus eſſet reſcindi, & manus, ſicut aliquando à ſicarijs, & à carnifice reſcinduntur, uita tamen ſuperſtite. Si eſſet autem membrum aliquod nobile, & præcipuum, ſicut caput in animãte bicipite genito, id quidem fieri minime poſſet. Cũ etiam aliquæ partes continuantes, & unitæ gignuntur, quæ alioquin naturæ inſtituto oportebat eſſe diſiunctas, ut ſunt digiti, palpebræ oculorum, labia, in mulieribus ſæpe genitale membrum, vt in ijs, quæ clauſæ dicuntur, ſæpe ope manus artificis incidi, diſiungi, & aperiri poſſunt, ferreis præſertim inſtrumẽtis: quorum deinde curatio eadem eſt, ac ſi ulcus, aut vulnus earum partium curaretur. Ita etiam puellæ, quæ clauſæ gignuntur, inciſione curantur, de qua, cũ præſertim ad chirurgos pertineat, non plura uerba faciemus. Aliquando autem aliqua, quæ à natura fieri coniuncta, & continentia ſolent diuiſa, & quaſi diuulſa gignuntur, quemadmodum quandoque uidemus aliquos, quorum labium præſertim ſuperius diuiſum, vſque fere ad nares fuit procreatum, quæ diſiunctio non ſolum aſpectu turpis eſt, ſed etiam ſermoni impedimento, quod uitium uidi etiam aliqua ex parte emendatum, factum eſt enim, ut deductæ partes ſutura mutuo adductæ mox tandem coaluerint in vnum, abraſa tamen prius utrinque cuticula. Sed de mola curanda quædam præterea paucula dicamus. Galen. itaque decimoquarto Method. ait in uniuerſum molam, quando in vtero geſtatur, ſui ablationẽ indicare. Particulatim autem ſcopos in hoc agendo, quos ſibi medicus proponat, deinde non expoſuit, neque etiam, qua ratione id ſit agendum, quibuſque inſtrumentis. Neque tamẽ hæc inueſtigare difficile eſt, cum enim mola ſit corruptus, & uitiatus quidam conceptus, ac (vt diximus) caro quædam mortua,

cap. 28.

Tract. 2. cap. 18.

vel ſaltem vitæ expers, eodem ferè modo ſecum erit agendum, ſicut cum fœtu mortuo, aut ſecundina eijciendis, & detrahendis, de quibus cum copioſè, & abundè hoc eodem libro egerimus, in præſentia non plura de illis verba faciemus, ſed ſermonem conuertemus ad tractationem eorum affectuum, qui ad generationis inſtrumenta virilis ſexus pertinent, quæ quidem aut maſculis propria ſunt, aut quamuis communia cum fœmellis ſint, maiorem tamen vim habent in maſculis.

De ijs, quę pertinent ad genitalia in viris pręcipuè mēbra quamuis eorum quamplura mulieribus etiam natura ſint, ſitu tamen variato.

Cap. XXVI.

VT ſuperius diximus, quamuis etiã cum Hipp. & Gal. ſentire velimus, quod mulier quoque ſuum ſemen habeat, quod ex parte vim agendi habeat, in ſobolis propagatione, quia tamen ea maiorem habet ſemen, maris, vtpote quod & calidius ſit, & magis concoctum: ideo & ea inſtrumenta, quæ ad gignendum ſemen moxque etiam ad illud effundendum, & quaſi ad ſemen faciendum pertinent, maiora a natura, & magis dearticulata confecta ſunt, eaque quaſi extra excreta, & exterius exporrecta fabricata ſunt: quod & propeer finem, quem ſuperius expoſuimus, ita contigit, nempe quia ſemen maſculinũ non erat effundendum in ipſum maſculum, ſed potius in ventrem, & vterum fęmellæ: & ex ratione effectricis cauſæ eſt natiuus calor, qui, cum ſit maior, & fortior in maſculis, facilius materiam extendere poteſt, & vſque ad exteriores partes impellere. Hæ igitur particulæ, quæ hoc funguntur officio, & in ſobole procreanda inſeruiunt genitrici facultati, aliquæ eædem ſunt in maſculis, & fœmellis: aliquæ verò nõ ſunt quidem eædem, ſed ſibi mutuo quadam proportione reſpondent. Sunt quidem eadem vaſa ſeminaria, & teſtes in maſculis, & fœminis & ab eadem parte ſuam trahunt originem; nam alterum à vena, & arteria, quæ a vena caua, & magna arteria deriuantur, ad renem autem ſiniſtrum pertingũt, & a iunioribus emulgentes nuncupantur: alterum & plerunque dextrum ſtatim a vena illa caua, & arteria itidem magna deductum, recto ferè itinere ad dextrum teſtē defertur: ſicuti ſiniſtrum ad ſiniſtrum, nec in hoc vlla differentia, niſi quod longior in maſculis uia eſt, quàm in fœmellis, quia vtero intra inferiorem uentrem teſtes in mulieribus annexi ſunt, in maſculis vero in ſcroto ſuſpenſi extra pendent, ſed & ea uaſa, quæ a teſtibus acceptum ſemen excipiunt, ut id deinde in vterum effundant, quæ delatoria iuniores appellant, ſicut priora præparatoria, in maſculis ad radicem penis delata in eius meatum, ſemen, cum opus eſt effundunt, in mulieribus verò ad uterum, quo fit, vt longè ſint in fœminis breuiora. Non ſunt autem reliqua eadem in maſculis, & fœminis, quia mas penem, ſcrotumque habet, caret autem utero: fœmina verò uterum habet, ita ſcroto, & pene caret. Quamuis Gal. 14. de Vſu partium expoſuerit, quonam pacto mutuo mares, & fœminæ particulis æquentur ſaltem proportione, differant autem aliquo modo ſitu, & figura, quia ceruix vteri ex proportione peni reſpondet, uterus verò ſcroto, ſed in mulieribus quaſi inuerſæ uidentur hæ particulæ, & interius inductæ, in maſculis uerò explicatæ, & exterius porrectæ: in mulieribus etiam teſtes, & minores, & frigidiores, ſicut & ſeminaria vaſa: quo fit deinde, ut ſemen, quod in fęminis gignitur, imperfectius ſit, & minus coctum, & proinde nihil ipſum ſine ope maris facere poteſt. Harum autem partium hæc ſunt officia, nam & his ex- cap. 6.

A poſitis, facilius deinde percipiemus rationem eorum affectuum, quibus illæ ſunt obnoxiæ. Vaſorum ergo illorum, quæ circa renum regionem ab arteria magna, & a magna itidem uena deriuata ad teſtes pertingunt, atque eò pertinentia multipliciter reuoluuntur, officium eſt ſanguinem, qui materia ſeminis eſt tranſmutare, & tranſmutatum ad naturam ſeminis per concoctionem paulatim parare, unde in illis incipit albeſcere, ut & lac per concoctionem, in mãmis albeſcit, ſemper enim quicquid aliquid tranſmutat, ad ſui ſimilitudinem illud nititur immutare, & quo magis prope teſtes accedit, eo magis, ut idem Gal. 14. de Vſu partium exponit, magis albeſcit. Quatenus verò ad teſtes, & eorum officium pertinet non parũ B diſſentit Gal. à Peripateticis. Nam Ariſt. quaſi uilem particulam teſtes cenſuit, vtpote quam natura genuerit duntaxat, ut eſſent tanquam pondus quoddam, cui ſeminaria uaſa eſſent annexa propterea quia illa ita ſeruari poſſunt quoquomodo diſtenta, ex qua diſtēſione ſeruatur præterea quædam quaſi harmonia horum vaſorum inter ſe, & cum alijs etiam venis, & arterijs, & tandem vniuerſæ compoſitionis corporis, ſicuti in cythara ſeruatur harmonia fidibus diſtentis, quę clauiculis appenſæ, uel alligatę ſunt. Vnde neque in teſtibus credidit eſſe uim gignendi ſemen prolificum: illis autem exectis corpus reddi effœminatũ, ea ratione, quia illa quaſi harmonia, aut tonus in uaſis remittitur. Galen. uerò tantum teſtibus primo li- cap. 16. C bro de Semine tribuit, ut illis maiorem dignitatem, quàm cordi uideatur tribuiſſe, cum ait, cor quidem eſſe uitæ principium: teſtes uerò bene uiuendi cauſam, tantamque uim habere, ut uniuerſum ferè corpus calefaciant, & robur addant, fortitudinemq; animi: nam exectis teſtibus languet & effœminatum undique redditur animal, tumiduntque, nec modo languidus fit habitus corporis in maſculis, uerum & in mulieribus cum caſtrantur, nam caſtrantur, & fœmellæ, quæ deinde eandem habent rationem reſpectu earum quæ caſtratę nõ ſunt, ſicut & maſcula animalia, cum caſtrantur, collata cum illis, quæ integra ſunt, ita ut re uera, quæ caſtrata ſunt neq; maſcula dici poſſint neque fęminę, ſed quoddam ferè tertium D ab utroque diſcrepans. Nam & hoc teſtibus tribuit, quod ab eis omnis ratio ſexus tam maſculini, quàm fęminini progrediatur. Sed & teſtes alterum quoddã initium natiui caloris eſſe cenſuit, ut cor primum ſit, alterum uerò teſtes, Et proinde nihil deinde mirum uidetur, ſi illis reſectis animal conſenuiſſe uideatur quaſi robore expoliatum, ac frigidius factũ, unde ſpadones neq; uenas deinde latas habere poſſunt, neq; floridum ſanguinem, pulſus etiam perinde ut ſenes languidos, & paruos habent. Præterea uerò glabri, & imberbes caſtrati euadunt. Ex quo facile patere poteſt, præterea id, quod cauſa, & inisium generationis & perpetuitatis in animantibus ſunt ſecundum propriam eorum ſpeciem, nempe eam ob rem, qua uim E habent generandi ſemen prolificum, eam quamuis in ſeminarijs uaſis ſit initium tranſmutationis, eius tamen abſolutio ſit in teſtibus, ſi Gal. 14. de uſu part. cap. 10. credimus, a teſtibus autem uaſa ex alia denſiori, & neruea ſubſtantia fabrefacta, caua perinde, ut arterię, & uenę ortum habent, quę quaſi miniſtri teſtiũ ſunt, elaboratum etenim in eis ſemen excipiunt, atque ipſum per fiſtuloſum neruum, quo pręcipuè conſtat penis, impulſum ui quadam in uterum mulieris eiaculantur, in eum ſiquidem neruum eiuſmodi uaſa deſinunt. Vnde & penis eſt ipſum neceſſarium inſtrumentum ad hanc operationem. Verum non quomodocunque ſe habentibus, tum his uaſis, tum uerò & ipſo pene, commodè fieri poteſt ſeminis proiectio. Nam & neruum fiſtuloſum dilatari oportet, ut faci-

lius,

A lius, & ſine vllo obſtaculo propelli per illum ſemen poſſit,quod lenta quadam ſubſtantia conſtat, & uaſa in ſe contrahi,& quaſi conuelli:ita namque fit,ut maiori ui ſemen propellant. Vnde in epilepticis, & illis, qui conuelluntur,ſi uehementior fiat motus ille, ſemen quoque effunditur ui illius earum partium conuulſionis:fit autem illa contractio, & quaſi conuulſio,nō quidem ex exſiccatione,inanitioneve,ſed potius ex eorum uaſorum plenitudine, quę diſtenſa in latitudinem ſecundum longitudinem cōtrahuntur, abbreuianturque.Plenitudo verò tum ex ſemine fit, tum verò ex multo ſpiritu, qui partim in ſemine mixtus cum eo confluit,tum vero ex alijs partibus.Eò verò mouetur ſpiritus,partim ex imaginatione, & deſiderio coitus (imaginationi enim obediunt plurimū
B ſanguis, & ſpiritus) partim verò à calore concitato præſertim circa renes, & lumbos in agitatione, & motu,qui fit in re uenerea. Sed penem tendi, & ampliari oportet, ut adigi in genitalia mulieris membra poſſit,quod alioquin,quando flaccidus, & mollis eſt, fieri omnino nequit. Vnde & ſenes, & frigidi impotentes ſunt ad vſum venereorum,& ad generationē omnino inepti. Eos verò, qui veneris impotētes sūt, & in eam,oblata occaſione,non concitantur,niſi id ex ætate acciderit, ἀπράκτους, quaſi nihil in re uenerea agentes, Græci appellant. Intenditur autem penis ex flatuoſo ſpiritu, qui per arterias tempore, quo natura in uenerem cōcitatur,motus (ut diximus) ab
C imaginatione, & deſiderio excernendæ veneris, excernendique ſeminis collecti,& ſtimulantis(ut ſexto de loc.affect.expoſitum eſt) expultricem, excretricēque facultatem; [cap.6.] quo tempore & fiſtuloſus neruus & ipſe intentus magis dilatatur facultate ſua ſibi a natura tradita, ſicut arterię, & cor uim habent dilatandi ſe,quo dilatatio ſpiritus confluens ab arterijs penis,q̄ & pro ratione magnitudinis iſtius particulæ amplæ ſunt,& ora habent etiam in hos uſus latiora, nempe ut poſſit maior effundi ſpiritus copia, penem intendunt,& proinde, ubi penis, & neruus ille intētus eſt, ut Ariſt.etiam 4. Problem. expoſuit,aut mingere nō poſſumus, aut ęgrè admodum. Vnde neque,dum uenerem exercemus, urinam quimus excernere: nam
D & uaſa ſeminaria,& reliqui meatus pleni & ſemine, & ſpiritu, intentique meatus urinę comprimunt, & quaſi claudunt. Ad actum itaque uenereum, & ut commodè poſſit fieri generatio, neceſſariæ ſunt hæ omnes particulæ, quarum miniſterio natura, ut ex his,quę hactenus dicta ſunt, poteſt unicuique eſſe pſpicuum. Præterea quacunque harum à ſuo munere deficiente fieri poteſt impedimentum naturę in progignendis liberis, qui quidem defectus,uel in ſeminis generatione eſſe poteſt, uel in eius effuſione: In eius ſanè generatione, quia aut id omnino non generat, aut generatur quidem,verum adeo modicum,ut nō poſſit eſſe ſatis,aut generatur,ſed uitioſum & ineptū generationi,& conceptui. Vt non progignatur ſemē
E genitale, in cauſa eſſe poteſt, uel materię defectus, quemadmodum in corporibus conſumptis prę macie,& quaſi contabeſcentibus, vel præ inedia, uel ex atrophia, & ex longo morbo, vel ex aliqua obſtructione in uaſis ſeminarijs,uel ex imbecillitate contracta in eiſdem uaſis ſiue ex intemperie præſertim frigida in eis contracta, ſiue eorum laxitate,& diſſolutione, unde illa nequeunt materiam aptam ad gignēdum ſemen prolificum attrahere. Poteſt verò hoc itidem ortum habere ex uitio teſtium non attrahentium. Poteſt etiam & hoc contingere, ſicut, & frequentius ſolet contingere,non tantum ex defectu attractricis facultatis uaſorum, uel teſtium,quātum ex defectu concoctricis eorum facultatis, qui defectus uel poteſt eſſe proprius facultatis concoctricis vel potius primario pertinens ad facultatem contētricem, quę facta imbecillis nequeat tantiſper contineri, donec quantum opportunum ſit concoquatur, ut ſæpe in gonorrhœis ſolet euenire, quando ex laxitate, aut imbecillitate in uaſis contracta ſemen effluit, neque eatenus continetur,donec elaboretur, & rectè conficiatur in teſtibus,& ſeminarijs vaſis. Sed de his quidem poſteaquam ſummatim, & quaſi per quandam generalem methodum hactenus egimus non erit abre,ſi magis particulatim de eiſdem ſermonem habeamus, primumque de ſeminis profuſione, quam Græci gonorrhœam appellant.

De gonorrhœa, hoc eſt de ſpontanea ſeminis profuſione. Cap. XXVII.

GOnorrhœam Latinè ſeminis profluuium, vel profuſionē poſſumus appellare, qui affectus nomen hoc à ſymptomate ſortitum eſt: hoc enim incommodum habet ille, quod ſemen nobis, uel nolentibus ex uaſis,in quibus continetur,aſſidue effluit citra ullam ueneris appetentiam, aut delectationem,immo & ſine ulla pudendi tentigine. Vnde licet ex ui uocabuli hoc ſeminis profluuium ſignificetur,quod purum eſt ſymptoma, ſicuti & alui profluuium,& ſanguinis;ab eo tamen tanquam à re notiori, & ſenſibus magis manifeſta affectum ipſum, qui iſtius ſymptomatis in cauſa eſt, deſcribere ſolemus, quique nobis rationem curationis poteſt indicare. Porro ergo hoc nobis procurandum ſubinde uidetur,ut in cognitionē cauſæ ueniamus, quę iſtius profluuij citra ullam imaginationem, aut uoluntatem auctor ſit. Facile uerò has cauſas,& earum differentias aſſequemur,ſi animaduerterimus, & conſiderauerimus eos, qui hoc incommodo tenentur, ex quibus occaſionibus ab eo correpti ſint:nam bene perpenſo hoc,nempe quo pacto,occaſiones illæ immutare,& afficere corpus poſſint,facilè in cognitionem cauſarum tandem perueniemus. Videmus itaque quoſdam ex nimia veneris abſtinētia in gonorrhœā incidere,pręſertim uerò,ſi prius ea uti aſſueuerint,et hi ſæpe ex reditu ad uenereum uſum curati ſunt à gonorrhœa. Alij uerò contra, ex immodico coitu ab hoc affectu correpti ſunt.Nonnulli præterea ex laboribus, maximè uero illis,quibus lumbi,& dorſum immodice exercentur, ac renes calefiunt, ut in equitatione longiori,& incommoda,præſertim ſi ille non ſit aſſuetus illis laboribus,item ſi dorſum ſolaribus radijs fuerit expoſitum, ſi fuerit etiam ille, qui laborat, uſus ueſtibus nimis calefacientibus, vel zona ſuccinctis,quomodo dorſum magis calefit. Quibus ita conſideratis, illud præterea addendum eſt quòd cum omnis excretio,quę fit in corpore uiuente, neceſſe ſit,ut referatur uel in facultatē expultricem, excretricemque fortiorem, quę concitata ſit tum à multitudine, tum ab acri,uel alioquin noxia qualitate eorum,quę excernenda ſunt, uel in facultatem contentricē imbecilliorem, quæ continere cum nequeat, quę alioquin eſſent continenda, ea effluere ſinit. Poteſt ergo eſſe in cauſa profluuij ſeminis eius multitudo, quæ congeri poteſt,uel ex continentia à coitu,uel ex ea victus ratione, qui poteſt multum progignere ſemen, quo copioſo congeſto, cum graue incipit eſſe uaſis, in quibus continetur, illud effluere permittunt, aliquando quidem paulatim, ut fieri in gonorrhœa ſolet,aliquando uero confertim, ut in nocturnis pollutionibus nonnunquam fieri ſolitum eſt. Interdum verò(ut & Auicēna teſtatur) ab acrimonia ſeminis hoc contingit,unde ſępe illi, qui hoc affectu tentantur, pcipiunt partes,per quas effluit ſemē mordeni, & uellicari,abradique; immo, & ulcerantur nonnuquā,

ut

ut & inde ſequatur urinæ ardor, quod quidem neque aliunde accidere poteſt, niſi ex uitioſa, & acri natura ſeminis, & id in ijs ſolet contingere, in quibus multa eſt cacochymia, & ſanguis, ex quo ſemen gignitur, uitioſus eſt. Hoc verò inde poteſt aperte percipi, quod in hac gonorrhœæ differentia fit excretio materierum quarundam diuerſorum colorum, aliquando enim ferè puri ſimiles ſunt interdum loturę carnis, ſępe etiam & luteo colore, interdum & uiridi infectę uidentur. At uerò cum immodicum ueneris uſum ſequitur non poteſt referri niſi in imbecillitatem contentricis facultatis, cum id nequeat fieri, niſi quia ex immodica euacuatione cum ſeminis, tum uerò ſpiritus vaſa languidiora redduntur, pręterea uero & laxiora, ex laboribus enim ueneris quæ ad dorſum, & renes pertinent, calefiunt, caloremque uaſis impertiuntur, unde ea etiam laxiora redduntur, cui & frictio genitalium partium accedit. Eandem etiam cauſam eſſe puto, cur ex equitatione, & tandem ex calefactione pręſertim dorſi gonorrhœa aliquando oriatur, laxiora nanque uaſa reddita ex calidiori contracta intemperie, imbecilliora euadunt. Quamuis & hoc addi poſſit, nempe quod copioſior materia ui illius caloris trahitur ad hęc uaſa, quæ languidiora facta, eam non retinent, ſed effluere ſinunt. Poteſt pręterea & humidior intemperatura in cauſa eſſe, cur fiat imbecillior facultas ea ad quam pertinet ſemen continere. Refert Auicen. fieri ſeminis interdũ hanc effuſionem ex conuulſione, cuius participes fiunt partes hę ſemini continendo procreatę, ut in epilepſia, & corporis conuulſione, interdum uerò ipſis his uaſis nimium exſiccatis, & prę nimia ſeminis per coitum euacuatione: ait tamen hanc effuſionem fieri cum tenſione genitalium, non autem citra eam, ut in uera gonorrhœa ſolet accidere. Mihi ſane hoc nõ uidetur prętereundum, & ſilentio inuoluendũ, quod aliquos eſſe in pręſentia audiui, qui dicant gonorrhœam ita proprium eſſe maſculorum affectum, ut in fœmellis nunquam contingat, quando uerò aiunt ſe gonorrhœa teneri, potius menſtruis albis, quam ſeminis profluuio laborant. Sed profectò uidere nequeo, unde adducti hi audeant hęc affirmare, pręſertim ſi uelint ſequi Hippoc. & Galen. decreta, cum & perinde in fœmellis, atque in uiris, ſint tam teſtes, quã ſeminaria uaſa, & eundem uſum habentia. Niſi fortaſſe uelint affirmare mulieres non ęquè, ac uiros ab immodicæ ueneris uſu, aut ab eiuſdem nimia abſtinentia, & à nimia calefactione dorſi, ac id genus alijs lędi poſſe. Et ſi uelimus rectè illa quę de his ab ipſis auctoribus literis tradita ſunt extimare, facilius etiã poſſunt hęc contingere mulieribus, cum imperfectiora ſint, debilioraque & frigidiora hæc membra in fęminis, quam in ſexu uirili. Immo multę mulieres, quę prudentiores ſunt, norunt diſtinguere quando alba menſtrua, & quando ſemen profluit. Appellant autem gonorrhœam noſtrates vulgari nuncupatione deſcolamento, ſicut biancure, menſtrua alba. Non eſt autem difficile diſcernere ſuis notis omnes has differentias profluuij ſeminis, ſi quis memorię tenuerit ea, quæ de cauſis iſtius profluuij dicta ſunt. Nam cum ex ſeminis abundantia id accidit uel ex præcedentis uictus ratione, nempe ſi illis fuerit ille uſus, quæ ſemen plurimum procreant: ſi pręterea, cum ſoleret uenere quandoque uti, nunc ſe præter morem contineat: præterea uerò quidam quaſi quoddam pondus in partibus ad teſtes, pertinentibus percipiunt: iuuantur uerò plurimum uſu ueneris præſertim modeſto. Quod ſi ex uitioſo, & acri ſemine habeat originem, indicabit victus præcedens cacochymus, uel alioquin vitioſus congeſtus ſanguis, item color eorum, quæ in gonorrhœa excernuntur, ardor urinæ, & excoriatio uiarum, per quas fit excretio. Quamuis poſſit interdum contingere, quod ſemen ipſum corrumpatur, vel quia fuerit diutius retẽtum, vel ob intemperiem uaſorum, in quibus detinetur, ac deinde ex putredine, & corruptione malam, & acrem naturam contrahat. Præterea præcedentes cauſæ, quę ſenſibus ſunt manifeſtę, poſſunt indicare iſtius affectus rationes differentes, ſicut immodica venus, & labores pręſertim, à quibus renes, & dorſum calfiunt, itidem, & indumenta. Intemperiem uero humidam oſtendet ſemen humidum, & fluidum ferè aquoſum. His autem in hunc modum expoſitis ad curationem tranſeundum, niſi fortè prius quis cupiat, quorũdam problematum ſolutionem. Primum cur, & quomodo fiat ea ſeminis excretio ſine intentione colis, cum ita in coitu facile tendatur, ſine etiam ulla eius cogitatione. Deinde cur idem ſemen effluens, vel excretum per eaſdem particulas in uoluntaria venere tantam concitet uoluptatem, & delectationem, & itidem in nocturnis pollutionibus, in ea autẽ, quę pręter uolũtatem fit emisſione nulla prurigo, nullus percipiatur ſenſus uoluptatis. Non tendi colem in gonorrhęa putamus, propterea quia (vt ſuperius diximus) intenditur penis confluente ſpiritu, & ſanguine per uenas, & arterias, quę amplę pro ratione magnitudinis iſtius particulę plurimum ſunt. Mouentur autem, vel ex imaginatione, & deſiderio coitus (poteſt enim imaginatio mouere ſanguinem, & ſpiritũ, vt paulo ante diximus) aut ex calefactione lumborũ, & dorſi, ſicut noctu multi expergefiunt intento cole, cum tamen neque imaginarentur, neque ſomniarẽt aliqua, quę ad rem ueneream pertinerent, quod pręſertim illis accidere ſolet, qui in dorſum dormientes decumbunt; nam ita magis incaleſcunt lumbi. Vnde cum in gonorrhęa ſine ulla imaginatione, & ueneris appetentia ſemen profluat, & paulatim, non autem confertim, non etiam mirum uideatur, ſi penis tunc temporis intentus non arrigatur. Et ea forſitan ratio eſt, cur ſine vlla voluptate fiat ea ſeminis effluxio: nempe, quia non confertim, & impetu fertur ſemen, ſed paulatim, quę uerò paulatim mouentur, & particulas immutant, illa neque uoluptatem inſignem, neque dolorẽ afferre poſſunt, ſed ea tantum, (vt 12. Metho. expoſuit Galen.) quę uehementer, & confertim tranſmutant partes ſenſu pręditas. Cui, & id accidere videtur, quod ſemen, quod in gonorrhęa effluit, cũ ideo effluat, quia cõtineri diu nequit, & proinde neq; posſit eſſe exquiſite concoctum, ſed potius crudum: idcirco, & languidius eſt, neque potens ita afficere corpora, per quę fertur. Sed tandem de iſtius affectus curatione agendum eſt, quę quidem curandi ratio cum pręſertim à morbi natura accipiatur pro uaria etiam, & diuerſa differentiarum natura, particulatim uaria, & diuerſa erit. Vnde, quando à multitudine ſeminis ex continentia pręter conſuetudinem ortum habet, reditus ad venerem, modo liceat, & modeſte id fiat, poterit gonorrhœam tollere. Sin autem id non liceat, tenuiori victu obſiſtendum erit, quo minus copioſum ſemen congeratur, pręterea exercitatione, & opportunis laboribus, abſtinentia à ſpectaculis, colloquijs, & cogitationibus, quę deſideriũ venereorum excitare poſſunt, inſuper etiam eorum vſu, quę exſiccare ſemen poſſunt, ſicut illa uitanda, quę ad ſemen augẽdum nõ parum faciunt. Sin aũt is affectus nõ ita ex cõtinẽtia ortũ habuerit, ut potius ex uictus ratione, quę apta ſit ad plurimum ſemen progignendum, primum immutanda erit uictus ratio hęc in eam, quę contra potius faciat ad exſiccandum, & imminuendum ſemen, tam in cibo, & potu, quàm in exercitationibus, & laboribus, de quibus ſuo etiam loco aliquẽ ſermonẽ ſumus habituri. Difficilior

vero

vero curatio eſt quando fit ab acri ſemine, quod ex cacochymia ortum habeat. Nam aut hæc cacochymia occaſionem habet ex mala uictus ratione, ſiue illa ad cibos, & potus pertineat, ſiue ad inordinatas, & non opportunas motiones, ſiue ad aerem, & anni conſtitutionem, ſiue ad quidpiam aliud quodcunque illud fuerit. Aut occaſionem habet ex intemperie membrorum pręſertim vero iecinoris, uel uentriculi, tunc enim erit opus eas occaſiones tollere, & victus rationem mutare ad eam, in qua boni ſucci generentur, ſi prauus victus fuerit iſtius affectus in cauſa. Sin autem intemperatura aliqua internorum uiſcerum, illa etiam erit corrigenda. Quo autem pacto internorũ viſcerum intemperaturæ cognoſcantur, & curandæ etiam ſint in libris ſuperioribus abundè à nobis fuit expoſitum. Præterea uerò, & congeſta iam cacochymia purganda erit dummodo tamen medicamentis vtamur, quæ neque violenta admodum ſint, neque admodum acria, ne acrimoniam addant acrimoniæ ipſorum humorum, inſuper illis ſemper aliqua immiſceamus, quæ vim habent modeſtè aſtringendi, nempe quantum poſſit eſſe ſatis ad robur addendum vaſis ſeminarijs, & renibus, qui ipſi in hoc affectu laxiores, & infirmiores euadunt. Medicamenta uerò huic affectui accommodata mihi imprimis uidentur, caſia noſtra Aegyptia addito præſertim rhabarbaro, vel myrobalanis, uel maſtiche, item manna, tamarindi, ſyrupus roſaceus ſolutiuus dictus, inter compoſita uerò electuarium lenitiuum appellatum, & diacatholicum, item diaſebeſten, illud præſertim citra ſcammonium, itidem, & diaprunon. Quibus ita peractis, erit res tractanda rebus modeſtè aſtringentibus, tam interius, quam exterius adminiſtratis. Quamuis neque id mihi ſub ſilentio tranſeundum uidetur, quod ſæpe vidi eos, qui uoluere eiuſmodi ſeminis profluuia importunè, & uiolenter ſiſtere, præſertim anteaquam corpus ab excrementis purgaretur, alios a bubonib. fuiſſe correptos, alios uerò ab inflammatione teſticulorum, alios renum, & lumborum doloribus alios alijs affectibus vexatos. Sed neque hoc mihi prætermittédum videtur, quod ſæpe vidi ſimilem gonorrhœam ſecutam eſſe tanquam proprium quaſi morbi gallici ſymptoma, quod nunquam tolli potuit, niſi prius curato eo morbo, aut epoto decocto ligni guaiaci, aut ſalſæ perigliæ, aut alijs huic morbo aptis medicamentis, quod ſi aliquando ſint uiſi aliqui fuiſſe curati, paulo poſt, aut cruſtoſis vlceribus tentati ſunt, aut artuum doloribus. Profluuium autem ſeminis, quod ob laxitatem, & imbecillitatem uaſorum ſeminalium ortum eſt, aut ab immodica uenere, aut ab excalfactis renibus, tollendum eſt reb. refrigerantibus, tam interius, quàm exterius adhibitis: vnde, & cibi, qui hanc vim habeant, utiles erunt, ſicuti ſunt perdices, pulli gallinacei, turdi, auiculæ, turtures etiam, quæ aliquo aſtringente condiantur, ut malo cotoneo, meſpilis, vua acerba, fructo oxyacantho, quam creſpinã vuam nunc appellant, ſicuti etiam oua recentia, in quibus imprimis inſperſi ſint pulueres lapidis coralij, margaritarum, boli armeniæ, terræ lemniæ, rhus obſoniorum, raſuræ eboris, & id genus aliorum. Fercula uerò ex farre, & oryza, ex oxyacãthe, vel granis acerbæ vuæ, Inter legumina uero lenticula obiecto priori iure; ſed neque braſſicæ exquiſitè coctę, abiecta itidem priori aqua, ſunt inutiles, & quæcunque tandẽ aſtringunt, & aliquo modo ſiccant, nam Paulus huic atteſtatur ſententiæ: Sed & medicamenta huc ſpectare oportet, unde & ſyrupus roſaceus præſertim ex roſis ſiccis, & myrtinus confert: nec qui ex ſucco malorum punicorum confectus eſt, eſſet inutilis: aliquãdo uero, & his immixtus ſyrupus de menta non erit inutilis. Decocta etiam ex rebus aſtringentibus, ut

A ex plantagine, polygonio, cauda equina, mytto, rhu
obſoniorum, quod Arabes ſumach appellant, maſtiche,
& id genus alia multa. Pulueres quoque multi
fieri poſſunt huic rei vtiles ex margaritis, coralio lapide,
bolo armena, terra lemnia, raſura eboris, electrũ
etiam, quod Arabes charabe uocant, in puluerem redactum
non parum laudatur, lapis etiam hæmatitis,
& tandem omnia, quæcunque ſiccant, & aſtringunt.
Exterius quoque, & fomenta, & balneæ, & cerata, illitioneſque,
vel olea adhibentur, ex oleis quidem roſaceum
ad uſum hunc vtile erit, ſi lumbi, & peritoneũ,
& inferior uentris pars inungatur, præſertim uerò
omphacinum, præterea uero, & myrtinum, & melinum,
quod ex malo cotoneo ſit, interdum uerò, ſi pu-
B temus non eſſe valide refrigerandum, immiſcemus,
& maſtichinum, ex his, & cerata, & illitiones, & cataplaſmata
fieri poſſunt. Parata quoque apud apothecarios
quædam vtilia in hoc affectu reperiuntur, imprimis
vero vnguẽtum roſaceum à Meſue deſcriptũ
& ceratum roſaceum, quod vulgo infrigidans Gale.
nuncupari ſolet: valentius uero eſt ſandalinum uocatum
vnguentum, quod expoſuit Nicolaus, item & valentius
ideſt, quod nomen habuit à corticibus caſtanearum,
ex quibus præcipue conficitur, ſed ualentius
etiam eſſet, quod comitiſſæ appellat Nicolaus. Paulus
ſanè, & emplaſtrum diaphœnicum, hoc eſt, ex palmulis
laudauit. Sed & balneæ, uel inſeſſiones ex aſtringentibus,
vt ex ſummitatib. rubi, myrto, œnanthe, ca-
C preolis uitium, & ſimilibus alijs decoctis ex vino accommodato,
& aqua maximè prodeſſe poſſunt. Sed
poſteaquam intercidit ſermo de balneis, id non uidetur
ſub ſilentio prętereundum, quod & balneæ quędam
naturales, mineraleſque accommodatiſſimum
remedium ſunt, pręſertim verò, quę ferreę ſunt. Vnde
& vſus in cibis coquendis, & in uino diluendo aquę,
in qua fuerit extinctum ferrum utilis admodum
eſt. Lucenſes ergo, quę à villa nomẽ habuere, & Gauderianę
Veronenſes optimę ſunt epotę, ut bibi ſolẽt,
& quomodo balneis uti ſolemus. Balneę autem, quę
in agro Piſano ſunt ferreę, & ipſę admodum (appellãt
autem eas Sancti Lucę) optimæ ſunt, ſi in eis demergantur,
qui hoc tenentur affectu ſupra lumbos vſq;,
D neque tamen hę bibi ſolent. Hoc tamen ego monerem,
ſi quando inueteraſcat hoc ſeminis profluuium,
anteaquam omnino ſiſtatur, tutius eſſe aliquo facili,
& leui medicamento corpus expurgare: nam factis
imbecillioribus illis particulis, natura iam aſſueuit
multa excrementa cum ſemine expurgare, quę omnino
non eſt tutum ſiſtere, niſi prius quoquomodo
cõrpore uacuato, quibus autem purgandum ſit, iam
paulo ante expoſuimus. Quatenus uerò ad victus rationem
pertinet, de cibo, & potu ſatis ſupra diximus,
quibus hoc addendum eſt ex ſententia Pauli, quod
inter initia pręſtat uti quiete: mox uerò, vbi alterius
curatio fuerit progreſſa, vtilis erit exercitatio, tanta
tamen, ut poſſit, & his particulis, & uniuerſo corpo-
E ri robur addere.

De Priapiſmo. Cap. XXVIII.

PRiapiſmus affectus eſt virilis membri, aliquando quidem eius proprius, interdum uero non eſt eius primarius affectus (vt expoſuit Galen. 6. de loc. affe.) ſed arteriarum affectum ſequitur. Eſt uerò affectus ex quo colis intenditur, & tam in longum, quàm in latum augetur, perinde, vt quando homo in venerem propẽſus eſt, niſi quod fit tentigo in priapiſmo citra omnem veneris appetentiam, immo ſequitur affectionem particulę illius, quę omnino pręter illius naturam eſt. Nomen autem habuit à Priapo, quem tunc homo videtur imitari: Priapum enim, cap. 6.

qui

qui tanquam Deus hortorum cuſtos habebatur; fingebatur, ſemper magno, & intento cole: vnde priapiſmus dictus eſt is affectus: quia ſimiles efficit Priapo illos, qui ab eo corripiuntur. Eſt autem perpetua, & diu manens hæc colis tenſio, neque fit ſicut in illis, qui excitantur in venerem, in quibus ex imaginatione, & deſiderio rei uenereæ intéditur, & arrigitur penis, ſed citra deſiderium quidpiam, & ullam imaginationem permanet intentus. Aliquando vero (ut expoſuit Pau.) non eſt perpetua, & diu permanens membri uirilis diſtenſio, & arrectio, ſed ut intenditur, ita reſidet, & quaſi eſt quędam pudendi uirilis palpitatio, quamuis (ut idem teſtatur) non ſit affectio hęc viris propria, ſed communis etiam mulieribus. Sequitur verò affectionem plegmonodem vaſorum ſeminariorum, qui quidem morbus acutus plerunque eſt, vt pote qui ſępius, niſi deſinat palpitatio penis, tranſeat in reſolutionem, aut conuulſionem, in quam ſi deſinat, cito pereunt, nam & uenter inflatur, & frigido ſudore ſudant, raro autem is morbus accidit. Ita autem & hęc, quæ pręter naturam fit penis intentio, à ſpiritu, & flatu naſcitur, ſicut & cum naturali ratione fit propenſio in uenerem. Niſi quod hęc à natura inſtituta eſt, neque ab alia re, quę à natura ipſa aliena ſit, habet ortum, ſed tantum ſequitur (ut ſępius diximus) imaginationem, & deſiderium rei uenereę concitatum plerumque à congeſto ſemine excitante, & quaſi euigilante expultricem facultatem. Illa verò neque imaginationem, neque deſiderium, ſed aut generationem eiuſcemodi flatuoſi ſpiritus in fiſtuloſo illo neruo, quo colis conſtat, & id ex aliqua eius intemperie, & tunc is affectus proprius, & primarius eſt iſtius particulę affectus, ſed hoc rarius ſolet illi contingere. Aut ſequitur motum flatuoſi ſpiritus in uirile membrum ab arterijs ad ipſum pertinentibus, patefactis nempe earum oſculis: patefiunt autem harum arteriarum ora immodice, quando redundante eo ſpiritu, qui confertim, magno impetu, & ſine ordine mouetur in eis. Solet ſanè affectus is frequentius moleſtare iuuenes, quàm ſenes, & eos in primis qui copioſum ſemen ſolent progignere, ac uenere frequenter uti, deinde præter hanc conſuetudinem ab ea abſtinent, cum tamen neque exercitatione, aut alia huic officio accommodata ratione uictus procurét, vt copia ſeminis reprimatur, ſed preſertim quãdo horum frequens ueneris libido accenditur. Frequentius etiã excitari priapiſmus ſolet in illis, qui & ſi alioquin caſti, & continentes ſunt, delectantur tamen ſpectaculis & imaginibus, vel etiam ſermonibus, quibus memoria veneris expergeſit. Sed & ab abundantia vitioſi, & acris ſucci ſolent aperiri ora venarum, qui ortum habere ſolent ab eſu ciborum, tum acrium tum mali ſucci, præterea uero ex calfactione dorſi, ſicut illis interdum ſolet euenire, qui cum iter faciunt, zona præter ſolitum ſuccincti incedunt. Hæc ferè omnia
cap.6. Galen. ſexto de loc. affect. docuit, ſicuti curandi ra-
cap.7. tionem partim decimoquarto Meth. partim etiam
cap.8. nono de Comp. medica. ſec. loc. expoſuit. In qua quidem hi videntur pręcipui ſcopi. Primus, uniuerſi corporis uacuatio. Alter refrigeratio partium, quarum conſenſus ad ſeminaria uaſa, & uenas, & arterias peruenientes ad penem pertinet, ut ſunt lumbi, pubes, & uirile membrum. Tertius, ut flatus, unde intenduntur partes illæ, digeratur, diſcutiaturque.

Sed magis particulatim hæc tractemus, ut tamen pre-
cap.7. ceptum, quod Galen. 6. de loc. affect. nobis tradidit, non obliuiſcamur: nempe quod illis, qui tentantur his affectibus, ob continentiam à uenere, cum tamé indulgere veneri conſueuiſſent prioribus temporibus, optimè conſultum erit, ſi collectum iam ſemen uſu uenereo excreuerint, ac mox ab ijs omnibus, quę A hominem poſſunt concitare in venerem cauerint, vt ſunt ſpectacula; ſermones, cogitationes, & id genus omnia. Quia vero uacuatio vniuerſi corporis fieri poteſt, & ſanguinis miſſione, aut purgatione, quæ & ipſa duplex eſſe poteſt, nempe per ea medicaméta, quæ ſoluendo aluum inferiorem cient: præterea uerò & per illa, quæ ſuperiorem, ſicuti uomitu, & tertio per ea medicamenta, quæ exterius adhibita, illitaque digerunt, calefaciunt, & deſiccant, de his quidem ita definire uoluiſſe Galen. 14. Meth. viſus eſt, vbi ait, quod ſi iuuenis ab his affectibus corripiatur, ſicuti ſolet frequentius euenire, omnino præſtabit ſanguinem mittere, quod exemplis comprobauit, duos enim narrat à ſe pauciſſimis diebus fuiſſe curatos miſſo prius ſan- B guine, ac delibutis lumbis, & pene in altero roſaceo cerato, in altero uero medicamento, quod ex chamęmelo conficitur. Præſertim verò uena in cubito interior erit ſecãda, nam & hoc uidetur magis cum Hippocratis conſentire decretis, ipſi namque inter initia morborum magis ſemper ferè probantur uacuationes, quæ cum reuulſione fiunt. Tantum autem ſanguinis detrahendum eſt, quantum uideatur & affectus requirere, & habitus, uireſque corporis poſſe admittere. Sed quantum ad purgandi rationem pertinet, Galen. vomitum euacuationi prætulit, quam medicaméta moliuntur, quę deuorata inferiorem aluũ ſoluunt, atque id eadem, quam nuper expoſui, ratione: nam (ut idem nono de Comp. medic. ſec. loc. do- C cet) quæ aluum inferiorem ducunt, ſæpe ad partes currentem humorem ob uiciniam trahunt, quod ſi tamen uideatur aliquo modo eſſe ducenda aluus inferior, accommodatius, & utilius ducetur per ea, quę inferius per clyſteres, vel glandes injiciuntur, quàm per ea, quę ebibita vel deuorata purgant, quia hęc nõ ita mouent, & trahunt ſuccos à remotioribus partibus. Vt tamen & id addamus, quod inſinuauit Gale. quod in illis, qui ſe abſtinuere, fortaſſe utilior erit miſſio ſanguinis, præſertim ſi ſint plenioris habitus: at in illis quibus multa fuerit congeſta cacochymia, nõ erit inutilis purgatio, præterea uerò neq; inutilis erit uacuatio, quæ ſolet fieri uſu eorum medicamentorum, quæ exterius adhibita, digerendi uim habent, vt D ſunt balneę, & illæ in primis, quæ ex aquis uim digerendi habentibus fieri ſolent, ut ſunt minerales, præterea uerò & illis medicamentis appoſitis, quæ acria ſunt, aut etiam quæ calefaciunt, & ſiccant. Sed huc ſpectare uidentur frictiones, exercitationes, inediæ, vt vtamur uno aut altero ex his generibus uacuationis, eo uerò in primis, quod magis poſſe illi accõmodari uiſum fuerit. Vbi tamen id erit aduertédum, qđ hoc tertium inſtrumentum, ſi ea, quæ paulo ante fuere expoſita, in memoriam reuocauerimus, non ſtatim a principio erit opportunum, quia in initijs potius refrigerantibus agendum eſſe conſuluit, & illis quidem tum interius acceptis, tum vero exterius adminiſtratis. Interius quidem, ut ibidem Gal. teſtatur, utilis E eſt radix nymphęæ, quam Arabes corrupto vocabulo nenuphar nuncupant: itidem autem, ait idem Galen. 11. de ſimp. med. fac. & eius ſemina Dioſc. uerò nymphęam in primis laudat, quę cãdidos fert flores. cap. de
Vtile pręterea eſt, & lactucæ ſemina ex aqua bibere, ſiccor.
& lenticulæ cum melle, & hæc quidem inter initia. lumbis.
Nam malo in longius protracto, uiticis ſemen quem agnum caſtum iuniores appellant, magis erit accommodatum medicamentum. Sicuti, cum adhuc diffi- cap.7.
cilior ſit eius curatio fortius medicamentum eſt ruta, ſi ea liberalius aſſumatur. Exterius etiam circa initia pudendo & lumbis apponenda ſunt ea quæ uim refrigerandi habent, quæ quidem eſſe moderanda pro ratione caloris conſuluit Gal. 14. Meth. cuius & rationem expoſuit, nimirum enim, cum colis à flatuo-

ſo ſpiritu intendatur, & ſpiritus non niſi à moderato calore excitetur ex craſſa, & lenta materia, refrigerando, ac remittendo calorem illum, occaſionem generandi flatus remouemus, quæ (vti diximus) pro ratione caloris ſunt moderanda, quia ſi calor exiguus, refrigerandum quidem erit omnino, ſed modicè, qđ clariſſimè expoſuit ibidem Gal. accommodatis exemplis, duos enim à ſe curatos fuiſſe ait, qui priapiſmo erant obnoxij, miſſo ambobus ſanguine, ſed quantũ ad topica remedia pertinet, alteri roſaceum ſimplex adhibuit, ſimplex quidem, uerum aqua frigida ſubactum, adhibuit autem lumbis, & pudendo, altero verò medicamentum ex chamæmelo paratum, & ratio iſtius diuerſitatis erat, quod in priori erat maiori refrigeratione opus, tum ratione temperamenti corporis malè affecti, tum uerò ratione affectus, qui maiorem referebat caliditatem: in altera autem minor, & in 2. de compo. med. ſec. loc. vbi curat dolorem capitis ex plaga, in aliquibus laudat capitis perfuſionem ex oleo roſaceo ex aqua frigida, vel ex niue refrigerato, in alijs autem, ubi cenſet non eſſe tantum refrigerãdum, uti ſolitus eſt oleo chamæmelino refrigerato.

De illis, qui veneris impotentes ſunt, quos frigidos legũ periti appellant Greci, vt Paulus περὶ ἀπράκτων μορίων, *hoc eſt, de particulis impotentibus caput hoc inſcripſere, pręterea verò de illis, qui à venereo vſu plurimum leduntur. Cap. XXIX.*

DE illis, qui veneri inepti, & impotentes ſunt quique arrigere colem nequeunt, quoſque iuris pontificij conſulti frigidos, & maleficiatos appellant, Gal. (quod quidem meminerim) nullã, particulatim ſaltem, mentionem fecit: Paulus autem & Aetius, atque ſubinde Aui. illam fecit omnibus tamen diſtinctius, & exquiſitius rem hanc tractauit Auice. Nam Paul. ait, quod illi, qui hoc affectu tentantur, in venerem non concitantur, & proinde triſtes fiunt. Refert autem omnem iſtius mali rationem in duplicem cauſam, nempe in paralyſin harum partiũ, quibus tanquam inſtrumentis utimur in excernenda venere; & in defectum ſeminis. Auicenna uerò Methodo vſus diuiſiua uniuerſum hoc negotium diſtinguere uoluiſſe uiſus eſt in hunc modum. Cum ad excernendam venerem ſint neceſſaria ſeminalis materia, ſint etiam neceſſaria propria inſtrumenta, quibus natura utitur in hoc munere, quæ quidem duplicia ſunt, alia enim deſeruiunt generationi ſeminis, alia verò eius effuſioni tempore coitus, priori quidem officio delegata ſunt ſeminaria uaſa, & teſtes alteri uerò penis, vel colis. Sed de illis primum agamus, quæ ad ſeminis rationem pertinent. Nimirum cum ſeminis materia, vnde ſuam habet generationem, ſit ſanguis, cui multus ſpiritus eſt intermixtus, ſanguis quidem ex iecore ad ſeminaria vaſa, & teſtes profluit, ſpiritus verò à corde, in ſemen autem cõuertitur a facultate, quæ à natura teſtibus, & ſeminarijs uaſis tributa eſt. Hi, qui hoc affectu laborant, neque uenerem exercere poſſunt, vel eo laborant, propterea, quia deficit materia, uel quia inſtrumenta malè habẽt, aut deficit materia ob penuriam ſanguinis, & ſpiritus conuertendorum in ſeminis naturam. Is autem defectus, aut à praua ratione uictus occaſionem habet, ſicuti in ijs, qui ieiunant immodicè, fieri poteſt, aut qui illis utuntur cibis, qui modicum ſanguinem gignunt, aut ex nimia aliqua vacuatione, uel per ſanguinis effuſioné, vel alui fluorem ſpontaneum, vel vi medicamẽtorũ, vel ex nimio veneris uſu, uel ex longa ægritudine, aut ex aliquo uitioſo affectu eorum uiſcerum, in quibus tanquam in proprio fonte generantur ſanguis, & ſpiritus, ut ſunt cor, & iecur. Ex uitio uerò eorum inſtrumentorum, quibus conficitur ſemen, fit veneris impotentia, quando aut quatenus ſimplicia ſunt, laborant, aut quatenus organica. Vt ſimplicia quidem, ſi inſigni aliqua intemperatura, & ea uel ſimplici, vel compoſita laborant, cum materia, uel ſine materia, præſertim uerò lædit actiones harum particularum frigida intemperatura ſimplex, uel compoſita, deinde humida, poteſt & calida, quando fuerint immodica. Et quia præſertim frigus aduerſarium eſt harũ particularum actionibus, ideo illos, qui ueneris impotentes ſunt, frigidos iuriſconſulti appellauere. Vt cõpoſita verò laborant hæc inſtrumẽta, cum obſtruuntur, præcluſa uia, qua ſanguis, & ſpiritus ad teſtes confluere ſolent, vel ſemen in teſtibus iam confectum ad penem propellitur. Ratione autem eorum inſtrumẽtorum, quibus natura utitur ad effundendum ſemen in uterum, ut penis eſt, poteſt veneri afferri impedimentum, primum, ſi (vt paulo ante diecebamus) ſuboriatur obſtructio in uaſis ſeminarijs, quæ orta à teſtibus ſemen ab illis ſuſceptum in colem quaſi eiaculantur, interdum uerò ex aliquo uitio contracto in cole, quod prohibet, quò minus ille arrigi, & diſtendi poſſit, quæ quidem particula conſtat ex fiſtuloſo, & cauo illo neruo, quem circunſtant multi muſculi, ut anatomici ſæpe oſtendunt, arrigitur autem ex multo ſpiritu cum ſemine commixto, quem non parum iuuat flatus, qui ſolet eò confluere. Vnde melancholici hac ratione ſalaces eſſe ſolent, quia flatulenti ſunt, ut Ariſto. in problematibus expoſuit. Ex horum ergo omnium defectu ſolet afferri impedimentum veneri: & vnde quidem poſſit haberi penuria ſpiritus, nuper diximus. Flatus uerò deficit, vel ex nimio calore vniuerſi corporis, aut earum partium, quæ affinitatem, & connexionem habent cum genitalibus membris, vt renes, & tandem venter inferior, itemq; ex nimio frigore. Nam & multus calor digerendo, & inſigne frigus pari ratione aduerſaria ſunt flatus generationi, ſicut modicus calor humidam materiam nactus, eam in flatum diſſoluit. Arrectio etiam aliquando in his particulis ſolet deficere ex proprio, & interno earum affectu: nam flatus, & ſpiritus generatio plerunque alibi fit, & poſtea ad penem confluit, vnde & eius defectus aliam aliunde occaſionem habet. Affectus uerò is, qui proprius colis eſt, reſolutio eius eſt, uel paralyſis penis, ut ſenſere Paulus, & Auic. Sed alias etiam quaſdam cauſas addit idem Auic. quæ in ordine earũ ſunt, quæ procatarcticæ à Græcis dicuntur, vt eſt occupatio animi, & cogitationis, & eius conuerſio ad alia negotia, ſpiritus enim & ſanguis, ad caput, vel cerebrum retrahuntur, ut ad genitalia membra nullã habeant propenſionem. Vnde ait poeta, Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus. Præterea timor, verecũdia, męſtitia, ira etiam: longa inſuper abſtinentia à uenere, deſueſcens enim natura ab aliquo opere, quaſi obliuiſcitur ſpiritum, & ſanguinem amandare inſtrumentis, quibus ſolita eſt id opus efficere, quemadmodum, & poſt ablactatum infantem natura quaſi obliuiſcitur ad mammillas lac in ſanguinem conuertendum tranſmittere. Sed hoc præterea conſiderandũ, quòd horum uitiorum, quæ occaſioni ſunt, cur apractæ reddantur hæ particulę (vtar enim Gręco in pręſentia Pauli uocabulo) hoc eſt impotentes, & inutiles, aliqua naturalia ſunt, vtpote quę ſunt ab ipſo ortu cõtracta, & illa aut rariſſimè, aut nunquam vllam curationem admittunt. Signa uerò, quibus hę iſtius affectus differentię diſcerni poſſunt, in hunc modum expoſuit Auicenna, ipſe enim rem hanc copioſè tractauit. Si quidem ex defectu, & penuria materię, vnde generandum erat ſemen, cum id referri poſſit, aut in rationem victus, ut paulò antea diecebamus, & tunc

victus

victus præcedens id poterit ſignificare, ita ſi ex longa ætate, difficili ægritudine, uel ex multa uacuatione, cũ hæc poſſint cuique eſſe manifeſta, non eſt cur in illis explicandis ſit a nobis tempus conterendum, niſi ꝙ poſſumus hoc addere, quòd corporis conſumptio, & attenuatio conſequens has cauſas poterit illis atteſtari. At ſi id ex aliquo iecinoris affectu prodeat, quòd aut ſanguinem nõ generet, aut eum uitioſum, & ineptum generationi ſeminis procreet, cum id referri nõ poſſit niſi in aliquam intemperiem, aut obſtructioné iſtius uiſceris, per ea ſigna id erit inueſtigandum, quibus iecinoris affectus poſſunt deprehendi. Ita etiam ſi renes in cauſa eſſent, ea ſigna, quibus ſignificantur uitia renum, id poſſent oſtendere. Si verò id ex defectu cordis, & ſpiritus ortum haberet, cum plerunque frigus in cauſa ſit, primum nulla fieret penis arrectio, poſtea & pulſus debilis, paruus, & rarus hoc idem indicaret. Ita etiam ſi ex uitio renum is defectus ortum haberet, per ea ſigna petenda eſſet huius rei dignotio, quibus renum affectus cognoſci poſſe ſuperius à nobis fuit expoſitum. Sed ſi ex malo aliquo teſticulorum affectu hoc penderet, præter alia ſigna, quibus intemperaturæ teſticulorum deprehendi poſſunt ex qualitate etiam, & ſubſtantia ſeminis id innoteſceret. Nã ſi ex frigidiori intemperatura teſtium, uel ſeminaliũ vaſorum ſequeretur ea difficultas, ſemen perciperetur, aut frigidum, ant parum admodum calidum, præterea craſſum, & quaſi congelatum videretur, ſed & ſine vlla eſſet acrimonia, & aut cum nulla, aut cum infirma, aut cum languida prurigine, delectationeve excerneretur. Sin autem ex ſiccitate harum particularum ſemen quidem paucum erit, & illud adeo aridũ, & concretum (vt quinto Apho. docuit Gal.) vt vix extendi poſſit, præterea id quod (quemadmodum idem eodem loco expoſuit) cum plerunq; uniuerſum etiã corpus in eandem intemperiem conſpiret, vniuerſum corpus macrum, & excarne erit, & exãgue, cui hoc etiam accedere poteſt, quod ab humectantibus, cum alijs tum verò pertinentibus ad victus rationé, melius habere uidebuntur. Quotieſcunque autem non in harum ſuperiorum partium vitia erit is affectus referendus, ſed in fiſtuloſum neruum, & tandem in penem, quia arrigere, intendíque nequeat, cum id nequeat niſi in frigidam illius particulæ intemperaturam, uel in eiuſdem paralyſin, uel reſolutionem referri, id indicabit primum, quod nulla fiet arrectio, præterea uerò (vt Auic. ait) ex aqua frigida nulla fiet iſtius cõtractio. Quando autem ſolus defectus fuerit ex penuria flatus, ait Auic. cognoſcendum id eſſe duplici hac ratione, primum quod nulla apparent ſigna aliquorũ ſupra expoſitorum affectuum partium tam ſuperiorum, quam inferiorum, & tamen nulla fit arrectio penis, deinde uerò, quia in hoc plurimum uſus eorum, quæ flatum generant, illis proſunt. Nos uerò, & hoc addamus, quod cum (vt ſuperius ex Gale. & eiuſdem Auicennæ ſententia diximus) flatus fit à modico calore: Frigus uerò, & calor inſignis ſint pariter aduerſaria generationi caloris, neceſſe erit, quod ſigna aliqua appareant indicantia, aut frigidam, aut immodicè calidam intemperaturam. Sed neque hoc prætereundum eſſe uidetur cuius auctor eſt Aetius, nempe quod qui pingues, & obæſi ſunt, hi ineptiores ſunt ad vſum veneris, quam qui macilentiores. Quatenus uerò ad rationem curandi, & ſuccurrẽdi miſeris his, imprimis hoc erit conſiderandum, quod illi, qui à natura, & ex ipſo ortu hanc difficultatem, uel imporentiam (vt ita loquar) habent, curari mea quidem ſenteñtia, & ut aliquando animaduerti, nequeunt. Deinde uerò, & illud conſideratione dignum eſt, nimirum quod ſi omnis occaſio, uel eius maior pars à corde, vel cerebro, uel iecinore, uel renibus pendeat, particulatim nũquam uitium hoc tolli poterit, niſi prius fuerint uitia earum partium emendata: rationem verò, qua illa ſint emendanda, petere oportet a ſuperioribus libris, quibus de earum particularum curandis affectibus ſermonem inſtituimus, unde neque in his amplius erimus longiores. Sin autem ratio iſtius affectus à macie, & conſumptione corporis oriatur, imprimis procurãdum eſt, ut corpus reficiatur cibis plurimum nutrientibus, nec concoctu admodum difficilibus, & illis in quibus ſit uis impinguandi, & ſi ſit aliquid flatulentæ ſubſtantiæ id non erit a noſtro inſtituto alienum, ut ſunt iuglãdes, amygdalæ dulces, nuclei pinei, piſtachia, quæ aromatibus condienda ſunt, præſertim cinnamomo, & Auicen. cæpas commiſcẽdas eſſe ait, & erucam, & mentam. At ſi in cauſa fuerit calida vaſorum, & teſticulorum intemperies, refrigerantibus erit agendum boni tamen ſucci: vnde Auicennæ probatur lac dulce coagulatũ, item, lac in quo fuerit cocta portulaca, nam oportet, ut quæ refrigerant, cum aliqua humiditate refrigerent, ita tamen, vt refrigeratio modeſta ſit, & moderanda pro ratione exceſſus intemperiei in calore, neque ea, quæ refrigerant ſint item exſiccantia, ut ea ſunt, quæ aſtringunt, quia in his affectibus plerunque exſiccantia fugienda ſunt. Si verò frigus harum partium in cauſa iſtius incommodi fuerit contra erit agendum, nempe calefaciendum erit ſiue frigus ad uaſa ſeminaria pertineat, & teſtes, ſiue ad penem ipſum calefaciendum autem erit medicamentis calefacientibus, tam interius acceptis, quàm exterius adminiſtratis, ut ſunt olea calefacientia, emplaſtra, cataplaſmata, linimenta, modeſtæ exercitationes, & frictiones, cibi uerò, & ipſi, vt huc ſpectent, oportebit. Eodem modo, & ſi ſiccitas ſit, quæ obſtet, illa contrarijs remedijs corrigenda erit, vt quiete, ſomno, cibis, & potibus humectantibus, tum qualitate, tum verò ſua ſubſtantia, vtpote, quia multum alant, & humidum alimentum gignant, ſed medicamenta, quibus tam interius, quam exterius vti oportet, vim humectãdi habere opus eſt, ut ſunt olea, balneæ, & tandem quæcunque poſſunt humectare.

Rem ergo hactenus communi quadam ratione ueſtigia ferè Auicennæ, & Arabum magna ex parte ſecuti in hunc modum expoſuimus: præter hęc autem, quæ omnino, & ipſa cognitu neceſſaria ſunt, & præcedere debent, magis particulatim rem eandem perſequendo, quædam etiam plurimum ad hoc caput facientia mihi uidentur in præſentia ex Gal. exponenda, ſunt enim aliqua, quæ propria quadam ratione facultatem habent uenerem excitandi, ſicut alia contra vim inſignem habent illam, & eius deſiderium extinguendi, unde & horum cognitio uidetur, quam neceſſaria huic inſtituto, nam, vt priora mirifice poſſunt his pauperculis prodeſſe, ita poſteriora obeſſe, quare, vt illa accipienda, & admittenda ſunt, ita hæc fugienda, & declinanda. De utriſque igitur agendum eſt, & primum quidem de illis, in quibus reperitur ea facultas, qua venerem concitare poſſunt. Verum prius, & illud eſt aduertendum, quod non eſt una, & ſimplex ratio, ſed potius duplex. Nam alia ob id venerem excitando adiuuant, quia ſemen augent, & eius abundantiam afferunt, alia uerò id agunt, ut facilius colis intendatur. Sed de prioribus prius agamus, quia nec horum una, & eadem ratio eſt. Alia nanque ſeminis abundantiam faciunt, propterea quia illum generant, alia uerò, quia ipſum prouocant. Differunt verò, quoniam illa id procreant, quod prius non erat, hæc autem genitum quidem, & quod præerat, & in alto latebat, euocat: ita enim rem hanc tractat Galen. quinto de ſimpl. medi. facul. (cap. 25.) Intendunt autem colem ſpiritus flatuoſi, unde, quæ cum ratione ſuæ naturæ eiuſmodi flatulentum ſpiritum poſſunt ſubminiſtrare, illa

(margin: com. 62.)

re, illa etiam proſunt ad excitandam venerem, cùm
alioquin omne deſiderium venerei vſus inutile, ſine
hac tenſione, futurum ſit. in vniuerſum itaque ſi de
cibis ſit ſermo, illi maximè veneri excitandæ ſunt
idonei, qui multi, flatuoſique alimenti ſunt, & nobis
à tota ſua natura, & forma ſunt familiares. Sed ſi de
medicamentis loquamur, venerem ſtimulare poſsūt
ea, quæ calida, & flatuoſa ſunt, neque tamen exſic-
cant. Vnde ad generandum ſemen cibi, quales ſunt,
quos expoſuimus, magis accommodati: medicamen
ta verò, qualia nuper deſcripſimus, uim potius euo-
candi ſemen habent: vtraq; verò cum flatulenta ſunt
non parum ad arrectionem penis proſunt. Quocir-
cap.6. ca Gal. ſexto de loc. affect. huic ſententiæ ſubſcribens
ait, quod omnia medicamenta, quæ lumbis, perito-
neove appoſita, vel potui data poſſunt pudendum vi
rile intendere, calida, & flatuoſa ſunt. Quinto vero
de ſimpl. med. facult. idem in hunc modum ſcriptū
reliquit, commune omnibus illis, quæ ſemicocto hu-
more, flatuoſoque participant, venerem excitare, &
proinde id menta ſatiua facit, vt pote quæ ex culto
humidior, quàm ſylueſtris, euadat. Magis autem par-
cap. de menta. ticulatim de his agendo, dicimus, quod idem Galen,
eodem 5. de ſimpl. medic. fac. exponens, quæ in cibis
ſunt, qui huic officio ſunt idonei, vtpote qui ſeminis
abundantiam faciunt, enumerat bulbos, ciceres, fa-
bas, polypodes, nucleos pineos. Dioſco. verò addit ra
dicem napi, & rapum, porrum capitatum. In medi-
camentis verò recēſentur ſcinchi, proprie uerò lum
bi eorum, vt tradidit Dioſcorides, cui & Galen. vn-
decimo de ſimpl. medica. fac. aſtipulatur, qui ait expe
rientia comprobatum eſſe ad arrectionem uirilis
membri plurimum ualere, ſi (ut ait Dioſco.) dentur
ex uino ad pondus drachmæ. Sed & ſatyrij radix plu
rimi in hac re ab auctoribus fit; item & ſemina urti-
cæ ex muſto potanda ſemina quoque, radixque dau-
ci ſatiui, & maior radix teſticuli canis; quia minor (ut
Galen. tradidit) magis uim habet reprimendi uene-
rem, ſed & coſtus ex mulſo datus, ſi Dioſcoridi cre-
dimus, excitat ueneris deſiderium, item & crocus,
dracunculique tam maioris, quàm minoris radices,
ſi ex vino bibantur ſemenque ſylueſtris paſtinacę, &
radix galij, & ſuperior gladioli radix, nā inferior cre-
ditur potius venerem reſtringere. At radix ſatirij ery
tronij creditur à quibuſdam, quod etiam manu geſta
ta venerem excitet, longè autem magis, ſi ex uino bi-
batur. Quidā verò hanc vim & talo bouis attribuūt,
ut poſſit aliquantiſper venerem concitare: pręterea
& hormini ſatiui tum ſemen, tum herba. Quæ verò
& cibi, & medicamenti ſimul rationem habent, ſunt
hæc, nempe lini ſemen: Dioſc. tamen addit illud eſſe
in modum polentę ex melle parandum, addito tamē
pipere, atque liberalius comedendum, erucaque cru
da addit Dioſcorid. largius eſitata, nec non & eius ſe
men: alimum præterea & coriandri ſemen. Multa
alia ab alijs referuntur, quæ conſulto prætereunda
cenſuimus, ne iuſto eſſemus longiores, nam & hæc
tanquam exempla fuere propoſita ad expoſitionem
eorum, quæ ſuperius generatim fuere deſcripta. Quo
niam verò ad hoc etiam caput ea pertinere diximus,
quę venerem reprimunt, & extingunt, ut ſaltem de-
cap.23. uitari ab eo poſſint, cuius intereſt, vt ad venerem fiat
promptior: ideò de his etiam paucula quædam eſſe di
cenda putauimus. Ea ergo venerem (vt quinto de
ſimp. medica. facult. traditum eſt) reprimere poſſunt,
quæ natura, & facultatibus aduerſaria ſunt illi, nem-
pe quia ſemen reſtringunt, & id generari prohibent,
talia autem ſunt (ut eodem quinto de ſimpl. medica.
faculta. ſcriptum eſt) quæcunque ſiccant, & refrige-
rant pręſertim ſi naturam aduerſam nobis habeant,
quamuis, & ea ſeminis generationi impedimento

A ſint, quę ſiccant, calida tamen ſint, ſicuti ruta facit:
longè tamen in hoc efficaciora ſunt, quæ ſine calore
deſiccant, ut nymphæa, ſed & quæ ſemen retinent,
quemadmodum ea faciunt, quæcunque refrigerant,
& ſubinde ſemen craſſius reddunt, & id cogunt, con
culcantque, in hoc genere ſunt ſemen lactucę, betæ-
que, & atriplicis, præterea mora cucurbitæ, melope-
pones, & cucumeres: his autem quæ ſemen deſiccāt,
eiuſdem operis libro ſeptimo addidit Galen. canabis
ſemen largius aſſumptum, & cedrinum oleum pu-
dendo illitum: octauo vero eiuſdem operis & peri-
clymeni meminit, ſexto etiam uiticis ſemen uim can
dem habere teſtatur, cum quo & Dioſcor. conſentit,
Galen. tamen addit, quod id ipſum poteſt, ſiue cru-
B dum edatur, ſiue frixum, nec modo ſemen, verùm &
folia, floreſque, tam ſi edantur, quam ſi potui dentur:
Dioſco. verò idem facere anethum teſtatur ſæpius e-
potum, portulacam etiam, ſi edatur, uim, habere ex-
oluendi veneris deſideria ait, & alteram radicem te-
ſticuli canis, quæ arida eſt, ait præterea quoſdam cre-
didiſſe, & radicem aſphodeli idem poſſe: Auic. etiam
lentes id ipſum poſſe præſtare ait, & multa alia, quæ
nimis longum eſſet recenſere, ſed ea cognita eorum
natura, quæ relata ſunt ad generales ſcopos ſuperius
expoſitos facilè eligi poterunt ab illis, qui medicina-
lis materiæ periti ſunt, aut ſaltem illi cognoſcendæ
incumbunt. Præterea idem Auicenna quædam prę-
cepta deſcripſit non parum quidem ad hanc rem, ni
C fallor, utilia, pertinentia pręſertim ad uictus ratio-
nem, quę non ſint prętermittenda. Primum quidem
eſt, quod omnino ab vſu veneris cauendum eſt poſt
laborem, & inſignes vacuationes, ſiue ſpontaneę fue
rint, ſiue ab arte factæ, ſiue per apertionem ruptorū
abſceſſuum, itemque poſt uehementes animi com-
motiones, vſus enim venereorum poſt hęc uires plu
rimum diſſoluit, ſicut diſſoluit & immodica uenus,
ſi quid aliud, & proinde languidiori reddita naturali
facultate, ſequitur quædam ad actum venereum im-
becillitas; vnde expedit, vt cum quis venere fuerit ab-
uſus, aliquantiſper donec reſumat uires, ſe abſtineat,
neque naturę uim inferat. nam ait Auicen. quod im-
modicus coitus abſcindit coitum. Sed ab eo præterea
D cauendum eſt errore, quem facilè committunt im-
prudentes, qui putant ſe promptiores, & ualidiores
euaſuros in cogreſſu ueneris, ſi plurimum comede-
rint, unde ſe deinde replent cibo, potuque uſque ad ſa
tietatem, & faſtidium, & deinde plurimum decipiun
tur, ſæpeq; ſua ſpe defraudantur, natura enim à tanta
mole oppreſſa interdum uix reſpirare poteſt. Quo-
circa conſulit, & rectè quidem, ut ſi cōtigerit, quod
aliquis nimis ſe repleuerit, ille ſe contineat, donec
probè fuerit concocta exquiſitè crudior ea materia,
& conſultum uentriculo faſtidito fuerit rebus aliqui-
bus eum roborantibus. Conſulit itidem cauendum
eſſe à copioſo aquę frigidioris potu: eiuſmodi enim
potus (ut Hippoc. in libro de aere aquis & regioni-
E bus docet) illis, qui cupiunt plurimum in uſu uene-
reorum ualere, admodum nocuus. Addit pręte-
rea illi in primis cauendum eſſe, ne indiſcriminatim
cum quacunque, muliere coeat, nam congreſſus cū
muliere uetula, aut cum muliere, dum per men-
ſtrua purgatur, aut cum morboſa muliere, aut cum
illa, quæ diutiſſimè caruerit congreſſu uiri, aut (ait
ipſe) cum uirgine, quod forſitan referendum eſt in
laborem multum in hoc congreſſu, & dolorem uir
gini illatum, & interdum renitentiam, omnia in-
quam hęc imbecilliora reddunt membra huic operi
deſeruientia. Laudat autem, ut præter cibos huic of
ficio aptos, & medicamenta, tam interius aſſumen-
da quàm exterius illinienda, bibat uinum aliquod be
ne odoratum, adhibeat autem & eos, qui laſciuis ſer-

monibus, vel lectionib. excitent, & vigilét ſopitam venerem, & de his quidé ſatis. Niſi fortaſſe his & illud addendum ſit cuius meminit Gal. 3. de Tuen. ſani. nèmpe quod poſt vſum veneris, neceſſaria eſt ea victus ratio, qua poſſint incommodis, quæ venerem ſequi ſolent obſiſtere, fiunt enim corpora laxiora, languidiora, & ſicciora: vnde illis & exercitatio, quę pręparatoria ab antiquis appellata eſt, erit nó parum vtilis, & balneum, interdum etiam frigidum, niſi tamen tempus frigidum obſtiterit. Addit præterea & unum quod multis paradoxum poterit videri, cenſet ſiquidem cibo, & potu reficiendum eum eſſe, qui ueneris paleſtra ſe exercuerit, non tamen eo copioſo, ſed potius parco, humidiori tamen. Quidam enim tunc maximè cómedere nituntur, putantes ea præſertim ratione ſe vires refecturos, & inſtauraturos, ignorátes, non ea q̃ ingerantur poſſe vires reſumere, ſed q̃ probè coquũtur, vétriculus verò, q, ſi quod aliud viſcus, ex vſu veneris infirmatur, factus imbecillior nequit multã cibi copiã ingeſtã, quó adusque reſumat vires, conficere. Quare rectè cóſuluit Gal. ſed cibus aut témperatus ſit, aut parũ calidior, à frigidis aũt declinandũ; cũ ea imprimis vtilia futura ſint, q̃ vim cogédi habent, calefaciendique & vires reparandi. Sed vbi de teſtium affectibus & earum partium, quę ad ipſos pertinent, paucula quędam dixerimus, coronidem huic libro imponemus.

De teſtium affectibus. *Cap. XXX.*

cap. 14. POſſemus ſanè, antequam ad tractationé de affectibus teſtium orationem cóuertamus, ea referre, quæ à Gal. ſexto de ſan. tuen. literis cómiſſa ſunt de eo ſtatu quorundã hominũ, qui peſſimus ab ipſo eo loci cenſetur, vtpote qui in venerem plurimũ ſtimulantur, concitanturque, verũ ſi illi indulgeant, quã maximè læduntur. Stimulantur verò, quia copioſum ſemé procreant, ſed illud adeo calidũ, & acrimoniæ particeps, vt niſi excernatur, adeo moleſtũ eſt, vt ille eius moleſtiã ferre nequeat, & ſi ex cogreſſu venereo excernatur, diſſoluitur vis, & robur, cũ vniuerſi corporis, tum vel maximè ventriculi; adeo ut prope animi deliquiũ perueniat. Cũ auté adeo exquiſite, & aperte res hæc à Gal. ibi tractetur, ut nihil mihi reliquũ ſit quod illi addã, mihi ſatis uiſum eſt locum, unde ea quæ ad hoc negotium pertinere poſſunt, ſint depromenda uobis indicaſſe: igitur non cóteremus ullum alioquin tempus in illis repetendis. Sed ut tandé librum hunc finiamus, paucula quædam de teſtibus exponéda nobis in præſentia ſunt, paucula diximus, quia & ſi multa poſſent ad hoc caput attinere, maior tamen eorũ pars in præcedentibus capitibus ſunt explanata, videlicet & natura, & ſitus, & officium teſticulorum, ſed & non modica affectuum pars. Quod enim obnoxij ſint morbis, qui in intemperie cóſiſtũt, unuſquiſque fere ex ſe rationem inire poterit, & ex illis, quæ in poſtremis his capitibus fuere expoſita, præterea uerò, & qua ratione id cognoſcendũ ſit, & quæ ſit etiã eorum futura accómodata curatio. Quare tépori parcentes, neque hæc ulterius tractabimus: ſed ſolum de tumoribus præter naturam, qui teſtes interdũ occupare ſolent, agamus; ut tamen teſtium affectus in præſentia, uel tumores appellemus eos, qui non tantum in ipſa teſtium ſubſtantia conſiſtunt, uerum & eos, qui in partibus, quæ ad teſtes aliqua ratione pertinent. Non ſunt autem unius, & eiuſdé modi tumores, qui circa teſtes excitãtur, ſed uarij, & diuerſi. Nam alij ſunt eiuſdem naturæ, & modi, cuius ſunt & alij tumores, qui alias particulas ſolent occupare. Alij uerò, qui peculiari quadam ratione, aut ſolis his aut paucis admodum alijs ſolent accidere. Peculiares

A quidem ſunt, qui ramices, uel herniæ ſolent à Latinis appellari, à Græcis κῆλαι, & à noſtris uulgari ſermone chile uocabulo quaſi Græco dicuntur. Sed quæ ad priores horum tumorum differentias pertinent, facilia perceptu ſunt, ſi quis in memoriam reuocauerit ea, quæ ſæpius à nobis in præcedentibus libris fuere expoſita, nam ita in his, ſicut in alijs particulis ex fluxione diuerſorum humorum fiunt uariæ tumorum differentiæ, ex calidis enim fiunt & aliquantiſper craſſioribus accedentibus ad ſanguinis naturam inflammationes; ex bilioſis uerò eryſipelata ex craſſioribus tum pituitoſis, tum melancholicis ſcirrhi, ex tenui pituita, œdemata, ex exuſta melancholia, cancri, qui quidem tumores interdum teſticu-

B li corpus, & eius ſubſtantiam corripiunt, nonnunquam uerò circumpoſita corpora, ut ſunt membrana, quibus inuoluti teſtes pendent, & ſcrotum dicitur. Defluunt autem ad has particulas humores, & excrementa per uenas, & arterias, cuius fluxionis in cauſa eſt, aut imbecillitas in his particulis ex aliqua interna, aut externa occaſione contracta, aut repletio, uel redundans cacochymia tum in uniuerſo corpore, tum uero in ſuperioribus aliquibus particulis, ut in ſpiritualibus à medicis nuncupatis membris, & in naturalibus, nam ab utriſque, cum ualentiora adeo ſunt, ut poſſint à ſe noxia excrementa ad loca inferiora propellere, abſceſſus ad teſtes (ut tum ſecundo libro Commento in ſextum Epid. tum 4.

C de Rat. uict. in acut. mor. docuere Hip. & Gal.) fieri conſueuere, qui abſceſſus aliquando etiam iudicatorij eſſe ſolent. Com. 13. Neque de his longiorem ſermonem habere in præſentia opportunum eſſe puto, Com. 14. cum eandem (ut nuper diximus) rationem habeant quam & alij ſimiles in alijs partibus tumores. Sed tandem & de aliis tumoribus agamus, qui peculiari quadam ratione præſertim his particulis attribuuntur, & accidunt, quique à Græcis κῆλαι dicuntur, à Latinis ramices, uel herniæ communi quodam generalique uocabulo, non ſunt tamen omnes horum tumorum differentiæ proprii harum particularum affectus, imo eorum quidam cum his partibus nullam habent affinitatem, uel commutationem, ſub- cap. 11.

D hoc autem communi nomine herniæ, uel ramicis mea quidem ſententia comprehenſi ſunt ratione cuiuſdam ſimilitudinis, quam imitantur, tumores harum partium. Quamuis autem unum horum omnium ſit commune nomen, differentiæ tamen tumorum, qui hoc nomine continentur, particulatim ut diuerſas rationes habent, ita etiam diuerſa nomina particulatim ſortita ſunt, quæ partim à materia, quæ delapſa ad has partes eas in tumorem extollit, partim uerò à loco, uel particula, quæ intumuit, depromuntur. Quę quidem ut diſtinctius & exquiſitius intelligantur, aduertendum, quod cum in imo abdomine in chordis obliquorum muſculorum, qui deſcédentes à iunioribus dicuntur ſint duo meatus utrin-

E que unus, per quos deſcendit particula quędam membranę, quę peritoneũ dicitur ſimilitudinem & figuram quaſi ſacculi referens, in quo tanquam in proprio loco cóntinentur uaſa ſeminaria una cum teſtibus, qui hac membrana, circumuoluti ſunt, quę niſi me fallit memoria, conſtituit illam, quę à Grę-cis erythroides dicta eſt, quam mox ſcrotum, hoc eſt extima teſticulorum, & rugoſa cutis complectitur: ſi quando autem contingat, ut meatus illi, aut diſrumpantur, aut alioquin laxiores reddantur: per hos in ſcrotum delabuntur particulę in abdomine à natura collocatę, quibus receptis ſcrotum intumeſcit, interdum magis, interdum minus pro magnitudine partis delabentis, deſcendunt uero interdum inteſtina, ut pote quę pręterquam quod per meſa-

reum

A reum dorſo annexa ſunt, alioquin adeo ſoluta ſunt, ſicut poterit ex anatome percipi, vt facile, niſi à peritoneo adiuto à chordis eorum muſculorum inhibeatur deſcēſus, per eos iam dilatatos meatus delabi poſſint. Laxantur autem, uel frangi poſſunt meatus hi, vel ex illato vulnere illi loco, aut ex excitato vlcere ex interna, vel externa occaſione, vel ex alia nimia humiditate partes illas emolliēte, aut ex aliquo ictu, & contuſione, vel ex ſaltu ex ſublimi aliquo loco, vel ex nimia, & violenta contentione repreſſi anhelitus, & ſpiritus, ut in magnis vociferationibus, uel inflammationibus tubarum, uel cornuum, uel eiuſmodi alijs occaſionibus. Interdum uerò delabitur omentum: cum enim amplius, & maius ſit omentum in homine, quàm in vllo alio animante: ideo vel B ſolus, vel facilius, & frequentius ad teſticulos in ſcrotum prę alijs animantibus delabitur omentum in homine. Vnde & peculiari quadam nuncupatione homines ſoliti ſunt ab antiquis Græcis ἐπιπλοκομίσται dici quaſi ἐπιπλοφόροι, hoc eſt omentum gerentes in ſcroto. Hæ autem duæ differentiæ ramicis à delabentibus particulis nuncupationem cōſecutę ſunt nam prior ἐντεροκήλη dicta eſt, hoc eſt ramex inteſtinalis: altera uerò ἐπιπλοκήλη, hoc eſt omentalis, vel omentoſus ramex. intumeſcit verò interdum teſtis, & ſubinde ſcrotum tumore quodam ſcirrhoſo, duroque ex craſſis humoribus ad eum confluentibus, q. tumor, quia carnoſus uidetur, ideo σαρκοκήλη Grę C ce dicitur. Quandoque verò ex ſuperiorum partium, præſertim verò iecinore, à vitiata eius concoctione, perinde ut in hydrope, gignitur aquoſus quidam humor, qui à natura, dum ualentior eſt amandatur ad iſtas partes, & ſcrotum hoc ſeroſo humore repletur, ita vt veſicam aqua plenam imitetur, immo ſi ad lumen aut candelæ, aut ad aduerſum ſolem perſpicias, tranſparet perinde, ac vas vitreum plenum aqua, vnde & ὑδροκήλη: quaſi aquoſam herniam illam dixere. Interdum verò venæ quæ ad teſtes, & has particulas feruntur, imbecilliores factæ dilatantur, & craſſo & melācholico ſanguine repletæ intumeſcunt, q̄ κιρσοί à Græcis appellantur, quod vocabulum, qui cap.11. paulò fuere Galen. priores, attribuere ſoliti ſunt par D ticulatim (ut teſtatus eſt Galen. in lib. de tumoribus præter naturam) uenis pedum, & teſticulorum: nam antiqui omnem venam ampliorem factam hoc nomine appellabant & inde tumorem teſtium hac de cauſa excitatum, κιρσοκήλην, hoc eſt varicoſum ramicem dixere. Et hę quidem ramicum differentiæ, licet & ſecum alias ſępe partes trahant, recenſentur tamē ab auctoribus tāquàm proprij harum particularum affectus. Alię uero licet à ſimili ferè occaſione originem habeant non tamen ad proprios teſtium affectus pertinent. Nam & interdum ſimili ferè de cauſa umbilicus perinde, vt ſcrotum intumeſcit: interdū vero bubones, vel inguina. Et inguina quidem intumeſcunt, quando non tanta fit meatus dilatatio, vel E ſi rumpatur peritoneum cum tenui muſculorum chorda, non tamen adeo, ut in ſcrotum, & ad teſtes deſcendant, aut omentum, aut inteſtina, quę item detumeſcunt, quādo conſtituto homine ſupino eadem interius ui repelluntur, niſi ſponte intro recedant, q. tumor & ipſe communi eo uocabulo κήλη vocatur, particulatim vero βουβωνοκήλη quaſi ramicem inguinalem dicas. Ex eadem quoque, vel ſimili cauſa & umbilicus extuberans intumeſcit: nam ea tantū parte (ut anatomici oſtendunt) peritoneum omnino ſolutum eſt, & ſeiunctum à muſculis abdominis, & eorum chordis, & ea præterea parte, ut imbecillior eſt ita facilius rumpi poteſt, quo rupto laxior reddita ea pars, & tranſuerſalium muſculorum chordæ laxantur. dilatantur uero recti muſculi, vnde exeuntia, & A impellentia abdomen, in tumorem umbilicum attollunt, & eos, qui hoc tenentur affectu ἐξομφάλους (ut ibidem tradit Gal.) Græci appellauere, eſt autem is affectus in mulieribus prægnātibus frequentior ex difficili partu, & multo conatu accidens. Eſt & poſtrema ramicum differentia potius à ſimilitudine figurę, quàm ex alia ratione ſic dicta, quā iuniores bochiū, vulgares goſſum appellant, frequentiſſimus quidem affectus in Brixienſi agro in uallibus illis: intumeſcit aūt guttur tumore ſatis interdum magno, qui ortum (ni fallor) habet à craſſa, & lenta pituita eo confluente, & fortaſſis in illis Brixienſibus locis in cauſa ſunt frigidiores, & craſſiores aquę, quibus illi utuntur, nā ferri naturam referunt, dicitur autem à Græcis βρογ- B χοκήλη quaſi ramicem gutturalem dicas. Nulli autē cap.6. obſcurum poſſe eſſe puto, modo animum adhibeat ijs, quę nuper ferè expoſita, quod ita uariam, & diuerſam oporteat moliri curationem, ſicuti varię ſecundum naturam ſunt hæ ramicum differentię, nā quæ ſarcocele, hoc eſt carnoſus ramex dicitur, itemq; & illa, quę brochoncele dicta eſt perinde curandę ſunt, ac ſcirrhi, cum & ad naturam ſcirrhi (ut quarto decimo Metho. à Gal. accipi poteſt) proximè accedant nē- cap.17. pe mollientibus, & digerentibus, ut tamen uniuerſi corporis, vel aliquorum uiſcerum, ſi inde foueatur, & augeatur affectus, rationem habeamus, nempe vt vniuerſum corpus, aut viſcera illa, quorum uitio fouetur hic tumor, purgata vacuentur medicamentis C craſſos humores purgantibus, ſed prius illis, quibus hi apparatum aliquem accipiant, quo facilius educi poſſint, quod pręſtare poterunt, ea, quę vim deſiccandi, attenuandi, prętereaque & detergendi habent, poſtremò uero, vt eiſdē particulis robur addatur, & in primis correcto eorum uitio, quod pręſertim, aut in eorum intemperiem, aut in malam uictus rationem referendum eſt. Ille uerò ramex, qui aquoſus cum ſit hydrocele dicitur, iuxta curandus eſt, ac aqua intercus, quę aſcitis appellatur, ſcopus enim primus in his exſiccare, & abſumere collectū, uel in ſcroto, uel in ventre inferiori ſeroſum, aquoſumve humorem, vel ipſam vacuare, abſumitur verò medicamentis digerētibus, & deſiccantibus, quorum multa mentio facta D eſt vbi de cura hydropici affectus ſermonem habuimus, euacuatur autem is humor manuum opere, interpunctis, aut uentre, aut ſcroto, vt aqua exeat quāuis & per priorem curationem fiat vacuatio, niſi qđ illa ſenſum latet, hęc autem ſenſibus perſpicua eſt, & illa prior tutior quidem, ac magis facilis eſt, hæc vero difficilior eſt, & magis moleſta. Qua autem ratione hæc tractanda ſint ad inſtitutum noſtrum non puto pertinere, cum potius ad chirurgicam medicinæ partem pertineat. Sed anteaquam orationē ad alias differentias conuertamus, hoc etiam hic conſiderandū eſt, quod plerunque aqua, quæ congeritur in ſcroto (ut paulo ante diximus) non ibi gignitur, ſed in ſuperioribus, ob eorum uitiatam concoctionem, unde E quandoque uidi hos aquoſos ramices præceſſiſſe hydropicum morbum, quandoque uere fuiſſe comites καχεξίας, vel mali habitus. Vnde, ſi utramuis curationem fueris aggreſſus, non curato prius affectu ſuperiorum partium, quarum uitio congeritur is aquoſus humor fruſtra laboraueris, nam quamuis, aſſequaris ut uniuerſum illum humorē uacues, alter paulò poſt eadem manente cauſa congeretur. Modus autem, quo ſuperioribus partibus ſit conſulēdum, in ſuperioribus libris fuit expoſitus. Ramices autem, qui uel laxitatem meatuum in inguinibus ad teſtes deſcendentium ſequuntur, aut peritonei rupturam, chordarumque muſculorum obliquorum, illū ſcopum reſpiciunt, ut contrahantur meatus laxiores facti, & id, quod fractum eſt, agglutinetur, &

ad vnionem, & conſolidationem deducatur, ſi quidem illud fieri poſſit, nam ſæpe dilatatus eſt adeo locus, ſiue ex laxitate, ſiue (quod frequentius accidit) ex ruptura maioris, vt latera arte nulla exquiſitè coniungi, & aptari poſſint, neque ligatura, neque alio inſtrumento, & ſubinde etiam, neque uniri, & agglutinari vi medicamentorum, neceſſaria namque eſt aptatio, & vnio diſſidentium partium ſi conſolidatio ſit futura. Aptanda verò ſunt ligaturis aptis, & (vt Aui. ait) multiplicibus, & quadratis. Modum verò ligandi, & qualitatem faſciarum non exponemus in præſentia; quia ipſo opere eſſet oſtendenda. Poſtea uero medicamentis erit agendum, quibus poſſit natura iuuari in deducendo ad vnitatem, & conſolidationem (quia natura in hoc officio præſtando tenet præcipuum locũ, medicus uerò, ac medicamenta naturam iuuant) ea nempe, quę naturam impedire poſſunt, remouendo. Naturæ autem impedimento eſſe ſolent plura. Primum quidem internæ particulæ, ſi de ſede ſua exeuntes impediãt, quominus adduci diſciſſæ partes nequeant. Vnde prius, antequam quidpiã aliud moliamur, reducendæ, repellendæque interius ſunt in ſuam priſtinam ſedem, reducentur autem, & repellentur facilius, ſi ſupinus, & retractis cruribus decubuerit, iacueritque male affectus homo, niſi interdum obſtet tumor earum partiũ, quę exiere, & tumorem, vel in inguine, vel vmbilico, vel ſcroto excitarũt. Intumeſcũt autem poſtquam è ſuo loco exiere, vel quia flatu replentur, vel quia aſtrictæ ab anguſtia foraminis per quod impulſæ deſcendent, intumeſcunt, & quaſi inflammantur, attractis nimirum eo humoribus vi doloris. Quod vbi acciderit, illis conſulere opus erit medicamentis, & auxilijs, in quibus ſit vis flatus digerendi, & diſcutiendi, ſi flatus in cauſa extiterit, id tam illis, quæ interius bibita, vel deuorata poſſunt id efficere, ſiue cibi ſint, ſiue potus, ſiue pulueres, ſiue id genus alia, quam etiam illis, quæ exterius adhibentur, ut sũt fomenta, illitiones, balneæ, emplaſtra, & quæcunq; alia ad hunc ſcopum poſſunt pertinere, de quibus cum fuerit ſæpius in libris prioribus ſermo habitus in pręſentia particulatim non agemus. Repulſis autem, & introductis illis particulis in priſtinam ſuam ſedem, ſiue omentum fuerit, ſiue inteſtina, quæ diſcerni inde poterit, quod omentum introducitur ſine ullo ſtrepitu, cum inteſtina, dum introducuntur, obſtrepent, & cum quodam ſono, & quaſi gurgulatione ingrediantur, medicamentis tum externis procurãdum, vt partes coeant, & agglutinentur, conſolideſcantque, id autem præſtare poterunt ea, quæ vim deſiccandi habent. Nam cum in omni vlcere, & ſoluto continuo congeratur aliquis humor, facto imbecilliori loco illo, indeque aut impediatur, aut difficilior fiat conſolidatio, ideo imprimis deſiccatione, deinde, & aſtringẽtibus opus eſt, tum vt robur particulis addatur, tum uerò, vt cõtrahatur locus, & minor ruptura euadat, tertiò, vt aliquam vim etiam agglutinandi habeant. Sed & hoc poſtremò aduertẽdum, ne iterum partes, quæ introductæ fuerant, relabantur, & deſtruant omnem priorem operam, & maiorem interdum dilatationem, & rupturam faciant, ab hoc uero cauebimus incommodo, ſi nullam occaſionem præſtiterit, q̃ malè affectus eſt, cur uiolentus huiuſmodi delapſus fiat, occaſiones verò ſunt nimia corporis repletio. Nam ventriculus, & inteſtina plurimum repleta, & in tumorem elata diſtendunt partes inferiores, immo vniuerſum abdomen, quo diſtento facilè deducuntur latera diſrupta, & ſubinde facilior fit delapſus, deinde, & humores augentur, quibus defluentibus ad affectũ locum imbecilliorem redditum, & coitum, & conſolidationem impediunt. Præterea uerò, & motus multus corporis, præſertim concitatus, & uehemens

A (vt monuit Paulus) obeſt, præſertim uerò ſaltus de ſublimi loco, nam inteſtina commouentur, & vi impingunt peritoneo, & reliquis partibus abdominis, easq; impellunt. Sed & coitus plurimum his affectus ſolet nocere, tum propter corporis agitationem, & cõmotionem ſanguinis, & ſpirituum, tum uero propter ſitum: nam vel ſtantes, rarius tamen, vel (quod frequẽtius fieri ſolet) decumbentes, & reſupini ſolemus venerem exercere, quomodocunque autem id fiat, ſemper inteſtina ſemini propenſa incumbunt atque illud impellunt. Sed neque potus plurimus vtilis eſſe poteſt, præſertim aquæ: nam humectat, quod omnino conſolidationi eſt aduerſarium, & proinde neque balnea huic affectui conducunt. Quia uerò omnino

B comedendum eſt, conſuluit Auicen. vt poſt cibum ſupinus aliquandiu iaceat, ita enim uentriculus, & inteſtina minus impellent partes abdominis, quod ſi illis ſedendum ſit, non niſi ligato loco affecto, & aſtrictè etiam ligato ſedendum, quod maximè etiam ſeruandum eſt, ſi non poſſunt ſe abſtinere à veneris vſu, quo tempore illi indulgent. Sed neque corpus excernendum, neque venus repleto corpore tractanda. Nec etiam minus cauendum eſt à flatulentis omnibus, quæ poſſunt in tumorem interna viſcera afferre, & à multo clamore, poſtea uerò procurandum, vt locus conſolidetur tam cibis, quàm medicamentis deſiccantibus aſtringentibusque, in quibus etiam ſit vis diſcutiendi flatus, & agglutinandi, inter ſimplicia præ

C ſertim laudatur conſolida in puluerem redacta, & potui data, uel eius decoctum, nempe radix, qua medici vtuntur, & interius data, & exterius, confectis tum ex ea, tum uerò ex alijs aſtringentibus, & exſiccantibus uarijs emplaſtris, & ceratis, quorum deſcriptiones, & confectiones ab Auic. & à Paulo, & alijs, tam iunioribus, quam antiquioribus medicis paſſim deſcriptæ reperiuntur, & eas longum eſſet referre. In præſentia verò in multo vſu eſt ceratum id quod fit ex arietina pelle, quod ab omnibus ferè apothecarijs confectum habetur, & ſeruatur. Hæc uerò curationis ratio, vel ad integritatem locum affectum perducit, uel ſaltem tuetur, ne ruptura, vel dilatatio amplietur. Cũ verò eo progreſſa eſt res, vt vi medicamentorum re-

D ſtitui ſanitas nequeat, aggrediuntur chirurgiam, ſecãt enim in inguine, & teſtem cum erythroide membrana, & ſeminaria abſcindunt, & extrahunt, mox verò ligant, & aliquando vrunt. Sed iam hæc ad præſens inſtitutum non pertinent, niſi quod hoc omnino nõ videtur prætereundum, quod monuit Paulus, quod nõ eſt hæc chirurgiæ ratio, niſi in dilatatione meatus, & peritonei, non autem in ſciſſura. Si quis autem velit diſcernere, num ramex factus ſit ex laxiori facto, dilatatoque peritoneo, & meatu, a Paulo id facile diſcat, qui ait, quod ſi paulatim fiat, uel excreſcat tumor in inguine, moxque ad ſcrotum, & teſtes deſcendat, fit id ex laxitate, uel dilatatione meatus, ſin autem ſubito, & ſtatim, id ex fractura contigiſſe cenſendum

E erit, & de his quidem ſatis. Tranſeamus modò ad alios tumores teſticulorum, qui communes ſunt cũ tumoribus, qui in alijs quoque particulis excitantur primumque ad inflammationem, cuius curatio, aut nihil, aut parum admodum a curatione aliarum inflammationum differt, præſertim verò quatenus ad generalem rationem pertinet, nam cum ex fluxione pendeat, primum fluxioni obſiſtendum erit, primum quidem reuulſione, deinde uerò etiam deriuatione, ſi res ita exigat: exiget verò, quando corpus plenum fuerit, & magna inflammatio, reuulſio verò fiat, ſecta vena in brachio ſecundum latus rectè reſpiciens inflammatum teſtem, ita, vt aliquando ex utroque brachio, ſi uterque teſtis inflammatione intumuerit, mittatur ſanguis, deriuatio uerò

ſecta vena inferiori in poplite, vel propè malleolos: hęc enim propior, & magis affinis loco inflammato: unde (ut ſępius in ſimilibus affectibus expoſuimus) niſi multa fuerit in uniuerſo corpore plenitudo, aut in ſupernis partibus, vnde timeamus ne ſectis uenis in cruribus copioſa materia deorſum ex eiuſmodi ſanguinis detractione tracta confluat ad affectum locum, ſatis erit uenas duntaxat inferiores ſecare: alioquin autem, ſuperiores in brachio erunt ſecandæ. Victus etiam, cum affectus is ad acutos morbos plerumque uideatur pertinere, & à plenitudine ortum habere, tenuis, perinde ut in alijs id genus inflammationibus fieri ſolet, inſtituendus eſt. Mox uerò ad topica à Græcis appellata remedia accedendũ: idque in hac, quod in alijs inflammationibus ſeruandum eſt, ſeruetur: nempe ut primum refrigerãtibus, & repellentibus agamus: quòd ſi aliquando uehemens dolor urgeat, commodum erit aliqua commiſcere, in quibus ſit modeſta uis calefaciendi, & digerendi, ut dolor mitior fiat, & facilius poſſit perferri. Deinde uerò his & digerentia ea ratione, quę ſæpius expoſita, ſunt admiſcenda, & paulatim repellentia, & refrigerantia detrahenda, donec ad uigorem accedente inflammatione, ſola digerentia adhibeantur. Vnde ſi facilis ſit nflammatio neque multa ſit fluxio, ſatis erit inter initia uti oleo roſaceo omphacino appellato, deinde ad id, quod completum eſt, poſtea ad chamęmelinum erit aſcendendum. Verum vbi res fuerit maioris momenti, ut pote quia uehemens, & pręceps uideatur fluxio fouens, & augens inflammationem, ualentioribus erit opus repellentibus, & reſtrigerantibus. Vnde Aetius, & Auicenna cõſulunt, ut accepto aliquo linteo demerſo in aquis, & ſuccis frigidioribus; ut ſunt aqua roſacea, aceto, mucillaginibuſque, additis ſuccis frigidis, ut endiuiæ, lactucę, ſolani, & id genus alijs. Vbi uerò iam incipit augeri inflammatio, cataplaſmata in hunc modum conficienda ſunt, ut accipiatur farinæ fabarum, & hordei portio ęqualis, quibus parum croci addatur, & ex aqua, uel ſucco ſolani, cucurbitæq; & endiuiæ fiat ex arte cataplaſma, uel emplaſtrum, cui poſtea & oleum roſaceum, quantum ſatis eſſe uideatur, erit addendum: quòd ſi uideatur eſſe opus aliqua maiori aſtrictione, non erit inutilis additio farinæ lentium. Poſſunt autem uarijs modis confici id genus emplaſtra, in quibus tamen ſemper quaſi baſis ſint prædictę farinæ, maximè uerò hordeacea, & fabacea; ſed fabacea in primis idonea eſt incremento, utpote quæ uim digerendi, modeſteque deſiccandi habet. Sed ſi uehemens dolor urgeat, qui prioribus medicamentis non remittatur, neque facilè ferri poſſit, hortatur Auicen. ut in his miſceantur folia alterci, uel (ut Græci aiunt) hyoſcyami albi; facultatem ſiquidem habent ſtuporem aliquem concitandi, ut ea ſaltem ratione ſedetur dolor. Cum autem inflammatio in aliquam uidetur duritiem uergere, idem conſulunt addenda eſſe mollientia, & maturantia, quæ tamen non admodum ualida ſint: ut eſſet, ſi farinæ fabarum addatur chamæmelum, altheæ radix, mucillago ſeminis lini: aliquando autem, ait Auicen. ſatis eſſe cataplaſma ex hordeacea farina, aqua, & melle, uel trita folia caulium cum hordeacea farina, uitellis ouorum, & oleo roſaceo. Vbi uerò cœperit ad inclinationem uergere, præſtantiora medicamenta, unde emplaſtra fiunt, ſunt paſſulę exacinatæ & cuminum: nam uel teri poſſunt, & ex uino fieri emplaſtrum: uel ſi ex paſſulis exacinatis, & comino decoctis ex uino addatur fabacea farina, & fiat emplaſtrum, id quoque erit optimum. Quoniam uerò interdum ſuppurãtur id genus inflammationes, ideo monet Auicen. ex ſententia Raſis, procurandum eſſe, ne aperiantur verſus anum, ſed potius uerſus oxeum, quia ſolent interdum conuerti in malas fiſtulas, & difficiles, & propterea ubi timuerimus, ne uerſus anum fiat apertio, locum illum tuendum eſſe pręcipit aliquo aſtringenti cataplaſmate, ut id, quod confici poteſt ex farina orizæ ex aqua aſſiduè detento.

De tumoribus autem alijs, ut ſunt ſcirrhi, œdemata, & id genus alia, non habebimus alioquin ſermonem longiorem, quippe quia non eſt multum diuerſa ratio eos curandi ab ea, qua aliarum partium præſertim externarum tumores ſolent curari: & ideo neque tempus alioquin conteremus.

VICTORIS TRINCAVELII DE RATIONE CVRANDI PARTICVLARES HVMANI CORPORIS AFFECTVS.

LIBER DVODECIMVS.

De affectibus articulorum in vniuerſum, ad quod genus pertinent arthritis, coxendicus dolor, podagra, chiragra, primumque de articulorum doloribus, ac eorundem cauſis.

CAPVT PRIMVM.

DOLORES, qui in articulis A ſolent excitari, ut eundem omnes generationis modum, & ſimiles in uniuerſum cauſas, occaſioneſque habent, & ex ſimili etiam materia ortum ducunt: ita & commune nomen habuere. Vnde ſi indicationes eas ſpectemus, quæ curandi methodum primę conſtituunt, quæque ab eſſentia, & natura ipſius affectus depromuntur, nulla in illis diuerſitas eſt. Omnis autem diuerſitas ab ipſis articulis, uel à natura eorum articulorum, uel earum partium prodit, quas dolor, aut cauſa doloris occupat. Nam aliqui ſunt articuli, qui partim B ratione ſuæ conformationis, & figuræ, partim uerò ratione ſitus peculiarem, & priuatam quandam indicationem habent. Quare etiam aliquæ inſurgunt priuatę indicationes, quę nonnihil uariare poſſunt curationis rationem. Et proinde omnes eiuſmodi dolores unum generale nomen Græcè ſortiti ſunt à communi loco, in quo excitati ſuum ortum habent, uocantur enim ἀρθρῖτις, ac ſi dicas doloroſum articulorum affectum; vulgares ſequuti iuniores auctores communi nomine guttam ſolent appellare, inde (ni fallor) quòd arbitrati ſunt plerumque à deſtillatione ortum habere: deſtillate uerò dicuntur, quæ ſtillatim, uel guttatim defluunt. Particulatim tamen ea de cauſa, quam nuper expoſui, aliqua excogitata sūt priuata nomina ab vna certa par C ticula, uel à certo quodam articulo deducta: ſicuti podagram appellarunt priſci medici eos dolores, qui corripiunt pedum articulos: chiragram uerò, quando manus uexantur: iſchias autem dicitur, uel iſchiadicus dolor occupans articulum fœmoris, vel coxæ, qui item Latinè coxendix, uel coxendicus dolor dici conſueuit. Quamuis autem uniuerſa iſtorum nominum ratio ab ipſis articulis pendeat, quando particulatim unum articulum ex memoratis dolor exercet, tamen ſępe quidem ab uno tantùm articulo dolores articulares, præſertim uerò à pedum articulis (ut ait Galen. decimo de Comp. medica. ſec. loc.) cap. 1. licet incipiant, mox ad alios, & ſæpè, & ad omnes A ſerpunt, ut autem ex Raſi teſtatur Auicenna plerumque initium à póllice pedis habent, interdum uerò à calce, nonnunquam ex planta, aliquando ab exteriori parte. At uerò, quia (ut ſæpius à nobis ſuperioribus libris expoſitum fuit) dolor ſanè morbus non eſt, ſed potius ſymptoma, quod ad actionem læſam pertinet, & à ſymptomate neque indicatio, neque curandi ratio, quatenus ſymptoma eſt, ſed à morbo, & ab eius natura, & eſſentia ſemper depromenda eſt: ideò his explanatis, inueſtigandum, qualis ſit is morbus, & ad quod morborum genus ſit referendum: quamque natura referat, & prætereà à quibus cauſis ſuam habeat originem. B Quòd ſi Galen. ſequamur, & priorem ipſo Hippoc. Apho. 4. ſexto Apho. nec non & Paulum libro tertio. Ae- cap. 1. tiumque ſermone, uel libro duodecimo, uniuer- cap. 6. & ſeq. ſum horum dolorum articularium genus ad inflammationum genus erit referendum: quibus locis & cauſam referunt, cur reſolutio horum dolorum ad quadrageſimum uſque diem protrahatur: itemque cur nemo ex his doloribus fuerit conuulſus, cum tamen ad dolentes articulos muſculorum chordæ neruoſę pertineant. Quòd ſi quis dicat quomodo rationi conſonum eſt, quòd uniuerſum horum dolorum genus in inflammationum genus ſit referendū, cum ab omnibus inflammatio habeatur affectus, & tumor calidus a fluxione ſanguinea excitatus: arti- C culares autem dolores ſæpius à pituita, & ſæpe ab ea craſſa, & cruda ortum habeant: & proinde ſoleant tophoſi tumores circa articulos concreſcere. Dicemus primùm, ꝙ qui aiunt hos dolores ortum cap. 1. habere ab inflammatione, non ita intelligendi ſunt, ut uoluerint inflammationem accipere, quomodo poſteriores medici poſt Hippocratis tempora accepere, qui (ut ſecundo libro ad Glauc. teſtatus eſt Ga- cap. 15. lenus) inflammationem appellabant tumorem calidum à ſanguine excitatum: ſed ut priores, & antiquiores medici nimirum, ut hoc nomine comprehenduntur tumores omnes, qui caloris ſunt participes, quemadmodum lethargum, qui pituitoſus affectus eſt in genus inflammationum redegere. Galenus etiam tum alibi pleuritin in inflammationibus

ponit,tum etiam in libro de conſtit. art. medic. ibi ta- A
men exponens pleuritidis differentias, ait aliam ex
bile, aliam ex pituita ortum habuiſſe: vnde omnis tu-
mor calidus inflammatio dici poteſt, ſiue ſit ex acci-
denti calidus, ſiue per ſe, ex accidenti uerò, uel ex con
ſtipatione, & contracta putredine, uel ex mixtione al
terius humoris. Ita ergo cum à ſola pituita, craſſa præ
ſertim, & lenta, nequeant fieri arthritides, nam ſem
per à fluxione humorum ad articulos fieri ſolent, flue
re autem minimè poſſunt ſine mixtione calidorum,
& tenuiorum, ſed neque etiam ſine horum ope ad-
mitti queunt in ligamenta articulorum, ſemper ergo
mixta eſt horum dolorum materia, quę tamen ab eo,
quod in ea mixtura uincit, & ſubinde remanet, parte
tenuiori, & calidiori digeſta, & euaporantem, nuncu B
pationem habet. Sed neque in his ſimus longiores,
vtpote, quę non multum habeant momentum ad rę
ctam curandi rationem. Nobis uero hoc ſatis in prę
ſentia, ſit quod dolores hi à fluxione humorum fiunt
decumbentium ad articulos: vndecimo de comp. me-
dic. per generat. ait hos omnes doloroſos affectus ſo
cap.2. bolem eſſe fluxionum, quæ (vt idem teſtatur tum ſex-
com. 28. to Aphor. tum uero ſexto de ſanita. tuend.) à duabus
com. 23. cauſis neceſſario pendent, nempe ex articulorum im
becillitate, laxitateve, & ex copia ſuperuacuæ mate-
riæ, atque adeo utraque eſt neceſſaria, ut altera ſine al
tera nequeat conſiſtere, cum enim fluxio inde occa-
ſionem habeat, quia fortior pars ad imbecilliorem id
impellat, quod illam moleſtabat, neq; moleſtare poſ- C
ſint, niſi quæ, aut multitudine ſua grauant, aut mala
qualitate irritant neceſſe eſt, ut ſuperuacanea, uel ex-
crementoſa materia in cauſa ſit, cur fiat impulſio, ma
teriam uero ſuperuacuam nō admittunt niſi partes,
quæ imbecilliores ſunt, unde ſi pars ualida, & fortis re
pellit irruentia excrementa, repellens ſeruatur, ſi ue-
ro purum ab excrementis ſit corpus, nihil cauſæ ha-
bent particulæ, cur impellant aliquorſum humoré,
vnde poſſint morboſi affectus concitari. Quamob-
rem, & maximum momentum tum ad uitandos ar
ticulares dolores tum uerò ad curandos, ſitum eſt in
ea victus ratione, qua caueamus, ne multa congera-
tur ſuperuacanea materia, qualem autem eam opor-
teat eſſe, dicemus paulo poſt. Nam prius aliqua expo D
nenda occurrunt non parum ad hoc negotium perti
nentia, quæ tanquam conſtituta ab antiquis ſemper
fuerunt accepta, nunc uero à recentioribus in quæ
ſtionem reuocantur. Sunt autem tria; Primum,
quia ſi à fluxione ortum habét iſtiuſmodi doloroſi af-
fectus, neceſſe eſt, ut ab aliqua fluente materia orian
tur, unde ut rectè mox curari poſſint, neceſſe eſt no-
uiſſe, quænam ſint materiæ, quæ ad articulos conflue
re ſoleant, & quia omne, quod mouetur, neceſſe eſt,
vt alicunde moueatur, & per aliquod etiam medium,
vel per aliquam uiam feratur eo, quo illi eundum eſt:
& proinde inquirendum inſuper eſt, unde defluat ma
teria hæc, & per quam viam moueatur. Gale. itaque E
decimo de comp. medic. ſecun. loc. ait aliquando qui-
dem confluere materiam pituitoſam, & illam quidé,
quatenus ad eius naturam pertinet, craſſam, & cru-
dam, quæ interdum magis pus imitari ſubſtantia, uel
conſiſtentia uidetur, quam pituitam. Vnde ſi quis op-
ponat, quomodo igitur & defluere per ea, per quæ
defluit loca, recipique in articulorum ligamenta po-
teſt adeo craſſa, & lenta materia? Diximus iam, eam
ſemper intermixtas habere aliquas alterius calidi, &
tenuis humoris partes, à quibus aliquantiſper atte-
nuata, & quaſi eliquata, fluidior redditur, quo fit dein
de, vt ſæpe euaporantibus calidioribus partibus pitui-
tæ immixtis, ad craſſitiem, & lentorem priſtinum,
immo aliquando etiam maiorem reuerſam, præſer-

tim ſi acceſſerit importunus uſus eorum medicamé
torum, quæ plus iuſto calefaciunt, & deſiccent, in to-
phos circa articulos concreſcat, & frequentior eſt de-
fluxus iſtius generis materiæ ad articulos. Nonnun-
quam uero confluit, & ſanguinea materia, quando-
que autem cum aliquo iſtorum mixta bilis. Quibus
uerbis uidetur inſinuare Galenus ſolam bilem non
concitare dolores, ſed tantum ſi cum ſanguine, vel cū
pituita, uel cum utriſque ſit immixta, & id fortaſſe bo
na ratione, quia cum ſit tenuis admodum, quando ſo
la eſt, non fertur in profundum, ſed ſemper uerſus ex
tremam cutim effertur, quod indicat eriſypelas, quod
ſummas particularum partes occupat. Defluit au-
tem per uias, per quas, & aliæ fluxiones, aliquando
per uias patentes, ut per uenas: quo deinde ſit, vt ſæ-
pe confluente hac materia, venæ, quæ ad locum affe-
ctum pertinent, tumidiores, & pleniores videantur,
aliquando uerò per uias occultas, nempe per meatus
latentes, ſenſibusque inconſpicuos, ſicut per muſcu-
los. Loca autem à quibus fluunt, poſſunt eſſe uaria:
nam ſæpe a cerebro, & capite deſtillāt, ſæpe enim ſunt
quaſi ſoboles deſtillationum, vnde, qui obnoxij ſunt
deſtillationibus, frequenter ab his doloribus capiūtur,
præſertim ſi intercipiantur aliæ uiæ, quibus ſolita erat
purgari. Interdum a uentriculo, ſæpe enim uidimus
dolores in uentriculo concitatos deſijſſe in dolores
articulares, ſicut accidit cuidam, qui me his diebus cō
ſuluit, is poſt ſatis diuturnum morbum cum febre, do
lebat frequentiſſimè ſecundum uentriculum, habe-
bat autem deiectiones mucoſas mixtas cum cruore,
ſed doloribus uentriculi recedentibus, articuli dolore
correpti ſunt, translata nempe materia ad articulos.
Interdum uerò ab inteſtinis, quandoque enim dolo-
res colicos in dolores articulorum terminaſſe uidi,
ita etiam renales in podagricos, & articulares dolo-
res permutatos fuiſſe: immo ſæpiſſime articulares do
lores ſolent doloribus renalibus ſuccedere, ita, vt in
prouerbium, & frequés etiam apud uulgares noſtros
uerſum ſit, vtpote, qui noſtra lingua materna dicere
ſolent, [Doglia di fianco,] hoc eſt, dolentibus renibus,
[Gotta a campo,] hoc eſt, articulares dolores ſtatim
in promptu ſunt. Sed & mulieres facile (vt Hippo- Aph.19.
crates quoque monet ſexto Aphoriſmo.) capiuntur
ab articularibus doloribus ſuppresſis, aut puerperijs,
aut menſtruis purgationibus. In uiris autem frequen
ter intercepto fluore ſanguinis ſoliti per mariſcas pur
gari: immo (vt tandem omnia uno capite comprehē-
damus) omnem interceptionem alicuius conſuetæ
uacuationis ſequi ſolent id genus dolores, & hęc om-
nia conſentiunt cum Hippocratis, Galeniq́ue decre-
tis, quibus ſubſcripſere quotquot vnquam de hac re
aliqua literarum monumentis obſignata tradidere,
ij inquam, quorum libri hactenus ſuperſtites ſunt.
His tamen temporibus iuniores inſurrexere, qui qua
ſi ſoli fuiſſent afflati diuino quodam flamine, hæc om
nia conuellere nituntur, ore rotundo profitentes, ſe
ſolos hactenus extitiſſe, qui rem hanc ſint aſſecuti, a-
lios uero omnes latuiſſe, quidnam illud ſit, vnde & or
tum hi dolores, & fluxiones initium habeant, qui mo
dus, quæ ratio, qua excitentur, quæ materia ea ſit,
quæ confluens eos excitat, per quam uiam confluat,
quas particulas comprehendat, qua ratione curandi
ſint, atque inde emanaſſe eum communem conſen-
ſum, podagras, chiragrasq́ue nullam poſſe admittere
curationem. Aiunt enim, quatenus ad initium flu-
xionis pertinet, falſum eſſe, quod ab alijs vllis parti-
bus iſtiuſmodi fluxio concitari, præterquam a capite,
posſit, ut tamen neque etiam a cerebro, uerum ab
extimis partibus, quæ extra caluariam ſunt, & intra
cutim, quamuis omnino occaſionem habeat ab in-
ternis

ternis: nam multus humor excrementitius, pituitoſus, & tenuis per ſuturas caluariæ euaporans, à craſſiori cute, ne poſſit alioquin expirare detentus, paulatim congeritur, qui mox detruditur ad articulos, neque defluxus ille per venas fit, vel arterias, ſed potius per extimas, quæ proximè ſub cute contectæ ſunt, partes. Præterea omnes deceptos fuiſſe aiunt, qui putarunt diſtingui differentias arthritidis ex diuerſa fluentis humoris natura nempe, vt aliæ ex ſanguine, aliæ ex bile, aliæ ex pituita, aliæ ex melancholico ſucco oriantur; immo omnes ex pituitoſo, ſeroſoque & frigido humore originem ſuam trahunt. Sed ſi differentiæ aliquæ horum dolorum accipiendæ ſunt illæ vniuerſæ à locis, quæ à fluxione tentantur, & doloribus cruciantur (vt paulo ante fuit expoſitum) ſunt ſumendæ. Addunt etiam, fluxionem hanc nunquam in laxiora, & inania articulorum ſpatia effundi, ſed recipi in ligamentis, vel vinculis, (vt ipſi aiunt) item in tendonibus, præterea in membranis, quibus articulorum oſſa contecta ſunt. His vero rationibus ſuffulti in hanc alienam à priſcis medicis vna cum iunioribus ſententiam deſcendere, nempe non videri rationi conſentaneum, quod per venas humor aliquis ex intimis viſceribus ad articulos delatus ſyncerus ſit, aut ſi cum ſanguine commixtus feratur, mox ita ſyncerus effundatur in articulos. Et ſi quis dicat, quod cum ſanguine effunditur, nequaquam conſentanea dicet: nam excitaret in illis inflammationem. Sed his & illud addunt, vt omnem reſpondendi viam præcludant, quod neque hoc etiam aliquam veri ſimilitudinem poterit vnquam habere; ſi quiſpiam eo confugiat, vt dicat, quod per aliam viam, alioſque ductus humor crudus arthritim excitaturus feratur; quàm per venas; quippe quoniam in cachexia id genus humor è viſceribus in pedes incumbens, eos in laxum, & mollem tumorem attollit; neque tamen vllos excitat dolores, ullam podagram. Sed neque hoc prætermittendum videtur, quod vt effugerent foueam, qua facili capi poſſent, hoc etiam affirmant, nempe quod quamuis tempore, quo doloribus illi exercentur, intumeant, caleant, ac rubeant ea loca; non tamen ab illis humoribus calidioribus fuere dolores concitati, ſed potius à doloribus attracti humores bilioſi, & ſanguinei eo confluxere; præſertim ſi corpus id ita ſe habeat, vt copioſos hos ſuccos congeſſerit. Expoſita tandem hac horum opinione, reliquum eſt, vt eam ad examen reuocemus, & intueamur, num ſicut in hac re ſibi uidentur in alijs plus ſapere, ita potius magis deſipiant. Ni fallor, hęc, quę ab ipſis deprompta expoſuimus, neque per ſe conſiſtere poſſunt, neque mutuo cohęrere. Sed in refutanda hac opinione eum ordinem ſequamur, quem in exponenda ſumus ſecuti. Primum quod dicunt, fluxionem aliam originem habere in arthriticis non poſſe præter caput, hoc non modo paradoxum eſt, uerum & paraalithes, immo contra experientiam. Nam ſequeretur, quod ſemper arthriticos dolores præcederet (ut ipſi quoque fateri uidentur) capitis grauitas, & eiuſdem pręceptum frigus, & tumor etiam cutis capitis, pręterea & ſomnus: Quod tamen falſiſſimum eſſe experientia quotidie apertiſſimè oſtendit; ſæpiſſimè enim eos uidemus, qui ſunt his doloribus obnoxij, per diem uniuerſum bene habuiſſe, nec ullam capitis percepiſſe grauitatem, neque ullum frigus, neque laxum tumorem, noctu dormijſſe de more ſuo mane tamen, ubi à ſomno excitati ſunt, repente ſecundum manus, uel pedes doluiſſe. His addamus, & hoc, quod frequenter accidiſſe nemo ferè eſt qui non animaduerterit, interdum aliquos, qui cum alioquin neque ſecundum caput grauitate aliqua tentarentur, neque frigus aliquod in ſyncipite, neque in occipite perciperent, neque ullus adeſſet capitis, nel cutis tumor laxus, nec ulla alicuius particulæ eſſet in eis querela; tamé cum inflexiſſent ſe, ut è terra aliquod ſuſpenderent, & attollerent, quod interdum neque etiam admodum graue erat, dum erigerent ſe, facto quodam crepitu circa articulos dorſi, repente correpti ſunt à uehementiſſimo dolore, qui plures deinde dies illos malè habuit. Dicant unde ex eo incommodo fuerit concitatus adeo uehemens dolor. Nemo ſanè dixerit aliunde, niſi ex defluxu alicuius humoris in eum locum. Sed quis is locus eſt, unde defluxit ex capite? Sed cur potius inde confluxit ex loco adeo remoto? cur non potius ex uicinis, unde breuior erat uia pręſertim cum ita ſtatim, & repente fuerit excitatus dolor, & magis in promptu potuerat eſſe humor uicinus, quàm ille remotior? Sed quam etiam maiorem occaſionem confluendi remotior ille habuit, quam uicinus? nam ſi occaſio fuit incommodus, & laborioſus, uel etiam doloroſus motus, cur non prius conſenſere loca uicina, quam remota? Neque enim alioquin hic locum habere uidetur id quod dicebant, quod congeſtis in exterioribus capitis partibus multis excrementis, facultas expultrix ad excernendum, expellendumque incitetur: nam potius in attractionem factam à motione ea doloroſa referendum eſt: aut in imbecillitatem illius articuli, quę ortum ab incommodo habuit. Sed quomodocunque fuerit, cur prius attracti ſunt uicini humores, & per ampliores uenas, quam ſint inconſpicui meatus? uel cur non confluxere tanquam ad imbecilliorem locum materiæ illę prius, quę congeſtæ in locis uicinis erant, quàm quę remotiores? pręſertim cum ipſi dicant, quod tumores, qui in podagris, & chyragris occupant articulos: exurgunt non ex materia, quę eſt in cauſa doloris, ſed propterea quia ui doloris fit attractio calidorum humorum: at cur in his non etiam fit eorundem attractio, anteaquam attrahantur à capite ſeroſi, & pituitoſi? Hoc uerò fit nobis tanquam exemplum; nam & hac eadem occaſione interdum dolor articulum fœmoris apprehendit, uel genu, uel pedis. Prętereа uero quando dolores uentriculi & inteſtinorum, renumque (ut quarto libro in ſextum epidem. ſimul Hippo. & Galen. teſtantur) mutantur, & illis deſinentibus ſuccedunt articulares dolores: Dicemus, quod colici doloris com. 34
cauſa prius feratur in caput, quę ſępè craſſa, & cruda pituita eſt, itemque illa, quę uentriculi dolores efficiebat, quæque etiam renales: poſtea ſub cute per inconſpicuas uias deſcendat ad extremos uſque pedum articulos. Quod uero dicunt, neque per uenas, neque per neruos, neque per interiores, ſed per exteriores, & extimas partes, quę proximè ſubiacent cuti, fieri hunc defluxum: hoc uidetur præter omnem rationem, & experientiam. Cum enim partes illę, per quas defluere eum humorem autumant, ſint ſenſu prædite, quin fieri poteſt, ut dum deſcendunt, ſenſus fallant, neque frigus percipiatur, non rigeant, uel horreant loca, per quæ fit is tranſitus. Nam nemo eſt, qui in deſtillationibus non ſit expertus, cum materia aliqua tenuis, & feroſa per dorſi exteriores partes defluit, concuti corpus, & horreſcere, perinde ut in acceſſionibus in principio fieri ſolet. Quod ſi dixerint id aliquando percipi, neque id ego negabo: dicam tamen id

raro

raro accidere, & quando præter id, quod ad arti-
culos dolentes defluit, aliquando etiam per exte-
riores partes fertur. Sed raro hunc fluorem ſe-
quuntur articulares: ſicuti frequentiſſime dolores
hi, nullo iſtiuſmodi percepto motu. Multa qui-
dem, quæ quotidie in ægrotantibus accidunt, poſ-
ſemus proferre, non ignota illis, qui aliquandiu
verſati ſunt in hac arte: vnde facillime, modo quiſ-
piam nolit nimis proteruus, pertinaxque eſſe con-
uinci falſitatis poſſet iſthæc horum opinio. Memi-
ni equidem, dum Venetijs medicinam facerem,
mulierem quandam, quæ erat in ætate adoleſcen-
tiæ, temperaturæ calidæ & humidæ, & multi ſan-
guinis, & puerum pepererat, nec per ſua puerpe-
ria fuerat, niſi parcè, purgata, à vehementiſſimis
doloribus ſecundum omnes articulos, præter eos,
qui ad collum, & maxillas pertinent, fuiſſe corre-
ptam, cum tumore, & rubore circa articulos, vt
dimouere ſe alioquin nequiret: illi autem quam ci-
tius potui, & ſanguinem copioſum ex vena prope
talos cruris dextri mitti volui, quo miſſo, illa ea-
dem die libera euaſit ſecundum partem dextram à
doloribus, ita tamen, vt nullum, aut valde exi-
guum auxilium in parte ſiniſtra perceperit, nam
non minus cruciabatur ſecundum articulos ſiniſtri
lateris, & eos fere vniuerſos: ſed poſtea interpoſi-
ta die volui alterius cruris venam ſecari; vnde ef-
fluente iterum ſatis copioſo ſanguine, itidem illa ea-
dem die illius etiam lateris dolores omnino deleti:
Quo viſo ſtatim animaduerti primum quantum
vim habeat rectitudo in vacuationibus quamque
rationi conſonum ſit præceptum à Galen. nobis de-
cimo de Compo. medic. ſec. loca traditum, nempe
coxendicis dolorem, cum à ſanguine ortum & oc-
caſionem habet, vel à materia ſanguini mixta, fa-
cillime ſecta vena in poplite, vel prope malleolos
eadem fere die curari poſſe. Nec minus etiam alias
vidi, quæ ex ſuppreſſis menſibus his doloribus fa-
ctæ ſunt obnoxię, & non multo poſt per miſſionem
ſanguinis citatis menſtruis ex hoc incommodo e-
xemptæ ſunt. Nam & ſi temporibus Hippocratis
hac ſola de cauſa podagris ſolitæ ſint tentari mu-
lieres: noſtris tamen aliquæ illis laborant, quamuis
menſes fluant: quod Galenus in malam victus ra-
tionem refert. Cum in cauſa eſt ſuppreſſio huius
purgationis, cur non magis id attribuendum,
aut vtero, aut corpori vniuerſo; per has enim pur-
gationes, cum uterus proximè, tum demum uni-
uerſum corpus excrementitium ſanguinem excer-
nit, qui ſuapte natura multus in eo ſexu ſolet genera
ri. Addamus & illud, quod ferè in idem tendit,
quod ſcilicet ex ſanguine ſolito a mariſcis fluere o-
riuntur eiuſmodi dolores: quod nullus unquam ne
gauit. Quare, niſi hallucinor, ſequitur ex hoc, quod
non ſemper a capite fiat hæc propulſio: nequaquam
enim uero conſentaneum eſt, has omnes excre-
mentoſas materias prius in caput ferri, mox ad ar-
ticulos defluxuras, neque quod per ſubcutaneas par
tes defluant, neque quod ſolus pituitoſus, ſeroſuſ-
que humor, ſed quod & alij, pręſertim ſanguis, ma
giſque etiam, ſi tenuis, & bilioſus fuerit: quod po-
teſt & confirmari ex modo, quo curantur; nam,
aut ſolum aut maximè ſanguinis detractione, ſæpe
uero modus curationis morbi naturam, & cauſam
oſtendit: unde ſi hi ſanguinis detractione facilè cu-
rantur, hoc oſtendit ex ſanguine, uel ex humore
ſanguini mixto habuiſſe originem iſtiuſmodi affe-
ctus; hoc enim ex Aphoriſmo ſecundo ſtatim ferè
à principio primi libri Aphor. deſcripto depromi po
teſt, nempe quod tunc confert uacuatio, cum no-

A xius humor, qui morbum pepererat, uacuatur.
Nec etiam mihi hoc pretereundum eſſe uidetur,
quod ipſi aiunt, cum probant neque per uenas a-
lias uias ad articulos effundi aut ſanguinem, aut a-
lium humorem ſanguini mixtum, quia locus ille
inflammatione tentaretur. Mihi ſanè ipſi uidentur
tum ſui eſſe obliti, tum uero eorum, quę ab anti-
quioribus auctoribus deſcripta legere, manifeſtè
enim & Hippoc. à quo neque ipſi diſſentire audet,
refert (ut paulò ante diximus) articulares dolores
in inflammationes deſinere, Aetius, immo & hi
ipſi id ipſum affirmare mihi ſatis apertè uidentur, di
cunt enim dum dolent articuli, attractis calidis hu
moribus circum circa articulos, intumeſcunt par-
B ticulæ tumore doloroſo, rubro, & calido, qui eo
per uenas confluit unde & uenæ uicinæ manifeſtio-
res, tumidiores, & rubicundiores apparent, locuſ-
que tumens euadit, adeo ut ſępe febris inde conci-
tetur, quibus uerbis mihi nihil aliud pręter inflam-
mationem deſcribere uidentur. Sed & id conſide-
remus, an experientię, & rationi conſonum ſit,
quod cum intumeſcit & rubet locus, fuerit dolor
concitatus primum, uerum potius ex alio ſeroſo, &
frigido humore dolor originem habuerit, mox ue-
ro doloris acerbitate fiat rubor, & tumor, eo dela-
tis calidis humoribus. Et mihi quidem uidetur,
quantum ex longa obſeruatione potui aſſequi, ne-
quaquam id quod aſſerunt, eſſe experientiæ, & ra-
C tioni conſonum; quia primum hoc, vel ipſis ſen-
ſibus compertiſſimum videmus ſępiſſimè, quod po-
dagrici, & chiragrici tunc maximis cruciantur do-
loribus, cum nullus adhuc tumor, vel rubor exte-
rius apparet: tunc autem miteſcere dolores inci-
piunt, cum exterius incipiunt, extuberare exter-
næ partes, & intumeſcere. Quod ſi tumores do-
lorem attrahentem tanquam præcipuam cauſam
haberent, cum maxime dolent, maxime intume-
ſcerent: nunc autem ſæpe videmus, quod cum mi-
nus dolere incipiunt, magis intumeſcunt: quod
nemo in aliam cauſam poteſt referre, quàm quod
repulſa materia, quæ interius affligebat, ad exte-
riores partes ab ipſa videlicet natura, dolor mite-
D ſcit, & tandam tollitur. Vlterius etiam ſępe vidi-
mus, anteaquam inſignis quiſpiam dolor in arti-
culis ſentiri incipiat, venas vicinas tumidiores, &
rubicundiores fieri, mox vero dolorem ſubinde
augeri: quod certiſſimum ſignum eſt, per eas ve-
nas noxios, & dolorificos humores confluere. Ad
id verò, quod ipſi aiunt, qui fieri poteſt, vt ſyncerus
humor effundatur in ſpatia articulorum, ſi mixtus
cum alijs per venas fertur? Iam reſpondimus pri-
mum, quòd vel rariſſimè, vel nunquam ſyncerus ef-
funditur, ſed mixtus præſertim, ſi ſubſtantia craſ-
ſior eſt: mixtura enim aliorum tenuiorum humo-
rum, & calidorum attenuatur, & quaſi funditur,
verum citò partes tenuiores; & calidæ digeſtæ eua-
E porant, frigidioribus deinde rurſus concreſcenti-
bus. Sed & illi quæſo reſpondeant, qui fieri poſ-
ſit, vt uenæ multæ ab externis iugularibus deductæ
ſua excrementa ſeroſa, & tenuia effundant, & depo
nant in ſubcutanea loca, & non poſſint itidem ue-
næ, quæ ad articulos alimentum deferunt, excremé-
toſas materias ex venis, unde deductæ ſunt, exce-
ptas in articulos, & partes ad articulos attinentes
impellere. Hoc etiam non eſt nihili faciēdum, quòd
à ratione eorum, à quibus iuuantur, uel lęduntur do
lores articulorum, depromi poteſt: nam aliqui ca-
lidioribus remedijs loco dolenti adminiſtratis, alij
uerò frigidioribus, nonnulli à temporibus iuuan-
tur, ut & Hippo. quinto Apho. lib. docuit, & expe-

rientia

rientiæ atteſtatur: quò fit, ut neceſſe ſit fateri, hos A dolores à contrarijs cauſis poſſe concitari. Longè autem plura poſſemus argumenta in hanc horum ſententiam contorquere, niſi putaremus hæc poſſe ſatis eſſe, quatenus ad præſens noſtrum inſtitutum pertinet vnde his ſolum aliqua addemus ad id ſpectantia, quòd contra omnium ferè ſententiam affirmant, nunquam uidelicet materiam hanc defluentem ad articulos conſiſtere poſſe in laxis, & cauis articulorum ſpatijs interceptis inter eorum oſſa, ſed duntaxat recipi in vinculis, vel (vt vulgò dicitur) in ligamentis, præterea uero, & in eis membranis, quibus quaſi inducta ſunt oſſa articulorum, & quarum meritò uidentur interdum oſſa dolere, itemque, & in tendonibus, uel chordis muſculorum, quæ ad arti B culum illum moturæ pertinent. Ratione autem ea imprimis mouentur ad id aſſeuerandum, primum, quia non videtur tenuis, & ſeroſus humor poſſe cõſiſtere in loco adeo amplo, & laxo: ſed quòd ſua tenuitate inde effluat, deinde uerò, quia ipſi ſæpe videre ex nodoſis chiragris extractos tophos duros, qui intra articulorum membranas continebantur, & ex eis extimebantur, integris relictis uinculis, & tendonibus, ſed neque in laxis ſpatijs quicquam repertum eo tempore eſt. Mihi ſanè primum non uidentur ſibi ſatis conſtare, ut qui dicant adeo tenuẽ, & ſeroſam eã eſſe materiã, ut contineri a ſpatio nequeat. Deinde paulo poſt, inter ſigna congeſtę iam materię ſub cute occipitis inquiunt eſſe, quòd tu- C mor œdematoſus in occipite ſub cuti mollis perinde, vt cera deprehenditur, & in eo tumore contineri denſam, & lentam illius humoris congeriem, qui fomes eſt arthritidis. Sed quęſo, ſi denſa, lentaq; eſt eiuſmodi materia, quæ ibi tanquam iſtius affectus fomes ſeruatur, primum cur lentore ſaltem non poteſt in ſpatijs laxis, oſſibus hæreſcens concreſcere, præſertim loco frigidiori ſecundum naturam, ubi ab eius frigore cogi, & craſſeſcere facile poteſt? deinde ſi ſua tenuitate facilè oſſium membranas penetrans ab eis detinetur, quas poſtea diſtendens dolores concitat, cur idem non prius efficit in membranis caluarię abductis, nimirum cur prius dolores acerbos, vt in articulis, non gignit, cur non tophos D ibi procreat? Dicent fortaſſe, id ſæpe etiam fieri, pręſertim verò in lue illa, quę Gallica a noſtris dicitur: Sed ſi ueri, & diligẽtes obſeruatores eſſe uoluerint, hoc poterunt aſſeuerare, id peculiare imprimis eſſe illis, qui ea infectione laborant, quibus etiam potius in ſyncipite, quam in occipite extuberant tophoſi id genus tumores: & ideo hoc nihil ad noſtrum inſtitutum facere uidetur, qui de communi ratione arthritidis agemus. Nam dolores illi, qui a lue Gallica, quã recentiores hi venereã appellant, oriuntur, hoc pręſertim differunt a communi arthritide, quòd arthritici dolores potiſſimũ articulos cruciant: Gallici verò non ita articulos, vt partes artuum inter medias, & quaſi internodia affligunt. His verò, & illud adda- E mus, nempe ꝙ eorũ ratio ſatis facilis uidetur, & quę non minus eorum opinionẽ oppugnet, quam communem, & antiquam: quia ſi inde perſuadere volũt in ſpatio articulorum materiam nequaquã cõſiſtere quia ſępe in nodoſa podagra tophi, qui extrahuntur, ſenſu ipſo uidentur contineri intra oſſium membranam, atque illis extractis ligamenta integra relinquuntur, illęſaque. Sed hęc eadem ratio, ſi aliquam vim habeat, eos redarguit, quoniam ſi uincula, & circunſtantes tendones illęſi inueniuntur extractis tophis, uideretur, neq; in his materiã effectricem dolorum conſiſtere, quod omnino iſtorum decretis aduerſatur, qui ſentiunt hęc imprimis loca affici in articularibus doloribus. Vel ipſi dicant, cur in vinculis, & tendonibus non concreſcat tophus, cùm tamen ad illos decumbens humor in illis recipiatur, ſicut & in membranis? Nam itidem & ego dicam, cur in ſpatio non reperiatur concreta ea materia in calculum, vel tophum? Et equidem puto, quòd facilius tam in ſpatijs, quàm & vinculis, & tendonibus digeratur in halitus, & ita diſſipetur, quàm intra membranas, in ſpatio quidem, quia cùm latior locus ſit, facilius inde euaporat, diſcutiturque, cui accedit, quòd articuli, dum mouentur, conualeſcunt, & ita calefit, attenuatur, & quaſi funditur, & exinde ad facilem digeſtionem paratur, pariterque in tendonibus, & vinculis. Sed de his B ſatis, ſuperque diximus, poſſemus enim innumeris exemplis vti ex Hippocrate tum in Aphoriſmis, tum verò in 1. & 3. Epid. vbi referens in vniuerſum, quæ euenerant in illis peſtilentibus tempeſtatibus, & quæ particulatim diuerſis ęgrotantibus, quorum nominatim meminit, acciderunt, narrat, in quibus facto abſceſſu ad varios articulos, dolores concitati fuere, qui nulla vnquam ratione poterant referri in materiam in capite intra cutem congeſtam, ſed in multam cacochymiam diuerſorum etiam excrementorum in vniuerſo corpore aggregatorum diuerſæ, & variæ omnino naturæ, quæ in præſentia prætermittere volumus; nimis enim in longum vagati hactenus ſumus. Redeamus ergo eò, vnde C diuerteramus, & tanquam conſtitutum accipiamus, quod huiuſmodi dolores, & à calidis ſuccis, & à frigidis, & à mixtis, quòd frequentius ſolet accidere, fomentum habere poſſint, qui vel ab vniuerſo corpore, vel à certis & definitis particulis, vt à capite, vel ventriculo, vel iecinore, vel ab alijs (uti diximus) particulis defluunt, quique, & ſi plerunque in genus inflammationis ſint relati, & maximè ratione chordarum, uel tendonum, qui acriori ſenſu alijs ſunt præditi, exacerbantur, fit tamen uehemens dolor diſtentis chordis, non autem quia illæ fiant inflammationis participes, cum nullus unquam ex his doloribus fuerit conuulſus. In ſignis autem, quibus diſcernatur materia dolores conci- D tans, tumor intumeſcens colore rubeo, calor perceptus calidos humores oſtendunt, & præterea doloris acuties: nam magis acuti, & vehementiores fiunt dolores ex calido, quàm ex frigido humore, præterea à calido humore excitati dolores vſu calefacientium medicamentorum exacerbantur, ſicut frigidis miteſcunt. Dolores uero frigidos tumor frigidus, albus, laxus, & mollis concomitatur. Sed neque difficile eſt ait Gal. humores calidos diſtingui, nam ſanguis bilioſus minorem tumorem, clariorem rubedinem, uehementiorem calorem efficiet, quàm ſanguis craſſior. Sed ſi memores ſi- Aph. 30.
mus eorum, quæ paulo ante diximus in uniuerſum de cauſis pręcipuis horum dolorum, facile erit e- E tiam particulatim eas ſcrutari. Nam cum diximus omnia in duo prima capita referri poſſe, nempe in laxitatem, & imbecillitatem articulorum, atque in copiam materię ſuperuacuæ collectę, vel in vniuerſo corpore, vel in aliqua particula, ſiue illa ad plethoram pertineat, ſiue ad cacohymiam. Ideo quęcunque poſſunt laxiores, imbecillioreſque tam articulos, quàm partes ad illos attinentes reddere, & quęcunque occaſionem pręſtant, vt multa uel in uniuerſo corpore, vel in aliquibus partibus, quę poſſunt eorum eſſe capaces, excrementa congerantur, ea item podagras, chiragraſque, atque id genus alios dolores afferre poſſunt. Debiles autem, & laxos efficiunt articulos nimius labor, ac

modica

immodica eorum exercitatio, calefaciens enim immodice vires eorum reſoluit, & laxiores reddit, ſed & immodica uenus eneruat neruoſarũ particularũ vires, quam eam vim in his affectibus habere cenſuit Galen. ſexto Aphoriſm. vt neque ſpadones, propterea, neque pueri, donec venerem non experiantur, poſſint his doloribus tentari, uſus quoque nimis balneorum calefacientium, laxantium, & mollientium, potus etiam vini potentis, & antiqui frequens præſertim in homine ieiuno (vt teſtatus eſt Galenus ſexto Aphoriſm.) plurimum obeſt. Vnde, & Meſ. ait, vinum oculis, & neruis nocet per ſe. Cauſa uero cur fiat multa ſuperuacuorum excrementorum cõgeſtio, eſt ſolitæ, & modeſtæ exercitationis intermiſſio, otium, ſegnitieſque præterea (vt idem Gale. tum ſexto Aphoriſm. tum uero ſexto de tuend. ſanit. aſſerit) crapula, cruditates conſuetarum aliquarum euacuationum, aut ſpontanearum, vel ab arte concitatarum ſuppreſſio, aut intermiſſio, ut ſunt, quæ fiunt per hæmorrhoidas (vt diximus) vel per menſtrua, vel per puerperia, vel per nares, uel per aliquas fiſtulas, quæ diu ſolitæ ſint eſſe apertæ, & fluere, itemque per vlcera, vel in cruribus, vel alibi, quæ iam inueterata ſunt, & poſtea conſolideſcunt, vel per aliquas papulas, quæ efflоreſcere ſolitæ erant per aliquas periodos, quibus interdum ſolent internæ partes expurgari, excretis earum excrementis per cutem, vel etiam prætermiſſis aliquib. purgationibus, quas quidem moliri quotannis ſolent, interdum bis etiam, alij uero ſingulis menſibus, & nonnulli ter, & quater in menſe conſueuere catapotia aliqua, unã nempe, uel plura deuorare. Neque hoc etiam parum fortaſſe ad inſtitutum hoc faciet, vt cum Hippocra. tertio Aphoriſm. moneamus, quod quamuis in omnibus temporibus, & omnibus ætatibus, & conſtitutionibus poſſint cuiuſcunque generis morbi concitari, attamen ſemper aliæ ætates alijs morbis magis obnoxiæ ſunt, & in alijs temporibus alij itẽ morbi frequentius, & facilius ſolent excitari. Nam cum huiuſmodi articulares dolores (vt ex Galen. ſuperius diximus) ſint ſoboles, aut cacochymiæ, aut plethorę: ver vero ex proportione maxime morbis reſpondeat, qui ſunt ex repletione facti, & autumnus illis, qui ex uitioſis humoribus, ideo uere morbi frequentiores ſunt, qui fiunt ex multis humoribus: autumno autem, qui a prauis, & corruptis, ſi enim uer corpora facta pleniora reperiat, fundens humores, qui prius in penitioribus partibus latebant, & fluere faciens eos moueat: inde fit, ut diffuſi per uniuerſum corpus primum, deinde a fortioribus particulis ad imbecillas impulſi inde facile poſſint arthritidas generare, ſed tamen diuerſe pro diuerſitate rationis victus, qui præcedenti hyeme fuerit ſeruatus, & pro ratione errorum in ea commiſſorum. Vnde frequentius quidem vere, quam alijs temporibus oriũtur hi dolores: Interdum vero, & (ut Gale. ibidem teſtatur) autumno fiunt, in alijs ſanè, qui æſtate prauis vſi cibis, congeſſere multos uitioſos humores: præſertim uero coxendices autumno ſolent ſuum habere ortum, utpote, quæ (vt eodem tertio Aphoriſm. tradidere Hippocrat. & Galen.) plerunque à frigida, & maligna materia ortum habeant. Ex ætatibus autem ſenilis præ alijs eſt expoſita doloribus articulorum, tum (vt ibidem ijdem teſtantur) quia ea ætas maxime ſolet defluxionibus tentari, tum etiam, quia in hac ætate inſtrumenta motus iam refriguere. Cum uero conſueti fiunt hi dolores, tranſeunt in morbos diuturnos, qui præſertim ſeniorum hominum ſolent ad mortem vſque eſſe comites, & hoc quidem, ſi de ea curatione loquamur, qua omnino liberantur, quia ſi de acceſſionibus dolorum, quæ per periodos habent ſuos inſultus ſit ſermo, eas ad quadrageſimum diem finiri cenſuit Hippocrat. ſexto Aphoriſm. quod tamen intelligendum eſſe expoſuit Galen. quando a medico ex recta ratione res tractetur, & medico æger obtemperet, hocque harum partium inflammationes ab illis, quæ carnoſas partes occupant, differunt, quod hæ quatuordecim diebus, qui terminus morborum acutorum eſt, finiuntur, ſicuti & caro ligamentis mollior. Quod uero arthritis breuior, diuturniorve ſit, referendum id præſertim eſt in tenuitatem, craſſitudinemve materiæ, ex qua inflammatio ſuum habuit fomentum, quo enim tenuior fuerit, breuiori tempore poterit disſipari, longiori uero, quo craſſior atque adeo etiam magis ſi craſſitudini accedat lentor. Sed neque id prætergrediendum eſt, cuius meminit Hippocra. in libro de morbis externarum partium nempe quod quamuis podagra, & chiragra in morbis longis, laborioſis, moleſtisque ſint, non ſunt tamen in eis, qui ſint pernitioſi, modo inſignis aliquis (vt ſecundo de natur. hum. ait Galen.) non fuerit in illis curandis commiſſus error. Nullus autem in hac re grauior poteſt error committi, quàm ille ſit quem nonnunquam commiſiſſe aliquos diuites, & magnos uiros uidimus, qui cum eſſent dolorum, & moleſtiarum impatientes, vſi conſilio quarundam mulierculaтum, aliorumq; uulgarium rebus aſtringentibus, & repellentibus uoluerunt crura, & manus roborare, parareque, quo minus conſuetam fluxionem ſuis periodis admittere posſint, vnde ab his partibus ad magis pręcipuas uitioſi hi humores diuertentes, alter aſthmaticus factus eſt, & tandem ſtrangulatus mortem obijt, alter uerò (erant autem ambo Veneti patritij, & nobilisſimi circa principium primi ſenij, bona temperatura, & robuſto corpore) in grauisſimam, & uehementisſimam febrem incidit, cum tremore totius corporis, & omnium ſenſuum ſtupore quoddam, ſed his maximo labore, & multis euacuationibus tum ſanguinis, tum aliorum excrementorum, tam ſpontaneis, quam a medicis inſtitutis tandem euaſit. Ait uerò Galen. unicam hanc ſpem ſalutis tunc ſupereſſe illis, qui ita grauiter in hac re aberrant, ſi iterum nocua hęc materia denuò ad articulos retrahatur, reuellaturque. Particulatim verò hoc incommodum afferre ſolet dolor coxendicus (vt & experientia, & Hippoc. ſexto Apho. teſtantur) quòd in cauſa eſt, quando diuturnior eſt, quòd coxa ex ſua cauitate excidat, quę tamen etiam facilè in ſuam ſedem reuocari ſolet, id verò (vt idem affirmat) propterea accidere ſolet, quia ligamenta laxantur a pituitoſo quodam mucore, qui in articulo aceruatur confluentibus iſtiuſmodi humoribus ad articulum illum in ijs, qui ſimilibus doloribus tentantur. Quod quidem non uidentur animaduertiſſe, qui negant in articulis conſiſtere poſſe in articularibus doloribus confluentes ſuccos. Sed hos dimittamus, & inſtitutum noſtrum ſequamur. His ergo, quibus ita facilis eſt, tum exitus, tum reditus iſtius articuli, ſi diuturnus (ait paulo poſt Hippoc.) fiat morbus, crus contabeſcit, demacreſcitque, niſi locus ſecundum articulum igne vratur, ac ita abſumatur, ac deſiccetur is humor excrementitius. Sed & ſubinde claudum fieri neceſſe eſt. Extenuatio verò inde fit, quia peius alitur particula, tum quia è ſua ſede excidentes deſcendunt, deorſumque trahuntur, & fatigantur, diſtorquenturque venæ, & organa, tum verò, quia ægrè mouetur, & ſuo deſtituta motu, ſuaque exercitatione frigidior, & imbecillior euadit particula.

com. 28. cap. 7.

Aph. 49.

Aph. 59.

com. 22. com. 31.

com. 5.

De

De ratione tuendi, & curandi eos, qui articularibus doloribus obnoxij ſunt. Cap. II.

DVo in primis optant, qui his doloribus ſunt obnoxij per periodos: Primum, vt ſi fieri poſſit, ab hac propenſione, & repetitione horum dolorum immunes reddãtur, vel ſaltem ab illis defendantur, quando imminent, vel ſi neque id præſtare omnino valeamus, ſaltem ab illis defendantur, quando imminent; uel ſi neque id præſtare omnino valeamus, ſaltem rarius, & minus affligantur. Alterum verò, ſi euenerit, vt omnino defendi non poſſint, quò minus affligantur, citò ſaltem curentur. Quare cum dignitate, natura, deſiderio, & arte prior ſit cuſtodia, & tutela ſanitatis, primum etiam de ea ſumus ſermonem habituri, præſertim verò cum hæc omnia non admodum differentem rationem habeant. Nam Hippoc. Com. Galen. in Epidem. libro tertio dixit, quòd quæ in curandis morbis vtilia ſunt, ea etiam, ſi anteuertant, & ante ingruentem morbum fiant, illum auertere ſolent; quod & Galen. in libro de Curandi ratione per ſectio. repetit. Accipiamus autem hoc primum, & tanquam maximum iſtius rei initium, & fundamentum iaciamus, quòd maxima, & præcipua tuendæ ſanitatis, & auertendorum morborum ratio conſiſtit in amouendis, & arcendis morborum cauſis: eò enim ſpectat omnis ferè tuendæ bonæ valetudinis ratio, vt ex Galen. ſecundo Aphor. facilè percipi poteſt. Vnde cum iam hoc poſitum ſit, quòd duæ ſunt præcipuę & maximæ arthritidis cauſæ: altera articulorum laxitas, & imbecillitas: altera redundans copia uitioſorum humorum, ſed & bonorum, ſi ea immodica fuerit: harum quidem alteri occurrere in nobis omnino eſt, præſertim verò recta, & accommodata victus ratione; ſed niſi interdum ex accidenti aliquid obſtet: obſtat autem ſæpe illis, qui aut ſeruitute, aut vrgentibus negotijs abſtricti coguntur ab ea ratione aberrare. Alteri verò multi occurrere minimè poſſunt, vtpote qui imbecillitatem ab ipſo ortu contraxere, quemadmodum quidam, qui eam à parentibus, uel maioribus arthriditas hęreditarias habent: nam inter morbos hęreditarios eſſe articulares dolores nul
com. 82. li ferè non notum: quod etiam affirmat Galen. ſexto Aphoriſ. uitium enim hoc ex ipſo parentum ſemine contrahitur, quandoque vero ex materia, vnde fit generatio, quæ uel ex erroribus parentum in victu male ſe habentium, uel ex aliqua alia, uel interna, uel externa occaſione, quamuis genitores non habuerint imbecillitatem articulorum eam tamen ſoboles contrahit. Licet autem longe difficilius ſit hos, quàm priores cuſtodire, qui alteram cauſam illos in hoc inclinantem cõgenitam habent: attamen quia altera ſine altera (ut docuit Gale. & nos ſuperius meminimus) parum poteſt, poterunt & hi cuſtodiri, ſi diligentiam victus rationi voluerint adhibere, & procurare, ne præterea ſuis erroribus eam laxitatem, & imbecillitatem, quam connatam habent, augeant. Summa itaque ope niti debent, vt ea declinent, quæ paulò antè diximus opportuna eſſe, & apta ad reddendos articulos imbecillos, quę cum apertè fuerint expoſita, non eſt, cur ſint iterum repetenda. Ab illis ergo aut omnino abſtinendum, aut ſaltem moderandum. Sed & quantum fieri poteſt, rectè omni ex parte victus rationi erit incumbendum: ea enim præcipuum, & præſtantiſſimum remedium eſt, quo facillimè tueri omnes ab his incommodis poſſunt: nam quatenus ad imbecillitatem pertinet, ſæpe illi nemo conſulere valet, præſertim cum a natura fuerit contracta vel cum ex longo tempore, & negligentia, quamuis à natura nullam habuerit originem, adeo inualuerit, & in habitum conuerſa ſit, ut ſicut de conſuetudine dixere, tam philoſophi quàm medici, facta ſit quaſi aſcititia, & aduentitia quædam natura. Victus verò ratio in promptu nobis ſemper eſt. Nemo igitur non videt, quàm ſit a crapula, & ebrietatibus cauendum. Noui enim medicum ſenem Venetijs, qui cum non parum infeſtaretur a podagris ad ſenium vſque ſaltem primum, ac per quinquennium ipſe ſibi uinum interdixiſſet, liber tandem ab huiuſcemodi moleſtia ita euaſit, vt amplius ad vltimum vſque ſenium, immo ad mortem horum dolorum expers fuerit. De immodico autem venereo vſu nihil eſt quod dicam: nam hanc uniuerſam cauſam voluit eſſe Galen. cur ſpadones illis temporibus antiquis, quando non erat tanta ingluuies hominum quanta poſtea, atque etiam pueri ante vſum ueneris ab his doloribus tuti quaſi eſſent. Vbi & illud conſiderandum eſt nempe quantam vim habeat crapula, incontinentiaque in cibis & potu, quæ poſſit quaſi rationem naturæ peruertere, ſpadones enim cum temperantiores eſſent, tuti omnino ab hac noxia quaſi ſuapte natura habebantur, intemperatiores facti, & ipſi in hunc morbum proni facti ſunt. Tertiò etiam hoc præterea procurandum, ut ſi quæ ſint vacuationes, quas uel ipſa natura ſponte ſolita ſit moliri interdum, vel continenter, uel quaſi per periodos, per aliquas partes, vt per ſanguinem a naribus effluentem, uel per hęmorrhoidas, uel per alui profluuium, vel per urinam, uel per ſudores, uel per id genus alia aperiantur. Sed aliquando ex aliqua cauſa morboſa excitatur uacuatio, qua ſolet excrementoſas materias ſubinde quaſi deponere, ut ulcera in cruribus, quando iam diu inueterauere, aut quemadmodum multi ſunt, qui ex abſceſſu in ſede ſuborto, & poſtea rupto, fiſtulam ad ſedem contraxere, atque diu pertulere apertam: unde continenter aliquid elabitur: quæ ſi claudatur, retentis illis excrementis, & hos dolores ſolet concitare, & occaſiones diuerſarum fluxionum præſtat, ſicut & ulcera, quę uel in cruribus parum infra genu, uel in brachijs inuri ſolent, quæque ita aperta impoſito globulo ſolent ſeruari, ſi aliquando, cum diu ita delatæ ſunt, imprudenter conſolrdari, & claudi ſinantur; fontanellas vulgo appellant. Has ergo uacuationes reuocare procurandum uel ſaltem illis ſupplendum, uel parciori, & temperatiori uictu, uel alia uacuatione, quæ fiat ſecta uena, uel purgatione, uel exercitatione, uel huiuſmodi alijs rationibus, maioribus uel minoribus electis pro ratione plenitudinis, ætatis, naturæ corporis, conſuetudinis, temporis, uel aliorum, quę ſimilem cum his rationem habent. Interdum uero, ſi illa conſueta uacuatio erat per partes incommodas, quærimus deriuationem ad alias, quæ minorem moleſtiam ſolent afferre, ut in ijs facere ſolemus, quibus inurimus, aut igne, aut medicamentis vrentibus, tum brachia, tum crura, tum uero & ceruicem quas (ut diximus) nunc fontanellas uocant. Quia uero nonnunquam, uel ex inęquali ſtatu & habitu membrorũ, uel ex multa iam imbecillitate articulorum, uel uictus ratione, quæ nequit aliquando ita exquiſitè ſeruari, qui non aggregetur paulatim aliqua congeries excrementoſæ, & ſuperuacuæ materię, quę poſtea ſuis temporibus pręſertim uero uere, ſed aliquando etiam autumno hos dolores concitant. Interdum etiam non

tantum

tantum ratione iſtorum temporum, quantum alijs,
aut internis, aut externis occaſionibus mouetur,
& excitata fluxione, fertur ad articulos: Ideo his
etiam anteaquam moueri incipiant, conſulendum
eſt, nam cum iam incipiunt fluere nō ita facilè flu-
xio conſiſtere poteſt. Conſulendum uero eſt re-
motis cauſis cur ſponte fluere ſolent. Cauſæ au-
tem ſunt, uel plenitudo, & copia eorum excremen
torum, uel uitioſa, & mala eorum natura. Vnde
in vniuerſum eadem ferè methodus eſt, qua tuemur
illos, quos timeamus, ne fiant his doloribus obno-
xij, quamuis nunquam alias fuerint illis correpti, &
qua illos, qui procliues ſunt in hunc affectum, &
eo alias laborauere. Particulatim vero non nihil
variat, quia in prioribus hoc procuramus, ne oc-
caſio pręſtetur, cur generetur, & congerantur, in
his vero & id ipſum agendum, & præterea conſu-
lendum, ut quę congeſta ſunt, ſubtrahantur, an-
teaquam concitetur eorum motus ab expultrice fa
cultate irritata. Erit autem conſultum, ſi uacue-
tur aggregata materia, accommodatis, & aptis va
cuantibus, conſiderata cum copia, tum verò na-
tura humorum, necnon & locis, in quibus con-
geritur ſuperuacuus humor, additis pręterea natu-
ra laborantis corporis, ætate, tempore, & eius con
ſuetudine. Nam poſſet adeo modica copia eſſe col
lecta, vt & exercitatio, & parcior victus, frictio-
neſque, & alia, quæ cum his ſimilem rationem ha
bent, ſatis eſſent præſertim ſi multo antea, quam
tempus illud ſit quo ſolent corripi ab his doloribus,
curationem aggrederemur, uerum ſi uel multa ſit
facta congeſtio, vel tempus breuius uideretur,
quam quod poſſit hæc ſatis eſſe, ut potè quia lon-
gior eſt eiuſmodi uia corpus vacuandum eſſet ma-
nifeſtis uacuationibus, nimirum ſecta uena, uel per
purgantia medicamenta. Is autem uacuandi mo-
dus magis eligendus, quem & natura congeſti hu-
moris & ratio corporis, inaniendi, ætaſque indi-
cabit. Nam ſi corpus ſanguine copioſo abundet,
& dolores ſoleant aut ex ſanguine, vel ex materia
ſanguini mixta occaſionem habere, illico ſanguis
mittendus erit, niſi quidpiam aliud obſtet ex ijs,
quę ſolent eſſe impedimento miſſioni ſanguinis.
Quoniam vero (ut diximus) plerumque uerno tem
pore dolores concitari conſueuere, ideo Galen. con
ſuluit 6. Apho. & in lib. de rat. cur. per ſec. uen. hos
ineunte vere vacuandos eſſe, aut circa finem æſtatis
verſus autumnum, ſi aliqui ſint, qui eo potius tem-
pore ſoleant affligi, nam complures ait Gal. qui per
com. 47. circuitus ſoliti erant doloribus articularibus crucia
cap. 7. ri, hac ratione curaſſe, doloreſque per multos an-
nos compeſcuiſſe, eos tamen, qui nondum in nodo
ſas podagras, vel chiragras inciderant, quia parum
prodeſſe vlla curatio poteſt, quando tophoſi tumo
res articulos occuparunt. Venam vero, quę utilius
ſecanda ſit, oſtendet locus, qui frequentius dolo-
ribus tentatur, nam ſi ea ſit arthritis, quę per om-
nes articulos vagari ſoleat, vndecunque ait Galen.
cap. 19. eodem libro licet vacuare, & quacunque ſecta ve-
na, modo uena talis ſit, vt copia inſignis ſanguinis
poſſit ab eo effluere, quia vndecumque fiat vacua-
tio, tandem in vniuerſum corpus redūdat inanitio.
Vt tamen neque hoc ſit prætermittendum, quod
niſi alia ratio obſtet, fortaſſe uena interior in cubi-
to quam nunc baſilicam appellant, huic negotio
erit aptior accōmodatior; nā quarto de ratio. uict.
com. 24. in morb. acut. cum Hip. uel quiſquis ille fuerit, di-
xiſſet in acutis uenam internam in brachio ſecato,
ait Galen. propterea eam cenſuiſſe ſecandam, quia
illa citiſſime partes præcipuas vacuat, quare & ſub-

A inde etiam uniuerſum corpus. Quod ſi arthritis
non ea ſit, quæ paſſim per vniuerſum corpus va-
ga ferri aſſueuerit, ait idem Galen. non vndique
mittatur, tantundem eſt, ſed reuulſorie erit va-
cuandum: nempe ſi podagris fuerit expoſitus, ve-
na in cubito interna ſecanda eſt: ſin autem chira-
gris, potius ad venas inferiores in cruribus tun-
dendas erit confugiendum: nam eiuſmodi reuul-
ſoria vacuatio præter id, quod vacuat congeſtum
humorem, atque ſic occaſionem fluxionis tollere
poteſt, aſſuefacit etiam humorem, qui ſemper ad
hunc locum debilem confluere concitata fluxio-
ne ſolebat alio (vt Galen. in ſecundo de Natura hu-
man. ait) conuertere ſe. Sin autem videatur ma-
B gis copia vitioſi humoris, qui omnino ſecretus, &
alienus ſit à natura, & mixtura ſanguinis, quique
vel ex mala victus ratione, uel ex aliqua interno-
rum viſcerum intemperię ortum habeat, conuer-
tenda erit vniuerſa fere ratio curationis ad purgan-
dum corpus, & vitioſos humores, qui iam colle-
cti ſunt vacuandos. Neque hic etiam negligenda
eſt ea diſtinctio, cuius nuper meminimus: nimi-
cum enim vel arthritis ea vniuerſis articulis mole-
ſta ſubinde eſt, ac ita modo purgetur corpus, & ſub
trahatur fomentum affectui imminenti, ſatis erit
factum huic rei. Eligendus autem erit accommo-
datior euacuandi modus, & qui laboranti erit faci-
lior, & familiarior, nempe aut per vomitum, aut
C per deiectiones alui, & hæ uel per medicamenta
deuorata, uel per clyſteres, modo fiat purgatio pro
modo copiæ excrementorum, habita ſemper ra-
tione ætatis, virium, temporis, regionis, & con-
ſuetudinis. Sin autem pedes fuerint magis his do-
loribus obnoxij, aut ſi qui coxendice potius ſoliti
ſint laborare, his niſi aliquid obſtet, ſicut natura
corporis ad uomitum difficilis, uel in qua non cie-
tur vomitus citra periculum aut iſtiuſmodi aliud,
iſtis omnibus (ut decimo de Compoſi. medic. ſecun
dum loc. & ſecundo libro Compoſi. in ſextum Epi-
dem. docuit Galen.) longe utilior eſt uomitus: nam
& reuellit, auertitque fluxionem ab inferioribus
articulis, præſertim ſi a cibo fiat, contra uero per
D inferiorem aluum purgatio in chiragricis efficacior
eadem ratione erit. Medicamentorum vero qua-
litatem, quibus oportet in purgando vti præterea
uero & formam, modumque purgandorum ſucco-
rum qualitas, & natura nobis demonſtrabit: ſem-
per enim purgatio rectè procedet, quando illa, quæ
erant purganda purgantur: nam & conferet, & leui
ter ferretur. Quantitatem uero & robur medica-
menti natura corporis purgandi moderabitur, tem-
pus & id genus reliqua. At uero cum ſit etiam com
mune præceptum Hipp. concocta medicanda eſſe,
utile etiam erit, ſi anteaquam moueantur humo-
res uacuandi, parentur ad facilem purgationem, ac-
commodatis medicamentis pro natura parandorū
E humorū, niſi interdum humor uideretur non eſſe
ineptus ad vacuationem, quia neque infarctus in
aliqua particula, neque ualde craſſus, lentuſque, &
crudus, uel quia iā natura, uel natiuus calor ipſum
concoxiſſet, uel eſſet in locis, è quibus facilis eſſet
detractio, nam ſi ita ſe res haberet, poſſemus ſtatim
aggredi eorum vacuationē idoneis medicamentis,
alioquin uerò præſtaret aliqua prætermittere, quæ
uim haberent parandi hos humores, quorum itidē
rationem natura humoris apparatu indigentis po-
terit nobis indicare. Quia tamen plerunque (ut om
nes affirmant) fomentum horum dolorum eſt ma-
teria pituitoſa, craſſior & lenta, ideo ea, quæ atte-
nuant moderatè, quæque detergunt, huic officio

Cap.2. Com.28. Com.23. poſſunt eſſe accommodata, quemadmodum ſyrupi uel decocta, quæ ex betonica, uel ex chamæpythy, quàm iuam in præſentia appellant, queque plurimum à iunioribus in his articularibus doloribus commendatur, ita ut inde arthreticæ cognomen indiderint, ſed & menta, abſinthium, petroſelinum, fœniculum, agrimonium, uel eupatorium, cortex citri, aqua mulſa, mel roſaceum, & id genus multa. Sin uero calidi humores, tenueſque eſſent ſoliti congeri, tunc cichoracea omnia, borago, acetoſa, uel oxalis, ſyrupi uero roſacei, nam hi refrigeratione, & incraſſatione egerent. Hac itaque ratione hi tractandi ſunt, ſi cura eorum ſit habenda ante inſultus dolorum, & antequam fluxio incipiat, neque tamen victus ratio negligatur: B alioquin enim nihil proderit, quicquid feceris, nam ex intemperante uictu facile, citoque (vt decimo de comp. med. ſec. loc. ait Gal.) multa copia ſimilium excrementorum poteſt congeri, quæ idoneum fomentum ſunt his doloribus. Victus vero accommodatior eſt ſepius attenuans à Galen. dictus: ſæpius inquam, quia (vt nuper diximus) plerunque hi affectus ortũ ſuum habent à pituita cruda & lenta. Tantam vero vim habere hanc iſtius victus rationem cenſuit Galen. in eo libello, quem de hac re ſcripſit, vt multi fuerint, qui hac duntaxat victus ratione vſi, ſe omnino tandem exemerint à moleſtia horum affectuum: interim uero à doloribus quando repetebant, longe mitius tractabantur. C

Vt tamen & hoc non ſit prætermittendum, quod accommodatior eſt hæc victus ratio illis, qui craſſiores, nam qui graciles ſunt, non parum (vt 6. de Tuen. ſan. monet Galen.) ſolent lædi. quare illi cibi, qui ex media materia ſunt vtiliores ſunt cenſendi, vt etiam medicamenta, ſi quando ad tuendam valetudinem illis vti oporteat: nam quæ inſignem tum attenuandi, tum digerendi uim habent, potius his fugienda ſunt, id quod 4. met. Galen. monuit. Cap.2. Potus uero in his morbis Galen. vini probatur quidem, ſed quod mellis aliquam particulam, fœniculique habeat eandem ob cauſam, nempe vt attenuet, & detergat: preſertim uero hæc utilia fore putarem, quando (quod ſæpius eſt) dolores D ab humore pituitoſo, lento craſſoque excitantur, alioqui enim cùm feruentiores fuerint humores, mea quidem ſententia, præſtaret eos aut omnino abſtemios eſſe, aut parciſſimo uti uino, & illo leui, quod pauciferum appellant noſtri iuniores: ſed niſi timendum eſſet, ne potu longiori aquæ lederentur, mihi quàm maxime potus aque mulſe probaretur, uel ſi uellemus huic etiam timori conſulere, non eſſet præter rationem addere tantillum aut foliorum betonicæ, aut cinamomi, aut cuiuſpiam rei alterius, nimirum quantum non poſſet calefacere, ſed ſolum obſiſtere noxe quam aqua afferre uentriculo poſſet: uerum placeret etiam magis ſi mel, fœniculumque, quod uino indendum E Galen. cenſuit, cum conficitur, & muſtum eſt, adderetur, melius enim miſceretur, & ſi quid flatulenti mel haberet, facilius euaporaret. Et de ijs, que ad dolores articulares cauendos pertinent, hec mihi ſatis uidentur.

De ratione curandi dolores articulares preſentes, & vbi iam incipit acceſſio. *Cap. III.*

NON eſt admodum differens ea ratio, qua hi dolores curandi ſunt, quando urgere inci- A piunt, ab illa, quam paulo ante inſtituimus, ea quippe, qua auertuntur, & procuramus, quo minus ſuperueniant, antequam hominem tentare incipiant, quod item Galenus inſinuauit in libro de curandi ratione per ſect. uen. ubi de curandi ratione agit, quæ inſtituitur in illis, quos cauere uolumus, quominus incidant poſtea in aliquos affectus, in quos incidere proni ſunt, & ſæpius conſueuere, anteaquam incidant. cap.19. Ait uero reuulſione cum uacuatione iſtos perinde egere, ut illi, qui iam affligi incepere. Que quidem ſententia ab illa deprompta fuiſſe uidetur, cuius meminit Galenus eodem libro, quamque deſumpſit ex Hippoc. libro tertio comp. in ſextum epidem. cap.9. tex.401. ubi ait, quod quecunque B ex recta ratione faceremus morbis præſentibus, melius eſt, ut eadem, uel ipſis iam incipientibus, uel incepturis moliamur: quod preſertim uerum eſt iudicandum de ijs morbis, qui à fluxione humorum pendent, & quando ſunt in initio, quippe quia eędem indicationes ſunt, & eoſdem ſcopos oſtendunt, quando iam inceperint, quos, quando nondum incepere, ſed niſi obſiſtamus, paulo poſt incepturos timemus, in uniuerſum enim, ut uel incepturæ, uel iam incipienti fluxioni occurramus, quod citiſſimè, & commodiſſime reuulſione uacuationeque præſtari poteſt: unde quæcunque paulo ante de mittendo ſanguine dicta ſunt, deque alijs omnibus uacuationibus eſſent huc transferenda, C niſi inutilem fore hanc repetitionem putaremus: neque etiam diuerſa eſt ratio inſtituendi uictus, niſi quod urgere incipientibus doloribus, preſertim coxendice, & podagris, nulla iniungenda exercitatio, & motio; quia dolores, motis particulis affectis, exacerbarentur, & fluxio magis irritaretur, & proinde ſi tenuior etiam uictus ratio, donec conſtiterit fluxio inſtituatur, res melius mea quidem ſententia procedet. At ubi repreſſa fuerit fluxio, & morbus iam conſiſtat, non amplius eadem omnino eſt curandi ratio; quia iam indicatio à fluxione deſijt, & defluxo iam humori, & in articulis recepto incumbendum eſt. Ille autem indicat iam ſe uacuari oportere, commode uero D id fit, quando humor ille per ſectam uenam poteſt apte uacuari, ſi aut uena, in ea particula (ut eodem libro de Ration. curanda, per ſect. uenæ idem monuit) ſecuerimus, aut eas, quæ his uicine ſunt: ſicuti ſi coxendicus dolor hominem affligat, fluxio uero fuerit ſanguinea Galenus decimo de compoſit. medicamen. ſec. locat. ait, cap.19. cap.2. & propè malleolos ſecandas uenas, & in brachio, & quamuis non diſtinxerit, quando has, & quando illas ſecandas eſſe uelit, & num utraſque, de hoc tamen ſepe ſuperius locuti ſumus, & ex illis, que eodem loco ab eo deſcribuntur, facilis eſt diſtinctio, nempe in libro de Ratio. curanda. per ſect. uen, nam procul omni dubio uena in brachio ſecta maiorem uim E reuellendi habet, que uero in cruribus, potius deriuandi. Vnde nulli dubium eſſe debet, quòd ſi multa ſit collecta plenitudo, ut & Aetius lucidiſſime ſtatim à principio duodecimi ſermonis expoſuit, ex ratione oportet à brachio incipere, poſtea adire uenas pedum: ſed ſi modica eſſet collecta plenitudo in habitu uniuerſi corporis, tunc ſola deriuatio eſſet ſatis, & ſolis ſectis venis in cruribus poſſemus rei, quæ nobis incumbit, ſatisfacere. Quocirca ait Galenus, quod ſæpè ſola miſſio ſanguinis ex uenis poplitis citiſſimè ſanat coxendicos dolores, quando illi ex ſanguinea fluxione ortum habuere. Interdum uerò earum uenarum ſectionem non eſſe ſatis, oſtendit ipſe paulo inferius, cum

ait, aliquando opus eſſe brachij uenas ſecare: quod aliunde habere occaſionem nequit, niſi quod quando multa eſt plenitudo, reuellere prius oportet, vbi modica deriuatio ſatis eſt, vnde neque à ratione alienum eſt, immo illi maxime conſentaneum, quod ubi non ſit copioſa collectio materiæ, illa poſſit uacuari unica ſanguinis miſſione; quia ſimul & uniuerſum corpus inanitur, quo inanito tollitur omnis fluendi ratio, & id etiam, quod iam fluxit, docuit enim Galenus quod vndecumque mittatur ſanguis, uacuatio tandem ad uniuerſum corpus pertinet, ſi modò aliqua copia detrahatur, & quamuis prius uiciniores partes, magiſque inaniantur, ſatis tamen eſt, quod etiam remotæ, quando non multa erat plenitudo, uacuantur, quantum ſatis eſt ad auferendam fluxionis occaſionem, & ad plenitudinis rationem. Quando vero ingens eſt plenitudo, oportet prius ualentem pręcedere reuulſionem; alioquin enim, niſi moliamur reuulſionem, quæ ueram reuulſionis rationem habeat non modo non erit ſatis ea uacuatio ad tollendam, & finiendam fluxionem, uerum potius eam magis concitabit, nam maior fiet attractio ad dolentem locum, quàm euacuatio ſecta uena in cruribus, quemadmodum idem Galen. & quinto Aphoriſm. & in libro de Ration. curanda. ſect. ven. & clarius ſecundo in ſextum Epid. ſimili exemplo docuit, ubi enim ait Hippoc. quod capitis dolor in ſyncipite curare poteſt ſecta recta in fronte uena, inquit ea quidem ratione poſſe curare, quia reuellit, & uacuat, ſed tamen id non eſſe agendum, ſi corpus plenum uideatur, niſi prius ſecta uena in cubito uacuetur, unde quando non erit plenum, citiſſime procedet curatio ſecta uena frontis, quod ſi plenum id ſit prius alia uena, non illa frontis erit incidenda. Aetius autem & his uidetur conſentire eodem 12. Sermone, qui exponens ſententiam Gal. ait una in cruribus facta uenę ſectione ſæpe curatos coxendicos dolores, uel una etiam die duabus additis limitationibus, quod ex frigida materia non habuerit ortum, ſed ex ſanguine, qui repleat uenas coxendici circunſtantes, ſed in his non amplius immoremur, tranſeamus ad alia. Sin autem uideantur non ex plenitudine, & multitudine, ſed potius ex cacochymia fomentum habere hi dolores, conuertenda erit huius curationis ratio ad alios uacuandi modos nimirum per medicamenta, ubi & pro ratione dolorificę cauſę opus etiam erit naturam, & formam medicamentorum eligere: ut tamen rationem aliorum habeamus vt ſunt ætas, & natura, & conſuetudo dolentis corporis uireſque & tempus & id genus reliqua. Nam ſi calidiores erunt humores, in ſymplicibus huic uacuationis idoneis ſunt rhabarbarum, ſena tamarindi caſſiam ſimplicem & mannam quidam non admodum laudant: quia, aiunt, hęc ſua humiditate, & lenitate potius laxare, & promptiores ad ſuſcipienda excrementa reddere, huic tamen rei facile eſt occurrere, ſi corrigantur additione rei alicuius participis alicuius aſtrictionis, ut eſſet rhabarbarum, myrobalani, & alia, quæ laudata ſunt ad horum medicamentorum correctionem, imprimis enim ea medicamenta in his affectibus probantur, quæ cum hoc, quod uacuant, non ſunt etiam expertia aliquantæ aſtrictionis, unde poſſint & nonnihil roboris impertiri laxioribus particulis, & aliquatenus refrenare fluentes humores. Agaricum uero laudant omnes, uacuat ſiquidem calidos, tenueſque humores non minus quàm pituitoſos, & craſſos. De ſca-

Com.61. Cap.19. Com.27.

A monio uero, & elaterio, & id genus alijs nolumus nunc meminiſſe, quia hęc & ualentiſſima ſunt medicamenta, & quibus rariſſime utimur, niſi mixtis, & compoſitis cum alijs. Sed agamus modò de compoſitis. Sunt nonnulla compoſita medicamenta, quę lenia, & leuia ſunt, & quibus ſępe tanquam materia aliorum ualentium, ut alibi declarauimus, uti medici ſolent, ut quod hic lenitiuum appellant quodque diaſebeſten, tum uero diacatholicon, & diaſene, de quibus ſępe ſermo ſuperius fuit habitus. Fortiora autem medicamenta his calidioribus doloribus euacuandis idonea ſunt electuarium, quod appellant ex ſucco roſarum, quodque roſatum Meſue, neq; ineptum, quod diaprunon ſolutiuum dicunt, & eiuſmodi alia multa. Sed quia in his
B multi libentius, & facilius catapotia, vel pilulas admittunt: ideo leuiores & faciliores eſſent, quæ aſſaie ret ab Auic. ſunt dictæ, & maſtichinæ quoq; neq; ineptæ eſſent, quæ ex hiera, vel ſimplici, vel addito agarico conficiuntur: illis quidem validiores non parū eſſent, quæ à Nicolao ſine quib. dicuntur; ité & quæ de hermodactylis minores à Meſue deſcriptæ: ſed his fortiores ſunt, quæ à Nicolao deſcriptæ aureæ dictæ ſunt, quibus & ſi omnes fere in affectibus capitis vtantur, primum tamen vniuerſum corpus expurgant præſertim vero calidiores humores. In frigidis autem humoribus purgandis accommodata quidem ſunt myrobalani chebuli, & emblici, & ſte-
C chas, ius galli decrepiti, pſertim ſi in eo incoquatur cnici ſemen, quod chartamum iuniores, & Arabes nuncupant: nam cnici ſemina interdum ad pituitam è corpore detrahendam Gal. ex ptiſſana decoxit agaricum etiam in vtraque materia laudant. Raro auté immo rariſſime fortioribus vtimur, niſi in compoſitis medicamẽtis, vt eſt turbith, colocynthis, atque etiam hermodactyli, quos tamen in his affectibus mirifice laudant. Vnde de compoſitis medicamentis ſummatim, & curſim agamus. Hiera quidem quæ ſimplex in præſentia dicitur, facile, & leue medicamentum eſt, erit aliquanto fortius addito (ut ſolent interdum agarico: poſſent etiam alia ad hunc ſcopum facientia addi (ut docuit Gal. 1. &
D 2. de Comp. med. ſec. loc.) vt eſſet turbith, vel cnici ſemen, huiuſmodi alia: valentius aliquanto medicamentum eſſet puluis ex hermodactylis confectus, de cujus confectione non eſt cur habeamus ſermonem, eſt enim vulgare ferè medicamentum, quod paſſim paratum habetur, vt ſæpe vulgares, qui his doloribus obnoxij ſunt, abſque medici conſilio adeant pharmacopolas, & accepto vtantur. Sed neque medicamentum, quod diaturbith dicitur, & in multo vſu eſt, aut cum rhabarbaro, vel citra ſiue et ex ſaccharo fiant placentulæ, uel in modum appellati electuarij conficiatur, non inutile eſt medicamentum: deſcriptum autem reperitur à Bartholomeo Montagnana. Sed valẽtia ſatis ſunt, & id, quod
E Indum electuarium appellant. Pilulę uerò, quę uim in his magnam habent, ſunt pilulæ cochiæ Raſis, de quibus in prioribus libris ſermonem habuimus, pilulæ fœtidæ à Meſue deſcriptæ, pilulæ de hermodactylis maiores, item & quæ arthreticæ à iunioribus dicuntur, & quæ alahandaal Arabicè à colocynthide dicuntur, quæ admodum potentes ſunt: aggregatiuę uero, & quàm confectionem hamech appellant, præterea & hieræ illæ maiores, præſertim vero, quæ diacolocynthidos nuncupatur ab antiquis medicis tum Gręcis, tum Arabibus, efficaciſſima ſunt medicamenta. Sed & apparatu longè etiā maiori egent materiæ hæ craſſæ, lentę & frigidę, Laudatur autem prœſertim betonica, ſaluia, chamępythis,

mæpythis, cortex citri ſaccharo conditus, hyſſopus, ſtoecnas, mel roſaceum, acorus, & multa alia, nam quæcunque vim habent attenuandi, & detergendi, quæ ſi etiam aliquam haberent roborandi vim ex aſtrictione, longe erunt præſtantiora. Verum quia ſæpius antea hæc tractata ſunt, ideo hic faciemus finem huic capiti, ut tandem poſſimus nõ modo huic libro, ſed uniuerſo etiam huic volumini coronidem imponere. Sed prius de his etiam medicamentis aliqua verba faciamus, quæ topica à Græcis localia dici ſolent, quibus exterius appoſitis, vel adminiſtratis vtimur, niſi quod quædam prius particulatim de coxendice dicenda ſunt, in cuius ratione hæc imprimis obſeruanda ſunt priuata quadam ratione, quod (vt in vniuerſum ſuperius diximus) cum non habet ex calidis humoribus, nempe ex ſanguine ortum, ſicuti ſæpius originem non habet, duo ſunt, quę maximè illis prodeſſe poſſunt, qui id genus doloribus affliguntur: primum vſus vomitus, & longe magis, quã alui deiectiones, maximè vero inter initia: hoc vero modo, tum Galen. de compo. medi. ſecun. loc. tum vero Aetius ex Archigenis ſententia rem hanc tractandam conſulunt, nempe, vt prius ueluti quodam præludium fiat, quo aſſueſcat vomere facilius, qui dolore cruciatur, uolunt enim, ut prius ſimplex excitetur uomitus à cibo citra uſum alicuius uomitorij medicamenti, quod vim aliquam inſignem habeat vomitum proritandi: mox vero, & ea etiam experiamur, ita tamen, vt non ſtatim à ualentibus ſumamus initium, ſed paulatim, & gradatim à leuioribus ad fortiora aſcendamus. Galen. autem meminit quorundam, quæ non admodum violenta ſunt, ut eſt decoctum bulbi uomitorij, & decoctum ex radicula, uel raphano: hæc vero ex oxymelite. Sed & huius meminere Hippocra. in libro de locis in homine, præterea & Aetius ex ſententia Archigenis, quod clyſteres acriores, quæ nimirum vim validam attrahendi habent, quam maximam vim habent ad extrahendam pituitam lentam, & craſſam, infarctam ipſi coxendici, & uicinis locis ad illam atinentibus, ſeruata tamen eadem fere methodo, quã de vomitu ciendo expoſuimus, ut ſi veſperi ſimus clyſterem acrem iniecturi, mane prius lenienti clyſteri vtamur: nam neque poſtea ita facile lædetur, tum quia (vt Hippocrates docet) corpora ubi quis purgare uoluerit, oportet prius fluida facere, præparatur enim, & fluidus fit ope lenientium, tum etiam quia excrementa communia, hoc eſt craſſiora ſtercora educentur, quæ impedientia poſſunt difficilliorem reddere uacuationem, ut tamen hic etiam a lenioribus incipiamus, quæ autem acriores clyſteres reddunt, modeſtè quidem ſunt ſuccus betæ cum melle roſaceo, ſaleque, item ſuccus mercurialis aliquanto plus, ſed & hiera illa, quam vulgo compoſitam appellant maiorem in his vim habet, nam recipit colocynthin: quandoque incoquunt etiam agarici cortices, interdum minus centaurium, quod quidem eſt ualentius, quandoque radices cucumeris ſylueſtris, quas Aetius ſummopere ex Archigene laudat, poſtremo & colocynthidem, ſeu ſylueſtrem cucurbitam, quæ potentiſſima eſt ad euellendam tenacem, & renitentem pituitam. Sed tandem riuos claudamus.

De medicamentis exterius adhibendis locis dolentibus. *Cap. IIII.*

SIcut hi dolores affectus ſub communi eorum morborum genere continentur, qui ex fluxione humorum concitantur: Ita etiam generali, & communi methodo, quę eiuſmodi affectus reſpicit, tam quatenus ad ea remedia, quæ hactenus expoſita ſunt, quam etiam ad illa, de quibus in præſentia ſermonem habituri ſumus, ſpectat, tractãdi ſunt. Ea uero eſt, vt in initio fluxionis repellentibus remedijs exterius adhibitis vtamur: mox verò mixtis repellentibus cum digerentibus, conſiſtente uero fluxione, ſolis digerentibus, & diſcutientibus, cum uero iam in loco impacti humores quaſi induruere, vehementioribus attenuantibus, deſiccantibus, & attrahentibus. Sed particulatim deinde, ubi etiam vehementiores dolores id genus affectus conſequẽtes ſunt, neceſſarius interdum inſurgit, & alius ab his ſcopus, nempe, & ea eſſe neceſſaria medicamenta, quæ vim leniendi habeant, ſedandique dolorẽ. Generalis itaque methodus, qua affectiones illæ tractandæ ſunt, quæ a fluxione ortum habent, talis eſt: at uero cum non ſolæ indicationes ab affectus natura neceſſariæ ſint ad veram, & rectam curandi rationem, uerum non minus illæ, quæ a natura loci affecti, ideo neque etiam in curando ſæpe neceſſe eſt eos ſcopos, & indicationes perſequi, quæ a natura affectus proficiſcuntur, quia interdum illæ, quæ a natura affecti loci deſumuntur, nobis obſtant, ſicuti in his articularibus affectionibus diuerſa natura articulorum, qui infeſtari ſolent his doloribus cogit aliquantiſper uariare rationem indicationum, & remediorum. Ecce enim primum ſcopum, vel indicationem, quam nobis offert generalis illa methodus eſt, repellendos eſſe influentes humores, vt ſubinde ſiſti fluxio poſſit, & quamuis ratio hæc in omnib. alijs articulis admitti poſſit: coxendici tamen omnino aduerſatur, ratione nimirum ſui ſitus, eſt enim admodum in alto ſitus, & circumobſitus a congerie multorum muſculorum, vt ſi velimus repulſorijs medicamẽtis uti exterius adminiſtratis ſecuturũ ſit hoc incommodum (vt Galen. decimo de compo. med. ſec. loc. & in lib. de facile parab. med. docuit) quod humores, vt ſanguis, & reliquæ humiditates in his particulis contentæ, ut frigidorum, & repellentium medicamentorum, quaſi expreſſi, & ab exterioribus ad internas partes propulſi magis infarciantur, & cõculcentur verſus affectum articulum, quo fiet poſtea, vt augeatur dolor, & materia magis infarcta in affecto loco difficilior ad extractionem, & ad diſcuſſionem reddatur. Perinde ergo in coxendice vim repellentium fugimus, ut in internis affectibus thoracis, eadem videlicet ratione, ne ſanguis, & reliqui humores in externis partibus congeſti, interius compellãtur. In reliquis autem articulorum doloribus cum præſertim nulla fuerit uniuerſi corporis plenitudo ſuſpecta, vti poſſumus repellentibus, ut per ea inde auertantur confluentia excremẽta. Vnde prætermiſſo ſcopo, qui repulſionem humorũ reſpicit, ſtatim transferenda eſt curationis ratio ad alium, qui exigit, ut lenientibus, & dolorem ſedantibus agamus dummodo ea eligamus, quæ neq; vehementer admodum refrigerant, neque (vt Gale. in lib. de Fac. parab. med. docuit) vehementer calefaciunt, calidiora ſiquidem curſum, & fluxionem materiæ magis concitant, vtpote, quia calor magis ad ſe humores attrahit præſertim inter initia, quàm aut digerat, aut fluorem refrenet, frigidum uerò compellit magis cogitque materiam, quaſique congelat, ut deinde humores contumaciores digeſtioni reddantur. Quæ autem ea ſint, quæ lenire, & mitigare dolorem poſſunt, & anodyna verè a Græcis appellantur, expoſuit Galen. 5. de ſimpl. medic. fac. funt etenim ea, quæ primum calefacientium ordinem non excedunt, & tenuem ſubſtantiam, ſeu te-

nues

cap.25. cap.6. cap.18.

nues partes habent citra vllam aſtringentem facul- A
